35

II

Digitized by Google

VII. q. 3

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
44 I
2

Digitized by Google

S. 44. I. 2

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

M

Digitized by Google

E,44,I,2

HISPANIAE ILLVSTRATÆ

SEV

RERVM VRBIVMQ. HISPANIÆ, LVSITANIÆ, ÆTHIOPIÆ ET INDIÆ SCRIPTORES VARII.

Partim editi nunc primum, partim aucti atque emendati.

Quorum Seriem ſequens pagina exhibet.

TOMVS II.

Operâ & ſtudio

DOCTORVM HOMINVM.

Acceſſit rerum memorabilium & verborum INDEX *copioſiſſimus.*

DVPLVM BIBLIOTHECAE V. E.



DVPLVM BIBLIOTHECAE V. E.

FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium, & Hæredes Iohannis Aubrij.

MDCIII.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſ. Maieſt. ad decennium.

Digitized by Google

Priuilegium Cæſareum.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Rex; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ; Comes Tirolis &c. Recognoſcimus, & notum facimus tenore præſentium vniuerſis; Cum res literaria, quæ bono publico plurimum præſidii conferre ſolet, omnibus modis promouenda ſit: Nobisq; noſtri & ſacri Romani Imperii fideles, dilecti CLAVDIVS MARNIVS, & hæredes IOANNIS AVBRII, ciuitatis Francofurtenſis ad Mœnum ciues atque Typographi humillimè expoſuerint: ſe opus quoddam inſigne, cuius talis eſt inſcriptio: *Hiſpaniæ illuſtratæ, ſeu rerum vrbiumq; Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Æthiopiæ & Indiæ ſcriptores varii: partim editi nunc primum, partim aucti atque emendati,* magno ſuo ſumptu atque labore, vt pro communi vtilitate in lucem prodeat, typis iam abſoluiſſe: vereri autem ne ſiniſtris æmulorum artibus, vt fieri ſæpe aſſolet, fructu & emolumentis, tanta impenſa & labore dignis fraudentur: Nobisq; proinde perquã demiſſe ſupplicarint, vt noſtra authoritate iſtorum æmulorum iniuriam arcere, ac priuilegii noſtri præſidio indemnitati eorum clementer proſpicere dignaremur: Nos ſanè ipſis hoc in caſu bene conſultum volentes, precibus eorum iuſtis & æquis annuendum duximus. Quapropter ſcienter animoq; deliberato, & ex Cæſarea authoritate noſtra ſeriò vetamus & interdicimus omnibus & ſingulis Typographis, chalcographis, Bibliopolis, aliisq; negotiationem librariam quamuis exercentibus, ne quis præmemoratum opus in ſacro Romano Imperio, & Regnis Prouinciisq; noſtris hęreditariis intra decenniũ ab editione eius inchoandum æmuletur, imprimat, aut diſtrahat, vel etiam aliunde impreſſum aduehat, aut diuendat palàm vel occultè. Quiſquis verò interdictum hoc noſtrum neglexerit aut violarit, eum nõ ſolum eiuſmodi libris, perperã quippe illiciteq; impreſſis & adductis (quos nimirũ ſupradicti MARNIVS & hæredes Aubrii aut mandatũ ab eis habentes, auxilio Magiſtratus eius loci, vbi deprehenſi fuerint, vel propria etiã authoritate ſibi vendicare poterunt) priuandum; verumetiam inſuper decem marcis auri puri Fiſco ſeu Ærario noſtro Imperiali, & dictis hęredibus ex æquo ſoluendis & numerandis mulctandum ſtatuimus. Hac tamen etiam conditione adiecta, vt opus prędictum nihil in ſe contineat, quod orthodoxæ fidei Catholicę, vel noſtris & ſacri Romani Imp. conſtitutionibus aduerſum ſit: ac inſuper vt ſæpe dictus MARNIVS & hęredes tria nimirum operis iſtius exemplaria ad Cancellariã noſtrã Imperialem Latinam propriis ſumptibus quamprimum tranſmittant. Quod ſi neglexerint, priuilegio illi hoc noſtro priuati & exuti eſſe debeant. Mandamus vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperii ſubditis, & fidelibus, dilectis, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis extiterint; præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel ſuperiorum, vel ſuo ipſorum nomine ac loco Iuris & Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam hoc priuilegium noſtrum impune violare patiantur; ſed ſi quos contumaces compererint, præſcripta pœna plecti, &, quibuscunque rectè fieri, poteſt, modis coërceri curent; quatenus & ipſi grauiſſimam indignationem noſtram, & eandem mulctam incurrere noluerint. Quod hiſce literis noſtris teſtatum eſſe voluimus. quas manu propria ſubſcriptas, & ſigilli noſtri Cæſarei impreſſione roboratas. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ, die vigeſima menſis Auguſti, Anno Domini Milleſimo ſexenteſimo tertio: Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimooctauo, Hungarici trigeſimo primo, & Bohemici itidem vigeſimo octauo.

RVDOLPHVS

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium

RVDOLPHVS CORADVCIVS

IOAN. BARVITIVS.

INDEX AVCTORVM
SECVNDI TOMI.

1. B. Iſidori *Hiſpalenſis Epiſcopi* & B. Ildefonſi, *de Claris præſertim Hiſpaniæ ſcriptoribus atque Epiſcopis, cum appendicibus* Felicis, Iuliani, Braulionis, *& incerti auctoris, nunc primum editis, & Notis* Andreę Schotti *illuſtratis*. *pag.* 1
2. Roderici Ximenii *archiepiſcopi de rebus Hiſpaniæ, libri* IX. *emendatiores & auctiores.*
   Eiuſdem *Oſtrogothorum, Hunnorum ac Vandalorum hiſtoria. Item* Arabum *hiſtoria eiuſdem ac Romanorum, nunquam antehac editæ.* *pag.* 25
3. Petri Pantini Tiletani Belgæ *de dignitatibus atque officiis Gothorum Commentarius* *pag.* 195
4. Io. Marianæ *ex Societ.* Ieſu *hiſtoria de Rebus Hiſpanicis, libri* XX. *pag.* 205
5. *De* Academiis, *& claris Hiſpaniæ ſcriptoribus* Alphōſi Garſi Matamori *Hiſpalenſis, liber ſingularis.* *pag.* 801
6. Damiani à Goes *Vita.* *pag.* 824
   Eiuſdem *Epiſtola ad* Io. Iacobum Fuggerum *pro defenſione Hiſpaniæ, cum Reſponſione* Iacobi Fuggeri *pag.* 827
7. L. Andr. Reſendii *Epiſtola Hiſtorica de Æra Hiſpanorum.* *pag.* 828
8. Nomenclatura *vrbium Hiſpaniæ m. ſ.* *pag.* 830
9. Hieronymi Pauli *Barcinonenſis de fluminibus & montibus Hiſpaniæ* *pag.* 834
   Eiuſdem *vrbis Barcinonenſis deſcriptio. Et Epiſcoporum Catalogus.* *pag.* 840
10. Hieronymi Blancæ *Regum Aragoniæ Catalogus, cum ſuccincta eorum vita.* *pag.* 848
11. Ambroſii Moralis *Corduba.* *pag.* 853
12. Caroli Verardi *Expugnatio Regni Granatæ, Hiſtoria.* *pag.* 861

LVSITANICA.

1. Damiani à Goes *Oliſiponenſis vrbis deſcriptio.* *pag.* 879
   Eiuſdem de rebus ac Imperio Luſitanorum ad Paulum Iouium *diſceptatiuncula* *pag.* 890
2. L. Andreæ Reſendii *Antiquitatum Luſitaniæ, libri* IV. *& liber vnus Antiquitatum* Eboræ *ab* And. Schotto *latinus factus* *pag.* 892
3. Iacobi Menœtii Vaſconcelli *de Municipio Eborenſi, liber ſingularis* *pag.* 985
4. L. Andr. Reſendii *de Colonia Pacenſi Epiſtola* *pag.* 997
   Eiuſdem *de Eborenſis Eccleſiæ Sanctis ad* Bartholomæum Kebedium. *pagina* 1003
5. Ambroſii Moralis *Epiſtola ad* L. Andr. Reſendium: *cum Reſponſione* Reſendii *de Traiani Pontis inſcriptione* *pag.* 1021
6. Io. Antonii Vipetani, *de obtenta Portugallia à rege* Philippo *pag.* 1031
7. Hieronymi Coneſtaggii, *Patritii Genuenſis de Portugalliæ Coniunctione cũ regno Caſtellæ, Hiſtoria ex Italico ſermone in Latinum conuerſa* *pag.* 1062
8. Duardi Noni *Leonis Cenſuræ in libellum de Regum Portugalliæ origine, qui fratris* Ioſephi Teixeræ *nomine circumfertur* *pag.* 1221
   Eiuſdem *de vera Regum Portugalliæ Genealogia.* *pag.* 1254

Digitized by Google

ÆTHIOPICA ET INDICA.

1. Genealogia *Regum Æthiopiæ.* *pag.* 1278
2. Chriſtophori Columbi *de inſulis nuper inuentis Epiſtola.* *pag.* 1282
3. *De Legatione Imperatoris potentiſſimi Æthiopiæ ad* Clement. *VII. Pontificem.* *pag.* 1285
4. *De regno Æthiopiæ ac populo, deque moribus eiuſdem populi.* *pag.* 1286
5. Iohannis *Portugaliæ Regis literæ ad* Clementem VII *Pontificem* *pag.* 1287
6. Damiani à Goes *de Religione & moribus Æthiopum* *pag.* 1288
7. *Epiſtolæ aliquot Precioſi* Iohannis *Æthiopum Regis Damiano & Paulo Iouio Interpretibus:*
    1. *Epiſtola* Helenæ *auiæ Dauidis Æthiopum Regis ad Emanuelem Luſitaniæ Imperator. ſcripta.* *pag.* 1291
    2. Dauidis *Æthiopiæ Regis literæ ad Regem* Emanuelem *Portugaliæ ſcriptæ.* *pag.* 1293
    3. *Eiuſdem* Dauidis *Æthiopiæ Regis literæ ad* Iohannem *Portugaliæ Regem ſcriptæ.* *pag.* 1295
    4. *Eiuſdem* Dauidis *Æthiopiæ Regis binæ literæ ad* Clementem VII. *Pontificem.* *pag.* 1297
8. *Deploratio Lappianæ gentis.* *pag.* 1313
9. *Lappiæ deſcriptio.* *pag.* 1314
10. *Epiſtola* Emanuelis *Regis Portugalliæ ad* Leonem X. *Pont. Max. de Victoriis in Africa habitis.* *pag.* 1315
11. *Epiſtola* Iohannis *III. Regis Portugaliæ, ad* Paulum *III. Pont. Max. de rebus in Oriente feliciter geſtis.* *pag.* 1316
12. Damiani à Goes *Bellum Cambaicum ſeu Obſidio Vrbis Dienſis.* *pag.* 1319
    Eiuſdem Bellum Cambaicum II. Commentarii III. *pag.* 1328
13. Iacobi Teuii *de Reb. ad Dium geſtis Commentarius.* *pag.* 1345
14. L. Andr. Reſendii *Epiſtola de Reb. Indicis ad Conradum Gochlenium.* *pagina* 1327

TRA-

TRACTATVS

B. ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI DE CLARIS PRÆSERTIM Hiſpaniæ ſcriptoribus atque Epiſcopis; cum

APPENDICIBVS

Braulionis, Epiſcopi Cæſarauguſtani.
Ildefonſi, Epiſcopi Hiſpalenſis.
Iuliani, Præſulis Toletani.
Felicis, Præſulis Toletani.

ET

Incerti Authoris,

Quæ Notis Andreæ Schotti explicantur & illuſtrantur.

OSIVS Cordubenſis [1] Eccleſiæ Epiſcopus, ſcripſit ad ſororem ſuam de laude virginitatis, epiſtolam pulchro ac [2] diſerto comptam eloquio: Iſardicenſi etiam concilio quamplurimas edidit ſententias. Hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis [3] arceſſitur à Conſtantio Principe miniſque perterritus metuens ne ſenex & diues [4] damnaretur vel exilium pateretur: illico Arrianæ impietati conſenſit, cuius quidem vitam, vt meruit, confeſtim exitus crudelis finiuit. Nam poſt impiam, vt ait quidam, Oſii præuaricationem, dum Sanctus Gregorius [5] Eliberitanus Epiſcopus in Cordubenſi vrbe iuxta Imperiale decretum fuiſſet adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Oſius dicit Clementino Conſtantii [6] præfecto vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille non audeo (inquit) Epiſcopum in exilium mittere, niſi (tu) prius eum ab Epiſcopatu deieceris. Vt autem vidit ſanctus Gregorius, quod Oſius vellet [7] dare ſententiam, appellat Chriſtum totis fidei ſuæ viſceribus exclamans: Chriſte Deus qui venturus es iudicare viuos & mortuos, [8] ne patiaris hodie [9] Hermanam proferre ſententiam aduerſus me minimum ſeruum tuum, qui pro fide nominis tui vt reus aſſiſtens, ſpectaculũ factus ſum: ſed tu ipſe quæſo in cauſa tua hodie iudica, ipſe ſententiã proferre dignare per vltionem. Non ego [10] quia metuens [11] de exilio fugere cupio, cum mihi pro nomine tuo nullum ſupplicium graue ſit, ſed vt multi à præuaricationis errore liberentur, cum præſentẽ viderint vltionẽ. His dictis: ecce repente Oſius [12] reſidens [13] faſtu [14] quia Regalis imperii cum ſententiam conaretur exprimere, os vertit diſtorquens pariter & ceruicem ac deſeſſu in terram eliditur, atque illico expirauit. Tunc admirantibus cunctis etiam Clementinus ille gentilis expauit. Et licet eſſet Iudex, tamẽ timens, ne in ſe ſimile ſupplicium [15] iudicaretur, proſtrauit ſe ad [16] pedem ſancti viri, obſecrãs vt ſibi parceret, [17] quod in eum diuinæ legis ignoratione peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quam [18] mandatus imperio. Inde eſt quod ſolus Gregorius ex numero [19] vendicantium integram fidem habens, nec in fugam verſus eſt, nec paſſus eſt exilium, vnuſquiſque enim timuit de illo vlterius iudicare.

I.
15.

1 Col. Ciuitatis.
2 al. diſcreto cõpoſitam.
3 al. accerſitur
4 al. damnaretur.
5 al. Illiberitanus.
6 al. præfecti.
7 al. ferre.
8 Col. non
9 Col. humanam proferre: al. perferri.
10 al. quaſi.
11 al. exilium.
12 al. præſidens.
13 al. factus.
14 Col. quaſi.
15 Col. Vindicaretur.
16 al. pedes.
17 al. quod.
18 al. mandantis.
19 al. Vindicantium.

Digitized by Google

II. [1] ITACIVS Hiſpaniarum Epiſcopus cognomento & el[o]quio clarus ſcripſit quendam librum ſub apologetici ſpecie, in quo deteſtanda [2] Prec[il]iani dogmata, & maleficiorum eius artes, libidinumq; eius probra demonſtrat, oſtendens Marcum quendam [3] Menſiticum magicæ artis [4] ſcientiſſimum Nianis & Priſciliani magiſtrum. Hic autem cum [5] Vrſatio Epiſcopo ob necem eiuſdem Priſciliani, cuius accuſatores extiterant, Eccleſiæ communione priuatus, exilio condemnatur, ibiq; [6] diem vltimum obtinuit. Theodoſio maiore & Valentiniano regnantibus.

III. [7] SIRICVS clarus Pontifex & Romanæ ſedis antiſtes, ſcripſit decretale opuſculum directum ad Eumerium Tarraconenſium Epiſcopum, in quo inter alias Eccleſiaſticas diſciplinas, conſtituit hæreticorum baptiſma, nequaquam ab Eccleſia reſcindendum. Reperimus & aliam eius epiſtolam [8] ad diuerſos etiam Epiſcopos miſſam, in qua condemnat [9] Iouinianum hæreticum atq; [10] Auſentium cœteroſq; eorum [11] ſecaces. Præfuit Romæ annos quatuordecim, obiitq; ſub Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus.

IV. Paulinus PRESBYTER [12] explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentis genere libellum, ſatis ſuccincta breuitate compoſitum: Idem etiam petente Auguſtino conſcripſit [13] Ambroſii vitam ſignis florentem atq; doctrinis & meritis Apoſtolorum non imparem, ſiquidem & Conſtantius Epiſcopus Germani vitam contexuit, obitumque Paulini Oranius edidit.

V. PROBA vxor Adelphi proconſulis fœmina idcirco inter viros Eccleſiaſticos poſita [14] pro eo quod in [15] laudem Chriſti verſata eſt, componens centonem de Chriſto, virgilianis coaptatum verſiculis, cuius quidem non [16] miremur ſtudium, ſed [17] laudemus ingeniũ: quod tamen opus cum legitur, inter [18] Apocrifas ſcripturas [19] inſeritur.

VI. IOHANNES ſanctiſſimus Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopus [20] etiam confeſſor cognomento Chryſoſtomus, cuius oratio & plurimam cordis compunctionem & magnam [21] ſuaui eloquentia tribuit. Condidit etiam Græco eloquio multa & præclara opuſcula, [22] è quibus vtitur latinitas [23] duobus de lapſis libellis ſcriptis ad quendam Theodorum lamentis [24] exhortationibus plenis, [25] vtpote illum è bona conuerſatione deiectum & quia monachi vitam cum eo in vno eodemq; monaſterio exercuerat, [26] adeo conuerſationis ibi factæ eum in libris ipſis admonuit, prouocans eum ad propoſitum atq; oſtendens nulli peccatori [27] licet impio, ſi ad pœnitentiam redeat, deſperandum. legimus eiuſdem [28] etiam librum alium, cuius prænotatio eſt: neminem poſſe lædi ab alio, niſi a ſemetipſo. Ad perſonamque [29] cuiuſdam nobiliſſimæ matronæ Gregoriæ reperitur opus eius inſigne de conuerſatione vitæ & inſtitutione morum, ſiue de [30] compugnantia virtutum [31] ac vitiorum, Eſt etiam & alius liber eiuſdem apud Latinos de compunctione cordis. Alter quoq; ſcriptus ad quendam [32] Sutropium, cum palatio pulſus ad [33] altarium confugiſſet. Multos præterea compoſuit [34] diuerſos tractatus, quos enumerare [35] per longum eſt, cuius quidem ſtudii etſi non omnia [36] tanquam plurima eloquia eius fluenta de Græco in [37] Lati[n]o ſermone tranſlata ſunt. Hic autem tertiodecimo anno Epiſcopatus ſui diſcordia Theophili Alexãdrini Epiſcopi [38] præſſus, [39] Nam fauentes Epiſcopi noſtri Archadio Imperatori, damnauerunt eum innocentem, atq; ab Epiſcopatu deiectum [40] pontu in exilium [41] detruſerũt, cuius corpus triceſimo quinto anno, die functionis ab exilio Conſtantinopolim reuocatur, etiam in Apoſtolorum Eccleſia ſepelitur.

VII. SEDVLIVS præsbyter [42] condidit tres libros dactylico heroico metro cõpoſitos: quorum primus ſigna & virtutes Veteris Teſtamenti potentiſſime reſonat, reliqui vero geſtorum Chriſti ſacramenta [43] vel miracula intonant.

VIII. [44] POSSIDONIVS Africanæ prouinciæ Epiſcopus, hic ſtylo [45] proſequutus eſt vitam ſancti Auguſtini, [46] cui etiam operi ſubiecit [47] indicem ſcriptorum eius, enumerans quanta idem beatiſſimus Doctor [48] ſcripſerit, vbi plus quanto [49] quingentorum librorum volumina [50] deputantur. [51] Homeliarum vero & Epiſtolarum, quæſtionumq; infinitus modus [52] eſt, vt pene vix poſſe[t] quiſquam articulo ſuo aliena tanta ſcribere, quanta ille proprio labore compoſuit.

PRIMASIVS Africanus Epiſcopus compoſuit ſermone ſcholaſtico de hæreſibus libros tres, [53] directus ad Fortunatum Epiſcopum: explicans in eis quod olim beatiſſimus Au-

1 Col. Idacius vide Io. Vaſæum an. 420. in Chronico. 2 Col. Priſcillianorum, al. Priſciliani. 3 Col. Memphiticum quidem ſcientiſſimum & ſepulti fuiſſe. 4 Quidam. Manis & Priſciliani magiſtrum. 5 Col. Vrſacio. 6 Col. die vltimo fungitur. 7. Col. Siricius clariſſimus. 8. al. ad Eccleſiam Mediolanenſ. 9. al. Iouinianum. 10. Col. Auxẽtium. 11. Col. ad ſequaces. 12. al. explicauit de 13. Vtrumque intelligit ex Ambroſii Epiſtolis. 14. al. ſola. 15. quandã laude. 16 al. miramur. 17 al. laudamus. 18 al. Apocryphas. 19 Col. inſerũt. al. inſcribitur. 20 Col. & 21 Col. ſuauiloquentiam. 22. Col. & 23. Col. legi duos eius de lapſis libellos ſcriptos ad quendam. 24. al. & exortationibus &. 25. Col. Vtpote 26. Col. ideo. 27. al. vel 28. Col. et. 29. al. quoque. 30. Col. compugnatione. Prudent. Ψυχομαχίας. 31. al. & 32. Col. Eutropium. 33. Col. altare. 34. al. diuerſoſq; 35. Col. & per 36. Col. & al. tamen quamplurima eloquentia eius 37. Col. latinum ſermonem 38. al. oppreſſus eſt. 39. Col. nam fauentes Epiſcopi Arcadio imperatori. 40. Col. Ponto. 41. col. male retruſerunt. 42. Col. edidit. 43 al. vel mirabilia 44 Col. Poſſidius. 45 al. perſecutus. 46 Col. cuius. 47 Col. indiculum 48 al. ſcripſit 49 al. quadringentorum. 50 Col. ſupputantur. 51 Col. homiliarum. 52 Col. an ſit. Scripſit & Philaſter Epiſcopus. 53 Col. directos.

guſti-

IX.

guſtinus[1] librum hæreſeorum imperfectum morte interueniente reliquerat. In primo nãque oſtendens, quid hæreticum faciat. In ſecundo & in tertio digerens quid hæreticũ demonſtret,[2] [claruit Iuſtiniano regnante.]

X.

[3] PROTERVIVS Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtes ſcripſit nõnullas epiſtolas ad Leonem Romanæ Sedis Epiſcopum de feſtiuitate Paſchali. Hunc autem[4] Leonis Auguſti tẽporib. Diſcorii hæretici ſucceſſores, authore Timotheo, ſeditione facta crudeliſſime peremerunt, ipſumq; Timotheum ſibi pro Alexandrino Epiſcopo[5] conſtituerunt.

XI.

PASCHASIVS[6] Sicilenſis Epiſcopus ædidit vnam Paſchalem Epiſtolam ad Leonem ſupradictum Papam directam, in qua refert Paſchalis myſterii miraculum his verbis. Eſt (inquit) poſſeſſio, quæ appellatur[7] Meltinas, in montibus arduis ac ſyluis denſiſſimis conſtituta, illic[8] perparuo ac vili opere conſtructa Eccleſia eſt, in cuius baptiſterio nocte ſacroſancta paſchali baptizandi hora, cum nullus Canalis ſit, vel fiſtula[9] nec aquæ omnino vicina, fons ex ſeſe repletur[10] fore, paucisque qui[11] fuerint conſecratis, cum deductorium nullum ſit, vt[12] veniat aqua, ex ſeſe[13] diſcedit. Claruit ſub Theodoſio[14] Iuniore Archadii Imperatoris filio.

XII.

IVLIANVS quidam Gallus, cognomento[15] Pomerius, hic octo libros de animæ natura in Dialogi[16] more conſcripſit,[17] qui horum primus continet quid ſit anima, vel qualiter credatur ad imaginem Dei facta. In ſecundo loquitur, vtrum anima corporea an incorporea ſit. In tertio diſſerit,[18] vtrum primo homini ſit anima facta. In quarto,[19] vt noua anima ſine peccato fiat, an peccato primo hominis exilio proligata originaliter trahat. In quinto deſcribit quæ ſit facultas animæ. In ſexto[20] loquitur vnde ſit ea diſcordia, qua carni Spiritus vel caro Spiritui aduerſatur. In ſeptimo[21] deſcribit de differentia vitarum ac mortium, vel reſurrectione carnis & animæ, ſiue de morte carnis ac de eius reſurrectione. In octauo loquitur de iis, quæ in fine mundi futura ſunt, vel de quæſtionibus quæ ſolent de reſurrectione proponi, ſiue de finibus bonorum atq; malorum. Hic tamen in ſecundo eiuſdem operis libro, Tertulliani erroribus conſentiens, animam corpoream eſſe dixit, quibuſdam hoc fallacibus argumentis[22] probare contendens. Addidit etiam vnum libellum de virginibus[23] inſtruendis, alios quoq; tres de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali cõuerſatione, nec non etiam de vitiis[24] ac virtutibus.

XIII.

EVGIPIVS Abbas Lucanenſis oppidi Neapoli Campaniæ, hic ad quendam[25] Paſchaſium dictum libellum de vita cuiuſdam ſancti monachi Seuerini tranſmiſſum breui ſtylo compoſuit. Scripſit etiam[26] & monachis conſiſtentibus in Monaſterio ſancti[27] Seuerini,[28] quem eiſdem moriens[29] quaſi teſtamentario Iure reliquit. Claruit poſt conſulatum Importuni Iunioris, Anaſtaſio imperatore regnante.

XIV.

FVLGENTIVS Afer Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopus, in confeſſione fidei clarus, in ſcripturis diuinis[30] copioſiſſime eruditus, in loquendo quoq; dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis, ſcripſit multa, è quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio, libros reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Galliæ Regienſis vrbis Epiſcopo Pelagianæ[31] prauitate conſentienti reſpondens obnititur eius profundam deſtruere calliditatem. Legimus[32] etiam eiuſdẽ de ſancta Trinitate ad Felicem directum Notarium, librum quoque regulæ veræ fidei & alium de Sacramento Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Extãt & duo[33] eiuſdem libri de veritate pdeſtinationis ad Epiſcopos miſſi, in quibus[34] demonſtrat quod gratia Dei in bonis voluntatem humanam[35] præueniet: & quod[36] Dominus quoſdã prædeſtinationis ſuæ munere iuſtificans prælegit, quoſdam vero in ſuis reprobis moribus occulto quodam iudicio derelinquit. Eſt & liber altercationis eius, in quo de fide cum Traſamundo Rege idem beatus Fulgentius diſputauit. Ad[37] Ferrandum quoq; Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconum vnum de interrogatis quæſtionibus ſcripſit libellum. Inter[38] hoc compoſuit & multos tractatus, quibus Sacerdotes in Eccleſiis vterentur: Plurima quoque ſeruatur ingenii eius monimenta, hæc[39] tamen ex precioſis doctrinæ eius floribus carpſimus: ſors melior[40] cuius delitias omnium librorum eius præſtiterit Dominus. Claruit ſub Taraſmundo Rege Wandalorum Anaſtaſio Imperatore regnante.

XV.

[41] EVCERIVS Franciæ Epiſcopus elegans ſententiis ornatus in verbis edidit ad Hila-

Scripſit & Philaſter Epiſcop.
1. Col. in libro hæreſeon.
2. [ ] deſunt in Colon.
3. Col. Proterius.
4. al. Leonem Auguſti: in temporib. Dioſcori
5. Col. ſtatuerũt
6 al. & Col. Sicilienſis.
7 Col. Meltinas.
8 Col. perparua.
9 al. nec omnino vicina aqua fons ex ſe repletur.
10 al fortè
11. al. & Col. adfuerunt.
12 Alii, qua venerat
13 Alii diſcreuit. Col. deſcendit.
14 al. minore.
15 Col. Pomerius.
16 Col. morẽ.
17 Col. quorum
18 al. primo homini vnde anima ſit facta.
19 Col. vtrum anima ſine peccato fiat, ac peccatum primi hominis eſt propagata. Col. proligata Col. vero primi hominis ex illo propagata originaliter trahat.
20 Colon. eloquitur.
21 al. autem ſcripſit Col. ſcribit.
22 Col. aſtruere.
23 al. inſtituendis
24 al. atq;
25 Col. Paſchaſium Diaconũ libellum de vita ſancti. al. Diaconem.
26 Col. & regulam monachis conſiſtentibus.
27 De Sancto Seuerino Monacho vide Cõſules Cuſpiniani in Anaſtaſio
28 Col. quam.
29 Col. quia.
30 Col. copioſè.
31 Col. prauitati. 32 Col. & eius librum. 33 Col. eius. 34 al. demonſtratur. 35 Col præueniat. al preuenit. 36 Col Deus 37 al. Fernandum. 38 Col. hoc ſcripſit multos. 39 al. tantum. 40 al. cui delitias animum librorum. 41 Col. Eucherium.

by Google

ritum Arelatenſem Antiſtitem heremi deſerta petentem, vnum opuſculum de laude eiuſdem Eremi luculentiſſime & dulci ſermone dictatum. In quo opere laudamus Doctorem etſi pauca, tamen pulchra dicentem, breuitas, vt ait quidam, laus eſt interdum in [1] alia parte dicendi: in vniuerſa eloquentia laudem non [2] habent.

XVI. HILARIVS Arelatenſis Epiſcopus ſcripſit vitam parentis [3] ac prædeceſſoris ſui ſanctiſſimi ac venerabilis Honorati Epiſcopi, ſuaui ac [4] clariſſimo prædictatam eloquio.

XVII. [5] APRINGIVS Eccleſiæ Pacenſis Hiſpaniarum Epiſcopus diſertus lingua & ſcientia eruditus interpretatus eſt Apocalypſim Ioannis Apoſtoli, ſubtili ſenſu [6] ac ſermone illuſtri, melius pene quam veteres Eccleſiaſtici viri expoſuiſſe videntur. ſcripſit & nonnulla, quæ tamen ad notitiam noſtræ Lectionis minime peruenerunt. Claruit temporibus [7] Theudi Principis Gothorum.

XVIII. IVSTINIANVS Imperator quoſdam libros de incarnatione Domini edidit, quos etiam per diuerſas prouincias miſit. Condidit quoque & reſcriptum contra Illyricianam Synodum & aduerſus Africanos Epiſcopos Calcidonenſis Synodi [8] defenſores peruerſo ſtudio, in quo tria capitula damnare contendit. [9] Theodori numeros veſtini Epiſcopi dicta, reſcripta [10] Theodoreti & Epiſtola, quæ dicitur Ibedeſſeni Epiſcopi.

XIX. [11] FACVNDIVS Afer Ermanenſis Eccleſiæ Epiſcopus, duodecim libros pro defenſione trium capitulorum ſcripſit, quorum ſtylo elicuit tria præfata capitula in [12] proſcriptione Apoſtolicæ fidei & Calcidonenſis ſynodi impugnatione fuiſſe damnata. i. Epiſtola [13] Ibo Edeſſeni Epiſcopi [14] [ad [15] Marini Perſam ductam & Theodorum [16] Monſueſtinũ Epiſcopum] & Theodoreti Cyri Epiſcopi dicta. Claruit poſt Conſulatũ Baſilii anno decimo regnante Iuſtiniano Imperatore.

XX. IVSTINIANVS de Hiſpania Eccleſiæ Valentinianæ Epiſcopus. Ex quatuor fratribus Epiſcopis ex eadem matre progenitis vnus ſcripſit quoque librum reſponſionũ ad quendam ruſticum de interrogatis quæſtionibus, quarum prima [17] eſt de Spiritu ſancto. Secũda eſt contra [18] Boniſiacos, qui Chriſtum adoptiuum & non proprium dicunt. Tertia reſponſio eſt de Baptiſmo Chriſti, quod iterare non licet. Quarta reſponſio eſt de diſtinctione Baptiſmi Ioannis & Chriſti. Quinta reſponſio eſt [19] quod filius ſicut pater inuiſibilis ſit. Floruit in Hiſpaniis temporibus [20] Theudi Principis Gothorum.

XXI. IVSTVS [21] Orgilitanæ Eccleſiæ Epiſcopus Hiſpaniarum & frater prædicti Iuſtiniani, edidit libellum expoſitionis in [22] canticis canticorum, totum valde breuiter [23] ac aperte [24] per allegoriarum ſenſum, Hi quoq; fratres. Infridius & alia quædam ſcripſiſſe ferũt. è quibus quia [25] incogniti ſumus magis reticenda fatentur.

XXII. MARTINVS [26] Dumenſis Monaſterii ſanctiſſimus pontifex. Ex Orientis partibus in [27] Galletiam venit, ibiq; [28] conuerſus ab Arriana impietate ad fidem Catholicam Sueuorũ populis, regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit, [29] Eccleſiaſticos informauit, monaſteria condidit, copioſaq; præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cuius quidem ego ipſe legi librum de differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen Epiſtolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem & conuerſationem fidei, orationis inſtantiam, Eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia [30] (cultum virtutum omnium) pietatem. Floruit regnante [31] Theodimero Rege Sueuorum temporibus illis quibus Iuſtinianus in Republica, & [32] Citanaguudus in Hiſpaniis imperium tenuerunt.

XXIII. [33] AVITVS (Viennenſis) Epiſcopus ſcientia ſecularium literarum doctiſſimus ædidit quinque libellos heroico metro compoſitos, quorum primus eſt de origine mundi, ſecundus de originali peccato, tertius [34] de eſſentia (ſententia) Dei, quartus de diluuio mundi, quintus de tranſitu maris rubri. Scripſit & ad Fuſcinam ſororem de laude virginitatis librum vnum [35] pulcherrimo compoſitum carmine [36] & eleganti epigrammate coaptatum.

DRACON-

1 V. aliquos. 2 Col. habet. 3 Col. & 4 al. præclaro prædicatã. Col. præditam. 5 al. Apregius Col. Aprengius. 6 Col. atq; 7 Col. Theodi in Rod. Theudis. al. Theuda. 8 forte deſertores, nam vt ex concilio elicitur, Africani Epiſcopi huic ſynodo non conſenſerunt. 9 Col. Theodori Mopſueſteni Epiſcopi dicta (ſiue) reſcripta. 10 Col. Theodoreti Epiſcopi Epiſtolam quæ dicitur. Ibæ Edeſſeni Epiſcopi. 11 Trith. Facundum Ermanienſis. Col. Secundum Ermanenſis. 12 Col. proſcriptione. 13 Col. Iberdenenſis. 14 [ ] Deſunt in Col. 15 al. ad Marium. Perſam directam. Lege Marim. ex concilio Conſtant. 16 al. Mopſueſtenum. Mampſuetenum ex eodem. At ex Nicephoro Mopſueſtinum, alio autem de hoc Theodoro lib. 13 cap. 11. agit, quo Io. Chryſoſtomo fuit familiaris. Mopſueſtia autem Cilicia eſt. 17 Reſponſio in Col. 18 Col. Boniſianos. 19 Col. quia. 20 Vide ſupra in Apringio. 21 Col. Orgellitana. 22 al. Cantica. 23 Col. Cod. atq; 24 Alii. Allegoricũ & Col. pro Allegoriarum ſenſu diſcutiens. Huius quoque fratres Neuridium & Elpidium quædam ſcripſiſſe feruntur. Aliq. Nebridium. 25 al ignari. 26 al. Dumienſis. Col Dumienſis. 27 al Galleciam. Col. Galliam. 28 Quid. conuerſis. 29 Col. Eccleſias confirmauit. 30 al. cultum virtutum omnium & pietatem. 31 Col. Theudemiro. 32 V. C. Athanagildus Col. Anabegildus Hiſpanus imperiũ tenuere. 33 Huius epitaphium inter Eugenii poemata circumſcripto in m. s. Alchimus Auitus. Alter] presbyter hiſpanus apud Gennadium. 34 Col. de ſententia Dei. 35 al pulcherrimum. 36 al. elegantia Grammatico aptatum modo.

XXIV.

Draconrivs compoſuit heroicis verſibus[1] exameron cantionis mundi & [2] luculente equidem compoſuit & ſcripſit.

XXV.

Victor [3] Tunnuenſis Eccleſiæ Africanus Epiſcopus [4] [hic] à principio mundi vſq; ad [5] Iuſtini Iunioris Imperii Annum breuem per Conſules [6] bellicarum Eccleſiaſticarumque rerum nobiliſſimam promulgauit hiſtoriam laude & notatione illuſtrem ac [7] memoria dignam. Hic pro defenſione trium Capitulorum à Iuſtiniano Auguſto [8] [Eccleſia ſua pulſus] exilio in Ægyptum tranſportatur. [9] Inde rurſus Conſtantinopoli vocatus, dum à Iuſtiniano [10] Imperatore & Euticio. Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopo, obtrectatorib. eorundem trium capitulorum [11] reſiſterat, rurſus in [12] monaſterio eiuſdem Ciuitatis cuſtodiendus mittitur atque in eadem damnatione, vt dicunt, permanens moritur.

XXVI.

Iohannes ſanctæ memoriæ [13] [alius] Conſtantinopolitanus Epiſcopus, natione Cappadox, vir [14] inextimabilis abſtinentiæ & Eleemoſynis [15] tantum largiſſimus, vt etiam Zelo auaritiæ aduerſus eum Imperator [16] Mauricus permotus vrbe pauperes pellendos ediceret. Hic Græco eloquio ædidit de ſacramento baptiſmatis reſcriptum ad [17] bonæ recordationis Dominum [18] noſtrum & Prædeceſſorem Leandrum [19] Epiſcopum, in quo nihil proprium ponit, ſed tantummodo antiquorum Patrum replicat de trina [20] menſione ſententias. Claruit temporibus Maurieii Principis, defunctuſq; eſt Mauricio eodem regnante.

XXVII.

Gregorivs Papa Romanæ ſedis Apoſtolicæ Præſul compunctione timoris Dei plenus & [21] humilitate ſummus, tantoque per gratiam Spiritus ſancti ſcientiæ lumine præditus, vt non modo illi præſentibus temporibus, quiſquam Doctorum, ſed nec in præteritis quidem par [22] fuit vnquam. Hic in Exordio Epiſcopatus ſui edidit librum regulæ Paſtoralis directum ad Ioannem [23] Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopum, in quo docet qualis [24] quiſquam ad officium regiminis veniat, vel qualiter dum [25] venit, viuere vel docere ſubiectos [26] ſtudeat. Item etiam efflagitante Leandro Epiſcopo librum beati Iob myſtico ac morali ſenſu diſſeruit, totamque eius [27] prophetiæ hiſtoriam [in] triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit. In quibus quidem quanta myſteria Sacramentorum aperiantur quantaque ſint in amorem vitæ æternæ morum præcepta vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo ſapiens explicare valebit, etiamſi omnes artus eius vertantur, in linguam, ſcripſit etiam & quaſdam Epiſtolas ad prædictum Leandrum, è quibus vnam in eiſdem libris Iob titulo præfationis [28] adnectit. [29] Præterea edidit . . . . . . quod totum myſticis eius intellectum in [30] homelias diſſeruit. homelias iterum Euangeliorum, Item [31] Dialogis more cum Petro habitum de virtutibus Patrum libros quatuor, in quorum diſſertione & verborum flores, & ſenſuum depromit venuſtates. Altera eloquitur de [32] dimerſione baptiſmatis, in qua inter cætera ita ſcriptum eſt. Reprehenſibile (inquit) eſſe nullatenus poteſt Infantem in baptiſmate mergere, vel ſemel, vel ter, quando in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in vna poteſt Diuinitatis ſingularitas deſignari. Fertur tamen [33] iſdem excellentiſſimus vir & aliquos libros morales ſcripſiſſe, totumq; textum quatuor Euangeliorum ſermocinando in populis expoſuiſſe, incognitum ſcilicet nobis opus. Felix tamen & nimium fœlix, qui opera omnium ſtudiorum eius potuit agnoſcere, Floruit autem Mauricio Auguſto imperante, obiitq; in ipſo exordio [34] Focati Romanorum Principis.

XXVIII.

Leander genitus Patre Seueriano, natione Carthaginenſis. prouinciæ Hiſpaniæ, profeſſione monachus, & ex monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ, prouinciæ Bethicæ conſtitutus Epiſcopus, vir ſuauis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, [35] vt etiam fide eius atq; induſtria. Populi gentis Gothorum ab Arriana inſania ad fidem catholicam reuerterentur. Hic nãq; in exilii ſui peregrinatione compoſuit duos aduerſus hæreticorum dogmata libros eruditione [36] ſanctarum ſcripturarum ditiſſimos. In quibus vehementi ſtylo Arrianæ impietatis confodit atq; detegit prauitatem: oſtendens ſcilicet quid contra eoſdem habeat Catholica Eccleſia vel quantum diſtat ab eis religione vel fidei ſacramentis. Extat & aliud laudabile eius opuſculum aduerſus inſtituta Arrianorum, in quo præpoſitis eorum dictis ſuas reſpõſiones opponit. Præterea edidit vnum ad Florentinam ſororem de inſtitutione virginum

1 Col. Hexamerons. lege conditionis à condo vel creationis. Col. creationis. 2 V. C luculenter quidem. Col. & luculenter quod compoſuit ſcripſit. 3 al. Tunnunenſis Col. Tunnunenſis Eccleſia Africana. 4 Col. [ ]. 5 Col. primum. 6 Col. annuis. 7 al. memoriam digniſſimam. 8 [ ] deſunt in Colon. 9 Col. vnde. Cõſtantinopolim euocatus. 10 & al. Imperatori Col. Eutychio. 11 al. reſiſteret. 12 Col. monaſterium. 13 [ ] Col. 14 inæſtimabilis Col. 15 Col. male. 16 lege Mauritius. 17 Col beata. 18 Col. meum. 19 Antiſtitem. Col. 20 al. merſione. 21 Col. humanitate. 22 fuerit. 23 Rauennæ Sedis Col. 24 Col. quiſq; 25 Col. venerit. 26 Col audeat. Idem: 27 al. prophetiam. 28 V. C. adnectitur. 29 hæc & ſeqq; ad altera abſunt V. C. & in Colon deſiderãtur vnde inf. 30 lege, homilias. 31 forte dialogiſmorum cum Petro habitorũ. vel potius dialogiſmum cum Petro habitum. 32 Col. merſione. 33 V. C. idem ſanctiſſimus vir & alios Col. & excellentiſſimus vir alios libros.

34 Col. Foca. lege Phoca. 35 V. C. Vita quoque etiam atq; doctrina clariſſimus, vt & fide eius, Colon. vita quoq; tantum atq; doctrina clariſſimus, vt etiam fide eius atq;. 36 V C ſacrarum. 37 propoſitis.

& contemptu mundi libellum titulorum diſtinctionibus prænotatum; [1] ſiquidem & in Eccleſiaſticis officiis idem non paruo [2] laborauit ſtudio, in toto enim pſalterio duplici editione orationes conſcripſit. In [3] ſacrificia quoq; laudibus atq; Pſalmis multa [4] dulciſſimo carmina compoſuit, ſcripſit & epiſtolas multas ad Papam Gregorium de baptiſmo vnam, alteram ad fratrem in qua præmonet [5] ei mortem non eſſe timendam, Ad cæteros quoque Epiſcopos plurimas promulgauit Epiſtolas familiares, etſi non ſatis ſplendidas verbis acutas tamen ſententiis. Floruit ſub Recaredo viro religioſo ac Principe glorioſo, cuius etiam temporibus mirabili obitu [[6] mortalis] vitæ terminum clauſit.

XXIX. Licinianvs Carthaginis Spartariæ Epiſcopus in ſcripturis doctus, cuius quidem [7] multas epiſtolas legimus: de Sacramento denique Baptiſmatis vnam & ad Eutropium abbatem, poſtea Valentiæ [8] Epiſcopum plurimas. Reliqua vero induſtriæ & laboris eius ad noſtram notitiam [9] non peruenerunt. Claruit temporibus Mauricii Auguſti, occubuit Conſtantinopoli veneno, vt [10] fertur extinctus ab æmulis. Sed vt ſcriptum eſt, Iuſtus quacunq; morte [11] occupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit.

XXX. Severvs [12] Malachitanæ ſedis antiſtes, collega & ſocius [13] Liciniani Epiſcopi, edidit libellum vnum aduerſus Vincentium, Cæſarauguſtanæ vrbis Epiſcopum, qui ex [14] Catholica in Arrianam prauitatem fuerat deuolutus. Eſt & alius eiuſdem de Virginitate ad ſororem libellus, qui dicitur [15] Annolus, cuius quidem [16] fatemento cognouiſſe titulum, ignorare eloquium. Claruit temporibus prædicti Imperatoris, quo etiam & regnante vitam finiuit.

XXXI. Ioannes Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus [17] natiuitate Gothus prouinciæ [18] Luſitaniæ Scalla natus, hic cum eſſet adoleſcens Conſtantinopolim perrexit, ibiq; græca & latina eruditione [19] nutritus poſt ſeptimum decimum annum in Hiſpanis reuerſus eſt, eodem tempore quo [20] in ciuitate Leonogildo Rege Arriana feruebat inſania. Hunc ſupradictus Rex cum ad nefandæ hæreſis [21] crudelitatem compelleret, & hic omnino reſiſteret, exilio truſus [22] Barchinona relegatus, per decem annos multas inſidias & [23] perſequutiones perpeſſus eſt, qui poſtea condidit monaſterium, quod [24] nunc Biclaro dicitur, vbi congregata monachorum ſocietate ſcripſit regulam ipſi monaſterio profuturam, ſed & cunctis [25] Dominum timentibus ſatis neceſſariam. Addidit [26] in libro Chronicorum ab anno primo Iuſtini Iunioris principatus vſq; in annum octauum Mauricii Principis Romanorum & quartum [27] Recaredi Regis annum hiſtorico, [28] comptoque ſermone valde vtilem hiſtoriam, & multa alia ſcribere dicitur, [29] quæ ad noſtram notitiam non peruenerunt.

XXXII. Evtropivs Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, dum adhuc in monaſterio [30] Seruitano degeret, & pater eſſet monachorum, ſcripſit ad [31] Papam Licinianum, cuius ſupra fecimus mentionem, valde vtilem epiſtolam, in qua petit ab eodem, [32] pro qua re baptizatis Infantibus. [33] Chriſmæ poſt hæc vnctio tribuatur: Scripſit & ad Petrum Epiſcopum [34] Ircauicenſem de [35] diſtrictione monachorum ſalubri ſermone [36] comptam Epiſtolam & monachis valde neceſſariam.

XXXIII. Maximvs Cæſarauguſtanæ Sedis Epiſcopus multa verſu proſaque componere dicitur, ſcripſit & breui ſtylo hiſtoriolam de eis quæ temporibus Gothorum in [37] Hiſpania acta ſunt, hiſtorico & [38] compoſito ſermone, ſed & multa alia ſcribere dicitur, quæ nondum legi hactenus.

1 al. nam idem. 2 Col. elaborauit. 3 al. ſacrificia. 4 al. dulciſſimo. 5 al. ſcripſit. 6 al. aliquam. Col. ... 6 Col. actualis. 7 Col. nonnullas. 8 Col. Epiſcopū, ... 9 Col. minime peruenerunt. 10 Col. ferunt. 11 Col. præoccupatus. 12 al. Malacitanæ. 13 Col. Liciniani. 14 ... fide aut ... in catholica fide. 15 Col. Annulus. 16 ... 17 Col. natione. 18 Col. Luſitaniæ V.C. Scalabi natus. Col. Scallabitanus. 19 V.C. munitus. Col. nutritus ſeptimo decimo anno in Hiſpaniam reuerſus eſt. 20 V.C. ciuitate Leonigildo. Col. regnante Rege Leouigildo. 21 al. credulitatem. 22 V.C. Barcinonam. Col. Barcinona relegatus. 23 Col. & perſecutiones ab Arrianis. 24 Col. nomine Biclaro. 25 Col. Deum. 26 Col. & in libro. 27 V.C. Col. Recaredi. 28 Col. compoſitoq;. 29 Col. ad noſtram notitiam minime peruenerunt. 30 Col. Seruitano. 31 Col. Epiſcopum. 32 al. quare al. Chriſma. 33 al. Fraucicenſem ſ. Creaut Ercauicenſem. 34 al. diſtinctione. 35 Col. compoſitam. 36 al. Hiſpanis. 37 F. compto.

ADDITIO BRAVLIONIS CAESARAVguſtanæ Eccleſiæ Epiſcopi.

Isidorvs vir egregius Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopus Leandri Epiſcopi ſucceſſor & germanus, floruit a tempore Mauricii Imperatoris & Recaredi Regis, In quo [1] quidem antiquitas vindicauit immo noſtrum tempus antiquitatis in eo ſcientiam imaginauit. Vir in omni locutionis genere formatus, vt [2] imperio doctoque ſecundum qualitatem ſermonis exiſteret, aptus, congrua vero [3] importunitate loci incomparabili eloquentia clarus. Iā vero quantus ſapientia fuerit, ex eius diuerſis ſtudiis & elaboratis opuſculis perfacile prudens Lector intelligere poterit. Deniq; de eis quæ ad notitiam noſtram iſta [4] commemoraui. Edidit libros differentiarum duos, in quibus ſubtili diſcretione ea quæ confuſe vſu proferuntur, ſenſu diſcreuit. Procemiorum librum vnum, in quo quid quiq; liber ſanctæ cont-

1 al. quidam ſib. 2 f. imperito. 3 al. opportunitate. 4 al. commemorabo.

contineat ſcripturæ, breui ſubnotatione diſtinxit. De ortu & obitu patrum librum vnum: In quo eorum geſta, dignitatem quoq; & mortem eorum, atque ſepulturam ſententiali breuitate ſubnotauit. Ad Germanum ſuum Fulgentium Epiſcopum Officiorum libros duos, in quibus originem Officiorum, cur vnumquodque in Eccleſia Dei agatur, interprete ſtylo, non ſine maiorum authoritate elicuit. Synonymorum libros duos, quibus ad conſolationem animæ & ad ſpem percipiendæ veniæ intercedente rationis [1] exoratione erexit. De natura rerum ad Siſebutum Regem librum vnum, in quo tam de Eccleſiaſticorum Doctorum, quam etiam de Philoſophorum indagine obſcura quædam de [2] elementis abſoluit. De numeris librum vnum, in quo Arithmeticam propter numeroſam Eccleſiaſticis ſcripturis inſertam ex parte tetigit diſciplinam. De nominibus Legis & Euangeliorum librum vnum, in quo oſtendit quid memoratæ perſonæ myſterialiter ſignificent. De hęreſibus librum vnum, in quo maiorum ſequutus exempla, breuitate qua potuit diffuſa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus ex libris Papæ Gregorii moralibus decorauit. Chronicorum à principio mundi vſque ad tempus ſuum librum vnum, nimia breuitate collectum. Contra Iudæos poſtulante Florentina Germana ſua propoſito virgine libros duos. In quibus omnia quæ fides Catholica credit, ex Legis & Prophetarum teſtimoniis approbauit. De viris illuſtribus librum vnum, cui nos iſta ſubiunximus, monaſticæ regulæ librum vnum, [3] quem pro patriæ vſu & inualidorum animis decentiſſime temperauit. De origine Gothorum & regno Sueuorum & etiam Vandalorum hiſtoria librum vnum. Quæſtionum libros duos, quos qui legit veterum tractatorum multam ſuppellectilem recognoſcit. Etymologiarum Codicem [4] nimia magnitudine diſtinctum habeo titulis non libris, quem rogatu meo fecit, quamuis imperfectum ipſe reliquerit: Ego in quindecim libros diuiſi, quod opus [5] omnimodo Philoſophiæ conueniens quiſquis crebra meditatione perlegerit, [6] non ignotus ſcientiarum diuinarum humanarumque rerum [7] merito erit. [8] Ibi redundans diuerſarum artium elegantia, quæcunque vere ſciri debentur, reſtricta collegit. Sunt & alia eius viri opuſcula multa & in Eccleſia Dei multo cum ornamento [9] inſtrumenta, quæ hic collegi. Quem Dominus poſt tot defectus Hiſpaniæ nouiſſimis temporibus ſuſcitans, credo ad reſtauranda antiquorum monumenta, ne vſquequaque ruſticitate veteraſcerent, quaſi [10] quaſdam oppoſuit deſtinans. Cui non immerito illud [11] Philoſophicum à nobis aptatur: *Nos*, inquit, *in noſtra vrbe peregrinantes, erranteſque tanquam hoſpites tui libri quaſi domum reduxerunt, vt poßimus aliquandò, qui & vnde eſſemus, agnoſcere.* [12] *Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam publicamque diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.* Quo vero flamine eloquentiæ & quot iaculis diuinarum ſcripturarum ſeu Patrum teſtimoniis Acephalitarum hæreſin confuderit, ſynodalia geſta coram eo Hiſpali acta declarant. In qua contra Gregorium pręfatæ hęreſis Antiſtitem eam aſſeruit veritatem. Obiit temporibus Heraclii Imperatoris & Chriſtianiſſimi Scintilliani Regis. doctrina præſtantior cunctis, & [13] copioſis operibus charitatis.

1 exhortatione. 2 al. diſſoluit. 3 al. quam. 4 al. nimia magnitudine. 5 omnimoda Philoſophia repletum. 6 non ignorabit. 7 & merito. 8 vbi. 9 al. inſcripta. 10 al. quandam lucem appoſuit deſtinari. 11 Cicero 1. Academicarum de M. Varrone. 12 Auguſtinus de Ciuitate Dei c. 2. 13 al. copioſior.

HILDEPHONSI EPISCOPI
TOLETANI, ADDITIO AD LIBELLVM
SANCTI ISIDORI DE VIRIS ILLVSTRIBVS SANCTÆ ECcleſiæ poſt Hieronymum & Genadium.

PRAEFATIO.

VIRORVM adnotationem illorum, quorum [1] dictis atque doctrinis ſancta Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa illuſtratur [2] atque in bonis defenditur, ex aduerſis mox poſt aſcenſionem Chriſti ab Apoſtolorum exordio, vir beatus atque doctiſſimus Hieronymus præsbyter plene dicitur annotaſſe, qui ſingulatim nomina eorum, ſeriem temporum, monumenta librorum, diuerſitates opuſculorum, in laudabilem neceſſariamque memoriam vſque ad ſeipſum ſtylo euidenti conſcribens, & innoteſcendo monſtrauit, & [3] retexendo poſteris com-

1 al. edictis. 2 al. in bonis atq;. 3 al. retegendo.

mendauit. Hunc ſequutus Gennadius renotationis ordine textu ſimili[1] prę cucurrit. Deinceps vir prudentiſſimus Hiſidorus Hiſpalenſis Sedis Epiſcopus eodem ductu, quoſq; viros optimos reperit, in adnotationem ſubiunxit, ſiquidem non omnia perſcrutatus abſceſſit. Poſt hunc in noſtris partibus incuria cunctis, ita vt quædam vetuſta antiquitas aperiret, & quamplurima noua neglectus obliuionis abſconderet. Aſt ego procul[3] valde impar, & his quos adnotatio retinet &[4] his quos adnotatio delectauit, indignus ſatis & abſque ſubſtantia totius boni operis, ſucceſſorque ſanctę memoriæ alterius Eugenii factus in ſede illa glorioſa Toletanæ vrbis, quam non ex hominum[5] innumeroſo glorioſam dico, cum hanc etiam glorioſorum illuſtret pręſentiam Principum, ſed ex hoc quod coram timentibus Dominum, iniquis atque iuſtis habetur locus terribilis, omnique veneratione ſublimis. Conatus ſum & ſi non elegans ſtudium vel obſequelam bonæ voluntatis illorum miſcere me memoriæ glorioſæ, ne[6] incurrerem ex ſilentio damnum, ſi tam glorioſæ ſedis tam glorioſorum virorum clareſcentem memoriæ lucem tenebroſa nube ſilentii contexiſſem. Fertur namq; ex antiquitate veteri: quod potuiſſe fieri cernitur exemplo temporis noui. Nam Montanus ſedis eius beatiſſimus præſul, vt a ſe coniugalis conuerſationis infamiam propulſaret,[7] tandiu aſſumptos veſte candentes narratur tenuiſſe carbones, donec Domino conſecrans, oblationem, totius per ſemetipſum compleret miſſæ celebritatem. Quo ſacrificio expleto, prunarum ignis cum decore veſtis adeo in concordiam venit, vt nec veſtis vim[8] ſtingueret ignis, nec ignis ſtatum[9] deleret veſtis. Rurſum cum Eladio Epiſcopo ſedis eius Iuſtus Diaconus[10] faſtu ſuperbiæ inſultaret: poſt mortem quidem ſui Pontificis vixit Epiſcopus, & ipſe tabefactus. ſed in reprobum verſus ſenſum ob intemperantiam morum à miniſtris altaris ſui dormiens ſtrangulatus laqueo expirauit. Item cum ſucceſſori eius Iuſto[11] Epiſcopus Gerontius presbyter Principis oblectamine fotus contemptum aduerſitatemq; deferret, tam repentino motu vim perdidit intellectus, vt multis medicorum curationibus acto, quicquid in medelam fieret, totum in peſtis augmentum[12] creſceret, ſicque inualuit commotio mentis, vt vſque ad obitum ſuum[13] error eſſet homini eius vel participatio viſionis vel colloquium oris. Adhuc etiam ſucceſſori in locum eius Eugenio priori[14] Euſidius Diaconus ſuus, cum innexus[15] amicitiæ ſeculari violenter honorem presbyterii & quædam prædia extorſiſſet, tam in reprobum ſenſum, tamque in languoris ſupereminētem[16] peruenit ſtatum,[17] vt cum viuere recuſaret tam mori eſſet quam viueret, quam viuere quam mori vellet. Horum ergo bonorum beatorum ſtudiis prouocatus, quæq; vetera antiquorū relata reperi, quæq; noua exhibitione tēporis didici orſu linguæ quo potui ſubnotaui, vt illorum bonæ memorię iungar, à quibus[18] praua operatione diſiungor, & qui cū illis in templo Dei nō inſero, doctrinæ copiam offerentium commendem fideli obſequela memoriam, obſecrās omnes, vt me diuinæ ingerant pietati. Quare illos humanę memorię ex qua labi poterant, tenaciter commendaui. Sane beatiſſimum Gregorium ſanctę memoriæ Iſidorus adnotauerat, ſed quia non tantum de operibus eius dixit quantum ſumus experti,[19] ideo renotationem illius[20] ſubmorentes,[21] quæ de illo nouimus, ſtylo pleniore notabimus.

1 percucurrit. 3 valde. 4 illos adnotatio. 5 immenſo conuentu. 6 forte incurrerer. 7 tandem. 8 extingueret. 9 al. læderet. 10 factus ſuperb. 11 Epiſcopo. 12 al. concreſceret. 13 al. horror. 14 ſucceſſ. 15 forte innixus. 16 peruenient. 17 lege tam mori eſſet, quam viuere, quam mori vellet. 18 al. praua. 19 ab eo. 20 al. ſubmonentes. 21 quoque. Deeſſe videntur quæ de Sancto Gregorio promittit.

Finis Prologi.

1 **A**VSTVRIVS poſt Audentium in Toletana vrbe Sedis Metropolis prouinciæ Carthaginis pontifex ſucceſſor[2] ſubuenit, vir egregius adſignans opera virtutum plus exēplo viuendi, quam calamo ſcribentis. Hic & Sacerdotio beatus & miraculo dignus, quia quib. iūgeretur in cœlo, eorum terreno reperire membra meruit in ſepulchro. Nam cum Sedis ſuę ſacerdotio fungeretur, diuina dicitur reuelatione commonitus, Complutenſi ſepultos municipio, quod ab vrbe eius ferme ſexageſimo milliario ſitum eſt, Dei martyres perſcrutari.[3] Qui concitatus adcurrens, quos & tellus aggeris & obliuio temporis preſſerat, in lucem & gloriam terrenæ cognitionis prouehendos inuenit. Quibus repertis redire in ſedem renuens ſeruitute ſimul & aſſiduitate ſanctis innixus diem clauſit extremum. Cuius tamen ſedem donec vixit, nemo adiit, inde vt antiquitas fert, in Toleto ſacerdos[4] nonus, & in Compluto agnoſcitur primus.

1 al. Aſturius & Aſterius. 2 al. obuenit. 3 Cui concitus. 4 ſ. nullus.

MONTANVS poſt[5] Celſium primæ Sedis prouinciæ Carthaginis Toletanæ vrbis cathedram tenuit, homo & virtute Spiritus nitens & eloquii opportunitate decorus, regimen honoris retentauit ac diſpoſuit condigno, cœleſtique Iure ſimul & ordine ſcripſit epiſtolas duas Eccleſiaſticæ vtilitatis diſciplina conſertas. E quibus vnam Palentinæ habitatoribus, in qua presbyteros Chryſma conficere, Epiſcopoſque alienæ diœceſis,

5 al. Celſum.

alterius

alterius territorii Eccleſias conſecrare magna perhibetur prohibere authoritate, ſacrarum ſcripturarum Teſtimoniis affirmans, idipſum fieri penitus non licere. Amatores quoque [1] Priſcilianæ ſectæ, licet non operarentur eadem, quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat & exprobrat, commemorans quod in libris beatiſſimi [2] Turebii ipſis ad Leonem Papam miſſis, eadem Priſcillianorum hæreſis detecta, conuicta atque decenter maneat abdicata. Aliam epiſtolam eius ad Turibium monachum religioſum, in qua collaudans eum, quod culturam deſtruxerit idolorum, committit ei ſacerdotalis authoritatem [3] rigoris, per quam presbyteros Chriſma conficere, & Epiſcopos alienæ ſortis alterius diœceſis Eccleſias conſecrare magna compeſcat, [4] inuectione. Hic vir antiquiſſima, fideliqùe relatione, narratur ad exprobrationem infamiæ, tamdiu prunas tenuiſſe in veſtimentis ardentes, donec coram Sedis ſuæ ſacro altari totius miſſæ celebritatem per ſemetipſum expleret, peractis autem ſolemnibus, nec prunę ignem, nec veſtis inuenta eſt amiſiſſe decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus per ſimplicem naturam ignis conuicta eſt & fallacia deteſtabilis accuſantis & innocentia beatiſſimi Sacerdotis. glorioſus habitus fuit temporibus [5] Amarici Regis annis nouem Pontificatus tenuit dignitatem.

1 Piſcilianæ. 2 Turibio Epiſcopo. 3 al. Vigoris. 4 al. mouadicione. 5 al. Amalarici.

III. Donatus ex profeſſione & opere monachus, cuiuſdam Heremitæ fertur in [6] Africam extitiſſe diſcipulus, hic violentias barbararum gentium imminere conſpiciens, atque Ouilis diſſipationem & gregis monachorum pericula pertimeſcens, fere cum ſeptuaginta monachis, copioſiſque librorum codicibus, nauali vehiculo in Hiſpaniam cômeauit. [7] Qui ab illuſtri religioſaque fœmina [8] Minicea ſubſidiis ac rerum operibus miniſtratur, [9] Siruitanum monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe. Iſte prior in Hiſpaniam monaſticæ obſeruantiæ vſum & regulam dicitur adduxiſſe, [10] tam viuens virtutum exemplis nobilis: quam defunctus memoriæ claritatis ſublimis. Hic & in præſenti luce ſubſiſtens & in crypta ſepulchri quieſcens, ſignis quibuſdam proditur effulgere ſalutis, vnde & monumentum eius honorabiliter colere perhibentur incolæ regionis.

6 lege Africa. 7 Cui. 8 Vaſ. Minchea. al. Micea. 9 lege Seruitanum. 10 al. Aduexiſſe.

IV. AVRASIVS Toletanæ Eccleſiæ Pontifex Metropolis vrbis poſt Adelphium in loco aſciſcitur ſacerdotis. Vir bonus, regiminis authoritate præclarus, domeſticis rebus bene diſpoſitus, aduerſitatibus infixis conſtanter erectus, qui quanto extitit temperantior mãſuetus, tanto fortior ſemper fuit inuentus aduerſis, plus illi intentio in defenſione veritatis quam in ſcribendi exercitio manſit. vnde perfectis viris compar habetur, quia quæ de verbo illorum prædicatio ſeminauit, defenſionis huius cuſtodia præmuniuit. Vixit in Sacerdotio temporibus [11] Witerici Gundemari & exordiis Siſebuti Regum annis ferme duodecim.

11 Num. Witerico al. Vellarici.

V. [12] IOANNES In Pontificatu Maximũ ſequutus Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ ſedẽ aſcendit, primo præsbyter monachorum & ex hoc Præſul factus in regimine Populorum. Vir in ſacris literis eruditus plus verbis intendens docere quam ſcriptus, tam largus & hilaris dato, quam & hilaris etiam vultu. Vnctionem vero Spiritus Dei, qua fouebatur intrinſecus, tam largitate muneris quam habitudine vultus adeo præferebat, vt & datum gratiæ commendaret, & non datum gratia excuſaret. In Eccleſiaſticis officiis quædam eleganter & ſono & oratione compoſuit. Adnotauit inter hæc inquirendæ Paſchalis ſolennitatis tam ſubtile atque vtile argumentum [compoſuit] vt lectori breuitas contracta & veritas placeat patefacta, duodecim annis tenuit ſedem honoris adeptus vitam gaudio, ad quam anhelauit deſiderabili voto: ſubſtitit in ſacerdotio temporibus Siſebuti & Suinthilani Regũ.

12 V.C. Cæſarauguſtanus.

VI. HELADIVS poſt Auraſium Sedis eius adeptus eſt locum. Hic cum regiæ aulæ illuſtriſſimus publicarumque rerum extiterat [13] rector, ſub ſeculari habitu monachi votũ pariter explebat & opus. Nam ad monaſterium noſtrum illud Agalienſe dico, cuius me ſuſceptio monachum tenuit: Quod munere Dei perenniſque ac patentis ſanctitatis decorem & opinabile cunctis [14] & palam eſt totis: quem ſæpe diſcurſantium negotiorũ [15] ductus itinere [16] præueniret remota Clientum, ſeculique põpa decoris, adeo monachorum peculiaritatibus inhærebat, vt furnis iunctus eorum ſtipularum faſciculos ad Clibanum deportaret. Cumque inter decorem inſolentiamque ſeculi, ſolitudinis & amaret & ſectaretur arcana, celeri fuga, relictis omnibus, quæ eſſe nouerat mundi, adiit ſanctum monaſterium, quod frequentauerat voto, venit permanſurus optabili

13 al. rector extiteret rerum. 14 V.C. & palam & totis, quam. 15 al. dictus. 16 peruenerat.

Digitized by Google

1 al. hic.

vſu. Ibi factus monachis presbyter, meritis, ſtudiiſque ſanctis, & vitam monachorum debite rexit, & ſtatum monaſteriis totius communis rei diuitias cumulauit. Ex [1] hoc feſſis pene ſenio artubus ad Pontificatus apicem deuocatur & quia vocaretur vi coactus pariter & ignotus illic maiora virtutum exempla, quam monachus dedit, quia ſtatum mundi quem contempſit, virtute magna perhibetur rexiſſe diſcretione. Miſerationes Eleemoſynarumq; copias tam large egenis intuliſſe probatur, ac ſi de illius ſtomacho putaſſes ſpiritus & artus deſcendere & viſcera confoueri: Scribere renuit, quia quod ſcribendum fuit, quotidianæ operationis pagina demonſtrauit. Me ad monaſterium rediens memoratum vltimo vitæ ſuæ tempore Leuitam facit: ſenex obiit, decem & octo annis ſacrum regimen tenuit, temporibusq; Siſebuti [2] Suintillanis & exordiis Siſenandi Regum. Beatus habitus fuit, qui poſt beatior gloriam cœleſtis regni bona plenus ſenectute promeruit.

2 al. Suinthilanis. al. Suinthilianis.

VII.

3 V. C. Eladii ſucceſſor meruit eſt.
4 lege ingenii. al. mentis.
5 al. Richilanē.
6 al. perſecutione.

Ivstvs [3] poſt Eladium diſcipulus eius, illique ſucceſſor eſt. Vir habitudine corporis [4] ingenioque meritis decorus atque ſubtilis, ab infantia monachus, ab Eladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus, pariter & inſtructus, in Agalienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus. In pontificatu autem mox illi ſucceſſor inductus, vir ingenio acer & eloquio ſufficiens, magna ſpe profuturus, niſi hunc ante longariam vitam dies abſtuliſſet extrema: Scripſit ad [5] Pichilanem Agalienſis monaſterii Patrem, epiſtolam de vita & ſufficienti [6] proſecutione conſtructam in qua potenter aſtruit, ſuſceptum gregem relinquere penitus non debere. Extitit Rector annis tribus, tempore Siſenandi obiit, qui Rex poſt hunc die nona decima defunctus abſceſſit.

VIII.

7 Nam
8 al. &
9 al. libros.
10 f. cognominat.
11 al. eius opere.
12 Floruit.

Isidorvs poſt Leandrum fratrem Hiſpalenſis Sedis prouinciæ Beticæ Cathedram tenuit, vir decore ſimul & ingenio pollens. [7] Illam tantæ iucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, vt vbertas admiranda dicendi ex eo in ſtuporem verteret audientes, ex quo audita his qui non audiſſent, in ſe repetita ſæpius commendaret. Scripſit opera & eximia & non pauca. 1. librum de genere officiorum, librum prœmiorum, librum de ortu [8] vel obitu prophetarum, librum lamentationis, quem ipſe Synonimiam vocitauit, [9] libellos duos ad Florentinam ſororem contra nequitiam Iudæorum, librum de natura rerum ad Siſebutum Principem, librum differentiarum, librum ſententiarum. Collegit etiam de diuerſis auctoribus, quot ipſe [10] nominat ſecretorum expoſitiones ſacramentorū: quibus in vnū congeſtis idem liber dicitur Queſtionū. Scripſit quoque vltimo ad petitionem Braulionis Cæſarauguſtani Epiſcopi librum Etymologiarum, quem cum multis annis conaretur perficere, in [11] expleto opere diem extremum viſus eſt concluſiſſe. [12] Claruit temporibus Recaredi, Luibanis, Anitterici Gundemari, Siſebuti, Suintilianis & Siſenandi Regum, annis ferme quadraginta tenens pōtificatus honorem, inſignemque doctrinæ ſanctæ gloriam pariter & decorem.

IX.

13 Nonnitus.

[13] Nonnitvs poſt Ioannem in Gerundenſi ſede Pontifex acceſſit, vir profeſſione monachus, ſimplicitate perſpicuus, actibus ſanctus, non hominum diutina deliberatione, ſed Dei per homines celeri diffinitione in Pontificatum adſcitus. Adhærens inſtanter obſequiis ſepulchri ſancti Fœlicis Martyris, rexit Eccleſiam Dei meritorum exemplis amplius quam verborum edictis. Hic & in corpore degens & in ſepulchro quieſcens fertur ſaluationis operari virtutes. Subſtitit temporibus Suintilianis & Siſenandi Regum.

X.

14 lege mentis.

Conantivs poſt Maurilanem Eccleſiæ Palentinæ ſedem adeptus eſt, vir tam pondere [14] meritis quam habitudine ſpeciei grauis, communi eloquio facundus & gratus, officiorum Eccleſiaſticorum ordinibus intentus & prouidus. Nam melodias ſonis multas nouiter ędidit, orationum quoque libellum de omnium decenter conſcripſit proprietate Pſalmorum, vixit in Pontificatu amplius triginta annis, dignus habitus fuit ab vltimo tempore Witterici per tempora Gundemari Siſebuti & Suinthilanis, Siſenandi & Cinthilæ Regum.

XI.

15 lege decedentis.
16 al. minimum memoratus. al. minoratus.

Bravlio frater Iohannis in Cæſarauguſta [15] deſcendentis adeptus eſt locum, vir ſicut germanitate coniunctus, ita [16] non nimium ingenio memoratus. Clarus

Digitized by Google

tus & iſte habitus Canonibus & quibuſdam opuſculis. Scripſit vitam Æmiliani cuiuſdam monachi, qui [1] & memoriam huius & virtutem illius ſancti viri ſuo tenore cõmendat pariter & illuſtrat. Habuit ſacerdotium ferme viginti annis, quibus expletis clauſit diem vitæ præſentis. Durauit in regimine temporibus Siſenandi, Cinthillæ, Tulganis & Cinthaſuindi Regum.

XII. EVGENIVS diſcipulus Elladii collector & conſors Iuſti Pontifex poſt Iuſtum [2] abſceſſit: ab infantia monachus ab Helladio cum Iuſto pariter ſacris in monaſterio Inſtitutionibus erudilitus. Hunc ſecum Elladius à monaſterio tulit ad Pontificatum tractus, qui rurſus ab eo [3] Clericalis inſtitutus ordinibus ſedis eius poſt [4] eum tertius rector acceſſit: & bonũ meritum ſenis, qui duobus diſcipulis ſanctiſque filiis Eccleſiæ Dei hæreditatem meruit relinquere gubernandam. Idem Eugenius moribus inceſſuque grauis, ingenio callens, nam numeros, ſtatum, incrementa, decrementaque, curſus recurſuſque limarum tanta peritia nouit, vt conſiderationes diſputationis eius auditorem & in ſtuporem verterent & in [5] cõſiderabilem doctrinam inducerent. Vixit in ſacerdotio fere vndecim annis, Regnantibus Cinthilla, Tulgane & Cinthaſuindo Regibus.

XIII. Item EVGENIVS alter poſt Eugenium pontifex ſubrogatur, hic cum Eccleſiæ regiæ Clericus eſſet egregius, vita monachi delectatus eſt, Qui ſagaci fuga vrbem Cęſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit, ibique ſtudia ſapientiæ & propoſitum monachi decenter incoluit. Vnde principali violentia reductus atque in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, paruus robore, ſed [6] valde feruеſcens ſpiritus, virtute ſtudiorum bonorum vim perſequens, cantus [7] paſſiuis vſibus vitiatos, melodiæ agnitione [8] correxit, officiorum omiſſos ordines [9] curamque diſcreuit. Scripſit de ſancta Trinitate libellum & elequio nitidum & rei veritate perſpicuum, qui Lybiæ, Orientiſque partibus mitti, [10] quantotius poterat niſi procellis reſultantia freta incertum pauidis iter viatoribus diſtuliſſent. Scripſit & duos libellos, vnum diuerſi carminis metro, alium diuerſi operis proſa, concretos: qui ad multorum induſtriam, eius ex hoc tenaciter ſanctam valuerunt commendare memoriam, libellos quoque Dracontii de creatione mundi conſcriptos, quos antiquitus protulerat vitiatos, ea quæ inconuenientia reperit ſubtrahendo, immutando vel meliorando, [11] ita in pulchritudinis formam coegit, vt pulchriores de officio corrigentis, quam de manu proceſſiſſe videantur Authoris, & quia de die ſeptimo idem Dracontius [12] omnimodo reticendo ſemiplenum opus viſus eſt reliquiſſe; iſte & ſex dierum recapitulationem ſingulis verſibus renotauit, & de die ſeptimo, quę illi viſa ſunt eleganter dicta ſubiunxit. Clarus habitus fuit temporibus [13] Chintaſindi & Seceſuinti Regum, fere duodecim annis tenens dignitatem ſimul & gloriam Sacerdotis, ſicque poſt lucis [14] mundanalis occaſum, in baſilica ſanctæ Leocadiæ tenet [15] habitationem ſepulchri.

1 Soloecophanes. Nam qui non refertur ad vitam, quod antecedens præceſſit ſed ad librum in quo ſcripta erat.
2 ſ. acceſſit.
3 V. C. clericalibus. lege clericalibus.
4 al. illum.
5 diſſiderabilem.
6 V. C. valide feruеſcentis.
7 paſſim vſibus.
8 connexuit.
9 ſ. choreumque.
10 V. C. quanto ocyus.
Reges in Hiſpania apud Alm. Gometium.
11 V. C. benedicendo.
12 Omnino.
13 al. Cindaſuindi & Receſuinti. al. Cintaſuindi & Receſuindi. V. C. Chintaſuinti & Recceſuinti. al. Chindaſuinti.
14 al. mundialis.
15 al. habitatione ſepulchrorum.

APPENDIX IVLIANI.

ILDEPHONSVS memoria ſui temporis clarus & irriguus eloquentia fluminibus [1] exornatus ſecula ætatis noſtræ [2] nouiſſimus Toletanæ ſedis aſcitus in cathedram præſul poſt ſecundum Eugenium in ſacerdotium conſecratur. Vir tanta laude digniſſimus, quanta & virtutum gratia numeroſus. Fuit denique timoris Dei inſtantia præditus, religione compunctus compunctione profuſus, inceſſu grauis, honeſtate laudabilis, patientia ſingularis, ſecreti tacitus, ſapientia ſummus diſſerendi, ingenio clarus, eloquendi facultate pręcipuus, linguæ flumine copioſus. Tantoque eloquentiæ cothurno celebris habitus vt diſputationum eius profuſa oratio dum perfecte dirigitur, merito non homo ſed Deus per hominem affatim eloqui crederetur. His igitur ſub rudimentis adhuc infantiæ degens diuino [3] tactus ſpiritu vita delectatus eſt monachorum contemptiſque parentum [4] rerumque affectibus Agalienſe monaſteriũ petiit. Cuius fugam rabido furore inſequens pater, vnum tantum macerie impeditus eſt obice: quo & furenus eſt deluſa quæſtio & fugientis ſaluata deuotio. Nempe parentis furor dum percitus in interiora prætenderet latibulũ quo hic vir occultabatur reliquit, ſicq; pręterita incuratum pertranſit & in arteribus quæ prætererat inquiſiuit. Armata deinde manu Agalienſem cellam impetens gladio dum quæſitum non inuenit rediens in propria

1 exornatus.
2 nouiſſimus.
3 al. contactus.
4 mundanarum.

vt [1] perdictum. Præcognita igitur præfatus vir abſtinentia parentali Agalienſe illico monaſterium adiit, monachumque ſe in eo multis fere annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque virginum in [2] Deibienſi, monaſterio villula conſtruxit, ac propriis opibus [3] æditicauit. Rector mihi effectus Agalienſis cœnobii monachorum mores exercuit. Rem diſcreuit, vitaq; ſeruauit. Principali poſt [4] hanc violentia Toletum reducitur atq; inibi poſt deceſſoris ſui obitum pontifex ſubrogatur. Scripſit ſane quamplurimos libros luculentiori ſermone potiſſimos quos idem in tot partibus cenſuit diuidendos, Id eſt librum Proſopopœia imbecillitatis propriæ. lib. de virginitate Sanctæ Mariæ contra tres infideles. opuſculum de proprietate perſonarum patris & filii & Sp. Sancti, opuſculum annotationum actionis diuinæ, opuſculum annotationum in ſacramentis. Librum de gubernatione baptiſmi vnum, & de progreſſu Spiritualis deſerti alium. Quod totum primæ partis voluit volumini connectendum, partis quoque ſecundæ liber epiſtolarum eſt. in quo diuerſis ſcribens ænigmaticis formulis egit perſonaſq; [5] interdum induxit. In quo etiam à quibuſdam luculentiorum ſcriptorum reſpõſa promeruit. Partem ſane tertiam miſſarum eſſe voluit. Hymnorum atq; alterius denique partis liber eſt quartus verſibus proſaque [6] concretus, in quo epitaphia multa & quædam ſcilicet epigrammata annotata ſunt. Scripſit autem & alia multa quæ variis rerum ac moleſtiarum operibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua ſemiplena reliquit. Aſcitus autem in pontificatum nono glorioſi Receſſundi principis anno nouem annis & duobus fere menſibus clarus habitus fuit vitæ meritis & retentatione regiminis, expletoq; octauo decimo prædicti principis anno ſequenti die decimo Kalendas Februarii domicilio carnis exuitur atq; in eccleſia beatæ Leocadiæ tumulatur ad pedes ſui conditus deceſſoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis.

Hactenus Iulianus.

1 perdi... 2 al. Debienſi ſellula, deeſt monaſterio. 3 al. dedicauit. 4 hanc. ... deeſt in alio. 5 al. principum titulis induxit. 6 al. contextum.

APPENDIX FELICIS.

IVLIANVS Epiſcopus diſcipulus Eugenii ſecundi Carthaginis prouinciæ metropolitanus, poſt beatæ memoriæ [1] Quiricum quartum [2] in locum præceptorem ſuum ſequens vrbis regiæ pontificale culmen adeptus eſt. Cuius videlicet ciuitatis proprius ciuis extitit atque in eiuſdem vrbis principali eccleſia ſacroſancti baptiſmatis fluentis eſt lotus & illic ab ipſis rudimentis infantiæ enutritus. Denique dum ad pueriles formæ deueniſſet ætatem ſanctæ memoriæ collegæ ſui [3] Gudilanis Leuitæ ita ſociali vinculo eſt innexus vt indiuiduæ charitatis vnione coniunctus vt & ambos inuiolabilis charitatis vnam eſſe oſtenderet & vnitas in ambobus præfixa non duas animas ſed vnam his ineſſe monſtraret. Tanta itaque erat inter eos adeptæ vnanimitatis communio vt ſecundum Actuum Apoſtolorum hiſtoriam in duobus corporibus vnum tantum putaretur & anima vna [4] ſiſtebant. quippe in conſilio prouidi in diffinitione vni in laudabili operatione concordes. Quique diuino aſſlante ſpiritu [5] theoricæ id eſt contemplatiuæ quietis [6] delectationis perfrui bono & monaſticæ inſtitutionis cõſtringi repagulo, ſed quia aliter in ſuperni numinis fuit iudicio, eorum eſt nihilominus fruſtrata deuotio. Quanquam tamen minime peregiſſent deſiderati itineris curſum non tamen deſierunt à piæ deuotionis ſtudio. Et dum ſibi mallent tantum prodeſſe [7] profugi cœperunt poſtmodum proximorum ſalute votis gliſcentibus niti enim in ſubditis docendis operoſæ virtutis improfectu eorum deſiderabiles, in ſeruitute Dei feruentes, in deſiderio decoris domus Domini ſtrenui, in ſeniorum obedientia præſto, atque ſi fieri poſſet in omnium emolumentum obtinerent, virtutum animis feruentioribus ſtudebant. Igitur diuinorum iudiciorum diſpenſatione ſanctæ recordationis [8] Guidila diaconus ſexto Kalendas Septembris funeſtæ mortis euentu anno octauo Bambanis Principis ſub digna cõfeſſione Dei, clauſit ſupremum curriculum. Cuius corpuſculum in monaſterio Sãcti Felicis quod eſt in [9] canenſi in villa dedicatum dilectiſſimi ſocii ſui exhibitione honorifice requieſcit humatum. poſt cuius itaque diſceſſum aliquantula intercapedine temporũ poſt ſanctæ memoriæ [10] Quiritum idem egregius Iulianus præfatæ vrbis eſt nactus primatum tanto laudis titulo prædicandus quanto diuerſarum virtutum ope ſuffultus, ſuis temporibus mirifice [11] compſit eccleſiam Dei. Quinimo vt ex eo tempore clareſcere cœperit per eius texturam & teſtã [12] teſtamine piæ relationis pandam. Poſt deceſſoris ſui obitum diuę

Ambroſ. Moral lib. 11. cap. 58 ſedis. Eugenius II. 1 al. Quiritus. 2 al. quam in loco. 3 Gudila. al. Gudiſanis Leuita. 4 al. conſiſtebat. 5 al. theoretico. 6 al. delectati ſunt. 7 al. per fugam. al. erant. al. ... 8 Gudila. 9 al. ... 10 Quiricum. 11 compoſuit. 12 al. quo. deeſt. geſtamine ſ. teſtamine.

diuæ memoriæ Ildefonſi à decimo ſeptimo ferme anno Receſſundi Principis, nec non & per omne Vanibanis Imperii tempus vſque ad tertium regni glorioſiſſimi Egicanis regis annum in Leuitici presbyterii ac pontificatus honore conſiſtens, celebre nomen obtinuit. Fuit enim vir timore Domini plenus, prudentia ſummus, conſilio cautus diſcretionis bono præcipuus, eleemoſynis nimium deditus, in ſuffectu operũ deuotus, in releuatione miſerorum promptiſſimus, in interueniendo diſcretus, in negotiis dirimendis ſtrenuus, in [1] promendis iudiciis ęquus, in ſententia parcus, in vindicatione iuſticiæ ſingularis in diſceptatione, laudabilis in oratione regis, in diuinarum laudum exolutione mirabilis. Quod ſi forſan in officiis diuinis quicquam, vt ſolet, difficultatis occurreret ad corrigẽdum facillimus, pro ſacris [2] luminariis vehementer [3] attonitus in diſſenſione omnium eccleſiarum eximius, in regendis ſubditis peruigil, in comprimendis ſuperbis erectus, in ſuſtentatione humilium apparatus, [4] de vitę auctoritate munificus, amplectendæ humanitatis bono opimus, ac generaliter vniuerſa morum probitate conſpicuus. Ita pietate affluens vt non eſſet cui in anguſtiis conſtituto non ſubuenire vellet. [5] Ita munus charitatis exuberans vt non à ſe boni quidpiam cuique poſtulanti ex charitate [6] patiare diſſiteret. Hic denique ſe Deo charum [7] valuit exhibere in omnibus vt præſtabilem hominibus cunctis oſtenderet vt & illi vſquequaq; placeret & hominibus propter Deum, ſi fieri poteſt deuota ſatisfaceret mẽte. Tanto nobilium præcedentium virorum dignis meritis [8] coæquandus quanto ab eis in vllo virtutum corpore extitit infimus. Eccleſiaſticos itaq; bene habitos ordines in ſui regiminis ſede ſolicitatiori cura ſeruauit, vitiatos vtiliter ſubcorrexit, minus habitos prudenti diſpoſitione inſtituit, ac de officiis quam plurima dulciſluo ſono compoſuit. At nũc quoniam ſancti Spiritus vbertate repletus & irrigui fontis affluentia prædictus fulſit ſummam librorum eius quos per eum Deus ad vtilitatem eccleſiæ ſuæ depromſit iſtinc lector addiſce. Conſcripſit enim librum prognoſticorum futuri ſeculi ad beatæ memorię Idacium Epiſcopum directum, habentem in capite epiſtolam quę [9] ipſius eſt directa & orationem. Cuius codicis opus diſcretum in tribus libris habetur ex quibus primus de origine mortis humanę eſt editus. Secundus de animabus defunctorum quomodo ſeſe habeant ante ſuorum corporum reſurrectionem, Tertius de ſuprema corporum reſurrectione. Item librum reſponſionum ad quem ſupra directum in defenſionem canonum & legum quibus [10] perhibentur Chriſtiana mancipia Dominis Infidelibus deſeruire. Item Apologeticum fidei, quod Benedicto Romanę vrbis Papę directum eſt. Item aliud apologeticum de tribus capitulis de quibus Romanę vrbis prǽſul fruſtra viſus eſt dubitaſſe. Item libellum de remediis blaſphemiæ cum epiſtola ad Adrianum abbatem. Item librum de ſextę ętatis comprobatione qui habet in capite orationem & epiſtolam ad Dominum Zurigium regem & tamen idem codex tribus libris diſtinctus. Nã primus eorum habet veteris teſtamenti quã plurima documenta quibus abſq; aliqua ſupputatione annorum, Chriſtus Dei filius non naſciturus, ſed olim natus patule declaratur. Secũdi vero ſeries libri decurrit per oſtenſam apoſtolorum doctrinam, quę dilucide monſtrat Chriſtum in pœnitudine temporis natum non in annis à principio mundi collectis. Tertii quoque libri excurſus, ſextam ętatem in qua Chriſtus natus eſt haud dubie adeſſe veris documentis oſtẽdit, [11] in quo & vere preteritę ętates ſeculi non in annis ſed pręfixo generationum limite diſtinguuntur. Item librum carminum in quo ſunt hymni, epitaphia, atque de diuerſis epigrammata numeroſa. Item librum plurimarum epiſtolarum. Item librum ſermonum in quo eſt opuſculum modicum de vindicatione domus Dei & eorum qui ad eam confugiunt. Item librum de contrariis quod Grece [12] [illegible] voluit titulo adnotari qui in duobus diuiſus eſt libris ex quibus primus diſertiones continet veteris teſtamenti, ſecundus noui. Item lib. hiſtorię de eo quod Vmbambę Principis tempore Galliis extitit geſtum. Item librum ſentẽtiarum ex decade Pſalmorum Beati Auguſtini breuiter ſummatimque collectum. Item decerpta de libris ſancti Auguſtini contra Iulianum hæreticum collecta. Item libellum de diuinis iudiciis, ex ſacris voluminibus collectum. in cuius principio eſt epiſtola ad Dom. Eruigium comitatus ſui [13] tempore pro eodem libello directa. Item librum Reſponſionum contra eos qui confugientes ad eccleſiam perſequuntur. Item librum miſſarum de toto circulo anni, in quatuor partes diuiſum, in quib. aliquas vetuſtatis incuria vitiatas ac ſemiplenas emendauit atque compleuit; aliquas vero ex toto compoſuit. Item librum orationum de feſtiuitatibus quas Toletana eccleſia per totum circulum anni eſt ſolita celebrare, partim ſtylo ſui ingenii [14] depromptum, partim etiam inſolita antiquitate [15] vitiatum, ſtudioſe in vnum congeſſit, atque eccleſiæ Dei vſibus ob amorem reliquit, ſanctæ religionis. Præſulatus autem honorem & ſacerdotii dignitatem annis decem obtinuit mẽſe vno diebus ſeptẽ,

1 al. promendis.
2 al. [illegible] al. admonitus.
3 al. defendendis.
al. debita. humilitatis.
5 al. [illegible] al. Vnius.
6 al. præſtare.
7 al. malunt.
8 [illegible]
9 al. ipſi.
10 prohibentur.
11 al. quinque.
12 Hic liber incerti authoris [illegible] edit[us] eſt Salmanticæ ab Alex. Braſſicano & cum [illegible] in Geneſim [illegible] 16.
13 Tempore.
14 al. depromptis.
15 [illegible]
15 al. [illegible]
16 correct[um].

al. DCCXCV. Quique etiam ineuitabilis mortis præuentus occaſu anno tertio Egicanis principis pridie nonas Martii æra DCCXXIIX. diem vitæ clauſit extremum. Ac ſic in Baſilica glorioſiſſimæ Leocadiæ Virginis ſorte ſepulchrali eſt tumulatus.

Hactenus Felix.

Finiunt libri D. Iſidori & D. Ildephonſi de viris illuſtribus cum additionibus Braulionis, Iuliani, & Felicis.

PRÆSVLES TOLETANI QVORVM NOMINA REperiuntur ante excidium Hiſp.

Eugenius I.
Audentius IIX.
Aſturius IX.
Celſus.
Montanus annis 9.
Euphemius in III. concil. Toleti.
Adelphius.
Aurasius annis 12.
Helladius annis 18.
Iuſtus annis 3.
Eugenius II. annis 11.
Eugenius alter annis 12.
Ildephonſus annis 9.
Quiricus
Iulianus
Siſibertus ſed culpa ſua deiectus.
Felix
Gundericus.

Sinderidus hic deſerta Hiſpania Romam fugit & interfuit Concilio celebrato ſub Gregorio III.
Oppa ſed intruſus.
Vrbanus viuo Sinderido ab eccleſia Toletana electus.

QVATVORDECIM VITÆ INCERTI AVCTORIS, QVÆ IN M. SS. D. ISIDORO ET ILDEFONSO, CVM HAC PRÆFATIVNCVLA præponebantur.

QVAMVIS ſuperius plurimi veterum tractatorum, inter Græcos & Latinos ſcriptores doctiſſimi annotentur, tamen reor ipſe etiam paucorum memoriã facere, quorum lectionem recolo me attigiſſe.

I. SIXTVS Epiſcopus Romanæ vrbis, & martyr, compoſuit ad inſtar Salomonis, librum Prouerbiorum, tam breui eloquio, vt in ſingulis verſiculis ſingulæ explicentur ſententiæ. Cui quidem opuſculo hæretici quędã contra Eccleſiaſticam fidẽ inſeruerunt, quo facilius ſub nomine tanti martyris, peruerſorum dogmatũ reciperetur aſſertio. Sed is qui Catholicum ſeſe meminit, probando legãt, & ea quæ veritati contraria nõ ſunt, recipiat. Quidam autem eundem librum ab hęreticis, non a Sixto fuiſſe dictatum. Refellit autem hanc opinionem beatiſſimus Auguſtinus, qui in quodam opere ſuo, ab eodem martyre hoc opus compoſitum eſſe fatetur.

II. MACROBIVS Diaconus ſtudium ſancti Cypriani, ingeniumq; ſequutus, complexus eſt congrua, ex vtroq; teſtamento, aduerſus verſutias hæreticorum capitula; de ſcilicet Dei Patris, & maieſtate filii Dei, & de aduentu eius, Incarnatione, & Aſcenſione in cœlis: parique modo, & de electione gentium, & reprobatione Iudæorum Deinde ſubiecit etiam cętera, ad vtilitatem vitæ, & diſciplinæ religionis pertinentia: omnia hæc in centum diſtincta capitulis.

III. FILASTRIVS Brixienſis Epiſcopus:hic longe ante beatiſſimum Auguſtinum, edidit librum de hæreſibus, ſingulas quaſq; demonſtrans, ſiue quæ in populo Iudæorum, ante Incarnationem Chriſti fuerunt, quas viginti octo enumerat, ſiue quæ poſt Domini Saluatoris aduentum, aduerſus Catholicam fidem exortæ ſunt: quas idem centum viginti octo eſſe deſcribit.Sicut & de eo idem vir magnæ gloriæ Auguſtinus, & doctor clariſſimus meminit.

IV. THEODORVS Mopſueſtenæ vrbis Epiſcopus, ita clare copioſeque ſcientiæ doctrina refulſiſſe refertur, vt prædicaretur, ſi referre fas eſt, mille voluminum ſummam in Gręco cõſcripſiſſe aduerſus omnium hæreticorum errores. Hunc Acephalorum Epiſcopi, in præiudicio

dicio Chalcedonenſis Concilii Iuſtiniano Principe compellente damnare poſt mortem cum Iba & Theodoreto Epiſcopis cenſuerunt, dum conſtet eum laudabilium virorum teſtimoniis, clariſſimæ Eccleſiæ doctorem fuiſſe. Vixit vſque ad Imperium ſenioris Leonis.

V. Tyrannivs Ruffinus, ſcripſit ad quendam Paulinum Presbyterum, de benedictionibus Patriarcharum, triplici intelligentia librum, ſatis ſuccinctum, & clara breuitate cõpoſitum, Hic autem iuxta myſticum ſenſum, ea quæ de Dan filio Iacob, ſcripta ſunt, non recte de domino noſtro interpretatur, dum proculdubio ad Antichriſtum eadem pertinere ſanctorum Patrum probet aſſertio.

VI. Vergvndvs Africanus Epiſcopus, ſtudiis liberalium litterarum diſertus, edidit carmine dactylico duos modicos breueſque libellos: quorum primum de reſurrectione & iudicio ſcripſit, alterum verò de pœnitentia, in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat.

VII. Victorinvs Epiſcopus compoſuit & ipſe verſibus duo opuſcula admodum breuia: vnum aduerſus Manichæos, reprobantes veteris teſtamenti Deum, veramque incarnationem contradicentes: alium autem aduerſus Marcioniſtas, qui duo principia, id eſt, duos Deos fingunt, vnum malum, iuſtum creaturarum conditorem, & retributorem factorũ: alterum bonum animarum ſuſceptorem, indultorem criminum.

VIII. Itativs Prouinciæ Gallœciæ Epiſcopus, ſecutus chronicam Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, ſiue Hieronymi Presbyteri, quæ vſque hodie in Valentis Auguſti Imperium edita declaratur, de hinc ab anno primo Theodoſii Auguſti, vſque in annum Imperii Leonis octauum, ſubiunctam ſequitur hiſtoriam: in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hiſpaniam. Deceſſit ſub Leone Principe, vltima iam pene ſenectute, ſicut etiam præfationis ſuæ demonſtratur iudicio.

IX. Evsebivs Dorolitanæ vrbis Epiſcopus. hic in cœtu Chalcedonenſis Concilii, contra Dioſcorum hæreticum Alexandrinæ vrbis Epiſcopum, librum obtulit, ac præſenti Synodo omnes Dioſcori errores & blaſphemias recitauit. Hunc enim ad ſanctum Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum idem Dioſcorus, in Epheſina ſecunda Synodo, excõmunicationis ſententia deiecerat; eo quod pro orthodoxa fide contra hęreſim repugnaret. Vnde poſtea idem Euſebius, in Chalcedonenſi Synodo innumerabilium malorum eius crimina, vel blaſphemias detegens, damnationis eius ſententiam ſuper eum à ſancto Concilio imprecatur: ſcilicet, vt quod iniuſte ille aliis intulerat, in eum iuſte retorqueatur

X. Cerealis Caſtulenſis Eccleſiæ Epiſcopus: hic dum apud Carthaginenſem Africæ Prouinciæ vrbem veniſſet, & de fide ſanctæ Trinitatis cum Maximiano Ammonitarum Epiſcopo concertatus eſt, reſpondens propoſitionibus eius non eloquiorum argumẽtis ſed teſtimoniis ſanctarum ſcripturarum. Extat hoc ipſum eiuſdem opuſculum, decem & nouẽ reſponſionum capitulis pręſignitum.

XI. Ferrandvs Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus multum in ſacris ſcripturis floruiſſe aſſeritur, multaſque cum beato Fulgentio propoſitiones alternis epiſtolis habuiſſe narratur. Iſte ad Pelagium & Anatolium, Romanos Diaconos, conſulentes eum, vtrum liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, vbi inter alia ſic loquutus eſt, dicẽs: Quid prodeſt dormientibus perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis huius accuſatus, & damnatus antequam moreretur abſolui, de Eccleſia raptus eſt, abſolui non poteſt vlterius humano iudicio. Si quis accuſatus & abſolutus ante diem ſacri examinis, repentina vocatione præuentus eſt intra ſinum matris Eccleſiæ conſtitutus, diuino intelligendus eſt iudicio reſeruari: de hoc nullus homo poteſt manifeſtam proferre ſententiam, cui ſic Deus indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeueritas, ſed ſi ſupplicium præparauit, nihil prodeſt noſtra benignitas.

XII. Petrvs Ilerdenſis Hiſpaniarum Eccleſiæ Epiſcopus, edidit diuerſis ſolennitatibus cõgruentes orationes, vt Miſſas eleganti ſenſu, & aperto ſermone.

XIII. Marcellinvs Italię Presbyter, ſcripſit Theodoſio minori, Arcadioque Imperatoribus opuſculum vnum, in quo retexit geſta Epiſcoporum, qui ad deſtructionem * homouſion Arimini conuenerunt: quique ita totum mundum perfidia impii dogmatis turbauerunt, vt vix pauci Antiſtites exiſterent, qui inuiolabili fidei cultu perſeuerarent. Exponit quoque de Arrio dum ad Synodum pergeret, cum Alexandro diſputaturus, qualiter * conuerſus in via ad neceſſariam cauſam, viſcera eius fuiſſent diffuſa. De fine quoque Oſii Cordubenſis vrbis Epiſcopi, qui metu Imperatoris, fidem præuaricatus, perfidiæ aſſertor, & impietatis effectus fuerat aſſecutor, ſic talia profert. Nam poſt impiam (inquit) Oſii pręua-

ricationem, dum Sanctus Gregorius Eliberitanus Epiſcopus, in Cordubenſi vrbe, iuxta Imperiale decretum fuiſſet adductus, ac minime vellet illum communicare, commotus Oſius dicit Clementino Conſtantii Præfecti Vicario, vt mitteret eum in exilium: at ille, nõ audeo, inquit, Epiſcopum in exilium mittere, niſi prius eum ab Epiſcopatu deieceris. Vt autem vidit ſanctus Gregorius, quod Oſius vellet ferre ſententiam, appellat Chriſtum totius fidei ſuæ viſceribus, exclamans ita: Chriſte Deus, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, ne patiaris hodie humanam proferri ſententiam aduerſus me minimum ſeruum tuum; qui pro fide nominis tui, vt reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum: ſed tu ipſe quæſo, in cauſa tua hodie iudica, ipſe ſententiam proferre dignare per vltionem. Non ego quaſi metuens, exilium fugere cupio; cum mihi pro tuo nomine nullum ſupplicium graue ſit, ſed vt multi præuaricationis errore liberentur, quum præſentem viderint vltionem. His dictis, ecce repente Oſius reſidens factu quaſi regalis imperii, cum ſententiam conaretur exprimere, os vertit, diſtorquens pariter & ceruicem, & de ſeſſu in terram eliditur, atque illico expirauit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille gentilis, expauit, & licet eſſet iudex, tamen timens ne in ſe ſimile ſupplicium* iudicaretur, proſtrauit ſe ad pedes ſancti viri, obſecrans, vt ſibi parceret, qui in eum diuinæ legis ignoratione peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde eſt, quod ſolus Gregorius vindicantium integram fidem, neque in fugam verſus eſt, neq; paſſus eſt exilium. Vnuſquiſq; enim timuit de illo vlterius iudicare.

*f. vindicaretur.

VITA IVLIANI EPISCOPI per Felicem: ἐν ἐπιτομῇ eius quam ſupra collocauimus.

IVLIANVS Epiſcopus, diſcipulus Eugenii, ſedis Carthaginis prouinciæ Metropolitanus, vrbis Regiæ Pontifex, quamplurima de officiis dulcifluo ſono compoſuit. Æra 728. diẽ vitæ clauſit extremum, ac ſic in Baſilica glorioſiſſimæ ſanctæ Leocadiæ virginis, ſorte ſepulchrali eſt tumulatus.

VITA SALVI ABBATIS ALueldenſis incerto auctore.

SALVVS Abba Albaildenſis monaſterii, vir lingua nitidus & ſcientia eruditus, elegans ſententiis, ornatus verbis, ſcripſit ſacris virginibus Regularem libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perſpicuum. Cuius oratio nempe in hymnis, orationibus, verſibus, ac miſſis, quas illuſtri ipſe ſermone compoſuit, plurimam cordis compunctionem, & magnã ſuauiloquentiam legentibus, audientibuſque tribuit. Fuit namque corpore tenuis, paruus robore, ſed valide ferueſcens ſpiritus virtute. O quanta illius ex ore dulciora, ſuper mella, manabant verba, cor hominis quaſi vina lætificantia. Obiit temporibus Garſeani Chriſtianiſſimi Regis, & Theudemiri Pontificis, quarto Idus Feb. Æra milleſima: ſana doctrina præſtantior cunctis, & copioſior operibus charitatis. Ac ſic in prædicto cœnobio, iuxta baſilicam ſancti Martini Epiſcopi & confeſſoris Chriſti eſt tumulatus ſorte ſepulchrali. Ad cuius pedes diſcipulus Velaſco Epiſcopus quieſcit in pace.

AND. SCHOTTI NOTÆ IN ISIDORVM, DE ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBVS.

I. ISARCIDENSI *etiam Concilio*] Legendum *In Sardicenſi Concilio*, ex Colonienſi editione anni CIↃ.IↃ.LXXX. & ex ipſa Sardicenſi Synodo, vbi multas OSII ſententias videre licet.

Nam poſt iniquam, vt ait quidam, OSII *præuaricationem*] Intelligit Marcellinum, Italiæ Presbyterum, de quo infra. Verum E. Athanaſius ad ſolit. ac. de O-

de Oſio oppoſitum ſentit, & Auguſtinus contra Epiſtolam Parmen. cap. 4. quorum ſententiam amplectendam plerique exiſtimant, eo quod Iſidorus ſecutus ſit Marcellinum, qui hæreſis labe infectus, huius opinionis fuit primus auctor.

II. *Pro* ITACIVS] legendum eſſe IDACIVS ex Sigeberto, cap. XVIII. de Scriptoribus eccleſiaſticis & Io. Trithemio apparet & ex Io. Vaſæo ad annum 420. Chronic. Hunc Lemicę Hiſpan. vrbis Epiſcopum fuiſſe Trithemius ait de quo eadem, quæ hic Iſidorus refert. Cæterum quod eum CLARVM Iſidorus cognominat, videndum eſt an ſit in eo aliqua confuſio: atque alius ſit IDACIVS CLARVS ab IDACIO Lemicenſi. Nam hic ob Priſcilliani necem exilium ſubiit, ille aduerſus Verimudum (aut vt Alphonſus à Caſtro, lib. 2. de iuſta hæretic. punit. Verimundum) Arianum contendit. Pro *Lemica* Vaſæus legit *Lamica*: quod ille qui aduerſus Verimundum ſcripſit CLARVS cognominatur.

Ex numero vindicantium] *Vindicantes* appellat catholicam fidem aſſerentes. Vnde & *Vindicati* dicuntur Martyres ab Optato Mileuitano Epiſc. lib. 1. de Schiſmate Donatiſtarum: qui ab eccleſia Catholica in Martyrum numerum recepti ſunt. Et in Marcellini vita, infra auctor inſertus: Inde eſt quod ſolus Gregorius vindicauit integram fidem, &c.

Manis & Priſcilliani magiſtrum] Ita legendum omnino. Intelligit autem Scythianum Ægyptium, cuius meminerunt B. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi ſexta: Epiphanius lib. 2. aduerſus hæreſes, ſiue is *Marcus* ſit, ſiue quis alius: nam Marci Epiphanius lib. 1: Irenæus lib. 1. Philaſter, & B. Auguſtinus meminerunt.

Ad diuerſos] Ad Eccleſiam Mediolanenſem.

Atq; Auſentium] Auxentium. Rem cognoſces ex Ambroſii epiſtolis.

III. SIRICIVS] Leg. quatuor ſyllabis, non *Siricus*.

Ad Eumenium] Sic etiam Colonienſis editio. Lege Himerium ex eiuſdem epiſtola. Illa vero in actis Siricii eſt.

IV. *Obitumq; Paulini Vronius edidit*] Oranius Colon. editio & ſcripti. Vide an Fortunati Poetæ cognomen, qui poſt Sulpitium Seuerum de Pontio Paulino conſcripſit verſibus: & an hic idem Paulinus Nolanus Epiſcopus.

V. *Inter apocryphas*] Legendus Didacus Couarruuias lib. 4. Var. reſolut. cap. 14. in diſtinct. 15. Gratiani, Falconiæ cognomentum Probæ tribuitur.

VI. *Fauentes Epiſcopi Arcadio Imp.*] In vetere Tolet. *Epiſcopi nouem* præfert, vt numeris ſignificet. Nam ad eum condemnandum aliquot priuatim Epiſcopi conuenerunt, atque ita ad vniuerſalem Synodum prouocauit, quæ poſtea numero circiter LX. congregata rurſum illum ab exilio reduxit. In Ioanne Chryſoſtomo extremo hæc abſunt à Colon. Sunt tamen in ſcripto Toletano Codice perantiquo, & editione Conciliorum Garcia Loaiſæ V. C. *Cuius corpus triceſimo quinto anno die functionis, ab exilio Conſtantinopolim reuocatur. etiam in Apoſtolorum Eccleſia ſepelitur.*

PASCHASIVS] vocatur in epiſtolis Leonis, inter quas hæc etiam epiſtola Paſchaſii circumfertur, & in Concilio Chalcedonenſi, cui præfuit.

XI. *Paſchalis myſterii miraculum*] Idem miraculum in quibuſdam Hiſpaniæ baptiſteriis accidiſſe Gregorius Turonenſis ſcribit libro hiſtoriæ Eccleſiaſt. lib. 5. & 10. Sed mirum eſt id ab Iſidoro homine Hiſpano non recenſeri, neque hoc loco, neque in originum ſeu Etymologiarum libris, vbi de ocreo Paſchali agit. Verba autem Epiſtolæ, quæ citantur ab Iſidoro, ita in ipſa Paſchaſini epiſtola leguntur: *Illic perparua & vili opera conſtructa eſt eccleſia, in cuius baptiſterio nocte ſacroſancta Paſchali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, neq; aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur.*

Vt qua venerat: ex ſeſe deſcendit] At vox extrema melius his in vet. libro eſt: *vt veniat aqua ex ſeſe diſcedit.* alius liber, *diſcreuit*. Colonienſis editio: *vt venerat aqua ex ſeſe deſcendit.*

XII. *Iulianus quidam Gallus, cognomento Pomerius*] Gennadius hunc natione Maurum fuiſſe ſcribit: in Galliis tamen presbyterum ordinatum. Hic alius prorſus eſſe aſſeritur à Iuliano Toletano præſule.

Octauo, de his quæ in fine mundi futura ſunt] Hoc forte Prognoſticon illud, quod Iuliani nomine circunfertur, ediditque Duaci accuratius Boetius Epo, Friſius, & ibidem Martinum Dumenſem (de quo infra cap. 20) de quatuor virtutibus, qui falſo Senecę Philoſopho libellus adſcriptus eſt.

XIII. EVGIPIVS *abbas*] amplius quam in Colon. eſt in membranis: Lucanenſis oppidi Neapoli Campaniæ. Eugipius autem de vita S. Seuerini monachi auctius nuper Auguſtæ Vindelicorum prodiit: de quo in Seuerino & Conſulum Faſtis Io. Cuſpinianus in Anaſtaſio.

Poſt conſulatum Importuni iunioris] Quidam libri hic *Mauortii* pro *Importuni* præferunt. *Poſt* pro *Sub.* Sic & cap. XIX. & in Conciliis, vbi hæc quoque locutio eſt, capitur. Locum ta-

men eſſe mendoſum opinor, nam aliquid deeſt. Neque enim *Iunior* cum *Importuno* coniungendum: nam Paulus Oroſius *Theodorum Impor.* appellat. Onufrius *Importunum Decium.* Anno præcedenti *Decius Iunior* recenſetur Conſul in Occidente, & ante hunc alius item *Decius*. Itaq; fortaſſe legendum *poſt conſulatum Importuni & Decii iunioris.*

XIV. *De fide cum Traſamundo Rege*] Tranſamundus eſt Paulo Diacono. *Traſimundus*, Gregorio Turonenti: *Traſimundus* Fulgentio in excuſis operibus.

XV. *In Eucherio.* *Presbyter Lugdunenſis*] pro *Epiſcopo*, quomodo Gennadius nominat. nam & antiquitus, & B. Chryſoſtomum *presbyterum* pro Epiſcopo dixiſſe poſt B. Paulum, nō ſemel obſeruatum. Honorius tamen Auguſtodunenſis in Catalogo ſcriptorum duos Eucherios facit, Epiſcopum, & alterum presbyterum, forte quod ſcripta eorum diuerſa eſſe videret. Ætas certe vtrique eadem, & Baſileenſes typographi anno CIↃ.IↃ.XXXI. opera, edente Menandro Braſſicano, coniunxerunt. Eidem vero Eucherio aſſerit, vt vindex, Cæſar Card. Baronius Annalium Eccleſiaſt. Tomo ſexto non longe à principio, Homilias, quas Euſebii Epiſcopi Emiſſeni falſo nomine euulgauit Io. Gaignerus. quas nos in membranis longe & meliores & plures habemus: & ſunt ſane piæ, ad populum habitæ de Sanctis Lugdunenſis agri, vt hominis Galli. Et diuerſæ ab his, quæ vulgo in Dominicos feſtoſque dies circumferuntur, quæ potius collectanea alicuius ex Auguſtino & Gregorio eſſe, non Græci hominis exiſtimo: qualia & gloſſæ ordinariæ, nomen præferunt. Baſilius Zanchus in Notationib. S. Scripturæ Ennodio Ticinenſi, ni fallor, adſcribit. Sed hæc Critici viderint.

Ibidem breuitas, vt ait quidam] Locus eſt Ciceronis in Oratore ad Brutum.

XVIII. *Theodori Mepſueſeni Epiſcopi*] (ſic enim leg.) frequens alibi mentio. Ibæ quoq; Edeſſeni Epiſcopi cap. proximo, & in Conſtantinopol. Synodo.

XIX. *In proſcriptione Apoſtolicæ fidei*] id eſt, in his quæ proſcribebat & condemnabat Apoſtolica fides, Nam & huiuſmodi locutio apud probatos authores acti ie ſumpta in vſu eſt. Liuius lib. 10. Decad. 4. *Hæ litteræ fidem Perſei criminib. fecerunt*: pro his quæ obiiciebat Perſeus Demetrio.

Ibæ Edeſſeni Epiſcopi] Sic legendum cenſeo. Amplius hic in membranis, quam in Colonienſi editione.

Ex Marim Perſum ductum, & Theodorum Mepſueſtenum Epiſcopum] Alter Codex ad Maxim. Legendum *ad Marin*, ex Concilio Conſtantinopol. & Mopſueſtenus, ex eodem. At Nicephoro eſt Mapſueſtinus: qui de Theodoro iſto lib. XIII. cap. 11. qui Ioanni Chryſoſtomo familiaris fuit. Mopſueſtia autem in Cilicia eſt.

XXI. IVSTVS *Orgilitana Eccleſiæ*] Colonienſis codex *Orgellitana*, ſed legendum *Vrgellitana*, ex Io. Vaſæo in Chronicis ad annum 540. Liber exſtat in Bibliotheca SS. Patrum.

Nebridius] In membranis *Infridius*, vitioſe. *Nebridius* reponendum, aut Helpidius, aut vtrumque legendum. Nam hi duo fratres Iuſtiniani ac Iuſti, auctore Trithemio in Iuſtiniano & Vaſæo.

XXV. VICTOR *Tunnunenſis Epiſcopus*] Sic lego ex veteribus membranis Chronici, quod è noſtra nuper exiit bibliotheca Ingolſtadii. Varii varia commenti. *Tunenſis* etiam non nemo, quæ Ægypti eſt vrbs.

Hic à principio mundi] Lego, vt veritati reſpondeat lectio, à principio mundi hiſtoriam à Theodoſio maiore vſq; ad Iuſtini iunioris annum 1. Conſules &c. Nam Euſebii hiſtoriam qui à mundi origine auſpicatur, Proſper excepit, Proſperum Victor continua ſerie per conſules.

XXIX. *Iuſtus, quacumq; morte occupatus*] Sapient. 4. in vulgata legitur editione: *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, &c.*

XXX. *Qui dicitur Annulus*] Vetus liber, anulus. Forte etiam Aureolus legi poſſet, è veſtigiis veteris ſcripturæ.

Epiſcopum Irtabicenſem] Sic liber antiquus. Colonienſis editio *Ircabicenſem* forte *Ercavicenſem* rectum eſt.

XXXII. Mox, *de diſtinctione*] Colon. præfert: at in membranis *de diſtrictione* poſſet & de inſtructione monachorum legi.

IN ADDITAMENTVM S. ILDEPHONSI.

I. *In Aſterio, vel Auſturio, extremo. In Toleto Sacerdos nonus*] pro *Epiſcopus nonus*. Male enim *nonus*. Hinc apparet, ordinem illum, qui in Eccleſię Toletanæ Camera eſt vſque ad Aſturiam recte computari: ſimulq; Diui Eugenii Martyris, primi Archiepiſcopi Toletani Ildefonſi temporis notitiam non haberi. Quod etiam probat, in prologo Eugenium priorem nominari,

nari, qui hodie ſecundus numeratur, & infra.

In Montano. Turebii ipſis] lege, *Thoribii* Epiſcopi ex ea ipſa, quæ citatur epiſtola ad Leonem PP. II.

Ad exprobationem infamiæ] Forte *Exprobrationem*, hoc eſt, ad infamiam, quæ illi probro dabatur, depellendum. Nam *Exprobratio*, pro, apologia, aut improbatione noue dicitur.

Temporibus Amarici Regis] lege *Amalarici* ex Concilio Toletano ſecundo: quamuis in excuſis Codicib. legimus *Amalrici*, & ex nummis antiquis Gothorum Regum.

De hoc DONATO] vide Chronicon Ioannis abbatis Biclarenſis ad annum 570. & Io. Vaſæum an. 569. qui mox *Manichæam* legit, alias Mica. III.

Et palam eſt totum] *Toletum* reponendum arbitror, vel Tolet. in alio Cod. legitur, *& palam & totis*. Mox illa de vet. libro addidi, quæ in Toletana editione Conciliorum abeſſe deprehendi: *peculiaritatibus inhærebat, vt furnis iunctis eorum ſtipularum faſciculos ad clibanum deportaret. Cumq; inter, &c.* Rurſum in IVSTO ante *Exſtitit*, bene longa periodus amplius his quam in Toletana editione anni CIƆ.IƆ.XCIII. legitur. VI.

NONNICVS] *Nonnitus* eſt in Toletano codice M.S. Ioan. Vaſæus in Chronicis an. 634. *Nontinus* videtur legiſſe, quamuis & *Nonnitus* quoq; agnoſcit, niſi ſi illud operarum eſt vitium. IX.

In EVGENIO II. *Quos antiquitus protulerat vitiatos*] Ita membranæ: repono tamen *antiquitas*: itaque legiſſe puto Io. Vaſæum, ad annum 651. Chronicorum: cuius verba ſunt vetuſtate vitiatos. XIII.

Catalogus virorum Illuſtrium apud Iſidorum.

Oſius
Idacius
Siricius
Paulinus
Proba Falconia
Ioannes
Sedulius
Poſſidonius
Primaſius
Proterius
Paſchaſius
Iulianus
Eugipius
Fulgentius
Eucherius

Hilarius
Aprigius
Iuſtinianus
Iuſtus Vrgelitanus Epiſcopus
Martinus Dumenſis.
Alcimus Auitus
Dracontius
Victor Tunnunenſis
Ioannes Biclarenſis abbas
B. Gregorius Pont.
Leander
Licinianus
Seuerus
Ioannes
Eutropius.

Apud Ildephonſum.

Aſturius
Montanus
Donatus
Auraſius
Ioannes
Helladius
Iuſtus
Apud { Felicem, Iulianum, Braulionem

Iſidorus
Nonnicus
Conantius
Braulio
Eugenius
Eugenius alter.
Iulianus
B. Ildephonſus.
B. Iſidorus.

Ex incerto auctore in editione Conciliorum Toletanorum, anno CIƆ. IƆ. XCIII.

Salaus abbas
Sextus Epiſcopus
Macrobius
Philaſtrius
Theodorus Mopſueſtenus Epiſc.

Tyrannius Rufinus
Vergundus
Victorinus.
Itacius
Euſebius

Cerealis
Ferrandus
Petrus
Recuſſinus.

CHRONOLOGIA TOLETANORUM Præſulum,

Anni Domini.

68 S.Eugenius *Martyr primus.*

313 Melanthius, *qui interfuit Concilio Eliberitano & in eo ſubſcripſit.*

325 Pelagius.

396 Patruinus, *qui primum Toletanum Concilium congregauit, & in eo ſubſcripſit: Priſcillianam hæreſim pullulantem euertit.*

Turibius.

Quintius.

Vincentius.

Paulatus.

Natalis.

Olympius.

Audentius.

405 Aſturius. *S. Illifonſus eius vitam ſcribit in catalogo illuſtr. virorum.*

Iſicius.

Martinus, *vel* Maiorinus.

Caſtinus.

Campeius.

Sinticio.

Praumatius, *vel* Palmatius.

Petrus *primus.*

Celſus.

527 Montanus. *Secunda Synodus Toletana ſub Montano eſt habita: ſcripſitq́ duas epiſtolas, alteram ad fratres territorii Palentini, alteram ad Toribium. S. Illifonſus eius vitam literis mandauit.*

Iulianus *primus.*

Bracanda.

Petrus *ſecundus.*

589 Euphimius: *interfuit ſancto tertio Concilio Toletano, Aera 627. & de eo fit mentio in decreto Gundemari.*

Exuperius.

597 Adelphius: *ſubſcribit in Toletano, ſub Reccaredo Aera 635.*

Conantius *à S. Illifonſo non enumeratur inter Præſules Toletanos, forte qui parum præfuit: inquit enim poſt Adelphium Toletanæ ſedis Aurаſium adeptum eſſe locum.*

603 Auraſius. *S. Illifonſus ſcribit in catalogo, cathedram tenuiſſe poſt Adelphium.*

615 S. Helladius: *obiit 18. Februarii. de eo Illifonſus ſcribit in catalogo.*

633 Iuſtus. *Quarta Synodus Toletana fuit ſub Iuſto habita, in eaq; ſubſcribit: de eo Illifonſus ſcribit in catalogo.*

636 Eugenius. *Secunda, quinta, & ſexta, & ſeptima Synodus Toletana ſub Eugenio fuerunt collectæ: in eis ſubſcribit: de eo Illifonſus in catalogo.*

647 S. Eugenius *III. obiit 13. Nouembris anno 658. interfuit octauo, nono, & decimo Conciliis Toletanis, Aera 691.*

659 S. Ildefonſus *obiit 23. Ianuarii, anno 667. cuius vitam Cixila Præſul Toletanus ſcripſit.*

668 Quiricus, *interfuit vndecimo Concilio Toletano, AEra 713. & in eo ſubſcribit. S. Illifonſus eius vitam ſcribit in catalogo.*

685 S. Iulianus. *II. obiit ſexto Martii anno 690. interfuit duodecimo, & decimotertio, & decimoquarto, decimoquinto, Conciliis Toletanis, & in eis ſubſcribit, AEra 719. de eo Felix ſcribit in catalogo.*

691 Siſibertus, *qui aduerſus Egicanem Regem conſpirationem fecit, pro qua merito à dignitatis ordine amotus in Concilio Toletano decimoſexto: pro eo Felix ſuffectus eſt. AEra 731.*

Felix,

[illegible]	Felix decimoſexto Concilio Toletano interfuit, in eoq; ſubſcribit Æra 731.
[illegible]	Gunthericus.
[illegible]	Oppas, *intruſus.*
	Sinderedus.
719	Vrbanus *poſt Sinderedum cathedram Toletanam tenuit: obijt anno 737. Toletum à Sarracenis occupatur fueruntq; in captiuitate Præſules Toletani, qui ſequuntur, vſque ad Ioannem.*
740	Sunieredus.
760	Concordius.
775	Cixilanus,
784	Elipandus: *hæreſi infectus in Concilio Francofordienſi condemnatur, vt refert Ioannes Aurelianenſis in libro de cultu imaginum.*
820	Eumeſindus.
850	Vuiſtemirus.
859	Eulogius *electus, martyr.*
	Vonitus,
926	Ioannes *obiit anno 926.*
	Paſchalis.
	Alfonſus *VI. victis Sarracenis, Toletum expugnat anno 1085. die 25. Martii, & Bernardum monachum S. Benedicti in ſede Toletana collocat.*

CHRONOLOGIA CONCILIORVM HISPANIÆ, QVÆ TEMPORIBVS GOTTHORVM REGVM SVNT indicta.

Æra Cæſaris circa.	*Annus Chriſti.*	
	324	Eliberitanum *eodem tempore, quo Nicenum.*
362	380	Cæſarauguſtum *primum.*
418 438	400 vel 405	*I.* Toletanum *primum aduerſus Priſcillianum, Conſule Stilicone, Arcadii & Honorij temporibus.*
554	516	Tarraconenſe *anno ſexto Theodorici Regis Conſule Petro.*
555	517	Gerundenſe *anno ſeptimo Theodorici Regis Agapeto V.C. Conſule.*
5[illegible]8	527 circa	*II.* Toletanum *ſecundum anno quinto Amalarici Regis Montano Epiſcopo Toletano.*
578	540	Barcinonenſe *primum.*
584	546	Ilerdenſe *anno decimoquinto Teudi Regis.*
584	546	Valletanum *ſiue* Valentinum *eodem anno Theudi decimoquinto.*
599	561	Bracarenſe *primum anno tertio Argemeri Regis Sueuorum.*
607		*Concilium* Lucenſe *ſub Theodomiro.*
610	572	Bracarenſe *ſecundum anno ſecundo Mironis Regis Sueuorum: in quo Metropolitæ duo, ex Bracara & Luco, interfuerunt.*
627	589	*III.* Toletanum *tertium anno quarto Reccaredi: in quo Arriana hæreſis in Hiſpania damnatur, & in eo ſanctus Leander Hiſpalenſis, & S. Euphemius Toletanus interfuerunt.*
628	590	Hiſpalenſe *primum anno quinto Reccaredi regis: in quo S. Leander Hiſpalenſis interfuit.*
630	592	Cæſarauguſtanum *ſecundum anno ſeptimo Reccaredi regis Artemio Tarraconenſi Metropolitano.*
635	597	Toletanum *anno duodecimo Reccaredi regis Adelphio Metropolitano vrbis regiæ.*
636	598	Oſcenſe *anno decimotertio Reccaredi.*

Æra Cæſaris circa	Annus Chriſti.	
637	599	Barcinonenſe *ſecundum anno decimoquarto Reccaredi Regis, Aſiatico, Tarraconenſi Metropolitano.*
648	10	Toletanum *anno primo Gundemari Regis, ſancto Montano Toletanæ vrbis Metropolitano.*
652	614	Egarenſe *anno tertio Siſebuti Regis.*
657	619	Hiſpalenſe *ſecundum, Rege Siſebuto, & ſancto Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi.*
671	633	*IV.* Toletanum *quartum anno tertio Siſenandi Regis in quo S. Iſidorus Hiſpalenſis interfuit & Iuſtus Toletanus.*
674	636	*V.* Toletanum *quintum anno primo Cinthilani Regis in quo S. Eugenius Toletanus interfuit.*
676	638	*VI.* Toletanum *ſextum vero ſecundo Cinthilani Regis Eugenio Toletano Antiſtite.*
684	646	*VII.* Toletanum *ſeptimum anno quinto Cindaſuinthi Regis, Eugenio Toletano Antiſtite.*
691	653	*VIII.* Toletanum *octauum anno quinto Receſuinthi Regis, Eugenio Regiæ vrbis Antiſtite.*
693	655	*IX.* Toletanum *nonum, anno ſeptimo Receſuinthi Regis, Eugenio Regiæ vrbis Metropolitano.*
694	656	*X.* Toletanum *decimum anno octauo Receſuinthi Regis, Eugenio Metropolitano Regiæ vrbis.*
704	666	Emeritenſe, *anno decimo octauo Receſuinthi Regis, Proficuo Metropolitano Emeritenſis vrbis.*
713	675	*XI.* Toletanum *vndecimum, anno quarto Vuambani Regis, Quirico Metropolitano vrbis Toletanæ,*
713	675	Bracarenſe *tertium, anno quarto Vuambæ, Leodegiſio Metropolitano Bracarenſi.*
719	681	*XII.* Toletanum *duodecimum, anno primo Eruigii Regis S. Iuliano Regiæ vrbis Metropolitano.*
721	683	*XIII.* Toletanum *decimum tertium. anno quarto Eruigii Regis, S. Iuliano Regiæ vrbis Metropolitano.*
722	684	*XIV.* Toletanum *decimumquartum, anno quarto Eruigii Regis, S. Iuliano Regiæ vrbis Metropolitano.*
726	688	*XV.* Toletanum *decimumquintum, anno primo Egicæ Regis, S. Iuliano vrbis Regiæ Metropolitano.*
729	691	Cęſarauguſtanum *tertium, anno quarto Egicæ Regis Baldefredo Epiſcopo Cæſarauguſtano.*
731	693	*XVI.* Toletanum *decimumſextum anno ſexto Egicæ Regis, Felice vrbis Regiæ Metropolitano.*
732	694	*XVII.* Toletanum *decimumſeptimum anno ſeptimo Egicæ Regis.*
740	702	*XVIII.* Toletanum *decimumoctauum anno primo Vuitizæ. Non extat in Canone, ſed de eo meminit Rodericus.*
750	712	Sarraceni *Gothos expugnant, & biennio totam Hiſpaniam occupant.*

ORDO

ORDO REGVM GOTHORVM HISPANIÆ, ET EORVM CHRONOLOGIA EX CONciliis.M.ſſ,&Iſidoro & Vulſa.

	Æra Auguſti.	Anni Chriſti.	
	407	369	Athanaricus *vna cum Fridigerno, regnat annos tredecim, ſub Valente Imperatore.*
	420	382	Alaricus, *& cum eo Redagaſius: regnat ann.28.ſub Theodoſio Imperatore.*
	449	411	Athaulfus *regnat ann.6.ſub Arcadio, & Honorio Imperatore.*
Segericus anno uno.			Segericus, *illico ſuorum dolo interfectus ann.22.imperii Honorii, & Arcadii: cui ſucceſſit Vuallia.*
	454	416	Wallia *regnat annos 3.*
Theodoredus ann 14 Auguſtin. Theodoricus.	457	419	Theuderedus, *regnat annos 33. finem extremum clauſit in prælio Cathalaunico, ſub Theodoſio minore imperatore.*
Thuriſmundus	490	412	Thuriſmundus, *regnat ann. vnum, ſub. Marciano.*
Theodoricus.	491	453	Theudericus *annos tredecim, ſub Marciano imperatore.*
Durico Gregor. Turon ann 17.	504	466	Duricus *annos decem & ſeptem ſub Leone Imperatore.*
Sigebert.19.	521	483	Alaricus *annos 23.ſub Zenone Imperatore.*
Geſalaricus alii Geſelecus.	544	506	Geſalericus *annos quatuor, ſub Anaſtaſio Imperatore.*
Theodoricus.	549	511	Theudericus *Rex Italiæ, pro nepote Alamarico regnat in Hiſpaniis annos quindecim, ſub Anaſtaſio Imperatore. In Conciliis M.ſſ. duo coacta eſſe ſub Theuderico Rege lego: primum Tarraconenſe anno eius, Æra 555. alterum Gerundenſe, anno & Æra ſequenti.*
	564	526	Amalaricus *ann. quinque, ſub Iuſtiniano Imperatore.*
Theudius.	569	531	Theudis, *ſeu Theudio decem & ſeptem annos, & menſes quinque, ſub Iuſtiniano Imperatore. Concil. Ilerd. anno eius 15. vbi mendoſe in omnibus M.ſſ. legitur Æra 584. pro Æra 564. quod recte conuenit cum hac annorum ratione: quam ſequimur.*
	586	548	Theudiſclus *annum vnum, ſub Iuſtiniano Imperatore.*
Aquila.	587	549	Agila. *ſeu Aquila, ann. quinque ſub Iuſtiniano Imperatore.*
Vulſa quindecim annos, & menſes 6.	592	554	Athanagildus *annos. 14. ſub Iuſtiniano. Iſidorus ponit inter regnum quinq. menſium.*
Liuba, & Loyba.	605	567	Liuba *annum vnum ſub Iuſtino Imperatore minori.*
Beda, Leuuigildus more Gothorum qui pro eo ponunt eu.	606	568	Leouigildus, *ann. decem & octo, ſub Iuſtino minori. anno 17. regni Ermenegildum Hiſpali impie interfecit.*
	624	568	Reccaredus *primus ann.15.ſub Mauricio Imperatore.*
Loyba.			Liuba *ſecundus annos duos, ſub Mauricio Imperatore.*
Vitterius	639	601	Vuittericus *ann. ſex, menſes 10.*
Gundemarus.	641	603	Gundemarus *annos duos, menſes decem, ſub Phoca Imperatore.*
	648	610	Siſebutus *annos octo, menſes ſex, ſub Heraclio Imperatore. Anno quinto Siſebuti Mahometes aduerſus Romanos rebellat.*
	650	612	
	659	621	Reccaredus *ſecundus. menſes tres.*

Cintila, Suintila.	Æra Auguſti.	Anni Chriſti.	
	659	621	Suintila *annos decem, ſub Heraclio Imperatore. Is, vt noſtri hiſtorici tradunt, primus pulſis Romanis, monarchiam totius Hiſpaniæ obtinuit.*
Siſenandus.	669	631	Siſenandus *ann. 3. menſes vndecim.*
Cintila.	674	636	Cinthila *annos tres, menſes octo. Concilium Toletanum quintum, primo anno eius regni coactum. Iſidorus Iunior Epiſcopus Hiſpalenſis primæ ſedis moritur.*
Tulcas	67	640	Tulca *ann. 2. menſes quatuor.*
Cindaſuenthus	680	642	Cindaſuinthus *ann. 6. menſes 8.*
Receſuinthus	687	649	Receſuinthus *annos 23. menſes 6. Ildefonſus anno. 18. moritur.*
Bamba	710	672	Wamba *annos octo, menſem vnum. Relicto regno vixit in monaſterio, melius ſibi regnans, & viuens pie & ſancte, annos ſeptem, menſes tres.*
Eringius.	718	680	Eringius *annos ſeptem: relicto regno creatur Egica.*
Egipſa.	725	687	Egica *annos decem ſolus, quinque vna cum filio ſuo Vuittiza.*
Vitiza.	739	701	Wittiza *ann. 9. ſine Egica patre.*
Rudericus annos 3, duos ſimul cum Vitiza, vnum ſolus.	748	710	Rudericus *ann. vnum. Hoc Rege nobiliſſima, & antiquiſſima regnum Gothorũ familia, ob impios & ſceleratos mores Vuitizæ, & Ruderici, miſere extincta, in prædam barbaris Illauris tãquam Dei flagello data, vniuerſaque nobilitas totumque regnum breui tempore vna funditus euerſum.*

REGES SVEVORVM in Gallœcia.

Æra Auguſti.	Anni Chriſti.	
446	408	Hermericus *ann. 32.*
478	440	Rechilla *annos ſeptem.*
486	448	Recciarius *annos nouem.*
495	457	Maldra *annos tres.*
498	460	Frumarius *annos quatuor.*
		Remiſmũdus, *qui cum tota gente, Arriana hæreſi infectus fuit: in quo errore gens illa per annos ferme centum perſeuerauit: quo tempore Reges non reperiuntur, quippe indigni vt eorum repetita maneat memoria.*
601	558	Theodomirus *ſeu Ariamirus catholicus: Concilium Bracarenſe primum, ſub eo habitum, & Lucenſe regnauit annis 12.*
607	570	Miro *annos 13. Concilium Bracarenſe ſecundum.*
620	582	Eboricus.
		Andeca *tyrannus.*
		Sueuorum *regnum deletum eſt tempore Leouegildi Gothorum Regis, poſtquam regnauerunt in Hiſpania annos centum ſeptuaginta ſeptem, vt auctor eſt Iſidorus.*

FINIS.

D. RODE-

Digitized by Google

D. RODERICI XIMENEZ NAVARRI ARCHIEPISCOPI TOLETANI,

RERVM IN HISPANIA GESTARVM LIBRI IX.

Ad vetera Exemplaria Comparati, vt nunc primum editi videri queant.

ACCESSIT GOTHORVM, ARABVM ET ROmanorum Hiſtoria nunquam antehac edita.

Opera & ſtudio ANDREÆ SCHOTTI.

Prolegomena

DE RODERICO XIMENIO ARCHIEPISCOPO TOLETANO HISPANICARVM RERVM SCRIPTORE.

Ex Annalibus IOAN. MARIANÆ è Societate Ieſu, Lib. XI. cap. XXI.

ANNVS *milleſimus ducenteſimus octauus, menſis Auguſti die viceſimo octauo Martinum Præſulem Toletanum abſtulit: ſucceſſit* RODERICVS XIMENIVS, *domo Vaſco, ſeu Nauarrus. Hominem externum ſpectata vitæ probitas, eruditioque, vt ea erant tempora, ſingularis ad eum honoris gradum prouexit: & quoniam induciæ abs Regibus eo auſpice pactæ potiſſimum erant Principum gratiam, & vtriuſq; gentis ſtudia promeruit.*

ET LIB. XIII. CAP. V.

RODERICI *Toletani præſulis obitus Auguſti menſis nono die fuit, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto: tametſi alij adſcribant annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſeptimum Iunij menſis diem decimum: vt magis mirari liceat, in clariſſimi viri obitu diſſentire autores quam opinionem opinioni præferre Rodericus grauis annis erat, multiſque laboribus fractus, at nouo itinere, quod Lugdunum ſuſceperat (vbi conuentus Eccleſiaſtici erant) aduerſus Petrum Tarraconenſem, à quo fuerat diris defixus, nulla grauiori de cauſa, quam quod iure Primatis per eius fines Crucē dignitatis inſigne prætuliſſet. Extat Gregorii noni Rom. Pont. ſententia ſecundum iura & merita Eccleſiæ Toletanæ. Verum controuerſia nondum ſatis compoſita, Rodericum arbitror in extrema quamuis ætate ad Pontificem abiiſſe. In reditu ſane cum Rhodano in Hiſpaniam nauigaturus naui veheretur, defunctus eſt. Hortæ quod Aragoniæ monaſterium eſt, ad aram eius templi maximam cippus cum inſcriptione monſtratur, his carminibus comprehenſa, rude & craſſum, vt in ea ætate, ſonantibus.*

Mater Nauarra, nutrix Caſtella,
Schola Pariſius, ſedes Toletum,
Hortus mauſoleum, requies cœlum.

RODERICI *ſemper in Hiſpania viuet authoritas, memoria vigebit. Defuncti manibus in templi Toletani maximi pluribus ſacellis ad hanc diem parentatur, aliquot ſacerdotiis eius iuſſu atque impenſa ea de cauſa cōſtitutis. Roderico Ioannes eo nomine ſecundus ſucceſſor eſt datus.*

SERENISSIMO, INVICTO, ET SEMPER AVGVSTO DOMINO SVO FERNANDO, DEI GRATIA REGI CASTELlæ & Toleti, Legionis & Gallecię, Cordubæ atque Murtię, Rodericus indignus cathedræ Toletanæ ſacerdos hoc opuſculum, & Regi Regum perpetuo adhærere optat.

FIDELIS *antiquitas & antiqua fidelitas primęuorum doctrix & genitrix poſterorum credidit actibus minorari, ſi ſibi ſoli ſe genitam reputaret. Cum enim per ea quę facta ſunt, Dei inuiſibilia percepiſſent, quia morte interueniente non poterant permanere ea, quę diuina reuelatione, ſtudio vigilanti, doctrina, vſu, memoria, intellectu circa creaturarum opera, ratione praua inuenerunt: inueſtigantes experimenta rerum & ænigmata figurarum futurorum notitię prouiderunt, & duce ſpiritu præſentia perceperunt, & futura indagiis prænouerunt. Sed obliuio, quę ſemper memorię aduerſatur, pediſſequa negligentia ſubſequente, quod diligentia adinuenerunt, greſſu obuio liturauit. Cæterum ne deſidia ſapientię inimica itinera ſtudii occultaret, illi qui pro luce ſapientiam habuerunt, & eam rebus omnibus prætulerunt, figurales literas inuenere, quas in ſyllabas congeſſerunt, vt his compingerent dictiones, quibus vt ex trama & ſtamine quaſi à texentibus oratio texeretur: & per hoc futuris ſæculis præterita vt præſentia nunciarent, & vigilata ſtudia artium liberalium & officia mechanica ſubtiliter adinuenta ſcriptura poſteris conſeruarent. Curſus ſyderum, motus Planetarum, diſpoſitiones ſignorum, effectus aſtrorum, quę Aſtronomorum curioſa diligentia adinuenit, cubitorum Geometrię diſtinctiones, & graduum differentias, & punctorũ diſtantias, quo obiectu luna lucida denigretur, qua eclipſi Solis claritas tenebreſcat, quę indagine herbarum notitiam & earum efficaciam experimentis phyſicalibus percipere, ſine ſcriptis quę memoria poſſet quantumlibet inſtãs ſolertia reminiſci, ne dixerim inuenire, niſi principiorum notitia præceſſiſſet, quę primæui inuenta ſucceſſoribus conſcripſerunt? Verũ quia humana ſtudia multifarie variãtur, pari prouidentia & eodẽ ſtudio ſolicitudo diligens eorundẽ deſcripſit acta ſapientiũ & ſtultorum, fideliũ & ethnicorum, virtutes catholicas & politicas, iura canonica & ciuilia, vt per hoc mundi curſus in ſuo ordine dirigatur, & geſta principũ, quorũ aliquos ignauia fecit viles, alios ſapientia, ſtrenuitas, largitas, & iuſtitia futuris ſæculis cõmendauit, vt quanta ſit differentia vtrorũq; exitu cõprobetur, & diſcant poſteri bonorũ exemplis inniti, & malorũ ſemitis declinare. Quia etſi ad tẽpus bonorũ videatur Dominus obliuiſci, in fine miſericordiã non abſcindet. Etſi ad tẽpus etiã impij proſperentur, tolluntur in altũ, vt lapſu corruãt grauiori. Quis enim de creatione mũdi,*

de Pa-

de Patriarcharũ ſucceſſione, de exitu de Ægypto, de lege veteri, de Regib. terræ ſanctæ, de exterminio eorundẽ, de annũciatione, de natiuitate, de paſſione, reſurrectione, & aſcẽſione Domini Ieſu Chriſti, earũ teſtib. morte ſublatis, poſſet relatione veridica eſſe certus, niſi libri canonici aut euãgelia teſtarẽtur? Quibus, eo quod ſcripſerunt, tãto amplius obligamur, quãto per eorũ doctrinã in præteritorũ notitia innouamur. Glorioſa etiã prælia Romanorũ & aliarũ gentiũ, quæ in mũdo varietate mirabili acciderunt, ſine ſcriptura à memoria excidiſsẽt. Cũ igitur Hiſpaniarũ ſucceſſus variarum principũ cruẽtis cladib. iteratus & linguã mutarit, & origo ſuæ gentis plurib. intercepta dominiis ſit oblita, iam fere gẽs & origo incolarũ Hiſpaniæ ignoratur. Quia igitur placuit veſtræ excellẽtiæ maieſtati, meæ requirere ignorantiam paruitatis, vt ſi quæ de antiquitatib. Hiſpaniæ, & de iis etiam quæ ab antiquis vel modernis tẽporib. acciderũt, meæ memoriæ occurriſſent, petitioni veſtræ deſcribere laborarẽ, & vt à quib. gẽtib. calamitates Hiſpania ſit perpeſſa, & Hiſpanorũ Regũ origo, & eorũ magnalia, qui patrũ glorias imitatione ſequuti ſunt glorioſa, per ſcripturæ meæ indaginẽ ad diligẽtiæ noſtræ notitiam perueniret. Ego vero tanti domini, tam excelſi, nõ poſſũ precib. cõtraire, & vix poſſibile cogor ob reuerẽtiam attẽtare. Tẽpore enim vaſtationis Arabũ ſcripta & libricũ pereũte patria perierũt, niſi ꝙ pauca diligẽtiũ cuſtodia euaſere. Itaq; ea q̃ ex libris beatorũ Iſidori &, Ildephõſi & Iſidori iunioris, & Idacii Gallecię Epiſcopi, & Sulpitii Aquitanici, & cõciliis Toletanis, & Iordani ſacri palatii Cãcellarii, & Claudii Ptolomæi orbis terræ deſcriptoris egregii, & Dionis qui fuit hiſtoriæ Gotthicæ ſcriptor verus, & Põpeii Trogi qui fuit hiſtoriarũ Orientaliũ ſolicitus supputator & aliis ſcripturis quas de membranis & pictatiis laborioſe inueſtigatas laborioſius cõpilaui, à tempore Iaphet Noe filii vſq; ad tempus veſtrũ, glorioſiſſime Rex Fernande, ad hiſtoriã Hiſpaniæ cõtexendam, q̃ ſolicite poſtulaſtis, ꝓut potui fideliter laboraui. Inter omnes autem principes Gotthorum Reges ſecula ꝑcipuos habuere, & teſtamentali edicto Hiſpaniæ legauere, quorum inſignia vſq; ad tempora q̃ me ꝑtereunt, deriuaui, addẽs aliqua quæ eorum hiſtoriæ famulantur, nec non & clades quas Hiſpania pertulit ante eos. In qua Hiſpania, peragratis Aſiæ & Europæ ꝓuinciis & vaſtatis, vltimo dominio reſederunt, vbi etiam ab Arabib. ſub Roderico Rege Dei iudicium pertulerunt. Vobis itaq; Caſtellæ, & Toleti, & Legionis, & Gallecię, Cordubæ, & Luſitaniæ, Murtiæ & Gienni inclyte domine Rex Fernande ortum eorum q primo in Hiſpaniis habitauere, & bella Herculis q̃ exercuit ſuper eos, & quæ Romani mortis iudicia intulere, & quib. Vandalos, Silingos, Alanos, & Sueuos exitiis cõſumpſerunt, ꝓut ex antiquis libris & relatione fideli recolligere potui, ego Rodericus indignus cathedræ Toletanæ ſacerdos, ſtylo rudi, & ſapientia tenui, ad ꝑconium veſtræ gentis & veſtræ gloriam maieſtatis ſolicitus compilaui: pro venia ſupplicans eo, quod munus tam exiguum auſus fui lecturorum diligentiæ exhibere, & conſpectui tanti Principis præſentare.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER PRIMVS.

De fundamento huius hiſtoriæ. CAPVT I.

Noe. In ſeminarium ſic Codex Eccleſiæ Toletanæ ſed ex horum. Sem. Cham. Iaphet. deg. Vt cum. Angeli boni. Angeli mali.

VT veritas Geneſis atteſtatur, quam Moyſes ſcripſit Spiritu prophetiæ, humanum genus vagum & profugum in terra miſeriæ aberrauit, donec culpa hominum inundante cæteris enecatis periculo cataclyſmi, Noe ſolus cum filiis & vxoribus, domino protegente, fuere * vt ſeminarium humani generis reſeruati. Hæc ſunt nomina filiorũ eius: Sem, Cham, & Iaphet. * Sed horum filii pœnas peccantium iam obliti culpas ablutis criminibus adiecerunt, & volentes altiſſimo ſimilari, turrim ſuperbiæ erexerunt. Sed pares in culpa pari vt Lucifer præcipitio corruerunt. Et ſicut ibi diuiſi angeli diuiſa officia ſunt ſortiti, * ita cum omnia in diuina eſſentia ſint contenta, ab his vbique ei ſemper aſſiſtitur, & per eos in terris ſalutis miniſteria diſponuntur. Boni vero his conſimiles habent præ oculis diuinæ iudicium maieſtatis, & filiali timore altiſſimi offenſam metuentes Dei dulcedinem, licet in ænigmate, iam prægustant. Alii autem angeli qui damnando homini inuiderunt, & mortifera ſuggeſſerunt Dei iudicium non euadunt, ſed ſemper eos culpa & ſupplicium comitantur. ſic & mali qui iniquitatis iudicium ſecum ferunt, voluptatum ſolicitudine cruciantur. Noe itaque generatio in Chaldæa, & Damaſci Syria, & maiori Armenia, & * Aſſyria in qua Niniue dicitur eſſe ſita, in certis ſedibus vagabatur: & cæteræ regiones Aſiæ, Africæ, & Europæ vacuæ habitatorib. * ſolitudine quieſcebant, donec primordia noſtræ originis, ſuperbia confundente vnitatem ſimpliciũ linguarum, diuiſio ſeparauit. Et quia loquelæ diuerſitas conuictus, mores, & animos variauit vnilingues, aliam & cæterarum linguarum alias ſortitæ ſunt regiones, & prout vnius linguæ profeſſio exigebat, diuerſos populos effecere, & ab inuicem ſegregati climata, prouincias, & patrias diuiſerunt, & lingua alia alienationem a proximo ſuggerebat, & non tam diſcidio, quam odio ſeparati loca placida elegerunt, in quibus ſedes commodas locauere, & propriis * terminis non contenti alios inuadere præſumpſere, & ex iniuriis mors & gladius prouenere, & nomina ſua in terris & cognationibus vocauere, poſtea linguas idiomatibus diſtinxerunt. Filii Sem poſſederunt Aſiam, ſed non totam. Filii Cham Africam habuere. Filii Iaphet ab Amano & Tauro montibus * Ciliciæ, quæ ſunt in Aſia, & totam Europam vſque Gades Herculis in finibus Hiſpaniæ poſſederunt. Et quod filii Cham & Iaphet aliquid in Aſia habuere, exiſtimo actum bello. Sed quia de generatione Iaphet cura eſt proſequi in hoc libro, de aliis fratribus hic omitto.

Noe habitatio. ſiue Aſſyria. Habitatoribus & cultoribus ſolitudine. Diuiſio linguarum. Terminus terræ. Ciliciæ & Syriæ.

De Europa, & generationibus Iaphet.

CAP. II.

Tanais. Oriens adeo. Boſporus. præceps. Scanthium. Cyle ſ. Thule. ſ. Ebuſa. Mutilene. V. C. Concludit. lib. Etymolog. cap.

EVROPA autem incipiens à Tanai fluuio * ex vna parte Tyrrheno, & ex alia Septentrionali & Gaditano Oceano terminatur. Tanaim vero hunc dico qui ex Riphæis mõtibus * oriens * ad hæc præceps ruit, vt cum vicina flumina Mæotis & Boſporus gelu ſæpiſſime ſolidentur, ſolus ex confractuoſis montibus euaporans nunquam algore Scythico indureſcit. hic Aſiæ Europæque terminus famoſus habetur. Fretum autem Gaditanum in finibus Galliciæ à Gadibus Herculis nomen habet. Oceanum Septentrionalem qui verſus Septentrionem plurimas inſulas in ſe tenet, ſcilicet * Scandiam, Friſiam, Scotiam, Angliam, & Iberniam, & alias minores: deinde omnes regiones citra Tyrrhenum cum inſulis quæ Tyrrheni littore includuntur, ſcilicet Maiorica, Minorica, * Ebuſus, Frumentaria, Corſica, Sardinia, Sicilia, * Mytilene, Venetiæ, Creta, donec ad paludem Mæotida peruenitur. Conſtantinopolitana & ciuitas in Europa noſcitur conſtituta. Hos omnes terminos, & vſque ad Gadiram, quæ cum Pelle * includit Decapolim, filii Iaphet Gomer, & Magog, & Madai, Iauan, Tubal, Moſoch, Thiras, in linguis & cognationibus (vt dicit Iſidorus) poſſedere. Porro filii Gomer Aſſenec, à quo Rhegini Calabriæ, Iſidorus

Aſçenez,

Aſcenez, à quo Sarmatæ ſiue Sauromatæ, quos Græci Rheginos vocant, & ab his proceſſerunt Calabri, Siculi, Appuli, & Latini qui Latium habitarunt: & * Riphat, à quo Paphlagones, Paphlagonia contigua Galaciæ, & ſicut dicit Cornelius nepos. Paphlagones in Italiam tranſuecti mox Veneti ſunt vocati, à quibus Veneti Ligures & Æmilij proceſſere: & * Togorma, à quo Phryges, qui terram ſuam Phrygiam appellarunt. Filii autem Iauan Eliſa, à quo Græci, qui * Æolidæ dicuntur: Tharſis, à quo Cilices, qui Ciliciam habitarunt, quorum metropolis Tharſus: Cetim, à quo * Citiçi, Iſidorus Cyprii, & ſecundum * hoc Cyprus à filiis Iaphet, non filiis Sem prouenit, quorum ciuitas * Citiū dicitur: Dodanim, à quo Rhodii, quorum ciuitas Rhodus dicitur. De Gomer filio Iaphet Galatæ ſecundum Ioſephum & Iſidorum: qui Latiųe Gallogræci dicūtur. Olim enim Senones Galli quandam partem Græciæ inuadentes à Gallis & Græcis Gallatiā quaſi Gallogræciam appellarunt. De Magog Scythæ, qui & Maſſagetæ appellantur, & Gotthi ſecundum Iſidorum, Vandali, Sueui Alani, atque Hunni. De Madai Medi, à quibus Media nomen ſumpſit. De Iauan Iones qui & Græci a quibus * Ionium mare, ex quibus Græci qui Troiam & fines eius habitarūt, proceſſerunt: qua deſtructa duo fratres Priamus & Antenor Venetias nauigio peruenerunt, ex quibus Antenore mortuo, & Paduæ tumulato, Priamus cum comitibus Germaniam occupauit, & ab * ipſo germano Antenore Germania fuit dicta. Quæ nunc à Teutates, qui eſt Mercurius, Teutonia nominatur, à Latinis autem Lemania dicitur à Lemano fluuio (de quo Lucanus:

Deſeruere cauo tentoria fixa Lemano)

qui has continet regiones: Lothoringiam ſeu Brabantiā, Veſtfaliam, Friſiam, Thuringiam, Saxoniam, Sueuiam, Boiariam, Franconiam, Carinthiam, Auſtriam, & inde Gallias infringentes: à fractione patriæ, & eorum ferocitate Frācia fuit dicta * à nauigio ſimili e Troia Brutus aduenicns, eam quæ nunc Anglia dicitur, à ſuo nomine Britanniam nominauit, à qua & olim Siluaria, nūc citra mare minor Britannia nominatur. De Moſoch filio Iaphet Cappadoces, quorum metropolis Mazana, quam Tiberius Cæſar a ſuo nomine Cæſareā appellauit. Thiras, a quo Thraces quaſi Thiraces (vt dicit Iſidorus) & a nomine patris ſui terram incolatus ſui Thraciam vocauerunt. Hæc ideo dixi, quia cogit hiſtoria quam aſſumpſi, de incolis Europæ aliqua declarare.

De primis incolis, & primo nomine Hiſpaniæ. CAP. III.

QVINTVS aūt filius Iaphet fuit Tubal, à quo * Iberi, qui & Hiſpani (vt dicunt Iſidorus & Hieronymus) proceſſerūt. Filii autem Tubal diuerſis prouinciis peragratis curioſitate vigili occidentis vltima petierunt, qui in Hiſpaniam venientes, & Pyrenæi iuga primitus habitantes in populos excreuere, & primo Cetubales ſunt vocati, quaſi cœtus Tubal: & attendentes ſtellam quæ ibi poſt ſolis occubitum occultatur, occaſum eius * veſpertinum ſtellam Heſperum, & patriam a ſtellæ nomine Heſperiam vocauere. Dicitur autem Europa a quadam filia Regis Agenoris ſic vocata, quam Iupiter rapiens tertiæ parti mundi ex eius nomine nomen dedit. Hi poſt diuiſionem linguarum, vt regiones adirent, & vt Nemrod tyrannidem euitarent, diuiſi ſunt in linguas & nationes, & linguam quæ nunc Latina dicitur, obſeruarunt: alii & filii Iaphet qui in Europæ partibus reſederunt, linguas alias habuere, Græci aliam, Blaci & Bulgari aliam, Cumani aliam, Sclaui, Boemi, Poloni aliam, Vngari aliam, Inſulæ etiam Hibernia & Scotia ſpecialibus linguis vtuntur. Teutonia vero, Dacia, Noruegia, Suetia quæ à Sueuis & Scythis nomen accepit, Flandria & Anglia vnicam habent linguam, licet idiomatibus dignoſcantur. * Scandia & aliæ Septentrionales Oceani inſulæ quæ Europæ annumerantur, aliis linguis vtuntur. Walia etiā contigua Angliæ, & Britannia minor circa littus Britannicum linguas proprias ſunt ſortitæ: ſimiliter Vaſcones, & Nauarii. Cetubales itaq; in populos dilatati ad plana Hiſpaniæ deſcenderunt, & iuxta fluuium qui nunc Iberus dicitur, villas, & pagos, & oppida conſtruxerunt, & inibi remanentes, qui prius Cetubales, ab Ibero fluuio, corrupto vocabulo Celtiberes ſe vocarunt: vnde & eadem prouincia Celtiberia appellatur, quæ Oceano * Tyrrheno & Pyrenęis montibus terminatur. Hanc * Carpetaniam quæ in ſe quatuor habet oppida, ſcilicet Aucam, & Calagurram, Tyraſonam, & Auripam, quæ poſt Cæſarauguſta ab Auguſto Cæſare fuit dicta, vis Romanorum principum occupauit; quæ tamen ſicut referunt Plinius & * Siſebutus, ad Carthaginienſem prouinciam pertinebant. Deinde ad alias partes Heſperiæ procedentes in terris ſuis cognationes & nomina vocauere & in diuerſis prouinciis diuerſos principes habuerunt, ex quibus fuit Geryon, & alii qui vſque ad Herculem durauere. * Phaleg autem tempore [illegible] diuiſio facta fuit, vſque ad * Geryonem [illegible]

Marginal notes: Riphat. Raphat. — Togorma. — Iauan filii ſu. — Æolides. — Tharſis. — Cethim. — Cetim. — Cithi hoc Tithrum. — Dodanim. — Gomer. — Magog. — Madai. — Iauan. — Ionicum. — Priamus. — Antenor. — ipſo & Germano. — Germania. — Alemania. — Teutonia. — Alter Agathias lib. 1. Hiſtor. Alemāni, quod adu. ... & ex varia hominum colluuione conſtat ut, autore Aſinio Quadrato. — Lothoringia. — Brabantia. — Weſtfalia. — Friſia. — Thuringia. — Saxonia. — Sueuia. — Bauaria. — Franconia. — Carinthia. — Auſtria. — & nauigio. — Iberes. V. C. — Veſperum. — Scandia. — Hybero. — ſic V. C. — Siſebutus. — Phaleg. — Phales. — Geryonem.

quo Hercules fuit natus * MCCLXIII. ſunt anni. A morte Herculis vſque ad captionem Troiæ anni XIII. A captione Troiæ vſque ad Romulum qui Romam condidit, anni CCCCXLII. A Romulo vſque ad Conſules, anni CCXLI. A Tarquinio Superbo vltimo Regũ Conſules rexerunt populum Rom. per annos CCCCLXIII. Et poſt hunc regnauit ſolus Caius Iulius Cæſar annis IIII. menſib. VI. tempore Conſulum Africa & Hiſpania à Scipione deſtructis. * Tolemon & Brutus duo Conſules condiderunt Toletum centum & octo annis antequam Iulius Cæſar regnare cœpiſſet, tempore Ptolemæi Euergetis Regis Ægypti. Nunc ad Hiſtoriam Herculis reuertamur.

De aduentu & victoria Herculis in Hiſpaniam, & pugna illius cum Geryone tricipite.

CAPVT IIII.

CVm itaque Hercules fere tota Aſia occupata, perueniſſet ad ſaxum miræ magnitudinis & excelſæ, vt ſaxum & populos qui ſe inibi * receperunt expugnaret, & incolas in deditionẽ cogeret, terræ motu repulſus in Libyam nauigauit, habens ſecũ Atlantẽ Aſtrologum magnum pronepotem magni Atlantis fratris Promethei, qui fabuloſe dicitur homines de luto formaſſe, & ſpiritum immiſiſſe. Mercurius, * & nepos eius multarum artium peritus tẽpore Moyſi ſcribitur claruiſſe. Hũc Atlantẽ Hercules charũ habebat, eo quod eius conſilio regebatur. Erat & mons altiſſimus, qui dicebatur Atlas, ſed quia Hercules Atlantem magnis honoribus extollebat, æquiuocato nomine dixit poeta:

Hercule ſuppoſito ſydera fulſit Atlas.

Habebat etiam ſecum Traxilinum in Muſica clarum contra periculum Sirenarum. Eo enim tempore Argonautarum dicitur periculum accidiſſe, & in finibus Heſperiæ nauium ſuarum ſtationem locauit, & in illa parte turres fortiſſimas fabricauit, quę eſſent poſteris in monumentum, quæ adhuc hodie Gades Herculis nuncupantur. Erat autem tunc temporis in Heſperia princeps quidam, qui Geryon vocabatur, & abundabat gregibus & armẽtis, & habebat tria regna, quæ nunc dicuntur Gallecia, Luſitania, Bætica: vnde & iſte Geryon cum eſſet alias fortis & ferox, triceps ſcribitur fabuloſe, de quo Ouid. in 9. Metamor.

--- Nec me paſtoris Iberi
Forma triceps, nec forma triplex tua Cerbere mouit.

Et idem in lib. Heroidum:

** Prodignum triplex armenti diues Iberi*
Geryonis quamuis in tribus vnus erat.

Expreſſius autem de morte Vergil. in ſeptimo Æneid.

--- Cum iam Laurentia victor,
Geryone extincto, Tirynthius attigit arua,
Tyrrhenoque boues in flumine lauit Iberas.

Contra hunc pugnauit Hercules, & repetito bello ferocem virtute domuit, & proſtrauit priuatum vita, patrimonio, & armentis, obtentamq; partem illam Heſperiæ populis qui ſecum à Galatia venerant, captam tradidit habitandam: vnde & a Galatis Gallecia quinta prouincia Hiſpaniæ nomen accepit, licet ab * antiquis alia cauſa eius nominis aſſignetur.

De victoriis Herculis, & adificatione ciuitatum in Hiſpania.

CAP. V.

ET inde procedens in eam quę nunc Luſitania dicitur, prope fluuium Anam in campo Hiſpaniæ propter victoriam habitam ludos inſtituit recolens Olympiadem, quam * Pelops auus eius maternus inſtituerat in Olympo, & eam prouinciam a luſu Liberi patris filii Iouis, & Ana flumine, Luſitaniam nominauit: eoque in Olympiade portentum Ioui Olympiaco fabricabant. Inde procedens ad Bæticam, in planicie quę Bæti flumine irrigatur, ciuitatem Hiſpalim erexit, nomen adaptans, eo quod prima habitacula palis ſuppoſitis, regimen ſuſceperunt, & in ea Spalos qui ſecum de prope Scythiam venerant accolas collocauit. Prouincia autem illa à ſitu & flumine nomen ſortitur. Hiſpani enim valles planicie commodas Vegas vocant. His tribus * regionibus præditus Geryon dicitur præfuiſſe. Procedenſq; per Carthaginenſem prouinciam occupans deuaſtauit, & Cacum qui in Carpetania & Celtiberia morabatur, bello contritum in fugam coegit. Hic dicitur Vulcani filius, cuius habitatio principalis in monte Carpetaniæ, qui adhuc hodie mons Caci dicitur, celebris habebatur, cui armentorum, & gregum, & venationũ copia famulabatur, & in * Sirreo iugo ſublimior inuenitur, cuius principium prope Lermam, Tyrrheno prope Socorbicam terminatur. Cacus autem bello inferior fugæ prodigus Lauiniam petiit, & in montem qui

tem qui nunc Auentinus dicitur, in ſpelunca ſaxea, & profundiſſima, tenebroſaque metu *Auentinum.* *coopertū.*
Herculis ſe recepit, cuius aditum grauis moles, catenis appenſa ferreis, protegebat, quam i-
pſe paterno artificio fabricauerat. Hic ſemiuir & ſemifer dicitur fabuloſe, eo quod imma-
nitate horribilis, & atrocitate terribilis adiacentium orarum homines * inopes cladib. in-
feſtabat, & tam hominum quam ferarum ſtrages innumeras exercebat, (quorū capita dira
ſuperbia deteſtandis poſtibus affigebat.) de * truncis vero miſerabilibus execrandam * in- *Struxeris.*
gluuies rabiem ſatiabat. Verum Hercules in radice montis Caci ex iis qui ſecum de Tyro *ingluuiem.*
& Auſonia venerant (de qua dicit Lucanus:

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis Auſoniis)

ciuitatem propter victoriam habitam auxit, & ex Tyriis & Auſoniis nomen indidit Ty- *cui.*
raſſonam. Indeque ad munitiones Celtiberiæ properans, coactos in deditionē recepit. Et *Tyriaſſo.* *Tyraſſona.*
quia bellis vrgebat, ciuitatem Vrgellum ædificauit eiſdem. Auſoniis etiam qui ſecum ve- *Auſonia.*
nerāt, Annues oppidū cū territorio ſubiugauit, eiſq; cōtradidit, quod Auſoniā nominauit, *Vrgellum.*
cuius ciuitas Vicus hodie nuncupatur ibique ex nouem nauibus ſui pediſſequis, cæteris *Annues.* *Vicus.*
ad Galleciam applicatis, * nona ad littus applicuit Celtiberiæ, vbi ciuitatem ædificauit *nonam.*
ex nona Barcha Barchinonam appellauit, tractuſque Græcorum deliciis ad ſtationem na-
uium in freto Britannico remeauit, & obtenta Hiſpania, immo verius deſolata, quæ à ſui *Barchino.*
principio quam primo Cetubales habitarunt, ſatis proſpera fœlicitate gaudebat, infœlices
populos quos longa quies inermes fecerat, & ignauos Græcorum iugo qui naturaliter ſub- *ſubiugati Hiſpan.*
ditis ſunt infeſti, gladius Herculis ſubiugauit, dimiſſoque eis Hiſpano quodam nobili, qui *Hiſpanum.*
ſecum ab adoleſcentia fuerat conuerſatus, ab eius nomine Heſperiam Hiſpaniam nomi-
nauit: ipſe autem aſcenſis nauibus in Italiam eſt profectus.

De morte Caci, & vaſtatione Ilii, & morte Herculis.

CAPVT VI.

CVMQVE ad loca vbi nunc Romæ gloria principatur, Hercules perueniſſet, & heros
Tirynthius vnus ex magnis heroibus cum armentis Geryonis à finibus Hiſpaniarum
edomitis remearet, & * montis Auentini vallibus ſe cum Iberis armentis ſecus ripam * Ti- *& in* *Turrenū.*
beris fluminis receptaret, & armenta nobilia per amœna paſcua ſub famoſi Tiberis margi-
nibus laſciuirent, Vulcanides inſuſpecta tranquilli ſoporis gratitudine fruebatur: ſed ne
quicquam ſceleris intentatum ſuæ nequitiæ remaneret, quatuor prælectos tauros cum
totidem paris formæ coniugibus ex armentis fallaciter abſentauit, & vt falleret veſtigan-
tem * per caudam traxit, retrogrado in ſpeluncam. Aurora vero * poſtera rubeſcente claui- *pede per caudā.* *poſtea.*
ger cum armentis cæpit iter carpere conſuetum, & pecudes in receſſu deuexas valles mœ-
ſtis mugitibus impleuerunt, ad quarum voces altiſonas vna boum remugiit in ſpelunca,
& ex inſperato furta ſacrilegi reuelauit. Tunc Hercules furibundus collis Auentini ambi-
tum anhelis curſibus ter luſtrauit, fruſtra ſublatas pecudes inueſtigans, cum potius receſſū
quam acceſſum veſtigia teſtarentur. Demum vero cernens ſemiferum in ſpeluncæ aditu
reſidentem, aerii culmen montis curſu celeri impetiuit, trinodem clauam dextera reli-
brante. At proles Vulcania tunc timore trepidans inſueto, curſu refugit * cōcito in ſpelun-
cam, aditu accurate mole ſaxea iam obſtructo. Ad quem cum Hercules nullo modo poſſet *Conditur.*
aditum reperire, ſicut erat prævalidus, cornu rupis duris impulſibus lacerauit, & aditu ad
ſpeluncam virtute valida præparato, cœpit Hercules Vulcanidem nunc telorum imbribus
nunc ſaxorum impugnare grandinibus. Sed ſemifer impar viribus ad eum Herculé pro-
pinquante, fruſtra artium paternarum auxilium inuocauit, ignes fumificos inceſſanter o-
re Stygio euomendo, quibus innatas ſpeluncæ tenebras condenſabat. At orbis domitor
expers metus, contempto diſcrimine tetri rogi, caliginoſis ignibus ſaltu præcipiti ſe iniecit
& ſemiferum trepidantem arreptum gutture ſuffocauit, & vaſtatis partibus Italiæ ac ſub-
iectis, in Græciam transfretauit, reſumptoque exercitu vaſtauit Ilium, & Antæum pale-
ſtræ inuentorem, cum non poſſet in terra eleuatum, in aere interfecit. Poſtea Olympiades
diu neglectas ob memoriam * Pelopis reſtaurauit: & tandem dolore colei vexatus pyre ar- *Pelopiſ.*
denti coactus impie ſe ingeſſit, & qui multos extinxerat ſe extinxit: licet fabuloſe dicatur *Colo vexatus.*
à Deianira data camiſia concrematus, quæ tamen dedit ignorans. Nam quidam maleficus
Deianiræ ſuaſit, quod Hercules aliam præferebat, ſed ſi hanc camiſiam indueret, captus
amore maneret. Maleficus autem venenum incentiuū camiſiæ miſcuit, qua indutus Her-
cules viuus arderet: vnde Ouidius,

Incendit demum Deianira virum.

Interiit anno vitæ ſuæ LII. Per idem tempus Alexander Helenam rapuit, bellumque Tro-
ianum decennale ſurrexit.

De operibus Regis Hiſpanis. CAPVT VII.

HISPAN autem vir induſtrius, ſtrenuus, & de heroum maioribus, quem Hercules præfecerat genti miſeræ Hiſpanorum diſſipatam Hiſpaniam reparauit, & opera fortiſſima prudenter extruit, quarum aliqua adhuc extant, turres in Pharo Gallecíæ, & in Gadibus, quas & * moderna tempora admirantur. Ciuitatē iuxta iugum Dorii ædificauit in loco ſubiecto promontorio quod Cobia dicitur, & quia ſecus Cobiam ſita, Secobia nuncupatur, vbi aquæductum conſtruxit qui miro opere ciuitati aquarum iniectionibus famulatur: & in multis aliis locis inueniuntur opera ab operibus noſtri temporis aliena, quæ tanto amplius admiramur, quanto ab antiquiori tempore adhuc extant. Græcorum ergo ſeruitute Hiſpania remanſit oppreſſa vſque ad tempora Romanorum: medio tempore regno diuiſo plurium præda diripientium vaſtationem non potuit fugere, * quia leonū faucibus cogebatur inferri.

hodierna.

qua.

De origine & primis actibus Gotthorum. CAPVT VIII.

IGITVR quia magnorum petitio me coegit Gotthorum originem & acta deſcribere, prout ex diuerſis hiſtoriographorum ſcripturis recolligere potui, vſque ad mea tempora contexui & deſcripſi. Verum cum diuerſæ ſint opiniones de Gotthorum origine, Claudius Ptolemæus orbis terræ deſcriptor egregius refert, in Oceani ſolo eſſe magnam inſulā nomine Scandiam, quam Pomponius Mela dicit eſſe poſitam in Codano Oceani maris ſinu, lateribus pandis per longum ducta ſeſe concludens. Et habet ab Oriente * Viſtulā fluuium, qui à Sarmaticis montibus ortus, in conſpectu Scandiæ triſulcus illabitur Oceano Septentrionali, & diuidit Scythiam & Germaniam, & habet ab Oriente vaſtiſſimum lacū, de quo egreditur fluuius dictus Vagi, quaſi eius vtero generatus, & tranſiens per partes auſtrales vndoſus voluitur in Oceanum. Ab Occidente immenſo pelago circumdatur: A Septentrione innauigabili Oceano eſt cōcluſa. Et licet in Scādia inſula multę & diuerſæ maneant nationes, ſeptem tantū nomina eorū meminit Claudius Ptolemæus, ſcilicet Gotthi, Veſegotthi, Oſtrogotthi, Dani, Rugi, Arothi, Thanii, quibus poſtea * Rodulphus Rex fuit, qui audita virtute Regis Theodorici, contempto proprio regno eius militiæ ſeſe dedit. In cuius Scandiæ quadam parte tanta eſt frigiditas, quod apes * nuſquam reperiuntur, & circa ſolſtitium æſtiuale XL. diebus & noctibus continue lux habetur, & in ſolſtitio hyemali eodem dierum & noctium numero nox continua tenebreſcit. Sunt & ibi aliæ gentes, * qui velut Turingi eximiis vtūtur equis, & pelles ſapphirinas cum aliis gentibus commercantur, & decora nigredine pellium, cum viuant inopes, ditiſſime veſtiuntur: Oſtrogotthi item & Dani, qui ex ipſorum ſtirpe progreſſi Herulos propriis ſedibus expulere. Hæ itaque gentes corpore & animo grandiores pugnabant ſæuitia beluina. Ex hac ergo * Scandia inſula quaſi gentium officina, & nationum vagina, Gotthi cū Rege ſuo nomine * Verio quōdam memorantur egreſſi, & quam cito terram exeuntes à nauibus attigerunt, dedere illico nomen loco Gotthiſcandiam nominantes, & locus ille hodie Gotthiſcandia appellatur. Et inde venientes ad ſedes Vlmerrugorum qui tunc in ripis Oceani habitabant, cōmiſſo prælio eos a propriis ſedibus * pepulere, eorumq; vicinos Vandalos ſubiugantes ſuis victoriis applicarunt, & diuerſos Reges ex ſuo genere habuerunt.

Vetus Codex Regis Inſulam, ſed perperam, Scanzia.

Rodulphus.

numquam.

qua.

Scanthea.

Verum.

expulerunt. V.C.

De opinionibus originis gentis Gotthorum, & commendatione eorum. CAPVT IX.

POST mortem Terie, regnauit in eis Gadaric, qui fuit magnificus triumphator, & multos in Scythia, & Gepidia quæ nunc Dacia dicitur, populos ſubiugauit, Poſt hunc filius eius Philemer: & videns Philemer Rugorum terram vbertatis penuria laborare, dedit conſilium, vt ab illis ſedibus tranſmigrarent. Et cum diu ſedes altiſſimas & congrua loca perquirerēt, ad vlteriores Scythię terras venit, vbi regionis vbertatē & votiua gaudia admiratus, decreuit vt in propriis reſidere. Et cum terrā requireret vt explorās, & pontem in vaſto flumine reperiſſet, & regionē vltra placidā, pſpexiſſet, decreuit regionis intima peragrare: & parte exercitus iam tranſmiſſa, pontis ſtructura corruit tranſeuntium pedibus conquaſſata, nec trāſmiſſis licuit remeare, nec aliis tranſuadere. Is enim locus (vt fertur) paludibus tremulus concluditur voragine circumiecta, qui vtraq; confuſione imperuius inuenitur: verum tamen adhuc hodie & voces armentorum audiri, & indicia hominū deprehendi, quamuis a longe commeantium relatio proteſtetur. Pars vero Gotthorum quæ apud Philemer citra remāſerat, optatū potita ſolū ad gētē Spalorū aduenit, vt cōſerto

prælio

prælio victoriam ſunt adepti: exinde vt victores ad extremam partem Scythiæ quæ adiacet Ponto mari, cum triumpho venerunt, & Scythiam ſuis victoriis ſubiecere. Et quia ibi diutius reſederunt, & regimen tenuere, Scythæ vt indigenæ ſunt vocati. Et licet Gotthi ad gentes alias ſæpius diuertiſſent, rectores ſuos in Scythia dimittebant, penes quos gentis tuitio conſiſtebat. Hæc quæ diximus de gentis Gotthorum principio, Abauius deſcriptor gẽtis Gotthorum egregius veriſſima hiſtoria atteſtatur: in quam ſententiam multi de maioribus conſenſerunt. Ioſephus quoq; annalium relator veriſſimus, qui veritatis regulam & cauſarum origines retraxit fideliter, & Iſidorus Gotthicæ gentis indigena, & chronicorũ diſſertor optimus, hæc quæ diximus de Gotthorum principio cur omiſerint, ignoramus. Sed tantum ab hoc loco eorum proſapiam memorantes, Ioſephus Scythas, Iſidorus Getas aſſerunt appellatos. Sed cum de eorum antiqua origine opiniones variæ habeantur, plus occultat varietas, quam declarat. Ioſephus dicit de Magog filio Iaphet Scythas * & Maſſagetas proceſſiſſe. Vnde quidam nituntur ea quæ Ezechiel propheta contra Gog & Magog ſpiritualiter prophetauit, Gotthorum actibus adaptare. Iſidorus doctor nullius ſciẽtiæ expers eos Getarum ſiue Scytharum docet ex genere proceſſiſſe, & e litera mutata in o Gethæ dicuntur Gothi. De quibus Poeta:

Regnum tempore ſcythicum indigenæ ſunt vocati.

Exſtat hoc Chronicon Iſidori vide lib. 11. cap. 7. & c. 22. fuit quod ita eſt dictũ quo &

Mortem contemnunt laudato vulnere Getæ.

Sed Ioſephus & Iſidorus, quia ortum eorum à Scandia omiſere, Scythas & Getas ab incolatu patriæ, non ab origine appellarunt. Hi Septentrionalia iuga tentantes, Scythica regna montibus ardua poſſederunt: & pars illa adhuc hodie Gotthia appellatur. Interpretatio autem nominis eorum eſt lingua noſtra fortitudo, & re vera nullius enim gentis ſtrenuitas ita regnis & imperiis ſe obiecit. In primo enim egreſſu à Scandia gentem ſtolidam Vlmerrugorum & Vandalorum à ſuis ſedibus eiecerunt, iuga Scythica ſubiecere. * Vexorem Regem Ægypti prælio fugauere, Aſiam ſubiugarunt, & eorum aliqui inibi remanſere, ex quibus Parthi, vt dicitur, proceſſere. Horum fœminæ relictæ à viris armis in præliis claruere, & partem Aſiæ ſubiecere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Piſidiam, Ioniã, & Æoliam domuere. Telephus Rex Gotthorum vicit Danaos, interemit Therſandrum, inſecutus fuit Vlyſſem. Cyrus famoſus à Tomyri fuit occiſus. Darius filius Hyſtaſpis, & filius eius Xerxes ab Anciro Rege Gotthorum inferiores in prælio ſunt inuenti. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. cum Pompeius pro arripiendo reipublicæ principatu contra Iulium Cæſarem arma mouit, & iſti cæteris fortius dimicarunt. Thraciam irruere, Italiam vaſtauere, Romam ceperunt, Veronam ædificarunt nomẽ imponentes, quaſi vt Roma, in odium Romanorum, & Gallias ſunt aggreſſi, Hiſpanias ſunt adepti, ibiq; apud Toletum ſedem vitæ & imperium locauere. Hi poſtquam Scandiam reliquerunt, in tabernaculis & tentoriis habitarunt, terras vberes ſeminabant, nuſquam munitiones vel domicilia fabricabant: & licet terras, & ciuitates, & oppida ſubiugarunt, ſemper bellis & vaſtationibus inſiſtebant contenti dominio populorum, prædis diuites & tributis. A ſui principio ferocitati dediti belluinæ, vix humanæ rationis debitum attendebant. At poſtquam mores aliarum gentium videre & vrbes, humaniores effecti benignitatem & manſuetudinem induere, adeo quod & philoſophos habuerunt, ad quorum ſapientiam humili ſtudio peruenerunt. Diu propriis ducibus ſe rexerunt, & poſtea regale faſtigium aſciuere, quod & ſacerdotio ornauere. Hos omnes Europæ populi tremuerunt. Alpium obices his ceſſerunt. Poſt exterminium Scythiæ gens Vandalica à Pannonia non tam eorum præſentia fuit trita, quam opinione fugata. Eorum impetu Alani ſunt extincti. Sueui inter confractuoſos Hiſpaniarum angulos eorum armis periculum finis ſunt experti, & regno quod deſidioſe tenuerant, turpiori diſpendio caruere. Libertatem ſemper bello quam pace potius ſeruauere. In bellandi neceſſitate vires precibus prætulere, & in armis ſpectabiles, haſtis & iaculis, arcubus & ſagittis, enſibus atque clauis, equeſtri & pedeſtri prælio confligebant: cura tamen equorum charior illis fuit: teſſis & iaculis pro recreatione præludere affectabant. Ludorum certamina vſu gerebant in armorum experientia. Solo naualis belli exercitio caruerunt vſque ad tempora Siſebuti, ſub quo ad tantam gloriam peruenerunt, vt victoriarum inſignibus non ſolum terras, ſed & ipſa maria ſubſulcarint. * Fuere autem magnanimi, & audaces, & naturaliter ingenio faciles, & ſubtiles, in propoſito prouidi, & conſtantes, geſtu & habitu approbandi, viribus * pollentes, ſtatura ardui & proceri, * diri vulneris, manu prompti, corpore validi, membris apti, diſpoſitione compoſiti, & coloris albi.

Veloſum. V. C. l. c. 11. Vexores.

[illegible] naturaliter ingenio [illegible] faciles. Præpollentes. [illegible]

De ſitu Scythiæ, & de Gotthorum exercitus regimine. CAP. X.

Daſſan. SCYTHIA ſiquidem Germanæ terræ confinis, ab occidente vbi Iſter * amnis oritur, ſe dilatatur, habens ab oriente Seres, in ſui principio Caſpii maris littus, ab occidente Germanos & flumē Viſtula: à meridie Ponto & extremo alueo Danubii terminatur. In * principio Scythiæ ſunt montes Riphæi, qui Aſiam diuidunt & Europā, ex quibus oritur Tanais fluuius, qui in palude Mæotica finem facit. In Scythia autem prima gens ab oriēte ſunt Gepidæ, ad Aquilonem Myſia, ab Aſtrico magnus Danubius, ab occidente Venetiarum natio populoſa, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutētur, principaliter tamen Sclaui nominantur. Gotthi ergo deſcenſis alpibus quibus inhabitabāt, deſtructa Græcia, Macedonia, Ponto, & Aſia, & Illyricum annis fere xv. tenuerunt, & poſt iuxta Mæotidē (quæ fuit eis prima ſedes Scythiæ) commorantes, Philimer Regem habuiſſe noſcuntur. In ſecunda, id eſt Daciæ & Myſiæ, Zeutam eruditum philoſophum habuerūt, poſt hunc Diceneum, poſt hunc Zamolxem, quem miræ philoſophię & eruditionis hiſtoriographi proteſtantur. Nec defuerunt eis qui eos in ſapientia erudirent, vnde & Gotthi ſapientiores pene omnibus barbaris extitere, Græcis pene conſimiles, vt refert Dion, qui eorum hiſtorias compoſuit Græco ſtylo, & generoſos dicit inter eos Pileatos vocari, ex quibus reges & ſacerdotes ordinabantur, & adeo laudatos in bello probauit, vt Mars quem poetę deum belli pronunciant, ex eis dicatur ortus fuiſſe. Vnde Vergilius:

In principio & medio. *Solo V.C.* *Iuſt. c.29.*

Gradiuumq; patrem Geticis qui præſidet aruis.

Vnde Gotthi Martem ſemper cultura aſperrima placauere, opinantes bellorum præſulem captorum ſanguine complacandum. Tertia vero ſede ſuper Ponticum conſederunt, iam humaniores & prudentiores effecti, & diuiſi per familias caſtra figebant. Arcus ex neruis magno ſtudio compingebant. Vnde Lucanus:

Armeniosq; arcus Geticis intendite neruis.

Habuere & carmina, & modulationes, & inſtrumenta muſica, & pſallentes.

Athanauſe.

*De * Tanai, & ortu Parthorum.* CAP. XI.

Veleſus 2. Scytha. Vexores. Tanaus. Tanauſum. Veſoſum a.

SCYTHIS quos Amazonū viros priſca tradit authoritas, * Vexores Rex Ægypti bellum intulit, in quo à Gotthorum exercitu victus fuit, quib. præerat Rex Tanais, & niſi Nilus & munitiones quas propter incurſus Æthiopū Vexores fecerat, obſtitiſſent, eum cum patria extinxiſſet. Cumq; eum ibi poſitum lædere non valeret, reuertens fere totā Aſiam ſubiugauit, & Formi Regi Medorum tunc ſibi charo ad perſoluēdum tributum ſubditam eſſe fecit, ex cuius exercitu nonnulli victores prouincias ſubditas contuentes in omni fertilitate pollere, deſerto ſuorum agmine in Aſiæ partibus reſederunt. Ex * quorum genere dicit Pompeius Trogus Parthorum proſapiam deſcendiſſe. Vnde & lingua Scythica Parthi, id eſt fugaces, ſiue exules dicuntur, ſuoq; generi reſpondentes inter omnes pene Aſiæ nationes, ſoli ſunt ſagittarii & acerrimi bellatores. De nomine vero Parthorum aliqui etymologiam traxerunt, vt dicerentur Parthi, quaſi parentum fugaces, quia à parentibus receſſerūt.

Iornandes libro de rebus Getic. : Vnde hic multa excerpſit.

De fœminis Gotthorum, quæ poſtea dictæ ſunt Amazones. CAP. XII.

Tanauſum. Thanauſum.

HVNC ergo * Tanaim poſt mortem ſui inter numina poſuere, poſt cuius deceſſum exercitus eius collocatis ibi fœminis ad gentes alias diuerterunt, quibus diutius immorantibus mulieres coactæ ad incurſus hoſtium arma ſumpſere, ex quibus aliquæ rediere ad viros, aliæ remanſere. Illæ autem quæ remanſere, in prædam à vicinis gentibus tentabātur, ſed doctæ armis fortiter reſtitere, hoſteſq; ſuper ſe venientes cum magna verecundia abegerunt. Eodem tempore fuere apud eos qui in Scythia remanſere, duo iuuenes elegantes, ex regali progenie procreati, alter Plinius, alter Scolpythus vocabatur, qui egreſſi de terra ſua cum multitudine iuuenum, habitauerūt iuxta fluuium qui dicitur * Thermodoon. Incolæ autem eius terræ eos & ſuos bellis & factionib. occiderunt. Mulieres vero eorum de virorum interitu condolentes, paucos qui euaſerant occidēre, vt omnes viduæ pari fletu virorum ſanguinem vindicarent, nec ex inde maritalia gaudia admiſerunt, ſed tantum pugnis & prælus inſtiterunt. Cum quibus autem pacem habebant, concubitui ſe tradebant, & partus tempore maſculos enecabant, & fœminas reſeruabant, & dextras mamillas abſcindere decreuere, vt armis & ſagittandi officio expeditius vterentur. Virgines

Termedontem. V.C. Termeiontum.

autem

autem earum, ſpretis officiis mulierum, armis & venationibus inſiſtebant, quæ audientes alias fœminas ſui generis à Gotthis relictas prælis exerceri, in earum coloniam tranſierũt: quæ omnes ſimul fretæ maiori audacia ſe ad inuicem cohortantes, quia ſine principatu incertius ferebantur, duas prudentiores & audaciores, Lampedo videlicet & Marpeſiam elegere, eaſque principatui præfecere. Quæ dum curam rerum gererent, & propria defendentes aliena vaſtarent, ſorte Lampedo cepit fines patrios contuendos: Marpeſia vero fœminarum agmine ſumpto nouum genus exercitus attentauit, & in Aſiam proficiſcens diuerſas gentes bello contriuit, alias pace concilians ad Caucaſum remeauit, ibique certum tempus demorans locum ſaxum Marpeſiæ appellauit. Vnde & Vergilius:

Ac ſi dura ſilex, [aut ſtet] Marpeſia cautes. Tales. V. C.

Hic ergo multum temporis Amazones confortatæ, inde egreſſæ Tale fluuium tranſiere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Piſidiam, * omniaq; loca fœlici exercitu domuere, & reuerſæ Ioniam Æoliamq; deditas ſibi prouincias effecere. Vbi diutius dominantes, ciuitates caſtraq; ſuo nomine dicauere. Epheſi quoq; templum Dianæ miræ pulchritudinis ob ſagittandi ac venandi ſtudium, quibus ſe artibus dedicarunt, effuſis opibus condidere. Tali ergo caſu ex Scythia genitæ fœminæ potitæ * victoria, per cẽtum fere annos regna Aſiæ tenuere, & ſic demum ad proprias ſocias in cautes Marpeſias quas ſuperius diximus, ad montem Caucaſum repedarunt. Quæ videntes proles ſuas rareſcere, à vicinis gentibus cõcubitum petiere, ita vt facta nundina in anno ſemel maſculis miſceantur, & eadem die futuro tempore reuertentes concubitui ſe concedunt, patribus maſculos, ſibi fœminas reſeruantes, & armorum vſui deputantes. Dum vero hæ fœminæ partes Aſiæ deuaſtarent, Perſarum exercitus ſuperuenit, qui cum fœminis bellum aggreſſi, XL. millia fœminarum cum Marpeſia occidere. Poſt Marpeſiam Sinope filia eius materno principatui ſubrogatur: poſt hanc regnauit Orithyia, quæ aduerſus Menelaum & Herculem mouit bellum, & plus dolo quam pugna Orithyia victa ab Hercule fuit capta, & de exercitu fœminarum fere centum millia mucre gladii cecidere. Hercules autem reſtituit Orithyiam ſorori ſuæ Antiopæ, quæ cum Orithyia corregnabat. Poſtea Orithyia miſit ad Scythiam, vt Scytæ auxilium ſibi deſtinarent, quo contra magnum Herculem prælium repararet. Arpedo autem regnabat illo tempore apud Scythas, qui recolens Amazones ex Scytharum ſeu Gotthorum genere ꝓceſſiſſe, dolens tam inſignes fœminas deperiſſe, miſit filium ſuum in auxilium Amazonum cum magna multitudine bellatorum, à quorum facie * veritus Hercules in Græciam ſe recepit. Poſt Orithyiam ſuſcepit regnum Pentheſilea, quæ audiens Græcos in Troiæ exterminium aduenisse, ſuccurſui ſe contulit Troianorum cum LXX. millibus armatarum, & ibi ſtrenue multa geſſit. Tandem ibidem cum multis ex ſuis ab Achille dicitur interfecta. Poſt Pentheſileam * Thaleſtris ſuſcepit regnum Amazonum. Hæc * acta pace cum Alexandro, qui & Paris, Græcos deſiit infeſtare. Erant autem Amazones varia veſte compoſitæ, capillis à fronte tonſis, à ceruice demiſſis, mamillis dextris abſciſſis, ſiniſtras ſtrictura tunicæ coarctabãt. Et erant eo tempore pluſquam ducenta millia armatarum. Et hæ Gotthorum fœminæ vſq; ad Iulium Cæſarem regnum egregie tenuerunt. ex inde vſq; ad hæc tempora regnum tenent in terra quæ vulgariter dicitur Fœminea.

Margin notes: omnemque Aſiæ loca. — Victoriam. — Victus. — Thaleſtris. Talyſtridis. V. C. ſedata.

De actibus Gotthorum, & Amazonum, & de Telepho, & de Eurypylo Gotthorum Regibus, & Regina Tomyri.

CAP. XIII.

SED quia de viris Gotthorum ſermo aſſumptus fuerat, & quanta fuerit gentis illius gloria, de fœminis fecimus mentionem, quarum fortitudine hoc probatur. Oroſius dicit, Gotthos Regem nomine Thelephum poſt multa tempora habuiſſe. De quo Iuuenalis, V. C.

— Impune dum conſumpſerit ingens
Telephus.

Is ergo Telephus Herculis filius, ſorori Priami fuit coniugio copulatus, procerus corpore, ſed terribilior in vigore, qui paternam fortitudinem propriis viribus æquans, genas & formam in ſimilitudine præferebat. Huius regnum Myſiam appellauere maiores. Cum itaque Hercules tempore Gedeonis fuiſſe dicatur, & ante Telephũ filium Herculis plures Reges habuerit gẽs Gotthorum, ſcilicet Varic, & Gadaric, & Philemer, & Zamolxẽ, & * Tanaim, & diu poſt Telephũ filiũ Herculis, & Hercules * fuerit tẽpore Gedeonis qui iudicauit populum Iſrael centeſimo octogeſimo quinto anno, & ita videtur quod multis annis ante tẽpora Gedeonis Gotthi a Scandia ſunt egreſſi. Is ergo prædictus Telephus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Therſandrum ducem Græciæ interemit, & dum Aiacem

Margin notes: Tanauſium. — Fuit.

infeſtus inuadit, Vlyſſemq; proſequitur, ictibus equo cadente, ipſe corruit, Achillisq; iaculo femore ſauciatus diu mederi nequiuit: Græcos tamẽ quãuis ſaucius ex ſuis finib. ꝓpulſarũt. Telepho vero defuncto, Eurypylus ſucceſſit in regno ex Priami Regis germana ꝓgenitus, qui cũ ob Caſſandræ amorẽ bello intereſſet Troiano, parentib. ſocero q; ferre auxiliũ cupiens, mox veniens eſt extinctus. Poſt longa vero tempora Cyrus ille famoſus Rex Perſarum cum * Tomyris Regina Getarum ſiue Maſſagetarum ſibi exitiabile bellum inferret, transmiſſo Araxe fluuio mortis & regni pœnas ſubiuit, cuius caput abſciſſum Tomyris in vtrem humano ſanguine plenum miſit, dicens: Satiare ſanguine quem ſitiſti. Tunc Regina Tomyris adepta victoriam tantamq; prædam, in partem Myſiæ quæ nunc Amazonia dicitur, victrix abſceſſit, & mutato nomine minorem Scythiam appellauit, & ciuitatem Tamer è ſuo nomine ædificauit, & adhuc hodie ſucceſtrices * earum fœminæ agentes militiam, ſtrenuæ habentur in opere militari, & terra earum adhuc hodie dicitur vulgariter Fœminea.

V.C. toto capite Atamiru legit Athamarum. V.C. Iuſtino libr. 1. & alias Tamyris, Græcis vt Herodoto τόμυρις. Vel minores ſucceſſores.

De victoriis Gotthorum contra Perſas & Græcos.

CAP. XIIII.

POST hæc Darius filius * Hyſtaſpis Rex Perſarum, Anchiri Regis Gotthorum filiam in matrimonio poſtulauit, rogans, pariter & deterrens, niſi ſuam perageret voluntatẽ. Cuius affinitatem Gotthi ſpernentes legationem & petitionem pariter fruſtrauere, qui quia repulſus, & dolore ſtimulatus, contra ipſos egit exercitum ſeptingentorum millium armatorum, nauibuſq; pene à Chalcedonia vſq; ad Byzantium inſtar pontium tabulatis duobus menſibus fatigatus octo millia perdidit armatorum. Timens autem ne põtem eius aduerſarii occuparent, celeri fuga in Thraciam repedauit, nec Myſiæ ſolum credidit eſſe tutum. Poſt cuius deceſſum Xerxes filius eius paternas iniurias vlciſci deſiderans, de ſuis ſeptingẽta millia, de auxiliantibus vero * trecenta millia habuit armatorum. Naues roſtratas mille ducentas, quæ ad nauale bellum roſtris ferreis armabantur, onerarias autem [ad] tria millia legitur habuiſſe. Et contra Gotthos profectus bellum non fuit auſus tentare, ſed eorum animoſitate & conſtantia ſuperatus abſq; certamine confuſus receſſit. Philippus quoq; pater Magni Alexandri cum Gotthis amicitias fœderans Olympiada Neptolemi regis Moloſſorum filiam accepit vxorem, vt tali affinitate roboratus Macedonum regna firmaret. Qua tempeſtate Philippus inopiam pecuniæ paſſus * Odiſſicanam * Mœſiæ ciuitatem quæ propter viciniam Tomyri Reginæ Gotthidi erat ſubiecta, vaſtare curauit. Sed ſacerdotes Gotthorum qui Pileati vocantur patefactis portis cum citharis & veſtibus candidis obuiã * egreſſi, patriis diis, vt ſibi propitii Macedones repellerent, voce ſupplici modulãtes: quos Macedones ſibi fiducialiter occurrere contuentes (ſi fas eſt dicere) ab inermibus terrentur armati, & ſoluta acie quam ad bellandum, non ad vrbis excidium * conſtruxerunt, inito fœdere ad * propria ſunt reuerſi. Quem dolum cum poſt longum tempus cognouiſſet Sitalcus egregius doctor & ductor Gotthorum, CL. millia pugnantium congregauit, & Athenienſibus bellum intulit, in eis Perdicca tunc regnante, quem Alexander apud Babyloniã miniſtri inſidiis potans interitum, porrecto anulo in Athenienſium principatu reliquerat ſucceſſorem: magnoque prælio in hoc inito Gotthi inuenti ſunt pro victoria ſuperiores, & pro iniuria quam in * Mœſia Græci fecerant, Gotthi in Græcia diſcurrentes cunctam Macedoniam vaſtauere.

Hyſtaſpis. V.C.
Chalcedon.
Byzantium.
Quatuor Centa forte quadringenta.
Odiſſicana.
Meſia V.C. Athamari.
Codex ſcriptus Meſia, ſed legendum Myſia egreſſi ſunt.
Conſtruxerat.
Patriam.
Athenienſes.
Babylon cum Myſia.

De ſapientibus Gothorum & conſiliariis eorundem. CAP. XV.

DEINDE regnauit in Gotthis * Boruiſta, & venit ad eum in Gotthiam Dicineus, quo tempore Sylla in Romanis habuit principatum, & Dicinei conſilio Germanorum terras * quas Franci detinent, occuparũt, & dedit ei Boruiſta fere regiam poteſtatem. Gotthorum regnum Cæſar qui pene totum mundum ſuo ſubiecit imperio, crebro pertentans non potuit ſubiugare, neq; Caius Tiberius Imperator tertius Romanorum, licet ſæpius attentarit. Gotthi autem hoc commodum, hoc ſalubre, hoc votiuum, hoc agendum in agendis & in iudiciis iudicabant, quod Dicineus eorum conſiliarius approbabat. Ipſe autem mores eorum barbaricos immutauit, ipſe fere omnem Philoſophiam, Phyſicam, Theoricã, Practicam, Logicam, diſpoſitiones XII. ſignorum, Planetarum curſus, augmentum Lunæ & decrementum, Solis circuitum, Aſtrologiam, & Aſtronomiam, & naturales ſcientias Gotthos docuit, & ex belluina ferocitate homines & philoſophos inſtaurauit. Hæc & alia Dicineus Gotthis peritia ſua tradens mirabiliter enituit apud illos, & non ſolum mediocribus, immo & Regibus imperauit. Elegit præterea nobiliores & prudentiores, fecitq; ſacerdotes, quos

Boruiſta.
Quas nunc.

quos ad Theologiam inſtituens vocauit ſpeciali nomine Pileatos, & * Tiaris capita palliabant, arbitror ſic vocatos. Decedēte vero Dicineo pene pari veneratione Eumoſicum habuere, quia nec impar in ſolertia habebatur. Etenim Rex & pontifex ob ſui peritiam illis fuit, & in ſumma iuſtitia populos iudicabat. Et hoc rebus humanis exempto, ſuccedit in regno poſt multa tempora Dorpaneus.

T ſup. cap. 10. Thyaris V. C. ſucceſſit.

Iterum de bellis Gothorum, & Oſtrogotha, & Gniua Regibus eorum.

Cap. XVI.

Anno XII. ante æram conditam vſque ad æram CXXV. in qua regnauit Domitianus, & fiunt anni CXXXVII. ſcriptum non reperi, & ideo hic omiſi. Demum autem Domitiano imperante æra CXXV. Gothi eius auaritiam metuentes, fœdus quod cum aliis principibus pepigerant * diſſoluentes, ripam Danubii diu poſſeſſam à Romano imperio deletis militibus cum eorum ducibus vaſtauere. Caput * Oppii Sabini qui inibi Romanis præerat abſcindentes, caſtella & ciuitates & oppida Romanis ſubdita deuaſtarunt. qua neceſſitate Domitianus cum omni virtute ſua Illyricum properauit pene Republica iam exhauſta, & Fuſco eis prælato cum electiſſimis viris amnem Danubii confertis nauibus inſtar pontis tranſire coegit contra exercitum * Dorpinæi. Tum * Gotthi inſignes reperti arma * capeſſunt, primoque conflictu Romanos deuincunt, Fuſcoque duce imprimis extincto caſtra militum diuitiis ſpoliant Romanorum, magnaque potiti gloria per loca proceres ſuos pro gloria & fortuna Semideos vocauerunt. Hi autem licet communiter dicerentur Gotthi, illi autem qui in Scythia commorantes in Orientali plaga manebant, * Oſtrogotthi, qui in Occidentali, * Veſegotthi ſpecialiter vocabantur. Et gens iſta mirum in modum in ea parte Scythiæ qua manebat, in Ponti littore, tanta terrarum ſpacia, tot ſinus maris, tot concurſus fluminum tenens enituit, vt * Vandalus & * Margomanus * Squadrorum princeps eorum eſſent * ſubditi. Faſtida rex Gepidarum ab Oſtrogottha Rege Gotthorum, aut bellum ſibi parari, aut terræ ſpacium legatione præmiſſa petiit derelinqui. Tunc Oſtrogottha vt erat animi ſolidi, reſpondit relatis, Bellum tale ſe abhorrere, durumq; fore & omnino ſceleſtum confligere cum propinquis, loco vero non cedere * fore dignum. * Gepidæ autem in bella irruunt, & inclinata parte Gepidarum, Rex eorum pudendis opprobriis ad patriam fugit bello coactus. Victores Gotthi diſceſſione * contenta in ſua patria toto tempore fœliciter remanſerunt. Poſt deceſſum Oſtrogotthæ Gniua ad * regimen ſublimatur, qui exercitum diuidens in duas partes, vnam partem ad vaſtandam * Mœſiam dirigit quæ negligentibus principibus fuerat deſtituta; ipſe vero * Philippopolin ire feſtinat, & diu obſeſſam inuadit, prædaque potitus Priſcum ducem qui inerat, fœderauit, quaſi cum imperatore Decio pugnaturus, qui Decius cœpit regnare æra CCLXVII. Ad conflictum igitur venientes, illico Decii filium ſagitta crudeli vulnere ſauciauit. Quod pater aduertens ad confortandos animos fertur dixiſſe, Perditione vnius militis nihil eſt Reipublicæ diminutum: affectu tamen paterno compatiens hoſtem inuadit, aut mortem, aut vltionem filii expoſcendo, diſpoſitoq; prælio finem conſequitur vitæ, Imperii, vltionis.

Æra 125. Gothi diſſoluerunt. Danubium. abſciderunt. V. C. Opis ſeu p. Romanis. Dorpanei. Gothi. capeſſiunt. Oſtrogothi. Veſegothi. Vandalus. Margomannus. Squadrorum. Scanderum vel Scandiorum. Subditi ſerui-enti. Gepidæ. ferunt. contentum. regnum. Myſia. Philippopolis. Æra 267.

De Gallo, & Voluſiano, & Claudio Imperatoribus, & pugnis eorum cum Gotthis.

Cap. XVII.

Defuncto autem Decio, Gallus, & Voluſianus filius eius regnum adepti ſunt Romanorum, & regnauere annis duobus, æra CCLXX. Gallo autem in fata cedente Gallienus per ſe arripuit principatum æra CCLXXI. tempore cuius Gotthorum exercitus cum multis nauibus per * Helleſpontum in Aſiam tranſierunt, vbi multas eius prouinciæ ciuitates, & opulentiſſimum * templum Dianæ quod ſuperius diximus Amazones condidiſſe, extractis diuitiis ſuccendere, & ſpoliatam Chalcedoniam ſubuertere, quam poſtea Cornelius habitus reparauit. Quæ etſi vrbis regiæ dignitatem obtineat, antiquæ pugnæ poſteris ſigna præfert. Hac ergo fœlicitate, victoriis, ſpoliis, prædaque ditati tranſeuntes per Helleſpontum in ſuo itinere Troiam & Ilium vaſtauere, & quæ erant à bello Agamemnonis vix aliquantulum reparatæ, hoſtili gladio iterum feriuntur. Poſt tale excidium iterum Aſia eorum experta eſt feritatem. Nam * Anchialon ciuitatem aggreſſi, quam mari vicinam Sardanapalus Rex Aſſyriorum dicitur conſtruxiſſe, ibi multis feruntur manſiſſe diebus aquarum calidarum recreatione iucundi. Erat * autem ad infirmorum efficaciſſime ſanitatem.

Æra 270. Æra 271. Gothi. Helleſpontus. Templum Dianæ. Chalcedon. Troia. Ilium. Anchialos a. enim

Exindead propria repedarunt. Cumque regiones Romanis ſubditas deuaſtarent, Claudius Imperator qui cœpit regnare æra CCLXXXVI. occurrit, & victos coegit ad primas *Æra 286.* ſedes Scythiæ remeare. Romani autem Claudium Auguſtum, pro eo quod tam fortiſſimam gentem à finibus Reipublicæ remouiſſet, inſigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio auream ſtatuam collocarunt.

De Conſtantino Imperatore, & Geberic & Hermanarico Gotthorum Regibus, & eorum bellis.

CAPVT XVIII.

DEMVM cum auxilia plurima Diocletiano & Maximiano Romanorum principibus *Æra 326.* præbuiſſent, ſuccedente Conſtantino Cæſare Magno, qui cœpit regnare æra CCCXXVI. aliquandiu ſunt neglecti, eo quod Cæſar Magnus ſuccedentibus ſibi proſperis cōtra Parthos & Perſas in ſuperbiam tumuiſſet. Et cum Diocletianus Achillem in Alexandria *Quingentitanos Gothi. Sarmata.* ſuperaſſet, & Maximianus Herculeos & * Quingentinos in Africa attriuiſſet, cœperunt Romani Gotthorum auxilia dedignari. Tunc Gotthi Sarmatarum regionem aggreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos agminibus irruere, & vehementi virtute cuncta deprædatione & gladio vaſtauere. Aduerſus quos Conſtantinus aciem inſtaurauit, ingentique certamine Danubium compulit pertranſire, de diuerſis gentibus virtutis gloria clarus, ſed de Gotthorum victoria amplius glorioſus, quem Romani acclamante ſenatu laude ſunt publica proſecuti, quod tantam gentem vicerit, quod patriam Reipublicæ reformarit. Gotthi autem ad iuga propria reuertentes ibidem aliquandiu habitarunt, *Victi à virtutibus non ceſſabant.* ſed quia licet * vitia virtutibus non cedebant, iterum contra Romanos rebellia attentarunt, & ſub Ariaco & Aurico qui tunc temporis Gotthis præerant, Pannoniam & Italiam deuaſtantes Liguriam inuaſerunt, & commoditate regionis illecti ſtuduerunt famoſiſſimam Romanæ vrbis æmulam in ſuo nomine condere ciuitatem, quæ ab aliquibus creditur fuiſſe Verona, quæ (vt alibi diximus) quaſi væ Roma eſt appellata. *Verona. Sup. cap. 9. Liguria. Sicambria. populata.* Aliqui dicunt fuiſſe Sicambriam, quæ fuit iuxta paludem Mæotidem * ædificata. Poſt Ariacum & Auricum Geberic ſuccedit in regnum anno Conſtantini XXVII. æra CCCLIII. *Æra 353. Huymar.* Nam hic cum eſſet nobiliſſimus genere, gloriam generis ſui auorum magnalibus voluit adæquare, & primitias regni in gente Vandalica cupiens oſtentare contra Huimar Regem eorum bella tentauit, victumque coegit à patria exulare. Huimar autem & Vandali expulſi à ſedibus ab Conſtantino principe Pannoniam petierunt, ibique fere per ſexaginta annos locatis ſedibus Imperatorum decretis velut incolæ paruere, & poſt longum tempus à Stilicone magiſtro Romanæ militiæ, conſule & patricio inuitati Gallias occuparunt. Vbi finitimos deprædantes impedientibus Gotthis non potuere ad primas ſedes in Pannoniam remeare. Nam Geberico rebus humanis exēpto, Hermanaricus regimen ſuſcepit in Gotthis anno Conſtantini Imperatoris ſecundo, *Æra 357. Concilia haerent ſup. hac pag. niſi illic de ætate, hic de regno loquatur. Heruli.* æra CCCLVII. Hic multas & bellicoſiſſimas gentes perdomuit, ſuiſq; legibus parere * coegit, quem merito nonnulli Alexandro maximo compararunt. Siquidem cum gentes domitas haberet ſubiectas, & apud omnes earum ſubiectione clarus floreret, non eſt contentus, niſi gente Herulorum quibus præerat Alaricus, fere trucidata, reſiduum ſuæ ſubiiceret ditioni. Nam gens prædicta quamuis multos ſua velocitate ſubigeret, Gotthorū tamen ſubiacuit ſtabilitati, vt & ipſa inter gentes reliquas Hermanarico, ſeruiret. Poſt Herulorum cædem Hermanaricus in Venetos arma mouit, *Venetiani.* qui quamuis deſpecti, præ numeroſitate tamen primo reſiſtere conabantur, & licet ab vna ſtirpe exorti Venetiani & Sclauiani dicantur, hos omnes Hermanaricus ſubegit, & vt propriis laboribus imperauit.

Hugnis & inf.

De Hunnis, & morte Hermanarici.*

CAPVT XIX.

HERMANARICVS autem Rex Gotthorum qui (vt ſuperius retulimus) multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere ſaucius ægram vitam imbecillitate contraxit, & nunc Alamber Rex Hunnorū in Oſtrogothos, *Alamber. Oſtrogothi. CX. Hunni.* qui iam à Gotthis ſeiuncti manebāt, inſiluit & proſtrauit. Hermanaricus autē dolore vulneris & Hunnorum potius, vitæ ſuæ anno * CX. eſt defunctus. Cuius mors Hunnis occaſionem præbuit præualēdi, ipſiq; Gotthi qui remanſerant, extinctis pene Oſtrogotthis Veſegotthis ad Valentem Imperatorem nuncios tranſmiſerunt, vt partes Thraciæ & * Mœſiæ eis traderet ad manēdum. *Mœſia.* qui annuit,

annuit, & petitas terras contulit excolendas, & Danubium tranſmeantes Daciæ & Thraciæ largitione principis inſederunt.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ, LIBER SECVNDVS.

*De ſchiſmate in Athanaricum & * Fridigernum, & hæreſi Ariana.* Fridigernum.

CAP. I.

PRIMVS Gotthorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit Athanaricus æra CCCLXXXI. & regnauit annis XIII. qui perſecutione crudeliſſima aduerſus * fidem commota, contra Gotthos qui in gente ſua Chriſtiano nomine cenſebantur, cædes * cœpit. Ex quibus plurimos qui nolebant idolis immolare, fecit martyres, reliquos autem multis perſecutionibus afflictos dum interficere præ multitudine abhorreret, dedit licentiam in Romanorum prouinciam tráſmigrare. Æra CCCLXXXIX. Gotthi in Iſtrum aduerſus ſemetipſos in Athanarico & Fridigerno diuiſi alternis ſe cædibus deuaſtarunt: ſed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris auxilio ſuperauit, & ei cœpit potentia præminere. Verumtamen Fridigernus quaſi ſubregulus habebatur. Tãdem vero ne gentis Gotthicæ gloria ſcinderetur, * Fridigernus cum iis qui in Oriente Oſtrogotthi dicebantur, & Athanaricus cum Veſegotthis in Occidente tabernacula metabantur. Tunc * Gudila Epiſcopus eos legem docuit Chriſtianam, & ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti linguam tranſtulit in eandem. Et Gothi qui hactenus idololatriæ ſuperſtitioni dediti gentilibus ſacrificiis ſe vouebant, iam nunc fide ſuſcepta eccleſias conſtruxerunt, & ſacerdotes euangelicos habuere, ſpecialeſq; literas quas eis cum lege Gudila eorum Epiſcopus tradiderat, habuerũt, quæ in antiquis * Hiſpanorum & Galliarum libris adhuc hodie ſuperextant, & eſt litera quæ dicitur Toletana. Huius rei gratia legatos cum muneribus ad Valentem Imperatorem miſerunt, & doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ fidei regulam poſtularunt. Valens autem à veritate catholica deuius, & Arianæ hæreſis peruerſitate detentus, vt audiuit Gotthos fidem catholicam ſuſcepiſſe, applauſit eiſdem, & miſſis hæreticis ſacerdotibus Gotthos perſuaſione nefanda ſui erroris dogmati aggregauit, in tam præclaram gentem virus peſtiferum transfundendo: ſicq; errorem quem recens credulitas bibit, tenuit, diuq; ſeruauit vſq; ad tertiam ſynodum Toletanam quę fuit ſub Recharedo principe celebrata. Gotthi autem ſtatim vt Valentis literas ſuſcepere, & ſibi dogmatis ſui eccleſias conſtruxere, & talia iuxta eundem Arium de ipſa diuinitate documenta ſumpſere, vt crederent Filium Patris maieſtate eſſe minorem, & æternitate poſteriorem, Spiritum autem ſanctum nec * dominum eſſe, nec ex ſubſtantia Patris exiſtere, ſed per Filium creatum eſſe, vtriuſque miniſterio deditum, & amborum obſequio ſubditum: aliam quoque Patris ſicut perſonam, ſic & naturam aſſerentes, aliam Filii, aliam denique Spiritus ſancti, vt non iam ſecundum ſanctæ ſcripturæ traditionem vnus Deus & vnus Dominus coleretur, ſed iuxta idololatriæ ſuperſtitionem tres Deos & Dominos faterẽtur. Cuius blaſphemiæ malum per deceſſum temporum Regumq; ſucceſſum annis pluribus tenuere: qui tandem ſalutis ſuæ reminiſcentes, & inolitam perfidiam deteſtantes ad vnitatem catholicæ fidei redierunt æra CCCXC.

Æra 381. fideles cœpit. Æra 389. Fridigernus. Gudila. Hiſpaniarum. Deum. Æra 390.

De fame Gothorum, & morte Valentis Imperatoris.

CAP. II.

GOTTHI qui primum Chriſtianos à ſedibus ſuis expulerunt, rurſus ab * Hunnis & ipſi cum Athanarico & * Fridigerno ſuis Regibus ſunt expulſi. tranſito Danubio, cũ vim ferre non poſſent, Valentis Imperatoris imperio armis depoſitis ſe dederunt. Sed vbi viderunt ſe opprimi à Romanis, contra conſuetudinem libertatis rebellia tractauerunt.

Vgni V. C. Hunni. Fridigernus ſemper.

imminente. *ceperunt exercitui.* *defectis.*

Verum famis periculo * eminente Fridigernus & Athanaricus qui vice Regum illis præerant, * exercitus inopiæ condolere, & immundorum animalium morticina eis dare, ita vt mancipium pro vno pane, aut decem libris carnium mercaretur. Mancipiis autem & ſupellectili iam * diſtractis, filios eorum auarus mercator poſcebat, parentes autem ſaluti pignoru n prouidentes elegere ingenuitatem potius perire quam vitam, dum qui venditur, vitæ ſeruetur. Contigit illo tempore, vt dictator Romanorum Fridigernum Gotthorum Regulum dolo ad conuiuium inuitaret. Sed cum Fridigernus doli neſcius cum paucis conuiuio aduen iſſet, ſuorum in prætorio occiſorum vox ſuſpectis auribus * intonuit, & voce ſuorum non * ignota illico velocitate egreditur Fridigernus, ſuoſq; ſocios eripiens ab interitu imminente ad Romanorum necem inſtigat. Qui nacti votiuam occaſionem elegerunt bello magis quam fame deficere, & Lupicinum & Maximinum duces gladio occidere: & illa d es Gotthis famem, Romanis ſecuritatem ademit, cœperuntq; Gotthi iam non vt aduenæ & peregrini, ſed vt ciues & domini poſſeſſoribus imperare, totaſque * Septentrionales vſque ad Danubium ſub iure tenere. quod comperiens in Antiochia Valens Imperator, mox armato exercitu in partes Thraciarum egreditur, vbi lachrymabili bello commiſſo vincentibus Gotthis in quodam * prælio iuxta Hadrianopolin ſaucius ipſe fugit ignorantibuſque quod Imperator in tam vili caſella deliteſceret, Gotthis ignem, vt * aſſolent, apponentibus, cum regali pompa crematur: & merito ipſe ab eis temporali crematur incendio, qui tam pulchras animas æternis ignibus tradiderat concremandas. Inuenere autem Gotthi illo prælio confeſſores priores ex Gotthis, quos dudum propter fidem à ſuis finibus expulere, & voluere eos participes fieri prædæ ſuæ, qui cum acquieſcere noluiſſent, fuere ex eis aliqui interfecti, alii montuoſa loca tenentes ſibi refugia conſtruxere, & non ſolum perſeueratione Chriſtiani catholici, ſed * & in concordia Romanorum à quibus dudum excepti fuerant, permanſere. Eo tempore Veſegotthi Thraciam Daciamque Ripenſem poſt tanti trophæi gloriam, tanquam ſolum genitale potiti colere inceperunt.

intonavit. *ignorata.* *Septentrionales portas.* *quoddam prædium.* *Adrianopolin.* *aſſolet.* *etiam*

De quibuſdam vaſtationibus, & pace Romanorum, & morte Athanarici & Fridigerni.

CAP. III.

Æra 391. *Theſſalia.* *Epirus.* *Achaia.* *Alathei.* *Pannonia.* *Conſtantinopolis.*

GRATIANVS autem qui cœpit regnare æra CCCXCI. & regnauit annis VI. poſt obitum Valentis patrui ſui, Theodoſium qui agnominabatur Hiſpanus, filium Theodoſii Comitis electum præfecit imperio Orientis anno regni ſui quinto, & fratrem paruum Valentinianum Romano imperio ſubrogauit. Qui Valentinianus regnauit cum Theodoſio annis VIII. Cum autem eſſet Theodoſius acris ingenii, conſilio & virtute præclarus, præceptorum ſeueritatem ſic liberalitate & blanditia temperauit, vt remiſſum exercitum ad fortia prouocaret. At vero milites principe meliore comperto impetendi Gotthos fiduciam acceperunt, eoſque Thraciæ finibus pepulere. Sed cum Theodoſius pene vſque ad deſperationem ægrotaſſet, Fridigernus cum Gotthis diuiſo exercitu Theſſaliam, Epirum, Achaiam, & Alatheos cum reſiduis copiis deprædatus. Pannoniæ ſuperuenit. Quod cum Gratianus Imperator qui à Roma in Gallias ſeceſſerat, comperiſſet, mox ad eos collecto exercitu venit, & eorum exercitum cui præerat Fridigernus, primo aduentu proſtrauit. Sed cum qui euaſerant ad Athanarici exercitum confugiſſent, & mox Athanaricus deliberauit collegæ ſanguinem vindicare. Sed Gratianus occurrens venit ad eos, non tam armis quam gratia & muneribus complanandos, pacemque firmat victualia concedendo. Quod audiens Theodoſius poſtquam conualuit, gratum tulit, & in hanc pacem ipſe conſenſit, Athanaricumque Regem qui Fridigerno ſucceſſerat, ſibi benignis moribus & muneribus ſociauit, & Conſtantinopolim accedere inuitauit, qui acquieſcens cum Theodoſio vrbem Regiam eſt ingreſſus, miranſq; vrbis ſitum, ſtationemq; nauium, populoſq; diuerſarum gentium, quaſi in vno fonte è diuerſis mundi partibus ſcaturire, En, inquit, cerno, quod incredulus audiebam. In tali ergo admiratione maioriq; à principe ſuffultus honore, obiit paucis menſibus interiectis, quem princeps affectionis gratia plene plus mortuum quam viuum honorans dignæ tradidit ſepulturæ.

V.C. Radagayſo ſed in ſequentibus Radagayſus. *Æra 414.* *V.C. 394 fortaſſe minus bene.*

De ſtrage Radagaſi & Stiliconis, & vaſtatione Italiæ.

CAP. IIII.

DEFVNCTO igitur Athanarico æra CCCCXIIII. attendentes Gotthi Theodoſii benignitatem Romano Imperio ſe dedere, fuereque ſine Rege XXVIII. annis. Et exinde

dicti

dicti ſunt Fœderati, quos Theodoſius contra Eugenium tyrannum qui occiſo Gratiano Gallias occuparat, pluſquam viginti millia armatorum, fideles & amicos intelligens ſecum duxit, victoriaque de prædicto tyranno potitus vltionem exegit. Sub Theodoſio Alani Vandali, & Sueui Hiſpanias ſunt aggreſſi: Alani Carthaginem & Luſitaniam ſortiuntur: pars Vandalorum qui Silingui dicebantur, Bęticæ reſederunt: reliqui Vandali cum Sueuis Galleciam ſunt adepti. Poſtquam vero Theodoſius qui cœpit regnare cum Gratiano æra CCCXCII. & regnauit cum eo annis quinque, & Valentinianus regnauit Romæ annis ſeptem, & Theodoſius in Oriente poſt mortem Valentiniani iunioris regnauit monarcha annis decem, & fiunt in vniuerſo anni XVII. Hic pacis & Gotthorum gentis amator fuit, & rebus exceſſit humanis æra CCCCXII. & ſucceſſere ei Arcadius & Honorius filii eius, & regnauere annis XXV. qui luxurioſe viuentes Gotthis conſueta donaria ſubtraxerunt. Mox Gotthis increuit faſtidium, verentibus ne longa pace eorum ſtrenuitas ſolueretur, & iudicarunt indignum ſe Romanorum ſubditos poteſtati, eoſque ſequi quorum leges & imperium contempſere, & quos in prælio ſæpius deuicerunt. Sed dum Regem eligere procurarent anno XI. Arcadii & Honorii, æra CCCCXXIII. in * Radagaſo & Alarico diuiſi ſe variis cædibus lacerarunt. Tandem in concordiam veniunt ob excidium Romanorum, & pari intentione vniforme conſilium inierunt, vt ambo pariter corregnarent, Alaricus tamen * potior haberetur, & ad deprædandas Italiæ regiones ad inuicem diuiduntur. Sed * Radagaſus genere Scytha cultui idololatriæ deditus, Barbaricæ inhumanitatis feritate ſæuiſſimus, cum ducentorum armatorum millibus Italiæ partes vaſtatione aggreditur vehementi, ſpondens in contemptum Chriſti diis ſuis Romanorum ſanguinem * immolaturum. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuoſis locis * Thuſciæ circunclusus, fame eſt potius, quam ferro conſumptus, ipſe poſtremum Rex captus & interfectus. Quo extincto conſors regni * alacrius cœpit regnare ſolus, nomine quidem Chriſtianus, ſed hæreticus profeſſione. Qui dolens tantam multitudinem Gotthorum extinctam, habito ſuorum conſilio, ad Honorium miſit legationem, vt ſi permitteret, Gotthi pacati in Italiam reſiderent: ſin autem aliter, bello foret agendum. Sed Honorius vtramque pollicitationem formidans, inito conſilio cum ſenatu, vt eos à finibus Italiæ pellerent, prouincias longe poſitas, ſcilicet Gallias & Hiſpanias quas pene perdiderant, conceſſerunt. Gotthi autem acceptant donationem ſacro oraculo confirmatam, & ad patriam ſibi traditam proceſſerunt. Poſt quorum diſceſſum nihil mali in Italia perpetrato, Gotthis nihil à Romanis ſuſpicantibus, Stilico patritius, & ſocer Honorii, qui fuerat natus de genere Vandalorum, gente perfida & doloſa, in Alpibus Gotthos inuadere procurauit. Sed Gotthi recollectis animis, vt ſolebant, & recolentes tantam multitudinem cum Radagaſo extinctam, omnem pene exercitum Stiliconis vſque ad internecionem furibundo animo proſtrauerunt, & in Liguriam quam tranſierant, rediere, eamque prædis & ſpoliis deuaſtantes Æmiliam pariter vaſtauere, & Tuſciam diſcurrerunt.

Alani. Vandali. Sueui. Silingi. Æra 392. Æra 412. Æra 423. Radagayſo. potentior. Radagayſus. libaturum. Thuſciæ. Alaricus. Gallia. Hiſpania. Vandali. Æmilia.

De deſtructione vrbis, & morte Alarici.

CAP. V.

ET * ne victrix cædium expers remaneret, Alaricus cum ſuis in vindictam ſanguinis * Radagaſi aduerſus Romam prælium inceperunt, obſeſſamque magnæ * cladis impetu irruperunt. Sicque vrbs cunctarum gentium victrix Gotthicis triumphis victa ſubcubuit & captiua. Gotthi autem tantæ fuerunt clementiæ, quod omnibus indulſerunt qui ad ſanctorum limina confugerunt, nec quemquam à ſanctuariis extraxerunt. Ingreſſi vrbem omnibus pepercerunt, ſed iis quos extra loca martyrum inuenerunt, Chriſti & ſanctorum nomina inuocantibus, ſimili miſericordia indulſerunt, in reliquis autem etſi prędа hoſtibus patuit, feriendi licentiam pietas refrenauit. Incurſantibus vero Gotthis in illa vaſtitate per vrbem, dum quidam potens virginem conſecratam ætate prouectam in tranſitu reperiſſet, eam modeſte admonuit, vt ſi quid apud ſe auri argentique haberet, voluntarie exhiberet: illa fideli conſcientia quod habuit, reuelauit. Cumque ille vaſorum formam & pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: Hæc vaſa mihi de ſacrario beati Petri Apoſtoli ſunt commiſſa. præſume, ſi audes. ego ſacram hoſtiam non audeo tibi dare. Gotthus ille ad nomen Apoſtoli magno pauore perterritus, hoc Regi per nuncium nunciauit, qui Rex confeſtim reportari omnia ad ſacrarium ſancti Petri per virginem illam ſumma cum reuerentia iuſſit, dicens: Cum Romanis ſe bellum gerere, non cum Apoſtolis Ieſu Chriſti. Redit igitur virgo reuerentiſſimis officiis hono-

Et ne victrix cædium expers cædis. Radagayſi. Hoc & Aug. in pri. de Ciuitate Dei teſtatur. Mira Gotthi cuiuſdam reuerentia erga virginem, & pietas erga Deum. Alarici bellum religioſum.

Roma capta ab Alarico Gothorum Rege. con vrbis ſuæ, V.C. Et ſic. M.C.IX. Brutiam. etiam ad Siciliā. Campania. Brutia. Lucania. Sicilia Conſentia.

rata redeunt & cum illa omnes qui ei ſe ſociauerunt, ſuper capita ſua vaſa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Concurrerunt vndique ad voces canentium de latibulis agmina Chriſtiana. Concurrerunt & Pagani Chriſtianis admixti, & dum ſeruos Chriſti ſe eſſe fingerent, calamitatis excidium euaſerunt. Capta eſt itaque Roma ab Alarico anno * M. CLXIIII. * ditioni ſuæ. Et beatus Innocentius Papa primus refert, qui tunc temporis apud Rauennam poſitus, vt peccatoris populi non videret excidium: Illa irruptio non hoſtis fortitudine ſed Dei iudicio acta fuit. Hac tempeſtate Gotthi Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, Arcadii & Honorii Imperatorum ſororem, cum ingenti auri argentique theſauro Romæ capiunt, adeptiſque multis opibus Romanorum, tertia die euerſa vrbe partibus & incenſa, inclyti & ſpoliis & victoria receſſerunt. Deinde per Campaniam,* Brutiam, Lucaniamque ſimili ſtrage bacchantes, Rhegium peruenere. Inde conſcenſis nauibus cum * Siciliam exiguo ab Italia freto diuiſam tranſire diſponunt, infeſto mari periclitati, multum exercitum perdidere, quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis obtentu, vt nihil mali ſe paſſos arbitrarentur euentum naufragii victoria compenſantes. Poſt paucos autem dies apud Conſentiam quam ipſe deſtruxerat, Alaricus morte ſubita eſt defunctus XXVII. regni anno, æra CCCCL. quem ſui nimia dilectione lugentes, Barſento amne à ſuo aluco deriuato, in medio amne collecto captiuorum agmine locum effodiunt ſepulturæ, in cuius foueæ gremio Alaricus cum multis copiis ſepelitur, & loco obtecto rurſus amnem proprio curſui reddidere, & vt neſciretur ab aliquo, omnes foſſores captiuos qui interfuerant, extinxerunt.

Æra 450 Barſentum.

De victoriis Athaulphi & morte eius. CAP. VI.

Æra 449.

ALARICO ſepulto, ad regni faſtigium Athaulphum conſanguineum eius, forma menteque conſimilem ſublimarunt æra CCCCXLIX, & regnauit annis ſex, qui etſi non adeo proceræ ſtaturæ, pulchritudine tamen corporis erat in oculis intuentium gratioſus. Hic ſuſcepto regno rediens Romam, ſi quid remanſerat totum abraſit more conſumentium locuſtarum, nec tantum priuatis diuitiis, immo publicis Italiam ſpoliauit, * imperante Honorio reſiſtere non valente. Cuius ſororem Placidiam quam Gotthi Romæ ceperant, tum propter nobilitatem, tum propter pulchritudinem in foro Iulii, ciuitate Æmiliæ, ſibi matrimonio copulauit. Et Honorio rebus exhauſto iam quaſi cognato deferens reliquit Italiam, & ad Gallias ſe conuertit. quod cum audiſſent Burgundiones & Franci qui prius Gallias infeſtabant, cœperunt ſe ſuis finibus coarctare. Vandali, Alani, & Sueui quos Gotthi fugauerant à Pannonia, qui & in Galliis ſe receperant, relatione maiorum didicerant qualiter Geberic Rex Gotthorum incommodis & cædibus eos in Pannonia coarctarat, & à Gotthis coacti ad partes confugerant Galliarum. Vnde audito eorum aduentu, ſe ad Hiſpanos tranſtulerunt. Cumque Athaulphus diu Gallias infeſtaſſet, ei vt principi paruere. Confirmato itaque Gotthorum regno, Athaulphus audiens inſolentias barbarorum, cœpit condolere miſeriis Hiſpanorum, & occurrere incurſibus Vandalorum. Dum autem relictis Galliis Hiſpanias peteret, à quodam ſuorum apud Barcinonam fuit inter familiares fabulas iugulatus æra CCCCLV. Huius Athaulphi & Placidiæ matrimonio conantur quidam adaptare prophetiam Danielis: Filiam Regis Auſtri aſſumet Rex Aquilonis, nec ſtabit ex eis germen: & vocant Regem Auſtri Theodoſium, & Regem Aquilonis Athaulphum, nec ſtetit ex eis germen, quia prolem non habuerunt. Sed aliter exponitur in Daniele de Regibus Syriæ & Ægypti, nec reſpectu loci vbi prophetauit, regnum Romanum verſus Auſtrum conſiſtit. Interea Stilico Comes de quo diximus, cogitauit Honorium pellere * de Imperio Romanorum, & ſuum filium Eucherium ſubrogare. Sed Honorius ſtratum bello cum Eucherio filio interfecit.

Imperatore 2. rectam.

Hiſpaniæ.

Athaulphus (Vt hinc colligetur) primus Gothorum Rex Hiſpanorum obtinuit regnū. Æra 455.

ab.

De Sigerico, & Valia, & victoriis in Hiſpania. CAP. VII.

POST obitum Athaulphi princeps Gotthis eligitur Sigericus æra CCCCLV. & regnauit anno vno. Erat autem Sigericus Romanorum clade in vrbe notiſſimus, ſtatura mediocris, profundo animo, ſermone rarus, contemptor luxuriæ ira turbidus habendi cupidus, ad ſolicitandas gentes prudentiſſimus, contentionum ſemina iacere, odia miſcere paratus, claudicans equi caſu. Hic cum plures haberet filios, ſperans regnum filiis prouēturum

turum, ne inteſtino bello, ſicut in reliquis gentibus aſſolet prouenire, populus vexaretur cœpit ad pacem intendere Romanorum. Ordo in filiis iſte fuit: primus * Giſericus pater & dominus: ſequens Hunericus: tertius Guntemandus: quartus Traſamundus: quintus Hildericus. Cum igitur Sigericus proponeret Gotthos ob cauſam filiorum pace diutina detinere, & Romanorum beneplacitis conniuere, Gotthi quorum belli quam pacis potior cauſa fuit, contra ipſum continuo conſpirarunt, & eum factione impia peremere. Æra CCCCLVI. Valia Sigerico in regno ſuccedens regnum tenuit tribus annis belli cauſa princeps à Gotthis effectus, ſed ad pacem diuina prouidentia ordinatus (mox enim vt regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit) Placidiam ſororem eius olim captam ei reſtituit honoratam, promittens Imperatori ſe propter rempublicam * adiutorem. Itaque ad Hiſpanias per Conſtantium * patricium euocatus, Romani nominis cauſa barbaris intulit magnas cædes, Vandalos Silinguos in Bætica bello proſtrauit, Alanos qui dominabantur Vandalis & Sueuis, adeo * cæcidit, vt extincto Athace ipſorum Rege, pauci qui ſuperfuere ex Alanis, obliti regni nomine, Gunderico Regi Vandalorum qui in Gallecia reſidebat, ſeſe darent, & dum cum Valia confligere tentauiſſent, non potuerunt eius potentiam ſuſtinere. Deuictus itaque cum Vandalis Gundericus fugam in Aphricam meditatur, & dum à bello Hiſpaniæ vellet in Aphricam transfretare, in freto Gaditani maris vi grauiſſimæ tempeſtatis effractus, memor illius ſub Alarico naufragii, omiſſo nauigationis periculo, relictis Hiſpaniis fugam in Gallias procurauit. Proſtratis igitur Vandalis, Alanis, & Sueuis, potitus victoria ab Hiſpaniis glorioſus Valia reuertitur in Toloſam, Romano imperio fugatis hoſtibus aliquantas prouincias, ſecundum quod promiſerat, derelinquens. Et data eſt ſibi ab Imperatore ob meritum victoriæ ſecunda Aquitania cum prouinciis & ciuitatibus aliquantis. Poſt hæc apud Toloſam longa valetudine deprimente exceſſit à rebus humanis, qui fœlix fuerat, licet parum.

Genſericus. Æra 456. principem. cæſit.

De Theudoredo, & caſu Hugnorum.

CAPVT VIII.

VALIA Rege defuncto Theudoredus ſuccedit in regno æra CCCCLIX. & regnauit annis XXXIII. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recuſat, plæraque municipia Romanorum ſuis cædibus occupauit, Aurelianum nobiliſſimum Galliæ oppidum obſeſſum multis viribus oppugnauit, a cuius obſidione * eminente virtute Etii Romanæ militiæ ducis non impunitus abſceſſit. Iuſſu igitur Valentiniani Imperatoris Etio remoto à militiæ principatu, cum Theuderedus Narbonem vrbem fame & obſidione diutina infeſtaſſet, rurſus a Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum geſſiſſet bella reipublicæ contra Gotthos, denuo dæmonum ſignis aruſpicumque reſponſis fallaciter circunuentus, bellum cum Gotthis iniit moriturus, amiſſoque Romano exercitu, miſerabiliter interiit ſuperatus: fecitque intelligi, quantum illa quæ cum eodem periit multitudo prodeſſe potuerit, ſi fide potius quam fallacibus dæmoniorum auſpiciis dimicaſſet. Extincto igitur Litorio & receptis epiſtolis Valentiniani, Theudoredus cum Romanis pace inita, denuo aduerſus * Hunnos Galliarum prouincias deuaſtantes, atque vrbes plurimas euertentes, in campis Catalaunicis contra Hunnos & Regem eorum Attilam bellum aſſumpſit. A parte Romanorum tanta Etii patricii cui innitebatur reſpublica, virtus enituit, vt in ea parte Hunnorum ferocitas ſopiretur auxiliantibus Francis, Burgundionibus, Saxonibus, Vrionibus qui quondam fuerant Romani milites, ſed tunc in auxilium requiſiti. * Sangibanus autem Rex Alanorum metu perterritus futurorum, Aurelianis ciuitatem Galliæ vbi ſiſtebat, pollicetur Attilæ ſe daturum. Sed vbi Theudoredus & Etius cognouere, ante aduentum Attilæ iniectis aggeribus occuparunt, & quia ſuſpectum, cuſtodiri faciunt Saguibanum, quem cum gente propria in die belli medium ſtatuere. Attila autem Rex Hunnorum tali diſcrimine conturbatus timuit experiri, & futura cœpit per aruſpices ſciſcitari, qui prænunciantes infauſta hoc ſolatii prædixere, quod ductor aduerſæ partis occumberet, & ſua morte triumphum ſedaret. Erat autē in campis illis locus ſuperexcreſcens, quem vterque cupiebat exercitus obtinere. Dexteram partem Hunni, ſiniſtram Gotthi & Romani cum ſuis auxiliis occuparunt. Inter quos dextrum cornu tenebat Theudoredus, ſiniſtrū Ethius cū Romanis, mediū Sāgubanus. Ex aduerſo autē acies Hūnorū ordinatæ in quorū medio cū ſuis Attila cōſiſtebat, vt hac ordinatione ab imminēti periculo ſeruaretur, excepto cornu Attilæ multiplices populi & nationes diuerſæ quas ſuæ ſubdiderat ditioni, ſuæ gentis,

Æra 459. V.C. Theudoredus ſemper legit. imminente. Hugnos V.C. ſemper. Sanguibanum tota cap. Sanguibanus. Ethius.

exercitum ambiebant. Attila autem ſolicitus ſuper omnes, ſuos erigit ad certamen. Sed Thuriſmundus Theudoredi filius, & Etius dux Romanus cruento Marte collis ſupercilium occuparunt. Arderico Rege Gepidarum qui ob nimiam fidelitatem conſiliis intererat & ſecretis, & Valamer Rege Oſtrogotthorum qui erat ſecreti tenax, doli ignarus, blandus alloquio, cum eſſent audacia ſtrenui, & eos Hunni ſæpius infeſtaſſent, ne dixerim ſubiecíſſent, adiuuantibus ſupra modum venientes Hunnos collis beneficio facile turbauerunt. Attila autem videns ſuos cauſa dicta turbatos, eos alloquitur, ne qui hactenus inuicti extiterant, nunc inferiores inuenirentur. Hæc & alia illo dicente, accenſi in pugnam præcipitantur, & præſentia Regis cunctationem * mentibus auferebat, bellum manibus aggrediuntur atrox, multiplex, immane, pertinax, cui ſimile antiquitas nulla narrat, in quo geſta talia referantur, vt nihil eſſet quod in vita ſua * conſpici potuiſſet egregius qui huius ſpectaculi non fuit contemplator. Tanta enim fuit cruoris effuſio, vt fluminis alueus, ſicut ſolet imbribus inundare, fluenta traheret mixta cruore. Tunc Theuderedus Rex Gotthorum dum adhortans ſuos diſcurreret per exercitum qui pugnabat, cuius telo *occidit, ignoratur, niſi quod equo deſiliens calcantium pedibus conculcatus vitam clauſit vltima ſenectutis. hoc fuit quod aruſpices Attilæ prædixerunt. Ibi etiam fuit occiſus cognatus Attilæ Laudericus. Tunc Gothi ſe ab Alanis diuidentes Hunnos fortiter inuaſerunt, & pene Attilam extinxerunt, niſi quod videns ſuorum interitum fugit ad caſtra, & in * ambitum quem ex plauſtris & ſcriniis ſibi firmauerant, ſe recepit. Thuriſmundus autem Theudoredi filius de colle quem cum Etio occupauerat, credens ſe nocte ad agmina propria remeare, ad carpenta hoſtium ignarus acceſſit, quem fortiter dimicantem quidam de equo deiecit capite vulneratum, ſed ſuorum prudentia liberatus à præliandi intentione ceſſauit. Etius etiam noctis confuſione diuiſus, cum inter hoſtes medius vagaretur, ſi quid aduerſi Gothis acciderat, intrepidus inquirebat, tandem ad caſtra veniens reliquum noctis ſcutorum defenſione tranſegit. Die autem poſtera clareſcente campos plenos cadaueribus aſpexerunt, & tamen Hunni erumpere non * audebant. Sciebant autem Gotthi Attilam non niſi magna clade percuſſum certamina deuiare, quamuis tamen armis reperet, tubis canebat minans incurſus, velut leo confoſſione venabuli prouocatus, qui ſpeluncæ aditus obambulando, nec audet inſurgere, nec ceſſat fremitibus vicina terrere. Sic Attila Rex bellicoſus licet incluſus ſuos turbabat. Fertur autem deſperatis rebus in ſupremo agmine de ſellis equinis pyram ſtruxiſſe, vt ſi irruerent aduerſarii, flammis ſe ingereret conſumendum, ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium dominus tantarum gentium deueniret. Verum Gothi de ignoto Regis interitu admirati, & quod in eius abſentia tanta * fuit fœlicitas ſubſecuta, doloribus ſtimulati exploratum diutius, & ploratum demum inter denſiſſima cadauera repererunt, & cantibus honoratum inimicis ſpectantibus abſtulere, & per globos diſſonis vocibus inter bella furentia funeris debitum exoluerunt, & ſubrogati filii gaudium funeſto funeri miſcuerunt. Thuriſmundus autem glorioſus pro bello, vt tanti patris decebat filium, peractis lachrymis orbitatis, virtutis impetu in Hunnos mortem patris voluit vindicare, & ſuper hoc Etium patricium, tanquam ſeniorem prudentia maturum, duxit in articulo conſulendum. Ille vero metuens ne eleuati victoria Gotthi conſurgerent in Romanos, conſuluit vt ad ſedes proprias remearet, & regni paterni initium roboraret, ne Germani eius procuratis copiis præuenirent. Quod conſilium non vt callide fuit actum, ſed vt fides ſyncera, vt vtile acceptauit. Sic enim humana fragilitas dum ſuſpicionibus carere conatur, agenda plærunque rerum occaſione relinquit. * Thuriſmundus ergo patre mortuo in campis Catalaunicis vbi pugnauerat, & victor extiterat, ad maieſtatem regiam ſubleuatur æra CCCCXCII. & regnauit anno vno, cum patre duobus, qui tamen patri annumerantur. Et licet fratrum & fortium turba gauderet, ipſe tamen ſic ſua initia temperauit, vt nullius reperiret de regni ſucceſſu certamen. In hoc itaque famoſiſſimo bello ab vtriſque partibus tercenta ferme millia cæſa feruntur, exceptis XV. millibus Francorum & Gepidarum, qui ante bellum mutuis vulneribus conciderunt. Multa ſigna cœli & terræ eodem tempore præceſſerunt, quorum prodigiis tanta belli crudelitas ſignabatur. Nam aſſiduis terræ motibus homines conturbati, à parte Orientis Luna fuſcata, a Solis occaſu apparuit ſtella Cometes, atque ingenti magnitudine * infauſta diu fulſit, ab aquilonis plaga cœlum rubuit ſicut ignis immixtis per ruborem igneum lineis clarioribus, quæ in ſpeciem haſtarum fulgentium rutilabant. Nec mirum ſi tantarum gentium tãta ſtrages tot portentis diuinitus monſtraretur. Attila igitur cognita diſceſſione Gotthorum, & tamen dolo metuens procuratam, diu ſe continuit intra caſtra. Thuriſmundus vero Toleſam à cãpis Catalaunicis eſt reuerſus. Euphronius autẽ Epiſcopus * Auguſtudini innumera occiſorum

mentibus V.C. 2.

conſpicere. Mss Theuderedi.

ceciderit.

ambitum.

valebant.

fuerit.

Æra 492. Turiſmundus V.C. toto capite legit abſque h. Turiſmundus Athila filius regnat.

infauſta pronunciant infulſit. al. pronunciant.

Auguſtuduni. V.C.

ſorum cadauera ſepeliuit. Igitur Attila Danubium tranſiens poſt bellum Catalaunicum contra Alanos mouit * bellum. Quod cum Thuriſmundus Rex Gotthorum non imparis gloriæ præſenſiſſet, in auxilium Alanorum exercitui Attilę mox aduenit, conſertoque prę lio ſicut in campis Catalaunicis, pauenda Romanis vexilla Attilæ effugauit, ipſumque Attilam fugientem coegit * oblitum olim trans Danubium repetere manſiones: & ille famoſus Attila victoriarum dominus bello gemino conſternatus inglorius effugatur. Thuriſmundus vero repulſis ab Alanis Hunnorum cateruis Toloſam rediit, & pace compoſita inter ſuos dum * inſolentius ſolito cœpiſſet agere, anno regni ſui ſecundo, cum de vena ſanguinem minuiſſet, fuit à ſuo cliente conſilio fratrum interfectus. Sed ante mortem vna manu paruo ganipulo quem tenebat, ſui ſanguinis vltor fuit, & de inſidiantibus aliquos interfecit.

guerram V. C. / vt conſ. ſupa. — *oblitas V. C.* — *Thuriſmundus dolo interfectus.* — *inſolentius.*

De Theudorico, & regulis Sueuorum.

CAP. IX.

THEVDORICVS germanus eius poſt necem fraternam æra CCCCXCIII. annis tredecim imperauit, & Rechiarium Sueuorum Regem cognatum ſuum reperit inimicum. Hic enim Rechiarius ex quo Theudoredi Regis filiam duxerat, de ſe præſumens vniuerſam pene Hiſpaniam ſibi credidit occupandam, habens ſedes Galleciam & Luſitaniam, è quibus egrediens Hiſpanias inuadebat, cui Theudoricus cognatus ſuus, vt erat modeſtus, per legatos pacifice demandauit, vt non ſolum recederet a finibus alienis, verum etiam nec præſumeret attentare. * Cumque ad eum Theudorici legatio aduenisset, tumido animo ſic reſpondit: *Si * hic murmuras* Toloſam venio vbi ſedes, & ſi poteris, ibi reſiſte. His auditis Theodoricus compacatis gentibus quibus arma mouerat, à Gallia Gotthica contra Rechiarium properauit. Cui cum Rechiarius cum magna copia occurriſſet, conſerto prælio iuxta fluuium Vrbicum inter Aſtoricam & Legionem, Theudoricus victor enituit. Cæſis Sueuorum agminibus aliquantis, & multis captis, plurimiſque fugatis, ipſe poſtremo Rex Rechiarius telo ſaucius cum paucis aufugit, carenſque præſidio Sueuorum nauem conſcendit, ſolius fugæ præſidio comitatus, aduerſaque procella Oceani Portugale proiicitur, ibique captus aduerſario redonatur priuatus regno, victoria, atque vita. Theodoricus vero victor exiſtens, ſubactis pepercit, eiſque præfecit clientem proprium nomine Aliulphum, qui Sueuorum perſuaſionibus incitatus præuaricari præſumpſit, credens ſe ęqua cum domino poteſtate prouinciam obtinere. erat quippe Auernorum ſtirpe genitus a nobilitate Gotthici ſanguinis alienus, Quo comperto Theudoricus contra eum exercitum deſtinauit, qui mox veniens eum in primo certamine ſuperauit, & ſuorum auxilio deſtitutus capite plectitur, ſenſitque iratum quem neſciuit ſeruare placatum. Tunc Sueui rectoris intuitum contuentes ſacerdotes ſuos ad Theudoricum ſupplices direxerunt, quos ob pontificalem reuerentiam grate ſuſcipiens non ſolum impunitatem Sueuis indulſit, ſed vt ſibi de ſuo genere principem eleuarent, flexus miſericordia condonauit. Occiſo Rechiario Theudoricus de Gallecia ad Luſitaniam pertranſiuit, & dum Emeritenſium vrbem intenderet deprædari, ſanctæ martyris * Eulaliæ miraculo territus cum ſuo exercitu mox diſceſſit, & cum parte exercitus duces dimiſit, qui ea quæ in Hiſpaniis acquiſierat, tuerentur, & partem vnam exercitus cum duce qui Ceurila dicebatur, ad Bæticam deſtinauit, partem aliam cum Sunerico & Nepotiano ducibus Galleciæ deputauit, qui Sueuos apud Lucum ſæuis cædibus vaſtauere: & ex tunc Gotthorum duces in Hiſpaniis præfuerunt. Exinde Theudoricus Sueuorum gente cum ſuis principibus ſubiugata in Galliam Gotthicam eſt reuerſus. Et tunc Agrippinus Comes vt Gotthorum auxilia mereretur, Narbonam tradidit Theudorico. Poſt cuius diſceſſum Sueui bifarie ſunt diuiſi. alii Maſdram Maſſilæ filium in principem * elegere, qui tantum duobus annis regnauit, alii * Frantam. Maſdra autem ſtatim mortuo, pars Maſdræ filium eius ſubſtituit * Remiſmundum; qui cum Franta illico pacem fecit: & ambo pariter fœderati partes Luſitaniæ deuaſtabant. Poſt biennium mortuo Franta, pars eius Frumarium ſibi præfecit, qui cum Remiſmundo ſuper regni præminentia litigaret, euertit * Flauiam vaſtationes in patria exercendo. Remiſmundus & Lucum, & Auriam, & maritima deuaſtabat. Sed poſt biennium Frumario decedente, Remiſmundus pace cum Gallecis iuncta, Sueuorum in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum ſibi in regulum præfecere, qui ad Luſitaniam tranſiens Coimbriam pace * detentam diripuit & exhauſit, Vlyſbonā etiam occupauit, Luſidio ciue & incola qui illic præerat, eam tradēte. Poſt aliquot

Æra 493. V. C. Theodoricus toto cap. — *adde ex V. C. hæc: Ipſe enim Rechiarius ratus eſt opportunum regnantis initia attemptare. Vrbicum Fl.* — *Sic hic murmurat? V. C.* — *S. Eulalia Emeritenſis.* — *Agrippinus Comes.* — *elegerunt.* — *Maſdra.* — *Frahta.* — *Remiſmedum.* — *Remiſmundus.* — *Flauiam Caſtrum euerſſit.* — *deceptam V. C.*

Salanus. dies Remiſmundus his ſucceſſibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gothorum nuncios deſtinauit,& pacem & amicitiam poſtulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit poſtulatis,& in ſignum veri amoris coniugem miſit ei per Sallanum quendam ex officio palatino cum adiectione munerum & armorum. Et recepta coniuge & muneribus cœpit amplius ſuperbire,& Sallanum donariis honeſtatum remiſit ad Theodoricum *Euricus.* cum epiſtolis ſuę laudis. qui cum ad Galliam rediiſſet, Theodoricum ab * Eurico fratre ſuo reperit interfectum.

De Eurico Rege. CAP. X.

fratri. Æra 506 EVRICVS pari ſcelere, quo & * frater, ſucceſſit in regno æra DVI.& regnauit annis XVII. In quo honore prouectus & crimine, partes Luſitaniæ impetu deuaſtauit, Pampilonam & Cæſarauguſtam miſſo exercitu in deditionem recepit, ſuperioremque Hiſpaniam *Tarraconenſem etiam.* ſuæ ſubdidit poteſtati,* Tarraconem & prouinciæ nobilitatem quæ ei repugnauerat, irruptione exercitus peragrauit. In Gallias autem reuerſus percupida feſtinatione ſucceſſus audiuit Valentinianum a Maximo interfectum,& ipſum Maximum ab Vrſo Romano milite interemptum. Vnde attendens Romanum imperium conturbatum Arelatum & Maſſiliam ſubiugatas principatui ſuo adiecit, & contra Riothimum Regem Britonum, qui cum XII. millibus in auxilium venerat Romanorum bella reſtaurans victor extitit & op*cum] abundat.* preſſor. Ad hæc omnia * cum Gizericus Rex Vandalorum qui expulſus ab Hiſpania regnabat in Africa, conſilio & muneribus incitabat, vt dum Reſpublica turbaretur, ipſe in Africa quiete placida frueretur. Quod Euricus grate ſuſcipiens Hiſpanias Galliaſque *prouinciis.* cum Burgūdionum * prouinciis ſubiugauit. Cumque quadam die apud Arelatum Gotthos ad colloquium congregaſſet,& Gotthi manibus tela tenerent à parte ferri alia viridi, alia roſeo, alia nigro, alia croceo colore, naturalem ferri ſpeciem vidit aliquandiu immutatam. Sub hoc Rege Gotthi legum ſuarum ſtatuta ad ſcripturæ ſeriem redegerunt: *Gothorum leges quæ prius more butregebantur.* nam antea tantum moribus & conſuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus Rex, & morte propria vitam finiuit.

Giſaleicus inf. & Giſalericus inf. *De Alarico & * Giſaleico.* CAP. XI.

Æra 523. EVRICO mortuo Arelati filius eius Alaricus apud Toloſam ad Gotthorum regimen ſublimatur æra DXXIII. & regnauit annis XXIII. aduerſus quem Fluduinus Francorum princeps Galliæ Gotthicæ regnum affectans, Burgundionibus ſibi auxiliantibus bellum mouit, fuſiſq; Gotthorum copiis ipſum poſtremo Regem apud Pictauiū prælio interfecit. Giſaleicus ſuperioris Regis filius ex cōcubina, quia Amalaricus filius Amalaricus filius Alarici ex Amalaſuente Regina, filia Theodorici Regis Oſtrogotthorum qui in Italia tunc regnabat, erat paruulus, vix quinquennis, Narbonæ Alarico mortuo ſubro*Æra 546. dum eadem ciuitas à Gundebado.* gatur æra DXLVI regnās annis quatuor,& ſicut genere vilis, ita infœlicitate & ignauia ſummus. Denique * vt eadem ciuitas à Gundebado Burgundionum Rege direpta fuiſſet, iſte cum magna ſuorum clade Barcinonem ſe recepit, ibi moratus donec regni faſcibus fugæ *Barcinonia.* ignominia priuaretur. Videnſque non poſſe proficere, in Aphricam transfretauit poſcens ſuffragium Vandalorum, qui ſine auxilio ab Africa rediens, ob metum Theudorici in Aquitaniam ſe recepit. A qua poſt anni circulum in Hiſpaniam eſt reuerſus, atq; Theudorici *Seuerus Sulpitius, & S. Iſidorus ieh. Vaſæus anno 509. Druentium.* Regis duce duodecimo à * Barcinone milliario commiſſo prælio effugatur,& interiit trans * Druentiam fluuium Galliarum. Sicq; honore primo caruit, & poſt vita.

De Theudio. CAP. XII.

POST mortem Amalarici mater profeſſa ſexus fragilitatem cum ſperneretur à Gotthis, Theudium conſobrinum olim filii ſui tutorem ob germanitatis gratiam a Tuſcia ac*conuenientia. Æra 570.* cerſiuit, vbi priuate degebat & eum in Regem cum * conniuentia principum eleuauit æra DLXX. & regnauit annis XVII. menſibus quinque. Qui dum eſſet hæreticus, pacem tamen conceſſit eccleſiæ, adeo vt licentiam catholicis Epiſcopis daret in vnum apud vrbem Regiam conuenire, & quæcunque ad diſciplinam eccleſiæ pertinerent, libe*ordinare.* re * ordinarent. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hiſpaniam conueniſſent, & Tarraconenſem prouinciam deuaſtarent, Gothi duce Theudiſclo, obicibus Hiſpaniæ interclusis, Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ proſtrauere.

proſtrauere. Sed dux idem prece atque ingenti pecunia ſibi data, viam fugæ hoſtibus reſiduis vnius diei noctiſq; ſpacio condonauit, cætera infeliciũ turba cui tranſitus collati temporis non occurrit, Gotthorum perempta gladio non euaſit: & ſic inſidioſam Francorum calumniam repulit ab Hiſpanis. *Theudius vero immemor beneficii Amalaſuētæ, poſt aliquos dies eam fecit in balneo ſtrãgulari. Et quia ipſa ſe & filium Iuſtino Catholico Orientis principi commendarat, cum audiſſet facinus, condoluit interfectæ, & miſit* Beliſarium ducem & patricium, vt in Theudium vindicaret. Sed ipſo intercepto negotiis Romanorũ, ante aduentum eius fuit Theudius interfectus, & ſic remanſit impietas impunita. Poſt tam felicis ſucceſſum victoriæ trans fretum Gotthi minus prouide nauigarunt. Deniq; dum aduerſus milites qui Septam oppidum inuaſerant, pulſis inde Gotthorũ militibus Tyrrheni littora pertranſiſſent, & * eidem caſtrum magna vi certaminis expugnarent, adueniente die Dominico armis depoſitis quieuerunt, ne diem ſacrum prælio funeſtarent. Hac igitur occaſione reperta milites repentino incurſu aggreſſi exercitum mari vndique terraq; concluſum, inermem exercitum adeo proſtrauere, vt nec quidem vnus ſupereſſet qui tantæ cladis excidium nunciaret. Nec mora ipſum principem debita mors præuenit. vulneratur enim a quodam in palatio qui iamdudum dementis ſpeciem, vt Regem deciperet, ſimularat. Finxit enim arte inſaniam, vt principem trucidaret. quo vulnere Rex proſtratus vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem in emiſſione ſanguinis coniuraſſe, ne quis interficeret percuſſorem, dicens ſe congruam meriti viciſſitudinem recepiſſe, quod & ipſe priuatus commiſerat in ducem ſuum. Interempto Theudio, Theudiſclus dux exercitus Gothis præficitur incunctanter æra DLXXXVII. & regnauit anno vno, menſibus tribus. Qui dum plurimorum potentum connubia proſtitutione publica macularet, & ob hoc necem pluribus procuraret, præuentus manu coniuratorum Hiſpali confoditur, & inter epulas iugulatur.

Theudis. *Beliſarium.* *Septa ciuitas capta. ſidem.* *Æra 587. Theudiſculus. Theudiſcus regnat. Idem Hiſpali confoditur.*

De Agila Rege. Cap. XIII.

EXTINCTO *Theudiſclo in regnum Agila ſublimatur æra DLXXXVIII. & regnauit annis quinque. Iſte aduerſus Cordubam mouit bellum, & in contemptum religionis catholicæ ſepulturam beatiſſimi Aciſcli martyris hoſtium & iumentorum præſentia profanauit, & inito certamine contra ciues pœnas dignas ſanctis inferentibus, prout meruit, eſt expertus. Nam belli præſentis vltione percuſſus filium cum copia exercitus interfectum, & theſaurum omnem cum inſignibus opibus confuſus amiſit. Ipſe victus ac miſerabili metu fugatus, apud Emeritam ſe recepit, aduerſus quem interiecto aliquanti temporis ſpacio Athanagildus tyrannide regnum præſumpſit, dum exercitum cõtra ſe miſſum Athanagildus apud Hiſpalim proſtrauiſſet. Hinc Gothi videntes excidio proprio ſe euerti, & magis metuentes ne in Hiſpaniam Romani milites hac inuaderent occaſione, Agilam Emeritæ peremerunt, & Athanagildi ſe regimini tradiderunt.

Æra 588. Theudiſculo. Aciſclus martyr. cuius ſepulchrum profanatum.

*De Athanagildo, & Luiba, & * Leouigildo.*

Leouigildo V. C.

Cap. XIIII.

Æra 593.

OCCISO Agila Athanagildus tyrannide fit ſucceſſor æra DXCIII. & regnauit annis XIIII. Hic cum iam dudum Agilam regno priuare conaretur, auxilia militum ab Imperatore Iuſtiniano popoſcit, ſed ſubmouere Agilam à regno non potuit, donec à ſuis fuit Agila interfectus. Deceſſit autem Athanagildus Toleti propria morte, & vacauit regnũ menſibus quinq;. Poſt Athanagildum Narbonæ præficitur Luiba Gothis æra DCVII. & regnauit tribus annis, qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatum, Leouigildum fratrem non ſolum ſucceſſorem, ſed & participem regni fecit, & Hiſpaniæ prouiſorem, ipſe Galliæ regno contentus. Sic regnum duos ſuſtinuit, * cum nulla poteſtas patiens ſit conſortis. Huic autem vnus tantum annus in ordine temporum reputatur, reliqui Leouigildo fratri annumerantur. Duxerat autem Leouegildus vxorem nomine Theodoſiam filiam Seuǝriani ducis prouinciæ Carthaginẽſis, qui fuerat filius Regis Theoderici. Luiba vero defuncto Leouigildus adeptus eſt Hiſpaniæ & Galliæ principatum æra DCX. regnauit annis XVIII. * Hic bellis regnum deſiderans ampliare, opes inſtituit congregare, ſtudio eius exercitum concordante fauore victoriarum, & animoſitate præclarus multos populos ſubiugauit. Cantabriam nanque iſte obtinuit & deſtruxit: * Baregiam iſte cepit: Sabaria ab eo fuit deuicta: ceſſerunt ei plurimæ rebelles Hiſpaniæ ciuitates. Fudit quoque

Æra 607. *dum Lucan. lib. 1. pharſal.* *Æra 610. Illo tempore fuit Sanctus Emilianus V. C. Aregiam V. C. al. Bargiam. Gregorius lib. 4 Dialogorum.*

Martyrium Hemergildi.

V.C. Muſonam, tamen in ſeq. cap. legat Mauſonã.
ſ. terroribus.
D. Iſidorus & Ioh. Abbas Valſani Chronici anno 579.
ſ. deiecit.

conſeſſibus. ſ. Confeſſionibus. Vt in V. C. ad marginem.

Leander Hiſpalenſis Epiſcopus Fulgentius Aſtigitanus.

diuerſo prçlio milites aduerſantes,& quædam caſtra quæ occupauerant,eis abſtulit dimicando.* Hemergildum deinde filium contra imperium tyrannizantem obſeſſum Hiſpali dolo cepit,& quia nefandis ritibus noluit conſentire,tormentis variis cruciauit. Demum ſecuri percuſſum patricida impius dignum Deo martyrem conſecrauit. Poſtremum bellum Sueuis intulit,regnumque eorum in ius Gotthorum bello celeri commutauit,& magna ex parte potitus Hiſpaniam ampliauit.nam antea gens Gotthorum anguſtis finibus arctabatur.Sed offuſcauit in eo error impietatis tantæ gloriam probitatis. Denique Arianæ perfidiæ furore repletus in catholicos perſecutione commota Leandrum Hiſpalenſem & * Mauſonam Emeritenſem ſanctiſſimos Epiſcopos,& alios plurimos exilio relegauit, eccleſiarum reditus infiſcauit,& priuilegia earum abſtulit,multoſq; * terroribus Arianæ peſtilentiæ applicauit,plęroſque ſine perſecutione illectos auro rebuſque decepit. * Auſus quoque inter cætera hæreſis ſuæ contagia catholicos rebaptizare,non ſolum ex plebe, ſed & ſacerdotalis ordinis dignitate,ſicut Vincentium Cæſarauguſtanum,quem de Epiſcopo apoſtatam eſſe fecit,& tanquam à cœlo decidit in infernum. Extitit autem quibuſdam ſuorum pernicioſus:nam quoſcunque potentiſſimos ac nobiliſſimos vidit,aut capite mutilauit,aut ablatis opibus ſpoliauit,& proſcriptos in exilium relegauit. Fiſcum quoque iſte primus locupletauit,primuſque ęrarium de rapinis ciuitatum hoſtiumque manubiis auarus locupletauit. Primus etiam inter ſuos regali veſte regia coopertus reſedit in regali ſolio more Regum. Nam ante eum Reges qui fuerant,in veſtibus & * confeſſionibus militibus communiter conuiuebant. Condidit ciuitatem in Celtiberia,quam ex nomine filii ſui Recopolim nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico videbantur incondite conſtituta,correxit ſtudio vigilanti,plurimas leges adiiciens prętermiſſas,plæraſque ſuperfluas reſecauit. Sed dum infirmitate acriter torqueretur,præcepit filio Recaredo,vt Epiſcopos ab exilio reuocaret,& * Leandrum Hiſpalenſem,& eius germanum Fulgentium Aſtigitanum qui in doctrina eccleſiaſtica fulgebat inſignis, tanquam patres audiret, & eorum monitis obediret. Obiit autem defunctus propria morte Toleti.

De Reccaredo Rege.

CAP. XV.

Hermegildo vt ſup. cap. 14. Æra 628

Toletum vrbs regia, vt & ſup. c. 1. lib. 2.

etiam

animi

LEOVIGILDO defuncto in regno ſucceſſit eius filius Recaredus æra DCXXVIII. & regnauit XV. annis. Hic fuit cultu prædirus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Nam ille irreligioſus & bello promptus, hic fide pius & pace præclarus. Ille armatorũ exercitu gentis imperium dilatauit, hic glorioſus eandem gentem trophæo fidei ſublimauit. In ipſis enim regni ſui exordiis per Leandrum & Fulgentium in fide catholica inſtitutus,totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe deterſa ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum deinde Epiſcoporum ſexaginta duorum ad condemnationẽ Arianæ hæreſis de diuerſis Hiſpaniæ & Galliæ prouinciis in vrbe regia congregauit, & eidem concilio religioſiſſimus princeps deuotus aduenit,geſtaque Concilii ſubſcriptione firmauit,abdicans,Pontificibus, & palatii primoribus, clero & militia approbantibus cum populo vniuerſo,perfidiam quam hucuſque Gotthorũ populus didicerat ex dogmate Ariano,prædicans trium perſonarum vnitatem,vnum Deum,Filium à Patre conſubſtantialiter genitum, Spiritum ſanctum inſeparabiliter à Patre & Filio procedentem, & eſſe amborum vnum Spiritum,vnde & vnum ſunt. Egit etiam glorioſe bellum aduerſus infeſtas gentes fidei auxilio ſubleuatus. Francos enim cum LX. ferme millibus armatorum in Galliam Gothicam irruentes miſſo aduerſus eos Emeritenſi duce Claudio glorioſo triumpho repulit & proſtrauit. Nulla vnquam in Hiſpaniis Gotthorum victoria, vel maior, vel ſimilis inuenitur. Proſtratis enim& captis plurimis millib. hoſtiũ reſidua pars exercitus Gotthis ſequentibus vſque ad regni ſui confinia cæſa fugit. Sæpe etiam contra inſolentias Romanorum,& irruptiones Vaſconum plurima bella geſſit. Vnde non magis bella tractaſſe, quam gentem Gothicam quaſi in ludo palæſtræ pro vſu certaminis videtur exercuiſſe. Prouincias autem quas pater prælio conquiſiuit,iſte pacifice conſeruauit,æquitate diſpoſuit,moderamine gubernauit. Fuit autem placidus,mitis,egregiæ bonitatis,tantaq; in vultu gratia abundabat,& tanta animi benignitate dulcis erat,vt omnium mentibus influens, * & malos in ſuæ dilectionis reuerentia conſeruaret:adeo liberalis, vt opes priuatorum, & eccleſiarum prædia quæ paterna labes fiſco addixerat,iuri debito reſtauraret:adeo clemens, vt tributa populi indulgendo ſæpius relaxaret. Multos etiam ditauit rebus, plures honoribus ſublimauit,opes ſuas in miſeris, theſauros in egenis recondens. Sciens ad hoc illi fuiſſe regnum collatum, vt eo ſalubriter frueretur, bonis initiis addidit bonum finem. Fidem *

rectæ gloriæ quã in initio regni percepit, nouiſſime publica confeſſione & pœnitentia conſummauit. Toleti fine pacifico migrauit ad Chriſtum. Anno quarto glorioſiſſimi Regis Recaredi, idibus Maii, tertia Toletana Synodus celebratur, & inter ſecundam Synodum ſub Montano & iſtam fuerunt LXII. anni. Et hæc fuit ſub Helladio, & interfuerũt Mauſona Emeritenſis, Euphemius Taraconenſis, Leander Hiſpalenſis, Nigetius Narbonenſis * Pantardus Bracarenſis, & ſuffraganei eorum. Et in concilio fuit ab Hiſpanis eliminata hæreſis Ariana, qua infecta fuerat gens Gotthorum à tempore Athanarici Regis, & Valentis Imperatoris qui dedit Gotthis doctores, vt eos in Ariana perfidia confirmarent. Sed in hoc concilio eliminata ſpurcitia eius ſectæ, Gotthi in vera confeſſione fidei catholicæ remanſerunt, & ponitur ibi homilia ſancti * Leandri Epiſcopi de laude eccleſiæ pro * conuerſione Gotthorum, quæ ſic incipit: *Feſtiuitatem hanc omnium eſſe ſolemniorem feſtiuitatum nouitas ipſa ſignificat, & cætera.* Et fuit iſtud concilium LXII. *Epiſcoporum.*

Tertia Synodus Toletana.
Pantardum.
Confeſſione.

De Luiba, Victerico, & Gundemaro.

CAPVT XVI.

POST * Recaredum Regem cœpit regnare Luiba filius eius æra DCXLIII. & regnauit annis duobus, ignobili quidem matre progenitus, ſed virtute indolis inſignitus, quem in primo flore adoleſcentiæ * Victericus ſumpta tyrãnide innocuum Regem deiecit, præciſaque dextra occidit anno ætatis XVI. regni autem ſecũdo, æra DCXLV. * Extincto Luiba, Victericus regnum quod viuente illo inuaſerat, vindicat annis VII vir quidem ſtrenuus in armorum arte, victoriæ tamen expers. Nam cum aduerſus Romanos bellum ſæpius intentaſſet, ſemper inglorius eſt inuentus, niſi quod quoſdam milites ducens * Seguntiam captos cepit. Hic in vita illicita multa fecit, in morte autem gladio periit, quia gladio fuerat operatus; mors quippe innocentis non pertranſiuit * multa. Inter epulas enim prandii coniuratione quorundã extitit interfectus corpus autem viliter exportatum vilius eſt * ſepultum Æra DCLII. Gundemarus poſt Victericum regnum ſuſcepit, & regnauit annis duobus. Hic Vaſcones vna expeditione vaſtauit, alia militem Romanum obſedit. Propria more Toleti deceſſit.

Æra 643.
Recharedum ſemper V. C.
V. C. Victericus toto ca. Luibam V. C.
Æra 645.
Seguntiam in M.S.
Multa.
humatum.
Æra 650.

De Siſebuto Rege.

CAPVT XVII.

SISEBVTVS. Rex Chriſtianiſſimus poſt Gundemarum ad regale faſtigium euocatur æra DLIIII. regnans annis VIII. menſibus ſex. Qui in initio regni Iudæos ad fidem Chriſtianam * permouens, æmulationem quidem habuit, ſed non ſecundum ſcientiam. poteſtate enim compulit quos prouocari oportuit fidei ratione: ſed ſicut Paulus dicit, *ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur in hoc gaudeo & gaudebo.* Siſebutus itaque Iberiam vt vir ſapiens & nimium literaturæ deditus per annos VIII. retentat. Hic per Hiſpaniam vrbes Romanas ſibi ſubiecit. Venerabilẽ Helladiũ Toletanæ ſedis metropolitanum Epiſcopũ ſanctitatis præconio præfulgentẽ eccleſia veneratur. Iſidorũ Hiſpalẽſem metropolitanũ tunc tẽporis Hiſpania * celebrabat ſanctiſſimũ, doctorẽ egregiũ & præclarũ, qui an. 7. præfati principis Siſebuti cõtra Acephalorũ hæreſim apud Hiſpalim in * ſecretario ſanctæ Hieruſalẽ conciliũ celebrauit, atq; per veridica doctorũ teſtimonia Syrũ quendam Acephalum Epiſcopũ ſupra fatam hæreſim vendicantem exuperat, & vera concilii aſſertione eius eloquia cõdemnauit, atque à ſuo errore præfatum Pontificem diu docendo perpetualiter liberauit. Fuit autem Siſebutus eloquio nitidus, literarum ſapientia doctus, in iudiciis ſtrenuus, ac præſtantiſſimus pietate, mente benignus gubernatione regni præcipuus, in bellicis documentis, & victoriis ſemper clarus. Aſtures enim ſæpius rebellantes miſſo exercitu in deditionem reduxit. Rucones montibus arduis conceptos vndique per duces euicit. Eccleſiam ſanctæ Leocadiæ Toleti miro opere fabricauit. De Romanis quoque perſonaliter bis fœliciter triumphauit, & quaſdam eorum vrbes pugnando ſubegit, reſiduas intra fretum omnes exinaniuit, quas gens Gotthorum poſt in ſuam redegit facile ditionem. Tantę clementiæ extitit erga victos, vt quos hoſtilis potentia mancipauerat ſeruituti, dato precio reſtitueret libertati, eiuſque theſaurus redemptio exiſteret captiuorum. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicaminis hauſtu, alii veneno aſſerunt deceſſiſſe: cuius exitus non ſolum religioſis, ſed etiam optimis laicis extitit luctuoſus. Huius temporibus nefandus Mahomet nequitiam ſectæ ſuæ ſtultis populis prædicauit. Obiit itaque Siſebutus relicto filio Recaredo paruulo, qui poſt patris obitum princeps paucorum dierum, id eſt ſeptem menſium, conſummatur. Huius vitæ breuitas nihil habuit memoria dignum.

Æra 654.
permouens Iudæi ad fidem compelluntur. lib. 3. c. 2. recipiuntur. & lib. 3. c. 11. & c. 13. fine, & c. 17. fin.
ſup. lib. 1. c. 9. & c. 18. lib. 2.
Celebrat.
Sacrario.
S. Leocadiæ templum.
Mahomet ſectæ ſuæ venenũ cœpit euomere. Vide Roder. in Hiſtor. Arabũ & Vaſæum anno 580.

De Suintila, & Rechimiro filio eius. CAPVT XVIII.

Æra 663. — *Æra 673.* — *Rechimirus regnat.* — *D. Iſidorus ſcr. lib. 1. c. 9 & lib. 11 c. 17. & 21. fine, Sibi commendandum.* — *Æra 681.*

GLORIOSISSIMVS Suintila filius Regis Recaredi ſuſcepit diuina gratia regni ſceptrum æra DCLXIII. & regnauit annis X. Iſte ſub rege Siſebuto ducis nactus officium caſtra domuit Romanorum. Rucones etiam ſuperauit. Poſtquam vero regni apicem eſt adeptus, vrbes reſiduas quas in Hiſpaniis manus occupauerat Romanorum conſerto prælio obtinuit & ſubiecit, auctamque triumphi gloriam præ cæteris Regibus fœlicitatem mirabiliter reportauit. Totius Hiſpaniæ monarchiam intra fretum Oceani, quod nulli retro principum eſt collatū, excluſis Romanis primus obtinuit inter Gotthos. Auxit eo prælio virtutis eius titulum duorū patritiorū obtentus, quorum alterum prudentia ſuum fecit, alterū virtute prælii ſubiugauit. In initio regni incurſus Vaſconū coarctauit, qui Tarraconenſem prouinciā infeſtabant. Montiuagi vbi populi aduentus eius terrore perculſi, confeſtim quaſi debita iura noſcentes, remiſſis telis & comploſis ad precē manibus ſupplices ſubmittūt ei colla: Oligitis ciuitatē Gotthorū ſtipendiis ſuis & laboribus, vt eis parceret, fabricarūt (hanc quidam dicunt Olorū, quidam Olitum) pollicentes iuriſdictioni parere, & imperio obedire. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo virtutes regiæ effulſere, fides, prudentia, & induſtria, in iudiciis examinatio prouida, in regimine cura præcipua, circa omnes largitas læta, erga inopes miſericordia ſemper prompta, ita vt non ſolum princeps populorum ſed etiā pater pauperū vocaretur. Toleti propria morte deceſſit æra DCLXXIII. Huius filius Rechimirus in conſortio regni aſſumptus pari cum patre ſolio corregnauit, in cuius infantia ita ſacræ indolis ſplendor enituit, vt in eo & vultu & mente paternarum virtutum effigies appareret. Iſto fere cum patre mortuo ſuperſtites remanſere alii duo filii Suintilæ Siſenādus & Cindaſuindus, quos ſuſceperat ex Theodora filia ſupradicti principis Siſebuti. Sed Beatus Iſidorus Gotthorum hiſtoriæ deſcriptor egregius, vſque ad quintum annum principis Suintilæ fuit ſeriē hiſtoriæ proſecutus, & quarto anno regni Scintilæ nō dico Suintilę a quo tertius fuit iſte cum beatus Iſidorus in Hiſpalēſi eccleſia ſolemnia celebraſſet, & populum ſibi commiſſum cœleſtis frumenti adipe ſatiaſſet, ſe eorum orationibus commendauit, & vltimum vale dicens obitum ſuum quem prophetice nouerat, reuelauit. Obiit itaque quarto principis anno, æra DCLXXXI. ſecundo nonas Aprilis

De Siſenando, & Cintila, & conciliis eorum temporibus celebratis, & de Tulga.

CAPVT XIX.

Æra 673. — *Quartum Concilium Toletanum.* — *aggregatū* — *ſilua. V.C.* — *Æra 679.* — *Quintum Concilium Toletanum.* — *6. Concilium Toletanum.* — *Æra 683.* — *pralati*

POST Suintilam & Rechimirum filium eius cœpit regnare Siſenādus æra DCLXXIII. & regnauit annis quinque, & menſibus XI. iſte per tyrannidem in Gothorum ſolio collocatur. Qui anno regni tertio ſui, LXVIII. Galliæ & Hiſpaniæ, apud Toletum epiſcopis * congregatis cum abſentium vicariis & palatii ſenioribus in eccleſia ſanctæ Leocadiæ virginis & martyris Chriſti, extante adhuc Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, & in multis iam libris fulgente mirifice, de diuerſis cauſis concilium celebrauit ſub Iuſto vrbis regiæ primate, & ſubſcribunt ibi Iſidorus Hiſpalenſis, *Selua Narbonenſis, Iulianus Bracarenſis, Audax Tarraconenſis, Imirus vicarius Emeritenſis, & ſuffraganei eorum, & fuerunt omnes LXVIII. & iſtud fuit quartum cōcilium Toletanū. Poſt mortem Siſenandi Cintilla Gotthis præficitur æra DCLXXIX. vno anno menſium numerato regnans quatuor annis. Hic quintum concilium Toletanum Epiſcoporum XXIIII. procurat ſub Eugenio regiæ vrbis primate. Vbi non ſolū de rebus mundanis, verum etiam de diuinis multa ignaris mentibus à lumine gratiæ ſunt infuſa. Quanta vero ſanctorum congregatio [cum] Epiſcoporum vicariis aſſiſtentibus, & cum ſenioribus palatii qui digni intereſſe concilio habebantur, extitit aggregata in eccleſia ſanctæ Leocadiæ virginis, liber canonum glorioſe declarat. Huic Synodo Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus præ cæteris illuſtris effulſit, atque piam doctrinam Chriſtianis mentibus decenter infudit, cuius & opuſcula nunc vſque eccleſia veneratur. Huius eloquentiam Roma, vrbium mater & domina, per epiſtolare alloquium eſt mirata. Et in hoc concilio ſubſcripſit Selua Taraconenſis, & aliqui de ſuffraganeis ſuis & vicariis abſentium Epiſcoporum. Sextum concilium de obſeruatione fidei catholicæ & aliis eccleſiaſticis diſciplinis fuit tempore eiuſdem principis Cintilæ celebratum ſub Eugenio vrbis regiæ metropolitano & primate, ſubſcribentibus Selua Narbonenſi, & Iuliano Bracarenſi, & Honorato Hiſpalenſi, & Protaſio Tarraconenſi, & eorum ſuffraganeis, & vicariis abſentium Epiſcoporum. Mortuo Cintila Tulgas bonæ indolis & radicis Gotthorum regnum ſuſcepit æra DCLXXXIII. & regnauit duobus annis. Iſte blādus & catholicus in omnibus eſt inuentus. Regna ſibi ſubdita pacifice dilatauit. In iudicio rectus iudex, claruit largitate, magna * fuit lenitate. Synodos à ſuis prædeceſſoribus confirmatas

firmatas ſimili autoritate confirmauit. Doleat gens Gotthorum tam cito talem indolem amiſiſſe. cunctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum non adoleuit, Toleti propria morte deceſſit.

De Cindaſuindo, & inuentione Moralium per Taionem Epiſcopum.

CAPVT XX.

POST Tulgam Cindaſuindus per tyrannidem regno Gotthorum inuaſo cœpit Iberiæ triumphaliter principari æra DCLXXXV. & regnauit annis decem. Hic in Toletana vrbe ſynodale decretum XXX. Epiſcoporum cum omni clero, & vicariis eorum epiſcoporum quos languor vel inopia detinuerat, & cum palatino collegio *qui intereſſe collegiis merebatur, anno regni ſui quinto indixit laudabiliter celebrandum diſcurrentibus tantum notariis, quos ad recitandum ordo requirit: & hoc fuit *ſeptimum concilium Toletanum ſub Eugenio metropolitano & primate vrbis regiæ celebratum XV. Kalend. Nouembris, de * refugiis & præſidiis, eccleſiaſticis diſciplinis: & interfuerunt & ſubſcripſerunt Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Protaſius Tarraconenſis, & eorum ſuffraganei, & abſentium vicarii, omnes numero XL. Et fuit in hoc concilio magna turbatio, eo quod liber Moralium quem beatus Gregorius ad petitionem beati Leandri compoſuerat, deperditus negligentia in Hiſpaniis non extabat. Vnde & idem princeps, ſacro concilio approbante, Taionem Cæſaraugustanum Epiſcopum religione & literatura præſtantem, & ſolicitum ſcripturarum, ad Romanum Pontificem cum ſua petitione pro libris Moralium nauigio deſtinauit. & dū a Papa de die in diem reſponſio differretur, quaſi in armario Romanæ eccleſiæ præ multitudine voluminum non poſſet quæſitum de facile reperire, orationis cauſa Taio Epiſcopus in baſilica Apoſtolorum principis pernoctauit. ab oſtiariis eccleſiæ conniuentia eſt petita. at vbi impetrauit, circa noctis medium cum ſe lamentis nimis ante beati Petri loculum irrigaſſet, & mox luce miſſa cœlitus adeo tota eccleſia illuſtratur, vt nec modicum quidem luminaria eccleſiæ relucerent, & tunc vidit ſanctorū agmina in voce pſallentium introire. Denique vbi timore nimio Epiſcopus territus, & quaſi exanimis iā iaceret, oratione ab eis completa ex illa ſanctorum curia ad eā partem in qua Epiſcopus conſiſtebat, duo ſenes in dealbatis veſtib. acceſſerunt, & cū eum iam pene mortuū inueniſſent, ad ſtatū priſtinū reduxerūt dulci * alloquio ſalutatū. Cumq; interrogarēt ob quā cauſam a tā remotis partib. adueniſſet, aut cur in ea baſilica ſic vigiliis inſtitiſſet, & quaſi inſcii omnia quæſiuiſſent, Epiſcopus multis eloquiis cōſolatus fiducialiter ſic eſt fatus: Obſecro domini, qui ſut illi, & quæ ſanctorū illa caterua quæ ſeſe tāto lumine comitetur. Cui dixerunt, duo principes quos cernis manibus ſe tenere, ſunt Petrus & Paulus Apoſtoli domini noſtri Ieſu Chriſti: cæteri ſucceſſores eorū, qui in iſta baſilica requieſcunt. Cumq; cauſam cur venerat explicaſſet, & percunctatur, qui eſſent ipſi qui ad eum venerant conſolandum: alter eorum reſpondit ſe eſſe Gregorium, pro cuius libris deuotiſſime laboraſti, & ideo venimus, vt quod expetis reuelemus. Dixeruntq; in armario librorum in theca penultima inuenies quod requiris. At ille pro oraculo lætus, quærit ſi in illa tam ſancta multitudine S. Auguſtin. adeſſet, pro cui⁹ libris nō minori quā pro libris beati Gregorii deſiderio tenebatur. Tūc ille vir clariſſimus, & omni ſpectatione gratiſſimus, inquit: Auguſtinū quē quæris, altior nobis cōtinet locus. Certe vbi ad eorū pedes cœpit proruere, citius ab eius oculis ſenes ſanctiſſimi cū luce qua venerāt, abiere, ipſo & oſtiariis ſimul territis vehementer. Cumque ſequenti die viſionem Romano Pontifici reuelaſſet, in Apoſtolorum ſede venerabilis Taio extitit glorioſus qui ante ı deſpicabilis habebatur. Et reperto libro prout ſanctorum oraculum * reuelarat, recepta benedictione Papali ad ſuum principem eſt reuerſus libro, gaudio, & gloria comitatus, habitus Romæ & in Hiſpaniis venerandus.

7. Concil. Tolet. Æra 685. Hic apparet Roder. ſinceritas, cuius animus non fuit niſi vera ſcribere. de refugiis & perfidiis clericorum ſiue laicis & aliis. Moralia D. Gregorii de Eccleſia diſciplinis 1°. C. & ſic in Concil. in Vtroque. pro conſultatione. Sic Horat. Epodis & Seneca ſæpe. Libri moralia deteguntur. Taio celebris factus reuelauit.

De morte Cindaſuindi, & primatu eccleſiæ Toletanæ.

CAPVT XXI.

CINDASVINDVS Receſuindum filium ſuum regno Gotthorum pręponit regnans per ſe annis ſex menſibus nouem, & cum filio ſuo Receſuindo annis quatuor, diebus quindecim. Iſte à Romano Pontifice obtinuit priuilegium vt ſecundum beneplacitum Pontificum Hiſpanorum primatię dignitas eſſet Toleti, ſicut fuerat ab antiquo: & per * multas ſynodos cum Epiſcopis celebratas eccleſiam erudiuit. Huius tempore ab omni perturbatione Hiſpania conquieuit, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma ſumeret rebellandi. Libros ſanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta

Cindaſuindus. Toleti primatia. multa ſynodos cum Epiſcopis celebrata eccleſiam erudiuit.

exulauit. ſ. pro exulare fecit & [-] deeſt.

beati Iſidori firmiter obſeruari. Hic perfidum [Theodiſtum Hiſpalenſem] Epiſcopum ſynodali ſententia in *exilium miſit & dignitatem primatię quam ab antiquo habuerat totius approbatione concilii Toletanæ eccleſiæ confirmauit. Obiit Toleti.

De recenſuindo, & conciliis eius tempore celebratis, & de ſancto Ildefonſo. CAPVT XXII.

Æra 695.

RECENSVINDVS poſt mortem patris ſucceſſit in regno æra DCXCV. & regnauit annis XVIII. & menſibus XI. vniuerſo XXIII. annis. Sed quini anni ei in ordine temporum non computantur, quia patri cui corregnauerat numerantur. Reſtat vt ei decem & octo anni & menſes vndecim cōputentur. Hic ter concilia clarente Eugenio vrbis regiæ metropolitano Toleti inſtituit celebrari XLVI. Epiſcoporum cum infinito clero, & vicariis deſiſtentium, atque officiariis digniſſimis palatinis in baſilica prætorienſi ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Et non ſolum de mundanis actibus verum etiam ſanctæ trinitatis myſterio animas inſtituit ignorantes. In diebus huius anno quinto regni eius fuit octauum concilium Toletanum, præſentibus & ſubſcribentibus Orontio Emeritenſi, Antonio Hiſpalenſi, & Potamio Bracarenſi, & eorum ſuffraganeis, nec non & Epiſcopis

Narbona & Tarracona.

prouinciæ* Narbonenſis & Tarraconenſis, ſub Eugenio Toletano pontifice & primate ſolenniter celebratum, & fuerunt numero LII. Epiſcopi, & X. vicarii abſentium. & plures abbates, & XVI. de viris illuſtribus officii palatini: & ponuntur in ſerie eiuſdem concilii leges quædam a prædicto Recenſuindo principe promulgatæ. Nonum concilium Toletanum fuit tempore eiuſdem principis anno VII. regni ſui ſub Eugenio vrbis regiæ Pontifice celebratum, præſentibus & ſubſcribentibus Epiſcopis aliarum prouinciarum, numero XVI. & vicariis abſentium, & viris illuſtribus ex officio palatino. Decimum concilium Toletanum fuit tempore eiuſdem principis, anno VIII. regni ſui, & ſub Eugenio ponti-

Fugitiuus.

fice celebratum, & ſubſcripſerunt * Fugitiuus Hiſpalenſis, Fructuoſus Bracarenſis, & ſuffraganei, & vicarii aliorum, numero XXV. Hic fidem catholicam ex corde diligens à ſciolis ſanctæ ſcripturæ petebat dubia ſcripturarū & articulos fidei declarari, adeo quidem eum diuinæ ſcripturæ ſemper collatio delectabat: altaria Chriſti ornamentis variis decorabat. Huius temporibus eclipſi Solis ſtellis meridie apparentibus omnis Hiſpania territatur: atq; incurſationem Vaſconum non cum modico exercitu repulit ſine damno. Recenſuindus itaq; cunctos mire dilexit, & à cunctis dilectus fuit in villa propria, quæ tunc*

Gerticos

Gerticos, nunc Bamba dicitur, in territorio Palantino. Obiit Kal. Septembris, ibique

Æra 713. Sic habet Codex ſcriptus, cuius veritas conſtat ex capite ſequenti.

ſepultus fuit æra DCCXIII. Nono huius Recenſuindi principis anno ſuſcepit ſanctus Ildefonſus pontificatum eccleſiæ Toletanæ. Fuit autem beatus Ildefonſus genere nobilis, diſcipulus beati Iſidori, monachus profeſſione, vir per omnia laudabilis, & præcipuus ſanctitate, demum pontifex Toletanus. Huius tempore cum Heluidius & Pelagius à Gallis venientes, plæraſq; partes Hiſpanię infeciſſent, virginitatem beatæ virginis infamantes, beatus Ildefonſus illis occurrens ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis, & lingua melliflua, & gratia in labiis ſuis diffuſa eorum dogmata confutauit, & ab Hiſpaniis confuſos abegit. Vnde & in feſto glorioſæ virginis, quod in Hiſpaniis XV. Kal. Ianuarii celebratur, cum ipſe ad matutinale officium comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad eccleſiam conueniſſet, apparuit ei beata virgo choris Apoſtolorum, martyrum, atque virginum comitata, & ſic ait: Quia fide certa conſcientia pura lumbos tuos virginitatis cingulo cinxiſti, & gratia labiis tuis diffuſa virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxiſti, accipe veſtem de theſauris filii mei, vt * etiam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis & filii mei ſolennitatibus veſtiaris. Et his dictis cum glorioſo cœtu quo apparuerat, ad gloriam filii remeauit. Beatus autem Ildefonſus de promiſſis ſecurus ſuſcepto munere lætus remanſit. Hac autem veſte nullus poſt eum vti præſumpſit, niſi Siſibertus

Siſibertus.

Archiepiſcopus, qui culpa ſua ab illa ſede propulſus, fuit exilio relegatus. Sedit autem nouem annis, & duobus menſibus in cathedra Toletana, & expleto XVIII. Recenſuindi principis anno, qui ſine patre Cindaſuindo XVIII. annis regnauerat, X. Kal. Februarii, vitā

prædeceſſoris.

finiuit Toleti, & in eccleſia beatæ Leocadiæ ad pedes beati Eugenii* deceſſoris ſui cū magna reuerētia eſt ſepultus: & multa de operibus quæ conſcripſit ante pontificatū & cætera poſt pōtificatū miro eloquio cōſummauit, aliqua etiā morte præuētus imperfecta reliquit. Et quia diuina gratia perfuderat os illius,* Ildefonſus os aureū dicebatur, & etiā quia in di-

Ildefonſus os aureum dictus.

uerſis libris melliflue loquebatur, & de virginitate beatæ virginis nitido politoq; eloquio perorauit. Ancora fidei eius tēpore in tota Hiſpania, Gotthica Gallia roboratur: & libri ab eo editi poſtquā fuere in cōciliis lectitati, & ab omnib. approbati, tanquā cibi diuinæ gratiæ

Alph. Carthag. Anacephal. ca. 38

in fide puſillanimes refecerūt. Et cū beatus* Iſid. ſcripſiſſet Gotthorū originē vſq; ad 5. annū Regis Suintilæ, S. Ildefonſus ſcripſit tēpora Gotthorū, Alanorū, Vandalorū & Sueuorū à 5.

anno

anno Suintilæ, vſq; ad octauum decimum Recenſuindi. [Et* Iſidorus iunior qui à principio mundi incipit Chronica, vſq; ad octauum decimum Recēſuindi] annum fideliter proſequutus, & vſq; ad deſtructionem Hiſpaniæ per Arabes ipſe ſcripſit.

Deſunt recte in M. S. Vide ſupr. lib. 1 c. 9. & 10. Vaſæus libr. 1. Chron ca. 4. & ſup. lib. 2. ca. 18. Quomodo potuit bene Rodericus quod non vidit, ſcribere.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER TERTIVS.

De regno Bambæ. CAPVT I.

DEFVNCTO itaque Recenſuindo, ibidem ab omnibus Bamba vir nobilis, de Gotthorum nobili genere, ſtrenuus, pacificus, manſuetus, qui ante regni faſtigium multorum reuelationibus celebris habebatur, ad regni faſtigium vnanimiter ſublimatur æra DCCXIV. & regnauit annis nouem, menſe vno, & quamuis renuens & inuitus, demum tamen minis & terroribus vix conſenſit, ſed decreuit ſe à Regis nomine temperare, donec in maiori eccleſia vrbis regiæ vnctionis reciperet ſacramentum. Mox igitur à principibus Toletū ducitur, & in primate eccleſia beatæ virginis à Quirico eiuſdem pontifice in Regem omnibus annuentibus conſecratur (& omnes in electione eius promiſſione ſpontanea ſubſcripſerunt, & fidem ei & patriæ iurauerunt, & Paulus futurus proditor ſubſcripſit, cum aliis) & iurauit, & iam cultu regio inſignitus ante altare diuinum fidem catholicam eſt profeſſus, & iuramento leges & conſuetudines iuri conſonas confirmauit. Et in ipſa hora qua à Pontifice vngebatur, cunctis cernentibus viſus eſt vapor ab eo loco, vbi vnctionis oleum fundebatur in modū * virgæ funeæ aſcendiſſe, & viſa eſt apis de eius capite * proſiluiſſe, & ad cœlos continue volitaſſe. Et qui diligentius cogitabant, intelligebant per eum Gotthorum regnum fœliciter exaltandum, & in pacis dulcedine gubernandum.

Wambanus in actis Concilii Toletani 11. & 12. vocatur. Æra 714.

Virgula fumea proſiluiſſe. V. C.

De rebellione Hilderici. CAPVT II.

SED quia nouitas perturbationibus raro caret, & in primo anno regni eius turbatio non modica excitatur. Nam Hildericus qui Nemauſenſis vrbis Comitatum tenebat, fauentibus ſibi * Gumildo pernicioſo Magalonenſi Epiſcopo & Ranimiro abbate, contra ſtatuta Gotthorum Iudæos in patriam reuocauit, & virum venerabilem Aregium Nemauſenſem Epiſcopum rebellionis ſuæ vecordia niſus eſt irretire, quem quia non potuit laqueare, à ſede expulſum Francorum manibus tradidit illudendum, & Ranimirum abbatem perfidiæ ſocium in pontificatu exulis ſubrogauit. & à duobus Epiſcopis proditionis conſortibus fecit contra ſtatuta canonum conſecrari. Demum à temeritatis inſania non verentes Hildericus Comes, * Gumildus Magalonenſis, Ranimirus Nemauſenſis intruſus, cōiuratione iterum innouata, à monte Cameli vſque ad Nemauſum terrā diuidunt, coniurationis complices aſciſcentes, vt fidelitatem infidelitas ſuperaret: & furoris ſui veſania non contenti, ciues & agricolas qui aduentum Bambæ noui principis expectabant, cœperunt prædis & vaſtationibus laceſſere. Quod cum ad regis notitiam perueniſſet, miſit ilico cum exercitu Paulum ducem qui ex Græcorum proſapia nobili ortus erat, ſed gentis ſuæ verſutiam non oblitus cœpit remiſſius agere, & militum corda qui accenſi ad prælium veniebant, vt regni iniuriam vindicarent, a gradu propero retardabat, & perſuaſionibus inclinabat, dicens, impedimenta principis militantibus expedire. Et iam publice fidem promiſsā Bambæ principi violauit, & vt ad optatum faſtigium perueniret, Renoſindum Celtiberiæ ducem & Hildiſum adhuc in palatino officio conſiſtentem arcano cōſilio circumuenit, vt ſuis inſidiis conſentirent. Simulabat enim ſui deſiderii virus occultans contra rebelles regiæ poteſtatis exercitum circumferre: quod vir magnæ ſanctitatis Argebatus Antiſtes eccleſiæ Narbonenſis ſolerter percipiēs, niſus eſt præcludere aditum ciuitatis. Sed & hoc ipſum ad notitiam Pauli venit, & anteaquam reuerēdus Antiſtes quod fideliter cogitauerat effectui mancipastart Paulus portas Narbonæ præcurſoribus militibus occupauit, & circumfuſa exercitus multitudine habita concione cœpit iniurias in Antiſtitem retorquere, eo quod vrbis ingreſſum niſus fuerat impedire.

Nemauſenus Gumillo 12. ca. ſeq. Gumellus.

Gumillus

Græci leues & vani. inf. ca. 12.

Renoſindus Hildiſus.

Argebadus

Digitized by Google

De proditione Pauli. CAP. III.

ET cum iam corda fere omnium inclinaſſet, rebellionem contra regiam maieſtatem quam corde conceperat, publice denudauit, iureiurando promittens Bambam pro rege ſe nullatenus habiturum, nec in eius conſiſtere famulatu, ſed ſuaſit, vt Regem ex ſe ipſis eligerent, cui & ipſe, vt cæteri, in omnibus obediret. Ad hæc Ranoſindus factionis conſcius ſic reſpondit: Regem nolumus niſi Paulum, & ipſum in Regem eligimus, & ei vt principi obedimus. Tunc omnes coniuratione aſtricti illud idem voce publica acclamarunt. Paulus vero fidelitatis immemor, ambitione anhelus, præſumptione ſuperbus, conſenſit crimini proditorum, & mox regalibus inſignibus inſignitus omnes ſibi allicuit iuramento, ſub eadem forma qua ipſe cum aliis Toleti iurauerat Bambæ Regi. His peractis regnum obtentans, alios minis, alios donis, alios pœnis ſibi alliciens, Francos & Vaſcones datis muneribus ad ſui auxilia incitauit. Hildericum Comitem, Gumildum, Ranimirum pſeudopontifices de facili ſuæ perfidiæ ſociauit: & nec ſolum Gallia Gothica, ſed & pars Celtiberiæ acquieuit conſilio proditorum. Paulus vero tantorum coniurationibus iam ſecurus ſe cœpit parare, vt intraret Hiſpanias proditor contra dominum pugnaturus, & regni confinia inuaſurus. *Vaſcones quales* Dum hæc agerentur, Vaſcones quietis ignari loca Pyrenæi & Cantabriæ inuaſerunt rapinas agentes, vt eius gentis hodie facta & deſideria atteſtãtur, qui libenter rapiunt aliena. Quod cum ad Bambæ notitiam perueniſſet, contra iniurioſos de iure procedens, à finibus Cantabriæ & Pyrenæi confuſos abegit.

proceſſu

De proceſſibus Regis contra Paulum.* CAP. IIII.

REGEM autem in finibus Cantabriæ commorantem à partibus Galliæ perculit celer rumor de rebellatione Pauli & Hilderici. Cumq; illuſtribus palatii rumoris inſtantiam reuelaſſet, bifarie conſilia diuiduntur: alii redire ad patriam, & ampliorem ſumere apparatum contra proditores patriæ proceſſuri, alii ſuadebant, vt in continenti procederent perfidos inuaſuri. Cumque Regis catholici ſolers cura conſilia nutantia audiuiſſet, ſuos * magnanimus ſic affatur: *magnanimus* Quid Paulus & ſui attentauerunt, iam audiſtis: eos ergo expedit præueniri, ne creſcat incendium tanti mali. & Gotthorũ gloriam non deceret repetere propria, donec tanti facinoris iniuria vindicetur? pudendum eſſet, vt Paulus proditor qui fraude, non armis patriam ſupplantauit, Gotthorum gloriæ audeat repugnare, & qui imbellem gentem pro quiete patriæ non valuit ſubiugare, Gotthorum * militis hoſtem ſe audeat exhibere, *militia* quaſi nulla virtute eius tyrãnidi reſiſtere valeamus, cum à ſeculis Gotthorum magnalia omnes populi omneſq; principes ſint experti. Etſi enim de Francorũ viribus Paulus præſumat, claret clare, quod ſæpe Franci inuaſi ab hoſtibus Gotthorum auxilia implorarunt, & eorum beneficiis ſunt erepti. Si quando & prælium interceſſit, ſemper Gotthi ſuperiores Gallicis ſunt inuenti. Properemus igitur reſiſtentium contubernia deuaſtare, vt armis impares armis duplicibus deuaſtentur: glorioſius erit etiam deficientibus alimoniis arma capeſſere, quam abundantiæ ignauia detorpere. Iuuat & quod Gotthorum nobilitas ſemper donauit nobiles libertate, quos Frãci ſeruitute * nobiliſſima oppreſſerunt. *crudeliſſima* Ab hinc ergo Vaſconum cladibus accedamus, & per eos ad ſeditioſorum interitum properemus. His auditis exercitus gratulatur, & accenſis animis Gotthorum gloriam æmulatur & ſciſſuram patriæ reſarcire viribus meditatur, & tranſitum faciens per Calagurrã & Oſcam, per vallem Pyrenei, quæ * Aſpa dicitur, *Aſpera. Calagurra. Oſca. Aſpa.* Vaſconias ſunt aggreſſi quas per dies aliquot deuaſtantes, & corũ campos incendiis concremantes, & caſtra plus lignea quam lapidea fabrica eleuata pugnis & machinis deiecerũt ita vt qui ſe adiutores Paulo ſpoponderant, depoſita feritate, vitam ſeruari, pacemque largiri datis obſidibus poſtularunt, quas non tam precibus quam muneribus vix potuere à principe obtinere. Et acceptis obſidibus, & tributis, paceque firmata, Rex Bamba & ſuus exercitus ad Galliam proceſſerũt & diuiſit exercitum in tres manus: *Ruteni. Alba. Narbona prouincia. Auſonia. Biterram. Celtiberia. Narbona. Biterra. Agatha.* vnam partem verſus Ruthenum & Albam Aquitaniæ ciuitates, cui præfecit Deſiderium nepotẽ ſuũ, qui tunc temporis in * Narbonenſi habebatur. aliam partem verſus Auſoniam contra eos qui fauentes Paulo in Celtiberia rebellarant tertiã vero per viam Toletæ verſus Narbonam, * Biterram, & Agatham deſtinauit. Rex autem cum potiori multitudine eam manum quæ per Auſoniam iuerat, ſequebatur. Sed quia inimicus bonorum operũ ſemper nititur in bonis operibus zizaniã ſeminare quidã de exercitu rapinis & adulteriis delectati etiã domos incendiis conſumebant, quod Rex iuſtus ita acriter vindicauit, ac ſi læſæ maieſtatis criminis eſſent rei, vt cæteris fieret exẽplum, ne ſimilia attentarẽt, & alloquẽs exercitũ perorauit: Cũ bellũ immineat nõ licet illicitis implicari,

quia

Digitized by Google

quia Dei benignitas eſt omnis immunditiæ execratrix. Cauendum eſt ergo ne Dei iudicium facinoribus prouocemus, & non viribus hoſtium, ſed noſtris ſceleribus conſternamur, & quod Gotthorum gloria armis efficere conſueuit, noſtris exceſſibus amittamus, & ego qui præſum, merito confuſioni ſubiaceã, ſi impunita facinora derelinquo. In domino igitur confidentes, purgati à crimine procedamus. Cumq; * Barcinonem perueniſſet quæ erat vna de rebellantibus, eam incurſu celeri acquiſiuit, & eadem capiens ſatellites repugnantes, ſcilicet Euredum, Pompedium * Guntifredum, Vulſum diaconũ, & Naufredum. Deinde Gerundam incurſu ſimili ſubiugauit, vbi fuere ei literæ præſentatæ, quas Paulus proditor amatori eiuſdem vrbis Antiſtiti miſerat ſub his verbis: Audiui quod Rex Bamba cum exercitu ad vos venire diſponat, ſed tua prudentia non cõturbetur (nec enim hoc fieri puto) & tamen quem primum de nobis ambobus ibi tua ſanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipſum ſe credat habere dominum, & in eius debet perſiſtere charitate. Hæc miſer ſcripſit, neſcius quod contra ſe iuſtum iudicium proferebat. Vnde & verba reſcripti Rex Bamba conſiderans dixit ei: Non in his ſcriptis Paulum à ſemetipſo locutum, ſed neſcientem prophetaſſe.

Barchinonem. Barcinone. Euredũ, Gundefredum, Vulſum

De tranſitu Pyrenæi. CAPVT V.

EGRESSVS itaq; princeps à ciuitate Gerunda conſerto exercitu venit ad municipium Pyrenæi quod * Cauco liberi nuncupatur, vbi eſt portus maris nauigantibus commodus & ſecurus. Ibi etiam Pyrenæus mari finitur. & caſtra alia Vulturiam & Libyam ſibi ſubiecit, quæ quidem caſtra auro, & argento, & ſericis, & bonis aliis abundabant, quæ omnia exercitui aduenere, glorioſo principe manus ab his omnibus continente. Vnde & ad ſeruiendum ſibi animos omnium inflammabat. Cumq; ad caſtrum Libyæ, quod eſt caput Ceretaniæ, perueniſſet, Hyacinthus Epiſcopus Helenenſis cum * Aragiſclo ſibi caſtrũ capere nitebatur, ſed nec caſtrum capere potuit, nec Bambæ principis manus euaſit. Miſſiſq; duobus ducibus cum parte exercitus, Rex Bamba caſtrum quod Clauſura dicitur, eiſdem decertantibus occupauit, captis ibidem Ranoſindo & Hildigiſo cum multo agmine perfidorum qui ad defenſionem caſtri conuenerant faſtuoſi, * quod iidem duces poſt terga manibus alligatis glorioſo principi præſentarunt. Victimirus etiam vnus ex perfidis, qui ſe in * Sardonia receptarat, relicto caſtro aufugit timidus in Narbonam, & Paulo vſurpato principi facta Bambæ principis nũciauit. qui corde ſolutus, vt fuerat particeps factionis, ſic fuit etiam & timoris. Vnde & à Narbona fugiens ſeruili animo conſternatus, aduentum principis non ſuſtinuit expectare, & Victimiro qui à Sardonia fugerat, tuitionẽ Narbonæ commiſit, relictis ibi Ranimiro pſeudoepiſcopo, Argemundo, & Gultritione primicerio, qui etiam Ranimirus viſo exercitu, antequam ciuitas inciperet expugnari, fugã petiit, ſed mox in territorio Biterrenſi capitur, & reducitur fugitiuus. His igitur munitionibus occupatis glorioſus Bamba fatigatum exercitum, & manum quam per Toloſam miſerat, recollegit, & ſe & ſuos donãs quieti, biduo ibi mãſit. Cumq; exercitus vndiq; cõueniſſent, manũ vnã miſit per mare, vt Narbonam nauali impetu coarctarẽt. Ipſe vero quatuor præmiſit principes cũ electo exercitu armatorũ, qui Narbonã machinis impugnarẽt. Cumq; ad muros vrbis principes perueniſſent, ſecundũ legẽ oblata pace, ſalutẽ, ſi ſe Regi redderẽt, pollicentur. Victimirus autẽ qui pro Paulo inibi rebellabat, cœpit Regem conuitiis laceſſere, & cæteris mortis periculũ & Pauli potentiã minitari. Quod Gothorũ animoſitas impatiens tolerare, incãduit animis, & ora blaſphemantiũ iaculis impetiuit. immanis vtrinq; pugna cõſeritur, & alternatim ſagittarũ immiſſionib. impetũtur, & dum ab vtriſq; fortiter agitur, à Regis exercitu tot lapidũ ictibus ciuitas infeſtatur, vt videretur omnib. quaſi alluuione grandinis ſubuertẽda. Per quatuor. n. fere horas à fundibulariis ſic fuit ciuitas infeſtata, vt nec quidẽ reſpiraculũ ſupereſſet. Tunc Gothorũ agmen virtute magnanima dilationẽ victoriæ non prẽſtolans, ad portas vrbis fiducialiter acceſſerũt, & ſuccẽſis portis ingreſſi ſunt ciuitatem. Tũc Victimirus ingreſſu Gothorũ * turbatus, in eccleſia beatæ virginis ſe recepit, plus gladio quẽ manu tenebat, ſe iactãs defenſurum, quã reuerentia aræ ſacræ. Vnus autẽ de exercitu audiens eũ verbis ſuperbiæ intonare, ſumpta tabula inuaſit eũ: ſed miſer & vilis corde diſſoluitur, & in terra cadẽs viuus capitur, & priuatus gladio quẽ tenebat, vinctus ducitur, & cũ his quibus vrbẽ tueri decreuerat, flagellis duriſſimis flagellatur. Ciuitate itaq; triũphio nobili iam obtenta, & multis bellatorib. communita, Biterram & Agatham ciuitates victoria ſimili ſubiugarunt, comprehenſis Agathæ Viliſmundo Epiſcopo, & Aragiſclo, & Ranoſindo germano Epiſcopi Viliſmundi. Poſt hæc contra Magalonam ſuas acies direxerunt:

Colibre Cauch, ibi hodie, Illiberri. Vulturaria Libya. Libya Caſtrum Aramſdio. quos 2. Sardonia receptarant. Sardonia Narbo. Biterrã. Lapidum. ſuppeſacti. Biterra Agatha. Biterra Aragiſclo

Gumillus quod audiens Gumildus pſeudopontifex eius vrbis, qui tunc aderat proditionis con-
ſcius mente & animo conſternatus fugam iniit, & Nemauſum ad Paulum peruenit.
Magalona Rex autem Bamba vrbem exercitu circumfuſo, & nauali prælio ſic arctauit, quod Maga-
lonam ſimili victoria ſubiecit pariter & muniuit.

De aduentu exercitus ad Nemauſum. CAPVT VI.

POST hæc contra Nemauſum Gotthorum acies diriguntur. Prima acies quatuor du-
cibus cum magno bellatorum agmine commendatur, in qua erat robuſta iuuentus fe-
re triginta millium pugnatorum: & iſti ſeduli præcurſores Regis exercitum præcedentes
in ortu auroræ Nemauſi conſpectibus aduenerunt coram oculis concluſorum, clari nobi-
litate animorum, pariter & armorum. Erat autem Paulus Nemauſi cum complicibus fa-
ctionis, & cum Francorum exercitu in auxilium aduocato. Verum in eadem ciuitate cum
Paulo erant potiores, & qui tandiu eius perfidiæ pertinaciter adhæſere, donec cum ipſo fa-
Flodo.rius. V.C. cti degeneres perierunt, * Gumildus Epiſcopus, Fruiſcus, * Flodorarius, Victimirus, Rani-
Gumillus mundus, Adoſyndus, Adulphus, Maximus, & Gothila, & alia peccantium ſynagoga, qua-
ſi ſtuppa pertinacia ſimili colligata. At vbi venientem Regis exercitum conſpexerũt, cum
paucos crederent, in campo confligere decreuerunt, ſed ſuſpicantes inſidias ſupereſſe, eli-
gunt in vrbe rei exitum præſtolari, præſertim cum crederent peregrina auxilia citius ad-
uentura. Vbi autem terris ſolis claritas eſt infuſa, tubis clangentibus cœpit Gotthorum
exercitus muros vrbis acriter impugnare, & eos etiam qui erant in vrbe, fundis, iaculis, &
Coartare. V.C ſagittis exitialiter * coarctare, & pugna ſimili qui interius reſiſtebãt, exteriorem exercitum
impetebant, & æquali certamine tota die & tota nocte crudeli Marte vndique concerta-
runt. Vnus autem conſpirationis particeps eminus ex muro proloquens, talia proclama-
uit: Quid hic (inquit) pugnæ inſiſtitis morituri? cur ad lares proprios non reditis? cur an-
Liuiana ſunt te tempus vitæ diſpendium procuratis? cur prærupta * montium, concaua vallium, con-
denſa nemorum, aſpera collium non requiritis? vt cum auxilii noſtri aduenerit fortitudo,
poſſitis ibi ſaltem ad modicum vitæ diſpẽdio prouidere: nec vt terream, ſic peroro, ſed ve-
ſtræ miſeriæ condeſcendo. Imminent enim auxilia aduentitia, quæ tanto vos durius ex-
tirpabunt, quanto virtute & multitudine præeminebunt, & tertia dies eſt hodie, ex quo ab
illo exercitu huc aduenis. Nec enim veſtro principe confidatis, quem vobis oſtendam à
noſtris auxiliatoribus captiuatum. Non ergo expedit pro eo vlterius decertare, quẽ forte
iam conſtat noſtrorum gladio interiſſe, & cum noſtra victoria vos inuoluerit, ſpes vobis
veniæ nulla erit. nec hæc dicens bellantes terruit, ſed ad pugnam potius animauit: ad mu-
rumq; viriliter accedentes pugnam acuunt acrius dimicantes. Et tunc ad Regem Bãbam
nuncios deſtinarunt, vt exercitus in auxiliũ properaret, ne forte aduerſæ partis auxilia præ-
Vandemirus. uenirent. Auditis nunciis in noctis initio Rex Bamba præmiſit cum Vandemiro duce de-
cem millia pugnatorum, qui tota nocte gradu propero incedentes in ortu diei ad eos qui
Nemauſum obſederant, aduenerunt, & quanto obſeſſoribus creuerunt animi, tantum ob-
ſeſſis elanguidis fuit demptum. Cum enim viderunt hoſtibus [exercitum] accreuiſſe, * e-
extimarunt xiſtimarunt Bambam principem aduenisse. Cumque Paulus in quandam turrim, vt exer-
citum conſpiceret, aſcendiſſet, deiectus animo ſic eſt affatus: Æmulum meum video ad-
ueniſſe, quem in ſuis diſpoſitionibus recognoſco. Hæ ſunt vires, hæc potentia, hic exer-
citus, nec habet amplius quid ſpectet, nihil eſt quod de cætero timeatis. Famoſa enim Go-
thorum virtus qua gentibus præeminebat, penitus iam defecit, quia præliandi deſuetudo
torpore confecit quos conſuetudo aſſidua virtute præfecit: & ſi ad certamen veniremus,
facti degeneres potius fugient, quam reſiſtent. Adhæc ex ſuis aliqui aſſerebant, Regem
ſine vexillorum inſignibus non venire. Ad quod Paulus, Ideo, inquit, ſine inſignibus adue-
niſſe, vt putaremus adhuc alium Regis exercitum ſupereſſe, & hoc fraude agitur, vt quos
bello non ſufficit, dolis euiret. Hæc Paulo dicente cœpit tubis regalibus exercitus concre-
pare, & vrbem variis inſultibus infeſtare, ſed qui intus erant, licet alia iactitarent, plus de
muri fortitudine quam de ſuis viribus confidebant. Vnde lapidum & iaculorum iniectio-
nibus inſiſtebant, & ingeminantes certamina rediuiua, plus ipſi quam exterior exercitus
lædebantur. Cumque pars Pauli ſagittis, & fundis, & ſpiculis, & vulneribus grauiter vr-
Fortitudo Gothorum geretur, iam timore affecti, & animo conſternati Paulo dixerunt: Non videmus Gottho-
rum audaciam decreuiſſe, non ſtrenuitatem in eorum aliquibus defeciſſe, ſed inſtans ma-
gnanimitas hoc confirmat, quod gentis illius antiqua nobilitas aſſueuerat, & plagarũ & vul-
nerum profunditas, Iam nos docet à quãtis viribus infligantur, & excuſſio iaculorum non
idus prius percutit, quam extinguat, * tactus lapidum ſimul vulnerat & occidit præter inſtãtiam
ſagit-

ſagittarum, quibus nequeunt arma reſiſtere, vel cautela. Quorum Paulus dum verbis trahitur, deſperationis iaculo figebatur.

De irruptione Nemauſi, & deſperatione Pauli. CAPVT VII.

EXERCITVS itaque Regis Bambæ reputans tardum ſi victoria in craſtinum differatur, accenſis animis concitati fere vſque ad horam nonam muros fortiter impugnarũt, portas vrbis ignibus ſuccenderunt, & muros irrumpunt, & in pleriſq; locis aditu patefacto occupant ciuitatem. Cumq; incluſi non poſſent ferocitatem intrantium tolerare, in præſidium confugiunt arenarum, quod à Gotthis fuerat antiquitus contra Romanorum potentiam obfirmatum: ſed viri exercitus perſequentes vſque ad præſidium cædere non deſiſtũt, adeo quod omnia fere habitacula & plateæ plenæ iacent cadaueribus mortuorum. Aliqui tamen de vulgo qui prædæ inſiſtere nitebantur, aduerſo gladio perierunt. Cumque in parte Pauli diſſenſio oriretur, eo quod incolæ proditionẽ in ſuorum aliquos retorquebant, mutuis vulneribus concidebant, & adeo inualuit iſta cædes, quod licet ipſe Paulus quendam eſſe de ſuis vernulis acclamaret, de manibus ferientium nõ potuit liberare. Vnde & factus contemptibilis, tam ipſe, quam ſui qui cum eo ab Hiſpania venerant, ab omnibus incolis ſuſpicioni & deſpectui habebantur. Verebantur enim ne in ſuis capitibus admiſſam Bambæ principis gratiam procurarent. Vnde & ſeditiua concertatione conciſi mirabili ſpectaculo caterua proſternitur perfidorum, & qui Gotthorum euaſerant vim, armorum ſuorum gladiis ceciderũt, ita vt penetralia & abdita cadauerib. eſſent plena, aliqui etiam lethali vulnere ſauciati mortuorum effigiem ſimulabant. Paulus autem talia videns tyrannidis ferocitate depoſita, magna cordis miſeria arctabatur, cum nec poſſet hoſti reſiſtere, * nec ciuibus ſubuenire. Vir autem quondam de familia Pauli calamitati cõpatiens, inquit Paulo: Quid agis? vbi ſunt conſiliarii qui te ad tanti ludibrii ſpectaculum perduxerunt? quid tibi profuit contra Regem & tuos inſurgere, cũ nec te, nec tuos valeas adiuuare? * Hæc vir ille inſultãdi animo dicebat, ſed memor beneficii ex cõpaſſionis amaritudine loquebatur. Tunc Paulus orauit, vt dolori confuſionem non admiſceret, & illico vir ille in gradu marmoreo, vbi talia proferebat, à Pauli militibus eſt occiſus, licet frequenti lachryma Paulus diceret eſſe ſuũ, & vt parcerẽt, flagitaret, ſed negligitur contẽptui habitus, quaſi continuo moriturus. Tunc Paulus omnino deſperans, quæ ſuperbe præſumpſerat regalia depoſuit ornamenta, & ea die reuoluto anno, hoc eſt in Kalendis Septembris, qua religioſus Bamba fuit ad regimen ſublimatus, ea die fuit * eruptio ciuitatis, & Paulus regalibus ſpoliatus coronã depoſuit cũ fortuna. His igitur malis Paulus proditor tabefactus, tertia die poſtquã depoſuit regni culmen, ſuis loquitur, vt mortis vale, aut vitæ conſiliũ ſibi darẽt.

Pauli deſperatio.

nec ſibi, nec ciuibus.

Nec, V.C.

irruptio

De legatione Argebadi Epiſcopi ad Regem. CAPVT VIII.

TVNC omnes communiter flagitant Argebadum Antiſtitem Narbonenſem, vt regi occurreret veniam petiturus. Hic eorum actibus non conſenſit, ſed coactum duxerant à Narbona, & tamen pietate ſolita condeſcendens ſuſcepit officium ſupplicandi, & celebratis diuini myſterii ſacramentis, eiſdem ſacris veſtib. cum quibus Deo immolauerat, quarto ab vrbe milliario exiuit obuiam principi veniẽti. Et cum ad Regis præſentiam peruenisſet, de equo deſcendens coram maieſtate regia ſe proſtrauit. quem Rex vt vidit, pietate motus illico ſubſtitit, & iuſſit à terra pontificem eleuari, & pontifex voce flebili principi ſupplicauit eiulans atq; dicens: Peccauimus, inique egimus, nec tanti principis venia digni ſumus, cum ſit noſtra iniquitas non tantum terræ, ſed cœlo etiam reuelata, quia & promiſſæ fidei pacta fregimus, & læſæ crimen incurrimus maieſtatis, ſed pietatis tuæ clemẽtia cõdeſcendat, & præſtet * venia quod petitio non meretur, vt ad internecionem mucro nõ ſæuiat, & gladius reliquias non extinguat, & ſaltẽ remaneat ſeminarium incolarũ. Iube ergo ceſſare à ſanguine, quia pauci euaſimus, & pro paucis veniã poſtulamus. Si enim cito nõ peperceris, non ſupererit cui parcas. Regis clementia his cõmota vitam omnib. pollicetur ſalua iuſtitia tãtæ culpæ. Pro tãta gratia præſul lętus addidit ſupplicare, vt ad iuſtitiã cõdonaret. Sed Rex inquit, ꝙ iam dixi penitus obſeruabo, ſed cõditiones alias nõ admitto: tibi autẽ ſoli ſufficiat me in omnib. pepercisſe. Rex itaq; propter nimiam inſtantiã aliquantulũ indignatus properauit ad arenarũ præſidium capiendum animoſus, eo quod audierat Francorũ auxilia aduenire. Rex itaque cum exercitu procedente armorum fulgor ex ſolis reuerberatione præfulgidus terrã quaſi ſplendore duplici radiabat, & tantus erat decor exercitus, quod vix poſſet ei aliqua gloria comparari, cum maiores, mediocres, & iuuenes ſic procederent ordinate, vt nullus eſſet qui à ſuo ordine diſſideret, & ſpecialibus vexillis quælibet acies ſignabatur. Fertur etiam angelorum præſidia affuiſſe, & multis videntibus pugnatorum animos erexiſſe. Cumq; duæ manus quæ ſecum aderant, & illa quæ in Aquitaniam iuerat,

Argebadus antiſtes Narbon. pro ſe & aliis, qui ab excidio euaſerunt, veniã Rege petit.

Veniam

Angelorũ præſidia.

principi aduenisſent vno ab vrbe ſtadio, viſione iam angelica roboratus diſpoſitis aciebus corda ſuorum ad bellum excitat perfidorum. *Inualeſcerat* * Inualuerat quippe rumor, Francos & Saxones qui in ſubſidium venerant obſeſſorum, ad belli dubia ſe parare: ſed cum nil eſſe princeps ſtrenuus comperiſſet, niſi quod aliqui qui nuper aduenerant, talia iactitabant, mox præcepit, vt de caueis arenarum proditores cum ſibi fauentibus abſtrahantur, vt viui principi præſententur. Bellatoribus autem iuſſa complentibus Paulus cum complicib. mox extrahitur de abditis arenarum, & per murum fune depoſitus, à duobus ducibus capillis tractus, & ludibrio habitus principi præſentatur. Quo viſo Rex magnificus prorumpens in lachrymas cœpit Regem omnium collaudare, & protenſis in cœlum manibus proclamauit: O Rex omnium te collaudo, qui humiliaſti ſuperbum, vt vulneratū, & in brachio virtutis tuæ aduerſarios diſperſiſti. Sed mox Paulus vt faciē Regis vidit, ſoluto cingulo quo cingebatur, ſuper terram coram Regis pedibus ſe proſtrauit, & collum cingulo propriis manibus alligauit. Iam enim exanimis & pauore perterritus quid faceret ignorabat, qui paulo ante ſe viderat glorioſum. Cum itaque ante principem Paulus & complices ſic iacerēt, *Regis compaſſio* * Regis compaſſio inquit ita: Cur ad tantum malum veſaniæ prorupiſtis, vt malum pro bono beneficio redderetis? vitam dono, ſed ſub arcta cuſtodia præcipio conſeruari, donec de vindicta iudicium agitetur. Tunc traditi ſunt per exercitum certis cuſtodiis deputati. Francos autem & Saxones qui capti fuerant, iubet mitius pertractari. Erant enim nobiles, & ſtipendio, non odio trahebantur: quos omnes poſt diem octauum decimum datis muneribus ſuis terris reſtituit manumiſſos.

De reparatione Nemauſi, & reſtitutione ſacrorum. CAPVT IX. V.C.

POST hæc autem Rex condolens dirutæ ciuitati præcepit muros cum inſtantia reparari, & incenſas ianuas renouari, & occiſorum corpora ſepeliri, & vulneratos medicorum officio confoueri, & theſauros omnes qui capti fuerant, ſolerter inquiri, & cum diligentia cuſtodiri, non cupiditate illectus, ſed ſacrorum reuerentia prouocatus. Proditor enim Paulus timēs ne ærarium quod à Rege ſuſceperat, ſibi deficeret, ſacrorum ſpoliis ærarium augmentauit, & vaſa aurea & argentea quæ habere potuit, de theſauris domini ſacrilegus infiſcauit, & coronam auream quam Recaredus princeps deuotiſſimus Gerūdæ ad altare beati Fœlicis obtulerat, veſanus Paulus ſuo capiti vſurpauit. *Sanctus Fœlix Vſurpauerat* * Rex ergo Bamba ſacra vaſa quæ potuit reperire, præcepit ſuis eccleſiis redonari. Tertia feria poſt victoriam Paulus cū aliis qui erant cuſtodiæ deputati, ligatus principi exhibetur. Cumq; vinculatus cum ſuis tribunali adſiſteret: *perfide* Adiuro te per * fidem (inquit princeps) vt ſi te læſi in aliquo, aut tibi malum occaſione malitiæ procuraui, hic ediſſeras coram cunctis, vt contra me tantum facinus cogitares, & regni etiam apicem attentares. Mox Paulus coram omnib. proteſtatur, ſe à principe nunquam læſum, nec in aliquo moleſtatum, ſed ſuis beneficiis plus merito exaltatū, & quod fecerat, inſtinctu diaboli ſe feciſſe. ſimiliter & omnes factionis * complices reſponderunt. *Paulus proditor complures officio* Tunc iubentibus ſenioribus & viris illuſtribus ex * iudicio palatino qui iudicialiter aſſiſtebant, prolatum eſt inſtrumentum Toleti cōfectum, in quo (ſicut ſuperius diximus) Paulus fidelitatē, ſicut alii, Regi & patriæ iuramento & ſubſcriptione manus propriæ roborauit. Allatæ ſunt etiam & relectæ conditiones quibus iurare populū ſibi fecit, vt ei inſeparabiliter adhærerent, & ei fideliter obedirent, & tanquam principem obſeruarent, & contra Regem Bambam & defenſores illius efficaciter adiuuarent, & contra deiectionem eius vel periculum vſq; ad effuſionē ſanguinis totis viribus dimicarent, & glorioſum Bambam infauſtum Regem in concione ſua ſententialiter iudicarunt. His conditionib. & electione Bambæ in commune perlectis, à ſeniorib. & viris illuſtrib. iudicati ſunt ſentētialiter Paulus & ſui, Regis & patriæ proditores, eo quod in Regis mortē & patriæ exterminium coniuraſſent: *An vt ſcurra-dicerent [illegible] 11.* vnde & capitali ſententia condemnantur. Sed Rex verax, promiſſi non immemor, præcepit eis vitam, ſicut Archiepiſcopo promiſerat, conſeruari, ſed decaluationis obprobrio tunc confuſos effoſſis oculis præcepit in vinculis cuſtodiri.

De fuga Lupi ducis, & metu Francorum. CAPVT X.

Theutonicos ITERVM rumor increbuit ex aduerſo Francos & Teutonicos contra Regem quantocius aduenire. Quod Rex memor antiquæ iniuriæ ſuæ gētis gratanter accepit, experiri cupiens contra Francos. vnde & aliquandiu expectauit. Sed falſo rumore penitus expirante, deliberauit cum eis in eorum finibus experiri. Sed quia pacta pacis cum Rege Francorum interceſſerunt, noluit pacis fœdera violare: & tamen Francorum vrbes quæ magnis munitio-

munitionibus præminebant, aduentu Regis in Galliam Gothicam iam audito, ab eius facie timuerunt, & proprium excidium deplorantes à propriis ſedibus receſſerunt, vitæ ſuæ latebroſis ſubſidiis prouidentes. Cumq; Rex * Francorum à vaſtationis propoſito iam ceſſaſſet, & Nemauſenſem vrbem foſſatis & muris fortiſſimis reſtauraſſet, nunciatum eſt ei Lupum ducem de nobilioribus Franciæ Biterrenſe territorium deuaſtare. Quod Rex audiens cum exercitu properans Lupi fugam voluit præuenire. Sed cum Lupus iuxta villam quæ Aſperianum dicitur, regreſſum principis audiuiſſet, tanto timore fugæ periculū meditatur, vt ſui ſibi & ipſe ſuis viderentur penitus iam deeſſe. Et partita fuga omnes ſine comitatus ſolatio aufugerunt, prædas & ſpolia, & diuitias quas attulerant, hoſtibus reliquerunt, & multi quibus timor abſtulit alas, capti * poſtea rem auferunt, & tanta fuit celeritas fugientis, quod non potuit conſequi ſtudium ſubſequentis, & ſic fugerunt ad abſcondita latebrarum, quod pauci aut nulli potuerunt inueniri.

A Francorum V.C. — *Lupus.* — *Aſperianum.* — *remanſerunt.*

*De * reformatione prouinciæ Narbonenſis, & reditu Regis in Hiſpaniam.* *reparatione.*

CAPVT XI.

FVGATO itaq; Lupo duce, princeps victor fœlici regreſſu Narbonā peruenit, & diſponens de prouincia Narbonenſi, & de Ruteno & Alba ciuitatibus quæ tunc ad eam * ciuitatem pertinebant, præcepit diruta reſtaurari, & eos qui ob metum diſcidii fugerāt, reuocari, & conſuetudines indebitas in melius immutari, & omnia loca à malis vſibus reformari, & locis debitis rectores qui clementer agerent, deputari, vt terra tantis ſordibus deformata quaſi nouo baptiſmate purgaretur. Præcepit etiam vt Iudæi quos Hildericus vocauerat, ab illis finibus pellerentur, ſtatutum omnium pacis concordia roborauit, & radicem rebellionis & ſchiſmatis penitus extirpauit, & dimiſit ibi manum validam fortiū bellatorum, Francorum prælia non formidans, immo potius vilipendens, cum nullus eſſet principum vicinorum qui cum eo præſumeret concertare. His omnibus prouide ordinatis, diſpoſuit in Hiſpaniam remeare. Cumque ad locum qui Canebat dicitur, perueniſſet, concione totius exercitus conuocata, omnibus grates refert, quod tam fideliter, tam viriliter, & tam ſtrenue ſibi in omnibus aſtitiſſent, & quod eorum præliis tam cito rebellia ſubieciſſet. Vnde & imperterritus animo princeps clemens cunctos abſoluit, dans licentiam & ſumptus itineris, vt quo placeret itinere remearent: ipſe quoque Helenam veniēs, biduum ibi manſit. Indeque veniens in Hiſpaniam ſexto menſe à ſuo receſſu rediit glorioſus, & quarto fere milliario ab vrbe regia Paulus cum ſociis factionis decaluatis capitibus, raſis barbis, pedibus denudatis, induti ſaccis, camelis impoſiti, & Paulus confuſionis potior corona picea coronatus, ſequente longa deductione ſuorum, quos cæcitas & proditio deducebat, facti omnibus in deriſum & ludibrium, in opprobrium & cachinnum, vrbem ingreſſi ſunt Toletanam, & carceri deputati, vt qui ſupra ſe nequiter leuauerunt, ſedeant ſolitarii & tabeſcant.

Rutenum. Alba. prouinciam. — *Canebar.* — *Helenam.*

De reparatione vrbis Toletanæ.

CAPVT XII.

POSTQVAM igitur rex cum triūpho nobili fuit ſedi regiæ reſtitutus, ſceptra regni meditans eleganter, ciuitatem Toleti muro & exquiſito opere renouauit, quam & operè ſculptorio verſificando præticulans, hoc in portarum epigrammatibus ſtilo ferreo in nitido lucidoque marmore fecit ſcribi:

Erexit factore Deo Rex inclytus vrbem
Bamba, ſuæ celebrem protendens gentis honorem.

In memoriis quoque martyrum, quas ſuper eiſdem portarum turribus titulauit, hoc ſimiliter exarauit:

Vos domini ſancti quorum hic, præſentia fulget,
*Hanc vrbem & plebem ſolito ſeruate * fauore.* *ſaluate*

Hic anno regni ſui quarto in Toletana vrbe beatæ Mariæ ſemperque virginis atrio in ſecretario poſt trāſactos octo & decem perturbationum & diuerſarum cladium annos, concilium ſalutis parauit: & iſtud fuit concilium vndecimum Toletanum ſub Quirico vrbis regiæ primate. Interfuerunt huic concilio ſedecim Epiſcopi, & multi vicarii abſentium Epiſcoporum, cum quibus & tēpora abſq; concilio prætereuntia deplorarunt. In hoc vero [concilio] conſolationem cum tantis viris recepit, & ibi * fuit [tunc] illud concilium conſtitutum, * vt vicini Epiſcopi ſingulis per annum menſibus in vrbe regia debeant commorari. Huius tempore ducentæ ſeptuaginta naues Arabum ad littus Hiſpaniæ peruenerunt, cumq; cædes & vaſtationes agerent, & ad Regis notitiā perueniſſet, miſſo exercitu bellatorum ilico capiuntur, & naues incendio concremātur, & pars potior aduentorū gladio de-

Conc. 11. Tolet. — *270 naues Arabum.* — *cum lege lata & vt Vicini. V.C.*

by Google

Port. Graculi perſ. dia ſup. lib. 3. 2. Ardauaſtus. Honorifice & ſobrinam. Graculi perſ. dia 3 lib. 3. c. 2. Eruigium. Rex Bāba monachus. Religioſus.

truncatur,& pars alia captiuatur: & ſic exercitus ad Regem cum gloria eſt reuerſus. Tempore autē Cindaſuindi Regis ex Græcia vir aduenit nomine * Ardauaſtus, qui ab Imperatore ſuo expulſus, mari tranſuectus in Hiſpaniam eſt adductus. Quem Rex Cindaſuindus ſuſcepit * magnifice, & conſobrinā ſuam ei matrimonio copulauit, ex qua ſuſcepit filium quem Eruigium nominauit: qui Eruigius in palatio nutritus proceſſu temporis honore Comitis ſublimatur, mortuoque Cindaſuindo in ſuperbiam eleuatur, & contra Regem Bambam factionem incepit callide cogitare, & Regis potui ingeſſit herbam per quā Regis memoria turbaretur. Cumq; Quiricus Epiſcopus vrbis regiæ & optimates palatii intelligerent Regem memoria deſtitutum, & cauſam penitus ignorarent, ne Rex catholicus ſacramentis fidei fraudaretur, ſtatim confeſſionis & pœnitentiæ antidotum obtulerunt,& Rex * glorioſus deuote ſuſcepit, & religionis habitum poſtulauit, & ad monaſterium conuolauit in villa quæ Pannis plica dicitur, & ibi creditur tumulatus, & vixit in regno annis nouem, & in monaſterio annis ſeptem.

De regno Eruigii, & Iuliano Pomerio. CAPVT XIII.

Æra 723. Theodofredus Ciſilone. In m S. erat. Hunc tranſtulit rex Alfonſus in capellā S. Leocadiæ, quam ipſe conſtruxit in Vrbe Regia Toleti iuxta Caſtrum ſuum Concil. Tolet. 12. ann. Dom. 681. ſecūdū Vaſæum 13. Conc. Tolet. 683. Æra 721. Vaſæus an 684 Concilium 14. Tolet. 10. Æra 722. Boetius Epus in prologo ad lib. prognoſtici futuri ſeculi Iuliani, ait Conc. videlicet Toletanum, celebratum fuiſſe ann. 682. Vaſæus ait Concil 14 celebratum fuiſſe anno 685. Hallucinatum Rodericū putat Vaſæus Chronic. et ann. 684. ſed vereor, ne & ille deceptus ſit nominis ambiguitate. Vide Com. vide inſr. lib. 4. c. 3. in fin. pag 6 & Amb. Moral. copioſe lib 12. c. 58. Æra 730. Narbo.

HVic ſuccedit Eruigius, eo quod eſſet Recenſuindi ſobrinus, ſed tyrannide, non de iure. Reliquerat enim Receſuindus filium paruulum Theodofredum cui regni ſucceſſio debebatur. Cœpit autem regnare Eruigius æra ſeptingenteſima viceſima tertia, & regnauit annis VII. Hic Ciſilonem filiam ſuam magno viro Egicæ Bambæ principis conſobrino dedit vxorem propter Recenſuindi filium Theodofredum, ne regni eius primordia impediret. Huius in tempore fames valida Hiſpaniam pro parte depopulauit. Hic anno regni ſui primo procurauit fieri concilium duodecimum Toletanum quinto idus Maii, in quo fuerunt triginta quinque Epiſcopi cū inæſtimabili clero, & Chriſtianorum collegio laicorum. Et hoc concilium fuit ſub Iuliano vrbis Regiæ primate, & ſubſcripſerunt Iulianus Hiſpalenſis, Luiba Braccharenſis, Stephanus Emeritēſis, & ſuffraganei, & vicarii abſentium prælatorum. Anno quarto Flauii Eruigii principis fuit celebratum tertium decimum concilium Toletanum ſub eodem Iuliano primate, & interfuerunt Epiſcopi numero quadraginta octo, Luiba Braccharenſis, Stephanus Emeritenſis, Spandus abbas agens vicem Tarraconenſis, Pacatus abbas agens vicem Sumphredi Narbonenſis,& alii Epiſcopi Hiſpaniæ & Galliæ cum vicariis abſentium vices agentibus. Quartum decimum concilium Toletanum fuit anno quinto Flauii Eruigii ſub Iuliano vrbis Regiæ primate, ſubſcribentibus Vitelliano Cypriani Tarraconenſis metropolitani vicario, & Ioanne abbate Sumphredi Narbonenſis archiepiſcopi vicem agente, & Maximo abbate vicario Stephani metropolitani Emeritēſis, Reciſindo vicario Luibæ Archiepiſcopi Braccharenſis, Gaudentio vicario Floriſindi Archiepiſcopi Hiſpalenſis,& ſubſcripſerunt ſedecim Epiſcopi,& alii vicarii abſentium prælatorum. Et fuit celebratum hoc concilium die dominico, duodecimo Kalend. Decembris. In cuius tempore iam * Iulianus Epiſcopus [dictus Pomerius] ex traduce Iudæorum, vt flores roſarum de inter vepres ſpinarum productus omnibus mundi partibus in doctrina Chriſti manet præclarus, qui & iam à parentibus Chriſtianis progenitus ſplendide in omni prudentia Toleti manebat edoctus, vbi & poſtmodum epiſcopatu extitit decoratus.

De regno Egicæ & ſcriptura Benedicto Papæ tranſmiſſa. CAPVT XIV.

EGICA gener & ſucceſſor Eruigii poſt mortem eius ad regni Gothorum aſſumitur principatum æra ſeptingenteſima trigeſima, & regnauit annis decem, & cum filio annis tribus: ſed iſti tres anni patri, non filio computantur, & ita in vniuerſo regnauit annis tredecim, & dum regnum accepit, filiam Eruigii coniuratione Bambæ abiecit. Hic Gothos morte fuit & odio perſecutus. Huius tempore inguinalis plagæ neceſſitas inualuit in prouincia Narbonenſi, occaſione cuius ad Narbonenſem cathedram Epiſcopi pertinētes à Toletano concilio excuſantur, ita tamen quod eiuſdem ſacri concilii inſtituta in ſingulis cathedralibus eccleſiis nuncientur & admittantur: & ſi quis Epiſcoporum hæc non fecerit, & anathemate feriatur, & quinta bonorum parte mulctetur. Anno regni eius primo

15. Conc. Tolet.

quintum decimum concilium celebratur Toleti in eccleſia prætorienſi ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omnibus Hiſpaniæ & Galliæ Epiſcopis aggregatis, beatæ memoriæ Iuliano doctore clareſcēte, ſub ſexagenario numero Epiſcoporum, & multiplici Chriſtianorum collegio in circuitu aſſiſtente. In quo pro diuerſis cauſis, & pro abſolutione iuramenti

ramenti quod præfato principi Eruigio noxaliter fecerat, expoſcit ſynodum, vt ſolueretur à iuramento. Eius in tempore librum de tribus ſubſtantiis, quem dudum Romam miſerat primas ſanctiſſimus Iulianus, & minus caute tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quod voluntas genuit voluntatem, ſanctus Iulianus veridicis teſtimoniis in hoc cōcilio ad exactionem præfati principis per oracula eorū quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmauit, & apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos legatos presbyterum, diaconum, & ſubdiaconum viros eruditiſſimos, & in omnibus Dei ſeruos, & in diuinis ſcripturis imbutos, cum verſibus etiam acclamatoriis, ſecundum quod & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperatoris. Quod Roma digne & pie recipiens cunctis legendum indixit, atque * Imperator adclamando, *Laus tua Deus in fines terræ*, lectum ſæpius notum fecit, qui & reſcriptum domino Iuliano per ſupra ſatos legatos cū gratiarum actione & cum honore remiſit, & omnia quæcumq; ſcripſit, iuſta & pia eſſe deprompſit. Et fuit hoc quintum decimum concilium Toletanum celebratū anno primo Regis Egicæ quinto idus Maii ſub Iuliano vrbis regiæ primate, & ſubſcripſerunt * Sumphredus Narbonenſis, Floreſindus Hiſpalenſis, Fauſtinus Braccharenſis, Maximus Emeritenſis, metropolitani, & Siſuldus vicarius Cypriani Tarraconenſis, & alii vicarii Epiſcoporum, qui nō venerant cauſa legitima impediti, & fuerunt præter vicarios ſexaginta vnus. Anno ſexto Flauii Egicæ nonis Maii fuit celebratum ſextum decimum concilium Toletanum ſub Fœlice vrbis regiæ primate, & ſubſcripſerunt Fauſtinus Hiſpalenſis, Maximus Emeritenſis, Vera Tarraconenſis, Fœlix Braccharenſis, metropolitani, & *alii [Epiſcopi ſuffraganei, & vicarii abſentium vices agentes. Anno ſeptimo Flauii Egicæ Regis quinto idus Nouembris fuit celebratum ſeptimum decimum concilium Toletanum in eccleſia ſanctæ Leocadiæ, vbi ſanctum eius corpus requieſcit, in ſuburbio Toletano ſub Fœlice vrbis regiæ primate, qui grauitatis & prudentiæ excellentia nimia præpollebat, &* ſubſcripſerunt Fauſtinus Hiſpalenſis, Maximus Emeritenſis, Vera Tarraconenſis, Fœlix Braccharenſis, metropolitani] præter abſentes qui pro ſe vicarios deſtinarunt. In quo concilio idem Rex præſentialiter adfuit, & coram omnibus humi proſtratus ſe eorum orationibus commendauit, & tomum quē manu tenebat, primati & concilio offerens, ſuper iis quæ ibi continebantur, ſibi ſatisfieri poſtulauit: & hæc omnia in libro canonum pleniſſime declarantur.

Papa leg. ex m. S. quem citat Ambroſius Moral. lib. 12. c. 58. pag. 191. a.
Pſal. 47.
Sumifredus.
15. Concil. Tol. Æra 727. 689.
16. Concil. Tol. Fœlix Tolo. ſubſcribunt
17. Concil. Tol. S. Leocadia, cuius reliquiæ in monaſterio Hannonie D. Gislarii, Monachorum ordinis aſſeruari creduntur. Vide Vſuard. Noſter concilium ſecutus eſſe videtur. Patet igitur, ad tempora vſque Rod. Toleti aſſeruatas reliquias fuiſſe.

De morte Egicæ, & regno Vitizæ. CAPVT XV.

HIc Flauius Egica tribus annis ante mortem * Vitizam filium ſuum quem ex Ciſilone ſuſceperat, præfecit Galleciæ quæ olim regnum fuerat Sueuorum, & præcepit, vt in Tuda quæ eſt vna de amœnioribus Galleciæ ciuitatibus, reſideret, & illuc etiam Flauius Egica Faſilam ducem, patrem Pelagii, licet inuitum, exilio relegarat. Quem Faſilam Vitiza occaſione vxoris fuſte in capite vulnerauit: ex quo vulnere mortuus fuit iuxta Vrbicum, & ibi ſepultus in villa quæ Duodecim manus, ab aliis Palatium, appellatur. Poſt hæc Flauius Egica propria morte Toleti moritur, & ibidem honorifice ſepelitur. Cui ſucceſſit filius eius Vitiza æra ſeptingenteſima quadrageſima, & regnauit annis nouem, qui patri ſuccedens in ſolio, quamquam petulcus, clementiſſimus tamen fuit, & non ſolum quos pater exilio condemnauerat, verum * etiam quaſi clientulos, vt reſtitueret, laborauit. Nam quod pater impoſuerat Praue iugum, ipſe modice releuabat, quos & pater patrio ſolo abdicauerat, ipſe reſtituens fœlici ſtatui redonabat: & poſtremo conuocatis omnibus cautiones inſtrumentorum quas pater in dolo confecerat, ipſe in conſpectu omnium digno incendio concremauit, & non ſolum liberos reddidit ab inſolubili vinculo cautionum; verum etiam omnia reſtituit quæ Egica infiſcarat, & expulſos officio reſtituit palatino. Hic in eccleſia ſancti Petri quæ eſt extra Toletum, cum Epiſcopis & magnatibus ſuper ordinatione regni concilium celebrauit, quod tamen in corpore canonum non habetur. Cumq; Vitiza circa initium optime inchoaſſet, cœpit poſtmodum flagitioſius ſe habere, & Pelagium filium Faſilæ ducis Cantabriæ, qui poſtea contra Sarracenos cum Aſturibus rebellauit, ob cauſam patris quam prædiximus, ab vrbe regia coegit expulſum, & cum antea petulanter ageret in occulto, iam nunc luxus * impudicitiam publicat in aperto, & laxatis habenis nulli vitio ſe ſubtraxit. Et vtinam ſolus in ſuis ſordibus periiſſet, ne nobilitatem Gotthorū cleri & populi ſuis immunditiis infeciſſet. Ad tantæ enim perditionis & diſſolutionis peruenit cumulum, vt plures vxores, & concubinas ad ſatietatem libidinis ſimul detineret. Et exemplo ſimili viros illuſtres & potiores Gotthorum ad ſimilia facinora inducebat, quorum exemplo in minoribus populi peccata ſimilia inundabant. Per idem tempus Gundericus Toletanæ ſedis primas ſanctimoniæ dono illuſtris habetur, & in mul-

Vitizam
Æra 740.
recepit ad gratiam, verum miſericorditer
impudicitia publicatur
Regis ad exemplū totus componitur orbis. Claud.

Sinderedus Epiſcopus, cuius tempore Toletū Saracenis ceſſit. Fœlix & Gundericus ſancti.

Tingi tunc Hiſpaniæ parens Rhodanus.

Dumienſis V. C.

Huius libellus de 4. virtutib. qui falſò Senecæ hactenus adſcriptus.

Vide Vaſæum anno 694. Chronici.

Taionis V. C. & ſup. li. 2. cap. 20.

& Cordubæ] Vt in ora Corduba.

Hæc videntur confuſe dicta. apud Tudõtem clarius habetur.

Lucas Tudẽſis Sinderedum non meminit ſed Iuliani exulatore pẽ intruſum eſſe ait.

tis mirabilibus clarior celebratur. Huic ſucceſſit Sinderedus Epiſcopus vrbis regiæ primas vir ſanctimoniæ ſtudio clarus, & durauit vſque ad tempora Roderici, & ſub iſto fuit perdita ciuitas Toletana. Hic viros longæuos & honorabiles, quos in Eccleſia Toletana repererat, poſt mortem ſancti Fœlicis & Gunderici deceſſorũ ſuorum zelo ſanctitatis, licet non ſecundum ſcientiam, cœpit grauiter infeſtare, & hoc ad inſtinctum Vitizæ, qui propter ſui nequitiam eorum iuſtitiam timeſcebat.

De facinoribus & fraudibus Vitizæ. Capvt XVI.

VErvm quia * iſta ſibi in facie reſiſtebant, propter vexationẽ pontificis ad Romanũ Pontificem appellabant. Vitiza facinoroſus timens ne ſuis criminibus obuiarent, & populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam, immo præceptum, omnibus clericis, vt vxores & concubinas vnam & plures haberent publice iuxta libitum voluptatis, & ne Romanis conſtitutionibus quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, & ſic per eos populus retineretur. Tanta igitur temporibus facinorum alluuio inundauit, vt fere Gotthorum ſtrenuitas quæ conſueuerat regnis & gentibus imperare, in vitiorum altitudine iam ſubmerſa omnibus abominationibus ſubiaceret. Itaq; Gotthorum Hiſpanorumq; regnum diffuſum magnitudine dominabatur à mari vſque ad mare (a * Tingi enim ciuitate Africæ vſque ad Rhodanum ſuæ ſceptra propaginis dilatauit) excelſum nobilitate, largum abundantia, deuotum religione, pacificum vnione, clarum conciliorum eloquentia, Epiſcoporum frequentia, religioſorum reuerentia, ſanctorum pontificum Leandri, Iſidori, Heliadii, Eugenii, Ildefonti, Iuliani, Fulgentii, Martini * Dumienſis Idalii Barcinonenſis, * Taionis Cæſarauguſtani clara doctrina, & [Zazei] Cordubenſis profunda philoſophia. Sed quoniam humani generis inimicus humano generi non deſinit inuidere, ſeminauit in poteſtate ſuperbiam, in religione acidiam, in pace diſcordiam, in abundantia luxuriam, in ſolertia ignauiam, adeo vt ſicut populus, ſic & ſacerdos, ſicut impii, ſic & princeps. Qui cum pro ſuis iniquitatibus timeret expelli, muros præcepit dirui ciuitatum cunctarum, præter paucas quarum muros deſtruere formidauit, & arma ferrea in vomeres commutari, vt quaſi omnibus conniuens illicita, videretur quietem, & pacem, & * licita procurare. Ipſe tamen doloſe agebat, ne poſſent ſibi reſiſtere, qui volebant eius ſceleribus obuiare. Alluuione ergo voluptatum in tota Hiſpania inundante, Vitiza principe maieſtatis oculos prouocante repleta eſt terra iniquitate. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, & qui optimus, quaſi paliurus, & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.

De cauſis diſſenſionis propter quas fuit deſtructio Hiſpaniæ ſubſecuta. Capvt XVII.

SEd quia dominus voluit Gothorum gloriam incuruare. Satan immiſit in pacem quam ſimulauerat Vitiza. Cum enim * Theodofredus filius Recenſuindi, qui in ætate paruula a patre fuerat derelictus, & in iuuenili ætate placidus, elegantis formæ, & indolis gratioſæ, ab omnibus amaretur, timens Egica pater Vitizæ ne iuuenis tanti generis & tantæ * ſpei ad regni faſtigium aſpiraret, à propriis finibus Cordubam exilio relegauit. Cumq; ſibi manſio Cordubæ placuiſſet, ibi palatium miræ fortitudinis fabricauit, quod & filius eius ætatis robore adoleſcens & dilatauit, & obfirmauit, qui aliquandiu ibi moratus duxit vxorem de regali genere nomine * Ricilonem, ex qua ſuſcepit filium Rodericum. Cum autem Vitiza regni gubernacula poſt patrẽ ſuum Egicam ſuſcepiſſet, æmulatione, qua pater, cœpit perſequi Theodefredum, donec captum vtroque lumine fecit * orbum. Pelagium etiam cuius patrem apud Tudam fuſte peremerat, volebat pœna ſimili condemnare, ſed ad Cantabriam fugiens euaſit furiam perſequentis, quia volebat Dominus liberationis * aſylum in Hiſpaniis conſeruare. Vitiza autem ſacrorum canonum inimicus Oppæ fratri ſuo Archiepiſcopo Hiſpalenſi contradidit eccleſiam Toletanam, eiuſdẽ eccleſiæ viuente pontifice Sinderedo, vt ſicut ipſe carnali ita & frater ſpirituali adulterio fœdaretur, & vt iniquitatem iniquitati adiiceret, violatis priuilegiis eccleſiarum reuocauit Iudæos, & maioris immunitatis quam eccleſias priuilegiis honorauit. Sed quia iuſto iudicio Dei agitur, vt actores ſcelerum pœnas ſubeant vltionis, de manu Domini duplicia ſuſceperunt qui pro ſimplicibus ſatisfacere noluerunt. Igitur Rodericus filius Theodofredi, quem Vitiza, vt patrem, priuare oculis * viſus fuit, fauore Romani ſenatus qui eum ob Recinſuindi gratiam diligebat, contra Vitizam decreuit publice rebellare. qui viribus præeminens cepit eum, & quod patri ſuo fecerat, fecit ei, & regno expulſum, ſibi regnum electione Gothorum &

ſenatus

ſenatus auxilio vindicauit. Vitiza itaque plenus abominationibus, vacuus regno, orbus oculis, propria morte Cordubæ quo Theodofredum relegauerat, exul & exrex vitam finiuit æra DCCLI. Cumque duos filios reliquiſſet, Siſibertum & Ebam, neuter ſucceſſit in regno, eo quod eſſent propter patris inſolentias omnibus odioſi. *Æra 751. Siſibertus*

De regno Regis Roderici. Capvt XVIII.

HORTANTE autem & adiuuante ſenatu, & adhuc Vitiza viuente, cœpit conregnare Rodericus vltimus rex Gothorũ, anno Vlit quarto, Arabũ vero XCI. æra DCCXLIX. anno ſeptimo Vitizæ: & tantum tribus annis regnauit, vno per ſe, duobus etiam cum Vitiza. *Æra 749.* Erat autem Rodericus durus in bellis, & ad negotia expeditus, ſed in moribus nõ diſſimilis Vitizæ. nam & circa initium regni ſui Vitizæ filios Siſibertum & Ebam probris & iniuriis laceſſitos à patria propulſauit, qui relicta patria ad* Recilam Comitem Tingitaniæ ob patris amicitiam transfretarunt. *Ricilam Toletanũ* Erat autem tunc temporis Toleti palatium à multorum Regũm temporibus ſemper clauſum, & ſeris pluribus obſeratum. Hoc fecit Rex Rodericus contra voluntatem omniũ aperiri, vt ſciret quid interius haberetur. putabat enim theſauros maximos inuenire, ſed cum aperuit, præter vnam arcam repoſitam nil inuenit. qua aperta reperiit quendam pannum, in quo Latinis literis erat ſcriptum: Quod cum contingeret ſeras frangi, arcam atque palatium aperiri, & videri quæ inibi habebantur, gentes eius effigiei quæ in eo panno erant depictæ, Hiſpanias inuaderent, & ſuo dominio ſubiugarent. quod Rex videns doluit aperuiſſe, &, vt erat prius, fecit arcam & palatium inſerari. Erant autem in panno depictæ facies, vt vultus, diſpoſitio, & habitus Arabum adhuc monſtrat, qui ſua capita tegunt vittis, ſedentes in equis, habentes veſtes diuerſis coloribus variegatas, tenentes gladios, & baliſtas, & vexilla in altum tenſa: qua pictura Rex & proceres timuerunt.

De violentia facta filia Comitis Iuliani, & coniuratione cum Arabibus.

Capvt XIX.

MOS erat tunc temporis apud Gothos, vt Domicelli & Domicellæ, magnatum filij, in regali curia nutrirentur. Inter cæteras Domicellas filia Comitis Iuliani præſtantior habebatur. Erat autem Iulianus vir nobilis de nobili Gothorum proſapia ortus, illuſtris in officio Palatino, in armis exercitatus, Comes Spathariorum, familiaris & conſanguineus Vitizæ, & in oppido quod Conſocra dicitur, & in maritimis diuerſarum poſſeſſionum titulis abundabat. Contigit autem vt idem Iulianus legationis cauſa à Rege Roderico in Africam mitteretur. Qua legatione pendente, Rex Rodericus filiam eius de qua diximus, violenter oppreſſit. Hæc erat Regi promiſſa, ſponſaliter non traducta. Alii dicunt vxori Comitis vim feciſſe. Sed vtrumlibet fuerit, Galliæ, Gothicæ & Hiſpaniæ exitialis excidii cauſa fuit. Verum peracta legatione rediens Iulianus, vt ſtuprum comperit vxore vel filia reuelante, dolorem continuit alacritate exterius procurata, & legatione expoſita receſſit indignans, & tempore hyemali nauigio iuit Septam, vbi vxorẽ cum rebus domeſticis collocauit, & habito verbo cum Arabibus in Hiſpaniam eſt reuerſus, & ægrotantis matris deſiderium ſimulans à Rege filiam impetrauit infirmæ matri ſolatio deſtinandam, quam receptam reſtituit matri ſuæ. Eo tempore Comes Iulianus Inſulam viridem, quæ nunc Arabice Gelzirat* alhadra dicitur, detinebat, ex qua barbaris Africanis damna plurima inferebat. vnde & ab eis plurimum timebatur. *balbarda dicitur, obtinebat Vlit* Erat autem tunc tẽporis in Africa princeps quidam qui Muza proprio nomine dicebatur, & erat ab* Vlit à Miramomenino præſes Africæ cõſtitutus. Huic fuit Iulianus Comes factioſo colloquio fœderatus, promittens ei ſi ſibi crederet, Hiſpaniam ſe daturum. Muza autẽ cognomento Abenozair audiens Comitem Iulianum gaudio eſt gauiſus, eo quod ſtrenuitatis eius magnalia expertus fuerat in periculis gentis ſuæ, & continuo verbum huiuſmodi Abulit à Miramomenino Arabũ nunciauit, qui inhibuit ei ne in Hiſpaniam cisfretaret (timebat enim poſſe in periculum redundare) ſed paucos mitteret, per quos poſſet promiſſum Comitis aperiri. Muza autem miſit cum Comite Iuliano quendam* Tarif nomine, & cognomine Abienzarcha cum C. militibus & CCCC. peditibus Africanis. & hi in quattuor nauibus tranſierunt, anno Arabum XCI. æra DCCL. in menſe qui dicitur Ramadan. *Tarif V. C. Æra 750.* Et iſte fuit primus aduentus Arabum citra mare, & applicuerunt ad inſulam citra mare, quæ ab eius nomine dicitur* Gelzirat hatif: & ibi ſubſtitit donec ad ſe cognati & complices ex Hiſpania aduenerunt, & primos inſultus fecit in *Gelzira Tarif*

Leouegildi. *Hic Vrbanus nõ reperitur in catalogo archiep. Tole neq; in capitulo & arario Toletano*

Gelzirat haladra, & inde abſtulit magnam prædam, & alia loca maritima deuaſtauit. Et Hiſpania miſera quæ à tempore * Leouigildi principis fere per c x l. annos in pace ſubſtiterat, iam nunc incipit innouatis antiquæ miſeriæ cladibus laniari. Cædibuſque in Luſitania & Bætica pro parte peractis, Iulianus cum Arabibus quos adduxerat, ad Muzam rediit faſtuoſus. His diebus Sinderedus de quo diximus, vrbis regiæ præſul & primas, aduentum Arabum expaueſcens, & Vitizæ inſolentiis fatigatus, Romanæ patriæ ſeſe dedit, oues deſerens, vt mercenarius, non vt paſtor. Viri autem longæui, de quibus diximus, Vrbanum virum ſanctimoniæ in Epiſcopum elegerunt, intruſione Oppæ qui iam nil poterat, non obſtante.

De ſecundo introitu Arabum in Hiſpaniam. CAPVT XX.

Tarif. Taric. *Gebel mons Tarc dicatur. Gebal. Æra 751.* *ignaui* *Muza. Raulam.* *Aſſidina Veteres V. C. Cumq; perueniſſet ad fl. qui dicitur Vada Lac prope Xerez.* *X C I I. Æra 752.* *Et in exercitu Chriſtiano dicuntur fuiſſe*

POſt hæc Muza vocatus ab Vlit à Miramumenino iuit in Africam, relicto in patriæ principatu * Taric Abentiet qui erat ſtrabo cui iniunxit, vt Iuliano Comiti auxilia largiretur, & amicitiam conſeruaret. * Tunc autem dedit Comiti Iuliano x i i. millia bellatorum quos ſeparatim duxit in Hiſpaniam in nauibus mercatorum, ne cauſa tranſitus perciperetur, & conuenerunt ad montem qui ab illo Mauro * Gebel Taric adhuc hodie nuncupatur (Arabice autem Gebel mons interpretatur) menſe Regeb, anno regni Arabum x c i i. æra d c c l i. Quæ cum ad Regis Roderici notitiã perueniſſent, miſit contra eos ſobrinũ ſuũ nomine Eneconẽ, qui cũ eis ſæpius dimicãs ſæpius fuit victus, & ad vltimũ interfectus. Vnde & Arabes ſumptis animis, audaciam aſſumpſerunt, Iuliano Comite eos per Bæticam & Luſitaniam deducente. Gothorum enim exercitus prima vaſtatione perculſus, & longa pace armorum vſibus deſuetus antiqua magnalia ignorabat & facti deſides, & imbelles, * ignari certaminis ſunt inuenti, & obicibus terga vertentes, ad mortem citius quam ad fugæ ſubſidia peruenerunt. Taric autem cum Iuliano Comite ad Muzam in Africam eſt reuerſus, & Iuliani fidelitas ex his factis apud Arabes fuit mirabiliter approbata. Vnde & Muza Taric & Comiti ampliorem exercitum ſociauit, & retinuit * Raulam Comitem Tingitanum, terrebant enim eũ doli Comitis laqueoſi, ſi forte cũ aliis mitteretur. Qui cũ in Hiſpaniã applicaſſent, in Bætica & Luſitania cœperũt direptiones & excidia exercere. Rex autẽ Rodericus audita ſtrage ſuorũ, & prouinciæ vaſtatione, Gothis omnibus congregatis aduentui Arabum ſe obiecit, & ad incurſum eorum ſtrenue properauit. * Cumq; veniſſent ad fluuium qui Guadalete dicitur, prope Aſſidonam, quæ nunc Xerez dicitur, ex alia parte ſedit exercitus Africanus. Rex autem Rodericus cum corona aurea & veſtibus deauratis, à duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, vt Gothorum Regum dignitas exigebat. Et per octo dies continuos à Dominica in Dominicam dimicarunt, ita quod de Taric exercitu fere decem & ſex millia ceciderunt. Sed Iuliano Comite & Gothis qui ſecum aderant dure inſtantibus, franguntur acies Chriſtianorum, qui longa pace & abundantia deſides, imbelles, & ignaui certaminis ſunt inuenti, & obicibus terga dantes. Die Dominica, quinto idus menſis Xauel, anno Arabum * x c i i i. æra d c c l i i. Rex Rodericus & Chriſtianus exercitus vincitur, & fuga inutili perierũt. Duo autẽ filii Vitizæ qui cũ Iuliano Comite conſpirauerãt, Regi Roderico in hoc prælio aſtiterũt, & alter a ſiniſtris alter à dextris collaterales acies gubernabant, & dicitur in præcedẽte nocte cũ Taric cõſilium habuiſſe, vt ipſis a bello ceſſantibus, Gothorum exercitus de facili vinceretur, & Rex Rodericus cum eſſet magnanimus, antequam fugeret, permitteret ſe occidi, & eo mortuo poſſet eis regnum perditum prouenire: non enim credebant, quod poſſent, vel vellent Arabes patriam retinere. vnde & in conflictu armis depoſitis, quantocius effugerunt. Et hoc ipſum Taric promiſerat, quod reſtitueret eis omnia quæ fuerant patris ſui. In exercitu Chriſtiano fuiſſe conſtat plus quam centum millia armatorum, ſed erat populus duorum annorum peſte & inedia imbecillis. Et quia diuina gratia protectionis manum elongauerat ab Hiſpanis, gens illa victrix, gens illa nobilis gens Gothorum cui ſe dederant Aſia, & Europa, & eius fugacibus Vandalis orbis ceſſerat Africanus, triumphis Arabicis incuruatur. Conſerto prælio cum Arabibus, Rex Rodericus fortiter inſiſtebat, ſed iners manus ſtrenuitatis Gothicæ recuruata, quæ multorum ſanguine conſueuerat gloriari, hoſtes ſuo cogitur ſatiare. Iulianus autem animabat Gothos qui ſecum aderant necnon & Arabes, vt bellum acrius reſtaurarent. Cumq; bellum ex vtraque parte inſtantius efferueret, alternis cædibus plurimi cecidere. Iam iamque Gothorum aciebus fere vndique conſternatis, Rex Rodericus interdum occurſibus nitebatur, ſed aliquandiu bello protracto gens Gothorum in parte cæditur, in parte fugæ præſidio liberatur. & dum hoc agitur, quid de Rege Roderico acciderit, ignoratur, tamen corona, veſtes, & inſignia & calciamenta

menta auro & lapidibus adornata, & equus qui Orelia dicebatur, in loco tremulo iuxta fluuium ſine corpore ſunt inuenta. Quid autem de corpore fuerit factum, penitus ignoratur, niſi quod modernis temporibus apud Viſeum ciuitatem portugalliæ inſcriptus tumulus inuenitur. *Hic iacet Rodericus vltimus Rex Gotthorum. Maledictus furor impius Iuliani, quia pertinax, & indignatio quia dura, veſanus furia, animoſus indignatione, impetuoſus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor diuinitatis, crudelis in ſe, homicida in dominum, hoſtis in domeſticos, vaſtator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amareſcet, & nomen eius in æternum putreſcet.*

De destructione Gothorum, & commendatione Hiſpaniæ. CAPVT XXI.

PROH dolor hic finitur gloria Gothicæ maieſtatis æra DCCLII. & quæ pluribus bellis regna plurima incuruauit, vno bello vexilla ſuæ gloriæ inclinauit. qui Scythiam, Pontum, Aſiam, Macedoniam, Græciam, & Illyricum variis cædibus vaſtauerunt, & eorum mulieres Orientalem plagam prælijs ſubiecerunt, & Cyrum magnum dominum Babyloniæ, Aſſyriæ, & Mediæ, Syriæ, & Hircaniæ, victum & captum in vtre ſanguinis extinxerunt, & cui victa Roma prouinciarum domina flexit genu, cui imperator Valens ceſſit incendio, cui ille eximius * Attila Rex Hunnorum * Catalaunico bello recognouit Imperium, cui Alani fugitiuo prælio Paunoniam dimiſerunt, cui Vandali ceſſerunt Gallias fugitiui, quorum bella minacibus tonitruis toti mundo à ſæculis intonarunt, Machometi nuper orta rebellio vno bello inaudito excidio conſummauit, vt diſcant omnes, ne diues in diuitiis, ne potens in potentiis, ne fortis in fortitudine, ne ſublimis in gloria glorietur. *Qui gloriatur autem, in Domino glorietur, quoniam ipſe vulnerat & medetur, ipſe percutit, ipſe ſanat.* Cum enim ſit Domini omnis terra, omnis populus, omnis natio, omnis lingua, omnia curſu inſtabili variantur creatore omnium ſemper & in omnibus ſtabili ac permanente qui mundi partes & climatum ſingula donis diſſimilibus adornauit, inter quas Hiſpaniam in Occidentis finibus conſtitutam omnium deſiderabilium copia vbertauit. Hanc (vt diximus) peragratis ferme omnibus &* obtentis Aſiæ & Europæ prouinciis, & experti bella & certamina, & quibus inſederant, varias manſiones attendentes in locorum commoda omnibus prætulerunt, eo quod inter omnes mundi prouincias ſpecialibus vbertatis titulis redundabat: quæ Pyrenæis montibus à mari vſque ad mare protenſis Oceano circumducitur & Tyrrheno Gallia & Gotthica, id eſt Narbonenſis prouincia cum Rutheno, Alba, & Vivario ciuitatibus, quæ, Gotthorum tempore ad Narbonenſem prouinciam pertinebant, & in Africa, vna prouincia decem ciuitatum, quæ Tingitania dicebatur, ad Gotthorum dominium pertinebant. Hiſpania quippe quaſi paradiſus domini vere principalibus fluminibus irrigatur, ſcilicet Ibero, Doria, Tago, Ana, & Bæti, montanis inter quælibet interiectis. Mediæque valles * ſui latitudine deſeruiunt vbertati, & humore fluminum fœcundantur, & pro magna parte riuis & fontibus irrigantur: ſed & puteorũ ſuffragia raro deſunt. Fœcunda frugibus, amœna fructibus, delicioſa piſcibus, ſapida lacticiniis, clamoſa venationibus, guloſa armentis & gregibus, ſuperba equis, commoda mulis, priuilegiata caſtris, curioſa vino, deſes pane, diues metallis, glorioſa ſericis, dulcis mellibus, copioſa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis dominio, facilis ſtudio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, nulla in fertilitate ſimilis, nulla munitionibus comparabilis, paucæ magnitudine æquales, in libertate præcipua, fidelitate precioſa, in audacia ſingularis. Sunt & alia flumina quæ retentis nominibus capitalia nuncupantur vt Minius qui in parte Gallecię oritur, & per eandem diſcurrens prouinciam in Oceanum deriuatur. Ab hoc & flumine prouincia illa Minea appellatur. Abaris & Succaris, quæ oriuntur in territorio Segontinenſi Toletanæ prouinciæ, in Rhenum retentis nominibus dilabuntur. Hoc ergo regnum tam nobile, tam ornatum, patriæ gladio in ſe verſo, quaſi in eo manus hoſtium non cœpiſſent, ſuccubuit vno impetu vix incepto: & captæ fuerunt omnes Hiſpaniæ ciuitates & manibus diripientium ſunt ſubuerſæ.

Æra 752.
Victoria Gotthorum.
Athila.
Cathalanico.
Catalanico.
obtentis omnib.
Quam late dominati Gothi.
Hiſpania laus ab vbertate.
ſecundum latitudinem.

Deploratio Hiſpaniæ, & de cauſa excidii Gothorum. CAPVT XXII.

Quadrant hæc in hæreticos.

BELLO autem miſerabiliter conſummato, cum vix ſupereſſet qui ad bellum ex alterutra partium non veniſſet, omnibus in ſe cæſis, remanſit terra populis vacua, ſanguine plena fletu madida, vlulatu clamoſa, aduenis hoſpita, ciuibus peregrina, nudata incolis, orbata filiis, confuſa Barbaris, infecta ſanguine, ſtupida vulnere, deſtituta munimine, & ſuorum ſolatio deſolata. Iam clades Herculis innouantur, iam Vandalorũ, Alanorum

& Sueuorum obducta vulnera reputreſcunt, quæ olim Romanorum gladio ſauciata, Go-
fœtu V. C. thorum medicamine poſt curata, nunc ipſa * fœtu cæditur, iam extincta & oblita cantica
in loquela labii, iam lingua loquitur peregrina. Viri exercitus in coccineis, & equorum
olla igneæ ſunt habenæ, eorum facies vt nigredo, vultus gloria quaſi * oleæ, & eorum oculi ve-
lut ignis, velocior pardis miles eius, & lupo crudelior veſpertino. Enimuero genti Aph-
rorum, quæ olim de viribus non præſumens dolis & diuitiis nitebatur, nunc cedit Gotho-
rum ſtrenuitas in momento, quæ citius cecidit quã dici poſſit, & vix relinquitur, vt deplo-
ret, quod mortis inſtantia non reliquit, vt clamet tranſeuntibus: Iam non viuo *Attendite ſi*
eſt dolor ſimilis ſicut meus, vox eius percipitur, vt Phitonis, & eloquium eius muſſitat, vt ex
humo, ploratus & vlulatus lugubris vix auditur. Hiſpania ſuos filios plorat, & conſolari 1
non potuit, quia non ſunt. facta eſt eius habitatio iam deſerta, eius gloria iam confuſa, iam
abierunt eius filii gladio ceciderunt, & eius inclyti iam captiui: principes eius in opprobrium * ha-
buerunt, & vix bellator in exterminium. Qui erant liberi, mancipati ſunt ſeruituti, qui
conſueuerant in militia gloriari, coguntur cultro & vomere incuruari, qui veſcebantur vo-
luptuoſe, nec vilibus ſatiantur, & qui nutriti ſunt in croceis, non tangibilia amplexantur,
vt nec inundatio pluuiarum, nec alluuio tempeſtatum eis potuerunt adæquari. quæ Hiſ-
paniam non prætereunt tempeſtates? paruuli alliduntur, adoleſcentes cædibus inuoluun-
tur, iuuenes gladiis extinguũtur, viri in prœliis proſternuntur, ſenes excidio conſumuntur
& quos ſenium & decrepita fecerat honorandos, hos Afrorum crudelitas abiicit extir-
pandos, mulieres ſeruantur ad ignominiam, & earum ſpecioſitas ad contumeliam. Qui 2
pepercit gladius inimicis, & in domeſticos debacchatur. robuſtus animo occubuit gladio, qui velox pedibus à ſagittariis eſt confoſſus. * *Pepercit gla-*
dius inimicis, & in domeſticos debacchatur: non erat qui reſiſteret Gothis dimicantibus in ſeip-
ſos. Quis dabit capiti meo aquas, & fontem oculis lachrymarum, vt plorem excidium
Hiſpanorum, & miſeriam gentis Gothorum? Conticuit religio ſacerdotum, ceſſauit fre-
Quanta iuſtitia nostri tempo-ris haretici quentia miniſtrorum, abſceſſit diligentia prælatorum, periit doctrina fidei & ſanctorum
vnio, pater ſoluitur orthodoxorum, ſanctuaria deſtruuntur, eccleſiæ diruuntur, & quæ
† laudabant in cymbalis, prouocant in blaſphemiis, *lignum ſalutis* à ſanctis eiicitur. non eſt qui
adſpiciat vt ſaluetur. Solẽnia penitus ceſſauerũt, & Eccleſiæ organa in blaſphemiã tranſie-
runt, nõ eſt qui iubilet in eccleſiis. & ſubſannat cõfeſſio Machometi, defœdat abuſio orna-
eruuntur habitatores mẽta, & vaſa ſancta contaminãt alieni, religionẽ deuorãt inimici, & omnis habitatio deſola- 3
Eccleſiarum deſtructio. tur, cũ * occiditur habitator, ciuitates ignominiis cõſumuntur, & quæq; viridia ſuccidũtur.
Adeo enim peſtis inualuit, quod in tota Hiſpania non remanſit ciuitas cathedralis quæ non
Oppa. fuerit, aut incenſa aut diruta. Arabes enim, quæ vi non poterant ſubiugare, falſo fœdere
Egica. deceperunt. Oppa filio Egicæ Hispalenſi Epiſcopo ſuadente, vt ſubiecti Arabibus viuerent
ſub tributo, & ſi forte Dominus patriam viſitaret, fierent ſubuenientibus in ſuccurſum. Et
ſic fraudibus circumuenti reddiderunt oppida & præſidia ciuitatum & iſti dicti ſunt mixti
Arabes, eo quod mixti Arabibus conuiuebant, quorum hodie apud nos nomen perſeue-
rat & genus. & tali fraude Arabes fere omnia occuparunt, & omnibus occupatis, rupto
Sanctorum reliquia ab Epiſcopis in Aſturias deportatæ. fœdere theſauros eccleſiarum & diuitias incolarum pariter exhauſerunt, niſi quod Epiſ-
copi poſtmodum cum reliquiis Aſturiis ſe dederunt. Quicquid illa Babylon magna inter 4
regna ſæculi prima à Cyro & Dario ſubuerſa pertulit, niſi quod perpetuo exterminio ſolũ
à beſtiis & ſerpentibus habitatur, quicquid domina prouinciarum Roma ab Alarico & At-
ſup. c.21 initio. haulpho Gothorum Regibus, & Giſerico Vandalorum principe eſt perpeſſa, quicquid
Hieruſalem iuxta dominicam prophetiam lapide ſuper lapidem non relicto ſuſtinuit diru-
ta & incenſa, quicquid Carthago nobilis à Scipione Romano direptione & incendio paſ-
Blandiatur. ſa fuit, hoc miſera Hiſpania omnium cladium coniectis miſeriis eſt experta, nec eſt qui
adiiciat miſereri. Sed quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, peccata Vitizæ, & vlti-
mi Roderici, & aliorum Regum qui præceſſerant, quorum aliqui factione, aliqui fratri-
cidio, ſeu parricidio regni vſurpauerant poteſtatem, ſucceſſione legitima non ſeruata, in-
canduit ira Dei, & Gothorum gloriam quam hactenus ſuſtentarat, eiecit à facie maieſta- 5
tis, & quos ſuſtinuit in hæreſi Ariana à tempore Valentis Imperatoris vſq; ad tempora Re-
Interitus Regũ Gothorum violentus. caredi, ſicut ſuperius eſt deſcriptum, nunc Vitizæ abominationibus & aliorum Regũ ſce-
leribus prouocatus, non addidit vlterius tolerare. Nomina autem Regum hic duximus ex
Lucino. primenda qui factioſo gladio perierunt. Athaulphus apud Barchinonã inter familiares fa-
Toloſa. bulas à quodam ſuorũ fuit proditionaliter interfectus; Segericus fuit à ſuis ſimiliter inter-
Amalaricus. fectus: & Thuriſmundus apud Toloſam cõſilio fratris ſui à ſuo famulo interfectus: Theu-
Narbo. doricus fuit à fratre ſuo ſimiliter interfectus * Almaricus apud Narbonã in foro fuit à ſuo
exercitu interfectus: & Theudus fuit interfectus à quodam qui ſe inſanum, vt Regem in-
Hiſpalis. Leouegildus. terficeret, ſimulauit: Theodiſclus apud Hiſpalim à quodam ſuorum fuit inter epulas iu-

gula-

gulatus: Agila à ſuis eſt apud Emeritam interfectus: * Leouigildus interfecit filium ſuum * Hermenigildum, eo quod nolebat hæreſi conſentire: & Luiba filius Recharedi a Viterico fuit proditionaliter interfectus: Vitericus coniuratione quorundam fuit inter epulas interfectus: & Vitiza à Roderico exoculatus: & Rodericus a Iuliano, vt creditur, interfectus: Froila fratrem ſuum Vimaranum propriis manibus interfecit, & ſui in vindictam apud Canicas Froilam * occiderunt.

Hermenegildũ. *Vimaranum.* *Canicas Froilam occiderunt V.C.*

Qualiter Taric vrbes occupauit. CAPVT XXIII.

POST bellum autem infauſte patratũ, * Taric Chriſtianos fuit* vſq; in Eciiam ſecutus, & qui erant in ciuitate, & etiam qui * extra fugerant, adhuc de multitudine confidentes et improuide occurrerunt, * & bello infœliciter inchoato, infœlicius perierunt, & occiſis pluribus, plures ad ciuitatis ambitum redierant. Taric autem cum ſuo exercitu reſedit iuxta fluuium Cilofontis, qui ex tunc dicitur fons Tarici. Chriſtiani autẽ audientes quod gens aduenerat quæ Gothorum gloriam ſua multitudine ſuperarat, & licet falſo, quod humanis carnibus veſcebatur, tanta ſe ignauia abiecerunt, vt nec reſiſtere cogitarent: & quia Toletum cunctas vrbes fortitudine præcellebat, curabant omnes inibi receptari, & aliæ ciuitates & oppida remanſerunt paucis defenſoribus * habitata. Tunc Comes Iulianus Taric conſuluit, vt de ſuo exercitu bellatoribus compartitis, per diuerſas partes Hiſpania vaſtaretur, & ipſe daret de ſuis complicibus qui ducatu & auxilio Arabes adiuuarent. Tunc Taric diuiſit exercitum, & miſit quendam qui de Chriſtiano factus fuerat Sarracenus, * qui dicebatur Arabice * Mogeit airomi, & erat ſeruus Amiramomenini, & duxit ſecum DCC. milites, & Cordubam eſt profectus. Vix enim inter Arabes pedes quiſpiam reperiebatur. Nam ex equis Gothorum de pedeſtri ordine milites fuerant facti. Et miſit aliũ exercitum contra Malacam & Granatam. Ipſe autem cum maiori exercitu venit Menteſam prope Giennium, & ciuitatem funditus diſſipauit. Mogeit autem cum Cordubam veniſſet, in villa quæ Secunda dicitur, prope Cordubam, inſidias occultauit. & quidam de exercitu a quodam paſtore quem ceperant, rumores Cordubæ ſciſcitarunt, qui & retulit maiores Cordubę ad Toleti præſidium confugiſſe, & præfectum vrbis cum CCCC. militibus remanſiſſe, & vrbem circumdatam muro forti, niſi quod iuxta pontem erat muri ambitus interciſus. Mogeit autem cum ſuo exercitu tranſiuit ſtatim, & aere & rore noctu tenebroſo venit ad locum per quem muri interruptio viam dabat: vbi etiam erat ficulnea, cui vt ſcalæ auxilio adhærentes ad locum intercidii aſcenderunt, & vittis Mogeit * vſi pro funibus ad muri ardua conſcẽderunt, & vigilibus interfectis ſeras & ianuas infregerunt, & per pontis ianuam intrauerunt. quod cum vrbis dominus percepiſſet, in eccleſiæ præſidium quod erat fortiſſimum, ſe recepit, ſed ibi eum tribus menſibus obſederunt: poſt quos idem dominus ciuitatis ad montana quæ imminent ciuitati, dimiſſis aliquibus in eccleſiæ munimento, abiit fugitiuus. quod cum ad Mogeit notitiam perueniſſet, poſt eum inſecutores continuo deſtinauit. infœlix autem fugitiui equi caſu præcipiti conquaſſatus, deſperatis rebus, vt in proprio clypeo reſidebat, quem Mogeit ſuperueniens cœpit viuum. Nec aliquis de ſenioribus Hiſpanorũ captus dicitur præter iſtum. Omnes enim alii deditione, aut fœdere ſe dederunt. Mogeit autẽ Cordubã rediens tandiu præſidium eccleſiæ impugnauit, donec captos capitibus mutilauit: & ex tunc dicta fuit eccleſia captiuorũ. Iudæos autem qui inibi morabantur, cũ ſuis Arabibus ad populationem & cuſtodiam Cordubæ dimiſerunt: dominum autem vrbis, quem ceperant, Vlit Amiramamonino * Arabi præſentarũt.

Tarys. *Aſtigia.* *Ecciam inſecutus è ſtrage.* *Toletum.* *Derelicta.* *&* *Mogeyt aromi. V.C.* *Mogeit* *Cordubã.* *Malacã.* *Granatã.* *Menteſã.* *Cordubã.* *Vſus* *Mogeit* *Arabum.*

De captione Malacæ, Murtiæ & Granatæ. CAPVT XXIV.

EXERCITVS autem qui Malacam iuerat, cepit eam, & Chriſtiani qui inibi habitabant, ad montium ardua confugerunt. Alius exercitus Granatã diutius impugnatam victoria ſimili occupauit, & Iudæis ibidem morantibus & Arabibus ſtabiliuit. Deinde ad vrbem quæ tunc Oreola, nunc Murtia dicitur, properauit. Et dominus Murtiæ egrediens contra eos infœliciter eſt aggreſſus, & in vrbis ambitu circumſeptus, cum eſſet prouidus & diſcretus, fecit mulierum capita circumcidi, vt in muris afforis apparentes viri eminus crederentur, & cannæ quas manib. præferebant, lanceæ putarentur. ipſe autem ſe ſimulãs nunciũ ciuitatis exiuit ad obſeſſores, & blãdiens domino eorundẽ ſecuritatis gratiã impetrauit, interpoſito fœdere * treguarũ. Tunc paucos ex eis introduxit in ciuitatẽ, & cum vidiſſent hominũ raritatẽ, de datis treguis doluerunt, nec tamẽ pro religione iuramenti treguas violarũt, ſed paucis Arabibus ibi relictis, cæteri Toletũ iuere, vbi Taric tunc tẽporis conſiſtebat. Cum enim Toletum veniſſet, inuenit eam fere habitatoribus deſtitutam. plu-

induciarum

Crillam & aliam monte Iuicinam. Medinat Almeida.

magnatorum. V. C.

militia ſua. V. C. tranſfretauit.

Medinat Ciuitas ſalua Medinatſinoda Xerez. Aſſidona. Carmona.

Hiſpalis. Silingi Vandali Cordoba. Hiſpalis primũ, poſt Toletum vrbs Regia dicta Goth. 11.ca. 21. Vandali. Beia. Emerita.

res enim ad Amayeram, alii ad Aſturias, alii confugerant ad montana. Taric autem ex Arabibus quos ſecum duxerat, & Iudæis quos Toleti inuenerat, muniuit Toletum. exinde iuit Guadalfaiaram, & ad montem qui dicitur Gebelculeman, & impoſuit ei nomen Gebeltaric. inde venit ad ciuitatem * Montiuicinam, in qua inuenit menſam viridem ex lapide precioſo, & menſa & pedes ex vno lapide erant, & erat immenſæ latitudinis & longitudinis, & impoſuit villæ nomen * Medina Talmeida, quod interpretatur ciuitas menſæ. exinde venit Amaiam olim Patriciam ciuitatem, ad quam propter fortitudinis prærogatiuam deiecta confugerat multitudo: ſed quia fame & penuria fere laborabat tota Hiſpania, fame protinus fuit capta, & cepit ibi multa millia captiuorum, & theſauros, & donaria * magnatum. exinde campos Gothicos & Aſturicam deuaſtauit, & in Aſturiis ciuitatem Gegionem, & alia loca plurima occupauit, & in locis idoneis præpoſitos ſtabiliuit, & Toletum poſtmodum eſt reuerſus anno Arabum XCIII. Muza autem filius Azair anno prædicto menſe Ramadan audiens magnalia quæ Taric princeps * ſui exercitus exercuerat in Hiſpanos, familiaris zeli ductus inuidia in Hiſpanias * ciſfretauit, ducens ſecum pluſquam XII. millia bellatorum, & cum veniſſet ad inſulam viridem quæ Gelzirat alhadraiam Arabice dicebatur, incolæ ſuaſerunt, vt ea via qua Taric intrauerat, ipſe iret: quod noluit acceptare. Tunc auditores qui dicuntur Adalides, & alii Chriſtiani ſuaſerunt, vt per alia loca & ciuitates quæ à Taric nondum fuerant acquiſitæ, ipſe procederet maiora præteritis patraturus, & ipſe gaudens eorum conſilio approbato venit ad locum munitum, qui Latine Ciuitas ſalua, ab Arabibus * Medinatſidona exinde fuit dicta (hæc eſt inter mare, & eam quæ nunc Xerez, Latine autem dicitur Aſſidona) & eam pugnæ violentia occupauit. Deinde venit Carmonam, & quia dictum fuerat ei, quod vix impugnatione aliqua poſſet capi, miſit Comitem Iulianum cum aliquibus Chriſtianis, vt fugam quaſi victi à prælio ſimularent: & ſic à ciuibus receptati, pro hoſpitalitatis officio hoſpitam ciuitatem in manus Arabum prodiderunt. noctu enim vigiles occiderunt, & per portam quæ * Cortoba dicitur, Arabes induxerunt. Deinde venit Hiſpalim, in qua Gotthorum ſubſtiterat multitudo, quæ ante Gothorum aduentum à Silinguis Vandalis vrbs regia habebatur, ſed Gothi ab ea mutauerunt curiam in Toletum. Hanc Hiſpalim cum Muza aliquando obſediſſet, Chriſtiani qui iuerant ad villam quæ Beia dicitur, aufugerunt. Ipſe autem captam Hiſpalim de Iudæis & Arabibus populauit, & inde iuit Beiam, & eam diſpendio ſimili occupauit. Deinde iuit Emeritam quæ multis & antiquis ædificiis antiquæ dignitatis gloriam teſtabatur, & incolæ de multitudine præſumentes contra eum ad prælium exierũt, ſed ea die Muza non potuit præualere. Videns autem quod vi non poterat obtinere, in lapicidina vrbi proxima inſidias occultauit, & ſequenti die, vt heri fecerant, ciues ad prælium proceſſerunt, ſed inter celatam & acies intercepti ex ciuibus plurimi occiderunt, & qui euadere potuerunt, ad vrbis ambitum confugerunt. Erat enim muri firmitas miro opere fabricata. Chriſtiani autem corde puſillanimi deſperantes ſequenti die colloquium petierunt. Cumq; permiſſi ad Muzæ præſentiam acceſſiſſent, & viri canitiem attendentes, ad ſuos poſt colloquium redierunt, & expoſita canitie obſeſſoris opinati ſũt ſenẽ breui tempore deſiturum, & ideo illa die à compoſitionis colloquio deſtiterunt. Tunc Muza præcepit murum perfodi circunquaque, obſeſſi autẽ ab intus exeuntes plures ex foſſoribus occiderunt. Die tertio iterũ colloquiũ poſtulantes ad Muzæ præſentiã redierunt, & quos pridie canos notauerãt, tincturę opere coloris cõtrarii inuenerũt & fatuitate attoniti miraculũ reputarũt, & ad ſuos ilico redeũtes nunciarũt virũ virtute præditũ, qui nũc iuuenili, nunc ſenili præſtantia iuxta beneplacitũ mutabatur; & hoc miraculo cõturbati vrbẽ protinus reddiderũt, interpoſito tamẽ pacto, vt ſaluis reb. recederẽt & perſonis. Cepit itaq; villã anno Arabũ 94. vltima die mẽſis Ramadan. Et dũ hæc fierent, Chriſtiani de Elepla, & Veia, & aliis partibus inſurgentes Hiſpalim adierũt, & vrbis præſidiũ occupantes plures ex Arabibus quos Muza reliquerat, occiderunt, cæteri qui euadere potuerunt, ad Emeritam quã Muza ceperat, confugerunt. Tunc Muza filium ſuũ Abdulaziz miſit Hiſpalim cum exercitu copioſo, qui veniens vrbẽ ilico occupauit, & Chriſtianos qui cædem egerant, interfecit, Eleplam etiam occiſis incolis occupauit. Dum hæc aguntur, Pelagius in Aſturiis rebellauit. Muza autem victoriis & ſpoliis glorioſus iuit Toletũ, vbi Taric non minori gloria reſidebat, qui in occurſum Muzæ ad Talaueræ confinia eſt egreſſus, & iuxta riuũ qui Tietar dicitur, ſimulato gaudio conuenerũt. Muza autẽ qui Taric calumnias cogitabat, Taric redarguit indignanter, eo quod, licet fœliciter, mandatũ prætererat in peractis, & Toletũ pariter venientes de obtẽtis & acquiſitis, de diuitiis & theſauris de mẽſa exquiſiuit exactiſſime rationem, & receptis mẽſa viridi & pecuniis quæ Taric volũtarie reuelauit, veniẽtes ambo Cæſaraguſtam ipſam, & ciuitates alias, & plura oppida Carpetanæ & Celtiberiæ occuparunt.

Elepla. Beia.

Pelagius Talauera Tietar

RODE-

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER QVARTVS.

De rebellione Pelagii contra Arabes, & de ſorore ſua & regno eius. V. C.

CAPVT PRIMVM.

ET dum tot diſpendiis Hiſpaniam diſſecarent, Deus omnipotens in ira ſua miſericordiæ non oblitus, Pelagium quaſi ſcintillam modicam in ſuo conſpectu voluit conſeruare. Hic Pelagius (vt eſt dictū) fugiens à facie Vitizæ qui eum voluerat excæcare, licet ſpatharius eius fuiſſet, apud Cantabriam ſe recepit, ſed audiens ſuccubuiſſe exercitum Chriſtianum, & Arabes quæque deſiderabilia inuaſiſſe, ſumpta ſecum ſorore propria, Aſturiis ſe donauit, vt ſaltem in Aſturiarum anguſtiis poſſet Chriſtiani nominis aliquam ſcintillam conſeruare. Sarraceni enim totā * Hiſpaniā occupauerant gentis Gotthicæ fortitudine iam contrita, nec alicubi reſiſtente, exceptis paucis reliquiis quæ in montanis Aſturiarum, & Biſcagiæ, Alauæ, Guipuſcuæ, Ruchoniæ, & Aragoniæ remanſerunt. quas ideo Dominus reſeruauit, ne lucerna ſanctorum in Hiſpaniis coram Domino extingueretur. Præfecerunt itaq; Sarraceni in ſingulis regionibus præpoſitos * qui à pauperibus, vinitoribus, & agricolis Chriſtianis, quos ſub tributo permiſerant permanere, cenſus colligerent & tributa. Erat enim in regione Gegionis iam Sarracenis ſubdita, qui & in montanis aliqua loca * occuparunt, præfectus quidam Munuza nomine, Chriſtianus quidem, ſed Arabibus fœderatus, qui captus pulchritudine ſororis Pelagii, cum eo amicitias ſimulauit, & fingens cauſam legationis Pelagium miſit Cordubam, quæ olim patritia, tunc erat Arabibus ſedes regni. Eo miſſo Munuza procurante quodam liberto ſibi ſororem Pelagii copulauit, ſed poſtquam Pelagius rediit, facinus noluit tolerare, & reſumpta ſorore, licet diſſimulans, in Aſturiis ſe recepit non minus magnanimus, quam ſolicitus, liberationem patriæ adhuc ſperans. Munuza autem pro ablatione coniugis reputans ſe contemptum, Taric principi nunciauit iam manifeſte Pelagium rebellare. Qui miſſis militibus præcepit Munuzæ, vt Pelagium caperet, & Cordubam deſtinaret. Cumque milites ad Aſturias perueniſſent, voluerunt Pelagium dolo compoſito retinere, ſed conſilio per quēdam amicum in vico qui * Vrete dicitur, Pelagio reuelato, quia nō poterat armis reſiſtere, ad oppoſitam ripam Pioniæ fluminis equo inſidens pernatauit, & quia fluuius inundabat, Sarraceni perſequi ceſſauerunt, & ad vallem quæ Canice dicitur, ſolus venit. Inueniensque plurimos qui metu ad edicta Arabum properabant, ſpiritu fortitudinis & ſpe in domino confortauit, quia etſi propter peccata flagellat filios peſtilentes, in fine tamen non obliuiſcetur miſereri. Illi autem ſacra monita attendentes excuſſo metu facti magnanimi & fideles ad montem magnum qui Auſeua dicitur, conſcenderunt, & per omnes Aſtures ſacra monita perſuadens quaſi de graui ſomno puſillanimes excitauit, & de omnibus partibus Aſturiarum ad eum tanquam ad Dei nuncium concurrentes in tanta deſolatione ipſum in principem elegerunt. Cœpitque per loca deuia & incerta cædes agere cōtra Mauros, & quaſi gyrouagus eorum totam victoriam perturbare, & ſuos ad perſecutionem Arabum roborare. Exercitus autem, qui in capturam eius venerat, Cordubam eſt reuerſus. Quod cum audiſſet Taric qui Cordubæ reſidebat, Alchamam principem militiæ contra Pelagium deſtinauit, & Oppam Epiſcopum Hiſpalenſem filium Egicæ, vt Pelagium ad obediendum ſibi monitis ſuaderet.

Pelagius — *Cantabria* — *montibus* — *Aſturia* — *Biſcagia* — *Guipuſcua* — *Ruconia* — *Aragonia* — *Et à pauperibus vinitoribus & agricolis, quos ſub tributo Chriſtianos permiſerant* — *Munuza* — *occuparant* — *occuparat præfectum* — *Vrete* — *Brete* — *Prete. V. C.* — *Pionia* — *Vallis Canice* — *Auſena* — *totam* — *Alchamā* — *Auſena.*

De introitu Pelagii in caueam, & ſtrage Arabum, & captione Oppæ, & morte Alchamam. V. C.

CAPVT II.

QVORVM aduentum cum Pelagius percepiſſet, in cauea quadam quæ eſt in latere montis Auſeuæ, de quo diximus, ſe recepit. eſt autem hæc cauea quaſi diuino artificio rupe inexpugnabili circūcluſa, & ab impugnatione ſecura. Et cū illa cauea vix ſit mille hominū receptiua, aſſumptis ſecū quos ſtrenuiores credidit, reliquos diuinæ gratiæ cōmendauit, vt in tutis montiū Dei miſericordiā & rei exitum expectarēt. Ipſe autē in cauea cum iis qui ſecum aderāt, Dei miſericordiā implorauit. Cumq; Alchamam & Oppa Epiſcopus cum multitudine fundibulariorū & peditum ad Aſturias perueniſſent, & vaſtationes ali-

Oppa oratio.

quas peregiſſent, demum in circuitu caueæ fixis tentoriis recederunt. Oppa autem qui multos Chriſtianos ſuaſerat, tunc (vt fertur) mulo inſidens dicitur Pelagium taliter allocutus: Quanta fuerit Gothorum gloria in Hiſpaniis ipſe noſti, & licet ſemper contra Romanos & gentes barbaras inuicta fuerit nunc Dei iudicio victa plorat. Quæ eſt ergo fiducia tua. vt clauſus in antro cum viris pauculis nitaris reſiſtere contra Arabes, quos totos exercitus gentis Gothicæ ſub vno Rege non potuit ſuſtinere? recole Gothorum regnum, quanta doctrina, quanta potentia abundauit, & nunc vltimæ virtutis exinanitione conſumptum ad nihilum eſt redactum. Conſule igitur vitæ tuæ & eorum qui tunc pari miſeria conſumentur, & Taric inuicti principis te exhibe voluntati, vt & honoribus redoneris & cum iis qui tecum ſunt, vita & operibus perfruaris, Cui reſpondit Pelagius: Etſi ad tempus Deus percutiat filios peſtilentes, non tamen* proiiciet in æternum. Noſti autem Epiſcope Oppa. qualiter tu, & fratres tui, & * pater tuus Rex Vitiza veſtris ſceleribus cum Iuliano Comite iram altiſſimi prouocaſtis, propter quod excidium gentis Gothicæ ſuperuenit. Et flet eccleſia penitus deſtituta filios perditos & extinctos, nec conſolari ſufficit, donec Dominus conſoletur: ſed per id modicum momentaneum exterminii noſtri pondus adiiciet eccleſia, vt reſurgat, & ego ſperans in miſericordia Ieſu Chriſti hanc multitudinem cum qua venis, nullatenus pertimeſco. habemus enim aduocatum apud Patrem dominum Ieſum Chriſtum, in quem credimus & ſperamus. Tunc Oppa Epiſcopus de perſuaſione deſperans exercitui dixiſſe fertur? Inueni hominem obſtinatum, nil reſtat de cætero niſi pugna. Tunc Alchaman præcepit fundibulariis, ſagittariis, iaculariis, oſtium ſpeluncæ fortiter impugnare. Sed Dei manu pro ſuis concluſis miſericorditer dimicante lapides, ſagittæ, & iacula in emiſſorum intentum vertebantur. Sique tali iudicio ferme x x. millibus Arabum interfectis, cæteri quaſi vertigine turbabantur. Quod Pelagius cum vidiſſet laudans Dei potentiam, & ſpiritu fortitudinis roboratus cum ſuis egreditur à ſpelunca, & Alchaman cum maxima multitudine Arabum interfecit, præter eos qui euerſis iaculis perierunt. Reliqui vero ad Auſeuæ ardua fugientes, ab iis quos Pelagius reliquerat, cædibus perierunt. Qui autem ab iis euaſerant, in* Libana ad ripam Deuæ fluminis peruenerunt, & ſuper quodam montis ſupercilio incedentes, eodem ſupercilio in fluuium coruente, & aggere opprimente, in flumine ſunt ſubmerſi: & Ægiptiorum emerſio nouo miraculo prætentatur. Oppa autem à Pelagio captus manſit. Ab aliquib. dicitur Oppa fuiſſe filius Vitizæ, ab aliquibus frater Comitis Iuliani. Sed verius filius fuit Egicæ & frater Vitizæ. Sed vtrum libet iſtorum fuerit, certum eſt fuiſſe Archiepiſcopum Hiſpalenſem.

Pelagii reſponſum.
percutiet.
frater tuus
bis viginti millia x x. C.
Auſeua
Libana
Deua
Subma

De translatione arcæ, & reliquiarum, & ſacrorum librorum in Aſturias.

CAPVT III.

VRBANVS autem Sinderedi ſucceſſor, de quo ſuperius diximus, arcam reliquiarum & ſcripta beati Ildefonſi, & Iuliani Pomerii, & veſtem * ſacram quam beata* virgo dederat Ildefonſo, cum iam videret in Hiſpaniis deſtructionem eccleſiæ & populi Chriſtiani ad Aſturias dicitur detuliſſe, & de loco in locum, * vt perſecutio expoſcebat, à fidelibus ferebatur. Poſtquam vero vrbs regia fuit non irruptione, ſed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Saraceni poſtea irruperunt, clerus & Chriſtiani eiecti cum aliis qui in Hiſpaniis ſeruituti barbaricæ mancipati elegerunt degere ſub tributo permiſſi in * lege & eccleſiaſticis inſtitutis, & habere * pontifices, & euangelicos ſacerdotes: apud quos viguit officium Iſidori & Leandri, & viget hodie in vi parochiis Toletanis. Eo & tempore, quo Vrbanus in vrbe regia præſidebat, Ouantius Archidiaconus Toletanus doctrina, ſapientia, & ſanctitate, ſecundum ſcripturas ſpe, fide, charitate præcipuus habebatur, & Frodoarius Accitanæ vrbis Epiſcopus religione & ſapientia prædicabatur inſignis, & vſque ad tempora Almohadum qui Imperatores Aldefonſi tempore inceperunt, in pace inſtituta euangelica ſeruauerunt. Et in iſto * medio fuit apud Hiſpalim glorioſus & ſanctiſſimus Ioannes Epiſcopus, qui ab Arabibus Caeit almatran vocabatur, & magna ſcientia in lingua Arabica claruit, multis miraculorum operationibus glorioſus effulſit, qui etiam ſacras ſcripturas catholicis expoſitionibus declarauit, quas in formationem poſterorũ Arabice cõſcriptas reliquit. Fuit etiã ibi alius electus nomine Clemens, qui fugit à facie Almohadũ Talauerã, ibiq; diu moratus vitã finiuit, cuius contemporaneos memini me vidiſſe. Venerunt etiam tres Epiſcopi, Aſſidonẽſis, & * Elepẽſis, & tertius de Marchena, & quidam Archidiaconus ſanctiſſimus, pro quo etiam Dominus miracula operabatur, qui Archiquez Arabice dicebatur, & vſque ad mortem in vrbe regia permanſerunt epiſcopalia

ſacrat àm,
Virgo beato dederat.
premit
Sui lege
Pontificem
Muzarabum miſſa.
Ouantius
Frodoarius
Ioannes, & in eſt iam medio acci- dit quod in canone dicitur de Epiſcopo Malacitano, etiã in iſto medio, &c.
Elepenſis.

exercentes

exercentes,& vnus eorum in eccleſia maiori eſt ſepultus. Quod autem ab aliquibus dicitur quod à Iuliano pontifice Toletano & Pelagio principe reliquiarum arca & ſanctorum ſcripta ab eccleſia Toletana in Aſturias ſunt translata, ſtare nõ poteſt, cum Iulianus Pomerius tertius fuerit ab Ildefonſo,& Sinderedus ſub quo Hiſpaniæ deſtructio, quartus fuerit à Iuliano. Hoc modo Ildefonſo ſucceſſit Quiricus, cui Iulianus Pomerius, cui Siſibertus, cui Fœlix, cui Gũdericus, cui * Sinderedus, ſub quo fuit ab Arabibus ciuitas occupata. Item ab aliquibus dicitur, quod primatus Hiſpaniæ prius fuit in eccleſia Hiſpalenſi,& poſt translatus ad eccleſiam Toletanam, quod etiam ſtare non poteſt. In XVI. enim concilio Toletano, vbi Siſibertus Archiepiſcopus Toletanus fuit depoſitus merito culpæ ſuæ à generali concilio omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & cleri Hiſpaniarum & Galliæ Gothicæ, decreuerunt nihil tractandum in concilio, donec prouideretur primæ ſedi vrbis regiæ de paſtore. Et electus & translatus fuit Fœlix Archiepiſcopus Hiſpalenſis ad eccleſiam Toletanam factus pontifex Toletanus. Et in eodem concilio Fauſtinus * Bracarenſis Archiepiſcopus factus eſt Hiſpalenſis, Fœlix Portugalenſis Epiſcopus factus eſt Megarenſis Archiepiſcopus,& poſtea de ordinatione * earum concorditer tractauerunt. Vnde patet, quod ſi Hiſpalenſis eccleſiæ maior eſſet, non trãsferretur eius * Epiſcopus ad minorem. Quia igitur propter diuerſas relationes ſcriptorum interdũ de veritate hiſtoriæ dubitatur, diligentia lectoris inquirat, vt ex ſcripturis authenticis videat, quid debeat approbare.

Sideredus. Primatus in eccleſia Toletana

Archiepiſcopus Brackarenſis. Eccleſiarum Archiepiſcopis

De morte Munuza, & filiorum Vitizæ, & Comitis Iuliani, & Regis Pelagii.

CAPVT IV.

NVNC ergo ad ordinem hiſtoriæ reuertamur. Cum itaq; Dominus diuino prælio inimicos ſuos ad oſtium cauæ Pelagii principis, & in rupe Deuæ fluuio imminẽte, præcipitio & iaculis proſtrauiſſet, Munuza qui ciuitati Gegioni maritimæ & Aſturiis præſidebat, fugæ periculo ſe commiſit: ſed ab Aſturibus in vico qui Olalies dicitur, fuit captus & interfectus. Licet autem Gegio ciuitas ſit deſerta, Giion terra vulgariter appellatur, in qua eſt monaſterium ſancti Saluatoris. Muza autem condolens ſtragi auſpicatus eſt factione filiorum Vitizæ & Iuliani Comitis proueniſſe, & eos pariter pactis, & capitibus, & vita priuauit. Gothi autem quibus fugæ facultas affuerat, audientes quod a Gothis manus Domini non diſceſſerat, clanculo ſe furantes ad Pelagium principem aduenerunt, & zelantes legem, & Machabæorum iuſtitiam æmulantes pro fide commori elegerunt. Ciuitatem etiam Legionem quæ in deſcenſu Aſturiarum ab Arabibus tenebatur, primo exercitu inuaſerunt in ea vexilla fidei exaltantes. Eo tempore Aldefonſus catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, in Aſturias transmigrauit bella Domini cum Pelagio principe pugnaturus, cui princeps Pelagius in vxorem dedit ſuam filiam Ormiſindam. Pelagius vero poſt multa bella decenter exercita migrauit cum domino apud Canicas anno 18. regni ſui.

Deua

Olalies

Gegio

Animaduertetur Pelagius filiam ſuam Ormiſindam Alfonſo catholico nuptũ dediſſe.

Canica.

De regno Fafila & Aldefonſi Catholici, & eorum morte.

Alfonſus 1.

CAPVT V.

MORTVO Pelagio, cœpit regnare Faſila filius eius æra DCCLXX. & regnauit annis 2. qui leuitate ductus plus debito venationibus inſiſtebat, & quadam die dum vrſum inſequi niteretur (decreuerat enim cum vrſo ſingulariter decertare) ab eodem vrſo fuit miſerabiliter interfectus. Iſte dignum memoria nihil egit, niſi quod quandam eccleſiam ſanctæ Crucis pulchro opere decorauit. Poſt hunc cœpit regnare gener Pelagii Aldefonſus æra DCCLXXII. & regnauit annis XIX. Hic agnominatus fuit Catholicus, quia documẽta fidei in ſe legaliter obſeruauit, & ad id alios, vt zelator fidei prouocauit, & ideo ab omnib. [amabatur, & communi voto ab omnibus in Regẽ] eſt receptus. Hic fuit filius Petri Ducis Cantabriæ, & habuit fratrem qui Froila dicebatur. Fuit autem Petrus Dux ex progenie glorioſiſſimi principis Recaredi, qui cum fratre ſuo Froila ſæpius Arabes bellis inteutans plurima bella geſſit, & ciuitates multas occupatas ab eis Chriſtianæ potentiæ redonauit, quaſdam muniens, quaſdam proſternens, quas bellatorum defectu non poterat retinere. * Retinuit autem in Gallecia Lucum, & Tudam, & Aſturicam: in deſcenſu autẽ Aſturiarum expugnato exercitu Arabum, Legionẽ, quæ poſtea ex frequenti Regũ habitatione vrbs regia fuit dicta. Occupauit etiã campos Gothicos, qui ab Eſtola, Carrione, Piſorica, & Doria fluminib. includuntur, & in partibus Caſtellæ Septẽmancas, Dominas, Saldaniam, Amaiam, Mirandam, Ciniſariam, Aleſancum, Transmeram, Suppottam, * Catrantum.

Æra 770.

Æra 772.

Animaduertendum has ciuitates nõ Petrum ſed Aldefonſum plures videtur cepiſſe & euertiſſe, vt apparet ex cap. 13. huius lib. Vbi dicitur ciuitates deſertas, quæ a cultu Arabib.

Legio, etiam vrbs, &c.

Regia fuit dicta, vt olim Toletum.

Carrantium.

Digitized by Google

Biſcagia. Saraſacium & ſupr. c. 1. 4. multos

Et à Malaua, & Ordunia, * Viſcagia, & Nauarra, & Ruboma, & Saraſacio vſque ad Pyrenæum plurima caſtra muniuit populis Chriſtianis, & * multos ex his qui tenebantur captiui, reduxit ad patriam, & ad loca quæ potuit communire. Ad ipſum enim, tanquam ad ſingulare Chriſtianæ profeſſionis aſylum, ex vicinis regionibus quas Arabes occupauerāt, Chriſtiana mancipia concurrebant, & quamuis diuina gratia tantis eum honoribus exaltaret, humilitatem non deſerens omnibus ſe amabilem exhibebat, & Deo deuotus in ciuitatibus quas obtinuit, ſecundum quod potuit, opportune dedit operā, vt Epiſcopi crearentur, quorū doctrina reliquiæ Chriſtianæ in fide catholica * firmarētur. *ſomerentur* Eccleſias etiam prout tanta deſolatio tolerabat, ſtructuris & ornamentis liberaliter decorabat, libros etiam ſacræ ſcripturæ vndecunque poterat, colligebat & omnia opera pietatis Deo & eccleſiis & 1
hominibus pro viribus exhibebat. Reliquit autem ex Ormiſinda Regis Pelagii filia duos filios Froilam & Vimaranum, & filiam Odiſindam, & Mauregatum tertium filium ex ancilla, & propria morte vitam finiuit. In cuius tranſitu voces pſallentium in aere feruntur auditæ: *Ecce quomodo tollitur iuſtus, & nemo conſiderat: ablatus eſt à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.* Sepultus eſt autem cum vxore ſua Ormiſinda in eccleſia ſanctæ Mariæ in tentorio Canicarum.

Ormiſinda Vimaranum Odiſinda Mauregatum

De Froila, & operibus eius, & morte. CAPVT VI.

Æra 791. Ouetum inoleſſet

POST mortem eius Froila filius eius ſucceſſit in regno æra DCCXCI. & regnauit annis 2
XIII. Iſte populauit Ouetum, & fecit ibi eccleſiam cathedralem. Cumque à tempore Vitizæ inſolens abominatio * eſſet, vt clerus carnalibus coniugiis potiretur iſte intelligens iram Dei pro tanta immunditia æſtuaſſe, iuxta ſacrorum canonum inſtituta præcepit, vt miniſtri eccleſiæ caſtitate ſeruata, nullatenus matrimoniis vel connubiis fœderentur: & licet alias auſterus fuerit & crudelis, propter hæc quæ circa clerum inſtituit, direxit Dominus manum eius. Cumque Omar Dux Cordubæ fines Gallecia infeſtaſſet, occurrens ei Froila bello proſtratum cepit & interfecit, & in eo prælio quinquaginta quatuor millia Arabum ceciderunt. Rebellantem etiam ſuo domino Galleciæ populum ſubiugauit, eorū prouinciam deprædatus. Nauarros & rebellantes inuaſit, & ſibi concilians vxorem ex eorum regali progenie, Momernam nomine, ſibi duxit, & cum eis Vaſcones ſibi infeſtos 3
ſuæ ſubdidit ditioni. Rediens ad Aſturias ſuſcepit filium ex Momerna nomine Aldefōſum. Cumque frater eius Vimaranus eſſet pulcher, ſtrenuus, & affabilis, ab omnibus amabatur, quem Froila ob zelum regni propriis manibus interfecit, & filium eius Veremundū quaſi pro ſatisfactione in filium adoptauit. Nec tamen ceſſauit indignatio ſui generis contra eū. Vnde & à ſuis apud Cannicas fuit factione ſimili interfectus, & apud Ouetum cum vxore ſua Momerna fuit traditus ſepulturæ.

Veremundus 1.

De Aurelio, & Silone, & Mauregato, & Veremundo Diacono. CAPVT VII.

Æra 804.

POST huius interitum Aurelius frater eius ſucceſſit in regno æra DCCCIIII, & ſex an- 4
nis regnauit. Cuius tempore ſeruilis origo contra proprios dominos inſurrexit, ſed eius induſtria in ſeruiturē priſtinā ſunt redacti. Et in dieb. eius Silo frater eius Odiſindæ Froilæ Regis ſorori cōiugio copulatur, propter quā poſtea obtinuit regni ſceptrū, Et in principio anni 7. regni ſui vitā finiuit morte propria, poſt cuius mortē Silo cauſa Odiſindæ regnū accepit æra DCCCX. & regnauit annis 8. & in * Prauia ad regni ſoliū ſubleuatur. Cū Arabib. pacē firmauit, & Galleciam rebellantē in monte * Ciperio ſuperauit, & ſuo imperio ſubiugauit. Aldefonſus autem filius Froilæ & Momernæ propter * Odiſindam amicam ſuam regale palatium gubernabat, & Silonius negotia procurabat, quia Silo de prole ex Odiſinda deſperans iners fiebat, & anno regni ſui octauo humanis actibus eſt ademptus, & in eccleſia ſancti Ioannis Apoſtoli, quam ipſe conſtruxerat, fuit ſepultus. Silone autem defuncto 5
æra DCCCXVIII. omnes magnates palatii cum Regina Odiſinda ad regni ſolium eleuāt Aldefonſum. Mauregatus autem eius patruus ex ancilla (vt ſuperius diximus) elatus in ſuperbiam ad Arabes ſe * contulit, eiſque confœderatus auxilium poſtulauit, ſpondens ſe eis fideliter ſeruiturum, ſi eorum auxilio nepotis imperium obtineret. Cumque enim eſſet affabilis, perſuaſit, & dato ſibi exercitu Arabum, regnū nepotis inuaſit fauentibus ſibi aliquibus Chriſtianis. Aldefonſus autem à facie eius verens fugit in Alauam & Nauarrā. Ipſe autem Mauregatus vt fauorem Arabum retineret, contra Dei legem multa cōmiſit. * Puellas enim nobiles ingenuas, & plebeias ſtupris Arabum concedebat. Vnde Deo & hominibus odioſus, expletis in regno quinque annis, & Prauus in Prauia habuit ſepulturam

Prauia ſ. his Æra 810. Ciperius mons Cipro quidam M. attritam habent. Erat enim Adoſinda ſoror Froila patris Aldefonſi, vt ex ſupradictis in hoc cap. habes. Æra 818. Conuluit V. C. Mauregatus regnauit, licet tyrannice Puellæ Arabib. promiſſa nomine tributi ann. Zudenſ. 50. nobiles Virgines, totidē plebeias ab impuro Rege tributi annuo expoſitas.

ram. Regnauit annis quinque, ſed eius anni in computatione temporum annis Aldefonſi Regis annumerantur. Eo mortuo* Veremundus filius Froilæ in Regem eligitur, & quamuis magnanimus, regnum tamen ſponte dimiſit, recolens ſe* olim diaconi ordinem ſuſcepiſſe, & duobus annis vixit in regno, & ſobrinum ſuum Aldefonſum qui ad Nauarros confugerat, reuocauit, & in regno ſubſtituit ſucceſſorem, & cum eo aliis quatuor annis & ſex menſibus dulciſſimam duxit vitam, & propria morte vitam finiuit ſepultus Oueti cum vxore ſua *Imilone, quam viuens à ſe propter conſcientiam ordinis ſeparauit, relictis ex ea duobus filiis paruulis Ranimiro & Garſia.

Veremundus. Heremundus. ſe ordinem diaconi ſuſcepiſſe, &c.

Imulone v. c. Domortmiro.

De Aldefonſo Caſto, & piis operibus eius. CAPVT VIII.

ALDEFONSVS itaque dictus Caſtus, filius Regis Froilæ, vir virtutum, caſtitate & pietate præcipuus, abſque contactu fœminæ cælibem duxit vitam. Vnde & Aldefonſus Caſtus meruit nominari. XLI. annis regnauit. Anno ſui regni tertio exercitus Arabum cum duce ſuo nomine Mugay Aſturias eſt ingreſſus, ſed Aldefonſi milites in loco qui Lucos dicitur, Arabes præuenerunt, & cum eodem duce bello inito ſeptuaginta millia Arabum cæciderunt, multiſque præliis repellens Arabes pacem patriæ confirmauit. Anno autem regni ſui X. à ſuis per tyrannidem regno expulſus in Abelienſi monaſterio ſe recepit. Indeque à Theudo & aliis ſuis fidelibus reuocatus regni culmini redonatur. Nunc miſericordiæ ſuæ opera proſequamur. Hic cum multis virtutibus emicaret, palatia regia pulchro & forti opere conſtruxit Oueti. Fundauit etiam eccleſiam cathedralem, & maius altare in honorem ſancti Saluatoris, & altaria duodecim apoſtolorum cum ſuis titulis eleuauit, eccleſiamque ſanctæ Mariæ iuxta baſilicam ſancti Thyrſi ex lapidibus & columnis marmoreis, argento & auro cum regali palatio adornauit, & Gotthorum gloriam tam in eccleſiis, quam in palatiis, vt olim Toleti fulſerat, prout potuit, reparauit. Et ſicut reparato templo per Eſdram & Neemiam, lætabantur iuuenes qui prioris templi gloriam ignorabant, & ſenes flebant qui prioris templi magnificentiam recolebant: ſic & ibi qui gloriam viderant Toletanam, perfundebantur lachrymis & mœrore, iuuenes autem præteritæ gloriæ inſcii Regis magnalia cum laudibus extollebant. In altari etiam ſancti Michaelis poſuit arcam reliquiarum, quam Rex Pelagius & Vrbanus Epiſcopus vrbis regiæ tempore perditionis Hiſpaniæ ad Aſturias tranſtulerunt, ad quam hodie ex vniuerſis partibus deuote concurrunt populi Chriſtiani, laudantes Dei beneficia quæ Dominus Ieſus Chriſtus ibidem ſuis fidelibus impartitur. Et in eadem eccleſia dicitur eſſe veſtis illaglorioſiſſima quam beata virgo contulit glorioſo pontifici Ildefonſo. Hæc autem arca reliquiarum dicitur Hieroſolymis conſtructa fuiſſe, & tempore perſecutionis Pſeudomachometi per mare Hiſpalim fuiſſe translata, indeque Toletum adducta, demum (vt dictum eſt) tempore quaſſationis cum multis aliis ſanctorum reliquiis in Aſturiis collocata.

Lucos.

Arabes.

Abelienſe.

Ouetum.

Templorum inſtauratio Oueti.

Arca reliquiarum à Rege & Epiſcopo in Aſturias translata, direptionis metu.

De angelicis aurificibus, & Bernardo. CAP. IX.

AD hęc cum Rex precioſos lapides coram aſpiceret, * cogitauit crucem de auro eiſdē lapidibus fabricare, ipſique ab eccleſia ad palatium venienti occurrerunt duo angeli in effigie peregrina, ſe eſſe aurifices aſſerentes: Rex autē datis auro & lapidibus, etiam dedit domum in qua poſſent ſecretius operari. Cumque in prandio conſediſſent, miſit nuncios ad aurifices, ſollicitans quinam eſſent. Cumque nuncii* acceſſiſſent, inuenerunt crucem miro opere conſummatam, & coruſco ſplendore totius domus penetralia illuſtrantē adeo vt non poſſent tantum ſplendorem intuentium oculi tolerare. quod Rex audiens feſtinauit; & tanto ſplendore comperto agens gratias Saluatori, conuocato clero, & populo & pontifice, glorioſam crucem altari obtulit Saluatoris, & iſta referens Leoni tertio qui ſedi apoſtolicæ præſidebat, obtinuit vt in Ouetenſi eccleſia Archiepiſcopus crearetur. Cumque circa talia & circa prælia exiſteret animoſus, Semena ſoror eius Comiti Sancio viro nobili furtiuo connubio clam conſenſit, ex quo ſuſcepit filium nomine Bernardum. Quod cum ad Regis notitiam perueniſſet, Comitem Sancium in caſtro quod Luna dicitur, carcere & vinculis coarctauit, & mortis vinculorum ſtatuens vnum finem. Sororem autem Semenam religioni in monaſterio mancipauit. * Bernardum, quia non habebat filium, delicate nutriuit, qui poſtquam adoleuit, ſtatura, vultu, eloquio, ingenio, & conſilio, & etiam armis fere omnibus pręminebat.

& cogitat crucē de eiſdem auro &c.

aduenîſſent.

Luna.

Bernaldum.

De legatione ad Carolum, & victoria Regis Alphonſi. Cap. X.

REx autem longo regimine & laboribus fatigatus ad Imperatorem Carolum qui Italis & Teutonicis, & Gallicis imperabat, ſecrete nuncios deſtinauit, qualiter carebat filiis & regnum, ſi veniret in adiutorium, ſibi daret. Imperator autem Carolus impugnationi Arabum inſiſtebat. Qui cum Hiſpanias occupaſſent, tranſiecto Pyrenæo Galliam Gotthicam, Burdegalam,* Patauiam, & Turoniam, & fere totam Aquitaniam occuparunt. Sed eos Carolus ab occupatis ſedibus virtute prælii abigebat, etiam trans Pyrenæum partem Celtiberiæ quæ Catalonia dicitur, vt victor inuaſit: vt præpotens conſeruauit: & tamen his præliis occupatus ſpopondit nunciis ad Regis Aldefonſi auxilium ſe venturum. Poſt nunciorum autem reditũ innotuit legatio magnatibus Aldefonſi, qui æquanimiter non ferentes ſuaſerunt Regi cum inſtantia, vt quod mandauerat, reuocaret, alioquin ipſum à regno expellerent, & pacta eius nullatenus obſeruarent, & ſibi de * alieno domino prouiderent (malebant enim mori liberi, quam in Francorũ degere ſeruitute) in his inſtante fortius cæteris Bernardo bonæ indolis, bonæ ſpei. Rex autem licet turbatus * minis & conſilio ſatisfecit, & iteratis nunciis ad Carolum quæ ſpoponderat, reuocauit. Iratus autem Carolus fidem mentitam intentans, cœpit Regi Aldefonſo terribiliter comminari, & poſtpoſitis bellis Arabum direxit acies in reliquias Hiſpaniarum. Qui cum ad montana Hiſpaniæ perueniſſet, in quibus pauci qui gladium effugerant, habitabant, cum clamore valido, tacti dolore cordis intrinſecus, lachrymas cum ſacrificiis Domino miſcuerunt, quaſi non ſupereſſet eis vlterius viuere, cum cæli ſententiam gladio Arabum iam experti rediuiuæ morti iterum parabantur, quæ tanto amplius cruciabat, quanto ab illis timebant, de quorum debebant præſumere charitate, & quibus erãt coniuncti fibula Chriſtiana. Cumque hoc verbũ fuiſſet in Aſturiis, Alaua, & Biſcagia, Nauarra, Ruconia, & Aragonia diuulgatum, omnes eodem animo & pari ſtudio elegerunt mori potius quam ſeruire, collectique in ſimul cum Rege Aldefonſo contra Carolum proceſſerunt. Carolus autẽ ad radicem Pyrænei ex oppoſito in valle quadam exercitum collocauit, quæ adhuc hodie Hoſpita vallis vocatur. Indeque procedens per vallem quæ vallis Caroli dicitur, planior inuenitur, ne aſcendentes impediret aſperitas Pyrenæi, vſque ad ſummitatem montis porrecto agmine proceſſerunt. In prima acie venerunt præfectus Britanniæ, Rolandus, & Anſelmus Comes, & Eginardus qui erat præpoſitus menſæ Caroli. Quibus occurrens Rex Aldefonſus cum prædictis populis, virtute gladii, immo domini ſuperauit, & eis ſtratis, plures ex eis qui porrecto agmine procedebant, cæde & impetu ceciderunt adhuc Carolo per vallem Caroli veniente. Cumque ſtragem præcedentium comperiſſet, turbatus inſonuit buccina, quam ferebat, damno, metu, fuga, & periculo comitatus, & aliqui qui à ſtrage præcedentium aberrabant, eiſdem comitibus ſociati ad eum * ſemianimes audita buccina * confugerant, & ad eos qui extrema exercitus obſeruabant, propter Bernardum, de quo fama erat * quod cum exercitu Arabum per partes Aſpæ & Secolæ veniebat, poſtrema exercitus inuaſurus, & ipſe tamen in ſtrage primorum ſemper aſtitit Aldefonſo. Carolus autẽ indignatione & confuſione * demonitus, tantam multitudinem ſuorum extinctam deplorans [&] clades quas Arabibus intulerat parui pendẽs, ad Germaniam repedauit, vt reperto exercitu Hiſpaniam retentaret. Sed thermarum deliciis interceptus exercitum craſtinando obiit Aquiſgrani, & in glorioſo tumulo ſepelitur, qui erat priſcarum victoriarum epitaphiis circumſcriptus, ea parte vacua remanente, qua valle Caroli vindictam * minitans inglorius rediit & inultus. Nonnulli * iſtorum fabulis inhærentes ferunt Carolum ciuitates plurimas, caſtra, & oppida in Hiſpaniis acquiſiſſe, multaque prælia cum Arabibus ſtrenue perpetraſſe, & ſtratam publicam à Gallis & Germania ad ſanctum Iacobum recto itinere direxiſſe. Quod quidem quantum ad partem Cataloniæ, ſcilicet * Varemonenſis, Gerundenſis, Auſonenſis, Vrgellenſis territoria, ſatis conſtat, quæ cum Gothica Gallia Rex Frãcorum dicit ad ſe ex ea acquiſitione quam ſuperius diximus, pertinere. Sed Comes Barcinonæ dicit ſe tranſactione ab eius feudo liberum & exemptum.

Pictaniam. Pataua. Turonia. Aquitania.
alio V.C.
minis, conſilio.
Vallis hoſpita V.C. Vallis Caroli.
ſemianimes.
confugerunt. qui. Aſpa. Secola. ſedes ſolitus. V C. deſectus. cap 16. reparato. Aquiſgranum.
minitatur. Hiſpanum. De Carolo Magno varia & repugnantes ſententia. Barchinonenſis

De ciuitatibus Hiſpaniæ à quibus acquiſitæ. Cap. XI.

VERVM cum Carolus tempore Regis Caſti, qui cœpit regnare æra DCCCXXV. fuiſſe noſcatur, non inuenio, quas ciuitates, caſtra, vel oppida in Hiſpaniis acquiſiſſet. Nam *Tarracona diu deſtructa fuit tempore Bernardi Toletani primatis, ſicut patet in regeſto Vrbani Papæ ſecũdi, qui Vrbanus eundem Bernardum de reſtauratione ciuitatis * eccleſiæ ſuis literis animauit,* Poſt recuperationem etiam Toleti regiæ ciuitatis Comes Barcinonẽ Ilerdam, Dertoſam, & Fragam noſcitur acquiſiſſe. Montionem Titio quidam nobilis ex Aragonia acquiſiuit, & ei caſtrum illud proditione ſublatũ Comiti Barcinonæ deditione prouenit.

Æra 825.
Tarraconen metropolis. dio V.C.
& Eccleſia. Montion. Titio.

prouenit. Oſca à Rege Petro Aragoniæ noſcitur acquiſita. Cæſarauguſtam, Tiraſonam, Calataiub,& Darocam cum exteris adiacentibus Aldefonſus Rex Aragoniæ dicitur* acquiſiſſe,aſſiſtentib.ſibi * retro Comite Perticarũ,* cui *conuenit Tuteles* cum aliis caſtris,quæ poſtea dedit Garſiæ Ranimiro Regi Nauarræ cum ſua filia Margelina,& Gaſtone Vice comite Benearnenſi, cui etiam caſtra & poſſeſſiones in Aragonia prouenerunt. Idem etiam Rex habens vxorem Vrracam filiam Regis Aldefonſi qui cepit Toletum, populauit Soriã *Almazan, Valeranicam,quæ nunc Verlanga dicitur,& Belliforamen. Sed in finibus regni Caſtellæ Aldefonſus qui cepit Toletum, cepit etiam Talaueram, Maquedam, S. Eulaliam & * Alfanum, populauit Scalonam, cepit Margeritum, Canales, & Vinos, Talamancam, Vzetam, Guadalfaiaram, Fitam, & Almochariam populauit. Buitragum tempore * eius Bernardus qui tunc temporis erat primas Alcala acquiſiuit. Idem etiam Rex Aldefonſus Secouiam, Abulam, Salmanticam cum omnibus oppidis & ſuarum diœceſium populauit, quæ à tempore vaſtationis Arabum ſemper manſerant deſolatæ. Medina, quæ nunc * Cælum,olim Segontia dicebatur, & Atentia, Ripa, Fandalus per ipſum & ſuos ſuis victoriis acceſſerunt. Oxoma, ſanctus Stephanus, & * Gormatũ tempore Comitum Caſtellæ Chriſtiano nomini prouenerunt. Optã,* & Anteliam,& Cauliam obtinuit Imperator. Veleſium Santius filius eius ſuæ ſubdidit ditioni. Concam, Alarconem, Moiam, Placentiam, Beiarã Alarcuis, Calatrauã, Caracuel olim perdita Aldefonſus nobilis cũ omnib. ante dictis addidit fidei Chriſtianç. Rex Fernãdus pater Regis Aldefonſi qui cepit Toletum, Conimbriã acquiſiuit. Vlysbonam, ſanctam Ireneam,*Elboram, Sintriam cepit Aldefonſus, qui * primus in Portugallia habuit Regis nomẽ. Cætera oppida earũ diœceſiũ quædã ipſe, quędã filius eius Rex Sancius popularunt. Ea autem quæ ſunt noſtris temporib. acquiſita, ſuo loco, prout Deus dederit, proſequemur. Cum igitur hæc omnia infra ducentorum annorum ſpaciũ poteſtati * accreuerũt Chriſtianæ, nõ video quid in Hiſpaniis Carolus acquiſiuerit, cũ ab eius morte anni pene effluxerunt quadringenteſimi. Facti igitur euidentiæ eſt potius annuendum, quam fabuloſis narrationibus attendendum. Siue enim à Chriſtianis, ſiue à Sarracenis, ipſe vel eius exercitus* fuit victus, itinere retrogrado comitatus damnis & periculis retroceſſit, nec ſtratam ſancti Iacobi ſuo itinere potuit publicare, cui non obuenit trãſitum vallis Roſcidæ penetrare: ſed longe poſt cum gloria apoſtoli Iacobi miraculis publicata pœnitentium animos incitaſſet, propulſis à ſtrata Sarracenorum incurſibus, occultæ ſemitę in viam publicam concreuerunt, per quam ferme ab vniuerſis Chriſtianorum finibus beati apoſtoli limina viſitantur: niſi forte aliquod inſigne fecerit eo tempore, quo cum Rege Galafro Toleti degebat, Fertur enim in iuuentute ſua à Rege Pipino Galliis propulſatus, eo quod contra paternam iuſtitiam inſoleſcebat. Et vt patri dolorem inferret, Toletũ adiit indignatus, & cum inter Regem Galafrum Toleti & Marſilium Cęſarauguſtæ diſſenſio proueniſſet, ipſe ſub Rege Toleti functus militia bella aliqua exercebat, poſt quæ audita morte patris Pipini, in Gallias eſt reuerſus ducens ſecum Galienam filiam Regis* Galaſtri, quam ad fidem Chriſti* commiſſam duxiſſe dicitur in vxorem. Fama eſt & apud Burdegalam ei palatia conſtruxiſſe.

*Calataiub acquiſiuit. Petro Com. te. Tutela prouenit. AlmaZanum Berlangam & Belliforamen. Alfamin. Margeritum. *tuius Aldefonſus. Celi. Gormatium & Anteliam & Cauriam. Veleſium Aldefonſus. Fernandus. Elbora pro Ebora non pro Talabrica. al. primus accreuerint. V.C. fuerit Galafrus Galiena. Galafri conuerſam. palatia*

De victoriis Alfonſi, & morte eius. Capvt XII.

NVNC ad proſequenda facta Regis Alfonſi, à quibus diuertimus, reuertamus. Anno regni eius trigeſimo, duo exercitus Arabum Galleciam ſunt ingreſſi (dux vnius vocabatur Abolabez, dux alterius Melhi) & audacter ingreſſi, audacius ſunt repulſi. Alter in loco qui vocatur Naron, alter in Anceio fluuio perierunt. Subſequente tempore anno regni eius trigeſimo ſeptimo, cum fama ſui nominis Chriſtianos & Arabes dulcoraret, vir quidã * ciuis Emeritenſis Mahamut nomine, de familia Abderramæ Regis Cordubæ cui rebellionem procurauerat, indignationem veritus confugit ad clementiam Aldefonſi cum multis Arabibus qui ei fauebant, & clementer ſuſceptus per ſeptem annos in Gallecia fecit moram, qui octauo anno ſui aduentus Arabum manu aſcita, habitatoribus Galleciæ moleſtias inferebat, & proditionis præteritæ non oblitus addidit congeriem factioni. In caſtro enim quod ſancta Chriſtina dicitur, in præiudicium clementis domini & exterminium telluris hoſpitæ niſus eſt rebellare. Sed Rex audiens mouit exercitum, obſedit caſtrum cum multis millibus bellatorum. Cumque bellum contra Regem prædictus proditor præſumpſiſſet, victus capite mutilatur, quod Regi ilico præſentatur, caſtrumque capitur Regis dominio reſtitutum, & de Arabibus qui primum ſecum venerant, & de aliis qui poſtmodum aduentauerant, cæſa vſque ad quinquaginta millia remanſerunt. Rex autẽ Aldefonſus Ouetum cum victoria eſt reuerſus. Dicitur quinquaginta duobus regnaſ-

Naron Anceius fluuius. ciuis Emeritẽ Mahamut nomen. Sancta Chriſtina.

*Sylont annis quatuor conregnauit & expulsus annis 5. &c. & expulsis & fugientib. latenti. Veremundus primus, Diaconus. supr. cap 7 fine. * emisit.*

ſe annis, quinq; tempore Mauregati, & duobus in regno particeps Veremundi, ſolus autẽ quadraginta vno. in quibus licet vxorem habuit, ab eius* contactu ſemper extitit alienus, caſte ſobrie, immaculate, ac pie regni gubernacula dirigendo, amabilis Deo & hominibus. Apud Ouetum morte propria conſummatus immaculatum ſpiritum ad cœlos* dimiſit. Cuius corpus omni veneratione delatum in eccleſiam ſanctæ Mariæ quam ipſe fundauerat, in tumulo lapideo ſepelitur.

Ranimirus primus.

De ſtrage Normanorum, & victoriis Ranimiri. CAPVT XIII.

Æra 859. Bardulia quæ nunc Caſtella dicitur.

Lucus.

POST obitum eius* Ranimirus, filius Veremundi Regis & diaconi, ipſo Rege Aldefonſo adhuc in extremis laborante, & hoc ipſum præcipiente, ad regni faſtigium ſublimatur æra octingenteſima quinquageſima nona, & ſex annis regnauit. Sed quia in Bardulia pro accipienda vxore aliquandiu fecit moram, Nepotianus quidam Comes palatii attentauit regnum tyrannide obtinere. Ranimirus autem hoc audiens feſtinato reuertitur, & apud ciuitatem Galleciæ quæ Lucus dicitur, exercitum congregauit, & Aſturias irruptione inuaſit, eo quod Aſtures Nepotiano fauebant. Nepotianus autem ſumpta manu Aſturum & Vaſconum Regi Ranimiro occurrit ad pontem fluuii qui Narceia nuncupatur. Nec mora, deſtitutus à ſuis in ipſo certamine fugam parat, fugitiuus à duob. Comitibus Somna & Scipione in Pramaria capitur, & ſic regnum Ranimiro pacifice ſubiugatur, Rex autem Nepotianum in monaſterium relegari præcepit, vt ibi finem vitæ orbus & monachus expectaret. Tempore Ranimiri gens Normanorum crudeliſſima & pagana ad Pharum Galleciæ applicuit cum multis nauibus & triremibus. quod vt comperit Rex Ranimirus, congregauit exercitum Comitum & magnatum, & in Pharo Galleciæ ſupradicto intulit eis bellum, & Domino adiuuante, gens Normanica, licet aſpera, fuit victa, & ſeptuaginta naues eorum incendio cõcrematę, magna eorum multitudine interfecta. Qui ſupererant, nauigio aufugerunt, ſpoliis multis victoribus derelictis. Fugientes aũt Hiſpalim confugerũt, & prędas agentes plurimos occiderunt, vſq; adeo quod ipſam Hiſpalim irruperunt, & poſt anni circulum ad propria redierunt. Dum hæc aguntur, Ranimirus bellis impellitur inteſtinis. Nam Comes palatii Alderedus, & Piniolus procer palatii cum ſeptẽ filiis contra Regem in ſuperbiam ſunt elati. Sed eorum factionibus Ranimirus occurrens, Alderedum priuauit oculis, Piniolũ cum ſeptem filiis interfecit. Poſt hæc autem Rex Ranimirus nolens otioſus à Dei ſeruitio inueniri, aggreſſus eſt loca Arabum, & tam in villis, quam in agris cuncta quæ reperit, etiam Anagatum incendio concremauit. Tunc Sarraceni cum maxima multitudine occurrerunt. Exercitus autem Regis Ranimiri viſa multitudine, in locum qui Clauigium dicitur, ſe recepit. Cumque in nocte de certamine dubitaret, apparuit ei beatus Iacobus confortans eum, vt certus de victoria ſequenti die bellum Arabibus inſtauraret. Cumque diluculo ſurrexiſſet, viſionẽ Epiſcopis & magnatibus reuelauit. Qui pro viſione gratias exoluentes, ad pugnam omnes ſe communiter parauerunt apoſtoli oraculo roborati. Sed ex alia parte Sarraceni de multitudine confidentes, ad prælium proceſſerunt. Hinc inde itaque conferto prælio, Sarraceni confuſione turbati Chriſtianorum Galliis terga dederunt, ita quod ex eis fere ſeptuaginta millia ceciderunt, In quo bello beatus Iacobus in equo albo vexillum manu baiulans fertur appar[u]iſſe. Tunc Rex Ranimirus cepit Albaidam, Clauigium, Calagurram, & multa alia, quæ regno adiecit Ex tunc (*fertur) hæc inuocatio inoleuit, *Deus adiuua, & ſancte Iacobe*. Tunc etiã vota & donaria beato Iacobo perſoluerunt, & in aliquibus locis non ex triſtitia, aut neceſſitate, ſed deuotione voluntaria adhuc ſoluunt. Aderant autem cum Rege Garſias frater eius, qui à patre eorum Veremundo diacono poſt mortem patris infantulus eſt relictus, quem Rex Ranimirus tanta benignitate fouebat, quod & tanquam ſeipſum diligeret, & participem faceret regni ſui. Vrraca autem vxor Ranimiri quam ex Caſtella duxerat, cum eſſet chriſtianiſſima, eccleſias ſancti Iacobi & ſancti Saluatoris multis donariis adornauit. Conſtruxit etiam Rex Ranimirus eccleſiam ſanctæ Mariæ opere forniceo in latere montis Naurantii, duobus milliaribus ab Oueto. Anno ſexto regni ſui propria morte deceſſit, Oueti honorifice tumulatus.

D. Iacobus in prælio viſus.

*Clauigium. Calagurra. * Teſſera Hiſpanicorum militum.*

Naurantius.

Æra 866. quinta. Mamadonna toto hoc libro ſcriptus Codex pro Veremundo, lego Veremudus.

De Rege Ordonio, & eius magnalibus. CAPVT XIIII.

RANIMIRO defuncto Ordonius filius eius ſucceſſit in regno æra octingenteſima ſexageſima* ſexta, & regnauit annis decem, vir patiens & modeſtus, vxorem duxit nomine* Mamadonam, ex qua genuit quinque filios: Aldefonſum,* Veremundum, Nonũ Odoarium. Froilam qui dictus eſt Aragontus. Ciuitates deſertas quas eiectis Arabibus

Aldefonſus

Aldefonſus maior inuaſione deſtruxerat, adductis populatoribus reparauit, ſcilicet Tudam, Aſturicam, Legionem, Amaiam, Patritiam, Contra Arabes ſæpiſſime dimicans triũphauit. In primo anno regni ſui aduerſus Vaſcones rebellantes exercitum congregauit, & coactos cædibus ſuo iuri eos & patriam ſubiugauit. Cumque victor ad propria remearet, audiuit Arabes contra ſe cum exercitu aduenire, & cum toto ſui exercitus apparatu occurrit intrepidus ad bellandum, & victor in Arabes: plurimis eorum gladio detruncatis cæteri aufugerunt, & ſumptis ſpoliis & captiuis Rex Ordonius rediit glorioſus. Interim autem quidam Princeps Sarracenorum natione Gotthus, ſed ritu Machometico inquinatus cum tota ſua gente deceptus, quos Arabes * Beneahatim dicunt, contra Regem Cordubæ rebellauit, eique plurimas ciuitates, quaſdam fraude ſupplantauit [quaſdam gladio] Cæſara ·guſtam, Oſcam, Tudellam, & Toletum, vbi filium ſuum nomine Lupum præpoſuerat ciuitati: poſtea autem in Francos Cataloniæ & Galliæ Gotthicæ arma vertit, prædas & cædes plurimas inferendo, duoſque eorum Francorum duces, Sancium & Pulionem, fraude & prælio vicit, & cepit catenis, & carceri mancipauit. Duos etiam tyrannos Sarracenorum Ibembeanza & Alporz cum filio ſuo Azeth, partim Muza, partim filius eius Lupus præliando ceperunt. Carolus autem Rex Franciæ, non ille Magnus qui iam deceſſerat, videns quod ſine magnis ſumptibus & diſcrimine ei non poterat obuiare, decreuit Muzam muneribus compeſcendum: & acceptis muneribus inquietare ceſſauit. Tunc * de tot victoriarum ſucceſſibus eleuatus præcepit ſuis, vt eum Regem tertium in Hiſpania appellarẽt. Poſt hæc præſumptione præterita non contentus, collecta manu valida, cõtra regẽ Ordoniũ ſe parauit. Sed Rex Ordonius ad eius inſaniã comprimendã venit Albaidã, quã dictus Muza nuper Chriſtianis ablatã conſtruxerat, & muris & turrib. in ea præſidium obfirmarat, ad quam veniens Rex Ordonius concluſit obſeſſam. Quod audiens Muza manu valida in ſuccurſum Albaidæ feſtinauit, & veniens ad montem qui Laturcius dicitur, fixis tentoriis ſpectauit. Ordonius autem audiens aduentum Muzæ medietatẽ exercitus in obſidione dimiſit, cum reliqua contra Muzam animoſe proceſſit, initoꝙ; certamine Muzam cum ſuo exercitu ſuperauit, interemptis pluſquã decem millibus de numero militari, exceptis * plebibus interfectis, quæ hunc numerum excedebant. Muza vero trino vulnere ſauciatus vix ſemiuiuus euaſit, & totius exercitus apparatum, & munera quæ a Carolo ſuſceperat glorioſus, deuictus amiſit, quæ Rex Ordonius & ſuus exercitus habuerunt. Et ſic victor inclytus ad eos quos in obſidione dimiſerat, eſt reuerſus, & ·eptima die poſtquam rediit, irruptione munitionem accepit, omnibus qui inerant interfectis & ciuitate vſque ad fundamenta ſubuerſa, ad propria rediit cum triumpho. Lupus autem filius Muzæ, qui principatui præerat Toletano, auditis quæ circa patrem ſuum acciderant cum omnibus quæ habebat, Regi Ordonio ſe ſubiecit, & dum vixit, ſubditus ei fuit, & cǫtra Arabes pro Rege Ordonio cui ſe dederat, plurima bella geſſit. Rex autem Ordonius Cauriam cum rege ſuo Zeyt, & Salmanticam cum Rege ſuo Muzerez potenter inuaſit, & pluribus interfectis reliquum vulgus cum vxoribus & filiis fecit vendi. Eiſdem temporibus Normani piratæ ad Hiſpaniæ littora peruenerunt, & loca maritima deprædantes, homines gladio, terras incendio conſumpſerunt. Exinde in tranſmarinã Mauritaniam tranſfretantes, * Nacorum ciuitatem eius prouinciæ inuaſerunt, magna Sarracenorum multitudine interfecta. Deinde Maioricam, Minoricam, * Euizam, Frumentariam, Baleares inſulas vaſtauerũt. Deinde aduecti, Græciam patratis incurſionibus eodem nauigio ad propria redierunt. Rex autem Ordonius ſupradictus expleto anno decimo, quidam dicunt decimo ſexto regni ſui, morbo podagrico * interceptus, Oueti defunctus in eccleſiã ſanctæ Mariæ cum prioribus Regibus tumulatur.

Tuda. Aſturic. Legio. Amaia. Patricia.
Beliaz in V. C. abundant hæc
Muza.
Albaida.
Laturcius.
alii militibus.
Cauria. Salmantica.
Naroz.
ſ. Ebuſam.
interemptus.

De Aldefonſo Magno, & eius præliis glorioſis. CAPVT XV.

POST mortem Ordonii regnauit Aldefonſus filius eius, [qui] quatuordecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, æra octingenteſima ſeptuageſima quinta, & regnauit annis quadraginta ſex. Hic in morte patris à palatio abſens erat, ſed audita morte patris feſtinus venit Ouetum, ibique ab omnibus gratanter ſuſceptus regni faſtigium eſt adeptus. Cumque regni negotia laudabiliter inchoaret, Froila Veremundi ex partibus Gallecia cum magno exercitu veniens regnum præſumere attentauit. * Sed tamen ex improuiſo Rex Aldefonſus Alauæ ſe recepit, vt collecto maiori exercitu Froilæ * Veremundi obuiaret. Inter hæc autem dum prædictus Froila plus tyrannice, quam regaliter ſe haberet, Oueti interficitur à ſenatu. Cuius mors quanto iuſtior, tanto gratior approbatur. Quod audiens Aldefonſus ab Alaua ad Aſturias properauit, & ſtatim vtilitati inhians, Sublan-

abundat qui. Æra 875.
Et quia
tyrannidi
Sublantio.

Ceia. Hinc patet ſub-lantiam nō eſſe le-...orem. Videtur eſſe illud oppidum quod hodie Sabaga à ſanctis mamb. nominatur.

tiam & Ceiam populauit muris, & turribus cōmuniuit. Eilo autē Alauenſium Comes corda ſuorum contra Regem indebite incitauit exiſtimans rebellare, ſed dum Rex collecta manu factioni reſiſtere properaret Alauenſium, aduentu Regis territi, manus dederunt, pollicentes ſe de cætero ſubditos & fideles. Sicque Alaua ſuo imperio ſubiugata, Eilonem Comitem ferro vinctum miſit Ouetum, Eiſdem diebus Legionem exercitus Arabum attentauit cum duobus ducib. Imundar & Alchana, quorum aduentum audiens Aldefonſus cæde & gladio effugauit. Poſt hæc volens omiſſis aliis ſtragi Arabum inſudare, & fidei terminos dilatare, Gallos & Nauarros amicitia ſibi iunxit, & ex Francorum regali genere vxorem duxit nomine Amelinam, quæ poſtea Ximena mutato nomine fuit dicta, ex qua ſuſcepit quatuor filios, Garſiam, Ordonium, Froilam, & Gundiſaluum, qui fuit Archidiaconus eccleſiæ Ouetenſis, Hic Aldefonſus vir bellorum, pietatis, religionis, & iuſtitiæ fuit amator. Hic volens bellis domini tempora dedicare, aſſumptis Gallis Gotthiæ, & populis Vaſconum & Nauarrorum, terras quas Arabes detinebant, fame, flamma, cædibus, & incurſionibus coarctauit, Lentiam turribus igne conſumptis obtinuit habitatoribus interfectis. Inter cætera autem pietatis & religionis opera theſauros quos pater ſuus ſibi reliquerat, eccleſiis & pauperibus erogauit, eccleſiam ſancti Iacobi quæ erat terrea, quadris lapidibus & columnis marmoreis reparauit, eccleſias mu ltas & palatia intra diœceſin Ouetenſem, & per omnia loca regni ſui oppida, munitiones, & caſtra. Factum eſt autem, vt Arabum maxima multitudo ex regno Toleti ad regni ſui exterminium adueniret, ſed Aldefonſi Regis occurſu confuſi, & caruere optatis, * & quæ attulerant perdiderunt, & maxima multitudine bello perempta, etiam quæ fugæ ſe dederant, perierunt. Peracta victoria in ripa Dorii, Rex rediit cum gloria & honore, & in his bellis Bernardo fortiſſimo milite ſibi ſtrenue aſſiſtente. Verum quia pater eius, licet orbus & decrepitus, adhuc in vinculis tenebatur, Bernardus extruxit caſtrum quod Carpium appellauit, in territorio Salmanticenſi, indeque fœderatus Arabibus cœpit regni confinia infeſtare. Vnde & Arabes aſſumpta maxima multitudine Legionem, & Aſturicam, & adiacentia loca vaſtare cœperunt. Sed Rex Aldefonſus abſolutione patris Bernardum concilians contra Arabes exercitum inſtaurauit. Arabes vero præ multitudine nil verentes in duas partes exercitum diuiſerūt: vnam partem Puluerariam miſerunt, cum alia Regis exercitui occurrerunt. Sed Bernardus cū parte exercitus eam medietatē quæ contra Regis exercitū mittebatur, in Vallemori præuenit, & eos cæde mirabili deuaſtauit. Rex vero eis qui * Puluerariam iuerant occurrendo, iuxta Vrbicum vt potens proſtrauit, victor occidit, vt præualens exterminauit, & præter eos qui fugæ periculo perierunt, in campo cæſi vſque ad duodecim millia remanſerunt, ita quod de vtroque exercitu nulli alii euaſerunt, præter decem qui obtecti ſanguine remanſerunt.

Lentia. — *S. Iacobi.* — *& confuſi facti ſunt* — *Carpium. Salmanticen.* — *Puluerariā. V. C.*

Item de præliis & piis operibus Aldefonſi. CAP. XVI.

POST hæc iterum exercitus Arabum cōgregatus obſedit Zamoram. Quod Rex audiēs improuiſus cum iis quos ad manum habuit, ingreſſus eſt ciuitatem, mandans omnibus ſuæ gentis, vt in ſuccurſum eius quantocius properarent: & Bernardo ſollicite inſtigante exercitus adunatus Arabes exterminio conquaſſauit, Alchaman eorum propheta gladio interfecto. Quibus cædibus coacti Arabes ad tempus cum Rege pacis fœdera firmauerūt. In diebus huius Aldefonſi dicunt quidam fuiſſe bellum Roſcidæ vallis, & non cum Carolo Magno, ſed cum Carolo agnominato Martello, cum quo aſſerunt accidiſſe. Sed cum tres Caroli fuerunt ſucceſſiue, ſcilicet Carolus Magnus, Carolus Caluus, Carolus Martellus, ex cauſa ſuperius aſſignata, & quia in libris authenticis inuenitur, & quia publica fama Francorum & Hiſpanorum communiter hoc proclamat, tempore Magni Caroli dicimus accidiſſe. Si quis autem melius dixerit, * correptionem in hoc corpuſculo non recuſo. Per idem tempus Froila frater Regis cum aliis quatuor fratribus (vt fertur) mortem Regis procurans, factione detecta in Bardulia ſe recepit, ſed Rex frater eum inſequens comprehendit, & omnes fratres ſuos Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam priuauit oculis ex hac cauſa. Veremundus autem clanculo fugit Aſturicam, & per ſeptem annos geſſit tyrannidem, cum quibus etiam acto exercitu Graliare obſedit, ſed ab Aldefonſo Rege proſtrato exercitu, Veremundus orbus ad Arabes fuga celeri conuolauit. Tunc Rex in Ventoſam & Aſturicam, eo quod Veremundum receperunt, vindicauit. Coimbriam etiam à Sarracenis obſeſſam ſoluta obſidione ſuo imperio cōſeruauit. Tunc etiā vrbes, * Portugallia, Viſeum, Flauiū cœperūt habitari ab incolis Chriſtianis. Etiā vſq; ad fluuiū Tagū in partibus Portugalliæ aliqua populauit. Quidam dux & proconſul Arabum nomine Abohali bello comprehenſus Regi eſt præſentatus, qui datis pro ſe centum millibus aureorum

Vallis roſcida. — *Caroli tres.* — *li. 4. cap. 10.* — *Correctionem.* — *Bardulia.* — *Graliare. Ventoſa. Aſturica. Coimbria. Portugalia. Viſeum. Flauia. Portugallenſis. Viſenſis. Flauienſis.*

rum permiſſus liber abiit & ſecurus.* Idem etiam Rex Septem mancas, Dominas, & alias villas in campis Gothicis populauit. Poſt hæc Rex partes Toleti deuaſtans, & aliquas munitiones euertens habitatoribus trucidatis, accepta à Sarracenis pecunia, eis per trienniū pacem dedit. Sicque reuerſus ad propria, Addanium quēdam de familia Palatina in mortem regis comperit macchinatum, quem fecit ilico laniari. Eccleſias quoque beati Iacobi, & ſanctorum Facundi & Primitiui magnifice fabricauit, quas poſtea Arabes deſtruxerūt, caſtrum Gozon in maritima Aſturiarum ob tuitionem patriæ obfirmauit, ciuitatem Zamoram nobiliter populauit, quæ ex eo nomen dicitur accepiſſe. Cum Rex ipſe locum aſcenderet ad videndum, ſatelles quidam qui inter cæteros Regem cum ſpiculo præcedebat, vaccam nigram dicitur inueniſſe, quam volens ruſticam applauſus vocabulo delinire, fertur dixiſſe * Zemora. vaccas enim eius coloris Hiſpani armentarii moras vocant. *mora.* Vnde & Rex Zemoram nomen indidit ciuitati. Et cum Rex tantis proſperis lætaretur, duos presbyteros Seuerum & Deſiderium ad Ioannem Papam cum ſuis literis deſtinauit, qui reuerſi cum * Reinaldo eiuſdem Papæ gerulo epiſtolam huiuſmodi detulerunt. *Reinaldo.*

Epiſtola Ioannis Papæ ad Aldefonſum Regem. CAPVT XVII.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Aldefonſo Regi chriſtianiſſimo, ſeu cunctis venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, vel orthodoxis Chriſtianis. Quia igitur in cura nos totius chriſtianitatis beati Petri Apoſtolorum principis ſempiterna prouidentia ſucceſſores, ea Domini noſtri Ieſu Chriſti conſtringimur adhortatione, qua beatum Petrum Apoſtolum monuit, dicens quadam voce: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam & tibi dabo claues regni cælorum, & reliqua.* * Hinc rurſus imminente Domini noſtri articulo glorioſæ paſſionis, inquit: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. *Hinc* Ideoque quia veſtræ notitiæ fama per hos fratres limina apoſtolorum luſtrantes per Seuerum & Deſiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis eſt reuelata, paterna vos adhortatione commoneo in cœptis bonis operibus gratia duce perſeuerare, quatenus copioſa vos beati Petri protectoris veſtri, & noſtra protegat benedictio, & quotieſcunque filii chariſſimi ad nos venire quilibet veſtrum, aut tranſmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Galleciæ finibus, *colligimus* cui vos præter me Dominus rectores conſtituit, tanquam iure filios noſtros vos * colligimus, & eccleſiæ Ouetenſis quam veſtro conſenſu & aſſidua petitione metropolitanam conſtituimus, omnes vos ſubditos eſſe mandamus, & concedimus etiam prædictæ ſedi, vt ea quæ Reges, ſeu quibus fideles iuſte obtulerunt, vel in futurū Domino opitulante cōtulerint, ratum, firmum, & inconcuſſum manere in perpetuum præcipimus. *Ouetēſis Eccleſia Metropolis inſtituta.* Hos quoque latores literarum noſtrarum omnes hortor, vt habeatis commendatos [Bene * valete] Item alia epiſtola ab eodem Papa Romano directa per Arnaldum gerulum menſe Iulio. *Bene Valete V.C.*

Alia Epiſtola.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Aldefonſo glorioſo Regi Gallaeciarum. Literas deuotionis veſtrę ſuſcipientes, quia deuotum vos eſſe cognouimus erga * veſtram ſanctam eccleſiam, gratias vobis multiplices referimus Dominum exorantes *noſtram Eccleſiam* vt * victor regni veſtri abundet de inimicis veſtris, victoriam vobis concedat. *regni* Nam * vos *nos* filii * chariſſimi ſicut petiſtis, ſedulas preces Domino fundimus, vt regnum veſtrum gubernet, vos ſaluos faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper inimicos veſtros. *fili cariſſime* *ſaluum* Eccleſiam autem beati Iacobi ab Hiſpanis Epiſcopis conſecrari facite, & cum eis concilium celebrate. Et nos quidem, glorioſe Rex, ſicuti vos, à Paganis iam conſtringimur, & die ac nocte cum illis bella committimus, ſed omnipotens Deus * dat nobis de illis triumphum. *donat* Huius rei gratia rogamus dilectionem veſtram, & animum deprecamur, vt quia (vt diximus) valde à Paganis opprimimur, aliquantos vtiles & optimos Mauriſcos cum armis (quos Hiſpani cauallos Alpharaces vocant) ad nos dirigere non omittatis. Qualiter nos recipientes Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum * portionem de benedictionibus ſancti Petri vos remuneremus. *portiones* Bene * vale dilectiſſime fili, & clariſſime Rex. *Valete*

De ſublimatione Ouetenſis vrbis in metropolim, & dedicatione eccleſiæ ſancti Iacobi, & concilio Ouetenſi. CAPVT XVIII.

REx itaq; viſis epiſtolis gaudio eſt gauiſus, & cōſtituit diem in qua conuenirent nobiles, & magnates, & pontifices, qui eccleſiam beati Iacobi dedicarent. Et celebrata de- *S. Iacobi eccleſiam.*

Digitized by Google

dicatione, omnes cum gaudio ad propria redierunt, & fuerunt ibi in dedicatione multi Epiſcopi: Vincentius Legionenſis, Gomellus Aſtoricenſis, Hermegildus Ouetenſis, Didacus Tudenſis, Egila Aurienſis, Siſnandus Irienſis, Rechatedus Lucenſis, * Theodoſinus Britonienſis. Horum ciuitates iam per Dei gratiam à Chriſtianis poſſidebantur. Fuerunt ibi alii Epiſcopi, quorum ciuitates aliquæ deſertæ, aliquæ ab Arabibus tenebantur, Ioannes Aucenſis, Dulcidius Salmanticenſis, Iacobus Caurienſis, Fauſtus Coimbrienſis, Ardimirus Lamecenſis, Theodemirus Viſenſis, * Guimagus Portugallenſis, Argimirus Bracarenſis, Heleca Cæſarauguſtanus. Horum vrbes etſi aliquando Aſturiarum Reges obtinuerunt, propter impotentiam retinēdi ab Arabibus occupatæ, aut retentæ, aut diruptæ remanſerunt vſque ad tempora Aldefonſi qui cœpit Toletum. Et earum Epiſcopi ad Aſturias fugientes tam in ciuitate, quam in diœceſi Ouetenſi partitis ſibi territoriis, vt poterant victitabant. Vnde in aliquibus libris antiquis Ouetum dicitur ciuitas Epiſcoporum. Tranſactis autem XI. menſibus prædictus Rex vna cum vxore & filiis, Epiſcopis Comitibus, & magnatibus autoritate domini Papæ Ioannis Ouetum ad celelebrandum concilium conuenerunt, in quo cum vniuerſali conuenientia ciuitas Ouetenſis dignitate metropolitica inſignitur, & Hermegildus in Archiepiſcopum ſublimatur, quia Hiſpania captiuatis quinque ſedibus metropoliticis, ſilebat officio metropolitico deſtituta. Incurſantiū enim hoſtilitate fugati intra Aſturiarum anguſtias Prælati qui gladium effugerant, confugerūt, & vt tanta anguſtia tolerabat, antiqua Toletani cōcilia inſtituta ſollicite contuentes, Ouetenſem eccleſiam & cæteras quibus iam vt metropolis præminebat, ordinabant, iuxta canonum ſanctiones. Multisque ſecundum Deum vtiliter ordinatis, ſoluto concilio ad propria redierunt.

Legionenſ. Aſt. ricenſ. Ouetenſ. Tudenſ. Aucenſ. Irienſ. Lucenſ. Theodoſindus. Solet Roder. Toletanum Epiſc. Britonienſis Salmāticenſis Caurienſis. Coimbrienſis. Lamecenſ. Viſenſis, &c. Guimagus. Ouetū ciuitas Epiſcoporum & Metropolis.

De incarceratione Garſiæ filii Regis, & morte Aldefonſi. CAPVT XIX.

POST hæc veniens Zemoram Garſiam filium ſuum comprehendit, & apud * Gazonem ferreis vinculis mancipauit, quia ſuſpectum habebat, eo quod ſocer eius Munio Fernādi tyrannidem actitans contra Regem rebellare parabat. Ex quo facto alii filii indignati, coniuratione facta, patrem ſuum regni regimine priuare parabant. Huius autem diſſenſionis cauſa fuit Regina * Semena, quæ dicta fuerat Amelina, quæ ſatis inhumana ſtudebat noua grauamina & ſeruitutis onera inuenire, nihilominus diſcidia & ſchiſmata procurare. Hæc Regem Aldefonſum non habens charum, vt affectus expetit maritalis, excogitauit virū regno priuare, & filium ſuum Garſiam quem pater vinculauerat, ſubrogare: * Albam, Gordonem, Arbolium, atque Lunam commouit, vt filius eius in his rebellans, auxiliante ſocero * Munione, captionis iniurias vindicaret, coniuratione fratrum eum ad talia incitante. Rex autem tam filii, quam ſuorum perſecutionibus coarctatus, in villa quæ Boides dicitur in Aſturiis, regni regimine ſe priuauit, & filium ſuum Garſiam [licet inuitus] regni conſtituit ſucceſſorem præſentibus filiis & potioribus regni ſui. Poſt hæc orationis cauſa beati Iacobi limina viſitauit, & rediens à filio ſuo Rege Garſia quem * exaltauit, qui iam tunc fratrib. præminebat, petiit vt ſemel impeteret Sarracenos, & obtento à filio ꝙ petebat, mouit exercitum contra Mauros, & eorum terris ſtragibus & incendiis deuaſtatis, & factus inclytus ſpoliis & captiuis victor ciuitati reſtituitur Zemorenſi, & ſicut principium ſic finem regni victoriis adornauit. Ibique proprio morbo coactus, fœlicem ſpiritum creatori reſtituens, vitæ curſum fœliciter conſummauit, & ſepultus Aſtoricæ, poſt tranſlatus Ouetum, in eccleſia ſanctæ Mariæ cum vxore ſua Semena Regina finalem obtinuit ſepulturam, cum regnaſſet, annis XLVI.

Gazon. Gezonem. ſupr. Xemenam vocauit, cap. 15. Vnde & munimet caſtra in confinio Legionis videlicet à. Alba. Gordo. Arbolium. Luna. Munione fratrem. filiorum Boides. exaltauerat impetrauit quia iam V. C.

Garſias primus *De præliis Garſiæ, & morte eius.* CAPVT XX.

Æra 921.

ALDEFONSO defuncto Garſias filius eius ſucceſſit in regno æra DCCCCXXI. regnauit annis III. Garſias igitur in initio regni ſui terras Arabū eſt aggreſſus, & duris incurſionibus peragratas, euerſis plæriſque munitionibus campeſtria flamma vorace conſumpſit, habito prælio cum Aiola Rege Arabum, plurima ſtrage contritum vicit, & captiuauit. Prędaque rerum, gregum, & captiuorum maxima ſubſequente venit ad locum, qui Tremulus nuncupatur, ibique cuſtodium incuria Aiolas curioſus abſceſſit, & ad ſuos rediit fugitiuus. Garſias autem III. annorum expletis circulis, Zemoræ propria morte deceſſit, Ouetumque delatus in monumentis regalibus eſt ſepultus.

De

Digitized by Google

De Rege Ordonio, & bellis eius, & de tranſlatione eccleſia Legionenſis.

CAP. XXI.

POST Garſiam Ordonius frater * eius regni gubernacula legitur ſuſcepiſſe æra DCCCC XXXIIII. & regnauit annis VIII. menſibus * ſex. Hunc Ordonium Rex Aldefonſus Galleciæ præfecerat adhuc regnans. Hic autem Ordonius paterna facta fœlici æmulatione capeſſens & ſolers, iuſtus & pius, & in neceſſitatibus pauperum conſolator, regnum prouide gubernabat. Cum enim viuente patre principatum teneret, collecto exercitu aliquantas Bæticæ prouinciæ ciuitates irrumpens loca campeſtria deuaſtauit plurimis habitatoribus interfectis. In initio autem regni Rex Ordonius collecto exercitu Talaueram oppidum animoſus obſedit, venienteſque Arabes, vt obſeſſis fierent in ſuccurſum, & ipſi pugna poſtrati, & obſeſſi fruſtrati, vtrique gladio perierunt, & direpto oppido, quæ ibi erant, Regis Ordonii prædæ ceſſerunt, & principem exercitus Cordubenſis captum adduxit qui multis prędis & captiuorum cateruis eius gloriam ſubſequentibus in regnum ſuum reuertitur glorioſe. Poſt hæc autem tantis vaſtationibus arctati Arabes, ad Regem Cordubæ Abderramen & Almotaraph Regem Tingitaniæ miſerunt auxilia poſtulantes qui legationi lugubri annuentes interminatione pœnali exercitus coegerunt, & * Auolalpaz Alcaidus Cordubenſis cum magno exercitu Arabum, & cum alio Rege Tingitaniæ * Almotaraph nomine, ad caſtrum quod ſanctus Stephanus dicitur, in ripa Dorii peruenerunt. Quod Rex Ordonius cum audiſſet, conuocato magno Chriſtianorum agmine feſtinus occurrit, & triumphali prælio proſtratos deleuit, & Rege Vlit, & Almohabar duce magno, & aliis ducibus interfectis, cæteros aut cæde, aut captiuitate poſſedit, & cum triũphali gloria ad propria eſt reuerſus. Sed à bellorum magnalibus impatiens abſtinere, contra Emeritam exercitum congregauit, & totam Luſitaniam fere deuaſtans, caſtrum Colubri quod Turre Alaniz dicitur, occupauit, & acta præda auri, & argenti, & ſerici, & hominum triumphaliter remeauit. Sed illius prouinciæ incolæ occurrentes, oblatis muneribus pacem humiliter poſtulabant. Qua ad tempus indulta ad propria eſt reuerſus, & veniens Legionem pro tantis victoriis omnipotenti Deo gratias referens, conuocatis Epiſcopis & magnatibus, maiorem eccleſiam ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli quæ minus tute ſiſtebat, intra vrbẽ decreuit prouide trãsferendã, & in palatio regio quod olim balneum fuerat Paganorum, Epiſcopalem cathedram collocauit, conueniente Fruminio Legionenſi Epiſcopo cum aliis, Epiſcopis, qui tunc temporis ibi erant. Et cum tres eſſent in palatio manſiones, in prima domo altare maius in honorem ſanctæ Mariæ ſemper virginis erexerunt: in ſecunda domo ſancti Saluatoris, & apoſtolorum omnium conſtruxerunt: in tertia domo ſancti Ioannis Baptiſtæ, & omnium martyrum, & confeſſorum. Quibus omnibus dedicatis prædicta altaria ornamentis aureis & argenteis liberaliter decorauit, & ad dotem eccleſiæ poſſeſſiones varias cumulauit, & in eadem eccleſia communi fauore principum & magnatum à duodecim pontificibus fuit diademate inſignitus.

Ordonius II. — Eius dicitur frater. — Æra 934. — ſeptem. — Talauera. — Auolapaz Alcaidus. — Flumdado de S. Eſteuan. — Templum DD. Petri & Pauli in Vrbem tranſlatum. — Ordonius à XII. Epiſc. coronatur.

Item de præliis Ordonii, & vxoribus eius, & captione magnatum, & morte Regis.

CAPVT XXII.

HIs peractis Rex Cordubenſis dolens tantum interitum ſuæ gentis Inuaſit terminos regni ſui, & ad * Roindoniam vſque peruenit. Cui occurrit Rex Ordonius, confertoq; prælio multi ex parte Regis Ordonii, & ex Arabib. corruerunt, & cũ per totã diẽ fortiter dimicaſſent, neuter victor, neuter victus fuit. ſed vtriq; redierũt ad propria cum iactura. Poſt hæc venit Abderramen cum magna multitudine ſuorum & Africæ quos conduxerat, terramque ingreſſus eſt Nauarrorum vſq; ad locũ qui Muez adhuc hodie nuncupatur. Quos Rex Garſias filius Regis Sancii nequiens tolerare Regi Ordonio nunciauit, qui confeſtim occurrens cum ingenti auxilio properauit. Cumque in valle Iuncaria ſibi ad inuicem exercitus obuiaſſent ſicut Dominus voluit ſuſtinere, multi de Chriſtiano exercitu corruerunt. Etiam duo Epiſcopi Dulcidius Salmanticenſis & Hermigius Tudenſis fuerunt ibi ab Arabibus comprehenſi, & pro iſto Hermigio fuit ſobrinus eius ſanctus Pelagius datus obſes, qui poſtea fuit martyr. Similiter & Dulcidius fuit dato obſide liberatus. Is autem Rex Ordonius prouocatus ex ſuis agmina congregauit, & ingreſſus terram Arabũ quæ Sintilia dicitur, ſtrages & plurimas cædes egit, caſtra & oppida plurima in ore gladii occupauit, Sarmalion, Heliph, Palmatiũ, & Caſtellionẽ, & Magnantiã, & multa alia caſtra

Albudonia — Rondonia. — Muez. — Sintilia. — Sarmalion. — Sarmalionem. — Eliph. — Palmaciũ. — Caſtellio. — Magnantia.

Digitized by Google

Et inde Muniaam. Nunninam. Dopnam. — *Tegulare.* — *Fernandus & Almondar albus & Didacus filius eius & Fernandus Anſuri filius.* — *Enechonis.* — *Anagarum.* — *Tricium.* — *Ticium.*

diripuit,& deſtruxit.* Exinde Zemoram rediens cum triumpho vxorem ſuam * Muninã * Domnam, quæ & Geloira alio nomine vocabatur, inuenit defunctam, ex qua ſuſceperat duos filios, Aldefonſum videlicet,& Ranimirũ, plus de morte coniugis contriſtatus, quã de victoria iucundatus. Aliam quoque duxit vxorem ex partibus Galleciæ nomine Aragontum, quam poſtea ſuſpectam reliquit, pro quo condigne poſtea ſatisfecit. His transactis miſit pro Comitibus qui Caſtellam regere videbantur, ad locum qui Tegulare dicitur, in ripa fluminis Carrionis, quaſi cum eis colloquium habiturus, & venerunt ad eum Nunius * Fernandi,& Almondar Albus,& filius eius Didacus,& Fernandus Anſuri filius, & nullo conſcio exceptis conſiliariis cepit eos, & vinctos catenis Legionem adduxit, & carceri mancipatos poſt aliquantum tempus iuſſit occidi,& poſuit maculam in gloria ſua, & cruore innocuo baltheum gloriæ obfuſcauit. Et fœderatus Garſiæ * Enechonis Ariſtæ Principi Nauarrorum filiam eius nomine Sanciam duxit vxorem. Poſt quod etiam cepit Anagarum quod olim * Ticium vocabatur,& Vicariam, quæ ex eo nomen dicitur habuiſſe, quod Gotthorum tempore ſedes iudicii habebatur. Reuerſus autem ad propria, cum egrederetur Zemoram, in infirmitate percuſſus vitam finiuit, ſepultus Legione in eccleſia cathedrali.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER QVINTVS.

De Froila & iudicibus. CAPVT I.

Æra 932. Munina Dompna V. C. vt ſupra cap. vlt. — *aliqua.* — *Fronimiam.*

POST mortẽ Ordonii Froila frater eius ſucceſſit in regno æra DCCCCXXXII.& regnauit anno I. menſibus II.& duxit vxorem nomine * Munina Domna, ex qua ſuſcepit tres filios, Aldefonſum, Ordoniũ, & Ranimirum,& quartum de concubina nomine Acenare. Hic nihil egit memoria dignum, niſi quod filios Olmundi nobilis ſine culpa aliqua fecit occidi,& * Fronimium fratrem eorum Legionenſem Epiſcopum exilio condemnauit. Et quia viri impii nõ dimidiant dies ſuos, percuſſus lepra, vnius anni & duorum menſium expleto circulo vitam finiuit, & iuxta fratrẽ ſuũ Ordonium Legione inglorius ſepelitur. Epiſcopus Fronimius ſtatim fuit ſedi propriæ reſtitutus. Eiſdem diebus nobiles Barduliæ, quæ nunc Caſtella dicitur, attendentes nobiles ſuos Nunium Fernandi, Almondar Album,& filium eius Didacum vocatos ad colloquiũ, ex factione à Rege Ordonio interfectos, tyrannum etiam Froilam, & multa alia quæ eis euntibus ad iudicium à Regibus & magnatibus Legione iniurioſe fiebant, videntes etiam quod termini gentis ſuæ ex omnibus partibus arctabantur, & pro iudicio contemptus & contumelias reportabant, ſibi & poſteris prouiderunt, & duos milites non de potentioribus, ſed de prudentioribus elegerunt, quos & iudices ſtatuerunt, vt diſſenſiones patriæ & querelantium cauſæ eorum iudicio ſopirentur. Vnus fuit Nunius Nunii, dictus * Raſura, filius Nunii Bellidez: alter dicebatur Flauinus Caluus. iſte tamen aut nil, aut parum de iudiciis cogitabat, ſed armis & militiæ inſiſtebat. Erat enim facile iracundus, nec cauſarum varia pacifice ſuſtinebat, quod non competit iudicanti. Ex huius genere proceſſerũt multi & alii magni nobiles de Caſtella. Flauinus Caluus habuit duos filios, Fernandum Flauinum,& Veremundum Flauini. Fernandus genuit Flauinum Fernãdi. Flauinus genuit Nunium Flauini. Nunius duxit vxorem nomine Egilonem, ex qua ſuſcepit filium Flauinum Nunii. Flauinus Nunii genuit Didacum Flauini. Didacus Flauini duxit vxorem filiam Roderici Aluari de Aſturiis, viri nobilis & magnatis, & ex ea genuit Rodericum Didaci, qui dictus fuit Campiator. Alter filius Flauini Calui dictus fuit * Veremundus Flauini. Veremũdus genuit Rodericum Veremundi. Rodericus genuit Fernandum Roderici. Fernandus genuit Petrum Fernandi, non illum qui dictus fuit Caſtellanus.

Raſoria inf. c. 2. — *Flauini & tres filium & ſeqq.* — *Veremundus ſic & ſeqq.*

De Nunio Raſura, & filiis eius. CAPVT II.

Nunii. Raſoria vt ſup.

NVNIVS autem cognomento * Raſura fuit vir patiens & modeſtus, ſolers & prudens, induſtrius, circũſpectus, & ſic ab omnib. amabatur, vt vix eſſet cui ei * iudicia diſplicerent,

rent, aut eius ſententias cauſaretur, quas tamen rariſſime proferebat, quia in compoſitione amicabili fere omnia terminabat, & ſic charus ab omnibus habebatur, vt locus aliquis detractioni, vel inuidiæ non pateret. Hic habuit * filium homine Gundiſaluũ Nunii, qui cum eſſet adoleſcens, bona indole coætaneis prĉminebat, & futurorum indiciis omnibus complacebat. Nunius vero pater eius fere ab omnibus Caſtellæ militibus Domicellos filios petiit nutriendos, quos curialitate, affabilitate, & bonis moribus ſic inſtruxit, vt patres adoleſcentium de profectu filiorum profiterentur ſe tali nutritio obligatos, & ipſi adoleſcentes ſic erant Gundiſaluo Nunii dilectione coniuncti, vt eum quaſi dominum ſociarent, nec poſſent ab eius conſortio vel ad modicum ſeparari. Cumque creuiſſet factus miles, militiam ſtrenuus exercebat, & pacis dulcedinem in patria * retinebat, ita quod patre ſuo mortuo, patri fuit fauore omnium ſubſtitutus, & etiam principatum militiæ conniuentibus iis qui ſecum nutriti fuerant, addiderunt, & duxit vxorem nobiliſſimam Semenam nomine filiam Nunii * Fernandi, ex qua ſuſcepit filium nomine Ferdinandum. Hic fuit omnibus patre charior, in ſermone verax, in iudicio iuſtus, in militia glorioſus. multa enim ſtrenue contra Arabes peragendo fines patriæ ampliauit. Hic habuit filium qui dictus eſt Ferdinandi Gundiſalui. Hunc Deus ſupra patrem & auum tot gratiis exaltauit, vt ipſo non attẽdente, tam à magnatibus & militibus, quam ab vniuerſis populis Caſtellanis in Comitem crearetur, & omnes ſe ſuæ ſubiicerent ditioni. Qui factus Comes totam Caſtellam ſic pacifico dominio confouebat, vt omnes Deo gratias agerent, qui per talem Comitem à populo ſuo releuauerat ſarcinam ſeruitutis, Hic contra Arabes plurima bella geſſit, quoniã & ſanctum Stephanum & alia plurima loca Chriſtianæ reſtituit ditioni. Ex quo iſte ſuſcepit ſuæ patriæ Comitatum, ceſſauerunt Reges Aſturiarum inſoleſcere in Caſtellam, & à flumine Piſorica nihil amplius vindicarunt. ſtrenuitate enim ſua eorum inſultibus reſiſtebat, nec propter eos à bellis Arabum deſiſtebat. Monaſterium ſancti Petri in ripa * Aslantiæ fluminis ædificauit, & multis poſſeſſionibus illud dotauit. Morte propria defunctus in eodem monaſterio eſt ſepultus. cui ſucceſſit filius eius Garſias Ferdinandi, homo catholicus, qui bella plurima contra Reges Aſturiarũ conantes Caſtellæ finibus præminere, glorioſe peregit, & caſtra plurima in ripa Dorii munifice reparauit, & vſque ad fluuium Carrionem iuriſdictionis ſuæ terminos dilatauit. Hic conſtruxit monaſterium in honorem ſancti Coſmæ & Damiani iuxta ripam * Dorii fluminis Aslantiæ, in villa quæ Caueæ rubeæ nuncupatur, & ampliſſimis poſſeſſionibus dilatauit, & loca quæ dedit, ſtatuit Infantaticum appellari eo intuitu, quod ſi aliqua de genere ſuo non poſſet, aut nollet mariti comparis ſolatia adipiſci, de bonis monaſterii prouideretur eidem largiter & decenter, demptis duntaxat neceſſariis clericorũm qui inibi Deo & ſanctis martyribus deſeruirent. Obiit autem morte propria, & in monaſterio ſancti Petri de Cardonia tumulatur.

filium Gundiſaluum

nutriebat

Fredenandus non Ferdinandus & Nunnius.

S. Stephanum.

Piſorica.

Atlantia flu. Aſlançio.

Dorii Aſlancio Cauas rubeas.

De Comite Sancio, & morte eius. Cap. III.

HVIC ſucceſſit filius eius Comes Sancius Fernandi, vir virtutum, amator patriæ, & in ſubditos totus pius. Hic obtinuit Pennam fidelem, & Septem publicam, & * Madoliũ, & Montelionem, & Varinatium, * Oaromam, & ſanctum Stephanum, quę in captione patris perdiderant Chriſtiani, & multa intulit Agarenis. Antiquos foros Septem publicæ iſte dedit. Caſtellanis militibus qui & tributa ſoluere, & militare cum principe tenebantur, cõtulit libertates. videlicet vt nec ad tributum aliquod teneantur, nec ſine ſtipendiis militare cogantur. Hic habuit filium qui dictus fuit Infans Garſias, & Legione fuit proditionaliter interfectus: & habuit filiam nomine Geloiram, quam duxit in vxorem Sancius Maior Rex Aragoniæ & Nauarræ, de quo, ſi Deus dederit, poſtea proſequemur. Huius mater optans commercium cuiuſdam principis Sarraceni, propoſuit filium interficere, vt ſic cum munitionibus & oppidis optatis nuptiis potiretur. Cumque quodam ſero lethali poculo virus mortiferum miſcuiſſet, filius reuelatione * pediſſequę hoc prĉſenſit, & matri, vt prius biberet, ſupplicauit. Quod ipſa renuens demum coacta, quod male miſcuerat deguſtauit, & patricida mater hauſit, & meruit mortem in poculo quod parauit. Et tandem Comes Sãcius contriti cordis, pœnitentia ſtimulatus conſtruxit monaſterium nobile quod Oniam nominauit, eo quod matrem viuentem Mioniam more Hiſpanico appellabat. Demum poſt multas victorias ſtrenue conſummatas fœlicem ſpiritum ſuo reſtituit creatori, & in monaſterio Onienſi quod ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus. Nunc autem ad genus & acta Regum Aſturum reuertamur.

Matrolium, Beides Madrenela, Ocamam.

Garſias. Geloyra. Sancius.

Infandum facinus libidinoſæ mulieris Veneſica, quæ ipſam ſe puniuit.

pediſſequæ.

Onia. Mionia.

De Alphonſo, & Ranimiro, & diſcordia fratrum CAP. IV.

Æra 933. Duxit vxorem Xemenam.

MORTVO Froila Aldefonſus filius Regis Ordonii adeptus eſt ſceptra patris æra DCCCCXXXIII. & regnauit annis V. menſibus VII. anno vno menſium numerato. * Nomen * vxoris eius Semena, ex qua genuit infantem Ordonium, qui dictus eſt Malus, & fuit iuxta Cordubam interfectus. Hic Aldefonſus leuitate potius quam virtute deliberauit apud ſe, vt ad viam confeſſionis & pœnitentiæ ſe transferret, & ideo religionis operibus deuouit ſe, & aliquandiu huic propoſito inhærendo decreuit ſibi ſubſtituere fratrem ſuum nomine Ranimirum. Cumque propoſitum fratri per nuncios intimaſſet, Ranimirus audito nuncio cum magno exercitu venit Zemoram, & Aldefonſo regni regimen reſignante, Ranimirus ſubſtituitur fratri ſuo. Aldefonſus autem iam ex rex ad locum qui Dominos ſanctos vulgariter dicitur, ſuper ripam * Ceiæ fluminis properauit, habitumq; monachalē aſſumens viam perfectionis elegit.

Ceya V.C.

Alfonſus IV. Huius tempore dicitur floruiſſe Epiſcopus Legionenſis Froilanus, de quo ſcr ... cap. 14. in fine.

De regno Ranimiri, & rebellione monachi Aldefonſi. CAP. V.

Æra 939. annis XIX. menſibus 2. Et cum eſſet V.C.

RANIMIRVS autem ſucceſſit in regno æra nongenteſima trigeſima nona, vno anno menſium numerato, & regnauit annis * decem, & nouem menſibus, diebus duobus. * Et cum eſſet vir bellis deditus, mouit exercitum contra Mauros, & dum exercitum congregabat, frater ſuus ea leuitate, qua de Rege ſe monachum fecerat, à monaſterio apoſtata reſiliuit, & Legionem veniens cœpit inibi rebellare, & ad regnum iterum inhiare. Ranimirus cum hoc audiuit, direxit congregatum exercitum contra eum, & duobus annis obſeſſum in deditionem recepit ad ſuæ beneplacitum voluntatis, & ſtatim in carcerem mitti iuſſit. Et dum hæc fierent, Aldefonſus, & Ordonius, & Ranimirus, filii Regis Froilæ ſupradicti, cum conniuentia in Aſturiis rebellarunt, & tyrannidem exercentes Aldefonſum qui maior erat, honore regio præferebant. Aſtures enim indignati, eo quod in ceſſione Aldefonſi, & ſubſtitutione Ranimiri non fuerant euocati, rebellionem huiuſmodi factitabant. Vnde & Aſtures in dolo euocant Ranimirum, vt ſi fieri poſſet, in manus filiorum Froilæ deueniret. Quod præſentiens Ranimirus armata manu Aſturias eſt ingreſſus, & coactos præliis mancipauit, ſecumque ducens cum fratre ſuo Aldefonſo quondam Rege in eodem carcere * coarctauit, & poſt aliquantulum temporis interuallum fratrem & ſobrinos crudeliter excæcauit. Tandem Ranimirus pœnitentia ductus prope Legionem in ripa Turii monaſterium ſancti Iuliani conſtruxit, & in eo fratrem & conſobrinos pie, prout potuit, collocauit, vbi vſque ad finem vitæ neceſſaria habuerunt. Mortuus autem Aldefonſus ibidem ſepultus eſt cum vxore ſua Regina Semena & conſobrinis. Regnauit autem Aldefonſus annis quinque & menſibus ſeptem, & in quinto anno regni ſui fuit orbatus oculis, & poſtea duobus annis & ſeptem menſibus ſuperuixit.

coartauit Turium fl. S. Iulianum. De ruiſorco hodie appellatur. Conuentus S. Iſidori beneficium eſt alicui Canonicorum conferendum.

De victoria Ranimiri, & Comitis Fernandi Gundiſalui. CAP. VI.

RANIMIRVS autem regnum ingrediens Toletanum obſedit oppidum Maioritum, & muros diſrumpens, ſublatis rebus incolas captiuauit, & reduce exercitu remeauit. Poſt hæc Arabes fines Caſtellæ inuadere decreuerunt, & Comes Fernandus Gundiſalui, qui Caſtellæ tunc temporis præſidebat, nunciauit aduentum Arabum Ranimiro, qui conuocato exercitu, properauit in auxilium Comitis Caſtellani. Cumque Legionenſis & Caſtellanus exercitus conueniſſent, Arabibus apud oppidum * Oxomam occurrerūt, & collatis ſignis adinuicem dimicarunt, ſed Dei gratia adiuuante, Chriſtianis victoria, Arabibus ceſſit fuga, multaque millia captiuorum Chriſtiano exercitui prouenerunt. Sicque Rex Ranimirus ad ſua fœliciter eſt reuerſus.

Oxomiam. Oxoniam, & deleatur oppidum inf. ca. 14.

De proditione Abenaia, & victoria Ranimiri. CAP. VII.

Cæſaraugustā ſemper V.C. ſine m. Cæſaraugusta.

POST hæc iterum Ranimirus contra Cæſarauguſtam exercitum congregauit. Abenaia autem qui inibi princeps erat, audito quod Ranimirus & Ferdinandus Gundiſalui Comes Caſtellæ adinuicem concordarant, timuit in immenſum. Vnde & ſeipſum cum terra Ranimiri ſubdidit ditioni mentitus Abderramen Regi Cordubæ, cui erat ſubiectione ſimili obligatus. Rex autem Ranimirus omnes munitiones regni Cæſarauguſtæ quæ Abenaiæ reſiſtebant, cædibus & irruptionibus coegit Abenaiæ obedire. Poſt quæ Ranimiro ad ſua reuerſo, Abenaia proditionis non immemor, fregit pacta, & reconciliatus

principi

principi Cordubenſi ratus eſt poſſe inuadere terminos Ranimiri,& agens exercitum peruenit celeriter Septem mancas. Quod audiens Ranimirus aſſumpto exercitu proceſſit obuius contra eum, & ibidem adinuicem vtroq; exercitu dimicante,cæſi Arabes, nec fuga,nec ſtrage, ſed victoria caruerunt, & ſecunda feria, in feſto ſcilicet ſanctorum Iuſti & Paſtoris, ex Arabibus vſq; ad octoginta millia perierunt,& Abenaia proditor fuit captus: cæteri qui euaſerant, ad oppidum quod Alfondega dicitur,cõfugerunt. Ranimirus autem plus ſanguine Arabum, quam prælíis, vel ſpoliis cupiens ſatiari, eos viriliter inſecutus in caſtro Alfondega quo confugerant, comprehendit Abderramen autem cum paucis fugæ comitibus vix abſceſſit. Tunc fuit ſolis eclipſis per vnam totam horam diei. Tunc Rex & ſui cum multis ſpoliis & multa turba pediſequa captiuorum reuertitur glorioſe, ſecum ducens Abenaiam captiuatum.

Septem manca. *Alfondega.*

Item de prœliis Ranimiri. CAP. VIII.

HIs peractis exercitus Sarracenorum per ripã Turmii fluminis eſt ingreſſus ſub principe qui Aceipha dicebatur,& fauẽtibus ſibi Fernãdo Gundiſalui & Didaco * Munionis magnatibus regni ſui,cœpit populare Salmãticam,* Leteſmiam,Ripas,Balnea, Alfondegam,Pennam,& alia multa caſtra. Tunc etiam Comes Rodericus populauit Amaiam,& prædas exercuit in Aſturiis in partibus ſanctæ Iulianæ. Poſt Rex Ranimirus talibus coniurationibus prouocatus exiit obuiam Sarracenis, & bellis & cædibus ſæpe repulſi à cœptis operibus deſtiterunt,& Fernandum Gundiſalui,non illum Comitẽ Caſtellæ,& Didacum Munionis,fautores Arabum comprehendit,& alterum Legione, alterum Gordone in carcere vinculauit. Sed procedente tempore,quia captione eorum magnates alii murmurabãt, recepto ab eis iuramẽto fidei obſeruãdæ à carcere liberauit,& filio ſuo Ordonio dedit vxorẽ Vrracam filiam * Fernandi Gundiſalui Comitis Caſtellani. Poſt hæc Rex Ranimirus qui ex Regina Taraſia, ſorore Garſiæ Tremuloſi Regis Nauarræ, cognomine Florentina, genuerat Sancium & Geloiram, in honorem ſancti Saluatoris iuxta regale palatium monaſterium fabricauit, & ibidem Geloiram filiam Deo dicauit. Decimo nono regni ſui anno obſedit oppidum quod olim Aquis, nunc Talauera vocatur,in diœceſi Toletanenſi, Arabes autem ei ſuccurrere feſtinantes victi à prædicto Rege in prælio ceciderunt, & cæſis fere duodecim millibus,vſque ad ſeptem millia captiuauit, & reuerſus ad ſua ſe miſericordiæ operibus dedicauit, & vxore ſua Regina Taraſia operante ſancti Andreæ & ſancti Chriſtophori ſuper * Ceiam, & ſanctæ Mariæ in ripa Dorii, & ſancti Michaelis archangeli in valle Ornæ quæ nunc dicitur Deſtriana, monaſteria ædificauit, & poſſeſſionibus multis ditauit. Et cum Ouetum cauſa orationis adiſſet, ibidem grauiter ægrotauit, & Legionem allatus, in vigilia Epiphaniæ facta confeſſione Epiſcopis & Abbatibus qui ſecum aderant, deuote ſuſcepit ſacramentum corporis & ſanguinis Domini Ieſu Chriſti. quo facto à ſe regnum quod à * patre ſuſceperat, abdicauit proclamans cum lachrymis: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo:* His ita peractis vitam finiuit,& in monaſterio ſancti Saluatoris quod filiæ ſuæ conſtruxerat, tumulatur. In his decem & nouem annis computantur quatuor anni Aldefonſi prædicti,quia poſt primum annum ſtatim ſubſtituit ſibi fratrem: per ſe autem regnauit Aldefonſus anno vno, Ranimirus annis quindecim.

Turmius. Munionis. Ledeſmam. Ferdinandi. Ceyam. à fratre.

De Rege Ordonio, & diſſenſione cum Caſtellanis, & morte eius. CAP. IX.

HVIC ſucceſſit in regno Ordonius filius eius æra nongenteſima quinquageſima octaua, & regnauit annis quinque, menſibus ſex. Iſte Ordonius ſatis prudens, & in regimine exercitus circumſpectus. Vnde frater eius Sancius quem Rex Ranimirus ex * Taraſia ſorore Garſiæ Regis Nauarræ ſuſceperat, fauore & auxilio eiuſdem Garſiæ auunculi & Fernandi Gundiſalui Comitis Caſtellani, ipſis perſonaliter cum ipſo venientibus, Legionem acceſſit, vt fratrem ſuum à regno expelleret, & ipſe dignitate regia donaretur. Sed Rex Ordonius vt erat in armis ſtrenuus, ciuitates muniuit, & munitiones viriliter defenſauit, & regnum ſibi intrepidus conſeruauit,& vxorem ſuam Vrracam,quia Comitem Fernandum ſocerum ſuum hoſtem ſenſerat, dereliquit, & duxit vxorem aliam nomine Geloiram, ex qua genuit filium qui fuit podagricus, nomine Veremundum. Galleci autem audientes diſſenſionem inter Legionenſes & Caſtellanos cœperunt contra Regem Ordonium rebellare. Ipſe vero congregato exercitu Gallecos perdomuit vſque Vliſbo-

Æra 958. Theraſia. Contra legem diuinã Diuortium hic infra lib. 6 cap. 5 & lib. 7. cap. 24.

Digitized by Google

nam, & vaſtatione & incendio omnia deprædatus eſt, & rediit inclytus multis ſpoliis & captiuis. Poſthæc autem, inter Regem Ordonium & Fernandum Gundiſalui Comitem Caſtellanorum diſcordia ſedata, exercitum Arabum venit ad ſanctum Stephanum in ripa Dorii, & vſque Burgis omnia deuaſtabat. Sed Comes Fernandus Gundiſalui cum exercitu Regis Ordonii & ſuorum, eos vſque * Dozium inſecutus pugna ſubegit, & magnam multitudinem victor occidit, plurimamq; captiuauit. Quo audito Rex Ordonius diſpoſuit in Arabes exercitum cõgregare, ſed infirmitate præuentus Zemoræ moritur, & Legionem delatus in monaſterio ſancti Saluatoris quod pater ſuus condiderat, ſepelitur.

Dorium.

Supr. cap. 4.

Ordonius IV. & Malus.

De Rege Sancio, & Ordonio Malo. Cap. X.

Æra 963.

DEFVNCTO Ordonio frater eius Sancius regis Ranimiri filius ſucceſſit in regno æra nongenteſima ſexageſima tertia, & regnauit annis duodecim. Cumque magnates regni contra ipſum vnanimiter conſpiraſſent, ad Garſiam Regem Nauarræ qui dictus eſt Tremuloſus, ſuum auunculum feſtinauit. Erat autem Sancius intolerabili pinguedine aggrauatus, vnde dictus fuit Sancius Craſſus, & conſuluit ei auunculus Abderramen principem Cordubæ poſtulare, vt poſſet à tanto pinguedinis pondere releuari. Cumque cum eo pacem firmaſſet, Cordubam veniens ab Abderramen magnifice eſt ſuſceptus, qui conuocatis medicis antidoto cuiuſdam herbę à grauitate pinguedinis liberatur, & agilitati & diſpoſitioni reſtituitur cæterorum. Inter hæc autem Comes Fernandus & Magnates regni Aſturiarum Ordonium malum, quem Rex Aldefonſus cæcus ex vxore ſua Semena ſuſceperat, in Regem & principem elegerunt. Et Comes Fernandus Gundiſalui dedit ei vxorem filiam ſuam Vrracam Regis Ordonii derelictam. Erat autem tunc temporis quidam nobilis adoleſcens nomine Vegila, qui cum eſſet de nobilioribus illius patriæ, nolebat Comiti Fernando vt ſubditus obedire. Comes autem eum grauiter inſecutus compulit exulare, & ad Arabes compulit tranſmigrare. Rex autem Sancius aſſumpta ab Abderramen multitudine Arabum eſt reuerſus, vt abſens regnum quod perdiderat, veniens obtineret. Quod audiens Ordonius Malus in Aſturiis ſe recepit, vt difficultate montium inibi rebellaret. Rex autem Sancius olim Craſſus, quam cito aduenit, rebellibus domitis regnum recuperauit. Ordonius autem Malus cum eſſet vilis, puſillanimis, & effœminatus, Deo & hominibus odioſus, operibus prauus, nec in Aſturiis ſe tutum reputans iuit ad ſocerum fugiens & abiectus. Comes autem filiam ei abſtulit, & alteri viro dedit, & ad Arabes ire coegit, cum quibus dum vixit, vilitatis ſuæ pœnas exſoluit. Rex vero Sancius regno pacato, duxit vxorem, quæ Taraſia dicebatur, ex qua genuit Ranimirum. Tunc Rex Sancius cum eſſet homo deuotionis, ſuadentibus vxore ſua Taraſia & ſorore ſanctimoniali Geloira, miſit Velaſcum Legionenſem Epiſcopum & alios nuncios pro pace firmanda, & pro petendo corpore ſancti Pelagii martyris qui ſub Abderramen fuerat Cordubæ martyrio coronatus. Rex autem conſtruxit monaſterium Legione, in quo corpus ſancti Pelagii ſtatuerat * collocandum. Et hac legatione pendente, Galleci diſcordes inter ſe prædas & iniurias exercebant. Sed Rex adueniens inſolentes domuit, & iniurioſos coegit vſque ad Dorium, qui diuidit Galleciam & Luſitaniam. Quod audiens Gundiſaluus qui trans flumen Dorii princeps erat vſque ad ripam eiuſdem fluminis, congregato potentiæ ſuæ exercitu, præceps venit, ſed videns ſe Regi Sancio non poſſe reſiſtere, ſuæ gratiæ ſe commiſit, & præſtito iuramento de tributis ſoluendis, etiam terræ ſuæ dominium Regi Sancio recognouit. Verum proditionis virus in corde * reſeruat, virus mortiferum pomo immiſſum Regi obtulit ad edendum, in cuius eſu cor Regis cœpit ilico titubare, ſicut natura exigit venenorum: & Rex intelligens dum Legionem mortis conſcius properaret, tertia die in via moritur, & Legione iuxta patrem in ſancti Saluatoris monaſterio ſepelitur.

S. Pelagius Martyr. collocatum.

reſeruans.

Ranimirus, III.

De Rege Ranimiro, & ſtrage Normanorum. Cap. XI.

Æra 975.

Tharaſia, vt ſupra.

Normani.

SANCIO defuncto filius eius Ranimirus, habens à natiuitate annos quinque, patri ſucceſſit in regno æra nongenteſima ſeptuageſima quinta, & regnauit annis viginti quinque. Hic de conſilio matris ſuæ Reginæ Taraſiæ, & amitæ ſuæ Geloiræ monialis, ſecundum legationem patris cum Arabibus pacem fecit, & corpus ſancti Pelagii pro quo pater miſerat, impetrauit, in monaſterio quod pater ad hoc conſtruxerat, collocauit. Anno ſecundo regni eius multitudo Normanorum cum Rege ſuo nomine Gundiredo in finibus Galleciæ applicarunt, & ſtragibus & incurſibus vrbes & loca Galleciæ vaſtauerunt, & Siſnandum Epiſcopum ſancti Iacobi peremerunt, diſcurrentes patriam vſque ad locum qui

qui mons dicitur Onagrorum. Tertio anno cum patratis vaſtationibus vellent ad propria nauigare, inuocato nomine Domini & beati Iacobi, Comes Gundiſaluus Sancii occurrit eis, ſi poſſet exterminium vendicare. Et cum prælium iniuiſſent, Dei gratia & virtute Apoſtoli, qui ſine lege vaſtauerant, Dei iudicio ſunt proſtrati, & tam ipſi, quam Rex eorum in ore gladii ceciderunt, & Comes Gundiſaluus Sancii eorum nauigia igne conſumpſit.

Onagrorum mons.

De vaſtatione Caſtellæ, & Zemoræ, & Galleciæ, & morte Ranimiri. CAP. XII.

ET dum hæc fierent, Arabes per Ranimiri Regis pacem ſecuri contra Caſtellanos exercitum direxerunt. Cumque Ferdinandus Gundiſalui Comes reſiſtere non valeret, occuparunt Arabes Septem mancas, Donias, & Septempublicam, & Varinatium, & multa alia, terram cædibus & incendio deuaſtantes, ad hæc omnia inhumaniter adiuuante Vegila quodam nobili qui à Fernando Gundiſalui Comite ob rebellionem à partibus Alauæ erat eiectus. Ex tanto ergo ſucceſſu Arabes inſolentes etiam fœdus quod cum Ranimiro habuerant, infregerunt, & venientes Zemoram inuaſam funditus ſubuerterunt. Ea tempeſtate vir ſtrenuus Fernãdus Gundiſalui Comes Caſtellæ moritur, qui in acquiſitione, & tuitione, & dilatatione patriæ vtiliter, ſtrenueque, & fideliter laborarat, & in monaſterio ſancti Petri de Aſſantia quod ipſe conſtruxerat, ſepelitur. Rex vero Ranimirus duxit vxorem nomine Vrracam. Cumque eſſet puer, nec ad diſcretionem ætatis veniſſet, ſtultis actibus cœpit Comites Galleciæ prouocare, iam à conſilio matris & amitæ alienus. Cumque Galleci non poſſent eius inſolentiam tolerare, quendam Veremundum filium Regis Ordonii ſuper ſe regem beati Iacobi creauerunt. Quod audiens Ranimirus contra ipſum collecto exercitu in Galleciam feſtinauit, & ex alia parte veniens Veremundus in Portella de Arenis prælium commiſerunt. Et licet inuicti adinuicem diſceſſiſſent, ex vtraque quam plurimi cæde mutua ceciderunt, & duobus annis non ſine grandi vtriuſque gentis exterminio bellum inualuit inteſtinum. Ranimirus autem morbo correptus obiit Legione, & in Deſtriana traditur ſepulturæ. Interea Alcorexi Rex Agarenorum eam partem Galleciæ quæ nunc Portugallia dicitur, & vſque ad ſanctum Iacobum, non veritus Apoſtolum, deuaſtauit, ſed merita Apoſtoli occurrerunt, & immiſſa in eos infirmitate, aut pauci, aut nulli ſuperſtites euaſerunt qui in patria nunciarent.

Septem manca. Donia. Septem publica. Varinatium. Zamora. Aſſantia. Portella. Legio. Deſtriana.

De Rege Veremundo, & miraculo tauri. CAP. XIII.

Veremũdus Rex.

MORTVO itaque Ranimiro, Veremundus filius Regis Ordonii veniens Legionem ab omnibus ſuſcipitur, & ad regni gloriam promouetur, eo quod mortuo Sancio patruo ſuo & Ranimiro conſobrino ad ipſum erat de iure regni ſucceſſio deuoluta, æra milleſima, & regnauit annis decem & ſeptem. Hic leges Gotthorum liberaliter confirmauit, & ſanctorum patrum canonicas ſanctiones ſeruari præcepit, & licet alias eſſet ſatis prudens, ſuſurronibus & detractoribus aures bibulas inclinabat. Accidit autem quod tres ſerui de familia eccleſiæ S. Iacobi, quorum vnus vocabatur * Zadon, alter Cadon, alter Anſilon, apud Regem dominum ſuum * Athaulphum de crimine peſſimo accuſarent, & quod etiam promiſerat Sarracenis ſe legem Mahometicam ſuſcepturum, & Galleciam traditurum. Rex autem credidit, eo quod Epiſcopus eſſet filius illius principis qui Regi Sancio in pomo mortis poculum propinarat. Cumque prædictus Epiſcopus vocatus ad curiam quinta feria ante Paſcha veniſſet Ouetum, conſulentibus ſibi aliquibus, vt antequam ad eccleſiam deſcenderet, ſe Regis conſpectui preſentaret, Epiſcopus conſtanti animo ſic reſpondit, quod prius ſe præſentiæ Saluatoris omnium exhiberet, & poſt in præſentia tyranni principis compareret: intranſq; eccleſiam Saluatoris ilico indutus ſacris veſtibus diuina officia celebrauit. Rex autem taurum ferocem præceperat adduci, vt in venientem Epiſcopum deſæuiret. Sed Epiſcopus innocens cum talia præſenſiſſet, cõſummatis officiis, ad locum vbi taurus æſtuans mugiebat, acceſſit intrepidus, & mox taurus ad Epiſcopum veniens, cornua in manibus eius dimiſit, quibus dimiſſis ad montem vnde venerat, remeauit. Epiſcopus autem cornua quæ ſibi taurus dimiſerat, coram altari deponens Domino Saluatori cum cæteris fidelibus ſoluit laudes, actores vero falſæ ſuggeſtionis & eorum ſemine maledicto coarctans, ad exemplum Dauid qui pro morte Abner innocui Ioab cum ſemine condemnauit, ſententialiter ſic profatur: De ſemine * Zadon, Cadon, & Anſilon non deficiat leproſus, & claudus, cæcus, & mancus, vilis, & tenens fuſum. Rex autem viſo miraculo perturbatus obtulit Epiſcopo ſatiſfactionem, ſed Epiſcopus regem

Æra 1008. Cadon. Athaulphum Epiſcopum de V.C. 2. Cadon.

videre noluit: immo ſecunda feria poſt feſtum Paſchæ iter arripiens ad Pamarienſem eccleſiam ſanctæ Eulaliæ vſque peruenit. Ibi infirmitate correptus quarta feria vitam finiuit. Cumque ſui vellent corpus eius ad Eccleſiam beati Iacobi deportare, immobile eſt inuentum, & attendentes quod à Domino fieret, tradiderunt corpus in eadem Eccleſia ſanctæ Eulaliæ ſepulturæ.

Gtat hac in hiſtoria Arabum cap. 32.

De inſolentiis Veremundi, & vxoribus eius, & de victoria Almanzoris.

CAP. XIIII.

REX vero Veremundus habuit duas nobiles concubinas, & erant ſorores, legem Domini obliuiſcens, & ex vna genuit infantem Ordonium, & ex alia Geloiram. Infans autem Ordonius procedente tempore ex infante Fronilda genuit Aldefonſum, Pelagium, Sancium, & Semenam. Prædictus etiam Veremundus habuit duas vxores legitimas, Velaſquitam videlicet, quam viuentem dimiſit, & non contentus inceſtu, ſibi aliam nomine Geloiram adulterino* contubernio copulauit, ex qua genuit Aldefonſum & * Tareſiam. Ex Velaſquita autem genuit Chriſtinam infantem. Ipſa vero Chriſtina ex Ordonio Cæco filio Ranimiri Regis genuit Aldefonſum, Ordonium, Pelagiam, Comitiſſam, & Eldontiam. Eldontia autem ex Pelagio Froilæ diacono genuit Comitem Petrum, Ordonium, Pelagium, Munionem, & matrem Suerii Comitis & fratris eius, & Tareſiam Comitiſſam. Quæ cum eſſet domina Carrionis, ibi eccleſiam ſancti Zoili ædificauit. Hi omnes dicuntur vulgariter * infantes de Carrion. Igitur propter peccata principis Veremundi, & populi Chriſtiani, Rex Arabum qui Alhagib dicebatur, ſe Almanzor * conſtituit nominari. Alhagib autem interpretatur ſupercilium, quia ſicut ſupercilium defenſio eſt ſiue vmbraculum oculorum, ſic & ipſe dicebatur defenſio populorum. Vnde & clariori vocabulo ſe Almanzor inſtituit nominari. Almanzor autem interpretatur defenſus, ſiue defenſio, eo quod multis victoriis glorioſus ſe & ſuos ſtrenue defenſauit. Cumque Vegila de quo prædiximus, & quidam Comites, & alii plurimi Chriſtiani ad eius præſidium confugiſſent, promittebant ei terram reliquiarum Hiſpaniæ ſe daturos & hac ambitione commotus adunato exercitu Arabum & Chriſtianorum qui ſecum aderant, aſſumpto etiam filio ſuo Abdelmelic, * quod in tempore famulus erat Regis, cœpit Legionis, Caſtellæ, & Nauarræ prouincias deuaſtare, cui exterminio pro maiori parte cauſam præbuit diſſenſio principum Chriſtianorum qui ſibi ad inuicem auxilia denegabant. Almanzor autem cum eſſet prudens, ſtrenuus, hilaris, atque largus, ita ſibi Chriſtianos allicere ſatagebat, vt Chriſtianos Arabibus oſtenderet chariores. Hac benignitate chariſſimus erat ſuis, adeo quod omnes ex animo ei ſeruire pari ſtudio laborabant, ita quod à Dorio qui erat limes inter Chriſtianos & Arabes, vſque ad fluuium Eſtolam omnia vaſtauit, in cuius ripa tentoria collocauit. Quod audiens Veremundus cum exercitu properauit, & inſultum faciens in tentoria Almanzoris multos de ſuo exercitu interfecit. Cum autem eſſet Almanzor magnanimus, atque conſtans, à proprio ſolio depoſito aureo pileo quem pro corona geſtabat, humi reſedit iuxta morem principum gentis ſuæ. Exercitus autem qui eum ex animo diligebat, confuſionem autem ferre non ſuſtinens, prælium reſtaurauit, & fugatis Veremundi militibus vſque ad Legionis ianuas peruenerunt. Sed vrgentibus pluuiis hyemalibus, quæ ſolent in illis partibus inundare, Almanzor ad propria eſt reuerſus. Ciues autem Legionenſes & Aſtoricenſes timentes in futuro anno ſuper ſe tantam multitudinem aduenturam, corpora Regum quæ erant ſepulta, Legione & * Aſtorica cum corpore ſancti Pelagii martyris ad Aſturias tranſtulerunt, & apud Ouetum in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepelierunt, & ſuper altare beati Ioannis Baptiſtæ corpus ſancti Pelagii poſuerunt. * Quidam autem ex ciuibus Legionenſibus corpus ſancti Froilani Epiſcopi deferentes infra Pyrenæum ad vallem quæ Cæſaris dicitur, in ſancti Ioannis Apoſtoli eccleſia collocarunt.

Concubinę. Tharaſiam ſemper V. C.

Sic Hiſpani vocant liberos Regios vel nepotes, infantes.

Almanzor defenſor.

Quod interpretatur famulus Regius. V. C.

Hac etiam fallacia vſus eſt Abenabet Rex Hiſpalenſis ...andientibus. Albito & Ordonio Epiſcopis locutus eſt Iſidoro a ſe voce ...

Dorius fl. Eſtola fl.

Aſtorica.

Hinc decipiuntur, qui corpus Pelagii in tempore S. Iſidori Legione fuiſſe repoſitum autumant.

Vallis Cæſaris. Legionis V. C.

De irruptione Legionenſi & Aſtoricæ.* CAP. XV.

Legio.

ADVENIENTE autem verno tempore Almanzor iterum exercitum congregauit, & veniens Legionem obſeſſam firmiter impugnauit. Veremundus autem ſe apud Ouetum recepit morbo podagrico præpeditus. Almanzor vero captioni Legionis feruenter inſiſtens, dum fere per anni circulum impugnaſſet, in porta occidentali prima irruptio facta fuit, quarta die poſt hoc, ſecunda irruptio iuxta portã meridionalẽ. Tunc Guillelmus

Conſalui

Digitized by Google

Conſalui Comes Galleciæ qui ad defenſionem venerat, grauiter ægrotabat, ſed audiens murum effractum ad locum periculi ſe armatum deferri præcepit, vt mortem videret antequam excidium ciuitatis. Irruentibus itaque Arabibus idem Comes occiditur, & ciuitas occupatur, & Almanzor portas vrbis opere marmoreo conſtructas, & arcem præcipuam portæ orientalis murum, & cæteras turres fecit deſtrui à fundamentis, vna duntaxat relicta quæ eſſet poſteris in memoriam, quod talium murorum & tantarum turrium deſtruxerat ciuitatem. Cepit Aſtoricam, & ſummitatem turrium decurtauit, Coiancam (quæ nunc Valentia) & ſanctum Facundum, & alia plurima loca ſubuertit, Albam, Lunam, Gordonem, & Arbolium licet impugnauerit, non potuit obtinere. Deinde rediens per terras Caſtellæ,* Oxomam, & Alcouelam, Valeranicam (quæ nunc Berlanga) & Atentiam obtinuit & deſtruxit. Exinde ad ſua rediit faſtu & ſuperbia eleuatus. Sic enim ſuper Chriſtianos ira cæleſtis Regis exarſerat. Vbi cum fere per duodecim annos Chriſtianorum terminos inuaſiſſet, & vt voluerat, vaſtauiſſet, & plurima loca ſibi tributaria effeciſſet, ſemper inuictus rediit cum triumpho. Vnde* etiam ab Hiſpania Gotthorum gloria receſſit, theſauros eccleſiæ Arabes abduxerunt, & cultus eccleſiæ datus eſt in contemptum, & plaga quæ acciderat tempore Roderici, & iam videbatur obduci, paſſa eſt recidiuum.

Conſalui. Aſtorica. Sic V. C. & ſup. cap. 6. Coianca. Valentia. S. Facundus. Alba. Luna. Gordo. Arbolium. Oxoma. Alcouela. Valeranica, quæ nunc Berlanga. Atentia. Vnde cum.

De morte Almanzor. Cap. XVI.

Igitvr anno XIII. Almanzor reſumpto exercitu ingreſſus eſt per eam partem Galleciæ quæ dicitur Portugale, munitiones & ciuitates hoſtiliter deuaſtando. Cumque ad maritima perueniſſet, etiam ciuitatem & eccleſiam beati Iacobi deuaſtauit, ſed fulgure territus, ab eo loco vbi eſſe* corpus apoſtoli credebatur, abſtinuit, quod tamen propoſuerat violare. Nihilominus tamen campanas minores in ſignum victoriæ ſecum tulit, & in Mezquita Cordubenſi pro lampadibus collocauit, quæ longo tempore ibi fuerunt. Almanzor autem cum ſuo exercitu percuſſus à Domino pro ſcelere ſacrilegii dignam ſuſtinuit vltionem. nam qui ſanctum locum apoſtoli profanarat, immunda ſui plaga, ſcilicet dyſenteria, fere totus exercitus eſt conſumptus, reliqui morte ſubitanea perierunt. Quod audiens Rex Veremundus miſit multitudinem peditum expeditam, qui imbelles & infirmitate conſumptos in montanis facile trucidarunt. Et ſic Almanzor coactus poſtea ad propria eſt reuerſus. Rex autem Veremundus coactus hoſtibus legationem miſit, Garſiæ Fernandi Comiti Caſtellano, & Garſiæ Tremuloſo Regi Nauarrorum, vt obliti iniuriarum, ad agenda prælia fidei fœderati in ſimul conuenirent. Quod audientes Rex Garſias miſit exercitum, Comes Garſias Fernandi perſonaliter cum ſua multitudine, & Rex Veremundus, licet podagricus, geſtatus humeris baiulorum, collecta potentia regni ſui omnes in ſimul conuenerunt, & in loco quodam qui Arabice Calacanazor, Latine autem dicitur Vulturum altitudo, Almanzor venienti cum ſuis Arabibus vt Caſtellam inuaderet, occurrerunt. Cumq; ſeſe mutuis cædibus inuaſiſſent, maxima pars cecidit de exercitu Agareno, tamen noctis tenebris intercepti, neuter neutri ceſſit campum, & tanta ſtrage comperta ſuorum bellum in craſtino timuit reſtaurare. Vnde & de nocte fugiens cum veniſſet ad vallem Borgecorexi, dolore vexatus animam exhalauit, & ad Medinam quæ Cælum dicitur, eſt delatus. Cumq; dies craſtina illuxiſſet, exercitus Chriſtianus putauit Arabes ad prælium reuerſuros, ſed cum tentoria vacua hominibus conſpexiſſent, ipſa tentoria, & ſupellectilem, & ſpolia varia occuparunt. Comes autem Garſias Fernandi viriliter inſecutus eos qui cædem euaſerant, fere vſque ad internecionem deleuit. Almanzor autem qui ſemper inuictus fuerat, tanto dolore proſternitur, vt a die prælii neque cibum, neque potum ſumpſerit, donec diem concluſit extremum.

Portughale. S. Iacobus. Nuſquam Roder. affirmat, corpus D. Iacobi eſſe Compoſtellæ, imo contrarium videtur ſentire.

De fuga Abdelmelich, & morte Regis Veremundi. Cap. XVII.

Ibidem anno ſequenti Abdelmelich filius eius poſtquam paternum ſuſcepit honorem, exercitum congregauit, vt vaſtationibus in Chriſtianorum finibus inſtaret, veniensque Legionem, quod reſiduum inuenit in muris & turribus, diſſipauit ne poſſet iterum reparari. Sed Comes Garſias Fernandi aduenieris ex Caſtella cum magna multitudine militum & populorum, ſibi Legionem adiunxit, & Abdelmelich in ore gladii effugauit. Sicque Chriſtianis finibus a tot cladibus liberatis, aliquo tempore terra quieuit. Tunc reuocatis militibus Chriſtianis, Rex Legionis, & Rex Nauarræ, & Comes Caſtellæ poſſeſſiones & iura militibus reſtituerunt, ne particularia ſchiſmata fierent Arabibus occaſio præualendi. Eo tempore Rex Veremundus à ſuſurrone deceptus præcepit capi Gude-

ſteum Epiſcopum Ouetenſem, ſed vt tantum nefas non procederet impunitum, facta eſt ſiccitas magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur. Cumq; quibuſdam religioſis fuiſſet a Domino reuelatum famem propter iniuriam Epiſcopi accidiſſe, & Regi eſſet reuelatio intimata, confeſtim abſoluit Epiſcopum, & per Semenum Aſtoricenſem Epiſcopum cui Rex Epiſcopum commendauerat, fecit reſtitui Gudeſteum, & ſtatim Dominus pluuiam voluntariam ſegregauit, & terra attulit fructus ſuos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus eccleſiam beati Iacobi, & cætera loca quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, reſtaurauit, & bonis operibus, & eleemoſynis iam intentus de commiſſis cum conſilio prælatorum pœnitentiam agere ſatagebat, & in villa quæ eſt in Berizo, moritur & ſepelitur, & ab Alphonſo filio & ſucceſſore transfertur poſt aliquantum temporis Legionem, & in ecccleſia beati Ioannis Baptiſtæ cum coniuge Geloira denuo ſepelitur.

Alfonſus V. qui ſagitta confoſſus interiit apud Viſaruàm.

De Aldephonſo, & miraculo ſororis ſuæ, & morte Comitis Garſiæ Fernandi.

CAP. XVIII.

Æra 1017.

POST obitum Veremundi Aldephonſus filius eius ſucceſſit in regno, qui quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, æra M. XVII. & regnauit annis XXVII. nomen matris eius Geloira. Cum eſſet paruulus, datus eſt nutriendus Menendo Gundiſalui Comiti Galleciæ, & vxori eius Comitiſſæ Maiori. Cum autem adoleuiſſet, accepit vxorem eorum filiam Geloiram, ex qua duos filios dicitur habuiſſe, Veremundũ & Sanciam: & hæc Sancia procedente tempore nupſit Regi Fernãdo filio Regis Sancii Nauarrorum. Hic autem Aldephonſus in reprobum ſenſum datus, cum eſſet puer, dedit Taraſiam ſororem ſuam in vxorem Abdaliæ Regi Toleti ſub pacto auxilii contra principem Cordubenſem, ipſa penitus reclamante. Cumq; Rex ille vellet eam ſuis amplexibus cõmiſcere, inquit illa, Chriſtiana ſum, & abhorreo connubia aliena, noli me tangere, ne interficiat te, quem colo, Dominus Ieſus Chriſtus. Ille autem deridens talia inuitam corrupit, ſtatimq; percuſſus ab Angelo ſenſit mortis periculum imminere, vocatiſq; familiaribus & oneratis camelis auro, & argento, & veſtibus precioſis, & ſupellectili valde decora remiſit eam protinus Legionem quæ ibidem in monachali habitu diu vixit, ſed ad monaſterium ſancti Pelagii ſe poſtea transferens ibidem & vitam finiuit, & ſepulturam accepit. Eiſdem diebus Sancius filius Comitis Garſiæ Ferdinandi contra patrem viſus eſt rebellare. Cumq; inter patrem & filium eſſet diſcordia concitata, Sarraceni fomentum impetus habuerunt, & Caſtellæ terminos inuadentes Abulam quæ populari cœperat, deſtruxerunt, Cluniam & ſanctum Stephanum occuparunt, cædes & incendia in patria exercentes. Cumque Comes Garſias Ferdinandi talia percepiſſet, magnanimitate pulſatus, licet gens ſua in eum & filium eſſet diuiſa, eligens mori pro patria cum Arabibus decertauit, ſed multitudine circumcluſus viuus capitur inter cæſos vndique comprehenſus, ſed paucis diebus moritur, eo quod in bello fuerat lethaliter vulneratus, & corpus eius à Sarracenis redemptum in monaſterio ſancti Petri de * Cardonia requieſcit.

Connubia alienigenarum & abhorrentiũ a fide Chriſtiana.

Garſias Abula Clunia S. Stephanus.

Cardonia, vt ſupr lib. 4. Cardonia.

De Sancio Comite, & piis operibus Aldephonſi. CAP. XIX.

HVIC ſucceſſit in comitatu Sancius filius eius, vir prudens, iuſtus liberalis, ſtrenuus & benignus, qui nobiles nobilitate potiore donauit, & in minoribus ſeruitutis duritiam temperauit. Hic patris iniuriam impatiens ſuſtinere, iuxta fœdus cum patre initum Nauarrorum & Legionenſium exercitus conuocauit, & ingreſſus cum eis ad partes Toleti cæde & clade cuncta vaſtauit, & prædis abductis, quæ remanſerant, flamma conſumpſit. Nec ab his ſtragibus fuit regnũ Cordubæ alienum. Sed vtroq; regno vaſtatione conſumpto, & munera obtulerunt, & indignationis faciem donariorum copia placauerunt, & ſic patris iniuria vindicata glorioſus & inclytus remeauit. Rex autem Aldephonſus concilium celebrauit, & reædificauit Legionem, quam Almanzor & Abdelmelich filius eius deſtruxerant (pro vt ſuperius eſt expreſſum) & leges Gotthicas reparauit, & alias addidit, quæ in regno Legionis etiam hodie obſeruantur, & colligens oſſa Regum variis direptionibus diſpartita in ſancti Ioannis baſilica ſepeliuit. His temporibus duo filii Vegilæ ad Sarracenos transfugæ propter inſolentias quas agebant, à Sancio Comite receſſerunt, & à Rege Aldefonſo benigne recepti in ſubmontaneis dominium acceperunt. Poſt hæc Rex Aldefonſus cum ſuo exercitu veniens ad oppidum quod Viſeũ dicitur, mox obſedit. Cumque inermis infirmiora oppidi proſpectaret, inter ſcapulas ſagitta percuſſus lethalis vulnere

ſupr. cap. 15. Legionenſe Concilium & Leges.

Viſeum.

vulneris ſenſit ictum, & rebus in præſentia pontificum ordinatis, facta confeſſione, & *Manſeolo &*
ſumpto viatici ſacramento vitam finiuit, & ſoluta obſidione à ſuis Legionem deducitur, *ſic in Epitaphio Rod. huius hiſtorici.*
& in paterno mauſoleo ſepelitur.

De Rege Veremundo, & filiabus Sancii Comitis Caſtellani. Cap. XX.

Post mortem Aldefonſi Veremundus filius eius ſucceſſit in regno æra M. XLIIII. & *Æra 1044.*
regnauit x. annis, & quamuis puer, poſtremis patris actibus adhærens, tam eccleſias,
quam monaſteria, quam loca ſacra ab Arabibus diſſipata ſtuduit reparare, & malorum in-
ſolentias refrenare. Hic duxit vxorem nomine* Tareſiam filiam Sancii Comitis Caſtella- *Tharaſiam.*
ni, qui Sancius habuit aliam filiam nomine Geloiram (alii dicunt vocatam Maiorem)
quam dedit vxorem Regi Nauarrorum Sancio qui dictus eſt Maior, ex qua ſuſcepit idem
Sancius duos filios, Garſiam videlicet, & Fernandum

De ortu & genealogia Regum Nauarrenſium. Cap. XXI. *Nauarra.*

Verum quia genealogiæ Regum Caſtellæ linea, & Legionis in viris poſt tempora
Veremundi & Comitis Sancii defecerunt, & ſucceſſiones Caſtellæ & Legionis fue-
runt ad fœminas deuolutæ, oportet genealogiam texere à Regibus Nauarrorum, qui hæ-
redes fœminas in matrimonium aſſumpſerunt. Cum enim Caſtella, Legio, & Nauarra *Inde nigo Bigorcia. Aegam.*
variis Arabum incurſionibus vaſtarentur, vir aduenit ex Bigorciæ Comitatu, bellis & in-
curſibus ab infantia aſſuetus, qui * Enecho vocabatur, & quia aſper in præliis, Ariſta ag-
nomine dicebatur, & in Pyrenæi partibus morabatur, & poſt ad plana Nauarræ * deſcen- *deſcedens.*
dens ibi plurima bella geſſit: vnde & inter incolas regni meruit principatum. Hic genuit
filium Garſiam nomine, cui vxorem Vrracam de regio ſemine procurauit.

De Rege Garſia Enechonis, & filio eius Sancio. Cap. XXII.

Mortuo autem Enechone Ariſta regnauit Garſias Enechonis filius eius, vir lar- *Lapuerbo.*
gus, & ſtrenuus, & in bellis continue ſe exercens. Cumque quadam die minus caute *Larumba.*
in quodam viculo qui* Larumbe dicitur reſideret, ſuperuenientes Arabes improuidum
occiderunt, & Reginam Vrracam vxorem ſuam prægnantem in vtero lancea percuſſe-
runt. Sed continuo aductu ſuorum latrunculis Arabum effugatis Regina morti proxima,
tamen viua, per vulnus lanceæ ſicut Domino placuit, infantulum eſt enixa, & fetus mini-
ſterio muliebri vitæ miraculo omnium eſt ſeruatus, & Sancius Garſiæ fuit vocatus. Mor-
tua autem matre, quidam nobilis qui à tempore Enechonis Ariſtæ adhæſerat Regi Garſiæ,
ſuſcepit infantulum, & fecit eum diligentiſſime enutriri, & tranſactis infantiæ & pueritiæ
annis, cum ad adoleſcentiam perueniſſet ætatem indole, & indolem ſtrenuis operibus ſu-
perabat, & ſucceſſit in regno Regi Garſiæ [æra DCCCCXVIII.] Nutritius autē eius cum *Æra 918. infra cap. 25.*
eſſet nobilis & abundans, ſemper cum conſiliis & auxiliis ad magnalia prouocabat, & pro-
curatus eſt ei vxorem de regio ſemine quæ Theuda vocabatur, ex qua ſuſcepit filium Gar-
ſiam nomine, qui agnominatus eſt Tremulotus. Habuit etiam quatuor filias, Semenam,
Mariam, & Taraſiam, & * Valaſquitam, quæ fuit data Comiti Biſcagiæ Munioni. Verum
Rex Sancius ex Cantabria Arabes grauiter infeſtabat, adeo quod vſque ad mortem Auce, *Tuſc.*
& Tudeliam, & prope Oſcam fere omnia ſuæ ſubdidit ditioni. Acquiſiuit etiam Arago- *Auca*
niā & montana. Verum populi Cantabrorum agitati & frigore aſſueti tempore irruptio- *Tudelia. Oſca.*
nis Arabum expeditiones viriliter ſuſtinebant, & quadam vice cum Arabes hyemali tem- *Aragonia.*
pore inuaderent* Pampiloniam, & Rex Sancius vltra Pyrenæum ageret,* audito periculo, *Pampilo. audito periculo, &c.*
periculo ſe ingeſſit, & propter importunitatem niuium de crudis coriis fecit abarcas,* qui-
bus pro ſotularibus per medias niues tranſiuit illæſus, & ab hoc facto fuit exinde dictus *Sic & Caligati milites & caligula.*
Abarca (& aliqui qui ex genere eius proceſſerunt, adhuc hodie cognomen retinent ab
Abarca) & circa aurorā obſeſſis adueniens impetu dirupit obſeſſores, & tanta ſuccubuit
multitudo, vt vix ſupereſſet qui Arabum infortunium nunciaret. Et quia habebat popu-
los agiles, & in ſpiculorum actibus expeditos, vt eos ad bella & infeſtationes Arabum am-
plius prouocaret, interdum cum militibus ſtudio militari, interdum cum peditibus officio
peditari, ſemper tamen præliis fidei inſiſtebat, & in rupibus arduis munitiones ſæpius con-
ſtruebat, & aliquando pugna, aliquando furtim caſtra plurima occupabat, & more pedi- *Vt Caligula Imp.*
tum calciatis abarcis peditibus comitatus, pari, immo præcellenti agilitate, in Carpetania
& Celtiberia loca plurima acquiſiuit, quæ adhuc hodie Regis Sancii Abarcæ dicuntur,

& ipſe Rex Sancius Abarca adhuc hodie memoratur, & inde ſic compeſcuit incurſantes,
vt terra diebus eius ſecuritate continua lætaretur, & regnauit Rex Sancius dictus Abarca
Æra 943. annis XV. & deceſſit æra DCCCCXLIII.

De Rege Garſia qui dictus eſt Tremuloſus. CAP. XXIII.

EO mortuo, Garſias filius eius regnauit pro eo, qui dictus eſt Tremuloſus, eo quod
dolebat. quando rumores periculi audiebat, vel *, debebat in prælio experiri, à principio totus
tremebat, * tremulabat, ſed poſtea conſtantiſſimus perſiſtebat. Hic bonus, pius, & largus, ſtre-
nuus, & benignus, & quicquid habere poterat, militibus erogabat, & quia imitator patris,
interdum ſe peditum phalangibus immiſcebat, peditans aggregatim, & etiam calcea-
mentis ſimilibus vtebatur: vnde dictus fuit Garſias Abarca. Regnauit autem annis XXV.
Æra 968. & mortuus fuit æra DCCCCLXVIII.

De Rege Sancio, & generationibus Regum Nauarræ. CAP. XXIIII.

POST mortem eius filius eius Sancius dictus Maior ſucceſſit in regimine Nauarrorum,
& duxit vxorem filiam Comitis Sancii de Caſtella, quæ Maior, vel Geloira ſecundum
Ferdinandum. alios dicebatur, & ſuſcepit ex ea duos filios, Garſiam & * Fernandum. Et Rex Garſias ha-
buit duos filios, Regem Sancium, quem ſibi ordinauerat ſucceſſorem, ſed fuit occiſus in
Pœnaleni, & alium, qui Sancius ſimiliter eſt vocatus, qui apud Rhodam fuit proditiona-
liter interfectus. Hic habuit filium Ranimirum Infantem, qui Ranimirus duxit vxorem
filiam Roderici Didaci, cum Valentiæ morabatur, & ſuſcepit ex ea filium Garſiam Rani-
miri, qui primus regnauit in Nauarra, ex quo Fernandus filius Sancii Maioris ſedem re-
gni à Nauarra tranſtulit in Caſtellam, & tunc temporis Nauarri inter regnum Caſtellæ &
Arragoniæ, quaſi acephali fluctuabant. Vnde cum poſt mortem Petri & Aldefonſi Re-
gum Arragoniæ qui ſine filiis deceſſerunt, regnum Nauarræ diuerſis ſtudiis traheretur,
Guilhemo. Nauarri Garſiam Ranimiri, de quo diximus, miſſis duobus Baronibus, * Guillelmo Ace-
narii de Oteica, & Fortunio Enechonis de lect, clanculo à Montionis curia euocarunt, &
eũ ſibi in Regẽ & principẽ elegerunt, & per eum fuit regnũ Nauarræ ſatis tenue reparatũ.
Hic duxit vxorem Margelinam filiam Rotronis Comitis Perticarum, ex qua ſuſcepit fi-
lium nomine Sancium, qui fuit prudens, magnanimus, & ſtrenuus in agendis. Habuit
etiam duas filias Rex Garſias, Blancam, quæ nupſit Sancio Regi Caſtellæ, & habuit fi-
lium nomine Aldefonſum, de quo inferius proſequemur, habuit & aliam filiam nomi-
Guillelmo. ne Margaritam, quæ nupſit * Guillelmo Regi Siciliæ, ex qua ſuſcepit Regem Guillel-
Henrico. mum, qui ſemper diuitiis & deliciis abundabat. Hic duxit vxorem Ioannam filiam * Enri-
ci Regis Anglorum, nec tamen habuit ex ea prolem. Sed eo mortuo vxor ſua Regina Ioan-
Toloſa. na nupſit Raimundo Comiti de * Toloſa, ex quo ſuſcepit filium nomine Raimundum, qui
Toloſæ adhuc hodie principatur. Mortua Margelina, Rex Garſias duxit vxorem Vrra-
cam filiam Imperatoris, quam habuit ex Gontroida ſorore Didaci Abitegonis, ex qua ſu-
ſcepit tertiam filiam. Et mortuo Rege Garſia, Vrraca Regina nupſit Aluaro Roderici, &
Sanciam. me ſua tempora inuenerunt. Et ex iſta habuit Rex Garſias tertiam filiam nomine * San-
Bearnenſis. tiam, quæ data fuit Gaſconi Vicecomiti Bearnenſi, & eo mortuo ſine prole, nupſit Petro
Molinenſis. Comiti Molinenſi, & ſuſcepit ex ea filium nomine * Aimericum, qui fuit Vicecomes Nar-
Narbonenſis. bonenſis, eo quod Comes Petrus fuit filius Ormiſindæ, ad quam Narbona ſucceſſione
Emericum. *Beatriciam.* prouenit. Sancius autem Rex Nauarræ duxit vxorem nomine * Beatiam filiam Impera-
toris, ex qua genuit duos filios, Sancium, qui ſucceſſit in regno, qui dicebatur agnomine
Tudelia. Inſeratus, eo quod in caſtro Tudeliæ reſidens ſe ab omnibus præterquam à paucis dome-
Ferdinandum. ſticis occultabat. habuit & alium filium Ferdinandum, qui erat merito probitatis in ocu-
conquaſſatus. lis omnium gratioſus, ſed caſu miſerabili equi præcipitio * quaſſatus apud Tudeliam vitam
Angliæ. finiuit. Habuit & tres filias, Berengariam, quæ Ricardi Regis Angliæ fuit vxor. Quo mor-
Cenomani. tuo ſine prole, in viduitate laudabili diu vixit, & in ciuitate * Cenomannis ex donatione
propter nuptias quam habebat, frequentius morabatur. Eleemoſynis, & orationibus, &
piis operibus intendendo caſtitatis & religionis exemplo prouocans ſtudia fœminarum,
& in eadem ciuitate vitæ curſum fœlici exitu conſummauit. Secunda filia Regis Nauarræ
fuit Conſtantia, quæ fuit mortua nondum nupta. Tertia filia fuit Blanca, quæ nupſit Co-
poſthumo miti Campaniæ Theobaldo, & ſuſcepit ex eo filium * poſthumum Theobaldum. Hic du-
Lotharingia. xit vxorem de Lothringia filiam Metenſis Comitis, ſed ab ea poſtmodum fuit iudicio ec-
Metenſis c. cleſiæ ſeparatus. Poſtea duxit filiam nobilis Baronis Guiſcardi de bello ioco, & Sibyllæ
filiam

filiæ Philippi Comitis Flandriæ & Hannoniæ. Ex iſta ſuſcepit filiam nomine Blancam, quę eſt vxor nobilis Ioannis ducis Britanniæ. Poſtea duxit vxorem tertiam nomine Margaritam filiam nobilis principis Archenbaudi, ex qua ſuſcepit duos filios Theobaldum, & Petrum, & filiam* Alienor, quorum infantiam Dominus alat, proueat, & exaltet. Hic Theobaldus fidei zelo iñcenſus aſſumpta ſecum maxima multitudine militum, principum, & baronum iuit in ſubſidium Terræ ſanctæ, & loca plurima acquiſiuit, quæ Chriſtianę reſtituit poteſtati, ibiq; omnibus militibus indigentibus, etiam iis qui in expenſis eius non ſuerant, vſque ad reditum in ſumptibus ſatisfecit, pleroſq; milites quos Agarenorum verſutia captiuauerat, pactis & pecuniis liberauit, & reuerſus in Campaniam Comitatum & regnum laudabiliter gubernauit, omnibus manſuetus, iuſtus, pacificus, & modeſtus, qui nunc Nauarræ & Campaniæ principatur, & Dominus dirigat vias eius.

Flandria. Hannonum. Britannia.

Alienorum.

De infante Garſia, qui fuit occiſus in Legione. CAP. XXV.

NVNC ad hiſtoriam Regis Sancii, qui dictus eſt Maior, à qua diuertimus, reuertamur. Mortuo Comite Sancio ſucceſſit in comitatu filius eius Garſias, cui magnates Caſtellæ vxorem procurati* ſunt Regis Veremundi ſororem quæ Sancia dicebatur. Cumque infans Garſias cum ſuo exercitu, & Rege Sancio Nauarrorum, vſq; ad ſanctum Facundum facturus nuptias peruenisset, ibidem dimiſſo exercitu cũ paucis clanculo iuit Legionem, vt poſſet ſponſam conſpectu mutuo intueri. Erant autem tunc tẽporis Legione filii Vegilę, Comitis. Rodericus Vegilæ, Didacus Vegilæ, & Enechus Vegilę qui ob patris odium proditionis anheli in filium congeſſerant factionem, & ei obuiam occurrentes, manus* oſculo (pro vt exigit mos Hiſpanus) ſe eius dominio ſubiecerunt, quorũ* hominio iam ſecurus, & paranymphis dulci alloquio perſuaſis, permiſſus eſt infans optatis ſolatiis delectari. Cum q; ſe mutuo conſpexiſſent, ita fuit vterq; amore alteri colligatus, vt vix poſſent à mutuis aſpectibus ſeparari. Tunc quidam milites de regno Legionis cum prædictis filiis Vegilæ ad Sarracenos transfugæ, eo quod à Comite Sancio indignanter receſſerant à Caſtella proditione tracta, infantem Garſiam annorum tredecim occiderunt, Roderico Vegilæ ea manu, qua eum de ſacro fonte leuauerat, gladio feriente. Et proditionem huiuſmodi ſponſa ſua Sancia quæ vtcumque perceperat, reuelarat, ſed magnates qui ſecum aderant, cum eſſent nobiles & fideles, tantum facinus credere noluerunt. Vnde &* peracto facinore Caſtellani & Legionenſes inteſtinæ plagæ vulnere corruerunt. Sponſa vero ſponſi dulcedine vix guſtata, ante vidua, quam traducta, fletu lugubri ſemiuiua lachrymas cum occiſi ſanguine admiſcebat, ſe occiſam ingeminans cum occiſo. Qui cum in Eccleſia ſancti Ioannis cum patre ſponſæ ſepeliretur, & ipſa cum ſepulto voluit ſepeliri. Aliqui autem de proditoribus ad montium ardua confugerunt. Sancius autem dictus Maior, qui ſororem infantis Garſiæ maiorem duxerat in vxorem, ſtatim Caſtellæ ingreſſus eſt Comitatum, ad quem erat ratione vxoris ſucceſſio deuoluta, ad quem etiam Ducatus Cantabriæ pertinebat, eo quod pater eius Rex Garſias fuerat filius Sancii, qui regno Nauarræ Cantabriæ addiderat principatum, & regnum Nauarræ, & Comitatum Caſtellæ, & Ducatum Cantabriæ bellis indeſinentibus mirabiliter ampliarat, cuius ſedes fuit Anagarum ab antiquo. Sub iſto Comes Didacus Porcelli populauit Burgis, quam quia ex Burgeilis plurimis ademerat, Burgis ſtatuit nominari, æra nongenteſima vigeſima ſecunda, & iter ſanct. Iacobi quod propter inſultus Arabum per Alauam & Aſturiarum deuia frequentabant, ab Anagaro per Birueſcam & Amaiam immutauit, & per confinia Carrionis, donec ad Legionem & Aſtoricam veniatur.

ſup. cap. xx.

Oſculo prono exegerunt more Hiſpani ſe eius dominio ſubiecerunt, quorum hominum iam ſecurus.

infr. lib. 7. c. 1. Hominium.

perpetrato.

Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, hodie D. Iſidori dicitur.

Cantabria. Anagarum. Burgeilis. Burgis. Æra 922. Burgis conditur. Anagarum. Birueſca. Amaia. Carrio.

De diuiſione regni, & infamatione Reginæ. CAP. XXVI.

CVMQVE Arabes victoriis attriuiſſet, ſatis ſecure degebat. Habebat autem equum quem tenerrime diligebat, eo quod celeri fortitudine equis omnibus præeminebat. Erat enim ſtrenuus, domitus, & probatus, & in eo tanquam in vitæ ſubſidio confidebat, quem dimiſit Anagari vxoris fidei commendatum. Tanta erat tunc temporis infeſtatio Arabum, quod milites, Comites, & etiam Reges in domibus vbi vxorum thalami ornabantur, equis ſtationem parabant, vt quacunque hora clamor inuadentium inſonaret, ad equos & arma poſſent ſine dilatione aliqua feſtinare. Filius autem eius Garſias qui erat primogenitus, commendatum equum à matre petiit ſibi dari. Et cum illa annuiſſet precibus inclinata, miles quidam Reginæ ſeruitio deputatus, eam à propoſito reuocauit,

Anagarum.

ne forte contra eam Regis indignatio incanderet. Sed & ipſa acceptans conſilium, quod promiſerat, denegauit. Indignatus autem filius vehementer ſuaſit fratri, vt matrem ſuam apud patrem de familiari commercio cum milite qui de equo diſſuaſerat, accuſarent. Sed Fernandus nolens eſſe matris delator dixit fratri, non accuſabo, ſed quæ dixeris, tolerabo. Garſias autem cuius furor maledictus, quia pertinax, & indignatio, quia dura, matris infamiam coram patre propoſuit impudenter, & fratris teſtimonium inuocauit. Et Rex credulus filiorum vxorem ſuam in caſtro Anagari obſeruauit, & ſuper hoc curia congregata decretum eſt Reginam condemnandam duelli certamine, aut ſaluandam. *Duellum.* Sed cum nullus adeſſet, qui contra Regis filios vellet in certamine pro Regina experiri, Ranimirus aduenit homo pulcherrimus, & in armis ſtrenuus, & Regis Sancii filius, non ex illa, qua alii, ortus matre. Ipſe ſe obtulit duelli periculo pro Regina. Cumq; negotium in magno diſcrimine tractaretur, acceſſit monachus ſanctitate præcipuus ex monaſterio Anagorenſi, qui dixit Regi: Si Regina falſo ſuſurro accuſatur, velletis eam a crimine liberare, & delatoribus indulgere? Qui reſpondit: Si poſſet cum iuſtitia liberari, nihil poſſet mihi gratius obuenire. Filii autem confeſſi fuerant ſancto viro, ſe in matrem ſuam falſo infamiam congeſſiſſe. Vir autem ſanctus timens ne in tanto periculo Regina innocens damnaretur, Regi, quæ perceperat, reuelauit: & ſaluatus eſt Reginæ ſanguis innoxius illa die. Rex autem de abſolutione Reginæ iucundius eam rogauit, vt filiis impietatis facinus indulgeret. Tunc Regina annuit ea lege, vt Garſias in regno Caſtellæ quod ei ex parte patris prouenerat, non regnaret: quod & ita fuit. Nam cum regnum filiis diuidere decreuiſſet, ne occaſio diſcordiæ viam daret Arabibus præualendi, ordinatione patris Garſiæ primogenito regnum Nauarræ & Ducatus Cantabriæ prouenerunt: Fernando vero Caſtellæ tradidit principatum. Regina itaque honore priſtino reſtituta, & etiam ampliori, Aragoniam quæ eius erat ex* donatione propter nuptias, dedit Ranimiro priuigno, qui propter eam ſe obtulerat ad duellum, idipſum Rege Sancio confirmante.

** eius erat propter nuptias donationem dedit. ſup. pag. 46. b.*

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER SEXTVS.

De Rege Ranimiro, & Genealogia Regum Aragoniæ, & de captione Oſcæ. V. C.

CAPVT PRIMVM.

SED quia Ranimirus principium fuit Regum qui in Aragonia regnauerunt, à genealogia fratrum ſuorum aliquantulum diuertentes, ſucceſſionem Regum Aragonum qui multis victoriis claruerunt, ſtylo continuo vſque ad hæc tempora proſequemur. Fuit itaque Ranimirus filius Regis Sancii qui dictus eſt Maior, quem ſuſcepit ex quadam nobiliſſima domina de caſtro* Aiuarum. Qui patre mortuo cum eſſet ſtrenuus, primus in Aragonia Regem ſtatuit ſe vocari, & hic fuit in Aragonia Regum primus. Hic genuit filium quem à patris nomine Sancium nominauit. *Oſca.* Hic Sancius obſedit Oſcam, & ſagitta percuſſus ſenſit ſe lætaliter vulneratum, adiurauit filios ſuos Petrum & Aldefonſum,* quod nunquam ab obſidione recederent, donec ciuitas caperetur: & ipſo vitam ex vulnere finiente, corpus eius inhumatum tandiu ſeruauerunt, donec ciuitas fuit capta. Cumq; ad ſoluendam obſidionem multitudo Arabum adueniſſet, Petrus qui inter filios maior erat, & ibidem mortuo patre in Regem fuerat eleuatus, à monaſterio ſancti Victoriani martyris fecit afferri corpus, & eius orationibus ſe commendans cum Arabibus concertauit, & martyris oraculo confortatus pugnæ inſtitit, *Victoriani Martyris preces infra cap. 6.* adeo quod & fugauit Arabes, & de eorum ſpoliis exercitui inopia laboranti copiam miniſtrauit, & interpoſitis paucis diebus ſic ciuitatem ſtrenue impugnauit, vt & ciuitatem ſibi redderent, & ſe eius dominio manciparent. *Oſca capitur.* Hic eſt Petrus qui in bello poſtmodum à Roderico Didaci fuit captus, ſed hoſtis clementia continuo liberatus. Hic habuit duos fratres Aldefonſum, cuius facta poſtea proſequemur, & Ranimirum, qui in monaſterio ſancti Pontii de Thomaris fuit monachus & ſacerdos. *Tomaris.*

** Caſtrum quod dicitur Atmarium.*

** ne vnquam.*

De diſſenſione Aragonenſium, & de regno monachi Ranimiri. CAP. II.

VERVM interpoſitis multis annis, aliis duobus fratribus decedentibus ſine prole, fuit inter Aragonenſes diſſenſio ſubſecuta, quia cum Ranimirus (vt diximus) eſſet monachus & ſacerdos, non poſſet bella neque iuſtitiam more regio exercere, nec poſſet vxor legitime ſibi dari. Vnde & quendam nobilem qui dicebatur Petrus Taraſiæ, volebant Regi mortuo ſubrogare, & quia ille minus prouide ſe gerebat, cœpit de futuro nomine ſe * inſolere, & ſpei, non rei dominio ſuperbire, & nobiles dedignari. Vnde duo magnates, ſcilicet Petrus Titionis de Catherecta, & Peregrinus de caſtello Acioli, cum eſſent nobiles & potentes, & vellent fidelitatem naturali domino cuſtodire, plurimorum animos à primo propoſito reuocarunt, & vt Ranimirum monachum à monaſterio euocarent, vigilanti ſtudio procurarunt. Dum enim quadam die apud * Boriam Aragonenſium curia proueniſſet, vt prædictum Petrum ad regni faſtigium ſubleuarent, & ex Nauarra aliqui ex magnatibus adueniſſent, & eos Aragonenſes minus curialiter recepiſſent, Petrus Titionis eis occurrens recepit liberaliter & iucunde, & ſciens Petrum Taraſiæ balneis detineri, prædictos magnates duxit ad eum, ſed fuit eis a ianitoribus aditus denegatus. Et indignantes ilico abierunt, & peracto prandio cum Petro Titionis mutato propoſito receſſerunt. In eadem autem curia procurantibus dictis magnatibus fuit promotio Petri Taraſiæ impedita, & res dilata vſque ad curiã Montionis. Cumque in Montione iterum conueniſſent, potiorum conſilium hoc firmauit, vt Ranimirũ monachum fratri mortuo ſubrogarent: & eductum de monaſterio apud Oſcam in regni ſolio collocarunt, & ſororem Comitis Pictauienſis in vxorem ei poſt modicum temporis aſciuerunt. Hic fuit in præliis fortunatus, & ſuis benignus propitius, liberalis, adeo quod fere omnes villas & caſtra regalia militibus eſt largitus. Suſcepit autem filiam nomine Petronam, quæ poſtea dicta fuit Vrraca, quæ Raimundo Barcinonenſi Comiti fuit nupta, & cum eſſet nubilis, ſtatim Rex monachus fuit ſuo monaſterio reſtitutus. Qui tamen dum in regno exiſteret, monaſterium ſuum eccleſiis & poſſeſſionibus multis ditauit, quæ adhuc hodie poſſidet in * Aragonia & Nauarra.

Inſoleſcere. — *Boria.* — *Borgam. V. C.* — *Ranimirus ex monaſterio ad regnum vocatus. Vxorem duxit. Pictauium.* — *In Cathalonia & Aragonia & Nauarra.*

De vnione regni & Comitatus Barcinonæ, & filiis Comitis & Reginæ. CAP. III.

EIVS itaque filia Vrraca coniuncta Comiti Barcinonæ, fuit regni & Comitatus * vna deinceps ſucceſſio ſubſecuta. Et ſuſcepit idem Comes ex Vrraca Regina duos filios, & vnam filiam, Aldefonſum ſcilicet & Sancium, & Dulciam, quæ nupſit Regi * [Sancio] Portugallenſi, cuius generationem inferius deſcribemus. Sancius duxit vxorem Sanciam filiam Nunii Comitis ex Caſtella, ex qua ſuſcepit filium Nunium, qui fuit mortuus ſine prole. Aldefonſus autem primogenitus patri & matri ſuccedens ſceptra regni & Comitatus obtinuit. Hic fuit ſtrenuus & liberalitatis ſatis amator, & in partibus Prouinciæ multa geſſit. Comitatus enim Prouinciæ ſuus erat. Hic populauit Turolum & alia plura caſtra, & duxit vxorem Sanciam nomine, quam Imperator Hiſpaniarum ſuſceperat ex Richa imperatrice, quæ fuit filia Ducis Poloni, ex qua ſuſcepit tres filios, ſcilicet Petrum, Aldefonſum, & Fernandum, & tres filias, Conſtantiam, Alienor, Sanciam. Aldefonſo dedit Comitatum Prouinciæ. Hic fuit bonus, ſtrenuus, atque largus, & duxit vxorem neptem Comitis * Folocalquerii, ex qua ſuſcepit filium qui nunc Prouinciæ principatur, & eſt ſtrenuus atque prudens, qui ciuitates multas & caſtra à Comitatu deperditas acquiſiuit. Hic duxit vxorem Beatricem filiam Comitis * Maurienem, ex qua ſuſcepit quatuor filias: quarum vna nupſit Regi Francorum domino Ludouico: aliam duxit dominus Angliæ Rex Enricus: Conſtantia filia Regis Regi Vngariæ fuit nupta, & viro mortuo ſine prole in Aragoniam eſt reuerſa, quam Rex Petrus frater eius dedit in vxorem Regi Siciliæ * Federico, qui fuit poſtea Imperator. Cumque Aldefonſus Comes Prouinciæ frater eius cum ſorore Regina in Siciliam nauigaſſet, ipſa iuncta matrimonialiter Federico, Aldefonſus Comes vitam finiuit cum multis aliis nobilibus, qui cum eis ex Aragonia & * Catalonia nauigarant, Federicus autem ſuſcepit ex Conſtantia filium Enricum, qui adultus duxit vxorem filiam Ducis Auſtriæ. Sed quia contra patrem intentauerat rebellare, pater eum tandiu tenuit captiuatum, donec in Apulia diem vltimum conſummauit.

Vnio deinceps ſubſecuta. — *Abundat Sancio.* — *Turolum.* — *Folqualquerii.* — *Maurienſe.* — *Frederico.* — *Cathalonia.*

De Petro Rege Aragoniæ, & eius morte. CAP. IIII.

PETRVS autem qui erat primogenitus, Aldefonſo patri ſucceſſit in regno. Hic fuit ſtrenuus, curialis, & largus, & vndecũq; pecuniæ habere poterat, liberaliter erogabat;

Digitized by Google

adeo quod interdum caſtra & municipia creditoribus obligabat, ne manus ſolita ſemper dare, inueniretur à largitionibus aliena. Hic ſemper fuit Regi Caſtellæ Aldefonſo nobili fidei amicitia fœderatus, & cum eo in famoſiſſimo bello * Vbetæ fuit victor, vt inferius latius diſſeremus. Hic cepit caſtellum * Abibdeimuz, & alia caſtra quæ à Sarracenorum inſtantia liberauit. Hic duxit vxorem Mariam * [filiam principis nobilis Guillelmi Montis Peſulani,] quam habuerat ex filia Imperatoris Conſtantinopolitani, & ſuſcepit ex ea filium nomine Iacobum. Hic Rex Petrus ſub Innocentio Papa tertio Romam adiens, ab eodem Papa fuit in eccleſia ſancti Pancratii diademate coronatus. Demum cum venerabilis Arnaldus Narbonenſis Antiſtes contra hæreticos qui prouincia Narbonenſi nomen Domini blaſphemabant, de Galliis * crucis ſignatorum multitudinem aduocaſſet, aduenit Petrus Rex Aragonum in auxilium Comitis Toloſani. Nam ipſe Raimundus Comes Toloſæ Alienor ſororem Petri Regis Aragonenſis duxerat in vxorem. Raimundus etiam eius filius patri æquiuocus ſorori Regis nomine Sanciæ erat matrimonio copulatus, & ex iſta Sancia genuit filiam, quæ nupſit Aldefonſo, filio Ludouici Regis Francorum, Comiti * Pictauienſi. Rex itaq; Petrus cum paucis Aragonenſibus, & pluribus Catalanis, & prædicto Comite, & etiam, [cum Fuxenſi,] & aliis magnatibus Galliæ Gotthicæ, iuxta caſtrum quod * Murelum dicitur, cum Gallicis commiſerunt, & ſicut Domino placuit, Rex cum Aragonenſibus in prælio ceciderunt, quia ipſi ſoli viriliter perſtiterunt, * Fuxenſi & Toloſano Comitibus terga præbentibus cum aliquibus Catalanis. Nec Rex Petrus cum eſſet plene catholicus, in fauorem venerat blaſphemorum, ſed (vt diximus) affinitatis debito. Mortuus autem ſepultus eſt in Sexena quam mater ſua Regina Sancia conſtruxerat hoſpitali, & inſtituerat ibi collegium dominarum. Occubuerunt autem cum eo in bello de magnatibus Aragonis, Aznarius Pardi, & Petrus Pardi filius eius, & Gometius de Luna, & Michael de Luſia, & multi alii de potioribus Aragonis. Hoc prælium fuit æra milleſima ducenteſima quinquageſima ſecunda.

Vbeda: Vbeta. Abibdeimuz. Dominus filiam nobilis Comitis Monteſulani.

Pictauen. V. C. Crucis ſignatis inducitur bellum. Murelum. Fuxenſis.

Æra 1252.

De Rege * Iacobo, & filiis eius, & magnalibus eiuſdem. CAP. V.

Huius Iacobi Arragonum Regis vitam accurate Latine ſcripſit libris Bernardinus Miedes Archidiaconus Segontinus Valentia Anno 1582. Murelli. V. C. ſup. cap. 4. Socobricenſi V. C.

MORTVO Rege Petro filius eius Iacobus adhuc paruulus fuerat à patre Simonis Comitis Montis fortis cuſtodiæ deputatus, & eius filiæ deſponſatus. Sed quia in bello * Murelli idem Simon Regi Petro dederat cauſam mortis, ſedes Apoſtolica ſic prouidit, vt infans ſuis naturalibus redderetur, & per Petrum Beneuentanum ſanctæ Mariæ in Acquiro Diaconum Cardinalem fuit Rex Iacobus ſuis fidelibus reſtitutus, hæc omnia venerabili Hiſpano * Socobienſi Epiſcopo ſollicitè procurante, & in propriis ſumptibus perſonaliter laborante. Cumq; iam ad annos adoleſcentiæ perueniſſet, Alienor filiam Aldefonſi Regis nobilis ex Caſtella, quam pater dimiſerat domicellam, duxit vxorem, & genuit ex ea filium qui dicitur Aldefonſus, ſed poſtea per venerabilem Ioannem apoſtolicæ ſedis Epiſcopum Cardinalem fuerunt iudicio eccleſiæ ſeparati, eo quod ſibi conſanguinitatis linea * attingebat, filio tamen per eundem legatum legitimato. Rex vero Iacobus æmulatione magna contendens parentum magnalia ſuperare, cœpit terras Arabum infeſtare, & cepit oppidum quod dicitur Burriana, multis aliis caſtris & villis Arabum occupatis. Poſtea vero magno nauigio congregato ex omni littore regni ſui Baleares inſulas eſt aggreſſus, & Maioricam caput regni, ciuitatem nobilem, maximam, & potentem impugnatione diutina fatigatam, Rege & incolis pene cæſis, ſuo dominio ſubiugauit, licet de ſuis multi ceciderunt * bellis variis intercepti. Obtentis etiam Euiza & Minorica, relictis defenſoribus in Aragoniam cisfretauit. Nec vnius regni acquiſitione contentus, regnum Valentię quod multis munitionibus præminebat, adiit confidenter, & longis concertationibus ciuitas infeſtata inuicto Regi ſe victam tradidit & ſubiectam. nec ſe credens Rex inuictus aliquid peregiſſe, dum agendum aliquid remanebat, & * inuadens cæteras vrbes regni tamdiu incurſibus & cædibus regni incolas coarctauit, donec vrbes, caſtra, & fere omnia municipia regni Valentiæ Regi inclyto reddiderunt, vt iam tranquillitate ſuis regnis vndiq; procurata, & omnibus aduerſariis iam obtentis, non habeat quibus moueat ex ſe guerram. Hic (vt diximus) à prima vxore per eccleſiam ſeparatus duxit aliam nomine Ioleſam filiam Andreæ Regis Vngariæ, & Ioleſæ Reginæ, quæ fuit filia Petri Imperatoris, & Ioleſæ Imperatricis Conſtantinopolitanenſis, qui erant de genere Regum Francorum, & ex hac vxore ſuſcepit filiam nomine Ioleſam, quam dedit vxorem domino Aldefonſo primogenito Regis Fernandi, qui Caſtellæ, Toleto, Legioni, Galleciæ, Cordubæ, Luſitaniæ, & Murię principatur. Suſcepit autem ex eadem alios filios paruulos, quibus Dominus benedicat, & deinceps dirigat vias eius.

attinebant.

Burriana. Nauigio pro claſſe vt Victor & Iuſtinus. Bellmariis. Euiza forte Eui\za.

mi ſe eminceret ceteras V. C.

Diuortium ſupra lib. 5. cap. 9 & 10.

De ma-

De matrimonio Regis Ferdinandi cum ſorore Veremundi, & de morte Sancii Regis.

CAPVT VI.

NVNC ad Regis Sancii & filiorum eius hiſtoriam reuertamur. Itaque Rex Sancius dictus Maior patriæ finibus dilatatis, & pace inter filios ordinata, contra Veremundum Regem Legionis arma commouit, & de regno eius loca plurima acquiſiuit. Hic Sancius dum quadam die ſe in venationis ſtudio recrearet, aprum ſecutus, contigit in ciuitate olim nobili, tunc deſerta, quæ Palentia dicebatur, cryptam in forma eccleſiæ inuenire, & altare in honorem ſancti Antonini martyris adhuc extans. Ad quam cum aper fugiens aduenisſet, & Rex vibrato venabulo feram in crypta occidere voluiſſet, diuino percuſſus miraculo, quod propoſuit, non potuit adimplere. Obriguit enim brachium eius dextrum, & ſic aper illæſus euaſit. Rex autem conuerſus ad preces beati martyris Antonini ſuffragium implorauit, & illico deſtitutus iuſſit ciuitatem diruptam reparari, & ſuper cryptam eccleſiam ædificari, & procurauit ibidem Epiſcopum conſecrari, & totam ciuitatem cum omnibus terminis, & pleno dominio Epiſcopo, & eccleſiæ donatione obtulit liberali, villas & poſſeſſiones alias ſuperaddens, quibus adhuc hodie gaudet eccleſia Palentina. Magnates autem detrimentum patriæ attendentes Regem Veremundum ſuaſione & conſilio induxerunt, vt ſororem ſuam Sanciam valde pulchram virginem daret Fernando filio Regis Sancii in vxorem, qui & conſenſit, & à partibus veniens Gallecíæ, regales nuptias in magnis copiis & muneribus celebrauit. Tunc Rex Sanciæ dictus Maior quicquid acceperat vltra * Piſoricam Fernando filio ſuo, dedit Sancius nurui cum beneplacito Veremundi. Poſthæc Garſias qui Nauarris Rex fuerat aſſignatus, cauſa voti beatorum apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitauit, & eo peregre ſic agente, Rex Sancius pater eius plenus dierum vitæ terminum conſummauit, cum regnaſſet annis triginta quinque. Obiit autem æra M.LIII. quem ſuus filius Rex Fernãdus regalibus exequiis celebratis in Ouetenſi monaſterio ſepeliuit.

Palentia.
Sic & V.C. Toleti. Vaſæus tamen in fine Chron. S. Antoninum vocat.
Inter reliqua priuilegia & illud, vt Epiſcopus etiam Comes eſſet.
Piſoricam dedit Sancius nurui, & Fernando filio ſuo.
Æra 1053.

De victoria Regis Garſiæ contra Regem Ranimirum. CAPVT VII.

INTEREA Ranimirus cui pater in Aragonia partem dederat, confœderatus Regibus Cæſarauguſtæ, Tudeliæ, atque Oſcæ, contra fratrem ſuum Regem Garſiam indebite conſpirauit. Qui cum peracto voto Roma rediiſſet, inuenit Ranimirum fratrem ſuum iã Regis nomine ſuperbire, & ſuper * Taſaliam exercitum congregaſſe. Sed Rex Garſias cum eſſet ſtrenuus & magnanimus, Ranimiro occurrit, & inſultu turbatum fugæ reliquit. adeo enim improuiſus aduenit, quod Ranimiro & exercitui ad arma non licuit conuolare: immo Ranimirus ſolis pannis lineis circumtectus nudis pedibus in equum proſiliit, equum non freno dirigens, ſed capiſtro. Sicque peracta cæde tam in Reges qui auxiliatores venerant, quam in exercitum Ranimiri, occupatis tentoriis & ſupellectilibus vtrorumque. Rex Garſias victor recedit, & quicquid Ranimirus à patre habuerat præter * & ripã Gurſiam, Rex Garſias ſtrenue occupauit.

Cæſarauguſta. Tudelia.
Taphalia.
infr. c. 11. inſulo præter Superarbe & Ripagorciam.
Gurriam V.C. vel Gurciam. Oſca & deſ. Ceya ſupr.

De morte Regis Veremundi. CAPVT. VIII.

PORRO eſt orta diſcordia inter Regem Fernandum qui Caſtellæ & Veremundum qui præerat Legioni. Cauſa autem diſcordiæ iſta fuit. Cum Aldefonſus pater Veremundi adhuc puer regnare cæpiſſet, Rex Sancius à flumine * Ceiæ verſus Caſtellam omnia occupauit. Sed cum (vt dictum eſt) Fernandus Regis filius Sancii ſororem Regis Veremundi duxerat in vxorem, terram illam quæ in controuerſia habebatur, pacifice poſſidebat, eo quod ſibi & vxori fuerat à Veremundo libere derelicta tempore matrimonii celebrati. Mortuo autem Rege Sancio, Veremundus præteritæ iniuriæ reminiſcens, pacta quæ fecerat, non ſeruauit, & partem quam ſpõte ſorori dimiſerat, * ſorori noluit vindicare. Quod percipiens Rex Fernandus, aſcito Garſia fratre ſuo Rege Nauarræ, contra Regem Veremundum qui cũ toto potentiæ ſuæ exercitu * veniebat, iuxta fluuium * Carrionis occurrit. ibiq; exercitus congredientes adinuicem pluribus cædibus ſe læſerunt. Et Rex Veremundus de velocitate & fortitudine equi præſumens, & ipſe acer per cuneos militares imperterritus ſe iniecit, vt Regem Fernandum poſſet impetere gladio ſpeciali. Sed Rex Garſias & Rex Fernandus non minori ferocia pertinaces ex aduerſo viriliter reſiſtebant, & dũ Rex Veremundus equi impetu traheretur, confoſſus lancea in terram cecidit expers victoriæ, ſimul & vitæ. Multi etiam de ſuis militibus poſt eius impetum concurrentes inibi ceciderunt, & eodem momento vita dominio caruerunt. Corpus autem Regis Veremundi Legionem delatum cum vxore ſua Taraſia eſt ſepultum.

Ceia.
Carrio.
ſororio. V.C. ſ. ſororio & ſorori, ſoluit ſororio & ſorori dimiſerat, ſeruit vendicare.
veniebat in Vallem Tamaronis aduenit iuxta fluuium Carrionis.

Legionem. Hactenus Vaſæus Chronicon.

De vnione regnorum Caſtellæ & Legionis, & de filiis Regis Fernandi.

CAPVT IX.

Æra 1054.

POST hæc autem æra M.LIIII. cum regnum Legionis ad Regem Fernandum ratione vxoris ſuæ Sanciæ pertineret (non enim alius hæres ſuperer at) cõgregato exercitu Rex Fernandus impetiuit Legionem. Et quamuis propter Veremundi mortem, cœpiſſent indigne aliquantulum rebellare, tamen de facili obtinuit ciuitatem, eo quod nondum erat poſt deſtructionem Arabum firmiter reparata. Et ingrediens Legionem in Regem ab omnibus eſt receptus, & regali diademate decimo Kalendas Iulii à venerabili *Seruando Legionenſi Epiſcopo inſignitus, & regnauit annis XL. menſibus VI. & ſic regnorum ſchiſmata quieuerunt. Confirmauit etiam leges Gotthicas, & alias addidit quæ ſpectabant ad regimen populorum. Hic Rex Fernandus vir bonus, & iuſtus, ac timens Deum, & ſtrenuus in agendis, ex prædicta Sancia Veremundi ſorore genuit Vrracam primogenitam, ornatam moribus & decore, antequam regni faſtigium obtineret. Poſtea genuit Sancium, poſtea Geloiram, poſtea Aldefonſum, poſtea Garſiam. Hos filios fecit inſtrui liberalibus diſciplinis adultos vero militaribus ſtudiis aſſuetos, incurſiones & prælia indidit frequentare, filias autem in deuotione erudiri præcepit & ſtudiis fœminarum.

Seruando.

De diſcordia fratrum, & morte Regis Garſiæ. CAPVT X.

SVCCEDENTIBVS autem proſperis Fernando, frater eius Garſias Rex Nauarrorum cum eſſet magnanimus, & ſuperioris impatiens, de fratris ſucceſſibus torquebatur, cumque eum contigiſſet apud Anagarum ægrotare, & Rex Fernandus veniſſet ad eum gratia viſitandi, inique cogitans Rex Garſias eum propoſuit retinere. Sed cum conſilium patuiſſet, Rex Fernandus Dei gratia liberatus exiuit oppidum, & ad propria remeauit. Paucis autem diebus interpoſitis Regem Fernandum accidit infirmari. Cumque ad viſitandum Rex Garſias modo ſimili aduenisset, vt ſcelus præteritum expiaret, quod in innoxium cogitauit, ipſe noxius eſt perpeſſus, & captus a Rege Fernando cuſtodiendus Ceiæ deputatur. Sed paucis diebus elapſis, promiſſione ſuaſis cuſtodibus, ſoluitur, & ſuæ patriæ reſtitutus cœpit vindictam totis viribus procurare, & congregato exercitu tam ſuorum, quam Ruchonum, Vaſconum & Maurorum, ad fratris iniuriam properauit. Cumque poſt tranſitum montis Aucæ conſediſſet in loco qui dicitur Ataporca, Rex Fernandus veniens ex aduerſo, per legatos pacem humiliter poſtulauit, vt contenti ſuis pace perpetua lætarentur. Quod Rex Garſias renuens, nuncios comminando grauia in* honoros ad ſe miſit. Cumque iam belli periculum immineret, magnates & milites regni ſui ad ipſum cõmuniter acceſſerunt humiliter ſupplicantes, vt eis & ablata reſtitueret, & leges patrias cõfirmaret. Cum enim præcelleret ſtrenuitate corporis, & viriũ magnitudine ſuper omnes, adeo vt omnibus præmineret, crudeli ſuperbia graſſabatur, & poſſeſſiones militum infiſcabat, & iura patria immutabat. Ipſe autem ſolis viribus autumans præualere, petitiones militum refutauit, ne videretur annuere ex timore. Tunc duo milites quorum bona proſcripſerat, naturale debitum abnegantes ſe in aduerſarium trãſtulerunt. Ad hoc Nutritius eius qui eum ab infantia nutrierat vir prudens, & bonus, ſtrenuus, & fidelis, ſinceris lachrymis conſulebat, vt & petitis annueret & ſibi ſuorum animos complanaret. Rex vero animo induratus, neutris ſatisfecit. Tunc ille Nutritius inquit: Intelligo quod hodie victus & inglorius morieris, ſed ego præmoriar, ne te videam morientem quem tanto ſtudio enutriui. Cumq; ſe exercitus circumſpicerent, & ad certamen vndique properarent, ille Nutritius depoſitis clypeo, & galea, & lorica, pannis duntaxat vſualibus circumtectus, ſola lancea & gladio comitatus, morti in prima acie ſe obiecit, ne alumni & gentis excidii eſſet teſtis. Cũque mutuis cædibus hinc inde exercitus ſe impeterẽt, cœpit præualere exercitus Caſtellanus eo quod numero & potentia excedebat, & Rex Garſias, ſuorum animos non habebat. Tũc quidam milites qui fuerant ex familia Veremundi, & noctu collem qui Nauarrorum exercitui imminebat, clanculo occuparant, Regis Garſiæ acies cum duobus militibus qui ab eo receſſerant, impetu irrumpentes, ad regis aciem peruenerunt, & alter militum qui ab eo receſſerat, dicitur eum lancea perfodiſſe. ex quo ictu in terram cecidit Rex Garſias, & duo magnates qui cum eo aderãt, inibi ceciderunt. Cumque Rex Fernandus fratre occiſo & fugato exercitu, de victoria lætaretur, pietatis non immemor præcepit ſuis ne fugientes læderent Chriſtianos, tamen Sarraceni qui aderant, pro maiori parte captiuitate & gladio periérũt. Tũc Rex Fernãdus præcepit corpus Regis Garſiæ honorifice Anagarũ deportari & in monaſterio S. Mariæ quod ipſe cõſtruxerat, & donariis plurimis adornauerat, ſepeliri.

Anagarum.

Ceya. Ceia. V.C.

Auca montes.

inhonorios à ſe.

Nutricii fides.

De mo-

De monarchia Regis Fernandi, & de acquiſitione Portugalliæ, & diuiſione regnorum.

CAPVT XI.

IGITVR Rex Fernandus non minus de Dei gratia quam de victoria glorioſus, regnum fratris obtinuit ſine mora, factus monarchus Hiſpaniæ vlterioris, ſcilicet Galleciæ, Aſturiarum, Legionis, & Caſtellæ, Anagari, & Iberi. Terra autẽ Nauarræ inter Iberum & Pyrenæum remanſit Sancio filio Regis Garſiæ, qui fuit occiſus in Penna leni, & Aragonia cum Ripagurtia Ranimiro. *Anagarum.* * Cumq; in tranquillitate ſecura gauderet, congregato exercitu proceſſit, vt Portugalliam & Luſitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant. *Cumq; tranquilla ſecuritate V. C. & in Penalenis Ripagurtia.* Et primo ingreſſu cæſis pluribus cepit Senam, eo pacto vt incolæ remanerent, & eſſent ſubditi ſub tributo. *Sena.* Inde * Viſeum veniẽs obſedit eam, ſed quia ciuitas multis ſagittariis abũdabat, Rex exploratis ingreſſibus ciuitatis præcepit vrbis ianuas ab armatis & fortibus obſeruari, & propter ſagittarum inſtantiam præcepit aſſeres clypeis ſuperponi, ne impugnantes à ſagittariis læderentur, & duplex lignũ ſagittarum impetus hebetaret. *Viſeum.* Cumque ciuitatem fortiter & continue impugnaret Viſeorum, coactam obtinuit, & habitatoribus captiuatis & interfectis, diripientibus dedit manus, repertuſque fuit ille ſagittarius qui in alia obſidione ſocerum ſuum interfecerat Aldephõſum, cumque captum fecit Rex oculis, & manibus, & pede altero mutilari. Indeque procedẽs peruenit Lamecum, & quãuis ciuitas loci difficultate inexpugnabilis videretur, tamen caſtris ligneis & diuerſis machinis coarctata in contenti capitur, incolis & opibus occupatis, & partem habitantium interfecit, partem ad reſarciendas eccleſias diruptas reſeruauit. *Lamecum.* His itaque munitionibus occupatis propoſuit Coimbriam maiorem illius patriæ ciuitatem cum Dei adiutorio impugnare, & ad petendum cæleſte ſubſidium eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & implorato per triduum diuinæ auxilio maieſtatis, beati Apoſtoli oraculo confortatus contra Coimbriam exercitum congregauit. *Coimbria.* vbi fixis tentoriis circumquaque machinas & caſtra lignea eleuauit. Sed quia ciuitas fortitudine & magnitudine præminebat, obſidionem contigit diutius protelari. Erant autem ſub Arabum poteſtate monachi religioſi in loco arcto, qui Loruanum adhuc hodie appellatur. *Loruanum.* Hi laboribus manuum inſiſtentes, theſauros frumenti ordei, & milii, & ſiliginis ignorantibus Arabibus conſeruarant, hæc omnia proprio victui ſubtrahentes. Verum quia protracta obſidio victualibus indigebat, de receſſu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi occurrunt, & quæ a longis temporibus conſeruarant Regi & obſidioni liberaliter obtulerunt. Et his victualibus exercitus confortatus longanimis eſt effectus, & cibis refocillati impugnationi vrbis de die in diem virilius inſtiterunt donec obſeſſi fame & pugna coacti elanguidis animis marcuerunt. Verum Chriſtianis viriliter inſiſtentibus, & machinis vndique quaſſantibus, auxilio Dei & beati Iacobi interuentu murus irrumpitur ciuitatis. Quo viſo Arabes conſternati ciuitatem & opes Fernãdo principi obtulerunt, pro vita tantummodo ſupplicantes, quod Regis clementia acceptauit, & die Dominica hora tertia inuicto principi ciuitatis dominium reddiderunt. Eo tempore fertur vir Græculus ex Hieroſolyma cauſa peregrinationis ad eccleſiam ſancti Iacobi adueniſſe, qui in deuotione pernoctans audiuit indigenas enarrare, vt militem in Chriſtianorum præliis apparere, ſed ipſe licet deuotus Apoſtolo prædicabat non militem ſed piſcatorem, *D. Iacobus, vt miles.* *B. Iacobum ia.* cumque in tali pertinacia permaneret, reuelatione diuina meruit intueri equum ſplendore conſpicuum Apoſtolo præſentatum, & armorum inſignibus decoratum obſidentibus Coimbriam ſubuenire. Et peregrinus de quo diximus, viſione huius certus factus, & diem, & horam captionis Coimbriæ in eccleſia Apoſtoli publice prædicauit, & ſicut ipſe prædixit, ſic poſtea rei veritas patefecit, & ſic remanſit terra citra Mondaicum fluuium Chriſtianæ fidei acquiſita. *Mondaicum.* Commiſit autem cuſtodiam illius patriæ Siſenando, qui olim exul adhæſerat Abenadab Regi Agarenorum, & ſuæ merito probitatis fuit in eius oculis gratioſus, qui bella & vaſtationes exercuit contra Chriſticolas Luſitaniam & Portugalliam habitantes, iam nunc reconciliatus principi Ferdinando fuit reſtitutus gratiæ & honori. Rex vero Ferdinandus pro triumpho gratias agens eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & oblatis donariis ad propria eſt reuerſus, & cœpit bonis actibus abundare, & toto tempore vitæ ſuæ ab infeſtationibus Arabum non ceſſauit, Et timens ne poſt mortem eius de regno filii decertarent, ipſe viuens regnum diuiſit, & dedit Sancio primogenito à flumine Piſorica Caſtellam, Anagarum, & Iberũ: & dedit Aldefonſo Legionem, Aſturias & Tranſmeram vſque ad flumen quod dicitur Oue, Aſtoricam, & partem camporum qui Gotthici nuncupantur, & Berizum vſque in Villam in monte qui dicitur * Ezebredus dedit Vrracæ & Geloiræ filiabus Zemoram & Taurum: Garſiæ dedit Galleciam cum ea parte quæ dicitur * Portugale.

Piſorica. Caſtilia. Anagarum. Tranſmera. Ezebrecam. Oue. Berizum. Ezebredum. Portulaca.

De vaſtatione regni Toleti, & de tranſlatione reliquiarum in regnum ſuum.

CAPVT XIII.

Gormatium. Vadum Regis. Aquilaria. Borgecorri. S Emerentiana. Gormicis. Borgecorrexi. Caracena. Onia. Medina Cali. Auca. Ionia. Toletum. Talamatica. Guadalfaiara. Alcala. Maieritum. Burgis. ſic V.C S. Marcorum pero. D. Iſidori corpus Hiſpali. Legionem tranſlatum. Iuſta & Ruſfina corpora ſibi controuerſum. Ouienſi. V.C. recte. Idem error inf. cap. 6. in fine. Zemora. Abulenſis. Vincentii, Sabina & Chriſteta tranſlatio. V.C. xpſta.

POst hæc apud Legionem curia celebrata, direxit acies contra Mauros, & quædam caſtra Chriſtianis infoſta victrici gloria ſubiugauit, videlicet Gormatium, Vadum Regis, Aquilariam, Valericanam (quæ nunc Berlanga dicitur) Ripam ſancti Iuſti, ſanctam Emerentianam, Gormicis: & turres multas ſpeculatorum (quas nũc diximus Atalaias) per quas Chriſtianorum introitus nudabatur, in valle * Borgecorrexi, & in loco qui nunc dicitur Caracena, vſque ad Medinam Cæli ſolo diruptas adæquauit. Inde ad loca Cantabriæ properans, expulſis Mauris, montana Aucæ & *Ioniæ ſuæ ſubdidit ditioni. Inde firmans propoſitum verſus Toletum, Talamanticam, Guadalfaiariam, Alcala, Maieritum, cætera loca dominii Toletani ſic cæde & incendio deuaſtauit, vt Rex Toleti ſuorum clamoribus concitatus & munera dedit, & iuramento promiſit tributa annis ſingulis ſe daturum. Poſtea adeo Regem Hiſpalis infeſtauit, vt corpus beati Iſidori permitteret inde leuari, quod à duobus epiſcopis, Aluito Legionenſi, & Ordonio Aſtoricenſi, multis miraculis coruſcantibus tranſlatum eſt ab Hiſpali Legionem. Aliqui dicunt corpus beatæ Iuſtę cum corpore beati Iſidori tunc tranſlatum. Sed quia noſtris temporibus corpora ſanctarũ Iuſtæ & Ruffinæ reuelatione oſtenſa per Petrum Fernandi nobilem principem ſunt tranſlata ad regale monaſterium prope Burgis, ego nolo. ſed diffiniat, qui præſumit. Verum Rex Fernãdus eccleſiam honorificam fecit conſtrui, & in honore eiuſdem ſancti Iſidori dedicari, quam auro, & argento, & lapidibus precioſis, & cortinis ſericis decorauit, & eandem eccleſiam veſpere, & mane. nocturniſque horis, & ſacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdũ etiã vices cãtoris explebat. Cumq; ſepulturã in monaſterio S. Facũdi aut S. Petri de Aſtantia eligere decreuiſſet, vxoris ſuę Reginę Sanciæ precib. inclinatus Legione in eccleſia quã cõſtruxerat, elegit ſibi, & cõiugi, & ſucceſſoribus ſepulturas, & etiam ab vxore ſuaſus Regem Sancium patrem ſuum à monaſterio Ouetenſi ad eandem tranſtulit ſepulturam. Ad inſtantiam etiam Legionenſium Zemoram nobilem ciuitatem, quam Almanzor olim diruerat, reparauit. Poſtea cum ciuitas Abulenſis longis temporibus diruta remanſiſſet, Rex Fernandus ab ea corpora ſanctorum martyrum Vincentii, Sabinæ, & * Chriſtetæ dicitur tranſtuliſſe. Sed quia aliqui dicunt ea eſſe Abulæ, alii in monaſterio ſancti Petri de Aslantia, alii corpus ſancti Vincentii Legione, alii corpus * Chriſtetæ Palentię dubium pro certo aſſerere nõ præſumo. Conſtituit etiam vt in toto regno Legionenſi leges Gotthicæ ſeruarentur.

De religioſis actibus Regis Fernandi, & morte eius & vxoris illius.

CAPVT XIIII.

HIc itaque Rex Fernandus iam ſenectute confectus vitam ſuã bonis operibus & Deo placitis dedicauit. Eccleſias regni ſui, & præcipue ſancti Iacobi, ſancti Saluatoris, ſancti Iſidori, & cathedralem eccleſiam Legionis poſſeſſionibus & donariis inclytauit, monaſteriorum etiam indigentiam de ſuis facultatibus ſubleuabat. Cum vero quadam die in cathedrali eccleſia Legionis audiret diuina, vidit miniſtros eccleſiæ cauſa familiaris inopiæ nudis pedibus miniſtrare, & ſtatim certos reditus ad calceamenta inſtituit miniſtrorum. Cæterum cum ad ſancti Facundi monaſterium veniebat, cibis eorum contentus, pari ordine & conſortio, quaſi vnus ex eis & diuinis officiis inſiſtebat, & cibariis regularibus vtebatur. Cumq; oblatum vas vitreum de manu Abbatis ad mẽſam reſidẽs ſuſcepiſſet, vas decidẽs de manu Regis ilico fractũ fuit. Rex vero pro negligentia valde pœnitens incontinẽti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri, & Abbati offerens pro vitreo ſatisfecit. Obtulit inſuper Cluniacenſi monaſterio de regio fiſco mille aureos annuatim perpetuo ſoluendos. Nec minus eo regina Sancia vxor eius bonis & piis operibus abundabat, & in regimine, & bellorum diſcrimine eius ſolertia vtilis & ſedula apparebat. Cumque Regi Fernando Arabes Celtiberiæ & Carpetaniæ tributa negarẽt, ipſe Rex cum exercitu eos aggrediens, & vaſtationibus infeſtauit, & priſtinæ reſtituit ſeruituti. Sed iam vitæ ſibi termino imminente apparuit ei beatus Iſidorus, & diem *ſui obitus intimauit, & cum cœpiſſet poſt modicum infirmari, fecit ſe Legionẽ abduci, & nono Kalendas Ianuarii die Sabbati ingreſſus eſt ciuitatẽ, & ex more corpora ſanctorum flexis genibus adorauit petens & ſupplicans, vt cum dies obitus iam inſtaret, anima eius ab Angelis duceretur. In ipſa aũt nocte dominicæ natiuitatis licet æger, ipſe Rex cum clericis interfuit matutinis concinens, vt infirmitas tolerabat, & obſeruabatur ibi tunc temporis officium. Toletanum Facto autem die vocatis Epiſcopis fecit ſibi miſſam ſolenniter celebrari,

S. Facundus. Cluniacenſi. Celtiberia. Carpetania. obitus. Officium Toletanum ſiue Iſidorianum hodie Mozarabe: de quo inf. 16. cap.

brari, & percepit corporis & ſanguinis Domini ſacramentum. In caſtrino autem vocatis Epiſcopis, & Abbatibus, & viris religioſis vna cum eis fecit ad eccleſiam ſe deferri, & impoſito capiti diademate, & indutus regalibus indumentis, coram ſarcophago ſancti Iſidori clamauit ad Dominum voce clara: *Tua eſt potentia, tuum eſt regnum Domine, tu es ſuper omnes Reges, tuo imperio omnia ſunt ſubiecta, quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum, tantum animam meam in æterna luce iubeas collocari.* Et his dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat, & recepta ab Epiſcopis pœnitentia & gratia vltimæ vnctionis, indutus cilicio, & conſperſus cinere duobus diebus in pœnitentia atque lachrymis ſuperuixit. Tertia autem feria hora ſexta in feſto S. Ioannis Euangeliſtæ plenus dierum reddidit Deo ſpiritum immaculatum, & iuxta patrem ſuum in eadem eccleſia ſancti Iſidori eſt ſepultus. Regnauerat autẽ viuente patre annis XII. In Caſtella mortuo patre annos XII. In Caſtella & Legione annis XVI. In vniuerſo annis XL. menſibus VI. diebus * II. Regina autem Sancia vxor eius [*duodecim.*] ſuperuixit II. annis, & obiit ſexto Idus Nouembris, & ſepulta eſt iuxta eum.

De diſcordia fratrum, & qualiter vicit Sancius Aldephonſum.

CAP. XV.

POST mortem itaque Regis optimi Fernandi tres filii eius & duę filiæ remanſerũt, Sancius, Aldefonſus, Garſias, Vrraca, & Geloira. Sed licet ipſe regnũ filiis diuiſiſſet, & partem ſuam vnicuique aſſignauiſſet, quia omnis poteſtas impatiẽs eſt conſortis, & quia * Reges [*Lucan.*] Hiſpaniæ à feroci Gotthorum ſanguine contraxerunt, ne maiores aliquem velint parẽ nec minores ſuperiorem, ſæpius inter Gotthos regalia funera fraterno ſanguine maduerunt. Rex itaque Sancius Caſtellæ & Nauarræ finibus non contentus, inhumanitatis Gothicæ ſucceſſor & hæres, & ſanguinem fratrum ſitire, & ad eorum regna cœpit cupidus anhelare, vt nihil fratribus vel ſororibus de iis quæ pater dederat, remaneret, ſed ſolus totũ ambitioſus haberet. Vnde contigit & cædes varias prouenire, & ſanguinem innoxium ſæpe fundi. Pater vero eorum attendens filii Aldefonſi plus quam cæterorum modeſtiam, Vrracam & Geloiram filias * commendarat. Cum eſſet vero Vrraca ſolers & prouida, Al- [*commendauit.*] defonſus ei tanquam matri in omnibus deferebat, & eius conſilio ſe regebat.

De pugna fratrum, & tranſitu Aldefonſi ad Regem Toleti.

CAPVT XVI.

SANCIVS vero qui erat primogenitus, cœpit regnare æra milleſima nõgenteſima quin- [*Æra 1105.*] ta, & ſex annis regnauit. Hic regna fratrum ſibi voluit vindicare, & primo incurſu cœpit Aldefonſum qui erat medius, infeſtare. Dum autem Rex Sancius contra fratrem exercitum congregaſſet, ille veniens ex aduerſo occurſu oppoſito ſe obiecit, & in loco qui * Plantaca dicitur, ſunt congreſſi, & Domino diſponente, qui Sancium extollebat, vt lapſu [*Plantata.*] rueret grauiori, Rex Sancius fugauit fratrem & exercitum Legionis, & de vtroque exer- [*Plantaca.*] citu plurimi ceciderunt, & quod Arabes conſueuerant ſuſtinere, fraterno gladio in ſe verſo, Chriſtiani miſeri pertulerunt, victuſque in prælio Aldefonſus abiit Legionem. Iterum autem diem conſtituunt ad pugnandum tali pacto, vt victus victori regnum cederet ſine pugna. Cumque in loco qui Vulpecularia dicitur, conueniſſent, iuxta ripam fluminis Car- [*Vulpecularia.*] rionis, ex vtraque parte pluribus bello cæſis, demum Rex Sancius fuit victus, & cum fugæ dubiæ ſe dediſſet, Rex Aldefonſus volens parcere Chriſtianis, præcepit vt nullus pręſumeret perſequi fugientes. Erat autem cum Rege Sancio miles ſtrenuus dictus Rodericus Didaci Campiator. Hic regem ſuum deuictum animans perſuaſit, vt quoad poſſet fugientem [*infr. cap. 19.*] exercitum reuocaret, & in aurora Legionenſibus & Gallecis improuidis adueniret. Gens enim illa conſueuit in proſperis ſe iactare, & alios deridere, in aduerſis fortiter comminari. Vnde nocturnis confabulationibus fatigati circa mane fortius dormierunt, & irruente exercitu Regis Sancii ſunt præuenti, & multis captis, aliiſque cæſis, cęteriſque fugatis [Rex [*Ob hoc ſcelus*] etiã Aldefonſus capitur in eccleſia beatæ] Virginis quæ eſt in præſidio Carrionis, & Burgis [*vita & regno*] ducitur captiuatus. Tandem procurante Petro Aſſurii Comite cum conſilio Vrracæ ſororis [*eſt priuatus.*] ea conditione educitur, vt in monaſterio ſanctorum Facundi & Primitiui monachali habitu veſtiretur. Cumque hoc totum Rex Sancius acceptaſſet, Rex Aldefonſus non propoſito, ſed timore ſumpſit habitum monachalem. Verum procurato conſilio cum Petro Aſſurii Comite fugit noctu, & Toletum veniens ab * Almenone Rege inibi dominante [*Vrbs Almenonis.*] ſolenniter eſt receptus, & multis muneribus honoratus. Et rex Toleti interpoſito iuramẽ- [*Almenon.*] to ſecuritatis ſibi præſtitit cautionem, & in ipſo atrio regio domos & manſionem congru- [*infr. Sacatam.*] am fabricauit, vt Rex Aldefonſus extra ſtrepitum ciuitatis cum ſuis Chriſtianis commodius habitaret, & iuxta regale viridarium, vt recreationem reciperet quando vellet. Erant

autẽ cum eo tres fratres viri nobiles & fideles, videlicet Petrus Aſſurii, Gundiſaluus Aſſurii & Fernandus Aſſurii, quos Vrraca Regina fratris ſui Regis Aldefonſi cuſtodiæ & conſilio deputarat. Et Almenon in eo gratias tot inuenit, quod eum quaſi filium diligebat. Ipſe vero pro Almenone contra vicinos Reges Arabum bella * vtiliter exercebat, & pacis tempore per montana & ripas fluminum venationibus intendebat.

Viriliter.

De venationibus & prognoſticis Aldefonſi. CAPVT XVII.

Teuinia. Brioca.

VERVM tunc temporis inter condenſa arborum & in humore fontium ripa Teuiniæ vrſis, & apris, & aliis beſtiis abundabat, & ipſe aſcendens per alueum, locum ſibi placidum qui nunc Brioca dicitur, adinuenit. Cumque ſibi Caſtellum, & loci amœnitas, & venationis copia placuiſſet, reuerſus Toletum à Rege poſtulans impetrauit, & collocatis ibi montariis, & venatoribus Chriſtianis, remãſit locus ſuæ ſubditus ditioni, & pauculos Chriſtianos gnaros venandi & officii ſagittandi ibi accolas collocauit, quorũ ſucceſſio ibi manſit vſque ad tempora Ioannis tertii Archiepiſcopi Toletani, qui locum ipſum habitatorib. amplauit, & vicum parochiæ ſancti Petri, quaſi ſuburbium, populauit. Quadam autem die cum Almenone deſcendit in viridarium gratia ſpaciandi, & cum eis turba Arabum circũſedit, & proſpiciens cominus ciuitatem, cœpit altius cogitare qualiter poſſet tanta ciuitas reſtitui Chriſtianis. Verum cum conſeſſu * diuino fatigati per viridarium ambularent, Rex Aldefonſus ſub vna arbore decubuit recreandus, & eo ſomnium ſimulante, Rex Almenõ cum ſuis Arabibus loquebatur, ſi poſſet tam fortis ciuitas virtute aliqua expugnari. Cui quiſpiam ſic reſpondit: Si per ſeptem annos huic vrbi fruges & vindemiæ auferrentur, deficientibus victualibus poſſet capi. Quod Aldefonſus audiens corde intimo conſeruauit. Iterum quadam die cum Aldefonſus iuxta Almenonem cauſa ſolatii conſideret, cœperunt erigi capilli verticis Aldefonſi. Et Almenon cœpit comprimere manu ſua, ſed capilli tanto amplius cœperunt erigi, quanto amplius premebantur. Et ſapientes Arabum hoc notantes ſuaſerunt Regi, vt interficeret Aldefonſum, quia prognoſticum hoc ſignabat ipſum ad vrbis dominium eleuandum. Almenon vero noluit fœdus promiſſæ fidei violare, ſed iurare petiit, ne eo viuente ſui regni terminos infeſtaret, & Rex Aldefonſus ſpontaneus Almenoni hoc iurauit. Eo itaque Toleti degẽte, Vrraca Regina præſentit quod Rex Sancius frater eius intendebat eam iis quæ pater ſibi dederat, ſpoliare. Zemorenſes vero Regis Aldefonſi exilium æquanimiter non ferentes, Arriam Gundiſalui virum nobilem & potentem, qui Vrracam Reginam nutrierat, in principem elegerunt, vt eo duce reſiſterent Caſtellanis.

Aſtino.

Vide T[illegible] [illegible] qui [illegible] in cap. apparet.

Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupauit. CAP. XVIII.

SED Rex Sancius ex Caſtellæ & Nauarræ partibus exercitu congregato Legionem aduenit, & eam, licet modicum infeſtatam, vt victor inuaſit, & cætera quæ Regis Aldefonſi fuerant ditionis, & ſibi trium regnorum impoſuit diadema. Et cum Rex Sancius circa huiuſmodi moraretur, Rex Garſias in ſuos tyrannide graſſabatur, & vilis ab omnibus, & à ſuis etiam habebatur, & contra fratrem bella, licet ſegniter, intentabat. Habebat autem quendam Vernulam cauſa familiaris ſecreti plus debito ſibi charum, cuius delationibus cõtra milites & barones aures credulas adhibebat, & licet ſæpius ſupplicaſſent, vt à ſe prædictum Vernulam remoueret, diſceſſum eius nullatenus voluit ſuſtinere. Et ipſi reputãtes dedecus & iacturam, quia eius delationibus lædebantur, delatorem in eius præſentia occiderunt. In cuius morte ſe læſum reputans, & confuſum illatum dedecus ſæpe obiiciens, omnes ſuos cœpit affligere indiſtincte, diſtricte comminans ſe indignationi ſuæ nullũ terminum poſiturum. Sui autem minarum pericula paueſcentes, & illatum dedecus recolentes, ab eius dominio, prout poterant, diſcedebant. Occupatis vero Legione & Aſturiis, Rex Sancius vultum verſus Galleciam obfirmauit. Gallecis autem turbatione, quam diximus, in vota diuiſis, Rex Sancius de facili obtinuit quod optabat. Interim autem Rex Garſias aſſumptis ſecum trecentis militibus iuit ad Agarenos, & niſus eſt ſuadere, vt ſecum contra fratrem ſuum exercitum deſtinarent, regnum fratris & ſuum eis pollicens ſe daturum. Cui taliter reſponderunt: Cum Rex eſſes, regnum tibi ſeruare minime potuiſti: quomodo ergo perditum nobis dabis? Honoratum tamen muneribus, ſed deſpectum ad Chriſtianorum patriam remiſerũt qui duplici confuſione contritus cœpit prouincias infeſtare, & in Portugallia ſe receptans loca plurima occupauit. Cui occurrens Rex Sancius frater eius in loco qui ſancta Irenæa dicitur, ambo fraternas acies ordinarunt, & inito prælio, victus Garſias regno perdito captiuatur, & apud Lunam vinculis & cuſtodiæ mancipatur.

Luna.

De ob-

De obſidione Zamoræ, & Sancii Regis morte. CAPVT XIX.

OCCVPATIS itaque fratrum regnis terram ſororum voluit etiam occupare, indignãs ſororibus, eo quod Aldefonſo fugitiuo & exuli condolebant, & ditionis ſuæ phalangibus conglobatis vrbem aggreſſus eſt Zamorenſem, & obſidione concluſam cœpit fortiter impugnare. Sed Arias Gundiſalui, de quo diximus, & *obſeſsi alii viriliter reſiſtebant*, nec obſeſſor obtinere potuit quod optabat. Cumque vtrinque certamina agerẽtur, & miles quidam ex ciuitate egrediens, qui dicebatur Belidius Athaulphi, Regem per caſtra deambulantem lancea petiit incunctanter, & feſtinatione qua venerat, ſe reſtituit ciuitati. Verũ Rodericus Didaci Campiator zelo domini interfecti eum proſequitur ſine mora, & fere in ipſa vrbis ianua* interfecit, ſed velocitatem Belidii nõ potuit præuenire. Rex autem Sãcius priuatus habitis & ambitis, recepto vulnere, vita caruit atq; regnis, & in exercitu turbatione non modica excitata inter obſeſſores conflictus etiam interuenit: & alii diuerſa fugæ pericula attentantes, alii per deuia deuiantes in captiuitatis & mortis ſupplicia inciderunt. Caſtellani autem quorum conſtantia audaci conſilio ſemper fulſit, corpus principis in ſarcophago egregie locauerunt, & commercio lugubri, & reſonis planctibus ſubſequentes ad Ouienſe monaſterium detulerunt, vbi expletis exequiis ſepulturæ* honore regio tradiderunt,

Zamora.

pro interfecit [illegible]

De receſſu Aldefonſi ab Almenone, & reditu in terram ſuam. CAP. XX.

CELEBRATIS vero exequiis, Caſtellani & Nauarri Burgis pariter conuenerunt, & quia Rex Sancius deceſſerat expers prolis, Caſtellani & Nauarri fidelitatis innatæ ſemper memores, Aldefonſum qui a facie fratris Toletum confugerat, in Regem & dominum concorditer elegerunt tali pacto, vt prius ab eo reciperent iuramentũ, quod Rex Sancius de eius conſcientia non fuerat interfectus: & eidem electos nuncios clanculo deſtinauerunt. Vrraca etiam Regina Legionenſium & Zemorenſium curia congregata, & eorum recepto conſilio, ad fratrem ſuum Aldefonſum quem præ cæteris diligebat, & Toleti tunc temporis morabatur, nuncios deſtinauit, vt acceleraret accipere regna fratrum. Et præcepit nunciis, vt hoc conſilium ſecretiſſimum habere, ne reuelatio in Regis periculum verteretur. Sed viri diabolici, qui nunc dicuntur initiati, & ſolebãt Arabibus Chriſtianorum propoſita denudare, Regis Sancii morte comperta, nunciare Arabibus percurrerunt. Sed Petrus Aſſurii vir diſcretus, & in lingua Arabica eruditus, & pro rumoribus patriæ curioſus, omni die extra Toletum quaſi ſpaciandi gratia ad tria millaria vel amplius equitabat. Et caſu accidit quodam veſpere, vt inueniret quempiam venientem, qui dixit ſibi ſe ideo aduenire, vt regi Almenoni Regis Sancii interitum nunciaret. Petrus autem duxit eum quaſi cauſa colloquii extra viam, quem amputato capite interfecit: & ad viam rediens, & pauliſper procedens inuenit alium rumore & cauſa ſimili venientem, quem excidio ſimili decollauit, ſed via alia aliis venientibus ſecretum non latuit Almenonem. Petro vero Aſſurii greſſu tertio procedente Vrracæ Reginæ nuncius ſuperuenit, qui, vt facta fuerant omnia, nunciauit. & ille feſtinus Toletum rediens* cœpit Aldefonſo inſcio itineri neceſſaria præparare. Cumque die altero Caſtellanorum nuncius adueniſſet, & Regi negotium indicaſſet, ipſe & Petrus Aſſurii dubitabant, ne ſi Almenoni nuncium reuelarent, Regem caperet, & pacta grauia poſtularet: vel ſi celarent, & ipſe alias poſſet ſcire, hoſtilius deſæuiret. Et dum ipſi tali dubio tenerentur, Rex Aldefonſus confidens in* Domino ſic reſpondit: Honorifice me recepit, & neceſſaria liberaliter miniſtrauit, & vt filium me tractauit, quomodo eum celare potero quæ Dominus mihi fecit? & accedens ad eum quod per nuncios acceperat, reuelauit. Almenon autem hęc omnia iam ſciebat, & omnium viarum tranſitus fecerat diligẽtiſſime obſeruari, vt ſi eo inſcio vellet abire, ab obſeruatoribus caperetur. Cumque audiſſet quæ dixerat Aldefonſus, factus hilaris ſic reſpondit: Gratias ago Deo altiſſimo, qui me ab infamia liberare, & te a periculo voluit cuſtodire. Si enim me inſcio aufugiſſes, captionem aut mortem nullatenus euaſiſſes. Nunc autem vade, & accipe regnum tuum, & de meo accipe aurum argentum, equos, & arma, quibus poſſis tuorũ animos complanare. Cumque inter eos multa amicabiliter tractarentur, inter cætera hoc exegit, vt Rex Aldefonſus iuramentum ſibi & filio ſuo primogenito, quod de ſecuritate fecerat, innouaret, & cum neceſſitas immineret, cõtra vicinos Arabes adiuuaret. Et ipſe & filius primogenitus Aldefonſo ſe fœdere ſimili obligarũt. Erat autẽ minor filius de cuius fœdere nil dixerũt, nec Aldefonſus fuit ei in aliquo obligatus. His peractis* Almenon cum maioribus gentis ſuæ vſque ad montem de Velatome Aldefonſo regaliter comitato dedit

capit a.

in Domino add.

Almenon [illegible] *Velatome.*

munera & pecunias, quibus Aldefonſus Rex inclytus dicto vale, in ſummitate montium ab eis diſceſſit, & ſuis fœliciter redonatur.

De ſublimatione Aldefonſi in Regem, & de vxoribus & filiabus eius.

CAPVT XXI.

VENIENS itaque Zemoram cum Regina Vrraca, quæ erat prudens & piis operibus dedicata, habito conſilio diligenti cœpit in operibus iuſtitiæ exerceri. Caſtellani etiã & Nauarri ad ipſum ilico conuenerunt, & ante omnia iuramentum (vt diximus) exegerunt, quod non fuerat conſcius mortis Regis Sancii fratris ſui. Sed cum nemo vellet ab eo recipere iuramentum, ad recipiendum ſe obtulit ſolus Rodericus Didaci Campiator. Vnde & poſtea licet ſtrenuus, non fuit in eius oculis gratioſus. Et Rex Aldefonſus obtento regno quod perdiderat, & etiam regnis fratrum, omnibus acclamantibus *Viuat, Viuat*, omnes ei communiter iurauerũt, & accepit imperii diadema æra milleſima centeſima prima. Triginta annorum, & ſeptem menſium erat, cum regnare cœpiſſet, & regnauit quadraginta tribus annis. Hic habuit quinq; vxores ſucceſſiue legitimo matrimonio ſibi iunctas. Prima fuit Agnes: ſecunda Conſtantia, ex qua ſuſcepit filiam nomine Vrracam, quæ fuit vxor Comitis Raimundi, de qua ipſe Raimundus genuit Sanciam & Aldefonſum, qui fuit poſtea Imperator: tertia Berta ex Tuſcia oriunda: quarta Eliſabet, ex qua genuit Sanciam, quæ fuit vxor Comitis Roderici, & Geloiram, quã duxit Rogerius Rex Siciliæ. Hic Rogerius fuit frater Roberti Guiſcardi, & filius Tancredi de Alta villa, qui veniens à Normania Siciliam, & Apuliam, & Calabriam, & Capuam occupauit. Quinta Beatrix ex partibus Gallicanis. Habuit etiam aliam vxorem quæ Ceida poſtea Maria fuit dicta. Habuit etiam duas nobiles concubinas, vna dicebatur Semena Munionis, ex qua genuit Geloirã, quæ fuit vxor Raimundi Comitis Toloſani, & ex illo Comite genuit Aldephõſum Iordanis, qui ſic dictus, eo quod fuerit in Iordanis flumine baptizatus. Ipſa enim cum viro in Syriam transfretauit tempore illo quo exercitus ille magnus procedens ex partibus Galliarũ iſto Raimundo Comite duce ac præuio cum Epiſcopo Auicienſi, Ieruſalem, Tripolim, & Antiochiam acquiſiuit, hortante & perſonaliter in Galliis & Italia prædicante beatiſſimo Vrbano Papa ſecundo, qui primus ſubſtituit euntes in ſubſidium terræ ſanctæ in dextro humero crucis ſignaculo inſigniri. Et eadem Semena Munionis genuit aliã filiã quæ Tharaſia dicta fuit, quam duxit Comes Enricus ex partibus Biſontinis, congermanus Raimũdi Comitis patris Imperatoris, ex qua ſuſcepit idem Enricus Aldefonſum, qui fuit poſtea Rex Portugalliæ.

Æra 1101.

Ecce Conſtantiam Dux [illegible] *ſecundam appellat.*

Normania [illegible] *tamen* [illegible] *31.*

Toloſa.

Syria.

Expeditio in terram ſanctã. *Auicienſis inf. cap. 27.* [illegible]

Enricus nuſquam Rex ſalutatus in Portugallia ſed ab eo progeniti Reges infr. lib. 7. cap 6.

De virtutibus Aldefonſi. CAPVT XXII.

NVNC ad geſtorum eius principia redeamus. Hic fuit ſtrenuitate maxima nobilis, virtute excelſus, gloria ſingularis, abundauit in diebus eius iuſtitia, finem accepit ſeruitus, conſolationem lachrymæ, augmentum fides, dilatationem patria, audaciam populus, confuſus eſt inimicus, obtinuit gladius, ceſſauit Arabs, timuit Afer, ploratus & viulatus Hiſpaniæ vſque ad iſtum manſit abſque conſolatore, dextera eius præſidium patriæ, munimentum abſque timore, fortitudo ſine perturbatione, protectio pauperum, virtus magnatum, magnitudo cordis eius infra anguſtias Aſturiarum non potuit contineri, & elegit laborem indiuiduum comitem vitæ ſuæ, delicias miſeriam reputabat, & belli dubia experiri delectabile & iucundum, id deperditum reputans vitæ ſuæ in quo belli pericula non agebat. Rex accreſcens magnanimus Aldefonſus, Rex accreſcens ſedit, arcus eius confiſus in Domino inuenit gratiam in oculis Creatoris, magnificauit eum in timore inimicorũ, & in populo ſuo elegit eum zelare fidem, dilatare regnum, exterminare inimicos, concludere aduerſarios, multiplicare eccleſias, reſtaurare ſancta, reſtituere diſſipata. Cumque (vt diximus) Almenoni & filio primogenito fœdere teneretur, eum iuxta fœdus adiuuit in omnibus, quoad vixit. Et cum Rex Cordubenſis regnum Almenonis inuadere conaretur, Rex Aldefonſus contra eum pro fœderis debito properauit. Cumque aduentum eius Almenon audiuiſſet, timuit eum in ſui diſpẽdium aduenire. Sed Rex Aldefonſus nunciauit eidem, quod in eius auxilium veniebat, propter pacta quæ olim præceſſerant inter eos. Tunc Almenon occurrit ei cum actionibus gratiarum, & ambo intrantes fines Cordubæ omnia cædibus & incendiis vaſtauerunt, & actis prædis, vterque ad propria fœliciter eſt reuerſus, nec præſumpſit Rex Cordubẽſis regnum Toleti amplius infeſtare. Tunc mortuã Agnete duxit vxorem nomine Conſtantiam ex partibus Galliarum, cuius ſuperius fecimus mentionem.

Timuit vereri eum.

De obſi-

De obſidione & captione ciuitatis Toletanæ. CAP. XXIII.

MORTVO autem Almenone, & filio ſuo Iſſem primogenito, de quo diximus ſicut patri fuit ſemper propitius & adiutor, ipſo mortuo ſecundus filius Almenon * Hiaie dictus poſt fratrem in regno ſubſtituitur Toletano, qui à viis fratris & patris * minus aberrãs cœpit in ſeniores & * populum, quos tot angariis & perangariis conuexabat, vt mortem vitæ præferrent, alias ignominioſus, inutilis, & imbellis. Almenon autem pater ſuus Regi dederat Aldefonſo quædam municipia, Canales & Vlmos, in quibus cum ipſe veniebat in adiutorio Almenon, infirmos & debiles collocabat. Cumque (vt diximus) Toletani à ſuo principe premerentur, & à vicinis gentibus vexarentur, & Rex eorum de eorum miſeriis non curaret, coniurati in ſimul Regi dixerunt: Populi & patriæ te exhibe protectorem, aut quæremus alium defenſorem. Hiaie autem captus luxuriis dicta dicentium paruipendit. Tunc ipſi preſſi dominio & cladibus vicinorum, Regi Aldefonſo nuncios deſtinarunt antequam eius notitiam attendentes, & auxilia impenſa fideliter recolentes, & ei per nuncios ſupplicarunt, vt ciuitatem quamuis inexpugnabilem obſideret, vt coacti pugna colorẽ excuſationis haberent, cum ei traderent ciuitatem. Cumque ipſe illi Regi nullo fœdere teneretur, ciuium oblatione ſuſcepta, congregauit exercitum ex omnibus partibus regni ſui, & fruges & vindemias deuaſtauit per totum territorium Toletanum, & per quatuor annos id ipſum intulit ſucceſſiue. Et licet ciuitas cunctas ſuperet ſui opulentia ciuitates, tamen tot annorum vaſtatione continua non potuit victualibus non carere. Et Rex Aldefonſus id ipſum percipiens congregato exercitu infinito,

O Obſedit ſecura ſuum Caſtella Toletum
P Caſtra ſibi ſeptena parans, aditumque recludens.
P Rupibus alta licet, amploque ſitu populoſa,
I Circumdante Tago rerum virtute referta,
*D Victu victa * carens inuicto ſe dedit hoſti.*
A Huic Medina Cœlim, Talauera, Conimbria plaudat.
C Abula, Secobia, Salmantica, Publica Septem,
A Cauria, Cauca, Colar, Iſcar, Medina, Canales,
P Vlmus, & Vlmetum, Magerit, Atentia, Ripa,
T Oſoma cum Fluuio lapidum, Valeranica, Maura,
*A * Aſcalona, Fita, Conſocra, Maqueda, Butracum*
Victori ſine fine ſuo modulantur ouantes:
Ildephonſe tui reſonent ſuper aſtra triumphi.

Cepit itaque Toletum * æra milleſima centeſima trigeſima tertia, multis pactionibus interpoſitis, videlicet vt Sarraceni haberent plene & integre domos, & poſſeſſiones, & omnia quæ habebant, & Regi remaneret præſidium ciuitatis cum viridario vltra pontem: reditus autem qui antiquo iure dabantur Regibus, ei perſoluerent Agareni, & etiam quod maior * Mezquita eis in perpetuum remaneret. Sicq; Rex adepto præſidio & ciuitatis dominio manſit ibidem pro ciuitatis tuitione magno periculo ſe exponens. Fuit autem capta in die Vrbani Papæ & martyris octauo Kalendas Iunii, viceſimo anno regni ſui, & quia de eius * intentione dubium adhuc erat, diſtulerunt electionem Pontificis in futurum. Tunc Rex in vrbe regia ſtatuit thronum ſuum, donec ſecurum præſidium ſtabiliret, & gentem fidei confirmaret, & electionis populus præualeret.

De dote eccleſiæ Toletanæ. CAPVT XXIIII.

VIDENS autem Rex, quod Deus proſpera indulgebat, conuocauit regni proceres, & maiores Epiſcopos, & Abbates, & viros religioſos, & quintodecimo Kalendas Ianuarii omnes in vrbe regia conuenerunt, & habito diligenti tractatu dominum Bernardum, virum religionis & prudentiæ, communiter & concorditer in Archiepiſcopum elegerũt, & Rex in continenti dotauit eccleſiam liberaliter & honeſte, & dedit ei Briocam quam ſibi retinuerat a tempore Almeonis, Barciles, Cabannas de Sagra, * Couera, Rodiellas, Alcoleia ſub Talauera, Azecbuch, quæ nunc dicitur Melgar, * Almonecir, Alpebrega, & in ciuitate omnes ſtationes quas vulgariter tendas vocamus, necnon domos, molendina, furnos, viridaria, vineas, & hortos, pro quibus hodie eius memoriam & exequias veneratur eccleſia Toletana, & multa alia priuilegia dedit immunitatis.

Hyahye Hiaia. nimis. populum inſolite. Canales. Vlmo.

Toletum.

cadens. In m ſ Tolet. M C xxiii. ... Briocam. Barciles. Cabannas. Couera. Rodiellas. Alcolea. Conexa. Almonacir. Vulgo. Azebuch. Melgar. Almonecir. Alpobrega. 1 huc lib. cap 30.

Quod Mezquita Maurorum facta eſt eccleſia Chriſtianorum.
CAPVT XXV.

ET quia adhuc litera Gotthica, & translatio Pſalterii, & officium miſſæ inſtitutum ab Iſidoro & Leandro pontificibus, quod cum translatione & litera dicitur * Toletanum, per totam Hiſpaniam ſeruabantur, ad inſtantiam vxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium Papam ſeptimum, vt in Hiſpaniis omiſſo Toletano Romanum ſeu Gallicanum officium ſeruaretur. Bernardus autem Toletanæ eccleſiæ electus fuit de * Agenenſi territorio oriundus, ſcilicet de oppido Saluitatis. Hic cum fuiſſet ab infantia literatus omiſſo clericatu militiæ ſe aſcripſit, & poſtmodum infirmitate coactus in monaſterio S. Aurentii Auxitani B. Benedicti regulæ ſumpto habitu ſe dicauit, exinde vocatus ab Hugone Cluniacenſi Abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldephonſus vellet ſanctorum Facundi & Primitiui ex ea cauſa quam diximus, monaſterium ampliare, * mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacenſem Abbatem, vt ei virum prouidum & religioſum mitteret, qui in prædicto monaſterio ſanctorum Facundi & Primitiui Abbatis officio fungeretur, & ſicut in Galliis illud monaſterium præcellebat, ita & iſtud omnibus monaſteriis eiuſdem ordinis in Hiſpaniis præſideret. Prædictus autem Abbas Cluniacenſis Bernardum quem ob ſanctitatis meritum charum habebat, cum aliis monachis deſtinauit. Qui mox veniens factus Abbas, omnibus ſe exhibuit amabilem & benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletum Chriſtianæ reſtituit poteſtati, mox ipſe poſt modicum interuallum fuit electus in Archiepiſcopum & primatem. Cumq; Rex ad partes Legionis iuiſſet, ipſe electus Regina Conſtantia hortante * aſcitis militibus Chriſtianis maiorem Mezquitam ingreſſus eſt Toletanam, & eliminata ſpurcitia Mahometi erexit altaria fidei Chriſtianæ, & in maiori turri campanas ad conuocationem fidelium collocauit. Quod cum ad Regis notitiam perueniſſet, indignatus animo, & dolore accenſus, eo quod Sarracenis pactum firmauerat de Mezquita, à ſancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardum electum & Reginam Conſtantiam incendio concremare. Cumq; tanti furoris indignatio ad notitiam Toletanorum Arabum perueniſſet, maiores & minores cum paruulis & vxoribus in pago qui Magam dicitur, Regi obuiam exierunt. Cumq; Rex ad eorum multitudinem perueniſſet, exiſtimans eos cauſa querelæ veniſſe, ſic reſpondit: Non vobis iniuria facta fuit, ſed mihi, cuius fides fuit hactenus illibata, ſed iam de cætero de fide non potero me iactare: mea autem intererit, & vobis ſatisfacere, & in præſumptores acrius vindicare. Arabes autem vt erant prudentes, eleuatis vocibus & flexis poplitibus cum lachrymis audientiam poſtularunt. Tunc Rex aliquantum ſubſtitit tenens equum, & Arabes in hunc modum perorare cœperunt: Bene nouimus, quod Archiepiſcopus dux & princeps eſt legis veſtræ, & ſi cauſa fuerimus necis eius, ob zelum fidei Chriſtiani nos percutient vna die, & ſi Regina perierit cauſa noſtri, ſemini eius erimus perpetuo odioſi, & poſt dies tuos acrius vindicabunt. Vnde petimus, vt parcas eis, & nos voluntarie te abſoluimus à fœdere iuramenti. His auditis * ira Regis in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat ſine fidei læſione, & ingreſſus vrbem regiam, omnia pacifice pertractauit.

infr. hoc lib. c. 30 — *Agenenſi.* — *Auxitani. Hugo abbas Cluniacenſis.* — *miſit.* — *de nocte s. V. C.* — *Magam.* — *ira Regis compeſcitur, &c.*

De commutatione officii Toletani. CAP. XXVI.

GREGORIVS autem ſeptimus de quo diximus, ad petitionem Regis Aldefonſi miſit quendam Ricardum Abbatem ſancti Victoris Marſilienſis, vt eccleſias Hiſpaniæ tot perſecutionibus perturbatas, eccleſiaſtico moderamine ordinaret. Qui minus religioſe officium peragens cœpit * irregularius ſe habere. Quod attendens Toletanus electus per maris & terræ pericula ſe Romani Pontificis conſpectui præſentauit, & Gregorio ſeptimo viam vniuerſæ carnis ingreſſo inuenit * Vrbanum ſecundum in ſede Apoſtolica ſubſtitutum. A quo grataneer & benigne ſuſceptus conſecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & primas inſtitutus Hiſpaniarum, Apoſtolicæ ſedis benedictione ſuſcepta, & per Toloſam rediens ibidem cum Epiſcopis Gotthicæ Galliæ, & Narbonenſi Archiepiſcopo cōcilium celebrauit. * Ideo per Pyrenæum in Hiſpanias tranſiens omnium eccleſiarum Hiſpaniæ curā geſſit, & ſtatuto die, in feſto ſcilicet ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, octauo Kalendas Nouembris, in honore beatæ Mariæ ſemper virginis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ crucis, & beati Stephani protomartyris, Toletanam eccleſiam cōuocatis Epiſcopis dedicauit, & in maiori altari multas & precioſas reliquias quas à ſede Apoſtolica attulerat, & quas Rex & Regina de ſuis & patrū ſuorū theſauris obtulerāt, collocauit,

irregulariter. — *qui etiam erat Gallus, & fuerat Monachus, & fortaſſe Bernardo notus.* — *Inde.*

ſtauit, quorũ hodie beneficiis lætatur populus Chriſtian*. Verũ quia Ricardus legat* ſe gerebat in aliquib. minus caute, religione & autoritate compeſcuit attentata, adeo quod ille Ricardus legatione priuatus, fuit ab Vrbano ſummo Pontifice reuocatus. Verum ante reuocationem clerus & populus totius Hiſpaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officiũ ſuſcipere a legato & principe cogebantur, & ſtatuto die, Rege, primate, legato, cleri & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia, & populo firmiter reſiſtentibus ne officiũ mutaretur, Rege a Regina ſuaſo cõtrarium minis, & terroribus intonante. Ad hoc vltimo res peruenit militari pertinacia decernente, vt hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumq; duo milites fuiſſent electi, vnus à Rege, qui pro officio Gallicano, alter à militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis ilico victus fuit, populis exultantibus quod victor erat miles officii Toletani. Sed Rex adeo fuit à Regina Conſtantia ſtimulatus, quod à propoſito non diſceſſit, duellum iudicans ius non eſſe. Miles autem qui pugnauerat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Piſoricam, cuius hodie genus extat. Cumq; ſuper hoc magna ſeditio in militia & populo oriretur, demum placuit, vt liber officii Toletani & liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus ieiunio à primate, legato, & clero, & oratione ab omnibus deuote peracta, igne conſumitur liber officii Gallicani, & proſiliit ſuper omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii Toletani illæſus *omnino, à combuſtione incendii alienus. Sed cum Rex eſſet magnanimus, & ſuæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit vt Gallicanum officium in omnibus regni ſui finibus ſeruaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inoleuit prouerbium: *Quo volunt Reges, vadunt leges.* Et ex tunc Gallicanum officium tam in Pſalterio, quam in aliis nunquam ante ſuſceptum, fuit in Hiſpaniis obſeruatum, licet in aliquibus monaſteriis fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam translatio Pſalterii in plurimis eccleſiis cathedralibus & monaſteriis adhuc hodie recitatur. Ricardo itaq; legatione priuato, primas Bernardus cœpit in Hiſpaniis eccleſias ordinare.

Duellum. *Matantia.* *Piſorica.* *Liber in igne ſeruatus.* *Alu. Gomecius in vita Ximenii.* *& à comb.*

De ſchiſmate clericorum, & de reditu primatis, & de bonis viris à Galliis ductis.

CAPVT XXVII.

EISDEM diebus ſanctiſſimus Vrbanus Papa ſecundus tactus dolore cordis, eo quod ab Agarenis Hieroſolymitana ciuitas tenebatur, perſonaliter verbum crucis cœpit omnibus prædicare, ſicut ſuperius meminimus nos dixiſſe. Eius indulgentiis prouocatus venerabilis primas Bernardus de clericis indigenis Toletanam eccleſiam ordinauit, & aſſumptis ad viam neceſſariis, crucis ſignaculo inſignitus receſſit a propria ciuitate, volens cum exercitu de quo * ſuperius diximus, in Syriam transfretare. Cumque vix eſſet tribus dietis a ſede propria elongatus, clerici quos in eccleſia inſtituerat, ſtulte locuti dixerũt adinuicem primatem ſuum nunquam de cætero reuerſurum. Vnde ſpiritu malignitatis & inſipientiæ inflammati alium electione indebita ſubrogarunt, & primatis domeſticos eiecerunt, qui gradu concito dominum conſequentes, prout factum fuerat, intimarunt. At ille non immerito admiratus Toletum rediit in auctores ſceleris indignatus: quos cum electo ſuo non tardius degradauit, quam ipſi celeri præcipitio in thron zauerant maledictum & tollens aliquos de monachis ſancti Facundi in eccleſia collocauit, ne interim dum rediret, eccleſia diuino officio fraudaretur. Ipſe vero cœpto itinere Romam iuit. Sed cum ad ſedem Apoſtolicam perueniſſet, prohibuit eum dominus Papa Vrbanus, ne procederet, ſed in tanta nouitate ad ſedem propriam remearet, ne paſtoris abſentia nouella plantatio periculo ſubiaceret. Cumque eum à voti & crucis propoſito abſoluiſſet, ipſe per partes rediit Galliarum, vbi eligens de diuerſis locis viros honeſtos & literatos, necnon & iuuenes dociles quos habere potuit, in Hiſpaniam ſecum duxit. De Moſaico duxit beatum Giraldum, quem prius cantorem in eccleſia Toletana, poſtea fecit Archiepiſcopum Bracarenſem. De * Bituricis ſanctum Petrum, quem prius Archidiaconum Toletanum, poſtea fecit Epiſcopum Oxomenſem. De Aginno Bernardum, qui fuit cantor eccleſiæ Toletanæ, poſtea fecit eum Epiſcopum Seguntinum, poſtea Archiepiſcopum Compoſtellanum: & de eadem ciuitate Petrum, qui fuit iuuenis nutritus in eccleſia Toletana, poſtea Archiepiſcopum, poſtea Epiſcopum * Secobienſem: & alium Petrum, quem fecit Epiſcopum Palentinenſem: & Raimundum, qui fuit oriundus de Saluitate, & fecit eum poſt beatum Petrum Epiſcopum Oxomẽſem, qui poſtea immediatè ſucceſſit eidẽ in eccleſia *Toletana: & Hieronymũ de partib. Petragoricæ, *quem tempore Roderici Campiatoris fecit

Cap. 20. *Reſidentia Prælatorum.* *Peregrini ex Gallia in Hiſpaniam honeſti- bus adducti à Bernardo Archiepiſcopo Toletano.* *Raimundus Tolet. Archiepiſc. II.* *Archidiaconum poſtea epiſcopum Secobienſis V.C. Secobienſem.* *inf. cap. 4. lib. 7. quem eum*

Epiſcopum Valentinum, ſed in breui ciuitate deperdita eum dominus Bernardus metropolitanus eius & primas in ciuitate poſuit Zamorenſem, vt ibi epiſcopalia exerceret, in qua nondum fuerat nec Epiſcopus, nec eccleſia cathedralis. Duxit etiam de eiſdem partibus Bernardum, quem poſt mortem Hieronymi fecit Epiſcopum in eccleſia *Zemorenſi, & iſte fuit primus proprius Epiſcopus Zemorenſis.

Zamorenſ.

Burdinus Franc[illegible] Epiſcopus & poſtea Antipapa. Hunc Onuphrius Panuinius in [illegible] & Card. Hiſpanum [illegible] Gallum facit.

Henricus V. C. [illegible] & infra Otho.

Erat in m. ſ. Tolet. [illegible] Othonis [illegible] Henricum II. nominant.

Gayeta V. C.

Paparu regiſtro.

Lugdunum

Viennam.

Sutrium.

Domini V. C.

monaſterio redonauit

Alcala.

imminet.

De ſchiſmate & depoſitione Burdini. CAP. XXVIII.

DVXIT etiam de Lemouicis Burdinum, quem primo fecit Archidiaconum Toletanũ, poſtea Epiſcopum Coimbrienſem, poſtea Archiepiſcopum Bracarenſem. Hic erat aſtutus & verſipellis, qui cum vocaretur Burdinus, factus Epiſcopus fecit ſe Mauricium appellari, & immemor fidelitatis & gratię ſanctæ recordationis, Vrbano Papa ſecundo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, acceſſit ad Paſchalem Papam ſecundum qui prædicto Vrbano fuerat ſubſtitutus, & magnum pondus pecuniæ ſecum portans, promiſit domino Paſchali Papæ ſecundo nouiter inſtituto magnam pecuniam ſe daturum, ſi remoto Bernardo qui eum creauerat, fieret ipſe Pontifex Toletanus. Qui nequitiam eius in eo quod deliquerat volens punire, accepit pecuniam, & eum poſtea petitione fruſtrauit. Cumque eo tempore eccleſia perſecutione grauiſſima læderetur, eo quod Imperator *Otho prædictum Papam captiuatum cum Cardinalibus carceri mancipaſſet, idem Burdinus dolore pecuniæ inſtimulatus ad ſchiſmaticum Imperatorem acceſſit, eius famulatui ſe deſpondens. Cumque de alio eligendo in Papam Imperator tractaret, attendens Burdini aſtutiam, mox præcepit eum eligi ad culmen Apoſtolicæ dignitatis, & factus Papa, immo verius Antipapa, Romã ingreditur imperiali potentia comitatus, & in eccleſia ſancti Petri, vt Papa, reſedit, & ſolennia celebrauit vocatus Gregorius Papa octauus. Cumq; diuina gratia adiuuãte Paſchalis Papa carcerem euaſiſſet, perſecutione coactus per maritima & Apuliam ferebatur incertus, ibique diu degens, vt exul, perſecutionem conſtantiſſime tolerauit, & *Caietæ dicitur obiiſſe. Ibidemq; fuit in *papatu Gelaſius ſubſtitutus qui ſcripſit Toletano primati, ſicut in eiuſdem Papæ inuenitur *regeſto, epiſtolam ſub his verbis: Gelaſius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano primati & cæteris Hiſpaniarum Epiſcopis. Non latere credimus fraternitatem veſtram, qualiter frater noſter Mauricius Bracarenſis Epiſcopus ſe iam diu habuerit, & quomodo eccleſiam ſuam dimiſerit, & quomodo Regi excommunicato adhæſerit. Illud etiam, vt opinamur, noſtis, quod à prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Paſchali Papæ in concilio excõmunicatus ſit, & quod Bracarenſi eccleſiæ ſit mandatum, vt paſtorem ſibi alium prouideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem poſt longum electionis meæ ſpacium in cubile ſanctæ matris Eccleſiæ ſe ingeſſit. Ideoque fraternitati veſtræ mandamus, vt ad electionem in Bracarenſi eccleſia faciendam ſolicitudine charitatis debitæ operam præbeatis. Ipſum vero Mauricium excõmunicatum, periurum, & matris eccleſiæ conſtupratorem, cæteris eccleſiæ filiis publicetis. Datis Caietæ, octauo Kalendas Aprilis. Et idem Papa in Gallias nauigans *Lugduni deceſſit in Pontificatu anni circulo vix expleto: & huic ſucceſſit Calixtus ſecundus, qui erat Archiepiſcopus Viennenſis, frater Raimundi Comitis patris Aldephonſi Imperatoris Hiſpani. Hic mox pace formata debitæ reſtituitur dignitati, & Burdinum iam ab Imperatore abiectum *Sutrii concluſit obſeſſum & captum, & depoſitum Calabrię in monaſterio ſanctæ trinitatis de cauea captiuitati perpetuæ mancipauit, qui ibi vixit fere vſque ad tempora Eugenii Papæ tertii, a quo fuit quartus dominus Alexander. Vnde & in ſecretario palatii Conſtantiniani hi verſus reperiuntur inſcripti:

Ecce Calixtus, honor patriæ, decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.

Hos inquam prædictos viros literatos, prouidos, & honeſtos, primas Bernardus per Gallias tranſiens in Hiſpaniam ſecum duxit, & eos in Toletana eccleſia canonicos ordinauit. Monachos quos ibi reliquerat, ſancti Facundi *monaſterio. & ex eis quos ſecum duxerat, vt ſapiens architectus, fundandis eccleſiis prouidit primaria fundamenta, quorum ſolers prudentia & honeſta religio cauſam dotationis & incrementi eccleſiis præbuerunt, ſicut adhuc hodie patet in priuilegiis poſſeſſionum & libertatum quæ eccleſiis ſupradictis ob eorum ſanctitatis reuerentiam principes indulſerunt.

De captione Alcala & Valentiæ. CAPVT XXIX.

CVM ergo primas Bernardus ad ſedem propriam rediiſſet, caſtro quod dicitur Alcala, vix expugnabili obſidionem parauit, & incolæ qui eidem caſtro *immineret, caſtrum aliud

aliud obfirmauit. Demumq; fame affecti loci * incolæ per deuia aufugerunt, relicto caſtro venerabili Bernardo primati, quod adhuc hodie in Toletanæ eccleſiæ poſſeſſionibus numeratur. Rex autem Aldephonſus acquiſita iam vrbe regia & munita, reſtauratis oppidis & ciuitatibus extremorum Dorii, inertiæ inſcius Sarracenorũ patrias peragrauit, loca muniriora diruens, & plana deuaſtans, adeo quod ſibi coegit ſeruire ciſmarinos Arabes ſub tributo. Et cum tanta gloria emineret, in priuilegiis quæ perſonis vel eccleſiis cõferebat, Imperatorem Heſperiæ ſe vocabat. In diebus eius Rodericus Didaci Campiator, qui ex cauſa quam diximus, non erat in eius oculis gratioſus, conferta manu conſanguineorum & militum aliorum propoſuit per ſe Arabes infeſtare. Cumq; verſus frontariam Aragoniæ peruenisſet, congreſſus cum Rege Petro Aragoniæ obtinuit contra eum, & etiam viuum cepit, ſed continuo manumiſit. Et inde procedens peruenit Valentiam & obſedit. Cumq; ad ſuccurſum Valẽtiæ Buchar Rex Arabum cum exercitu aduenisſet, inito certamine obtinuit Rodericus, & Buchar fugit vix vitæ relictus, cæſa tamen ex ſuis multitudine infinita. Et in continenti ciuitas ſe reddidit Roderico, & eam habuit quoad vixit, & fuit in ea Hieronymus de quo diximus, in epiſcopum conſecratus à domino Bernardo primate Archiepiſcopo Toletano. Sed poſtea mortuo Roderico Didaci, fuit ciuitas iterum ab Arabibus occupata. Corpus autem Roderici Didaci inter inſultus Arabum fuit a ſuis fideliter & ſtrenue deportatum ad monaſterium ſancti Petri de * Cardigna, vbi hodie etiam quieſcit humatus.

in colle. *Dorium.* *Valentia.* *cap 27 fine.* *Carodigna.*

*De morte Regis Garſiæ & * ſororis eius.* CAP. XXX.

ſororum

HIs diebus Rex Garſias cœpit in vinculis ægrotare. Quod audiens Rex Aldephonſus doluit vltra modum. diligebat enim eum, & quia filiũ non habebat, propoſuerat eum ſubſtituere ſucceſſorẽ, & quam cito Toleto rediit, à vinculis abſoluiſſet, ſed verebatur ne cum eſſet inſolens, in regnis rebellia excitaret. Vnde fecit eum liberiori cuſtodia cuſtodiri, & placita indulgeri. Et cum eſſet infirmus, & ſanguinem minuiſſet, præcepit Rex, vt à vinculis ſolueretur. * Ex quo ipſe ait: Deus noluit, vt in vita ſoluerer, abſolutionẽ renuo moriturus, ſed rogo & mãdo ſororibus meis, vt me cũ compedibus ſepeliant Legione. Cumque eum ducerent Legionem, prout præceperat, à ſororibus & pontificibus qui conuenerant, ibidem regio funere eſt ſepultus, anno 16. regni fratris, æra milleſima centeſima decima ſeptima. Et interfuit etiam Renerius legatus & Romanæ eccleſię Cardinalis, ibidemque celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate, multa de officiis eccleſiæ ſtatuerunt, & etiam de cætero omnes ſcriptores omiſſa litera Toletana, quam Gulfilas Gotthorum Epiſcopus adinuenit, Galicis literis vterentur. Poſt hæc obiit Regina Vrraca Fernandi, & ſepulta eſt Legione. Poſt modicum tempus obiit etiam Geloira, quæ cum ſorore ſua Vrraca & patribus Legione habuit ſepulturam.

Sed & ipſe ait ex quo Deus noluit *Æra 1117.* *Toletana litera erat Gothica: Gallica vt vterentur voluit Fernandus 3. cap. 25.*

De aduentu Arabum, & morte Auenabet. CAP. XXXI.

MORTVIS autem vxoribus quas habuerat ſucceſſiue, Agnete ſcilicet, Conſtantia, Berta, & Eliſabet, duxit * Ceidam filiam Auenabeth principis Hiſpalenſis, quæ poſtea baptizata dicta fuit Maria. Hæc auditis magnalibus Aldefonſi, licet non viſum, vehementi tamen deſiderio adamauit, adeo vt fidem Chriſti ſuſciperet, & caſtra quæ ſibi pater dederat, Regis Aldefonſi dominio manciparet. Caſtra autem quæ viro dedit, ſunt iſta, Caracuei, Alarcuris, Conſocra, Mora, Occania, Aurelia, * Veleſium Opta, Amaſſatrigo, & Cõcha. Et ſuſcepit ex ea filium qui Sancius vocabatur, quem Comiti Garſiæ de Capra dederat nutriendum. Et de conſilio ſoceri Auenabet vocauit ab Aphrica Almorauides, qui in gente Arabum tenebant tunc temporis principatum, vt eorum auxilio vteretur contra Arabes ciſmarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipſi in magna multitudine ciſfretaſſent, cœperunt Auenabeth grauius infeſtare adeo quod eum in quodam prælio peremerunt. reputabant enim eum quia filiam & caſtra Chriſtiano dederat, Chriſtianum. Cumque Vandalutii eorum potentiam perpendiſſent, adinuicem tractauerunt quid eſſet gratius, aut Chriſtianorum porcos, aut camelos Almorauidum cuſtodire, & ſectæ ſuæ zelo commoti ſeruire Almorauidibus elegerunt. Et ex tunc vltramarini & ciſmarini ſub vnius Regis regimine ſeruierunt.

Caidam. *Caramuei.* *Alarcuris.* *Vleſium, Amaſſa. Trigo.* *Conſecra.* *Mora.* *Ocania.* *Aurelia* *Veleſium.* *Opta* *Amaſſatrigo.* *Concha* *Vandalitii.*

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER SEPTIMVS.

De ſeparatione Regis Aragonum, & Reginæ Caſtellæ.

CAPVT PRIMVM.

Nauarrorum.
Almanazum. Almazanum. Belliforamen. Valeranica. Soria. Regni.
Oſca.
Caſtellare.

VERVM Rex Aragonum * Aldefonſus ſoceri ſui audito deceſſu, mox cum vxore ſua Vrraca in Caſtellam congregato exercitu properauit, & totam terram nullis fere reſiſtentibus, eo quod vxori eius ſucceſſione prouenerat, occupauit; quam vt bonus princeps quiete & pacifice ordinauit, & à * Maurorum incurſibus viriliter cuſtodiuit, & regnum Caſtellæ tanquam, proprium vndique dilatauit, & loca deſerta reſtituens ductis incolis populauit, videlicet Belliforamen, Valeranicam, Soriam, * Almazanan. Cumque de vxoris contubernio dubitaret, eo quod conſanguinea eius eſſet, munitiones plurimas* Regis Caſtellæ Caſtellanis omiſſis Aragonenſium fidei commendauit, quas eorum aliqui diu fideliter tenuerunt. Hęc autem erat conſanguinitas inter eos. Rex Sancius dictus Maior fuit pater Fernandi Regis Caſtellæ, & Ranimiri Aragoniæ primi Regis. Fernandus genuit Aldefonſum qui cepit Toletum. Aldefonſus genuit Vrracam Reginam. Ranimirus genuit Sancium qui Oſcam obſedit. Sancius autem genuit Aldefonſum qui duxit Vrracam. Verum Comes Petrus Aſſurii à Rege Aldefonſo qui cepit Toletum, Reginam Vrracam paruulam ſuſceperat nutriendam. Mortuo autem Rege poſt patris exequias Regina ingratitudinis ſpiritu incitata, terram abſtulit Comiti Petro Aſſurii. Sed Rex Aragonum vxoris ingratitudinem non acceptans reſtituit Comiti terram ſuam, & quia Regina in his & in aliis excedebat, Rex fecit eam in caſtro quod Caſtellare dicitur, collocari. Regina autem indignanter tolerans cuſtodiri, vocauit milites ex Caſtella, cum quibus ſuaſis cuſtodibus ſibi datis reditum obtinuit in Caſtellam. Sed magnates regni ab ea diuortium procuratum nullatenus approbantes variis tractatibus interpoſitis viri gratiæ reddiderunt. Sed tempore procedente cum Rex intellexiſſet à ſuis beneplacitis alienam, Soriam vſque eam duxit, ibique repudians dimiſit eam ſuæ arbitrio voluntatis, & ipſa ad Comitem Petrum Aſſurii properans ſuo conſilio ſe commiſit. Tunc celebrata curia terram petiit ab omnibus Caſtellanis, quam tamen à Rege Aragoniæ tunc tenebant. Sed vt fidelitatis debitum expoſcebat, terram quam tenebant, ei communiter reddiderunt. Cumque ſui ad eam ex omnibus regni partibus conuenirent indignatione maxima prouocati, eo quod Rex Aragonum eam repudiauerat, & in dominio patriæ Aragones præponebat, eiuſdem Regis dominium abiecerunt, & munitiones & caſtra omnia quæ tenebant, Reginæ naturali dominæ reddiderunt. Tunc Comes Petrus Aſſurii indutus ſcarlato, & inſidens equo albo, & portans funem in manu acceſſit perſonaliter ad Regem Aragonum in caſtro quod dicitur Caſtellare, cui manu & ore hominium fecerat pro terra quam ab eo acceperat in honorem, in plena curia ſic proponens: Terram quam mihi dediſtis, Reginæ reſtitui cuius erat, meæ dominæ naturali. Manus autem, os, & corpus quæ fecerunt hominium, vobis offero morte vel diſpendio conſumenda. Tunc Rex cum eſſet aliquantulum iracundus, voluit in continenti ſententialiter condemnare, ſed ſuaſus à ſuis ſententiam diſtulit promulgare. In craſtino autem magnates ſui in conſilio ſuaſerunt, vt tali principi qui fidelitatem naturali dominæ ſic ſeruauerat, & ei corpus & membra ad diſpendium offerebat, liberaliter indulgeret. fidelitatem enim vtrique domino obſeruarat, pro vt dominii debitum expoſcebat. Et inſontem remiſit cum muneribus & honore, cuius factum Hiſpani adhuc hodie imitantur.

Caſtellare. Sup lib. 6. c. 25. & inf. cap. 7.

Victoria Aragonenſis Gomicionis. V.C.

De victoriis Regis Aragoniæ contra Gallecos, & Caſtellanos, & morte Comitis * Gomitii.*

CAP. II.

Intentarunt. *Intemptarunt.*

CASTELLANI autem confeſtim caſtra & oppida * intermutarunt, & ſic regnum in diſcidio conſtitutum ab vtraq; parte grauiter vexabatur. Interea Comes Gomitius ad Reginæ,

Digitized by Google

Reginæ connubium anhelabat, ſicut patris tempore (vt prædiximus) à magnatibus fuerat pertractatum. Sed Regina Vrraca clanculo, non legitime, Comiti Gomitio ſatisfecit. Vnde & Comes quaſi de matrimonio iam ſecurus, cœpit agere bella regni, & pro viribus Aragones propulſare, & genuit ex Regina filium furtiue, qui dictus fuit Fernandus Furatus. Interim autem quidam Comes Petrus de Lara reginæ gratiam clandeſtine * procabatur. Quod voluit, impetrauit, vt exitus comprobauit. Cumque regnum diſcidio & cladibus vexaretur, Aldefonſus Rex Aragonum, qui adhuc munitiora loca in Caſtellæ terminis detinebat, exercitu congregato Caſtellæ fines inuaſit, & Caſtellani omnes cum Gomitio Comite congregati ei communiter occurrerunt. Cumque vtrique in Campo ſpinæ prope Septem publicam conueniſſent, Caſtellani ſuas acies ordinarunt: primam aciem cum regni vexillo Petro de Lara Comiti conceſſerunt: in poſtrema vero fuit Comes Gomitius tanquam maior. Et cum exercitus congredi incepiſſent, Comes Petrus qui ad Reginæ connubium anhelabat, in primis ictibus vexillo proiecto ceſſit hoſtibus ſine pugna, & venit Burgis, vbi Regina tunc temporis morabatur. Comes autem Gomitius cum cæteris Caſtellanis bello inſtitit ſtrenue præliando, ſed præualente Rege Aragoniæ victus occubuit & occiſus. Sed & miles quidam de domo Oleæ qui vexillum Comitis in ſua acie præferebat, occiſo equo ad terram cecidit, & amputatis manibus ſolis brachiis vexillum tenens non ceſſabat, * Oleam, Oleam fortiter inclamare. Fugit ergo exercitus Caſtellanus, multis ex eis cædibus detruncatis, & Caſtella nuper inclyta * pro vili commercio proſternitur derelicta. Aragonenſes autem de Caſtellæ victoria eleuati, Doriam tranſeuntes per campos Gotthicos adeunt Legionem, intermedia irruptionibus & incendiis deuaſtantes, & licet inclyti eſſent prædis, tamen cœperunt defectu pecuniæ ſtipendia minorari. Vnde & Rex Aragonum ad ſanctuaria miſit manum, & theſauros auri, & argēti, & precioſorum lapidum quos Regum & Reginarum deuotio dedicauerat, manu ſacrilega vſurpauit, & etiam poſſeſſiones oblatas à Regibus infiſcauit. Vnde erga Deum & homines ceſſit ei in ſcandalum & peccatum. ſperabat enim ſe regna vxoris perpetuo habiturum. Cumque vlterius proceſſiſſet, Galleci & Legionenſes cum infante Aldefonſo, qui (vt diximus) in Gallecia conſiſtebat. Regi Aragonum occurrerunt inter Aſtoricam & Legionem, in loco qui dicitur Via anguis, & commiſſo prælio fugatis Legionenſibus & Gallecis, & cæſis pluribus ex vtriſque, Rex Aragonum fuit victor, & per partes Caſtellæ rediens fautores Petri Comitis deuaſtauit, & eos perſequens in Montione prope Palentiam coarctauit, vbi fugientes ſe receperant cum Regina, & ex eis aliquos ibi cepit: & ſic in Aragoniam rediit triumpho duplici coronatus. Petrus autem Comes de Lara cum familiare commercium cum Regina indebite propalaret, ſperans illud matrimonio confirmare omnibus præminebat, & cœpit regis officium exercere, & quaſi dominus omnibus imperitare, ſed magnates alii infamiam dominæ non ferentes, cœperunt ei reſiſtere, & matrimonii propoſitum impedire.

procurabat.
Septem publica.
Campus ſpinæ.
Burgis.
Olea.
Olea, Olea.
Vici diſpendio.
Doria.
Campi Gothici.

De electione Aldefonſi Regis in Regem. CAP. III.

De concordia Regis Aragonenſis & regis Aldefonſi & morte Regis Aragonum.

VERVM timentes ne res ad effectum caſu aliquo perueniret, * Gometho de Maceneto & Guterrius Fernandi de Caſtro præ omnibus inſtiterunt, vt Aldefonſum Reginæ filium & Comitis Raimundi, quem à tempore aui in Gallecia nutriebāt, ad regni faſtigium euocarent. Qui fauore omnium euocatus, in regni ſolio collocatur, reſiſtente nihilominus ſibi matre, & Comite Petro de Lara, ſed adiutus à ſuis Comitē Petrum de Lara à regno expulit, & expulſus ad aſylum Comitis * Barcinonæ abiit deſtitutus. Rex autē matrē ſuam Reginam Vrracam obſedit in turribus Legionis, ſed pace inter matrem & filium procurata, retentis quæ Regina voluit, cætera filio reſignauit, & inteſtinis diſcidiis iam ſedatis cœpit Rex, quamuis iuuenis, potentiam Aragonum attentare, qui adhuc in regno ſuo potiora loca ſub poteſtatis ſuæ dominio detentabant. Cumque ex Gallecia, Legione, Aſturiis, & Caſtella exercitum congregaſſet, Rex Aragonum ex aduerſo per partes Anagari cum ſuo exercitu veniebat. Videntes autem Epiſcopi & Abbates Caſtellæ & Aragoniæ quod iſta diſſenſio poſſet Arabibus viam dare, ſicut tempore Roderici, vtrique Regi humiliter ſupplicarunt, vt à prælio abſtinerent, donec de concordia tractaretur. Demum cum eſſet iunior Rex Aldefonſus, fuit taliter procuratum, vt ſupplicaret per Epiſcopos & Abbates Regi Aragonum tanquam patri, vt ſibi reſtitueret regnum ſuum, & cum de iure non poſſet, nollet eum de facto priuare, quia ipſe paratus erat, tanquam filius, eum in omnibus adiuuare. Et Rex Aragonum his auditis, cum eſſet vir pius & optimus, ſic reſpondit: Gratias ago Deo vero qui filio meo tale conſilium inſpirauit, quia & ſi antea hoc feciſſet, me nun-

V. C. Gometus de Machymeto Gomethus Maceneto Caſtro.
Barchinonia. V. C.
Anagarum.

Legionum. Hactenus Vaſæi Chronicon.

De vnione regnorum Caſtellæ & Legionis, & de filiis Regis Fernandi.* CAPVT IX.

Æra 1054.

POST hæc autem æra M.LIIII. cum regnum Legionis ad Regem Fernandum ratione vxoris ſuæ Sanciæ pertineret (non enim alius hæres ſupererat) cõgregato exercitu Rex Fernandus impetiuit Legionem. Et quamuis propter Veremundi mortem, cœpiſſent indigne aliquantulum rebellare, tamen de facili obtinuit ciuitatem, eo quod nondum erat poſt deſtructionem Arabum firmiter reparata. Et ingrediens Legionem in Regem ab omnibus eſt receptus, & regali diademate decimo Kalendas Iulii à venerabili *Seruando Legionenſi Epiſcopo inſignitus, & regnauit annis XL. menſibus VI. & ſic regnorum ſchiſmata quieuerunt. Confirmauit etiam leges Gothicas, & alias addidit quæ ſpectabant ad regimen populorum. Hic Rex Fernandus vir bonus, & iuſtus, ac timens Deum, & ſtrenuus in agendis, ex prædicta Sancia Veremundi ſorore genuit Vrracam primogenitam, ornatam moribus & decore, antequam regni faſtigium obtineret. Poſtea genuit Sancium, poſtea Geloiram, poſtea Aldefonſum, poſtea Garſiam. Hos filios fecit inſtrui liberalibus diſciplinis adultos vero militaribus ſtudiis aſſuetos, incurſiones & prælia indidit frequentare, filias autem in deuotione erudiri præcepit & ſtudiis fœminarum.

**Synandi.*

De diſcordia fratrum, & morte Regis Garſiæ. CAPVT X.

SVCCEDENTIBVS autem proſperis Fernando, frater eius Garſias Rex Nauarrorum cum eſſet magnanimus, & ſuperioris impatiens, de fratris ſucceſſibus torquebatur, cumque eum contigiſſet apud Anagarum ægrotare, & Rex Fernandus veniſſet ad eum gratia viſitandi, inique cogitans Rex Garſias eum propoſuit retinere. Sed cum conſilium patuiſſet, Rex Fernandus Dei gratia liberatus exiuit oppidum, & ad propria remeauit. Paucis autem diebus interpoſitis Regem Fernandum accidit infirmari. Cumque ad viſitandum Rex Garſias modo ſimili aduenifſet, vt ſcelus præteritum expiaret, quod in innoxium cogitauit, ipſe noxius eſt perpeſſus, & captus a Rege Fernando cuſtodiendus Ceiæ deputatur. Sed paucis diebus elapſis, promiſſione ſuaſis cuſtodibus, ſoluitur, & ſuæ patriæ reſtitutus cœpit vindictam totis viribus procurare, & congregato exercitu tam ſuorum, quam Ruchonum, Vaſconum & Maurorum, ad fratris iniuriam properauit. Cumque poſt tranſitum montis Aucæ conſediſſet in loco qui dicitur Ataporca, Rex Fernandus veniens ex aduerſo, per legatos pacem humiliter poſtulauit, vt contenti ſuis pace perpetua lætarentur. Quod Rex Garſias renuens, nuncios comminando grauia in * honoros ad ſe miſit. Cumque iam belli periculum immineret, magnates & milites regni ſui ad ipſum cõmuniter acceſſerunt humiliter ſupplicantes, vt eis & ablata reſtitueret, & leges patrias cõfirmaret. Cum enim præcelleret ſtrenuitate corporis, & viriũ magnitudine ſuper omnes, adeo vt omnibus præmineret, crudeli ſuperbia graſſabatur, & poſſeſſiones militum inſiſcabat, & iura patria immutabat. Ipſe autem ſolis viribus autumans præualere, petitiones militum refutauit, ne videretur annuere ex timore. Tunc duo milites quorum bona proſcripſerat, naturale debitum abnegantes ſe in aduerſarium trãſtulerunt. Ad hoc Nutritius eius qui eum ab infantia nutrierat vir prudens, & bonus, ſtrenuus, & fidelis, ſinceris lachrymis conſulebat, vt & petitis annueret & ſibi ſuorum animos complanaret. Rex vero animo induratus, neutris ſatisfecit. Tunc ille Nutritius inquit: Intelligo quod hodie victus & inglorius morieris, ſed ego præmoriar, ne te videam morientem quem tanto ſtudio enutriui. Cumq; ſe exercitus circumſpicerent, & ad certamen vndique properarent, ille Nutritius depoſitis clypeo, & galea, & lorica, pannis duntaxat vſualibus circumtectus, ſola lancea & gladio comitatus, morti in prima acie ſe obiecit, ne alumni & gentis excidii eſſet teſtis. Cũque mutuis cædibus hinc inde exercitus ſe impeterẽt, cœpit præualere exercitus Caſtellanus eo quod numero & potentia excedebat, & Rex Garſias, ſuorum animos non habebat. Tũc quidam milites qui fuerant ex familia Veremundi, & noctu collem qui Nauarrorum exercitui imminebat, clanculo occuparant, Regis Garſiæ acies cum duobus militibus qui ab eo receſſerant, impetu irrumpentes, ad regis aciem peruenerunt, & alter militum qui ab eo receſſerat, dicitur eum lancea perfodiſſe. ex quo ictu in terram cecidit Rex Garſias, & duo magnates qui cum eo aderãt, inibi ceciderunt. Cumque Rex Fernandus fratre occiſo & fugato exercitu, de victoria lætaretur, pietatis non immemor præcepit ſuis ne fugientes læderent Chriſtianos tamen Sarraceni qui aderant, pro maiori parte captiuitate & gladio perierũt. Tũc Rex Fernãdus præcepit corpus Regis Garſiæ honorifice Anagarũ deportari & in monaſterio S. Mariæ quod ipſe cõſtruxerat, & donariis plurimis adornauerat, ſepeliri.

Anagarum.

Ceya. Ceia. V.C.

Aucæ montes.

** in honores à ſe.*

Nutritii fides.

De mo-

De monarchia Regis Fernandi, & de acquiſitione Portugalliæ, & diuiſione regnorum.

CAPVT XI.

IGITVR Rex Fernandus non minus de Dei gratia quam de victoria glorioſus, regnum fratris obtinuit ſine mora, factus monarchus Hiſpaniæ vlterioris, ſcilicet Galleciæ, Aſturiarum, Legionis, & Caſtellæ, Anagari, & Iberi. Terra autẽ Nauarræ inter Iberum & Pyrenæum remanſit Sancio filio Regis Garſiæ, qui fuit occiſus in Penna leni, & Aragonia cum Ripagurtia Ranimiro. * Cumq; in tranquillitate ſecura gauderet, congregato exercitu proceſſit, vt Portugalliam & Luſitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant. Et primo ingreſſu cæſis pluribus cepit Senam, eo pacto vt incolæ remanerent, & eſſent ſubditi ſub tributo. Inde * Viſeum veniẽs obſedit eam, ſed quia ciuitas multis ſagittariis abũdabat, Rex exploratis ingreſſibus ciuitatis præcepit vrbis ianuas ab armatis & fortibus obſeruari, & propter ſagittarum inſtantiam præcepit aſſeres clypeis ſuperponi, ne impugnantes à ſagittariis læderentur, & duplex lignũ ſagittarum impetus hebetaret. Cumque ciuitatem fortiter & continue impugnaret Viſeorum, coactam obtinuit, & habitatoribus captiuatis & interfectis, diripientibus dedit manus, repertuſque fuit ille ſagittarius qui in alia obſidione ſocerum ſuum interfecerat Aldephõſum, eumque captum fecit Rex oculis, & manibus, & pede altero mutilari. Indeque procedẽs peruenit Lamecum, & quãuis ciuitas loci difficultate inexpugnabilis videretur, tamen caſtris ligneis & diuerſis machinis coarctata in contenti capitur, incolis & opibus occupatis, & partem habitantium interfecit, partem ad reſarciendas eccleſias diruptas reſeruauit. His itaque munitionibus occupatis propoſuit Coimbriam maiorem illius patriæ ciuitatem cum Dei adiutorio impugnare, & ad petendum cæleſte ſubſidium eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & implorato per triduum diuinæ auxilio maieſtatis, beati Apoſtoli oraculo confortatus contra Coimbriam exercitum congregauit. vbi fixis tentoriis circumquaque machinas & caſtra lignea eleuauit. Sed quia ciuitas fortitudine & magnitudine præminebat, obſidionem contigit diutius protelari. Erant autem ſub Arabum poteſtate monachi religioſi in loco arcto, qui Loruanum adhuc hodie appellatur. Hi laboribus manuum inſiſtentes, theſauros frumenti ordei, & milii, & ſiliginis ignorantibus Arabibus conſeruarant, hæc omnia proprio victui ſubtrahentes. Verum quia protracta obſidio victualibus indigebat, de receſſu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi occurrunt, & quæ a longis temporibus conſeruarant Regi & obſidioni liberaliter obtulerunt. Et his victualibus exercitus confortatus longanimis eſt effectus, & cibis refocillati impugnationi vrbis de die in diem virilius inſtiterunt donec obſeſſi fame & pugna coacti elanguidis animis marcuerunt. Verum Chriſtianis viriliter inſiſtentibus, & machinis vndique quaſſantibus, auxilio Dei & beati Iacobi interuentu murus irrumpitur ciuitatis. Quo viſo Arabes conſternati ciuitatem & opes Fernãdo principi obtulerunt, pro vita tantummodo ſupplicantes, quod Regis clementia acceptauit, & die Dominica hora tertia inuicto principi ciuitatis dominium reddiderunt. Eo tempore fertur vir Græculus ex Hieroſolyma cauſa peregrinationis ad eccleſiam ſancti Iacobi aduenisſe, qui in deuotione pernoctans audiuit indigenas enarrare, vt militem in Chriſtianorum præliis apparere, ſed ipſe licet deuotus Apoſtolo prædicabat non militem ſed piſcatorem, cumque in tali pertinacia permaneret, reuelatione diuina meruit intueri equum ſplendore conſpicuum Apoſtolo præſentatum, & armorum inſignibus decoratum obſidentibus Coimbriam ſubuenire. Et peregrinus de quo diximus, viſione huius certus factus, & diem, & horam captionis Coimbriæ in eccleſia Apoſtoli publice prædicauit, & ſicut ipſe prædixit, ſic poſtea rei veritas patefecit, & ſic remanſit terra citra Mondaicum fluuium Chriſtianæ fidei acquiſita. Commiſit autem cuſtodiam illius patriæ Siſenando, qui olim exul adhæſerat Abenadab Regi Agarenorum, & ſuæ merito probitatis fuit in eius oculis gratioſus, qui bella & vaſtationes exercuit contra Chriſticolas Luſitaniam & Portugalliam habitantes, iam nunc reconciliatus principi Ferdinando fuit reſtitutus gratiæ & honori. Rex vero Ferdinandus pro triumpho gratias agens eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & oblatis donariis ad propria eſt reuerſus, & cœpit bonis actibus abundare, & toto tempore vitæ ſuæ ab infeſtationibus Arabum non ceſſauit, Et timens ne poſt mortem eius de regno filii decertarent, ipſe viuens regnum diuiſit, & dedit Sancio primogenito à flumine Piſorica Caſtellam, Anagarum, & Iberũ: & dedit Aldefonſo Legionem, Aſturias & Tranſineram vſque ad flumen quod dicitur Oue, Aſtoricam, & partem camporum qui Gotthici nuncupantur, & Berizom vſque in Villam in monte qui dicitur * Ezebredus dedit Vrracæ & Geloiræ filiabus Zemoram & Taurum: Garſiæ dedit Galleciam cum ea parte quæ dicitur * Portugale.

Anagarum.
Cumq; tranquilla ſecuritate V. C. & in Penaleon Ripagurtia.
Sena.
Viſeum.
Lamecum.
Coimbria.
Loruanum.
D. Iacobus, vt miles.
B. Iacobum ſa.
Mondaicum.
Piſorica.
Caſtilia.
Anagarum.
Tranſmera.
Ezebrecam.
Oue.
Berizum.
Ezebredum.
Portulace.

De vaſtatione regni Toleti, & de tranſlatione reliquiarum in regnum ſuum.

CAPVT XIII.

POST hæc apud Legionem curia celebrata, direxit acies contra Mauros, & quædam caſtra Chriſtianis infeſta victrici gloria ſubiugauit, videlicet Gormatium, Vadum Regis, Aquilariam, Valericanam (quæ nunc Berlanga dicitur) Ripam ſancti Iuſti, ſanctam Emerentianam, Gormicis: & turres multas ſpeculatorum (quas nūc diximus Atalaias) per quas Chriſtianorum introitus nudabatur, in valle * Borgecorrexi, & in loco qui nunc dicitur Caracena, vſque ad Medinam Cæli ſolo diruptas adæquauit. Inde ad loca Cantabriæ properans, expulſis Mauris, montana Aucæ & *Ioniæ ſuæ ſubdidit ditioni. Inde firmans propoſitum verſus Toletum, Talamanticam, Guadalfaiariam, Alcala, Maieritum, cætera loca dominii Toletani ſic cæde & incendio deuaſtauit, vt Rex Toleti ſuorum clamoribus concitatus & munera dedit, & iuramento promiſit tributa annis ſingulis ſe daturum. Poſtea adeo Regem Hiſpalis infeſtauit, vt corpus beati Iſidori permitteret inde leuari, quod à duobus epiſcopis, Aluito Legionenſi, & Ordonio Aſtoricenſi, multis miraculis coruſcantibus tranſlatum eſt ab Hiſpali Legionem. Aliqui dicunt corpus beatæ Iuſtę cum corpore beati Iſidori tunc tranſlatum. Sed quia noſtris temporibus corpora ſanctarū Iuſtæ & Ruffinæ reuelatione oſtenſa per Petrum Fernandi nobilem principem ſunt tranſlata ad regale monaſterium prope Burgis, ego nolo. ſed diffiniat, qui præſumit. Verum Rex Fernādus eccleſiam honorificam fecit conſtrui, & in honore eiuſdem ſancti Iſidori dedicari, quam auro, & argento, & lapidibus precioſis, & cortinis ſericis decorauit, & eandem eccleſiam veſpere, & mane, nocturniſque horis, & ſacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdū etiā vices cātoris explebat. Cumq; ſepulturā in monaſterio S. Facūdi aut S. Petri de Aſlantia eligere decreuiſſet, vxoris ſuę Reginę Sanciæ precib. inclinatus Legione in eccleſia quā cōſtruxerat, elegit ſibi, & cōiugi, & ſucceſſoribus ſepulturas, & etiam ab vxore ſuaſus Regem Sancium patrem ſuum à monaſterio Ouetenſi ad eandem tranſtulit ſepulturam. Ad inſtantiam etiam Legionenſium Zemoram nobilem ciuitatem, quam Almanzor olim diruerat, reparauit. Poſtea cum ciuitas Abulenſis longis temporibus diruta remanſiſſet, Rex Fernandus ab ea corpora ſanctorum martyrum Vincentii, Sabinæ, & * Chriſtetæ dicitur tranſtuliſſe. Sed quia aliqui dicunt ea eſſe Abulæ, alii in monaſterio ſancti Petri de Aslantia, alii corpus ſancti Vincentii Legione, alii corpus * Chriſtetæ Palentię dubium pro certo aſſerere nō præſumo. Conſtituit etiam vt in toto regno Legionenſi leges Gotthicæ ſeruarentur.

Gormatium. Vadum Regis. Aquilaria. Borgecorri. S Emerentiana. Gormicis. Borgecorrexi. Caracena. Onia. Medina Cæli. Auca. Ionia. Toletum. Talamantica. Guadalfaiara. Alcala. Maieritum. Burgis. ſic V. C S. Maieritum vero. D. Iſidori corpus Hiſpali. Legionem tráſlatum. Iuſta & Ruffina corpora vbi controuerſum. Ouienſ. V. C. recte. Idem error inf. cap. 6. in fine. Zamora. Abulenſis. Vincentii, Sabinæ & Chriſteta tráſlatio. V. C. xpēta.

De religioſis actibus Regis Fernandi, & morte eius & vxoris illius.

CAPVT XIIII.

HIc itaque Rex Fernandus iam ſenectute confectus vitam ſuā bonis operibus & Deo placitis dedicauit. Eccleſias regni ſui, & præcipue ſancti Iacobi, ſancti Saluatoris, ſancti Iſidori, & cathedralem eccleſiam Legionis poſſeſſionibus & donariis inclytauit, monaſteriorum etiam indigentiam de ſuis facultatibus ſubleuabat. Cum vero quadam die in cathedrali eccleſia Legionis audiret diuina, vidit miniſtros eccleſiæ cauſa familiaris inopiæ nudis pedibus miniſtrare, & ſtatim certos reditus ad calceamenta inſtituit miniſtrorum. Cæterum cum ad ſancti Facundi monaſterium veniebat, cibis eorum contentus, pari ordine & conſortio, quaſi vnus ex eis & diuinis officiis inſiſtebat, & cibariis regularibus vtebatur. Cumq; oblatum vas vitreum de manu Abbatis ad mēſam reſidēs ſuſcepiſſet, vas decidēs de manu Regis ilico fractū fuit. Rex vero pro negligentia valde pœnitens incontinēti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri, & Abbati offerens pro vitreo ſatisfecit. Obtulit inſuper Cluniacenſi monaſterio de regio fiſco mille aureos annuatim perpetuo ſoluendos. Nec minus eo regina Sancia vxor eius bonis & piis operibus abundabat, & in regimine, & bellorum diſcrimine eius ſolertia vtilis & ſedula apparebat. Cumque Regi Fernando Arabes Celtiberiæ & Carpetaniæ tributa negarēt, ipſe Rex cum exercitu eos aggrediens, & vaſtationibus infeſtauit, & priſtinæ reſtituit ſeruituti. Sed iam vitæ ſibi termino imminente apparuit ei beatus Iſidorus, & diem *ſui obitus intimauit, & cum cœpiſſet poſt modicum infirmari, fecit ſe Legionē abduci, & nono Kalendas Ianuarii die Sabbati ingreſſus eſt ciuitatē, & ex more corpora ſanctorum flexis genibus adorauit petens & ſupplicans, vt cum dies obitus iam inſtaret, anima eius ab Angelis duceretur. In ipſa aūt nocte dominicæ natiuitatis licet æger, ipſe Rex cum clericis interfuit matutinis concinens, vt infirmitas tolerabat, & obſeruabatur ibi tunc temporis officium. Toletanum Facto autem die vocatis Epiſcopis fecit ſibi miſſam ſolenniter celebrari,

S. Facundus. Cluniacenſis. Celtiberia. Carpetania. obitus. Officium Toletanum ſiue Iſidorianum hodie MoZarabe: de quo inf. 26. cap.

beari,& percepit corporis & ſanguinis Domini ſacramentum. In caſtrino autem vocatis Epiſcopis,& Abbatibus,& viris religioſis vna cum eis fecit ad eccleſiam ſe deferri,& impoſito capiti diademate,& indutus regalibus indumentis,coram ſarcophago ſancti Iſidori clamauit ad Dominum voce clara: *Tua eſt potentia, tuum eſt regnum Domine, tu es ſuper omnes Reges,tuo imperio omnia ſunt ſubiecta,quod te donante accepi,reſtituo tibi regnum,tantum animam meam in æterna luce iubeas collocari.* Et his dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat,& recepta ab Epiſcopis pœnitentia & gratia vltimæ vnctionis, indutus cilicio,& conſperſus cinere duobus diebus in pœnitentia atque lachrymis ſuperuixit. Tertia autem feria hora ſexta in feſto S. Ioannis Euangeliſtæ plenus dierum reddidit Deo ſpiritum immaculatum, & iuxta patrem ſuum in eadem eccleſia ſancti Iſidori eſt ſepultus. Regnauerat autẽ viuente patre annis XII. In Caſtella mortuo patre annos XII. In Caſtella & Legione annis XVI. In vniuerſo annis XL. menſibus VI. diebus * II. Regina autem Sancia vxor eius ſuperuixit II. annis,& obiit ſexto Idus Nouembris, & ſepulta eſt iuxta eum.

duodecim.

De diſcordia fratrum,& qualiter vicit Sancius Aldephonſum.

CAP. XV.

POST mortem itaque Regis optimi Fernandi tres filii eius & duę filiæ remanſerũt, Sancius, Aldefonſus, Garſias, Vrraca,& Geloira. Sed licet ipſe regnũ filiis diuiſiſſet,& partem ſuam vnicuique aſſignauiſſet, quia omnis poteſtas impatiẽs eſt conſortis,& quia * Reges Hiſpaniæ à feroci Gotthorum ſanguine contraxerunt, ne maiores aliquem velint parẽ nec minores ſuperiorem, ſæpius inter Gotthos regalia funera fraterno ſanguine maduerunt. Rex itaque Sancius Caſtellæ & Nauarræ finibus non contentus, inhumanitatis Gotthicæ ſucceſſor & hæres,& ſanguinem fratrum ſitire,& ad eorum regna cœpit cupidus anhelare, vt nihil fratribus vel ſororibus de iis quæ pater dederat, remaneret, ſed ſolus totũ ambitioſus haberet. Vnde contigit & cædes varias prouenire,& ſanguinem innoxium ſæpe fundi. Pater vero eorum attendens filii Aldefonſi plus quam cæterorum modeſtiam, Vrracam & Geloiram filias * commendarat. Cum eſſet vero Vrraca ſolers & prouida, Aldefonſus ei tanquam matri in omnibus deferebat,& eius conſilio ſe regebat.

Lucani.
commendauit.

De pugna fratrum,& tranſitu Aldefonſi ad Regem Toleti.

CAPVT XVI.

SANCIVS vero qui erat primogenitus, cœpit regnare æra milleſima nõgenteſima quinta,& ſex annis regnauit. Hic regna fratrum ſibi voluit vindicare,& primo incurſu cœpit Aldefonſum qui erat medius, infeſtare. Dum autem Rex Sancius contra fratrem exercitum congregaſſet, ille veniens ex aduerſo occurſu oppoſito ſe obiecit,& in loco qui * Plantaca dicitur, ſunt congreſſi,& Domino diſponente, qui Sancium extollebat, vt lapſu rueret grauiori, Rex Sancius fugauit fratrem & exercitum Legionis,& de vtroque exercitu plurimi ceciderunt,& quod Arabes conſueuerant ſuſtinere, fraterno gladio in ſe verſo, Chriſtiani miſeri pertulerunt, victuſque in prælio Aldefonſus abiit Legionem. Iterum autem diem conſtituunt ad pugnandum tali pacto, vt victus victori regnum cederet ſine pũgna. Cumque in loco qui Vulpecularia dicitur, conueniſſent iuxta ripam fluminis Carrionis, ex vtraque parte pluribus bello cæſis, demum Rex Sancius fuit victus,& cum fugæ dubiæ ſe dediſſet, Rex Aldefonſus volens parcere Chriſtianis, præcepit vt nullus pręſumeret perſequi fugientes. Erat autem cum Rege Sancio miles ſtrenuus dictus Rodericus Didaci Campiator. Hic regem ſuum deuictum animans perſuaſit, vt quoad poſſet fugientem exercitum reuocaret,& in aurora Legionenſibus & Gallecis improuidis adueniret. Gens enim illa conſueuit in proſperis ſe iactare,& alios deridere, in aduerſis fortiter comminari. Vnde nocturnis confabulationibus fatigati circa mane fortius dormierunt,& irruente exercitu Regis Sancii ſunt præuenti,& multis captis, aliiſque cæſis, cęteriſque fugatis [Rex etiã Aldefonſus capitur in eccleſia beatæ] Virginis quæ eſt in præſidio Carrionis,& Burgis ducitur captiuatus. Tandem procurante Petro Aſſurii Comite cum conſilio Vrracæ ſororis ea conditione educitur, vt in monaſterio ſanctorum Facundi & Primitiui monachali habitu veſtiretur. Cumque hoc totum Rex Sancius acceptaſſet, Rex Aldefonſus non propoſito, ſed timore ſumpſit habitum monachalem. Verum procurato conſilio cum Petro Aſſurii Comite fugit noctu,& Toletum veniens ab * Almenone Rege inibi dominante ſolenniter eſt receptus,& multis muneribus honoratus. Et rex Toleti interpoſito iuramẽto ſecuritatis ſibi præſtitit cautionem,& in ipſo atrio regio domos & manſionem congruam fabricauit, vt Rex Aldefonſus extra ſtrepitum ciuitatis cum ſuis Chriſtianis commodius habitaret,& iuxta regale viridarium, vt recreationem reciperet quando vellet. Erant

Æra 1905.
Plantata.
Plantaca.
Vulpecularia.
infr. cap. 19.
Ob hoc ſcelus vita & regno eſt priuatus.
Vrbs Almenoni.
Almenon. nisi vocatur.

autē cum eo tres fratres viri nobiles & fideles, videlicet Petrus Aſſurii, Gundiſaluus Aſſurii & Fernandus Aſſurii, quos Vrraca Regina fratris ſui Regis Aldefonſi cuſtodiæ & conſilio deputarat. Et Almenon in eo gratias tot inuenit, quod eum quaſi filium diligebat. Ipſe vero pro Almenone contra vicinos Reges Arabum bella * vtiliter exercebat, & pacis tempore per montana & ripas fluminum venationibus intendebat.

Vtiliter.

De venationibus & prognoſticis Aldefonſi. CAPVT XVII.

Teuiniæ *Brioca.*

VERVM tunc temporis inter condenſa arborum & in humore fontium ripa Teuiniæ vrſis, & apris, & aliis beſtiis abundabat, & ipſe aſcendens per alueum, locum ſibi placidum qui nunc Brioca dicitur, adinuenit. Cumque ſibi Caſtellum, & loci amœnitas, & venationis copia placuiſſet, reuerſus Toletum a Rege poſtulans impetrauit, & collocatis ibi montariis, & venatoribus Chriſtianis, remāſit locus ſuæ ſubditus ditioni, & pauculos Chriſtianos gnaros venandi & officii ſagittandi ibi accolas collocauit, quorū ſucceſſio ibi manſit vſque ad tempora Ioannis tertii Archiepiſcopi Toletani, qui locum ipſum habitatorib. ampliauit, & vicum parochiæ ſancti Petri, quaſi ſuburbium, populauit. Quadam autem die cum Almenone deſcendit in viridarium gratia ſpaciandi, & cum eis turba Arabum circūſedit, & proſpiciens cominus ciuitatem, cœpit altius cogitare qualiter poſſet tanta ciuitas reſtitui Chriſtianis. Verum cum conſeſſu * diuino fatigati per viridarium ambularent, Rex Aldefonſus ſub vna arbore decubuit recreandus, & eo ſomnium ſimulante, Rex Almenō cum ſuis Arabibus loquebatur, ſi poſſet tam fortis ciuitas virtute aliqua expugnari. Cui quiſpiam ſic reſpondit: Si per ſeptem annos huic vrbi fruges & vindemiæ auferrentur, deficientibus victualibus poſſet capi. Quod Aldefonſus audiens corde intimo conſeruauit. Iterum quadam die cum Aldefonſus iuxta Almenonem cauſa ſolatii conſideret, cœperunt erigi capilli verticis Aldefonſi. Et Almenon cœpit comprimere manu ſua, ſed capilli tanto amplius cœperunt erigi, quanto amplius premebantur. Et ſapientes Arabum hoc notantes, ſuaſerunt Regi, vt interficeret Aldefonſum, quia prognoſticum hoc ſignabat ipſum ad vrbis dominium eleuandum. Almenon vero noluit fœdus promiſſæ fidei violare, ſed iurare petiit, ne eo viuente ſui regni terminos infeſtaret, & Rex Aldefonſus ſpontaneus Almenoni hoc iurauit. Eo itaque Toleti degēte, Vrraca Regina præſenſit quod Rex Sancius frater eius intendebat eam iis quæ pater ſibi dederat, ſpoliare. Zemorenſes vero Regis Aldefonſi exilium æquanimiter non ferentes, Arriam Gundiſalui virum nobilem & potentem, qui Vrracam Reginam nutrierat, in principem elegerunt, vt eo duce reſiſterent Caſtellanis.

domino.

[illegible]

Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupauit. CAP. XVIII.

SED Rex Sancius ex Caſtellæ & Nauarræ partibus exercitu congregato Legionem aduenit, & eam, licet modicum infeſtatam, vt victor inuaſit, & cætera quæ Regis Aldefonſi fuerant ditionis, & ſibi trium regnorum impoſuit diadema. Et cum Rex Sancius circa huiuſmodi moraretur, Rex Garſias in ſuos tyrannide graſſabatur, & vilis ab omnibus, & à ſuis etiam habebatur, & contra fratrem bella, licet ſegniter, intentabat. Habebat autem quendam Vernulam cauſa familiaris ſecreti plus debito ſibi charum, cuius delationibus cōtra milites & barones aures credulas adhibebat, & licet ſæpius ſupplicaſſent, vt à ſe prædictum Vernulam remoueret, diſceſſum eius nullatenus voluit ſuſtinere. Et ipſi reputātes dedecus & iacturam, quia eius delationibus lædebantur, delatorem in eius præſentia occiderunt. In cuius morte ſe læſum reputans, & confuſum illatum dedecus ſæpe obiiciens, omnes ſuos cœpit affligere indiſtincte, diſtricte comminans ſe indignationi ſuæ nullū terminum poſiturum. Sui autem minarum pericula paueſcentes, & illatum dedecus recolentes, ab eius dominio, prout poterant, diſcedebant. Occupatis vero Legione & Aſturiis, Rex Sancius vultum verſus Galleciam obfirmauit. Gallecis autem turbatione, quam diximus, in vota diuiſis, Rex Sancius de facili obtinuit quod optabat. Interim autem Rex Garſias aſſumptis ſecum trecentis militibus iuit ad Agarenos, & niſus eſt ſuadere, vt ſecum contra fratrem ſuum exercitum deſtinarent, regnum fratris & ſuum eis pollicens ſe daturum. Cui taliter reſponderunt: Cum Rex eſſes, regnum tibi ſeruare minime potuiſti: quomodo ergo perditum nobis dabis? Honoratum tamen muneribus, ſed deſpectum ad Chriſtianorum patriam remiſerūt qui duplici confuſione contritus cœpit prouincias infeſtare, & in Portugallia ſe receptans loca plurima occupauit. Cui occurrens Rex Sancius frater eius in loco qui ſancta Irenæa dicitur, ambo fraternas acies ordinarunt, & inito prælio, victus Garſias regno perdito captiuatur, & apud Lunam vinculis & cuſtodiæ mancipatur.

Luna.

De ob-

De obſidione Zamora, & Sancii Regis morte. CAPVT XIX.

OCCVPATIS itaque fratrum regnis terram ſuorum voluit etiam occupare, indignãs ſororibus, eo quod Aldefonſo fugitiuo & exuli condolebant, & ditionis ſuæ phalangibus conglobatis vrbem aggreſſus eſt Zamorenſem, & obſidione concluſam cœpit fortiter impugnare. Sed Arias Gundiſalui, de quo diximus, & *obſeſſi alii viriliter reſiſtebant*, nec obſeſſor obtinere potuit quod optabat. Cumque vtrinque certamina agerẽtur, & miles quidam ex ciuitate egrediens, qui dicebatur Belidius Athaulphi, Regem per caſtra deambulantem lancea petiit incunctanter, & feſtinatione qua venerat, ſe reſtituit ciuitati. Verũ Rodericus Didaci Campiator zelo domini interfecti eum proſequitur ſine mora, & fere in ipſa vrbis ianua * interfecit, ſed velocitatem Belidii nõ potuit præuenire. Rex autem Sãcius priuatus habitis & ambitis, recepto vulnere, vita caruit atq; regnis, & in exercitu turbatione non modica excitata inter obſeſſores conflictus etiam interuenit: & alii diuerſa fugæ pericula attentantes, alii per deuia deuiantes in captiuitatis & mortis ſupplicia inciderunt. Caſtellani autem quorum conſtantia audaci conſilio ſemper fulſit, corpus principis in ſarcophago egregie locauerunt, & commercio lugubri, & reſonis planctibus ſubſequentes ad Oniense monaſterium detulerunt, vbi expletis exequiis ſepulturæ * honore regio tradiderunt,

Zamora. — *obſeſſi viriliter reſiſtebat* — *pro interfeciſſet* — *Omenſe V. C. recte, vt ſupr. & 13. more.*

De receſſu Aldefonſi ab Almenone, & reditu in terram ſuam. CAP. XX.

CELEBRATIS vero exequiis, Caſtellani & Nauarri Burgis pariter conuenerunt, & quia Rex Sancius deceſſerat expers prolis, Caſtellani & Nauarri fidelitatis innatæ ſemper memores, Aldefonſum qui a facie fratris Toletum confugerat, in Regem & dominum concorditer elegerunt tali pacto, vt prius ab eo reciperent iuramentũ, quod Rex Sancius de eius conſcientia non fuerat interfectus: & eidem electos nuncios clanculo deſtinauerunt. Vrraca etiam Regina Legionenſium & Zemorenſium curia congregata, & eorum recepto conſilio, ad fratrem ſuum Aldefonſum quem præ cæteris diligebat, & Toleti tunc temporis morabatur, nuncios deſtinauit, vt acceleraret accipere regna fratrum. Et præcepit nunciis, vt hoc conſilium ſecretiſſimum habere, ne reuelatio in Regis periculum verteretur. Sed viri diabolici, qui nunc dicuntur initiati, & ſolebãt Arabibus Chriſtianorum propoſita denudare, Regis Sancii morte comperta, nunciare Arabibus percurrerunt. Sed Petrus Aſſurii vir diſcretus, & in lingua Arabica eruditus, & pro rumoribus patriæ curioſus, omni die extra Toletum quaſi ſpaciandi gratia ad tria millaria vel amplius equitabat. Et caſu accidit quodam veſpere, vt inueniret quempiam venientem, qui dixit ſibi ſe ideo aduenire, vt regi Almenoni Regis Sancii interitum nunciaret. Petrus autem duxit eum quaſi cauſa colloquii extra viam, quem amputato capite interfecit: & ad viam rediens, & pauliſper procedens inuenit alium rumore & cauſa ſimili venientem, quem excidio ſimili decollauit, ſed via alia aliis venientibus ſecretum non latuit Almenonem. Petro vero Aſſurii greſſu tertio procedente Vrracæ Reginæ nuncius ſuperuenit, qui, vt facta fuerant omnia, nunciauit. & ille feſtinus Toletum rediens * cœpit Aldefonſo inſcio itineri neceſſaria præparare. Cumque die altero Caſtellanorum nuncius aduenisſet, & Regi negotium indicaſſet, ipſe & Petrus Aſſurii dubitabant, ne ſi Almenoni nuncium reuelarent, Regem caperet, & pacta grauia poſtularet: vel ſi celarent, & ipſe alias poſſet ſcire, hoſtilius deſæuiret. Et dum ipſi tali dubio tenerentur, Rex Aldefonſus confidens in * Domino ſic reſpondit: Honorifice me recepit, & neceſſaria liberaliter miniſtrauit, & vt filium me tractauit, quomodo eum celare potero quæ Dominus mihi fecit? & accedens ad eum quod per nuncios acceperat, reuelauit. Almenon autem hęc omnia iam ſciebat, & omnium viarum tranſitus fecerat diligẽtiſſime obſeruari, vt ſi eo inſcio vellet abire, ab obſeruatoribus caperetur. Cumque audiſſet quæ dixerat Aldefonſus, factus hilaris ſic reſpondit: Gratias ago Deo altiſſimo, qui me ab infamia liberare, & te a periculo voluit cuſtodire. Si enim me inſcio aufugiſſes, captionem aut mortem nullatenus euaſiſſes. Nunc autem vade, & accipe regnum tuum, & de meo accipe aurum argentum, equos, & arma, quibus poſſis tuorũ animos complanare. Cumque inter eos multa amicabiliter tractarentur, inter cætera hoc exegit, vt Rex Aldefonſus iuramentum ſibi & filio ſuo primogenito, quod de ſecuritate fecerat, innouaret, & cum neceſſitas immineret, cõtra vicinos Arabes adiuuaret. Et ipſe & filius primogenitus Aldefonſo ſe fœdere ſimili obligarũt. Erat autẽ minor filius de cuius fœdere nil dixerũt, nec Aldefonſus fuit ei in aliquo obligatus. His peractis * Almenon cum maioribus gentis ſuæ vſque ad montem de Veſatome Aldefonſo regaliter comitato dedit

Vt ſup. — *capit.* — *in Domino add.* — *Almenon ſemper V. C. Veſatome.*

munera & pecunias, quibus Aldefonſus Rex inclytus dicto vale, in ſummitate montium ab eis diſceſſit, & ſuis fœliciter redonatur.

De ſublimatione Aldefonſi in Regem, & de vxoribus & filiabus eius.

CAPVT XXI.

VENIENS itaque Zemoram cum Regina Vrraca, quæ erat prudens & piis operibus dedicata, habito conſilio diligenti cœpit in operibus iuſtitiæ exerceri. Caſtellani etiã & Nauarri ad ipſum ilico conuenerunt, & ante omnia iuramentum (vt diximus) exegerunt, quod non fuerat conſcius mortis Regis Sancii fratris ſui. Sed cum nemo vellet ab eo recipere iuramentum, ad recipiendum ſe obtulit ſolus Rodericus Didaci Campiator. Vnde & poſtea licet ſtrenuus, non fuit in eius oculis gratioſus. Et Rex Aldefonſus obtento regno quod perdiderat, & etiam regnis fratrum, omnibus acclamantibus *Viuat, Viuat*, omnes ei communiter iurauerũt, & accepit imperii diadema æra milleſima centeſima prima. Triginta annorum, & ſeptem menſium erat, cum regnare cœpiſſet, & regnauit quadraginta tribus annis. Hic habuit quinq; vxores ſucceſſiue legitimo matrimonio ſibi iunctas. Prima fuit Agnes: ſecunda Conſtantia, ex qua ſuſcepit filiam nomine Vrracam, quæ fuit vxor Comitis Raimundi, de qua ipſe Raimundus genuit Sanciam & Aldefonſum, qui fuit poſtea Imperator: tertia Berta ex Tuſcia oriunda: quarta Eliſabet, ex qua genuit Sanciam, quæ fuit vxor Comitis Roderici, & Geloiram, quã duxit Rogerius Rex Siciliæ. Hic Rogerius fuit frater Roberti Guiſcardi, & filius Tancredi de Alta villa, qui veniens a Normania Siciliam, & Apuliam, & Calabriam, & Capuam occupauit. Quinta Beatrix ex partibus Gallicanis. Habuit etiam aliam vxorem quæ Ceida poſtea Maria fuit dicta. Habuit etiam duas nobiles concubinas, vna dicebatur Semena Munionis, ex qua genuit Geloirã, quæ fuit vxor Raimundi Comitis Toloſani, & ex illo Comite genuit Aldephõſum Iordanis, qui ſic dictus, eo quod fuerit in Iordanis flumine baptizatus. Ipſa enim cum viro in Syriam transfretauit tempore illo quo exercitus ille magnus procedens ex partibus Galliarũ iſto Raimundo Comite duce ac præuio cum Epiſcopo Auicienſi, Ieruſalem, Tripolim, & Antiochiam acquiſiuit, hortante & perſonaliter in Galliis & Italia prædicante beatiſſimo Vrbano Papa ſecundo, qui primus ſubſtituit euntes in ſubſidium terræ ſanctæ in dextro humero crucis ſignaculo inſigniri. Et eadem Semena Munionis genuit aliã filiã quæ Tharaſia dicta fuit, quam duxit Comes Enricus ex partibus Biſontinis, congermanus Raimũdi Comitis patris Imperatoris, ex qua ſuſcepit idem Enricus Aldefonſum, qui fuit poſtea Rex Portugalliæ.

Æra 1101.

Ecce Conſtant. [illegible] ſemper [illegible] appellatam.

Normania [illegible] infr. cap. 31.

Toloſa. Syria.

Expeditio in terram ſanctã. Auicienſis infr. cap. 27. [illegible]

Enricus nuſquam Rex ſalutatus in Portugallia fuit. ab eo progeniti Reges infr. lib. 7. cap. 6.

De virtutibus Aldefonſi. CAPVT XXII.

NVNC ad geſtorum eius principia redeamus. Hic fuit ſtrenuitate maxima nobilis, virtute excelſus, gloria ſingularis, abundauit in diebus eius iuſtitia, finem accepit ſeruitus, conſolationem lachrymæ, augmentum fides, dilatationem patria, audaciam populus, confuſus eſt inimicus, obtinuit gladius, ceſſauit Arabs, timuit Afer, ploratus & vlulatus Hiſpaniæ vſque ad iſtum manſit abſque conſolatore, dextera eius præſidium patriæ, munimentum abſque timore, fortitudo ſine perturbatione, protectio pauperum, virtus magnatum, magnitudo cordis eius infra anguſtias Aſturiarum non potuit contineri, & elegit laborem indiuiduum comitem vitæ ſuæ, delicias miſeriam reputabat, & belli dubia experiri delectabile & iucundum, id deperditum reputans vitæ ſuæ in quo belli pericula non agebat. Rex accreſcens magnanimus Aldefonſus, Rex accreſcens ſedit, arcus eius confiſus in Domino inuenit gratiam in oculis Creatoris, magnificauit eum in timore inimicorũ & in populo ſuo elegit eum zelare fidem, dilatare regnum, exterminare inimicos, concludere aduerſarios, multiplicare eccleſias, reſtaurare ſancta, reſtituere diſſipata. Cumque (vt diximus) Almenoni & filio primogenito fœdere teneretur, eum iuxta fœdus adiuuit in omnibus, quoad vixit. Et cum Rex Cordubenſis regnum Almenonis inuadere conaretur, Rex Aldefonſus contra eum pro fœderis debito properauit. Cumque aduentum eius Almenon audiuiſſet, timuit eum in ſui diſpẽdium aduenire. Sed Rex Aldefonſus nunciauit eidem, quod in eius auxilium veniebat, propter pacta quæ olim præceſſerant inter eos. Tunc Almenon occurrit ei cum actionibus gratiarum, & ambo intrantes fines Cordubæ omnia cædibus & incendiis vaſtauerunt, & actis prædis, vterque ad propria fœliciter eſt reuerſus, nec præſumpſit Rex Cordubẽſis regnum Toleti amplius infeſtare. Tunc mortua Agnete duxit vxorem nomine Conſtantiam ex partibus Galliarum, cuius ſuperius fecimus mentionem.

Timuit vereneum.

De obſe-

De obſidione & captione ciuitatis Toletanæ. CAP. XXIII.

MORTVO autem Almenone,& filio ſuo Iſſem primogenito, de quo diximus ſicut patri fuit ſemper propitius & adiutor, ipſo mortuo ſecundus filius Almenon * Hiaie dictus poſt fratrem in regno ſubſtituitur Toletano, qui a viis fratris & patris * minus aberrãs cœpit in ſeniores & * populum, quos tot angariis & perangariis conuexabat, vt mortem vitæ præferrent, alias ignominioſus, inutilis, & imbellis. Almenon autem pater ſuus Regi dederat Aldefonſo quædam municipia, Canales & Vlmos, in quibus cum ipſe veniebat in adiutorio Almenon, infirmos & debiles collocabat. Cumque (vt diximus) Toletani à ſuo principe premerentur, & à vicinis gentibus vexarentur, & Rex eorum de eorum miſeriis non curaret, coniurati in ſimul Regi dixerunt: Populi & patrię te exhibe protectorem, aut quæremus alium defenſorem. Hiaie autem captus luxuriis dicta dicentium paruipendit. Tunc ipſi preſſi dominio & cladibus vicinorum, Regi Aldefonſo nuncios deſtinarunt antequam eius notitiam attendentes, & auxilia impenſa fideliter recolentes, & ei per nuncios ſupplicarunt, vt ciuitatem quamuis inexpugnabilem obſideret, vt coacti pugna colorẽ excuſationis haberent, cum ei traderent ciuitatem. Cumque ipſe illi Regi nullo fœdere teneretur, ciuium oblatione ſuſcepta, congregauit exercitum ex omnibus partibus regni ſui, & fruges & vindemias deuaſtauit per totum territorium Toletanum, & per quatuor annos id ipſum intulit ſucceſſiue. Et licet ciuitas cunctas ſuperet ſui opulentia ciuitates, tamen tot annorum vaſtatione continua non potuit victualibus non carere. Et Rex Aldefonſus id ipſum percipiens congregato exercitu infinito,

O *Obſedit ſecura ſuum Caſtella Toletum*
P *Caſtra ſibi ſeptena parans, aditumque recludens.*
P *Rupibus alta licet, amploque ſitu populoſa,*
I *Circumdante Tago rerum virtute referta,*
D *Victu victa * carens inuicto ſe dedit hoſti.*
A *Huic Medina Cœlim, Talauera, Conimbria plaudat.*
C *Abula, Secobia, Salmantica, Publica Septem,*
A *Cauria, Cauca, Colar, Iſcar, Medina, Canales,*
P *Vlmus, & Vlmetum, Magerit, Atentia, Ripa,*
T *Oſoma cum Fluuio lapidum, Valeranica, Maura,*
A ** Aſcalona, Fita, Conſocra, Maqueda, Butracum*
Victori ſine fine ſuo modulantur ouantes:
Ildephonſe tui reſonent ſuper aſtra triumphi.

Cepit itaque Toletum * æra milleſima centeſima trigeſima tertia, multis pactionibus interpoſitis, videlicet vt Sarraceni haberent plene & integre domos, & poſſeſſiones, & omnia quæ habebant, & Regi remaneret præſidium ciuitatis cum viridario vltra pontem: reditus autem qui antiquo iure dabantur Regibus, ei perſoluerent Agareni, & etiam quod maior * Mezquita eis in perpetuum remaneret. Sicq; Rex adepto præſidio & ciuitatis dominio manſit ibidem pro ciuitatis tuitione magno periculo ſe exponens. Fuit autem capta in die Vrbani Papæ & martyris octauo Kalendas Iunii, viceſimo anno regni ſui, & quia de eius * intentione dubium adhuc erat, diſtulerunt electionem Pontificis in futurum. Tunc Rex in vrbe regia ſtatuit thronum ſuum, donec ſecurum præſidium ſtabiliret, & gentem fidei confirmaret, & electionis populus præualeret.

De dote eccleſiæ Toletanæ. CAPVT XXIIII.

VIDENS autem Rex, quod Deus proſpera indulgebat, conuocauit regni proceres, & maiores Epiſcopos, & Abbates, & viros religioſos, & quintodecimo Kalendas Ianuarii omnes in vrbe regia conuenerunt, & habito diligenti tractatu dominum Bernardum, virum religionis & prudentiæ, communiter & concorditer in Archiepiſcopum elegerũt, & Rex in continenti dotauit eccleſiam liberaliter & honeſte, & dedit ei Briocam quam ſibi retinuerat a tempore Almenonis, Barciles, Cabannas de Sagra, * Couera, Rodiellas, Alcoleia ſub Talauera, Azecbuch, quæ nunc dicitur Melgar, * Almonecir, Alpobrega, & in ciuitate omnes ſtationes quas vulgariter tendas vocamus, necnon domos, molendina, furnos, viridaria, vineas, & hortos, pro quibus hodie eius memoriam & exequias veneratur eccleſia Toletana, & multa alia priuilegia dedit immunitatis.

Canales. Vlmos. Toletum. Mezquita. Brioca. Barciles. Cabannas. Couera. Rodiellas. Alcolea. Almonacir. Vulgo. Azebuch. Melgar. Almonecir. Alpobrega. 1 hoc lib. cap. 30.

Quod Mezquita Maurorum facta eſt eccleſia Chriſtianorum.
CAPVT XXV.

infr. hoc lib. c. 30 ET quia adhuc litera Gotthica, & translatio Pſalterii, & officium miſſæ inſtitutum ab Iſidoro & Leandro pontificibus, quod cum translatione & litera dicitur * Toletanum, per totam Hiſpaniam ſeruabantur, ad inſtantiam vxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium Papam ſeptimum, vt in Hiſpaniis omiſſo Toletano Romanum ſeu Gallicanum officium ſeruaretur. Bernardus autem Tole- *Agerenenſi.* tanæ eccleſiæ electus fuit de * Agenenſi territorio oriundus, ſcilicet de oppido Saluitatis. Hic cum fuiſſet ab infantia literatus omiſſo clericatu militiæ ſe aſcripſit, & poſtmodum in- *Auxitani.* firmitate coactus in monaſterio S. Aurentii Auxitani B. Benedicti regulæ ſumpto habitu *Hugo abbas Cluniacenſis.* ſe dicauit, exinde vocatus ab Hugone Cluniacenſi Abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldephonſus vellet ſanctorum Facundi & Primitiui ex ea cauſa quam *miſit.* diximus, monaſterium ampliare, * mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacenſem Abbatem, vt ei virum prouidum & religioſum mitteret, qui in prædicto monaſterio ſanctorum Facundi & Primitiui Abbatis officio fungeretur, & ſicut in Galliis illud monaſterium præcellebat, ita & iſtud omnibus monaſteriis eiuſdem ordinis in Hiſpaniis præſideret. Prædictus autem Abbas Cluniacenſis Bernardum quem ob ſanctitatis meritum charum habebat, cum aliis monachis deſtinauit. Qui mox veniens factus Abbas, omnibus ſe exhibuit amabilem & benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletum Chriſtianæ reſtituit poteſtati, mox ipſe poſt modicum interuallum fuit electus in Archiepiſcopum & prima- *de nocte 2. V. C.* tem. Cumq; Rex ad partes Legionis iuiſſet, ipſe electus Regina Conſtantia hortante * aſcitis militibus Chriſtianis maiorem Mezquitam ingreſſus eſt Toletanam, & eliminata ſpurcitia Mahometi erexit altaria fidei Chriſtianæ, & in maiori turri campanas ad conuocationem fidelium collocauit. Quod cum ad Regis notitiam perueniſſet, indignatus animo, & dolore accenſus, eo quod Sarracenis pactum firmauerat de Mezquita, à ſancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardum electum & Reginam Conſtantiam incendio concremare. Cumq; tanti furoris indignatio ad notitiam Toletanorum Arabum *Magam.* perueniſſet, maiores & minores cum paruulis & vxoribus in pago qui Magam dicitur, Regi obuiam exierunt. Cumq; Rex ad eorum multitudinem perueniſſet, exiſtimans eos cauſa querelæ veniſſe, ſic reſpondit: Non vobis iniuria facta fuit, ſed mihi, cuius fides fuit hactenus illibata, ſed iam de cætero de fide non potero me iactare: mea autem intererit, & vobis ſatisfacere, & in præſumptores acrius vindicare. Arabes autem vt erant prudentes, eleuatis vocibus & flexis poplitibus cum lachrymis audientiam poſtularunt. Tunc Rex aliquantum ſubſtitit tenens equum, & Arabes in hunc modum perorare cœperunt: Bene nouimus, quod Archiepiſcopus dux & princeps eſt legis veſtræ, & ſi cauſa fuerimus necis eius, ob zelum fidei Chriſtiani nos percutient vna die, & ſi Regina perierit cauſa noſtri, ſemini eius erimus perpetuo odioſi, & poſt dies tuos acrius vindicabunt. Vnde petimus, vt *ira Regis compeſcitur, &c.* parcas eis, & nos voluntarie te abſoluimus à fœdere iuramenti. His auditis * ira Regis in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat ſine fidei læſione, & ingreſſus vrbem regiam, omnia pacifice pertractauit.

De commutatione officii Toletani. CAP. XXVI.

GREGORIVS autem ſeptimus de quo diximus, ad petitionem Regis Aldefonſi miſit quendam Ricardum Abbatem ſancti Victoris Marſilienſis, vt eccleſias Hiſpaniæ tot perſecutionibus perturbatas, eccleſiaſtico moderamine ordinaret. Qui minus religioſe *irregulariter.* officium peragens cœpit * irregularius ſe habere. Quod attendens Toletanus electus per maris & terræ pericula ſe Romani Pontificis conſpectui præſentauit, & Gregorio ſeptimo *qui etiam erat Gallus, & fuerat Monachus, & fortaſſe Bernardo notus.* viam vniuerſæ carnis ingreſſo inuenit * Vrbanum ſecundum in ſede Apoſtolica ſubſtitutum. A quo gratanter & benigne ſuſceptus conſecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & primas inſtitutus Hiſpaniarum, Apoſtolicæ ſedis benedictione ſuſcepta, & per Toloſam rediens ibidem cum Epiſcopis Gothicæ Galliæ, & Narbonenſi Archiepiſcopo cō- *Inde.* cilium celebrauit. * Ideo per Pyrenæum in Hiſpanias tranſiens omnium eccleſiarum Hiſpaniæ curā geſſit, & ſtatuto die, in feſto ſcilicet ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, octauo Kalendas Nouembris, in honore beatæ Mariæ ſemper virginis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ crucis, & beati Stephani protomartyris, Toletanam eccleſiam cōuocatis Epiſcopis dedicauit, & in maiori altari multas & precioſas reliquias quas à ſede Apoſtolica attulerat, & quas Rex & Regina de ſuis & patrū ſuorū theſauris obtulerāt, collocauit,

tauit, quorũ hodie beneficiis lætatur populus Chriſtian*. Verũ quia Ricardus legat* ſe gerebat in aliquib. minus caute, religione & autoritate compeſcuit attentata, adeo quod ille Ricardus legatione priuatus, fuit ab Vrbano ſummo Pontifice reuocatus. Verum ante reuocationem clerus & populus totius Hiſpaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officiũ ſuſcipere a legato & principe cogebantur, & ſtatuto die, Rege, primate, legato, cleri & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia, & populo firmiter reſiſtentibus ne officiũ mutaretur, Rege a Regina ſuaſo cõtrarium minis, & terroribus intonante. Ad hoc vltimo res peruenit militari pertinacia decernente, vt hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumq; duo milites fuiſſent electi, vnus à Rege, qui pro officio Gallicano, alter à militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis ilico victus fuit, populis exultantibus quod victor erat miles officii Toletani. Sed Rex adeo fuit à Regina Conſtantia ſtimulatus, quod à propoſito non diſceſſit, duellum iudicans ius non eſſe. Miles autem qui pugnauerat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Piſoricam, cuius hodie genus extat. Cumq; ſuper hoc magna ſeditio in militia & populo oriretur, demum placuit, vt liber officii Toletani & liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus ieiunio à primate, legato, & clero, & oratione ab omnibus deuote peracta, igne conſumitur liber officii Gallicani, & proſiliit ſuper omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii Toletani illæſus *omnino, à combuſtione incendii alienus. Sed cum Rex eſſet magnanimus, & ſuæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit vt Gallicanum officium in omnibus regni ſui finibus ſeruaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inoleuit prouerbium: *Quo volunt Reges, vadunt leges.* Et ex tunc Gallicanum officium tam in Pſalterio, quam in aliis nunquam ante ſuſceptum, fuit in Hiſpaniis obſeruatum, licet in aliquibus monaſteriis fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam translatio Pſalterii in plurimis eccleſiis cathedralibus & monaſteriis adhuc hodie recitatur. Ricardo itaq; legatione priuato, primas Bernardus cœpit in Hiſpaniis eccleſias ordinare.

Duellum. *Matantia.* *Piſorica.* *Liber in igne ſeruatus.* *Alu. Gomecius in vita Ximenii.* ** & à comb.*

De ſchiſmate clericorum, & de reditu primatis, & de bonis viris à Galliis ductis.

CAPVT XXVII.

EISDEM diebus ſanctiſſimus Vrbanus Papa ſecundus tactus dolore cordis, eo quod ab Agarenis Hieroſolymitana ciuitas tenebatur, perſonaliter verbum crucis cœpit omnibus prædicare, ſicut ſuperius meminimus nos dixiſſe. Eius indulgentiis prouocatus venerabilis primas Bernardus de clericis indigenis Toletanam eccleſiam ordinauit, & aſſumptis ad viam neceſſariis, crucis ſignaculo inſignitus receſſit à propria ciuitate, volens cum exercitu de quo * ſuperius diximus, in Syriam transfretare. Cumque vix eſſet tribus dietis à ſede propria elongatus, clerici quos in eccleſia inſtituerat, ſtulte locuti dixerũt adinuicem primatem ſuum nunquam de cætero reuerſurum. Vnde ſpiritu malignitatis & inſipientiæ inflammati alium electione indebita ſubrogarunt, & primatis domeſticos eiecerunt, qui gradu concito dominum conſequentes, prout factum fuerat, intimarunt. At ille non immerito admiratus Toletum rediit in auctores ſceleris indignatus: quos cum electo ſuo non tardius degradauit, quam ipſi celeri præcipitio inthronizauerant maledictum & tollens aliquos de monachis ſancti Facundi in eccleſia collocauit, ne interim dum rediret, eccleſia diuino officio fraudaretur. Ipſe vero cœpto itinere Romam iuit. Sed cum ad ſedem Apoſtolicam perueniſſet, prohibuit eum dominus Papa Vrbanus, ne procederet, ſed in tanta nouitate ad ſedem propriam remearet, ne paſtoris abſentia nouella plantatio periculo ſubiaceret. Cumque eum à voti & crucis propoſito abſoluiſſet, ipſe per partes rediit Galliarum, vbi eligens de diuerſis locis viros honeſtos & literatos, necnon & iuuenes dociles quos habere potuit, in Hiſpaniam ſecum duxit. De Moſaico duxit beatum Giraldum, quem prius cantorem in eccleſia Toletana, poſtea fecit Archiepiſcopum Bracarenſem. De * Bituricis ſanctum Petrum, quem prius Archidiaconum Toletanum, poſtea fecit Epiſcopum Oxomenſem. De Aginno Bernardum, qui fuit cantor eccleſiæ Toletanæ, poſtea fecit eum Epiſcopum Seguntinum, poſtea Archiepiſcopum Compoſtellanum: & de eadem ciuitate Petrum, qui fuit iuuenis nutritus in eccleſia Toletana, poſtea Archiepiſcopum, poſtea Epiſcopum * Secobienſem: & alium Petrum, quem fecit Epiſcopum Palentinenſem: & Raimundum, qui fuit oriundus de Saluitate, & fecit eum poſt beatum Petrum Epiſcopum Oxomẽſem, qui poſtea immediate ſucceſſit eidẽ in eccleſia * Toletana: & Hieronymũ de partib. Petragoricæ, *quem tempore Roderici Campiatoris fecit

Cap. 26. *Reſidentia Prælatorum.* *Peregrini ex Gallia in Hiſpania honeſtati aucti à Bernardo Archiepiſcopo Toletano.* *Raimundus Tolet. Archiepiſc. II.* *Archidiaconum poſtea epiſcopum Secobienſis V. C.* *Secobienſem.* *inf. cap. 4. lib. 7.* *quemnam*

Epiſcopum Valentinum, ſed in breui ciuitate deperdita eum dominus Bernardus metropolitanus eius & primas in ciuitate poſuit Zamorenſem, vt ibi epiſcopalia exerceret, in qua nondum fuerat nec Epiſcopus, nec eccleſia cathedralis. Duxit etiam de eiſdem partibus Bernardum, quem poſt mortem Hieronymi fecit Epiſcopum in eccleſia * Zemorenſi, & iſte fuit primus proprius Epiſcopus Zemorenſis.

Zamorenſ.

De ſchiſmate & depoſitione Burdini. CAP. XXVIII.

Burdinus Fra- [illegible] Epiſco- pus & poſtea Antipapa [illegible] Panuinius [illegible] Cardd. Hiſpanum [illegible] Gallum fuiſſe.

DVXIT etiam de Lemouicis Burdinum, quem primo fecit Archidiaconum Toletanũ, poſtea Epiſcopum Coimbrienſem, poſtea Archiepiſcopum Bracarenſem. Hic erat aſtutus & verſipellis, qui cum vocaretur Burdinus, factus Epiſcopus fecit ſe Mauricium appellari, & immemor fidelitatis & gratię ſanctæ recordationis, Vrbano Papa ſecundo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, acceſſit ad Paſchalem Papam ſecundum qui prædicto Vrbano fuerat ſubſtitutus, & magnum pondus pecuniæ ſecum portans, promiſit domino Paſchali Papæ ſecundo nouiter inſtituto magnam pecuniam ſe daturum, ſi remoto Bernardo qui eum creauerat, fieret ipſe Pontifex Toletanus. Qui nequitiam eius in eo quod deliquerat volens punire, accepit pecuniam, & eum poſtea petitione fruſtrauit. Cumque eo tempore eccleſia perſecutione grauiſſima læderetur, eo quod Imperator * Otho prædictum Papam captiuatum cum Cardinalibus carceri mancipaſſet, idem Burdinus dolore pecuniæ inſtimulatus ad ſchiſmaticum Imperatorem acceſſit, eius famulatui ſe deſpondens. Cumque de alio eligendo in Papam Imperator tractaret, attendens Burdini aſtutiam, mox præcepit eum eligi ad culmen Apoſtolicæ dignitatis, & factus Papa, immo verius Antipapa, Romã ingreditur imperiali potentia comitatus, & in eccleſia ſancti Petri, vt Papa, reſedit, & ſolennia celebrauit vocatus Gregorius Papa octauus. Cumq; diuina gratia adiuuãte Paſchalis Papa carcerem euaſiſſet, perſecutione coactus per maritima & Apuliam ferebatur incertus, ibique diu degens, vt exul, perſecutionem conſtantiſſime tolerauit, & * Caietæ dicitur obiiſſe. Ibidemq; fuit in * papatu Gelaſius ſubſtitutus qui ſcripſit Toletano primati, ſicut in eiuſdem Papæ inuenitur * regeſto, epiſtolam ſub his verbis: Gelaſius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano primati & cæteris Hiſpaniarum Epiſcopis. Non latere credimus fraternitatem veſtram, qualiter frater noſter Mauricius Bracarenſis Epiſcopus ſe iam diu habuerit, & quomodo eccleſiam ſuam dimiſerit, & quomodo Regi excommunicato adhæſerit. Illud etiam, vt opinamur, noſtis, quod à prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Paſchali Papæ in concilio excõmunicatus ſit, & quod Bracarenſi eccleſiæ ſit mandatum, vt paſtorem ſibi alium prouideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem poſt longum electionis meæ ſpacium in cubile ſanctæ matris Eccleſiæ ſe ingeſſit. Ideoque fraternitati veſtræ mandamus, vt ad electionem in Bracarenſi eccleſia faciendam ſolicitudine charitatis debitæ operam præbeatis. Ipſum vero Mauricium excõmunicatum periurum, & matris eccleſiæ conſtupratorem, cæteris eccleſiæ filiis publicetis. Datis Caietæ, octauo Kalendas Aprilis. Et idem Papa in Gallias nauigans * Lugduni deceſſit in Pontificatu anni circulo vix expleto: & huic ſucceſſit Calixtus ſecundus, qui erat Archiepiſcopus Viennenſis, frater Raimundi Comitis patris Aldephonſi Imperatoris Hiſpani. Hic mox pace formata debitæ reſtituitur dignitati, & Burdinum iam ab Imperatore abiectum * Sutrii concluſit obſeſſum & captum, & depoſitum Calabrię in monaſterio ſanctæ trinitatis de cauea captiuitati perpetuæ mancipauit, qui ibi vixit fere vſque ad tempora Eugenii Papæ tertii, a quo fuit quartus dominus Alexander. Vnde & in ſecretario palatii Conſtantiniani hi verſus reperiuntur inſcripti:

Henrico V.C. [illegible] & in vita Otho.

Erat in re [illegible] Henricus [illegible] Otho [illegible] Annales Henricus [illegible] nominant.

Gayeta V.C. Paſchalis regiſtro.

Lugdunum

Viennam.

Sutrium. Domini V.C.

Ecce Calixtus, honor patriæ, decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.

Hos inquam prædictos viros literatos, prouidos, & honeſtos, primas Bernardus per Gallias tranſiens in Hiſpaniam ſecum duxit, & eos in Toletana eccleſia canonicos ordinauit. Monachos quos ibi reliquerat, ſancti Facundi * monaſterio, & ex eis quos ſecum duxerat, vt ſapiens architectus, fundandis eccleſiis prouidit primaria fundamenta, quorum ſolers prudentia & honeſta religio cauſam dotationis & incrementi eccleſiis præbuerunt, ſicut adhuc hodie patet in priuilegiis poſſeſſionum & libertatum quæ eccleſiis ſupradictis ob eorum ſanctitatis reuerentiam principes indulſerunt.

monaſterio redonauit

De captione Alcala & Valentiæ. CAPVT XXIX.

CVM ergo primas Bernardus ad ſedem propriam rediiſſet, caſtro quod dicitur Alcala, vix expugnabili obſidionem parauit, & incolæ qui eidem caſtro * imminerent, caſtrum aliud

Alcala. imminet.

Digitized by Google

aliud obfirmauit. Demumq; fame affecti loci * incolæ per deuia aufugerunt, relicto caſtro venerabili Bernardo primati, quod adhuc hodie in Toletanæ eccleſiæ poſſeſſionibus numeratur. Rex autem Aldephonſus acquiſita iam vrbe regia & munita, reſtauratis oppidis & ciuitatibus extremorum Dorii, inertiæ inſcius Sarracenorũ patrias peragrauit, loca munitiora diruens, & plana deuaſtans, adeo quod ſibi coegit ſeruire ciſmarinos Arabes ſub tributo. Et cum tanta gloria emineret, in priuilegiis quæ perſonis vel eccleſiis cõferebat, Imperatorem Heſperiæ ſe vocabat. In diebus eius Rodericus Didaci Campiator, qui ex cauſa quam diximus, non erat in eius oculis gratioſus, conferta manu conſanguineorum & militum aliorum propoſuit per ſe Arabes infeſtare. Cumq; verſus frontariam Aragoniæ peruenisset, congreſſus cum Rege Petro Aragoniæ obtinuit contra eum, & etiam viuum cepit, ſed continuo manumiſit. Et inde procedens peruenit Valentiam & obſedit. Cumq; ad ſuccurſum Valẽtiæ Buchar Rex Arabum cum exercitu aduenisset, inito certamine obtinuit Rodericus, & Buchar fugit vix vitæ relictus, cæſa tamen ex ſuis multitudine infinita. Et in continenti ciuitas ſe reddidit Roderico, & eam habuit quoad vixit, & fuit in ea Hieronymus de quo diximus, in epiſcopum conſecratus à domino Bernardo primate Archiepiſcopo Toletano. Sed poſtea mortuo Roderico Didaci, fuit ciuitas iterum ab Arabibus occupata. Corpus autem Roderici Didaci inter inſultus Arabum fuit a ſuis fideliter & ſtrenue deportatum ad monaſterium ſancti Petri de * Cardigna, vbi hodie etiam quieſcit humatus.

in colle. *Dorium.* *Valentia.* *cap 27 fine.* *Cardigna.*

*De morte Regis Garſiæ & * ſororis eius.* CAP. XXX.

ſororum

HIs diebus Rex Garſias cœpit in vinculis ægrotare. Quod audiens Rex Aldephonſus doluit vltra modum. diligebat enim eum, & quia filiũ non habebat, propoſuerat eum ſubſtituere ſucceſſorẽ, & quam cito Toleto rediit, à vinculis abſoluiſſet, ſed verebatur ne cum eſſet inſolens, in regnis rebellia excitaret. Vnde fecit eum liberiori cuſtodia cuſtodiri, & placita indulgeri. Et cum eſſet infirmus, & ſanguinem minuiſſet, præcepit Rex, vt à vinculis ſolueretur. * Ex quo ipſe ait: Deus noluit, vt in vita ſoluerer, abſolutionẽ renuo moriturus, ſed rogo & mãdo ſororibus meis, vt me cũ compedibus ſepeliant Legione. Cumque eum ducerent Legionem, prout præceperat, à ſororibus & pontificibus qui conuenerant, ibidem regio funere eſt ſepultus, anno 16. regni fratris, æra milleſima centeſima decima ſeptima. Et interfuit etiam Renerius legatus & Romanæ eccleſię Cardinalis, ibidemque celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate, multa de officiis eccleſiæ ſtatuerunt, & etiam de cætero omnes ſcriptores omiſſa litera Toletana, quam Gulfilas Gotthorum Epiſcopus adinuenit, Gallicis literis vterentur. Poſt hæc obiit Regina Vrraca Fernandi, & ſepulta eſt Legione. Poſt modicum tempus obiit etiam Geloira, quæ cum ſorore ſua Vrraca & patribus Legione habuit ſepulturam.

Sed & ipſe ait ex quo Deus noluit. *Æra 1117.* *Toletana litera erat Gothica: Gallica vt vterentur voluit Bernardus 3. cap. 25.*

De aduentu Arabum, & morte Auenabet. CAP. XXXI.

MORTVIS autem vxoribus quas habuerat ſucceſſiue, Agnete ſcilicet, Conſtantia, Berta, & Eliſabet, duxit * Ceidam filiam Auenabeth principis Hiſpalenſis, quæ poſtea baptizata dicta fuit Maria. Hæc auditis magnalibus Aldefonſi, licet non viſum, vehementi tamen deſiderio adamauit, adeo vt fidem Chriſti ſuſciperet, & caſtra quæ ſibi pater dederat, Regis Aldefonſi dominio manciparet. Caſtra autem quæ viro dedit, ſunt iſta, Caracuei, Alarcuris, Conſocra, Mora, Ocania, Aurelia, * Veleſium Opta, Amaſſatrigo, & Cõcha. Et ſuſcepit ex ea filium qui Sancius vocabatur, quem Comiti Garſiæ de Capra dederat nutriendum. Et de conſilio ſoceri Auenabet vocauit ab Aphrica Almorauides, qui in gente Arabum tenebant tunc temporis principatum, vt eorum auxilio vteretur contra Arabes ciſmarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipſi in magna multitudine ciſfretaſſent, cœperunt Auenabeth grauius infeſtare adeo quod eum in quodam prælio peremerunt. reputabant enim eum quia filiam & caſtra Chriſtiano dederat, Chriſtianum. Cumque Vandalutii eorum potentiam perpendiſſent, adinuicem tractauerunt quid eſſet gratius, aut Chriſtianorum porcos, aut camelos Almorauidum cuſtodire, & ſectæ ſuæ zelo commoti ſeruire Almorauidibus elegerunt. Et ex tunc vltramarini & ciſmarini ſub vnius Regis regimine ſeruierunt.

Caidam. *Caracuei. Alarcuris. Veleſium, Amaſſa. Trigo. Conſocra. Mora. Ocania. Aurelia Veleſium. Opta Amaſſatrigo. Boncha. Vandalutii.*

Deſtrage Chriſtianorum in Sacraliis, & victoria Aldefonſi in prouincia Hiſpalenſi. CAP. XXXII.

Roda. *Sacralia.* *Coronauerunt.* *Hiſpalis.*

CONGREGATI igitur Agareni cœperunt inuadere Chriſtianos, & effuſi ſunt ſuper terræ faciem vt locuſtæ, cumq; veniſſent ad locum Caſtellæ qui Roda dicitur, occurrerunt eis duo Comites, Garſias & Rodericus. Et in congreſſu interfectis vtrinque multis militibus, tandem ſuccubuit exercitus Chriſtianus, & magna captiuitate patrata, & locis plurimis concrematis, Agareni cum ſuperbia redierunt. Poſt hæc Aldefonſus ſtragem huiuſmodi non leuiter ferens iterum exercitum adunauit, occurrens exercitui Agareno, qui cum ſuo maximo principe quē Amiramomeninum vocăt, ex oppoſito egreſſus eſt. Cumque ambo exercitus in loco qui Sacralia dicitur, concertaſſent, demũ ceſſit populus Chriſtianus, Et licet multi de Arabibus periiſſent, tot & tanti de Chriſticolis perierunt, quod illius belli ſtrages & memoria quaſi in prouerbium adhuc extant. Fugatus itaq; Rex Aldefonſus quem tot victoriæ * coronauerũt, non fuit tamen animo conſternatus, ſed reſumptis ſuis, & conuocatis de omnibus regnis omnibus conuocandis, corde magnifico ad victoriam eleuato, eodem anno faciem contra Hiſpalim obfirmauit, intranſq; Bæticam & eam partem Luſitaniæ quæ ſibi non ſuberat, prædis, vaſtationibus, & incendiis ſic omnia deuaſtauit, quod horum fuga, & Agarenorum victoria fœlici commercio mutarentur. Et licet Amiramomeninus multos haberet cum Comite Garſia Ordonii Chriſtianos, non tamen auſus fuit Regi occurrere venienti. Et Rex Aldefonſus reuerſus eſt præda & victoria glorioſus.

De obſidione Veleſii, & morte Infantis Sancii. CAP. XXXIII.

Veleſium. *Paruo.* *Septem Comites.* *Septem porci.* *Fany. V.C.* *Puero.* *Noſtrorum.* *Concha. Amaſſutrigo.* *Opta. Veleſium. Aurelia.* *Ocania. Conſogra.*

CVM itaque poſt labores & bella plurima Rex Aldefonſus longæuus degeret, & grandæuus cõfractus infirmitatibus & ætate, Amiramomeninus qui Hali proprio nomine dicebatur, venit Veleſium obſidere. Sed Rex Aldefonſus (vt diximus) ſenio & grauedine non permiſſus, miſit Garſiam Comitem cum filio ſuo Sancio adhuc paruulo, & cum eis magnates & milites regni ſui. Cumque prope Veleſium perueniſſent, Sarracenorum maxima multitudo quæ iam obſeſſis Veleſii præualebat, contra venientes egreditur ad pugnandũ, & hinc inde diſpoſitis aciebus congredi inceperũt, & ſicut Domino placuit, pars Chriſtiana cœpit virtute Arabum infirmari, & in ea parte vbi Comes cum * paruo aderat, cœpit fortius inualere. Cumque quiſpiam equum cui Infans Sancius inſidebat, grauiter vulneraſſet, Comiti dixit: Pater, pater, equus cui inſideo, eſt percuſſus. Cui Comes: Præſtolare, quia te etiam ferient ſucceſſiue: & in continenti cecidit equus qui fuerat ſauciatus, & Regis filio ſimul cadente. Comes deſcendit, & inter ſe, & clypeum, paruum collocauit, cęde vndiq; perurgente. Ipſe vero cum eſſet ſtrenuus, & clypeo paruum tutabatur, & vndiq; irruentes cædibus repellebat, ſed pede ictu gladii amputato, non potuit amplius ſuſtentari, & incubuit ſuper paruum, vt ipſe, quam puer, antea cæderetur. Cæteri vero magnates & milites Chriſtiani qui mortis periculum euaſerunt, fugientes & victi victoriã effugerunt. Dumq; Comes Garſias Fernandi, & Comes Martinus, & alii Comites & magnates ad locum qui nunc Septem Comites dicitur, perueniſſent, eos Arabum ſequela præuenit. Et ſeptem de magnatibus cum multis aliis ibidem occiſis, occiſionis locũ vocauerunt Arabes Septem porcos, quem poſtea locum Petrus de Franco Commendator Velenſis mutato nomine ſeptem Comites appellauit. Comites autem & magnates qui fugerant à conflictu, cum Toletum deiectis vultibus adueniſſent, & Regis præſentiæ aſtitiſſent, Rex dolore ineffabili conturbatus talia dixit eis: Vbi eſt filius meus, iucunditas vitæ meæ, ſolatium ſenectutis, vnicus hæres meus? Ad quod Comes Gometius ſic reſpondit: Nobis filium, quem expoſcitis, non dediſtis. Cui ille: Etſi dedi aliis, conſortes prælii & cuſtodiæ vos adiunxi, & ille cuius cuſtodiæ ſpecialiter reputaui, ſuſtinuit, incubuit, & occubuit ſuper eum, vos autem relicto puero cur veniſtis? Tunc Aluarus * Fanun vir ſtrenuus & fidelis ſic dicitur reſpondiſſe: Memores laborum quos ab adoleſcentia toleraſtis, ciuitatum, & oppidorum, patriæ, & caſtrorum, pro quibus toties ſanguinem effudiſtis, & quod auxilium extincto * paruo nõ prodeſſet, huc aduenimus, ne cum extincto paruo magnalium * veſtrorum gloria extinguatur, ſi ea quæ à iuuentute veſtra feliciter acquiſiſtis, nobis perditis perderentur. Sed nec ſic vis doloris potuit mitigari, quanto enim talia dicebantur, tanto amplius redîuiuis ſingultibus memoria filii torquebatur. Tunc autem perdita fuit Concha, Amaſſutrigo, Opta, Veleſium, Aurelia, Ocania, & Conſocra.

Quod

Quod Vrraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragoniæ Aldefonſo.

CAP. XXXIIII.

ALIQVANTO itaq; temporis interuallo videntes Comites & magnates Regem dolore & ſenio tendere ad defectum, in pago prope Toletum qui Magam dicitur, pariter conuenerunt, tractaturi vt Vrraca Regis filia, quæ mortuo Raimundo Comite viro ſuo adhuc vidua permanebat, nuptui traderetur. Et cum inter ſe aliquandiu tractauiſſent, demum communi conſilio elegerunt, vt Comiti Gomezoni dicto poſtea de Campo ſpinæ, qui erat potior, matrimonio iungeretur. Et quia conſilium Regi proponere non audebat animoſitatis eius magnificētiam formidantes, quendam Iudæum Cidellum nomine aſciuerunt, qui ſatis erat familiaris Regi propter induſtriam & ſcientiam medicinæ, & huic conſilium denudantes mittunt ad Regem, vt quæ tractauerant, nunciaret. Tunc Rex quaſi dolore duplici ſtimulatus Iudæo tale dicitur dediſſe reſponſum: Non tibi imputo quod hoc dicere præſumpſiſti, ſed mihi, cuius familiaritate in tantam audaciam prorupiſti. Caue ergo ne de cætero audeas in mei præſentia comparere: quod ſi feceris, ilico morieris. Mea autem intererit meæ filiæ, ſed non vt poſtulant, prouidere. Hoc audito receſſerunt confuſi Comites & magnates. Iiſdem diebus Aldefonſum paruulum filium Raimundi Comitis & Vrracæ, Comes Petrus de Traua in Gallecia nutriebat. De quo quia Comes Raimundus non fuerat in Regis oculis gratioſus, quaſi eius immemor non curabat, ſed vocato Toletano primate, & cæteris Epiſcopis, & abbatibus regni ſui, decreuit cum eis, vt filia eius Vrraca Aldefonſo Regi Aragoniæ matrimonio iungeretur, & vocato Rege Aragonum quod decreuerant, impleuerunt. Nuptiis itaque amara conſperſione peractis, Aldefonſus Rex Aragoniæ vxorem ſuam in Aragoniam ſecum duxit. Rex autem Aldefonſus dictus Heſperiæ Imperator in ſenectute ſua regni pericula ſic ſedauit, vt nobiles & ignobiles, potentes & impotentes vnius legis moderamine regerentur, adeo vt vtriuſque ſexus, quantumlibet imbecillis, per omnes regni ſemitas incederet ſine metu.

Campus ſpinæ.

Iudæus medicus.

Traua.

De morte Regis Aldefonſi, & miraculoſo prognoſtico mortis eius.

CAP. XXXV.

CVMQVE ei vitæ terminus immineret, fere per annum infirmitate * chronica tenebatur, & tamen conſilio medicorum (cotidie) aliquantulum equitabat, vt laboribus aſſuetus, exercitio foueretur, & quia Deus omnipotens eius opera acceptarat, eius obitum prognoſtico flebili voluit intimare. Octauo etenim die in natiuitate ſancti Ioannis, hora ſexta de lapidibus qui erant in altaris gradibus cæmentati, non ex terra, vel ex iuncturis, ſed ex ipſa ſubſtantia lapidum cœpit aqua cunctis videntibus emanare, & tribus diebus continue emanauit. Erant autem illis diebus in ciuitate Petrus Legionenſis Epiſcopus, & Pelagius Ouetenſis, qui audito miraculo cum vniuerſo clero, & populo ciuitatis, induti ſacris veſtibus ab eccleſia cathedrali vſque ad altare ſancti Iſidori vbi hoc acciderat, proceſſerunt, & peracta miſſa, & ſermone propoſito ab Epiſcopo Ouetenſi, ad locum miraculi acceſſerunt, & ex ipſa aqua pontifices & cæteri laudantes Dominum cum lachrymis potauerunt, ignorantes tamen quid portenti nouitas præſignaret. Sed morte Regis audita ilico cognouerunt, quod luctus & tribulatio Hiſpaniæ orphanæ imminebat, quare & duri lapides plorauerunt. Plenus itaque gratiæ & dierum, Kalendis Iulii, quinta feria clareſcente, reliquit luctum populo ſuo, periculum patriæ, gaudium hoſtibus, lamentum pauperibus, ſuſpiria religioſis. In eius obitu exiuit latro, præſumpſit prædo, latuit pauper, conticuit clerus, luit incola, ſæuit hoſtis, fugit victoria, creuit fuga, gladius in domeſticos efferatur, & patria exterminio præparatur, quolibet quod bonum erat in ſuis oculis faciente. Rege itaque finito exitu glorioſo primas Bernardus cum magnatibus & aliis qui aderant, viginti dierum exequias celebrauit. Sed quia de tuitione ciuitatis Rege mortuo non ſperabant, corpus eius ad monaſterium ſanctorum Facundi & Primitiui quod ipſe ditauerat, detulerunt. Vbi ſepultus cum hymnis & laudibus requieſcit. Regnauit autem duobus annis fratre viuente, ſed iſti anni annis fratris annumerantur: poſtquam vero Toleto rediit, annis quadraginta, menſibus ſex, diebus duodecim, qui cum aliis menſibus fiunt quadraginta vnius anni. Sepultus ibidem cum ſuis vxoribus ſuperius nominatis.

Cronica. F. G.

Aldefonſus Rex moritur.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER SEPTIMVS.

De ſeparatione Regis Aragonum, & Reginæ Caſtellæ.

Capvt Primvm.

VERVM Rex Aragonum * Aldefonſus ſoceri ſui audito deceſſu, mox cum vxore ſua Vrraca in Caſtellam congregato exercitu properauit, & totam terram nullis fere reſiſtentibus, eo quod vxori eius ſucceſſione prouenerat, occupauit; quam vt bonus princeps quiete & pacifice ordinauit, & à * Maurorum incurſibus viriliter cuſtodiuit, & regnum Caſtellæ tanquam, proprium vndique dilatauit, & loca deſerta reſtituens ductis incolis populauit, videlicet Belliforamen, Valeranicam, Soriam, * Almazanan. Cumque de vxoris contubernio dubitaret, eo quod conſanguinea eius eſſet, munitiones plurimas * Regis Caſtellæ Caſtellanis omiſſis Aragonenſium fidei commendauit, quas eorum aliqui diu fideliter tenuerunt. Hęc autem erat conſanguinitas inter eos. Rex Sancius dictus Maior fuit pater Fernandi Regis Caſtellæ, & Ranimiri Aragoniæ primi Regis. Fernandus genuit Aldefonſum qui cepit Toletum. Aldefonſus genuit Vrracam Reginam. Ranimirus genuit Sancium qui Oſcam obſedit. Sancius autem genuit Aldefonſum qui duxit Vrracam. Verum Comes Petrus Aſſurii à Rege Aldefonſo qui cepit Toletum, Reginam Vrracam paruulam ſuſceperat nutriendam. Mortuo autem Rege poſt patris exequias Regina ingratitudinis ſpiritu incitata, terram abſtulit Comiti Petro Aſſurii. Sed Rex Aragonum vxoris ingratitudinem non acceptans reſtituit Comiti terram ſuam, & quia Regina in his & in aliis excedebat, Rex fecit eam in caſtro quod Caſtellare dicitur, collocari. Regina autem indignanter tolerans cuſtodiri, vocauit milites ex Caſtella, cum quibus ſuaſis cuſtodibus ſibi datis reditum obtinuit in Caſtellam. Sed magnates regni ab ea diuortium procuratum nullatenus approbantes variis tractatibus interpoſitis viri gratiæ reddiderunt. Sed tempore procedente cum Rex intellexiſſet à ſuis beneplacitis alienam, Soriam vſque eam duxit, ibique repudians dimiſit eam ſuæ arbitrio voluntatis, & ipſa ad Comitem Petrum Aſſurii properans ſuo conſilio ſe commiſit. Tunc celebrata curia terram petiit ab omnibus Caſtellanis, quam tamen à Rege Aragoniæ tunc tenebant. Sed vt fidelitatis debitum expoſcebat, terram quam tenebant, ei communiter reddiderunt. Cumque ſui ad eam ex omnibus regni partibus conuenirent indignatione maxima prouocati, eo quod Rex Aragonum eam repudiauerat, & in dominio patriæ Aragones præponebat, eiuſdem Regis dominium abiecerunt, & munitiones & caſtra omnia quæ tenebant, Reginæ naturali dominæ reddiderunt. Tunc Comes Petrus Aſſurii indutus ſcarlato, & inſidens equo albo, & portans funem in manu acceſſit perſonaliter ad Regem Aragonum in caſtro quod dicitur Caſtellare, cui manu & ore hominium fecerat pro terra quam ab eo acceperat in honorem, in plena curia ſic proponens: Terram quam mihi dediſtis, Reginæ reſtitui cuius erat, meæ dominæ naturali. Manus autem, os, & corpus quæ fecerunt hominium, vobis offero morte vel diſpendio conſumenda. Tunc Rex cum eſſet aliquantulum iracundus, voluit in continenti ſententialiter condemnare, ſed ſuaſus à ſuis ſententiam diſtulit promulgare. In craſtino autem magnates ſui in conſilio ſuaſerunt, vt tali principi qui fidelitatem naturali dominæ ſic ſeruauerat, & ei corpus & membra ad diſpendium offerebat, liberaliter indulgeret. fidelitatem enim vtrique domino obſeruarat, pro vt dominii debitum expoſcebat. Et inſontem remiſit cum muneribus & honore, cuius factum Hiſpani adhuc hodie imitantur.

Nauarrorum.

Almanazam. Almazenam. Belliforamen. Valeranica. Soria. Regni.

Oſca.

Caſtellare.

Caſtellare. Sup lib. 6. c. 35. & inf. cap. 7.

*De * victoriis Regis Aragoniæ contra Gallecos, & Caſtellanos, & morte Comitis * Gomitii.*

Cap. II.

Victoria Aragonenſis Gomicionis. V.C.

CASTELLANI autem confeſtim caſtra & oppida * intermutarunt, & ſic regnum in diſcidio conſtitutum ab vtraq; parte grauiter vexabatur. Interea Comes Gomitius ad Reginæ,

Intentarunt. Intemptarunt.

Reginæ connubium anhelabat, ſicut patris tempore (vt prædiximus) à magnatibus fuerat pertractatum. Sed Regina Vrraca clanculo, non legitime, Comiti Gomitio ſatisfecit. Vnde & Comes quaſi de matrimonio iam ſecurus, cœpit agere bella regni, & pro viribus Aragones propulſare, & genuit ex Regina filium furtiue, qui dictus fuit Fernandus Furatus. Interim autem quidam Comes Petrus de Lara reginæ gratiam clandeſtine * procabatur. *procurabat.* Quod voluit, impetrauit, vt exitus comprobauit. Cumque regnum diſcidio & cladibus vexaretur, Aldefonſus Rex Aragonum, qui adhuc munitiora loca in Caſtellæ terminis detinebat, exercitu congregato Caſtellæ fines inuaſit, & Caſtellani omnes cum Gomitio Comite congregati ei communiter occurrerunt. Cumque vtrique in Campo ſpinæ prope Septem publicam conueniſſent, Caſtellani ſuas acies ordinarunt: primam aciem cum *Septem publica.* *Campus ſpina.* regni vexillo Petro de Lara Comiti conceſſerunt: in poſtrema vero fuit Comes Gomitius tanquam maior. Et cum exercitus congredi incepiſſent, Comes Petrus qui ad Reginæ connubium anhelabat, in primis ictibus vexillo proiecto ceſſit hoſtibus ſine pugna, & venit Burgis, vbi Regina tunc temporis morabatur. *Burgis.* Comes autem Gomitius cum cæteris Caſtellanis bello inſtitit ſtrenue præliando, ſed præualente Rege Aragoniæ victus occubuit & occiſus. Sed & miles quidam de d mo Oleæ qui vexillum Comitis in ſua acie præ- *Olea.* ferebat, occiſo equo ad terram cecidit, & amputatis manibus ſolis brachiis vexillum tenens non ceſſabat, * Oleam, Oleam fortiter inclamare. *Olea, Olea.* Fugit ergo exercitus Caſtellanus, multis ex eis cædibus detruncatis, & Caſtella nuper inclyta * pro vili commercio proſter- *Vici diſpendio.* nitur derelicta. Aragonenſes autem de Caſtellæ victoria eleuati, Doriam tranſeuntes per *Doria.* campos Gotthicos adeunt Legionem, intermedia irruptionibus & incendiis deuaſtantes, *Campi Gothici.* & licet inclyti eſſent prædis, tamen cœperunt defectu pecuniæ ſtipendia minorari. Vnde & Rex Aragonum ad ſanctuaria miſit manum, & theſauros auri, & argēti, & precioſorum lapidum quos Regum & Reginarum deuotio dedicauerat, manu ſacrilega vſurpauit, & etiam poſſeſſiones oblatas à Regibus infiſcauit. Vnde erga Deum & homines ceſſit ei in ſcandalum & peccatum. ſperabat enim ſe regna vxoris perpetuo habiturum. Cumque vlterius proceſſiſſet, Galleci & Legionenſes cum infante Aldefonſo, qui (vt diximus) in Gallecia conſiſtebat. Regi Aragonum occurrerunt inter Aſtoricam & Legionem, in loco qui dicitur Via anguis, & commiſſo prælio fugatis Legionenſibus & Gallecis, & cæſis pluribus ex vtriſque, Rex Aragonum fuit victor, & per partes Caſtellæ rediens fautores Petri Comitis deuaſtauit, & eos perſequens in Montione prope Palentiam coarctauit, vbi fugientes ſe receperant cum Regina, & ex eis aliquos ibi cepit: & ſic in Aragoniam rediit triumpho duplici coronatus. Petrus autem Comes de Lara cum familiare commercium cum Regina indebite propalaret, ſperans illud matrimonio confirmare omnibus præminebat, & cœpit regis officium exercere, & quaſi dominus omnibus imperitare, ſed magnates alii infamiam dominæ non ferentes, cœperunt ei reſiſtere, & matrimonii propoſitum impedire.

De concordia Regis Aragonenſis & regis Aldefonſi & morte Regis Aragonum. V. C.

De electione Aldefonſi Regis in Regem. Cap. III.

VERVM timentes ne res ad effectum caſu aliquo perueniret, * Gometho de Maceneto & Guterrius Fernandi de Caſtro præ omnibus inſtiterunt, vt Aldefonſum Reginæ filium & Comitis Raimundi, quem à tempore aui in Gallecia nutriebāt, ad regni faſtigium euocarent. *Gometus de Machumeta Gomethum Maceneto Caſtro.* Qui fauore omnium euocatus, in regni ſolio collocatur, reſiſtente nihilominus ſibi matre, & Comite Petro de Lara, ſed adiutus à ſuis Comitē Petrum de Lara à regno expulit, & expulſus ad aſylum Comitis * Barcinonæ abiit deſtitutus. *Barchinonia. V. C.* Rex autē matrē ſuam Reginam Vrracam obſedit in turribus Legionis, ſed pace inter matrem & filium procurata, retentis quæ Regina voluit, cætera filio reſignauit, & inteſtinis diſcidiis iam ſedatis cœpit Rex, quamuis iuuenis, potentiam Aragonum attentare, qui adhuc in regno ſuo potiora loca ſub poteſtatis ſuæ dominio detentabant. Cumque ex Gallecia, Legione, Aſturiis, & Caſtella exercitum congregaſſet, Rex Aragonum ex aduerſo per partes Anagari cum *Anagarum.* ſuo exercitu veniebat. Videntes autem Epiſcopi & Abbates Caſtellæ & Aragoniæ quod iſta diſſenſio poſſet Arabibus viam dare, ſicut tempore Roderici, vtrique Regi humiliter ſupplicarunt, vt à prælio abſtinerent, donec de concordia tractaretur. Demum cum eſſet iunior Rex Aldefonſus, fuit taliter procuratum, vt ſupplicaret per Epiſcopos & Abbates Regi Aragonum tanquam patri, vt ſibi reſtitueret regnum ſuum, & cum de iure non poſſet, nollet eum de facto priuare, quia ipſe paratus erat, tanquam filius, eum in omnibus adiuuare. Et Rex Aragonum his auditis, cum eſſet vir pius & optimus, ſic reſpondit: Gratias ago Deo vero qui filio meo tale conſilium inſpirauit, quia & ſi antea hoc feciſſet, me nun-

quam hoſtem, ſed propitium habuiſſet, & ecce nunc ex quo petiit gratiam, nihil eorum quæ ad eum pertinent mihi volo, ſed cuncta reſtituo incunctanter. Mandauit itaq; omnibus qui munitiones, caſtra, & oppida detinebant, vt Regi iuueni priuigno ſuo omnia reſtituerent ſine mora. Et firmata pace concorditer & benigne, vterque exercitus ſine belli periculo ad propria remeauit, Aldefonſo Rege iuuene in integrum reſtituto. Verum Rex Aragoniæ audiuit ibidem Arabes ſuis finibus adueniſſe, & in eorum occurſum properans in loco qui Fraga dicitur, cum Arabibus decertauit, & qui * alias ſemper inuictus fuerat, ſtrenuitate Aragonum frigeſcente, ſacrilegii quod Legione commiſerat, ſoluit pœnas. nam victus occiditur, &, ſi occiſus inuentus fuerit, dubitatur. Ab aliquibus enim dicitur corpus eius in montis Aragonis monaſterio tumulatum, à Mauris tamen ante redemptum. Ab aliis dicitur viuus à prælio euaſiſſe, & confuſionem prælii nequiens tolerare, peregrinum ſe exhibuit huic mundo, effigie & habitu immutatus. Et annis aliquot interpoſitis quiſpiam ſe oſtendit, qui ſe eundem publice fatebatur, & multorum Caſtellæ & Aragoniæ id ipſum teſtimonia affirmabant, qui cum eo in vtroque regno fuerant familiariter conuerſati, & ad memoriam reducebant ſecreta plurima quæ ipſe olim cum eis habita recolebat, & antiquorum aſſertio ipſum eſſe firmiter aſſerebat. Demum tamen quia eum ex regno plurimi ſectabantur, & de die in diem eorum numerus augebatur, Aldephonſus Rex Aragoniæ fecit eum ſuſpendio interire.

Alias ſere. Fraga. Propter ſacrilegium Legione commiſſum vincitur ab Arabib. Alfonſus Aragonum Rex. Aragonis mons. Pſeudorex Aragonum.

De magnalibus Regis Aldefonſi circa principium regni ſui.

CAP. IIII.

Æra 1146. Militibus.

ALDEPHONSVS autem filius Comitis Raimundi cœpit regnare æra milleſima centeſima quadrageſima ſexta, & regnauit LI. annis. Mater autem eius regnauerat poſt mortem Aldephonſi qui cepit Toletum, IIII. annis & fuit vir bonus, largus, ſtrenuus, manſuetus. Cuius tempora viris optimis, Comitibus magnatibus, & aliis ſtrenuis * magnatibus abundarunt, cum quibus magna & ardua attentauit, & fœlici exercitu conſummauit. Circa principium regni ſui ciuitatem Cauriam acquiſiuit, & in ea per Bernardum primatem qui eius tempore adhuc erat, dignitatis perditæ inſignia reformauit, & Mauros qui in Luſitania habitabant, ſæpe & ſæpius conculcauit. Interea Bernardus primas venerandus ordinatis eccleſiis prouinciæ & primatus, beneplacitis Deo actibus glorioſus quarto Nonas Aprilis, quartodecimo anno regni Imperatoris, defectu naturæ migrauit ad Chriſtum, & in * eccleſia quam de Mezquita ad titulum beatæ virginis conſecrarat, obtinuit cunctis flentibus ſepulturam, acclamantibus vniuerſis: *Cur nos pater deſeris deſolatos?* Vixit in pontificatu annis quadraginta quatuor. Eſt autem titulus tumuli ſic inſcriptus: *Primo Bernardus fuit hic primas venerandus.* Huic ſucceſſit Raimundus Epiſcopus Oxomenſis. Poſtea Imperator per partes Toleti Mauros aggrediens, Calatrauam quæ regnum Toleti grauiter infeſtabat, & diu obſeſſam pugnis & machinis occupauit, & eccleſiam cum multis poſſeſſionibus & decimis regalium redituum domino Raimundo Toletano primati conceſſit, & eiuſdem villæ iuriſdictionis municipia quæ munitionibus præminebant, quædam retinuit, quædam ſolo dirupta adæquauit, ſcilicet * Alacuris, Caracoi, Petrochium, ſanctam Euphemiam, Meſtantiam, Alcudiam, Almodouar. Et cum eſſet irruptione frequenti Mauris infeſtus, omnia ſibi proſpere ſuccedebant, & iam Hiſpaniarum Regem in * ſuis ſe vocabat.

Hodie tamen ſepulchrum eius viſitur in monaſterio S. Facundi. Idem de ...S. Laurentium apud Prudentium. Calatraua. Alarcuris. Caracoi. Petrochium. S. Euphemia. Meſtantia. Alcudea. Almodouar. Alarturis. Alcadsiens. Suis literis ſe vocabat.

De ortu & genealogia Regum Portugalliæ. CAP. V.

Tareſiam. Sup. c. 21. lib. 6. Sup. c. 1. lib. 7.

VERVM Comes Enricus, de quo diximus, quod Rex Aldefonſus * Taraſiam filiam ei dederat in vxorem, cum eſſet vir bonus, iuſtus, ſtrenuus, timens Deum, cœpit aliquantulum rebellare, non tamen ſubtraxit * hominium toto tempore vitæ ſuæ, ſed à finibus Portugalliæ eiecit, prout potuit, Agarenos, ſibi iam ſpecialem vendicans principatum. Hucuſque etenim cum gente ſua mandatum ad exercitum & ad curiam veniebat, ſed benignitas, immo negligentia Aldephonſi, tanquam conſanguineo & affini improuide deferebat. Ipſe vero Enricus Viſeo, & Lameco, & Portugali ſedes reſtituit cathedrales, & à Toletano primate earum Epiſcopi fuerunt conſecrati. Coimbriæ etiam eius tempore fuit Burdinus, de quo diximus, primus Epiſcopus conſecratus. Bracaram etiam quæ variis vaſtationibus adhuc diruta permanebat, vigili ſtudio reſtaurauit. & per Bernardum Toletanum primatem fuit dignitati priſtinæ reſtituta. In ea enim ſanctum Giraldum Toletanum

num

hum cantorem, de quo diximus, in Archiepiſcopum conſecrauit. Comes autem Enricus ad petitionem vxoris ſuæ Taraſiæ, quæ Regina, quia Regis filia dicebatur, terræ ſuæ ciuitates ſingulis Epiſcopis donationis titulo aſſignauit præter Coimbriam, quæ apud eos tūc temporis vt vrbs regia habebatur. Hic Enricus genuit ex Taraſia Aldephonſum, qui mortuo patre ſucceſſit in principatu, & à principio Dux Portugalliæ dicebatur. Hic duxit vxorem Mafaldam filiam Comitis Maurienæ, ex qua ſuſcepit filium Sancium & Vrracam, quæ fuit poſtea vxor Fernandi Regis Legionenſis, & genuit ex ea filium Aldephonſum, de cuius genere poſt dicemus, & aliam filiam quæ Taraſia dicebatur, & nupſit Philippo Comiti Flandriæ & Hannoniæ, & fuit mortua ſine prole. Filius eius Sancius duxit vxorem nomine Dulcem, filiam Raimundi Comitis Barcinonæ & Vrracæ Aragonenſis, & ſuſcepit ex ea filios Aldephonſum qui ei ſucceſſit in regno, & habuit vxorem Vrracam filiam Regis Caſtellæ nobilis Aldephonſi, & genuit ex ea filios Sancium Regem Portugalliæ ſucceſſorem, qui etiam adhuc regnat. Habuit ſecundum filium Aldephonſum, qui duxit vxorem Matillam nomine de partibus Franciæ Babyloniæ Comitiſſam, & per eam habet hodie Comitatum. Habuit etiam tertium filium nomine Fredinandum, qui in Caſtella duxit vxorem Sanciam filiam Comitis Fredinandi. Habuit etiam filiam Alienor, quæ nupſit Regi Daciæ, & ibi fuit mortua ſine prole. Rex autem Sancius, de quo diximus, præter Aldephonſum cuius generatio iam eſt dicta, filium habuit alium nomine Petrum. Hic duxit vxorem filiam Argmengaudi Comitis Vrgellenſis, quæ expers prolis vitam finiuit. Habuit & alium filium Ferdinandum, qui duxit vxorem Flandriæ Comitiſſam, & antequam prolem ſuſciperet, vitam finiuit. Habuit & aliam filiā Taraſiam nomine, quæ Aldephonſo Regi Legionenſi fuit inceſtuoſo contubernio copulata ex quo ſuſcepit filium nomine Fernandum, & filias Sanciam atque Dulcem, & Fernando & Sancia iam defunctis, Dulcis remanet nondum nupta.

De inſignibus præliorum Regis Portugalliæ Aldephonſi.*

** inſignia.*

CAP. VI.

NVNC contexta generatione Principum Portugalliæ, ad Aldephonſum Ducem, de quo cœpimus, reuertamur. Hic Aldephonſus fuit ſtrenuus, & pertinax in agendis. Hic primus in Portugallia ſibi impoſuit nomen Regis, cum pater eius Comes, & ipſe Dux antea dicerentur, & ab Eugenio Papa tertio, cui regnum ſuum conſtituit cenſuale, multa priuilegia & indulgentias impetrauit. Hic apud Coimbriam conſtruxit monaſterium ſanctæ Crucis, quod donariis & poſſeſſionibus multis * ditauit. Conſtruxit & aliud monaſterium quod Alcobatia nominatur, quod multis dotauit poſſeſſionibus & ditauit. Cepit ſanctam Ireneam, Sintriam, & * Vlyſbonam, Elboram, & Alanquellum. Multa etiam loca quæ patriæ vtilitas expoſcebat, & muris firmauit, & diu deſerta nouiter populauit. Habuit bellum cum Fernando Rege Legionis, in quo fuit victus & captus, ſed clementia aduerſarii ſuis protinus redonatus. Propria autem morte deceſſit, [ſepultus Coimbriæ in monaſterio ſanctæ Crucis.] Cui ſucceſſit filius eius Sancius, de quo diximus, vir magnæ prudentiæ & ſtrenuus in agendis. Contra Mauros plurima bella geſſit, & Syluam nobilem ciuitatem animoſus obſedit, & aduentantibus ex Flandria plurimis bellatoribus demum cepit, & in ea pontificalem cathedram eleuauit, ſed poſtea incurſu Arabum * veniente remanſit primis incolis ſubiugata, expulſo inde catholico incolatu. Populauit etiam loca plurima, quæ in ditione Regis Portugalliæ adhuc extant, Caueam Iuliani quæ vulgariter dicitur Couillana, Guardiam, Montem ſacrum, Portum molarum, & Turres nouas, & multa alia, quibus remanſit Portugallia dilatata. Et morbo* cronico diu detentus vitam finiuit, in monaſterio ſanctæ Crucis iuxta patrem traditus ſepulturæ. Huic ſucceſſit filius Aldephonſus in principio Chriſtianiſſimus, in fine ſuæ deditus voluntati. In diebus eius Alchazar & * caſtra alia in deditionem fidei catholicæ peruenerunt. Moriturus autem elegit in monaſterio Alcobatiæ ſepulturam. Poſt hæc Sancius filius eius ſucceſſit in regno. Huius temporibus Heluis, Iurmenia, Serpia, & multa alia caſtra Maurorum, Chriſtianorum victoriis acceſſerunt. Adhuc extat, & Dominus dirigat vias eius. Et vt genealogiæ Regum Portugalliæ ſeriem texeremus, à propoſito diuertimus aliquantum.

Rex primus Portugalliæ. Mirabiliter adornauit. Alcobatia. Vlixbonā V. C. pro Ebora. S. Irenea. Sintria. Olyſſimo. Elbora. Alanquellum. Silua. Flandria bellatores. Violente. Inter F. interim. Cauea Iuliana. Couillana. Cronice. V. C. Guardia. Sacer mons. Portum molarum. Turres nouæ. Caſtra Videtur ſi ſup ſape pro pagu pueblos & lugares accipere. Alcaçar. Alcobatia. Heluas. Iurmenia. Serpia.

Quod Imperator diuiſit imperium filiis ſuis. CAP. VII.

NVNC ad geſta Aldefonſi Hiſpaniarum Regis, prout cœpimus, reuertamur. Mortuo itaque Aldefonſo Rege Aragonum, & ſubſtituto eidem Ranimiro monacho fratre

Sic V.C. — Concha. — Legione Imperatoriam coronam impoſuit. — Pontinum. — Lara. — Tranſtamera. — Adeleda.

ſuo, cœpit Aldefonſus Rex Hiſpaniarum Aragoniam infeſtare, adeo quod ciuitates, & caſtra quæ ſunt citra Iberum, & loca omnia occupauit. Tandem poſt longa certamina ea lege in concordiam redierunt, vt Rex Aragonum omnia ſupradicta teneret in feudo à Rege Hiſpaniarum, & ei fieret in * vaſallum. Quod & fuit fideliter obſeruatum vſque ad obſidionem Conchæ, in qua dicitur Rex Caſtellæ Aldefonſus nobilis Regi Aragonum Aldefonſo hominium & dominium remiſiſſe. Poſt hæc rediens * Legionem impoſuit ſibi Imperii diadema, & vocatus fuit deinceps Imperator. Habuit autem duas vxores, Berengariam atque Richam. Ex Berengaria genuit Sancium & Fernandum, Eliſabeth & Beatiam. Eliſabeth nupſit Ludouico Regi Francorum, ex qua genuit filiam quæ dicta fuit * Adelodis, & fuit vxor Comitis de Pontino. Et illa Comitiſſa genuit Mariam, quæ fuit mater Ioannæ Reginæ Caſtellæ & Legionis. Beatia nupſit Sancio Regi Nauarræ, & ſuſcepit ex ea duos filios, & tres filias, de quibus ſuperius eſt iam dictum. Poſt hæc conſilio quorundam Comitum Amalarici de Lara, & Fernandi de Tranſtamarim * diſcidia ſeminare volentium, diuiſit regnum duobus filiis, Sancio & Fernando: Sancio primogenito dedit Caſtellam vſque ad ſanctum Facundum, & Morum Reginæ, & Aggerem fumorum, & Oroniam, Couellas, Medinam, & * Areualum, & totum territorium Abulenſe & inde ſicut diuidit Calciata, quæ dicitur deguinea, & in Aſturiis ſicut diuidit ripa Oue. Reſiduum vel ſus mare, * & Portugalliam dedit minori filio Fernando.

V. C ſemper. — S. Facundum. — Morum. — Agerfumorum. — Arenalū V. C. — Oronia. — Couellas. — Medina. — Areualum. — Strataguinea. — Portugalia.

De captione Cordubæ. CAP. VIII.

Corduba.

POSTEA cum magna ſuorum multitudine metuenda vrbem aggreſſus eſt Cordubenſem. Cumque prope eam veniſſet, Princeps Auengamia qui Cordubæ præſidebat, de viribus non confidens exiuit obuiam Imperatori, & claues obtulit ciuitatis eius dominio ſeſe tradens. Cumque Imperator acceptaſſet oblata, recepit etiam ciuitatem, & in Mezquita Raimundus primas & Archiepiſcopus Toletanus ritu catholico ſolēnia celebrauit. Cum vero ciuitas eſſet nimium populoſa, nec Imperator ſufficeret tot ibi ad conſeruationem dimittere bellatores, qui poſſent reſiſtere incolis, ſi vellēt forſitan malignari, demum conſilio minus ſano Auengamiæ qui ei ciuitatem dederat, commiſit cuſtodiam ciuitatis, & ille ſuper librum Mahometi qui Alchoranus dicitur, ſibi & Regi Sancio filio ſuo fecit hominium, & iurauit.

De aduentu Regis Franciæ in Hiſpaniam. CAP. IX.

Burgis.

POST hæc quidam maligni inter eum & Regem Franciæ volentes odium ſeminare, Regi Franciæ obrepſerunt, dicentes Eliſabeth vxorem ſuam eſſe ortam ex viliſſima concubina, & Rex Ludouicus volens experiri ſuggeſta, iter arripuit ad ſanctum Iacobum veniendi. Quod præſentiens Imperator Burgis occurrit, turba herilium procerum comitatus, equorum & theſaurorum copiis adornatus, & gener eius ab eo & Rege Nauarræ qui cum eo venerat, glorioſiſſime eſt ſuſceptus, ita quod ipſe Rex Franciꝫ in aſpectu tantæ gloriæ obſtupebat. Cumque eum vſque ad ſanctum Iacobum produxiſſet, inde rediens Toleti curiam celebrauit tam Chriſtianorum, quam Arabum eius imperio ſubiectorum, cui etiam interfuit Raimundus Comes Barcinonenſis. Cumque Rex Franciæ tam nobilem curiam inſpexiſſet, admiratus omnia dixit coram omnibus proteſtatus, ſimilem curiam, ſimilem apparatum in orbis ambitu nuſquam eſſe, nec tantam ſupellectilem ſe vidiſſe. Tunc imperator oſtendens ei Comitem Barcinonæ, qui in magno & honorabili apparatu erat, Ecce, inquit, ex huius ſorore Berengaria ſuſcepi filiam quam vobis contuli in vxorem, & ſi vobis hanc ignobilem, & me inglorium ſuggeſſerunt, oculi veſtri videant veritatem. Tunc Rex Ludouicus gratias egit dicens, Benedictus Deus quod filiam tanti domini ex ſorore tanti principis habere merui in vxorem. Obtulit autem Imperator infinita donaria, quæ * ſine valore numerum excedebant, ſed nil eorum voluit recipere Ludouicus, niſi quendam Carbunculum, quem in corona ſpinꝫ Dominicæ apud ſanctum Dionyſium collocauit, quem etiam memini me vidiſſe.

Rui.

De ortu Almohadum. CAP. X.

Aldemon.

IN diebus autem huius Imperatoris Aldefonſi ſurrexit apud Arabes vir quidam nomine Auentumerth, homo in Aſtronomia & naturalibus valde doctus. Hic curioſitate vigili inueſtigans quæſiuit iuuenem filium figuli qui * Abdelmon proprio nomine dicebatur, & ei

Digitized by Google

& ei ſuadens grandia prædixit eum Regem Arabum *aſtuturũ, qui mox conſentiens* prophetiæ monitis acquieuit. Auentumerth autem aſciuit quendam qui Almohadi vocabatur & erat in Mahometi doctrina valde peritus, & cœpit librum Mahometi qui dicitur Alchoranus, exponere & docere, & Caliphe de Baldac, qui eſt Papa Arabum, & deſcendit generationis linea de ſemine Mahometi, contraria prædicare, ſimiliter contra Almorauides qui tunc culmen regni in Africa obtinebant, rebellia adhortari. Et tantam ſeduxerunt populi multitudinem, quod licet Rex Albadi qui erat Rex & dominus Almorauidum, cum eis ſæpius concertaſſet, & etiam deuiciſſet, tanta fuit commotio eius gentis, quod non potuit præualere. Ille etiam Abdelmomus qui regalia exercebat, adiutus prædicatione Almohadi & conciliis Auentumerthi, Regem Aboali vicit, & interfecit, & totum regnum obtinuit Africanum, & apud Marrochum gentis illius metropolim ſtatuit ſedem ſuam, & Almohadi quaſi Dei prophetam in omnibus honorabat, cuius prædicatione totam Africam acquiſiuit, & ſuo gladio ſubiugauit. Tandem etiam in Hiſpaniam ciſfretauit, & fere ſuo dominio omnes Arabes incuruauit, & eo reuerſo in terram ſuam, mortuus eſt Almohadi, quem Abdelmomus non longe à Marrochis regio funere ſepeliuit. Et in tanta veneratione habetur, vt in neceſſitatibus ſuis ad eum recurrant ſubſidia petituri, & ab eius nomine complices huius ſectæ Almohades nominantur. Alii tamen dicunt Almohades, vnitos interpretari. Poſt hæc mortuo * Abdelmuno filius eius Auen acob ſucceſſit in regno, qui in Hiſpanias veniens à quodam Chriſtiano occiſus fuit in Portugali. Cui ſucceſſit frater eius * Aduenjuzeph, qui in bello Alarcuris repulit Chriſtianos, & hoc mortuo ſucceſſit ei filius eius Auenmahomath, qui in Nauis Toloſæ ab Aldephonſo Rege nobili fuit victus quæ victoria diſceſſionis & exterminii Almohadibus cauſam dedit.

A ſuturuin & ſuturum. Propheta.
Baldat.
Vide Hiſtoriam Arabum cap. 48. & 49.
Marrochum.
Abdelmunin.
Amnimeapt.

De captione Beatiæ & Almariæ. CAP. XI.

CVMQVE iam in purpura diadematis ſeminarium diſcidii germinaſſet Imperator, congregato exercitu obſedit Beatiam, & cum de ſuis aliqui receſſiſſent, Sarraceni vndiq; congregati ad ſoluendam obſidionem ilico aduenerunt. Apparuit autem in nocte ſanctus Iſidorus confortans Imperatorem, & in congreſſu craſtino ſe pollicens adiutorem. Igitur luce craſtina apparente, inito prælio iuxta promiſſum ſancti Iſidori obtinuit Imperator, & fugatis auxiliis, Mauri incolæ, quia reſiſtere non valebant, eius dominio ſe dederunt, & ei vrbis præſidium tradiderunt, quod ipſe in continenti repleuit bellatoribus, & incolis Chriſtianis, & remanſerunt Mauri ſubditi ſub tributo, & propter miraculum eccleſiam ſancti Iſidori conuentu regularium ordinauit, & donariis plurimis adornauit. Et inde procedens peruenit ad ciuitatem maritimam, quæ dicitur * Almaria. Cumque aliqandiu ibi manſiſſet, Raimundus Comes Barcinonæ, & naues Ianuenſium aduenerunt. Qui cum cum in acquiſitione fideliter adiuuiſſent, obtinuit, & ſibi retinuit ciuitatẽ, & ſpolia omnia Ianuenſibus eſt largitus, inter quæ inuentum fuit vas ſmaragdineum, vt ſcutella, & Ianuenſes illo contenti cætera dimiſerunt, quæ fere omnia Comiti Barcinonæ contulit Imperator. Et reuerſus eſt Imperator inclytus victoria & honore, & Beatiam vſque peruenit, ibique relicto filio ſuo Sancio ad cuſtodiam ciuitatis & Andugari, ipſe Imperator per montem qui * Maratal dicitur, iter arripuit redeundi. Cumque veniſſet ad ilicem quandam frondibus denſam & ramis, ibidem infirmitate vexatus vitam finiuit, & ſtatim Fernandus filius eius timens à fratre ſuo Sancio præueniri, cum magnatibus regni ſui regnum adiit Legionis.

Beatia, hodie Baeſa templum, vbi Diuo Iſidoro ſacrum.
Almeria hodie Almaria.
Beatia. Et queſate ipſi in marg. V.C.
Andugarum.
Muradal.
Maratal.

De ſucceſſione Regis Sancii in regno Caſtellæ. CAP. XII.

CVMQVE Rex Sancius qui Beatiæ remanſerat hoc ſenſiſſet, relictis omnibus * quæ vltra montem de Mutaral Chriſtianitas poſſidebat, ad funus patris velociter properauit, & cum primate Ioanne qui tunc aderat, patrem ſuum duxit Toletum, & ibidem in patriarchali eccleſia honorifice ſepeliuit, & cœpit regnare æra milleſima centeſima nonageſima ſeptima, & regnauit anno vno, & ex tunc cœpit aſſignati regni negotiis prouidere, & viuente patre vxorem duxerat nomine Blancam filiam Garſiæ Regis Nauarræ & Margelinæ filiæ Rotronis Comitis Perticarum, ex qua iam ſuſceperat filium nomine Aldefonſum, qui trium annorum remanſerat in morte Imperatoris. Hic Rex Sancius tanta benignitate pollebat, quod clypeus nobilium dicebatur, & tanta congerie virtutum claruit, vt pater pauperum, amicus religionum, defenſor viduarum, tutor pupillo-

Beatia quæ V.C.
Æra 1197.
Pertica.

rum, iuſtus iudex omnium ab omnibus vocaretur. Nihil arduum reputabat quod ad cordis magnificentiam pertineret, aſcenſiones virtutum in corde ſuo continue diſponebat, & munditiam amans ad ea quæ virtuoſum faciunt, anhelabat. Quid de moribus eius, de ſtrenuitate in hoſtes, de liberalitate in omnes, de iuſtitia in ſuos, de pietate in fratrem, de deuotione in eccleſias, de timore in Deum dicam? Huic pater diuiſit imperium, ſed ipſe virtutes omnium in ſe virtutum fibula colligauit.

Magnatorum.

*De reſtitutione * magnatum Legionis per Regem Caſtellæ.*

Cap. XIII.

REx autem Fernandus cum eſſet pius, miſericors, & benignus, ſuſurronum tamen linguis aures credulitate facili inclinabat, qui volentes regni exordia perturbare, mala de quibuſdam Comitibus ſuggeſſerunt, & ipſe eorum ſuſurris inclinatis abſtulit eis temporalia feuda quæ tenebant. At illi Regem Caſtellæ Sancium adierunt, qui ſtatim congregato exercitu venit ad ſanctum Facundum. Quod cum Fernandus Rex Legionis audiſſet, verens cum fratre committere, habito ſuorum conſilio, fratris arbitrio ſe commiſit, & cum paucis equitans venit ad fratrem velociſſime ſine armis. Ipſo vero improuiſis omnibus veniente, Rex Sancius in menſa conuiuii conſedebat, & adeo Rex Fernandus venit feſtinus, quod vix potuerunt ei aſſurgere conuiuantes. Rex autem Sancius, vt improuiſus aduentus potuit tolerare, eum recepit curialiter, & iucunde, & iuxta ſe in * collegio regio collocauit. Erat autem Rex Fernandus de cultu non curans, & venit illotus veſtes & caput. Cumq; vidiſſet eum Rex Sancius qui munditiam veſtium & corporis diligebat, fecit in continenti balneum præparari, & tandiu in menſa non comedens expectauit, donec lotus corpus & caput, optimis veſtibus innouatus, in conuiuio cultu regio ſedit ornatus. Et cõuiuio ſplendide celebrato, Rex Sancius aduentus ſui cauſam, & cuius cõſilio ſic aduenerat, ſciſcitatur. Cui reſpondit: Ad vos tanquam ad patrem & dominum veni ſecurus, de virtute bona præſumens, & ſupplico quod regni mei fines inuadere non velitis, quia etiam ſi velletis, vobis hominium facere ſum paratus. Cui Rex Sancius ſic reſpondit: Abſit à me, vt terram quam pater meus vobis contulit, meæ ſubiiciam poteſtati, vel frater meus, filius tanti patris, alicui hominio ſit aſtrictus. Sed cum pater noſter regnum nobis diuiſerit, & vos veſtris, & ego meis & prouentus & terram tenemur magnatibus impartiri, quorum auxilio patres noſtri terram perditam habuerunt, & Arabes repulerunt. Reddatis ergo feuda ſua Comiti Pontio de Minerba, & aliis magnatibus quos priuaſtis, & non credatis ſuſurronibus cõtra eos, & ego in continenti recedo. Tunc Rex Fernandus cum eſſet piiſſimus & benignus, omnia quæ Rex Sancius dixerat, acceptauit, & ſtatim ab inuicem amicabiliter receſſerunt.

S. Facundus.

Confeſſio V. C.

Quod Calatraua data fuit Abbati Fiterienſi, & de morte Regis Sancii.

Cap. XIIII.

QVibus * peractis Rex Sancius venit Toletum, & rumor increbuit, quod Arabes veniebant cum magno exercitu Calatrauam. Fratres autem militiæ templi qui arcem Calatrauæ tenebant, timentes quod non poſſent Arabum violentiæ obuiare, ad Regem Sancium acceſſerunt ſupplicantes, vt & arcem & villam Calatrauæ reciperet, quia non erat eis facultas Arabibus reſiſtendi, nec inuentus fuit aliquis de potentioribus qui vellet defenſionis periculum expectare. Erat autem tunc temporis in vrbe Regia Raimundus, homo religionis, Abbas Fiterii, & cum eo monachus quidam qui Didacus Velaſqui dicebatur, homo nobilis, & quondam ſtrenuus in officio militari, & de Buronæ partibus oriũdus, & à iuuentute cum Rege Sancio enutritus. Qui videns Regem ſolicitũ pro diſcrimine Calatrauæ, ſuaſit Abbati, vt à Rege peteret Calatrauam, & licet Abbas ſe à principio retraxiſſet, demũ conſenſit monacho, olim militi, ſupplicanti, & accedens ad Regem petiit Calatrauam. Et licet aliqui fatuum reputarent, tamen ſicut Domino placuit, Rex conſenſit: & Abbas cum monacho in continenti venerunt ad primatem Ioannem qui tunc præerat eccleſiæ Toletanæ. Qui audiens ſanctum propoſitum gratias egit Deo, & ſtatim rerũ ſuarum dedit auxilium, & fecit publice prædicari, vt omnes euntes in auxiliũ Calatrauæ omnium peccatorum veniam mererentur. Et facta eſt tanta commotio in ciuitate, vt vix eſſet qui aut in propria perſona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias in ſubſidium largiretur. Et Rex Sancius in continenti dedit Abbati & ſanctæ Mariæ de Fiterio in poſſeſſionem perpetuam, villam & præſidium Calatrauæ. Et Abbas cum Didaco Velaſqui monacho venit

His peractis.
Calatraua.

Fiterium.

Burona.

venit duce Domino Calatrauam, & ſic eſt factum diſpoſitione altiſſimi ordinante, quod Agarenorum exercitus, de quo rumor increuerat, non aduenit. Et tunc multi quos deuotio incitauit, temperato habitu, vt militaris agilitas expoſcebat, eorum ordinem receperunt, & in continenti cœperunt contra Arabes cædes & prælia exercere, & Domino adiuuante proſperatum fuit opus in manibus monachorum. Tunc Abbas reuerſus ad monaſterium, armenta, & greges, & cætera mobilia quibus tunc temporis Fiterium abundabat, nec non & multitudinem bellatorum quibus ſtipendia & viatica miniſtrauit, duxit ſecum veniens Calatrauam, exceptis debilibus & ægrotis quos ad miniſterium monaſterii dereliquit, & vt audiui ab his qui viderant, fere viginti millia hominum ſecum duxit. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas. Mortuus autem ſepultus eſt in villa quæ Cirolos dicitur, prope Toletum, vbi Deus per eum (vt fertur) miracula operatur. *Cirolo, hodie Ciruelos.* Didacus autem Velaſqui poſtea diu vixit, quem etiam memini me vidiſſe, & obiit in monaſterio ſancti Petri de Gomello, *Gomello.* & ibi ſepultus requieſcat in pace. Rex vero Sancius poſtquam dedit Fiterio Calatrauam, conſummatus in breui compleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius, & ideo * feſtinauit cum Dominus educere de medio iniquitatis, & dare ei imperium non diuiſum. *Feſtinauerat.* Obiit autem Toleti ſecundo Kalend. * Septemb. cui regni, & vitæ anni circulus finem dedit. *Nouemb. Cla. tom.* Regnauit enim anno vno, diebus duodecim, iuxta patrem ſepultus in maiori eccleſia Toletana.

De Rege Aldefonſo, & perſecutione quam infantia tolerauit, & nuptiis eius.
CAP. XV.

POST obitum deſiderabilis Sancii ſucceſſit ei filius nomine Aldefonſus trimus, & patris priuilegio amplectendus, æra milleſima centeſima nonageſima octaua. *Æra 1198.* Hunc genuerat ex Blanca filia Garſiæ Regis Nauarræ. Hic ab infantia vultu viuax, memoria tenax, intellectu capax. Sed quia regnorum principia vix carent diſcordia etiam in adultis, multi de ſuis qui ad diſcidia inhiabant, Fernando Regi Legionenſi infantis patruo ſuaſerunt, vt Regis pueri initia perturbaret. Qui continuo acquieſcens aliquas ciuitates & oppida occupauit ita vt ipſe Rex paruulus quæreretur. Cauſa autem huius ſeditionis (vt dicitur) iſta fuit. Cum deſiderabilis Sancius pater eius videret diem obitus imminere, vocatis magnatibus mandauit omnibus, vt terrarum dominia quæ ab eo tenebant feudo temporali, vſq; annos quindecim retinerent, & tunc filio ſuo fideliter reſignarent. Cumque puer Guterrio Fernandi de Caſtro a deſiderabili Sancio fuiſſet commiſſus, & ipſe poſt patris obitum cuſtodia pueri diligentiam adhiberet, acceſſerunt ad eum Garſias Garſiæ de Atia, Comes * Amalaricus, Comes Aluarus, * Nunius Petri de Lara, & hi tres vltimi erant fratres, filii Comitis Petri de Lara & Auæ Comitiſſæ. *Almarichus vbiq; hoc cap. & ſeq.* *Atia Nunnu, Claram.* Garſias Garſiæ erat frater eorum ex matre, & filius Comitis Garſiæ qui in bello Velelii cum infante Sancio fuit occiſus. Itaq; omnes ſuaſerunt Guterrio Fernandi de caſtro, vt daret puerum Comiti Amalarico, qui erat potens, & * charus habitantibus Extrematuram, & ſic poſſet terræ ſeditio complanari, & ipſi autem Guterrio Fernandi tanquam maiori deferrent. *Extrematura.* Erat enim vir grandæuus & honorabilis qui etiam deſiderabilis Sancii patris pueri curam habuerat, cum viueret Imperator. Hic dicitur fere quingentos milites manu propria accinxiſſe cingulo militari, & habuit vxorem nomine Theodam, ex qua tamen prolem aliquam non ſuſcepit, ſed habuit fratrem nomine Rodericum Fernandi, qui fuit Caluus agnominatus. Hic habuit quatuor filios Fernandum Roderici, & Aluarum Roderici, & Petrum Roderici, & Guterrium Roderici, & filiam Sanciam Roderici, quæ fuit vxor Aluari Roderici de Guzman. *Guzmann.* Cumque Guterrius Fernandi adhibuiſſet fidem verbis Comitis Amalarici, & fratrum ſuorum, eorum fidei commiſit infantem, & infantem receptum Garſiæ de Atia tanquam maioris cuſtodię commiſerunt. *Atia.* Ipſe vero cum eſſet ſimplex & rerum non prouidus diſpenſator, quęſiuit a fratribus vnde poſſet de ſumptibus prouidere. Ipſi vero gaudentes eo quod ad cuſtodiam pueri anhelabant, dixerunt ei, vt ſe ab expenſarum onere expediret, & traderet puerum Comiti Amalarico. Quod & ipſe acceptans ſumptibus caruit, & regimine & honore.

*De * diſpenſatione magnatum Caſtellæ ſuper cuſtodia Regis Caſtellæ, & de fuga eiuſdem in * Atentiam.* CAP. XVI.

Diſſenſione. recte.
Atentia.

CVM vero Guterrius Fernandi percepiſſet hos fratres cum Rege paruo rebellare, iuxta quod promiſerat, petiit ab eis reſtitui ſibi Regem. Quem ipſi tanquam impro-

Caſtrum. Lara. uidum deriſerunt. Cumque inter vtramque domum, de Caſtro videlicet, & de Lara, longa concertatio incidiſſet, multa hinc inde pericula, multa homicidia acciderũt, adeo quod hæc diſcordia occaſionem præbuit Legionenſibus præualendi, in tantum quod & aliquã partem Caſtellæ & extremorum Dorii occuparent. Cumq; Comes Amalaricus & fratres ſui ſibi timerent, Regem puerum Soriæ dimiſerunt ſub* fidei cuſtodia in parochia ſanctæ Crucis. *fideli Lacis V.C.* Inter hæc autem Guterrius Fernandi vitam finiuit, & in monaſterio ſancti Chriſtophori de* Eucis fuit ſepultus, & Comes Amalaricus in continenti petiit terram à nepotibus Guterrii Ferdinandi, ſed illi vſque ad quintum decimum annum pueri iuxta ſtatutũ Regis Sancii patris ſui reddere noluerunt. Vnde & ipſi corpus Guterrii Ferdinandi inhumaniter exhumantes, de proditione, niſi terram reſtituerent,* reputarunt. *reputauerunt.* Sed nepotes eius ab impetitione huiuſmodi liberarunt dicentes, quod Rex ab ipſo nunquam petierat terram ſuam. Vnde iam mortuus non poterat criminari, & ſententia curiæ abſolutus propriæ reſtituitur ſepulturæ. Cumq; in nepotes eius vellent obiecti criminis infamiam retorquere, reſponderunt ſe teſtamentali edicto Regis Sancii terram ſibi creditam vſque ad annos quindecim retinere, & tunc parati erant terram reſtituere Regi ſuo. His decertationibus inflammati terram Regis pueri cum deberent fideliter regere & tueri, incurſionibus & cladibus affecerunt, & creſcentibus malis vſque adeo res proceſſit, vt Regi Legionenſi fere totius regni, & etiam Toleti per duodecim annos ſoluerentur reditus & tributa, & Comes Amalaricus ad tantæ neceſſitatis articulum fuit ductus, vt Regi Legionenſi facere hominium cogeretur de dando Rege puero in vaſſallum. *inf. cap. 1. lib. 7. Soria.* Cumque cum ipſo Rege Soriam perueniſſet, vt iuxta hominium Regem puerum reciperet in vaſſallum, facto concilio Sorienſi, illi quorum fidei Rex tenellus fuerat deputatus, Amalarico Comiti ſic dixerunt. Liberum vobis damus, & liberum cuſtodite. Et tunc puer à quopiam concitatus in brachiis* baiuli cœpit flere, & in domum ducitur ſub ſpecie cibi dandi, vt ſic à fletu ceſſaret, & patruo traderetur. *al. Bauili leg. Baiuli ex Cod. ſcripto.* Tunc Petrus Nunii de fonte* Almexiri, miles ſtrenuus & fidelis, *Almexici.* Regem puerum protexit ſub cappa, & velociſſimo equo inſidens ea die ad caſtrum ſancti Stephani duxit eum. Cumque in Concilio Sorienſi Rex Legionis & Comites, & Barones varia varie pertractarent, & ſimulatum ſomnum Regis pueri ſpectarent, Rex Legionis de puero percunctatur. Erat enim ſpectatione & deſiderio fatigatus. Et dum quæreretur à pædagogo pueri* quonam eſſet, reſpondit: miles venit qui eum duxit patruo præſentandum. *ſi quonam iſſet Vel. puer quonam eſſet.* Cumq; Comites moram variis protractionibus procurarent, demum in ciuitate facta perturbatione non modica, ea conditione à Rege patruo receſſerunt, vt ſolicite inquirentes vbilibet inuenirent, puerum reſtituerent iuxta pactum. Et ea nocte ad ſanctum Stephanum peruenerunt. Sed Comes Nunius quaſi quæſiturus puerum præcurrit, & inde aſſumpto puero ſequenti die Atentiam ſe recepit, & pacta & hominia pro liberatione domini non curauit. Quod audiens Rex Fernandus doluit reputans ſe deluſum, & miſit quendam militem Comiti Amalarico qui eum de infidelitate & periurio appellaret. Qui attendens pro liberatione domini naturalis quidlibet faciendum, & tenellum dominum omnibus præponendum, nuncium qui ad reptandum venerat, iocoſe deluſum ſine reſponſo abſolio remiſerunt. Tandem cum Rex Ferdinandus Comitem Amalaricum præſentialiter repetaret, Comes Amalaricus ſic dicitur reſpondiſſe: Si ſum fidelis, aut proditor, aut aleuoſus, neſcio, ſed quocunque modo potui, tenellum puerum dominum meum à ſeruitute indebita liberaui, cum ſim eius domini naturalis. Ad hæc omnium iudicio eſt ab impoſito crimine abſolutus.

Quod Rex Fernandus obtinuit fere totam Extrematuram.

CAP. XVII.

OCCVPAVIT itaque Rex Fernandus omnes ciuitates, & caſtra, & villas, præter pauciſſimas in quibus Rex puellus receptabatur aliquãdo minus tute, & qui adhuc à mammillis nutricis paruulus dependebat, ætatis gratia fauorabilis, naturæ beneficio innocens, patris priuilegio amplectendus, futurorum indiciis obſeruandus, quaſi iam reus, vel nocens ad mortem quæritur, quaſi non verus hæres exhæredatur, quaſi non filius primogenitus Imperatoris, qui debebat eſſe hæres ex integro, à patrimonio effugatur. Quid mali perfecit, qui loqui non poterat, qui nec ſtatum ſuæ infantiæ agnoſcebat? niſi hoc dignum perſecutione dicatur, quod quicquid poſſibilitati illius ætatis ſuberat, hoc in puero bonorum præſagiis monſtrabatur, quæ omnia proceſſus infantiæ iam in pueritia oſtendebat, in qua regalis grauitas leuitatis puerilis ignara ſucceſſione temporum mirabiliter coalebat. Quæque in aliis principibus vix ætas etiam operatur, in iſto gratia ſuperabat. Itaque puerorum ludicra

ludicra vir mente tranſcendens, & bella plurima contra patruum decenter exercuit, & munitiones plurimas immerito perditas merito recuperauit, fauentibus ſibi Amalarico & Nunio Comitibus, & plurimis magnatibus qui toto tempore vitæ ſuæ ei inſeparabiliter & fideliter adhæſerunt, qui etiam eum propriis humeris & brachiis nutrierunt. Nec etiam fuit locus vel ciuitas, licet Regem Fernandum prędictis de cauſis ſtulta vulgi mobilitas ſequeretur, in quibus aliqui ſaniori & fideliori mente præditi Regi puero nõ fauerent. Vnde & quidam ex eis perſecutionem & damna à Fernando Rege & ſuis complicibus pertulerunt, & ipſi magis elegerunt cum vero domino fideliter exulare, quam fide læſa vtilitatis cauſa indebito principi obedire. Horum nomen & genus etiam hodie habetur in omnibus regni finibus glorioſum, remuneratione plenum, opprobrio vacuum, potentia ſublimatum, familiaritate regia honeſtatum.

De commendatione fidei ſeu fidelitatis. CAP. XVIII.

QVID fide glorioſius? impoſſibile eſt enim Deo placere quempiam ſine fide. Si prima gratia in iuſtificatione impii fides à Theologis prædicatur, per hanc damnatus homo gratiæ redonatur. Quid fidelitate potius appetendum? cum enim ſit vtilis & honeſta, ſine hac Deus, qui omnia poteſt, noluit mundum regi, quia ſi hæc periret, homo homini non ſubeſſet, nec quiſquam ab alio tutus eſſet, & conuictus inter homines* non adeſſet, *nullus eſſet.* ſed nec quiſquam ſufficeret ſibi ſolus, & ita cõgregatio hominum deperiret: igitur cuncta pro nihilo facta eſſent. Fides itaque ſit præuia omnibus, per quam quilibet Deo placet, qui eſt Dominus dominorum, fidelitatem etiam circa inferiores tanquam pupillam oculi inuiolatam cuſtodiat & illæſam. Nunquam enim hæreditatis eius tuta poſſeſſio violatur, & eius negotiatio nunquam mercede fraudatur, nõ eſt in ea labor ſine præmio, nec eſt timor ſine adiutorio, oculi eius ſecuri, frons velari neſcia non indiget velamento, tuta in occulto, *glorioſa in publico, iucunda inter amicos, nobilis inter odioſos, probris infeſta, laudibus *tuta in publico.* gratioſa, ab omnibus acceptatur, etiam vbi diſplicet approbatur. Sed & vitiorum monſtroſa caterua fidelitatem abnuens, quam in ſe renuit, in aliis concupiſcit. dignitate enim humanæ naturæ conſpicua non prono, ſed vultu incedit erecto, & terras dedignata ſimilis cæleſtibus inuenitur. Quieſcit ſecuritate conſcientiæ, roboratur ſpei magnitudine, tota pura, tota deſiderabilis, tota vtilis inuenitur. Hanc exquiſiuit à iuuentute ſua Aldefonſus deſiderabilis Sancii filius, qui cum eſſet paruulus (vt dictum eſt) & fere regno priuatus, ſuorum fidelitate & induſtria recuperauit perdita, acquiſiuit non habita, *reædificauit deſer- *abundaret.* ta, donec iaceret fundamenta vrbium, & erigeret excelſa turrium, & ruinas à ſæculis repararet. Proficiebat enim apud Deum & homines ſapientia & ætate. Perſequentium manus euaſit ſuorum ſolertia liberatus. Tandem etiam *Toletum obtinuit, quam duodecim an- *Toletum 12. annis ſub rege Legionenſium, quo videtur ex ſcriptoris Vetuſtiſ falſum.* nis occupauerat Rex Fernandus. Perſecutus eſt perſecutorem, & quem iniuſte ſenſerat hoſtem, ſæpe perſecutus eſt fugientem. Omnia enim quæ perdiderat, acquiſiuit, & etiam Infantaticum, quod ſub dubio vertebatur. Erexit eum Deus altiſſimus, & magnificauit eum Creator ipſius, donec ſtabiliret illi ſolium gloriæ, & exaltaret ei diadema victoriæ. In fraude circumuenientium illi affuit, & honeſtum gloria fecit illum, cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutatus eſt illum, & dedit illi certamẽ, vt vinceret, & ſciret quoniam omnipotens regit Reges, & per eum principes tenent terram. Obtinuit itaq; omnia quæ fuerant patris ſui.

De Rege Fernando Legionenſi filio Imperatoris. CAP. XIX.

NVNC à proſecutione propoſiti aliquantulũ diuertẽtes Regis Fernandi magnalia proſequamur. Fuit autem Rex iſte Fernandus pius, hilaris, liberalis, ſtrenuus, benignus, & in præliis fortunatus, erga religiones & eccleſias ſic deuotus, vt eis fere omnia regalia largiretur, quę tamen filius eius poſtea reuocauit, & adeo communis omnibus habebatur, quod tanquam regularis, in mobilibus fere proprium non habebat, & quamuis induſtria *iramoratus, plus fauore quam timore ab omnibus amabatur. Et accepit vxorem Vrracam nomine, filiam Regis Portugalliæ Aldefonſi, ex qua ſuſcepit filium nomine Aldefonſum. Rex igitur Fernãdus, licet gener, Regi Portugalliæ, pacificus raro fuit. Vnde ad conſilium cuiuſdam *Vernali qui a Rege Portugalliæ læſus effugerat, locum optimum populauit qui dicitur Ciuitas Roderici, ex qua Portugalliæ intulit multa mala. Populauit etiam Leteſmam in territorio Salamantino, & Granatam in territorio Caurienſi, Beneuentum, & Coiancam quæ nunc Valentia dicitur, in diœceſi Ouetẽſi, Villarepandum, Manſellam, & Maioricam in diœceſi Legionenſi, caſtrum Toraph in diœceſi Zamorenſi.

minoratus. Vernuli V. C. f. Vernalis Sed inſi. 24. Roderici ciuitas. Leteſma. Granata. Beneuenta. Coianca. Valentia. Villarepãdum. Manſella. Maiorica. Caſtrũ Toraph.

De bello eiuſdem cum Salamantinis. CAP. XX.

Vallis Muza. præfecerant. Deſtrianæ. Aſtorica.

CVMQVE Salamantina ciuitas cæteras regni vrbes & habitatoribus & terminis ſuperaret, indignati ciues eo quod Rex eorum terminos decurtabat, contra Regem fauentibus ſibi Abulenſibus ſeditionem mouerunt, & in valle Muze pariter cõgregati cum duce quodam qui Munio Rauia dicebatur, cum Rege Fernando prælium inierunt, & præter ſpem omnium victoria Regi prouenit, & ducem quem ſibi * fecerant, Munionem Rauiæ viuum cepit, quem capitali ſententia condemnauit. Et ſic maioribus ſibi fauentibus, quorũ ſententia principio non potuit præualere, vim vulgi multitudine faciente, demum experti præſumptionis flagellum, & potentia minorati, nunc ſuis maioribus & ſuo principi pro venia ſupplicabant, & ſic Rex victor ciuitatem, vt voluit, ſubiugauit, maioribus qui ſibi fauerant, honoratis. Poſt hæc Rex Fernandus corpus Regis Ranimiri Deſtrianæ ſepultum Aſtoricam tranſtulit, & in cathedrali eccleſia ſepeliuit.

De ſuccurſu ciuitatis Roderici. CAP. XXI.

Vt & ipſe Regi Ferdinand. Roderici ciuitas.

ERAT autem tunc temporis vir nobilis, de quo diximus, ex Caſtella Fernandus Roderici agnomine Caſtellanus, qui poſtquam feuda quæ tenebat, Regi reſtituerat Caſtellano, receſſerat à Caſtella, & tranſiuit ad Agarenos, & cum eorum maxima multitudine ad ciuitatem Roderici venit feſtinus, vt præoccuparet locum & incolas improuiſos. Sed dicitur ſanctus Iſidorus cuſtodi ſacrorum ſuæ eccleſiæ aduentum prædicti principis & Arabum reuelaſſe, * vt ipſe Fernando ſimiliter reuelaret, & Rex Fernandus audiens egit gratias, in continenti properans ad ſubſidium obſeſſorum. Sed quia ciuitas nondum erat muris munita, populatores quadrigas, & ſcrinia, dolia, arcas, & lectos, & lignamina omnia in circuitu poſuerunt, quibus vſque ad aduentum Regis hoſtibus inſtiterunt. Rex autem veniens inuictus animo, confiſus in Domino, & oraculo confortatus, cum obſeſſoribus concertauit, & maxima eorum multitudine interfecta quæ vix poterat numerari, alios egit fuga, alios retinuit in captura: & munita ciuitate Roderici quieuit terra à præliis diebus multis.

De bello Fernandi Roderici. CAP. XXII.

Lubricale campi Gotthici. V. C. Homagium agit & in aliis pleriſque locis. Donia.

ET Rex Fernandus optans ſtrenuos, Fernandum de quo diximus reuocauit. Sed idem Fernandus quieſcere neſcius cœpit inuadere Caſtellanos, & in campis Gotthorum, in loco qui dicitur Lubricale, pugnauit cum Comitibus Caſtellanis, & ſocerum ſuum Oſorium Comitem qui degebat tunc temporis in Caſtella, & Aluarum Guterrii fratrem Roderici Guterrii interfecit, & multis aliis fugatis, captiuatis, & interfectis, Comitem Nunium & Rodericum Guterrii captiuauit, qui tamen poſtea recepto reuertendi * hominio taliter diſceſſerunt, vt Comes Nunius ſtatuto tempore, & Rodericus Guterrii poſtquam ſepeliſſet Aluarum Roderici, ſe reſtituerent captioni. Sed cum Rodericus Guterrii eſſet ſagax, fratrem ſuum in ſarcophago poſuit, & tamdiu diſtulit ſepelire, donec Fernandus Roderici vitam finiuit, & ſic fuit a captiuitatis hominio liberatus. Comes autem Nunius die & loco quo redire debebat, aſſumptis ſecum ſexcentis militibus venit Donias, & in præſentia omnium Fernandi Roderici ſe obtulit captioni dicens coram omnibus, Ecce adſum, & iuxta condictum me recipite in captiuum. Sed cum Fernando Roderici non eſſet facultas ſexcentis militibus reſiſtendi, nemo manus in eum iniecit. Et Comes Nunius proteſtatus coram omnibus captiuitati ſe tempore placiti obtuliſſe, abiit liberatus, & ſic ſollicitudo deluſa eſt captiuantis. Occiſo autem Oſorio Comite Fernandus Roderici filiam eius quam in vxorem duxerat, dereliquit afflictæ addens afflictionem: ſed ipſa nupſit Petro Ariæ, ex quo genuit Rodericum Petri de villa Luporum. Et poſt paucos dies Rex Fernandus ſororem ſuam ex parte, nomine Stephaniam, ei matrimonio copulauit, ex qua ſuſcepit idem Fernandus filium Petrum Fernandi, qui fuit poſtea magnus, & coram Regibus honoratus.

De victoriis Regis Fernandi, & morte eius. CAP. XXIII.

ALDEPHONSVS autem Rex Portugalliæ dolens quod Rex Fernandus ædificauerat ciuitatem, miſit exercitum cum filio ſuo Sancio primogenito contra eam. Sed quia Rex Fernandus à Rege Caſtellæ infeſtabatur, diuiſo exercitu partem reliquit quæ occurreret,

reret Caſtellanis, partem duxit contra exercitum Portugallis, & occurrit filio Regis Sancio venienti in termino ciuitatis, in loco qui dicitur Arganale, & cōſerto prælio, Regi Fernando victoria Portugalenſibus ceſſit fuga, & multis occiſis, multiſque fugatis, cæteri Regis clementiæ ſe dederunt, quos non vt victor euertit, ſed vt clemens abire permiſit. Rex autem Portugalliæ indignatus cœpit Galleciam infeſtare, & occupauit totam Linciam, & Turonium, & alia multa loca. Deinde congregato exercitu Badallecium eſt aggreſſus, quæ in diuiſione acquirendorum prouenerat Regi Fernando. Cumque ſuper hoc nuncius aduenisſet, Rex Fernandus congregato exercitu bellum intulit Aldephonſo, & cum ſuccumberet exercitus Portugallis, Rex eorum confugit ad eam de qua agitur ciuitatem. iam enim fere duas partes occupauerat ciuitatis Agarenis in arce concluſis. Sed nec ibi quidem ſe tutum exiſtimans, dum per portam effugeret ciuitatis, quæ peſſulo ferreo claudebatur, impegit ad peſſulum, & crure confracto vix in equo poterat reſidere. Vnde & ilico fuit captus, & Regi Fernando ſatis miſerabilis præſentatus. Quem benigne ſuſcipiens Rex Fernandus iuxta ſe in conſeſſu regio collocauit. Sed Rex Portugalliæ grauis diſcriminis attendens ſtatum, confeſſus eſt ſe Regem Fernandum indebite offendiſſe, & pro ſatisfactione regnum obtulit & perſonam. Sed Rex Fernandus pietate ſolita manſuetus, ſuis contentus Regi Portugalliæ ſua remiſit. Tunc reſtituit Rex Aldephonſus Regi Fernando Luniam, & Turonium, & cætera quæ ſuæ fuerant ditionis, & dimiſſus ad propria eſt reuerſus, nec propter læſionem tibiæ potuit poſtea militare officium exercere. Rex autem Fernandus cum iterum Badallocium obſideret, egreſſi ad eum Agareni ab arce ſe ei cum præſidio tradiderunt, quorum hominio & fide ſuſceptis præfecit eis quendam Arabem qui Abenhabel dicebatur, cuius fidei commiſit cuſtodiam ciuitatis. Sed Rege ad patriam redeunte prædictus Arabs oblitus fidei continuo rebellauit, & Amiramomenino ſe tradens Regem Fernandum poſtea grauiter infeſtauit. Arabes autem attendentes Regem Aldephonſum debilitate quā diximus, præpeditum, eundem in caſtro ſanctæ Irenææ congregata multitudine obſederunt. Quod audiens Rex Fernandus in ſuccurſum eius celeriter properauit, & eius aduentu territus Rex Aldephonſus timuit ne ad vindicandas iniurias adueniret, ſed cognita veritate egit gratias, vt debebat. Agareni autem Regis Fernandi præſentiam non ferentes ab obſidione continuo receſſerunt. Et Rex Fernandus ad regnum rediens dimiſit Vrracam vxorem, quia eum conſanguinitatis gradu tertio attingebat, & duxit vxorem Taraſiam filiam Comitis Fernandi, quæ fuerat vxor Comitis Nunii de Caſtella. Et ea mortua duxit Vrracam filiam Lupi Comitis Naiarenſis, ex qua ſuſcepit duos filios Sancium & Garſiam, quorum vterq; expers prolis vitam finiuit. Cæterum Rex Fernandus annis triginta vno in regno fœliciter conſummatis, obiit Beneuenti æra milleſima ducenteſima octaua, & in eccleſia beati Iacobi eſt ſepultus iuxta auum ſuum Comitem Raimundum & Imperatricem Berengariam, matrem ſuam.

Arganale. *Lincia.* *Turonium.* *Badallecium.* *Lunia.* *Turonium.* *Æra 1208.*

De Rege Aldephonſo, & eius militia, & filiis. CAP. XXIIII.

MORTVO Rege Fernando, ſucceſſit ei eius filius Aldefonſus. Hic fuit homo pius, ſtrenuus, & benignus, ſed * ſucceſſionum viciſſitudine mutabatur, & à conſobrino ſuo Aldephonſo Rege Caſtellæ & Sancio Rege Portugalliæ infeſtatus circa * principium regni ſui venit ad Regem Caſtellæ & in curia Carrionis accinctus ab eo cingulo militari, manum eius fuit in plena curia oſculatus, & in eadem curia Rex Caſtellæ nobilis Aldephonſus Conradum filium Frederici Imperatoris Romani accinxit ſimiliter cingulo militari, & ei filiam ſuam primogenitam Verengariā deſponſauit. Sed ipſo Conrado in Teutoniam reuertente prædicta domicella deſponſationi continuo contradixit, & per Gundiſaluum Toletanum primatem & Gregorium Sancti angeli Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum *diuortio celebrato, puella Verengaria* manſit innupta. Et ſic ad tempus quieuit terra pace amicabiliter reformata. Sed quia (vt diximus) auriculariorum ſuſurris ad varia trahebatur, eorum conſilio duxit Taraſiam filiam Sancii Regis Portugalliæ in vxorem, licet eſſent conſanguinei in * ſecundo gradu, ex qua ſuſcepit Sanciam & Fernandum, qui fuerunt mortui ſine prole, & aliam filiam quæ Dulcis dicitur, & adhuc viuit. Et in odium Regis Caſtellæ fuit hoc * contubernium procuratum. ſuggerentibus enim ſuis vernulis, dolebat ſe a Rege Caſtellæ recepiſſe cingulum militare, & tamen ab illa vxore fuit iudicio eccleſiæ ſeparatus. Demum inter ipſum & Regem Caſtellæ guerris & vaſtationibus perpetratis, duxit vxorem dominam Verengariam Regis Caſtellæ filiam, de cuius virtutibus poſt dicemus, & ſuſcepit ex ea filios Fernandum, cui Caſtellæ & Legionis prouenit poſtea principatus, & Aldefonſum: & duas filias, Conſtantiam, quæ fuit in Bur-

ſuſurronum. *primordia.* *Bereng.* *Diuortium ſup. lib. 5. cap. 9. cap. 23.* *Illicitum connubium in 2. gradu, infr. in fine cap.* *connubium.*

genſi monaſterio monialis, & Verengariam, quæ nupſit Ioanni de Brena, qui ex parte vxoris quam habuerat, Hieroſolymitani regni ad tempus negotia miniſtrauit. Poſtea vero filiam ſuam quam ex prædicta Verengaria ſuſceperat, Baldouino Imperatori Conſtantinopolis deſponſauit, & quia idem Baldouinus adhuc puer à Græcorum incurſibus non poterat Imperium defenſare, ſedes Apoſtolica Ioanni dicto Regi commiſit Imperium toto tempore vitæ ſuæ, & ſic fuit deinceps Imperator, & vxor eius Verengaria Imperatrix. Quibus defunctis Baldouinus cum vxore ſua Maria in Imperii culmine dominantur, & dominus cuſtodiat eorum ſtatum. Rex autem Aldephonſus & Regina Verengaria ſuſceptis filiis ſupradictis propter conſanguinitatem fuerunt ab Innocentio Papa tertio ſeparati. Et poſtea inter Reges guerræ & vaſtationes vix aliquo tempore ceſſauerunt, Rege tamen Caſtellæ in omnibus præualente, & de regno alterius caſtra & plurima occupante: ſed tamen nec ſibi, nec filio, ſed nepoti Fernando omnia acquirebat.

De actibus Aldephonſi Regis Legionenſis. Cap. XXV.

VERVM in ſenectute poſitus Rex Legionis actus ſuos Domino dedicauit, & Arabibus mouit guerram, & obtinuit ab eis Montem angu, Emeritam, Badallocium, Alcantaram, atque *Canceres. Populauit etiam Saluam leonem, Saluam terram, & Sabucale, & alia plurima loca, per quæ regni terminos ampliauit: [& conflixit etiam cum * Auhenhuc induſtrio Sarraceno, qui nuper expulſis Almohadis * Vouandaliæ vſurpauerat monarchiam. Sed bello ſubactus Aldephonſo Regi prope Emeritam dedit terga, & victa Emerita dedit manus.] Mortuus eſt autem in Villa noua de Sarria æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua, & in eccleſia beati Iacobi requieſcit, & reliquit duas filias Sanciam atque Dulcem, quibus etiam ſucceſſionem regni legauit. Sed quia omnes regni nobiles tam de ciuibus, quam de aliis olim filio ſuo Fernando iurauerant, non potuerunt regnum filiæ obtinere. Sed aliquantis diſcidiis procuratis, & ciuitatibus, & nobilibus in varia ſtudia ſeparatis, nobilis Verengaria Regina Caſtellæ *interpoſuit partes ſuas, & ſic omnes gratiæ ſolertia dulcorauit, quod licet infantes quam plurimos fautores haberent, & munitiones, & caſtra quam plurima in omnibus fere regni finibus poſſiderent, ad hoc infantes & matrem eorum Reginam Taraſiam neceſſitate induxit, vt eius gratiæ ſe ſponderent. Vnde paternæ largitatis in omnibus imitatrix curialitate ſua * vt infantes coadiuuarent, magnos reditus fecit à filio aſſignari, & ſic obtinuit pacifice regnum patris æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua.]

Abenhut.
Canceres.
V. C. Vandaliæ.
Hæc abundant ex V. C.
Abſunt hæc ſequentia uſque ad finem cap. in Tolet. ſcripto codice.
artes.
infantibus ſuis quo ad ſincerẽt.
Æra 1268.

De inſignibus nobilis Aldephonſi, & captione Conchæ. Cap. XXVI.

NVNC ad Aldephonſi Regis hiſtoriam reuertamur. Licet igitur fidelitate ſuorum regni perdita reparaſſet, tamen ſemper fuit a patruo infeſtatus. Poſt hæc Rex nobilis Aldephonſus guerrã habuit cum auunculo ſuo Sancio Rege Nauarræ & euicit ab eo Lucronium, Nauarretum, & Antilenam, Grannonem, Cæſareum, & Birueſcam, & fere omnia vſque Burgis, quæ idem auunculus in eius infantia occuparat. Poſt hæc orta eſt diſſenſio inter eum & Regem Aragonum Aldephonſum, & abſtulit ei nobile caſtrum quod * Feriza nuncupatur, per induſtriam nobilis viri qui Nunio Sancii dicebatur, qui cepit caſtrum, & dedit *illi nobili Regi Aldephonſo. Poſt hæc autem virtute altiſſimi roboratus conuertit manus ad infideles, vt bella fidei exerceret. In manu robuſta vaſtauit eos, & in cordis magnificentia coegit eos, ſuccendit ignibus ciuitates, & ſuccidit viridia deliciarum, repleuit terram timore ſuo, concluſit Arabes aduentu ſuo, deſtruxit munitiones inſidiantium, & fidei terminos dilatauit, obſedit Concham munimentum Arabum, & laboribus pluribus arctauit eos, extruxit in gyro plures machinas, nec die, nec nocte pepercit eis, & cibus & victus defecit ei, ſed cor regium confortauit eum, neglexit delicias ſeducentes, & zelatus eſt nomen gloriæ, longanimitas ſua glorificauit eum, & regalis conſtantia direxit eum, donec concluderet obſeſſos in arcto, & * hoſtis clementiam implorarent. Miſerunt legatos ad Almohades, verba doloris ad gentem Arabiæ. Induratus auditor concluſit aures & ſuum auxilium denegauit, timor belli confudit eum, & odor belli terruit eum, fama Regis concluſit mare, & nomen eius compeſcuit tranſeuntes, donec reddita eſt ei munitio Conchæ, & turres eius ſubditæ ei, rupes ei, rupes eius factæ ſunt peruiæ, & aſpera eius in planicies. Poſſedit † etiã poſt labores multos, & extruxit eam in vrbem regiã, poſuit in ea cathedrã fidei, & nomẽ præſulis exaltauit in ea, cõgregauit ibi diuerſos populos, & vniuit in populũ magnitudinis, ſtatuit in ea præſidiũ fortitudinis, & Regiam decoris honeſtauit in ea. Dedit ei Aldeas ſubiectionis, & paſcuis vbertatis deliciauit eam, ampliauit in alto muros eius

al. Ferrica.
V. C. Ieriza.
fort. Hariza.
Lucronium.
Nauarretum.
Antilena.
Granon.
Cæſareum.
Birueſca.
Feriza illud.
Conchã.
hoſtes.
eam.
Vrbs Regia, Concha, & Toletum, Conuenitur eius in ſal. Legis.

eius, & vallauit eam muhimine tuto, creuit in vrbem multitudinis, & dilatata eſt in terminos populorum. Miratur eam antiquus incola, & in aſpectu eius formidat Arabs. Munitio eius in rupibus eius, & abundantia eius in decurſibus fluuiorum, gloria eius in principe ſuo, & ſanctimonia eius in cathedra dignitatis, deliciæ eius in paſcuis gregum, & copia eius in pane & vino. Recole Concha dies principis, & in memoria eius exhilara faciem, nomen eius in laudibus tuis, & gloria eius memoriale tuum, addidit protectionem terminis tuis, & dilatauit iuriſdictionem cathedræ tuæ.

Concha.

Item de magnalibus & piis operibus nobilis Aldephonſi. CAP. XXVII.

CEPIT Alarconem in rupibus ſempiternis, & firmauit ſeras defenſionis, Aldeis multis dotauit illud, vt abundaret in eo incola fidei, conſtituit fortes in munimine, vt eſſet Arabibus via necis, deſerta apte repleuit gentibus, & in via tutatus eſt habitatores, Alcarias rupium domuit populis, & duritiam ilicis conuertit in vias. In* Veleſio ſtatuit caput ordinis, & opus eorum enſis defenſionis, perſecutor Arabum moratur ibi, & incola eius defenſor fidei, vox laudantium auditur ibi, & iubilus deſiderii hilareſcit ibi, rubet enſis ſanguine Arabum, & ardet fides charitate, mentium execratio eſt cultori dæmonum, & vita honoris credentium in Deum. Ripam Tagi repleuit habitatoribus, & incolis defenſionis ſaltus Ocaniæ, obtulit excelſo terram illam, & militiæ ſancti Iacobi dedicauit eam, rupes Aureliæ vniuit ei, & præſidium more ſubiecit illi, vt dedicaret terram ſanctimoniæ, & particeps fieret religionis. Deſiderabilis Sancius pater eius dedit Fiterio Calatrauam, Aldephonſus nobilis conſummator eorum, ſuſcepit militiam * contemplatio, & egreſſus fratrum à Fiterio. Rex Aldephonſus educauit eos, & poſſeſſionibus pluribus ditauit eos, Zuritam, & Almochariam,* Machedam, Acecham, & Cuculutum obtulit eis, & ſuſtulit ſarcinam paupertatis, & ſuperaddidit diuitias competentes, multiplicatio eorum *corona principis, qui laudabant in Pſalmis, accincti ſunt enſe, & qui gemebant orantes ad defenſionem patriæ, victus tenuit paſtus eorum, & aſperitas lanæ tegumentum eorum, diſciplina aſſidua probat eos, & cultus ſilentii comitatur eos, frequens genu flexio humiliat eos, & nocturna vigilia macerat eos, deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos. Alter alterius obſeruat ſemitas, & frater fratrem ad diſciplinam.

Alarcon. Veleſium. Vleſio. Tagus. Ocania. Aurelia. Titerium. contemplando. Zurita. Almocharia. Mequeda. Acecham. Cucullum. Macedam. Acecam. Gloria regis & diſciplina eorum.

De populatione Placentiæ, & exercitu Martini primatis. CAP. XXVIII.

CONVERTIT manum ad nouitatem operum, & ædificauit de nouo ciuitatem gloriæ: ſtatuit in ea præſidium patriæ, & nomen eius vocauit Placentiam: conuocauit populos in vrbem nouam, & exaltauit ibi tiaram pontificis: ſacerdotio legis * ordinauit eam, & dilatauit terminos enſis ſui: Toletanam vrbem vallauit caſtris, & territorium eius repleuit populis: in diœceſi eius extruxit oppida, & religionem fidei locauit in eis: magnificentiæ ſuæ addidit opus, & ædificauit Alarcuris vallem ſanguinis: iudicia Dei abiſſus multa, & ignota filiis hominum: iudicium Dei ſuper opera eius, & ſententia cœli in agmen illius: commouit arma in Regem Aphricæ, & prouocauit cito gentem Arabiæ: populus eius inſtaurauit acies, & arma potentiæ direxit in Mauros: exercitus eius tranſiuit * Bætim, & dux eius Præſul Toleti. Magnates regni in conſiliis præſulis, & exercitus omnis ſub præſule dignitatis, nomen eius Martinus Magnus. Et genus eius à Piſorica, honor gentis vita eius. Et ſtola eius diadema eccleſiæ, ſapientia eius pax multorum. Et lingua eius informatio diſciplinæ, manus eius ad ſubſidium pauperum. Et cor eius ad compaſſionem humilium, cingulum eius zelus fidei. Et arma eius ad perſecutionem blaſphemię. Agmen omne ad nutum illius, ſanguis Arabum in conſpectu illius. Regio Bætica flammis ſuccenditur, & factum Præſulis proſperatur. Proceſſit enim per caſtra Bæticæ, terras & oppida ſuccendendo, fœliciter autem ad propria eſt reuerſus.

Ornauit tiarâ. V. C. Alarcuris. Betim. Piſorica.

De bello Alarcuris. CAP. XXIX.

SVBSANNAVIT eum blaſphemia Aphricæ, & incanduit ira Arabum. Ioſeph Mazemutus regnabat in Aphrica, & genus Almohadum caput gentis. Surrexit Princeps in multitudine magna, & variis vocibus repleuit campeſtria. Parthus, Arabs, Afer, Æthiops, Almohat, & de claris montibus * in exercitu eius, & Valdus Bæticæ ad nutum illius tranſiuit Tyrrhenum in ſtricto Hiſpalis, & vndas maris calcauit trieribus. Exercitus eius innumerabilis, multitudo illius vt arena maris. Applicatio eius ad Hiſpalenſem metropolim,

Exercitu ſuo eius Vaſtus adduxit.

Alarcuris. & proceſſus illius ad campeſtria Cordubæ. firmauit vultum verſus Alarcuris, & faciem indignationis ad regnum Toleti. plana Toloſæ nudauit paſcuis, & ſcopulorum ſemitas ampliauit vngulis. tranſiuit montis ſupercilia, & in multitudine nimia ſiccauit riuos. fama volatilis perfudit ſæcula, & celer rumor pulſauit Hiſpaniam. in auditu nuncii lætati ſunt multi, & aduentus hoſtium prouocauit plurimos. ignorat homo viam altiſſimi, & filii Adæ cōſilia celſi. Cumque congreſſi fuiſſent exercitus, ſuccubuit exercitus Chriſtianus, & nobilis Rex à ſuis violenter eductus à bello, ſuorum induſtria eſt ſaluatus, licet ipſe mori potius *Victoriam.* eligeret, quam ſaluari. obtinuit etiam Agarenus poſt * prælium quædam caſtra. Hoc eſt *Æra 1233.* bellum Alarcuris, quod fuit æra milleſima ducenteſima trigeſima tertia, quindecimo Kal. Auguſti, ſedente Cæleſtino Papa tertio.

De diſcidio Regum Legionenſis & Nauarræ à Rege Aldephonſo nobili.

Cap. XXX.

Cvm autem Aldephonſus Rex Legionis & Sancius Rex Nauarræ venire in auxilium ad bellū Alarcuris ſimulaſſent, & iam ad regni Caſtellæ confinia perueniſſent, audito quod in prædicto bello non bene ſucceſſerat, à propoſito deſtiterunt, & Rex Nauarræ qui iam ad regnum Caſtellæ peruenerat, retroceſſit. Rex Legionis peruenit Toletum, * vbi *&* paucis diebus cum Rege nobili commoratus ad terram rediit Legionis, & poſt modicum temporis interuallum ambo regnum Caſtellæ hoſtiliter inuaſerunt. Sed Rex Legionis Arabibus fœdere ſociatus, multis ex eis ſecum aſcitis regnum Caſtellæ per campos Gothicos eſt ingreſſus diruens, diripiens, & deuaſtans, & Rex Nauarræ ex alia parte deua- *alia.* ſtans Soriam & Almazanum, cædes & incendia exercebat. Ex * illa parte contra Toletum Rex Almohadum, dictus Iuceſ, anno ſecundo obſedit Toletum, deinde Maieritum, & Alcalam, Optam, & Concham, & Veleſium, & deinde per Alcaratium eſt reuerſus, vaſtatis omnibus & deſtructis quæ extra murorum ambitum ſunt inuenta. Rex autem nobilis Aldefonſus federato ſibi fideli amico Petro Rege, qui in Aragonia tunc regnabat, terram in- *Bollanos. Ballanios.* greſſus eſt Legionis, & obtinuit plura caſtra, ſcil. * Bollanos, Vallem Arearii, Caſtrum viride, Coiancam (quæ mutato nomine Valentia nuncupatur) Carpium & Paradinas. Et plurimis prædis actis, & cædibus perpetratis, effugatis etiam Agarenis quos Rex Legionis ſecum duxerat, ambo ad propria redierunt. Tertio autem anno Rex Almohadum de quo *Maquedam. V. C. ſup.* diximus iterum veniens obſedit Toletum, * Maquelam, & Talauoram, ſed nullam earum potuit obtinere: euertit tamen ſanctam Eulaliam, & alia loca quæ munitione carebant, & inde procedens cepit Placentiam, Sanctam crucem, Montem angii, & Turgellum, & inde *ad propria, quæ Palubatio dicitur.* cum faſtu & ſuperbia ad propria eſt reuerſus. Tunc temporis Rex Caſtellæ & Rex Aragonum iuxta Abulam in monte * Palumbaria morabantur. Reuerſo autem Agareno ad *Palumbaria.* propria ex monte * Palumbaria ambo Reges contra Regem Legionis pariter proceſſerunt, & obtinuerunt Caſtrum Legionis, & Ardon. & Caſtrum Gundiſalui, & Caſtrum terræ, & Albam de aliſte, & vſque ad Aſtoricam cuncta cædibus & incendio vaſtauerunt, & inde per partes Aluæ & Salmanticæ venientes omnia exterminio conſumpſerunt, & Montem regalem caſtrum nobile occuparunt, inde ad propria remearunt. Sed Rex nobilis Aldefonſus dignum iudicans furori cedere venienti, ad tempus cum Rege Arabum fecit treguam, vt poſſet tutius vicinis Regibus obuiare.

Quod Rex Aldephonſus nobilis dedit filiam ſuam in vxorem Regi Legionenſi.

Cap. XXXI.

Cvmqve proponeret Regem Legionis truciori diſpendio infeſtare, quidam guerræ periculum pauescentes familiari conſilio procurarunt, vt Rex Legionenſis peteret à Rege Caſtellæ filiam ſuam Berengariam in vxorem. Et licet Rex nobilis hoc reſpueret, eo quod ipſe & Rex Legionenſis conſanguinitatis linea eſſent vincti, Alienor Regina vxor nobilis Aldefonſi, cum eſſet prudentiſſima, ſagaci prouidentia, & ſolerter rerum pericula attendebat, quibus per coniunctionem huiuſmodi poterat obuiare, & Regi Legionis vallem Oleti cum ſuis magnatibus venienti dedit prædictam filiam in vxorem, & propter nuptias datis donationibus quæ tantæ dominæ competebant, & nuptiis ſolenniter celebratis, traduxit eam in regnum ſuum. Rex autem Caſtellæ nobilis Aldephonſus omnia quæ abſtulerat, nunc genero, olim hoſti, dedit filiæ ſuæ nuptæ. Et ſic pace quaſi cum filio reformata à vaſtationibus quieuerunt.

De capta-

Digitized by Google

De captatione Victoriæ, Guipuzchuæ, & Ibidæ.* CAP. XXXII.

POST hoc Rex nobilis Aldephonſus volens Regis Nauarræ iniurias vindicare, cum Rege Aragonum fideli amico congregauit exercitum in Nauarrã, & obtinuerunt Ruchoniam & * Aiuare, quæ Regi Aragonum prouenerunt. Obtinuerunt etiam Inzuram & Mirandam, quæ Regi nobili remanſerunt. Et ſic vterque Regum patratis variis vaſtationibus, ad propria eſt reuerſus. Iterum autem Rex Caſtellæ nobilis Aldefonſus cœpit Ibidam & Alauam infeſtare, & obſidione diutina Victoriam impugnauit. Interim autẽ Sancius Rex Nauarræ fortis viribus, armis ſtrenuus, ſed voluntate propria obſtinatus, regno diſcrimini derelicto cum paucis magnatibus migrationis comitibus ad Arabes transmigrauit, & eius aliquandiu commorans nuncios quos ad Miramomeninum Transtyrrhenum tranſmiſerat, expectauit. Quibus pecunias & donaria reducentibus Rex nihilominus deductionis cauſa peragrans Arabum ciuitates, & in eorum patria morabatur. Interim autem obſeſſi Victoriæ pugnis & laboribus fatigati, & defectu victualium macerati, in deditionis periculum inciderunt. Sed venerabilis Garſias Pampilonenſis Epiſcopus libertatis ſtudio gratioſus cum famis periculum compeiiſſet, ad Regem Sancium in terram Arabum cum obſeſſorum aliquo feſtinauit, qui rei expoſita veritate a Rege obtinuit, vt Regi Caſtellæ Victoria * traderetur. Qui rediens tempore conſtituto cum eo milite, * quoniam obſeſſi Victoriæ deſtinarant, Regis Sancii, mandatum expoſuit, vt Regi Caſtellæ Victoria redderetur. Obtinuit itaq; Rex nobilis Aldefonſus Victoriam, Ibidam, Alauam & * Guipuſcuam, & earum terrarum munitiones & caſtra, præter Treuennium, quod fuit poſtea commutatione * Inzuræ datum ſibi. Mirandam etiam dedit commutatione ſimili pro Porteſſa. Sanctum Sebaſtianum, Fontem Rapitum, [* Beloagam] Zeguitagui, Aircarroz, Aſluccam, Arz...tociam, Victoriam veterem Maranionem, Auſſam, Athauit, Iruritam, & ſanctum Vincentium [acquiſiuit] Verum Rex Nauarræ rediit onuſtus muneribus Agareni, ſed exoneratus prædictis omnibus & honore.

Guipuſchua. Abiuare. Ibida. Alaua, Victoria. redderetur. qua. NB. (Seſſ) Guipuſcua. Treuennium. Zura. Miranda Portella. non legitur in cod. ſcripto. S. Sebaſtianum. Fons Rapidus. Ieura. Incura V. C. legit. Incertus ignoro an Bene. ſ. Sangueſſa. Mele credo Iiurra Zeguitati Aſluciam, Aicorrociam, Victoriam Veterem, Muraimonem.

De diſcidio Didaci Lupi, & obſidione Caſtellæ, & ædificatione monaſterii regalis. CAP. XXXIII.

HIS igitur conſummatis Didacus Lupi Biſcagiæ dominus, qui inter omnes magnates Hiſpaniæ præcipuus habebatur, à voluntate Regis nobilis familiari diſcidio diſcordauit. Vnde feuda quæ tenebat reſtituens, ad Regem ſe tranſtulit Nauarrorum, indeque bellis & incurſationibus frequenter inſiſtens, damna plurima intulit Caſtellanis. Sed Rex nobilis Aldefonſus iniuriarũ impatiens aſcito ſibi genero ſuo Rege Legionis fines ingreſſus eſt Nauarrorum. Cumque ſtellam nobiliſſimum † oppidum obſediſſent, Didacus Lupi ex Biſcagia, qui erat in oppido [cum multis nobilibus Caſtellanis] impugnantibus, reſiſtit violenter, & inter obices vinearum interceſſerunt cædes & pericula præliorum. Sed quia oppidum ſui munitione vires impugnantium minorabat, nec ſpes victoriæ animos protrahebat, Reges ab obſidione oppidi receſſerunt, & vaſtatione in circuitu damnoſa incolis conſummata Reges ad propria redierunt. Poſtea autem inter Regem Caſtellæ & Regem Nauarræ & Regem Legionis tregua per interuallum temporis interuenit. Rex enim nobilis Aldefonſus bellum de Alarcuris corde altiſſimo reponebat. Sed vt altiſſimo complaceret, prope Burgis ad inſtantiam ſereniſſimæ vxoris ſuæ Alienor Reginæ monaſterium dominarum Ciſtercienſis ordinis ædificauit, & nobiliſſimis fabricis exaltauit, & multis reditibus & poſſeſſionibus variis ſic dotauit, vt virgines ſanctæ Deo dicatæ quæ ibi die ac nocte laudabiliter Deo pſallunt, nec inopiam ſentiant, nec defectum, ſed ſtructuris, clauſtro, & eccleſia, & cæteris ædificiis * regulariter conſummatis, expertes ſolicitudinis in contemplatione & laudibus iugiter delectentur.

Biſcagia. Stella. oppidum Nauarrorum ſirtute maxima excelliſſent. Burgis. Monaſterium vita. regulariter.

De conſtructione hoſpitalis, & inſtitutione ſcholarum, acquiſitione Vaſconiæ. CAP. XXXIIII.

CONSTRVXIT etiam hoſpitale iuxta monaſteriũ ædificiis & domibus mirabiliter decoratum, quod tantis diuitiis dilatauit, vt omnibus peregrinis, nullo patiente repulſam, omnibus horis diei neceſſaria miniſtrentur, & omnibus volentibus pernoctare lecti mirabilis apparatus continue præparentur. Infirmis autem vſque ad mortem vel reſtitutionem priſtinæ ſanitatis, per manus mulierum miſericordium & virorum omnia neceſſaria erogantur, adeo vt opera pietatis in eodem hoſpitali quaſi in ſpeculo poſſit qui-

Burgis hoſpitale.

libet contemplari,& qui in vita propter excellentiam operum ab omnibus meruit collaudari poſt mortem multiplicatis interceſſoribus merebitur à Domino coronari. Sed ne faſciis chariſmatum quæ in eum à ſancto Spiritu confluxerunt, virtute aliqua fraudaretur, ſapientes à Galliis & * Italia conuocauit, vt ſapientiæ diſciplina à regno ſuo nunquam abeſſet, & magiſtros omnium facultatum Palentiæ congregauit, quibus & magna ſtipendia eſt largitus, vt omni ſtudium cupienti quaſi manna aliquando in os influeret ſapientia cuiuslibet facultatis. Et licet hoc fuit ſtudium interruptum, tamen per Dei gratiam adhuc durat. Et poſtquam fere totam Vaſconiam præter Burdegalam, Regulam, & Vaionam ſuæ ſubdiderat ditioni, finito termino treguarum quas cum Amiramomenino ad tempus inierat, poſtquam & * Moiam populauerat, idem Rex nobilis pro fide Chriſti mori deſiderans præteritum dedecus, licet prudenter, non tamen æquanimiter tolerabat. Et quia ſemper magnalibus inhiabat, noluit treguam vlterius protelari, ſed ſtrenuitatis propoſito, & zelo fidei animatus in nomine Domini mouit guerram.

Collocauit. Pallentia. Pallentia Academia. Vaſconia. Burdegalia. Varona. Moia etiam Moiam populauit.

De captione Saluæ terræ. CAP. XXXV.

QVARE nunciis incipientibus inchoata eſt pugna inter Regem nobilem & Agarenos. Poſt vaſtationem autem aliquam factam à noſtris in terra Beatiæ, Endugari, & * Gieminii, filius prædicti Regis Agarenorum Mahomat nomine collecto gentium ſuarum exercitu caſtrametatus eſt in circuitu Saluæ terræ. Cumque eam fere tribus menſibus obſediſſet, diuerſiſque machinis impugnaſſet, multis de iis qui erant in caſtro, occiſis, pleriſq; vulneratis, turribus & muro fere dirutis, de obſeſſis pluribus ſiti & impugnationibus interemptis, ad vltimum caſtrum occupatum eſt in opprobrium fidei Chriſtianæ, æra milleſima duceteſima quadrageſima * octaua, menſe Septembri. Caſtrum illud caſtrum ſalutis, & deperditio eius ademptio gloriæ. Super ipſum fleuerunt populi, & ſoluerunt vincula brachiorum. Zelus illius excitauit omnes, & fama eius conſperſit plurimos. In auditu eius ſurrexerunt iuuenes, & in zelo eius amaricati ſunt ſenes. dolor illius ad gentes exteras, & compaſſio eius ad æmulantes. Eo tempore Aldefonſus nobilis exercitum ſuum congregauerat circa cõfinia Talaueræ, & cum vellet dubiæ ſorti belli ſe committere, præcipue ad inſtantiam filii ſui primogeniti Fernandi, maturiori vſus conſilio mandauit in ſequentem annum belli dubia prorogari. vtilior eſt enim dilata opportunitas, quam audaciæ præceps temeritas.

Pronunciis autem incip. Vaſtationes autem aliquas factas. Gieminii. V. C.

Æra 1248. nona V. C. Serras.

De condicto bello, & morte Infantis Fernandi. CAP. XXXVI.

AGARENVS autem adeptus præſidium Saluæ terræ cum magna ſuperbia ad propria eſt reuerſus. Aldefonſus vero Rex nobilis habito cum Archiepiſcopo, Epiſcopis, & magnatibus conſilio diligenti, ore eius vniuerſis acclamantibus eſt prolatum, melius eſſe in bello voluntatem cœli ſub diſcrimine experiri, quam videre mala patriæ & ſanctorum. Fecitque edictum per omnes prouincias regni ſui, vt milites & pedites, relictis ſuperfluis veſtium, & aurificii, & ornatus cuiuslibet, quæ ad rem non pertinent, armis vtilibus ſe munirent, & qui prius in ſuperfluis diſplicebant nunc in neceſſariis & vtilibus altiſſimo complacerent. Omnes autem à minimo vſque ad maximum voluntati regiæ paruerunt, ad hæc omnia dulciſſimo Fernando filio primogenito nobilis Aldefonſi competentem ſuæ modeſtiæ operam impendente, qui eodem tempore febre correptus finiuit vitam, antequam belli terminus adueniſſet. In cuius morte fletus patriæ, luctus inconſolabilis genitori, quia in ipſum tanquam in vitæ ſpeculum contemplabatur. Erat enim ſpectatio populorum. Sic enim eum Dominus honeſtauerat, vt etiam ab omnibus amaretur, & quod ætas in adoleſcentibus non permittit, iam in ipſo gratia diſpenſabat. Obiit itaque in oppido * Magerito in diœceſi Toletana menſe Octobri, æra milleſima duceteſima quadrageſima nona, vacuus dierum, plenus gratia & virtute. Sepultus eſt in monaſterio ſanctæ Mariæ regalis prope Burgis à Roderico Toletano pontifice, & multis Epiſcopis, & magnatibus ſæcularibus & religioſis, excellentiſſima ſorore ſua Berengaria Regina, ad quam poſtea regnum Caſtellæ ſucceſſione prouenit, impendente liberaliter & decenter officia funeris, & honoris, & gemitus doloris. vbi virtutum eius ſic plenitudo claruit, vt eius prudentia deuoti ſexus excederet pietatem, & eleemoſynatum largitio, principum largitates: etiam pudica modeſtia inconſolabili luctui ſolatia procabatur, vt exinde famæ eius dulcorata ſuauitas in augmentum creſceret & dulcorem. Religionum, & pauperum, & quorum titulos pauperies incruſtabat, toto tempore vitæ ſuæ ſubuentrix extitit & leuatrix,

Æra 1249. Madritum, & ſupr. Mageritum.

trix, præter opera magnifica, quæ regnante ſuo filio mirifice claruerunt. Verum nobilis pater conſolationem de morte filii niſi in magnalibus non admittens, collecto ſuorum exercitu per ripam fluuii qui Sucaris dicitur, terram aggreditur Sarraceni, & obſedit caſtrum quod dicitur Alcala, & cepit illud, & Surcariam, & Garadem, & Cubas, in quibus multi Agarenorum capti, multa etiam ſpolia ſunt inuenta. quibus occupatis, & munitis vtiliter, fœliciter ad propria eſt reuerſus vrgente inſtantia hyemali

Sucaris. Alcala. Surcaria. Garada. Cuba.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ, LIBER OCTAVVS.

De aduentu Regum ad vrbem Regum. CAP. I.

VERTENTE autem anno, eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, ab Aldephonſo nobili[*] citatis gentibus, congregatis armis, victualibus[*] comportatis, nec non & omnium cordibus ad bellum erectis, factus eſt[*] occurſus omnium apud Toletum, quæ ſola potuit ſui opulentia omnium neceſſitatibus non deeſſe. Interim Roderico eiuſdem vrbis pontifice & cæteris nunciis propter opus ſimile deſtinatis, aduerſis partibus redierunt. Et cœpit vrbs regia repleri populis, abundare neceſſariis, inſigniri armis, diuerſificari linguis, variari cultibus. Nam zelo belli ex omnibus fere Europæ partibus ad eam diuerſarum nationum varietas concurrebat. Nec erat qui poſſet alicuius rei cauſari defectum, cum & ipſa ciuitas ſui abundantia occurreret, & prodiga manus nobilis principis omnibus ad omnia neceſſaria miniſtraret. Concurſus autem venientium a menſe Februario particularis incepit, & multiplicationis paulatim incrementa ſuſcipiens per totum vernum tempus, & amplius creuit turbarum[*] multitudine copioſa. Et quia diuerſarum nationū varietas diuerſitate morum, linguarum, & cultuum diſcrepabant, de voluntate principis in eadem vrbe eiuſdem vrbis pontifex morabatur, vt diſſidentium varietas per eius induſtriam ſedaretur. Et ſic factum eſt per omnipotentis Dei gratiam qui ſolo nutu omnia diſponebat, vt nulla ſeditio, nulla perturbatio exorta fuerit quæ potuerit belli negocium impedire, licet per hoſtem humani generis fuerit ſæpius attentatum. Et quia de die in diem creſcebat numerus ſtigmata Domini in corpore ſuo portantium, ne intra vrbis anguſtias arctarentur, Rex nobilis volens eorum commodis prouidere, extra vrbem circa fluenta Tagi delicioſa viridaria, quæ ob Regiæ grauitatis recreandam maieſtatem coalita fuerant, eis expoſuit, vt ſub vmbraculis arborum æſtus iniurias euitarent, ibique ex fructiferis arboribus conſtructis tabernaculis vſque in diem proceſſus ad bellum in Regis ſumptibus permanſerunt. Octauo itaque die poſt feſtum quo Chriſtiana religio Pentecoſten celebrat, Petrus Rex Aragonum nobilis Aldefonſi fidelis amicus ſecundum fœdus apud Concham initum, dictis plus faſtu regio feſtinatis, die præfixa venit Toletum: vbi a pontifice & toto clero proceſſionaliter eſt receptus, ibique in viridario[*] regio fixis tentoriis gentis ſuæ præſtolabatur aduentum.

Factum eſt autem vertente eo tempore. V. C. cunctis. portatis. Toletum habitatoribus amicum. concurſus. multitudo. De reſidentia Pontificis Tolet. Tagus. Regio.

De aduentu vltramontanorum ad bellum. CAP. II.

COEPERVNT etiam venire magnates de partibus Galliarum, Burdegalenſis[b] & Nanatenſis Epiſcopus, multique Barones de eiſdem partibus & Italia. Conuenerunt & ſimplices milites, nec non & de pedeſtri ordine plurima multitudo. Aduenit etiam venerabilis Arnaldus, qui[*] aliquando ſolicitudine[*] Ciſtercii functus, tunc regebat eccleſiam Narbonēſem. Hic paulo ante ęmulatione legis Catholicæ prouocatus, contra quoſdā qui in Narbonenſi & vicinis prouinciis blaſphemare nomen Domini & eccleſiam ore nefario præſumpſerunt, corda fidelium excitauit, vt ſigno crucis contra hæreticorum verſutias armarentur. Et ſic factum eſt per Dei gratiam, quod vbi contempta prædicatio non profecit, falce crucis putatis hęreſibus fides Catholica de die in diem fœliciter[*] coaleſcit, & deſtructis[*] Biteriis, & Carcaſſona blaſphemantium [ſanguine, & flamma vorace, & vltrici gladio eſt cōſumptus] æra milleſima ducenteſima quadrageſima ſexta. Hic itaque pōtifex

Archiepiſcopus, & Natarcum V. C. forte. Narnienſis. aliquando diu. Ciſtercienſis. Siſtercii. Hæreticos promouerat. contra eoſdem. Biterris. Æra 1246. ſanguine Gladio, & flamma vorace, eſt conſumptus.

ſtrenue vſa.

cum multitudine citerioris Galliæ vaſis belligeris, ſignis, & armis * h ̄neſta, vrbē ingreſſus eſt Toletanam, in qua decenter a nobili Rege & eiuſdem vrbis præſule eſt receptus. Conuenerunt etiam ad eandem vrbem plærique milites de partibus Portugallis, peditum vero copioſa multitudo, qui mira agilitate expeditionis onera facile ſuſtinebant, & * audaci impetu impetebant.

audaci temeritate & impetu.

De concurſu pontificum & magnatum Hiſpaniæ ad congreſſum. C A P. III.

Azanarius Pardi.

AD hæc magnates Regis Aragonum ſtrenuitate inclyti, apparatu inſignes, armis & equis honeſti, Toletum ad exercitum peruenerunt, inter quos fuerunt Garſias Romeru, Eximinus Cornelii, Michael de Luſia, * Anazarius Pardi, Guillermus de Ceruaria Comes Empurenſis, Raimundus Fulconis, Guillermus de Cardona, & multi alii principes, & Barones, & ſimplices milites, nec non ball.ſtari. rum & peditum copia gratioſa. Aderat in vrbe regia cum nobili Rege magnatum ſuorum generoſa ſocietas, nobilitate, ſtrenuitate, & multitudine approbanda, quos ſic & morum elegantia, & curialitatis prærogatiua, & ſtrenuitatis ſupereminentia venuſtauerat, vt & in oculis hoſtium non ſolum terribiles, verum digni honoribus apparerent. Ciuitatum vero & oppidorum concilia ſic copioſis phalangibus, & equis, & armis, & vehiculis, & victualibus, & omnibus ad bellum neceſſariis præmunita venerunt, vt non * eſſet inter eos qui aliquo indigeret, immo ſua aliis liberaliter communicarent. Quamuis vero in oppidis & ciuitatibus ſub vno * degant principis regimine, tamen a ſuæ principio gentis, & armorum etiam & militaris dignitatis inſignia habuerunt, & militare nomen ſortiti ſunt ab antiquo. Multa etiam contra Sarracenos & contra Chriſtianos ipſi & eorū parentes decenter exercuerunt. Fuerunt etiam ibi pontifices qui ſe & ſua, prout Deus dedit, in ſumptibus & laboribus deuote pro fidei negocio impenderunt, in ſ licitudinibus vigiles, in officiis deuoti in conſiliis prouidi, in neceſſitatibus largi, in exhortationibus ſeduli, in periculis ſtrenui, in laboribus patientes. De regno Caſtellæ Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, Tellius Palentinus Epiſcopus, Rodericus Segontinenſis, Menendus Oxomenſis, Petrus Abulenſis. & [Dominicus Placentinus, infra cap. 10. & 15] De regno Aragonum Garſias Tyraſonenſis, Berengarius Barcinonenſis electus. De ſeculari vero militia regni Caſtellæ Didacus Lupi de Pharo, Comes Fernandus de Lara, Comes Aluarus, & Comes Gundiſaluus, frater eius * Lupus Didaci de Pharo Rodericus Didaci de * Camberis, Gonſaluus Roderici, & * frater eius, & multi alii nobiles, & magni, & ſtrenui, quorum nomina longum eſſet enumerare. Fuerunt etiam fratres Calatrauæ ſub vno militiæ ſuæ magiſtro Roderico Didaci (grata Deo & hominibus fraterna ſocietas) fratres militiæ templi ſub vno magiſtro Gomitio Ramiri, qui poſt bellum fœliciter expirauit. Hi ſunt qui primi in nouo teſtamento ſigno crucis ſuſcepto, ſuperbiæ militaris faſtum, ſtrenuitate ſeruata, charitatis & religionis vinculo arctauerunt. Fratres etiam militiæ hoſpitalis, qui fraternitatis, charitati inſiſtentes deuote, zelo fidei, & terræ ſanctæ neceſſitate accenſi defenſionis gladium aſſumpſerunt. Hi ſub vno priore Guterrio Ermegildi. Fratres etiam militiæ ſancti Iacobi ſub vno magiſtro Petro * Auæ. Hi in partibus Hiſpaniæ multa opera militiæ decenter egerunt. Multi etiam Chriſtianæ religionis diuerſorum votorum & profeſſionum zelo & compaſſione * moniti, inſigniti ſignaculo * ſanctæ crucis inibi conuenerunt,

eſſent i. e q. a. indigerent. degeant.

Toletanus. Pallantinus. Segontienſis. Oxomenſis. Abulenſis. de Cameſis illius mentio infra cap. 5. & 7. Lupi Didaci de Pharo, Roderico Didaco de Carrione. Gunſaluus. frater eius.

f. de Alcantara. Arig. moti. ſancti.

De prærogatiua virtutum & largitatis nobilis Aldefonſi. C A P. IIII.

LICET * autem tam diuerſa, tam varia, tam extranea multitudo non eſſet facilis ad regendum, etiam patienti, nobilis tamen Rex magnanimitate ſua omnia pacifice regebat, omnia æquanimiter & * tranquille tolerabat, ita vt tædium in virtutem mutaret, cum vultu hilari tædium ſuperaret. Irreuerenter prolata reuerenti reſponſo in reuerentiā conuertebat, ambitionis loquacem triſtitiam larga manu in lætam facundiam commutabat, cur ali applauſu faſtibus militaribus occurrebat, regalium morum grauitate ſeruata. id in ipſo operabatur benignitas, vt præexcellentia videretur æqualitas, ſapientia grauitate conſperſa ſic omnia * miniabat, vt his fieret eius curialitas in ſuſpirium, & ſtrenuitas in exemplum, ita quod de eo dici poſſet: Hic virtutis habet plus, quam poſſedimus omnes. Adoleſcentes, iuuenes, & quos virilis ætatis robur perfuderat, ſenes, & decrepiti, quid laudarē, quid appetere ſi facultas ſuppeteret, quid mirari, quid diligere repererunt eius induſtriam in agendis ſtupore attoniti mirabantur, quem doni & dati perfectio ſic perfecit, vt gratiæ & naturæ chariſmatibus abundaret, adeo vt mundi circulus fateatur Aldefonſum nobilem Hiſpaniæ ſe debere. Iuuenes & adoleſcentes * quorum auorum nobilitas præſentabat,

tamen. omnia. muniebat. qui.

bat, præficiebat titulo militari, vt quos nondum propriæ virtutis extulerat gloria, & creantis manus, & parentum magnalia magnalibus obligarent. Hos ſic equorum tuta firmabat magnanimitate, armorum copioſa ſecuritate, veſtium ſpecioſa varietate, vt in ipſo inuenirent & dominum quem diligerent, & munificum quem laudarent. Et quamuis diuerſus eſſet ritus alienigenarum, & in moribus ab indigenis diſſiderent, quia mores omnes virtus magiſtra diiudicat, potuit omnibus ſatisfacere, qui virtutes omnium in ſe potuit conſeruare, & quaſi non vnius patriæ incola, ſic mores omnium in ſe ſciuit aſſumere, vt nulli videretur a ſuis moribus diſſidere. De largitate autem eius quis loqui præſumeret? cum id in ipſo modicum fuerit, quod in aliis vix poterat reperiri. Sic enim ab infantia largitatem ſeruauit, vt obliuiſci non potuerit quod de matris vtero ſecum traxit. Sic omnia largitatis ſuę priuilegio confirmauit, vt ore omnium promulgata ſententia, omnibus munificis ſilentio impoſito, prærogatiuam munificentiæ ſententialiter obtineret. Et licet magnis, magnifice diſtribueret, manum a minoribus non retraxit. Cum enim eſſent vltramontani pluſquam decem millia equitum, & centum millia * peditum, dabantur omni die viginti *adde vnicuique militum dab.* ſolidi vſuales, pediti vero quinque ſolidi. mulieres. paruuli, debiles, & cæteri ad bellum inepti non erant ab hac gratia alieni. Hæc erant quæ in communi & publice donabantur, præter donaria priuata, quæ ſui quantitate hunc numerum excedebant, quæ magnatibus non diurna diſtributione, ſed potiori ſumma per nobilis Regis nuncios * mittebantur. His *mittebantur.* muneribus cumulabatur equorum * numeroſa generoſitas, paruulorum iocunda varietas, *innumeroſa.* quæ omnia tenacitatis curua ſeueritas vultu propitio non poterat intueri. His autē omnibus ſi iungantur Regibus oblata donaria, ſuis diſtributa ſtipendia, plus modus dantis & hilaritas meruit, quam his omnibus emi poſſet. Et ad hæc omnia ne gens alienigena expeditionis omnibus indigeret, omnibus tentoria, & eorum vehicula eſt largitus. Addidit etiam gratiam gratię, & cibariorum vehicula cum cæteris neceſſariis ſexaginta millia ſummas, & vltra cum ſummariis erogauit.

De proceſſu ad bellum, & captione * *Malachonis.* Cap. V. *Malaconis.*

S* ATISFACTO itaque omnibus per omnia, duodecimo Kalendas Iulii exercitus Domini ab vrbe regia eſt profectus: vltramontani per ſe, dato eis pro duce Didaco Lupi de Pharo: Petrus ſtrenuus Rex Aragonum cum ſuis [Aldefonſus nobilis cum ſuis.] Et licet ſeparatim procederent, modicum tamen ſpacium exercitus diuidebat. Primo die caſtrametati ſunt iuxta alueum * Guadararaz: ſecundo iuxta * Guadacelet: tertio iuxta Algodor. Vltramontani vero iuxta Daralferciam caſtra fixerunt. Et inde procedentes obſederunt præſidium Malachonis, & ſignum in bonum diuina gratia faciente, licet qui erant in arce, ſatis viriliter ſe defenderent, inſtantia tamen vltramontanorum, quæ magna ſtrenuitate feruebat pro Chriſti nomine mori deſiderans, virtutem reſiſtentium & munitionum præſidium in nomine Domini minorauit, cepitque Malachonem, omnibus qui inerant interfectis. Sequenti die exercitus Regum aduenit, ibique ſubſtitit vno die, ſed & aliquantulum victualia defecerunt, tamen occurrit induſtria Regis nobilis & fecit exponi victualia copioſe.

Patefacto. V.C. mora, Vt hic. [] V.C. & forte recte. Gradazaram. ſ. Guadararaz. Guadacelet. Malachon.

De captione Calatrauæ, & diſceſſu vltramontanorum. Cap. VI.

INDE igitur procedentes omnes pariter peruenimus Calatrauam. Agareni autem qui inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes tranſitus Anæ fluminis proiecerunt, & quatuor habentes aculeos, qualitercunque caderent vno eorum erecto, pedibus hominum & equorū vngulis * figebantur. Sed quia humana artificia contra Dei prouidentiam nihil valent, ſic Deus voluit, vt pauciſſimi, vel nulli fere, illis tribulis *figerentur.* læderentur, & gratia Dei manu ſuppoſita tranſiuimus flumen Anam, & caſtrametati fuimus in circuitu Calatrauæ. Agareni autem oppidum illud ſic in ſummitatibus turrium armis, & vexillis, & machinis munierant, vt volentibus impugnare ſatis difficile videretur. Praterea licet ſit oppidum illud in plano, tamen ex vna parte muri eius per tactum fluminis inacceſſibile inuenitur: ex aliis partibus ſic muro, & antemurali, foſſatis, & turribus, & propugnaculis eſt munitum, vt abſque longa machinarum impugnatione inexpugnabile videretur. Erat autem ibi Agarenus quidam nomine † Auencalez, longa armorum aſſuefactione aſtutus, & bellorum exercitia frequenter expertus. De huius induſtria *Auenthaditio* plus ſeipſis confidebat populus obſeſſorum, licet eſſet ibi in præſidio quidam Almohat, qui præſidij cuſtodiæ præſidebat. Cumq; in obſidione per dies aliquot moraremur, & Re-

ges cum principibus de impugnatione præſidii dubitarent, poſt longos tractatus placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impugnatio difficilis videretur. Plerique autem melius iudicabant cœptô itinere ad bellum procedere, quam impugnationibus caſtrorum inſiſtere, præſertim cum in talibus & ſtrenui periclitentur, & exercitus fatigetur. cum & ius acquiſitionis & retentionis talium pendeat ex fine belli. Aſſumptis itaq; armis, locíſque oppidi ſpecialiter * Regibus & principibus aſſignatis, voce fidei * eleuata oppidum ſunt aggreſſi. Sicque per Dei gratiam factum eſt, vt die dominica poſt feſtum ſancti Pauli expulſis Arabibus fuit Calatraua Regi nobili reſtituta, quæ ſtatim à fratribus qui dudum ibidem reſederant, fuit munita, & Chriſtiano nomini redonata. Nobilis autem Rex de omnibus ibidem inuentis nihil ſibi retinuit, ſed vltramontanis & Regi Aragonum cuncta * ceſſit. Sed quoniam humani generis inimicus non ceſſat Chriſtianis actibus inuidere, miſit Satan in exercitum charitatis, & corda æmulantium conturbauit, & qui ad certamen fidei ſe accinxerant, retrorſum a bono propoſito abierunt. Omnes enim fere vltramontani communi propoſito ſtatuerunt, vt relictis crucis ſignaculis, omiſſis etiam belli laboribus, ad propria remearẽt. Rex autem nobilis ſuorum victualia compartitus, quantum neceſſe erat omnibus eſt largitus. Sed nec ſic * cœpta obſtinatio potuit reuocari. Immo paſſim omnes inglorii receſſerunt, excepto venerabili Arnaldo Narbonenſi antiſtite, qui cum omnibus quos habere potuit, & multis nobilibus de prouincia Viennenſi, ſemper in bono conſtans a bono propoſito non receſſit. Et erant circiter centum triginta * milites præter pedites, de quibus etiam aliqui remanſerunt. Remanſit etiam de partibus Pictauiæ Theobaldus de Blazon, homo nobilis, & ſtrenuus, & natione Hiſpanus, & genere Caſtellanus. Rex Aragonum cum omnibus ſuis vſque ad finem permanſit indiſſolubili dilectione Regi nobili fœderatus, & quia ſicut dicit Salomon: *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum:* hic probari potuit, quiſq; qualiter diligebat. Sed quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, licet ſchiſmatis huius periculoſus exitus timeretur, omnia tamen cœperunt de die in diem fœlicius proſperari. Recedentibus itaque his qui crucem Domini in Angaria attulerunt, ſoli Hiſpani cum paucis vltramontanis ſuperius nominatis proficiſci cœperunt ad bellum Domini confidenter, & primo venerunt Alarcuris, ibique caſtrametati municipium occuparunt, nec non & caſtella alia in vicino. In eadem manſione aduenit Sancius Rex Nauarræ, qui licet à principio ſimulaſſet nolle venire, cum ad diſcrimen peruentum fuit, ſtrenuitatis ſuæ gloriam à Dei ſeruitio non ſubtraxit. Sicque Regum ternarius in ſanctæ Trinitatis nomine proceſſerunt, & primo die caſtrametati ſunt in circuitu Saluæ terræ. Dominica die ſequenti viſum fuit Regibus & principibus, vt totus exercitus armaretur, & etiam omnia tanquam ad bellum diſponerentur. Et per Dei gratiam talis apparuit multitudo armis, & ſignis, & equis ornata, vt intuentibus nobilis hoſtibus & terribilis appareret, nobis amabilis, bello expediens diſceſſum abſentium compenſaret, ita quod etiam corda magnanimorum creuerunt, puſillanimes confortati, dubii confirmati, & diſcedentiũ ſchiſma quod multos terruerat, receſſit à cordibus timidorum. Ibiq; etiam die altero ſpectantes, poſt peruenimus ad aliam manſionem quæ dicitur * Fraxineda. Tandem peruenimus ad aliam manſionem eiuſdem nominis. Tertio vero die ad aliam manſionem in radice montis de Muradal, quæ dicitur Guadalfaiar.

regionibus. eleuata expugnaturi opp. Calatraua reſtituitur. ceſſerunt. ſic propoſiti tempus. pro equites ſemper. Fraxineda. Muradal. Guadalfaiar.

*De occupatione montis, vnde ad prælium proceſſit * Chriſtianorum exercitus.*

CAP. VII.

exercitus Chriſtianus.

INTEREA dum hæc agerentur * Mahomat Rex Agarenorum prope * Giennium in montanis congregauerat gentes ſuas, ibiq; præſtolabatur exercitum * Chriſtianorum. Nec erat ei cordi pugnare, quia verebatur auxilia peregrina, ſed vt in reditu inſiliret, vt forte Chriſtiani fatigati laboribus, diminuti mortibus ei reſiſtere non valerent. Et ideo forte conſilio altiſſimi factum fuit, quod aduentitii diſceſſerunt. poſt diſceſſum enim eorum, quidam initiati diabolo clanculo de noſtro exercitu ſe furantes ad Arabes transfugerunt, eis ſtatum Chriſtiani exercitus, & defectum victualium detegentes, qui tamen ceſſauerat poſt diſcidium Calatrauæ. Sicque procurante prouidentia quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, fuit factum, vt Agarenus mutato conſilio, aſſumpta audacia præſumens gloriam, à partibus Gienni proceſſit. Contra nos properans Beatiam vſque peruenit, & aliquos inde miſit ad Nauas * Toloſæ, vt in anguſtia tranſitus, vbi eſt rupis fere in via, alueique * vorago, Chriſtianorum tranſitum impedirent. Et ſi Chriſtiani ſummitatem montium non cepiſſent, in montis ſupercilio reſiderẽt, vt aſcenſum exercitus Domini prohiberent, ſicut capti in bello poſtea narrauerunt. Hac intentione obſeruabant tranſitum, vt tandem

Maphomat. Gienium. Chriſtianum. Loſæ. origo.

dem deficientibus victualibus affecti tædio & inedia rediremus. Domino autem aliter faciente, Didacus Lupi de Pharo, cui ducatus exercitus erat commiſſus, præmiſit filium Lupum Didaci, & duos nepotes eius Sancium Fernandi, & Martinum Munionis, vt præcederent ad montis ſupercilia obtinenda. Verum cum illi de ſtrenuitate confiſi aliquãtulum procederent improuiſi, in ſummitate montis iuxta caſtrum quod Ferral dicitur, quoſdam Arabes inuenerunt, qui inſultũ facientes in eos fere læſiſſent, niſi diuina gratia operante acceptis armis prædicti Chriſtiani cum ſuis Arabes viriliter * repulſiſſent: & ſummitatem montis per Dei gratiam obſeruarunt, ita quod ſtatim fixis tentoriis inibi remanſerunt. Quinta autem feria circa horam nonam venimus ad pedem montis, & eadem die plerique de noſtris ad montis ardua conſcenderũt. Maior vero pars circa Guadalfaiar alueum remanſerunt. Sexta feria in mane tres Reges, Aldephonſus de Caſtella, Petrus de Aragonia, Sancius de Nauarra, inuocato nomine Domini aſcenderunt, ibique in quodam decliuo montis fixis tentoriis reſederunt, & * ea die occupatum fuit a noſtris caſtrum Ferral, ſub quo ſunt quædam voragines, & in rupe anfractus, & ſcopulorum præcipitia iuxta Loſam, & tanta eſt ibi anguſtia tranſitus, vt etiam expeditos impediat difficultas. Ibique quædam phalanges Agarenorum * per diem illum & partem ſequentis Chriſtianorum tranſitus obſeruabant, ibique frequenter illo die inter noſtros & ipſos quædam belli præludia interceſſerunt, ita quod ex vtraque parte aliqui, non tamen plurimi, ceciderunt. Dum hæc agerentur, Regũ & Principũ deliberatio eligebat, qua eſſet ſine periculo procedendũ, trãſitus .n. Loſæ non erat poſſibilis ſine damno. Et cum iam exercitus Agareni vicinior nobis eſſet, necnon & eius tentorium rubeum appareret affixum, diuerſorum de proceſſu exercitus diuerſæ ſententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impoſſibilitatem tranſitus retrocedere conſulebant, & per locum faciliorem ad Agarenorum campeſtria tranſmeare. Ad hoc nobilis Aldefonſus Rex Caſtellæ: Etſi hoc conſilium diſcretione fulgeat, periculum ſecum portat. populus enim & alii inexperti cum nos retrocedere viderint, non bellum quærere, ſed bellum fugere iudicabunt, & fiet diſceſſio in exercitu, nec poterunt retineri. Sed ex quo ex vicino hoſtes proſpicimus, ad eos neceſſe eſt vt eamus. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. Cumque hoc conſilium nobilis Regis præualuiſſet, Deus omnipotens qui negocium ſpeciali gratia dirigebat, miſit quendam hominem plebeium, ſatis deſpicabilem, & habitu, & perſona, qui olim in montanis illis pecora pauerat, & cuniculorum & leporum ibidem captioni inſtiterat. is oſtendit * facilem viam, omnino poſſibilem per decliuum lateris montis eiuſdem. Nec * oportet ab aſpectu hoſtium * occultari, & ipſis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locum * pugnæ congruum poteramus.

Ferral. — *repuliſſent.* — *Guadalfaiar.* — *eadem.* — *per totum* — *viam ſatis facilem.* — *cuſtodiri.* — *oporteret.* — *V.C. f. oportere.* — *pugna per gyrũ pot.*

De proceſſu ad locum pugnæ, & occurſu Agarenorum.
CAPVT VIII.

SED quia in tanto diſcrimine tali perſonæ vix credi poterat, duo principes præceſſerunt, Didacus Lupi de Pharo, & Garſias Romerii, vt ſi inuenirent eſſe vera quæ paſtor dixerat, montem quendam in ſummitate ſui habentem planitiem occuparent. Et dante Domino ſic euenit vt ille tanquã Dei nuncius, qui * infima mundi eligit, verax inueniretur, & prædicti principes montis planiciem occuparunt, & tres Reges die Sabbati ſummo mane ſuſcepta benedictione pontificali & gratia ſacramenti, ad prædictum montem cum ſuis agminibus peruenerunt. Caſtrum Ferral quaſi omnino tunc inutile eſt dimiſſum. Ipſi tamẽ credentes nos a prælio deuiare, eo quod Loſæ tranſitum non ſeruauimus, prædictum caſtrum cum magna lætitia occuparunt. Reges itaque poſtrema exercitus obſeruantes cum toto comitatu ad ſuos principes qui præceſſerant, peruenerunt. Quod attendentes Agareni non eſſe * ſubterfugium, ſed proceſſum, grauiter doluerunt, & proſpicientes tentoria quæ in prædicti montis cacumine figebantur, cateruam militum deſtinarunt, vt a metatione caſtrorum primos agminis cohiberent. Nos enim propter viæ anguſtias porrecto agmine procedere cogebamur. cum noſtris autem diutius confligentes Domino faciente viriliter ſunt repulſi, & noſtri occupata planitie montis per Dei gratiam caſtra fœliciter locauerunt. Et tentoriis vix metatis, videns Rex Agarenorum quod in obſeruatione tranſitus nihil ei proderant inſidiæ, neque doli, diſpoſitis aciebus eadem die proceſſit ad campum, & præcipuam aciem quæ eius erat cuſtodiæ deputata. ſuper quodã promontorio ad quod difficilis erat aſcẽſus, nobiliter collocauit, cæteris ſuis aciebus a dextris, & a ſiniſtris prudentiſſime ordinatis, & ibi ab hora ſexta vſque ad veſperum ſpectarũt, putantes nos eo die ad prælium proceſſuros. Sed conſilii deliberatione habita prouiſum fuit, vt bellum vſque ad ſecundam feriam differretur, eo quod equi erant montiũ difficul-

infirma mundi eligit. — *Caſtrum Ferral. Loſa.* — *fugam.*

tate vexati, & exercitus fatigatus, & vt etiam ſtatũ eorũ & proceſſum poſſemus in iſto medio contueri. Cumque intellexiſſet Agarenus, quod non procedebamus ad bellum, elatus in gloriam, non ex cautela, ſed prouenire credidit ex timore. Vnde epiſtolas miſit Beatiã & Giennium, quod tres Reges obſederat intra triduum capiendos. Tamen aliqui altius cogitabant, dixiſſe talia referuntur: Videmus prouide & ſollicite collocatos, & plus videtur ad pugnam parari, quam ad fugæ ſubſidia anhelare. Sequenti die Dominica, ſummo mane iterũ egreſſus eſt Agarenus in campum, vt pridie, & manſit in campo vſque ad meridiem diſpoſitis aciebus, & ad æſtus iniuriam repellendam allatum fuit tentorium rubeũ ad vmbraculũ Agareni diuerſis artificiis adornatũ, ſub quo glorioſus debito reſidens conflictum faſtu regio expectabat. Nos vero, ſicut pridie fecimus, eorum exercitũ attendentes obſeruatis caſtris deliberabamus, qualiter in craſtino procedere deberemus. Toletanus aũt & cæteri põtifices per ſingularũ ciuitatũ & ſingulorũ principũ manſiones verbum exhortationis & indulgentiæ deuotiſſime proponebãt. Eo die illuſtris Rex Aragonũ conſobrinum ſuum Nunium Sancii accingit * cingulo militari. *Exp. de hoc ritu.* Agareni etiam in modum torneamenti circa vltimam partem caſtrorum quædam belli præludia attentabant. Tandem inter ſextam & nonam poſt longã expectationẽ Agareni ad locum quo caſtra metati fuerant, ſunt reuerſi.

De diſpoſitione acierum, & ordinibus bellatorum. CAPVT IX.

SEQVENTI vero die circa mediam noctem vox exultationis & confeſſionis inſonuit in tabernaculis Chriſtianis, & per vocem præconis inclamatum eſt, vt omnes ad bellum Domini ſe armarent. Celebratis itaque Dominicæ paſſionis myſteriis, & facta cõfeſſione, ſumptis ſacramentis, acceptis armis ad campi certamina proceſſerunt. Diſpoſitiſque aciebus (ſicut iam dudum fuerat pertractatum inter principes Caſtellanos) Didacus Lupi cum ſuis habuit primos ictus: mediam aciem Comes * Gundiſaluus Nunii cum *Gonſaluus.* fratribus Templi, & Hoſpitalis, & Vcleſii, & Calatrauæ: collateram habuit Rodericus Didaci de Camberis, & Aluarus Didaci frater eius, & Ioannes * Gundiſalui, & alii nobi- *Gonſalui.* les cum eiſdem: in vltima acie nobilis Rex Aldefonſus, & Rodericus Archiepiſcopus Toletanus cum eo, & alii epiſcopi ſupradicti. De Baronibus, Gundiſaluus Roderici, & * frater *fratres.* eius, Rodericus Petri de Villa luporum, Suerius Telli, & Fernandus Garſiæ, & alii. In qualibet autem iſtarum acierum erant communia ciuitatum, ſicut fuerat ordinatum. Strenuus autem Petrus Rex Aragonum exercitum ſuum diſpoſuit in totidem aciebus: primos ictus habuit Garſias Romerii? ſecundam aciem Eximinus Cornelii, & Aznarius Pardi: in vltima fuit ipſe cum aliis magnatibus regni ſui: ſimiliter & in collaterali acie alios de ſuis nobilibus collocauit. De communibus etiam ciuitatum Caſtellæ habuit ipſe ſecum. Rex Nauarræ Sancius, ſpeciali prærogatiua ſtrenuitatis perſpicuus, cum ſuis à dextris Regis nobilis procedebat, & in comitatu ſuo communia ciuitatum Secobiæ, Abulæ, & Medinæ. *Ambæ Vrbes tunc regni Nauarræ.* Diſpoſitis atque aciebus, eleuatis ad cælum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyrium excitatis, protenſis vexillis fidei, & nomine Domini inuocato, ad belli diſcrimina omnes pariter peruenerunt. Primi autem qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Pharo, fuerunt ſuus filius, & nepotes ſuperius nominati, ſtrenui & audaces. Agareni vero in ſummitate quadam præſidium inſtar atrii firmauerunt de ſcriniis ſagittarum, infra quod erant præcipui peditum collocati, ibidemque Rex eorum reſedit habens iuxta ſe enſem, induens cappam * nigram, quæ fuerat * Abdelmumi, qui fuit principium *magnam Abdelmum.* Almohadum, & librum etiam ſectæ nefariæ Mahometi, qui dicitur Alchoranus. Extra atrium erant etiam aliæ acies peditum, quorum quidam tam de interioribus, quam de exterioribus ſibi adinuicem colligatis, vt quaſi de fugæ præſidio deſperarent, conſtanter belli inſtantiam ſuſtinebant. Erat autem exterius ante atrium acies Almohadum militaris, equis, & armis, & infinita multitudine terribilis in aſpectu: à dextris autem ipſorum & a ſiniſtris erãt Arabes velocitate & lancearũ agilitate nocui inexpertis, qui & fugiendo impetunt, & fugati acrius inſoleſcunt. In planitie vero vbi volubilitati non * obeſt anguſtia, no- *obeſt* ciuiores reperiuntur. Hi ſimiles Parthis ſagittarum inſiſtunt negotiis, & in clauarum ponderibus vaſa ferunt vertiginis, & hi, & illi extraordinariis vagationibus intenti acierum ordinem non obſeruant, vt aduerſarios incurſionibus turbent & ſuis ordinatim venientibus ruptis agminibus ex aduerſo graſſandi tribuant facultatem. Sed & iſtorum & aliorum innumerabilẽ multitudinẽ nullum credo de noſtris potuiſſe veraciter extimare, niſi quod poſtea ab Agarenis audiuimus, quod erant octoginta millia * militum, peditum vero [turbæ non poterant numerari.] Ad hæc dicebantur adeſſe quidam Agareni de partibus * Azdoræ prope Marroches, mirius accepti in oculos Regis ſui. Hi equis relictis, Regi ſuo, vt eius

multitudo non poterat. pro equitum. Azora. Azdora. Marrochis. ... V.C.

eius gratiam compararent, pedites aſtiterunt, & ex his omnibus nullus creditur euaſiſſe. Aſtabat etiam Regi eorum quædam acies ſtupenda multitudine obſtipata, & militaribus inſignibus mirabiliter adornata.

De victoria Chriſtianorum, & ſtrage Sarracenorum.

CAPVT X.

AGARENI autem fere immobiles in loco manentes cœperunt repellere primos noſtrûm qui aſcendebant per loca ſatis congreſſui importuna, & in his repulſis aliqui ex noſtris congreſſoribus difficultatibus fatigati aliquantulum ſubſtiterunt. Tunc etiam aliqui ex mediis aciebus Caſtellæ & Aragoniæ in vnum agmen ad primas acies conuenerũt, & fuit ibi commotio magna, & res dubio periculoſa, ita vt etiam aliqui, non tamen de *magnis, viderentur fugæ præſidio inhiare, ſed primi & medii ex Aragonia & Caſtella coniunctim congreſſui inſiſtebant, collaterales etiam acies cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant, adeo quod quidam eorum terga vertentes fugere videbantur. Quod attendens Aldephonſus nobilis, videnſque quoſdam plebeia vilitate quid deceat non curare, dixit omnibus audientibus pontifici Toletano: Archiepiſcope ego & vos hic moriamur. Qui reſpondit ei: Nequaquam, immo hic præualebitis inimicis. Rex autem inuictus animo, Feſtinemus, inquit, primis ſuccurrere in periculo conſtitutis. Tunc Gonſaluus Roderici, & fratres eius proceſſerunt ad primos. Fernandus vero Garſiæ vir ſtrenuus, & in militia induſtrius, retardauit ipſum Regem, conſulens vt obſeruato moderamine procederent ad ſuccurſum. Tunc Rex inquit iterum: Hic Archiepiſcope moriamur. talis enim in tali articulo mors * non dedecet. Et ille: Si Deo placet corona victoriæ, non mors inſiſtat: ſin autem aliter Deo placuerit, vobis * commori omnes communiter ſumus parati. In his autem omnibus (teſtificor coram Deo) nobilis Rex non mutauit vultum, nec geſtum ſolitum, nec loquelam immo viriliter & conſtanter, vt leo imperterritus, aut mori, aut vincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum feſtinato greſſu vſque ad atrium Agareni dante Domino hilariter vexillorum inſignia peruenerunt. Crux vero Domini quæ coram Toletano pontifice conſueuerat baiulari, præferente eam Dominico Paſchaſii canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculoſe tranſiuit, & ibidem illæſo baiulo ſine ſuis vſque ad finem belli, ſicut Domino placuit, perdurauit. Erat autem in vexillis Regum imago beatæ Mariæ virginis, quæ Toletanæ prouinciæ & totius Hiſpaniæ ſemper tutrix * extitit & patrona. In cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hactenus ſatis immobilis permanebat, & rebellis noſtris obſtiterat, cæſa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus terga dedit. Tunc etiam ad inſtantiam germani ſui, qui Zeit Auozecrith vocabatur, Rex Agarenus iumento varii coloris inſidens fugæ præſidio ſe commiſit, & cum quatuor militibus periculi ſociis Beatiam vſque venit. & Beatienſibus quid facerent ſciſcitantibus, dicitur reſpondiſſe: Nec mihi, nec vobis poſſum conſulere, Dominus ſit vobiſcum. Ibique mutato iumento, Giennum ea nocte peruenit. Interea Aragonenſibus ex ſua, Caſtellanis ex ſua, Nauarris ex ſua parte inſtantibus, cæſa ſunt multa millia Agarenorum. Quo viſo & audito Toletanus pontifex hæc verba dixit Nobili Regi: Eſtote memor gratiæ Dei, quę omnes defectus in vobis ſuppleuit, & opprobrium aliquandiu toleratum hodie releuauit. Eſtote etiam memor veſtrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam perueniſtis. His & aliis in hunc modum dictis, ipſe Toletanus, & alii pontifices qui ſimul aderant, cum lachrymis deuotionis in laudis canticum eleuatis vocibus* proruperunt dicentes: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Erat etiam ibi Tellius Palentinus Epiſcopus, Rodericus Segontinenſis, Menendus Oxomenſis, Dominicus Placentinus, Petrus Abulenſis, multi etiam alii clerici Domino cantica decantantes. Campus autem ſic ſtrage Agarenorum plenus erat, vt etiam in robuſtiſſimis equis vix ſuper eorum cadauera abſque periculo tranſiremus. Erant autem Agareni qui * ſupra prædictum atrium inuenti ſunt, ſtatura proceri, pinguedine dilatati, & (quod mirabile eſt dictu) licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam à pauperibus ſpoliati, in toto campo nec ſignum ſanguinis poterat inueniri. Quibus peractis noſtri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes vſque ad noctem eos infatigabiliter ſunt ſecuti, & ſecundum extimationem creduntur circiter bis centum millia interfecta. De noſtris autem vix defuere viginti quinque.

magnatibus
mors decet
Vobiſcum mori
B. Maria Virgo erat
Beatia
prorumpunt ſup. cap. 3.
decantabant iuxta ſupra dictum atrium

Digitized by Google

De magnalibus bellatorum. CAP. XI.

QVÆ autem ſpecialiter facta ſunt à magnatibus, neminem credo ſufficienter poſſe dicere, cum nemo potuerit omnia particulariter intueri, ſcilicet qualiter Aragonenſiũ audax ſtrenuitas operam dedit ſtragi, qualiter agilitate facili præuenerit fugientes: quam *Xemenez. Sed ſup. ſæpe.* viriliter * Eximinus Cornelii cum turba ſuorum aduenerit agentibus primos ictus: qualiter Garſias Romerii, & Aznarius Pardi cum aliis magnatibus Aragoniæ & Cataloniæ belli dubia magnificè peregerunt: qualiter Nauarrorum bellicoſa agilitas belli * *inſtantiis.* inſtantiæ ſe obiecit, & perſecuta ſit fugientes: qualiter & vltramontani qui remanſerant, in occurſum magnanimi Agarenorum incurſibus reſtiterunt: qualiter Caſtellanorum magnifica nobilitas, & nobilis magnanimitas largis copiis ſuppleuit omnia, manu ſtrenua compreſſit pericula, victrici gladio præuenit velocia, fœlici victoria complanauit aſpera, & crucis improperia in gloriam commutauit, & hoſtis blaſphemias laudũ canticis dulcorauit. Sed ſi ſingulorum magnalia vellem proſequi, citius in ſcribendo manus deficeret, quam dicendi materia mihi deeſſet. Sic enim omnes præuentrix armauerat gratia, vt nullus de iis qui eſſe aliquid videbantur, aliud appeteret, niſi aut pati martyrium, aut obtinere. His itaque omnibus peractis fœliciter, iam circa ſolis occaſum in Agarenorum tentoriis *al. alii* ſedimus fatigati, ſatis tamen pro victoriæ lætitia recreati, neque ex nobis ad caſtra qui redierunt, niſi famuli ad ſarcinas deportandas. Tanta autem fuit in campo Arabum multitudo, quod medietatem ſpacii vix potuimus occupare. In campo autem * qui voluerunt, ra- *aliqui.* pere, plurima inuenerunt, aurum ſcilicet, argentum, veſtes pretioſas, ſuppellectilia ſerica, & multa alia precioſiſſima ornamenta, nec non & pecunias multas, & vaſa precioſa, quę omnia pro maiori parte pedites & aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim & quos fidei zelus, & Regis reuerentia, & amor ſtrenuitatis nobilitauerat, hæc omnia contemnentes vſque ad noctẽ perſecutioni viriliter intenderunt, præſertim cum pręcedenti die pontifex Toletanus ſub interminatione anathematis inhibuiſſet, ne quis prædę campi inſiſteret, ſi diuina prouidentia victoriam concedere dignaretur. Camelorũ autem, & cæterorum animalium, nec non & victualium quę inibi ſunt inuenta, vix poſſet, quamlibet ſubtilis diſcretio æſtimare. In eodem itaque loco illo die & ſequenti moram fecimus fatigati. Homines, & vehicula, & res, & ſarcinas, quæ fuerant ob belli inſtantiam * propoſita, *depoſita.* vel neglecta, famulorum ſtudio ſunt aducta. Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vſus omnes nulla alia ligna combuſſimus, niſi haſtas lancearum & ſagittarum, quas ſecum duxerant Agareni: vix tamen in illo biduo potuimus conſumere medietatem, quãuis ex induſtria, non ad neceſſitatem, ignem apponerent, ſed ad eorum multitudinem conſumendam.

De captione Beatia, & Vbeta, & aliorum caſtrorum, & reditu exercitus. CAP. XII.

EXINDE procedentes quidam ex noſtris caſtrum de Bilche fortiſſimum obſederunt. Nos vero die tertia poſt bellum, quarta ſcilicet feria, venientes cepimus caſtrum Bilche, nec non & alia tria, ſcilicet Ferral, & Balnea, & Toloſam, quæ vſque hodie per Dei gratiam à fidelibus incoluntur. ibique moram per vnum diem fecimus, & procedentes ex noſtris ad ciuitatem Beatiam vacuam inuenerunt, fugientibus Agarenis, & ſuorum periculo iam comperto ſe in Vbetam receperunt, præter quoſdam inexpeditos qui in eorum oratorio quod Mezquita dicitur, incendio perierunt. Hoc audito Reges & principes cõmuni conſilio decreuerunt, Vbetam obſidere. Hoc factum fuit feria ſexta poſt bellum.

Bilche. Ferral. Balnea. Toloſa. Beatia. Vbeta.

Igitur ſecunda feria, * octauo ſcilicet die poſt bellum, aggreſſi ſunt ciuitatem inuocato nomine Chriſtiano, & ſicut Domino placuit, ex ea parte vbi inſtabant Aragonẽſes, quidã armiger Lupi Ferrencii de Luna murũ aſcendit, & in eius aſcenſu corda reſiſtentium languerunt, & ſe Regis gratiæ ſpoſponderunt. Super hoc itaque habito frequenti tractatu primo obtulerunt Sarraceni mille millia aureorũ, vt ciuitas eis integra remaneret, quod & aliqui acceptarunt, dolentibus admodum Regibus, diſſimulantibus tamen propter inſtantiam magnatum. Demum Toletano, Narbonenſi, & cæteris pontificibus auctoritate pontificali pacta huiuſmodi prohibentibus factum eſt, vt ciuitas funditus euerteretur, Sarracenis ad vitam ſeruatis, captiuitati nihilominus mancipatis. Etiam Dei gratia propter luxũ hominum tepeſcente, Chriſtiani cupiditate illecti intendebant iniuriis & rapinis. vnde & Dominus impoſuit frenum ori eorum, & percuſſit eos infirmitatibus, & iumenta, & vix erat in tabernaculis qui cõmilitoni poſſet ſocio, vel domino miniſtrare. Et neceſſitate compulſi

ſeptimo. Lupi Ferrencii facinus memorabile.

by Google

pulſi rediuimus Calatrauam,ibiq; inuenimus Ducẽ Auſtriæ de partib. Teutoniæ, qui ſatis in magno venerat apparatu. Indeque cum Rege Aragonum, cui erat conſanguinitate coniunctus, in Aragoniam eſt reuerſus. Nos vero cum nobili Rege Aldephonſo ad vrbem peruenimus Toletanam, ibique cum pontificibus, & clero, & vniuerſo populo in eccleſia beatæ Mariæ virginis proceſſionaliter eſt receptus, multis Deum laudantibus, & in muſicis Inſtrumentis acclamantibus, quod eis Regem ſuum reddiderat ſanum & incolumem & corona victoriæ coronatum. Inde diuiſo exercitu, vnuſquiſque ad propria eſt reuerſus. Hic finis belli, quod fuit æra milleſima ducenteſima quinquageſima, feria ſecunda, decimo ſexto Kalendas Auguſti.

Auſtriæ. Teutoniæ.

Æra 1250 Chriſti 1212 Eadem die Dirna capta anno V. C. 367.

De captione Alcaratii, & Alcantaræ, & aliorum caſtrorum, & fœdere cum Rege Legionenſi.
CAP. XIII.

POST hæc autem, licet Chriſtianorum populi eſſent laboribus & infirmitatib. fatigati, Rex tamen Nobilis a magnalibus non poterat abſtinere. Et congregato exercitu eodẽ anno menſe Februario Caſtrum Dominarum impugnatum machinis occupauit, & reſtituit, quorum fuerat, fratribus Calatrauæ. Et inde procedens cepit caſtrum quod * Eznauexore dicitur, & militiæ ſancti Iacobi dedit Illud. Et inde perueniens ad caſtrum famoſum quod Alcaratium dicitur, obſidione diutina impugnauit, & in die aſcenſionis Domini eiuſdem anni cepit illud Domino faciente, & a Roderico Toletano pontifice, & clero qui aderat, proceſſionaliter eſt receptus in eccleſia ſancti Ignatii quæ Mezquita fuerat, diuinis ſolenniter celebratis. Cepit etiam aliud caſtrum quod Riuus Oppæ dicitur, expulſis Arabibus ab eodem. Et ſic reuerſus in terram ſuam, in villa eccleſiæ Toletanæ quę ſanctus Torquatus dicitur, feſtum Pentecoſtes pręſente vxore ſua Regina Alienor, & filio ſuo Enrico, & filia ſua Berengaria Legionenſi Regina, & nepotibus ſuis Fernando & Alphonſo cum gratiarum actionibus & gloria celebrauit. Accidit autem eo anno, vt Dei iudicium Hiſpaniam viſitaret. nam ſic in omnibus regni finibus victualia defecerunt, vt homines panem petentes, cum non eſſet qui porrigeret, in plateis & compitis famis exitio morerẽtur, licet ipſe Rex nobilis largiſſime eleemoſynas erogaret, & pontifices, & magnates, milites, & populares ſupra poſſe ſtuderent, quæ habere poterant, pauperibus impartiri. Nec tantum ſterilitas in fructu terræ, ſed etiam in volucribus, gregibus, & armentis, quæ conceptu & fœtu eo anno ſterilitate ſimili caruerunt, & equitaturæ, & equi multi defectu palearum & hordei perierunt. Et licet tanta peſtis patriam infeſtaret, Rex nobilis ab aſcenſionibus corde conceptis non potuit retineri, & cum Aldefonſo Rege Legionenſi olim genero fœdus initum innouauit, & reſtituit ei Rex Caſtellæ Carpium, & Montem regalem, vt diruta de cætero non ſtarent. Et dato ei in auxilium Didaco Lupi de Pharo, magnate nobili & potente, Reges pariter condixerunt, vt vterque per confinia regni ſui exercitum duceret contra Mauros: & Rex Legionenſis in eo introitu cepit Alcantaram munitionem nobilem, quam dedit poſtea fratribus Calatrauæ.

Caſtrum dominarum. Eznaueno. Eznauexore. Alcaratium. Oppæ riuus. S. Torquatus. Carpium. Monsregalis. Alcantara.

De obſidione Beatiæ, & tregua cum Arabibus, & populatione Miraculi. & peſte famis. CAP. XIIII.

ALDEPHONSVS autẽ nobilis Rex Caſtellæ æra milleſima ducenteſima quinquageſima prima, octauo Kalendas Decembris, congregato exercitu vrbem ingreſſus eſt Toletanam, & per Conſocram & Calatrauam tranſiens circa Beatiam fixit caſtra, & ſic inualuit fames ibi, vt exercitus carnes humano generi inſuetas edere cogerentur, ibique aduenit prædictus Didacus Lupi cum magno militum comitatu. Rex enim Legionenſis poſt captam Alcantaram reuerſus fuit in terram ſuam. Cumque diu Beatiæ obſidio traheretur, nec a patria victualia portarentur, omnibus fere fame deficientibus, ſuorum conſilio Rex nobilis tregua cum Arabibus reformata rediit Calatrauã, & cum fratres & ſæculares qui inibi morabantur, fame & inedia laborarent, magnates, & milites, & cæteri populorum, prout vnuſquiſque potuit, ſubuenerunt, ſicut tanta aduerſitas tolerabat. Rodericus etiam Toletanus pontifex attendens verbum Ioannis Apoſtoli, *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera miſericordiæ ſuæ, quomodo Dei charitas eſt in illo* & item dicit ſcriptura *Paſce fame morientem, quem niſi paueris, occidiſti.* totum argentum quod apud ſe potuit inuenire, fratribus erogauit, & ne caſtra frontariæ remanerent habitatoribus deſtituta, elegit ipſe cum indigentibus indigere, & cum fratribus in terræ ſolatium & ſubſidium eo tempore remanere. Rege itaque cum exercitu ad patriam redeunte, prædictus pŏtifex

Æra 1251. Conſocra. Calatraua. Beatia.

omnibus ſæcularibus remanentibus Calatrauæ à feſto Epiphaniæ vſque ad octa-
uas ſancti Ioannis omni die edulium miniſtrauit. Sed in Quadrageſima ad tantæ ne-
ceſſitatis anguſtias peruenerunt, quod ipſe pontifex cum fratrum capitulo potius carnes
comedere, quam terram deſerere decreuerunt, niſi Dominus aliter prouideret. Sed Dei
ut & præd. abundantia pietati miſericorditer ſic prouidit, vt * prædicto pontifici alimonia non deeſ-
ſet, & fratrum indigentiam ſupportaret vſque in diem, qua terra Domini diuitibus & pau-
peribus fructum dedit. Eo tempore idem pontifex in via publica per quam Toletum Ara-
bes grauius infeſtabant, caſtrum quod Miraculum dicitur, populauit. vbi cum aliquandiu
conſediſſet pluuiis & inundationibus impeditus, caſtri fabrica non creſcebat, tamen in eo
quod fieri potuit, relictis militibus, & aliis bellatoribus qui nouæ populationis ambitum
cuſtodirent, imminente ſolennitate Ramis palmarum venit ad eccleſiam Toletanam. Vbi
proceſſione ſolenniter celebrata, cum clamor inſurgeret egenorum, idem pontifex ver-
bum expoſuit charitatis, & ſic Omnipotens corda audientium inflammauit, vt ipſo incipi-
cuncti. ente, cæteri qui verbum Domini audiebant, vſque ad tempus fructuum * cæteros paupe-
tanta. res receperint: & ſic charitatis gratiarum numerum augmentauit, vt in * tota vrbe vix re-
quæ. manſerit qui exhibitorem proprium non haberet. Et eadem die * qua fuit hæc diſtributio
charitatis, ſeptingenti milites, & mille quadringenti pedites Arabum caſtro Miraculi ad-
uenerunt, & eos qui intus aderant, vnius diei concertatione fortiter impugnarunt, adeo
quod aliquis de intrinſecis ſine morte, aut effuſione ſanguinis vix remanſit. Agareni autẽ
incluſorum conſtantiam formidantes, multis ex ſuis ſagittis, gladio, & lapidibus interfe-
ctis, greſſu retrogrado receſſerunt, & tanta fuit cæſio obſeſſorum, quod nullus ex eis in ca-
abceſſum. ſtro potuit remanere. Sed poſt * acceſſum Arabum Roderico pontifici, cuius erant, nun-
cio deſtinato, ſucceſſores fortes & incolumes receperunt, & ipſi Toletum vehiculis ſunt
aducti, vbi commoditate debita recreati vſque ad ſanitatis gaudium ſub chirurgico re-
manſerunt. Rodericus autem pontifex his diſpoſitis iuit Burgis ad regem nobilem Alde-
phonſum, qui opera eius commendans in Domino dedit ei viginti aldeas in poſſeſſionem
perpetuam eccleſiæ Toletanæ.

De morte Regis nobilis Aldephonſi. CAPVT XV.

CONSVMMATIS autem quinquaginta tribus annis in regno, Rex nobilis Aldephõ-
ſus generum ſuum Regem Portugalliæ ad colloquium conuocauit. Cumque eſſet in
Placentia. procinctu itineris eundi Placentiam vltimam ſui dominii ciuitatem, in aldea quadã Ar-
Guterius. euali, quæ dicitur Gutterius Munionis, cœpit grauiter infirmari, vbi demum febre cor-
reptus vitam finiuit, & ſecum gloriam Caſtellæ ſepeliuit, facta prius confeſſione Roderico
pontifici, & ſumpto ſummi viatici ſacramento, aſſiſtentibus Epiſcopis, Tellio Palentino, &
Dominico Placentinenſi. Sequenti die in præſentia Alienor vxoris ſuæ chariſſimæ, & Re-
ginæ Berengariæ filiæ ſuæ dulciſſimæ, cum Enrico filio, & Alienor filia, & nepotibus ſuis
Æra 1252. Fernando & Alphonſo in ætate conſiſtentibus puerili, æra MCCLII. in die * Fidis
Fidia. Virginis ſecunda feria, * decimo Kalendas Octobris, non plenus dierum, ſed virtutibus
quarta. & honore, beatum ſpiritum ſuo qui dederat, reſtituit creatori. Et factus eſt luctus omnium
& deſolatio magnatum, nec non & omnium populorum. Et corpore eius in decenti ſarco-
Vallemoleti. phago collocato, ea die peruenimus * Vallemoletum. Deinde ex omnibus regni partibus
pontifices & abbates, religioſi & ſeculares, milites & magnates, humiles, & maiores ad ex-
omnium. equias tanti funeris conuenerunt. Sic enim corda * hominũ vulnerauit relatio mortis e-
ius, quaſi quilibet improuiſæ ſagittæ iaculo feriretur. Sic enim ſtrenuitas, largitas, curialí-
tas, ſapientia, & modeſtia eum ſibi ab infantia vindicarant, vt poſt mortẽ eius ſepulta cre-
Corrupti mores dantur omnia cum ſepulto. Omnes enim non tantum in ſuis, ſed in aliis Hiſpaniæ finibus
Hiſpanie. effrenatis ſtudiis, & laxatis habenis licentiæ, quo libuit abierunt, & nihil ſibi retinuerunt,
cum theſauros verecundiæ amiſerunt. Sepultus eſt autem in regali monaſterio prope Bur-
gis à Roderico Toletano, Tellio Palentino, Roderico Segontinenſi, Menendo Oxomẽſi,
Girardo Segobiẽſi Epiſc. & aliis religioſis, officioſa obſequia funeris filia eius regina Berẽ-
garia impendẽte: quæ tanto dolore eius exequias cõſummauit, quod fere dilaceratione &
lachrymis ſe extinxit. Et ſicut in vita regnum virtutibus adimpleuit, ſic in morte totam
Hiſpaniam, immo mundum lachrymis madefecit. Sepultus eſt autem in prædicto mona-
ſterio à pontificibus ſupradictis, vbi laudum eius præconia nec inuidia,
nec obliuio poterit abolere.

RODE-

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBVS HISPANIÆ LIBER NONVS.

De regno regis Enrici, & quod fuit Comiti Aluaro deputatus.

CAPVT I.

EO igitur iam ſepulto continuo filius eius Enricus* paruulus & hæres, a pontificibus & magnatibus, vniuerſo clero, *Te Deum laudamus*, cantante, ad regni faſtigium eleuatur. Vndecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, & duobus annis, & decem menſib. regnauit. Verum poſt mortem Regis nobilis viginti quinque diebus tranſactis Alienor vxor eius fuit rebus humanis exempta. Hæc erat Enrici Regis Angliæ filia, pudica, nobilis, & diſcreta, & ſepulta eſt in prædicto monaſterio iuxta virum, & cuſtodia* pueri Regis, & regni gubernatio remanſit penes Berengariam Reginam* ſororem eius. Cuius diligentia ſic apparuit toto tempore ſui regiminis, vt pauperes, diuites, eccleſiaſtici, ſæculares, ſicut tempore Regis nobilis fuerant, in ſuis ſtatibus ſeruarentur, licet Baronum varietas zelo inuidiæ circum acta diſcidia procuraret. Cum autem eſſent tres Comites Fernandus, Aluarus, Gundiſaluus, filii Comitis Nunii ſupradicti, cœperunt ad cuſtodiam Regis pueri inhiare, vt concepta odia poſſent in his quos oderant, vindicare, ſicut pater eorum fecerat tempore pueritiæ patris eius. Aliqui etiam quibus Regina Berengaria ſe credebat, eorum ſtudiis conſenſerunt, mediante quodam milite Palentino qui Garſias Laurentii dicebatur, & de mandato Reginæ erat cuſtodiæ Regis pueri deputatus.* Hic promiſſa ſibi à Comite Aluaro in hæreditatem villa quæ dicitur Tabulata, Regi ſuaſit, vt ad Comitis Aluari cuſtodiam ſe transferret. Quod cum ſolers Regina Berengaria percepiſſet, animo gratanti conceſſit, ſed timens inſolentias quæ venerunt, fecit iurare Comitem Aluarum, & magnates, vt ſine ipſius Reginæ conſilio, nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guerram mouerent, nec multam, quæ Hiſpaniæ* pecta dicitur, imponerent in aliqua regni parte: & iuramento, &* hominio in manu Roderici Toletani pontificis firmauerunt, & ſi contrarium facerent, proditionis infamia tenerentur. Sed quia Regina propter importunitates militum & maiorum tædio erat affecta, timebat ne regnum in ſui cuſtodia turbaretur, & ideo Comiti Aluaro dedit puerum conditionibus ſupradictis. Qui cum* Gundiſaluo Roderici, & fratribus ſuis tunc ſibi fauentibus in continenti Burgis egrediens cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi diuites exhaurire, religiones & eccleſias ancillare, & decimarum tertias quæ ad eccleſiarum fabricas pertinebant, cœpit ſimiliter infiſcare. Sed excommunicatus a Roderico Toletano decano, qui vices Archiepiſcopi tunc gerebat, coactus fuit reſtituere, &* iurare ne de cætero attentaret, & eccleſiarum homines qui priuilegiorum regalium immunitate gaudebant, cœpit angariis & exactionibus ſubiugare.

paruulus ſucceſſor & hæres

paruuli, al. puello

Nobilem.

Huic promiſſa eſt a Comite Tabulata

ſ. Pecho

homagio

Gonſaluo

In archiuis ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ exſtant duæ epiſtolæ, quibus continetur iuramentum hoc huius Comitis & promiſſio Regis, de non auferendis tertiis. Epiſtolæ autem habentur inſ. in Notis.

De contubernio Regis Enrici & Dominæ Mafaldæ. CAP. II.

VERVM cum apud Vallem oleti curiam celebraſſent magnates alii, Lupus Didaci de Pharo, Gonſaluus Roderici, & fratres eius Rodericus Roderici, & Aluarus Didaci de Camberis, Alphonſus Telli de Meneſis, & alii nobiles regni exterminio condolentes curauerunt tantis cladibus obuiare, & Reginæ Berengariæ prudentiam* adeuntes humiliter ſupplicarunt, vt regni miſeriis condoleret. Comes autem Aluarus cœpit Reginam nobilem infeſtare, adeo vt ea quæ ſibi pater ſuus dederat, occuparet, & ei etiam ore tenus erario demandauit, ne in regni finibus remaneret. Tunc Regina nobilis cum ſorore ſua Alienor, quæ fuit poſtea Regina Aragonum, & erat tunc temporis domicella, in caſtrum Gunſalui Roderici quod Aptellum dicitur, ſe recepit, ibique deguit vſque ad mortem fratris. Sed prædicti magnates tanquam naturali dominæ fideliter adhærentes Regi* paruo fidelitatis debitum in omnibus ſeruauerunt. Cæterum prædictæ Reginæ ſolers induſtria omnia ſic prouide ordinauit, vt magnates ſibi fauentes, & Comitis Aluari inſolentias re-

attendentes

paruo puero

frenaret, & iura ſua Regi paruo conſeruaret. Verum cum Rex tenellus intentionem Comitis ſagaci indole iam ſentiret, libenter volebat ad ſororis cuſtodiã ſe transferre. Sed Comes Aluarus per ſuos complices ita cauit, quod Rex puer quod volebat, non potuit * effectum mancipare. Nam Comes callide cogitauit vxorem ex Portugallia ſibi dare, qua mediante poſſet puerum in ſuo beneplacito retinere. Sed in contrarium res euenit. Nam cum Mafaldam filiam Regis Portugalliæ adduxiſſet, & puer non eſſet in ætate nubili, remanſit domina coniugali commercio defraudata, & quia ſe conſanguinitatis linea attingebant, de mandato Innocentii * Papæ fuit contubernium ſeparatum. Et poſt (vt fertur) inter ſe & dominam voluit Comes Aluarus connubium procurare. Sed ipſa cum eſſet pudica, verbũ reſpuit indignanter.

effectui

adde tertii V. C. & inf. cap. 9.

De morte nuncii, & captione Montis alacris, & obſidione Villa alba CAPVT III.

POST curiam Vallis oleti Comes Aluarus cum ſuis complicibus, & cum Rege extrema Dorii peragrauit maiorum animos ſibi conciliians, vt eorum fauore poſſet aliis imperare, & habentiũ diuitias exhaurire, & inde ſe tranſtulit vltra Serram. Et cum veniſſet Maquedam, quæ eſt oppidum in diœceſi Toletana, Regina nobilis miſit nuncium de fratris ſtatu clanculo percunctari. Erat enim ſolicita, eo quod a Comite Aluaro negligentius ſeruabatur. Et cum Comes Aluarus de nuncio cõperiſſet, * fecit ſcribi literas impoſturæ, & falſo ſigillo Reginæ nobilis intercludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis ſcribebat aliquibus de conſilio * magnatum de campis, vt cum toxico ſibi miſſo fratri ſuo exitiale poculum propinarent, vt ſic puerum * ad ſororis odium grauius prouocarent, & hominem continuo ſuſpenderunt. Sed cum labia malignorum ſibi velut ebria mentiantur, qui Suſannam a falſo teſtimonio liberauit, Reginam nobilem & innocentem ab impoſturæ mendacio liberam declarauit, & vt in ſuis mendaciis caperentur iniqui, communis & fidelis aſſertio omnium ſine dubio affirmabat Reginæ nobilis veritatem, deteſtans maledictis & conuitiis quod iniquitas adinuenit. Et licet e fronte ſuperbia Comes Aluarus niteretur, tanta tamen efferbuit ſubſannatio populi contra eum, vt cogeretur recedere a partibus diœceſis Toletanæ, & Optam veniens ibi aliquandiu fecit moram. Aduenit autem miles nobilis Rodericus Gundiſalui de Valle viridi, qui beneplacitum Regis pueri iã habebat, vt ad ſororem ſuam inſcio Comite Aluaro ſe trãsferret. Sed cum Fernandus Munionis Comitis Aluari fautor & nepos aduentum prædicti nobilis comperiſſet, ei ex improuiſo aſſumptis militibus ſuperuenit, & captum duxit ad Alarconem. Tunc Comes Aluarus vt in regno excidia excitaret, fautoribus Reginæ nobilis mouit guerrã, & aſſumptis quos habere potuit, cum Rege ad Vallem oleti in ſequenti quadrageſima peruenerunt, & Paſchate reſurrectionis dominicæ celebrato, cum militibus Caſtellanis, & de extremis Dorii Vallem triticariam vaſtauerunt, & domos magnatũ qui Reginæ fauebant, hoſtiliter diſſiparunt. Deinde in caſtro quod Mons alacer dicitur, Suerium Telli obſederunt. Sed cum Gonſalus Roderici, & fratres eius, & Alphonſus Tellii pluribus militibus præminerent, Regis præſentiam reuerentes noluerunt obſeſſo fieri in ſuccurſum. Sed ipſe Suerius Tellii regi petenti protinus caſtrum dedit. Exinde Comes cum Rege procedẽs in campis plurima deuaſtauit, & apud Carrionem per dies aliquos fecit moram. Deinde ad Villam albam de Alcor contra Alphonſum Tellii properauit, & quidam milites ex agmine præcurrentes extra munitionẽ Alphonſum Tellii repererunt, & captis equis & armis ipſum etiam vulnerarunt, & vulneratus in municipio ſe recepit, vbi per aliquot dies obſeſſus viriliter ſe defendit.

Maqueda

ſecum ſcribit. ſcrip. Cod.

magnatorum

ad ſororem

Opta

Alarcon deſcidea

Extrema Dorii Vallis triticaria Mons alacer.

Carrion Alcor Villa alba.

De morte Regis Enrici. CAP. IIII.

AB obſidione vero Comes recedens Pallentiam feſtinauit, Regina autem & ſui nobiles in Aptello & Caſtro Ciniſario morabantur, & neſciebant quid agerent, eo quod in exercitum Rege præſente non poterant inſilire, nec illatas iniurias ſuſtinere. Vnde communiter decreuerunt Regi reſtituere terram ſuam, & de cælo auxilium expectare. Cum igitur terra (vt dictum eſt) variis incurſionibus vaſtaretur, & Comes cum paruo pallentiam aduenisset, contigit eum in domo Epiſcopi hoſpitari, & res Eccleſiæ vt hoſtem conſumere & deuaſtare. Quadã aũt die cum Rex puer inſtaret ludicris cũ coætaneis Domicellis minus prouide cuſtoditus, Domicellus quidam e turre caſu tegulam proiiciens, Regem in capite vulnerauit, ex quo ictu poſt dies paucos fuit mors lugubris ſubſecuta. Sed antequam rumorem loquacitas diuulgaſſet, Regina ſapiens miſit Lupum Didaci & Gundiſaluum Roderici magnates pro filio ſuo Fernando, qui apud Taurum cum patre tunc temporis

Pallentia. Cenſarium.

Palentiam

[illegible]

temporis morabatur. Qui * euntes rumorem de morte Regis pueri ſumpſerunt, & Regi Legionis cauſam aliam ſuadentes cum Infante Fernando ad Reginam * Verengariam redierunt. Interim autem Comes Aluarus tulit Regem à Pallentia, vt in caſtrum quod * Tarecum dicitur, celaretur. Sed quia res non potuit occultari, ſoror eius Regina funeſtis rumoribus concitata Pallentiam cum magnatibus properauit, vbi à venerabili Tellio Epiſcopo ciuitatis cum proceſſione ſolenniter ſunt recepti, & inde ad caſtrum quod * Doniæ dicitur, procedentes continuo vi ceperunt. Tunc magnates cum Comite Aluaro de concordia tractauerunt, ſed nihil voluit Comes Aluarus acceptare, niſi Infans Fernandus Rex futurus ſuæ cuſtodiæ, vt auunculus, traderetur. Cui pactioni Regina nobilis & magnates verentes præterita, nullatenus conſenſerunt, & procedentes ad Vallem oleti venerunt, & conſilio habito ad extrema Dorii proceſſerunt. Et cum veniſſent ad villam quæ * Cauca dicitur, habitatores villæ eos recipere noluerũt, ſed ad Aldeam quandã quæ * Sanctus Iuſtus dicitur, ſeceſſerunt, & ibidem nuncios receperunt, ne * Socobiam, vel * Abulã, vel ad aliquam extremorum Dorii accederent ciuitatem. Nunciatum eſt etiam quod Sãcius Fernandi frater Regis Legionenſis contra Reginam & filium eius magna cum multitudine aduenirer. Vnde & Regina Nobilis & filii ſui cum his qui aderant ad Vallem oleti protinus redierunt.

Semientes mortem Regis pueri ſuppreſſerunt. *Berengariam.* *Tarecum.* *Doniæ.* *Coucam.* *Cauca pro [illegible]ca.* *S. Iuſtus.* *Secobiã ſup. lib. 8. cap. 9.* *Abula.*

Quod Infans Fernandus factus eſt Rex Caſtellæ. CAP. V.

CVM autem audiſſet Regina potiores extremorum Dorii, & de vltra Serram Socobię conuenire, miſit nũcios qui eis fidelitatis debitum ſuaderent. Cumque viri extremorum Dorii hoc audiſſent, venire ad Reginam nobilem continuo conſenſerunt, & cum ad Vallem oleti communiter conueniſſent, ibidem tam extremorum Dorii potiores qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates & milites Caſtellani communi conſenſu * regnum Caſtellæ fidelitate debita Reginæ nobili obtulerunt. Ipſi enim decedentibus filiis, cum eſſet inter filias primogenita, regni ſucceſſio debebatur, & hoc ipſum patris priuilegio probabatur, quod in armario Burgenſis eccleſiæ ſeruabatur, & etiam totum regnum, antequam Rex haberet filium, bis iuramento & * hominio hoc firmarat. Ipſa autem intra fines pudicitiæ & modeſtiæ ſupra omnes mundi dominas ſe coarctans regnum ſibi noluit retinere. Sed extra portam Vallis oleti educta multitudine extremorum Dorii, & Caſtellæ, vbi forum agitur, conuenerunt, eo quod tantam multitudinem domorum anguſtia nõ ferebat, & ibidem filio regnum tradens, Infans Fernandus, de quo diximus, omnibus approbantibus ad eccleſiam ſanctæ Mariæ ducitur, & ibidem ad regni * ſalutem ſublimatur, anno ætatis ſuæ decimo octauo, clero & populo decantantibus, Te Deũ laudamus, te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fecerunt hominium, & fidelitatem Regi debitam iurauerunt, & ſic honore regio ad regale palatium eſt * reductus. Cum autem audiſſet Regina nobilis Aldephonſum Regem Legionenſem ad villam quæ * Airoium dicitur, aduenisse, modeſtiæ ſuæ inſiſtens pudori, per Mauricium Burgenſem & Dominicum Abulenſem Epiſcopos humiliter ſupplicauit, vt ſe ab inquietatione filii temperaret. Sed ipſe Rex elatus ſuperbia, quam cordi eius Comes Aluarus inſtillarat, ſupplicationi & precibus contradixit, eo quod imperio inhiabat. Immo tranſiuit * Piſoricam, & venit * Lacunam, vbi cum diebus aliquot permanſiſſet, direxit faciem contra Burgis, & cum loca plurima & domos militum deuaſtaſſet, & alias incendio concremaſſet, ad villam quæ * Arcus dicitur, ſuperuenit, ſperans ciuitatem Burgenſem ſe capturum. Sed cum audiſſet in eadem vrbe Lupum Didaci, & multos milites congregatos, fruſtratus ſpe vacua & inani, contra conſiliarios indignatus in terram ſuam propere remeauit.

Regi Caſtellæ fidelitatem dicunt. *homagio.* *ſolium.* *adductus.* *Arroyum.* *Piſorica.* *Lacuna.* *Arcum.*

De tumulatione Regis Enrici. CAP. VI.

REGINA autem in Regem filio ſublimato, dum hæc fierent, Pallentiæ morabatur, & ibi venerunt ad eam ex Secobia, & Abula, & aliis oppidis extremorum Dorii milites copioſi conſiliorum ſuorum ſeruitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles pontifices, Tellium Pallentinum & Mauricium Burgenſem miſit * Tarecum, vt Enrici Regis corpus reciperent cum ſuis parentibus tumulandũ, præſertim cũ & hoc ipſum Comes Aluarus iam mandaſſet: & præfati pontifices recepto corpore Pallentiã redierunt. Et inde Rex nouus cum matre ſua Regina nobili ad caſtrum q. * Munio dicitur, aduenerunt, & dum Rex oppidum impugnaret, Regina Nobilis fratrem ſuum Enricum Regem in ſarcophago nobiliter præparato detulit ad monaſterium prope Burgis, & ibidem iuxta fratrem ſuum Fernandum Infantem cum planctu magno exequiis celebratis regaliter ſepeliuit.

Tarecum. *Munio.*

Munio. Lerma. Lara.

Inde vero Regina veniens Munionem inuenit caſtrum a Rege Fernando & ſuis fidelibus occupatum, militibus qui inerant, captiuatis. Poſt hæc ad Lermam & Laram, quas Comes Aluarus detinebat, cum Burgenſi concilio procedentes inuaſas fortiter occuparunt, & rebellantes milites vi ceperunt. Inde ad vrbem Burgenſem redeuntes, à pontifice, clero, & populo honorificè & proceſſionaliter ſunt recepti, gaudentibus omnibus quod liberati ab hoſtibus in dominæ naturalis dominio remanſerunt.

Berengariæ.

*De largitate Reginæ * Berengariæ, & de captione Comitis Aluari.*

CAPVT VII.

VERVM quia perturbatione huiuſmodi obſiſtente regales reditus ad ſtipendia defecerunt, & Regina nobilis quidquid habuerat in largitionibus, diſpenſarat, ad argenti & auri, & gemmarum donaria miſit manum, & quæque ex talibus reſeruarat, in auxilium filii liberaliter erogauit, & de conſilio magnatum qui ſecum aderant, ad partes Belli foraminis, Anagari, [& Naiaræ] proceſſerũt, & receptis villis quas ſibi incolę gratiſſime reddiderunt, Burgis iterum ſunt reuerſi: munitiones enim quas Comes Gonſalus Nunii detinebat, non potuerunt propter ſui fortitudinem expugnare.

Belli foramen. Anagarum. Naiara.

Et dum Rex & Regina nobilis eſſent Burgis, Comes Aluarus, cum fratribus & cõplicibus per aggerem Alliorum & Quintanam fortunii tranſierunt, & in Belli foramine hoſtiliter irruentes, nec ętati nec ſexui pepercerunt, ſed cuncta cæde & incendio conſumpſerunt. Quod ceſſit nouo Regi & Reginæ nobili in amaritudinem & dolorem.

Alliorũ agger. Quintana fortunii.

Et hac vaſtatione peracta Comites ad propria redierunt, & Rex nouus cum matre Regina nobili & ſuis magnatibus a Burgis Pallentiam cœpit ire. Et dum ad villam quæ Pallẽtiola dicitur, perueniſſent, Comes Fernandus in Ripella vallis Guiariæ aciebus diſpoſitis ſubſiſtebat.

Pallentiola.

Ferrariola.

Comes Aluarus cum ſuis militibus Ferrariolam ſe recepit, & quarta feria quatuor temporum menſis Septembris, cum Rex Fernandus & Regina nobilis ituri Pallentiam iuxta Ferrariolam pertranſirent, collateralem aciem cum Alphonſo Tellii & Suerio Tellii ſeparauit, ne agmen exercitus tranſeuntes à militibus Comitis læderetur. Et cum Comes Aluarus extra villam cum aliquibus militibus reſediſſet, in villam cęteris intromiſſis, vt poſſet exercitum contemplari, remanſit cum paucis in villam colligi dedignatus. Sed cum Alphõſus Tellii, & Suerius Tellii, & Aluarus Roderici, & quidam alii eum eminus agnouiſſent, contra eum equorum impetu proceſſerunt & videns multitudinem præminere, iam exanimis, quamuis ſuperbus recolligere ſeſe cœpit. Sed cum prædicti milites aduenisſent, Comes Aluarus de equo deſcendit, & iacens in terra clypeo ſe obtexit.

permanum.

Sed illi * manibus eum trahentes captum cum duobus militibus concaptiuis Regi & nobili Reginę præſentarunt. Et qui multos offenderat, qui nulli pepercerat, qui naturali dominæ * eius dominiũ abnegarat, diuino iudicio nunc proſtratus ſuorum militum & fratrum intuentium auxilio deſtitutus, capitur inglorius & confuſus.

hus dominii V C 12. abnegauit.

Tunc Regina nobilis gaudio & lachrymis Deum laudans diu gratiarum inſtitit actioni, quod inimicum ſuum, & regni, & filii ſibi tradidit tam facili captione.

Quod Comes Aluarus & Comes Fernandus reſtituerunt quædam caſtra nouo Regi.

CAPVT VIII.

VIDENTES igitur cuncti qui aderant, quod Deus omnipotens Reginæ nobilis opera dirigebat, cum gaudio & actionibus gratiarum Pallentiam intrauerunt, & inde ad Vallem oleti iuerunt, vbi fuit Comes Aluarus in captione & vinculis cuſtoditus. Cumque ibidem de compoſitione aliquandiu tractaretur, ea conditione fuit pactio acceptata, vt

Cannetum. Alarcon. Amaia. Belli foramen. Anagarum. Naiara. Pandicurgum. Caſtrum. Xoriz. Orzeion.

Comes Aluarus reſtitueret caſtra omnia quæ tenebat, ſcilicet Cannetum, & Alarconnem Amaiam, & Tareeum Cæſareum & Villam francam, Turrim Belli foraminis, Anagarum [Naiarã] & Pandicurgum, & his deditis ſolueretur. Caſtrum Xoriz & Orzeionem detinebat Comes Fernandus frater eius, & ad eorum captionem tenebatur Comes Aluarus cum centum militibus Regem ſequi, donec ea ſuæ potentiæ ſubiugaret. Comes autem Aluarus Gundiſaluo Roderici fuit commiſſus, donec compleret ſuperius prænotata. Rex autem duxit exercitum verſus Caſtrum, & licet Comes Fernandus fultus copia victualium & multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione reſtituit Caſtrum & Orzeionem, vt eius vaſallus fieret, & ab eo vt vaſallus proprius Caſtra teneret. His peractis Domino diſponente quieuit perturbatio noui regis, & ſex menſium ſpacio fuit ſeditio ſic ſedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Fernandus ſuſceptus ab omnibus cœpit

Vbique.

* ibi iuriſdictionem regiam exercere.

De

De Comitum morte, Aluari & Fernandi. CAPVT IX.

POST hæc autem Comites videntes in regno potentiæ ſuæ gloriam minoratam, immò potius annullatam, in Valle iuniperi territorii Pallentini cœperunt iterum rebellare, & prædas in campis Gotthicis exercere. Sed Rex Fernandus cum Regina nobili matre ſua & aliqua parte magnatum venit ad Aggerem Fumorum, & Medinam de riuo ſicco, & ſic Comitum inſolentiæ pro parte maxima ceſſauerunt. Sed videntes Comites in Valle iuniperi non poſſe reſiſtere, Regis Legionenſis dominio ſe dederunt, &, vt moueret guerram filio, ſuaſerunt. Cumque vtrinque exercitus conueniſſent, & quidam nobiles ex Caſtella verſus partes Salmanticæ intrauiſſent, videntes Regem Legionis ſibi cum ſuo exercitu occurrentem, in Aldea Medinæ del campo, quæ Caſtellio dicitur, intrauerunt. Cumque Rex Legionenſis eos inibi obſediſſet, & Comes Aluarus cœpiſſet caligis ferreis calceari, percuſſus à Domino cœpit grauiſſime infirmari, & firmata tregua inter patrem & filium ab inuicem diſceſſerunt. Comes autem Aluarus morbi & treguæ dolore vexatus, Taurum ſemianimis eſt delatus, vbi mortis anxietate coactus militiæ Sancti Iacobi ſeſe dedit, & ibidem vitam finiuit, & Veleſii eſt ſepultus. Et poſt modicum temporis Comes Fernandus frater eius, cui non vt voluit, in regno Caſtellæ deſideria prouenerunt, in Africam transfretauit, & ab Amiramomenino ſuſceptis muneribus varia iactitauit, & dum ibi longa mora, vt moris eſt Arabum, traheretur, cum contigit infirmari, & fecit ad vicum prope Marrochos qui Elbora dicitur, ſe transferri. Vicus enim à Chriſtianis duntaxat incolis colebatur. Et dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere, à Gundiſaluo fratre Hoſpitalis, qui Innocentii Papæ tertii familiaris extiterat, ſuſcepit habitum Hoſpitalis, & vniuerſæ carnis viam ingreſſus, cum aliis qui ibidem obierant, ad domum Hoſpitalis, qui Pons Fiterni dicitur, in diœceſi Pallentinenſi, in ſarcophago eſt delatus, & ibidem ab vxore ſua Comitiſſa Maiore, & filiis ſuis Fernando, & Aluaro, & multis aliis eſt ſepultus.

Vallis Iuniperi.
Agger fumorũ.
Methymna ſiccum.
Salmantica.
Medina.
Caſtellum.
Taurus.
Veleſium.
Marrochi.
Quaſi hac Ebora. Vide Elbora.
Fiterni pons.

De laude Regis Fernandi & eius vxore Beatrice.

CAPVT X.

ADVERSARIIS itaque ſic à Domino iudicatis, Rex Fernandus regnum obtinuit pacifice & quiete, Regina nobili omnia diſponente, quæ adeo ſollicite filium educauit, vt regnum & patriam iuxta morem aui ſui nobilis Aldephonſi in pace & modeſtia gubernaret, vſque ad regni ſui viceſimum quintum annum. Sed quia indecens erat, vt tam magnus princeps extraordinariis petulantiis traheretur, mater ſua quæ ſemper voluit eum ab illicitis cuſtodire, procurauit ei vxorem nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filiæ Corſac Conſtantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, ſapiens, & pudica, miſſiq; pro ea nuncii, Mauricius Burgenſis Epiſcopus, vir laudabilis & diſcretus, Petrus Abbas S. Petri de Aslantia, Rodericus Abbas de Riuo ſicco, Petrus Odoarii Prior Hoſpitalis, ad Fredericum Romanorũ Regem, ſub cuius cuſtodia erat tunc temporis Domicella, in Teutonia acceſſerũt: ab ipſo Rege honorabiliter ſunt recepti. Cumq; legationis cauſam, vt iniunctum fuerat, explicaſſent, prædictus Rex & ſui principes reſponſionem aliquandiu ſuſpenderunt, & fere per menſes quatuor prædicti nuncii expectarunt. Tandem Rex Federicus in Imperatorẽ electus conſobrinam ſuam Beatricem, Domicellam nobilem, pulchram, compoſitam, & prudentem, Regi Fernando per dictos nuncios cum apparatu nobili deſtinauit. Et cum Pariſios aduenissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Galliis præſidebat, eam honeſte recepit per terram ſuam honorifice dans ducem. Ad regnum Caſtellæ fœlici itinere peruenerunt. Et Regina nobilis Berengaria cum comitatu nobili religioſorum & ſæcularium magnatum, & Dominarum vltra Burgum qui Victoria dicitur, occurrit nobili Domicellæ, & Burgis ex inde venientes inuenerunt Regem Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & ciuitatum primoribus expectantem. Qui Domicellam & nuncios honore quo decuit, receptauit, & tertia die ante feſtum ſancti Andreæ in regali monaſterio prope Burgis celebrata miſſa à venerabili Mauricio Burgenſi Epiſcopo, & armis militaribus benedictis, ipſe Rex ſuſcepto gladio ab altari manu propria ſe accinxit cingulo militari, & mater ſua Regina nobilis enſis cingulum deaccinxit. Tertia die, in feſto ſcilicet ſancti Andreæ, Beatricem dulciſſimam Domicellam duxit ſolenniter & legitime in vxorem, miſſam venerabili Mauricio in cathedrali eccleſia celebrante, & benedictionẽ nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobiliſſima celebrata aſſiſtentibus totius regni magnatibus, dominabus, & fere omnibus regni militibus, & primoribus ciuitatum.

adeo ſollicite eſt educauit. V. C. Aldephonſi modeſtè & pacificè gubernaret.

De rebellione quorundam magnatum, & morte Comitis Gundiſalui. CAPVT XI.

POST modicum vero temporis propter iniurias quas Rodericus Didaci de Camberis in terra ſibi credita exercebat, licet eſſet cruce ſignatus in ſubſidium terræ ſanctæ, Rex Fernandus citauit eum, vt ad curiam veniens ſatisfaceret de obiectis. Cumque ille ad Vallem oleti curiam aduenIſſet, cum naturaliter irę inconſtantia duceretur, à falſis amicis ſuaſus inuiſo & inſalutato Rege receſſit. Rex autem pro huiuſmodi indignatus abſtulit ei terram ſuam. Et cum prædictus Rodericus Didaci nollet reſtituere munitiones, tandem reſtituit eo pacto, vt Rex daret ei quatuordecim millia aureorum, & cum pecuniā ſuſcepiſſet, tunc demum reddidit caſtra Regi. Anno poſtea iterum reuoluto, Gonſalus Petri *Molinæ conſilio Comitis Gundiſalui cœpit contra Regem minus prouide rebellare, & partem Reginæ, Molinæ vicinam rapinis & vaſtationibus moleſtare. Cumque monitus nec deſiſtere, nec ſatisfacere voluiſſet, Rex Fernandus ſuper eum exercitum congregauit, ſed ſuperuenienti nobili Regina Berengaria matre ſua, cum Rex non poſſet Caſtrum *Zaphare expugnare, concordiam *procurauerat, & certis pactionibus Rex ſoluto exercitu à Molina receſſit. Et diebus aliquot interpoſitis Comes Gundiſaluus Nunii, qui ad Arabes ſe tranſtulerat, cum à Rege Caſtellæ beneficia non poſſet aſſequi, vt optabat, iterum ſe reſtituit Agarenis, & dum in partibus Cordubæ moraretur, in villa quæ *Beatia dicitur, infirmitate grauiſſima contigit ipſum mori, & delatus à ſuis ſepultus eſt in Cephinis, vbi habent oratorium fratres templi.

Vallis Oleti. Valleleti.
Molina. De Molina dominum.
Caphare. procurauit.
Baena.

De filiis Regis, & primis vaſtationibus contra Mauros. CAP. XII.

SVSCEPIT autem Rex Fernandus ex vxore ſua gratiſſima Beatrice filios hic notatos, Aldephonſum primogenitum, *Federicum, Fernandum, Enricum, Philippum, qui oblatus à domina Berengaria Regina nobili auia ſua Deo & Roderico Toletano pōtifici, per manus eiuſdem pontificis ad titulum eccleſiæ Toletanæ in ſortem Domini eſt vocatus, & in continenti idem pontifex præbendam, & alia beneficia in prædicta eccleſia aſſignauit. Habuit alios filios, Sancium qui oblatus *Roderico Toletano pōtifici, à quo cum clericali tōnſura Pſalmiſtæ officium eſt adeptus, præbendam & beneficiū in Toletana eccleſia eſt conſecutus: Emanuelem, & duas filias, Alienor, quæ deceſſit paruula, & Berengariam, quæ in regali monaſterio degit virgo Domino conſecrata. Verum Regina nobilis Berengaria mater Regis volens eum à Chriſtianorum iniuriis alienū, militiæ ſuæ primitias voluit Domino *dedicare, & *treguam cum Arabibus noluit vlterius protelari: ſed exercitu congregato, aſſiſtentibus ſibi Roderico Toletano pontifice, & aliis magnatibus regni ſui, per Beatiam & Vbetam vaſtationes exercens aggreſſus eſt Caſeatam, & captis & interfectis multis millibus Saracenorum, quia caſtrum variis impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem Caſeata vt diximus, occupata, per ripam Bætis magni fluminis ad partes peruenit Giennii, & deſtructis quibuſdam munitionibus vrgente inſtātia hyemali ad propria eſt reuerſus. Poſt hæc autem iterum exercitum congregauit, & tradente eas ſibi Auomahomat, qui erat Arabum princeps nobilis filius Auoabdellę filii Abdelmumi, cepit Beatiam, Andugarum, atque Martos, & caſtrum iſtud nobiliſſimum dedit fratribus Calatrauę, & deſtructis aliis caſtris & municipiis, ad ſua fœliciter eſt reuerſus. Et tertio ingreſſus terram Arabum cepit Sеuiot, Xoparum, & Gartiez, & bellatoribus obfirmauit, aliiſque vaſtationibus peractis ad vrbem reuerſus eſt Toletanam. Eo tempore erat in Hiſpaniis legatus Romanæ eccleſiæ Ioannes de Abbatis villa, quæ eſt in Comitatu Pontini, Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis, vir bonus, ſapiens, literatus, qui celebratis in ſingulis regnis conciliis, poſtquam monita ſalutis propoſuit, ad ſedem apoſtolicam eſt reuerſus, tribus annis legationis expletis. Poſt hæc iterum Rex Fernandus terram Arabū eſt ingreſſus, & cepit *Eznatoraph, turrem de Albep, Sanctum Stephanum, & *Chicranam, & alia vice duxit exercitum per Giennium circa feſtum ſancti Ioannis, quod propter ſui fortitudinem nō potuit expugnari, & inde procedens cepit Pegum, & captis incolis & occiſis, munitionem funditus deſolauit, & veniens ad oppidum quod Alhama dicitur, captis habitatoribus & occiſis, locum deſtructione ſimili diſſipauit. Poſt quod ad propria cum exercitu remeauit. In hac expeditione non interfuit Rodericus pontifex Toletanus, qui *Guadalphaiare remanſerat febris acumine fatigatus, vbi finis periculum vix euaſit, ſed miſit cum exercitu *Dominicum capellanum ſuum, virum venerabilem, Epiſcopum Placentinenſem, qui in exercitu loco eius pontificalia exerceret.

Fredericum. Fremandum.
Hunc Franc. Taraphа Archiepiſcopum Toletanū fuiſſe, & in prælio contra Mauros occubuiſſe refert pag.
immolare. treugam.
Oznatoraph V. C. hodie Iſnatoraph. hodie Chiclana.
Guadalfaiara. V. C. domini.

De ca-

De captione Capellæ, & fundatione eccleſiæ Toleti, & Abenhuth.

CAP. XIII.

ET procedens iterum contra Mauros obſedit Capellam, caſtrum munitiſſimũ, in diœceſi Toletana, & diutinis impugnationibus tandem cepit, & expletis quatuordecim hebdomadibus expeditionis, ad vrbem regiam eſt reuerſus. Et tunc iecerunt primum lapidem Rex & Archiepiſcopus Rodericus in fundamento eccleſiæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ à tempore Arabum adhuc ſtabat, cuius fabrica opere mirabili de die in diem, non ſine grandi admiratione hominum, exaltatur. In diebus huius Regis Fernandi ſurrexit quidam nomine Abenhut in caſtro Rechoc in territorio Murtienſi, & cœpit contra Almohades rebellare, qui ciſmarinos Arabes adeo crudeli dominio opprimebant, quod de facili Abenhuti propoſito conſenſerunt, & obtenta Murtia, & finitimis oppidis & caſtellis, omnes Almohades quos habere potuit, capite detruncauit, & omnes Mezquitas præſentia Almohadum iudicans inquinatas, aſperſione aquæ fecit à ſuis ſacerdotibus expiari, & armorum ſuorum inſignia fecit nigra, quæ in bellis & alibi præferebat, quaſi luctu præſignans excidium gentis ſuæ, & in modico tempore obtinuit Vandaliam Hiſpanorum, præter Valentiam, & confinia, in quibus Zaen de genere regio rebellauit. Erat autem Auenhut de genere Abohaget olim Regis Cæſarauguſtæ, & cum fere monarchus in ciſmarina Vandalia haberetur, audacia, largitate, iuſtitia, veritate, prout gentis eius infidelitas ſeu verſutia tolerat præminebat. Sed à quodam ſuorum qui Abenroman dicitur, inuitatus ad epulas & delicias familiares, quas gentis illius colit voluptas, factione hoſpitis & vaſalli occiditur in conclaui apud præſidium Almariæ. Et tunc inualuit Arabs quidam dictus Mahoma Alienalaginar, qui paulo ante * bouis & aratri veſtigia ſequebatur. Hic Arionæ, & Gienni, Granatæ, Vaſtæ, & Accii, & locis aliis adhuc hodie principatur: & poſt interitum Abenhuti, Vandalia ciſmarina in plures Regulos eſt diuiſa, & ab Almohadibus ſeparata, quod Chriſtianis vtile inuenitur.

Capella. Templi Toletani fundamenta. Rechoc. Murcia. Vandalia. Cæſarauguſta. Auenalaginar. Almaria. Ariona. Mahomat. bouem. Giennium. Granata. Baſta. Accium. Chriſtianorum propoſitum.

De morte Aldephonſi Regis Legionenſis, & ſucceſſione Regis Fernandi

CAP. XIIII.

POST hæc iterum obſedit Giennium, & machinis validis impugnauit, ſed videns quod ciuitas tanta fortitudine præminebat, quod non poſſet humano ingenio expugnari, habito magnatum ſuorum conſilio inde receſſit, * & cum Abdaralfertiam perueniſſet, rumor aduenit patrem ſuum in villa noua de Sarria ab hoc ſæculo migrauiſſe, & in eccleſia beati Iacobi traditum ſepulturæ, æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua, & quod etiam regnum legauerat, quas ex Regina Taraſia ſuſceperat, [filiabus.] Propter quod mater eius Regina Nobilis domina Berengaria ad eum materna ſolicitudine veniebat, vt ad recipiendum * bonum paternum * quantocius feſtinaret, quod ei de mandato patris pontifices, magnates, & ciuitatum concilia iurarent, ne forte in mora perturbatio aliqua oriretur. Erant autem cum eo Rodericus pontifex Toletanus, Lupus Didaci, Aluarus Petri, Gonſaluus Roderici, Garſias Fernandi, Alphonſus Tellii, * Guillermus Gonſalui, Didacus Martini, & alii nobiles, & magnates, & plures milites ciuitatum, qui cum Rege inclyto venientes Reginam nobilem in pago qui * Orgatium dicitur, inuenerunt, & inde communiter vrbem regiam intrauerunt, à qua mora * propoſita omnes continuo receſſerunt, & ad oppidum quod Agger Sellarum dicitur, peruenerunt, indeque ad caſtrum ſancti Cypriani de * Mozoth cum matre & comitatu veniens, caſtrum ei vt domino reddiderunt. Sequenti die eum ſimiliter in Villa Lalii receperunt, vbi ad Regem, tanquam ad dominum, ex Tauro nobiliſſimo oppido milites aduenerunt, qui Regem * ſui & oppidi naturalem dominum cognouerunt, & vt ſequenti die Taurum adiret, inſtantiſſime ſupplicarunt, nobili Regina hæc omnia * procurante. Altera vero die Taurum intrauimus, vbi omnibus annuentibus Rex Fernandus facto ſibi hominio in Regem & dominum eſt receptus. Indeq; per caſtra dominæ Reginæ aliquandiu incedentes recepimus ex aliis ciuitatibus milites, & nuncios venientes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Sorores enim domini Regis, Sancia & Dulcis, de quibus diximus, rebellionem cum complicibus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum intereſt regnum & ſacerdotium contueri, in auditu auris Regem Fernandum in Regem ilico receperunt, ſcilicet Ioannes Ouetenſis, Nunius Aſtoricenſis, Rodericus Legionenſis, Michael Lucenſis, Martinus Salamantinus, Martinus Mintonenſis, Michael Ciuitatẽſis, Sancius Caurienſis. Hi omnes cum ſuis ciuitatibus, patre mortuo, filio ſe dederunt, nec rebellio cogitata potuit inualere. Nam quam cito venimus Maioricam & Manſellam, Regi ſe protinus reddiderunt.

& cum ad Daralſeciam peruenißet: rumor aduenit, patrem ſuum ab hoc ſeculo deceßiſſe & in. ad Daral Fertiam. non legitur in ſcripto exemplari. regnum. quamcitiime. Guillermus ſcrip. cod. Orgatiu hodie Orgaz. Mozoth. Orgatium poſtpoſita. ſuum. ſagaciſſime proc.

De ingreſſu Legionenſi, & concordia Regis cum ſororibus. CAP. XV.

Caſtella. Legio. de regni vaſtatione. Valentia.

Beneuentum. vt reſignarent.

Zamora. Lethesſimam. Salamantica. Leteſmia. Ciuitas Roderici. Alba. Caſeata.

Pilos, Toya, Laza, Agoſin, la fuente de don illan torres de Lago, la figera.

Æra 1272.

SEQVENTI vero die intrauimus Legionem, quæ in regno illo ſedis regiæ præminet dignitate, ibique ab Epiſcopo & vniuerſis ciuibus ad regni Legionis faſtigium eleuatur, clero & populo Te Deum laudamus cantantibus concorditer & iucunde, & ex tunc Rex Caſtellæ & Legionis pariter eſt vocatus. Ibiq; nuncii aduenerunt ex parte Reginæ Taraſiæ ſuper compoſitione internuncia referentes, & licet verbum magnatibus diſpliceret, tamen Regina nobilis in tantum timuit * regni & pauperum vaſtationem, quod procurauit, vt Rex ſubſiſteret Legioni, & ipſa iret Valentiam de concordia cum Regina Taraſia tractatura. Cumque ambæ Reginæ Valentiæ conueniſſent, ſic ſolertia Reginæ nobilis Berengariæ procurauit, vt Regis ſorores Regi reſtituerent omnia quæ tenebant, & ipſæ eſſent prouiſione contentæ, quam eis Rex & Regina nobilis aſſignarent: ſi quid iuris in regno habebant, ſimpliciter reſignarent. Et pacto huiuſmodi confirmato, Rex aduenit, & inde omnes iuimus Beneuentum, quo etiam infantes filiæ Reginæ Taraſiæ aduenerunt, * vbi Rex Fernandus & Regina nobilis eis reditus triginta millium aureorum in locis competentibus * aſſignarunt percipiendos toto tempore vitæ ſuæ: & ſic obtinuit omnes munitiones & omnia caſtra quiete & pacifice Rex Fernandus. Et in hoc enituit quam plurimum Reginæ nobilis ſolers cura, qua non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam regnum Caſtellæ quod ad eam iure hæreditario pertinebat. Sic enim ſciuit omnia ordinare, vt licet regnorum vnio fere omnibus diſpliceret, ipſa ſtuduit taliter prouidere, vt ſine ſanguinis effuſione regnorum vnio prouenirꝑt, & vtrunque regnum pace perpetua lætaretur. IndequeRex iuit Zemoram, Salamanticam, * Leteſmiam, Ciuitatem Roderici, & Albam, & per cæteras regni partes, in quibus honore regio & hominio ab omnibus eſt ſuſceptus. Tunc Rex Fernandus dedit Caſeatam iure hæreditario Roderico Archiepiſcopo Toletano, quæ tamen aliquantulum reparata à Sarracenis incolis tenebatur. Sed Rodericus Archiepiſcopus euolutis à donatione menſibus tribus, exercitu congregato iuit contra Caſeatam cum multitudine armatorum, & expulſis Mauris qui ruinas oppidi reparabant, illud retinuit, & ad honorem Regis qui illud dederat eccleſiæ Toletanæ, cuſtodiuit hactenus, & cuſtodit cum aliis caſtris, ſcilicet Pilos, Toyam, Lacra, Agoſmo, Fonte Iuliani, Turribus Dela, cum Ficu, Alaulula, Areola, duobus Germanis, Villa Montini, Nubila, & Caſtorla, Concha, & Chelis. Poſt hæc iterum Rex Fernandus obſedit Vbetam, oppidum populoſum, bellatoribus & munitione magna tutatum, ſed adeo fortiter impugnauit, vt concluſi ſaluis corporibus oppidum reſignarent. Et tunc Rex oppido acquiſito ad vrbem regiam eſt reuerſus, æra milleſima ducenteſima ſeptuageſima ſecunda. Obiit Regina Beatrix in oppido quod Taurum dicitur, & ducta ad regale monaſterium prope Burgis iuxta Regem Enricum regaliter eſt ſepulta.

De obſidione & captione Corduba. CAP. XVI.

Corduba vrbs regia & patricia.

non legitur in ſcript. exemp.

corporis ignauia dormitabant.

continuo.

CÆTERVM elapſo biennio à morte patris ſui Regis Legionenſis obſedit Cordubam regiam & patriciam ciuitatem, ad cuius obſidionem hoc modo venit. Sarraceni quidam offenſi primoribus ciuitatis venerunt ad quoſdam milites Chriſtianos, ſpondentes ſe daturos vnum ambitum el * Axarquia ciuitatis. Hi autem milites qui Almogaueres dicuntur Arabice, verbum gaudii audientes, licet non crederent, periculo ſeſe dederunt, & in noctis ſilentio ad murum Cordubæ peruenerunt, & cum vocem vigilum non audiſſent, quia * ſoporis ignauia tenebantur, appoſitis ſcalis quas ſecum tulerant, ad muri altitudinem aſcenderunt, & turres aliquas occuparunt, in quibus vigiles occiderunt, & ambitum qui Axarquia dicitur, inuaſerunt, multis ex Arabibus interfectis qui in hoc ambitu habitabant, & ipſi metu poſtpoſito in turribus reſederunt licet ex alio ambitu Arabes ſagittis, fundis, iaculis, & lapidibus fortiter impugnarent, & ſucceſſum huiuſmodi nunciarunt Chriſtianis qui in Frontaria morabantur. Quod cum audiſſet miles quidam de familia Regis qui Ordonius Aluari dicebatur, ſtatim omnes quos habere potuit, Cordubam ſecum duxit, & ſtatum obſidionis domino Regi continuo intimauit. Interim autem aduenit Aluarus Petri de regni magnatibus potens & nobilis, & obſidentibus ſe adiecit, & Rex Fernandus qui in regno Legionis eo tempore morabatur, recepto nuncio, conuocatis ciuibus & militibus, licet non expectatis, vix cum centum militibus cœpit continuo proficiſci, ſed imbrium & fluuiorum inundationibus aliquantulum impeditus non potuit tam cito occurrere, vt volebat: aduenit tamen tempore opportuno; & * cotidie tam ex Caſtella, quã ex Legione veniebant milites, & magnates, & cõmunia ciuitatum.

igitized by Google

tutum. Cœpit Corduba grauius coarctari, tandē affecta pugnis & inedia, victa redditur, & inuita, & vitæ tantummodo conſeruati incluſi Arabes exierunt, & in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli a ſordibus Machometi patricia ciuitas expurgatur. Sed Rex in turri maiori vbi ſolebat nomen perfidi inuocari, præcepit lignum crucis viuificæ exaltari, & cœperunt omnes cum gaudio & lachrymis, Deus adiuua, conclamare, & ſubſequenter regalę vexillum iuxta crucem dominicam collocari, & cœpit in iuſtorum tabernaculis gaudii & lætitiæ vox audiri, clero cum pontificibus acclamante, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

De reſtauratione & * *dote eccleſiæ Cordubenſis, & campanis relatis ad ſanctum Iacobum.* Cap. XVII.

data.

ET tunc venerabilis Ioannes Oxomenſis Epiſcopus regalis aulę cancellarius cum Gundiſaluo Conchenſi, Dominico Beacenſi, * Adamo Placentinenſi, Sancio Caurienſi Epiſcopis, Mezquitam ingreſſus eſt Cordubenſem, quæ cunctas Mezquitas Arabum ornatu & magnitudine ſuperabat. Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud ſedem Apoſtolicam morabatur, eliminata ſpurcitia Machometi, & aqua luſtrationis perfuſa, in eccleſiam commutauit, & in honore beatæ virginis erexit altare, & miſſam ſolenniter celebrauit, & ſermonem exhortationis * dei proponens ſecundum ſapientiam ſibi datam, & gratiam ſuis labiis inſtillatam diffudit in cordibus adiutorum, adeo vt pœnitentiali gaudio recreati, contriti cordis ſacrificia & labiorum vitulos immolarent. Et Rex Fernandus nouæ eccleſiæ dotem obtulit competentem. Poſtea conſecrato ibi Epiſcopo magiſtro Lupo, * Rodericus primas & pontifex Toletanus aliquos reditus priuilegio confirmauit, & Lucenam inſuper dedit ei. Et tanta eſt vrbis illius abundantia, amœnitas, & vbertas, quod audito præconio tantæ vrbis ex omnibus Hiſpaniæ partibus habitatores & futuri incolæ, relictis natalibus ſedibus, quaſi ad regales nuptias cucurrerunt, & ſic incolis continuo eſt repleta, quod domus habitatoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobrium populi Chriſtiani campanæ ſancti Iacobi, quas (vt diximus) Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam, dependerent functæ officio lampadum, Rex Fernandus eaſdem campanas fecit ad eccleſiam beati Iacobi reportari, & eccleſiæ beati Iacobi reſtitutæ ſunt. Cum cæteris cymbalis bene ſonantibus in ſanctis ſuis peregrinorum deuotio laudat Deum. Stabilita igitur incolis & bellatoribus ciuitate, Rex Fernandus Toletum ad Reginam nobilem eſt reuerſus, quæ pari victoria iucundata, vtpote quæ conſilio & ſubſidio, licet abſens, omnia procurarat, gratias cum lachrymis egit Deo, quod antiqua dignitas, ignauia principum liturata, ſui ſolertia & ſtudio filii fuit Hiſpaniæ reſtituta. Hæc enim Regina nobilis Berengaria ſic filium in bonis operibus enutriuit, quod bona ſtudia, quæ Regina nobilis nullius virtutis [oblita] nullius chariſmatis expers, vt lac mellifluum gratiis circumfuſum cordi eius influere non ceſſauit, nec vnquam ab vbere pleno virtutibus ablactauit: & licet vir factus, in ætate roboris confirmatus, mater eius nunquam ceſſauit, nec ceſſat, quæ Deo & hominibus ſunt accepta, ſtudio vigili ſuadere, quia nec vnquam fœminea, ſed ſemper magnificentię opera perſuaſit. Hæc enim Regina nobilis tanto ſtudio conſeruauit, & adeo dilatauit recepta chariſmata gratiarū vt omnis ætas, omnis ſexus, omnis cōditio, omnis profeſſio, omnis natio, omnis lingua affectum ſentiat cum effectu, & virtutum faſciculo non partito, omnibus miſericordiæ opera compartitur, & paternorum operum prouida executrix, plus inuenitur regni & rerum prodiga, quam virtutum, quam merito noſtra tempora admirantur, * cui nunquam ſimilem, nec * moderna, nec patrum noſtrorum tempora habuerunt. Pro qua Dominum exoremus, vt eam dignetur diutius conſeruare, & ſibi profutura concedat, & bonis operibus abundare, donec fœlicem ſpiritum ſuo reſtituat redemptori.

Adam. — *diuinæ.* — *Roderico Primate & Pontifice Toletano, aliquos reditus.* — *cum. noſtra.*

De traductione ſecundæ vxoris Reginæ Ioannæ. Cap. XVIII.

ET ne Regis pudicitia alienis commerciis læderetur, Regina nobilis mater ſua domicellam nobilem generoſam, * proneptem Regis Francorum illuſtriſſimi Ludouici, filiam Simonis illuſtris Comitis de Pontino & Mariæ illuſtris Comitiſſæ eiuſdem, Ioannam nomine procurauit in coniugem ſibi dari, æra milleſima ducenteſima ſeptuageſima quinta. Burgis adueniens more regali curia & nuptiis celebratis ad Reginæ aſſumitur dignitatem. Hæc vero Regina pulchritudine, præſtantia, & modeſtia ſic floruit, vt in conſpectū

proneptam. Pontinum. Æra 1275. dari. Qua æra.

viri virtutibus gratioſa, coram Deo & hominibus ſit accepta. Et ſuſcepit ex ea filium qui dicitur Ferdinandus, & filiam paruulam quæ à proauia Alienor eſt vocata, & alium paruulum Ludouicum. Verum Rex Fernandus cum filiis ſuis Aldephonſo & Fernando, qui tunc in flore adoleſcentiæ lætabantur, Cordubam eſt reuerſus, & in aduentu ſuo multa caſtra Sarracenorum,* quæ Chriſtianorum incurſibus & inteſtinis cædibus longo tempore tabeſcebant, volentes colere pacifice terras ſuas, ſupradictis interpoſitis ſe Regis dominio tradiderunt. Tunc datæ ſunt ei ciuitates & caſtra, quorum præſidia Chriſtianis (vt diximus) inueſtiuit, & ab Arabibus tributa ſuſcepit, & eorum nomina hic notantur: * Eciia, Almodouar, Luc, Luxcena, Stepa, * Sedc, & Fila, & multa alia, quorum nomina longum eſſet enumerare.

quæ eo tempore tabeſcebant, volentes pacifice terras poſſidere, pactis interpoſita ſe Regis dominio reddiderunt. Oceya. Sate & Filea.

Hoc opuſculum, vt ſciui & potui, conſummaui, anno incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio, æra milleſima ducenteſima octogeſima prima, anno viceſimo ſexto regni Regis Fernādi, quinta feria, pridie Kalendas Aprilis, anno pontificatus mei trigeſimo tertio, ſede Apoſtolica adhuc vacante anno vno, menſibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam vniuerſæ carnis ingreſſo.

Roderici Archiepiſcopi Toletani hiſtoriæ Hiſpanicæ finis.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI OSTROGOTTHORVM HISTORIA.

PROLOGVS.

Athanaricus. Fridigernus. Oſtrogotthi. Veſegotthi. Oſter. Redagarſum interim ſunt diuiſi. Verum Redagarſo. V. C. Alaricum. Rhadagaſum.

*CVM Gotthorum cauſa olim in Athanaricum & Fridigernum fuiſſet diuiſa, ea lege in concordiam redierunt, vt Fridigernus Oſtrogotthis & Athanaricus Veſegotthis regali excellentia præminerent. Hi autem qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti ſunt Oſtrogotthi; quaſi Orientales Gotthi. * Oſt enim vocant in lingua Gotthica Orientem, & inde Oſteric, id eſt, Orientale regnum. Weſt autem Occidens interpretantur, & inde Weſtgotthi, quaſi Occidentales Gotthi. inde alia pars Teutoniæ Weſtfalia nuncupatur, quaſi Occidentalis campus. Et ex tunc vſque ad Fridigerni interitum regni diuiſio perdurauit. Poſt cuius mortem Athanaricus ſolus obtinuit principatum, ſed & eo mortuo in Alaricum, & * Redagarſum interim ſunt diuiſi. Vnde Redagarſo in Tuſcia interfecto Alaricus ſolus obtinuit curam regni & ſic poſtea res manſit, donec Oſtrogotthi ſeiuncti ab aliis ſedes proprias metabantur, & in Myſia, & ripa Danubii morabantur. Veſegotthi autem Pannoniam, Gallias, & Hiſpanias inuaſerunt, in quibus etiam ſedes vltimas poſuerunt. Vnde quaſi prophetice dicti ſunt Veſegotthi, id eſt, Occidentales Gotthi. Oſtrogotthi autem, qui Hunnis, Pannoniis, & Romanis grauia bella geſſerunt. Sed quia ſucceſſiones & acta Veſegotthorum in alio libro digeſſimus, in hac parte Oſtrogotthorū ſucceſſiones & prælia proſequemur.*

De Regibus Oſtrogotthorum, & de actibus Theodorici. CAP. I.

Athila. Valamer. Ardaricus. Gepida. Hunni.

MORTVO Attila, Valamer Rex Oſtrogotthorum, & Ardaricus Rex Gepidarum contra Hunnos qui remanſerant, proceſſerunt. Hunni autem ex aduerſo venientibus occurrerunt, & conſerto prælio Hunni ceſſerunt, & tot ex Hunnis cæſi fuerunt, quod deinceps Oſtrogotthorum potentiam metuerunt. Poſt hæc Leo Imperator cum Oſtrogotthis pacem firmauit, & Valamer Rex eorum dedit obſidem nepotem ſuum Theodoricum filium fratris ſui Theudemiri. Mortuo Valamer frater eius Theudemirus regnum ſuſcepit Oſtrogotthorum, cui Leo Imperator ſtatim reſtituit ſuum filium Theodoricum, quem obſidem receperat à Valamer. Mortuo Theudemiro ſucceſſit in regno Oſtrogothorum filius eius Theodoricus. huius bonitas ita enituit, cum eſſet obſes, vt tam ab Imperatore quam à Romanis chariſſimus haberetur, adeo vt famæ eius pura ſinceritas ad aures Zenonis relatu celeri perueniret. Vnde & Zenon qui Conſtantinopoli imperabat, Theodoricum ad ſe venire ſuis epiſtolis inuitauit, & recepit iucundo

iucundo applauſu,& congruis honoribus venientem,& in conſulem,& patricium exaltauit,& ei æream ſtatuam ante Palatium collocauit. Cumque ibidem aliquanto tempore imperialibus deliciis teneretur,cœperunt Oſtrogotthi aliquātulum murmurare, eo quod defectu victualium vexarentur,nec licebat eis propter pacis fœdera à vicinis gentibus aliquid attentare. Vnde & pacem initam cauſabantur:& Theodorico talia nunciarunt. Quæ audiens Zenoni continuo reuelauit. Zenon autem de Oſtrogotthorum penuria contriſtatus, quia nolebat Theodoricum à ſe fieri alienum, quem tantis virtutibus compererat abundare,tradidit ei Italiam,vt ciborum inopiæ ſubueniret, & commendauit ei Senatum populumq; Romanum. Egreſſus igitur à Zenone venit ad Oſtrogotthos nuncians eis, vt ſe pararent ad obtinendam Italiam ſibi datam. Cumque pergere incepiſſent, Gepidæ & Bulgari ſe illis in itinere obiecerunt,ſed ex eis plurimi ceciderunt: & victor Theodoricus exiens de Myſia,& tranſiens per Pannonias Italiam eſt ingreſſus.

Gepidæ.
Bulgari.

De Odoacare & morte eius. CAP. II.

ODOACER autem Rex Herulorum* & Turingorum fugato Oreſte patricio,& obtenta ciuitate Ticini depoſuit ab imperiali purpura Auguſtulum qui imperialē vſurpauerat poteſtatem,& Romam obtinuerat,& totius Italiæ principatum. Hic cum audiſſet aduentum Theodorici, prope* Aquileiam occurrit Theodorico, ibique pugna inita, Odoacer victus extitit, & fugatus. Theodoricus autem vſque Veronam eum perſequi non ceſſauit. præſumptione denuo reſtaurata bellum iterum innouauit, ſed eadem infelicitáte, qua prius,pluribus de ſua multitudine interfectis. ipſe iteratæ fugæ ſubſidio eſt relictus, ſed Theodoricus impetu perſequens fugientes etiam Veronam locum refugii occupauit. Odoacer autem in vrbem fugiens à ciuibus eſt abiectus,& ei introitus denegatus. Ipſe vero quæ attingere potuit,gladio & incendio deuaſtauit,& Rauennam veniens ibi ſe clauſit, geſtiens rebellare. Theodoricus autem obtenta Verona venit Mediolanum, & eam obtinuit. Ibique dimiſſis matre,& ſororibus, ſupellectili familiari Rauennam iuit,Odoacrem profugū obſeſſurus. & cum obſidione diutina arctaretur, Odoacer ſub fide ſe dedit Theodorico. Qui demum volens iterum rebellare, à Theodorico morte crudeliſſima eſt peremptus. Mortuoque Odoacre, frater eius Onoulphus cum reſiduis Odoacris Theodoricum voluit infeſtare,ſed victus ab eo trans confinia Danubii eſt fugatus.

qui in Pannonia reſidebat cum multitudine Herulorū & Thuringorum. V. C.
Heruli.
Thuringi.
Ticinum.
Aquileia.
Verona.
Aquilegiam. V. C.
Mediolanum.

De regno Theodorici in Italia. CAP. III.

POST hæc autem Theodoricus pacifice obtinuit Italiæ principatum, & Romam veniens à Romanis omnibus voluntarie eſt receptus. Ipſe vero, vt erat vir gratiæ & virtutum, ſic ſe ſciuit omnibus conformare, vt charus ab omnibus haberetur. Et quia tunc temporis ſtipendia victualium fuerant minorata, aſſignauit Romanis ſingulis annis CXX. millia modiorum,pro quo Romanis charior eſt effectus: & quamuis tot fauoribus redundaret, nunquam voluit Imperator dominio derogare, ſed omnia quiete, omnia pacifice gubernabat,& per totam Italiam regalia habitacula opere nobili fabricauit, cuius virtutes & acta Sidonius & Enodius latius proſequuntur. Cum itaq; in Italia annis decem & octo victor regnaſſet, audiens extinctum Regem Gotthorum Giſaleicum, cœpit in Hiſpaniam proficiſci, & in via Francorum ſuperbiam domuit, & proſtrauit, & partem regni quam manus hoſtium occupauerant, Gotthorū reſtituit poteſtati. Et intrans Hiſpanias regnum tenuit annis quindecim pro Amalarico nepote ſuo qui paruulus adhuc erat,& totam Hiſpaniam & Galliam Gothicam ſubiugauit. Cumque nepos Amalaricus ad ætatem legitimam perueniſſet, Theodoricus regnum Gotthorum dimiſit eidem,mandans filiæ, & nepoti, & quaſi voce teſtamentali denuncians, vt Senatum populumque Romanum diligerent, & Imperatorem Orientalem haberent propitium & pacatum. Ipſe vero reuerſus eſt in Italiam, & per ipſum fuit Romæ dignitas reſtituta. nam partem murorum quam Alaricus, & Athaulphus Reges Gotthorum, & Giſericus Rex Vandalorum vaſtationis tempore diſſiparant, ipſe redintegrauit,& proſpere regnum rexit. Vnde & à Senatu ſtatuam meruit inauratam. Amalaricus autem nepos eius cœpit regnare æra DLXV. & quinque annis regnauit ſine auo, & tam ſuam adoleſcentiam quam matris viduitatem Iuſtino Orientis Principi commendauit.

Sidonius Apollinaris.
Enodius Ticinenſis.
Vandali.
Æra 565.

De Theodorici hæreſi, & morte eius.* CAP. IIII.

De reſtitutione Arriana hæreſis per Theodoricum & de morte eius.

MORTVO Zenone Iuſtinus Catholicus ſuſcepit Imperium Orientis. tunc Hormiſda Papa miſit ad eum Germanum Epiſcopum Capuanenſem,quem Iuſtinus propter ſanctitatis præconium honorauit. Eo tempore hæreſis Arriana adeo inualuerat, quod

fere vtrumque Imperium infecerat viru ſuo. Gotthi etiam, Vandali, Alani, & Sueui à tempore Valentis Imperatoris eadem perfidia tenebantur. Prędictus autem Germanus Epiſcopus multos apud Conſtantinopolim ad fidem catholicam reuocauit, & Iuſtinus mandauit catholicis Epiſcopis eccleſias reſtaurari, & per ſacerdotes catholicos gubernari. Quod audiens Theodoricus Arriano veneno repletus ad Iuſtinum nuncios deſtinauit, vt Arrianis Epiſcopis eccleſias reſtitueret, & eos in pace permitteret remanere, alioqui ipſe in omnes de Italia deſæuiret, nec ſexui parceret, nec ætati. Nuncii autem cum lachrymis poſtularunt, vt petitioni annueret, & Arrianos permitteret frui pace, & ſic parceret Italis occidendis, quod & fecit compaſſione Italiæ prouocatus. Hormiſda Papa defuncto, Ioannes Conſtantinopoli ad Papalem apicem ſubleuatur. Et dum hæc fierent, Theodoricus prauitate hæretica concitatus Symmachum patricium, & Boetium ſenatorem gladio interfecit: nec in eo primis operibus vltima reſponderunt. * Eo cum Ioannes Papa à Conſtantinopoli aduenirct, inuenit Rauennæ Theodoricum, & cum ei verba ſalutis proponere incepiſſet, ipſum Papam cum iis qui cum eo venerant, interfecit, indignans quod Iuſtinus reueritum honorauit. Paucis autem diebus interpoſitis, Theodoricus ſacrilégiis Arrianus impiam animam Dei iudicio exhalauit. Tunc quidam ſolitarius eremita vidit Ioannem Papam, & Symmachum patriciũ eius animam deportare, quam in ollam Vulcani quæ ipſi littori eſt vicina, vt executores diuinæ ſententiæ proiecerunt. Iuſtinus vero Imperator cum per vndecim annos apud Conſtantinopolim regnauiſſet, in pace quieuit.

Ex.

De Gutide & ſucceſſoribus eius. CAP. V.

MORTVO Theodorico Oſtrogotthi nepotem eius Amalaricum in principem elegerunt, ſed paruo poſt tempore in Hiſpania vitam finiuit. Poſt hunc etiam Oſtrogotthi cum voluntate Amalaſuentæ Theudem elegerunt, ſed quia Theudis Amalaſuentam paucis diebus interpoſitis in balneo ſtrangulauit, Oſtrogotthi Regem alium elegerunt, qui Gutis nominabatur. Hic ad regale faſtigium eleuatus iuit Rauennam, & filiam Eurici Regis & Amalaſuentæ Reginæ, quam ibi auus Theodoricus reliquerat, abſtulit violenter, & ſibi matrimonio copulauit. Cumque Beleſarius Neapolim inuaſiſſet, & Gotthos cum incolis extinxiſſet, veniens Romam voluit Gotthos qui inibi habitabant, gladio ſimili extirpare. Sed qui fugere potuerunt, Rauennam ad Gutidem peruenerunt. Gutis autem vt cognouit talia, ſtatim cum magno exercitu contra Beleſarium venit Romam. Beleſarius autem non ratus congredi opportunum, vrbis ianuas facit claudi, & introitus cuſtodiri. Oſtrogotthi autem extra muros omnia euertebant, & incendio conſumebant, & loca ſacra bonis omnibus ſpoliabant, & quoſcunque de Romanis habere poterant, trucidabant, & ciuitatem vndiq; grauiter infeſtabant. Beleſarius vero è contrario firmiter defendebat. Romani calamitate duplici tenebantur. nam foris eos gladius, intus famis penuria affligebat. Cumque per annum fuiſſet obſeſſa, in Rauennam cœlitus territi redierunt. Eo tempore tanta fames inuaſit Liguriam, vt, ſecundum quod prędixerat Sanctus Dacius Mediolanenſis Epiſcopus, matres filiorum carnes chariſſimas attentarent. Poſt hoc iterum Gutis exercitum congregauit, & veniens contra Romanos a Beleſario fuit victus, & crudelitatis ſuæ recipiens talionem multis de ſuis occiſis, dum ipſe fugeret, à Ioanne magiſtro militum fuit captus, & Beleſario præſentatus. Beleſarius autem tanta victoria glorioſus Gutim Conſtantinopolim ſecum duxit, & obtulit eũ Iuſtiniano. Ille autem benigne recipiens honorauit patricia dignitate, & factum patricium, quia ſtrenuus eſſet miſit eum ad fines Perſidis contuendos, vbi & vitam finiuit. Hoc tempore ſanctus pater Benedictus in monte qui Caſſinus dicitur habitabat, & gens Longobardorum Romani populi tunc amica Pannoniam poſſidebat, & habebat Regem qui * Alboini dicebatur. Oſtrogotthi autem mortuo Gutide ſuper ſe Regem alium leuauerunt nomine Heldebatum, & iſto poſt annũ occiſo, alium præfecerunt, qui intra anni circulũ vitam finiuit.

Iguria.

Caſſinus mons.
Alboin.

De Totila, & actibus eius. CAP. VI.

DEINDE Totilam elegerunt. Hic fuit ſtrenuus & crudelis, qui ſuorum exercitu congregato cœpit Italiam impugnare, & per Campaniam, & montem Caſſinum, per Lucaniam & per Brutiam tranſeuntes ad regnum Calabriæ peruenerunt, indeque mare modicum tranſeuntes Siciliam occuparunt. Deinde Romam reuerſi, quia fame grauiſſima * laborabant, vt humanas carnes pro pabulis attentarent, tandem cæde, inopia tabefacti, à de-

laborabat, ſtdum cadem obſederunt: obſeſſi autem tanta inedia tenebãtur. Vt V. C.

à defenſione penitus ceſſauerunt. Totila autem per portam ingreſſus eſt Hoſtienſem, & præcepit buccinis intonare, vt Romani ſe in latebris occultarent, aut ad ſanctuaria ſe transferrent, vt à gladio ſeruarentur, & fecit volens parcere ſanguini Romanorum. Poſt hæc cum Romanis aliquanto tempore, vt pater cum filiis, habitauit, & cum antea crudeliſſimus haberetur, hanc humanitatem creditur Beati Benedicti monitis induiſſe, ad quem iuerat, vt intelligeret, ſi haberet ſpiritum prophetiæ. Ciuitates autem Italiæ variis incurſionibus diſſipauit. Ciuitatem, Caſtellum, * Peruſium, & Fulginiam, & multas Æmiliæ ciuitates, cum plurima cæde hominum diruit & euertit. In tantis vero excidiis aliqui Senatores tot calamitatibus cruciati Conſtãtinopolim adierunt, & Iuſtiniano excidium Italiæ nunciarunt. Imperator vero dolore repletus continuo miſit * Narſetem cubicularium eunuchum cum magna multitudine pugnatorum, qui veniens in Italiam Oſtrogotthis oblita prælia reparauit, & ad extremæ virtutis vltima coarctauit, & Regem eorum Totilam interfecit, & eos ab Italiæ finibus propulſauit. Ciuitates & oppida quæ Totila decem annis tenuerat, Romano Imperio reſtituit. Reliquiæ autem Oſtrogotthorum quæ remanſerant, ad ripam Danubii confugerunt, & ex tunc Romani à Gotthorum cladibus reſpirarunt. nec Oſtrogotthi leguntur Regem poſtea habuiſſe, niſi quod ſe Veſegotthorum cœtui miſcuerunt qui in Hiſpaniis & Gallia Gotthica regnauerunt.

Ciuitas Priſium VNG. Peruſium. Fulgineum. Æm. Narſim.

RODERICI ARCHIEPISCOPI HVNNORVM, ET VANDALORVM, ET SVEVORVM, ET ALAnorum, & Silinguorum hiſtoria.

PROLOGVS.

*QVIA ſtylo flebili noſtræ gentis repetita ſæpius excidia recitaui, ne per intercapedines digitorum mira deſluant Hiſpanorum, deſcriptis cladibus quas fere ſemper à ſui principio eſt perpeſſa, ad eorum tempora verto ſtylum, qui licet breuiori, acriori tamen dominio ſæuierunt. Quorum inhumanitas tanta fuit, vt omnem beſtiarum rabiem ſuperarent, nec vnquam humani generis ingluuie ſatiati pietatis ſpiritum admiſerunt, ſed ſemper exterminio inhiantes, cædibus & excidiis intenderunt. quod diuini iudicii talio ſic euertit, vt parum aut raro in tutis ſedibus remanerent: & fere ſemper inteſtinis ſuppliciis pœnas * criminum, vt oportuit, receperunt. quorum principium, medium, atque finem, prout maiorum relatio docuit, ſi Dominus dederit, * annotabo. Gotthorum originem, gloriam, & proceſſum, quorum inſignia ſuper omnes barbaros effulſerunt, in ſuperiori volumine declaraui, prout docuit veritas priman orum. Verum quia præter Gotthos quatuor gentes ferociſſimas ſæcula habuerunt, ſcilicet Hunnos, Vandalos, Alanos, & Sueuos, qui ſemper cædere, nunquam quieſcere voluerunt, horum originem, ſedes, & acta cogit ſuſcepti laboris ratio explicare.*

Primord. criminũ. annota.

De Origine Hunnorum. CAP. VII.

HVNNORVM origo (vt refert antiquitas) ita cœpit. * Rex Gotthorum Gardarici Magni filius, qui poſt egreſſum à Scandia tertio loco Gotthorum tenuit principatum, qui & terras Scythicas (vt diximus) occupauit, in populo ſuo reperiit quaſdam magas quæ in exercitu ſtupra & maleficia procurabant, & factitiis ſtrenuos euirabant, quas habens ſuſpectas longe ab exercitu effugatas in ſolitudine fecit exponi. At immundi ſpiritus per deſerta & inuia euagantes, vt multorum cogitatio opinari, ſe earum complexibus ad coitum miſcuerunt, & genus hoc ferociſſimum ediderunt. primum minutum, tetrum, inter paludes extiſſe commemorant, & quaſi genus hominum, nec alia voce notum, niſi quod humani ſeminis imaginem exhibebat. Tali ergo Hunni ſtirpe progeniti, procedente tempore magis humanæ naturæ vicini, licet ſatis diſſimiles, humanæ formæ imaginem præferebant, & [a] rugitibus beſtiarum humanis vocibus ſe aptabant, Gotthorum linguam quam à matribus didicerant, in aliquibus imitantes. Et vt Priſcus hiſtoricus refert, in vlteriori ripa paludis Mæotidis inſidentes non aliis laboribus, ſed tantum venationibus & piſcationibus inſiſtebant, niſi quod poſtquam creuit, fraudibus & rapinis vicinarum gentium commoda perturbabat. Erat autem eis ſpecies pauenda nigredinis, & velut offa incompoſita, & informis, non plene, vt facies [&] figurata, ſed habens in facie quaſi

Hunnorum. Philimer. Hunni. Philimer. Scandia. Magæ. [a]

punɛta pro luminibus oculorum, & ſæuitiam animi toruus prodebat aſpectus: etiam in proles recenter natas impie ſæuiebant. nam genas earum ferri calidi ſtigmate figurabant, vt ante vulnus, quam lactis ſuſciperent nutrimenta. exigui quidem forma, ſed argutis motibus expediti, ad equitandum promptiſſimi, latis ſcapulis, ad arcus ſagittaſq; parati, ceruicibus & ſuperbia ſemper erecti. Quadam autem die dum venatores eorum in vlteriori ripa Mæotidis circa venationis ſtudia laborarent, cerua ſe obtulit improuiſa, ingreſſaq; paludem nunc progrediens, nunc ſubſiſtens, vt index viæ ſolicita præcedebat, & venatores paludem imperuiam quam vt pelagus exiſtimabant, pedibus tranſierunt, moxq; ignotis apparuit Scythia nunquam viſa, & creduntur ſpiritus illi vnde progeniem traxerāt, id egiſſe. quod enim in tam modico tempore à non multis fœminis quocunque concubitu tantus populus proceſſiſſet, tamque ferox, non videtur humana poſſe contingere ratione. Illi vero qui præter Mæotidem alium eſſe mundum penitus ignorabant, admiratione Scythiæ ſtupefacti, vt erant ſolertes, iter illud oſtenſum diuinitus crediderunt, & ad ſuos in Mæotidem reuertentes, geſtum prout euenerat retulerunt, & terras Scythiæ laudauerunt. Et continuo * Hunnorum exercitus paludibus procreatus Scythiam adiuerunt, & quoſcunq; in principio inuenerunt, ſuæ victoriæ litauerunt, & ingentem paludem Scythiæ tranſierunt. Alpizuros, Lizuros, * Iumaros, Boiſcos qui in ripa paludis Scythiæ inſidebant, quaſi cum turbine rapuerunt. Alanos quoque pugna ſibi pares, ſed humanitate, victu, formaq; diſſimiles, frequenti certamine ſubiugarunt. Nam quos bello forſitan minime ſuperabant, terrore vultuum conſternebant, & iam longa generatione veri hominis imaginem * natura ſcientes ferali ſæuitia trahebantur. Hermanaricus autem Rex Gotthorum, qui (vt ſuperius retulimus) multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere ſaucius ęgram vitam imbecillitate contraxit, & tunc * Voalamber Rex Hunnorum in Oſtrogotthos qui iam à Gotthis ſeiuncti manebant, fecit inſultum, eoſque proſtrauit. Hermanaricus autem dolore vulneris, & * Hunnorum potius vitæ ſuæ anno centeſimo decimo eſt defunctus. cuius mors Hunnis occaſionem præbuit præualendi, ipſoſq; Gotthos qui remanſerant, & Oſtrogotthos fere extinxit. Oſtrogotthi autem & Gepidæ vſq; ad bellum Catalaunicum ſub Hunnorum dominio remanſerunt, à tempore Hermanarici Regis Gotthorum vſq; ad Voalamer Regem Oſtrogotthorum, & Ardaricum Regem Gepidarum, qui tempore belli Catalaunici rati poſſe reſtitui libertati, ſe Gotthorum auxiliis addiderunt. Poſt quod bellum (de quo in ſuperiori libro latius eſt expreſſum) Attila pro diſceſſu hoſtium non reſtitutus præſumit gaudia, meditatur grandia, erigitur ad coronam, oppreſſioni inhiat, Romanis intonat, & inde reuertitur in Pannoniam, vt maiorem exercitum congregaret. Et cum cœpiſſet Alanos infeſtare, Thuriſmundus adueniens vicit eum: & licet fugatus, poſt Thuriſmundi diſceſſum virtutem animi non abiecit, ſed maiore exercitu congregato corde intimo reponens iniuriam Romanorum, perfectionem dirigit in excidium eorundem, habens ſecum quam prius exercitum ampliorem. Primum partes Aquilegiæ deuaſtauit, quæ erat in Metropolis Venetorum. Deinde ciuitatem obſidionis ambitu coarctauit. Cumque obſidio diutius traheretur, cœpit exercitus victualium penuria murmurare. Quadam autem die cum ciuitatem Attila circuiret, vt videret, qua poſſet facilius impugnari, inſpexit ciconias in roſtris filios deportantes egredi ciuitatem, & lætus auſpicio dixit ſuis: Pugnate hilariter, quia tranſmigratio auium tranſmigrationem indicat obſeſſorum. & tunc fortius ſolito dimicantes obſeſſæ vrbis muros & ianuas irruperunt. Et quædam domina nomine Digna, quæ in turre altiſſima habitabat, in Natiſſam fluuium ſe proiecit, ne barbarorum ludibrio ſeruaretur. Inde vrbe euerſa, & penitus diſſipata, vicina oppida diruit & caſtella. Concordiam, & Bellunum, & Feltrium, Vincentiam, & Veronam, Bergamum, Brixiam, atque Cunam, Mediolanum metropolin, Ligurum, & Ticinium, quæ nunc Papia, omnes diripuit & euertit, cædi tamen & * in medio partus inſiſtebat. Ipſo talia perpetrante, & Liguriam & Venetias deuaſtante, quæ erant quaſi viſcera Romanorum, propoſuit Romam ſimili diſpendio viſitare, ſed ſuorum conſilio diſſuaſus timuit ſibi, vt Alarico, ſi Romam inuaderet, euenturum, qui poſtquam Romam vaſtauerat, humanæ vitæ protinus ſenſit finem. Dumque inter conſilia fluctuaret, venit ad eum cum legatione placida ſanctiſſimus Leo Papa, in cuius aduentu ſic furorem depoſuit conſuetum, vt ſui & alii mirarentur in tantum, vt idem Papa receſſum eius ab Italia impetraret. Fuerat enim Attila Dei territus poteſtate. viderat enim dum ſibi Papa cominus loquebatur, alium prope ſtantem in ſimilitudine ſacerdotis tenentem gladium euaginatum, & mortem terribiliter comminantem, ſi nollet Papæ beneplacitis obedire. Cumq; ſuis viſionem huiuſmodi reuelaſſet, pacem, vt Papa petierat, ſuaſerunt: & in loco vbi Ticinus Pado flumini admiſcetur, ab inuicem diſceſſerunt.

Hugnorum. V. C.
Itymares. V. C. Trimares, Tucarſes Boyſcos, qui V. C.
Alpizuri.
Lizuri.
Iumari.
Tucarſi.
Boiſci.
Alani.
naſcitētes. V. C. lego naneiſcentes.
Valamer.
Hugnorum.

intendio primo inſiſtebat. V. C. niſi quod primo ſ. peuitus.
Roma direpta.

De* Honoria & morte Attilæ. CAP. VIII.

Honora V. C.

HONORIA autem Valentiniani germana Attilam incitauit per clandeſtinum eunuchum, vt eam ſibi peteret in vxorem. Attila autem audito nuncio eſt gauiſus, & ſtatim ad Imperatorem Valentinianum internuncios deſtinauit, vt ſororem eius peterent ſupra dictam: quod ſi renueret, interminans minitauit ſe in Italiam reuerſurum, & grauiora prioribus patraturũ. Igitur Attila Danubium tranſiens contra Alanos mouit arma. Quod cum Thuriſmundus Rex Gotthorum non imparis gloriæ præſenſiſſet, in auxilium Alanorum exercitui Attilæ mox aduenit, conſertoque prælio ſicut in campis Catalaunicis, pauenda Romanis vexilla Attilæ effugauit, ipſumque Attilam fugientem coegit oblitas olim repetere manſiones. Et præter alias quas habebat, duxit vxorem quæ Ildico dicebatur; & inter conuiuia quæ ſobrietatis terminos exceſſerunt, plus ſolito bibit vinum, & cum ſanguis per os & nares cœpiſſet effluere, fuit continuo poſt breue ſpacium ſuffocatus. In ipſa nocte Imperator Martianus qui tunc Conſtantinopoli morabatur, vidit in ſomnis arcum Attilæ eſſe fractum, & intellexit eum mortuum, aut confractum. Vnde Etium patricium interfecit, eo quod in bello Catalaunico eius conſilio quod Thuriſmundo dederat, Attila euaſiſſet. Sed eorum prælia & proceſſus in ſuperiori volumine deſcripſi calamo latiori.

De Vandalis. CAP. IX.

VANDALOS autem Scythas fuiſſe ſuperioris libri auctoritas proteſtatur, quos Gothi egreſſi à * Scandia primo impetu proſtrauerunt. Pars autem altera Vandalorum dicta Silingui per ſe exercitum faciebat, & ſpeciali nomine vocabatur, licet à principio vtrique vna gens fuerint Vandalorum. Alani ſimiliter ex Scythia oriundi, acti à Gotthis in Vandalorum coloniam tranſierunt, vt Gotthis impares poſſent cum Vandalis ſe tueri. Sueui etiam qui à Germanis proceſſerunt, eam partem Scythiæ inuaſerunt, quæ à Sueuis & Scythis Suetia nominatur, in qua eſt metropolis ciuitas Vbſalenſis. Horum nomen & patria in Teutonia adhuc antiqui ceſpitis nomen habet, quæ Sueuia nominatur. Hi itaque genitale ſolum egreſſi, & in obtenta Suetia habitantes, & Gotthorum gladios formidantes, ſe Vandalorum & Alanorum cœtui miſcuerunt, vt ſimul iuncti Gotthorum potentiæ obuiarent, quibus tamen ſemper in bellis impares ſunt inuenti. Cumque enim Geberidus Gotthorum regeret principatum, & Vimar Vandalorum, quos iuuabant Alani & Sueui, tanta ſtrage fuere proſtrati, quod nunquam poſtea in Scythiæ ſedibus præſumpſerunt remanere, nec nobilitati Gothicæ obuiare, ſed à Conſtantino Cæſare Pannoniam petierunt, & per ſexaginta annos terram vt agricolæ coluerunt, tributarii Romanorum.

Schanzia. Vandali. Silingui. Alani. Sueui. Vbſalenſis. Teutonia. Suecia. Pannonia.

Quod Barbari à Pannonia in Gallias transfugerunt. CAP. X.

DEMVM Fridigernus Rex Gotthorum eis aduenit, ſed morte præuentus eos non potuit obtinere. Verum ipſi timentes Athanaricum qui in Gotthorum regimine adhuc ſtabat, à Stilicone conſule & patricio Gallias petierunt, vt Romano imperio rebellantes ſua multitudine ſubiugarent. Cumque ad Gallias perueniſſent, biennio ante irruptionem vrbis Romanæ, vaſtatis prouinciis interiectis, in Gallias peruenerunt, Burgundiones, & Francos, ſiue Gallicos, mirabili impetu proſtrauerunt, & etiam Aquitaniam ſubiecerunt. At poſtquam tyrannus Eugenius interfecerat Gratianum, & Gallias occuparat, Vandali, Silingui, Alani, & Sueui cum tyranno Eugenio contra imperium rebellarunt. Sed Theodoſius progrediens contra ipſos, duxit de Gotthis pluſquam viginti millia armatorum, & Eugenio interfecto, prædictæ gentes fugaci compendio receſſerunt, & Pyrenæis montibus ſe dederunt. Sed Didymus & Veranianus, ambo fratres, de nobilioribus & potentioribus Romanorum, ſe in eorum tranſitu obiecerunt, & fratrum obice potentatu à tranſitu ſunt repulſi, & tribus annis per prouincias Galliæ vagabundi à Romanis & Gotthis cædes frequentiſſime ſunt experti. ſed prædicti fratres qui clauſtra Pyrenæi potenti præſidio tuebantur, fuerunt apud Conſtantinum Cæſarem accuſati quaſi rebellioni Eugenii conſenſiſſent, ſed licet innoxii & inſontes, à Conſtantino Cæſare ſunt occiſi.

Gallia. Burgundiones. Franci. Aquitania.

De introitu Barbarorum in Hiſpaniam. CAP. XI.

MORS autem fratrum Vandalis, Alanis, & Sueuis occupandi Hiſpanias viam dedit; qui intrantes Hiſpanias, vaſtationes & * neces cruentis incurſibus exercebant. Ciui-

Vandali. Alani, Sueui. cædes.

Digitized by Google

mulis. V.C.

tates & oppida, villas & pagos * incendio conſumentes, ſpolia occiſorum diuiſione cruentiſſima partientes, ad tantam cladem accolas perduxerunt, vt humanas carnes famis periculo attentarent. Beſtiæ quoque cadaueribus aſſuetæ in viuorum interitum ferebantur: atque ita quatuor plagis, beſtiarum ſcilicet, famis, peſtis, gladii, Hiſpania miſere lacerata diuini iudicii ſenſit iram. Tandem vero videntes Barbari terram extinctis cultoribus elanguere, & fructibus defraudari, & in ipſos penuriam redundare, non miſeriis incolarum, ſed ſuæ ceperunt penuriæ condolere. Vnde & incolis conuocatis, cum eis prouincias diuiſerunt, vt incolæ terram colerent, tributa dominis ſoluturi: ipſi autem prouinciarum dominia ſorte ſacrilega partirentur. Alani itaque Luſitaniam & Carthaginenſem prouincias habuerunt: Vandali, qui Silingui, in Bætica reſederunt: alii Vandali Galleciam occuparunt: Sueui maritima & occidua Oceani tenuerunt, & partem Celtiberiæ quæ ad montana Oceani tendebatur. Tot faucibus indulta laceratio Hiſpanorum, cum ſupereminerent guttura voratorum carnibus occiſorum, nec ſubiectione, nec officio mitigari potuit crudelitas dominorum.

Luſitania. Carthaginēſis.

De regno & fuga Vandalorum, & primo introitu Gotthorum. CAP. XII.

POSTQVAM autem Hiſpanias ſunt ingreſſi, primus in Vandalis regnū obtinuit Gundericus, & in Gallecia poſuit ſedem regni annis decem & octo, & fœdere interpoſito ipſe & Sueui pariter ibidem corregnabant. Alani enim qui Carthaginenſem prouinciam & Luſitaniam occuparant, præminebant Vandalis & Sueuis. Sed quia Alani Celtiberiam infeſtabant, quæ ſola in Hiſpaniis in poteſtate remanſerat Romanorum, Walia Rex Gotthorum qui erat in amicitia Romanorum, per Conſtantium patricium qui in Celtiberia reſidebat, in auxilium eſt vocatus, & intrans Hiſpaniam, adeo Alanos infeſtauit, vt Regem eorum Athacem extingueret, & relictis ſedibus Carthaginenſis & Luſitaniæ ad Gundericum Regem Galleciæ quem nuper proſtrauerant, ſe transferrent, regni nomine iam oblito. Omnes tamen in bello Walia ſuperauit, & Silinguos qui in Bætica morabantur, bello ſimili coarctauit. Walia autem victoriis inclitus ad Galliam Gotthicam eſt reuerſus. Poſt cuius diſceſſum Gundericus Sueuorum fœdera violauit, vt eis ſubiectis ipſe ſolus præeſſet Vandalis & Sueuis: ſed Sueui obſtinatione ſolita pertinaces in Neruaſis montibus reſtiterunt. Vnde cum eos Gundericus aliquandiu obſediſſet, cœpit de victoria deſperare, ſed ne videretur deſperatione ſiue impotentia recedere ab obſeſſis, cauſam maioris negotii ſimulauit, & obſidione relicta, ad Baleares inſulas ſe conuertit, & eas prædis & cædibus deuaſtauit. Inde rediens ad Carthaginem ciſmarinam (quæ Spartaria dicitur) eam diruit & deleuit. Hanc olim Scipio Aphricanus deleta maiori Carthagine, vaſtatione ſimili diſſiparat, & ibi fuit antiquitus dignitas ciuitatis. Sed poſtquam ipſa à Vandalis fuit euerſa, Gotthorum tempore dignitas ad Toletanam eccleſiam eſt tranſlata, & adhuc hodie Carthaginenſis dicitur prouincia Toletana. Euerſa Carthagine, proceſſit vt Bæticam deuaſtaret, non parcens Silinguis, qui erant cum Vandalis vnus populus & gens vna. Sed cum Hiſpalim diruiſſet, & acta cæde diripuiſſet, in baſilicam Vincentii martyris eius vrbis ſacrilegas miſit manus. Sed Dei ſententia nolens tantum facinus tolerare, dæmonii impetu in foribus templi cecidit interfectus, æra quadringenteſima ſexageſima ſeptima. Et tunc remanſerunt in Hiſpaniis tria regna: in Carthagine & Luſitania Alanorum, qui ad Manſiones ſuas poſt receſſum Waliæ redierunt: ſecundum regnum in Gallecia Sueuorum: tertium in Bætica Silinguorum, quæ regio à Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluziam corrupto vocabulo vulgariter appellamus, in qua eſt fluuius qui Silingius appellatur & ab Arabibus Guadaxelium Arabice nominatur, & incolas Andaluzes.

Carthago Spartaria, ciſmarina.

Carthago noua paret Toletanæ eccleſiæ.

Bætica.

Hiſpalis.

Æra 457.

Sup. Rodericus lib. cap.

Vandalia.

De Giſerico, & tranſitu eius in Aphricam. CAP. XIII.

MORTVO Gunderico, frater eius Giſericus ſucceſſit in regno, & regnauit quadraginta annis. Hic cum eſſet catholicus in apoſtaſiam Arrianæ perfidiæ eſt * lapſus, & cum frater eius de quo diximus Gundericus verens vicinitatem Gotthorum Regum qui in Gallia Gotthica & Aquitania reſidebant, & partem Hiſpaniæ veniente Walia occuparant, propoſuit in Aphricam transfretare ſperans * freti obice à Gotthorum inſultibus fore tutum. Giſericus autem propoſiti conſcius cum omnibus Vandalis eorumque familiis, relictis Hiſpaniis, ad Aphricam transfretauit, & continuo obſedit Hipponam. Cuius obſidionis anno * primo beatus Auguſtinus, beati Ambroſii diſcipulus, eiuſdem vrbis Epiſcopus migrauit ad Chriſtum inter impetus obſidentium Vandalorum, anno decimo

dilapſus.

Torrenti.

Hippona; primus.

D. Auguſtinus moritur.

mo poſt mortem Hieronymi, Epiſcopatus ſui trigeſimo quinto. Cum autem Vandalorum tranſitum Valentinianus iunior qui occidentali imperio præerat, audiuiſſet, timuit ne totam Aphricam ſubiugarent, & cum obſiſtere non valeret, per Trigetium pacem miſit, & partem Aphricæ, Hipponæ videlicet regionem, conceſſit ei pacifice poſſidendam, conditionibus interpoſitis, ne quid vltra inuaderent de Imperio Romanorum: & hoc ipſum firmauit iuramenti robore Giſericus. Sed fraternæ pertinaciæ non immemor obſeruator, & ſacramenti velociſſimus violator, ilico pacta fregit, & feſtinauit Carthaginem obſidere, & id reſiduum quod reparatum fuerat poſt tempora Scipionis, impetu inuadens, Carthaginem pace* deceptam* diripuit & conſumpſit. Carthago ante Romam fuit condita ſeptuaginta duobus annis, & ſeptingentis triginta ſeptem annis, & diebus decem & ſeptem a fundatione ſua, à Scipione incenſa in puluerem eſt redacta. Poſt centum & duos annos fuit denuo reparata, & poſt iterum à Giſerico deſtructa, decimo quarto Kalendas Nouembris, & adhuc hodie ſimul irreparata. Et cum eſſet Arrianæ ſectæ perfidus obſeruator, ſtatim in exordio ſui regni cœpit perſequi catholicos Chriſtianos, & eorum Epiſcopos in exilium condemnauit, & eos qui ei reſiſtere nō timebant, pœna vltima condemnàbat. Et tanta fuit tunc temporis perſecutio in eccleſiis Aphricanis, quod vix poterat aliquis catholicus reperiri. Proſcripſit etiam bona eccleſiarum, & ſeruitutem impoſuit omnibus clericis, qui vtcunq; ſub eius dominio latitabant: eccleſias profanabat, & iumenta ſua tam in eccleſiis, quam in porticibus religabat: & adeo per totam Aphricam Arrianam hæreſin ſeminauit, quod loca ſacra & Deo dicata in habitacula ſuis domeſticis conferebat, & viros ſanctos Arrianam hæreſim deteſtantes ipſe deteſtabatur, & ſine intermiſſione eorum ſanguinem procabatur, & cum poterat effundebat, ita vt vſque ad os totam Aphricam ſanctorum ſanguine ebriaret. Per idem tempus quatuor viri Hiſpani in Arrianam ſectam tranſire nolentes, diuerſis mortibus interempti illuſtri martyrio conſummantur: Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius: puer autem, Paulillus nomine, frater Paſchaſii, & Eutychii propter fidem catholicam damnatus eſt infimæ ſeruituti.

Carthago. *receptam. f. diruptam.* *Vt hodie hæretici.* *Prouerb.* *Arcadius & ſocii Hiſpani, martyres conſtantiſſimi.*

De tranſitu Vandalorum in Siciliam & vaſtatione vrbis. CAP. XIIII.

VERVM quia nec ſacrilegiis, nec cædibus hominum poterat ſatiari, Aphrica conculcata in Siciliam nauigauit, vt eam pari exterminio laceraret: & direptionibus iam peractis, obſedit Panormum eius inſulæ regiam ciuitatem. Cumque hæc omnia Theodoſius iunior qui Orienti præerat, percepiſſet, exercitum congregauit, vt Giſericum à Sicilia effugaret. Et dum hæc fierent, rumor aduenit, quod Hunni Thracias & Illyricum deuaſtabant. & hac neceſſitate Theodoſius exercitum quem contra Vandalos deſtinauerat, reuocauit, vt Thracibus & Illyricis fieret in ſuccurſum. Martianus autem, ſeu Maiorianus, qui imperabat in Occidente, ab Italia in Hiſpaniam eſt profectus, & cum ad Carthaginenſem prouinciam perueniſſet, in eodem littore aliquantas naues ad tranſitum contra Vandalos præparauit: ſed proditione ſuorum fuit Vandalis reuelatum, qui improuiſo nauigio venientes ex eis aliquas ſuccenderunt, & aliquas abduxerunt. Sicq; Martianus diſpoſitione fruſtratus in Italiam eſt reuerſus, &* Tertone à Richimi* patricio occiditur circumuentus, eo quod reipublicæ ignominiam intulerat & iacturam. Quod audiens Giſericus non contentus Aphricæ & Siciliæ vaſtatione, aggreſſus eſt patriam Romanorum. Romanæ autem eccleſiæ adhuc præerat Leo Papa. Romani vero timentes aduentum principis Giſerici, relicta ciuitate ad montium ardua confugerunt, & veniens Giſericus ciuitatem habitatoribus vacuam, ſed plenam diuitiis occupauit: ſed nec incendere voluit occupatam, nec in eos qui remanſerant, gladio deſæuire. Nam Leo Papa in introitu ciuitatis occurrerat venienti, & diuini verbi pabulo Giſerici tyrannidem ſic ſedauit, vt à ferro & incendio abſtineret: & ſuaſus ab Eudoxia Valentiniani relicta, quæ eius commercium cupiebat, vt Romam ingrederetur, Romanorum copias cupiebat, & per quatuordecim dies exhauſit opes, & theſauros abſconditos eorundem, & Chriſtiani * Valentiniani Eudoxiam relictam, & duas filias duxit captiuas cum multis millibus captiuorum. Roma itaque domina ciuitatum remanſit vidua, quaſi terræmotu tertio conquaſſata, primo Alarici, ſecundo Athaulphi, tertio Giſerici. Vandali vero Roma egreſſi ſe per Campaniam diuiſerunt, omnia gladio & incendio diſſipantes, Nolam, & Capuam, nobiles Campaniæ ciuitates, impetu ſubuerterunt, & incendio conſumpſerunt, & ſimilia in aliis ciuitatibus, caſtellanis, & turibus peregerunt. Sanctus vero Paulinus Nolanus Epiſcopus quicquid habere potuit pro redemptione captiuorum patriæ, erogauit. Supplicanti etiam viduæ vt vnicum filium captiuum redimeret, cum nil haberet

Tertone à Ri. chimiro. V. C. *Roma. ciuitatem ipſam Eudoxiam Valentiniani. V. C.* *Nola.* *Capua.* *S. Paulinus Nolanus.*

omnibus erogatis, ſe ipſum in ſeruum vendidit, & filium viduæ liberauit, & cum aliis captiuatis ipſe quoque in Aphricam eſt delatus, vbi ſanctis operibus glorioſus, meruit obtinere ſibi & omnibus concaptiuis qui à patria ſua ducti fuerant, libertatem: & ſic cum omnibus in Campaniam eſt reuerſus. De hoc beatus Auguſtinus in libro Dialogorum plenius declarauit. Et ſic Giſericus victor & inclytus ad Carthaginem eſt reuerſus, & mox miſit nuncios ad Theodoſium qui præerat Orienti, & pace firmata remiſit ei honorifice Valentiniani relictam, & vnam filiam, alteram retinens ſuo filio Hugnerico: & tamen eccleſiam perſequi non omiſit inſiſtens hæreſi Arrianæ. Paucis autem diebus interpoſitis, Giſericus iterum in Italiam voluit nauigare, ſed repulſus à * Baſiliſco patricio nauali victoria, in Aphricam inglorius eſt reuerſus. Sicque veſaniæ ſuæ virus vbique refundens, frequenter victor, vltimo victus, quadrageſimo regni ſui anno vitam finiuit.

Baſilio.

De Regno Hugnerici.

De * Hugnerico. Cap. XV.

MORTVO Giſerico, filius eius Hugnericus ſuccedit in regno, & regnauit annis octo. Hic habuit vxorem Valentiniani filiam, ex qua ſuſcepit filium nomine Heldericum. Initium autem regni ſui conſperſit viru perfidiæ Arrianæ, & ſicut in regno, ſic patris in hæreſi fuit hæres, & in perſecutione catholicorum patre atrocior eſt inuentus, eccleſias infiſcauit, ſacerdotes & cæteros in eccleſiaſticis officiis conſtitutos exilio condemnauit, monachos & laicos circiter quatuor millia durioribus pœnis arctauit, & eorũ plurimos martyrio conſummauit, plurimis confeſſoribus linguas abſcidit, qui tamen linguis abſciſſis, Domino faciente, vſque in finem vſum loquelæ non amiſerunt. Lætus etiam Neptenſis Epiſcopus ſub eo martyrio coronatur, & quia Arriani contagii labe noluit maculari, victor & martyr cœleſti conſortio meruit adunari. Et quia Hugnericus calicem irę Dei aliis propinauit, ea potione, qua & Arrius doctor eius, effuſis visceribus impium ſpiritum ſuo reſtituit incentori regni ſui anno octauo.

De Regno Gutamundi & Thraſamundi.

De * Gutamundo, & Thraſamundo. Cap. XVI.

MORTVO Hugnerico Gutamundus nepos ex filio Giſerici ſuccedit in regno, & regnauit annis vndecim, menſibus octo, qui ſtatim pacem cum eccleſia reformauit, & omnes catholicos ab exilio reuocauit. Iſto mortuo Thraſamundus frater eius ſucceſſit in regno, & regnauit annis viginti ſex, menſibus nouem. Iſte inſaniæ Hugnerici ſucceſſor & hæres, ſtatim in catholicos miſit manum, & eos * abhortans, & euertens bona eorum fiſci titulis aſſignauit, & ex omni Aphrica centum triginta Epiſcopos mittens Sardiniam exilio condemnauit: nec ſui temporis hæreſi ſatiatus, Hildericum filium Hugnerici iuramento aſtrixit, ne catholicos exules reuocaret, eccleſiam reſtitueret aut foueret. Iſto autem Thraſamundo impium ſpiritum Carthagine exhalante, Hildericus filius Hugnerici ex filia Valentiniani in regno ſubſtituitur Vandalorum, ſed nolens tranſgredi iuramentum quod fecerat Thraſamundo, antequam regni culmine donaretur, Epiſcopos & cæteros catholicos ab exilio reuocauit, & eccleſiis reſtituit infiſcata, & per totã Aphricam pacẽ datam eccleſiæ edicti præconio publicauit, & priuilegia quæ Thraſamũdus abſtulerat eccleſiis, redonauit. Cum enim mater eius eſſet catholica, fidei opera ſuadebat. Gilimerius autẽ de potioribus Vandalorum, contra Hildericum proditione & tyrannide inſurrexit, & pręlio victum cepit, & eum cum filiis cuſtodiæ carceris mancipauit, multoſq; nobilium Vandalorum. qui in Aphrica vt indigenæ reſidebant, & Hilderico vt domino obediebant, & propter captionem eius tyranno indebito reſiſtebant, ſuſtinuerunt à Gilimerio perſecutiones varias & iacturas, ita quod multos ex eis cum Hilderico in carceribus coarctaret: alioſq; proſcriptis ſubiectis capitali ſententia condemnauit, omniq; ſcelere inquinatus, & * venundatus ad malum, nulli malitiæ ſe ſubtraxit. His miſeriis Aphrica diſſipata, ſanctus Lætus Epiſcopus Neptenſis, martyr eximius (de quo diximus) in viſione apparuit Iuſtiniano Imperatori, vt ſuccurreret tantæ cędi. quo oraculo incitatus Imperator confeſtim miſit exercitum cum Beleſario magiſtro militum contra tyrannidem Gilimerii. qui Beleſarii aduentum verens, Hildericum Regem cum affinibus ſui generis & aliis nobilibus interfecit. Venienſque Beleſarius Gutimirum & Gebanundum fratres Gilimerii primo prælio interfecit. Deinde prælio iterato ipſum Gilimerium fugę exterminio propulſauit, ſed inſequens captiuauit, & ipſum captum cum diuitiis & rapinis nequiter conquiſitis Imperatori Iuſtiniano Conſtãtinopolim deſtinauit, & eo miſſo redegit totam Aphricã in prouinciam Romanorum anno nonageſimo ſeptimo, ex quo Vandali Aphricã intrauerunt: & manſit

apropriãs.

Vide Zonaram in Iuſtiniano.

adde ſub peccato.

Aphrica.

poſtea Romanorum ſubdita ditioni, donec per Mahometi aſtutiam fuit reddita hæreticæ peruerſitati, in qua peccatis exigētibus adhuc manet. Sicque regnum Vandalorum cum populo ſuo funditus extirpatur, quod à Gunderico Rege vſque ad interitum Gilmerii durauerat centum tredecim annis. *prauitati. Vandali Sup. in Oſtrogothorum hiſt. cap. 4.*

De hiſtoria Alanorum. CAPVT XVII.

NVNC à Vandalorum hiſtoria liberatus, Alanorū me ingero ſeruituti. Eorum origině, *Alani.* proceſſus, & acta, donec Gallias infregerunt, & Hiſpanias intrauerunt, ſuperius enarraui. Poſtquam igitur Hiſpanias ſunt ingreſſi, in Carthaginenſi & Luſitania prouinciis, ſuperbo oculo, corde auido, crudeli propoſito ſedes altiſſimas collocarunt, ita vt Silinguis in Bætica, Sueuis in Gallecia, Romanis in Celtiberia præeminerent, & Vandalos quos in vna prouincia concluſerant cum Sueuis, potius impetiuerunt, & incurſibus coarctauerunt. Romanis etiam in Carpetania quam a Carthaginenſi prouincia defalcarāt, * intulerunt *Vide cap. ſeq. & pag. ſeq.* multas cædes, & * abſtulerunt multas vrbes. quorum neceſſitate Conſtantius patricius (vt *intulit.* dixi ſuperius) Gotthorum Regem Waliam inuocauit, qui mox veniens Alanos tanquam *abſtulit* * acie duræ ſilicis hebetauit, & quam in aliis exercuerāt feritatem, venienti Waliç reliquerunt, *aciem* & regni nomine abnegato, ſe Gunderico quem deuicerant, ſubiecerunt, ſed cum ęo ad quem confugerant Gunderico, in conſpectu Waliæ ceciderunt, & ciuitates ſuæ ditionis in Carthaginenſi prouincia Walia tradidit Conſtantio præſidi Romanorum, & ſic fuit in Hiſpaniis eorum potentia dilatata, & Regis nomine apud Alanos iam extincto, ceſſere Romanis Vandali & Sueui, qui fere totam Hiſpaniam occuparunt, & facti ignaui pro maiori parte, non militiæ, ſed aſcripti populo remanſerunt, nec vt magnanimi ad ſedes alias migrauerunt, donec poſt temporis interuallum Gotthis venientibus, vt accolæ peruenerunt. Et hic finis regni & gloriæ Alanorum.

De regno Sueuorum. CAPVT XVIII.

LIBERATI ab ignauia Alanorum, tranſire reſtat ad hiſtoriam Sueuorum, Horum originem & proceſſum in ſuperiori opere declaraui. Sueui autem cum Hiſpanias intrauerunt, Hermericum Principem habuerunt, & cum Vandalis Galleciam occuparunt, ſed Vandalis nauigantibus in prouincias Aphricanas, ſoli Sueui Galleciam tenuerunt. Galleci tamen in aliqua parte proprio dominio vtebantur, quos Hermericus aſſiduis incurſibus prædabatur. Tandem morbo chronico aggrauatus pacem iniit cum Gallecis, & tanquam inſufficiens filium ſuum Recilam regni ſubſtituit ſucceſſorem, qui armorum ſtudiis prouocatus raro a præliis quieſcebat. Cū autē Romani miſiſſent quendā militiæ ſuæ ducē nomine Andebodem cum multis copiis, vt Bæticam occuparet, occurrens ei Recila ad fluuium qui Silingius dicitur, in Bæticæ regione, conſerto prælio Andebodem vicit & interfecit, magnis auri & argenti copiis occupatis, & Romanorum exercitu diſſipato Bæticā ſuæ ſubdidit ditioni, & volens Luſitaniam ſubiugare, obſedit Emeritam, & captam regno proprio adunauit. Hermericus autem pater ipſius interiit, poſtquam ſeptem annis fuerat morbo diutino fatigatus. Regnauerat autem annis triginta duobus. Carthaginenſem etiā prouinciam ſuæ ſubdidit poteſtati & ita Gallecia, Luſitania, Bætica, Carthaginenſi prouincia ſuo dominio ſubiugatis, erat in Hiſpaniis fere monarchus, & vt in hac quiete ſecurior permaneret, Carthaginenſi prouinciæ regionem Carpetaniam, videlicet quam Romanis abſtulerat, reſtituit facta pace. Cumque veniſſet Emeritam (prout fertur) ſub gentilitatis errore vitam infœliciter conſummauit, cum regnaſſet annis octo. *Carpetania. ſup. 16.*

De Rheciario, *& morte eius.* CAPVT XIX. *Rechiario.*

MORTVO * Recila Rheciarius filius, eius & factus catholicus ſucceſſit in regno annis *Riccila.* * IX. Hic duxit vxorē filiā Theuderedi Regis Gotthorū, & pro tanto coniugio eleuatus eſt, *8. V.C.* ſuſpicatus non tantum Hiſpaniæ, ſed & Vaſconiis imperare, & ad Theuderedum ſocerum ſuum in Galliam Gotthicam eſt profectus, & ab eo rediens honoratus Gotthorū auxilium ſecum duxit, & Tarraconenſem prouinciam & Cęſaraugustam Carpetaniæ quę Romano Imperio ſeruiebāt, impetēs occupauit, * Carthaginem, etiam regiones quas Romanis reddiderat Recila pater eius, prædæ incurſionibus deuaſtauit. Mortuo autem ſocero *Carthaginenſes* ſuo Theuderedo in bello Catalaunico, & eius filio Thuriſmundo, ſuccedente Theodo-

ſup. in Roder. lib. ni fallor pro inſoleſcere. rico ſecundo filio, Rheciarius cœpit in Hiſpaniis inſoleſcere. & Theodoricus Rex Gotthorum filius Theuderedi, qui regnabat in prouincia Narbonenſi, contra eum citius properauit.* Rheciarius autem de ſuis viribus plus præſumens occurrit Theodorico, & prælio adinuicem inchoato, Rheciarius effugatur, poſtea capitur, poſtea interiit interfectus. *Rechiarius. V. C. ſemper.*

De Maſdra & Franta, & aliis regulis Sueuorum.

De Sueuorum Regibus. CAPVT XX.

SVEVI autem bifarie diuiſi, alii Maſdram Maſſilæ filium in principem elegerunt, qui tantum duobus annis regnauit: alii Frantam. Maſdra autem ſtatim mortuo, pars Maſdræ filium eius ſubſtituit Remiſmundũ, qui cum Franta ilico pacem fecit: & ambo pariter fœderati partes Luſitaniæ deuaſtabant. Poſt bienniũ mortuo Franta, pars eius Frumarium ſibi præfecit. qui cum Remiſmundo ſuper regni præminentia litigaret, euertit Flauiã, vaſtauit patriam. Remiſmundus etiam * Lucum, & Auriam, & maritima deuaſtabat. Sed poſt biennium Frumario decedente, Remiſmundus pace cum Gallecis inita, Sueuorũ in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum ſibi in regulum præfecerunt. Qui ad Luſitaniam tranſiens Coimbriam pace deceptam diripuit & exhauſit, Vlyſbonam etiam occupauit, Luſidio ciue & incola qui illic præerat, eam tradente. Poſt aliquot dies Remiſmundus his ſucceſſibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gotthorum nuncios deſtinauit, & pacem & amicitiam poſtulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit poſtulatis & in ſignum veri amoris coniugem miſit ei per Sallanum quendam ex officio palatino cum adiectione armorum & munerum copioſa. Et recepta coniuge & muneribus, cœpit amplius ſuperbire, & Sallanum muneribus honeſtatum remiſit ad Theodoricum cum epiſtolis ſuæ laudis. qui cũ ad Gallias rediiſſet, Theodoricũ ab Eurico fratre ſuo reperiit interfectũ. Huius tẽpore Aiax natione Galata, effectus apoſtata, Regis auxilio ſectæ ſe contulit Arianæ, & inuectus eſt fidei catholicæ inimicus, qui de Gallia Gotthorũ adueniens hoc virus peſtiferum genti Sueuorum infudit, Regibus in Ariana hæreſi permanentibus. Catholici perſecutionem & pericula pertulerunt, donec regnauit Theodomirus, qui prædicatione Martini Dumiẽſis Epiſcopi fidei catholicæ redonatus, eliminata ſpurcitia Ariana Sueuos reſtituit fidei vnitati. Hic Martinus Dumienſis Epiſcopus, religione, doctrina, & fide præclarus, multa docuit & firmauit in eccleſiaſticis inſtitutis, pro cuius memoria eccleſia Galleciæ adhuc gaudet. Regnauit autem Theodomirus annis decem.

Luchum V.C.

Martinus Dumienſis Epiſcopus in Gallecia.

De Miro, & fine regni Sueuorum. CAPVT XXI.

POST Theodomirum Mirus princeps efficitur Sueuorum, & regnauit annis tribus. Hic ſecundo regni ſui anno Rucconibus mouit guerram, & bellis attritos opibus ſpoliauit. Et dum Leouigildus Rex Gotthorum Hermegildum filium ſuum propter fidem catholicam Hiſpali obſediſſet, Mirus proceſſit in auxilium Leouigildi, & Hermegildo capto & interfecto Mirus ibidem terminum vitæ clauſit. Huic ſucceſſit Euricus filius eius in regno, quem in adoleſcentia conſtitutum Andeca per tyrannidem regno priuat, & coegit eum monachum fieri, & detonſum in monaſterio inſerauit. Sed quia malorum impietas non remanet impunita, protinus Rex Gotthorum Leouigildus ingreſſus Hiſpanias, bellũ intulit prouinciæ Sueuorum, & Andecam deuictum regno priuauit, & regnum eius in prouinciam redegit Gotthorum. Ipſum autem Andecam poſt regni honorem fecit tonderi, & presbyterii officio mancipari. Enimuero oportebat, vt quod Regi ſuo fecerat innocẽti, ipſe proditor congrua viciſſitudine pateretur. Et ſic Sueuorum regnum obtentum à Gotthis, expers gloriæ hic finitur, quod durauerat centum & ſeptuaginta ſeptem annis.

Hiſpali.

De Silinguis. CAPVT XXII.

EXPLICATIS regno & actibus Sueuorum, me cogit materia acta deſcribere Silinguorũ quorum ratio cum Vandalis vna fuit, niſi quod illis in Aphricam transfretantibus iſti in Bætica remanſerunt. vbi experti cædes, & incurſiones, & pericula Romanorum, non euaſerunt excidia Alanorum. Sed & Reges Galleciæ Sueuorum eos multis direptionibus ſubiecerũt, & Hiſpalis eorũ metropolis interdũ diruta, interdũ inuaſa, nunquã fœlicitate ſtabili potuit efflorere, donec ſub Leouigildo Gotthorum principe * ſiluit captiuata, Regis & regni gloria viduata, & in Gotthorũ ꝓuinciã iam redacta. Et hic finẽ habuit principatus & potentia Silinguorum, quorum exterminiũ à Gotthorũ Rege Walia inchoauit, & per Leouigil-

Silingui.

ſup. cap. XIII.

Leouigildum poſtea conſummatū. Primus.n. Gotthorū Ataulphus Hiſpanias eſt ingreſſus ſed Barcinonæ interfectus eſt. Poſt ipſum Walia, qui Vandalos & Sueuos, Alanos & Silinguos domuit & proſtrauit, & in Silinguis prouinciis de Gotthorum maiorib. inſtituit principes populorum, nec tamen ibi ſedem regni voluit collocare. Theodoricus etiam Sueuos ſuo domino ſubiugauit: & extunc cœperunt Gotthi in Hiſpaniis dominari, & regni ſedem à Gallia Gotthica in Hiſpaniam tranſtulerunt.

NOTÆ IN HISTORIAM RODERICI XIMENEZ, &c.

AND. SCHOTTI.

And. Schottus.

CONTVLI cum veteri m. ſ. in membranis Eccleſiæ Toletanæ, cui plus fidei iure optimo tribuendū: quippe qui iam ab inde D. Roderici temporibus ſcriptus & hic collocatus eſſe videatur. Sunt & variæ lectiones ſeorſim ab alio codice m. ſ. in quibus non erat librorum appellatio atq; diſtinctio, nec per capita 1. 2. 3. 4. 7. menſe Ianuario CIↃ. IↃ. LXXXIII. Hos ſequebatur hiſtoria Romanorum nō edita, & mox Gotthorum: & hunc Oſtrogothorum, & poſt Arabum hiſtoria nunquam impreſſa.

De ætate Roderici lib. 1. c. 24. pag. lib. 6. c. 3. pag. cap. 5. fine lib. 6. Fuit in Gallia. 7. cap. 9. & cap. 14 & 24. 6 & 36. eiuſdem lib. 7. & lib. 8. cap. 6. & 9. & 10. 12. & toto libro 8. c. 4. & 14. Lib. 9. cap. 1.

Ioh. Vaſæus Chronici CAP. IV.

RODERICVS Ximenez Nauarrus Archiepiſcopus Toletanus, res in Hiſpania geſtas nouem libris complexus eſt. Quibus ſubiunxit Oſtrogothorum, Sueuorum, Alanorū & Vandalorum hiſtoriam. Eos libros mirè vitiatos, ſi quis exemplarium collatione mendis expurgatos atque emaculatos ederet, non aſpernandum haberet Hiſpania rerum ſuarum monumentum. Scripſit præterea Rodericus Arabum Hiſtoriam ab excidio & origine Mahometi. De eius obitu & laude Marian. lib. XIII. cap. V. pag. & Epitaphium rudis ſæculi: Mater Nauarra, nutrix Caſtella ſchola Pariſius: Sedes Toletum, Hortus Mauſoleū, requies cœlum, obiit anno Chriſti 1245. alii adſcribunt 1247. Auguſti 9. aliis Iunii menſis die 10.

Incipit hiſtoria Gothica edita à Roderico Toletanę Eccleſiæ Sacerdote. V. C. Tolet. Vnde dubitari poteſt, an quæ poſt librum IX. ſequuntur, ſint Roderici, in quo nulla librorū nec capitum numerus eſt: ſed perpetua ſeries, quaſi vnius libri, niſi quod argumenta capitū cum his & lemmata conueniant. Hiſtoriam Gothicam vocat ipſe in hiſtoria Arabum cap. 32. & cap. 48. fine, & bis 49.

Ad Libri II. CAP. XI.

Primi Concilii Toletani nulla mentio in Roderico, ſed vt ex libro Conciliorum colligas, Celebratum eſt ſub Patrono Epiſcopo, & confirmatū authoritate Leonis Papæ, nouendecim Epiſcoporum, at in libro Concil. XVIII. tempore Honorii & Arcadii Impp.

Fludingius] *Fludinum vocat* Iſidorus. Annales verò Gallorum Clodoneum. Gregorius Taronenſis lib. II. cap. 37. & Paullus Æmilius & alii.

Apud Pataujum] V. C. apud Pictauis lege apud Pictauos, Pictauium, vel ne quid diſſimulem ita in Tolet. m. ſ. *apud Regem Pictauis* prælio *interfecit*, vel *apud* delendum ſit: vel *Regem apud Pictauos*, qui iidem & Pictones ſunt, leg. ſit vel apud Pictauiū, quod emendat Ioh. Vaſæus Chronici anno 509.

Apud vrbē Regiā] D. Iſidorū Rodericus noſter ſecutus eſt, ex quò hic celebratū apparet ſecundum Toletanum Concilium, & nō ſuperius, niſi, vt Ioh. Vaſæo placet, hic fuerit aliud Concilium celebratum, quod non exſtat in lib. Conciliorum. Vaſæus anno 530. ait quinto anno Amalarici celebratum, vel, vt Iſidorus tradit, ſecundo anno Theudii, ſed cum Amalaricus quatuor tantum annis regnauerit in Hiſpania,, verius eſt tempore Theudii, & hoc ſub Montano præſule Toletano: ſed codici Conciliorum repugnare non poſſumus, qui V. anno Amalarici affirmat celebratum ſub eodem præſule.

Ad Cap. XIV.

Animaduerto toto hoc cap. (excepta inſcriptione) Leonegildum per n. non per u. vocari, vt hinc Leon ciuitas dicta videatur. Atque in m.ſ. ſemper Leouegildus.

Fuit ſub Helladio] Helladium tertio concilio Toletano pręfuiſſe nec ſubſcripſiſſe legitur, ſed è libris Conciliorum Mauſonam Emeritenſem Epiſcopum ſubſcripſiſſe dicit Vaſæus anno 589.

Leandri Epiſcopi] Scripſit & de virginitate ad ſororem. Vidi Toleti in bibliotheca Tolet. & in Concil. Tolet. Ambroſ. Moralis lib. 12. cap. 3. pag. 3.

Eccleſiam S. Leocadiæ] Quidam putant Eccleſias duas, quæ hodieque Toleti viſuntur, religioſeq; frequentantur, fundaſſe Siſebutum, alteram carceris, alteram ſepulcri loco. S. Eulogius & Lucas Tudenſis huius meminerunt.

Ad Cap. XXI.

Dignitatem primatiæ] Quæ primatia fuerat Hiſpali: vnde elicitur Iſidorum fuiſſe primatem Hiſpaniarum. Iſidorum autem fuiſſe primatem Hiſpaniæ, multorum teſtimonio comprobatur. Sed quod Hiſpali fuerit primatus Hiſpaniæ non ſatis conſtat: quanquam ex verbis Roderici in hoc cap. H ſpali fuiſſe poteſt contendi, ita confuſe Rodericus tradit vide lib. 3. cap. 24. pag. 29. b. & lib. 4. cap. 3. in fine pag. 31.

Ad Cap. XXII.

In feſto glorioſæ virginis] Bene infertur (vt Vaſæo placet) hanc feſti ſolemnitatem iam antea conſtitutam eſſe. nam in decimo Concilio Tolet. fuit inſtituta, & hoc ſub Eugenio, Ildefonſi auunculo, & octauo regni Recenſuindi anno, vt ipſemet Rodericus ait. Ildefonſus vero Archiepiſcopatum ſuſcepit anno IX. eiuſdem Principis. Vnde errant qui inſtitutionem huius feſti Ildefonſo tribuunt. Quod vero ipſe librum virginitatis in eadem die in honorem virginis Mariæ pro lectionibus matutinis fecerit recitari, probatur multorum teſtimoniis: etſi Rodericus hoc prætermittat.

Ad Lib. III. Cap. XII. *ſub finem.*

Ibi creditur tumulatus] Non in baſilica S. Leocadiæ Toletanæ, vt quidam putant. In m.ſ. bibliothecæ, vt quidam putant Toletanæ reperi adſcriptum alia manu. Hunc tranſtulit rex Alfonſus ad Capellam S. Leocadiæ, quam ipſe conſtruxit in vrbe Regia Toletana, iuxta caſtrum ſuum.

Capvt XIII.

Iulianus Epiſcopus] Vaſæus in Tomo 1. Chronic. ait quod noſter Rodericus hallucinatur, ſignificans hunc Iulianum alium fuiſſe ab eo, qui interfuit concilio Toletano. nam ex hiſtoriis Hiſpaniæ conſtat eundem fuiſſe ac diſcipulum Eugenii 3. Archiepiſcopi Toletani. Alius fuit Iulianus Pomerius presbyter, qui floruit circa annos Domini 450. qui falſo creditur à Trithemio Archiepiſcopus Tolet. De hoc ſecundo Pomerio ſcribit Gennadius Iulianus Pomerius presbyter, decies citatur à noſtro Diuo Iuliano in libro qui inſcribitur Progneſticon futuri ſeculi. Creatur Archiepiſcopus Tolet. anno primo Eruigii regis, Chriſti. 681. obiit anno 690 fuit huius nominis ſecundus. Vide Ambroſium de moral. lib. 12. Chronic. Hiſpan. cap. 58.

Ad Capvt XIV.

Epiſcopi ſuffraganei &c.] Hæc omnia deſunt in aliquibus V V C C. in quodam ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ in margine habebantur, à qua fortaſſe in contextum migrarunt. Vt cunque ſit: quod dicitur, vbi ſanctum eius corpus requieſcit: neque ad tempora Roderici neque eius qui ea ad marginem ſcripſit, referri poteſt, cum multo ante fuerit translatum. Cæterum id deſumptum eſt ex principio 17. Concil. Tolet. vbi ita habetur. Dum in Eccleſia glorioſæ virginis & confeſſoris Chriſti S. Leocadiæ, quæ eſt in ſuburbio Toletano vbi ſanctum eius corpus requieſcit, plerique Hiſpaniarum & Galliarum Pontifices conueniſſemus.

Ad Cap. XVIII. *Lib. 5.*

Inuitam corrupit] Alii Tharaſiam intactam & integram remiſſam ſcribunt. Vaſæus.

Ad monaſterium S. Pelagii] Ergo Monaſterium S. Pelagii non eſt quod quidam autumant, ſed Oueti, quo ſe tranſtulit Tharaſia, vbi vixit ſepultaque eſt.

Ad Lib. VII. Cap. I.

Verum Rex Aragonum Aldefonſus] Rex Aldefonſus Aragoniæ Vrracæ coniux non debet inter reges Caſtellæ numerari, licet cum vxore ſua Vrraca quatuor annos regnauerit, quia iam natus erat & ſuperſtes Aldefonſus VII. dictus Imp. & hæres, & dici poteſt non regnaſſe ſed gubernaſſe.

Ad

Ad CAP. XXIII.

Æra 1208] Huius lectionis veritas ex cap. *x*I. & xII. colligitur. Æra namque 1197. Fernandus patri ſucceſſit regnauitque annis 31. obiit ergo æra 1228.

Ad CAP. XXIV.

Accingit ſimiliter cingulo militari] Hunc morem ſuſpicor fuiſſe nobilitandi ob illuſtrē militiæ factum, vt apud Burgūdiones gladio a Rege feriri.

Charta Illuſtriſsimi Domini Henrici Regis Caſtellæ ſuper tertiis Eccleſiarum non accipiendis.

Notum ſit omnibus, quod ego Henricus Dei gratia Rex Caſtellæ & Toleti, conſiderans me peccare grauiter in accipiendis tertiis Eccleſiarum in meis vſibus expendendis: ſalubri conſilio doctus promitto Deo, & beatæ Mariæ eius genetrici, & ſanctæ Eccleſiæ, quod nunquam eas de cætero accipiam: neq; violentiam ſuper eis inferam Eccleſiis, nec ſuper his ſuſtineam eis iniuriam inferri. Facta charta apud Soriam Rei exp. æra 1254.

Charta Comitis Domini Aluari ſuper tertiis Eccleſiarum.

Notum ſit omnibus hanc chartam videntibus, quod ego Comes Dominus Aluarus Nunii cum conſilio Magiſtri de Veles, & Prioris Hoſpitalis, Domini Gonſalui Nunii & Domini Gonſalui Roderici, & Domini Ordonii Martini, & totius curiæ: promitto Deo & beatæ Mariæ eius genetrici & ſanctæ Eccleſiæ, quod nunquam de cætero tertias Eccleſiarum, in Regiis vſibus expendendas accipiam nec conſulam illas accipere, nec iniuriam nec vim inferam in illis accipiendis, nec alicui dandis niſi vbi ius diuinum præcipit illas dari, nec pro poſſe meo conſentiam iniuriam inferri ab aliquo, quamdiu Regem dominū Henricum in cuſtodia mea habuero. Facta charta apud Soriam ip̄. exp̄. 15. die Februarii Æra 1254.

NOTÆ IN RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI OSTROGOTHORVM HISTORIAM.

O*ſtrogothorum Hiſtoria*] In m.s. Toletano hæc Hunnorum hiſtoriæ ſubiunguntur: & poſt hęc hiſtoria Arabum

Ioh. Vaſæus Chronic. . . . . . . putat eſſe Seueri Sulpitii aut . . . . . . ſed hi multo antiquiores. Ambroſ. Moralis negat eſſe Roderici Chronic. lib. xI. cap. xIII. In m.ſ. Tolet. quo vſus ſum, Annales ſequuntur, niſi quod de Romanorum origine quædam præmittantur, & Gotthorum Hiſtoria præcedat Oſtrogothorum. Cuius & antiqui ſane ſcriptoris, & Roderico, vt apparet, antiquioris, vnde & D. Iſidorus in Gotthicis multa ad verbum exſcripſerit. Ex fine ſup. lib. IX. apparet integrum librum eſſe, nec de Gotthis ſuam hiſtoriam nuſquam citat, præter ea quæ libro I. à cap. VIII. leguntur. Sed Roderici eſſe colligo ex cap. xxxII. Hiſtoriæ Arabum, vbi Hiſtoriæ Gothicæ caput aduocat, de inſolentiis Veremundi & Victoria Almanzori: quod exſtat lib. v. cap. xIV.

Ad Prologum eiuſdem.

Prologus in Hiſtoria Hugnorum, Vandalorum, Sueuorum, Alanorum & Silingorū V.C. Toler. in quo hic libellus præmittitur hiſtoriæ Oſtrogothorum & Arabum: & præcedunt quædam de ſtatu Hiſpaniæ ſub Romanis, repetito altius principio, inde ab vrbe condita.

Ad CAP. XI.

Sub finem ibi [*appellamus*] adde, in qua eſt fluuius qui Silingius appellatur, & ab Arabibus Guadaxelin Arabice nominatur: &c.

Rodericum eſſe legitimum auctorem apparet ex cap. XXXXI. & 42. cap.

RODERICI XIMENEZ ARCHIEPISCOPI TOLETANI HISTORIA ARABVM.

Incipit Prologus in libro Arabum poſt principium Machumeti.

ſacerbius

*QVa calamitatum * aceruus Hiſpania diſpendia ſit perpeſſa, in ſuperioribus, vt licuit, explicaui. Nunc de excidiis Arabum: quæ vtinam ſint poſtrema, à quibus nihil fuit in Hiſpaniis intentatum, finem imponere dignum duxi, Si diuina potentia velit de cætero à gladiatorum diſſecationibus cuſtodire, quæ iam à quingẽtis triginta duobus annis & vltra, repetito gladio diſſecata, nec a filiis euaſit viſcerum ſectionem: nunc** noſtro v^e^. *regibus diſpartita ab eis, & transfugit ad Sarracenos, inteſtini vulneris ſupplicia non euaſit. Verum diuina clementia miſerante à tempore nobilis Aldephonſi, qui prope vilche Amiramomeninum cum Arabibus campeſtri prælio effugauit, & Arabum gladius hebetatus & Gothorum ſtrenuitas reſtituta, talionis ſemitas* apparuit Chriſtianis: & ſicut a principio Chriſtianos incolas ſub tributi onere coegerunt, ſic & modo reſtitutis munitionibus principibus Chriſtianis, degunt ſeruitute ſolita ſub tributo. Eorum itaque ſucceſſiones & tempora volens poſteris conſeruare, eorum exordium à Machometi tempore inchoaui: qui eorum ſectæ fuit conditor & inuentor, de eius origine, prædicatione, & regno, & eorum ſcripturis ad detegendam gentis illius verſutiam, & ſæuitiam, ſatis breuiter * explicabo. Aduertat autem lectoris ſtudium qualiter mentita reuelatio verſuti hominis Machumeti ex corde finxit virus peſtiferum, quo libidinoſas animas, quaſi nexibus colligauit: vt diſcant paruuli à fabulis abſtinere, Adæ funiculis colligati, & trahi vinculis charitatis.*

al. 5 regibus ſ. Gerosel numero quinq; regibus ſuperata.

alias explicaui

DE ORIGINE ET EXORDIO Machumeti.

CAPVT PRIMVM.

1 Sequitur auctor opinionem eorum qui Leouegildum regnare cœpiſſe Æra IↃCX. id eſt, anno IↃLXXII. Chriſti affirmant. Vt et in Coronicon lib. 2. cap. 14.

2 Leg. IↃCXVIII. Alt enim anſ mortuum æra IↃCLXVI. cum tantum vixerit quadraginta nouem annis. Ioan. Valæus.

3 pro Genethliacus.

ANNO Leouegildi regis Gothorum [1] nono. Æra DE prima, [2] in villa quod Hiatrib dicitur, prope Mecham, erat homo Aly nomine, filius Abdelmutalib, & vxor eius Æmina, nomẽ patris Æminem Bayab, & matris eius Halima: quæ concepit & peperit filium, quem vocauit Mahomath. Et cum Arabia & Africa inter fidem catholicam & hæreſim Arrianam, & perfidiam Iudaicam & idolatriam diuerſis ſtudiis traheretur, Arabs prædictus Aly familiaritate cuiusdam Iudæi, qui erat [3] geneaticus inter fidem catholicam & Iudæorum perfidiam fluctuabat. Cumque Æmina concepiſſet, facta eſt ſterilitas magna per totã Arabiã adeo vt pane deficiente, herbis duntaxat ſiluestribus veſcerentur: Cum autem tempus partus Æminę adueniſſet, Iudæus ille, vt erat geneaticus, captauit conſiſtentiam planetarum, & horam natiuitatis infantis. Aly autem in ſanctam Ieruſalem iuerat ad orandum & rediens inuenit filium ſuum natum: & quicquid ille geneaticus de infante perceperat, reuelauit & prædixit eum in regno & lege mirabiliter exaltandum, Aly autem apud Hiatrib poſt tempus modicum vitam finiuit. Cum autem eſſet infans annorum quatuor, vt ipſe mentitur, venerunt duo angeli, & ſciderunt cor eius, & extraxerunt inde coagulum ſanguinis denigrati, quod poſtea niuis lauacro abluerunt, & ponderauerunt cor eius cum decem cordibus generis ſuæ. Poſt cum mille & maioris ponderis eſt inuentum, & vnus angelus dixit alteri. Si cum omnibus Arabibus in trutina poneretur, omnibus præualeret. Hæc mentitur in viſione ſe a Gabriele angelo audiuiſſe. Cum autem eſſet annorum quinque, mater ſua tradidit eum auiæ ſuæ Halimæ nutriendum.

De inſtru-

De inſtructione & prima oſtenſione Machometi. CAPVT II.

ANNO ſeptimo mater ſua recepit eum & ſe tranſtulit ad propinquos & poſt paucos dies ibi mortua fuit Æmina mater eius, & ſuſcepit eum alia mulier, quæ Daymen dicebatur, & tranſtulit eum in Mecham. Octauo anno mortuus eſt Abdelmutalib auus eius, & recepit eum Abutalib patruus eius in curam: & iſte tradidit eum prædicto geneatico inſtruendum, qui eum inſtruxit in naturalibus ſcientiis, & lege Catholica, & Iudaicæ perfidiæ documentis: vnde & ipſe poſtmodum aliqua de fide catholica, aliqua de lege veteri in ſuæ ſectæ ſubſidium vſurpauit. Cum autem Mahomath eſſet annorum tredecim, Abutalib duxit eum Ieruſalem, eo quod templum ſanctimoniæ erat ibi. Mahomath autem cum ad annos adoleſcentiæ perueniſſet, & in doctrina noui teſtamenti ac veteris, & naturalis ſciētiæ profeciſſet, iterum fame Arabiam opprimente, ipſe ad cuiuſdā diuitis viduæ, quæ Hadeya dicebatur, familiam ſe conuertit, & circa operationes domeſticas induſtrior eſt inuentus: & ea quæ vehiculi onere abducebat, reduci fœnore ſibi gratiam & viduæ diuitias cumulabat: & factus eſt in oculis viduæ gratioſus, adeo vt eum in filium adoptaret. Cum autem eſſet annorum vigintiquinque, duxit vxorem quæ Abdiga dicebatur. Demum etiā viduam, quæ eum exhibuerat, ſuperduxit & procedēte tempore alias cumulauit: ita quod decem & octo vxorum libidine, immo adulterio fœdabatur. Prima autem cauſa ſuæ oſtēſionis in Arabia ſic euenit. Eccleſia nobilis apud Mecham inundatione fuit penitus diſſipata: in qua erant formæ argento, & auro, & precioſis lapidibus decoratæ, quam ſeniores Mechæ cupientes vnanimiter reparare, nauem regis Ægypti Chriſtiani, qui in Æthiopiā eccleſiam cæperat ædificare, oneratam lignis in Arabiæ littore acceperunt, & ex iſtis lignis deiectam eccleſiam reparauerunt, quæ Alcahaba dicebatur. Et cum eſſet eccleſia cōſummata, erat lapis niger in angulo apponendus (quem & hodie ob reuerentiam Arabes oſculantur) cumque maiores populi diſſiderēt quis conſummationis lapidem adaptaret, vltimo conuenerūt, vt qui primus in porta, quæ Bayſſayba dicitur, appareret, ille lapidē collocaret. Accidit autem Mahomath per portam prius cæteris aduenire, & conceſſerunt, vt ipſe eſſet ſupradicti lapidis coaptator: & ipſe extendens chlamydem, texit petram & vocatis ad ſe quatuor de Coraxinis, tulērunt lapidem ad ſtructuram & ipſe, vt cemētarius collocauit: & viderunt omnes, & miraculum reputarunt & cum omnes crederent eſſe Prophetam, inquit quidam. Cum tot ſeniores & viri probabiles in veſtro concilio habeantur, miror quare hunc adhuc iuuenem omnibus prætuliſtis: & iurans & interminans, hic ſine dubio vos diſperdet. E contrario alii reſiſtebant dicentes, à diabolo ſic locutum. Viri autem ſeniores & populus reparatam eccleſiam iuxta dignitatem priſtinam ornauerunt, & tunc Mahomath ſuaſit eis, vt ſemper verſus illam eccleſiam adorarent. Erat autem Mahomath annorum triginta quinque. Poſt hæc Mahomath fecit moram per quinquennium apud Mecham, & ibi multis diſſenſionibus cum his, qui erant de genere Coraxinorū & idola adorabant, frequentius concertabat, vnum Deum tantummodo prædicans adorandum: ſed quia illi potentia præminebant eum à Mecha in Hiatrib fugere compulerunt. *V. C. Coraxin.*

De inſtructione & prima oſtenſione Machometus. Tolet. Cod.

De Prædicatione & Rebellione eiuſdem.

CAPVT III.

POST quinque autem annos, cum eſſet annorum quadraginta, Mecham intrauit, & ibi latuit per tres annos, nolens ſe oſtendere Prophetam, & ibi mentitur ſibi datum ab Angelo librum, qui dicitur Alcoranus: & quia adhuc Mecha pro maiori parte à Coraxinis idolorum cultoribus tenebatur, ipſe quaſi humiliter cedens, in villam ſuam Hyatrib declinauit, & poſtea reſumptis viribus, intrauit in Mecham, & eos qui erant de genere Coraxinorum & ei reſtiterant, vi & potentia captiuauit: & quaſi improperans dixit eis: Quid de vobis faciam. At illi dixerunt, Bene: quia eſtis largus, & curialis. & ipſe continuo dimiſit eos, & deinceps humiliter ſubfuerunt. Tunc præcepit vt in turribus, vbi conſueuerant campanæ pulſari, Sarracenus quiſpiam proclamaret. Sicut & adhuc hodie proclamatur à cultoribus ſectæ ſuæ. Præcepit etiam vt in menſe Ramadam ieiunarent triginta diebus, & aliis triginta diebus in menſe, qui dicitur Almoharram: & domum, in qua ipſe natus fuerat, fecerunt Mezquitam.

Anno autem imperatoris Heraclii VII. Siſebuti regis Gothorũ quinto natiuitatis ſuæ quadrageſimo Mahomath vidualibus diuitiis inclytatus: & falſo miraculo lapidis à populo approbatus, cœpit grandia cogitare, & rebellia contra Romanorum imperium procurare: & clanculis ſuaſionibus populos concitare, oſtendens eis qualiter ſeruitutis amaritudine premerentur, & exinaniti cenſibus, & tributis paupertate continua vexarentur, & ſola ignauia tenebantur, cum vi & numero poſſent repellere potentiam Romanorum.

De victoria Machometi contra Romanos. CAP. IV.

CVMQVE plurimis taliter ſuaſiſſet, accidit quod Heraclius Imperator mitteret nuntios pro tributis, ſed Mahometh cum ſuis complicibus hoc prænoſcens eis occurrit, & negatis tributis, fultus audacia, interfecit: & ſic aſſumptis viribus interdum furtim, interdũ publice, prout negotium exigebat, Syriam Arabiam & Meſopotamiam, fraude potius quã virtute, ſuo propoſito inclinauit: & adeo ciuitates & oppida ſtimulauit, vt iugo ſeruitutis abiecto, iam aperte inciperent rebellare. Eiſdem diebus Heraclius ſomniauit, quod mures è terra naſcentes, ſibi extrema veſtium corrodebant: & tunc miſit ampliorem exercitum cum Theodoro fratre ſuo: ſed victi ab exercitu Machometi ad Heraclium redierunt, ampliorem exercitum collecturi. Tunc Heraclius fratri ſuo Theodoro viſionem murium reuelauit, & reſtaurata multitudine bellatorum, Romanorum exercitus cum Theodoro iuit contra exercitum Machometi. Sed adeo inualuerat rebellium multitudo, quod Romanæ legiones verentes à facie Machumeti ad Gabatam oppidum ſeceſſerũt, rebellium exercitu ſubſequente vbi pugnæ periculo crebeſcente, ſuccubuit exercitus Romanorũ & Theodoro interfecto, cæteri ſtrage & gladio perierunt, præter pauciſſimos, qui fuga & latebris euaſerunt: & ex tunc fuit iugum imperii Romanorum excuſſum à ceruice Sarracenorum.

De ſublimatione Machometi in Regem, & de viſionibus mendaciter excogitatis. CAP. V.

ET continuo ſuperba victoria eleuati, Damaſcum adeunt nobiliſſimam & regiam Syriæ ciuitatem: in qua attendentes, quod per eum adepti erant libertatem eum in principem elegerunt, & regni ſolium conceſſerunt. Quo adepto, verens Mahomath ne de populis ſibi ſubiectis, qui Chriſtianis legibus ſubiacebant, Romano Pontifici obedirent, & reconciliati imperio adhærerent, legem ſtatuit qua, quaſi funiculis, peccatorum damnandas animas colligaret, cœpitque fabulis deteſtandis ſeducendas animas mulcere. In eius ſecundo libro reperitur ſcriptum quod Mahomath inſidebat vni beſtiæ, quæ dicitur Aborac, & præponebat pedem poſteriorem ſuper pedem anteriorem, & talibus beſtiis prophetæ conſueuerant inſidere: & in tali beſtia Mahomath Ieruſalem eſt profectus, &, vt ipſe in libro ſuo mentitur, inuenit ibi Abraham, Moyſem, & Ieſum, & prophetas alios, ex antiquis, qui ibi conuenerant ad orandum, & obtulerunt Machumeto tria vaſa, vnum lacte, aliud vino, aliud plenum aqua: & audiuit vocem cælitus hoc dicentem. Si vas aquæ acceperis, cum populo tuo ſubmergeris. Si vas vini, cum gente tua peribis: Si vas lactis, tu cum populo tuo dirigeris. Et ipſe accipiens ſcyphum lactis, bibit ex eo. Tunc Gabriel Angelus dixit ei. Nunc es directus, tu & omnis qui crediderit legi tuæ: & oratione facta cum Ieroſolymis receſſiſſet, quod viderat, diſcipulis reuelauit, & addidit, quæ ſequuntur. Cum vidi, inquit, Abraham Moyſem, & Ieſum, oculi corporis dormiebãt, ſed cordis oculi vigilabant & vidi quod Abraham ſimilis erat mihi: Moyſes autem erat rubeus atque criſpus. Ieſus autem Mariæ filius, flauus capillis, nec longus, nec paruus: ſed diſpoſitione & ſtatura media coaptatus, & videbatur aqua ab eius capite proſilire, veruntamen aqua non erat ibi. Addidit etiam in hoc libro: Ad primum cœlum Gabriel me perduxit, & me benigne Angeli in iſto cœlo receperunt, cum riſu, & gaudio reſpexerunt, dicentes communiter, bene, bene; orantes mihi proſpera, & iocunda. Vnus ſolus inter Angelos conſiſtebat, qui nec mihi orauit ꝓſpera, neq; riſit. Cumq; quæſiſſem ab Angelo quiſnã eſſet, reſpondit: nunquã riſit hic Angelus, cuſtos ignis, & dixi Angelo: eſt hic Angelus qui a Deo dicitur nimis dilectus. & reſpondit Angelus: hic eſt ille. Tunc dixi ei, Præcipite, inquit, vt oſtẽdat mihi ignẽ. Iubente itaque Gabriele remouit tegimen ollæ ignis: & ignis aſcendens, timui ne omnia quæcumq; videram concremaret, & rogaui Gabrielem, vt ignis iterum tegeretur: & ignis rediit in locum ſuum, & videbatur, vt ſol cum occidit in occaſu: & triſtis Angelus,

vt prius

vt prius fuerat, texit ignem. Similiter cum intraui cęlum, inueni hominem venerandum in ſede ſedentem, & oſtendebantur ei animæ omnium mortuorum: & cum videbat animas, quæ ſibi non placebant, ab eis intuitum auertebat, improperans eis: Peccatrix anima ab infœlici corpore exiuiſti, & cum oſtenderetur ei anima, quæ placebat, applaudens animæ inquiebat: O fœlix anima à bono corpore exiuiſti: Et interrogaui Angelum de viro tantæ reuerentiæ, quiſnam eſſet: & Angelus dixit mihi, Adam eſt, qui bonis ſui generis congaudebat, & à malis faciem auertebat, & pœnas peccantium oſtendebat. Vidi etiam in eodem cælo, qui carnes pingues, & optimas manducabant: & alios qui poſt poſitis pinguibus de fœtidis comedebant. Cumque quæſiſſem, iſti homines quinam eſſent, reſpondit Angelus: Primi ſunt qui vxoribus legitimis adhæſerunt. Alii qui legitimas non curantes fœdis commerciis vetitis mulieribus ſe dederunt. Poſtea duxit me Gabriel ad ſecundum cælum, & inueni ibi Ieſum filium Mariæ, & Hyaya, quem nos Ioannem dicimus, filium Zachariæ, qui erant conſobrini. Poſtea Gabriel in cælum tertium me induxit, & inueni hominem, cuius forma erat, vt plenæ Lunæ & Gabriel dixit mihi: Hic eſt Ioſeph filius Iacob Patriarchæ. Poſtea duxit me in cælum quartum, vbi inueni hominem venerandum, & Gabriel dixit mihi: Hic eſt Aaroho, & erat ibi cum eo Iduz, qui cælum aſcendit. Poſt hæc duxit me Gabriel in quintum cælum & inueni ibi hominem ſenem, & pulchrum, & dixit mihi: Hic eſt Aaron, filius Abrahæ. Poſtea duxit me in ſextum cælum, & inueni ibi hominem rubeum, & procerum, & dixit mihi: hic eſt Moyſes. Poſtea fecit me aſcendere in ſeptimum cælum, & inueni ibi hominem canum, ſedentem in ſede apertæ domus, quæ à pluribus Angelis habitabatur, & intrauerant in ea L X X. millia Angelorum & non redierunt, vſque ad diem iudicii, & Angelus dixit mihi: Hic eſt Abraham pater noſter. Poſt hæc introduxit me in Paradiſum, & inueni ibi puellam formoſam quæ multum placuit in oculis meis, & interrogaui eam, cuia eſſet: quæ reſpondit. Hic ſeruor Zayt filio Hyarith: & cum deſcendiſſem de Paradiſo nunciaui hæc Zayt filio Hyarith, qui de meis conſortibus vnus erat. Et in omnibus cælis, ad quos aſcenderam, interrogabant Angeli Gabrielem, & ipſe dicebat eis: Hic eſt Mahomath, & interrogabant cum gaudio: Eſt iam miſſus? & ipſe inquit: Iam eſt miſſus: & ipſi omnes orabant, vt Deus adderet mihi vitam, tanquam fratri ſuo & amico. Poſtquam autem tranſieram ſeptem cælos, Gabriel me propoſuit ante Deũ, & mandauit mihi, vt quolibet die dicerem quinquaginta orationes. Ego autem conuerſus ad Moyſem amicum meum optimum, dixi ei qualiter Deus mihi mandauerat, vt quolibet die dicerem. L. orationes, ſed tot orationes graues eſſe ad dicendum, cum gens conuerſa nouiter non poſſet tantum onus quotidie tolerare: & Moyſes conuerſus ad Deum, obtinuit, vt decem orationes relaxarentur: Et iterum à me rogatus, obtinuit alias decem: & ſic paulatim deſcendens omnes abſtulit, præter quinque. Itaque quicumque quolibet die quinque orationes dixerit, remunerabitur quaſi pro quinquaginta. Mahomath autem anno ætatis ſuæ quadrageſimo apud Mecham frequentius morabatur & ibidem prædicta omnia, & multa alia ridicula & nefanda ſibi dicta à Gabriele Angelo mẽtiebatur, vt populos, quos ad rebellionem concitauerat, ſectæ ſuæ mortis funiculis colligaret: & vt virus malitiæ ſuæ occultaret, prædicabat omnibus vnum Deum. Mecha autem tenebatur cultu plurium idolorum. Cognatio autem Coraxinorũ conuenerunt in domũ Abutalib, qui erat patruus Machumeti, conquerentes de eo, quod eorum legem, & Deos patrios aboleret: ſed quod ipſe & ipſi in ſuis ritibus remanerent & iam Mahomath habebat aliquos de ſuis conſanguineis conniuentes.

De diſceptatione legis cum Coraxinis & morte eius

CAPVT VI.

PRÆDICTVS autem Abutalib conuocauit Mahomath, & alios Coraxinos, ſuper lege & idolis querelantes, & dixit ei Abutalib: Ecce iſti habent aliqua aduerſum te. Mahomath autem reſpondit ei: Suſtine me modicum perorare. Tunc ille, non eſt, inquit, Deus alius præter vnum: & recedite ab idolis, quæ hactenus coluiſtis. Tunc illi, manus manibus collidentes, indignati animis, reſponderunt: Cur Deos noſtros vis à patria exſtirpare, & dixerunt: Iſte homo à propoſito non ceſſabit, & nos ritus patrios obſeruemus, & tunc ab inuicem receſſerunt. Abutalib autẽ dixit Mahomath: Bona videtur oratio, quam dixiſti Tunc Mahomath: Dic inquit verbum quod prædicaui, & conuertere ad legem meam. Abutalib autem reſpondit ei, libenter facerem, ſed diceret genus noſtrum, quod metu tui & timore mortis talia proferebam. nec volo perdere gratiam propinquorum. Ex tunc Mahomath cœpit ſectam ſuam publice prædicare, & ad rebellionem

populos concitare,& aliquos ſeducebat, quia vnum Deum tantummodo prædicabat, & mentiens Gabrielem angelum ad ſe miſſum; quæ deceptis populis prædicabat, dicta ſibi ab angelo aſſerebat:& frequenter in contemplationem inuiſibilium ſe rapi ſimulans,quaſi deſtitutus ſenſibus, ſe in terram, vt exanimem proſternebat: & ſtulti populi cum angelo loqui æſtimabant. Demum autem quaſi reſtitutus ſpiritu præcepta aliqua proferebat,quę *alias Iebara.* ſub vno cõpacta capitulo* Zoara appellabat:& per tales Zoaras diſtinguitur liber eius,qui dicitur Alcoranus,in quo tot ignominioſas Zoaras prædicauit,quod puderet dicere,nedũ *f. inebriati.* ſequi: quos tamen viru diabolico* debriati,& libidine dulcorati, infelices populi receperunt,& adhuc in ſua perfidia permanent obſtinati, nec legem vitæ & diſciplinæ deſinunt infeſtare. Mahomath itaque fraudibus,& incurſibus,& infami doctrina corda gentium in ſua pertinacia ſolidauit. Annis autem decem expletis,ex quo apud Damaſcum regni ſuſceperat principatum,moritur,& ſepultus eſt in inferno. Æra DC. ſexageſima ſexta Anno *DCLXVI.* no Eraclii XVII. & Suintillæ regis Gothorum VII.

De Abubacar,& Omar,& Moabia,& eorum præliis. CAPVT VII.

MORTVO Mahomath, Abubacar eius gener,& contribulis in regni ſolio ſubrogatur Huius tempore Romani Perſidem reliquerunt, quam Abubacar bellis indeſinentibus occupauit, Æra DCLXVIIII. Anno Heraclii XX. anno Arabum XIII. Et incipiente anno Arabum decimoquarto mortuo Abubacar Omar in ſolio regni Arabũ collocatur & decem annis regnauit,hic fuit rigidus,& in præliis valde conſtans. Hic obſedit Alexandriã in Ægypto, & captam conſtituit ſub tributo, & totam Ægyptum ditioni ſuæ,& ſectæ ſubdidit Machometi: & tam de partibus Orientis, quam de partibus Africanis, triumphum victoriæ reportauit. Et dum quadam die orationi inſtaret, fuit à quodam ſuo clientulo interfectus. Poſt mortem Omar Autuman ſucceſſit in regno & regnauit annis XII. Hic Libiti, Marmorichin, Pentapolim, Gazaniam,& Æthyopiam quæ ſupra Ægyptum plagis adiacent Sarracenorum, ſuæ ſectæ, & ſuæ ſubdidit ditioni. Plurimas etiam ciuitates Perſarum, quas Omar non potuerat obtinere, obtinuit,& poſuit ſub tributo demum à ſuis eſt interfectus. Mortuo Autuman Moabia qui & Maula,ſucceſſit in regno anno XXXV. Arabum: & regnauit annis XXV. ſed quinque annis (quia regnum eius turbatum variauit) contra ſuos prælia multa geſſit. Poſt quinquennium ſuis ſedatis fœliciter rexit regnum: ſed aduerſus eum Conſtans Auguſtus pluſquam mille naues aggregans, infœliciter tranſfretauit. Cum enim bellatorum diſcrimina inchoaſſent, Moabia præcedente quodam, Abdalla nomine,qui in exercitu Arabum principatum militiæ tunc tenebat,cœperunt acriter decertare: ſed victus Auguſtus vix cum paucis per æquor aufugiens læſus euaſit, & plures de ſuis captiuitate,& gladio ceciderunt:& Moabiæ & Abdallæ nomen & gloria accreuerunt. Abdalla autem volens victoriam ampliare, Tripolim Ægypti venit,& eam & Cidamis ſuæ victoriæ ſubiugauit:& poſt deſolationes plurimas diuerſis patriis ſubiugatis, & multis prouinciis domitis,& vaſtatis,& captiuis: plurimis in fide receptis Africam attẽtauit cum multis phalangibus bellatorum:cumque ex aduerſo Comes Gregorius aduenisſet,vtrinque fuit prælium inchoatum, ſed pars Afrorum morti & fugæ penitus derelicta, infeliciter eſt deleta: & ſic omnis decor gloriæ Africanæ in Arabes eſt translatus. Abdalla itaque ſpoliis & diuitiis inclitus,cum ſuis cohortibus reuerſus eſt in Ægyptum. Moabia autem peragebat decimum regni annum,qui cum vidiſſet in Africa proſpere ſibi ſucceſſiſſe,centum millia bellatorum in obſequium Izit filio ſuo dedit, vt cum eis Conſtantinopolim feſtinaret:qui illam adiens,parauit obſidionem, & per totum vernum tempus bellis indeſinentibus infeſtauit:ſed quia vrbis magnificentia obſiſtebat,& fames, & peſtis laborem impugnantium fatigabat,vrbe relicta, oppida plurima expugnarunt, & adiacentẽ patriam deuaſtarunt. & onuſti prædis & diuitiis, poſt biennium Damaſcum regiam vrbẽ redierunt, Poſtea autem partes Orientales bellis indeſinentibus ſuæ ſectæ & dominio ſubiecerunt,& expletis XXV. annis in regno naturæ debitum ſoluit.

Marginal notes: *DCLXIX. ergo primus annus Arabũ eſt Æra 655. imo 656. Christi 617. Regni Arabum XIII.* — *Regni Arabum XXXV.* — *Africa.*

De Izit & Maula & Abdelmelic filio eius & victoriis eorum

CAPVT VIII.

Geit. V.C. Tol. f. Vlit. ANNO imperii Arabũ ſexageſimo primo,* Izit natus Moabiæ obtinuit patris regnum & regnauit iucundiſſime tribus annis. Hic ſubdidit ſectæ ſuæ vicinas vndique natio- *Regni Arabum LXI.* nes,eo quod cunctis gratiſſimus habebatur: nunquam enim, vt moris eſt hominũ,regalis faſtigii

faſtigii gloriam appetiuit: ſed curialiter cum omnibus ſe habebat, & communiter omnib. conniuebat: & expleto regni triennio vitam finiuit, & reliquit Maulam filium ſucceſſorem Anno imperii Arabum L XI. Hic patriis moribus ſimilis, cum ad regni faſtigium perueniſſet, tertiam partem tributi omnibus condonauit: qui anno dimidio in regno expleto, vitam finiuit. Poſt eius mortem exercitus Arabum, per quatuor fere annos, bifarie eſt diuiſus & innumerabiles cædes Arabibus prouenerunt. Alii enim Maroan, alii Abdallam ſequebantur. Sed Maroan Conſtantino Cæſari mille ſolidos auri probati & variam ſupellectilem annis ſingulis impendebat, vt ei adiutor fieret, aut ſaltem non adimpediret: & quæ Arabes a Romanis euicerant, fuit præteritorum temporum captiuitas relaxata. Hoc tempore Eruigius præficitur regno Gothorum. Cumque inter Maroan incidiſſet, & Abdallam longa concertatio, tandem Abdalla qui fuerat princeps militiæ regis Moabiæ, & multis diuitiis, quas ab Africa tulerat, abundaret, eiecto Maroan, ſolus obtinuit principatum: Anno imperii Arabum LXVI. & 4. annis regnauit. Poſt quos Abdelmelic iunioris Maule filius, contra Abdallam Arabum regnum intentat, & fauore * patrum ad ſucceſſionem debitam eleuatur Anno imperii Arabum LXX. regnauit annis XXI. Hic Abdallam æmulum ſuum perſequens, apud Mecham Abrabædomum vt ipſi autumant, quæ eſt inter Archas & Carram Meſopotamiæ, interfecit. Poſt quod ſapientiſſime bella ciuilia compreſſit. Huius anno quinto ad regnum Gothorum Egica ſublimatur & iterum eius XVI. anno Vitiza in regno ſubſtituitur Ægicæ patri ſuo. Abdelmelic autem conſummatis in regno XXI. annis, vitam finiuit.

al. curialiter.
Arab. regno LXIIII. In V. C. LXII. sed LXIV. de...ſſe apparent, ſed mox ...nnumerantur 66 addens 4.
Eruigium
Regni Arabũ LXVI.
forte, partium
Regni Arabũ LXX.
Vitiza

De Vlit. CAPVT IX.

ANNO autem imperii Arabum XCI. * Vlit eius filius ad regnum Arabum ſublimatur. Huius quinto anno Rodericus ſeditionibus procuratis regnum Gothorum inuaſit. Vlit autem per quatuor annos bella peragens, imperium Arabum mirabiliter dilatauit: erat enim vir magnæ prudentiæ, & in diſponendis exercitibus valde cautus & quia futurus erat virga furoris domini, in populos Hiſpaniæ peſtilentes, diuino auxilio ferebatur, vt vicinas gentes ſuo imperio ſubiugaret, Romaniamque & multas prouincias Romanorum, vaſtatione aſſidua conculcauit. Inſulas etiam & fines Indiæ domuit, deuaſtando ciuitates plurimas, oppida, & caſtella obſedit, & occupauit. In Libyæ anfractibus omnem * Mauritaniam ſubiugauit. In occiduis partibus regnum Gothorum antiqua ſoliditate firmatum obtinuit, & afflixit: quod à tempore Leonegildi per annos CXL. pace continua fuit lætum. Hic per ducem exercitus ſui Muzam, Hiſpanias domuit, & regni abſtulit dignitatem, & conſtituit vectigalia. Anno imperii Vlit quarto, Muza Abennocayr, princeps militiæ Vlit regis, miſit Tharic Abezarca cum exercitu citra mare, qui & Rodericum vltimum regem Gothorum bello fugauit, & Hiſpanias ſubiugauit. Demum veniens in Hiſpaniam Muza ciuitates plurimas occupauit, & infinitas diuitias congregauit, inter quas menſam lapideam, coloris viridis, immenſæ magnitudinis, ad nuenit, quæ habebat CCC. LXV. pedes, & menſa & pedes ex vno lapide erant. Hæc menſa dicitur inuenta in villa quadam, quæ Arabice dicitur Medina Almeyda: Latine autem interpretatur, ciuitas menſæ: & erat iuxta montem qui adhuc hodie dicitur, Gebel Culeman, & imminet burgo Sancti Iuſti. Hanc Taric cum multis aliis diuitiis dedit Muzę. Muza itaque Taric & Mogeyt Hiſpanias deuaſtantibus, præcepto Vlit ab Hiſpaniis reuocantur. Cumque oporteret eos ad edictum principis feſtinare, Muza dimiſit filium ſuum Abdulaziz principem citra mare, qui apud Hiſpalim conſtituit ſedem ſuam, & fertur vxorem regis Roderici nomine Egilonem ſibi in coniugem aſſumpſiſſe & ab vxore ſuaſus, more regum Gothorum, ſibi impoſuit diadema: vnde & Arabes Chriſtianum putantes, conſilio Ayubaben halib dum in oratione perſiſteret, occiderunt: regnauerat autem tribus annis & Ayub, eo quod erat in ſecta Machumeti prudentiſſimus, in regni ſolio ſubrogarunt: & ab iſto dicitur Calatayub fuiſſe ædificata: & iſte Curiam Arabum ab Hiſpali tranſtulit, & Cordubæ inſtaurauit.

alias Walit
Regni Arabum XCI.
alias Mauritaniam V. C.
hodie la cueſta de Zuleman cabe alcala ſed ipſe Rodericus ponit in hiſtoria cabe medina celi

De morte Muzę & Vlit, & regno Zuleman & morte eius. CAP. X.

MVZA autem cum Taric & Mogeyt, ducens ſecum infinitam pecuniam & ex Chriſtianis triginta millia captiuorum, & menſam viridem & plurimos lapides precioſos,

peruenit in Syriam ad regem, vbi Vlit tunc temporis reſidebat: ſed Taric qui odium conceperat contra Muzam, præuenit Muzam & ſe regis conſpectui præſentauit, accuſans Muzam, eo quod de diuitiis Hiſpali plurima occultaret, & modica differebat. Cumque Muza ſe regis conſpectui præſentaſſet, male receptus cum ignominia eſt eiectus, priuatus potētia & honore. Demum condemnatus in mille millibus, & in decies centum millibus ſolidorum, & dolore vario circumſeptus, vitam finiuit anno Arabum XCVII. & quia Ayub, de quo diximus, Muze conſanguinitate aliqua attinebat Amiramomeni fecit eum à regno Hiſpaniæ remoueri, & Alohor filium Abderramē in regno Hiſpaniæ ſubrogauit: qui duos annos & nouem menſes in regno expleuit. Vlit autem omnia proſpere gerens, receptis copiis immenſarum gentium, & diuitiis, quas gens miſera vomuerat Hiſpanorum, vitæ termino conſummato, cum regnaſſet annis XI. vitam finiuit. Mortuo Vlit Zuleman frater eius ſucceſſit in regno Arabum anno XCVIII. & tribus annis regnauit. Hic miſſo exercitu Arabum, Romaniam grauiter deuaſtauit.* Pergamum antiquiſſimam & florentiſſimam minoris Aſiæ ciuitatem, vltrici incendio concremauit. Miſit & Alohor, quem Hiſpaniæ præfecerat, vt Narbonenſem Galliam deuaſtaret, & citeriorē Hiſpaniā, in qua Chriſtiani aliqui rebellauerant, ſubiugaret, qui & prædictam Galliam & vtramque Hiſpaniā, vi, fraude, & deditione receptans, vectigali ſubdidit ſeruituti. Zuleman autem filius Abdelmelic, nepotes ſuos, filios Vlit ſcilicet, Omar & Izit, ſibi ad regni regimen ſociauit. Inter hæc Alohor Cordubā retentauit & Chriſtianos ibidē degentes, emunctos vſque ad exinanitionē extremæ virtutis, tyrannide coarctauit. Arabes autem qui * fuerant primæ vaſtationi, carceris ergaſtulo & ciliciorum aſperitate, & fame & inedia macerauit, adeo vt vermes ſiue pediculi in ciliciis ſcaturirent, & quæſtionibus eos afflixit, vt abſconditos theſauros reuelarent. Hoc tempore eclipſis ab hora ſexta vſque ad horam nonam durauit, & ſtellæ, vt in tenebris apparebant. Verum quia Izit ob ſanctimoniam ſuæ ſectæ ab o[illegible]nibus amabatur, & ſanctiſſimus habebatur, Omar frater ipſius, eum in tutelam regni adſciuit. Omar autem benignitate nimia præditus, à prœliis, quantum poterat, abſtinebat. Tantæ enim dulcedinis & patientiæ fuit in regno, vt tantus honor ei exhiberetur, & tantæ laudis præconio effloreret: quod non ſolum à ſuis, ſed & ab exteris præ cunctis principibus laudaretur. Tanta etiam Sanctimonia ei adſcribitur, quanta nunquam vlli Arabum fama veridica recognouit, qui & princeps paucorum dierum vitam finiuit.

Regni Arabū XCVII.

Regni Arabū XCVIII.

V.C. Pergamū

ſ. interfuerant.

De Izit & Izit, & obſidione Toloſa, & principatu Ambize. CAPVT XI.

EO mortuo Izit regni gubernacula cepit ſolus. Tunc quidam alius Izit nomine, qui de genere ſuo erat, & apud Perſas tutelam gerebat, rebellionem molitus, bella ciuilia procurauit: ſed Izit miſit quendam Muzillima nomine cum infinito exercitu, vt rebellionis iniuriam edomaret, & in campis Babylonicis ſupra Tygrim turba rebellantium dilabitur fuga magna, & actor ſceleris comprehenſus veniæ reſeruatur. Tunc etiam in occidentis partibus multa illi proſpera prouenerunt: nam Zama qui tribus annis ducatum tenuit, in Hiſpaniis proprio ſtylo deſcripſit vectigalia Hiſpanorū, & quod prius indiuiſum ab Arabibus habebat: ipſe partem reliquit militibus diuidendam, partem fiſco de mobilibus & immobilibus aſſignauit, & Galliam Narbonenſem diuiſione ſimili ordinauit, & Francorū gentem bellis frequentibus ſtimulauit, & Narbonæ ob tuitionem patriæ * electos milites collocauit. Ipſe autem bellis plurimis Toloſam veniens, obſidionis ambitu circumcinxit, & cœpit eam variis machinis impugnare. Gens autem Francorum cum Eudone exercitus ſui duce in obſeſſorum auxilium ſuperuenit. Cumque vterque exercitus cepiſſet acriter dimicare, Franci Zamam ducem Arabum cum parte multitudinis peremerunt, reliqui obſidione relicta ſe fugæ patrocinio commiſerunt: & qui euaſerant Abderramen ſuper ſe principem elegerunt, donec principalia iuſſa venirent. Poſt idem tempus Frodoarius Accitanæ ſedis Epiſcopus, & Vrbanus Toletanæ ſedis, Veteranus Melodius & Euácius eiuſdem Toletanæ ſedis Archidiaconus doctrina, ſapientia, ſanctitate in fide, ſpe, & charitate ad confirmandam captiuam Dei eccleſiam clari habentur. Izit autem miſit præfectum in Hiſpanias * Adhā filium Melic: & præcepit ei, vt ciuitates, oppida, & caſtella, quas primū Arabes expugnauerant ſubiiceret, ſub tributo videlicet, vt quintam partem omnium prouentuum fiſco regio ſoluerent annuatim: quæ autem ſe ſponte reddiderant, decimum tātum ſoluerent pro tributo, & hi & illi in ſuis poſſeſſionibus liberi remanerent. Iſte Adham pontem Cordubæ, fecit fieri anno imperii Arabum CII. Adham cum duobus annis & dimidio Hiſpaniis præfuiſſet & à vaſtatione Tiraſone rediret, fuit à ſuis perditionaliter interfectus & Izit Amiramomeni præfecit Hiſpaniæ quendam, qui dicebatur Ambiza anno regni

ſ. electorum.

Vrbanus Euancius.

Alias Azam.

Azam. Regni Arabū CII.

regni Arabum c. III. & quatuor annis & dimidio, principatum Hiſpaniæ apte rexit. Gentes Francorum prælia meditando ſæpius intentauit, & per directos Satrapas inſequẽdo inſœliciter decertauit, *Regni Arabum 103.* nihilominus tamen furtiuis obreptionibus nonnullas eorum ciuitates & oppida ſtimulauit & pro huiuſmodi infeſtationibus Gallicorum ſuper Chriſtianis vectigalia duplicauit. Cumque honorum faſcibus in Hiſpaniis triumpharet, poſtremo per ſe expeditionem ingeminat contra Francos, & incurſionem in eos aſſumpta audacia meditatur. Sed cum cœpiſſet cum exercitu proficiſci morte propera vitam finiuit. Ipſe autem Ambiza in vltimo conſtitutus, quendam qui Odra dicebatur, Conſulem patriæ ſibi commiſſæ, & principem exercitus repedantis voluntate propria ordinauit. Sed Arabes in continenti Amiramomeno Ambizæ obitum nunciarunt, & Odrem pariter ſucceſſionem. Izit autem in continenti miſit eis quendam qui Gabye dicebatur & erat filius Zaleme anno regni Arabum c. VII. & fuit terribilis poteſtator, & regnauit duobus annis & dimidio: *Regni Arabum 107.* Homo acris ingenii, crudelis dominii, tamen Iuſticiæ intendebat: nam Arabes ſiue Mauros, qui res pacificas abſtulerant, Chriſtianis coegit debite reſtaurare.

De Regno Hyſcam. Cap. XII.

HVIVS temporibus Izit quarto regni ſui anno completo, vitam finiuit & fratrem proprium Hyſcam nomine inſtituit ſucceſſorem, tali pacto, vt filius eius proprii ſeminis Abulit nomine fratri ſuccederet in honorem. Hyſcam autem in ſuæ primordio poteſtatis, anno regni Arabum c. VII. ſatis modeſtum & pacificum ſe oſtendit, & regnauit annis XXI. & in partibus Orientis ac Romania proſpere multa geſſit, non perſonaliter, ſed per duces, terra, & pelago deſtinatos. *Regni Arabum 107.* In occidentis partibus nil geſſit præclarum: demum tanta cupiditate fuit illectus vt de nullo, niſi de collectione pecuniæ, cogitaret: adeo vt omnes reges qui eum præcellerant præcelleret in diuitiis congregatis, * vnde quia emunctionis iniurias nõ poterant tolerare, multæ prouinciæ ſibi ſubditæ vota ſua ab eius * propoſito ferè per annos quatuor retraxerunt, *V.C. ſæuum & ferum. Propoſito V. C.* ſtrage plurima ſubſequente nec diſceſſum huiuſmodi potuit reformare. Prouinciæ autem eius dominio ſubditæ, & Secta Mahometica inquinatæ, dignum eſt vt propriis nominibus exprimantur. Videlicet Iconia, cuius Metropolis Iconium, Lyſtria cuius metropolis Lyſtris, Alapia cuius metrop. ciuitas eiuſdem nominis, *Iconia. Iconium.* Chaldæa cuius metropolis, Babylon deſtructa, Aſſyria cuius metropolis, Niniue: Medea cuius metrop. Ecbatanis: Hyrcania, cuius metropolis Anthiolos. Perſis, cuius metrop. Suſa: Meſopotamia, cuius metropolis. Aram ſiue Carra: Syria ſuperior cuius metropolis, Damaſcus: Cœles Syria ſiue Phœnicia cuius metropolis. Tyrus: Syria inferior, cuius metrop. Antiochia: Iudæa, cuius metrop. Ieruſalem, Ægyptus, cuius metrop. Alexandria, Arabia maior cuius metrop. Baldac, Æthiopia, cuius metropolis Nadauer: Africa, cuius metrop. Carthago: Hiſpania, cuius metrop. Toletum. *Plinius: Toletũ caput Carpetanorum vocat.* Has omnes prouincias ſubiugauit Secta & gladius Mahumeti: Aliquando etiam Siciliam cuius metrop. Panormum, & Calabriam, cuius antiqua metrop. Rhegium, & partem Appuliæ, & Galliam Gothicã, cuius metrop. Narbona, & Vaſconias, cuius metrop. Auxis & Burdegala ſuæ potentiæ ſubiugauit. Anno itaq; regni Arabum CXI. Hyſcam vero ſexto, ſuſcepit regnum Arabum in Hiſpaniis Odoyſa Alcayci auctoritate, à duce Africano recepta. *Regni Arabum 111.* Hic fuit vir leuitate plenus, & vacuus grauitate. præ paucitate autem temporis nil dignum memoria legitur peregiſſe. Iſto à regno repulſo Hyſcam Amiramomeni Hyemen filium Abinaze ad regimen Hiſpaniæ deſtinauit, anno regni Arabum c. XI. Hyſcam vero ſexto, hic quinq; menſibus Hiſpanias gubernauit: Poſt quos vitam finiuit, & miſſus fuit alius, Autuman nomine, hic per quatuor menſes rexit terram. Poſt quem Hyſcam ſubſtituit alium nomine Alhaytam filium Obytq; veniens in Hiſpaniam ſigillum & authoritatem principis, quam ferebat patenter & ſtrenue demonſtrauit: & per decem menſes turbidus terram rexit, & intellexit aliquos de Arabibus in depoſitione eius colloquio clandeſtino conſpirare: vnde & eos capiens conſpirationis propoſitum flagellis exterſit. demum iuſſus ab æmulis tranſmarinis quos pœnis afflixerat, capitibus detruncauit. Inter quos Zath Sarracenum ſanguine nobilem, facundia clarum, diuerſis rebus & diuitiis opulentum pœna afflictum, flagris illuſum, colaphis, cæſum, inhumaniter flagellauit.

De Zath & Abdalla & Abderramen & eius victoriis. Cap. XIII.

ZATH autem manus eius euadens ad petitionem gentis eorum quorum ſanguinem effuderat, inhumane Amiramomeni ſe cõſpectibus præſentauit: & cum eo * Maranem *F. Mamnon.* mittitur Sarracenus cum relatione auctoritatis abſconſa vt abſque cunctatione aliqua

Abdelrama alhaytan eiecto ad regni regimen ſubleuetur. Sed cum Mammen Cordubam peruениſſet, Abderramen non potuit inuenire & ſtatim Mammen Alhaytan captum carceri mancipauit: nec mora fortiter flagellatum, turpiter iudicatum, capite decaluatũ, poſt terga manibus colligatum cathenis ferreis alligatum, ab aſino deportatum per ciuitatem attractũ tantis ludibriis reſeruatũ iterum carcerali cuſtodię deputauit, & ibi vitam finiuit. Poſt quem regnauit Mahomath Auenabdalla duobus mẽſibus quibus cõpletis Abderramen inuenitur anno imperii Arabum CXIII. Hyſcam autem nono, Abderramen vir belliger ad poteſtatem eligitur Hiſpanorum & regnauit fere tribus annis. Cumque de animoſitate & gloria ſuperbiret, vnus ex Mauris Munniz nomine audiens, ſuos temeritate iudicum indebite aggrauari, pacem cum Francis illico procurauit, & rebellionem aduerſus Arabes* procurauit: & cum eſſet in præliis expeditus, multi eius deſiderio paruerunt: vnde & fuit ſtatus palatii conturbatus, & non multis diebus interpoſitis Abderramen expeditionem agitans, rebellem inſequitur conturbatus & in Cerritaniæ oppido concluſit obſeſſum. Hic multorum Chriſtianorum effudit ſanguinem innocentem, & Anabadum Illuſtrem Epiſcopum virum floridæ iuuentutis incendio concremauit, & ſic ſanctorum ſanguine crapulatus ſiti meruit laborare, nam quamuis oppidum Cerritaniæ *affluentibus aquis,* rigaretur, Munniz vndique circumcluſus ſitis ardore præuentus, non inuenit quo aufugeret moriturus, ſed vt manus euaderet perſequentium deſperatam animam morti offert & dum per anfractus rupium conaretur aufugere, manus perſequẽtium non aufugit: nam dum in ſciſſuris petrarum latebras quæreret, præcipitio animam exhalauit, ne viuus odioſo principi traderetur. Nuper etiam Eudo præpoſitus Gallicorum huic Munniz filiam ſuam, cauſa fœderis, in coniugio copulauit: & ad ſuos libitus tradidit melinandam ob perſecutionem Arabum differendam, quæ ſimul cum oppido Cerritaniæ fuit capta.* Viri autem exercitus caput Munniz præcipitio iam colliſum cæde ſecũda detruncant, & cum filia Eudonis regi ſuo* læto præſentatur. Abderramen autem de rebellium interitu iocundatus, vxorem eius, cum eſſet pulcherrima, ſummo regi trans maria honorifice deſtinauit. Tunc Abderramen victoriæ gloriam proſequi non deſiſtens, cum vidiſſet terram ſua multitudine eſſe repletam,* freteſa diſſecans & montana præcalcãs Rodanum etiam diſſulcauit: verum cum Arelatum in multitudine exercitus obſediſſet inferioris fortunæ Gallici ſunt inuenti, nam fugati periculo ſe* nouentes ſequaci victoria ſunt præuenti, quorum cadauera vorax Rodanus occultauit, & terra ſuſcipiens reuelauit, ſed & eorum tumuli adhuc hodie in Arelatenſi cæmiterio oſtenduntur.

Imperii Arabum. 113.
præparauit.
An ibadus Epiſcopus.
affluentis aquæ abundantia vegeretur.
Vni autem e. B. læti præſentant.
F. fruticoſa.
F. fugati.
Al. ſouentes.

De morte Abderramen & fuga ſuorum & Carolo Martello. CAP. XIIII.

ABDERRAMEN autem lætus victoria, elatus potentia, ratus eſt Francorum patrias deuaſtare. Cumque amnes Garonæ & Dordoniæ pertranſiſſet, Eudonem, de quo diximus, inuenit ad prælium præparatum: ſed infœlicitate præterita comitatus, in fugam dilabitur fugitiuus, & tot ibi de eius exercitu ceciderunt quod eius numerus humanæ ſcientiæ occultatur. Sed cum Deus concluſerit hoſtiis mare, & ei dixerit, hucuſque venies & vndas fluctuum hic confringes Abderramen nõ à Deo ſed à ſua potentia extimans prouenire, propoſuit interiorem Galliam penetrare, & Eudonem ducem perſequi non deſiſtẽs per Petragoneam & Sanctoniam & Pictauiam ciuitates, oppida, & eccleſias deuaſtando & igne continuo conſumendo, & Turonis ciuitatem, eccleſiam & palatia vaſtatione & incendio ſimili diruit, & conſumpſit. Eudo autem, de quo diximus, ad Conſulem Franciæ, & Germaniæ, nomine Carolum, virum belligerum, & rei militaris expertum fugit, infelicitatis Francorum excidia relaturus. Carolus autem dictus Martellus, Germanos & Gepidas ſecum ducens, cum Francis, qui remanſerant, Abderramen ſe obtulit* deuaſtanti. Cumque per ſeptem dies bellis particularibus exercitus ſeſe impeterent, demum diſpoſitis aciebus generali prælio dimicantes alternis cædibus ſe lęſerunt: ſed gens Auſtrię, membrorum præeminentia valida, & gens Germana, corde & corpore præſtantiſſima, quaſi in ictu oculi, manu ferrea & pectore arduo Arabes extinxerunt: & ipſum gladio peremerunt, ſicque nocte prælium dirimente ad caſtra ſua exercitus redierunt. Mane autem diluculo apparente, viderunt Germani Arabum tentoria, vt heri fuerant ordinata, & putauerunt Arabes velle prælium reſtaurare & cum exploratorum officio vacua percepiſſent, ruerunt ad ſpolia & manubia diuidenda, & verentes, ne Arabes forte in ſtratis vel ſemitis inſidias procurarent, Germani & Franci in patrias redierunt. Arabes autem qui euaſerant per compendia ad Galliam Gothicam ſunt reuerſi.

deuaſtanti V. C.
Germani pro ... tori.

De Abdelmelich & Ocha. CAP. XV.

ANNO Arabum CXVI. Hyſcam Amimoramemi miſit quendam Abdelmelich nomine, de nobili genere, qui dum in Hiſpaniam perueniſſet, poſt tot clades & pericula inuenit eam opulentiæ non oblitam, & bonis omnibus abundãtem & quaſi malogranatum auguſtalibus deliciis efflorentem. Ipſe autem quatuor annis regnans, qui diſpenſator eſſe debuerat, inuentus eſt diſſipator diſcolus & petulans, & proſperitatem patriæ reputans, inopinam flagrantis petulantiæ malitiam propalauit, & patriæ iudices blandiendo [pro iure iniurias, pro pace angarias] pro regimine nocua cepit in Hiſpaniis exercere, vt rediuiuæ plagę anguſtias reparatas mordaci tyrannide renouaret, nec aliquid vtile, aliquid ſtrenuũ exercuit in patrię vaſtatores: vnde cũ relationem ſummi principis accepiſſet, vt Francorũ inſultibus obuiaret, volens iuga Pyreneïca penetrare, multis ſuorũ perditis, in planis Celtiberię refugus ſe recepit. Vox enim Chriſtianorũ quæ ad aures Domini aſcendebat, cõtra tyrannum diuini iudicii ſententiam impetrauit: moxq; Amiramomeni remouetur iuſſu, edicto, & ſucceſſor ei mittitur Aucupa ſiue Ocha anno Arabum C. XIX. Hyſcam vero anno XV. & quinq; annis regnauit. Hic poteſtate præcelſa genealogia & legis ſuæ cuſtodia ab omnibus timebatur, & Abdelmelich qui ante eum regnauerat vinculis alligauit, iudices & præpoſitos quos ille inſtituerat, condemnauit: Sectæ ſuæ ceremonias cogebat Arabes exacte ſeruare, & tributa ardue exigebat. Fiſcum diuerſis occaſionibus augmentauit, peruerſos Hiſpaniæ & diuerſis vitiis implicatos ratibus impoſitos, coegit ab Hiſpania exulare: neminem non per Iuſtitiam legis proprie condemnauit. Expeditionem Francorum cum multitudine exercitus attentauit. Deinde ad Cæſarauguſtam claſſe peruenit, vbi recepit epiſtolas à partibus Africanis, quod Mauri Hiſpanię ei reſiſtere intentabant: quibus perlectis quanta potuit velocitate Cordubam remeauit, & in tranſductiuis promontoriis ſeſe recepit, ibique naues ab Africa præſtolatur: quibus receptis in Africam transfretauit & aſſumptis auxiliis continuo ciſfretauit, & contradictores bifarios & rebelles, quos reperit, interfecit: Sicq; omnia diſponendo ſedi propriæ inclytus redonatur: qui poſt paululum peracto quinquennio infirmitate correptus Abdelmelich quem captum tenebat, conſenſu omnium reſtituit in regni ſedem: infirmitate eius vitalia penetrante, vitam finiuit, & regnauit ſecundo Abdelmelich anno, Arabum C. XXIIII. Hyſcam XX.

Regni Arabum 116. — Regni Arabum 119. — Regni Arabum 124.

De inſolentiis Hyſcam & infelicitate eius & de Belgi & morte Abdelmelich. CAP. XVI.

IGITVR Hyſcam iniquitatem & rabiem diu conceptam, & cupiditatis termino relaxato, cœpit in ſuos plus ſolito debacchari, & inſolentius ſe habere: vnde & gẽtes ſuæ ſubditi poteſtati in bellum proſiliunt inteſtinum: nam & illa vaſta ſolitudo vnde Arabia oritur, & occidentalis plaga & ea quæ ad meridiem extat zona, impietatem iudicum non ferẽtes ad inuicem colligati, à ſuis ceruicibus iugum Arabicum excuſſerunt: Sed vbi rumor ad aures Hyſcam peruenit, miſit Cultum cum centum millibus bellatorum, quem præfecit exercitui Orientis, cum quo veniens in Africam ſe recepit, & definito conſilio ſtatuerunt, vt Maurorum patrias diſcurſando & gladio feriendo ad Ting tanum pelagus properarent: ſed vt Maurorum rebellio hoc percepit, pannis circumpendentibus duntaxat pudendis obtectis, nudi proſiliunt à montanis, nigri ſpecie, criſpi crine, albi dentes. Cumque ad fluuium, qui Maſan dicitur, adueniſſent, vtroque exercitu ex oppoſito collocato, Mauri tetrum colorem equis pulchrioribus venuſtantes, & albis dentibus ſubridendo, aduerſi exercitus multitudinem deterrebant: vnde & pars * Cultum & Arabici equites, & equi Ægyptii cum ſua & aſcenſorum * internecione ſubito terga vertunt: & dum per deuia & fretoſa curſitant transfretando abſq; retinaculo vltra reparationem virium multitudo illa deperiit in heremi vaſtitate: Sicq; omnis illa collectio Orientis & Occidentis per fugam dilapſa, vndiq; diſſipatur, dum dux exercitus * Cultus nomine cum ſociis tertiis iugulatur, & pars vna fugientium perſequentium gladio præuenitur. Et pars alia vagabunda per viam qua venerat, redire cogitans trucidatur. Tertia pars quo deuenerit ignoratur. Exercitus itaque rebellantium habebat ſuper ſe ducem Belgi Abenben & tribus annis regnauit homo magni generis & armis exercitatus. Iſte, proh dolor, in Hiſpanias ciſfretauit: Cumq; præſenſiſſet Abdelmelich de quo dixeram, iuit ad portum, vt portum nauibus impediret: ſed vbi Mauri Hiſpaniæ cognouerunt Belgi volentes auxiliari cõtra Abdelmelich, ad prælium conuenerunt, & in tres partes diuiſi vnam mittunt cõtra Toletum, aliam Cordubam, vt Abdelmelich interficerent in eadem. Tertiam ad portum dirigunt * Septitanum, vt reciperent nauigantes, quos Belgi in Hiſpaniam deſtinabãt, vel ſi forte de Arabibus qui è prælio euaſerant, aduenirent in eos acriter deſæuirent. Sed Abdelmelich

Culdam. V.C. — Internitione V.C. — Cultum. V.C. — Septitanum. V.C.

contra procedens partem illam quæ Toletum per XXVII. dies obſederat, extinctiuo gladio diſſecauit: aliam partem per Almuzaor Arabem, licet cum magna exercitus internecione, enſe belligero refrenauit: & pars iſta ad partem aliam declinauit, quæ ad portum fuerat: tertiam partem ſimili excidio diſſipauit. Tunc Abdelmelich de tantis ſucceſſibus glorioſus, epiſtolari alloquio Belgi admonuit, vt in priſtina inſula ſe reciperet. Belgi autem audiẽs indignanter miſit Abderramen principem militiæ vt coerceat obſiſtentem: qui Cordubam veniens, penetrat ciuitatem & Abdelmelich captum grauibus iudiciis, & ſudibus arundinum, cruciatum demum gladio interfecit, & tanta in Oriente & Occidente ab vtriſq; ſunt prælia peracta quod vix lingua ſufficit enarrare.

De Alulit Pulchro & Albuſcatar & Thobam. CAP. XVII.

Regni Arabum 125.

ANNO Arabum CXXV. Africani & Arabes concorditer conſenſerunt, vt Alulit Pulcher, filius Izith, Sobrinus Hyſcam in eius ſolio locaretur: qui regnauit annis duobus. Nec mora Doran rebellia ſuadente, omnes Hiſpania conturbatur, & anno primo Alulit, Albulcatar mittitur in Hiſpaniam ad iuſſa principalia exequenda, qui veniens extinxit ſcandala, & ſedauit: & ſollicite commiſſam patriã gubernauit, & omnes ſuperbos Hiſpaniæ ſub ſpecie exercitus in Africam deſtinauit. Sed Hiſpani Arabes, per Zimael, virum gentis ſuæ auctoritate præditum Albulcatar, à regni ſolio remouerunt. Cumq; congredi voluiſſent, Zimael Celatam poſuit in occulto, & dum Albulcatar fugientem ſequitur Zimaelem, incidit in Celatam, & hi qui cum eo erant, fuerant Zimaeli coniuratione clandeſtina obligati. Cumq; eum in periculo reliquiſſent, victus ſuccubuit, & occiſus, & * Toban qui valida ad victoriam præbuerat Zimaeli, ad regni ſolium ſublimatur. Iſte diuiſa prælia attentauit, ad quæ ſe & ſuos infeliciter præparauit: demum dura internecione ſuccubuit cum multitudine occiſorum. Alulit autem defuncto omnes homines patriæ, Ybrahem fratrem eius in Amiramomeninum & dominum receperunt, Anno Arabum CXXVII. Sed * Mardan vnus ex Arabibus in ſcandalũ ſuſcitatus dum eum cũ paucis in palatio reperiſſet, gladio interfecit, ſic q̃; rei huius cauſa inteſtinum diſcidium ſuſcitatur, & quinquennio perdurauit Azali quodam Arabe diſſenſionis ſcandalo procurante, Anno Arabum CXXVIII. Mazoan 2. qui cum Ybrahem regnauerat duobus annis * Toaba Hiſpanis præfecit regnans, anno vno. hic fuit vir belliger, & magni generis, ſed annus vnus vitam eius & regnum finiuit. Quo defuncto ab omni ſenatu palatii Arabum Yuceph in Hiſpania mittitur ad regni regimen ſublimatus, anno Arabum CXXIX. ſeu incipiente XXX. Maroan vero 3. Yuceph, vt ſenior & longæuus ad regimen Hiſpaniæ ſublimatur. cui non poſt multos dies diuerſa rebellia Arabes per Hiſpaniam molientes plurimos occiderunt. Iſte ad ſuggeſtionem reſidui populi, qui mortem euaſerant, deſcriptionem publici codicis innouauit: * & quos de Chriſtianis vectigalibus dempſerat, gladius vaſtatorum à fiſci codice demerentur. Hic licet pẽtulcus, tamen ſollicite rexit regnum: Sexto anno regni iſtius hora 1. 2. & 3. omnes Cordubæ habitantes, tres ſoles lucis mirificæ conſpexerunt, & quaſi pſallẽtes cum faſcibus igneis, & ſmaragdineis præcedebant ex quorum ortu angli deuaſtantes fines Hiſpaniæ, nutu Dei fame intolerabili affecerunt.

Al. Proba. — *Regni Arabum 127.* — *Al. Maroan.* — *Anno Arabum 128.* — *Thoaba. V.C. ſup. Toba.* — *Anno Arabum 129.* — *V. Se quos.* — *Sic V. C. Toler. F. pallentes cum facibus, ita vt ad ſoles verba referantur. & mox procedebant.*

De Abdalla Benallabeci & Abderramen. CAP. XVIII.

Anno Arabum 133.

HOc tempore anno Arabum CXXXIII. Abdalla Benallabeci contra Maroan, qui tumultuoſe, vt diximus, imperium Arabum occupauerat, manu valida attentauit. Quod Maroan cum præſentit tumultu gentium animo minoratus cum theſauris publicis e palatio fugiẽs, ire in Libyam meditatur, vt ibi prælium repararet. Sed Abdalla nil veritus, ſeniorum inſtinctu in ſede regia ſe locauit, & ſtatim poſt Maroan cũ infinito exercitu Arabum & Perſarum ſuum patruum Zali nomine deſtinauit, qui Maroan de loco in locum inſequebatur. tot enim mala intulerat Sarracenis, quod nuſquam receptaculum inueniret, & Nilo tranſiecto, cum ad locum, qui lingua eorũ * Azunum dicitur, peruenuſſet, inſecutores cũ Maroan ſeſe adeo valide iacularunt vt per binos dies ex vtraq; parte plurimi cederentur: & die tertio Maroan victo, & interfecto, inſequentes à gladio ceſſauerunt. Tunc capita magnatorum ad Abdallam dirigunt, quaſi xenia præcioſa, & de reſiduo ſpoliorum remunerant bellatores, digna pace patriæ terminos diſponentes, & à Mahomath vſq; ad hæc tẽpora ciſmarini, & vltramarini Arabes vnius Amiramomeni dominio regebantur: & qui de Benelabeci progenie deſcendebant, eos qui de Abenhumeya deſcenderant, à ſede imperii expulerunt, cognationem eorum ad necem vſque inueſtigantes, Humeya autem & Alabeci, ex duabus Mahometi proceſſerant filiabus: vnde & inter domos eorum diu contentio perdurauit. Alii dicunt Mahomath non niſi vnam filiã reliquiſſe, quæ Fatima dicebatur, & nupſit Aly abnetalep, qui ſcriptor fuerat Machumeti, & poſt Mahumath quartus regna-

Al. Azimum

regnauit annis 4. & diebus 8. & ab iſto & fatima dux domus concertantium proceſſerunt.
Poſt Mahomath Aben Alabeci ciſmarini ab Africano imperio diſceſſerũt, & ſedem regni
Cordubę ſtatuerunt. Deinde particularibus dominiis excidia patrauerunt, vſq; ad tempo-
ra Almorauidum, qui ſibi Hiſpanias ſubiecerunt, & fuit Monarchiæ vnitas reſtituta, ſed &
Almoades tam ab Africa quam ab Hiſpaniis Almorauides eiecerunt, & ſibi regnum to- *Almoades.*
taliter ſubiecerunt, vſq; ad tempora regis Fernandi: ſub quo Abenſut Almoades ab Hiſpa- *Vnde de Gotha ſup.*
niis effugauit, & fere Monarchiam obtinuit citra mare. Vnus autem Abderramen aben-
meya, qui Abderramen Adahil poſtea fuit dictus, clanculo in Hiſpanias transfretauit, &
miſit quempiam de clientulis, vt volũtates omnium exploraret, & inuenit quam pluri-
mos Abderramen beneplacito inclinatos: quod cum ad Abderramen notitiam perue-
niſſet, ſtatim ad Hiſpanias ciſfretauit, & continuo Malaca, * Aſſidona, & Hiſpalis eius *& de Aſſidona.*
dominio ſe dederunt: & Hiſpalim ad eum fere de omnibus Hiſpaniæ partibus aduenerũt,
eius dominio ſe ſpondentes, & inde exercitu congregato proceſſit contra Yuceph Halha-
cri, qui Cordubæ præerat pugnaturus: & prælio inito fugit Yuceph ad præſidium Toleta-
num & Abderramen interim * Belam obſedit. Tunc Yuceph furtim ingreſſus eſt pręſidiũ *Ali. Vinam.*
Cordubenſe, & inde dominas tres educens, in Granate confugio ſe recepit: quem Abder-
ramẽ inſecutus, tãdem in deditionem eum recepit, & cum * Abderramen Cordubam in- *V. C. Abderramenum.*
de venit, ſed culpæ conſcius, ſibi timens, Emeritam adiit fugitiuus: vbi fere 20. millibus ho-
minum conſgregatis, terram Abderramen cœpit vaſtationibus laceſſire, & dum incurſibus
deſæuiret, bellatores de Hiſpali & eius partibus venientes continuo fugauerũt, & ipſe cre-
dens Toleti, vt in præſidio liberari, à quibus vitã ſperauerat, eſt occiſus, & incõtinenti Ab-
derramen dominio ſe dederunt, & tũc regno in Hiſpaniis confirmato Amiramomeni ſta-
tuit ſe vocare, Anno Arabum CXLII. Et tũc fecit obfirmari præſidium Cordubenſ. & hor- *Anno Arabum 142*
tum nobilem, qui Razapha arabice nuncupatur. Tunc vnus qui Girat Alhadra & alius, *nunc arricafa.*
qui * Bere, & multi alii contra eum in vnum factitii ſurrexerunt: ſed omnes cæde & prælio *al. Bere.*
ſubiugauit, & vrbes rebelles ſimili diſpendio coarctauit, multos ſuſpendio, multos nece,
multos gladio eliminauit. Anno autem Arabum CLXIX. cepit Cordubenſ. Mezquitam *Anno Arabum 169.*
ædificare, vt prærogatiua, opere omnes Mezquitas * Arabum ſuperaret. Regnauit autem
annis XXXIII. & mortuus eſt anno Arabum CLXXI. & ſepultus eſt in præſidio Cordubenſ. *Anno Arabum 171.*
Reliquit autem XI. filios, & nouem filias.

* *De Iſſem.* Cap. XIX. *De Aſſibus Iſſem Tolet. cod.*

VNus ex filiis, Iſſem nomine ſucceſſit in regno. Frater autem eius dictus Zulema qui
à patre ſucceſſor fuerat inſtitutus, præerat principatui Toletano. Hic cum audiſſet
quod eum pater inſtituerat ſucceſſorem, contra fratrem exercitum congregauit, & ſibi
mutuo occurrentes apud caſtrum, quod Bilche dicitur, acriter dimicarunt: ſed Zuleman
inferior eſt inuẽtus, & Iſſem victoria animoſus, Toletum adiit, & obſeſſam poſt modicum
occupauit. Zuleman autẽ victus & fugitiuus, Murciæ ſe recepit, anno Arabum CLXXIIII. *Anno Arabum 174.*
Poſt hæc Iſſem emit à Zuleman, quicquid in Hiſpaniis poſſidebat, pro ſexaginta millibus
aureorum & Zuleman relictis Hiſpaniis, mare trãſiens iuit in Barbariam, & quieuit Iſſem
ab eo, & obtinuit Iſſem Toletum, & cætera loca, quæ Zuleman conſueuerat obtinere. Si-
militer cum altero fratre Abdalla, interpoſito diſcidio, aliquando demũ concorditer con-
uenerunt, vt relictis Hiſpaniis in Africam transfretaret, & ſic duobus fratribus effugatis ab
eorum ſcandalo in regno Hiſpaniæ conquieuit, & totam terram Iuſtitia & dilectione pa-
cifice gubernauit, & a ſuis plurimum amabatur. *De prognoſtica mortis eius Tolet. cod. ſed capite ſequenti.*

* *De actibus Iſſem.* Cap. XX.

ANno autem Arabum CLXXVII. miſit quendã à ſuis, qui Abdelmelic dicebatur, cum *Anno Arabum 177.*
magno exercitu, vt Chriſtianorum patriã deuaſtaret. Hic Narbonam & Gerundam,
& loca cætera interpoſita cepit, & ſubiugauit, & tot ſpolia ſecum duxit, vt in quinta parte
Iſſem ſuo principi * Morbetinorum XLV. millia prouenerunt: ex quibus Mezquitam Cor- *Morbetinorum cod. Tolet.*
dubæ, quam pater ſuus inceperat, conſummauit. Narbonenſes autem, & cæteri Chriſtia-
ni tanto exterminio ferebantur, quod pactis concordiæ interiectis, vt à Narbona vſq; Cor-
dubam humeris & vehiculis terram ferrent; ex qua in ſuo præſidio Mezquitam ædifica-
uit. Conſtruxit etiam Mezquitas alias, & veteres renouauit. Quicquid autem acquirere
poterat, liberaliter diuidebat, & ita viriliter reſtitit Chriſtianis, vt cum quadã vice diues
quiſpiam pro redemptione Maurorum magnam ſummam pecuniæ diuiſiſſet, vix potuit
inueniri, quem redemptio liberaret, & cum ſuorum aliquis morte propria vitam aut gla-
dio finiebat paternum ſtipendium filio, quantumlibet paruulo, erogabat, donec ætate per-
fectus militiæ * adſcriberetur. Hic pontem conſtituit qui Cordubæ adhuc extat: fuerat *ſcriberetur. V. C. Tolet.*

enim ibi pons alius, qui ſub iſto inferior ſubſiſtebat, & eſt indirectum portæ maioris, & prope præſidium, quod in lingua ſua dicunt, Alcazar: & tanta diligentia pontis fabricam procurauit, quod ipſe perſonaliter operibus aſſiſtebat, & fabricæ ordinem dirigebat.

Prognoſtica. V. C.

De Prognoſtico mortis eius. Cap. XXI.

Ad Tolet.

TANDEM aduocauit quendam in arte Aſtronomiæ valde peritum, & quæſiuit ab eo, quid de regno, vita, vel eius operibus ſuæ artis indicio percepiſſet: At ille, licet timidus, minis territus, quæ perceperat, reuelauit: dicens ei, Eris præ regibus fortunatus, & manus tua opprimet inimicos, ſed in regno octo annorum numerum non complebis. quod rex audiens diu tacuit: Aſtronomum autem remunerauit. Exinde autem cœpit ſe virtutibus politicis exercere, & ſe omnibus beneficum exhibere, & pauperibus Iuſtitiam conſeruare. *Anno Arabum 175.* Hic Galletiam deuaſtauit, Anno Arabum CLXXV. & in reditu obuium habuit *Veremudus.* Veremudum. Deinde, vt diximus, Narbonã obtinuit, & Gerundam, Anno Arabum CLXXVII. & plura bella exercuit cum rege Galetiæ Aldefonſo, & cum quadam vice Galetiam intra- *Anno Arabum 179.* uiſſet, Anno Arabum CLXXIX. Chriſtiani in montanis loca deuia ſeruauerunt, & tranſitu occurrentes, pluribus captis ex Arabibus, plurimos occiderunt.

De morte Iſſem, & regno Alhacam. Cap. XXII.

Al. ann. 7 men. 9. di. 8. *Anno Arabum 179.*

HISSEM autem cum regnaſſet * annis VII. menſib. VII. diebus VII. vitam finiuit & filium ſuum Alhacam nomine regni ſubſtituit ſucceſſorem, anno Arabum CLXXIX. & regnauit annis XXVI. menſ. X. diebus XV. Hic fuit ſapiens, & ſtrenuus in agendis, & vt legis eorum ratio aſſerit, fortunatus, & ſeruorum quinq; millia ad ſui cuſtodiam deputauit: tria millia de apoſtatis Chriſtianis & duo millia de Eunuchis, qui ſecum ibant, alii præſidium obſeruabant; & ipſe etiam perſonaliter pauperes iudicabat, & maleficos inquirebat, vt compeſceret delinquentes, & quod gentis illius impietas vix admittit, eleemoſynas liberaliter erogabat. Cum autem fratres Iſſem Zuleman & Abdalla, qui à facie fratris, vt diximus, fugerant vltra mare, audiſſent Iſſem mortuum, & Alhacam filium eius in regni regimine ſubſtitutum, conati ſunt regnantis initia perturbare, & fugæ infamiam feſtino reditu palliare, & contra nepotem vela reducia erexerunt, & in Hiſpaniam transfretantes, regnum nepotis inuadere præſumpſerunt: & Abdalla agnomine Valentinus, cum barbaris *rebellauit F. bellauit.* Valentię * rebellauit & Zuleman fratrem ſuum à Tangia accerſiuit, & ambo à Valentia nepotem ſuum Alhacam nomine, bellis indeſinentibus impetebant: demum collatis vexillis ad inuicem dimicarunt, & Zuleman inibi interfecto Abdalla fugæ opprobrio derelictus, *Anno Arabum 184.* Valentiam eſt reuerſus. Hec fuit anno Arabum CLXXXIIII. Anno regni Alhacum V. manſit autem Abdalla Valentiæ prælio refrenatus & auxilio deſtitutus. Nepoti autem per nuntios ſupplicauit, vt ſecuritatem & victualia indulgeret. Alhacam autem malitiæ iam oblitus, cõceſſit ei vt Valentiæ moraretur, & mille aureos menſe quolibet & per annum quinq; millia ſibi dabat. Abdalla autem iam pacificus filios ſuos miſit regi, & rex eos benigne recipiens eorum vni ſororem ſuam matrimonio copulauit, & ſic terra à præliis conquieuit.

De Rebellione Toletanorum. Cap. XXIII.

Regni Arabum 190.

ANNO autem regni Arabum CXC. regni autem eius XVII. populus Toletanus confidẽs de fortitudine ciuitatis, & in multitudine incolarũ, & copia victualium rebellauit, & ei iura regalia negauerunt: quos copia, otium, & ſecuritas fecit à dominio aberrare. Rex autem, licet familiari ſtimulo arctaretur, ſuſtinuit patienter, & ſcelus ſcelere ſtuduit callide vindicare, & vocauit Ambroz, quem Oſcæ præfecerat & Cæſarauguſtæ: & erat carus & fauorabilis Toletanis. Regi autẽ Alhacam ſemper extiterat vtilis, & fidelis. Hunc miſit Toletum cum epiſtolis ſuaſoriis, quæ talia continebant: Cum miſiſſem aliquos qui mea negotia procurarent, & vos in deuotione regia conſeruarent, intellexi eos vos ſtultis operibus prouocaſſe, & regia negotia minorata. Nunc autem mitto vobis Ambroz, qui veſtris beneplacitis condeſcendet: cum ſit veſter amicus, & contribulis: Quem ipſi cum gaudio receperunt, & ad ſua conſilia admiſerunt, & diebus aliquot interiectis promiſit eis rebellionis participem velle eſſe, & præter regium præſidium aliud in ciuitatis medio ſe facturum, vt ibi regis familiares ſecum haberet, ne poſſent in populum malignari: & ſtatuerunt ei locum in monte vbi Eccleſia ſancti Chriſtophori nunc eſt ſita, & præcepit ſuis, vt domus circa idem præſidium fabricarent & eductione terræ ad parietes erigendos ex induſtria in medio præſidii profunda voragine foueam dilatauit, & omiſſis præſidiis ciuitatis in iſto ſtatuit manſionem & placuit regi, ſciens hoc ex induſtria procuratum.

De cæde

De cæde Toletanorum. CAP. XXIIII.

TVNC Rex Alhacam mandauit his qui tabernaculorum caſtris vel ciuitatibus morabantur, vt à Rege auxilia implorarent, quia Chriſtianorum incurſibus grauabantur & per ſe vel per alios ſuccurreret impugnatis. & hæc relatio venit Toletum, & ad cæteras ciuitates. Rex autem præcepit vndique exercitus congregari, & miſit cum eis filium ſuum Abderramen, & etiam de maioribus ſeniorum, vt adoleſcentem, qui XIIII. agebat annum, in conſiliis cuſtodirent. Cumq; veniſſet Toletum caſtrametatus eſt ab Oriente, & continuo venit nuncius, qui treugam firmauerat cum Chriſtianis, & dimiſſo exercitu quod redirent. Ambroz autem vt fuerant facta cuncta percipiens Toletanis ſuaſit, quod Abderramen inſtantiſſime ſupplicarent, vt eorum ciuitatem ingredi dignaretur: qui tãdem precibus vix coactus, annuit poſtulatis. Ingreſſus itaque, in præſidio Ambroz voluit hoſpitari, vt inueniretur communior quaſi in medio ciuitatis, & vt apud eos gratioſior haberetur. De conſilio Ambroz potiores vrbis fecit ad conuiuium inuitari, & ſolemnibus epulis inſtauratis, cum veniſſent, qui fuerant inuitati; ſpiculatores cum enſibus præparati ingredientes hoſpites capitibus mutilabant, & retentis capitibus equitaturos per oppoſitum hoſtium dimittebant, ſanguine in voragine foueæ elicatus. Cumq; quiſpiam vaporem ſanguinis aſcendentem odoratu narium percepiſſet, & non ex carnium, vel vapore conuiuii inualere, quæſiuit de his qui introierant, quidnam eſſet, & reſponſo accepto, quod in epularum ſedibus diſcumbebant, odore ſanguinis ſtimulatus, factionis interitum promulgauit: quia fere ſuccubuerant quinq; millia occiſorum. Populus autem deiectis animis conſternatus, Alhacam & Abderramen ſeruituti capita ſubiecerũt, & rebellionis opprobrium confuſione debita ſuſtulerunt, & hoc fuit anno CXC. Arabum. *V. C.*

De victoriis Alhacam, & morte eius. CAP. XXV.

POST hæc actis fœlicibus eleuatus, miſit quendam de ſuis magnatibus Abdelcarim nomine, cum ſuo exercitu Calaguriam. Abdelcarim autem cum aliquandiu obſediſſet Calaguriam, & cum vſque ad mare emiſſis phalangibus plurima deuaſtaſſet, cum prædæ gloria copioſa in mittentis dominium eſt reuerſus, Anno Arabum CC. regni autem Alhacam XXIIII. Poſtea anno Arabum CCII. Arabes de ſuburbio Cordubenſ. inceperunt contra Alhacam dominum rebellare, quia diuitiis & delitiis eleuati iugum dominii abhorrebant. Alhacam autem rebellioni adueniens, cum Abdelcarim, qui ſtrenuitate militiæ erat carus, per portam, quæ noua dicitur, ciuitatem ingreſſus eſt Cordubenſ. & rebellium indebitam factionem cæde & ſuſpendio domuit, & ſedauit: & iuxta portam, quæ pontis dicitur, in ripa fluminis CCC. & amplius infurcauit: Qui autem potuerunt euadere, fugę ſubſidium elegerunt. Rex autem ſolita pietate decreuit * rebus, paruulis, & mulieribus indulgendum. Hic Alhacam fuit ſtrenuus in agendis, & rebelles compeſcuit, vi bellorum. Dum autẽ bella cum ſuis patruis exerceret Chriſtiani Barchinonam acquiſierunt, & Arabes vaſtationes & incendia ſunt perpeſſi: Cumque Alhacam ſedatis ſuorum diſſidiis ad recuperandas terras quas amiſerat, ſe pararet, mortis imperio eſt præuentus, Anno Arabum CCVI. regni ſui XXVII. reliquit filios XIX. filias autem XXI.

Regni Arabum 200. & 202.

forte ſtultitiæ aut rebus i. facultatibus.

Regni Arabum 206.

De regno Abderramen & Nauibus aduentitiis. CAP. XXVI.

ſub hoc dictus Eulogius.

POST Alhacam regnauit filius eius Abderramen. XLI. annorum erat cum regnare cepiſſet, & XXXI. annis regnauit, & ſeniores Curiæ fratres Abderramen. & conſanguineos conuocauit, qui venientes libenter noui regis dominium receperunt. Abdalla autem qui Valentiæ, vt diximus, morabatur, vt olim fecerat, rebellauit, ſed Abderramen continuo exercitum congregauit. Abdalla vero fugam iniit, veritus expectare, & poſt fugam paucis diebus interpoſitis exſpirauit. Tunc Abderramen vxores & filios Abdalle fecit ad ſe adduci, & eis in neceſſariis liberaliter prouideri, & ex tunc apud Arabes parentibus filii ſucceſſerunt. nam antea fratres conſanguinei vel propinqui, & etiam de alio genere ſuccedebant, & fuit Abderramen plurimum fortunatus, vt genris eius * geneatici dogmatizant. Hic Barchinonam nuper Chriſtianis obtentam, per Abdelcarim ſuum principem ſubiugauit, & terras alias quas Chriſtiani tempore ſchiſmatis occupauerãt. Ipſe etiam per ſe plurima bella geſſit, Anno autem Arabum CCXXIX. regni autem eius XXIII. nunciatum eſt ei LIIII.* Galeas in Vlixbonæ littore * appuliſſe, & Abderramen reſcripſit eis, vt prout poſſent, ſui cuſtodiæ prouiderent. Sequenti anno plures naues & maior potentia Hiſpalenſi littori aduenerunt, & diebus XIII. Hiſpalim obſederunt, & congreſſus cum Arabibus habuerunt, & pluribus interfectis captiuos & ſpolia plurima abduxerunt: inde Zelziram,

pro genethliaci vt ſup. cap. 2.

F. Galeras.

V. C. applicuiſſe.

Cadiz, & Aſſidonam, cum ſuis claſſibus adierunt, & confectis prælijs, pluries cum Arabibus pugnauerunt, & terras eorum cæde & incendio vaſtauerũt, & prædas multiplices abduxerunt. & iterum Hiſpalim ſunt reuerſi, & tranſierunt *Ingelzira captel, & impugnatam tribus diebus, eductis ſpolijs incenderũt. Deinde per hortos & vineas, & terminos Hiſpalis tranſeuntes, omnia vaſtauerunt, Arabes occidentes, & quæq; vtilia ſecum ferentes, Deinde mane Hiſpalim venientes, congreſſum cum Arabibus habuerunt, in quibus tot de Arabibus occidebant, quod vix poſſet induſtrius numerare, & Arabes ab vtraq; vrbis facie effugati, vix vitæ relicti ad muri ambitum confugerunt; gentes autem, qui nauigio venerant, ciuitatem per diem & noctem grauiter afflixerunt, & ſequenti die ad ſtationem nauium redierunt cum multitudine ſpoliorum, quæ ab ſuburbio & ſuburbanis iuxta votum quilibet abducebat. Cumq; ad Abderramẽ rumor huiuſmodi perueniſſet, fecit magnum exercitum congregari, quem in auxilium Hiſpalenſ. deſtinauit, & venientes cum gentibus nauium commiſerunt. Sed nec hi, nec illi, vincere potuerunt. Gentes autem in villam quæ tablata dicitur, prope Hiſpalim intrauerunt: & Arabes eos machinis impugnantes a tablata egredi compulerunt, & in conflictu vſq; ad cccc. amiſerunt. Ipſi autem diebus aliquot ibi commorantes confinia Hiſpalenſ. vaſtauerunt & cum audiſſent quod Abderramen xv. naues & exercitum alium in eorum exterminium deſtinaret, reuerſi ſunt Vlixbonam & exinde cum alijs, qui illuc aduenerant, ad propria remearunt.

forte alhadra vt ſeq.

De morte Abderramen & regno Mahomath. CAP. XXVII.

Anno Arabum 236.

ANNO Arabum ccxxxvi. regni autem ſui xxx. præcepit plateas Cordubæ pauimento ſolidari lapideo, & aquas montanis plumbeis, fiſtulis deriuari & fontes iuxta Mezquitam, & iuxta præſidium, & in alijs locis eductione nobili emanare. Et cum hæc feciſſet, mortuus eſt Abderramen, anno Arabum ccxxxviii. incipiente anno regni ſui xxxiii. & reliquit xlv. filios, & xlii. filias. Anno Arabum ccxxxviii. Mahomath filius Abderramen, ſucceſſit in regno, eo anno mortuus eſt Rainimirus, filius Veremundi, rex Galetiæ, & filius eius Ordonius ſucceſſit in regno, & regnauit annis xxxv. Anno Arabũ ccxl. regni autem Mahomath 2. Toletani contra Mahomath dominum rebellarũt, & Ordonium qui in Aſturiis & *Gallitia tunc regnabat, in adiutorium vocauerunt qui miſit eis Germanum ſuum cum multitudine Aſturum, & Nauarrorum. Tunc Mahomath collecto exercitu iuit Toletum, & cum propior eſſet vrbi, in loco qui Celet dicitur inſidias occultauit, & cum ad ciuitatem propius acceſſiſſet, ſpeculatores exterius poſiti, venire cũ paucis bellatoribus exiſtimarunt: quod cum Chriſtianis & ciuibus intimaſſent contra eum volentes congredi, exierunt, & cum prælium inchoaſſent, inſidiæ, quæ latuerant, accurrerunt, & ſuccubuerunt cum ſuis complicibus Toletani, & de Chriſtianis vſque ad octo millia; de Toletanis vſque ad xii. millia perierunt, & fecit rex Mahomath multa capita detruncari, quæ Cordubam, & ad maritima, & in Africam pro victrici gloria deſtinauit. Sequenti anno Calatrauam, Talaueram, & Curitam, multis militibus ſtabiliuit, vt Toletum & eius cõfinia infeſtarent, & tertio anno miſit Almondar, germanum ſuum cum exercitu copioſo, qui circa Toletum reſidens, meſſes, & fructus, & vindemias penitus deuaſtauit. Poſt cuius receſſum, Toletani Talaueram inuadere præſumpſerũt, ſed egreſſus princeps qui præerat Talaueræ venientes congreſſu obuio debellauit, & pluribus captis & interfectis, vſque ad dcc. capita occiſorum regi Cordubam deſtinauit. Sequenti anno rex perſonaliter ſuper Toletum exercitum congregauit, & eam obſidens pontem præcipitauit, & multi de ciuibus qui pontem aſcenderãt, defenſuri cum *pontis præcipitio corruerunt ex quo fuit populus Toletanus, valde animo conſternatus. Anno autem ſeptimo regni ſui, cum iterum exercitum congregaſſet, Toletani incolæ Mahomath potentiam non ferentes, ſe eius dominio reddiderunt, qui eos benigne recipiens pacem dedit, anno Arabum cc. xlv. anno vii. regni eius.

Regni Arabum 238.

Ranimirus.

Ordonius.

Regni Arabum 240.

Gallecia.

Celet.

Pons dirutus.

De nauibus Normannorum. CAP. XXVIII.

Regni Arabum 240.

EODEM anno lx. naues à Normannia aduenerunt, & Gelzirat, Alhadra, & Mezquitas, vndiq; deductis ſpolijs, cæde & incendio conſumpſerunt: deinde in Africam proceſſerunt, vbi exterminia grauia exercuerunt, & reuerſi in maritimis Hiſpaniæ hyemarunt, & in vere ad propria redierunt. Sequenti anno rex Mahomath contra Nauarros exercitum adunauit, & circa Pampilonam meſſes & vindemias deuaſtauit: & obtinuit tria caſtra, in quorum vno inuenit militem, qui *Fortunius dicebatur: quem captũ Cordubam ſecum duxit, & elapſis 20. annis ſuæ domui reſtituit cum multis iunioribus liberatum: & vixit hic Fortunius cxxvi. annis. Sequenti anno filium ſuum Almondar cũ exercitu contra Alauam deſtinauit, qui Chriſtianos crudeliter debellauit, & multa eorum capita Cordubam

Regni Arabum 241.

Fortunius Longaeuus.

dubam deportauit. Sequenti anno Emerita rebellauit, cui aduenieus fecit deſtrui arcum *241.* pontis, & ciues deditioni ſe offerentes, milites eum filiis & vxoribus obtulerunt, vt obſides Cordubam ducerētur: quod rex annuens fecit deſtrui muros vrbis: præter præſidium, quod ſuis bellatoribus inueſtiuit.

Item de rebellione Toletanorum, morte Mahomath & regno Almondar.

Cap. XXIX.

ANNO Arabum CCL. ſeptimo regni eius, Toletani iterū rebellarunt, & quendā, qui Mahomath Auenlop dicebatur; ſuper ſe regem & principē ſtatuerunt, *Regni Arabum 250.* & rex Mahomath, filius Abderramen, duxit exercitum ſuper eos: ſed ipſi animis minorati ſe mādatis eius, datis obſidibus, obtulerunt, quod rex acceptans præcepit obſides Cordubæ cuſtodiri, & hic ſecundo accepit obſides a Toletanis anno CCLXVI. præcepit Rex naues fieri Cordubę, Hiſpali, *Regni Arabum 266.* & in aliis locis, vbi lignorū materiæ abundabant. Audierat enim in Galletia ciuitates, & oppida, pagos, & villas, quæ nullo murorū ambitu claudebantur; & nauigio inſtaurato, *pro claſſi ſic ubi Roder & Aur. Voſtar.* præfecit eis quendam, qui Abdelhamit dicebatur: ſed fractis nauibus in contrario tempeſtatis naues & homines totaliter perierunt. Abdelhamit cum pauciſſimis vix euaſit, Anno CCLXVII. *267.* fuit terræmotus in tota Hiſpania generalis, & cū Rex Mahomath ſederet in Mezquita Cordubæ, & oraret, fulmen cecidit iuxta eum, & duos homines interfecit; tonitrua coruſcationes, & lampades turbatum populū deterrebant. Anno autē Arabum CCLXXIII. *273.* mortuus eſt Mahomath, ætatis ſuæ anno LX. regni autem XXXV. qui regnum ſuum humane & prouide gubernauit, & dum quodam die per regale viridarium perambularet, miles quidam de aſtantibus, dixit ei: Quam pulchrum viridarium, quam pulchra dies, quā dulce ſæculum, ſi mortis ſentētia non veniret. Tunc rex inquit, Erras in verbo, Quia, ſi mors non eſſet, ego nullatenus hic regnarem. Reliquit autem XXXIIII. filios, & XX. filias. Eo mortuo anno Arabum, quo ſupra, filius eius Almondar apud Alhamam degebat, quæ Almerię balnea nuncupatur: *Alhama.* & audito patris diſceſſu, Cordubam feſtinauit, & mox eum ad regni ſolium ſublimarunt, anno ætatis ſuæ XLIII. & cum eſſet liberalis, in principio regni ſui Cordubenſ. decimas relaxauit: ſed immemores beneficii contra eum continuo rebellarunt. ipſe autem agens exercitum vitam finiuit, cum regnaſſet fere duobus annis, & reliquit ſex filios, & ſeptem filias.

De regno Abdallæ. Cap. XXX.

ANNO autem Arabum CCLXXV. exercitus germanum ſuum Abdallā fratri mortuo ſubrogarunt, *Regni Arabum 275.* qui noua gloria inclytatus, ab omnibus, etiam Cordubenſ. eſt receptus, & fratrem ſuū Cordubæ honorifice ſepeliuit, Regnauit autem annis XXV. diebus XV. Sequenti anno contra eum Homar haben habzon, vnus de principibus rebellauit, & cum eo cōtra regem gentes plurimæ ſurrexerunt. Stepa, & Vlixbona, & alia multa caſtra ſimiliter rebellarunt. Rex autem ſuper eum exercitum deſtinauit. Homar autem ea facilitate, qua rebellauerat, inclinauit, & rex Abdalla petenti veniam conceſſit. Hiſpalis autem, quæ ſimiliter rebellauerat, in ſe bellis ciuilibus excitatis, ſe mutuo ſanguine cruentarunt: & qui * ſeniores in effuſione ſanguinis ſunt inuenti, *V. C. ſic ſtoret F. ... res ſeniores.* regis Abdallæ dominio ſe dederunt: & ſic in Hiſpali totale dominium eſt adeptus. Homar autem haben habzon pro facilitate veniæ eleuatus iterum rebellauit, & Giennium veniens, præſidii principem interfecit, & procedens per oppida & caſtella eiuſdem officii principes factione ſimili decollauit: & rex Abdalla adeo eum fuit variis incurſibus inſecutus, quod coactus fuit, etſi non animo, fide ſaltem ad Chriſtiani nominis gratiam ſe transferre, & baptiſmum ſuſcipere, & fidem Catholicam profiteri. Rex autem Abdalla, præcepit Loxæ præſidium obfirmari, & cum magnis & minoribus æquo iudicio iuſtitiam exhiberet, apud Cordubam vitam finiuit, anno ætatis ſuæ LXXII. Regni autem XXV. Sepultus eſt autem in præſidio Cordubenſi, & filios XI. & XIII. filias reliquit.

De regno Abderramen, & Albacam. Cap. XXXI.

MORTVO Abdalla, nepos eius Abderramen filius Mahomath, filii Abdallæ ſucceſſit in regno: & non ſucceſſit aliquis filiorum, quod in præteritis nō inuenitur. XXIII. annorum & quinq; menſium erat, cum regnare cœpiſſet, anno Arabum CCC. & L. annis regnauit, *Regni Arabum 300.* & fecit mutato nomine ſe vocari * Almanzor ledinele quod interpretatur, defenſor legis Dei. *Ananzor Ladinele V. C.* & fecit ſe communi nomine appellari Amir almumeni. quod, rex credētium, interpretatur. Hic fuit rex potens, & honoratus, & gentes ſuas iuſtitia, & iudicio gubernauit: & quia diſſenſio erat inter domum Abenhumeye & domum Abelabeci, qui nepotes

fuerant Machometi, vixerat locus, quem ſchiſmata non vexarent: ipſe autem quoſdam pace; quoſdam terroribus reconcilians, vt pacifice viuerent procurauit: & quoſdam rebelles bellis & incurſibus ſic afflixit, vt ſederent ſolitarii, & tacerent, & per 20. annorum ſpacium a bellis & exercitibus non ceſſauit, donec tota terra ſub ſuo dominio complanata, omnes ei vnanimiter ſubſuerunt. Hic præcepit ædificare caſtrum prope Cordubam, quod hodie adhuc extat, & nauigio *Septe adueniens, obtinuit ciuitatem, & de ſuis in ea principem ſtabiliuit. Præterea Cordubenſ. Mezquitam, & multas alias adornauit, & opera regalia dilatauit. Mortuus eſt autē anno ætatis ſuæ LXXIII. regni vero L. Anno Arabum CCCL. Alhacam, filius prædicti Abderramen, patri ſuo ſucceſſit in regno, & impoſuerunt ei nomen *Almuztacar bille quod interpretatur, defendēs ſe cum Deo: & regnauit annis XVI. & duobus menſibus. Hic inuenit terram à patre ſuo pacifice complanatam, quam & ipſe paterno moderamine cōſeruauit: nec neceſſe habuit bellis vel exercitibus exerceri. Mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ LXIIII. regni autem XVI.

Septa.
Regni Arabum 350.
Al. almuntacer.

De Iſſem & de eius Alhagib Almanzor & Abdelmelich. CAP. XXXII.

ANNO Arabum CCCLXVI. Iſſem filius Alhacā, patri ſuo ſucceſſit in regno. Decem annorum erat & octo menſium, cum regnare cœpiſſet, & regnauit prima vice annis XXXIII. menſibus quatuor, & impoſuit ſibi nomen Almuhayat bille quod interpretatur Nitens cum Deo: & cum eſſet puer, datus eſt ei à ſuis principibus coadiutor, vir ſtrenuus, induſtrius, atq; prudens; qui Mahomat ibne Abenhamir proprio nomine dicebatur, nunc autem dictus fuit Alhagib, quod interpretatur, Vicerex. Poſtea autem, quia fere ſemper in præliis fuit victor, Almanzor fuit appellatus, quod defenſor interpretatur: & licet multi pro hac potentia laboraſſent, ipſe conſenſu omnium omnibus eſt prælatus, & ſic ad ſe totius regni negotia recollegit, vt rex Iſſem tantum regali nomine præmineret, & nomen Iſſem in moneta, & pannis, & epigrammatibus & epitaphiis ponebatur, & fiebat oratio ſuper eū, & expers potentię agebatur, & quaſi clauſus in præſidio Cordubenſi quidnam fieret ignorabat: nec acceſſum alicuius pérmittebant, niſi quod tantum omnibus dicebatur: Iſta præcepit vobis Iſſem. & talibus internunciis credebatur, & cum Almanzor cū exercitu recedebat, cuſtodes regis cuſtodiæ deputati, ſic eius *exercitum obſeruabant, vt cū ad regale viridarium equitaret, nullus eſſet eius auribus appropinquans, nec auſus cum clamore aliquo propulſare, & ſic vxorum contuberniis interceptus, reputabat ſibi pro regni dominio ſatisfactum, & durauit Almanzor huius regiminis potentatus annis XXVI. & in iſto annorum ſpacio quinquageſies & bis exercitum Chriſtianorum finibus ſuper duxit, & eos multis afflictionibus coartauit; & ſuis adeo fuit carus, quod ſępe voluerunt ei concedere regni thronum, ſed ipſe nunquam voluit Iſſem priuare. Et cum quadam vice Caſtellæ terminos deuaſtaſſet, & hyemali inſtantia proponeret remeare Chriſtiani in montium tranſitu reſtiterunt, quos aſperitas niuium adiuuabat, & ipſe intelligens tranſitum præpeditū in planitie caſtra fixit, & cum bobus prædæ aratra inſtaurauit, ſemina terræ mandans. Interim autem tot incurſibus, & tot cędibus Chriſtianorum patrias deuaſtauit, vt cogerentur hoſtibus ſupplicare, & impeditum tranſitum expedire, vt Almanzor exercitus pertranſiret, & etiam pro agricultura & ſemine precium obtulerunt: quod Almanzor non neceſſitate, ſed pietatis clementia acceptauit: & ſic Cordobā eſt reuerſu. Cætera quæ in finibus Chriſtianorum perpetrauit ſuperius in hiſtoria Gothica diſſerui diligenter, ſub rubrica, De inſolentiis *Veremudi & victoriis Almanzori. Fuit autem factus Alhagib anno Arabum CCC.LXVII. & præfuit annis XXVI. Mortuus eſt autem anno Arabum CCC.XCIII. prælationis ſuæ XXVI. Cui ſucceſſit anno, quo ſupra filius Abdelmelich cognominatus Almedofar, & ſex annis & octo menſibus tenuit regiminis principatum. Sicut tenuerat pater eius, & anno ſequenti cum ſuper Legionem exercitum congregaſſet, à Chriſtianis turpiter effugatus, turpius eſt reuerſus, nec adiecit vltra inuadere Chriſtianos: Sed regni negotia vtiliter dirigebat. Mortuus eſt autem anno Arabum CCCC. & ſui regiminis VII. Huic ſucceſſit frater eius Abderramē, qui deriſorie Sanciolus dicebatur. Hic peſſimus & peruerſus, fornicationibus, & ebrietatib. inſiſtebat, & *Iſſem à regno expellere nitebatur, mortem minitans, niſi eum regni inſtitueret ſucceſſorem, qui metu annuit poſtulanti. Cum autem Abderramen quatuor menſibus & dimidio præfuiſſet, cum ob ſuam nequitiam peremerunt. Hucuſq; Iſſem regnauerat annis XXXIII.

Regni Arabum 366.
Alhagib.
Almanzor.
Inf. cap. 48.
Hiſſem V.C. ſemper
Al. exitum.
Excitum. V.C.
Hiſtoria lib. 5. cap. 14. inf. cap. 48 fine.
Regni Arabum 367.
Regni Arabum 393.
Almedofar.
Regni Arabum 400.
Hyem V.C.

De inteſtinis diſcidiis ſuper Regimine principatus CAP. XXXIII.

IGITVR Abderramen, vt diximus, interfecto, cœperunt vbiq; contra Iſſem rebellia procurari. Primus autem fuit quidam qui Mahomath Almahadi dicebatur, & Cordubæ cum

Obtinuit ibi præcept viridarium eſt conſecutum conceſſa.

cum XII. complicibus inſurrexit, & ſumptis armis præſidium occupauit, & Iſſem captum in domo cuiuſdam ſui complicis occultauit, & cũ mortuũ omnibus publicauit & quẽdam Chriſtianum, Iſſem ſimillimum, interfecit, quem mortuum ſenioribus, & aliis demonſtrauit, & decepti ſimilitudine, crediderunt, & ſtatim honore Regio ſepelierunt. Mahomath autem Almahadi iniurioſe circa populum ſe gerebat, & eorum vxores ludibrio prouocabat, & quia circa Iſſem taliter ſe habuerat, cum odire & perſequi inceperunt, & propter alia, quæ ſubditis inferebat vnde & ſeditiones vndique fuerunt ortæ, & ſurrexit quidam, qui Iſſem Araxit dicebatur, & cum Almahadi quadam die cum ſuo exercitu Cordubam egrederetur, illi qui erant in ciuitate cum prædicto Iſſem Araxit coniurarunt, & multos de fautoribus Almahadi occiderunt. Sequenti die contra Almahadi egreſſi ſunt ciuitatem, & cum aliquandiu conflixiſſent, obtinuit Almahadi, & multos ex eis cepit, & aliquos interfecit, & de proditione reputans, Iſſem & multos alios capitali ſententia cõdemnauit. Tunc quidam de Barberia, nepotem Iſſem, qui Zuleman dicebatur, ſuper ſe principem leuauerunt, & extra Cordubam peragrabant. Verum quædam pars eorum de Barberia iuſſi ſunt ſibi præficere Marhuan conſobrinum Zuleme, & dederunt ei equum & enſem, vt ſi Zuleman interficeret ſtatim conſtituerẽt eum regem.* Quod cum Zuleman per quempiam percepiſſet, illos barbaros fecit decapitari, & conſobrinum ſuum Marhuam in vinculis detineri, & treugam cum Sancio filio Comitis Garciæ Fernandi, Caſtellæ comite obfirmauit. Poſtmodum pecunia magna data eum contra Almahadi in adiutorium euocauit.

Quin V.C.

De aduentu Comitis Sancii in auxilium Zuleme, & de victoria habita contra Almahadi. CAP. XXXIIII.

COMES autem Sancius cum magno exercitu veniens factus eſt Zuleme in adiutorium: Almahadi autem cum audiſſet Zuleman cum Comite Sancio aduenire, de Medina cælim, & aliis locis, quos potuit, conuocauit. Erat autem Alhagib Almahadi quidam, qui Alhameri vocabatur. Qui autem erant in ciuitate contrauenientem exercitum aggredi proponentes, vt faciliorem exitum præpararent foſſata in circuitu repleuerant, quamuis Almahadi, ne hoc facerent prohiberet. Cumque extra vrbem veniente exercitu commiſiſſent, Zuleman obtinuit, inſtante fortiter exercitu Comitis Sancii, & cæſa fuerunt ex parte Almahadi vſque ad XXXV. millia Sarracenorum & Chriſtiani ſuburbium inuadentes, abductis ſpoliis & interfectis plurimis, & pluribus captiuatis, cætera vaſtauerunt. Et cum vidiſſet Alhagib Alhameri tantum excidium ſuæ partis, vocatis qui de Medina cælim aduenerant, in eadem Medina cum fugæ comitibus ſe recepit. Almahadi autem fugit ad præſidium ciuitatis Zuleman, cum Chriſtianorum exercitu, vrbem exterius obſidente. Tunc Almahadi eduxit Iſſem regem, quem olim mortuum ſimularat, & oſtendit eum omnibus manifeſte ſuadens, vt eum in regem reciperent, potius quam Zuleman: ſed tantus terror inuaſerat audientes, quod nulla ſuaſio poterat demulcere, Et Almahadi iam deſperans abſcondit ſe in domo cuiuſdã Arabis, qui Mahomath Toletanus dicebatur, & inde cum eodem Arabe Toletum fugit. Zuleman autem ingreſſus eſt Cordubam violenter, & præſidium occupauit, & in regali Solio ſe locauit & menſibus ſeptem regnauit. Hoc bellum fuit apud Arabes nominatum, & dicitur victoria de Cantiche. Zuleman autem de Cordubenſibus non confidens, egreſſus eſt ciuitatem, & in vicinis locis morabatur cum exercitu Chriſtiano. Cumq; quadam die ad regem ſeniores Cordubæ exiuiſſent, Comes Sancius dixit eis: Quomodo huc exiſtis: tria enim ſtultitiæ ſigna in exitu prætendiſtis; vnũ, quia timidi eo quod in primo congreſſu, complures eſſetis, terga dediſtis. Secundo quod ſecuritate non habita acceſſiſtis. Tertio quia in Deum grauiter peccaſtis, cum vxores veſtras & filios homines legis veſtræ quos gladio cepimus in ſeruos emere voluiſtis. Et mirati ſunt vniuerſi ſuper prudentia Comitis Sancii. Cumq; Zuleman verbis & muneribus ciuium animos complanaſſet, & in ciuitate tutius reſideret, quidã barbarus ſuaſit ei, vt permitteret eos occidere Chriſtianos ne forte, vt ei adhæſerant, alii regi adhærerent, & ei cederet in periculum & iacturam, præſertim cum prædis Arabum locupletes, de cætero ſimilia aſſueſcerent. Cui Zuleman, in ſecuritatem meæ fidei aduenerũt, & ideo nunquam hoc facinus perpetrabo, & timens Zulema, ne eis fieret quicquam mali datis muneribus licentiam tribuit redeundi. At illi cum multis diuitiis reuerſi ſunt in Caſtellam. *v.c. Caſtella*

Quod Almahadi deuicit Zuleman, & obtinuit regnum eius. CAP. XXXV.

PAVCIS autẽ diebus interpoſitis, Alhagib Alhameri plures ex plurib. partib. congregauit, & etiã Chriſtianos & duos magnates, quorũ vnus Armongandus, alter dictus eſt Vere- *v.c.*

mudus,& veniens ad Almahadi,qui tunc temporis Toleti degebat,& procurato exercitũ ampliori contra Cordubã proceſſerunt. Quod cũ Zulemę innotuiſſet,Cordubenſes ſollicitauit,vt cum eo occurrerent venienti,ſed ipſi factionis ſolitæ non obliti,ſe cauſis friuolis excuſarũt.* Barbarii autẽ regi dixerunt pro Cordubenſib. Non formides,quia nos tibi vſq; ad mortem ſtrenue,& viriliter aſſiſtemus. Tunc Zuleman de eorum promiſſione confiſus occurrit Almahadi contrario aduentanti,& procedens fixit tentoria in loco qui * Accautal bacar nominatur, qui diſtat à Corduba decẽ leucis,& antequã Almahadi exercitus reſediſſet,in eum barbarii irruperunt,& ex eis multa millia occiderũt,adeo quod ſuccubuiſſe Almahadi exercitus videretur: ſed reſumptis viribus prælium reſtaurarunt, & inſtantibus Chriſtianis,ſuccubuit pars Zuleman & Zuleman cedens hoſtibus, fugit ad Acafram, in qua fuerat aliquandiu demoratus,& ſumpta ſupellectili,quæ potuit aſportari, Citanam abiit fugitiuus,Cordubenſes autem Acafram communiter inuaſerunt, & eos qui non fugerant,peremerunt,& cętera rapuerunt,& in ciuitate quicquid Barbaricorum fuerat,occuparunt & à Mezquita maiori lampades aureas,& coronas,cathenas,& omnia alia ornamenta veſtes & libros, quæ omnia Barbarii dimiſerant, abduxerunt: & hoc bellum apud Arabes adhuc hodie eſt famoſum,actum anno Arabum CCCC. IIII. & fertur Almahadi in exercitu habuiſſe XXX. millia Sarracenorum,& IX. millia Chriſtianorum,& inde Cordubam veniens,in regem ab omnibus eſt receptus,& Iſſem,qui rex fuerat, & etiam obediuit & quia Alhagib Alhameri felicitatem huiuſmodi procurarat, ſuo officio reſtitutus,omnia diſponebat. Almahadi autem ſolo nomine præſidebat.

F. Barbari vbique legend. Nunc albacar. 4. leucis diſtat à Corduba.

Regno Arabum 404.

De proditione Eunuchorum, & morte Almahadi. CAP. XXXVI.

ET cum in regem fuiſſet receptus, recepit nuncios Arabum & Eunuchorum quod eius fierent,ſi vellet offenſas præteritas indulgere,& audita relatione hilarior eſt effectus, & datis muneribus & petitione admiſſa, dimiſit eos: qui poſt paucos dies Cordubam venientes cœperunt turbare incolas ciuitatis. Erat autem cum eo Raymundus quidam Comes Chriſtianus,non ille qui fuit pater Imperatoris; qui notans ſcandala, & quod rex fretus Barbariis & eunuchis,ciuium pecunias auferebat,& quod erga ciues inſolentius ſe habebat præſertim cum à quopiã audiuiſſet,quod ſicut Cordubẽſes barbarios extinxiſſent, ſic conarentur Chriſtianos & Comitem demoliri: & à rege accepta licentia, quia iam pacta inita compleuiſſet,licentiatus à rege ad propria feliciter eſt reuerſus. Rex autem cœpit foſſatis circundare ciuitatem,pacto cum ciuibus inito, vt ipſe tertiam partem ciuitatis, ciues reſiduum conſummarent. Interim autem Barbarii,qui à cæde ſuperſtites remanſerũt, ciuitates & villas vndique infeſtabant,adeo quod plures fuerunt habitatoribus deſtitutæ. Arabes autem & Eunuchi, qui à Citana venerant,conſilium inierunt, vt Almahadi interficerent & reſtituerent Iſſem olim regem, & hoc conſilium Alhagib Alhameri communicarunt. In die autem Paſchæ eorum miſerunt quendam Eunuchum,hambar nomine, & cum eo alios Eunuchos,qui regale præſidium occuparent, & captum Almahadi tenuerũt & educentes Iſſem, olim regem, in regali ſolio locauerunt,& ei Almahadi captum præſentauerunt,& dixit ei: Tu es proditor Dei & mei, quia Sarracenos interficere procuraſti,& bona eorum amitti feciſti,& proditiones ſæpius tractaſti: & fecit eum per Alguazilum ſtatim decapitari,& reſeruato capite,mandauit corpus à muro in plateam præcipitari,& Eunuchi,& alii fruſtatim dilacerantes,& in corpus exanime lanceas defigebãt. Caput autem fecit per totam ciuitatem in lancea deportari, quod erat iucundum fere omnibus intueri, eo quod eius iniurias recolebant: & poſt triduum quidam ſupplicarunt, vt infelix corpus traderent ſepulturæ,quo obtento in Mezquitæ angulo eſt ſepultus. Caput autem miſit Iſſem Zuleman qui Citane morabatur, ſperans quod eo viſo ei fieret in vaſallum, filius autem Almahadi qui Obegdalla dicebatur,erat Toleti,& à Toletanis plurimum amabatur: cui Zuleman caput receptum miſit cum mille * Morabinis, quod & Toletani in Mezquita ſepelierunt.

Hodie Hiſpani lictores vocant Alguazilum, ab Al & auxilium. vide inf. cap. 39.

Hodie Marauedis.

Quod Iſſem ſecundo regnauit, & de inſolentiis Barbariorum. CAP. XXXVII.

ALMAHADI mortuo, Iſſem obtinuit regnum ſuum, & fecit Alhagib Alhameri ſicut fuerat ante tempore Almahadi;& regnum pacifice ſtabiliuit, & ſtatuit milites per oppida,pagos,& villas, vt introitus hoſtium obſeruarent;& ciuibus vt eſſent attenti, cum clamorem inuadentium peraudirent, & equitabat per ciuitatem quod omnibus erat carum eo quod vice alia regni ſui ad eum acceſſus hominum non patebat, & quia erat ſic ſe hominibus

minibus exhibebat, vt ei obedirent, & ab omnibus amaretur, & cum per præſidium deambularet, inſpiciebat loca regalium tumulorum, & cum vidiſſet tumulum patris & aui ſui, vidit tumulũ in quo ſepultus fuerat ille ſibi ſimillimus Chriſtianus, de quo ſuperius fecimus mentionem: & ait: Ego hanc eligo ſepulturam, Barbari autem, de quibus diximus, Cap. 33. non deſinebant Cordubæ confinia infeſtare, Ecigam & Carmonam, & Bethis, & ſocii incolas deuaſtare: nec Cordubenſes milites vltra villã quæ ſecunda dicitur, & alia loca, in quibus excubantium militiæ ſubſiſtebant progredi præſumebant: & ſic barbarii inſiſtebant, quod multa loca habitatoribus caruerunt & relicta à profugis barbarii occupabant, & vix aliqui in ciuitatem victualia inferebant: vnde fuit in vrbe grauis * cariſtia ſubſecuta, *pro annona Caritas.* propter quam ciues apud Iſſem dominum inſtiterunt, vt egrediens contra eos, bello deiiceret, quorum incurſus damnoſa patientia tolerabat. At ipſe Cordubenſium conſtantiam iam expertus fingebat ſe internunciis detineri, per quos ſperabat eos ſuo dominio inclinari, & ſic eos blandis ſermonibus * illudebat. *audebat.* Poſt hæc duo Eunuchi venerunt ad eum, & hi fuerant cum Zuleman, dixeruntq; regi Iſſem, ſcias quod illi de genere tuo Zuleman & Barbariis nunciantur, vt Cordubæ aduenirent: quia eis procurantibus obtinerent & Zulemã iterato regni dignitas perueniret, & continuo * Atamoribus propulſatis ciuium multitudinem conuocauit, *inde Atambor* & eos qui de Abenhumeye Machometi maioris nepotis ſucceſſione proceſſerant, fecit capi, & vinculis colligari, & bona eorum à ciuibus occupari, & die, qui ſibi fuerat aſſignatus, Barbarii aduenerunt: pro quorum aduentu inter ciues magna turbatio fuit orta, & rex armis viriliter ſeſe accingens cum ciuibus conſentientibus in idipſum egreſſus eſt, in occurſu, vſq; ad locum, in quo Barbarii conſederunt. ſed regis aduentu territi abſceſſerunt. Rex autem milites miſit expeditos, qui eorum veſtigia obſeruarent, ſed nec conſequi potuerunt. Barbarii enim à bello profugi, incurſibus inſtiterunt nec à cædibus & incendiis ceſſauerunt. Rex autem ſpeculatores, & excubias in patriæ finibus ſtabiliuit.

De confœderatione inter Iſſem & Comitem Sancium datis caſtris.

Capvt XXXVIII.

HIs itaq; ordinatis Rex egreſſus eſt ciuitatem, expeditionis effigie inſignitus ſi poſſet de aduerſariis aliquem inuenire. Omnes autem in eo belli inſtantiam mirabantur, quẽ olim viderant præſidio intercluſum. Nihilominus tamen fere cotidie Barbariis nuncios deſtinabat, & dona plurima promittebat, ſi ſuo dominio obedirent, ſed ipſi Zuleman eius aduerſario confœderati, petebant pacta grauia, & inepta: propter quod elegit periculum potius, quam petita. Zuleman autem de pactionibus iam deſperans ad Sancium Comitem ex Caſtella nuncios deſtinauit, ſpondens pecunias, & honorem, ſi eum vellet contra Cordubam adiuuare: qui reſponſionis oraculum elongauit, donec Iſſem petitionem Zuleman inſinuaret, addens ſe in Iſſem auxilium libentius aduenturum, ſi pari remuneratione reſpiceret adiutorem: ita vt ſex caſtella, quæ quondam Almanzor abſtulerat, reſtitueret Chriſtianis. Et cum Iſſem petitionem Comitis ſuis conſiliariis intimaſſet, fuit petitio grauis viſa, ſed quia diſcriminis inſtantia perurgebat, viſum fuit caſtella cedere, eo quod nouiter acquiſita, & minus vtilitatis, quam oneris ſecum ferrent. Rex Iſſem petitioni Comitis acquieuit, & præcepit caſtella protinus ſibi dari.

De rebellione Toletanorum, & diſcurſu Barbarorum.

Capvt XXXIX.

INterea Toletani filium Almahadi qui Obeydalla dicebatur, regem ſuper ſe eleuarunt: quod cum ad Iſſem noticiam perueniſſet, miſit Alguazilum ſuum, vt Toletanos tamdiu obſideret, & impugnaret, donec ſibi redderent ciuitatem: qui veniens tamdiu eos cædibus & impugnationibus infeſtauit, donec apertis ianuis eum cum exercitu ad præſidium admiſerunt, & occupata penitus ciuitate Obeydalla, regem cepit, quem regi Iſſem Cordubæ viuum miſit, & Iſſem eum capite mulctauit, & fecit in flumen præcipitari. Interim autem Barbarii Cordubam vndiq; infeſtabant. Erat autem Cordubæ magna cariſtia, adeo vt ſumma panis xxx. aureis venderetur. Inualuerat etiam grauis peſtis, ex qua plurimi moriebantur: vnde, qui poterant, ad montium ardua confugiebant. Alhagib autem qui Hua de Alhameri dicebatur, epiſtolari nũcio Zuleman, & Barbariis nunciauit ac intimauit ſe ad eos iturum cũ omnib. quæ habebat: ſed hoc nõ latuit Iſſem regẽ, qui miſſis apparitoribus fecit eum ſuo conſpectui præſentari: & viſis epiſtolis, quas receperat à Zulema, iuſſit

eum decapitari, & caput eius vndique circumferri, vt qui in proditionis armario proditionis iacula occultarat, eius iudicium fieret omnibus manifeſtum. Cum autē Barbarii terram cultoribus denudaſſent, æqua penuria intrinſecos & extrinſecos opprimebat: vnde & Barbarii relicta Corduba Hiſpalim adierunt, & vias omnes vacuas viatoribus & incolis inuenerunt, & intrantes loca arborum, quod Axarab dicitur apud eos, vaſtationes & incendia exercebant. Demum Hiſpalim obſederunt. Tunc Rex Iſſem miſit Zabor Iuſticiarium, qui apud eos dicitur Alguazilus, & quendam alium, Hambor nomine, cum bellatoribus, quos potuit congregare, vt fines Hiſpalis tuerentur. Tunc Barbarii in aduentu iſtorum relicta Hiſpali, ad partes alias migrauerunt, & Calatrauam impetu inuadentes, ibi victualia inuenerunt, & inde cædibus & incurſibus, & rapinis, loca adiacentia infeſtabant.

Quod Zuleman Cordubam acquiſiuit, & de fuga Iſſem in Africam.

CAPVT XL.

Medina alfarayelque Guadalajara.

POST hæc Zuleman vocauit Mundir, qui præerat Cæſarauguſtæ, & alium, qui præerat Medine Arfaragel, quæ nunc dicitur Guadalafaiara: & Barbarii quos poterant, vndique inuitabant, vt Zuleman fierent in ſuccurſum, & tali pacto ad Zuleman omnes concorditer conuenerunt, vt cuilibet habita remanerent, & ſimul conuenientes contra Cordubam properarunt, & caſtrametati ſunt intra Acafram, & Cordubam obſederunt: & ciues monuit, vt ei traderent ciuitatem: qui acquieſcere noluerunt, & ipſi vrbem vndiq; impugnarunt. Barbarii autem foſſata humo, & lapidibus complanabant, & ibi ex vtraq; parte plurimi ceciderunt, & tamen nihilominus impleuerunt, & ſic partem vrbis, quæ Xarquia dicitur, inuaſerunt: ſed & ciues protinus erumpentes Barbarios repulerunt, & ex eis plurimos occiderunt, & iterum ex aliis partibus impugnantes quodam homine* aperte ſ cunda ianua* perditionaliter reſerante ingreſſi ſunt Barbarii ciuitatem, & omnes ſtationes vendentium & domus plurimas combuſſerunt, & ſine numero occiderunt, & precioſa quęlibet rapuerunt, & qui gladium euaſerunt, ſe in Xarquia poſt gladium receperunt, & per triduum infeſtati demum Zuleman dominio ſe dederunt. Tunc obtenta vndique ciuitate Zuleman præſidium eſt adeptus. Barbarii autem domos vrbis ad libitum dimiſerunt. Ciues autem Iſſem extra Cordubam deducentes, abire libere permiſerunt, & ille fugiens in Africam transfretauit.

ex parte

[illegible]onaliter

De regno Zuleman, & diſcidiis inteſtinis.

CAPVT XLI.

ZVLEMAN autem regno potitus, fixit Cordubæ thronum ſuum, & regnauit hac vice annis tribus, & menſibus tribus, & manſit Cordubæ in delitiis, & honore, vſque ad diem interfectionis. Cordubenſ. autem in miſeria & penuria & ærumna. Barbarii à Zuleman concorditer poſtularunt, vt daret eis villas & oppida, quæ hereditate perpetua poſſiderent: & cum eſſent ſex cognationes, quas ipſi * Alcauelas dicunt, dedit vnicuiq; certa loca perpetuo poſſidenda. Eunuchi autem qui Iſſem conſueuerāt adhærere dolebant quia Zuleman proſpera ſuccedebant, & ideo vnuſquiſq; vbi potuit, rebellauit. Erat autem potentior inter eos quidam qui * Hayram Alhemari dicebatur, & hic fugerat à facie Zuleman, quando, Cordubam occuparunt, & dum fugeret, fuit à Barbariis grauiter vulneratus, & pro mortuo derelictus. Sed quidam ciuis eum in domo ſua clanculo occultauit, donec plenam obtinuit ciuitatem: alii vero eunuchi, qui euaſerant, obtinuerant Oriolam, quam venienti Hayram illico tradiderunt, & inde cepit loca Zuleme prout poterat infeſtare, & congregati ſunt ad eum plurimi bellatores cum quibus a Barbariis plurima acquirebat. Et venit ad eum quidam ab Almeria, qui Habenhamyt dicebatur, & ſe ei reddidit in vaſallum cum magna multitudine bellatorum. Erat enim quidam Aſla nomine qui contra Habenhamyt rebellabat, in præſidio Almeriæ, venerunt itaq; Havra, & Habenhamyt pariter Almeriam, & Hayram obtinuit ciuitatem, xx. autem diebus cum machinis præſidium impugnantes, quamuis fortiſſimum expugnarunt & Aſla, cum filiis ſuis in maris voragine proiecerunt & felicitate homini ſuccedēte expulit Hayram Barbarios à Giennio, Beatra, & Ariona. Hayram autem diligebat Iſſem, & quicquid acquirebat, eius nomine acquirebat, & pro eo orationem quæ pro regibus ſolet fieri, faciebat, & intendebat eum à Zuleman iniuriis vindicare. Illi autem qui ab Iſſem receperant villas, & ciuitates Hayram pro viribus adiuuabant.

Alcauela

al. Hayran

Oriola

De Re-

De Regno Haly & morte Zuleman. CAPVT XLII.

ERAT autem quidā dictus Haly Abenhamith apud Septam, quem Iſſem præpoſuerat ciuitati & huic Hayrā nunciauit, vt Malacā adueniret, & vbi rex fieret, procuraret qui veniens Malacam bene receptus, continuo Rex eſt factus, Hayram autem Granatenſes & Murcienſes, & villarum incolas aliarum, vt venirent, & Haly iam regi Malacæ obedirēt, & nunciauit Haly, * quaſi de negotiis tractaturi: qui & venit & conſilio habito diſceſſerunt congregaturi ſubditos, & fautores: vt contra Cordubam dimicarent: & Hayram conuenit cum conſiliis Murciæ & Granatæ, vt ſtatuto die omnes concorditer cōuenirent; & Haly ex Malaca, Hayram, ex Almeria, Gitfeya ex Granata & conſilia ex Murcia & locis aliis in campeſtrib. Cordubæ conuenerunt: & egreſſi ſunt ad eos Zuleman cum Barbariis, & cæteris incolis ciuitatis & campeſtri prælio inchoato victi ſunt Cordubenſ. & captum Alguazilum Adub nomine decollarunt & de barbariis plurimos occiderunt. Zuleman autē cum patre & fratre, Haly regis conſpectui præſentarunt. Alguazilus ſuus qui proditionaliter eū ceperat, duxit eum. Rex autem Haly improperans ei proditionis culpam eum cum patre & fratre manu propria interfecit. Erat tamen pater Zuleme homo innocens, & benignus, & eius anima non venerat in conſilium filiorum, & ideo dicitur perditus ſine cauſa. Haly autem timebat, ſi Iſſem viueret, regno priuari, & ideo Zuleman citius interfecit, quia dixerat Iſſem viuum. Alii etiam, qui ſciebant Iſſem viuere dicere formidabant.

Hali, & Co-uenerunt.

De rebellione Hayram, & morte Haly. CAPVT XLIII.

HIS igitur factis vocauit ad ſe omnes, etiam eos, qui Zuleman adhæſerant, dum viuebat, & hi & alii ei obedierunt, & ſic habuit totum regnum. Hayrā autem verēs ne Haly vellet in eum aliquid machinari, reuerſus eſt Almeriam & Ecigam & Granatam. Poſt modicum autem temporis, quia Haly non ſeruauerat pacta quædam Hayram indignatus ſcripſit Mundar, filio Hyaye domino Cæſarauguſtæ, vt ambo contra Cordubam aduenirēt, & Haly à regni ſolio remouerent & apud Accium quæ nunc Guadix dicitur, conuenerūt: & inde Cordubam exierunt, ſed in prælio ceciderunt, & plures ex ſuis gladio perierunt: ſed diſſenſione inter Hayram & Mundar filium Hyaye accidente, ab inuicem diſceſſerūt, Hayram autem quæſiuit ſi in genere Abenhumeye dignus regno poſſet inueniri quiſpiam: & inuenit quendam, qui Abderramē Almortada dicebatur: cuius māſio erat Gienny, hic bonus paciens & quietus ab omnib. amabatur, hunc Hayram cogitauit ad regni faſtigiū ſublimare, quod cum ad Haly notitiam perueniſſet de caſtro in caſtrum, de loco in locū Hayram ſequebatur, mala irrogans ſibi & ſuis: ſed Hayram vt Abderramen præficeret, laborabat. Et dum Hayram eſſet Gienny, nunciatum eſt ei, quod Gilfeya de quo ſupra fecimus mentionem, inerat contra caſtra quæ Hayram detinebat, & continuo Hayram inſequens procedentem fecit tranſitum per Guadix, & Gilfeye, cum ſuo exercitu obuiauit, & pugna commiſſa Hayram exercitus fuit victus, & multi ex eis æmulēta ignauia perierunt. Cumque de Hayram, quid acciderat, neſciretur, & Almeria ciuitas turbaretur ſignificauit eis ſe eſſe in Canilibus caſtro vaſte & domum, in quā latuerat nominauit. Tunc illi eum inſtantiſſime vocauerunt: & illis diebus quatuor Hayram fautorib. in conflictibus male ceſſit: ꝙ Haly factus hilarior cum audiſſet, falces & alia vaſtationis vaſa ferri præcipiens, iuit Giennum, anno Arabum CCCCVIII. & cum iam vexilla & tubæ & cæteri apparatus exiſterēt extra vrbem ipſe intrauit balneum, quod in præſidio habebatur & intrarūt cum eo aliqui Eunuchi qui eum in balneo occiderunt & continuo receſſerunt.

f. craſto

Regni Arabum 408.

De regno Alcazim. CAPVT XLIV.

CVMQVE exercitus foris expectans moræ diſpendium cauſaretur, aliqui ad præſidium redierunt, & cum eum quærerent in balneo mortuum, inuenerunt capite cōquaſſato: Tunc concilium ciuitatis præſidium obſeruarunt, donec veniret germanus eius Alcazim nomine, qui Hiſpali morabatur, quem in regem illico eleuarunt. De interfectorib. Eunuchis nonniſi duos pueros inuenerunt, quos protinus occiderunt. Regnauit autē prima vice Alcazim annis trib. menſ. 4. dieb. 26. Hayram autem ſemper inſtabat, vt Almortada promouerent, & miſit nuncium Mundar principi Cæſarauguſtæ, & miſit Citanam, Valētiam, & Dertuſam, vt venirēt omnes, & Abderramē Almortada obedirent: qui cōmuniter conceſſerunt, & venientes Giennum in regem pariter promouerunt. Venientes autem occi-

derunt, quicquid de Barbariis inuenerunt & à Gienno proficiſcentes Murciam adierunt,
quam rex ſtatim acquiſiuit, & introiuit, videnſque quod ſibi proſpera ſuccedebant, cœpit
conſilia ciuitatum deligere, & fouere: & eos qui eum receperant, honorare: Ab Hayram
autem & Mundar oculos auertebat, nec ex corde recipiebat, nec vt conſueuerat, hono-
rabat, & dum quadam die cauſa videndi ad eius palatium acceſſiſſent, fecit eis introitum
denegari & diu exterius expectare: qui merito indignati ad inuicem loquebantur: Merito
patimur, quia tanto ſtudio, vt rex fieret, procurauimus. Et tunc odium conceperunt. Rex
autem Abderramen, collecto exercitu, iuit Granatam, & in monte qui Secuſtar dicitur, fi-
xit caſtra; qui diſtat ſex leucis à Granata: & cum Granatam appropinquaſſet, inter viros e-
xercitus diſſenſio fuit orta, & vt dicitur Hayram & Mundar cum Granatæ domino hoc
tractarant, propter iniuriam ſibi factam. Cumque Granatam Abderramen exercitus im-
pugnaret, qui interius erant extra congredi attentarunt, & quia diſſenſio exteriorum ani-
mos diuidebat; ſibi fugæ, aduerſariis victoriæ cauſam dedit: & fuit ibi Abderramen Mor-
tada interfectus, & ſic ingratitudinis pœnas luit: & Granatenſes prædæ copia occupata,
cum capitibus occiſorum Cazim regi Cordubæ præcioſa donaria tranſmiſerunt: & hac
qui V. C victoria Alcazim recuperauit de his, * quas perdiderat plures villas. Tunc Alcazim Hiſpa-
[illegible] m eſt profectus, & ſtatim ibi in regem eſt eleuatus.

De regno Hyahya. Capvt XLV.

Regni Arabum 412. Cordvbenses vero nepotem Cazim, Hyahyæ nomine, in regem ſublimarunt Anno
Arabum 412. Hyahyæ autem blandiebatur omnibus, & ſe munificum oſtendebat. Ex-
inde autem iuit Malacam, vbi olim fuerat dominus, & morator: & dũ eſſet ibi Alcazim ad
Hiſpalim pernoctauit, & Cordubam veniens, ſecunda vice in regẽ iterum eſt receptus, &
regnauit ſecũda vice menſib. 7. dieb. 3. Anno Arabũ 414. Verũ quia Barbarii à rapinis & di-
Regni Arabum. 414. reptionibus, & iniuriis quieſcere ignorabant, & ſtationes vendentium euertebant, ciues
conqueri non ceſſabant: ſed nec poterãt tolerare. & quadam die dum ad orationem cõſi-
ſteret in Mezquita, inſonuit vox clamoris, & ciues muro & turrib. occupatis cũ barbaris
vſq; ad noctem congredi non ceſſarunt: & cum ciues præſidium inuaſiſſent, Cazim fugiẽs
in vrbis angulo cũ Barbariis ſe recepit, vbi diebus aliquot reſiſterunt, donec ciues vniuer-
ſaliter concurrentes, & plus mori, quã viuere optantes, inſultu acerrimo eos à loco refugii
abegerũt, & eos obſtinatis animis inſequẽtes pro magna parte cæde & interitu extinxerũt.
Cazim autem fugæ prodigus filiis ſuis qui erant Hiſpali intimauit, vt præpararẽt Barbariis
mille quingẽtas domos de meliorib. ciuitatis. Cumq; Cazim Hiſpalim adueniſſet, ciuitatis
ei ianuas ſerauerũt, propter domos quas iuſſerat præparari: filii autẽ eius ad eũ cum paucis
complicib. exierunt. Cazim autẽ inde recedens huc & illuc ferebatur incertus, donec cœ-
Anax Tolet. pit eum Hyahye, filius fratris ſui, & in caſtro quod * Hanax dicitur cõpediuit. Viri autẽ Hi-
ſpalis rogauerunt quendã iudicem Mahomath filiũ Habeth, vt vrbi & populo præſideret:
& ille licet inuitus eorũ paruit voluntati, timens ne forte vrbi periculũ immineret. Cordu-
benſ. autem fecerunt regẽ quendam qui Abderramen dicebatur: germanum Mahomath
filii Abdeliabar qui olim regnauerat apud eos, & hoc, quia erat de genere Abenhumeye, &
priori ſtatui reſtitui cupiebant: ſed quia ante eum in Regem elegerant Zulemã Amortadæ
nec tamen res peruenerat ad effectũ: in ſua promotione Abderramẽ pepercit ſenioribus,
qui conſenſerant in Zuleman, ſed ſecuritatis præſtitæ poſt oblitus ſeniores cepit & carceri
mancipauit. Et cum ciues factum huiuſmodi percepiſſent, carcerẽ adierunt & ſeniores ef-
fractis oſtiis eduxerunt & inde ad præſidium aſcenderunt, & ianuas confregerũt ducẽtes
ſecum quendam, qui dicebatur Mahomath, & præſidium perſcrutantes inuenerunt Ab-
derramen in furno balnei latitantem, & repertum continuo occiderunt, & in quadã do-
mo ſuburbii ſepelierunt: & hic tantum vno menſe & diebus 17. regnauit.

De regno Mahomath, & Hyahye, & eorum diſcidiis, & de Ydriz. Cap. XLVI.

Regni Arabum 414. HOc extincto regnauit Mahomath vno anno, menſ. 4. dieb. 22. anno Arabũ 414 & cũ
regni cõfinia peragraret, fama inſonuit apud ſuos, quod pecunias & margaritas, & pre-
cioſos lapides ſecum ferret: & vt hæc auferrẽt mortis poculo dominũ occiderunt. Et cum
mortem eius Cordubæ audiuiſſent, Hyahye Haly filium regi mortuo ſubrogarunt, & re-
gnauit Hyahye menſibus tribus & dieb. 2[illegible]. & iuit Malacham, vbi quõdam fuerat cõmo-
rator, & viri Malachæ ſe ei protinus reddiderũt. Abuz autem Granatæ dominus Hyram &
Muzeit de ſuorum maiorib. Cordubam deſtinauit, & cum eorum aduentũ viri Cordubæ
præno

prænouiſſent, de his qui in vrbe remanſerant, vſque ad mille barbarios occiderunt: & venientes principes admiſerunt, & Alguazilus, & ſcriptor, & familia hyahye prorſus Malacam confugerunt, & breui termino vix incœpto Hizmael filius Habeth yahyan interfecit, & caput eius * Hiſſe, qui erat Hiſpali, deſtinauit. Cum autem audiuiſſet Ydriz frater Haly, *iſſa* de quo diximus, qui Septe dominabatur, fratris interitum & regni imitationem Malacam eisfretauit, & obtento præſidio regem ſtatuit ſe vocari. Ibi venit ad eum Abuz qui Granatæ dominabatur, & Ydriz, vt regi & principi obediuit, & ſumpta ſecum multitudine armatorum, iuit Carmonam, & inde Hiſpalim, vt eos Ydriz dominio inclinaret, & in Alcala iuxta Hiſpalim, reſederunt, & ſequẽti die Trianam, quod eſt ſuburbium Hiſpalis combuſſerunt, & in caſtro præſidii viri Hiſpalis chirographum obedientiæ conſcripſerunt quo Ydriz in dominum receperunt; eodem modo ſe ei ſubdidit Almeria.

De ſchiſmatibus, & diſſidiis citra mare. CAPVT XLVII.

NVnc ad hiſtoriam Cordubæ reuertamur. Cum Hyram & Mogeyt occiſis Barbariis Cordubam intrauiſſent, zelus incidit inter eos, & vterque mortẽ ab alio metuẽs præueniri, ambo Cordubam exiuerunt, & ab inuicem diſceſſerunt. Cordubenſ. autẽ quendam, qui * hyſſem dicebatur, non ille, quem quondam ad culmen regiminis eleuarunt, & *Iſſem ſup.* regnauit Cordube annis duobus, dieb. quatuor. In Frontaria autem annis duobus, menſib. 7. diebus octo. Cordubenſ. vero eũ pro cauſa huiuſmodi remouerunt. Habebath Alhagib, qui plus domino potens erat, & hic erga ciues crudeliſſime ſe habebat: & cum eſſet vilis genere, vilitatem in potentia oſtendebat, eo quod conditionis non immemor in omnibus excedebat, & cum nemine concordabat, & falſis occaſionibus immerito offendebat, & bona ciuium barbariis erogabat vnde & ciues Alhagib occiderũt, & regem a regni ſolio expulerunt. Quidam autem Humeya nomine, aſſumpto ſecum iuuenum comitatu, præſidium eſt ingreſſus & vt ſe regem facerent poſtulabat: & dixerunt ei, vides quod ciuitas iam turbatur, & quod te interficient, formidamus. at ille reſpondit: Mihi hodie obedite, & me in craſtino interficite. Ecce quanta eſt ambitio dominandi. Ciues autem Hyſſem, & iſti ſub interminationis periculo præceperunt, vt præſidium relinquentes, ſe reciperent quocumque vellent, & ciues ad inuicem condixerunt, vt nemo de genere Abenhumeye, Cordubæ remaneret. Hiſſem autem valedicens filiis, & amicis, iuit ad quoddam caſtrum, quod in montanis Cordubæ erat ſitum Cordubenſ. vero caſtrũ poſt modicum temporis obſederunt, & Hiſſem captum cuſtodiæ tradiderunt. Sed inde ſubiugali vehiculo noctu effugiens Zuleman auen hut regem Cæſarauguſtæ in aſylum ſui periculi prælegit. Qui ſuſcipiens liberaliter & benigne, dedit ei caſtrum, quod dicitur Aevela, in quo *al. [illegible]* degit quoad vixit.

De regno Almorauidum in Hiſpania, & de morte Auenhabeth.

CAPVT XLVIII.

ET illis diebus non fuit Rex in Hiſpania de genere Abenhumeya, ſed vnuſquiſque in loco cui præerat, rebellabat. Cordubenſ. autem cum regem alium non haberent, monetæ pannorum * & granate literas ſub Hiſſem nomine conſcribebant, & hic finis *al. granat. al. Grammat.* regni Cordubæ quia fere in ſingulis locis, qui potuit, dominium vſurpauit, donec monar- *ſic V. c. pro Gramaticæ ſunt: Epigrammatũ* cha Africæ, qui erat ex Almorauidis omnia occupauit. Cordubæ inſurrexit Alguazilus nomine Iahuar filius Mahomath. Hiſpalis inſurrexit iudex quidam, qui Albucazim dicebatur, & obiit anno Arabũ 433. poſt eum filius eius Habeth, & obiit anno Arabum 461. Poſt *Vt ſup cap. 35. Iſſem.* hunc filius eius Mahomath auenhabeth, hic obtinuit Cordubam, & alia plura loca & ſatis *Regni Arabum 312.* proſpere rexit terram. Poſtea Almorauidi, qui ſunt ex barbariis de Lutunia, huic dominium abſtulerũt, cum in dominio duraſſet annis 23 & hoc fuit anno Arabum 484 Erat au- *Regni Arab. 484.* tem Rex Almorauidum Yuceph, filius Teſſefin hic prędictum Mahomath tamdiu captum tenuit donec in vinculis vitam finiuit. Hic Mahomath Auenhabeth Aldefonſi, regis qui Toletum cæperat, anno Arabum 477. timore turbatus contra eum Yuceph aben Teſſufin *Regni Arab. 477.* in auxilium euocauit, ſed veniens ipſum primitus captiuauit deinde in campo Zalla, quæ prope Badalloz cum Aldefonſo rege acriter dimicauit, quod prælium hic omittimus, quia *Lib. 6. cap. 30.* in hiſtoria Gothica eſt deſcriptum.

De Monarchia Yuceph citra mare, & vltra mare. CAPVT XLIX.

Yuceph autem Abenteſſefin adeptus victoriam, in Africam eſt reuerſus, & quia intellexit Wandalos Arabes multis diſſenſionibus minoratos, aſſumpta maiori multitudine ciſfretauit, & totam terram Wandaliæ occupauit & fuit monarcha vltramarinus, & ciſmarinus, & durauit ſibi huiuſmodi monarchia annis 55. ab anno Arabum 484. vſque ad quingenteſimum trigeſimum nonum annum, quando per Almoades dominium perdiderunt, vt ſuperius in Hiſtoria Gothica eſt expreſſum. Hic rex Yuceph, terram, & populos cuſtodiuit, & omnibus iuſtitiam conſeruabat: & eos, qui in particularibus præſidiis rebellarunt, tamdiu infeſtauit, donec ſuo dominio ſubiugaret Yahye autem, dictus Allchadyr bille, poſtquã Toletum perdiderat, iuit Valentiam, quæ ad ſuum dominium pertinebat & annis 16. vixit ibidem, & interfecit eum iudex quidam, qui Abeniahab dicebatur, poſtea cepit eam Rodericus Didaci Campiator. Et eo mortuo eam Almorauides occuparunt. Cæſarauguſte etiã inſurrexit Mundir filius hyahye, & poſt eum filius eius yahya Almundafar, Demum tota terra illa contermina Chriſtianis ſe reddidit, Zuleman filio Hamath, qui abẽhath dicebatur. hic Zulemã fuerat Alcaydus Mundir filii Hyahye de quo diximus Poſt quem filius eius hamath ſucceſſit, Poſt eum filius eius Yuceph, poſt eum filius eius Hamath cognomine Almuztaim poſt eum Abdelmelich, poteſt eum filius eius Hamath, cognomine Almutazit. hic amiſit Cæſarauguſtã, & confinia, quæ habebat, & Almorauides omnia occuparunt & in locis aliis alii rebellarunt quos omnes Almorauides ſubiecerunt. Inſurrexit Murciæ quidam Abderramen abentaxeci, & tenuit eam, donec eum venientes Almorauides eiecerunt. Inſurrexit, Almeriæ Mohez Abdalla 14. annorum erat, cum inſurrexit, & totam terram perdidit præter Almeriam, ſed & eum Almorauides obſederunt. Et inſurrexit Granatæ Abdalla, ſed eam poſt modicum temporis Almorauides occuparunt: & ita dicitur quod eam vltimo acquiſierunt. Poſt hæc Yuceph abenteſſefin reuerſus eſt in Marrocos, quam Barbarii Almorauides in vrbem regiam dilatarant, & ibi ſtatuerunt caput regni. Iſto mortuo Haly filius eius ſucceſſit in regno & fuit iuuentus debilis, & ignauus, nec regni confinia defendebat. Poſt eum regnauit filius eius Teſſefin vilis animo, & virtute, & plus iniuriis quã defenſione patriæ inſiſtebat, & quia viderunt à regalibus actis alienum in eum vbilibet inſurgebant: & vbique & quilibet rebellabant, & bellis indeſinentibus infeſtabant, & fere perdidit totum regnum. hoc fuit anno Arabum D.XXXIX. & regnum Wandaliæ 53. annis poſſederant citra mare. Erat autem inter Wandalos ciſmarinos vir prudentia præditus, liberalis, ſtrenuus, & benignus, qui Mahomath abenzahath & rex lupus, poſtea fuit dictus. Hic obtinuit regnum Valentiæ, & regnum Murciæ, & quæ ad ea cõfinia pertinebant, Lorcam, Baſtam, & Guadiez & loca plurima, circa iſta Chriſtiani etiam plurima occupabant, donec venientes Almoades ab Africa & Wandalia, Almorauides exſtirparunt. Sed quia de aduentu eorum in Hiſtoria Gothica fuimus proſecuti, hic nolumus iterare.

Lib.7.c.10.

Marrocus Vrbs regia.

Regni Arabum 539.

Lib.7.c.10.

Finis. Toleti 25. Ianuarii. 1583.

HISTORIA ROMANORVM

PROLOGVS

QVIA *direptiones Herculis, quas gens miſera pertulit, Heſperorum, in ſuperioribus capitulis declaraui. quæ Romani, Vandali, & Sueui, Alani, & Silingi, & Arabes Mahometi & qualiter Hiſpanias inuaſerunt, & quæ ei multiplicata ſupplicia addiderunt proſequi dignum duxi. Romani quippe a Remo & Romulo, qui à Latinis exordium habuerunt, ab ipſis & vrbe dominati Latio inclitorunt: quorum Reges ſucceſſionibus proſecutus vſque ad eos qui Hiſpaniæ calamitatibus adiecerint, Genealogia Eulogia ſupputam, vt diſcat Hiſpania, quæ Dei miſericordiam perfunctorie vix attendit, à tot tempeſtatibus tam reſpirans, quantum debeat diuinæ gratiæ inclinare: ſed pro dolor, nec præterita memoratur, nec quæ accidere poterint pertimeſcit. Principes etenim & potentes volitis & libitis inuoluuntur: & perturbato ordine rationis eneruant iudicii veritatem: & procuratis iniuriis conſuetudines violente pro iuſtitia induuntur: & in partes iuſtitiæ aduocati id iuſtum iudicant, quod aures mulceat præſidentis, & à ſummi iudicis intuitu alieni, oculos ſuos in terram ſtatuunt declinare: nec eſt qui pauperi condeſcendat, niſi familiari debito inducatur: ſed vtinam altiſſimus videat, & permittat & non Hiſpaniæ miſeræ ſed facientibus imputetur: & non luat vniuerſitas oppreſſorum, quod meretur iniquitas dominorum, & ceſſit indignatio maieſtatis, compatiens*

Liber 1 Hiſtoriæ Gothicæ, ſeu rerum in Hiſpania geſtarum, c.4.5. & 6.

patiens clamoribus paupertatis, qui faucibus præſidentium ingeri non ſinuntur, mediatorum rabie.....
*Cum enim cætera mundi prouinciæ certis * agariis (ſeu pangariis) deducantur, Hiſpania miſera incer-* al. [illegible]
tis oppreſſionibus cruciatur: ſemper remanens inconſumpta, vt poſſit ſæpius deperire, & conſumptionis al. angariis.
periculo reſeruari, & tot vulneribus ſauciatur, quod à ſummis capitibus ſucceſſiua voragine abſorbetur; nec eſt quæ poſſit vocem attollere cum inimici iudices dominentur: niſi quod vt beſtia agri, & area ſitiens vociferatur, & vim patiens Sabaoth domini pulſat aures: & vtinam videat, & vt ceteras mundi partes, Hiſpaniam iudicet, & proſpiciat de excelſo.

DE REGIBVS LATII.

CAPVT I.

PRINCIPIVM autem Regum Latii iſtud fuit: Ante initium regni Romani primus in Italia Ianus regnauit, cui ob magnæ prouidentiæ meritum duas facies depingebant, eo quod futura & præſentia præuidebat: vnde Perſius: *O Iane à tergo quem nulla ciconia * pinxit.* — Ianus. al. pinſit.

Et inde Romani ei primum menſem in anni menſibus adſcripſerũt, eo quod in eo menſe Sol incipiat aſcendere poſt ſolſtitiũ hiemale, vt quaſi medius inter tempora bina faciem ad tempus præteritum reſpiciat & futurum: & ideo eſt in computo Romanorum Ianuarius primus menſis, ſicut Ianus principium regni fuit. Poſt Ianum regnauit Saturnus, qui primus regnauerat ſuper Creta, ſed inde expulſus à filio ſuo Ioue in Italia eſt iactatus. Hunc gentiles primum deorum, licet mendaciter, fabulantur. Primus enim in hominibus Ninus rex Aſſyriorum patri ſuo Belo, Dei vocabulum vſurpauit. Hic itaque Saturnus filium fugiens aliquandiu latuit apud Thuſcos, & ideo à latendo pars illa Thuſciæ Latium dicta fuit. Vnde Lucanus: — Saturnus. Ninus.

Quis furor, o ciues, quæ tanta licentia ferri
Gentibus inuiſis Latium præbere cruorem?

Et à Latio Latini dicuntur: verum incolæ Thuſciæ degebãt nõ vt homines, ſed vt beſtiæ ſine domibus, ſine vrbe, contenti ſolũmodo caueis, tuguriis, & caſellis quas vtcunq; de frondibus & foliis arborum factitabant, & de fructibus ſylueſtrium arborum vt beſtiæ victitabant: Ipſe vero ſe ruditati hominum poſtmodum manifeſtans humani conuictus docuit rationem, & agriculturæ; commercium vtile perſuaſit, effoſſionem etiam docuit metallorum: & ideo dicitur fabuloſe aurea ſæcula ordinaſſe. Vnde & Virgilius:

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

De eo alius poeta: *Primus Cretæis Saturnus venit ab oris*
Aurea percunctas diſponens ſæcula terras.

Et pro tantæ vtilitatis beneficio incolæ beſtiales iam facti homines eum ſuper ſe regem & principem ſtatuerunt. Ipſe vero ex multitudine iam edocta conſtruxit vrbem in rupib. * ſempiternis quam à ſuo nomine Saturniam appellauit: quæ nunc Sutrium eſſe fertur: & eum poſt mortem patrem Deorum omnium vocauerunt; vnde & poeta: — Sut. R.C.

Ipſo gaudet auo ſuperum generoſa propago.

Poſt Saturnum regnauit Picus filius eius: Poſt Picum regnauit Faunus filius eius, à quo dii bicornes, vt ponit Ouidius, proceſſerunt: de quibus dicit — Picus.

Antiquas ſemideæ Dryades Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere ſuo.

Huius tempore Troia à Græcis obtenta incendio eſt conſumpta. Horum itaq; regnũ Laurentium hactenus dicebatur, de quibus Virgilius.

Hic genus indocile ſparſumq; in montibus altis:
Mores compoſuit, legeſq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Poſt hunc regnauit Latinus, filius eius, à Latio ſic vocatus. Huius mater fuit Carmẽtis quæ vulgare Latii emendauit, & Latinis litteras adinuenit, & ab iſto, ceſſante Laurentii vocabulo, cœpit regnum vocari Latinum. — Latinus.

De Aduentu Aeneæ in Italiam, & regno eius, & de Didone. CAPVT II.

VERVM quoniam poſt Latinum ab Ænea reges Italiæ deſcenderunt, aduentũ eius in Italiam breuiter proſequemur. Troia deſtructa, Æneas filius Veneris, & Anchiſæ, cum patre Anchiſe & Aſcanio filio fuga nauali ad Siciliam applicauit, ibique Anchiſe mortuo, cum Aſcanio filio, Niſo, Euryalo, nobilibus, & Achato armigero & Palinuro nauclero cœpit in Africam nauigare: ſed infeſtæ periculo tempeſtatis naufragium vix euaſit, nec damno caruit; vna ex nauibus cum Palinuro ſubmerſa,

quorum interitu Æneas timuit interire, ſed inter iniurias procellarum in Africa cepit portum, & dum dormiret, audiuit in ſomnis; prius Didoni coniugio ſociaberis, & poſt in Italiam reuerteris. cuius aduentum cum Dido nouiſſet, egreſſa obuiam datis muneribus honorauit,& mirata Aſcanii pulchritudinem, in concupiſcentiam Æneæ exarſit, quẽ viderat in armorum decore præclarum; vtriuſque beneplacito accedente, mox in coniugem eſt aſſumpta, & Æneas Didonis coniugium, & Carthaginis dominium eſt adeptus, pollicens ſe cum ea perpetuo permanſurum; Dido vero ante aduentum Æneæ in templo quod fecerat, hiſtoriam deſcripſerat Troianorum, quam Æneas intuens doluit ſuæ gentis interitum diuulgatum, & picturæ memoriam reputans verecundum: diſpoſuit à Carthagine aberrare, & ideo præſentiens, inquit illi:

Ouid. Epiſtola Heroidum 7.

Certus es ire tamen, miſeramq; relinquere Didon,
Quaque vbi ſunt neſcis Itala regna ſequi:
Quando erit vt condas inſtar Carthaginis vrbem?
Et videas populos altus ab arce tuos?

Sed fide & fœdere violatis, idem venti neglecta Didone, fide, & verba cum viro & nauigio detulerunt, & in Sicilia remeans patris anniuerſarium celebrauit. Dido autem incauto amore ſuccenſa Æneam epiſtolari alloquio ſalutauit, ſicut Ouidius in Heroidibus metrice declarauit, dicens:

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor:
Nec, quia te noſtra ſperem prece poſſe moueri
Alloquor, aduerſo mouimus iſta Deo.

Deinde amoris incendium nequiens ſuſtinere, eidem prætulit incendium actuale, & lignorum congerie comportata ad pedem turris pyram vaſtiſſimam fecit accendi, & his verbis habitis ad ſororem:

Anna ſoror, ſoror Anna mea male conſcia culpæ,
Nunc dabis in cineres vltima dona meos.

His dictis à ſummo arcis in pyram igneam ſe proiecit, & conſumpta ilico exſpirauit. Carthago Didonis tempore Dauid: Carthago Hiſpaniæ tempore Amaziæ regis Iuda conditæ feruntur. Æneas vero à Sicilia in Portuam ciuitatem Lauinii enauigauit, & ciuibus ſciſcitantibus quiſnam eſſet, reſpondit ſe eſſe Æneam, qui è Troia veniens iactatus fluctibus applicarat: addidit etiam ſeſe generum Priami, qui rex fuerat Troianorum, ſeq; deorum oraculo accepiſſe ſe in Italia regnaturum. Ciues autem verbum vt impoſſibile reputarunt, Latini regis potentiam opponentes. Cumque his aliquantulum turbaretur præ triſtitia factus ſegnis decubuit dormiturus, & accepit in ſomnis vt Euandri auxilia precaretur, qui in VII. montibus, vbi fuit poſt Roma condita, habitabat, vt eius auxilio & Pallantis filii poſſet Latini & generi ſui Turni potentiæ obuiare: & vt credas, ſicut nuncio, ſic futurum, inuenies ſub ilice albam ſuem cum 30. filiis ſuis coloris.

De victoria Aeneæ contra Latinum. CAPVT III.

SVRGENS autem à ſomnio à Portua cœpit proficiſci, & vt reuelatum fuerat, ſic inuenit, & ibi poſtea ciuitatem condidit Albanorum. Euander autem Æneam audiens aduenire ſe ad prælium, æſtimans inimicum, præparauit: ſed Æneas ramum oliuæ pertulit manu ſua præferens, * quæ tali ramo illis temporibus ſignabatur: Et cum Euander pacis ſignaculum proſpexiſſet, in occurſum profectus eſt venientis, & amico gaudio amplexati fœdera firmauerunt, & ſimul etiam iucunda conuiuia peregerunt: quod Latinus audiens ægre tulit: & vocauit generum ſuum Turnum, de quo ſe amplius confidebat, & miſit eum contra Aſcanium, qui in caſtello cum parte exercitus reſidebat, ſed videns Aſcanius Turni potentiam præminere, percunctatur ſi quis adeſſet, qui patri ſuo periculum nunciaret. Tum Niſus & Eurialus familiares Æneæ, qui vnum de paribus amicitiæ fuiſſe dicuntur, ſe legationis diſcrimini obtulerunt, & noctu aggredientes Turni exercitum intrauerunt, & cum viri exercitus ſopore ebrius teneretur, Niſus & Euryalus plures ex eis furtiua, audacia occiderunt, & galeam auream quæ caſſis dicitur, abſtulerunt: & diei nuncia apparente cœpto itinere abierunt, & cum in via Latini exercitum proſpexiſſent qui in Turni auxilia veniebat ad Syluæ denſiſſimæ latebras confugerunt, ſed cum [illegible] ſplendore

* f. pacem

ſplendore aureæ galeæ, quam Euryalus geſtabat in capite, opacas latebras confugerant, quos denſitas occultauit, claritas reuelauit, & a venientibus comprehenſi, pœnali gladio decollantur, & Turno capita obtulerunt, qui præcepit ea proiici in municipium obſeſſorum: & tunc cœpit Aſcanius aliquantulum deſperare. Dumque ad Æneam fatali relatu rumor obſidii perueniſſet, aſſumptis ſuo & Euandri exercitu, duxit acies contra Turnum: cumque conſertis agminibus vicit eum, & Turnus fugiens iuit Laurentum, vbi ſocer eius Latinus tunc temporis conſiſtebat. Æneas autem cum Pallante Euandri filio Laurentum obſeſſurus aduenit. Latinus autem videns ſe victo genero minoratum, Mezentium & Camillam reginam Amazonum ſuſcitauit, vt eum in caſu diſcriminis adiuuarent: & precibus non fruſtratus habuit in infelici exercitu adiutores, & cum Ænea & Pallante prælio reſtaurato ſuccubuit pars Latini: & dum Æneas & Mezentius ſeſe cõgreſſu obuio percuſſiſſet, Mezentius vulneratus diuertit ad fluuium, plagæ ſanguinem lauaturus. Lauſus autem Mezentii filius Æneæ ſe obtulit, vt paterni vulneris fieret vindicator: cui Æneas dicitur, ſic dixiſſe: *Quo periture venis?* & percuſſum omnino interfecit, quod Mezentius non ſuſtinens tolerare cum Ænea iterum iter fecit: In ipſo etiam prælio occubuit regina Camilla. Ex parte autem Æneæ mortuus fuit Pallans, pro quo Æneas fuit inconſolabiliter contriſtatus, & campi victoria iam obtenta fecit corpus Pallantis nobili funere deportari, & cum eo. C. de prudentioribus comitatis: qui Euandrum de morte filii ſolarentur. Videns Latinus ſibi noxia, Æneæ proſpere ſucceſſiſſe, miſit ad Diomedem Regem Græciæ, vt in eius auxilium adueniret. Sed Diomedes petitionem renuens, ſic reſpondit; Æneam de quo loqueris, ipſe noui. nam cum ad expugnandum Troiam ex Græcia veniſſemus, Æneas & Hector fortiter reſtiterunt, & ſi tertium comparem habuiſſent, Troia forſitan non periiſſet. His auditis Latinus de auxilio iam deſperans ad Æneam pro pace nuncios deſtinauit. Et Æneas dicitur reſpondiſſe: Non noſtro conſilio, nec meo propoſito huc adueni, ſed voluntas ſuperum me aduexit. Occiſo Turno & Latino mortuo, Æneas Lauiniam Turni ſponſam & Latini filiam duxit vxorem; & Latino ſucceſſit in regno, & in Latio tantum tribus annis regnauit, & ædificauit ciuitatem, quam Albanum à nomine ſuis Albæ, vt diximus, nominauit.

De Aſcanio, & Regibus Albanorum. CAPVT IIII.

AENEA mortuo Aſcanius filius eius ex Creuſa ſucceſſit in regno. Albanenſes autem ſuper Æneæ tumulum aceruum politorum lapidum magnæ altitudinis erexerunt, quem memini me vidiſſe. Aſcanius autem ciuitatem incœptam ſollicita diligentia ampliauit. Hic Aſcanius dictus fuit Iulus, à quo deſcendit Iulia familia Romanorum. Lauinia autem vxor Æneæ poſt mortem eius peperit filium quem Poſtumũ appellauit, quia mortuo patre natus: quem Aſcanius fraterno amore dulciter enutriuit: Poſthæc Aſcanius genuit filium, quem Iulium appellauit: Mortuus autem eſt Aſcanius cum regnaſſet annis XXXVIII. & dimiſit regnum Poſtumo fratri ſuo: & quia iſte Poſthumus in ſylua nutritus, Siluius fuit dictus, & ab eo reges alii Albanorum fuerunt Syluii nominati. Poſt hunc Æneas Syluius filius eius regnauit annis XXXI. Poſt mortem eius Latinus Syluius, filius eius annis quinquaginta. Poſt mortem eius Alba Syluius filius eius regnauit ann. XXXVIII. Poſt hunc Ægyptus Syluius filius regnauit annis XXXVII. Capys Syluius filius eius regnauit annis XXVIII. Iſte a nomine ſuo ædificauit in Campania Capyam ciuitatem. Carpentus Syluius filius eius regnauit annis XIII. Tiberius Carpentarius filius eius regnauit annis IX. Hic cadens in flumen qui Albula dicebatur, fuit extinctus, & fluuius ab eo Tiberis fuit dictus poſtea. Vnde Virgilius:

> —— *tunc perdidit Albula nomen.*

Hic condidit Tybur ſatis modicam ciuitatem: quæ XII. ab vrbe milliario adhuc exſtat. Agrippa Syluius filius eius regnauit annis XL. Huius tempore fuit Homerus Poeta. Aremulus Syluius Agrippę filius regnauit annis XVIII. Auentinus Syluius filius eius regnauit ann. XXXIV. Iſte fuit in monte ſepultus, qui ab eius nomine dicitur Auentinus. Procas Syluius filius eius regnauit annis XXXIII. Iſte fratrem ſuum Numitorẽ a regno expulit, & priuatis reb. prouidere coegit. Rhea Syluia, quæ Ilia dicta fuit: Numitoris filia in tẽplo Veſtæ virgo eſt dedicata, quam poſtea Mars arripuit a ludis * Conſularib. Sabinorum: & ex ea Remũ & Romulum generauit. quos eo quod ſacrilego concubitu genuiſſet in ripa Tiberis abiecerunt: matrem vero incendio conſumpſerunt, vt iuſtitia eius temporis exigebat. Paſtor autem de gregib. regis, Fauſtulus nomine, cum paruulos expoſitos in ripa fluminis inueniſſet

f. Conſualib.

Google

ad Accam Laurentiam vxorem ſuam detulit nutriendos: verum quia Acca erat pulcherrima & ſui corporis liberalis infami lucro pecuniis abundabat: & ob impudentiam lupa ab indigenis dicebatur, & tuguria, quæ turpi commercio faciebat, à lupa lupanaria fuerunt dicta. Cum autem Remus & Romulus adoleſſent prædæ & latrocinii crudelibus ſtudiis ſe dederunt: & ſimilium conciliabula aſciſcentes cœperunt cum ſua multitudine præualere, & Albanorum ciuitatem ingreſſi regem Amulium, qui Numitorem auum eorum maternum de regno expulerat, peremerunt: & Numitorem regno reſtituerunt. Remus autem & Romulus cum eſſent annorum octodecim, ciuitatem modicam ædificauerunt in monte, qui dicitur, Palatinus. Cumque ad eos aduenirer multitudo maxima populorum, vt in populos creſcerent potiores, cogitarunt templum immunitatis conſtruere, ad quod veniens quilibet ſaluaretur, & propter tantæ impunitatis aſylum ad hoc templum iniurioſi & rei ex omni Italia veniebant: cumque in tanta multitudine non concluſa nullius ordo iudicii ſeruaretur, ſtatuerunt vrbis ambitum dilatare, vt muro quantumlibet modicum eleuato, qui alias quam per portam præſumeret introire, mortis ſententiæ ſubiaceret. Primo igitur anno Achaz regis Iudæ XI. Kalend. Maii, Remus & Romulus Romæ vrbis primarium poſuerunt, & vſque ad apoditionem muris in circuitu vix erectis, Remus plebiſcitum fratris & populi non attendens, vt agilitatem oſtenderet, murum inſcius inſiluit, & ſcandalo in populo excitato omnis tranſgreſſionis iniuriam cauſabantur: ſed Fabius qui erat Dux Romuli eius conſilio perſuaſus Remum morti concione habita, condemnauit, & paſtorali raſtro diſtractus: continuo expirauit, anno tertio ab V. condita: cui præuaricatio & fraterna factio cauſam dedit: de quo poeta Lucanus:

Fraterno primum maduerunt ſanguine muri.

De Creatione Senatorum, & militum: & Regibus Romanorum.

CAPVT V.

TVM Romulus centum ſenes elegit, quorum conſilio creſcentis vrbis negocia procuraret: & quia ſenes, dicti fuerunt exinde Senatores: & alii eos Patres vocabant. Poſt hæc quia bellis indeſinentibus à vicinis gentibus tentabantur, elegit mille de his qui clariores in populo habebantur, vt inimicis inſultibus militari reſiſterent apparatu, & quia à millenario inceperunt, tali officio deputati Milites appellantur: cumque tam ipſum quam vrbis populum vxorum inopia minoraret, Sabinis feſtiuitatem agentibus & vxores & filias ad gaudia deducentibus, in eas inſiluit Romulus cum ſuo pro populo ciuitatis, & iuxta placitum apprehenſas iocunda ſpolia reduxerunt. Tunc omnes principatus Italiæ Sabinorum dedecus proprium reputantes, cœperunt contra Romanorum potentiam dimicare: ſed Romulus cum ſceleratorum multitudine ſuperauit. Cumque ex vicino Romanis & Sabinis inſidiæ pararentur, & Romulus plus quieti quam periculis inhiaret, amicitiam cum Romanorum duce Tito Tatio procurauit, vt in Sabinis ita Romulus cum Tatio conregnaret, & Sabinorum vnus eſſent populus cum Romanis, & vt Romani ſibi agnomen imponerent à Sabinis, & Sabini ſimiliter à Romanis: & quia longa haſta lingua Sabinica Quirita dicitur, Quirites Romulus fuit dictus: à quo & alii Romani Quirites. Hic Romulus ſceleratorum manum promiſſa impunitate collegit, Numitorem auum maternum quem regno reſtituerat, vt regnum arriperet, interfecit: Amulium fratrem aui extinxit, Remum fratrem parricida occidit: ſocerum in templo vita priuauit Titum Tatium amicitia fœderatum fallax peremit. Itaque regnum aui, murum fratris, templum ſoceri, fidem amici ſanguine maculauit. Regnauit autem annis XXXVIII. & cum ad quintum paludem, quæ Caprea dicitur, abiiſſet, quo interitu abſumptus fuerit ignoratur. Hic templa & muros vrbis extruxit. poſt mortem eius Senatores quiuis diebus vſque ad vnum annum rexerunt populum ciuitatis, & iſte annus dictus eſt interregnum: poſt hunc annum regnauit NVMA POMPILIVS. Iſte fuit vir ſapiens & in regimine circumſpectus, cumque vidiſſet homines à iuſtitia aberrare & poſt vitia euagare cum intellectu, Naturæ inuiſibilia præcepiſſet & intellexiſſet diuinam eſſentiam à loco aliquo nõ abeſſe, docuit homines locum quemlibet proprio Deo regi vt præſentiam numinis metuentes vbique à vitiis abſtinerent: quod tamen fuit ad idolatriæ incremẽtum. Exinde enim dicti fuerũt diis orti, diis nemoris, & cetera numina certis ſpiritualia vocabula habuerunt. Hic prius inuenit monetã & numos à ſuo nomine appellauit, & expletis in regno quadra-

Numa Pompilius.

ginta vno annis vitam finiuit. Eius tempore Pythagoras Philoſophus celebris habebatur. Poſt hunc * Tullius Hoſtilius regnauit annis XXXII. Hic inter reges Romanos faſcibus & purpura fuit vſus: & vrbem addito monte Cælio ampliauit. Hic cum domo ſua ictu fulminis fuit vſtus. Huius tempore Pauſanias rex Spartanorum condidit Byzantium ciuitatem, quæ à Conſtantino Imperat. poſtea ampliata Conſtantinopolis fuit dicta. Poſt hunc regnauit ANCVS MARCIVS annis XXVII. Huius tempore Maſſilia fuit condita. Poſt hunc SERVIVS TVLLIVS annis XXIV. Huius tempore Nabuchodonoſor cepit Hieruſalem & templum incendit. Poſt hunc regnauit *Tarquinius Superbus* annis XXXV. & fiunt per reges ab vrbe condita anni CC. XLI. *Tullus Hoſtilius.*

De creatione Conſulum Romanorum. CAPVT VI.

ET cum propter inſolentiam Tarquinii Superbi Regis Roman. Senatui populoque Romano regum præeminentia diſpliceret, Conſules elegerunt, qui ſua ſapientia ſtatum Reipubl. gubernarent: quorum regimen CCCC. XL. tribus annis legitur duraſſe. Primi Conſules fuere Brutus & Collatinus: poſt hæc Decemuiri conſtituti. Poſt hoc Camillus Cos. poſt hunc Quinctius Dictator: poſt hunc Papirius; poſt hunc Manlius & Regulus: poſt hos P. Cornelius Scipio: poſt hunc Fabius Maximus Dictator, poſt hunc L. Æmilius Paulus & P. Varo. poſt hunc Marius & Cn. Mallius. poſt hunc Sylla poſt hunc M. Tullius Cicero poſt hunc Pompeius & Brutus & Craſſus: poſt hos C. Cæſar ſolus, Hi ſingulis annis Reipub. prouiderunt, per annos CCCC. XLIII. & hi omnes inſignia aliqua peregerunt, & ſuis temporibus multa alia ſorte varia acciderunt prælia Alexandri temporibus: Scipionum temporibus bella Punica ceſſauerunt: temporibus Marii Iugurthinum: temporibus M. Tullii Catilinarium, de quo Iuuenalis:

Claudius accuſet mœchos, Catilina Cethegum.

Res ergo publica CCCCLXIII. annis felici regimine adoleuit, & plurima bella geſſit, anno CCCI. ab V. C. poteſtas Conſulum fuit tradita Decemuiris & cenſu habito inuenta ſunt CXVIII. millia, & CCXIX. capita ciuium Romanorum. Anno ab V. C. CCCXLIV. Galli Senones duce Brennio inuaſerunt, & totam excepto Capitolio incenderunt, & plurimos trucidantes ſex menſibus vaſtauerunt, & eos qui ad Capitolium confugerunt, obſederunt, eoſque fame, peſte, deſperatione & formidine ſubiecerunt, & mille libras auri pro quolibet precium ſtatuerunt. Anno ab V. C. CCCC. Philippus filius Amyntæ, pater Alexandri regnum Macedonum eſt adeptus & XXV. annis regnauit. Tum clariſſimus Alexander gurges excidiorum Philippi filius fuit natus, Ariſtotelis ætate annum XVIII. tunc agebat. Anno ab V. C. CCCCXXVI. Alexander patri Philippo ſucceſſit in regno.

De Annibale & Aſdrubale regibus Pœnorum, & deſtructione Seguntiæ & ſtrage Romanorum. CAP. VII.

ANNO autem ab V. C. CCCCCXXXIII. à creatione vero Coſſ. anno CCXCIII. Amilcaris rex Afrorum, qui de genere Annæ ſororis Didonis proceſſerat, antiquum dedecus reminiſcens filium ſuum nonum annum ætatis agentem fecit iurare, vt cum primum ad ætatem potentiæ perueniret Romanos pro viribus infeſtaret nec vnquam pacificus illis eſſet: qui cum ad ætatis ſuæ viceſimum perueniſſet cœpit Hiſpanias infeſtare, & multis cædibus laceratas fere ſuo imperio ſubiugauit, & Seguntiam nobilem Hiſpaniæ ciuitatem, Romani populi, tunc amicam, quæ nunc Medina Celim vulgariter appellatur, in odium Romanorum obſidione diutina coartauit: & tamdiu oppugnationibus lacerauit, vt cogerentur cibos vetitos attentare, quibus fere deficientibus, fame non prælio laceſſiti, patres imbelles, mulieres, & paruulos peremerunt, ne vitæ ſeruati ſerui fierent, quos libertatis titulus hactenus adornarat. Demum ipſi prælio ſe dederunt, & plures ex obſeſſoribus occiderunt, & extincti ab hoſtibus cum extinctis patribus liberi deceſſerunt: de quibus Tullius in Paradoxis: *Numquid Seguntini parricidæ fuerunt, qui patres ſuos liberos emori, quam ſeruos viuere maluerunt.* De hoc & Iuuenalis. Pugna Seguntina, itaque iam euerſa montes tranſgreditur Pyrenæos nouem diebus inter gentes ferociſſimas Galliarum labore maximo ad plana Italiæ pertranſiuit, multo exercitu circumſeptus, cui occurrit Conſul Scipio cum exercitu Romanorum. Iſte fuit Scipio genitor magni Scipionis: cumque

iuxta Ticinum cœpiſſet exercitus dimicare, pugna inferior, cæſus eſt fere totus exercitus Romanorum: poſtea autem Scipio Romam rediens reſtaurato exercitu infauſtis præliis ſæpius iteratis cum Annibale eſt congreſſus: ſed in omnibus inferior eſt inuentus. primo vt dixi apud Ticinum, ſecundo apud flumen Ticinum, tertio circa idem, quarto apud fluuium Sarnum: in quo oculum ictu amiſit: quinto apud Traſymenũ lacum: ſexto apud Cannas Apuliæ vicum, vbi ex Romanis 54. millia ceciderũt, & Varro Cos. cum quinquaginta equitibus Venuſium fugiens vix euaſit.

Item de victoriis Annibalis & Aſdrubalis: deq; victoriis Scipionis.

CAPVT VIII.

ANNO ab V. C. I Ↄ XL. ætatis vero 27. Annibal rex Pœnorum in ſignum victoriarum tres modulos annulorum, quos ex digitis præciderat Romanorum Carthaginem deſtinauit: Et tunc Roma bellis plurimis intercepta, quinq; principaliter ſumpſit bella: vnum in Macedoniam, contra Philippũ; aliud in Sardinia contra Sardos: aliud in Sicilia, in quo Claudius Marcellus obtinuit Syracuſam: aliud contra Annibalem, à quo Italia premebatur: aliud contra Aſdrubalem fratrem eius, qui illud modicum quod in Hiſpanias vix euaſerat ab Hannibale omnia deuaſtante, quaſi erucæ, bruti, atelabi & locuſtæ, peſtilentia conſumebat. Contra quem Coſſ. exercitum repararunt, & miſſis fratribus Scipionis cum exercitu Aſdrubali aduenerunt. Ille autem, vt erat pertinax, illis occurrens, victus prælio interfecit, cæſis ab exercitu multis millibus Romanorum. Hi autem qui euadere potuerunt, fugerunt ad municipia Romanorum quæ iam in Hiſpaniis poſſidebãt. Aſdrubal autem in Hiſpania deſidens, vt locuſta quod reſiduum fuerat deuaſtabat. Ciues autem Romani deſperationis voragine iam abſorpti de auxilio deſperabant, eo quod Roma ſic ab Annibale eſſet preſſa, vt potius cedere quam reſiſtere cogitarent. Verum Scipio adoleſcens 24. natus annos patrem & patruos cupiens vindicare, ab vrbe ad mare meatus ſubterraneos fecit fodi, per quos Romani improuiſis in ſtatione nauium aduenerunt, & de exercitu cuſtodiæ nauium deputato, pluribus interfectis cum apparatu & nauibus in Hiſpaniam nauigauit, & *applicatis ad littus citerioris Carthaginis eam cepit, & procedẽs contra Aſdrubalem, victum ſtrenue effugauit, & vſque ad 80. ciuitates & oppida, aut deditione aut bello Romano dominio acquiſiuit: & fere tota Hiſpania ſuis victoriis incuruata Romam rediit cum triumpho, vbi ad conſulatus apicem eleuatus, continuo diſpoſuit in Africam transfretare, ducens ſecum exercitum copioſum, vexillis & inſigniis glorioſum.

*al. applicuit.

De deſtructione Carthaginis per Scipionem. CAP. IX.

CVmq; Carthaginenſes vela venientia eminus proſpexiſſent, iocũdo occurſu demum flebili occurrerunt, putantes Annibalem Romanis domitis cum victoria aduenire, ſed re votiua in contrarium accidente, Hãno qui vice Annibalis præerat Africanis, capeſcere cœpit arma, vt reſiſteret venienti: ſed bello acerrimo interceptus, ipſe cum cæſis occubuit interfectus, & proſtratis incolis pluribus interfectis, pluribus captiuatis, obſidione Scipio Carthaginem circumcluſit. Obſeſſi autem verentes euerſionem Aſdrubali nunciarunt vt fratris copiis iungeretur & ambo fierent obſeſſæ Carthagini in ſuccurſum. Aſdrubal autem procuratis auxiliis Hiſpanorum & aliquibus Gallorum cœpit ad Annibalem proficiſci, ſed à Romano exercitu Annibale ignorante, in Liguria eſt præuentus: & capite mutilatus. Caput autem eius Romani ferentes ante caſtra Annibalis proiecerunt. Quod videns Annibal, & Pœnorum cognita tempeſtate, deliberauit Africæ ſubuenire, & eiulans & iuratus reliquit Italiam, anno XXII. quo eam cœperat obtinere, & nauigans in Carthaginem Scipioni ſe obtulit improuiſus: & bello grauiſſimo inchoato pars Annibalis eſt proſtrata, cæſis & interfectis fere omnibus qui cum Annibale aduenetarant. Annibal autem inter diſcrimina concertantium vix euaſit, & in Bythiniam fugax venit: vbi à Romanorum exercitu iterum impetitus deſperatis rebus veneni poculo ſe necauit. Scipio vero poſt totam fere Africam ſubiugatam, imo verius deuaſtatam, iteratam obſidionem Carthagini reparauit, & eam diutinis ſedibus oppugnauit, & tot incurſibus lacerauit, vt depoſito principatu potius eligeret deſtrui quam rediuiuis calamitatibus reſeruari. Cœpit itaque ciuitatem & ſolo dirutam adæquauit, & incenſam redegit in cinerem & fauillam, habentem à conditione ſua DCCXXXVII. annos, & dies XVII. & ſic euenit vt non tantum præſentia, ſed in ea futura bella deleret, & exinde dictus

Carthago euerſa.

ctus fuit Scipio Africanus: Et regno deleto facta eſt Africa prouincia Romanorum: & bello dupliciglorioſus Pœnico videlicet & Hiſpano Romam reuertitur, de nobilioribus Carthaginis ſecum ducens: quos libertati donatos in regionem Tranſtiberim collocauit, & in ciues Romanos à Senatu & populo ſunt recepti: quorum progenies adhuc hodie ſuam originem recognoſcunt. Duxit etiam Terentium Comicum qui libertatis adeptæ, ſuſcepto pileo, titulum præferebat. Verum quia gens Hiſpana quieſcere neſcia, rebellionem contra Romanos denuo ſuſcitauit. iterum veniens Scipio Africanus maiora prioribus exterminia reſtaurauit, & iterata rebellio iterata ſupplicia deguſtauit, & cædibus & incurſibus ſic totam Hiſpaniam deuaſtauit, * & cædibus Herculis pro dulcedine memorarent. *f. ſtradas* Demum cum per omnes Hiſpaniarum angulos diſcurreret conſumendo in finibus Gallicea morte propria eſt conſumptus, & ibi ſepultus in tumulo, qui adhuc exſtat inſcriptus: *Tumulus Scipionis*. De laudibus Scipionis Tullius libro de Amicitia eleganter: eum commemorans virum multarum fuiſſe virtutum, & à C. Lælio Scæuolæ ſocero multipliciter commendatum: & præcipue in liberalitate & curialitate: in iuſtitia & pietate in fide amicitiæ & ſtudio Reip. & inter ceteras eius laudes dicit quod Conſularis dignitas ei accidit ante tempus, ſed reip. pæne ſero venit: & quod duas Carthagines inimicas reip. euertiſſet.

De Pompeio & Iulio Cæſare. CAPVT X.

DEMVM cum Pompeius Conſulari præminentia fulgeret, nolens Hiſpania obductis cicatricibus reſpirare, profectionem in Hiſpaniam procurauit, & quod euaſerat à gladio Scipionis conſumens feralitas diſſipauit, obtentiſque munitionibus & incolis ſubiugatis Sex. & Pompeium filios cum aliis nobilibus Romanorum præfecit reliquiis Hiſpanorum. Ipſe vero Romam rediens pro obtenta Hiſpania glorioſus parem non poterat ſuſtinere. vnde & Lucanus:

Nec quemquam ſufferre poteſt Cæſarne priorem,
Pompeiusve parem.

Ex aduerſo autem C. Iulius Cæſar eius gener, qui ab Ænea per Iuliam familiam deſcendebat, priorem non poterat tolerare: & hoc diſcidio Reſpubl. conturbata variis ſtudiis trahebatur: & quia Pompeius iam Hiſpaniam ſubiugarat, cœpit aſpirare ad imperium Orientis. Iulius autem cum multis fautoribus abundaret, cœpit Pompeii propoſitum impedire, & ſæculi ſingulare dominium procurare, ſed moderatione aliqua mediante. Iulio Cæſari IIII. prouinciæ fuerunt ſpecialiter adſignatæ videlicet Gallia Tranſalpina, in qua ſunt Mantua & Verona, Brixia, Bergomum atque * Cuma: quæ olim à Gallicis occupatæ Ciſalpina Gallia eſt vocata: nec non & Gallia Comata, quæ à Gallis Gothicis & Vaſconibus habitatur. *f. Comũ Gallia Ciſalpina* Verior tamen antiquorum hiſtoria proteſtatur, non ab alpibus Cæſaris ſed alpibus, quibus Lugdunia & vlterior Gallia ſeparantur, Ciſalpinam & Tranſalpinam Prouincias eſſe dictas: & videtur eſſe probabile, eo quod Cæſar Iulius Gallos & Germanos, & etiam Britones quibus incognitum nomen exstiterat, Romanorum tributarios fecit eſſe: & inde Romam rediens glorioſis acclamationibus eſt receptus, ſed audiens Pōpeio accreſcere proſpera in partibus Orientis, ipſe Tyrrena littora penetrauit, vt Pompeius proſpera perturbaret. Cumque Dyrrachium adueniſſet, qui iam Pompeii imperio ſeruiebat, aduentus Pompeii accidit ex aduerſo: & cum collatis ſignis bella mutua efferuerent, Iulius inferior eſt repertus, vt Paulus Oroſius atteſtatur: qui cum pedis retrograda veſtigia ignoraret, ad eam quæ Theſſalia dicitur, prouinciam ſe conuertit: in qua Pompeii potentia ſpecialibus efflorebat: & reparato exercitu cum his qui in Scythiam nauigarant, cum pro Pompeio iterum in campis Emathiis concertauit: ſed quia Pompeius ante iſta in Hieruſalem templum Domini profanarat: qui hactenus fuerat victor, miſerabiliter fuit victus: & inde fugiens in Theſſaliam anno XII. ante æram conditam, ſcilicet nono anno ante regnum Octauiani Auguſti reparato exercitu, bellum etiam reparauit, & in hoc exercitu Gothi, Æthiopes, Iudæi, Perſæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ Orientis gentes in Pompeii auxilium aduenerunt. Cumque ad inuicem diſcertaſſent, Gothi ceteris fortius reſtiterunt: quorum Cæſar virtute & copia conturbatus, fertur fugæ ignominiam cogitaſſe, niſi noctis ſubſidium timori prælio ſuccurriſſet, & ſequenti die metu in inuicem comparcito, exercitus ab inuicem receſſerunt. Tunc Cæſar ait: Nec Pompeium ſcire vincere, nec Cæſarem poſſe vinci. Nam ſi Pompeius vicem noſſet, hodie cum tam aſperimis taris Cæſarem ſuperaſſet. Sed paucis diebus poſtmo-

dum interiectis impatientia cupidæ poteſtatis bella ciuilia reparauit, & victus Pompeius à ſolita victoria alienus, & à Theſſalia effugatus iuit ad Ptolomæum Dionyſium Regem Ægypti auxilium petiturus: ſed vt erat verſutus timuit: quod ſi tantum principem liberaret, poſſet in ſui exterminium redundare. Romani enim, quos primo amicitia allexerunt, in ſeruitutem poſtmodum redegerunt, & cum Pompeium ad conuiuiũ inuitaſſet, inter epulas interfecit. Iulius autem Cæſar Pompeii fugam magnanimiter inſecutus, regnum adiit Ptolemæi & audiens Ptolemæus, timore ſollicitus prætendebat ſe cauſa Cæſaris hoc feciſſe: & regnum Cæſari promittebat, & ad familiares delicias inuitabat, vt ſic Pompeiũ, ſic dolo Cæſarem faceret interire. Sed Cæſar oblatæ fidei fœdera recuſauit, ſuſpicione calumnians Ptolemæum. Ptolemæus autem intelligi ſe conjiciens, contra Cæſarem mouit Cleopatra. bellum: ſed Cæſaris victoria comprehenſus, mortem ſuſtinuit: quoniam paratam. Hic Ptolomæus habuit filiam Cleopatram, & filium Ptolemæum. Cleopatra autem patre occiſo fratri nupſit, vt regni particeps conregnaret: ſed cum Cæſar Alexandriam obſediſſet, occurrit ei fratrem virum moliens defraudare, & per ſpeciem & ſtuprum regnum ſibi & ſcite *necem fratri à Iulio Cæſare impetrauit. Cæſar autem negociis* Scythiæ ordinatis, & nepotes Pompeii & filiam Pompeii iuſſit occidi, & Alexãdriæ intrans mare, aura placida venit Romam, & factus eſt Cos. quartum; vbi aliquandiu demoratus, & ſtatu Reipubl. ordinato in Hiſpaniam eſt profectus contra Cn. & Sex. Pompeii filios pugnaturus, & ſeptimo die quam vrbem exierat peruenit Segunthum, Hiſpaniæ oppidũ, quod nomine mu-Segunthus. tato dicitur nunc Almanarum, & patet ex eo quia vallis eiuſdem oppidi vallis Segunthi & Seguntia. ab antiquo nomine nuncupatur: quia ſi de Segunthia ciuitate vel Medinam Celim, quæ creditur fuiſſe Segunthia, propter magnitudinem & ædificiorum veſtigia quæ apparent, quantumlibet veloci nauigio poſſibile vix videtur. tamen antiqui libri habent. XVII. die peruenit Segunthum in Hiſpaniis plurimis cædibus diſcurrebat, vt dicit Lucanus:

Cæſar in arma furens nullas, niſi ſanguine fuſo
Gaudet habere vias.

Et Bruto ſub eo Maſſiliam impugnante, cum Iulius Cæſar veniſſet Ilerdam, qui intus inerant, reſtiterunt. Petreyus enim Afranius ſub Pompeio in Hiſpania conregnantes, eam armis communibus tuebantur: ſed plurimis hybernarum inundationibus pluuiarum Sycoris intumeſcens latitudine non ſueta diſtulit diu bellum. Vt autem tertia ſerenitas denſitatem nubium effugauit, & fluuius rurſus intra fines aluei ſe recepit, Cæſar amnem ſyluarũ. claſſe viminea pertranſiuit & dictos duces ad opes finium *montanorum fuga celeri feſtinantes curſu promtiſſimo præpediuit: & eoſdem cum ſuis exercitibus vniuerſis intra cuiuſdam arentis vallis anguſtias coartauit, vt ſiti acerbiſſima tam duces quam exercitus pervrgente, vitam propriam abhorrentes, Martem laceſſere tentauerunt: vt ſitis acerbitatem mortis compendio terminarent. Quod Cæſar intelligens, eis honeſtam mortem ſagaciter deuiauit, ſuos ab omni conflictu pertinaciter cohibendo, donec hoſtibus tepeſceret iræ feruor, & animis languentib. arma dimitterent, & ſubmiſſis ſignis imperio Cæſaris ſe offerrent. Quo peracto duces miſerabiles meruerunt a Cæſare impetrare, ne in partes de cetero traherentur, ſed ſolum eſſent bellorum ciuilium ſpectatores; quod etiam in eiuſdem Lucani lib. VI. tangitur, vbi dicit:

Non Vticæ, Libyæ clades, Hiſpania ne ...
Fleſſet,

Inde procedens aduerſus filios Pompeii & T. Labienum, & Accium Varum: plurima varia ſorte bella geſſit. Interim autem infelix Hiſpania, quidquid principes delirabant, miſera plectebatur. Vltimo autem Cæſar cum Pompeianis iuxta Mundam fluu. eſt congreſſus & adeo fuit acriter dimicatum vt imminentis mortis præuenire ſupplicium cogitaret, cum videret exercitum cedere Pompeianis: & qui iam quinquaginta ſex annis victor exſtiterat, in manus hoſtium nõ veniret: ſed populo ſuo ad ſe reuerſo pugnam fortius reſtaurauit, & Sex. fil. Põpeii maior fugiens interfectus: Cneus cum centeno milite vix euaſit. T. Labienus & Accius Varus, vita & fugæ ſubſidio caruerunt. Fauſtus & Sylla iubente Cæſare trucidantur, ſemetipſos T. Torquatus & Scipio iugularunt, Cato fautor Pompeii ne Cæſari ſubiaceret, audita ſtrage apud Vticam ſe occidit. Munda ciuitas immenſa cæde hominum cruentata oppugnante... Quod fuerit Munda ciuitas ignoratur: Ab aliquibus dicitur eſſe Conimbria quæ a Mundego flu. dicta Munda. poſtea à Cæſare Conimbria fuit dicta, eo quod incolæ acri pugna ciuitatem Cæſari conniuerunt: vnde & à Conniuentia Conimbria nomen habet, & Mondego dicitur, quaſi Mundam

Mundam agens. Alii relationibus inhærentes dicunt Mundam eum fluuium quem nunc dicimus Durationem, & ſeptem publicam eſſe Mundam: quæ primo dum a ſeptem publicis mulieribus, quæ eam primitus habitarunt: ſeptempublica fuit dicta. Lector eligat quibus credat. Cæſar itaque de bellis ciuilibus quatuor annis in Hiſpania geſtis, Romam rediit. In iſto reditu à Senatorib. occidendus: & Hiſpania flebilis remanſit omnium trans eum pedibus concultata, & variorum præſidum tyrannide lacerata. *Septem publica Vrbs.* *f. tranſeuntiū*

Ioannes Gerundēſis etiam ait R[illegible]dericum hiſtoricum incipere ab Hercule, vt hic:

Prologus in Hiſtoria Hugnorum, Vandalorum, Sueuorum, Alanorum, & Silingorum. Hinc:
Prologus in *Hiſtoria Oſtrogothorum*. Poſt: Hiſtoria Arabum Roderici Ximenes, cuius & hæc eſſe puto: vt & lib. IX. *Gothica Hiſtoriæ*, qui vulgo *rerum Hiſpanicarum Chronicon* inſcribuntur: Ex M. S. Cod. antiq. Toletano, in quo hoc ordine hæc leguntur: non vt in editis. Toleti CIↃ.IↃ.LXXXIII.

Andreas Schottus.

PETRI PANTINI DE DIGNITATIBVS ET OFFICIIS REGNI AC DOMVS REGIÆ GOTHORVM.

COMMENTARIVS.

OPERÆPRECIVM nos facturos exiſtimauimus, ſi Commentarium hunc de dignitatibus, ac Palatinis officiis, aliiſque inferioris ordinis muneribus Gothorum contexeremus. Quod videamus rem cognitione non indignam, & plurimum lucis hiſtoriis Hiſpaniæ, & ſubſcriptionibus virorum ex officio Palatino Conciliiſque ipſis & legibus allaturam.

DVX.

INTER præcipuas Palatinorum dignitates, Dux apud Gothos ſemper primum locum obtinuit, vocaturque à Iuſtiniano ſpectabilis dignitas; cuius, vt vis nominis oſtendit, id potiſſimum munus erat, vt in prouinciis, bello ducendo gerendoque præficeretur. Vnde Germani ex nobilitate Duces, & ex virtute ſumebant, ad illoſque in illa prouincia ſumma rerum deferebatur. Is enim fuit Gothorum mos, Paullo Æmilio teſte, lib. 1. hiſtor. Franc. in Chereberto, cuiq; vrbi Magiſtratum dare, qui Dux appellaretur. Eum autem quem Romæ præficiebant, vocabant Præſidem. Hinc Dux Tripolitanæ, & Bizantinæ prouinciæ, & Mauritaniæ, ac Numidiæ, lege final. Cod. de offic. Præfect. Prætor. Sic etiam Dux Roethici apud Vopiſcum in Bonoſo, & Dux limitis Scythici Illyriciani, Thracii, & Orientalis apud eundem in Aureliano. Ita & Claudius, ſub Witterico, Dux Emeritenſis; Paullus, ſub Wamba, Dux Narbonenſis. Patet id ex Caſſiodoro libr. 7. in formula Ducatus Rhoetiarum, his verbis. *Ideoque validum te ingenio, ac viribus audientes, per illam indictionem Ducatum tibi credimus Rhoetiarum; vt milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolenni alacritate circumeas. Quia non paruam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri. Ita tamen, vt milites tibi commiſſi viuant cum Prouincialibus iure ciuili: nec inſoleſcat animus qui ſe ſentit armatum: quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis.* Et libro primo Cod. de officiis Præfect. Afric. leg. 2. mandat Iuſtinianus Ducem in Sardinia ordinari, vt gentes barbaricas ab ea, militibus ſuis arceret, prouinciamque ab omni hoſtium incurſu tueretur illæſam. Habebat etiam Dux cum belli muniis, ciuilem adminiſtrationem coniunctam; idque cum ex aliis, tum ex Caſſiodoro colligere licet apud quem libr. 4. variarum, Theodoricus Rex Ibæ Duci in hunc modum ſcribit. *Præſenti tibi auctoritate præcipimus, vt poſſeſſiones Narbonenſis Eccleſiæ, ſecundum præcelſæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet peruaſoribus occupa-*

ſæ teneatur, æquitatis facias contemplatione reſtitui. Quoniam verſari nolumus in Eccleſiæ diſpendio præſumptiones illicitas: dum noſtra deceat tempora, ſedare confuſa. Eſto contra talia omnino ſollicitus: vt qui es bello clarus, ciuilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo iuuante, corroboras, ſi iuſtitiam mediocribus ſeruare contendas. Improbis enim potuiſſe reſiſtere, non præualeſ excuſare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem glorioſum in bellorum certamine cognouerunt. Idem etiam Caſſiodorus indicat libro primo Variarum, vbi Theodoricus Rex Seruato Duci Rhetiarum ſcribens epiſtola vndecima iubet, vt mancipia, quæ Maniario cuidam à prędonibus ablata ferebantur, ſua auctoritate, ſine mora curaret reſtitui. Et libr. 5. epiſtol. 33. Wilitancho Duci Theodoricus Rex expreſſe mandat, vt in adulterum. Brandilam, ſecundum legum præſcripta inquirere ne differret. Conſtat id ipſum ex legum Wiſegothorum libro 2. titul. 1. leg. 17. qua cauetur, vt Dux prouinciæ, eos, qui non accepta poteſtate auſi ſunt iudicare, acriter per ſe, vel per alium coerceat. Et lege ſequenti iubetur Epiſcopus qui honore Sacerdotali fretus, admonitionem iudicis contemnens, pro perſona ſua aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim a iudice negotii, ſeu à prouinciæ ſuæ duce, vel Comite compulſus, quinquaginta ſolidorum damnum excipere. Atque hæc de Ducis officio dicta ſufficiant. Poſt quem in dignitatis ordine Comitis proxime honor ſequebatur. Sic Cicero in Lælio de amicitia, loquens de Scipione ait: facile ducem populi R. non comitem diceres.

C o m e s, vt Spartianus eſt auctor in Adriano, inde fluxit; cum enim Adrianus Senatum in aulam ſuam tranſtuliſſet, receptis Senatorum optimatibus in amicorum cohortem, quæ ſuperiorum Imperatorum temporibus conſtare ſolebat ex equeſtri ordine, non Senatorio, ita domeſticum quemdam Senatum penes ſe habere cœpit: qui quoniam is continuatis pene delectaretur peregrinationibus, Comitatus Cæſaris dici cœptus eſt: & ipſi amici, Comites: eorum conſiliis, atque ope in bello & pace vſus. Inde Comites largitionum, rerum priuatarum, & ceteri, dicti ſunt. Et non ſolum ii qui perſonam principis ſequebantur, & officia in aula exercebant Comites dicti ſunt; ceterum & alii ita appellati, qui ad adminiſtrandas, vel regendas prouincias & Reſpublicas mittebantur, & ad regni limites cuſtodiendos; qui Comites rei militaris dicuntur; qualis fuit Riſtanus domeſticorum Comes, qui ad Gallos miſſus fuit, vt refert Gregorius Turneb. libro 2. hiſtor. capite 10. Vnde Verus Imperator, vt Iulius Capitolinus eſt auctor in Vero, confecto bello, Regna Regibus, prouincias vero Comitibus ſuis dedit regendas. Extat in iure titulus de Comitibus, qui prouincias regunt libro 11. C. titul. 14. Illud animaduerſione dignum, quod antiquitus creabantur Comites annulo tradito cum adamantis gemma: apud Hiſpanos vero aliter, offa in aquam iniecta, inuitatus à Rege comedebat, populo ter acclamante, *Dua del Conde*. Non abs re erit ponere quod à Cornelio Frontone grammatico dicitur de Comite: *Comes iter facit; Aſſecla ſequitur potentiorem; Sodalis adoleſcentiæ nomen eſt; Cliens implorat opem & fidem. Ita Comes tutus; Aſſecla officioſus; Sodalis amicus; Cliens ſubmiſſus.* De Comitibus etiam in prima Part. Regis Alfonſi titu. primo leg. vndecima. cautum, nomenque deductum video, & à D. Thoma 1. de regimine Principum. Et ſicut Ducis in bello, ſic Comitis potiſſimum in pace, ciuilique adminiſtratione elucebat officium, (erat enim maior dignitas Ducatus, quam Comitatus, & ideo ex Comitatu fit erectio in Ducatum, pro magno munere, ſicuti ex Duce in Regem:) quorum tamen neutri ita adſtringebatur, quin vtrunque ſimul cum res ferret, per ſe vel per alios adminiſtraret. Prioris apud Caſſiodorum libro ſeptimo in formula Comitiuæ Gothorum per ſingulas prouincias, illuſtre extat exemplum, ad hunc modum. *Cum Deo iuuante ſciamus Gothos vobiſcum habitare permixtos; ne qua inter conſortes, vt aſſolet, indiſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus illum ſublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem deſtinare. Qui ſecundum edicta noſtra inter duos Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gothum & Romanum, natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtinguere. Libro etiam legum Wiſegothorum, & titulo ſecundo leg. duodecima ita cauetur. Nullus iudex cauſſam audire præſumat, quæ legibus non continetur; ſed Comes ciuitatis, vel iudex, aut per ſe, aut per executorem ſuum conſpectui Principis vtraſque præſentare partes procuret, quo facilius & res finem accipiat, & poteſtatis Regiæ diſcretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inſeratur.* Lege etiam decimaquarta libro & titulo iiſdem, oſtenditur, Comitem per commiſſoriam, aliis iudicibus, quos ſub ſe habebat, iudicandi ſuas vices poſſe concedere. Quorum iudicum tanta erat auctoritas, vt querelantis aduerſarium, (ea ſunt legis verba) admonitione vnius epiſtolæ vel ſigilli, ad iudicium venire poſſet compellere, grauesque

mulctas, id facere per negligentiam, aut contemptum differentibus, inferre. Liquet id ex leg. decima octaua libro & titulo citatis. Si vero iudex in officio ſuo, per negligentiam, aut quod munere corruptus eſſet, ceſſaſſe deprehenderetur, à Comite ciuitatis acerbiſſime caſtigabatur. Habes exempla libro tertio legum Wiſegothorum titulo quarto leg. decima ſeptima. Quod ſi Comitem à ciuitate ſua abeſſe contingat, relinquebat ſuo loco PRÆPOSITVM, qui ſi quid grauius, quod ad Comitis relationem, iuriſdictionēue pertinet, emerſiſſet, id Comiti ſtatim per litteras indicabat; vt liquet ex leg. quinta titulo ſecundo libro nono legum Wiſegoth. Atque hic ni fallor eſt, qui libro ſecundo legum Wiſegothor. titul. primo leg. vigeſim. tertia. VICARIVS COMITIS appellatur; qui abſente eo, vice eius fungebatur; à quo, ſi forte quis eum ſuſpectum habuiſſet, licebat apud Principis audientiam, alium iudicem appellare. Atque inter hanc ciuilem adminiſtrationem, bellica etiam munia procurabat. Habebat enim Comes, præſertim, qui ciuitati, aut portui, ſiue alii loco, cui ab hoſte periculum timeri poſſet, præficeretur, ſub ſe milites, quibus ad ſubita belli ſemper paratus occurreret, videretque ne quid Reſpubl. detrimenti caperet. Quod ex Caſſiodoro libro ſexto formula Comitiuæ diſces. *Militum*, inquit, *numerus tibi noſtris ſeruit expenſis. Redderis inter arma geniatus: proceſsio tua, procinctualis ornatus eſt: exercitu vteris pacato; nec pericula belli ſubis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc, ciuilem cogita diſciplinam: non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes. Et infra: Pro ſecuritate ſe omnium cognoſcat electum, qui ſe gloriatur habere armatum. Et formula Comitiuæ Neapolitanæ: Prætoria tua officia replent; militum turba cuſtodit. Sed tot teſtes pateris, quot te agmina circundare cognoſcis. Præterea littora vſque ad præfinitum locum data miſsione cuſtodis. Et apud eundem libro primo. Theodoricus Rex Aſsio Comiti iniungit, vt militem neceſſariis armis inſtruat. Illuſtris,* (inquit) *ſublimitas tua Salonitanis militibus, vt cuique ſe expediendi facultas obtulerit, pro noſtra miſsione arma neceſſaria procurabit.*

Præpoſitus Comitis.

Porro tantam in rei militaris adminiſtratione auctoritatem obtinebat, vt cum in cauſſis ciuilibus ei VICARIVS PRINCIPIS (eum intellige, qui principis vice fungitur) præferretur; in bellicis negotiis hic eidem anteponeretur. Cod. libro primo titulo trigeſimo octauo leg. prima. & hactenus quidem breuiter de Comitis officio in genere egimus. Nam alia multa eidem incubuiſſe munera, ex nominum, quæ ei adiunguntur, varietate, facile cognoſcitur. Fuit enim Comitis tam generalis appellatio, vt quicunque à Principe inſigni alicui officio præficeretur, ab eo fere Comes nuncuparetur. Idque ex Caſſiodoro, Ammiano Marcellino, Eutropio, aliiſque poſterioris æui, atque inclinatæ iam, proſtratæque Reipublicæ Romanæ ſcriptoribus, aperte eſt cognoſcere. Quos omnes, ne prolixus ſim, miſſos faciens, eas duntaxat Comitum ſpecies recenſebo, quas à Gothis noſtris, hoc eſt qui in Hiſpania rerum potiti ſunt, vſurpatas inuenio: vbi tamen prius illud adiecero, quod Carolus Magnus decreuit leg. ſecunda Regum Franc. cap. 6. de Comitum ſtudio & diligentia pro vtilitate Eccleſiarum conſeruanda; quod vtinam noſtris temporibus Galli proſpicerent, vt ad meliorem mentem, diabolica fraude decepti redirent. *Vobis*, (inquit) *Comitibus dicimus, voſque commonemus, quia ad veſtrum miniſterium maxime pertinet, vt reuerentiam & honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ exhibeatis, & cum Epiſcopis veſtris concorditer viuatis, & eis adiutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & vt vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & iuſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publice fieri decernit, vt in veſtris miniſteriis ſtudioſe perficiantur ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, vt memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii veſtri vobis commiſsi, in pace ſcilicet & iuſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo, & coram hominibus tales exhibeatis, vt & noſtri veri adiutores, & populi conſeruatores iuſte dici & vocari poſsitis; & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia, ab ſtatu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter proximum, & proximum ſemper iuſte iudicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adiutores ac defenſores, & ſanctæ Dei Eccleſiæ vel ſeruorum illius honoratores, iuxta veſtram poſsibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate, & violentia in furto & latrocinio, ſiue rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite. Et ſi aliqua perſona, in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; vt veſtra auctoritate adiuti, miniſterium veſtrum digne adimplere poſsitis.* Nunc igitur, vt ad inſtitutum redeamus, primo loco ſe offert COMES SANCIARVM: cuius in

Vicarius Principis.

Concilio Toletano non obſcura fit mentio. Subſcribunt enim ibi Wadamirus Comes Scanciarum & Dux: Reccaredus Comes Scanciarum & Dux: Egica Comes Scanciarum & Dux: Sumefredus Comes Scanciarum: Adeliubus Comes Scanciarum: Salamirus Comes Scanciarum. Agnoſcitur & Scanciarum Comes in priuilegio quodam Complutenſi antiquiſſimo. Hunc nonnulli poculis, alii vniuerſis epulis Regis præfectum fuiſſe contendunt. Hodie vulgari Hiſpanorum lingua, Scanciar, eſt bibere. Apud Adonem Viennenſem inuenio ſolitos inſtitui ſeu creari Duces per impoſitionem cauſiæ ſeu pilei aurei Ducalis, vnionibus ornati: Marchionis tradito annulo, in quo eſt pyropus, ſeu rubinus, qui quidem eſt ſpecies Carbunculi: Comites ea ratione, qua ſupra diximus: Vicecomites virgula deaurata: Barones vexillo decurtato, ſeu labro.

Theſaurorum Comes. THESAVRORVM COMES is fuit qui dicta lege vnica, & leg. finali. C. de ſuſcept. lib. 10. Comes aerarii appellatur, Theſauris videlicet Regis præpoſitus. Concil. 13. Tolet. Iſidorus Comes Theſaurorum ſubſcribit.

Comes Patrimonii. COMES PATRIMONII, qui Regis Patrimonium, poſſeſſiones, menſamque procurabat. Vnde & Procurator a Lampridio dictus in Commodo. Meminit de hoc Caſſiodorus libro primo variarum & 4. & 6. ad Iulianum Comitem ſcribente Theodorico. Habes de eo titulum in Codice cum inſcriptione de officio Comitis Sacri Patrimonii, cui à Principe facultas conceſſa fuit, pro ſubleuandis, non pro premendis priuatorum fortunis, vt habet Caſſiodorus libro octauo. Hic ad munus rectius exequendum milites ſub ſe habebat, vt oſtendit idem eodem loco. Videtur & Regiis epulis ordinandis curam adhibuiſſe. Nam & Caſſiodorus ibidem ſic ſcribit: *Nam & ſi epulas noſtras ſolicita ordinatione diſponas, non ſolum noſtro palatio clarus, ſed & gentibus neceſſe eſt reddaris eximius.* Subſcribunt in Concilio decimo tertio Toletano. Vitulus Comes Patrimonii & Toletano decimo octauo. Vitulus vir illuſtris, Comes Patrimonii & Dux. Eſt etiam in Concilio decimo tertio Toletano.

Comes ciuitatis Toletanæ. Waldericus COMES CIVITATIS TOLETANÆ. Is etiam vocatur Rector rerum publicarum: vt in Conc. Hiſpal. 2. dicitur de Siſiſclo Rectore Rerumpub. Et apud Caſſiod. lib. 7. Comitiuæ Romanæ formulæ, & Comitiuæ Rauennatis: formula etiam Comitiuæ diuerſarum ciuitatum: & libro nono. Comes Siracuſanæ ciuitatis. Horum Comitum, vt ſupra monſtrauimus, vtque Caſſiodor. libro ſeptimo variarum oſtendit, id officium erat, ciues vrbanos æquitate regere, & publicarum ordinationum iuſſiones conſtanter adimplere. Rodericus Bibarius, hoc eſt, Dominus à Mauris honoris cauſa appellatus, fuit Comes Toletanus. Et in regno Luſitaniæ hodie Comites multi nominantur ex ciuitatibus Regiis, in quibus antiquitus ius exercebant. Quam conſuetudinem Galli obſeruarunt. A Romanis prouinciæ Comitibus diſtinctæ erant. Vide titul. de Comitibus qui prouincias regunt libro 11. Cod. titul. 14. Quis vero fuerit Comes vrbis Romæ, & quod eius officium, altioris indaginis eſt.

Comes Notariorum. COMES NOTARIORVM is erat, qui Notariis, id eſt, à Principis ſecretis tabulis præficiebatur. Quod intelligi videtur ex Caſſiodoro libro ſexto in formula Notariorum, his verbis: *Regis conſilium ſolos decet ſcire grauiſſimos; mutari debent armaria quæ continent monumenta chartarum: vt quando ab ipſis aliqua instructio, quæritur, tunc loquantur: Totum autem diſſimulare debent quaſi neſciant ſcientes.* Probatur etiam ex libro Cod. duodecimo titul. de Primicerio Notariorum, vbi expreſſe hoc verbum pro ſecretariis Principis vſurpatur. Non diſſimilis dignitas fuit eius quem poſterior ætas etiam Cancellarium appellat; idque in Caſſiodoro videre eſt, qui ex perſona Regis libro vndecimo ita ad Cancellarium ſcribit. *Conſiſtorii noſtri decreta fideli integritate cuſtodias: per te præſentandus accedat: per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis innoteſcat: iuſſa noſtra ſine ſtudio venalitatis expedias*, & alia. Quamuis hodie in Regnis Hiſpaniæ & Galliæ diſſimilis huius muneris eſt functio: etiamſi pro ſcriba vſurpetur in conſtitutionibus Caroli Magni, & Lotharii. Concil. 13. Toletan. ſubſcribitur à Notario Exila: Comes Notariorum. In notitia prouinciarum aliquoties fit mentio Primicerii Notariorum; qui & Notariorum Decanus, & Protoſcribarius. Et in Romana curia is erat, qui diem datus adiiciebat diplomatibus pontificalibus.

Comes Spathariorum. COMES SPATHARIORVM, Cuſtodum corporis Regii præfectus. Hunc & Protoſpatharium appellatum fuiſſe exiſtimo. Cuius meminere Conſtantinus Hermenopolitanus libro decimo & Zonaras annal. 3. à *Spatha*, qua voce Apuleius pro gladio maiore ac latiore vtitur: nam minorem breuioremque *Semiſpatham* Vegetius in libro de re militari appellari teſtis eſt. Vtitur hac voce etiam Spartianus in Adriano & Trebellius

bellius Pollio in epiſtola Claudii ad Brocum, *tecta ſunt*, (inquit) *flumina ſcutis, ſpathis & lanceolis.* & legum Wiſegothorum lib. nono titul. ſecundo. vltim. decernitur, *vt Dux, Comes atque Gardingus, aliique quos ſecum ducunt in bellum, partim ſint* Zauis (extat ea vox etiam in Macropolis Mauricii cuiuſdam, qui de Romana militia Græce ſcripſit) *& loricis muniti; partim ſcutis, ſpathis, ſeramis, lanceis ſagittiſque ſint inſtructi.* De Spatha ſcribit Iſidorus libro Originum decimo ſeptimo capit. ſexto *dici à paſſione, nam* πάθειν *pati eſt, eo quod ſcindat, & dilaceret: vel ex eo quod ſit ſpatioſa, & ampla latiorque.* Spathariorum vero dignitatem maximi honoris fuiſſe ex eo conſtat, quod multos Duces ac Comites hanc geſſiſſe inueniamus. Sic in Concilio decimo tertio Toletano Guilingus Spatharius, & Comes: Traſericus Spatharius, & Comes: Altericus Spatharius, & Comes Siſimirus Spatharius Comes, & Dux, ſubſcribunt. Quoniam vero in *Spatharii* mentionem incidimus Iulianum Roderici Regis Spatharium, Ducem Tingitaniæ, non Spartarium fuiſſe exiſtimo, hoc eſt, Carthaginenſis ciuitatis Comitem, ex eo non fuiſſe appellatum quod regio illa, vt ex Plinio atque aliis conſtat, ſparti multitudine abundet. Neque enim dubito quin Spartarius vocis ſimilitudine dicatur, qui Spatharius & Comes dicendus erat. Spatharii definitionem ita Cedrenus extulit σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ ἐστιν iiſdem nimirum verbis, quibus eius vocis notionem ſupra explicauimus. Quanquam alii ſecus de hoc eiuſque officio ſentiant. Scribunt Neoterici *Spatha*, antiqui ſine h. efferebant, ſcribebantque.

Comes cubiculi. Comes cvbicvli, ſeu Comes Cubiculariorum eſt, eorum qui cubiculi Regii curam gerunt, præpoſitus: hunc Xiphilinus πρόκοιτον appellat. Cubiculariorum mentio eſt, leg. 63. de legat. 3. & leg. 203. ff. de verborum ſignificationibus. Quanquam ibi pro ſeruis tantum cæteris conditione potioribus accipiuntur: hic vero ingenui ſunt, & inſignem adiunctam dignitatem habent. Quæ dignitas hodieque in Regum aulis durat, *Camareros* vulgo vocamus Concil. decimo tertio Toletano. Argemirus Comes Cubiculi ſubſcribit & Atulfus Comes cubiculariorum. *Cubicularius* à Grammaticis, vt ex Soſipatro conſtat, dicitur Cuſtos cubiculi: *Cubicularis* vero lectus, cubiculo aptus. Iſidorus lib. Origin. 15. cap. 3. *Cubiculum quod eo cubemus, ibique dormientes requieſcamus: Cubile vero locus cubandi.*

Comes ſtabuli. Comes stabvli, qui equorum principis curam gerebat, dicitur etiam Magiſter equitum. Hic ex Aimonio Monacho libro tertio capit. vigeſimo videtur eſſe quem vulgo *Coneſtabilem* appellamus: eius hæc ſunt verba. *Leudegeſilius Regalium præpoſitus equorum, quem vulgo Coneſtabilem vocant.* Sic & Regino Monachus annal. libro tertio *eodem anno* (inquit) *Burchardum Comitem ſtabuli ſui (quod corrupte Conſtabulum appellamus,) cum claſſe miſit Corſicam. In eum omnem belli curam Princeps reiiciebat.* Eruditiores vero, quique harum rerum inquiſitioni plus operæ impendunt, eum vere hoc nomine cenſeri putant, qui apud nos *Cauallerizo maior* appellatur. Vtut eſt dignitatem hanc maximo olim in pretio fuiſſe, ſatis vnus Ammianus Marcellinus oſtendit, de Valentiniano loquens, qui Valentem ſtabulo cum tribunatus dignitate præfecit. Hunc ſuperioribus temporibus πρωτοστράτορα Græci dixerunt: vt Zonaras clare libro annal. tertio aſſerit his verbis: *Theophilus igitur Baſilio delectatus (erat enim formoſus, procerus, & manu promptus, agiliſque, ac promiſſum capillum; eumque criſpum alens) ſuis equiſonibus ipſum præfecit. Quod muneris, qui adminiſtrat, communiter protoſtratora appellamus.* Et Cedrenus: *Michaeliſque, qui ante ipſum fuerat, equiſonum præfectus primus, quem protoſtratora nuncupant.* In Concilio decimo tertio Toletano. Giſclamandus Comes ſtabuli ſubſcripſit. Alii vero dicunt Comitem ſacri ſtabuli dici, qui curam palatii habebat, & ſcholarum, armorum, & domus Regiæ cum adminiſtratione & ſine adminiſtratione Prouinciarum, vt conſtat. libro primo de Comitibus & tribus ſchol. libro duodecimo titulo vndecimo, habereque in vna dignitate curam militiæ & domus. Verum cum Comites ſacri ſtabuli grauioribus erant intenti negotiis, curam ſtabuli alii demandatam fuiſſe, atque ita vnam dignitatem in duas diuiſam, atque partitam. Apud Caſtellæ Reges dignitas eſt inſignis, ſine adminiſtratione tamen, ac titulo tenus. Primus Comes ſtabuli fuit Alphonſus Marchio Villenæ filius Infantis Aragoniæ Petri; cui ſucceſſit Petrus Comes Traſtamaræ: tempore Regis Henrici tertii. Tertio tradita Roderico Daualos viro inſigni, & claro homini; qui à Ioanne ſecundo Henrici filio proditionis falſo damnatus, boniſque eius in ſectionem datis, ſequens Henricanas partes, exul Valentiæ diem extremum clauſit. Cui ſucceſſit Aluarus Luna, infelicior, cuius vitæ triſtis exitus, infamauit aulæ opulentiam, & Regum intimam conſuetudinem.

Comes exercitus.

Comes exercitus, qui lib. 1. Cod. de officio Vicarii, & l. Nemo. C. de Aſſeſſoribus, Comes militum & Comes rei militaris appellatur, vniuerſis legionibus, caſtriſque præficiebatur, habebatque abſolutum in milites imperium. Hoc ipſum munus exercebat apud Romanos Tribunus militum; videlicet vt militem dicto audientem haberet, ad exercitationes deduceret, & in ſtationes & hyberna mitteret; clandeſtina cum hoſtibus colloquia vetaret, nouarum rerum auctores ſupplicio afficeret, pabulationes, frumentationeſque curaret, militi ne arma, ſtipendia, cibaria, commeatuſque deeſſent. prouideret: breuiter ſummæ in exercitu rerum præeſſet. De hoc Conſule Caſſiodorum libro ſeptimo, formula Comitiuæ Principis militum. Hic apud Gothos alio vocabulo Præpoſitus hoſtis, ni fallor, appellatur. Idque colligi ex leg. ſexta titul. ſecund. libri noni legum Wiſegot. videtur: vbi vtraque appellatio, vni eidemque tribuitur. Verba legis hæc ſunt: *Quod ſi contigerit vt ipſe Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam ſuam non habens, aut forſitan nolens, annonas eorum dare diſſimulet, Comiti exercitus ſui querelam deponat, quod annonas eorum diſpenſatores tradere noluerint: & tunc ille Præpoſitus hoſtis hominem ad nos mittere non moretur.* Atque hæc ſunt quæ de Comitum varia appellatione, officiiſque à Gothis in Hiſpania regnantibus vſurpari ſolitis, in tanta Gothicarum rerum obſcuritate, ex Conſiliis, legibus, priuilegiis, aliiſque veteribus monumentis elicere potui. Vir quidam doctiſſimus Comitem *Sacrarum reliquiarum* apud Gothos fuiſſe exiſtimabat, forte quia legerat apud Caſſiodorum aut alios, *Comes ſacrarum*. Ego vero & apud Caſſiodorum, & Iuſtinianum *Comes ſacrarum* lego, id eſt largitionum: cuius præcipuum officium erat. Vt princeps per eum ſuam liberalitatem, & magnificentiam exerceret; indulgentias daret; & militibus ſtipendia, & donatiua populo Kalendis Ianuariis, nomine principis elargiretur. Et hic vtpote Auguſtalis habebat ſub ſe iudicem Sacrarum largitionum, & Prouinciarum ceterarum largitionum Comites: vt erat Comes ſacrarum largitionum per Illyricum, per Orientem, & Comites etiam Commerciorum per Orientem, Ægyptum, Myſiam demum, & alias prouincias. Hunc donis præſidere Regalibus Caſſiodorus ait libro ſexto Variarum capite ſeptimo. *Huius*, inquit, *actus, innocens pietatis officium, illud ſemper ingerere, vnde ſe fama Principis poſſit augere. Nihil per hunc diſtrictum geritur: nihil ſeuerum, forte cenſetur; ſed tunc obſequitur, quando Principi vota funduntur. Per hunc Princeps ſupplicum fortunas erigit, Kalendis Ianuariis dona largitur: monetam hic Regii vultus figura conſignat: Iudices Prouinciarum ſub ſua poteſtate coercet. Negotiatores ſubiectos habet: veſtis ſacræ curam gerit; ſalis commercium huic deputatur, denique quidquid in veſtibus, quidquid in ære, quidquid in argento, quidquid in gemmis pretioſum eſt, huius ordinationibus obſecundat.* Hactenus Caſſiodorus. Hæc vero loquutio aliquot in locis apud poſterioris æui ſcriptores occurrit, vt apud Caſſiodorum libro ſexto. Cypriano Comiti ſacrarum Theodoricus Rex: apud Ammianum lib. 15. & alibi *Comes priuatarum.*

Procer.

Procer. In Concil. Toletan. octauo ſubſcribit Dabila Comes & Procer, & Euredus, Comes & Procer, & Frolla Comes & Procer. Vnde conſtat quod Procer ſit nomen dignitatis. Iſidorus libro Etymolog. 9. capit. 4. [*Proceres ſunt Principes ciuium vel ciuitatis: quaſi procedes, quod ante omnes honore præcedant. Vnde capita trabium, quæ eminent extra parietes proces dicuntur, eo quod primo procedant.*] Lege *Proceres* ex Seruio in illud Virgilii Æneidos. 10.

Tot lecti Proceres ter denis nauibus ibant.

Proceres etiam *Magnates* vocantur Concil. Toletan. vndecim. capit. quinto & *Primates Palatii*, & generoſæ perſonæ. Erat autem ſola dignitas ſine adminiſtratione iuriſdictionis.

Gardingus.

Ducis & Comitis dignitati Gardingus ordine ſubiungitur. Erantque hi tres apud Gothos maioris loci perſonæ, vt patet ex leg. Wiſegoth. libro nono titulo ſecundo leg. vltima. vbi ita habes. *Si maioris loci perſona fuerit, id eſt, Dux, Comes, ſiue etiam Gardingus.* Et infra leg. eadem, atque alibi ſæpe, hi tres ſeu eminentiores coniunguntur. *& ideo*, inquit lex: *id de cetero ſpeciali decreto decernimus, vt quiſquis ille eſt, ſiue ſit Dux, ſiue Comes, atque Gardingus.* Gardingi in libr. leg. Wiſegoth. non ſemel fit mentio: verum ita obſcure, vt quod ipſius munus fuerit liquide ſcire nequeamus: illud tantum coniectura conſequi licet, cum maioris loci perſona dicatur, vnum ex præſtantioribus Palatinorum habuiſſe officiis. Quod etiam ex legum Wiſegothorum libro ſecundo titulo primo leg. prima non male colligitur, vbi cum Sacerdotibus Dei, ſenioribuſque palatii præſentes in ordinatione legum Gardingi fuiſſe commemorantur.

Maioris præſtantioriſque loci perſonis (qui nunc Magnates, nunc *Primates*

Palatii

palatii appellantur) breuiter, vt res tulit decurſis, reſtat vt ad inferiores deueniamus. Inter quas TIVPHADVS primum ſibi ordinem vindicabat, quique ei ſuberant Millenarii, Quingentenarii, Cētenarii, Decani, exercitus etiam compulſores, Annonarii, defenſores, pacis Aſſertores, Numerarii, Villici, Saiones. *Tuiphadum*, Germanorum lingua quæ Gothicæ multum vicina eſt, altum ſignificat, *Tieph* enim rem altam dici cōtendunt. Quidquid eſt; illud conſtat, vnam ex primis poſt ducis, Comitis, atque Gardingi dignitatem fuiſſe, ciuiſemque adminiſtrationem habuiſſe, vt patet ex leg. 23. & 26. titu. 1. lib. 2. legum Wiſegoth, & lib. 4. titu. 5. leg. 6. Huic in omni criminalium negotiorum genere iudicandi licentia conceſſa erat, præterquam in his criminibus quæ legum ſententiam aperte condemnant, quibus qui obnoxii reperiebantur, eos non iudicare amplius, ſed vt iam à lege præiudicatos, condemnatoſque debitis pœnis ſubiicere cogebantur. Ita enim accipio legem 15. titu. 1. lib. 2. legum Wiſegoth. Quæ habet hoc modo. *Cum in ceteris negotiis criminalium cauſſarum Tiuphadis iudicandi licentia conceſſa fuit, criminoſos à legum ſententiis iudicare non audeant, ſed debitam in eis, vt competit, cenſuram exerceant.* Hi ſi quando ſiue ad bellum, ſiue alio auocarentur, vices ſuas aliis committere poterant. Sequitur enim in dicta lege: *Qui Tiuphadi tales eligant, quibus vicißitudines ſuas audiendas iniungant, vt ipſis abſentibus, illi cauſas, & temperate diſcutiant, & iuſte diſcernant.* Huius in bello proxima auctoritas ad Comitis exercitus dignitatem erat, cum quo ſimul de rebus arduis conſultabat: cuius conſilio militi in hoſtem pugnandi facultas dabatur, & adimebatur; denique cum hoc de ſumma rerum exercitus deliberabat. Hic ſi quem de TIVPHADIA ſua (ſic copiæ militum quibus præerat vocabantur) donis forte corruptus de expeditione domum redire permiſerat, aut domo in expeditionem proficiſci non coegerat, acerbis pœnis multabatur. Vt conſtat ex l. 1. titu. 2. lib. 9. legum Wiſegoth. *Si Tiuphadus* (inquit) *ab aliquo de Tiuphadia ſua fuerit beneficio corruptus, vt eum ad domum ſuam redire permitteret, quod acceperat in nouecuplum reddat Comiti ciuitatis, in cuius eſt territorio conſtitutus. Et ſi ab eo nullam mercedem acceperit, ſed ſic eum dum ſanus eſt, domum dimiſerit, vel de domo in exercitum iure non compulerit, reddat ſolidos 20.* — *Tiuphadus.*

MILLENARII erant, qui mille ſub ſe milites habebant. Horum meminit lex 26. tit. 1. lib. 2. legum Wiſegot. Iſidorus lib. 9. Etymol. ca. 3. *Sunt, qui mille præſunt militibus, quos nos Millenarios appellamus.* — *Millenarii.*

QVINGENTENARII qui quingentis militibus præerant. Hi ſi quem etiam de ſuis, propter munus aliquod, ab hoſte domum redire cōſenſiſſent, aut in hoſtem domo proficiſci non coegiſſent, quod acceperant nouecuplū etiam Comiti ciuitatis, cuius territorio ſuberāt, reddere tenebantur. Si vero nullo accepto munere id feciſſent, xv. ſolidos inter milites ſuos diuidendos reddebant. Id cautum eſt lege prima, tit. 2. lib. 9. leg. Wiſegot. Horum etiam meminit lex 26. tit. 1. l. b. 2. — *Quingentenarii.*

CENTENARII, teſte Vegetio libr. 2. cap. 13. dicti ſunt, quos antiqui *Centuriones* vocabant, centum videlicet militibus præfectos. Ab Iſidoro id animaduerſum eſt libro nono Etymolog. capit. tertio. *Centuriones* (inquit) *dicti, eo quod centum præſunt militibus: ſicut Quinquagenarii, qui ſunt in capite quinquaginta militum: & Decani ab eo, quod militibus decem præficiuntur.* Hi ſi centenam (ſic iis temporibus loquebantur) ſuam deſerentes, domum ab hoſtibus refugiſſent, capitis plectebantur. Si vero vel ad ſacra altaria, vel ad Epiſcopum confugiſſent, trecentos ſolidos exſoluebant Comiti ciuitatis, in cuius erant territorio conſtituti: neque poſtea inter centenarios, ſed Decanos tantum habebantur. Quod ſi ipſi ob beneficium forte acceptum, aliquem de centena ſua domum ab exercitu redire, aut domi manere, neque in hoſtem proficiſci paſſi fuiſſent, nouecuplum acceptū ſuo Comiti ciuitatis reddebant. Quod ſi ob nullum munus acceptum, id permiſiſſent, decem ſolidos Comiti ciuitatis dabant. Habes hæc omnia fuſe in lege 3. titul. 2. libro nono. Centenariorum meminit etiam Concil. Arelatenſe ſub Carolo magno: his verbis: *Ne Comites, vel Vicarii, ſeu Iudices, vel Centenarii, ſub mala occaſione, vel ingenio res pauperum emant.* — *Centenarii.*

DECANI, quos Varro, Suetonius, aliique probati auctores *Decuriones* appellant, decem militibus imperabant. Hi ſi relicta decania, ab hoſte domum receſſiſſent, aut quum ſani eſſent, domo exire in expeditionem detrectaſſent, decem ſolidos Comiti ciuitatis dare cogebantur. Quod ſi al qua mercede, a ſuperiore ſuo impetraſſent, quinq; tantum ſolidos luebant, vt oſtendit lex quarta eiuſdem tituli & libri. Vbi amplius additur. *Quod ſi aliquis, qui in Tiuphadia ſua fuerat numeratus, ſine permiſſu Tiuphadi ſui, vel Quingentenarii, aut Centenarii, vel Decani ſui, de hoſte ad domum* — *Decani.*

ſuam

ſuam refugerit, aut de domo ſua in hoſtem proficiſci noluerit, in conuentu mercantium publice centena flagella ſuſcipiat; & reddat ſolidos decem.

Exercitus Compulſores Et quandoquidem in locum de Gothica militia incidimus, erant apud eos, qui dicebantur EXERCITVS COMPVLSORES; nempe qui Gothos in hoſtem exire compellerent: vt habetur in leg. 2. tit. 2. lib. 9. Hi multis in locis SERVI DOMINICI appellantur; forte quod erant ſerui, qui regalibus ſeruitiis mancipabantur. Quorum tanta erat auctoritas, vt Palatinis officiis honorarentur, & teſtandi ſicut cæteri poteſtatem haberent. Teſtatur id lex. 4. tit. 4. lib. 2. legum Wiſegot. Hi ſiquid ab iis, qui in exercitum compellebantur, ſine ipſorum voluntate abſtuliſſent, vndecuplum reſtituere cogebantur, & quinquaginta inſuper flagellis multari. leg. 2. tit. 2. libr. 9.

Annonarii Ad exercitus robur conſeruandum in primis pertinet, ne annonæ laboret inopia; ob idque prouida Gothorum cura cautum eſt, vt per ſingulas ciuitates, atque caſtella, crearentur, qui militibus eam ſine fraude exhiberẽt; ii nunc ANNONARII, nunc diſpenſatores annonæ, nunc erogatores annonæ in Gothorum legibus dicuntur. Videtur & Comes ciuitatis huius rei curam geſſiſſe, vt patet ex leg. 7. titu. 2. lib. 9. leg. Wiſegoth. Vbi cauetur, ſi contingat, vt ipſe Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam ſuam non habens, aut forſitan nolens, annonas dare militibus diſſimularet, apud Comitem exercitus conquerantur: qui eos in quantum temporis ſubtraxerunt conſuetas annonas, in quadruplum de propriis facultatibus reſtituere cogeret. Conſiſtit autem proprie annona in frumento, oleo, vino, ſale, carne. Solebat autem in militia Romana annona militibus pro ſtipendio per ſingulos dies diſtribui expeditionis tempore, veluti buxellatus panis, quem *bis coctum* vocamus duobus diebus; ac panis alius tertio; vno die vinum, alio acetum; vno die lardum; caro veruecina biduo, ex commeatu publico. Cui annonæ interdum pecuniæ erogatio accedebat, & veſtitus, & alia id genus militibus neceſſaria. Quando annona loco pecuniæ in ſolutionem militibus dabatur, dicebatur *ſtellatura*, quia per teſſeras ſtellatas ſpecies alias, pro annona accipiebatur: vt adnotauit Wolffgãgus Lazius lib. 12. Comment. Reipubl. Romanæ capit. vltim. Hæc annona quæ per capita ſingulis diebus

Salarium militibus dabatur, *panes ciuiles*, quandoque *annona ciuilis* dicitur, & *ſalarium*. Qui annonarias ſpecies exhibebant opinatores dicebantur, vt conſtat ex lege opinatoribus libr. 12. C. titu. 29. interdum etiam nomine, vniuerſum militare ſalarium ſeu præbendum accipitur. Idque Flauii Vopiſci abunde declaratur auctoritate, qui in Aureliano *oleum* (inquit) *ſal, lignum, nemo exigat; annona ſua contentus ſit*. Patet etiam ex Vegetio libris de re militari *Torquis* (inquit) *aureus ſolida virtutis præmium fuit; quem qui meruiſſet, præter laudem, duplas conſequebatur annonas.*

Defenſores DEFENSORVM etiam meminit lex 26. titu. 1. lib. 1. legum Wiſegoth. Horum officium erat in duplici ratione. Alii ſunt qui nomine ciuitatis cauſas, lites & negotia curant, vt actores ſyndici. Alii *defenſores* ſunt cum poteſtate & magiſtratu, qui locorum defenſores dicuntur. De quibus leges Wiſegoth. loquuntur; leges etiam Romanæ l. 1. & l. defenſores ciuitatum. 3. Cod. titu. 53. de defenſ. ciuitat. Alii dicuntur prouinciarum defenſores quibus latior cura & plures res, & ciuitates defendendæ commiſſæ ſunt, &; vt inquit Iuſtinianus, paterna voce ita dicti, vt eripiant à malis iniuriam patientes. Erat quinquennale hoc munus. l. 4. Cod. de defenſ. ciui. ex Nouellis Iuſtiniani factum eſt biennale. §. iuſiurandum. & §. fin. eodem titu. in Nouellis. Prædictorum ſingula declarat pulchre, lex 4. titu. 54. Codicis lib. 1. his verbis: *In defenſoribus vniuerſarum prouinciarum* (alias ſingularum ciuitatum, vel vt alii, vniuerſarum ciuitatum) *erit adminiſtrationis hac forma, & tempus quinquennis ſpatio metiendum; ſcilicet vt in primis parentis vicem plebi exhibeas, deſcriptionibus ruſticos, urbanoſque non patiaris affligi: officialium inſolentia, & iudicum procacitati, ſalua reuerentia pudoris, occurras: ingrediendi cum voles ad iudices, liberam habeas facultatem: ſuperexigendi damna, vel ſpolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quicquam vltra delegationem ſolitam ab his exigi, quos certum eſt, remedio non poſſe reparari.* Et Caſſiodor. libro ſeptimo variarum in formula defenſoris cuiuslibet ciuitatis: *Nihil venale, nihil improbe facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia ciuibus, ſecundum temporum qualitatem, æquabili moderatione diſpone. Definita ſerua, quæ iuſſeris: quia non eſt labor, vendendi ſummas includere, niſi ſtatuta pretia caſtiſſime cuſtodire. Imples enim re vera boni defenſoris officium; ſi ciues tuos, nec legibus patiaris opprimi, nec caritate conſumi.* Gratianus etiam, Valentinianus, & Theodoſius. ccc. Theodoro defenſori, formam defenſionis præſcribunt. l. in defenſoribus, & l. 4. Cuius verba ſuperius attulimus.

PACIS

PACIS ASSERTOR apud Gothos erat, qui ad faciendam pacem, Regali deſtinabatur auctoritate. Differebat autem *Aſſertor* a *Iudice*, quod illi omnium negotiorũ, actionumque cauſas terminabant: hi vero non alias, niſi quas illis regia commiſerat ordinandi poteſtas. Hæc ex l.16.tit.1.lib.2.leg.Wiſegoth. *Pacis aſſertor*

Duo ſequuntur officia, quæ vt vicina frequenter coniunguntur, NVMERARII, nempe & VILLICI. Iſidorus de numerario, lib. orig. 9. cap. 4. ſic ait: *Numerarii vocati ſunt, qui publicum nummum ærariis inferunt, hoc eſt, qui pecuniam regiam, ex tributis & portoriis, & vectigalibus partam, in æraria inferebant.* Extat titulus. 50. in C. de *Numerariis*, & *Actuariis*, qui à Iuſtiniano *Tabularii* dicti ſunt. Hic etiam annonas, quæ ex villis fiſco regio debebantur, procurabat quod ſi ſingulis annis facere neglexiſſet, duplo de propriis facultatibus ſoluere cogebatur. Conſtat ex Concil. 13. Tolet. in edicto Eruigii Regis ad priuatos, ſiue fiſcales populos his verbis: *Certe ſi quis ille Dux, Comes, Tiuphadus, Numerarius, Villicus, aut quicunque curam publicam agens, tributa exacto ſibi commiſſo, annis ſingulis plenario numero non exegerit, aut exacta apud ſe retinuerit, & ea ſtatim theſauris publicis inferre neglexerit, duplata tributa ipſa de propriis rebus ſuis modis omnibus in publico inferet.* fuerunt hæc duo officia ex humilioribus apud Gothos. Ac de Villico id tantum coniicere licet, quod eandem fere cum Numerario functionem habeat. De numerario autem res certa eſt, cum eius munus, vt ſordidum atque abiectum, etiam Concil. Tolet. 16. in Theudemundo Spathario damnetur. Verba eius, quia clarius id explicant, apponere non pigebit, ex edicto Regio ad Patres: *Et quia præceſſor noſter, diuæ memoriæ dominus Wamba Rex in ipſis regnandi primordiis Theudemundum Spatharium noſtrum, contra generis, vel ordinis ſui vſum, Feſti quondam incitante Emeritenſis Epiſcopi, ſolius tantum regiæ poteſtatis impulſu, in eandem Emeritẽſem vrbem Numerariæ officium agere inſtituit (quod etiam vnius anni excurſu contra rationem noſcitur peregiſſe) imo, quia nec valuit imperio gentis obſiſtere, veſtri edicto Concilii ab eodem Theudemundo, ſuaque omni poſteritate talis actionis officium ſuſpendatis, quo nullo vlterius tempore, tam ipſe, quam omnis eius progenies vſque in finem ſeculi ob hanc cauſam videantur aliquatenus moleſtari.* *Numerarii & Villici*

DE VILLICO, ſic Iſidorus lib.9. Etymol. c.4. *Villicus* (inquit) *proprie villæ gubernator eſt; vnde à villa Villicus nomen accepit. Interdũ autem Villicus non gubernationem villæ, ſed diſpenſationem vniuerſæ domus, Tullio interpretante ſignificat, quod eſt vniuerſarum poſſeſſionum, & villarum diſpenſator.* Locus Ciceronis ab Iſidoro citatus, eſt Verrina. 5. Villicus à Varrone de re ruſtica lib.1.cap.2. dicitur, qui præeſt pago, & totius rei ruſticæ curam habet. *Villicus*

SAIONVM, frequens mentio eſt apud Caſſiodorum, & in legum Wiſegot. lib.6. Hi, vt ex variis locis colligere licet, iidem erant, qui apud Romanos Apparitores; Regii videlicet, ac Magiſtratus miniſtri, qui ad eorum iuſſa exequenda ſemper præſto erant. Solebant etiam Cancellariis *Saiones* aſſignati, vt oſtendit Caſſiodorus libr.12. in epiſt. cuius initium eſt: *Oportet quidem cuncta*, &c. Vbi munus eorum ſcite deſcribitur, his verbis: *Quapropter deuotionem tuam ſolatiis illius viri clariſſimi Cancellarii noſtri ſolenni more deputamus; vt contra nullum alium erigaris, niſi qui legibus parere deſpexerit. Ad forum trahe, qui iuſta non recipit: ſub continentia iraſcere: ſub maturitate diſtringe: timeri te amplius volumus, quam probari: quia illud maxime vigori tuo reputabitur, ſi nullius præſumptione peccetur. Cogitetur præ omnibus pecuniæ publicæ fidelis actio: Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui iuſta ſponte complere neglexerit. Cauſis tantum delegatis impende. Si præcepta ſequeris, deuia non requiris. Caret culpa qui imperata præfecerit. In executore illud eſt peſſimum, ſi iudicis relinquant arbitrium. Non inde iacteris quod tibi non poteſt obuiari. Nec aſſumere ſuperbiam velis, qui à te multorum humilitas pertimeſcit.* Plura de hoc lege apud eundem Caſſiodorum, libr.2. epiſt. ad Vlingem Saionem lib.4. ad Geſilam Saionem, ad Thecutar Saionem, ad Dudam Saionem, ad Veranum Saionem, ad Gudinandum Saionem, ad Aiulfum Saionem, ad Gudium Saionem, aliiſque apud eundem locis complurimis. Et legum Wiſegothicarum, lib.2. titu.1 leg.17. cauetur; vt ſi Saio iudici in aliquem contra legum æquitatem inſurgentem obſequens, alium cõſenſerit comprehendere, diſtringere, vel aliquid rerũ auferre. C. publice ictus flagellorum accipiat, & præſumptionem tali emendatione coerceat. Leg. etiam 25. titu. & lib. citat. ſic ſcribitur: *Quod ſi ea, quæ iudex ordinare decreuit, Saio Callidus implere neglexerit, res de qua agitur, ſi vnciam auri, vel infra valere conſtiterit, illi, cui res debita eſt, idem Saio de ſuo auri ſolidum reddat. Si certe plus valuerit, per ſingulas vncias, ſingulos ſolidos pro ſua tarditate perſoluat. Idem vero, ſi ſuper duas vncias, vſq. ad libram auri, eadem res valere probatur, decem flagella ſuſcipiat; ac ſic creſcente auri numero, creſcat & pœna flagelli, iidem vero Saiones, cũ pro cauſis alicuius vadunt, ſi minor cauſa eſt, & perſona, duos caballos tantum ab eo, cuius cauſa eſt, accipiat fatigandos. Si vero maior perſona fuerit, & cauſa, non amplius quam ſex caballos, & pro itinere & pro dignitate debebunt accipere. Alia de eodem multis capitulis eiuſdem libri inuenies.* *Saiones*

Seruus fiſcalis. SERVVS FISCALIS, vel fiſcalinus dicitur, eo quod res, & corpus eius fiſco regio cedat. Hi in officiis mancipati regi inſeruiebant. De quibus etiam Concil. Tolet. 3. ca. 15. fiſcales ſerui eccleſias conſtruxere ex ſua paupertate, & in aliis Concil. De his fit frequens mentio lib. 2. leg. Wiſegot. tit. 4. ca. 4. Nam illic legislator agens de iis, quorum teſtimonium admittendum eſt: *Seruo* (inquit) *penitus non credatur, ſi ſuper aliquem crimen obiecerit, aut etiam ſi dominum ſuum in crimine impetierit. Nam etſi etiam in tormentis poſitus exponat quod obiecit, credi tamen illi nullo modo oportebit. Exceptis ſeruis noſtris, qui ad hoc regalib. ſeruitiis mancipantur, vt non immerito Palatinis officiis liberaliter honorentur; id eſt Stabulariorum, Gillonariorum, Argentariorum, Coquorum quoque præpoſiti, vel ſi qui præter hos ſuperiori ordine, vel gradu præcedunt. Quos tamen omnes & regia poteſtas iugiter non habet incognitos, & nullis eos conſtat prauitatibus, aut criminibus implicatos. Quibus vtique vera dicendi, vel teſtificandi licentia, ſicut cæteris ingenuis hac lege conceditur.* Itaque inter officia ſeruorum fiſcalium recenſentur *Stabularii, Gillonarii, Argentarii, Coqui.* Quos omnes antiqua legum Hiſpaniæ translatio ita explicat: *Aſſi cuemolos que mandan las beſtias, los que mandan los rapaces, los que ſon ſobre los que fazen la moneda, e los que ſon ſobre los cozineros.* *Gillonarii* vox Gothica, puerorum præfecti. Nam, *Gielen*, illis laſciuire eſt, quod proprium eſt eius ætatis: vnde, Giel, laſciuus. Gielei Comatulus. Poſterior ætas præfectum iſtorum, *Alcayde de los donzeles* vocitauit. Et libr. 10. tit. 2. l. 4. legum noſtrarum cauetur, vt ſi quis per tricennii tempus quodcunque de fiſci, aut cuiuſpiam rebus tenuiſſet, aut quocunq; iure poſſediſſet perenni ſibimet iure, vindicaret, & retentaret, exceptis mancipiis fiſcalibus, in quibus hoc tricennale tempus nullo modo valebat, neque vllum præiudicium quo minus in poteſtate fiſci perpetuo manerent, adferebat. Hactenus de officiis Gothorum, & breuitate, qua potuimus, & integritate. Lector boni conſulat.

GOTHICARVM DIGNITATVM officiorumque index.

Dux
Comes
Præpoſitus Comitiæ
Vicarius Comitis
Vicarius Principis
Comes Scanciarum
Theſaurorum Comes
Comes Patrimonii
Comes ciuitatis Toletanæ
Comes Notariorum
Comes Spathariorum
Comes Cubiculi
Comes Stabuli
Comes exercitus
Procer
Gardingus
Thiuphadus
Millenarii
Quingentenarii
Centenarii
Decani
Exercitus Compulſores
Annonarii
Defenſores
Pacis aſſertores
Numerarii & Villici
Saio
Seruus fiſcalis.

IO. MA-

IO. MARIANAE HISPANI.

E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ LIBRI XX.

AD PHILIPPVM II. HISPANIÆ Regem Catholicum.

Auctoris Præfatio.

QVOD noſtri homines expetebant, externi conuitio efflagitabant, Philippe Rex Maxime, ſub tuo feliciſsimo imperio præſtitum eſt. Annales de rebus Hiſpaniæ Latina lingua confectos in publicum damus, exemplo nationum aliarum vno volumine cōprehenſos. ſic orbem terrarum vnius tabulæ anguſtiis includimus aliquanto detrimento magnitudinis, nulla veritatis iniuria. ſed in ea tamen breuitate res maxime nobiles, bellaq; ſæpe pleniori narratione explicantur: non ſecus ac ex anguſtis ripis egreſſus amnis in patentes campos late diffunditur reſtagnatq;. multarū vigiliarum magniq; laboris opus: vtinam tam felix gratumque, quam pium debitumque patriæ officium. Herculea plane audacia, quis neget? quis non videat? Sed ſcriptorum tamen in hoc genere penuria, argumenti nobilitas, otium, quod confecta Italica Gallicaq; peregrinatione nonnullum Toleti ſuppetebat, ad ſcribendū impulit. & erat ſpes ſublata perſiciendi, quæ de Theologia ſuperioribus annis inſtitueram, huic tempori quamuis, noſtræq; vitæ rationib. magis accommodata commentaria. Dicendi arte & elegantia potiores multi ſint: rerum noſtrarum cognitione qui excellant, occurrant in Hiſpania paſsim. qui ad vtriuſq; rei nonnullam facultatem, adiunxerit voluntatem ſtudiumque ingentes labores tolerandi, quales hiſtorico ſubeundi ſunt, nulla præmiorum ſpe, exiguis in præſenti opibus, fortaſſe nullus exiſtat. Noſtræ ætatis Hiſpanis ſcriptoribus quibuſdam certe, comparari nō volumus, non optamus. adiutos ab ijs eſſe his annalibus conficiendis, quaſi parata materia, congeſtiſq; ruderibus ſtructura faciliori, non negamus tamen: cum ſit ſordidi & humilis animi vſuram accepti fœnoris non ſoluere, vnde cenſus augeatur, nihil detrahatur certe de capite. & alioqui ſumpſiſſe fatendum eſt, ne ſilentio ſurripuiſſe videamur. fortaſſe etiam iis ducibus aliquando erratum eſt, non ſine ſpe veniæ, cum alienis veſtigiis inſiſtamus. Veteres Hiſpaniæ hiſtorias euoluimus: excuſsimus veteres ſchedas monimenta antiquitatis, acceptas publice ex vetuſtis templorum tabulariis, ab amiciſq; priuatim præſtāti humanitate eruditioneq; viris. Quæ prima lex eſt hiſtoriæ, veritatis inprimis cura eſt habita: quæ lux maxima, temporibus deſignādis ſuperſtitioſe ſæpe ſudatum eſt. Arabum annos cum noſtris annis exacta ratione comparauimus primi, atq; exæquauimus. Locis, oppidis, fluuijs, montibus, vetera nomina reddidimus: neq; reipublicæ caſus, ſed vti erat neceſſe, eccleſiæ etiam viciſsitudines explicuimus. cum prouentu ſingula, an vano conatu, noſtrum dijudicare non eſt: ne lector quidem facile ſtatuat. tēpus aperiet iudex, teſtiſq; ſyncerus, obtrectatione & inuidia ſublata. A primis temporib. ad auorum ætatem narratio progreditur, cum Maurorum imperium euerſum eſt in Hiſpania. recentiora contrectare auſi non ſumus, multorum offenſione vitanda: præſertim le-

ui gratia operæpretioque, cum multa in vtraque lingua monimenta de reb. poſtea geſtis extarent. Felicioribus ingenijs via patefacta eſt & campus, vbi eruditionem iactent, Hiſpaniæ res maiori copia elegantiaq; ſermonis illuſtrent. Nobis cœpiſſe ſit ſatis: alioſque prouocaſſe fructus erit, multo maximus, ſiue ad ſcribendū denuo, ſiue ad caſtigandum noſtra. Synceris tantum animis fiat, & ſine contētionis ſtudio, vti viros decet memores humanitatis. Nam in tanta rerum ſylua nunquam offendere miraculi inſtar eſſet. Locorum propria ac familiarum conſiderabunt alij accuratius: ſi monuerint quod in rem ſit, non ſine gratia emendabitur. ſi quid temere præteriiſſe, aut non ſatis explicaſſe videbimur, docti facile & libenter ſententiam commutabimus. Tenuitatem ingenij noſtri, imbecillitatemq; agnoſcimus. Hiſtoriæ conſcribendæ quanta ſit difficultas, ſi initio eſſet ignoratum, vſus docuit. infirmam valetudinem, quid attinet excuſare, niſi ad confeſſionem culpæ ipſo ſupra vires conatu ſuſceptæ? Tuo quidem, Rex, auguſto nomini hos labores conſecramus, nulla neque ſpe, neque ambitione mala inducti. ſed humanitas ſingularis inuitauit: & rerum quæ in vniuerſa Hiſpania contigerunt explicatio, cui æquius adſcriberetur, quam adiecta nuper Luſitania Regum Hiſpaniæ feliciſſimo, lateque fuſum imperium ad vtrunque cæli axem iiſdem quibus Solis curſus regionibus terminanti? Quod vt proprium fauſtumque ſit, atque nouis incrementis maius, dies noctesque pro tua ſalute & incolumitate vota facimus.

I V D I C I V M.

AVCTORITATE REGII SENATVS FACTVM A MARTINO BAILLO de libris XXV. *Hiſtoriarum Ioan. Marianæ, de Rebus Hiſpaniæ.*

IOANNES Mariana Societatis Ieſu, vir vt doctrinæ, ac pietatis laude florēs, ſic diſertus imprimis, atq; eruditus, cum Hiſpanorū res cognitione noſtrorū hominū & exterorum digniſſimas, tum veteres, tum recentiores, ſiue ad Rēpublicam, ſiue ad Eccleſiam ſpectātes in omni memoria præclariſſimas, Latinis nondum litteris, neq; vulgarib. plene, aut ſatis pro dignitate, neq; ordine certo, aut perpetuo commendatas eſſe perſpiceret: quod per multis mirabile accidit, cū alioqui Dei ſingulari munere, hac præſertim ætate, excellentium ingeniorum, præſtātia noſtra affluat Hiſpania: huic occurrere pro virili, incommodo cupiens, vt familiæ huius viri perpetuo actiones ſuas omnes ad communem referūt vtilitatem, is vnus inter alios laudatiſſimus, minime inſtituti ſui immemor, ſe totum ad hanc vnam curam videtur contuliſſe: vt ſumma eas diligentia, nec ſine diuturno labore colligeret, atq; explicaret. Ex quo factum plane eſt, vt huiuſmodi narrationem, immenſi ſane operis molem, quinq; & viginti libris comprehenſam, ab Tubalis in Hiſpaniam aduentu inſtitutam, & productam *vſque annum Chriſti* M. CCCC. XCII. capta vrbe Granata inſignem, quam veriſſime fieri potuit in maxima vetuſtatis caligine, rerum, temporū, ſcriptorumq; incredibili varietate, perfecerit. Hāc igitur, Senatu regio iubente, ſtudio flagranti perluſtraui: quam meo iudicio quantumque ingenii tenuitate cōſequi poſſum nihil habere, quod rectæ Chriſtianæ pietati noxium, aut optimis moribus, & inſtitutis aduerſetur, prorſus arbitror: immo potius multa in ea reperiri, quæ ad ſacram eiuſdem Chriſtianæ religionis diſciplinam illuſtrandam, multa, quæ ad totius Hiſpaniæ dignitatem, ſplendoremq; augendum ſummopere videntur pertinere, omnino iudico: ipſumq; auctorem verbis illuſtrem, ſententiis grauem, optima fide, iudicioque præditum penitus eſſe cenſeo. Quod atteſtor propria manu.

Doctor Martinus Baillus Regius Capellanus.

E L R E Y.

POR quanto por parte de vos el padre Iuan de Mariana de la Copannia de Ieſus, me fue fecha relacion que vos auiades compueſto vn libro, intitulado, Ioannis Marianæ Hiſpani è Societate Ieſu, Hiſtoria de Reb. Hiſpaniæ libri X X V. *De que ante nos hezíſtes preſentacion, en quatro cuerpos: y nos ſupplicaſtes os mandaſſemos dar licencia para le imprimir, y priuilegio por diez annos, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſeio, y como por ſu mandado ſe hizieron todas las diligencias, que la pregmatica por nos hecha ſobre la impreſſion de los libros diſpone, fue acordado que deuiamos de mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha*

razon

razon: y nos tuuimoslo por bien, y por la preſente (por os hazer bien y merced) os damos licencia e facultad, paraque por tiempo de diez annos, primeros ſiguientes, que corren y ſe cuentā deſde el dia dela fecha deſta nueſtra cedula, podays imprimir el dicho libro, de que de ſuſo ſe haze mēcion, por ſu original, que en el nueſtro Conſeio ſe vio, que va rubricado, e firmado de Pedro çapata del Marmol, nueſtro eſcriuano de camara, de los que en el nueſtro Conſeio reſiden. Con que antes que ſe venda le traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſſion eſta conforme a el: e traygays ſe en publica forma, como por corrector nombrado por nueſtro mandado, ſe vio y corrigio la dicha impreſſion por el original. Y mandamos al impreſſor, que anſi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego del, ni entriegue mas de vn ſolo libro, con el original al auctor, o perſona a cuya coſta le imprimiere, ni a otra alguna para effecto de la dicha correction, y taſſa, haſta que antes y primero el dicho libro eſte corrigido, e taſſado por los del nueſtro Conſeio. Y eſtando fecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y ſegundamente ponga eſta nueſtra cedula, y priuilegio, y la approuacion, taſſa, y erratas: ſo pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica, y leyes de nueſtros reynos. Y mandamos que durante el dicho tiempo, perſona alguna ſin vueſtra licencia no lo pueda imprimir, y vender. So pena de el que lo imprimiere aya perdido todos e qualeſquier moldes, y apareios, que de los dichos libros tuuiere: y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena ſea la tercia parte para el juez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para la perſona que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nueſtra camara. Y mandamos a los del nueſtro Conſeio, Preſidente, y oydores de las nueſtras audiencias, alcaldes, y alguaziles, de la nueſtra caſa, corte, y chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſſiſtente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros juezes, e juſticias, qualeſquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nueſtros reynos, e ſennorios, aſſi a los que agora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante; que vos guarden y cumplan eſta nueſtra cedula, y merced que aſſi vos hazemos, y contra el tenor e forma dello no vayan, ni paſſen, ni conſientan yr, ni paſſar en manera alguna, ſo penna de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra camara. Fecha en ſan Lorenço, a poſtrero dia del mes de Agoſto, de mil y quinientos y nouenta y vn annos.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſennor.

Iuan Vazquez.

IOANNIS MARIANAE HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER I.

De Tubale, & Hiſpaniæ fertilitate. CAPVT I.

IAPHETI filius Tubal, mortalium primus in Hiſpaniam venit. ſic magnorum virorum conſentiens opinio eſt, eā orbis terrarum partem aliis alio deductis coloniis, multis per late patentem prouinciā oppidis conſtitutis imperio, iuſto moderatoq; tenuiſſe. Anno enim poſt diluuium terrarum generale iuxta veriorem computādi rationem centeſimo trigeſimo primo in omnes prouincias Adæ poſteri diſſipati ſunt. Tentatæ Nembroto duce turris Babylonicæ ædificationis, ſpretique numinis eā ſcilicet merces fuit. ſublato diuinitus ſermonis commercio cum inter ſe non intelligerent homines, neceſſario terrarum orbis trifariam diuiſus in trium filiorum Noe ius ditionemq; conceſſit. Semo Aſia omnis ab Euphrate verſus orientem Solem Syriaq; data eſt. Chami poſteritas Babylonem, Arabias, Ægyptum, totamq; Africam obtinuit. Iapheti familiæ Aſiæ pars ad Septentriones obuerſa à Tauro & Amano montibus, Europaq; vniuerſa obuenit. Alii Iapheti filii in alias regiones abierunt. Tubal autem quinta eius proles ad extremū occaſum ablegatus, Hiſpanorum gentem & regnum primis illis temporibus, rudiq; adhuc ſeculo, auſpicato numine annuente atq; auctore in ęternum ea in orbis parte cōſtituit. Vnde excellentes bello paceq; viri ab omni memoria prodierunt, bonorum omniū copia extitit, ampla ad ſcribendum materia ob rerum amplitudinem & varietatem. ſcriptorum tamen inopia; qui res Hiſpaniæ per ſe præclaras, litteris ipſi illuſtrarēt. Prouocauit hæc ipſa penuria quoſdā quidem, vt poeticis fabulis quam incorruptæ hiſtoriæ propiora memoriæ propagarent: nos autem vt hoc ingenio, & hac eruditionis tenuitate grauiſſimum ſcribēdæ hiſtoriæ onus ſubiremus, magis vindicandæ ab iniuria veritatis ſtudio, quam laudis ſpe præmiiq;: quod neq; cupimus ab hominibus, neq; reddi poterit laboribus par quocunq; tandē ſucceſſu. Ergo de regionis natura, ſitu, linguis, morib. quædam initio dicenda ſunt. Hiſpania terrarum plaga comparanda optimis; nulli cedit, neq; ſalubritate cæli, neque frugum

omne genus vbertate, neque metallorum gemmarumq; copia, quibus tota ferme ſcatet. Non vt Africa violento Sole torretur, neq; vt Gallia ventis, cæli rigore, humiditate terræ aeriſq; fatigatur, ſed media inter vtranq;, verni caloris temperie & tempeſtiuis ſæpe imbribis geluq; hyemis tempore fœcundatur: adeo vt ex Hiſpania non indigenis tantum, verum externis etiam remotiſq; nationibus, ipſiq; Italiæ multarum rerum copia ſuppeditet. Omni enim materia affluit, cuicunq; pretium aut vitæ neceſſitas fecit, aut humani ingenii vitium & ambitio conciliauit. Suaues imprimis arborum fructus ſunt, vinearum viniq; nobilitas præcipua: frumenti, mellis, oleiq; copia: pecoris, ſaccari, bombycis, lanarũq; vis maxima: argenti & auri ſecturas habet: ferrariæ vbiq; occurrunt: ſunt & ſpeculares lapides, ſunt & marmorum lapicidinæ, mira ludentis naturæ colorum varietate. Minii nulla regio feracior. Soli multiplex & varia natura: alibi multa arbor, alibi arboribus nudi montes agriq;. rari ſæpe fontes, pingue ſolum, cum vigeſimo trigeſimoq; ſæpe efficit, nõnunquam octogeſimum excedit, ſed rara ea felicitas agrorum eſt. Quæ mitiora ſunt frugibus frumentoq; ſeruiunt; cætera pabulo pecorum. Magnam Hiſpaniæ partem ſqualida ſiccitate loca, rupes horridæ & ſaxa tenent (nõnulla ea iniuria eſt) qua certe parte ad Septentrionem vergitur: Auſtralia benigniora ſunt, eximiaq; felicitate conſpicua. Maritimi piſcatu abundant, cuius in Mediterraneis penuria eſt, propter maris longinquitatem, raris fluminibus, paucis ſtagnis: nihil tamen otioſum, nihil ſterile: quacunque parte frugum meſſis denegatur, ſparti copia funditur ad nauticos funes conficiendos, varioſq; vitæ vſus. Equorum velocitas tanta eſt, vt ex ea re commento probabili vento gigni, apud exteras nationes vetereſq; ſcriptores vulgatum ſit. Plinii etiam teſtimonio in extrema hiſtoria naturali, quacunq; ambitur mari, omnium terrarum optima & vberrima Hiſpania eſt ſecundum Italiam: cui ipſi læta cæli facie, atq; aeris nulla paludum graui nebula infecti æquabili ſalubritate præſtat: ac niſi per æſtatem aliquando terræ ariditate, pluuiarumq; inopia laboraret, rebus omnibus ad victum cultumq; vitæ neceſſariis, cæteras omnes prouincias Europæ atq; Africæ abſq; controuerſia vinceret. Hoc quidem tempore propter Indicum cõmercium, quo ad orientis occidentiſq; Solis oras, Hiſpanorũ arma noſtra & auorũ ætate inuicta virtute penetrarunt, copiis omnibus, omneq; genus mercibus beata facile regionum omnium obtinet principatum. Inde auri, argenti, gemmarumq; vis immenſa ac vix fidem factura, ſi ad numerum referatur, publice & priuatim nauigationibus anniuerſariis aduecta propitio cælo, magno noſtræ gentis ſplendore famaq;, aliarum nationũ haud leui prouentu: ad quas ex noſtris opibus fructus redit multo maximus.

Hiſpaniæ ſitus & ambitus. CAP. II.

EXTREMA terrarum ad Solis occaſum Hiſpania iacet, à Gallia Pyrenæis montibus, ab Africa anguſto freto dirempta: corio bubulo ſimilis figura (ſic regionum deſcriptores aiunt) circumfuſo vndiq; mari: niſi quo latere Pyrenæos montes finem habet perpetuis iugis ab Oceano tendentes ad Mediterraneum mare, duobus promontoriis altero in Oceanum proiecto cui Olarſoni nomen, altero in mare noſtrum, cui olim à Veneris templo, nũc religione mutata à Cruce facta eſt appellatio. Ab hoc promõtorio, vbi Gallia Narbonẽſis terminatur, ad extremas vſque Gaditani freti fauces, Hiſpaniæ latus vnũ è quatuor præter Auſtrum Occaſumq; lõgiſſimo littorum tractu porrigitur ad Mediterraneũ mare, leucas colligens ducentas & ſeptuaginta (continent autem leucæ ſingulæ millia paſſuum quatuor) ſi quidem extima legentes littora totum ſpatium metiamur: alioqui breuius aliquanto iter eſt mari terraq;, ſi à promontoriis, vbi ſe mare flexu locorũ inſinuat, introrſus extrorſuſve recedatur. Ad hoc Hiſpaniæ latus Illiberis in ora antiquæ Galliæ ſita eſt, vetuſtate & portus commoditate aliquanto, quam elegantia & ciuium frequentia hac tempeſtate nobilior. Poſt Veneris promontorium, quod Illiberi vicinũ eſt, ſuccedunt Lunarium, Ferraria ſiue Tenebrium promontoria, pari propemodũ interuallo ab Iberi oſtiis. Eo ſpacio Rubricati oſtium eſt (quod hodie Lobregat dicitur) Barcino, Tarraco, Dertuſa, atque Saguntum, fidei conſtantia, ſuaq; ruina nobilis, Valẽtia, Sucronis (nimirũ Xucaris) oſtium, Dianium. Sequitur promontorium Scombraria, propeq; noua Carthago, & lõgiori interuallo, quod ab achatis hodie, quarũ iis locis magna copia eſt, nomen habet promontorium: & à Græcis olim quoniã ii lapides ad conciliandã gratiã valere crediti ſunt, Charidemum vocabatur. Succedit Almeria, quæ ex Abderæ ruinis creuiſſe creditur: aliis Vrci eſt in Baſtetanis: deinde Malaca: ac tandẽ ad freti anguſtias Heraclea ſiue Calpe à Calpe monte, cui impoſita eſt. Mox Tarteſſꝰ, noſtris Tariffa, vnde totũ fretũ Tarteſſiacũ dictũ eſt: & fortaſſis vtrũq; nomẽ à Tharſis. h. c. Carthagine vel Tuneto manauit, ob frequẽs quõdã Pœnorũ iis

in locis

in locis commercium nouis, vt ſit; appellationibus factis. Herculeum fretum vocitatum eſt, quod Hercules ſuſcepta expeditione in Hiſpaniam, Calpemque & Abylam montes vtrinque freto impoſitos (Herculis columnæ eæ ſunt) magnis in mare iactis molibus exaggerans eas maris anguſtias arctaſſe obturareque voluiſſe dicatur: quarum longitudo quindecim millia paſſuum efficit, latitudo, qua breuiſſimus traiectus eſt, vix ſeptem. Idem Gaditanum fretum à Gadibus vocatum eſt, quæ inſula fauces freti egreſſi ad dexteram in Oceano occurrit, à Pœnis deducta voce, quod vt Hiſpaniæ ſepes (id enim Hebræis etiam Gheder eſt) obiecta marinis fluctibus eſſet: olim ſeptingentis paſſibus à continenti diuulſa, ambituque ducenta paſſuum millia numerans, nunc ſumma longitudine vix duodecim, ponteque cum continente commiſſa. Ab extremis freti faucibus vſq; ad promontorium Nerium in Calæcia, quod hodie finis terræ dicitur, leucas ducentas viginti ſex numerant præternauigantes. Nam Sancti Vincentii promontorium Sacrum è regione Pyrenæi montis poſitum, longiſſimoque ab illo Hiſpaniæ tractu diſſitum, excurrenſque in Oceanum littorum anfractus efficit longiores aliquanto quam eſſent recta progredientibus. In his Oceani littoribus Hiſpalis ad Bætim eſt, atque qua parte ſe Tagus in mare exonerat, vrbs Oliſipo amplitudine, frequentia, commercioque cumprimis Europæ comparandæ: propeque Artabrum promontorium: vnde ad læuam Oceano Atlantico terminato, incipit ad dextram Oceanus Gallicus, quemadmodum in mari infero (ſic arbitror) Iberici & Balearici appellationes Iberus amnis ſecreuit. Latus Hiſpaniæ tertium Septentriones inter & Caurum protenſum leucas centum triginta quatuor patet, haud quaquam directis exæquatiſque littoribus, vt Pomponius Mela exiſtimauit, ſed maris receſſibus littorumque inæqualitate non minus quam reliqua caſtigatum ſinuoſumque. Portus inſignes maxime Brigantinus, Lauretanus, Sanctique Emeterii, (hi hodie portus Corugna, Laredius, Santanderiuſque ſunt) & fortaſſis Hiſpaniæ littorum ſicut reliquarum prouinciarum vetus forma immutata eſt alibi exeſis vetuſtate, alibi noua materia exaggeratis congeſtiſque montibus, ad veterum deſcriptionum terræ iniuriam, neque minorem denuò ſcribentium difficultatem naturæ inconſtantia comparatum. Pyrenæi montis (quod quartum Hiſpaniæ latus eſt) longitudo Hiſpaniam verſus incuruata aliquantum eſt: atque præter Ortum Septentrionemque porrecta ab Oceano ad Mediterraneum mare octoginta leucas continet: Iuſtino ſexcenta millia paſſuum, numeris proculdubio iniuria temporis vitiatis. & ex altiſſimo Cantabriæ monte, cui à D. Adriano nomen, deſpectum in vtrumq; mare eſſe memorant, quibus ea parte iter eſt niſi oculorum ludibria pro vera ſpecie venditantur.

Præcipui Hiſpaniæ montes & flumina. CAP. III.

CANTABROS inter & Vaſcones ad Roſcidam vallem, Gallorum procerum nobilem clade, quo tempore Carolus Imperator cognomento Magnus irrumpere in Hiſpaniam conatus eſt, montes ex Pyrenæi iugis præciſi rectaque in Occaſum delati, Cantabris Aſturibuſque ad dexteram Septentrionem verſus relictis, Calæcoſque medios ſecantes Nerium promontorium, quod longiſſime procurrit in mare, in extrema Hiſpania conſtituunt. Citramontanorumque appellationem ab Vltramontanis vulgo in Hiſpania ſecernunt. Ex his montibus Idubeda mons verſus Auſtrum ad Iberi fontes in Pelendonibus deriuatur: (ſaltum Aucenſem hodie vocant ab Auca vrbe veteri, cuius ad Villanfrancam vigeſimo ſupra Burgos milliari veſtigia monſtrantur) & per Viruescam Areuaceſque vbi Orbionis cacumina ſurgunt, neque procul Cauno, qui hodie Moncaius eſt, Bilbilim Darocamque prætervectus mare Mediterraneum attingit non procul Dertuſa vrbe, vnde extremæ eius montis partes hodie etiam nomen habent. Iberum amnem contra quam reliqui inſigniores Hiſpaniæ faciunt ad Occaſum ire Idubeda mons prohibet, duobus oſtiis ſeſe confundentem mari Mediterraneo. Paulo infra Caunum ex Idubeda emiſſus Oroſpeda mollibus initio iugis vix aſſurgere videatur: ſenſim tamen ſeſe efferens vlteriuſq; progreſſus Molinæ primum montes erigit, Conchæ deinde; vbi Sucronem ad læuam, ad dextram Tagum emittit. Inde Conſaburonis ſeu Conſuegræ montibus conſtitutis & in campis Laminitanis Anæ fontes enixus, ad Alcaraſſum, Seguráq; procedens in diuerſas partes mariaq; diuerſa Taderē (hic hodie Segura fluuius eſt) Bætimq; in ſaltu Tigenſi non lōge à Caſorla oppido fundit, ab Anæ fontibus remotum amplius centū millibus paſſuum. vnde in duo brachia ſciſſus parte vna è regione Murciæ factus ad Murgim hoc eſt Muxacram mareq; terminatur, relictis ad occaſum Baſtetanis à Baſta vrbe, quæ hodie Baza eſt, ad ortum vero Conteſtanis veteris Hiſpaniæ populis. parte altera verſus Malacam porrectus,

& Elibertitanis iugis ſeſe annectens, vltra Calpem vltraque Tarteſſum tanta procurrit auiditate, vt penetrato mari fretique anguſtiis tantum non obturatis, Africæ complexum non ſemel appetere videatur. Ex Oroſpeta prope Alcaraſſum Mariani montes (noſtris Serramorena) ſurgunt. quorum radices perpetuo ferme vſque ad Oceanum Bætis ad læuam alluit, ab Illiturgi Bæticam mediam ſecans Cordubam, Italicam, atque Hiſpalim præterlabens demum in Oceanum euoluitur ad oppidum, quod antiquis Luciferi templum erat vno nunc oſtio, olim duobus, quando Nebriſſa & Aſta ab antiquis in Bætis æſtuariis ponebantur, à quo modo octonis paſſuum millibus remotæ ſunt. Non procul ab origine Oroſpedæ propeque Caunum è media camporum vaſtitate atque planicie montes alii oriri quidem videntur, cæterum in Pyrenæi brachiis quibus vniuerſa innectitur Hiſpania numerandos eſſe nemini dubium eſt. tametſi initio vix aſſurgere viderentur, niſi aquarum diuortia facerent, Duriique curſum in Pelendonibus exorti non obſcure Meridiem vſque ad Numantiam appetentem, recta ad occaſum auerterent. Horum montium apud veteres ſcriptores neque nomen ac ne mentionem quidem inuenio: nunc numeroſis nominibus atque nouis itentidem & ferme a vicinis ciuitatibus inſignes per Numantiam, Segobiam, Abulamque, Caſtellam (vt mox dicemus) latiſſimam inter Hiſpaniæ prouincias in veterem nouamq; ſecernunt. præterque Caurium & Placentiam Tagi ductum, quo ad læuam alluuntur, ſequentes, Portugaliam in duas ferme æquas partes ſecant. ad oppidum Sintram demum Tagro monti viginti octo millibus paſſuum ad Septentrionem ab Oliſipone vrbe impoſitum, occiduum Oceanum attingunt, deſinuntque promontorio in mari conſtituto, cui Artabro apud Solinum quidem certe nomen eſt.

Hiſpaniæ tam vetus tum recentior diuiſio. CAPVT IIII.

VETVS Hiſpania in tres partes diuiſa eſt, Luſitaniam, Bæticam, atque Tarraconenſem. Luſitani extremam Hiſpaniam ad Oceanum occiduum obtinebant, Durio ad Septentrionem, ad Auſtrum Ana fluminibus comprehenſi: atque à Durii parte ea, quæ è regione Septimancarum eſt linea ducta ad Tagi pontem, cui ab Archiepiſcopo appellatio eſt indita, vſque ad Oretanos Anæque ripam ab Hiſpania Tarraconenſi ſecreti ſunt Abulam, Caurium, Placentiæ agrum, Caſtra Iulia, Salmanticam, aliaſque Caſtellæ noſtra ætate contributas vrbes & oppida ſuo ambitu continebant. Bætici ſequebantur Ana flumine atque vtroque mari tribus ex lateribus cincti vſque ad Murgim: quod oppidū prope Charidemum promontorium ſitum erat, & hoc tempore Muxacra eſſe creditur. vnde ad finem Caſtulonis ſupra Emeritam vſque ad Oretanos, vbi Almagrum eſt lautum municipium, ducta linea extremus Bæticæ limes ad Solis ortum conſtituebatur. Quid quid vero terrarum in Hiſpania relictum eſt, à Tarracone Scipionum colonia nobiliſſima, vbi Imperii Romani ſedes diu fuit, vnde iura dari populis, belli paciſque concilia prodire moris erat, Tarraconenſis Hiſpaniæ nomen tulit. Hanc Iſidorus Hiſpaniæ partem Hadriani ſeu Conſtantini Magni apud Sex. Rufum diuiſionem ſecutus, in Tarraconenſem, Carthaginenſem, Caleciamque nulla finium certa deſignatione partitus eſt. neque erat facultas, finibus ſæpe harum prouinciarum pro voluntate imperantium prope rerum euentu alternantibus. Tarraconenſem alii Citerioris Hiſpaniæ nomini vniuerſam quemadmodum Luſitaniam & Bæticam vna Vlterioris Hiſpaniæ appellatione comprehendunt. nam qui Ibero amne Citeriorem Hiſpaniam ab Vlteriore ſecernunt, quod aliquando certe factum eſt, iis antiquior Plinius & maiori viri eruditione reſiſtunt. Vtraque hodie Hiſpania in varia & numeroſa nomina abiit: quæ quinque tamen regnorum nominibus comprehendi omnia nihil vetat, poſtquā gens Maurica Hiſpania pulſa eſt. Portugalliæ gentem, nomen, regnum, & linguam primi condiderunt Galli Henrico Lotaringo duce: cui Portus vrbs ad Durii oſtium, & vicina oppida ab Alfonſo Caſtellæ Rege eo nomine Sexto, dotis nomine data ſunt. vnde à Portu & Gallia duplicata voce (quæ opinio magnos auctores habet) ſeu potius quod maiori viri eruditione ſequuntur, de Cale oppidi quod nunc Caia eſt portui imminens, nomine Portugaliæ appellatio facta eſt, veteri Luſitania aliquanto longioris. vltra Durium enim præcipua regionis nobilitate ſolique fertilitate ad Minium vſque fluuium extenſa centum decem & ſeptem leucas ad Oceani littora efficit vniuerſa, anguſtior regionibus, ac ferme locorum latitudine ad Solis ortū æquabili, paulo ſupra Brigantiam per Duriū Tagumq; ad Pacis Iuliæ finem in Anæ ripa (qua ad Auſtrum clauditur) pertinens. Portugaliæ ad Septentrionem & Ortū Legionis regnū adhæret (ſic dictum ab eius prouinciæ vrbe regia Legione) Cōtinet Calæcos omnes & Aſtures Ouetēſes, à Mearo flumine & Ribadeo oppido ad Lianis portū ſecundū littus extēſos: ac præterea è Caſtella veteri quidquid Pernia ſaltu, & (qui inde ortū habet) Carrione fluuio & Piſorica, quouſque cum Durio coniungitur, incluſum eſt. Durioq; trāſmiſſo Heua & qui in Heuam influit,

Regamon eius prouinciæ limitē conſtituit, Salmanticam inter & Abulam vſque ad montium culmina & Portugaliam extenſum. Acceſſit deinde, vno excepto Placentiæ agro ditioneq; ſacra, totus ille tractus, cui Extremaduræ nomen fecit, quod poſt Hiſpaniæ vaſtitatē rebus Chriſtianorum reſurgentibus, bellique alternāte fortuna, vtriuſq; nationis longo tempore ea prouinciæ pars, limes eſſet extremus. alii diuerſam vocis notationem afferunt, quam nec refellimus hoc loco nec probamus. Prolati etiam aliquando eius regni fines ſunt vſque ad Emeritam veteris Luſitaniæ & Pacem Auguſtam Bæticæ ciuitates, vti locis competentibus hiſtoria declarabit. Nauarri in Vaſconibus cenſebantur. Pyrenæis iugis à tergo parteq; eius montis, quem in Nerium promontorium excurrere demonſtratum eſt: reliquis ex partibus Aragone flumine ad Auſtrū, ad occaſum fluuio ignobili, qui infra Calagurrim influit in Durium Duriique parte cincti ſunt. vltra Iberū hæc, citra autem Tudela Nauarræ aliaque vicina oppida iis Regibus poſtmodum dotis nomine acceſſerūt, Quam prouinciam quamuis anguſtis regionibus circumſcriptam, neque incolarum numero frequentiſſimam (nam hoc tempore quadraginta millia familiarum tota ditione numerantur) in præcipuis Hiſpaniæ partibus poni placuit: quod Vaſcones veteres eius prouinciæ cultores à reliquis prouincialibus ſeiuncti loca, quæ à Mauris armis inter primos vindicarunt, regio occupato nomine ad patrum memoriam conſtanter retinuerunt: bellorum ſæpe alternante fortuna vltra præſcriptos fines imperium proferentes. nam in vrbe Anagaro Regum Nauarræ ſepulcra, aliiſque vicinis locis, eius gentis extant illuſtria ditionis maioris monimenta. Nauarra quaſi naua erria dicta eſt, vt quidam arbitrantur, ex Cantabrica & Hiſpanica linguis voce duplicata, conflato nomine. nauas Hiſpani vulgo planicies, terram Cantabri vocant erriam. commentum haud inſulſum nos his commentariis, Vaſconum voce eam Hiſpaniæ partem nominamus. Aragoniæ regnum in Catalaunos Valentinos, & qui peculiari nomine Aragonii dicuntur, tributum eſt. Mediterraneo mari, Pyrenæi ſaltus parte extrema, vbi Ceretani erant, Vaſconumque finibus, tribus ex lateribus ad Auſtrū, Ortū atque Septentrionem cinctū, ad Occaſum Ibero definitur, qua parte Vaſconum fines attingit: lineaq; magno ſæpe locorum flexu per Turiaſonem Darocam, Hariſam, Turulim, Setabimque & Horihuelam ad Staberi oſtiū Illicim inter & Carthaginis portum ad mare terminata. Legibus & inſtitutis ab aliis, Aragonii, Hiſpaniæ populis diſcrepant plurimū, retinendæ libertatis, aduerſus Regum poteſtatem ſtudio acres & incitati quam antiquis maiorum ſanctionibus ſcitiſque, ne ſeſe nimia efferat, luxurietque in ſubditorum perniciem, degeneretque in tyrannidem, circumſcriptam hactenus tenuerunt, non ignari à paruis initiis ius ſæpe minui libertatis nomen vero vel à Tarracone, vel vt alii malunt, ab Aragone flumine, vnde eius regni fines initio extendi cœperunt, mutuatum habent. In Caſtella, quam ab arcium frequentia dictam putant, vnaque regionum amplitudine, cæli clementia, ſoli bonitate, ingeniorū præſtantia, diuiti cultu, ac quodam fertili & peculiari nitore reliquas Hiſpaniæ prouincias facile ſuperat, exterarum nulli concedit, Aſturum partem comprehendimus, totamq; Cantabriam olim anguſtam regionib. neque Pyrenæos montes attingentem deinde latiorem, indicio Cantabrigæ, quæ vrbs præter Lugruniū & Vianam ad Iberi ripam ſita fuiſſe creditur in edito colle, cui Cantabriæ hoc tempore nomen eſt: & D. Eulogio martyri fluuius eſt Cantaber, cui Arago amnis confunditur Ega aut Iberus ſcilicet. argumento maioris olim latitudinis Cantabriæ, quā quibus hodie finibus circumſcribitur, in Viſcaiam, Guipoſcoam, Alauam, & montanos diuiſa. Continet præterea Caſtellæ regnū è Caſtella veteri vrbes non paucas: atq; in his Burgos, Segobiā Abulam, Soriā, Vxamam, agrum Toletanū nouam Caſtellā hodie vocant, antiquis Carpetani) quā Tagus amnis interfluit, ab arenis voluentibus aurū, aquarum ſuauitate, agrorum per quos decurrit nitore prouentuq; vnus maxime celebratus. Fluit verſus Occaſū aliquanto ad meridiē flexu riparū: quod cū Durio, Ana, Bætiq; cōmune habet. Is Toletū in Hiſpaniæ vmbilico vrbē amplā, totius Hiſpaniæ lucē arcemq; natura loci munitā, incolarū tum forma tū ingenio, & religionis cultu ſapientiæq; ſtudiis excellentem totā ferme circulo, vaſtis, præruptiſq; montib. magno naturæ miraculo penetratis ambit, anguſto arduoq; aditu ad Septentrionē relicto cæli ſalubritate, & in ſterili ſolo propter agrorū vicinorum bonitatē rerū omniū ad vitæ cultū victumq; copia beatā ciuitatē. Inde Liborā præteruehitur frequens municipiū, agri amœnitate bonitateq; præcipua, quod hodie oppidū vocatur Talauera, atq; per mediā vicinamq; Luſitaniā, multis auctus fluminibus in Oceanum effunditur. In eadē Hiſpaniæ parte prouincia Carthaginenſis eſt, vbi Carthago, Spartaria, Murcia, Conchaq; numerātur: & Celtiberia, cuius caput fuit Numātia: præterea Aragoniæ marca in Conteſtanis, quā vulgo Manchiā dicimus: Bæticaq;, quæ ferme Vandaloſia eſt, vbi Hiſpalis & Corduba ſunt, atq; Granata olim Eliberis. certe prope illam ſita portæ vrbis atq; vicini mōtis, quæ Eluiræ nomē retinēt, indicio certiſſimo.

De Hiſpanorum linguis. CAPVT V.

HISPANIS omnibus hoc quidem tempore lingua ea communis eſt, quam vulgo homines Caſtellanam vocant, ex multarum linguarum colluuione, ac præſertim ex Latinæ degenerantis corruptione conflatam. nominis argumento, nam Romana etiam vulgo appellatur, tantæque cum Latina affinitatis, vt quod ne Italorum quidem linguæ conceditur, perpetua oratione tum ſoluta, tum adſtricta numeris loqui liceat ſimul Latine & Hiſpanice. Extremis Luſitanis peculiaris lingua eſt ex Gallico ſermone & Hiſpanico temperata atque confuſa eoque elegans audituque grata. Valentini & Catalauni, vnde originem habuerunt, Narbonenſi idiomati, affini lingua vtuntur: & fere locorum vicinitate & commercio vocabula magna ex parte moreſque mutantur. Soli Cantabri linguam hactenus retinuerunt rudem & barbaram, cultum abhorrentem, multumque à reliquis omnibus diſcrepantem, & totius olim Hiſpaniæ communem (ſic fertur) & antiquiſſimam, priuſquam in eam prouinciam Romanorum arma ſermoque penetraſſent. Gens enim agreſti rudique ingenio, quæ plantarum inſtar tranſlata tamen, terræ bonitate mitigatur, & montanis inacceſſa locis, externi imperii iugum vel admiſit penitus nunquam, vel excuſſit quam primum: atque cum antiqua libertate veterem gentis, atque communem prouinciæ ſermonem conſeruatum fuiſſe fide non caret. Alii contra diſſerunt veterum auctorum teſtimonio, voces Cantabricas oppidorum præ cæteris Hiſpaniæ duriores eſſe confirmantium, atque Latinæ linguæ cultum reſpuentes maxime: ac Strabo non vnum genus literarum, neque linguam vnam Hiſpanis omnibus eſſe ait. Vocum Briga, Cetra, Falarica, Gurdus, Cuſculia, Lancea, Buteus, Vepio Necy pro Marte, multarumque id genus aliarum argumentũ accedit: quas Hiſpanorum linguæ fuiſſe proprias, magnorum autorum teſtimonio confirmatur, & nonnullas inde in Latinam linguam manaſſe minime dubitare licet: neque eæ tamen hodie lingua Cantabrica vſurpantur. quam vnam è multis tamen priſcis Hiſpaniæ linguis eſſe minime negant, quorum opinionem pluribus neque refellere operæ pretium eſt, neque confirmare animus.

Hiſpanorum mores. CAPVT VI.

VETERES Hiſpani moribus fuere rudes ſane & ſine more, feris propiora quam hominibus ingenia, ſecreti etiam inter tormenta tenaces, inquieto animo, corporum celeritate maxima, dediti religionibus, à ſapientiæ ſtudiis abhorrentes: tametſi ingenio maximo, quod tranſlati in alias prouincias declararunt, neque mentis perſpicuitate, neque memoriæ laude, ac ne orationis quidem copia ab vlla gente ſuperari. Armis aliquanto aduerſus hoſtes, quã conſilio meliores fuerunt: cultu vitæ agreſti, victu copioſo magis quam exquiſito, vino parciſſimo, aquæ ſæpe potu contenti vitam propagabant: aduerſus ſontes ſeueri, in aduenas humani & hoſpitales. Hoc tempore vitiis & laudibus multum eſt additum: nam ſapientiæ ſtudia, vt ſi qua alia in orbis parte, coluntur vigentque maxime, nullibique maiora virtuti certioraque præmia propoſita ſunt, curſuſq; ad laudẽ apertus magis quam in vlla alia gente, humaniorum litterarum cultus deſideratur, ſine iniuria tamen cæterarum diſciplinarum. Iuſtitiæ cultores maximi ſunt, ſummos cum mediis, atque cum his infimos, æquabili iure deuinctos tenent legibus armati, & auctoritate muniti magiſtratus. quorum induſtria latrocinia ſublata, à cædibus, ab iniuria manus abſtinent. nulli enim impune eſt, quicumque vel ſacroſanctas leges, vel quemuis de populo violare auſus fuerit. Retinendæ veteris religionis conſtantia, quo tempore ſacra omnia apud nationes alias rerum nouarum cupiditate mutantur & conuelluntur paſſim, clari atque præſtantes. Domi conſilium viget, foris arma pulſis inteſtinis hoſtibus, atque profligata Saracenorum impietate, magnam orbis terrarum partem inuicta virtute peruagata ſunt, Laborum atque inediæ, quibus virtutibus omnes difficultates mari terraque ſuperarunt, patientiſſima natura corpora. noſtra tamen ætate affluenti copia voluptatum, illecebris omnis amœnitatis maritimæ terreſtriſque, atque commercio gentium exterarum ad copiarum Hiſpaniæ famam accurrentium, eaſque importantium merces, quibus vigor animorum extinguitur, emolliuntur labefactanturque vires, eneruati, & peregrinis moribus deprauati, tum obſequio principum, & licentia laſciuientis plebis corrupti, nec libidini, nec ſumptibus, nec veſtium pretio modum faciunt. vnde quaſi ex ſummo voluente ſe fortuna graues calamitates prudentibus videntur imminere: cum præſertim ab ingeniorum auſteritate, morumque ſeueritate atque arrogantia odium nationum omnium ſuſtineant, grauiſſimum atque indiuiduum magnorum imperiorum aſſeclam.

De fabulo-

De fabuloſis Hiſpaniæ Regibus. CAPVT VII.

ITAQVE veniſſe Tubalem in Hiſpaniã in confeſſo eſt. quib. vero in locis inſederit, quãq; latiſſimæ prouinciæ regionẽ primum colendam habitandamq; ſuſceperit, dicere nõ habemus, diuinare non iuuat. Tametſi Setubalis oppidi indicio quidam in Luſitania putant, alii in ea Vaſconum parte malunt, cui Nauarræ nomen eſſe demonſtratum eſt, ex Tafala atq; Tudela, quas Tubalis colonias eſſe magis ob affinitatem vocum ſuſpicantur, quã certo aliquo argumento confirmant, ſumpta pronunciandi occaſione. Nam toti prouinciæ de primi conditoris appellatione Setubaliæ nomen factũ, quod nonnulli ne probabili quidem & ad ſcænæ oſtentationẽ apto mendacio affirmarunt, eruditæ aures auerſantur. quid enim niſi hoc deſipere ſit, tantam vetuſtatem ad linguæ Latinæ etymõ velle præpoſtere reuocare, & venerandam antiquitatis formã nouis commentis fœdare? quod ii faciunt, cum Setubaliam Tubalis cœtum ſignificare perſuadent. Tarraconem & Saguntum alii in Tubalis coloniis numerant, quod neq; affirmare hoc loco, neq; refellere in animo eſt. Nimirum quod ignotas remotaſq; à noſtro commercio regiones deſcribentibus ſæpe accidit, vt inacceſſos montes, paludes perpetuas, horrida gelu, aut ardoribus vaſta loca eſſe dicãt: varias piſcium, ferarum, auiumq; formas, prodigioſos hominum mores, inſolentes vultus iis in regionibus ad intuentium legentiumve voluptatem eſſe confingãt, nullo qui redarguat abſq; exiſtimationis periculo prorſus impune: idem pleriſq; tum noſtris tùm externis hiſtoricis video contigiſſe. qui vbi lumen hiſtoriæ deficiebat, rerumq; ignoratio antiquitatis velum oculis opponebat, ipſi illuſtrandi eam gentem ſtudio, cuius res geſtas in hiſtoriam conferre erat propoſitum, & ad maiorem ſcriptionis gratiam, ſi nullis lacunis præciſa & impedita, contra magnarum rerum luminibus illuſtris narratio eſſet, de ſuo multa commenti ſunt. Sed antiquitati fas eſſe ais, conſecrare gentis origines, initiaq; multo quam ſint, ſplendidiora facere miſcendo falſa veris. Sit ſane. modo ne male affictæ vrbium origines, inauditæ Regum progenies, & nomina, & bella, ſexcentaq; alia id genus portẽta ex anicularum fabulis & populari rumore collecta poſteritati prodantur: ſimplexq; veritatis facies apertis mendaciis deformetur. quod imitari profecto non debemus, quamuis cum ſpe veniæ aliena veſtigia ſectaremur. Ac multo minus Beroſo adſcripti, qui non ita pridem in lucem prodiit, & cæteros in errorem miſit, libri opiniones vẽditare, ſomniaq; ex fabulis & mendacio compoſiti eius, qui ſuas cogitationes alieno nomine, ſpecioſoq; titulo, quia diffidebat ingenio, more malorum mercatorum voluit illuſtrare, haud ſatis diſſimulata fraude: neq; enim cohærentia loquitur, neque alia ex aliis apta & colligata ita reſpondẽt ſecunda primis, poſteriora mediis, vt non commenti veſtigia expreſſa vbiq; cernantur, extentq;: ſi præſertim veterum ſcriptorum, quæ nobis relicta lux eſt, tenuis certe & maligna, ſed lux tamen nonnulla propius admoueatur. Itaq; quod ex noui Beroſi officina prodiit, Noemũ in Hiſpaniam, ex longo nimirum errore, tandem appulſum, Noelam in Callæcia, in Aſturibus Noegam primum fundaſſe, ſpecioſo mẽdacio, quoniam de his oppidis Plinius, Strabo Ptolemæus meminerunt, repudiamus. Neq; recipimus ab Ibero Tubalis filio, Ibero fluuio, toti deinde prouinciæ Iberiæ nomina fuiſſe facta, cum ſit potius veriſimile, Iberos ad Pontum Euxinum intra Colchida & Armenias Caucaſiis montib. incluſos, inde in Hiſpaniam magno numero delatos, atq; vrbe Iberia ſupra Dertuſam cõſtituta, vicino fluuio primum, vniuerſæ deinde prouinciæ, nouas Iberi & Iberiæ appellationes feciſſe: quemadmodum Aragonis fluminis, ab alio eiuſdem appellationis in Iberia, nomen quidam fluxiſſe putant. Nam Celtiberiæ nomen ab Iberis & Celtis duplicata voce venit: qui & ipſi ſuperatis Pyrenæi iugis, ex Gallia finitima in Hiſpaniam delati (& Celtas Appianus in Citeriori Hiſpania collocat) mixto cum Iberis ſanguine Celtiberiæ appellationem effecerunt. Neq; maiorem meretur fidem, Idubedam Ibero patre defuncto Hiſpaniæ Regem monti Idubedæ, cuius montis initia, media, atque progreſſus demonſtrata paulo ſuperius ſunt, ſuã appellationem communicaſſe. Adiiciunt huius filium Brigum, cum aucta gente numero, opibus, auctoritate in varias orbis partes colonias dimiſiſſet, Brigiam, quæ poſtea ſit Phrygia dicta, vbi Ilium erat, in Aſia condidiſſe de ſuo nomine, in Alpium iugis Varobrigam è ducib. Brugi vnum alium in Gallia Latobrigã, quo ſua nomina conſecrarent, & à ſuo Rege gratiã inirent nouis colonis deductis. Mendacio probabili accommodata fides eſt. cum Plinius referat tranſiiſſe ex Europa Brigas, à quib. appellantur Phryges, & plures in Hiſpania ciuitates Brigas nominari cernerẽt, vt Mirobriga, Segobriga, Flauiobriga: arbitrati ſunt Regẽ aliquem extitiſſe in Hiſpania, Phrygiæ gentis auctorẽ, conditorẽ Ilii, multarumq; vrbiũ eo nomine in Hiſpania conſtructorẽ. Cum Brigas ex Hiſpania profectos in Aſiã credere, nõ eſſet neceſſe (Midamq; Brigibus ad Brimium montẽ imperaſſe Conon ait, quib. in Aſiã trãſuectis, Phrygibus nomẽ fuit) & in prõptu eſſet exiſtimare, vel priſca Hiſpanorũ lingua vrbẽ, Bri-

gam communi voce nuncupatam: aut quod verius eſſe puto, Germanorum nationẽ prole fœcundiſſimã, aliquando ſe in Hiſpaniã primis illis temporibus infudiſſe, atq; à Burgis quæ vox oppidũ ipſorum lingua ſignificat, obtinuiſſe vt vrbes in Hiſpania facili litterarum permutatione dicerentur Brigæ. aut ſi qua alia commodior ſit ratio, quæ ignoretur: tantum ne fabulis in hiſtoria ſit locus. Tagum poſt Brigũ regnaſſe, quod iidem affirmant, eo pertinet, vt nihil ſit paulo maioris rei in Hiſpania, cui nõ cõtinuo Rex cognominis affingatur: quo omnium rerũ certa deſignari origo & appellationũ ſingularum exacta reddi ſcilicet notatio videatur. quaſi non liceat in rebus ipſis reſiſtere, nefaſq; ſit ſacra Regum nomina vlterius perſcrutando inquirendoq; contrectare. ac nõ is fluuius in Carthaginenſi prouincia exortus à Carthagine potius nomen traxiſſe videatur. auctor Iſidorus. Eiuſdem formæ eſt, Bætum Tagi ſucceſſorẽ Bæticæ nomen dediſſe, in Turdetanos, Turdulos, Baſtuloſq; olim tributæ, atq; ab inſigni rerum omnium copia poetarũ ingeniis concelebratæ cum primis: adeo vt Elyſios campos ſedeſq; beatorum non alibi collocarẽt teſte Strabone, qui legibus ait, carmine modulatis vti ſuo tempore conſueuiſſe, vt ipſimet iactabant, ante ſex amplius annorũ millia promulgatis. & fortaſſis annus eorum Romano multo breuior erat, & quatuor tantũ menſibus voluebatur. Eſt autẽ vero propius quod numero & auctoritate potiores hiſtorici tradiderũt: Bæticam prouinciã à fluuio ipſam interfluẽte dictam, quem incolæ Ciritũ, externi Bætim vocarũt, fortaſſis Hebraica voce à crebris domibus, villis, oppidis, quibus dextra leuaq; ob agri ſubiecti bonitatẽ, cultũ collucentemq; videbãt. Atq; de commẽtitiis Hiſpaniæ Regibus hactenus hoc loco quorũ ſtatuo audeoq; affirmare, neq; regnum, neq; nomen in ea prouincia, ac ne obſcurã quidem mentionem vſquam in probatis ſcriptoribus extare. Sed vt aniles fabulas colligere, & figmentis oblectare lectores velle, procul grauitate ſuſcepti operis eſſe arbitror: ita quæ magni auctores vulgarunt tradideruntque, repudiare non auſim.

De Geryonibus. CAPVT VIII.

PRIMVM Geryonem Græcis & Latinis litteris celebratum licet, Regem Hiſpaniæ numerare. Is cum aliunde applicuiſſet in Hiſpaniã, quod Geryonis nomen Chaldaica lingua declarat, peregrinum fuiſſe, optimæ prouinciæ copiis oblectatus, auri cumulis congeſtis, cuius quia vſus ignorabatur, glebæ paſſim neglectæ iacebant in agris, nullis fornacibus victæ, ſed vt natæ erant, vnde apud Græcos Chryſei illi nomen factũ eſt; pecorumq; armentis propter læta paſcua copioſus, in prouinciales eatenus rudes ingenio, & per agros ferarũ ritu pagoſq; diſſipatos. nulliuſq; vnius, cuius imperiũ reſpicerent, cuius virtute allatam vim propulſarent, ſub iure ditioneq; deuinctos tyrannidem occupaſſe primus & exercuiſſe putatur: arcemq; operibus é regione Gadiũ muniuiſſe Gerondam, cuius præſidio arreptũ ſemel imperiũ ſtaret: vrbemq; alterã (niſi ex nomine ducta coniectura fallit) eadem appellatione ad Pyrenæi radices atq; in Auſetanis exædificaſſe oram maritimã complexus vnde rebus ſuis tranquillitatẽ pollicebatur. Oſiris, quem Ægyptii etiam in ſuis Regibus primũ ponunt Diodoro teſte, quique alio nomine Bacchus & Dionyſius vocitatus eſt, non ille Semele natus atq; in vrbe Myro educatus (vnde fabulæ occaſio, quia myron fœmur ſignificat) ſed Ægyptius Geryonis rationes aduentu inopinato turbauit. cum enim longiſſima peregrinatione ſuſcepta atq; obita orbẽ ferme terrarum vniuerſũ, ab Æthiopia ad Indos Aſiam, & Europã victoriis illuſtraſſet, viteſq; & frumenti ſerendi ſcientiam vſumq; vbique primus monſtraſſet, tandẽ in Hiſpaniam perlatus, quod in aliis orbis partibus nullo ſuo priuato compendio ductus, ſed odio tãtum ardens improbitatis extirpandæ præſtiterat vt exactis tyrannis priſtinã reuocaret libertatẽ, idem in Hiſpania faciẽdum ſibi iudicauit. quam in ſeruitutem redactã, omnes indignitates contumeliaſq; perferre fuerat ante denunciatũ: & quia voluntate tyrannũ copiis opibuſq; præualidũ, facturum quicquã pro ſano non ſperabat, ad arma ventũ eſt. Inſtructis vtrinq; copiis collatiſq; vexillis in Tarteſſiacis cãpis ad fretum Gaditanũ dimicatum ferũt, magno quidẽ animorum ardore ancipitiq; marte: cæterum victoria cæſis & fugatis Hiſpanis penes Ægyptios ſtetit. Geryon ipſe in prælio cecidit, occiſiq; corpus victoris iuſſu (ſic aiunt) ſepulturæ mãdatum, in extremis freti faucibus ad locum, vbi nunc Barbate oppidum ſitum tumulo compoſito. Diuinitati conſecratum; conſtitutum in ora Siciliæ ab Hercule templum, atque Geryonis oraculum Patauii famoſiſſimum, quod à principibus etiam viris religionis ergo frequentabatur, ſatis declarant. Pace igitur per hunc modum reſtituta Oſiris beneficio, depulſaque tyrannide; cum acerbum, remque non optimi exempli ad poſteritatem victor iudicaret, parentum peccata filiis puniẽdis emendare, graueq; videretur tres Geryonis filios ætate pueros, forma præſtanti, atque in ſpem paterni regni educatos in turbam coniicere, aut perpetuæ ſeruituti exilioq; mancipare: & fere magnis animis poſt victoriam aduerſus proſtratos ſuccedit

cedit humanitas: quorum mentes non magis paternis vitiis & exemplis ad crudelitatem erudiri, quam funeſto exitu caſtigari poſſe non deſperabat, viris prudentiæ opinione excellenti, qui infirmam puerorũ ætatem, regniq; tantiſper molem regerent, commendatos, optimiſq; præceptis inſtitutos in paterno Hiſpaniæ regno collocauit. Ipſe vt longinquæ expeditionis tantorumq; laborum fructus aliquis per otium eſſet in patria, in Ægyptum reverſus eſt Geryones fratres ætate cõfirmata opib. aucti atq; paterni Regni adminiſtratione ſuſcepta, beneficii immemores, memores iniuriæ paternas inimicitias perſequi, cædẽ vlciſci, atq; quod gratiſſimum venire ſolet, parentis occiſi manibus hoſtili ſanguine parentare decreuerunt. quod cum præ ſe ferrent, alia ex arcano cura non minus ſolicitabat tyrannidis exemplo patris in Hiſpaniam reuocandæ: quod Oſiri ſuperſtite impune fore nõ ſperabant. Hæc cogitantibus, neq; rationem tantæ rei conficiendæ ſatis explicantibus, optimũ viſum eſt Typhonem Oſiris fratrem ad eam rem ſolicitare. quem fama ferebat regnandi ambitione vltro corruptum eſſe & alioqui dira dominandi cupiditas omnia naturę iura ſubuertit. Miſſi legati muneribus haud difficulter ſe in Typhonis gratiam inſinuant: ſenſimq; opem omnem polliciti, data vltro citroq; fide eoſdem amicos inimicoſq; futuros perſuadent, vt fratre germano ſublato armis ipſe Ægypti regnum inuaderet occuparetq;. Quod cum occultiſſime factum eſſet, occiſi quidem corpus diligenter conquiſitum, Iſis Regina in Abato tumulauit eius paludis inſula, quæ Memphi proxima eſt: quam idcirco Stygem, hoc eſt: mœrorem, vulgo homines nominarunt. Tanta perfidia latere non poterat, neque occulti quicquam eſſe in inteſtina diſcordia. Orus qui eo tempore res gerebat in Scythia, celeriter in Ægyptum rediens, paternam cædem morte Typhonis vltus eſt. & cum cognouiſſet impiæ conſpirationis cõſcios impulſoreſq; præcipuos Geryones fratres extitiſſe, paternæ gloriæ æmulatione & vindictæ cupiditate inflammatus, ſuſcepta non minori quam pater expeditione, varias toto orbe gentes in fide confirmauit, nouaſq; ad amicitiam adiunxit: & quam à matre acceperat, medendi arte diuinitatis honorem obtinuit, opinionẽ excitauit. Vnde à quibuſdam Apollo eſt dictus, ab aliis propter militarem ſcientiam, & pugnandi dexteritatem Martis nomen tulit: ab omnibus Hercules vocitatus eſt, non ille Amphitrionis filius, ſed Libyus: quem monſtra domuiſſe fama tenuit, claua & leonis exuuiis armatũ, armorum è chalybe vſu nondũ per ea tempora ad humani generis exitium excogitato. Ergo numeroſo conflato exercitu, & collectis vndique auxiliis, formidabilis in Hiſpaniam tandem contra Geryones penetrauit, Gadeiſq; peruenit: quo ſe illi iam dudum receperãt collatis in vnum regni copiis, comparato in multos dies, ſi forte ducendum eſſet bellum, commeatu, finitimorumq; auxiliis vndique conuocatis. Nam conſcientia patrati ſceleris animos debilitabat, & ſciſſis prouincialium ſtudiis pro ipſis & aduerſus ipſos, erectiſq; multorũ animis ad ſpẽ recuperãdæ libertatis in ambiguo erat, ſuis an externis magis diffiderẽt. Deſperata ſalus ſi Ægyptii viciſſent, ad rabiẽ magis quã audaciã accẽdebat. Itaq; locis munitis ſe tenere cõſtituunt. Hercules cõtra inſtructis copiis progreſſus, in hoſtiũ conſpectũ peruenit. & quoniam neq; bellum duci volebat, & tantos vtrinq; exercitus contemplatus ad honeſtam vllam pacis conditionem venturos hoſtes non ſperabat: neq; ſi venirent niſi patre Geryonum ſanguine vindicato, ſatis foret è dignitate ab armis diſcedere animo reputans tamen quanta vtrinq; hominum ſtrages futura eſſet, ſi totis vtrinq; copiis eſſet dimicatum Geryonibus miſſo Feciali iubet denunciari: vt ſi quidem corporis robore fiderẽt quo erant firmiſſimo, vel æquitate cauſæ, qua niti videri volebant, prædicantes ſe ab Oſiri fuiſſe iniuria prouocatos, violatoſq; priores: eam vltro ſe conditionem cõponendæ totius contentionis, proponere, quam ne deſiderare quidẽ ipſis veniſſet in animum. Vnde culpa orta eſſet, ibi periculum cõſiſteret: parceretur innoxio ſanguini, à ciuium & cognatorum laniena tẽperarent. Neq; vereri ſe pro cõmuni vtriuſq; exercitus ſalute contra tres ipſos vnus ex prouocatione dimicare, ſuoq; periculo multorum redimere incolumitatem, ſingulari quidem certamine & aduerſus ſingulos ſeparatim, numinis auxilio fretum, cuius arbitrio res humanæ vniuerſæ, ſed & maxime bellorum euentus gubernantur. Eam conditionem Geryones libenti animo ſuſceperunt, minime de victoria dubitantes. Die dicta vbi ad manus deuentum eſt contra accidit. tres Geryones ab vno Hercule ſuperati iugulatique. Tumulus in eadem inſula eorum corporibus compoſitus. quo ex tempore nomen Erythræ inde tuliſſe putatur, non ipſa ſola, ſed & vicina Gadib. inſula, obiectaq; cõtinentis Hiſpaniæ pars quoniã gẽtes ex Erythræo mari Orũ ſecutæ, eius conſenſu pace facta loca ea domicilio delegerunt. Demum in freti Gaditani faucibus, magnis vtrinque molibus iactis in mare, Calpe & Abyla montib. conſtitutis (quæ Herculis columnæ dictæ ſunt) rebuſq; cæteris in Hiſpania ordinatis, Hiſpalum è ſociorum numero ad prouinciæ gubernacula reliquit: cuius fidei conſtantiæ, atque induſtriæ domi militiæque præclara monimenta extabant. ipſe in Italiam nauigauit.

De Hiſpalo & Herculis morte. CAPVT IX.

HISPALVM in Hiſpania poſt Geryones regnaſſe, conſtanti omnium fama & prædicatione traditum eſt. Iuſtinus affirmat ab Hiſpalo dictam Hiſpaniam vnius permutatione litteræ. adiiciunt alii conditã huius induſtria atque nomine Hiſpalim, vrbem amplitudine, opibus, commercio propter Bætis ſubuectiones, inclytæ fertilitatis glebam, nulli in Hiſpania ſecundam: ab ea procedente tempore ad totam prouinciam Hiſpaniæ appellationem deriuatam. Iſidorus eius vrbis conditionem Iulio Cæſari adſcribit, quo tempore res in Hiſpania geſſit ſcilicet, Iuliamque Romulam ſuo illam & Vrbis Romæ iunctis nominibus nuncupaſſe ait. dictam vero Hiſpalim, quod in paluſtri loco ſuffixi profunde pali fundamenta contineant. & fortaſſis tunc primum amplificata locis, ædificiis illuſtrata, & iure coloniæ donata eſt: nam à Plinio Romulenſis colonia vocatur. verũ vt eo primum tempore fuerit ædificata, fide caret, idonea argumenta auctoreſque deficiunt. Plutarchus ſcripſit, altero Dioniſio, Semele nimirum nato, in Hiſpaniam appulſo, totaque prouincia victricibus armis parere imperio compulſa, è ſociis vnum ad res gerendas relictum Pana nomine effeciſſe, vt prouincia primum Pania, deinde vnius litteræ adiectione Spania diceretur. Verum de his liberum opinaturis iudicium eſto. Illud non recipimus: Hiſpalum reliquiſſe filium nomine Hiſpanum, qui patre defuncto regnaret. tantũ eundem hominem gemina voce ſignificari à diuerſis ſcriptoribus credimus: cum Hiſpaniæ nomen vtrique acceptum feratur: & qui alterum ponunt nullam de altero mentionem faciant, vno excepto Beroſo, cuius male conſarcinatas fabulas paulo ante repudiauimus. Huius Regis res geſtæ cum ignorentur ob longinquitatem, noſtri hiſtorici vt gracilem, tenuique riuo hiſtoriam corriuatis aliunde aquis amœniorem facerent, & ne quis eſſet Regum, cui non continuo Hiſpanienſium rerũ aliquod ſiue nomen, ſiue ædificium ad maiorem celebritatem, quod male cohæreret, aſſuerent: Hiſpalum ſcripſerunt vrbem Segobiam, aquæductumque in ea mirabili tum forma tum altitudine excitaſſe. quod de aquæductu conſtat Traiani Imperatoris eſſe opus certe per ea tempora factum. In portu vero Brigantino (Corugnia hodie vocatur) turrim ſpeculo impoſito, vnde erat deſpectus in mare, naueſq; procul venientes ſpeculari atque proſpicere ex imagine obiecta conſueuerant. atque eo præſidio vitare pericula, exædificaſſe Hiſpalum vt exiſtimarent: ex Latinæ tum linguæ tũ hiſtoriæ pudenda ignoratione factum eſt, ſpeculæ voce quæ eas turres ſignificat, in ſpeculi ſignificatione vſurpata. & conſtat turrim illam in honorem Auguſti Cæſaris fuiſſe à Brigantinis ciuibus conſtitutã C. Seuio Lupo Luſitano architecto cuius nomen hoc ipſo tempore vicinis rupibus inciſum legitur. nimirum in publico id opere facere lege vetitum erat; quæ lex inter Romanas in Pandectis extat. fuitque Phidiæ Athenis capitale, violata ea lege ſuam & Periclis imagines in ſcuto Palladis efformaſſe, quamuis in diſſimulato habitu: in quo religio etiam læſa eſſe poterat iudicari. Defuncto Hiſpalo, quo tempore auctores variant, ſed defuncto tamen Hercules ex Italia, vbi eatenus morã traxerat, rerum nouarũ metu continuo Atlante, cuius magnitudinem animi perſpectã habebat, rebus in Italia præfecto, accurrit in Hiſpaniam. Vbi rep. recte & ſapienter adminiſtrata, nouiſq; in ea vrbibus conſtitutis, in quibus Iulia Libyca & Vrgelia in Pyrenæi montis cõplexu, Barcino & Turiaſo in Citeriori Hiſpania à quibuſdã cõmemorantur Herculis coloniæ fuiſſe, in ſenili affectaq; ætate defunctus, propenſa vniuerſæ prouinciæ voluntate diuinitati eſt conſecratus, diuini honores decreti templo dicato. Quo loco corpus Herculis ſolennibus ſacris, non tantũ à prouincialibus, ſed etiã ab exteris nationibus religionis ergo eo confluentibus coli cœptum magno ſacrificulorũ quæſtu & loci nobilitate. Templũ illud Herculis ſepulcro clarum qua in Hiſpaniæ parte extiterit, auctores in diuerſum trahunt: & in rebus tam antiquis diuinare ex coniecturis facilius fuerit, quam certa ratione in alteram partem pronunciare aliis Barcinone dicentibus, vbi ad templũ maximũ vetuſti operis reliquiæ & magnifici ſepulcri veſtigia extant: aliis in Gadibus: aliis, quorum auctoritas potior erat, eruditio maior, Tarteſſi exiſtimantibus ad fretum Herculeum quo loco conſtat, eam religionem diu fuiſſe conſeruatam Herculis magnifico templo excitato.

Heſperus & Atlas Hiſpaniæ Reges. CAP. X.

HISPALO & Hercule in Hiſpania ſine vlla prole defunctis Heſperus Atlantis frater, in Africa, vt perhibent, natus, atq; vnus è ſociis Herculis, quod is teſtamento ſanxerat, Hiſpaniã regendã ſuſcepit tanto gentis cõſenſu, quanto haud quiſquam alius. Rerum geſtarum fama & virtutis exactæ opinio maxime ad populum, commendabant: vſque eo vt vniuerſam Hiſpaniam de Heſperi nomine Heſperiam cœpiſſe dici Græcis & Latinis auctoribus perſuaſum ſit. Macrobius & Iſidorus ab Heſpero ſtella occidua malunt, quæ in

Hiſpania

Hiſpania occidit, & ad quam ferme reſpiciunt in eam regionem nauigantes. Læta certe huius regni initia breui luxuriarunt, vanaque euaſerunt. Atlas Heſperi frater ex Italia, vbi relictus ab Hercule fuerat, Hiſpaniæ copiis & amplitudini inhians, iniuriam ſibi factam expoſtulabat fratre prælato. Nec mora: in Hiſpaniam delatus, incenſis pro eo militum ſtudiis, quem militari gloria florere conſiderabant, regnum cepit. Heſperus à ſuis deſertus fuga in Italiam euadere coactus eſt. Hetruſci eiecti hominis atque profugi calamitatem nulla ipſius culpa, fraterna tantum ex ambitione contractam miſerati benigne primum hoſpitio acceperunt: deinde probitatis & modeſtiæ experimento, famaq; rerum geſtarum permoti Heſperum, qui Corythi Regis (hunc Ianum etiam quidam & Iouem nominant) teneram ætatem præſidio indigentem atque rectore, veris virtutibus informaret: regnique tantiſper molem, dum ille adoleſceret, humeris ſuſtineret, omnibus ſuffragiis delegerunt communi prouincialium lætitia. Spem de eius probitate conceptam animis irritam non fuiſſe declarat Italiæ nomen, ab eo tempore Heſperiæ etiam appellatione mutatum Hiſpaniæ exemplo, atque Heſperi probitatis argumento efficaci. Qua re in Hiſpania nunciata Atlas ſibi metuens, ne prima negligendo ſerperet malum, reſurgenteque à ſecundo hominum fauore, fratris potentia, de Italiæ primum imperio cadere, deinde etiam de Hiſpaniæ poſſeſſione periclitari cogeretur: ſuorum concilium aduocare, nouos delectus habere, omnibusque poſthabitis in Italiam feſtinare conſtituit. Sequebatur valida Hiſpanorum manus, in qua plerique Hiſpani proceres in expeditionem deducti per ſpeciem honoris, & vt ſe iis auxiliis confirmaret, & vt obſidum loco eſſent, ne ſe abſente, externo repudiato nouis imperiis ſtuderent. Suſcepta nauigatio ſecunda non fuit. vi tempeſtatis in Siciliam abreptus, eius inſulæ copiis oblectatus Hiſpanorum in ea partem non exiguam reliquiſſe memoratur: quorum virtute inſulæ occupatum imperium retineri poſſe ſperabat. Cum reliquis copiis ex longo interuallo atque poſt longas moras in Italiam tandem delatus, Heſpero interea rebus humanis exempto, Corythum Hetruſcum Regem facile in poteſtatem redegit: rerumque in Italia nullo reſiſtente arbiter, è duabus filiabus alteram Electram nomine Corytho vxorem dedit: vnde Iaſius & Dardanus nati ſunt, de quibus mox ſermo redibit. Altera cui nupſerit incertum eſt, ferunt tamen Romen vocatam, ditioneque tenuiſſe loca, per quæ Tiberis fluit, qui tunc fluuius Albula dicebatur, addunt, iis locis prius Hiſpanorum copias ab Atlante fuiſſe collocatas præterea memorant Romen deinde in Palatino monte eius vrbis prima fundamenta poſuiſſe, quæ à paruis initiis profecta orbis imperium longo interuallo nacta eſt. An fabulæ hæ ſunt Fabii quamuis Pictoris auctoritate affirmatæ: noſtrorum mulcendis auribus datum, ab Hiſpanis conditam vrbem Romam: nam alii Romen eius vrbis conditricem Æneæ neptim faciunt, Aſcanii filiam. Aliis poſt Ilii excidium cum Ænea in Latium delata nobiliſſima captiuarum fuit, incenſis nauibus ad Tiberis ripam oppidi iis locis condendi auctor, quod eius nomine Roma ſit dicta. Omnino Vrbem Romam ante Romulum conditam fuiſſe, magnorum virorum teſtimonia confirmant: neque obſcurum eſt, nomen alterum fuiſſe Romæ, quod foras enunciari cæremoniarum arcana vetabant. eius violati ſilentii reum Valerium Soranum capite pœnas dediſſe. Cæterum quale illud nomen fuerit clam eſt: neque ſatis fixum à noſtra gente eam vrbem fundatam, quod noſtri hiſtorici affirmarunt. Quid me ſcribere par ſit, leges hiſtoriæ, quam quid noſtrates laudaturi ſint, conſiderabo: neque intempeſtiuis commentorum floribus, quibus Hiſpaniæ rerum ſplendor non eget, ſimplicem veritatis faciem exornabo. Itaque Romam Hiſpanorum coloniam fuiſſe, inter incertæ fidei res (ne quid grauius dicam) ablegamus. Quemadmodum Sicorum, Sicanum, Siceleum, Luſum, quos recentes hiſtoriæ in Hiſpaniæ Regibus ponunt, eorum veteres nihil meminerunt, penitus repudiamus. Ac ne illud quidem recipimus: Atlantis filium nomine Morgetem à patris obitu in Italia regnaſſe: vnde Hiſpani Atlantem in Italiam ſecuti, Morgetes fuerint dicti: quod nihilo meliori fide ſtat: & credam potius eam gentem ab vrbibus, in quibus habitabant, appellationem tuliſſe: cum duplex Murgis in Bætica extiterit, altera ad maris littus, quæ modo Muxacræ nomen habet: in interiori prouincia altera, quæ hodie Murga nuncupatur: atque his locis finitima Murcia, quam Morgetum ſedem quidam faciunt. Vnde in Sicilia Murgantium vrbs atque Murgentini populi fortaſſis hoc ipſo tempore aut alio quouis manarunt. & eſt omnis coniectura fallax, quæ nominum tantum ſimilitudine nixa eſt.

De Siculo Hiſpaniæ Rege. CAP. XL.

ILLVD Philiſtii Syracuſani auctoritate munitum pro vero recipiatur: Siculum Atlantis filium, poſt patris ex Hiſpania diſceſſum, pro abſente vicarium eam prouinciam gu-

bernaſſe, ſucceſſiſſe defuncto. Regno is ſuſcepto, rebuſque in Hiſpania ordinatis, cupiditate incenſus regni Italici hæreditatem cernendi, cum lectiſſimis copiis eo profectus eſt. Paterni exercitus reliquiæ ab indigenarū iniuria tuendæ erant: Iaſii & Dardani controuerſiæ pacandæ poſt Corythi patris obitum de Hetruriæ poſſeſſione certantium. Iaſii, cuius melior erat cauſſa, vires infirmiores, vt maturaret litteræ ſolicitabant, Multum temporis in ea nauigatione conſumptum. ex itinere vltro, ſiue tempeſtatis vi in Siciliam appulſus veterum ſociorum vires confirmaſſe fertur, Cyclopibus & Leſtrigonibus feris & immanibus gentibus bello illato. Parta victoria ei inſulæ, quæ Trinacria erat, noua nomina facta (ſic quidam ſuſpicantur) Siciliæ à Rege Siculo, Sicaniæ ab Hiſpanis, quos ad retinendum eius inſulæ imperium reliquit, ex ea Hiſpaniæ parte auectos, quam Sicoris amnis interfluit. nam iis in locis olim Sicanam gentem habitaſſe in confeſſo eſt. Sunt qui Sicoriæ etiam nomen ei inſulæ adhæſiſſe tradant à Sicoris gente Sicanis vicina, ſiue alio nomine eadem Siculum etiam ſecuta. Deinde Romen Atlantis filiam contra Aborigenes bello identidem laceſſentes opportunis auxiliis à fratre Siculo firmatam addunt, nullo commodiori argumento, quam quod Siculorum Sicanorumque in Latio etiam mentio facta ab idoneis ſcriptoribus reperiatur: quod quanti ponderis ſit, alii iudicabunt. In Hetruria demum Dardanum validis Aboriginum copiis ſtipatum ferocientemque aduerſus fratrem, eo redegit: vt poſitis armis ex animo ſeu ſimulata fraude in auunculi ſe fore poteſtate promiſerit, & ſua innocentia confiſum, & Siculi æquitate, non paſſurum eripi iniuria, quod paterna ex hæreditate debitum, armis etiam vindicarat. Fœdus inter fratres Siculi auctoritate factum. quam breui Dardanus ludibrio habens, Iaſium fratrem per fidem conuentionis ſecurum, nihilque minus cogitantem, ferro crudeliter peremit. Eam iniuriam Siculus ad ſe pertinere ratus, parricidam inſigni prælio victum expulit in Samothraciam: vnde Helleſponto is ſuperato in Aſia primus Ilium condidit. Iaſii filio Corybanto pro patre regnum Italiæ de manu eſt traditum. Rebus ad hunc modum compoſitis repetita Hiſpania, quid Siculus egerit clam eſt: ac ne referre quidem promptum aliquid per hæc tempora memorabile. niſi inania quorundam ſomnia pro hiſtoria venditare placet, vnde noua rurſus Hiſpanorum Regum nomina poſt Siculum prodierunt. Teſta vrbis Teſtæ, & Conteſtanæ gentis conditor, ex Africa ad Hiſpaniæ imperium translatus. Romus Valentiæ fundator in Edetanis, cuius antiquum Romæ nomen in Valentiam fuerit transformatum retenta ſententia, voce modo mutata, quemadmodum Romam, cum prius diceretur Valentia, ab Euandro vulgatum Romæ nomen accepiſſe Solinus eſt auctor. Palatuus, à quo Palatui populi, & magno terrarum interuallo Palentia. Cacus abactarum boum indicio Herculis Thebani manibus peremptus in Auentino monte, vbi Roma eſt, ipſeque morabatur ex Hiſpaniæ poſſeſſione pulſus. Erythrus è mari Rubro profectus, à quo Gadeis inſula Erythræa dicta ſit. Melſicola alio nomine Gargoris, de quo Iuſtinus meminit. Quæ omnia neque tanquam foueam intacta præterire debuimus, cum in eam non vulgus modo, ſed expoliti doctrina homines præcipitarint: neq; verum ea probare, quæ ad anicularum fabulas ableganda potius eſſe, præiudicatum habebamus. Siculum ſane à Iuſtino arbitror Sicorum nominari.

Variæ gentium migrationes in Hiſpaniam. CAP. XII.

SVPERIORVM Regum tempora tum imperii tū ætatis certa ratione deſignare promptum non eſt: ac ne ab orbis quidem conſtitutione annos numerare facile. neque deeſſet ſtudium, ſi qua ſe via conantibus panderet inquirenda veritate, nunc coniecturis ſtandum. Quibus Geryones Hiſpaniæ Reges ſuſpicabar quarta aut quinta poſt diluuium ætate vixiſſe. Siculum ducentis amplius annis ante bellum Troianum. Huius ætate aut non multo poſt, numeroſa claſſis ſoluens ex Zacyntho (quæ inſula Peloponneſo ad Occaſum in Ionio mari adiacet) in eam Hiſpaniæ partem perlata, vbi nunc Valentia cernitur, Zacynthum condidit (quod deinde nomen Sagunti appellatione mutauit) tribus à littore paſſuum millibus, ſe muniendi cura contra prouincialium vim, & vt eſſet quo fortunas aurum & argentum conferrent, ſcrutis viliſſimisque rebus mutatum ſimplici homines ingenio ſua bona & natiuas opes ignorabant. Eius arcis præſidio liberius in prouinciam penetrare auſi ſunt, atque vicina littora explorare: adeo vt ſexaginta ad Occaſum paſſuum millibus idoneo loco, templum Hiſpaniæ celeberrimum Dianæ exædificare aggreſſi ſint (vnde Dianium promontorium dictum) moreque è Græcia aducto ſimulacris exornare, multoque victimarum ſanguine nobilitare. Cæremoniarum inſolentiam & totius ſtructuræ maieſtatem admirati incolæ, quaſi è cælo lapſos homines, maiores con-

ditione

ditione mortali heroes credere. & eſt innatus humano ingenio ſenſus & reuerentia diuinitatis. ſic nulla re magis capitur quam religionis ſtudio, vero aut ſimulato. Templi huius contignationem ex iunipero materia imprimis odorata, Plinius ad ſuam ætatem incorruptam manſiſſe eſt auctor. Secundum Zacynthos Dionyſius alter centum quinquaginta circiter annis ante bellum Troianum, in extremam Hiſpaniam penetraſſe fertur: atque in Bætis æſtuariis inter duo eius fluminis oſtia, quibus tunc decurrebat in mare, Nebriſſam ædificaſſe, à nebridibus, id eſt, ceruinis pellibus, quibus Dionyſius & ſocii in communi vita & cum ſacris operabantur, vti ſoliti erant, Nebriſſæ appellatione facta. cui deinde oppido Veneriæ cognomen acceſſit. Tres fuiſſe Dionyſios ſeu Bacchos Diodorus ſcribit. Primum Deucalionis, vt ego interpretor, Noe filium, Oſirim nempe Ægyptium, de quo ſuperius eſt demonſtratum. Alterum Proſerpinæ ſeu Cereris filium, cuius ad ſimulachra cornua adhibere moris fuit, boues primum ad aratrum iunxiſſe monimentum. Tertius Semele ex adulterio natus fuit, & in vrbe Myro (quæ vox fœmur ſignificat) educatus: vnde materia fabulandi in patris Iouis fœmore creuiſſe. Hunc ferunt primi Dionyſii æmulatione, ſuſcepta expeditione, multis obitis prouinciis, defunctum victoriis Hiſpaniam maleficiis omnibus atque immanitate repurgaſſe eorum, qui in tenuiorum fortunas graſſabantur. Quo tempore Milicus Myricæ filius, fortaſſis & ipſe è Siculi poſteritate, gratia, opibus, auctoritate plurimum poterat inter Hiſpanos. Milici nepotes non procul Biatia Caſtulonem condiderunt in Bæticæ agro, vrbem quondam inter primas Hiſpaniæ nobilem. Dionyſii duo ſocii ab eo reditum ad ſuos adornante in Hiſpania relicti cum poteſtate. Luſus à quo Luſitanorum nomen & gens, & Pan, quem deluſi vana ſuperſtitione homines diuinitati conſecrarunt, & ab eo vniuerſa prouincia Pania primum, deinde Spania dicta eſt. auctores Varro atque Plutarchus. Non longo annorum interuallo Iaſon Theſſalus gloriæ cupiditate incenſus, pyraticæ deditus (quod ingentes opes parabat, littoribus nondum munitis, hominibus per agros paſtorum in morem in tuguriis habitantibus) Agri induſtria excellenti forma nauim ædificandam curauit: multiſque ſociis ſibi adiunctis, Hercule Thebano, Orphæo, Lino, Caſtore & Polluce ex Theſſalia ſoluens ad Sigeum Troiæ promontorium Heſionem Laomedontis filiam eripuit ab interitu: inde in Colchidem perlatus, velluſque aureum furatus, hoc eſt, auri gazam, quod per riuos è monte Caucaſo dilapſum villoſis pellibus piſcari quaſi retibus ſoliti erant, cum iis copiis raptaque Medea in Mæotidem Cimmerio boſphoro ſuperato penetrauit. Tanai mox aduerſo, quo fluuio ab Europa ſecernitur Aſia, nauim aliquanto ſpatio, qua pertractam remulco, qua ſolutam in partes humeriſque deportatam in Salmantico littore rurſus cõpegiſſe fama eſt Germaniæ, Galliæ, atque Hiſpaniæ circumductis littoribus, tandem ad freti Gaditani fauces conſtitiſſe. in iis extremis, qua in Mediterraneum mare ſe pandunt, monti Calpi impoſuiſſe arcem: quæ de Herculis nomine Heraclea dicta eſt. Prædæ cupiditate ex ea cum Hiſpanis varia fortuna pugnatum. Ingens præda fuit. qua in naues impoſitã, iuſtoque præſidio in arce relicto, Saguntum abiit. ibi benigne accepti propter communem originem linguæque commercium, ad Baleares excurſione facta, Bocorique earum Rege in poteſtatem redacto, quia nullum iis in locis aurum inueniebatur, comparato commeatu, bobuſque lectiſſimis in naues impoſitis in Italiam tranſmiſere. Quo loco in mõtis Auentini antro interfecto Hercules Caco, morem etiam ſuſtulit, Saturnum quotannis placandi homine de ponte Miluio iactato, quod crudele erat & inhumanum: ritu tamen permanente, vt effigies hominum ſcirpeæ verorum vicariæ mitterentur in aquas. Longiſſima nauigatio fuit, miraculo comparanda. præſertim cum ſoluta rurſus naui per Liguriam, qua parte breuiſſimus in Padum traiectus eſt, in Hadriam delati abſoluta nauigatione læti & incolumes, tantis rebus perfectis clariſſimi in patriam perueniſſe credantur. Verum externa mittamus, ſatis oneris ſuſtinentes Hiſpanienſium rerum commemoratione. Auctorem habeo Hecatæum, qui Herculem Amphitrionis, alio nomine Alcæum, veniſſe neget in Hiſpaniam. Diodori & aliorum omnium opinio reſiſtit. Veſtigia præterea in Hiſpania, Pyrenæis iugis, & Gallia Narbonenſi huius expeditionis multis ſeculis impreſſa, ipſo in Italiæ aditu Alpes Lepontiæ & Euganeæ ab Herculis comitibus ſic dictę declarant, veniſſe quidem in Hiſpaniam Herculem, & copiarum quidem partem terra in Italiam perueniſſe, inde locis Græca nomina facta. Nam quod Geryonum cædes eidem à Virgilio tribuitur, errare potuit vt humanus ex nominum ſimilitudine temporibus commutandis. Poſt Herculis expeditionem & Milici ætatem, Gargoris in Hiſpania regnauit, mellis colligendi inuenta arte vſuque nobilis, vnde Mellicolæ cognomen affingendi occaſio. Huius ætate bello Troiano confecto, atque vtriuſque exercitus reliquiis in varias orbis partes diſperſis, non pauci neque contemnendi Græcorum Duces in Hiſpaniam na-

migarunt. & noſtrorum ſcriptorum conſentiens opinio confirmat, multas gentes eo antiquitus traductas propter locorum commoditatem in variis eius prouinciæ partibus conſediſſe. In quo numero Teucer amiſſo Aiace fratre, eoque à patre Telamone aditu patriæ prohibitus, in Cypro Salaminam vrbem patriæ cognominem conſtituit. in Hiſpania deinde, quibus locis Carthago eſt, vrbem alteram de ſuo nomine Teucriam poſuiſſe memoratur. quod pro vero relinquerem, ſi Iſidori teſtimonio, qui Teucrum quidem in Hiſpaniam veniſſe ait, confirmaretur: aut eius vrbis aliqua veſtigia vel obſcura poſſent demonſtrari. Illud conſtanti auctorum fide traditur, Teucrum freti faucibus enauigatis, flexiſque ad dextram proris, ac promontorio Sacro ſuperato, in Galæciæ littore vrbem Hellenem conſtruxiſſe, quo nunc loco Ponteuedra ſita eſt, de ſocii nomine Amphilochiam, quam Romani Aquas calidas dixerunt, Sueui (quo tempore iis locis imperium tenuere) Auriam. Diomedem rurſus memorant Tydei filium Hiſpaniæ littoribus prætemauigatis, repulſum vndique prouincialium virtute ſupra Luſitaniam Tudem ſiue Tydem vrbem paterni nominis monimentum exædificaſſe, eo terrarum tractu, qui Minii & Limiæ oſtiis ad mare eſt incluſus. Omnino Mneſtheus Athenienſis auctore Strabone libro tertio, ſua & ipſe claſſe in Gadeis delatus, è regione eius inſulæ qua parte Belon, qui Guadalethes eſt, in mare influit, vrbem ſibi cognominem ab imo totam conſtruxit portu munitam. Templum etiam in eodem littore inter duo Bætis brachia, cui olim templo Mneſthei oraculo nomen fuit: quod ad Græcam ſuperſtitionem inter Hiſpanos ſuſcipiendam, magnum attulit momentum. Vlyſſem tandem veniſſe in Hiſpaniam, atque in Luſitaniæ littore vrbem Vlyſſiponem condidiſſe Strabo Solinuſque, ipſoque ex nomine ducta coniectura confirmant. Refellunt quidam tum nominis argumento, nam Oliſipo ex antiquis monimentis, & lapidum inſcriptionibus nominari ſcribiq; debet. & quoniam Vlyſſis aræ ſupra mare Armoricum in Belgis non vno loco extabant. nempe ex Græca vanitate, quem in Deorum numero habebant, ei templa atque oppida conſecrabant. quod Hiſpanis contigiſſe etiam, non inepte prorſus arbitrantur.

Habidis res geſtæ, & generalis Hiſpaniæ ſiccitas. CAP. XIII.

INTEREA Gargoris Rex in Tarteſſiorum ſaltu, vbi Titanas aduerſus Deos bella geſſiſſe antiquitas finxit, Curetum regnum tenens auctore Iuſtino, cæteras virtutes omnes, quæ magnæ in illo fuerunt, vna crudelitate ſugillabat. Habidem nepotem ex filia furto conceptum ad depellendam generis ignominiam, dolorem ex eo caſu procurandum, feris laniandum in monte obiici mandauit. Illæ naturæ conditione mutata eam infanti exhibuerunt humanitatem, quem efferatus aui animus denegarat, vberibus diſtentis lacte etiam in os inſtillato. Repertum incolumem, in anguſto primum tramite pecoribus conculcandum, aui iuſſu proiectum ad maiora fata numinaque ſeruarunt. Multorum dierum inedia maceratæ canes, quibus & ſuibus deinde fuerat obiectus, quodam miſericordiæ ſenſu vltro lactarunt. In mare demum præcipitatum fluctus ſuſtentarunt, cerua in littore diligenter aluit. Pro alimenti conditione animi mores corporaque mutantur. eo lacte educatus, mirabile dictu eſt, quantam pedibus grandior celeritatem excitarit. ferarum curſum adæquabat, vndique prædas agebat importunus & audax. neque reſiſti poterat, cum ad velocitatem vires & induſtriam adderet. Inſidiis tamen exceptus, laqueoque implicitus ad auum perductus eſt. Ille ad iuuenis conſpectum ſenſu naturæ tacito, quo ſæpe ignorantes tangimur, (& neſcio quid ea fortuna maius micabat in facie) vultu nepotis & notis, quæ infantulo inuſtæ erant, attente conſideratis, intellexit nepotem ſuum non abſque deorum conſilio è tot periculis fuiſſe ſeruatum. Odium humanitate mutatum. Habidem nominatum regio cultu, dum vixit, apud ſe habuit: moriens ſucceſſorem regni, hæredem fortunarum reliquit. Suſcepto imperio cæteros ante ſe Reges induſtria & virtute ſuperauit ingenio præſtanti, corpore tantis laboribus durato: quæ res magnas difficultates non ſolum mitigare, ſed exhaurire etiam conſueuit. Feros homines per agros diſſipatos in vrbes & oppida coire perſuaſit, quantum præſidii eſſet in mutua ſocietate, atque communis iuris commercio demonſtrans. ad vitæ cultioris commoda, diſciplinæ ſtudium adiectum. ſic feri gentis mores humanitate mutati. Vini vſum, agrique colendi rationem longo ex interuallo reſtituit: nam herbis antea, & ſponte natis frugibus pomiſque tolerabant vitam. Leges ſanxit, fora conſtituit, iudicia & magiſtratus ordinauit. Quo virtutum tenore incredibilem a ſuis gratiam, apud exteras

natio-

nationes nominis celebritatem conſecutus, ætate omni ad vltimam ſenectutem peracta, vitam morte mutauit. Eius poſteri per multa ſecula regnum tenuiſſe traduntur, nulla neque nominum neque temporum deſignatione. niſi quod Habidis res geſtæ in Dauidis Iudaici Regis ætatem incidiſſe creduntur. Iuſtinus videtur Geryonibus æqualem facere, & in diuerſa parte tenuiſſe imperium. Conſequenti tempore nihil in Hiſpania accidit memorabile, quod quidem in litteras ſit relatum, præter inſignem & diuturnam, quæ non multo poſt conſecuta eſt in Hiſpania, terræ aeriſque viginti ſex annorum ſiccitatem, vt noſtrates hiſtoriæ affirmant, tantam vt fontibus fluuiiſque omnibus, præter Iberum & Bætim, præ ariditate conſumptis, humoreque penitus exſiccato, quo partes terræ puluiſque coagmentantur, agri in vaſtos hiatus abirent, facultate ſublata alio commigrare cupientibus vitæ ſuſtentandæ neceſſitate. Sic Hiſpania locis præſertim mediterraneis arborum & herbarum honore nudata (paucas quaſdam arbores ad Bætis ripas conſeruatas aiunt) beſtiis & hominibus conſumptis fame, in ſolitudinem redacta eſt miſerabilem vaſtitatem. Regum nobiliumque progenies à ſtirpe defecit, tenuioribus, quibus res anguſta domi erat neque in multos dies paratus commeatus, in vicinas prouincias locaque maritima tempeſtiue dilapſis. Vnde terræ tandem poſt vim ventorum maximam, qui ſubſecuti ſunt, & arbores omnes radicitus conuulſerunt, copioſis pluuiis depulſo malo, ad priſtinas ſedes aliis permixti gentibus reuerſi Hiſpanorum gentem & nomen ferme ad interitum perductum inſtauraſſe creduntur. Sic noſtræ hiſtoriæ ſentiunt. Alii præſtanti homines ingenio eruditione magna, huius narrationis fidem conantur eleuare his fere argumentis. Quod nullus neque Latinorum neque Græcorum ſcriptorum, ac ne noſtræ quidem omnes hiſtoriæ tantæ rei mentionem faciant, cum ſæpe leuia & minutiſſima quæque perſequantur. Nulla neque profectionis Hiſpanorum neque reditus veſtigia extent, nulla monimenta, minori ſæpe de cauſa excitari ſolita. Negant deinde tanta & tam diuturna ſiccitate, qualem fuiſſe perhibent, humoris partem aliquam in Bæti, Ibero aut omnino vlla in parte conſeruari potuiſſe, quantum humoris vnius æſtatis ſpatio ob pluuiarum raritatem Solis æſtu conſumatur ad coniecturam de re tota reuocantes. quo tempore ſæpe copioſa flumina exſiccantur conſumptis penitus aquis: præſertim ſi maligni ſideris vis terris incubuerit, eoque maiori aliqua ariditate laboratum fuerit. Adiiciunt tam longi temporis ſiccitate, non fatiſcere terram, ſed in puluerem comminui neceſſe fuiſſe: cum humore concreſcant corpora, ſoluantur ariditate: Africæ Libyæque exemplo, vbi præ Solis æſtu terræ humore cõſumpto, pulueris fluctus monteſque vi ventorum concitarentur. Hæc illi. Nos ductam per manus famam, & hiſtoriarum noſtrarum conſentiens teſtimonium temere repudianda non putamus. & licet antiquitatem excuſare, quæ ſummas rerum nunciat tantum, ordinem & veſtigia cofundit: aut quæ aliis contigerunt, in alios permutat. fama omnia in maius auget, vti in magnorum fluminum lapſu, non temporum interuallo modo, ſed & locorum longinquitate non maxima ſæpe memoria vitiata. Quod in re præſenti eueniſſe arbitror ariditate eius temporis, minus diuturna, certe minus graui. pluuiis malignis nonnullis tamen terram irrigatam ſubactamque, ne ſolueretur in puluerem: neque fluuiorum aquas omnium penitus defeciſſe, fructus modo arborum terræque fruges ad maturitatem perduci, hiatuſque & voragines ſemel patefactas, coagmentari nimiam ſiccitatem vetaſſe. Et fortaſſis quod Phaetontis ætate in aliis prouinciis accidit: terras exuſtas Solis ardoribus, aeris inſolenti ſiccitate (fabulæ commento rem geſtam antiquitas adumbrauit) eandem calamitatem Hiſpania pertulit, huic alioqui malo inter primas obnoxia.

Celtæ, Rhodii, Aſſyrii in Hiſpaniam veniunt, CAP. XIIII.

HISPANIÆ vaſtitatis fama finitimarum gentium animos miſericordia compleuit, rerum humanarum vices conſiderãtium: deinde depulſo malo magnam earum multitudinem in prouinciam attraxit. Agros, cultum, & copias Hiſpanorum, aut ſuis ipſi oculis viderant rebus integris, aut ex aliorum prædicatione adamare cœperant. Cum vxoribus, liberis, atque impedimentis omnibus populariter commigrarunt: vaſtæque & latiſſimæ prouinciæ eam pro ſe quiſque partem domicilio delegit, quam rebus ſuis maxime idoneam fore iudicabat: ſiue pecore diues eſſet, ſiue agrorum cultui commerciove deditus. Horum induſtria, multitudine, fœcunditate haud longiſſimo tempore priſtina elegantia, cultus, frequentia reſtituta locis eſt, nouaque rebus facies reddita malorum colluione ſublata. Ex finitima Gallia Celtæ Pyrenæi iugis ſuperatis, Hiſpaniæ tractum incolendum ſuſcepere ad Iberi ripam protenſum, Idubedæ monti ad Solis ortum adiacentem, lætiſſima cæli ſolique facie, vbi Turiaſo, Nertobriga, & Arcobriga erant. Ab his & Iberis mixto in

ter ſe ſanguine Celtiberiæ gentis appellatio conflata etiam eſt, initio anguſtioris: deinde ſobole aucta fines gentis nomenque ad Auſtrum prolatum. argumento Segobrigam, Belſinum, Valeriam, Vrceſiam, aliaque oppida locis remota ab idoneis ſcriptoribus in Celtiberis poni. quod pleriſque gentibus accidit, vt procedente tempore earum gentium fines alternarent, nunc anguſti, nunc lati pro rerum euentu vario. His finitimi ad Septentrionem Arcuaces, vbi Vxama & Agreda ſunt, Duraci, Pelendones, Neritæ, Præſamarci, Cileni Celtiberis contributi, iiſque ſanguine coniuncti, locis finitimi vno ſe tempore ex Gallia in Hiſpaniam infudiſſe creduntur, coniectura probabili, argumento euincente nullo. Illud maiori fide nititur: Rhodios propter magnum in re nautica vſum, maris imperium tenuiſſe annis viginti tribus, & quod in aliis prouinciis præſtitum erat, vt ſe muniendi cauſa, claſſesq; continendi maris tempeſtatibus clauſo mari, præterea vnde commercii cum prouincialibus facultas eſſet, arces multis locis conſtruerent: idem ſibi in extrema Hiſpaniæ ora faciendum iudicaſſe, ad Pyrenæi montis radices Rhodope cōſtituta ad idoneam maris ſtationem. quæ vrbs à noſtris Roſes vocatur, in eam amplitudinem quondam aucta, vt Gotthorum imperio Epiſcopi ſede eſſet inſignis: nunc ad caſas redacta præter ruinas & antiquę nobilitatis veſtigia nihil retinet. Nauticos ex ſparto funes plectere, atq; ad varios vitæ vſus ſtoreas Rhodii primi docuerunt Hiſpanos. molas truſatiles verſare manu molendo frumēto, & ad facilitatem conficiendi panis: quod multo ante labore rudibus ingeniis & induſtriæ omnis ignaris conſtabat. Numos ex ære percuſſos primi mortalium in Hiſpaniam inuexerunt, magno miraculo riſuque initio prouincialium, cum paruo ære, vnde nullus vſus ſperabatur, viderent cibos, tegumenta, variaque inſtrumenta mutari. Acceſſit religionis cura Dianæ templo Saguntinorum imitatione ædificato: quod exquiſitis cæremoniis hoſtiiſque colebatur. Fortaſſis etiam (nam ritus non explicatur) more è Tauris tranſlato, apud quos hoſpites Dianæ immolare vſitatum erat. Herculi oraculum præterea conſtitutum ſacraque: quæ non fauſtis acclamationibus, neque ſacerdotum placida prece, ſed maledictis & execratione peragebantur: nullaque re magis contaminari habebant perſuaſum, quam ſi inter ſolennes ritus vel imprudenti bonum verbum excidiſſet. Cuius rei hæc ratio reddebatur. Hercules Lyndum, quod eſt oppidum Rhodi, delatus forte, àb aratore bouem alterum pretio ſibi vendi poſtulauit: & cum non impetraret, vtrunque vi abſtulit. Iniuriam ille, quoniam nihil aliud ſupererat, maledictis vltus eſt. Hercules tum quidem inter epulas cum riſu & cachinnis audiuit. Poſtmodum eo ad diuinitatem cōſecrato Lyndi ciuibus placuit rei geſtæ monimentum perpetuis ſacris celebrare ara poſita, quam Bouzygon, id eſt, bouis iugum dixerunt: atque eô ipſo ruſtico ſacerdote creato, binis mactatis bobus, conuitia in Herculem certis temporibus inſtaurari ſanxerunt. Is mos rituſque à poſteris conſeruatus hoc tempore ex Græca vanitate, Rhodiorum commercio, cum multis venit in Hiſpaniam. Rhodope ex aduerſum Emporiarum ſita eſt duodecim millium traiectu interualloque inter vtranque ciuitatem. Pyrenæi montes, quibus hæ vrbes vicinæ ſunt, per hoc tempus omni ex parte conflagraſſe memorantur, de cælo tacti, an à paſtoribus incendio per imprudentiam excitato. forte etiam de induſtria arboribus dumiſque combuſtis campos pandere, idonea culturæ & habitationi reddere rura propoſitum erat. Ex ea re Pyrenæi vocari ii montes cœperūt à Græcis hominibus, quorum lingua, Pyr, ignem ſignificat. Alii malunt ab igne cæleſti eam appellationem conflatam, quo ſæpe tanguntur ob ſublimitatem. Nam quod de Pyrene quidam fingunt ab Hercule adamata, atque iis in locis defuncta, aut à Pyrrho Rege quondam Hiſpano affirmant Pyrenæorum vocem fluxiſſe: à ſanioribus tanquam fabuloſum repudiatur. Omnino eius incendii vi, auri & argenti venæ, quibus tum ii montes tum vniuerſa Hiſpania ſcatebat, eoque Plutonem in eius terræ viſceribus deliteſcere fingebatur, conflatæ ardore atque ſolutæ riuos liquati metalli in omnes partes emiſerunt. Ii riui ſedato incendio concreti fulgore ſuo admirationem prouincialibus commouerunt: contempti tamen ab ignorantibus quanti ea metalla eſſent. Aliis tamen nationibus re vulgata in Hiſpaniam veniendi incredibilem animis cupiditatem immiſerunt, minime dubitantibus, ab ignaris ſuorum bonorum Hiſpanis, facile aurum & argentum impetraturos ſe, aut viliſſimis mercibus ſcrutiſque commutaturos.

Phœnicum in Hiſpaniam aduentus. CAP. XV.

PHOENICES primi mortalium mare claſſibus tentaſſe feruntur: atque ad regendum nauium curſum Elicem Cynoſuram, ipſumque imprimis cæli cardinem obſeruaſſe. Ii maris imperio Rhodiis, Phrygibuſque erepto, Tyroque nobiliſſimo Orientis emporio

profecti

profecti ad Hiſpaniæ copias inter primos nauigarunt. Hiſpaniæ partem quam primum tenuerint, auctores non conſentiunt. Ariſtoteles Phœnices ait, ad Gaditanum fretum appulſos tantam argenti vim à Tarteſſiacis oleo aduectitio mutaſſe, vt cum neque nauibus ferri neque capi poſſet, omne inſtrumentum nauticum ipſaſque anchoras ex argento conflarent. Fortaſſis Pyrenæi incendium per alias etiam Hiſpaniæ partes monteſque vagatum ſimiles vbique copias produxit in lucem. aut quod vero eſt propius, argentum ipſi effoderant, cuius ſecturis Bætica abundabat imprimis. Alioqui Phœnices extimas Hiſpaniæ partes primum tentaſſe credibile eſt: atque argenti vim illam maximam ex Pyrenæi incendio ſublatam concedentibus prouincialibus, merciũ quas afferebant permutatione. Sichæum autem vel huic claſſi Ducem (quod noſtri ſcriptores affirmant) vel non multo poſt repetitis ſubinde nauigationibus veniſſe in Hiſpaniam, credi par eſt: atque ex eo commercio eas copias paraſſe, quæ regiæ quidem ſororis nuptias conciliarunt primum, exitio deinde fuerunt, Pygmalione leuiro auri Hiſpanici cupiditate corrupto: Didonem occiſo marito iis copiis raptim in naues impoſitis ereptiſque tyranno, fugam Tharſis, id eſt Tunetum, cum qua vrbe Tyriis frequens erat commercium, adornaſſe: multis adiunctis ſociis Sichæi miſericordia, odio tyranni, viduam Didonem ſecutis. Iis ad ſobolem propagãdam in Cypro excenſione facta virgines raptæ, abductæque Charchedonem: quod oppidum olim Charchedon Tyrius à Tuneto vrbe duodecim paſſuum millibus condiderat. In eo agro à prouincialibus auro redemptum terræ quantum bouino corio complecterentur: quo in tenuiſſimas partes diſſecto iuſtæ arcis idoneum locum occuparunt, fraudem incolis diſſimulantibus. Vnde & arci nomen Byrſæ factum eſt, id enim bouinum corium ſignificat, vt Iuſtinus ſcribit libro octauo decimo. Alioqui vero propius eſt Byrſam Phœnicum lingua, quæ Hebraicæ affinis eſt, dictam quaſi Boſrá, quæ vox arcem munitionemque ſignificat Hebræis. Eam arcem perpetuo muro cum Charchedone iunctam, lociſque amplificatam, atq; nouis exornatam ædificiis Carthaginem nominauit, conditam vrbem annis duobus & ſeptuaginta priuſquã Romanæ Vrbis fundamẽta conſtarent. Verũ externa mittamus, ne incerto exitu infinita feratur oratio noſtra. in Hiſpaniã redeamus. Ad quam Sichæo ſublato Pygmalion nauigatione Hiſpanica, quæ aliquot annis intermiſſa fuerat, inſtaurata, veniſſe in Hiſpaniam fertur: atque ad Turdulorum littoris partem eam, vbi Almunecar oppidum cernitur, vrbem Axim ſeu Exim nomine condidiſſe. Inde commercio cum prouincialibus inito, atque Hiſpanicis copiis onuſta claſſe reuerſum in patriam. Repetita iterum & tertio ea nauigatione Gadeis tenuiſſe noſtri hiſtorici confirmant: quam inſulam ab Ori ſociis Erythrææ nomen accepiſſe ſupra eſt demonſtratum, Gadiram ab his Phœnicibus, quod vt Hiſpaniæ ſepes marinis Oceani fluctibus obiecta eſſet, quidam diuerſam cauſam eius appellationis deſignant, nimirum oppidum quod primum in ea inſula conſtituerunt Phœnices, ſepe valloque mœnium vice muniuiſſe. Herculi in eo oppido templum conſtructum aiunt, ex aduerſum continentis, qua parte extenuata in cuſpidem inſula deſinebat in promontorium Herculeum ab eo templo dictum. ſic perſpicaci homines ingenio odorantur. Bini profecto in ea inſula putei erant admirandæ naturæ, alendæ ſuperſtitioni idonei. alter aqua dulci, cum ſe æſtus ex alto incitabat, quod bis accidit quotidie duodecim horarum ſpatio, incrementa ſimilia & decrementa ſuſcipiens. ſalſa alter, eaſdem viciſſitudines ſed ex contrario ferens, imminuta aqua cum ſe æſtus extuliſſet, aucta remittente æſtu. Erat & Geryonis arbor, ſic dicta, quod præciſo aliquo ramo, humore quaſi ſanguine ſudaret, eo rubicundiore, quo propius radices cædebatur, cortice pineo, ramis ad terram inflexis, foliis cubiti longitudine, latitudine digitorum quatuor, neque plures vna & altera, quam prioris radices protulerunt. Ad Phœnices redeamus. qui aliis conſtitutis oppidis, in quo numero Malaca & Abdera ſunt, & Bæticæ parte ſub iugum miſſa, ad vniuerſæ Hiſpaniæ imperium niti cœperunt non obſcure, eius prouinciæ opibus & commercio formidabiles. Plato in Timæo eſt auctor, Atlantides (iacent Gadeis in Atlantico mari) ex Erythræa inſula profectos, & in Achaiam delatos Athenas quidem initio expugnaſſe, deinde autem belli conuerſa fortuna ad vnum omnes periſſe. Eam expeditionem de Phœnicibus quidam interpretantur, Orientis, Occidentiſque imperio validis, Gadeis obtinentibus. Vno tempore Romanæ Vrbis fundamenta ponebantur, & Iudæorum rempubl. Ezechias Rex gubernabat Iſraelis regno, quod decem eius gentis tribus complectebatur, ſublato ductu Salmanaſaris Aſſyrii Regis potentiſſimi. Huius filius Senacheribus numeroſo exercitu comparato, orbiſque imperium animo complexus, Iudæam prouinciã igne, ferro, & direptionibus vaſtauit, Hieroſolymam obſedit. Curſu tan-

T

dem victoriarum elatus, maioraque verſans animo, quam quæ gerere videbatur, relicto cum copiarum parte Rabſace ſubigenda Hieroſolyma anno quartodecimo regni Ezechiæ, ipſe cum robore exercitus Peluſium progreſſus, quæ Heliopolis fuit, ab ea obſidione cum ignominia eſt repulſus, Tarachone, qui ad Æthiopiæ regnum, Ægyptum armis adiecerat, obuiam facto. Herodotus à muribus dixit omni bellico inſtrumento corrupto. viciata memoria arbitror, quam Hieroſolymæ accepit in ipſo reditu cladem; centum octoginta quinque hominum millibus diuinitus vna nocte proſtratis, ad Ægyptios tranſtuliſſe. niſi forte diuina vrgens vltio vtroque loco ſuſceptæ impietatis pœnas ſumpſit. Tarachonem hunc ſcribunt Aſſyriorum tempeſtate ab Ægypti finibus pulſa victricibus armis tum alias prouincias luſtraſſe, ſubegiſſe gentes, tum in Hiſpaniam directo curſu (Strabo in Europam 10
progreſſum ait) in ea ora cis Iberum in edito tumulo Tarraconem vrbem ſibi cognominem condidiſſe. quam tamen Scipiones multo poſt tempore inſtaurantes primæ conditionis laudem tulerunt, Plinii etiam Solinique teſtimonio, neque apud vulgus tantum, ſed etiam ab expolitis ingenio & doctrina hominibus attributam.

Carthaginenſes Ebuſum capiunt, Baleares tentant.

CAP. XVI.

SECVNDVM hæc Carthaginenſes cum validis inſtructi claſſibus terra marique eſſent potentiſſimi, & ad imperii amplificationem multum referre haberent perſuaſum, ſi vicinis Mediterranei maris inſulis potirentur: vnde ad Europæ imperium gradum facere cogitabant: primum Siciliam armis tentarunt, deinde Sardiniam atque Corſicam euentu vario, ſucceſſu haud ſatis proſpero, cum vndique inſulanorum virtute repellerentur. Optimum viſum eſt minores primum inſulas aggredi. Itaque Liguriæ & Galliæ ora relicta, atque ad Hiſpaniæ littus directo curſu Ebuſum cœperunt inſulam ſcopulis quidem circumcirca impeditam, adituque difficilem, niſi qua ad Auſtrum idoneus portus ſe pandit: Dianio promontorio obiectam diſiunctamque à continenti centum non amplius millib. paſſuum: cæterum locis anguſtam ac vix ambitu colligentem viginti millia paſſuum: plurima ex parte ſyluis obſitam, vnde à Græcis Pityuſæ à pinorum copia nomen tulit: ſalinis diuite, atque totius terræ nobilitate præcipua: quando venenata animantia ipſa non procreat, aduecta perimit naturæ vi quadam admirabili: eo amplius cum non ſine ludentis naturæ miraculo Ophiuſa prope ſita eſſet, noxiis ſcatens atque vaſtata animantibus, vt priſci Coſmographi teſtati ſunt. Quę quo hoc tempore nomine vocetur, diuinare facilius eſt, quam certa ratione deſignare: aliis Formenteram facientibus bis mille paſſibus remotam ab Ebuſo: aliis Draconeram putantibus maiori Baleari propemodum coniunctam. Doctioribus placet montem Colubrarium continenti vicinum, atque Peninſulæ oppido obiectũ Ophiuſam credere, in quem ſigna vetera conſentiunt: ſerpentibus impediri atque vaſtari, vnde Græci Ophiuſam dixere, Latini Colubrariam. Neque moueat quod antiqui deſcriptores terræ Ophiuſam Ebuſo propinquam fecerunt, falli promptum fuit propter regionum longinquitatem. Ergo Carthaginenſes in inſula Ebuſo vrbe eiuſdem nominis ædificata, duas alias ad Ortum inſulas adiuerunt, ab Hiſpaniæ littore ſexaginta paſſuum millibus ſeiunctas, inter ſe triginta has Græci quoniam à nudis hominibus incolebantur dixere gymneſias, à fundis quibus certiſſime collimabant, Baleares: & alioqui minorem Nuram, maiorem Clumbam Florianus dictas ex Antonino ait. Harũ inſularum littora & aditus omnes Pœni quidem circumducta claſſe explorarunt. interiora penetrare auſi non ſunt, incolarum feritate deterriti: quos qui laceſſiſſent ardentiori ſpiritu iuuenes, cæſi atque reiecti in naues reliquis documento fuerunt, feros montanosque homines temere irritandos non eſſe. Hiſpaniæ deinde littora tentata, ſi poſſent aut commercio prouinciales aut armis ſubiugare, Hiſpanorumque copias Carthaginem auertere. euentu nullo duas ob cauſſas. Saguntini iis inſulis vicini, vt erant à multo vſu cauti magnoque ingenio, non ignari Pœnos libertati Hiſpanorum inſidiari, à ſuis eos littoribus prohibuerunt. ingeniorum dexteritate prouincialibus perſuaſis ab eius gentis commercio abſtinere: in ſpecie amicitiæ latere inſidias. Accidit commode vt res aduerſæ Carthagine claſſes in patriam reuocarent. quæ inteſtinis diſſidiis fluctuabat, & Africanorum armis impar erat. præterea ſæuiſſima peſtis lue per ignobilia capita vagata in vrbe ad paucos erant redacti. Iis malis procurandis cruenta ſacrorum religione & ſcelere pro remedio vſi ſunt. Ritu e Syria tranſlato, vbi Melchon, id eſt, Saturnus à Moabitis & Phœnicibus humano ſanguine placabatur, ſancitum ex oraculorum reſponſo, quotannis lectiſſimos iuuenes ...

Dei numine placando vt mactarent. Erat ſimulacrum ingens manibus cauis & complicatis, quibus impoſiti infantes, pueri, adoleſcentes in ſubiectam foueam igne ardentem arte quadam præcipitabat. Magnus circumſtantium clamor erat, tympanorum & ſiſtrorum crepitu partes omnes perſonabant, ne iuuenum ſcilicet eiulatus auditi ad miſericordiam reuocarent animos. Ea ſe religione cum ciuitas implicaſſet, ea' amitatis ſæpe cauſæ depulſæ ſunt, diuino numine abiectum veritatis lumen nouo & maiori errore vindicante. Impius & crudelis ritus non magno interuallo in Siciliam primum ex Africa, deinde ad Hiſpanos manauit. tanta immanitate vt rebus in ſupremum & maximum periculum adductis, niſi Regis maiori filio mactato non ſatis propitiari numen, haberent perſuaſum. Quod Moabitarum Regem vſurpaſſe, cum à Iudæis obſidione premeretur, diuinæ perhibent litteræ. & fortaſſis memoria retinebant, Abrahamum Iudaicæ gentis auctorem à Deo iuſſum, filium vnicum aræ impoſitum iugulare. Mala ſæpe exempla ex bonis initiis ſunt nata. Philo ſane in Phœnicum hiſtoria morem, inquit, ſupremis periculis fuiſſe, ciuitatis Principem, filium dilectiſſimum dæmonio vltori pretium liberationis offerre. quod Saturnum, quem Phœnices Iſraelem vocant, feciſſe ait, filio ex Anobret Nympha vnico, cum bello ciuitas premeretur, ſuper aram regiis ornamentis impoſitis immolato. corrupta memoria Iſraelem poſuit, quippe homo externus, pro Abrahamo.

Argantonii ætas. Cap. XVII.

IN hoc ipſum tempus, quantũ in rebus tam antiquis coniicere licet, annum ſexcenteſimum vigeſimum ante Chriſti Dei ortum ſalutarem, cum ſe hominibus in carne monſtrauit: qui annus ab Vrbe condita centeſimus trigeſimus ſecundus erat, Argantonii Tarteſſiorum Regis nobiliſſimi ætas incidit. Hunc Silius totos tercentos annos vixiſſe ait: 132.
Plinius ex Anacreontis ſententia eam annorum illi ſummam dimidiatam dat. Erat illi magnus in re militari vſus, & ex multarum rerum varietate prudentia ſingularis: vſque eo vt rerum ſummam & imperium permitterent prouinciales, eius virtute atque induſtria vanos fore Phœnicum conatus ſperantes, iam ex latebris atque inſidiis erumpentium in apertam tyrannidem. Quam vt conſtituerent in continentem traiicere, rixas contentioneſque ſerere inter Hiſpanos, alias ex aliis diſcordiarum cauſſas nectere, ſenſimque multa oppida ſuæ ipſorum ditioni ſubiugare. Cognito prouinciales periculo condonatis mutuis iniuriis patriæ caritati, ſub vnius imperio deuincti Phœnicum audaciam reprimunt, ſuſceptam à maioribus libertatem tuentur. Auctorem habeo, qui Argantonium affirmat curſu victoriarum ſecundo Bæticæ oram maritimam vniuerſam, ipſaſque adeo Gades ſub imperium miſiſſe. quod haud difficillimum fuit pleriſque Phœnicibus ex ea inſula profectis Tyrum, auxilium aduerſus Nabuchdonoſorem Babylonium: qui numeroſo exercitu formidabilis in Iudæam impetu facto, Hieroſolymam vrbem copiis, frequentia, ipſaque imprimis loci ſanctitate inter Orientis ciuitates facile principem ceperat, Sedechia Rege capto, atque cum vniuerſa Iudæorum multitudine in ſeruitutem abacto. Tyros deinde impugnandos ſumpſerat mari terraque nobiliſſimum Orientis emporium. Illi quanto in periculo res eſſent, Carthaginem in Africa, in Hiſpania Gaditanos extruſis legatis monuerunt. Ni mature opem communi patriæ tuliſſent, vnde orti erant, & cuius induſtria atque commercio tantas diuitias paraſſent, inſtare exitium. Debere eos ſiue communi naturæ ſenſu tam opulentæ paulo ante ciuitatis miſericordia tangi: ſiue communis patriæ periculo moueri: ſiue etiam ſuorum commodorum reſpectu, quæ cadente Tyro euertebantur. Celeritate opus eſſe propter locorum longinquitatem, rerum anguſtiam. Rei bene gerendæ occaſionem, cum in celeri momento verſetur, fruſtra amiſſam quæri. Non debere eos ſumptibus deterreri, quos victoria parta facile compenſare poſſet. Laborem, periculum, ſanguinem, ſi opus eſſet, communi parenti, vnde omnia accepiſſent, patriæque caritati denegare, nefas eſſe. Hac denunciatione quid Carthaginenſes fecerint clam eſt: Gaditani certe ea permoti, delectu ſuorum habito & Hiſpanorum auxiliis aduocatis, inſtructa numeroſa claſſe, ſecundiſque à puppi ventis, paucis diebus in Tyri conſpectum delati, per mediam hoſtium claſſem ad obſeſſos penetrarunt. Eorum aduentu ciuibus cum ſpe defenſionis ſtudium etiam propugnandi acceſſit, tantum vt integris ferme quatuor annis obſidionem tolerarint, enixe tum Tyriis tum Hiſpanis pro extrema ſpe dimicantibus. ſic patientia atque virtute obſeſſorum fractis Babylonii animis ab obſidione diſceſſerunt. Commodum etiam ex Africa nunciabatur, magnas in Ægypto copias

aduerſus Nabuchdonoſorem conſcribi: quos is conatus priuſquam mora conualeſcerent,
reprimendos iudicabat. Pugnatum inter vtroſque initio varia belli fortuna: Ægyptus
tandem & Africa victori, armis domitæ ceſſerunt. Inde Hiſpaniam tranſmiſit, ſpe ditiſ-
ſimæ prouinciæ copias occupandi: ſimul ſtudio ardens vindicandi miſſa Tyrum auxilia.
In extrema Hiſpania ad Pyrenæi radices expoſito milite, reliquam Hiſpaniam Gadeis vſq;
peruagatus victoriis eſt. (Ioſephus in Antiquitatib. à Nabuchdonoſore affirmat, huius Na-
buchdonoſoris filio, Hiſpaniã ſubiugatã, Tyrũ obſeſſam) Verũ cum ſe prouinciales ad reſi-
ſtẽdũ cõpararẽt, neq; Babylonius vellet ſuperiores victorias aduerſo aliquo caſu corrũpe-
re: ſatis diuitiarũ congeſtũ eſſe, ſatis ad nominis gloriã profeciſſe, orbis finibus imperio ter-
minato conſideranti optimum viſum eſt numeroſa comparata claſſe ſoluere ex Hiſpania.
171. vti fecit ab Vrbe condita anno. 171. Huius aduentu in Hiſpaniam nonnulli, cum multos
Iudæos in expeditionem traheret, arbitrati ſunt, multa Hebraica nomina cum in Bætica
tum in Carpetania locis adhæſiſſe. atque ex ea gente Toletum, Scalonam, Nouem, Ma-
quedam, Iepem, aliaque minora oppida fuiſſe conſtituta, ab Aſcalone, Nobe, Mageddone,
& Ioppe Paleſtinæ vrbibus, appellationibus mutuatis. Toleti vocem à Tholedoth deri-
uatã, q; nomen Hebræis progenies familiaſque ſignificat, quæ magno numero eius vrbis
fundamenta poſuerint. Quam opinionem neque refellere operæpretium eſt, neque pro-
bare animus, cum leui coniectura nixa ſit, neque veterum ſcriptorum fide auctoritateque
fulciatur. Sic compreſſa Phœnicum audacia & Babyloniis ex Hiſpania reuerſis Phocæ-
enſes Phocça Ioniæ ciuitate profecti, cum claſſe longarum nauium, quarum primi Pho-
cæenſes inuentores extiterant, in Italiam, Galliam, atque Hiſpaniam nauigarunt Harpali
ſæuitiam veriti copiarum pro Cyro in Aſia Ducis ſic ſuſpicari iuuat. Ii in extrema Lucania
ex aduerſum Siciliæ Velia vrbe conſtituta, cæli eius grauitatem & loci ſterilitatem exoſi,
atque ab incolis male accepti, pars Corſica tentata, atque ad Galliæ littus prouecti ido-
neum portum nacti, tumulo tribus ex partibus mari cincto, difficili è terra aditu propter
loci naturam vallemque altiſſimam Maſſiliam vrbẽ condiderunt. Pars in Hiſpaniam Tar-
teſſumque nauigantes, Argantonio Rege in vrbem admiſſi oppoſitas Tarteſſo inſulas
(nunc oẽs præter vnam Iunoniã nomine perierunt) quæ Aphrodiſiæ vocabantur, Græco
inſtituto atque ædificiorum elegantia excoluiſſe memorantur: effeciſſeque induſtria, vt
210. quæ paulo ante neglectæ iacebant, ciuibus in deliciis eſſent. Subſecutum Argantonii fu-
nus anno circiter ducenteſimo decimo ab Vrbe condita tot circum tumulum obeliſcis la-
pideis conſtitutis ſcilicet, quot in bello hoſtes ſua ipſe manu peremerat. quem morem ri-
tumq; tumulandi mortuos Hiſpanis ſolennẽ atque vſitatum fuiſſe, Ariſtoteles eſt auctor.

Phœnices imperium meditantur Hiſpaniæ. CAP. XVIII.

ARGANTONII mortem magni motus ſunt conſecuti. Hiſpania non ſecus ac deſti-
tuta gubernatore nauis magnis tempeſtatibus iactata deinceps eſt: belli fortuna alter-
nante atque ab Hiſpanis tandem auerſa, quibus libertas erepta eſt Carthaginẽſibus in pro-
uinciam attractis. Phœnices per hæc tempora numero, viribus, & copiis aucti, atque iugo
Hiſpanorum excuſſo, Gadeis inſulam receperunt, fortunarum domicilium, commercii
ſedem, arcem imperii. vnde in continentem tranſmittere cogitabant, ſi qua ſe occaſio de-
diſſet. Hæc cogitantibus, neque rationem tantæ rei perficiendæ ſatis explicantibus opti-
mum viſum eſt, religionis prætextu aggredi, quo nihil eſt in ſpeciem fallacius. Quaſi
per quietem iuſſi eſſent Herculis ſacra in Hiſpaniam transferre, templum Herculi in
continenti ædificandi facultatem ſibi, locumque eſſe prouinciales poſtularunt: & cum
datum eſſet, iuſtæ arcis forma, addita munitione, magnis molibus ad culmen breui per-
duxerunt. Multi loci religione, & inſolenti cæremoniarum apparatu allecti locum il-
lum domicilio delegerunt. Sic in vrbis æmulam magnitudinem non magno interuallo
excreuit, eo loco ſita vt creditur, vbi nunc Medina Aſſidonia cernitur. Nam & Sidonis
nomen conſentit, & locus, cum ſit obiecta Gadibus, à maris littore, ſedecim paſſuum
millibus. Obtinebant præterea alias vrbes minoraque oppida, vel ex ipſorum numero
conſtituta, vel per vim ablata finitimis. Vnde ac ex templo præſertim prædas age-
re pecorum hominumque. Turdetum vrbem, quæ olim poſita fuit, præter Cæſa-
rianum & Arcobrigam (hæ hodie Xerez & Arcos ſunt) ſuæ ditionis fecerunt nullo me-
liori iure quam quod in vi & armis erat. A Turdeto ſunt dicti Turdetani ampliſ-
ſima olim Bæticæ natio ſecundum Oceani littora Ana flumine terminati Baſtu-
li & ipſi in Bæticæ parte à Tarteſſo Veram vſque fuſi ad Mediterranei maris oram e-
rant. Turduli à Meneſthæi portu (is hodie portus à Sancta Maria nomen habet) præter

Ortum

Ortum & Septentrionem extenſi paulo infra Cordubam Bæti ſuperato, & Marianos montes attingentes, vſque ad extremum Bæticæ limitem mediterranea obtinebant. Turdulos & Turdetanos Liuius, Polybiuſque vnam nationem faciunt. plerique eorum fines confundunt. quominus iis deſcribendis, aliiſque populorum nominibus eorum ambitu comprehenſis, ſigillatim recenſendis laborandum puto, Maſſienis, Selbiſiis, Curenſibus, Ligniis, aliiſque haud exiguo numero nominatis à veteribus regionum deſcriptoribus. Quod rei præſentis eſt tamen tantis iniuriis læſa prouincialium patientia, & nouæ vrbis incrementa ſuſpecta habentes finitimi, bello Gaditanos laceſſere conſtituunt concilio gentis ad diem certam indicto. In eo conuentu Phœnicum iniurias conqueſti ſunt. Vt ſemel Aſſidoniæ templum ædificare cepiſſent, iugum prouinciæ ceruicibus impoſitum grauiſſimum. Homines eſſe auaritia inſatiabili, crudelitate maxima, ex fraude & arrogantia compoſitos. in religionis ſimulatione inexpiabiles fraudes, immania ſcelera contegere. Non poſſe diutius eorum iniurias ſuſtineri. niſi quid auxilii in mutuo gentis conſenſu ſit, vniuerſis domo emigrandum. aliud domicilium, alias à Phœnicibus diſiunctas ſedes petendas. Quiduis perpeti fore ſatius quam tantas & tam frequentes iniurias contumeliaſque tolerare. Hæc verba multorum excuſſere gemitus, expreſſere lachrimas. Sed ſilentio tamen facto, Baucius Capetus Turdetanorum Princeps. Mollis, inquit, & eneruati animi eſt calamitatem deplorare, leue malorum in muliebri eiulatu ſolamen, turpe nullam rebus aſperis opem afferre præter lachrymas. Quin viros nos eſſe potius recordamur, correptiſque continuo armis illatas iniurias vindicamus maiori hoſtium moleſtia? Neque erit difficile paucos perduelliones de vniuerſæ prouinciæ finibus exturbare: ſi qui numero viribus, & cauſſa potiores ſumus, animorum concordiam adiungamus, mutuis iniuriis communi patriæ condonatis caritati: ne quod hactenus euenit, conceptæ animis ſimultates curſum veræ laudis impediant. Violari numen noſtris iniuriis vindicandis nemo ſibi perſuadeat: nam fauere ſceleri non ſolet, & iniuria potius oppreſſis opitulari æquius eſt. Diuturnam hoſtium felicitatem metuere non debetis: ſed illud potius cogitare conſueſſe deos, quorum ſcelera vleiſci volunt, iis interdum res ſecundas & diuturnam impunitatem dare. Ituri in arma modo maiores veſtros & poſteros cogitate: ne obliti ſanguinis veſtri, nepotum contumelias & commoda neglexiſſe videamini. Hac oratione cuncti, qui aderant, animis inflammati, vno conſenſu bellum contra Phœnices decernunt. Duces delecti, iiſque imperatum quam maximos delectus militum, & quam occultiſſime habere: quo hoſtes imparati facilius opprimerentur. Totius belli ſumma Baucio demandatur: quē exactæ prudentiæ opinio, virtus bellica, multarum rerum vſus ad populum commendabat. Collecto per eum modum numeroſo exercitu Phœnices inopinantes locis omnibus oppreſſi. diuitiæ multo congeſtæ tempore direptæ. vrbes & oppida expugnata momēto temporis tum ea quę per vim occupata tenebant, tum alia, quæ ex ſua gente fundarant. Aſſidoniam, quo ſe Phœnicum reliquiæ quaſi ex cōmuni naufragio receperant templi munitione confiſæ, nihil impediente loci ſanctitate eodem animorum ardore vi expugnatam ſolo æquant, ciuibus ad vnum cæſis, tanta erat vindictæ cupiditas: ne templo quidem ipſi parcitur. Exaſperati iuſta iracundia animi nequè miſericordiam recipiebant, neque religione mouebantur. Multis annis magnaque diligentia quæſitas opes, fundatam vrbem & templum hoſtilis iracundiæ flamma vaſtauit. tanta ex eo Phœnicum conſternatione, vt paucis in continenti oppidis iiſque ignobilibus retentis, magis quia non impugnabantur, quam quod ſatis animi ad reſiſtendum eſſet, in inſulam Gadeis compacti de Hiſpania, vbi tanta inuidia flagrabant, deſerenda, conſilia inter ſe communicarent. Omnino concordiæ ſpe omni ſublata, externa auxilia aduocare, iiſque ſe aduerſus prouincialium vim munire conſtituunt. E Tyro expectare longum erat in ea rerum anguſtia. vnde minime debuerunt, Carthagine propter communem originem, regionum haud magnum interuallum euocant. Dato ſenatu, legati Phœnicum ſupremum in periculum res Gaditanorum veniſſe, Patribus explicant. niſi in ipſorum præſidio, ſpem nullam eſſe reliquam. Non iam de opibus laborare, quibus puncto temporis iniuria exuti eſſent: ſed de libertate & ſalute periclitari. Veniſſe quam toties expetiiſſent, occaſionem in Hiſpaniam tranſeundi, honeſtā iuxta ac piam pro neceſſariis & cognatis tuendis, pro deorum immortalium religione vindicanda: quæ Herculis templo euerſo ſanctitatis opinione celeberrimo, ſacriſque contaminatis violata erat. Sequidem libertate modo & antiquis finibus habituros ſatis: cætera victoriæ præmia, quæ futura erant opinione ipſorum, ſuaque prædicatione maiora libenter ipſis relicturos, imperium copiaſque Hiſpaniæ. Carthaginenſes audita Gaditanorum legatione bono eos animo eſſe iubent, eorum ſalutem fore ſenatui populoque curæ pollicentur.

Magnam ſe habere ſpem fore breui, vt Hiſpani ſuis malis caſtigati breui iniuriis finem faciant. tantiſper modo ſuſtentarent, dum claſſis valida rebus omnibus inſtructa mitteretur in Hiſpaniam. Obtinebant ea tempeſtate Carthaginenſes maris imperium numeroſis claſſibus, ſiue commercio ſeruientes, quo nomine per hæc tempora, vti ex diuinis libris intelligitur, naues Tharſis celebres erant, ſiue proferendi imperii cupiditate: nam oram Africæ vniuerſam & inferi maris inſulas non paucas ſub ditionem miſerant felici conatu. Hiſpaniæ aditu hactenus fuerant prohibiti eas ob cauſſas, quæ ſunt ſuperius indicatæ. Eo maiori auiditate feſtinationeque inſtructa claſſis Duce Maharbale cum ſoluiſſet Carthagine, Baleares & Ebuſum præteruecta idoneis tempeſtatibus Gadeis tenuit
236. anno ab Vrbe condita, ducenteſimo trigeſimo ſexto. Alii non multo ante primum bellum Punicum putant. quocunque certo tempore, ad imperium Hiſpaniæ aditu patefacto continuo littora vicina explorare, Hiſpanorum naues intercipere, atque ex ipſorum agris quam maximas & quam latiſſime prædas agere, locis idoneis munitiones ædificare, vnde incurſiones in agros finitimos facerent. Quibus malis excitati Hiſpani Turdetum frequentes conuenientes, Baucium denuo noui belli Ducem iubent. Is delectu ſuorum habito, hoſtium munitionem, quæ ex multis Turdeto proxima erat, intempeſta nocte expugnauit, præſidio cæſo præter paucos ipſumque ducem Maharbalem, qui equo per auerſam portam euadens fuga ſeruatus eſt. Eodem victoriæ curſu maiora hoſtibus damna intulit. His rebus geſtis Baucius graue præda militem lætus in vrbem reduxit. Carthaginenſes, Hiſpanos vi opprimi poſſe deſperantes ad Punicas artes conuerſi velle ſe paciſci ſimulant, non eo ſe veniſſe affirmantes, vt Hiſpanos bello fatigarent: ſed vt cognatorum iniurias vindicarent, & à ſacroſancti templi violatoribus piacula exigerent. Turdetanos ciues habere compertum, neque aduerſos deos quidquam impie, neque in Gaditanos crudeliter commiſiſſe. Gentis virtutem admiratos, amicitiam appetere potius, quæ vtrique nationi non inutilis futura erat. ponerent arma, dextras iungerent, atque in amore reſponderent, à quibus eſſent prouocati. Et vt intelligerent, nihil ficto animo geri, cuncta ſe præſidia deducturos, atque omnem militarem iniuriam ab eorum finibus prohibituros. Adhæc Turdetani. eam legationem gratam tum ſibi fore reſponderunt, ſi cum verbis conſentirent facta: bellum neq; timere neque prouocare: amicitiam Carthaginenſium neque magnopere deſiderare, neque repudiare oblatam. Eos eſſe Turdetanos, qui beneficiis maleficia vlciſci, & officio cum offenſa certare conſueſſent. quæ geſſiſſent non ſua voluntate ſed defendendi belli neceſſitate facta eſſe. Ad hunc modum quodam induciarum genere facto, ſe propius littora Pœni continuerunt: vnde per oppida & arces diſpoſitis præſidiis finitimos carptim fatigabant. Quod ſi qua paulo validior manus Hiſpanorum, vindictæ ſtudio coiuiſſet, militum licentiam excuſantes, atque noua fœderis ſimulatione, ſimplices homines & tranquillitatis amantes illudebant: ſimilique fraude ad alios opprimendos conuertebantur. Quæ res Gaditanis gratiſſima erat, Hiſpanis non videbatur intolerabilis, publica damna, vt fit, contemnentibus ſingulis, cum à priuatis rationibus ſunt ſeiuncta. Sic Carthaginenſium vires augebantur noſtrorum ceſſatione, ipſorum artibus quod facile fuit Baucio tanto Duce per idem tempus defuncto die ſuo, nullo relicto ſucceſſore hæredeve, quod ſciatur.

Carthaginenſes in Gaditanos inſurgunt CAP. XIX.

INSATIABILIS eſt humanus animus eo quod fortuna ſuppeditat ſeu vis altior. fœtent prima, cum maiora verſamus in animo: & quæ non minor eſt noſtræ felicitatis labes, conſortis impatientiſſima eſt natura poteſtatis. Extincto Baucio Carthaginenſes de vniuerſæ Hiſpaniæ imperio cogitantes, à quibus euocati erant, propinquos & neceſſarios Gadium poſſeſſione Phœnices deturbare aggreſſi ſunt. Fœcunda gignendis inimicitiis ambitio. Arte quadam ſemina diſcordiæ ſerere, miſericordiæ ſimulatione erga veteres inſulanos. Superbe Phœnices imperare prædicantes, neque communicare honores aut magiſtratus cum veteribus incolis, publicas & priuatas fortunas compilare. ad vitæ conditionem ſeruituti proximam miſeros inſulanos perductos eſſe. Sic Phœnicibus accuſandis ſtudia ſibi multitudinis adiungere, malis artibus ambitioſi, ingenio prauo callidoque. Illi re cognita Pœnorum perfidiam accuſare. neque cognationis reſpectu, neq; beneficiorum memoria à concepto ſcelere retardari corruptis ſemel animis praua cupiditate. Arma corripiunt inter ſe. Primi Phœnices impetum in Pœnos faciunt, quem illi impetum non tulerunt, venturi ſecuri ſcilicet, neque digna formidantes. Non pauci in conflictu perierunt, contento alii curſu in arcem, quam ad ſimiles caſus in extrema inſula

ex aduerſum Cronii promontorii paratam munitamque habebant, ſe receperunt. In tecta
& agros Pœnorum conuerſa rabies. ignes paſſim iniecti, direptæ opes. Conturbati Pœni
improuiſo malo gaudebant tamen, vt in malis, tumultu Phœnices facto honeſtam ſibi oc-
caſionem belli defendendi præbuiſſe, vrbemque eorum occupandi. quod breui factum
eſt. Deductis præſidiis omni ex parte, & fœderatorum auxiliis aduocatis, à quibus paulo
ante cæſi fugatique erant, vltro prouocare auſi ſunt. ſucceſſuque elati, quoniã hoſtis nullo
loco pugnæ copiam faciebat, ipſam vrbem Gadeis expugnare aggrediuntur. Menſes ali-
quot obſidio tenuit: ferroque tandem in vrbem penetratum. In ea obſidione Pephaſmeni
Tyrii induſtria litteris quorundam celebratur, arietis machina inuenta muris quatiendis:
quam ex tranſuerſa trabe ſuſpenſam, atque libratam maiori motus facilitate, maiorique
impetu quatere monſtrauit. Phœnicum calamitas magnam Carthaginenſibus inuidiam
à finitimis conciliauit gentis perfidiam & inhumanitatem accuſantibus: à quibus in par-
tem imperii vocati eſſent, & quos paulo ante conſeruaſſent, iiſdem libertatem & fortunas
eripuiſſe: impios æque & ingratos nulla ſatis idonea cauſſa hoſpitii iura, conſanguinitatis,
amicitiæ, humanitatis priores violaſſe. Meneſthæi portus ciues, quibus magna ac diuturna
cum Phœnicibus amicitia erat, imprimis dira omnia Pœnis imprecari, minitari vindictã.
à iurgiis & conuitiis ad bellum & arma ventum eſt. Validæ ab vtraque parte copiæ in a-
ciem productæ. prius tamen quam ventum eſſet ad manus prudentioribus placuit con-
cordiæ viam aliquam tentare. Carthaginenſes in vnius pugnæ euentu conſiderantes re-
rum ſuarum & imperii ſummam verti, priores de pace agere cœperunt. Datis conſenſu
arbitris fœdus haud difficulter his conditionibus eſt factum. Commercia inſtaurarentur.
Neutri alteros portubus excluderent, aut mari libere vagari vetarent. Captiui redderen-
tur ab vtraque parte. Damna inter ſe compenſarent, quantum delecti iudices pronũciaſ-
ſent. Quo maior eſſet conuentionis conſtantia, Athenienſium inſtituto obliuionem in-
iuriarum ſancire viſum eſt. Vnde fluuio ad Meneſthæi portum in mare influenti Lethis,
id eſt, obliuionis Græca voce nomen factum aiunt. Plura tranſcribo quam credo: nam ne-
que refellere promptum erat, quæ dicuntur ab aliis, neque argumentis confirmare ani-
mus. Sed iis tamen rebus (ſic aiunt) ex Meherbalis litteris cognitis Carthagine, immorta-
les diis gratiæ actæ: eoque maior lætitia fuit, quod difficultate rerum ſuarum impediebã-
tur claſſem expedire in Hiſpaniam auxilium ſuis, retinendo imperio Gaditano ſubſidiũ,
Bello Siculo primum, deinde Sardico male mulctati: quæ Machæo copiarum Duce geſta
erant. Excepit belli Africani nouus metus: qui Carthaginenſis ſenatus cogitationes auer-
tit penitus ab Hiſpania. Sic pœni qui Gadibus erant, ſpe auxilii ſublata ad conciliandas
Hiſpanorum voluntates animos retulerunt aſſimulatis ad tempus officiis. Phœnicum re-
liquiæ, qui potiſſimum læſi erant, quoniam aliud nihil ſupererat, retenta maritimi com-
mercii libertate, vnde ingentes diuitiæ parabantur, à cogitatione abſtinuerunt deinceps
repetendi Gadeis. Quo tempore anno ab Vrbe condita ducenteſimo quinquageſimo
ſecundo, Hiſpania terræ ſiccitate pluuiarum inopia, annonæ anguſtia, terræmotibus fre- 252.
quẽtibus afflicta eſt. terra deſidente vaſti hiatus exiterunt, magnaque auri & argenti vis
ex antiquo Pyrenæi montis incendio cineribus terraque ſepulta, per eum modum in lu-
cem producta nouas gentes attraxit in prouinciam, quas enumerare non eſt neceſſe. Pror-
ſus Carthagine claſſis in Hiſpaniam nouo decreto ſenatus deſtinata miſſaque Aſdrubale
& Amilcare Ducibus (Magonis ii filii erant viri Principis Carthagine) Sardiniam, cum
deuia non eſſet, primò tenuit. In ea inſula Aſdrubal ab inſulanis in pugna interfectus
periit. cui filii fuerunt Annibal, Aſdrubal, & Sappho. Amilcarem à cogitatioñe Hi-
ſpaniæ bellum Siculum reuocauit. Cognito enim Aſdrubalis caſu Siculi, atque Leo-
nida Spartano cum claſſe delato in Siciliam, bellum contra Pœnos maiori impetu in-
ſtaurarunt. In eo bello Amilcar occubuit, tribus filiis relictis Himilcone Hannone &
Giſgone. Præterea Darius Hiſtaſpis per idem tempus magnam Carthaginenſibus ſo-
licitudinem iniecit, miſſis legatis, qui viuendi leges præſcriberent, & auxilia in id bel-
lum, quod contra Græciam parabat, mitti poſtularent. quem in ſe irritare Carthagi-
nenſes nolebant aſperiori aliquo reſponſo, in eo diſcrimine rerum ſuarum: tametſi au-
xilia mitti non placebat. Darii filius fuit Xerxes, is qui imperii ſui anno tertio, qui
annus ab Vrbe condita ducenteſimus ſeptuageſimus primus erat, cum patris æmulatio-
ne bellum & ipſe atrox in Græciam pararet, Græcis illis ex Sicilia in patriam reuoca- 271.
tis, qui Leonida Duce auxilio venerant contra Pœnos, ſenatus Carthaginenſis quaſi
ex diuturna iactatione reſpirans, rerum Hiſpanienſium cura, nongentos milites ex Si-
culis præſidiis deductos & quatuor nauibus impoſitos ſupplementi loco in Hiſpaniam
mitti decreuit, maioris auxilii ſpe facta. Baleares tentari ex itinere. montanos homi-

nes laceſſere malo fuit. Correptis illi fundis, quo tunc ſolo telo vtebantur, hoſtes male acceptos, atque lapidum grandine continenter afflictos, ad mare redire, & auertere in altum naues compulerunt. Inde valida abreptæ ventorum vi, diuerſæ Gadeis tandem appulerunt. Earum aduentu, & acceptæ in Sicilia cladis cæſo Amilcare fama imminuta eſt, & male ſentientibus ſe commouendi poteſtas ſublata. Quo tempore Tarteſſo aiunt coloniam miſſam Duce Capione ad eam inſulam quam ambobus oſtiis Bętis complectebatur. Omnino vbi Mneſthæi oraculum erat, noua ciuitas à Tarteſſiacis fundata eſt Carteſiorum Ebora dicta diſtinctionis gratia, cum plures eo nomine ciuitates in Hiſpania fuiſſe conſtet. Et Tarteſſus Carteia etiam nuncupabatur. præterea in oſtio fluminis altero turris eſt conſtituta Capionis Ducis nomine, quo tempore non conſtat. Sed eius tamen oræ accolæ Carteſſii ſeu Tarteſſii dicti ſunt: vnde coniectandi occaſio Tarteſſo in eam partem coloniam fuiſſe amandatam ingeniis nimium perſpicacibus.

2.

Sappho venit in Hiſpaniam. CAP. XX.

AFRICAM omnem contra Carthaginem coniurare per id tempus fama erat, copias conferre, quantum cuique ciuitati virium eſſet, obſides inter ſe dare. Nimia eius vrbis potentia cęteris ſuſpecta eſſe cœperat, & annuum vectigal denegarant, quod Didonis voluntate pactum pendere cōſueuerant. præterea rei male geſtæ in Sardinia atque Sicilia fama ad audendum inuitabat. Mauritaniæ gentes nulla quamuis iniuria violatas ſeſe cum cęteris coniunxiſſe: tantumque omnium furorem eſſe, vt Hiſpanos anguſto freto diremptos, in belli ſocietatem trahere cogitarent, & à Carthaginenſium amicitia abducere. His rebus Carthaginenſis ſenatus permotus tum ſe ad reſiſtendum comparare, tum Sapphonem Aſdrubalis filium Pręfectum in Hiſpaniam amandare: vt ſuorum vires atque animos pręſentia & auctoritate confirmaret: & nutantes Hiſpanorum voluntates induſtria atque accommodatis officiis conciliaret. Quod ille in prouinciam delatus diligenter effecit. Hiſpanorum enim proceribus aduocatis, quid Africani molirentur expoſuit? quo eſſent animo Mauritanię populi, pro iure veteris amicitię poſtulans neu ſe, neu ſuorum quemquam in fraudem impelli ſinerent, ſe potius, atque Carthaginenſem populum conſilio reque iuuarent. Eorum voluntate tria Hiſpanorum millia conſcribere datum eſt: non vt bello laceſſeret Mauritanos amicos Hiſpanorum & neceſſarios, ſed vt rem Punicam ab iniuria defenderet, ſicunde vis pararetur. Copias ille omnes ad Gaditanum fretum continuit tum ciuium, tum ſociorum: ſi quo modo Mauritanos ſanare, & à cæteris Africanis belli timore poſſet abducere. Verum cum non ceſſarent, tranſmiſſo freto agros vaſtare, ædificia oppidaque incendere, in ſeruitutem abducere, quicunque marte arbitro veniſſent in poteſtatem. His malis permoti Mauritani Tingim Tarteſſo obiectam in Africæ littore conueniunt, in commune deliberaturi, quid facto opus eſſet. Legatos in Hiſpaniam mitti placuit, conqueſtum iniurias eorum Hiſpanorum qui Sapphoni militabant. in quibus præſidium eſſe debuit, inde perniciem exiſtere amicis & neceſſariis. vnde diſcederent, & quibus ſe adiungerent conſiderare iubent. Omnium gentium, ad quas Pœni acceſſiſſent, inſidiari libertati. Communibus proinde armis vindicandos videri. Ne conſilium priuatim ipſi caperent, cuius è veſtigio eos pœnitere neceſſe eſſet, ſiue victis Carthaginenſibus, totius Africæ odium incurrere neceſſe foret, ſiue victoribus ſeruiendi neceſſitate. Iam dudum Carthaginenſes præ animorum faſtu atque arrogantia orbis meditari imperium. Adhæc Hiſpani, facti imprudentiam excuſare, Sapphoni non ad inferendum bellum ſed ad defendendum, Hiſpanorum auxilia conceſſa. miſſuros ſe in Africam legatos, quibus auctoribus ſi pax facta non eſſet, ſuorum copias reuocarent in Hiſpaniam. ita præſtitum. Legatorum aduentu ab armis diſceſſum ea lege eſt, vt Dux Carthaginenſis copias ex Mauritania deduceret, Mauritani ſuos ab oppugnatione Carthaginis, à qua nulla fuerant iniuria violati, reuocarent. Verum Sapphone in Hiſpaniam reuerſo cum Mauritani ab Africanorum caſtris non recederent, repetito bello maiores illatæ ſunt Mauris clades: ægreque tandem Hiſpanis interpellantibus impetratum, vt nouis Sappho Hiſpanorum auxiliis auctus, quæ vltro offerebantur, Mauritania relicta in Africam interiorem diſcederet verſus Carthaginem. Sic hoſtium copiæ oppreſſæ ſunt, à tergo & à fronte circumuentæ iis copiis, quæ Carthagine & ex Hiſpania miſſæ erant. Sarucus Barchinus, à Barce vrbe ad ortum Carthaginis ſita (tametſi Silius à Didonis ſocio Barce malit) ob diligentem operam Carthaginenſi reipublicæ in hoc bello nauatam, in eam vrbem tranſlatus Barchinorum factionis princeps extitit. Finis bello impoſitus eſt
283. anno ab Vrbe condita ducenteſimo octogeſimo tertio. Sappho in Hiſpaniam reuerſus,

rebus

rebus in prouincia compoſitis, Carthaginem ſeptimo poſt anno reuocatus eſt, per ſpeciem quidem reipublicæ in patria procurandæ, ſummo magiſtratu dato, cui Suffetes nomen erat, auctore Feſto, re quoniam moleſtum erat, ditiſſimæ prouinciæ copiis amplius ciuem vnum augeri quam libera ciuitas pati poſſet. Quo maior eſſet honor Himilco Hanno & Giſgo patrueles ſucceſſores dati ſunt. Sapphoni in patriam reduci magni honores habiti, tantos ſpiritus ex eo ſumenti: vt non tyrannidem inuadere ſed diuinitatem meditaretur. plures enim auiculas vocales docuit proferre atque ingeminare, tria verba. Magnus deus Pſaphon. quæ libere abire permiſſæ, cum iis vocibus pronũciatis Pſaphonis famam per agros diſſipaſſent: facile à prouincialibus, rei miraculo attonitis ante obitum diuinitati conſecratus eſt, nomenque templis datum. quod ante id tempus acciderat nemini. Plinius hoc factum ad Hannonem ablegat, Pſaphonem fama tenuit, veteri prouerbio conſecrata munitaque.

Himilco & Hanno nouas nauigationes aperiunt. CAP. XXI.

HIMILCO & Hanno Hiſpaniæ prouincia deſtinata, quæ prima dies curſum dedit, claſſis vela è portu egreſſi explicarunt. Tentati ex itinere Baleares munuſculis arteq; rudes homines & earum artium ignari munitioni ædificandæ locum cõceſſerunt in maiori Baleari, qui gradus erat ad opprimendam gentis libertatem. In minore Hanno Iamam condidiſſe fertur præter Septentriones & Occaſum ſitum oppidum, Magonem ad Eurum. Sunt qui Labonem tertium eius inſulæ oppidum numerent: & cauſſam harum appellationum extitiſſe putent tres deinceps Carthagine miſſos eius inſulæ procuratores. Hannonem ſatis conſtat Gadeis appulſum gloriæ cupiditate incenſum, & vt res nouas exploraret. Oceani littora vſque ad promontorium Sacrum (D. Vicentii hodie) claſſe legiſſe, viſaque ſenatui ſigillatim per litteras explicaſſe. Magnam ſe habere ſpem, inacceſſa eatenus Atlantici, Gallicique maris littora longiſſimo excurrentia locorum tractu, poſſe magno reipublicæ commodo gloriaque aperiri. Binas claſſes ædificare daretur, rebuſq; omnibus inſtruere ad diuturnam nauigationem tolerandam. Quod cupiebat conſequenti anno ſenatus permiſſu eſt factum. Himilco Europæ littora mariaque, quam longiſſime poſſet, iuſſus eſt explorare: Hanno Africæ adeundæ curam ſibi deſumpſit: Giſgo ad rerum procurationem in prouincia conſenſu fratrum relictus eſt. Ergo ſub initium eius anni, qui ab Vrbe condita trecenteſimus ſeptimus numerabatur, Hanno & Himilco 307.
relicta Hiſpania diuerſi claſſibus abiere. Himilco Heraclea ſoluens Meſenioſque & Selbiſios (hi in Baſtulis ad fretum erant) præteruectus Hermam ſiue Iunonis promontorium, quod in extremis freti faucibus eſt, flexis ad dexteram proris tranſmiſit, Cylbique oſtium, fluuii Melariam (hodie Beielium) atque Barbatem inter in mare mittentis. quemadmodum Beſilum tenui riuo proximum, Gadibus obiectum in idem euoluitur mare: Geryonis ſepulcro inter vtrunq; flumen comprehenſo, vbi lingula eſt procurrens in mare. Mox occurrit Erythræa inſula, ſiue ea Gadeis ſit, ſiue vt alii diſputant, à Gadibus ſecreta, quinto olim à continenti ſtadio dirempta: nunc hauſta mari, vt ne veſtigium extet. Deinde ſyluis denſum impeditumque montem contemplati ſciſcitatione inuenerunt Tarteſſium, ex illius oræ maritimæ communi nomine dici, porro ex eo monte deriuari fluuium Lethim, de quo paulo ante eſt demonſtratum. Sequebantur Cibiceni Turdetanorum natio ad propinquius Bætis oſtium ſecundum littora fuſi atque in medio interuallo Geronda turris, Geryonis opus. Supra hos Yleates, Cempſi, & Manii aduerſo Bæti interiora terræ obtinebant. Eum fluuium Tarteſſium etiam vocari, atque è Ligoſtico fonte in paludis formam reſtagnante ad Argentarii montis latus, qui hodie mons Seguræ eſt, deriuari cognouerunt, in quatuor brachia diductum. Mendacio videlicet accomodata fides eſt veriſimili propter tria flumina alia, quæ influunt in Bætim: aut fortaſſis per ea tempora irrigandis Bæticæ campis in plures partes riuoſque diducebatur. quod vix in tam rudibus ingeniis credi poteſt. Rufus Feſtus qui has nauigationes explicuit, quatuor oſtiis Bætim in mare mittere teſtatum reliquit. antiqui deſcriptores terræ duo tantum inueniebant, nos vnum; rebus tempore mutatis alternante ſcilicet memoria. Inde progreſſi, Bætiſque oſtia præteruecti, Caſſii montis faſtigia viderunt venis ſtanni copioſi, vti nomen ipſum indicio eſt, vſque eo vt ab eo monte id genus metalli Caſſiteron Græce dici quibuſdam ſit perſuaſum. Monti ſubiectam planiciem Albiceni Tarteſſii obtinebant. Succedebat Iberus fluuius olim Tarteſſiorum limes extremus, nunc Palos inter & Huelmam in mare defertur, tantę olim nobilitatis, vt ab eo quidam malint Iberiæ nomen, quam ab altero Citerioris Hiſpaniæ fluxiſſe. Hoc tempore Tinctus fluuius, ſiue Atramenti vocatur,

ab eius terræ copia inficiendis atro colore lanis aptiſſimæ. Ad Occaſum ſecundum littus progreſſis Iberia vrbs occurrit, alteri cognominis ad Iberi ripam olim ſitæ non procul Dertuſa, de qua Liuius meminit. Prope maris æſtuaria ſuccedunt: qua parte promontorium excurrebat in mare ab impoſito templo Proſerpinæ appellatione. quo circumducto Mariani montis extrema iuga viſa ſunt in mare deſinentis: ſupraque Zephirius mons culmine cælum attingere, nubibus nebulaque contectus tranquillo quamuis mari, raris ea parte ventis. Littora excipiebant, lapidibus impedita, dumetis aſpera vſque ad Saturni montem pertinentia. Mox Cenitæ interfluente Ana, duabus obiectis inſulis: quarum quę maior erat, Agonida nuncupabant. Inde promontorio Sancti Vicentii Sacro tranſmiſſo, magno littorum flexu aliquot confectis millibus ad portum Cenim ventum eſt, non procul a Petanio inſula (nunc Perſeguero.) Quibus locis proximi erant Dragani Luſitaniæ populi, montium Sephis & Cempis latere ſinuque Septentrionali incluſi, ex aduerſum Strimniæ inſulæ procul iacentis in mari. Draganis vicina erat inſula altera Acale nomine, aquis præter morem cæruleo colore, odore tetro (ſic ea tempeſtate res erant) nunc retracto mari omnia ſunt à veteri forma & obſeruatione immutata. Supra Acalem Ceprilianus mons in continenti aſſurgebat. & longo littorum tractu emenſo, præter Ortum & Septentrionem Pelagiam inſulam nacti viriditate præcipuam Siluiſque, attingere auſi non ſunt, cum in Saturni præſidio eſſe, & eo appulſus mare turbari ex multorum prædicatione haberent perſuaſum, homines inani ſuperſtitioni ſeruientes. Sequebantur ad continentis littora Sarii gens inhumana & inhoſpitalis: Promontoriumque quod iis locis vulgo Spichelis dicitur, antiqui Barbarium ab eius gentis feritate nominarunt. Duorum mox dierum nauigatione ad Strimniam inſulam eſt peruentum, habitatoribus vacuam vaſtamque, ob ſerpentes & noxia animalcula, incolis nouas quærere ſedes compulſis: vnde à Græcis Ophiuſæ nomen tulit. Occurrit deinde Tagi oſtium Sariæ gentis finis, Græca colonia impoſita, quæ non incommode Oliſipo fuiſſe creditur, vrbs conſequenti tempore in paucis nobiliſſima. Quo ex loco ſoluentes, atque Albianum & Lanciam inſulas (hæ hodie Baionæ in Calæcis obiectæ ſunt) legentes ad Neriorum littora peruenerunt, vſque ad Nerium promontorium pertinentium, quod noſtris Finis terræ eſt. Ei promontorio plures inſulæ adiacent Strenides quidem ex eo dictæ, quod Strimniæ inſulæ incolæ Serpentum inde copia depulſi, eas inſulas domicilio delegere: Caſſiterides à plumbi ſtannique prouentu Nerium promontorium prætervecti Himilco & ſocii, conuerſiſque ad Ortum proris, quatuor iam decurſis menſibus, ex quo nauigare cœperant, ventis remittentibus, vadoſiſque littoribus & vlua plurimum impediti magnas difficultates obierunt: vt Ligorum, Aſturum, Silororum, quæ deinceps nationes ea littora obtinebant, ſinus, portus promontoria, vrbeſque explorarent. Quarum rerum, ac ne earum quidem, quas in Armonico & Baltico mari, Galliæ atque Germaniæ littoribus inuenerunt, quidquam eſt in litteras relatum, poſteritatique proditum (quod ſciatur) ac ne iter quidem, quo in Hiſpaniam redierunt, toto biennio in ea nauigatione tranſacto.

Hannonis nauigatio. CAP. XXII.

HANNONIS nauigatio longior fuit, priſcis temporibus omnium nobiliſſima, & huius ætatis nauigationibus comparanda: quibus ad orientis occidentiſque Solis oras Hiſpanorum arma inuicta virtute penetrarunt: præferenda etiam, cum magnetis illi & quadrantis vſum ignorarent, neque ſe libero mari permitterent. Itaque comparata claſſe, in qua ſexaginta quinqueremes erant, hominum vtriuſque ſexus millia triginta, coloniis Libophœnicum per littora, vbi eſſet commodum, conſtituendis, Gadibus ſoluens atque Herculis columnis ſuperatis, duorum deinde dierum nauigatione in latam planiciem delatus vrbem impoſuit, quam Thymiaterion dixit (hodie Azamor quidam eſſe ſuſpicantur.) Conuerſis mox ad Occaſum proris Ampeluſium promontorium occurrit: quod nos quidem Deſpartel vulgo dicimus, Arriano autem Soloen eſſe puto, opacum arboribus, præcipua locorum amœnitate. Sequebatur Zilia fluuius, Anatis Polybio (ſi ca non fallor) qui fluuius hoc tempore Arzillam oppidum præterlabitur. Septingentis triginta quinque paſſuum millibus ab Ampeluſio promontorio Lixii ad ripas fuſi erant Lixii fluminis, quod ex Libya decurrit in Oceanum: vbi Antæi & Herculis luctam fuiſſe, atque hortos Heſperidum dracone cuſtode quondam fabulati ſunt. Succedebant paribus interuallis centum millium ſpatio duo fluuii Subur, vbi Bonoſa oppidum: & Sala coniuncto eiuſdem nominis oppido, quod hoc tempore Sale eſſe credimus, ſitu commodo agri fertilitate atque amœnitate præcipua: Africæ tamen deſertis vicinum, eoque ferarum incurſibus obnoxium,

xium, quæ haud leuis iniuria eſt. Iis ex locis profecta claſſis ad montem Atlantem peruenit deſinentem in promontorium in primis nobile, cui olim promontorio extremę Chaunariæ nomen fuit: conſequenti tempore à nautis vulgo rudi vocabulo & barbaro Caput Non vocari ſolitum erat, exiſtimantibus ſi quis id promontorium ſuperare conatu temerario auſus eſſet, eum ad ſuos nunquam amplius rediturum noſtra ætate Boiadoris promontorium eſt, Palmam inſulam recta ad Occaſum obiectam habens, vnam è Fortunatis à media cæli regione vigeſimo octauo poſitam gradu. Eo promontorio ſuperato littus vaſtum excepit vſque ad inſulam paruam quinque ſtadiorum ambitu: quam tum quidem colonia relicta Cernem dixerunt, noſtra ætate Arginam vocari puto vltra promontorium Album citra Æquatorem vigeſima prima orbis cælique parte. Totus ſinus ab ea inſula Argini nomen habet vſque ad promontorium Viride extenſus, & illi obiectas decem inſulas Heſperides: in quo numero, cui à D. Iacobo nomen eſt, principatum obtinet. Hoc promontorium Arriano eſſe puto Cornu Heſperium: præterea fluuius, qui latiſſimo alueo multiſque ſuperbus aquis citra illud decurrit in mare, à Feſto Rufo Aſamam vocari. nam & huius temporis nomen Aſanagæ conſentit non multū ab antiquo diſcrepans. Crocodilos nutrit atque hyppopotamos Nyli modo. Similia incrementa & decrementa ſuſcipit in æſtate, vnde & originem eandem habere creditur. à veteribus Nigir eſt dictus, duobusque oſtiis mittit in mare, hoc de quo dictum eſt, & altero Viride promontorium circumuectis occurrente, cui à latitudine fluuio Magno vulgo nomen eſt. Sequebantur inſulæ Gorgonides. Sic eas Hanno nominauit, à portentoſis fœminis, quas Gorgonas dixit antiquitas. quemadmodum Currum Deorum vocarunt montem continentis, iis inſulis vicinum, quod ignibus micaret, tonitruiſque perſtreperet, noſtris Serra Liona eſt octauo citra æquatorem gradu. Ptolemæus quinto poſuit, numeris ipſius errore, aut incuria librariorum corruptis. Eum montem conſtat ob ſublimitatem fulguribus identidem coruſcare: æſtus qui ingens iis locis eſt, vitandi neceſſitate incolas dies in ſpecubus ſubterraneis transfigere, noctu ad opus annonamque procurandam egredi accenſis faculis: quibus ſubiecti ei monti campi collucentes ardere omni ex parte cum videantur, Hannoni & ſociis ea occaſio extitit ſiue ſerio exiſtimandi ſiue fingendi de induſtria, vt libēter de longinquis regionibus maiora vero prædicamus, ex iis locis fluuios igneos decurrere in mare: viciniaſque late regiones flammis perpetuis incendioque vaſtari. Vltra eum montem inſulam nacti ſunt à villoſis hominibus habitatam (ſic illi crediderunt) Rei inſolentis quo maior fides eſſet, duabus fœminis, quas ceperunt (nam virorum curſum adæquare non potuerunt) quia feritatem non deponebant, pelles detractæ atque tomento ſuffultæ Carthaginem miſſæ longo tempore, miraculo iuxta & monimento fuere. Hæc inſula non inepta ratione creditur paſſim à doctis ea fuiſſe, quam æquatori ſubiectam & Lupi Conſalui promontorio oppoſitam Luſitani ſub imperium miſerunt parentum ætate, D. Thomæ nomine, nobilem ſaccari prouentu, cæterum cæli grauitate infamem noſtrę certe gentis corporibus, cum ſit Æthiopibus vicinis ſaluberrima. Piloſos homines ſimias maiores fuiſſe putamus, quarum in Africa magna copia eſt abſoluta hominum forma. Ex iis locis Hannonem in Hiſpaniam rediiſſe Arrianus confirmat, commeatus inopia longius progredi prohibitum. Plinius Hannonem ait, ad Arabicum ſinum peruenisſe, ſuperato nimirum Bonæ ſpei promontorio, quod littoribus ab vtraque parte, maris fluctibus caſtigatis, in pyramidis formam extenuata interior Africa facit: indeque Carthaginem affirmat legatos de rebus geſtis pedeſtri itinere miſſos. Illud conuenit quinto poſtquam ſoluerat anno, qui annus ab Vrbe condita erat trecenteſimus duodecimus, in Hiſpaniam rediiſſe tandem. 312. Socii nauales ſuſpenſis audientis populi animis pro ſe quiſque narrare miracula, vim tempeſtatum, inauditas volucrum formas, marinarum belluarum prodigioſa corpora, hominum ferarumq; ambiguas ſpecies, viſa, an ex metu credita, an ſtudio conficta.

LIBRI PRIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ. LIBER SECVNDVS.

Hannonis reditus in patriam. CAP. I.

HANNO & Himilco ex longo errore in Hiſpaniam reduces, continuo otii ſumendi, patriamque inuiſendi cupidi Carthaginem venia impetrata profecti, inter ſuorum ſalutationes & totius populi plauſus triumpho perſimili pompa in vrbem inuecti ſunt, cunctis animorum vigorem, nobiles auſus, lętiſſimum laborum exitum cum voluptate prædicantibus, heroes immortali laude dignos. Giſgoni fratri, qui fuerat in Hiſpaniæ procuratione relictus, vt magiſtratu abiret & in patriam rediret tanti gaudii futurus particeps, facile eſt impetratum. Quod ad confirmandam potentiam auctoritatemque pertinebat, ſucceſſores deſignati miſſique in Hiſpaniam ſunt ex eorum voluntate, Annibal patruelis Sapphonis ſcilicet frater, & Mago neceſſarius. Magonem ferunt in Balearibus, cum aliquot annis hæſiſſet, in minori inſula vrbem ſibi cognominem poſuiſſe. Quod quoniam veterum ſcriptorũ fide caret, & ſola ex nomine coniectura nititur (quoniam Magonem vrbem in ea inſula fuiſſe conſtat) non videtur pro certo ponendum. ne à Hannone quidem fuiſſe fundatam. In rebus tam obſcuris quid mirum ſi caligat narratio? Conuenit Annibale Gadeis appulſo Giſgonem iis copiis onuſta claſſe, quas ipſe & fratres tot annis, tanto labore, tantaque induſtria parauerant, Carthaginem profectum curſum tenere non potuiſſe nauibus ad vnam mari hauſtis earum tempeſtatum vi, quæ per eos dies validæ frequenteſque incubuerunt mari, anno nempe ab Vrbe
315. condita tercenteſimo quintodecimo. Sic ſæpe ſpes concepta animis fallit in ipſa laborum meta euerſa atque mutata in contrarium. Annibalem autem ad Oceani maris littus citra promontorium Sacrum idoneo portui vrbem impoſuiſſe affirmant viri eruditionis opinione magna, dictam olim Annibalis portum, deinde Lacobrigam, nunc Lagos lingua vulgari. Tarteſſii econtrario ad vlterius Bætis oſtium arcem ædificarunt cum templo Veneri ſacro, quæ ſtella quoniam Luciferi nomen habet, Luciferi templum dictum, hodie corrupta voce Sancti Lucari nuncupatur, oppidum hac tempeſtate quidem propter Indici maris commercium cum primis Hiſpaniæ celebre. Sic gentis hiſtoriæ tradunt. Bellum etiam per idem tempus omnium opinione atrocius exarſiſſe confirmant inter Hiſpanos, eos qui Anæ ripas vtrinque obtinebant Bæticos & Luſitanos, à iurgiis paſtorum natum. Horum partes Carthaginẽſes fouiſſe, illis vrbem in eo tractu primariam opitulatos, quam nonnulli Iberiam fuiſſe arbitrantur, de qua paulo ante eſt demonſtratum: ac ne fœminas quidem ab armis abſtinuiſſe, tanta erat vincendi rabies. Pugnatum die integro neutro victoria inclinante. ceſſatum noctis ſuperuentu octoginta hominum millibus ferro trucidatis nihilominus, & Carthaginenſium Duce primario, quem ipſum Annibalem fuiſſe (ſi hæc vera ſunt) non abs re licet exiſtimare. coniecturis ducimur, cum rerum veritas latet. Addunt Magonem ad eius prælii famam continuo è Balearibus excitum ſuorum res ſuſtentaſſe in præcipiti conſtitutas: hoſtes non minori clade afflictos vrbem incendere, & alias ſedes quærere, metu maioris mali compulſos. Incidit ea clades in annum ab Vrbe condita trecenteſimum vigeſimum primum. Quo anno Carthagine magna rerum immuta-
321. tio facta eſt, duobus Annibalis fratribus Aſdrubale & Sapphone in vrbe coniunctis ferme funeribus elatis. Hannonis gratia & auctoritas, quę conſeneſcere cœperat, nouo ex Hiſpania incommodo renunciato, aperte præcipitauit, multorum, vt fit, erumpentibus odiis, vnum ad nutum rempublicam gubernare, pluſque priuatim poſſe quam reliquos magiſtratus moleſte ferentium. Ergo centum virorum magiſtratu creato, reuerſis à bello Ducibus ad rationem reuocandis rerum geſtarum Hannonem cauſſam dicere coegerunt: & damnatum iudicio patriã exilio mutare, inuidi æque & ingrati nulla iuſtiore de cauſſa, quam quod ingenio & induſtria plus valeret, quam vt liberæ ciuitati tutum putarent, qui primus hominum leonem manu tractare, atq; cicurare auſus eſſet: & male credi videretur libertas, ei qui ferarum immanitatem domuiſſet. Nimirum liberæ ciuitates aduerſum clariſſimum quemq; ciuem opinionẽ habent, atq; reipub. Principes inuidia lacerare ſolent: quibus malo ſæpe fuit, excellentibus virtute atq; induſtria fuiſſe.

Res ab Hiſpanis in Sicilia geſtæ. CAP. II.

ALIQVOT deinceps anni exitere nulla re in Hiſpania memorabili: niſi quod anno ab Vrbe condita trecenteſimo vigeſimo ſeptimo, quo tempore bellum Peloponneſiacum Græcia in duas factiones ſciſſa gerebatur, ſæua peſtis lues orbem ferme totum peruagata, ab Æthiopia corruptis ventorum flatibus profecta Hiſpaniã etiam vexauit, hominibus & pecoribus magno numero conſumptis ea tabe. Huius mali Thucidides, Liuius, Dionyſiusque in ſuis hiſtoriis meminerunt. Hiſtoriæ noſtrates diræ contagionis cauſſam ad inſolentem aeris ſiccitatem referunt, pluuiarum inopiam. Hippocrates qui tum vixit in Theſſalia, incenſis ſyluis eam peſtem auertiſſe à finibus ait. Contra Syracuſanos in Sicilia, nondum ea peſte ſedata grauiſſimum bellum exarſit: Leontinis finitimis & Catanenſibus contra eos Athenienſiũ auxilia aduocantibus Ducibus Nicia & Alcibiade tum iuuene miſſa ſunt, cum claſſe centum triremũm ad ſpem non dubiam ex contentione incolarum totius inſulæ imperio ſubdendæ. Expectationi ne reſpõderet euentus, importuno diſceſſũ Alcibiadis factum eſt à populo poſtulati, quaſi Cereris myſteria nulla re magis quam ſilentio ſolennia enunciaſſet. Is enim ex conſcientia digna metuens, an aduerſariorum potentiæ vt par eſſet, ad Lacedæmones abiit iudicii, ad quod vocabatur, metu. In ea vrbe benigne acceptus propter indolem ingenii & rerum geſtarum famam, vt Gilippum excellentem ea ætate Ducem, contra Athenienſium conatus auxilio Syracuſanis mitterent, auctor extitit. Sic breui belli Fortuna in Sicilia conuerſa eſt. Athenienſibus terra mariq; oppreſſis Nicias ipſe cum multis aliis in hoſtium poteſtatem venit. Obtinebant ea tempeſtate aliquot in Sicilia oppida Carthaginenſes ad promontorium Lilybæum, quod Carthagine diſtat centum octoginta millibus paſſuum non amplius. Agrigentini finitimi moleſte ferebant Pœnorum potentiam inueteraſcere in prouincia: præterea priuatæ iniuriæ extabant. Ergo conſilio inter ſe communicato, vindictæq; ſtudio, ſacrificii cauſſa egreſſos in ſyluã Pœnos non procul Minoa vrbe inermes imparatoſq; opprimunt, quos non montes, fuga, ſaltuſq; texerunt. Ea res Carthagine nunciata magnam populo & Patribus indignationem commouit. Duo millia Punici nominis, & par Hiſpanorum militum numerus ad repoſcendam vindictam nauibus in Siciliam vecti ſunt, adiunctis quingentis Balearibus. nouum atq; inſolens militię genus, præſertim cum nudis corporibus pugnam inuaderent, hoſtibus contemptui fuit initio: deinde terrori. commiſſo prælio victoriam pepererunt, ſiniſtro Agrigentinorum cornu perpetuo lapidum imbre penitus afflicto. Multi ex hoſtium numero ceciderunt in pugna fugaque. pars inter noctis tenebras in vrbem euadentes biennii obſidione tolerata in hoſtium tandem poteſtatem venerunt, ab Vrbe condita anno trecenteſimo quadrageſimo ſexto. Finem huius belli alterius initium excepit. Dionyſius ſenior Syracuſis occupata tyrannide pollens opibus famaque, ab Agrigentinis occulte per legatos & litteras ſolicitatur, vti eos in fidem accipiat, Pœnorum imperio liberatos, quod grauiſſimum erat impoſitum. Pollicetur ille maturam opem, Carthaginenſibus ſtantibus regnum, quod meditabatur, in ea inſula ſtatui poſſe diffiſus. interim conſilium dat, vt Agrigento cuncti quam occultiſſime dilapſi Camarinam & Gelam finitima oppida improuiſo occupent. inde populationibus late, hoſtilem agrum infeſtum reddant. reliqua ipſius curæ permittant. Damnis vltro citroque per eum modum datis acceptiſque diſceptator Dionyſius acceſſit miſſis ad Pœnos legatis poſtulabat, ablata reponi, compenſari damna. quod caput erat, Agrigentinis ſuam ciuitatem reddi, certe in parem iuris libertatiſque conditionem, atque ipſi erant, profugos & egenos admitti. Propinquos & neceſſarios iuſto propemodum ſeruitio premi, ſuas preces ludibrio haberi ſeſe paſſurum non eſſe. Ad hæc Pœni. Ius eſſe belli, vt victis victores pro voluntate imperarent. non ſe Agrigentinis ſed eos ſibi bellum intuliſſe priores, iniuriamque feciſſe, & ſuperum numen violaſſe. Neque recte neque pro bono facturum, ſi impios atque conſceleratos ſubleuaret. Quod diceret, ſe Agrigentinorum iniurias non neglecturum, cum vellet congrederetur: intellecturum quid inuictæ Carthaginis vires, duratuſque in armis miles virtute poſſet. Ab hoc initio res ad bellum deducta eſt. Dionyſius inſulæ copiis contractis Græcas ciuitates, ipſumque Darium Nothum Perſarum Regem contra Pœnos ſolicitare. Illi contra quindecim millia Punici Afrique nominis & quinque equitum millia conſcribere, adiunctis decem Hiſpanorum millibus: quorum animis promerendis Gadibus placuit priſtinam reddere libertatem, iura legeſque reſtituere, ſublata tantum poteſtate longas naues ædificandi. Herculis modo templũ & paucæ in littore ſpeculæ ſub Punica retentæ poteſtate. Copiis omni-

[margin: 327. — at "ab Vrbe condita trecenteſimo vigeſimo ſeptimo"; 346. — at "excepit"]

bus Himilco Cipus (Iuſtini codices Amilco habent) præfectus, quo omnes copiæ conuenerant, Carthagine ſoluit. Mollibus initio tempeſtatibus, deinde concitatis atque vehementibus ad varios Siciliæ portus diuerſæ naues delatæ ſunt. Claſſis Hiſpanica commodior ad tempeſtates maris perferendas, & rei nauticæ maior erat peritia, in alto ſe tenuit: & remittente vento Camarinæ portum inuecta quatridui oppugnatione vrbe capta incenſaque oppidanos ad vnum trucidarunt. Crudele exemplum: ſed eo metu tamen Gelæ habitatores oppidum deſeruere. Iis in locis, cum reliquæ naues confluxiſſent aliquot dierum mora exercitu recreato, contra Dionyſium, qui numeroſas copias mari terraque trahere nunciabatur, terreſtri prælio decerni placuit, claſſibus magna ex parte Carthaginem Gadeiſque reuerſis. Hæc Pœno cogitante Dionyſius ſe in conſpectum dat. Caſtris caſtra collata. Prior Dionyſius copias omnes producit in aciem, paribuſque interuallis diuerſa ciuitatum auxilia conſtituit. equitatum, quem numeroſum habebat ab vtroque latere. Syracuſanos nouiſſimum agmen claudere iubet. Himilco contra triplici ſuorum inſtructa acie hoſti procedit obuiam. In medio agmine erant Hiſpani. vtrunque cornu Pœni tenebant, adiunctique ab vtraque parte ſeptingenti funditores. ea equites latera muniebant. duo peditum millia ex omni copia lectiſſima in ſubſidiis collocata. Concurritur dato pugnæ ſigno ardore animorum maximo: diu prælium fit anceps neutro victoria inclinante. pugnatur vna in omnibus partibus. conſiſtit agmen. multi ab vtraque parte cadunt. Dionyſii tantum equitatus meliora ferre, Pœnoſque equites premere cœpit. debellatumque eſſet Pœnis cedentibus, ni Himilco cohortes ſubſidiarias contra equitatum promouiſſet. quarum ii impetum non tulerunt, cum vno tempore Siculi equites à fronte & à tergo premerentur, magna equorum ſtrage edita in fugam compulſi omnes ſunt. Funditores ab apertis lateribus lapidum grandine hoſtes continenter vexare. Hoſtium equitibus fuſis Himilco cum ſuo equitatu ad legiones reuerſus, vbi pugna integra erat, Siculorum agmina turbauit. Dionyſius tametſi non periti tantum Ducis ſed ſtrenui etiam militis officium impleuerat, & fugato equitatu in pedes deſiliens, arreptoque militari ſcuto rem inclinatam diu ſuſtentarat, omnibus partibus præſto, & quo loco ſuos grauius laborare videbat, eo ſigna inferri & aciem cõuerti iubens: ad extremum re deſperata ſuos in caſtra ſenſim reduxit, propter diei tempus retenta. Nocte cõcilio conuocato conſolatus hortatuſque ſuos, ne ſe ad modum animo demitterent, non virtute viciſſe Pœnos, ſed artificio quodam & aſtu: modo tantiſper ſuſtentarent, equitatum, qui eſſet integer, & magnas ex vniuerſa gente copias auxilio venturas, militibus corpora curare iubet, ſauciiſque magna diligentia atque humanitate, vt res erant, recreatis, caſtra defendere parat. Inanis conatus fuit. proxima luce hoſtium concurſu foſſa obducta, vallo ſuperato circum carros & impedimenta pugnatur. Re demum deſperata amiſſis caſtris Dionyſius non vno vulnere accepto fuga euaſit. Magnus Siculorum numerus in eo prælio cecidit, neq; Pœnis incruenta victoria fuit. Tria ex eorum numero genteq; millia: duo Hiſpanorum millia perierunt. Secundum eam victoriam plurimæ Sicilię vrbes ſe victoribus adiunxerunt: cum tota ferme inſula in poteſtatem redacta, ad inconſtantiæ rerum humanarum exemplum repente exorta grauiſſima peſtis lues rempublicam penitus afflixit, Hiſpanorum Afrorumq; copiis ſæua contagione conſumptis. tanto ex eo Carthaginis dolore, vt non ſecus ac ſi vrbs ipſa capta eſſet, iuſtitio indicto inſolitus mœror mentes omnium occuparet. Dux Himilco cũ paucis reuerſus ſordida ſeruiliq; tunica diſcinctus, inter populi proſequẽtis gemitus domũ ingreſſus, remotis omnibus ac ne filiis quidẽ admiſſis mortem ſibi conſciuit. Secundum hæc Dionyſium tentaſſe ferunt per legatos, Hiſpaniã a Carthaginenſium amicitia abducere: Pœnos contra omnibus blandimentis prouinciales in fide retinuiſſe. Illud conſtat Dionis Syracuſani induſtria inter Siculos & Pœnos pacem triginta annorum factam nonageſimæ quintæ Olympiadis anno tertio, qui annus ab Vrbe
356. condita, fuit trecenteſimus quinquageſimus ſextus. Et auctorẽ habeo qui poſt Leuctricam cladem Thebanorũ Duce Epaminõda Laconibus a Dionyſio miſſa auxilia ſcribit, in quibus Celtæ & Hiſpani numerantur. (nimirum ex Himilconis exercitus reliquiis, aut ab ipſa vſque Hiſpania in Siciliam vecti) iis auxiliis confirmatum Archidamum Ageſilai filium ad Mantineam vrbem cæſo Epaminonda Spartam exitio proximam à caſu ſuſtentaſſe. Quo tempore ex Carthaginenſium numero quidam claſſe ſoluentes ex Hiſpania, vi ventorum abrepti, an Hannonis ęmulatione præter Occaſum & Auſtrum directis proris, multorum dierum nauigatione Oceani fluctibus victis inſulã conſpicati ſunt: in quam excenſione facta inuenerunt, latã regionibus eſſe, lætiſſimis paſcuis, denſam arboribus, ex arduis montibus flumina nauium capaci alueo deriuari. Quibus bonis permoti & quoniam habitatoribus vaſta erat, pars eam domicilio delegere: reliqui incolumi claſſe Carthaginem rede-

redeuntes ſenatui populoq; viſa atq; explorata renunciarũt. Ariſtoteles re in ſenatu deliberata ait, decreuiſſe Patres occiſis qui redierant, rei tantæ famam comprimere. Nouarum rerũ cupida plebs, & tot annorum militia fatigata, prouidebatur ſcilicet, ne vacua habitatoribus vrbe relicta eo populariter commigraret. præſtare iis copiis carere, quam tam longè propagato imperio vires debilitare. Hanc inſulam quidam vnam è Fortunatis fuiſſe crediderunt. Sed neque magnitudo conſentit neque amœnitas. Itaque eruditioribus magis probatur fuiſſe eam, cui hodie à D. Dominico nomen eſt: aut proximi continentis partem, quæ cum tota circulo luſtrata non eſſet, inſulam crediderunt.

Bellum Siculum inſtauratur. CAP. III.

ARDEBAT Carthago pertinaci cupiditate belli Siculi inſtaurandi. noui in Africa atq; Hiſpania delectus habiti. Hiſpani ſumere arma detrectabant, militiam adeo longinquam auerſantes. male ominatam dicere, nouas ex loco religiones fingere. geminam cladem ob oculos habentes nefas prædicare Siculis inferre arma, vnde nulla iniuria extaret. Pœni adhæc tantiſper diſſimulare, dum malorum memoria tempore conſeneſceret. gentem in arma promptã breui arrepturam atque auide eam militiam, quam tantopere detrectaret. Commodo ipſorum accidit, Hiſpaniam aeris ſiccitate, fame, & quæ famem excipit, peſte laborare: & ex Sicilia nunciabatur Dionyſium ea inſula magna ex parte ſubdita, arma transtuliſſe in Italiam: captoque Rhegio in ipſis freti faucibus, Crotonem obſidere Græcam vrbem & maritimam. plurimum acceſſurum opibus conſiderabat vrbe valida mœnibus portuque, occupata in extrema Italiæ ora. Eæ duæ res ſenatum Carthagine inuitauit, vt bellum Siculum inſtaurarent: Hiſpanos vt militiam capeſſerent impulit rerum ſuarum difficultas. viginti millia peditum, equites mille nauibus impoſiti. & ex Balearibus, cum deuii non eſſent, funditores trecenti Carthaginem auecti. Hanno eius belli Dux adiunctis decem Afrorum millibus, qui in procinctu erant, celeriter in Siciliam nauigauit. Ea cura Dionyſium in Siciliam reuocauit Italia relicta. ad quam ſubigendam Galli Senones prouocabant Romanæ potentiæ odio. Claſſem eius, qua Rhegio copiæ traiici curabat, Punica claſſis ſuperauit, multaſque naues cepit. in quibus domeſtica tyranni ſupellex erat & Suniati Carthaginenſis litteræ, quibus Græce ſcriptis Dionyſio totius belli rationem & apparatum ſignificabat, inuidia Ducis, ſibi ad id bellum prælati, patriæ proditor. Quod re cognita illi capitale fuit: decretumque factum, ne quis poſtea Carthaginenſium Græco ſermoni & litteris ſtuderet, loquendi cum hoſte aut ſcribendi ſine interprete ſublata ciuibus facultate. Secundum victoriam naualem multa ſe oppida & vrbes Siculæ Hannoni dediderunt: & bellum alternante ſæpe fortuna ducebatur. Anno demum ex- 386.
quo id bellum cœptum erat ſexto decimo. qui annus ab Vrbe condita fuit trecenteſimus octogeſimus ſextus iuxta Euſebii computationem, alii Olympiadis nonageſimæ nonæ anno ſecundo, aiunt, Dionyſius ſuorum coniuratione periit filio eiuſdem nominis ſucceſſore: cuius vt teneram ætatem omni diſciplina liberali imbueret, & naturæ inſita vitia inſtitutione vinceret Dion ſororius, penes quem regni procuratio manſit, Platonem Athenis in Siciliam euocauit, cum Carthaginenſibus fœdus conſtituit, fecitq; inducias. Inter Dionyſium ætatis acceſſu & Dionem ſub ortæ ſuſpiciones ſimultateſque remp. turbarunt. Iis vigentibus Dion ſolum vertere coactus, rebus alternantibus Dionyſium hoſtem regno patriaque deturbauit, compulitque tandem egenum atque inopem ſine lare familiari aliquandiu vagari. Hæc in Sicilia ſunt geſta, ad Hiſpaniam ſeſe conuertat oratio.

Hannonis res geſtæ. CAP. IIII.

INITIO belli Siculi Gaditanis magna ex parte reſtitutam fuiſſe libertatem dictum eſt. Eo bello confecto duo miſſi gubernatores in Hiſpaniam, Boſtar vt Balearibus præeſſet, & Saguntinos tentaret omnibus officiis conciliare: quæ illi ſuſpecta habentes præ libertatis ſtudio conſtanter repudiarunt, neque ſuæ vrbis adeundi copiam fecerunt, alias ex aliis cauſas excuſantes. Hanno iura dicere Gaditanis iuſſus, cum in Bætica premeret prouinciales, & in diuitias tum publicas tum priuatas auidiſſime inuolaret, quæ illi malo fuerunt, Hiſpanos compulit re communicata inter ſe, a Carthaginenſium auctoritate rebellare. capta repente arma, cædes factæ hoſtium, bonaque eorum locis omnibus prædæ fuerunt. Hanno magna ſuarum diuitiarum parte ſpoliatus, atque ab iis Hiſpanis deſertus, qui eius caſtra & auctoritatem ſequebantur, Mauros ex Africa attraxit in Hiſpaniam. Ab iis Bæticæ agri omni ſunt iniuria vexati, prædæ direptioneſque locis omnibus factæ,

edita vbiq; barbaræ crudelitatis exempla. Quibus rebus Carthagine nunciatis, Hannoni ſucceſſor eſt datus anno ab Vrbe condita trecenteſimo nonageſimo octauo. Succeſſoris neque nomen proditur, neque res geſtæ in Hiſpania. Fortaſſis aſſimulatis ad tempus officiis prouincialium voluntates ſanaſſe, & imperii inuidiam leuaſſe, ſatis habens à belli cogitatione abſtinuit. Et in Sicilia Dione occiſo, atque Dionyſio Syracuſas reſtituto, pace turbata, cum Corinthus Syracuſanis aduerſus tyrannum auxilia miſiſſet, Duce Timoleonte, Pœni de Sicilia ſoliciti, eo conuerſis animis, Hiſpanorum res tranquillæ vt eſſent, fecerunt. Lætitia ea ſyncera non fuit. præ pluuiarum copia inflati fluuii ripiſque ſuperfuſi, magna agris, pecoribus, ædificiis intulerunt damna. Anno altero ingentes terræmotus, ac frequentes extiterunt. Multæ ad Mediterranei maris oram vrbes afflictæ: in quibus Saguntum maiorem calamitatem pertulit: ex quanto alias Hiſpaniæ vrbes amplitudine, frequentia, elegantia, atque maieſtate ſuperabat. Anno tertio ſæuis procellis iactato mari, non vno loco naufragia ſunt facta. Is annus ab vrbe condita fuit quadringenteſimus quintus.
405. Quo tempore Hanno tyrannidem in patria occupare aggreſſus eſt, fretus iis opibus, quas in Sicilia atque Hiſpania ingentes pararat, doloreque ex abrogato imperio irritatus. Id vt conſequeretur, in filiæ nuptiis epulum genetale plebi & proceribus parare conſtituit: atque in eo noxio veneno ſenatum perimere. Audax facinus atq; immane. Indicio facto modo tantum conuiuiorum ſumptibus adhibito periculum declinatum. Ille impunitate ferocior ſeruitia armare, quorum erat magnus numerus, & cæſis proceribus remp. nouo conatu opprimere tentat. Verũ re denuo prodita cõcurſu ciuium, in arce quo ſe receperat, captus effoſſis oculis, manibus pedibuſq; effractis, lacerato virgis corpore, cruci eſt affixus. Filii & cognati omnes etiam innoxii, ſupplicio traduntur: ne ad imitandum facinus, aut ad vindicandam mortem, quiſquam ex ea familia euaderet. Crudele exemplum magnitudo concepti ſceleris, & patriæ caritas videbantur excuſare.

Ad Alexandrum Macedonem miſſa legatio. CAP. V.

VNo tempore Boodes Carthagine miſſus eſt in Hiſpaniam, eo præfecto Gadibus defuncto, quem in Hannonis locum fuiſſe ſubrogatum diximus: & ex Sicilia nunciabatur Dionyſium ſuorum coniuratione & Timoleontis virtute compulſum patriam exilio mutare, & priuato inſtrumento recepto Corinthum abiiſſe: vbi humillima quæque tutiſſima iudicans fore, in popinis & lupanaribus ad extremum ludi magiſter factus, ſordidam vitam ad exitum tolerauit. Timoleon cum Dionyſio pulſo, magnos ſibi in re militari ſpiritus ſumeret, Carthaginenſes tentauit ex Sicilia pellere. prælio ad Crinisſum fluuium facto Pœni ſuperati. cęſi ad decem millia ſunt, & pręſidium caſtrorum captum. neq; victoria Timoleonti incruenta fuit: debilitatis viribus victor quamuis neq; hoſtes ex inſula pellere, neq; aliquã illis vrbẽ potuit poſt victoriã adimere. Interea Boode ſiue defuncto ſiue Carthaginẽ reuocato, Meherbal in Hiſpaniam venit. qui quid rerum in prouincia geſſerit non liquet. ac ne illud quidem proditum eſt, quibus deinceps præfectis ex ea gente Hiſpania ſit gubernata. Illud pro conſtanti traditur, Maſſilienſes aucto ſuorũ
419. numero & commercii extendendi gratia, anno ab V. C. 419. multis nauibus coloniam miſiſſe in Hiſpaniam. claſſis partem ad Pyrenæi radices conſediſſe, vbi Indigetæ habitabant: vrbiſq;, quæ ex aduerſum Rhodopes ſita erat, & ex hoc tempore à multo commercio Emporia nuncupari cœpit, anguſtiorem quidem partem verſus mare, perpetuo tamen muro à reliqua vrbe ſecretam tenuiſſe. vnde tota ciuitas & Palæopolis, id eſt, vetus vrbs, & Dyopolis, id eſt, gemina ciuitas dicta ſit. partẽ alteram ad Dianiũ promontoriũ oppidum Dianæ templo coniunctum conſtituiſſe. Huius claſſis aduentu tria in Hiſpania cognita ferunt: magna Romanos potentia, eximiaq; fide ſuſceptas amicitias colere. Syracuſanos poſt receptam libertatem Timoleontiſq; obitũ de pellendis tota inſula Carthaginenſibus cogitare. Tum Alexandrum Macedonem, cui Magni cognomen res geſtę pepererunt, initio regni cum nondũ vigeſimum ætatis annum impleſſet, Illyriis, Triballis, Thraciiſq; ſuperatis, & liberis paulo ante Græciæ ciuitatibus oppreſſis, Aſia deinde, Syria, totaq; Ægypto domitis, Dario fugato cæſoq;, Perſarum imperium occupaſſe. ad Indos tandem ferro penetrantem inauditas gentes & regna citius domuiſſe, quã alius paſſibus peragraſſet. quo nuncio permoti Hiſpani ea parte, quę Mediterraneo alluitur mari legatione Babylonẽ vſq; miſſa, eũ conciliare placuit, vt haberent quẽ Carthaginẽſibus opponerent, nõ obſcure prouincię libertati inſidiãtibus. eius legationis princeps Maurinus (niſi Oroſii lectio vitiata eſt) adiunctis ex itinere Gallorum legatis Babylonem tandem peruenit. vbi Siciliæ, Sardiniæ, Italiæ, totius Africæ ciuitatum, ipſiuſq; adeo Carthaginis legati victoris aduentũ iuſſi erant expectare.

ctate. Ergo poſt reditum facta ſe adeundi poteſtate Hiſpanorum legati mandata expoſuerunt, eius virtutis famam toto orbe ad extremam terrarum Hiſpaniam vagatam, ſuam gentem permouiſſe vt miſſa legatione interpellandum iudicarent, amicitiamque expeterent, non inutilem futuram poſt ſub actum ipſi Orientem, ſigna ad Occaſum conuertere, vt par erat, cogitanti, ditiſſimæque prouinciæ copiis vſuro pro voluntate: ſibi non minus domeſticis diſſidiis quam externis bellis laborantibus, & periculo proximis haud minori præſidio opus eſſe. non commiſſuros ſeſe vt fidelis animi officium atque induſtriam vllo tempore deſideraret. Hiſpanorum moris eſſe, neque amicitias leuiter ſuſcipere, & cum ſuſcepiſſent conſtanter colere. Grata imprimis hæc legatorum oratio Alexandro extitit, atque ita vt tum demum rerum dominus factus ſibi videretur auctore Arriano, poſtquam ex vltima terrarum plaga de controuerſiis ſuis ipſi arbitrium deferebatur. multa de reipub. ſtatu, prouinciæ copiis, agrorum fertilitate, inſtitutis atque moribus prouincialium, commercioque gentium exterarum percontatus atque quam primum res Aſiæ compoſitæ eſſent, quoniam de Africa atque Occidente cogitaret, Hiſpanorum res ſibi curæ fore pollicitus, donatos in patriam remiſit. Romanorum gloriæ æmulatio Alexandrum incitabat, & Carthaginenſibus erat iratus, quos ſatis conſtabat ſuarum rerum metu Tyro euerſa atque Alexandria in ipſo Africæ aditu conſtituta, Amilcarem cognomento Rhodanum ad Alexandrum miſiſſe, vt fugæ ſimulatione conſilia eius ad ciues occulte perſcriberet. Verum eos conatus mors inopina impediuit. Babylone quarto Kalend. Quintilis extinctus eſt, Olympiade 1 1 4. anno primo, qui annus ab V. C. 4 3 0. erat. Quidam huic annorum numero biennium detrahunt, & in ratione 4 3 0. horum temporum ſæpe hallucinetur hiſtoria neceſſe eſt. Hanc Hiſpanorum legationem Carthaginenſibus fuiſſe ingratam, contra quos potiſſimum erat comparata veriſimile eſt. & conſtat eos à cogitatione repetendæ armis Hiſpaniæ reuocatos motibus Siculis atque Agathoclis metu. Is patre figulo in Sicilia natus, & adoleſcentia turpiſſime exacta, quod eſſet manu promptus, bonus conſilio, Syracuſanorum Dux creatus, bello quod contra Ænneos gerebatur: eo bello profligato, cum in ſuſpicionem veniſſet affectatæ tyrannidis, in exilium pulſus, & à Murgantinis odio Syracuſanorum prætor primum, deinde Dux conſtitutus, eorum ope Leontinis captis Syracuſas etiam redegit in poteſtatem, vrbem prodente Amilcare Pœno, quem illi contra Agathoclis potentiam auxiliarem aduocarant. perfidiæ pænas Amilcar capite dediſſet omnibus ſuffragiis in ſenatu damnatus, ni fati beneficio euaſiſſet morte in Sicilia præuentus, altero Amilcare Giſgonis filio ſucceſſore. Qui firmis ex Hiſpania auxiliis, nouiſque ex Africa copiis in Siciliam traductis, tyrannum inito prælio victum intra Syracuſas obſedit. ex metu audacia nata, ſuorum is animis confirmatis ad obſidionem tolerandam, cum claſſe in Africam traiecit: & qui vni bello impar erat, conſilio vires adiuuante, duobus victor extitit, Hannone Pœnorum Duce in Africa acie ſuperato, cæſoq; dein agro vaſtato villis caſtelliſq; incenſis, atq; ingenti hominum & pecorum præda abacta, magna Carthaginis trepidatione, in cuius oculis agri, villę, oppidaq; fumabant, deliciæ ciuium copiæq;. & ex Sicilia afferebatur tyranni fratrem Artandrum, qui erat in obſidione relictus, eruptione ex vrbe facta, hoſtes ſecuros Duce cæſo ſuperaſſe. Quo nuncio lætus Agathocles continuo Syracuſas reuerſus, Pœnis locis omnibus ſuperatis, cæſis reiectiſq; in Africam, totius inſulæ imperiũ abſtulit. Tranquillitas diuturna rebus non fuit. Pyrrhus Epirota à Tarentinis aduocatus venit in Italiam, & Romanorum potentia duabus coniunctis ferme cladibus afflicta, anno ab V. C. 4 7 6. traiecit 4 7 6. in Siciliam. Agathocle enim Syracuſis defuncto, vxoreq; & liberis eius iuſſu cum theſauris & priuato inſtrumento in Ægytum dilapſis, Carthaginenſes inſulæ occupandæ ſtudio in Siciliam traiicientes non paucas vrbes occuparant. Contra horum potentiam Pyrrhus à Syracuſanis aduocatus, Epiri ſe & Siciliæ Regem dixit, hoſteſq; terreſtri pręlio ſuperauit: tametſi eos in ora Hiſpani maritima delectu habito quinq; Hiſpanorum peditum millia, centum quinquaginta equites, funditores ſeptingentos, præſidiarioſq; Hiſpaniæ milites, arcibus Hiſpanorum fidei cuſtodiæq; concreditis, nauibus in Siciliam auexiſſe noſtri ſcriptores aiunt: quorũ virtute addunt Pyrrho in Italiam redire maturanti nauali prælio commiſſo, victoriam de manibus extortam. victum conſtat: in Italiamq;, ac deinde in patriam reiectum, Siciliæ imperio tam cito amiſſo quam facile quæſierat. ſic Iuſtinus ait Pyrrhi diſceſſu Syracuſani Hieroni remp. commendarunt, deinde Ducem contra Pœnos, ac demum Regem iuſſerunt. patre is Hieroclyto natus erat, genus ducenti à Gelone antiquo Siciliæ tyranno, matre impari atq; adeo ancilla. Carthaginenſes multas Siciliæ vrbes ſub imperium denuo adiunctas validis præſidiis muniebant.

Primum bellum Punicum. CAP. VI.

REBVS ad hunc modum ſtantibus, nouum repente bellum exarſit: quod Carthaginis fortunas afflixit, penituſque ſubuertit Romanis qui hactenus Italiæ finibus imperium terminarant, in Siciliam admiſſis hac occaſione. Mamertini à Marte dicti, cum bellicâ gloriam ſibi præ cæteris arrogarent, ex ea Italiæ parte quam Campaniam dicimus, Meſſanæ (quæ vrbs freto Siculo impoſita & portu tutiſſimo nobilis eſt) Agathoclis ætate à ciuibus auxilio aduocati, oppreſſa libertate & ditione armis propagata, adeo opibus aucti ſunt, vt Pyrrhum Epirotam bello laceſſere auderent, & Syracuſanos iniuriis prouocare minime dubitarent. Verum Hierone Duce ad Longanum fluuium prælio commiſſo, cæſis atque fugatis plurimis, Mamertini cæteri intra vrbem compulſi, cum ægre mœnibus ſe tuerentur, neque ſuis viribus fiderent, aliunde auxilium petierunt. pars Carthaginenſes aſciuit, venienteſque quoniam prope erant, vrbe atque oppidis recepit. pars Romam legatos miſit, cuius felicitatis, virtutis atque æquitatis ingens fama ferebatur. Ii dato ſenatu ſuorum ciuium mandata explicarunt. Pleriſque Patribus iniquum fore videbatur Carthaginenſes vnde nulla extaret iniuria bello prouocare. alii expectandum negabant dum Siciliæ acceſſione aucti traiicerent in Italiam. Re iactata optimum viſum eſt Mamertinis opitulari, præſertim cum in antiquo fœdere iam inde à Publicolæ conſulatu icto rurſuſque & tertium inſtaurato cautum eſſet, ne ſe rebus Siculis alterutri admiſcerent, quod à Carthaginenſibus violatum fuiſſe accuſabant. Miſſus eſt auxilio Appius Claudius Conſul cum cohortibus aliquot, Olympiadis. 129. anno primo, qui annus ab
490. V. C. fuit. 490. Ea re Meſſanæ nunciata Carthaginenſe præſidium vrbe pulſum à ciuium parte eſt. Atroci iniuria Pœni irritati fœdere cum Hierone facto Meſſanam terra mariq; obſident, tum vrbis expugnandæ ſtudio, tum vt Romanos freti tranſitu prohiberent. Verum ii noctis caligine tecti in vrbem admiſſi freto tranſmiſſo, eruptioneque facta Hieronem prælio ſuperant, & Pœnorum caſtra capiunt, Siculos qui cladi ſuperfuerunt intra Syracuſas compulſos aliquandiu obſeſſos tenent, Carthaginenſibus vrbes & oppida non pauca adimũt, & fortuna penitus aduerſa Hieron ab eorũ amicitia diuulſus Romanis ſe adiunxit. At illi noua comparata inſtructaque claſſe nouiſque delectibus in Hiſpania, Galliæ ora maritima, atque Liguria habitis, vt Polybius eſt auctor, bellum inſtaurarunt contra Romanos diuturnum atque difficile. cuius ſucceſſus omnes à nobis vt referantur viſum non eſt, ſatis oneris ſuſtinentibus Hiſpaniæ rerum commemoratione, bello inteſtino atque atroci hac ipſa tempeſtate vexatæ, cædibus, incendiis, rapinis vaſtatæ, vti noſtrates hiſtoriæ docent, nulla neque locorum neque nominum deſignatione. Nam bellum inter Romanos & Carthaginenſes alternante ſæpe fortuna gerebatur: & prælio
502. nauali quod commiſſum eſt anno V. C. 502. Romana reſpublica afflicta eſt nonaginta, ſi Euſebio creditur, amiſſis nauibus, Cæcilioque Metello Imperatore victo fugatoque. Baleares vero à Carthaginenſium magiſtratuum auctoritate rebellarunt, cæſiſque Punicis præſidiis claſſem, quæ in portu erat, lapidum procella coegerunt è portu ſubductam ſtare in anchoris: & cum furor agreſtium hominum non remitteret, in patriam migrare. Ad eam tempeſtatem ſedãdam virtute & auctoritate opus erat. Amilcar Barchinus exacta prudentia vir, atque militari laude clarus Dux à ſenatu eo miſſus, cum ſummæ diligentiæ & auctoritati ſummam morum facilitatem addidiſſet, & à vi abſtineret, totam inſulam ad priſtinam tranquillitatem reuocauit. Quo tempore in Tiquadra inſula Balearibus proxima, Amilcari natus eſt Annibal, is qui magnitudine rerum geſtarum totum orbem terrarum ſui nominis fama compleuit. Plinius certe niſi lectio ſit vitiata, Tiquadram Annibalis patriam eſſe ait. Scriptores noſtri matre Hiſpana natum addunt, atque Amilcarem
507. belli contra Romanos Ducem creatum anno ab V. C. 507. duo Hiſpanorum millia, & funditores trecentos nauibus abduxiſſe, Siciliæ imperio, quod amiſſum erat recuperando. Ex copiæ Italiæ littoribus tentatis, ad eam Siciliæ partem appulerunt, vbi Panormum vrbs ſita eſt, nauium ſtatione non incommoda coniuncta, monteque in quem aſcenſus eſt difficilis omni ex parte. ſubiecta duodecim millium quoquo verſus planicies præcipua amœnitate prouentuque panditur. Eum montem Amilcar munire atque in eo copias continere, ne vniuerſæ dimicationis aleam ſubire cum victore neceſſe foret: minutis tantum præliis fatigare, finitima oppida & vrbes ad defectionem ſolicitare, & maris imperium retinere conſtituit. Aduerſus eas molitienes C. Luctatius Conſul Roma cum valida claſſe dimiſſus Lilybæum venit. A Carthaginenſi ſenatu Amilcaris hortatu noua claſſis comparata, atque Hannone Duce, Romanorum claſſi obuiam miſſa, cum ad manus ad Lilybæum ventum eſſet, victa à Romanis atque profligata eſt, ſexaginta nauibus

capitis

captis, quinquaginta ſubmerſis. Cæſorum & captiuorum numerus pro numero nauium magnus, tanta ex eo Carthaginis trepidatione, vt continuo de pace agendum iudicarint. paciſcendi cura Amilcari demandata, non minori prudentia Duci ad fortunæ impetus ſuſtinendos, quam ad gerendum bellum virtute diligentiaque. Ducum mutuo colloquio de conditionibus actum, ac tandem pax facta eſt his legibus. Pœni copias omnes ex Sicilia viciniſque inſulis deducunto. Hieroni aut Romanorum confœderatis negocium ne faciunto, neve moleſtiam exhibento. Duo millia & ducenta Euboica talenta aliquot penſionibus pendunto mulctæ nomine, & ob eos ſumptus quos tolerare neceſſe fuerat. Gratis captiuos reddunto. Has conditiones populus Romanus non probauit. miſſi Decemuiri cum auctoritate mille talenta addiderunt ſummæ pactæ, neque Sicilia ſolum, ſed etiam aliis inſulis quæ Siciliam inter & Italiam ſunt, Pœnos abire iuſſerunt. Inchoati belli anno 22. qui annus ab Vrbe condita fuit quingenteſimus duodecimus, Hiſpaniæ in- 512
fauſtus ob aëris ſiccitatem & terræmotus frequentes, quibus Gadium pars hiatu facto deſedit mari hauſta, ab armis diſceſſum eſt, pace facta. atque ita diſceſſum vt maius quam quod geſſerant agitare in animis bellum omnibus eſſet perſuaſum. Graues conditiones fœderis eoq; non amplius cogitabant, quam neceſſe foret, Pœnos toleraturos.

Amilcar denuo venit in Hiſpaniam. CAP. VII.

NOVÆ excepere calamitates: vt nunquam in vno gradu fortuna reſiſtit. vno tempore in Africa atque Sardinia Punicæ copiæ tumultuatæ ſunt. In Africa quidem deducti ex Sicilia milites Coto Afro & Spendio Italo Ducibus, cum exhauſto ſuperioris belli malis ærario ſtipendia longæ atque infauſtæ militiæ negarentur, ad ſexaginta hominum millia oppidis incenſis, atq; vicinis vrbi agris vaſtatis, Carthaginenſiũ animis magnam ſolicitudinem iniecerunt. Sardiniæ exercitus eadem de cauſa rebellans, id facinus nouo ſcelere cumulauit. Hannonem ad eos motus ſedandos miſſum, acerbe exercentem imperium conſpiratione facta milites in crucem egerunt: & vtriſq; copiis coniunctis eam inſulam communi nomine aliquandiu tenuerunt. Dein Sardorum armis pulſi, atque ad Romanos confugientes, ita in fidem recepti ſunt, vt neque eas copias in Sardiniam remitterent, & cõparata tamen claſſe Pœnos ab eius inſulæ poſſeſſione remouerunt. Grauis is dolor genti fuit. tantum virium amiſſa nuper Sicilia & modò erepta Sardinia deceſſiſſe. Romani contra excuſabant, in ſuperiori fœdere cautum eſſe vt vtraque inſula Pœni abſtinerent. Additum blandimentum mitigando dolore vltro Carthaginem nauibus miſſis frumento onuſtis ad famem leuandam, quam neglectus agrorum cultus in tantis motibus pepererat grauiſſimã. Tametſi Amilcar Barchinus ei bello creatus Dux, tumultuãtes, primum triennii patientia fregerat, deinde etiam prælio ingenti ſuperarat. Hac victoria Pœnorum reſp. recreata, atque ablatæ Sardiniæ dolore compreſſo, de Hiſpania cogitare cœperunt, longiſſime à Romanorum ditione imperium proferri poſſe credentes, & maioribus commodis reipub. vulnera ſanari. Amilcar ei prouinciæ cum ſumma poteſtate præfectus Carthagine ſoluit, votis prius nuncupatis, & ſacrificio peracto: ad quod Annibalem nouem natum annos, atque in Hiſpaniam ſecuturum, a patre Amilcare adhibitum memorant tactis aris cum per ætatem liceret, conceptis verbis iuraſſe, hoſtilem animum in Romanos. Erant præterea Amilcari filii tres Annibale minores, Aſdrubal, Mago, atq; Hanno. Appulſo Gadeis Turdetani qui vno tempore multis annis ex quo in amicitiam Carthaginenſium venerant, fidem coluerant, miſſa legatione occurrerunt aduentum gratulantes, copiasq; ſi ex vſu eſſet, offerentes. Eo præſidio Amilcar non modo veterem ditionem in continenti recepit, verum etiam vniuerſam Bæticam, qua vi, qua voluntate ſub imperium miſit, anno ab Vrbe condita quingenteſimo ſexto decimo. Gentem vſq; adeo opulentam 516
ea ætate, vt argenteis præſepibus & doliis vterentur, auctore Strabone. Adiiciunt claſſe Mediterranei maris littoribus tentatis, aduerſo Ibero flumine coloniam inſtar arcis reliquiſſe, quã olim Carthaginem veterem dixerunt: hodie Cantauecchia eſſe creditur, ignobile oppidum, & Rhodienſibus militibus contributum, a Dertuſa vrbe præter Occaſum & Septentrionem quadraginta millibus paſſuum in Ilercaonibus ſitum vbi eam coloniam Ptolemæus certe collocauit: haud obſcuro argumento falli eos, qui Carthaginem veterem aut Dertuſam ipſam eſſe putarunt, aut duodecimo ab ea vrbe lapide ad orientem Solem Perellum pagum, vbi parietinæ extant veteris ſtructuræ clara veſtigia. Sequenti anno ora maritima vniuerſa ſub iugum miſſa eſt, vbi Baſtetani atq; Conteſtani ſecundum maris littus extendebantur. Sagunto vicino ad Amilcarem miſſi legati, de victoria gratulantes, muneraque afferentes, ſeruiendi conditionem quantumuis honeſtam detrectarunt. Iis

benigne dimiſſis, nobilem vrbem opprimendi ſtudio ardens, iure vt videretur facere, idq; facinus ſpecie honeſtatis velaret, Turdetanos paulo poſt ſubornauit, vt in eorum agro atq; ditione vrbem ponerent, quam Turdetum olim nominatam fuiſſe conſtat. Turulim quidam octoginta paſſuum millibus remotam eſſe arbitrantur, ſola ex nominis leui ſimilitudine ducta coniectura. Ea ex re inter vtranq; gentem orta controuerſia, Amilcar confidebat opprimendæ Saguntinorum libertatis nō defuturam occaſionem. Quam illi fraudem odorati, nihil ſe commouere, atq; ab armis abſtinere conſtituunt. ad Iberi oſtium rei bene geſtæ lætitia celebrata eſt Amilcaris filiæ Himilces & Aſdrubalis propinqui nuptiis, anno
521. ab Vrbe condita. 521. Legati dimiſſi ad Gallorum Principum voluntates tentandas, quorum Amilcar amicitiam imprimis vſui fore confidebat, domita Hiſpania aduerſus Romanos ſigna conuertere cogitanti, plerią; donis & auro, cuius eſt gens illa auidiſſima in partes attracti. Arma mox anno ſequenti propius Pyrenæum promota, atq; à Dertuſæ finibus ad Rubricati oſtium littoribus ſubditis, Barcino vrbs de Barchinæ gentis nomine paulo vltra id flumen conſtituta creditur, alii ad Herculem Lybium, alii ad Barcilonem Cariæ ciuitatem huius vrbis conditionem ablegant: auctores numero & antiquitate potiores redarguunt, Barcinonem in coloniis Punicis numerantes. His rebus intentum Amilcarē, Rhodopemq; & Emporias finitimas vrbes, quoniam eius conatibus potiſſimum repugnabāt, ſubiugare parantem, mors oppreſſit. Cum noui motus in Bæticam reuocaſſent, in Edetanis magna prouincialium multitudine in armis obuiam facta, in acie occubuit, nono circiter anno ex quo in Hiſpaniam venit. ex hominū millibus amplius quadraginta, quem numerū ſub ſignis habuiſſe memorant, plus duabus tertiis cæſis, reliqui amiſſo duce fugæ & noctis beneficio in proximas ciuitates euaſerunt. Ad Caſtrū Altum pugnatū fuiſſe Liuius ait.

Aſdrubalis res geſtæ. CAP. VIII.

POENORVM arma in Bæticam conuerſa ſunt, Phocæenſiumq; iis locis coloniam, cuius nomen non proditur, quoniam eos motus prima concitarat captam ſolo æquarunt. Ita qui funeſto bello occaſionem præbuerunt, ii principes pœnas perſoluere. Carthagine Hamilcaris morte nunciata de ſucceſſore ſubrogādo deliberatione ſuſcepta, magna contentio excitata eſt, & ſenatus ſententiæ variabant. Tota enim ciuitate in Edos atq; Barchinos ſciſſa, quæ duæ factiones opibus, gratia, & auctoritate facile principes erant, Barchini Aſdrubalem præferebant. His Edi non obſcure inuidentes ex ſua gente nouum in Hiſpaniam præfectum mitti omni ope contendebant vnde ingentes diuitiæ parabantur. Dum altercationibus tempus extrahitur, miſſus opportune ex Hiſpania Annibal amicæ factionis animos confirmauit, aduerſariorum conatus fregit: atq; gratia & auctoritate effecit, vt imperium Hiſpaniæ Aſdrubali deferretur: cum in ſenatum ingreſſus longa atque accurata oratione explicuiſſet patris labores, res glorioſe geſtas, Hiſpaniam eius virtute domitam, funeſtum exitum nulla ipſius culpa ſed fortunæ iniquitate contractum. Nouas in Hiſpania conditas vrbes, veteres magnis præſidiis teneri. Magnam ſpem eſſe totius prouinciæ potiundę, ſi eodem conſiliorum tenore pergerent remp. adminiſtrare. Errare ſi qui putent feroces Hiſpanorum animos viribus ſuperari poſſe. Aſdrubalem ætate eſſe integra, virtutis opinione maxima, non modo bellicis artibus, ſed etiam eloquentia validum, trāctandi Hiſpanorū animos artificem ſingularem. In vnum maxime exercitus & ſociorum ſtudia conſpirare. Faſciculum litterarum oſtentabat, volūtatis indicem Hiſpanorum, Ducumq; proficiſcenti datum ad ſenatum. Etiam atq; etiam viderent ne mutandis præfectis nobiliſſimæ prouinciæ animos alienarent, in eo rerum momento, cuius opibus aucti nullam deinde potentiam ipſi formidarent. Ea oratione, atque iis litteris victo ſenatu Hiſpa-
524. niæ imperium Aſdrubali decretum eſt anno ab Vrbe condita. 524. Quo is circumacto, rebus in prouincia compoſitis, multis Hiſpanorum proceribus ſtipatus Carthaginem nauigauit. vbi omnia ad nutum gubernare ſperabat: pluſque vnum auctoritatis & potentiæ habiturum quam reliqui magiſtratus. Verum cum nihil procederet eorum quæ cogitarat, populo atq; Senatu ab Edorum factione concitato, quaſi re cum Annibale communicata regnum meditaretur in libera ciuitate, in prouinciā reuerſus per otium ea parte, qua Conteſtani ad mare fuſi erant, vrbem ædificauit, quam Carthaginem nouam dixerunt (alterius comparatione ab Amilcare prope Iberum amnem conſtitutæ, vti ante dictum eſt) ab ſparti copia, quam ea regio fundit maximam, Spartariam etiam Carthaginem: portu coniuncto ab omni ventorum procella tutiſſimo, propter editos colles, quibus quaſi circino circundatus anguſtum aditum habet inſula obiecta ad maiorem ſecuritatem: quam priſci Herculeam nuncuparunt, Latini a piſcium genere iis in locis frequentiſſimo Scombrariam. olim murorum amplitudine, ædificiorū elegantia, ciuium cultu atq; frequentia cum

quauis

quauis magnarum vrbium comparanda nunc ad paucos incolas redacta, non obſcura veteris amplitudinis veſtigia retinet. Romani iis rebus cognitis, quæ in Hiſpania gerebantur, tametſi cupiditate ardebant, eundi obuiam Pœnorum conatibus, ignauiamque ſuam accuſabant: ne initi tamen nuper fœderis ſanctitatem primi violaſſe viderentur, & quoniam ex vlteriori Gallia rumores erant allati, eam gentem vna cum citerioribus Gallis in Romani nominis perniciem coniurare: tantiſper ſuſtentare placuit, ac Maſſiliam tantum legationem mitti per ſpeciem occurrendi Gallorum conſiliis, re vt eorum opera vrbes in ora Hiſpaniæ Maſſilienſibus amicas in fœdus attraherent: quod Pœnorum odio facile perfectum eſt. Emporiæ primum in Indigetibus, qui Laletanis & Ceretanis contermini à Sameroca fluuio vſque ad Pyrenęi extremas partes extendebantur, cum Romanis fœdus fecerunt: & per eos Saguntum atque Dianium in partes attractæ: vnde noui atque grauiſſimi belli inter Carthaginẽſes & Romanos non longo interuallo materia extitit. Tantæ machinationes Aſdrubalem latere non poterant, neq; quorſum Romanorũ conatus & conſilia ſpectarent. diſſimulare tamen placuit donec omnia eſſent ad bellum comparata, ſociis vrbibus in fide confirmatis, & Annibale per litteras in Hiſpaniam reuocato (nam eatenus Carthagine hæſerat, retentus à patribus, quaſi Aſdrubalis fidei pignus) ægre ac multum Hannone Edorum factionis Principe repugnante, qui æquo cum cæteris iure viuere aſſuefaciendum diſputabat, impetratum a Senatu eſt, vt remitteretur in Hiſpaniam. eo delatũ, incredibili exercitus atq; ſociorum lætitia exceptũ continuo Aſdrubal ſuum legatum conſtituit, anno ab Vrbe condita quingenteſimo vigeſimo octauo. Quo tẽpore Romani 528
Senatus legati venerunt in Hiſpaniam, & facta Aſdrubalem conueniendi poteſtate, data ipſis mandata explicarunt. Iam dudum Pœnos amicos atque confœderatos eſſe cœpiſſe Populi Romani. Nuper in Citeriori Hiſpania quibuſdam ciuitatibus pacem datam. Ne fœdus cum alterutris initum alteris fraudi eſſet. Quod erat æquiſſimum, Pœni vt in Hiſpania Ibero flumine ditionem terminarent, poſtulare: neque Saguntinorum fines contingerent, quamuis vltra id flumen poſiti, s. neutri alterutrius populi ſocios iniuria violarent. qui ſecus feciſſent, ab iis fœderis leges motas fuiſſe viſum iri. Ea legatio cum tantum ſibi Romani ſumerent, vt in aliena prouincia victoribus præſcriberent, magnum pro eo ac debuit dolorem inuſſit Carthaginenſium animis. tempore tamen cedere rati optimum, dum ſe penitus ad reſiſtendum compararent. omnia legatis conceſſerunt, quæcunque ſenatus nomine poſtularant. & erat ex Italia nunciatum Gallos vlteriores Ciſalpinæ Galliæ copiis permixtos atque formidabiles à Romanis fuiſſe ingenti prælio ſuperatos, cæſis ex hoſtium copiis quadraginta millibus, atq; eius numeri quarta parte capta. Dimiſſis legatis Aſdrubal totum triennium conſumpſit iis rebus comparandis quæ ex vſu belli, quod meditabatur, futura prouidebat animo. Verum conatus eius mors inopinata intercepit, Olympiadis. 139. anno tertio, qui annus ab Vrbe condita fuit quingenteſimus trigeſimus ſecundus, 532
trucidatus eſt à ſeruo quodam necem domini ferro vindicante, quem Tagum nomine Aſdrubal occiderat ſummo inter Hiſpanos loco natum, tanta in ſeruo vindictæ voluptate, vt cum eum ad aras ſacris operantem obtruncaſſet, continuo comprehenſus inter exquiſita tormenta, membris omnibus excarnificatus, geſtientis habitu nullam paulo triſtiorem vocem emiſerit.

Saguntinum bellum. CAP. IX.

MORTVO Aſdrubale ſumma Hiſpanici imperii Annibali commiſſa eſt. vigenti ætatis iuueni Magnorumque ſpirituum, viginti ſex annos circiter nato, prærogatiuam militarem, fauor plebis & ſenatus approbatio confirmauit. Multæ inerant virtutes, neq; minora in natura vitia. corpus duratũ labore, ingens animus: gloriæ appetens, magis quam voluptatum: plurimum audaciæ, conſilii plurimum. Has virtutes crudelitas, perfidia, religionis omnis contemptus fœdabat. multitudini iuxta tamẽ erat ac Principibus carus. Inito magiſtratu, & ſua ſponte & Amilcaris caſu caſtigatus, ne eius conatus mors impediret, continuo de bello Romanis inferendo agitare animo cœpit. honeſta cauſſa quęrenda erat. optima viſa eſt ſociorum iniurias, quæ a Saguntinis illatæ eſſe ferebantur, armis vindicare. Id priuſquam aperte moliretur, Himilcem ſibi Carthagine noua iunxit connubio nuptiiſque celeberrimo apparatu factis, ex Milici Regis poſteritate virginem, Caſtulone natam ad fines Bæticæ, non procul Biatia, vbi Cazlonæ villæ veteris amplitudinis obſcura tantum veſtigia conſeruant. præterea Cyrræus Phocæenſis, vnde etiam ſanguinem deriuabat, Caſtulonæ matris nomine eam vrbem primus condidiſſe ferebantur. Dos ingens fuit, diuitiæ pares nobilitati: vnde Annibalis potentia multum in Hiſpania creuit, creuere prouin-

cialium ſtudia. multis præterea locis auri atque argenti ſecturæ perſcrutando effoſſæ eo res gerente: atque ex eo communi omnes voce Annibalis putei dicti ſunt. Prouentum vnius putei, cui Bebelo nomen fuit, argumento licet coniicere liquati defecatique argenti in dies ſingulos reddentis trecenta pondo, hoc eſt, quantum duo millia ducenti quadraginta aurei nummi noſtrates valoris habent. Initio arma in Carpetãos verſa, gentem ferocia & multitudine cæteros eius prouinciæ populos ſuperantem. De cauſſa non liquet. Primi Olcades, vbi nunc Ocania ſita eſt (Stephanus Olcades ad Iberum ponit) & caput gentis Carteia oppreſſi. mox alii ad Tagum inſigni prælio victi. Quo tempore Saguntinorum inteſtina diſſidia vigebant graue malum. quo procurando eorum rogatu miſſi Roma legati vtranq; factionem hortando terrendoque, & de ſontibus aliquot ſumpto ſupplicio motus compoſuerunt, veriti ſi diutius aleretur controuerſia, vbi ventum eſſet ad arma, ne victa pars Annibali aditum in vrbem patefaceret, vniuerſoſque is ſuæ ditionis faceret. Qui ferox ſucceſſu omnibus citra Iberum populis ſubiugatis ad bellum Saguntinum conuerſo animo, Turdetanis perſuadet, vti de finibus Saguntinos laceſſant, non defore ſperans ea controuerſia orta occaſionem opportunam perficiendi, quod cupiebat: bellique cum Romanis id futurum initium, quo iam dudum totus ferebatur. Contra Saguntini, quod neque ſe armis pares fore, & amicitia populi Romani magis quam ſua innocentia fidebant, Romam cõtinuo extrudunt legatos. Ii dato ſenatu mandata Patribus explicarunt, hoſtilia moliri Annibalem, propediemq; ſociam fidelemq; ciuitatem obſeſſurum. niſi quid opis in ipſis ſit, de ſua ſuorumq; ſalute actum. Se quidem extrema prius pati paratos eſſe, quam fidem fallerent: viderent ipſi, ne cunctando ſocios hoſti prodidiſſe, & vt bi amicæ cultam eximie fidem exitio fuiſſe videretur. Variis ſententiis agitata in ſenatu res. Multis bellum continuo decernentibus vicit ſententia lenior, legatoſq; ad Annibalem mitti placuit. qui adulta iam æſtate Carthaginem nouam delati Annibali, ſenatus Romani verbis denunciant, ne Saguntinis ſociis atque confœderatis moleſtus eſſe pergat. neve Iberum, vt erat in ſuperiori fœdere cautum, tranſcendat. ſi ſecus faxit, curæ ſenatui populoq; Romano ſocios amicoſque fore. Ad hæc Annibal neque recte, ait, neq; pro bono facere Romanos nuper Sagunti de viris primariis ſibiq; amicis ſupplicio ſumpto, & nũc diſſimulandis iniuriis, quib. Turtedani à Saguntinis violati eſſent. Tum demum æquũ fore Romanis ſocios tueri, ſi ſibi pari conditione iureq; poteſtas rel[i]cta eſſet, amicos ab iniuria damnoq; vindicandi. Hoc reſponſo dimiſſis legatis continuo menſe Septembri Annibal Romanorum conatus præoccupandi ſtudio copias omnes ad centum quinquaginta hominum millia Saguntum deducit Olympiadis centeſimæ quadrageſimæ primæ anno primo, vti Polybius ait. Iis copiis vaſtato agro, & multis circum oppidis direptis, vno modo Dianio conſeruato propter loci ſanctitatem homo minime religioſus vrbem cœpit impugnare. Erat Saguntum in Edetanis, tribus à mari millibus paſſuum, agri fertili gleba, commercii maritimi terreſtriſq; copiis beata, loci natura arteq; munita. Poſitis caſtris, ædificatiſque operibus, ariete murus tentatur, qua parte in vallem deſinebat, minoriq; adeo firmitate. Fefellit opinio. munitior locus erat quam putarant: ciueſque ſupremo conatu propugnabant. Annibali ipſi, cum auidius muro ſuccederet, haſta fœmur traiectum, tanta ſuorum trepidatione, vt opera prope modum omnia & vineæ desererentur. Dum vulnus curatur dies aliquot ab oppugnatione ceſſatum. Nouos interea Saguntini legatos Romam mittunt, obteſtatum, ne vrbem amicam in cruciatum hoſtibus dedant. Si paululũ cunctati fuerint haud dubium interituram demonſtrant. Ratione inita paucorum menſium frumentum eſſe: paulo etiam longius parcendo tolerare poſſe. Simul locis omnibus maiori cura munitis ſe ad reſiſtendum comparant. Annibal cum primum ex vulnere conualuit, tribus turribus arietum ictibus & quidquid inter eas muri erat ad terram proſtratis, per lapidum ſtragem & rudera in vrbem conatur euadere. Oppidani contra inſtructa pro ruinis acie, hoſtium primum impetum ſuſtinent, deinde quoniam præter ſpem non vincebantur, loco mouent ex vrbeque reiiciunt, tandem in fugam vertunt: atq; ita vt Saguntinorum impetum vix caſtrorum munitione ſuſtinerent. Audacia exitialis fuit. Ferocior factus Annibal, certus niſi vrbe capta non quieſcere. Legati denuo Roma miſſi (nam omnia tentare viſum eſt, prius quam veniretur ad arma) negata Annibalem conueniendi poteſtate, vt erant iuſſi, Carthaginem nauigantes de iniuriis in ſenatu conqueſti ſunt, dedi Annibalem certe ad ſupplicium poſtulantes. eam vnam pacis conditionem eſſe. Hanno æqua Romanos petere diſſeruit. Annibalem ſi nullus poſceret, in vltimas terras deportandum videri: ne quietum reip. ſtatum perturbaret. Reſtitit Barchina factio Annibalis litteris & ſtudio præoccupata. Sic repudiato ſaniori conſilio in hanc ſententiam reſponſum datur. Nulla Annibalis culpa res in eum ſtatum deductas eſſe, a Saguntinis ortam iniuriam. Inique facere Romanos nouis ami-

nis amicitiis prælatis. Interea Annibal feſſo militi pugnis atq; operibus paucorum dierum quietem dat. Ex Himilce per eoſdem dies natus Aſpar patrem Annibalem & exercitũ lætitia cumulauit. pro eius ortu ludi in caſtris magno apparatu celebrati, & ſpectacula varii generis commiſſa. Saguntini contra de ſalute ſoliciti omnia ad defenſionem comparare. Vani ii conatus fuere. repetita oppugnatione, turriq; lignea promota, telorum ex ea multitudine murum propugnatoribus nudatum, quingenti Afri vectibus diruunt nulla calce duratum ſed luto, eoq; cedentem ictibus. Milites aditu patefacto, prædęq; ſpe per præconem denuntiata in vrbem penetrant. Cedunt Saguntini viribus impares, penitioremque vrbis partem cum arce ſubitarii operis muro coniungunt. Res in extremum adductas vna Romani auxilii ſpes ſuſtentabat. Datum tantiſper reſpirandi ſpatium Annibalis diſceſſu in Carpetanos & Oretanos, delectus acerbitate ad arma conſternatos. Relictus obſidione vrgenda Maharbal Himilconis filius Saguntinorum eruptionibus compreſſis, & noua vrbis parte capta fecerat operæpretium, cum Annibalis reditu poſtquam eos motus compoſuit, miſeris ſpes omnis præciſa eſt, arcis parte in poteſtatem redacta. Vna obſtinatio, quæ in ſummo periculo conſilium non recipit, vana ſine viribus ſuſtentabat animos. Saguntinus Halcon clam ex vrbe euadens, ſuorum miſericordia ciuium quos de mentis poteſtate malorum pondere deductos conſiderabat, de pace priuatim agere cœpit: & cum nihil aliud impetraret, quam vt ciues cum veſtibus tantum, vrbe relicta, vbi victor conſtituiſſet, in ea agri parte nouum oppidum ædificarent, in caſtris hæſit, deſperatione ea lege flexuros ciues ad deditionem animos. Miſeram conditionem. pars maxima morbi eſt medicinam reſpuere. Alorcus Hiſpanus, tametſi Annibali militabat, Saguntinis quadam naturæ propenſione & veteris hoſpitii memoria fauens, in vrbem per ruinas admiſſus, eas deditionis conditiones pro concione proceribus ſummota multitudine expoſuit, iniquas quidem, & graues, ſed fortunæ iniquitate neceſſarias. Debere eos non quid amitterent conſiderare: ſed quidquid relinqueretur id in lucro ponere. vitam, libertatem, opes in victoris eſſe poteſtate. Alorci oratio magna indignatione plebis & fremitu, quæ certatim confluxerat cognoſcendi auida, audita eſt. Pleriq; aurum atq; argentum veſtemq; in forum raptim cõgeſtam ſubdito igne cremarunt: ſeque cum liberis & coniugibus in eundem rogum iniecerunt, mori obſtinantes. Turris diu quaſſata eodem momento concidens, liberum militi aditum in vrbem dedit, flagrantem incendio: quod excitarent ſui reſtinguerent hoſtes, pari vtrunq; infelicitate. Sic naturæ iura bellum in contrarium mutat. Sæuitum eſt in ciues, nullo neq; ætatis neq; ſexus diſcrimine: pleriq; ſeruitutis odio hoſtium ferro vltro obiiciebant capita, aut tectis admoto igne eodem peribant incendio. Pauci in poteſtatem venerunt. ea militum præda fuit. Præterea multa veſtis Carthaginem miſſa, multa occupata à militibus. neq; enim omnia corrupta erant à ciuibus. Octo menſes obſidio tenuit. menſe Maio capta vrbs eſt atq; exciſa, anno ab Vrbe condita, 536. cui alii numero annum, quidam biennium detrahunt, certe P. Cornelii & T. Sempronii conſulatu. 536.

Initia ſecundi belli Punici. CAP. X.

SAGVNTI exciſæ fama vno tempore Romæ audita eſt, & qui ad Annibalem fuerant legati, Carthagine redierunt, quanto Patrum & plebis dolore dicere non eſt neceſſe. Sera pœnitentia ſuam ipſorum cunctationem accuſabant. prodites deſertoſque ſocios. Inanis luctus erat, nobiliſſima vrbe euerſa. quod proximum erat, vindicare conſtituunt. Tametſi iram adæquabat metus a præualido hoſte multorum annorum militia duratas copias trahente. Iam ſuperatis Alpibus bello petere Italiam Annibal, & pro mœnibus adeſſe, tantumque vim non admouere videbatur. Bellum tamen continuo in Carthagineníes decretum. Coſs. Cornelius Hiſpaniam, Sempronius Africam cum Sicilia ſortiti ſunt. Romæ atque tota Italia delectus habiti. Iuuenes ad ſigna vocati. inutilis bello turba, in quibus nihil præterea opis erat, in preces & ſupplicationes verſi per omnia vrbis templa votis & victimis fatigare deos. His rebus comparatis, inſtructaque claſſe, quinque legatos præmitti Carthaginem placuit, rogatum publica ne an priuata auctoritate Saguntum eſſet exciſa. Legationis princeps Q. Fabius, dato Carthagine ſenatu, mandata ſuæ vrbis expoſuit. Illi non de auctoritate quærendum dicere, ſed de belli conditione, iure an iniuria illatum eſſet. In antiquo cum Luctatio fœdere nullam de Saguntinis eſſe mentionem. Ab Aſdrubale conditiones datas non magis reliquos aſtringere, quam Luctatii fœdus Romanum ſenatum: cuius leges pro voluntate mutarat, peioreſque ea excuſatione fecerant. Tempus altercationibus ducebatur, nullo competenti reſponſo. Romanus veſte in ſinum contracta pacem, inquit, & bellum portamus. vtrum mauultis eligite. Reſpondentibus

daret quod vellet, explicato ſinu bellum dare dixit. Inde vt erant iuſſi Romani legati in Hiſpaniam nauigantes Barguſios in extrema Hiſpania atq; in Ceretanis facile contra Pœnos impulerunt. à Volcianis vero, quos vicina loca tenuiſſe arbitror (alii in Celtiberis ponunt, quo loco Villadolce ſita eſt, non procul ab ortu Guerbæ fluminis, oppidum veteribus monimentis Volcem dictum) repulſam tulerunt addita verborum contumelia, quaſi proditis Saguntinis nouos ſocios aucuparentur: nomen magis ad præſidium ſociorum quam vires afferre ſoliti. Eo reſponſo vulgato pari libertate ab omnibus ciuitatibus repulſi, in Galliam Narbonenſem profecti in gentis concilio ne Annibali, quem arma expedire in Italiam conſtabat, per ſuos fines tranſitum darent, Romani ſenatus verbis poſtularunt. magno Gallorum riſu, ſtultum iudicantium alieno commodo arbitrioque grauiſſimum bellum in ſuos fines attrahere. Pœnorum donis præoccupati erant: à Romanis neque acceperant quidquam, neque expectabant. Sic nullo operæpretio facto per Maſſiliam Romam redierunt. Interea Annibal in nouum bellum intentus, copiis in hiberna dimiſſis, factaque qui cuperent ſuos inuiſendi poteſtate, modo ad prima veris ſigna Carthagine noua præſto eſſent: ipſe Gadeis, quaſi in Herculis templo nuncupaturus vota, procuraturus ſacra, profectus eſt. Sacrificio peracto, atque vxore & filio abs ſe dimiſſis, aut in Africam, aut vt alii ſuſpicantur, Caſtulonem, tredecim millia & octingentos cetratos ex Hiſpania pedites Carthaginem miſit, Baleares octingentos, mille & quingentos equites, vt obſidum loco eſſent, & procul à patria maiore virtute fideq; operam reip. nauaturos confidebat. Eadem claſſe vndecim Afrorum millia in Hiſpaniam abducta. quo præſidio octingentis inſuper additis Liguribus Aſdrubalem fratrem iuſſit Hiſpaniam tueri. Addita claſſis idonea ad maris imperium retinendum. Obſides præterea quos ciuitatibus imperauit iuuentutis principes, in Sagunti arce Boſtari cuſtodiendos reliquit. Ipſe cum robore exercitus, in quo nonaginta peditũ millia ex variis gentibus erant, duodecim millia equites (Polybius multo minorem numerum ponit) iter ingreſſus, vbi ad Iberi ripam caſtra poſuiſſet, noctu de belli euentu ſolicitus, videre ſibi viſus eſt per quietem, iuuenem auguſta ſpecie, qui ſe ab diis ducem in Italiam miſſum diceret. ſequeretur proinde, neque oculos retro referret. cum nihilominus conuerſa facie ſerpentem vidiſſe obuia cuncta ſubuertentem, & nimbi procellam ſubſecutam. Roganti ecquid ea portenderent, desineret reſpondiſſe fatorum arcana perſcrutari, ſequereturq; qua viam pandebant numina. Ibero tranſmiſſo Annibal Andubale gratia, copiis & auctoritate iis in locis inter Hiſpanos Principe ſibi conciliato, atq; Hannone cum iuſto præſidio totiuſque exercitus impedimentis, quo expeditius eſſet iter, in eo tractu relicto, in Pyrenęi ſaltus iugis tria Carpetanorum millia tam longinquę militiæ pœnitentia ſigna deſerentes, ne iis cogendis ſupplicio cæteri irritarentur, e.. s ſeptemq; alia Hiſpanorum millia, qui inuiti ſequi videbantur, ſponte dimiſit. Quo facto nominis auctoritatem ſanciuit, quaſi dimiſſis ſponte omnibus, & reliqui exercitus metus mitigatus, eo exemplo confidentium militiam, quam ſponte ſuſcepiſſent, cum vellent poſituros. Mox tranſcenſo Pyrenęo, atq; Gallis, qui arma corripuerant, fœdere deuinctis, opera Ciuiſmari & Mænicati, qui inter Gallos ſummum gratiæ & auctoritatis locum obtinebant, Rhodano traiecto, Volciſq; victis, eius fluminis ripas vtrinq; incolentibus, ad Alpium radices caſtra promouit. Fuit hic annus Hiſpaniæ vt frugum copia lętus, ſic morbis & peſtis contagione grauis. magni terræmotus extitere. mare identidem tempeſtatibus ſæuiit. in cælo concurrentium acierum ſpecies viſæ cum nubium fragore, ad indicium calamitatum, quibus hoc bellum orbem terrarum implicuit.

Annibalis tranſitus in Italiam. CAP. XI.

MVLTA ex iis quæ ſequuntur, externa ſunt: ſed niſi iis explicatis, quæ in Hiſpania contigerunt, cognoſci vix poſſent. Dabit lector veniam accommodatam priorum veſtigia obſeruantibus, maiori breuitati. Ergo P. Cornelius Conſul, cui ſorte obueniſſe Hiſpaniam dictum eſt, mari profectus ad impediendum hoſtium iter, poſitis ad Rhodani oſtium caſtris, ad rei benegerendæ occaſionem excubabat: cum trecenti equites Romani quingentos Numidas (nam erant ab vtraque parte ſpeculatum miſſi) forte obuios factos, tumultuaria in pugna vicerunt. Lætus Conſul omine, quoniam prima bene ſucceſſerant, ex iis coniectans de ſumma, cupiduſque vniuerſo prælio decernendi, motis caſtris ad Rhodani & Araris confluentes, triduo poſtquam hoſtis inde diſceſſerat, in vacua Pœnorum caſtra peruenit. Iter hoſtium conſequi non ſperabat: vnde diſceſſerat rediens Cn. Scipione fratre cum robore exercitus & longarum nauium claſſe, ad tentandam Hiſpaniam, tuendoſque in ea ſocios ablegato, cum paucis ipſe Genuam mari repetiit, nouum in

Italia

Italia exercitum haud defore ratus aduerſus Annibalem. Qui per Allobroges, Taurinas Alpes ægre quamuis, ſuperauit quindecim dierum ſpatio: ac in Italiam copias induxit viginti peditum millia, ſex equitum, vt quidam aiunt. Alii centum millia pedites, equites viginti millia duxiſſe confirmant. Punicis certe copiis par Romanus non erat, tyrone plurimum milite, vti ex ſubitario delectu. Ita ad Ticinum amnem facta pugna Conſul pro victo in caſtra compulſus proxima nocte fugæ perſimili profectione Placentiam abiit, maiori mœnium quam virium fiducia, in pugna grauiter ſauciatus. Collega Sempronius meliori partium fortuna in Sicilia res gerebat, vna & altera Punicis claſſibus victis. Eo inde aduerſus Annibalem reuocato ad Trebiam amnem maior quidem clades illata Romanis eſt. Iis in locis Annibal hyeme tranſacta Sempronio Cos. ad comitia in Vrbem profecto, vix dum aperiente ſeſe vere anni ab Vrbe condita quingenteſimi trigeſimi ſeptimi, in Hetruriæ aditu coorta atque in Apennini tranſitu ſæua procella, & frigorum inclementia multos ſuorum amiſit. Ad Placentiam, cum re neceſſaria retro rediiſſet, Sempronioq; in caſtra reuerſo creatis Coss. Cn. Seruilio & C. Flaminio, denuo collata ſigna ſunt. Acre & anceps prælium fuit. pugnantes nox diremit: exęquataque clade Pœnus in Lygures abiit, amiſſa magna exercitus parte.

Geſta per idem tempus in Hiſpania. CAP. XII.

INTEREA Gn. Scipio Emporias claſſe delatus, à Lacetanis exorſus omnem eam Hiſpaniæ oram à Veneris promontorio ad Iberi oſtia ſecundum mare Romano nomini adiunxit, Pœnorum odio libenter fœdus imperiumq; mutantem. Claſſis Romana ad Tarraconem nempe in Salu portu (Solorium Rufus Feſtus vocat) quarto ab ea vrbe ad Occaſum lapide hyemauit. Deinde cum Hannone ei oræ ab Annibale præfecto ſigna collata in Ilergetibus ad Cyſſum: quod hodie quidam Siſſum, alii Saidi iis in locis nota oppida eſſe ſuſpicantur. victoria penes Romanos ſtetit, ſex Pœnorum millibus cæſis, duobus captis. Hanno ipſe venit in poteſtatem, & Andubal Hiſpanus, quem rebus Carthaginenſium fauere dictum eſt, tot vulneribus debilitatus vt intra paucos dies expirarit. Aſdrubal, qui auxilio fuerat Carthagine noua ab Hannone aduocatus, cum traiecto Ibero aduerſi prælii nuncium accepiſſet, flexo ad mare itinere multos nauales ſocios Romanorum, promiſcuamq; hominum turbam inopinato aduentu oppreſſit. parique celeritate rurſus Ibero tranſmiſſo Ducis Romani metu, qui ad eius rei famam accurrere nunciabatur, incolumes copias octo millia pedites, equites mille, in tuta loca reduxit. Gneius continuo Emporiis, quo fugato Aſdrubale diſceſſerat, in Ilergetes redire compulſus eſt, quoniam ab eius diſceſſu ad Pœnos defeciſſe contempto Romano fœdere, imperioq;, erat nunciatum. Modica vindicta fuit. Athanagia vrbe, quæ princeps rebellionem fecerat, deditionem faciente pecunia mulctatos, & maiori obſidum numero imperato, vniuerſos conſeruauit. Inde in Aççitanos promota caſtra. ii prope Iberum incolentes in Pœnorum fide manebant (alii Auſetanos ſcribunt, qui ad Pyrenæi radices, vbi nunc Gerunda eſt, habitabant) ſane Acete gentis eius vrbe primaria obſeſſa Lacetani auxilio ſuperuenientes, noctuque in vrbem irrumpere conantes, excepti inſidiis, ad duodecim millia trucidati ſunt, cæteri fuga dilapſi. Obſeſſi omni auxiliorum ſpe depoſita, atq; vrbis Principe Amuſito ad Aſdrubalem occulte profecto, trigeſimo obſidionis die deditionem neceſſario fecerunt. argenti talenta viginti mulctæ nomine imperata victis. copiæ Tarraconem in hiberna reductæ. Hiſpanorum auxilia domos dimiſſa. Multa per eos dies in Hiſpania, Italia, atq; Africa oſtenta viſa. quibus procurandis maiores hoſtiæ mactatæ à Carthaginenſibus præſertim, feruntur: proſus vt more è Phœnicia translato, qui longo tempore fuerat intermiſſus, Principum filiis iugulatis Saturni numen placandum cenſerent, in eius belli euentu, fortunarum atq; communis ſalutis diſcrimen verti conſiderantes. atq; in cæteris Aſparem Annibalis filium ſenatus iudicio neci deſtinatum aiunt, quaſi emineret inter alios. ea paternis meritis gratia habita. An hæ fabulæ potius ſunt, ad lectorem oblectandum varietate, à noſtris hiſtoricis confictæ? Addunt patre intercedẽte puerum euaſiſſe, ſui capitis periculo bellum adminiſtrare malle dictitante, quam filii profundendo ſanguine patriis religionibus obſecundare.

Pugna ad Traſimenum. CAP. XIII.

HYEME exacta, atque in Liguribus exercitu recreato auctoque, Apennini iuga Annibal ſuperauit, meliori aliquanto quam antea conatu. In eo itinere reſtagnantis Arni paludibus tranſmittendis alterum oculum amiſit, deformata facie maiori terrori futurus.

multi homines, & iumenta. Elephantique ferme omnes perierunt. Ad Traſimenum peruentum, lacum in ea Hetruriæ parte nobilem, vbi Cortona vrbs ſita eſt, non procul vrbe Peruſio, vnde lacui nomen noſtra ætate. Iis in locis laceſſenda C. Flaminii temeritate in exitium præcipitantis agrum omnem Cortonam inter & lacum vaſtat, atque in aperto caſtra ponit, retro vicinum montem Baleares & leuem armaturam in inſidiis, ad anguſtias equitatum, quas montes & lacus efficiunt. Ea arte a tergo atque à latere circumuenti Romani, qui Ducis furore cæci in hoſtem ferebantur, quaſi indagine incluſi nulla difficultate victi ſunt. quindecim millia ex Romano exercitu cecidere, pari captiuorum numero: cecidit & Conſul ipſe haſtili traiectus. Cæſi mox in Vmbria ab Annibale quatuor millia equites, qui viciſſe Pœnos ignorantes ſecurique in caſtra Romana ibant, miſſi à Cn. Seruilio collegæ auxilium. Sub hæc Spoletum Romanorum colonia tentata cum expugnari non poſſet, ſigna, in Picenos conuerſa, atque eorum agris omni iniuria vexatis, Annibal per Marſos, Marrucinos, Pelignoſq; in Apuliam irrumpens circa Arpos & Luceriam ſubſtitit. Tantis acceptis Romæ exiguo tempore cladibus, maiori metu vrgente, ad illud extremum decurritur. Dictator creatur cum ſumma & maxima decernendi poteſtate extraordinaria, Q. Fabius Maximus. M. Ruſo Minutio magiſtro equitum. Libri Sibyllini conſulti, atque ex iis ver ſacrum Romæ votum. Propter ærarii inopiam ex ſingulis aſſibus, qui ante librales erant, ſex facti valore retento, qui ſextantarii ſunt dicti. Naues miſſæ per idem tempus in Hiſpaniam ad Cneium commeatu onuſtæ, ad Coſſanum portum à classe Carthaginenſi interceptæ erant. noua ergo claſſe ad tutandam Italiæ oram comparata, nouisque contra Annibalem copiis conſcriptis, Dictator in Apuliam profectus cunctando, neq; totius dimicationis vſquam facta copia, hoſtis ferociam debilitare cœpit, & reip. vulnera aliqua ex parte ſanare. Tametſi non illi magis contra hoſtem pugnandum erat, quam contra Minutii temeritatem, militum audaciam, nominiſque infamiam: quæ res fortiſſimos ſæpe viros in præceps egit, Dictatoris cunctationem cunctis accuſantibus ignauiæ affićto nomine. In Hiſpania Aſdrubal Himilcone cum claſſe valida præmiſſo ad eam Hiſpaniæ oram tentandam, quæ in Romanorum fide erat, terra ipſe copias duxit viginti militum millia. Cneius terreſtribus copiis inferior retinendi maris imperii ſtudio cum triginta nauium claſſe. Tarracone profectus in oſtio Iberi claſſem Punicam nactus militibus vacuam, (ſecuri ii in terra erant) oppreſſit. Viginti quinque naues in ipſius oculis Ducis captæ. reliquæ qua ſubmerſæ, qua ad littus eiectæ. parique celeritate naues onerariæ quatuordecim interceptæ ſunt in mari: quæ remittente vento curſum aliarum adæquare non potuerant. Eodem victoriæ curſu Honoſca vrbs vi expugnata direptaq; eſt. Carthaginis vicinus ager vaſtatus, & ſuburbana ædificia incendio deformata. Aſdrubal Gadeis vſq; Romanæ claſſis veſtigia ſubſecutus incendiorum Hiſpaniæ atq; vaſtitatis deformis vbiq; teſtis viſebatur nullo præſidio. Secundum eam victoriam Ebuſus inſula tentata à Romana claſſe: atq; populi amplius centum viginti in fidem accepti: in his Celtiberi gens valida cum primis & lata. nam in horum finibus Segobriga, Bilbilis, & Medina Celina erant: ad hæc Vrceſia, Concha, Opta, Agreda, Numantia, vrbes & oppida regionibus vſq; adeo diſiuncta, ipſaq; adeo Cauni montis faſtigia. Harum Cneius gentium acceſſione formidabilis, terreſtribus copiis ad ſaltum vſque Caſtulonenſem armis penetrauit. eundem nullo magno operæpretio facto, citra Iberum ii motus reuocarunt, quos Mandonio auctore, ſummo in Ilergetibus loco, inter ſuos ante Principe, concitari nunciabatur. vnde maiori mole bellum coortum eſt, Aſdrubale à factioſis aduocato. Tametſi miſſa Romanorum manu multi è ſeditioſorum numero ſublati erant: & Celtiberi Cneii litteris ſolicitati, cum facta ſuorum manu in Punica ditione tres vrbes occupaſſent, retro redire Aſdrubalem compulerunt, noui periculi propulſandi neceſſitate. Ventum vtrinque ad manus. quindecim millia è Punico exercitu a Celtiberis trucidata ſunt duobus præliis, autumno in hyemem præcipiti, quem præcipua fertilitas & bonorum omnium copia celebrem reddidit in Hiſpania.

P. Scipio venit in Hiſpaniam. CAP. XIIII.

HIc ſtatus rerum erat cum Cn. Scipio datis ad ſenatum litteris, militem in ſupplementum & commeatum quantum maxime poſſent mitti poſtulauit. Æqua Patribus petere viſus eſt. Cornelius Scipio prorogato poſt conſolatum imperio ad fratrem deſtinatur
538. initio ſequentis anni, qui fuit ab Vrbe condita quingenteſimus trigeſimus octauus, cum
triginta longis nauibus, octo millibus militum, magnoque commeatu, Tarraconis portum tenuit, exæquato cum fratre imperio bellum adminiſtraturus. Ii conſilio inter ſe communicato, exulum Saguntinorum rogatu, cum in patriam redire, & iniurias vindicare cuperent,

rent, Saguntum copias promouent. In ea vrbe Hiſpanorum obſides modico præſidio à Boſtare præfecto tenebantur. Ea res Hiſpanorum pleraſque ciuitates morabatur: ne defectionis ad Romanos culpam ſuorum capitibus luerent. Acedux nobili loco Sagunti natus, ad Romanos propenſus & inſigni aliquo officio ſatagens eorum promereri gratiam, præfecto clam conuento perſuadet, vti obſides redderet Hiſpanis. nulla re magis quam fide hominum ſtudia excitari. Id cum Boſtari homini minime malo eſſet perſuaſum, obſides reducendi cura deſumpta, Acedux monitis prius Romanis de media nocte profectus, in eorum induxit caſtra. ſic per eos cognatis redditi, magnam Romanis ab iis populis beneuolentiã adiunxere. Orta ex his rebus lætitia ne Romanis ſyncera eſſet Cannenſis cladis fama effecit. Peracto enim Cn. Seruilii conſulatu, noui Coſs. creati, L. Æmilius ex nobilitate, è plebe nouo exemplo Terentius Varro, cuius importunitate tanta clades accepta eſt. Diuiſo inter collegas imperio, ita vt alternis diebus imperarent, Æmilio detrectante certamen, Varro quo die imperii ſumma penes ipſum erat, confligere non dubitauit, collega proſequente, magis ne defuiſſe reipublicæ videretur, quam quod conſilium probaret. Ad Cannas Apuliæ vrbem ad oram Superi maris, vbi vtraque caſtra erant, pugnatum. prælium atrox ſæuumque fuit. quadraginta duo millia peditum è Romano exercitu ſtrata ſunt, equites tria millia. cecidit & Conſul Æmilius, repudiato qui ad fugam offerebatur equo. capta duodecim millia capitum. Annulorum modios tres cum dimidio Mago Annibalis frater Carthaginem legatus de victoria detulit, oſtentauitq; in ſenatu, ad indicium, quam multi ex nobilitate, quæ ſola annulis aureis vtebatur, in ea pugna periiſſent. Poſt eam cladem tanta Romæ trepidatio fuit, vt iuuenes primarii de Italia deſerenda deliberarent. Ne Romanum imperium penitus concideret, modica temporis mora factum eſt. omnino Italię vrbes non paucæ eius cladis fama ab amicitia populi Romani abductæ. multæ retentæ in Hiſpania ne fœdus cum Romanis maturarent nam noui motus ne exiſterent Scipionum prudentia factum eſt. Quo tempore eorum diligentia atque auctoritate Tarraco quidem in Hiſpania ædificiis atque mœnibus amplificata, coloniæ Romanæ iure donata eſt. Carthagine autem quamuis Hannone multum repugnante atq; in eo rerum momento nouo fœdere vinciendos Romanos in ſenatu diſputante, placuit Annibalem atq; Aſdrubalem pecunia, claſſe, & ſupplemento, prout ipſi expetierant iuuare. magnis delectibus Afrorum atque Numidarum millia quadraginta conſcripta, atque ex eo numero continuo ad Aſdrubalem, qua parte reſp. magis laborabat, quatuor millia pedites miſſi, equites quingenti. Horum Duci Magoni cura data, nouas & maiores copias conſcribendi in Hiſpania peditum, equitumque, ad retinendum extendendumque in ea prouincia imperium.

Aſdrubal Italia aditu prohibetur. CAP. XV.

MOVEBANTVR in extrema Hiſpania Tarteſſii, ferox hominum genus Duce Galbo Aſenaque vrbe capta, vbi Pœnorum commeatus & frumentum erat. Iis Aſdrubal motibus compreſſis, litteris Carthagine miſſis, continuo in Italiam maturare iuſſus eſt Annibali fratri ſupplementum allaturus. Graue id mandatum fuit, multorumque animos in Hiſpania ad Romanos auertit. ſed re neceſſaria compulſus, accepto ſucceſſore Bomilcaris filio Himilcone, eoque prouinciæ arcana edocto, & rationem belli in poſterum adminiſtrandi, magnis denuo delectibus tota prouincia habitis, & pecunia maxima in ſtipendium imperata, ſigna verſus Iberum mouit, anno ab Vrbe condita quin- 539
gentesimo trigeſimo nono. Scipiones de patriæ periculo ſoliciti, ſi Aſdrubal in Italiam perueniſſet, ne à duobus exercitibus opprimeretur, ab Annibale toties victa, Punicæ ditionis oppidis impugnandis ab Italiæ cogitatione aut auertere penitus aut morari conſtituit. Vrbem à propinquo fluuio Iberiam dictam tentare viſum eſt. Aſdrubal contra ea prius vrbe munita, alteram vrbem Romanis addictam iis in locis circumſedit. Accurrunt Romani Duces, Iberiæ obſidione ſoluta. Caſtra caſtris collata primum, deinde leuibus vtrinque præliis dimicatum, poſtremo totius dimicationis ſigno propoſito totis viribus & copiis concurſum eſt. Non de Hiſpaniæ modo poſſeſſione, ſed de Italiæ orbiſque imperio certamen erat. Romani non ſecus ac ſi pro [illegible]genibus ipſiſque vrbis Romæ portis acriter pugnantes vicere hoſtes. Fugæ initium ab iis Hiſpanis factum, qui intimis ſenſibus a Pœnis auerſi, inuiti eorum ſigna ſequebantur, longinquę expeditionis odio, & ad Romanos propenſi. Pœni Afrique tanto præſidio nudati, cæſi profligatique ſunt. equitatum elephantoſq; fuga ſeruauit. Ipſe Aſdrubal cum paucis Carthaginẽ nouam euaſit. Ea res ex Scipionum litteris Romæ nunciata, non tam victoria læta fuit, quam Aſdru-

balis in Italiam impedito tranſitu. Grauis is annus Hiſpaniæ extitit, tum annonæ difficultate, tum peſtis lue, quæ multos mortales extinxit, Himilcemque vxorem Annibalis & filium Caſtulone. ſic affirmant. Ea cauſa Romani Patres ad Hiſpanienſem exercitum commeatum miſere, mutuo à mercatoribus pecunia ſumpta, propter inopiam ærarii, & quia aduerſus Philippum Macedonem, qui icto cum Annibale fœdere, Italiam appetere nunciabatur, noua claſſis erat comparanda. Mago ea claſſe, quam in Italiam inſtructam habebat, Aſdrubalis periculo nunciato, iuſſu ſenatus Carthagine ſoluens, atque in Hiſpaniam perlatus, ſexaginta longas naues & duodecim millia milites intulit in portum Carthaginis nouæ, vbi Himilco naues eas etiam continebat, cum quibus paulo ante ipſe venerat in Hiſpaniam. Magonis aduentu magna animorum commutatio facta eſt. Quibus victis, vix erat relictum vbi conſiſterent in Hiſpania, ii de reparando bello cogitare cœperunt. Illiturgim eorum antea ditionis, & nunc ciuium defectione alienatam ducunt, & trinis caſtris obſeſſam impugnant. Sexaginta hominum millia ſub ſignis erant. Eo Scipiones cum ſedecim millibus auxilio profecti, carris atque iumentis frumento onuſtis in vrbem inuectis, Pœnos nequicquam prohibere conatos, ingenti prælio ſuperarunt: non Aſdrubalem modo, ſed Magonem, Himilconemq; ex propriis caſtris ad certamē accurrentes. Cædes maior quam pro victorum numero fuit. tria millia equitum capta, mille equi in caſtris reperti, Elephanti quinque trucidati. Incibilim oppidum viginti ſeptem paſſuum millibus à Dertuſa ad Occaſum Pœni Duces reparatis viribus expugnare parabant. Eo loco nouo prælio facto, tria millia è Punico exercitu cæſa ſunt, pari captiuorum numero: cecidit Himilco Dux præſtanti virtute, famaque. Incibilim hoc tempore quidam eſſe arbitrantur Cheluam oppidum in Valentini regni agro. Illiturgim Andugarum in Bætica, aut Lietor non procul Alcaraſſo vrbe. Sed regionum hiſtoriam conquirere non minus quam factorum difficile eſt, cæca vſque adeo Hiſpaniç antiquitate. Hæc autumno contigerunt, quo ex Italia nuncius Romanorum lætitiam vehementer auxit: Annibalem Capuæ delitiis per hyemem exercitu eneruato, dum Nolam finitimam obſidione premit, acie à M. Marcello victum atq; in Apuliam reiectum. Duo Hiſpanorum millia deſertis Punicis caſtris ad Romanos tranſiiſſe, magnis pollicitationibus ſolicitatos. In Sardinia Aſdrubalem Caluum, qui cum valida claſſe ex Africa mittebatur in Italiam, & Arſicoræ viri inter inſulanos principis promiſſis in ſpem venerat eius inſulæ occupandæ, à T. Manlio Torquato ad Calarim prælio victum captumq; cæſis multis tum Pœnis tum Sardis, qui Pœnis militabant. Simul ex Sicilia cognitum Hieroni Regi defuncto Hieronymum eius nepotem diuerſiſſimis moribus, Syracuſis in regno ſucceſſiſſe. Scipiones bona ex iis rebus ſpe pleni, certiq; arma repetere cum primū per anni tempus licuiſſet, copiis in hyberna dimiſſis, ipſi Tarracone hyemare conſtituunt. Quo tempore eius vrbis murum fuiſſe perfectum in veteri lapide inciſæ litteræ declarabant, qui lapis Alfonſi Regis Caſtellæ eo nomine. XI. ætate extabat, vt eius hiſtoria teſtatur. Tarraco in planicie modica ſita eſt, quæ in mollis atq; rotundi collis faſtigio ſe pandit, mari ſubiecto ad lapidis iactum, aſcenſu ad Ortum arduo, propter continentes rupes. Ad Occaſum planicies præcipua amœnitate & prouentu conſternitur quadraginta amplius millibus paſſuum, olea, vite, malis medicis conſita, pecore abundans & frumenti ferax, quantum ciuibus alendis ſit ſatis: modico interfluente flumine vno ab vrbe milliari (Francolinum vulgo vocant, veteres Thulcim.) Eius aquæ ad macerandum linum & canabim, quarum rerum magnus prouentus eſt, magis quam ad potum aptæ ſunt. vna enim aquæ dulcis penuria olim ea vrbs cum laboraret, poſt Scipiones, Romani opere Romano aquæ ductu magna altitudine exædificato, Gaiæ fluminis partem decem & ſex paſſuum millibus in vrbem deriuarant. Eo porro bellorum iniuria ſalutis anno ducenteſimo ſexageſimo ſexto, corrupto, puteus auorum memoria effoſſus altiſſime, aquæ dulcis copiam ſuppeditat, ciuibus, qui noſtra ætate ſeptingentas circiter familias efficiunt, murorum vniuerſo ambitu duarum millium non amplius capaci.

Pœni paſſim in Hiſpania caduntur. CAP. XVI.

540. VIx hyeme circumacta anni ab Vrbe condita quingenteſimi quadrageſimi, Mago & Aſdrubal fratres magnum Hiſpanorum exercitum comparant, educuntq; tempeſtiue Carthagine, ſpe Vlterioris Hiſpaniæ, quę magna ex parte Romanorum facta erat, armis recuperandæ. His conatibus P. Scipio obuiam eundum iudicans, Ibero tranſmiſſo in Vectones penetrat: & ad Caſtrum Altum nobile oppidum, Amilcaris cæde Pœnis infauſtum, caſtra ponit vnde amiſſis duobus Romanorum millibus, qui à circumfuſis vndique hoſtibus intercepti trucidatique erant, maioris cladis metu, copiis in pacata loca reductis, in Vi-

In Victoriæ monte (hic hodie Mocia eſſe creditur, vltra Iberum aliquot millibus paſſuum ad mare) caſtra poſuit muniuitque. Eo diuerſis itineribus atq; animis tum Cneius auxilio cum omnibus copiis, tum Aſdrubal Giſgonis filius ad impugnandū venerunt. Erat is paulo ante ex Africa miſſus cum quinque millibus militum ſupplementi cauſſa, ſummo Carthagine loco natus, magnis opibus, Barchinos fratres cognatione attingens: eoq; cum copiarum parte, tertius bellum adminiſtrare per vicina Ibero loca cœperat. Erant vtraque caſtra vltra Iberum, modico interuallo diſtantia. P. Scipio ſpeculatum progreſſus circumfuſa hoſtium multitudine periculo proximus fratris ſuperuētu ſeruatur, haud vllo maiore operæpretio. Vtroſque Caſtulonis defectio in vlteriorem Hiſpaniam auertit. Ea vrbs Carthaginis odio, grauiq; eius gentis imperio feſſa, pulſo Carthaginenſi præſidio rebellarat aperte plures voto. Pœni ne mora creſceret malum, Illiturgim obſident, Caſtulonenſis defectionis auctorem præcipuam vindicaturi ſupplicio. Cneius ad ferendam opem cum expedita legione profectus inter bina hoſtium caſtra magna cæde facta, in vrbem penetrat. ſequēti mox & tertia luce eruptione facta, duo hoſtium millia cædit, capta tria millia, cum militaribus ſignis tredecim. Maiorem alii numerum ponunt, vitiatis, vt creditur, numeris Omnino Pœni obſidione ſoluta, rurſus a Bigerra in Baſtetanis, quam circumſidere parabant, hoſtium ſuperuentu repulſi, ad Aurigim (hæc hodie Giennium eſt, aut Ariona) totius dimicationis aleam ſubeuntes denuo victi ſunt, cum quatuor horis certamē ſuſtinuiſſent. cæſa quinq; Pœnorum millia: capta tria: elephanti triginta confoſſi: relata ſigna militaria quinquaginta. Cneius ſuorum aliquanto numero amiſſo, & ipſe fœmore haſta traiecto, lectica hoſtem perſecutus, ad Mundam non alio quam antea euentu pugnauit, minor dimidio cædes fuit. hoſtem ſyluæ monteſque vicini texerunt. Liuius pugnam ad Aurigim poſtremo loco ponit, & ad Mundam Gneio vulnus inflictum ait. Nobis locorum ſitus & aliorum ſcriptorum auctoritas potior fuit. Tot incommodis re Punica afflicta in Hiſpania quidem, nihil vt eſſe in calamitate reſidui videretur, Mago in Galliam mittitur Mœnicato & Ciuiſmaro, quos Regulos cum Annibale amicitiam iunxiſſe ſupra monſtratum eſt, ad iungendas vires, ferendamque opem ſolicitandis. Parent illi: nouem Gallorū millia nauibus Carthaginem nouam deduxere. In ea vrbe Aſdrubal bello reparando intentus erat. Gneius ſucceſſu lætus, haud minori cura hyemem in Bætica conſumpſerat. Anni eius initio, qui fuit ab V. C. quingenteſimus quadrageſimus primus, productis vtrinque copiis in Bætica pugnatum eſt, eiſdem quibus ante animis, maiori aliquanto cæde. octo millia è Punico exercitu occiſa, ac ferme è Gallorum numero omnes. Duces etiam Mœnicatus & Ciuiſmarus, cū oſtentandę virtutis cupidi auidiſſime, & vt eſt gentis ingenium, magna alacritate pugnarent, fortiter occubuerunt. Secundum eam victoriam Saguntum vi expugnatum eſt a Romanis, ſexto omnino anno ex quo in Pœnorum poteſtatem venerat. Exules Saguntini, qui cladi patriæ ſuperfuerant, tandem reſtituti in auitos lares ſunt. Turdetum exciſa ſuſceptæ calamitatis princeps cauſſa: eorum etiam agri Sagunto contributi: vt eſſet malorum aliqua compenſatio. Ipſi Turdetani ſub corona venditi doloris iniuriæque vindicta leuamen. Quo tempore ex Italia nunciabatur, Arpis Apuliæ vrbe, quæ poſt Cannenſem cladem a Romanis defecerat, Q. Fabii virtute expugnata, Hiſpanos mille eius vrbis præſidiarios milites magnis promiſſis inuitatos tranſiiſſe ad Romanos. Ex ea re Patres Romæ de ſumma belli ſperātes hoſtes euerti poſſe, Scipionibus per litteras mandant, vti proceres aliquot Hiſpanorum primo quoque tempore mittant in Italiam: per quos reliquos Hiſpanos ab Annibalis caſtris, hoc eſt, robur hoſtilis exercitus ſubducere cogitabant. 541.

Nonum bellum excitatur in Africa. CAP. XVII.

PER idem tempus in Africa bellum hac occaſione exarſit. Aſdrubal Giſgonis filius, viro maturam filiam Sophonisbam reliquerat Carthagine. Huius quoniam eximiæ animi & corporis dotes erant, nuptias Syphax Numidarum Rex ambiens, cum Patres Aſdrubalis parentis abſentiam excuſaſſent, quod res erat repulſam interpretatus bello iniuriam perſequi cogitabat. Sedes regni Siga fuit exaduerſum Malacæ poſita in ora Africæ, imperium Tingi atque Oceano ad Occaſum, ad Ortum Carthaginenſium ditione terminabat, Galæ tantum regno interiecto cum quo ſæpe de finibus belli fortuna alternante certabat. Galæ Maſiniſſa filius erat, præſtanti indole iuuenis, & ad res maximas obeundas corporis & animi virtute pari. In hunc Syphax primum arma vertere parabat, Pœnorum amicitia magis quam ſuis viribus propter ditionis anguſtias fretum, iniuriæ opportunum Pœnis gemino bello impeditis Italico atque Hiſpanico. Hæc cogitantem tres à

Scipionibus legati ex Hiſpania amplius inflammarunt, oſtendentes rem eum in primis gratam facturum Romano ſenatui: ſi fœdere facto iunctiſque viribus nouo Carthaginem bello in Africa implicaret, futuram imparem, copiis in plures partes diſtractis. Eius beneficii memoriam perpetuam Patribus fore. Cum his Syphax legatis multis ſermonibus conſumptis ad Romanam amicitiam animum appulit: & cum didiciſſet, quam ipſi præ Romanis omnis diſciplinæ militaris eſſent ignari, petiuit pro initæ amicitiæ iure vt duobus ipſorum cum reſponſo, vnde venerant, redeuntibus, tertius maneret in Africa, peditatu inſtituendo, qua parte militiæ diſciplina per manus tradita Numidæ carebant. Datum expetenti Regi vt Q. Sertorium apud ſe ea lege retineret ſi factum Scipionibus ipſi probaſſent. Carthaginenſes cognito Scipionum conſilio, Galæ Regis confœderati opera aduerſus Syphacis conatus vti decernunt. Belli Dux Maſiniſſa creatus, tunc præſtanti indole iuuenis, deinde Romana amicitia clarior, contractis continuo ſuis & Carthaginenſium copiis, hoſti obuiam procedens, primo prælio triginta hoſtium millia cæcidit. Mox fuga ad Mauruſios regni extremam vrbem elapſum Syphacem, & viribus reparatis tranſitũ in Hiſpaniam parantem, prælio altero victum fregit. Sunt qui Syphacem veniſſe, ſcribant, in Hiſpaniam, nimirum vt de ratione belli gerendi coram conſilia cum Scipionibus communicaret, à Liuio atq; Plutarcho prætermiſſum, quod mirum non eſt. Hæ res in Hiſpania nunciatæ, dolorem Romanis vt par erat, lætitiam Aſdrubali pepererunt ſingularem: rem Romanã, quę reſurgere viſa erat, denuo præcipitantem vrgere maiori ſtudio viſum eſt. Appetente iam hyeme, Celtiberi, quorum erat maxima opinio virtutis inter Hiſpanos, in ſequentem annum magno ſtipendio à Pœnis inuitantur. Cognito Scipiones periculo, maioribus præmiis gentem pretio venalem in fide retinent. Additus honos ne diſtincto in agmine & ſeparata caſtrorum parte, vt ante conſueuerant, tenderent, ſed ſub iiſdem ſignis atque Centurionibus confuſi Romanis. Ex eo numero per ſpeciem honoris re vt obſidum loco eſſent, & à caſtris Annibalis reliquos Hiſpanos abducerent, trecenti Romam miſſi eo initio

542 anni ſequentis mari peruenerunt, qui annus ab V. C. fuit quingenteſimus quadrageſimus ſecundus. Quo tempore quatuor naues ex vrbe cum commeatu & pecunia miſſæ, copias præſenti inopia leuarunt. & quod non minus iucundum accidit, Hannonem nunciarunt Carthagine miſſum, dum contractis Ligurum Gallorumque copiis contendit ad Annibalem, vt vires conferret, qui per eos dies Tarentum in deditionem acceperat, in Piceno agro cum copiis omnibus oppreſſum fuiſſe. In Sicilia autem Syracuſas, quæ poſt Hieronis obitum cędemque Hieronymi ſucceſſoris in factiones ſciſſæ, in Pœnorum ditionem conceſſerant, à M. Marcello triennii obſidione fatigatas Merici Hiſpani, quingentorum militum præſidio vrbem obtinentis tutatique diu, proditione expugnatas tandem atque direptas, imperii Romani iugum ſuſcepiſſe.

Scipiones in Hiſpania occiduntur. CAP. XVIII.

VICTI Syphacis præmium Sophoniſba fuit æmulo atq; riuali Maſiniſſæ pacta coniux. Sic nouo neceſſitudinis vinculo & ferendæ ſocero opis neceſſitate impulſus, cum ſeptem Afrorum millibus & Numidis equitibus ſeptingentis eadem æſtate in Carthaginis portum ſeſe Maſiniſſa intulit. Indibilis Mandonii frater in Sueſſetanis quinque hominum millia in armis habebat, mouere paratus cum primum admoneretur. Sueſſetanos quidam in Vaſconibus ponunt, ea parte vbi Sangueſſa ad flumen Aragonem eſt, quam olim Sueſſam fuiſſe dictam veterum Regum diplomata indicio ſunt. & à ſuũm bonitate nuncupatam quidam coniiciunt: quod in Lacetanis finitimis ſuillæ pernæ à præcipua nobilitate noſtra etiam ætate celebrantur. Ergo tantis Pœni auxiliis confirmati copias Carthagine priores educunt Bæticam verſus, bipartito exercitu. parti Aſdrubal Barchinus præerat, reliquis Mago Maſiniſſaque cum ſocero. Scipiones nouis ex Italia auxiliis aucti, & triginta Celtiberorum millibus confidentes, ex ſtatiuis & ipſi mouent, certi cum hoſte toties fracto manus conſerere. Cneius cum Celtiberis & legionum Romanarum parte tertia Aſdrubalem ſibi depoſcit, caſtraque caſtris confert ad vrbem Anatorgim, fluuio interfluente. Publius contra reliquos Pœnorum Duces mouet, ne Aſdrubale victo fuga ipſi in ſaltus euaderent, ſed quaſi indagine cincti omnes vna perirent. Tantum fiduciæ ingerit ſæpe continuata felicitas. Quod contra prorſus accidit. Aſdrubalis arte, facili linguę commercio Celtiberi inducti Cneium deſerere, conuulſis repente ſignis rediere in patriam. & erat nunciatum, à parte Pœnis fauente armis correptis fortunas eorum diripi, qui in Romanis caſtris erant. Ea virium Cneius parte ſpoliatus, quia inferior hoſti erat, cedere ſtatuit. Quid enim temeritate in exitium certum rueret? Neq; eſt minori

ſæpe

ſæpe animi certamen vitare, quam accipere. Sapienter deſtinata, vis altior euertit: Publius Maſiniſſæ equitatu pro caſtris adequitante fatigatus, veritusque ſi Indibilis acceſſiſſet, qui aduentare nunciabatur, vt par tantis copiis eſſet, anceps conſilium cœpit. Indibili prodire obuiam ſtatuit, Dux alioqui cautus iuxta ac fortis. Sed nimirum excæcantur animi cum inſtat exitium, vti tunc accidit. Relicto in caſtris modico præſidio de nocte cõtra Indibilem copias educit. Conſilium hoſtes non latuit. Ventum iam erat in Sueſſetanorum conſpectum, & ſub veſperam pugnari cœptum. Romanum meliora ferentem Maſiniſſa aduentu ſuo turbauit primũ, deinde vicit. multis paſſim ab equitatu ſtratis, Publioque Imperatore confoſſo, reliqui vertuntur in fugam. Magna cædes fuit in pugna fugaq; Noctis beneficio pauci, pars ad vicina Romanorum præſidia, vrbemq; Illiturgim, pars vnde exierant in caſtra redierunt. Pœni ſucceſſu læti magnis itineribus feſtinantes cum Aſdrubale Barchino copias iungunt. Horum aduentu permotus Cneius ſuſpicari cœpit Publium fratrem fuiſſe cæſum. neque eo ſuperſtite & incolumi venturos in vna caſtra Pœnos, ſibi pro certo perſuadens. & inerat animo inſolita mœſtitia, tacitum infelicis, vt ſit, euentus præſagium. Eo amplius in cedendi conſilio confirmatus, de nocte ſilentio caſtra mouet. Lucente die Pœni Romanos profectos eſſe cognoſcunt. præmiſſi Numidæ equites carpendo nouiſſimos neceſſario morantur iter, dum Pœnorum duces cum robore exercitus ſuperueniunt. Cneius vbi præoccupatis metu animis neque cohortationes, neque preces, neq; auctoritatem valere cernit, proximum collem capere vniuerſos, atq; eo ſigna inferre iubet, molli aſcenſu, nullaque materia erigendo vallo, ne foſſam quidem ducere ſinebat, ſoli natura in modum petræ durati. Clitellæ & ſarcinæ pro vallo obiectæ. munimentum leue, aliquandiu hoſtes detinuit, virtutem atque induſtriam Romanorum rebus etiam perditis admirantes. Verum à Ducibus caſtigati increpitiq; in caſtra ferro irrumpunt. Pauci à multis circumuenti facile cæduntur. Cneius ipſe occumbit, ſummi Ducis & ſtrenui militis functus officio: qui tot annis Hiſpaniæ Præfectus fuerat, primusq; inter Romanos Hiſpanorum fauorem, morum facilitate occuparat. pauci montibus ſyluiſq; tecti qua quenque metus aut ſpes agebat ad P. Scipionis caſtra perfugerunt (incolumem forte credebant) ſed ea à T. Fonteio Legato modico tenebantur præſidio. Ad Staberum fluuium prope Illicim pugnatum eſt, quod hodie oppidum quibuſdam Lorquinum eſſe creditur, non procul noua Carthagine. vulgo perſuaſum turrim Tarraconi prope obiectam Scipionum ſepulchrũ eſſe, omnino in ea duo ſigna è marmore male dolata atque informia viſuntur, Scipionibus, ſic prædicant, conſtituta, eo tantorum Ducum translatis cineribus: aut eximia prouinciales voluntate militeſque Scipionum memoriæ id cenotaphium conſtituendum ad vrbem primariam, vbi ſedes imperii erat, iudicarunt.

L. Martii virtute Pœnorum audacia repreſſa. CAP. XIX.

SCIPIONVM caſus magnam rerum & animorum commutationem attulit: concidiſſetque res Romana, ac penitus afflicta fuiſſet, ni eam L. Martii primum audacia, deinde P. Cor. Scipionis virtus ſuſtentaſſent in præcipiti conſtitutam, & nouis iactatam ærumnis. Deſtituunt ſtudia hominum, quibus fortuna aduerſa eſt. Caſtulonenſes primi, Romanis ad ſe confugientibus portas vrbis clauſerunt. Illiturgitani etiam in vrbem admiſſos crudeliter peremerunt. Earum vrbium exemplo alia oppida defeciſſe dubium non eſt. tot vna malis conſternatos Romanos, qui cum T. Fonteio legato in præſidio caſtrorum relicti erant, & qui ſe eodem ex fuga recipere potuerunt, magniſque itineribus trans Iberum feſtinabant L. Martius Septimii filius eques Romanus, magno animo iuuenis, qui ſub Cn. Scipione primipili Centurio, & Tribunus fuerat recreauit, validam manum, partim ex præſidiis, partim ex his quos à fuga retinuit, factam, ad reliquas copias adiungens. Incredibilis eius aduentu totius exercitus lætitia fuit: de Duce deligendo deliberatione ſuſcepta, omnibus ſuffragiis prælatus Martius eſt, ipſo T. Fonteio legato prætermiſſo, ſiue etiam concedente, ambitionem comprimentibus rebus aduerſis. Verum ea militum alacritas breui formidine mutata eſt, Aſdrubalem Ibero tranſmiſſo ad delendũ Romani exercitus reliquias feſtinare, iamque adeſſe nunciabatur: proxime Magonem ſubſequi. Fortunæ iniquitatem nondum Romano ſanguine exatiatæ. pars ſuos inter ſe commendare, teſtamentaque in procinctu nuncupare, ſi quibus ex eo diſcrimine euadere cõtigiſſet: pars vicem ſuam deplorare: Martii cohortationes non audire: attonitis ſimiles hærere, fixis in terram oculis, aut abditi per tentoria. Cum ad vallum appropinquante hoſte ſigna Punica viſa ſunt. tum ex metu audacia orta, accenſis milites animis, ad periculum omni ex parte correptis armis concurrunt, è caſtriſque erumpunt hoſti obuiã. Pœnorum

ſecuritas incuriaque ex re, vt fit, proſpere geſta Romanis ſaluti fuit. Inopinata hoſtium au-
dacia metu perculſi terga continuo verterunt. paucis in fuga cæſis Martius ſatis habens
ſuorum animos confirmaſſe, ac ſuſpicatus inſidias, ſigno receptui dato, milites redu-
xit in caſtra, multum quamuis indignantes, palamque edicentes, quoniam talis occaſio
vlciſcendi hoſtis relinqueretur, ſeſe etiam cum vellet Martius non eſſe pugnaturos. Pœni
contra Ducis conſilium metum interpretati, nihilo maiori cura munire caſtra. Ea res
Martium prouocauit, vt rurſus fortunam tentare cuperet, noctu cogitans hoſtem ſecu-
rum opprimi poſſe: & neceſſitudo inerat, quæ ex ignauis ſæpe facit audaces. Mago cum
robore exercitus ſubſecutus, ſi ſe cum Aſdrubale coniunxiſſet, ſpem ſalutis omnem ſubla-
tum iri prouidebat animo. Celeritate opus erat. militibus de ratione ſuſcepti conſilii pau-
ca locutus, iuſſiſque curare corpora, de quarta vigilia ſilentio copias eduxit, prodigio læ-
tas, quod ex Martii concionantis capite flamma eluxerat. Erant Magonis copiæ ſex tan-
tum millibus paſſuum ab Aſdrubalis caſtris interiecta nemoroſa valle, in qua cohors Ro-
mana & equites aliquot ad omnes caſus excubare iuſſi ſunt. reliqui milites in Aſdrubalis
caſtra penetrant. nullæ enim vigiliæ erant, nulli pro portis milites excubabant. Hoſtium
contemptus exitium attulit. In inermes ſomnoque ſepultos magna cædes facta eſt: pauci
fuga ſeruati. multo plures cum in vicina caſtra effugere conarentur, in inſidias præcipita-
runt. Captis Aſdrubalis caſtris, eodem animorum vigore ad Magonem opprimendum fe-
ſtinatum eſt, ignarum cladis acceptæ. Exorto iam Sole in ea caſtra impetus factus, & pari
felicitate momento temporis capta ſunt, priuſquam ſe hoſtes ad reſiſtendum comparaſ-
ſent. Intra munitiones pugnatum acriter, donec recentis cædis ſigna in Romanorum ſcu-
tis & gladiis viſa fregerunt animos. Salute diſperata ſe in fugam concitant, cæſi in vtra-
que pugna hoſtes ad triginta ſeptem millia. capti ferme duo millia. præda ingens fuit. Pœ-
norum Duces fuga euaſerunt. id vnum ad exequandam ſuperiorem cladem Martio de-
fuiſſe viſum eſt. Tantæ victoriæ nuncii Romam peruenerunt eius anni initio, qui fuit ab
543. Vrbe condita quingenteſimus quadrageſimus tertius, cum Martii litteris: quibus quod
iniuſſu ſenatus ſe Proprætorem ſcripſiſſet, Patribus offenſionem commouit. Reſpon-
ſum tamen eſt, quod de frumento & veſtibus poſtularet ſenatui curæ fore, adſcribi Pro-
prætorem non placuit. Quare, & Cl. Nerone poſt peractum bellum Capuanum deſtina-
to in Hiſpaniam cum ſupplemento peditum duodecim millium, equitum mille centum-
que, militum Martiique factum diſſimulanter accuſabant. naturæ vitio in timore benigni
ſumus, poſt victoriam ingrati. Omnino ea re motus Annibal, de rerum ſumma deſperare
cœpit, cum tantum animorum habere Romanos cerneret, vt hoſte pro portis excubante
(nam venerat Tarento Annibal ad liberandam obſidione Capuam, & inde repulſus ad
tertium ab Vrbe lapidem caſtra poſuerat) ſupplementum decernerent, mitterentque in
Hiſpaniam. Itaque ex ſenatus decreto, Nero Puteolis Tarraconem claſſe delatus, Martii
& Fonteii copiis adiunctis, continuo in Bæticam mouit, contra Aſdrubalem, qui in Auſe-
tanis Illiturgim inter & Mentiſam (Montegium eſſe creditur, aut Caſorla) ſtatiua habebat,
ad Lagides atros (ſaltus nomen id erat.) Eius loci faucibus à Nerone occupatis, Aſdrubal
fœderis ſimulatione, fanciendo retractandoque pacis conditiones, tantum temporis ex-
traxit, dum noctu copiæ per ardua montium euaderent; Romano Imperatore ſero ſe Pu-
nicis artibus circumuentum eſſe ſentiente, pugnamque expetente, cuius diſcrimen Pœni
cautiores omni cura deuitabant.

Carthago noua à P. Cor. Scipione expugnata. CAP. XX.

INTEREA Romæ de augendo Hiſpanienſi exercitu, Imperatoreque deligendo deliberatione ſuſcepta, populi comitiis habitis quoniam ancipites atque ſuſpenſi erant Patrum animi, cum nulli eum honorem ambirent ob magnitudinem periculi: P. Cor. Scipio L. Scipionis filius quatuor & viginti ferme natus annos prodiit candidatus, atque omnibus ſuffragiis Proconſul in Hiſpaniam miſſus eſt, nam Nero Proprætoris officio vicario fungebatur atque extemporali. Inerat animi magnitudo ſupra ætatem, eamque iuuenibus de Italia deſerenda deliberantibus poſt Cannenſem cladem, gladio in conuentu diſtricto, intentaque morte, niſi deſiſterent penituſque mutarent, ſatis declarauit, integritatis opinionem, religionis ſiue ſtudio ſiue ſimulatione, ex quo togam ſumpſit, diligenter aluit, Iouis Capitolini templum frequentando, ſacriſque procurandis, quoties aliquid ſiue publicæ rei ſiue priuatæ aggreſſurus eſſet. Decem millia peditum, equites mille in ſupplementum dati, Syllanus Proprætor in Neronis locum. legatos ſibi ipſe legit

L.Sci-

L. Scipionem fratrem & C. Lælium, cum cuius ex conſiliis ea omnia prodiiſſe creditum eſt, quæcunque à Scipione per omnem ætatem perfecta glorioſe ſunt. & vulgo iactabatur, Lælium comœdiam ſcribere, Scipionem agere. His præſidiis atq; his copiis ad oſtia Tyberina claſſe inſtructa, in Hiſpaniam ſub finem anni appulſus, milite omni verborum honore collaudato, Martium in præcipuo honore apud ſe habuit, Quo anno M. Marcellus Ouans ob Syracuſas captas, in vrbem ingreſſus eſt, Merico Hiſpano, qui vrbem præſidiumq; prodiderat, præeunte in corona aurea. Eius militibus Murgantii agri attributi merces operæ, olim Hiſpanorum coloniæ, vt noſtri ſcriptores affirmant. Proximo anno, qui annus ab V. C. erat quingenteſimus quadrageſimus quartus, Scipio ad prima veris ſigna, ſuis & ſocio- 544.
rum copiis contractis, Iberum traiicere, atque Carthaginem nouam impugnare decreuit, qua vrbe capta cogitabat, quoniam omnium munitiſſima erat, exaduerſum Africæ portui commodiſſimo impoſita, in eamque Pœni Hiſpaniæ obſides, ſubſidia belli, & militum impedimenta contulerant, ſperabatque Carthaginenſes de totius Hiſpaniæ poſſeſſione depellere. Temerarius conatus non erat: nam modico præſidio tenebatur, & Pœnorum Duces procul habebant caſtra: Mago prope Gaditanos, Aſdrubal Giſgonis ad Anæ oſtium, alter Aſdrubal in Carpetanis curabat. Claſſis Romanæ Lælius cura ſuſcepta, modicis itineribus ſubſequi iuſſus eſt. Scipio cum omni exercitu, in quo vtriuſque gentis viginti quinque millia peditum erant, equites duo millia & quingenti, pedeſtri itinere Carthaginem die ſeptimo peruenit. Sequenti die vno tempore à mari & à terra vrbem impugnare conſtituit. Mago contra præſidii præfectus armare ciues, loca omnia militibus firmare, bellicas machinas expedire, nulla re prætermiſſa, quæ ab ſtrenuo Duce poſſet deſiderari. Erat ea vrbs in cliuo poſita portui imminens, inſula ad portus fauces obiecta (vti alio loco eſt dictum) quæ ſtationem tutiſſimam efficit, tribus ex partibus circumfuſo mari, aditu à terra verſus Septentrionem arduo, muroque ex ea parte altiſſimo. Romanos ea inuadentes parte repellunt Hiſpani caſtris hoſtium oppoſiti. cedentibus facta eruptione inſtant acerrime primum: deinde ſubſidiis è caſtris Romanorum ſubmiſſis, terga vertunt ipſi tanta ciuium trepidatione, verentium ne hoſtes permiſti ſuis ingrederētur in vrbem, vt mœnia defenſoribus nudarentur. Rei bene gerendæ occaſione animaduerſa milites ſcalis muro ſuccedere tentant, mari terraque. ſed cum male mulctarentur, telis & lapidibus è ſuperiori loco coniectis, eoq; maiore vi ictu certiori, receptui ſignum eſt datum. Erat ad Occaſum vrbi coniunctum æſtuarium, quod remittente maris æſtu cognitum ex piſcatoribus eſt, peruium pediti eſſe. Ea milites bifariam iuſſi murum inuadunt, oppidaniſque alteri agmini reſiſtentibus, reliqui in muros ſcandunt. Aderat Dux Romanus teſtis ſpectatorque ſingulorum virtutis & ignauiæ, magnum in pugna incitamentum. Superato muro & proxima porta occupata intra diem vnum vrbs venit in poteſtatem: arcem etiam dedente Magone Pręfecto. Præda ingens fuit, tormenta bellica multa, ſigna militaria ſeptuaginta quatuor, naues onerariæ in portu ſexaginta tres, commeatu & inſtrumento nautico onuſtæ. Capti ad decem millia homines. ex his oppidani dimiſſi, ſuaque eis omnia conceſſa. Ea libertati gratia addita promerendis prouincialium voluntatibus. quin obſides ipſi pars ciuitatum legatis conceſſi, pars honeſtiſſime habiti. in his filiæ Indibilis, & fratris Mandonii vxor, puellaq; inſigni forma, quam à militibus oblatam, ne videre quidem voluerat, cum ſuæ ætati intelligeret, non aliunde maius eſſe periculum, quam ab inhoneſtis voluptatibus. Cui deſponſa erat Celtiberorum Principi Luceio, Scipionis iuſſu conſeruata & reſtituta eſt, addito etiam auro ad dotem augendam, quod à puellæ parentibus fuerat oblatum, libertatis pretium. Qua ille benignitate victus, intra paucos dies cum mille & quadringentis equitibus veniens ad Scipionem, fortem & fidelem operam nauauit Romanis. Præmia militibus ad veram meritorum rationem exæquata, & duobus de corona murali cōtendentibus totius exercitus ſtudiis diuiſis in partes, vtrunq; eo honore dignum videri pronunciauit, coronaq; donauit. Lælio corona aurea & in ſacrificium triginta boues dati: miſſuſq; continuo Romam cum quinqueremi, in qua mago Præfectus & quindecim Pœnorum ſenatores vehebantur, nuncius de capta Carthagine. Vrbis deinde aliquanto tempore muris refectis, quibus partibus labefactati erant, præſidium impoſitum. His ita geſtis Scipio quidem ad generales ſociorum conuentus habendos Tarraconem rediit, ſub eiuſdem anni exitum: Lælius autem dato Romæ ſenatu, quantum virium capta Carthagine acceſſiſſet, longa oratione diſſeruit. Ex captiuis quæſtione habita, cognitum quod M. Valerii Meſſalæ ex Sicilia litteris nunciatum erat, Maſiniſſam quinque in Africa Numidarum millia ſub ſignis habere, & Afrorum copias ſcribere, atque de repetenda Hiſpania cogitare. Aſdrubalem Barchinum cum iis copiis & noua Hiſpanorum manu ſenatus iuſſu in Italiam deſtinatum, ſubſidium Annibali. Magnum ea res populo metum atq;

ſenatui vniuerſo curam ingeſſit: & per eos dies ad Herdoneam vrbe in Samnitibus nõ exigua clades erat accepta Cn. Fuluio Prætore cũ duodecim Tribunis numeroſoq; exercitu cæſo. quidam tredecim millia cecidiſſe affirmant, ſeptem alii.

Aſdrubal Barchinus à Scipione victus. CAP. XXI.

IN Hiſpania magna conuerſione rerum facta pleriq; ad Romanos inclinare cœperunt. Edeſcus ſummo loco inter Hiſpanos, vxore & liberis receptis, quoniam inter obſides erant, Romanorum partes ſecutus eſt. Mandonius & Indibilis Celtiberorum Principes, nouæ proditionis venia impetrata in gratiam recepti. Erant Aſdrubalis Barchini caſtra ad Betulonem, quæ vrbs in Bætica fuiſſe creditur, quibus nunc locis Vbeda & Biatia ſunt.
545. Eo Scipio cum primum per anni tempus licuit, eius qui ab V. C. fuit quingenteſimus quadrageſimus quintus, adiuncto Lælio, qui Roma redierat, Tarracone mouit. Aſdrubal Scipionis aduentu cognito, atq; ſuorum viribus & Hiſpanorum voluntate diffiſus, noctu in tumulum copias traducit: cuius radices fluuius (Bætis vt creditur) circulo magnaq; ex parte ſubluebat. Faſtigium diſtinguebat gemina planicies. in inferiore ſubiectaque Numidæ, Afri, Baleares conſtituti. in ſuperiore cum robore exercitus Dux ipſe conſtitit. Scipionem neq; loci iniquitas neq; periculum deterruit, quin cũ perterrito hoſte, locoq; magis quam viribus confidente, manus conferret. Subeundi difficultas magna fuit, nullo hoſtium fruſtra cadente telo. In planiciem magno niſu vbi ventum eſt, cominus pugna conſerta continuo hoſtes conuerſi in ſuperiorem tumuli partem ſeſe receperunt. In eam diuiſis copiis Scipio, quoniam difficiliori aſcenſu erat, flexo atq; adeo molliori cliuo, læua ipſe, Lælius dextra euadentes, atque ab vtroq; ingruentes latere, hoſtes momento temporis fuderunt, neq; pugnam in cornua vertere valentes, nec ad collocãdos in fronte elephantos ſatis ſpatii nacti. Ad octo hoſtium millia ceciderunt, capti decem millia pedites, equites duo millia. In his Maſſiua puer Maſiniſſæ, qui nuper ex Africa venerat, nec prælio interfuit, ex ſorore natus, veſtibus equoq; donatus ad auunculum dimiſſus prælio peracto eſt. Aſdrubal pecunia elephantiſq; præmiſſis, cum copiarũ parte non prius ſubſtitit, quam ad Pyrenęum ventum eſſet: eodem Aſdrubal Giſgonis & Mago cũ veniſſent, communi conſilio decretum: Aſdrubalem quidem Giſgonis in Luſitaniam concedere, Maſiniſſam cũ tribus equitum millibus per Citeriorem Hiſpaniam vagari: pugnæ vtrunq; neceſſitatem diſcrimenq; omni ratione vitare. Mago ad colligenda funditorum auxilia in Baleares dimiſſus. Barchino autem Aſdrubali videri neceſſario in Italiam commigrandum, vt ſenatui morem gereret, & Hiſpanos milites, qui ad Scipionem reſpiciebant, longinquitate ſanaret. Atque hæc Pœni. Scipio autem adulta ætate per Caſtulonenſem ſaltum Tarraconem reuertit. vbi in
546. ſequenti toto anno, qui fuit ab Vrbe condita quingenteſimus quadrageſimus ſextus, Pœnorum viribus fractis, atq; republica moderanda occupatus ſubſtitiſſe videtur: neq; quidquam accidit ad memoriam illuſtrius, quam quod eſt ab Italia allatum. Ad Tarentum in tumultuaria pugna Marcellum Conſulem cæſum ab Annibale, Collegam Criſpinum ſauciatum, atq; ex vulnere obiiſſe. In locum Barchini Aſdrubalis Hanno Carthagine miſſus
547. in Hiſpaniam venit, anno ab Vrbe condita quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Magone ex itinere adiuncto, qui eatenus in Balearibus hæſerat. In Celtiberis delectus habẽtem Hannonem miſſus à Scipione Syllanus cepit viuum, Magonem etiam ſuperauit acie, cum ex aliis caſtris ſocio auxilio ſuperueniſſet. Scipio ea victoria nunciata Aſdrubalem Giſgonis prope Gadeis caſtra habentem, ſibi impugnandum ſumpſit. Ille tot cladibus caſtigatus, ante Scipionis aduentum milites per vicinas vrbes & præſidia diſtribuit, quoniam dextris virtuteq; diffideret. Huius conſilii Scipio certior effectus, ipſe quidem retro conuertit iter: Lucius autem frater ad expugnãdam Oringim vrbem miſſus in Meleſſum finibus (Plinius Oningim in Bætica, quibus locis Giennium nunc eſt, collocat) breui operæpretium fecit, capta atque direpta vrbe. Pœni omnes & trecenti ciues, qui portas venienti clauſerant, in ſeruitutem abducti. cæteris libertas ſuaque omnia reſtituta. & quia hyemis tempus appetebat, exercitu in hyberna dimiſſo, Lucius ipſe Romam à fratre miſſus cum Hannone cæteriſque nobilibus captiuis Patribus geſta nunciauit. Quo tempore ex Italia nunciatum eſt Aſdrubalem Barchinum, qui in Gallia Alpiumque tranſitu omnia faciliora opinione erat expertus, in Piceno à L. Claudio Nerone & M. Liuio Salinatore Coss. in Metauri fluminis tranſitu ingenti prælio victum ac cæſum fuiſſe, exęquata Cannenſi clade, ſiue Ducis cæde, ſiue occiſorum numero. Nam quinquaginta ſex millia ceciderunt, magna populi Romani lætitia, in eius pugnæ euentu rerum bellique ſummam verti conſiderantium.

Pœnâ

Pœni ex Hiſpania pelluntur. CAP. XXII.

SEQVENTI anno ab Vrbe condita quingenteſimo quadrageſimo octauo, Aſdrubal alter, ſupremo adhibito conatu numeroſum exercitum conflarat, nouo prouincialium delectu & veteribus copiis in vnum corpus collatis. caſtra in Betica ad Silpiam vrbem poſuit, in quibus quinquaginta millia pedites, equites quatuor millia & quingenti erant, tantæ multitudini Scipionem haudquaquam parem fore arbitratus. Ille re cognita à Colca Bæticæ Regulo, qui partibus ſtudebat, peditum tria millia, equites quingentos accepit. plures ex Hiſpanis adiungere verebatur, patris & patrui exemplũ pro documento habens, ita fidendum externis, vt propriis viribus amplius crederet. Cum his auxiliis & Romanis legionibus hoſti obuiam profectus eſt. Leuia aliquot dies prælia fuere, deinde copię vtrinque in aciem productæ, nullo operæpretio, cum neutri pugnam inciperent. Erat vallis inter duas acies haud magno & difficili aſcenſu hanc vtrique ſi alteri tranſire tentarent expectabant, quo æquiore loco pugnam committerent. Et cum neutri auderent, ſub veſperam copiæ reducebantur in caſtra, Pœnorum prius, deinde Romanæ. Hoc conſiliorum tenore dies aliquos extracti: donec Scipio ſuorum curatis corporibus ſummo mane in hoſtium caſtra impetum dat. Aſdrubal re inopina commotus, equitatu præmiſſo aduerſus Scipionis equites, qui primi caſtra tentarant, copias in pugnam eduxit. diu ab equitibus ancipiti pugna dimicatũ: Scipioque ſuos in mediam aciem cũ recepiſſet, vtroq; cornu explicato atque promoto, quæ ex Romanis legionibus conſtabant, priuſquam mediæ acies iungerentur, hoſtium cornua, in quibus Baleares tyroneſque Hiſpani erant loco mouit atque in fugam compulit. Nam virtute impares erant, & ieiuni ad pugnam proceſſerant: cuius initium de induſtria ad multam diem fuerat à Romanis extractum. Caſtra in quæ prius ſeruatis ordinibus, deinde etiam effuſa fuga ſeſe receperant, ne continuo caperentur, effuſus repente imber effecit. Aſdrubal ſociorum inconſtantiam veritus, ne quod nonnulli continuo fecerunt, cuncti ad Romanos tranſirent, ſequenti nocte ſilentio motis caſtris, quantum extendere iter potuit, retro redire conſtituit. Scipio ſequenti luce hoſtium fuga perſpecta, equitatu præmiſſo, qui nouiſſimum agmen carperet, diſtineretque, legionum aduentu hoſtem penitus conturbauit. Magna cædes fuit, vixque ſeptem millia ex tantis copiis cum Duce in tumulum præruptum naturaque loci munitiſſimum euaſerunt. vbi Aſdrubale Gadeis elapſo. Scipioneq; cum copiarum parte Tarraconem profecto, cum reliquis copiis, à Syllano obſeſſi Pœni ſunt. Erat inter Pœnos Maſiniſſa relictus, qui punicis rebus inclinatis penitus atque collapſis, ad fortunæ motum ſe mouere conſtituens, clam de tranſitione ad Romanos, primum cum Syllano eſt collocutus. Hoc bellum veris initio geſtum eſt: eoq; confecto Hiſpania omnis Pœnis adempta in Romanorum ius ditionemq; conceſſit, quartodecimo anno ex quo Annibal Saguntinos violarat, quinto vero ex quo Scipio Hiſpaniæ Proconſul erat factus. 548.

Alia Scipionis geſta in Hiſpania. CAP. XXIII.

BELLO in Hiſpania magna ex parte profligato, Scipio de Africæ ipſiuſque adeo Carthaginis expugnatione cogitans, Maſiniſſa primum in amicitiam accepto, deinde in Africam miſſo ad ſolicitandos populares deducendoſque ab amicitia Carthaginis, Syphacem ipſe Regem Romanæ reip. conciliare parat. Miſſus in eam rem eſt C. Lælius in Africam. Barbarus facturum ſe fœdus negare niſi Duce Rom. præſente. Scipio profectus in Africam Sigam peruenit: hodie Areſgol eſſe putatur Malacæ obiecta, vti Plinius ait. Eodem Aſdrubal erat ſtudio Regem occupandi appulſus: magna Barbari gloria, cum duę potentiſſimæ gentes, duoq; clariſſimi Duces eius amicitiam magno licerent. In eadem Romanus Pœnuſq; menſa cænarunt, quod mirere amplius, eodem in lecto cubuerunt. Regis id gratiæ voluntatiq; datum. vt de pace ageretur à Scipione impetratum non eſt, abſq; conſcientia Romani ſenatus excuſante, nihil ſtatui poſſe. Ergo pro quo venerat, Rege in partes tracto, in Hiſpaniam rediit. Eius reditu Illiturgis & Caſtulo, quæ vrbes conſcientia facinoris dudum in Romanos concepti, magis quã ſpe defenſionis in fide Pœnorum perſtabant, breui in Romanorum poteſtatem venerunt. Illiturgi exciſa, Caſtulo eſt conſeruata. nam minor culpa erat, & voluntaria deditio victorum animos flexerat. Deinde Martio aliis vrbibus ſubigendis occupato, Carthagine P. Cor. Scipio patri patruoq; iuſta funeris facienda curauit. Plinius Scipionum rogum Illorci extitiſſe ait: quem Tader ſeu Bætis, vti alia exemplaria habent, Tugienſi exortus ſaltu refugit, non procul Carthagine, (Lorquinum quidam putant, alii Lorcam.) In eo funere voluntariorum gladiatorum ludi editi. In

quibus Corbis & Orſua patrueles de Ibæ vrbis principatu ex prouocatione dimicarunt. Valerius Maximus fratres fuiſſe ait. Conuenit Orſuæ ætate minoris peruicaciam morte mulctatam, minori miſeratione quod viribus confiſus adduci non potuit, vt verbis potius quam armis diſceptaret. Multæ interea vrbes ſeſe dedebant Martio. vni Aſtapæ incolę venia deſperata, quod incurſionibus ſæpe Romanorum ſocios fatigarant, obſtinatis animis obſidionem diu tolerarunt: demum reliquis in acie pugnaq; trucidatis, qui in vrbe remanſerant, fœminis & pueris, vt conuenerat, antea iugulatis, atq; igne rebus in foro ſuppoſito, ſuis ſe gladiis peremerunt. haud minorem quam Saguntinorum ſiue obſtinationem ſiue inconſtantiam loci ignobilitas obſcurauit. Huius vrbis ruinæ ad Singilim fluuium extant, non procul Aſtigi atq; Antequera: vnde conſtitutum creditur, quod octo ab eo loco millibus hodie oppidum Eſtepæ nomen habet. His rebus peractis Lælius & Martius Gadeis dimiſſi ad ſpem eius inſulæ in fide Pœnorum perſtantis, occupandæ quorundam perfugarum proditione. fefellit eos ſpes, cum Magoni id periculum eſſet indicatum, Scipionem importuni morbi vis occupaſſet. Cuius fama, vt fit, variis hominum ſermonibus aucta, Mandonius & Indibilis aperte à Romanis defecerunt. Deluſos ſe ea ſpe dolebant, qua pulſis Pœnis Hiſpaniæ regnum ſibi pollicebantur, vitio mortalitatis facile ſperantes quod cupiebant factum. Octo præterea Romanorum millia, qui ad Sucronem erant, poſtulatis importune ſtipendiis ſeditionem concitarunt. magna rerum erat turbatio. in ſpem Mago erectus rei Punicæ reſtituendæ in Hiſpania, datis ad ſenatum litteris valida auxilia mitti poſtulabat. Verum eæ molitiones inanes extiterunt. Scipione è morbo recreato, ſeditionis ardor breui reſtinctus eſt: & magnorum motuum occaſio ſublata. Romani milites ſpe veniæ, & ſtipendii pollicitatione Carthaginem nouam deducti, à Scipione caſtigati grauiſſima increpatione vniuerſi ſunt: ſupplicium penes auctores ſeditionis ſtetit. mox in Ilergetibus, vnius & alterius diei pugna hoſte ſuperato exutoq; caſtris, Mandonius & Indibilis Duces & auctores defectionis facta deditione ad victoris voluntatem recepti ſunt, gratia delicti facta, pecunia tantum in ſtipendium mulctati. Venerat Gadeis Maſiniſſa cum Numidarum auxiliis ex Africa, nondum deficiendi ad Romanos animo patefacto. Eo Scipio Martio cum copiarum parte præmiſſo proficiſci parat. Cuius aduentu cognito Maſiniſſa, per ſpeciem finitimos agros populandi in continentem tranſmittens, conueniendi occulte Scipionem nactus facultatem, eam amicitiam ſanciuit, quæ ad vitę exitum ſtetit, & magno adiumento fuit Romanis ad euertendas opes Carthaginis, magnam ipſi gloriam pareſque opes attulit. Mago ſenatus iuſſu rebus in Hiſpania deſperatis, auro atque argento omni tum publico tum priuato in naues impoſito Carthaginem abiit, tentatis Balearibus, nam ad Romanos defecerant: atque ex minori quam ſine difficultate occupauit, duobus funditorum millibus præmiſſis in Africam. In ea inſula præcipiti iam autumno cum hyemaſſet, vrbem ſibi cognominem fundaſſe quidam ſuſpicantur. antiquiorem diſputant alii, vti ſuperius eſt demonſtratum. Liceat nonnunquam in rebus tam vetuſtis hallucinari. Scipio Gadibus in fidem receptis, atque Italica prope Hiſpalim Romanorum municipio fundato, trium Auguſtorum patria Traiani, Hadriani, Theodoſii, nondum Hiſpania in prouinciam redacta, quinto poſtquam venerat anno, decem nauibus Romam delatus eſt. ſenatu idem in æde Bellonæ foris ciuitatem dato, quantæ res in Hiſpania geſtæ eſſent, cum explicaſſet, magnam Patribus & vniuerſo populo lætitiam commouit, ex quanto periculo euaſiſſent Hiſpania ſubdita, quantum eſſet profectum veriſſime reputantibus. Triumphus datus non eſt, quoniam ad eam diem ex proconſulatu neminem triumphaſſe conſtabat.

Carthago à Scipione victa. CAP. XXIIII.

PROXIMIS comitiis Coſs. creati Cornelius ipſe Scipio & P. Licinius Craſſus Pont. Max. Sicilia Scipioni deſignata collega concedente. datum tamen expetenti à ſenatu, vt ſi è republica futurum iudicaret in Africam inde traiiceret, tametſi eam expeditionem Q. F. Maximus, longa oratione temerariam & plenam periculi fore diſputarat. Fuit is annus ab V. C. quingenteſimus quadrageſimus nonus. quo anno Mago quidem è Balearibus

549. ſoluens in Liguria Genuam euertit: à Lælio autē quem Scipio ex Sicilia præmiſit in Africam, Pœnorum agri igne ferroq; & abacta præda vaſtati. in Hiſpania Mandonius & Indibilis libertatis recuperandæ ſtudio ſiue regnandi ambitione, rebellandi conſilium ceperunt, Belli initium non in Ilergetibus modo, vbi ipſi principatum obtinebant, ſed etiam in Auſetanis, vbi Vique vrbs nunc ſita eſt, & aliis finitimis locis factū, breuiq; in Sedetanis vt Liuius ait (Ceretanos mallem qui poſt Ilergetes & Auſetanos ad Pyrenęi radices ſiti ſunt) triginta millia pedites, equites quatuor millia ſub ſignis inuenti ſunt. L. Cor. Lentulus & L. Manlius Acidinus Proconſules, quibus Scipio prouinciam tradiderat, obuiam Hiſpanis profecti

præfecti eos collatis ſignis ſuperarunt. Cæſi ſunt ad tredecim millia hoſtium. reliqua multitudo in proxima ſyluas euaſit. Indibilis in acie occubuit: Mādonius Romanis deditus eſt ab Hiſpanis, eius morte rebellionis culpam expiare cupientibus. & Romani Proconſules denunciarant pacis nullam conditionem fore, niſi auctoribus ſeditionis in eorum poteſtatem redactis. Proximus annus, qui fuit ab V. C. quingenteſimus quinquageſimus, Hiſpanis 550
quidem quietus fuit tot annorum bellis exhauſtis, Carthagini autem funeſtus, cum Scipio numeroſa claſſe validoque exercitu traieciſſet in Africam, Quæſtore M. Catone qui Cenſorinus eſt dictus. Maſiniſſa continuo cum Numidarum manu ad Romanorum caſtra deſertis Pœnis palam venit. Nam Syphax Sophonisbæ amore corruptus, cuius nuptias tādiu affectarat, eas aſſecutus totus ſe ad Pœnos contulerat. Belli initio Hanno Amilcaris filius ſuperatus acie cæſusq; eſt. Aſdrubal & Syphax, Vticæ obſidionem vt ſolueret, Scipionem compulerant. nihil præterea magnæ rei in Africa geſtum eo anno eſt. Principio anni ſequentis, Cn. Seruilio Cæpione & C. Seruilio Gemino Coſs. nouis ex Italia Scipio auxiliis confirmatus in aciem contra Aſdrubalem & Syphacem progreſſus Pœnos aliquot præliis victos binis etiam caſtris exuit. In his præliis quadraginta hominum millia è Pœnorum exercitu cæſa ſunt. In eo numero Celtiberi quatuor millia Syphacis ſtipendia facientes. Maſſæſulorum prouincia quæ à Syphace fuerat intercepta Maſiniſſæ reſtituta eſt. Syphax ipſe cum in paterno auitoq; regno bellum repararet, Lælii Maſiniſſæq; ductu acie victus & captus eſt. Regia Syphacis Cyrtha in poteſtatem redacta. Sophonisbam ibidem repertam Maſiniſſa continuo nuptiis in procinctu factis cum vxorē adoptaſſet, vt ſunt in libidinem effuſi Mauri, caſtigatus eam ob cauſſam à Scipione verbis, eam veneno ſuſtulit. Rebus deſperatis Annibal decreto ſenatus in Africam reuocatur. Mago qui cum claſſe veniebat, ex veteri vulnere, quod in Inſubribus acceperat, & maris iactatione in Sardinia obiit. Annibalis aduentu de pace agi cœptum. Res videlicet Pœnorum in præceps ibant. Ab vtroq; Duce coram de fœderis conditionibus diſputatum. quoniam non conueniebant ad arma denuo eſt ventum. Pœni ſupremo prælio ſuperati. Annibal tota Africa cedere compulſus longinqua fuga ſe texit. Victis pax his tandem conditionibus data eſt. Vt Carthago ſuis legibus viueret. Ditionem iis, quibus ante bellum finibus terminaret. Perfugas, fugitiuos, captiuos redderent. Naues roſtratas ne haberent præter triremes, neq; domitos elephantos. Decem millia argenti talēta quinquaginta penſionibus repræſentarent. Hæc vt rata eſſent, quinquaginta Scipioni obſides eius arbitratu delectos darent principes ciuitatis. Graues conditiones erant, ſed neceſſariæ tantis vno tempore cladibus rep. oppreſſa & à Saguntinis capti Carthaginenſes quidam Romam delati venerant, cum auro & argento, quod ad ſolicitandum Hiſpaniæ quietem ex Africa attulerant. Laudata Saguntinorum in ſenatu conſtantia [illegible] retentis pecunia remiſſa eſt cultæ fidei pretium. Hæc anno ab V. C. quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, perfecta ſunt. Quo anno in proximum euoluto Cornelius Scipio omnium Imperatorum clariſſimus Coſs. Cn. Cornelio Lentulo. & P. Ælio Pæto Romæ de victa Carthagine triumphauit. Deceſſit prope Romam Syphax: quæ vna res ad triumphi ſplendorem augendum defuit, ſi tantus paulò ante Rex captiuus in Pompa duceretur. Ipſi Scipioni Africani cognomen eſt factum, meritis debita gratia. Sic ſecundum bellum Punicum finem habuit ſeptimodecimo anno ex quo erat inchoatum, omnium grauiſſimum & maxime anceps, eoq; lætiſſimo omnium exitu terminatum. 552

M. Portius Cato Conſul venit in Hiſpaniam. Cap. XXV.

Dvos in Scipionis locum in Hiſpaniam miſſos fuiſſe Proconſules monſtratum eſt. Ex his L. Cor. Lentulus ad ſpem triumphi, domitis Hiſpanis Romam rediit, ſexto poſtquam venerat anno. Poſtmodum C. Cor. Cetegus venit in Hiſpaniam, L. Manlio Acidino collega, exæquataque poteſtate duorum, anno ab Vrbe condita quingenteſimo quinquageſimo quarto. 554
Quo tempore Hiſpani ſuæ gentis conditionem miſerati, feroque intelligentes bella, quæ geſſiſſent Romani, non pro ipſorum libertate ſuſcepta eſſe, ſed ſtudio imperii amplificandi: coniuratione inter ſe inita rebellantes in Ceretanis, Cetegi celeritate eorū conatibus præoccupatis ad quindecim millia cæſi ſunt in acie. Sequenti anno Cetego & Acidino imperio abrogato ſucceſſores dati Cor. Lētulus, L. Stertinius. quo & tertio anno nihil accidit illuſtrius in Hiſpania, quā duas in ea ex vna præfecturas factas iuſſu ſenatus: Vlterioris Luſitaniæ & Bęticæ finibus terminatæ, atq; Citerioris, cuius ambitu reliqua Hiſpania continebatur. ii fines non ſemel commutati in vtraque præfectura, cognoſcenda antiquitate nonnullam pariunt difficultatem. In Gręcia bellum eadem tempeſtate cū Philippo Macedone gerebatur: & M. Portius Cato Sardiniam cum imperio gubernabat. Itaque anno ab Vrbe cōdita quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Cn. Sempronio Tuditan

Hiſpania Citerior ſorte deſtinata, M. Heluio Vlterior. Contra hos quia militi veterano miſſione conceſſa infirmiore: & iniuriæ opportuni fore viſi ſunt, Hiſpani variis in locis rebellarunt, Ducibus præcipuis Colca, atq; Luſcinone. Cum rebellium parte in Citeriori Hiſpania auſus Tuditanus dimicare inſignem cladem accepit, exercitu cæſo, atq; ipſomet ſauciato & paucis poſt diebus extincto, ex animi dolore vulneris acerbitate aucta. Ea res Romæ nunciata non maiorem moleſtiam quam curam attulit, formidantibus beliũ quod maiori mole renaſcebatur in Hiſpania, non ſciſſis ſtudiis vt antea pro Romanis & aduerſus Romanos, neq; ad pellendum finibus Pœnum, ſed pro veteri belli gloria, pro recuperanda libertate ab vniuerſa gente ſuſceptum. Miſſi in Hiſpaniam, Anno ab Vrbe condita quin-
558. gentesimo quinquageſimo octauo, in Vlteriorẽ quidem Q. Fab. Buteo, in Citeriorem autem Q. Minutius Thermus circumagente ſe anno ex prouincia diſceſſerunt haud magno operæpretio, niſi quod à Thermo ſcribunt duodecim Hiſpanorum millia ad Turbam vrbem acie fuiſſe trucidata. Creſcente itaq; cura Patribus Coſs. L. Valerius Flaccus & M. Portius Cato. Hiſpaniam Citeriorem ſortiri iuſſi ſunt anno ab Vrbe cõdita quingenteſimo
559. quinquageſimo nono. quod ad eam diem non erat factum, vt Conſul in Hiſpaniam iret, magnitudo periculi ſuaſit. Sortitione facta, Cato miſſus eſt cum duabus legionibus & viginti quinque longis nauibus. & nihilominus P. Manlius Citeriorem Hiſpaniam ex pretura obtinere iuſſus eſt, Vlteriorem App. Cl. Nero. Hoc apparatu Cato velis è portu Lunæ explicatis emenſus ſinum Gallicum, oram Hiſpaniæ tenuit: & ad Rhodopem circumacta claſſe, ex eius vrbis arce pulſo Hiſpanorũ præſidio, Emporias delatus, ab eius ciuitatis parte benigne acceptus eſt, quam Græci è Phocæa profecti obtinebant, & Maſſilienſium exemplo in fide Romanorum perſtabant. Erat enim ea vrbs in duas partes diuiſa muro interſecto. mari vicinam anguſtiorem ſpaciis, ac vix ambitu quadringentos colligẽtem paſſus Græcorum natio obtinebat è Phocæa profecta, vti eſt antea demonſtratum. latiorem habitabant Hiſpani tria millia circulo colligentem. Qua parte muro dirempti inter ſe erant vnica porta patebat ad alteros: cuſtode per diem adhibito, noctu non minus tertia Græcorum ciuium parte in muris excubabat: iiſq; tantum eo die ad maritima commercia prodire datum erat. Qua diſciplinæ diligentia in tanta paucitate libertatem ad Catonis aduentum illibatam conſeruarant. Hiſpani Romanum imperium reſpuebant, confiſi numero atque finitimis auxiliis. Cato poſitis ad eam vrbem caſtris redemptores Romam dimiſit, naues Maſſiliam: illos quoniam maturæ ſegetes erant alendo ex præda milite, claſſem vt ſpes reditus adempta niſi parta victoria milites acueret. Eodem tempore Heluius ex Vlteriori Hiſpania venit in caſtra, Celtiberis magno numero, qui obuiam prodierant, trucidatis ex itinere, atq; Illiturgi, quoniã nouo conatu defecerat, denuo expugnata iis copiis, quas præſidii cauſa a ſucceſſore acceperat. Venerunt præterea à Belliſtage Ilergetum Regulo legati auxilia poſtulatum aduerſus iniurias, quæ ab Hiſpanis rebellibus inferebãtur. vaſtatis agris ęgre à mœnibus vim hoſtium arceri. fore niſi mature opem ipſe tuliſſet pereundum omnibus, nulla grauiori culpa quam fidei erga Romanos ſuſceptæ culteq; conſtanter Quinque militum millia depellendo periculo fore ſatis. Adhæc Cato cupere ſe quidem ait ſociis opitulari. quæ ad amicitiam populi Romani attuliſſent ea ab hoſte eripi moleſtum eſſe. cæterum copiarum paucitate prohiberi ne continuo ſubſidio eſſet, ne diſtractis viribus, hoſtibus eſſet impar: qui ad obſidionem Emporitanorum ſoluendam magno numero feſtinare iamq; affore nunciabantur. fidei præmia debere eos euentu belli expectare. tantiſper modo ſuſtentarent hoſtiumq; iniurias aut arcerent, aut tolerarent, maioribus commodis ſanaturi parta victoria. Legati eo reſponſo accepto vehementius rẽ vrgere. ad genua Conſulis prouolui. infimis precibus poſtulare, ne in tanto diſcrimine rerum ſuarum à ſociis deſerantur. Tum Cato ancipiti cura diſtractus, cum intelligeret plerunq; bellorum euentus magis opinione hominum niti quam vera virtute conſtare, ad artes conuerſus die poſtero auxilia polliceretur legatis. tertia copiarum parte in naues continuo impoſita auxilii mittẽdi ſimulatione, eos in patriam præcurrere iubet, & ſuorum animos auxiliorum ſpe cõfirmare. Copiæ tamen poſt legatorum profectionem reuocatæ. nam Hiſpanorum exercitus in conſpectum venerat, & quam primum prælio decernere Conſul habebat in animo. De tertia vigilia copiis omnibus è caſtris eductis, atq; in alteram caſtorum hoſtilium partem traductis, tres dubia luce cohortes, hoſtiũ vallo ſuccedere iuſſę. Barbari repentina re commoti, miratiq; primum à tergo apparere Romanos, qui pridie à fronte erant: deinde quoniam pro portis valloq; ad pugnam hoſtis prouocabat irritati, nullo ordine nec certo imperio portis omnibus erumpunt, cedenteſq; Romanos, nam vt ita facerent moniti erant, diſpalati inſequuntur. Eum impetum Romani certe equites non ferentes in fugam verſi legiones etiam conturbarunt primũ, deinde acie reſtituta promotaq;, hoſtiumq; audacia compreſ-

compreſſa eſt, & æquo vtrinque diſcrimine pugnatum aliquandiu. Erat legio in ſubſidiũ à Catone ad omnes caſus parata. ex hac cohortes aliquot in pugnam recentes inductæ hoſtem in fronte atq; in ſiniſtro cornu laborantem loco pepulerunt. in fugam verſum atq; in caſtra compulſum caſtris exuerunt. In pugna fugaq; ſupra quadraginta Hiſpanorum millia cecidiſſe ſcribunt. Sequenti nocte modica quiete ſumpta milites ad vaſtandos Emporitanorum agros educti ſunt. conſternati eo incommodo ciues extemplo defenſione deſperata portas Victori aperuerũt, parati imperata facere, rebuſq; omnibus iuuare. in fidem acceptis Cato omnem humanitatem exhibuit, præſidio militari impune dimiſſo, quod ex finitimis conſtabat. Secundum eam victoriam vniuerſa citra Iberum prouincia pacata Tarraconem itum eſt. Bergiſtani Cos. profectionem ad occaſionem tumultuandi vertentes pari celeritate ad officium retracti ſunt. Venia tunc data denuo rebellantibus negata eſt. vniuerſi ſub corona in ſeruitutem venditi. crudele exemplum: ſed cæteri eo ſupplicio caſtigati retenti à defectione ſunt. Bergua nunc oppidum eſt nõ procul Oſca, quidam malunt Bergiſtanos tenuiſſe loca, vbi nunc Tutulis ſeu Tiruela eſt. Turdetani in extrema Hiſpania & ipſi rebellantes à Manlio Citerioris Hiſpaniæ Prætore ſuis & Neronis copiis ſuperati erant. in hos quoniam aduocatis Celtiberis bellum reparare dicebantur, priuſquàm Conſul moueret, oppida omnia citra Iberum armis exuere conſtituit. Continenda in officio gente remedium vniuerſos conturbauit. quidam etiam manus ſibi attulerunt, quibus arma vita potiora erant. Sic mutato decreto ad certam diem dimiſſis in omnes partes legatis cunctæ eo tractu vrbes mœnibus nudatæ ſunt. Conſilio patrato, atq; Turdetanorum motibus interea à Manlio compreſſis, pari celeritate Seguntiam contendit, vbi Celtiberorum impedimenta erant. ingens præda. Verum eius vrbis capiendæ ſpe, contra quam cogitarat, deiectus Numantiam abiit auctore Gellio. Cis Iberum demum Ceretanis, Auſetanis, & Sueſſetanis in fidem ex deditione acceptis, Lacetanos regionis longinquitate & locorum aſperitate confiſos armaq; mouentes domuit. Pacata per hunc modum Hiſpania vniuerſa, auctoq; vectigali publico, ex argenti ferriq; ſecturis, nouis creatis in iiſque in eas prouincias Prætoribus, Cos. Romam reuocatus, ſplendido triumpho in vrbem inuectus eſt. in quo argenti infecti ſignatiq; centum quadraginta octo millia pondo, Oſcenſis auri, quingenta quadraginta illata: Militi ſeptuageni æris in capita donati, equiti triplicatum. Domitæ Hiſpaniæ Cato per totam vitam patrocinium ſuſcepit: eamque ab iniuria tutatus eſt. Et eſt magnis viris innatum, qualis Cato fuit, poſt contentionem in ſupplices & poſtratos humanitatem ſuſcipere, iram miſericordia mutare. Ex voto ad Emporias nuncupato ædiculam Romæ poſt biennium extruxit, vt in Liuii codicibus eſt, & Victor affirmat de regionibus Vrbis Romæ, Victoriæ Virgini. monetæ expreſſa Catonis facie magno effoſſæ numero, Victoriæ victrici habent.

Varii Prætores veniunt in Hiſpaniam. CAP. XXVI.

PLVRES deinceps Prætores miſſi ſunt in Hiſpaniam. quorum nomina adſcribere viſũm eſt, temporibus neque accurate deſignatis, neque penitus prætermiſſis. Primi in hoc numero ſunt Sex. Digitius murali corona clarus in expugnatione nouæ Carthaginis, P. Cornelius Scipio Naſica, Cn. Scipionis filius decreto ſenatus Roman ſanctiſſimus. Poſt hos vno tempore vtranque Hiſpaniam rexerunt. M. Fuluius Nobilior, cuius virtute Toletum in ditionem Romanorum venit & C. Flaminius. Huic prorogato imperio, Fuluio ſucceſſor eſt datus L. Æmilius Paulus, is cui ob deuictum Regem Perſeum, Macedonico cognomen poſtea fuit. Deinde L. Plautius Hypſæus in Citeriorem Hiſpaniam Prætor venit. in Vlteriorem L. Bebio Diuite in Liguribus cæſo, cui ea prouincia deſignata fuerat, P. Iunius Brutus, Horum decurſo præturæ tempore L. Manlius Acidinus Citeriorem Hiſpaniam, Vlteriorem C. Catinius toto biennio tenuerũt. Acidino atq; Catino ſucceſſores dati ſunt C. Calphurnius Piſo, & L. Quinctius Criſpinus anno ab Vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo octauo, 568 quo anno Catinius nondum ſucceſſore in prouinciam delato, in Luſitania occubuit prælio ad Aſtam facto. Piſo & Calphurnius biennio prouincia geſta, de victis Luſitanis Celtiberiſque Romæ triumpharunt. Succeſſores dati A. Terentius Varro Citerioris, Vlterioris Sempronius Longus. Secundum hos P. Manlius Vlterioris Hiſpaniæ, qui Conſul M. Catone eandem prouinciam ex prætura gubernarat. Citerioris Q. Fuluius Flaccus. Ab hoc Celtiberi in Carpetanis inſigni prælio victi ſunt ad Eburam oppidum, quod Ptolomæo oppidum Libora eſt. Biennium hi Hiſpaniam rexerunt. quo tempore exacto, noui Prætores Roma miſſi, Vlterioris Hiſpaniæ L. Poſthumius Albinus, Citerioris Ti. Sempronius Gracchus Gracchorum pater ex Cornelia filia Scipionis maioris, alteriuſque Corneliæ matri cognominis: quæ nupſit Scipioni minori, cui etiam Africani nomen fuit. Sempronii Prætoris virtute multæ in Hiſpania victoriæ partæ,

Numantiaq; primum in Romanum fœdus venit. Præterea quibus nunc locis Agreda ſupra Soriam cernitur, Gracchurris, quę antea Illurcis vocabatur, de Gracchi nomine ſic dicta eſt. inſtaurauit nimirum illam, aut ædificiis & regionum amplitudine illuſtrauit Monetæ Gracchurris percuſo nomine in Hiſpania viſuntur: Albini multo maiori numero.
577 Anno ab Vrbe condita quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo M. Titinius Curuus Citerioris Hiſpaniæ Prætor fuit, Vlterioris Q. Fonteius. Hi tribus annis res in prouincia geſſerunt: quarto qui Prætores venerint non ſatis conſtat: tametſi Ap. Claudium Centhonem ſcribunt victis Celtiberis ouationem Romæ meruiſſe anno quingenteſimo octogeſimo. annum quidam ex hoc numero demunt. Omnino per idem tempus Hiſpaniæ Prætores fuerunt Vlterioris quidem Seruilius Cępio, Citerioris autem Furius Philo. Succeſſere M. Macienus & Cn. Febius Buteo. Verum Buteone in itinere ex iactatione maris Maſſiliæ defuncto, iuſſu ſenatus inter Prætores priores ſortitione facta Furius in prouincia permanſit Citerioris Hiſpaniæ pro defuncto Buteone vicarius. Annus quingenteſimus octogeſimus ſecundus Prætores Hiſpaniæ dedit Citeriori M. Iunium, Vlteriori Sp. Lucretium. Eo anno circumacto vtriuſq; Hiſpaniæ pręfectura in vnum collata, atq; L. Canuleio demandata eſt. Hoc priuſquam in prouinciam iret, iudice ab Hiſpanorum legatis quidam è prioribus Prætoribus repetundarum poſtulati, abſoluti iudicio ſunt more ſuſcepto, vt in cæteros ſeueri Romani Patres ſibi mutuo parcerent, qua inuidia paſſim flagrabant. Id modo leniendis prouincialium animis datum, ne frumentum venderetur à magiſtratu Romano pretii æſtimatione facta: neu viceſimam, vectigalis genus redimere cogerentur Hiſpani ex Prætoris voluntate. Additum ne publicani vectigalia licerent: redigendæ è vectigalibus pecuniæ oppidis cura poteſtaſq; eſſet. Noua legatione impetratum etiam eſt, vt ex militibus Romanis & matribus Hiſpanis ſtupro geniti, quos Hybridas vulgus vocabat, & ſeruorum conditione erant, agris donarentur. Si quos ex ea multitudine hominum amplius quatuor millium, Canuleius Prætor manumittendos iudicaret, eos Carteiam deduceret coloniæ iure & nomine addito. Sic ea ciuitas prima Romanorum colonia in Hiſpania fuit, Carteiaque ex eo Libertinorum colonia dicta eſt. Canuleo ſucceſſor M. Marcellus anno ab Vrbe
585. condita quingenteſimo octogeſimo quinto Cordubam fundauit vrbem in Bætica nobilem, magnorum ingeniorum matrem. Strabo à M. Marcello Cordubam fundatã ait. quod dictum de hoc tempore interpretari commodius arbitror, quam cum poſt aliquot annos Cos. Hiſpaniam repetiit. Silius Annibalis ætate Cordubę mentionem facit. quod ſi verum eſt, ex eo M. Marcellus eam laudem tulit, quod eam vrbem ædificiorum elegantia & maieſtate exornatam municipii iure donauit. coniecturæ neq; certę neq; prorſus inanes. Succeſſit Fonteius Balbus. Et rurſus Hiſpania in duas præturas tributa, Cn. Fuluius & C. Licinius Nerua. Quo tempore Iudas Machabæus Iudæorum Dux clariſſimus in amicitiam venit populi Romani, armis in Aſiam prolatis ingenti gloria parta ſed & auctis immenſum vectigalibus potentiſſimi ſecturis in Hiſpania auri & argenti, vt fama ferebat, occupatis. Atque hoc loco Prætorum Hiſpaniæ enumeratio reſiſtat, ſi vlterius procedatur moleſta magis quam ex vſu futura. Neq; vero licet corruptis antiquis monimentis hiſtoriam continuare locis omnibus perpetuam: ne conuenit quidem rerum Romanarum adipe amplius annales Hiſpaniæ infercire quaſi per ſe graciles, rimas explere rudere.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER TERTIVS.

Belli Numantini initium, CAP. I.

610. BELLVM diuturnum atque atrox anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo primo in Hiſpania natum eſt, præliorum euentu varium, ſucceſſu Hiſpanis tãdem exitiale. Horum motuum principes auctores Numantini extiterunt, imperii videlicet grauitate feſſi & Romanorum iniuriis exacerbati. Numantia formido ac terror populi Rom. gloria decuſque Hiſpaniæ in extremo Celtiberiæ ad Septentrionẽ angulo ſita fuit atq; in Areuacis quatuor amplius millibus ſupra Soriam ad Garai pontem, on procul ab ortu Durii fluminis eius vrbis veſtigia monſtrantur. Natura loci quam arte munitior

munitior fuit in cliuo poſita molli quidem aſcenſu, aditu tamen difficili, quod tribus ex partibus montibus ambiatur, vno tantum latere in planiciem deſinente, prouentu fertilem & ſecundum Teram amnem duodecim millia, quouſque in Durium influit protenſam. Lacædemonum inſtituto nec mœnibus munita erat, nec turribus circumuallata, & ad gregum paſcendorum commoditatem regionibus aliquanto latior, quam vt perpetuo muro includi poſſet arce tantum munita erat, vnde laceſſenti hoſti repugnare ſoliti erant: in eamque fortunas omnes in belli diſcrimine conferre: ciuium numero modico, vnde quatuor pugnatorum millia prodibant in aciem (alii hunc numerum duplicatum ponunt) genere vitæ & omnium rerum patientia durati. multum audaciæ ad bella ſuſcipienda inerat, multum prudentiæ bellis adminiſtrandis. Iunxerat Sempronius Gracchus, quo tempore res geſſit in Citeriore Hiſpania, cum Numantinis fœdus, his legibus. Oppida & arces ne ædificantor, neu muniuntor abſque conſcientia Romani ſenatus. Vectigal penditor quibus oppidis & quantum eſſet imperatum. Caſtra Romana ſequuntor, quoties eſſent ad ſigna vocati. Erat præterea in Areuacis (Appianus in extrema Celtiberia inter Belos collocat, fortaſſis quibus nunc locis Vxama ſita eſt) Segeda vrbs quadraginta ſtadiorum ambitu. Hæc vrbs atque eius exemplo Tithii finitimi nouorum motuum cupiditate cum finitimis populis fœdus inire, mœniaque inſtaurare nihilq; eorum prætermittere, quæ ad propulſandum bellum fore ex vſu iudicarent. Vetitum à Romano ſenatu in opere progredi cum eſſet, & tributa ex fœdere imperata, iuſſumq; Romana caſtra ſequi, quorum ætas idonea erat ad induenda arma: aliam ex alia nectentes moræ cauſam facere recuſarunt. Hinc belli eius prima occaſio extitit, quo Numantia implicata eſt Segedæ vicina, & cum illa armis fœdereq; contra Romanos ſociata. Nam Romani ne prima negligendo malum ſerperet, continuo arma expedienda fore iudicarũt. Erat eodem tempore in Luſitania natum Romanis bellum cum Ceſſarone, qui reſtituendæ priſtinæ libertatis curam ſuſceperat vniuerſæ prouinciæ voluntate, Africani cuiuſdam vicarius atque ſucceſſor: qui non ita pridem contra Romanos rebellarat, & in expugnatione cuiuſdam vrbis ictu lapidis fuerat occiſus. Hi motus Romæ nunciati magnam curam iniecerunt Patribus atque ita vt L. Mummio Vlterioris Hiſpaniæ Prætore deſtinato, in Citeriorem Hiſpaniam propter indomitos Celtiberorum animos, cum exercitu Conſulari Conſulem alterũ amandandum iudicarent: atq; inſolita feſtinatione Conſules, qui ſub finẽm Decembris creari, atq; dimidiato Martio magiſtratum inire conſueſſent, nouo exemplo iuſſerũt, quod in morem ab hoc initio deinceps abiit, ipſis Ianuarii Kalendis Conſulatum auſpicari. Itaque Q. Fuluius Nobilior Conſul in Hiſpaniam deſtinatur adiuncto valido ſupplemento militari. Segedani contra minime ignari tantum belli apparatum ad eorum perniciem comparari, vrbis munitioni, cum nondum perfecta eſſet, diffiſi, filios & vxores apud Areuaces depoſuerũt. ipſi ſe ad bellum compararunt Caro copiarum Duce creato, qui magnum in re militari vſum habebat. Is operæpretii faciendi & ſanciendæ auctoritatis à præclaro initio cupiditate ex Conſulis Copiis, quę triginta millium numerum efficiebant, inſidiis in tranſitu poſitis ſex millia cecidit, cæteros in fugam compulit, quos dum auidius inſequitur à Romanorum equitatu, qui in poſtremo veniebat agmine, non minori ſuorum numero trucidato occiſus eſt. Accidit hoc prælium quarto Kalendas Septembris, quo die Romani Vulcanalia celebrabant, tanta vtriuſq; exercitus ſiue formidine, ſiue calamitate, vt vtriq; à pugna niſi neceſſario temperarent deinceps. Eadem Areuaces nocte Numantiæ, quo frequentes conuenerũt, nam vicinis locis prælium erat commiſſum, in Cari locum Haracum & Leuconem ſubſtituerunt. Numantinis priuatim Copiis Lintheuo cum poteſtate præfectus. Conſulis caſtra tertio poſt cõflictum die ad quartum ab vrbe Numantia lapidẽ poſita ſunt. in his decem Elephanti erant & quingenti Numidæ equites à Maſiniſſa recens ex Africa auxilio miſſi. Ex Conſulis prouocatione prælio commiſſo Celtiberi primum, cum in ipſo ardore pugnæ laxatis Romanorum ordinibus Elephanti eſſent inducti, noua re commotis atq; perterritis, tum hominibus, tum equis, in fugam verſi atq; in vrbem cõpulſi ſunt. Romanos inſequentes atq; Conſulis hortatu conantes in vrbis munitionẽ euadere Elephantus perturbauit magno lapide comminuto capite, vique doloris, vt fit, in furorem actus. Nam tum ipſe, tum reliqui eius exemplo Elephanti in ſuos conuerſi, vt eſt anceps hoc genus animalium, ordines diſſiparunt, obuioſque proſtrauerunt. Ea res Numantinos prouocauit, vt denuo eruptione facta vrgerent Romanos, qui quatuor millibus ſuorum occiſis in caſtra compulſi ſunt. ex Celtiberis duo hominum millia in vtroque conflictu ceciderunt. Ad Axeniam eius tractus Emporium, quam vrbem Conſul ſecundum id præliũ tentauit, non minore nec ignominia nec clade repulſus eſt. his rebus renunciatis atq; perſpectis Ocilis vrbs, in quã Romani, pecuniam, impedimẽta & bellica inſtrumenta cõtulerant.

Celtiberis ſe adiunxit. Nam plerunque fides ex fortuna pendet, & blanda ac ſæpe fallax libertatis ſpes multorum animos capit. Ea re Conſul territus veritusq; vt hoc exemplum ad alias vrbes pertineret, munitis prope Numantiam caſtris copias in Hybernis continuit. Annonæ anguſtia atque frigoris vi maxima, multos fames & cæli inclementia conſumpſit. Atque hæc in Citeriori Hiſpania. in Vlteriori vero à Mummio Prætore per idem tempus pugnatum vario euentu, exitu tandem optimo. Nam in prima pugna, cnm Luſitanos victos & terga vertentes auidius nulloq; ordine ſequerentur Romani, Ceſſaron confirmatis ſuorum animis in hoſtes conuerſus victoriam extorſit è manibus decem Romanorum millia trucidata, caſtraq; vtraq; expugnata, tum ſua quibus exuti fuerant, tum hoſtium quos extrema pugna ſuperarunt. capta ſpolia Romanorum virtutis oſtētandæ cauſa à Luſitanis per vniuerſam ferme Hiſpaniam circumlata. Hos Mummius aliquanto tempore ſuorum animis confirmatis, quos ad quinque millia locis munitis continuerat, pompam circumducentes de hoſte ſuperato, & futuri ſecuros repente impetu facto cæcidit, in ea pugna complura ſigna eorum quæ erant amiſſa recepta ſunt. In Ceſſaronis locum (nam forte in eo conflictu periit) Canthonus ſuffectus, ad Cuneos qui ſiti erant in ea Bæticæ parte, vbi Niebla cernitur, cum Cuniſtorgim vrbem, quæ in fide Romanorum erat ſuæ ditionis feciſſet, ad fretum Gaditanum progreſſus eſt. vnde exercitus parte in Africam abeunte, cui præ animorum faſtu Hiſpaniæ fines anguſti erant, reliqui Luſitani à Mummio Prætore, qui aucto ſuorum numero nouem millia militum ſub ſigna contraxerat, aliquot prælijs fatigati cæſique, ac tandem noua eius gentis manu cæſa, ne vno quidem ſuperſtite, qui triſtem nuncium princeps deferret in patriam, ad officium demum reuocarunt animos.
602. Pro his rebus Mummio ſequenti anno qui annus ab Vrbe condita fuit ſexcenteſimus ſecundus Romæ triumphus decretus eſt. In Fuluii locum eius calamitate nunciata M. Claudius Marcellus Conſul miſſus eſt cum valido ſupplemento peditum octo milliū, equitum quingentorum. Vlterior Hiſpania M. Atilio Prætori commendata. Marcellus cum omnibus copiis in Hiſpaniam appulſus primo quoq; tempore Ocilim vrbem impugnandam ſibi ſumpſit, vt cuius noxa præcipua extiterat, princeps pænas daret. conſeruata tamen eſt deditione mature facta, tametſi admiſiſſe videbatur, vt extrema inferrentur patereturque mala. obſides tantum imperati, & triginta talentorum auri mulcta indicta. Prope erat vrbs Nertobriga, atq; quantum ex Ptolemæi deſcriptionibus ſuſpicari licet non procul Turiaſone atq; Bilbili. Inde legati ad Conſulem de deditione miſſi ſunt. centum tantum equites imperati primum: deinde quoniam ex ea vrbe quidam poſtremum Romanorum agmen atq; impedimenta latronum more inuaſerant, haudquaquam à Conſule excuſatione recepta quaſi priuata feciſſent auctoritate, centum obſidibus ſub corona venditis, vrbs ipſa obſidione cincta atq; impugnata eſt. Miſſi denuo de pace legati Lupi exuuias in haſta gentis inſtituto præferentes. Debere eum ſiue ſuperior noxa communis fuiſſet ſiue priuata, illato damno eſſe contentum. Satis iam pęnarum datum, agris vaſtatis, ędificiis incenſis, ciuium ſuorum vendita libertate. Miſerorum animos ſalutis deſperatione, amplius irritandos non eſſe: quæ vires aduerſus victores ſæpe ſuppeditare conſueuit: neque minima animalcula perire inulta. Conſul vllam Nertobrigis priuatim pacis conditionem fore negat, niſi Areuacibus, Belis, Tithiis, vnde initium extiterat rebellandi, eodem fœdere comprehenſis. Non recuſabant gentes illæ paciſci, modo Gracchi id contingeret fœdere reuocato. Conſulem ad ea, quæ petebantur propenſum, ſocii atq; confœderati dehortati ſunt, iniquum fore prædicantes, qui toties defeciſſent, & magnas clades intuliſſent tum Romanis tū præcipue finitimis Hiſpanis, qui in populi Romani fide eſſent, cum iis antiquum fœdus inſtaurari. Conſulis animo cura in vtranq; partem ſuſpenſo atq; diſtracto, quodam induciarum genere facto, vtriq; eo concedente legatos Romam miſerunt, vt quaſi in re præſenti Patres ſtatuerent atq; decernerent, vtrum ex vſu fore iudicarent populi Romani. Peruenerat interea Fuluius Nobilior Romam: quo eius gentis perfidiam atque iniurias commemorante in ſenatu, re infecta legati iuſſi ſunt, in Hiſpananiam redire, atq; à Marcello Conſule reſponſum expectare. Ea denunciatione facta, qua haud obſcure belli denunciatio continebatur, de ſupplemento Hiſpanienſis exercitus actum totius Hiſpaniæ perdomandæ deſtinata voluntate. Ex omnibus ergo legionibus euocati quoniam reſpondere ſponte recuſabant eam militiam formidantes, nouo exemplo ſortibus deligi ex omni copia placuit, qui neceſſario irent in Hiſpaniam.

P. Cor. Scipio legatus venit in Hiſpaniam. Cap. II.

INterea M. Atilius in diuerſa Hiſpaniæ parte Luſitanis male mulctatis in ditionem pleraſq; redegerat ex deditione ciuitates, anno ſequenti appetente: quo Conſul L. Licinius Lucul-

Lucullus Citeriorem Hiſpaniam ſortito ſuſcepit adminiſtrandam, Vlteriorē ex prætura Serg. Galba. P. Cor. Scipio Minor cui exciſæ Carthaginis laus ſeruabatur, legatus venit in Hiſpaniam viginti quatuor natus annos, cupidus nauandi operam reip. in eo bello, à quo cæteri milites abhorrebant maxime. Sunt qui ſcribant Lucullo in Hiſpaniam appulſo Scipionem traieciſſe in Africam, ab eo ad Maſiniſſam miſſum, vt pro iure veteris amicitiæ Elephantos ſubmitti impetraret. Nobis M. Ciceronis auctoritas potior ſit, Manlio Conſule id demum factum fuiſſe affirmantis. Gracchorum is ſororem connubio iunctam habuit, neptim Scipionis Africani ex Cornelia eius filia, fueratque à Scipionis filio in filium adoptatus. Paulum Æmilium natura patrem habuit Scipionis Africani leuirum nulla præterea cum Scipionum familia communione ſanguinis. Æmiliani cognomen à patre tulit. Ceterum dum Luculli aduentus expectatur, Marcellus confecti eius belli laudem affectans copias ex Hybernis quam primum reuocat. Nertobriga quinq; Areuacum cum millibus intra vrbem admiſſis Conſulis conatus occupat. Numantia arma corripit. In hanc vrbem Marcellus, quoniam belli caput habebatur, arma expedienda primum fore arbitratus ad quintum lapidem caſtra ponit. Verum cum à Lintheuone agi de pace cœptum eſſet Numantiorum Duce, ea tandem lege à Marcello fœdus eſt factum ſi Numantini Belos, Tithios, & Areuaces desererēt. Eo deſtitutos præſidio ſperabat breui in poteſtatem eſſe venturos. Inanem eam ſpem non fuiſſe rerum euentus probauit. continuo ii populi deditione facta in fidem accepti ſunt obſidibus datis atq; talentis ſexcentis, vt Strabo auctor eſt. Lucullus in prouinciam appulſus Celtiberorum bello pacato, nocendi cupidus certuſq;, in Carpetanos profectus, inde traiecto Tago in Vaccæis Cauciam vrbem impugnare conſtituit, iis locis ſitam vbi nunc Coca oppidum ſitum eſt, vindex vt videri voluit Carpetanorum quos à Caucienſibus violatos eſſe accuſabat. fames auri agebat præcipitem tenui inter Romanos cenſu, dirum in Præfectis & Ducibus malum. Ii inito cum Conſule certamine, cum in vrbem repulſi eſſent, deditione facta in fidem accepti ſunt. obſides imperati, atq; equites auxiliares, præterea centum argenti talenta. Huius fœderis ſimulatione expetente Conſule præſidium Romanorum in vrbem admiſſum. à quibus, vt conuenerat, ad tubæ ſignum ciues calamitoſi nullo diſcrimine neque ſexus neque ætatis oppreſſi incogitantes cæſique ſunt, perfidia pluſquam Punica, barbara inhumanitas. Finitimi populi hoc immanitatis exemplo cautiores, neque mœnibus confiſi, neque Romanorum fidei credentes in ſyluas rupibus horridas & inacceſſos montes ſe, ſuos, ſuaque contulerunt, igne corruptis quæ comportari non poterant. Lucullus quem inopia auarum, auaritia crudelem efficiebat, eius prædæ ſpe depulſus, ad Intercatiam penetrauit. Erat ea vrbs medio circiter itinere ſita, quo Valliſoleto Aſturiam itur. Poſitis iuxta caſtris ciues ad deditionem inuitati, an ea fide reſponderunt recipere dedititios & ſupplices vellet, qua Caucienſes paulo ante? Hoc reſponſo Conſul irritatus acie pro caſtris explicata obſeſſos ad pugnam inuitabat, quam illi omni ratione deuitare prȩiudicatum habebant mœnibus & munitione atque commeatu, quem in multos dies parauerant (tametſi præter vrbanam multitudinem ex vicinis locis in eam vrbem, confugerant pedites equiteſq; magno numero) certi libertatem tueri. Leuia modo prælia fuere euentu haud memorabili. Illud eſt ad memoriam inſigne: Hiſpanum quendam Regulum vaſto corpore & viribus magnis ſingulari à Scipione certamine ſuperatum fuiſſe: cum quo identidem pro caſtris ad pugnam prouocante nullus Romanorum auſus fuerat manus cōſerere. Annonæ anguſtia maxime laborabatur in caſtris, famemque vulgo milites frumento hordeoque cocto, & nonnulla venatione tolerabant. ſalis inopia grauius premebantur. His rebus & ex aquarum ſubtilitate, vt in regione montana, pleroſque milites diſenteria cœperat fatigare. Vna expugnandæ vrbis ſpes animos ſuſtentabat. Itaque comportata materia bellicæ machinæ perfectȩ erant, quibus quaſſati muri parte magna proſtrata, milites in vrbem conantur euadere. Primus Scipio per ſtragem lapidum & rudera faſtigium occupauit: eoq; merito pro concione poſtea laudatus & murali corona donatus eſt. tametſi egregia oppidanorum virtute repulſi Romani atq; vrbis aditu prohibiti ſunt, non paucis præ feſtinatione in vicina palude ſuffocatis. Muri pars collapſa ſequēti nocte obſeſſorum diligentia inſtaurata eſt, coactuſque eſſet Conſul re infecta ab obſidione diſcedere, ni fames obſeſſorum animos ad deditionem impuliſſet. Actū ergo de fœdere interprete atq; annitente Scipione, cui maior quam Conſuli fides eſt habita. Pacis conditiones moderatæ fuerunt. Decem millia ſagorum, certus iumentorum numerus & obſides imperati, pecuniȩ videlicet nec copia, nec cupiditate: cum Montani homines agrorum cultu & paſcendo pecore vitam ſuſtentarent. Motis ex ea vrbe caſtris Palentiaq; fruſtra tentata Conſulem ad fretum vſque Gaditanum perueniſſe ex Plinii teſtimonio nonnulli ſuſpicantur, portentoſæ magnitudinis Polypi caput oblatum

Lucullo iis in locis fuiſſe affirmantis, inde in Luſitaniam populabundum irrupiſſe. Atque hæc Lucullus. Sergius vero Galba, cui ex prætura Vlteriorem Hiſpaniam obueniſſe eſt demonſtratum, in Bætica res gerebat aduerſus Luſitanos, qui populi Romani ſocios direptionibus fatigabant. Iis cum militem longo itinere fatigatum obiicere non dubitaſſet, magna clade accepta, & ſeptem ſuorum millibus amiſſis, fuga ipſe cũ reliquis copiis Carmenam euaſit, vt Appianus eſt auctor. nos Carmonam eſſe arbitramur vrbem ea ætate totius prouinciæ longe firmiſſimam, quæ prope Cuneos ſita erat. vbi Prætor reparatis collectiſq; vndiq; viribus hyemaſſe continuo fertur, indeque ignominię delendę cupiditate in Luſitaniam irrupiſſe, eiuſque prouincię agros atq; oppida omni iniuria vexaſſe. Ad quem cum Luſitanorum legati de pace veniſſent humaniſſimis verbis & oratione, cuius erat egregius artifex, & in pręcipuis ſuæ ætatis oratoribus à Cicerone numeratur, gentis defectione excuſata: fatalem neceſſitatem, regionis ſterilitatem ſępe tumultuandi occaſionem afferre: proinde ſuis denunciarent, ſe in animo habere agros ad habitandum colendumq; genti tribuere multo commodiores, vnde vitam ſine maleficio & finitimorum iniuria perpetuo deinceps propagarent. Dies dicta, quo die tripartito ad eum venirent. illi haudquaquam in beneuolentiæ ſimulatione fraudẽ ſubeſſe rati homines minime mali, imperata cum feciſſent, armis exuti atq; ad vnum cęſi ſunt. Prędę pars militi conceſſa, pars à Prætore retenta, vnde Romanorum ditiſſimus euaſiſſe creditur.

Viriati bellum. Cap. III.

OMNINO hac Galbæ immanitate irritatis prouincialium animis magis quam territis Viriati bellum natum eſt: vt ſunt alia ex aliis mala nexa aptaq;, & calamitatis finem alterius initium excipit illo plerunque grauius. ſane Viriati bellum totis quatuordecim annis vario euentu Romanorum potentiam fatigauit. Natione quidem Luſitanus fuit loco humili, nam paſcendis initio gregibus operam dedit, militia bonus, cuius rudimenta poſuerat publicis itineribus obſidendis cum peculiari latronum manu. Vnde cum multi ad eum confluerent, qua cum in ære alieno eſſent aut alioqui flagitiis infames: qua belli malis fatigati, more militum armauit, in ſigna turmaſq; diſtribuit. iuſto propemodum exercitu conflato finitimos ac Romanorum præſertim ſocios, qua parte Anas influit in mare, fati-
604 gare cœperat. Hunc M. Vettilius, qui anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo quarto, Galbæ
ſucceſſor eſt datus, ſibi exterminandum ſumpſit. Viriatus contra pugnæ diſcrimen vitare & ad fretum Gaditanum locis natura munitis ſe tenere, vbi cum obſeſſus à Prætore famis malo cœpiſſet laborare, miſſis ad Vettilium legatis tentata cõcordię ſpes, ſi modo agri concederentur ad habitandum Viriati militibus, pollicentibus in populi Romani futuros poteſtate. Eam voluntatem, cum Prætor ſe æquum eorum poſtulatis pręberet, Viriati oratione retractarunt diſputantis quanto cum periculo credituri eſſent Romanis ſalutem libertatemq;, in quibus hominum nihil eſſet pręter ſpeciem & humanę linguę ſonũ. Quod ſi nulla exempla extarent Galbę immanitatem documento eſſe debere, ne blandis Prætoris Romani verbis inducerentur in fraudem. ſe potius Ducem ſequerentur, ſuiſq; auſpiciis bellum adminiſtrarent. Conſilio cunctis probato atq; Romanis pugnæ ſimulatione deceptis, obiecto in prima acie equitatu primum in vicinas ſyluas pedites euaſere: deinde cuncti Tribolam vrbem peruenerunt, quo Viriatus bellum transferre cogitabat. Prope eam vrbem Romani in inſidias præcipitantes ad quatuor millia cum Vettilio ipſo cęſi ſunt, reliqui cum ex fuga Tarteſſum tenuiſſent, & Celtiberorum auxiliis confirmati denuo certaminis aleam ſubiiſſent vniuerſi in pugna ceciderunt. in Vettilii locum Plaucius Prętor in
605. Hiſpaniam Vlteriorem venit anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo quinto. Qui Viriati cum
in conſpectum veniſſet Turdetanię Carpetanięque agros populantis, eo fugam ſimulante quatuor Romanorum millia inſequendi ſtudio longius prouecta, circumuenta cęſaque ſunt. Prętor abolendę magis infamię cupidine quam victorię ſpe hoſtis veſtigia ſecutus ad Veneris montem, quo ille tranſmiſſo Tago ſe receperat, non minori accepta clade, nec minori ſuorum numero amiſſo in fuga præſidium ponere compulſus eſt. atque ita vt media æſtate virtuti diffiſus vrbibus munitis non ſecus atq; in Hibernis copias contineret, maiore mœnium quam virtutis fiducia. Hęc pugna in Luſitania propeq; Eboram commiſſa putatur, argumento ſepulchri, quod in ea hodie vrbe extât hac inſcriptione.

L. SILO SABINVS. BELLO. CONTRA. VIRIATVM. IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO. MVLTITVDINE. TELOR. CONFOSSVS. AD. C. PLAVT. PRÆT. DELATVS. HVMERIS. MIL. H. SEP. E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. MEMIN. VELIM. MECVM. NEC. SERV. NEC. LIB. INSERI. SI. SECVS. FIET. VELIM. OSSVA. QVORVMCVNQ. SEPVLCR. MEO. ERVI. SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Hæc

Hęc inſcriptio omnium antiquiſſima eſt earum, quæ hoc tempore Romanorum in Hiſpania extant. Dum hæc in prouincia geruntur, Galba Romæ reus poſtulatus violatæ Luſitanis fidei, vnde in ea mala conſtabat fuiſſe præcipitatum, accuſationem euaſit, quamuis L. Scribonio Libone tribuno plebis & M. Catone vrgentibus, pecuniæ præſidio tutus, quod ſibi certiſſimum in Hiſpania parauerat aduerſus eam tempeſtatem. Claudius Vnimanus ab Vrbe condita anno ſexcenteſimo ſexto, Prætor contra Viriatum miſſus in Hiſpaniam ab 606.
eo victus cæſuſque eſt, exercitu magna ex parte capto. faſces & magiſtratus inſignia in Luſitaniæ montibus conſtituta trophæi inſtar, tanta deinceps Romanorum conſternatione, Hiſpanorum audacia, vt trecenti Luſitani non dubitarent cum mille Romanis dimicare, & plures quam pro numero trucidarent. Accidit præterea vt à pedite vno plures Romani equites fugarentur attoniti & pauidi, quod ex ipſorum numero vnius equo traiecto ipſius equitis caput momento amputaſſet. ſequenti anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſeptimo C. Nigidius in demortui locum miſſus nihilo meliori euentu cum Viriato ad Viſeum 607.
vrbem pugnauit, vbi ſepulchrum L. Æmilii in ea pugna occiſi ſcribunt extare. Fuit is annus non tam rebus Hiſpaniæ inſignis quam P. Cornelii Scipionis conſulatu, & Carthagine penitus exciſa, vnde illi Africani nomen, quod ab auo poterat hæreditarium habere. Per hæc tempora C. Lælium, eum qui Romæ ſapiens eſt cognominatus Ciceronis teſtimonio, veniſſe in Hiſpaniam conſtat, primumque Romanorum Viriati ferociam comprimere cœpiſſe nimirum bellicam virtutem ex multarum rerum vſu collecta prudentia ſubleuando illuſtriorem effecit. Omnino ab Vrbe condita anno ſexcenteſimo nono Q. 609.
Fabius Maximus Æmilianus Scipionis frater germanus adepto conſulatu miſſus eſt contra Viriatum. Ex ſenatuſconſulto alterum Conſulem proficiſci in Hiſpaniam neceſſe erat, de eius belli euentu ſuſpenſis Patrum populique animis. Et quoniam veterani militis copia non erat, tyronum atque ſociorum latini nominis delectu habito, quindecim millia pedites, equites duo millia in prouinciam vecti Orſonam, vti Appianus ait, peruenerunt, eam quæ in Bætica hodie Oſſuna vulgari lingua dicitur. vbi exercendo milite aliquantum temporis datum. Gadibus, quæ inſula non procul ea vrbe iacet, Herculi à Conſule ſacrificia inſtaurata, votaq; pro victoria nuncupata. Viriatus contra belli apparatu, quod in eius perniciem meditabantur Romani, perſpecto, neque eodem proficiſci dubitauit: & primo aduentu Romani exercitus lignatores cæcidit, trucidatis etiam militibus qui ad eorũ præſidium vna miſſi erant. Deinde Conſuli Gadibus reuerſo in caſtra, tametſi Viriatus ad prælium prouocabat laceſſebatque, tumultuario tantum certamine experiri placuit quantum virtutis in ſuis eſſet quantum in hoſte: vniuerſæ pugnæ neceſſitatem omni ratione vitare, dum mora ſuorum animos à terrore confirmaret, hoſtemque vinci poſſe monſtraret. Demum vniuerſæ pugnæ copia facta Viriatus ſuperatus acie atq; in fugam compulſus eſt. Romanorum copiæ autumno iam in hyemem præcipitante Cordubam in hiberna deductæ. Viriatus autem locis natura munitis ſe tenere, & quoniam militum corpora durata habebat, omnem cæli & aeris iniuriam perferre. Areuaces, Belos, & Tithios ad bellum ſolicitare pro communi ſalute, pro patriæ libertate, quæ pridem ſua virtute renaſcens, ni mature ipſi vires ſociarent, in periculum rurſus vocabatur. Ab hoc initio his populis ad rebellandum inductis, Numantinum bellum denuo exarſit, vt ſuo loco commemorabimus, Viriati rebus prius explicatis. Vna cum Fabio Æmiliano, cuius auſpiciis hæc in Hiſpania geſta ſunt, L. Hoſtilius Mancinus tenuit conſulatum. Hunc Conſulem veniſſe etiam in Hiſpaniam atq; Calæcos prælio ſuperaſſe Anconitani inſcriptiones declarant. cui auctori quanta fides habenda ſit aliorum iudicium eſto: à nonnullis ſane eruditis viris fabularum artifex egregius, & inſignis mendaciorum conſarcinator fuiſſe putatur.

Q. Cæcilii Metelli geſta in Hiſpania. CAP. IIII.

SEQVENTI anno, qui ab Vrbe condita fuit ſexcenteſimus decimus, duobus Conſulibus 610.
Ser. Sulpitio Galba, & L. Aurelio Cotta de Hiſpaniæ prouincia, quam diuiſis Patrum ſtudiis ſibi vterque depoſcebat contendentibus: Scipio in ſenatu rogatus ſententiam, neutrum è republica videri reſpondit, alter inquiens nihil habet, alteri nihil eſt ſatis. æque malam in imperio iudicabat ſcilicet inopiam atque auaritiam. illa iniuriæ neceſſitatem propemodum affert: hæc certam nocendi voluntatem. Itaque Popilius Prætor miſſus eſt, cui Plinius ſcribit Viriatum (nempe prælio aliquo inſigni victum) vrbes tradidiſſe, quæ in eius erant poteſtate. Poſt Popilium Q. Cęcilius Metellus, cui à deuicta Macedonia Macedonici cognomen fuit, Conſul creatus anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo vndecimo venit 611.
in Citeriorem Hiſpaniam ad cõprimendos Celtiberorum motus, qui Viriati diligentia &

hortatu cœperant excitari. Quintius quidam cum Viriato ipſo bellum geſſit: an à Conſule
Legatus, an Romæ Prætor deſtinatus incertum. Sane à Viriato, quem ad Veneris montem
prope Eboram in Luſitania acie ſuperarat, maiori accepta clade, cum hoſtis vires reparaſ-
ſet repulſus eſt, atque autumni tempore quaſi in hibernis copias intra Cordubam conti-
nere coactus: hoſtis iniuriæ opportunis tum ſociis tum Romanis, qui in vrbium vicinarum
præſidiis relicti erant. Metellus vero Celtiberis ad officium pertractis, nam Areuaces vi-
612 ciſſe Plinius eſt auctor, in ſequentem annum, qui fuit ab V. C. ſexcenteſimus duodecimus,
imperio prorogato in Citeriori Hiſpania res geſſit. Q. Fabius Seruilianus Fabii Æmiliani
ex adoptione frater, in Hiſpaniam vlteriorem Conſul venit contra Viriatum valido ſup-
plemento adiuncto, in quo decem & octo millia pedites erant, equites mille quingenti: à
Micipſa Maſiniſſæ filio elephanti decem ex Africa auxilio miſſi, equites trecenti. Has co-
pias Viriatus in Bætica ex ſyluarum latebris inopinato progreſſus in caſtra compulſas, ne-
que noctu neque per diem incurſionibus fatigare atque laceſſere deſtitit, donec Vticam
peruentum eſt Bæticæ vrbem. Eo loco annonæ anguſtia compulſus ſuorum manum in
Luſitaniam reduxit. Conſul ea moleſtia liber, in Cuneis Curionem & Apuleium prædo-
num Duces deuicit & nonnullas iis in locis vrbes, quæ validis à Viriato præſidiis teneban-
tur, vi cepit. Captiui quingenti interfecti, quorum erat noxa maior: cęteri ſub corona ven-
diti, ad decem capitum millia. Dum ea æſtate in Vlteriori Hiſpania hæc geſta ſunt, haud
leue decus Metellus quæſiuit Celtiberis domitis, captiſque in eo tractu Contrebia, Veſo-
briga, atque Centobriga vrbibus. quo tempore ad Contrebiam fallendi ſtudio per diuer-
ſa loca nullo vt videbatur ordine neque militari diſciplina cum exercitum verſaret, iden-
tidem mutatis caſtris, cauſſam à Centurione rogatus vocem illam emiſit, magno & pru-
denti Duce dignam: Tunicam, inquit, comburerem ſi meorum conſiliorum eſſe cōſciam
putarem. Hæc recte. illud perperam. ante Q. Pompeii aduentum in prouinciam, quem
ſucceſſorem datum nunciatum erat, militibus ante legitimum tempus vacatione conceſ-
ſa, publicis horreis neglectis, atque elephantis detracto pabulo, aut mortuis prorſus, aut
præ macie inutilibus, vires Romanas debilitauit. tantum plerunq; in magnis ingeniis ob-
trectatio valet, inuidiaque. Sed harum rerum merito tamen, redeunti triumphus Romæ
denegatus eſt: alioqui debitus ob rerum geſtarum amplitudinem. Ergo Q. Pompeius
613 Cos. in Citeriorem Hiſpaniam venit, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo tertiodecimo.
quo tempore Seruilius in Vlteriori Hiſpania, nimirum imperio prorogato, Canobam prę-
donum Ducem ſe dedentem in fidem accepit. Viriatum Baciæ vrbis obſidionem ſoluere,
& in fuga ſalutem ponere coegit. Hoſtis fuga, multa eo tractu oppida, abiecta defenſionis
ſpe, deditionem fecere. Summæ diligentiæ diſciplinæ ſeueritas adiuncta, omnibus Ca-
nobæ ſociis, & quingentis præterea captiuis quoniam Romanorum caſtra fidemq; deſe-
ruerant, amputatæ manus. magnitudine ſupplicii terrere alios ſperabat. Sed ex ea re tamen
prouincialium animis magis irritatis, quam territis, magna rerum commutatio facta eſt.
Erat Eriſana vrbs in fide Viriati. in eam a Romanis obſeſſam noctu is deceptis vigiliis ſeſe
intulit, & ſequenti luce in hoſtes inopinantes impetu facto, cæſos in fugam compulit. Ii-
dem cum ex fuga locum non ſatis munitum tenuiſſent, eſſetque omnibus pereundum,
veniſſe tempus ratus honeſtis conditionibus paciſcendi cunctos conſeruauit fœdere fa-
cto; ex quo Viriatus quidem amicus populi Romani vocatus eſt: eius autem militibus &
confœderatis, quæ occupauerant obtinebantque, omnia conceſſa. Hoc fœdere, quo Ro-
mani imperii maieſtas ſugillata eſt, Q. Seruilius Cepio, qui Romam à fratre Seruiliano nun-
cius miſſus erat, accuſando identidem atq; vituperando, in ſequentem annum, qui fuit ab
614 Vrbe condita ſexcenteſimus quartusdecimus, adeptus conſulatum in Vlteriorem Hiſpa-
niam venit, iuſſus à ſenatu fœdus cum Viriato quamprimum violare abrumpereq;, quaſi
imperii maieſtate indignum, neque publico conſenſu factum. Quo minus arbitror Romæ
fuiſſe probatum, quamuis Appiano contra affirmante.

Viriatus occiſus. CAP. V.

QVINTVS Pompeius iis incommodis impeditus, quæ à Metello inuidia erant al-
lata, neque præterito anno, neque præſentis magna parte (nam biennium Citerio-
rem Hiſpaniam tenuit) aliquid memorabile geſſit: & prouincia pacata bellorum erat ma-
teria ſublata. Seruilius autem in Bætica ad Arſam vrbem Viriatum fugatum in Carpe-
taniam vſque ſecutus eſt: vbi is tanquam ad pugnam explicata acie, atq; equitatu in primo
agmine collocato, hoſte diſtento pugnæ expectatione in proximas ſyluas monteſq; pedi-
tatu dilapſo, eodem equitatum qua conſueuerat celeritate ſubductum incolumē ſeruauit.

Cos.

Cos. & dimicandi & conſequendi hoſtem ſpe depulſus in Vectones & Calæcos penetrare conſtituit, vbi ſcelerum licentia erat, & cædibus atque latrociniis cuncta miſcebantur. Ad eum Viriatus & belli diuturnitate feſſus, & ſociorum fidei diffiſus magis quam Romanorum metu, tres de pace legatos miſit. Hos Conſul benigne acceptos, & officioſis in præſens delinitos muneribus, atque magnis in poſterum promiſſis oneratos, hortatur ſuadetque vti Viriatum incautum opprimant: ſeque militia tam exercita, patriam, tot malis eripiant. Illi vt ſunt infidæ prauorum hominum ſocietates, facile inducunt in animum ſui Ducis capite incolumitatem redimere. ſic datis palam à Conſule de pace mandatis diſcedunt, Viriatumque ſpe fœderis deluſum, incautumque noctu in ſtrato dormientem opprimunt, virum meliori fortuna dignum. Qui ex obſcuro tenuique loco animi magnitudine tot annis Romanos bello fatigauit, neque aduerſis rebus fractus, neque ſecundis incautus. cum armis petitus varia fortuna pugnaſſet, dolo ſuorum cecidit, liberator propemodum Hiſpaniæ: & qui non primordia populi Romani laceſſierit, ſicut alii Duces, ſed florentiſſimi imperii maieſtatem. Funus ſequenti luce deprehenſo facinore magis caritate ſuorum quam apparatu celebre fuit, haſtis concurſum inter milites eſt, & multæ pecudes mactatæ. parricidæ Romam elapſi, cum à Patribus facinoris præmium poſtulaſſent, reſponſum: nunquam ſenatui Populoq; Romano placuiſſe Ducem à militibus trucidari. Sunt enim proditores inuiſi, etiam iis quos anteponunt: & pœnas ſæpe dant, vnde præmium ſperabant. Succeſſit Viriato Tantalus, impar induſtria, virtute, auctoritateq; breui deditione facta cum ſuis omnibus in Conſulis fidem receptus eſt. His & cæteris Luſitanis arma detracta, & agri dati ſunt, vt terræ cultu diſtenti, & rei familiaris tenuitate oppreſſi, rebellandi penitus abiicerent ſiue cogitationem ſiue facultatem.

Numantinum bellum renaſcitur. CAP. VI.

ANNO eodem ab Vrbe condita ſexcenteſimo quartodecimo, nimirum Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ anno primo, graue malum Hiſpaniæ, Numantiæ denuo arma mota bellumque hac occaſione maiore mole eſt renatum. Erant Celtiberi ſub Romanum iugum miſſi Metelli virtute, ſoli Numantini & Termeſtini (triginta ſex paſſuum millibus ab vrbe Numantia ad Occaſum ſiti erant, quo nunc loco ſacrarium Virginis matris cernitur Tiermes nomine) ſuperioris fœderis beneficio libertate incolumi ſocii & amici populi Romani vocati erant. Q. Pompeius ne otio penitus marceſcere nihilque agere videretur, harum vrbium libertatem opprimere cogitabat. Honeſta cauſa quærenda erat, optima viſa eſt Segedanos (hi in Belis erant Numantinis finitimi, hodieque Seges oppidum eſt Soriam inter & Vxamam) ad Viriatum auxiliis miſſis, Romani imperii maieſtatem violaſſe: & cum ſuæ munitioni diffiderent ſiue ſupplici metu, ſiue aliqua alia de cauſa, à Numantinis mœnibus fuiſſe receptos. benignitas crimini data. Miſſi Numantia qui Pompeio factum excuſarent, cum ignominia repulſi. Errore cognito, Segedanorum patrocinio & amicitiæ, ne Romanos offenderent renunciantes, cum nouis Legatis Pompeium de fœdere inſtaurando, quod cum Graccho factum erat, appellaſſent, Numantinis cum Romanis vllam fœderis conditionem fore niſi poſitis armis, Pompeius negauit. Ergo bellum neceſſario ſuſceptum eſt, vt armis tuerentur arma, quæ hoſtis per iniuriam vna cum libertate extorta de manibus cupiebat. Delectu habito, octo millia pedites, equites duo millia inuenti. exiguus numerus, verum viuida virtus, hoſtiumque multitudini non omnino impar. His copiis Megara magno vſu Dux cum poteſtate præfectus. Pompeii caſtra breui prope Numantiam poſita, in quibus pedites triginta millia erant, equites duo millia. Hos Numantini è vicinis collibus identidē irruptionibus fatigare. Diſpalatos locis omnibus carpere, vniuerſæ pugnæ diſcrimen vitare, cum ſigna Romanorum inferebantur locorum notitia periculum deuitantes, totiuſque certaminis aleam ſubire detrectantes. Pompeius irrito in Numantinos conatu Termentiam tentare conſtituit, vnde non minore cum ignominia & maiori aliquanto clade repulſus eſt. Intra diem vnum triplici Termeſtinorum eruptione in præruptos montes copias ſubducere coactus. vnde ſe præcipites multi dederunt, ingenti formidine animis præoccupatis: atque ita vt noctem in armis excubarent. Die poſtero collatis ſignis dimicatum: neutro victoria inclinante pugnantes nox diremit. Pugnatum rurſus fuiſſet, ni Pompeius ſequenti nocte Manliam vrbem petiuiſſet. id ſignum perculſi fuit, vireſque & animos ſuorum mora interiecta reparare cupientis. Manlia Romanis dedita, quæ Numantino præſidio tenebatur (hodie Malen eſſe creditur) Termeſtini etiam repetita eius vrbis expugnatione ad ditionem acceſſere. Reliqui erant Numantini. in quos priuſquam moueret, in Sedetanis, vbi nunc Cæſarauguſta ſita

614.

eſt, Tan[illegible]am prædonum Ducem cum ſuorum manu oppreſſit. Inde copiæ retractæ Numantiam,& quoniam obſidio ducebatur, Durii curſum, quo commeatus in vrbem vehebatur corriuare conati Romani, Numantinorum eruptione mulctati & ab opere deſiſtere coacti ſunt. His incommodis atque Tribuno militum cum ſuis omnibus trucidato, qui frumentatoribus præſidio veniebat, Pompeius territus, iniquiſſimo anni tempore inſuetum ei cælo militem in caſtris continuit. Sic magna exercitus parte aut ex morbo conſumpta, aut Numantinorum irruptionibus cæſa, conſilium mutare quidem coactus, adulta hyeme reliquas copias in vicinas ſociorum ciuitates in hiberna deduxit : ad prima au-
615. tem veris ſigna, anni ab V.C. ſexcenteſimi quintidecimi, dum M. Popilii Lenatis Conſulis expectatur aduentus, cui ea prouincia erat deſignata, cum Numantinis pax facta Pompeio interpellante, iudicii metu ob res male geſtas, an ſucceſſoris obtrectatione, ne ſuo periculo alienæ gloriæ ſeruiſſe videretur. Numantini belli diuturnitate feſſi & ex agrorum intermiſſo cultu annonæ ſæuitia laborantes rem confectam cupiebant. De pacis conditionibus arcano agi placuit, quoniam ignominioſæ erant Romanis. Omnino ne iis ſubſcribẽret Pompeius morbum ſimulauit. In vulgus Numantinis mulctæ nomine triginta talenta imperata iactatum, ad tuendam Romani imperii & nominis maieſtatem confictum prudentiores exiſtimabant. Satis conſtat Popilii Cos. aduentu de eo fœdere diſceptatum fuiſſe. Pompeio negante vllam à ſe cum Numantinis pacem factam, illis teſtimonio primorum è Romano exercitu contra confirmantibus, vtrique ad Romanum ſenatum à Cos. relecti. libido amplius quam æquitas Romæ valuit, inter varias Patrum ſententias illa obtinuit, quæ Numantinis denuo bellum denunciabat.

Mancini fœdus cum Numantinis. CAP. VII.

INTEREA Popilius Cos. Luſonibus, qui Numantinis erant finitimi, nullo operæpretio tentatis, in alterum annum ab Vrbe condita ſexcenteſimum ſextumdecimum, imperio prorogato à Numantinis ipſe quidem victus & fugatus eſt. D. autem Bruto, cui Conſuli eodem anno Vlterior Hiſpania erat deſtinata, Viriati Veterani milites conceſſa venia atque agris ad habitandum Valentiam condiderunt. Edetanorum Valentiam quidam putant, viris valentem atq; armis: reſiſtunt alii cum in Citeriori Hiſpania ſita ſit, & Valentiam Alcantaræ potius credunt propter locorum vicinitatem, aut quæ ſupra veterem Luſitaniam à Minio flumine nomen habet, Tudæ obiecta. cui nos opinioni accedebamus. Pro-
617. ximo anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſeptimodecimo Bruto imperium prorogatum eſt. C. Hoſtilius Mancinus Conſul in Citeriorem Hiſpaniam deſtinatus, caſtris ad Numantiam poſitis ſæpe acie victus, atque animo fractus, tandem Vaccæorum & Cantabrorum aduentu nunciato, qui auxilio Numantinis veniebant, veritus vt par eſſet vtriſque, noctu per occultam teſſeram profectione denunciata in pacata diſceſſit, atque in loca munita, qua parte non traditur, certe vbi Fuluius Nobilior ante aliquot annos ſtatiua habuerat. in vrbe non ante biduum hoſtium diſceſſus cognitus eſt, cum feſtos dies ciues agerent nulla armorum cura. Accidit vt vnius virginis coniugium duo iuuenes ambirent. Orta ex amoris contentione audacia conuenit, vti in hoſtium caſtra egreſſis, qui prior hoſtis occiſi dextram retuliſſet, ei præmium optatæ nuptiæ eſſent. Nullo ii hoſte inuento, caſtra eſſe vacua renunciarunt, curriculo in vrbem regreſſi. Reliqui nuncio læti Romanos eiſdem veſtigiis conſecuti, priuſquam munitio caſtrorum eſſet perfecta: commutata belli ratione à quibus obſeſſi fuerant eoſdem obſidere cœperunt. Cos. ſalute deſperata ad ſanciendum fœdus animum adiecit. quo ex fœdere quoniam Numãtinis libertas manebat incolumis, ſociiq; atque amici vocabantur, poſt tot iniurias, Romani imperii gloria obſcurari videbatur, cum vnius vrbis virtuti concederet imperium orbis terrarum. Fœdere neceſſario magis quam honeſto ſanciendo Tiberii Gracchi gratia atq; auctoritas ob memoriam videlicet Sempronii patris multum contuliſſe creditur, Romana caſtra ſecuti, flectendis ad miſericordiam Numantinorum animis, periculo procurando. Verum Romæ iis rebus nunciatis, continuo Mancino in Vrbem reuocato, Æmilius Lepidus in collegæ locum ſubſtitutus eſt belli Dux, vindex iniuriæ. Aduerſus eas molitiones miſſi etiam Numantia Legati cum fœderis tabulis, ſi minus ſenatui probaſſent, iuſſi exercitum poſtulare vt dederent, nimirum fœderis paciſq; ſpecie ab exitio conſeruatum. Re in ſenatu agitata, cum neq; fœderis ignominiam pati vellent, & æqua Numantinos petere iudicarẽt, Mancinum dedi mandarunt, violati fœderis religione ſatis ſe exolui eius calamitate exiſtimantes. Tiberio Graccho venia data, fœderis auctori atq; interpreti, quoniam alieno imperio noxaque peccaſſe iudicabant. ſororii Scipionis id gratiæ & auctoritati datum vulgo interpretabantur procliui ad credendum peiora perſuaſione homines. Atq; hæc Romæ.

C. Mancinus Numantinis deditur. Cap. VIII.

IN Hiſpania autem M. Lepidus nondum perſpecta ſententia ſenatus Vaccæos, quaſi ſuperiore bello Numantinis opem tuliſſent, annonaque iuuaſſent, bello aggreſſus. atque eorum agris igne ferroque deformatis, Palentiam etiam obſidione tentauit. tametſi Roma monitus erat, ne Hiſpanos bello laceſſeret, fero agreſtique ingenio homines. haud impune ſæpe fuiſſe irritatos. Mancini ignominia Patribus curam incuſſerat, animos Hiſpanis fecerat, quo minus dubitarent bellum vltro illatum ſtrenue defendere. Ergo cum virtute Romanæ copiæ mulctatæ, atque annonæ anguſtia in caſtris vigente noctu ſilentio profectione denunciata, neque more militari conclamatis vaſis, reductæ ex copiæ tanta trepidatione & Palentinorum audacia, qui poſtero die diſceſſu hoſtium nunciato, veſtigiis abeuntium tergiſque inſtabant, vt non minus ſex millibus Romani ceciderint, magna ex ea re Romani populi indignatione. Omnino Lepidus in Vrbem reuocatus, continuo priuati habitu reus poſtulatus, & iudicum ſentẽtiis rei male geſtæ damnatus eſt. Hæc incommoda D. Bruti virtus per idem tempus in Vlteriori Hiſpania compenſabat Calæcorum atque Luſitanorum motibus pacatis, atque Labricanis, qui in eo tractu ſæpe rebellarant, ad deditionem compulſis, ea lege, vt perfugis redditis, armis ipſi poſitis cuncti ad eum ex vrbe prodirent. Id cum eſſet factum, circumuentos ab exercitu perfidia verbis modo caſtigata, vltimi ſupplicii metu perfuſos conſeruauit. mulctæ tantum nomine pecunia imperata, armaque & belli ſubſidia, quibus ad perniciem abutebantur, ſublata. D. Bruto ex his rebus Calaici nomen eſt factum. Atq; hæc Mancini & Lepidi conſulatu. Nam ſequenti anno, qui fuit ab Vrbe condita ſexcenteſimus octauus decimus, Bruto imperium quidem 618. prorogatum eſt: P. autem Furio Philoni Cos. dedendi Mancini Numantinis atque Citerioris Hiſpaniæ adminiſtrãdæ cura demandata eſt. Eam Conſulis expeditionem, vnde non maior gloria quam commodum ſperabatur, Q. Metellum & Q. Pompeium opibus & auctoritate principes impedire conatos, Furius audacia confidentiaque memorabili Legatos declaratos, ſe in Hiſpaniam ſequi iuſſit. Eo vbi ventum eſt, caſtris ad Numantiam poſitis Mancinum nudato corpore, reuinctiſq; poſt tergum manibus, quod ſolenne erat Duce Romano hoſtibus dedendo, ſummo mane ad Numantiæ portas conſtituunt. Verum inter hoſtes & amicos deſtitutus diem totum, nocte iubentibus auſpiciis in caſtra relatus eſt. qua in re tali cæremonia conſueuerant. Numantini violatæ fidei religionem ſatis expiari negabant Ducis deditione, & exercitu ſeruato, qui fœderis ſimulatione euaſerat. Conſtat in ea re Romanos magis vtilitatem ſecutos, quam honeſtatis & æquitatis leges. Quid præterea rerum in Hiſpania Furius geſſerit clam eſt, niſi quod ſequenti anno, ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonodecimo, Bruto in tertium annum imperio prorogato, Q. Calpurnius 619. Piſo Conſul, Hiſpaniæ Citerioris prouincia deſignata, male cum Numantinis pugnauit, exercitus parte amiſſa, reliquis in magnas anguſtias redactis: cum Romani Hiſpanorum conſpectum non ferrent, & vi quadam abdita continuo fugam præcipitarent, non ſecus ac viſis canibus cerui. Plerique ex eo metu violatæ fidei religiones captabant. Re Hiſpani neq; vſu armorum eo tempore, neq; virtute, neque audacia concedebant Romanis. Non enim, vti antea, rari diſperſiq; vagis incurſibus pugnare, ſed longæ militiæ vſu edocti erant Romanorum inſtituto ſigna ſequi, aciem ſubſidiis firmare, Ducum imperia audire: diſciplina militari qua rudi vti conſueuerant, in artis perpetuæ præcepta conformata.

Scipio Cos. creatus venit in Hiſpaniam. Cap. IX.

RES aduerſæ ex Hiſpania nunciatæ magnam pro eo, ac par erat, ſolicitudinem iniecere Romano ſenatui populoque. Ad extremum illud decurritur, P. Cornelius Scipio cui ab exciſa Carthagine Africani cognomen erat, legis venia conceſſa vetantis Conſulatum ante decennium repetere ex quo quis Conſul fuiſſet, in Hiſpaniam Conſul mittitur, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo vigeſimo. D. Bruto (ſic credimus) in Vlteriorem Hiſpaniam 620. rurſus prorogatum imperium eſt. Scipionem ex nobilitate Romana, & iis qui à Regibus miſſi erant, quatuor millia iuuenes ſunt ſecuti, ac niſi ſenatuſconſulto vetitum fuiſſet, idem reliqui Patritii feciſſent, cunctis auidiſſime nomina dantibus. tanta erat cupiditas eo Duce arma ſuſcipiendi. Ex his iuuenibus cohortem Scipio inſtituit, quam Philonida dixit, mutuæ coniunctionis nomen validiſſimum rebus gerendis inter milites à mutua amicitia præſidium ſcilicet ſanxit. Copiæ Hiſpanienſes ſoluta diſciplina militari, otio luxuque torpentes, atque temporum licentia eneruatæ ſalutari ſeueritate erant ſanandæ. Ergo Scipio M. Butcone legato in Italia relicto ſupplementi vehendi cauſſa, ipſe primo

quoque tempore profectus in prouinciam, breui, caſtigato exercitu operæpretium fecit. duo millia ſcortorum abiere. calonum, lixarum, inſtitorum non minor numerus, neq; minus in libidinem & turpitudinem corruptus. Sic turpi atque tetri odoris ſentina exhauſta militum erecta atque recreata virtus, contempta ante, cœpit eſſe formidabilis. Vegetandis corporibus additum, vt ſinguli milites triginta dierum frumentum, ſeptenos vallos muniendis caſtris, ſuis ipſi humeris portarent. Ea ſeueritate diſciplinæ mutandiſque ſæpe caſtris vigor breui rediit in corpora & animos. nulla re magis licentia coercita, quam Imperatoris exemplo. Parendi neceſſitatem omnes auerſamur, facile exemplo iubetur. Itaque primus Scipio in opere verſari, poſtremus abſcedere. Multum contulit ad diſciplinam inſtaurandam C. Marii diligentia eius, qui poſtea ab his initiis in ſummum Ducem euaſit. Inter hæc anni tempore in æſtatem extracto, caſtra in Numantinos mota ſunt, eorum agri longe lateque vaſtati. Militem ex ſuperiorum rerum memoria nondum terrore diſcuſſo, vniuerſæ pugnæ obiici nolebat. Inde excurſiones in Vaccæos populabundus fecit, Palentinorum finibus præſertim infenſus propter acceptæ nuper cladis Lepido Cos. memoriam. Quo loco Rutilii Rufi temeritate præcipiti, in vniuerſæ pugnæ neceſſitatem ferme deductus eſt, longius ſtudio prouecti Palentinorum conatus comprimendi, qui locis omnibus ſe oſtentantes moleſti erant. Iis enim de induſtria cedentibus, in inſidias inducebatur: cum ex tumulo Scipio periculo animaduerſo, ſigna repente inferri iubet, equitatumque bipartito inſidiarum latebris circumuentus, atque leui cum hoſte prælio commiſſo, ſocios periculo, in quod ſe induebant, eripere. Ea in expeditione Scipio euerſæ Luculli perfidia Cauciæ ſpectaculo commotus, voce præconis denunciauit vectigalium immunitatem, ſi qui vellent vrbem eam inſtaurare, in eaq; fortunarum & vitæ domicilium conſtituere. Atque hæc per æſtatem geſta ſunt, qua præcipitante atque adeo in hyemem inclinata, copiæ incolumes Numantiam reductæ, poſitaque ad eam vrbem caſtra. vnde tota hyeme variæ manus prædę cauſſa dimiſſæ vicinos agros depopulatæ ſunt. In his manus vna prædantium periculo proxima Scipionis diligentia euaſit. Erat pagus magna ex parte palude circumfuſa, qui pagus hodie Henar vicinæ paludis coniectura eſſe putatur. prope eum pagum loca prærupta erant, & inſidiis tendendis apta. in his Numantini occultati Romanos milites vagos & prædæ maiori ex parte intentos ferme oppreſſerant, ni Scipio (nam non procul erant caſtra) ſuorum periculo cognito, continuoque ſigno receptui dato, milites à præda ad ſigna reuocaſſet, milleque equitibus præmiſſis, ipſe cum copiarum robore ſecutus eſſet. Numantini dum pari certamine res geſta eſt, magnum hoſtium numerum ſuſtinuere: verum legionum ſignis appropinquantibus terga dederunt, magno miraculo Romanorum, qui a multo tempore Numantinos auerſos non viderant. Atq; hæc Scipionis conſulatu geſta ſunt. quo tempore Iugurtha venit in caſtra Romanorum, Maſiniſſæ nepos ex filio Manaſtabale, miſſus à Micipſa patruo cum decem elephantis & valida equitum ac peditum manu, cupiente non modo Romanos auxiliis iuuare, ſed etiam Iugurthæ caput periculis obiectare, vnde filiis ſuis periculum imminere ſagax & prudens conſiderabat. conſilio euentus defuit.

Numantia exciſa. CAP. X.

621. PVBLIO Mutio Scæuola & L. Calpurnio Piſone Coſs. nimirum anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo vigeſimo primo, Numantia funditus exciſa eſt, Scipioni imperio prorogato. Is enim hyeme tranſacta atque leuibus præliis ſuorum animis à metu quem conceperant confirmatis. Numantiæ obſidionem premere conſtituens, ex vnis bina caſtra fecit. Alteris Q. Fabius maximus eius frater præfectus eſt, in alteris ipſe curabat. tametſi alii quadripartitum caſtrorum numerum faciunt: ac ne de copiarum numero ſatis conueniunt, aliis ſexaginta millia aliis quadraginta affirmantibus. Numantini tot antea victoriis elati quamuis numero vincebantur (qui plurimos octo millia fuiſſe pugnatorum dicunt, qui pauciſſimos quatuor) ſuis in aciem productis, non dubitabant vniuerſi certaminis aleam ſubire, pereundi aut perdendi propoſito, vt obſidionis diuturnæ ſcilicet incommoda vitarent. Scipioni in conſilio detrectandi certaminis perſtare animus erat, cum conſideraret Ducis partes eſſe non magis audacia quam conſilio, & arte, & patientia bellum profligare. neque committendum putabat, deſperato hominum generi ciues & milites obiectare. Itaque vrbem circumuallare conſtituit, ad coercendam obſeſſorum audaciam & impetum reprimendum: noua autem auxilia bellique ſubſidia fœderatis ciuitatibus imperare. Circumducta foſſa noui generis agger erectus eſt decem pedes altitudinis, latitudinis quinque, ex trabibus terraque compactus, atque turribus ex interuallo perpetui

muri ſimilitudine. Durio tantum flumine in vrbem patebat aditus: ſed diſpoſitæ in vtraque ripa cohortes intercludentes, commeandi facultate prohibebant. Quam diligentiam nonnunquam obſeſſi eludebant procul hoſtium conſpectu ſubeuntes aquam, occultoque natatu in partem alteram euadentes vrinandi peritia: alii nauiculas vel remis incitantes, vel ſecundis a puppi ventis celeritate tela coniecta vitabant atq; per hunc modum nonnihil commeatus in vrbem inferebatur. Verum hoc qualecunque ſolamen noua diligentia impeditum eſt, binis vtrinque caſtellis extructis, atque trabibus iuncto flumine, vnde claui prælongi atque acuminati extabant. Nec Numantini deſiſtebant in vigilias excubiaſque Romanorum impetum facere, vnde aliorum ſuperuentu facile in vrbem reiiciebantur. Nam à cæde de induſtria temperabant, vt citius conſumpto a multitudine commeatu ad annonæ ſupremam difficultatem redigerentur, atque deditionis neceſſitatem. Vnus Rhetogenes Carauinus ab animi virtute opem in his difficultatibus petendam iudicans, cum quatuor aliis noctu, qua parte Romanorum munitiones infirmiores erant, & minor cuſtodia adhibebatur, ſcalis admotis, atque vigiliis occiſis in Areuaces euaſit. vbi concilio Principum gentiſque conuocato, pro veteri amicitia & propinquitatis iure obteſtatus petiit ne Numantiam, quæ eatenus gentis commune propugnaculum fuerat, & iniquitate fortunæ arteque obſidentium magis quam vera virtute proxima exitio erat, negligendo, hoſti vindictæ ſtudio inflammato iniuriarum memori diripiendam, euertendam, excindendam relinquerent. Quin, inquit, dum vires integræ ſunt, & Romanus tot cladibus caſtigatus certamen horret, & ad artes conuerſus nobiliſſimam ciuitatem opprimere cogitat, iunctis viribus iugum ſeruitutis depellitis, & communem patriæ peſtem de finibus exturbatis? An expectatis dum contagionis vis veſtram ciuitatem opprimat? Accenſa flamma proxima quæque vaſtante cunctis pereundum cogitate. An Romanorum ambitionem & rapacitatem ignoratis? quos nulla ſæpe de cauſa vidiſtis audiſtiſque ex aliis proferendi imperii cupiditate totius Hiſpaniæ fortunis libertatique inſidiari. At fœderis fiducia retinet. quod niſi multa exempla recenti memoria & ante oculos extarent Romanorum perfidiæ, auaritię, crudelitatis: Cauciæ nuper exitium, & nunc Numantinorum cum Mancino fœdus violatum, ſatis docere potuit, nihil ei genti ſanctum eſſe præ libidine dominandi. Videte ne priuatæ tranquillitati communem ſalutem poſthabentes modo, quam Numantiæ præſidio ſtare ne ipſi quidem ignoratis, vtraque prodidiſſe aliquando, vtinam vanum vaticinium ſit, fruſtra queramini. Agite dum opportunum eſt, dum res ſalua: ad patriæ ſalutem procurandam animos & cogitationem referte. arma vireſque ſociate: hoſtemque ſecurum, vtriſque copiis à tergo & à fronte circumuentum aut opprimite aut fugate. in noſtro periculo vniuerſæ gentis fortunas, libertatem, ſalutem verti putate. Huic orationi cum vim addidiſſet lachrimarum, & ad terram prouolutus ſingulorum genua prenſaret, multorum flexerat animos. Vicit tamen ſententia non eſſe Romanos irritandos. additumque Numantinos quamprimum ſuis finibus pellendos videri, ne fraudi eſſet aliquando in eorum conuentu eam legationem auditam. Quid Rhetogenes deinceps fecerit clam eſt. conſtat tamen Luciæ vrbis iuuentutem, quæ ad quartum ab vrbe Numantia lapidem ſita erat, ad ferendam opem excitam, Scipionis diligentia compreſſam: & quadringentis iuuenibus eius iuſſu dextras amputatas, vt cæteris documento eſſent Romanæ ſeueritatis. Numantini ergo auxiliis deſperatis, & ex diuturna obſidione fame fracti, neceſſario ad deditionis conſilium flexerunt animos. Miſſa ea de cauſſa ad Scipionem legatio. Eius legationis princeps Alurus facta cum conueniendi poteſtate in hunc modum allocutus fertur. Qui ſunt Numantini ciues, qua fide, qua conſtantia, explicare longa oratione non attinet. Nam & ipſe longo vſu expertus es, & miſeros non decet ſuarum laudum commemoratio. Illud dicam, tibi glorioſum fore, Numantinorum animos fregiſſe: neque nobis ignominioſum prorſus, quando ita in fatis erat, à tanto Imperatore ſuperari. Quod præſentis fortunæ eſt, & obſidionis mala cogunt, victos nos eſſe fatemur: modo pœnitentiam quam exitium malis. Neque veniam petimus, tametſi nullibi melius beneficium collocaris, ſed ſupplicium moderatum. Quod ſi ſalutem negas, neque pugnæ copiam facis: omnia prius experiri, ac occumbere, ſi res ferat, noſtris potius quam alienis dextris, quod virorum fortium ſupremum officium eſt, certum habemus. Tu quid fama ſit in præſens & ad poſteros locutura etiam atque etiam conſidera. Ex hac oratione Scipio infractos gentis animos miratus, in tam afflicta fortuna ac penitus deſperata dignitatis memores atque conſtantiæ: Legatis tamen nullam fore ſpem ſalutis, nullam pacis conditionem reſpondit, niſi in deditione ad victoris arbitrium. Eo reſponſo Numantini acti in furorem Legatis violatis, in quibus quid culpæ erat? ſed furente multitudine, vera dixiſſe ſæpe exitium attulit, ſpe ſalutis

& pugnæ abiecta, quod reliquum erat, multa celia (potus genus erat ex frumento) hauſta: ebrii in Romanorum munitiones irruunt, & vallo ſuperato obuios tandiu proſternunt, donec ſummiſſis vndique Romanorum auxiliis in vrbem reiecti ſunt. Secundum hunc conflictum, ſuorum qui ceciderunt corporibus famem dies aliquot toleraſſe tradunt: deinde fugæ ſpem tentatam haud meliori ſucceſſu. Ad extremum rebus omnibus deſperatis memorabili facinore ſe ſuoſq; omnes aut epoto veneno noxio, aut adacto in viſcera ferro peremerunt. Fuere qui ex prouocatione certarent, nihilo meliori conditione victoris, quam victi pyra accenſa, in quam qui cadebant continuo iactabantur, ſequebantur qui occiderant. ad hunc modum anno & tribus menſibus exactis ex quo Scipio venit in Hiſpaniam, exciſa Numantia eſt ciuibus ad vnum nullo diſcrimine ſexus vel ætatis pertinaci obſtinatione deletis. Appianus vrbe capta viuos aliquot in victoris poteſtatem veniſſe ſcribit: ſed aliorum auctorum opinio reſiſtit. Conſtat Numantiam ciuium concordia ſtetiſſe, labefactatam diſcordia: & victam victoriæ palmam victori eripuiſſe ædificia, quæ incendii a ciuibus iniecti furorem euaſerant, Scipionis iuſſu euerſa ſunt. Numantinorum agri finitimis populis diſtributi. His rebus perfectis Scipio, & Hiſpaniæ pace fundata, Romam ad triumphum rediit Numantini cognomento auctus, cum D. Iunius Brutus paulo ante de Calæcis deuictis ac domitis triumphum in vrbem egiſſet, Calaici cognomine parto, vti paulo ante dictum eſt.

Geſta in Hiſpania poſt bellum Numantinum. CAP. XI.

EXCEPERE tempora bello vacua, præcipua tranquillitate inſignia: miſſique duodecim Legati varias Hiſpaniæ partes pro attributa cuique portione gubernarunt diu. Nam Baleares, qui piraticam exercentes vicina maria & littora infeſtabant, Q. Cæcilii Metelli Conſulis virtute domiti, & ad tranquillitatem reuocati ſunt anno ab Vrbe condita ſexcen-
631. teſimo trigeſimo primo. vnde ei Balearici nomen factum. Quo tempore Marius, cum Vlteriorem Hiſpaniam ex Prætura gubernaret, ſublatis latrociniis, quorum licentia ex ſuperiori temporum perturbatione orta erat, itinera aperuit, leges, iudicia, atque pacem in prouinciam reuocauit: & poſt duodecim annos rebus denuo in ea prouincia turbatis Calpurnius Piſo primum, deinde Sulpitius Galba eius Galbæ filius, qui res in Luſitania geſſerat, prouincialium motus pacarunt. Piſonis nomine multæ monetę & paſſim percuſſæ hoc tempore reperiuntur in Hiſpania. Pace Piſonis & Galbæ virtute reuocata, rurſus decem Legatis prouincia commendata eſt. quo tempore Cimbrorum ex ora Septentrionali ſeſe in Romani imperii prouincias rapidi torrentis inſtar numeroſa multitudo effundens, & curſu victoriarum maximo, in Hiſpaniam delata: in Galliam atque Italiam Romanorum & prouincialium virtute redire compulſa eſt, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo qua-
645. drageſimo quinto. Quo anno Q. Seruilius Cæpio Luſitanos, quo ex magiſtratu incertum, ſed Luſitanos tamen prælio ſuperauit: & tribus poſt annis eiuſdem Cæpionis conſulatu Luſitani maiori reddita quam acceperant clade Romanos vlti ſunt. Fuit is annus ab
648. Vrbe condita ſexcenteſimus quadrageſimus octauus, Marci Tullii Ciceronis ortu, quam vlla alia re geſta inſignior. Arpini natus eſt, matre Heluia, patre equeſtris ordinis, & ex regio Volſcorum ſanguine. qui rem Romanam non minus in toga quam reliqui Principes reipublicæ, ferro illuſtrarunt. Poſt alterum biennium, anno ab Vrbe condita ſexcenteſi-
650. mo quinquageſimo, denuo Cimbri Teutonibus confuſi Celtiberorum virtute ex Hiſpania, in quam prouinciam irruperant, rurſus in Galliam reiecti ſunt: & Luſitanorum motus L. Cornelii Dolabellæ virtute & diligentia compreſſi, cum eam prouinciam ex procon-
655. ſulatu gubernaret, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, Luſitanorum motus Celtiberorum bellum ſequenti anno excepit. cuius comprimendi ſtudio quoniam maiori mole coortum eſt, T. Didius Conſul venit in Hiſpaniam. Collata vtrinque caſtra, directæ acies & pari vtrinque ſpe pugnatum nec diuerſo ſucceſſu, nam exæquata vtrinque clade pugnantes nox diremit. Verum Conſulis arte continuo Romanorum, qui ceciderant, corporibus tumulatis, poſtera luce Hiſpani perterriti, quaſi multo plures ex ipſorum numero eſſent trucidati quam ex Romanis, victoria deſperata deditionem fecerunt, iis conditionibus, quas victores Romani præſcripſiſſent. ex Areuacis eo prælio & totius belli progreſſu viginti millia ceciderũt. Termeſtini veteri vrbe exciſa, cuius fiducia quoniam locorum natura munitiſſima erat, ſæpe rebellarant, in planiciem tranſlati per vicoſque diſtracti ſunt, prohibiti in vrbis formam coaleſcere, oppida mœnibus aut aliqua munitione firmare. Prædonum manus latrociniis aſſueta per fidem fœderis ad Conſulem vocata cum filiis & vxoribus ad vnum trucidata: cum ſpes non eſſet ingenium mutaturam

ram gentem alienis laboribus raptoque viuere aſſuetam. Quod factum ita ſenatui Romano non probauit, vt triumphus nihilominus pro rebus geſtis conceſſus fuerit. In eo bello Q. Sertorius Tribunus militum fuit, magnamque laudem peperit ſeruato ad Caſtulonem Romano præſidio, quod Caſtulonenſes ad omnem recuperandæ libertatis occaſionem intenti communicato cum Gyriſenis (Gerennenſes fuiſſe quidam putant) conſilio, noctu parabant trucidare, cum ſe Romani milites indulgentius poculis inuitaſſent hibernorum tempore, atque ex ea re opportuni iniuriæ fore viderentur. Nam Sertorius Caſtulonenſium tumultu excitatus foraſque ciuitatem ſe proripiens, aucto ſuorum numero quos fuga ſeruarat, ſuorumque cædem vltus, curriculo ad Gyriſenos aduolans, veſtium aſpectu deluſos, quas milites cum Caſtulonenſibus occiſis mutarant, gratulatum prodeuntes magno numero cæcidit: reliqui deditione facta ſub corona venditi. Atque hæc tum hoc anno, tum quatuor ſequentibus in Hiſpania Citeriori geſta ſunt: ex quanto tempore Didius eam prouinciam gubernauit. Nam in vlteriorem Hiſpaniam P. Licinius Craſſus conſulatum adeptus venit, ab Vrbe condita anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo: atque re 657
in prouincia bene geſta, ſexto demũ anno triumphauit. omnino ex Hiſpaniæ præfectura eas copias parauit: quæ M. Craſſum filium inter Romanos maxime nobilitarunt, Romanorum aliquando ditiſſimum. & Antonius Nebriſſenſis affirmat viam totius Hiſpaniæ nobiliſſimam Salmantica Emeritam vſque (vulgo Argentea via nuncupatur) à Craſſo fuiſſe conſtratam, columnarum quas toto eo itinere, Craſſi inciſo nomine ſe vidiſſe teſtatur, indicio haud probabili, cum eæ columnæ modo non inueniantur. Vidiſſe ſe fortaſſe putauit. quod nuſquam erat, quod antiquariis ſæpe accidit. Quo tempore Craſſus in Hiſpania fuit noui Celtiberorũ motus Fuluii Flacci opera ductuque compoſiti ſunt, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſexageſimo, & Italia bellis ciuilibus cœperat æſtuare, C. Mario, 660
atque Cinna republica occupata nobilitatem Romanam, quæ Syllæ partes ſequebatur proſcribentibus. In his M. Craſſus patre & fratre cæſis in vltimam Hiſpaniam aufugit, vbi multæ clientelæ erant, & magna prouincialium ſtudia tum paternis, tum ſuis meritis, qui patrem in Hiſpaniam fuerat ſecutus quæſita: conſpectu tamen hominum vitato (nam fides plerunque ex fortuna pendet, & pleræque ciuitates Hiſpaniæ in Martii poteſtate erant) in ſpecum ſe abdidit mari vicinum, in prædio viri principis, cui nomen erat Vibio Pacieco, arctiſſima beneuolentia coniuncti. Miſſus ſeruus vnus è paucis, qui eius fugam erant proſecuti, Pacieco denunciauit quo loco res Craſſi eſſent: atque pro iure amicitiæ, eius nomine poſtulauit, ne herum in eo diſcrimine deſereret. Is tempus veniſſe gaudens amicitiæ qualicunque officio declarandæ, quo res occultior eſſet ipſe Craſſi congreſſu abſtinens quod tempori dandum erat, ſeruo mandat quotidie in vicina ſpeluncæ rupe commeatum deponere, quem ex vrbe accepiſſet, vetito perſcrutari quorſum id fieret, mortis denunciatione ſi mandata violaret, ſi exequeretur fideliter promiſſa libertate. Ea diligentia atque cura Craſſus ſeruatus, Marii Cinnæque morte denunciata, ex latebris prodiens facile multas in Hiſpania vrbes, quæ propenſa in Syllam voluntate erant, in partes attraxit. Malaca etiam à milite direpta, Craſſo inuito, vt videri voluit & per totam vitam præ ſe tulit: an annuente, vt militum voluntates redimeret aliena calamitate, ex Hiſpania in Africam traiecit, vbi Syllæ partes præcipue vigebant. Porro ſpecus Craſſi latebris illuſtris, præter Heracleam & Arundam hodie monſtratur, Ximenæ oppido vicinus, ſignis omnibus conuenientibus, quæ ex Plutarchi lectione colligũtur. & Paciecorum familiam non minus nobilem quam amplam fuiſſe ea tempeſtate in Hiſpania veterum auctorum monimenta ſatis declarant. Ad quam qui familiam noſtra ætate opibus, gratia, & auctoritate in Carpetanis facile principem referunt, ſola ex nomine ducta coniectura nituntur, nec repudianda ſemper, nec ſatis conſtanti. Recentiora procerum genera in vetera eiuſdem nominis infundere receptum: quæ magna eſt hiſtoriæ labes, veritatis iniuria.

Bellum Sertorii inchoatur. CAP. XIII.

Ex bellis ciuilibus nouum in Hiſpania bellum natum eſt, quod à paruis initiis potentiam Romanam nouem annis exercuit, varia ſæpe fortuna, exitu tandem Romanis proſpero. Q. Sertorius eius belli incitator extitit, natione quidem Italus, obſcuro loco Narſii oppido prope Romam natus: cæterum virtutis ſpecimen in Hiſpania dederat, vt eſt ſuperius demonſtratum, & Marii deinde ac Cinnæ partes ſecutus in Italia, alterum in eo bello oculum amiſit. à Sylla tandem, cum rerum eſſet potitus Cinna & Mario deuictis, proſcriptus cum multis aliis, mortis diſcrimine adactus, & quoniam in

ea rerum perturbatione id habiturum iudicabat, quod primus occupaſſet: vbi militum atque prouinciæ ſtudia erant, in Hiſpaniam venit. Iulio Salinatori Pyrenæi anguſtias obſidendi cum legionis præſidio cura demandata, aduerſus Syllæ conatus. Ipſe in interiori prouincia magnos delectus habere, & ſubſidia vndique comparare ad retinendam Hiſpaniæ poſſeſſionem. Verum Sertorii conatus G. Annii aduentu & celeritate præoccupati ſunt, Pyrenæi præſidio diſiecto Salinatoris morte, quem à Gaio ſubornatus Calpurnius Lanarius per fidem amicitiæ proditorie ſuſtulit. Sertorius ſuorum numero & virtute diffiſus, veritusq; acie contra Gaii copias dimicare, Carthagine traiecit in Africam: vbi varia & aduerſa ſæpe fortuna iactatus, Hiſpaniæ vicinam Ebuſum cepit cum ſua peculiari claſſe, & Piratarum ex Aſia lembis adiutus, qui forte mari vagabantur. Inde depulſus, & de Fortunatis cogitans (ſunt qui eo traieciſſe ſcribant, declinandæ videlicet hoſtilis ſæuitiæ neceſſitate) a Luſitanis aduocatus eſt. Nam Romanorum imperio feſſi erant, & recuperandæ libertatis cupiditate flagrabant. Oblatam Sertorius occaſionem hoſtes de totius Hiſpaniæ poſſeſſione pellendi arbitratus, continuo in Luſitaniam venit, non magis diſciplina militari inſtructus. quam pacis artibus. ingenii facilitate, comitate morum, atque vectigalibus moderandis prouinciæ vniuerſæ ſtudia excitauit. Ad formam præterea Romanæ reipublicæ ſenatu lecto ex Hiſpaniæ proceribus, iiſdem magiſtratuum nominibus quibus Roma vtebatur, Romanę maieſtatis imaginem quandam repræſentabat. his ad conſilium adhibitis imperii ſumma penes Sertorium erat. militare præſidium ex iis legit, qui Romani nominis eſſent, quorum voluntatibus magis fidebat, propter communem originē. & quia fallere non poterant difficili ad hoſtium gratiam aditu maxime fidos fore iudicabat. Harum rerum fama non Vlterioris modo Hiſpaniæ imperium, ſed etiam Citerioris voluntatem adiunxit, vnum eſſe Sertorium cunctis iudicantibus, per quem Hiſpanorum potentia Romanorum gloriam obſcuraret, faſtum tyrannidemque deprimeret. quæ ille ſtudia vt diuturna eſſent, arte prouidebat, ſapientiæ profeſſoribus ex Italia aduocatis, atque litterario gymnaſio Oſcæ conſtituto, ad quod filios procerum mitti curabat, cunctas nationes non magis armis quam ſapientiæ ſtudiis illuſtrari, dictitans, neque fas eſſe ea laude concedere Romanis, quos rebus cæteris exæquarent. Atque hæc palam iactabantur: ex arcano datæ fidei obſides comparabat nulla offenſione prouincialium. Ad has artes accedebat religionis ſimulatio, qua vna re vulgi animi maxime capiuntur, cerua candida Dianæ dono, vti iactabat, ad aurem adhibita, vnde aſſueta erat cibum capere, quoties aut litteræ eſſent allatæ, aut de rebus magnis in ſenatu conſultabatur, quaſi nutu numinis arcanos euentus & conſilii ſummam inſuſurraret, Itaq; Sertorii monetæ reperiuntur in Hiſpania cerua expreſſa altera ex parte. Eboræ in Luſitania duo lapides indicio hodieque ſunt, multum in ea vrbe Sertorium fuiſſe, ciueſque Eboracenſes pręcipuis & frequentibus beneficiis ornaſſe. Geminam Oſcam in Hiſpania fuiſſe, alteram in Ilergetibus, in Bæticæ parte alteram, ex Plinio & Ptolemęo conſtat. In vtra erudiendam iuuentutem Hiſpanicam Sertorius curauerit, dubitatur: multis tamen eam laudem ad Citeriorem Oſcam ablegantibus, nobis locorum vicinitas perſuadet in Baſtetanis eſſe: ab vtraque certe vetus appellatio conſeruatur leui mutatione facta. Duxerat ex Africa cum primum in Luſitaniam venit Romani nominis duo millia & ſexcentos, atque huic numero ſeptingentos Afros adiunxerat: in Hiſpania vero pedites quatuor millia, ſeptingenti equites acceſſere. cum his copiis Cota primum nauali prælio non procul Melaria, quæ ad freti fauces ſita eſt ſuperato, deinde ad Bætim Didio Prætore profligato, atque duobus hoſtium millibus cæſis ex eius exercitu, imperii auctoritatem vehementer ſanxit: hoſtibus timorem incuſſit reputantibus Hiſpaniæ potentiam ductoris cōſilio, quo eatenus caruiſſet, adiutam magnas allaturam difficultates Romano nomini, cladeſque priuſquam ad officium penitus reuocari poſſet.

Metellus & Pompeius veniunt in Hiſpaniam.

Cap. XIIII.

674 EA res Syllam mouit vt anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, altero ſuo conſulatu Q. Metellum collegam cognomento Pium ob patrem lachrimis ab exilio liberatum, mitteret contra Sertorium in Hiſpaniam. Huic adiunctus L. Domitius Prætor, quem Plutarchus Toranium vocat cognomento videlicet Domitiis familiari, in ipſo Prouinciæ aditu ad Pyrenæi montis radices ab Hirtuleio Sertorii Duce victis fuſiſque copiis cæſus eſt. Quæ res Manilium Galliæ Narbonenſis Proconſulem in Hiſpaniam attraxit haud meliori quam Domitius euentu: niſi quod ...e ab Hirtuleio ſuperatus Ilerdæ munitione, in quam ſe contulit, ſeruatus eſt. Sane Metellus in

Bætica

Bætica, in quam cum exercitu penetrare auſus fuerat à Sertorio ſæpe victus & virtute ſuorum diffidens, locis munitis ſe tenere coactus eſt, neque totius dimicationis copiam ferocienti hoſti facere. Lacobrigam tantùm, quæ vrbs in extrema Luſitania ad promontorium Sacrum ſita eſt, Sertorii copiis aliò atque aliò dilapſis, repentina obſidione opprimere cogitauit, irritus conatus fuit. Afri & Hiſpani propoſito à Sertorio præmio deceptis Romanorum vigiliis, duo millia vtres aquæ ad obſeſſos intulerunt, cuius inopia maximè laborabant: aquæductibus corruptis, atque vno tantùm puteo maligne aquam ſuppeditante. Itaque Romani cùm quinque dierum frumentum allatum eſſet, inopia commeatus coacti ſunt obſidionem ſoluere, Sertorio cum ſubitaria manu locis omnibus fatigante. Nec impar Hiſpanus Romano militi erat, quem Sertorius ordines ſeruare, atque imperia agnoſcere, ſignaque ſequi docuerat: ſolitum alioqui rarum diſperſumque pugnare, magno primùm impetu facto, ſi premeretur pedem referre aſſuetum. Multum in eam rem contulere, Romanorum arma mortuis detracta, quibus Hiſpani armati erant. Harum rerum fama, cùm non modò tota Hiſpania vagata eſſet, ſed etiam in Aſiam perueniſſet: Mithridates altero bello, quod geſſit cum Romanis, Sertorium miſſis Legatis ad fœdus inuitauit, claſsis & pecuniæ pollicitatione. vt vires populi Romani diſtraheret. Iis Legatis ſenatu dato, quo maior eſſet auctoritas conceſſum poſtulantibus, vt M. Marium cum aliquanto comitatu ſecum deferrent, cuius operam ſuis rebus Rex potentiſsimus imprimis vtilē fore iudicabat, ſi ſuas copias per eũ Romana diſciplina militare docuiſſet. In eo Aſiæ bello Aulus Mæuius Lacetanus Luculli ſigna ſecutus, egregiam operam Romanæ reipublicæ nauauit, vt lapis indicat altero ab vrbe Auſetana ſtadio in loco publico conſtitutus, eius iuſſu cùm redux eſſet in patriam. Verùm ad Sertorium redeamus. qui hoſtibus L. Lollij res gerentis in Gallia aduentu confirmatis, prælij diſcrimen, quod antea vltro appetebat, detrectare cœpit, ſatis habens leuibus præliis atque incurſionibus tumultuariis hoſtē fatigare. quo belli & conſiliorum tenore biennio extracto Cn. Pompeius exæquata cum Metello poteſtate atque ipſo per litteras expetente, nam aliter Pompeius venturum negarat, in Hiſpaniam miſſus eſt, Magni cognomento aut iam parto, aut vt alii ſcribunt ex Sertorio ſuperato quæſiuit. Tertullianus indicat, & Caſſiodorus ait, id cognomen conciliaſſe theatrum, quod è lapide Romæ primus Pompeius extruxit: nam antea ſcæna ex materia facta, & ſubitariis gradibus vtebantur. Quæſtor adiunctus L. Caſsius Lōginus de quo ſermo eſt rediturus. Magnis ergo in Gallia difficultatibus ſuperatis, cùm Pompeius in Hiſpaniam penetraſſet, ad Metellum ſe contulit, non prius cum hoſte dimicare certus, quàm vires eſſent collatæ. Sertorius eodem tempore Lauronam obſidione premebat nouis auctus copiis, quas Marcus Perpenna ex Sardinia deduxerat. Nam Æmilius Lepidus Cōſul, cum à ſenatus auctoritate defeciſſet, Italia pulſus atque Sardinia occupata, breui ex morbo migrauit è vita. Robur exercitus à M. Perpenna in Hiſpaniam deductum, Sertorio ſe adiunxit, ſiue eius ſponte ſiue defectione militum, nam vtrunque ab auctoribus proditur, cum in diuerſa Hiſpaniæ parte bellum gerere atque imperium conſtituere in animo haberet. Ad Sertorium neceſſitate ſe contulit. Lauronem periti antiquitatis Lyriam eſſe arbitrantur ad Sucronem ſitam in agro Valentino, ſedecim ab ea vrbe millibus paſſuum. Eò Metellus & Pompeius iunctis viribus ac paribus auſpiciis profecti obſidionis ſoluendæ ſtudio cùm caſtra prope poſuiſſent, nullum aliud operæpretium fecerunt, niſi quòd in tumultuario certamine dum pabulatoribus opem ferunt, decem Romanorum millia Sertorii inſidiis circumuēta ceciderunt, atque in his Pompeii legatus D. Lælius. Obſeſſi defenſione deſperata ad deditionem compulſi cum incolumi ſalute res etiã educere iuſſi eſſent, vrbs incendio eſt abſumpta in vtriuſque Ducis Romani oculis, ad oſtētationem videlicet virtutis magis, quam ſæuiendi voluntate. Oroſius diſceſſiſſe Pompeium ait, priuſquã Lauro in Sertorii poteſtatem veniſſet: & ciues partim trucidatos, partim direpta vrbe in ſeruitutem abactos: addit præterea, in Romanorum caſtris triginta millia pedites, equites mille fuiſſe. In Sertorii pedites duplicato numero, equites 8000. Proximo anno, qui fuit ab Vrbe cōdita ſexcēteſimus ſeptuageſimus ſeptimus, veris principio bellũ vtrinq; inſtauratũ. 677

Metellus ac Pompeius ex Citeriori Hiſpania atque Pyrenæis montibus, ad quæ loca in hiberna ſeceſſerant, Sertorius ex Luſitania digreſſi. à Pompeio Segeda expugnata eſt. Metellus prope Italicam ſignis cum Hirtuleio collatis, viginti hoſtium millia cæcidit: Dux ipſe fuga ſeruatus eſt, tanta ex ea victoria Metelli lætitia, faſtuq;, vt picta veſte in conuiuiis vteretur: venientique paſſim in vrbibus thure quaſi Deo ſupplicaretur, populis in aſſentationem effuſis, addebantur ludi, atque triumpho perſimilis pompa. Sunt qui huius victoriæ monimentum eſſe credãt è duobus Guiſandi tauris lapideis, alterum hac inſcriptione: Q. Cæcilio Metello Conſuli. II. victori. numero non ad conſulatum ſed ad victo-

riam duplicem relato. Pompeius Segeda capta, hoſtem ad Sueronem nactus, prælioque dimicare auſus, periculo proximus fuit. verum prælium inclinatum penitus Metelli aduētu reſtitutū eſt, ſine quo ne aliquid de victoriæ laude decederet pugna fuerat inchoata, diſceſſum dubia victoria parique vtrinque iactura facta.

Sertorius victus & occiſus. CAPVT XV.

SECVNDVM hoc prælium Sertorius in luctu eſſe, & publico abſtinere, ceruam qua plurimum vtebatur ab hoſtibus interceptam cogitans, triſti videlicet omine rerum futurarum. & cum deinde repente apparuiſſet, lætitia animi reuocata, luctuque abiecto, bellum inſtaurauit. Ad Turiam fluuium denuo dimicatum (decurrit per agrum Valentinum, & hodie Guadalauiar nuncupatur) totis vtrinque viribus ſumma animorum contentione & corporum conatu. victoria cæſo diſſipatoque Sertorii exercitu penes Pompeium ſtetit. Herculeius cum fratre eiuſdem nominis, & Herennius, qui Sertorii partes ſequebantur trucidati ſunt. In ipſo ardore pugnæ à Pompeiano milite frater obtruncatus eſt, vt ſunt ancipites & calamitoſi etiam in ipſa victoria bellorum ciuilium caſus. Detracta caſſide agnitum cum inſtructæ pyræ impoſuiſſet, voce flebili precatus manes placatos parricidii veniā per errorem facti: quoniam mutare nō licebat, eadem vindicare dextra certus, gladio quo fratrem occiderat in viſcera adacto ſuper defuncti corpus occubuit. re vulgata indignatio vtriuſque partis ſubſecuta eſt & ſæuiſſimi belli execratio. Amiſſo Sertorius exercitu intra Calagurrim ſe continuit. dum nouis delectibus vires colligeret. Intra eam vrbem à Pompeio obſeſſus, cum eruptionem feciſſet, tria ſuorum millia amiſit. inde ad copias fuga elapſus eſt, quæ ſuorum diligentia magno numero erant collectæ: quarum virtute confiſus Romanos aggredi atque dimicationis copiam facere auſus in hiberna copias deducere coegit. Metellus ſuperatis Pyrenæi iugis ad eius montis radices, Pompeius in Vaccæis hyemarunt. Erat Sertorio mite ac tractabile ingenium. niſi naturam ſuſpicio corrūperet: qua ſtimulatus Romanorum animos penitus alienauit, Celtiberorum præſidio vſus: & vt timorem ſæuitia conſequitur, nōnullis è ſuorum numero trucidatis. Ab eo gradu pueros Hiſpanorum, quos ſtudii cauſa Oſcam miſſos fuiſſe docuimus, partem occidit, partem in ſeruitutem vendidit: atque ex ea re, quod vnum præſidium reliquum erat, prouinciæ ſtudia atque voluntates penitus conturbauit: excæcat nimirum animos fortuna ſiue Deus vbi vim ſuam exerere vult. Omnino Sertorius, qui ſuorum beneuolentia nitebatur, ab hoc initio in præceps ruere cœpit. Et Metellus multas vrbes veris principio expugnauit. Pompeius à Palentiæ obſidione Sertorii aduentu diſcedere compulſus eſt: deinde viribus reparatis Sertorioque in extremam Hiſpaniam cedere coacto, ad promontorium Hemeroſcopeum, quod prope Dianiū promontoriū iacet & hodie à S. Martino nomē habet, tumultuario certamine pugnatum eſt haud memorando in alterutram partem euentu, cum vniuerſi certaminis aleam imminutis vtrinque copiis ſubire vtraque pars detrectaret. Res Sertorii magis ſuorum odio quam Romanorum virtute inclinatas, vt nunquam calamitas in vno gradu reſiſtit, eius mors penitus conturbauit. Perpennæ coniuratione Antoniique, qui proximus aſſidebat, pugione in conuiuio Oſcæ trucidatus eſt. Coniuratione paulo ante ex parte detecta, quidam ex coniuratis ſupplicio affecti ſunt, alios fuga ſeruauit, alios ſociorum ſilentium texit, qui ne proderentur facinus accelerarunt. Sic periit Sertorius, quem Hiſpani Romanum Annabilem vocare ſoliti erant. nullam prolem reliquit: tametſi iuuenis quidam deinde ſe Sertorii filium eſſe ſimulauit propter oris ſimilitudinem
681. facili ad fallendum fide. anno quantum coniectura coniicere licet ab Vrbe condita ſexcenteſimo octogeſimo primo, cæſus eſt magnis Imperatoribus veris virtutibus, militari ſcientia, ciuilique prudentia merito coæquandus, ſi primis vltima cōtexuiſſet, nec egregiam indolem ſæuitiæ ignominia fœdaſſet. Sertorii illa vox fuit: Malle ſe ceruorum exercitū duce leone, quam leonum duce ceruo. tum illa: Periculis obeundis periti Ducis partes eſſe priuſquā ingrederetur diſcrimen, conſiderare de exitu. Concordiæ militaris ſymbolū equi caudam propoſuiſſe fertur, crinibus ſingulis facile conuulſis, omnibus inuictis. Belli neceſſitatem ſalutis diſcrimen impoſuit. tranquillitatis tamen cupidior fuit: cum Romæ poſtremum locum occcupare mallet, vt ipſe præ ſe ferebat, quam in exilio principem. Corpus eius Eboræ ſepultum eſſe traditur lapidis indicio, quem eruendis templi D. Ludouici fundamentis inuentum eſſe affirmatur haud ſatis idoneo auctore. Sed confractum tamen lapidem, & in eo inciſa ſubiecta verba aiunt:

SERTOR. LVSIT. DVX. IN EXTREM. ORB. PLAGA.

BA. D. IMMORT. VOVET. ANIM. BVSTO. CORPVS. QVI TIBI SALO. TETHI. SERVATVS QVO LOCO. CIRCA. EBOR. RO. COS. COP. Q. IPS. CÆCIDERAT. OLIM H. EREX. S. CIRCVMVENTAM. DOLO VMB. ELYSIVM. DIRIGE. DIVA. D.

F. T. T. L.

AVLICVS. F.

Quæ inſcriptio cum paucis aliis ſumpta eſt ex commentariis Ambroſii Moralis viri in hiſtoria noſtræ gentis, ſed eruenda Hiſpaniæ antiquitate imprimis diligentis & accurati. ad auctorem gratia redeat fidesque: nobis his rebus amplius examinandis otium non erat.

Pompeius pacat Hiſpaniam, CAPVT XVI.

SERTORII cæde vulgata magnus ſuorum gemitus conſecutus eſt: magnaque inuidia atque indignatio in Perpennam excitata. reſignatis teſtamenti tabulis, quibus eum inter alios hæredem ſcripſerat, & priuatim imperii ſucceſſorem deſignabat, vehementius aucta eſt: cum amicitiam perfidia, beneficium maleficio compenſaſſe cum dolore & gemitu reputarent. Quos ille multis in præſenti blandimentis & donis, maioribusque in poſterum pollicitis mitigauit. timor præſertim Romanorum, qui concordiæ vinculum maximum eſt, compeſcuit animos: nam ad Pompeii impetus ſuſtinendos, qui Metello Romã profecto factionis reliquias diſſipare parabat, Duce aliquo opus habebant: neque melior Perpenna occurrebat Sertorii, etiam iudicio atque ſuffragio. Itaque Perpenna adminiſtrandi cura ſuſcepta Pompeioque continuo obuiam facto, cum non minus ſuorum virtute quam fide diffideret, in conſilio certaminis detrectandi initio perſtitit: deinde in inſidias hoſtiũ arte præcipitatus facile victus eſt: copiisque partim cæſis, partim diſſipatis ex latebris ipſe, cum ſe intra dumeta condidiſſet, extractus atque eius rogatu clementiæ Romanæ ſpe quamuis ad Pompeium deductus, eius iuſſu continuo interfectus eſt. præcipiti ira an ne proditis defectionis conſciis maiori ſæuitia graſſari neceſſe eſſet: nam eo conſilio litteras Romanorum ad Sertorium, quibus in Italiam reuocabatur, igne cremarat. Omnino Sertorio & Perpenna ſublatis breui vniuerſa Hiſpania ad officium reuocata eſt. Oſcenſes, Valentini, & Termeſtini deditionem ſecundum hanc victoriam fecerunt. Vxamam imperata facere recuſantẽ Pompeius ipſe expugnatã ſolo æquauit. Calagurris ab Afranio poſt diuturnam obſidionem, qua ciues conſumpto commeatu filiorum & vxorum carnibus famem tolerarunt, vnde prouerbio facto fames Calagurritana nobilitata eſt, cum veniſſet tandem in poteſtatẽ ipſa quidẽ euerſa eſt, ciues autẽ qui ſupererãt ad vnũ trucidati. Iis exemplis reliquæ vrbes & oppida caſtigata iugum imperii Romanorum breui omnes accepere: multaque bello peracto trophæa à Pompeio in Pyrenæi montis iugis excitata, commemoratione vrbium atque oppidorum, quæ eius belli progreſſu in deditionem venerant amplius octingentorum in ſola Vlteriori Hiſpania, atque ea Galliæ parte vnde in Hiſpaniam tranſmiſerat. Horum trophæorum veſtigia circuli ferrei eſſe creduntur plumbo liquato affixi rupibus decem amplius pedum ambitu, in Andorre & Altauaca Pyrenæi montis vallibus ad hunc vſque diem extantes. fornicum triumphalium coniectura huic opinioni fauet: vbi eius formæ circulos nonnunquam trophæis ſuſtentandis erectos fuiſſe Emeritæ præſertim conſideramus. In Vaſconibus condendæ vrbis nouæ & cognomẽto ſuo appellandæ gloriam aucupatus Pompelonem fundauit (ex eo quidã Pompeiopolim vocant, Strabo certe Pompelonem quaſi Pompeiopolim dictã ait) Nauarræ hodie metropolim. Romam tandem profectus vna cum Metello de domita Hiſpania triumphauit, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo octogeſimo tertio, quo tempore nonnulli poetæ Cor- 683
dubenſes Romæ vixerunt craſſum, vt Cicero ſcribit, ſonantes non magis nationis culpa quam temporum vitio. Sane iis Metellus multum & familiariter vtebatur, eosque fortaſſis ex Hiſpania decedens ſecum in vrbem deduxerat.

C. Iulius Cæſar venit in Hiſpaniam. CAPVT XVII.

ANNVM circiter ab Vrbe condita ſexcenteſimum octogeſimum quintum, Iulius Cæ- 708
ſar Quæſtoris munere in Hiſpaniam venit Antiſtio Prætori ſocius. Plutarchus Tu-

beroni ait vitiata, vt putamus lectione pro Turbione, Antiſtiorum videlicet cognomento vſitato. Omnino populi Romani mandato conuentus iure dicundo cum inuiſeret, vt quid de rerum ſtatu videretur, ſenatui referret, Gadeis delatus propter eius inſulæ celebritatem, in Herculis templo ad viſam Alexandri Macedonis ſtatuam ingemuiſſe fertur: quod ea ætate, qua Alexander orbem terrarum armis ſubegiſſet, nullum rerum ab ipſo geſtarũ monimentum extaret Ea æmulatione incitatus & ſomnio in Vrbe erectus, quo matri ſtuprum offerre ſibi videbatur, (& vates orbis imperium atque Vrbis ex eo denunciabant,) ad captandas nouas ſpes miſſione ante tempus impetrata in Vrbem fuit reuocatus. Cæſare digreſſo atque ab Vrbe condita anno ſexenteſimo octogeſimo nono. Gn.
689. Calphurnius Piſo, qui cum extraordinaria poteſtate res gerebat in Hiſpania Citeriori, noctu à quibuſdam equitibus Hiſpanis obtruncatus eſt, ſcelerum vindicta, an in Pompeii gratiam? qui opprimendi Piſonis omnes artes quærebat, eoque auctore per ſpeciem hono-
693. ris erat in Hiſpaniam amandatus. Quadriennio exacto atque ab Vrbe condita anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Conſulibus M. Pupio Piſone, & M. Valerio Meſſala: qui annus ante Chriſti Dei ortum ſalutarem octauus & ſexageſimus præciſe fuit, Cæſar rurſus in Hiſpaniam Prætor venit, atque initio Herminiorum montium accolas Durio & Minio amnibus circumfluos, quoniam ex iis locis variæ prædonum manus Luſitaniæ & Bæticæ oram latrociniis infeſtabãt, locorum notitia & munitione confiſæ, cum ſponte detrectarent, malo compulit in loca plana domicilia transferre. Præterea iis finitimi cum exemplo ſeueritatis caſtigati Durio tranſmiſſo nouas ſedes populariter petere conſtituiſſent, à Cæſare occupata fuga, victi prælio atque domiti ſunt. Multę Luſitanorum vrbes & oppida direpta, multæ ex deditione venerunt in poteſtatem. Herminii quoniam ab imperio rebellabant, denuo bello petiti, victique acie atque ex fuga in vicinam littoris inſulam compulſi ſunt: ex earum fortaſſe numero quæ Baionæ obiectæ ab ea vrbe vulgo nomen habent, antiquis Albianum & Lancia, cõmuni nomine Cinciæ erant, quod hodie etiam nomen retinent. Ad eorum hominum ſtirpem delendam miſſus eſt à Cæſare Dux cum copiarum parte, cuius nomẽ nõ proditur, factũ Dion tradit. in milites in terram expoſitos, ipſo Duce maris æſtu ex cenſione prohibito, Herminii facto impetu facile vniuerſos trucidarunt. in eo diſcrimine P. Sceuæ virtus enituit, qui amiſſo clypeo, multiſque vulneribus debilitatus, natatu ad claſſem euaſit. Cæſar eius ignominiæ vindicandæ ſtudio maiori claſſe comparata, cum ipſemet in inſulam tranſmiſiſſet, breui hoſtes & minori virtute & commeatus inopia laborantes afflixit atque peremit. Inde in Calæciæ littore Brigantinus portus (Corugnam hodie vocãt) pari celeritate eſt occupatus deditione ciuium, nauium magnitudinem, immenſum inflata carbaſa, malorumque proceritatem cũ admiratione formidantium ab inſolenti ſpectaculo: cum modicis ipſi lembis vti ſoliti eſſent carina ex leui materia compacta, reliquo corpore ex viminibus contexto coriiſque ſtipato: ne videlicet aqua peruii eſſent. Cæſare Prætore prouincia optimis inſtitutis temperata eſt, ac nominatim Gaditanis eæ leges datæ atque ſancitæ quas ipſi petiiſſent. denique modus verſuris impoſitus, vnde debitori tertia fructuum pars cederet, reliqua creditor perciperet, quæ vſuris annumeratis de capite detraheret. His rebus perfectis Romam rediit ad comitia neque expectato ſucceſſore, & triumphi honore, qui ſponte à ſenatu deferebatur, repudiato, ſpe videlicet & ſtudio conſulatus obtinendi. Equinum pullum ex prouincia deduxit pedum vnguibus in plures diductis partes, vnde aruſpices orbis etiam imperium portendi pronunciabant. viuo ſolus ipſe vſus eſt cum nullum alium dorſo admitteret: mortuo ſtatua Romæ ad Veneris poſita eius iuſſu recepta vanitate.

Initium belli ciuilis in Hiſpania, CAPVT XVIII.

CVm Cæſar Gallia magna ex parte domita aduerſus Vocontios & Tharuſates (hos coniectura eſt fuiſſe incolas vrbis Turſæ in prouincia Auſcitana, Aquitaniæ parte Hiſpaniæ Citeriori vicina) Craſſum miſiſſet: ab iis gentibus Hiſpani finitimi aduocati magna multitudine Pyrenæi iuga ſuperarunt. Oroſius quinquaginta millia Cantabrorum affirmat iiſſe in Galliam: & conſtat eorum potiſſimum virtute bellum fuiſſe geſtum, Ducibus ex eo numero creatis qui ex Sertorii diſciplina Romanæ militiæ artes edocti magnum in re militari vſum habebant: ſucceſſus aduerſus fuit. ex Hiſpanorum numero triginta octo millia cecidiſſe feruntur. Strabo auctor eſt Craſſum mari ad Caſſiterides inſulas delatum Cronio promontorio obiectas, inſulanos pacis artibus & tranquillitati deditos,
699. nulla difficultate ſub imperium miſiſſe. Excepit anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonageſi-

nonageſimo nono, proconſulatus Q. Cæcilii, qui biennium Hiſpaniam gubernauit, & ad
Gluniam vbi Romanorum conuentus iure dicundo erat, & cuius vrbis ruinæ hodie ex-
tant non procul Vxama propeque Corugnam, à Vaccæis inſigni prælio ſuperatus magnã
iniecit ſolicitudinem ſenatui populoque Romano. prorſus vt Gn. Pompeio cui gratia &
auctoritas magna erat in prouincia & multæ prouincialium clientelæ ſuperiori tempore
adiunctæ, res Hiſpaniæ in quinquennium commendarent anno ab Vrbe condita LXXI.
Cæterum cum Iuliæ nuptiis, quæ Cæſaris filia erat, delinitus totusque vxorius factus 701.
in Hiſpaniam proficiſci recuſaret, tres Legatos prouinciæ præfecit Petreium, Afranium
& M. Varronem. Afranius Citeriorem Hiſpaniam tribus legionibus obtinere iuſſus eſt.
Varro eum Hiſpaniæ Vlterioris tractum qui Marianis montibus & Ana flumine contine-
tur. Petreio reliqua Bætica & Luſitania atque Vectones cum duabus legionibus commẽ-
data. Quibus præſidiis quaſi fræno prouincialium ferocia cohibita Hiſpaniæ quidem res,
aut tranquillæ, aut modice laceſſitæ fuerunt. Ex Italia autem noui atque exitialis belli oc-
caſio nata. cuius flamma Hiſpanos etiam peruaſit. Defuncta Iulia, quo vno vinculo Cæſa-
ris & Pompeii voluntates adſtrictæ fuerãt, noua ſimultas exorta totum imperium Roma-
num diuiſis inter vtrunque ſtudiis traxit in partes. Regnandi inexhauſta auiditas, & incõ-
municabilis natura poteſtatis fatalis mali extitit cauſſa. dum Cæſar neminem præferri pa-
titur, Pompeius exæquari aliquem auctoritate detrectat. Sane Cæſar Gallia domita, atque
Britannia terrarum vltima ſemel & iterum tentata, ęquum poſtulare videbatur vt legis ve-
nia conceſſa abſenti daretur petere conſulatum. Id graue ſenatui Romano viſum eſt arma
tenentem, vnde gradus fieret ad reipublicæ libertatem opprimendam, ſummum & ma-
ximum ambire magiſtratum. & erant plerique ſenatores infecti partibus & in Pompeii fa-
uorem inclinabant. Itaque ad illud extremum atque vltimum ſenatusconſultũ decurſum
eſt, quo niſi rebus deſperatis diſceſſum eſſe nunquam antea conſtabat. Darent operam
Conſules, Prætores, Tribuni plebis, quique Conſules eſſent ad vrbem, ne quid reſpublica
detrimenti caperet. Eo ſenatusconſulto quoniam bellum continebatur, niſi Cæſar qui de-
cennium Galliam tenuerat, ad certam diem copias dimiſiſſet: is re cognita Rubicone flu-
uio vbi prouincia terminabatur, cum exercitu traducto Romam feſtinare conſtituit. Põ-
peius hoſtis voluntate perſpecta & Conſules Claudius Marcellus, & Cornelius Lentulus
nondum copiis ad reſiſtendum comparatis ex vrbe diffugiunt anno ab Vrbe condita ſep- 705.
tingenteſimo quinto. Brunduſium in extremo Italiæ angulo ſitum elapſi, inde in Macedo-
niam tranſmittunt. vt quoniam de Italia & Occidente deſperarent, Orientis viribus pu-
blicam libertatem tuerentur. Bibulius tamen Rufus à Pompeio in Hiſpaniam legatus eius
verbis Afranio Petreio, atque Varroni imperauit, vt collatis in vnum viribus ſupremoque
conatu Cæſarem prouinciæ delegatæ aditu prohiberent. Itaque Varroni Vlterioris Hiſ-
paniæ cura commendata Afranius & Petreius additis ad præſidiarias copias ex Celtibe-
ria & Cantabria octoginta Cetratorum cohortibus, Ilerdam belli ſedem deligunt caſtris
poſitis citra Sicoris ripam. Ilerda enim in colle arduo ſita eſt, obiecto ad ſeptentrionem tu-
mulo vnde tormentis petatur ad munitionis nonnullam iniuriam. Orientale latus Sicori
alluitur, qui fluuius paulo inferius Cingæ cõfuſus nõ magno interuallo in Iberũ euoluitur.
Cæſar Pompeio ex Italia pulſo atq; rebus vrbanis ex ſententia compoſitis Hiſpaniæ peten-
dæ ſtudio, dum ad Maſſiliã, quæ portas clauſerat, moram trahit, cum tribus legionibus Fa-
bium præmittit in Hiſpaniam. Is Pompeianorum præſidio ſuperato Pyrenæi anguſtias trã-
greſſus atque Ilerdam delatus in hoſtium conſpectu caſtra poſuit Sicori tranſmiſſo. Luca-
nus ex licentia poetica flumen inter vtraque caſtra interiectum fuiſſe ait. ſubſecutæ ſunt
aliæ legiones & auxilia: ſex millia pedites, equites tria millia & par numerus euocatorum
ex Gallia nominatim. Nam fama prodierat Pompeium per Africam in Hiſpaniam feſti-
nare, venturumque primo quoque tempore, quod omnino facere debuit, ſicque rerum
periti ſuſpicabantur, vt nobiliſſima prouincia retenta reliquum bellum maiori robore me-
lioriq; ſpe adminiſtraret.

Pompeiani à Cæſare in Hiſpania victi. CAPVT XIX.

CÆSAR Maſſilia relicta, tandem in Hiſpaniam delatus, cum Ilerdam in caſtra perue-
niſſet, bellũ cum Pompeianis varia fortuna geſtum eſt: leuia ſæpe prælia fuerunt meli-
ora ferentibus Cæſarianis. deinde pluuiarum copia atque niue veris tepore in mon-
tibus liquata, Sicoris vehementer auctus duos pontes, quibus Cæſariani ſupra Ilerdam
factis pabulatum frumentatumque prodire conſueuerant, diſiecit, Cinga ex altera parte

non minorem aquarum molem trahente. ſic locorum anguſtiis cohibitis Cæſarianis, magna rerum commutatio facta eſt, magnaque commeatus inopia in caſtris eſſe cœperat. Quibus rebus Pompeianorum litteris, rumore, famaque, vt fit, magnificentius Romam atque in alias prouincias perlatis, quaſi hoſte profligato magnæ gratulationes factæ, multique dubiæ catenus atque ſuſpenſæ ex fortuna fidei ad Pompeium tanquam re diiudicata profecti ſunt: ne videlicet poſtremi ad eius partes minori gratia accederent? Verum hæc omnis Pompeianorum lætitia atque ſpes male fundata breui luxuriauit vanaque euaſit. Cæſaris diligentia viginti duobus ſupra Ilerdã millibus, Sicori põte conſtrato commeatus inuectus in caſtra affatim, & noua auxilia quæ ad Cæſarem denuo veniebant ex Gallia periculo liberata. multæ præterea Hiſpaniæ Citerioris vrbes Cæſari ſeſe adiunxerũt Calagurris cognomento Naſica, Oſca, Tarraco, Auſetani, Lacetani, Ilurgauonenſes. Quibus rebus & quoniam Sicori in plures riuos diducto, ne tanto circuitu pontem petere eſſet neceſſe, Pompeiani metuebant, ne à Cæſaris equitatu, qua parte copiarum ipſi inferiores erant, commeatus facultas intercluderetur, fugæ conſilium captant. Vrbano ponte Sicorim tranſmittentes, aliquanto circuitu ad Octogeſam, quod hodie oppidum Mequinẽſa eſſe creditur, viginti ab Ilerda millibus Ibero ſuperato in interiora Celtiberiæ penetrare certi, Cæſaris celeritate atque diligentia præ occupatis montium anguſtiis, qua omnino illis tranſeundum erat, ad deditionis neceſſitatem ſine ſanguine deducti ſunt. Cæſar omni ratione in detrectandæ pugnæ conſilio perſtitit, ne quod futurum prouidebat tanto vtrinque effuſo Romanorum ſanguine imperii vires ſuasque ipſius debilitaret. Deditum militẽ ſine mulcta conſeruauit, vltro etiam miſſione tam exercitæ & diuturnæ militiæ conceſſa (& eas legiones conſtabat in pacata prouincia contra ipſum comparatas) inſuper ſi quid amiſiſſent rerum ſuarum, quod penes ipſius milites eſſet, pretio de ſuo perſoluto priſtinis dominis reddi mandauit. Sed vt eſt prona hominum in deterius perſuaſio, non defuere qui crederent proditam pecunia Hiſpaniam: prorſus vt Afranio qui continuo ad Pompeium nauigauit (nã de Petreio nihil eſt proditũ) ad Pharſaliam Cato Faonius obiiceret: ecquid pugnare recuſaret contra mercatorem, qui pretio ab ipſo prouincias eſſet mercatus? Varro quem in Vlteriori Hiſpania relictum fuiſſe eſt demonſtratum, initio amicitia cum Cæſare ſimulata medium ſe geſſerat: deinde Cæſaris anguſtiis ad Ilerdam nunciatis perſona detracta hoſtilia palam moliri, bellum comparare, copias cõſcribere, triremes Gadibus & Hiſpali ædificare. Ad eas res perficiendas pecunia grauiſſime imperata, ipſum etiam Herculis Gaditanum templum, quod ſanctitatis opinione celeberrimum erat, theſauris expilauit. Verum Petreio & Afranio ad Ilerdam ſuperatis, ipſaque Cæſaris celeritate præoccupatus, militumque magna ex parte defectione ad Hiſpalim deſertus neceſſario deditionem fecit: ſaluteque conceſſa naues, pecuniam, frumentum, in victoris tradidit poteſtatem. Qui conuentu prius omnium ciuitatum Cordubæ habito & reipublicæ ſtatu fundato, cum ſpolia inde mota theſaurique in Gaditanum templum eſſent relata, Gaditanis omnibus pro eximia voluntate, qua impoſitum à Varrone præſidium vltro depulerant, ciuitatem dedit. Q. Caſſium Longinum cum quatuor legionibus in Hiſpania Vlteriore reliquit. Erat is eo anno Tribunus plebis, & rerum Hiſpaniæ magnum vſum habebat, Cn. Pompeio Proconſule Quęſtor in ea prouincia. Rebus ſic ordinatis Cæſar mari quidem Tarraconem, terra autem inde in Galliam profectus, Romam cum perueniſſet, Lepidum à quo Prætore Dictator erat dictus, in Citeriorem Hiſpaniam cum poteſtate amandauit: annoque ſequenti qui fuit ab Vrbe condita ſeptingenteſimus ſextus, Pompeiũ prius prælio Pharſalico vicit, deinde in Ægypto eo cæſo Regem Ptolemæum interfectorem illato bello ſuperauit.

Longini res geſtæ in Hiſpania. CAPVT XX.

INTEREA nouis bellis mota Vlterior Hiſpania Longini auaritia atque immanitate: quam olim ob cauſam Pompeio res gerente prouincialium coniuratione ſalutis periculum adierat vulnere inflicto, verum à Cæſare iuſſus in Africam traiicere aduerſus Iubam Regem, qui Pompeii partes ſequebatur, huius expeditionis prætextu tum imperandis tributis, tum pleriſque facultate manendi in Hiſpania pretio vendita magnam pecuniam compilauit. fœdum latrocinium peculatumque. Ea re multorum animis exacerbatis in eius ſalutem coniuratio facta, L. Recilio & Annio Scapula eius coniurationis principibus. Minutius Silo ſpecie libelli ſupplicis offerendi primus vulnus inflixit, cæteri ad terram deiectum nouis vulneribus deformarunt. Verum militari præſidio accurente Silo quidem captus eſt, Longinus à Succolantibus in lectum deductus, cum vulnera leuia eſſent, mortẽ euaſit. De Silone quæſtiones tormẽtis habitę multique

que coniurationis ſocii eius indicio perierunt: quoſdam fuga ſeruauit, aut captos pecuniæ vis maxima ſupplicio eripuit. Auaritia in Longini animo cæteros affectus, tametſi deprauatiſſimi erant, ſuperabat. Interim à Cæſare allatis litteris victum eſſe Pompeium renunciatum: & nihilominus prætextu expeditionis Africanæ copiis ad fretum Gaditanum miſſis, cum ipſe conualuiſſet, claſſe inuiſenda Hiſpalim profectus audit, magnam terreſtris exercitus partem defeciſſe Thorio Italicenſi Duce creato. Is quoniam continuo Cordubã petiturus credebatur, M. Marcellus Quæſtor ad continendas in officio ciuium voluntates vrbemque tuendam præmiſſus, breui & ipſe à Longini auctoritate deficiens cum vniuerſa ciuitate Thorio ſe adiunxit: eoque concedente, quoniam potiori auctoritate erat, belli adminiſtrandi præcipuam curam ſuſcepit. Longinus cum omnia infeſta videret, & caſtris in conſpectu hoſtium citra Bætim ad Cordubam poſitis ſuorum virtute & voluntate diffideret, Vliam conceſſit oppidum loci natura munitum. Nam in colle arduo poſitũ eſt, & hodie Montis maioris nomen habere putatur vigeſimo ab vrbe Corduba lapide. Ad eius collis radices caſtris poſitis, hoſtium ſuperuentu, cum certamen detrectaret, perpetuo aggere & foſſa circumuallatus eſt. Aduocarat Longinus Bogudem Regem ex Mauritania, atque ex Citeriori Hiſpania M. Lepidum, vt quam primum rebus inclinatis opem ferrent: ſi Cæſaris auctoritatem in prouincia ſaluam cuperent. Bogud prior cum accurriſſet, & Hiſpanorum qui Longino fauebant, delectu auctus aliquoties cum Marcello pugnaſſet præliorum euentu vario, non potuit obſidionem diſſipare. Lepido aduenienti cuncta ſine difficultate ceſſerunt, Marcello controuerſiæ arbitrium ad eum deferente. Longino idem facere detrectanti, conſcientia ſcelerum an Lepidi gratiam præoccupatam a Marcello arbitranti, diſcedendi quo vellet facultas eſt data. Itaque Marcellus & Lepidus Cordubam profecti ſunt. Longinus Trebonii ſucceſſoris aduentu renunciato ad Malacã claſſe conſcenſa aduerſis tempeſtatibus non procul Iberi oſtiis cum vniuerſa pecunia, quam ſcelere & rapina pararat, facto naufragio periit. Conſequenti anno, qui fuit ab Vrbe condita ſeptingenteſimus octauus, Lepido quidem triumphus conceſſus, Hiſpaniæ videlicet motibus inter Longinum & Marcellum pacatis: Marcellus autem defectionis culpam exilii pœna luit, haud diuturni venia à Cæſare facile impetrata, diuerſusque ab eo M. Marcello pro quo conſeruato Cæſari gratiæ à Cicerone eleganti imprimis oratione ſũt actæ. Quemadmodum non idem Longinus eſt, quem ſubiecta alteri è lapideis tauris Guiſandi inſcriptio continet his verbis: Longinus Priſco Cæſonio fieri curauit. 708.

Bellum aduerſus filios Pompeii inchoatum in Hiſpania. CAPVT XXI.

ERAT Hiſpania diuiſa ſtudiis inter Cæſarem & Pompeium: & plæræque vrbes ad Scipionẽ in Africã, cuius poſt interfectũ Pompeiũ præcipua inter Põpeianos autoritas erat, miſſis legatis poſtularunt ſe vt in fidem tutelamque reciperet. Miſſus ex Africa Gn. Põpeius è filiis Pompeii natu maior Balearibus ex itinere occupatis atque Ebuſo, in ea Inſula affecta valetudine aliquandiu moram traxit. Interea Annius Scapula, nimirum is qui contra Longinum conſpirauit & Q. Aponius Aulo Trebonio proconſule tota prouincia pulſo vſque ad Pompeii aduentum Pompeianas partes ſuſtentarunt. nec multo poſt non modo Gn. Pompeius è morbo recreatus ſed etiam bello Africano Cæſaris virtute profligato Scipioneque & Catone voluntaria morte ſublatis Sex. Pompeius Gneii frater, Actius Varus, & Labienus cũ exercitus & claſſis reliquiis venerũt in Hiſpaniã. Gn. tota prouincia obita multas vrbes, qua vi qua voluntate ſub ditionem miſit. atque in his Cordubam in poteſtatem redegit. vbi Sexto fratre relicto Vliam obſedit Q. Pedio & Q. Fabio Maximo Cæſaris legatis certamen detrectantibus, ſuſtẽtantibusq; vſq; ad Cæſaris aduentum. Nam is quatuor triumphos dum agit in vrbem atque reipublicæ perturbatæ ſtatum componit, venire diſtulit vſque ad ſequentis anni initium, qui fuit ad Vrbe condita ſeptingenteſimus nonus: cum Roma profectus diſceſſus moram celeritate compenſare ſtudens ſeptimodecimo die Saguntum & poſt decem alios dies Obulcum peruenit (hoc hodie oppidum Porcuna vocatur propter Cordubam & Giennium ſitum). Interea ad fretum Gaditanum à Didio claſſi pro Cæſare præfecto & Varo Pompeianorum partium prælium nauale commiſſum. Exæquato vtrinque damno & pari periculo, Varus in Carteiæ ſe intulit portus faucibus obiecto ferreæ catenæ clauſtro. id ſignum perculſi fuit, & aliquanto maioris acceptæ cladis. Cordubenſes veteri ſtudio, & nouo periculo prouocati clam per legatos neceſſitatem excuſantes, noctu vrbem capi poſſe docent Pompeianorum vigiliis deceptis. Vlia etiam miſſi legati obſidionis anguſtias & moræ periculum niſi ſuccurrerretur declarant. Cæſare ancipiti cura diſtracto, Vliam quidem L. Iunius Paciecus cum ſex cohortibus miſſus turbidæ noctis beneficio & Pompeii mandatis ſimulandis per medios 709.

hoſtes in oppidum cum penetraſſet, oppidanis cum ſpe defenſionis animos etiam inflammauit. Hunc quidam ſuſpicantur eum Iunium eſſe, cuius opera forti & fideli Cæſar in Gallia vſus ad Ambiorigem legatum non ſemel de pace miſit. Cæſar ergo iuſſis Pedio & Fabio Legatis ad certam diem ſibi cum copiis præſto eſſe, ad Cordubam caſtra ponit, tanta ex ea re Sexti formidine, vt Gneium ab Vliæ obſidione, quæ ferme in poteſtatem venerat, per litteras & nuncios reuocaret. Verum Gneio, tametſi prope caſtra locarat, in detrectandi certaminis conſilio durante Cæſar morbo tentatus atque grauatus, Corduba noctu per occultam teſſeram profectione denunciata, Atteguam verſus caſtra mouet. Comitiali morbo, cui fuit obnoxius, Cæſarem primum Cordubæ tentatũ Plutarchus auctor eſt: & in ea vrbe conſtat platanum ſeuiſſe antiquorum litteris celebratam. vtrunque fortaſſis cum ſuperiori tempore res gereret in Hiſpania. Attegua ſextodecimo ab vrbe Corduba lapide ſita erat, quo nunc loco ruinæ tantum extant Debæ veteris nomine. In id oppidũ Pompeiani frumentum, pecuniam, & bellicum inſtrumentũ magna ex parte contulerant: quo Cęſar confidebat aut oppugnando defendendoq́; Pompeianos ad pugnam elicere, aut capto multum virium & auctoritatis detrahere. Gneius iiſdem rationibus Cæſaris itinere explorato & detrectandæ tamen totius pugnæ certus ad Caſtra Poſthumiana & Attubim (hæc hodie oppida Caſtrum fluminis, & Spegium ſunt) copiis promotis ſe tenere locorum munitione confiſus: deinde trans flumẽ Salſum Atteguæ vicinum (hodie Guadaxox vocatur) caſtra ponere. Sed cùm leuibus prælijs fortuna tentata incommodum eſſet acceptum, deſperata oppidi defenſione, Cordubam quidem ipſe repetiit: ex oppido autem miſſi ſunt ad Cæſarem de deditione facienda legati vano conatu, cum pacis leges afferrent quas à victoribus dici, accipi à victis æquius fore Cæſar prædicabat. Exacerbatis reſponſo militibus in eos, qui ad Cæſaris fœdus erant propenſi ſæuitum eſt. In quo Numatii Flacci Præfecti factum prætereundum non eſt propter eius nefariam ac ſingularem crudelitatem. Omnes eius oppidi ciues Cæſari ſtudentes peremptos è muris præcipitauit, fœminas etiam citatis nominibus virorum, qui in Cæſaris caſtris erant. præterea in ipſarum brachiis liberos trucidauit, infantes alios in oculis parentum humo tegi, aut pilis excipi iuſſit. auditu intolerabilis quàm feræ truculentior rabies. Nihil ea ſæuitia profectum. Ad vndecimum Kalen. Martii Attegua venit in poteſtatem ab oppidanis deditione facta ad Cæſaris voluntatem. oppidanos conſeruatos, atque Numatii immanitatem vindicatam, etſi hiſtoriæ ſileāt veriſimile eſt. Attubi deinde incenſa, atq; multis ex tractu oppidis aut vi aut voluntate ſubiugatis, Mundam Cæſaris caſtra promota. Erat ea vrbs Pompeianarum partium in edito colle viginti millibus Malaca diſſita, modico præterfluente amne, quem lata planicies excipit amœnitate & vbertate præcipua, olim nobilis ciuitas nunc exiguum oppidum antiquo retento nomine ad eam vrbem ſupremo vtrinque conatu pugnatum eſt. Cæſar ſuorum numero & virtute potior erat, Gneius loci natura confiſus atque loco ſuperiori, in vicino colle caſtris collocatis. Explicantur vtrinque acies: nec maiori mole vnquam concurſum eſt nec magis ambiguo marte. ſiniſtra vtrinque cornua ſuperata in fugamque conuerſa. prælium varium, anceps, atrox fuit, multum effunditur ſanguinis, ſternitur cadaueribus campus. Aduentu Cæſaris, cum ſe in pedes conieciſſet & arrepto militari clypeo inter primos pugnaret multis à fuga ſuamet manu retentis, prælium locis omnibus reſtitutum & victoria parta eſt. Triginta millia pedites à Pompeianis ceciderunt equites tria millia: in his Varus & Labienus. tredecim legionum aquilæ captæ è Cæſarianis mille milites, & in his promptiſſimus quiſque deſiderati ſunt. quingenti vulnerati. victoriæ præcipua laus penes Bogudem regem ſtetit, (nam is & Bochius Afri Reges Cæſaris partes adiuuabāt) Pompeianorũ caſtris, quæ modico præſidio tenebātur, in ipſo prælii ardore occupatis. quo cũ ſe Labienus raptim proripuiſſet, cæteri fugā interpretantes abiecta victoriæ ſpe hoſti terga dederunt. Pugnatum eſt ſeptimo decimo die Martii, quo die Romæ Bacchanalia celebrabant. & harum rerũ curioſi notabant, eodem ante annos quatuor die à Pompeio Italia deſerta in Græciam fuiſſe traiectum. Cum Cæſar de hoc prælio loqueretur. ſæpe ſe pro gloria, ea die pro vita pugnaſſe dictitabat.

Cæſar Romam reuertitur, CAPVT XXII.

GNEIVS poſtquam ad Mundam male pugnatum erat, cùm vulnere in humero accepto, Carteiam fuga euaſiſſet, ciuium voluntate diffiſus & cedendi in Citeriorem Hiſpaniam conſilio, vbi magnæ clientelæ erant & multorum propenſæ voluntates, claſſem conſcendit, quam ad omnes caſus paratam habebat: verum ex iactatione maris vulnere

vulnere recrudeſcente quarto poſt die in littus deſcendens cum lectica geſtatus latebras captaret, fugientis veſtigia inſequentibus mari quidem Didio, terra autem Cæſonio, Cæſaris iuſſu, intra ſpecum vbi ſe condiderat comprehenſus obtruncatusque eſt. Florus pugnaſſe affirmat & prope Lauronam cecidiſſe, quod hodie oppidum Lyria ſiue Laurigi eſſe creditur. Eius naues à Didio partim captæ partim incenſæ. Sextus frater ad nuncium aduerſi prælii, cum de Cordubæ defenſione ſine exercitu deſperaret, & iis locis nihil tutũ fore putaret, cunctis eo propenſis humani ingenii vitio quo fortunam videbant inclinaſſe, procul in Citeriorem Hiſpaniam abiit. Scaphula ex prælio Cordubam rediens voluntariam mortem ſibi conſciuit ſeruorum ferro poſt funereas epulas, cum ſe ſolito liberius inuitaſſet. Cæſar Q. Fabio ad Mundæ obſidionem relicto cum parte exercitus, Corduba per vim expugnata in aduerſæ factionis ciues graſſatus viginti duo millia trucidauit. Mox eius vrbis ſtatu compoſito pridie Idus Aprilis, cum Hiſpalim peteret, Gneii caput allatum eſt, tantis rebus admiranda celeritate intra breue tempus peractis atque confectis. & eſt bello ciuili facto magis quam conſulto opus, nihilque feſtinatione ſalutarius. Pari felicitate Hiſpalis venit in poteſtatem, & Pompeianis deinde tumultuantibus rurſus ad officium reuocata, ad quartum Idus Auguſti vt in vetuſtis Kalendariis Romanis annotatur. Hiſpalis exemplo, tum alia eo tractu oppida deditionem fecerunt, tum Aſta vrbs: olim quidem octo millibus Cæſariano diſſita ad Lethim fluuium, nunc autem vaſtus locus antiquam tantum appellationem retinet. Q. Fabius Munda aliquot menſium obſidione feſſa atque expugnata Vrſaonem, hodie Oſſunam, præterea redegit in poteſtatem, vi an voluntate incertum monimentis vetuſtatis vitiatis. Omnino Cæſar Hiſpaniæ vniuerſæ motibus compreſſis & reipublicæ ſtatu compoſito, cum tributis imperandis, atque mulctis publice & priuatim indicendis, honoribusque & magiſtratibus venalibus ingentem pecuniam corraſiſſet, ac ne à templo quidem Herculis Gaditano, cui ſuperiori tempore pepercerat, manus abſtinuiſſet, dona auro & argento grauia abſtulit minori cura religionis inter proſpera, euoluta æſtate atque præcipiti autumno ex Hiſpania diſcedens, Romam Octobri menſe peruenit, Rebus gerendis in Hiſpania præfecit: in Vlteriore quidem Aſinium Pollionem eum, cuius filii Salonini ortum Virgilius Sibyllæ carmine celebrauit: in Citeriori autem M. Lepidum, adiuncta præterea Narbonenſi Gallia. Quo ex tempore quidam coniectura potius quam certa ratione ſuſpicantur Cordubæ coloniæ Patritiæ nomen & honorem acceſſiſſe. Conſtat tamen Auguſti imperio, vt monetæ indicant, eam appellationem habuiſſe. Sane multis oppidis & vrbibus, tota Hiſpania in victoris aſſentationem effuſa, nomina facta Attubi claritatis Iuliæ, Eboræ in Luſitania libertatis Iuliæ Calagurris cognomento Naſſica Iuliæ appellationem accepit. Sexi ex hoc tempore Firmium Iulium nuncupatum. Illiturgis forum Iulium. Emporitani demum veteri diſſidio Græcorum & Hiſpanorum ſublato in Romanos mores, linguam & iura conceſſere coloniæ nomine & honore aucti. Extant huius belli monimenta pluribus in Hiſpania locis & Elboræ in Carpetanis muri parte exaduerſum D. Petri hæc inciſa ſunt verba. Gn. Pompeio Magni Pom. F. nam cætera vetuſtate corrupta ſunt.

Cæſare occiſo noui motus in Hiſpania. CAPVT XXIII.

CÆSAR in ſenatu tribus & viginti vulneribus à coniuratis in eius necem, Romæ confoſſus eſt Martii Idibus ſequentis anni, qui fuit ab Vrbe condita ſeptingenteſimus decimus. 286.
vnde Octauiani Auguſti ſucceſſoris, imperii annos quidam numerant, plerique proximo anno faciunt cum decimo Kalen. Octobris in C. Vibii Panſæ locum auctore Dione Conſul eſt ſubrogatus ætatis lege ſoluta in Hiſpania Pollio, qui latrociniis ſublatis montium Marianorum, vbi præcipua licentia graſſabantur, itinera aperuerat, ſtudio renaſcentis in republica libertatis, in Cordubẽſi conuentu profeſſus ſe in ſenatus poteſtate futurum, aliquam feſſis rebus lucem polliceri viſus eſt, ni Sex. Pompeius temporum perturbatione ad occaſionem factionis inſtaurandæ vſus, ſe è latebris proripuiſſet, vbi ſe eatenus inter Lacetanos continuerat. Itaque eius gentis delectu habito, & nouis indies auxiliis firmior, cum legione vna Carthaginem delatus in eo tractu Vergim (hæc hodie Vera aut Vergia eſſe creditur) cum expugnaſſet, magna rerum & animorum commutatio facta eſt. Pompeianorũ factione reſurgente, & maiores colligente vires, quę paulo ante extincta eſſe videbatur. Nam pari felicitate Bætica omnis acceſſit Pollione inſigni prælio ſuperato. Magno ad victoriã adiumẽto (vt parui ſępe caſus magnarũ rerũ momẽtũ afferũt) Pollionis paludamentũ fuit, forte in ipſo cõflictu cadens an proiectũ latẽdi ſtudio. eo enim à militib.

perſpecto, qui integri Pompeianorum impetum ſuſtinebant, Ducem ſublatum putantibus animi conciderunt. Eos motus & prouinciæ ad Pompeium propenſas voluntates Lepidi aduentus compeſcuit ſanauitque, Sexto perſuaſo vti pecunia, quam in Hiſpania pararat, comportata, ad paternam amplitudinem & hæreditatem libertatis beneficio conceſſam Hiſpania deſerta in Vrbem feſtinaret. Et erant res non minus in Italia turbatæ, M. Antonio, qui anno ſuperiori conſulatum tenuerat, opprimente libertatem. cui Romanus ſenatus exitiali conſilio Octauianum obiecerat Iuliæ nepotem, quæ Cæſaris ſoror erat. Is Pompeiorum bello poſteriori auunculum in Hiſpaniam ſecutus prima militiæ rudimenta in ea prouincia poſuerat vix decem & octo natus annos. & bello profligato Athenas conceſſerat excolendi ingenii litteris & humanitate cupidus. Vnde Cæſaris morte nunciata in Vrbem reuocatus, multorum ſtudiis ob Cæſaris memoriam adiutus M. Antonium, qui ad Mutinam D. Brutum Conſulem deſignatum obſidione premebat collatis ſignis ſuperauit: atque Galliam ex fuga petere compulit. Ibi M. Lepido conciliato & per eum Octauiano in fœdus attracto Triumuiratus conſtitutus eſt imperii nempe prouinciis trifariam diuiſis. Lepido Gallia Narbonenſis & Hiſpania omnis conceſſa. Antonio reliqua Gallia. Italiam, Africam, Siciliam atque Sardiniam Octauianus obtinuit. nam Orientis prouincias Caſſius & Brutus præcipui Cæſaris interfectores occuparant. excepit carnificina pleriſque ciuibus & Senatoribus Romanis proſcriptis. in hoc numero Cicero ſexaginta tres natus annos Popilii Tribuni militum ferro occubuit, quem ipſe in iudicio defenderat de parricidio poſtulatum.

Era ratio.

CAPVT XXIIII.

OPPRESSA rurſus ad hunc modum Romæ Vrbis libertate, poſt confectum Octauiani diligentia bellum Peruſinum, noua prouinciarum inter Triumuiros partitio facta eſt,
714. anno ab Vrbe condita ſeptingẽteſimo quatuordecimo: Hiſpaniaq; omnis in Octauiani ius ditionemque conceſſit, Coſs. Cn. Domitio Caluino & C. Aſinio Pollione. Quo ex anno Hiſpani cœperunt annorum numerum & computationem inchoare, eam quam Eram Domini, aut Eram Cæſaris dicere conſueuerunt, tum in hiſtoria, actionum formulis, atque priſcis conuentuum eccleſiaſticorum actis: tum priuatim in ſermone familiari. Adiunguntur nonnunquam anni à Chriſti ortu ſalutari, octo & triginta annorum à priori computandi ratione interuallo diſcrepantes pauciores que. Ita annus Chriſti primus Eræ Cæſaris nonus & trigeſimus fuit. Nam quod Ioannes Margaritus Gerundenſis Antiſtes ſex & viginti annis tantum ante Chriſti ortum Eram Cæſaris auſpicatur, in eo quid ſecutus fuerit facilius eſt coniicere, quam certa aliqua ratione pronunciare, cum aliorum omnium opinio reſiſtat. & forte Ægyptiorum computationem, de qua mox ſermo recurret, cum Hiſpanica confudit ſimilitudine falſus, quoniam ea etiam gens ab Auguſti imperio annos numerare cœpit. Huius ſupputationis & cauſam & nomẽ declarare promptum non eſt, in tanta ſententiarum & iudiciorum hac de re varietate. Auctores numero & auctoritate potiores, & doctrinæ opinione clari, atque in hoc numero Dion, hoc ipſo anno affirmant poſt bellum Peruſinum L. Antonio deuicto M. Antonii fratre, nouam prouinciarũ partitionem inter Triumuiros factam: & oppreſſa penitus atque conuulſa Romanæ reipublicæ libertate, vti paulo ante dictum eſt, Hiſpaniæ imperium M. Lepido collega concedente, cui in priori partitione obuenerat, Octauio Cæſari ceſſiſſe, Lepido Africam. Vnde quod Antiochenos ſecutos fuiſſe memoriæ proditum eſt, idemq; Ægyptios ſublata poſt vndecim annos Cleopatra vſurpaſſe, vt ab Auguſti imperio annorum numerum & rationem inchoarent: idem ſibi faciendum eſſe iudicauit Hiſpania, pro ingenio mortaliũ noui Principis obſequio delinita & in aſſentationem effuſa. Hæc de Hiſpanicæ computationis initio. De Eræ voce pauca. Eræ Lucillio & Ciceroni ea capita rationarii ſunt, vnde dati & accepti vniuerſa ſumma conflatur. inde traducta vox eſt ad librorum capita, & legum numerum deſignandum. quod in Iſidori & Gotthicis legibus non vno loco factitatũ obſeruamus. Ab hoc initio extenſa amplius eius vocis ſignificatione, ſummam quanq; rationem temporis, atq; adeo promiſcue tempus quodcunque numerumque Eræ nomine deſignare, atque intelligere cœperunt homines præſertim Hiſpani, tum Latino ſermone, tum maxime lingua vulgari, quæ ex Romana proculdubio nominis argumento, atque ex vocum affinitate certiſſima coniectura manauit. Hildericus etiam Gallus æqualis Iſidoro, Eras dierum dixit pro numeris dierum. & inter aſtrologos Eras nonnulli vocarunt tempora ſeu fundamenta illa & poſitionem aſtrorum (vnde ratione temporum

Digitized by Google

temporum deriuantur) ad quæ cæleſtium corporum motus reuocantur diriguntúrque. Errant ergo quicunque ex Iſidori teſtimonio atque auctoritate, qui cæteros in errorem induxit, Eram putarunt ab ære dictam: quod eo anno, vnde tota hęc ſupputatio inchoatur, Cæſar Auguſtus primum tota Romana ditione tributum imperaſſet cunctis mortalibus relatis in ærarios. nam neque ſcribendæ eius vocis ratio cum ea notatione conſentit, neque eo anno, vnde Eram Cæſaris inchoamus, nouum vectigal imperatum prouinciis inuenimus. Sane hæc ſupputandi ratio, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio Segobiæ, vbi conuentus Principum habiti ſunt Ioanne eius nomine primo Caſtellæ Rege, antiquata eſt atque ad Chriſti ortum reuocata. quod paulo ante fecerant Valentini, Luſitani non multo poſt imitati ſunt, exemplo aliarum prouinciarum. vti Iuſtiniani Imperatoris ætate Dionyſius Abbas Romanus ſublatis aliis ſupputandi rationibus excogitaſſe primus atque inuexiſſe in rempublicam Chriſtianam memoratur. Prorſus Domitii Caluini & Aſinii Pollionis Conſ. Cornelius Balbus Gaditanus Conſul ſuffectus eſt. quod ante eam diem conſtabat nullo externo homini contigiſſe, vt Romæ conſulatum obtineret. Erat Cornelius Balbus alterius Cornelii Balbi propinquus, quem Cn. Pompeius Sertorii bello peracto in Vrbem ſecum ex Hiſpania deduxerat. Præterea Domitius Caluinus poſt quinquennium, annoque ante Chriſti ortum tertio & trigeſimo, geſta Hiſpania ex proconſulatu de victis Ceretanis ad Pyrenæi montis radices, vbi nunc Cerdania ſita eſt, Romæ triumphauit. Rebus mox inter Triumuiros turbatis, nouis motibus Hiſpania eſt implicata Etenim poſt Iulii Cæſaris necem renaſcente Romanæ reip libertate Sex. Pompeius in patriam poſtliminio redux Romanæ claſſi præfectus, denuo a Triumuiris oppreſſa republica Siciliam occuparat. vnde Octauii & Lepidi armis cum depulſus eſſet, eius inſulæ poſſeſſione atque adeo totius Africæ Lepido ad Meſſanam à ſuis deſerto atque in ordinem redacto Octauius auctus tot prouinciis occupatis quaſi victoriæ præmium Antonii collegæ, qui Orientis prouincias obtinebat, animum exulcerauit. Ab his initiis re ad bellum deducta, & Antonio ad Actium ſuperato, Octauius ſolus rerum potitus eſt, anno ante Chriſtum natum vigeſimo octauo. & qui à patre Octauius, ab auunculo Cæſar dictus erat à ſenatu Auguſtus eſt ſalutatus, pace reſtituta, quaſi de cælo lapſus, & ſupra homines viſus. Id nomen Sex. Pacuuius Tribunus plebis conſecrauit, hoc eſt, viuenti diuinos honores decreuit, more ex Hiſpania tranſlato, vt Dion auctor eſt. Huius belli ciuilis progreſſu Bogud Mauritaniæ Rex ex Africa tranſmiſit in Hiſpaniam, M. Antonii videlicet partes ſectatus. vnde non minori accepto quàm illato detrimento repulſus eſt. Nec multo poſt, octauo nimirum Auguſti conſulatu, atque anno ante Chriſtum natum vigeſimo quinto, viam publicam Corduba Aſtigim ipſumque Oceani littus lapidibus conſtratam eſſe indicio eſt columna ex marmore ſubuiridi, quæ hodie Cordubæ in cœnobio Franciſcanorum viſitur, Auguſti nomine inciſo, & milliarium centum viginti vnius numero expreſſo, ex quanto ſpatio Corduba diſtat à mari, his verbis:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS. COS. VIII. TRIB. POTEST. XXI. PONT. MAX. A. BÆTE. ET IANO. AVGVSTO. AD OCEANVM. CXXI.

CONSTANTIÆ. ÆTERNITATIQVE. AVGVST.

Hoc Iani templum, vbi nunc eſt Corduba, fuiſſe creditur, pacis fundatæ æternum monimentum ab Auguſto conſtitutum. Verum hæ coniecturę ſunt. Exceperunt Cantabrorum Aſturum, atque Vaccæorum motus Statilii Tauri diligentia & virtute compoſiti, fortaſſis cum legatus eſſet C. Norbani, quem de Hiſpania per hęc tempora triumphaſſe conſtat. Vnde Cantabrici belli initium ſumunt, qui ex Oroſii auctoritate toto quinquennio duraſſe aiunt. Omnino forma antiqua Hiſpaniæ gubernandæ commutata per hæc tempora, in locum Prætorum & Proconſulum Legati conſulares miſſi ſunt exemplo aliarum prouinciarum. argumēto ſunt veteres lapides in quibus conſularis vox expreſſa cernitur. Ad hæc diuiſis inter ſenatum & Auguſtum eius voluntate imperii prouinciis, Bætica tantum in Hiſpania ſenatui ceſſit: vnde Vlterior Hiſpania deinceps duos magiſtratus habuit, in Bætica vnum, alterum in Luſitania. Hiſpani pace imperio reddita, cum multæ Romanorum coloniæ tota Hiſpania conſtitutę eſſent, in mores & linguam Romanā veteribus paulatim antiquatis abierunt, auctore Strabone

Bellum Cantabricum. CAPVT XXV.

REBVS ad hunc modum ſtantibus, quieſcebat Hiſpania bellis feſſa, viris, opibus, & fama florens: cum nouum bellum opinione maius, diuturnum, atque atrox, exortum

eſt,initio à Cantabris facto,gente eatenus non plane à Romanis domita ſub imperiumquè miſſa propter animorum ferociam iis omnibus innatam præ cæteris Hiſpaniæ nationibus: & quoniam locis aſperis,& inacceſſis montibus habitant,laborum ſunt patientiſſimi,procul à cultu atque humanitate reliquæ Hiſpaniæ.Cantabris Autrigones ad Ortum,ad Occaſum Lungones finitimos Ptolemæus quidem facit: ad Septētriones Oceano Cantabrico,ad Meridiem Iberi fontibus terminat anguſtis finibus,neq; Pyrenæi montis iuga attingentes.præcipua oppida Iuliobriga,Vellicaq;. Ab aliis appellatione, vt fit inerrāte extēſaque,Cantabriæ,vicinos populos ad fines Aquitaniæ Pyrenæo mōte terminatę,eo nomine comprehenſos,haud leuia argumenta ſunt,vti alio loco eſt demonſtratum. & bello Cantabrico locorum & oppidorum nomina,ad quæ id bellum geſtum eſt, extra anguſtos illos fines fuiſſe Cantabros extenſos ſatis declarant, vti locis competentibus eſt indicandum. Agreſti homines ingenio,moribus ſine more, pecuniæ nullo vſu.aurum atque argentum propitius an infenſus Deus negauerit,dubitatur. Mulieribus iuxta ac viris robur eſt corporis.capitum integumenta in varias ſpecies conformata: neque iis abſimilia,quibus fœminæ in Cantabria vtuntur noſtra ætate. Agros ipſæ exercere:à partu viris miniſtrare cōſueuerunt,earum vice decumbentibus:quem morem ad noſtram ætatem in Braſilia retineri fama fert,& multorum teſtimonia confirmant.Choreas pedibus,& digitorum ſonitu crotaliſq; plaudere,virgines elocare dote ab ſponſo data,veneno parato vim illatam morte euadere,cōſtanti homines ingenio,& aduerſus mala peruicaci. cuius rei magna documēta huius belli tēpore extiterūt.Ergo ij Aſturib.& Galæcis ad arma excitis,finitimos Vaccæorum agros,qui in Rom.imperii fide erant, illato bello vaſtantes,magnam nō tantum prouincialibus formidinem incuſſerunt, ſed & ipſi Auguſto curam, ne ab iis initiis maiori mole bellum exiſteret,quam vt facile reſtingui poſſet. Omnino Illyrico & Pannonia,vbi motus erāt,neglectis,veniēdū ſibi in Hiſpaniā iudicauit:Iani tēpli valuis recluſis, quę paulò ante fuerant obſeratæ,tertio nimirū ex quo tempore Romanæ Vrbis fundamēta iacta erant. ſemel enim Numę regno, iterum peracto primo bello Punico, id templum clauſum fuerat:demum M.Antonio ad Actiū ſuperato nauali prælio: nam toties Romanorum arma quieuerant. Auguſti aduentū nouis delectibus numeroſus exercitus conflatus eſt.Romanorum caſtra ad Segiſamam poſita:quod hodie oppidum Beiſama eſſe creditur in Guipuſcoa.præter Azpeitiam & Toloſam.Copiis trifariam diuiſis vno tempore totus ille tractus militibus occupatus eſt,haud latiſſimus ſpatiis. Cantabri diffiſi viribus,aduerſus eam tempeſtatē locis præruptis ſe tenere:in quæ fortunas,vxores, & filios contulerant:inde eruptione pugnare:neque totius certaminis facere hoſti poteſtatem.bellum ducebatur,& opinione diuturnius futurum erat. Auguſtus moræ tædio,& ex locorum aſperitate,aeriſque intemperie,atræ bilis morbo tentatus Tarraconem rediit, belli gerendi cura Legatis demandata.C.Antiſtius,& P.Firmius Galæcos impugnandos ſibi ſumpſerunt:P.Cariſius Aſtures,haud minori ferocia quam Cantabri,neque moribus multum diſcrepantib. Imperii ſumma ad M.Agrippam redibat,præcipua tum apud Imperatorem gratia,& eiuſdem poſtmodum generum, Iulia vxore Auguſti filia. Is rei frumentariæ inopiam,qua propter locorum ſterilitatem anguſte vtebantur, nauibus ex mari Britannico, & Armorico contractis,ſubleuandam curauit.Simul ea claſſe Cantabriam à mari obſedit:ne fugæ facultas miſeris eſſet,comparandive aliunde commeatus. His Cantabri circumuenti malis,& ſuprema annonæ anguſtia laborantes,prælii fortunam tentare auſi ad Vellicam(quæ Victoria Vellica eſſe quibuſdam creditur,ſed regionum interualla arguūt) primo impetu cæſi, disiectique Romanorum virtute ſunt, vt quibus temere collectis,non caſtra, non Ducem agnoſcentibus,neque in victoria decus eſſet, neque in fuga flagitium: ſibi quiſque Dux adhortatorque erat,& magis deſperatione animorum,quam vincēdo ſpe percellebantur. Ab Oceani littore Hirmius mons (Latini Vinnium dicunt) in ſublime erigitur arduo aſcēſu, Segiſamæ proximus,tantaque altitudine, vt è faſtigio in Cantabriæ atque Galliæ littora deſpectus ſit. Eius montis vicinitas & aſperitas multis eo confugientibus ſaluti fuit. Sed Romani tamen conſcendere non ſperantes, veritique cum locorum iniquitate, & deſperato hominū genere vnà pugnare pręſidiis atq; operibus circumuallarunt:eoq; calamitoſam gentem redegerunt,vt cum illi omnem ſeruiendi conditionem recuſarent malis ferociores facti,& hi turpe ducerent ab inermi hominum genere ludibrio haberi populi Romani maieſtatem, pleroſque fames conſumpſerit : quidam etiam ſibi ipſis attulerint manus, turpi vita mortem potiorem exiſtimantes : Aracillum (quod oppidum infra Beiſamam eſt, & Arrexil hodie vocatur) poſt longam obſidionem à Romanis expugnatum exciſumque eſt. Dum hæc in Cantabria geruntur. Antiſtius & Firmius

mius Calæcos bello vexabant, & Meduliæ montis faſtigio obſeſſo, vbi ſe magno numero hoſtes tenebant, circumducta foſſa quindecim millium ſpatio, victoriæ ſalutiſque ſpe omni ſublata, non minori quam Cantabri obſtinatione, alii ferro, alii ex tilia potione temperata (quæ arbor venenata eſt) ſibi mortem conſciuere. Meduliam montem, non nemo Menduriam noſtra ætate eſſe ait, in Cantabria nobilem præruptumque: ſi credi, par eſt, Calæcos propriis finibus relictis, in alienis cum Romanis conſeruiſſe manus. Oroſius certe Medulium montem ad quem Calæci confugerunt, Minio flumini imminere ait. Aſtures haud meliori fortuna bellum adminiſtrabant, quod Cariſii ductu gerebatur: caſtris enim ii poſitis ad Aſturam amnem, vnde regioni nomen, cum diuiſis trifariam copiis Romanos ſecuros opprimere cogitarent, à Tregecinis ſociis ac confœderatis prodito conſilio, inopinantes ipſi oppreſſi a Cariſio ſunt. Fuga qui potuerunt euadere, Lanciam iis locis ſitam vrbem, vbi nunc Ouetum cernitur, ſe receperunt: quoniam armis non ſucceſſerat: mœnium munitione bellum defendere cogitantes. diu obſidio tenuit: noſtros deſperatio agebat præcipites, acre in periculo telum, Romanis turpe videbatur, niſi agreſti hominum genere profligato ceſſare. Victa tamen diuturnis malis gentis conſtantia, vrbe dedita, leges & magiſtratus accepere, exemplo Cantabrorum, atque Calæcorum in formam prouinciæ ea regione redacta. Et Auguſtus bello confecto in Cantabriam rediens, multitudinem conſeruatam, ne locorum aſperitate confiſi imperata deinceps facere recuſarent, ex præruptis locis deductam, in planicie domicilia collocare mandauit, Obſidum certus numerus imperatus, multique ſub corona venditi, quorum maior noxa erat, animus præfractior. His rebus Romæ renunciatis, ſupplicationes habitæ ad omnia puluinaria, triumphuſque Auguſto decretus eſt, ob domitam penitus Hiſpaniam, multo quam antea clariori, anno centeſimo nonageſimo octauo, ex quo primum Gn. Cæpione Caluo Conſule Romanorum arma in Hiſpaniam ſunt illata: quantum tempus nulla ſubigenda Romani imperii prouincia conſumptum fuiſſe conſtabat. Triumphi quidem quamuis vltro delatum honorem Auguſtus repudiauit, ludi tamen in caſtris commiſſi M. Marcelli, & Tiberii Neronis, qui bello Cantabrico Tribunus militum fuerat, ductu. Romæ Iani templum quarto clauſum eſt, quaſi pacata penitus Hiſpania, diuturnam imperio tranquillitatem, rebus ſuis ſecuritatem Auguſto Imperatore pollicito. Emeritæ militiæ milites in Vectonibus extremaque Luſitania collocati, colonia conſtituta Auguſtæ Emeritæ nomine, præterfluente Ana flumine in paucis nobiliſſimo. Quæ ciuitas priſcis temporibus frequentia, amplitudine, copiis, auctoritate, cum ciuili, tum ſacra cum præcipuis Hiſpaniæ vrbibus de principatu certabat, Luſitaniæ caput: vnde & Magnæ Emeritæ nomen tulit. Raſis Arabs effuſis ingenii copiis, multa ac pene incredibilia de eius vrbis magnificentia, elegantiaque prædicat, à Mauris euerſam affirmans, quo tempore imperio ſubdiderunt Hiſpaniam. Eius coloniæ deducendæ conſtituendæque curam Cariſio demandatam, indicio eſt moneta, altera ex parte Auguſti, altera Cariſii atque Emeritæ nominibus expreſſis. Et paſſim reperiũtur monetæ P. Cariſii nomine in Hiſpania. Dion perpetuo T. Cariſium vocat, fortaſſis librariorum incuria, voce deprauata. Ea Auguſti aduentus, ac confecti belli monimenta fuerunt. Acceſſere alia. ad Iberi ripam, quo loco Salduba oppidum olim ſitum erat, colonia Cæſarauguſta fundata eſt. Præterea Pax Auguſta in extrema Luſitania, quam hodie vrbẽ corrupta voce Badaioz vulgus nuncupat, ad fines Portugaliæ Epiſcopi ſede & ſua vetuſtate nobilem. Bracaræ ex hoc tempore Auguſto nomen eſt additum. Auguſtobriga in Celtiberis condita, vbi nunc pagus eſt Murus nomine, Agredæ proximus ad quartum lapidem. tum altera eodem nomine, non procul templo Guadalupeo: quibus in locis Pedroſus pagus cernitur, antiquitatis veſtigia non obſcura retinens. Aræ demum Sextianæ, Melæ, Plinii & Ptolemæi litteris celebratæ, atque in honorem Auguſti in Aſturibus conſtitutæ in peninſula piramidum forma, cochlea ab imo ad ſummum pertinente quibuſdam creditæ ſunt, huius belli monimenta fuiſſe (veſtigia earũ ad oppidum Gegionem ab Oueto viginti millibus paſſuum extare affirmant) coniectura neque contemnenda prorſus, neque prorſus conſtanti, cum alii Aras Sextianas à Sexto Apuleio excitatas malint: eo quem ante paucos annos de Hiſpania triumphaſſe paulo ſuperius dictum eſt. Auguſto Tarracone moram trahente, tum octauus & nonus conſulatus eſt datus, tum legati Indorum, atque Scytharum venerunt, de pace interpellatum, quem de fama notum reuereri, atque amare cœperant, quæ maxima gloria fuit. Ex ea vrbe Romam profectus quinto anno ex quo id bellum cœptum erat. præſidii cauſſa ex cohorte Calagurritana milites Hiſpanos, quos fidiſſimos erat expertus. ſecum deduxit. Eius diſceſſu Cantabri & Aſtures inquietum hominum genus, nondumque ſuperioribus malis fra-

cti, denuo rebellandi conſilio inter ſe communicato, bellum inſtaurarunt, non minori quam antea conatu. Vana eſt ſine viribus audacia. L. Æmilii, & P. Cariſii virtute primum deinde C. Furnii dexteritate, magna eorum parte conſumta, cæteri domiti ſunt. Seruitutis odio, & Romanorum crudelitatem plerique veriti, ſibi mortē conſciuerunt, tanta animorum rabie, vt matres ne in hoſtium poteſtatem capti venirent, filios peremerint: puer quidam patris iuſſu, eum, matremque, ac fratres captiuos vinculiſque adſtrictos, ferro necauerit. Læti alii cum in manus hoſtium veniſſent, cantanteſque crucem ſubirent, glorioſum exiſtimantes pro libertate vitam finire. pars etiam victorum iuſſu in ſeruitutem abſtracti, ex compoſito heris occiſis, montiumque iugis occupatis, latronum in morem finitimos, populos ad belli ſocietatem excitare non deſiſtebant. Ad hos motus M. Agrippa Auguſti gener, è Gallia, vbi res gerebat, in Hiſpaniam neceſſario euocatus, non ſemel cum obſtinato hominum genere aduerſa prælii fortuna conflixit. Legionem penes quam accepti detrimenti maior culpa erat, integram ignominia notauit Auguſtæ nomine quo vocabatur, detracto. Eo ſupplicio cæteris cautioribus, victor tandem eos motus penitus pacauit. Cæſi omnes qui arma geſtare poterant, reliquæ multitudini in planiciem domicilia transferre iuſſæ, arma etiam detracta ſunt. Sic rebellandi denuo ſublata facultate, ęgre, ſed quieuere tandem. Pro his rebus oblatum à ſenatu triumphi honorem, Auguſti ſoceri exemplo repudiauit: & Romam reuerſus in campi Martii porticu Hiſpaniæ regiones deſcribendas curauit, Bæticæ menſuris haud ſatis ad veritatem directis. auctor eſt Plinius. Hæc in Hiſpania. Romæ Cornelius Balbus Gaditanus, is quem Conſulem fuiſſe diximus, de Garamantibus triumphauit, primus externi ſanguinis eum honorem adeptus, priuatorum poſtremus. nam republica ad vnius poteſtatem reuocata, Imperatores tantum, aut Imperatorum propinqui, Romæ conſequenti tempore de victis gentibus triumpharūt. & triumphorum apparatus ab ſano initio in inſaniā vix magnis imperiis tolerabilē venerat. Cæteris eius honoris vicaria triumphalia ornamēta cōceſſa: trabea, laurea, ſella curulis, eburneus baculus. Sunt qui poſt hoc tempus nouos Cantabrorū motus extitiſſe confirment, legatoſq; venia impetranda, factoque excuſando Romam miſſos per Italiæ vrbes diſſipatos reditus in patriam ſpe ſublata, ſibi ad vnum attuliſſe manus. In tam rudibus ingeniis, tantaque ferocia, nonnulli Hiſpani extiterunt, humanitatis ſtudiis clari, atque præſtantes. C. Iulius Higinus Auguſti libertus, & Portius Latro magnam laudem ex artis oratoriæ profeſſione conſecutus, Senecæ familiaris, eius qui philoſophus dictus eſt, patri, Romæ clari habiti ſunt: patriumque Hiſpaniæ ſolum eruditionis nomine illuſtrarunt. Volumina quæ Higini nomine circumferuntur, plerique ad Higinum alterum natione Alexandrinum ablegant: reſiſtit Suetonius, eundem hominem à quibuſdam Alexandrinum ab aliis Hiſpanum credi confirmans, quos ipſe ſequitur, & Auguſti bibliothecæ curam habuiſſe demandatam ait, liberto Iulio Modeſto in ſtudiis, atque doctrina veſtigia patroni ſecuto, Ouidio poeta inprimis familiari.

Libri Tertii Finis.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER QVARTVS.

Chriſti Dei ortus. CAPVT I.

AD feliciſſima tempora ventum eſt: quibus Dei filius, vti erat neceſſe iuxta vaticinia Prophetarum, ſe hominibus in carne monſtrauit homo factus. & noua luce inuecta vagos atque errantes in viam ſalutis induxit, ſublatam iuſtitiam reſtituit, morteque ſua delictis humani generis procuratis, Deo patri æternum ſanctumque templum fundauit cœleſtis exemplum: quod appellatur Eccleſia. Huius templi cultores & partes pii ſunt, quicunque toto orbe ſuſcepta Chriſtiana ſacra ſyncera fide atque conſtanti conſeruant. Eo cultu ſuſcipiendo quoniam inter primas gentes Hiſpania numeratur, quid egerit perpeſſaque ſit primis Eccleſiæ temporibus, comm e-

Digitized by Google

commemorare ſuſcepti officii ratio poſtulat. Nouamque nobiliſſimæ prouinciæ formam deſignare verbis informareque: atque ad Romanorum Imperatorum res geſtas, quoniam penes illos noſtrarum rerum poteſtas erat, piorum hominum conatus atque certamina idoneis locis adiungere conabimur, triumphos laureasque martyrum, qui pro religione ſanguinem vitamque profuderunt felices & generoſæ animæ. maiori tamen breuitate, ne vltra iuſti voluminis modum creſcat opus, attingere potius quam explicare eſt animus. Adeſto de cœlo alma lux, noſtris conatibus faue: linguæ infantiam diuina ſapientia meliori ſtylo mutato. tuorum laudibus vt par oratio contingat, benignus facito tuo nomine, & parentis caſtiſſimæ atque integerrimæ Virginis precibus flexus. Natus eſt Chriſtus Dei filius ad octauum Kal. Ianuarii, anno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Auguſti imperii anno quadrageſimo ſecundo, Coſs. Octauio 752.
Auguſto XIII. & M. Plautio Siluano. Ex hoc annorum numero quidam annum detrahũt, biennium alii. ac ne Coſs. nominibus deſignandis auctores omnes conſentiunt. ne Auguſtini quidem ætate. Nos aliorum ſententiis conſideratis, quod maiori fide & auctoritate niti videbatur, id ſumus ſecuti: lector ex ſuo iudicio, & ex aliorum libris quid probaturus ſit, maiori diligentia ſtatuet. Ergo hæc miſſa facimus. In Hiſpania quid deinde rerum geſtum ſit ignoratur. niſi quod præcipuum eſt, cunctis prouinciis ſub vnius imperium reuocatis, opima pace quieuiſſe Hiſpanos bellis feſſos: quæ nexa ex aliis alia aptaque tandiu viguerant. & pacis auctor æternæ, vt pacem aut inueniret aut faceret, æquum erat. Pauca quidem Auguſto & Tiberio Imperatoribus in Hiſpania contigerunt: nonnulla tamen continuanda magis narratione idonea, quam ad memoriam præcipua. Vnus Diõ abſque vlla temporum deſignatione Corocotam ait prædonum Ducem in Hiſpania (nam ex priori bellorum licentia multis latrociniis infeſta erat, & variæ latronum manus tota prouincia vagabantur) cum veſtigiis omnibus ad necem quæreretur, vltro ad Imperatorem veniſſe: eaque ex re non veniam modo impetraſſe, ſed & auri pondus quicunque ipſum peremiſſet præmium propoſitum. Obiit Auguſtus Nolæ, anno Chriſti quintodecimo 15.
quartodecimo Kal. Septembris, ſeptuaginta ſex annos natus, diebus quinque & triginta minutis, omnium Imperatorum Romanorum primus: & ſi ſpectẽtur humana, feliciſſimus vindicatis enim adoptiui patris interfectoribus, Sex. que Pompeio in Sicilia victo, ac M. Lepido collega in ordinem redacto, M. Antonium non multo poſt ad Actium ſuperauit. Solus quatuor & quadraginta annos imperium tenuit. ob egregia bello paceque opera pater patriæ ſalutatus eſt. Vrbem quam lateritiam accepiſſet marmoream ſe effeciſſe dictitabat. Succeſſorem reliquit Germanico Cæſare & Germanici filiis prætermiſſis, qui meliori iure nitebantur, vxoris Liuiæ victus blanditiis Tiberium Neronem priuignum ſuum. Hic rem Romanam viginti duobus annis, menſibus ſex, & diebus aliquot inter bonum & malum alternante ingenio geſſit: initio quidẽ compreſſa indole: promiſcua vero deinde libidine, immani crudelitate & auaritiæ ſordibus gloriam ſuperiorem fœdauit. Vulgo Callipides dictus eſt. (quod animal curſitare quidem, neque vltra cubiti menſuram procedere fama eſt) cum quotannis profectionem pararet, & vrbe non excedere, haberet præiudicatum. Hoc imperatore ex Hiſpania ad Germanicum, qui in extrema Gallia res gerebat, & rerum neceſſariarum difficultate laborabat, arma, equique miſſi cum pecunia, quam ille repudiauit, cæteris rebus contentus, gratias prouincialibus agens pro tam propenſa in rempublicam voluntate. Accidit hoc altero imperii Tiberii anno. quo ex Citeriori Hiſpania legatis venia petentibus data eſt, templi in memoriã Auguſti Tarracone exædificandi. quo exemplo Vlterior Hiſpania aucta aſſentatione, quod Aſianis conceſſum erat, Tiberii & Liuiæ matris nominibus, atque ad eam diem factum non eſſe conſtabat, vt viuentibus templa ponerentur per legatos poſtularunt. Verum Imperatore Aſiæ conceſſam facultatem pertæſo excuſanteque, quod petebant denegatum. Modeſtiæ quæſita laus eſt. Cantabriæ nouis motibus per idem tempus æſtuanti, & finitimos direptionibus, & latrociniis fatiganti, Romani præſidiis tota prouincia diſpoſitis, frænos iniecerunt. Præterea militum Romanorum, qui in his præſidiis erant vſu priſtina feritate poſita gens ad humanitatem reuocata ea eſt, Gn. Piſo Hiſpaniæ paulo ante non magis gubernator, quam expilator, Germanico Antiochiæ ad Orontem veneno, vt creditum eſt, ſublato, iudicii metu Romæ ſibi manus attulit: ex conſcientia digna metuens an furentis populi inuidiam ſemper ad credendum deteriora procliuis non ferens. Vibius Serenus Vlteriore Hiſpania ex proconſulatu gubernata à ſuomet filio, quod grauiſſimum videbatur, lege repetundarum accuſatus, atque conuictus, Amorgam relegatus eſt, Ægæi maris inſulam vnam ex Cycladibus. P. Piſo Citerioris Hiſpaniæ Prætor, cum nouis atque grauiſſimis tributis imperandis prouincialium odia commouiſſet, Termeſtino in agro ferro

confoſſus eſt.tanti facinoris patrator Termeſtinus agricola equi indicio,quem defatigatū reliquerat,inueſtigatus & comprehenſus,nullis tormentis adigi potuit,vt ſocios proderet, cum ſe coniurationis ſocios habuiſſe,non negaret. omnino ne doloris impotentia conſtātiam mentis egregiæ mutaret,die poſtero tormentis inſtauratis,inter carnificum manus elapſus,capite ad rupem illiſo expirauit.tantum in agreſti pectore potuit ſecreti amicitięque
26. fides. anno Chriſti vigeſimo ſexto id accidit in Hiſpania. Romæ ſexto poſt anno Iunius Gallio Senecæ frater,eius qui philoſophus eſt dictus,Tiberii iuſſu in exilium miſſus eſt,nō alia grauiori de cauſſa.quam quod eo inconſulto retuliſſet ad Senatum prætorianos emeritos videri cohoneſtandos ſublimiori loco in theatro ludis ſpectandis. Sext. Marius & ipſe natione Hiſpanus, homo copioſus adeo vt vicinas ædes domino apud ſe retento intra biduum diruerit, atque ſuccedente facti pœnitentia inſtaurarit, ſtupri Romæ, quaſi filiæ quam habebat eximia oris venuſtate vitium attuliſſet, reus poſtulatus, atque iudicio conuictus,è rupe Tarpeia præceps datus eſt,filia etiam perempta.fama tenuit diuitias illi exitio fuiſſe,ex multorum exemplo fide probabili. & quoniam in eas continuo Imperator inuolauit,cum ætatis inclinatione præceps in auaritiam peiorque.Cæde Chriſti à Iudæis Tiberio Imperatore iniquiſſime patrata, religio infixa animis neque vindicata opportune agebat ſcilicet pręcipitem.Vita is ſanctiſſime peracta,atque vt Deum decuit,ad octauum Kal.
34. Aprilis ætatis anno trigeſimo quarto in crucem actus eſt.Eum innocentiæ,doctrinæ,&beneficiorum ab hominibus fructum tulit.Sceleris immanitatem ſaxa tacito doloris ſenſu in partes diſtracta,concuſſa terra,Sol ipſe collectis contractiſque radiis teſtata ſunt. Nec mora vti ipſe prædixerat,& vti neceſſe erat,die tertia patefacto ſepulcro,in quod fuerat illatus, perterritiſque terræmotu cuſtodibus, integer ac viuus egreſſus eſt. Miraculum omnibus ſeculis inauditum,numinis argumentum præclarum. Chriſti reditum ad vitam,ante poſtremum imperii Tiberii annum Phœnix viſa, vti Dion & Plinius teſtantur, orbi ſignificaſſe à quibuſdam certe credita eſt.

Caius & Claudius Imperatores. CAPVT II.

38. TIBERIVS defunctus eſt ſeptimodecimo Kal. Aprilis, ætatis anno ſeptuageſimo octauo,qui annus ab ortu Chriſti trigeſimus octauus fuit,Gn. Acerronio Proculo,C.Porcio Nigro Conſulibus.Caius Germanici filius à calceis militaribus cognomento Caligula inſania tantum per totam vitam & fœdo vitæ exitu nobilis per exquiſita ſcelera nefariaſq; libidines,annos tres,menſes decem,dies octo,imperium tenuit,à Chærea cohortis prætoriæ Tribuno ferro peremptus eſt.Æmilius Regulus Cordubenſis pari animo fortuna non eadem,tantum facinus aggreſſus coniuratione detecta perierat. Caligulæ imperio Agrippa(Herodes à Luca in Actis Apoſtolorum vocatur)è vinculis eductus,in quæ fuerat Tiberii iuſſu coniectus,cum inter pocula viſus eſſet Caligulæ imperium optare,ad regnum Iturææ euectus eſt, Philippi patrui recens defuncti Tetrarchia regio nomine mutata. Alter patruus Herodes Galilææ Tetrarcha,qui Ioannem interfecit, & Hieroſolymæ affuit,quo tempore Chriſtus in crucem eſt actus,dum Agrippæ nouum honorem inuidet, Romamque ea de cauſſa contendit: de proditione per litteras ab æmulo accuſatus,Lugdunum in Galliam relegatus eſt,vt plerique arbitrantur Ioſephi teſtimonio nixi in Antiquitatum libris,cum alio loco Imperatoris acerbitatem aufugiſſe confirmet, atque in Hiſpania exilii comite Herodiade vitam turpiſſimam pari exitu terminaſſe. Omnino Caio ſublato Claudius eius patruus è latebris,in quas ſe metu mortis condiderat, ad imperium extractus eſt,
42. eius ſeculi anno quadrageſimo ſecundo,ſenatu nequicquam ad ſpem recuperandæ libertatis erecto. Agrippa Rex, qui Romam venerat,multum contuliſſe fertur nouo imperio confirmando.vnde maiori ditione auctus eſt. Noui Imperatoris tanta ſocordia fuit cum vitiis aliis coniuncta, vt Meſſalina vxor in eius ferme oculis Silio cuidam homini principi publice nupſerit. Ea vix tandem ſublata, Agrippinam fratris Germanici & Agrippinæ filiam Auguſti proneptim,vxorem duxit, lege lata vt id cunctis liceret: contra quam veteri iure Romano cautum erat,ne fratrum filiæ nuberent patruis. Senecam prius in Corſicam relegauit,deinde Romam vltro aduocauit, vt Domitii priuigni tum vndecim annos nati pueritiam litteris & honeſtate formaret: quem Britannico filio ad imperii ſucceſſionem præferre habebat præiudicatum peſſimo conſilio vxorius factus. annis ferme quatuordecim imperium tenuit.quo tempore in Hiſpania nati, Pomponius Mela,patria Mellaria, & Turanius Gracula,eruditionis nomine Romæ floruerunt. atque horum æqualis L. Moderatus Columella Gaditanus patria: cuius de re ruſtica commentaria extant. Cornelius præterea & Clodius Turinus oratores, de quibus Seneca meminit in Declamationibus

tum Porcius Latro, de quo paulo ante mentio facta eſt, in hoc genere admirandus: quem
orationis initio vehementius conturbari ſolitum eſſe, quam aut ætas, aut vſus poſtularet,
Quintilianus eſt auctor. Euſebius ex febri quartana obiiſſe ait. Extat eius in L. Catilinam
declamatio. Sextilius Hena Cordubenſis his omnibus paulo ſenior Romæ vixit, inæquali-
tate orationis craſſum aliquid ſonantis nobilior, quam condendis verſibus clarus. Druſil-
lanus Rotundus Claudii Imperatoris libertus per hæc tempora Citeriorem Hiſpaniã gu-
bernauit, diſpenſatoris nomine, Bæticam Vmbonius Silio. Simul Chriſtianæ religionis
fundamenta ponebantur. Iacobus Zebedęi filius cognomento Maior, Iudęa atque Sama-
ria obitis in Hiſpaniam venit, auctore Iſidoro. nouaque in ea prouincia Euangelii luce pro-
pagata Cæſarauguſtæ Virginis Matris nomine eius monitu templum conſtructum eſt, vt
perſuaſio hominum ab antiquo per manus ducta cõfirmat: nobis receptas opiniones mo-
uere non erat animus, ſed ex Hiſpania tamen Hieroſolymam cum reuertiſſet, quã ob cauſ-
ſam incertum, in ea vrbe ab Herode Agrippa regnum Iudæorum recens à Claudio acce-
ptum grato initio cupiens auſpicari, interfectus eſt, anno ſalutis quadrageſimo ſecundo, o- 42.
ctauo Kalendas Aprilis, quando per eos dies Iudæi Azyma celebrarunt, tempus à Luca Ia-
cobi cædi deſignatum. Corpus à diſcipulis ſublatum, nauique impoſitum, ad Iriam Flauiã
in extrema Calæcia (ei oppido hodie Padrono nomen eſt) conſtitit, ad octauum Kal. Au-
guſti. Vnde quo anno incertum, ſed trigeſimo tamen Decembris die Compoſtellam mi-
grauit. ſecundi & tertii diei memoria anniuerſaria celebritate tota præſertim Hiſpania co-
litur. nam menſe Martio, quo tempore occiſus eſt, ieiunii Chriſtiani ſqualore ſituq; occu-
patis omnibus, luctum lætitia mutare non eſt Patribus viſum. Annum circiter octingente-
ſimum, Rege Alfonſo, qui dictus eſt Caſtus, ſacrum corpus diu obliuione obrutum, cæle-
ſti indicio eſt inuentum, cultumque templo dicato, vti eo loco explicatur. Aucta religio
eſt, cum paulo poſt Ramiro Regi ad Clauigium de innumera barbarorum multitudine vi-
ctoriam conceſſit, & Chriſtianos grauiſſimo tributo liberauit, ex quo centum lectiſſimas
virgines quotannis Mauris tradere ſoliti erant. Vnde cœptum eſt ſub conflictum in bellis
nomen eius, patrociniumque implorari: & voti rea Hiſpania facta eſt ex ſingulis iugeris
pendendi modium frumenti quotannis D. Iacobi templo Compoſtellano. Morem hunc
ſæpe alternantem Romani Pontifices, ſæpe etiam reſtituerunt datis diplomatis. Paucos ſe
diſcipulos D. Iacobo adiunxiſſe, quo tempore fuit in Hiſpania, fama eſt. qui plurimos no-
uem numerant, Petrum Eboræ in Luſitania Epiſcopum, pro quo nonnulli Theſiphontem
ſubſtituunt Præſulem Bergitanum, quæ vrbs non procul Almeria ſita erat: Cæcilium Eli-
berritanum: Eufraſium Illiturgitanum: Secundum Abulenſem: Indaletium Vrcitanum,
Verga oppidum eſſe creditur in Vaſconum confinibus: Torquatum Accitanũ, id eſt, Gui-
dixenſem: Heſichium Cartheſianum non procul Aſturica: Athanaſium demum, & Theo-
dorum, ſacri ſepulcri (ſic fama fert) cuſtodes. quorum ibi ſepulcra dextra, leuaque mon-
ſtrantur. Sunt qui hos omnes Roma à Petro & Paulo Apoſtolis amandatos in Hiſpaniam
putant, gratia Euangelii promulgandi. Prorſus, qui hiſtoriam ante quingentos ferme an-
nos ſcripſit Pelagius Ouetenſis Epiſcopus, Iacobi diſcipulos facit Calocerum, Baſilium,
Pium, Griſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum. Nos, quoniam rerum anti-
quitas certam ſcriptioni derogat fidem, liberũ lectori iudiciũ de tota hac re relinquamus.

Domitius Nero. CAPVT III.

CLAVDIVS Imperator veneno ſublatus eſt, ſalutis anno quinquageſimo quinto. Cæ- 55.
dis miniſter Halotus ſpado explorare Principis epulas guſtu ſolitus, aut Agrippina v-
xor malis artibus ambitioſa imperium Domitio Neroni filio ſuo parans, ipſi imprimis exi-
tiale. Tenuit imperium quatuordecim annis. quinquennio ſub initia Princeps optimus iu-
dicio etiam Traiani Imperatoris habitus eſt, in omnia deinde vitiorum genera velut fera è
cauea emiſſa maior factus degenerauit. Crudelitati cætera vitia concedebant: prorſus vt
matrem, cui ſtuprum prius attulerat, amitam, vxores duas, & Senecam magiſtrum occi-
derit: tum Lucanum poetam ex Mela Senecæ fratre natum. Fœdam carnificinam. exqui-
ſitam turpitudinem audi. Flammeo nuptiali ſumpto, iuueni publice nupſit. ſpadonem ipſe
duxit, quem in fœminam arte exſecandum curarat. Hiſtrionem ſæpe egit in theatro. Vr-
bem Romam per ludum incendit: eius inuidiæ declinandæ cupiditate primus Romanorũ
Imperatorum, vndecimo imperii anno Chriſtianos, quaſi Vrbem ipſi incendiſſent, modis
omnibus vexauit. Imperii diuitias profundere ſolitus, quem vnum pecuniæ fructum eſſe
dicebat, in alienas fortunas auidiſſime inuolabat, diuerſiſſimis vitiis, ac cõtrariis prodigus

de publico, priuatim auarus. Neronis imperio tum Apollonius Tyaneus magicis artibus clarus, cum omnes prouincias luſtraret, in Hiſpaniam venit: tum Paulus Apoſtolus Romæ è vinculis liberatus, vt ipſe ſe in votis habere ad Romanos ſcripſit, & magnorum virorum auctoritate confirmatur, Rufum Cyrenæi Simonis filium Alexandri fratrem, Dertuſanis Epiſcopum reliquiſſe fertur. Sergium autem Paulum, eum quem in Cypro inſula Chriſto pepererat, eccleſiæ Narbonēſi præfeciſſe Beda, Vſuardusq; teſtantur. Sunt qui Hierotheum cognomento Diuinum Dionyſii Areopagitæ magiſtrum ſcribant, ex Hiſpania vbi ortus erat, & vbi rempublicam moderabatur, rebus gerendis præfectus idoneusque, à Paulo Apoſtolo deductum peregrinationis comitem. quam opinionem refellunt alii, Athenis natum confirmantes magnorum virorum auctoritate. Nam Petrum ipſum in Hiſpaniam veniſſe, vt Metaphraſtes eſt auctor, à ſanioribus repudiatur. Miſit tamen Saturninum in Galliam primum Toloſanis Epiſcopum. à Saturnini ſucceſſore Honorato natione Cantabro Firminus patre Firmo natus, Euangelii cauſſa in interiorem Galliam amādatus Andegauis primum, deinde Bellouaci, ac demum Ambianis Euangelium annunciauit. vbi quoniam primus Epiſcopus eius vrbis habitus eſt, & pro pietate ſanguinem profudit, eius memoria colitur templo dicato. Firmini pueritiā Honeſtus Saturnini presbyter eius iuſſu, cum in Hiſpaniam penetraſſet, & Pompelone, vbi Firminus eſt ortus, veram pietatē docuiſſet litteris & honeſtate informauit. verum hæc aliquanto poſt. Citeriorem Hiſpaniam Ser. Sulpitius Galba octo annos gubernarat, cum in affecta atque præcipiti ſenectute, nam ſeptuageſimum annum ætatis ſuperabat, imperium contra Domitium Neronem hac occaſione occupauit. Iulius Vindex Galliæ Narbonenſis moderator Neronis immanitatem pertæſus, litteris ſæpe Galbam, in quo auctoritas inerat, prouocauit ad capeſſendū imperium. Quod cum ille facere recuſaret, ipſe palam à Domitii auctoritate defecit. Eius defectione Galba prouocatus Carthagine noua in conuentu procerum, quos ex tota Hiſpania conuocandos curarat, cauſſas expoſuit, ob quas ſibi licere, ea vero neceſſarium fore iudicaret, contra Neronem rebellare, immane orbis atque imperii prodigium, qua meliori hoſtia quam ſuomet ſanguine procuratum iri afflictæ atque iacenti communi parenti ferrent opem priuſquam omnes prouinciæ communi incendio flagrarent. Nobilitatem Romanam propemodum extinctam vnius hominis (ſi hominem dicere fas eſt, & non belluam potius immanem) ſæuitia & crudelitate multis familiis abſumptis. Earum exemplum in ſingulorum capita recidere poſſe. Innocentiam & morum probitatem nulli præſidio eſſe. non ratione agi, ſed vim, & libidinem dominari. Si proprio periculo non mouerentur, ſaltem reſpicerent filios, pro quorum ſalute ſæpe vel ipſæ belluæ quodam naturæ ſenſu in gladios flammaſque incurrerent. Et aderat ad augendum dolorem infans, quem nullo ætatis reſpectu Domitius in Baleares relegarat. Hanc orationem omnium qui aderant clamor excepit, Galbam Auguſtum ſalutantium. Ille ab innata modeſtia imperio recuſato, Ducem ſe populi Romani ſenatuſque Legatum contra Neronem fore profeſſus eſt, Multum contulit ad eius conatus confirmandos Ottho Syluius Luſitaniæ moderator. Coniunctis is viribus, atque eius conſilio probato argentum, aurumque priuatum in ſtipendium militi libenter conflauit: dignus immortali laude ſi odio tyrannidis id ſtudium ſuſcepiſſet, & non potius priuatæ vindictę cupiditate inductus. Incitabat ignominiæ dolor cum vxore Poppæa Sabina Domitii amoribus occupata, quam interfecta etiam Octauia Claudii filia duxit, per ſpeciem honoris eſſet in Luſitaniam extremam amandatus, Pro his rebus, & quoniam ingenii dexteritate valebat apud nouum Imperatorem proximum gratiæ locum ſecundum Iunium Galbæ Legatum obtinuit, maiori populi fauore cum vltro inopes ſubleuaret, Iunius fauores Principis vendere ſolitus prouincialium voluntates magna ex parte alienaſſet. Iulius quidem Vindex in Gallia, vbi prior rebellarat, acie victus ſibi manus attulit. Virginius Rufus victor memorabili modeſtia non ſibi imperium ſed patriæ aſſeruit. Quod exprimi olim moriens mandauit, hoc diſticho in ſepulchrum inciſo:

Hic ſitus eſt Rufus pulſo qui Vindice quondam
Imperium aſſeruit non ſibi ſed patriæ.

Galba Vindicis exemplo caſuque tantum non deſperatis rebus Cluniam ſe recepit (vrbis huius nomen in Plutarcho & Suetonio vitiatum eſſe antiquæ monetæ indicio ſunt, quæ paſſim occurrunt in Hiſpania.) Verum Neronis cæde nunciata recreatus eſt. erectus enim ſenatus ad meliorem ſpem Iulii Vindicis in Gallia primum, deinde Galbæ in Hiſpania defectionis fama, Neronem hoſtem iudicauit. ſic à ſuis deſertus, in Phaontis liberti ſuburbano, quo latendi ſpe ſe contulerat, ſalute deſperata ſceleratas manus ſibi attulit, ſecundo & trigeſimo ætatis anno. Fama tenuit inter Chriſtianos præſertim, ex vulnere conualuiſſe, An-

ſe, Antichriſtumque olim futurum. In ipſo ſane Cæſarum progenies à ſtirpe defecit tot annis in imperio continuata. Occiſus eſt Conſule Silio Italico, ſalutis anno ſexageſimo nono. Silium plerique Hiſpanum faciunt. Crinitus Romæ natum ait, ex Hiſpania oriundum. à Giraldo vtrunque repudiatur: & in Pelignis patria Italica (vnde errori occaſio) natum arbitratur. Secundum bellum Punicum Heroico carmine ſcripſit ſenex, in Campaniæ ſeceſſu reipublicæ cura abdicata. Huic æqualis Seneca Tragicus quoto gradu Senecam Philoſophum cognatione attigerit, clam eſt: fuiſſe propinquum ducta ex nomine coniectura pleriſque perſuaſit. Vnius tragœdiæ Quintilianus meminit Senecæ Philoſophi nomine vulgatæ. Ad Galbam redeamus. Qui nuncio de Neronis caſu continuo Romam abiit, legione ex Hiſpanorum delectu conflata: atque præſidio munitus, quod ex euocatorum cohorte conſtabat. Deduxit præterea ex Hiſpania Fabium Quintilianum patria Calagurritanum, artis oratoriæ profeſſione clariſſimum. Eius oratorias inſtitutiones ante ſexcentos annos amiſſas Pogius Florentinus Concilii Conſtantienſis tempore in quodam eius vrbis monaſterio inuentas, luci publicoque reſtituit. Adiunctas operi declamationes Quintiliani nomine, ſtylus ipſe alterius eſſe manifeſte arguit. Ergo Galba Romæ ſeptimo imperii menſe Prætorianorum armis occubuit. alienatæ militum voluntates erant donatiui ingentis, vt animis conceperant, fruſtrata ſpe. Seueri mores malo fuerunt, quibus impar ea ætas erat, cum diceret ſe militem legere, non emere. Militari inuidiæ atque alienationi faces ſubdidit Otho Syluius Piſonis inuidia, quem à ſene Principe ſucceſſorem deſignatum dolebat, quaſi præmia ſibi debita alter occupaſſet. Itaque lectica in caſtra vectus continuo Imperator ſalutatur. Poteſtas ſcelere quæſita ſtabilis non fuit. occiſis Galba, Piſone atque T. Iunio, rempublicam occupauit tenuitque dies tantum quinque & nonaginta. Legiones Germanicæ Hiſpanienſis exercitus æmulatione incitatæ, licereque ſibi iudicantes reipublicæ Imperatorem dare, A. Vitellium Auguſtum conſalutarunt. Gallia in partes acceſſit locis vicina: Hiſpaniam nutantem Otho vt in officio retineret, Bæticæ præfecturæ primus Romanorum Imperatorum Mauritaniam Tingitanam contribuit. ſic factum vt conuentu Gaditano deinceps iura peteret, & in Gotthorum ditione ea Africæ pars eſſet, quo tempore Hiſpaniam tenuerunt. L. Albinus Mauritaniæ præfectus Othonis partibus fauens, cum freto tranſmiſſo de Hiſpania cogitaret, vnde venerat repulſus eſt, Cluuii Ruſi virtute à Galba relicti cum poteſtate in Hiſpania, & ad Vitellium iam mutatione temporum reſpicientis. Otho tot malis vna circumuentus, & ad Bebriacum Veronã inter & Cremonã ſitum vicum victis ſuis Brixeli oppido, vbi ſubſtiterat, ſibi manus attulit, auerſus a conſiliis belli atrocis & lugubris victis iuxta ac victoribus, annos natus triginta octo. Vitellius ſuorum victoria cognita, ex Gallia, vbi ſe tenuerat, in Italiam maturauit. Vrbemque paludatus ingreſſus, circumfuſis militum legionibus, quaſi de victa patria triũphum ageret, multorum inuidiam commouit. His initiis progreſſus reſponderunt, ætatẽ actam turpiſſime pergebat maioribus probris fœdare. Quæ res Orientis legionibus nouũ Imperatorem creandi occaſionem ſuppeditauit, conſilio euentuq; felicioribus.

Flauii Veſpaſiani & filiorum imperium. CAPVT IIII.

FLAVIÆ gentis auctor Fla. Veſpaſianus Claudio Imperatore Britannica expeditione defunctus: Vecta etiam inſula, quæ Galliam inter & Britanniam iacet, curſu victoriarũ maximo ſubiugata, & nuper ex ſeceſſu, in quem ſe condiderat temporum tædio, euocatus miſſusque in Syriam, penultimo Neronis anno aduerſus Iudæos magna obſtinatione tumultuantes, tota ferme prouincia ſubiugata Imperator eſt ab exercitu ſalutatus. multum contulit Mutianus Syriæ Præfectus auctor impulſorque imperii capeſſendi, eoque perſuaſo legionibus in eius verba ſacramento adactis. Secundum Mutianum Tiberius Alexãder Ægyptum, cui præerat, traduxit in partes. Antonius Primus ardentior omnibus in Italiam ductis copiis Veſpaſiani imperium confirmauit, inſigni de hoſtibus victoria parta. Ergo Vitellianis ad Veronam prælio victis, ipſoque Vitellio Romæ interfecto nono imperii mẽſe, ætatis anno ſeptimo & quinquageſimo, Veſpaſianus Tito filio in Iudæa relicto vt belli reliquias conficeret, ipſe in Ægyptum profectus, atque Alexandria ſoluens, anno ſalutis ſeptuageſimo ſecundo, ſecundis tempeſtatibus in Italiam venit: ſummaque ſe- 72
natus & populi voluntate reipublicæ cura ſuſcepta, res communes inclinatas atque præcipites à caſu ſuſtinuit: totoque decennio tanta virtute & prudentia imperium rexit, vt in eo præter religionem nihil ferme deſiderari poſſit. Auariciam, quæ ad virtutum iniuriam acceſſiſſe videbatur, ærarii calamitas ex ſuperiorum temporum perturbatione excuſat, magnaque ædificia conſtituta, & in his Romæ templum, Pacis atque

amphithearum. Præmia eruditioni primus Romanorum Imperatorum propoſuit. Latinis Græciſque Rhetoribus annua mercede ad ſcholas inuitatis. Domita Iudæa, atque vrbe Hieroſolyma expugnata euerſaque, cum filio Tito triumphum egit: candelabro, arcaque aurea, & reliquo ſacrorum inſtrumento pompæ apparatum exornantibus. Captiuorum Iudæorum partem in Hiſpaniam ablegatam, Emeritæ ſedes ad habitandum accepiſſe Hebræorum libri teſtátur: vero an mendacio non diſputamus. Vetitum certe ne Iudæi amplius Hieroſolymæ habitarent. Sub initia imperii Reipublicæ procellis iactatus, atque ſtudio pacandi Hiſpaniam, quæ Vitellii factionem mordicus ſectabatur, vniuerſam Latii iure donauit. In eam per hæc tempora Plinius Quæſtor venit. Eius hiſtoriam, & libros reliquos Licinius Lartius. & ipſe Hiſpaniæ Citerioris Prætor, tanti feciſſe fertur, vt magno paucos eius libellos cuperet comparare. Segobiæ aquæductus ſtructura mirabili, vſque eo vt vulgo iactatum ſit dæmonis opera fuiſſe excitatum, Licinii opus eſſe creditur. Alii Traiani malunt: neutrum ſatis idoneis argumentis nixum videtur. Flauiobriga in Cantabria, quæ vel Bermeus eſt, vel non procul ſita Bilbaus, Flauium Brigantium in Calæcia (hodie Betanzos) atque Iria Flauia: præterea in Bætica Municipium Flauium Axatitanum, hodie Lora: aliaque oppida extant in Hiſpania, ſiue à Flauia gente, fundata. ſeu in Principis gratiam veteribus appellationibus per hæc tempora permutatis. Non ita pridem in Cantabriæ montibus repertus eſt lapis hac inſcriptione. HIC IACET CORPVS BILELÆ SERVÆ IESV CHRISTI. Eum quoniam adiecta eſt Era centeſima quinta, quidam ad hæc tẽpora referunt, inanique prorſus coniectura Bilelam in cœleſtium numero haberi volunt. cum ad religionem tuendam magni referat ne leui argumento noua ſanctorum nomina cudantur. ineptiis onerare faſtos quam graue malum? Et veriſimile eſt ſuppreſſo millenario numero reliquos annos vulgi conſuetudine deſignari. neque Veſpaſiani tempore mos erat inuectus vt per Eras tempora computarent, neque inſcriptionis verba craſſum quiddam ſonantia, tantam præ ſe ferunt antiquitatem. Indicio eſt Veſpaſiani epiſtola noſtra ætate reperta in ærea lamina Cagneti prope Malacam, quod oppidum Sabora dicebatur.

IMP. CÆ. VESPASIANVS. AVG. PONTIFEX. MAXVMVS. TRIBVNICIÆ. POTESTATIS VIIII. IMP. XIIX. CONSVL. VIII. PP. SALVTEM. DICIT. IIII. VIRIS ET DECVRIONIBVS. SABORENSIVM.

CVM. MVLTIS DIFFICVLTATIBVS. INFIRMITATEM. VESTRAM. PREMI. INDICETIS. PERMITTO. VOBIS. OPPIDVM. SVB. NOMINE. MEO. VT. VOLTIS. IN. PLANVM. EXTRVERE. VECTIGALIA. QVÆ. AB. DIVO. AVG. ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO. SI QVA. NOVA. ADIICERE. VOLTIS. DE. HIS. PROCONSVLEM. ADIRE. DEBEBITIS. EGO. ENIM. NVLLO. RESPONDENTE. CONSTITVERE. NIL. POSSVM. DECRETVM. VESTRVM. ACCEPI. VIII. KA. AVGVST. LEGATOS. DIMISI. IIII. KA. EASDEM. VALETE.

II. VIRI C. CORNELIVS. SEVERVS. ET. M. SEPTIMIVS. SEVERVS. PVBLICA. PECVNIA. IN. ÆRE. INCIDERVNT.

81. Obiit Veſpaſianus ſalutis anno octogeſimo ſecundo, ætatis ſeptuageſimo, octauo Kalend. Iulii, Tito filio ſucceſſore felix. nam paternas virtutes ingenii facilitate & liberalitate cumulauit: vſque eo vt nefas eſſe diceret à conſpectu Principis quenquam triſtem abſcedere. Aliquando fertur dixiſſe: Amici diem perdidimus, cum ea die reputaret nulli beneficium collatum. Pro quibus rebus Deliciæ humani generis vulgo eſt nuncupatus. Eximios eius conatus mors præcidit Idibus Septembris, ætatis anno altero & quadrageſimo: biennium, menſes duos, dies viginti imperauit. Quid rerum geſtum in Hiſpania ſit non conſtat. Domita quieſcebat, & ſuperioris ætatis incommoda ex bellis nata pace compenſabat: in tres prouincias per hæc tempora diuiſa atque tributa, vt eſt ſuperius obſeruatum, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem. In Bætica octo erant coloniæ Romanæ, municipia totidem, conuentus iuri dicundo quatuor, Gaditanus, Hiſpalenſis, Aſtigitanus, Cordubenſis. Luſitania colonias quinque habuit, Municipium vnum Oliſiponem. quæ & Felicitas Iulia dicta eſt, cõuentus tres, Emeritenſem Pacẽſem,

Digitized by Google

ſem,& Scalapitanum. In Citeriori Hiſpania coloniæ fuerunt quatuordecim,alii huic numero plures addunt, municipia tredecim, conuentus ſeptem, Carthaginenſis, Tarraconenſis,Cæſarauguſtanus,Clunienſis, Aſturicenſis,Lucenſis, & Bracarenſis Eratque vſu receptum vt Prætores(id magiſtratus nomen reſtitutum erat) cum magiſtratu abibant,dũ ſucceſſorem expectabant non amplius Proprætores vocarentur ſed Legati. Hæc de Titi imperio quod vt amplius homines prædicarent Dominitiani fratris mores effecerũt.Tito is ſuffectus à maiorũ indole degenerauit Neronibus propior quam Flauiis,vitiorũ omniũ turpitudine deformis.Incredibili vanitate nouo exẽplo primus vxorẽ Auguſtã,ſe dominũ & Deum ſalutari voluit. Philoſophos omnes Vrbe atq; Italia prohibuit auctore Suetonio. Philoſophos ego Chriſtianæ philoſophiæ ſectatores arbitror dici ob ſpectatam morum in omni vita modeſtiam & probitatem. & Domitianum conſtat Chriſtianorum nationem modis omnibus vexaſſe: Ioannem Apoſtolũ in inſulam Pathmum relegauit.Flauium Clementem paulo ante geſto conſulatu eo nomine occidit patruelem ſuum nullo propinquitatis reſpectu. Flauiam Domicillam Clementis vxorem, & ipſam ſanguine iunctam in Pontiam inſulam relegauit.vnde Tarracinam reducta,Traiani iuſſu intra cubiculum exuſta eſt,vnaque eius famulæ. M. Acilius Glabrio ante quatuor annos geſto conſulatu eadẽ tempeſtate periit. Ex ea carnificina maturaſſe ſibi necem Dominitianus creditus eſt. Magna vis fulminum octo continuis menſibus lapſa,Principis capiti minitari viſa. Acceſſit noua inuidia cauſſaque, Domicillæ procurator Stephanus cum interceptarum heræ pecuniarum reus ageretur,inita coniuratione eum ferro peremit in Palatio, ſalutis anno ſexto & nonageſimo. Imperauit annis quindecim,menſibus quinque. Cædes eius moleſta fuit militibus,quibus omnia indulgebat: grata populo vniuerſo, cuius inter conuitia corpus occiſi populari ſandapila aſportatum à veſpillonibus fuit:grata Patribus,atque ita vt coacto continuo ſenatu certatim nomen eius maledictis lacerarent:memoriam extinctam cuperent, Domitiani inſignibus tota vrbe deterſis.Romanorũ factũ alias prouincias eſſe imitatas indicio eſt ad Aquas Flauias in Calæcia(id hodie Chiaues oppidũ eſſe credit͞) eius pontis inſcriptio,quo Tamaga fluuius iungitur, Veſpaſiani & Titi nominib. integris, Domitiani ſublatis: nam trium Imperatorum opus eſſe creditur. Edicto vetuit nouas in Hiſpania vineas.neglectis præ eo ſtudio ſegetibus ac frumenti penuria laboraret prouidebatur.Omnino per hæc tempora Eugenius primus Toletanus Præſul occiſus eſt. miſſus fuerat in Hiſpaniam à Dionyſio Areopagita(ſic pro conſtanti traditur)ex Gallia,vbi Euangelium propagabat,& Chriſti religione in ea prouincia, ac Toleti præſertim fundata,ſtudio Dionyſium inuiſendi in interiorem Galliam penetrauit,cum à Siſinii Præfecti ſatellitibus comprehenſus in veſtigio eſt occiſus.Corpus in Marcaſium lacum coniectum,Gallia demum Chriſti ſacris populariter imbuta, Hercoldus vir primarius diuino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum , templo eius nomine dicato coluit, vnde in templum Dionyſiacum migrauit, & Rege Caſtellæ Alfonſo, qui Imperator eſt nuncupatus, eius brachium primum Toletum relatum eſt, Ludouico ſeptimo Galliæ Rege concedente in ſoceri Regis gratiam,& Raymundi Toletani Præſulis. nam quo is tempore Eugenio III.Romano Pontifice ad Remenſem Epiſcoporum conuentum feſtinabat ex itinere rem omnem de Hiſpanorum memoria obliteratam præſens explorauerat. Reliquum deinde corpus noſtra ætate à Carolo.IX.Rege Galliæ, Philippo.II. Hiſpaniæ Regi datum atque in vrbem Toletum inuectum principale ac vere incredibili apparatu ante viginti annos,maiori religione colitur.Sunt qui putent,Philippum quendam à Clemẽte in Hiſpaniam Epiſcopum amandatum,aut certe Marcellum quem Philippo ſocium Dionyſius adiunxit ex Gallia(vt Michael Syncellus eſt auctor) Eugenium ipſum fuiſſe:atq; hoc quidem nomẽ ab ingenita nobilitate manaſſe.alterũ autẽ à parentib.accepiſſe.Quod cũ affirmant nulla meliori coniectura nituntur, quam quod Eugenii nulla mentio extet in antiquorum ſcriptis: Philippus & Marcellus quid rerum in Hiſpania geſſerint,penitus lateat. Domitiani ſane imperio M.Valerius Martialis patria Bilbili,vixit Romæ atque Martiali æquales C.Canius Gaditanus & Decianus Emeritenſis,omnes condendis carminibus clari.

Nerua,Traianus,atque Hadrianus Imper. CAP. V.

DOMITIANO ſublato C. Nerua ſenatus ſuffragio ad imperium euectus, M.Vlpium Traianum belli & pacis artibus clarum patria Italica in Bætica, ſucceſſorem adoptauit:cũ imbecillæ ac præcipiti ætati præſidiũ quæreret, ne deſpectui eſſet male cogitantibus.Huius imperio Ioãnes Apoſtolus ab exilio quo in Pathmũ inſulã fuerat relegatus

eccleſiæ ſuæ redditus eſt actis Domitiani à Nerua reſciſſis. Imperauit menſibus ſedecim. Eo defuncto die ſuo M. Vlpius Traianus reipublicæ curam ſuſcepit Februario
99. menſe eius anni, qui ab ortu Chriſti fuit nonus & nonageſimus. Conceptam animis hominum ſpem veris virtutibus exæquauit, Plutarcho præceptore vſus eſt, cuius extat ad eum epiſtola ſub initia principatus miſſa, non minus elegans quam grauis, admonentis quo modo principalem vitam deberet gubernare. Fore ſi ad virtutis regulam actiones dirigere, atque animum in imperio tenere didiciſſet, vt non male ſubditos regeret. Principes non ſuo tantum, ſed etiam præceptorum periculo peccare: quibus malo ſæpe fuit alumnos ab eorum diſciplina degeneraſſe. In vtranque partem ſibi ea monitione cauere, ſi pareret votum adepto ſin minus orbi teſtatus non ſuo illum conſilio, & præceptis peccare. Duos admirandi operis pontes extruxit, alterum in Germania, quo Danubium iungebatur: in Hiſpania alterum, cui Alcantaræ hodie nomen eſt, ea Luſitaniæ parte quam Extremaduram dicimus, Tago impoſitum, multorum populorum ſtipe collata. Multum apud Traianum gratia & auctoritate valuit Cælius Tatianus fiſci procurator, Hadriani pædagogus, Italicæ natus. Azaguæ (oppidum eſt in Bætica D. Iacobi militibus contributum) in arce bini viſuntur lapides, quibus Matidiæ & Martiæ ſororum Traiani ſtatuæ ſuſtinebantur, vt eorum inſcriptiones declarant. In Aſturibus ſeptimæ legionis milites, quæ & Gemina dicta eſt, Sublancia deleta quoniam in colle ſita erat, octo ſub ea paſſuum millibus vrbem poſuerunt, Legionem à conditoribus dictam, exiguo numero ciuium hac tempeſtate: antiquitate & Regum ſede nobilem, quo certe tempore poſt Maurorum vaſtationes res Hiſpaniæ reſurgere cœperunt. Imperauit annos decem & nouem, menſes ſex. Tertio imperii anno bellum in Chriſtianam religionem concitatum eo grauius, quo à ſanctiore & prudentiori Principe omnium opinione inferebatur, octauo demum anno mitigatum eſt. Plinii præſertim Iunioris litteris & hortatu tum Bithyniæ Proconſulis, Imperatori renunciantis: Chriſtianam ſuperſtitionem, quæ non ciuitates modo, ſed vicos etiam & agros peruagata eſſet, cum flagitio omni careret, arte potius quam vi comprimendam videri. cui Traianus Chriſtianos inquirendos non eſſe reſcripſit, oblatos tamen ſupplicio ſubiiciendos. Ea clade innumeri Chriſti cultores periere. in his Mantius Eboræ in Luſitania primus Epiſcopus: in Æmilia quidem natus vt nonnulli perhibēt, atq; vnus ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulis. Corpus eius ex vario errore in Aſtures, quo tempore Mauri occuparunt Hiſpaniam, tandem ad Villam nouam S. Mantii conſtitit celebri monaſterio dicato à Medina quæ à Riuo ſicco nomen habet, quatuor paſſuum millibus. In Selinunte Ciciliæ vrbe obiit Traianus Imperator (vnde deinceps Traianopolis dicta eſt) cum profligato bello Parthico, atque compoſitis in Oriente rebus in Vrbem maturaret. Defuncti cineribus triumphus decretus eſt Romæ quod vni Imperatorum Romanorum contigiſſe ſatis conſtat, vt de hoſtibus mortuus triumpharet. Ælium Hadrianum ſanguine propinquum atque Italicæ natum (Spartianus Romæ mauult patre cognomine, matre Gaditana, cui Domitiæ Paulinæ nomen fuit) ante deſignatum, imperii ſucceſſorem habuit: Plotinæ Auguſtæ gratia, Cælii Tatiani diligentia, atque Sabinæ vxoris reſpectus Traiani ex ſorore natæ, multum contuliſſe videbantur ad conciliandam gratiam, præterea ingenita virtus & multarum artium cognitio. Suſcepta reipublicæ cura, inuiſendi imperii prouincias ſtudio per Germaniam & Britanniam in Hiſpaniam progreſſus eſt deinde Africam & Orientem nudo ſemper capite, pedibus plerunque adiit. In eo itinere Tarracone vitæ periculum adiiſſe memoratur. Seruus quidam gladio diſtricto pene oppreſſerat incogitantem. cuius amentia explorata nullo ſupplicio medicis curandum tradidit. Hiſpaniam in ſex prouincias tribuit, Bæticam Luſitaniam, Carthaginenſem, Tarraconenſem, Calæciam, atque Mauritaniam Tingitanam, vt Sex. Rufus conſularis teſtatur. Bæticæ & Luſitaniæ Legati conſulares præficiebantur, vti lapidum inſcriptiones, & Codicis Iuſtiniani leges argumento ſunt. quatuor aliæ prouinciæ Præſidibus contraditæ ſunt. Ceionium Commodum Verum, eius Veri patrem, qui cum M. Anto. Philoſopho imperauit, cum prole careret filium adoptauit Cæſaris nomine, Auguſti penes ſe appellatione retenta. vnde more deinceps confirmatum eſt, vt Imperatorum filii ſucceſſoreſque Cæſares vocarentur. Iudæis Hieroſolymæ reædificandæ, Veſpaſiani lege abrogata, fecit poteſtatem. non eodem prorſus loco, atque Æliæ nomine, veteri appellatione mutata. Denuo rebellantibus quod circunciſione prohiberentur Iouis templo prope nouam vrbem exædificato, ſupremam ſub vitæ finem cladem attulit ad Betheram ſeu Bethoron quo innumera gentis multitudo ſe contulerat loci munitione confiſa Duce Barcosbano, quem ſe pro Meſſia venditaſſe Hebræorum libri teſtantur. Religionem certe Chriſtianam

vndeci-

vndecimo imperii anno ſi alio flagitio vacaret, fraudi eſſe vetuit. Ariſtidis & Quadrati apologiæ pro Chriſtianis Imperatori Athenis oblatæ & Serenii Granii Aſiæ Proconſulis litteræ vſque adeo conciliarant, vt de Chriſto in Deorum numerum tranſferendo cogitaſſe, templaque per ciuitates ſine ſimulacris (nempe quæ inter Ethnicos in vſu erant) ædificari mandaſſe feratur. Romanum imperium quoniam ſua mole laborabat, ad Septentriones Danubii ponte diruto, & ad Orientem Euphrate terminauit. Quibus rebus ingenti gloria parta, moleſta valetudine fatigatus, ad Baias vt medicorum manus euaderet, obſtinata inedia vitam finiuit. vnum & viginti annos imperauit. Cælium Tatianum, cuius opera imperium erat adeptus, detractis honoribus in ordinem redegit: ac demum occidendum curauit, ad exemplum inconſtantiæ rerum humanarum, ac præſertim Principum gratiæ leui momento in varias partes agitari ſolitæ, & maxima officia maleficio compenſare, Antonium e cubiculi ſordibus fœdaque libidine in Deorum numerum tranſtulit, tẽplo dicato atque vrbe eius nomine in Ægypto conſtituta. Quibus rebus, & quoniam aliquot extabant eius crudelitatis exempla, ſuperiorem gloriam ſugillaſſe viſus eſt. Hadriani imperio Baſilides Gnoſticorum ſectam in Ægyptum inuexit, Saturninus in Syriam, Trinitatis hypoſtaſes confundentem, actionesque humanas & voluntatem aſtris fatoque ſubdentem, & Chriſtianam iuſtitiam affirmantem ex ſola fide pendere. Ex Baſilidis ſchola Marcus in Hiſpaniam profectus erroris ſemina iecit. Agape nobili fœmina & Heluidio Rhetore in partes traductis. vnde aliquanto ex interuallo Priſcillianus ex conſopiti ignis ſcintillis magnum incendium excitauit, ſibi conciliauit exitium, vti competenti loco declarabitur.

Tres Antonini Imperatores. CAPVT VI.

COMMODO Vero defuncto paulo poſt quam ab Hadriano fuerat adoptatus: nam erat valetudinarius, nihilque ad memoriam geſſerat inſigne, in eius locum T. Ælius Antoninus ſuffectus Hadriano mortuo ſucceſſit, ſalutis anno centeſimo trigeſimo nono, 139
totosque duos & viginti annos, menſes ſeptem toto Romano imperio pacem conſeruauit, Numæ ſimillimus, vnde & propter clementiam ſingularem Pii cognomen inuenit, & pater patriæ ſalutatus eſt. In Chriſtianam religionem nihil mouit. mercedes annuas detraxit iis, vnde nullus fructus expectabatur, quoniam otioſi percipiebant reipublicę onera grauia, nullo vſu. Eius illa vox fuit, quæ fuerat ante Scipionis, Malle ſe ciuem vnum ſeruare, quam mille hoſtes perimere. Quid rerum geſſerit in Hiſpania clam eſt, tametſi eius nomine aliquot inſcriptiones extant, quas hoc loco ſubiicere non arbitror neceſſarium. Antonino Pio M. Aurelius Antoninus, cognomento Philoſophus eius gener ſucceſſit, ſalutis 162
anno centeſimo ſexageſimo ſecundo, imperii conſorte Antonino Vero, eius Veri filio, quẽ ab Hadriano fuiſſe adoptatum monſtratum eſt. quod ad eam diem nunquam contigiſſe ſatis conſtat, vt exæquata duorum Imperatorum poteſtate reſpublica gubernaretur. Is poſtquam carnificinam in religionem Chriſtianam inſtaurauit, & Perſarum motus in Oriente compoſuit, eo bello peracto primus Præfectos prouinciarum Comites nominaſſe fertur. Extinctus ex morbo eſt nono imperii anno. Deinde ſolus Aurelius Antoninus rempublicam geſſit, ea probitate, iis virtutibus, vt exemplum deſit. nam eruditionem Philoſophi cognomen ſatis declarat. Bello Marcomannorum (hi hodie Moraui ſunt) in ſumma aquæ penuria Chriſtianorum precibus, eorum qui in legione duodecima militabant, pluuiam impetrauit, & victoriam procella & fulminibus in aduerſos hoſtes delatis. Iulius Capitolinus Imperatoris precibus numina placata & pluuiam impetratam ait: ſcriptoribus noſtris Dionis teſtimonium fauet, & ipſæ Imperatoris litteræ, quæ tum Græce tum latine extant: præterea legioni ipſi nomen Fulminatricis additum. Cuius nominis veſtigium Tarracone in Citeriori Hiſpania conſeruatur in hortis Ioannis Melgoſæ, his verbis concepto epitaphio:

D. M.
IVLIO SECVNDO, QVI VIXIT ANN. XXXVIIII. M. II. D. X.
C. IVLIVS IOSCHVS LEG. XII. FVLMINATRICIS LIBERTO
BENEMERENTI FECIT.

Extat præterea Barcinone in Requeſenarum ædibus pro æde Diuorum Iuſti & Paſtoris teſtamentum Aurelii imperio conditum, atque in lapides inciſum: ex quo intelligitur vſuram centeſimam eſſe cùm ſummæ octaua pars annuatim pendebatur, hoc eſt, centum menſibus ſumma duplicata. vnde centeſimæ nomen, aut quoniam ſingulis Kalendis quo

tempore verſuram numerari moris erat, centeſima ſummæ pars fœneratori pendebatur. Teſtamenti verba hæc ſunt, quibuſdam inſolentibus notis in affines, vt erat commodum atque vt eſt viſum, in litteras explicatis.

* Centurio aut Tribunus.

L. CÆCILIVS. L. F. PAP. OPTATVS. * 7. LEG. VII. G. FEL. ET 7. LEG. XV. APOLLIN. MISSVS HONESTA MISSIONE AB IMP. M. AVR. ANTONINO ET AVR. VERO AVG. ATLECTVS AB AVG. INTER IMMVNES CONSEQVVT. IN HONORES ÆDILITIOS IIVIR. III. FLAM. ROMÆ DIVORVM ET AVGVSTORVM. QVI R. P. BARC. TA. C. DO, LEGO, DARIQVE VOLO. * X. VII. D. EX QVORVM VSVRIS SEMISSIBVS EDI VOLO QVOTANNIS SPECTAC. PVGILVM DIE IIII. ID. IVNII VSQVE AD X. CCL. ET EADEM DIE EX X. CC. OLEVM IN * HIERITECTA PRÆSTARI EA CONDITIONE VOLO, VT LIBERTI MEI, ITEM LIBERTORVM MEORVM, LIBERTARVMQVE LIBERTI QVOS HONOR SEVIRATVS CONTIGERIT AB OMNIBVS MVNERIBVS SEVIRATVS EXCVSATI SINT.

* Denarios ...

* Thermas publice populo præbens tecta.

QVOD SI QVIS EORVM AD MVNERA VOCITVS FVERIT, TVM EA X. VII. D. AD REMP. TARRAC. TRANSFERRI IVBEO SVB EADEM FORMA SPECTACVLORVM QVOD SS. EST EDENDORVM TARRACONE. L. D. D. D.

Obiit M. Aurelius Antoninus ſalutis anno CLXXXI. 16. Kalen. April. cum annos decem & nouem imperaſſet, & menſem vnum, non magis ſuis virtutibus, quam domeſtica calamitate nobilis, ob Fauſtinæ vxoris impudicitiam: quam cum neq; ſanare poſſet, neq; repudiare induceret in animum, tanti probri diſſimulatione & patientia imperii maieſtatem fœdaſſe viſus eſt. Alioqui vtriuſque Antonini memoriam Romæ gratam fuiſſe Septimii Seueri lex lata indicio eſt: Antonini appellationem non ſecus atque Auguſti perpetuam Imperatoribus fore deinceps ſancientis. Tametſi Ælius Aur. Commodus Ant. quem pater imperii conſortem declararat, & moriens ſucceſſorem reliquit, maiorum memoriam vitæ licentia & perpetua morum turpitudine fœdauit, Auguſtus nomine, animo fœdum vitiorum omnium mancipium Martia concubina inieciſſe carminibus furorem credita eſt, exitii certe cauſſa, cum ex Commodi ſcheda inter alios ſe ad necem etiam peti cognouiſſet, cum Narciſſo eunucho conſilio communicato peremit annos natum triginta duos, veneno prius præbito, deinde quia lenta tabes erat, gula fracta. Imperauit annos duodecim, menſes octo, dies quindecim. trecentas concubinas, & pari numero exoletos habuiſſe traditur, eorum quos forma conciliaſſet delectu habito. primuſq; Romanorum Imperatorum vendidit pretio magiſtratus: quod malum quantas reipublicæ affert calamitates, quam grauia incommoda? Annium Verum Commodi atauum Iulius Capitolinus facit Hiſpanum, ex Bæticæ municipio Succubitano. Sunt qui per hæc tempora arbitrantur à Facundo & Primitiuo ſuſtentatos pro religione cruciatus fuiſſe, Attico Calæciæ pro Romanis Præſide ad Ceæ fluminis ripam, quod ex montibus Aſturum in interiorem Hiſpaniam delabitur, ſolenni ſacrificio repudiato, ad quod totius prouinciæ milites erant inuitati. Pro qua re militiæ honore detracto, tormentis omnibus excarnificati, ac ſecuri demũ percuſſi ſunt. Corpora, quibus in locis cæſi erant, à Chriſtianis coli cœperunt, templo dicato. Poſtmodum cum in Aſtures ſemel, & iterum migraſſent, quo tẽpore armata Maurorum impietas per Hiſpaniam volitabat: Alfonſo prius Rege, cui Magni cognomen fuit, deinde Ferdinandi primi ætate reducta ſunt, loco vnde erant amota templo inſtaurato, adiunctoque cœnobio Benedictino, cui à ſancto Facundo nomen eſt, inter præcipua diuorum domicilia in Hiſpania celebri.

Seueri & Caracallæ imperia. CAP. VII.

193. OCCISVS eſt Commodus anno ſalutis CXCIII. Succeſſit Heluius Pertinax patre libertino, ętate ſeptuagenarius. Imperium tenuit menſes duos, dies 28. Commodi interfectores eius probitate perſpecta, vltro detulerãt principatũ. Prætoriani impetu facto in palatium vita ſpoliarũt. Diſciplinæ ſeueritatẽ reuocari moleſte ferebãt, prioris tẽporis licẽtia corrupti. Vtriuſq; linguę facultate, & iuris ſciẽtia inſtructus fuit ex diſciplina Sulpitii Apollinaris, quo præceptore in tenera ætate vſus erat, cuius periochæ in Terẽtii fabulas extant.

Pertina-

Digitized by Google

Pertinace interfecto Sulpitianus & Didius Iulianus palam de imperio in prætorianorum
caſtris licitati. Iulianus vicit, quinque & viginti ſeſtertia in milites ſingulos auctionatus.
Tantæ ſummæ cum ſoluendæ non eſſet, pollicitis quam fide ditior, inter militum odia, &
populi inuidiam deſtitutus, ſexto imperii menſe interfectus eſt. Septimius Seuerus, quo
agente Iulianus periit, ab Illyrici legionibus fuerat Imperator renunciatus, Africana Le-
pti (hæc Tripolis eſt trans Syrtim minorem) natus. Innatam animo ſæuitiam bellica forti-
tudine compenſauit. Iactatum vulgo eſt, aut nunquam naſci debuiſſe, aut nunquam mori.
Prætorianos cæſi Pertinacis religione fœdatos Roma ad centeſimum lapidem relegauit,
armis veſtibuſq; detractis. Peſcenium Nigrum imperii æmulum in Oriente domuit. quo
in itinere Byzantium portas claudentem euertit. Albinum in Gallia ſuperauit, eum qui
Mileſias fabulas Ariſtidis exemplo ſcripſiſſe traditur, omni impuritate fœdas. Parthi bis
domiti. Rebus vrbanis priſtinus ſplendor reſtitutus eſt. Britanni pacati, atque ad arcendas
Scotorum incurſiones à mari ad mare, qua parte caſtigatis littoribus eius inſulæ latera ma-
xime coarctantur, perpetuum vallum duci curauit. In ea expeditione defunctus eſt Ebo-
raci, cum decem & ſeptem annos imperaſſet, menſes octo, dies tres. Eius illa extrema vox
fuit: Se imperium, q̃ turbatum accepiſſet, pacatũ filiis relinquere: firmum ſi bonis, ſi malis
haud diuturnũ. tum illa: Omnia fui, & nihil expedit. In Chriſtianos nono imperii anno cũ
ſæuire cœpiſſet, Felix presbyter, Fortunatus, & Archilocus Diaconi Valentiæ occubuerũt
in Hiſpania. Tametſi, nonnulli Achilleum legi pro Archiloco malunt, in alteraq; Valentia
peremptos fuiſſe, quę in Gallia Lugdun. ſita eſt, ab Iręneo Lugdunẽſi Epiſc. Euangelii pro-
mulgandi gratia proculdubio amandatos. locorũ vicinitas opinioni ſuffragatur, Hiſpania
longinqua. Prorſus Seuero defuncto, Aurelius Antoninus Baſſianus eius filius, cui veſtis
Gallica populo donata Caracallæ nomen fecit, imperium tenuit annis ſex, menſibus duo-
bus, diebus quinque. Getam fratrem imperii conſortem à patre teſtamento deſignatum
ſuſtulit. Publica ex eo noui principatus inuidia nouo facinore aucta. Iuliam nouercam
Getæ matrem connubio ſibi iunxit. Occiſi fratris partibus ſtudentes ſublati, Sammonicus
Serenus Medicus, cuius multa ſcripta ferebantur eruditione præcipua, Iureconſultus Pa-
pinianus: nulla hic iuſtiori de cauſa, quam quod iure fratrem cęſum ad ſenatum defende-
re recuſaſſet, facilius eſſe dicens parricidium facere, quam excuſare. Noua fraude, ſimula-
tione coniugii cum Artapani Parthorum Regis filia incautos hoſtes ad Carras oppreſſit.
Lætitia diuturna non fuit. Martialis ferro dum ventrem leuat confoſſus eſt, annos natus
tres & quadraginta. ſupra corpus exanime Iulia nouerca coniuxq; cum Antiochiam eſſet,
vbi illa morabatur, delatum, ferro in viſcera adacto occubuit. Tragœdias referre videor.
ſed in reliqua amentia Alexandrum Magnum, quem imitatione exprimere ſtudebat, de-
torto etiam in læuam capite repræſentaſſe fertur. Succeſſit Opelius Macrinus prætorii
Præfectus, quo auctore cædes facta erat, Audentio concedente, cui à milite imperium de-
ferebatur, vno Auguſti nomine, nulla præterea re nobilis, neq; in vita priuata neq; in prin-
cipali. Breue imperium fuit. Meſæ arte (hæc Iuliæ ſoror erat) ſubornatis legionibus Chal-
cedone periit ipſe & filius Diadumenus, eius ſeculi anno ducenteſimo nonodecimo, ſe- 219.
ptimo Idus Iunii, cum imperaſſet menſibus tredecim, diebus octo & viginti.

Heliogabali & Alexandri imperia. CAP. VIII.

AVRELIVS Antoninus Varius Solis in Phœnicia Sacerdos, vnde illi cognomẽ Helio-
gabali, Caracallæ filius fuit ex Soemi genitus Meſæ filia. Vt Auguſtus ſalutaretur, for-
mæ dignitas iuuit imperio digna, fallax ſæpe indicium compoſiti animi, Caracallæ patris
memoria militibus grata, quibus omnia largiebatur, & Meſæ auiæ artes exercitu in partes
tracto. Imperauit annos tres, menſes nouem, dies quatuor, vitæ turpitudine & fœdo vitæ
exitu infamis. libidinis promiſcuæ auidus patienſq;: prorſus vt in muliebrem ſexum ſe ex-
ſecari tentarit. Romani imperii probrum & humani generis portentum, Prætoriani mili-
tes ipſiuſmet ſanguine procurarunt. decem & octo annos natum ferro peremerunt, ſexto
Idus Martii, anno ducenteſimo vigeſimo tertio. In veſte holoſerica primus Romanorum 223.
Imperatorum viſus eſt, cum antea ſubſerica in vſu eſſet. Bombycinę telę ea ætate exęquato
auri pondere conſtabant. Ab Heliogabalo inſtitutum traditur in vindemia à ſeruis heros
iocularibus & dicteriis lacerari. Heliogabali vitia ſucceſſor & conſobrinus Seuerus Ale-
xander veris virtutibus exęquauit, magnus futurus Imperator ſi vita longior contigiſſet.
More à Chriſtianis mutuato neminem muneribus publicis pręficiebat niſi proclamatum.
Honores & magiſtratus vendidit nunquam: cum diceret, qui emit, vendat idem neceſſe
eſt. Noſtris æquum ſe prębuit: Chriſti imaginem in pręcipuo larario atque inter Deorum

ſigna collocata. Neminem ad familiaritatem ac ne ad ſalutationem quidem admittere ſolitus erat, niſi integra probitatis fama. ærarii inopiam ex curioſis ſuperuacaneiſque artibus vectigali excogitato ſubleuata. Cum Parthicam expeditionem contra Artaxerxem Perſarum regnum longo ex interuallo reuocantem feliciter obiiſſet, belli impetu in Germaniam conuerſo, Maximini proditione & inſidiis occubuit, ætatis anno nono & vigeſimo, cum annos tredecim, dies nouem, imperium magna æquitate gubernaſſet. In reliqua clementia illud paulo acerbius videatur, quod Turinum Vetronium fumos, id eſt, ficta Imperatoris reſponſa vendere ſolitum, fumo necauit. Vlpiano Tyrio Iureconſulto multum & familiariter vſus eſt, ſacri ſcrinii Magiſtro: eiuſque præceptis vitam & mores conformauit. Eundem in militari furore purpura texit. Horum Imperatorum ætate, quid in Hiſpania ſit geſtum, latet. Extat tamen Accitanæ baſis ſtatuæ Mammeæ Alexandri Imperatoris matri poſita. quæ quoniam Chriſtianis ſacris imbuta fuiſſe creditur, & Origene familiariter vſa eſt, inſcriptionis verba ſubiiciantur.

IVLIÆ MAMMEÆ AVG. MATRI IMP. CÆSARIS MARCI AVRELII SEVERI ALEXANDRI PII. F. AVG. M. CASTRORVM. COL. IVL. GEM. ACCITANA DEVOT. NVMINI.
M. Q. EIVS.

Fuit Mammea ex Iuliæ Auguſtę Meſa ſororę nata, Soemis ſoror germana. ex Soemi & Caracalla furto conceptus eſt Heliogabalus. ex Mammeæ & Marcelli iuſtis nuptiis Seuerus Alexander. Quo tempore Anterus Pontifex Romanam eccleſiã rexit, & ad Epiſcopos Bęticæ & Toletanæ prouincię litteras dedit, fas eſſe negans Epiſcopos priuati commodi cauſa ab vna in aliam eccleſiam migrare.

Maximinus, Gordianus, Philippus, Imperatores. CAP. IX.

IVLIVS Maximinus Thrax, ex obſcuro genere natus, parentib. Mecca Gottho, & Ababa natione Alana, vt Symmachus ait, nulla re alia fuit nobilis niſi vaſti corporis viribus, & celeritate tanta, vt equi curſum adæquaret: vnde ad omnes militię honores gradu facto,
236. Alexandro Seuero occiſo humanæ ſalutis anno ducenteſimo trigeſimo ſexto, rempublicam occupauit biennium, & menſes aliquot. Imperii initio Germanorum motibus compoſitis, Gordianum Africæ Pręſidem ab exercitu Imperatorem ſalutatum, ſubſecutam approbationem ſenatus, cum Sirmium eſſet allatum vbi bellũ in Sarmatas parabat, Romam conuerſo itinere, vindictæ ſtudio ardens, dum in Aquileiæ obſidione moram trahit, nouo nuncio allatũ eſt: Gordiano & filio cognomine in Africa ſublatis, Balbinum, & Pupienum, ſenatus ſuffragio nouos Imperatores fuiſſe factos, magis deſperata venia, quam q̃ ſatis eſſet animi ad Maximinum vindicandum. Eo nuncio milites exciti, facto in prætorium impetu, Maximinum trucidarũt: reſpublica & Chriſtianorum natio magno periculo metuq; liberatæ. Bellum enim in Chriſti ſectatores concitarat, ac præſertim eccleſiarum Præſides præcipuo odio ſuſceperat exagitandos. Maximus & ſocii hoc tẽpore pro religione ſanguinem profudiſſe memorantur, ad Bufragani montis ſpecum, à Tarracone viginti quatuor millibus paſſuum. Vnde is ad necem extractus eſt, eo loco templo dicato colitur. & fortaſſis Maximus hic eſt, quem ciues Tarraconenſes vulgo Sanctum Magi nũcupare ſoliti ſunt. Balbino & Pupieno intra primum imperii annum prętorianorum furore ſublatis, Gordianus primi Gordiani nepos, ac vix quindecim annos natus, cum antea Cæſar eſſet & imperii ſucceſſor deſignatus, rem publicam cœpit adminiſtrare. Miſithei ſoceri auſpiciis Perſico bello confecto, quo tempore ſumma pollicebatur: Iulii Philippi prætorii Præfecti fraude periit, ſexto imperii anno. Extant Gordiani ad ſocerum litterę, quibus principalẽ vitam, domeſticorum præſertim, fraudibus obnoxiam eſſe conqueritur auribus Principis multis inſidiantibus, ipſo ſuis oculis res ſingulas conſiderare non valente. Sane nullius rei grauior apud Principes penuria eſt, q̃ veritatis: cui quis locus ſit inter continuos aſſentationis plauſus omnes aulæ partes perſonãtis? Ea ſublata Principes cęcis ignorationis tenebris oppreſſos offendere paſſim quis miretur? aut quis non doleat, ſine luce eſſe, quos Deus in faſtigio collocauit: vt vitę humanæ duces eſſent, & humanis erroribus ſuccurrerẽt opera, conſilio, auctoritate? Vna medicinę faciendę via eſt, à magnis hominib. monſtrata, à paucis arrepta: ſi ad alios miniſtros aulę procuratorẽ, amanuenſes, aſſeclas, vir aliquis ſpectata prudentia & probitate accerſatur ſi opus ſit magno: cui facultas ſit renunciandi Principi nõ vera modo, ſed quæcunq; de ipſo fama loquetur, inanes etiã vulgi rumores & vanos. Dolorem ſæpe neceſſe eſt faciat, ſed ferendus eſt tamen, vt maxime importunus interpellator accedat, vtilitatis, ſanitatiſq; ſpe eã moleſtiam compenſante. Et ſunt veritatis radices amarę, fructus ſuauiſſi-

ſuauiſſimus. Verum nunquam impetrabimus: Principum deliciæ quantæ ſunt non ignoramus, vitæ licẽtiam præcipuum imperii fructum arbitrantium. voces ad gratiam loquentium ſuauiſſimæ ſunt: veritatis ſpecies horrida, ingrata oculis atque auribus. non eſt tamen deſperandum fortaſſe non canimus ſurdis. Erunt quibus veritas placeat, & monſtratum ſalutis iter publicæ priuatæque, videant, & ſequantur: atq; intelligant, non eos qui carpunt mores, vitamque rectorum perniciem afferre, ſed eos qui auribus loquuntur grata, quorum eſt infinitus numerus in aulis Principum maior, certa peſtis quia blanda. Ad Imperatorum numerum reuocanda oratio eſt. Sublati innocentis iuuenis merces imperium fuit. M. Iulius Philippus natione Arabs, obſcuro genere, militari laude clarus rempublicam occupauit, anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo quinto: tenuitq; vltra quinquennium. 245.
Icto is ſub initia cum Perſis fœdere, ex quo Meſopotamiam hoſti conceſſit, Romani imperii maieſtatem obſcuraſſe viſus eſt. Romam reuerſus annum ſecularem clauſit, maiori quam vnquam lætitiæ ſignificatione & ludorum apparatu, nimirum ab Vrbe condita milleſimum. Contra Gotthos Thraciam vaſtantes Marino Duci miſſo, ab exercitu imperium eſt delatum, cæteraq; Auguſtis deferri ſolita, à Decio in Mœſia collatis ſignis ablatum cum vita ipſe oppreſſi tyranni præmium ab exercitu compulſus imperium datum conſtanter tutatus eſt, Philippo, qui obuiam armatus progrediebatur Veronæ in militari ſeditione trucidato. Cognominis patri filius, quem ſeptennem imperii conſortem fecerat, eo ingenio vt nunquam riſiſſe ferant, Romæ ad nuncium de patris nece eſt occiſus. Origenis ad Philippum litteræ Hieronymi ætate extabant. Chriſtianis nimirum ſacris initiatum, ac nõ niſi ſceleris ſuſcepti prius pœna exoluta à Fabiano Pontifice ad myſteria admiſſum, qui affirmẽt auctores habeo antiquos & graues. reſiſtunt alii hanc laudem Conſtantino Magno tribuentes, vt primus Romanorum Imperatorum Chriſti Dei agnouerit maieſtatem. Philippi theſauris eccleſiam fuiſſe locupleratam nonnulli ſuſpicantur, mores deprauati ſimulaſſe potius quam impleſſe Chriſtiani hominis officium declarant. Gn. Meſſius Decius, cum ſalutis anno ducenteſimo quinquageſimo imperium occupaſſet, religionem Chriſtianam ſæuiſſime exagitare cœpit Philippi odio, vt creditum eſt: diſciplinam eccleſiaſticam multis modis collapſam externo bello aſtringere, atque reuocare diuinum numen parabat. In eo Chriſtophorum martyrem occubuiſſe Nicephorus auctor eſt. A Gettis ſeu Gotthis (iidem enim fuiſſe putantur) Mœſiam Thraciamq; vaſtantibus, primo prælio victor, in ſecundo conflictu occiſus eſt, ipſe & filius cognominis, cum biennium rempublicam gubernaſſet. Trebonianus Gallus cuius perfidia circumuentus fuerat, imperium deferente exercitu tenuit annuum ſemeſtreq;, facto cum Gotthis victoribus fœdere, ex quo tributum annuum illis pẽdere eſt pactus. Ea ex re cum deſpectui eſſe cœpiſſet, & Gotthos rurſus tumultuantes, Æmilianus natione Afer, atque in Mauritania Tingitana natus, ingenti prælio ſuperaſſet, imperium arripuit, Galloque in acie cæſo, nam obuiam prodierat, quatuor tantum menſes tenuit, nulla præterea re geſta ad memoriam inſigni, prorſus vt in nullo Auguſtorum numero ſit. 250.

Valerianus, Gallienus, Claudius, Aurelianus, Imperatores. CAP. X.

LICINIVS Valerianus ætate ſeptuagenarius erat cum in Gallia contra Æmilianum legionum conſpiratione factus eſt Imperator, anno ducenteſimo quinquageſimo quarto, non alia de cauſa in faſtigio rerum poſitus, niſi vt grauiori caſu præcipitaret. Longæua 254.
ſæpe vita calamitatibus eſt obnoxia, vertentique fortunæ tribuit quos ſecundis rebus honeſtarat. Septimo imperii anno in Perſarum bello victus, & captus calamitoſam ſeruitutem amplius annum tolerauit, Gallieno filio, quem imperii conſortem fecerat, nihil minus quam de liberando patre, aut imperii maieſtate cogitante: Perſarum, Gotthorum, & Germanorum bello non magis quaſſati, quam inteſtina triginta tyrannorum ambitione. Iamdudum reſpublica mole ſua cœperat laborare. In his Poſthumus Gallia occupata Francos auxiliares primus aduocauit, gentem eatenus ignotam in hiſtoria Romana. Lollianus Gallieni iuſſu Poſthumo ſuperato cæſoq;, ſe pro illo vicarium ſubſtituit cum filio eiuſdem nominis, cuius eſſe putantur declamationes Quintiliani nomen præferentes. Tetricus Hiſpaniam tenuit, in quam Germanica natio per Galliam infuſa totis duodecim annis vrbes & agros igne ferroq; vaſtauit. Orientis prouincias Odenatus Palmerinus, eoque defuncto Zenobia vxor ad Aurelianum vſq; Imperatorem, maiori quam pro ſexu animo tutata eſt. Gallieni vxor fuit Cornelia Salonina, Decii Herennia Salluſtia, vt lapides in Hiſpania non vno loco reperti declarant. Per hæc tempora Lucius Pontifex Romanam eccleſiam gubernabat, cuius extant litteræ ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ. In his Epiſcoporũ concilia

ſępe haberi hortatur. Metropolitanis quid iuris ſit in finitimas eccleſias declarat. hęreticorum vſu interdicit: facitq; animos ad perferendas eorũ temporum graues & diuturnas calamitates. Lucio ſucceſſit Stephanus, quo Pontifice Hiſpaniæ Præſules in conuentu communicato conſilio duos Epiſcopos Martialem Emeritenſem & Baſilidem Aſturicẽſem loco mouerunt, lege de libellaticis poſtulatos atq; conuictos. Libellatici erant, qui ſyngrapha religionẽ deſerebant: qui impio ſe cultu contaminabant, ii Sacrificati vocabantur, vti Cypriani epiſtolæ declarãt. Baſilides Romam delatus Stephani Pontificis auctoritate abſolutus eſt. nimirũ ad eccleſiæ caput confugit, vnde iura ſacra prodire moris erat, mutari aliorũ decreta perperam facta. Hiſpani tamen ſacerdotes ea re offenſi Cyprianum Carthaginenſem Felice & Sabino Epiſc. ad eum legatis de tota re admonent. Negat is cum aliis Epiſcopis conſilio communicato homines deſertæ fidei reos debere ad priſtinos honores redire. impoſita pro modo culpæ pœna recipi fas quidem eſſe, ſed ſacerdotali tamen honore atq; functione detractis. Id Cornelii Pontificis decreto ſancitũ. Stephanum in tanta longinquitate videri in fraudẽ inductum. Itaq; Sixtus. II. Stephani ſucceſſor, litteris fortaſſis hac ipſa de cauſa monuit Epiſc. Hiſpanię: Patrum decreta conuellenda non eſſe, neq; ante legitimã cognitionem Epiſcopos loco mouendos videri, neq; abſq; conſcientia Romani Pontificis. iuſte ab eo reponi, quæ per iniuſtitiam eſſent ablata. Atq; hi ſane tres Romani Pontifices eius belli procella conſumpti ſunt, quam Valerianus Imperator cum initio viſus eſſet in religionem Chriſtianam bene animatus, concitauit. Periit etiam Romæ Laurentius Diaconus, Oſcæ in Hiſpania natus, Orentio & Patientia parentibus, quos Oſcenſes in cæleſtium numero habent, Sixtus. II. priuſquam eſſet Pontifex, Euangelii euulgandi cauſa delatus in Hiſpaniam, Laurentium Vincentiumq; comites ſecum detulerat Romam rediens. Inerat in Laurentio indoles animiq; conſtantia, quam perferendis grauiſſimis cruciatibus ne da-
259. tam Chriſto fidem proderet, ſatis declarauit. ſalutis anno ducẽteſimo quinquageſimo nono, tum ipſe, tum Sixtus ſunt trucidati. Errant qui Decii imperio accidiſſe aiunt. Errant qui Decium Cæſarem Valeriani nepotem ex auctoritate Trebellii Pollionis arguto cõmento affingunt, magis quã ex fide Laurentium peremiſſe, minuti ſcriptores ſecuritate maxima. Sed eodẽ prorſus anno, Fuſco & Baſſo Coſs. Fructuoſus primus Tarraconenſis Pręſul, Augurius & Eulogius Diaconi in ea vrbe non minori conſtantia illatã pro vera pietate mortẽ tolerarunt. Æmiliani Pręſidis miles, ac filia ætate paruula à milite ad conſiderandum excitata, ſanctorum animas continuo ſublimes in aera ferri viderunt, vt Prudentius eſt auctor. Horum exuuiæ, qua cauſa & tẽpore incertum, ſed in Ligures tamen migrarũt, ſeruanturq; non procul Genua vrbe in Benedictinorũ cœnobio. Conſequenti anno Dionyſius in Sixti locum Romanus Pontifex factus eſt. Aureolum, qui in Illyrico rebellarat & Mediolanum in poteſtatem redegerat, Gallienus intra eam vrbem obſidebat, cum ſuorum coniuratione
269. periit ſalutis anno ducenteſimo ſexageſimo nono, ex quo primum imperare cœperat anno quintodecimo. Periit etiam minor frater Valerianus, quem conſortẽ imperii dixerat. Vacuam rectore rempublicam Flauius Claudius occupauit. Anno proximo idem cum Paterno Conſul fuit. Quibus Coſs. Dionyſius Pontifex ad Seuerum Cordubenſem Epiſcopum litteras dedit, vti Romanę eccleſiæ exemplo populum in parœcias tribuat mandãs. Verum Claudius nouus Imperator cœſo Aureolo, cum Gotthos deinde & Germanos armis domuiſſet, Tetricum qui Hiſpaniam & Galliam obtinebat, an Zenobiam bello peteret incertus Sirmii morbo oppreſſus eſt, magno reipublicæ incõmodo, neq; minori luctu. Annum, menſes decem, dies quindecim imperauit. Conſtantii Cæſaris magnus auũculus fuit, nam ex fratris Criſpi filia & Eutropio gentis Dardanę, Conſtantius eſt natus Magnus Conſtantini pater. Claudii morte renunciata Quintilius alter Claudii frater, cui à ſenatu erat imperiũ delatũ, rerum mole oppreſſus ſibi mortẽ cõſciuit, ſeptimodecimo die ex quo Auguſtus erat ſalutatus. magnũ imperii ludibrium. Erat allatũ militari ſuffragatione. D. Domitium Aurelianum Imperatorem eſſe renunciatũ, viribus & auctoritate potiorẽ. Qui inter optimos Principes locũ habere potuit, ni bellicam gloriam ingenii ſæuitia fœdaſſet, atq; Chriſtianæ nationis odio grauiſſimo. Dacis enim domitis, quibus duæ Mœſię ad habitandũ datæ ſunt, tyrannis toto imperio, qua vi, qua volũtate ad officium redactis, Zenobiam ad Palmiram vrbem captam, cum fugeret ad Perſas camelis quos dromadas vocant, Romam in triumphi pompa egit ciuium oculis, grauiſſimũ ſimul & miſerabile ſpectaculum exhibens, mirantium in fœmineo pectore virile robur atq; animũ malis inuictum. Eum triumphum ex veteri more Romanorum Imperatorum poſtremus inſtauraſſe Aurelianus memoratur. Deinde Oriente repetito, in Perſas dum bellum parat, Heracleam inter & Byzantium Mneſthei familiaris fraude periit. Annos quatuor, menſes vndecim, dies ſeptẽ rempublicam gubernauit. Aureliam ad Ligerim & Geneuam ad lacũ Lemanum in Gallia condidiſſe qui-

affirment auctores habeo. Narciſſus Gerundæ in Hiſpaniæ Galliæque confinibus, poſtquam Alpinis gentibus Euangelium annunciarat, occiſus pro religione eſt, tum ipſe, tum Felix Diaconus. alterum eodem nomine ea vrbs præcipua religione celebrare conſueuit (ne nominum ſimilitudo fallat) alio tempore neci datum. Extant Eutychiani Pontificis Romani ſuperiori anno in Felicis occiſi locum cooptati litteræ ad Ioannem atq; alios Bæticæ Epiſcopos, Aureliano & Marcellino Coss. hoc eſt, ſalutis anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto. 276. In iis proprie de Dei filio homine facto diſſeritur aduerſus Hæreticos in Hiſpania nouis opinionibus religionis ſynceritatem commaculantes.

Quidam alii Imperatores. CAP. XI.

A MORTE Aureliani ſex menſium interregnum tenuit. nouo ad eam diem certamine inter exercitum & ſenatum, vtrique ad alteros noui Imperatoris creandi poteſtatem arbitriumque ablegabant. victi tandem Patres modeſtia militari Clau. Tacitum Auguſtum crearunt. Præcipiti ætate annos natus octo & ſeptuaginta, non diu rebus præfuit, cum rempublicam tenuiſſet menſes ſex, dies viginti, Tharſi defunctus eſt. Florianus frater ſucceſſor tertio deinde menſe diſſectis vltro venis ſibi mortem conſciuit. conſcientia imbecillitatis incitauit, metuſque M. Aurelio Probo à legionibus in Oriente Imperatore ſalutato, natione quidem Dalmata, obſcuritatem tamen generis belli & pacis artibus præclare compenſante, vſqeu adeo vt Probi nomen niſi à patribus accepiſſet veris virtutibus parare potuiſſet, Germanos, Galliam, Sarmatas Illyricum vaſtantes domuit. Narſeo Perſarum Regi leges dedit. Vandalis & Gotthis in imperii prouincias magno numero dilapſis agri in Thracia dati. E duobus imperii æmulis Saturninum in Ægypto Probi metu an gratia ipſiuſmet milites peremerunt, Bonoſum ad Rhenum acie victum ad laqueum adegit. Galliæ & Hiſpaniæ vineas ſerendi facultas plena conceſſa, Domitiani Imperatoris interdicto abrogato. Periit in Illyrico in ſeditione militari, cum Perſas denuo tumultuantes bello repetere maturaret, poſtquam annis quinque & menſibus quatuor imperarat. Seuerior diſciplina militum odium conciliarat, & quoniam ſublatis hoſtibus aliquando negarat exercitu amplius opus fore. Succeſſit exercitus ſuffragio M. Aurelius Carus, ſalutis anno ducenteſimo octogeſimo ſecundo. 282. nonnulli Dalmatam, alii Gallum faciunt, ipſius litteræ Romanum. E duobus filiis quos continuo imperii conſortes renunciauit, Carinum quidem in Gallia atque Hiſpania rempublicam curare mandauit, Numerianum autem ſecum contra Perſas duxit. Eo in itinere Babylas Antiochenus Epiſc. lege perduellionis poſtulatus capite pœnas dedit. Numerianum ſiue cupiditate cognoſcendi noſtra, erat enim omni liberali diſciplina excultus, ſiue vt religioni conuitium faceret, Chriſtianis ſacris intereſſe volentem templi aditu prohibuiſſe crimen erat. facinus alioqui dignum immortali laude. Onino bello Perſico profligato, Carus quidem ad Tygridis ripam fulmine tactus eſt altero imperii anno ineunte. Numerianum autem paulo poſt in lectica qua geſtabatur, cum ex oculis laboraret, ſocer Arrius Aper interficiendum curauit. imperandi ambitione affinitatis iure violato. Hunc Diocletianus ab exercitu Imperator ſalutatus, gladio tranſuerberauit, illud ſub ictũ ipſum effatus: Gaude Aper magni Æneæ dextera cadis. Carinum bellum comparantem totius imperii obtinendi ſtudio & ſpe, prælio ſuperatum cæcidit. Quo tempore in Citeriori Hiſpania M. Aurelius res gerebat pro Romanis vt nonnullæ lapidum inſcriptiones declarant: vnde illud etiam perſpicitur Imperatores (quod antea etiam factitatum inſcriptio Romę in fronte Pantheonis indicio eſt) per hæc tempora non Conſulis modo nomen, ſed & Proconſulis vſurpare conſueuiſſe. Eius rei argumento vnam è multis inſcriptionem adſcribi viſum eſt, *Sagunti* conſeruatam in foro rerum venalium his verbis.

IMP. M. AVR. CARINO. NOBILISSIMO. CÆS. PIO. FELICI. INVICTO.
AVG. PONT. MAXIMO. TRIB. POT. P. P. COS.
PROCOS.

Præterea quod in reliquis prouinciis ab Antonini Philoſophi imperio vſitatum erat, vt Romani gubernatores Comites vocarentur, idem deinceps inuectum obſeruatumq; in Hiſpania. Tametſi exacto magiſtratus tempore dum ſucceſſorum aduentus expectabatur Legati Cæſarei, vtroq; tempore Præſides vt dicerentur in more poſitum obſeruamus.

Diocletianus & Maximianus Imperatores. CAP. XII.

DIOCLETIANVM ex libertino ſanguine natum Dalmatia dedit Imperatorem, ſalutis anno ducenteſimo octogeſimo quarto: cum optimis comparandum, ni tam multo 284.

Chriſtianorum ſanguine manus fœdaſſet. Imperii anno altero Maximianum Herculeum principatus conſortem dixit. paulo poſt Galerium Maximinum & Conſtantium Chlorum Cæſares creauit, Galerio Valeria Diocletiani filia vxor data, Conſtantio Theodora Maximiani priuigna Helenam Britanni Regis filiam, vnde Conſtantinus, cui res geſtæ & religionis amor Magni cognomen pepererunt, natus erat, repudiare coacto. Ergo Diocletianus Ægypti, Maximianus Africę, Conſtantius Britanniæ motus pacarunt, euentu vario ſucceſſu demũ omnes proſpero. Galerium apud Perſas re male geſta Diocletianus in Meſopotamia, quò domita Ægypto proceſſerat, ignominiæ cauſa pedibus ante Carpentum currere mille paſſus coegit, victorem paulo poſt triumphi perſimili pompa obuius accepit. præmio & pœna continentur res humanæ: hæc ignauiam arcet, ſpe præmii induſtria alitur. Romam pacatis imperii prouinciis cum rediiſſet, octauodecimo imperii anno bellum quod in Chriſtianam religionem ante octo annos concitarat ſæuiſſimum crudelioribus edictis exacerbauit anno Chriſti tercẽteſimo tertio, nimirum Coſs. Diocletiano. VIII.
303. & Maximiano. VII. vt Auguſtinus eſt auctor. templa Chriſtianorum euerti, libros ſacros exuri, Chriſtianos homines infames haberi, & publicis honoribus arceri imperatum. additum deinde vt eccleſiarum præfecti interficerentur. Hoc bello Romæ Caius Pontifex & Gabinus frater, atq; huius filia Suſanna trucidati. Iuſta & Rufina Hiſpali lege violatæ religionis poſtulatæ, quod Salambonæ, hoc eſt, Veneris ſtatuam ad terram afflixiſſent. Marcellus Centurio patria Legionenſis, Tingi in Mauritania iuſſu Agricolai Prætorii Præfecti, cuius in Codicibus Theodoſii & Iuſtiniani mentio extat. abiecti cinguli, quod militię erat inſigne, ſtudio religionis, crimen obiiciebatur. Huius Centurionis duodecim filii memorantur pro vera religione graues cruciatus mortemq; toleraſſe: tametſi non eodem omnes tempore, neq; loco vno. Claudium, Lupercium, Victorianum, Emeterium & Celedonium, Seruandum & Germanum, Aciſclum & Victoriam in hoc numero qui reponant auctores habeo. Fauſtum, Ianuarium, & Martialem adiiciunt alii. Marinam pręterea, cuius extat templum ab Aquis Sextiis octo millibus paſſuum, eo loci atq; per hęc tempora occubuiſſe nonnulli ſuſpicantur. Atq; hęc priuſquam Datianus à Diocletiano miſſus veniret in Hiſpaniam, atq; impiæ immanitatis veſtigia tota prouincia impreſſa reliquiſſet. Cum furor impius ab extrema Hiſpania exorſus, qua Pyrenæi iugis diſterminatur à Gallia, breui interuallo ad Auſtrum Occaſumq; vniuerſam prouinciam peruaſit. Finium meta Pacem Iuliam inter & Eboram ad pagum Oreolam Datianum totius Hiſpaniæ Præſidem fuiſſe declarat in hæc verba.

DD. NN.
ÆTERN. IMPP. C. AVR. VALERIO. IOVIO. DIOCLETIANO.
ET M. AVR. VALERIO. ERCVLEO PIIS. FEL. SEMPER AVGG.
TERMINVS. INTER PACENS. ET. EBORENS. CVRANTE. P.
DATIANO. V. P. PRÆSIDE. H. H. N. M. Q. EORVM DEVOTISSIMO.

HEINC. PACENSES.

Prorſus Datiani ſæuitia Felix & Cucufatus in Africa quidem nati, cæterum in Hiſpaniam appulſi ſtudio Chriſtiani nominis amplificandi, Felix Gerundæ, Cucufatus Barcinone occiſi ſunt. vbi etiam Eulalia interfecta eſt ab Emeritenſi diuerſa. Cæſarauguſtam appulſus Engratiam (Prudentius Encratim vocat) cum Ruſcinonem ad ſponſum properaret ab extrema vſq; Luſitania trucidauit, & cum ea decem & octo comites itineris. Ad hęc innumera ciuium multitudo neci data. Corpora exuſta vna cum ſceleratorum hominum corporibus, ne videlicet à Chriſtianis colerentur, vt erat in more poſitum. Cineres in maſſas conglobati diſcretiq; ab aliis, maſſa candida dicti ſunt. Quod in Africa trecentis aliis martyribus in calcem ardentem iactatis, quo die cæſus eſt Cyprianus, contigiſſe Prudentius eſt auctor, vt eorum cineres dicerentur maſſa candida. Valerius eius vrbis Epiſcopus, & Vincentius Diaconus Valentiam ad dicendam cauſam miſſi, ſi quo modo itineris longinqui labore & ſpatio temporis mentem mutarent. Valerius exilio mulctatus tantum ad montes, qui Cinga flumine alluuntur, vitæ reliquum exegit. Datianus fortaſſis præcipiti eius ætati dandum iudicauit, ne maiores ſubire cruciatus cogeretur. Vincentium autem cum neq; de ſententia decederet, neq; libros ſacros proderet, quod qui feciſſent ab eo crimine traditores per ea tempora cœperunt vocari: conſumptis omnibus cruciatibus ferri ignisque peremit. Corpus eius ex promontorio Sacro, quo fuerat delatum metu Maurorum Hiſpaniam vniuerſam vaſtantium (vnde illi promontorio D. Vincentii nomen) Alfonſo primo Rege Luſitaniæ Oliſiponem migrauit, eius prouinciæ vrbem primariam, vti alio loco eſt explicandum. Compluti Iuſtus & Paſtor vix dum infantiæ annos egreſſi occubuerunt in

campo

campo laudabili, vbi progreſſu temporis auguſtum templum eorum nominibus excitatum eſt, inclytum miniſtrorum numero eruditioneq́. corpora ex vario errore ob Maurorum infeſtationem, anno tandem humanæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, Philippo II. Hiſpaniæ Rege agente, Oſca Complutum relata atq; in eodē loco vbi ſanguinem profuderant collocata, Emeritæ Eulalia quatuordecim annos nata, & Iulia ſocia trucidatæ. Toleti Leocadia virgo cruciatuum metu & pędore carceris exanimata periit. In Gotthicis precibus inter confeſſores, in Romanis inter martyres ponitur, haud magno quidem diſcrimine. Leocadię corpus in Hannoniæ montibus Benedictini ſocii in S. Gisleni monſtrabant, Hiſpaniæ an alterius incertum: Hiſpanę, vt credamus inclinat animus. Iniqui iudices cur ſimus in noſtra cauſa? Nam quo hæc tempore commentabamur, Philippus. II. Hiſpanæ Rex poſtliminio patriæ reddidit, incredibili hominum concurſu plauſuque ad ſextum Kal. Maii, anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, inſitæ pietatis monumentum præclarum omnibus ſeculis. 1568.

Quo loca ſita ſit Elbora. CAP. XIII.

TOLETO relicta Datianus Elboram abiit. In eo oppido Vincentius alter comprehenſus, verbiſque Præſidis caſtigatus, cum de conſtantia animi nihil mutaret, dato euadendi ſpatio Abulæ profugus pro religione occubuit, ipſe ſororeſq; eius Sabina & Chriſteta, fugæ auctores & comites. Hæc in cōfeſſo ſunt: illud dubium, qua in Hiſpaniæ regione Elbora ſita ſit, quo nunc nomine exciſa an ſuperſtes, vicina Toleto, an diſſita procul: inter viros præcipuæ eruditionis opinione, magnis animis, parique contentione diſceptata quæſtio. Luſitani fere gentilem ſuum Vincentium fuiſſe contendunt, Eborę natum, vrbe in ea gente nobili antiquaque. reſiſtunt alii, atque Elboram in Carpetanis ſitam fuiſſe confirmant: noſtraque ætate Talaueram vulgo dici perſuadent. Illis maior nominum ſimilitudo fauet antiqui recentiſque, ducta per manus opinio, vetuſtatis monimenta: lapis quem veſtigio conſiſtens Vincentius ceræ inſtar emolliuiſſe fertur: ædes paternæ ad hunc diem iiſdem veſtigiis conſeruatæ, cultæq;. Quæ ſi leuia putantur, negemus omnia, comburamus annales, ſuſceptas à populis Diuorum religiones euertamus, quiduis potius quam à ſuſcepta ſemel ſentētia nos dimoueri patiamur. Hæc ſunt in hanc partem argumenta valida atq; præclara: quis neget? quis non videat? In alteram partem plura. Vrbium Toleti, vnde Datianus diſceſſit, & Abulę vbi fugientes Martyres inſecutus neci dedit, vicinitas, Ebora longinqua: vnde reuerſum Præſidem, quis credat, vno iuuene mactando? aut qui contendens Emeritam Eboram deuiam, atq; ſupra centum millia vlterius poſitam prius adiit? Verum de tota itineris ratione prȩſtabit ex libris eccleſiaſticis eximię vetuſtatis D. Leocadiæ vitam mortemque adſcribere. Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus auctor. ſic multorum opinio eſt. In temporibus, inquit, illis, dum poſt corporeum Saluatoris aduentum & pro redemptione noſtra ſanguinis eius effuſionem, ab inferis deſcenſionem, à mortuis reſurrectionem, in cœlum aſcenſionem, Euangelica eruditio ſenſim atq; gradatim Apoſtolorum doctrina in omnem terram refulſiſſet: ſero tandem Hiſpaniæ finibus innotuit: eratq; rara fides, & ideo magna quia rara. Delubra vero gētilium in omni loco ſacrilega effuſione ſanguinum taurorum hircorumq; fumabant: & quia nonnullę ciuitates, oppida, vici, caſtella ſine Faunorum monſtrorumq; imaginibus ex auro argentove & omni metallo non erāt, colebantur propterea in effigie dęmones, & fides in Chriſto pullulans inter tantas rabies paganorum palpitabat. Conuenticula vero nominis Chriſti ſecretiſſimis & abditiſſimis locis à paucis & perfectis ingrediebātur peragenda. & quantum creſcebat Chriſtiani nominis dignitas, tantum deficiebat execranda calamitas. Ita fiebat, vt in nonnullas vrbes perfectæ fidei flagrarent incendia, vt non iam per latebras occulendo, ſed publice eccleſiæ Sacerdotibus, & omni præpollerent clero. Quæ fama non ſolum totam Italiam ſed & Byzantium peragrauit: quæ cauſa fecit vt impiiſſimum Datianum Præſidem impiiſſimi Diocletianus & Maximianus Imperatores ad euertendam magis quam ad gubernandam deſtinarent Hiſpaniam. Primum namq; Galliam vt lupus cruentus intrauit, ibiq; exſatiatus ſanguine Martyrum, cadauera crapulatus ructās, Hiſpaniam aggreſſus eſt: Felicem, Cucufatem, Eulaliam, & alios quorum nomina longum eſt ſcribere, grauiſſimis tormentis afficiens, Deo animas conſecrauit innocuas. ac poſt inde Cæſarauguſtam, quaſi leo frendens arripuit. Quanta ibi ludibria? quantaq; verbera? quot cruces? quot effuſiones ſanguinum operatus fuit? Si humana lingua taceat, ipſa quæ polluta eſt Chriſtianorum ſanguinibus terra loqueretur, & quod nullus exceptus ſit, qui buſtali ſitu non teneat rediuiuos ac florentiſſimos cineres Martyrum locus. Inde alacri profectu Complutenſem ingreditur ciuitatem. protinus pro cruore lac truncatis corporibus fundens, geminas margaritas in diademate noſtri

Digitized by Google

Regis affigendas, & innocentiæ dignitate velut auro conſpicuas, Iuſtum & Paſtorem à terra cœlo per feram impietatem pius Dominus ſuſcepit. Deinde veniens Toletanam vrbem ingreſſus, cœpit ſagaci indagatione perquirere ſanctorum membra: ibique reperit Deo dicatam ſanctam Leocadiam, genere nobiliſſimam, nobiliori tamen propoſito mentis ornatam, quæ non diebus, non noctibus peruigili cura ab oratione ceſſabat. Qui cum eam præſentari ſuis conſpectibus præcepiſſet, ita affatus eſt: Cur te leuis & vana deludit circumuentio, vt de tam præclaro genere nata, derelinquens cæremonias Deorum noſtrorum, neſcio cui Chriſto te præferas ſeruituram: Cui beata Leocadia cum grandi audacia ita ad hæc reſpondit: Non me tua ſuaſio à propoſito Chriſti, cui me integram voui reuocat, non illuſio verborum tuorum, nec blandimenta natalium, quibus me ſuades, retrahet à ſeruitute, vel à promiſſione Domini mei Ieſu Chriſti, qui nos pretioſo ſuo ſanguine redimens, magnam induit libertatem. Fremens itaque Datianus præcepit militibus arctiſſimis vinculis beatam Leocadiam colligatam in carcerem trudi, cogitans qualibus tormentis vel pœnis eam poſſet affligere. Itaque Elboram ingreſſus, officium omne præmonet, vt indagatione percurrentes, Chriſtianos quoſcunque inueniſſent, eius tribunalibus præſentarent: ſtatimq; repertum adoleſcentem quendam nomine Vincentium, cuius meritum nomini committebatur ſuo, comprehenſum eius conſpectibus ſiſtunt. Quem cum Sabina & Chriſteta eius ſororibus in Abulenſem ciuitatem perſequens, digna Chriſto munera conſecrauit. Profectuſq; ab Abula, Emeritenſem ingreſſus ciuitatem, illico tribunal ſibi præparari præcepit, multoque Sanctorum crudeliter ſanguine fuſo tranſmiſit ad Deum: inter quos ſanctam Eulaliam multis cruciatibus, multiſque verberibus afflictam igne applicato Domino conſecrauit. Cumque in Toletanam vrbem ad beatã Leocadiam percurriſſet fama, genibus in oratione poſitis in eodem loco, quo retruſa tenebatur, confeſſionis oratione completa, ſuum Domino commẽdauit ſpiritum: qui Martyres & Confeſſores ſuos coronauit in pace, cui eſt honor & gloria, virtus & poteſtas in ſecula ſeculorum amen. Itaque Braulio, ſeu quiuis alius, rem vt geſta eſt litteris commendauit, Datianique iter complexus eſt: Abulam Elbora fugiſſe Martyres ſecutum Præſidem iiſdem veſtigiis affirmat, nimirum Talauera profectos, vti locorum vicinitas fidem facit. quod municipium Elboram dictum Lucas Tudenſis ait, nulla diligentia, nulloq; iudicio dices, eſto, tametſi non inſulſo neque inerudito ingenio fuiſſe, editi ab eo libri arguunt. Certe Ptolomæus Liboram vocat proxima Ilurbidæ, ſita quondam vbi nunc ager eſt nomine Loruiga (ſic putamus) quatuor diſſitus paſſuum millibus trans Tagum: atque exaduerſum loci vbi Aluerchius confunditur Tago, ex Abulenſibus montibus manans. Liuius Eburam vrbem in Carpetanis ponit, nobilemque in paucis pugnam ad eam commiſſam Romanos inter & Celtiberos ait, Q. Fuluio Flacco Citeriorem Hiſpaniam ex prætura obtinente, iis notis deſignato loco, quas in ſuburbanum eius oppidi agrum cõuenire omnes, quibus hęc conſiderare ſtudium fuit, perſuaſum habent. Sed ipſa elegantis hiſtorici verba, ex libro quadrageſimo ſubiicimus: Magnum, inquit, bellum ea ætate coortum in Hiſpania Citeriore. Ad quinq; & triginta millia hominum, quantum nunquam ferme antea Celtiberi comparauerant. Q. Fuluius Flaccus eam obtinebat prouinciam: is quia armare iuuentutem Celtiberos audierat, & ipſe quanta poterat à ſociis auxilia contraxerat: ſed nequaquã numero militum hoſtem æquabat. Principio veris exercitũ in Carpetaniam duxit, & caſtra locauit ad oppidum Eburam, modico pręſidio in vrbe poſito. Paucis poſt diebus, Celtiberi millia duo ferme inde ſub colle poſuerunt caſtra: quos vbi adeſſe Prætor Romanus ſenſit, M. Fuluium fratrem cum duabus turmis ſociorum equitũ ad caſtra hoſtium ſpeculatum miſit, quam proxime ſuccedere ad vallum iuſſum, vt videret quanta eſſent, pugna abſtineret, reciperetq; ſeſe ſi hoſtium equitatum exeuntem vidiſſet. Ita vt præceptum erat fecit. per dies aliquot nihil vltra motum, quam vt hæ duæ turmæ oſtenderentur, dein ſubducerentur, vbi equitatus hoſtium caſtris procurriſſet. Poſtremo & Celtiberi omnibus ſimul peditum equitumq; copiis caſtris egreſſi, acie directa medio ferme ſpacio inter bina caſtra conſtiterunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnæ: ibi ſtetere Hiſpani hoſtem expectantes. Romanus intra vallum ſuos continuit per quatriduum continuum, & illi eodem loco aciem inſtructam tenuerunt: ab Romanis nihil motum. Inde quieuere in caſtris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat. Equites tantum in ſtationem egrediebantur, vt parati eſſent ſi quid ab hoſte moueretur. Pone caſtra vtriq; pabulatum & lignatum ibãt, neutri alteros impedientes. Prætor Romanos vbi ſatis tot dierum quiete credidit ſpem factam hoſti, nihil ſe priorem moturum, L. Acilium cũ alia ſiniſtra, & ſex millibus prouincialium auxiliorum circumire montem iubet, qui ab tergo hoſtibus erat. inde vbi clamorem audiſſet, decurrere ad caſtra eorũ. Nocte profecti ſunt, ne poſſent cõſpici. Flaccus luce prima

C. Scri-

C. Scribonium Pręfectum ſocium ad vallum hoſtium cum equitibus extraordinariis ſiniſtræ alæ mittit: quos vbi & propius accedere, & plures quam ſoliti erant Celtiberi conſpexerunt, omnis equitatus effunditur caſtris ſimul, & peditibus ſignum ad exeundum datur. Scribonius, vti præceptum erat, vbi primum fremitum equeſtrium audiuit, auertit equos, & caſtra repetit, eo effuſius ſequi hoſtes. primo equites mox & peditum acies aderat, haud dubia ſpe caſtra eo die ſe oppugnaturos. quingentos paſſus nō amplius à vallo aberant. Itaque vbi Flaccus ſatis abſtractos eos à præſidio caſtrorum ſuorum ratus eſt, intra vallum exercitu inſtructo, tribus partibus ſimul erumpit, clamore non tantum ad ardorem pugnæ excitandum ſublato, ſed etiam vt qui in montibus erant exaudirent. Nec morati ſunt quin decurrerent, ſicut imperatum erat ad caſtra, vbi quingentorum armatorum non amplius relictum erat præſidium. Quos cum & paucitas ſua & multitudo hoſtium, & improuiſa res terruiſſet, prope ſine certamine capiuntur caſtra. caſtris, quæ pars maxime à pugnantibus conſpici poterat, iniecit Acilius ignem. poſtremi Celtiberorum qui in acie erant, primi flammam conſpexere. deinde per totam aciem vulgatum eſt caſtra amiſſa eſſe, & tum cum maxime arderent, vnde illis terror, inde Romanis animus creuit. Iam clamor ſuorum vincentium accidebat, iam ardentia hoſtium caſtra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati ſunt. Cæterum poſteaquam receptus pulſis nullus erat, nec vſquam niſi in certamine ſpes, pertinacius de integro capeſſunt pugnam. Acie media vrgebantur acriter à quinta legione. Aduerſus læuum cornu, in quo ſui generis prouincialia auxilia inſtruxiſſe Romanos cernebant, cum maiori fiducia intulerunt ſigna. Iam prope erat vt ſiniſtrum cornu pelleretur Romanis, ni ſeptima legio ſucceſſiſſet, ſimul ab oppido Ebura, qui in pręſidio relicti erant, in medio ardore pugnæ aduenerunt: & Acilius ab tergo erat. Diu in medio cæſi Celtiberi, qui ſupererant in omnes paſſim partes capeſſunt fugam. Hactenus Liuius. Ergo manifeſtum efficitur, oppidum de quo inſtituta diſputatio eſt, Ptolemæo Liboram eſſe ex regionum interuallis, menſuraq; Eburam Romanis, certe fuiſſe in Carpetanis conſtat. Ex iis vocibus Elboram factā quis miretur? quis dubitet? niſi qui nominibus commutandis vim antiquitatis ignorat. Monimenta vetuſtatis nihil moror: quanta in his rebus vanitas ſit, quanta commenta vulgi, multis exemplis docere promptum erat. Sed & iis propria monimenta Elbora Carpetanorum opponit: Vincentii ædes, vbi nunc D. Ioannis & Luciæ nominibus xenodochium eſt forum quod à vicino templo ſancti Stephani vocabatur, vbi incolæ perſuadent Vincentium ad tribunal Præſidis ſaxo veſtigium impreſſiſſe. in vicinis montibus, qua Abulam itur, antrum in rupibus ſpecie horrida trium fratrum latebra omnibus circum populis nobile: in montis cacumine fugæ monimentum arx, & templum Vincentii nomine inclytum olim non religionis modo opinione, ſed & amplis poſſeſſionibus locus editus, & proceris arboribus amœnus augebat maieſtatem fama eſt olim Templariis militibus attributum fuiſſe, nunc Abbatia magis quam re alia inſignis eſt quæ in Toletani templi ſacerdotiis numeratur: tametſi is locus Abulenſis Epiſcopi ditione comprehenditur. Hæc ſunt partis aduerſę pręſidia. quę verboſior fuit, an verior, ſyncero animo lector diiudicet: ſi quid noſtrum teſtimonium iuuat, ſic nos certe putabamus. De Elboræ Epiſcopis in Toletanis Patrum conciliis frequens mentio extat, & monetæ Gotthorum imperio Elboræ nomine percuſſæ viſuntur ex auro non probo: vti Gotthorum omnes. Hæc ad vtram vrbem referenda ſint, non laboramus. ſine certis argumentis in alteram partem pronunciare non conſtituimus. libenterq; Epiſcopi ſedem Luſitanis relinquimus Emeritæ contributam, vti Conſtantini Magni & Vvambæ Regis diuiſiones Epiſcopatuum argumento ſunt. Neq; negamus Eboram vrbem ea Gotthorum ætate Elboram etiam fuiſſe pari licentia vocitatam.

Deſcriptio Elboræ. CAP. XIIII.

ID autem municipium, quo nullum pro incolarum numero Hiſpania lautius præſtantiuſque habet, & Ptolemæo Libora, Ebura Liuio vocatur, Gothorum ætate Elbora, nonnullis etiam Talabrica eſt, ſed hos vocum Talaueræ & Talabricæ ſimilitudo cum multis in errorem miſit. Nos his commentariis, vt erit commodum, eo oppido deſignando promiſcue his vocibus vtemur, ne nominum multitudo fallat. Ad confines Carpetanorum Vectonum & veteris Luſitaniæ ſitum eſt, loco plano, in valle quatuor ea parte paſſuum millibus lata, ſuperius latiori, quam plures amnes interſecant: inter alios princeps Tagus ab arenis voluentibus aurum celeberrimus fama, latiſſimo alueo multiſq; receptis aquis ampliſſimus, eius oppidi mœnia ad Auſtrū alluit, quæ ſunt opere firmiſſimo, anguſto ambitu omnino ſeptendecim turribus horrida, quas extrarias vocant q; æquis interuallis

ſingulæ iuſti inſtar propugnaculi exterius protendantur. Minorum turrium maior eſt numerus, ſub quibus humilior murus altiorem ferme ex omnibus partibus ambit. Hæc mœnia, quibus nulla ex antiquis in Hiſpania comparari poſſunt altitudine, latitudine, & totius operis firmitate, quo ſint tempore conſtructa in ambiguo eſt Romanorum imperio vulgus perſuaſum habet, ſtructuræ laudibus antiquitatem adiicientes. Refellunt alii ex forma operis cæmentitiis ex parietibus fere compacti: & lapides cum litteris Romanis nullo ordine, ſed vt caſus dabat in eo muro viſuntur. Ergo rudiori ſeculo Gotthis aut Mauris rerum potientibus, ea mœnia fuiſſe conſtructa fateamur neceſſe eſt. Gotthorum ætate nonnulli affirmant, nobis recentior ſtructura videbatur eſſe. Videbitur fortaſſe etiam aliis, ſi cum parte Toletani muri ab Vvamba Rege conſtructi, ea mœnia conferantur, eam ſpeciem multis partibus præbentia, vt recentiori memoria extructa fuiſſe appareat. Quod Raſis Arabs confirmat, à Mauris opus perfectum, noſtrorum incurſionibus arcendis, Arabum anno tercenteſimo vigeſimo quinto, nimirum ſalutis, anno nongenteſimo trigeſimo ſeptimo. Ipſa Mauri ſcriptoris verba Latine facta ſubiicimus. In Toleti, inquit, agro quo nullus eſt latior, multa oppida & arces ſunt, atque in earũ arcium numero Talauera à Græcis condita ſupra Tagum: deinde propugnaculum vti imperium alternabat Mauros, inter & Chriſtianos. Murus eſt magna altitudine & firmitate, excelſæ turres. Maurorum anno tercenteſimo vigeſimo quinto, Miramamolinus Mahomadis filius diuortio in municipio facto, arcem ædificari mandauit, vbi Præfecti eſſent. Hanc ego arcem, totum eum murorum ambitum interpretabar, qui latiores in Italia Galliaq; viderim: nam minorem arcem, quæ intra hunc ambitum ad fluuium eſt rudiori opere, & maiori ex parte labefactata, ſatis conſtat ab Alfonſo Imperatore fuiſſe poſteriori tempore conſtitutam euerſis priuatis ædibus, de qua re Toleti in Clementino virginum collegio tabulæ monſtrantur factæ ipſis compenſationis pro ędibus quæ ea parte ſunt ablatæ. Sed ab ea arce tamen murus alter deducitur minori firmitate, nempe plurimum ex formaceis parietibus, magnoq; flexu priorem murum complectens circulo ferme totum niſi qua parte flumen alluit. Huic tertius commiſſus eſt murus, ſuburbium amplum cingens ad Solis occaſum torrente interfluente à reliquo oppido diremptũ, cui Portiniæ nomen eſt, aquis hyemalibus ſæpe exundanti, magna vicinarum ædium ſtrage aliquando. Hunc murum ingruente bello factum puto opere ſubitario: nam cum recentiſſimus ſit, multis partibus eſt euerſus, rara vt veſtigia extent. Intra hunc murum agricolæ continentur. Intra alterũ opifices, mercatores, & maior ciuium pars eſt, forumq; rerum venalium, annonæ copia & lautitiis cũ quolibet Hiſpaniæ certans. Minori ambitu firmioriq; ſtructura murus nobilium domicilia habet, quorũ pro oppidi modo nullibi aut maior numerus eſt aut amplior cenſus. Cæteris tenuis ferme fortuna otio deditis à commercio abhorrentibus, patriiq; ſoli bona & natiuas opes ignorantibus. Ea parte collegium Canonicorum eſt, coniunctumq; Hieronymianum monaſterium à Tenorio Toletano Pontifice Canonicis conſtructum domicilium: quod cum illi recuſarent communi menſa viuere, ne temere ſuſceptus labor eſſet, ii monachi aſciti ſunt, ampliſſimis prædiis attributis, qua Ioannæ matris cuius ſepulcrum in æde maxima monſtratur, qua Calderonis fiſco addictis ob cæſum magiſtratum, aut ex eius teſtamento. vnde ii monachi, ſe & inopes magno numero alunt, certũ in annonæ difficultate perfugium. Vniuerſum oppidum in octo tribus diuiſum eſt, parœcias nos vocamus. Præterea decem cœnobia, virorum ſeptem, tria virginum ſacrarum numerantur. In quibus opibus quidẽ Hieronymianum principem locum occupat. ſtructurę autem elegantia Dominicanum: quod Garſias Loayſa ex Dominicano monacho Cardinalis Hiſpalenſiſq; Præſul conſtituit monimentum præclarum, municeps noſter claris maioribus egregius ipſe primus familiæ opum conditor. Franciſcanum Ferdinandus Talauera in eo oppido etiam natus, primus Granatæ Pontifex extruxit, re & nomine vir ſanctus, obſcuro quamuis genere nouus homo. Extra oppidum ipſa militari via, qua Toletum itur, templum ſatis amplum eſt Virginis Matris nomine, ſanctum omnibus circa populis: prope compaſcuus ager læta paſcua habens, frequenſq; lucus proceris populis, vlmiſq; conſitus. Miracula non pauca tribuuntur Virginis peruetuſto ſigno, vnde loci religio propagata eſt. Contributus oppido ager vniuerſus, latiſſimus in paucis, præſertim vltra fluuium ſupra centum millia paſſuum protenditur. Latrociniis ea parte prohibendis, ciuiũ ſocietas ante annos trecentos conſtituta eſt, quam veterem ſocietatem vocant, templo intra mœnia dicato: quod illi cum duabus vrbibus Toleto & Ciuitate Regia commune inſigneque eſt, præ cæteris Hiſpaniæ ciuitatibus optimiſq; reditib. attributis, vnde publici ſumptus tolerãtur. Quadraginta circiter oppida, & pagi in eo agro ſita à ſenatu vrbano iura petunt, Frumẽti, vini, olei, mellis, lactis, pecoris copia eſt. Syluæ feras alũt venationi idoneas: piſcium affatim Tagus præbet, horti fontibus

hau-

haustriſq; irrigui præcipua nobilitate. Vicinus vrbi ager humoris ſatis & pinguedinis habet: quocunq; loco moueris humum intra mœnia, atque extra obuius ac paratus humor, atque aqua iugis ſtatim occurrit potui plurimum apta, vnde amœnitas locis omnibus eximia, prouētus magnus. ſumma, quidquid aliis ciuitatibus per partes tributum eſt, id omne in vnum locum larga manu quaſi ſecum ipſa certans natura congeſſit. Omnium voluptatum copia, iuuenes forma præſtāti, ingenio maximo, in tenera ætate eneruantur, corrumpunturq;. ea vna iniuria eſt. meliora in poſterum ſperamus, collegio Societatis Ieſu nuper inſtituto, quod litteris informanda iuuenture. caſtigandis moribus, in nobiliſſima eius oppidi regione ſurgit, impenſa Quirogæ Cardinalis Toletani, eius amplitudini non impar futurum, ſic auguramur ſperamuſque. Fauere votis quid obſtat? Copiis ciues alii, eruditionis laude, præclaris editis bello paceq; facinoribus ornabunt, vti ſæpe faciunt, patriam: à nobis quod noſtræ opis fuit, hoc amoris pignus habeat. Neque enim fas fuit, à qua omnia accepimus, & vnde primum ſpiritum vitæ hauſimus, ſilentio diſſimulare eius laudes. Lector, vt ſperamus pio ſtudio veniam dabit, ſi tantiſper inſtitutæ narrationis breuitatiſque curſum inhibuimus, feſtinatione noua compenſaturi tarditatem. Ad hæc tempora & calamitatem Veriſſimus Maximus, & Iulia fratres referuntur Oliſipone perempti, Bracaræ Victor, Cordubæ Zoilus & decem & nouem alii, Centolla & Helena prope Burgos, Seguntiæ Liberata & Quiteria. Aliique quos ſi ſigillatim recenſere velimus, neque modum dicendi, neque finem reperiet oratio. Horum omnium martyrum corpora, quibus in locis hoc tempore ſint, de quibuſdam affirmare promptum eſt, de pleriſque non item, aliis alibi prædicantibus: fortaſſis in plures partes ſacris exuuiis diſtractis variæ opiniones natæ, penes quos pars tantum eſſet totum habere putantibus. Omnino Euſebius confirmat beſtias ſe vidiſſe per hæc tempora ſæuiſſimas neque fame neque ferro aduerſus martyres irritari, tantæque procellæ præbuiſſe anſam diſciplinæ eccleſiaſticæ labem neque dubium eſt ex his rerum fluctibus in Africa Donati ſectam excitatam. Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum de gradu deiectum, Donatus Numida Lucillæ fœminæ Hiſpanæ opibus ſublenatus quaſi libros ſacros hoſtibus tradidiſſet violatæ religionis poſtulabat. Eiuſdem criminis in Hiſpania Oſius Cordubenſis Epiſcopus accuſabatur, de quo iterum ſermo recurret. in Cæciliani ſane locum Maiorinus prior, deinde Donatus ſuffectus eſt patria Carthaginenſis, alterque ab eo, qui primus eius ſectæ auctor extitit. Verum hæc aliquanto poſt.

Conſtantii & Galerii imperia. CAP. XV.

DIOCLETIANVS republica viginti annis geſta, rerum mole feſſus, atque ex deſperatione Chriſtiani nominis opprimendi, nouo exemplo imperii inſignia cum Mediolani poſuiſſet, idemque eius hortatu Maximianus ſocius effeciſſet Nicomediæ, Conſtantius Chlorus imperium ſuſcepit, ſalutis anno trecenteſimo quarto, tenuitque in Gallia, Bri-
tannia, atque Hiſpania annum, menſes decem, dies octo, longiori vita digniſſimus, cum ob 304
alias virtutes, tantamq; frugalitatem vt fictilibus vteretur, tum ob propenſam in Chriſtianorum gentem voluntatem. Obiit Eboraci in Britannia Conſtantino filio ſucceſſore felix, quem ex Helena ſuſceperat. nam Theodora Maximiani priuigna Annibalianum peperit Dalmatii patrem & Conſtantinum alterum, vnde Gallus & Iulianus nati ſunt, conſequenti tempore Cæſares: præterea filiam vnam nomine Conſtantiam. Vixit hac ætate in Hiſpania Prudentius Turiaſonenſis Epiſcopus, natus Armentiæ in Cantabria, epiſcopali ſede olim claræ, nunc redactæ ad caſas poſtquam collegium Canonicorum Alexandri VI. Romani Pontificis voluntate Victoriam vrbem migrauit. Vixit etiam Rufus Feſtus Auienus, auctore Crinito, in hiſtoria Romana nobilis auctor. Suſcepit Cōſtantinus à morte patris imperiū, anno Chriſti trecenteſimo ſexto. quo anno Galerius Maximinus, qui re- 306
liquas imperii prouincias Conſtantio concedente, an priorū Imperatorum voluntate, iam cœperat gubernare, imperii conſors Seuerum & Maximinum ex ſorore natos, Cęſares dixit. Maximinus Cęſar Orienti Pręfectus, Italia & Africa Seuero demandatę. Ipſe ſibi Dalmatiam Gręciamq; retinuit. Anno proximo cū Maxentius Maximiani Herculei filius Romæ imperium occupaſſet, Seuerus in pręlio occubuit. Maxentii pater Maximianus an ſtudio iuuandi filium, an intempeſtiua ambitione imperii quod abdicarat recuperandi, Romam accurrens, indeq; à filio reiectus in Galliam, Conſtantini generi iuſſu Maſſilię interfectus eſt: cū hoſpitii iura & cōmunis menſę ſacra, maleficio atq; inſidiis compenſare pararet. Galerius Licinio in Seueri locū ſubſtituto, Maxentiiq; opprimendi ſtudio inflāmatus, cum in Italiam penetraſſet, indeq; veritus defectionem exercitus Dalmatiam repetiiſſet,

& religionem Chriſtianam exagitare cœpiſſet, exvlcere in inguine nato defunctus eſt, quinto anno euoluto ex quo cum Conſtantini patre cœperat imperare, Melchiade Romano Pontifice. cuius extat epiſtola ad Marinum, Leontium, Benedictum, cæteroſq; Hiſpaniæ Epiſcopos, morum exemplo, quæ faciliima docendi via eſt atque imperandi, adhortantis ſubditos regere, atq; inter beatos Apoſtolos affirmantis in pari electione diſcretionem fuiſſe poteſtatis: datumque Petro vt cæteris emineret. De Confirmationis ſacramento nonnihil diſputatum. Rubrio & Voluſiano Coſs. nimirum ſalutis anno trecenteſimo

314 quartodecimo hæ literæ datæ ſunt.

Conſtantini Magni imperium. Cap. XVI.

ROMANI, Maxentii tyrannide & improbitate feſſi Conſtantinum ex Gallia aduocandum curarunt. is Mediolani traducto in partes Licinio Conſtantia ſorore in coniugium data, cum aduerſus tyrannum iter intenderet Romam appropinquanti, & de belli euentu ſolicito, die ſerena Crucis ſacræ ſignum in cælo hac inſcriptione monſtratum eſt: IN HOC SIGNO VINCES. Itaq; vexillum Regium (Labarum vocare, & quotidie milites illud adorare ſoliti erant) in crucis figuram conformari mandauit, hac forma:  vnde Chriſti nominis litterarũ compendium quo Hiſpani vulgo vtuntur fluxiſſe ſuſpicantur quidam, lapidis indicio ad Oretum in Hiſpania Valentiniani II. imperio excitati extantiſque, vbi ea nota Chriſti nomen manifeſte ſignificatur. Crucis virtute Maxentio ad pontem Miluium victo, flumineque hauſto, Roma grauiſſima tyrannide erepta eſt, religioque Chriſtiana: in quam Maxentio ſæuiente multi Chriſtiani perierunt. Dorothea & Sophronia ne ſtupro, de quo à tyranno appellabantur, pudicitiam fœdarent, illa occiſa eſt, hæc ſibi vltro mortem intulit: exemplo videlicet Antiochenæ fœminæ ſub Diocletiano, quæ eadem de cauſſa parique conſtantia ſe & duas filias in ſubiectum flumen de ponte dedit præcipitem. Per idem tempus Maximinus in Oriente Chriſtianum nomen vaſtabat multorum ſanguine fuſo: Catherina virgine Alexandrina, Porphyrio Magiſtro equitum, Petro Alexandrino Epiſcopo trucidatis. tanta Chriſtianæ religionis opprimendæ rabie, vt Pilati & Chriſti acta omnibus ignominiæ cauſſis fœda toto imperio ludimagiſtros iuberet pueris tradere memoriter ediſcenda recitandaque. Obiit abrogatis ſub vitæ finem iis edictis, quæ in Chriſtianos erant promulgata ſæuiſſime, non tam pietatis ſtudio, quam Conſtantini, cuius potentiam indies augeri conſiderabat, atque Licinii metu, à quo paulo ante in acie fuerat ſuperatus. Hoc ſublato neque minori ſæuitia, neque exitu lætiori Licinius religionem exagitauit. Verum in Pannonia ſemel, deinde in Bythinia prælio victus ad priuatam vitam compulſus primum eſt. id Conſtantiæ vxoris precibus datum. deinde occiſus, cum res nouas moliri cogitaret. dignus ea calamitate, quod litteras virus publicum appellaret, tam expers earum vt ne nomen quidem ſuum ſcribere didiciſſet: & quoniam impia carnificina inter alios, Sebaſtiæ quadraginta martyres ſuſtulit, & ſua virtute & Baſilii oratione nobiles. Per hunc modum reſpublica à domeſticis externiſque armis libera, atque ad vnius imperium arbitriumque reuocata, religio Chriſtiana in dies ſingulos illuſtrabatur. Conſtantinus Imperator Romæ poſtquam à lepræ contagione fuerat liberatus Chriſtiani lauacri virtute (nam Romæ fuiſſe baptizatum cum Criſpo filio, magni auctores affirmant, & indicio eſt baptiſterium eximium ad D. Ioannis Laterani Conſtantini opus) noſtram religionem ex eo tempore cœpit vehementius illuſtrare. Hanc lucẽ modico interuallo Arius Alexandrinus presbyter conturbauit, Dei filium Deo patri æqualem eſſe negans. Luciani quidem martyris auditor fuit, ſed ambitione corruptus in eam ingreſſus eſt cauſſam. Alexandrum, Præſulem Alexandrinum factum, ipſius nullam rationem habitam dolebat ſcilicet. ab hoc initio ſciſſa in duas partes Chriſtianorum natio, proxima interitui videbatur eſſe. multis eruditionis opinione claris, tum Epiſcopis tum priuatis noua opinio placere, neque præoccupatis ea perſuaſione animis ſaniorum cohortationes admittebantur ad aures. Oſius Cordubenſis Alexandriam ab Imperatore miſſus vocum Ouſias & Hypoſtaſeos diſcrimen excogitaſſe primus fertur pace concilianda (extat Conſtantini lex in Theodoſii Codice ea cauſſa miſſa ad Oſium.) Arius concordia deſperata Alexandria pulſus breui deceſſit, Ario altero impietatis hærede. Hunc Imperator & ſectatores Nicæam Bithyniæ aduocauit, quo ſalutis anno trecenteſimo

326 vigeſimo ſexto ex toto orbe Epiſcopos trecentos decem & octo (in numero Patrum diſcrepant alii) conuocandos curarat. In eo conuentu Arii placita improbata. Meletius Epiſcopus de gradu deiectus, quod Petri Alexandrini Epiſcopi recipiendis lapſis facilitate accuſanda Ægypti eccleſias turbaſſet. Paſcha ſancitum quo die toto orbe celebraretur.

Paphnutii conſilio permiſſum viris ſacratis vxores retinere, laxata videlicet in Oriente diſciplina eccleſiaſtica. Præterea Arii libros igni tradere capite ſancitũ. Et auctorem habeo, qui rationẽ computandi per indictiones ait in Nicæno conuentu eſſe excogitatã ab anno ſalutis trecenteſimo tertiodecimo, ſumpto numerãdi principio: quo anno Cõſtantino cõſtabat Crucis ſignũ in cœlo fuiſſe indicatum. Affuit in hoc conuentu Oſius (ſunt qui præſediſſe putent) Silueſtri Romani Pontificis vicarius, cum presbyteris Vito & Vincentio Roma legatis. Atque hæc in Oriente. In Hiſpania autem concilium Eliberrinum eſt habitum. Erat Eliberris in ea Bæticæ parte ſita, vbi nunc Granata argumento eſt Granatenſis porta, vicinuſque ei vrbi mons, quibus vulgo Eluiræ nomen faciunt. nam qui hoc concilium Illiberi affirmant eſſe habitum ad Pyrenæi montis radices, quam vulgus hodie Colibrem vocat, nominum argumento refelluntur: & quoniam ex veterum codicum fide deprehenditur nullos ex vicina Gallia atque ea Hiſpaniæ parte conuentui interfuiſſe: ſed ex iis vrbibus tantum quæ ei Bæticæ parti propinquæ erant. Tametſi Valerius Cæſarauguſtanus ſexto loco numeratur, ſeptimo Melanthius Toletanus. In huius concilii canonibus virginum Deo ſacratarum mentio facta eſt. menſes Iulius & Auguſtus ieiunii lege ſoluuntur. Vxoribus interdicitur litteras dare, aut accipere inſciis maritis. Imagines in templorum parietibus depingi vetitum, ne videlicet tectorio decruſtato fœdari cõtingeret. Extat præterea Metropolitanorum mentio, cum hactenus primæ ſedis Epiſcopi vocarẽtur. Toletum, Tarraco, Bracara, Emerita, Hiſpalis, eo honore decoratæ ſunt, deſcriptis cuiuſque finibus, vt quidam arbitrantur per hæc tempora atque in ipſo Eliberritano conuentu, Conſtantini iuſſu: quod quoniam certa fide caret in medio relinquimus. Eam tamen diuiſionem Raſis Arabis verbis adiecturi commodiori loco ſumus, vetuſti auctoris neque contemnenda auctoritate. Et conſtat Vvambæ Regis ætate atque induſtria eam diſtributionem primarum ſedium maiori diligentia factam contributis, ac deſignatis iis Epiſcopis, qui ab vnaquaque maiora iura peterent. Sane exemplo reliquarum imperii prouinciarum Hiſpanica gubernatio multum ab antiquo immutata eſt. Byzantio enim in Thracia inſtaurato (nam a Seuero dirutum erat) Conſtantinus Romani imperii maieſtatem in eam vrbem Roma tranſtulit, in quo grauiſſime peccatum eſt, vt rerum euentus declarauit: Imperatorum corporibus atque animis effœminandis terræ natura & cœli ſub quo alebantur conditione, deliciarum copia Martiam Romanorum indolem debilitauit. Quindecim legiones quæ Rheni Danubiique ripas præſidio obtinere ſolitæ erant, vnde maius periculum imminebat propter indomitos & barbaros earum gentium animos ſublatæ. in quo quid ſecutus fuerit Conſtantinus clam eſt. & fortaſſis grauiſſimo ſtipendio imperii vectigalia voluit liberare. pro vno quatuor Præfecti prætorii denuo inſtituti, penes quos bello paceque ſumma eſſet auctoritas. duo in Oriente res gerebant: totidem in Occidente. Horum alter Italiæ præeſſe cœpit, Galliæ alter contributa Hiſpania, quam per Vicarium gubernaret. Ad hos liberum erat, qui vellet à prouinciarum Præſidibus prouocare. Erant Comites, quibus in milites ius & poteſtas tribuebatur: erat Magiſter ſcholæ, cui res frumentaria curæ erat, aliaque præterea Magiſtratuum nomina, quæ vt ſigillatim referantur non arbitror fore neceſſarium. His rebus peractis obiit Conſtantinus Magnus anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, cum rempublicam gubernaſſet annos triginta, menſes 337. nouem, dies ſeptem & viginti. neque in tanto virtutum ſplendore reprehenſione caruit, tum ob Criſpum filium occiſum. Fauſta nouerca (nam ex Mineruina priori Conſtantini coniuge genitus erat) intentati ſtupri accuſarat falſo: quod cum eſſet exploratum, ipſa etiam capite pœnas dedit. tum ob ſuſpicionem violatæ religionis, cum ſub vitæ finem in Arium propenſior Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum inſectatus fuerit. Sunt qui putẽt Nicomediæ ab Euſebio Nicomedienſi Ariano homine fuiſſe baptizatũ extrema ætate, cũ Chriſti exemplo in Iordane cuperet. nimirum nominum ſimilitudine decepti ad patrem tranſtulerunt, quæ Conſtantio filio tribui æquius eſt: eius præſertim auctoritate permoti, qui ſtudio Arii ſectam illuſtrandi cæteros in errorem miſit. Prorſus has ob cauſas eccleſia Latina Conſtantini nomen, quod alioqui tantæ virtutes mereri videbantur, conſecrare noluit, quamuis Græcæ eccleſiæ exemplo prouocante Aprilis die vigeſimo Conſtantini nomine diem feſtum celebrantis.

Conſtantini Magni filii. CAP. XVII.

TRES Conſtantini Magni filii Conſtantinus, Conſtantius, Conſtans Cæſares à patre non vno tempore dicti, mortuo ſucceſſere. Conſtantinus ætate maximus Occidentis prouincias trans Alpes accepit, Orientis ætate proximus Conſtantius, Conſtans

ætate minimus Italiæ, Africæ, atque Illyrico eſt præfectus. ſic pater teſtamento ſanxerat: ex quo Dalmatius etiam Imperatorum patruelis in Oriente Cæſar eſt conſtitutus. Hunc Conſtantius in militari tumultu intra primum annum occidēdum curauit, maiores quam pro conditione ſcilicet ſpiritus gerentem. Conſtantinus tertio imperii anno hoſtium inſidiis circumuentus periit ad Aquileiam, quo proceſſerat aduerſus Conſtantem iniuriam vindicaturus ferro ſibi factam iniqua imperii partitione. Sunt qui Conſtantinum Arianorum opinionibus corruptum eſſe confirment. Athanaſii reſtitutio reclamat eius potiſſimum hortatu à Conſtantio fratre facta, cum à patre ſub vitæ exitum relegatus eſſet in Galliam. Denuo exulantem Conſtantii Auguſti metu, ſynodi Sardicenſis, Iulii Romani Pontificis, Conſtantis Imperatoris auctoritate, atque hortatu eccleſia Alexandrina recepit. Conſtantinopolitana Paulum eadem de cauſa relegatum. Synodo Sardicenſi Oſius Cordubenſis totius controuerſiæ præcipuus diſceptator, Annianus Caſtulonenſis, Coſtus Cæſarauguſtanus, Domitianus Pacenſis, Florentinus Emeritenſis, Prætextatus Barcinonenſis, ex Hiſpania interfuerunt, longinqua profectione ſuſcepta ſtudio reuocandæ pacis. Eam prouinciam cum Conſtans appeteret Helenæ occiſus eſt (hodie Helna dicitur in Ruſcinonenſi tractu) tertiodecimo imperii anno. Cædis auctorem Magnentium Galliam Hiſpaniamque occupantem Conſtantius, Gallo patruele Cæſare prius in Oriente deſignato, collatis in Illyrico ad Murtium ſignis deuicit. In eo prælio hoſtes viginti quatuor millia ceciderunt, ex Conſtantii copiis millia ferme triginta. Ea ſtrage imperii vires penitus ſunt debilitatæ. tyrannus Lugduni, quo ſe ex fuga contulerat, rebus deſperatis mortem ſibi conſciuit: eiuſque exemplo Decentius frater quem Cæſarem renunciarat. Itaque cunctis prouinciis denuo ſub vnius imperium reuocatis Sirmii in Illyrico Epiſcoporum conuentus habitus eſt aduerſus Photinum eius vrbis Epiſcopum, Chriſtum Deum eſſe negantem. In eo conuentu binæ fidei formulæ de ſcripto conceptæ ſunt, vocis Homouſii vſurpationem pacis ſtudio vetantes. tertiam, quæ vulgo circunfertur, Marcus Arethuſæ Præſul Arii opinionibus imbutus euulgauit. Iis fidei formulis ſuſcipiendis Oſius Cordubenſis venerandam caniciem ſugillaſſe fertur, valde care æſtimans pauculos vitæ annos quot illa ætas recipiebat. Synodus Mediolanenſis Conſtantii opera, cum Romam proficiſci pararet, habita: opera Paulini Treuerenſis Dionyſii Mediolanenſis, Euſebii Vercellenſis, Luciferi Calaritani re infecta diſſipata eſt. Athanaſium à morte Conſtantis rurſus exulantem damnari non ferebant. Iis ergo in exilium actis, Romæ à Conſtantio Liberius etiam Pontifex relegatus eſt, Felice ſubſtituto. Arimini numeroſus Epiſcoporum conuentus (nam ſupra quadringentos confluxerant) inſtauratus. In eo Arianorum fraude, ac præſertim Valentis & Vrſacii, quorum præcipua erat apud Imperatorem auctoritas, Epiſcopis circumuentis vox Homouſii antiquata eſt, Synodi Sirmienſis exemplo, quaſi voce tantum ſublata ſententiis conſpirantibus. Verum cum Arii ſectatores eam ſectam anathematis ignominia notari non ferrent, fraude detecta ingemuit orbis ſe repente Arianum factum. liceat Hieronymi verbis vti. Itaque Seleuciæ Epiſcopi numero centum ſexaginta ſex, Homouſii voce expuncta reliqua Concilii Nicæni decreta retinenda cenſuerunt. Verum hæc aliquanto poſt. ad Oſium redeamus, quem affirmant Potamio Oliſiponenſi Epiſcopo inſectando, quaſi Arianus eſſet ab Imperatore ex Hiſpania; quo ſe contulerat otii cauſa in Italiam ad dicendam cauſam reuocatum, an ſuppliciorum metu, an non ſatis ſui compotem Ariminenſis Synodi fraudibus conſenſiſſe: reducem in Hiſpaniam à Gregorio Eliberrino Epiſcopo execratione deuinctum, diriſque deuotum, Cordubæ quo à Clementino Vicario Gregorius Oſio poſtulante fuerat vocatus, ore fœdato atque diſtorto repente ad ipſa tribunalia, vbi præſens vterque diſceptabat, corruiſſe in terram & ſuccolantibus famulis domum relatum breui animam exhalaſſe, haudquaquam mente ad ſanitatem reuocata, ad inconſtantiæ rerum humanarum exemplum & ludibrium ſingulare. Gallum Cæſarem Imperator pridem in Oriente interficiendum curarat, homo natura ſuſpicax, & qui multorum criminationibus faciles præberet aures. Galli fratrem Iulianum ex monaſterio detractum paulo poſt Cæſarem dixit, Helena ſorore connubio iuncta. Alemanorum motibus Galliam vaſtantium compeſcendis, quod facere eius ductu cogitabat, opus erat auctoritate. Ipſe bellum Perſicum animo agitabat. Eo tempore rurſus Athanaſius Principis furorem vereri, rurſus latebras captare coactus, vſque ad obitum Conſtantii. Re enim male geſta in bello Perſico, Iulianoque Lutetiæ Imperatore ſalutato dum obuiam progreditur, Antiochiæ baptiſmo (nam tandiu diſtulerat, aut forte ab Arianis vt in more erat rebaptizatus eſt) Arianorum ritu
361. procuratus obiit anno huius ſeculi trecenteſimo ſexageſimo primo, ad tertium Nonas Nouembris. Imperium tenuit annis quinque & viginti, menſibus quinque diebus quin-

quinque. Quo tempore in Hiſpania contigit, vt pueris lumen ſub noctem inferentibus, atque pro more (vnde manauit vt illatis luminibus inter ſe ſalutent in Hiſpania) dicentibus, Vincamus, Vincamus, Romanus quidam verba puerorum crudeliter interpretatus, diſtricto gladio hoſpitem cum omni familia iugularit: Ammianus Marcellinus auctor, nulla loci aut perſonarum deſignatione. Florebat in ea prouincia eruditionis laude Clemens Prudentius Calagurritanus patria, à militia & foro cum ætate ad pangenda ſacra carmina traductus, atque multorum martyrum laudes celebrandas, qui cum Chriſto regnant in cœlo tum Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus Nouatianos ſcriptis exagitabat. Paciani filius Dexter fuit Hieronymi familiaritate nobilis, cui librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis dicauit. Præterea Iuuencus Presbyter his ſenior Chriſti actiones luculento carmine celebrabat.

Iulianus & Iouianus. Cap. XVIII.

IVLIANVM, quem Conſtantius inſectabatur viuens, moriens ſucceſſorem teſtamento reliquit, ſummo virum ingenio, atque præcipua eruditione: meritoque magnis Imperatoribus exæquandum ſi veram pietatem, qua à teneris annis imbutus erat, ad extremum ſpiritum retinuiſſet: neque ſe ætate confirmata Libanio præceptori corrumpendum tradidiſſet, religione deſerta, vnde Apoſtatæ cognomen inuenit. Auguſtus factus ſtudio cunctorum animos demerendi, catholicos quidem ab exilio reuocauit vno dempto Athanaſio, quem quod à Conſtantii morte ſuam eccleſiam repetiiſſet, latebras denuo metu mortis captare compulit. Templi Hieroſolymitani inſtaurandi copia Iudæi facta, erumpente ex ipſis fundamentis igne ceſſarunt. Græcæ ſuperſtitionis cultoribus datum Deorum templa, quæ erant à Conſtantino Magno clauſa frequentare. In Chriſtianos ex inſidiis potius quam aperto marte graſſatum, intercluſo ad publicos honores aditu, ſapientiæ atque eloquentiæ addiſcendæ ſublata facultate, in Græcorum ſcholis. Ea ex re Chriſtianorum ingenia excitata: ac præſertim Apollinarii duo ſoluta aſtrictaque numeris oratione, non paucos libros euulgarunt. His initiis exitus conſentaneus fuit. Perſico bello ſuſcepto cum initio proſpere ſucceſſiſſet, interfectus eſt. Cædis auctor ignoratur. quidam ſagitta dixerunt in incertum emiſſa, vel à ſuis vel ab aduerſariis. Alii à Mercurio Martyre, haſtæ indicio in eius ſepulchro repertæ perfuſæ ſanguine. ex diuina plane voluntate magnoque rei publicæ Chriſtianæ commodo & gaudio, ætatis anno altero & trigeſimo. Imperauit anno, menſibus ſeptem, diebus ſeptem & viginti. Poſt mortem Iuliani Fl. Iouianus oblatum vltro ab exercitu imperium, initio quidem recuſauit, profeſſus ſe religione prohiberi Chriſtianum hominem non Chriſtianis imperare: deinde vniuerſis Chriſtianos ſe eſſe clamantibus, eorum votis acquieuit. Imperio ſuſcepto, exercitum Iuliani temeritate in ſupremum diſcrimen adductum, fœdere cum Perſis facto, neceſſario magis, quam honeſto, liberauit. Honores Chriſtianis redditi, eccleſiis vectigalia: exules atque in his Athanaſius reuocati. Quibus initiis noua lux piorum nationi affulſiſſe, videbatur, procella ſedata, cum in Galatiæ Bithyniæque confinibus carbonum nouique cubiculi vapore intercluſa anima, defunctus eſt ætatis anno quadrageſimo. Menſes ſeptem dies duos & viginti rempublicam tenuit, & pœna capitis ſanxit ſacratæ Virginis pudicitiam etiam coniugii prætextu attentare.

Valentiniani Valentis imperia. Cap. XIX.

FLAVIVS Valentinianus patria Pannonius, Gratiano patre, Iouiano ſucceſſit: militari ſuffragio factus Imperator, à funaria quidem arte, ob prævalidi corporis vires, atque exactam prudentiam per omnes militiæ gradus, prætorii præfecturam conſecutus. Cæterum religionis Chriſtianæ cultor eximius, qui Iuliano Imperatore, militiæ cingulum abdicarat, religionis ſtudio, & ad idolorum templum æditu ob aſperſam forte fortuna aquam luſtralem in eiuſdem oculis alapam infregerat. Simili ſtudio factus Imperator Romanos ciues in partes ſciſſos, atque de Pontificis electione tumultuantes compeſcuit, Vrſicino ad Epiſcopatum Neapolitanum ablegato, qui ſeditionis extitit cauſa. nam Liberio Romano Epiſcopo defuncto, pars feſtinatis comitiis Vrſicinum in defuncti locum ſubrogarat, pars potior & ſanior Damaſum. Hic natione Hiſpanus fuit, an Egita vrbe in Luſitaniæ parte ea natus, quæ Durio & Minio comprehenditur, & hodie Guimaranes vocatur: an Tarracone, an Madriti in Carpetania auctores in diuerſum trahunt. Ergo cum ſe vterque legibus creatum diceret æmulum vitio, tanta contentione ſeditio exarſit, vt in baſilica

Sicinini vno die centum triginta ſeptem homines fuerint occiſi, auctore Marcellino eius
ætatis hiſtorico. Quo loco Pontifices Romanos vehiculis procedere criminatur, & con-
uiuia eorum regales menſas ſuperare. Hac tempeſtate ſedata, aduerſa Damaſo factio non
quieuit. prorſus adulterii lege poſtulatus in Epiſcoporum conuentu innocentiam tueri
compulſus eſt. Ariminenſem ſynodum adulterinam pronunciauit: nimirum abſq; conſci-
entia & conſenſu Romani Pontificis habitam. Auxentius Mediolanenſis Epiſc. gradu de-
iectus, quod Arii veſaniam ſectaretur. Pſalmos alternis in templis decantari adiecto in fine
verſu Gloria Patri: atq; ſacrorum initio peccatorum confeſſionem præmitti ſanxit. Duo-
bus templis exædificatis Romæ religionem auxit, altero D. Laurentii nomine, altero Apo-
ſtolorum ad Catacumbas via Ardeatina: vbi ipſiuſmet matris, atque ſororis corpora tu-
mulari curauit, atque perfecit. Hieronymo arcta familiaritate cõiunctus fuit ob ſimilitudi-
nem ſtudiorum: nam & Romanorum Pontificum vitas ad ſuam ætatem eleganti copio-
ſoque volumine complexus eſt, vnde eæ Pontificum vitæ ſunt conſarcinatæ, quæ Damaſi
nomine circunferuntur, alioqui indignæ tanta eruditione viro. Obiit cum Chriſtiana ſa-
cra annos octodecim, menſes duos, dies vndecim gubernaſſet. Verùm hæc aliquanto poſt:
ad res imperii reuocetur oratio. In Oriente Procopio Duce, qui Iuliani propinquus erat,
& in Imperatoris nomen inuaſerat, magni motus excitati Valentis diligentia, qui à fratre
Valentiniano ſub initia imperii fuerat ſocius declaratus, breui compoſiti ſunt æmulo in
Phrygia victo, atque ſuorum proditione in poteſtatem redacto. Eodem tempore Valen-
tinianus Germanos domarat, & Saxones (huius gentis hoc loco primum mentio reperitur
in hiſtoria Romana) Gothos ex Thracia, Parthos ex Syria depulit: Scotos in Britannia,
Sarmatarum arma in Pannonia compeſcuit. Qua ipſe, qua ipſius Duces tanta bella pro-
fligarunt. Obiit Bregetione in Germania Quadorum bello occupatus quintodecimo Ka-
375. lend. Decembris, anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto. Imperium tenuit annos vnde-
cim, menſes octo, dies duos & viginti. Duos filios reliquit Gratianum ex priori coniuge
nomine Seuera, atque hac ſuperſtite ex Iuſtina Valentinianum. Quare præſertim cum le-
ge lata duarum vxorum feciſſet poteſtatem, ſuperiorem gloriam fœdauit magna ex par-
te; & quoniam religionis profeſſionem liberam eſſe voluit vt Marcellinus eſt auctor.
Interea in Oriente Valens catholicorum eccleſias vexabat. Dominicæ vxoris blanditiæ
atque Eudoxi Conſtantinopol. Epiſcopi fraudes, à quo Arianorum ritu ſe baptizari per-
miſerat, à mente deduxerant. vſque eo, dum Edeſſæ Catholicorum conuentum immiſſo
in templum milite diſſipari curaret. ne faceret Modeſtus eius vrbis Præfectus deterruit.
maior hominum frequentia concurrerat quiduis pati parata fœminaque præ ſtudio feſti-
nandi ne occaſioni deeſſet, necdum ſatis honeſte induta filium infantulum ad non du-
biam mortem raptabat. Multi Sacerdotes in quos præcipue iratus erat exilio mulctati. in
his Euſebius in Cappadocia Cæſarienſis Epiſcopus vir tam bene meritus de religione,
quam alter Euſebius Cæſarienſis Cæſareæ in Paleſtina Epiſcopus hiſtoriæ eccleſiaſticæ
ſcriptor eruditione nobilis fuit. Euſebii Cappadocis ſucceſſor Baſilius minis, & pollicita-
tionibus ſolicitatus eſt, vt à catholica fide deficeret, quas ille cõſtanter repulit & ſua virtu-
te & multorum exemplo incitatus, pro vnica diuinorum dogmatum ſyllaba mortem op-
petere, ſi res ferrent, paratum ſe eſſe palam prædicans. Atq; hæc Valentiniano ſuperſtite.
nam poſt illius obitum eo amentiæ prolapſus eſt Valens, vt magicis incantationibus dedi-
tus Iamblicho adiutore (hic Procli magiſter fuit) nomen ſucceſſoris inueſtigandum cura-
ret. Alphabeti litteræ in terra deſcribebãtur. tot frumẽti granis per litteras diſtributis. vate
neſcio quid obmurmurante, ex quibus litteris gallus prima grana caperet, eæ nomen quod
quærebatur deſignare credebantur: vnde diuinatio per gallum dicebatur. aliis litteras ſty-
lo contrectare placebat. Prodierunt ſane litteræ Theod. vnde Valenti occaſio nata in
Theodatos, Theodoros, Theodulos ſæuiendi. quaſi poſſit humano conſilio diuinum la-
befactari. In ea carnificina Honorius Theodoſius Italicæ in Hiſpania natus atque ex Tra-
iani poſteritate occiſus eſt, ſub vitæ finem lauacro Chriſtiano procuratus, Britanniæ, at-
que Africæ motibus compoſitis clarus: vnde Magiſtri equitum honorem conſecutus
erat. Reliquit is ex Thermantia vxore filios duos Theodoſium & Honorium. Inſuderat
ſe per idem tempus in imperii prouincias Gotthorum numeroſa multitudo Fridigerno &
Athanarico Ducibus, nato inter eos diſſidio, vt in pari poteſtate fieri amat, partem Valens
prælio facto cæcidit. Aliis Athanaricum ſecutis in fœdus acceptis Mœſiam etiam ad ha-
bitandum dedit, ſed Arianam ſectam profeſſis. quo tempore Vlfilas eius gentis Epiſco-
pus Gotthicos characteres excogitaſſe fertur à Latinis diſcrepantes, & in Gothicam
linguam vtrunque teſtamentum transfudiſſe, Arianæ certè ſectæ ſuſcipiendæ genti au-
ctor. Omnino Gotthi denuo tumultuantes, vt erat gens quietis impatiens, in Thraciam
inuecti

inuecti ad Hadrianopolim collatis ſignis Valentem obuium prælio ſuperatum pereme-
runt. Mortis genus morte ipſa grauius fuit. Intra caſam ruſticanam, quo ſe receperat, in-
iecto igne cremarunt, nulla relicta prole, quarto anno poſt Valentiniani obitum: violatæ
religionis condignum ſupplicium, atque quod præcipiti temeritate Gratianum fratris fi-
lium ad auxilium feſtinantem noluit expectare ſpe ferox, humanæ imbecillitatis imme-
mor. Fridigernus reparatis viribus confiſus, Romanorum iniuriis conſternatæ ad arma
genti ſe Ducem præbuerat.

Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imperatores. CAP. XX.

FLAVIVM Gratianum pater ante aliquot annos Cæſarem dixerat. is mortuo, continuo
ſucceſſit ſalutis anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto: exercitus ſuffragatione Fl. 375.
Valentinianus frater ætate puer adiunctus eſt exæquata imperii poteſtate. Mortuo Valen-
te cum Gotthorum arma in Oriente volitarent, iis comprimendis magno viro & Duce
opus erat. Theodoſius Italica patria, ab extrema Hiſpania, quo poſt cædem patris ſe rece-
perat, aduocatus vir domi militiæque clarus & ex multarum rerum tractatione prudentia
ſingulari, Gotthorum audaciam, quæ eo vſque proceſſerat vt Conſtantinopolim ipſam
obſidione tentarint, armis virtuteque repreſſit. pax petentibus data, atque ſedes ad habi-
tandum. icti fœderis obſes, Athanaricus Fridigerni ſucceſſor in Theodoſii venit poteſta-
tem. cui rerum geſtarum merces Orientis, quod pacauerat, imperium fuit, Gratiano con-
cedente vt Theodoſius tertius Auguſtus accederet, vir ad alias virtutes religionis ſtudio
inflammatus. nam Gratiano. V. & Theodoſio Conſulibus lege ſanxit Damaſi Romani
Pontificis & Petri Alexandrini Epiſc. de religione, quæ ſectarum opinionibus diſtraheba-
tur, placita rata haberi. Amphilochius Iconii in Lycaonia Epiſcopus, eius legis ſuaſor exti-
tit hac arte. Imperatore ſalutato, Arcadium patri aſſidentem imperii nondum conſortem
inſalutatum cum contempſiſſe viſus eſſet, contemptus cauſam rogatus, tuo ipſius, inquit,
exemplo ita feci, filium Dei ab Arianis contemni æquo ferentis animo. Triennio poſt
Merobaude iterum & Saturnino Conſulibus nimirum ſalutis anno trecenteſimo octoge- 383.
ſimo tertio: tum Arcadius imperii conſors à patre Theodoſio factus eſt ſeptimodecimo
Kalend. Februarii: tum Synodus Epiſcoporum Conſtantinopoli habita, inter generales
ſecunda. In eo conuentu Meletius Antiochenus Epiſcopus per quietem Theodoſio
oſtenſus ipſi imponere diadema, ab eodem nullo indicante cognitus eſt, vultu conſidera-
to quem videre ſibi viſus fuerat. Nectarius Senator necdum ſacro lauacro procuratus ad
Epiſcopatum Conſtantinopoli. agente Imperatore euectus eſt, Gregorio Nazianzeno in
patriam concedente quem magna ciuium pars prælatum cupiebat, eius diligentia hæreſi
repudiata ad ſanitatem perducta. Præterea qua cauſa is conuentus potiſſimum eſt habi-
tus, hæreſes omnes reprobatæ ac præſertim Macedonii Conſtantinopol. Epiſc. perperam
de Spiritu ſancto, quem in rerum aliarum ordinem redigebat, ſentientis. Acta atque de-
creta omnia Damaſo Romano Pontifice probata: nouumque fidei ſymbolum. in quo de
Spiritu ſancto ex patre filioque procedere affirmatum eſt. ſic Synodus Foroiulienſis ait
ante octingentos annos habita. Id ſymbolum Nicæno vt ſubſtitueretur ſacris celebrandis
auctor extitit Damaſus, qui conſequenti anno defunctus eſt. Interea Maximus & ipſe na-
tione Hiſpanus Britannia, vbi primum rebellauit, Gallia atque Hiſpania imperio occupa-
tis Gratianum ad Lutetiam obuium factum vicit in pugna, prope Lugdunum etiam An-
dragatius dolo interfecit: cum imperaſſet ſeptem annos, menſes nouem, dies nouem nulla
ex ſe prole, eam meritus certe laudem, quod primus Imperatorum pontificiam ſtolam
pontificatus inſigne ex veteri Romanorum ritu & ſuperſtitione, conſtanter repudiauit.
Gratiani vxor Læta & Socrus Piſſamena Romæ ad eius vrbis vaſtationem vixerunt cultu
regio. Theodoſius publica vectigalia deſignarat, vnde vitam & ſolitudinem ſuſtentarent.
In Hiſpania diſſidia de religione vigebant. Priſcillianus Gnoſticorum ſectam excitabat:
cuius ſectæ Hadriani imperio docuimus ſemina à Marco quodam Ægyptio Baſilidis di-
ſcipulo pridem ſparſa. Fuit Priſcillianus homo copioſus & generis nobilitate clarus, in ea
Hiſpaniæ parte natus, cui Calæciæ nomen eſt. Inerant præterea multa animi, & corporis
bona: vigilare multum, famem ſitimque tolerare. has virtutes non minora vitia fœda-
bant: inquies animus & turbulentus, atque ex profana ſcientia mentis elatio. Ingenii de-
xteritate & accommodatis ad tempus officiis Inſtantium, & Saluianum Epiſcopos ſectæ
conciliauit. Hos Idacius Emeritæ ciuitatis Præſul Hieronymi laude nobilis Agidini Cor-
dubenſis Epiſcopi monitu exagitandos cum ſuſcepiſſet, vulnus recruduit: latiuſque ſer-
pſit malum, quod contrectatum cautius fortaſſis curationem recépiſſet. Ad illud extre-

mum & vltimum deuentum, vt in cõuentu Epiſcoporum Cæſarauguſtæ habito cã de cauſa, vtrique in re præſenti diſceptarẽt. Sectarii die dicta cum venire recuſaſſent anathemati
ſubiecti: Inſtantius & Saluianus Præſules, è populo Elpidius & Priſcillianus & cum his
Agidinus Cordubenſis Epiſcopus mutata voluntate ex inimico repente hæreticorum ſo-
cius factus. Ithacio Soſſubenſi (ſic Seuerus Sulpicius ait) Epiſcopo ſententiæ promulgan-
dæ cura demandata, ardenti homini, atque procaci: qui ne uniis aut lectioni ſacræ deditos
quaſi Priſcilliani ſectatores palam accuſaret. Huius atque Idacii diligentia à Gratiano Im-
peratore tum ſeperſtite impetratum vt hæreticos templis, vrbibus, totaque prouincia ex-
pelli mandaret. Inſtantius & Saluianus atque cum his Priſcillianus interim Abulenſis Præ-
ſul ſectatorum ope creatus, Romam præſidii cauſa contendentes in Aquitania reſiſten-
tes, non paucos eo tractu ſectæ conciliarunt. Romam appulſis Damaſi conueniendi pote-
ſtas non eſt facta: ac ne Ambroſius quidem Mediolani eorum vocibus aures præbuit ad
noui dogmatis inſolentiam cunctis exhorrentibus. Non remittunt tamen: corrupto offi-
ciorum Magiſtro Macedonio à Gratiano impetratum, vt priori edicto inducto ablatæ ec-
cleſiæ Priſcilliano atque Inſtantio redderentur: nam Saluianus Romæ diem obierat. ab eo
ſucceſſu Gnoſticorum audacia confirmata, Ithacius ſeditionis lege poſtulatus atque à Vo-
luentio Vicario ad necem quæſitus, ad Gregorium Præfectum Prætorii in Galliam con-
fugit. Eo parum opis ferente Clementem Maximum adiit, ab eoque Treueri impetratum
cognitionem Burdigalæ in Epiſcoporum conuentu inſtaurari. eo venire compulſi ſunt
Priſcillianus atque Inſtantius. à Priſcilliano, cum ſocius gradu deiectus eſſet, ad Maxi-
mum prouocatum: factumque Epiſcoporum inconſtantia vt ad Imperatorem deuoluere-
tur cauſa, nouo ad eam diem exemplo iudicem prophanum de hæreticis iudicare: cæ-
terum cauſa Treueri agitata atq; vrgente Ithacio capitale ſupplicium Priſcillianus ſubiit,
maleficii conuictus, atque nocturnos conuentus cum fœminis religionis ſpecie agitaſſe.
Interfecti præterea Feliciſſimus, & Armenius, tum Latronianus ſeu Matronianus fœdo
exitu nobilior quam pangendis carminibus, quamuis in aliquo Poetarum numero ea æta-
te. Inſtantius vltra Britanniam in inſulam deportari iuſſus eſt, Martino Turonenſi nequic-
quam reclamante, atque hæreticos Epiſcoporum præſertim accuſatione necari fas eſſe
negante. Eam benignitatem fortaſſis tempori accommodatam nimiam ex parte extitiſſe,
atque ſi in mores noſtros induceretur fore exitialem, dies & vſus & maior rerum cogni-
tio declarauit. Prorſus Priſcilliano occiſo ſecta non modo non eſt repreſſa, ſed latius et-
iam propagata. Cæſorum corpora in Hiſpaniam delata, à ſectatoribus Martyrum inſtar
honorata ſunt. Iurare per Priſcillianum ſumma religio putabatur. Ithacius & Idacius ana-
thematis ignominia notati, & ſolum exilio vertere compulſi ſunt: quod iis agentibus hæ-
retici eſſent trucidati. Tametſi quo non ſupplicio digni erant, qui præter vitæ turpitudi-
nem ſacræ Triadis perſonas confundere, coniugia ſoluere, carnium eſum deteſtari auſi
ſunt: affirmareque animos ex diuina eſſentia defluxos ad certamen per ſeptem cœlos &
genios quoſdam gradatim deſcendentes in nequam Principem incurrere mundi opifi-
cem. homines fatalibus ſtellis ſubdi: corporis membra duodecim ſigniferi partibus. Arie-
tem capiti dominari, ceruici Taurum, pectori Geminos, reliquis membris alia. Quo tem-
pore Hiſpania hac agitatione æſtuabat, Siricius Romanam eccleſiam gubernabat Dama-
ſo ſubſtitutus, Proſper Vrſinum vocat. & fortaſſis qui ante contra Damaſum pontificatum
inuaſerat, defuncto credidit ſucceſſiſſe. Extant Siricii litteræ ad Himerium Tarraconen-
ſem Epiſcopum, Arcadio & Bautone Conſulibus, nimirũ ſalutis anno trecenteſimo octo-
385 geſimo quinto. De baptiſmo, nuptiis, Deo ſacris viris & virginibus, ordinib. ſacris multa,
vt erat rogatus reſpondet, cũ Epiſcopis eas prouinciæ Carthaginenſis Bæticæ, Luſitaniæ,
atque Calæciæ mandans communicare. Extat harum litterarum mentio in Concilio To-
letano primo, ſuppreſſo auctoris nomine ſententia recitata: atque in libro Iſidori de viris
illuſtribus Hiſpaniæ Siricii & Himerii nominibus deſignatis. Omnino ex quo Siricius
Pontifex creatus eſt annò quinto Maximus ad Aquileam acie victus eſt, & ſuis prodenti-
bus captus pœnas capite dedit, Theodoſiique virtute Valentinianus iunior in Occidentis
imperium reſtitutus, vnde aufugerat metu tyranni. A præclaro initio expeditio ea ſuſcepta
eſt, cum Stobis in Macedonia Theodoſio. II. & Cynegio Conſulibus octauo decimo Ka-
lend. Iulii, hæretici lege lata conuentus habere aut myſteria extra eccleſiam peragere ve-
titi eſſent. Victoria de tyranno ad ſextum Kalend. Septembris parta eſt eodem prorſus an-
388. no trecenteſimo octogeſimo octauo. Atque hactenus religioſe. Illud crudeliter, quod
Theſſalonicam vrbem cæſis ſex hominum millibus deformauit ira præcipiti actus. Bute-
ricum copiarum Ducem, alioſque Principis aſſeclas in populari ſeditione interemiſſe cri-
men erat tam multo innoxio ſanguine luendum ſcilicet. Ambroſius Mediolanenſis Epi-
ſcopus

ſcopus Imperatorem (nam tunc temporis Mediolani morabatur) venientem templi aditu prohibuit, diriſque deuotum more & ritu Chriſtiano pœnam ſubire hortatus eſt tanto facinori debitam. Repulſæ dolorem non minori animo tulit Theodoſius quam Ambroſius iuſſit. Aucta animi conſtantia poſt menſes aliquot, ipſo natalis Chriſti die Ruffini intimi hortatu templum repetentem, quaſi Præſulis iracundia ſedata, non prius admiſit quam verbis grauiſſimis coram caſtigatum, atque legis promulgandæ conditione, necis ſententiam ante trigeſimum diem executioni mandari vetantis; vt ſi quid præcipiti in vindictam libidine decerni contingeret, temporis ſpatium iracundia remittente mutaret. additumque, ne verbum prius efferret commoto animo, quam alphabeti Græci litteras ex ordine recitaſſet. Ea res Antiochenſibus ſaluti fuit. Ob extraordinaria tributa tumultuantes, Placillæ vxoris Theodoſii iam defunctæ ſtatuam euerſam, per vrbem raptarunt. Fœminæ lectiſſimæ in Noſocomiis ſolitæ ægrotis cibos ſuis manibus miniſtrare, virumque priſtinæ fortunæ commemoratione ad modeſtiam identidem clementiamque reuocare, illatam contumeliam ne multorum cæde Imperator vindicaret, Ambroſii prudentia effecit, atque miſſi Antiochia ea de re legati ad Imperatorem placandum. Iis agentibus lugubre carmen à pueris flebilibus modis decantatum prandenti Imperatori excuſſit lachrymas, flexitque ad miſericordiam iratum animum. Atque hæc in Italia. In Gallia autem Theodoſio in Orientem reuerſo Valentinianus Arbogaſtis Comitis dolo Viennæ ſuffocatus eſt. Eugenius necis conſcius atque præcipuus ſuaſor ex Grammatico litteratore Imperator eſt factus ſalutis anno trecenteſimo nonageſimo ſecundo. Imperii probrum ludibriumque Theodoſio magnam curam iniecit. vſque eo vt de belli euentu ſolicitus, piorum hominum qui in eremo vitam agebant, precibus ſalutem commendaret. Horum ac 392.
Ioannis in primis victoriam pollicentis reſponſo lætus, quo mortis denunciatio continebatur tamen priuſquam rediret ex Italia, Conſtantinopoli profectus ad Alpium radices hoſtem magno atque ancipiti prælio vicit. Ventorum procella in aduerſos hoſtes delata multum contuliſſe viſa eſt, vt Claudianus ſcripſit inſignis poeta ea ætate: atque cum antiquioribus comparandus: Chriſtianus religione, an prophana ſuperſtitione implicitus incertum. Multum ad victoriam Gotthi contulere ſupra viginti millia Romana ſigna ſecuti poſt Athanaricum Conſtantinopoli defunctum nullo ex ſua gente Principe Theodoſii ſtipendia facientes. Poſt pugnam Eugenius à ſuis interfectus eſt, Arbogaſtes ſibi manus attulit. commiſſum eſt prælium quintodecimo Kalend. Octobris. anno trecenteſimo nonageſimo quarto. Quo anno Honorius Theodoſii filius natu minor imperii conſors à patre renunciatus eſt. Proximo anno Theodoſius ipſe in viuis eſſe deſiit ad ſextumdecimum Kalen. Februarii Mediolani intercutis morbo ætatis anno quinquageſimo. imperauit annis ſedecim, duobus amplius diebus. ex Placilla vxore Arcadium & Honorium reliquit. ex Galla Valentiniani ſenioris & Iuſtinæ filia, quam ſecundis nuptiis ſibi copularat, Gallam Placidiam. Defuncti laudes Ambroſius prior, deinde Auguſt. dicatis orationibus celebrarunt, Theodoſii id eſt, à Deo dati nomen, niſi à parentibus accepiſſet diuino monitu (vt Aurelius Victor eſt auctor) vitæ probitas, religionis ſtudium, domi militiæque res præclare geſtæ, atque reſpublica à præcipiti caſu ſuſtentata conciliare potuerunt. Religionis amplificandæ ſtudium ſatis declarauit, veteris ſuperſtitionis templis euerſis, quæ Conſtantinus Magnus claudi curarat. vnde innumeræ fraudes in lucem prodierunt, cauæ tetro ſtatuæ reddendis oraculis. miraculo fuit Alexandriæ in Serapidis templo immortalitatis ſignificatione crucis figura multis expreſſa locis. Habuit hæc ætas viros inſignes litteris atque probitate præclaros: atque in hoc numero, quod quidem Hiſpaniam attingit, Pontius Paulinus Burdigalenſis patria in Hiſpania Citeriori moram traxit ipſe & vxor Tharaſia. Barcinone presbyter factus eſt nullius eccleſiæ miniſterio addictus nouo exemplo ac propemodum ſingulari. Inde gradus factus ad Nolanum Epiſcopatum, cum ex Hiſpania in Italiam migraſſet. Abundius Auitus presbyter Tarracone natus. Luciani librum de ſancti Stephani corporis inuentione latinitate donabat. Licinius Bæticus Hieronymi amicitia atq; in Hieroſolymitanos pauperes præcipua liberalitate ad memoriam inſignis. Deſiderius & Riparius Hiſpani presbyteri Vigilantium Barcinonenſem presbyterum Pompelone natum ſanctorum qui cum Chriſto regnant in cœlo honorem cultumq; vellicantem de ſcripto impugnabant: vt Hieronymus eſt auctor nobilis huius ætatis ſcriptor, atq; præcipua tum eruditionis, tum ſanctitatis opinione clarus.

394.

Arcadii & Honorii imperium. CAP. XXI.

THEODOSIO defuncto eius filii Arcadius in Oriente, in Occidente Honorius Remp. gubernare cœperunt ſalutis anno trecenteſimo nonageſimo quinto, maiori aliquanto 395.

religionis ſtudio, morumq; probitate quam animorum vigore. His enim rectoribus Romani imperii maieſtas, quæ à tenui initio profecta ſua magnitudine & mole pridem laborare cœperat, in præceps toto impetu abiit, ad exemplum imbecillitatis rerum humanarum. & conſtat nil eſſe opera & viribus humanis paratum, quod edax vetuſtas non conſumat, ſummiſq; negatum ſtare diu, nimioq; graues ſub pondere lapſus, vt nobilis poeta ait: nullaq; imperia quantumuis magna diu ſtare. ſi foris hoſtem non habent domi naſcitur, vt abdomine impedita corpora quamuis ab externis cauſis tuta, ſuis ipſa viribus onerātur, & proprio premuntur pondere. Romanam eccleſiam per hæc tempora Siricius guberna-
398. bat, vti dictum iam eſt. quo defuncto ſalutis anno trecenteſimo nonageſimo octauo, cùm tredecim amplius annos Pontifex fuiſſet, Anaſtaſius ſucceſſor tribus annis eandem eccleſiam tenuit. Hoc Pontifice in Hiſpania Synodus Toletana habita eſt Kal. Septembris ipſo anno ſeculari. Epiſcopi decem & nouem actis interfuerunt ex variis Hiſpaniæ vrbibus conuocati. in his primum locum Patronus occupauit Toletanus Epiſcopus vt quidam affirmant ex catalago vetuſto, eius eccleſiæ Præſulum ab hoc tempore numerum inchoante: vt aliis viſum eſt Bracarenſis, quod in actis Synodi Paterni Bracarenſis memoria extet neutri argumento ſatis efficaci. Priſcilliani placita nouis decretis exagitare atq; conuellere placuit. Epiſcopi Simphoſius & Dictinius atq; Comaſius presbyter eiurata ſecta eccleſiæ conciliati. Dictinium Aſturica, cuius vrbis Præſul fuit, in cælitum numero habet colitq;, nimirum erroris ſuſpicione vel impoſita, vel ſalutaris pœnitentiæ dolore per totam vitam expiata. Extant ad Patres in eo conuentu Innocentii Romani Pontificis litteræ, cum anno conſequenti Anaſtaſio ſucceſſiſſet. Africam per hæc tempora Gildo cum poteſtate gubernabat, Ruffinus Orientis prouincias, Occidentis Stilico maiori auctoritate quam alii, Serena coniuge ex Theodoſii fratre nata potens, præterea Honorii ſocer. Hos Theodoſius exitiali, ſi ſpectetur euentus conſilio, reipublicæ moderatores conſtituerat, vt filiorum ætatem virtute iuuarent & imperii molem ſuis ipſi humeris regerent. Verum cum ſuo potius quam alieno nomine dominari cuperent. & præ ambitione imperandi datæ fidei religio tanti non eſſet, imperii maieſtatem penitus labefactarunt. Primus Gildo in Africa rebellauit, eoq; & Maſceſcele fratre, cum deinceps imperium inuaſiſſent ſublatis: Ruffinus neq; horum perfidia, neq; exitu caſtigatus Gotthos ad arma excitauit, aliaſq; nationes barbaras. Ea via erat ad imperium occupandum inuenta, non aſpera modo ſed fallax. natione Britannus ſeu Francus Ruffinus fuit, magni vſus Dux fide non eadem. Eius fraude detecta cum de medio eſſet ſublatus, quaſi fatali perfidia per omnes prouincias ad imperii exitium vagata, Stilico iiſdem veſtigiis inſiſtens, vti proximo libro repetendum eſt, atq; paulo copioſius explicandum, varias gentes ſolicitauit ad ſumendum arma. Vandalos gentiles ſuos & Alanos in imperii prouincias attraxit clam cum illis communicato conſilio. Rebus in ſupremum diſcrimen adductis ſcilicet filio Eucherio imperium parabat. Theodoſii Magni ſobole ſublata, verſutus iuxta & ingratus. Gotthi imprimis ob negata rurſus ſtipendia Thracia & vicinis prouinciis vaſtatis in Italiam bipartito irruperunt. Radagaſius Gotthorum Dux alter ex antiquis gentis eius ſedibus cum numeroſa multitudine Italia Feſulas vſque in Hetruria penetrata Stiliconis virtute cum copiis omnibus oppreſſus eſt. Alaricum Ducem alterum ad Rauennam cum delere potuiſſet, acie ſuperare ſatis habuit. Fraus detecta auctori exitialis reipublicę funeſta fuit. Stilico Honorii iuſſu peremptus anno ſalutis quadringenteſimo octauo, decimo Kal. Septembris: poſt eum Serena vxor Eucheriuſq; filius. Gotthis ex fœdere in Galliæ finibus ſedes erant datæ. Iis irritandis Stilico Saulum Iudæum ad Alpium radices tendentes iuſſerat impetu repente facto mulctare: quam ferox gens iniuriam non ferens conuerſo itinere vaſtata Italia ipſum orbis caput Romam poſt diuturnam obſidionem in poteſtatem redegit, ferro flammaq; deformatam, tanta imma-
410. nitate, vt totius orbis iniurias vlciſci velle videretur. Capta eſt Roma ſalutis anno quadringenteſimo decimo, vti præcipua eruditione viri numerant. Paulus Oroſius, niſi numeri ſunt vitiati, anno ab Vrbe condita milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto irrupiſſe Alaricum ait Romamque expugnaſſe, hoc eſt, anno Chriſti quadringenteſimo duodecimo: quod eius æqualis Proſper Aquitanicus eſt certe ſecutus. In ea vrbe Placidia Honorii ſoror capta Athaulfo nupſit, Alarici ſororii ſui ad Coſentiam paulo poſt in Lucanis extincti ſucceſſori. Is regno gentis ſuſcepto ex fœdere cum Honorio facto ad Pyrenæi radices ex vtraq; parte, nimirum in Gallia atque Hiſpania ſedes accepit: vbi fortunarum & vitæ, gens bello aſſueta domicilia collocaret. Ab hoc principio Gotthis ad vniuerſæ Hiſpaniæ imperium aditus eſt patefactus. vti proximus liber explicabit.

LIBRI QVARTI FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER QVINTVS.

Varias gentes in Hiſpaniam veniſſe. CAP. I.

MVLTAS gentes feras & indomitas in Hiſpaniam per hæc tempora veniſſe, ſequens narratio declarabit, Vandalos, Sueuos, Alanos, atq; Silingos. Gotthi in primis ex antiquis ſedibus dilapſi, cum orientis occidentiſq; ſolis oras ſui nominis terrore famaq; cōpleſſent, atq; victricibus armis Italiam vniuerſam luſtraſſent, ad extremū in Hiſpania conſtiterunt: in eaq; imperii ſedem cæteris nationibus qua pulſis, qua domitis collocarunt ac tenuerunt annis amplius trecentis. Ex Septentrione omnes has gentes profectas ſeſe in Romani imperii prouincias infudiſſe quęſtionis non eſt. ab inſito corporibus ardore, quem regionis frigus accēdit, cibi & potus indulgentia, ad procreandam ſobolem fœcunditas maior exiſtit. vnde aucta ſæpe multitudine, quo tempore præſertim nondum Chriſti religione ſuſcepta deſultoriæ veneris licentia ad vnas nuptias conſtricta erat: ſoli ſterilitas niuibus & pruina plurimum rigentis vitæ ſuſtentandæ neceſſitate cogebat innumera hominum examina in mitiores fertilioreſq; agros commigrare: Romanos rerū dominos de finibus laceſſere: imperii prouinciis ni mature obſiſteretur cladem exitiumque comparare. Quibus ex regionibus ſingulæ hæ nationes in Hiſpaniam commigrarint, quibus moribus, & ingenio eſſent (nam lingua inſtitutis legibuſque diſcrepaſſe conſtat) explicare oratione, atque ita explicare vt inter tot opinionum tenebras verum inueniſſe videamur, ardua res eſt, neque diligentia deeſſet ſi via ſe oſtenderet laboranti: nunc coniecturis ſtandum, quando rerum vetuſtas, & eorum temporum incuria certam ſcriptioni fidem derogat. Vandalos Plinius in Germania collocat, quibus ferme locis nunc Meccelburgenſes ſunt, & Pomerani: tametſi Dion fontes, vnde Albis fluuius deriuatur irrigatque Germaniā, in Vandalicis montibus ponit. Vandalis Burgundiones annumerari debent eorum pars, à Burgis, hoc eſt, pagis in quos diſſipati erant appellatione indita. & cum in Heduis conſediſſent, ei Galliæ prouinciæ Burgundiæ nomen fecerunt. Alanos Dacis & Getis finitimos facit Dionyſius is, qui luculento carmine orbis terrarum ſitum Græco ſermone deſcripſit: Marcellinus in Scythia, beatoſque ait haberi non teniſſe, qui cecidiſſent in prælio: ſenio contabeſcentes aut fortuita morte conſumptos, contumeliis conuitiiſque lacerare, truci homines ingenio & ad immanitatem procliui: propterea quod à cultu atq; humanitate aliarum prouinciarum gens Scythica longiſſime abeſt, nihilque importatur ferme eorum, quæ animorum ferociam emollire ſolent. Silingos veniſſe in Hiſpaniam conſtat, & cum Vandalis confuſos in Bętica conſediſſe nullo ſuæ gentis Rege peculiari. qua tamen ex Septentrionis regione venerint, incertum eſt. Silingos Boiorum gentem quidam faciunt, vnde Salingoſtadium olim in ripa Danubii tertio ab Heligoſtadio lapide. neque dubium eſt Francos, qui per hæc tempora Galliam occuparunt, Salios à Sala flumine nuncupatos vt Marcellinus eſt auctor. ab iis legem Salicam dictam hæreditates Francorum in fœminas transferri vetantem. Sueuos quondam ad Albim ſedes habuiſſe conſtans antiquorum opinio eſt. cæterum Strabo Sueuos ad Danubii etiam ortum ponit, quibus ferme locis nunc Auguſta Vindelicorum ſita eſt. Reliqui ſunt Gotthi, quorum origo quoniam diutius in Hiſpania regnarunt, & maiori fama celebrantur, paulo altius eruenda eſt. Gotthos olim non pauci Getas eſſe exiſtimarunt, quos Plinius & Herodotus non procul ab Iſtri ripis oſtiiſq; collocarūt: atq; Gog. & Magog. nominibus in diuinis libris Getas, & Maſſagetas ſignificari aiunt. quorū opiniones neq; probare operæpretium eſt, neq; refellere arduum: cum Plinius in Cœleſyrię vrbibus numeret Magog, quam alio nomine Bambycem vocari ait. & pleriq; quorum ſententia potior eſt & ſtudium eruendæ antiquitatis maius, eam gētem ex Scandia (Baſiliam antiqui ſeu Baltiam nominabant) prodiiſſe affirmant terrarum tractu latiſſimo ſupra Germaniam ſupraq; Sarmatiam, ei prouinciæ ad orientem Solem coniuncta, cui Fimmarchiæ nomen eſt, circumfuſis aliis ex partibus mari Baltico atq; Glaciali peninſulę forma multo longiore ſpatiis, quā lata in Gotthiam, Sueciam diuiſa & Nortvegiam cui Lapia coniuncta eſt. Ad Occaſum

enim vbi ſinus Codanus panditur(incolæ Suconicum vocant)atque ad eam Scandiæ partem, qua breuiſſimus in Cimbricam Cherſoneſum Daniamque traiectus eſt, minor peninſula maioris pars efficitur, cui Gotthiæ nomen eſt, duobus potiſſimum nominibus olim diuiſa in Oſtrogotthos ipſorum lingua, noſtra Orientales, & Viſigotthos, id eſt Occidentales. Inter Viſigotthos Balthi à maioribus vocitati (ita enim dicuntur apud eos audaces)intra Oſtrogotthos Amali ab Amalo ſummo & Duce & Rege nuncupati, illuſtriſſimæ Regiæque familiæ erant. Reliquam Scandiam perpetui montes ſecant; Suecia ad auſtrum relicta mitiori cælo: ad Septentriones Nortvegia maiori frigoris ſæuitia vaſtatur: vſque eo vt importatum vinum vi frigoris continuo aceſcere feratur. quæ res magnam aliquando Pontificibus Romanis ingeſſit curam, vt diuinæ hoſtiæ pars vtraque retineretur, perficereturque oppidatim. Sunt Gotthi fere cæſarie barbaque rutila, colore candidi, vti plerique omnes Germaniæ populi cum quibus affinem ſermonem habent, neque multum diſcrepantem à cæteris gentibus, quas in Hiſpaniam per hæc tempora ferro penetraſſe dictum eſt, præter Alanos, quos Scythico ſermone vſos eſſe magis ex coniectura probabili, quam certo argumento licet affirmare. Omnino in vulgarem linguam, qua hoc tempore vtitur Hiſpania ex multarum linguarum colluuione conflata, multæ voces ex Gotthorum ſermone deriuarunt, quo in numero hæ ſunt. Tripas, Caza, Robar, Yelmo, Moza, Vandera. Harpa, Iuglar, Aluergar, Eſcanciar, Eſgremidor, Cangilon, Camiſa, Sauana. Quemadmodum Vandalis aliæ voces acceptæ feruntur. Camara, Gozque, Azafran. Chriſti ſacra ab his omnibus nationibus, aut nunc aut paulo poſt hæc tempora ſuſcepta ſunt populariter. olim ſuperſtitioni multiplici ſeruire ſolitæ erant: ac Gotthi in primis haudquaquam bella auſpicato ſuſcipi arbitrabantur niſi humano ſanguine exercitu procurato, captis in bello mactatis Marti (cui imprimis addicti prædæ primitias offerre, exuuiaſque truncis ſuſpendere ſoliti erant) neque geri niſi equos prius ſolenni ritu mactaſſent, eorumque capita rictu diducto in contis eſſent prælata. Illud recte: quod humanos animos perpetuos fore ducta ex antiquo per manus opinione habebant perſuaſum, præmiaque & ſupplicia à rogo ſupereſſe exiſtimabant. Cælo tonante ſagittis in ſublime eiaculatis numini opitulari, cui vim afferri ac regno deturbari ſuſpicabantur. Maiorum facta ad lyram cantu modiſque concelebrabant. Gotthorum inſignia leonē erecto inuerſoque capite vndanti clypeo impoſitum fuiſſe, cæruleo dimidiata ex parte quidam affirmant. alii tres leones ingredientium habitu ſupra ſe inuicem Regum Daciæ ſimilitudine. In quo ſudandum non eſt, cum ſit præcipue noſtrarum partium occaſionem paulo ſuperius indicatam copioſius explicare, quæ tam multis nationibus & tam barbaris aditum patefecit in Hiſpaniam. In ea rerum colluuione atque imperii Romani ruina Marcus quidam in Britannia à legionibus Imperator eſt ſalutatus, neque minori leuitate paulo poſt de medio ſublatus, Gratianuſque ſubſtituitur: & hoc intra quartum menſem occiſo pari leuitate Conſtantinus in eius locum ſubrogatur, nullis rebus geſtis inſignis ſed memoria nominis bene apud eas gentes ominati commendatus, anno quantum ex Paulo Oroſio coniici licet quadringenteſimo vndecimo, Theo-

411. doſio iuniore Cos. IIII. cum is Arcadio patre ante triennium defuncto Orientis imperium gubernaret. Conſtantini partes magna Galliæ pars atq; Hiſpaniæ ſecuta eſt. Romani imperii diuturnitate atque grauiſſimis vectigalibus, quæ in dies maiora imperabantur, cunctorum animis exacerbatis. Didymus & Verinianus Honorii propinqui in Hiſpania in fide perſtantes tumultuario collecto exercitu & maiori quam pro viribus animo Pyrænei aditu Conſtantinum, qui ex Gallia in Hiſpaniam feſtinare nunciabatur, prohibere conati, à Conſtante tyranni filio, quem pater ex monaſterio detractum & Cæſarem dictum præmiſerat in Hiſpaniam, victi acie atq; trucidati ſunt, tum ipſi, tum vxores. Theodoſiolus & Lagodius occiſorum fratres fugę beneficio ſeruati ad Imperatores abierunt, Honorium Theodoſiumque Arcadii filium diffiſi viribus. Conſtantis exercitus plurimum ex iis gentibus erat conflatus, quę cum ex Germania irrupiſſent in Galliam ob fœdus cum Honorio factum Honoriaci nuncupabantur. Hi Conſtantis permiſſu Hiſpaniam Palentiam vſque depopulati ſunt, nimirum barbari exercitus voluntates aliena calamitate redimebantur. deinde cum reditum ad patrem pararet, Pyrenæi anguſtiis præfecti ſunt: moleſte ferentibus Hiſpanis mercenarium militem dubiaq; adeo fide ipſorum conſtantiæ prælatum, quibus ducta ex antiquo conſuetudine is honor deberi videbatur. Detractum vt prouinciæ aditus ipſi munirent, querebantur ſcilicet foreq; minitabātur, vt breui noui motus exiſterent, ruſuſq; ad alios dominos Hiſpania reſpiceret, contumeliæ dolore faciente animos. Eorum ſermones vanos non fuiſſe, euentus breui declarauit. Honoriaci enim quibus natura fauere cogebat Vandalos, Alanos, Sueuos, & Silingos, quos paulo ante Stilico in Galliam immiſerat, vt eſt paulo ante demonſtratum, clam inito fœdere patefactoq; aditu, quo

cato-

tatenus erant prohibiti, attraxerunt in Hiſpaniam. Deſerendi Galliam Gotthorum metus cauſa fuiſſe putatur, quibus facta cum Honorio pace vt pares eſſe poſſent verebantur. Conſtantini etiam potentia ſollicitabat maximam Galliæ partem imperio obtinentis, & ad reliquam aſpirantis. Erat Sueuorum Rex Hermenericus, Alanorum Atace, Vandalorum & Silingorum Gundericus Horum irruptionem grauiſſimæ calamitates conſecutæ ſunt: cum barbara immanitate in Hiſpanorum atque Romanorum fortunas ſine diſcrimine inuolarent, agris & oppidis afferrent vaſtitatem. vnde ſæuiente mox fame humanis carnibus paſſim vitam tolerare non homines modo cogebantur, ſed & beſtiæ ea laniena efferatæ paſſim in homines irruebant. Famem vt fit peſtis lues excepit grauiſſima. innumeri tota prouincia conſumpti ſuperſtitum inuidia, cum quauis morte grauiora mala tolerarent. Ergo prouincia magna ex parte habitatoribus vaſtata barbari in variis eius regionibus ſedes collocarunt. Sueuis & Vandalorum parti Calæcia data eſt latioribus quã noſtra ætate finibus: nam totam Caſtellam veterem ambitu comprehendebat. Luſitania & Carthaginenſis prouincia Alanis obuenerunt, demptis Carpetanis & Celtiberis in fide Romanorum perſtantibus. Bætica Vandalis & Silingis attributa. Ea partitione facta fœdus initum cum Romanis: cultuſque priſtinus & frequentia in prouinciæ vrbes magna ex parte reuocata eſt. Hiſpani nouam ſeruiendi conditionem Romanorum imperio atque acerbitati præferebant. tametſi nonnulli veterem libertatem mordicus retinentes barbaricum iugum ſubire detrectabant, præſertim in Calecíæ tractu, vbi Sueuorum imperium erat. Interea Honorius ex Italia Conſtantium cum valido exercitu in Galliam immiſerat contra tyrannum. In Hiſpania noui motus exorti, Maximo in Citeriori Hiſpania Imperatore ſalutato Gerontius Comes tyranni prioris odio, cuius partes ſequebatur, vt alieno nomine regnaret eius defectionis auctor extitit. Itaq; Maximo Tarracone relicto cum copiis ipſe in Galliam penetrauit: Viennæque ea vrbe capta Conſtantem Cæſarem nactus de medio ſuſtulit. ne vlterius procederet Conſtantii aduentus fama deterru t. Reducem in Hiſpaniã an hominis fortuna deſpecta, an Honorii demerendi ſtudio, Hiſpani noctu in ædes impetu facto quamuis egregie pro extrema ſpe dimicantem iniecto igne peremerũt. Maximus Gerontii opibus, cuius auctoritate ſtabat, deſtitutus cum fuga ſaluti conſuluiſſet inglorius ad Oroſii ætatem vitam calamitoſam propagauit. Dum hæc in Hiſpania geruntur. Conſtantii virtute Conſtantinus tyrannus Arelati & Iulianus eius filius ſublati. neq; multo poſt Iouius & Sebaſtianus deinceps imperio rebellantes. Galliaque vniuerſa ad Honorii ditionem reuocata ſalutis anno quadringenteſimo tertiodecimo. Gotthi tanquam ad vtriuſq; 413.
prouinciæ præſidium Honorii permiſſu Pyrenæi radices vtrinque poſt biennium occuparunt. Ii ex antiquis ſedibus ante hæc tempora ſæpe dilapſi atque in Romani imperii prouincias impetu facto, virtutis opinionem maximam excitarant: vſque eo dum Alexander Macedo gentis indomitæ congreſſum declinaſſe. Pyrrhus Epirota exhorruiſſe. Iulius Cæſar detrectaſſe crediti ſint, auctor Oroſius. Huius gentis irruptiones omnes & bella commemorare noſtri inſtituti non eſt. res geſtas narratione explicare ſigillatim maius opus quam pro ſuſceptæ narrationis modo. Valente Imperatore, vt eſt ſuperius demonſtratum, Viſigotthos ex antiquis ſedibus deductos in Mœſię finibus ſedes accepiſſe ea lege conſtat, vt Romani imperii ſtipendia facerent, Chriſti Dei ſacra ſuſciperent. vnde ex aliquanto interuallo Arii ſecta, cui Valens addictus erat, magnarũ calamitatum & motuum in Hiſpania extitit cauſa. Datas ſedes ad Arcadii & Honorii imperium tutati in Pannoniam vſq; propagarunt, paulo ante quam irrupiſſent in Italiam Thracia vaſtata. nimirum Stilico Honorii ſocer, vt Eucherio filio imperium pararet gentem ſuapte ingenio inquietam ad arma excitauit. duxerat Stilico Serenam Honorii fratris Theodoſii filiam: ex qua Eucherius, Maria, & Thermantia nati. Eucherio Galla Placidia Imperatorum ſoror connubio iuncta. Honorius Mariam & Thermantiam deinceps duxit. Mariæ ſepulchrum Romæ non ita pridem repertum Paulo. III. Pontif. Max. in D. Petri Vaticani gemmæque in eo magni pretii, auri & argenti pondus non exiguum Honorii & Mariæ nominibus in bulla expreſſis: vti ex Topographia vrbis Romæ à Marliano edita cognoſcere accuratius licet. Sublata igitur vtraque Honorii vxore (quidam Thermantiam ait ab Honorio repudiatam cognita Stiliconis fraude) Stilico quaſi fidei vinculis ſublatis facinus, quod diu animo coxerat perficere cum maturaret, Vandalos, vnde ipſi origo, & Alanos magnis inuitatos præmiis immiſit in Galliam. Gotthi eadem arte ſtipendiis negatis arma corripuerunt. Alarico Rege ſalutato in defuncti Athanarici locum, Thraciaque & Italia vaſtatis ipſum orbis caput Romam diuturna obſidione fatigatam in poteſtatem redegerunt Fl. Vararo & Tertull. Cos. IIII. Nonas Auguſti, Honorii ſocordia tanta, cuius partes erant ſummæ rerum opitulari, vt renunciantem vrbis Romæ calamitatem de Gallo putaret loqui, quem Romam vocare erat

ſolitus & pugnantis paulo ante ſpectaculo ſe, vt in more habebat, oblectarat. Gotthorum Duce Alarico in extrema Italia defuncto, Athaulfus ſucceſſor Gallæ Placidiæ vxoris, quæ Romæ capta fuerat, blanditiis delinitus & ad pacem procliuis cum Honorio fœdus pepigit. ex quo Gotthorum copiæ ex Italia deductæ in Galliæ Hiſpaniæque confinibus conſe-
415. derunt. regni ſedes Narbone collocata ſalutis anno quadringenteſimo quintodecimo: vnde Galliæ Gotthicæ nomen factum finibus ſæpe alternantibus pro vario bellorum ſucceſſu cum Francis finitimis & Romanis. Atque hac occaſione tum aliæ gentes tum Gotthi in Hiſpaniam venerunt.

A Gotthis aliæ nationes barbaræ in Hiſpania ſuperantur. CAP. II.

ERAT Hiſpania in multa regna diſtracta legibus inſtitutis atque religione diſcrepantia. Romani & Hiſpani catholicę religioni addicti erant. Gotthi Arianorum peſte contaminati. reliquæ nationes barbaræ nondum Chriſti ſacris imbutæ gentili ſuperſtitioni ſeruiebant. Vniuerſę vt occupatam ditionem in ea rerum colluuione retinere liceret, pro ſe quęque pacem cum Romanis firmare cupiebant. Godigiſco (Gundericum quidam vocant G.ſericum Iornandes, id certe falſo) Vandalorum Regi in has leges data eſt. Vt ſine veterum incolarum maleficio viuerent in Hiſpania, neq; triginta annorum præſcriptionis lege vllo tempore tuerentur aduerſus Romanos, quæ per vim nefaſq; vſurpaſſent. Quibus verbis indicabatur eam pacem non tam voluntate conceſſam, quam expreſſam neceſſitate: magiſq; facultatem deeſſe quam bellãdi cupiditatem. Omnino ex eo fœdere inter barbaros nouis ſuſpicionibus natis bellum cõtinuo exarſit. Alani ferociores Vandalos atq; Silingos Bætica relicta coegerunt in Calęciam ad Sueuos confugere, vt iunctis cum illis viribus Alanorum audacia repreſſa ſedes ſuas, vnde erant pulſi recuperarent. Alanorum impetu in Celtiberiam & Carpetaniam conuerſo multæ vrbes & oppida detractę Romanis. Gotthi conſequenti anno ex quo in Galliam venerant, in Hiſpaniam penetrarunt. vbi eorum ope Attalus imperii honorem inane nomen exitialeq; primum vſurpauit: mox conſilii inops & viribus deſtitutus cũ mari euadere tentaſſet, ex fuga retractus a Conſtantio, qui ea littora validis claſſibus obtinebat, ad Honorium miſſus pollice & indice pręciſis in Liparam exilii gratia deportatus eſt. Athaulfus Gotthorum Rex ſiue ſuopte ingenio, ſiue ex noua affinitate ad pacem quam ad bellum propenſior, cum Barcinone conſtitiſſet, ſuorum
416. cõiuratione periit anno ſalutis quadringenteſimo ſextodecimo, cũ annos amplius quinq; regnaſſet. Vernulfus puſilla ſtatura homuncio, cęterum viuido ingenio & in omnia iura familiaria aſſuetus, nactus opportunitatem facinoris, Regis latus diſtricto enſe tranſuerberauit. Dobbium Olympiodorus vocat & Athaulfi cæde vindicaſſe heri cędem ab eo ante occiſi. Sex Athaulfi filios vna cum patre periiſſe ſepulchri inſcriptio carmine concepta declarat, cuius hodie ſepulchri pars Barcinone extat. Ei inſcriptioni quanta fides ſit arroganda, aliorum eſto iudicium: nobis recentior viſa eſt, quam pro horum temporum antiquitate. Natum certe ex Athaulfo & Placidia atque in prima ætate defunctum infantem Theodoſium, in oratorio pro Barcinone vrbe atque in theca argentea ſepultum: alios ex priori coniugio Athaulfi filios de ſinu Sigeſari Epiſcopi abſtractos neci datos à Sigerico ſucceſſore: præterea ante eius equum Placidiam cum aliis captiuis longo ſpatio currere compulſam fuiſſe (ſic ſunt rerum vices) Olympiodorus ait. Ergo in Athaulfi locum Sigericus gentis ſuffragio ſubrogatus (nam indoles inerat belloq; & pace ſpectata virtus ad hæc in procero corpore oris dignitas quamuis crure altero ex equi caſu debilitato) cum Athaulfi veſtigiis inſiſteret eatenus, vt ad pacis conſilia procliuis videretur, ſuorum coniuratione ferro occubuit intra primum regni annum, Vvalia ſubſtituto inquieto homine atque bellaci. Hunc ſcribunt ſub initia regni inſtructa claſſe in Africam tranſmittere voluiſſe: ſiue rerum ſuarum deſperatione, cum vtrinq; hoſtes terrorem incuterent, hinc Conſtantius, inde nationes barbarę, ſiue alia quauis de cauſa ac prę ſertim Mauritaniæ occupãdę ſtudio Hiſpaniæ contributæ. Diſiecta ſane vi tempeſtatis claſſe ad freti Gaditani fauces, cum in Oceanum egredi pararet, neceſſitate in Hiſpaniam reuocatus cum Conſtantio fœdus pepigit ea lege: Vt Placidia Athaulfi vxor, quæ Cõſtãtio erat à fratre Imperatore pacta redderetur. Nationes barbaras quæ obtinebãt Hiſpaniam Gotthi bello fatigarent. Eius belli progreſſu quidquid terrarum quæſitũ eſſet ereptumq; hoſtibus, cederet imperio Romano. Ipſi quibus finibus antea, in Gallia atque Hiſpania ditionem terminarent. Hæc pax facta eſt, eius
418. ſeculi anno octauodecimo, auctore Paulo Oroſio Presbytero Tarraconenſi, Auguſtani atque Hieronymi familiaritate claro. qui rerum Romanarum hiſtoriam perduxit in proximum annum Flauiiq; adeo Monaxi & Flauii Plinthæ conſulatum, Conſtantio cum Placidię nuptiis imperii maieſtas acceſſit Honorio concedente. Vvalia ob domitas, vt erat in fœde-

fœdere, gentes barbaras, Aquitaniæ poſſeſſione auctus eſt, nobiliſſimo Galliæ tractu Garumna flumine & Pyrenæis montibus comprehenſo, vbi Toloſa & ad Oceanum Burdigala ſitæ ſunt. Ex Celtiberia enim, quo Conſtantius penetrarat rerum Hiſpanienſium cura Gothi noui belli cura ſuſcepta, in Alanos rerum ſucceſſu ferocientes, neque iis finibus contentos quos primo aduentu occuparant, atque ad totius Hiſpaniæ imperium aſpirantes impetu facto, Rege eorum Atace in prælio cum multis ſuorum trucidato, qui cladi ſuperfuerunt deſerta Luſitania in Calæciam aufugere compulerunt, vbi Sueuis confuſi gentis & regni nomen penitus amiſerunt. Alanquer oppidum in Olyſiponenſi agro, & Alanim in montibus Hiſpalenſibus quidam ſuſpicantur ab Alanis ea nomina accepiſſe (nam Alanquer olim Ierabrica fuit) nulla meliori coniectura, quam appellationum ſimilitudine. Eodem belli impetu Silingi vexati, domitique (cum in Tarteſſiacis campis pugnatum eſſet) conſtitutis qui genti iura darent ex Gothorum numero. Horum exemplo Vandali, atque Sueui caſtigati retenta ditione, in ius conceſſerunt Romanorum, quorum auſpiciis bellum adminiſtrabatur, Gothorum periculo, & armis. Negatum tamen vectigalibus, Romani imperii ſtipendia facere, ne retentis armis rebellandi facultas eſſet. Walia grauiſſimo bello breui confecto, cum in Galliam conceſſiſſet quaſi Hiſpania penitus domita atque pacata, Toloſæ ex morbo defunctus eſt eius ſeculi anno nonodecimo, cum tribus 419 annis iura Gotthis dixiſſet, ſuumque & gentis nomen tantis rebus geſtis magnopere illuſtraſſet.

Theodoredi Regnum CAPVT III.

POſt Waliæ profectionẽ in Galliã duæ res incommodæ conſecutæ ſunt. Conſtantii Imperatoris mors, cum Hiſpania Galliaque pacatis in Italiam ſe contuliſſet Rhauennæ defunctus eſt ſalutis anno quadringenteſimo vigeſimo primo, Valentiniano infante ex Pla- 421 cidia relicto: quem auunculus Imperator in Imperii ſpem educandum curauit. nationes barbaræ in Hiſpania reſurgere cœperunt atque ditionem & auctoritatem priſtinam recuperare. Vandali inprimis, quorum erat inter gentes cæteras opinio virtutis ſingularis Rege Gunderico Hiſpaniæ totius imperio ſpe deuorato Sueuos (cauſſæ in incerto fuere) ſed Sueuos tamen Eruaſis montibus ſe tenere coegerunt, magis locorum munitione fidentes, quam vera virtute. Hos montes Legionem inter & Ouetum Aruas hoc tempore vocari peruetuſto monaſterio nobiles quidam arbitrantur, & Ptolemæo Narbaſos eſſe. Montium horum quicunque fuerint præſidio Sueui cum nuſquam totius dimicationis copiam facerent, Vandali victoriæ ſpe depulſi inſtructa claſſe in Baleares profecti ferro igneque eas inſulas deformarunt. inde in continentem verſi Carthaginem Spartariam, quæ paulo ante Alanis erepta in ditione Romanorum erat, ſolo æquarunt, non totis ſexcentis annis decurſis ex quo à Pœnis fuerat fundata, imperii Punici arx atque præſidium in Hiſpania. Secundum hanc cladem ad caſas redacta, propter portus nobilitatem conſequenti tempore habitari cœpit. noſtra ætate vix in ea ſexcentæ familiæ numerantur. Omnino ex eo tempore vrbis Carthaginis iura Toletum migrarunt. quod ab antiquo ſcriptore rerum Hiſpaniæ affirmatum, nonnulli de Metropolitani dignitate interpretantur: alii de conuentu iuridicundo Carthaginenſis prouinciæ populis Toleto iura petere coactis, quæ ſtante Carthagine ab ea vrbe petebantur. argumenta quoniam in neutram partem aſſenſum expriment: de tota re liberum lectori iudicium ex aliorum lectione relinquatur. Gundericus Vandalorum Rex exciſa Carthagine in Silingos impetu facto, quoniam Romanorum auctoritatem ſequebantur, eorum agris vaſtatis atque Hiſpali eorundem ditionis vi expugnata atque direpta, cum ad extremum ſancti Vincentii in ea vrbe templum opibus & religione nobile ſimili audacia diripere, atque ſpoliare pararet, in ipſo templi limine extinctus eſt, violatam religionem diuino numine ipſiuſmet Regis morte procurante. Succeſſit Genſericus defuncti ex impari matre frater; alii Guntharim ſcribunt. Hæc omnia intra eundem annum geſta ſunt quo Conſtantius Imperator obiit. quo tempore Iouino & Maximo imperii nomen occupantibus in Hiſpania, noui motus excitati Honorium Imperatorem compulerunt nouis delectibus habitis, Caſtinum rebus geſtis ea ætate nobilem contra tyrãnos & Vandalos ablegare. Eius virtute Iouinus & Maximus, quoniam exiguo præſidio nitebantur, & magis rerum perturbatione quam ſua virtute fidebant, breui in poteſtatem redacti atque perempti ſunt: maior rerum moles à Vandalis opponebatur. Itaque Caſtinus viribus diffiſus Bonifacium quidem Comitem belli & pacis artibus æquè atque Auguſtini familiaritate nobilem ex Africa, vbi res gerebat, acciuit in Hiſpaniam, cæterum diſcordia vt fit inter pari poteſtate Duces exorta, cum ſummo periculo tum Hiſpaniæ tum

rerum Romanarum Bonifacius in Africam rediit. Caſtinus eo præſidio deſtitutus contra
Vandalos nulla re geſta memorabili in Italiam redire compulſus eſt ipſo anno huius ſeculi
423. vigeſimo tertio: quo Honorius Imperator rebus humanis exeptus eſt octauodecimo Ka-
lend. Septembris, cum imperaſſet annos octo & viginti, menſes vndecim, dies decem, non
magis conſtantia religionis quam imperii caſu atque infelicitate nobilis. Corpus in D. Pe-
tri Vaticani tumulatum. Valentinianus eo nomine. III. in defuncti locum eſt ſubrogatus,
ætate puer, atque tantis rebus ſuſtinendis impar. Eam imbecillitatem Flauius Ioannes ad
imperii occupandi occaſionem vertit. Ioanne poſt biennium oppreſſo Bonifacius Ætii
æmulatione, quem apud Placidiam gratia & auctoritate plurimum poſſe dolebat, vindictæ
ſtudio & rebus ſuis cauens Vandalorum Regem Genſericum acciuit in Africam barbaro-
rum armis Africæ imperium retinere cogitabat, Vandalis parte data, vti erat in fœdere de-
ſignatum. Vſque adeo ambitionis labe excæcantur humani animi, vt neque Reipublicæ
amor, neque fides, neque religionis ſtudium quo erat ſingulari, hominem alioqui probita-
tis opinione excellentem à concepto facinore retardarit. Itaque Genſericus Africæ im-
perio occupandæ occaſionem non eſſe prætermittendam iudicans, deſerta Bætica, atque
ſpe repudiata totius Hiſpaniæ, cuius imperium meditari cœperat, armis ſubiugandæ, cum
octoginta Vandalorum millibus mare tranſmiſit, huius ſeculi anno ſeptimo & vigeſimo,
427. Hierii & Ardaburii Conſ. Silingi remanſerunt in Hiſpania, eaque potiſſimum Bæticæ
parte, vbi Hiſpalis ſita eſt. vnde quoniam Vandalis contributi erant, illiſque confuſi con-
ſequenti tempore Bæticæ nomen Vandaloſiæ appellatione non iiſdem prorſus finib. mu-
tatum eſt. Vandali in Africa initio quidem iunctis cum Bonifacio viribus magnam eius
prouinciæ partem ſub imperium miſerunt: deinde tamen orto diſſidio, vt eſt incommu-
nicabilis natura poteſtatis, Vandali conceſſa in fœdere Africæ parte haudquaquam con-
tenti: & ſolent homines ad maiora tendere ſordentibus primis cum meliora expectantur,
Bonifacium viribus inferiorem intra Hipponem obſeſſum (qua in obſidione Auguſtinus
eius vrbis Epiſcopus obiit, vir immortali laude gloriaq; digniſſimus) expugnata vrbe per-
emerunt, vniuerſamque propemodum Africam redegerunt in poteſtatem. Arii opinio-
nibus deprauati venerant (ex Gothorum fortaſſis commercio.) Ex eo magnis calamita-
tibus atque diuturnis Africanæ eccleſiæ implicatæ ſunt. innumeri mortales perempti ob
veræ religionis atque catholicæ conſtantiam. In his Arcadius, Probus, Paſchaſius, Euty-
chius cæſi ſunt, regiæ Genſerici aulæ aſſeclæ: tum Paulillus puer Paſchaſii & Eutychii fra-
ter germanus in ſeruitutem contraditus eo conſilio, vt ſordidi miniſterii cui addicebatur
tædium de mentis conſtantia deduceret. Fuere hi Martyres natione Hiſpani atq; quãtum
437. ex Proſpero coniici licet anno quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo mortem tolerarunt.
Vandalorum diſceſſu Sueuorum potẽtia vniuerſæ Hiſpaniæ cœpit eſſe formidabilis Her-
menerico gentis Rege. eoque ex diuturno morbo ſublato, ſalutis anno quadringenteſi-
mo quadrageſimo, regni anno trigeſimo ſecundo, Rechila filius ardenti ingenio iuuenis
440. veſtigiis patris inſiſtens, atque in ſpem erectus imperii obtinendi Hiſpaniam vniuerſam, ad
Singilim fluuium congreſſum Andebotum ab Imperatore miſſum in Hiſpaniam, in prælio
victum cæcidit. Ex præda auri & argenti copia ad bellicos ſumptus tolerandos. ſecũdum
eam victoriam Bætica imperio ſubacta, Silingis domitis atque Hiſpali in poteſtatem reda-
cta haudquaquam priſtinam amplitudinem gloriamque retinenti, cum bellorum iniuriis
eſſet deformata. Mox in Luſitaniam belli impetu conuerſo Emerita expugnata Alanorum
reliquiæ penitus oppreſſæ, deleteque ſunt. Sebaſtiani ſtrenui Ducis pro Romanis diſceſſus
in Africam, vbi à Vandalis occiſus eſt auctore Paulo Diacono, multum contulit ad Sueuo-
rum audaciam confirmandam. Carpetania & Carthaginenſis prouincia victricib. armis
ſub imperium miſſæ, breui ex fœdere pacis ſtudio facto ad ius ditionemque Romanorum
448. redierunt. Obiit Rechila ſalutis anno quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Reccia-
rio filio ſucceſſore, qui primus Sueuorum Regum Chriſtiana ſacra ſuſcepit Sueuicæ reli-
gionis conditor in Hiſpania. atque hæc Sueui. Gothi vero Theodoredo Rege Walliæ
propinquo atque ſucceſſore ditionem in Hiſpania anguſtis finibus terminabãt exiguo tra-
ctu prouinciæ, vbi nunc Catalauni ſunt, ſubdito: opibus tamen atq; militari gloria in Gal-
lia florentes, Romanis cum quibus rupto ſuperiori fœdere ex bellis bella ſerere ſoliti erant,
terrori eſſe cœperant. Numeroſa Theodoredi ſoboles potentiam augebat. Sex enim filios
genuerat, Turiſmũdum, Theodoricum, Fridericum, Euricum, Riccimerum, Himericum:
filias duas, alteram Genſerici filio Hunnerico connubio iunctam impio homini & imma-
ni, qui catholicos in Africa indignis modis vexabat, vxorem præciſis naribus nulla magna
de cauſa, ſuſpicione tantum inductus veneni ſibi parati leui ſcilicet & inani, remiſit ad pa-
trem. Altera Recciario nupſit Sueuorum Regi in Hiſpania. Irruperant ea tempeſtate in
Galliam

Galliam Hunni Duce Attila, qui Dei flagellum vulgo vocitatus eſt, ſiue vltro imperii proferendi cupiditate, ſiue Romanorum arte inducti ad Gothorum potentiam audaciamque frænandam ſiue quod vero propius eſt, Generici Vandali hortatu Gothorum arma vindictamque patrati ſceleris formidantis. Hunnorum gentem quidam intra Riphæos montes collocant, Marcellinus ad Oceanum ſupra Mæotidem genus hominum figura truci, victu aſpero neque igne neque conditis cibis vti ſolitos, ſed radicibus & carnibus inter femora tepefactis: nonnunquam equorum ſanguine, qui inciſis venis manabat, vitam tolerare. Valentis imperio Gotthos antiquis ſedibus expuliſſe primum proditum eſt, deinde Armenia aliiſque Orientis prouinciis vaſtatis vtranque Pannoniam ſub Honorio Gothis eripuiſſe. In Gallia viciniſque locis cum irruptiones feciſſent, innatæ ſæuitiæ veſtigia fixere. Hoc demum tempore Galliam vniuerſam imperio ſubiicere parantes, Rhemos nobiliſſimam vrbem direptam incenſamque vaſtarunt, vbi Nicaſius ciuitatis Pontifex ſecuri percuſſus ab eagente eſt, ſacros hymnos extremis intermorientibuſque vocibus perſonās. Deinde Aureliano obſeſſa Gothos, Francos, atque Romanos impulerunt vt fœdere inter ſe facto coniunctis viribus communem hoſtem opprimendum curarent. Theodoredus Gothorum Rex ad incendium, quod vt Aquitaniam inuolueret verebatur, primus accurrens Aureliani obſidione ſoluta compulit barbarum in Catalaunos campos (hi Marochii ſiue Mauricii etiam dicti ſunt Toloſæ vicini) migrare. Affuit Ætius à Valentiniano militiæ Magiſter creatus, atque Franci Merouei Regis ductu, imperioque. Iis locis copiæ ad pugnam explicantur. Theodoredus Rex in dextro latere curare iuſſus, Ætius in ſiniſtro Francis adiunctis. Sangibanus Alanorum Rex eorum qui in parte Galliæ conſederant, vbi Aurelianum eſt, in medium agmen recipitur dubia fide: eoque ne ſe poſſet commouere prouidebatur. Contra ab Attila, Reges, nationeſque aliæ in cornua diſtributæ immenſa belli lues late patentibus campis diffuſa. Oſtrogothi in eo numero eminebant, præcipua virtutis opinione, in ſiniſtro latere Viſigothis obiecti. Attila ipſe Hunnique in medio agmine ſubſtiterunt, truci aſpectu cæteris aduſtiores. Locus decliuis erat. aſſurgentes collis faſtigium qui priores occupaſſent, magnum operæ pretium facturi videbantur. Vtrique pari conſilio, eo contendunt. Occupauere Romani. Eo incommodo turbatum militem & de prælii ſumma metuentem, Attila hac ſententia allocutus fertur: Victores orbis terrarum, domitores gentium verbis accendere opus non eſt. ne ignauis quidem virtutem oratio addat. fortibus quales vos eſtis pugnare ludus eſt, vlciſci hoſtes voluptas, vincendi conſuetudo in morem tranſiit. An victas Pannonias, Mœſias, Germaniam, Galliam, Mæotidis receſſus penetratos obliti eſtis? Aſſumite, qui decet victores animum. Licuit otioſis victoriarum fructum percipere quia otium ferre non potuiſtis, primi intuliſtis bellum. audaciæ maioris argumentum, ſit incitamentum facite. Hic dies orbis terrarum imperium veſtra virtute confirmabit. Eæ copiæ ex colluuione multarum gentium ſupremo conatu conflatæ an veſtrum conſpectum ferent milites, oculos, manus? Virtuti diffidunt, eo ſublimiorem locum auidiſſime occuparunt. At Viſigothos auxiliares habent. verum quantulum id præſidii rebus erit? Si in eos irruitis vno impetu Romani delicati emollitiq; voluptatibus, quaſi conciſis neruis, nullo impellente cadent. Excitate ergo virtutem: ſolitos aſſumite animos: veſtram operam ſi minus victoria, certe quod Dii auertant, nobis morte probate. Magnanimis vel in morte victoria eſt, vel in victoria ſalus, præmiaque à nobis non imperium modo ſed exemplum expectate. Vos niſi vincitis milites, quis alius Imperator, quæ prouincia accipiet, omnibus nationibus irritatis, inuidentibuſq; veſtræ felicitati? His dictis pugnæ ſignum datur. Hunni præcipitant impetum: excipiunt aduerſarii nihilo minori virtute, ſuorum & ipſi Ducum cohortationibus inflāmati. miſcentur agmina: prælium atrox fit his atque illis rurſus exitiabile, ſupremo conatu, vt par erat, de imperio orbis terrarum certantibus: cæſorum tam multo ſanguine, vt riuus vicinus exceſſiſſe ripas memoretur, mendacio probabili, quoniam ad centum octoginta virorum millia cecidere. Periit etiam ſub initium pugnæ Theodoredus Rex graui ætate, ſuorum pedibus cōculcatus, dum auidius pugnans in confertos hoſtes rapitur. Sunt qui ab Andage Oſtrogotho occiſum malunt. Quod debilitare potuiſſet, animos auxit. Turiſmundus & Theodoricus occiſi filii denſo ſuorum agmine obturbant hoſtes, feroces atque præcipites: abrumpunt ordines atque diſiiciunt. Attilam quamuis in illa trepidatione nullo conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officio prætermiſſo in fugā vertunt. Ipſi longius ſtudio prouecti proſpectu tenebris adempto, in reditu hoſtiū caſtris temere appropinquantes ſupremum periculum adierunt. Turiſmundus ex equo præcipitatus vulnere in capite accepto ſuorum virtute euaſit. Hoſtis ſpe orbem terrarum complexus, quia non viciſſet, pro victo ſe in caſtra recipit, ſi quid grauius accideret, mortem conciſcere certus acceſo rogo. Car-

ri quibus munita erant caſtra, ſaluti fuerũt, & noctis tenebræ qua ſpe pugnam poſt meridi-
em inchoarat. Ætius haud minori metu vallo ex equorum cadaueribus clypeiſque facto,
noctem totam in armis ſuſtentauit. hoſtem ſequenti luce certamen repetere detrectan-
tem obſedit primum intra caſtra: deinde cum deleri facile potuiſſet, haud ægre paſſus eſt
è Gallia in Pannonias redire. Multũ de tantæ victoriæ voluptate & gratulatione tũ barbari
fuga diminutũ eſt, tũ Theodoredi caſu: tametſi Romanis æque ac Francis gratũ accidiſſe
videbatur Regẽ præpotentẽ de medio fuiſſe ſublatũ. Conſultus ab Attila vates Duce hoſtiũ
cæſo victorẽ fore denunciarat, mentitus in altero, alterius partis vana interpretatione Ætii
capiti id minari exiſtimabant, vt eſt genus hominũ fallax vanumq;. Triduo armorũ frago-
rem iiſdem veſtigiis auditum, pugnantium clamorem vmbris pertinaci contentione poſt
mortem in pugna perſ..ntibus in Græca Iſidori philoſophi vita traditur. Occaſionem fa-
bulæ videlicet prælii nobilitas præbuit. Pugnatum eſt, vti Caſſiodorus ait, Martiano Au-
451. guſto & Clodio Adelphio Coſſ. eius ſeculi anno quinquageſimo primo, Theodoredi re-
gni anno trigeſimo ſecundo. Huic prælio Sueuorum Regem Recciarium interfuiſſe non-
nulli ſuſpicantur, ob affinitatem cum Gotho Rege iunctam: certe Vaſconibus qui in Ro-
manorum fide ea Hiſpaniæ parte perſtabant, vbi Nauarra ſita eſt, bello tentatis in Galli-
am tranſcendit ſoceri inuiſendi ſtudio: & Gothorum auxiliis auctus in Tarraconenſi pro-
uincia Cæſarauguſtam eripuit Romanis: Carthaginenſem prouinciam & Carpetanos lon-
ge lateque depopulatus fœdere cum Romanis icto in ditionem patriamque reuertit: Bæ-
ticam, Luſitaniam, atque Galeciam imperio complexus, & ad reliquæ Hiſpaniæ domi-
nationem aſpirans.

Turiſmundus & Theodoricus. CAPVT IIII.

THEODOREDI funere in Gothorum caſtris procurato, Turiſmundus in patris lo-
cum cooptatus, ne patris vlciſcendi ſtudio fugientis Attilæ veſtigiis inſiſteret, Ætii cõ-
ſilium & auctoritas fecit, noui regni ſtatum diſputantis ſtabiliendum videri: ne fratribus
ſi forte male cogitarent, rerum nouandarum daretur ſpatium cum ex arcano prouideret
ne Gothorum potentia nimium aucta rebus Romanis exitium compararet. Ætii concilio
ita Turiſmundus acquieſcendum iudicauit, vt breui regni opibus firmatis Attilam inſecu-
tus prælio ſuperaſſe conſtet ad Ligerim fluuium, Alanorum partem iis locis conſidentem
ſubiicere imperio parantem. Nobiliſſima victoria fuit, qua compulſus Hunnus Galliæ
finibus abſceſſit. Sed Attilæ dimiſſi conſilium Ætio exitiale fuit. cum enim ſuppleto ex-
ercitu arma in Dalmatiam, Illyricum, atque Italiæ partem vertiſſe eſſet nunciatum, qui
opprimi in Catalaunis campis potuiſſet, Ætium Valentinianus occidendum curauit per-
454. duellionis lege poſtulatum, ſalutis anno quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Quo
tempore poſt Celeſtinum & Sixtum eo nomine. III. Leo Romanam eccleſiam guberna-
bat, vere Magnus ſapientiæ atque eloquentiæ laude ad animi dotes eximias, tractandi Prin-
cipes dexteritatem ſingularem adiunxit. Attilæ Hunno cum Romanis ceruicibus immi-
neret, retro iter conuertere obuiam factus ad Mincii vada: neque multo poſt Genſerico
Vandalo ne vrbem Romam quam ceperat incendio vaſtaret perſuaſit. cæleſti virtute ceſ-
ſit barbarus. Verum externa mittantur. Cum Turibio Aſturicenſi Epiſcopo in Italia o-
lim vſum habuerat Leo, cum eam prouinciam aliaſque non paucas ſiue ſapientiæ ſiue re-
ligionis ſtudio Turibius peragraret. ex huius litteris Põtifex factus Priſciliani ſectam cog-
nouit toties iugulatam denuo renaſci, in Calæcia præſertim vbi contagionis malum incu-
buerat maxime. Malo procurando conuentum Epiſcoporum Tarraconenſium, Cartha-
ginenſium, Luſitanorum, atque Calæcorum conuocandi curam Turibio ipſi per litteras
demandat. Conuenere Epiſcopi vt erat imperatum, Celenis Calecìæ municipio: vbi Priſ-
ciliani placita cunctorum ſuffragio iugulata: rectæq; fidei formula de ſcripto concepta, Bal-
leonio Bracarenſi Præſuli deſtinata eſt Metropolitani iure an etiam Primatis cunctis eo
tractu eccleſiis imperantis. Huius formulæ mentio facta eſt concilio primo Braccarenſi:
ſubiiciturq; primi concilii Toletani decretis, quaſi eius pars, maleque aſſutus cento erro-
re eius qui conciliorum volumina primus compilauit. Extat præterea Turibii epiſtolæ
fragmentum aduerſus Priſcilliani ſectam ad duos Epiſcopos Hiſpaniæ, vbi ſecundum ſalu-
tem: Dolere ſe, ait, religionis concordiam, quam reliquæ eccleſiæ tenerent, in patria labe-
factari, Epiſcoporum culpa malum toties compreſſum denuo renaſci non ſatis conſide-
rantium. Suſceptæ vitæ rationes atque demandati muneris partes ſibi rebus omnibus in-
feriori loquendi neceſſitatem imponere. Libros apocryphos, quos hæretici pro diuinis
venditabant, reiiciendos videri. Thomæ Apoſtoli acta non aqua ſed oleo aſſirmantia ſoli-
tum Tho-

tum Thomam baptizare, quod ex eius libri auctoritate Manichæi recipiebant ſacramentum, reiiciebat Priſcillianus. Andreæ acta à Manichæis vel confícta vel deprauata. Ioannis geſta à Luceio compoſita homine nefario. Apoſtolorum memoriam, quo libro lex vetus penitus conuellebatur, inde Manichæos & Priſcillianiſtas hauſiſſe conſtabat. eius libri deliria affirmat de ſcripto à ſe impugnata eſſe ſigillatim. diſputationem temporis diuturnitas abſtulit. Turibii corpus ad D. Martini de Licuena in Aſturibus tumulatum eſt à quibuſdam etiam Hiſpaniæ populis ad ſextumdecimum Kal. Maii feſto dicato eius memoria celebratur. Ad Turiſmundum referatur oratio, quem ſuperbius atq; crudelius imperantem, quam vt libero homines ingenio atque feroci pati poſſent, Theodoricus & Fridericus fratres perimendum curarunt. Aſcalernus in omnia Regis familiaria iura aſſuetus ex morbo decumbentem ferro oppreſſit, toto anno circumacto ex quo Gothis iura dabat. Conſequẽti mox anno, qui annus à Chriſti ortu fuit quadringenteſimus quinquageſimus 455
quintus, ad quintumdecimum Kalend. Aprilis. Valentinianus Imperator Romæ interemptus eſt à Thraſila Ætii milite. ſpecies erat vlciſcendi Ducis iniuria ſublati, re Maximo ſubornante tantum facinus ſuſcepit, cum is tyrannidem affectaret, atque vt fecit Eudoxiam Valentiniani vxorem ſibi toro iungere pararet, eius maieſtate occiduum imperiũ occupare ſatagens, plane ex hoc tempore collapſum penitus atque conuulſum. Nouem enim deinceps tyranni maleq; ominati Imperatores haudquaquam imperii nomine digni ſunt habiti. Cum per idem tempus Orientis prouincias Theodoſio Iuniore defuncto Martianus imperio teneret, ſynodus Epiſcoporum Chalcedone habita Patrum Concilii Nicæni numero duplicato, Dioſcori & Eutychetis veſanas de Chriſto opiniones iugulauit. Gothorum gentem Theodoricus prudentia ac moderatione ſingulari cœperat gubernare, Princeps optimus, ni religionem Arii placitis, vitæ probitatem fratris germani cæde fœdaſſet. Sidonius Apollinaris Comitis honore à Theodorico decoratus, deinde in Gallia factus Antiſtes, litteris ad Agricolam datis Theodorici virtutes ſigillatim commemorat. venuſti oris dignitatem: corpus eximia firmitate compactum, neque munditiis cultum, ſed virile prorſus, ac militare: iaculandi peritiam: in cibo & potu ſobrietatem: ſolitum à prandio animum curis regni grauem atque diſtentum, honeſtis ludis laxare: & quod Regum proprium eſt, ſupplicibus audiendis patientiam adhibere ſingularem: iocis ſcurrarum inter cœnandum citra cuiuſquam morſum ſeſe oblectare. Auito apud ſe legato à Maximo Auguſto, cognita eius cæde perſuaſit, vti Occidentis imperium inuaderet, opibuſque & auctoritate iuuit: eoque concedente impetrauit vt Gothico imperio cederet quidquid in Hiſpania Sueuis ereptum eſſet, Romanorum ditionem Carpentibus identidem atque vniuerſæ Hiſpaniæ imperium ſpe complexis. Inferendi belli honeſta cauſa quærenda erat, affinitatiſque iura violandi. Optimum viſum eſt miſſa legatione Recciarium modeſtiæ admonere, ne vltro finitimos, vnde nulla iniuria extaret, laceſſendo publicum aliarum gentium odium atque inuidiam concitaret. Regna æquitate conſtitui, ambitione atque immanitate labefactari. Se niſi deſineret imperio Romano, cui fidem aſtrinxerat, & à quo multis beneficiis eſſet prouocatus, deeſſe officio non poſſe. Ad hæc Recciarius vt erat elato animo, quem ſecundi bellorũ ſucceſſus inflauerant ſpe vana, breui ſe Toloſæ affore reſpondet: vt quantum in vtraque gente virtutis eſſet periculum faceret, marteque arbitro de tota controuerſia diſceptaret. Eo reſponſo Theodoricus accepto, ſuorum delectu habito, adiunctiſque Burgundionum & Francorum auxiliis Pyrenæos montes tranſcendit, atque ad Vrbicum flumen Hiberiam præterfluens atque Aſturicam in Calæciæ finibus congreſſum hoſtem fundit, fugatque. Ingens in eo prælio Sueuorum cædes facta Recciarius ipſe accepto vulnere cum nihil tutum in Hiſpania fore crederet, naui in Africam tranſmittere parans, vi tempeſtatum repulſus ad portum Cale, qua parte Durius in Oceanum euoluitur, victoris iuſſu interfectus eſt, eius ſeculi anno quinquageſimo ſexto, vt Ado Viennenſis eſt 458.
auctor. Bracara direpta abſq; vllo ciuium ſanguine: & fortaſſis in ea vrbe Sueuorum regia fuit. Calæciæ ſecundum id prælium domitæ à Theodorico, Achiulphus ex Warnorum gente longe à Gothici ſanguinis nobilitate præfectus, fide inconſtanti. Arma in Luſitaniam verſa. Eulaliæ monitu ab Emeritæ direptione temperatum: cum in eius Diuæ tutela res eius vrbis eſſent. In Bæticam cum copiarum parte Ceurila miſſus: Nepotianus & Nericus in Calæciam aduerſus Achiulphum, qui fidei oblitus in ea prouincia tyrannidem inuaſerat. Theodoricum in Galliam, ſiue otii cupiditas, ſiue motus alii vocabant, Romanis enim & Maioriano, qui Auito ſucceſſit, iratus, qua cauſſa incertum, ſed infeſtis tamen agris oppidiſque vaſtatis, armatus Rhodanum vſque penetrauit, ac Lugdunum in poteſtatem redactam incendio & direptionibus deformauit. Ceurilæ in Bæticam cum de improuiſo celeriuſque omnium opinione ventum eſſet incolæ legatis miſſis

nunciarunt, ſe ſuaque omnia fidei atque poteſtati Gothorum permittere. neque cum reliquis Sueuis conſenſiſſe, neque contra Romanos conſpiraſſe. paratos eſſe obſides dare, imperata facere, oppidis recipere, frumento aliiſque rebus omnibus iuuare. Itaque ſine ſanguine Bætica Gothorum ditionis facta eſt. in Calæcia maiori contentione bellum gerebatur, ac tandem ad Lucum commiſſa pugna Achiulphus, qui Regis nomen occupauerat, certe à Gothorum imperio defecerat cum in poteſtate veniſſet capite mulctatus eſt. Viris ſanctis annitentibus, quos Sueui ad Theodoricum miſerunt legatos cum infulis & velamentis ſupplices, venia prouinciæ eſt impetrata. neque venia tantum delictorum, quam poſtulabant, ſed & ab incredibili animi magnitudine datum collectis naufragii reliquiis Regem è ſuo numero genteque creare. Ventum in comitia, & cum voluntatibus diſcreparent, pars Frantam Regem iuſſit, pars Maſdram. intra biennium Maſdra ſuorum ferro occubuit, Re-
460. miſmundus filius ſucceſſor, anno ſalutis quadringenteſimo ſexageſimo, iuxta Iſidori computationem, numeris ad veram rationem caſtigatis, fœdere cum Franta icto, iunctiſque cum eo viribus, Luſitaniam ad Romanorum ditionem, quo caſu incertum, ſed reuocatam tamen, igne ferroque depopulatus, ſub iugum imperii mittere prorſus non valuit. Romæ, atque in Italia Recimer ex Waliæ Gothi Regis filia & Sueuo patre natus, militiæ Magiſter (ſummæ id poteſtatis ſecundum Imperatores nomen) inſtituendis deſtituendiſque in ea temporum fæce Imperatoribus rem Romanam ſurſum deorſum verſabat. Nam Mæcilio Auito, qui poſt Maximum imperium tenuerat abdicante, Iulius Valerius Maiorianus ſucceſſor in Hiſpaniam delatus, eius prouinciæ motibus pacatis, in portu Carthaginis claſſem ædificandam inſtruendamque curauerat, Vandalos in Africa opprimendi ſtudio. Tantus apparatus Romana claſſe qua incenſa ab hoſtibus cum Imperatoris conatus præoccupaſſent, qua capta euanuit. Maiorianus ipſe rei malæ geſtæ ignominia deformis, cum in Gallia tamen, Gothi quæcunque occupauerant, imperio reſtituiſſet eius prouinciæ ſtatu compoſito in Italiam re-
461. uerſus Ricimeris fraude Derthonæ captus, ſalutis anno quadringenteſimo ſexageſimo primo, ad Hiram fluuium, ſeptimo Idus Auguſti periit. Vibius Seuerus coniurationis particeps in eius locum ſubrogatus eſt Ricimeris ope ſubleuatus. In ea rerum perturbatione Theodoricus Narbonem priſtinæ ditioni adiecit tradente vrbem Rauennio quem ipſe magis pollicitis ad defectionem a Seuero Auguſto ſollicitarat. Extat huius temporis inſcriptio Nebriſſæ in ipſa templi fronte ſupra ianuam his verbis: ALEXANDRIA CLARISSIMA FOEMINA VIXIT ANNOS PLVS MINVS. XXV. RECESSIT IN PACE. X. KAL. IANVA. ERA. D. III. PROBVS FILIVS VIXIT ANNOS. II. MEN. VNVM. Vnde intelligitur Latinæ linguæ elegantiam multum ab antiquo degeneraſſe. Alpha & omega cum ſigno Crucis ea forma ad quam Conſtantinum Magnum Labarum conformaſſe ſuperius eſt demonſtratum, inſcriptioni ſubiecta more eius temporis Chriſtianorum ſepulcra diſtinguebant ab aliis. Romanam eccleſiam per idem tempus Hilarius patria Calaritanus regebat, Leonis Magni ſucceſſor. Extant Aſcanii Tarraconenſis Præſulis ad Hilarium litteræ, ex quibus in conuentu Epiſcoporum, nam forte conuenerant ad eius diem natalem celebrandum, Romæ relatum eſt: Nundinarium quidem Barcinonenſem Epiſcopum hæredem ſcripſiſſe fortunarum atque ſucceſſorem deſignaſſe Irenæum adiutorem ſuum. eius voluntatem, atque iudicium principum & populi ſuffragiis comprobatum. idem Siluanum Calagurritanum Epiſcopum effeciſſe, ſucceſſore deſignato, verum abſque populi voluntate & Metropolitani conſenſu. Proinde petere vt Hilarii auctoritate priori electione comprobata, poſterior irrita eſſet: Reſponſum ab Hilario quoniam nullo modo poſſet cauſſa Barcinonen. à Calagurritano diſtingui, ne hæreditarium videretur quod Chriſti benignitate confertur, & vitæ merita conciliant: vtranque electionem irritam eſſe, atque more & legibus inſtaurari debere. litteræ tertio Kal. Ianuarii datæ Baſiliſco & Hermenerico Coſſ. nimirum ſalu-
465. tis anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto. In his litteris Aſcanius Tarracon. prouinciæ Metropolitanus dicitur. Turiaſo, Calagurris, Legio, Barcino, Ciuitatenſes (Mirobriga veteribus fuit) locorum quamuis ſpaciis multum ſeiunctæ, eius cura continebantur. ad indicium omnibus eum eccleſiis præfuiſſe in Hiſpania quæcunque Romano imperio parebant, & a Romana eccleſia tanquam religionis parente ſacra petere ſolitæ erant Primatis nomine nondum fortaſſis in Hiſpaniam inuecto. ſed vnde iura petebantur, & vbi ſedes imperii erat, ei vrbi auctoritatem in alias eccleſias datam, quam late fines imperii patebant, multis coiecturis habemus comprobatum. ad Calæciam reuocetur oratio.

Theodorici mors & Eurici regnum. Cap. V.

SVEVI nouis bellorum motibus agitati ſunt, in Franta defuncti locum factionis
ſuffragiis ſubſtituto Frumario. Æmulus Remiſmundus priuſquam vires coaleſce-
rerent, vniuerſam ditionem gentemque Sueuorum armis inuaſit; obtinuitque Fruma-
rio forte fortuna per idem tempus ex morbo defuncto. tametſi Iria Flauia, quæ vrbs in
Remiſmundi fide erat, ab aduerſa factione, belli deinde iniuria vaſtata eſt, Frumarii
morte non ſatis ſtudiis pacatis. Sueuorum gente ſub vnius imperium reuocata, magni
delectus tota prouincia habiti ſunt. Iis delectibus numeroſo exercitu conflato Remiſ-
mundus Luſitaniam inuadit. capta per fraudem Conimbrica, Oliſipo vrbem dedente
Luſidio ciue eius atque Præfecto venit in poteſtatem. Romanorum potentia contem-
ptui erat: Gothorum arma timebantur. Legatione miſſa Theodoricum conciliare vi-
ſum eſt, fidei conſtantiam polliceri, ſeque imperata facere eſſe paratos profiteri. No-
uum vinculum acceſſit affinitate inter Reges contracta, Theodorici filia Remiſmun-
do iuncta coniugio. Annuente poſtulatis Theodorico, noua nupta in Hiſpaniam miſ-
ſa eſt, Salano viro principe deducente, comite Aiace homine quidem Gallo, cæterum
in Regis gratiam pridem ad Arii ſectam traducto. & illud agebatur vt religionis diſſi-
dio huius opera ſublato, fœdus initum diutius ſtaret, Sueuorum gente ad Arii ſectam
traducta. Quod homo callidus diligenter præſtitit, in Remiſmundi gratiam à Regi-
na inſinuatus, & per eum gente lethali veneno vniuerſa contaminata. Salanus cum
nuptiis celebratis in Galliam rediret, Theodoricum inuenit Eurici fraude periiſſe ſalu-
tis anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo. ex quo pari ipſe perfidia Thuriſmun- 467
dum fratrem obtruncandum curarat, anno tertiodecimo. Gothorum regnum Eurico
abſque controuerſia ceſſit. Parricidii merces regnum fuit. Sueuorum potentia ſolici-
tabat: ne Remiſmundus ſoceri Regis cædem armis vindicaret. ſimul Luſitaniæ Sueuis
eripiendæ atque adeo Romanis pulſis vniuerſæ Hiſpaniæ imperio occupandæ cura erat.
quæ trifariam ea ætate diuiſa erat. Calæcia cum Luſitaniæ parte Sueuis parebat. Bæti-
ca & Catalauni Gothis. Romanorum imperio Carthaginenſis tractus, Carpetani ac
ferme reliquæ Hiſpaniæ prouinciæ tenebantur. Euricus ergo Fl. Leone, qui Orien-
tis prouincias imperio obtinebat, per legatos conciliato, cum validis Gothorum copiis
in extremam Hiſpaniam penetrauit. atque Luſitaniæ prouincia nullo prohibente lon-
ge lateque vaſtata, copiarum parte præmiſſa vt Pompelonem & Cæſarauguſtam, quæ in
fide Romanorum erant, expugnaret: ipſe etiam cum robore exercitus in Hiſpaniam Ci-
teriorem rediens, Tarraconem (quæ ciuitas in Hiſpania maximam habebat auctorita-
tem) poſt diuturnam obſidionem in poteſtatem redactam ſolo æquauit. moræ tædium
dolorque ad vindictam incitabat. Sic Romanis in Hiſpania, vniuerſa ditione impe-
rioque ſpoliatis, quod ferme ſeptingentis annis ſteterat, præter Calæciam, quæ Sueuis
parebat, reliqua Hiſpania Gothorum armis ſubiugata eſt. atque hæc in Hiſpania. In
Gallia ditionis Gothicæ fines amplificati hac occaſione ſunt. Inteſtinis armis ſuprema ac
pudenda imperii imbecillitate res Italiæ laborabant: vix vt aut ſuis viribus aut externis
auxiliis conſiſterent. Etenim Vibio Seuero Imperatore defuncto Flauius Anthemius
imperium Occidentis aliquandiu tenuit Ricimeris Patritii opibus fultus, cui præmium
operæ fuit noui Auguſti filia in matrimonium collocata. Gratia diuturna non fuit, ne-
que tanta priuati hominis potentia fida eſſe poterat. Aut pereat aut perdat neceſſe eſt qui
Principi metum facit, vti tunc accidit. Enata inter ſocerum & generum ſimultate ad ar-
ma ventum, vrbeque à Ricimere capta atque direpta Anthemius ipſe ferro periit. Res
in Olybrium Senatorem translatæ. Ricimerem paucis poſt diebus mors oppreſſit, ſæuiſ-
ſimis corporis doloribus excruciatum. Cæleſtem vindictam vulgus interpretabatur ob
contempta affinitatis ſacra, vrbemque deformatam. Olybrium paulo poſt defunctum
Glycerius eſt ſubſecutus, nihilo meliori ſucceſſu. Iulius enim Nepos, quem Leo O-
rientis Auguſtus Imperatorem renunciarat, eum abdicare coactum Salonam in Dal-
matia amandauit Epiſcopum factum: ne ludibrio priuatus eſſet, erepti imperii ſola-
men, eiecto ſibi paulo poſt perfugium futurum. Oreſtis filius Nepote pulſo Momyl-
lus Auguſtus imperium à patre traditum accepit pridie Kalendas Nouembris, anno
quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto. Auguſtulum vulgus dixit, infauſtum vete-
ribus nomen atque irridiculum, nobile tamen extincto Occidentis imperio, quod eo- 475
dem nomine Octauius Auguſtus æternum fundaſſe videbatur. Sic vices fortuna mu-
tat, cadunt vrbes, imperiaque, prouinciæ in ſolitudines vaſtantur, certiſſimum in
ſingulorum caſibus leuamen. Nobiliſſimæ vrbes & regna quaſi proiecta cadauera

iacent. nos quibus vita exiguis ſpatiis conſtricta eſt, ſi quis noſtrum periit indignabi-
mur? Nimirum homines nos eſſe natos meminiſſe fas eſt, neque ſuperis ſuam inuidere
immortalitatem. Imperauit Auguſtulus menſes nouem, dies viginti quatuor. Odoacer
Herulorum Rex barbarus eo amoto Italiam Vrbemq; prædæ habuit, tenuitque imperio
amplius ſedecim annis. Euricus Rex Viſigothorum, domita Hiſpania in Galliam irrupe-
rat. ad cætera mala quibus prouinciæ premebantur, hoc quoque nouum acceſſit. Fata-
li perfidia ac eius ætatis præcipua Aruandus prior, deinde Seronatus, qui res in Gallia pro
Romanis gerebant, ſolicitarunt vt imperii prouincias occuparet, in ea temporum labe fa-
cili conatu. Acceſſit Genſericus Vandalus, nauali prælio à Baſiliſco Leonis imperio ad Si-
ciliam male mulctatus atque in Africam reiectus, maioris mali metu vtranque Gothorum
gentem contra Romanos incitauit magna præmiorum ſpe. Aruandus quidem & Serona-
tus proditione detecta capite pœnas dederunt iudicio conuicti. Genſerici conatus felici-
or fuit. Theodemirus Oſtrogothorum in Pannonia Rex recepto nuper Theodorico filio,
qui diu obſes Conſtantinopoli fuerat, cuique Italiæ imperium fata deſtinabant, Vindemi-
ro fratri negotium dat vt Italiæ inferat arma per ſe labanti pronæque in exitium. Verum is
donis a Glycerio Auguſto expugnatus relicta Italia in Galliam abiit, atque cum Eurico a-
gros iam, villas, oppida igne ferroque vaſtante magno prouinciæ terrore damnoque vires
iunxit, magnum rebus momentum. Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus à Nepote Auguſto
de pace legatus, vir ea ætate auctoritate præcipua, nihil profecit tamen. Eo digreſſo Ru-
theni, Cadurci, Lemouices, Gabalitani Gothorum armis expugnati. Aruernum Aquita-
niæ primæ vrbs (hodie Claramontem vocant, non procul eo colle vbi Gergouia fuit) diu-
turna obſidione victis ciuibus ad deditionem compulit. Propugnabant Sidonius eius vr-
bis Epiſcopus caſtiſſimus precibus, clarus eruditione, moribus ſanctus: Ecdicius Comes
armis Auiti quondam Auguſti filius. Verum cæleſtium auribus ſurdis vrbiſque mœnibus
magna ex parte proſtratis Ecdicius certæ fugæ conſiliū cepit. Nepos Auguſtus ad ſe voca-
tum Patritium creauit, virtuti debitum præmium, quamuis infelici. Oreſtem in Galli-
am Magiſtrum militum miſit, gente Gothum: vnde illi ad euertendum Nepotem verſis in
eum viribus, filiumq; rebus præficiendi opportunitas nata. Sic Euricus nullo impediente
imperii fines proferebat in Gallia. Maſſilia, aliiſque vrbibus, & omni vſq; ad Rhodanum
prouincia occupata regni ſedem Arelati collocauit. Tantis victoriis inſolentior, cum ho-
ſtes deeſſent, arma in religionem vertit Arianæ ſectæ, cui erat addictus, amplificandæ ſtu-
dio incenſus. Catholici eccleſiarum Epiſcopi loco mouebantur nullis aliis ſubſtitutis. Mi-
nores ſacerdotes ſublatis rectoribus diſſipabātur. Templa redigebantur ad vaſtitatem, pars
ſitu deformis, pars enatis herbis horrida, quas pecora & iumenta nihil prohibente loco-
rum ſanctitate depaſcebantur, conuulſis valuis atque aditu omnibus promiſcue patefacto
hominibus atque animantibus, niſi quæ forte ſepſiſſent arbuſta dumetaque ſponte nata.
Sidonius Apollinaris non vnis literis horum temporum calamitatem & malorum ſyluam
deplorauit: vnde hæc petenda ſunt ab annalium auctoribus prætermiſſa. Euricus cum
483. Gothorum regnum tenuiſſet annis ſeptendecim, Arelati ex morbo obiit ſalutis anno qua-
dringenteſimo octogeſimo tertio. Quo anno Hilarii ſucceſſor Simplicius Romanus Pon-
tifex defunctus eſt. Extat Simplicii ad Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum epiſtola his
verbis ſententiaque. Plurimorum relatu comperimus dilectionem tuam feruore Spiri-
" tus ſancti ita eccleſiæ gubernatorem exiſtere, vt naufragii detrimenta Deo auctore non
" ſentiat. talibus idcirco gloriantes indiciis congruum duximus vicaria ſedis noſtræ te au-
" ctoritate fulciri, cuius vigore munitus Apoſtolicæ inſtitutionis decreta vel ſanctorum
" terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas. quoniam digna honoris remune-
" ratione cumulandus eſt, per quem in his regionibus diuinus creſcere innotuit cul-
" tus. Ex his initiis, cum Hiſpalenſi Antiſtiti Romani deinceps Pontifices vicariam
concedere poteſtatem conſueuiſſent, illa auctoritas nata eſt, quam in reliquas Hi-
ſpaniæ eccleſias nonnunquam obtinuit, Primatis iure atque auctoritate nondum per
hæc tempora ad Toletanam eccleſiam deuoluta. Simplicio Felix ſucceſſit. cuius extant
literæ ad eundem Zenonem nulla præterea re ad memoriam inſignes.

Alarici regnum. CAPVT VI.

EVRICI funere procurato Alaricus filius procerum ſuffragiis, quibus pater optimis præ-
ceptis ſub vitę exitū coram caſtigatū magnopere cōmendarat, ſucceſſor eſt renūciatus:
Alarico Viſigothorū rege res Hiſpaniæ quietæ erāt. Gallia in multa imperia Gothorū, Frā-
corū, & Burgūdionū diuiſa diu qeſcere nō poterat. Theodoric⁹ in Italia Zenonis Imperato
ris

tis (is Leoni ſucceſſerat) permiſſu Oſtrogothorum regnum Odoacre victo cæſoque fundauit ſalutis anno quadringenteſimo nonageſimo tertio. 495. Oſtrogothorum origo à Radãgaſi tempore explicanda. eo enim ad Feſulas profligato Honorii imperio Stiliconis virtute, oppreſſi exercitus reliquiæ, qui ex Oſtrogothis cõſtabat variis iactatæ caſib. cum Hunnis vires ſociarunt, Attilæque in prælio Catalaunico militarunt, vti antea dictum eſt. Verum cum Romani imperii ſtipendia facere, quam barbaris ſeruire mallent, à Martiano Imperatore in Pannoniæ finibus ſedes ad habitandum datæ. Gentis regno paulo poſt ad Theodemirum deuoluto Theodoricus filius ex impari matre nomine Erelicua ſeptennis vt obſidis loco eſſet ad Leonem Imperatorem miſſus, morum comitate & dexteritate ingenii Imperatoris gratiam promeritus, ætate maior venia impetrata ad patrẽ remiſſus eſt: Rex demum à patris morte renunciatus cum ad Zenonem Imperatorem rediiſſet, quo tempore Odoacer Herulus Italiæ imperium inuaſerat, facile in Italiam tranſmittendi aduerſus eum facultate conceſſa, factaque poteſtate, victis profligatiſque hoſtibus, ſe Italiæ Regem dixit, Roma etiam ſubdita, vt Caſſiodori litteræ manifeſte declarant, Theodorici nomine ſcriptæ, cui à ſecretis erat. Noui regni vires vndecunq; quæſitis præſidiis confirmandæ erant. optimum viſum eſt, Francos, Burgundiones, & Viſigothos validas ea ætate gentes nouis affinitatibus conciliare. Itaque Clodouei Franci ſacris iam Chriſtianis initiati Audefledam ſororem ipſe duxit, filias duas ex concubina ſuſcepras, Oſtrogotham Alarico Viſigotho connubio iunxit, Theudicodam Burgundioni Gundibaldo. Vnde totius Occidentis moderator & arbiter exortam inter Viſigothos & Francos controuerſiã, miſſis ad vtroſque literis, quibus minæ admiſcebantur, componere conatus eſt. Franci religionis ſuſceptæ ſtudio Viſigothos Arii veſania pollutos oderant, moleſteque ferebant ad Alarici regnum tanquam ad receptaculum perfugere quicunque exules hoſteſque Francorum eſſent: & cum de colloquio actum eſſet inſidias vitæ ſuæ Clodoueus ab Alarico paratas comperiſſe ſe conquerebatur. Finitima regna diu pacata eſſe non poterant. res ad arma ſpectabat, bellumque inter duas ferociſſimas gentes ingenti mole cooriri videbatur. Id ex fama prius, deinde frequentibus nunciis cum Oſtrogotho eſſet exploratum: miſſa ad vtrunque legatione, datiſque litteris, conatus eſt ad concordiam diſſidentes animos reuocare. Dolore ſe, quam maximum animo capere poterat, confici, inquiens, cum duo ſibi cariſſima capita in certum exitium armari, nunciatum eſſet, magna atque incredibili hoſtium vtriuſque voluptate, mutuis digladiari odiis lætantium. Vtrunq; dum alteri molitur excidium, in ſalutis periculum ruere, tum ſuæ, tum ſubditorum, quorum ſæpe periculo maloque Reges peccant. Modeſtia atque prudentia imperia cõſtitui, effræni temeritate labefactari. Bella quę facile inchoãtur luctuoſo ſępe exitu terminari. Æquũ videri priuſquã ad arma veniatur omnẽ ineũdæ concordię viã rationemq; tentare. Animos non magnis de cauſis eatenus irritatos conciliari facile: facto acerbiori ſi cõcordia eſſet violata de pace deſperandũ priuſquã alterutrius regni, quo vtriq; florentiſſimo vtebãtur, opes euerſæ eſſent, vires cõciderent. Sibi pro mutuæ cognationis iure dedecus vtrinque atq; infamiã cõciliari. Quod ſi neq; patrẽ Alaricus reſpiceret, neq; Clodoueus fratris amore moueretur: ſe vt patrẽ minari, & vt fratrẽ monere, cũ hoſtis loco futurũ eſſe, quicunq; ſe à pacis ſtudio alienũ præberet: neque præceptis conſilioque hominis amiciſſimi atque neceſſarii obtemperaret. Alaricus his monitis æquiores aures præbebat, Clodouei animus ferocior, quamuis pacis conditionem reſpuens ſuperbum reſponſum dedit. Non alio erga Alaricum eſſe animo, quam par eſſet & ipſe vellet. Priorem facta iniuria hoſtibuſque receptis bellum indixiſſe. Indictum defendere naturæ iura decuſque regium monere. Cum ipſe ad pacem; hoſtis vocaret ad bellum: cupere manum vnam Alarico opponere, alteram inermẽ Theodorico ipſi præbere, ſi binas dextras natura dediſſet. Hoc reſponſo Oſtrogothus in Alaricum propenſior ad totius orbis Reges litteras dedit, quarum exemplum extat. Franci ſuperbiam accuſans, in viribus eum atque immanitate fidere, iuri atque æquitati aures obturatas habere. Vnius periculo, quod ad reliquos recidere poſſet, cunctos moueri par eſſe. Miſſis oratoribus Clodoueum ab incœpto terrerent. Singulorum ſalutem communi omnium prouidentia coniunctioneque contineri. Nihil neque Theodorici diligentia neque auctoritas profuit quominus ad arma veniretur. In Pictauii agro, decimo ab ea vrbe lapide in campis Vogladenſibus Francorum Gothorumque copiæ conuenerunt. Non animis, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis pars altera hoſti cedebat. Simul atque in conſpectum ventum eſt, acies vtrinque ad pugnam inſtructæ. Pugnatum acriter exæquato periculo, pari ſpe. Nihil Alaricus omiſit, eorum quæ ab ſtrenuo Duce expectari poterant. Francorum impetu & impreſſione acerrima cum ſui omni ex parte cæde ingenti ſternerentur, loceq; moti terga verterent, occurſare

pauentibus, retinere cadentes: vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce iuuare equo & fulgentibus armis conſpicuus. non in pedum celeritate præſidium, ſed in dextris virtuteque ponendum dictitans. ea tutiſſima conſilia quæ plus haberent periculi. tot gentium victores ab vna gente ſuperari ignominioſum ducerent. Verum cum vincente pudorem metu, Alarici cohortationes ad aures non admitterentur: tunc ipſe poſtremus in effuſa ſuorum fuga fortunæ iniquitati cedens Clodouei impetu in primo agmine pugnantis ex equo deiectus, cum ſe attollere conaretur, à Franco pedite confoſſus eſt. Duo Viſigotthorum equites Regis ſui caſu incitati in vtrumque Regis Franci latus infeſtis haſtis diuerſi concurrunt, loricæ beneficio & Clodorici iuuenis fortiſſimi ope periculum declinatum. Alarico cæſo Gotthi fuga per proximas ciuitates diſſipantur, nulla manu numero, aut viribus inſigni. Engoliſma, quæ Gotthorum præſidio tenebatur, ſecundum prælium in Francorum poteſtatem venit, murorum parte repente cadente ob vetuſtatem. In Burdigalæ finibus Gothi qui prælio abfuerant, auſi certaminis aleam denuo ſubire tanta ſtrage ſtrati ſunt, vt ab ea clade Arianus campus vulgo nomen habeat, nempe à Gothorum religione appellatione facta. Burdigala, Veſates, Cadurci, Rutheni ad extremum Aruerni (nam cæſo in acie Apollinare Duce Sidonii Aruernorũ Epiſcopi propinquo irritati erant) deditionem fecerunt. Ipſi Toloſates, vbi Gothorum regia erat, expugnati. vix quidquam in Gallia relictum Gotthis, quod in Francorum non venerit poteſtatem. In Gothorum Regum theſauris, templi Hieroſolymitani vaſa & inſtrumenta ſacrorum in Romæ vrbis expugnatione olim capta ab Alarico primo gentis Rege, & per manus ad ſucceſſores trãſmiſſa, aut in caſtris Vogladenſibus aut Toloſæ (nam auctores variant) in Clodouei poteſtatem redacta ſunt. quidam ea vaſa Carcaſone fuiſſe ait, eaque re obſeſſam à Francis, &
506 Oſtrogothorum aduentu liberatam. Occiſus eſt Alaricus ſalutis anno quingenteſimo ſexto, eo minori commiſeratione, quod imperium à parricidio auſpicatum, fraudibus & ſæuitia continuatum meminerant annos tres & viginti, quibus genti imperauit. Hunc primum inter Reges Gothos leges de ſcripto ſanxiſſe, promulgaſſeq; conſtat, Codice Theodoſiano in compendium relato editoque, tertio Nonas Feb. anno ipſo quo cæſus eſt. Antea inſtitutis more maiorum firmatis vitam bello paceq; gubernare ſoliti erant. Ad Alarici leges cum conſequentes Reges pleraſq; alias adiecißent, illud volumen conflatum eſt, quod Forum iudicum vulgo ab Hiſpanis nuncupatur, de quo iterum ſermo redibit.

Geſaleicus, Theodoricus, Amalaricus. CAPVT VII.

SVSCEPERAT Alaricus ex vxore quidẽ Theudicoda, quæ paulo ante deceſſerat, Amalaricum, ex concubina autem Geſaleicum. Gothorum proceres Amalarici tum quinquennis ætate contempta, Geſaleicum collatis ſuffragiis rebus præfecerunt, non obſcuro Oſtrogothi dolore ob prætermiſſum nepotem. Itaque cum Italiam, Siciliam, vicinas Italiæ inſulas, Illyricum & Dalmatiam ditione complexus, copias aleret in armis exercitatiſſimas, octoginta millia militum Duce Ilba Gepidarum Comite in Galliam immiſit: tum vt Francorum animos victoria inſolentes compeſceret, & Viſigothicam regiam prope euerſam fulciret: tum vt occupatum iniuria eius gentis regnum nepoti ſuo reſtitueret. Tanti apparatus metu Geſaleicus, & quoniam erepta nuper Narbone à Gundebaldo Burgundionum Rege ad prædam, vt fit, accurrente nihil in Gallia tutum ſupereſſe putabat, Barcinonem ſe recepit homo ignauus, atque in crudelitatem propenſus, qui ſuis manibus Goericum intra regiam ea in vrbe obtruncarat. & neceſſe eſt ſocordes & ignauos in potentium virorum cæde ſpem ſalutis ponere flagitioque. Ilba in Galliam delatus, & Viſigothorum reliquiis adiutus, victoriam de hoſte reportauit. Francorum viginti millia in acie ceciderunt. Prouincia Phocæenſis ad Oſtrogothos vt nauatæ operæ merces eſſet, Aquitania ad Viſigothos reuocata. Geſaleicus cum Oſtrogothi Narbone præterea recepta Pyrenæos montes tranſcendere pararent, ſuarum rerum deſperatione, & militum voluntatibus diffiſus, neque ignorans multorum in ſe odia excitata ob ignauiam & crudelitatem, in Africam nauigauit. Thraſimundus Vandalorum Rex tametſi Theodorici ſororem in coniugio habebat, profugi hominis fortunam miſeratus, an ægre ferens noui regni acceſſione Theodorici, qui iam dudum eſſe cœperat formidabilis, potentiam augeri: benigne acceptum, atque pecunia adiutum vt Theodorici litteræ declarant eam iniuriam cum Vandalo expoſtulantis; in Galliam remiſit. vbi tranſacto in latebris anno, cum exercitum pecunia Africana comparaſſet, ad duodecimum ab vrbe Barcinonenſi lapidem totius certaminis aleam tentare auſus, ab Ilba prælio ſuperatus Gallia ex fuga repetita, breui in ea ex morbo defun-

defunctus eſt, quem concepta animo ægritudo ex re malegeſta conciliarat, quarto anno
ex quo Rex erat renunciatus, ſalutis humanæ quingenteſimo decimo. Geſaleici morte ma- 510.
teria amputata in Gothicum regnum antiquus ſplendor cœpit reuocari. Extat Elboræ pa-
trum ætate repertum ſepulcrum ex candido marmore hac inſcriptione. LITORIVS
FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS PLVS MINVS LXXV REQVIEVIT IN PACE
IX. CALEN. IVL. ERA. D.XLVIII. Inſcriptioni Crucis figura Alpha & Omega ſub-
iecta ſunt, ad indicium cultæ religionis Chriſtianæ Geſalaico defuncto, quis in eius locum
ſuffectus ſit, auctores in diuerſum trahunt. plerique Theodoricum ipſum Oſtrogothum
Viſigothorum Regem fuiſſe deinceps affirmant. Epiſcoporum concilia per hæc tempora
in Hiſpania habita Theodorici nomen præferunt, regni etiam anno deſignato. Alii ma-
lunt Geſalaico Amalaricum ſucceſſorem datum: regni procurationem tantũ penes Theo-
doricum auum fuiſſe vnde quoniam ad nutum rempublicam gubernabat, & ad eum opes
Hiſpaniæ & vectigalia regia conferebantur, Viſigothorum & Oſtrogothorum alendis ex-
ercitibus præſidiariis opinio nata, quæ Theodoricum Regem facit. Nos de tota contro-
uerſia iudicium in medio relinquimus lectori in vtramuis partem opinaturo argumentis v-
trinq; conſideratis. Illud non placet, quod ab Hiſpanis ſcriptoribus affirmatur nullius ex-
terni hominis teſtimonio, veniſſe Theodoricum in Hiſpaniam qui enim tam nobilẽ pro-
fectionem ſiluiſſent Caſſiodorus aliiq; ſingularum Theodorici actionum nobiles ſcripto-
res. Omnino ad aniles fabulas ablegandum quamuis à Luca Tudenſi affirmatum, Toleti
vxorem duxiſſe ex antiquo Hiſpanorum ſanguine. eius precibus victum veteribus Hiſpa-
nis reddidiſſe libertatem. natum ex his nuptiis Seuerianum Leandri & Iſidori patrem quod
neque veritati conſentaneum eſt, neque cum ratione temporum conuenit. Theudius an-
tea Theodorici armiger, & nunc eiuſdem beneficio Viſigothici regni procurator, pueri
teneram ætatem regnique molem regendam ſuſcepit. vnde illi ad regnum gradus, quod
deinceps obtinuit. Eutharicus regia Amalorum familia ortus in ſpem hæreditatis regniq;
Italici à Theodorico ex Hiſpania accerſitus, filiam Amalaſiuntam vxorem duxit. Erat is
Oſtrogothus genere, prælioq; Catalaunico interfuit. Veremundus Turiſmundi filius ex
Scythia ad Theodoricum Walliæ ſucceſſorem contendit: huius filius Witericus, Eutha-
ricus nepos fuit. Hunc cum in Italiam Theodoricus euocaſſet, iuuenis indole captus, ge-
nerũ ſibi aſciuit. Nuptiæ regio ſplendore apparatuq; celebratæ, anno quingenteſimo quin-
todecimo. Quo anno in ſequentem euoluto Theodorico & Petro Coſſ. concilium Tar- 515.
racon. in Hiſpania, octauo Idus Nouemb. habitum eſt. In eo primum mentio monacho-
rum extat inter Hiſpaniæ monumenta. Diei dominici cultum more ex Hæbræis tranſlato à
ſabbatho inchoari ſancitũ vnde in morem Hiſpanorum ea obſeruatio manauit, vt ſabbathi
noctem feriatam habeant. Hector Carthaginen. Metropolitanus poſt Ioannem Tarraco-
nen. & Paulum Emporitan. actis Concilii ſubſcribit. Conſequenti mox anno, nimirum à
Chriſti ortu quingenteſimo ſeptimodecimo, Gerunden. ſynodus habita eſt. In ea ſynodo 517.
more ex Gallia aducto, vbi Mamercus Viennenſis Epiſcopus in luporum rabie ciuitate
expianda Litanias commentus eſt, quotannis in Hiſpania inſtaurari ſancitum poſt Pente-
coſtes feſtum diem, menſeque Nouembri. Romanæ eccleſiæ Hormiſda Pontifex per hæc
tempora gubernator, litteras dedit tum ad Ioannem Epiſcopum priuatim nimirum Tar-
racon. duobus his ſynodis Præſidem, tum ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, ſingulis ſaltem
annis Epiſcoporum conuentus in Metropoli haberi mandans: quibus ſalutem eccleſiæ cõ-
tineri veteres habebant perſuaſum, ad aſtringendam diſciplinæ ſeueritatem vitio homi-
num laxari identidem ſolitæ. Extant præterea Hormiſdæ litteræ ad Saluſtium Hiſpalen.
Epiſcopum, ad componendas Præſulum controuerſias in Vlteriori Hiſpania, Metropoli-
tanorum priuilegiis iureque conſeruato, vicaria ei poteſtate facta. Vnde & quoniam A-
malaricus Viſigothorum regiam Hiſpali plurimum collocauit & fixit. Hiſpalenſes Epiſco-
pi auctoritate aucti ſunt Primatus æmula. Hormiſda defuncto Ioanneque eius nominis
primo in Hormiſdæ locum pridie Idus Auguſti, anni quingenteſimi vigeſimi tertii, ſub- 523.
rogato, conuentus Epiſcoporum bini habiti ſunt, Ilerdæ nimirum & Valentiæ. In Iler-
denſi Abbatis & Archidiaconi mentio facta: nihil præterea ad memoriam inſigne. Syno-
dum Cæſarauguſtanam, quæ vulgo extat in conciliorum libris, ad hoc tempus quidam re-
ferunt, neque argumento certo neque coniectura ſatis idonea, cum temporis atque Coſſ.
deſignatione careat. vetitum tamen in Doctoris nomen inuadere, niſi iure & ordine. Sa-
cras virgines velari ante annũ ætatis quadrageſimũ, Leonis magni, aliorum Pontificum &
conciliorũ decretis in eo inſtauratis. Obiit Ioannes Pontifex ſexto Kal. Iunii, ſalutis anno
quingẽteſimo vigeſimo ſexto Rauennæ ex pedore carceris. Theodoricus enim tot domi- 526.
tis gentibus inſolentior factus, bellum minaſque in religionem vertit nuncque Iuſtinus

Auguſtus Anaſtaſii ſucceſſor catholicæ religionis ſtudio, quo mirifice flagrabat, Arianos toto Oriente exules eſſe ſanxerat. Id Iuſtini edictum Theodoricus, cum vtraq; Gothorum gens ſectæ Arianę addicta eſſet, tam indigne tulit, vt Ioannem Pontificem Roman. Epiſcopum Rauennatem, & aliquot ſenatus Principes ad Imperatorem legarit, minas denuncias niſi abrogaretur: ſe templa Chriſtiana euerſurum in Italia: vrbem Romam, nomen catholicum deleturum. Ioannes expoſitis mandatis, cum ſupremis honoribus, pro eo ac par erat, cohoneſtatus Auguſtum coronaſſet, tametſi edictum abrogari Imperatori perſuaſit, obita legatione rediens, Theodorici iuſſu in cuſtodiam coniectus eſt, ob habitos honores ſuſpicanti prodendæ Græcis Italiæ conſilia communicaſſe, & Auguſtorum nomini deditum eſſe. Defunctum Pontificem eccleſia ipſo obitus die anniuerſariis ſacris feſtoque dicato in cælitum numero colit. In eadem cauſa Symmachus & Boetius viri principes fuere, eaſdemque ob ſuſpiciones, cum ante legatos Conſtantinopolim hactenus in cuſtodia detinuiſſet, necari iuſſit. Diuini numinis breui inſecuta vindicta eſt. Proximi Septembris initio Theodoricus ipſe defunctus eſt, Athalarico nepote ex filia Amalaſiunta ſucceſſore in Italia. Imbecillam pueri Regis ætatem molemq; rerum, patre pueri iam defuncto, mater virili animo fœmina regendam ſuſcepit. Viſigotthorum regnum Amalaricus libere cœpit gubernare. Quo ex tempore nonnulli regni eius annos numerant, haud magno in alterutram partem diſcrimine: cum conſtet Theodoricum aut ſuo aut alieno certe nomine ad mortem in Hiſpania regnaſſe. Hoc ſane rerum potiente, primum omnium pax cum Francis Regibus firmata, eorum ſorore Clodouei iam defuncti filia Crotildi ab Amalarico in coniugium accepta. Dotis nomine Toloſatium præfectura ad ditionem Gothorum reuocata. pacem pulcherrime conſtitutam Amalarici furor violauit. Erat Crotildis probitatis opinione clariſſima, veræq; pietatis cultu à matre cognomine imbuta. Ea res viri animum, cum ſecta Arianus eſſet, vehementer abalienauit. catholicorum templa petentem vulgus Rege conniuente contumeliis & ſordibus iniectis fœdabat: redeuntem truci Rex vultu excipiebat. conuitio & linguæ petulantiæ plagæ & verbera accedebant, ſanguine ſæpe excuſſo. Eam vitæ acerbitatem cum conſtanti animo diu toleraſſet, ſperans crudelem viri animum patientia & pietatis ſtudio poſſe aliquando ad ſanitatem redire: tãdem re deſperata, fractoq; malis animo, litteras ad Childebertum fratrem dedit cum linteo ſuomet ſanguine delibuto, ærumnas quibus dies noctesq; premebatur renuncians. Debere eum ſorori cariſſimæ opitulari, priuſquam luctu & lacrymis, quas vitæ acerbitas exprimeret, conſumpta eſſet. Se quidem diuturno eatenus ſilentio iniurias diſſimulaſſe, tantis laboribus exitum aut morte ipſa (quod vtinam accidiſſet, priuſquam fratres germanos cum viro committere neceſſe foret) ſperans, aut viri ſanitate. nunc alias ex aliis iniurias necti, & indies acerbiorem triſtioremq; vitæ conditionem euadere. Obſequia crudelitate compenſari, maleficiis beneficia, quibus ferarum ſæpe immanitas cicuratur, nulla alia de cauſa, quam ob religionis à maioribus matreq; cariſſima traditæ conſtantiam. Graue tyrannidis iugum, quod prætextu nuptiarum impoſuiſſent, detraherent. diuinum numen reſpicerẽt, quod tam bonæ cauſæ non defuturum ſperabat. Amalaricum non hominem eſſe, ſed in hominis figura belluam immanem, ex ſæuitia & immanitate compoſitum. Dictis ni fides eſſet, ſanguinis aſpectu mouerentur, quo tauri & leones irritari conſueuerunt. Si propinquitatem contemnerent, humanitatis reſpectus excitaret. nulla re magis diuinum numen Reges aſſimulare, quam iniuria oppreſſis ſubleuandis: ac fœminis præſertim regio ex ſanguine prognatis, & in melioris fortunæ ſpem à prima ætate educatis. Inter Clodouei filios Francorum regnum ſic erat diuiſum: Childeberto Pariſii, Clotario Sueſſiones, Clodomiro Aurelianum, Theodorico Mediomatrices parebant. Reges omnes vocabantur. Ii Crotildis ſororis calamitatem miſerati, & furore in Viſigotthum ſuccenſi, & eſt ea gens in iram effuſa memor dignitatis, coniunctis viribus in Amalaricum ducunt. A rebus omnibus imparatum, & ipſo genere cauſæ inferiorem: ex ſcelerum præterea conſcientia religione obſtrictum in fuga ſalutem ponere compulerunt. Poterat euadere, ni pœnis flagitiorum agentibus gemmarum memor, quas in theſauris reliquerat, pedem in vrbem (Parcino fuiſſe creditur) curriculo retuliſſet. ſæpe ad amentiam adigit diuina vltio, quos euertere conſtituit. Interea enim vrbe in Francorum poteſtatem redacta Amalaricus conſilii inops ad catholicæ religionis templum, quam tot iniuriis violarat, quaſi ad aſylum confugiens, in ipſo itinere militis haſta traiectus periit. Iſidorus Narbone occiſum Amalaricum ſcribit, & prælio dimicatum. nobis Gregorii Turonen. aliquanto vetuſtioris auctoritas potior fuit. Ado Viennen. Francos ait Hiſpaniam ferme vniuerſam victoriis peragraſſe, Toletum in Hiſpaniæ vmbilico loci natura firmiſſimam ciuitatem poſt diuturnam obſidionem ſolo æquaſſe: multa alia oppida & vrbes eodem victoriæ curſu expugnata. Galliam Gotthicam

vniuerſam

vniuerſam Gotthis ereptam Procopius eſt auctor. quod ne pro certo ponatur aliorum ſcriptorum ſilentium facit. & quoniam conſequentes Viſigotthorum Reges ſatis conſtat in Gallia ditionem & imperium Rhodano terminaſſe. nimirum Amalaſiunta poſt Theodorici patris mortem Prouinciam Theodoberto Theodorici Mediomatricum Regis iam defuncti filio attribuit, ne quid in Gallia Oſtrogotthos Franci poſſidere moleſte ferrent: reliqua Viſigotthis reliquit, Italiæ imperio contenta. Childebertũ conſtat Amalirici theſauris potitum, in quibus ſacrorum inſtrumentum erat ex auro, tum ſorore recepta in patriam rediiſſe. Obiit Amalaricus ſalutis anno 531. cum quinquennio iura genti dixiſſet. 531.
Quod ſi à Geſaleici morte regnum inchoare placet, viginti annis regnũ tenuiſſe conſtabit. Crotildis eius vxor in ipſo itinere defuncta eſt. Autor quidam antiquam Abderam affirmat ab Amalarico inſtauratam Almeriæ appellatione regii nominis & antiqui affinitate aſſimulata. Omnino Amalarici regni anno quinto, concilium Toletanum ſecundum habitum ab Epiſcopis ſeptem. In iis Nebridius Bigerrenſis & Iuſtus Vrgelitanus. In eo conuentu ſancitum pueros parentum voluntate & voto in ſacratorum virorum collegia allectos atque in clericorum morem detonſos, cum ad octauum decimum ætatis annum veniſſent coram rogandos, vellent ne caſtimoniæ cultores eſſe. Si aſſentirent, nefas eſſe amplius profeſſione relicta connubii vinculis implicari: diſſentientibus liberum vxores ducere. Ii ſi prouecta ætate vxorum conſenſu à mutuis amplexibus abſtinere vellent, ſacris ordinibus initiarentur. Hallucinantur quicunque ex hoc decreto ſumpta occaſione errãdi, Hiſpanos ſacerdotes arbitrantur coniugio fuiſſe per hæc tempora implicatos. Montanus Toleta. Præſul & primæ ſedis Carthaginenſis prouinciæ Metropolitanus conuentui præfuit. Extant Montani binæ litteræ: ad ciues Palentinos alteræ, alteræ ad Turibium monachum. in iis pro iure Metropolitani ſibi curam impoſitam ait Palentinæ ciuitatis. iuſtis de cauſſis eius vrbis Epiſcopo Segobiam, Caucam, atque Britalbum attribuere. Ildefonſus eo libro, quem de claris viris Hiſpaniæ edidit, harum Montani litterarum mentionem facit; & conſtanti fama prædicari ait, Montanum proſtratæ turpiter pudicitiæ lege poſtulatum, innocentiæ indicio prunas ſinu continuiſſe dum ſacris more Chriſtiano operam daret, neque veſtem læſam, neque ignem extinctum. Ex hoc principio mos ille in Hiſpania manaſſe videtur Gotthorum legibus non vno loco receptus à diuinis abhorrens, furta, adulteria, aliaque crimina purgandi candentis ferri attactu aut feruentis aquæ hauſtu. reus peccatorum confeſſione conſcientiam prius expiabat. ferrum aquaue ſacerdotis cũ ſacris operatus eſſet prece luſtrabatur. eorum tandem attactu potioneve, qui periculum euaſiſſent, criminis obiecti ſuſpicionem infamiamque procurabant. neque Gotthorum tantum mos fuit, ſed ab aliis Hiſpaniæ Regibus auctoritatem habuit, cæteriſque gentibus quæcunq; Chriſtiano nomine cenſebatur. Honorius III. Romanus Pontifex ante trecentos quinquaginta annos, lege lata antiquauit id genus compurgationis vulgaris. Floruerũt per hæc tempora in Hiſpania fratres germani quatuor ſapientiæ opinione & Epiſcopatus honore nobiles, Iuſtus Vrgelitanus, cuius extat in Cantica explanatio: Iuſtinianus Valentinus, hic librum edidit in quo quinq; quæſtiones explicãtur à Ruſtico quodam propoſitæ: de Spiritu ſancto, de Bonoſiacis, qui alio nomine Photiniani erant, de Trinitate, baptiſmũ Chriſtianum non eſſe iterandum, differreque à Ioannis baptiſmo. Nebridius Agathenſis Præſul in Gallia Gothica vixit: Elpidius cui eccleſiæ præfuerit, clam eſt. Præterea hac ætate Aprigius Pacis Iuliç Epiſcopus in Luſitania commentariis in Apocalypſim editis, quæ & nos vidimus, Iſidori etiam teſtimonio clarus.

Theudis & Theudiſclus. Capvt VII.

Amalarici morte, cum prole careret, Viſigotthorum Regum progenies à ſtirpe defecit. Rerum ſumma ad Theudim Oſtrogotthum genere deuoluta eſt. Belli & pacis artibus clarum & ex multarum rerum vſu collecta prudentia excellentem Viſigothorũ proceres genti Regem præficiendum curarunt. Ex ſuperiori regni procuratione, cum Amalaricus ætate minor eſſet, & Remp. Theudis pro arbitratu gubernaret, multas clientelas pararat. Vxor fœmina præpotens, ex præcipua Hiſpaniæ nobilitate ditione auxerat: vnde bina militum millia armari poterant. inde ad regnum hoc tempore gradus. Conatus erat Theodoricus Oſtrogotthus nepotis rebus proſpiciens, Theudim in Italiam attrahere per ſpeciem honoris. quæ ille conſilia intelligens omni arte eludenda curarat. Theudio Rege reipublicç moderandç ratio Romç immutata eſt, Coſs. nomine & poteſtate ſublata huius ſeculi anno quadrageſimo primo. quo anno Baſilius Iunior ſine collega poſtremus omnium geſſit conſulatum: 541. Conſequenti anno Childebertus Francorum

Rex & Clotarius frater ſuperiori clade nondum exaturata vindictæ cupiditate armis re-
petierunt Hiſpaniam. Tarraconenſi prouincia longe lateque vaſtata vrbs Cæſarauguſta
graui obſidione fatigata, ad Vincentii martyris, in cuius patrocinio erat, opem confugit:
viri lugubri veſte, fœminæ paſſis crinibus fœdatæ cinere, circum muros ciuitatis publica
ſupplicatione diebus ſingulis inſtaurata, tunicamque D. Vincentii circunferentes diui-
num numen cum lacrymis implorabant. Childebertus muliebrem eiulatum prius deuo-
tiones & maleficia interpretatus, re deinde ex captiuo cognita atque religione obſtricto
animo ab omni iniuria temperauit. Vincẽtii orarium, quod a ciuibus impetrauit, velut in-
gentes hoſtium exuuiæ Luteriam aſportatum. eique Diuo ædes ſuburbana extructa, quæ
nunc Germani eſt arcis inſtar, foſſa & mœnibus ab aliis ædificiis ſecreta. Neque religione
iucundior præda fuit quam iniuriarũ vltione & victoriæ monimento: tametſi vt Iſidorus
eſt auctor, in reditu Franci ſupremum periculum adierunt, locorum anguſtias atque Py-
renæi montis fauces Theudiſclo cum Gotthorum parte obſidente, cum Theudis Rex vi-
ribus inferior, & rebus omnibus imparatus æquo certamine congredi formidaret. Itaque
Franci indagine cincti magna accepta clade, auroque redemptis induciis, vix tandem cõ-
niuente Theudiſelo in iuga mõtium & patentes campos euaſere. Bellum peſtis lues exce-
pit, innumerique mortales morbi contagione toto biennio, ex quanto tempore malum
graſſatũ eſt, in Hiſpania ſublati. Theudis, ſiue acceptæ ignominiæ procurandæ ſtudio, ſiue
inſigni aliqua expeditione nominis famam extendere parans, ſeu quod vero propius arbi-
tror, vt Vandalos iuuaret de imperio Africæ iam dudum periclitantes, ſuperato freto Se-
ptam vrbem Hiſpaniæ obiectam ad freti anguſtias diuturna obſidione premens, cum die
dominicæ religione obſtrictus ceſſaret, obſeſſorum eruptione repẽte facta inſignis clades
accepta. deleti ad vnũ quicũque in caſtris erant. Rex cum exercitus parte claſſis beneficio
ſeruatus reiectusq; eſt in Hiſpaniã. Quo tempore Beliſarii ductu, auſpiciis Iuſtiniani Imp.
qui Oriẽtis prouincias obtinebat, Africa Vandalis erepta eſt, vbi imperium ad centum an-
nos tenuerant. eius belli progreſſu Fuſcia & Gothius a Gilimere Vandalorum Rege, qui
in Romanorum venit poteſtatem, ad Theudim legati auxilia poſtulatum. Lenta nauigatio
fuit. eorum aduentum fama præcurrit, & nauis ex Africa nautæ vectoreſque viſa nuncia-
runt, ingentem luctum, Carthaginem captam, Vandalorum regnum euerſum. Legati ha-
rum rerum ignari roganti Theudi ecqui Gilimeris res eſſent, ac perbelle affirmantibus e-
ius res atque fortunas ſtare: redirent continuo in Africam mandatum, ibique conueniens
poſtulatis reſponſum expectare iuſſum, Regem illi incaluiſſe mero ſuſpicati, nam ſplendi-
dis epulis inuitati erant, & magnis poculis erat certatum conſequenti luce legatione repe-
tita, cum idem reſponſum tuliſſent, tum vero mali aliquid ſubeſſe rati, quod res erat Van-
dalorum regnum euerſum, Africam ad Romani imperii ius ditionemque reuocatam fuiſ-
ſe: recedentes in Africã & nõ procul Carthagine à Romanis militib. capti Beliſario omnia
vt acta erant nunciarunt. Secundum hæc ex Italia nunciatum Beliſarii primum virtute de-
inde Narſetis Oſtrogotthorum regnum ſublatum. Theodatum, Vitigim, Ildebaldum, Ar-
daricum, Totilam, atque Teiam, poſt Theodoricum deinceps Reges Italiæ ſuperatos acie
atque deletos. Remp. Romanam quaſi membris, quæ diſſipata erant, in vnum corpus col-
latis atque compactis ex longo interuallo priſtinam dignitatem atq; ſplendorem reuoca-
re cœpiſſe Iuſtiniano Imperatore. Quo rempub. gubernante, non magis foris arma quam
conſilium domi viguerunt. duobus fere librorum millibus ad pauca volumina competen-
ti ordine ac Treboniani potiſſimũ opera redigendis, vaſta legum multitudo caſtigata. Co-
dex Theodoſii exemplo, primum confectus, deinde Inſtitutiones Digeſtaque promulga-
ta. qua re ad gloriam nihil eſſe magnificentius potuit, Eodem tempore Laureanus Maſſiliæ
ab Arianis eſt occiſus, gente Pannonius Mediolani presbyter factus, cum Arianam ſectam
magna dicendi libertate inſectaretur Totilæ iuſſu paratam necem fuga euaſit. Hiſpali id
virtutum ſpecimen dedit, quod eius vrbis Epiſcopatum defuncto Maximo attulit. verum
Totilæ diligentia veſtigiis omnibus inquiſitus, & ad necem rurſus poſtulatus. Dei monitu
per quietem naui Romam petiit. eo in itinere cæci oculis lumen inſinuatum traditur. Ro-
ma magnis à Pontifice ſummo honorib. cohoneſtatus cum Maſſiliam rediiſſet, quæ ad Ro-
manorum poteſtatem redierat, Arianorum inſidiis periit. Arelatenſis Epiſcopus defuncti
corpus Beterri in Gallia tumulandum curauit. caput Hiſpalim relatum vrbem fame peſte-
que prout ipſe proficiſcens erat vaticinatus, continuo liberauit. Theudis mors breui con-
548 ſecuta eſt ſalutis anno quingenteſimo quadrageſimo octauo, annis 17. menſibus quinque re-
gnauit. Homo quidam, qua cauſſa incertum, ſed perire tamen certus aut perdere, amentiæ
ſimulatione ad Regem admiſſus enſe tranſuerberauit. extremo ſpiritu atque intermorien-
tibus vocibus Dei vindictam agnoſcentem ob Ducem cui olim nomen dederat, & ſacra-
mentum

mentum iunior dixerat, ſua manu obtruncatum. Itaque parricidam ab iis qui aderant
violari vetuit. id benignitatis exemplum vt in malis in Theudii vita laudatur: & quoniam
Epiſcopos catholicos quamuis religionis placitis diſſentiẽtes Toleti cõuentus agitare de-
dit: de fide & religione, quæ viderẽtur libere conſtituere. Romanam eccleſiam poſt Ioan-
nem. II. Agapitum & Siluerium Vigilius regendã ſuſceperat. Quo tẽpore Theudio ſublato
Theudiſelus ob ſpectatam bello Frãcorum virtutẽ & generis nobilitatem, nam Totilæ O-
ſtrogotthi Regis ex ſorore natus erat, procerum ſuffragiis Viſigotthorum regnũ accepit.
Læta regni principia atq; virtus militaris effuſa libidine breui obſcurata. multi ex ſuorũ nu-
mero per inſidias aut iudicio aſſimulatis criminibus ſublati eo agente, vt eorũ coniugibus
abuteretur ad libidinẽ exaturãdam. Ea ex re populi & procerũ inuidia excitata eſt: vſq; eo
vt coniuratione inita peremerint. Theudiſeli ætate vulgatũ Oſſeti Hiſpalenſis agri oppido,
Plinius Oſſet vocat, in templo catholicorum, qui vulgo etiã ab Arianis diſtinctionis gratiã
Romani vocabãtur, eius hebdomadis, quæ quia Chriſti cruciatus in memoriam reuocat,
Magna vocatur, feria quinta cũ baptiſmi fõtes, ab Epiſcopo populo inſpectãte clauſi eſſent
& diligenter obſignati proximo ſabbatho aquis annis ſingulis redũdare conſueuiſſe, vnde
deriuarentur atque manarent cunctis ignorantibus. Theudiſelus eius rei miraculo com-
motus, & fraudem ſubeſſe ratus nimirũ ſecta Arianus, ſemel & iterũ cuſtodia adhibita cũ
nihilominus fontes cõplerentur, circũ templum ne per occultos meatus aquæ forte deri-
uarentur foſſam quinque & viginti pedes altitudine duci imperauit directis lateribus, vt
ſolum tantum pateret quantum ſumma labra diſtabant. Ei operi intentus ſuorum coniura-
tione ferroq; occubuit. Paſchaſius Epiſcopus litteris ad Leonem Magnum, vt Iſidorus eſt
auctor, ſimile prodigiũ in Sicilia contigiſſe teſtatus eſt, & fortaſſis errãte fama, quod in vna
prouincia cõtigit, alii tribuebatur. Iſidorũ miramur rei in Hiſpania tũ illuſtris, cum ferme
in ſuã ætatem inciderit, & de Sicilia retulerit nullam mentionẽ feciſſe. Hiſpali impetu in
regiam facto inter prandẽdum Theudiſelus à ſuis obtruncatus periit. regnũ tenuit annuo
ſemeſtrique ſpatio & diebus tredecim. Francorũ regnum, Clotario ad quẽ imperii Frãci-
ci ſumma redierat defuncto, in Tetrachias abiit Chereberto Pariſii, Sigiberto Medioma-
trices, Chilperico Sueſſiones, Guntrano Aurealianũ regiæ vrbes obuenere quatuor Clo-
tarii filiis.

Agila & Athanagildus. CAPVT IX.

IN Theudiſeli locum Agila procerum electione Rex factus Gotthorum genti iura dixit
annos quinque, menſes tres, aduerſa fortuna vſque ad vitæ exitum iactatus. Sub initia e-
nim Cordubam obtemperare recuſantem graui & diuturna obſidione cum fatigaret, ci-
uiũ repentina eruptione ſuperatus eſt. filius cæſus in acie. impedimenta capta. ipſe ex fuga.
Emeritam petiit. Agilæ infortunio Aſciſcli martyris numen apparuit, templi ſuburbani,
quod ad Cordubam eius nomine erat, immiſſis regiis iumentis violati, grauia exigentis
piacula. Sic animis infixa religio vulgo ſuaſit, & Iſidorus ſcribit ex accepta ignominia cum
deſpectui eſſe cœpiſſet, & plerunq; quo fortuna, eo fauor hominum inclinat: Athanagildus
ab eius imperio rebellauit. Is vt factionis vires firmaret, miſſa legatione ab Imperatore Iu-
ſtiniano auxilia mitti poſtulauit, operæ mercedem Hiſpaniæ partem non exiguam pactus
ſub Romani imperii ditionem hoſte profligato redituram. Miſſus ex Gallia eſt Liberius
Patritius: quod nomen nobilitatis antea, hac ætate dignitatis erat à Conſtantino Magno
excogitatæ ſupra Præfectos prætorii ſedendi facultate conceſſa. Liberii aduentu ad Hi-
ſpalim iuſto prælio dimicatum eſt. in ea vrbe rebellionis initia extitiſſe credimus. Victus
in eo prælio fugatusque Agila procerum, qui eius partes ſequebantur, ferro Emeritæ periit
huius ſeculi anno quarto & quinquageſimo. Inteſtinis gentis diſſidiis dolebant ſcilicet 554.
Gotthorum vires infringi tot per annos ſtabilitas. Romanis Italiæ atque Africæ exemplo;
ne ea via eſſet ad Hiſpaniam recuperandã verebantur. Eodẽ anno Conſtantinopoli diligẽ-
tia Iuſtiniani Imperatoris generales Epiſcoporum conuentus habiti ſunt, centum ſexagin-
ta quinque contra pleroſque, qui Origenis placita à vera pietate aliena ſectabantur. In ea
Synodo quæ inter generales quinta eſt, mortuos anathematis ignominia notari poſſe ſan-
citum. atq; contra quam Origenes docuerat, neque Solem, neque ſtellas, neque aquas quę
ſuper cælos ſunt, animatas quaſdã & rationales virtutes eſſe definitũ. Theodori Mopſue-
ſteni dicta, Theodoreti reſcripta, atque Ibæ Edeſſeni Epiſcopi epiſtola reprobata. Mena
Cõſtantinop. Epiſcopus, ipſoque defuncto Eutychius ſucceſſor conuẽtui præfuerunt. nã
Vigilius Rom. Pontif. qui Romæ imperatoris iuſſu captus eo tempore Conſtantinopoli
erat, intereſſe quidẽ actis cõcilii noluit, & decreta tamẽ Patrũ ſcriptis literis rata habuit: ac
nominatim Originem fertur damnaſſe. Iornandes Gotthorũ Epiſcopus hiſtoriã de gentẽ

ſua ad hæc tempora perduxit. Cum Athanagildus æmulo ſublato, Gotthorum abſque cõtrouerſia Rex pellendis continuo Romanis, qui partim icti nuper fœderis beneficio, partim virtute & armis non exiguam Hiſpaniæ partem occuparant & ad vtriuſque maris littora ditionem terminabant, magnum negocium ſuſcipere neceſſe habuit: & grauiſſimo per totam vitam bello implicatus eſt, flantem & reſiſtentem fortunam moderari aſſuetus. Genuit ex vxore Goſuinda filias duas Galſuindam Chilperici Sueſſionum Regis vxorem, & Brunechildim natu minorem, quæ Sigiberto Chilperici fratri Mediomatricum Regi connubio iuncta eſt. Ex Epiſcoporum Galliæ diligentia atque præceptis informatæ Ariana ſecta poſita, cui à teneris addictæ erant, catholica religione imbutæ ſunt: & auctorem habeo, qui Athanagildum affirmat ex arcano catholicam religionem tenuiſſe, tametſi tẽpori ſeruiens Arianam ſectam palam profiteretur, metu videlicet gentis animos alienandi. Cum regnum certe tenuiſſet annis quindecim, menſibus ſex, Toleti ex morbo obiit ſa-
567. lutis anno 567. In Portugalia 16. ab vrbe Guimarane (antiquis Idania fuit) lapide ad fluuium Vizelam pagus extat Athanagildi nomine, fortaſſis ab hoc tempore conditus: in eo parietinæ cernuntur & ædificiorum fundamenta, Gotthicæ fabricæ multum ab elegantia Romanæ degenerantis ſpeciem repræſentantia. Athanagildi obitum quinque menſium interregnum excepit, Tudenſis ſeptem annorum, & quinq; menſium ait. Partium nimirũ ſtudiis Gotthorum proceres diſſipati, neque in vnum aliquem ſuffragiis conſpirantes, qui virtute & ingenio Remp. inclinatam è caſu ſuſtẽtaret, magno impetu in præceps ruere nõ conſiderabant. Romanam eccleſiam poſt Vigilium atque Pelagium Ioannes eo nomine III. gubernandam ſuſceperat. Quo tempore Sueui hactenus Calæciæ imperantes, ab Arianæ ſecta, cui impenſe fauerant, & catholicos modis omnibus vexarant centum ferme annorum ſpatio, ex quanto tempore à vera religione deficientes prauas opiniones ſuſceperant, ad ſanitatem reuocati ſunt. Martini Dumienſis diligentia multum contulit. erat natione Pannonius, & longinquis peregrinationibus Orientis prouincias luſtrarat. in ſtudio diuinarum ſcripturarum magnos progreſſus habuit. In Hiſpaniã delatus in Calæcia magnum probitatis & ſapientiæ ſpecimen dedit. eruditionis argumento editi ab eo libri ſunt multis elegantiæ luminibus, & priſcæ ſapientiæ copiis exornati. Extat diſputatio de ira, de humilitate chriſtiana, de moribus, & differentia quatuor virtutum Cardinalium. In his quoniam crebris ſententiis & ſtyli acumine ad Senecæ ſimilitudinem proxime accedit, duo poſtremi libri, eius philoſophi nomine inter reliqua eius opera circunferuntur. Extruxit ab imo Dumienſe monaſterium. quo in Epiſcopatum poſtmodum transformato ex Abbate Dumienſis Epiſcopus factus eſt, deinde Bracarenſis, Dumienſi eccleſia cum Bracarenſi copulata, eique contributa. Defunctum ob eximiam ſanctitatis opinionem Calæcia, & Luſitaniæ pars in diuorum numero habent ad tertiumdecimum Kal. Aprilis feſto dicato. Sueui ad catholicam religionem traducti ſunt Theodomiro Rege. Poſt Remiſmundum de quo ſuperius eſt dictum, ante hanc ætatem qui Sueuorum Reges fuerint clam eſt, antiquis hiſtoriarum monimentis temporum iniuria ſublatis. ſed commodũ tamen accidit Theodomiri filium iuuentutis Principem & in ſpem paterni regni educatum ex morbo decũbere. Sueuorũ legati ad Martini Turonenſis ſepulcrũ, cuius virtutum fama toto orbe celebris erat, à Rege mittuntur. Auri & argenti pondere quantum adoleſcentis corpus appenderet, cũ nihil eſſet impetratũ, intellexit pater q, res erat, indignũ eſſe qui placitis à religione catholica diſſideret, eum Martini precibus quidquam à diuino numine obtinere. Itaq; miſſi denuo legati cũ pallii, quo Martinus ſuperſtes vtebatur, partẽ retuliſſent, & filius interea ſanitati redditus eſſet, voti reus quo ſe pater ſi vtrunq; impetraſſet obſtrinxerat, D. Martini nomine templũ exædificandũ certe curauit ad Aquas calidas hodie Orẽſem, vt quidã arbitrantur nullo firmiori argumento, q̃ eius vrbis tẽpli maximi, q, à D. Martino nomẽ habet. A Sueuis populariter eodẽ agẽte Chriſti ſacra catholicorũ ritu moreq; ſuſcepta. religionis eius confirmãdæ cauſſa Martini Dumienſis hortatu Epiſcoporum Calæciæ conuẽtus Bracaræ habitus eſt anno 3. regni Theodomiri. In Concilii actis quod inter Bracarẽſes primũ eſt, Ariamiri Regis nomẽ legitur lectione nimirũ vitiata. Fuit is an-
563. nus à Chriſti ortu 563. Lucretius Bracarẽſis Epiſcopus Profuturi ſucceſſor inter octo Præſules primũ locũ occupauit. poſt hũc Andreas Iriæ Flauiæ Præſul, Martinus Dumiẽſis, Lucẽtius Conimbricẽſis. Cottus, Hildericus, Timotheus, & Malioſus ex eodẽ numero, quibus eccleſiis pfuerint clã eſt. Religionis catholicæ placita in eo conuẽtu cõfirmata. Priſcillianæ ſecta reprobata. Corpora defunctorũ priſco more reuocato vetitũ intra tẽpla tumulari. Calæciæ diœceſiũ fines deſcripti, propriiſq; ſingulæ regionib. terminatæ, vt Ithacius eſt auctor in Sueuorũ, Vandalorũ, & Gotthorũ chronico alterius Ithacii cognominis, qui de reb. Hiſpaniæ ante 100. an. hiſtoriã cõſcripſit. (Multos Ithacios ſiue Idacios in Hiſpania extitiſſe dubium

bium non eſt) Alii finium deſcriptionem in Lucenſi Synodo conſequẽti mox anno habita factam malunt, veteris ſchedæ indicio, quæ in Lucenſis eccleſiæ tabulariis extat. quidam non inepte ſexennium inter vtranque Synodum interceſſiſſe putant. res incertas neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quiſque adiungat fidem vel detrahat. ipſe eorum opinionibus accedo, qui Bracarenſis Synodi decretum ſuſpicantur in Lucenſi concilio fuiſſe confirmatum. Martinus ſane iam Bracarenſis Præſul capita quædam ex Græcis Synodis compilata Lucenſis concilii patribus miſit cognoſcenda. Eccleſia Lucenſis Regis permiſſu iure Metropolitanæ aucta Bracarenſis eccleſiæ prærogatiua conſeruata, atque Primatus auctoritatem ex ea re conſecutæ: tametſi à nominis vſurpatione abſtineret. Erat hac tempeſtate celebris eximiæ ſanctitatis opinione Æmilianus cognomento Cucullatus, iuuenis à paſtoritia arte ad ſanctioris vitæ ſtudium traductus. Felice monacho præceptore vſus eſt, deinde à frequentia hominum remotus cum quadraginta vitæ annos in Deſtertii montis ſeceſſu tranſegiſſet, Didymius Turiaſonenſis Præſul celebri fama permotus in publicum extractum presbyterumque conſecratum Birgegienſi eccleſiæ præfecit. ibi collegarum calumniis & criminibus appetitus diſciplinæ ſeueritatem non ferentium, prope id oppidum ſacello ædificato cum ſacerdotium abdicaſſet, in rerum diuinarum contemplatione defixus, ad centeſimum ætatis annum vitã propagauit. quo loco corpus eius tumulatum eſt, & poſt 50. amplius annos eius nomine monaſterium extructum copiis, auctoritate, totius ædificii amplitudine cum primis Hiſpaniæ comparandum.

Galſuinda & Brunechildis ſorores. CAPVT X.

DVAS Athanagildi Regis filias Galſuindam Brunechildimque in Gallia Francorum Regiis elocatas fuiſſe paulo ſuperius dictum eſt, infauſtis nuptiis neque auſpicato, vti rerum euentus declarauit. Alterius breue gaudium fuit. vix primo cõiugii fructu delibato periit. alterius vita in multos annos producta, multiſque calamitatibus obnoxia. vulgus ad eas ærumnas nominis infamiam adiunxit, quam nobiliſſimam fœminam liberare melioribus argumentis teſtimoniiſque conſtituimus. Fuere Clotario eius nominis primo Francorum Regi quatuor filii partito paterno imperio Reges: Pariſiorum Cherebertus, Sueſſionum Chilpericus paternis theſauris potitus potentior aliis, Guntrannus Aurelianenſium, Sigibertus Mediomatricum. Huic Brunechildis prior nupſit, minor ætate fratrũ minimo, puella elegans opere, venuſta aſpectu, honeſta moribus, atque decora, prudens conſilio & blanda colloquio. liceat Gregorii Turonenſis æqualis verbis vti. Multum dices commutandis moribus tempus valet, Principum amplius. eſto, ſed audi alia. Chilpericus ex Audouera priori coniuge Merouei & Sigiberti pater Galſuindam Brunechildis maiorem ſororem duxit. nouæ nuptæ Fredegundis pellex Regis potens iurgiis inceſſere auſa, exitium attulit. in geniali toro mortua inuẽta eſt, nulla prole relicta. Æmulæ locum Fredegundis occupauit, Reginaque dicta eſt, inter multa ſcelera flagitiaque diu incolumis, petulantia, libidine, luxuria, ſæuitiaque nobilis ea ætate. Sigibertum enim defuncto fratre Chereberto Pariſiorum regno auctum duobus immiſſis ſicariis Lutetiæ incautum peremit. Perculſa viri caſu Brunechildis, ac de filio Childeberto ſolicita, eum in Mediomatrices mittit, vbi prouinciæ ſtudia erant & propenſæ gentis voluntates. ipſa in Chilperici poteſtatem redacta Rhotomagum in cuſtodiam mittitur. Florenti viduę Principis forma captus Meroueus maior Chilperici filius eam ſibi toro iungit. vitioſum coniugium fuit vetantibus legibus patrui viduam ducere. Iuuenili errori paratam veniam Fredegundis nouerca diſcuſſit. in monachi habitum detonſus primum, deinde etiam peremptus fuit. idem exitus Clodoueo minori fratri fuit. Prætextatus Rhotomagenſis Epiſcopus in exilium pellitur. Merouei & Brunechildis coniugium eo Antiſtite iunctum, crimen erat. Hæc crudeliter impieque: illud petulanter. ſpreto regio toro, impudicos oculos in Landricum Magiſtrum equitum impudica coniecit. ſcelus maiori ſcelere cumulatur. male tectas libidines amoreſque veſanos virum vlciſci cogitantem occupant: atque è venatione redeuntem ad Calam oppidum perimendum curant. Succeſſit conatus, ſolutiorque deinde vita fuit. Pro filio tamen Clotario cum Childeberto infantis patrueli, qui teſtamento Guntranni patrui Burgundos imperio adiecerat, bellum geſſit, Ductore copiarum ipſo Landrico in pugna victrix. Excepit interitus Childeberti vxoriſque. veneni id ſuſpicionem confirmauit, cuius inſidiis non proditur. Sed perempti tamen duo filii Theodebertus maior Mediomatricum, Theodoricus Burgundionum imperiũ ſuſcepit. ambo dicti Reges, in Brunechildis auiæ tutela. ii confirmata ætate cum Clotario bellum gerunt. belli cauſæ in finitimis imperiis deeſſe non poſſunt. Brunechildis hor-

tatu dicunt Gallicæ hiſtoriæ, quo Protadium genere Italum amaſium ſuum nouis honoribus augeret, vero an ex odio Hiſpanæ fœminæ nondum definio. addunt certe eo ſtudio progreſſam, vt Theodoricum armarit in Theodobertum fratrem, quaſi olitore genitum, & paternos theſauros occupantem neque commota prius odia conſtiterunt, quam Theodoberto proditorie cæſo Coloniæ: quem vita donatum tamen Cauillonum in cuſtodiam dimiſſum docent alii. Repudiata victor antea Hermemberba Witterici filia, vti alio loco monſtrandum eſt, occiſi filiam & fratres duos cepit. pueros Brunechildis peremit, ſic memorant, puellam præſtanti forma cum ſibi iungere patruus pararet, obiecta auiam religione auctoritate vetantem facinus diſtricto gladio ne perimeret, aulicorum concurſu factū aiunt. illam vindicaſſe dolorem eum, lethali poculo perempto Theodorico nepote ſuo, cum è balneo egrederetur. Idonei auctores diſſenteria obiiſſe tradunt. Sic rerum ſumma atque imperii ad Clotarium tranſlata eſt, Fredegundis iam morbo extinctæ filium, Brunechildi noua iniuria infenſum, quod Theodorici filio Sigiberto quamuis notho regnum paternum aſſerere meditaretur. ventum ad arma, Sigibertoque à ſuis deſerto atque fugato duos eius fratres Corbo & Meroueus atque Brunechildis ipſa in Clotarii poteſtatem venerunt. Proximi ſeculi anno ſextodecimo hæc geſta memorant. Corbo continuo interfectus. Meroueum victor ſeruari voluit, cum eius ex baptiſmo pater eſſet, in Brunechildim maiori ſeueritate ſæuitum affirmant. quater fuſtibus lacerato tergo ad ferocis equi caudam capillo deligata concitato equo dilacerata eſt, exacta mulier ætate: eo minori populi miſericordia, quod decem Reges numeroſamque vulgi multitudinem eius artibus periiſſe iactant. Deſiderium Viennenſium Pontificem & Columbanum virum ſanctum, hunc exilio, illum exitio mulctatum. adeo ad portenta prodenda ſcriptores Gallici, ad accipienda vulgus procliues fuerunt, pudenda ſecuritate, ſi mendacium deprehenſum iri nō putarunt, ſi ſecus impudentia mirabili. Meram tragœdiam idonei auctores confirmant nullo iudicio ex populi rumoribus confictam. quæ ſcelera à Fredegunde ſunt facta, quod ſupplicium tuliſſet victoribus Auſtraſianis, ea mentiente fama atque nomina commutante affictā Brunechildi arbitror, fœminæ religioſæ probæque. vti indicio ſunt geminæ à Gregorio Pontifice Maximo ad eam litteræ plenæ veriſſimis laudibus. multa magnifica templa eius ſumptibus in Gallia conſtituta exornataque. magnus captiuorum numerus pecunia redemptus. An hæc facta negabis: ſed certa monimenta monſtrabimus. an quiſquam hæc ab impia & crudeli fœmina facta inducat in animum maius argumentum accedit, Gregorii Turonenſis æqualis de his flagitiis ſilentium. an id gratiæ datum putabis à Gallico ſcriptore, magnæque auctoritatis viro? an qui Fredegundis ſcelera omnia & dolos expoſuit, externæ fœminæ pepercisſet? non arbitror. At Siſebutum, ais, in vita Deſiderii Viennēſis Epiſcopi Brunechildis ſcelera multa, cæſumque ab ea martyrem accuſaſſe, ab equiſque raptatam periiſſe tandem vltore numine. Recte, ſi auctorem eius vitæ Regem fuiſſe confirmares, & non potius eo nomine alius, eos vulgi rumores collegiſſe ſe affirmaret. minori quam pro modo Regis auctoritate diligentiaque, ætate poſterior. Sit ergo conſtitutum Brunechildim innocentem fuiſſe, & perditiſſimis tamen temporibus aliena inuidia flagraſſe. vti primus Boccatius conſiderauit poetici quidem ingenii ſcriptor, ſed antiquitatis cognoſcendæ ſtudio incitatus præſtanſque. Nos orationem in Hiſpaniam referamus.

Liuua & Leuuigildus. CAPVT XI.

ATHANAGILDO Viſigothorū rege Toleti defuncto, vti paulo ante dictum eſt, Liuua (ſic antiquæ monetæ huius Regis nomen ſcribunt) homo præpotens & magnarū rerum vſu & cognitione inſtructus, Rex eſt renunciatus Narbone, vbi eatenus res geſſerat Galliæ Gothicæ Præfectus. Iuſtini Iunioris, qui imperium Romanum obtinebat, primusque Exarchi nomine Longinum in Narſetis locum miſit in Italiam anno ſecundo,
567. Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Liuua regnare cœpit, nulla re geſta memorabilis, niſi quod anno regni ſecundo Leuuigildum fratrem regni conſortem dixit exæquata prorſus poteſtate, ipſe Galliæ Gotthicæ ditione cōtentus, quibus in locis multū aſſueuerat. nam & Tudenſis ſcribit ſeptem annis Galliæ imperiū tenuiſſe priuſquā Hiſpaniæ Rex eſſet. Reliquas prouincias Gotthico nomini ſubiectas fratri demandauit, per quē ſpes erat Rempub. multis collapſam partibus priſtinū ſplendorē reuocaturā: tametſi tantum belli in manibus erat aduerſus Romanos magnam latiſſimæ prouinciæ partem occupantes, tuenteſque non ſuis armis modo ſed & Gotthorum virtute, partium ſtudio ad eos tanquam ad commune receptaculum deficientium. Erat Leuuigildus gemina prole auctus ex Theodoſia vxore. Seueriani Carthaginenſis prouinciæ Ducis ac Præfecti ea filia fuit,

fuit, Leandri, Fulgentii, Iſidori, Florentinæq; ſoror. Leuuigildi filii Ermenigildus & Reccaredus. Theodoſia defuncta Leuuigildus Goſuindam Athanagildi viduam duxerat, quo tēpore à fratre ad regni conſortiū vocatus eſt. Suſcepto regno cum viuida virtute, & belli pacisque artibus clarus eſſet, continuo in Romanos duxit, in Baſtetanis prælio dimicatū eſt. victi Romani, totaque ea regione depulſi. Malacæ ager igne ferroque vaſtatus. Aſſidonia ad fretum noctu capta, vrbem prodente Framidanco. Corduba, quæ ex quo Agilam vicerat, imperii iugum ferre detrectarat, ad officium reuocata, multaque circum oppida & vrbes magna ruſticorum ſtrage. Sabariæ tractus, quæ quo loco eſſet clam eſt, ferendis agendisque prædis deformatus imperioque ſubactus. His rebus Leuuigildo occupato Liuua frater in Gallia defunctus eſt ſalutis anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cum quinque annos regnaſſet (quidam huic numero biennium detrahunt) Leuuigildus 572
Bæticæ rebus compoſitis, totaque prouincia pulſis Romanis belli impetu in Cantabriam verſo Amaiam (alii Aregiam dicunt, Varegiam alii) ſed Burgos inter & Legionem ſitam ciuitatē expugnauit. Reliqua Cantabria, cuius fines ad Amaiā extendebantur, vaſtata. multi ſeditioſi cæſi. in his Sacrificulus cui Æmilianus Cucullatus necem ante denunciarat, quod in cōuentu procerum Cantabriæ eius vaticinio fidem abrogarat, quo eius prouinciæ excidium haudquaquam inanis vates denunciabat. Ex Cantabria arma in Aquitaniam verſa. Aſpidius ad Agerenſem vrbem (Aagen hodie eſt) imperiū detrectans malo coactus eſt ad officiū redire: cum euerſis fortunis ipſe, vxor & filii in regis veniſſent poteſtatē. Aſpidium Biclarenſis ea regione Seniorem fuiſſe ait, ea voce in dominii ac principatus ſignificatione vſurpata. & nimirū ſeniores imperare æquum eſt. vnde conſequēti tempore tum in monimentis Hiſpaniæ, tum in conciliorū actis, præſertim quæ Caroli Magni ætate in Gallia habita ſunt, domini ac Principes ſeniores nuncupari cœperūt. Eum morē ad vulgares linguas Hiſpaniæ, Italiæ, atq; Galliæ permanaſſe ſatis cōſtat. Eo prorſus anno quo Liuua defunctus eſt Myro ſeu Ariamyrus (ſic .n. quidā ſcribunt) Theodomyro patre ante bienniū defuncto. Sueuorū gentē gubernabat: cum conuentus alter Bracaræ habitus eſt à Galæciæ Præſulib. duodecim. Martinus Bracarēſis Metropolitanus primas inter Patres partes locumq; occupauit. Eius conuentus decretis recentē Sueuorum religionē mirificè confirmatā nouū miraculum auxit. Templū Martini Turonēſis nomine à patre vt diximus ædificatū egrediēte rege, ſcurtæ generoſæ vitis contra regis præceptū pro forib. templi è pergula pendentes vuas attrectare aggreſſi, repente manus exaruit. Ab irato rege vix populi precibus ne manus amputaretur impetratū. Martini tamen virtute, cuius religionē violarat, cùm numen eius populus imploraret, ſanitati reddita eſt. Proximo anno, vt Sigibertus eſt auctor, Hiſpani paſchatis feſtum ad 12. Kal. April. celebrarūt, Galli 14. Kal. Maii: quo die Oſſeti oppidi fontes quotannis ſponte aquis cōpleri ſoliti ſcaturiiſſe de more feruntur. Eo miraculo ſæpe per hæc tempora cum opinionib. de die paſchatis vtraq; natio diſcreparet, conſtanti atq; perpetua computi ratione nondum excogitata veritatem indicatam & cognitam Gregorius Turonenſis huius ætatis ſcriptor teſtatur. Gregorio æqualis Donatus monachus adiunctis ſeptuaginta ſociis ex Africa venit in Hiſpaniam: & opibus Minicea præpotentis fœminæ & copiis Seruitano monaſterio extructo Setabi, vt pleriſq; placet, monaſticam viuendi rationem, certis nimirum legibus inſtitutiſque temperatam, inuexit primus in Hiſpaniam, vt Ildefonſus ſcribit. Monachi enim, quorum in actis conciliorum Hiſpaniæ ante hęc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione conſtricti erant, aut diſſipati per ſyluas vitam exigebāt ſolitariam. Ad Leuuigildum ſe ſe referat oratio. Qui Aquitaniæ motib. compoſitis in Hiſpaniam rediit, Sueuorum imperii, quod tandiu tenuerat, delendi certus. Myro Rex Gothorum potentiam veritus Galæciæ iam fines vaſtantium, miſſa vltro legatione cum pacem peteret, inducias tantum ad certum tempus impetrauit. Expetendæ a Sueuis pœnæ, niſi religionis mutatæ cauſſa nulla erat: & ardebat Leuuigildus cupiditate bello laceſſendi, profligandiq; Romanorū copias, quibus à Iuſtino Imperatore Hiſpanienſis limitis cuſtodia credita erat. Oroſpedæ montes, qui ad Cauni montis radices aſſurgunt, per Molinamque Concham, Seguram Granatæ fines attingentes ad Gaditanū fretū deſinunt, vbi montani homines locorū aſperitate confiſi imperium detrectabāt, illato primum bello domuit. Iis locis ſuperatis Gothorū potentia magnopere aucta eſt, imminuta Romanorum: cū exiguū Hiſpaniæ tractū ad mare, vt arbitror, Mediterraneum exigua ſpe defenſionis retinerent. In eos priuſquā Leuuigildus verteret arma, ad reip. ſtatum conuerſo animo atq; ſtudio ius ſuffragii antiquādi, quo Gothorū p̄ceres eatenus reges creare ſoliti erant, & ad ſtabiliēdā in familia regni ſucceſſionē magnopere referre cogitabat, Ermenigildum & Reccaredū filios regni cōſortes declarauit, ditione tripartita. Ermenigildus Hiſpali (Turonēſis Emeritæ ait) res curare iuſſus. Reccaredi nomine ad Tagi & Guadielę cōfluētes, ꝓpe

Paternianam, hoc eſt, Paſtranam, vt Raſis Arabs teſtatur, vrbs Reccopolis fundata anno
577. 577. & pleriq; ſuſpicantur in Celtiberis fuiſſe, quo loco Almonacillũ oppidum loci natura firmiſſimum ſitum eſt vulgò à Zurita nomen habens. Leuuigildus ipſe regni ſedem Toleti fixit: vnde ea ciuitas, vrbs Regia nuncupari cœpta eſt, atq; Gothici regni deinceps ſedes facta: cùm hactenus Hiſpali fuiſſet. Ab his initiis ei vrbi ad Primatus dignitatẽ aditus eſt patefactus in cæteras Hiſpaniæ eccleſias, quod locis competentibus eſt à nobis copioſius explicandum. Romanam eccleſiam poſt Ioannem III. Benedictus Pontif. gubernabat. Romanum imperium Iuſtini Iunioris ſucceſſor Tiberius eo nomine II. Quo tempore Myro Sueuorum Rex Ruccones bello vexauit. cauſſæ in incerto fuere: ſed bello tamen victos & fortunis ſpoliatos imperio ſubiugaſſe conſtat. Is tractus Riuogia hoc tempore nuncupatur præcipua fertilitate nobilis, frumenti ferax: ita vt cum vigeſimo frequenter efficiat.

Ermenigildi bellum. CAPVT XII.

INGVNDIS Sigiberti Mediomatricum Regis, atq; Brunechildis filia, Ermenigildo cõnu-
579. bio iuncta eſt ſalutis anno 579. Eo coniugio quoniam Goſuindæ & Athanagildi neptis erat, vtriuſq; regiæ familiæ ſanguis copulabatur: quod ad ſtabiliendum regnum nonnihil referre Leuuigildus Rex habebat perſuaſum, ſi Francorum regiam noua ſibi affinitate iungeret. Miſſam ex Gallia regio procerum comitatu ſtipante auia Goſuinda, præcipua lætitię ſignificatione aliquandiu apud ſe habuit, nihil prætermittens eorum, quæ ad beneuolentiam conciliandam pertinere viſa ſunt. Nimirum ſagax fœmina his blandimentis adoleſcentulæ animum expugnare parabat, vt catholica religione deſerta, ad Arii veſaniam traduceretur, baptiſmatis lauacro, vt moris erat inter Arianos, inſtaurato. quod cum illa ſe facturam negaret, ſemel ritu Chriſtiano excuſans, ſancti lauacri virtute expiatam ſub Trinitatis ſanctæ inuocatione, quam ad extremum ſpiritum inuiolatam conſeruare certum erat, impotens fœmina, atque iracunda, neque magis corpore deformis (erat enim altero lumine capta) quam animo efferata, repulſæ dolorem non ferens, ad conuitia & contumelias ſemel in puellæ capillos inuolaſſe fertur: atque per ſolum tractam excuſſo ſanguine fœdaſſe: iterum in piſcinam ſubiectam dediſſe præcipitem, magno vitæ diſcrimine. His Ingundis iniuriis non modo nihil de animi conſtantia mutauit, verum eius potiſſimum diligentia Ermenigildus vir creditur ad catholicam religionem reuocatus. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi regii iuuenis animum ad veritatem procliuem præcepta ad omnem veræ pietatis partem informarunt. doctrinæ opportunitatem Leuuigildi patris, in Citeriorem Hiſpaniam, atque adeo Carpetanos diſceſſus præbuit. Quo tempore Ringundis Chilperici Regis & Fredegundis filia Reccaredo pacta, cum ad ſponſum Toloſam vſque proceſſiſſet, cæde patris renunciata, quem à Landrico Magiſtro equitum occiſum diximus, repente in patriam rediit. ſic eius coniugii ſpe intercepta Bada Reccaredo iuncta eſt, quo ex genere incertum: ſed his tamen rebus occupato patre, Ermenigildus plane noſter eſt factus. Ex hac religionis mutatione, bellum graue & diuturnum natum eſt. & ægroto Leuuigildi animo, filii conſilio cognito Goſuinda nouercali odio faces ſubdebat. omnia tamen prius tentare placuit, quam ad arma ventum eſſet. Itaque legatione miſſa, pater hoc exemplo litteras ad
» filium dedit: Coram maluiſſem, ſi per te licitum eſſet, quam per litteras de re tota diſputa-
» re. quid enim à te præſens non impetraſſem, ſiue regia auctoritate præciperem, ſiue pater-
» no iure caſtigarem? beneficia certe in memoriam reuocarem, quæ tu in ludibrium vertere
» maluiſti. A teneris (nimia fortaſſis indulgentia) in ſpem Gothorum regni diligenter alui:
» confirmata ætate, antequam poſtulares, maiora quam ſperares delata ſunt. Dedi ſceptrum
» vt cum auctoritate adiutorem haberem: non vt te externaſque gentes cum quibus fœdus
» inire paras, imperio me aduerſum armarem. Nouo exemplo appellaui Regem, vt conſor-
» tio poteſtatis contentus, primas patri partes dares: atque in hoc ætatis flexu, eſſes ſeni præ-
» ſidio æque atque ſolatio. Si quid eſt, quod amplius cupias, patri explica. ſin autem ſupra æ-
» tatem, ſupra conſuetudinem, ſupra merita tibi ſunt omnia tributa: cur aut ingratus impie,
» aut impius ſceleratuſq; crudeliter circumſcribis patrem? an ſenis mortem expectare graue
» fuit? tantique fuerunt pauci anni quot hæc ætas recipit? an cum fratre communicatam po-
» teſtatem inuidebas? de quo me arbitro diſceptare æquum fuit. Sed nimirum regnandi am-
» bitio omnes naturæ leges violat: reſoluitque ea quæ perpetua neceſſitudine cõſtricta ſunt.
» At religionem cauſſaris: in quo te video non humana iura tantum, ſed diuina etiam euer-
» tere, & in caput tuum Dei vindictam prouocare. Ita ne ab ea religione tuo arbitratu diſce-
» das, cuius cultu propagando nomen Gothicum auctum opibus, atque potentia amplifi-
» catum eſt? an maiorum, quæ ſacroſancta eſſe debuit, auctoritatem contemnas? Nouæ reli-

gionis

gionis vanitatem, vel eo potiſſimum conſiderare potuiſti quod filium à patre ſeiungat:& ſummæ caritatis nomina odio pluſquam paterno, atque inuidia labefactet. Ego Ermenigilde pro patris iure impero,& pro ætate, qua maior ſum tibi conſulo,reuoca ad ſobrietatem animum: poſitaque noxiarum rerum cupiditate quieſce:ſic enim facile eorum quæ commiſſa ſunt hactenus venia dabitur. ſi recuſas, cogisque arma capere,næ tu fruſtra paternam miſericordiam re deſperata implorabis. Moleſtæ hæ litteræ Ermenigildo fuere, pro eo,ac par erat:nihil tamen de priori ſententia mutare certus, in hanc ſetentiam reſcripſit. Minas & contumelias tuarum litterarum æquo animo tulimus: tametſi nulla noſtra laceſſitus iniuria,linguæ libertatẽ cohibere potuiſti. Beneficiis tuis,quę & ipſe meritis maiora eſſe ſentio,parem aliquando gratiã rependere cupio: obſeruantiæ tenorem tibi debitæ,mihi propriæ ad extremum vitæ ſpiritum præſtare. Saniori religione quam ipſe inuidię cauſſa nouam dicis,amplectenda orbis iudicium ſequebamur, multis præterea nixi præſidiis: de veritate non diſputo: cuique de ea re liberum arbitrium facimus: tantundem modo nobis detur. Gotthicæ gentis felicitatem Arianæ ſuperſtitioni acceptam fers, ſcilicet ignarus conſueuiſſe Deum, quo grauius ex commutatione rerum doleant,quos pro ſcelere vleiſci parat, his ſecundiores interdum res & impunitatem concedere:haud ſane conſtantem atque perpetuam,quod Vandalorum, atque Oſtrogothorum in ſimili cauſſa exitus declarat. Quod ſi indignaris te inconſulto auſum me religionem mutare:concede mihi, vt doleam.ne hoc quidem abs te tribui, vt ſalutem meam rebus cæteris potiorem habeam:pro qua,ſi res ferent,paratus ſum ſanguinem vitamque profundere:neque patrẽ fas eſt plus diuinis legibus, ac conſcientia poſſe. Deũ quæ ſe conſilia tua reipublicæ ſint ſalutaria,nobis filiis tuis haud exitialia. Tu caue ne ſiniſtris criminationibus aures accommodando committas, vnde luctum tibi in omnem vitam paries, nomini ac generi noſtro ad poſteritatem infamiam victis,ac victoribus parem. Erant regni ſtudia diuiſa inter patrem & filium.catholici quorum erat magnus numerus cauſſa meliores, viribus impares Ermenigildum palam,aut voto ſequebantur.maiori potentia Ariani Leuuigildi partes.Ermenigildum Turonenſis ait,ſacro chriſmate delibuta fronte(is ritus erat recipiendis in eccleſiã Arianis)veterem appellationem Ioannis nomine mutaſſe:aureæ monetæ reſiſtunt,in ipſo vt videtur belli ardore,vt eſſent videlicet pro teſſera militari,præcipuæ puritatis percuſſæ, Ermenigildi nomẽ & faciẽ exprimẽtes altera ex parte,in altera victoriæ ſignũ, his adiũctis verbis: HOMO REGEM deuita. Nimirũ ad Pauli ſententiã alluſit: Hęreticum hominẽ pręcipientis poſt vnam & alteram monitionem eſſe deuitandum. Lõginqua auxilia à catholicis conquiſita. Leander Conſtantinopolim ad Tiberium Auguſtum nauigauit. ex monacho Benedictino Hiſpalẽſis Epiſc. ſingulari eruditione, morũ probitate eximia, neq; minori orationis ſuauitate & elegantia,res eo tempore cõparanda miraculo. Pro qua re iuerat, parum profeciſſe arbitror: ſynodo tamen Epiſcoporum interfuit,& cum Gregorio, cui poſtmodũ Magni cognomẽ acceſſit, & Legati partes pro Pelagio ſecundo implebat, vſum habuit. Ex vitæ & ſtudiorũ ſimilitudine voluntates conciliatas indicio ſunt libri Moralium à Gregorio Leandri hortatu, eiuſque nomine in publicum dati. Huius belli initia inciderũt in ſalũtis annum quingenteſimum octogeſimum, Mahometis in Arabia ortu famoſum in- 580
fauſtumque nomini Chriſtiano, magis quàm nobilem. Hiſpalis & Corduba munitæ inſtructæque commeatu: ſiue ducendum eſſet bellum, ſiue obſidionis mala eſſent toleranda. Romani Duces fœdere conciliati. vxor Ermenigildi, & filius recens natus in eorum relicti poteſtate, vt fidei datæ obſides eſſent: & ſi quid grauius accidiſſet à belli diſcrimine longiſſime abeſſe volebat. Contra Leuuigildus cum inuictum filii animum, neque metu frangi, neque promiſſis flecti conſideraret, vt monenti patri aures accommodaret,ad arma vimque vertit animum. Romani primum qui leuiter fundata fide cum filio ſentiebant,magno auri pondere Leuuigildo conciliati. Mercenarii homines ingenio,& quibus fides ex fortuna pendebat, vnde melior ſpes affulſit in eam partem nullo honeſti,inhoneſtique diſcrimine inclinabant. Deinde inter Catholicos & Arianos,quorum de religione diſſidio bellum excitatum eſſe conſtabat. ſpecies quædam concordiæ excogitata. Arianorum Præſulum conuentus Leuuigildi iuſſu Toleti habitus. In eo conuentu rebaptizandi mos ſublatus Arianis familiaris: cum ad eorum ſectam catholici transfugiſſent. Patri Filium æqualem eſſe, de quo tandiu diſceptabatur, verbo tenus ſanctum: cum prauæ opinionis virus conceptum retinerent animis. verborum ſimulatione multorum animi circumuenti, quaſi diſſidii cauſſa ſublata, aut ab Ermenigildo diſtracti, palam, aut frigidius, quam fecerant, optimam cauſſam tuebantur. Plerique ancipiti periculo dubii, atque ad tempus fortunam in conſilio habere ſoliti, ſpectatores belli eſſe mallebant, quam cum fortunarum alienarum euentu miſcere diſcrimen rerum

ſuarum. His rebus perficiendis tres anni conſumpti: quo ſpatio Tiberio Imperatore defun-
cto, Mauritius eius ſucceſſor rem Romanam cœperat adminiſtrare. Leuuigildus tota di-
tione magnis delectibus habitis contra filium mouens, in extremam Bæticam ferro pene-
trauit. Hiſpalis circunſeſſa. parum ſpei erat obſeſſos voluntate quicquam facturos ab Er-
menigildo, atque Leandro Præſule præoccupatis animis: vim adhiberi, ac metum placuit.
Alluitur ea vrbs Bæti flumine magnarum nauium capaci. ad ſubuectiones prohibendas
commeatu intercipiendo. eius fluminis curſum corriuari, alioque auerti placuit. Ea moli-
tio magni laboris erat, atque multorum dierum opus. Itaque quarto ſupra Hiſpalim lapide
Italicæ veteris mœnia inſtaurata, vti veteris magnificentiæ ruinæ documento ſunt. & ni-
mirum belli, quod diuturnum fore perſuaſum habebāt, opportuna ſedes quærebatur. Di-
ui Iſidori nomine monaſterium iis in locis extat noſtra ætate. Myro Sueuus, tametſi placi-
tis de religione diſcrepabat, cum ſuorum manu Leuuigildo iunctus, tantum nefas morte
luiſſe creditus eſt. ipſo obſidionis tempore defunctus, Eborico filio ſucceſſore. Turonen-
ſis Myronem Ermenigildi partes ſecutum ait: & profligato demum bello cum fœdus fe-
ciſſet cum Leuuigildo in patria paulo poſt defunctum, locis natura grauibus, vbi bello
intentus hęſerat & aquarũ inſalubritate valetudine proſtrata. Hiſpalim redeamus: vbi Bæti
corriuato magna atque ſuprema annonæ difficultate laborabatur. Ermenigildus poſt an-
nuam obſidionem deſperata defenſione, clam ad Romanos elabitur: ignorabat nimirum
paterno auro corruptos. ciuium deditione Hiſpalis continuo in Leuuigildi poteſtatem
586. venit, ſalutis anno quingenteſimo octogeſimo ſexto. Æque paucis poſt diebus Rex iuue-
nis à patre captus: an Cordubenſium proditione, defectionis infamiam noxamque inno-
centis, cum ſe eo retuliſſet venalem Romanorum fidem metuens, calamitate procurare
parantium, an vt Turonenſis eſt auctor, ad Oſſetum oppidum, vbi baptiſmi fontes quotan-
nis impleri ſponte conſueuiſſe eſt demonſtratum. Loci munitione & ſanctitate confiſus,
eo ſe Ermenigildus contulerat cum trecentis delectis militibus: & patrem ſperabat ſi vim
adhibere pararet à tergo atque à fronte circumuentum, nam prope reliquæ copiæ tende-
bāt, opprimi poſſe. Quod cõtra accidit. filii cõſilio explorato, vt nihil occulti eſſe poteſt in
inteſtina diſcordia, ſolers pater eius conatus eluſit. Magna celeritate oppidũ captum, incē-
dioque deformatum. Ermenigildus ipſe ſpe omni deſtitutus in templum aufugit, ſi forte
reſidente patris ira moræ ſpatio veniam impetraret. Sequebatur Leuuigildi caſtra Recca-
redus minor ætate filius, indole animi atque prudentia fratri æqualis. Is patris permiſſu, fa-
ctaque à fratre ipſum conueniendi poteſtate in templum admiſſus aliquandiu vi lacryma-
rũ vocem intercludēte, tacitus ſubſtitit. deinde, Mollis, ait, eſt animi ſuorum caſum dole-
re nullumque in dolore præter lacrymas remedium adhibere. tuam calamitatem noſtrã
iudico. quid enim inter fratres & patrem poteſt eſſe ſeiunctũ? Neq; tuos conatus vitupero
religionis ſuſceptæ ſtudio, tametſi quæ iuſta cauſſa eſſe poterat in patrem arma mouendi?
ac ne illorum quidem conſilia accuſabo, quibus es in fraudem inductus. præterita lamen-
tari, quam corrigere facilius eſt. Fuit horum temporum calamitas, & ſciſſis prouincialium
animis fatale diſſidium. Dum vtraque pars in noſtra familia quærit præſidium, vtrique pla
ne corruimus. Reliquum eſt ad concordiam animos reuocare: prouidere certe ac præſta-
re, ne inimici in noſtræ domus ruinis amplius exultent. ꝙ vtinam rebus integris libuiſſet:
ſed præſtat ad paternam miſericordiam recurrere, & factorum veniam cupidiſſime petere:
quam pertinacia atque arrogantia perire. Moneat vtriuſque fortunæ conditio, ne contu-
maciam cum pernicie, quam obſequium cum ſecuritate malis. Illud memento, rebus
profligatis conſilio opus eſſe. animi impetum fore tum vanum, tum exitialem. Ego ti-
bi ſi quod neceſſe eſt, ſpõte facis, tibi patrem recipio placatũ. retento certe regio honore,
modico ſupplicio noxã expiabis. Ad ea verba iuramēti religio addita, vocato patre mœſtus
iuuenis ad genua prouolutus ab eo veniæ ſimulatione oſculo exceptus eſt, atq; blãdis ſer-
monibus delinito animo, in caſtra deductus. mox regiis inſignibus detractis Hiſpalim in
cuſtodiã miſſus eſt (Biclarenſis, Valentiã relegatũ, Tarracone occiſum ait). Monſtratur
Hiſpali ad eam portam, cui à Corduba nomen eſt, turris Ermenigildi cuſtodia nobilis, lo-
ci altitudine, anguſtia, atque tenebris horrida. In ea manibus ad collũ reuinctis aſſeruatus
traditur ad carceris ſqualorē victus ipſe & cultus aſperitatem addebat: cilicii veſtem,
qua in lecto etiã pro ſtragula veſte vtebatur, animo in rerum diuinarũ contemplatione de-
fixus, cælumq; ſuſpirans, quo ſe quamprimũ iturum ſperabat. Aduenerat Paſchatis feſtum
Chriſti Dei ad vitam reducis memoria lætũ, & eo anno incidit in 14. Aprilis diem, ab ortu
586. Chriſti anno quingēteſimo octogeſimo ſexto, quod certa ratione intelligitur. tametſi qui-
dam ex hoc annorum numero biennium detrahunt: Biclarēſis tertio Mauritii Imp. anno
Ermenigildũ occiſum certę ait. Leuuigildus de filio ſolicitus mittit quendam Epiſcopum

Arrianum

Arianum de media nocte, qui epulum Chriſtianum vincto de morte traderet. Ille verborum contumelia caſtigatum cum à ſe repuliſſet, patris animum, ad ſe eam iniuriam pertinere interpretantis, vſque eo exacerbauit, vt Sisberto carnifice è veſtigio miſſo ſecuri percutiendum mandarit. Horret animus atque hæret tantæ crudelitatis imagine. Inerant Ermenigildo ſimplicitas & libertas: quæ niſi modus adſit, in exitium vertuntur. Martyris memoria colitur in Hiſpania paſſim ad octauūdecimū Kal. Maii, (nōnullæ eccleſiæ priori die faciunt). Carceris locus conſequenti tempore in ſacellum Ermenigildi nomine transformatus eſt. multiq; deinceps mortales viri & fœminæ, Ermenigildi, Ermeſindæ ſiue Ermeneſindę nūcupati. Armengol & Ermengādus gētilia Hiſpanorū nomina eodē pertinere putātur. tum Ermegildez & Ermildez barbarū magis ſonantia. Hæc indicia ſunto cultus martyris in Hiſpania ſuſcepti olim atque propagati. Corpus vbi ſit noſtra ætate clam eſt: ac ne ſatis quidem conſtat quo tunc loco fuerit tumulatum: niſi quod os eius argenteæ ſtatuæ incluſum, atque reuinctum Cæſarauguſtę in templi maximi proprio ſacrario ſeruatur. Romanam eccleſiam per hæc tempora Pelagius. II. obtinebat. Pelagii ſucceſſor Gregorius cognomēto Magnus Ermenigildi mortem, & mortis cauſſam memoria recenti deſcripſit. auditumque ad martyris corpus teſtatur cæleſtem concentum funus videlicet peragentium exequiasque celebrantium, quoniam eo honore carebat: famaque vulgatum eodem loco per noctem lumina lampadum ardentium ſimilitudine viſa. Iis rebus & quoniam Sisbertus carnifex breui turpiſſimo mortis genere conſumptus eſt, religio martyris maiorem in modum in animis hominum confirmata auctaque eſt, nunc amplius cum Sixtus V. Pont. Max. Ermenigildi nomen in Romanos faſtos adſcripſit, feſtumque & in primis celebre octauodecimo Kal. Maii vniuerſæ Hiſpaniæ fore ſanxit lege in omne tempus lata.

Leuuigildi mors. CAPVT XIII.

INGVNDIS viri caſu perſpecto, oppletā mœrore & lacrymis in Africam tranſmiſit. Romani Duces, quorum fidei credita erat, ad Mauricium Imperatorem ducendam cum filio curabant, quaſi belli prædam. Franci Reges Childebertus Ingundis frater germanus & Guntrandus patruus eius iniuriam, Ermenigildi necem armis vindicare parabant feroces & rapidi. Reccaredus noui belli cura in Gallia eorum conatus anteuertit, in hoſtium fines inuectus. atque Vgerno arce munitiſſima in Arelatenſi agro armis expugnata, finitimi agri omni iniuria deformati. Tentata ſubinde concordiæ ſpe, miſſiſque a Leuuigildo de pace legatis, nihil impetratum tamen, ad priores noua iniuria hoſtibus exacerbatis. Francorum naues ad Calæciæ littora (commercii videlicet cauſſa cum Sueuis ineundi) in ea loca delatæ, à Gotthica claſſe interceptæ ſunt, cum hominibus prædaque omni. ſic repetita, quamuis legatione Franci Reges ac Princeps Guntrandus ſurdas aures Gotthorum poſtulatis præbuerunt. & auctorem habeo, qui Reccaredum Narbone profectum rurſus in Francorum fines irrupiſſe ait, lætiſſimiſque Galliæ agris rurſus attuliſſe vaſtitatem. Childebertus dolori propior vindictę auidior, Mauricium Imperatorem, cuius amicitiam paulo ante contempſerat, vltro ſolicitauit ad vires armaque ſocianda aduerſus Longobardos & Gotthos rerum dominos in Italia atque Hiſpania. Validæ Francorum copiæ ex nouo fœdere miſſæ in Italiam, cum hoſtis initio metu ſimulando, neque vniuerſæ dimicationis copiam faciendo innatam Francorum genti confidentiam auxiſſet, pugna repente atque improuiſò facta victæ profligatæ ſunt. cæſorum numerus non proditur: cladem tamen eo ſeculo maiorē Francis contigiſſe nullā conſtat. Gotthis ex eo caſu Childebertū æquiorem redditū minime dubiū eſt, præſertim cū Imperator aliis reb. intētus nomē magis ad ſociorum præſidium, quam vires afferre videretur. In ipſo belli apparatu Ingundim Childeberti ſororē, pro qua bellum ſuſcipiebatur, nunciatū erat diē obiiſſe, ſiue in Africa, ſiue in Sicilia, nā auctores in diuerſum trahūt, filio paruulo ad Imperatorē deducto: qui quē exitum habuerit clā eſt, & fortaſſis paulo poſt matrē & ipſe deceſſit, obitu quā vita felicior futurus. Interea in Hiſpania Leuuigildus opprimendæ catholicæ religionis ſtudio, vnde tantum calamitatis domeſticæ extitiſſe interpretabatur, viros ſanctos, quorū præſidio veræ pietatis cultus nitebatur, toto regno exiliis mulctabat: Leādrū Hiſpalēſem. Præſulē, Fulgentium Aſtigitanum, quibus in primis iratus erat, Ermenigildi cauſa, cui fauiſſe minime dubitabat Mauſonam Emeritæ Metropolitanū ea ætate cū ſummis viris cōparandū, cum Toleti, quo deducendum curarat, omnibus contumeliis violaſſet ob religionis conſtantiam, & quoniam Eulaliæ veſtem Arianorum metu Regi prodere recuſabat, feroci equo impoſitum atque Sunna Ariano in eius locum ſubrogato, in exilium expulit. Miraculo viri innocentia eſt indicata: equus ille poſita continuo feritate ſanctum virum dorſo admiſit. Plures

alii Epiſcopi relegati, aliique in eorum locum ſubſtituti: vnde tranquillitate reddita eccleſiæ factum creditur, vt contra quam eccleſiaſticis legib. cautum erat, duo eſſent aliquando eiuſdem vrbis Epiſcopi, vti publica eius ætatis acta teſtantur. pacis ſtudio nouum exemplũ inductum. Eccleſiarum reditus ab auaro Rege nemine reſiſtente occupati. ſacratorũ virorum priuilegia antiquata. multi proceres occiſi veris cauſſis, aut aſſimulatis. ex eorũ bonis regium patrimoniũ locupletatũ. ac præſertim tanta carnificina prouidebatur, ne quiſquam externi ſanguinis ad regnũ aſpirare poſſet. His malis pleriq; fracti, non ex plebe modo, ſed & viri principes copiis & nobilitate, manus dederunt, atq; ad Arianorum ſectã traducti ſunt. In his Vincentius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, cùm Arianus eſſet factus, inconſtantiæ exemplo multos alios in præcipitiũ traxit. Seuerus Malacitanus & Licinianus Carthaginenſis Præſules Vincentii æquales, eius perfidiam de ſcripto iugularunt. Extat noſtra ætate Liciniani liber, quem plures præterea epiſtolas ad Eutropiũ Epiſcopum Valentinũ ſcripſiſſe Iſidorus teſtatur, Conſtantinopolique diem obiiſſe: nimirum cum Regis furorẽ fuga declinaſſet. In ea vrbe Ioannes Biclarenſis Abbas Scalabi in Luſitania natus, decẽ & ſeptem ætatis annos ſtudiorum gratia iunior cõſumpſerat, inde vtriuſq; linguæ aliarumq; artium cognitione inſtructus in patriam ex longinqua peregrinatione redux, communi eccleſiæ tempeſtate iactatus Barcinonem exilii cauſa miſſus, ad Pyrenæi mõtis radices, vbi hodieq; eodem nomine viſitur, Biclarẽſe monaſterium conſtituit optimis legibus atq; inſtitutis ad D. Benedicti regulam cõformatum. vnde Reccaredo quidem Rege, ad Gerundenſis eccleſiæ procurationem: Suinthilæ autem ætate ad cælum morte migrauit, meritis debitum præmium Nonito ſucceſſore. Ioãnes presbyter Emeritenſis, atq; Nouellus Complutenſis Epiſcopus Aſturii ex magno interuallo ſucceſſor. & ipſi doctrinæ atq; religionis laude clari, quibus rerum fluctib. agitati fuerint clam eſt. Iſidoro minor ætas præſidio fuit, eaq; indoles & ingenii lumen, quod breui vniuerſam eccleſiam illuſtrauit: generis nobilitas, totius oris dignitas, atq; ſuauiſſimi mores. tametſi Arianorũ in ſe inuidiam irritare non deſiſtebat, & ſua ſponte & Leandri fratris litteris ad oppetendam pro vera pietate mortem ſi opus eſſet, animatus. Hiſce rebus Gotthici regni potentia vehementer confirmari videbatur: præſertim cum per idem tempus Sueuorum ditione ſit auctum, eius gentis Regibus penitus à ſtirpe ſublatis hac occaſione. Myronis filius Eboricus ab Andeca viro præpotenti, tum ſuis copiis, tum Siſegundæ nuptiis (erat ea Eborici nouerca) regno ſpoliatus, atque in ſacerdotis morem detonſus, compulſus eſt vitam principalẽ cum priuata, regia inſignia cum veſte monaſtica commutare. Leuuigildus vt amici atque fœderati Regis iniurias vlciſceretur, victum armis Andecam, atque theſauris regiis ſpoliatum, detonſa coma (maiorum inſtituto atque more, nobilitas promiſſa cæſarie continebatur) atque eo facto regni ſpe penitus interciſa, Pacem Iuliam relegauit. Amalarici motibus tandem compreſſis, qui fauore gentis regium nomen occuparat, vniuerſa Calæcia in prouinciam redacta, leges & magiſtratus accepit. Sic Sueuorum regnum quod aliquando florentiſſimum fuerat, & cẽtum ſeptuaginta quatuor annis Hiſpaniæ partem tenuerat, extinctum penitus eſt, atque ſublatum ipſo ſalutis anno quingenteſimo octogeſimo ſexto. Quo anno Leuuigildus ipſe
586. Toleti deceſſit, ex quo cum fratre regnare cœpit anno octauodecimo. Fama eſt, & multi auctores teſtantur, ſub vitæ finem cum ſalute corporis deſperata ex morbo decumberet, Ariana impietate repudiata, animum ad ſanitatem quidem reuocaſſe, atque priuatim cum Reccaredo filio pro catholicæ religionis veritate diſputaſſe: regnum quod multarum vrbium acceſſione amplificatum relinquebat. futurum multo illuſtrius veteri religione quaſi poſtliminio in Hiſpaniam vniuerſamque adeo Gothicam ditionem reuocata. Leandrum & Fulgentium, quos ab exilio poſtremis teſtamenti tabulis reuocari mandabat. Patrum loco habere, eorum auſpiciis & monitis priuatam vitam, communesque adeo res gubernare. & Gregorius magnus affirmat Leandro coram priuſquam ex morbo obiiſſet, Reccaredum filium enixe commendaſſe, eius præceptis ſperare ſeſe, ac vero vehementer optare Ermenigildo fratri, quem magna animi temeritate innocentem occiderat, vt perſimilis moribus, humanitate atque totius vitæ conditione euaderet. Nimirum ſancti Martyris manes mortui, quam viui feliciores patre tandem ad ſanitatem reuocato conquieuerunt. Tametſi noſtri hiſtorici Leuuigildum temporibus ſeruientem, atque factionis metu animum debilitante negant palam eum, vt erat opus, Arianam ſectã abdicaſſe, priuatim agnouiſſe veritatem non negant, antea multis prodigiis admonitum, quę religionem catholicam illuſtrabant, In iis hæc numerantur: quo tempore filium innocentem armis perſequebatur, in ora Carthaginis monaſterium D. Martini nomine ſacrum, monachis in vicinam inſulam fuga dilapſis, à regiis militibus eſt direptum. in Abbatem, qui ſolus remanſerat, diſtricto gladio eorum quidam facto impetu, ſacrilegii pœnis agen-

tibus

tibus in terram decidit exanimis. In quo Rex prudentior cognito caſu prædam omnem reddi monaſterio mandauit. Annulum in ignem proiectum cum de religione eſſet diſputatio, catholicus ardentem manu incolumi contrectauit, catholicæ veritatis argumentum præclarum: hæreticus haudquaquam eſt auſus ſimili periculo ſectæ patrocinari. His atque aliis id genus miraculis, Regem aiunt animo commotum atque vacillantem ex Epiſcopo quodam ſectæ Arianæ addicto diligenter quæſiuiſſe, eccur Chriſtianis tot tantaque miracula patrantibus, Ariani ſuam ſectam nullis virtutibus illuſtrarent? Cui Epiſcopus: Multis (inquit) ò Rex ſi vera fateri conuenit, atque aduerſariorum in morem noſtra iactare fas eſt, ſurdis auditum inſinuaui, cæcorum oculos ad videndi vſum aperui: verum quæ hactenus vitandæ oſtentationis cauſſa ſine arbitris geſta ſunt, ea conſilium eſt palam facere, confirmareque tibi, quæ à me dicta ſunt haudquaquam inania eſſe. Itaque Rege per plateam paulo poſt tranſeunte, Arianus quidam auctore impulſoreque Epiſcopo, magnis clamoribus oculos in priſtinum reſtitui aſpectum fraude poſtulabat: notam Epiſcopo fabulã apud ipſum auctorem argumenti peragens, ſupinaſque tendens manus Antiſtitis precibus & ſanctitate ſanitatem ſupplex ſperare ſimulabat, callidum commentum. turpiſſimum mendacium. Verum contra res accidit. Impoſtor ille atque nefarius ſimulatque Epiſcopus eius oculos manibus contrectauit, penitus excæcatus eſt, Fraude detecta (dolor pudorem ſuperabat) Ariana ſecta , vt par erat , vehementer inclinare cœpit : & Regis animus ſenſim abalienari : præſertim cum toto quadriennio Hiſpaniæ agros, ac Carpetaniam in primis, in quam ob aeris temperiem maximam vis mali incubare maxime conſueuit, locuſtarum agmina penitus vaſtarent. quod populares vt ſolent in religionem vertebant, quaſi diuino numine Ermenigildi cædem, atque veram pietatem iis malis vindicante. Eam laudem Leuuigildus Iſidori etiam teſtimonio habeat certe præcipuam. quod poſt Euricum Regem Gotthorum leges temporum iniuria deprauatas, nonnullis additis, aliis detractis caſtigauit. & Paulus Diaconus Emeritenſis, qui viſa retulit, affirmat Nunctum Abbatem præcipua ſanctitatis opinione virum, cum ex Africa Emeritam traieciſſet Eulalię ſepulchrũ inuiſendi ſtudio, & ex ea vrbe fœminarum aſpectum declinans in eremum aliquanto poſt ſeceſſiſſet, regiis vectigalibus ſuſtentatum, tametſi religione erat catholicus tandiu, donec à vicinis ruſticis facta conſpiratione occiſus eſt. Cauſæ in incerto fuere. & fortaſſis liberas ſancti viri increpationes ferre non poterant agreſti homines pectore, rudi ingenio: ſacrilegii certe pœnas Rege vindictam negligente dæmonum incurſu in furorem acti dederunt. Illud varie in Leuuigildi actionibus accipi poteſt, quod primus Gothorum Regum veſte à populo diſcreta vſus eſt primusque regia inſignia atque inſtrumentum principale, trabeam, ſceptrum, diadema geſtauit.

Reccaredi regni initia. CAPVT XIIII.

FL. RECCAREDVS patris funere procurato, domeſticisque rebus compoſitis, animo ad reipub. ſtatum & religionis catholicæ inſtaurationem conuerſus, primum omnium cũ Francis Regibus fœdus inſtaurare cupiebat: & quo pax diuturnior ſanctiorque eſſet Bada priori vxore defuncta Clodoſindam alteram Childeberti Auſtraſiani Regis ſororem ſibi iungere: cum conſiliorum patris in Ermenigildum ſæuientis participem non fuiſſe excuſaret, fratriſque calamitatem ſe ex animo doluiſſe. Verum tantæ rei perficiendæ nondũ maturitas erat, & appropinquabat tamen. Illud maius: Leandri & Fulgentii præceptis conformatus, de reuocanda in Hiſpaniam catholica religione ſerio cogitabat, ipſe iam animo & ſententia catholicus: tametſi tantiſper tempori cedendum arbitrabatur, dum populariũ mentes facilius flecti quam frangi ſolitæ, præſertim commutanda religione, quam à primis annis accepere, arte ſanarẽtur. Patientia & verborum comitate plebei & principes facile Regis voluntati morem geſſerunt. Gotthique vniuerſi, atque ex Sueuorum gente ii qui veteris erroris reliquias fouebant, populariter in eccleſiæ catholicæ caſtra commigrarunt. Regis diligentia, gratia, atque auctoritate res tanta perfecta eſt: cui ad alliciendas verſandasque ſubditorum voluntates multum contulit oris dignitas, moresque ſuauiſſimi, quibus gratiſſimus genti eſt habitus dum vixit, poſt obitum gratum poſteris, fauſtumque nomen in paucis. Contigit enim Reccaredo, quod haud ſcio an Regum vlli, vt religione permutanda, quod propemodum neceſſe erat, motus exiſterent, neque diuturni admodum, neque graues: & ſeueritas animaduerſionis non modo non inuidioſa eſſet, quia neceſſario ſuſcipiebatur, ſed etiam popularis, & cũ bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. Primus in Gallia Narbonenſi Athalocus Epiſcopus Regis conatibus ſeſe oppoſuit, erat enim ſecta Arianus, vſque eo vt vulgo homines Arium nominarẽt Graniſta & Bildigernus Comites, ſiue Athaloci conſilio & hortatu, ſiue ſua ſponte factio-

nis tuendæ ſtudio, iis in locis corripere contra Regem arma, plebemque ad defectionem ſolicitare minime dubitarunt. Verum is nimbus, qui grauiſſimam procellam minabatur, breuem & facilem exitum habuit. Athaloco vbi rem inclinatam videt, & popularium voluntates ad religionem catholicam propenſas retineri a tranſitione non poſſe præ animi ægritudine defuncto, Comites à Reccaredi exercitu acie ſuperati: eorumque ſupplicio catholicorum iniuriæ vindicatæ ſunt, quos ille quo odio religionis, qua deſperatione rerũ ſuarum ſi victi eſſent, tormentis omnibus cruciauerant. ac ferme nullæ acerbiores ſimultates atque odia quam quę religionis ſpecie comparantur. Ipſo regni initio, hi Galliæ Narbonenſis motus extiterunt. Quo tempore omnino ex quo temp. capeſſierat menſe decimo, Rex nouus palam Ariana perfidia abdicata, veterem religionem atque catholicam amplexus cõtinuo eccleſiis ſua iura reſtituit, bonaq; à patre per iniuriã ablata noua tẽpla & monachorum collegia ſua expenſa fundabat regia magnificentia: pleroſque populares in eum locum reſtituit vnde à patre erant deturbati: cuius acerbitatem videbatur benignitate ſuperare velle, maleficia beneficiis compenſare. His rebus occupatum eum, diuinum numen tuebatur. Deſiderius enim à Guntrando Rege cum validis copiis miſſus vt Gotthos de finibus laceſſens ſuperiores iniurias armis vindicaret, à Reccaredi copiis in Gallia Narbonenſi ſuperatus, interfectusque eſt. Ad Carcaſonem acie pugnatum. victi primũ Gotthi, atque intra vrbem compulſi Francos victores & neglecta militari diſciplina auidius inſequentes, irruptione ex vrbe facta, ſignaque quaſi tunc primum pugna committeretur de integro canentes, velut numine rem Gotthicam reſpiciente, mutata prælii fortuna, qui terga dederant, obliti vulnerum laboriſque prælium maiori impetu reſtituris ordinibus repararunt. Attoniti hoſtes Gotthorum audacia. breui loco moti atque in fugam conuerſi ſunt. Duce cadente, plerique trucidati. paucos fuga ſeruauit. Atque hæc omniã intra primum annum regni Reccaredi geſta ſunt. Conſequenti autem detecta in Regis caput coniuratio. & propemodum neceſſe eſt reip. ſtatu commutando, cuius præcipua pars religione continetur, fluctuare animos: motus exiſtere varios & graues. Mauſona temporis beneficio in Emeritenſem eccleſiã reſtitutus eſt. Sunna Arianus, qui exulis locum concedente Leuuigildo occuparat, ægre tulit æmuli reditu ſe de ampliſſimo dignitatis gradu eſſe deturbatum. Itaq; eius interficiẽdi conſilia cum factioſis hominibus clam communicauit: audax facinus, atque exitu anceps, præſertim Claudio Duce ſuperſtite; cuius fidei vniuerſa Luſitania concredita erat, atque vrbem Emeritam præſidio militari obtinebat, catholicæ religionis conſtantia clarus, vt Gregorii Magni & Iſidori litteræ ad eum datæ declarant. Vtrunque ergo obtruncari placuit. rei perficiendæ cura Vvitterico demãdata, magnorum ſpirituum iuueni, & in omnia familiaria iura Claudii aſſueto: quippe qui in eius domo educabatur: vnde conſequenti tempore ad Gotthorum regnum peruenit. His moribus creſcebat. Hiſpanię Princeps futurus. Occaſio tanto facinori opportuna quærenda erat. Sunna officii cauſſa Epiſcopi conueniendi facultatem petit. Ille quod res erat ſuſpicatus in beneuolentiæ ſimulatione ſuæ ſaluti inſidias comparari, Claudium ad ſe aduocat, vt mutui colloquii arbiter eſſet: & ſi qui forte male cogitarent, auctoritate comprimeret. Coniurati tempus veniſſe rati vtriuſque cædis perpetrandæ, cũ ſalutationis officio functi eſſent, Vvitterico ſignum dant. Is enim retro Claudium de more ſtabat. miraculo habitum eſt, cum gladium nulla ratione ſtringere poſſet, ſiue diuino numine innocentem cauſſam reſpiciente, ſiue iuuenili animo metu periculi perturbato. coniurati haudquaquam fracti animis in publica ſupplicatione, qua ad Eulaliæ templum ſuburbanum ibatur, promiſcua cæde in Epiſcopum & populum vniuerſum ſæuire conſtituunt: gladii quo res eſſet occultior frumenti ſpecie carris impoſiti. Conceptum paratumque facinus Vvittericus indicio facto diſturbauit, ex ſuperiori miraculo pœnitentia concepta, aut factionis crudelitatem exhorreſcens. Claudius re perſpecta Sunnam & proceres qui cum eo magno numero ſentiebant, facto in eos impetu, cæſiſque quicunque armis reſiſtere auſi ſunt, reliquos redegit in poteſtatem. Procerum bona iuſſu Regis, cum quo rem tantã communicari placuit, in fiſcum redacta. ipſi honoribus ſpoliati in varias partes exilii cauſſa abierunt conceptæ fraudis teſtes deformes. Sunnæ coniurationis principi, & architecto cum ſeueritate mitigata, aut Hiſpaniæ deferendæ, aut ſuperſtitionis abdicandæ optio data eſſet, in Africam nauigauit. Vvitterico indicii facti præmium fuit concepti ſceleris venia. Vacrilę è coniuratorum numero ad Eulaliæ tẽplum tanquã ad aſylum fuga elapſo perpetuæ ſeruitutis conditio impoſita, eiusque templi obſequiis perpetuo eſt mancipatus. Paulus Segga Comes coniurationis princeps, manibus præciſis in Calęciam exulare coactus eſt, vt Biclarenſis ait. His ſuppliciis procella diſſipata, vnde magna clades eccleſiæ catholicæ imminere videbatur: reliquis documentũ datũ haudquaquã impune procedere impios at-

pios atque nefarios conatus. Maior nihilominus rerũ moles continuo exorta eſt. Goſuinda Regina ſub initia in priuigni gratiam Catholicæ religionis cultum ſimularat, & quod horreſcit animus commemorare, in catholicorum conuentu ſolita erat diuinum epulum de ſacerdotis manu ſumptum occulte ſpuere, ne ſi in ſtomachum traiiceret, violatæ videlicet religionis rea eſſet. Idem Vldida Epiſcopus, cuius illa conſiliis multũ vtebatur, factitabat. Diu tegi ſimulatio non poterat. cum eo Regis obtruncandi cuius periculo ſalus publica vertebatur, cõſilia cõmunicauit. verum diuino numine catholicæ religionis ſtatum nondum ſatis firmatum protegente, cõiuratione detecta Vldida exilio eſt mulctatus: Goſuinda fato conceſſit: conceptamque animo impietatem morte luit, inquieto animo fœmina, & catholicæ religioni ſemper infeſta. In Gallia per idem tempus, nimirum ſalutis anno 588. Francorum armis bellum reparabatur. Guntrandus Rex memor iniuriarum, quas pridem acceperat: atque ignominiæ delendæ cupiditate, quæ Deſiderio duce accepta erat, magnis delectibus tota ditione habitis, numeroſum exercitum conflarat. ad ſexaginta hominum millia, pedites equiteſque numerabantur. Cum his copiis Boſo Dux ſui Regis iuſſu in Galliæ Gothicæ fines populabundus irruit. Claudius Luſitaniæ Dux ex antiquo Romanorum ſanguine prognatus, nunciato Francorum apparatu miſſus in Galliam, atque Gallici limitis cuſtodia concredita, ad Carcaſonem locorum omine lætus ob recentem ſuperioris victoriæ memoriam, hoſtem nactus, collatis ſignis ſuperauit. multi in pugna, non pauci in fuga ceciderunt. caſtra expugnata. impedimentis omnibus victor potitus eſt. clara victoria, & qua illuſtrior nulla extiterat in Hiſpania, auctore Iſidoro, Gotthorum paucitate admirabilior eſt habita: ſcribunt enim Claudium confidentia mirabili cum trecentorum militum cohorte, quam ex lectiſſimis conflarat, cum prævalido hoſte tantiſque copiis ſtipato auſum totius pugnæ fortunam tentare. Extitit paulo poſt nimirum vertente anno noua in Regem coniuratio, ex qua non minori ope numinis mirabiliter euaſit. Argimundus regio cubiculo præfectus, Rege occiſo regnum inuadere parabat. res tanta cum ſine ſociis perfici non poſſet, cum pluribus communicata celari non potuit. De ſociis ergo quæſtione habita continuo ſupplicium eſt ſumptum. coniurationis dux, quo maiori ludibrio eſſet pœna diuturnior & grauior, decaluatus (quod erat amiſſæ nobilitatis inſigne: nobiles enim à plebe cæſarie promiſſa diſtinguebantur, extantque Francorum leges de iure cæſariei) ad hæc præciſa manu, aſino impoſitus per Toleti plateas traductus, gratum piis ſpectaculum, totius populi conuitiis, contumeliiſque laceratus, capite tandem plexus eſt. Verum hæc aliquanto poſt, ad intermiſſa reuocetur oratio.

Concilium Toletanum tertium. CAPVT XV.

TOLETANAM eccleſiam per hæc tempora poſt Montanum, Iulianum, Bacaudam, ac Petrum ex ordine eius eccleſiæ Præſules, Petri ſucceſſor Euphimius tenebat, excellenti probitate vir, & eruditionis laude non vulgari. Rex bellorum motibus pacatis & domeſticis inſidiis toties ſuperatis, diuini beneficii memor, ſuſceptæ religionis ſtatum cupiebat, publico totius gentis conſenſu, atque totius eccleſiæ iudicio ratum fixumque eſſe. diſciplinam eccleſiaſticam, quod erat neceſſe, vitio temporum labefactatam aſtringi atque reuocari ſatagebat. Hoc animi conſilio cum Leandro Hiſpalenſi, cuius auſpiciis, vt par erat, res priuatas & publicas gubernabat, communicato, optimum viſum eſt: ex tota quam late patebat ditione Gotthica Epiſcopos Toletum vrbem Regiam (ſic deinceps vocari conſueuit, & Gotthos Reges in ea imperii ſedem collocaſſe eſt demonſtratum) ad generales conuentus totius prouinciæ celebrandos conuocare. Ad diem certam ſeptuaginta circiter Epiſcopi conuenerunt: in his Metropolitani quinque: atque ſub initium menſis Maii, ſalutis anno quingenteſimo octogeſimo nono, primus conuentus eſt 589.
habitus. In eo conuentu Rex ad Patres qui aderant, hoc exemplo, atque his verbis breuem orationem habuit: Non incognitum reor eſſe vobis, reuerendiſſimi ſacerdotes, quod propter inſtaurandam diſciplinæ eccleſiaſticæ formam ad noſtræ vos ſerenitatis præſentiam euocauerim: & quia decurſis retro temporibus hæreſis imminens in tota eccleſia catholica agere ſynodica negotia denegabat, Deus cui placuit per nos eiuſdẽ hæreſis obicẽ depellere, admonuit inſtituta de more eccleſiaſtico reparare. Ergo ſit vobis iucũditas, ſit gaudium, quod mos canonicus proſpectu Dei per noſtrã gloriã ad paternos reducitur terminos. Prius tamen admoneo pariter & exhortor ieiuniis vos, vigiliis, & orationib. operã dare: vt ordo canonicus, quem à ſacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa ac diuturna obliuio quem ætas noſtra ſe neſcire fatetur, diuino dono nobis rurſus patefiat. Patres hac Regis oratione vehementer commoti pro ſe quiſque, vt in quoque erat auctoritatis plurimum, diuinam benignitatem concelebrarunt. Regi ipſi gratiæ actæ pro tam

propenſa in religionem catholicam voluntate. Itaque trium dierum indicto ieiunio animis procuratis, alter conuentus eſt habitus. In eo Rex fidei catholicæ profeſsionem, Arianæ perfidiæ abdicationem de ſcripto conceptam, ſuo & Badæ Reginę nomine Patribus obtulit: quam quoniam in ea ſynceræ religionis formula comprehenſa erat, ac nominatim in Symbolo Conſtantinopolitano expreſſum, Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, Patres fauſtis acclamationibus proſecuti. Ex reliquis tum Epiſcopis tum proceribus, qui Ariana ſecta repudiata Regis exemplum ſecuti erant, quæſitum, num aliquid in regia profeſsione reprobarent? reſponſum datum: ſancire ſe & amplecti quæcunque religio catholica profitebatur. Octo Epiſcopi erāt, proceres quinque, prauis antea opinionibus imbuti: qui priori ſimilem fidei profeſsionem poſt Regem & Reginam ſuæ manus ſubſcriptione confirmarunt. Secundum hæc, tres & viginti canones promulgati, diſciplinæ eccleſiaſticæ inſtaurandæ cauſſa. In his ſigillatim expreſſum ne populus prius diuini epuli particeps fieret, quàm publicè fidei ſuſceptæ ſymbolum inter offerendum ſacrificium more Chriſtiano iuxta formam in concilio Conſtantinopolitano perſcriptam, cuncti qui aderāt pronunciarent. vnde arbitror eum morem in Hiſpaniam deriuatum qui ad noſtram ætatem retentus eſt, ne ad ſacræ menſæ epulum quiſquam admittatur priuſquam Chriſtiani ſymboli partes omnes præeunte ſacerdote pronunciarit. Concilii acta Regis edicto confirmata. Poſtremo Leander ad Patres & populum concionantis in modū hac ſentētia orationem habuit: Præſentis, inquit, diei tantam eſſe celebritatem tantamq; lætitiam, quanta nullius diei feſti toto anno recurrit, nullus veſtrum, vt arbitror Patres, mecum affirmare recuſabit. Aliis enim toto anno celebritatibus gaudii veteris memoriam reuocare conſueuimus: nouæ hodie atque maioris lætitiæ materia ſuppeditatur: cum gratia liberatori humani generis Chriſto, nobiliſſima Gotthorum gens hactenus ſine vllo laboris effectu vagata per tenebras inextricabiles, cæleſti illuſtrata lumine, viā cōſequēdæ immortalitatis inuenit, ad diuinū æternūq; templū admiſſa, quod appellatur eccleſia. Quod ſi res fragiles & terrenæ, & quæ ad ſolius corporis pertinent cultū, vbi proſpere fluunt, vſque adeo animos afficiunt, vt ſæpe non parum de ſtatu mentis immutent: quantum gaudere debemus ad regni cæleſtis vocati, admiſſique hæreditatem? Sane quo diutius fratrum noſtrorum cæcitatem calamitatemque luximus in exigua ſanitatis ſpe, eo ſyncerioris voluptatis offertur occaſio. Mihi profecto Sol ipſe illuſtriori luce quam ſolet, hodierna die micare videtur: terræ facies multo quam antea lætior eſſe. Gaudet enim cælum in beatas illas ſedes tot gentibus aditu patefacto, tot hominib. ea ciuitate donatis, quæ inſignitę nomine Chriſtiano in mortis laqueos incurrerant. Gaudet terra hactenus ſpinis obſita, nunc diſtincta variataq; floribus: vnde ſertū Patres, qui hactenus graues moleſtias pertuliſtis mirabiliter cōtextū veſtris capitibus imponatis. Seuiſtis cū lacrymis, lęti nūc decerpite flores, metite maturas fruges, ſpicarum manipulos in horrea eccleſiæ comportate. Veſtri gaudii magnitudo haudquaquam Hiſpaniæ regionibus terminatur: ad vniuerſam eccleſiam permanet neceſſe eſt, quæ ſuo complexu totum orbem terrarum comprehendit, & nobiliſſimæ prouinciæ acceſsione aucta modos dictante Spiritu ſancto pro tanto beneficio diuinam benignitatem cōcelebrat. Quę enim hactenus ob ſterilitatem contemptui fuerat Hiſpania, nūc cæleſti dono perfuſa multiplicem prolem vnico partu enixa eſt. Reliquæ gentes, ſi quæ nondum cæleſti lumine ſunt illuſtratæ, noſtræ nationis exemplo ſalutem ſperent: eaſque ſub vno paſtore Chriſto in eccleſiæ ouile breui conuocandas is dubitet, qui diuinarum pollicitationū fidē ſatis perſpectā non habet. & nimirū æquum eſt, vt qui vnius Dei imperio regimur, & ab vno parēte originē trahimus linguarū diuerſitate ſublata, vnde terrorum facies in terras incubuit, idem de diuinis rebus ſentiamus: mutua inter nos caritate conſtricti ſimus: qua quid eſt in rebus humanis aut fructu ſuauius, aut vtilitate ſalutarius, aut honeſtius ad dignitatem? Rumpatur licet inuidia atque dolore noſtræ ſalutis aduerſarius, cui ludus eſſe ſolebat, & vna materia gaudii noſtra calamitas, tot illuſtres ex mortis laqueis ereptas doleat ſcilicet. Nos angelorum exemplo prouocati, Gloria in excelſis Deo & in terra pax, concinamus terræ cælum conciliatum conſiderantes, non regni tantum cæleſtis ſpem præferamus: ſed etiam pro terreno regno Regis noſtri incolumitate, cuius opera in hanc felicitatem euaſimus dies noctesq; diuinam benignitatem implorare non deſiſtamus. Biclarenſis qui ſui temporis chronicon perduxit ad hunc annum, in eoque fecit ſcribendi finem, ſcribit Leandri Hiſpalenſis & Eutropii Seruitani Abbatis conſilio & auctoritate concilii actiones gubernatas. Tudenſis addit Leandrum Hiſpaniæ Primatem fuiſſe, & in conuentu Patrum Pontificū Legati partes impleſſe. Concilii acta huic opinioni reclamāt, vbi Leāder ex ſubſcriptionib. tertio loco conſediſſe declaratur. Euphimium Toletanum ſecundo, primo Mauſonam Emeritenſem, nimirum ordinationis prærogatiua

rogatiua & antiquitate cæteris prælatum. Illud in huius concilii actis miramur, Regem nouo & inſolenti exemplo his verbis & ſubſcriptione conuentus acta confirmaſſe. FL. RECCAREDVS Rex hanc deliberationem, quam cum ſancta definimus ſynodo, confirmans ſubſcripſi. Et conſtat in conciliis generalibus Romanos Imperatores Patrũ decretis conſenſiſſe, confirmaſſe, aut definiſſe nunquam, intelligentes nimirum, quibus finibus ſuam poteſtatem deberent terminare.

LIBRI QVINTI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER SEXTVS.

Reccaredi Regis obitus. CAPVT I.

BONIS omnibus cumulabatur Hiſpania priori tempeſtate ſedata noua luce perfuſa. Membra tetro religionis diſſidio, regnorum multitudine, nulla inter ſe compage præter linguæ commercium, diſiecta palpitare magis quam viuere antea ſolita, in vnum quaſi corpus reuocata lætabatur ſcilicet: feſtos agitabat dies. Externi Principes Regi, pro diuino munere gratulari, vires opesq; certatim offerre piis conatibus cœptisq; iuuandis: ac nominatim à Gregorio Magno Romano Pontifice, qui Pelagio. II. defuncto ſubſtitutus, ad tertium Nonas Septembris, ſalutis anno quingẽteſimo nonageſimo primo, (errant qui priorẽ annũ ponũt) noſtra 591. ſacra cœpit gubernare, ipſo Põtificatus initio litteræ miſſę ſunt ad Leandrũ, quibus Reccaredum lætatur ad veram religionem traductum: tum demum beatum iudicandum ſi primis vltima connectat: neque cacodæmonis aſtu in fraudem ſe impelli ſinat. Ad eum Pontificem factum de more ſalutandum obſequiumque deferendum illi debitum, ſibi neceſſarium à Reccaredo Rege miſſi cum litteris honeſtiſſimi Legati ſunt, Probinus presbyter & Probino adiuncti aliquot Abbates. Addita ex auro munera præterea trecentæ veſtes in vſus pauperum eccleſiæ S. Petri (ea ætate collegia pauperum eccleſiæ reditibus ſuſtentabantur). Leandri conſilio & hortatu præſtitum officium, (ſic putamus) cui cum Gregorio Magno à ſuperioribus annis familiaritas erat, & coniunctio animorum præcipua. Studiorum ſimilitudo, & vitæ in vtroque ſanctitas par, amicitia deuinxerat. Præterea peculiaris cauſſa ſuberat, tametſi id non proditur, vt conuentus Toletani nuper actiones & decreta Romanæ eccleſiæ probarent: vnde ſacra petenda ſunt, & eorum quæ in conciliis ſtatuta ſunt, ſanctitas. Legatos longa ac difficili nauigatione iactatos reiectoſque vi tempeſtatis in Hiſpaniam plures annos in itinere atque Romæ conſumpſiſſe, trinæ Gregorii litteræ indicio ſunt, non ante nonum Pontificatus annum datæ, hoc eſt, Indictione ſecunda. Primis litteris Claudio Emeritenſi Duci, cuius proxima ſecundum Regem auctoritas erat, Cyriacum Abbatem in Hiſpaniam proficiſcentem commendat. Alteris Leandrum neruorum doloribus obnoxium dolet. Poſtremæ ad Regem ſunt, quem in ſuſcepta religione confirmat, laudatque ſuſceptæ pietati pares fructus exiſtere: grandi pecunia à Iudæis tentatum, vt legem quandam in eam nationem promulgatam abrogaret, adduci non potuiſſe. Iis litteris adiuncta dona ſunt. crux incluſa ligni veræ crucis parte, atque capillis Ioannis Baptiſtæ: geminæ claues, altera contactu corporis Diui Petri ſacrata erat, pellendis morbis virtute ſalutari: in altera ramenta continebantur ex eiuſdem Apoſtoli catenis religionis ergo detracta: Leandro Pontifici pallium meritis debitum præmium. Extant aliæ Gregorii Põtificis ad Leandrum litteræ, quibus Probinum presbyterum ait, librorum quos Gregorius ediderat partem ipſius permiſſu abſtuliſſe in Hiſpaniam Leandri precibus præſtitum. Fama ſine vllo certo auctore vulgo iactatur inter Hiſpanos, Regis Legatos Virginis Matris ſculptilem ex ligno imaginem ad Leandrum attuliſſe eiuſdem Gregorii donum: eſſeque illam quæ longo poſt tempore in ſpecu quodam reperta vna cum Fulgentii Aſtigitani corpore, præcipua totius Hiſpaniæ religione colitur ad Guadalupeum oppidum templo dicato. Fulgentii & Florentinæ ſororis corpora ad Barzocanum pagum, non procul Guadalupeo oppido, vbi ſimul reperta ſunt, conſeruantur. Aſtigi Florentinã vitam exegiſſe tradunt, quadraginta virginum collegiis præfectam: vbi & domus in qua vixit monſtratur: & præcipui virginum collegij veſtigia ad Singilis hoc eſt, Xenilis fluminis ripam. quo loco

D. Hieronymi nomine monaſterium extat. Scripſit Fulgẽtius librum de Fide Incarnationis, aliisque nonnullis quæſtionibus, qui ad noſtrum tempus conſeruatur. Romæ regii Legati moram trahebant, & conuentus Epiſcoporum in Hiſpania frequentes habebantur, ex decreto videlicet atque auctoritate concilii Toletani: vbi concilia prouincialia, quibus eccleſiæ ſalus continetur, quotannis haberi ſancitum erat. Itaque Hiſpali primum cũ Leandro ſeptem viciñarum eccleſiarum Epiſcopi concilium celebrarunt. In eo de ſeruis eccleſiæ diſceptatum, quos à Gaudentio Aſtigitano Epiſcopo legibus repugnantibus manumiſſos fuiſſe Pegaſius ſucceſſor diſputabat. Totidem Epiſcopi Narbone conuentum agitarunt per hæc tempora communique ſententia quindecim canones promulgarunt, ſtudio videlicet eccleſiaſticæ diſciplinæ in mores reuocãdæ. Tarraconẽſis Metropolitan⁹ tametſi cõcilio Toletano non interfuit, Cæſarauguſtæ cũ Præſulib. ſuæ eccleſię cõtributis, tribus capitibus explicuit, quo pacto ad eccleſiã catholicã recipiẽdi eſſent, qui ſectã Arianã vellẽt abdicare. Toleti præterea, Oſcæ atq; Barcinone cõuentus peculiares habiti ſunt, quorum acta ex ſancti Æmiliani Cucullati peruetuſto codice peti poſſunt: vt hic ſigillatim referantur operæ pretium non eſt. Ad Regis actiones redeamus. qui Bada Regina defuncta, pacis ſtudio conciliandæ cum Francis Regibus, immemor iniuriarum, Clodoſindam alteram Childeberti Auſtraſiani Regis ſororem, matrimonio ſibi iungi vltro poſtulauit, obtinuitque tandem. conſiliorum patris in Ermenildum ſæuientis, qua de cauſſa Frãcorum animi erant exulcerati, participem non fuiſſe docuit, fratriſque caſum ſe ex animo doluiſſe monſtrauit. Itaque regia puella Anthari Longobardo, cui pacta erat, prætermiſſo, in Reccaredi regiam torumque migrauit: & cogitatio Francos ſubiit diuerſæ religionis coniugia, neque eſſe legitima, neque cohærere feliciter: Longobardum adhuc vana deorum ſuperſtitione teneri, Reccaredum Chriſtũ ſeruatorem, quod Chriſtianorũ commune eſt omnium tota vita profeſſum. Leandri præterea & Fulgentii opera, & ipſum catholicum factum, & vniuerſam ditionem veram religionem atque veterem reuocaſſe. De harum nuptiarum tempore auctores variant: & illud conſtat, ſub extremam Reccaredi ætatem cum Francis fœdus factum: Romanorum reliquias, qui Hiſpaniæ partem aliquam retinebant, Gotthorum armis exagitatas, aliquotque præliis victas: Vaſcones imperio rebellantes, ſtudio rerum nouarum, eodem victoriarum curſu domitos. Rege immortali gloria parta ob res bello paceque præclare geſtas, magnitudinem tum animi, tum etiam ingenii atque conſilii ſingularem, veræ pietatis cultum, cum regnum tenuiſſet annos quindecim, menſem vnum, dies decem, vitam cum morte commutaſſe, ſalutis anno ſexcenteſimo primo. Toleti ſub ipſam mortem peccata pœnitẽtia publica, ex Chriſtianorum veteri ritu procuraſſe Iſidorus eſt auctor. & Gregorius ſcribit, Ermenigildi meritis factum vt Hiſpania ſectam Arianam abdicaret, veritatem amplecteretur. Tres Reccaredo filii erant, Liuua natu maximus, Suinthila & Geila. Liuuam quidem ex priori vxore natum, regno ætas apta declarat. Suinthila & Geila vtram habuerint matrem ignoratur. Ad hos & Reccaredum patrem, quoniam Hiſpani Reges nunquam interciſa maiorum ſerie genus reuocant, vt multorum opinio habet, & monimenta antiquitatis declarant, vete reſque hiſtorici, Alfonſus Rex cognomento Magnus, & Iſidorus Pacenſis cognomento Iunior affirmant: vt omnia ad intelligendum plana ſint, huius familiæ ſtemma lectoris oculis ſubiiciẽdum exiſtimaui. Athanagildi vxor Goſuinda. Galſuindam peperit & Brunechildim. Clodouei Regis Frãci ex Clotario filio nepotes fuerũt Gũtrandus, Chilpericus, & Sigibertus. Chilperico Galſuinda nupſit, quæ Fredegundis inſidiis circumuenta periit, vti antea dictum eſt. Sigibertus ex Brunechildi Childebertum, Ingundim, & Clodoſindam genuit. Athanagildi ſucceſſor Leuuigildus, ex priori vxore Theodoſia Ermenigildi & Recaredi pater Goſuindam Rex factus duxit. Ermenigildo Ingundis vxor data: Reccaredo Clodoſinda. Eſt autem ad obſeruationem inſigne in Reccaredi rebus geſtis, & deinceps in Gotthica hiſtoria Comitum & Ducum frequentem mentionem extare in ciuilis magiſtratus ſignificatione. Comites dicebantur, qui prouinciam aliquam cum imperio gubernabant. Duces qui vrbem aut regionem aliquam præſidio militari obtinebant. ad hos quoniam ſumma rerum reſpiciebat, & cudendæ in ſtipendium ſcilicet monetæ facultatem habebãt factum vt aureus nummus vulgo vocetur ducatus. Neq; ii modo, quibus reipublicæ moderatio erat demandata. Comites dicebantur: ſed etiam quibus in bello alicuius functionis cura impoſita erat, quique in Gotthorum regia honorem aliquem gerebant, eodem nomine cenſebantur. Vnde Comites Cataphractarii, Clibanarii, Sagittarii, Thiuphadi in re militari caſtriſque. Domi Comes ſtabuli, qui vulgo eſt Condeſtable, cubiculi, patrimonii, notariorum Comites, omnia fortaſſis ex Romani imperii æmulatione: Gotthorum Regibus, vt Romanę potentię hac ętate non multum concedebant, ita honorum nomina

601.

ex Ro-

ex Romano more libenter vſurpantibus. Eadem imitatione, vti quidam non inepte ſuſpicantur, Flauii prænomen, quo primus Reccaredus vſus eſt, ad Gotthorum Reges tranſiit frequens conſequentibus annis. Toleto Regiæ vrbis appellatio acceſſit, quoniam eo nomine Græci ſedem imperii vrbem Conſtantinopolim cohoneſtabant. Illud conſtat Comites Ducesque hac ætate temporarii magiſtratus nomina fuiſſe: deinde Regum beneficio imminuta plerunque poteſtate & minutis oppidis definita, facta hæreditaria.

Liuua, Witericus, Gundemarus Reges. CAPVT II.

LIVVA Reccaredi filius vix annos viginti natus, ad Gotthorum regnum poſt patris mortem funusque acceſſit. Ætas iniuriæ opportuna erat: & diſſidia ſuperiora nondum ſatis pacata male cogitantibus occaſionem præbebant. cum magni, pii, iuſtique Regis ſpecimen dediſſet, videbaturque paternis veſtigiis inſiſtens, ad immortalem gloriam ſibi aditum patefacere, Witterici proditione iis artibus aſſueti periit. Regnum biennium tenuit: nulla re præterea geſta ad memoriã inſigni, niſi quod formæ totius dignitate, atque in ætatis flore ſublatus, incredibile in animis ſubditorum ſui deſiderium reliquit. Reperiuntur in Hiſpania eius nomine percuſſæ monetæ aureæ, additis verbis argumento inſignis pietatis HISPALI PIVS. nam ne prioris Liuuæ, qui huius magnus patruus fuit, eſſe credantur, facit diadema affictum capiti inſigne, ante Leuuigildi tempora Gotthorum Regibus inſolẽs inuſitatumq;, vt ſuperius eſt indicatũ. Parricidæ, merces proditionis regnũ fuit quod factionis opibus armisq; ſubleuatus occupauit tenuitq; annis ſex menſibus x. Bello bonus eſt habitus, & Romani exercitus reliquias pellendi tota ditione, cupiditate cum aliquoties aduerſa prælii fortuna pugnatum eſſet, Witterici Duces ad Segontiam Celtiberis, quæ pars eſt Tarraconenſis Hiſpaniæ, hoſtem collatis ſignis ſuperarunt. Interea Childeberto Auſtraſiano Rege defuncto, duo eius filii ſucceſſerunt bipartito regno. Theodobertus Auſtraſiæ, Theodoricus Burgundiæ Reges facti. Theodorico Witterici filia Hermemberba pacta in Galliamque principali apparatu miſſa, breui ad patrem integra rediit. cauſſæ in incerto fuerunt. fama tenuit. Theodoricum pellicum, quibus ad inſaniam vſque deuinctus erat, arte & carminibus impeditum ne regiæ virginis florem delibare poſſet. Alii Brunechildis arte affirmarunt, vt ſola rerum potiretur, nurum nulla ſua culpa ad patrem amandatam. Eius iniuriæ vlciſcendæ ſtudio, cum Witterici legati finitimas prouincias obiuiſſent, bellum in Theodorici caput conflatum. Agilulphus Longobardus, Clotarius vetus Theodorici hoſtis, Theodobertus Auſtraſiæ Rex fratris iniuriis prouocatus, adulterio ipſum conceptum iactare ſoliti, ad commune fœdus acceſſere. Theodoricus animi ferocia fracta, cum tantum periculi bellique eſſet in manibus, ditionis parte conceſſa, fratrem ſibi conciliauit: & nimirum natura compellebat, vt ei potius faueret, quam externas iniurias vindicaret. Omnino eo præſidio detracto cæteri confœderati conquieuerunt, belliq; apparatus grauiſſimi continuo diſſipatus eſt: ex eoq; aduerſo ſeceſſu, Wittericus cum deſpectui eſſe cœpiſſet, erumpente odio, quod in ſubditorum animis diu hæſerat, & reuocandæ Arianæ perfidiæ, cuius factionis, vt arbitror, viribus Rex euaſerat, conſilia agitare fama vulgauerat, à populo in regiam improuiſo impetu facto, inter prandendum trucidatus eſt. Occiſi corpus per plateas vnco tractũ à coniuratis atque inter populi conuitia fœdatum modis omnibus in ignobili loco eſt tumulatum. Ea calamitate Liuuæ innocentis necem exoluiſſe creditus eſt: & præcipuo documento perſuaſum diuinam vltionem, tametſi aliquãdo ſera eſſe conſueuit, nunquam irritam videri. Gundemarus Witterico occiſo Gothorũ regnũ cõtinuo obtinuit ſalutis anno ſexcẽteſimo decimo: an coniurationis princeps regnandi ſpe tantum facinus ſuſcepit: an procerum ſuffragiis cum bello paceque prudentia eſſet ſingulari. 610. Francorum viribus adiutum arbitror (licet enim in rebus tam dubiis halucinari) qui Witterico infenſi erant Regem factum: argumento vectigalis annui quod Francis à Gundemaro ſolui conſueuiſſe ſatis conſtat ex Bulgarani Comitis Galliam Gotthicam pro Rege ea ætate gubernantis litteris: quæ ad hãc diẽ Cõpluti & Oueti inter veteres ſchedas libroſq; ſeruãtur. Vnde præterea intelligitur Gundemari legatos à Francorũ Regibus ſemel violatos ſacros etiã inter gentes barbaras. In quo etſi commiſiſſe videbantur vt hoſtium loco eſſent. noua miſſa legatione Hiſpanis oratoribus, ne conueniendi quidem Reges poteſtatem factam. His iniuriis Bulgaranus animo commotus. Theodorici oratores aditu Hiſpaniæ prohibuit: & cum res ad bellum ſpectaret, correptis repente armis Iubinianum & Corneliacum oppida, quæ ex fœdere à Reccaredo cum Frãcis inito Brunechildi ceſſerãt, in Narbonẽſi Gallia, pulſo Francorum præſidio ad Gotthorum poteſtatem reuocata. Ea ne Francorum

armis repeterentur Brunechildis morte factum arbitramur non multo poſt cõſecuta, nulla ex ſe prole ſuperſtite. In Hiſpania Gundemarus Vaſcones imperio denuo rebellantes, Duceſq; & copias, quibus Romani limitis cuſtodia in Hiſpania credita erat, proſpero belli
612. euentu exagitauit, ſalutis anno ſexcenteſimo duodecimo, Toletique ex morbo obiit. Regnauit annum vnum, menſes decem, dies tredecim: ex Hilduara vxore nullam, quod ſciatur, prolem reliquit. Quo tempore Romanam rempublicam in Oriente Heraclius Phocæ ſucceſſor obtinebat. Eccleſiam Romanam poſt Gregorium, Sabinianum, Bonifaciũ III. Bonifacius eo nomine IIII. gubernabat. Eccleſiam Toletanam Euphimii, Tonantii, Adelphii ſucceſſor Auraſius ſtudiis litterarum doctrinæque animi magnitudine & probitate cum quouis priorum comparandus. Eo Pontifice atq; adeo primo anno regni Gundemari, viginti quinque Præſules ex variis Hiſpaniæ partibus Toletum conuocati in cauſſa Toletani Epiſcopi, & Epiſcoporum prouinciæ Carthaginenſis, conuentu coram Rege, eiusque iuſſu habito diſceptarunt. Euphimius enim Toletanus Præſul in ſuperioris Toletani concilii actis ſe Metropolitanum per imprudentiam dixerat prouinciæ Carpetaniæ. Reliqui Præſules Carthaginenſis prouinciæ, quæ regionibus multo latior erat, Euphimii ſubſcriptionem vertentes ad occaſionem libertatis, eccleſiæ Toletanæ parere recuſantes ad dicendam cauſſam vocati, ſententiam mutare compulſi ſunt: cum ſecundum Auraſii iura, tum à Rege pronunciatum eſſet. tum ab Epiſcopis. in quibus Leandro fratri iam defuncto ſucceſſor Iſidorus Hiſpalenſis, Innocẽtius Emeritenſis, Euſebius Tarraconenſis, & præter hos, niſi codices ſunt vitiati, Beniamin Cumienſis erant. Quem ſententiam ſeparato codicillo Carthaginenſis prouinciæ Præſules quindecim, quorum res agebatur. confirmarunt. Protogones ſanctæ eccleſiæ Segontinenſis, Theodorus Caſtulonenſis, Minicianus Segoblenſis, Stephanus Oretanus, Iacobus Menteſanus, Magnentius Valerienſis, Theodoſius Ercauicenſis, Martinus Valentinus, Tonantius Palentinus, Portatius Segobrienſis, Vincentius Bigaſtrienſis, Eterius Baſtitanus, Gregorius Oxomenſis, Præſidius Complutenſis, Sanabilis Elotanus. Vnde intelligitur Toletani Metropolitani ditione multo plures eccleſias olim quam noſtra ætate contineri. Nam de Primatu, quem in omnes Hiſpaniæ eccleſias obtinet, neque nunc diſputamus, neque tunc de illo ſuſcepta erat diſceptatio. Ex Montani haud dubium tempore olim Toletani Epiſcopi, conuentu in ea vrbe habito ius in omnes Carthaginenſis prouinciæ eccleſias Præſulibus Toletanis datum, ipſi quorum cauſſa agebatur confitentur: vt huius conuentus acta & horum Epiſcoporum ſanctio manifeſte declarant.

Siſebuti regnum. CAPVT III.

GVNDEMARI funere ſolenni ritu multorumque lacrymis procurato, eorum videlicet qui ægre ferebant virum bonum, Principem excellentem, & in ſumma magnitudine animi, multa humanitate temperatum tam breui occidiſſe. Siſebutus procerum ſuffragiis in defuncti locum cooptatus, bonorum dolorem magna ex parte mitigauit, haudquaquam ignorantium quantum in nouo Rege eſſet animi, quantum conſilii. Belli & pacis artes eximias, religionis amor, atque litterarum ſtudia illuſtrabant. Erat enim Latini ſermonis non expers, res iis temporibus comparanda miraculo: extantque eius ingenii monimenta epiſtolæ aliquot, & D. Deſiderii Viennenſis Epiſcopi vita (ſi tamen eius eſt, & non potius alterius Siſebuti, quod magis puto) Theodorici Burgundi Regis, cum tanti viri liberas increpationes non ferret, iuſſu interfecti, vi lapidum cerebro comminuto. Extat Granatulæ epitaphium in ru-
614. di lapide inciſum Amatoris Epiſcopi defuncti anno ſexcenteſimo quartodecimo, quem Siſebuti regni annum ſecundum facit: & nimirum is lapis ex veteris Oreti ruinis aduectus creditur, ab oppido Granatula diſſiti duobus tantum millibus paſſuum. Conceptam de ſuis virtutibus ſpem, breui Siſebutus auxit, illuſtrauitque, Aſturibus & Rucconibus, qui locorum natura confiſi nouo imperio rebellarant, breui domitis parereque compulſis, vtrunque Flauii Suinthilæ ductu & virtute: vnde illi ex aliquanto interuallo ad regnum Gotthorum gradus. Rex ipſe Romanorum reliquias toties reſurgentes ad veterem Suinthilæ exercitum nouis copiis adiunctis, quas magnis delectibus tota prouincia habitis conflauit, nouo bello perſequi conſtituens atque in eorum fines inuectus bis acie victor extitit: & non paucas vrbes illis eodem victoriæ curſu ereptas in ſuam poteſtatem redegit, ad fretum nimirum Gaditanum & Oceani littora, vbi Bæticæ & Luſitaniæ pars in Romanorum ditione erat. Atque ita viribus hoſtes debilitauit, vt vix haberent vbi conſiſterent in Hiſpania. Victoriæ gloriam

clementiæ

clementiæ laude illuſtrauit hoſtibus magno numero, cum ab ipſius militibus capti eſſent, in libertatem reſtitutis. Id religionis commercio datum. redemptionis pretium vltro militibus ex regio ærario numeratum. Cæſarius Patritius rem Romanam in Hiſpania gubernabat. Is ſuarum rerum deſperatione, & quoniam parum ſpei erat propter locorum longinquitatem Heraclium Imperatorem auxilia opportune miſſurum, vltro Siſebutum de pace compellare conſtituit. Eius impetrandæ leuis, quidem, opportuna tamen ſeſe obtulit occaſio. Cæcilius Menteſanus Epiſcopus vitæ tranquillioris ſtudio, eccleſiæ adminiſtratione relicta ſeſe in monachorum collegium abdiderat, quod ſitum fuiſſe arbitror in Romanorum ditione. Eum a Rege ad dicendum cauſſam deſertæ eccleſiæ vocatum Cæſarius, quoniam à ſuis retinebatur, vltro ad Regem deducendum curauit. Rei perficiendæ cura Anſemundo legato demandata. iniunctum præterea vt de pace ageret: dataque in eam ſententiam litteræ, quibus ſecundum ſalutem Regis animum ad pacis cogitationem prouocare contendit. parceret innoxio Chriſtianorum ſanguini cuius copia Hiſpaniæ agri pluuiarum inſtar in ſtagna redundabant. Cæcilium Epiſcopum regiæ beneuolentiæ conciliandæ ſtudio mittere: arcum amoris pignus, tenue quidem donum ſi ex rei natura metiatur, magnum ſi ex mittentis voluntate penſaret. Grata hæc legatio Siſebuto fuit. Itaque ad pacem procliuis Theodoricum legatum ad Cæſarium miſit cum litteris, quem ille adiunctis aliis legatis, quo pax eſſet conſtantior, ad Imperatorem tranſmittendum curauit. Erat Heraclius natura deditus aſtrologorum & ariolorum vanitati. Ab iis intellexerat metum ingentem impendere Chriſtianis à gente circunciſa. Quod de Sarracenis debuerat, de Iudæis interpretatus, nationẽ illam omnib. modis vexatam, extra imperii prouincias expulerat: nactuſque opportunitatem aduentu Theodorici legati ſæuiendi amplius, pacis legibus de quibus in Hiſpania conuenerat facile aſſenſum præbuit: modo eius exemplo Siſebutus induceret in animum Iudæorum gentem imperiis omnibus exitialem ex vniuerſa Hiſpania pellere. Ea re ſibi nihil gratius fore, nulloque officio amplius beneuolentiam conciliari poſſe: id vt faceret vehementer ſe etiam atque etiam rogare. Heraclii auctoritate & hortatu, non quod ille cupiebat modo Iudæi ex Hiſpania pulſi ſunt, vniuerſæque adeo Gotthicæ ditionis finibus prohibiti: ſed etiam minis & ſuppliciis coacti religionem Chriſtianam ſacraque ſuſcipere. Quod in Chriſtianorum moribus nefas eſt, quenquam malo cogi ad profeſſionem veræ pietatis. neque tunc Siſebutus factum temere vſurpatum prudentioribus probauit, vt Iſidorus eſt auctor. Extãt in Gotthorũ legũ volumine geminæ de hac re leges quarto regni anno à Siſebuto promulgatę. quod Epiſcoporũ iudicio decerni pręſtitiſſet, id Rex ad ſuum arbitrium reuocauit: cum iuris inter homines Reges ſint iudices, religionis Pontifices, quorum ſententiam de re tanta expectare æquius profecto fuerat. Verum regii conatus tanti ſunt. Pleriq; metu regis, noſtri facti. quidã ex animo, pars multo maxima ſimulate: non pauci ex fuga euaſere in Galliæ partem eam, quæ Francorum imperio parebat. Hi quoniam iuncti veteribus ſuæ ſectæ incolis ingentem numerum efficiebant, Siſebuti exemplo Heraclii auctoritate (& commodum Seruatius & Paternus oratores Conſtantinopolim venerunt ex Gallia) quod in ceteris prouinciis præſtitum erat cupientis in Gallia obſeruari: Iudæi omnes ex ea prouincia diſcedere poſt aliquot annos compulſi: Dagoberti Regis edicto capitale fore ſancientis, niſi cuncti intra certam diem mortales Chriſtianæ religionis cultum tota ditione ſuſciperent. Plures exilio ſolum vertere maluerunt: reliqui tempori ſeruientes veræ pietatis cultum aut ſimulando aut amplectendo incolumes manſerunt. Ita gentem flagitioſam & Chriſti Dei ſanguine pollutam, diuina vltio nouis toto orbe calamitatibus per hæc tempora exagitabat. verum externa mittantur. In Hiſpania pari decernẽdi libertate Euſebius Barcinon. Epiſcopus loco à Rege motus eſt, vt ipſius Siſebuti litteræ declarant, ſubſtituto alio: quod in theatro quædam ab hiſtrionibus agi conceſſiſſet, quæ ex vana deorum ſuperſtitione traducta, aures Chriſtianæ abhorrere videbantur. Regis videlicet auctoritate, diſciplina eccleſiaſtica reuocabatur. Cuius ſtudio Hiſpali octo Epiſcoporum conuentus habitus eſt, Siſebuti regni anno ſeptimo, Iſidoro Præſide. In eo conuentu Acephalorum ſecta exploſa eſt, quæ pridem in Oriente compreſſa, in Hiſpania reſurgere cœperat, Syri cuiuſdam Epiſcopi opera & fraudibus. quo à Patribus conuicto, & ſectam palam abdicare coacto, ſingulorum Epiſcoporum diœceſes de quibus erat diſceptatio certis finibus circunſcriptæ. Virginibus ſacris virorum colloquio interdictum: ipſique adeo collegii præfectæ vetitum præter Abbatem & eum monachum, cui virginum cura eſſet demandata, quempiam alium è monachorum numero conuenire: ac ne hos ipſos quidem ſine arbitris alloqui datũ, & de rebus tantũ diuinis. Interfuit cum Epiſcopis concilii actionibus Rector rerũ publicarũ Siſiſelus,

ad veterem exemplarium fidem vulgata lectione, vbi Siſebutus legitur caſtigata. His rebus intentum Regem, atque de republica & religione bene mereri pergentem mors oppreſſit, ſalutis anno ſexcẽteſimo vigeſimo primo. Regnauit annos octo, menſes ſex dies ſedecim. De mortis cauſſa varii rumores iactati. quidam pharmaci ſalutaris quidem, ſed vltra menſuram præbiti copia extinctum putarunt: alii dixerunt, medicorum fraude venenum pro medicamento propinatum. Et nimirum in magnorum Principum obitu, multa fingi credique conſueuerunt: eorum præſertim qui præclaris actionibus ſubditorum voluntates ſibi conciliarunt. Defuncti funus non magis ſuorum cura celebre fuit, quam amore ciuium & veriſſimis totius populi lacrymis. Extat Toleti ad Tagi ripam ſuburbanũ templum D. Leocadiæ nomine, quod hoc tempore male materiatum ruinam aperte minatur, à Siſebuto eleganti opere ædificatum. ſic vulgo perſuaſum eſt. Omnino Rodericus Præſul Toletanus, templum Leocadiæ nomine Toleti à Siſebuto extructum fuiſſe ait. Proditur præterea Siſebuti diſciplina claſſes à Gotthorum gente comparatas: vt qui eatenus terreſtria bella proſpere geſſerant, nauigandi peritia ex Themiſtocleo inſtituto maris imperium obtinerent: cui cætera parere vſu exploratum eſt. & fortaſſis de Africa cogitabant, Romanis propemodum pulſis ex Hiſpania. Nam Mahometem nouæ ſuperſtitionis ſpecie victoriis Aſiam & Africam cum luſtraſſet, traieciſſe in Hiſpaniam, atque Iſidori auctoritate metuque Corduba fugatum, pro vano repudiamus: neque cum ratione temporum conueniens, neque externis hiſtoriis conſentaneum: tametſi nonnulli ex noſtris ſcriptoribus id affirmare non dubitarunt, pudenda homines ſecuritate. Siſebuti filius Reccaredus, ætate puer atq; regni mole ſuſtinenda impar, cum tribus menſibus à morte patris regnaſſet defunctus eſt, nulla præterea re geſta.

621.

Suinthila & Rechimirus Reges. CAPVT IIII.

SISEBVTO & Reccaredo morte ſublatis, Suinthila procerum ſuffragiis rempublicam gubernandam ſuſcepit. Res ſuperioribus bellis præclare geſtæ, & Reccaredi patris memoria gentis beneuolentiam conciliarunt, vt vnum in primis dignum iudicarent, cui Gotthicum imperium demandarent. Plurimum audaciæ inerat, neque conſilii minus laboribus neque corpus fatigabatur, neque vincebatur animus: tanta præterea munificentia in eos quos res aſperæ fatigabant, vt vulgo Pater pauperum vocaretur. Vaſcones ferocem gentem & barbaram, atque noui imperii occaſione denuo tumultuantem, correptis præterea armis Tarraconenſis prouinciæ fines ferro flammaque vaſtantem, ſua tantum præſentia ex ſuperioris videlicet belli memoria conterritos, compulit deditionem facere. admiſſos in gratiam vrbem Ologitum ſuis ſumptibus ædificare mandauit, vt compedum inſtar eſſet, & nouarum rerum ſtudium frænaretur. præſtare eius rei facultate carere, quæ toties tentata infeliciter ceſſiſſet. Eam vrbem quidam Olitum fuiſſe arbitrantur in Nauarræ finibus. Secundum Vaſconum bellum Romani, qui ſuperioris fœderis beneficio magis quam ſuis viribus nitebantur, Hiſpaniæ poſſeſſione decedere ſunt compulſi: in qua ſeptuaginta amplius annos Luſitaniæ & Bæticæ partem ad vtriuſque maris oram alternantibus ſæpe ditionis finibus obtinuerant. Qua de cauſſa Eboram nonnulli affirmant à Gotthis magnis operibus munitam, vbi geminæ turres firmiſſimæ ſtructuræ monſtrantur, Siſebuti Regis (ſic ducta per manus opinio habet) opus: vt quoniam in vtriuſque ditionis finibus ſita erat, propugnaculi inſtar eſſet arciſque fortiſſimæ ad hoſtiles Romanorum incurſiones arcendas. Tanto tempore vt Romanorum imperium in exigua Hiſpaniæ parte tenuerit, Africæ vicinitatem feciſſe credimus, nouas indies copias ſupplementi cauſſa mittentis: quo præſidio per hæc tempora deſtituti, cum tantum belli eſſet in manibus aduerſus Mahometis arma, facile Gotthorum virtuti ceſſerunt. Duo Patritii, qui ad vtrunque mare pro rata portione res gerebant pro Romanis, in Regis poteſtatem venerunt. alter induſtria Regis in partes attractus, virtute alter & armis ſuperatus eſt, cum vim repellere pararet. Res tantæ intra quintum regni annum à Suinthila perfectæ. quo anno nimirum à Chriſti ortu
626. ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, ſtabiliendæ ſucceſſionis in familia ſtudio, Rechimirum filium regni conſortem declarauit, in minori atque adeò puerili ætate paternas atque auitas virtutes ab eximia indole repræſentantem. Qua re quoniam in eo Gotthorum mores & iura euertebantur regia poteſtate facta hæreditaria, quæ procerum ſuffragiis veteri inſtituto deferebatur, gentis voluntates abalienatas arbitror. Et conſtat ex hoc tempore virum paulò ante ſummum, nullum Regem fuiſſe: republica perturbata vis & audacia dominabatur. Neque prius conquieuere prouincialium animi, quam Suinthilam

& filium de regni gradu & faſtigio deturbarent. Quæ cauſſa Iſidoro fuit Gothorum hiſtoriæ, quam ad hunc annum perduxit, non amplius proferendæ. nimirum nobiliſſimi paulo ante Regis, & propinqui probra & calamitatem litteris vulgare receſauit. Neque tutum erat reipublicæ vulnera, tanquam deſperatæ curationis carcinomata ſtylo contrectare. motus inteſtinos atque gentis proditiones memoria propagare conſilium non fuit. Illud præcipue in Suinthilæ moribus vituperatur, quod pulſis ex Hiſpania hoſtibus & publica pace fundata, vitiis animum contaminauit: nobili documento ſanciens, eſſe difficilius animi cupiditates tenere in rerum omnium poteſtate, quam armis & virtute hoſtes vincere. Theodora vxor, Siſebuti Regis filia vt quidam arbitrantur, & Agilanus frater, quibus ſeſe & rempublicam gubernandum tradiderat, magnã illi inuidiæ qua flagrabat partem conflarunt, hoſtiumque partem maximam illo pacis tempore adiunxerunt. Toletanam eccleſiam Aurasii ſucceſſor Helladius Suinthilæ regno gubernabat, vir prudentiæ, modeſtiæque, & eruditionis laude cumulatus, à cupiditate omni remotus, magni præterea laboris ſummæque conſtantiæ. Iuuenis ſupremo Gotthorum magiſtratu abdicato, erat enim Rector rerum publicarum, excolendi Chriſtianis virtutibus animi cupiditate in Agalienſi monaſterio Toleti monachum induit. Vnde cum monaſterii Abbas breui euaſiſſet, Regis Siſebuti ad eccleſiæ Toletanæ regimen translatus eſt, non magis ſuis virtutibus illuſtris, quam Ildefonſi inſtitutione: quem in Diaconorum numerum cooptatum ex aliquanto interuallo ſucceſſorem habuit. Et veriſimile eſt Helladium ſuorum temporum perturbatione commotum animo, viteque tædio extinctum: nam quo tempore Siſenandi proditione an rebellione Suinthila ſublatus eſt, & ipſe in viuis eſſe deſiit luſto ſucceſſore. Erat Siſenandus vir magno animo, neque minus domeſticis copiis inſignis, quam belli artibus clarus. Is regnandi ambitione corruptus, neque id quibus modis aſſequeretur quidquam penſi habens, & Suinthilæ Regis odio contemptuque, quem publica gentis inuidia flagrare conſiderabat, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, Regis ſui euertendi cupiditate incenſus auxilium impetrauit. Habere ſe totius prouinciæ ſtudia excitata, ſed metu prohiberi ne rem tantam abſque externo præſidio inchoarent. Suinthilam Regis nomine exercere tyrannidem vitiis omnibus obnoxium: neque vnquam in terris monſtrum fuiſſe vllum tam ex contrariis & inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibusq; conflatũ. Abũdãtius & Venerãdus firmiſſimas Burgũdionũ copias Cæſarauguſtam duxere. Gotthi proceres qui eum voto cum Siſenando ſentiebant, palam Gallici fiducia à Suinthila deficientes eum, Rechimirum filium, & vxorem regno expulerunt. Quidam Suinthilam & filium Toleti ex morbo deceſſiſſe affirmant. concilii quarti Toletani acta huic opinioni reſiſtunt. vnde præterea intelligitur Agilanum Suinthilæ fratrem Siſenandi partes haudquaquam ſyncera fide fuiſſe ſecutum: ex Francorum hiſtoriis Dagoberto Regi decem pondo auri appenſa, quæ æde D. Dionyſii abſoluenda attributa ſunt. Rege Suinthila Ioannes Cæſarauguſtanus Epiſcopus Maximi ſucceſſor, vitæ probitate, eruditionis laude, atque benignitate in pauperes vnus maxime per hæc tẽpora celebratur. De ratione celebrãdi Paſchatis librũ ſcriptũ reliquit. Ioãni æquales Vincentius & Ramirus fuerunt: Vincẽtius in S. Claudii Legionẽſis, Abbatis munere fungens Arianorum ſecta quæ ſopita videbatur reſurgente, defenſæ veræ religionis ergo ſanguinẽ fudit. Corpus eius in Hiſpaniæ vaſtatione generali Ouetũ migrauit. Ramiri oſſa in S. Claudii Legionenſis monaſterio, vbi monaſticam vitam exegit, ad latus aræ maximæ ſacello tumuloque dicato ſeruantur. Regnauit Suinthila decem annis: regno pulſus eſt ſalutis anno ſexcenteſimo trigeſimo primo. 631.

Siſenandus Rex. CAPVT V.

SISENANDVS in ea temporum perturbatione & rerum omnium colluuione conſiderans, ſciſſis prouincialium ſtudiis pro ſe & aduerſus æmulum, regnum diu ſtare non poſſe: optimum iudicauit fore religionis prætextum popularibus obtendere: quo nihil eſt in ſpeciem fallacius. Ex tota ditione ſeptuaginta circiter Præſules conuocati Toletum eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ vitio temporum collapſa erat nouis legibus adſtringendæ videlicet cauſſa (ſic fingebatur). Maior tamen cura ſuberat vt Suinthilæ actionibus Patrum decreto reprobatis, qui eius partibus erant addicti poſito factionis ſtudio animos ad concordiam reuocarent. Ad quintum Decembris diem eius ſeculi anno trigeſimo quarto, in D. Leocadiæ primus conuentus eſt habitus. Erat is annus tertius ex quo Siſenandus Rex cœperat regnare. In eo conuentu nouus Rex genibus 634.
nixus coram Patribus, humillimoque totius corporis habitu, inter ſingultus & lacrymas,

quæ ex oculis copioſæ manabant, preces pro ſe diuini numinis propitiandi cauſſa fundi petiit: quorum cauſſa conuenerant, ſancirent ſuis decretis diſciplinam eccleſiaſticam. Regis oratione animati Patres ſynodos Epiſcoporum, quas quotannis per prouincias haberi volebant, celebrandi formam rationemque præſcribunt. Patres ſedendo atque ſententias dicendo conſecrationis antiquitatem ſequuntor. Patrum voluntate, proceres quos intereſſe viſum erit ad conuentum admittuntor. Summo mane templi, vbi conuentus eſt habendus, ianuæ clauduntor, vna excepta Patribus admittendis, adhibita præterea ianitorũ cuſtodia. Proponendi ea de quibus à Patribus diſceptandum erit, Metropolitani ius eſto: de priuatis cauſſis referre Archidiaconi partes. Miſſale & Breuiarium vnum eſto in Hiſpania. Eius rei perficiendæ cura, quoniam Iſidoro, qui primas partes in eo conſilio tenuit, creditur eſſe demandata, vſus obtinuit vt Miſſale & Breuiariũ Mozarabum, hoc eſt, ex antiquo Gotthorum more conſeruatum, ſacrorum precumque diurnarum & nocturnarum ritus, Iſidoro tribuantur. tametſi nonnulla Leander inuenit, plura progreſſus temporis addidit. Ante Epiphaniæ feſtum quoto die Paſcha ſit celebrandum ſacerdotes inter ſe communicanto. Metropolitani ſibi contributis eccleſiis idem litteris ſignificanto Liber Apocalypſis Ioannis Euangeliſtæ inter libros ſacros numerator. Calæciæ eccleſiæ reliquæ Hiſpaniæ inſtituto cereum paſchalem ſacra cæremonia & precatione luſtranto. Neque Epiſcopi neque presbyteri ante trigeſimum ætatis annum, & qui ſe populo probarint initiantor. Iudæos amplius ad religionis Chriſtianæ profeſſionem cogere nefas eſto. Qui Siſebuti Regis compulſu ſuſceperunt in data fide perſtanto. Iudæi, quique ex eorum ſanguine ſunt prognati ad publicos magiſtratus ne admittuntor. Viri ſacrati non verticem tantum ſed caput totum capillis in coronæ figuram conformatis radunto. Nullus ad regnum accedito niſi procerum & Antiſtitum liberis ſuffragiis. Sacramentum Regi datum ne violator. Reges conceſſa ad ſalutem, poteſtate ne ad tyrannidem abutuntor. Suinthila, eius vxor, filii, & frater diris deuouentor ritu Chriſtiano, ob ea quæ impie & crudeliter geſſerant regia abuſi poteſtate. Nimirum Patres eo decreto regnum Siſenando confirmare cupiebant: & in poſterum documentum ſtatuere, ne quis eorum amentiam vellet imitari. In qua ſententia illud paulo crudelius videri poſſit, quod ad liberos quos ætatis innocentia debuit excuſare, pœna peruenit. ſed id & antiquũ eſt, & ab omnibus vſurpatum. quo nimirum liberorum caritas cum republica fortius deuinciret patres, & ab omni cogitatione ſcelerum retardaret. Metropolitani hoc ordine propriæ manus ſigno concilii decreta cõfirmarunt. Primus Iſidorus Hiſpalenſis, deinde Selua Narbonenſis, tertio loco Mauſonæ, Innocentii, & Renouati in eccleſia Emeritenſi ſucceſſor Stephanus. poſt hunc Iuſtus Toletanus, qui omnibus ſermonibus ſolitus, Helladii prædeceſſoris mores actioneſque carpere, ob morum aſperitatem à ſuis clericis in lecto, conſtrictis faucibus ſuffocatus periit, tertio pontificatus anno, ac ferme ſtatim poſt ſolutum hoc concilium Toletanum. Quintum locum Iulianus Bracarenſis occupauit, poſtremum Audax Tarraconenſis: de reliquis Præſulibus non exiſtimo fore laborandum. Pimenii tamen Aſſidonię Epiſcopi, quem huic concilio interfuiſſe ſubſcriptio propriæ manus declarat, nomen ad hanc diem expreſſum cernitur, tum in ea vrbe in D. Iacobi templo, tum ad Mellariam ſecundo ab eo municipio lapide in D. Ambroſii, quod ad maris littus ſitum eſt. nimirum vtrunque templum Pimenius ex ritu Chriſtiano ſacrauit. Legum Gotthicarum volumen, quod vulgo Forum iudicum dici conſueuit, in hoc quarto Toletano concilio editum fuiſſe, viri eruditionis laude & eruendæ antiquitatis diligentia præſtantes, non exiguo numero perſuadere conantur, Iſidori potiſſimum opera, Regis Siſenandi auctoritate. quod & peruetuſti earum legũ codices adſcriptum initio habent, leges eas in concilio quarto Toletano eſſe in vnũ corpus collatas. Alii malunt eam diligentiam & laudem ad Egicam, qui in poſtremis Gotthorum Regibus ponitur, ablegare: quod conſequentium Regum nomine plures in eo volumine leges extant. cum ab exiguo principio in iuſtum volumen temporis progreſſu creuiſſe veriſimilius videatur. Circumfertur præterea vulgo breuis celebrandi concilia formula Iſidori nomine, quam nonnulli exiſtimant ex huius concilii actis conſarcinatam adiunctione multarum rerum, quę ex aliis conciliis decerptæ ſunt: Iſidori autem nomen adſcriptum conciliandæ auctoritatis cauſa commentum probabile, quod cæteris deferẽtibus, primas in eo conuentu partes. Verum de his quiſque ex ſuo iudicio ſtatuat, nobis argumenta in neutram partem aſſenſum neceſſario exprimere viſa ſunt.

Chintilæ regnum. CAPVT VI.

SISENANDVS Rex & Iuſtus Toletanus Præſul, coniunctis ferme funeribus ſublati ſunt. vigeſimo omnino die poſt quam Iuſtus à ſuis eſt intercluſa anima ſuffocatus. Siſenandus

ſenandus ex morbo Toleti obiit, anno ſexcenteſimo trigeſimo quinto. Regnauit annis tribus, menſibus vndecim, diebus ſedecim. In eius locum Chintila procerum & Antiſtitum ſuffragiis, vt in ſuperiori conuentu cautum eſſe memoraui, Rex creatus eſt. Iuſti Pontificatum Eugenius eo nomine ſecundus obtinuit, & ſuis virtutibus & Iſidori Hiſpalenſis amicitia clarus. Ex quo cum aliquando quæſiuiſſet, an ſuperioris ſententiam, qui poteſtate inferior eſt ſoluere poſſet: & an Apoſtolos iudicaret pari præditos fuiſſe poteſtate, litteras ad eum hoc exemplo dedit. Domino cariſſimo & virtutibus inclyto Eugenio Epiſcopo Iſidorus. Veſtræ ſanctitatis litteras per nuncium ſuſcipiens Verecundum, rerum omnium conditori grates impendimus, quod eccleſiæ ſuæ ſanctæ mentis & corporis veſtri valetudinem conſeruare dignatur, atque ad inquiſita pro modulo parati ſatisfacere, exoramus orationum veſtrarum ſuffragiis ab ærumnis opprimentibus à Domino ſubleuari. Verum quod in quibuſdam quæſtionibus venerabilis veſtra fraternitas, licet vos non ignoretis, me compulit reſpondere: quod maioris ſententiæ innodatio niſi in mortis articulo à minori nequaquam valeat enodari, ſed potius ab inferiore prolata à ſuperiore iure mediante caſſetur, orthodoxi Patres quidem Spiritus ſancti auctoritate præuia ſanxerunt: aliter autem quolibet aſtruente ſicut eſt veſtræ prudentiæ cognitum, prauum ſuborietur exemplum, ſcilicet gloriatio ſecuris, contra eum qui ſecat in ea. Quod vero de parilitate agitur Apoſtolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas, tu es Petrus, &c. & non ab alio aliquo, ſed ab ipſo Dei & Virginis filio honorem Pontificatus in Chriſti eccleſia primus ſuſcepit. Cui etiam poſt reſurrectionem filii Dei, ab eodem dictum eſt, Paſce agnos meos, agnorum nomine Eccleſiarum Prælatos notans. Cuius dignitas poteſtatis & ſi ad omnes catholicorum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialius tamen Romanus Antiſtes ſingulari quodam priuilegio, velut caput cæteris membris celſior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite ſeiunctus acephaliſmo ſe reddit obnoxium. Quod ſicut illud S. Athanaſii de fide ſanctæ Trinitatis ſancta eccleſia approbat, & cuſtodit quaſi fidei catholicæ articulum: quod niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Hæc veſtræ dulciſſimæ caritati breuiter prælibaui conſiderans illud Philoſophi, Pauca ſufficiunt ſapienti. Vale. Huius epiſtolæ fragmentum ante quadringentos ferme annos Lucas Tudenſis ei diſputationi inſeruit, qua Albigenſium ſectam vires in Hiſpania colligentem, docte & eleganter exagitandam ſuſcepit. Ad Regis Chintilæ actiones redeamus: quem Siſenandi fratrem germanum nonnulli fuiſſe arbitrantur, vtrunque ex Suinthila natum. Verum huic opinioni maiori eruditione & numero reſiſtunt alii ex quarti concilii Toletani actis: vbi Suinthilæ memoria multis ignominiis fœdatur, quod filio præſente auſuros Patres haudquaquam fore, non inepta prorſus coniectura arbitrantur. Illud conſtat Chintilam ſuſcepta regni adminiſtratione, metu inteſtinæ diſcordiæ, Siſenandi exemplo nouum Epiſcoporum conuentum habendum curaſſe: Patribus nimirum cupiebat ſuam electionem inaugurationemque probare. Longum videbatur ex vniuerſa ditione dum confluerent omnes Præſules expectare. Patres duo & viginti, ac ferme ex prouincia Carthaginẽſi Toletum intra primum Chintilæ regni annum conuenerunt. qui annus à Chriſti ortu fuit ſexcenteſimus trigeſimus ſextus. In D. Leocadiæ conuentus habitus eſt. In eo nouem omnino leges ſunt promulgatæ. atque lege proxima ſancitum, Idibus Decembris quotannis Litanias ex ritu Chriſtiano triduo celebrari. Suſceptum antea pietatis officium veteri Eccleſiæ more, vt aduentante Aſcenſione ſupplicationes Deo fierent pro terræ frugibus, in ſæua luporum rabie Mamercus Viennenſis lapſam veterem diſciplinam addito ieiunio nouiſque precibus inſtaurauit ante annos ferme ducentos: quod aliæ imitarentur prouinciæ. Gregorius Magnus proximo ſeculo grauiſſima peſte Romæ procuranda D. Marci feſto die ſimiles ſupplicationes haberi quotannis ſanxit. Vinci ſe Hiſpania noneſt paſſa in eo religionis ſtudio. ad alia duo anni tempora, quæ in Gerundenſi concilio decreta diximus iis ſupplicationibus peragendis, nouo inſtituto Patres Toletani conuentus menſem Decembrem Litaniis celebrãdis dicarunt: pro nullo commodo aut periculo temporario, ſed venia delictorum, quorum erat magna licentia impetranda, ob idque maiori religione remedium excogitatum. Aliæ eius concilii leges minutæ ſunt: quippe Chintilæ Regis electione confirmanda conſumuntur, atque filiorum eius patrocinio: quos ab omni iniuria defuncto etiam patre tutos fore mandabant. ac nominatim lege de ambitu diris execrationibus ſancitum, ad regnum accedere niſi libera electione atque ſuffragiis: iiſque tantum qui ex antiqua Gotthorum nobilitate nati eſſent. Prenſare autem ante Regis mortem, quoniam tumultuum & proditionum ſeminarium erat, nefas haberi mandatum. In eo conuentu, quod inter Toletana concilia quintum eſt, Eugenius Toletanus Epiſcopus

(margin: 635 at line 1; 636 beside "In eo nouem omnino leges")

primas partes tenuit: atque actiones concilii his verbis confirmauit. Ego Eugenius Dei miſeratione Toletanæ eccleſiæ, prouinciæ Carthaginenſis Metropolitanus Epiſcopus, his communibus decretis annuens ſubſcripſi. Sequitur Tonantius Palentinus Epiſcopus, vt peruetuſti codices habent. Poſt hos Epiſcopi viginti. Horum Patrum decreta vt totius prouinciæ conſenſu fixa rataque eſſent, proximo anno quinquaginta amplius Epiſcopi ex tota ditione Gotthorum à Rege conuocati Toletum conuenere. Ad D. Leocadiæ templum prætorio vicinum (nunc arci regiæ coniunctum eſt, veteris elegantiæ & amplitudinis veſtigia retinens) ante diem quintum Idus Ianuarii, ſalutis anno ſexcenteſimo trigeſi-
637. mo ſeptimo, conuentus habitus eſt. In eo decem & nouem leges ſancitæ. pars diſciplina eccleſiaſtica conſtituenda conſumitur, pars confirmandis quæ de Rege eiuſque filiis ſuperiori conuentu decreta erant. Additum præterea ne Rex regno inauguraretur, priuſquam conceptis verbis Iudæorum genti ſe haudquaquam opem laturum iuratus: ac ne permiſſurum quidem, vt quiſquam à religione Chriſtiana alienus tota ditione impune vitam ageret. Selua Narbonenſis Epiſcopus, Iulianus Bracarenſis, Eugenius Toletanus, Honoratus Hiſpalenſis, Iſidori per hæc tempora defuncti ſucceſſor, conuentui interfuerunt. Poſt hos Protaſius Valentinus Epiſcopus aliique Epiſcopi concilii actis ſubſcripſerunt. Braulius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui Ioanni fratri in ea eccleſia ſucceſſerat, cæteris deferentibus, propter ingenii eruditioniſque laudem, litterarum doctrinęque ſtudia, concilii actiones rexiſſe fertur: decreta, legeſque ſanxiſſe. Litteras ad Honorium per hæc tempora Romanum Pontificem dedit: cum illi Patres ſuas actiones probare cuperent. Eas litteras ob dictionis elegantiam, ſententiarum grauitatem, atque ſtructuræ venuſtatem, magnam Romæ admirationem excitaſſe Rodericus Præſul eſt auctor. His conciliis ex ſententia celebratis Chintila, magis quam vlla alia re geſta memorabilis fuit: & fortaſſis hoſtibus tota ditione pulſis, & pace publica ſtante res bellicæ ſine cura habebantur. Inteſtini motus Regis diligentia, Patrum auctoritate, cum ſpecies religionis obtenderetur, comprimebantur, prouincialium voluntatibus omnium ad concordiam paciſque conſilia reuo-
639. catis. Obiit ſalutis anno ſexcenteſimo trigeſimo nono. Regnauit annos tres, menſes octo, dies nouem.

D. Iſidori vita & mors. CAP. VII.

EX CONCILII ſexti Toletani actis Iſidorum diem iam obiiſſe monſtratum eſt, & ex Illefonſi ſcriptis intelligitur extremo Siſenandi Regis anno, qui à Chriſti ortu erat ſexcenteſimus trigeſimus quintus. tametſi alii ad Chintilæ regnum de quo proxime dictū eſt, longæuam ſcilicet vitā propagaſſe arbitrantur. Leandri, Fulgentii, & Florentinæ virginis, germanus frater fuit. alii Theodoſiæ Reginæ addunt Ermenigildi & Reccaredi matris: ætate minimus, animi & virtutum indole patre Seueriano, quem nonnulli Carthaginenſis prouinciæ Ducem faciunt, ſuiſque fratribus æqualis: eloquentiæ, doctrinæ, atque ingenii laude multo maior. quod vulgati Iſidori nomine libri declarant: quorum catalogum Illefonſus & Braulius in eius vita texuerunt. Indicio ſapientiæ fuit examen apum in cunis circum infantis os volitans, quod niſi de magnis viris neque credi neque dici ſolet. tametſi in primis annis diſcendi deſperatione ob ingenii tarditatem, ſimul ſuperbi pædagogi metu è domo paterna aufugiſſe fertur: Verum cum erraret per agros putealis aſpectu funis vſu & attritu excauati, monitus quantæ vires diuturnæ conſuetudinis eſſent, vincique naturam arte & conſtantia & labore, retro pedem retulit. Rei geſtæ monimentum Hiſpali in D. Iſidori cœnobio, pars putealis ex marmore monſtratur. Ab his initiis in eam doctrinæ atque eruditionis laudem euaſit, qua vniuerſam Hiſpaniam illuſtrauit, catholicæ eccleſiæ, fratribus à Leuuigildo Rege relegatis, adiumento fuit. Multum contulit Leandri ſiue induſtria ſiue aſtus. cum ab exilio rediiſſet, Iſidorum tunc iuuenem, incertum qua de cauſa, ſed intra conclaue tamen incluſit, ſublata prorſus vagandi facultate quod ille otium ad occaſionem euoluendi innumeros libros conuertit: vnde Etymologiarum volumen prodiit, quod Braulii hortatu, ex indefeſſa lectione conſarcinauit, opus ſpiſſum & varium, atque ea ætate comparandum miraculo. Ex ea cuſtodia non ante eſt liberatus, quam Leandro defuncto ſucceſſor ei eſt ſubrogatus. Suſceptam eccleſiam cum optimis legibus atque inſtitutis temperaſſet, intelligeret autem inanem omnem curam eſſe niſi a primis annis ceræ inſtar ad omnem pietatis partem pueri formarentur, collegium Hiſpali conſtituendum curauit, iuuentute litteris & ſapientiæ ſtudiis imbuenda. Vnde tanquam ex arce ſapientiæ plurimi prodierunt morum probitate & doctrinę laude inſignes. In his Illefonſus & Braulius. Romam Gregorio Magno

Ponti-

Pontifice profectum nonnulli affirmant, amicitiæ videlicet quæ cum fratre olim inita erat cõfirmandæ ſtudio. nam quod breui temporis ſpacio atque adeo ipſa natalis Chriſti nocte iuiſſe & rediiſſe aiunt: geminas præterea candelas ex arte ab ipſo confectas in eius ſepulchro Ferdinando primo Rege repertas inextincto lumine: Mahometem Corduba ab Iſidoro pulſum addunt, pro vanis repudiamus: cum neque ad tanti viri laudes addant, & cæteris quæ de eo vere commemorantur, fidem abrogare videantur. Quid enim inanius, quam fabuloſis commentis velle ſanctorum virorum laudes vitamque illuſtrare? Quid religionis ſynceritati mendacio exitialius? Illud conſtat, Iſidori auſpiciis reipublicæ ſtatum optimis legibus gubernatum: eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ cauſa tum Hiſpali, tum Toleti aliquot Epiſcoporum conuentus habitos. eccleſiam ſibi demandatam quadraginta circiter annos tenuit. In extrema affectaque ætate grauiſſimo morbo implicitus diſcipulorumque humeris in S. Vicentii templum delatus (Ioannes Epiſcopus & Vparcius amiciſſimi moribundo aderant) publica peccatorum confeſſione, atque ſacrę menſę epulo ex Chriſtianorum more conſcientiam procurauit. ſe adeundi toto triduo omnibus qui vellent fecit poteſtatem. blandiſſimis præterea verbis vniuerſos qui aderant conſolatus, eorum quæ commiſerat veniam tum ab vniuerſo populo intermorientibus vocibus, tum à diuino numine ardentiſſima oratione & humillimo totius corporis habitu poſtulauit. Demum inter ſuorum eiulatus, ac vniuerſæ ciuitatis lachrimas extremum ſpiritum edidit in eodem D. Vincentii templo, pridie Nonas Aprilis: quo die quotannis eius memoria in Hiſpania, dicato feſto celebratur. nam de anno quo obiit non ſatis eſt exploratum. nullum teſtamentum condidit, quoniam quidquid in bonis erat reliquum, per eos dies egenis erat eius iuſſu datum. Romanæ eccleſiæ principatum per totam vitam agnouit, inde ſacra petenda, legeſque viuendi dictitans. quod cum omnibus ſermonibus vſurpauit, tum ſub ipſam mortem conteſtatus genti eſt fore ſi ab iis, quæ tradita erant, diuinis præceptis doctrinaque recederent, vt omnibus malis implicati ſcelerum pœnas exoluerent, de rerum culmine deturbati atque grauiſſimis ærumnis oppreſſi. quod ſi his malis caſtigati ad ſanitatem tandem reuocarent animos, maiori quam antea gloria parta cæteris nationibus ſuperiores euaſuros. In vtraque re non inanem vatem fuiſſe ſuperioris temporis memoria cladeſque, & noſtræ ætatis amplitudo oſtendunt: cum imperium Hiſpanicum videamus olim oppreſſum ob Witizæ Regis impios & ſacrilegos auſus, nunc ab exiguis initiis profectum atque à veteri calamitate reſurgens in eam amplitudinem creuiſſe, quæ ipſius orbis ferme finibus terminatur. Iſidoro defuncto Theodiſclus natione Græcus ex aliquanto interuallo ſucceſſor in eccleſia Hiſpalenſi ſubrogatus eſt. Hunc nonnulli affirmant Iſidori libros multis locis deprauatos, Auicenæ Arabi tradidiſſe vt in linguam Arabicam conuerſos ipſiuſmet nomine vulgaret. quod de Auicena falſum eſt. quippe Sorſani æqualis teſtimonio in ipſius Auicenæ vita exploratum eſt, poſt trecentos amplius annos deinceps vixiſſe, neque veniſſe in Hiſpaniam: ſed in Perſarum regia vitam omnem propagaſſe. Sunt qui ſcribant Bonifacio. VIII. Romano Pontifice deliberante de iis qui doctorum eccleſiæ nomine & numero eſſent cohoneſtandi: fuiſſe qui Ambroſio Iſidorum præferendum, aut quatuor certe aliis quintum adiiciendum iudicarent. Opinioni fidem tanti viri eruditio facit: in omni litterarum genere excellentis, & quoniam in eo numero duo Patres Italici generis ſunt, nullus ex Occidente. Iſidori certe nomine non eodem tempore tres in Hiſpania viros eruditionis & probitatis opinione excellentes extitiſſe conſtat: Iſidorum Cordubenſem Epiſcopum, cui ob antiquitatem Senioris cognomentum eſt: Iſidorum Hiſpalenſem, cuius actiones explicuimus: poſtremo Iſidorum Pacenſem, qui quod duobus fuit ætate poſterior, Iunioris cognomen tulit. tametſi nonnunquam ea appellatione Iſidorus Hiſpalenſis à Cordubenſi ſecerni conſueuit. Ne te lector idem cognomen in errorem mittat caue.

Tulga, & Chindaſuinthus, & Receſuinthus. CAP. VIII.

IN CHINTILÆ defuncti locum procerum ſuffragiis Tulga ſubrogatus eſt, ætate quidem iuuenis, cæterum æquitatis atque religionis laude ſenilique prudentia nulli poſthabendus. Bello ſtrenuus erat, conſilio bonus, liberali ingenio, & quæ virtus Regum propria eſſe debet, præcipua benignitate in eos quos res anguſtæ vexabant. regias ſcilicet opes non ad priuata commoda, neque ad voluptatum inſtrumentum, ſed ad multorum præſidium, populique ſalutem congeſtas eſſe conſiderabat. Verum ab optimis initiis ad ſumma nitentem, mors importuna præcepſque Toleti ex morbo oppreſſit, eius ſeculi anno quadrageſimo primo, cum rempublicam gubernaſſet annis duobus, menſibus quatuor

Sigibertus Gemblacenſis Tulgam ait, iuuenem ingenio leui fuiſſe, vitiorum licentia ſuorum animos exacerbaſſe: demum à ſubditis regno pulſum. Nobis Illefonſi Præſulis, qui viſa retulit, auctoritas potior eſt, quam externi hominis commentum ex nationis odio, aut ob regionum longinquitatem fama viciata natum. Tulgæ obitum Gothorum imperium inſtar nauis rectore deſtitutæ, ventorumque flatui obnoxię opportunęque, Flauius Chindaſuinthus vi atque armis continuo occupauit, an Tulgæ ætatem deſpectui habens illo viuo, an Gothorum copiis armatus tantam rem aggreſſus eſt: cum ius ferrent in armis, reliqui regni proceres populuſque temerarium iudicarent, tyrone & ſubitario exercitu, qualis inteſtino diſſidio conflatur, cum exercitatiſſimis legionibus ſigna conferre. Regnum per tyrannidem occupatum bene geſſit, inaugurationis vitium totius vitæ probitate, prudentia, atque conſtantia compenſare ſatagens. Nam reipublicæ ſtatu compoſito Epiſcopos ex tota ditione Toletum ſexto regni anno conuocauit, vt in re præſenti de rebus quæ ad religionem & rempublicam pertinebant maturo conſilio diſceptarent. Triginta Epiſcopi conuenerunt. vigeſimo octauo Octobris die, qui dies Apoſtolorum Simonis & Iudæ memoria ſacer eſt, primus conuentus eſt habitus. In eo concilio, quod inter Toletana ſeptimum eſt, ſex canones editi ſunt. In iis ex Valentini concilii inſtituto, quod Theodorici Regis & Symmachi Romani Pontificis imperio habitum erat, Epiſcopo cuiuis animam agenti mandatum è vicinis Epiſcopis aliquẽ, qui eſſet ad id vocatus adeſſe, defunctique funus præſentem procurare: qui ſecus faxit, vocatuſque venire neglexerit, anathematis ignominia notatus anni ſpacio è gradu atque dignitate deiicitor. Auctorem habeo, qui controuerſiam ait inter Hiſpalenſem & Toletanum Epiſcopos exortam de Primatu, Patrum auctoritate in hoc concilio compoſitam. Poſtremo nimirum capite ſanxerunt, ex vicinis Epiſcopis vnum aliquem ſingulis menſibus Toletum venire, ſuaque præſentia Regiam vrbem cohoneſtare, id Regis dignitati, atque Metropolitani honori dari affirmantes. Verum ea prærogatiua atque honore Primatus dignitatem haudquaquam Toletano Præſuli contributam eſſe, Patrum ſubſcriptiones conuincunt: vbi poſt Orontium Emeritenſem, & Antonium Hiſpalenſem, Eugenius Toletanus, & Protaſius Tarraconenſis ſubſcribunt. ſequuntur Epiſcopi alii antiquitatis ordine. poſt hos abſentium Epiſcoporum Vicarii. qui & ipſi non conſentientes tantum, ſed & definientes ſubſcribunt nouo exemplo, neque à Tridentini concilii Patribus noſtra ætate vſurpato. Porro Antonius Hiſpalenſis Epiſcopus in Theodiſcli locum ſuffectus erat, nuper de gradu deiecti: quod cum Græcus natione eſſet, Græca leuitate prauas de religione opiniones in vulgus ſpargeret Iſidori etiam ſcriptis, quorum facultatem nactus erat, viciatis, vti paulo ante dictum eſt, quo nimirũ maior eſſet auctoritas doctrinæ ab ipſo traditæ. Agente Chindaſuintho Rege, Patrum auctoritate loco motus, atq; ex Hiſpania præceps deturbatus, in Africa Mahometis ſacra ſuſcepit. vſque eo excæcantur mortalium animi hauſta ſemel impietate. Theodiſcli caſum Chindaſuinthus Rex ad occaſionem arripiens Regiæ vrbis Primatus honore decorandæ à Romano Pontifice impetrauit principatus eccleſiaſtici iura Hiſpali, vbi hactenus hæſerat, Toletum migrare. ſic Toletani Primatus fautores affirmant, neque argumento ſatis idoneo, neq; documento paulo vetuſtiori. Romanam eccleſiam per hæc tempora Theodorus & Theodori ſucceſſor Martinus, eo nomine primus obtinebant. Chindaſuinthum fama eſt, & antiqua monimenta declarant, cum ſtudio teneretur Hiſpaniæ litteris illuſtrandæ, ad Theodorum Romanum Pontificem ablegaſſe Taium Epiſcopum Cęſaraugustanum: vt Gregorii Magni commentaria, quibus librum Iob ad myſticas ſignificationes traductum eleganter explanarat, diligenter conquiſita, atq; cũ fide deſcripta ſecum auferret in Hiſpaniam. Volumina ad Leandrum, cuius nomine in lucem prodierãt, miſſa (ſi vnquam tamen miſſa erant) iniuria temporum interiiſſe. teneri maximo deſiderio Patris vtriuſque memoriam ex iis libris inſtaurandæ, catholicæ pietatis augendæ, eccleſiaſticæ bibliothecæ locupletandæ. Rempublicam ſuis iam nitentem viribus parta pace, profligata impietate, nulla re magis illuſtrari, quã ſapientiæ ſtudiis & religionis puritate. Rem vtranque ex libris antiquorum Patrum eruendam videri. Regiæ voluntates vehementes ſunt, neque id Romani non conſiderabant. Rerum quod in Hiſpania contigerat, Gregorii libri ferme de memoria hominum exciderant. ſcrinii Romani ſchedas omnes & tabularia excutere longum erat. Itaque diem ex die ducere, atque aliam ex alia moræ cauſam nectere. cum Epiſcopus, quoniam parum ſpei erat hominum diligentia impetraturum ſe quod volebat, ad Deum conuerſus ardentiſſimis precibus petiit, ne tantos labores vanos eſſe pateretur, Regis ſui pro pietate conatus præſenti numine adiuuaret. inter has preces integra nocte conſumpta die proxima locum deſignauit, vbi ſcripta Gregorii aſſeruabantur. fama tenuit, & ipſemet Taius litteris de ea re teſtatur ipſius Gregorii indicio atque monitu voti compo-

compotem fuiſſe factum. Per idem tempus Fructuoſi nomen in Hiſpania celebre erat, quod vitam principalem, cum ex regio Gotthorum ſanguine eſſet patre Duce, cum priuata atque adeo monaſtica commutaſſet. In ipſo ætatis flore Tonantii Palentini Epiſcopi præceptis & diſciplina ad pietatis ſtudia conformatus, ætate confirmata, perfectioris vitæ amore ad Virgidunenſem tractum (Vierzum vulgo dicimus) in ſolitudinem ſe abdidit: vbi monachorum collegium ex ſuomet patrimonio conſtituit Iuſti & Paſtoris martyrum nomine ad Complucicam ſub monte Irago, eius monaſterii veſtigia monſtrantur. Aſturicæ, quæ vrbs non procul iis locis ſita eſt, inter eius eccleſiæ ſacerdotia Abbas Complutenſis locum habet, nimirum conſequenti tempore monaſterio diſſipato. Ex diplomate à Rege Ramiro eo nomine tertio, eccleſiæ Aſturicenſi conceſſo conſtat, Fructuoſi monaſterium non ipſius tantum patrimonii reditibus fundatum, ſed & regia Chindaſuinthi liberalitate poſſeſſionibus auctum, variaque ſupellectile exornatum. Extat prętere a vicinis locis ſancti Petri nomine monaſterium alterum amœnis vndique montium clauſtris incluſum Fructuoſi opus: cum tantam hominum multitudinem, quanta indies opinione ſanctitatis ipſius excitata confluebat, prioris loci anguſtiæ non caperent. Valerius Abbas, cuius extat de vana ſeculi ſapientia liber, aliaque monumenta ingenii, tum ſoluta tum numeris aſtricta oratione, Vvamba Rege, ei monaſterio pręfuit. Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis ſalutis anno nongenteſimo ſexto, inſtaurato ædificio amplificauit. Vtriuſque rei indicio eſt lapidi inciſa inſcriptio, in ipſa templi ianua, qua aditus in monaſterium eſt. Tertium monaſterium Gadibus ædificandum Fructuoſus curauit. In continenti, quartum nono ab eo littore milliari. aliis locis alia tum virorum, tum fœminarum. Inter eas virgines Benedicta principem locum obtinuit, quod ſponſo relicto, cui pacta erat viro in primis nobili & copioſo, ad Fructuoſum aufugit conſeruandæ virginitatis ſtudio ſuccenſa. Hæc ſub extremam Chindaſuinthi Regis ætatem in Hiſpania gerebantur: quo tempore regnum quod per vim occupauerat, familiæ ſuæ hæreditarium facere ſatagens, filium Flauium Receſuinthum imperii conſortem declarauit, ſalutis anno ſexcenteſimo quadrageſimo octauo: cum ipſe ſolus rempublicam gubernaſſet annos ſex, menſes 648.
octo, dies viginti. Vixit præterea annos tres, menſes quatuor, dies vndecim. quod tempus in filii regno ponitur: quod ob præcipitem atque affectam patris ætatem ſolus ipſe rerum potiretur, & rempublicã vniuerſam ꝓ voluntate gubernaret. Obiit Chindaſuinthus Toleti quidem ex morbo, aut vt alii tradunt, vi veneni vitalibus corruptis. Corpus autem tum eius, tum Ricibergæ vxoris in monaſterio ſancti Romani nomine tumulatum eſt: quod hodie monaſterium ſecundum Durium amnem Taurum inter & Tordeſyllam viſitur Hormiſguæ nomine ipſius Chindaſuinthi ſepulturæ deſtinatum opus.

Tria Concilia Toletana. CAP. IX.

ECCLESIAM Toletanam per hæc tempora Eugenius eo nomine tertius obtinebat, alterius Eugenii ſucceſſor, Helladii diſcipulus. Ex Helladii enim ſchola tum hic, tum tres alii qui proxime præceſſerant Toletani Pręſules prodierunt. Is otii litterarii cupiditate antea relicta Toletana eccleſia, vbi honeſtum locum inter eius templi ſacerdotes obtinebat, Cæſarauguſtæ ad D. Engratiæ cucullum induit, monaſticę vitæ inſigne inde à Rege Chindaſuintho per vim ad eccleſiæ Toletanæ gubernacula extractus eſt. Eccleſiaſtici cantus numeros temporum negligentia deprauatos, ad meliorem rationem antiquitatiſque regulam conformauit. Librum de Trinitate compoſuit, Dracontii operi, in quo heroico carmine mundi conditionem deſcripſit, Geneſeoſque initium eleganter explanauit, diei ſeptimæ explicationem, quæ deſiderabatur adiecit. Iis ex verſibus, aliiſque epigrammatis, quæ ad noſtram ætatem conſeruata ſunt, non inelegantis fuiſſe ingenii, neque prorſus ineruditi intelligitur. In iis epigrammatis Chindaſuinthi & Ricibergæ, quorum beneficio auctus erat, epitaphia extant, craſſum aliquid ſonantia, magis ætatis vitio, quam auctoris culpa. Sunt qui Eugenium Illefonſi auunculum fuiſſe affirment: cui opinioni Illefonſi ipſius ſcripta & Iuliani reſiſtunt, in quibus de re tanta mirum ſilentium eſt. nam cælitum numero adſcriptum fuiſſe, tametſi eccleſiæ Toletanæ faſti ſileant, nonnulla Martyrologia Nouembris Idibus Eugenii nomine adſcripto, ei opinioni ſuffragantur. Illud conſtat, Eugenio Pontifice Receſuinthi Regis opera Toleti Epiſcoporum conuentum ex tota ditione habitum. flagrabat enim Rex catholicę religionis amplificandæ ſtudio diuinos libros tum ipſe euoluere ſolitus, tum diſputationibus de rebus ſacris libenter intereſſe: aurum, gemmas, veſtemque pretioſam multam templis donare, diuino cultu illuſtrando non deſiſtebat. Nimirum vt ita faceret, domeſtica paulo ante defuncti patris exempla excita-

bant. Epiſcopi duo & quinquaginta in Petri & Pauli baſilica ſextodecimo Decembris die,
653. ſalutis anno ſexcenteſimo quinquageſimo tertio Toleti concilium habuere, quod inter eius vrbis concilia octauum eſt. Eo die Rex ad Patres ingreſſus, paucaque de more præfatus, coram codicillum obtulit: in quo fidei catholicæ de ſcripto concepta profeſſio continebatur. Patres in eo non tantum vt de religione ſtatuerent, quæ ex commodo eccleſiæ futura eſſent, hortatur rogatque: ſed reipublicæ etiam ſtatum temperarent, antiquis legibus noua cenſura vbi opus eſſet, additione etiam atque detractione caſtigatis. Proceres quicunque ex recepta Gotthorum conſuetudine conuentum cum Patribus agitare compellebantur, idem vt facerent obteſtatur. De Iudæis, qui ſuperiorum Regum compulſu, religione Chriſtiana ſuſcepta, Iudaicos ritus & cæremonias ſectabantur, quid eſſet ſtatuendum mature deliberarent. Etenim libellus ſupplex à Iudæis Recceſuintho oblatus, qui inter antiquas Gotthorum leges extat, velle ſe continebat, tametſi à Chintila per vim compulſi erant Chriſti ſacra ſuſcipere: Sabbathum, reliquaſque Iudæorum cæremonias abdicare. porcinas carnes vt manducarent adduci non poſſe, magis ſtomachi faſtidio ob cibi inſolentiam, quam quod religione aliqua ſe vt ita facerent obſtrictos putarent. mentis ſanitatem ſatis declarare, cum cibos alios cum his carnibus coctos edere minime recuſarent. Regis litteræ in conuentu magna Patrum gratulatione recitatæ. Ex iis cum in concilio relatum eſſet, communi ſententia duodecim canones editi ſunt. In iis Regis votis copioſe ſatisfactum. inſuper vota iuramentaque illicita irrita fore ſancitum. vetitumque carnibus in Quadrageſima, quo tempore ex vetuſto eccleſiæ more Chriſtiana ieiunia celebrantur, abſque euidenti neceſſitate veſci. Poſtremo regiæ exactiones & vectigalia, quorum prætextu ab aliis Regibus in ea temporum perturbatione, cum regnum is occupabat, non qui iure plus poterat ſed qui armis, in ſubditorum fortunas graſſatum erat, anguſtis finibus circumſcripta. Conſiderabant Patres nuſquam ſatis fidam potentiam eſſe, vbi nimia eſt: ſæpe inuidiæ populari imparem fuiſſe: quæ ſunt moderata durare, propriaq; eſſe. Regi Recceſuintho conceſſum ea lege paternam bonorum hæreditatem cernere, ſi iis, qui iniuria ſpoliatos eſſe conquerebantur, auditis cauſis ſatisfaceret, pretiumque exolueret, quanta rerum ablatarum eſſet æſtimatio. Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Toletanus, Potamius Bracarenſis Metropolitani primas in eo conuentu partes occuparunt: ſecundum hos Præſules alii, atque in his Bacauda Egabrenſis Epiſcopus, qui in vrbe ipſo D. Ioannis cœmeterio nomen eius in marmore candido inciſum extat, nimirum illius aut alterius templi vnde lapis fuerit aduectus dedicatione facta, ſalutis anno ſexcenteſimo quinquageſimo, menſe Maio. Subſcribunt præterea actis concilii Abbates nouo exemplo, in quibus Illefonſus numeratur. Præterea proceres, tum Duces, tum Comites: quorum certe curæ reipublicæ pars aliqua permiſſa erat. Nec mirum: hæc enim concilia Toletana veluti regni comitia erant, conuentuſq; generales: vbi non tantum de religione, ſed etiam de republica communi omnium conſenſu diſceptabatur. Poſt alterum
655. biennium, huius ſeculi anno quinquageſimo quinto, nonum concilium Toletanum Regis diligentia habitum eſt. Sedecim Epiſcopi Kalen. Nouembris in baſilicam ſanctæ Marię Virginis conuenientes, de rebus variis leges ſeptendecim promulgarunt. In his Eugenius Toletanus cum alii abeſſent Metropolitani, principem locum obtinuit. Maiori aliquanto numero Præſules viginti, conſequenti mox anno nouum conuentum Toleti agitarunt Kalen. Decembris. In eo conuentu Annunciationis feſtum, quo die filii Dei noſtra carne induti memoria celebratur quotannis ad octauum Kalen. Aprilis: quoniam is dies Quadrageſimę celebritate, & Chriſti Dei morte commemoranda occupatus erat, ſancitum in diem octauumdecimum Decembris transferri. Expectationis feſtum vulgus dicere conſueuit: nimirum temporis longinquitate memoria hominum vitiata, quod ad libros tamē eccleſiaſticos manauit. Virgines Deo ſacras, quas nouo nomine Beatas Patres vocant, diſtinctionis gratia flammeum nigrum, aut rubrum geſtare inſigne mandatum. Potamius Bracarenſis Epiſcopus, quod libidinis lapſu ſe contaminaſſet, gradu motus, Epiſcopi tantum nomine retento. id temperamentum, ſupplicii ſeueritati adhibere placuit, quod ipſe coram libello ſupplici Patribus oblato culpam vltro confeſſus eſſet, ſeq; nouem menſium ſpatio cultus victuſq; aſperitate maceraſſet, diuinæ videlicet miſericordię impetrandę ſtudio. Fructuoſus cum pridem ex Complutenſi Abbate Dumienſis Epiſcopus eſſet factus, in Potamii locum ſubrogatus Bracarenſis eccleſiæ à Patribus commendatam adminiſtrationem ſuſcepit. quam ob cauſam actis concilii poſt Eugenium Toletanum & Fugitiuum Hiſpalenſem tertius ipſe atq; inter Metropolitanos poſtremus ſubſcribit. Exorta erat controuerſia de Martini olim Dumienſis Epiſcopi teſtamento, cuius procuratio Sueuorum Regibus erat à Martino ipſo commendata. in eorum Regum iura Gotthorum Reges ſiue

ſucceſ-

ſucceſſerant,ſiue inuaſerant. Vvamba Palatinus Regis permiſſu,quid ſtatuendum in ea re foret Patres conſuluit. illi totius controuerſiæ arbitrium penes Fructuoſum, quem nouo honore auxerant,eſſe voluerunt: & quod conſtitueret ipſe,id ratum iuſque fore mandant. Fructuoſi memoriam ob eximiam ſanctitatis opinionem Bracarenſes, Eborenſes, Compoſtellani populi feſto dicato ad ſextumdecimum Kalen. Maii inſtaurare conſueuerunt. Corpus eius Dumium inter & Bracaram in monaſterio ab ipſo exędificato ſepulturę mandatum, inde poſt quingentos circiter annos Compoſtellam migrauit Iacobi Gelmiridis cura,qui eius eccleſiæ primus Archiepiſcopus fuit. defuncti virtute multa edita miracula: quorum partem aliquam Paulus Emeritenſis Diaconus in hiſtoriam contulit, vt à nobis referantur pretium operæ non eſt. Fructuoſo Irene virgo Luſitana æqualis fuit. ab inſano amatore Britaldo,cum eius nuptias contempſiſſet, interfectæ corpus,quo cædes eſſet occultior, in Nabanim proiectum, quo flumine Nabana virginis patria alluitur ad Scalabim in medio Tagi fluminis, in quod Nabanis influit,alueo repertum eſt. vndę diuino miraculo in vtranque partem dimotæ: ſepulchrumq; diuino opere fabricatum ſiccis pedibus qui quærebant inueniſſe memorantur. Ex ea re virginis religionem iis in locis confirmatam amplificatamq; breui fuiſſe vrbis nomen indicio eſt, Scalabis appellatione ex eo tempore in Sanctæ Irenes mutata.

Diui Illefonſi vita. CAP. X.

RECCESVINTHI regni anno nono,qui annus à Chriſti ortu erat ſexcēteſimus quinqua- 657.
geſimus ſeptimus,Eugenius Toletanus Pręſul eo nomine tertius,extinctus eſt. Illefonſus Agalienſis Abbas in eius locū cooptatus, eximia morum probitate. litterarum,doctrinæq; ſtudia, atq; ex multarum rerum tractatione & vſu collecta prudentia,multum apud proceres & populum cōmendabant:euiceruntq; vt ſuis ciuibus imponeretur moderator rectorq; rerum ſacrarum. Erat enim Toleti nobili genere natus.patre Stephano,matre Lucia. In excelſa atq; adeo nobiliſſima eius vrbis parte ædes monſtrantur Illefonſi natalibus nobiles,(ſic ducta per manus opinio populo perſuaſit,nullo præterea auctore.) Eæ ædes cū Orgatii Regulorum conſequenti tempore eſſent factæ, nuper in Societatis Ieſu ius poteſtatemq; migrarunt. quorū ſtudio effectum, vt quod maiorum negligentia prætermiſſum videbatur,in nobiliſſima vrbe templum Illefonſi nomine extaret. Eugenio deceſſori nondum Archiepiſcopo. cum eſſet ingenio non prorſus inſulſo, & vt quidam arbitrantur Illefonſi propinquus,Illefonſus doctrinæ cauſa operam dedit. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi fama celebris erat in primis. Ad eum cultus ingenii capiendi ſtudio, Hiſpalim miſſus, in collegiumq; cooptatus,quod iuuētutis inſtituendæ cauſa ab Iſidoro extructum fuiſſe dictum eſt, viro doctiſſimo expoliendum ſe limandumque permiſit. Ab eius latere non ante diſceſſit,quam omni liberali doctrina exultus,diſciplinarum orbem abſoluiſſet. Libri multi & varii,quos Iulianus ſucceſſor in tria corpora ab ipſomet auctore tributa ait, multis ingenii luminibus diſtincti & ſententiarum maieſtate graues, ſtylum magis redundantem eius ſeculi vitio,quam caſtum atque nitidum conſectantur. Iis ſtudiis atque totius vitæ tenore cum ſumma omnia polliceretur,ſpretis honoribus ad quos generis nobilitas & vitæ merita vocabant,vitam principalem cum priuata atque adeo monaſtica mutare certus,in Agalienſi monaſterio cucullum induit, multum quamuis reluctante patre, vſque eo dum omnes monaſterii latebras filii veſtigiis inſiſtens,perſcrutaretur: cuius ille diligentiam eluſerat è via declinans & tantiſper retro vicinam ſepem ſe continens, dum pater domum rediret, vano conatu ſpeque filium ab ea mente poſſe deduci. Erat id monaſterium non procul ab vrbe ſitum ad Septentrionalem plagam, ſiue Coſmæ & Damiani nomine dicatum vt quidam putant, Cixilæ auctoritate Illefonſum in Coſmæ & Damiani Abbatem fuiſſe affirmantis: ſiue vt Concilii Toletani. X I. acta declarant ſancti Iuliani: quibus maior fides adhibenda eſſet ſi in Gothicis id codicibus legeretur. Stephanus pater filii ſuſceptam vitæ rationem ægre quidem ſed probauit tandem, vxoris potiſſimum hortatu poſt longam ſterilitatem affirmantis precibus à diuino numine impetratum, Virginis matris obſequiis deberi,qua ſe religione implicaſſet,ſi voti compos eſſet facta. datam ſuperis fidem haudquaquam impune violari: redderent Deo diuina beneficia. Præſtare filio ad tempus carere, quam perpetuis conſcientiæ cruciatibus viuos mortuoſque macerari filio retrorſum reuocato. Exigui temporis iactura conſultius fore ſibi ipſis & filio redimere incolumitatem. In eo collegio quantum breui profecerit indicio eſt eius monaſterii præfectura poſt paucos annos eius fidei commendata: cum Adeodato defuncto, qui poſt Helladium, Iuſtum, Richilam,eius monaſterii Abbas fuerat, monachi non alium ſibi præferendum gubernatorem iudicarent. Quo tempore in prædio Debienſi ſua impenſa virginum collegium

fundauit atque conſtituit, parentibus interea defunctis. Eccleſiæ mox Toletanæ cura ſuſcepta in omni virtutum genere ſecum ipſe certare, maiorque conditione mortali viſus eſt. Quis tam facundus & tanta rerum verborumque copia inſtructus exiſtet, vt Illefonſi laudibus commemorandis par eſſe poſſit? Quis tali futurus ingenio eſt, qui Illefonſi actiones ita mandare litteris poſſit, vt facta non ficta eſſe videantur? Quis tanta animi facilitate, vt quæ veriſſima ſunt, iis fidem adiungere inducat in animum? Ex Gallia Gothica Pelagius quidam & Helladius profecti, veteris Heluidii inſaniæ ſcintillas in Hiſpania exſuſcitare cœperant, Mariam Virginem negantes perpetuo virginitatem retinuiſſe. horum furorem ne patientia confirmaretur audacia, aut mora creſceret malum, ſibi Illefonſus impugnandum ſumpſit cominus diſputando, eminus libro euulgato, in quo perpetuæ virginitatis Mariæ patrocinium ſuſcepit. Ea diligentia erroris ſemina diſſipata, compreſſique nefarii eorum impoſtorum conatus. operæ nauatæ merces veſtis de cœlo allata fuit. Cum enim ad nocturnas preces perſoluendas contenderet menſe Decembri, ipſa nocte quæ feſtum Annunciationis diem nuper à Patribus inſtitutum præcedebat: templum maximum viſum eſt maiori fulgore micare, quam vt oculi mortales ferrent. tunc cæteris alio atque alio dilapſis præ terrore, ad aram ipſe progreſſus, cum nixus de more genibus preces funderet, in cathedra vnde is ad populum concionari erat ſolitus, aſtantem beatam Virginem in auguſtiori quam pro humano habitu ſpecie vidit, his eum verbis compellãtem: Cultæ in tuo corpore virginitatis cum mentis puritate fideique ardore coniunctæ, noſtræq; virginitatis defenſæ præmium erit ex cœleſti theſauro munus allatum. Inter hæc verba veſtem ſuis manibus capiti inſeruit, hac inquiens, filii mei, meaque, quæ toto anno recurrunt feſta celebrato. Comites receptis à pauore animis cum ad Præſulem accurriſſent, toto iam ſpectaculo ex oculis ſublato, ferme exanimatum inuenerunt. tum metus tum admiratio vocem intercluſerat, oculi tantum in lachrymas ſoluebantur: quod neque pares beneficio gratias agere poſſet, neq; Virginem alloquio morari. Sic nimirũ ſuſceptas pro pietate actiones conſueuit diuinum numen munerari. Cixila Illefonſi ſucceſſor hæc omnia memoria propagauit, ex ore Vrbani Archiepiſcopi itẽ Toletani, atque Euantii Archidiaconi accepta, quibus per ætatem licuit rei geſtæ miraculo intereſſe. Lapis vbi beata Virgo veſtigio conſtitit, in ipſo templi Toletani aditu monſtratur, clatris ferreis incluſus, rei tantæ monimentum. Accidit præterea, aut eodem anno vt Cixilla ſentire viſus eſt, aut vt alii malunt proximo, nono Decembris die qui dies virginis Leocadiæ memoria ſacer eſt, vt ad ipſum Leocadiæ tumulum, Rege præſente, atque Præſule ſanctiſſimo ſacris operante, ſepulchri lapide quo tegebatur, & quem vix triginta valentiſſimi homines loco mouere potuiſſent ſponte ſublato, tumulo egreſſa Leocadia, manum Illefonſi tangeret, atque in hæc verba prorumperet: Illefonſe per te viuit domina mea. Tum vniuerſo populo metu exanimato, Illefonſus in Leocadiæ virginis laudes effuſus, vrbis ei atq; Regis patrocinium commendauit: cupiduſque rei tantæ ad poſteritatem certo teſtimonio propagandæ, gladiolo quem ex vagina detractum Rex ea de cauſa obtulit, veli partem qua virginis caput tegebatur, priuſquam ſe reciperet in ſepulchrum abſcidit. Ea veli pars cum gladio ad hanc diem in ſacro Toletani templi ærario conſeruatur & viſitur. His prodigiis perpetratis, quantum auctoritatis Illefonſo acceſſerit, de ſuo ſenſu quiuis facile exiſtimabit, quam ipſe perpetuo virtutum tenore ſtudioſe confirmabat, ac præſertim beneficentia in pauperes. quæ tanta in illo fuit, vt mos triginta pauperes quotidie alendi, quod fit in Archiepiſcopi ædium ea parte, quæ templo coniuncta eſt, Illefonſi inſtitutum eſſe credatur. (Et erat à maioribus ſuſceptum, vt à Patriarchis qui iidem Primates ſunt, duodecim pauperes menſæ adhiberẽtur quotidie.) Ex iis decem fœminæ ſunt, viri duplicato numero. Canonicus per hebdomadum ſacris in ara maxima operatus, ſacra precatione pauperum menſam luſtrare, & ne quid inopibus deſit, diligenter conſiderare conſueuit. Duas res natura pugnantes, lenitatem & grauitatem ita temperabat, vt neque ſeueritas de ſuauitate, neque facilitas quicquam de auctoritate detraheret. Cum eccleſiam gubernaſſet nouem annis, ac menſibus ferme duobus vitam immortalitate mutauit, Receceſuinthi regni anno nonodecimo inchoante. Corpus ad Leocadiæ tumulatum, ad Eugenii deceſſoris pedes, in vaſtatione Hiſpaniæ funeſta atque generali Senticam (Zamoram nos dicimus) migrauit: vbi dicato tumulo in Petri Apoſtoli templo magna populi religione colitur. Veſtis de cœlo allata ſimili caſu iactata, Oueti ſeruatur in obſerata arca ab oculis ſubducta mortalibus eoque maiori religione culta.

Receceſuinthi obitus. Cap. XI.

ILLEFONSO ſuperſtite Emeritæ conuentus habitus eſt ad octauum Idus Nouemb. ſalutis 666. anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. Duodecim Luſitani Epiſcopi in eam vrbem conuenientes, viginti tribus decretis diſciplinam eccleſiaſticam ſanxerunt, quę vt hic referantur non eſt viſum. ac ferme de ratione precum eccleſiaſticarum diſceptatio ſuſcepta erat, temporum vitio variantium. Per idem tempus in Africa Mahumetanæ ſectæ arma impune volitabant. Abdalla Moabiæ Dux Mahometis poſt tres priores ſucceſſor, Africam prouinciam eripuerat Romanis, Gregorio Romanorum Duce & Præfecto ingenti prælio ſuperato. Romani exercitus clades maxima fuit, ac ferme ea ætate nulla maior. Mauritaniæ Tingitanæ partem Gotthi ducta ex antiquo conſuetudine retinebant, Septam præſertim atque vicinos agros, reliqua victori barbaro ceſſerunt, quam late Mediterranei maris littora parent. Ex eo tempore nouum imperium eſt cōſtitutum in Africa. Reges, penes quos tum de republica tum de rebus ſacris gētis inſtituto arbitrium erat, Miramamolini vocati ſunt, quæ vox credentium principem ſignificat. nam in Aſia eius nationis principes & rectores ſupremi, Caliphæ dicebantur. Ex Africa vero, cum anguſti freti faucibus dirempta ſit, Hiſpaniæ vniuerſæ imminere videbantur. Solis deliquium, quo dies obſcuriſſima nocte mutatus eſt, Recceſuintho Rege, vt Rodericus Præſul eſt auctor, hæc mala orbi denunciaſſe creditum eſt. In Hiſpania Vaſcones bello domiti Recceſuinthi Regis ductu atque virtute, cum correptis armis in vicinas prouincias populabundi irruiſſent. Pace parta Gotthorum leges, quæ temporis iniuria vitiatæ erant, per otium caſtigatæ: ex veteribus multæ detractæ nouæque magno numero ad unctæ. Earum legum volumen indicio eſt, in quo Recceſuinthi nomine leges, omnes aliorum omnium Regum ſanctiones multitudine ſuperant. Tantis rebus perfectis Regem nobiliſſimum bello paceque, mors oppreſſit. Obiit Kal. Septembris mane, ſalutis anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Regna- 672. uit, ex quo quidem à patre conſors imperii factus eſt, annis viginti tribus, menſibus ſex, diebus vndecim. Solus autem annis vno & viginti, menſibus vndecim. Extat à municipio Vallisoleto (Pinciam nōnulli vocant) octo paſſuum millibus diſſitum oppidum Wamba nomine (olim Gertigus vocabatur) in monte Cauto. In illud oppidum Toleto profectus ſe contulerat, cum lethali morbo oppreſſus eſt. nimirum cœli mutatione, atque natiui aeris ſalubritate) erat enim familiæ gentilitium) afflictam valetudinem reſtituere habebat in animo. In eius oppidi templo Recceſuinthi Regis ſepulchrum noſtra etiam ætate monſtratur. vnde alio tempore Toletum deductus, atque in Leocadiæ æde prope arcem tumulatus eſt ad aram maximam, Alfonſi Regis eo nomine decimi iuſſu atque diligentia. ſic vulgo perſuaſum eſt. Nam quo tempore Philippus. II. Hiſpaniæ Rex, ſalutis anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, coniuncta Recceſuinthi & Wambæ mauſeola vetuſti operis, ſe præſente aperiri mandauit: nullæ litteræ ſunt repertæ: oſſa tantum bombycinis implicata pannis, incluſaque thecis ligneis. Ex ætatis tamen prærogatiua ſuſpicabantur viri eruditi magis quam certo argumento confirmabant, Recceſuinthi Regis oſſa dextram templi partem occupaſſe. Extat præterea prope Donnias, quod municipiū ſupra Valliſoletum ad Piſoricam flumen ſitum eſt, Io. Baptiſtæ nomine vetuſti operis, atq; adeo Gotthicæ ſtructuræ imaginem repræſentans, templum lapide atque marmore varium. In eo templo inſcriptio ſeruatur ſex verſibus comprehenſa: vnde intelligitur Recceſuinthi impenſa ab imo totum extructum ſalutis anno ſexcenteſimo ſexageſimo primo, ad indicium gentilitiæ ditionis: quam iiſce locis duos hos Reges obtinuiſſe viri docti non immerito ſuſpicantur.

Bellum Narbonenſe Vvamba Rege. Cap. XII.

IMPERIVM Orientis per hæc tempora Conſtantinus cognomento Pogonatus obtinebat. Eccleſiam Romanam Pontifex Adeodatus, is cuius extat epiſtola ad Gratianum Archipræſulem in Hiſpania (Gordianum Hiſpanienſis eccleſiæ Epiſcopum, Gothicus Æmiliani codex habebat) coniugia ſoluentis eorum qui ob legum inſcitiam proprios filios de ſacro lauacro ſuſceperant. In Gotthici imperii ea parte, quæ Galliæ Narbonenſis finibus cōtinebatur, noui graueſq; motus excitati. regnandi ambitio omnia naturæ iura peruertere ſolita magnorum imperiorum labes rem Gotthicam pulcherrime ſtantem, cum externi hoſtes deeſſent, inteſtinis diſſidiis afflixit. Etenim Recceſuinthi Regis funere procurato, cum prole careret, & defuncti fratres tantis rebus impares eſſent ob imbecillam ætatem, Wambam præcipuum dignitatis gratiæque locum in aula obtinentem, præterea

bello ſtrenuum, conſilioque bonum, continuo collatis ſuffragiis Regem renunciarunt. tametſi rerum gerendarum magnitudinem atque præcipitem ætatem excuſabat, omnibuſque precibus, quibus lachrymæ addebantur, grauiſſimum imperandi onus deprecabatur. Nimirum vir prudens animo prouidebat multitudinis voluntates vt vehementes, ſic mobiles eſſe, plerunque etiam inter ſe contrarias. Neque prius deſtitit deprecari, quam ex Gothis proceribus Dux quidam gladio diſtricto, ni morem gereret mortem minitari cœpit. An vnus (inquiens) totius gentis voluntati repugnes, tuæque tranquillitati communem omnium ſalutem poſthabeas? Nimirum magno æſtimas paucos annos, quot in hanc ætatem cadunt. Ego vero niſi cõtinuo pareas vitam ipſam, cuius conſeruandæ ſtudio impoſitum onus excutere cupis, hoc ipſo gladio eripiam: & graui documento ſanciam, neminem præpoſteræ modeſtiæ ſpecie ſuam ipſius tranquillitatem publicis commodis debere potiorem arbitrari. Iis minis fractus, ita procerum & totius populi voluntati ceſſit, vt ſacræ vnctionis cæremonia inaugurari prius quam Toletum ventum eſſet, omnino detrectarit. vrbi Regiæ is honos deberi videbatur: & mora temporis cupiebat aut ſtudia ſuorum mutari, aut totius prouinciæ, ne diſſidii occaſio eſſet, voluntates conciliare. Itaque ad tertiumdecimum Kalend. Octobris cum Toletum ventum eſſet, Quirico Præſule Toletano, qui Illefonſo ſucceſſerat, ſacræ cæremoniæ Antiſte Rex inunctus eſt Petri & Pauli templo, quod Prætorio vicinum erat, conceptis prius verbis commoda publica legeſque iuratus. Miraculo habitum eſt, cum ex Regis capite columnæ ſpecie vapor excitari, apiſque ſublime volare viſa eſſent. Ludibria ſæpe oculorum à populo pro veris prædicantur dices: recte, ni id etiam Iulianus Epiſcopus Toletanus confirmaret, in proprio commentario de bello Narbonenſi Vvamba Rege. Proceres ſacramento adacti in noui Regis verba iurare. in his Paulus defuncti Regis propinquus vt nonnulli arbitrantur: Græcum natione, quod alii exiſtimant, nominis coniectura & fidei incõſtantia declarant. Erat Vvamba natus in Luſitaniæ parte illa, quæ Igeditania veteribus fuit, vbi oppidum extat Idaniæ veteris nomine, prædiumque prope, vbi fons quadrato lapide incluſus emanat Vvambæ nomine. Locorum incolæ ducta ex antiquo opinione id prædium in Vvambæ poſſeſſionibus fuiſſe habent perſuaſum. Sub initia regni Vaſconum motus extiterunt, quibus imperii nondum ſatis firmati rationes deſpectui erant, & nouarum rerum ſtudio tumultuandi occaſiones ſæpe captare videbãtur. hoc bello Regem implicatum in Cantabriæ finibus, quo delectu ſuorum habito validas copias duxerat, ne videlicet prima negligendo ſerperet malum: noui belli maiori mole coorti in Gallia Gotthica cura ſolicitauit. multi quorum ex ſententia res non erant & partium infecti ſtudio Vvambam Regem nolebant, deficiendi conſilia animis agitabant. Rebellandi initium Hildericus Nemauſi Comes fecit, locorum longinquitate confiſus, magnis opibus & clientelis potens. Magalonæ vrbis finitimæ Præſul Gumildus, præterea Remigius Abbas in partes attracti. Aregius Nemauſi Epiſcopus cum nullis artibus adduci potuiſſet vt fidem falleret, loco motus, atque in interiorem Galliam ablegatus eſt, Remigio in eius locum ſubſtituto. Aguntur omnia raptim, atq; turbate, neque quid legibus liceret penſi habent: vſque dum ex Gallia Iudæi pridem ex Gotthorum finibus pulſi, auxiliares ſint vocati. Paulus à Rege aduerſus coniuratorum conatus continuo præmiſſus, magno vir ingenio, magnoq; rei militaris vſu. copiarum tantum adiunctum, quantum ſatis eſſe videbatur ad rebellium vires frangendas debilitandaſque. Ille tempus veniſſe ratus perfidiæ depromendæ, quam eatenus incluſam animo tenuerat, lento itinere progrediens occaſionem hoſti dedit ſeſe viribus confirmandi, defectionis ipſe conſilia cum Gotthorum proceribus communicans, atq; mora temporis expectans rei bene gerendæ opportunitatem. Ranoſindum Tarraconenſem Ducem & Hildigiſum Gardingum (nomen id Magiſtratus erat atq; poteſtatis) factioni conciliauit. horum ope atque conſilio Barcino, Gerunda, atq; Auſa in ipſo Hiſpaniæ aditu in poteſtatem redactæ. Iis aucti viribus de Gallia cogitant, vbi iunctis cum Hilderico copiis, regiæ potentiæ ſperabant ſeſe haudquaquam fore impares. Argebaudus Narbonẽſis Metropolitanus initio quidem conatus ſuæ vrbis portas rebellibus claudere, cum eorum celeritate eſſet præoccupatus, à Rege tandem deficere viſus eſt, magis cum non ſatis animi eſſet ad reſiſtendũ, quam quod proditorum cauſam probaret. In ea vrbe Paulus concione tum ciuium, tum militum aduocata, Archiepiſcopi primum temeritatem accuſauit, qui ciues de republica optime meritos, neq; quidquam mali cogitantes, vrbis aditu prohiberi tentaſſet: cauſas deinde explicuit cur iure Chriſtiano putaret fas æquumq; eſſe Vvambæ imperium detrectare, neq; legibus neq; auſpicato, ſed paucorum temeritate conſtitutum quæ vbi vigere cœpit, ibi non publicum conſilium viget, ſed vis & libido dominatur. Deniq; poſtulauit nouum Regem legibus creari, cuius imperium cuncti reſpicerent, cuius conſilio & virtute Vvambæ conatus

natus vireſque frangerent. Fabulam Ranoſindus apud ipſum argumenti auctorem peragens, palam magniſque vocibus vt cuncti audirent, negat ſe quenquam regio nomine digniorem ipſo Paulo arbitrari. Idem cum turbæ ex compoſito confuſi plerique facti eſſi clamaſſent, reliqui quorum melior ſententia erat, in tanta rerum colluuione ſilerent, Paulus Gotthorum Rex pronunciatus eſt. Corona capiti impoſita, quam Reccaredus Rex Felici martyri Gerundenſi dono dederat: factionis videlicet ſtudio non modo publicas & priuatas fortunas expilabant, ſed ne à ſacris quidem templorum ærariis ſacrilegas manus temperabant. Hildericus primus defectionis auctor facile in partes attractus, & Galliæ Gothicæ vrbes omnes ſub iugum miſſæ. præterea Hiſpaniæ Tarraconenſis non exigua pars Ranoſindi auctoritatem ſequebatur. Eo rerum ſucceſſu Paulus animo ferocior Regem Wambam contumelioſis litteris prouocare non dubitauit ſiue linguæ intemperantia elatus, ſiue noui regni auctoritatem ſanciendi cupidus, ad multitudinem inani verborum ſonitu in fraudem allici ſolitam. Ex his conuitiis, atque partium ſtudiis natam arbitror opinionem vulgi, quæ Wambam affirmat ruſticanum hominem fuiſſe ex aratro atque ligone ad ſceptra vocatum: cum eſſet ex præcipua Gotthorum nobilitate, & præcipuum gratiæ & auctoritatis locum apud ſuperiores Reges occuparet. Wamba Rex Pauli perfidia cognita, aduocato procerum concilio, ſententias rogauit: num commodius fore putarent continuo in Paulum mouere, vt perditorum hominum furorem, prieſquam adoleſceret, in ipſis incunabulis extinguerent: an retro conuerſo itinere præſtare Toleti ſe nouis auxiliis & maioribus copiis confirmare. Variæ dictæ ſententiæ. Pars, quibus plus inerat audaciæ, omnem moram exitialem diſputare, qua proditorum vires creſcerent, confirmarentur animi: militum ardorem pugnam expetentium reſtingui magna parte neceſſe eſſe. Quid enim receptus habeat præterquam cautionis ſpecie turpiſſimæ fugæ ſignificationem? famæ quanta in bellis momenta ſint, quis ignoret? opinione potius hominum, quam virtute victoriam ſtare, ſuperiorum temporum varii & mirabiles bellorum euentus teſtantur. Pars fore conſultius diſputabat aliquanto temporis ſpatio noui regni ſtatum confirmari, ne deſerta Hiſpania à tergo maior belli moles inſtaret. Pauli proditione documentum datum, multorum ad defectionem arrectas eſſe voluntates. Exercitum præterea nouis delectibus confirmandum videri cuius imbecillitatem Vaſcones nondum domiti ſatis indicarant. Magnis Imperatoribus ſæpe exitiale fuiſſe popularis auræ flatu moueri, atq; opinioni hominum terga dare. Wamba auditis procerum ſententiis, atque vtriuſque partis rationibus expenſis. Præuenire, inquit, hoſtiles conatus ſatius arbitror, & gliſcenti malo priuſquam confirmetur remedium afferre: ne elapſam occaſionem, quæ momento temporis vertitur, dolere neceſſe ſit. Imperii auctoritatem victoria de hoſtibus ſanciet: quam diuini numinis præſidio optimam protecturi cauſam, & veſtra virtute mihi certo polliceor. Militarem ardorem, atque indignationem in proditores conceptam accendere potius celeritate, quam mora debilitare æquum eſt: cum ira mora langueſcat, feſtinatione accendatur. Cuius vero animum non moueat vrbium amicarum calamitas, agri vaſtati, fortunæ expilatæ, quæ mala noſtra ceſſatione indies augeri neceſſe erit? Quis veſtrũ, niſi forte generoſus ille ſanguinis ardor refrixit, & priſtina Gotthorum ſoboles obſoleuit, nõ grauius morte ipſa ducat, amicos & propinquos hoſtium crudelitati permittere, atq; cunctatione iis animos facere, qui ſcelerum conſcientia ſtimulati conſpectum veſtrum ferre non poterunt? Maturemus ergo & Deo duce, cuius potiſſimum cauſa agitur, de ſcelerato hominum genere vindictam ſumamus, priuſquam intelligere poſſint eorum nos vires formidare. Exercitum neq; tam debilem habemus, vt veſtrum quidam diſputarunt: & eo glorioſior victoria erit, quo minori apparatu, celeritate maiori fuerit parta. Regis oratione omnium animi confirmati ſunt: tantuſq; belli gerendi ardor excitatus, vt Vaſcones gens belli gloria ferox, intra ſeptimum diem domiti fuerint. Hæc initia ad futuri belli omen ſpectare cum exercitus haberet perſuaſum, nihil aliud quã hoſtem expetebat: vnam moram victoriæ fructum tardare. Mota quamprimum caſtra per Calagurrim & Oſcam in Catalauniæ fines incredibili feſtinatione eſt peruentum: inde copiæ trifariam diuiſæ, pars Caſtrohbyam Ceretanorum caput, tenere iuſſa eſt: pars in Auſetanos miſſa: tertium agmen ſecundum maris littus, obuios agros, & oppida depopulari mandatũ. Rex ipſe cum valido agmine ſubſecutus præcedentiũ veſtigia obſeruabat. De nonnullis militibus more militari ſupplicium ſumptum, quod miſeros homines iniuria vexaſſent, virginum pudicitiam violaſſent. quorum præputia amputata cæteris documento fuere, impuræ libidinis frænandæ. Nimirum prudens & pius Rex, nulla re magis diuinum numen propitiari habebat perſuaſum, quam ſceleribus vindicandis: neq; irritari vehementius, quam innocẽtium iniuriis diſſimulandis. Inter hæc cum Barcinonem eſſet peruẽtum, ea vrbs Catalauniæ facile princeps, facile in poteſtatem

redacta eſt. defectionis auctores Regis iuſſu ad ſupplicium ſeruati. Gerunda continuo capta, vrbem tradente Amatore Epiſcopo. ad quem paulo ante Paulus litteras dederat, quibus ſui eum aduentus ſpe confirmare conabatur, cum Regem recipere, atque ei vrbem tradere hortatus, qui prius cum exercitu veniſſet. Iis lectis litteris Wamba Rex non irridicule: Paulus, inquit, de nobis noſtroq; aduentu vaticinatus eſt. Iis in locis bidui quiete exercitus recreatus: mox Pyrenæi iuga atque anguſtiæ ſuperatæ ſunt nullo prohibente. In eo itinere Caucoliberis, Vulturaria, & Caſtrũlibyæ oppida vi expugnata. præda omnis militi ceſſit. Clauſura oppidum in ipſis Pyrenæi faucibus, vt nomen declarat, per duces vi captum. In eo Ranoſindus, Ildigiſus, aliique factioſorum principes capti. Wittimirus ex Sordonia, quam præſidio obtinebat, acceptæ calamitatis nuncius ad Paulum aufugit Narbone ad occaſionem rei bene gerendæ intentum: ſi forte moliendo audendoque Wambæ impetus retardare poſſet. Verum cum ſe viribus imparem cerneret hoſti rerum ſucceſſu validiori, eius vrbis cura Wittimiro concredita, Namauſum ſe contulit, quo propediem Gallorum Germanorumque copias auxilio venturas ſperabat. Pyrenæo monte tranſcenſo Rex in planicie caſtrametatus biduo conſtitit, dum copiæ omnes diuerſis itineribus, vt erat imperatum, in eundem locum confluerent. Cum copiarum parte miſſi duces quatuor Narbonem: vt nobiliſſimam vrbem, atque in ipſo prouinciæ aditu conſtitutam, aut vi aut voluntate ad officium reuocarent. Mari præterea inſtructa claſſis eius vrbis expugnandæ cauſa. Terreſtres copiæ cum ſe priores in conſpectum dediſſent, ciueſque ad deditionem inuitaſſent, arroganti Wittimiri reſponſo & contumelia irritatæ in vrbem impetum faciunt: & ignominiæ dolore his faciente animos, illos ſi victi eſſent ſalutis deſperatione acuente, tribus horis acerrime pugnatum eſt. Poſtremo regii lapidum nimbo murorum coronam propugnatoribus nudant, vrbis portas ſuccendunt, admotis ſcalis muro ſuccedere conantur. Vtrinque in vrbem irrumpitur. Wittimirus re deſperata in templum aufugiens, ad Virginis aram captus, conſtrictuſque vinculis, Regis arbitrio plectendus ſeruatur. Capti præterea Argemundus Præſus, & Primiclerius Galtricia, & in furore militari verberibus pulſati. Capta Narbone factio deſpectui & odio eſſe cœpit in cauſa, quam iudicia hominum & fortuna belli damnabant. & Wambæ rebus fauebatur, quod mitiſſimo imperio eius atque legitimo repudiato, neceſſaria arma cepiſſet. Eodem victoriæ curſu vi captę Magalona, Agatha, & Beterris. In his oppidis factioſorum principes nonnulli in poteſtatem venerunt, atque in iis Nemauſenſis Præſul Remigius. Magalonæ Epiſcopus Gumildus de rerum ſumma diffidens, longinqua fuga ſe texit: Nemauſumque ſe ad Paulum recepit, vrbem ea ætate ciuium frequentia, ædificiorum amplitudine & munitione nulli cedentem in Narbonenſi Gallia. multa veteris nobilitatis monimenta & tunc extabant, & nunc extant: amplumque theatrum Romanorum opus: quod quoniam muro coniunctum erat, arcis firmiſſimæ præbebat vſum. Duces quatuor ab Wamba præmiſſi tantis rebus geſtis feroces, quamuis earum rerum ignari quæ ad vrbium expugnationem vſui eſſe ſolent, moræ impatientes quamprimum in eius vrbis conſpectum ventum eſt, ſublato totius exercitus clamore, in quo triginta millia homines erant, in munitiones impetum faciunt. Pugnatum vtrinque acriter. indignantur hi toties victam perfidiam reſiſtere: illos deſperatio niſi viciſſent agebat in rabiem. Pugnantes nox diremit, neutro victoria inclinante. obſeſſi, quod victi non eſſent. regiique loco ceſſiſſent. ſe pro victoribus ferebant. In ipſo pugnæ ardore miles quidam inſultabundus regiis denunciauit, validas Germanorum Francorumque copias auxilio aduentare, breuique affore: quorum multitudine atque virtute, tanquam feras indagine cinctas cunctos perituros ſcilicet haud dubie, minabatur. Parua ſæpe momenta in bello magnas inclinationes faciunt, nihilque prætermittendum quod contemptu exitium afferat. eaque conſilia ſaluberrima, quæ cautiſſima. Eas ergo voces cõtinuo Regi non procul tendenti denunciant, nouas ſupplementi cauſa copias mitti poſtulantes, in vna celeritate victoriæ ſpem eſſe. Ad decem hominum millia Duce Wandemiro miſſa. Ii continuato tota nocte itinere, tantus erat vincendi ardor, priuſquam conſequentis diei pugna conſerta eſſet, in ſuorum caſtra perueniunt. Tantæ multitudinis cõſpectu Paulus exanimatus, atq; ex heſternæ pugnæ comparatione intelligens quantum periculi ſupereſſet ſi inſtaurata oppugnatione feſſis integri ſuccederent: metu tamen diſſimulato ſuos pro concione hortatur, ne dimittant animos, neu hoſtium multitudine frangantur, virtute non numero victoriam pari. Regem cum copiis omnibus adeſſe, quas ſi viciſſent, nihil ſupereſſe amplius: ſibi ingentes copias prope diem venturas auxilio: tantiſper modo mœnium munitione ſpem ſuſtentarent, fortique animo hoſtilem impetum propulſarent: certo exiſtimantes non cum Gotthorum inuicto ſanguine rem eſſe, ſed ex plebis colluuione, nulla militari diſciplina, nullo vigore animorum hoſtium exer-

citum

citum conſtare. Itaque magnis vtrinque animis certamen inſtauratur. pugnatur acriter ad multam diem. obſeſſis defatigatis, regii muro ſuccedunt. pars ignem iniicit portis, pars vectibus muri lapides conuellunt. Aditu patefacto, ferro in vrbem penetrauit. Ciues & Franci Hiſpanorum, qui cum Paulo erant, proditione vrbem captam exiſtimátes, quo nimirum gratiæ aditus ad victorem Regem eſſet, in rabiem acti præſidiarios milites magno numero peremerunt. in his è Pauli domeſticis vnum in ipſius oculis lateri adhærétem, ferro trucidarunt. Cum ergo à fronte regii, à tergo ciues vrgerent cæde promiſcua captæ ciuitatis plateæ ſternebantur. tetra rerum facies erat. nihil præter cadauera in ſuo ſanguine volutantia obiiciebatur oculis. morientium gemitus, clamores fœminei, infantium eiulatus locis omnibus exaudiebantur. Paulus ipſe tantorum malorum cauſa, errore cognito: Errasſe, ait, nos confitendum eſt, at ſemel, at vna in re? imo omnia quo diligentius ſunt excogitata eo facta ſunt imprudentius. Simul paludamento depoſito ad theatrum loci firmitate confiſus cum ſuorum peculiari manu ſe recepit, mori certus, aut honeſta aliqua conditione deditionem facere. Obſeruatum eſt, eodem die euoluto anno, nempe Kalen. Septembris regni inſignia Paulum poſuiſſe, quo procerum ſuffragio Wambæ fuerant delata. Vrbis parte in poteſtatem redacta, eo & ſequenti die ab impugnatione ceſſatum, dum Regis aduentum morantur, penes quem confecti belli laudem fore æquum erat. Fortaſſis etiam erga afflictos atque proſtratos ciues & propinquos victorum animis ſucceſſerat humanitas, atque innocentem multitudinem Regis clementia impetrata ſeruare cupiebant. Itaque ex captiuorum numero Argebaudus Narbonenſis Præſul communi conſilio Regi obuiam mittitur, veniæ deprecator. Is ad quartum ab vrbe lapidem aduenienti Regi occurrens, ex equo quo vehebatur deſcendens, genibus nixus inter ſingultus & lachrymas toto ore manantes: Tui ciues, inquit, Rex clementiſſime: ſi tamen eo nomine digni ſunt qui patriæ caritatem exuerunt, exilioque & diminutione capitis ius ciuium amiſerunt, in tua clementia ſalutis ſpem ponentes, non veniam ſcelerum orant: quamuis te Rege hæ preces non inuerecundæ videri poſſent, ſed promeriti ſupplicii modum aliquem deprecantur. Eſt omnino difficilius animum in victoria continere, quam hoſtes in bello ſuperare ſed aliis. Animi magnitudo nulla re magis perſpicitur, quam miſerorum ærumnis ſubleuandis. illa laus communis cum milite eſt, hæc magnorum Regum præcipua. Procul abſentes contemplari oculis nequis: ſed finge animo lachrymis & ſqualore fœdatos pedibus tuis aduolutos, cauſam ſuam tibi commendare, homines vel mentis inſcitia, vel communi temporum calamitate, vel inſuperabili vi fatorum in hæc flagitia prolapſos. Quo grauiora delicta ſunt, eo maior tibi clementiſſime Rex gloria erit miſeros conſeruaſſe: furoreque ſuo extinctos, quaſi ad vitam reuocaſſe. Veniſſent ad te inermes, laqueis colla implicati, vt vel ea ſpecie ad miſericordiam flecterent, vel morte obita quod ſe promeruiſſe fatentur, vitæ finem ſimul atque ærumnis pariter facerent: ſed veriti ſunt ſi ad extremam veniæ petendę ſpem conditionemque deſcenderent, ne cui videretur animus tuus immitior eis videri, quam qui poſſet niſi extremis remediis mitigari. Pauci relicti ſumus, tuique omnes. noli tua manu perire, quibus belli crudelitas pepercit hactenus. Atque illud caue, ne dum vindictæ indulges deletis ciuibus nobiliſſimam Galliæ ciuitatem, atque Gothorum imperii propugnaculum excindas. Erat Wamba bellicis artibus cuiuis veterum Regum æqualis, ſed imperatoriam laudem benignitate, clementia, & manſuetudine ſuperabat. Itaque perpauca locutus, hanc ſummam orationis habuit: Tuis inquit, precibus flexus, vitam ſontibus dono, ne tamen abſolutio improbitatis, lex impunitatis eſſe credatur: ſupplicium quod ad retinendam imperii dignitatem neceſſarium fore arbitror, penes coniurationis capita ſtabit. Epiſcopo vero integram veniam pergente flagitare, Rex aliquanto iratior redditus: An non ſatis, ait, eſſe videtur, vitam facinoroſis conceſſam? an vultis vt ſupplicia ad delictorum menſuram expendamus? Tibi Argebaude Præſul bono ſit à nobis quod exploratum habemus, inuitum defeciſſe, ne venia dimidiata concedatur: reliqui quidquid de ignominioſa morte fuerit detractum, id totum in lucro ponant, noſtræque acceptum ferant benignitati.

Coniuratorum ſupplicium. CAP. XIII.

REGEM in vrbem aduenientem inſtructæ copiæ roburque exercitus triumphi ſpecie ſequebantur. belli reliquiæ confectæ erant vniuerſa ciuitate contradita: cuius ille ſuperiorem partem, quæ Franciæ obiecta erat, militari præſidio muniendam curauit aduerſus Germanorum & Francorum impetum, quos obſeſſis auxilio ſupetuenire, iamque affore erat nunciatum. Paulus vitæ dulcedine illectus, nulla honeſti cura continuo deditio-

nem facit. cum eo Gumildus Epiſcopus, Wittimirus, aliiq; proceres coniurationis capita amplius viginti in poteſtatem venerunt. Vincula omnibus ſunt iniecta. Duo Duces equis inſidentes medium Paulum toto inſpectante exercitu peditem cæſarie vtrinq; apprehenſa ad Regem deducunt. Ad cuius ille conſpectum cingulum ponit: qua cæremonia veteri maiorum inſtituto omni militari honore ſpoliabatur. captiuis ad Regis pedes proſtratis, cum pro diuino munere gratias numini egiſſet, coramq; coniuratorum amentiam increpaſſet, ita vitam ſupplicibus donauit: vt cuſtodiri ſontes ab exercitu mandaret, ſupplicii modum maturiori conſilio volens decernere. Franci atq; nonnulli Saxones, qui aut obſidum loco erant, aut arma rebellionis initio cum proditoribus ſociarant, conſeruati donatiq; liberaliter. impune in patrias ſedes dimiſſi. Ita magnarum initia rerum, quæ occupatione regni & Galliæ defectione ſolicitum Wambam habebant, celerem & opinione faciliorem exitum habuere. Flagitioſis puniendis Dei numen apparuiſſe videbatur, cum templorum theſauros expilaſſent, quos inde mouere religio erat. Eos Wamba eius religionis exoluendæ cauſa queſtione habita priſtinis locis reponi mandauit: vrbis belli iniuria quaſſatæ mœnia inſtaurata: cadauera ne tetro odore vrbem inficerent ſepulturæ mandata. His rebus perficiendis triduum datum. mox Rege in ſublimi loco ſedente in rebelles ſententia pronunciatur. Eorum colla Rex ipſe pedibus primum calcauit: deinde ex Paulo quæſitum, num aliqua iniuria læſus, impium in Regem & patriam facinus conſciuiſſet? negauit ille. contra magnis & multis honoribus abs Rege cohoneſtatum. temere in ea mala præcipitaſſe. Mox eo ſcripto concepta ſacramenti forma, qua in Wambæ verba iurat, coram pronunciata: iuriſiurandi præterea formula recitata, quod Paulus cum regni nomen inuaſit à popularibus exegit. Demum quibus ſuppliciis rebellium conatus plectendi eſſent, ex conciliorum legibus cognitum eſt: & ſecundum eas mortis ignominioſę ſententia in Paulum & ſocios pronunciata. bona fiſco addicta: additumque, vt ſi forte Regis benignitate vita eſſet condonata, luminibus certe priuarentur. Rex clementiæ laude cupiens reliquos populares ſibi conciliare, ponere cæſariem, qua olim nobilitatis inſigne continebatur, & decaluari ſatis habuit. Chilpericum Regem Francum eo nomine ſecundum nunciatum erat propediem cum copiis affore. eius aduentum in caſtris cum quatuor dies fruſtra expectaſſet, ſatis ſe ad victoriæ fructum, & ad nominis exiſtimationem tuendam tantis rebus confectis profeciſſe iudicans, & ne vltro laceſſendo Francos, fœdus quod inter vtramque gentem diu ſteterat violaſſe prior videretur, Galliæ rebus compoſitis in Hiſpaniam redire parat. Cum interea nunciatur Lupum Ducem quendam cum Francorum manu Beterris agros omni iniuria vaſtare. Verum Rege cum copiis aduentante, hoſtes viribus impares, montium iuga captare conſtituunt. fugæ ſimilis profectio viſa eſt, relictis impedimentis in planicie, & ex ſtrage rerum in itinere relictarum. Regii ſine vulnere hoſtium ſpoliis ditati, & Gallica præda graues, Narbonem ex compoſito redierunt: vnde exercitus pars per Galliæ pręſidia diſtributa. Iudæi nouo edicto Gothicæ ditionis finibus prohibiti. reliquus exercitus Canabæ, quod oppidum in agro Narbonenſi erat, pro concione laudatus, miſſione q; donatus eſt. Rex ipſe conuerſo in Hiſpaniam itinere, Toletum vrbem Regiam ſexto menſe ex quo inde diſceſſerat, tantis victoriis clarus, atque triumphi ſimillima pompa inuectus eſt. Rebelles barba & capite raſis. nudis pedibus, atque pannoſi in camelis pręibant. Paulo ludibrii cauſa corona ex nigro corio capiti impoſita. regii milites ſequebantur in ſplendidis veſtibus, atque omni lætitiæ ſignificatione. agmen præeunte curia Rex ipſe claudebat, ipſa canicie & tantis rebus geſtis regni maieſtatem augens. Vniuerſa ciuitas, quę ſe portis obuiam effuderat, ad eius ſpectaculi inſolentiam attonita, ſenem Regem fauſtis acclamationibus proſequebatur. peracta pompa ſontes perpetuo carceri mancipati. Is finis tantarum rerum fuit.

Reliqua Vvambæ actiones CAP. XIIII.

VVAMBÆ virtute ac perpetuo labore, Hiſpania domi quidem pacis diuturnę bonis florebat, foris autem priſtinam dignitatem recuperabat. Itaque Rex animo ad pacis conſilia conuerſo, Regiam vrbem ſpatiis amplificatam perpetuo muro muniuit, qui per Diui Iſidori ſuburbium ad vtrunque pontem pertinet. Toletum enim tribus amplius ex partibus flumine alluitur, quod circum vrbem altiſſimis coercitum ripis per ſaxa præceps fertur. quarta pars ex planicie aditum habet difficilem: & anguſtiori prius muro cincta erat, cuius veſtigia ad venale forū & ad ferream portam extant. nūc Wambæ diligentia ſuburbiis intra vrbem incluſis, quo difficilior expugnatio eſſet, inferior murus eſt additus. Operi perficiendo lapides vndecunque conuecti. ac ex Romanæ ſtructuræ ædificio marmora, in

quibus

quibus rotæ aut roſæ ſimilitudine ſculptæ imagines ſunt pluribus in locis. Vulgus Wambæ Regis inſignia eſſe perſuaſum habet: ipſi lapides reſiſtũt huic opinioni nullo ordine poſiti, ſed temere vt conuehebantur. Gemina carmina, vt magni auctores teſtantur in nonnullis turribus incidi curauit, rei geſtæ monimentum: quæ tametſi rudia ſunt nimirum eius ætatis, ſubiici placuit.

Erexit fautore Deo Rex inclytus vrbem
Vvamba, ſua celebrem protendens gentis honorem.

In ſummis præterea turribus Sanctorum ſtatuas ex cãdido marmore locauit, eorum quos præcipuos tutelares patronoſq; ciuitas adoptarat, his additis verſibus.

Vos Domini Sancti, quorum hic præſentia fulget,
Hanc vrbem & plebem ſolito ſeruate fauore.

Vtroſq; verſus temporum longinquitate iniuriaque oblitteratos euerſas ſtatuas, Philippi II. Hiſpaniæ Regis noſtra ætate cura reſtituit. Vrbe munita, intermiſſa conſuetudo eccleſiaſticos conuentus celebrandi reuocata eſt, Wambæ Regis cura. Itaque regni anno quarto, ſalutis ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, ad ſeptimum Idus Nouembris, in D. Mariæ 675.
æde conuentus eſt habitus. Pauci Epiſcopi, nimirum ſeptendecim, ac ferme ex Carthaginenſi prouincia conuenerunt. ſeptem præterea Abbates, in quibus Auila numeratur monaſterii Agalienſis ſancti Iuliani nomine Abbas, niſi locus eſt vitiatus. poſtremũ inter Patres locum Gundila occupauit, Archidiaconus ſanctæ Mariæ de ſede: vnde intelligitur templum in quo cõcilium eſt habitum, primum & maximum eius vrbis fuiſſe: eodem autem loco ſitum quo cernitur noſtra ætate retento nomine ſtructura mutata, lapis indicio eſt, quem de cœlo lapſa Virgo mater veſtigiis preſſit, Illefonſo Præſule, vt eſt ſuperius demonſtratum. In eo conuentu ſecundum Deo & Regi gratias actas ob inſtauratum morem veterem concilia celebrandi, qui decem & octo annorum ſpatio intermiſſus erat, ſedecim canones ſunt editi: ſancitumque quotannis concilia prouincialia Epiſcoporum in eccleſia Metropolitana agitari. Eodem anno Bracaræ in Luſitania tertium concilium, inter ea quæ in illa vrbe celebrata ſunt, eſt habitum. Sancitum ne Epiſcopi, vt erat moribus receptum, Martyrum reliquias è collo appenſas in ſellis ipſi ſublimes ſuccolãtibus Diaconis, ſed Diaconi in thenſis geſtarent. Sacerdos ſacris operaturus niſi orario vtrunque humerum tegeret, pectus crucis figura, anathematis ignominia notatur. Interfuit in eo conuentu Iſidorus Aſturicenſis Epiſcopus, Valerii eius æqualis qui ſancti Petri Montenſis Abbas fuit, humanarum rerum contemptu & eruditionis opinione, ea ætate cum primis clarus: vt eius ingenii monimenta teſtantur, præſertim is liber, cui titulũ fecit, De vana ſeculi ſapientia. Alios præterea Epiſcoporum conuentus Wamba Rege eſſe habitos, & ſi publica conciliorum acta ſileant, res ipſa loquitur, recenſq; inſtaurata lex de conciliis habendis. ac Toletum ex vniuerſa ditione Præſules cõueniſſe certo credimus: cum magni auctores tradant, Wamba Rege, atque in concilio Toletano ſingulis diœceſibus Epiſcoporum, fines deſcriptos. neque putamus in cauſa communi, & quæ ad omnes pertinebat, paucorum iudicio, atque ſententiis fuiſſe diſceptatum, ſed vniuerſo gentis concilio ſteriſſe. in quo prætera additum, vt ſacerdotes ad normam in D. Iſidori regula præſcriptam, vitam vniuerſi conformarent. Nouæ diœceſes Epiſcoporum conſtitutæ. Exiguum oppidum quod Pimeneii confeſſoris ſepulchro celebre erat, aliique pagi & vici, ad hæc Petri & Pauli Prætorienſis ædes, quæ in Toleti ſuburbiis erat, ac ferme vbi nunc noſocomium S. Crucis nomine, Epiſcopatus iure donata: vtrunque Regis obſequio magis datum, quam ad antiquam legum eccleſiaſticarum rationem expenſum: quibus vetitum eſſe conſtat, tum in vna vrbe duos Epiſcopos conſtitui, tum in exiguis oppidis nouos Epiſcopos creari. quod Regis pio ſane ſed imprudenti ſtudio violatum, proximi cõcilii Toletani, quod duodecimum eſt, decreto antiquatum eſt, Rege etiam leuitatis accuſato. vt rebus mutatis plerunq; quo fortuna eo fauor hominum inclinat, deſtituit alios. Nonnullæ leges ab Wamba latæ ſunt, quibus reipublicæ ſtatum multis labefactatum partibus temperauit. diſciplinam militarem reuocare curauit, omnes cum delectus haberentur ad ſigna conuenire ſanciens, præter ſenes, pueros, & imbecilla valetudine impeditos: ſeruitia armare minimum quenq; decimam ſuorum partem, quibus armorum genus à cæteris diſcretum deſignabatur. Ipſi Epiſcopi virique ſacrati in repentino hoſtium incurſu collecta ſuorum manu obuiã prodire iuſſi ad centeſimum lapidem. Hac Wambæ diligentia, victoria naualis de ingenti Saracenorum claſſe Gotthorum virtute parta eſt. Etenim vniuerſa ferme Africa, quam late noſtri maris littora à Nili oſtiis vſq; ad Herculis columnas patent, Saraceni armis domita, obiecta Hiſpaniæ littora flamma ferroq; vaſtabant ingenti claſſe, in qua ducentæ & ſeptuaginta naues erant. quam vniuerſam Gotthi noua claſſe comparata, partim ceperunt, partim incenderunt: cum ex-

pedito conſilio Rex, atque in omnes reipublicæ partes peruigil hoſtium conatus continuo comprimendos iudicaret, ne latius ſerperet malum. Sunt qui ab Eruigio Comite ſuſpicantur eam claſſem in Hiſpaniam euocatam odio Wambæ & ambitione regnandi. Erat enim Ardebaſti filius, Recceſuinthi propinquus, atque magna inter proceres auctoritate: quam ipſe ingenii dexteritate, & accommodatis ad tempus officiis vehementer augebat. Animus mortalium inexplebilis eſt præſentis fortunæ muneribus, ſemperque ad vlteriora contendit. Ergo cum neque Wamba ſuperſtite fore ſe voti compotem ſperaret, neque defuncto ſi procerum liberis ſuffragiis res ageretur, propter Theodefredum Recceſuinthi fratem, quem ſuperioribus comitiis ob imbecillam ætatem prætermiſſum fuiſſe monſtratum eſt: ſibi ſpem nullam regni niſi in ſcelere ratus primum Saracenorum claſſem in Hiſpaniam immiſiſſe creditur. Deinde cum hac non ſucceſſiſſet, Regi clam aquam, vbi ſpartum erat maceratum, præbendam curauit. Eo veneni genere cum venis conceptum eſſet, repente Rex morbo grauiſſimo implicatus, ſacris Chriſtianis atque pœnitentia Quirici Toletani Præſulis cura expiatus, ſub primam noctis horam cum iam videretur animam agere, poſita coma, atq; in ſacerdotis morem detonſus, monachi ritu cucullum induit. Eo videlicet ritu diuinum numen amplius propitiari credebatur. vtrunq; Eruigii ſuaſu (ſic creditum eſt) quo nimirum regnandi ſpe, ſi maxime ſuperuiueret penitus caderet, vt in concilio Toletano ſexto cautum erat. Additum præterea, vt intermorientibus vocibus, menteque vi veneni alienata, Eruigium ipſum ſucceſſorem diceret: idque extemporaria ſyngrapha atque diplomate regio confirmatum. Accidit id pridie Idus octobris, die Dominico, Luna quin-
680. tadecima. vnde intelligitur Wambam anno ſalutis ſexcenteſimo octogeſimo regno fuiſſe ſpoliatum. Nam cum ſequenti luce morbo tantiſper remittente ad ſe rediens conſideraret, ex potenti paulo ante Rege monachum repente factum, mutare noluit: ſiue animi magnitudine rurſus ſpernentis, quæ alii per ignes ferrumque petunt: ſiue deſperatione regnum recuperandi, cum Eruigius rerum poriretur, intra eundem diem corona ſuſcepta: tametſi inunctionis cæremonia in proximum diem Dominicum reiecta eſt. Itaq; Wamba in Pampligæ monaſterium, quod nonnulli ſuſpicantur in Mugnoni valle fuiſſe ſitum, ſe contulit: vbi ſeptem annos & menſes tres (alii diutius tradunt) puriſſimo religionis ſtudio vitæ reliquum propagauit. Regnauit annis octo, menſe vno, diebus quatuordecim. Ex eo monaſterio Alfonſi Regis iuſſu, cui cognomen Sapienti fuit, defuncti corpus Toletum deductum eſt, Ioannis Martini ex monacho Franciſcani Epiſcopi Gaditani diligentia: atq; in D. Leocadiæ, quæ ad arcem ſita eſt ad aram maximam tumulatum. Quiricus Toletanus Præſul, ſiue ætatis grauitate preſſus, per idem tempus defunctus eſt: ſiue tædio animi confectus vltro abdicauit. nam Iulianum Quirici ſucceſſorem conſtat Wambæ permiſſu Flauium Eruigium Regem, vt erat in more poſitum, inunxiſſe.

Nomina Epiſcopatuum Vuamba Rege. CAP. XV.

VETERES vrbium ſedes, extinctaq; variis caſibus oppida, & poſt excidium renata aliis ſæpe nominibus, ex Wambæ Regis diœceſum diuiſione cognoſcere non erit incommodum: & quibus Metropolitanis ſinguli Epiſcopatus contributi eſſent, explicare vniuerſim operæpretium fore arbitror. nam de ſingulorum finibus, quibus decepti erant, laborare non attinet, temporum longinquitate rebus omnibus ab antiquo mutatis. Toletano Præſuli Oretanus Epiſcopus ſubiectus erat. extat Oreti veſtigium, octo paſſuum millibus ab Almagro municipio, Virginis Matris ſacellum cognomento Oretanæ, atq; ex eo loco Almagrũ tranſlati lapides Oreti nomine inciſo, Biatia, quę hodie Baeza. Menteſa, quæ noſtra ætate Montizon nuncupatur verſus Caſorlã ſita, & à Duce olim Mauro exciſa, auctore Roderico, quo tẽpore à Mauris euerſa eſt Hiſpania. Acci, hoc eſt, Guadixiũ. Baſti, Baza. Vrci, quibuſdã hæc Almeria, aliis Murcia fuiſſe creditur. Bagaſta: huius vrbis nullũ veſtigium extat, tantum verſus Orihuelam ſita fuiſſe putatur, tum ex locorum ordine, tum ex portæ Magaſtri nomine, quæ in ea vrbe eſt, indicio. Illici, Helche. *Setabis*, Xatina. tum nomen retinens Denia, quæ antiquioribus Dianium fuit. & Deniæ vicina Valentia. Sequitur Valeria, quæ hodie vulgo Valera cremata dicitur. Segobrica, huius vrbis veſtigia ab Vrceſia octo paſſuum millibus in oppido, quod Græci caput vocarunt, extare eruditiores habent perſuaſum: nam qui Segorbium putarunt, nominum eos ſimilitudo miſit in errorem. Arcabica, hæc olim Segobricam inter & Complutum ſita fuit, fortaſſis quæ Ptolemæo Percabira eſt. Præterea quarum appellationes notę ſunt Complutum, Segontia, Vaxama, Segobia, Palentia. Itaque Toletum ſacræ ditionis fines vltra Carthaginenſem prouinciam, cui proprie præfecta erat, Gothorum etiam ætate extende[illegible]

nam hæ omnes vrbes atque earum Epiſcopi à Toletano Pręſule ſacra petebant. Ab Hiſpalenſi autem Metropolitano, Italica, quæ hodie Hiſpalis vetus eſt, ab Hiſpali ſex paſſuum millibus diſſita. Aſſidonia, quæ quibuſdam Medina Sidonia eſt, ex ſimilitudine appellationis argumento probabili: aliis Cæſarianum, indicio templi, quod in ea vrbe eſt B. Virginis Siduegnæ nomine. & Raſis Maurus Xeritium Siduegnæ eam ciuitatem vocauit. Elepla ſiue Niebla ſit, ſiue Lepe. Malaca. Eliberris, quæ olim vrbs ſupra Granatam octo paſſuum millibus poſita fuit, in monte quod ab ea vrbe Eluiræ hodie nomen habet. Aſtigi, hæc eſt Ezigia. Corduba, atque quæ hodie prope Vaenam Cabra vulgo eſt Egabrum. tum Tucci, hoc eſt, Martus. Atque his finibus Hiſpalenſis Præſulis ditio deſcripta erat. Emeritæ Metropolitanus ſubiectis vrbibus & earum Epiſcopis iura dabat: Paci Iuliæ, (hodie Begia eſt in Luſitania.) Oliſiponi, quæ Gotthis Oliſibona fuit, vrbs noſtra ætate diuitiis & amplitudine nulli Europæ ſecunda. Eboræ (Gotthis Elboræ,) Tudenſis Talaueram eſſe dixit in Carpetanis. Oxonobæ, quæ eruditis Eſtombar hodie eſſe creditur, prope Silues conſtituta. Igeditaniæ, oppidum in Luſitania extat Idaniæ veteris nomine. Conimbricæ, cuius veſtigia octo millibus paſſuum à noua Conimbrica monſtrantur, veteris Conimbricæ nomine. & quæ nomina ferme retinent Viſeum & Lamecum. præterea Caliabriæ, quam vrbem Tudenſis & Marineus Montangium eſſe ſuſpicantur, coniectura haud ſatis probabili. Salmanticæ (Gotthis Salamantica,) Numantiæ, hoc eſt Garay. Abulæ, Cauriæ. atque hactenus de Emeritenſi prouincia. Bracarę hæ vrbes contributę erant, Dumium, quod hodie monaſteriũ extat prope Bracaram. Portucale, qua ſe Durius euoluit in mare, vnde Portugaliæ nomen ipſi vrbi primum, deinde toti prouinciæ ab oppido Cale factum, quod hodie oppidum Caia dicitur. Tude, Auria, & cui hodie Padrono nomen eſt Iria Flauia, in eodem numero ſunt. præterea Lucus Auguſti, Britanica, ſiue Bretonia, quæ Lucum præter & Aſturicam ſita erat: hodie à Mindonienſi vrbe octo millibus paſſuum oppidum extat nomine Bretagna. ad hęc Aſturica, & Legio, quæ vrbes vulgo notę ſunt, & antiquis affinia nomina retinent. Tarraconenſis Metropolitani auctoritatem ſubiectę vrbes ſequebantur Barcino (Gotthis Barcinona,) Egara, quę vrbs pręter Barcinonem & Gerundam olim ſita fuit, atq; his locis finitima Gerunda. tum Emporia, & Auſona, quæ hodie in Catalaunis Vicq; dicitur cognomento Oſona. Vrgelia, Ilerda, quę duę vrbes notæ ſunt. & cuius ſedes prorſus ignoratur Hictoſa Superioribus adiungebãtur Dertuſa, Cęſarauguſta, Oſca, Pompelo (Gotthis Pampilona,) Calagurris (Gotthis Calaforra,) Turiaſo (Gotthis Tiraſona,) Auca, cuius vrbis veſtigia ſupra Burgos monſtrantur, vnde & Aucę montes dicti. atq; hactenus Tarraconenſis Metropolitani ditionis fines prolati. Narbo veteribus (Gotthis Narbona) ſubiectis Epiſcopis & vrbibus iura dabat, legeſque ſacrorum: primum Beterri, hoc eſt, Beſiers, quę vrbs Plinio quidem Bliterę eſt. deinde Agathę, quę hodie ciuitas ſiue Agde eſt, ſiue Mompellerium in Gallia Narbonenſi. Magalonę, quod nomen hodie retinet villa Epiſcopi Mompellerii. Nemauſo, Latebę (hodie Lodebe.) & quę nomen retinet Carcaſoni. pręterea Helenæ, quę hodie in agro Ruſcinonenſi Euna eſt. Sunt qui Tudenſem, Lucenſem, & Legionenſem Epiſcopos affirment, ſiue Wambę beneficio, ſiue ex antiquo ducta conſuetudine, ſui iuris fuiſſe, neque vllius Metropolitani imperium & auctoritatem reſpexiſſe, haud ſatis idoneis in alterutram partem argumentis. Illud in confeſſo eſt, plura Epiſcopatuum nomina in vetuſtis conciliorum actis extare, quæ in Wambę diuiſione deſiderantur. fortaſſe rebus tempore permutatis, aut quoniam vetera monimenta & ſchedę multis in locis vitiata ſunt, Epagrenſis, Carhaginenſis, Caſtulonenſis, Fiblarienſis, Eliocrocenſis, Eminienſis Immonticienſis, Lamibrenſis, Elotanus, Magnetenſis, Labericenſis. Quę nomina noſtra ætate ignota ſunt, ac ne vrbium quidem omnium, earum ſedes vbi eſſent, prorſus exploratum eſt: neq; deeſſet diligentia ſi in rebus tam dubiis qua ſe via certa panderet ad inueſtigationem veritatis.

Conſtantini diuiſio. CAP. XVI.

QVOD ante ſumus polliciti, neque hactenus pręſtitum eſt, Epiſcopatuum in Hiſpania factam diuiſionem à Conſtantino Magno, vti Raſis Arabs eſt auctor, eius ſententia noſtris verbis ſubiicimus Latine, poſt diuiſionem Wambę. Conſtantinus, inquit, multis vrbibus Epiſcopos dedit eo honore carentibus. Ac Hiſpaniæ cum eſſet renunciatum in magna agrorum bonitate, diuite cultu, incolarum frequentia, Chriſtianorum numeroſa multitudine, Epiſcopos non habere: conſilio communicato, optimum fore iudicauit ſex Epiſcopos dare, qui metu omni ſublato, libere religionem Chriſtianam & ſacra populis promulgarent. Ergo viris idoneis ad ſe vocatis, ciuitates ad hunc modum diſtribuit.

Primo Narbo deſignata eſt, aliæque ſeptem vrbes cum poteſtate iura ſacra populis dandi, moreſque caſtigandi. earum hæc ſunt nomina. Beterris, Toloſa, Magalona, Nemauſum, Carcaſo. in hac vrbe D. Mariæ glorioſæ, ædes eſt, ſeptem argenteis aris inclyta, frequentia populi religioſa, præſertim ſemel in anno maiori concurſu multitudinis, ſed & aliis temporibus celeberrima. Barcinone diſtat decem dierum itinere. Præter has Lutebe & Helena, Narbonenſi Epiſcopo ſunt datæ. Alteri Epiſcopo Bracara ceſſit: Dumio, Portucale, Auria, Oueto, Aſturica, Britonia, Iria ſeu Compoſtella, Aliubra, Iſſa, Tude cōtributis. Proximus Tarraconenſis Epiſcopus creatus eſt. Barcino, Auca, Morada (fortaſſis Gerunda,) Beria (fortaſſis Emporiæ,) Oriola, Ilerda, Dertuſa, Cæſarauguſta, Oſca, Pompelo, Calagurris ſunt additæ. Quartus Carthagine Epiſcopus inſtitutus eſt. Toletum, Oretum, Setabis, Segobrica, Complutum, Caraca, Valentia, Murcia, Biatia, Caſtulo, Montogia, Baſta, Begena (forte Bigaſtra) adiunctæ. Quinto Emerita data eſt vrbs primaria. ſubiunctæ Pax Iulia, Oliſipo, Egitania, Conimbrica, Lamecum, Ebora, Cauria, Lampa (quid ſi Salmanticam legas? aut Lamam nunc contributam Mirobrigæ Lamaſi nomine.) Poſtremum Hiſpalis Epiſcopum habuit. Hiſpali iura petere iuſſæ ſunt Italica, Seritium Aſſidoniæ, Niebla (Romanis Elepla,) Malaca, Eliberris, Aſtigi, Egabrum. Sic Hiſpania omnis à Conſtantino Auguſto in ſex Epiſcopatus tributa eſt. Quo maior eſſet auctoritas, religionique ſuum caput conſtaret, imperandique poteſtas: ipſe quidem Conſtantinopolim conceſſit, ſeque vt priores Romæ, eius vrbis Regem dixit: ſanciens præterea, vt Romæ domino cæteri Chriſti cultores obtemperarent: quem ipſi dominum Chriſtianorum eorum qui è ſacrato ordine erant, & ſanctum vocare ſoliti erant, ob acceptam à Petro Apoſtolo poteſtatem, quam illi Chriſtus crediderat. Hæc ſic Maurus ait. Conuenit auctor hiſtoriæ, quæ Alfonſi Caſtellæ Regis cognomento Sapientis nomine circunfertur, diuiſionem Epiſcopatuum in Hiſpania factam à Conſtantino Magno eodem ordine, quibuſdam modo vrbium nominibus commutatis: vnde & ex Wambæ diuiſione atque ex coniectura deprauatas haud dubium in Mauro nonnullas voces caſtigauimus, ſententia conſeruata. Archiepiſcopos vocare non ſumus auſi, quos Maurus Epiſcopos vocat, religionis noſtræ, & graduum diſtinctionis ignarus ſcilicet, admonuiſſe ſit ſatis.

Eruigius Rex, CAP. XVII.

FLAVIVS Eruigius regnum malis artibus quæſitum recte & prudenter adminiſtrauit. Ac primum memor rerum humanarum haud diu eodem veſtigio ſtare, potentiam ſcelere partam inuidia ſæpe opprimi populari: omnis ætatis ac memoriæ clariſſimum Regem fraude ipſius circumuentum, neque id Gotthorum gentem ignorare, regni ſtabiliendi cura, ingenium in omnes partes verſat. optimum viſum eſt, religionis ſpeciem obtendere: quod ab aliis ſæpe Regibus tentatum non incommode ceſſerat. Itaque Toletum ex vniuerſa ditione Præſules conuocati, numero triginta quinque conuenerunt. Ad quin-
681. tum Idus Ianuarii menſis, ſalutis anno ſexcenteſimo octogeſimo primo, conuentus eſt habitus, quod in conciliis Toletanis duodecimum eſt. In eo conuentu duæ res ad memoriam inſignes ſancitæ ſunt: Eruigio regnum quod arripuerat Patrum ſententia confirmatum: arma tenenti, qui negarent quod petebatur? non conſtantia id, ſed temeritas fuiſſet. Gotthorum proceres ſacramenti religione exoluti, quo Wambæ obſtricti erant, abdicatione Wambæ, & capitii diminutione ſublati. ſic putabant. Præſuli Toletano creandi tota ditione Epiſcopos ius datum, Rege ad quem ea res peruetuſto Hiſpaniæ more ſpectabat procul conſtituto: præſente confirmandi, quos Rex creaſſet, conceſſa poteſtas. Ea prærogatiua quoniam Toletani Primatus in cęteras eccleſias Hiſpanię fundamenta ponebantur, Patrum decretum adſcribi placuit. Illud quoque collatione mutua decernendum nobis occurrit, quod in quibuſdam ciuitatibus, decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur officiorum diuinorum offenſio: dum tractu terrarum impeditur. celeritas nunciorum: ne queat Regis auribus defuncti Præſulis obitus innoteſcere, aut Principis de ſucceſſore electio expectari. Placuit ergo omnibus Pontificibus Hiſpanię atq; Galæciæ, ſaluo priuilegio vniuſcuiuſq; prouinciæ, vt Toletano deinceps Pontifici ius ſit in quibuslibet prouinciis, quoſcunq; regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Pontificis iudicium dignos eſſe probauerit, præficere Præſules: & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores. Actis concilii Iulianus Hiſpalenſis, Iulianus Toletanus, Liuua Bracarenſis, Stephanus Emeritenſis ſubſcripſerunt. Et fortaſſis Hiſpalenſis Toletano Pręſuli de dignitate noluit quidquam concedere, cum in ſubſequentibus conciliis,

filiis, primum inter Patres Toletanus locum pro iure conceſſę auctoritatis occuparit. Toto deinde biennio euoluto, rurſus Eruigii Regis iuſſu, Epiſcopi triginta octo, Vicarii Epiſcoporum viginti ſex, Abbates nouem, proceres præterea nō pauci in vrbem Regiam conuocati, in Petri & Pauli Prętorienſi ędę, concilium Toletanum tertiumdecimum celebrarunt pridie Nonas Nouembris, ſalutis anno ſexcenteſimo octogeſimotertio, qui annus 683. Eruigii regni quartus erat. In eo conuentu Pauli ſectatoribus Rege concedente, Patrumq; decreto venia conceſſa. & cum fides eſſet anguſtior, neq; debita regio fiſco ſoluerentur, ad nouorum motuum metum procurandum vectigalia, quorum grauitate prouinciales feſſi erant, imminuta, & quæ eo nomine debebantur condonata. Et nimirum clementiæ & liberalitatis laude, quæ maxima vitia ſæpe obruūt, occupati regni maculas delere Eruigius ſatagebat. Præterea cum ad honores publicos homines ignobiles malis artibus irreperent, & Gothorum nobilitas confuſo cum plebe ſanguine, magna ex parte extincta contaminataq; eſſet, ei malo occurri mandatur. Ad extremum in Regis gratiam, lex à Patribus promulgata, qua Reginæ Liubigotonæ atq; filiorum, ſi quid humanitus Regi accidiſſet, præſidiū, continebatur: ne popularis inuidiæ flamma, quod non immerito metuebatur, Eruigii poſteri deflagrarent. Mandatumq; Epiſcopis, vt ad Paſchatis feſtum, quo die Chriſti ad vitam reducis memoria inſtauratur, cum Rege celebrandum venirent quicunq; moniti eſſent. Extant Iuliani Toletani Præſulis ad Idalium Barcinonenſem Epiſcopum litteræ, inter eos amicitiam initam ſignificantis, cum is Epiſcopus ad celebrādum Paſcha in curiam veniſſet. Subſcribunt Iulianus Toletanus, Liuua Bracarenſis, Stephanus, Emeritenſis, Floreſindus Hiſpalenſis. Multa concilia celebrādi laudem quæſiſſe Eruigius videtur: nam anno proximo quartumdecimum Toletanum concilium habitum eſt ad octauumdecimum Kal. Decembris, Leonis II. Romani Pontificis iuſſu & auctoritate: vt ſexti concilii generalis, quod nuper Conſtantinopoli à ducentis & nonaginta Epiſcopis habitum erat, acta Hiſpaniæ Præſulum aſſenſu rata eſſent. Epiſcopos omnes conuenire inſtantis hyemis rigor non permiſit: & pleriq; ſumptus, quos ſuperioribus conciliis celebrandis tolerare neceſſe fuerat, excuſarunt. Itaque Epiſcopi ſeptendecim, ac ferme omnes ex Carthaginenſi prouincia, Vicarii Epiſcoporum decem, in quibus Tarraconenſis, Narbonenſis, Emeritenſis, Bracarenſis, atque Hiſpalenſis procuratores erant, Conſtantinopolitani concilii actiones & decreta probarunt: illudque proxime poſt Chalcedonenſe concilium ponendum iudicarunt. Nimirum eius ſeculi vitio, Africæ, atque Illyrici exemplo, quintum concilium generale, quod Iuſtiniano Imperatore habitum erat, repudiabant: quod & Iſidorum Hiſpalenſem feciſſe, eius ſcripta non vno loco teſtantur. Ibæ Edeſſeni, Theodori Mopſueſteni, Theodoriti Cyrenſis ſcripta in eo conuentu Patres improbaſſe, accuſabatur paſſim, quos concilii Chalcedonenſis auctoritas excuſabat. haud ſatis intelligebant non idem ſemper de hominibus & de eorum opinionibus iudicium eſſe. Monothelitæ ergo ſiue Apollinariſtæ geminam in Chriſto negantes eſſe voluntatem, Hiſpaniæ Præſulum iudicio, quod Conſtantinopoli factum erat damnati miſſaque à Patribus ad Romanum Pontificem per Petrum quendam Romanæ eccleſiæ Regionarium apologia aduerſus hæreticos, in qua catholicæ religionis ſumma capita continebantur, Iuliani Toletani Præſulis vt erat excellenti eruditionis opinione opus. In quo Leone II. interea defuncto, Benedictus Leonis ſucceſſor nonnulla cenſuræ digna iudicauit, atque in his quod de ſacra Triade diſſerens dixiſſet: ſapientiam ex ſapientia procedere, voluntatem ex voluntate: quomodo catholica eccleſia affirmat, Deum de Deo, lumen de lumine: quas loquutiones non eſſe extendendas Pontifex diſputabat. Illud præterea offendebat, quod Chriſtum ſeruatorem ex tribus ſubſtantiis conflatum eſſe affirmaret. Dum hæ controuerſię Romæ atq; in Hiſpania agitātur, Eruigius Rex tametſi religionis ſpecie ſatis profeciſſe videbatur, vt regnum ſe ſuperſtite ſtaret: ne defuncto tamē alienata multitudine, inimica nobilitate populare odium filios opprimeret cura ſolicitabat. optimum viſum eſt, Egicam arcta cognatione Wambæ ſanguini annexum generum adoptare Cixilone filia in coniugium data, iuratumq; in primis Reginę ſocrus, atq; filiorum eius commoda & incolumitatem diligenter, pro eo ac par erat, curaturum: neq; permiſſurum patre defuncto in orphanorum fortunas quenquam impune graſſari. His rebus ex ſententia cōſtitutis, cum Wambæ leges nonnullas, quæ paulo acerbiores videbantur, & ab illorum temporum conditione abhorrere, propter corruptos gentis mores antiquaſſet, ac nominatim legem de delectibus militaribus, quæ paulo ſeuerior erat, mitigaſſet, in viuis eſſe deſiit Toleti ex morbo defunctus. 17. Kal. Decembris. qui dies Veneris erat, ſalutis anno 687. regnauit annos ſeptem, dies quinque & viginti, ad poſteritatis memoriam, non tam honeſtus, quam clarus. 687. Hoc Rege fame grauiſſima vexata eſt Hiſpania. Emeritæ pons & mœnia noua diligentia inſtaurata, opus

curante vrgenteq; Sala (vt peruetuſta carmina indicant inter Eugenii Toletani Pontificis epigrammata) noui atq; magnificentiſſimi ædificii ſpeciem repræſentabant.

Egica Rex. CAP. XVIII.

ERVIGIVS pridie mortis ſuæ Egicam generum ſucceſſorem deſignauit, proceribus ſacramento ſolutis, quo ipſi obſtricti erant, vt nimirum in noui Regis verba iurarent. Inunctionis cæremonia more per hæc tempora vſitato, poſt diem nonum, qui dies Dominicus erat, octauo Kalen. Decembris, Luna quartadecima, in Petri & Pauli Prætorienſi æde peracta. Rerum potitus Egica odium in Regem ſocerum compreſſum animo, continuo deprompſit. Et fere iniuriæ quam beneficii memoria diuturnior eſt. Itaq; regnum de manu à ſocero acceptum, præclaro videlicet initio, ab eius vindicta auſpicatus, vxorem Cixilonem, ex qua Witiza natus erat, in odium patris repudiauit. Repudii ſuaſor auctorque Wamba, vt nonnulli auctores tradunt, cum pietatis ſpecie veteris odii ſemina ſcintillaſq; foueret ad extremam vſq; ætatem. De nonnullis proceribus ſupplicium ſumptum: nimirum quorum opera Wambam in fraudem impulſum, atque de rerum culmine deiectum eſſe conſtabat. Quod niſi ea vindictæ dulcedine reliquas actiones deformaſſet, facile cum quouis priorum Regum conferri potuit. Belli & pacis artibus perque inſtructus fuit, prudentiæ atque manſuetudinis laude in primis cumulatus. Religionis amplificandæ ſtudio, & ſuperiorum Regum æmulatione prouocatus, concilium Toleta. quintumdecimum
688. haberi curauit, atque perfecit, ab Epiſcopis ſex & ſexaginta, eius ſeculi anno octogeſimo octauo, Idibus Maii, in Petri & Pauli Prætorienſi æde. De ſacramenti forma atque vi potiſſimum ſuſcepta eſt diſputatio: quo Eruigius ante annos aliquot Egicam ſucceſſorem & regni proceres implicarat, adegeratque viduæ Reginæ, & filiorum eius præſidium incolumitatemque iurare. Ii cum temporum perturbatione, qua multi tota prouincia promiſcue bonis euerſi ſunt, plurima per iniuriam occuparent tanquam certo iure poſſeſſa: quærebatur an iuramenti religione prohiberentur, tum ii qui iniuriam pertuliſſent res ſuas iudicio repetere, tum Rex ſecundum eorum iura & merita pronunciare. Patrumque ſententia ſtatutum, iuriſiurandi ſanctitatem haudquaquã ſceleri patrocinari: exoluiq; potius religionem calamitatibus hominum ſubleuandis æquitate ſancienda. Præterea Benedicti Pontificis criminationes & maculæ, quibus ſuperioris concilii acta inuſſerat, noua diſputatione deterſæ. Nouoque apologetico Iuliani verbis, Patrum auctoritate ſancitum, nihil eum videri aduerſus Chriſtianam pietatem committere, qui in Deo voluntatem ex voluntate procedere affirmarit: Chriſtumque Deum ex tribus ſubſtantiis conflari. cum ſubſtantiæ nomen in naturæ, eſſentiæque ſignificatione vſurpari conſueuerit, & abſtractæ voces nempe formas ſignificantes, ſæpe pro concretis veterum ſcriptorum abuſu ſumantur, Eam Iuliani diſputationem Sergius Romanus Pontifex, Benedicto interea defuncto, magnis laudibus celebrauit, vt Rodericus Præſul eſt auctor: nobis aliquanto liberior viſa eſt, quam vt Iuliani modeſtiam erga Romanum Pontificem, ſummum eccleſiæ rectorem deceret. Et nimirum de ingenii laude, qui cuiquam concedat rarus eſt, & in ardore diſputandi modum tenere difficile. Erat enim Iulianus eruditionis laude ea ætate celebris, vt eius libri teſtantur: ac præſertim opus quod Prognoſticum ſeculi venturi nominauit, liberque De ſex ætatibus: qui libri ad noſtram ætatem conſeruati ſunt, alii iniuria temporum deſiderantur. Fuit ex Iudæorum ſanguine prognatus, Eugenii tertii diſcipulus: cum Gudila Archidiacono Toletano arcta amicitia coniunctus: Quirici Toletani Præſulis ſucceſſor, ingenio facili, copioſo, ſuaui: probitatis opinione ſingulari. Obiit Egica Rege, octa-
690. uo Idus Martii huius ſeculi anno nonageſimo. Defuncti corpus in Leocadiæ tumulatum: vitæ ſanctitas cœleſtium numero inſeruit faſtiſque, vt Martyrologia teſtantur. In eius locum Sisbertus ſucceſſit, homo audax & temerarius, ingenio malo prauoque: qui veſtem Illefonſo Præſuli de cœlo dono allatam, & prædeceſſorum religione eatenus intactam contrectare, eaque indui non dubitauit. Vnde in maiora mala præcipitauit. Et fere humani animi excæcantur, cum diuina vltio inſequitur, neque aciem ſuam retundi vult. Itaque vaſto animo immoderata nimiſque alta cupiens, ac rerum nouarum ſtudio elatus, in Regis caput, cuius beneficio auctus erat, rebellauit perſonæ quam gerebat immemor. Erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem, neque lingua, neque auctoritas deerat. appellare, tentare, ſolicitare nouerat. & cum prouincia per eam ætatem in factiones ſciſſa eſſet, multi ex nobilitate & plebe in partes attracti. vnde inteſtini belli materia excitata, externa prætereа arma mouebantur: vtrunque (ſic credimus) Sisberti ſuaſu. Ter cum Francis ſigna à Gothis collata ſunt, aduerſa ſemper fortuna belli. Verum iniuria temporum
neque

neque pugnantium neque cadentium numerus proditus eſt: ac ne quibus in locis ſit pugnatum. Illud conſtat, Regis diligentia inteſtini belli, quod maiora mala minabatur, initia compreſſa. Sisbertus Regis primum, deinde Patrum ſententia anathematis ignominia notatus, exilioque mulctatus, ac de gradu deiectus eſt: eorum qui Toletum iuſſu Regis conuenientes numero vnus & ſexaginta in Prætorienſi Petri & Pauli, ſexto Nonas Maii, ſalutis anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio, concilium Toletanum ſextumdecimum cele- 693.
brarunt. In eo conuentu Chriſtianæ religionis formula de ſcripto concepta promulgataque eſt. In qua ſuperioris concilii auctoritate atque inſtituto, voluntatem ex voluntate, ſapientiam ex ſapientia, eſſentiam ex eſſentia in Deo procedere, Chriſtumque ad inferos deſcendiſſe expreſſis verbis affirmatur. Iudæi, qui ſyncero animo Chriſtiana ſacra complecterentur, nobilitate atque vectigalium immunitate donati. Gothicæ leges maiori diligentia ſunt caſtigatæ: præceptumque vt pro Regis, filiorum, nepotumque eius ſalute, ad omnia templa, vota diebus omnibus ſuſcipiantur: ad certam verborum formam oratione concepta à Patribus. quod inſtitutum ab hoc initio ſuſceptum in noſtros mores noſtramque ætatem emanaſſe credimus, paucis in ea oratione verbis commutatis. Cuius deprecationis ea ſumma capita erant: Vt deſideria in eis bona quotidie multiplicentur: aduerſantium eorum conamina virtute ſuæ dexteræ (hoc eſt Dei) confringantur: indulgentia eis & gratia à ſua miſericordia conferatur: vt ſuæ potentiæ defenſione protecti antiqui hoſtis decipula euadant: & caritate & vitę longæuitate pollentes ad te mereantur poſt tranſitum ſidereas māſiones. quæ ſunt omnia verba Patrum. In Sisberti locum Felix Hiſpalenſis Præſul Toletanus eſt factus. Fauſtinus Bracarenſis Epiſcopus Hiſpalim in Felicis locum migrauit. Præterea Maximus Emeritenſis, & Vera Tarraconenſis cōcilio interfuerunt. Cum his Metropolitanis Felix in Fauſtini locum ex Portucalenſi Epiſcopo Bracarenſis Præſul & alii Patres, tametſi numerus ignoratur, proximo anno Toleti in Leucadiæ templo ſuburbano nouum conuentum, cuius acta inter concilia Toletana poſtremum occupant locum, agitarunt Nouembris ſeptimo die. Galliæ Gothicæ Epiſcopi venire non potuerunt, peſtis contagione impediti, quæ per hæc tempora graſſabatur: & belli malis impliciti, cum finitimi Franci in ea Gothici imperii inclinatione de finibus ſæpe laceſſerent. Actum referente Rege de Iudæorū natione ſuppliciis omnibus extirpanda: quam prodendę Hiſpaniæ atque aduerſus Chriſtianorum imperium rebellandi, cum Iudæis Africanis conſilia communicaſſe, ex oblato Patribus codicillo Rex conquerebatur: latius opinione diſſeminatum id malum, obſcureq; ſerpens manaſſe per vniuerſam Hiſpaniam, omneſque eius prouincias occupaſſe, neq; tamen Pyrenæos montes tranſcendiſſe, in Galliamq; penetraſſe. Id opprimi ſuſtentando ac diſſimulando nullo pacto poſſe, neq; fas eſſe. Proinde celeriter quid optimum factu foret in re præſenti iudicarent. Æternæ ſeruituti Iudæi omnes Patrum ſententia mancipati, bona publicata, vt animi & corporis cruciatus egeſtatis malum augeret. ſancitumq; in poſterum, vt filii eorum ſeptennes à parentibus abſtracti, Chriſtianis hominibus educandi inſtituendiq; traderentur. Lex præterea promulgata, qua Cixilonis Reginæ, quamuis à Rege repudiatæ, & filiorum Rege ipſo defuncto præſidium continebatur. Eandem Patres ante tres annos in conuentu Cæſarauguſtano lege vniuerſim de Reginis viduis lata ſanxerunt, defuncto Rege ne cuiuſquam libidini atq; contumeliæ opportuna eſſet, veſte mutata in virginum Deo ſacratarum collegium cooptari. Cixilonis filius Witiza à Rege patre regni conſors renunciatur, cum ſolus ipſe decem annos regnaſſet. Extantq; monetę in Hiſpania patris & filii nominibus percuſſę atq; ad Tudēſem vrbem in amœniſſima valle, malis citreis & ſcatentibus aquis. regii palatii veſtigia atq; parietinæ, quod Witiza oblectandi animi cauſa extruendum curauit. cum in ea vrbe regni ſedem collocaſſet à prouido patre, ne videlicet conſortium poteſtatis pacem publicam, vt fieri ſolet, turbaret, ad Galæciæ regnum, quod in Sueuorum ditione fuerat, cum poteſtate ablegatus. Vnde ad reliquas Gothico imperio ſubiectas prouincias defuncto patre, quinto poſt anno vocatus eſt. Obiit enim Egica Toleti ex morbo, ſalutis anno ſeptingenteſimo 701.
primo, menſe Nouembri. cuius menſis die quintodecimo, ſeptimodecimo Kalen. Decembris Witiza recepto more Gothorum Rex inunctus eſt.

Vvitiza Rex. CAP. XIX.

VVITIZÆ regnum omnibus turpitudinum maculis deformatum fuit, crudelitate immane præcipua impietate, aduerſus eccleſię leges inſigne. Res Hiſpanię peccatis gentis vrgentibus ad exitum feſtinabāt. Et ineſt rebus omnibus quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita mores hominum & imperia vertantur. Initio quidem cum

intelligere videretur. Regum officium eſſe tueri innocentiam, coercere improbitatem: exules qui à patre fuerant relegati in patriam reuocauit. & vt beneficium illuſtrius eſſet, honores etiam & magiſtratus, quibus apud patrem functi fuerant, repoſuit. In procerum conuentu ſchedas publicas, quibus delicta continebantur, atq; infamiæ notæ non paucis in ea temporum perturbatione inuſtæ, comburi mandauit. Ab his initiis cum iuſti & optimi principatus ſpecimen præbuiſſet, mox omnia in ludibrium vertit. ceſſerunt prima poſtremis: vt eſt difficile in lubrica atq; iuuenili ætate ſummam poteſtatem & rerũ omnium licentiam ratione virtuteque frænare. Se ipſe primum aſſentatoribus, quorum magnus in aulis Principum numerus alitur, corrumpendum tradens, in omnes libidines præceps effudit: quas male coercitas, qualiſcunq; patris reuerentia tardauerat. Magno numero concubinas vxorum iuſtarum loco cultuque habuit: lege lata vt id cunctis liceret, tum promiſcuo populo & proceribus, tum viris ſacratis. quod illi libenter factitabant: vt vitia Principum imitari, genus obſequii ducitur. & propemodum neceſſe eſt ſenſibus hominum placeant, quæ cum turpitudine coniuncta ſunt, & vitę humanæ fructum vitiorum licentia atque improbitate definiũt. Romani Pontificis, cuius auſpiciis hactenus religio ſteterat, & Gotthicæ res auctæ, & bonis omnibus amplificatæ erant, imperium abrogatum. Vtraq; lex vt communi prouincię conſenſu & iudicio ſanciretur curatum. Ea re Toleti Epiſcoporum conuentus octauus decimus Gunderico eius vrbis Epiſcopo, eſt habitus in Petri & Pauli ſuburbano templo, vbi per ea tempora Benedictinarum virginum domicilium erat. Eius conuentus acta in volumen conciliorum collata non ſunt: ne conuenit quidem, cum legibus eccleſiaſticis eſſent contraria. Iudæis redeundi atq; habitandi in Hiſpania, cõtra quam antiquis legibus cautum erat, facultas conceſſa. Conuerſa ex eo prouincia, & malis omnibus fœdata, cum multorum inuidiam excitaſſet, eorum qui antiquis legibus ſtari malebant & multi ad Chindaſuinthi ſobolem ſpectarent: quod ſuperſtite patre cœperat, vt eorum ſanguine manus fœdaret, idem ſibi rerum potitus faciendum iudicauit. Erant ad hãc ætatem ſuperſtites duo Chindaſuinthi filii, Receſuinthi Regis fratres, Theodefredus, & Fauila. Theodefredus Cordubæ Dux erat, vbi olim palatium extruxit in agro ſuburbano, ſeſe loci amœnitate oblectandi cupidus: cum regiæ inuidiæ declinandæ ſtudio, curia abſtinere, atq; aula haberet præiudicatum. Fauila Dux Cantabriæ erat, & quo tempore Witiza Calætiæ regnum obtinuit, eius lateri adhærens, cohorti prætoriæ præfectus eſt: (Gotthi Protoſpatariũ vocabant, voce eo ſeculo nota.) Hunc Witiza vt eius vxore liberius frueretur (ſic nonnulli ſuſpicantur) ſtipite percuſſum interfecerat, eius Pelagii patrem, qui deinceps res Hiſpaniæ collapſas reſtituere cœpit, & tunc apud Witizam pro patre vicarius Protoſpatarii honore fungebatur. Verum cum ſublato patre ſe in Cantabriam recepiſſet, & Iulianus Comes, qui Witizæ ſororem in matrimonio habebat, in eius locum ſubſtitutus eſſet, hoc tempore tum in ipſum Pelagium, tum in patruum Theodefredum odium depromptum: quod diu Witiza conceptum animo habuerat, Theodefredum luminibus priuandum curauit. Eius filius Rudericus fuga eſt elapſus. Ne Pelagium quidem quamuis veſtigiis omnibus inquiſitum capere potuit: cum Cantabrorum fide munitus eſſet, & regii furoris vitandi cauſa religionis ſpecie Hyeroſolymam petiiſſet, vt per manus ducta eius prouinciæ perſuaſio habet. In Arratia Cantabriæ oppido diu Pelagii & comitis baculi, quibus ex ritu peregrinantium in eo itinere vſi ſunt, monſtrabantur. Eo actionum tenore, cum ad totius vitæ prauitatem crudelitatem adiunxiſſet, commotos prouincialium animos, quia ſanari non poterant, frænandi ſtudio, ne res nouare cupientibus locus eſſet vbi factionis vires confirmarent, pleraſq; vrbes tota Hiſpania mœnibus & munitione nudauit. Paucæ Regis imperium euaſerunt: in his Toletum Legio, Aſturica, ſiue obſequium detrectantes, ſiue quod earum fidei Witiza res ſuas credere non dubitaret. Arma quibus reipublicæ ſalus & præſidium continetur, eaſdem ob cauſas (ſic nonnulli tradunt) conflata. Tantis molitionibus honeſta ſpecies prætendebatur, pacis publicæ conſeruatio, regnique tranquillitas. Re vera tyranni vbi ſemel prauitas eorum animos occupauit, ipſa præſidia metuunt: & quos neq; pudor à turpitudine, neq; metus ab immanitate, neq; à temeritate ratio reuocat: ii dum propriæ incolumitati ſtudere videntur, maiori periculo metuq; implicantur. Gundericus Felicis ſucceſſor Toletanam eccleſiam per hæc tempora gubernabat, præcipua probitatis laude, ſi ſatis animi habuiſſet ad reprimendos regios conatus, improbitatem arte & ratione ſanandam: vt ſunt multi, qui peccare magis nolint, quã quod ſatis magnum animum habeant ad ſcelera vindicanda. Erant præterea priſci moris ſacerdotes, qui ſuperiorum temporum memoria ſanitatem retinentes, Witizæ actiones probare non poterant: quos omnes Gunderici ſucceſſor Sinderedus exagitandos atq; omni ſuppliciorum genere vexandos ſuſcepit, Principis obſequio delinitus, temporique ſeruiens.

Vſq;

Vſque eo vt Oppam Witizæ fratrem (alii filium faciunt) ex Hiſpalenſi eccleſia, cui præfe-
ctus erat, Toletum migrare conceſſerit, vnius eccleſiæ duobus gubernacula procuranti-
bus: quod pietas Chriſtiana, & priſcæ leges eccleſiæ vetabant. His actionibus, ac totius vi-
tæ peruerſitati Regis exitus conſentaneus fuit. tametſi non vna de eius obitu opinio eſt.
Rodericus Præſul Ruderici ait coniuratione, cum ſe & factionis ſtudia Romanorum, ad
quos excæcato patre, ſuiq; periculi metu aufugerat, auxiliis copiiſq; confirmaſſet regno
ſpoliatum, luminibus patris exemplo vindictaq; priuaſſe: Cordubamq; miſiſſe, vbi vitæ
reliquum exegit, æternis tenebris vinculiſq; mancipatus. Numero tamen & diligentia po-
tiores hiſtorici Witizam ex morbo Toleti obiiſſe affirmant, decimo regni anno, ſalutis ſe-
ptingenteſimo vndecimo, gemina prole relicta, Eba & Siſebuto. quorum partes dum ple- 711
rique ſequuntur, reſiſtunt alii, reſpublica in ſupremam calamitatem præcipitauit & ma-
ximam.

Horum Regum progenies. CAP. XX.

RES ipſa hortari videtur, quoniam ex fatali gentis diſſidio res Gotthicæ ad exitium per hæc tempora properabant, diuiſis prouinciæ ſtudiis inter Chindaſuinthi Regis poſteritatem, & Wambæ cognatos, cum vtrique ſe legibus ad regnum niti putarent, vtriuſq; familiæ ſtemma breui narratione explicare. Chindaſuinthus ex Reciberga vxore hos filios reliquit, Recceſuinthum ſucceſſorem, Theodefredum, atq; Faulam, & filiam vnam. Recceſuinthus nullam prolem ſuſcepit, quare procerum ſuffragio Wambam ſucceſſorem habuit. Chindaſuinthi filia Ardebaſto Comiti nupſit. erat is Græcus natione, & Conſtantinopoli relegatus, cum ingenium induſtriamque Chindaſuintho probaſſet, ab eo gener eſt adoptatus. Ex hoc coniugio natus eſt Eruigius, magnorum motuum origo cauſaque, cum Wamba circumuento regnum per fraudem occupare viſus eſſet. Ex Eruigio Rege & Liubigotone vxore nata Cixilo Egicæ Regis, qui Wambæ propinquus erat, vxor. Eo enim coniugio, quoniam vtriuſq; familiæ ſanguis miſcebatur, pax publica diſſidio ſublato coitura rurſus prouidebatur. Ex hoc coniugio Witiza natus eſt, præterea Oppas Hiſpalenſis Præſul atque filia, quæ Iuliano Comiti nupſit, vt magni auctores teſtantur. Witizæ filii fuerunt Eba, & Siſebutus, vt eſt paulo ante monſtratum. Theodefredus alter Chindaſuinthi filius ex Ricilone vxore, quæ ex regio Gotthorum ſanguine nata erat, Rudericum genuit, Hiſpaniæ facem & peſtem. Ex Faula, qui & ipſe Chindaſuinthi proles erat, Pelagius is natus eſt, cuius virtute collapſę penitus atq; profligatæ Chriſtianorum res in Hiſpania Ruderici temeritate, reſurgere ex aliquanto interuallo cœperunt. Ad hunc Hiſpaniæ Reges nunquam interciſa ſerie, cum ſemper aut parentibus filii, aut fratribus fratres ſucceſſerint, clariſſimum genus referunt.

Ruderici Regis initia. CAP. XXI.

IS ERAT rerum ſtatus in Hiſpania, quo tempore Rudericus Rex Witizæ filiis prętermiſſis, regnum Gotthorum ſuſcepit procerum ſuffragio, vti multorum opinio eſt: vt neque pace coaleſcere ſciſſa principum & plebis ſtudia, atque infecta partibus poſſent, neq; bellum defendere ſicunde illatum eſſet. Externis præſidiis nudati, atque vitiorum aſſuetudine non minus corporibus eneruati, quam ægri animis, accubantes in conuiuiis, cibo atque vino debilitati, emolliti atque corrupti ſtupris vitam infamem Principum exemplo eruditi plerique è populo tranſigebant, ſeditionibus concitandis idonei, inepti externorum hoſtium armis propulſandis. virtute partum imperium opulentia perdidit, & opulentiæ aſſeclæ voluptates. Omnem illum animorum vigorem, quo tantæ res bello paceque perfectæ erant, vitiorum licentia extinxerat, qua nihil eſt diſciplinæ militari exitialius. nihil vt Hiſpaniæ moribus ea ætate corruptius eſſet, neque ad irritandas illiciendaſque immodicas voluptates inſtructius. Mihi Gotthicum imperium per hæc tempora multo maxime miſerabile fuiſſe videtur, cuius virtute cum magna orbis terrarum pars peragrata victoriiſq; illuſtrata eſſet, domi rerum omnium copia atq; diuitiis redundaret: fuere tamen qui partium ſtudio ſe atq; rempublicam obſtinatis animis perditum irent. Tanta vis morbi atque veluti tabes pleroſque Gotthorum animos occuparat. Inerant quidem nouo Regi magna animi & corporis bona, neque adumbrata ſolum, ſed expreſſa atque illuſtria maximarum ſigna virtutum. corpus laborum patientia duratum: inediæ, vigiliæ, frigoris atque æſtus: animus audax magna petens, liberalitatis laude excellens, atque ingenii ad verſandos hominum animos, & magnarum rerum tractationem præcipua dexteritate. Has omnes virtutes cum primum ad regnum acceſſit ingentibus vitiis exæquauit: iniuriarū memoria, libidinis intemperantia, atque actionum imprudentia Witizæ propior quam patri

maioribuſque. Extat numiſma Ruderici nomine percuſſum, expreſſa facie armati atque ferocis hominis ſimilitudine ex parte vna, ex altera his adiunctis verbis IGEDITANIA PIVS. Temporum aſſentatione, vt arbitror, magis quam quod iis in locis aliquid egerit, vnde eo cognomine cohoneſtari meruit. Palatium à patre Theodefredo prope Cordubam in locis ſuburbanis ædificatum, vt paulo ante dictum eſt, nouis operibus magniſque molibus exornandum, augendum, muniendumq; curauit. Vnde tempore conſequenti à Mauris Ruderici palatium vocatum eſt, vt Iſidorus Pacenſis eſt auctor certiſſimus hiſtoriæ horum temporum ſcriptor. Pelagium patruelem ſanguinis propinquitate cōiunctum fortunæ ſimilitudo amplius conciliauit. Itaq; continuo ad ſe ab exilio reuocatum cohorti prętoriæ præfecit: quo magiſtratu ea tempeſtate ſecundum Regem honos ſupremus & maximus continebatur. Odium quod in Witizam Regem longo tempore hauſerat, in eius filios profundere velle viſus eſt: vſq; eo vt ignominia ac dedecore quo à Rege afficiebantur prouocati, atque maioris mali metu perculſi, curia abſtinere atq; Hiſpaniæ finibus excedere, tutiſſimum fore iudicantes, in Africæ Tingitanæ partem illam, quæ Gotthorum imperio retinebatur, nauigarint. Erat ei prouinciæ cum poteſtate Requila Comes pręfectus, Iuliani Comitis (ſic arbitror) vicarius. Præerat præterea Iulianus ei Hiſpaniæ parti, quæ freto Herculeo adiacet, vnde breuiſſimus in Africam traiectus eſt, ad Cōſaburonem autem multa gentilitia oppida obtinebat: vnde Iulianus potentia cum quouis Hiſpaniæ principum conferri poterat, Regi ipſi formidabilis eſſe debuit. atque hæc prima fatalis diſſidii ſemina iaciebantur: nam Witizæ filii priuſquam in Africam traiicerent, rebellandi conſilia inter ſe & cum aliis viris principibus communicarunt, grauiſſimas iniurias conqueſti, quibus indies à Rege petebantur, aderant iuuenibus Oppæ Præſulis ſtudia, qui regio ſanguine & multis clientelis potens erat. aderant alii, pars vindictæ ſtudio, non paucis ſpes ex nouis rebus petebatur. Hæc ſemina cum diſſipari arte atque comprimi debuiſſent, nouo atque exitiali facinore exacerbatis amplius inimicorum voluntatibus aucta atque ad maturitatem perducta ſunt. vnde male cogitantibus occaſio eſt ſuppeditata, ſummum ſcelus, quod incipere eatenus formidarant, honeſti ſpecie velandi. Erat in more poſitum vt principum Hiſpaniæ liberi in aula regia educarentur. Filii quidem ad cuſtodiam regii corporis, & priuata obſequia adhibebantur, inter epulas miniſtri erant: venantem Regem, quibus per ætatem licebat comitabantur, & ad bellum proſequebantur armati magnorum Præfectorum & Ducum hæc rudimenta incrementaque erant. Filiæ autem in gynecæo Reginæ miniſtrabant: vbi Mineruæ artes, pſallere & ſaltare, quantum neceſſe eſſet fœminis, docebantur. Moris omnis cum ætate gnaræ viris principibus connubio iungebantur. In his Iuliani Comitis filia, Caua nomine, in obſequiis Reginæ Egilonæ erat, excellenti formæ dignitate. Hæc aliquando cum æqualibus ludens, corpus cum magna ex parte nudaſſet, Regis animum forte fortuna clam ex feneſtra proſpicientis vehementer perculit: atque ita vt rebus omnibus contemptis vnam deperiret, eiuſque ſpecies animo identidem obuerſaretur. Alebatur in medullis amoris obſcœni flamma, atque intima præcordia depaſcebatur: & frequenti aſpectu vnde animum inuaſerat, quotidie magis morbi vis augebatur. Ita opportunitatem nactus, quam neque gratia flectere, neque blanditiis allicere, neque minis & metu frangere potuit, inuitam atque reluctantem virginem vitiauit. Regem nimirum aliis flagitiis fœdum libidinis impatientia in præceps egit. Erat Iulianus à Rege in Africam eo tempore de rebus magnis legatus. Filia doloris impatiētia, atque ignominiæ dedecore in furorem acta, hoc exemplo ad patrem litteras dat: Vtinam ô vtinam, pater, terra mihi dehiſceret ne his te litteris interpellare neceſſe eſſet, & atroci nuncio dolorem tibi ſempiternum & luctum conciliare. Quantis cum lachrymis & ſingultibus hæc ſcribam hæ lituræ indicio ſunt: ſed niſi continuo facio non corpus tantū fœdatum eſſe, ſed & animum ſempiternam concepiſſe maculam ſuſpicaberis. Aut quis noſtris malis exitus erit? Quis te inſcio noſtræ ignominiæ & dedecori medeatur? An expectabimus dum quod in arcano hactenus deliteſcit, tempus in lucem proferat: & dedecus quod modo ſuſtinemus in probrum & infamiam vertatur, qua non grauiorem morte? Pudet ſcribere quod ſilere non licet. O turpem & miſeram vitæ noſtræ conditionem! Vno verbo dicam: filia tua, tua proles, Gotthorum Regum agnata ſoboles, à Rege Ruderico, cuius cuſtodiæ à te permiſſa erat, nimirum ouis lupo, incredibili & maximo ſcelere violata eſt. Vos ſi viri eſtis, facietis vt gaudium quod noſtro ex dedecore hauſit, peſtiferum illi ſit: neque impune noſtro ſanguini & familiæ illuſiſſe videatur. Hæ litteræ quantum dolorem iniecerint patris animo, quiuis de ſuo ſenſu ęſtimare poteſt. Omnino faces ſubdiderunt ad proditionem maturandam, cuius paulo ante initia iacta erant. Itaque continuo quaſi rebus in Africa compoſitis, redit in Hiſpaniam: & vt erat audax, verſutus, varius, cuiuslibet rei ſimulator, & diſſimulator,

tor, rerum à ſe geſtarum commemoratione & accommodatis ad tempus officiis, Regis animum amplius deuinxiſſe videbatur. ad omnia iura familiaria & conſilia Regis intima, de ſupremis reipublicæ rebus admittebatur. quæ omnia nõ tantum eius meritis, ſed etiam amori filiæ dabantur. Dat conſilium, vt quoniam immota pax ſtaret in Hiſpania, Mauri ſæpe & Franci de finibus laceſſebant: quidquid equorum & armorum reliquum erat, aduerſus externos hoſtes in Africam atque Galliam mittendum videri. In quo ſpecie vtilitatis prouidebatur, vt Rex omnibus præſidiis nudatus iniuriæ opportunus eſſet. His rebus ex ſententia peractis, fingit vxorem, quam in Africa reliquerat, morbo implicitam eſſe graui atque diuturno: nullaque re leuari poſſe, niſi filiæ, quam vnice amabat aſpectu. Id per litteras, tum ipſam tum domeſticos ſignificaſſe. Neceſſaria re, & quoniam propediem redituram pollicebatur, victus Ruderici animus magis quam flexus (& fortaſſis copia faſtidium fecerat) patrem & filiam ex aula dimittit. Malacæ, quæ vrbs infero mari alluitur, porta viſitur Caua nomine. Ea parte egreſſam Iuliani filiam, nauim conſcendiſſe, ducta ab antiquo hominum perſuaſio habet. Interea Regem ex tantis ſceleribus cœlo & hominibus inuiſum ratio ipſa & prudentia deſerere videbatur: fatali palatio, quod Toleti erat aperto, vt Rodericus ſcribit, quod inuicti vectes atque æterna ferri robora muniebant, adituque prohibebant, ne reſeratum, excidium Hiſpaniæ afferret: quod in fatis eſſe vulgo homines, ſed & primores gentis perſuaſum habebant. Rudericus ingentes theſauros ſuſpicatus ſuperiorum Regum prouidentia in eo palatio ſeruari, & alioqui indagandi curioſus animus, quamuis diſſuadentibus atque deterrentibus cunctis ordinibus, ſeras perfringendas curauit: vt ſunt vehementes & inuictæ in eo quod ſemel propoſuerunt Regum voluntates. Nulli theſauri reperti. Arca tantum extabat, & in ea linteum, quo explicato inſolentes hominum facies atque habitus in eo depictæ apparuerunt cum inſcriptione verbis Latinis, quæ Hiſpaniæ excidium ſignificabant inſtare ab ea gente quam pictura demonſtraret. Mauricis ſimiles veſtes atque habitus viſi ſunt: vnde ex Africa tantum malum inſtare Regi & proceribus qui aderant perſuaſum eſt: ſeraque pœnitentia ſubiit nullo fructu, magno periculo gentis arcana perſcrutatos eſſe, quæ tanta eatenus religione ab omnium oculis ſubducta fuerant. Huius narrationis fidem nonnulli eleuant. ex ingenio quiſque ſuo in vtramuis partem ſtatuat: nobis neque confirmare argumentis neque refellere animus erat.

Primus Maurorum aduentus in Hiſpaniam. CAP. XXII.

SARACENORVM arma hac ætate impune toto orbe volitabant. in Arabia exortus ille furor Mahomete Duce, multos primum mortales illuſit nouæ religionis ſpecie, orientis deinde Solis partes cum occupaſſet, Auſtraleſque regiones peruaſiſſet, vſque ad vltimas occidentis Solis oras non longiſſimo ſpacio temporis peruenit. Heraclius quidem Imperator Coſroe Perſarum Rege deuicto, Aſiaque domita, naſcentem peſtem in ipſis incunabulis comprimere arte cupiens, ex Saracenorum nobilitate quatuor millia Romana caſtra ſequi voluit honoris ſpecie: re vt obſidum loco eſſent, ne nouos motus vt cœperant in prouinciis concitarent. ii militarem veſtem ex Iuſtiniani, quæ adhuc extat, lege poſcentes cum repulſam tuliſſent, addita præterea verborum contumelia, eunucho in ea imperii fæce, fiſci præfecto dicente: Quid reliqui eſt Romano militi quod dari his canibus poſſit? ea effœminati viri voce irritati, ad ſuos continuo facto agmine reuertuntur, propinquas Romani imperii vrbes carpunt: Ægyptum occupant: Perſas nuper à Romanis deuictos debilitatoſque viribus, ipſi integri feroceſque domant, compelluntque Mahometis ſacra & Saracenorum nomen ſuſcipere. Syria vniuerſa capta: Africa ſæpe tentata bellorum euentu vario, ſucceſſu tandem ipſis proſpero. Abimelechi Regis ductu Carthago magna capta euerſaque. à Ioanne Præfecto prætorii, cum res in ea prouincia gereret, repulſi Africæ finibus maiori mole bellum parabant. Aduerſus eorum conatum Ioannes ſupplementum à Leontio Cæſare petiturus Conſtantinopolim nauigat, ſalutis anno circiter ſeptingenteſimo. Romanæ interea legiones tædio longioris moræ, an nouarum rerum ſtudio, Tiberium Apſimarum ciuem Conſtantinopolitanum Imperatorem ſalutatum, ad rempublicam capeſſendam Conſtantinopolim proſequuntur. Ea ex re Saraceni vacuam Africæ poſſeſſionem inuadunt, atque occupant: Numidiam & Mauritanias ad Oceanum vſque Atlanticum, qua finis eſt orbis terrarum. Vlit vniuerſæ genti præerat Miramamolinus (ſupremi imperii ea vox erat.) Eius nomine Muza Africam gubernabat, homo natura ferox, vehemens, manu promptus atque animo, conſilio bonus Iulianus impetrata à Rege diſcedendi facultate, ex itinere quidem coniurationis capita adit, ſingulos appellare, polliceri

tabulas nouas,opes ſuas,imparatum Regem docere,præcipua & maxima victoriæ præmia polliceri. Non procul Conſaburone mons oſtenditur ab incolis Calderinus nomine ea voce quoniam Arabica lingua proditionis mōs ſignificatur, vulgo homines accepta à maioribus opinione perſuadent.in eo monte prodendæ Hiſpaniæ Mauris conſilia à Iuliano & ſociis agitata. Appulſus autē in Africam Muzam exemplo adit,iniuria ſe à Rege violatum conqueritur: Witizæ filios paterni regni hæreditate priuatos, inopes, & egentes ſine lare familiari vagari: non deeſſe prouincialium ſtudia. Quo in ſtatu res Hiſpaniæ ſint,explicat: veniſſeque tempus Hiſpaniæ imperium occupandi, atq; adeo totius Europæ, cuius aditu eatenus erant prohibiti. vna celeritate opus eſſe ad præoccupandos factionis aduerſæ conatus.ſeq; ſi pauci iuuarēt non dubitaturum clientum opibus,& quoniam prouinciæ aditum vtrinq; ad fretum obtineret,Ruderici vires tentare,regnum euertere. Oblatam occaſionem non deſpiciebat barbarus. Chriſtiani tantum hominis fidem ſuſpectam habebat. Re ergo cum Miramamolino communicata,modicis primum copiis Hiſpaniæ vires tentare,Iulianiq; fidem experiri,an verbis facta reſponderent optimum fore iudicauit, cunctator ingenio & latiſſimæ prouinciæ moderatione, multiſq; ex eo & magnis negotiis implicatus. Centum equites & quadringenti pedites quatuor nauibus impoſiti ſunt miſſi. Iis vicinas freto inſulas & littora tentantibus diripientibuſq;, cum ex voto res ſuccederent,& pleriq; Hiſpani ad illos confluerent,denuo agente Iuliano, Tariſſio Duce qui altero oculo captus erat,cognomine Abenzarca duodecim pugnatorum millia mercatorum nauibus, quo res occultior eſſet,tranſuecta ſunt in Hiſpaniam. Iis copiis cum Calpe mons primum eſſet occupatus, Heraclea vrbs illi monti impoſita Gibraltaris nomen accepit à Tarif & Gebal, quæ vox montem ſignificat, nomine duplicato.ab eodem Duce Tariffæ nomen vicino oppido eſt factum,vt plerique arbitrantur, cum olim Tarteſſus diceretur. Hos Iuliani & Maurorum conatus celeritate præoccupandos iudicans Rudericus, ſobrinū ſuum Sanctium (alii Enecum vocant) continuo obuiam miſit. Ex eo initio de belli ſumma omen eſt factum. vt erat ex colluuione plebis & ſubitario delectu exercitus conflatus,non vigor corporibus inerat, non ardor animis: lentum & deforme agmen,fluxa arma, ſegnes equi, impatiens Solis, pulueris,ac tempeſtatum, nulla diſciplina militaris. Itaque cum primum caſtris collata ſunt caſtra,leuibus initio præliis, aduerſo ſemper Marte,deinde totis vtrinque viribus dimicatum eſt. Victoria penes Mauros ſtetit:& Sanctio cadente Gotthorum exercitus partim cæſus,partim fuga diſſipatus eſt. Barbari victoria elati, Bæticæ & Luſitaniæ agros depopulati,non pauca oppida eo tractu,ipſamque vrbem Hiſpalim,vt erat mœnibus & munitione nudata, facile ſuæ ditionis fecerunt. Incidit hæc prima calamitas in
713. annum eius ſeculi tertiumdecimum. Quo anno Sinderedus Præſul Toletanus rerum ſummæ diffidens, an Ruderici iniurias & inſolentiam non ferens, relicta Hiſpania Romam abiit: vbi poſt aliquot annos Gregorio tertio Pontifice Maximo Lateranenſem conuentum cum aliis Epiſcopis habuit. Eccleſiæ Toletanæ præcipui ſacerdotes, ne in ea temporum calamitate rectore carerent, Oppa prætermiſſo,quem legibus repugnantibus conſtabat ad eum honorem vocatum, Vrbanum priſci moris virum,morum ſanctitate excellentem, Præſulem crearunt, Fuerat is Toletanæ eccleſiæ Primicerius, ſeu primus cantor. & quoniam Sinderedo ſuperſtite electus eſt,neque electionem probarunt iis,quorum intererat,à veteribus vt indicio ſunt peruetuſti codices,vbi eorum Epiſcoporum nomina continentur,in nullo Præſulum Toletanorum numero ponebatur.

Ruderici Regis mors. CAP. XXIII.

TANTIS rebus peractis Tariffius & Iulianus Comes in Africam redeunt: nouas Saracenorum copias ſupplementi cauſa in Hiſpaniam mitti Muzam poſtulant: relictoque apud eum obſidis loco Requila Comite,impetrant multo maiorem quam ante equitum ac peditum numerum.atq; ita vt cum Ruderico Rege totis viribus confligere non dubitarent. Is enim ſuarum rerum periculo prouocatus & ignominiæ, quæ accepta erat delendæ cupiditate inflammatus,ex vniuerſa ditione, quorū ætas idonea erat, ad ſigna magnis propoſitis ſuppliciis niſi parerent, vocauit. Ea denunciatione numeroſa hominum multitudo conuenit. qui minimum ſupra centum millia hominum fuiſſe aiunt. Verum ex diutino otio ad bella ſuſcipienda, vt vulgus conſueuit alacri ac prompto animo, molli ac minime reſiſtente ad calamitates perferendas. Et erant pleriq; inermes, fundis tantum & fuſtibus armati. Cum hoc exercitu Rex in Bęticā profectus,hoſtemq; nactus ad Cæſarianum in planicie, quam Lethes amnis interfluit,caſtra locauit. Ardebat vterque exercitus pugnandi cupiditate. Mauri tot victoriis & proximo belli ſucceſſu elati. Gotthi pro ſalute & liber-

& libertate, patria, liberis, coniugibus vitam diſcrimini offerre non dubitabant. Tametſi pleroſque mœſtum ſilentium tenebat, & tacita diuinatione occupati videbantur qualis iam præſagientibus animis imminentis mali eſſe ſolet. Regem curis anxium ac ſollicitudine, oſtenta inſomniaq; perterruiſſe memorantur. Octo continuis diebus iiſdem veſtigiis dimicatum eſt: ſeptem, leuibus præliis, vt arbitror, cum vtrique quantum virtutis in hoſte eſſet, quantum in ſuis experiri cuperent, priuſquam totius certaminis aleam ſubire neceſſe eſſet. Die octauo, qui dies Dominicus erat, Xauelis Arabum menſis nono die, tertio Idus Nouembris, ipſo Martini feſto die, vti ex Aluendenſi Chronico colligimus, atque ſalutis anno ſeptingenteſimo quattodecimo, totis vtrinque viribus & copiis pugnatum eſt. vtræ- 714.
que acies pro caſtris ad pugnam inſtructæ. Rex curru eburneo ſublimis, & intertexta auro veſte conſpicuus, vt erat Gotthorum Regum mos pugnam inuadere, priuſquam ad manus deuentum eſſet, hanc ad ſuos orationem habuit: Lætor milites veniſſe tempus vindicandi iniurias, religionem expiandi aduerſus hominum genus cœlo æque & hominibus inuiſum. Quæ enim illis eſt cauſa pugnandi, niſi vt vobis, liberis, coniugibus, & patriæ æternam ſeruitutem imponant, Dei immortalis templa diripiant euertantque? quod in aliis prouinciis & Hiſpaniæ parte fecerunt, & quorum ruentium fragor & rudera pene in oculis atque auribus veſtris verſantur. Sentiant hactenus cum eunuchis bellum geſſiſſe, nunc cum inuicto Gotthorum ſanguine. Superiori anno minima virium parte cum hoſte pugnauimus. eo ſucceſſu elati (Deus illis mentem eripuit) eo penetrarunt vnde receptus eſſet nullus: quo nimirum tot nefaria ſcelera ſuo ſuorumque ſanguine luerent. ſic ſperamus auguramurque, Mauris antea bellum inferebamus in Africa, Francos à finibus repellebamus: nunc in ſedibus noſtris propulſamus illatum. proh facinus nefaſque. vel ipſa morte procurandum. hæ ſunt humanarum rerum vices. Quod niſi victoriæ ſpes eſſet vt exploratum habemus, vindictæ certe ſtudium debet ſtimulare, tot cognatis & neceſſariis in acie trucidatis. tanta agrorum & oppidorum cum noſtra ignominia vaſtitate. Quod mearum fuit partium exercitum comparaui, quem planicies vix capit, commeatus prouidi locum idoneum elegi, Ducibus munia diſtribui, ſubſidiis aciem firmaui: alia præterea arcano comparata ad ſalutem, quæ nunc ſileri ſatius eſt. in ipſa pugna nihil me reliqui ad victoriam feciſſe ſentietis. Cætera in veſtra poteſtate ſunt, audete modo vincere, plenique humana diuinaq; ſpe in hoſtes irruite, memores patriæ auitæque virtutis, memores Gotthorum ſanguinis, memores religionis Chriſtianæ, cuius auſpiciis militamus. Econtrario Tariffius certus copiam pugnandi facere, poſtquam copias in aciem produxerat, hanc ſummam orationis habuit: Terrarum finis Oceanus hinc alluit, ex ea parte claudit Mediterraneum mare: non de gloria, ſed de ſalute pugnandum eſt. nullus receptui locus, dextris atque virtute fidendum. Hic dies aut Europæ imperium dabit, aut vitam cunctis eripiet. In morte ſecuritas erit, in victoria gaudium. ignominioſa vita nihil turpius, ſed Aſiæ domitores atque Africæ, ad ſubigendam Hiſpaniam non meo magis ductu, quam veſtra ſponte profecti inueteratæ virtutis meminiſſe debetis. non Africæ ſolitudines & teſcua, ſed opima Europæ ſpolia offerũtur: nam quis ad ſuperiores victorias Gotthorum gente compreſſa virtuti veſtræ reſiſtet? Inermem credo aciem, & ex vulgi fæce temere raptimque conflatam fuemet fluctuantem timore, multitudine impeditam formidatis: quam ſine gladio vel vmbonibus propelletis. Qui ſe tutari viribus ſuis integris & illibatis non potuere, an nunc imminuti ſuperiore clade metuq; exanimati victoriam reportabunt? quam igitur nunc video in vobis alacritatem, certum victoriæ omen: eam in aciem ferte freti virtute felicitateque veſtra & fortuna fatiſq;. Irruite Deo duce, Mahumete auſpice, in hoſtes prædam non arma geſtantes. Aſpera montiũ iuga, nudoſq; colles & perpetuo æſtu deformes Africanas caſas ditibus Hiſpaniæ campis vrbibuſq; mutate. In dextris veſtris imperium, ſalutem, præſentis lætitiam, ſpem futuri temporis geritis. Ducum verbis inflammati milites pugnæ ſignum expectabant. Gotthi ad tubæ ſonitum in hoſtem feruntur. Mauri tympanis æreis certamen more gentis accendunt. Ingens vtrinque clamor editus. primum fundis, iaculis, & omni telorum genere pugnatur, deinde gladiis res geritur. Vtrique acriter dimicant ad multam diem prælium anceps fuit, neutro victoria inclinante. Paulum modo Mauri virtute noſtris cedebant, locoque moti fugam reſpectare videbantur: cum Oppas incredibili ſcelere, eatenus diſſimulata perfidia cum ſuorum manu, vt arcano conuenerat, in ipſo ardore pugnæ ad hoſtes transfugit: & Iuliano coniunctus, qui validum Gotthorum agmen ducebat, noſtros ab aperto latere aggreſſus. victoriam hoſti peperit. Regii enim perculſi improuiſa ſuorum proditione, & continenti totius diei pugna feſſi fractiq; animis, recentem impetum non tulerunt. & cum omni parte ingenti cæde ſternerẽtur, terga verterunt. Tametſi Rex cum fortiſſimo quoq; in prima acie pugnans, non Ducis magis, quam militis

partes implebat, laborantibus ſuccurrens, pro ſauciis ſubſtituens integros, cedentes à fuga retinens, propria nonnunquam manu. Ad extremum deſperatis rebus veritus, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, ex curru deſiliens, in equum Oreliam nomine, quem paratum habebat ad omnes caſus conſcendit, ſeque ſubducit è pugna. Eo nudati pręſidio Gotthi qui in acie perſtabant, pars trucidati, pars fuga ſalutem quæſierunt. Caſtra & impedimenta momento temporis capta. cæſorum numerus non proditur, nimirum præ multitudine iniri non potuit. Vnum enim prælium omnia Hiſpaniæ ornamenta abſtulit. ibi Gotthorum nomen extinctum, ibi virtus bellica, ibi præteriti temporis fama, ibi ſpes futuri deleta: imperiumque, quod trecentis amplius annis ſteterat, à feroci gente & immani compreſſum eſt. Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceiq; gemmis diſtincti ad Lethis ripam inuenta: & cum nulla præterea fugæ indicia extarent, occiſus in fuga, aut merſus in flumine creditus eſt. Poſt ducentos ferme annos in Luſitaniæ templo quodam vrbe Viſeo hac inſcriptione lapis eſt repertus: HIC REQVIESCIT RVDERICVS VLTIMVS REX GOTTHORVM. indicio ex fuga in eam regionem fuiſſe delatum. Milites qui cladem effugere potuerunt, tantæ calamitatis nuncii, deformeſque teſtes, vicinas vrbes petiuerunt. Pelagius (quem quidam ſuſpicantur prælio interfuiſſe) rebus diffidens, in Cantabriam vltimam ſuæ ditionis prouinciam ſe continuo recepiſſe videtur: alii Toletum affirmant. Hoſtibus haud incruenta victoria fuit, ſedecim ferme millia ex eorum numero ceciderunt. Et fuerat ſuperius biennium frugibus aduerſum, deſertoque propter bella agrorum cultu fame & peſte laboratum erat. Quibus malis debilitati prouinciales proceſſerunt in aciem: ſed vitiis potiſſimum ac libidine vigor extinctus erat, & ſcelerum pœnis agentibus in eam præcipitatum eſt cladem.

Chriſtiani in Aſtures proficiſcuntur. CAPVT XXIIII.

ROMANAM eccleſiam Conſtantinus Pontifex obtinebat, Orientis imperium Anaſtaſius cognomento Artemius, Francorum Rex Childebertus eo nomine tertius erat, quo tempore planctu tumultuq; vniuerſa Hiſpania repleta erat, non præſentis tantum doloremali, ſed etiam futuri temporis metu. nec vllum calamitatis genus deerat, cum per omnes ordines ætateſque victoris crudelitas & licentia debaccharetur. Magna pars eorum qui ex ærumnoſo illo prælio mortem euadere potuerunt, Aſtigam petierunt, vrbem neque remotam locis, & ea ætate ciuium frequentia, & mœnium munitione validam. Cum iis ciues confuſi, atque inter ſe hortantes ſui capitis periculo vniuerſæ gentis incolumitatem redimere, excidium auertere, illatas ſi poſſent iniurias vindicare: cum victore, qui veſtigiis omnibus Gotthorum reliquias perſequebatur, rurſus dimicare non dubitarunt. Eadem prælii fortuna fuit. rurſus Gotthi à Mauris cæſi fugatiq; ſunt. qui cladi ſuperfuerunt in varia loca dilapſi. vrbs omni præſidio nudata, atque in victoris redacta poteſtatem à Mauris euerſa eſt. Iuliani deinde Comitis conſilio & hortatu, copiæ bifariam diuiſæ: pars Maguedo Duce, qui Chriſtiana olim ſacra, quibus erat imbutus abiurarat, Cordubam petiit. & quoniam nobiliſſimi eius vrbis ciues commune periculum veriti Toletum aufugerant, haud ægerrime expugnata eſt, paſtoris cuiuſdam ductu, qui aditum qua faciliime penetraretur in mœnium ea parte monſtrauit, quæ ponti coniuncta eſt, ſilentio noctis, cuſtodiiſque interfectis. Vrbis Præfectus templi munitione, cui D. Georgio nomen fuit, defenſus tribus menſibus obſidionem tolerauit. deinde è fuga retractus in Maurorum poteſtatem venit ſocii per vim expugnato templo ad vnum interfecti ſunt. Cum copiarum parte alia Tariffius reliquam Bæticam incendiis & direptionibus vaſtabat. Prope Giennium, vt Rodericus eſt auctor, vt res habet regionibus aliquanto remota, Menteſa vi capta ſoloque æquata eſt. Malacam, Eliberrim, Granatam præſidiis occupauit. Murciæ Præfectus, quæ vrbs ea tempeſtate Oreola vocabatur (ſic aiunt) homo militaris & ſagax, cum à Mauris acie victus eſſet, fœminis in veſte virili per muros vrbis diſpoſitis cum magnæ multitudinis ſpeciem præbuiſſet: ad honeſtas conditiones victores Mauros adduxit, priuſquam vrbis deditionem faceret. Iudæi Mauris confuſi, Cordubam, Granatamque habitandas ſuſceperunt: Chriſtiani ciues alio atque alio dilapſi. Toletum reliqua erat in Hiſpaniæ vmbilico poſita, ſitu inexpugnabilis: vnde Vrbanus eius vrbis Præſul in ea rerum inclinatione, haud ſatis loci munitione confiſus abierat in Aſtures, ſacraſq; ſanctorum reliquias, ne hoſtibus nominis Chriſtiani ludibrio eſſent, ſecum aſportarat: nominatim veſtem Illefonſo Pręſuli de cœlo allatam, arcamque reliquiis ſacris refertam, quæ variis iactata caſibus Hieroſolymam delata Toleti conſtiterat: libros præterea ſacros ac ſancto-

ſanctorum virorum ingenii monimenta Iſidori, Illefonſi, Iuliani, ne vi flammæ cuncta vaſtantis perirent. auro & gemmis pretioſiores theſauri. Vrbani iter Pelagius proſequutus eſt præſidii cauſa, quod à magnis auctoribus affirmatum inuenio. Cœleſtes theſauri in extrema Hiſpania, vt tutiores eſſent ab iniuria, in ſubterraneo ſpecu conditi, octo millibus paſſuum ab eo loco vbi poſtmodum Ouetum vrbs ædificata eſt, ab ea re loco Montis ſacri nomen factum, ductaque ab antiquo conſuetudine à vicinis populis, qui religionis ergo quotannis, die præſertim Magdalenæ memoria ſacro frequentes conueniunt, præcipua & magna veneratione colitur. Vrbani & Pelagii exemplo prouocati plerique ciues, & in his optimus quiſq; ac nobiliſſimus vt longiſſime à belli diſcrimine eſſent, ſeq; & ſuos ad meliora tempora ſeruarent, vrbem deſeruerunt. Vacuam ciuitatem Gotthici ſedem imperii, Mauri ex variis partibus, vbi res proſpere fluebant, ad obſidionem conuenientes, Tariffio Duce haud ægerrime redegerunt in poteſtatem. Tametſi de eius expugnatione non vna fertur opinio. Rodericus Iudęos ait, qui in vrbe perſtiterant belli ſpectatores ſine diſcrimine rerum ſuarum, ſiue vincerent, ſiue victi eſſent Hiſpani, præterea odio Chriſtiani nominis, continuo victori portas aperuiſſe: atq; quod Granatæ & Cordubæ factum erat, Iudæos & Mauros in commune habitandam ſuſcepiſſe. Tudenſis munitione ait, confiſos ciues, tametſi exiguo numero fractiq; animis erant, menſes aliquot obſidionem toleraſſe, ac tandem Dominico Palmarum die, quo die Chriſti à Iudæis cruciati memoria recurrit, Chriſtianis ad Leocadiæ ſuburbanum templum de more ſupplicationem agentibus, hoſtes à Iudæis aditu monſtrato in vrbem admiſſos, ciues ad vnum occiſos, aut in captiuitatem redactos. In rebus tam incertis in alterutram partem certo pronunciare temerarium eſſet: ipſe eorum opinionib. accedo, qui poſt diuturnam obſidionem, vrbem à ciuibus deditam affirmarunt, his conditionibus: Qui vellent ex vrbe diſcedere ſine fraude res ſuas efferrēt: qui manere, patriæ religionis libertatem retinerent, ſeptemq; ea de cauſa ex Chriſtiano ritu ſacrata in vrbe templa: Iuſtæ, Torquati, Lucæ, Marci, Eulaliæ, Sebaſtiani, & Mariæ Virginis ſuburbanum, Vectigalia penderent, quæ Gotthorum Regibus conſueuerant, noua imperandi ſublata Mauris poteſtate. Suis legibus viuerent, & qui iura dicerent iuxta eas ex ipſorum numero iudices darentur. Per hunc modum Toletum à Mauris occupata eſt, reliquæ Hiſpaniæ vrbes eadem belli flamma carpebantur. ciues, quo quemque metus agebat, in varias partes diſſipabantur. Legio cum annonæ difficultate laboraret, fame cōpulſa eſt deditionem facere. Caraca in Carpetanis capta. in Celtiberis oppido quod noſtra ætate Medina Celina vocatur, olim Segontia vt Rodericus eſt auctor, ex lapide ſmaragdo, vt ego interpretor viridi marmore portentoſę magnitudinis & pretii menſa reperta: vnde oppido Medinæ Talmeidæ, quod nomen menſæ vrbem ſignificat, appellatio facta. In Vaccæis Amaia fame, quæ indies maior inualeſcebat, coacta imperata facere. Vrbis huius ſpolia præteritam opulentiam vicere. multi enim eius munitione confiſi eo ſe & opes omnes ſuas cōtulerant. Is tractus ea tempeſtate Campi Gotthorum vocabatur, vnde Camporum appellatio ei Hiſpanię parti facta ad noſtram ætatem manauit. In Calęcia Aſturica incenſa euerſaque, muris ſtructuræ firmiſſimæ ſtantibus. In Aſturibus Gegio oppidum, terreſtri marinoque ſitu firmiſſimum in Maurorum poteſtatem venit. Militaria præſidia locis competentibus diſpoſita: ne ſe commouendi nouiq; imperii iugum excutiendi prouincialibus eſſet facultas. Tantis totius Hiſpaniæ ſpoliis Maurorum agmen graue, Tariffio Duce, quo Imperatore tantas victorias pepererat, Toletum vt tantorum laborum aliquis per otium fructus eſſet, atq; inde velut ex arce in reliquas Hiſpaniæ partes deſpicerent, reductum eſt, eius ſeculi anno quintodecimo. Quo anno inuenio præterea Narbonem in Gallia à Mau- 715.
ris fuiſſe occupatam. variæ videlicet manus ex Africa ad famam rei bene geſtæ examinum inſtar ſeſe in varias imperii Gotthici partes infundebant. Prouinciales, pars fuga diſſipati, pars metu perculſi, iuuandæ patriæ conſilia haud ſatis explicabant. nulla manus numero aut viribus inſignis coibat. vrbes tantum ſingulæ rebus ſuis priuatim conſulentes Præfectos creabant: penes quos cum bello paceq; ſuprema rerum omnium poteſtas eſſet, nullius imperium reſpicerent, à quibuſdam hiſtoricis Reges nuncupantur.

Muza venit in Hiſpaniam. CAP. XXV.

HÆc in Hiſpania: ex Africa autem nunciabatur Muzam variis cogitationum fluctibus æſtuare. gaudebat nobiliſſimam prouinciam ſubiugatam, Maurorum imperium in Europam propagatum. dolebat ſua ceſſatione factum vt expugnatæ Hiſpaniæ non præda modo, ſed & laus ad Tariffium pertineret. Itaque auaritia æque atque inuidia agitatus peſſimis conſultoribus bello paceq;, traiicit in Hiſpaniam recenti Maurorum manu ſtipatus,

Digitized by Google

in qua duodecim armatorum millia fuiſſe aiunt: exiguus videlicet numerus tantis molitionibus impar, niſi rebus omnibus oppreſſi eſſent, afflictiq; Hiſpani. Nam quod rebus perditis accidit, conſilium ab omnibus dabatur defendendæ patriæ, periculum ſumere ſinguli recuſabant. Cum Duce ratio belli mutata. Erant qui ſuaderent, vt iunctis cum Tariffio viribus, reliquas vrbes peterent, quæ Mauricum iugum nondum ſuſceperant. Vicit ſententia eorum, qui cum Chriſtiani eſſent, tempori potius quam religioni ſeruientes, ad reliqua perficienda Muzæ ſuam operam pollicebantur: auctoreſque erant, vt ſuis viribus peculiarique exercitu vicinas vrbes ſubiugaret. qui curſus Barbaro ad laudem certior videbatur. Affuit præterea Iulianus Comes, an noui Ducis promerendi ſtudio, & liberalioris militię ſpe, an Tariffii odio incertum: & ſolent patriæ proditores, vt ſunt ingenio turbulento & inconſtanti, minori gratia primum eſſe, deinde odio propter ſceleris memoriam, & quia tanquam creditores aſpiciuntur. Algezira vbi barbarorum copiæ expoſitæ erant, Adoniam primum itum eſt. ciues aliquandiu obſidionem tolerarunt, ſuaque virtute, & vrbis munitione confiſi, non ſemel irruptione pugnarunt: ad extremum vi expugnati. Carmona deinde Bæticæ quondam firmiſſima vrbs, eodem belli impetu tentata. Barbarus diebus aliquot multis laboribus fruſtra conſumptis, Iuliani arte deluſam ciuitatem cepit, cum defectione ille à Mauris, pugnaque ſimulata, intra mœnia eſſet admiſſus, ea porta, cui olim è Corduba nomen fuit. Raſis Arabs poſtquam Muza & Tariffius Toleti congreſſi ſunt, hæc contigiſſe tradit: & Iuliani Comitis milites, ait, haudquaquam ſimulatione fugæ, ſed mercatorum ſpecie arma Carmonam intuliſſe, ea quibus capta eſt. Nos his rebus commemorandis Roderici Præſulis auctoritatem ſequebamur. Hiſpalis, quo ſe Gotthorum numeroſa multitudo contulerat, cum ingruentem barbarorum vim repellere non ſperarent, ciuibus occulte fuga elapſis denuo eſt capta. Iudæis, qui remanſerant, vt cum Arabibus confuſi eam domicilio obtinerent, tradita à victore eſt. Eadem fortuna fuit Pacis Iuliæ in Luſitaniæ finibus ſitæ, quo ciues Hiſpalenſes ſe contulerant. Cæterum vi an deditione barbarorum armis ceſſerit, incertum: niſi quod ſatis conſtat magnam Chriſtianorum multitudinem diu in ea vrbe poſt hanc calamitatem vixiſſe. Non procul iis locis Emerita erat, Romanorum olim colonia, ea tempeſtate inter Luſitanię vrbes nobiliſſima, antiquæque amplitudinis & maieſtatis haud obſcura veſtigia retinens. tametſi multis bellorum iniuriis deformata erat, ac poſtremo in eo prælio, quo Ruderico Duce Hiſpaniæ fortunæ omnes euerſæ ſunt, multi ciues perierant in acie. qua calamitate haudquaquam qui ſupererant animis fracti aduenienti hoſti obuiam proceſſere. tumultus perſimilis pugna fuit, multique vtrinque ceciderunt, ac Emeritenſes tandem cum numero vincerentur, & rebus omnib. inferiores eſſent, intra mœnia compulſi. Tum Muza quatuor tantum comitibus ſtipatus, antiquiſſimæ vrbis ſitum & maieſtatem oculis contemplatus, dixiſſe fertur: Ex toto orbe ad hanc vrbem fundandam homines conſpiraſſe arbitror, felicem qui eius imperio potiretur. Ea cupiditate inflammato amplius animo anxiuſque, diligenter vrbis expugnandæ rationes conſiderans, forte animaduertit lapicidinam veterem vrbi coniunctam. ob depreſſionem loci inſidiis parandis fore opportunam. In eum ergo locum de nocte equitatus partem immittit, ciues denuo prælii fortunam tentaturos haud inani coniectura reputans. Id cum ſequenti luce eſſet factum, obſeſſi irruptione facta in inſidias præcipitantes, à fronteque & à tergo ab hoſtibus circumuenti, multis cadentibus, reliqui facto cuneo egregieque propugnantes vix in vrbem euaſerunt. Ea clade audacia caſtigata, pugna abſtinere conſilium fuit, atque vrbis tantum mœnibus & munitione hoſtium vim propulſare. Obſidio ducebatur: Muzaque quietis impatiens, opera omnia comparabat, quæcunque expugnandis vrbibus idonea ea tempeſtate habebantur. ligneæ turres extructæ, vineæque, quibus tecti milites muro ſuccedentes lapidum compages dolabris diſtrahere, atque in vrbem aditum patefacere moliebantur. Obſeſſi locis omnibus adeſſe, hoſtiumq; conatus virtute ac diligentia eludere. Erant numero imminuti ciues, & commeatus anguſtia cœperant laborare. ergo neceſſario de deditione agunt, iis tamen conditionibus quas victor Muza, vt erat vaſto animo repudiauit. Re infecta legati in vrbem redeuntes, vnam ſalutis ſpem in Ducis ætate graui atque affecta collocare: vix ſuperuicturum omnibus ſermonibus prædicare quouſque vrbs eſſet expugnata. Barbarus re intellecta, barbam & comam infecit. Legati rurſus de eadem re facta ipſum conueniendi poteſtate perculſi animis, & miraculum interpretati effecerunt, ciues vti ſerio de deditione facienda cogitarent, ei homini qui naturæ etiam leges ſuperaſſe videretur. Deditionis conditiones fuerunt. Vt ciuium, qui in acie ceciderant, aut in obſidione defuncti erant, bona victori cederent. Eccleſiarum reditus, & ſacrorum inſtrumenta ex auro & argento occuparet. Qui manere in vrbe vellent, res ſuas retinerent: qui diſcedere, iis quocunq; vellent migran-

migrandi facultas eſſet. De tempore quo Emerita barbaris ceſſit, non ſatis conſtat. Rodericus Præſul intra eundem menſem ait, quo Muza venit in Hiſpaniam: eodem an ſequenti anno non explicat. Et conſtat Pacis Iuliæ atque Ilipulæ ciues nouum imperium nondum ſatis firmatum euerti poſſe cogitantes, correptis armis Hiſpalim occupaſſe, Maurorum præſidio magna ex parte cæſo. Intempeſtiua audacia exitio fuit, maloque coacti ſunt iugum impoſitum perferre. Abdalaſiſius Muzæ filius, patris iter proſecutus venerat in Hiſpaniam. Is per otium aliquando cum patre expoſtulans, quod eius indulgentia nihil ea ætate ſuoque animo dignum geſſiſſet, facile impetrauit, vt valida Maurorum manu attributa, virtutis ſpecimen daret. In Valentiæ fines irruerat, ibique cum eius tractus incolis proſpere acie pugnarat. Valentiam, Dianium, Alicantium, Orihuelam, atque Ortam, iis in locis ceperat ciuium deditione ea lege: Vt à templorum ſanctitate abſtineret, & religionis Chriſtianæ cultus deinde nemini fraudi eſſet. Res ſuas cuncti retinerent vectigali repræſentato: quod magna moderatione imperabatur. His rebus peractis, huius ſeculi anno ſextodecimo, Hiſpalim petens breui eam vrbem in poteſtatem redegit, cæſis omnibus qui- 716.
cunque ſuperioris rebellionis & cædis auctores extiterant. Eodem animi ardore Ilipula capta, vbi magna ſtrages hominum fuit: fortaſſis etiam vt magnitudo ſupplicii terreret alios, ſolo æquata: nam ex valida vrbe noſtra ætate exiguum oppidum euaſit Pennafloris nomine Cordubam inter & Hiſpalim. Raſis Arabs Emeritæ præſidium cæſum ait, Hiſpalenſeſque cum Pacis Iuliæ & Ilipulæ ciuibus conſpiraſſe. Emerita Toletum Muza abiit. Tariffius aduenienti vltra Elboram in Carpetanis proceſſit obuiam honoris gratia. Ad Tietarem amnem, qui Arguueli agros interfluit, congreſſi ſunt, magna vtrinque lætitiæ ſignificatione: tametſi animis auerſi penitus erant. Muzam inuidia ſtimulabat: Tariffium metus amittendæ poteſtatis. Accuſabat enim Muza, quod bello gerendo eius præceptis haudquaquam obtemperaſſet. fortunæ temeritate potius quam pugnandi ſcientia, atque ex militari diſciplina viciſſe. Verum hæc apud vulgus non probabat, audacia conſilia ex euentu æſtimare ſolitum. Inter has contentiones vbi Toletum ventum eſt, ad rationes Tariffius compulſus, eorum quæ in bello expenſa, quæque victoriæ curſu capta erant. quam ille ſiue iniuriam ſiue acerbitatem diſſimulanter ferendo, accommodatiſq; ad tempus officiis, ſenis animum lenire ſatagebat. Omnino vtrinque conciliatis animis Cæſaraugustam petierunt, eamque vrbem armis viriſque potentem ceperunt. denique multis vrbibus potiti in Celtiberia, atque Carpetanis, ac pleriſque exercitu incruento, vniuerſa ferme Hiſpania domita Maurorum armis videbatur, non toto triennio euoluto, ex quo Maurorum exercitus primum ex Africa venit: res miraculo comparanda. nam interiora regionis adiri non poterant niſi magna difficultate. Iuga montium, denſæ ſyluæ, inacceſſæq; rupes, pleraſq; Hiſpaniæ partes ſepiunt. Vlit Miramamolinus tantis victoriis nunciatis, quas ne diſcordia Ducum labefactaret verebatur, vtrunque ad ſe venire iuſſit. Muza diſcedendi certus, & ne ſe abſente turbaretur prouincia, conſenſu procerum, quorum conſilio vti voluit, Abdalaſiſium filium, cuius ea virtutis documenta recenti memoria extabant, pro ſe ſubſtituit Hiſpaniæ moderatorem. Cuncti ordines in eius verba iurare adacti. Ipſe & Tariffius antea magni atque clari, nunc tantis rebus peractis maiores atque clariores, vt erat imperatum in Africam nauigarunt, eos theſauros prædamque omne genus exportantes, quos Gotthorum potentia tam longo tempore congeſſerat.

De annis Arabum. CAPVT XXVI.

CVM imperio mores prouinciæ, leges, inſtitutaque mutata. Omnia colligere longum eſſet: quod præſentis loci eſt & ad cognoſcendam conſequentium temporum hiſtoriam confert, annorum ratione antiquata, qua vulgo Hiſpani vtebantur in actionum formulis, publicis tabulis, hiſtoriaq; conſcribenda, à Chriſti ortu, aut Era Cæſaris ducto principio numerandi: noua fere inuecta eſt, qua gens Maurica vtitur, quam late per orbem terrarum fuſa eſt. Mahumetes prauæ ſuperſtitionis conditor felicibus armis, Heraclii Imperatoris ignauia, Damaſci, quæ Syriæ vrbs nobiliſſima eſt, imperium gentis arripuit, regiaque inſignia deſumpſit. quo maior eſſet auctoritas, leges quaſi cœlo delatas numiniſque inſtinctu inflatuque acceptas ſubditis populis promulgauit. Nihil in ſpeciem fallacius eſt, quam praua religio, vbi diuinum numen ſceleribus prætenditur: nihilque potentius ad impellendum in fraudem multitudinis animos. Ab hoc tempore Mauri annos computant Egiræ, quod Arabibus nomen expeditionem ſignificat. Quo id ſalutis anno contigerit auctores variant, neque in colligendo conſequentium annorum numero opinionibus conueniunt. Pudenda hiſtoriæ, atq; antiquitatis ignoratio. Nobis è tantis tenebris lumen

veritatis eruere difficile erit. conabimur tamen quantum ingenio & diligentia conſequi poterimus: pauloq; altius diſputationem omnem ordiemur. Annum Sol ambitu facit Zodiaci ſigna percurrens diebus trecentis ſexaginta quinque & quadrante. menſem Luna auctu ſenio labore deſcribit, idem ſpacium circumagẽs diebus viginti nouem, horis duodecim. Tempus in annos tribuere receptum eſt omnium gentium more, annum in menſes. vnde vniuerſa difficultas exiſtit, quoniam Lunæ & Solis conuerſiones multum inter ſe diſcrepantes exæquare dierum numero promptum non eſt, quamuis multis ingeniis & temporibus in ea inquiſitione conſumptis. Annum antiquiſſimi Romani ad Solis numerum, lationeſque accommodarunt, varia inconſtantique ratione in decem menſes explicatum: è quibus ſex tricenûm eſſent dierum, quatuor tricenis & ſingulis complerentur, Martius, Maius, Quintilis, October. totus annus diebus quatuor & trecentis deſcriptus erat. Principium, menſis Martius, vti aliorum mẽſium nomina indicio ſunt, Quintilis, Sextilis conſequentium. Rudi ſeculo ingeniiſque nulla eruditione expolitis in quæ incommoda incurreretur non conſiderabant, ęſtatis ferias in hyemem verti, veris in autumnum, quæ maxima perturbatio eſt. Arabes vnde gens Mahumetana hauſit, annis deſcribendis ad Lunæ tantum conuerſiones reſpexerunt, duodecies per ſigna Zodiaci circumactæ: vnde duodecim menſes conflati, ſex dierum viginti nouem, triginta ſex alii. vniuerſus annus diebus trecentis quinquaginta quatuor deſcriptus. Quod inſtitutum inter Romanos Reges Numa Pompilius imitatus eſt, ad antiquam anni rationem quinquaginta diebus adiectis, geminoque menſe, Ianuario atq; Februario. Sed eueniebat longiori quidem quam antea tempore, certiſſimo tamen, vt frigus æſtiuis menſibus, calor hyemalibus proueniret. In quod incommodum vt gens Maurica incurrat neceſſe eſt, antiquo rudique inſtituto ad hanc ætatem mordicus retento. Nam cæteris cura fuit, omniſque labor, Lunæ Soliſque conuerſiones exæquato dierum numero inter ipſas comparare: vnde omnis inconſtantia varietaſque corrigeretur, magno ingeniorum labore, ſucceſſu impari. Græci octauo quoq; anno euoluto dies nonaginta, in tres menſes tributos effluere ſinebant. Idem eorum exemplo fecere poſteriores Romani, paucis tantummodo commutatis. Hebræi & Ægyptii vti erant cœleſtium rerum omnium præ cæteris cognitione præſtantes hanc ſpeciem emendationis quam intercalationem Latini vocarunt, prudentius excogitarunt, annis nouendecim, quo ſpacio omnis Lunæ conuerſionis varietas conſumitur, ſeptem menſes certis interuallis intercalantes. Iulius Cæſar Romana republica oppreſſa ad aliquam ſuæ prouidentiæ partem pertinere iudicauit temporum rationem, quæ nimium inter Romanos perturbata erat, acriori ſtudio emendare. Soſigenes mathematicus rerum cœleſtium peritiſſimus, Marcus Fabius ſcriba rerum Romanarum in cõſilium adhibiti. iis adiutoribus annus quidem ad Solis numerum trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante deſcriptus eſt: eoque ſingulis quatuor annis dies vnus conſumitur ad ſextum Kal. Martii, quem ob id Biſſextum nominarunt. Lunæ ratio atque inconſtantia omnis Aureo numero comprehenſa eſt: quem ab vnitate procedentem vſque ad nouendecim Kalendario Romano adiecerunt, decem & nouem annis ſeptem Lunas Ægyptiorum inſtituto intercalantes. Ratio tunc commodiſſima viſa eſt vt certus temporum ſtatus perſeueraret: ſed progreſſu temporis ob quaſdam minutias non ſatis deſcribenda anni ratione conſideratas, deprehenſum neutram rationem cum Solis numero conuenire. Itaque gens Chriſtiana, quæ ex Iulii imitatione quo ad ſtatiuas quidem ferias ſolarem, quo ad cõceptiuas autem lunarem annum ſequebatur, ſe multum à propoſito aberrare deprehẽdit. neq; anni initium in idem tempus incidere, neque Aureo numero, qua cauſa inſtitutus erat, Lunæ exortum deſignari deprehendique. Eoq; Gregorius XIII. Pont. Max. ſalutis anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, quo tempore hæc commentabamur, vtrunq; errorem correxit, Aureo numero expuncto detractoque è Kalendario, atque in eius locum maiori numero ſubſtituto, quem Epactas nominauit. Præterea ex menſe Octobri ineunte decem dies detracti, eo quidem anno ſunt: quo anni ſolaris initium ad competentem à veteribuſque deſcriptam ſedem reuocaretur. quam ne deinceps mutaret Biſſexti intercalatione certis interuallis omittenda prudenter excogitatum, atq; prouiſum. Verum de iis rebus ſubtilior accuratiorq; diſputatio ad aſtrologos ableganda eſt. quod præſentis loci, atq; ex vſu hiſtoriæ fore putamus, annum Mauri, vt paulo ante dictum eſt, vndecim diebus & quadrante noſtro anno minorem faciunt: quod pleríque ſcriptores non conſiderantes eius computationis initium, non vno loco deſignarunt, ab anno ſalutis quingenteſimo nonageſimo ſecundo vſque ad annum ſexcenteſimum vigeſimum ſeptimum mirabili ac pudenda varietate inerrantes. Cuius diſcrepantiæ eam extitiſſe cauſam arbitror: quod aliis atque aliis temporibus annos Arabum cognoſcentes, neq; conſiderantes eos annos minores noſtris eſſe,

eſſe, retro conuerſa ratione diuerſa numerandi principia deſignarunt poſteriores priora. Nobis in tanta varietate, quid potiſſimum ſequeremur in ambiguo diu fuit. Id tamen veriſimile maxime videtur, Arabum computationem inchoandam eſſe ſalutis anno ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Idibus Iulii, die Iouis, vti Annales Toletani teſtantur ante annos trecentos confecti. Quod re cum Iudæis & Mauris deinde communicata libello dicato, certa ratione conuicimus. Conſentiunt lapidum inſcriptiones, & incorrupta vetuſtatis monimenta. Quamuis Roderico Præſule, & Iſidoro Pacenſi diſcrepantibus, atque eius computationis initium ſalutis anno ſexcenteſimo octauodecimo deſignantibus, hoc eſt, ſeptimo Heraclii Imperatoris anno: pleriſq; in quo maior peruerſio eſt, atq; confuſio, vtriuſque nationis annos exequantibus, quod fieri non debuit.

Abdalaſiſii res geſtæ. Cap. XXVII.

COMMENDATAM à patre prouinciam Abdalaſiſius prudenter geſſit. Ex Africa noui imperii ſtabiliendi ſtudio multi à victoribus euocati, vt latiſſimam prouinciam bellorum iniuria incolis vaſtam domicilio obtinerent. Iis agri ſedeſque ad habitandum datæ. Hiſpalis delecta Maurici imperii ſedes, atque firmiſſima arx, vnde vniuerſæ prouinciæ iura dabantur. Egilonam Ruderici Regis vxorem captiuam, tanquam belli iure ad eum pertineret, Dux Maurus euocauit. Erat ætas idonea, formæque & actionum dignitas ſingularis. Ipſe ergo barbarus aſpectu continuo captus blandis verbis, num valeret, rogauit. Illa dolore recrudeſcente, atque ex ſuperioris fortunæ memoria animo exulcerata, lachrymis manantibus, debilitataque voce: Quid de me, inquit, ſcire cupis, cuius calamitatis fama totum orbem terrarum peruaſit, eo acerbioris, quo cunctis nationibus eſt teſtata? Felix paulo ante Regina, imperii fines vltra Hiſpaniam proferebam: nunc ſumma iniquitate fortunæ rebus omnibus ſpoliata, in numero captiuorum ſum, eo grauiori caſu deiecta, quo eram in ſublimiori faſtigio collocata. prorſus vt Hiſpani ſuarum calamitatum obliti meam vnius vicem gemitu & lachrymis proſequantur, grauioremque malis omnibus ducant. Tu ſi vt generoſos animos decet, Regum calamitate tangeris, in hac tua felicitate gaude veniſſe tempus cum regio ſanguini benefacere poſſis. Mihi nullum maius dare beneficium potes, quam ſi pudicitiam noſtram, hoc eſt, Reginæ atque matronæ, vt magnanimi Duces ſolent, tuearis: neque permiſeris noſtram fortunam cuiquam ludibrio eſſe. Alioqui tua ſum de captiua, quodcunque fert animus, ſtatuas. Ego ſi minus rebus, quoniam res ita tulerunt, perpetua certe beneficii memoria, tuæ voluntati obſequi, tibi gratificari nunquam deſiſtam. Reginæ oratione barbari animus amplius captus eſt: atque adeo vt officiis omnibus & blandimentis delinitam, ſibi eam connubio iungere non dubitarit. Pactam Chriſtianæ religionis cultum & libertatem in præcipuo dum vixit honore habuit. Erat enim forma inſignis, & florentiſſima ætas, eaque prudentia, vt eius auſpiciis rempublicam regeret, conſilio, vt maior auctoritas eſſet, regiam coronam imponeret capiti ſuo. In Antequeræ agro, qua parte Malacæ fines attingit, mõs ſurgit Abdalaſiſii nomine, fortaſſis appellatione a Mauro Principe mutuata. quemadmodũ nonnulli ſuſpicantur, à Maguedo Arabum Duce, Almagueris appellationem factam, oppido ditionis militum Diui Iacobi. Cauſam explicant, vicinum fontem extitiſſe, cuius ille aqua, quæ Arabum lingua Alma dicitur, libenter vtebatur. Nec dubium eſt cum rebus pleraque oppidorum, montium, fluminum, fontium mutata nomina, magnamque inductam veteris memoriæ confuſionem. nouas vrbes condendi, aut veteres ſuis nominibus appellandi gloriã Duces barbari quærebant. Quid Iuliano Comiti acciderit clam eſt: niſi quod æternis ſuppliciis viuum mortuumque mactatum eſſe ſceleris magnitudo, vt credatur facit. & fama exiit nullo ſatis idoneo auctore, Iuliani vxorem à barbaris lapidibus obrutam, filium ex Septenſi turri in ora Africæ datum præcipitem: ipſum perpetuæ cuſtodiæ in Oſcenſis agri arce Loarri Maurorum iuſſu, quibus tantopere gratificari voluerat, mancipatum: vbi eius ex lapide ſepulchrum extra arcis templum monſtratur. Occiſum ac bonis omnibus ſpoliatum, Rodericus Tudenſiſque aiunt, ipſum & Witizæ filios. Rerum ſtatus per hæc tempora plane erat miſerabilis. Mauris vniuerſa ferme parebat Hiſpania, vbi nullus erat cruciatus, quem à victoribus non perferrent Chriſtiani: vxores è virorum complexu rapiebantur ad libidinem: liberi de gremiis parentum: pretioſa veſtis atq; ornamenta maiorum diligentia congeſta impune auferebantur. Prædiorum fructus multo quam ante maligniores erant, irato cœlo, atq; agrorum cultu neglecto. tecta & diuorum domicilia ignibus conflagrabant. Cæſa incolarum corpora paſſim iacebant in vrbibus atque in agris. omnia domi foriſq; fletu & gemitu perſonabant. nulla erat facies mali, quæ non opprimeret Hiſpaniã: ſcilicet

violatas religiones numinis vindicta improborum ſed & innocentium ſuppliciis expiabat. Cantabriam tamen, & Pyrenæi montis partem ad confines Vaſconum atque Aragoniæ, Aſtures & Calæciæ partem multo maximam retinebant Chriſtiani, magis quia non impugnabantur ob locorum ſterilitatem aſperitatemq́;, quam quod ad reſiſtendum ſatis animi eſſet. In eas partes ex reliqua Hiſpania Chriſtiani paſſim dilabebantur: vbi nonnulla reipublicæ forma retenta, proceres & ſacrorum Principes res profligatas gubernabant. Chriſtiani qui Maurorum imperio parebant, cum Mauris confuſi eſſent, tunc mixti Arabes, nunc voce mutata aliquantum ab antiquo Muzarabes dicti ſunt, tum ipſi tum eorum poſteri. Ii religionis Chriſtianæ libertatem retinebant, templaque ex ritu Chriſtiano ſacrata, virginum ac monachorum collegia: tametſi plerique Epiſcopi ne videlicet in tanta rerum colluuione nominis maieſtas ludibrio eſſet, in Calæciam aliaſque regiones ſe receperunt. Iriæ Flauiæ Epiſcopus multis ex eo numero ad ſe confugientibus, reditus vnde viuerent, & decumas agrorum liberaliter ſuppeditauit, vt Ordonii Regis eo nomine ſecundi diploma declarat, Compoſtellanæ eccleſiæ conceſſum, ſalutis anno nongenteſimo tertio decimo. Per hunc modum cecidit Hiſpania: ſic nobiliſſimum Gotthorum regnum extinctum eſt. Scilicet cum cœlo vertuntur res humanæ. Quarum initium, earum & finis ſit, neceſſe eſt. Orta intereunt, auctaq; ſeneſcunt. Mihi ſane eo cecidiſſe videtur Gotthorum regnum & gens, vt ex ſepultæ cineribus noua, iuſta, & ſuis viribus nitens naſceretur Hiſpania, catholicæ religionis hac tempeſtate præſidium & columen: quæ ex ſuis omnibus partibus, quaſi membris in vnum corpus reuocatis compacta imperium latiſſimum, quale hodie cernimus, Orientis atque Occidentis vltimi finibus terminaret. Quo enim hæc tempore commentabamur, Philippus ſecundus Hiſpaniæ Rex potentiſſimus, Luſitaniæ acceſſione, quod felix, fauſtum, propriumq; fore ſperamus, perduellionibus ſemel & iterum acie ſuperatis auctus erat: & latiſſima prouincia poſt tot annorum ſpatia ſub vnius Regis imperium reuocata, Chriſtiani nominis hoſtibus eſſe cœperat multo amplius quam antea formidabilis.

LIBRI SEXTI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER SEPTIMVS.

Pelagii in Mauros rebellio. CAPVT I.

NONDVM totum biennium abierat, ex quo furor ille Africanus bellum impium Hiſpaniæ atq; nefarium indixit: cum ingens barbarorum exercitus tranſcenſis Pyrenæi montis iugis, quo ab Hiſpania Gallia dirimitur, in eam prouinciam ferro penetrauit: vt quæ pars Gotthorum imperio tenebatur, victricibus armis cederet. Et opportuna occaſio ſeſe dabat, quam ſpe complexi erant, reliquæ Galliæ inuadendæ atque occupandæ, Regum ſocordia, atq; inutili otio marceſcentium, nō minus quam paulo ante Hiſpania fecerat, inteſtinis diſſidiis fluctuantis atq; in occaſum inclinatæ. Pipinus ſenior, & Carolus eius filius, quamuis ex impari matre, a martia virtute cognomento Martellus, Mediomatricum & Leucorum, hoc eſt, Auſtraſiæ Duces, regiæ Francorum Procuratores, cum rempublicam vniuerſam bello paceq; adminiſtrarent, ad regnum cuius ſolum nomen penes legitimos Reges Pharamundi ſobolem erat, haud obſcure nitebantur, magna multorum inuidia atque obtrectatione. Familiam vnam in Gallia plus legibus & Regibus poſſe, plus reliqua nobilitate, pleriq; ægre ferebant. Eudo Aquitaniæ Dux. Auſtraſianorum conatibus obuiam eundo, vniuerſam prouinciam in factiones diduxerat. Omnino barbaris Gallico bello implicitis, Gotthorum reliquiæ, qui ex calamitoſo atque teterrimo communis patriæ naufragio, in Aſtures, Calæcos, atque Cantabriam euaſerant, & locorum munitione magis quam armis freti, ſummis ſe montium iugis tutabantur, occaſionem nactæ ſunt de recuperāda priſtina libertate aliquando cogitandi. Filios & vxores clam inter ſe conquerebantur in ſeruitutem abactos impotenti dominorum libidini ſeruire. ipſos quod extremum in calamitate erat. expertos non publico tantum imperio premi, ſed iuſtum propemodum ſeruitium ſingulos pati: omnes ſanctitates tota prouincia violatas: diuorum domicilia, qua belli furore incenſa euerſaq;, qua poſt victo-

riam Mauricæ ſuperſtitionis ſordibus contaminata: ſacrorum inſtrumenta direpta: barbaræ crudelitatis atq; perfidiæ expreſſa veſtigia locis omnibus extare. In Munuſa, in quo pręſidii aliquid eſſe debuit propter cõmunem religionem (erat is Gegione præfectus à Mauris) neq; hominis quicquam eſſe, præter figuram & ſpeciem: neque Chriſtianæ religionis, præter nomen & externum habitum. præſtare ſemel mori, quam in tanta indignitate vitęque acerbitate tandiu verſari. non iam de veteri gloria, quæ temporis momento obſcurata eſſet cogitare: neq; de priſtino gentis imperio, quod auerſa numina extinxiſſent laborare: tolèrabilẽ aliquam ſeruiendi rationem requirere: atq; vitæ non acerbiſſimæ conditionem ſupremis votis exoptare. Hæc cogitantibus, Dux magis quam vires deerat, qui ſui capitis periculo exemploq; virtutis, reliquos per Hiſpaniam Chriſtianos ad præclare audendum conandumque prouocaret. nam vt eſt ingenium multitudinis omnes audacter loquebantur: periculum ſuſcipere cuncti pariter detrectabant. vigor animorum extinctus erat. Gotthorum proceres tot bellorum oppreſſi caſibus, magna ex parte ceciderant. Vnus Pelagius vera Gotthorum Regum ſoboles, tametſi tot aduerſis caſibus iactatus erat, præcipua pollebat animi magnitudine atque conſtantia, neque id prouinciales ignorabant: cœperatque iam ante, ex fama rerum admiratio virtutis, & quibus ignotus facie erat. ſubſtituerant etiam animis ſpeciem corporis amplam atque magnificam. Commodo reipublicæ accidit per idem tempus, vt is è Cantabria, quo ſe poſt Hiſpanię cladem receperat, veniret in Aſtures: incertum euocatus ne, an ad rei bene gerendæ, patriæque iuuandæ, ſicunde ſe lumen oſtenderet, occaſionem intentus: an quia de Cantabriæ principatu plures reguli diſceptabant. nam tres ea tempeſtate Cantabriæ Duces inuenio, Eudonem, Petrum, Pelagium. In hunc continuo omnium oculi animiq; cõiecti, remedium aliquod tantis malis, atq; opem eo Duce afferri poſſe non omnino deſperantium, induceret modo in animum rerum ſummæ patrocinari. Periculi magnitudo, virium imbecillitas pleroſq; conturbabat: nam furori ſimile videbatur fore, nouo conatu, haud magna ſpe, denuo victricia barbarorum arma laceſſere, irritare animos. Verum quod metu facere detrectabant, caſus in neceſſitatem vertit. Erat Pelagio ſoror ętate florentiſſima, eximia venuſtate. Munuſa Gegione pro Mauris præfectus, puellæ pulchritudine captus, eam ſibi toro iungere cupiebat: diu ignotus, repente nobilis ſecundas res ſuſtinere non poterat neq; animi libidines ratione virtuteque frænare. Ergo cum Pelagii voluntate deſperaret vnquam ſe voti compotem fore, ſimulata beneuolẽtia, per ſpeciem legationis eum Cordubam ablegat: vbi Tariffius erat magni nominis Dux, cum nondum rediiſſet in Africam. Pelagii diſceſſu, facile optato coniugio potitus eſt. Fœditate cognita Pelagius, cum obita legatione reuertiſſet, ex compreſſæ ſororis ignominia, ſuęq; familiæ dedecore, quantum doloris ceperit, quantis iracundię flammis arſerit, de ſuo ſenſu quiuis ęſtimare poteſt. nec iniuriæ magis magnitudo vrebat, quã quod in ea rerum perturbatione, vltioni de viro præpotente, quique arma teneret, ſumendæ parem fore ſe non ſperabat. Cogitationem in omnes partes verſanti optimum fore vitum eſt, dum ſe comparat, & vindictæ occaſio ſeſe offert, ſilentium tenere, doloremq; comprimere: & lætitia ad tempus ſimulanda, fraudem fraude eludere, Itaque recepta ſorore in finitimos Aſtures aufugit, vbi ſtudia gentis erant, & propenſæ vniuerſæ prouinciæ voluntates. Munuſa rei nouitate perculſus, veritusque ne à paruis initiis latius ſerperet rebellionis malum, Pelagii conatus Tariffio renunciat. miſſi Corduba milites, Pelagium nondum viribus ſatis confirmatum facile cepiſſent, ni periculum indicio facto, celeri fuga euaſiſſet: admiſſoque equo, vicinum fluuium nomine Pioniam tranaſſet, aquis inundantibus rapidum: quod illi ſaluti fuit, hoſtibus qui iiſdem veſtigiis inſequebantur eo facto deluſis: cum certiſſimum vitæ periculum adire, Pelagii capiendi cauſſa tanti non eſſet. Ad Canicæ vallem (Cangas hodie dicimus) ex fuga euaſit. Iis in locis egentium & profugorum delectus habiti vndiquè confluentium ad ſpem recuperandæ libertatis. nam hoſtes maiori numero affuturos propediem, nemo dubitabat. Multi vltro nomina dant: tanta erat cupiditas Pelagio auſpice, pro patriæ ſalute ſuaque libertate certandi. Plerique metu hoſtium ſuorumque minis fracti, atque ancipiti periculo permoti, ſiue vincerent, ſiue vincerentur Hiſpani, ne alterutris prædæ eſſent, neceſſitate arma induunt. Aſtures ferme omnes in ſententiam perducti. Hortatur in concilio gentis, vti magno animo communis cauſſæ patrocinium ſuſcipiant, priuſquam barbarorum imperium vetuſtate amplius confirmaretur in Hiſpania, quod ipſa ſua nouitate nutabat. Celeritate, inquit, & audacia opus eſt, vt qui cauſſa ſuperiores ſumus, hoſtes virtute vincamus. Ciuitates ſingulæ modico Maurorum præſidio tenentur: ciuium multitudo noſtra eſt, omneſq; viri fortes tota Hiſpania nauare nobis operam & ſtudium cupiunt: nemoque erit (quem quidem Chriſtianum nominare fas ſit) qui non continuo in noſtra caſtra ſe conferat:

tantiſper modo ſuſtentemus, & recuperandæ libertatis ſpem in noſtrorum animis audacia & virtute alamus. Hoſtium exercitus in varias manus diſſipatus eſt. pars multo maxima in Galliam abiit. Nunc animis & virtute audendum: nunc pro veteri belli gloria, pro aris & religione pugnandum, pro liberis, vxoribus, propinquis, & neceſſariis, qui indigna & grauiſſima ſeruitute premuntur. Eorum calamitates, noſtraſque ipſorum ærumnas & pericula memoria repetere graue eſt, oratione recenſere, proſequi lachrymis vanum: opem aliquam & remedium adhibere ſalutare. tantum vos viros eſſe oſtendite ex nobiliſſimo Gothorum ſanguine prognatos. Secundæ res voluptateſque debilitarunt, & iniuriæ opportunos præbuerunt: nunc aſperæ & profligatæ acuant. An belli pericula adire graue eſt? at multo illa grauiora, liberos, coniuges in ſeruitutem abſtrahi, immenſæ hoſtium libidini ſeruire, (ò magnum atque intolerandum dolorem, ò grauem acerbamque fortunam!) vos ipſos interfici, quod ſit neceſſe victis accidere. An priuatarum rerum amor, & otii cupiditas tenet? erratis ſi republica oppreſſa ſingulorum fortunas ſtare poſſe putatis. Incendii vis, mihi credite, velut ex continentibus tectis in alia traiiciendo cuncta pariter vaſtabit. An locorum munitione confiditis? ſed neque deſides & otioſos hæc montium clauſtra tuebuntur. nec ſi maxime hoſtes ceſſabunt, tantam multitudinem quanta ſe in hæc loca recepit, ſolum ſterile, & rebus omnibus indigens alere poteſt. An paucitas noſtra deſpectui eſt? ſed præteriti temporis memoria, & ancipites bellorum caſus victoriam non numero ſtare, ſed virtute ſatis declarant. Deo cuius numen ante irritauimus, & nunc placatum confidimus, facile eſt numeroſas hoſtium copias paucorum armis proſternere. Tolerabili fortaſſe conditione, vt in malis hoſti ſeruire conſultius fore putatis? quaſi perfido hominum generi vlla fœdera ſancta ſint, fideique conſtantia ſit à barbara gente expectanda. Cum hominibus enim crudelibus nobis res eſt, an cum feris & immanibus belluis? Ego quidem, vobis adiutoribus laborem & periculum graue quamuis & maximum, ſuſcipiam tamen pro communi ſalute libentiſſime: & dum vixero hoſtis ero, non barbaris magis, quam ſi quis ex noſtra gente arma conferre & ſacram militiam ſuſcipere recuſabunt: nobiſcumque aut vincere aut mori non malint, quam in tanta vitæ acerbitate, ignominia, & calamitate verſari: & ſuppliciorum magnitudine ſanciam, ne hoſtes maxime metuendi ignauis eſſe videantur. Hæc dicentem ſingultus & gemitus eorum qui aderant ſæpe interturbarant, præſentium impendentiumque malorum imagines ante oculos inertabant. mœrori par metus. Verum cum ex aliquanto ſpacio reſpiraſſent, animoſque ad nonnullam ſpem melioris fortunæ reuocaſſent, ſanctiſſimo iureiurando bellum in Mauros ſanciunt. Nullum periculum communis ſalutis cauſa recuſaturos pollicentur. profitenturque principes ex omnibus bellum barbaris illaturos. Omnibus ſuffragiis Pelagius ipſe belli Dux, atque Hiſpaniæ Rex creatur, ſalutis ſcilicet anno ſeptingenteſimo ſextodecimo,
716. tametſi nonnulli huic annorum numero biennium addiderunt. Ab hoc initio ipſo tempore, quo impietas armata per vniuerſam ferme Hiſpaniam impune vagabatur, furor & audacia paſſim volitabant, & res communes propemodum deſperatæ erant: nouum regnum in Hiſpania auſpicato in perpetuum fundatum eſt, ſignumque ad bene ſperandum afflictis & oppreſſis prouincialibus ſublatum. Tanti nonnunquam eſt non deeſſe fortunæ, & oblata caſu ſapienter flectere ad conſilium. Calæci & Cantabri, quos Oceanus ad Septentriones alluit, & locorum aſperitate Aſturum exemplo confiſi, libertatem magna ex parte retinebant, ad belli ſocietatem adiuncti ſunt. Miſſæ præterea occultæ legationes, vrbes quæ in Maurorum ditione erant ſolicitatum obteſtatumque ne communi cauſæ deeſſent: ſuorumque potius conatus, rebus & conſilio iuuarent. Nonnulli ex vicinis locis in Pelagii caſtra dilapſi ſunt, communem belli fortunam rurſus ſubire atque tentare certi. Plerique noui Regis deſpectu, metuque maioris mali, citra diſcrimen rerum ſuarum belli ſpectatores eſſe mallebant quã pars, ex fortuna conſilium ſumpturi. Pelagius haud ignarus quanto in periculo res eſſent, primiſq; euentibus conſiderans metũ aut fiduciam gigni, cupiduſq; noui imperii ſanciendi auctoritatẽ: de Mauris prædas agere, locis omnibus inſtare, vrgere, carpere hoſtes, & trucidare, oppida & vrbes Aſturũ inuiſere, ſuaq; præſentia & oratione dubitantes erigere, audaces in fide confirmare, magna diligentia quæ ſubſidio eſſent conferre vndique & comparare: nullique labori parcere, quo ſuſceptam ſemel regii nominis maieſtatem inter ſuos tueatur, & aduerſus barbaros, quos continuo tanquam ad reſtinguendum incendium affuturos minime dubitabat. Inerat animo vigor atque ad labores perferendos ætas idonea: formaque corporis non cultu conſpicua, ſed virilis vere atque militaris.

Mauri

Digitized by Google

Mauri vincuntur a Pelagio / CAPVT II.

ALCHAMA Mauricæ militiæ Magiſter, magnique in ea gente nominis Dux, ex Africa cum Tariffio venerat, quo primum tempore tranſmiſſum eſt in Hiſpaniam: & ſuperioribus bellis omnibus virtutis ſpecimen dederat ſingulare. Is Aſturum motibus nunciatis, Corduba accurrit ad ſeditionis initia comprimenda: ne videlicet tempore & diſſimulatione vires ſumeret & confirmaretur audacia. Alchamam iuſtus exercitus ſequebatur ex vtraque gente conflatus ſcilicet. Oppas Hiſpalenſis Præſul ſocius adiunctus: vt pro ea ſacerdotii, qua fungebatur auctoritate, & pro ea neceſſitudine, quæ illum inter & Pelagium erat, temere tumultuantes arte & ingenio, quo valebat maxime, ad ſanitatem reuocaret, vanam ſine viribus eſſe audaciam doceret: ſuo quemque periculo furere. viros prudentes admoneret non tam belli initia quam exitus cōſiderare conſueuiſſe. ſi quæ Munuſæ aut aliorum Præfectorum iniuria extaret, præſtare legibus iureque agere apud Mauros rerum dominos, qui quod iuſtum faſque eſſet nulli vnquam denegaſſent. Arma ſumere, vimque importune intentare, conatu temerarium eſſe: euentuque haud dubium fore cunctis exitiale. Alchamæ aduentu ingens animos Chriſtianorum militum metus inceſſit. & vt fit, audaciſſimi ante diſcrimen, in ipſo diſcrimine ignauiſſimi omnium eſſe videbantur. ex ſuperiori rerum memoria barbarorum vires & perpetuam felicitatem formidabant, & ſeruorum in morem vix videbantur hoſtium conſpectum laturi. Venerat in periculū ſumma rerum. verū deſerta omnia ſine præſidio ſine virib. ſine conſilio, diuinum numen, diui tutelares Hiſpaniæ, Pelagii virtus atq; prudentia tutata ſunt. Inermem enim aciem & ipſo fluctuantem timore, hoſti tantis victoriis ferocienti obiicere cum temerarium fore iudicaret, militibus cæteris per vicina loca diſſipatis, delectos tantum ex omni copia mille viros retinet. cū iis in Auſenæ montis ſpeluncam locis ſpatioſam ſe condit, cui hodie ſpeluncæ Sanctæ Mariæ de Couadonga nomen eſt. Comparat in dies multos commeatum, arma telaque comportat vt ſi latebræ patefactæ eſſent, obſidionem tolerare, & ſi caſus ita ferret, ex eruptione etiam pugnare cum hoſte poſſet. Mauri Pelagii fuga conſilioque indicato, fugientis veſtigiis inſiſtunt. Breui ad ſpeluncæ aditum ventum eſt. Concordiæ viam tētare primum placuit ne cum deſperato hominum genere in locorum anguſtiis pugnare neceſſe eſſet. Oppas Præſul rei perficiendæ curam ſumit, factaque inter ſe colloquendi poteſtate, ex mulo quo vehebatur, cum prope acceſſiſſet, in hunc modum allocūtus fertur: Quanta, Pelagi Princeps, noſtræ gentis gloria fuerit, neque tu ignoras & hoc tempore à me commemorari ſuperuacaneum eſſet. Magnam orbis partem armis peruagati, quondam Romanis rerum dominis abſtulimus Hiſpaniam: nationes feræ & barbaræ virtute noſtra ſubiugatæ ſunt: Maurorum ipſi armis nuper victi conceſſimus: & ad exemplum inconſtantiæ humanæ felicitatis è rerum faſtigio in quo paulo ante eramus collocati, in ſupremas calamitates & maximas præcipitauimus. Qui rebus integris victi ſumus, num perditis & profligatis pares erimus? Speluncæ credo munitione, in qua pauci latronum in morem incluſi eſtis, & tanquam feræ indagine cinctæ, tenemini, numeroſum hoſtium exercitum, in quo ſexaginta millia homines ſunt nihilominus, arceri poſſe ſperatis? Obcæcat nimirum animos Deus noſtræ nationis ſceleribus irritatus, ſanguineq; necdum ſatiatus. quod præliorū euentus illis proſperi, noſtris aduerſi niſi ſatis declaraſſent, importuni iſti conatus docere potuerunt. Quin iſtam mentem abiicitis: & dum clementiæ aditus interclusus non eſt, dum veniæ ſpes ſupereſt, armis continuo poſitis ignominiam, ſeruitutem, interitum temeritatis ſcilicet mercedem, honoribus & præmiis, quæ vobis polliceri poſſum maxima mutatis? & vniuerſæ potius Hiſpaniæ iudicium & exemplum ſequimini quam animi ſine ratione impetū, & cæcam temeritatem? Ad hæc Pelagius: Tibi, inquit, & Witizæ fratri, eiuſque liberis diuina vltio metuenda eſt: tametſi ad breue temporis ſpatium res ex ſententia fluant. Veſtris ſceleribus diuinum numen irritatum eſt. omnes tota prouincia ſanctitates contaminatæ. leges ipſa vetuſtate ſacroſanctæ refixæ. Ab his gradibus eo furoris progreſſi eſtis, vt Mauros feram gentem & immanem attraxeritis in Hiſpaniam; vnde tot clades acceptæ, & tantum Chriſtiani ſanguinis effuſum eſt. Pro quibus ſceleribus, ſi quidem res humanas Deo curæ eſſe arbitramur, viui mortuique pœnas grauiſſimas dabitis. Tu omnium maximas, qui perſonæ quam gerebas oblitus, horum malorum præcipuus & maximus auctor fuiſti: & modo impudenti oratione hortari auſus es, vt denuo ſeruitutis iugum ceruicibus accipiamus, quauis calamitate grauius. hoc eſt, vt ego interpretor, ſuperiores acerbitates & mala, quibus vexati ſumus denuo ſubeamus. Hæc, hæc illa præmia ſunt magnifica, hi honores ad quos noſtros milites inuitabas. Nos Oppa neque tam auerſas diuinas aures, & animum à rebus noſtris eſſe putamus, vt tuis

,, pollicitis fidendum ſit: & Deum ſupplicii acerbitatem ſperamus, vt ſolet continuo com-,, mutaturum benignitate. Quod ſi nondum ſatis pœnarum datum eſt, ſupplicesq; & præ-,, ſidio indigentes periculo eripere noluerit: ſtat ſententia morte obita præſentes calamita-,, tes redimere, & duriſſimam ſeruitutem ſempiterna (ſic ſperamus) felicitate mutare. Pelagii oratione intellectum eſt obfirmato animo, aut moriendi aut vincendi obſeſſos eſſe: quando omnibus circumuenti malis, præterea Oppæ verbis vltro prouocati deditionem facere recuſabant. vim ergo & metum adhiberi placuit. Speluncæ aditus telorum omne genus & lapidum procella quaſſatur. in quo vis numinis apparuit noſtris propitii, infenſi hoſtibus. Sagittæ & lapides miſſi reflecti in iacientes viſi ſunt: ipſoſque barbaros reuoluta in auctores tela magno numero vulnerare trucidareque. Tanto miraculo hoſtes attoniti. Chriſtianis cum ſpe victoriæ pugnandi ardor inceſſit. Erumpunt ex latebris pauci numero, elluuie corporum fœda acies: pugnam magnis animis inuadunt. tumultus perſimilis dimicatio fuit. Hoſtes incuſſa diuinitus formido debilitauit, continuoque in fugam verſi. cæſi ſupra viginti millia. reliqui ex Auſenæ montis faſtigio, quod fugæ initio occuparunt, in Libanenſem agrum delati ad Deuæ fluminis ripam prope prędium, cui ab euentu (ſic arbitror) Cauſegadiæ nomen fuit, montis vicini parte ſponte conuulſa ab imo atque collapſa in ſubiecti fluminis aquas præcipitarunt. Strages armorum atque oſſium iis in locis effoſſæ retectæque, quo præſertim tempore hibernis pluuiis augentur aquæ, ripaſque exedunt, diu cædis indicio fuiſſe memorantur. Pauci cladi ſuperfuere. Alchama in pugna periit. Oppas Hiſpalenſis Præſul in poteſtatem venit: de quo more militari ſupplicium fuiſſe ſumptum, tametſi hiſtorici ſileant, ſcelerum magnitudo indicat, & de rebus ipſius deinceps ſilentium in hiſtoria. Munuſa tantæ victoriæ nuncio perculſus animo, & Gegionis munitione diffiſus ob alienatas ciuium voluntates, fuga euadere conatus ad Olaliem vicum ferro incolarum occubuit. Eius cæde non publicæ tantum iniuriæ vindicatæ, ſed etiam priuatus Pelagii dolor ex accepta ignominia mitigatus: nihilque de victoriæ lætitia diminutum, ſi cuius crudelitate irritati arma ceperant incolumis euaſiſſet.

718 Pugnatum eſt ſalutis anno ſeptingenteſimo octauodecimo. Quo tempore in Africa Muza criminibus à Tariffio æmulo apud Miramamolinum circumuentus, & ad accepti expenſique in bello Hiſpanienſi rationes adductus, cum ingenti pecunia mulctatus eſſet, ignominiæ dolore obiit. Abdalaſiſius eius filius cum Hiſpaniam annos tres pro Mauris gubernaſſet, inuidiam prouincialium & ſuæ gentis incurrit: quod principum filias magno numero vitiaſſet. Itaque in ipſis templi adytis, vbi ex ritu gentis precibus vaca-

719 bat, ſuorum ferro periit anno ſeptingenteſimo nonodecimo. Fama tenuit Egilonæ coniugis inſidiis circumuentum, cum tæderet conditionis, atque præ aliis quas vir amabat contemptui ſe haberi cerneret. Eius ſuaſu, vt tradunt alii, regia inſignia ſuſcepta malo fuere, & cultui corporis vitæ faſtus & actionum ſuperbia conſentanea. Cædis præcipuus auctor Aiub genere propinquus Rempublicam geſſit in Hiſpania menſe vno, Calataiubæ conditor, vti Rodericus Præſul ait, quod eſt in Celtiberis municipium præclarum. Succeſſit Miramamolini Zuleimani iuſſu (is Vlit fratre defuncto Maurorum imperium obtinuerat) Alahor in Abdalaſiſii locum ſubrogatus Hiſpaniæ bello paceque gubernator, homo ferus & barbarus in Mauros æque ac Chriſtianos: ciues enim Cordubenſes bonis euertit: rapinarum cupido idonea ipſi iniuriæ faciendæ cauſſa videbatur. de Mauris quæſtiones habitæ, qui primi venerant in Hiſpaniam, & deuictæ gentis ſpoliis ſe contaminaſſe interpretabatur. Hunc memorant Hiſpali ſedem imperii Maurici Cordubam tranſtuliſſe: atque cum Iuliani & Witizæ filiorum fraude, cladem in Aſturibus acceptam ſuſpicaretur, bonis eos ſpoliatos omnibus peremiſſe. mercedem nimirum actionibus conſentaneam & vitæ, patriæ proditores reportare æquum erat.

Reliqua Pelagii actiones. CAPVT III.

IS ERAT Chriſtianæ rei curſus in Hiſpania, vt in bonis aduerſus, vt in tantis tenebris tantaque aduerſariorum potentia non incommodus. & parta de Mauris victoria Pelagius non modo in Aſturibus imperium firmauit, vbi eatenus ſe tenuerat: verum in ſubiectam planiciem delatus, Mauricæ ditionis oppida, igne, ferro, & direptionibus vexabat: auctuſque indies viribus, nam multi rerum geſtarum fama permoti in eius confluebant Caſtra, Legionem vrbem ad montium radices poſitam, eorum qui à Calæcis

722 Aſtures dirimunt, vi expugnatam ſuæ ditionis fecit eius ſeculi anno vigeſimo ſecundo. Quo ex tempore ſe Legionis Regem dixiſſe nonnulli arbitrantur: reſiſtunt alii, cognoſcendæ

ſcendæ antiquitatis ſtudio maiori, quibus veteres priſcorum Regum tabulæ fauent, confirmantque priores Principes Pelagium & poſteros Oueti tantum Reges fuiſſe nuncupatos. Fauent vetera horum Regum ſepulchra Oueti, aliiſque in Aſturibus locis conſtituta, ante Hordonium eo nomine ſecundum, qui primus ſe Legionis Regem dixit: & in ea vrbe templum D. Mariæ Maioris nomine, quod ab imo totum extruxerat viuens, ſepulturæ moriens delegit. Illud maiore aliquanto fide traditur: Legione capta, priſca Gothorum Regum inſignia Leonis rubra effigie mutata, in clypeo argenteo cælati, in pedes erecti, atque diducto rictu formidabilis. Quocunque ab initio ſuſceptum, in morem certe abiit ad vſque noſtram ætatem: & eſt idem lingua Hiſpanorum vernacula Legionis & Leonis nomen: vnde erroris occaſio viris arma tractantibus à litterarum ſtudiis abhorrentibus. Res Chriſtianorum ad hunc modum reſurgẽtes, multum iuuit Alfonſi virtus, eius cui regnum adepto Catholico cognomen fuit. Petro Cantabriæ Duce patre, ex nobiliſſimo Reccaredi Regis ſanguine ſatus erat. Prætereà Egica & Witiza Regibus ordines duxerat iunior: & nunc Reipublicæ iuuandæ ſtudio incenſus, relicta patria patreque, ſuo aduẽtu piorum animos auxit vireſque, cum Cantabrorum valida ſequeretur manus. Omnino Ormiſinda Pelagii filia Alfonſo nuptui data: eoque connubio amplius vtriuſque Principis animi perpetuo fœdere conciliati. vnde Hiſpaniæ in poſterum Regibus origo generis, perpetuaque propago, & tunc breui maius operæpretium factum. Gegio loci natura & munitione firmiſſima, Aſturica, Manſilia, Tineus, aliaque in Aſturibus & Calæcis oppida Mauris erepta (inde Pelagium & poſteros Gegionis Reges dictos ſuſpicamur, aliiſque occaſionem extitiſſe hos Reges Legionis vocatos exiſtimandi, vnius permutatione literæ.) Incolæ cum religionis Chriſtianæ cultores eſſent, & Pelagii rebus naturæ impulſu fauerent, cæſis pulſiſque Maurorum præſidiis, erectique paſſim ad ſpem recuperandæ libertatis, vrbes & oppida cupidiſſime dedebant. Accidit magno rei Chriſtianæ cõmodo, Mauros in diuerſa Hiſpaniæ parte magnis bellorum motibus, quæ ex aliis alia nexa aptaque excitabantur, implicatos teneri: ne iuſto comparato exercitu Pelagii conatibus obuiam iretur. Etenim Zuleima defuncto, Homarus & Izit filii Vliti, ex patrui adoptione Maurorum late patens imperium Aſiæ, Africæ, atque Hiſpaniæ obtinuerant, nouo exemplo inter Mauros atque haud ſcio an ſatis probabili, exæquata duorum poteſtate. Homarus intra primum imperii annum ex morbo defunctus eſt, Izit ſolus rerum potitus, Zamam præfecerat Hiſpaniæ, magno virum ingenio, magnoque rei militaris vſu, neq; minori quam ſuperiores auri cupiditate. noua & grauiora quam antea vectigalia captiuis vrbibus imperata. Narbone in Gallia militare præſidium conſtitutum. Toloſa Gothici olim imperii in ea prouincia ſedes circunſeſſa. In ea obſidione, Eudonis Aquitaniæ Ducis ſuperuentu, barbarus acie victus & cæſus eſt. exercitus in prælio fugaque magna ex parte trucidatus. qui ſuperfuerunt cladi, obſidione continuo ſoluta, dum ex Africa nouus Præfectus veniret, Abderrahmanum in occiſi Ducis locum cooptarunt domi militiæque clarum: qui tantiſper res inclinatas, virtute & prudentia ſuſtentaret. Miſſus quamprimum aduerſo gentis caſu nunciato Aza (alii Adham ſcribunt) Mauricam rempublicam in Hiſpania Iziti Miramamolini vicarius ſuſcepit gubernandam. Hic prouinciam tantis feſſam malis, nouis calamitatibus exagitauit. vectigalia multo quam antea acriora imperata. exhauſtis prouidebatur ſcilicet populis, ne ad rebellandum facultas eſſet, quibus ſtudium erat & cupiditas rerum nouarum prorſus vt oppidis & vrbibus, quæ per vim ſuperioribus bellis capta erant, quintam redituum & prouentuum omnium partem, in regium ærarium inferre quotannis mandaret: decimam illa oppida quæ ex deditione in Maurorum poteſtatem venerant. Ea conditione Chriſtianis incolis datum prædia & poſſeſſiones priſtinas quaſi mancipii iure retinere. Raſis Arabs à Mauris ait, quintam bonorum omnium partem exegiſſe, ſpecie quidem pauperum, quorum erat tota ditione innumera multitudo, inopiam ſubleuandi: re vt viribus debilitati, haudquaquam ſe commouendi facultatem haberent. Cordubæ pontem exædificandum curauit. Hiſpaniæ tractum monti Cauno adiacentem bello oppreſſit, (nonnullæ enim vrbes veterem libertatem mordicus retinebant) Turiaſonem vi captam ſolo æquauit. Tantis rebus intra biennium & menſes ſex in prouincia perfectis ferro ſuorum, quorum inuidia maxima flagrabat, ex inſidiis Dertuſæ occubuit, Ambiza, Odra, Iahea, ſucceſſoribus, vt Rodericus Præſul eſt auctor: vt ego interpretor, Hiſpaniam eodem tempore tripartito, cum in nullum vnum totius gentis voluntates conſpirarent, aliquandiu gubernarunt: aut ſingulorum imperium paucorum menſium fuit. Conuenit Izito Imperatore in Aſia defuncto, Iſcamum eius fratrem in imperio ſucceſſiſſe ea lege, vt Abulit Iziti filium ſucceſſorem ipſe, vt fecit, adoptaret. Maurorum imperium obtinuit ſalutis anno ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, imperii Arabum centeſimo ſeptimo, iuxta 724

Roderici Præſulis computationem in hiſtoria de Arabibus, vtroſque annos Chriſtianorum atque Arabum, quod faciendum non fuit, exæquantis, vti alio loco monſtratum eſt. Tenuit autē imperium vno de 20. annis merito rerum geſtarū ac perpetua felicitate, ipſaq; ditionis amplitudine clariſſimus: niſi cæteras virtutes congerēdæ vndiq; pecuniæ auiditas immenſa fœdaſſet, vnde maiores opulētia vicit, ſubditorum odium incurrit grauiſſimum. Rerum potiente Iſcamo, Odayſa, Himenus, Autuma, Alhaytanus, Mahomad, deinceps eius iuſſu, fama non eadem Hiſpaniam pro Mauris gubernarunt. ſingulorum vix annuum imperium fuit: Mahomadis bimeſtre tantum. Nam ſalutis anno ſeptingenteſimo tri-
731. geſimo primo Abderrahmanus ſubſecutus eſt, fortaſſis ille de quo paulo ante commemoratum eſt. Huius Præfecti res geſtas, quoniam maiori fama celebrantur, & proſpero tandem noſtris exitu ad memoriam iucundæ ſunt: compendio explicare operæpretium fore arbitror. Bello bonus habitus ad cætera, quibus nemo ex Maurorum gente per eam ætatem inſtructior Dux fuit. immite tantum ingenium, imperiumque graue, non magis Hiſpanis, quam genti ſuæ temporum licentia vitiis omnibus deprauatæ. Ea res odium illi multorum conciliauit: Munizio viro acri atque præpotenti inter Mauros, occaſionem ſuppeditauit nouorum motuū. Gallia Gothica longinquitatis opportunitate vſa, & acerbitate Præfectorum prouocata, Munizii auctoritatem ſecuta eſt. in Hiſpania ad Pyrenæi montis iuga Ceretani. Eudo Aquitaniæ Dux, cum Francorum æque ac Maurorum arma ſat garent, in fœdus attractus. Hunc ego Eudonem illis temporibus grauem, & ſtrenuum atque ſapientem virum comperio: niſi quod religione prohibebatur, nefaſque Chriſtianorum legibus ſemper eſt habitum, partium ſtudio, vincendi cupiditate, Munizio filiam ſuam cōnubio iunxiſſet, icti fœderis confirmandi cauſſa: quod illi coniugium non ignominioſum tantum fuit ſed etiam infelix. Abderrahmanus enim Munizii conatib. cognitis, & prouinciæ tumultu renunciato, in extremos Hiſpaniæ fines mouit: circumſeſſumque hoſtem in Ceretania vrbe, cum neque fuga euadere liceret, neque ſalutis ſpes eſſet ſi in hoſtis poteſtatem viuus veniſſet, vitam præcipitio finire compulit. Vxor florenti ætate, formaque lectiſſima, occiſique viri caput in Africam miſſa grata nimirum ſummo Maurorum Imperatori munera. Munizii caſu plerique interpretabantur, iniurias vindicatas in religionem Chriſtianam, multuſque gentis Chriſtianæ ſanguis barbara immanitate effuſus: ac nominatim, quod Anabadum Epiſcopum in ætate vigente priſci moris virum, igne combuſſiſſet. Abderrahmanus ex ea victoria animo elatior factus in Galliam irruit, belli terrorem Gothis & Francis circunferens, quam late nobiliſſimæ prouinciæ fines patent, ſecundum Mediterraneum mare Rhodanum vſque progreſſus. Arelatum vrbem eo tractu primariam obſedit. ad eam vrbem cum Eudone qui obuiam proceſſerat, ſigna collata. Vicere barbari. noſtrorum cædes tanta, vt nulla ea ætate maior. Oſſium cumuli diu ad eam vrbem extantes, cladis quanta eſſet indicio fuerunt. Conuerſo deinde in læuam itinere, magnamque Galliæ partem emenſus victricibus armis, in Aquitaniam irruit. & Garumna tranſmiſſo, Burdigalam ad Oceanum mare incenſo agro, dirutis templis euaſtat. Iis in locis rurſus ab Eudone, cum vires reparaſſet, dimicatum aduerſus communem Chriſtiani nominis hoſtem. Eadem prælii fortuna fuit, noſtris aduerſa, Mauris ſecunda. Engoliſmenſes, Petragorii, Sanctones, Pictoneſque eadem belli flamma vexati. Vertebatur in eo bello diſcrimen rerum Chriſtianarum. quis enim domitores Aſiæ atque Africæ, & Gothorum nuper imperio deleto formidabiles, æquare viribus poſſet? Quis auderet certaminis aleam ſubire? cum inuicto barbarorum robore pugnare? Ipſa nominis fama, atque rerum geſtarum claritate, perculſæ cæteræ nationes erant, ac propemodum ſubiugatæ. Communi periculo permotus Carolus Martellus, regiæ Francorum ea tempeſtate Magiſter, magnis delectibus habitis Germaniæ, Auſtraſiæ, & Galliæ numeroſam pubem armat: multi ſponte nomina dant tanti incendii reſtinguendi ſtudio inflammati. Cum his copiis hoſti procedit obuiam pugnandi certus. Turones peruentum, vrbem D. Martini fano nobilem, lætiſſima cæli agrique facie, vbi ſpirant identidem Fauonii atque Auſtri, & tunc Aquitaniæ contributam. Ligerim fluuium, ad quem eſt ſita traiiciunt, vt pro munimento à tergo eſſet: ne hoſtium multitudine circumueniri poſſent, qua ſuperabantur: vincebant ipſi cauſſa, virtute, & ſcientia pugnandi. Iis in locis caſtra poſita. Eudo ſimultate, quæ illi cum Martello erat, patriæ caritati condonata, & eſt timor externus maximum concordiæ vinculum, cum Francis vires & copias iunxerat. magno id adiumento ad victoriam fuit. Franci ſcriptores Maurorum copias Eudonis accitu, quo nimirum Martello æmulo ægre faceret, in Galliam tam longe penetraſſe affirmant: & nunc eorum perfidia commotum, qui Aquitaniam euaſtaſſent nullo

fœderis

fœderis reſpectu, mentem mutaſſe. hiſtorici Hiſpani ſilent. gratiæ aut odio nationis Hiſpanicæ alterutrum datum interpretabamur, (Nam Eudo in Cantabria principatum obtinebat, Aquitaniam dotalem habuerat) quid potiſſimum in re dubia ſequeremur incerti: niſi quod prælia duo, quibus cum barbaris decertaſſe monſtratum eſt, Eudonis voluntate haudquaquam in Galliam immiſſam eam gentem, contra quam fama obtinuit, ſuſpicari libet. Barbarorum aduentu, totis vtrinque viribus dimicatum. Mauri ad quadringenta millia hominum erant, Galliæ fertilitate cum vxoribus & liberis, vt eſt genus hominum vagum, ad mutandas ſedes inuitati. Ingens omnium expectatio erat, par metus. concurrunt inter ſe acies, pugnatur vtrinque acriter, conſiſtunt agmina. diu anceps victoria fuit. demum Chriſtianorum virtute hoſtium multitudo victa eſt. Trecenta ſeptuaginta quinque millia ex eorum exercitu cæſa. Abderrahmanus ipſe inter occiſorum corpora repertus victoriæ lætitiam auxit. ex noſtris mille quingenti deſiderati, pauci quidem & minor quam pro tanta victoria numerus: verum promptiſſimi quique, factiſque & generis nobilitate clariſſimi. Hic dies lætiſſimus Chriſtianis illuxit, non tam victoriæ præſentis fructu, etſi clariſſima fuit: quam quod eſſet documentum datum, inuictam eatenus gentem noſtrorum virtute ſuperari poſſe. In eo prælio Eudonis maxime virtus Martelli etiam confeſſione enituit: qui in ipſo pugnæ ardore vt erat ante conſtitutum, cum expeditis aduolans prius pene hoſtem circumuentum à tergo adortus eſt, quam eius agmen conſpici poſſet. Pugnatum eſt ſalutis anno ſeptingenteſimo trigeſimo quar- 734
to. agebaturque vigeſimus primus, ex quo amiſſa erat Hiſpania. Quo tempore Orientis imperium Conſtantinus cognomento Copronymus obtinebat. Ex Eudonis ad Romanum Pontificem Gregorium tertium (plerique ſecundum dicunt: nos in ratione annorum Iſidorum Pacenſem huius ætatis ſcriptorem ſequimur) literis Romæ cæſorum numerus cognitus. additumque tres ſpongias, vt pro amuleto eſſent, ſacra Pontificis precatione luſtratas, miſſaſque ad Eudonem, cum diſſectæ & inter milites diſtributæ eſſent, ad vnum omnes qui particulas tenerent, incolumes ne leui quidem accepto vulnere perſtitiſſe: quod miraculi inſtar eſt habitum. Abdelmelicus in Abderrahmani locum ſubrogatus, pro Mauris Hiſpaniam quatuor annis proximis geſſit, nulla re præterquam ſæuitia memorabilis: & quoniam refloreſcentem Rempublicam quæſtui habuit: quod non modo turpe eſt in Principibus, & multitudinem gubernantibus, ſed ſceleratum atque nefarium. Galliam tentare iuſſus ad Pyrenæi montis iuga multis ſuorum amiſſis, retro redire compulſus eſt. Quo tempore atque adeo eius ſeculi anno trigeſimo ſeptimo, 737
Pelagius Hiſpaniæ Rex annis grauis, rebus geſtis clariſſimus Canicæ defunctus eſt in S. Eulaliæ Velanienſis, Canicenſis agri, quam ipſe ædem exædificandam curarat, extincti funus illatum. vbi & vxor Gaudioſa nomine ſepulta eſt. Pelagii filius Fauila, à patris obitu regnum nemine repugnante obtinuit: regnauit duobus annis, infelici exitu & morum leuitate magis nobilis quam clarus. Venationi enim nimio plus deditus, cum tantum belli eſſet in manibus, nouumque regnum imbecillitate magis hoſtium & perturbatione quam noſtrorum virtute ſtaret: Reipublicæ curam negligere viſus, priuataſque voluptates rebus communibus potiores arbitrari, ab vrſo quem inter venandum auidius inſequebatur, dilaniatus eſt, nulla neque vitæ neque mortis gloria, in Sanctæ Crucis templo, quod in Canicenſi agro extruxerat, tumulatus eſt: vbi & Froleuæ vxoris ſepulcrum olim extabat. Iulianus quidam diaconus natione Græcus, in vtriuſque linguæ cognitione non impar, antiquitates Hiſpaniæ atque Pelagii res geſtas, per hæc tempora Toleti litteris illuſtrabat. auctor eſt non nemo. Vrbanus Toletanus Præſul in extrema & præcipiti ætate, Euantius eius Eccleſiæ Archidiaconus, Fredoarius Accitanus Epiſcopus, viri præſtantes atque præclari in ea rerum omnium caligine, velut ſtellæ inter obſcuræ noctis tenebras, morum ſanctitate, & ſapientiæ laude micabant. His æqualis Ioannes Hiſpalenſis Præſul diuinos libros lingua Arabica donabat vtriuſque nationis ſaluti conſulens: quoniam Arabicæ linguæ multus vſus erat Chriſtianis æque atque Mauris, Latina paſſim ignorabatur. eius interpretationis exempla ad noſtram ætatem conſeruata ſunt, extantq; non vno loco in Hiſpania.

Alfonſus cognomento Catholicus. CAPVT IV.

FAVILA ſine prole defuncto Alfonſus & Ormiſinda, vt erat poſtremis teſtamenti tabulis a Pelagio mandatum, Reges renunciati ſunt, magna gentis lætitia, optimo publico. Erat Alfonſus belli & pacis artibus peræque inſtructus, animi conſtantia rebus

uerſis, & perpetua rerum geſtarum felicitate admirandus, religionis cultor eximius; vnde
Catholici cognomen acceſſit. quod Recaredo olim Regi, quo tempore vniuerſam Got-
thorum gentem repudiatis Arii opinionibus, in catholicæ eccleſiæ caſtra reuocauit, in To
letano Epiſcoporum conuentu acclamatum, intermiſſumque multis ætatibus, Iulius eo
nomine ſecundus Pontif. Max. in Ferdinando Aragonio Hiſpaniæ Rege inſtaurauit. ef-
fecitque vt conſequentibus Regibus proprium hæreditariumque eſſet. Florebat quidem
eo tempore Hiſpania pacis opimæ bonis, quantum Africa & Gallia bellis ciuilibus æſtua-
bant. Eudonis fato functi principatum in Gallia, Carolus Martellus armis præſidiiſque
occuparat. defuncti filii Aznar, Hunnoldus, & Vaiferus paternæ ſimultatis hæredes,
ſuæque ipſorum iniuriæ vindices, arma neceſſario corripiunt. Aznar in Hiſpaniæ partem
illam profectus, quæ Vaſconibus finitima erat, Iaccam vrbem, multas præterea arces atq;
oppida Mauris eripuit, Aragonum regni & gentis parens & conditor. Aragoniæ nomen
Arago fluuius effecit per ea loca decurrens, ſeſeque Egæ iunctus confundens libero vti alio
loco eſt explicandum. Hunnoldus & Vaiferus ſuorum opibus ſubleuati, tráſmiſſo Rho-
dano, vniuerſæ Galliæ terrorem incutiunt, non viris, non mulieribus, non pueris, non
ſenibus parcitur: vt ferme ſubditorum periculo Principes peccant. Allobroges præcipue
vexati. Vienna ægre defenſa eſt. interior Gallia cis Rhodanum bello tentata. Mauri ſua
ſpõte ad delendam ignominiam præteriti temporis, iniuriaſque vindicandas, præterea
Mauritii Maſſilienſis Comitis, Hunnoldi & Vaiferi accitu, quo nimirum Martello & Fran-
cis ægre facerent, Galliam armis repetunt. Aucupa per idem tempus rem Mauricam in
Hiſpania gerebat, cum Abdelmelicum reipublicæ male geſtæ reum poſtulatum, ex vin-
culis cauſſam dicere compuliſſet præcipua vir nobilitate inter ſuos, ſuæque ſuperſtitionis
æmulator maximus, magna vt ſeueritate peccata in religionem commiſſa vindicaret. Is
Mauritii ope Auennionem Cauarum vrbem, quam Rhodanus alluit, inprimis amplam
& nobilem armis occupat. cætera circa incendiis, ruinis, & direptionibus fœdata: atque
hæc quinquennio poſtquam ad Turones pugnatum eſt geſta ſunt ſalutis anno ſeptingen-
teſimo trigeſimo nono, qui annus Alfonſi regni primus fuit. Fœda rerum facies erat, &
739. colluuies malorum miſerabilis: verum res Gallica Martelli virtute ſtetit. reiecti hoſtes in
Hiſpaniam. Auennio atque Narbo in poteſtatem redactæ: pene vt Gothis atque Mauris
nihil eſſet reſiduum in Gallia. Maiori tumultu atque animorum pertinacia mota Africæ
arma. Belgius Abembexius magni inter Mauros nominis Dux, aduerſus Iſcamum Mira-
mamolinum populares concitauit. cauſſæ proditæ memoriæ non ſunt. cupiditas domi-
nandi iuſta pleriſque inferendi belli cauſſa eſſe creditur. Multa prælia commiſſa in Afri-
ca. Belgius ſæpe victor in Hiſpaniam tranſmittit, quam pro Mauris Abdelmelicus denuo
gubernabat, e vinculis ad imperium eductus (Aucupæ æmuli iuſſu cum ex morbo ipſe a-
nimam ageret) magno ſuo malo. Nam Belgii aduentu, paulo poſt quam ad Reipublicæ
gubernacula eſt reuocatus intra Cordubam a Duce Abderrahmano, quem Belgius cum
valida manu præmiſerat, captus atque omnibus cruciatibus excarnificatus ad mortem eſt,
743. eius ſeculi anno quadrageſimo tertio: quo anno Iſcamus Miramamolinus obiit. Iziti filius
Alulit cognomento Pulcher, Mauricæ gentis imperium obtinuit, gentis ſpe maxima, ſuc-
ceſſu non eodem. Belgii arma ſolicitabant in Africa, & motæ Hiſpaniæ cura Dorano im-
pulſore, qui Belgii partes ſequebatur. Africæ motus explicare noſtri inſtituti non eſt. In
Hiſpaniam Albulcatar ab Alulito ipſo imperii initio cum poteſtate miſſus rebus tranquil-
litatem reddidit, cum factioſos magna ex parte ſupplementi ſpecie miſiſſet in Africam: i-
pſe paulo poſt Zimaelis coniuratione occubuit. Roba Zimaelis ſocius præcipuus coniu-
rationis auctor Hiſpaniam occupat. Alulit Imperator altero regni anno, qui eius ſeculi
744 quadrageſimus quartus erat, defunctus eſt, Ibrahemo fratre ſucceſſore. Neque hic me-
liori ſucceſſu regnauit. Maroanus enim gentilis ex Humeia Maurorum familia nobiliſſi-
ma, fauore gentis continuo imperium inuaſit: & Ibrahemo intra palatium iugulato, alte-
ro anno ex quo cœperat imperare, rerum ſolus potitus eſt. Hoc Imperatore, Toba Hiſpa-
niam pro Mauris geſſit: eoque intra primum annum defuncto gentis conſenſu Iuzephus
ex Africa miſſus rem Mauricam geſſit in Hiſpania, in ætate longæua, libidinis potens & a-
uidus; quam ignominiam, rebus præclare ſuperiori ætate geſtis & militari laude com-
penſare videbatur. Hoc gubernatore in Aſia quidem, Abdalla ex Alaucinorum fami-
lia inter Mauros nobiliſſima, Maroanum Miramamolinum facta gentis conſpiratione ſu-
750 ſtulit, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo: alienæque proditionis & crudeli-
tatis non vindex ſed vicarius, Mauricæ gentis principatum obtinuit. quem vt in ſua gen-
te firmaret, Humeiæ poſteritatem, vnde priores Reges prognati erant, á ſtirpe penitus
753 tollendam curauit, & magna ex parte perfecit. In Hiſpania autem anno Chriſti ſeptin-

genteſimo

gentesimo quinquageſimo tertio, tres Cordubæ Soles viſi. magno id terrori fuit, rudi ſeculo ignorantium ſcilicet, in nube æquabili denſitate tanquam ſpeculi obiectu, multiplicis Solis ſpeciem repræſentari. nouæ præterea formæ oculis fingebantur, pompæ inſtar præcedentium hominum cum igneis facibus. auxit gentis miraculum atque formidinem, grauis per id tempus conſecuta fames. Interea Alfonſus Rex ex inteſtina Maurorum diſcordia, & rerum omnium perturbatione, rei bene gerendæ occaſiones captans, regni fines quod anguſtis regionibus deſcriptum erat, armis amplificabat. Et erant Chriſtianorum animi Maurorum imperio feſſi, conuerſique ad ſtudium reſarciendæ veteris calamitatis. In Calæcia Lucus, Tuda, Aſturica receptæ. in Luſitania Portus Cale ad Durii oſtium, qua ſe parte fundit in mare, Pax Iulia, Bracara, Viſeum, Flauia, Bletiſa, & Sentica, quæ duæ poſtremæ vrbes hodie Ledeſma, & Zamora ſunt. Septimancas, Dominas, Mirandam, Segobiam, Abulam cepit, atque Sepuluedam ad radices Oroſpedæ montis Duratoni fluuio impoſitam, loci natura munitiſſimam: olim Segobriga dicta eſt, deinde Sepuluega: ſic enim in ſui fori legibus appellabatur, cum municipium quondam ampliſſimũ, & maximæ auctoritatis eſſet. Præterea felici victoriarum curſu, locis remotos Virueſcanos atque Riuogiam in Vardulis Idubedæ latere comprehenſam, qua parte Ogia amnis ex eo monte emiſſus in Iberum decurrit, inſigni regionis amœnitate atque prouentu. In Vaſconibus Pompelonem, in Cantabria partem eam, cui hodie Alauæ nomen eſt, in poteſtatem redegit: tametſi bellis alternantibus harum ciuitatum pleraque conſequenti tempore ad Maurorum ditionem redierunt: cum Cordubenſe Maurorum imperium magno Chriſtianæ rei incommodo per hæc tempora, vt paulo poſt explicabitur, inchoatum, viribus deinde & potentia auctum in Hiſpania atque amplificatum eſt. Captis ciuitatibus Alfonſi cura, vetus Epiſcoporum dignitas longo ex interuallo reſtituta eſt. dati Præſules ſylueſcentes Chriſtianorum mores repurgabant contagionibus malorum, quæ ex conſortio Maurorum profectæ manarant latius. ſubditos populos nouis inſtitutis & legibus, atque diuinorum librorum explicatione excolebant. Chriſtiana templa, vbi diruta erant, inſtaurabantur: & quæ Mauricæ ſuperſtitionis ſordes fœdarant ex Chriſtiano ritu expiata. Sacrorum inſtrumenta reſtituta, quantum gentis inopia, & regii ærarii tenuitas patiebantur. Noua lux reddita videbatur, lætitiæ in præſenti, & maioris ad futurum ſpei materia maxima. Vardulos, veteres prouinciarum deſcriptores in Cantabria collocarunt, parte ea quæ Oceano mari adiacet: hiſtoriæ Hiſpanienſis auctores paulo antiquiores ætate, rudi homines ingenio, tenui eruditione & cognitione antiquitatis in Vaccæis Caſtellæ veteris parte. Ex ea opinione & quoniã magna Caſtellæ pars piorum armis ceſſit, nouus pleriſque error natus perſuaſit, Alfonſi armis vniuerſam Cantabriam ſubiugatam, ereptamque Mauris eſſe. cum ex verioribus monimentis oſtendere liceat, Maurorum arma haudquaquam vltra locum, cui Rupi perforatæ in Cantabris vulgo nomen eſt, vnquam penetraſſe. Rex tot rebus geſtis clariſſimus Canicæ defunctus eſt ſalutis anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ætatis ſeptuageſimo quarto, regni nonodecimo. 757 Quinque liberos reliquit, ex Ormiſinda quidem Froilam, Bimaranum, Aurelium, atque Vtendam. ex impari autem matre atque adeo ſerua ſtupro genitum Mauregatum. Defuncto iuſta peracta non magis apparatu exequiarum, quam veriſſimis totius gẽtis lacrymis celebrata, & cæleſtibus vocibus, quas in funere auditas memorant, ex diuinis libris pronunciantium: Tollitur iuſtus nemine conſiderante, ablatus eſt à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. ad D. Mariæ cœnobium Canicæ Alfonſus & Ormiſinda vxor ſepulti ſunt. Alfonſo Froila frater fuit, Aurelio & Veremundo filiis magis quam alia re clarus felixque. Ad Maurorum res quoniam cum noſtris confuſa ſunt reuocetur oratio: & fatalis diſſidii ſemina, initia incrementaq́; explicentur, vnde nouum in Hiſpania regnum eius gentis conſtitutum eſt.

Duæ inter Mauros principes familiæ. CAPVT V.

MAHVMETANORVM armis, noſtrorum ceſſatione, maxima nobiliſſimaque orbis terrarum pars victa conceſſit Chriſtiani nominis hoſtibus diris feriſque: quibus nefarium execrabileque eſſe creditur quidquid nobis ſanctum eſt. Vnum initio habuerunt ſummum Principem & rectorem, qui vniuerſæ genti imperaret. ad hunc ſumma rerum conſiliorumque redire ſolita erat. huius imperium cuncti reſpiciebant. is iura dicebat populis. ab eo ſacrorum leges petebantur. In hiſtoriis Arabum nunc Calipha dicitur, quod Romana interpretatione ſucceſſor eſt. nunc Miramamolinus, hoc eſt, credentium princeps. Sub principia quietæ res erant nouæ factionis ſtudio: deinde, vt neceſſe erat in tam

zed by Google

longe lateque fuſis opibus, ſeditiones exortæ, multaque ex vno imperia facta. Omnium diſſidiorum cauſſas & euentus explicare non attinet. quod huius loci proprium eſt, duarum familiarum, quæ inter Mauros nobiliſſimæ habitæ ſunt, & quarum diſcordia maximi motus hac tempeſtate extiterunt, originem atque progreſſum indicare non incõmodum fore arbitratus ſum. Mahumetes gentis conditor, & nouæ ſuperſtitionis auctor, cum belli terrorem proſpero ſemper ſucceſſu multis prouinciis incuſſiſſet, ingenio ardenti, prauo, callidoque, profunda ſimulatione ſanctitatis, qua nihil eſt in ſpeciem fallacius, nihil potentius ad conciliandas multitudinis voluntates, moriens ex multis vxoribus, quas ſibi pollutis coniugiis atque nefariis toro iunxerat, tres filias tantum reliquit, nullam maſculam prolem (Cacinus enim filius duodennis obierat) Fatimam natu maximam, Zeinebim atque Imicultim viris principibus connubio iunctas. Cæterum Mahumete defuncto, eius ſoceri Abubacarus prius, deinde Homarus, rerum ſummæ in eius locum præfecti ſunt, quaſi filiarum vicarii neptumque. poſt hos Atumanus Fatimæ vir, quæ ob ætatis prærogatiuam ad regni paterni ſucceſſionem meliori iure niti videbatur, imperium obtinuit. hinc Alauecinorum familia exorta, opibus & clientelis potentiſſima. Atumano ſucceſſit, non ſine multorum inuidia magnoque gentis motu, Moabia Zeinebim alteram Mahometis filiam vxorem habens, Benhumeiarum gentis & familiæ conditor. Harum familiarum nominibus, quæ vis ſit & cauſſa clam eſt. Moabiæ ſane Iziti filius, & Maula nepos, is qui tertiam tributorum partem genti remiſit, ex ordine ſunt ſuffecti. Maulæ obitu, Mauri in factiones diducti pars Maroanum ſecuta eſt, pars Abdallam, quem ex Aluecinorum familia fuiſſe arbitror: licet enim coniecturis agere in tanta eius gentis rerum ignoratione & caligine. fuit certe militiæ Magiſter Rege Moabia, multiſque ex eo copiis & clientelis potens. Itaque eiecto æmulo, ſolus rerum potitus eſt. eo vero defuncto, imperium ad Maulæ filium Abdelmelicum rediit, eum qui Africa vniuerſa deuicta, gentis imperium firmauit maxime: ſibi & poſteris peperit memoriam nominis ſempiternam. Romanorum Principum diſſidia Maurorum incrementis occaſionem præbuerunt. tetram rerum omnium caliginem, impotentem hominum veſaniam. ſed præſtat ab his cogitationibus animum auocare, quarum recordatio velut morſu quodam dolorem efficit. Abdelmelico ex morbo defuncto ſubſtitutus eſt filius Vlit, is cuius auſpiciis Tariffii ductu Hiſpania, Roderico Rege cæſo, vniuerſa Maurorum imperio ſubiugata eſt. In Vliti locum frater Zuleima primum, deinde Homar & Izit filii Vliti ex patrui adoptione exæquata duorum poteſtate cooptati. poſt hos Iſcamus vtriuſque germanus frater. Iſcano filius Iziti Alulit in imperio ſucceſſit. Alulito Ibrahemus eius frater gentis conſenſu & Maroanus ex eadem familia, vi & armis Ibrahemique noui Regis deſpectu. Horum diſſidia Alaueeinorum genti, & poſteris Fatimæ ſe opportuna præbuerunt, vt ipſi viribus integri diuiſos in partes æmulos, atque debilitatos opprimerent. Ergo Abdalla magno vir ingenio, animi vigore maximo, Maroanum iter vtriuſque gentis ſtudia deſtitutum occidit: atq; Fatimæ poſteritati imperium tandem reſtituit, vt eſt ſuperius indicatum. Quod vt poſteris firmaret, propriumque faceret, Humeiam gentem extirpandam curauit, nullo alio ſcelere niſi quod imperium, quia tenuerant, ſperare ambireque credebantur eaque ſolicitudine leuare animum tyranno erat propoſitum: vnde eius nomini inuidia in præſens, in futurum ignominia grauis ab inhumanitate conflata. Abderrahmano Abenhumeiæ neceſſitudo eſt impoſita, vt carnificinæ quæ in ſuos gentiles exercebatur, ſe ſubduceret fuga euadẽdi in Hiſpaniã: vbi vulgo Mauri veteri Humeiæ familiæ imperio fauebãt multis & magnis beneficiis ab iis Principibus deuincti. Horum ſtudio Abderrahmani virtute & felicitate, nouum in Hiſpania Maurorum regnum fundatum eſt Corduba ſede: vnde reliquæ ciuitates iura peterent, tutus propriiſque viribus nitens neque Africæ contributum, neque Aſiæ Caliphis, vti mox eſt explicandum.

Froila, Aurelius, & Silo Reges. CAPVT VI.

757 ALFONSI morte, Froila filius natu maximus pro eo ac par erat continuo piorum in Hiſpania rempublicam gubernandam ſuſcepit, ſalutis anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Regnauit annis vndecim, menſibus tribus: fama inter bonum & malum alternãte, ingenio aſpero, morum ſeueritate maxima, in ſæuitiam propenſior quam humanitatem. & fere Principes in ſumma rerum omnium licentia, ingenio indulgere malunt, quam imperare aſſentatores, quorum in aulis Regum magnus numerus eſt, affinia virtutũ nomina vitiis affingẽdo, prauitatem ſemel ſuſceptã alunt, nemine cõtra obſiſtere & vera

verà prædicare auſo. Laudatur in Froilæ actionibus, quod Ouetum in Aſturibus vrbem
primariam & nobilem fundauit primus atque conſtituit. Quidam conditæ eius vrbis lau-
dem ad Alfonſum patrem ablegant, nullo idoneo ſatis, neque teſtimonio neque argumē-
to. Conditæ ciuitati ius & honorem Epiſcopatus dedit. Sacerdotum coniugia Froilæ iuſ-
ſu dirempta quæ conſuetudo Witizæ olim lege ſuſcepta, & Græciæ deinde exemplo fir-
mata, in mores abierat. vnde irritato numine (ſic ſaniores interpretati ſunt) tantum æru-
mnarū accerſitum, tantum pœnarum & ſupplicii datum. Eo facto, quantam ad bonos gra-
tiam iniuit, tantum magnæ partis populi, & ſacerdotum offendit animos. Nam plerique
veteribus ſtari malunt, & peccandi libertas multitudini gratiſſima eſt. Ex ea ſeueritate in-
uidiæ pars maxima illi conflata eſt, qua viuens flagrauit: & mortui nomen ad poſteritatem
ignominiæ nota fœdatum eſt, maioris quam pro meritis. (ſic libet ſuſpicari) nam ad cæ-
teras virtutes militari laude paterna exempla æmulari viſus eſt. Iuzephum enim Hiſpaniæ
Præfectum pro Mauris veteranum Ducem, cum numeroſo exercitu Calæciæ fines ingreſ-
ſum, cunctaque belli clade euaſtantē ingenti prælio ſuperauit altero regni anno. cæſa quin-
quaginta quatuor hoſtium millia. nulla ea ætate victoria maior, neque magis ex rei Chri-
ſtianæ commodo. Ea clades Iuzephum iam quatuot annis Abderrahmani armis, cum ad
ſpem regni ex Africa profugus in Hiſpaniam veniſſet, & Humeiarum factione fatigatum,
opportunum ſupremæ calamitati præbuit. Nam Corduba fugiens, & æmuli diligentia Gra-
natæ captus, Toletique quo demum tanquam ad præſidium aufugerat eius vrbis munitio-
ne confiſus, ſuæ gentis ferro occubuit, Abderrahmano victori, eo facto cupientis gratifi-
cari. Quo ex tempore nimirum ſalutis anno ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, impe- 759
rii Arabum centeſimo quadrageſimo ſecundo, Mauri omnes in Hiſpania ſub vnius impe-
rium reuocati, nouumque regnum fundatum Abderrahmano Abenhumeia, cui Adahil:
deinde cognomen eſt factum, conditore: imperiique iugum excuſſum, quod Syriæ Cali-
phæ, Africæ Miramamolini, captæ primum Hiſpaniæ impoſuerunt. Vna Valen-
tia Edetanorum in Hiſpania Tarraconenſi vrbs, in fide veteri præſtans Abderrha-
mani armis & obſidione fatigata, tandem noui Regis iugum ſubiit. Chriſtiani e-
ius vrbis ciues, barbari victoris metu, & ne religio ludibrio eſſet hoſtibus nomi-
nis Chriſtiani, Vincentii Martyris oſſa, quem tanquam Deum adorabant, & miracu-
lorum fama celebris erat (ſic Raſis Arabs loquitur homo Maurus) ſecum fugien-
tes aſportarunt in extremæ Luſitaniæ partem eam, qua promontorium Sacrum excurrit
in mare. Eos Allibohazes Phutenſis dum venationi ſtudet, repertos occidit: pueros ca-
ptiuos abduxit: quorum indicio, vbi ſacra oſſa relicta eſſent poſt modum eſt demonſtra-
tum. Loco certe ab ea re, promontorii D. Vincentii nomen eſt factum. Rex barbarus
tantis victoriis & tam proſpero rerum ſucceſſu inſolentior factus, Calæcos bello tentauit.
Pacem Iuliam quæ hodie in Luſitania Beia eſt, circunſedit. vtrinque Froilæ virtute, &
armis reiectus eſt: & Chriſtianæ ditionis fines, non modo aduerſus victricia barbarorum
arma, ſed etiam aduerſus prouincialium tumultus perpetua Froilæ felicitate tutati. Ca-
læcorum motus compoſiti, quos ſuſpicor ob vxores ſacei dotibus detractas, temere ea æ-
tate tumultuatos eſſe. Vaſcones imperio rebellantes armis ad officium pertracti ſalutis an-
no ſeptingenteſimo ſexageſimo primo. In ea expeditione Meninam Rex Froila (alii Mo- 761
meranam ſcribunt) Eudonis Aquitaniæ Ducis filiam ſororem Aznaris, fratris conceſſu
vxorem duxit. quo ex coniugio Alfonſus cui deinde Caſto cognomen fuit, atque Se-
mena Bernardo olim Carpenſi filio felix, nobilis ſtupri fœditate nati ſunt. Eo actionum
tenore in magnis principibus Froila numerari potuit, ni fratrem Bimaranum eximia cor-
poris dignitate atque morum candore ſtudia populi conciliantem, ſuis ipſe manibus im-
pie æque ac crudeliter iugulaſſet. Affectati regni ſuſpitio malo fuit. & fortaſſis ſciſſo vt
ſit in partes populo ob Regis ſeueritatem, factio altera Bimaranum corrumpere ſatagebat
vt Ducem ſe præberet rebus nouandis. Neque enim exiſtimo Froilam temere, nullaque
re prouocatum, tantam crudelitatem deſignaſſe. tametſi ſuſcepti parricidii nulla idonea
cauſſa eſſe potuit: & ipſe inuidiam ex eo facto ſuccenſam reſtinguendi ſtudio, Veremun-
dum occiſi fratris filium regni ſucceſſorem adoptauit, fructu nullo. Cum cælo æque &
hominibus inuiſus eſſet, & in alia ex aliis mala præcipitaret, ſuorum an Aurelii coniu-
ratione Canicæ peremptus eſt. Oueti in æde maxima Froilæ & vxoris Meninæ corpo-
ra ſepulturæ mandata. Quo tempore Verus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, eruditione, ſcri-
ptis & vita clarus eſt habitus: tum Petrus Toletanus præſul Vrbani ſucceſſor cognomen-
to Pulcher, cuius libellus de ratione Paſchatis celebrandi ad Hiſpalenſes ciues, quoniam
in ea re hallucinabantur, magno ingenio conſcriptus extabat. Petro ſucceſſit Cixila, is
qui D. Illefonſi vitam ſcripſit: ad quem Hadriani Pontificis Romani litteræ extant

(tametſi Egilam cum vocat) diebus ſabbathi carnibus veſci Hiſpanos, more ſcilicet è Græcia translato, increpantis. Vnde temperamento quodam factum arbitror, vt inteſtina & extremæ animalium partes hoc tẽpore in vſu ſint, & præcipuo iis diebus honore menſarũ. Quod alii putant ſuſceptũ anno Chriſti milleſimo duceteſimo duodecimo, cũ ad ſaltum Caſtulonenſem Mauri inſigni prælio à noſtris ſuperati ſunt, nullo neque auctore neque argumento idoneo. Veteres ſchedæ in quibus Toletanorum Pontificum nomina ſunt, non tantum Vrbanum, ſed & Petrum eo numero eximunt: ſubſtituunt alios Sunieredum atq; Concordium Cixila priores nobis in tantis tenebris hærere neceſſe eſt aliquando, non ſecus atq; ignorata via, vbi in plures vna diſſinditur, cũ nulla repudietur nulla placet. Aurelius Froilæ Regis interfector, Bimarani vindex, vtriq; frater germanus (alii patruelem faci-
768. unt, Froila natum Alfonſi Regis fratre) gentis conſenſu regnum obtinuit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, Alfonſo Froilæ filio ob ætatis imbecillitatem & paternæ memoriæ inuidiam prætermiſſo. regnauit annis ſex, menſibus ſex nulla neque domi neque militiæ gloria. Seruilis enim belli, quod in prouincia exarſit, cum ſerui ſtudio libertatis incenſi & temporum perturbatione confiſi arma magno numero corripuerunt, profligati laudem fœdere cum Mauris inito fœdaſſe viſus eſt: ex quo ingenuæ conditionis virgines ad certum numerum quotannis tributi nomine, proh nefas! erant Mauris repræſentandæ. Regis Abderrahmani felicitas formidinem noſtrorum animis incutiebat: ne noui regni armis rem Chriſtianam ſua imbecillitate & partium diſſidio fluctuantem, ferox ipſe & validus opprimeret. Erat enim inquieti animi vir, & minime otium, quo tunc ſeneſcere videbatur, diutius laturus. Adoſindam ſororem Siloni viro principi cum ſpe ſucceſſionis connubio iunxit, ipſe prole deſtitutus: ac ne vxorem quidem habuiſſe ſatis eſt exploratum. In valle Iagueia (quam ſaniores Canicam vallem interpretantur) æde S. Martini nomine ſepultus eſt: alii S. Michaelis affirmant in oppido Langua (quibus maior nominum ſimilitudo fauet) vbi antrum ſubterraneum extat Andreæ nomine dicatum, & coniuncta duorum Regum ſepulcra (ſic apud populum fama obtinuit) Aurelii nempe & Fauilæ tempore ſcilicet conſequenti, vtriuſq; ſepulturæ veteri loco mutato. In Aurelii locum Silo ſororis vir Prauiæ cum Adoſinda vxore regno eſt inauguratus. regnauit annis nouem, menſe vno die vno Calæcos ſub initia tumultuantes ad Ciperiũ montem, noſtris Cebrerum, compeſcuit: eius belli cauſſæ non ſunt proditæ. Silo tamen grauior annis, ſiue ingenii ſocordia, non militaribus ſolum ſed ciuilibus etiam muneribus abſcedere certus, nam ſe impoſito oneri imparem ſentiebat, præterea vxoris hortatu, Alfonſum, Froilæ filium conſortem regni fecit, ſumma bello paceque auctoritate conceſſa. Fuit hæc horum temporum calamitas, vt cum maxime turbata republica ſæuæ tempeſtatis fluctibus, viro & gubernatore opus eſſet, tunc ad gubernacula ſederent plurimum Reges inutiles & ignaui. Ex eo conſortio Alfonſo Regis nomen acceſſiſſe, indicio eſt diploma vetus, atque quo nullum in tabulariis Hiſpaniæ antiquius extat, Valpueſtæ ædi D. Mariæ nomine, vbi hodie collegium Canonicorum eſt olim monachorum cœnobium, conceſſum: vbi Regis liberalitate multa prædia illi templo donantur Era octingenteſima duodecima, nempe ſalutis anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto regni Silonis anno primo, niſi fortaſſe numeri vitiati ſunt. neque enim eorum opinioni accedimus, qui ad Alfonſum Catholicum in diploma ablegare malunt, ratione temporum haud magna aliqua de cauſſa vehementer perturbata. Eſt autem ad memoriam inſignis iis in litteris contenta execratio, qua eius donationis violator iubetur eſſe anathema, Martano, & excommunicatus. vnde intelligitur Martani vocem vulgarem non à Mauris quaſi Maurani, vt quidam ſuſpicantur, factam in Italia Frederici Ænobarbi tempore: cum Mauri plurimi fidem Chriſto datam in baptiſmo, paſſim eiurata quam ſuſceperant religione violarent: ſed potius ex Syriaca voce Maranatha deductam, qua anathematis ignominia execratioque in diuinis litteris continetur. De Silonis ſepulcro non vna opinio eſt, quibuſdam Oueti affirmantibus in Saluatoris æde, vbi ſepulcrum eius nomine cum prolixa inſcriptione extat: aliis Prauiæ in S. Ioannis Euangeliſtæ, quod ipſe templum à fundamentis ædificandum curauit. quo loco Aldoſinda certe vxor tumulata eſt.

Alfonſus, Mauregatus, Veremundus Reges. CAPVT VII.

783. SILONIS funere procurato regnum ei, penes quem reipublicæ procuratio erat, Alfonſo procerũ voluntate confirmatũ eſt anno ſeptingenteſimo octogeſimo tertio. Paterni odii memoria reſederat, & virtutis ſpecimen quod interea dederat ſingulare. cunctorũ ordinũ volunta-

voluntates conciliarat. Vnus Mauregatus Alfonſi patruus, tametſi ſtupro genitus erat, fratrum exemplo qui deinceps regnarant, iniuriam factam querebatur Alfonſo prælato ſibi, quem arctiori cognationis gradu defunctos proxime Reges attingere conſtabat. neque deerant factioſi homines, qui ſtudio rerum nouarum eius conatus adiuuarent, corruptores, vaniloqui, vt ſunt plerique Principum aſſeclæ. His auctoribus, quoniam parum præſidii in gente erat, ad Maurorum opem ſupplex confugit, ignominioſoque Chriſtiano nomini fœdere impetrauit quinquaginta virgines natalib. nobiles, & parem ex plebe numerum pactus tributi nomine quotannis. & ſunt ante omnes nationes Mauri effuſi in venerem. Itaque his illecebris voluptatum gens barbara prouocata, Rege eorũ Abderrahmano concedente, Mauregatum ſecuta eſt. Inerat præterea dignitas, cùm Chriſtianorum gentem vectigalem haberent, Regem beneficiarium. Eius exercitus impetum Alfonſus viribus impar, neque ſatis confirmato regno vt ſuſtentare poſſet veritus, æmulo fortunæq; cedens, in Cantabriam aufugit: vbi magnæ clientelæ erant, multi propinqui & neceſſarii Eudonis, ad quem maternum Alfonſi genus referebatur. vigintiquinque annos natus erat, cum ſub ipſa initia regno ſpoliatus eſt. Regnauit Mauregatus annis quinque, menſib. ſex, nulla re nobilis præterquam ignauia, actionum turpitudine, atq; ſcelere nefario, quod prodenda patria ſuſcepit. Prauiæ ſepultus eſt in D. Ioannis, vt Chronici quod Alfonſi Magni nomine vulgatum eſt, Ouetenſe exemplum habet. Obiit anno ſeptingenteſimo octogeſimo octauo: quo anno Abderrahmanus Maurorum rex cũ regnaſſet annis vno de triginta, Cordubæ defunctus eſt. 788 Quam vrbem extructa arce, atque hortis inſtitutis, quibus Razaphæ nomen fuit nunc Arrizaphæ, magnopere exornauit. Præterea ante biennium ex belli manubiis templum eſt inchoatum: quod hodie Epiſcopi Cordubẽſis cathedra inſigne, ipſo ſtructuræ genere, multitudine, & varietate columnarum quibus moles incumbit, cernentibus pro miraculo eſt. Reliquit filias nouem, filios vndecim. ex his Zulemam natu maximum, quem viuens Toleto vrbi præfecerat, moriens ſucceſſorem deſignauit. Iſſemus filius alter, cum fauorem gentis præſens occupaſſet, regnum à morte patris occupatum virtute & armis tutatus eſt, primum aduerſus Zulemam, qui acie victus in Conteſtanoſque, vbi Murcia ſita eſt, fuga pulſus, pretio ſexaginta milliũ aureorum regni ius fratri relinquens ſeceſſit in Africam: deinde Abdallam fratrem alterum nouarum rerum ſtudio tumultuantem fœdere cum eo facto, in Africam expulit. rerum potitus eſt annis ſeptem, menſibus ſeptem, diebus ſeptem. Mauregato quidem Veremundus ſucceſſit cognomento Diaconus, quod in eum ordinem lectus eſſet, & ex ritu Chriſtiano ſacratus in minori ætate. De Veremundi patre variant hiſtorici: nec facile eſt aut opinionem opinioni, aut auctorem auctori præferre. nominum ſimilitudine vitiatam memoriam arbitror. quidam Bimarani filium putant, eius qui Froilæ fratris manu cecidit: alii Alfonſi Catholici fratre Froila natum affirmant. Cui ego potius opinioni accedo, viros maiori antiquitatis Hiſpanicæ eruditione ſecutus, chroniconque Alfonſi Magni Regis nomine compoſitum. regnauit annos tres, menſes ſex: & gemina prole auctus Ramiro & Garſia ab vxore Nunilone ſeu Vſenda, quam contra fas æquumque ſibi iunxerat, ſaniori conſilio deinceps per totam vitam abſtinuit. Cætera modeſto quidem ingenio, & otii cupidior quam reipublicæ ſtatus ferret: non animo, non armis, non vigore aut viribus corporis, non arte belli inſtructus temere ad regnum acceſſit. Eo digniſſimus laude, quod optimo publico Alfonſum Froilæ patruelis filium Mauregati armis ſpoliatum, pulſumque in Cantabriam, ad regni conſortium reuocauit, eius ſeculi anno nonageſimo primo, duodecimo Kalend. 791 Augusti, vt Iſidorus Pacenſis huius ætatis ſcriptor eſt auctor. Regnauit is deinceps annis quinquaginta duobus, menſibus quinque, diebus tredecim, perpetua rerum geſtarum felicitate, bellicis artibus, clementiæ, religionis & liberalitatis laude ſuis carus, externis formidabilis. Inclinatæ Hiſpaniæ res vnius maxime virtute ſteterunt. Suſceptam regni auctoritatem & fauorem gentis vehementer confirmauit victoria, quam de Maurorum Duce Mugaio retulit ampliſſimam, tertio anno ex quo in regnum fuerat reuocatus. cum enim virgines, vt erat in Mauregati fœdere cautum, barbaris repræſentare ignominioſum eſſe Chriſtiano nomini iudicaret: numeroſum exercitum ea cauſſa belli iniuriis Chriſtianorum oppida & agros longe lateque vaſtantem Aſtures vſque magno damno prouincialium luctuque, Alfonſus hoſti obuiam factus ad Ledos oppidum acie vicit. Inſigne prælium fuit. ſeptuaginta hoſtium millia cæſa: atque duriſſima ſeruitute Reſpublica liberata, tandem reſpirare viſa eſt. Mauri enim viribus debilitati & nouis bellis impliciti, acceptam ignominiam cladem que vlciſci non potuerunt. & conſtat ea ætate ad extremam Hiſpaniam, qua parte Pyrenæi montes ſunt, Vaſconum Regum armis, & Caroli Magni virtute, cuius præcipua & maxima inter Chriſtianos

Principes auctoritas erat, rerum geſtarum celeberrima fama, multas vrbes & oppida Mauris erepta. Quæ res Iſſemum Cordubenſem Regem impulit, vt Abdelmelicum magni nominis Ducem cũm iuſto exercitu mitteret ad conatus Chriſtianorum compeſcendos. Gerunda in Auſetanis, Narbo in Galliæ aditu à Mauris occupatæ. vnde templi Cordubenſis ſtructuræ perficiendæ, Chriſtianorum humeris terram comportatam Rodericus Præſul eſt auctor. Res proſperæ, quæ ſæpe moderatos homines de ſtatu mentis immutant, barbaros natura feroces inſolentiores effecerant. Pons alter Iſſemi iuſſu Cordubæ extructus ad arcem. Prætoriani milites adhibiti præſidii cauſſa ex externa gente, quod primus Maurorum Regum vſurpauit tria millia Chriſtiani religione abiurata impii, Eunuchorum duo millia aulam domeſtici ſcilicet miniſterii cauſſa ſequebantur. Obiit ſalutis anno ſeptingenteſimo nonageſimo quinto, Alhaca filio ſucceſſ ore, qui regnauit annis viginti ſex, menſibus decem, diebus quindecim prudentiæ, æquitatis atque liberalitatis laude famaque vt in ea gente celebratus.

795.

Elipandus Toletanus Præſul. CAP. VIII.

AD CAPTIVITATIS mala, quæ ſi extrema fuiſſent nimium erant grauia, grande de religione diſſidium acceſſit. mali auctores præcipui Felix in Ilergetibus Vrgelitanus Præſul, atque Elipandus in Carpetanis Archiepiſcopus Toletanus, non inſulſo viri ingenio neque eruditionis experti, vt in tantis tenebris tantaque malorum omnium colluuie: in qua non offendere, non fœdari miraculi inſtar eſſet. Quis enim in grauiſſima ſeruitute litteris locus? cum oppreſſi vectigalibus vitæ neceſſaria ſubſidia comparare cogebantur. ſilebant eccleſiaſtica concilia, quibus diſciplinam eccleſiaſticam aſtringere & reipublicæ vulnera ſanare, veteri inſtituto ſuſceptum erat. Proceres & populus pro ſe quiſque vt collibitum erat, ita vitam inſtituebant, atque de rebus diuinis nullo prohibente pro voluntate proq; arbitratu ſinguli ſentiebant. quæ magna pernicies eſt. Ex impiæ gentis vſu prauas ſæpe opiniones in Chriſtianorum gentem redundare propemodum erat neceſſe. Neſtorii placita concilii pridem Epheſini diligentia ſopita, quaſi veteris incendii ſcintillæ in Hiſpania, iis auctoribus ſuſcitatæ ſunt, Chriſtum affirmantibus qua parte certe homo eſt Dei filium adoptione eſſe, contra fas, contra auſpicia. contra omnes diuinas & humanas litteras, & religiones. Qui enim natura & adoptione filius ſimul idẽ eſſe poſſit? cum adoptione filius patris tantum benignitate, nulla neceſſitudine ſit quaſi ad alieni iuris hæreditatem admiſſus. quod qui aſſerat Chriſti geminam hypoſtaſim fateatur opus eſt. Felicem propter locorum vicinitatem, & quoniam in eam Hiſpaniæ partem Gallorum arma annis ſuperioribus penetrarunt, Gallum natione fuiſſe vulgo nonnulli ſuſpicantur. Elipandus ex antiqua Gotthorum gente prognatus erat. Pugnabat pro illis pontificia ipſorum auctoritas, & celebrati nominis fama. erroris auctores laudabant Eugenium, Illefonſum, Iulianum. multis præterea diuinarum ſcripturarum locis ad patrocinium abutebantur: quibus Chriſtum qua homo eſt, minorem patre dici ſatis conſtat. Et vt erant ardenti ingenio, miſſis in omnes partes litteris ac libris, cæteris omnibus ſuſceptas opiniones inſtillare fucata oratione, atque perſuadere ſatagunt. Ad Aſturũ & Calæcorum Epiſcopos Elipãdus pro ea auctoritate quam in alias eccleſias obtinebat præcipuã & maximã, litteras dat: ac nominatim Adoſindam Silonis Regis viduam in fraudem impellere conatur. Illa vti erat neceſſe, ſui iudicii eſſe negat de controuerſia pronunciare: remque integram ad Epiſcopos defert & ſacerdotes, ſanctiſſima & prudentiſſima fœmina: in quo numero erat Beatus presbyter, & Heterius Vxamenſis Epiſcopus. quorum extat aduerſus Elipandum diſputatio non inelegans, opuſq; ſpiſſum, operoſum, & vaſtum: ſed quoniã validis argumẽtis mendaciũ arguit, bene eſſe operã collocatã lectores iudicabunt. Controuerſia agitata, & quoniã conatib. par ſucceſſus nõ erat, Elipandus quidẽ Toleto profectus Aſtures & Calæcos obiuit, iiſque in locis multos praua opinione infecit peſtifero oris afflatu. Felix Vacæos primum in Hiſpania, & Septimaniam in Galliæ aditu aggreſſus eſt: deinde reliquã Galliam atque Germaniam nullo operæpretio cum paſſim ſummi, medii, infimi ad inſolentiam nouæ vocis exhorreſcerent, & errorem cum auctoribus palam deteſtarentur. Concilia Epiſcoporum iis in regionibus habere promptum erat. Itaque inuenio apud Reginum Baioariæ ciuitatem coram Carolo Magno Frãcorum Rege in Epiſcoporum conuentu Felicem damnatum ſalutis anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo. inde Romam miſſum coram Hadriano Pontifice abdicaſſe, ſimulato certe animo. Qua de cauſſa nouum Epiſcoporum conuentum haberi Franconofurti in Germania neceſſe fuit anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, præſente Carolo Magno. Miſſi Roma legati Theophilactus & Ste-

& Stephanus Epiſcopi: ex Hiſpania Beatus & Heterius Vxamenſis Epiſcopus pro catholicis legati. Neque ſe mali auctores deſerunt in periculo: Carolo ipſi libellum ſupplicem offerunt, poſtulantes vt præſens in ea controuerſia diſceptaret: & multorum potius iudicium ſequeretur, quam ſe paucorum dolis circumueniri fineret. Re diſcuſſa, praua opinio cum auctoribus reprobata eſt: ac niſi mutarent Felix & Elipandus ſacrificiis interdicti. Felix, vt Ado Viennenſis eſt auctor, Patrum ſententia relegatus eſt, & Lugduni nunquam errore depoſito extremum vitæ diem clauſit. ſic opinio hominum fuit. vſque adeo difficile eſt fixam perperam de religione ſententiam mutare, imbutamque praua perſuaſione mentem traduci ad ſanitatem. Quid Elipando contigerit clam eſt: ac credam potius ſententiæ Patrum obtemperaſſe, prauaque opinione depoſita mutaſſe, neque ex Hiſpania extuliſſe pedem, neque Reginum, Romam, aut Franconofurtum adiiſſe, perſuaſum habeo. Veteres Eugenium, Illefonſum, Iulianum Carolus quidem accuſat iis litteris, quas ad Elipandum & cæteros ſacerdotes Hiſpaniæ ſcripſit: neque mirari ſe ait, filios patribus ſimiles exiſtere. Heterius negat in eorum ſcriptis ſimile quippiam extare. Ex Felicis ſane ſchola aliquanto interuallo Claudius Taurineſis Epiſcopus homo Hiſpanus, verſatuſque aliquandiu cum nonnulla ingenii laude in Ludouici Auguſti cognomēto Pii aula, ad priorum commenta, tum alia, tum imagines diuorum è templis Chriſtianis exturbandas eſſe affirmauit. quem Ionas Aurelianenſis æqualis, de ſcripto diligenter atque accurate impugnauit.

Alfonſi Caſti initia. CAP. IX.

PER idem tempus Veremundo morte ſublato, Ouetique ſepulto, vbi eius & vxoris ſepulcra monſtrabantur: ſolus Alfonſus rerum potitus eſt. Purioris vitæ ſtudio à Bertæ vxoris complexibus per totam vitam abſtinuiſſe fama fert: vnde illi Caſti cognomen. Religionis amplificandæ ſtudio templum Oueti, Saluatoris nomine præcipuū & maximum ab imo totum extruxit: tametſi inchoatæ fabricæ laudem nonnulli ad Veremundum ablegant: Alfonſum fama tenuit. Extructi iam templi cum exornandi cura ſolicitaret pii Regis animum, Angeli aurificum ſpetie, crucem auream gemmis diſtinctam, auroque fulgentem eleganti forma perfecerunt. Opinionem ad populum euentus confirmauit, cum perfecta cruce nuſquam comparuiſſent. Rodericus Præſul Regem ait, à Qeone III. Romano Pontifice impetraſſe, vt Archiepiſcopi cathedra templum à ſe nuper extructum honeſtaret: cum conſtet id tempore Alfonſi Magni factum eſſe. Alfonſi gloriam à præclaris initiis auſpicatum domeſtica calamitas ſugillaſſe viſa eſt. Semena ſoror Sandiæ ſeu Sanctio Saldaniæ Comiti nupſit, nullo fratris reſpectu. Ex eo coniugio clandeſtino ſcilicet Bernardus infans natus eſt, cui deinde Carpenſi nomen fuit, & rerum geſtarum fama ab Hiſpaniæ ſcriptoribus vnus maxime per hæc tempora celebratur. Re prodita Comes quidem cum per ſpeciem comitiorum Legionem veniſſet, maieſtatis lege poſtulatus, excæcatis oculis perpetuo carceri in arce Lunæ mancipatus eſt: vbi vitæ reliquum in tenebris & ſqualore propagauit. Semena ſoror in virginum ſacratarum collegium compulſa. Infans in Aſturibus auunculi Regis iuſſu, non ſecus ac ſi ex ipſo genitus eſſet, regio cultu educatus habituſque. magnæ indolis, quæ natura inerat, hæc adiumenta fuerunt. Interea Maurorum arma mouebantur. Zulema & Abdalla Regis Mauri patrui cum eatenus ſe in Africa tenuiſſent (tametſi auctorem habeo qui Abdallam Francorum opem imploraſſe affirmat, & Ludouicum Caroli Magni patris iuſſu Abdallæ iuuandi cauſſa cum exercitu in Citeriorem Hiſpaniam, Oſcam vſque penetraſſe,) hoc ſane tempore noui Regis deſpectu, priuſquam ſe in regno confirmaret, in Hiſpaniam tranſmiſerunt. Abdalla vt erat ardentiori ingenio, prior Valentiam ciuium voluntate occupauit. Zulema poſtmodum euocatus eſt à fratre ad ſpem rerum nouarum. In vicina oppida & vrbes irruptiones factæ finitimi agri omni belli iniuria vaſtati. Ab his initiis eo audaciæ progreſſum eſt, vt collatis vexillis cum Alhaca Rege dimicare non dubitarint. pugna ingens fuit multumque in ea ſanguinis effuſum. cum multis Zulema cecidit. Abdalla fuga Valentiam euaſit. & cum toties eius conatus fortuna deſtituiſſe viſa eſſet, pacata conſilia turbulentis potiora fore arbitratus, fœdere cum Rege facto arma poſuit ea lege, vt vectigal annuatim penderetur, vnde vitam principalem in ea vrbe ſuſtentaret. Pace inita firmanda filii ad Regem miſſi ſunt: quos ille benigne acceptos apud ſe habuit eo loco & cultu, qui patruelibus conſentaneus eſſet. eorum vni ſororem connubio iunxit. Atque hæc geſta ſunt imperii Arabum anno centeſimo octogeſimo quarto, iuxta Roderici Præſulis computationem. qui annus quintus erat ex quo Alhaca regnare cœpit. Maurorum bella inteſtina rei bene gerendæ

opportunitatẽ Alfonſo Regi præbuiſſe videntur, multi enim auctores externi ſcilicet (nam noſtratibus magnum de ea re ſilentium) Alfonſi virtute aiunt Oliſiponem vrbem Luſitaniæ principem Mauris ereptam, miſſamque ad Carolum Magnum honeſtiſſimam legationem ex Hiſpania: cuius legationis principes Frucla & Baſilicus captæ vrbis ſpolia Regis iuſſu detulerunt, equos, arma, captiuos, præterea admirandi operis & amplitudinis tentorium Mauricum. Excepere inteſtini tumultus motuſque graues, quibus vitandis Regem in Abelienſe monaſterium ex fuga compulſum locis præruptis ſitum in Calæcis, Theudiı viri principis opes regno reddiderunt clariorem effectum poſt calamitatem. Cæterum Alfonſi regnum nulla re mihi felicius illuſtriuſque viſum eſt, quam D. Iacobi Apoſtoli corpore, quod per hæc tempora Compoſtellæ inuentum eſt, ad omen maioris quam vnquam futuræ Chriſtianorum felicitatis. quod qua ratione contigerit ex altiori principio explicandum eſt.

D. Iacobi Apoſtoli corpus inuentum. CAP. X.

FLORVERAT vt ſi qua in Hiſpaniæ parte maxime in extrema Calæcia, ad eum locum vbi Iria Flauia ſita eſt, cultus religionis Chriſtianæ. Verum ſæua procella in Chriſti cultores excitata, quo tempore nõdum repudiata multorum deorum vanitate, Romanorum Imperatorum iuſſu, piorum corporibus excruciandis tormenta omnia conſumebantur, iis in locis penitus extincta eſt. Quo factum, vt neque Romanorum reliquo imperio, neque Gothis rerum potientibus in Hiſpania B. Iacobi Apoſtoli ſepulcrum vbi eſſet exploratum haberent. temporis iniuria atque vetuſtatis locus dumis & vepribus obſitus erat, ignotuſque omnibus, vſque ad Theodomiri Irienſis Epiſcopi ætatem. Myrus quidem Sueuorum Rex, de quo eſt ſuperioribus libris memoratum, ex Romanæ eccleſiæ inſtituto formaque, Epiſcoporum in ſua ditione diœceſes certis finibus deſcripſit. Andream Irienſem Epiſcopum conſtituit, cui ordine ſucceſſerunt Dominicus, Samuel, Gothomarus, Vincibilis, Felix, Hindulphus, Selua, Leoſindus ſiue Theoſindus, Enula, Romanus, Auguſtinus, Honoratus, Hindulphus: quorum omnium præter nomina notitia nulla extat: eademque ignorationis caligine reliqui omnes qui ſucceſſerunt inuoluti eſſent, niſi Iacobi luce, quæ breui totum orbem peruaſit, illuſtrati eſſent. Theodomiri enim qui Hindulpho ſucceſſit, diligentia, nutu numinis tantus theſaurus repertus eſt. Præcipua auctoritate & fide viri, lumina ſæpe inter noctis tenebras micare in vicino nemore teſtes oculati renunciabant. Sanctus Præſul ne ludibria oculorum eſſent ſuſpicatus, ſtudioque rem vniuerſam, cuius fama percrebuerat, veſtigiis omnibus explorandi, iis luminibus locum omnem coruſcare videt. nemus perſcrutatur omne, effoſſo terreo tumulo marmorea domuncula inuenta, qua ſacrum ſepulcrum includebatur. Argumenta quibus Apoſtoli corpus eo ſepulcro contineri cognitum eſt, memoriæ non ſunt prodita: ſed niſi magna de cauſſa eam opinionem ſuſceptam non arbitror antiquitatis ſcilicet veſtigia excuſſa, geniique quos paſſim occurriſſe memorant, rem ita habere nunciarant. Præſul viſa nunciaturus Regem continuo arrepto itinere adiit. Is vt flagrabat religionis amplificandæ ſtudio, rem omnem præſens luſtrat: lætuſque ſucceſſu, D. Iacobi nomine eo loco templum extruendum curat, extemporarium quidem & rude, nimirum formaceis parietibus compactum. ſacerdotia inſtituit, redituſque vnde ſacrifici viuerent templo attribuit, quantum regii fiſci tenuitas per ea tempora patiebatur. Rei fama breui toto orbe Chriſtiano diſſipata, D. Iacobi religio vehementer aucta & amplificata eſt. Nunquam in Hiſpaniam ne rebus quidem integris, tantum exterorum hominum venit. Confluxerunt ex Italia, Gallia, atque Germania, ex propinquis, & vlterioribus, ex longinquis gentibus ad tantæ rei famam. Multa miracula & magna, quæ quotidie ad ſepulcrum Apoſtoli edita ſunt, religionem auxere: vanamque non fuiſſe eam opinionem cunctis nationibus demonſtrarunt. Leo III. Romanam Eccleſiam eo tempore obtinebat. ab eo Alfonſi Regis precibus, Caroli Magni auctoritate, nam ea potiſſimũ de cauſſa legationem (de qua dictum eſt) ſuſceptã arbitror, impetratũ cũ Epiſcoporum & procerũ Hiſpaniæ voluntas accederet, vti Præſulis Irienſis ſedes retento nomine, & Bracarenſis Metropolitani, cui ſubditus erat iure retento, Cõpoſtellam migraret loci cohoneſtandi cauſſa. Tametſi Bracara per id tẽpus cũ eſſet à Mauris euerſa, habitatorib. vaſta erat vtraq; lege poſt ducentos ſeptuaginta quinq; annos, Cõpoſtellana Eccleſia ſoluta eſt: cũ Pontificum Romanorũ indulgẽtia, Regũ Hiſpanorũ opera, veteribus Emeritæ vrbis quondã Metropolitanæ iuribus in eam Eccleſiam tranſlatis aucta eſt. Acceſſit eius municipii principatus agro attributo, quantum tria millia paſſuum circum ſepulcrum occuparent, vt Alfonſi diploma declarat, quod

rat, quod in eius templi ſchedis conſeruatur, deſignata etiam cauſſa inuenti ſuo tempore corporis ſancti.

Carolus magnus venit in Hiſpaniam. CAPVT XI.

CAROLVM cognomento Magnum Francorum Regem, non ſemel veniſſe in Hiſpaniam, fama fert veterum ſcriptorum conſtanti fide fundata. primum poſt initia regni quod defuncto patre ſuſcepit, Ibnabalæ Mauri precib. ſolicitatus ad ſpem Hiſpaniæ Mauris eripiendæ qua parte Vaſcones ſunt Pyrenæo monte tranſcenſo circunſeſſam Pompelonem, ciuium deditione facta, redegit in poteſtatem. Cæſarauguſtæ de manu Ibnabalam Regem dedit, vectigali mulctatæ, quod annuatim penderetur. In reditu Pompelonem, quoniam iniuriæ opportuna erat, & inter Maurorum & Chriſtianorum imperium ſæpe alternabat, mœnibus nudandam curauit. In Pyrenæi anguſtiis Vaſconum armis, impedimentis exutus theſauriſque direptis omnibus deformatus in Germaniam rediit. Gerunda & Barcino poſt aliquot annos, Mauris dedentibus in Caroli poteſtatem venerunt. Inde Barcinonenſium Comitum initia, & origo gentis Catalaunicæ: cum Cathelauni populi ad Toloſam vrbem in Gallia Narbonenſi late fuſi, ad nouas ſcilicet ſedes in Hiſpaniæ partem eam penetraſſent. nam qui ex Gotthis & Alanis Catalauniæ vocem duplicāt, aut à Catalone quodam Aquitanię Præfecto, quo tempore Martelli armis occupata eſt, Eudonique filiis erepta, vti antea dictum eſt, deriuant, nulli erudito ſuam opinionem probarūt. Thomichus eius gentis ſcriptor Carolum denuo ait, poſt aliquātum tempus Narbone capta ereptaque Mauris, in Hiſpaniam irrupiſſe: tractumq; illud adieciſſe imperio, cui Catalauniæ veteri nomen eſt ad Ceretanos. Præterea cum Mauris dimicatum in valle, cui ab eo prælio Caroli nomen eſt factum. Addunt alii inuento Iacobi corpore, cum in amplificandæ religionis curam incumberet, veniſſe in Hiſpaniam, vt quæ fama prædicabat, præſens oculis luſtraret. Re certà in reliquas Hiſpaniæ eccleſias eo agente ius & auctoritatem Primatis Compoſtellano Præſuli datum. quod ne pro vero ponatur, ac potius vt repudietur tanquam falſum, multæ rationes mouent, quas explicare non eſt neceſſe, cum ſe nullo indicante commentum prodat. Poſt diſceſſum ex Hiſpania Romam certe abiit, Leonis eo nomine. III. Pontif. Maxim. quem ab inimicis iniuria pulſum ſuſpicabatur, reſtituendi tuendique cura. In Vrbe cum ad cognoſcendā cauſſam conſediſſet, Epiſcopi quorum erat magnus numerus euocante Rege, nefas eſſe acclamarunt, cuiquam de Pontifice Maximo iudicium facere. Pontifex ipſe de ſuggeſtu obiecta crimina iureiurando diluit. Accuſatores primum capitis damnati: deinde agente Pontifice, exilio tantum mulctati ſunt. nullo tempore, neque res Romana liberior viſa eſt, neque Pontificia dignitas auguſtior. Præmiſſæ fuerant ad Carolum claues confeſſionis S. Petri, & vrbis Romæ vexillum: indicio ciues & Pontificē ſe in eius poteſtatem cōtradere: quoniam parum opis in ea temporum perturbatione fore videbatur in Græcis Imperatoribus: res Francorum reſurgere & confirmari conſiderabant. Itaque quod abſenti decreuerant, vrbis Romæ imperium præſenti delatum. Octingenteſimus primus ſalutis annus agebatur, cum Leo in 801
æde Petri ſacris operatus, Carolum Auguſtum appellatum, imperii inſignibus exornauit. Romanus populus incredibilis lætitiæ argumento acclamauit: Carolo Auguſto, Magno, & pacifico, vita & victoria. Factus Imperator ex Germania quo ſe contulerat, in extrema ætate venit in Hiſpaniam, vt conſenſus ferme ſcriptorum eſt, hac occaſione. Alfonſus annis grauis feſſuſque bello, quod continenter in Mauros gerebat maiori conatu quam ſucceſſu, Carolum cogitauit in Hiſpaniam euocare, breui ſperans totam prouinciam eius armis barbaris eripi poſſe. Prole ipſe carebat. nauatæ operæ mercedem commodum viſum eſt. regni ſucceſſionem proponere. non abiecit conditionem Carolus. Verum ætate ipſe grauis neque Alfonſo minor, imperiique amplitudine clariſſimus: Bernardo quem ex Pipino filio defuncto nepotem Regem Italiæ dixerat, nouum regnum deſtinans, Hiſpaniam petere conſtituit. Sequebatur inuictum copiarum robur. prope confecta omnia erant: cum re prodita (neque enim magnorum Principum conatus & fœdera, cum per alios conditiones ferantur, diu latere poſſunt,) vtriuſque Principis conatus diſturbati ſunt. Proceres Hiſpaniæ ægre ferre Francorum imperio ſubdi, gentis inſolentis (vti ipſi loquebantur) & feræ non Maurorum ſeruitutem depelli, ſed grauiori propemodum ſeruitute mutari. Hæc pro ſe quiſque, hæc in circulis, hæc plebs, & optimates conquerebantur. Sumere arma Regiſque voluntati obſiſtere audebat nemo priuatim. Bernardus Carpenſis ætate & ſpe ferox ægris animis ſubdebat faces, Ducemque ſe præbebat iis qui ſe ſequi vellent: & Alfonſum, vt ſunt Regum volun-

tates incertæ, ſui iam conſilii pœnitebat. Marſilius Cæſarauguſtæ Rex Maurus, cui pulſi ab eo Ibnabalæ cauſſa Carolus iratus erat, in partes attractus. Ex vtraque gente iuſtus exercitus conflatus. Franci equitatu valent. optimum ergo viſum eſt Pyrenæi ſaltus anguſtias occupare, Francoſque ſi poſſent aditu Hiſpaniæ prohibere. Externi ſcriptores Carolum aiunt vlterius penetraſſe, nec ante ex hoſtico deceſſiſſe, quam prælio victor agros prouinciæ longe lateque vaſtaſſet. in reditu cum hoſtium copiis ad Pyrenæi anguſtias pugnatum. Nobis noſtrorum ſcriptorum fides potior viſa eſt, negantium Carolum in interiora prouinciæ penetraſſe: ſed in ipſo aditu ad Roſcidam vallem, quæ in ſaltu Vaſconum eſt, pugnatum. Veniebant in prima acie Rollandus Britanniæ Comes, Anſelmus & Eginardus viri primarii. locus erat minime aptus copiis explicandis. Noſtri ergo ex ſuperiori loco impreſſione in hoſtes facta, multos priuſquam ſe ad pugnam compararent, inſtruereque acies poſſent, ferro peremerunt. Cecidit Rollandus ipſe, de cuius virtute & rebus geſtis multa & incredibilia in vtraque gente vulgo homines fabulantur. Carolus ſuorum trepidatione ſtrageque cognita, conatus inclinatam aciem reſtituere, hanc pro tempore ad milites orationem habuit. Quam turpe ſit Francorum arma triumphis trophæiſque nobiliſſima, Hiſpanorum egentibus populis & diuturna ſeruiendi conſuetudine oppreſſis cedere, me ſilente res ipſa loquitur. Nomen imperii noſtri, ingenita vis pectoris alacritatem addat. res fortiter, pie ac feliciter geſtas, veſtram nobilitatem, maiorum decus ad animos reuocate: & qui deuictis tot prouinciis leges magnæ orbis parti dediſtis, ab inermi hoſtium genere, qui latronum more æquo campo congredi recuſarunt, vinci ipſa morte acerbius iudicate. Fugæ locus non eſt in tanta locorum iniquitate. an æquum erit à pedibus præſidium petere, abiicere arma? tantum ſuperi dedecus auertite: neque patimini milites tantum ignominiæ inuri nomini Franco. virtute & audacia ex his locis euadendum. Viribus, opibus, generoſitate, robore, numero, delectu præſtatis: hoſtes inopia, illuuie, ſqualore deformes: exercitus ex vtraque gente conflatus, quibus nec idem mos eſt, & legibus, inſtitutis, religione diſcrepant. vobis vnus animus eſt, mens eadem, pro vita, pro patria, pro noſtra gloria neceſſitudo pugnandi. Ergo quo animorum vigore toties numeroſas hoſtium copias me Duce, ipſam temporum & locorum ſæpe naturam ſuperaſtis: eadem nunc (niſi forte virtutis priſtinæ veterani milites obliti eſtis) minores quæ ſeſe offerunt vincite difficultates. Mox buccina ſignum datum. pugna magno ardore inſtaurata, multum effunditur ſanguinis. Francorum promptiſſimi & nobiliſſimi cadunt. Et erat Hiſpanorum exercitus omnium rerum patientia duratus: & opinio, quæ multum in bello poteſt, Gallorum animos fregit, cum in ipſo ardore pugnæ nunciatum eſſet Mauros locorum notitia aduolantes, per occultos tramites circumueniſſe Francos, & iam à tergo inſtare. Nullus locus clade Francorum nobilior, ac fama celebratior fuit. Interempti ad S. Spiritus ſepulti. Iniuriam ne Carolus armis vindicaret, ipſius morte quæ breui conſecuta eſt contigiſſe arbitror. Aquiſgrani defunctus, & ſepultus eſt anno Chriſti octingenteſimo quartodecimo. Rodericus Alfonſum Regem ait prælio interfuiſſe. Vaſcones Fortunium Garſiam Regem Suprarbis magnam victoriæ fuiſſe partem affirmant. Gallicæ hiſtoriæ non noſtra virtute victos Francos, ſed Galalonis cuiuſdam proditione cladem illatam. ſtudio & ſimulatione vtriuſque gentis confuſam memoriam arbitror: vſque eo vt ne Eginardus quidem, qui Carolo Magno à ſecretis fuit, in eius vita vllam de hac pugna mentionem faciat: quod ex malitia detractum crederem, niſi idem contigiſſe Alfonſo Regi Legionis conſiderarem, cui Magno cognomen fuit, in eo Chronico quod Sebaſtiano Salmanticenſi Epiſcopo paulo poſt hæc tempora nuncupauit. Atque de Caroli Magni expeditione ignominiaque hactenus. de re tota liberum iudicium lectori ex aliorum ſcriptis eſto. ad intermiſſa reuocetur oratio.

Reliqua Alfonſi Regis geſta. CAPVT XII.

SECVNDVS Alfonſi regno ſine vlla ferme offenſione rei Chriſtianæ curſus erat, conſtans, æquabilis, perpetuaque fortuna: neque res bellicæ curæ magis erant, quam pacis artes & religionis amplificandæ ſtudium. Templum enim quod Oueti Saluatoris nomine præcipuum & maximum ſub initia ædificandum curauit ad culmen perductum, à ſeptem Epiſcopis quo maior videlicet loci religio eſſet, ex ritu Chriſtiano ſacratum
802. eſt, anno octingenteſimo ſecundo. Mariæ Virgini in eadem vrbe ædes extructa, illique coniuncta domus humandis comparata Regibus. tertia Thyrſi Martyris nomine elegan-

tiſſima.

tiſſima. quarta Iuliani. præterea palatium regium rebus omnibus inſtructum. Ea enim erat Alfonſi animi magnitudo, vt in priuata re frugali victu contentus tenuique cultu, omnia ad imperii dignitatem, gloriam & ſplendorem Reipublicæ reuocaret, eiuſque vrbis ornamentum: quam Regum primus ſedem Regni fecit, vti Alfonſus cognomento Magnus eſt auctor. Interea Toletani aduerſus Regis ſui imperium tumultuabantur. copiæ & otium, vnde malis omnibus origo, in cauſſa erant: nullaque magna ciuitas diu quieſcere poteſt. ſi foris hoſtis non eſt, domi naſcitur. Alhaca Rex vt erat ingenio callido facile tacere, celare, diſſimulare, inſidiari aſſuetus, Ambrocium Oſcæ Præfectum, idoneum hominem nactus, cum Toletanis ciuibus gratus eſſet, cum litteris mittit, culpam rebellionis in Præfectorum inſolentiam reiicit. Illi, vt ſunt fere eius vrbis incolæ minime mali, nullam ſuſpicati fraudem, eum in vrbem admittunt. poſt aliquantum tempus regiis iniuriis prouocatum ſimulat ſeditionis participem eſſe velle. vrbe ad omnes caſus munienda, quo loco nunc D. Chriſtophori ædes eſt, vt arcem ædificarent fit auctor: & vt præſidii cauſſa militum manus in vrbem reciperetur. Ad eos motus comprimendos mittitur Abderrahmanus Regis filius, qui natus erat viginti quatuor annos: quo ſimili fraude per ſpeciem initi fœderis in vrbem arcemque admiſſo, primarii ciues ad quinque millia conuiuii ſimulatione inuitati, à militibus obtruncati ſunt ſalutis anno octingenteſimo quinto. Clarum noxæ ſimul & pœnæ exemplum plebem quidem Toleta- 805.
nam in officio continuit: Cordubenſes autem qui ſuburbium obtinebant, haudquaquam deterruit, quo minus à Regis imperio rebellarent. Miſſus Abdelcarinus, qui obſeſſa paulo ante Calagurri vrbe, agriſque & oppidis circum euaſtatis, in magna gloria eſſe cœperat, tumultuantes compeſcuit. Minor ciuium ſtrages fuit: trecenti ad fluminis ripam laqueis ſuſpenſi. atque hæc Mauri. A Chriſtianis autem geminus Maurorum exercitus, qui bipartito in Calæciæ fines inuaſerant, bellique terrorem circumtulerant, reiecti cum clade, deletique ſunt anno octingenteſimo decimo. Ores Emeritæ Præfectus 810.
Beneuenti obſidionem Alfonſi aduentu ſoluere coactus. Alcama Maurus Pacis Auguſtæ Præfectus à Senticæ finibus, quam circunſederat, repulſus eſt. Neque multo poſt Mahumetes nobili loco inter Mauros, Emeritæ quondam ciuis, Abderrahmani metu, qua cauſſa incertum, ſed vim tamen veritus cum ſuorum manu Alfonſi fidei ſe credidit. in Calæcia locus ad habitandum conceſſus Regis benignitate. Octauo poſt anno ſtudio nimirum ſuæ genti gratificandi cum correptis armis rebellaſſet, occupato Sanctæ Chriſtinæ oppido, (quæ arx à Luco vrbe octo paſſuum millibus diſſita cernitur) Regis celeritate eius conatus ſunt præoccupati. ſumma vtrinque contentione iis locis dimicatum. cæſa ad quinquaginta hoſtium millia. Mahumetes ipſe obtruncatus. grauique documento ſancitum temere patriæ proditoribus, atque opinionibus de religione diſcrepantibus fidem accommodari. Inter hæc Alhaca Cordubæ Rex obiit, anno imperii Arabum ducenteſimo ſexto, regni vigeſimo ſeptimo, ſalutis octingenteſimo vigeſi- 821.
mo primo. Filios decem & nouem reliquit, filias vnam & viginti. Abderrahmanus annos natus quadraginta vnum ſucceſſit in regno. regnauit annis vno & triginta. Bernardi Carpenſis virtus vnius maxime enituit bellis omnibus, quæ hac tempeſtate geſta ſunt. Is à Regis auctoritate defecit, palam miſſione impetrata. æquiſſimi poſtulati, vt ipſi videbatur, repulſa alienauit animum: cum patrem, quem tandiu in vinculis teneri iniquo ferebat animo, è carcere emitti neque ſuis meritis, neque Reginæ precibus à ſocero Rege & auunculo impetraſſet. Saldaniam ditionis paternæ oppidum conceſſit non obſcure iratus Regi, & vindictæ cupiditate incenſus ſicunde ſe daret occaſio: neque deſtitit prædas agere, regiamque ditionem irruptionibus vexare, nullo prohibente: cum Rex in ſenili & præcipiti ætate eius conatibus reprimendis impar eſſet, proceres Bernardi cauſſæ fauere viderentur. Sane Alfonſus Bernardi defectione prouocatus, cum vitæ exitum vrgere cerneret, & ex morbo lethali decumberet, in procerum conuentu Ramirum Veremundi Regis filium regni ſucceſſorem deſignauit. Peracto demum vitæ ſuæ ſpatio, ad vltimam cum proceſſiſſet ſenectutem, & octogeſimum quintum ætatis annum compleſſet: regnaſſet annos quinquaginta duos, menſes quinque, dies tredecim, (alii Mauregato & Veremundo annos, quibus vterque regnauit, quaſi vitio creatis detrahunt, & priori annorum numero adiiciunt) Oueti defunctus eſt, & ad D. Mariæ ſepultus anno octingenteſimo quadrageſimo quarto ineunte. in quo ab Alfon- 844.
ſi Magni ratione parum diſcrepamus: ſed Compoſtellani catalogi auctoritatem ſecuti, cæteris monimentis hiſtoriæ conſentaneam.

Ramirus Rex. CAPVT XIII.

RAMIRI regnum tempore breue, gloria rerum geſtarum celeberrimum fuit, grauiſſimo ſeruitutis iugo è piorum ceruicibus depulſo, compreſſaque inſolēti Mauricæ gentis audacia. quod enim ſtamus, Hiſpaniæque antiqua dignitas reſtituta eſt, vnius Ramiri virtuti & perpetuæ felicitati acceptum feratur neceſſe eſt. Foris clarus fuit, domi admirandus, nec bellica gloria quam pacis artibus maior. Magica ſacra cantiuneſque ignis ſupplicio coercuit. furta quorum erat magna licentia, eruendis latronum oculis: iuſtiſſima pœna, auferri amplius delicti facultatem. Res gerebat Ramirus in Vardulis quo tempore Alfonſus defunctus eſt. Locorum longinquitate Principiſque mutatione inuitatus Nepotianus Comes, in Aſturibus regnum armis inuaſit, gratia, opibus & auctoritate validus. Diuerſæ voluntates gentis erant, neque ſententia vna. prauo & inquieto homines ingenio factioni fauebant: ſaniores ſilebant, neque ſe in tanta colluuione tyranni metu audebant commouere. Collectis vtrinque copiis ad Narceiæ fluminis ripam pontemque in Calæcis dimicatum. Nepotianus à ſuis deſertus atque victus acie eſt. Fugientem Somna & Scipio comites comprehendunt in Præmarienſi tractu, vinciuntque: eoque tradito, à victore gratiam ineunt. Et eſt iuſtiſſima perfidiæ merces, vt perfidia compenſetur: ac ferme cui fortuna aduerſa eſt, eum hominum ſtudia deſtituunt. Capto Regis iuſſu effoſſis oculis & in monaſterium compulſo idem vitæ & ærumnarum terminus fuit. Inteſtinos regni motus nouum aduerſus Mauros bellum excepit initio formidabile, ſucceſſu lætiſſimum, in paucis nobile. Abderrahmanus eo nomine ſecundus Maurorum imperium obtinebat. natura ferox, perpetua rerum geſtarum felicitate ferocior effectus erat. Abdalla enim patruo, qui denuo Valentiæ regnandi ſpe arma ſumpſerat, fugato ſub initia Regni, & poſt fugam defuncto, Barcinoneque Chriſtianis erepta Abdelcarini Ducis virtute, viribus ipſe, copiis & gloria maiores exæquaſſe videbatur. Itaque legatione ad Ramirum miſſa, centum virgines ex fœdere olim cum Mauregato Rege inito, repræſentari tributi nomine flagitabat: quo poſtulato haud dubium niſi pareret, noui belli denunciatio continebatur. grauis metus, ſed maior ignominia. Legati continuo extruſi, ne violarentur ius gentium valuit. Tametſi fœdum atque intolerandum videbatur nouo Regi, de re turpiſſima fuiſſe interpellatum. Omnes (quorum ætas idonea erat) tota ditione arma induere compulſi, paucis exceptis agrorum cultui deſtinatis: ne cum fame ſimul & hoſtibus pugnare neceſſe eſſet. Ipſi Epiſcopi & viri ſacrati caſtra ſecuti. magna totius gentis expectatio erat, In Riuogiam irruptio facta, quoniam is tractus in Maurorum ditione erat: & Rex ampliſſimum pulcherrimumque ducebat gloriæ ſeruire, tueri nominis exiſtimationem bello hoſtibus prouocatis. & quod neceſſe erat, ſponte viciſſe videri cupiebat. Abderrahmanus contra magnos delectus habere: arma, equos, commeatum comparare, & conferre quæcunque ex vſu belli futura arbitrabatur, certus noſtrorum copiis obuiam prodire. Ad Aluendam caſtra caſtris collata, oppidum ea tempeſtate munitum, deinde etiam monaſterio inſigne, quod D. Martini olim nomine Sanctius Rex Vaſconum ædificandum curauit: nunc ad caſas ferme redactum cernitur. Monaſterii reditus & bibliotheca in paucis nobilis in D. Mariæ Rotundæ conſequenti tempore commigrarunt Lugrunium: vnde Aluelda diſtat octo paſſuum millibus. Iis in locis pugnatum vtrinque tot s viribus ac copiis. atrox dimicatio fuit, nullaque ea tempeſtate maior. collectitius noſtrorum exercitus veterano & exercitato militi impar erat viribus & induſtria. Ducum diligentia, cum partibus omnibus adeſſent, inclinata res ſtetit. noctis ſuperuentu, cum proſpectum tenebræ abſtuliſſent, ceſſatum. Nox interpoſita ſaluti noſtris fuit: vt in bello nihil tam paruum eſt, quod non interdum magnæ rei momentum faciat. Ramirus Rex imminutas numero copias metu debilitatas in vicinum collem ſubduxit. victum eſſe ea re confiteri viſus eſt. loco munito pro tempore & vulneratis cura adhibita, in ſuprema rerum deſperatione & luctu, omnes vt fit in vota & preces conuerſi. Regem mœrore oppreſſum & de rerum ſumma ſolicitum ſomnus complexus eſt. Dormienti Iacobi Apoſtoli ſpecies obiecta auguſtior quam pro humano habitu, bono animo eſſe iubet: de victoria nihil dubitare numinis ope, quam certo aſſuturam proxima luce ſperaret. Rex ad has Iacobi voces excitatus, lætuſque nuncio, cum ex ſtratis ſe corripuiſſet, Præſules & magnates ad ſe vocari iubet. Cum conueniſſent hac ſententia orationem habuit. „Compertum habeo, viri præſtantes, quo loco res noſtræ „ſint, iuxta mecum vos omnes conſiderare. Heſterna pugna tantum non victi ſumus.

non

non noſtra virtute, ſed noctis beneficio euaſimus, numero imminuti, debilitati viribus, oppreſſi metu. hoſtilis exercitus ante validus, noſtra calamitate robuſtior euaſit. Neque pugnæ repetendæ facultatem eſſe videtis, neque ineundæ fugæ locum. diutius in his locis eſſe, ſi maxime cupiamus, frumenti aliarumque rerum inopia haudquaquam patietur. Duram & ancipitem ſortis noſtræ neceſſitatem præſidio humano & viribus deſtitutam, tantumque non malorum pondere preſſam, diuinum numen quod certo vobis polliceor, faceſſat modo metus, neque animi auribus officiat quo minus noſtris dictis fidem adiungatis, reſtituet atque ſuſtentabit. Temeritas in aſſeuerando turpis eſt, præſertim cum iudicandum eſt quantum rebus diuinis religionique tribuamus: cum ſit periculum, ne aut iis neglectis impia fraude, aut ſuſceptis anili ſuperſtitione obligemur. Iacobus Apoſtolus mihi per quietem oblatus, victores nos fore pollicitus eſt. Erigite animos, mœrorem omnem deponite. Vana non eſſe quæ dicimus rei euentus declarabit. Agite ergo pleni bona ſpe, in hoſtes irruite. pro patria, pro libertate, pro communi ſalute certate. Licuit nobis cum ſumma turpitudine ſeruire Mauris. hæc quia intoleranda videbantur, arma corripuiſtis. pulcherrimi incepti & priſtinæ virtutis memores, Chriſtianæ religionis ignominiam, veſtræque gentis dedecus Deo auctore, Iacobo auſpice propulſate. Hæc vbi dixit, aciem inſtrui & ſigna canere iubet. Noſtri magna alacritate in hoſtes impreſſionem faciunt D. Iacobi nomen magnis vocibus ingeminantes. quod ab hoc initio ſuſceptum in morem abiit, vt Hiſpanis militibus ſit pro teſſera militari. Barbari noſtrorum audacia, quos victos eſſe putabant commoti, & cælitus iniecta formidine perculſi, noſtrorum impetum non tulerunt. Iacobus, vti erat Regi pollicitus, in equo candido niueum vexillum præferre viſus eſt, quod rubræ crucis figura diſtinctum erat. Eius aſpectu noſtris vires auctæ, barbaris animi concidebant. fœda fuga fuit, neque minor cædes: ſexaginta millia Mauri perempti. Clauigium, quo loco pugnatum eſſe hoc ipſo tempore armorum ſtrages paſſim effoſſæ indicant, Aluelda & Calagurris Mauris ereptæ. Anno ſalutis octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Ramiri regni ſecundo pugnatum eſt. Victor 846
exercitus ſecundum Deo gratias actas pro diuino munere, D. Iacobi, cuius præſidio victoria conſtiterat, Compoſtellano templo voti ream vniuerſam Hiſpaniam fecit: tametſi pars maxima in ditione Maurorum erat, ex ſingulis iugeris agri vineæque modium ſingulis annis frumenti aut vini pendendi. quod Romani Pontifices votum, nonnulli deinde ratum habuerunt, vti ipſorum litteræ indicio ſunt. Ramiri Regis diploma Calagurri eſt conceſſum, menſis Maii die quinta, Era octingenteſima ſeptuageſima ſecunda: mallem octingenteſima octogeſima quarta, vt ratio temporum quam conſtantiſſimam ſequimur, hac etiam parte conueniret. Additum præterea, vt hoſtium ſpoliis diuidundis, lege in omne tempus lata Iacobus Apoſtolus pro vno milite eſſet: quod longa deſuetudine antiquatum eſt. Vectigal vini & frumenti nonnulli populi pendunt. Ex belli manubiis ædes Mariæ Virginis nomine, ſecundo ab vrbe Oueto lapide in latere Naurantii montis ædificata, ſtructuræ genere & totius operis maieſtate in paucis elegantiſſima extat, propeque altera Michaelis nomine, eiuſdem Regis opus. Exornauit Regina (quam nonnulli Vrracam vocant alii Maternam, vnde Ordonius & Garſias nati ſunt) quidquid laboris poterat impendi detrahique ex cultu domeſtico, ſolita exornandis Iacobi aliiſque tota ditione diuorum templis conferre. Minor quam pro victoria ſucceſſus vt eſſet, bellum improuiſo aliunde illatum per idem tempus effecit.

Nortmanni vexant Hiſpaniam. CAPVT XIIII

NONDVM Maurica ſeruitus depulſa erat, quam ex Auſtro profecta gens barbara inuexerat, cum noua ex Septentrione clades Hiſpaniam afflixit. Nortmanni gens fera & barbara, atque Chriſti Dei ſacris nondum ſuſceptis impia, ex Dacia Noruegiaque profecti, quod nomen ipſum declarat Septentrionales fuiſſe, vitæ ſuſtentandæ neceſſitate, an potius nocendi ſtudio piraticam faciebant Rholone Duce Friſiæ littora primum tentarunt: deinde Galliæ, qua parte Sequana fluuius in Oceanum Gallicum mittit, infeſtiore continentioreque latrocinio oppida, agros vrentes, quam vllus vnquam iuſtus hoſtis fecerat: fines deinde Nannetum, qui Ligeri fluuio alluuntur Turonum Pictonumque depopulati: Robertoque Andium Comite acie victo, terrorem omnibus circum populis intulerunt. In Neuſtria demum conſtiterunt, quæ hodie Galliæ pars a gente Normannia nuncupatur. Ludouico. II Imperatore, & Carolo Craſſo concedentibus quoniam pu-

blice detrectabant imperium, ea lege vt Normanni Principes Francorum Regum beneficiarii eſſent. Ex Gallia validæ claſſes per hæc tempora miſſæ maritimas Hiſpaniæ vrbes omni iniuria belli vexarunt ac primum Calæciæ oram vniuerſam infeſtam reddentes & ad Brigantinum portum appulſi, Ramiri armis victi prælio atque ad mare reiecti ſunt. ſeptuaginta naues qua captæ, qua ſubmerſæ in nauali pugna. auctor Rodericus Præſul. numerus vix fidem facit. Nam qui cladi ſuperfuerunt Nerio promontorio ſuperato, ad Tagi oſtium inuecti Oliſponem vrbem, quæ ad Maurorum ditionem redierat, omni bel-
847. li iniuria fatigarunt: & ſequenti anno, qui fuit eius ſeculi quadrageſimus ſeptimus, aucti claſſe & viribus Hiſpalim obſederunt: Gaditanos agros & Aſſidoniæ fines vaſtarunt. hominum & pecorum prædæ abactæ. Mauri tribus præliis magno numero cæſi. ad extremum cum diutius iis in locis conſediſſent, nunciatumque eſſet Abderrahmanum Regem nouam claſſem comparare, magna gloria parta, ſpoliiſque onuſti ex Hiſpania deceſſerunt. Excepere inteſtini motus inter Chriſtianos. Alderedus enim Comes, & Piniolus opibus & clientelis potens, deinceps contra Ramirum Regem arma corripuerunt. defectionis cauſſæ memoriæ proditæ non ſunt: res tamen breuem & facilem exitum habuit. Alderedus luminibus captus, Piniolus & ſeptem filii perempti Ramiri iuſſu, regni eius anno quinto. Qui cum ſeptem totis annis reipublicæ præfuiſſet, Oueti defunctus eſt, atque in D. Mariæ tumulatus ipſe & vxor Paterna. Extat Ramiri Regis cippus Oueti cum inſcriptione hac. OBIIT DIVÆ MEMORIÆ RANIMIRVS REX DIE KAL. FEBRVARII. OBTESTOR VOS OMNES QVI HÆC LECTVRI ESTIS, VT PRO REQVIE ILLIVS ORARE NON DESINATIS. Ibi & frater Garſias ſepultus fuiſſe creditur. neque quid præterea de rebus eius memoriæ mandatum. Ramiro Rege Theodomirus Iriæ Epiſcopus defunctus eſt. Ataulphus in eius locum ſucceſſit. Quidam ad hæc tempora militiæ D. Iacobi nomine, rebus geſtis clariſſimæ initia referunt nullo neque auctore idoneo, neque argumento ſatis probabili. ſed ſtudio eius ordinis illuſtrandi (quod minime opus fuit) afficta monimenta vetuſtatis, maiori eruditione viris probari
851. non potuerunt. Ramiro Ordonius filius ſucceſſit principio anni octingenteſimi quinquageſimi primi.

Multi Martyres Cordubæ occiſi. CAPVT XV.

SÆVA carnificina, ac qua grauior ante multos annos nulla extitit, Cordubæ per hæc tempora in Chriſtianæ pietatis cultores exercebatur. Ignes, candentes laminæ, cruciatus cæteri in eorum corporibus conſumpti. Fides Chriſto ſeruata, & ſynceræ religionis cultus grauiſſimum crimen erat: ſed alia facinora obtenta, ne ſancitum olim fœdus de retinenda Chriſtiana religione violari videretur. Abderrahmanus eo nomine ſecundus Cordubæ Rex, & Mahomad eius filius callido homines ingenio, rem ſuperis æque & hominibus gratam facturos ſe exiſtimabant, Chriſtianorum reliquiis à ſtirpe excindendis: & ad ſtabiliendi imperii rationes pertinere in primis iudicabant, ſi religionis diſſidio ſublato, vno ſocietatis vinculo ſubditi omnes conſtringerentur. Noſtris quidem, quo primum tempore occupata a barbaris & oppreſſa eſt Hiſpania, conceſſa à victoribus erat patriæ religionis libertas. Sacerdotes, monachi, ſacræ virgines inſigni veſte diſcreti à cæteris, atque ex veteri ritu detonſi in publico conſpiciebantur, tum aliis locis, tum præſertim Cordubæ, quo propter amplitudinem vrbis, & quoniam in ea ſedes imperii Maurici fixa erat, numeroſa piorum multitudo confluxerat. Multa erant tum monaſteria tum templa ex Chriſtiano ritu ſacrata. Aciſcli Martyris vnum, Zoili Martyris alterum, tertium Fauſti, Ianuarii, & Martialis: præterea Cypriani, Geneſii, Eulaliæ, ſingulæ ſingulorum nominibus ædes ſacræ. atque hæc intra vrbem. Extra vrbis mœnia octo monaſteria: vnum Chriſtophori nomine trans flumen, in vicinis montibus, alterum Mariæ Virginis Cuteclarenſe vulgo dictum, tertium Tabanenſe, quartum Pilemellarienſe Saluatori ſacrum, quintum Armilatenſe Zoili nomine: ad hæc tria alia, Felicis, Martini, atque Iuſti & Paſtoris. Ex his omnibus locis ære plebs rei diuinæ cauſſa nullo vetante conuocabatur. Mahumetem tantùm impiæ gentis conditorem primum, maledictis publice aut priuatim inceſſere capitale erat. Maurorum templa intrare vetitum. ea modo ſeruarent noſtri, cætera ſuis legibus viuere ſinebantur: ac ferme priſtinam retinere libertatem. Tolerabilis hæc erat ſeruiendi conditio: nam & Comitum dignitatem inter captiuos Chriſtianos retentam inuenio, niſi ab his initiis noſtrorum calamitates indies auctæ eſſent. vectigalia in primis, quæ initio modica erant, grauiora miſeris imperata: quorum magnitudine vrgente, finem aut

rem autmodum orabant: & cum non impetrarent, morte ipſa vitam duriorem propagabant. Hinc veteris odii ſemina ad maturitatem perducta. noſtri grauiſſimum iugum depellendi conſilia communicabant. Mauri ad Chriſtianorum nomen exhorrebant, ſeque vel ipſo veſtium contactu contaminari ac pollui habebant perſuaſum. piorum ſermones obſeruare, vultum habitumque notare, contumeliis & probris initium rixæ quærere. Neque Chriſtiani dubitare tam multis iniuriis prouocati, legẽ & inſtituta Maurorum palam execrari. Hinc Regibus impiis & Magiſtratibus occaſio Chriſtianorum nationem infeſtandi; eo grauioribus malis, quod è noſtris non pauci à Mauris ſtare viſi ſunt, & noſtrorum audaciam criminari: negareque palam qui in certamine occubuiſſent Martyrum honore dignos eſſe. Quod nulla eorum virtute ederentur miracula: quod nulla neceſſitate defendendæ religionis ſed propriæ voluntatis obſtinatione & audacia ſe in diſcrimen obtuliſſent, conuitiaque in aduerſarios haud quaquam neceſſario iactarent: cum religionis patriæ retinendæ conceſſa facultas eſſet. Ac illud demum opponebatur, corpora eorum qui occubuiſſent haudquaquam incorrupta ſeruari, vt veris olim Martyribus contigerat numinis argumento certiſſimo. ſic illi prædicabant, quam apte non diſputamus. Reccafredus Epiſcopus & Seruandus Comes Martyribus exagitandis, & piorum conatibus cõprimendis ſe duces præcipuos præbuerunt. Homines honeſtiſſimi nullo ætatis aut ſexus diſcrimine in ferrum atque in vincla coniecti. Abderrahmano agente Epiſcoporum conuentus Cordubæ habitus eſt. Patrum ſententia iniuriarum damnati. quicunque icti olim cum Mauris fœderis conditiones violaſſent. Acerbam vitæ conditionem, ſpectaculum miſerum ac tetrum, ludibrio eſſe Chriſtiani nominis gloriam: qui propugnare atque reſiſtere parabant, vno tẽpore à fronte quidem a barbaris, à tergo autem vrgeri ab iis, quorum vocibus & exemplo excitari potius atq; erigi conſentaneum erat: atque vtriuſque nationis calumniis & conuitiis vexari intolerandũ. Quid agerent; quo ſe verterẽt? multos profectò debilitari animis atq; concidere neceſſe fuit. Alii numine pleni in acie perſtiterunt. Multi toto decennio, ex quanto tempore clades deſæuiit maxime, pro Chriſtiana religione vitam & ſanguinem profudere. Primo anno Perfectus presbyter Cordubenſis, atque è plebe Ioannes quidam occubuere. Anno altero Iſaac monachus, Sanctius natione Gallus, Petrus presbyter Aſtigitanus, Walabonſus diaconus Ilipulenſis, Sabinianus, Wiſtremũdus, Habentius, Hieremias monachi, Siſenandus diaconus Pacenſis, Paulus Cordubenſis, & Walabonſi Martyris ſoror Maria Ilipulenſis perempti. Quo anno maxime Reccafredus Epiſcopus in Martyres deſæuiit, multiſque vincula iniecit. In his Eulogio Abbathi Sancti Zoili, qui hæc omnia ad poſteritatis memoriam litteris commendauit vir ea ætate clarus eruditione, ac moribus ſanctus. Anno tertio interfecti Gumeſindus Toletanus presbyter, & Dei ſeruus monachus: præterea Aurelius & Felix cum vxoribus Sabigothone & Lilioſa, Georgius monachus natione Syrus, & Emila & Hieremias ciues Cordubenſes, monachi tres Chriſtophorus Cordubenſis, Leuuigildus & Rogellus Elliberitani: ad hæc Seruiodeo monachus Syrus. Ipſo anno nimirum eius ſeculi quinquageſimo 852
ſecundo Abderrahmanus deceſſit repentina vi morbi oppreſſus: pii cæleſtem vindictam interpretati ſunt effuſi Martyrum ſanguinis. confirmauit opinionem cum qua hora Martyrum corpora in patibulis tabo ſanieque diffluentia è ſublimi palatii parte contemplatus, igne torrere mandaſſet, inter aſtantium manus collapſus, mutuſque effectus, eadem nocte obiiſſet ineunte regni anno trigeſimo ſecundo. reliquit filios quadraginta quatuor, filias duas & quadraginta. Cordubæ plateæ hoc Rege lapide ſtratæ: ex montibus aqua copioſa in vrbem per plumbeos tubos deriuata. primus inter eos Reges ſanxit lege certa, vt propinquis ceteris prætermiſſis, quod in iure controuerſo eatenus fuerat, filii patribus ſuccederent. Itaque in eius locum Mahomad ſubrogatus eſt, qui ſuæ gentis regnum obtinuit annis quinque & triginta, menſibus ſex. Hic pios omnes aula exegit initio regni: & cum nihil de conſtantia mutarent, conſequenti anno recrudeſcente ſæuitia, reſtaurataque cæde Fandollam presbyterum & monachum Accitanum Anaſtaſium monachum & presbyterum, Felicem monachum Complutenſem, Dignam virginem Deo ſacram, Benildim matronam, Columbam & Pompoſam virgines ad Chriſtum morte tranſmiſit. Annus conſequens vnum tantum Martyrem fecit Abundium presbyterum. proximus quatuor, Amatorem adoleſcentem Tuccitanum patria, Petrum monachum Cordubenſem, Ludouicum Cordubenſem ciuem, Witeſindum Egabrenſem. Anno ſeptimo Helias presbiter Luſitanus, monachi tres Paulus, Iſidorus, Argimirus, Aurea virgo Deo dicata, Adulphi & Ioannis Martyrum ſoror. Anno octauo Rudericus & Salomon pro vera pietate occiſi ſunt. Nonus incruentus fuit. Poſtremo atque decimo perſecutionis anno, ipſe Eulo-

gius qui cæteros voce & exemplo incitabat, occubuit, ſabbatho quinto Idus Martii: & quarto poſt die Leocritia virgo Cordubenſis. Eulogii vitam Aluarus Cordubenſis eius familiaris & neceſſarius ſcripſit: vbi aſſerit, paulo ante mortẽ in Weſtremiri locum Toletanum Archiepiſcopum ſumma cleri & populi voluntate electum fuiſſe. Extat Eulogii ipſius epiſtola anno octingenteſimo quinquageſimo primo data ad Wileſindum Pompelonenſem Epiſcopum, atque in ea Weſtremiri præclarum Eulogium in hæc verba: Poſt ,, quintum, inquit, diem Toletum reuerti: vbi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem no- ,, ſtrum, facularu Spiritus ſancti, & lucernam totius Hiſpaniæ Weſtremirum Epiſcopum ,, comperi: cuius vitæ ſanctitas totum orbem illuſtrans, hactenus honeſtate morum, celſiſ- ,, que meritis catholicum gregem refouet. multis apud eum diebus degimus, eiuſque an- ,, gelico contubernio hæſimus. Ex eo contubernio ciues Toletani quem fama virtutum celebrem reddiderat, de facie cognitum probare amplius & amare cœperunt: paſtoremque deſtinare in Weſtremiri locum, ſi vita ſuppeteret. Cordubæ ſane in Eulogii locum Samſon presbiter conſequentibus annis Sancti Zoili Abbas ſuffectus eſt, vir doctus & ſubtili ingenio: vt Apologeticum opus oſtẽdit aduerſus Hoſtigeſium Malacitanum Epiſcopum, qui eum in concilio Cordubenſi hæreticum cum conuitio vocarat.

Ordonius Rex. CAPVT XVI.

IVSTIS Ramiro Regi ſolenni ritu peractis, Ordonius filius regium inſigne, nomẽ, poteſtatem, animumque ſuſcepit, miti ac tractabili ingenio, ſuauiſſimis moribus, ac per totam vitam actionum modeſtia ſingulari: vnde populi & procerum ſtudia promeruit. cunctorum animos ſibi deuinxit: nullius vt memoria gratior eſſet ea tempeſtate & conſequentibus annis. Iuſti æquique tenax fuit: neceſſaria quidem virtus, ſed fraudi obnoxia in magnis Principibus, niſi impetum animi prudentia regant, neque ſe dolis circumueniri ſinant prauorum hominum, quorum in aulis principum magna multitudo eſt, eorum auribus inſidiantium, bonorumque innocentiæ, ſeque & ſuos alieno ſanguine ſaginantium: & qua re Principes maxime moueri intelligunt, ea in multorum perniciem abutentium: vti Ordonio Regi accidit. Quatuor eccleſiæ Compoſtellanæ ſerui Ataulphum Epiſcopum, præcipua & maxima vitæ ſanctitate virum, grauiſſimi criminis reum apud Regem poſtularunt. vir ſanctus in curiam ad dicendam cauſſam euocatus venit. priuſquam aulam adiret ſacris operatus, vt erat infulis ornatus in veſteque ſacra ad Regem pergit. Quæ res à furore retinere debuit, religionemque animo commouere, vehementius concitauit. ſiue criminis quod imponebatur deteſtatione, ſeu iniuriam interpretatus quod ad ſe continuo non veniſſet: taurum indomitum, telis, canibuſque irritatum in Præſulem aduenientem immittit: quod nefas erat inaudita cauſſa quemquam ſupplicio damnare. In tanto periculo Ataulphus crucis ſigno ſe munit. Taurus poſita ferocitate demiſſo capite accedit. cornua contrectanda præbet. Quæ magno omnium qui aderant miraculo in eius manibus hæſerunt. Rex & proceres ex ea re viri innocentia perſpecta, ad genua procumbentes veniam rogant. dat ille non inuitus: cum negaret recuperata ſua dignitate ignominiaque procurata, ſe vnquam commiſſurum, vt cum ea quæ per iniuriam ablata erat, nominis exiſtimatio reddita eſſet, Chriſtiani hominis officii oblitus videretur, & virtutem animi non habere, quam nunquam perdidiſſet. Sunt qui anathematis execratione delatorum caput deuouiſſe affirment. Depulſo ſane periculo cum Pontificatum abdicaſſet, in Aſtures ſe contulit: vbi ſecretam ab hominum congreſſu vitam ſanctiſſimam ad multam ætatem exegit. Tauri cornua è tholo templi maximi Ouetenſis ſuſpenſa, diu rei geſtæ monimento fuerunt. atque hæc ſub initia Ordonii regni contigerunt. Anno altero Muza quidam è Gothorum quidem ſanguine ortus, cæterum profeſſione Maurus, à multo rerum vſu & militari arte præclarè inſtructus, vtriuſque nationis in ſe vnum arma prouocauit. A Rege enim Cordubenſi palam deficiens Toletum, Cæſarauguſtam, Oſcam, Valentiam, Tudelam incredibili celeritate occupauit. Mox in Galliam populabundus irrupit: duos Francorum Duces obuiam factos cepit: tantumque terrorem intulit, vt eum Carolus cognomento Caluus Francorum Rex muneribus leniendum conciliandumque iudicaret. Is ex ſucceſſu continuæ felicitatis rerum humanarum inconſtantiæ oblitus, vlteriuſque prouectus Ordonio Regi bellum intulit: cum ſe duobus tertium Hiſpaniæ Regem annumeraret. Alueldam in Riuogia Chriſtianis ereptam magnis operibus muniendam curauit. Alfonſi Regis Chronicon ædificaſſe ait, & Albaidam nominaſſe. Ea iniuria Ordonius prouocatus copias contrahit: cum parte Albaidam circunſedit: partem alteram in hoſtem ducit, quem

quem in Laturſo monte caſtrametatum eſſe cognouerat. Magno clamore infeſtis ſignis ab vtraque parte concurritur. telis omnibus conſumptis, gladiis res geritur. Noſtri priſtinæ virtutis memores pro patria, pro religione acriter pugnant. Certatur diu victoria demum à noſtris ſtetit. decem barbarorum millia perempta. in his promptiſſimus quiſque, genere rebuſque nobiliſſimus. ipſe tyranni gener Garſeas cecidit. Muza multis acceptis vulneribus vix euaſit: ex quibus tamen deinde defunctum eſſe arbitror. Maurorum ſpolia ditiſſima, caſtraque à noſtris direpta. Quo tempore Mahomad Cordubæ Rex ſuarum rerum periculo prouocatus, arma in communem hoſtem expediebat. Toletum propter loci munitionem, & quoniam Princeps defecerat, cæteroſque ſuo exemplo vt idem facerent prouocarat, primum peti placuit. Lupus Muzæ filius, quem Toleto pater præfecerat, accepta ad Alueldam ſuorum clade caſtigatus, & maioris belli metu Ordonium ſibi icto fœdere conciliat. Ab eo, Garſia fratre Duce Aſturum & Vaſconum validæ copiæ miſſæ in auxilium. Mahomad virtute diffiſus, ingenio ad artes conuerſo, cùm caſtra propius vrbem promouiſſet, in Celeti (id torrenti nomen prope Villam Minaiam, & locus idoneus erat) alueo collocatis inſidiis ipſe cum exiguo militum numero in vrbis conſpectum ſe dat. quorum paucitate deſpecta, Toletani portis ſe continuo effundunt ſolutis ordinibus nulla militari diſciplina, quaſi ad prædam non ad pugnam. Eo impetu in inſidias præcipitatum: & cum à tergo & à fronte vrgerentur, multis cadentibus reliqui ægre per confertos hoſtes in vrbem iter aperuerunt. Mauri duodecim millia, Chriſtiani ad octo millia, in ea pugna deſiderati. loci munitione factum eſt, ne continuo territa vrbs aduerſo caſu, victori cederet. Conſequenti anno, & tertio Toletanus ager hoſtium irruptione vaſtatur: meſſes & fructus omnes corrupti. Toletani vindictæ ſtudio Talaueram vſque progreſſi: verum à Præfecto eius oppidi male mulctati in patriam reiecti ſunt: ac tandem omnibus malis fatigati, fractique animis Mahomadi deditionem fecerunt ſalutis anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Quo anno Normanni cum ſexa- 857.
ginta nauium claſſe in noſtra littora appulſi oram maritimam, quam late Hiſpania patet ad vtrumque mare, depopulati ſunt. Atque vtramque Balearem inſulam ferro incendioque deformarunt: Mauris præcipue infenſi, cum noſtræ gentis conſuetudine ad religionem Chriſtianam propenſi eſſent. Tecta, templa, agri, oppida continuo latrocinio vaſtata. In Africam etiam tranſmiſſum, vbi non minorem cladem Mauris intulerunt. In Hiſpania Vaſcones, vbi Pompelo ſita eſt, & Cantabriæ pars ea, cui Alauæ nomen eſt, Mahomadis irruptionibus vexati ſunt, nullo præterea euentu memorabili. Emerita mœnibus nudata, quod ab imperio & auctoritate Regis Mauri rebellaſſet. Interea Ordonius ad pacis artes conuerſus, vrbes ſuperiorum temporum & bellorum iniuria habitatoribus vaſtas, euerſaſque tempeſtatis iniuria, magna diligentia & ſumptu inſtaurabat: Tudem, Aſturicam, Legionem, Amaiam quam Alfonſi Chronicon Amagiam Patritiam vocat. Cœperat Maurorum gens poſt ſuperiores motus bellaque inteſtina in factiones diduci. nonnulli vrbium Præfecti, ſuo malebant quam alieno nomine imperare: & cum nullius imperium reſpicerent, Reges paſſim vocabantur. Ex vſu id Chriſtianæ Reipublicæ accidebat: debilitati enim viribus, numero imminuti per partes carpebantur, qui viribus integri iniuriam omnem depuliſſent. Caurium obtinebat Reith, Talamancam (Salmanticam alii ſcribunt) Mozerus. vterque ab Ordonio acie ſuperatus. vtraque vrbs in poteſtatem redacta. milites ad vnum interfecti. reliqui omnes viri & fœminæ & pueri ſub corona venditi. Magnarum rerum initia hæc incrementaque erant: cum in medio curſu Regem vita deſtituit, Regni anno vndecimo: cui numero plerique addunt annos ſex. ex neruorum dolore, cui erat obnoxius, defunctus eſt Oueti, & ad D. Mariæ tumulatus ædem Regum buſtis ea tempeſtate deſtinatam nobilemque. Continuatæ felicitatis ſucceſſum, vna amiſſi ad Toletum exercitus ignominia fœdaſſe viſa eſt: eaque calamitate expiatum peccatum, quod ſuſceperat viro ſancto Ataulpho iniuria temere & præcipitanter exagitando. Ex vxore Munia Principi loco fœmina Alfonſum natu maximum, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam ſuſcepit. Sunt qui ſexto Kalend. Iunii defunctum eſſe tradant anno certe eius ſeculi ſexageſimo 862.
ſecundo, vti indicio eſt crucis aureæ, quam Alfonſus Ordonii filius eximiæ pulchritudinis, materiamque arte ſuperante, Ouetenſi ædi donauit, inſcriptio ſubiectis verbis concepta. SVSCEPTVM PLACIDE MANEAT HOC IN HONORE DEI. QVOD OF-

FERVNT FAMVLVS CHRISTI ADEFONSVS PRINCEPS, ET SCEMENA REGINA. QVISQVIS AVFERRE HÆC DONARIA NOSTRA PRÆSVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE. HOC SIGNO TVETVR PIVS. HOC SIGNO VINCITVR INIMICVS. HOC OPVS PERFECTVM EST. CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS SEDIS. ET OPERATVM EST IN CASTELLO GAVZON. ANNO REGNI NOSTRI. XVII. DISCVRRENTE ERA. DCCCC. XVI. Idem Alfonſus cum Compoſtellæ eſſet, patris diploma quo ei templo agrum tribus millibus circum vrbem antea deſcriptũ ad ſex millia paſſuum proferebat, ipſe pro regia poteſtate ratum habet Era nongenteſima, hoc eſt anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo ſecundo. verum ad Alfonſi actiones tranſeamus.

Alfonſi Magni initia. CAPVT XVII.

ALFONSVS cui præclaræ animi & corporis dotes illuſtreſque de hoſtibus triumphi, Magni cognomen pepererunt, nunciata patris morte (neque enim morienti affuit) quamprimum Ouetum regiam ea tempeſtate vrbem contendit, ſtudio parentandi vt par erat patris manibus atque vt regni hæreditatem cerneret: quod ob ætatis prærogatiuam debitum, propenſiſſima omnium ordinum voluntate deferebatur. Tametſi minor ætate erat, ac vix quatuordecim annos natus: cui numero alii quadriennium detrahunt. Ego maiori natu ad regnum acceſſiſſe ſuſpicabar. Indole animi ſuis maioribus æqualis fuit, in procero corpore, eximia vultus dignitate, morum ſuauitate præcipua: nec magis bellica laude inſignis, quam beneficentia in pauperes, quos aſperæ res exagitabant. Opes enim ſua virtute partas, ipſoſque à patre relictos theſauros, non ad priuatum compendium retulit, ſed ad ſubleuandam egenorum tenuitatem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſimeque eorum fama promanat, ad religionis Chriſtianæ cultum. Templum Compoſtellanum, quod ex formaceis parietibus compactum fuiſſe monſtratum eſt, ipſe ex lapide quadrato, columnis marmoreis diſtinctum, ab imo totum extruxit. res ea ætate admirationi habita, propter temporum ruditatem, ærarii inopia. Regnauit annis quadraginta octo, vt Sampyrus Aſturicenſis eſt auctor, atque ſub initia aduerſæ fortunæ fluctibus exagitatus eſt. Froila Veremundi filius Calæciæ Comes atque ex eo opibus & clientelis potens, pueri ſcilicet Regis deſpectu in Calæcia regnum armis inuadere parat. fortaſſis cum ex regio ſanguine prognatus eſſet, ſui iuris factum cauſſabatur. Rex viribus inferior & à rebus omnibus imparatus æmulo cedens, in eam Cantabriæ partem ſe contulit, cui Alauæ nomen & tunc erat & nunc eſt, ſed finibus aliquanto quam modo latiori. Tyrannus cum regiam poteſtatem per vim occupatam non ad populi ſalutem referret, ſed ad opprimendas res publicas & priuatas, ciuium Ouetenſium coniuratione peremptus eſt. Alfonſus continuo in Aſtures profectus, eximiaque omnium ordinum voluntate receptus, regni ſtatum compoſuit. de ſontibus ſupplicium ſumptum. Cantabriæ pars ea, cui Alauæ nomen eſſe dictum eſt, ea tempeſtate Regum Ouetenſiũ imperio tenebatur: reliquæ Cantabriæ Zenon imperabat ex Eudonis olim Aquitaniæ Ducis ſanguine prognatus. Zenonis propinquus Eilo Alauam pro Rege gubernabat. Is ſiue regni perturbatione confiſus, ſiue Zenonis armis, ab Alfonſi auctoritate defecit. qui motus Regem compulerunt, vt delectu ſuorum habito, expeditionem maturaret. Legione profectus breui ſine ſanguine prouinciã tumultuantem ad officium reuocauit. Eilo ipſe captus atq; Oueti cuſtodiæ mancipatus, eundem vitæ & vinculorum terminum habuit. Zenon Cantabriæ Princeps non multo poſt, cum & ipſe nouarum rerum ſtudio rebellaſſet, victus prælio captuſq; in eundẽ carcerem incluſus eſt. Hunc duas filias reliquiſſe memorant, Todam Eneci Ariſtæ Vaſconũ Regis vxorẽ, atque Enecã quæ Zuriæ Cantabriæ Principi nupſit: vnde pleriq; arbitrantur veteres eius prouinciæ regulos, quo tẽpore nondũ Caſtellæ Regibus ceſſerat, generis originẽ ducere. vtriuſq; calamitate documentum datum cæteris, Regis ætatem deſpectui habendam non eſſe: perfidiam ipſis auctorib. eſſe exitialem. Alaua exinde Vigilæ Comiti attributa. Caſtellę principatũ Didacus Comes obtinebat, cognomento Porcellus. Regni Alfonſi anno primo hæc geſta ſunt. Quo in proximum euoluto maior belli moles extitit: Imũdarus & Alchama Duces Mauri Legionẽ vrbẽ obſidione premebant. Hos Rex ingenti copiarũ ſtrage mulctatos in patriam reiecit: ſimul Chriſtianæ ditionis fines proferẽdi vlciſcendæ gentis efferæ & barbaræ cupiditate cum Vaſconibus & Francis fœdus ictum: cuius vt maior conſtantia eſſet, ex regio Francorum ſanguine vxorem ſibi iungit Amelinam: quod deinde nomen Semenæ appellatione mutatum eſt. Ex eo coniugio, Garſias, Ordonius, Froilaque deinceps Reges nati ſunt:

præterea

prætereà Gundiſaluus Archidiaconus olim Ouetenſis. Rei benegerendæ opportunitatem Maurorum inteſtini motus ſuppeditabant. Toletani vrbis munitione confiſi, & Cordubenſium Regum ſeueritate, quæ in crudelitatem degenerarat, prouocati denuo arma corripiunt. Vani ſunt multitudinis conatus, niſi prudentis Ducis imperio regantur. Mahomad ergo Abenlupus Regis nomine rebus præfectus. maiori expectatione metuque quam ſucceſſu bellum fuit. Toletani breui Regis Cordubenſis armis domiti. captæ vrbi obſides imperati, miſſique Cordubam. Lupus & fratres fuga euaſerunt. eos quoniam ex vſu belli Maurici fore putabat Alfonſus, in fidem amicitiamque recepit, omnibuſque officiis coluit. mox iis adiutoribus, atque Francorum, Vaſconum, Cantabrorumque auxiliis auctus in fines Maurorum irruit. Ager incenſus, oppida vaſtata, abactæ prædæ. nullo prætereà operæpretio exercitus ſpoliis Mauricis grauis, diueſque dimiſſus
eſt. Conſequenti anno, qui annus à Chriſti ortu octingenteſimus ſeptuageſimus quar- 874
tus erat, Toletani nimirum ſtudio ſe Regibus Cordubenſibus probandi in Chriſtianorum ditionem populabundi Durium vſque penetrarunt. Ad Pulueratiam oppidum, iuxta flumen cui nomen eſt Vrbicus, improuiſo Regis aduentu ad duodecim millia trucidati. ſimilique clade Cordubenſium agmen, quod à tergo ſequebatur oppreſſum: niſi quod cædes maior fuit: ad vnum omnes perempti præter decem, qui inter mortuorum cadauera viui reperti ſunt. Sequebantur cum robore exercitus Maurici, Almundarus Regis Cordubenſis filius, & Ibengunimus præcipuus copiarum Dux. ii ſuorum cæde cognita, Sublancia oppido vbi rex erat deuitato intempeſta nocte, fugientium in morem retro redierunt. Abuhalito qui ſuperioribus bellis a noſtris in Calæcis captus, atque datis obſidibus in patriam dimiſſus fuerat, eoque amicus eſſe cœperat, interprete atque annitente de compoſitione agi cœptum. trium annorum induciæ pactæ. Quo tempore rebus tranquillitas fuit. eoque decurſo contractis Alfonſus copiis in Maurorum ditionem irrupit: Tagoque tranſmiſſo Emeritam vſque latiſſime populationes fecit: nulla denique iuſta manu obuiam prodeunte, ſeſe ſpoliis Mauricis lętus in patriam retulit. His omnibus bellis profligandis Bernardi maxime virtus enituit. Eius enim virtute potiſſimum in tam tenera Regis ætate reſpublica ſtare viſa eſt. Ita cum tantis rebus peractis Regem Ouetum profecutus eſſet, denuo de patris liberatione Regem interpellare auſus eſt. Satis pœnarum datum tot annorum vinculis. debere Regem vel ſenis diuturna calamitate & ſqualore moueri, vel filii meritis paternam noxam condonare. ſi neque propinquitatis reſpectu, neque fidelis obſequii conſtantia moueretur: fruſtra maiora præmia ſperari, cum in æquiſſima cauſſa preces non eſſent auditæ. Iuſta petere Bernardum pleriſque videbatur: æmulorum tamen (ſic arbitror) ſententia vicit: cum ad Regis dignitatem pertinere diſputarent, lęſæ maieſtatis dedecus vindicare, maiorum ſententiam haudquam cuiuſquam ad preces mutare. Noua repulſa Bernardi animus irritatus curia ceſſit, multiſque proſequentibus, duodecimo ab vrbe Salmantica lapide, quibus locis Alba ſita eſt, Carpium arcem ædificauit, vnde illi Carpenſis cognomentum factum. Ex ea arce incurſionibus identidem regiam ditionem inuadere, prædas agere, vaſtare agros atq; diripere. Mauri à Bernardo euocati Chriſtianorum fines cum depopularentur, Rex curis anxius procerum conuentum Salmanticæ agit, vbi mutata ſententia Bernardi poſtulatis annuere decretum, modo arcem ille Regi contraderet. Nimirum ignorabatur Bernardi patrem interea obiiſſe in carcere. Itaque cum neque pater redderetur, & arce ſpoliatus eſſet, per Galliam & Vaſcones errabundus reliquam vitam in luctu ſcilicet & mœrore peregit, vt plerique auctores ſunt. Refellunt alii ſepulcri indicio, quod in Aquilaria Campeſtri hodie etiam nomine Bernardi monſtratur: putantque conſtanti animo fortunæ iniurias tuliſſe, diligentemque & ſtrenuam Regi operam dum vixit nauaſſe. Bernardi alienationem noua calamitas excepit. Froila, quibus iniuriis prouocatus non conſtat, ſed in fratris tamen Regis caput cum coniuraſſet, in poteſtatem eius redactus, atque luminibus captus eſt, addictuſque vinculis. Idem ſupplicium Nunnius, Veremundus, & Odoarius communes vtriuſque fratres, quod cum Froila ſentirent, Regis iuſſu, crudeli exemplo pertulerunt. Vnde nouorum motuum occaſio. Veremundus enim è carcere euadens, factionis opibus Aſturicam cepit, retinuitque aliquanto tempore: ac demum collatis ſignis cum Rege dimicare auſus, acie victus ad Maurorum ditionem confugit. Quæ cauſſa extitit vt Alfonſus maioribus cladibus Maurorum fines vexaret: ac Toletanis præſertim crebris excurſionibus vſque eo moleſtus fuit, vt poſt aliquot annos inducias denuo trium annorum magno redimere fuerint coacti. quod Regi glorioſum, barbaris ignominioſum accidit.

Concilium Compoſtellæ & Oueti celebratur. CAP. XVIII.

ATAVLPHVS Compoſtellanus Epiſcopus per hæc tempora ætate in multos annos producta in ſeceſſu obiit. Siſnandus ſucceſſit magnorum ſpirituum vir, magniſque virtutibus clarus: qui Regi auctor fuit, vt propinqui eorum qui Ataulphum criminati erant, obſequiis Compoſtellani templi ſeruorum inſtar manciparentur, nouo exemplo atque crudeli, aliena peccata aliorum ſuppliciis lui, niſi ſceleris magnitudo acerbitatem excuſaret. Defuncti corpus Compoſtellam tranſtulit. Templi Compoſtellani ſtructuram nouis ipſe operibus auxit præterea D. Martini nomine ſua impenſa Benedictinis monachis in ea vrbe domicilium conſtituit: & S. Felicis nomine collegium, in quod Compoſtellani ſacerdotes, quos ſenectus debilitaret & vacatione digni eſſe viderentur, impetrata miſſione quaſi in prytaneum quoddam commigrarent. Hoc Pontifice Ouetenſis eccleſia Metropolitani iure dignitateque aucta eſt. Templum Compoſtellanum, quod magnis cæmentis & molibus ad culmen peruenerat, grauiſſima cæremonia ab Epiſcoporum conuentu ſacratum eſt. Euocare Epiſcopos ad concilium, niſi Romani Pontificis permiſſu, eccleſiæ leges vetabant. Seuerus & Deſiderius presbyteri abs Rege legati, à Ioanne eius nominis. VIII. diploma abſtulerunt, quo Ouetenſem eccleſiam Metropolitanam conſtituit, ſubiecta ſententia & verbis. IOANNES EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei Aldefonſo Regi Chriſtianiſſimo, ſeu cunctis venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, vel orthodoxis Chriſtianis. Quia igitur in cura nos totius Chriſtianitatis, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſempiterna prouidentia effecit ſucceſſores: ea Domini noſtri IHESV CHRISTI conſtringimur adhortatione, qua beatum Petrum Apoſtolum quadam voce priuilegii monuit dicens: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: & reliqua. Huic rurſus imminente Domini noſtri articulo glorioſæ paſſionis inquit: Ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ideoque quia veſtræ notitiæ fama, per hos fratres limina Apoſtolorum luſtrantes per Seuerum & Deſiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis eſt reuelata: paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus gratia Dei duce perſeuerare: quatenus copioſa vos beati Petri protectoris veſtri & noſtra protegat benedictio. Et quotieſcunque, filii cariſſimi, ad nos venire quilibet veſtrûm aut tranſmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Galæciæ finibus cui vos præter me Dominus rectores conſtituit, tanquam iure filios noſtros vos colligimus. & eccleſiæ Ouetenſi, quam veſtro conſenſu & aſſidua petitione Metropolitanam conſtituimus, omnes vos ſubditos eſſe mandamus & concedimus. Etiam prædictæ ſedi, vt ea quæ Reges, ſeu quilibet fideles iuſte obtulerunt, vel in futurum Domino opitulante contulerint, ratum, firmum, & inconcuſſum manere in perpetuum præcipimus: Hos quoque latores litterarum noſtrarum, omnes hortor, & vt habeatis commendatos. bene valete. Duobus regiis legatis tertius à Pontifice adiunctus, miſſuſque in Hiſpaniam nomine Rainaldus. huic aliæ litteræ ad Regem datæ Iulio menſe officii amoriſque paterni pleniſſimæ, hoc exemplo. IOANNES EPISCOPVS ſeruus ſeruorũ Dei dilecto filio Aldefonſo glorioſo Regi Galæciarum. Litteras deuotionis veſtræ ſuſcipientes, quia deuotum vos eſſe cognouimus erga noſtram ſanctam eccleſiam, gratias vobis multiplices referimus, Dominum exorantes, vt vigor regni veſtri abundet, de inimicis veſtris victoriam vobis concedat. Nam vos filii cariſſimi ſicuti petiſtis, ſedulas preces Domino fundimus, vt regnum veſtrum gubernet: vos ſaluum faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper omnes inimicos veſtros erigat. Eccleſiam autem beati Iacobi Apoſtoli ab Hiſpanis Epiſcopis conſecrari facite, & cum eis concilium celebrate. & nos quidem glorioſe Rex, ſicuti vos à paganis iam conſtringimur, & die ac nocte cum illis bella committimus: ſed omnipotens Deus dat nobis de illis triumphum. Huius rei gratia rogamus dilectionem veſtram & animum deprecamur, vt quia vt diximus, valde a paganis opprimimur, aliquantos vtiles & optimos Mauricos cum armis, quos Hiſpani Caballos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis: qualiter nos recipientes Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portitorẽ de benedictionibus S. Petri vos remuneremus. Bene valete dilectiſſime fili & clariſſime Rex. Pontificis litteris perlectis, dies Epiſcopis tota ditione dicta, ad quã vtriuſq; rei perficiẽdæ cauſa conuenirent. Compoſtellam primũ frequentes, omnino quatuordecim numero confluxerunt: pars iis vrbibus Prælati, quæ in Regis ditione erant: pars quæ obtinebantur à Mauris, minuti ſcilicet & paulo amplius quam ſolo nomine Epiſcopi. & erat moribus ea tempeſtate receptum, vt vtrarumque vrbium Epi-

ſcopi

ſcopi eſſent, ac earum præſertim, quæ vel ereptæ Mauris paulo poſt ad eorum ditionem redierant, vel ſperabatur breui eripiendas fore, Chriſtianique iuris futuras: in eamque ſpem mortuis ſufficiebantur viui. Templum ergo Compoſtellanum iis Epiſcopis procurantibus, ſolenni cæremonia ſacratum Nonis Maii, die Lunæ, Luna vndecima, tertio Aureo numero, vt Sampyrus Aſturicenſis eſt auctor, hoc eſt anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto: in quem eæ notæ omnes certa ratione conueniunt. Ara maxima nomine Saluatoris, dextra læuaque duæ aræ, prior Petri & Pauli nominibus, poſterior Ioannis Euangeliſtæ dicatæ. Nam quæ tegebat Iacobi Apoſtoli oſſa, quoniam perſuaſio erat à ſeptem eius diſcipulis dicatam eſſe, ſacrari denuo non placuit. hoſtia ſacra in ea ſacrificatum. In vicino monte, Sebaſtiani Martyris nomine ædes eodem tempore conſecrata. His ex rebus Compoſtellana religio per ſe ſanctiſſima vehementer aucta eſt. Poſt vndecim menſes iuſſu Regis iidem Epiſcopi Ouetum conuenere: vt quod à Pontifice erat impetratum, communi conſenſu Ouetenſem Archiepiſcopum conſtituerent. Ermenigildus omnium ſuffragiis electus, qui eo honore fungeretur, & cæteris præeſſet omnibus. Placuit præterea Archidiaconos recti exempli creari, qui bis annuatim Synodos cogerent, omniaque conſtituerent tanquam Deo rationem reddituri: obirentque ſingulas diœceſes, monaſteria, & parochias inuiſerent. Additum præterea vt Epiſcopi qui ditione carerent, Ouetenſi Præſuli vicariam operam exhiberent, cura in multos partita, eiuſque reditibus alerentur: iis aliiſque tota ditione Epiſcopis in Ouetenſi vrbe & diœceſi ſingulæ eccleſiæ darentur, quarum reditibus viuerent, cum conuentus eccleſiaſtici haberentur, & fortunarum domicilium eſſet propter frequentes barbarorum irruptiones. Sedecim Epiſcopis templa duodecim deſignata attributaque, partim ditione ſpoliatis, partim integris, Legionenſi, Aſturicenſi, Irienſi, Vlcenſi, Britonienſi, Aurienſi, Bracarenſi, (hic Archiepiſcopatus erat) Dumienſi, Tudenſi, Columbrienſi, Portucalenſi, Salmanticenſi, Caurienſi, Cæſarauguſtano, Calagurritano, Turiaſonenſi, Oſcenſi. Quorum Epiſcopatuum nomina, & numerus ex ipſis concilii actis adſcripta ſunt, in eorum gratiam, qui antiquitatis ſtudio ſunt dediti. Inde certe effectum eſt vt ea tempeſtate Ouetum Epiſcoporum ciuitas vulgo diceretur. Ouetenſis eccleſiæ fines Regis voluntate deſcripti, magniſque reditibus & poſſeſſionibus, vt ea ferebant tempora, amplificati ſunt. Vtroque loco Rex, Semena Regina filii Regis & proceres affuerunt: rebuſque omnibus ex ſententia compoſitis conuentus ſolutus eſt.

876

Reliqua quæ Alfonſi regno contigere. Cap. XIX.

INTEREA Maurorum arma quieſcebant. Nam diuturno otio, & regionis amœnitate ardor animorum cum quo in Hiſpaniam venerant, extinctus erat, obſoleuerat martia maiorum indoles. neque quid interea accidit ad memoriam inſigne. Anno tantum eius ſeculi octogeſimo primo, vniuerſa Hiſpania terra mouit, multa concuſſa ædificia. Mahomade Rege Cordubæ ex ritu gentis ſacris in templo operante, fulmen repente dilapſum vnum & alterum ex iis qui prope erant interfecit: vnde magnus genti terror, neque vlla piacula cæleſtibus placandis omiſſa. Proximo anno Abdalla eius Lupi filius, quem Toleto aufugiſſe dictum eſt, accepti beneficii immemor, ingenioque ad perfidiam conuerſo, hoſtilia in gentem noſtram moliri cæpit: redintegrataque cum Cordubenſi gratia, palam arma mouere. Inuidia in præceps agebat in patruos concepta, quibus Alfonſus impenſe fauens Ordonium filium, quaſi mutuę fidei pignus educandum inſtituendumque tradiderat. grauem Chriſtiani nominis ignominiam, ſed tanti ea tempeſtate Mauricą amicitia erat. Hoc initium quamuis exiguum magna rerum moles conſecuta eſt. collectis Abdalla ſuorum copiis in Alfonſi ditionem inuaſit. Latiſſimę populationes fuerunt, timor magnus, ſpes non minor. ad Cilloricum oppidum Maurus acie ſuperatus à Pancoruo, quod oppidum tentare auſus fuerat, cum clade repulſus. Legio in quam ſe Maurorum impetus vertit, quoniam eam Alfonſus valido pręſidio obtinebat, deuitata: nullaque re alia memorabili traiecto Aſtura flumine, quod per ea loca decurrit, Legionemquę ipſam alluit, per fines Luſitanię Cordubam reditum. Abuhalitus Maurorum caſtra ſequebatur. Abulcemus eius filius, qui apud Alfonſum Regem obſes pro patre erat, eius rogatu patri eſt redditus. Autumno hęc pręcipiti gerebantur. quo in hyemem conuerſo, Abdalla duos Zimaeles patruum, fratremque tumultuaria pugna commiſſa locis natura aſperis, qua in Hiſpanię parte memorię non eſt proditum (in Carpetanis ſuſpicor) magna cęde ſuperauit, captoſque Beccariam in arcem vinctos miſit. Eodem impetu Cęſarauguſta Abdallę armis capta eſt. Quæ res vtriuſque nationis in eum vires, armaque con-

881

uertit: tametſi miſſa illa legatione apud Cordubenſem Regem factum excuſarat: &
quoniam non recipiebatur, ad Alfonſi amicitiam receptum, miſſis identidem legatis
captare non deſiſtebat. Vno tempore Vigila & Didacus Comes, quaſi in communem
Chriſtiani nominis hoſtem arma contulerunt. Almundarus Regis Cordubenſis filius,
& Abuhalitus Corduba miſſi Cæſarauguſtam omnibus copiis & viribus obſederunt.
Fruſtra conatus erat, vrbe munitiſſima atq; frequenti, Abdalla ex rebus geſtis feroci.
Verſo impetu Cantabriæ atque Caſtellæ fines vaſtati. affuerunt Vigila & Didacus Co-
mites, Mauroſque ditione omni arcuerunt. Legionenſis Rex prouiſa tempeſtate, con-
tractis vndique copiis ſeſe ad Sublanciam tenebat ad omnem occaſionem intentus, acie-
que dimicare paratus ſi Mauris animus eſſet: quod illi certamen detrectantes in pa-
triam redierunt, Facundi & Primitiui monaſterio in Vaccæis celeberrimo, ſolo æ-
quato, quæ magna clades eſt habita. Nonnulli Mauri ab Abuhalito occulte miſſi ad
Alfonſum. his interpretibus de pace conſtituenda actum eſt: ſimul ab Alfonſo Rege
Dulcidius Toletanus presbyter eo ſtudio Cordubam legatur fine anni octingenteſimi
883. octogeſimi tertii. Dum ea legatione tempus extrahitur claſſis Cordubæ atque Hiſpali
comparata, Calæciæ littora tentare iuſſa eſt: vbi multa oppida mœnium munitione nu-
data, iniuriæ opportuna eſſe cognitum erat, aduerſis ea tempeſtatibus iactata eſt atque
ſubmerſa. Dux Abdelhamitus & pauciſſimi ex naufragio euaſerunt. Interea agente
Dulcidio induciæ ſexennes cum Mauris pactæ ſunt: corporaque Eulogii & Leocritiæ
Martyrum concedentibus Chriſtianis Corduba Ouetum delata. Conſecuta eſt mors
886. Mahomadis imperii Arabum ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, ſalutis octingenteſimo
octogeſimo ſexto. filios triginta quatuor, filias viginti reliquit haud inſulſo ingenio
vir: eius enim illa vox fuit cum in hortis deambularet ad militem, quam pulchrum
viridarium, quam illuſtris dies, quam lætum ſeculum dicentem ſi mortem daretur
euadere: immo inquit ſi mors non eſſet, haudquaquam ipſe regnarem. Succeſſit Al-
mundar filius: cuius imperium mite, ingenium liberale fuit. Initio regni Corduben-
ſibus vectigal, quod ex decima pendere conſueuerant, condonauit. Illi beneficii im-
memores ab eius auctoritate continuo defecerunt. In ipſo belli apparatu Regem mors
oppreſſit, nondum integro biennio elapſo ex quo regnare cœperat. ſex filios & ſeptem
filias reliquit. Succeſſit ſuffragio militari Abdalla defuncti frater, anno octingenteſimo
888. octogeſimo octauo. regnauit annis viginti quinque. Initia turbulenta fuere. Homa-
rus principi loco inter Mauros inquieto ingenio vir, ab imperio rebellauit. Oliſipo,
Aſtapa, Hiſpalis, aliaque oppida eius partes ſequebantur. Graues motus facilem ha-
buere exitum. ſeditionis auctor venia impetrata Regi conciliatus eſt. Ea facilitas ani-
mos fecit vt rurſus tumultuaretur. & erant Mauri ducta ab antiquo origine in duas fa-
ctiones diſtracti, Humeias & Alauecinos, vti antea monſtratum eſt. in eo diſſidio res
nouare cupientibus ſtudia populi deeſſe non poterant. Abdalla veſtigiis omnibus Ho-
marum inſequitur, eoque redegit, vt ad Chriſtianos confugiens eiurata patria ſuper-
ſtitione, noſtra ſacra ſuſciperet haud ſyncera fide, vt tempus quod omnia detegit, de-
clarauit. Contra Alfonſum Cantabrorum arma mota. Zuria princeps in ea gente, Ze-
nonis gener & ſua ſponte & prouincialium ſtudiis prouocatus arma ſumpſit: Ordonium-
que a patre Rege miſſum ad eos tumultus ſedandos ad Arriogorriagam acie vicit. Inde lo-
co nomen quod ſanguinolentos lapides ſignificare affirmant linguæ Cantabricæ peri-
ti, cum antea vocaretur Padura. Victoriæ merces fuit gentis principatus. Scottorum
Regum ſanguine Zuriam prognatum eſſe vulgo Cantabri perſuadent, vero an falſo non
ſatis conſtat. quo minus filii iniurias Rex pater vindicaret locorum aſperitate factum ar-
bitror, atque ipſius ætate ingraueſcente. Quo tempore ad pacis artes conuerſus, & rei-
publicæ exornandæ ſtudio, tota ditione diuis templa, hominum præſidio arces, oppi-
da, vrbes ædificabat. Initio regni Sublancia Ceaque prope Legionem, Gauzo arx ad
maris oram Ouetum inter & Geigonem rupibus impoſita: deinde Portus Cale, Bra-
cara, Viſeum, Aquæ Flauiæ (nunc Chiaues) Auca, inſtauratæ: quæ vrbes à multo tem-
pore vaſtæ atque incolis vacuæ iacuerant. Similem cladem Sentica perpeſſa erat. pari
Alfonſi Regis munificentia ædificata eſt Zamoræ nomine. ſic Mauri vocabant à cyano
lapide (turcicum alii dicunt) qui Arabum lingua Zamora eſt. & in eo agro reperitur.
Tauri vrbis ædificandæ Garſiæ filio cura demandata, quæ veteribus Sarabis fuit. Conim-
brica in Luſitania, Septimancæ, Dominæ, vniuerſique Gotthorum campi in Vaccæis
Mauris erepti: cui tractui, Italiæ atque Galliæ exemplo, Campaniæ licebit nomen fa-
cere. Iis in locis Facundi & Primitiui Martyrum nominibus regio ſumptu monaſterium
magnificum, quod Mauri euerterant, inſtauratum atque extructum eſt, Benedictinorum
ordini

ordini, quo nullum in Hiſpania, diuitiis, amplitudine, maieſtate illuſtrius olim fuit: noſtra ætate in paucis nobiliſſimum habetur. Tantis Regis molitionibus ærarii tenuitas tot bellis, tantis ſumptibus exhauſti impar erat. noua tributa imperata: quod niſi in ſuprema reipublicæ calamitate, & quando omnes intelligunt, ſi ſalui eſſe volunt, parendum neceſſitati, ſine periculo non vſurpatur. ſic rerum euentus declarauit. Alienati enim ea ex re ſubditorum animi erant. Semena Regina alieno & ipſa in virum animo, faces ſubdebat: filioq; Garſiæ ſuaſit vt in patrem arma ſumeret. Rex quamuis in affecta ætate priſtinæ virtutis memor Senticam aduolat: filium in poteſtatem redactum in Gauzone arce vinculis conſtringit. non reſtitere, vt ferme fieri conſueuit, in vno gradu commotæ ſemel populi voluntates. Nunnius Fernandus Caſtellæ Comes opibus & clientelis potens Garſiæ ſocer erat. eius conatus cum vincti mater & fratres iuuarent, rurſus in Regem tumultuatum eſt. toto biennio bellum vario ſucceſſu geſtum, exitu tandem coniuratis proſpero. Rex calamitate victus ſeu tranquillitatis ſtudio regnum abdicauit, & Garſiæ filio de manu tradidit. Ordonio alteri filio Calæciæ principatus attributus eſt ſalutis anno nongenteſimo decimo. Quo anno decurſo cum Compoſtellam religionis ergo inuiſiſſet, & concedente filio in Maurorum fines denuo populabundus irrupiſſet, operæpretio facto Zamoræ obiit. 910.
Aſturicæ primum tum ipſe tum vxor Semena ſepulti ſunt: deinde Oueti in D. Mariæ tumulo compoſito. Quo tempore Abdalla Cordubenſis Rex, cum filios reliquiſſet vndecim, filias tredecim, ętatis anno ſeptuageſimo ſecundo Cordubæ obiit. Quid Abdallę Lupi filio contigerit clam eſt: neq; deeſſet induſtria ſi monimenta ſuppeterent. nunc coniecturis ſtandum. ac putem ope Regum Ouetenſium Cæſarauguſtę principatum retinuiſſe: ab eoque eius vrbis Reges perpetua ſerie deriuaſſe: de quibus longo interuallo ſermo recurret. Cordubæ imperium ſuſcepit Abderrhamanus Abdallæ ex Mahomade filio nepos, nouo exemplo vt in Maurorum imperio nepotes præferrentur filiis. Viginti tres annos natus erat cum ad regnum acceſſit, & quinquaginta annis regnauit. Almanſor Ledim Alla vocatus eſt, hoc eſt defenſor legis Dei, præterea Miramumenim, quæ vox Regem credentium ſignificat. & ferme imperiis inclinantibus magnifici tituli vſurpantur ignauiaq; ornamentis extrinſecus additis fucatur. Tametſi Abderrahmanus in magnis Regibus numerari debet, domi militiæq; clarus. dum vixit in vnam curam diſſidia gentis pacandi, factionumq; ſtudia quibus populares æſtuabant, ſedandi maxime incubuit: æquiſſime populis iura dabat. Caſtrum prope Cordubam extruxit, in Africa Septam cepit: regia munificentia vrbes oppida tota ditione magnis ornamentis Abderrahmani regno aucta illuſtrataq; ſunt. Regnum cepit anno Arabum trecenteſimo, iuxta Roderici etiam Præſulis computationem, hoc loco à vera non diſcrepantem.

Garſias, & Ordonius Reges. CAP. XX.

POTENTIA ſcelere quæſita, haud ſolet eſſe diuturna Garſias regnum per vim occupatum, tribus annis, & menſe vno tenuit. Quo tempore noua expeditione ſuſcepta in Maurorum fines irruit, & agris circum longe lateq; vaſtatis, direptis oppidis, Aiolam Maurorum regulum obuiam prodire auſum, acie quidem victum cepit: verum in reditu ad Tremulum oppidum, cuſtodum culpa in patriam fuga euaſit. Rex Zamoræ defunctus eſt atque Oueti ſepultus ſalutis anno nongenteſimo tertiodecimo. Ordonius nunciata 913.
fratris morte, quoniã ſine prole deceſſerat, Calæcia, vbi res gerebat, continuo ad regnum aduolauit, bonus & moderatus Princeps ſi extrema cum primis contexuiſſet, neque innocenti Caſtellæ Comitum ſanguine manus fœdaſſet. Regnauit annis nouem, menſibus ſex. Sub initia quod magnopere ad tuendam auctoritatem referre cogitabat, ſi illuſtri aliquo facto Maurorum ſpiritus fregiſſet, delectu ſuorum habito in Carpetanos irrupit. Talaueram ſoli cœliq; lætiſſima facie præcipuum municipium incolarum frequentia, & mœnium ex ſecto plurimum lapide munitione nobile circumſedit, victiſque acie Mauris, qui à Rege Cordubenſi auxilio obſeſſis miſſi erant, oppidum expugnauit, diripuit, incendit: neq; enim circunfuſis omni ex parte Mauris retineri poterat. Oppidi præfectus cum multis aliis captus eſt. exercitus Mauricis ſpoliis grauis in patriam reductus. Cordubæ Rex ex eo euentu de rerum ſumma coniiciens, verituſque præferocis Regis arma, ſuorum viribus diffiſus, Mauritaniæ Tingitanæ Regem ſupplex ſolicitat, vt ex Africa ſupplementi cauſſa nouas Maurorum copias tranſmittat. Annuit ille gentis periculo permotus, & ſtudio religionem Chriſtianã opprimendi, quæ indies maiora incrementa ſuſcipiebat. Valida Afrorum manus miſſa Duce Almotarapho eſt, iis copiis regius exercitus Maurorum adiunctus. Auolalpaſus rei ſummæ Præfectus in Chriſtianorum fines irruens, ad Durii ripam proue-

ctus eſt. ad Caſtrum Sancti Stephani Gormatii nomine, Rege obuiam facto dimicatum
eſt. non alias maiore mole concurſum, neque dubio magis euentu. ad extremum vtroque
Duce Mauro cadente, cæſi magno numero hoſtes, reliqui in fugam compulſi. Chriſtia-
norum animi magna ſolicitudine liberati, reputantes quantum periculi acceſſiſſet ex A-
frica, vix tolerantibus Maurorum Cordubenſium potentiam. quo maior victoriæ fructus
eſſet, victos & trepidos vrgeri Mauros placuit: Luſitaniæque agros & oppida quam longe
ad Anam vſque patet, Emeritæq; & Pacis Auguſtæ fines victoris exercitus incurſione de-
populari: tanto ex his rebus incolarum terrore, vt in iungendi fœderis voluntatem vehe-
menter incumberent: & ad victoris arbitrium pacem magno redimere fuerint coacti, Or-
918. donii regni anno quinto, ſalutis nongenteſimo octauodecimo. Rex tantis rebus perfectis
rediit in patriam, & triumphantis in morem Legionem inuectus eſt. Vrbem eam ea ætate
principem, locorum opportunitate inuitatus, regiam conſtituere cogitabat. Nouis itaque
ædificiis illuſtrare, locis amplificare parans, primum omnium templum Petri & Pauli no-
minibus ſacrum, & Epiſcopi cathedra inſigne, quoniam extra murorum ambitum erat &
periculo proximum, in regium palatium tranſtulit (quod in thermarum vſum olim à Mau-
ris magna amplitudine, & præcipua totius operis maieſtate extructum fuerat) Mariæ Vir-
ginis nomine. tametſi duæ aliæ templi partes, Saluatoris altera, Ioannis Baptiſtæ nomine
altera ſacrata eſt, Fruminio Legionenſi Epiſcopo totius cæremoniæ Antiſtite, cui vnde-
cim alii Epiſcopi ex vniuerſa prouincia ad id euocati aderant. Auxit noui templi maieſta-
tem, cum Rex nouo exemplo de manu eius Pontificis regni coronam capiti ſuo imponen-
dam curarit. Eo ex tempore Ouetenſis Regis nomen Legionenſi mutatum. Verum ab hoc
initio Ouetum vrbs eo ignobilitatis dilapſa eſt, vt progrediente tempore Archiepiſcopa-
tus honore detracto, noſtra demum ætate, ne ſuffragii quidem ius in comitiis regni ha-
beat: quod ciuium ignauia factum arbitror magis quam Regum inuidia. Itaque inter hu-
ius ætatis diplomata, Hiſpanicæ antiquitatis eruendæ ſtudioſi, in quibuſdam Ordonium
Ouetenſem Regem dici conſiderant, in alio quodam Legione regnare, nimirum appella-
tione cum rebus & temporibus alternante. Mindonienſem vrbem iure Epiſcopatus do-
naſſe Ordonium memorant, Ribadeo vrbe ea dignitate ſpoliata. Tametſi alii magis exi-
ſtimant Mindonienſes Epiſcopos priſcis temporibus Vallibrienſes fuiſſe nuncupatos. In-
terea Rex Cordubæ Abderrahmanus Almanſor ex re male geſta dolore exæſtuans, & vin-
dicandi iniurias cupiditate ardens, vniuerſas regni vires & copias in vnum contrahit: atq;
per Luſitaniæ fines in eam Calæciæ partem armis penetrat, vbi Rondonia ſita eſt, Mindo-
niam Sampyrus ait. Ad eum locum vtriuſque nationis caſtra poſita. acie pugnatum ardo-
re animorum ſingulari, virtute non impari. multi ab vtraque parte ceciderunt. exæquata
clade noctis tenebris certamen diremptum. neutri manifeſte victores. Tametſi eius præ-
lii ea fama fuit, vt vtraque pars ſe viciſſe prædicaret: noſtri quoniam hoſtem Calęcię fini-
bus diſcedere compuliſſent: barbari cum toties victi ad noctem vſque certamen ſuſtinuiſ-
919. ſent. pugnatum eſt anno nongenteſimo nonodecimo. Neq; multo poſt Cordubę Rex ſu-
perioris victorię opinione ferox, viribus reparatis, auctuſque auxiliis ex Africa, Chriſtia-
norum finibus euaſtatis in Vaſcones & Cantabros penetrauit. Ordonius Rex & ſua ſponte
ad bellum incitatus, & Sanctii Garſiæ (is Vaſconum Rex erat cognomento Abarca) pe-
riculo permotus, ſolicitatus precibus, in Mauros mouit. Ad vallem Iuncariam (Iunque-
ram hodie dicimus) Vaſconum & Legionenſium copiis cum Mauris dimicatum anno
921. nongenteſimo vigeſimo primo. non minor quam in Calęcia animorum contentio, non
minor ſtrages fuit, neq; minus dubia victoria. hoc ſuperiores Mauri, quod Garſias Azna-
rius (mallem Fortunius Semenus eius filius) Aragonię Comes in eo conflictu periit: &
ſecundum eam pugnam Cantabrię pars illa, cui Alauę nomen eſt, Maurico imperio ceſ-
ſit. Capti in pręlio Epiſcopi Dulcidius Salmanticenſis, Tudenſis Hermogius. pacto pre-
tio redempta libertas. dum aurum appenditur obſides dati. Pro Hermogio ſororis filius
Pelagius in ipſo ętatis flore, venuſtate eximia barbari Regis animum, alioqui in libidinem
procliuem vehementer inflammauit. augebatur impuri atque nefarii amoris flamma ado-
leſcens & ſuapte natura ad modeſtiā compoſitus, & in plena ſapientiæ ac ſanctitatis domo
educatus, de turpitudine identidem appellatus repugnauit primum: deinde cum preci-
bus vinci non poſſet & vis adhiberetur, procaci Regi pugnos in faciem infregit. Animi
conſtantia, & pudicitię cultus exitium attulit. ferreis forcipibus laniatus, membratimque
diſſectus, Regis impii & immanis iuſſu in Bętim fluuium iactatus eſt die Dominica, qui
925. dies Iunii menſis vigeſimus ſextus fuit, nimirū ſalutis anno nongenteſimo vigeſimo quin-
to. Defuncto honores tanquam Martyri habiti cultuſque decretus: corporis partes in D.
Geneſii, caput in Sancti Cypriani cœmeterio ſepulta. Eo maiori gloria dignus, quod qua-
tuor-

tuordecim non amplius annos natus erat, minus menſibus ſex, cum id virtutis & conſtantiæ ſpecimen edidit. Rhoſuita virgo Saxonica Pelagii Martyris mortem Heroico carmine hac ipſa ætate, ſed paulo aliter cecinit. Ordonio Legionis, Carolo Simplici Francorũ Regibus, Zanellus presbyter à Ioanne Romano Pontifice, eo nomine decimo in Hiſpaniam legatus eſt hac occaſione. D. Iacobi religione per omnes nationes peruagata, atq; Siſnandi Compoſtellani Epiſcopi virtutum celebri fama, Pontifex miſſo cum litteris idoneo homine preces communicari petiit: vt propitiato Apoſtolo ſancto opem eius viuus moriensque impetraret. Siſnandus Zanello in Italiam amandato obſequium Pontifici defert. Rex etiam litteras cum muneribus adiungit. Zanellus officio functus multis libris onuſtus in Hiſpaniam euoluto integro anno redit: præterea à Pontifice legatus factus cum poteſtate cognoſcendi quæcunque ad religionis ſtatum pertinebant. Perſuaſum Romanis ab antiquo, in ratione precandi Gotthica multa deprauata eſſe, inſolentes ſacrorum ritus atque opiniones de religione diſcrepantes inuectas. Ergo Zanellus in eam curam incumbendum iudicans, libros eccleſiaſticos cum cura conquiſitos diligenter excuſſit, atque in ritu quamuis diuerſo, contra quam ſuſpicabatur, omnia religioni conſentire deprehendit: Romamque rediens Pontifici viſa cognitaque retulit in magno Patrum conſeſſu. Gratias illi pro diuino munere agentes, libris comprobatis illud modo ſanxere, in ſacratiori ſecretaq; ſacrificii Chriſtiani parte, Romano ritu precandum videri. nimirum alia myſtica verba, quibus panis vinumque conuertitur, retenta tamen ſententia proferebant, ad hunc modum: HOC eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. HIC eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quibus verbis ne noſtra quidem ætate ii vtuntur, qui ritu Gotthorum ſacrificant diuina hoſtia permiſſu Pontificum. Hunc exitum ea tum controuerſia habuit, multis deinde ſeculis repetita: donec Hiſpanorum ſiue conſtantia, ſiue contumacia victa eſt, atque Gotthica precandi ratio Romano ritu mutata, vti competenti loco explicandum eſt. Ex eo tempore ſane, quo ad Iuncariam pugnatum eſt, belli fortuna conuerſa videbatur. Ordonius Rex decori tenax, breui reparato exercitu, qua parte Vaſconum fines erant, ipſo Vaſconum Rege adiuncto, in Maurorum ditionem inuectus Riuogiæ oppida, pagos, agros, belli flamma conſumpſit: & cladis acceptæ ignominia vindicata Zamoram rediit. Nullum in rebus humanis gaudium eſt ſyncerum & conſtans. quod tunc vſuuenit. Munina Eluira Regina lectiſſima fœmina extincta morbo eſt, filiis Sanctio, Alfonſo & Ramiro, præterea Garſia Semenaque. Eluiræ funere curato, Rex Argontam duxit principi loco in Calæcis: neque multo interiecto tempore in ſuſpicionem adductam repudiauit, temere ſcilicet & immerito: vti rerum euentus & Regis pœnitentia comprobarunt. Sanctiuam Garſiæ Eneci Regis Vaſconum filiam in eius locum ſubſtituit, Sanctio fratre concedente. cum quo iunctis viribus in Riuogiam rurſum irruptione facta Anagarum, quod veteribus Tricium fuit, armis cepit & Vicariam: vbi Gotthorum regno conuentus iuri dicundo fuiſſe creditur, auctore Roderico, ex eoque inditum nomen. Atque hactenus ita Ordonii res erant, vt in eius regno laudari multa poſſent iure, accuſari pauca, qualia Regibus libenter condonantur. Difficile eſt & miraculo proximum in ſumma licentia tenere modum, & in tanta rerum varietate nunquam offendere. Caſtellæ Comitum cædes Ordonii iuſſu alieniſſimo tempore perpetrata, in quibus tantum præſidii erat aduerſus Maurorum arma, ſuperiorem omnem gloriam corrupiſſe viſa eſt. quod qua ratione contigerit, & quibus ex cauſſis Regis animus fuerit irritatus, ex altiori principio repetendum. & nonnulli noui principatus in Hiſpania, quæ initia incrementaque habuerint, noua narratione explicandum.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

Nn 4

by Google

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ. LIBER OCTAVVS.

Regni Nauarrici initia. CAP. I.

POST memorabilem atque funeſtam cladem, qua victa oppreſſaque vniuerſa à Mauris ferme Hiſpania eſt: ex Gotthici imperii caſu quaſi ex magnæ ſtructuræ ruderibus cum euerſa eſt, plures extitere principatus minuti initio, finibus anguſti, atque viribus infirmi: tempore conſequenti patriæ libertatis vindices, affectæ ac proſtratæ reipublicę inſtauratores pręclari. Quorum exortum atq; progreſſum omnium explicare ardua res eſſet, & longioris diſputationis quam pro ſuſcepti operis modo. Inſignium maxime & præ cæteris nobilium initia, incrementa, ſucceſſuſq; breui narratione attingere: quoniam cum Legionenſium Regum rebus deinceps connexi confuſique ſunt, neceſſarium fore ſum arbitratus: Vaſconum, Aragonum, Barcinonis atque Caſtellæ, cui Veteris nomen eſt. Etenim ex communi Hiſpaniæ incendio atque vaſtitate, pulſæ ſedibus Hiſpanorum reliquiæ pars in Aſtures confugere, vnde Legionenſe regnum conſtitutum, de quo ſuperiori libro commemoratum eſt: pars Pyrenæi montis iuga clauſtraque occuparunt, vbi Cantabri & Vaſcones ſiti ſunt. Lacetani prætereæ, Ilergetes, atque Ceretani (quibus in locis nunc Ripagorſa, Suprarbe, Vrgelia, Cerdaniaq; viſuntur) eorum locorum præſidio atque munitione non modo libertatem tutati ſunt, ſed iuuandæ etiam reliquæ Hiſpaniæ conſilia inter ſe communicarunt viri præſtantes, maiorique quam pro viribus animo, freti credo numinis ope: nam aduerſus tantas difficultates ratione prouidere non poterant. Occaſio non maxima. Ioannes quidam homo religioſus, tranquillioris vitæ ſtudio ſuccenſus, non procul Iacca vrbe, in Vruela monte domicilium conſtituerat, adiunctumque diuinæ rei procurandæ cauſſa, ſacellum Ioannis Baptiſtæ nomine ſacrum. Sanctitatis eximiæ opinio famaque cum per ora hominum volitaret, quatuor ſe illi ſocii adiunxere, vitæ generis quod ſequebatur æmulatores. multi prætereæ mortales è vicinis locis accurrebant numinis propitiandi promerendiq; cauſſa ſancti viri precibus: quem omnibus officiis cultum dum vixit, extinctum exequiarum honore proſecuti ſunt. Defuncti funus magna populi frequentia procurauit. in his ingenuæ conditionis viri ſexcenti, ſiue ex compoſito conuenientes, ſiue ſeceſſus opportunitate inuitati, quo res occultior eſſet, in commune de reipublicæ ſalute, de Maurica ſeruitute pellenda conſultare aggreſſi ſunt. Locorum præſidium animos faciebat, & Francorum auxilia pręclare conantibus haud defutura ſperabant. Aſturum exemplum prouocabat, qui Pelagio Rege creato iuuandæ rei Chriſtianæ conſilia explicare, & Maurorum arma irritare veriti non erant. quod initio temerarium viſum eſt, euentu ſalutare fuit. Re diu multumque agitata, optimum fore viſum eſt ex ſuo numero aliquem deligere, cuius imperio & auctoritate deuincti in eam cauſſam iuuandæ patriæ ingrederentur. Garſias Semenus omnium ſuffragiis delectus, nullo quidem gradu cōtingens Gotthorum Regum familiam, quod nomen ipſum declarat Hiſpanum magis quam Gotthicum ſonans, haud dubie autē nobiliſſimus, magnaque & veteri proſapia, Ameſcuæ regulus atque Abarſuſæ. vxor Eneca pari nobilitate. De tempore auctores in diuerſum trahunt, ac ne de appellatione quidem regni ſatis conſtat. Nonnulli Suprarbis Regem dictum putant, alii Nauarræ ſeu Vaſconum: neutri argumentis euincentibus. Et eſt omnis antiquitas obſcura, præſertim Hiſpanica: quippe magnorum fluminum decurſus noti ſunt, obſcuræ origines primæ fonteſque vnde deriuantur. Inſigne nouo Regi fuit rubra parma, nulla pictura diſtincta. nonnulla oppida hoc Rege Mauris erepta: in his Inſa, Suprarbis princeps municipium. Sacellum quod Ioannis cura & ſumptu extructum erat, locis amplificatum auctumque reditibus in regii ædificii amplitudinem & maieſtatem ſenſim excreuit: Regum veterum buſtis nobile, præſenti numine ipſaque vetuſtate religioſum. Semenus Rex & ſucceſſores eum locum ſepulturæ
758. delegere. Obiit anno ſeptingenteſimo quinquageſimo octauo. Succeſſit Garſias Eneeus (ab vtroque parente eius appellatio conflata eſt) Princeps vere magnus, inſigni felicitate. Nam huius virtute Vaſcones, qui inter Aſturum, Maurorum & Francorum arma imperium-

periumque identidem alternabant, bello domiti in horum Regum ditione ſtabili poſ-
ſeſſione conſtiterunt. In eam finitimæ Cantabriæ partem, cui Alauæ nomen eſt, ar-
ma prolata. Præterea Aragoniæ & Barcinonis Comitum initia hoc Rege extiterunt.
Aragoniæ quidem Aznarius filius Eudonis Magni in ea loca delatus, quæ Aragone &
Subordano fluminibus alluuntur: cum quædam oppida Mauris eripuiſſet, Rege Garſia
concedente ſe Aragoniæ Comitem dixit, tunc Vaſconibus contributæ, deinde ſui iuris
vti competenti loco eſt explicandum. Aznarii filius Aznarius alter fuit, nepos Galindus:
de quorum rebus geſtis nihil eſt ad memoriam inſigne litteris proditum. Galindo de-
functo filius ſucceſſit Semenus Aznarius. Barcino autem Ludouici deinceps Imperato-
ris, & tunc patre ſuperſtite armis occupata: Bernarduſq; natione Francus illi vrbi cum
poteſtate præfectus anno octingeſimo primo. inde origo Barcinonenſis principatus. Quo 801.
anno in ſequentem euoluto, Garſias Enecus defunctus eſt. Succeſſit Fortunius Garſias:
de cuius rebus geſtis Vaſcones hiſtorici magna ac pene incredibilia fabulantur. Ac illud
conſtat ad Roſcidam vallem prælio illi memorabili interfuiſſe, in quo Francorum nobi-
litas noſtræ gentis armis trucidata eſt, Carolo Magno Imperatore, Duceque acie victo.
De eius victoriæ lætitia non parum diminutum eſt Semeni Aznarii Comitis Aragoniæ in-
teritu in eo prælio deſiderati: cum oſtentandæ virtutis ſtudio in confertos hoſtes irruiſſet
contemptu mortis ferocior. Eo maior luctus fuit, quod ſororem eius Teudam Fortu-
nius Rex vxorem habebat. Succeſſit Semeno Comiti Semenus Garſias eius patruus,
Endregoto defuncti fratre, qui meliori iure niti videbatur prætermiſſo. cauſſæ clam ſunt:
fortaſſis curis grauioribus idonea ætas non erat. Obiit Fortunius Rex anno octingenteſi- 815.
mo quintodecimo, Sanctio Garſia que ex vxore genuerat ſucceſſore. Hoc Rege Ronca-
lenſes ob egregiam nauatam operam in bello Maurico, immunitate donati: vt eius æ-
tatis atque Regis diploma declarat. Bernardus Barcinonenſis Comes (nonnulli Mar-
chionem faciunt) criminibus appetitus, ab iis qui teneram eius Bernardi ætatem gu-
bernabant, qui Caroli Magni nepos erat ex Pipino filio quaſi adulterii conſuetudine
cum Auguſta Ludouici Imperatoris coniuge, læſæ maieſtatis reus eſſet, calumniæ do-
lore actus, ex Gallia quo ſe contulerat, in Hiſpaniam rediit: vbi præcipua auctori-
tas erat, multæque clientelæ, quas ſuperiori tempore ſibi adiunxerat. Obiit anno octin- 839.
genteſimo trigeſimo nono. Wifredus eo nomine primus Barcinonenſis Comes Lu-
douici Pii beneficio eo principatu auctus eſt, nondum hæreditario iure, ſed ex Impe-
ratoris voluntate, annorum numero aut vitæ ſpatio vt in cæteris præfecturis præſcri-
pto. Garſias Aznarius per idem tempus Aragoniam obtinebat, defuncti interea patris
Semeni Aznarii ſucceſſor. Omnino Sanctii Regis armis Vaſcones, qui vltra Pyrenæi
faſtigium ad Galliam fuſi Francorum imperio parebant, vexati: neque prius quieſcere
permiſſi, quam perpetuam cum Suprarbis Regibus amicitiam iurati. Muzæ bello, eius
quem aduerſus Mahomadem Cordubæ Regem rebellaſſe ſuperius monſtratum eſt, oc-
ciſus fuiſſe traditur, nimirum annum circiter octingenteſimum quinquageſimum ter- 853.
tium. Poſt Sanctium Regem, Semenum Garſiam quidam numerat auctor defuncti fi-
lium: de quo in monimentis eius cœnobii, cui Sancti Saluatoris Leirenſis in Vaſconi-
bus ipſo Pyrenæi montis complexu nomen eſt, memoria propagatum, eo loco cum v-
xore Munia eſſe tumulatum. nihil præterea. Iis monimentis, cum certiori hiſtoriæ lumi-
ne careant, quantum fidei ſit adhibendum, ex ſuo iudicio quiſque ſtatuat. nobis in al-
terutram partem pronunciare conſilium non erat. His ſane Regibus defunctis, cum
ſtirps regiæ familiæ conſumpta eſſet, quatuor annorum interregnum ſecutum eſt. Quo
tempore prius quam prouinciæ voluntates in vnum aliquem conſpirarent, quem Regem
creatum reipublicæ rectorem imponerent: plerique Vaſconum ſcriptores affirmant,
re cum Romano Pontifice, nimirum Leone eius nominis IIII. cum Francis & Lon-
gobardis communicata, ex eorum conſilio ea ex illarum gentium legibus delibaſſe, quæ
ad libertatem tuendam, cuius tunc prima cura erat, opportuna fore iudicarunt: ne vn-
quam Reges conceſſa poteſtate abuti poſſent ad oppreſſionem reipublicæ. Leges ſcriptæ,
quas forum Suprarbis vulgo vocant: quarum vis in eo potiſſimum & ſumma erat vt
quoniam ditionem à Mauris partam ipſi de manu nouo Regi tradere cogitarent, ne quid
accepta poteſtate maioris rei niſi de conſilio & voluntate procerum duodecim, qui ea de
cauſa deligẽdi erant, decernere fas eſſe crederet: neq; ius libertatis minueret: & quę Mau-
ris eſſent erepta cũ proceribus optima fide diuideret. Hæc omnia vt rata eſſent mediũ ma-
giſtratũ creari placuit, tribunitiæ poteſtatis ad inſtar, vulgo hoc tempore Aragoniæ Iuſtitia
nominatur: qui legibus, auctoritate, & populi ſtudiis armatus, hactenus regiã poteſtatem

ne nimia efferretur, certis finibus incluſam tenuit. ac procerib. pręſertim datum, vt fraudi non ſit, ſi quando inter ſe tuendæ libertatis cauſſa inſcio Rege conuentus habuerint. His ita conſtitutis Bigorræ ſeu Bigerrionum in Aquitaniæ parte Comes Enecus Sanctius, à velocitate cognomento Ariſta, trecentorum procerum ſuffragio ad regnum vocatus eſt: atque Pompelone in S. Victoriani iuratus iura ſubditorum, leges, atque libertatem, rempublicam gubernandam ſuſcepit. Illud additur: feciſſe ſubditis poteſtatem, ſi datam fidem violaſſet, Regem externum ſiue ex Mauris ſiue ex Chriſtianis in auxilium pactæ libertatis euocandi. quod de Mauris quoniam turpitudinem continebat, ferunt à populo repudiatum. Atque hæc veriſſime memoria propagata eſſe vulgo homines, ſed & doctrina expoliti nonnulli exiſtimant, alii fabulæ ſimilia eſſe arbitrantur: ac Ariſtam potius patri in regno ſucceſſiſſe ſtatuunt. Quæ enim nouarum legum condendarum, nouique inſtituendi magiſtratus cauſſa extitit ſatis idonea? aut quî potuerunt cum Longobardis conſilium communicare quæ gens ante aliquot annos Caroli potentia oppreſſa extinctaque erat. diuinare in re tam dubia non iuuat. fortaſſis enim, quod Semeni primi Suprarbis Regis electione factum eſt, vulgo hiſtorici ignoratione temporum ad Ariſtam, quem primum in his Regibus eſſe crediderunt, falſo ablegarunt. Illud conſtat Enecum per hæc tempora in Pyrenæi montis iugis regnum tenuiſſe. vxorem habuit Enecam Gonſalui Comitis filiam, ex Ouetenſium Regum ſanguine. Pręterea Teudam duxit Zenonis Cantabrię Ducis filiam, vt eſt alio loco indicatum. filium vnicum, quo ex coniugio incertum, ſed Garſiam tamen Enecum genuit, regni ſucceſſorem. S. Saluatoris Leirenſis monaſterium in Pyrenæi iugis conſtitutum loci religione, ædificii maieſtate, opimiſque reditibus celeberrimum, Ariſtæ opus eſſe creditur. Nunilonis & Alodiæ virginum corpora non ante multos annos Boſcæ prope Anagarum (Oſcæ in Baſtetanis dicunt alii) pro religione occiſarum, in eo monaſterio ſeruantur. Tametſi Bononia Galliæ Ciſalpinæ vrbs eorum ſibi poſſeſſionem arrogat. Ariſtæ Regis diploma refellit, quod in eius cœnobii ſchedis ſeruatur: & locorum vicinitas vbi interfectæ ſunt, huic opinioni ſuffragatur. Regni fines Ariſta Rege prolati, & Vaſconum planicies veteri ditioni adiecta: cum priores Reges ſe montibus tenuiſſent. Pompelo & Alaua quoniam temporum iniuria ad Mauros redierant, Ariſtæ armis expugnatæ: vnde ſe Pompelonis Regem dixit, vt vetera Regum diplomata indicio ſunt. Quo tempore Wifredus alterius Wifredi filius cognomento Villoſus, Barcinonenſem comitatum Caroli cognomento Craſſi Imperatoris munere factum hęreditarium, retento tan-
884. tum iure ad ſe prouocandi obtinuit, anno octingenteſimo octogeſimo quarto: cum eam vrbem Salomon Cerdaniæ Comes decem & nouem annis gubernaſſet iuſſu Ludouici ſecundi Imperatoris propter teneram Wifredi infantis ætatem. Per idem tempus Garſias Aznarius Aragoniæ Comes defunctus eſt. ſucceſſit eius filius Semenus Garſias. De anno quo Ariſta obiit auctores variant, neq; quid certi ſequamur habemus: ſuſpicamur tamen, quod ratio temporum videtur exigere, Alfonſi Ouetenſis regno, cui Magno cognomen
888. fuit, eſſe defunctum anno octingenteſimo octogeſimo octauo. Succeſſit Garſias Enecus ætate minor (nam decem & ſeptem annos natus erat) animi magnitudine & rebus bello paceque geſtis cuiuis priorum Regum par. Confirmata is ætate ſuſcepti regni auctoritatem tuebatur, multis victoriis de Chriſtiani nominis hoſtibus relatis: quas vt ſigillatim recenſeamus operæ non eſt, neque inſtitutæ breuitatis. Vxorem habuit Vrracam Fortunii Semeni Aragoniæ Comitis aut filiam aut ſororem: variant enim ſcriptores vſque eo, vt quidam Fortunii propinquam ſcribant filiam Endregoti (eius cui Aragoniæ principatum à patruo præreptum diximus) Galindi neptim fuiſſe. omnino ex eo coniugio Fortunius & Sancius cognomento Abarca nati ſunt, tum Sanctiua, quæ Ordonio Legionenſi Regi in ſeniũ præcipiti & binis nuptiis perfuncto tertia vxor acceſſit, vt eſt ſuperiori libro demonſtratum. Ad vallem Ayuarem (Rodericus Larumbẽ ait) in tumultuario conflictu à Mauris peremptus eſt, dum fines regni proferendi & impiæ gentis extirpandæ ſtudio excurſio-
905. nes in Mauros identidem facit, anno nongenteſimo quinto, vti ex ſchedis Aluendenſibus intelligitur. Succeſſere deinceps Fortunius, atque Sanctius, quo Rege ad Iuncariam male fuiſſe pugnatum fine ſuperioris libri dictum eſt. Garſiæ Eneci Regis ſepulturam Leirenſe monaſterium ſibi arrogat. defendunt D. Ioannis Rupenſis ſacerdotes, argumento ſepulcri quod eo loci inter alia priorum Regum buſta Eneci Regis inciſo nomine cernitur. Litis diiudicandæ neque facultas erat neque animus. multis locis conſtituta Regibus cenotaphia, vt in quemque benefici extiterunt, opinionum varietati occaſionem præbuiſſe arbitror. De Vaſconum regni initiis pro re præſenti ſatis dictum eſt.

Caſtellæ Comites. CAP. II.

VACCÆOS fere Romani olim vocitabant Hiſpaniæ incolas ea parte cui Caſtellæ veteris nomen à noſtris inditum eſt, Per Carrionem, Piſoricam, Heuam & Regamonem fluuios deſcriptæ, ſecretæque à Legionenſi ditione. altera ex parte Aſturum, Cantabriæ, & Riuogiæ fines attingebat. ad Aſturum montes, vbi Segobia & Abula ſita ſunt, Mauricum ferme imperium per hæc tempora finiebant. Ager fertilis frugum, vini generoſi ferax, bonus pecori, olei infœcundus magna ex parte: cælo terraque maior aliquanto aquarum copia, quã in reliqua Hiſpania. homines miti magnoq; ingenio, minime mali, ſalubri corpore, venuſta facie, patientes laborum. In ea prouincia (tametſi initio vniuerſam non obtinuerunt) reguli opibus & clientelis præpotentes, Chriſtianæ ditionis fines armis & virtute tueri cœperunt, atque indies magis propagare. Comites vocabantur Regum nimirum Ouetenſium permiſſu, in principatus tamen, an in præfecturæ tantum ſignificatione incertum. parendi certe neceſſitas iniuncta erat, ſiue regni conuentus ageretur, ſiue alicunde bellum ingrueret. Antiquis temporibus Comitum appellatione prouinciarum Præfectos honeſtare moris fuit, annorum numero quibus præeſſe deberent præfinito. conſequenti tempore Regum indulgentia aut imbecillitate, honos ille dum vita manet cœpit eſſe proprius: demum ad poſteros propagari hæreditatis iure. Antiquitatis veſtigia in Hiſpania retinentur, cum proceres Hiſpani non prius paterni principatus à parentum obitu nomen vſurpant neque Ducis, Marchionis, aut Comitis titulos aſſcribunt, quam Rege denuo annuente: præter paucas familias, quibus iure priuato contra facere a Regibus eſt conceſſum. Atque cum hæc explorata ſint, tum illud incertum, qua conditione initio Comites, & in quantum tempus Caſtellæ ditionem obtinuerint: niſi quod fidei proximum eſt, eorum principatum eadem initia incrementaque quæ reliquos toto Chriſtiano orbe habuiſſe, quibus neque amplitudine cedit neque admodum vetuſtate. Comitum enim Caſtellæ mentio ſatis vetuſta eſt: atque in eo numero Rodericum primum ponere licet ex antiquis priorum Regum diplomatis, Alfonſi Caſti coætaneum. Nam de annorum numero laborandum non eſt, quem in pleriſque antiquitatis monimentis vitiatum eſſe certa ratione conſtitui. Poſt Rodericum in Caſtellæ Comitibus Iacobum cognomento Porcellum numerant viri antiquitatis Hiſpanicæ eruendæ diligentia eruditioneque præſtantes, Roderici filium. ſic Alueldenſe Chronicon ait. Hic Alfonſi Magni Regis Ouetenſis tempore vixit, quantum ex ſchedis veteribus licet conijcere. Filiam nomine Sullam Bellam Nunnio Belchidi connubio iunxiſſe traditur. Erat is natione Germanus, & religionis ergo Diui Iacobi inuiſendi cupidus venerat in Hiſpaniam. vbi rei Chriſtianæ promouendæ ſtudio, affinitate cum Iacobum Comitem ſibi conciliaſſet, communibus cum eo opibus & auſpiciis Burgos nobiliſſimam Hiſpaniæ & ditiſſimam vrbem fundauit: vicinis pagis, in quos incolæ diſſipati viuebant, in vnum ciuitatis corpus formamque collatis, vnde vrbi nomen. Burgi enim Germanis pagi ſunt. Erant præter Iacobum Porcellum eodem tempore alii Caſtellæ Comites, nempe prouincia in plures partes diſtracta. Ferdinandus Aſturius, Almondar cognomento Albus, atque huius filius Didacus. Præter cæteros tamen Nunnius Fernandus principem auctoritatis & potentiæ locum occupabat: vſque eo vt filiam, Garſiæ Ordonii Regis fratri vxorem dederit, & ipſi Regi. qua ex re, & quoniam Regem Alfonſum cognomento Magnum, eius Garſiæ patrem armis compulerat abdicare, maiores ſpiritus gerebat ſcilicet quam vt æquo animo Ordonius ferret omnis inſolentię impatiens. Delatores præterea Regis animum in inuidiam inflammabant, quales in principum aulis multi viuunt, nulla propria virtute præſtantes, melioribus tantum proſternendis ad ſumma euadere ſoliti: quæ peſſima ars nimium proſperis multorum ſucceſſibus creuit. His inuidiæ ſtimulis percitus Rex Comites euocat: velle ſe ſimulat de republica & ſummis totius regni rebus conſilia cum illis communicare. Locus colloquio delectus oppidum quod Regulare vocabatur, medio inter vtramque ditionem ſpatio. die dicta Comites affuerunt nullo ſatis idoneo præſidio militari, venturi ſecuri. conſcientia probè geſtorum metum excludebat. Per fidem tamen colloquii Regis iuſſu capti, vinculiſque conſtricti, atque Legionem amandati ſunt. Ex ea re Caſtellæ vrbes & oppida incredibilem animis dolorem conceperunt. auctuſq; mœror & deſperatio, cum paucis poſt diebus nunciatum eſſet Comites impie & crudeliter fuiſſe trucidatos. Nouos motus veritus Ordonius, cum ad arma gentem eam cõſternatam eſſe videret, dum arma, equos & milites comparat, in ipſo belli apparatu Zamorę ex morbo extinctus eſt ſalutis anno nongenteſimo vigeſimo tertio. in S. Mariæ Legionenſi, quod ille templum dedicau- 923.

Digitized by Google

dum curauit, vti ſuperius indicauimus, tumulatus eſt. iuſta exequiarum more regio magnifice facta. Quo tempore Siſnando Compoſtellano Præſule defuncto Gundeſindus ſucceſſit, is qui generis nobilitatem (nam Comite quodam natus erat) vitæ & morum prauitate obſcuraſſe viſus eſt. Gundeſindo defuncto Hermigildus ſuffectus eſt, in pari nobilitate haud diſſimili vitæ genere ad poſteritatem deformatus. Ex Belchide & Didaci Porcelli filia Sulla Bella, Nunnius Raſura & Guſtius Gonſaluus nati ſunt. Nunnius Ferdinandi Gonſalui Caſtellæ Comitis, quem noſtrates hiſtoriæ laudibus ad cælum ferunt ob multas res bello paceque præclare geſtas, auus fuit. Ex Guſtio Laræ reguli, quos vulgo hiſtoriæ Laræ Infantes vocant, nati ſunt. Ita Iacobi Porcelli ſanguis regiæ familiæ inſertus, vti loco competenti explicandum eſt, per multas præterea procerum Hiſpaniæ domos diductus atque vagatus eſt, nunquam extincta nepotum ſobole vſque ad noſtram ætatem.

Froila eo nomine ſecundus. CAP. III.

EXTINCTO Ordonio, Froila eo nomine ſecundus defuncti frater, nulla domi militięve laude clarus, nullo procerum ſuffragio neque legibus, neque auſpicato regnum inuaſit armis: in quibus plerunque iura regnandi ſunt. Initiis exitus conſentanei fuerunt. haud diuturnum regnum, nempe menſium quatuordecim, dedecore & turpitudine infame, crudelitate nobile: vnde illi Crudelis cognomen factum. metuat multos neceſſe eſt quem multi timent. præſidium Regum in ciuium amore eſt, exitium in odio. Olmundi viri principis filios peremit nulla idonea cauſſa. eorum frater Fruminius Legionenſis Pręſul ſolū vertere compulſus eſt. Iniicere manus viro ſacrato religio fuit, homini cætera neque moderato neque pio. Ex vxore Munia Alfonſum, Ordonium & Ramirum genuit, Froilam ſtupro patrem Pelagii cognomento Diaconus: eius cui Alfonſa (vulgo Aldonſam dicunt) Veremundi Regis cognomento Podagrici neptis olim nupſit. Legione ſepultus eſt, lepræ morbo ex quo obiit non magis deformis, quam totius vitæ ignauia & Caſtellæ alienatione. Indigna Comitum cædes ab Ordonio Rege perpetrata prouinciæ voluntates exacerbarat. Is dolor nouis iniuriis cumulabatur, cum Legionenſes iudices iuris repetendi cauſſa adire neceſſe erat, aut generales regni conuentus agebantur. quod animis ergo agitabant, neque expedire promptum erat, defectionis maturandæ ex Froilæ Regis ignauia opportuna occaſio ſuppeditata eſt. palam Regum imperium repudiatum. Reipublicæ conſtituendæ moderandæque cauſſa ex vniuerſa nobilitate duo proceres delecti, penes quos bello paceque rerum arbitrium eſſet, vitæ neciſque poteſtas. Iudicum nomen eſt datum. alia principatus nomina repudiata: ne ſpecioſæ appellationis prætextu, conceſſa poteſtate ad opprimendam libertatem abuterentur. Nunnius Raſura & Lainus Caluus iudices creati par hominum ea tempeſtate longe nobiliſſimum & potentiſſimum. Lainus ætate iunior erat. Nunnii filiam Nunniam Bellam ſibi toro iunxerat. vigor animi ætati conſentaneus. rem militarem curare iuſſus. Nunnio quem ex multo rerum vſu & magnarum rerum tractatione collecta prudentia commendabat, reipublicæ gubernandę cura impoſita eſt, concedente collega. iura populis plerunque ſolus dabat Burgis, vbi multi eſſe conſueuerunt, vrbe primaria, ſed & aliis tota prouincia oppidis. Octo ad Medinam Pomariam millibus paſſuum oppidum extat Biiudicum nomine, & in eo tribunal vetuſti operis: vnde incolæ ducta per manus opinione perſuadent, ab his iudicibus leges promulgatas eſſe, iuraque data diſceptantibus: ex vetuſto ſcilicet iudicum libro, in quem veteres Caſtellæ leges collatæ erant, & cuius frequens mentio reperitur in ſchedis & monimentis huius ætatis: tenuitque tandiu, donec ab Alfonſo, cui Sapienti cognomen fuit, antiquatus eſt, nouo legum volumine promulgato, quod in ſeptem partes tribuitur. Hi iudices quanto tempore vixerunt, exploratum non eſt: ac ne res quidem eorum ſatis explicatæ, memoriæ proditæ ſunt. Ex vtriuſque certe genere nobiliſſimi & fortiſſimi viri procreati. nam Lainus Caluus Roderici cognomento Cidi auus quintus fuit. Nunnii Raſuræ filius Gonſaluus. Nunnius paternum magiſtratum geſſit, non minori gloria quam pater. Erat enim ingenio facili, morum ſuauitate atque actionum omnium elegantia ſingulari. Ad hæc nobilium liberos in aula ſua educandos inſtituendoſque ſuſcepit: magnorum id virorum bello paceque ſeminarium. Ipſe ex ea liberalitate curaque magnam a prouincialibus gratiam iniuit. Semenam vxorem habuit, Nunnii Ferdinandi Comitis filiam, eius qui ab Ordonio Rege inter alios Caſtellæ Comites peremptus eſt. Ex eo coniugio Ferdinandus Gonſaluus natus eſt, virtutum gloria & in ſumma varietate fortunę pręcipua conſtantia cuiuis priſcorum heroum æqualis. Verum de Ferdinando mox. ad Reges ſeſe conuertat oratio.

Sanctius Abarca Vaſconum Rex. CAP. IIII.

MVLTIS commentis Vaſconum hiſtoriam fœdatam eſſe nemo mediocri antiquitatis cognitione poterit ignorare. eius enim gentis hiſtorici peruulgato affectui indulſiſſe mihi videntur narrationem illuſtrandi portentoſis rerum incredibilium mendaciis. Vnde hiſtoria, cuius potiſſima virtus eſt veritas, iis libris perſimilis euaſit, qui ab otioſis hominibus in iuuentutis gratiam ex fabulis, nugiſque compoſiti paſſim circũferuntur. quod cum in reliqua hiſtoria cernitur, tum per hæc tempora maxime: cum Garſia Eneco Vaſconum Rege, vt paulo ſuperius dictum eſt, à Mauris in conflictu trucidato, fingunt eundem caſum vxorem Vrracam pertuliſſe, ſiue eodem tempore, ſiue diuerſo: vt mirari magis poſſis diſcrepare auctores in mendacio, quam quid veri ſit diſcernere. Conuenit tamen Sanctium quemdam Gueuaram, eum explorandi cauſſa ſuperueniſſet, infantem è Reginæ mortuæ vtero, per vulnus quod acceperat, brachium efferentem vitæ argumento, extractum exenterata matre, clam domi ſuæ ad iuſtam ætatem aluiſſe: quo res occultior eſſet (nam neſcio quas laruas formidabat) cultu ruſticano, pro calceis perones geſtaſſe, quos vulgo Abarcas dicimus: inde illi Abarcæ cognomen factum, Gueuaris Latronum nomen, quod latenter Regem aluiſſent. Demum elapſo decem & nouem annorum interregno, in eo habitu ad conuentum, vbi de Rege deligendo ſuſcepta deliberatio erat, deductum: & cum fides eſſet facta, Regem renunciatum cunctorum ordinum promptiſſimà voluntate, lætiſſimo omine: ex tantis periculis vnde ſeruatus erat, reputantium initiis exitus haud diſſentientes fore. Verum hæc quæ ſpecioſe dicta ſunt, plerique repudiant maiori prudentia & eruditione viri: neque antiquitatis monumenta conſentiunt, neque ratio temporis patitur, poſt cædem patris Sanctium Abarcã eſſe natum: quando Alfonſum & Ramirum Legionenſes Reges ætate proximos generos habuit. Ac potius credam prouecta iam ætate virum, à patris morte regnum ſuſcepiſſe: tametſi ex ſchedis Leirenſis monaſterii Fortunium Sanctii fratrem, natu maiorem aliquãdiu imperiũ tenuiſſe ante ipſum confirment eius monaſterii ſodales, vero an falſo haud facile dixerim: ſed contendunt tamen regio cultu abiecto, in eo monaſterio (pertæſum videlicet erat rerum humanarum) veſtem mutaſſe. Sane Sanctius ex vxore Teuda, Garſiam Sanctium maiorem, & poſt eum Ramirum, Gonſaluum, Ferdinandũ genuit: filias quinque Vrracam, Theraſiam, Mariam, Sanctiam & Blancam (quam nonnulli nupſiſſe affirmant Nunnio Cantabriæ regulo: alii refellunt, nominis coniectura, quod nullus per hæc tempora eo nomine eius prouinciæ principatum tenuit.) Neque magis numeroſa prole felix fuit, quam bellica gloria clarus: Sanctii enim armis, quæcunque temporum iniuria, in Suprarbe & Ripagorſa amiſſa erant, Mauris erepta ſunt. quin veteris ditionis fines vehementer amplificati, Cantabriæ principatu adiecto, ſecundum Iberi ripam, flexumque vſque ad eius ortum, Aucæque montes: verſus Occaſum vſque ad Tudelam, Oſcamque. Ipſam adeo Cæſarauguſtam victoriarum curſu penetraſſe indicio eſt arx prope Cæſarauguſtam vrbem Sancii Abarcæ nomine. neque contentus Hiſpaniæ finibus, tranſcenſis Pyrenæi iugis, eam Vaſconum partem ſub iugum miſit, quæ in Galliæ latere eorum Regum imperiũ longo tempore agnouit. Hoc bello Regem implicitum Mauri propter anni tempus hibernum exiſtimantes auxilio haudquaquam venturum, Pompelonem obſederunt. Sanctius periculo nunciato milites peronibus contra frigoris iniuriã munitos, mõtes traduxit. Inde vero Abarcę cognomen factum: quod in Caligulæ & Caracallæ Imperatorum nominibus non abſimili cauſſa contigiſſe exploratum eſt. Facile fuit ei qui naturam viciſſet, hoſtes prælio, vt fecit, ſuperare: victoſq; compellere vt obſidionem ſoluerent. His omnibus bellis profligandis Centulli Ducis virtus vnius maxime celebratur. Sanctii Regis clariſſimum nomen euaſerat, niſi partam gloriam conuerſo in Caſtellam bello contaminare magna ex parte voluiſſet: quod illi malè fuit, vt paulo poſt demonſtrabitur.

Alfonſus & Ramirus Legionenſes Reges. CAP. V.

ALFONSVS eo nomine quartus cognomento Monachus regnum iniuria à Froila interceptum poſt eius obitum recepit, anno nongenteſimo vigeſimo quarto. Tametſi 924 Froilæ filium Alfonſum fuiſſe Tudenſis eſt auctor. reſiſtunt alii maiori diligentia & auctoritate, confirmantque Ordonio potius eo nomine ſecundo fuiſſe genitum. Hoc Rege Ioannes Toletanus Præſul Weſtremiri & Boniti ſucceſſor, illuſtre exemplum veteris ſanctitatis deceſſit, anno nongenteſimo vigeſimo ſexto. In defuncti locum nullus alius ſubroga- 926 tus eſt, barbaris ſcilicet vetantibus aliquem præfici, qui in ea temporum fæce rem Chri-

ſtianam inclinatam ſuſtentaret. Curioni tantum D. Iuſtæ cæteri ſacerdotes pacis & con-
cordiæ ſanciendæ ſtudio primas Toleti deferebant: eiuſq; iuſſis obtemperare moris erat.
Quo tempore Ferdinandi Gonſalui Comitis Caſtellæ illuſtris fama erat. Comitis hono-
re, cum pater Iudicis tantum magiſtratu functus fuerit, an Regum beneficio auctus ſit
incertum: an quod magis videtur, ſubditorum voluntate excellentes tanti viri virtutes ad-
mirantium, æquitatem, manſuetudinem, religionis ſtudium, magnum in re militari v-
ſum. Quo virtutum præſidio non modo veteres ditionis fines tutatus eſt, ſed etiam Le-
gionenſium Regum ditionem vltra Piſoricam fluuium coercuit. Mauris vrbes & oppi-
da eripuit. Vaſconum inſolentiam Regis Sanctii Abarcæ cæde multauit. cum enim po-
pulandi Caſtellæ fines modus non eſſet, & legatos damna repoſcentes acerbo reſponſo
violaſſe viſus eſſet, minis adiunctis, quibus belli denunciatio continebatur: Comes o-
mnis inſolentiæ impatiens in Vaſconum ditionem populabundus inuaſit. Ad Gollandam
oppidum vtrinque vires & copiæ collatæ. multis cadentibus à neutra parte victoria ſta-
bat. ad ſingulare Ducum certamen ex prouocatione ventum. haſtis concurritur, ambo ex
equis ad terram proſtrati: Rex lethali vulnere accepto, Comes grauiter ſauciatus, ſed citra
vitæ periculum. Ex ea re Caſtellæ militibus animus auctus, breuique victoria parta. Fuſi
fugatiq; Vaſcones a Toloſæ Comite qui auxilio ſuperueniebat, in aciem reuocati. Rurſus
prælium redintegratum. idem ſucceſſus fuit. Comes cum Comite ſingulari certamine pu-
gnauit. Toloſano cęſo in ea dimicatione, victi prorſus, & fugati ſunt Vaſcones. Regis & Co-
mitis corpora Ferdinando concedente, à ſuis in patriam relata funeris honore non carue-
runt. Sanctii Abarcæ ſepultura Rupenſes D. Ioannis, & Leirenſes D. Saluatoris Mona-
chi gloriantur. Litem diiudicare noſtri inſtituti non eſt. exiſtimo tamen Sanctium Abar-
916. cam ſub initia Alfonſi Regis extinctum ſalutis anno nongenteſimo vigeſimo ſexto: cum
viginti totos annos regnaſſet. Succeſſit in regno Garſias Sanctius eius filius: quem inuenio
Regem ſe Pompelonis & Anagari dixiſſe. regnauit annis quadraginta. vxor Theraſia. Hęc
in Vaſconibus. Alfonſus autem moribus Froilæ quam patri ſimilior fuit. nulla virtus,
nulla dignitas, nulla bello ſubacta & ad ditionem adiuncta prouincia: prorſus vt gentis
inuidia flagraret & rerum gerendarum mole oppreſſus fratri Ramiro, cum Zamoram e-
931. uocatus eſſet, regnum de manu tradiderit anno nongenteſimo trigeſimo primo, cum an-
nis ſex & menſibus totidem regnaſſet, vitam principalem mutare certus, cum priuata at-
que monaſtica. in S. Facundi monaſterio, quod ad Cex fluminis ripam cernitur, in Mo-
nachi cucullati morem detonſus eſt, otii cupidior, quam pietatis, vti euentus declarauit:
nulla neque decoris cura, neq; Ordonii filii, quem ex Vrraca Semena Sanctii Abarcæ ſci-
licet Vaſconum Regis filia genitum, in tenera ætate præſidio deſtitutum, opportunum in-
iuriæ relinquebat. Vrracæ ſoror Theraſia Ramiro nouo Regi connubio iuncta fuit: vnde
Veremundus, Ordonius, Sanctius & Eluira nati. Ramirus regni cura ſuſcepta, Mauricum
continuo bellum repetiit. Intelligebat vir prudens nulla re ſtudia gentis parari, & diui-
nam beneuolentiam promereri magis quam Chriſtiani nominis hoſtibus vindicandis. In
ipſo armorum apparatu Alfonſi leuitas præclaros conatus repreſſit, temere ſuſceptum vitę
genus pari inconſtantia repudiantis. Legionem arma conuerſa. Alfonſus diu intra vrbem
eam obſeſſus, fame & rerum omnium inopia victus, neceſſario deditionem fecit, de-
dito vincula iniecta, cuſtodiæque intra eandem vrbem locus deſignatus. Nihil præterea
tum quidem atrocius decretum: nam Froilæ Regis eo nomine ſecundi filii in Aſturibus,
tumultuantes, eo neceſſario vocabant. tumultuandi cauſſa præferebatur non vna Duci-
bus & genti. Froilæ filii conquerebantur à Rege fuiſſe contemtos, cum ad comitia re-
gni vocati non eſſent, ea quibus Alfonſus ſponte regno abierat. Aſturum arma incenſo in
Alfonſum ſtudio mota erant, quo tempore regni recuperandi conſilia agitabat. Ea res
quoniam ad multos pertinebat, ſupplicii magis metu, quam cupiditate aut ſucceſſus ſpe
Froilæ filios ſequebantur. mitti tamen ad Ramirum legatos placuit, paratos ſe imperata fa-
cere renunciantes, vrbibus atque oppidis recipere, rebus omnibus iuuare: modo indu-
ceret in animum, ſine exercitu, ſine maleficio venire. id placati animi fore indicium. Ille
fraudem ſubeſſe ratus, ſiue minus ex regia dignitate fore cogitans, à ſubditis leges vt acci-
piant dici, cum validis copiis irrupit, belloque hoſtes domuit. multitudo conſeruata. de
ſontibus pœnæ ſumptæ. Froilę filii cum in poteſtatē veniſſent, luminibus orbati ſunt. Idem
ſupplicium Alfonſus Regis frater pertulit. Non procul Legione vrbe, monaſterium D. Iu-
liani nomine extabat huius Ramiri impenſa extructum. in eo monaſterio vſque ad vitæ
exitum aſſeruati, atq; poſt mortem ſepulti ſunt, tum hi omnes, tum Semena Alfonſi vxor.
Magni motus, quorum expectatione ſuſpenſi erant prouincialium animi, faciliorem opi-
nione exitum habuere. Mox arma vti fuerat ante propoſitum, in Mauros reuocata. In Car-

petanos

petanos impetus factus. Madritum eo tractu princeps municipium vi captum, direptum, incenſum. mœnia euerſa. Interea Mauri vindictæ cupiditate inflammati, magnis vndique collectis copiis, in Chriſtianorum fines irruperunt: ac primum in Caſtellæ agros inuadũt. Comes ex ſuperiori bello viribus debilitatus, & rei Chriſtianæ ignominia prouocatus, Ramirum obſecrat miſſa legatione, ne quam contumeliam remanere in republica Chriſtiana, neve barbaros inultos abire patiatur. ſe in Regẽ ſocerum arma neceſſario ſumpſiſſe, variam & commutabilem belli fortunam eſſe. Debere eum reipublicæ iniuriam, ſi qua eſſet violatus, condonare. beneficii memoriam nunquam ſe animo depoſiturum. Commune periculum regium animum flexit. Affuit continuo Ramirus operæ nauandæ ſtudio. Ad Vxanam prælio dimicatum. barbari magno numero cæſi. reliqui in fugam acti. milites Chriſtiani auro, argento, & veſte pretioſa onuſti domos abierunt. Ex hoc tempore quidam ſuſpicantur, Caſtellæ Comites rurſus in fidem atque clientelam Legionenſium Regum conceſſiſſe. qui enim aiunt, Rex decori tenax arma contuliſſet, veteresque & recentes iniurias condonaſſet, niſi iure priſtino recepto? Subſecuta eſt noua in Mauros expeditio. Ramirus opprimẽdi Mauros ſtudio ardẽs, Cęſarauguſtã duxit: vbi Abenaia regulus infirmis viribus Abderrahmani Cordubę Regis beneficiarius principatum obtinebat. expeditionis ſocius Ferdinandus Comes erat. Maurus vtriuſq; Principis armis veritus vt par eſſet, Ramiri Regis ſe vectigalem conſtituit. Eo fœdere redempta ab hoſte pax eſt, ab armiſq; diſceſſum. Barbaris fides ex fortuna pendet. Itaque noſtrorum diſceſſu, ſimul Abderrahmani metu, quem expedire arma nunciatum erat, ex nouo inter vtrumque Principem Maurum fœdere facto, in Chriſtianorum fines inuaditur. Ad Septimancas vſque penetratum eſt. ægerrimè ferebant Mauri Chriſtianos victis leges imponere, à quibus ante accepiſſent. Rex continuò obuiam barbaris factus. Prælio inſigni, & quo ea ætate nullum maius extitit, dimicatum. cæſi barbari triginta millia (alii ſeptuaginta aiunt) multa ſpolia relata. magnus captiuorum numerus. ipſe Abenaia regulus captus. Abderrahmanus cum viginti equitibus fugæ beneficio euaſit. temere effuſeque fugientes Mauros Ferdinandus Comes excepit: neque enim prælio interfuit, qua de cauſſa incertum, ſed fugientes tamen non minori clade mulctauit. Documẽto eſt diploma ea de cauſa S. Æmiliani monaſterio, quod ad Aucę montem ſitum eſt, & olim S. Felicis nomine vocabatur, à Ferdinando conceſſum. accepti beneficii partæque victoriæ monimentum. Eo diplomate pleraq; Caſtellæ oppida & vrbes ſingulo quoq; anno iuſſa ſunt, boues, triticum, vinum, lineam veſtem pro cuiuſq; agri prouentu, in eius monaſterii vſus pendere ex voto, quod Comes ad bellum proficiſcens nuncuparat. vnde præterea intelligitur, ex Cantabrię parte, ea cui Alauæ nomen eſt, auxilia Regi affuiſſe. Geminos angelos equis candidis vectos, in prima acie curaſſe, atq; eorum ope victoriam conſtitiſſe publicè perſuaſum: quod neq; contingere, neq; fingi, niſi clariſſimis victoriis ſolet, qualis illa fuit. ſummus Maurorũ Antiſtes (Alfaquinum ipſi vocant) in Comitis Ferdinandi poteſtatem eſt redactus. Ex magna formidine reſpiraſſe prouinciã viſa eſt, quam incuſſerat Maurorũ apparatus belli, ſed & prodigia in cælo viſa. Nam eodem quo pugnatum eſt anno, eius ſeculi 34. (alii quatuor 934
annos adiiciunt) Regibus Ramiro Legionis, Garſia Sanctio Pompelonis, deliquium Solis 14. (15. mallem) Kal. Auguſti, feria 6. hora integra, ſecunda poſt meridiem, denſa caligine terras inuoluit. Idibus Octobris, feria quarta, Solis lumen pallido colore eſt mutatum. hiatus in cælo viſus. ſtellæ inuſitata ſpecie ad Auſtri plagam cadentes. exuſtæ terræ occulta ſiderum vi. aliaq; numinis iracundiam portendentia. Hęc Ferdinandi Comitis diploma ait. alii ipſo quo pugnatũ eſt die defeciſſe Solem confirmant, octauo Idus Auguſti, Iuſti & Paſtoris feſto die, qui dies Lunæ fuit. Ex his ſanè rebus anxiæ mortalium mentes, hoſtiũ cladem portendi poſt factum intellexere. eo publica lætitia maior formidine procurata. Myro interea deceſſerat Comes Barcinonenſis. tres filios reliquit ætate minori, Seniofredum ſucceſſorem, Oliuam cognomento Cabretam, cui Beſaluni & Ceretaniæ principatus datus eſt, Myronem annis conſequentibus Gerundæ Epiſcopum Comitemq;. rerum procuratio propter noui Principis ætatem penes Seniofredum eius patruum Vrgeliæ Comitem diu fuit: qui gradus extitit poſteris principatus occupandi. Omnino Seniofredo patruo rempubl. gubernante anno 940. conuentus Epiſcoporũ eſt habitus ad oppidum, cui Fonti 940.
cooperto nomen eſt, in agro Narbonenſi. In eo conuentu controuerſia inter Epiſcopos Antigiſum Vrgelitanum, & Adulphum Pallarienſem agitata de finibus. ac vero de tota ditione Pallarienſis, quam ad Vrgelitanos Præſules pertinere Antigiſus diſputabat. Patrum ſentẽtia, Adulpho mortuo ſancitum, vti Pallaria vrbs ab Vrgelitano Præſule ſacra peteret: quod certiſſimis documentis probabatur olim in vſu fuiſſe. Actionũ Pręſes Arnuſtus Narbonenſis, Tarracone à Mauris occupata: cuius Præſulis partes fuiſſent controuerſias inter

vicinos Epiſcopos componere, iuraq; iis populis dicere. Seniofredo Barcinonenſi Comite defuncto, nulla ex ſe prole relicta, tametſi vxorem habuerat Mariam Sanctii Abarcę Vaſconum Regis filiam, Borellus Vrgeliæ Comes, Seniofredi alterius filius Barcinonenſem principatũ armis iniuriaq; occupauit. Nam ſi iure cur Oliua defuncti frater excluſus? Borello Armengaudus frater fuit, ſanctitatis opinione præcipua: eoq; merito cæleſtium numero adſcriptus, dicatuſq; templis. Verum hæc aliquanto poſt. Ramirus Rex ætatis flexu, ad pacis artes & religionis cultum conuerſus, ex Maurici belli manubiis Virginum cœnobium Legione conſtituit Saluatoris nomine: vbi Eluiram filiam vnicam, virginem ſacrari ex ritu Chriſtiano curauit. alterum monaſterium Andreæ nomine. tertium Chriſtophori ad Ceæ ripam. ad Durium quartum Matri Virgini ſacrum. aliud denique in Ornenſi valle S. Michaeli Archangelo. His rebus occupatum Regem noui atque inteſtini motus ad arma reuocarunt. Ferdinandus Gonſaluus & Iacobus Nunnius viri principes, nouarum rerum ſtudio, an aliqua iniuria abs Rege violati, ab eius auctoritate defecerunt. parum præſidii in factione erat. Mauri euocati Accipha Duce, quem Tormes interfluit Salmanticæ agrum vaſtant. Alia in parte Roderici armis (quem coniuratis adhæſiſſe arbitror) Amaiæ fines & pars Aſturum vexabantur. Non ſatis conſtabat cui primum malo occurrendum eſſet. in ancipiti periculo vicit ſententia Mauros, quoniam publice hoſtes erant, bello perſequendos eſſe. Ii finibus reiecti cum magna ſuorum ſtrage. Præterea ſeditionis auctores in poteſtatem venerunt: haud multo tamen poſt è vinculis, quibus Legione conſtricti aſſeruabantur, ſine alia mulctã dimiſſi: tantum ſacramento adacti denuo in Regis verba, leuioris noxæ argumentum, an regiæ in victoria modeſtiæ ſingularis. Eo bello confecto Aſturum motus vltro conſediſſe arbitror: præſertim cum Regis clementia ad ſanitatem inuitaret. Caſtellæ Comes Ferdinandus ex Vrraca vxore filiam Vrracam genuerat. magni referebat ad felicem rei Chriſtianæ curſum, fœdus inter vtramq; nationem inuiolatum ſtare. neq; id Ramirus ignorabat. pacis ergo firmandæ ſtudio, Ordonio filio, quem regni ſucceſſorem deſignabat, Vrracam cõnubio iungendam curauit haud inuito eius patre. ſub vitę finem noua expeditione ſuſcepta, Talaueram vſque in Carpetanis penetrauit. Maurorum copias obſeſſis opitulatũ aduenientes prælio vicit. hoſtium duodecim millia cæſa. ſeptem in ſeruitutem redacta. Ex ea victoria cum ſe ſatis ad auctoritatem nominis tuendam, quæ cum ætate conſeneſcere conſueuit, profeciſſe iudicaret, exercitũ ſpoliis Mauricis locupletatum reduxit in patriam. Ipſe religionis ergo Ouetum profectus, propter eius vrbis ſanctitatem corpora ſanctorum, quæ multa erant veneratum, locis natura grauibus lethali morbo concepto, cum Legionem reductus eſſet, rebus domeſticis compoſitis, abdicato regno, filioque de manu tradito, pœnitentia & Euchariſtia ex Chriſtiano ritu ab Epiſcopis & Abbatibus, qui animam agenti aderant, procuratus ſupremum diem obiit, an-
950. no nongenteſimo quinquageſimo, quinto Ianuarii die. regnauit annos decem & nouem, menſes duos, dies quinque & viginti. funus in Saluatoris cœnobium, quod ipſe conſtruxerat eſt illatum. Fuit hic annus inſignis multis oppidis aut recens conſtitutis, aut denuo inſtauratis, Vxama, Roa, Riaſa, Clunia in Areuacis, (quæ nunc Corugnia dicitur) Sepuluedam conſtituerat locis munitis Ferdinandus Gonſaluus Caſtellæ Comes, cuius maxime virtute res noſtræ ea tempeſtate nitebantur.

Ordonius Legionis Rex eo nomine tertius. CAP. VI.

RAMIRO vita functo Ordonius filius eo nomine tertius Legionis imperium adeptus eſt. magno vir animo, magna rei militaris ſcientia, domi prudentia ſingulari. vitæ breuitas, nam quinque annis tantum & menſibus ſeptem regnauit, & domeſtica calamitas effecit, ne diu præſtare poſſet qualem promiſerat Regem. Sub initia enim Sanctius frater regnandi ambitione corruptus, aut quod vero propius eſt, iniuria aliqua prouocatus, Garſiæ Sanctii auunculi Regis Vaſconum, ſed & Ferdinandi Caſtellæ Comitis arma, quos præſens adiit, in Ordonii exitium concitauit nullo fraternæ caritatis ſenſu. imperandi cupiditas, dolor iniuriæ: vtrunque impotens malum. In Legionenſis regni fines; iunctis Vaſconum & Caſtellæ copiis impetus factus. Ordonius regni ſtatu nondum firmato, neque inteſtina diſcordia ſuorum voluntati confiſus, locis natura aut arte munitis ſe tenere conſtituit, neque totius dimicationis copiam facere. hoſtes ardore cum quo venerant ſedato, & aliena ſpe ſuo periculo tandiu arma gerere ſtultum iudicantes, haud magno operæpretio redierunt in patriam. Ordonius Comitis vlciſcendi ſtudio, qui nullo propinquitatis reſpectu cum fratre & auunculo in ſuam perniciẽ arma ſociaſſet, continuo Vrraca Comitis filia repudiata, Eluiram duxit (ſic erant mores eius ætatis) vnde Veremundus natus

eſt,is cui ex aliquanto annorum interuallo,rebus mutatis regnum paternum obuenit. Calæcorum motus,Sanctii videlicet ſtudio concitati,Ordonii armis & diligentia breui pacati. & quo maius operæpretium eſſet,in eam Luſitaniæ partem,quæ Maurorum imperio parebat,immiſſæ copiæ militares. longe lateq; populationes factæ. Oliſiponem vſq; penetratum. inde in patriam reditum. Interea Ferdinandus Caſtellæ Comes in Maurorum fines inuectus, Carrāſum caſtrum Maurico præſidio depulſo occupauit. Abderrahmanus Cordubæ Rex,quamuis ætate inclinata,omnis inſolentiæ impatiens ingenti exercitu conflato, in quo octoginta millia homines numerabãtur, Alhagibo Almanſori magni nominis Duci mandat, in Chriſtianorum ditionem magno impetu inuadere. Comes ex vniuerſo imperio omnes,quorum ętas idonea erat,ad bellum conuocat: & cum minores vires copięq; eſſent quam pro imminenti periculo,anxius de belli exitu, in concilio procerum Munione (id oppido nomen eſt) de rei ſumma deliberat. Variæ dictæ ſententiæ: vti in graui metu quiſq; fere pro moribus loquitur. Pars in qua plus audaciæ inerat, bellum geri volebat: pars cõmeatu in loca munita collato ſuſtinere. dum barbarorum vires, qui impetu valent, mora conſeneſcerent. Gonſaluus Diacius inducias etiam à Mauris pretio redimendas diſputabat nulla honeſtatis,quã metus non recipit,cura. Quid,inquit, an tantis copiis & tam exercitis exiguum noſtrorum numerum obiiciemus, temeritateq; in certum exitium ruemus? an non ſentis in vnius prælii euentu diſcrimen rei Chriſtianæ verti? Nimirum in tua ditione bellũ geritur. ſi vicerimus parum vtilitatis accedet: ſi victi erimus prouinciã viribus nudatã,metu oppreſſam in hoſtiũ venire poteſtatẽ, quod horret animus, neceſſe erit. Vide ne turpe ſit vrbes & oppida tot ſeculis & tam multo Chriſtianorum ſanguine parta, vno puncto vnoq; momẽto amittere: quod poſteri non virtutẽ,ſed temeritatem interpretentur. vt fere audacia conſilia ex euentu famam habent. Atque illud conſidera, maioris ſæpe virtutis eſſe animum ratione compeſcere,quã hoſtes ferro ſuperare. In hoc magnam ſibi partem fortuna vendicat, illud magnorum virorum præcipuum munus eſt. Quid vero magis temerarium quam ſacra,patriam, vxores,liberos, penates inani laudis cupiditate in apertum & maximum periculum vocari? Tu quod fert animus id facito,etiam ego nullum ſalutis periculum tuo iuſſu ſubire recuſabo: meo tamen conſilio nunquam cum tanto reipublicæ diſcrimine totius certaminis aleam ſubibis. Comes haudquaquam ignorabat eam orationem ex ore Gonſalui à multis miſſam. vicit tamen laudis ſtudium. Itaque cum de ſuorum virtute,de diuino præſidio, de gloria parta, cui maculam inulti morte ipſa grauius arbitrabatur,longa oratione diſputaſſet, reliqui aut vero aut ſimulate ſententiam laudarent: votis rite nuncupatis obuiam hoſti Laram vſq; progreſſum,vbi Maurorum caſtra erant. Eo loco Ferdinandus Comes animi cauſa venatum egreſſus,dum aprum inſequitur à ſociis diuulſus eſt. In vicino monte ſacellum operis vetuſti erat hedera contectum: & Petri Apoſtoli nomine erecta ara. Vir ſanctus Pelagius nomine, & ſocii duo. vitæ tranquillioris genus conſectantes locum domicilio delegerant. aſcenſus difficilis erat, arcta via. fera tanquam ad aſylum in ſacellum ſe recepit. Comes loci religione tactus à vulnere quidem abſtinuit,nixuſq; genibus Dei opem venerabundus implorabat. Præſto adeſt Pelagius: & quoniam dies in noctem inclinabat,tenui cœna exceptus,in precationibus & lacrymis noctem tranſigit. Cum luce Pelagii oraculo de belli ſucceſſu edoctus hilaris ad ſuos redit, de ipſius ſalute ſolicitos. re omni expoſita,incaleſcunt militum animi ad pugnam, qui timore ſuſpenſi fuerant. Collatis mox vexillis dimicatur. ab exiguo Chriſtianorum numero numeroſa hoſtium multitudo proſtrata eſt. Dux cum iis qui ex clade euadere potuerunt, fugæ beneficio ſeruatus. Ea victoria res Chriſtiana, quę inclinata eſſe videbatur, reſtituta eſt: noſtri læti & hoſtium ſpoliis onuſti domos redierunt. Pelagio viro ſancto prædæ pars ceſſit: & procedente tempore Ferdinandi impenſa, ad ripam Aslanciæ fluminis monaſterium magnificum è bellorum manubiis excitatum S. Petri nomine: vbi Gonſalui patris oſſa tumulata ſunt. cui monaſterio Pelagii ſacellum in vicina rupe eminens coniunctumque, noſtra etiam ætate monſtratur. Vincentii Martyris corpus dempto tantum capite, atque Sabinæ & Chriſtetæ Vincentii ſororum habere ſe eius cœnobii Benedictini monachi gloriantur: alii eam poſſeſſionem ad alios ablegant. Garſiæ certe quondam eius monaſterii Abbatis, quem in ſanctorum numero reponunt, ſepulcrum eo loci monſtratur. Mauri poſt ſuperiorem cladem haudquaquã animis fracti, denuo de Caſtella cogitabant. Et Ordonius Rex Luſitanica expeditione defunctus, & vindictæ ſtudio ardens, bellum in Ferdinandum Comitem comparabat. Magno in periculo res erat. Verum Ordonii animus vt erat ad modeſtiam compoſitus, legatione Comitis facile mitigatus eſt, omnibus precibus veniam deprecantis: quę feciſſet non ſua quidem ſponte, ſed eorum potius fraude perpetrata, qui ipſius facilitate abuſi eſſent. paratum ſe imperata facere: nouiſque officiis pre-

teritam offenſam compenſare. Ingentes Maurorum copias in Chriſtianorum perniciem
comparari. debere eum priuatis affectibus atque dolori communem nominis Chriſtiani
cauſſam potiorem habere. Ea legatione non Rex conciliatus modo, ſed tantum copia-
rum adiunctum, quanto opus erat ad Maurorum impetum, qui ad Sancti Stephani oppi-
dum non ſine maleficio proceſſerant, propulſandum. pugnæ euentus noſtris proſper fuit:
magna barbarorum ſtrages. Ordonius Rex tantæ victoriæ nuncio lætus bonaque ſpe ple-
nus, nouam in Mauros expeditionem adornabat, cum Zamoræ morbo lethali oppreſſus
955. eſt anno nongenteſimo quinquageſimo quinto. Corpus Legione ad D. Saluatoris, vbi
pater tumulatus erat, in ſepulcrum illatum regio funere atque apparatu.

Sanctius cognomento Craſſus Legionenſis Rex. CAP. VII.

ORDONIO ſuperſtite, vbi gentium Sanctius frater fuerit, & an vllam reipublicæ par-
tem attigerit incertum eſt: ac ne illud quidem conſtat, fuerit ne inter fratres recon-
ciliata gratia, an perpetuo inimicitia viguerit. pudenda ſcriptorum huius ætatis incuria, lu-
ce ſæpe deſtituatur hiſtoria neceſſe eſt. Conuenit, defuncto Ordonio Sanctium nullo im-
pediente Legionis imperiũ ſuſcepiſſe. Craſſi cognomen à multo abdomine factũ. corpore
erat rebus gerendis inutili, ingenio minime malo, præſtanti animi indole, & rebus aduer-
956. ſis admirabili conſtantia. Altero regni anno, qui fuit eius ſeculi quinquageſimus ſextus,
alienato exercitu atq; tumultuanti ob ſtudia partium nondum penitus reſtincta, ad auun-
culum Regem Vaſconum confugere compulſus eſt, regnumq; relinquere ſuſpenſis incer-
tiſq; amicorum voluntatibus, multis inimicis: quorũ ſtudia in Ordonium propenſa erant
eius Alfonſi filium, cui Monacho cognomen fuit. Sanctii diſceſſu Ordonius facile regno
potitus eſt: & quo maior eſſet auctoritas, Vrracam ab Ordonio patrueli repudiatam patre
Comite concedente vxorem duxit. Erat ingenio malo prauoque: vnde illi Mali cogno-
men. & cum impotenti naturæ frę̨nos daret, quod ſemper in ſumma poteſtate exitiale fuit,
odium gentis & ex inuidia contemptum incurrit. Oblatam ex ea re occaſionem regni re-
cuperandi non deſpiciebat Sanctius: prius tamen corporis extenuãdi cauſſa auunculi Re-
gis conſilio profectus eſt Cordubam: vbi excellẽtes medicos eſſe, ac nominatim eius mor-
bi ſanandi peritos fama vulgauerat. Venientem Abderrahmanus benigne accepit. cura
adhibita, cuiuſdam herbæ (nomen non proditur) virtute, extenuata aruina corpus ad com-
petentem habitum perductum eſt. Quo maior eſſet gratia, valida Maurorum auxilia, vt in
regnum reſtitueretur, adiuncta. Glorioſum Regi barbaro erat rerũ pace & bello arbitrum
eſſe videri. Sanctii aduẽtu, æmulus ne tentata quidẽ defenſione in Aſtures fugit (tantus re-
pente Ordonium timor inuaſit) inde pari deſperatione ad ſoceri Comitis ditionem. Miſe-
ros omnium ſtudia deſtituunt. in quo præſidiũ eſſe debuit, ab eo propter ignauiam exoſus
vxore ablata finibus Caſtellæ pulſus eſt. In Maurorum ille clientelam concedens, egenus
& profugus turpem vitam exegit: ac prope Cordubam demum extinctus eſt. Eodem tem-
pore Caſtellæ arma mota ſunt, inteſtiniq; tumultus extiterunt. Vigila ex alterius Vigilæ ne-
potibus, quem Alauæ principatum tenuiſſe dictum eſt, iis locis atque in finitima Caſtellæ
parte late dominabatur. Is ætate ferox, familia, opibus & multis clientelis potens, in Ca-
ſtellæ Comitem Ferdinandum Gonſaluum arma ſumpſit. Comes vti erat omnis inſolen-
tiæ impatiens, Vigilam & ſocios victos, omnibuſq; veſtigiis inſecutus, ac nullo loco conſi-
ſtere ſinens, patria relicta ad Mauros confugere compulit. quæ res magnorũ motuum oc-
caſio extitit. Alhagibus Almanſor, an horum precibus prouocatus, an præteritæ ignomi-
niæ ſanandæ cupiditate ardens, magnô comparato exercitu in Caſtellæ fines excurrit, for-
midabilis æque ac infenſus nomini Chriſtiano. Ferdinandus de lectu ſuorũ habito, Pelagii
inuiſendi cupidus, ex itinere eius domiciliũ adiit. deceſſiſſe inuenit. ſolicito de belli euentu
ac dormiẽti Pelagii oblata ſpecies indicat victorem fore. numine fretus progrederetur ad
bellum venturi ſecurus, prę̨lio primo quoq; tẽpore decerneret. Ad Petrã Hitam cõcurſum
eſt tanto animorum ardore, quanto nuſquã ante. barbari multitudine confidebant. noſtri
cauſa, virtute, animis, & diuino patrocinio. exiguus numerus pro hoſtiũ multitudine: qua-
dringenti quinquaginta equites, pedites quindecim millia. viuida bello virtus. triduo con-
tinenter pugnatũ memorant, niſi quantũ nox temporis curandis corporibus dedit poſtre-
mo die D. Iacobus in acie viſus victoriã peperit. Hoſtes maiori quam vnquã clade oppreſ-
ſi in pugna & in fuga: biduo enim fugientes perſecuti ſunt noſtri. Hoc bello profligato ex
vniuerſa Caſtella legati principes ciuitatum, ſed & externarũ gentium gratulatum Comi-
ti pro diuino munere venerunt, vnius virtute confitentium periculo in præſens, in futu-
rum metu magno & grauiſſimo rem Chriſtianam ereptam. Legionis Rex Sanctius nobi-

liſſima

hiſſima legatione miſſa, ſecundum gratulationem poſtulabat, vt quoniam ex vniuerſo regno concilium euocare cogitaret de maximis rebus, venire Legionem ne recuſaret. Graue id Comiti poſtulatum viſum eſt, in officii ſimulatione inſidias verito, ne per fidem conuentus ab aſtuto Rege circumueniretur iniuriarum memori. nulla tamen detrectandi imperii honeſta cauſſa ſeſe oſtendebat. venturum dixit. affuit die dicta, magno procerum comitatu proſequente. Rex ipſe honoris cauſa venienti obuiam progreſſus eſt. Conuentus habitus eſt anno nongenteſimo quinquageſimo octauo. 958 In eo quid fuerit conſtitutum clam eſt. tantum memorant generoſum equum & accipitrem pari nobilitate, Regi expetenti cum dono accipere noluiſſet, ingenti pretio abs Comite fuiſſe venditos. adiecta lege, vt niſi ad certam diem optima fide appenſum eſſet, ſinguli quoque die ſumma vſuris conduplicaretur. Præterea Theraſiæ viduæ Reginæ aſtu, cum patris vlciſcendi cupiditate æſtuaret, Sanctia eius ſoror Comiti pacta eſt. Vrraca Comitis vxor defuncta erat: Sanctia apud Garſiam fratrem Vaſconum Regem. vi parum proceſſurum ſperabant. Sanctius fidem aperte fallere recuſabat. inſidias Comiti tendere, & Vaſconum perfidia pro armis vti parant. Fœderis ignarus Garſias Sanctius irruptione facta per cauſſam ſuperiores iniurias vindicandi, Caſtellæ terras populandi finem non faciebat. Comes cum rediiſſet in patriam, per legatos monere damna quæ illata erant reſarciret: ſi negligeret res ſuorum ſibi curæ fore. Ea legatione quoniam bellum denunciare videbatur, ad arma concurſum eſt. Breui, commiſſo prælio, Comes victor euaſit. quo in bello Lupus Diacius Cantabriæ regulus, vt hiſtoriæ eius gentis memorant, Comiti affuit, Eneco Ezquerra genitus, Zuriæ Cantabriæ olim Principis pronepos. Secundum eam victoriam pace facta, Ferdinandus Comes in Vaſcones abiit, vt ad nuptias inermi turma ſtipatus in pompę modum. Res lætitiam & ſecuritatem magis quam formidinem oſtentabat. Ab infido Rege, qui armatus venerat, comprehenſus eſt. Sanctiæ arte cuius amore in eam calamitatem præcipitatum erat, è vinculis liberatus, cum ea fugit in patriam. Affuere ad Caſtellæ limites in Ruegiæ ea parte agri, vbi poſtmodum Villoradum ſitum eſt, Caſtellani milites iurati non prius ſe domum redituros, quam Comes in libertatem eſſet vindicatus. Magna vtrinque gratulatio, lætitiæ ſignificatio ſingularis. Burgos vrbem cum ventum eſſet, nuptiæ celebratæ ſunt. Rex Vaſconum ſororis arte deluſus bellum comparat, neq; Comes recuſat. ad confinia vtriuſq; ditionis dimicatum eſt. Rex victus in hoſtis poteſtatem redactus eſt, anno nongenteſimo quinquageſimo nono. 959 Quo anno, Arabum imperii trecenteſimo quinquageſimo, Abderrahmanus Cordubæ Rex in extrema ſenectute deceſſit: ad quem ſub vitæ finem Sanctius Legionis Rex honeſtiſſima legatione miſſa, cuius legationis Velaſco Legionenſis Epiſcopus princeps erat, pro iure initæ olim amicitiæ petiit Pelagii Martyris corpus ad ſe mitti. id munus magni beneficii loco habiturum. Quod Abderrahmanus facere detrectauit, ac eius filio & ſucceſſore Alhaca, qui à morte patris ſedecim annis regnauit & duobus menſibus, non multo poſt eſt impetratum: pacis enim ſtudio, cui deditus erat, vicinis Principibus gratificari cupiebat. Garſias Rex Vaſconum cum Burgis tredecim menſibus in cuſtodia eſſet detentus, libertati redditus eſt. Sanctiæ lacrymæ & principum preces infenſum Comitis animum peruicere. Theraſia Regina impotenti animo fœmina, quoniam fraus in Caſtellę Comitem concepta parum ſucceſſerat, nouas inſidias comparare conſtituit: ac Sanctio filio Legionenſi Regi perſuadet, Comitem ad generales regni conuentus, quibus de ſupremis reipublicæ rebus deliberandum erat, euocare. Venit ille inuitus, quia dolum ſuſpicatur. Rex neque obuiam progreditur, vt ante fecerat, & in genua incumbentem, manum regiam de more oſculaturũ contumelioſis verbis reiectum, cuſtodiæ mancipari mandat. Ex ea re mœror & luctus ſubditorum animos occupauit. Sanctia virili animo fœmina, ingenio callido, viri liberandi cauſſa fingit ſe Compoſtellam religionis ergo adire velle. Legione vbi Comes vinctus erat, iter erat. Rex nobiliſſimæ & propinquæ fœminæ (erat enim matertera) aduentu nunciato factus obuiam, benigne accipit hoſpitio. Illa humilimis precibus inuiſendi virum petit facultatem. Nulla neq; honeſtior petitio eſſe poterat, neq; iuſtiori de cauſſa, quam viri calamitatem ſubleuandi. Datum à Rege vti ea nocte apud eum maneret. luce dubia Comes vxoris veſtibus indutus è cuſtodia emiſſus eſt: equoq; qui ad eam rem paratus erat in patriam euaſit. Sanctia mariti vicaria è carcere Regi nunciat aufugiſſe Comitem. nè quidquam in fœminam regiam & propinquam ſanguine ſtatuat. viro nullum periculum denegare fas eſſe putare. quæ feciſſet ea de cauſſa, ſi non laude certe venia digna eſſe: apud Regem præſertim, cuius præcipua virtus ſubleuandis calamitoſis oppreſſiſq; cernitur. Rex dolere primum ſua ſe ſpe deluſum: deinde animi impetu ad rationem reuocato, regiæ fœminæ pietatem admirari, animiq; conſtantiam. Demum cum multo verborũ honore eo-

laudatam ad virum ſplendido comitatu adiuncto deduci iubet. Comes ſucceſſu lætus, ta-
metſi Rex commiſiſſe videbatur vt hoſtis loco eſſet, quod pro equo & accipitre precium
pactus erat. Regem poſtulat. Summa vſuris immenſum excreuerat. cum ſolutio differ-
retur, agros Legionenſium euaſtat. neque prius malis finem facit, quam abs Rege quæ-
ſtores miſſi ſunt vt pecuniam Comiti integra fide penderent. Re ad calculos redacta, in-
uentum regios theſauros ſoluendo pares non eſſe. Conuenit vt debiti compenſatione,
Caſtella ſui iuris eſſet, neque amplius Legionenſium Regum imperium reſpiceret. Quod
965. fœdus factum affirmant à partu Virginis anno nongenteſimo ſexageſimo quinto. Quo an-
no Maurorum validæ copiæ in regni fines inuectæ Legionem obſederunt. vnde non leui
clade accepta militum qui in præſidio erant, & ciuium virtute repulſi ſunt. Ex Oceano ma-
gno nimirum ſtellarũ concurſu excitata vis flammarum ingens, in terras finitimas effuſa
& Zamorã vſq; perlata, multa oppida & agros incendio deformauit. Garſias Sanctius Va-
966. ſconũ Rex deinde obiit anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto. Reliquit ex Theraſia vxore
Sanctium & Ramirum: filias præterea Vrracam, Ermeſildam & Semenam. Quo loco de-
functi corpus fuerit tumulatum clam eſt. In Leirenſi monaſterio quidam ſuſpicantur. Al-
uendenſes ſchedæ in caſtro Sancti Stephani aiunt. Imperium Vaſconum Sanctius cogno-
mento Garſias poſt patrem adeptus eſt: & cum eo Ramirus frater, exequata duorum pote-
ſtate an diuiſa ditione incertum. decem amplius annis regnaſſe Ramirum ex Alueldenſi
conciliorum libro hac ipſa tempeſtate deſcripto ſatis conſtat: cælibem & ſine prole de-
ceſſiſſe magnæ coniecturæ indicant. Sanctius, qui ſe Pompelonis, Anagari, & Alauæ Re-
gem dixit, vt vetuſta diplomata declarant, regnauit annis viginti ſeptem, nulla re memo-
rabilis propter incuriam eius ætatis ſcriptorum: niſi quod ſatis conſtat Cantabriæ duca-
tum Vaſconum regno adieciſſe: Triciumque eius prouinciæ principem ciuitatem Can-
tabrici imperii ſedem ea tempeſtate. religioni amplificandæ deditum fuiſſe, Leirenſiq; S.
Æmiliani ad Anagarum, D. Ioannis Rupenſis monaſteriis agros & oppida inſigni libera-
litate donaſſe. Vxorem habuit Vrracam, vnde Garſias Sanctius natus eſt cognomẽto Tre-
mulus, quod initio pugnæ vehementius commoueri toto corpore ſolitus eſſet, quam is ar-
morum vſus regiaque dignitas poſtulare videretur. quod tamen naturæ vitium, præcla-
ris factis compenſare in ipſo prælio ſolitus erat: nullumque aut prudentis Ducis, aut ſtre-
nui militis officium prætermittere. Noui motus in Galæcia extiterunt, prouincia in fa-
ctiones diducta haud idoneo tempore, cum Maurorum arma laceſſerent. de cauſſa non
conſtat. Regis diligentia tumultus breui compoſiti, quibuſdam factioſis male mulctatis.
alii in Luſitaniæ partem eam pulſi ſunt, quæ Regis imperio parebat. Comes quidam Gon-
ſaluus nomine, ingenio prauo pro Rege eam prouinciam gerebat. Is exulum patroci-
nium vt ſuſciperet (erat enim partibus infectus) arma in Regem ſumpſit, atque ad Durii
ripam progreſſus eſt. Ibi cum virtute diffideret, ab ingenii calliditate præſidium petens,
humillimis precibus eorum quæ commiſſa erant veniam impetrat. Erat in omnia Regis
familiaria iura aſſuetus. In priſtinum gratiæ locum receptus, incauto Regi pomum me-
dicatum præbet: quo guſtato veneni vis per venas diffuſa vitalia ſenſim occupare cœpit.
967. Legionem deduci ſe curat. deſperata ſalute prope eam vrbem, tertio die ex quo venenum
hauſerat, extinctus eſt anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Corpus in D. Saluato-
ris illatum. regnauit annis duodecim.

Ramirus eo nomine tertius, Legionenſis Rex. CAP. VIII.

THERASIAM Sanctio Regi nupſiſſe exploratum eſt: Ramirumq; quinq; annos natum
ex ea a patris morte relictum, regnum obtinuiſſe annis quindecim. propter teneram
eius ætatem, rerum procuratio penes matrem Reginam & Eluiram (Geloirã alii ſcribunt)
amitam erat, lectiſſimas fœminas prudentia ſingulari: tameſi ſexus & ætatis deſpe-
ctu magni motus excitati ſunt. Hermigildi ſucceſſorem Siſnandum Compoſtellanum
Præſulem, cum nobilitate fretus (erat enim Menendi Comitis filius, Gundeſindi Epi-
ſcopi propinquus) eccleſiaſticos reditus & facultates turpiter conſumeret, Sanctius Rex
exauctoratum carceri manciparat: Rodeſindo Cellę nouæ Benedictino monacho in eius
locũ ſubſtituto. erat is regio ex ſanguine Guterrio Comite ex Aldara vxore natus. Siſnãdus
hoc tempore è cuſtodia elapſus, armis Compoſtellanam eccleſiam occupat, ſucceſſorem-
que vltimi ſupplicii metu perfuſum abdicare cogit: redireq; in monaſteriũ ſuum, vbi vitæ
reliquum exegit. Fœdus cum Cordubenſi Rege initum extabat: nouiſq; officiis confirma-
tum erat, cum Pelagii corpus in noui Regis gratiam Alhaca Cordubenſis Rex conceſſiſſet:
quod in monaſterio Sanctii Regis impenſa Legione extructum collocatum eſt: vti ipſi in

animo

animo fuerat, ſacris exuuiis Martyris ædem auguſtiorem facere. Id cœnobium Ioannis Ba-
ptiſtæ atq; Pelagii olim nomen prætulit, nunc D. Iſidoro ſacrum. Ea pax hac occaſione eſt
violata: Vigilæ, quem Cordubam aufugiſſe monſtratum eſt, quotidiano conuitio Mauri
ad arma contra Caſtellæ Comitem, vnde tam multæ iniuriæ extabant, excitabantur. Al-
haca Rex tametſi pacis quam belli cupidior erat, ſuorum vocibus prouocatus, numeroſo
exercitu conflato in caſtellæ fines inuaſit. Sepulueda, Gormatium, Septimancæ, Don-
niæ expugnatæ: & rerum ſucceſſu faciente animos fœdere contempto in Legionenſium
fines penetratum eſt. Zamora in eo tractu vi capta, ſoloque æquata. Quibus malis vi-
ctus Ferdinandus Comes anno altero, ſalutis nongenteſimo ſexageſimo octauo ſupre- 968
mum diem obiit Burgis. Sepultus eſt ad Aslanciæ ripam in D. Petri monaſterio: vbi in-
ſcriptiones, eius & Sanctiæ vxoris nominibus ad aram maximam cum cippis monſtran-
tur. Funus non magis apparatu ſuorum celebre fuit, quam iuſtiſſimis vniuerſæ prouinciæ
lacrimis, optimi atque fortiſſimi Principis, quo Duce tandiu Chriſtianorum res ſteterat,
interitum deplorantium. Ex duabus vxoribus filios genuit Gonſaluum, Sanctiũ, Garſiam
cognomento Fernandum: nonnulli Petrum & Balduinum addunt. Cæteris aut immatu-
ra morte ſublatis, aut poſthabitis, Garſias Fernandus patri ſucceſſit: in quo indoles erat, &
magnarum virtutum ſemina, quæ breui ad frugem peruenerunt. reliquit præterea Vrra-
cam filiam, de qua paulo ſuperius nõ ſemel mentio facta eſt. Eodem tempore Nortmanni,
qui in parte Galliæ conſederant, cui olim Neuſtriç nomen nunc Nortmanniç, Heruei Re-
menſis Pontificis opera ante aliquot annos facti Chriſtiani, cum Hiſpaniç littoribus aſſue-
uiſſent, comparata inſtructaq; numeroſa claſſe, in Calæciæ oram excurſiones faciunt. vi-
cos, caſtella, oppida incendunt. multi mortales cum alia omnis generis præda capti. bien-
nium ea calamitas tenuit. Rex ob teneram ætatem, prouinciæ defendendæ non ſatis cogi-
tationes explicabat. Siſnandus Compoſtellanus Præſul, homo armis quã infulis aptior, ra-
ptim collecta incolarum manu ad Fornellos oppidum hoſtem conſecutus in tumultuaria
pugna ſagitta ſauciatus periit ad quartũ Kal. April. anno nongẽteſimo ſeptuageſimo nono. 979
vitę exitus cõſentaneus fuit. illud in reliqua vanitate laudatur, quod Compoſtellæ mœni-
bus extruendis, ne hoſtium iniurię loci ſanctitas opportuna eſſet, diligenter operã nauauit.
Cæterũ Nortmãnos præda graues, & impedito agmine procedentes, Gonſaluus Sanctius
Comes ei bello delectus Dux, ad mare improuiſo adortus ingenti cæde proſtrauit. cecidit
Dux ipſe Gunderedus. pręda & captiui erepti. naues ad vnã captę, incenſęq;. magno peri-
culo & ſolicitudine Hiſpania liberata eſt. Cordubę per idẽ tempus Alhaca Rex defunctus
eſt anno 976. Arabum trecenteſimo ſexageſimo ſexto. Quo anno Raſis Maurus com-
mentarios de rebus Hiſpaniç Arabice à ſe conſcriptos Balharabo miſit Miramamolino A-
fricæ, eius hortatu ad ſcribendum incitatus. Alhacæ inter octo filios ætate minores atq; ad-
eo pueros Miramamolino auctore, cuius arbitrio controuerſia permiſſa eſt, cum Mauri in
Hiſpania voluntatibus diſcrepatẽt, ſucceſſit Hiſſemus annos natus decem & menſes qua-
tuor. regnauit annos triginta tres. menſes quatuor nomine tenus: cum rerum poteſtas pe-
nes Mahomadem eſſet virum induſtrium, qui Alhagibus, hoc eſt, Prorex initio dictus eſt,
regni modo procuratione conſenſu procerum eius fidei concredita: deinde Almanſor,
id eſt, victor, cum ſæpe de hoſtibus victoriam reportaſſet. Hinc inteſtini motus nati ſunt,
Rege in ignauia, otio atque voluptatibus deſidente, aliis eius nomine imperantibus. Vber-
rimis Hiſpaniæ agris, mitiſſimo cælo, clementibus accolarum ingeniis multum de animo-
rum ferocia mutatum erat, de viribus corporis detractum. neq; prius diſſidia conſtiterunt,
quã Hiſſemus paterno regno ſpoliatus eſt. Haud multo meliori loco res noſtræ erãt. molli
educatione, vt inter fœminas Regis mores deprauati erant, animi vigor laxatus. Vrraca v-
xor, quam duxit anno, 981. viri potens erat. matris & amitæ Eluiræ virginis ſacræ, quarũ 981
aliquali reuerentia vitia comprimebantur, conſilia repudiata. Aditu difficilis, verbis pro-
cax Calæcos proceres irritauit maxime, feroci hominis ingenio. Ab his gradibus ſuis con-
temptui eſſe cœpit. male cogitantibus rempublicã conturbãdi occaſio ſuppeditata eſt. A
Calæcis, vti neceſſe erat, initium rebellandi factum. Veremundus Regis patruelis, Ordo-
nii Regis eo nomine tertii filius, tumultuantibus ducem ſe præbuit ſpe paterni regni, quod
iniuria ablatum erat, armis recuperandi. Ramirus ſuo periculo à torpore excitatus tan-
dem, hoſtibus occurrit. vno & altero anno, vario ſucceſſu bellum geritur, ſciſſis regni ſtu-
diis in ambos: ad extremum æquo marte pugnatum ad Portellam Arenariam (id oppido
nomen prope Monterroſum eſt.) multi vtrinque cadunt. à neutris victoria ſtetit. ab ar-
mis ita ſecundum prælium diſceſſum, vt Calæcia in Veremundi poteſtate maneret, Com-
poſtella noui regni ſede. Pelagius Lucenſis Epiſcopus, eius vrbis Veremundi ex voluntate
Pontifex creatur, natus Roderico Comite, prauis moribus. Itaq; loco excidit. Petrus Mar-

ſorius monachus Abbaſq; virtute ſpectata, in Pelagii locum ſubrogatus eſt. hoc Pontifice templo Compoſtellano reſtituta ſunt quæcunq; iniuria ſuperiorum temporum erant ablata. Rodericus Comes filii reſtituendi cauſſa, Mauros in prouinciam euocat. miſerabilis rerum facies,& ludibrium religionis Chriſtianæ. barbarico impetu atq; armis Calæcia vehementer infeſtata. Compoſtella ipſa capta, templi paries ad terrã proſtratus. ab Apoſtoli ſepulcro temperatum, qua de cauſſa incertum: niſi quod ſatis conſtat, ſuam ſedem ſuumq; templum Iacobum Apoſtolum eſſe tutatum, & illatæ iniuriæ grauia exegiſſe piacula. corruptis inteſtinis diſſenteriæ morbus toto exercitu vagatus, magnã partem cum ingenti dolore conſumpſit. Almanſor ipſe, tantæ cladis ecqua cauſſa eſſe videretur ex quodã percontanti cum eliet reſponſum: vnum è diſcipulis filii Mariæ loco ſepultum, arrepta fuga redire in patriam cõtendit. Verum in Celtiberis ad Medinam Celinam nobile oppidum, ſimili fato conſumptus eſt. Alia parte repetitis expeditionibus Mauri multa oppida noſtris eripuere Gormatium prope Vxamam, atq; Atienſam, in Vaccęis Septimancas longa obſidione fatigatis incolis victoq; acie Ramiro Rege, cum ad diſſipandam obſidionem accurriſſet. nunquam maiori in periculo res Chriſtiana fuit ex quo reſurgere cœperat in Hiſpania, noſtris diſcordia ſciſſis, Alhagibo magni nominis Duce cuncta pro Regibus Cordubę administrante, implacabili odio nominis Chriſtiani. Compoſtellani quidem templi paries diſcedentibus barbaris Veremundi Regis, & Petri Manſorii Pontificis diligẽtia inſtauratur, & Mauricę ſuperſtitionis ſordibus procuratis, templum ex Chriſtiano ritu, ſolenni cęremonia expiatur. Petro in eius eccleſiæ epiſcopatu Pelagius Diacius ſucceſſit, ex iudice profano repente Epiſcopus factus, malis artibus viq;. & hoc deiecto, quoniam inſolentes mores erant, ſuperbæ aures, frater Vimara ſuffectus vita ſimili, ſiue proditione in flumine Minio periit. Vitio illorum temporum mores ſacerdotum in leuitatem incubuerant maxime, non in Hiſpania tantum, ſed in aliis etiam orbis terræ partibus. Romaq; ipſa, quæ caput & domicilium ſanctitatis eſſe cõſueuit, grauiſſimo ſchiſmate exagitabatur, Bonifacio, Benedicto, & Ioanne per hæc tempora, de pontificatu cõtendentibus. Morũ prauitas quanta fuerit ex Luitprando Ticinenſi Diacono, qui viſa in hiſtoriam retulit, cognoſcere licet. Vimaræ alius ex eadem familia ſucceſſor eſt datus, cuius nomen memoriæ proditum non eſt (Iſquariam nonnulli codices habent ſuſpicor falſo.) Is duobus conſanguineis, nihilo ſanior cum eſſet, Regis iuſſu carceri eſt mancipatus. Ad Ramirum redeamus, quem otium & ignauia exitiale in Principibus malum, ad vitæ exitum tenuerunt. Obiit Legione anno

982. 982. Sepultus eſt in Deſtrianæ monaſterio, quod in Ornenſi valle. S. Michaelis nomine à Ramiro auo extructum fuiſſe monſtratum eſt. vnde Ferdinãdi eo nomine ſecundi iuſſu, poſt ducentos circiter annos in Aſturicæ templum maximum migrauit. Sampyrus Aſturicenſis Epiſcopus, vnde pleraq; mutuati ſumus, hîc finem ſcribendi fecit. Progreditur Pelagius Ouetenſis Epiſcopus, qui Alfonſo Imperatore vixit. vtriuſq; fidem, quoniam pleriſque rebus interfuerunt, certiſſimam arbitramur, Sampyri maiorem.

Veremundus Podagricus Legionenſis Rex. CAP. IX.

RAMIRI obitu, regni ſucceſſio ad Veremundum eo nomine ſecundum deuoluta eſt, tum lege, cum defuncti ſine liberis Regis Veremundus patruelis eſſet, tum neceſſitate: quoniam regni partem armis occupatam obtinebat. regnauit annis ſeptendecim, neruis ęger, vnde illi Podagrici cognomentum. Priſcas leges Gotthorũ nouo edicto ſanxit: & Pontificum Romanorum reſpõſa, vt ſecundum ea ius redderetur, ſanctiſſima lege ſtatuit. Verum priuſquam huius Regis res geſtas ordine explicare incipimus, ad Garſiam Fernandũ Caſtellæ Comitẽ reuocanda narratio eſt. A quo ſatis conſtat initi principatus initio, cũ Mauris ad Gormatiũ oppidum, ipſamq; Durii ripam acie dimicatũ. cæſi profligatiq; hoſtes haud exiguo numero. Accidit in eo prælio, quod memoriæ prodendũ eſſe videtur, vt Ferdinandus Antolinus vir nobilis & religionis cultui deditus, rei diuinæ procurandæ cauſſa, quod ſemper ante pugnam facere conſueuerat, maneret in templo dũ ab aliis dimicatũ eſt. Numini quã grata eius viri pietas eſſet, miraculo indicatũ. ipſo in templo primum, deinde domi ignominiæ metu reſidente latitanteq;, eius ſpecie quidam, Genius ſcilicet bonus, inter primos fortiter pugnare viſus eſt: vt eius diei victoria Antolino potiſſimũ tribueretur. recẽtia vulnerũ veſtigia, & ſanguinis maculæ in equo & in armis inuenta miraculum confirmarunt: req; omni prodita, Antolini innocentia virtuſque illuſtrior euaſit. Garſias Comes hoc profligato bello, duas vxores duxiſſe memoratur, priorem Argentinam nomine, formę dignitate captus, quam pater nobili loco Francus Compoſtellam religionis cauſa, ipſam & matrem ducebat. Sexto à nuptiis anno, cũ vir ex morbo decũberet, initi cõiugii

tædio

tædio, an patriæ cupiditate procerem quendam Francum à Compoſtella redeuntem in Galliam ſecuta eſt. Sic noſtrates hiſtoriæ affirmant. Garſias Comes Egidio & Ferdinando viris principibus, reipublicæ procuratione demandata, in eam Galliæ partem mutata veſte contendit, vbi Argentinam morari exploratum habebat. Erat Argentinæ priuigna nomine Sanctia, ex priuata, vt fit contentione nouercæ infenſa. Ab hac ſpe nuptiarum iniecta, ſiue fœminei ingenii leuitate, Comiti aditus in ædes prębitus. Argentina & adultero in ſtrato obtruncatis Garſiam in Hiſpaniam ſecuta eſt. Nuptiæ magno apparatu & gratulatione Burgis celebratæ. Pleriq; totius huius narrationis fidẽ eleuant, & Garſiæ vxorẽ Oniã dictam affirmant S. Saluatoris Onię argumẽto, quod monaſterium de vxoris nomine memorant à Garſia Fernando Comite Caſtellæ conſtitutum. alii Abbam, vt ſepulcrorum ad Aslanciã & Cardeniã vetuſtę inſcriptiones oſtendunt. verum quis certo diſpiciat? nos tantam varietatẽ admirari magis, quam quid potiſſimũ ſequeremur habebamus. Neq; multo maiori fide traditur Maurorũ irruptione, quo tẽpore Comes abfuit, cum Burgos vſq; progreſſi eſſent. S. Petri Cardeniæ monaſteriũ euerſum, monachos trucidatos: quod alii ante centũ annos cõtigiſſe ponũt. niſi fortaſſis bis eadẽ calamitas extitit. In Riuogia oppido Boſca, Nunilo & Alodia ſorores germanæ, ob fidei cõſtantiam ferro occubuere. corpora Bononiã, quæ vrbs in Gallię Ciſalpinę parte eſt, tranſlata fuiſſe nõnulli affirmãt: reſiſtunt alii, vti ante dictũ eſt. Pręterea Victor in oppido Ceroſo Burgenſis agri natus, & Euroſia virgo ſimili ſupplicio cõſumpti. Euroſiæ corpus ad Iaccam vrbẽ in Lacetanis, Victoris ſepulcrũ in municipio Villorado colitur anniuerſariis ſacris. Barbari enim hac tẽpeſtate, non cũ hominibus tantũ bellum gerere, ſed cũ cælo etiã, & Chriſtiana ſanctitate dimicare videbãtur. Neq; deerant viri, fœminę pręſtãti magnitudine animi, qui ſe pro religione patria in certamen offerrent, ſuoq; ſanguine veritati ſuſceptæ darent teſtimoniũ præclarum. Efferæ gentis immanitatem atq; arrogantiam ſeueriſſimis ſuppliciis diuinum ſæpe numen vindicabat. & ferme vbi impietatis exemplum, ibi animaduerſionis documentũ deterrendis impiis, piis confirmandis extabat. vti Alcorrexi Hiſpalenſi Regulo accidit eadẽ tempeſtate. Is Ordonio Rege per Luſitaniæ fines in Calęciam inuectus, Compoſtellam vrbem euertit in Calæcis primariam auguſtamq; ipſa loci ſanctitate. impii auſus continuo cælitus vindicati. Morbi lues repente exorta graſſataq; omnem exercitum conſumpſit. perpauci incolumes redierunt in patriam, diuinæ vindictæ præcones, teſtes deformes acceptæ calamitatis. Eo periculo ſublato nouæ calamitates extiterunt: atq; adeo vt nullæ maiores ex quo reſurgere cœpit Hiſpania. Væcordi Principum diſſidio Ordonii Regis & Garſiæ Comitis, in quibus præſidium eſſe rebus aſperis debuit, in ea mala pręcipitatum. Cordubę Mahometes Alhagibus Iſſemi Regis nomine, arbitratu ſuo rẽ Mauricã adminiſtrabat, magni nominis Dux, bello paceq; prudentia ſingulari. Erat is ſtudio incenſus nominis Chriſtiani opprimendi. graue erat piorum imperiũ in Hiſpania proferri, vires Mauricas conſeneſcere, ludibrioq; gentis nomen eſſe ægro animo atq; incenſo faces addebat Vigila, is quẽ Ferdinando Gonſaluo Comite ad Mauros profugiſſe monſtratum eſt, nulla patriæ religionis cura, præ vtilitate priuata, pręq; ſtudio vindictæ. Contractis Maurorum copiis, adiunctaq; Chriſtianorũ manu, quæ Vigilæ auctoritatem ſecuta erat, in Chriſtianorũ terras inuadit. Durioq; tranſmiſſo, qui fluuius vtriuſq; nationis extremus limes diu fuit, (vnde locis Extremaduræ nomen in aliam partem conſequenti tempore deriuatum) ad Aſturæ fluminis, quo Legio in Aſturibus alluitur, ripam caſtra poſita. Veremundus viribus impar raptim collecto exercitu, improuiſo in hoſtes impetum facit, neglectis cuſtodiis, & omnia magis quam noſtrorum aduentum expectantes. irrumpitur in caſtra. tumultus perſimilis pugna fuit. plerique inermes cadunt. Vt quemq; fors cõglobauerat, Maurorum turma pro caſtris aut inter impedimẽta dimicabat. alii fugere, alii arma capere. magna pars vulnerati aut occiſi ſunt. Rem inclinatã & periculo proximã Maurus Dux prudẽtia reſtituit. in diuerſa parte aciẽ ſuorum inſtruit. induciq; in Chriſtianos. Hoſtium illi impetum non tulerunt totis caſtris palantes, exiguo numero, & longo pugnæ labore defatigati. Conuerſa repẽte belli fortuna qui viciſſe videbãtur, fugę ſe mandant. Inſiſtunt barbari fugientiũ tergis. pauci integri, magna pars cõfecti vulneribus Legionẽ tenent: veniſſetq; ea vrbs in hoſtium poteſtatẽ, ni propter anni tempus hibernum frigoris & pluuiarũ iniurias ab obſidione recedere cõpulſi eſſent magna gloria parta, ſpoliis & pręda onuſti, certiq; bellum repetere cum primũ ſe anni tempus aperuiſſet. Veremundus Rex periculo permotus, neq; ſatis vrbis munitione confiſus Sanctorũ reliquias, Regumq; corpora, ne hoſti ludibrio eſſent, Ouetũ transferenda curauit. Ipſe eodẽ ſe contulit: Legionis muniendę defendendęq; Guillelmo Gonſaluo Comiti cura demandata. pugnatũ ad Aſturã eſt anno nongẽteſimo octogeſimo quarto. Quo anno Myro Gerundẽſis Epiſcopus, Myronis Comitis Barcinonẽſis filius ſupremũ diẽ obiit. Mauro-

rum præterea valida manus per eum terrarum tractum vagata (tantus belli ardor inceſſerat) Borellum Myronis patruelem ad Moncadam arcem acie ſuperarunt. è noſtris ſupra quingentos deſiderati. reliqui cum Borello Comite Barcinonem ſeſe ex fuga receperunt.

985. Proximus annus nongenteſimus octogeſimus quintus inſignis fuit duorum principũ vrbium caſu, Legionis & Barcinonis. Barcino Kalend. Iuliis, feria quarta, Indictione tertia, à Mauris obſeſſa, iis qui Borellum acie vicerant, capta eſt eius menſis die ſexta. plerique ciues Cordubam in ſeruitutem abacti. breui tamen Barcino ad Chriſtianorum ditionem reuocata eſt, cum Borellus priuſquam caperetur ex ea vrbe elapſus, ad colligenda auxilia Minoreſæ & vicinis locis delectu habito, iuſtum exercitum conflaſſet. Supremum diem octo poſt annos obiit, Raymundo & Armengaudo ex duabus vxoribus Ledgardi & Aymerudi relictis. Raymundo Barcinonis principatum teſtamento legauit: Armengaudum Vrgeliæ Comitem eſſe voluit, Armengaudorum nobiliſſimæ familiæ in Catalaunis conditorem: quæ bello ſpectatos Duces cõſequenti tempore haud exiguo numero dedit. Legionem Mahomad Alhagibus numeroſo conflato exercitu denuo petiit, propoſiti tenax, & ſuperioris belli ſucceſſu ferocior quam antea. Annum ferme circumſeſſa ea ciuitas eſt. muris cõtinenti ictu machinarum quaſſatis, ad Occaſum & Meridiem aditus ab hoſte patefactus eſt. Quantum in vnius viri virtute præſidii ſit, Guillelmi Præfecti exemplo cognitum eſt: qui continenti tot menſium labore, viribus fractus ex morbo cum decumberet, periculo renunciato lectica ſe ad eam muri partem deferri iuſſit, vbi maxime laborabatur. Suos hortatur vti magno animo reſiſtant: fugæ locum ne ignauis quidem fore: armis ſalutem, patriam, religionem, libertatem, coniuges, filios tuendos. Niſi defenſa vrbe, quæ ſpes irritatis continenti labore hoſtibus, nullo perfugio? Sæpe à paucis æquo campo Chriſtianis impiorum multitudinẽ profligatam. Cælitum opem inuocarent. idoneo tempore haud dubie affuturam. His verbis confirmati milites triduo hoſtes aditu prohibuere. poſtquam iis diebus exactis captam vrbem Pręfectus, ſeque cum paucis relictum videt, memor virtutis priſtinę, memor nominis Chriſtiani, in confertiſſimos hoſtes rapitur, ibiq; pugnans cadit. barbari ſuorum cæde & temporis diuturnitate incitati, nullo neque ætatis neque ſexus diſcrimine in multitudinem ſæuierunt. Vrbs direpta, euerſaque mœnia, & propugnacula ad terram proſtrata. Eandem calamitatem Aſturica paſſa eſt, Valentia Campeſtris. S. Facundi monaſterium, Gordonium, Alba, Luna, aliaque oppida & pagi, qua incenſa euerſaque, qua vi capta atque direpta. Eodem belli impetu in Caſtellæ finibus Vxama, Valeranica, Atienſa expugnatæ, incendio & direptionibus deformatæ. Neque reſiſti poterat. tantus furor Chriſtianorum animos inuaſerat, vt cum tantum externi belli eſſet, conuerſo in ſe ferro vecordes atque amentes rem Chriſtianam inteſtinis diſſidiis conficerent. Nam ſequenti mox anno ſeptem nobiliſſimi fratres Laræ reguli (vulgo Laræ Infantes dicimus) Roderici Velaſquii perfidia perierunt, nullo propinquitatis reſpectu: erant enim ex ipſius ſorore nati, nomine Sanctia. Paternum genus ad Caſtellæ Comites & Didacum Porcellum referebant. ex cuius filia, vt ſuperius eſt demonſtratũ, & Nunnio Belchide, præter Nunnium Raſuram Comitis Garſiæ Fernandi proauum, Guſtius Gonſaluus natus eſt. Ex hoc Gonſaluus Guſtius Salarum Laræ regulus, pater horum ſeptem fratrum. qui ſeptem fratres non magis in Hiſpanica hiſtoria virtutis fama, quam infelici exitu nobiles fuerunt. Eodem die à Garſia Comite militiæ honore donati ſunt, more & cæremonia per ea ſecula inter Chriſtianos ſolenni. Accidit vt Rodericus Velaſquius Byllareni regulus vxorem nomine Lambram ex Virueſcano tractu duceret, principi loco fœminam. nuptiæ Burgis celebratæ affuit Garſias Fernandus Comes, & ſeptem fratres cum patre Gonſaluo Guſtio. Exarſit non magna de cauſa rixa inter Gonſaluũ natu minimum inter frates, & Lambræ propinquum Aluarum Sanctium, haud memorabili euentu: niſi quod Lambra ea iniuria violatam ſe eſſe interpretata, ad Barbadillum oppidum, quo honoris gratia deducta à fratribus erat, vindictæ ſtudio mandauit ſeruo vti cucumerem ſanguine delibutum in Gonſaluum iactaret: quo facto atrox iniuria Hiſpanorum more continebatur. Seruus in ipſo Lambræ ſinu trucidatus. Rodericus Velaſquius de tota re factus certior, nam aberat reipublicę procurandę cauſſa, iniuriæ impatiens & vxoris conuitio fatigatus, de vindicandis fratribus cogitare cœpit. Optimũ viſum eſt in pacis & beneuolentię ſimulatione, quo nihil eſt exitialius, inſidias tendere. In primis Gonſaluus Guſtius Cordubam legatur per ſpeciẽ pecunias exigendi, quas Rex barbarus erat pollicitus: re vt procul à patria interficeretur: quod litteris Arabice ſcriptis Regem vt faceret deprecabatur. Ille viri caniciem miſeratus, an humanitatis reſpectu, ab innocentis cęde abſtinuit, carceri mancipare ſatis habuit. liberior cuſtodia erat, & Regis ſorori ad vinctum patebat aditus: ex qua conſuetudine Mudarram Gonſaluum natum memorant, Manricorum familiæ in

Hiſpa-

Hiſpaniæ nobiliſſimæ parentem auctoremque. Gonſalui calamitate haud ſatis ferox Roderici animus mitigatus eſt. ad Almenaram in Arauianæ campis ad Gauni montis radices, quæ forſitan Antonino Barbariana fuit, in diſpoſitas Maurorum inſidias ſeptem fratres per ſpeciem Maurorum fines inuadendi, ſecutos inducit, vt nullo tali metu ſecuros. Tametſi Nunnius Sallidus, quo inſtitutore educati erant, fraudem ſubodoratus, in exitium feſtinãtes morari conatus eſt, fruſtra cum fata vrgerent. ducenti equites ſequebãtur, impar Maurorum numero manus. Itaque ab hoſtibus circumuenti, cum multos ipſi peremiſſent, atq; illud in primis cauerent ne inulti animam ponerent, neu capti ſuperiorem gloriã & generis nobilitatem ſeruitute fœdarent: fortium virorum more pugnantes, cruentam atque luctuoſam victoriam barbaris reliquere. ipſi ad vnum cecidere cum Sallido pædagogo. Cæſorum capita fratrum Cordubam miſſa, gratum Regi barbaro munus, ſeni patri triſte ſpectaculum: cum fluentia tabo oculis explorare & cognoſcere iuſſus eſſet. nõnullo vt in malis commodo: ſucceſſit enim ex ea re Regis humanitas, dimiſſusq; in patriam eſt. Stupro genitus Mudarra, cum quartumdecimum ætatis annum natus, agẽte matre ad patrem abiiſſet, Roderici nece fratrum iniuriam vltus eſt. Lambra penes quam maior culpa erat, lapidibus obruta igneq; conſumta. Ea fratrum vindicta, Sanctiæ nouercæ, & vero gentilium ſuorum gratiam promeruit, vſq; eo vt paternæ ditionis hæres fuerit inſtitutus, addita etiam Sanctiæ nouercæ adoptione, cuius hic ritus fuit, rudis quidem ſed inſignis. Quo die noſtra ſacra ſuſcepit, & balteo militari donatus à Garſia Fernando Comite Caſtellæ eſt, nouercæ ampliſſimi induſii manica acceptus, collari etiam induſii capiti inſerto, additoque oſculo in familiam tranſiit. Ex eo more vulgare prouerbium manauit, Ingreſſus manica, collari tandem egreditur: de eo qui ad familiaritatem admiſſus maiora ſibi indies ſumit. Mudarræ filius Ordonius fuit, nepos Iacobus Ordonius à Lara, is cum quo Ariæ Gonſalui filii, vt patriam perduellionis crimine liberarent, quaſi publico conſilio Rex Sanctius à Vellido Ataulpho venabuli ictu confoſſus eſſet, ex prouocatione dimicarunt. Iacobi Ordonii filius fuit Petrus, Vrracæ olim Reginæ amoribus nobilis, nepos Amalaricus à Lara Molinæ regulus, vnde Manricorum gens, & Regum Luſitanorum maternum genus, Malfada Amalarici filia, Alfonſi Luſitaniæ Regis eo nomine primi coniuge. Verum de his aliquanto poſt ſermo recurret. Ad D. Petri Aslantiæ intra monaſterii ſepta, Mudarræ ſepultura monſtratur. de ſeptem fratrum tumulo, eius cœnobii, & S. Æmiliani Cucullati monachis lis eſt, nullo arbitro qui litigantes componat. Quieſcebat feſſa malis Hiſpania, magiſque facultas deerat, quam voluntas tumultuandi. tandiu quies ſtetit, donec ſeptimo demum anno ex quo Laræ fratres interempti ſunt, ſalutis nongenteſimo nonageſimo tertio, Mauri noua 993.
expeditione ſuſcepta, Luſitaniæ terras vaſtarunt: atque ea parte in Calæciam inuecti, Compoſtellam vrbem vi expugnarunt incenderuntque. ne ab ipſo quidem Iacobi Apoſtoli ſepulcro impia ſæuitia temperaſſet, ni repentinus fulgor excitatus diuinitus impios conatus repreſſiſſet. templi tamen campanæ, vt de ſuperatis Chriſtianis trophæi inſtar eſſent, Cordubam ablatæ, diu in ſummo Maurorum templo lampadum vſum præbuerunt. Conſecuta mox diuina vindicta, qua diſſenteriæ morbo, qua peſtis lue, qua Veremundi gladio conſumpti nouiſſimum agmen carpentis, & locis omnibus in reditu prementis. pauci in patriã incolumes redierunt. vniuerſæ etiam expeditionis ductor euaſit Mahomades Alhagibus: qui toties impune Chriſtianorum fines inuaſerat. Eodem anno Rex Vaſconum Sanctius Garſias defunctus eſt. Succeſſit Garſias Sanctius cognomento Tremulus, vt eſt ſuperius indicatum. Regnauit annis ſeptem, laude bellica clarus, ingenio liberali, ac vero in largitiones profuſo: quarum niſi modus adſit, in perniciem vertuntur fonte ipſo, publico ærario exhauſto (vti Sanctio accidit) & neceſſitudine impoſita eius ſupplendi cauſſa, noua vectigalia imperandi. In S. Æmiliani tabulariis huius Regis diplomata extant: quibus quanta fides tribuenda ſit, quiſque ex ſuo iudicio ſtatuat. Inde intelligitur Sanctio fratrem fuiſſe Gonſaluum, & cum Vrraca matre Aragoniæ regnum tenuiſſe. quæ ſi vera ſunt, aut temporarius principatus fuit, aut eo ſine prole defuncto ad fratrem & poſteros imperium rediit. Omnino Veremundus Legionenſis Rex clade Maurorum lætus, atque ex ſuperiori ſucceſſu cogitans ſi Chriſtianorum arma, quorum ex diſcordia tantæ calamitates natæ erant, in vnum fœdus & quaſi corpus conſpirarent, rem Mauricam opprimi poſſe: miſſis legationibus, Vaſconum Regem & Caſtellæ Comitem Garſiam ad ſociãdas vires ſolicitauit. Debere eos communi Chriſtiani nominis periculo moueri, & iniurias, ſi quæ priuatim exiſterent, patriæ ſaluti condonare. Nefarios barbaræ gentis conatus communibus armis vindicarent. Iis legationibus atque poſtulatis iuſtiſſimis vterque Princeps facile annuit. magnis delectibus ex tribus nationibus, numeroſus exercitus collectus eſt. Rex Vaſconum abfuit, noui ſcilicet regni rebus componendis diſtrictus. Veremundus Rex, tametſi neruis æger

erat, lectica delatus, & cum eo Garſias Comes, aduerſus Mauros profecti ſunt. quos ſu-
perioris cladis ſanandæ cauſſa, nouas copias conſcribere, atque Corduba egreſſos eſſe
nunciatum erat: & Calæciæ agris vaſtatis, direptis oppidis in Caſtellam impetus vertebą-
tur. Ad oppidum Calacanaſorium ad Caſtellæ & Legionis confines ſitum, caſtra caſtris
collata. acre prælium fuit. noctis caligine dirempta pugna eſt. multi ex vtraque parte ceci-
derunt, dubia victoria, niſi quod Mauri per occultam teſſeram ſequenti nocte profectione
denunciata, peiora tuliſſe, ac vero noſtrorum virtute eſſe ſuperatos confeſſi ſunt, cum fugę
ſimilis profectio eſſet: quod ſpolia in caſtris relicta & ſtrages rerum feſtinandi ſtudio, toto
itinere abiectarum magis etiam declarabant. Tanta Alhagibi Ducis impatientia, vt ex rei
malè geſtæ dolore, in valle Begalcoraxo obſtinata inedia vitam finiiſſe feratur anno non-
998. gentelimo nonageſimo octauo: cum rem Mauricam procuraſſet pro otioſo Rege & igna-
uo totis viginti quinque annis. vir acer, minimeque otium patiens bis & quinquagies in
Chriſtianorum ditionem armis inuaſit, ſæpe victor. Qua die ad Calacanaſorium pugna-
tum eſt, quidam piſcatoris habitu Cordubæ ad Bætis ripam tanta locorum longinquitate,
ceciniſſe fertur, voce flebili, nunc Arabica, nunc Hiſpanica lingua modos mutando: Ad
Calacanaſorium amiſit Almanſor tympanum. vnde in ſpecie hominis à genio malo victo-
riam euulgatam ſuſpicati ſunt: præſertim inter manus effugiente vmbra, cum ciues Cor-
dubenſes tenere conarentur. Corpus defuncti Medinam Celinam delatum. Succeſſit an-
no Arabum trecenteſimo nonageſimo tertio, ipſo quo defunctus eſt pater, in regni procu-
ratione filius Abdelmelicus: tenuitq; gentis principatum ſex annis & octo menſibus. Quo
ex tempore Maurorum regnum, quod Mahomadis virtute ſteterat (tantum in vnius viri
capite opis plerunque ſitum eſt) in occaſum aperte cœpit inclinare. inteſtina diſſidia ma-
gnorum imperiorum labes, exitio fuere. Abdelmelicus otii quam belli cupidior, fatalis
diſcordiæ ſemina, quæ comprimi debuiſſent negligere viſus eſt. aggreſſus quidem à mor-
te patris bello Chriſtianos laceſſere, magnum terrorem incuſſerat: Legioneq; quidquid
ex ſuperiori excidio remanſerat, aut noua cura inſtauratum erat, Abdelmelici impetu di-
ſturbatum. lætior tamen principiis, quam exitu ea Mauris expeditio fuit. Garſię enim Co-
mitis aduentu terga vertere compulſi ſunt: atque numero imminuto in patriam exacti.
Tanta deinde deſperatione, vt à cogitatione belli inferendi, Abdelmelico rerum potiente
ceſſatum fuerit. Noſtris rei bene geſtæ fructus ſyncerus non fuit, annonæ anguſtia, quam
pluuiarum malignitas attulit grauiſſimam. Gudeſteus Ouetenſis Epiſcopus, tertio iam an-
no in vinculis erat iuſſu Regis, nimirum credulas aures præbere ſoliti prauorũ hominum
criminationibus. Ea res in religionem à populo vertebatur. viri ſancti, innocentis Epiſco-
pi calumniam interpretabantur præſenti malo lui: & niſi mutarent, peſtis luem futuram
ominabantur. res ad ſeditionem ſpectabat. Nam multitudo religione imbuta facilius ſa-
cerdotibus quam regibus paret. emiſſus ergo Gudeſteus è carcere eſt. Annum qui à Chri-
999. ſti ortu fuit nongenteſimus nonageſimus nonus, annonæ caritate fœdum, Veremundi et-
iam Regis obitus inſigniuit. ad Beritium oppidum podagræ doloribus, quibus diu obno-
xius fuerat, oppreſſus eſt. ſepultus in Villabona, inde Legione poſt annos viginti tres in
Ioannis Baptiſtæ æde tumulatus eſt. Duas vxores habuit, Velaſquitam & Eluiram. Velaſ-
quitam licentia illorum temporum magis, quam ex Chriſtianæ legis permiſſu, repudiauit,
ſuſcepta ex ea filia Chriſtina. ex Eluira Alfonſum genuit & Theraſiam. Iunior ex duabus
ſororibus ſtupri conſuetudine Ordonium & Eluiram & Sanctiam. Chriſtina filiorum Or-
donii natu maxima Ordonio nupſit, cui cognomen Cæco fuit, ex regio ſanguine. Ex hoc
coniugio Alfonſus, Ordonius & Pelagius nati ſunt, præterea Alfonſa vxor Pelagii cogno-
mento Diaconi. Pelagius Froilæ Regis eo nomine ſecundi nepos fuit ex filio notho Froila.
Ex Pelagio & Alfonſa Petrus, Ordonius, Pelagius, & Nunnius, atq; Theraſia prognati: vn-
de Carrionis Comites bello ſpectati Duces, domi atque militiæ clari prodierunt, quod
alio loco explicandum eſt. ad rationem temporum redeamus. Pelagius Ouetenſis, Lucaſ-
que Veremundo tribuunt, quæ de Ataulpho Compoſtellano Epiſcopo ſuperius comme-
morata ſunt, feroci tauro obiectum, incolumem euaſiſſe. nobis Compoſtellanæ hiſtoriæ
potior fides: & mutata tempora indicio erat, nullum Ataulphum nomine per hos annos
Compoſtellæ Epiſcopum fuiſſe.

Alfonſus eo nomine quintus Legionenſis Rex. CAP. X.

ALFONSI minorem ætatem Melendus Gonſaluus Calæcię Comes, eiuſque vxor no-
mine Maior, Veremundi patris iuſſu gubernandam ſuſceperant, regiiſque moribus
imbuendam. Alumno cum quinque annos natus eſſet, Rege renunciato, rempublicam

eximia fide procurarunt: ſic pater moriens teſtamento mandauit, ſic omnes regni ordines ſanxerunt. ætate confirmata quo maior eſſet auctoritas, & operæpretium educationis tutelæque conſtaret, eorum filia nomine Eluira Regi connubio iuncta eſt: vnde Veremundus & Sanctia nati. Regnauit annis viginti nouem. Altero regni anno, qui ab ortu Chriſti ſecularis maximus fuit, Sanctio Tremulo Vaſconum Rege defuncto, ſucceſſit filius ex Semena vxore (hallucinantur qui Conſtantiam, Eluiram, aut Stephaniam dicunt) patri cognominis Sanctius: quem Sanctius Leirenſis Abbas in minori ætate optimis præceptis excoluit, & omni liberali doctrina informauit. Regnauit annis quatuor & triginta, iis virtutibus inſignis, quæ illi Maioris cognomen pepererunt. præcipua felicitate vniuerſam Hiſpaniam, quam late Chriſtianæ ditionis fines extendebantur, ſub vnum ferme imperium reuocauit: tametſi non optimo conſilio, tributum in partes maieſtate & viribus imminutis, filiis reliquit. Vtriuſque Chriſtiani regni quantum quietæ res erant, eorũ prouidentia qui ad reipublicæ gubernacula ſedebant, tantopere Caſtellæ arma primum hac tempeſtate mota ſunt, deinde Maurorum gens vtraque inteſtinis diſſidiis tumultuata agebatur in pręceps. Sanctius Garſias ab auctoritate patris Garſiæ Fernandi Comitis diſceſſit, incertum qua de cauſſa. praui homines ingenio nunquam deſunt alternis criminationibus diſcordiæ flammam excitantes. Forte Sanctius paterni imperii diuturnitate feſſus, tantum facinus eſt aggreſſus, graue arbitratus paucos annos, quot in illam ætatem cadere poterãt, expectare. Ad arma ventum: ſciſſiſque gentis ſtudiis inter patrem & filium, vires imperii debilitatæ ſunt. Ea res Mauros non latuit: prouinciam eſſe in armis, diuiſam nobilitatem, diuiſum populum, ſuas vtrique parti clientelas. Nihil propius factum quam vt pars cum parte confligeret. id ne accideret Maurorum aduentu factum. Eo impetu, Abula tardis principiis ab excidio reſurgens, euerſa denuo eſt. Clunia & Gormatium in Vxamẽſi agro eandem cladem pertulere. In magno periculo res erant: neque externo tamen metu commota factionis ſtudia remittebant. Garſias Fernandus clade ſuorum prouocatus, cum parte hoſti procedit obuiam. atrox dimicatio fuit. victus Comes in hoſtium poteſtatem venit, iis acceptis in pugna vulneribus ex quibus obiit. tenuit Caſtellæ principatum octo & triginta circiter annos: rerum geſtarum magnitudine & gloria patri non impar. fortuna vitam eripuit, nominis famam & claritatem non eripuit. Corpus ingenti ſumma redemptum in Cardeniæ monaſterio D. Petri tumulatũ. pugnatum eſt anno milleſimo ſexto. Garſiæ filia fuit, Vrraca nomine in Coſmæ & Damiani monaſterio ad Couarruuias municipium virgo ſacra. Id monaſterium à patre Garſia ſua impenſa ab imo totum extructum, ampliſſimis prædiis, opimis reditibus locupletatum, multaque veſte pretioſa exornatum ea lege eſt, vt ſi quæ virgo ex ipſius poſteritate nuptias reſpueret, eius monaſterii reditibus vitam ſuſtentaret. Sanctius Garſiæ filius, extincto patre in principatu ſucceſſit, hac vna iniuria, quod à patre defecerit, & acceptæ cladi occaſionem præbuerit, infamis. cætera pius, magniſque corporis & animi virtutibus. Cordubæ eodem tempore Abdelmelicus Alhagibus obiit. ſucceſſit in magiſtratu Abderrahmanus, ingenio prauo ignauoque: quem ignominiæ cauſſa vulgo Santiolum vocare ſoliti erant. hoc intra quintum menſem ſublato, Mahomad Almahadius correptis armis Hiſſemum Regem otio torpentem, ſagina inutilem, neque ſua virtute ſed aliena ope ſtantem cepit: & occiſum prædicans alio ei ſimillimo iugulato, regnum inuaſit Arabum anno quadringenteſimo. Almahadium, Hiſſemi propinquus Zulema ex Africa veniens factionis copiis, & Sanctii Caſtellæ Comitis viribus adiutus, prælio ad Cordubam vicit. quinque & triginta Maurorum millia ceciderunt, robur exercitus Maurici, vnde ruere in præceps cœpit. Sanctii Comitis virtute & induſtria potiſſimum victoria conſtitit. Almahadius intra vrbem incluſus, quod ad ſupremos caſus remedium prouiderat, Hiſſemum ex latebris vbi vinctus fuerat, in lucem produxit, hortatus vt legitimum imperium externo atque inimico præferrent. Præoccupati metu ciuium animi, hortationes eius & monita reſpuebant. Itaque vrbe relicta æmulo, Toletum fuga abiit. pro Almahadio, Almaharius Alhagibus conſtitutus erat. Is aduerſus Chriſtianorum vires, à Chriſtianis auxilia petiturus, Catalaunos ſupplex adiit. Omnibus precibus, vt vires conferant, orat. nauatæ operæ ingentia præmia proponit. Raymundus Barcinonenſis & Armengaudus Vrgeliæ Comites cum valida ſuorum manu barbari fidem ſecuti, ſe iis copiis adiunxerunt, quas interim Almahadius Toleti & vicinis locis conſcripſerat numeroſas & validas. Nouem Chriſtianorum millia ſub ſignis erant, Maurorum quatuor & triginta. ad Acanatalhacaram quadrageſimo ab vrbe Corduba lapide (nunc Albacarum oppidum, decem & ſex paſſuum millibus Corduba diſtat) caſtra caſtris collata. graue & anceps prælium fuit. vtraque cornua vicerunt. Zulema & Sanctius initio multos ex hoſtium numero peremerunt. In his Arnulphus Auſæ, Actius Barcinonis, Otho

Gerundæ Pontifices,quod nefas erat & dedecus pro barbaris viros ſacratos bellum gere-
re,in primo conflictu ceciderunt. ipſe Vrgeliæ Comes peremptus eſt. Almahadius rem
ſuorum inclinatam virtute reſtituit, victoriamque hoſtibus de manu eripuit. Victus Zu-
lema Aſafram primum aufugit: deinde loci munitione diffidens longinqua fuga ſe tegere
1010. conſtituit. Anno Arabum quadringenteſimo quarto,ſalutis milleſimo decimo, regnum
Almahadio ceſſit:tametſi Alhamerii ex voluntate cuncta procedebant,belli pacisq; con-
ſilia.haud diuturnum imperium fuit.Nam Raymũdo Barcinonenſi in quo præſidium erat,
profecto Alhamerii proditione occubuit,Hiſſemus tot annorum Rex in regnum reſtitu-
tus.Alhamadii caput ad Zulemam miſſum(ad Citauam oppidum,quorſum res motæ eua-
derent,expectantē)ſi forte hoſte ſublato,Hiſſemi Regis,pro quo arma ſuſcipere viſus erat, 1
imperium agnoſceret. Verum is regnandi ambitione exæſtuans.cuius dulcedinem pregu-
ſtarat,fallax bonum.blandaque ſpecie ingentia tegens mala,vires vndique contrahebat,
prædasque identidē de finitimis agebat. Abenhumeiæ factio in Zulemam propenſa, Hiſ-
ſemi opprimendi conſilia agitabat.feciſſetq; ni indicio facto inſidiæ vitatæ eſſent.Zulema
ea ſpe deiectus,à Sanctio Comite pro iure initæ olim amicitiæ auxilia ſubmitti poſtulat.
cautior ille ſuam operam licitatus,vnde maior ſpes oſtendebatur, cum Hiſſemo fœdus fe-
cit ea lege: vt ſex arces,ſuperiorum temporum iniuria Mahomadis Alhagibi armis Chri-
ſtianis ereptas redderet.quod ille neceſſaria re compulſus fecit,ne in eo rerum diſcrimine
conceptas ſpes corrumperet, ſimul Chriſtianorũ arma viresq; in ſuum caput prouocaret.
Interea Almahadii filius Obeydalla factionis ope,Toleti eius vrbis Rex dictus eſt: Abdal- 2
lam vocant alii,& Theraſiã Alfonſo fratre Legionis Rege cõcedente (immane facinus)
vxorem habuiſſe affirmant. prouidebatur eo coniugio vt vtriuſq; regni vires alterna ope
firmiores euaderent.volente virgine(nam promouendę religionis occaſio erat Mauro no-
ſtris ſacris initiato,quod velle ſe facere ſimulabat)Toleti,quo deducta erat,nuptiæ princi-
pali apparatu celebratæ.ludis feſtiſque epulis conuiuium ad multam noctem productum.
remotæ menſæ. virgo toro geniali impoſita.adeſt Maurus incēſus cupiditate explendæ li-
bidinis.Illa; Apage inquit,tantum nefas,tantam fœditatem.duarum rerum optio datur:aut
noſtra ſacra ſuſcipe tu tuique,noſtroque amore fruere: aut noſtri corporis contactu abſti-
nere debes. Alioqui vltionem ab hominibus pertimeſce noſtram ignominiam non ne-
glecturis: vindictam numinis Chriſtianorum ſanctitatis & caſtimoniæ vindicis certiſſimã. 3
Vtrinque exitium capiti tuo imminere vates denuncio. luxuria ne peſtis blanda te in præ-
ceps agat. Hæc dixit. Libidinis furore Mauri aures occluſæ erant. eluctatus deſponſæ vir-
gini vitium affert.ſimul grauiſſimo morbo implicitus, ſalute deſperata Theraſiam cũ am-
plis muneribus ad fratrem remittit.Illa Legione in D. Pelagii veſte mutata,reliqua ætate
pietatis ſtudiis,cultuq; religionis, acceptam ignominiam ſolabatur. Obaydallæ haud diu-
turnum regnum fuit.Hiſſemi copiis victus,in eiusq; poteſtatem redactus eſt.fœda rerum
Mauricarum colluuies erat, mota in omnes partes republica. Chriſtianis lætiſſima occaſio
ſeſe dabat impiæ gentis opprimendæ: ſi iunctis viribus,ſuis potius auſpiciis maluiſſent bel-
lum gerere,quam Maurorum controuerſiis ſeruire. Verum hæc fuit omnium temporum
calamitas.rebus communibus priuati affectus potiores ſunt,nihilque minus mouet quam 4
religionis ſtudium. Neque magis Maurorum ditio belli ardore opprimebatur,quam fame
grauiſſima,deſerto tandiu agrorum cultu. Zulema Sanctii ope deſtitutus,Cæſarauguſtę &
Caracæ regulos euocat.Iis adiunctis Cordubam expugnat,Hiſſemoque in Africam elap-
ſo rurſus in regnum inuehitur.Inter Hiſſemi ſectatores Haitanus principem auctoritatis &
potentiæ locum obtinebat.Is Orihuelam ciuium deditione occupat ad Mediterranei ma-
ris oram: & loci opportunitate Halim Abenhamitum ex Africa Septæ pro Hiſſemo Præ-
fectum,regni ſpe attrahit in Hiſpaniam.Zulema vtriuſque viribus impar,& ad Cordubam
prælio victus,ciuiumq; deditione captus,ipſius Halis manu. cum verborum contumelia,
quaſi primus in legitimum regem arma cepiſſet trucidatus eſt,nůlla fides regni ſociis.Hai-
tanus ergo conqueſtus pacta conuenta ab Hali nouo Rege non ſeruari, cum Mundaro 5
filio Hyaiæ Cæſarauguſtæ reguli fœdus facit. pugna ad Cordubam commiſſa cum cona-
tus non proceſſiſſent, ad Abderrahmanum Almortadam ex Humeiæ familia propenſus:
quoniam imperio idoneus fore videbatur, rei perficiendæ opportunitatem nactus eſt Ha-
lis Regis cæde. Quem Haytani conatibus obuiam progreſſum ad Accim in balneo lauan-
tem, eunuchi oppreſſerunt Arabum anno quadringenteſimo octauo. Succeſſit militari
ſuffragio Halis frater Cazinus Hiſpali euocatus, vbi ea tempeſtate morabatur. regnum
tenuit annis tribus,menſibus quatuor,diebus viginti ſex,haud tranquillum: cum Almor-
tada Haytano & Mundaro adiutoribus,Regis nomine ſuſcepto, Murciam & vicinam orã
occuparet. Aures ſuperbas habebat, difficiles aditus. a quibus erat in regnum euectus,eos
quaſi

quaſi creditores malignis oculis intuebatur. Id exitio fuit. ad Granatam ſuorum coniuratione, reque cum eius vrbis regulo communicata peremptus eſt. Cazinus, Almortada ſublato, tum ſibi regnare viſus eſt. Nam & eius beneuolentiæ promerendę cauſſa occiſi æmuli ſpolia miſſa à Granatenſibus erant, Breui tamen ea lętitia vana euaſit, & noua ſolicitudine mutata eſt. Cordubenſes ciues, vt nunquam commoti multitudinis animi in vno gradu reſiſtunt, Cazino Hiſpalim profecto, Hyaiam eius propinquum, nimirum fratris filium Regem dicunt, ingenio miti, atque munifico qua vna re maxime populi ſtudia excitantur. Verum hoc Malacam, quam antea vrbem imperio obtinuerat, diſcedente, Cazinus Cordubam armis recepit anno Arabum quadringenteſimo quartodecimo. Nouum eius vrbis imperium breue fuit, omnino menſium ſeptem, dierum trium. Cordubenſi enim ſeditione excitata, cum militum inſolentiam ciuitas non ferret, fugatus Hiſpalim eſt. neq; ibi diu conſtitit: cum gentis fauorem regni æmulus præoccupaſſet, tandiuque incertis ſedibus vagatus eſt, donec in Hyaiæ poteſtatem redactus, carceri mãcipatur. Erant plerique horũ Reges ex Alauecinorum factione, viribus & auctoritate eo tempore potentiſſima. Aduerſæ factionis ciues reparatis viribus potentiores effecti, Abderrahmanum Mahomadis fratrem, eius qui contra Hiſſemum (ſic arbitror) primus arma cepit, Regem iubent. pari leuitate intra ſecundum regni menſem ſublatus eſt. acerbum imperium & gentis inconſtantia, motusque exitio fuere. Mahomad quidam in eius locum ſubrogatus regnum tenuit anno vno, menſibus quatuor, diebus viginti duobus. & hic ciuium coniuratione periit. Halis filius Hyaia ex aduerſa factione imperium adeptus, pari perfidia Malacæ periit. regnauit mẽſibus tribus, diebus viginti. Idritius Halis frater Hyaiæ patruus ex Africa, vbi Septam imperio obtinebat, Malacam delatus lege propinquitatis regnum occupauit Granatæ, Hiſpalis, Almeriæ atque vrbium finitimarum. mediterranea penes Hiſſemum erant, quem poſt Hyaiæ cædem Cordubenſes rebus præfecerant. Principum periculo ſæpe ipſorum præfecti peccãt: vti Idritii exemplo exploratum euadit. Alhagibus pro eo reipublicæ præfectus acerbe imperabat: publica & priuata bona domum auertere, alienasque calamitates ſuum compẽdium facere ſolitus. Ex ea re commota ciuitas. Alhagibus occiſus eſt. Rex ſpoliatus imperio. In ea rerum colluuie, Humeia quidam iuuenũ globo adiutus, in arcem irrumpit: ſe Regem dici à militibus poſtulat. Excuſant illi ciuium perfidiam, temporũ calamitatem, alieno exemplo documentum datum haud impune ſimiles conatus cedere. Ad hæc ille. Hodie inquit, Regem dicite, cras perimite. Vſque adeo eſt impotens libido dominandi, imperii dulcedo tanta. vno tempore ciuium imperio Humeia & Hiſſemus vrbe exacti. præterea Humeiæ factionis ciues, vnde tantæ calamitates extiterant, ad vnum vrbe pulſi. Hiſſemus varia fortuna agitatus Cæſarauguſtę demum conſtitit, benigne exceptus ab eius vrbis Rege Zulema Abenhuto, data arce Alſuela: vbi vitam priuatam vſque ad obitum exegit. Ex hoc Maurorum imperium, quod tandiu viribus firmum ſteterat in Hiſpania, in plures toparchias abiit. ſingulis præfectis, prout in quoque erat auctoritatis plurimum, cõmiſſarum vrbium imperia regio nomine occupantibus. neque in ea rerum Mauricarum perturbatione quiſquam erat, qui eorum conatus reprimeret. Multi itaque deinceps Reges extiterunt, Cordubæ Iahuar, Hiſpali Albucazinus & filius Habeth. Toleti Haytanus, Halis ſcilicet Regis Cordubenſis adiutor primum, deinde aduerſarius. Hiſſemus filius. nepos Almenon. tametſi alii Toletanorum Regum (quoniam ea vrbs ſæpe à Regum Cordubenſium auctoritate deficere conata eſt principem ſibi locum inter Hiſpaniæ ciuitates arrogans) antiquiorem originẽ repetere conantur. In vrbibus aliis noui Reges emerſerunt, quorum numerum vt ineamus operæpretium non eſt, ac ne faciendi quidem facultas. Quæ imperia tandiu ſteterunt donec Almorauides Maurorum familia & gens potentiſſima ex Africa in Hiſpaniam venerunt Iuzepho Teſephino ductore & Rege, Arabum anno quadringenteſimo octogeſimo quarto. Quod alio loco commodius explicandum eſt. ad Sanctii Comitis & Alfonſi Regis res geſtas ſeſe conuertat oratio.

Reliqua quæ Alfonſo Rege contigerunt. CAP. XI.

SANCTIVS Caſtellæ Comes paternæ necis vlciſcendæ ſtudio, adiunctis Legionenſium & Vaſconum copiis, cum quibus ictum ſuperiori tempore fœdus ſtabat. Toletanę vrbis fines igne ferroque vaſtauit. Eandem calamitatem Cordubenſis ager pertulit: cum noſtri ſtudio elati eo vſque populabundi prorupiſſent. Vtrinque hominum pecorumque prædæ abactæ: tantusque belli terror Maurorum animos occupauit, (nam ſciſſi in partes & ex inteſtinis diſſidiis republica labefactata vix conſiſtebant) vt pacem à victore Comite magno redimere compulſi fuerint, imperii maieſtate ſugillata, paulo ante Chriſtiano nomini for-

midabiles.Garſiæ patris corpus, quod eatenus apud Mauros fuerat,ex fœdere traditum, atque in Petri Cardeniæ monaſterio tumulatum eſt. Sepulueda ad vtriuſque ditionis fines ſitum municipium in poteſtatem redactum. Vxama, Gormatium,aliaque iis locis oppida,quæ ſuperiori bello amiſſa erant ,ad Chriſtianorum ditionem iusque reuocata,Quo ex tempore Caſtellæ nobilitati datum, vt plerique auctores ſunt, ne ſuis ſumptibus prædæ tantum ſpe militiam tolerare cogerentur : quod ante facere conſueuerant , ſed ſtipendio conſtituto,vt cæteris nationibus ſolenne erat,receptumque moribus.Ex his rebus quantam ſuorum ſibi beneuolentiam Sanctius Comes adiunxerat, tantopere ſuperiorum gloriam materna cæde fœdaſſe viſus eſt. Erat illa Mauri cuiuſdam Principis amore capta.quē potentiſſimę libidinis eſſe cognouerat. verum illi nubere dubitabat, filii iuſtum dolorem, atque ex dolore iracundiam verita. Itaque necato filio ſceleſtis nuptiis vt locum pararet, venenum temperare conſtituit. quod ille indicio facto matrem honoris ſpecie quamuis inuitam & recuſantem præbibere compulit. Vnde nonnulli ſuſpicantur morem illum inter Hiſpanos quibuſdam locis receptum frequentemque manaſſe, vt fœminæ viris præbibant. Tanti facinoris expiandi cauſſa,& vt popularem ex ea re inuidiam aliqua ex parte leniret, virginum monaſterium extruxiſſe memorant,& de matris nomine Onienſe nuncupaſſe. quod conſequenti tempore Sanctius Rex Vaſconum cognomento Magnus monachis Cluniacenſibus attribuit,& noſtra ętate principem locum obtinet inter reliqua eo tractu cœnobia. Nati ſunt Sanctio ex Vrraca vxore Garſias filius, prætereà Nunnia, Theraſia, atque Tigrida. duę priores viris principibus coniuges datę, Tigrida Onienſi monaſterio Præfecta. Nouum iter per idem tempus Compoſtellam ad D. Iacobi templum Sanctii Comitis impenſa apertum atque conſtratum, per Vaſcones ſcilicet, Riuogiam, Virueſcanos, agrumque Burgenſem: cum prius anguſtis Chriſtianorum finibus, ex Gallia peregrini per Cantabros & Aſturum montes, loca aſpera atq; impedita, iter facere magno labore conſueuiſſent. Interea Alfonſus Rex,& ipſe diuturnæ tranquillitatis beneficio propter Maurorum diſſidia, fœdusque inter Chriſtianos Principes ſancitum conſtansque, ad
1020. pacis artes conuerſus, Oueti generales regni conuentus agitabat ſalutis anno milleſimo vigeſimo. In eo conuentu priſcæ Gotthorum leges reformatę. Mox Legio vrbs quæ Maurorum iniuria ad caſas redacta erat, Regis diligentia ſumptuque inſtaurata: templumque extructum D. Ioannis Baptiſtæ nomine ex luto & latere compactum. in quod Veremundi patris, aliorumque Legionenſium regum oſſa Maurorũ metu locis errantia, illata ſunt atq; ſtabili ſepulcro ſedeq; collocata. Pelagii monaſteriũ inſtauratũ, vbi Conſtantia ſoror regis virgo Deo ſacra vitam diu egit. Vigilæ (alii Velam nominant) conatus aduerſus Caſtellæ Comites, quibus ex priuata contentione iniuriaque infenſus fuerat, quanti extiterint ſuperius eſt explicatum. Huius filii tres Rodericus, Iacobus,& Enecus à Sanctio Comite in gratiam admiſſi, atque ad paternos honores reſtituti ſunt. breui tamen ad ingenium redeuntes & veteres iniurias noua perfidia cumulantes, Sanctio relicto Legionem ad Alfonſũ Regem abierunt: nam in Mauris parum præſidii eſſe poterat in tanta rerum colluuie & Principum inconſtantia. Ab Alfonſo benignè accepti, atque ditione non exigua vnde vitam principalem ſuſtentarent, in ſubmontanis donati aliquando quieſcere viſi ſunt. re nouæ perfidię depromendæ idoneum tempus expectabant, vt euentus declarauit: quod breui euenit. Alfonſo rege defuncto ad Viſeum vrbem Luſitaniæ, quam cum Mauris cuperet eripere, obſidione premebat, atque dum incautius detractis armis, luſtrandi ſtudio muro ſuccedit, ſagitta ex vrbe emiſſa interfectus eſt. funus procurantibus Epiſcopis, qui Regem ad bellum ſecuti erant, obſidione ſolutą corpus Legionem delatum: atque in D. Ioannis vbi patris & matris ſepulcra ipſe conſtituerat, tumulatum eſt, ſalutis anno milleſimo vigeſimo
1028. octauo. Filios reliquit Veremundum regni ſucceſſorem & Sanctiam in minori ætate. Quo tempore Attilanus Legionenſis Epiſcopus,& Florianus presbyter diuini verbi præco eximius, in magna ſanctitatis opinione erant: eoque merito cælitum numero adſcripti ſunt. Barcinonis principatum Raymundi filius Berengarius de aui nomine cognomento Borellus, iam vndecimum annum obtinebat, otio & ignauia ad poſteritatē magis, quàm vlla virtute inſignis. Huius ſocordia rem Chriſtianam in eo Hiſpaniæ tractu inclinatam Bernardi Talliaferri Comitis Beſaluni virtus eximia, magna ex parte tutata eſt & hoc in Rhodano merſo, cum in Galliam iter faceret, Wifredus Cerdaniæ Comes Mauros de finibus laceſſentes, ex ea prouincia male mulctatos reiecit. Berengarii filii Raymundus Barcinonis, Guillelmus Minoreſæ Comites,& Sanctius Benedictinus monachus, patri ſuperſtites fuerunt.

Veremundus

Veremundus III. *Legionenſis Rex.* CAPVT XII.

VEREMVNDVS eo nomine tertius ætate puer patre defuncto ſumpſit regium inſigne, regni proceribus atque Epiſcopis pręſentibus eius ſeculi anno vigeſimo octauo. Quo 1028. anno Sanctii Caſtellæ Comitis mors accidit, cum genti viginti duobus annis iura dixiſſet. In Onienſi monaſterio, quod eius impẽſa extructũ fuiſſe dictũ eſt. ad aræ maximæ lęuã tria ſepulcra cum inſcriptionib. monſtrãtur, Sanctii Comitis, vxoris Vrracæ, Garſię filii, qui patre defuncto Caſtellæ principatum obtinuit maxima ſpe propter virtutum ſpecimen ſingulare, ſucceſſu non eodem: cum intra primum principatus annũ fuerit extinctus ſumma eorũ perfidia, quorũ minime oportebat, in ipſa nuptiarum lętitia. Erãt Garſię duæ ſorores, Nũnia & Theraſia. Nunnia (alii Elpirã nominãt, alii ab ætatis vt arbitror pręrogatiua Maiorẽ) Sãctii Vaſconũ Regis certe vxor fuit: vnde nati erãt Garſias, Fernandus, atq; Gonſaluus. Theraſia aut patre concedente, aut ſtatim ab eius obitu Legionenſi Regi Veremundo vxor data eſt: vnde Alfonſus ſuſceptus, breuis æui infans futurus. Garſiæ Caſtellæ Comiti impuberi tredecim non amplius annos nato, Sanctia Veremundi ſoror pacta eſt. His affinitatibus prouidebatur vt fœdus ante aliquot annos inter Chriſtianos Principes ictum & pax publica, cũ qua res communes & priuatę reſurgere videbantur, immota ſtaret. Iis nuptiis celebrandis Legio vrbs deſignata eſt. Garſiam Principem ſplendidus tùm ex vniuerſa ditione, tum ex Vaſconum regno procerum comitatus proſequebatur. Ipſe Rex Sanctius cum Garſia & Fernando filiis eo profectus, quo maior lætitia eſſet. ſequebatur militum multitudo iuſti exercitus in modum: quorum virtute Montio oppidum nõ procul Palentia ſitum, aliaque eo tractu oppida, Ferdinando Guterrio Comiti, qui noui atq; adoleſcentis Principis deſpectu ab eius auctoritate defecerat, erepta atque in ditionem priſtinam reſtituta. Ipſi Ferdinando, quoniam voluntate deditionem fecerat imperata facere paratus, venia cõceſſa. Modicis itineribus Legionem, vt cum tanta multitudine opus erat, procedebatur. Garſias moræ impatientia Sanctio Rege ad S. Facundi oppidum relicto, ipſe cum paucis citato ſe ad ſponſam cuius inuiſendæ flagrabat ſtudio, proripuit. Vigilæ filii tẽpus veniſſe arbitrantes perfidiæ depromendæ, vindicandi iniurias, quas à Sanctio Comite illatas eſſe, inique ſcilicet conquerebantur, vt erant à multo rerum vſu callidi, quos idoneos arbitrabantur, eos in ſceleris ſocietatem adſciſcunt, in beneuolentiæque ſimulatione inſidias comparant. Itaque aduenienti Principi, quaſi officii gratia obuiam procedunt: & procumbentes nixique genibus veniam poſtulant, & manus oſculum petunt, ſolenni inter Hiſpanos cæremonia. Quis in ſupplici habitu coitionem & dolum ſuſpicaretur? fallaces & incertas hominum voluntates, lætitiam nunquam ſynceram. culpam in decus vertere venia impetrata cum properare debuiſſent, noua perfidia cumularunt. Principemq;, vt erat candido animo, venturi ſecurum & in ipſa nuptiarum lætitia haud ſatis cautum, impetu facto peremerunt ad S. Saluatoris ædem ipſamque templi ianuam, quo nimirum rei diuinæ procurandæ cauſſa conuenerat. Immane atque impium facinus. Rodericus ipſe inter fratres natu maximus, quem de ſacro fonte infantem ſuſceperat, nefarius parricida, primum ferire auſus eſt. reliqui coniurati ictus ingeminarunt. Sanctia prius vidua quam vxor atroci nuncio exanimata, cum ſpiritus quem continuerat dolor, in præcordia eſſet reuocatus, in occiſi amplexus ruens cælum, terras eiulatibus complet. miſerabilis rerum facies, cum ſumma lætitia grauiſſimo luctu repente mutata eſſet. vix contineri potuit quin ſponſi tumulum viuens ſubiret. Occiſus eſt tertiodecimo die Maii, ipſo quo pater defunctus eſt anno. In D. Ioannis extemporario ſepulcro conditus, deinde in Onienſi monaſterio: quod vtrobique Garſiæ ſepulcrũ mõſtratur. Verſus ex eo reipublicę ſtatus. Sãctius Rex Vaſconum, qui caſtrorum in modum in Legionis ſuburbiis ſe erectis tentoriis cõtinuerat, Caſtellæ principatu auctus eſt, Comitis honore atq; nomine regiis inſignibus atq; appellatione commutatis: vnde eius potentia Legionenſi Regi ſuſpecta & formidabilis eſſe cœpit. Parricidæ ex fuga Montionem ſunt delati: forſitan ſperantes Ferdinandum Guterrium ob erepta oppida Garſiæ & Sanctio Principibus infeſtum, facile coniurationi aſſenſurum, approbaturum facinus. Verum ſiue eo prodente ſiue diligentia Sanctii Regis, cum veſtigiis omnibus fugientes inſequeretur, in poteſtatem redacti igne combuſti ſunt: ſeueroque ſupplicio ſancitũ perfidos conatus haud impune procedere. Interea Veremundus paternæ cędis exemplo à bellis abhorrẽs, & noua Garſiæ Principis calamitate humanarum rerum inconſtantiam edoctus, ad religionis ſtudium & pacis artes animum conuertit. Ac primum quæcunque in populi moribus erant deprauata temporum licentia, malitia hominum, corrigendi cupiditate, iudicia conſtituta, leges ordinatæ: ne-

que minori diligentia latrocinia tota ditione ſublata: & ſuppliciorum magnitudine ſancitum ne quiſquam peccare auderet. Oppida, vrbes & arces, atq; in iis Diuorum immortalium templa, quæ bellorum iniuria euerſa erant, publico ſumptu inſtaurata. His actionibus magnam à prouincialibus gratiam inierat, & pacis opimæ bonis florere videbatur: quam Sanctius Nauarræ Rex importuna ambitione turbauit. Etenim Veremūdus prole carebat & regni ſucceſſio legibus ad Sanctiam ſororem reditura putabatur: quod ne ad externum Principem per eam deuolueretur ſumma cura prouidebatur. Votū id erat Regis, & prouincialium, quod Sanctio Regi Vaſconum clam non erat. audendo, & fallendo, & bella ex bellis ſerendo Reges fere magni euadunt: vnaq; & ea præcipua cauſſa bellandi eſt praua imperii & diuitiarū cupido. Itaq; ex vtraq; ditione, valido exercitu conflato, in regiā Veremundi ditionē populabundus irruit, eiusq; fines vltra Ceæ fluminis ripā ſubmouit: videbaturq; cunctam prouinciam, curſu victoriarum ſecundo ſubiugaturus. Veremundus iis incommodis caſtigatus, hortatu procerum, qui pacem quam bellum malebant, ad faciendū fœdus animum adiecit, cuius hæ conditiones fuerunt. Sanctia Ferdinando Vaſconū Regis filio (is natu ſecundus erat) nubito. Dotis nomine Veremundus dato in præſentia quidquid armis eo bello eſſet detractum, in poſterum regni ſucceſſorem denunciato. Caſtellæ is regnum concedente patre poſt eius & matris obitum obtineto. Eo fœdere pax ſtabilis Chriſtianis tota Hiſpania reddita eſt, vniuerſa ditione quam late Chriſtianorum in ea imperium patebat, ad vnius familię ius & poteſtatem redacta. Coniunctis temporibus gemini principatus Caſtellæ atq; Legionis, quod magnopere mortales deteſtari ſolent, externi imperii iugum pertulerunt, duabus fœminis ad vtriuſque ſucceſſionem admiſſis, quod Legionis regno ſæpe antea vſurpatum erat exemplo ſalutari ſæpe: ſed quod cæteris per orbem nationibus haud ſatis probare potuimus.

Sanctius Maior Rex Vaſconum. CAPVT XIII.

SANCTIVS ætate prouecta erat cum Caſtellæ principatu auctus eſt, & Ferdinando filio ad Legionenſis regni ſucceſſionem patefecit aditum, rebus in omni vita geſtis, domi militiæq; clariſſimus: vnde non tantum Maioris cognomine honeſtatus eſt, ſed etiam Imperator Hiſpaniæ vulgo dictus. vt ſolet populus haud magna de cauſſa ſuis ſæpe Principibus ſplendidos affingēdo titulos aſſentari. Omnino vrbem Anagarum domicilio delegit: in eaque, quoniam in vtriuſque ditionis confinio ſita erat, imperii ſedem conſtituit. Ita pacis artes coluit, vt belli curam nunquam dimitteret. Ac primum arma in Mauros conuertit, qui inteſtinis diſſidiis tumultuantes iniuriæ opportuni fore maxime videbantur. Inerāt milites ſuperioribus bellis exercitati, & prouiſi ante commeatus. latæ populationes factæ. Cordubam vſq; penetratum. nullus obuiam prodire auſus. Regem tamen terrorem belli circunferentem, Maurorumque oppida, agros & arces vaſtantem diripientemque domeſtica calamitas retro reuocauit. Proficiſcens in bellum, generoſum equum, ac quo nullus erat nobilior, Reginæ ſolicite commendauit: nihil enim ea tempeſtate equorum armorumque poſſeſſione carius erat Hiſpanis. Garſias Regis filius natu maximus à matre Regina equum ſibi dari petiit: neque illa abnuebat, ni moleſtum id Sanctio fore Petrus Seſſius nobili loco vir regio ſtabulo præfectus denunciaſſet. Garſias ex repulſæ dolore in furorem actus, ſiue vero interpretatus, haud leui de cauſſa plus Petri preces, quam ipſius poſtulatum valuiſſe: ſiue ſimulato, vt dolorem vlciſceretur, adulterii crimen matri imponere conſtituit. nec iuuenili impetu rem executus eſt: quo maior fides eſſet, ſolerter Ferdinandum fratrem ad ſceleris ſocietatem inuitat. Impium illi & nefarium facinus viſum eſt primum: deinde commento ita conniuere, vt tragœdiæ ſpectator neutri ſe parti adhæſurum iureiurando polliceretur. Garſiæ criminatio Regis animum vehementer perculit. Hinc Reginæ celebrata pudicitia, & integra ſemper fama mouebat: illinc filius, quem niſi magna de cauſſa in eam cauſſam ingreſſum eſſe exiſtimare non poterat. Ferdinandus ſententiam rogatus ancipiti reſponſo, patris animum vehementius conturbauit: atque ita vt Reginam cuſtodiæ manciparet in Anagari arce. In nobilium & procerum conuentu de re tanta diſceptari placuit. omnium communi ſententia ſtatutum, vt niſi eſſet qui iure, armisve Reginæ pudicitiam tueretur, ignis pœnam ſubiret. Erat Regi filius ex impari matre, quam alii Vrracam, alii Caiam nominant principi in Vaſconibus loco, Ramirus nomine. Is innocentis nouercæ vicem miſeratus, atq; Garſiæ fratris fraudem odoratus ſingulari certamine, quod ea tempeſtate inter Hiſpanes erat vſitatum, profitetur ſe depulſurum calumniam, quæ innocentiæ obtendebatur. magnum Regi ex ea prouocatione parabatur malum vtrauis parte vincente, victave. Verum eam omnē procellam viri ſan-

viri ſancti diligentia diſcuſſit, qui multa monendo hortandoque, cum diceret dedecus Reginæ non ad ipſam tantum pertinere, ſed ad Regem etiam, ipſosque, atque adeo Hiſpaniam vniuerſam: viderent ne criminando matrem, quam etiam ſontem tueri debuiſſent, diuinam vindictam in ſuum caput prouocarent, grauiſſimaque ſupplicia, quibus impios auſus Deus vindicare conſueuiſſet: eo perduxit regios fratres, vt calumniam confeſſi primum, deinde ad patris pedes prouoluti veniam deprecarentur. Rex negat, niſi Regina placata ſe eis tantum ſcelus condonaturum. Siccine, inquit, tantum facinus in nos regiamque noſtram ſuſcipere animis atq; deſignare auſi eſtis, nefarii ſceleratique filii? ſi eo digni eſtis nomine, grauiſſima inuſta macula noſtro generi atque ſanguini. Tueri matrem quamuis ſontem erat conſentaneum, manifeſtæque fœditati vitam & ſanguinem velum prætendere: nunc innocentem de turpiſſimo crimine poſtulaſſe quantum nefas? Parcite ſuperi. in hoc ſcelere omnia inſunt ſcelera, impietas, crudelitas, furor. tolerabilem aliquam vindictā ſumite. Parcite mortales, in vno crimine ſummi, medii, infimi violati eſtis. Externæ nationes parcant ad quas tantæ nequitiæ fama peruenerit, neque ex ea de noſtris moribus coniecturam faciant. Parce ô ſanctiſſima coniux non magis filiis quam patri. Vix lacrymas teneo, vix me contineo, quin parentum reuerentiam veſtris capitibus ſanciam. In ira tamen quid nobis potius ſit dignum, quam quid ipſi ſitis promeriti conſiderabo. neque vt in luctu veteri nouus exoriatur luctus committam. Detur id ætati, detur temeritati veſtræ. Nimia te Garſia fili indulgentia corrupit, vt princeps impietatis auctor fratrem in fraudem impelleres. Neque pœnas in præſenti expeto, neque in poſterum veniam do. Matri veſtræ ſanctiſſimæ innocentiſſimæque de vobis arbitrium permitto. quod illa ſanxerit, id ius faſque eſto. & ipſe meæ facilitatis credulitatiſque veniam per omnia numina deprecabor. Sic filii à patre repulſi ſunt. Regina procerum precibus fatigata, & filiorum lacrymis victa veniam hac lege dediſſe traditur: vt Ramiro pretium operæ atque defenſæ innocentiæ merces eſſet Aragoniæ regnum: in quo natalium vitium, eximia virtus & fides compenſarent. Garſias penes quem potiſſimum eius tragœdiæ culpa fuerat, maternæ ditionis atq; imperii ad quod legibus vocabatur, hæreditate careret. Vtrunque patre Sanctio concedēte factum. Tametſi nonnulli huius narrationis fidem eleuare conātur, ac potius Sanctii teſtamento & volūtate ditionem inter filios partitam fuiſſe arbitrantur, exemplo quod Ferdinandus filius Sanctii alio tempore eſt imitatus. Nobis neutrum pro magnitudine ſatis compertum eſt. Conuenit quidquid hoc fuerit ante annos aliquot cōtigiſſe: Garſiamq; ſiue delicti procurandi cauſſa, ſiue voti reum Romam abiiſſe.

Sanctii Regis obitus. CAPVT XIIII.

PACE rebus reddita & domeſtica calamitate mitigata, Sanctius animum ad religionis
cultum conſequenti tempore conuertit. Celebris erat ea tempeſtate Cluniacenſis mo-
naſterii ſodalium, quod in Burgundia ſitum eſt, fama ſanctitatis. Laxatam iniuria temporū
D. Benedicti diſciplinam ſeuerioribus legibus aſtringendā curabāt. Inde coloniæ in varias
Galliæ & Hiſpaniæ partes mittebantur. Sanctius hominum fama permotus in Leirēſe mo-
naſterium, quod olim veterum Regum munificentia extructum erat, id genus monachos
euocauit. Idem in Onienſi monaſterio præſtitum virginibus, quibus attributum erat, Bay-
lenum oppidum ablegatis. Ei cœnobio Garſias primum præfectus eſt: qui cum aliis mona-
chis ex Gallia venerat: deinde Enecus, quem in Aragoniæ montibus ſecretam à conuictū
hominum vitam exigentem Rex compulit noui collegii curam ſuſcipere. Defuncti cor-
pus, quem in cælitum numero ponunt, Onienſes monachi anniuerſariis ſacris colunt. D.
Ioannis cœnobium, quod prope Iaccam conſtitutum fuiſſe docuimus, veterum Regum
Suprarbis ſepulchris nobile, iiſdem Cluniacenſibus monachis incolendum eſt datum. Et
ne tantam multitudinem, quantam neceſſe erat tot domiciliis occupandis euocare ex
Gallia neceſſe eſſet, prouidus Rex Paternum ſacerdotem & duodecim ſocios in Galliam
dimiſerat, vt Cluniacenſis collegii moribus informati, exculti inſtitutis eam vitæ rationem
traducerent in Hiſpaniam. Neque in eo tantum optimi Principis cogitationes reſtiterunt:
verum cum animaduerteret temporum perturbatione factum, vt in iura eccleſiarum &
poſſeſſiones prophani homines, qui vi plurimum poterant inuaſiſſent, ea in libertatem aſ-
ſeruit. Extatque Sanctii diploma, quo Ioanne. XIX. Romano Pontifice concedente, mo-
nachis Leirenſibus facta poteſtas eſt ſalutis anno milleſimo trigeſimo ſecundo, Pom- 1032.
pelonenſem Epiſcopum creandi. Etenim antiquis temporibus propter frequentes
barbarorum incurſiones Pompelonenſes Epiſcopi in Leirenſe monaſterium ſedem
tranſtulerant: vt quoniam in Pyrenæi iugis ſitum eſt, locorum munitione ab iniuria

tuti eſſent. Nunc Sanctii virtute pace parta, Epiſcoporum conuentus Pompelone habitus eſt. Conuenerunt Pontius Ouetenſis Archiepiſcopus, Garſias Anagari, Nunnius Alauæ, Arnulphus Ripagorſæ, Sanctius Aragoniæ, hoc eſt, Iaccæ, Iulianus Caſtellæ, hoc eſt, Aucæ Præſules. In eo concilio nihil prius actum eſt, quàm vt Sanctio Leirenſi Abbate & Pompelonenſi Epiſcopo agente, pro eo quod principem gratiæ locum apud Regem, cuius magiſter fuerat, obtinebat, priſca ſedes Epiſcopo Pompelonenſi redderetur: quod in præſenti dilatum, ſucceſſoris demum Petri Rodæ tempore executioni eſt mandatum. Nam fere veteribus vulgo homines ſtare malunt, & noua inſtituta cum paſſim repudientur, ægre à populis ſuſcipiuntur, neque facile in mores abeunt. Sub vitæ finem Palentiam vrbem inſtaurandam curauit haud magna aliqua de cauſſa. bellorum iniuria multo tempore euerſa iacebat: parietinæ tantum extabant, & rudera ſtrageſque lapidum, priſcæ ſtructuræ ædificiorumque veſtigia: præterea vetuſti operis rude templum, quod olim D. Antonini nomine dicatum fuerat. Sanctius otii tempora ferarum venatione tranſigere ſolitus, ne nihil videretur agere, & eſt venandi ars bellicæ meditatio, iis in locis aprum inſectatus eſt ad ipſum vſque templum, quo fera confugit, ſeu forte fortuna, ſeu quia in ea vaſtitate in ferarum luſtra verſum erat. Rex nihil loci religione motus, aprum ad aram decumbentem venabuli ictu transfigere parabat: cum forte animaduertit brachium repentina torpedine diriguiſſe, concidiſſe vires. Vindictam eſſe numinis interpretatus, quaſi loci ſanctitati honorem non habuiſſet, & ex ea re religione obſtrictus D. Antonini opem venerabundus implorat: delicti, quod per inſcitiam admiſſum erat, veniam precatur. ſentit mox brachium priſtino reſtitutum vigori. Pro eo merito fruticibus extirpatis, cæſaque ſylua, vrbem denuo exædificandam curat, exornatque ædificiis. Templum pro tempore extructum, in antiquum dignitatis ſplendoriſque locum reſtituit, inſtauratæ vrbis nouo Epiſcopo deſignato. Tragœdias ſcribere videor & fabulas: ſed ipſis Hiſpaniæ hiſtoriis non quaſi commentitia, ſed facta eiuſdem generis multa memoriæ ſunt commendata. nos fidem neque adiungimus, neque detrahimus: quam res meretur ex ſe lectores ſtatuant. Tantis rebus Sanctius bello paceque peractis, magnam ſibi gloriam pepererat, amplam poſteris ditionem. Hæc nomen eius vehementer illuſtrabant, illa magis: actionum grauitas, conſtantia & magnitudo animi, probitas, fides, excellens in omni genere virtus. Vitæ exitus paulo triſtior fuit. Ouetum feſtinabat cupidus inuiſendi ſacra ſanctorum corpora, quorum poſſeſſione ea ciuitas religioſa ſemper eſt habita, plenaque præſenti numine. ex inſidiis in itinere interfectus eſt. Res proſpere geſtæ multorum illi & magnorum Principum odia conciliarant. cædis auctor, neque memoriæ proditum eſt quis fuerit, neq; tunc fortè cognoſci potuit. Corpus Oueti tumulatum. inferiæ more patrio datæ. Ferdinandi filii Caſtellæ Regis cura inde poſt aliquot annos Legione in D. Iſidori templum illatum.
1035. Octobris die octauodecimo occiſus eſt, ſalutis anno milleſimo trigeſimo quinto, importuna regni diuiſione filiis magna certamina relinquens, parata reipublicæ magna mala: vt ferè Principes ſubditorum periculo debacchari conſueuerunt, maloque publico peccare.

LIBRI OCTAVI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER NONVS.

Rerum ſtatus in Hiſpania. CAPVT I.

CONSEQVENTIVM temporum calamitates motuſque graues, & diſſidia inter fratres & neceſſarios, documento erunt bonæ poſteritati regni hæreditatem, præſertim cum modica eſt neque latiſſimis regionibus patet, indiuiduam eſſe debere. Pulcherrima opinio & rebus humanis maximè ſalutaris, poteſtatis naturam eſſe incommunicabilem: ambitionem regnandi impotens malum eſſe, impium, ſuſpicioſum, inquietum, fallax: nullo neque amicitiæ neque propinquitatis reſpectu frænari, quo minus omnia permiſceat atque peſſundet. Gentem quidem nullam video, neque tanta humanitate & doctrina exicultam, neque tam feram & immanem, apud

apud quam hæc perſuaſio non perua ſerit: & video tamen pleroſque ab omni memoria, indulgentia videlicet paterna victos, aut præpoſtera cautione perſuaſos, imperium in plures diuiſiſſe, quos perperam atque inepte feciſſe triſtiſſimi plerunque rerum euentus declararunt: neque tamen deterruerunt alios, ne maiorum errorem imitarentur. Nimirum abolitæ opiniones ſæpe recurrunt: dum humani ingenii vitio præterita præſentibus commodiora fore putantur, & ſuæ quiſque ſpei nimium indulget. quod Sanctio Regi, cuius actiones & vita ſuperiori libro explicatæ ſunt, & Sanctii poſteris accidit. Cum enim res Chriſtiana, quam late piorum imperium in Hiſpania patebat, ſub vnius ferme imperium eſſet reuocata non abſque diuino munere, vt Maurorum imperium, quod in præcipiti erat, opprimeretur tandem, ditionem in plures partes diuiſit. Igitur quoniam rerum nouam ſyluam ingredimur, & vberior atque copioſior ſcriptio deinceps futura eſt, commodum fore arbitror ſub lectoris conſpectum ponere rerum ſtatum, qui Sanctii Regis morte in Hiſpania eſſe cœpit. Inter Sanctii filios paternum regnum ita diuiſum eſt. Garſias natu maximus Vaſconum regnum obtinuit, atque Cantabriæ ducatum: præterea quidquid terrarum ab vrbe Anagaro vſque ad Aucæ montes pertinet. Ferdinandus ætate proximus Caſtellæ principatu, patre ſuperſtite & matre Nunnia concedente auctus fuerat, Comitis appellatione in Regis nomen mutata. Gonſaluo è tribus Nunniæ Reginæ filiis natu minimus, Suprarbe data eſt, atque Ripagorſa, Loharii & S. Emeterii arces. Ramiro quem ex impari matre, præcipuæ tamen nobilitatis genitum fuiſſe docuimus, Aragonia imperium fuit, detractis aliquot arcibus: quas prouidus pater concordiæ inter fratres vinciendæ cauſſa, in Garſiæ ditionem contradidit. Reges omnes appellati. vnde inteſtina bella nata, motuſque exitiales: dum ſinguli magnitudinem paternam æquare ſtudent, ſeque anguſtis finibus clauſos eſſe dolent. Legionenſe regnum Veremundus eo nomine tertius, Ferdinandi leuir obtinebat imperio, regionibus in Aſtures, Calæcos, & Luſitaniæ partem fuſum atque in Vaccæis Piſorica flumine terminatum. In Catalaunis Raymundus Barcinonis Comes cognomento Senex late imperabat. qui ipſo quo Sanctius Rex defunctus eſt anno, ſalutis milleſimo trigeſimo quinto, patri Berengario Borello in principatu ſucceſſerat: in exiguo quidem corpore, virtute præcipua & ardore animi cuiuis maiorum exæquandus. Eius enim auſpiciis & armis Minoreſæ arx, Calaſi Regis prata (nomen id loco eſt) Tarraga, Ceruera, aliaque vicinis locis oppida, quæ patris incuria ignauiaque amiſſa erant, Mauris erepta, & in priſtinã Chriſtianorum ditionem reuocata ſunt. vicinis Maurorum regulis bello fractis, tributa imperata, leges datæ. Duas vxores deinceps habuit, Radalmurim & Almadim. ex priori coniuge geminæ prolis factus eſt pater, Petri & Berengarii. ex altera Raymundus Berengarius eſt natus, à molli, denſa flauaque cæſarie Stupæ caput vulgo dictus. Atque is erat reipublicæ Chriſtianæ ſtatus. Maurorum regna, vt eſt ſuperius demonſtratum, tot ferme erant, quot eorum ditione vrbes primariæ numerabantur. Cordubenſes ob imperii vetuſtatem, tametſi inteſtinis diſſidiis debilitati erant, proximum auctoritatis locum obtinebant. ſecundum hos Hiſpalenſes, Toletani, Cæſarauguſtani, Oſcenſes. alii præterea minuti Reges genti imperabant, opibus, potentia, auctoritate noſtris impares, pronique in exitiũ, ſi eſſent qui præcipitantes vrgerent. Verum ab hac pulcherrima cogitatione, diſſidia inter fratres & cognatos nulla idonea de cauſſa repente enata, mentes & animos auocarũt. Garſias Vaſconum Rex an voti reus, an impietatis quam matre criminanda ſuſceperat, eluendæ cauſſa ante mortem patris Romam abiit (vti paulo ante dictum eſt) Apoſtolorum Petri & Pauli templa, vti erat in more poſitum inuiſurus, plena maieſtatis & numinis. Ramirus fratris profectionem ad augendæ ditionis occaſionem verti poſſe conſiderans, & alioqui nulla fides vicinis Regibus eſt, fœdere cum Cæſarauguſtano, Oſcenſi, Tudelanoque Maurorum Regulis facto, iuſtoque exercitu ex ſua gente conflato, Taſaliam in Vaſconum finibus aggreſſus eſt. Garſias confecto itinere redux in patriam vlciſcendæ fratris audaciæ cupidus, & ferendæ opis obſeſſis neceſſitate, ſuorum delectu habito numeroſam regni pubẽ armat: improuiſoque aduentu fratrem ſoluere obſidionem & tota Aragonia ſpoliatum, in Suprarbem & Ripagorſam aufugere compulit: tanta feſtinatione fugæ, vt repentino fratris aduentu conſternatus, nudus ferme in equi, quem ſine ephippiis & fræno ad manum habuit, dorſum inſiliens vitæ periculum euaſerit. Magnorum motuum hæc initia fuerunt. Legionenſes enim Ferdinando Caſtellæ Regi non ſatis æqui erant. perditiſſimi aſſentatores, vt fit, neque bello neque pace boni, Veremundi Regis auribus inſidiantes, eius animum in ſororium irritabant. Interceptæ ſororis dolor ſtimulabat, atque ditionis imminutæ iniuria, Sanctii & Ferdinandi armis paterni imperii parte detracta, vti eſt ſuperius indicatum. vtriuſque iniuriæ vindicandæ opportuna occaſio ſeſe dabat, fratrum diſſidio, Ferdinandi virium imbecillitate propter anguſtiam ditionis. Ergo ex

1035.

ſua gente iuſto exercitu conflato, de finibus laceſſere conſtituit. Ferdinandus ſuarum rerũ periculo admonitus, Garſiam fratrem ditionis amplitudine validum, & noua victoria exultantem in auxilium aduocat. Ad Carrionis ripam in Tamaronis valle, atq; ad Lantadam oppidum, caſtra caſtris collata. totis vtrinq; viribus dimicatum. multi ex vtraque parte cadunt. Veremundus ipſe ante alios ætate & gloria belli, vt ſibi quidem videbatur, præterea equi velocitate confiſus, cui Pelagiolo nomen erat, in confertos hoſtes rapitur, mediumq; penetrat agmen, Ferdinandi cum quo armis decernere cupiebat nanciſcendi præceps cupiditate. Verum dum mortis contemptu hoſtium acies pererrat, militari lancea traiectus atque ex equo præcipitatus occubuit. Idem vitæ atq; regni finis fuit. Ferdinandus victricibus armis continuo Legionenſe regnum, quod alioqui iure debebatur, occupauit. Quod facile fuit, ex aduerſo Regis caſu omnium prouincialiũ animis conſternatis. Tametſi peruulgato gentium omnium affectu, externi imperii odio arma initio corripuerunt, vtriuſq; Regis conatibus obſiſtere parati. Inanis ſine viribus audacia eſt, vani conatus. Itaque cum regni caput Legio, ad quam continuo victor exercitus aduolauit, neque ſatis munita eſſet, ex quo à Mauris euerſa fuerat, neque ſatis instructa armis, milite & commeatu ad obſidionis mala toleranda, victori Ferdinando vrbis portas, quas primo aduentu clauſerãt, magna vtriuſque gentis lætitiæ ſignificatione aperuerunt. Ad D. Mariæ de Regula Legionenſis Rex proclamatur, atque regni inſignibus & diademate exornatur. Seruandus Legionenſis
1038. Epiſcopus totius cæremoniæ Antiſtes, die Iouis, qui dies Iunii menſis vigeſimus ſecundus fuit, decimo Kalend. Iulii, vt Rodericus ſcribit, nimirum ſalutis anno milleſimo trigeſimo octauo. Regnauit deinceps annis octo & viginti, menſibus ſex, diebus duodecim, cũ duodecim annis partem patre ſuperſtite, partem defuncto regnaſſet in Caſtella, anguſtis quidem tunc regionibus deſcripta, lætiſſima tamen cæli ſolique facie.

Ferdinandi bella in Mauros. CAP. II.

FERDINANDVS Rex imperii diuturnitatem & magnitudinem, qua parto Legionenſi regno, facile omnium Hiſpaniæ Regum ea tempeſtate potentiſſimus euaſit, religionis & pietatis caſtiſſimo cultu, maximarum laude virtutum, & rei militaris ſumma ac ſingulari gloria exæquauit. vnde Magni cognomen eximio gentis fauore peperit, vt veteres hiſtoriæ declarant: & eius ætatis ſchedæ populo ſcilicet in aſſentationem effuſo, Imperatorem aut Imperatoris parem vocant. Numeroſa præterea prole felix fuit. Prius quam Rex eſſet, Vrracam primum genuit, deinde Sanctium ſucceſſorem, Eluiram Cabræ Comitis vxorem, Alfonſum præterea, ad quem conſequenti tempore rerum ſumma rediit, & Garſiam natu minimum ex vnis atque legitimis nuptiis omnes. Filios in tenera ætate ciuilibus, adultos militaribus artibus erudiendos curauit: filias pietatis ſtudia colere, exercereque ea quæ fœminis conſentanea ſunt. Pace domi parta, atque reipublicæ ſtatu fundato, pium bellum ſuſceptum: victriciaque arma in barbaros verſa. quod ad noui imperii auctoritatem ſanciendam haud parum referre putabat, ſi Mauros ad extremos Durii fines, in veteris Luſitaniæ parte (vnde Extremaduræ nomen fluxiſſe putant, in alium Hiſpaniæ tractum, Tagi & Anæ ripis incluſum) bello exagitaſſet. Itaque Ferdinandus nouis magniſque delectibus exercitu aucto in hoſtes irruit, Chriſtianorum finibus aſſuetos, & tunc vicinos agros & oppida vaſtantes. Victis atque male mulctatis, præda omnis erepta. Emeritæ atque Pacis Auguſtæ, cum vincendi ſtudio atque dulcedine vlterius progreſſum eſſet, fines eodem impetu ferro igneque vaſtati. non agris, non oppidis parcebatur. multa hominum pecorumque præda abacta. Sena & Gane oppida in poteſtatem redacta. Viſeum vrbs in intima Luſitania circumſeſſa, ac tandem vi expugnata: tametſi barbari qui in ea ciuitate erant, pro extrema ſpe enixe dimicarant. eo lætior expugnatio fuit, quod in ea non ſolum publicas, ſed etiam priuatas iniurias Ferdinandus vltus eſſe viſus eſt: eo ſagittario capto, quem ſagitta è muro emiſſa, Alfonſum Legionenſem Regem, Ferdinandi ſocerum peremiſſe ſuperius eſt demonſtratum. ſupplicium facinoris fuit effoſſi oculi, vtraque manus, & pes alter amputati. Eodem victoriæ curſu arces Sancti Martini & Taranſæ in eodem tractu venerunt in poteſtatem. Pro quibus rebus Compoſtellam profectus Ferdinandus ad D. Iacobi, quẽ Hiſpaniæ tutelarem eſſe multis argumentis, à multiſque annis comprobatum habebant, rebus diuinis procuratis, vota pro diuino beneficio partim exoluit, partim denuo nuncupauit, quæ cœperant, rata fixaque vt eſſent precatus: neque belli fortunam, quæ arridere cœperat, ex ſummo volui contingeret: non ante ceſſare, atque ab armis diſcedere certus, quam impium Maurorum nomen in Hiſpania deleret. atque hæc altero anno geſta ſunt
1040. ex quo Legionenſis Rex factus eſt. In ſequentem annum, qui eius ſeculi quadrageſimus fuit,

fuit, bello repetiti barbari. Conimbrica obſeſſa, ac tandem in poteſtatem eſt redacta, Mauris vnam ſalutem pactis: nam malis omnibus oppreſſi erant & diuturna obſidione fatigati quam ſeptem annis tenuiſſe confirmant nonnulli, numero proculdubio menſium, per errorem in annos transformato. Vrbs ea ætate in Luſitania celebris Conimbrica: noſtra publicis omnium artium ſcholis, quæ ingenuo homine dignæ ſunt, cum primis nobilis: quas Ioannes eo nomine tertius Portugaliæ Rex non ante multos annos fundauit impenſa ſua: opimiſque reditibus auxit, vnde profeſſoribus artium ingentia ſalaria conſtant. Lormani cœnobii monachi, Ferdinandi conatus magnopere iuuiſſe memorantur commeatu præbito, quem ex labore manuum, quo vitam ſuſtentare ſoliti erant, in multos dies clam Mauris rerum dominis comparatum habebant. Subſidii præbiti quod fuerit præmium ignoratur. His victoriis imperii Legionenſis fines vſque ad Mondaicum fluuium propagati. Conimbricæ atq; reliquis oppidis & arcibus, quæ Mauris eo tractu erepta erant, Siſnandus vir primarius & Mauricarum rerum ſcientia præſtans, ad quos aliquando à Chriſtianis transfugerat, fortemque & fidelem operam Benabeto Hiſpalenſi Regi Chriſtianis qui in Luſitania ſupererant opprimendis nauarat, cum poteſtate præfectus eſt: bello paceque rempublicam curare iuſſus. Dum Conimbricæ obſidio ducitur, Græculus quidam Compoſtellæ, quo religionis ergo venerat, cum frequenti multorum ſermone audiſſet affirmari, Iacobum ſæpe equo inſignem & armis in præliorum conflictu viſum inter vtraſque acies imminere, noſtriſque opitulari: Iacobus, inquit ille, non miles fuit, ſed piſcator. proxima nocte, cum ſe quieti tradidiſſet, oblata Apoſtoli ſpecies eſt, noſtris ad Conimbricam opitulantis. fides ſomnio habita: cum eadem hora vrbem eſſe captam, poſt dies aliquot eſt renunciatum. Ferdinandus rebus omnibus compoſitis rurſus Compoſtellam adiit, dona magni pretii ex belli manubiis Iacobi templo oblaturus: cuius patrocinio opeque ſuperiores victorias conſtitiſſe, & nouas indies parituram ſperabat. Secundum gratias numini & Apoſtolo tutelari actas, Legionis & Caſtellæ vrbes atque oppida triumphantis in morem obiuit. reipublicæ procurandæ cura erat, & ſubſidii colligendi in belli ſumptus: quod denuo maiori mole atque opibus inferre barbaris in ſequentem annum cogitabat grauiſſimum: qua parte Mauri ad Iberi ripas, pecore diuites, eo quod Chriſtianis abſtulerant, ſecure habitare nunciatum erat. Regibus Vaſconum atque Aragoniæ, quorum erat acceptas ea parte iniurias vindicare, inteſtino bello occupatis, quod per hæc tempora magna mole geſtum eſt. Commodum Ramiro accidit Ripagorſæ & Suprarbis imperio auctum eſſe Gonſalui fratris morte: quem ſalutis anno milleſimo quadrageſimo quinto, (alii ſuperſtite patre id contigiſſe ex veteribus ſchedis diſputant) Ramonetus Vaſco ad 1045.
Moncluſi pontem è venatione redeuntem ex inſidiis ac proditorie interfecit. occiſi corpus ad D. Victoriani ſepultum eſt. Noui regni opibus Ramirus Rex bellum aduerſus Vaſcones Aragoniam occupantes, adminiſtrabat: potentia nequaquam pari, ſed rei militaris atque imperatoriæ periti ſſimus, & finitimorum auxiliis ſubleuatus: nam Giſbergam, ſeu vt alii vocant Hermeſendam Bernardi Rogerii Bigerronum Comitis ex Garſenda vxore filiam, in matrimonio habebat: ex qua Sanctium & Garſiam filios genuit: præterea Sanctiam, quæ Toloſæ Comiti nupſit, & Theraſiam Guillelmi Bertrandi Prouinciæ Comitis vxorem. Ad hæc ex impari matre filium alium nomine Sanctium, quem Aiuaris, Xabierris, & Latris, præterea Ripagorſæ Comitis nomine, principatu auxit. verum nulla prole ſuſcepta, ad veterem Regum ditionem hæ vrbes ex aliquanto interuallo redierunt. Inſignia Ramiro fuerũt crux argentea in cæruleo æquore, quæ à poſteris ſunt mutata. Ad Ferdinandum redeamus. qui belli impetum in Carpetanos conuertere certus, agrumque Toletanum, vnde grauia incommoda rei Chriſtianæ à Mauris inferebantur, Gormatium primum, deinde Vadum regium, Aquilariam, & Valeranicam (hæc hodie Verlanga eſt) vi captas præſidiis occupauit. Demum Turiaſonenſem tractum ferro igneque vaſtauit. Maurorum ſpeculas, quibus per eam ætatem vniuerſa Hiſpania diſtincta erat, vnde vigiliæ cuſtodiæque, hoſtium conatus ſpeculabantur, fumoque finitimis ſignificabant, magno numero vſque ad Medinam Celinam euertit. quibus rebus perfectis in Toletanæ vrbis fines irrumpit, tranſcenſis iis montibus, qui vtriuſque nationis ditionem finiebant. Talamanticæ, Vzedæ agros depopulatur. ad Fenarii ripam Caracam & Complutum & regionibus vicinum Madritum omnibus iniuriis afflixit. Præſenti calamitate & maioris mali metu Almenon Toleti Rex prouocatus, magno auri atque argenti pondere pacem redimere compulſus eſt. Idem fecerunt Cæſarauguſtanus, Portugalenſis & Hiſpalenſis Maurorum Reges. vectigalibus annuum tributum imperatum. quod glorioſum erat nomini Chriſtiano, ignominioſum fœdumque Mauris ex tanta paulo ante potentia, repente vſque adeo debilitatis, vt neque ſuis, neque alienis viribus, cum proxima eſſet Africa, conſiſte-

rent: & leges ab iis acciperent, quibus ante dederant. Quæ quidem neque noſtrorum prudentia, neque humanis conſiliis contigiſſe putandum eſt, ſed Dei immortalis præſidio: qui præſens ſuo numine atque auxilio rem Chriſtianam ferme proſtratam erexit, & caſtiſſimæ religionis cultu, cui exemplo Principis eruditi proceres & populares, dediti in primis erant: vſque dum noſtrorum probitate & fide barbari prouocati, repudiata patria ſuperſtitione, vltro religioni Chriſtianæ nomina darent quidam, ſanctorum virorum corpora alii, quæ Chriſtiani venerabantur, auro atq; gemmis maiores theſauros eſſe putarent quod proxima narratio declarat.

D. Iſidori oſſa Legionem Hiſpali tranſlata. CAPVT III.

ERAT Legione templum Ioannis Baptiſtæ nomine dicatum, veterum Legionenſium Regum ſepulchris quidem nobile: cæterum vetuſtate deforme & male materiatum. Sanctia Regina, vt erat pietatis laude excellenti, viro perſuadet vti religionis augendæ cauſſa illud templum inſtaurandum, & Sanctii patris corpus Oueto, vbi ſepultus fuerat, in illud transferri, ſuæque & Regum poſterorum ſepulturæ deſignandum curaret: nam in S. Facundi animo deſtinarat. Rex æquiſſimis poſtulatis facile annuit, pietatis ſtudiis vxori non impar, & religionis ſanctiſſimæ amore flagrans. Eiuſdem hortatu, cum templum magnis molibus ad culmen vſque perductũ cuperet ſacris ſanctorum reliquiis, quæ multæ erant in Hiſpania, illuſtrare: ac eorum præſertim quos Hiſpali (quæ erat vrbs in Bætica facile princeps, Maurorum autem crudeli dominatu premebatur) olim pro religione magno numero occubuiſſe erat exploratum: Benabetum eius vrbis Regem armis aggreſſus eſt, eiuſque fines longe lateque vaſtauit. Multa oppida in Luſitania atque Bætica, in quarum prouinciarum parte regnabat, aut cæde, ruinis incendioque fœdata, aut prorſus imperio ſubdita. Rex Maurus iis cladibus compulſus magno pacem redemit: atque annuum pactus vectigal in Ferdinandi fidem ſe imperiumque contradidit; quem ille ea lege recepit, ſi Iuſtæ virginis corpus, qua potiſſimum de cauſſa bellum ſuſceptum erat, quam primum Hiſpali tranſmitteret. per eum modum fide vltro citroque data ab armis diſceſſum eſt. Epiſcopi Aluitus Legionenſis, Ordonius Aſturicenſis: præterea Nunnius Comes, Gonſaluus, atque Ferdinandus viri primarii Hiſpalim abs Rege legati, ſacri corporis repetendi cauſſa: additum ad omnes caſus militare præſidium. Ciues Hiſpalenſes re vulgata, tametſi opinionib. de religione diſcrepabant, ſiue ſua ſponte cum non ignorarent quantum præſidii in ſacris corporibus eſſet ad tuendam rempublicam atque ſalutem: ſeu à Chriſtianis qui in ea vrbe ſupererant, perſuaſi, repente ad arma excitati, negant ſe viuis exportãdi Chriſtianis Iuſtæ virginis corpus fore facultatem. Legati ancipiti cura ſuſpenſi erant, & quid facto opus eſſet dubitantes: nam Regem Maurum vrgere periculoſum videbant: & re infecta redire tum ſibi, tum nomini Chriſtiano ignominioſum fore iudicabant. Aluito Pontifici legationis principi ſecundum quietem viſus auguſta pulcherrimaq; ſpecie D. Iſidorus eius vrbis olim Epiſcopus, vt ipſius oſſa pro Iuſtæ corpore Legionem deportaret, mandauit. fore vti corpus quo deſignabat loco inueniret: ipſumque paucis diebus interiturum, veritatis ſomnii, atque diuinæ voluntatis indicio. vtrunque accidit magno legatorum miraculo. Nam & Iſidori corpus in Hiſpali veteri, quo ipſe loco deſignarat, effoſſum eſt, continuoque Aluitus grauiter æger, ita vt medici diffiderent, ſeptimo die extinctus eſt. Reliqui legati certi diuinæ voluntatis, vtriuſq; Pontificis corpus, Iſidori & Aluiti ſecum Legionem detulerunt. Rex & filii Durium vſque religionis ergo obuiam profecti, ſacra pignora ſolenni ſupplicatione atque apparatu inter fauſtas populi acclamationes, præcipuamque lætitiam, nudis pedibus ſuis ipſi humeris aliquanto ſpatio ſcilicet ſuccolantes, in D. Ioannis Legionenſis ædem intulerunt. Multa tum Hiſpali, tum toto itinere prodigia edita. cæcorum oculi aperti: ſurdis inſinuatus auditus pedum vitio afflictis gradiendi reſtituta facultas. Aluiti corpus in templo maximo tumulatum eſt. Iſidori in Ioannis Baptiſtæ loco ſublimi atque præclaro. vnde conſequenti tempore factum, vt ædes illa veteris Ioannis Baptiſtæ nomen, Iſidori appellatione mutarit. Miraculum auxit, cum iumenta quæ vtrunque corpus portabant, ſponte ſua nullo ducente ad vtrunque locum conſtitiſſent. Nec me præterit ancipiti hæc hominum opinione æſtimari: ſed quia non noua dicuntur, ſed tradita olim ab aliis, fidem auctores præſertim Lucas Tudenſis, qui hæc ſcripſit libro dicato, ſibi vindicent. noſtrum eſt antiquis monimentis teſtata, integra fide litteris mandaſſe. Vincentii, Sabinæ & Chriſtetæ corpora, Abula per idem tempus tranſlata ſunt, vt Pe-

lagius

Digitized by

lagius Ouetenſis eſt auctor: Vincentii Legionem, Sabinæ Palentiam Chriſtetæ in Sancti
Petri cœnobium, quod ad fluuium Aslanciam ſitum eſt. Coiancæ (quæ nunc Valentia in
Ouetenſi agro eſt) Rege Ferdinando & Regina Sanctia diſceptantibus, procerum, & Epi-
ſcoporum nouem conuentus eſt habitus anno milleſimo quinquageſimo. In eius legibus 1050
promiſcue populo mandatur. Diebus Dominicis nocturnis diurniſque precibus intereſ-
ſe, quæ ſtatis horis in templis decantantur. Tum omnibus diebus Veneris per annum ie-
iunia ex ritu eccleſiaſtico inſtaurare. Præterea duæ regiæ puellæ, Maurica ſuperſtitione
abiecta, Chriſtiana ſacra ſuſceperunt: Caſilda Almenonis Toletani Regis, & Zaida Bena-
beti Regis Hiſpalenſis filia. Caſilda prior cum eſſet à tenera ætate ingenio facili, & ad hu-
manitatem propenſo, in domo paterna Chriſtianos, qui magno numero captiui teneban-
tur, vitamq; in luctu & ſqualore calamitoſam agebant, cibo & rebus omnibus recreare ſo-
lita erat clam patre. Quem memorant, re indicata, filiæ latebras aditusque omnes diligen-
ter obſeruaſſe: deprehenſamq; aliquando, cibos, quos in ſinu ad captiuos ferebat, repente
in flores, roſaſque mutatos, patri ecquid ferret cum magno animi motu roganti, veſte ex-
plicata monſtraſſe. Quo illa miraculo percita monitaque diuinitus, ſi à fluxione ſangui-
nis ſanari cuperet, qua curanda medici omnia artis remedia fruſtra conſumpſerant, in la-
cu D. Vincentii nomine, quod in agro Virueſcano eſt, ablueret, ad noſtra ſacra adiecit
animum. Pietatis officia diuinum numen, Chriſtianæ religionis luce volebat compen-
ſare. Itaque à patre, cum quo rem omnem communicarat, pro iure amicitiæ, quæ illi eſſe
cœperat cum Chriſtianis, ad Ferdinandum Regem miſſa eſt, eius morbi curandi cauſſa.
Morbo depulſo, & aquis ſalutaribus ritu Chriſtiano expiata, diuini beneficii memor, im-
memor patriæ: in rupis faſtigio quæ ad lacum eſt, domuncula exædificata, ſanctiſſimam
vitam exegit, multis illuſtrem miraculis. quo merito in cæleſtium numero locum habet,
templiſque recepta eſt. Tertiodecimo Aprilis die, eius memoria anniuerſariis ſacris cele-
bris eſt in nonnullis eccleſiis Hiſpaniæ. Caſildæ exemplo, ſiue ſua ſponte incitata Zaida,
lauacro Chriſtiano ex noſtro more luſtrata, in Alfonſi Regis nuptias poſt aliquot annos
conceſſit. Prodigia, quæ Iſidori corpore exportando contigiſſe diuinitus paulo ante di-
ctum eſt, multum contuliſſe viſa ſunt, vt in ſuſcipiendæ Chriſtianæ religionis voluntatem
vehementer incumberet. Acceſſit ſomnium, in quo diuum Iſidorũ viderat in auguſta ſpe-
cie, blandaque voce, vt rem maturaret monentem. Rex pater conſilii incertus, cum nec
filiæ precibus reſiſti poſſet, & ſuæ gentis animos alienare nollet, ſi eo concedente intelli-
geretur filiam factam eſſe Chriſtianam: re cum Alfonſo Ferdinandi filio tandem com-
municata, optimum viſum eſt, vt ſimulatis inimicitiæ cauſſis, cum manu militari in Hiſpa-
lenſem agrum ipſe irrumperet: filiamque ex compoſito idoneo loco conſtitutam, eiuſq;
aduentum expectantem, quaſi vi captam raperet, in patriamque deduceret. Quæ res cum
ex ſententia proceſſiſſet, Zaida Chriſtianis moribus informata, noſtris imbuta ſacris, at-
que Eliſabethæ nomine indito (Mariam Rodericus ait) Alfonſo deinde nupſit, quo tem-
pore rerum in Hiſpania potitus eſt, vti competenti loco explicabitur. Pelagius concubi-
nam fuiſſe ait, ſtupri cum eo iunctam conſuetudine. verum hæc poſt aliquot annos
contigerunt.

Garſias Rex Vaſconum occiſus. CAPVT IIII.

IPSO anno quo Iſidori corpus Ferdinandi cura Legionem perlatum eſt, Chriſti mille-
ſimo quinquageſimo tertio, Garſias Vaſconum Rex in prælio occiſus eſt: animo ferox, 1053
militari laude præſtans, non Ducis modo prudentis, ſed etiam militis fortiſſimi partes im-
plere ſolitus. Diſcordiæ fraternæ ſemina ſuperioribus annis iacta ad maturitatẽ hoc tem-
pore peruenerunt. à paruis quidem initiis orta (vt fit) in magna tandem odia exarſerunt,
Garſiæque perniciem, quod minime oportuit. Ferdinandus Virueſcæ agrum & Riuogiæ
partem, tanquam ſui iuris repetebat. exoletis videlicet annalium exemplis, ad Caſtellæ
ditionem pertinere diſputabat. Garſias contra iniuriam ſibi factam regno diuiſo quereba-
tur: iuſque ſuum in priuata controuerſia, recentiſſimæ conſuetudinis vſu, & patris teſta-
mento tuebatur. Regnandi inexhauſta auiditas fraternos animos in præceps agebat: dum
vterque paruum quiddam inſtar eorum, quæ ſpe ac magnitudine animi concepiſſet, re-
gni ditionem ducit, quæ humanæ felicitatis magna labes eſt. Ferdinandum aliquando of-
ficii cauſſa inuiſentem, Garſias frater cum Anagari æger eſſet, retinere voluit donec po-
ſtulatis ſatisfaceret: niſi indicio ille opportune facto, fuga periculum declinaſſet. Inuidiæ,
quæ ex ea ſuſpicione grauiſſima exarſit, quaſi pro officio maleficium reddidiſſet, ſtudio
depellendæ procurandæque, Garſias Burgos abiit: vbi Ferdinandum fratrem ex aliquãto

ſpatio & ipſum ex morbo decumbere nunciatum erat. Ille tempus veniſſe ratus iniurias vindicandi, iuriſque obtinendi, in cauſſa de qua diſceptatio erat, Garſiam fratrem in cuſtodiam tradit ad Ceiam oppidum. Inde breui cuſtodibus corruptis in Vaſcones euaſit: & doloris vlciſcendi cupiditate inflammatus, magnis delectib. tota ditione habitis, Maurorum præterea auxiliis euocatis, in Caſtellæ fines irrumpit: atque Aucæ montibus ſuperatis, late populationes facit. Ferdinandus collecto numeroſo exercitu, quem ex ſuperioribus bellis valde exercitatum habebat, obuiam procedit bellum defendere, quod tanta vi inferebatur, quam iniuriam facere paratior. Ad Ataporcam (nomen id oppido eſt ſextodecimo ab vrbe Burgis lapide) in conſpectum ventum eſt: & poſitis caſtris vtræq; acies ad pugnam inſtructæ. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis quiſquam ea tempeſtate Ferdinando par erat. Garſias ferox natura, rapidus in conſiliis, ac lingua immodicus militum animos vehementer alienarat: nam multos antea importuna auiditate tota ditione, bonis euerterat, criminibus ſiue veris ſiue aſſimulatis: & ſub ipſum conflictum de ea re à pleriſque appellatus, vt damna reponeret iis qui pertulerant, eorum preces conſtanter repulit: ne alieno tempore, cum audacia opus erat, timoris ſignificationem daret, & expreſſa neceſſitate benignitas eſſe videretur. alioqui ſuperbas aures habebat, dicta contumelioſa, aditus difficiles, & contagione rerum alienarum erat corruptus animo. Vir primarius, cuius nomen clã eſt, de facto conſtat, pro eo quod Garſiæ Regis teneram ætatem rexerat, gratia apud eum & auctoritate plurimum valens exacta prudentia, & ipſa canicie venerandus, cum in quanto periculo res eſſent prouideret, fœdere ſanciendo ſtagebat à prælii cogitatione Reges auocare. tentata pacis ſpes eo annitente, datumque à Ferdinando vt prior de pace fratrem appellaret. miſſus caduceator varios & commutabiles præliorum euentus eſſe docuit. quæ à fratre per errorem commiſſa erant, debere eum humanæ imbecillitati, communi omnium ſaluti, condonare: neque dum priuatum dolorem vlciſci parat, rem Chriſtianam in præceps dare, alienaſq; iniurias innoxio ſuorum ſanguine vlciſci velle. Paratum ſe ſatisfacere, quantum delecti arbitri in re præſenti iudicarent. Quod ætatis auctoritati, & fraternæ indulgentiæ datum erat vt prior de pace interpellaret, caueret timorem interpretari. infirmi id animi ſignificationem eſſe ſuſpicari, fore proculdubio exitiale. ſe enim cum numeroſas & validas copias ſub ſignis habeat, quod ne ipſe quidem ignorabat, modeſtia, iuſtitia, atque æquitate ſuperare voluiſſe: orbique teſtatum facere, haudquaquam ſua voluntate ingentem cladem ſuſcipi, quam iam prouidebat animo. Additæ ad hanc orationem pædagogi preces & lacrymæ. Regem tamen, quem in exitium fata rapere videbantur, neque gratia flectit, neque auctoritas frangit, neque præſens periculum mouet. Ergo ab vtraque parte pugnæ ſignum datur, & magno animo in prælium concurritur. Garſiæ pædagogus paucitate, imbecillitate, & alienatione ſuorum perſpecta, cum de victoria deſperaſſet, neq; patriæ exitio ſupereſſe vellet, deuouit ſe: & inermis arreptis tantũ gladio & lancea militari, in aciem hoſtium irrupit, prælianſque occidit. Reliqui Ferdinandi impetum non tulerunt. res trepidæ, metus ingens, malum vrgens Vaſcones exagitabat. duo milites Vaſcones, cum à ſuo Rege paulo ante defeciſſent, ad regiam cohortem ferro penetrantes, Garſiam haſta traiectum peremerunt. Cadente Rege reliqui omnes in fugam acti. Ferdinandus victoria lætus, fratriſque caſu conturbatus, militibus ſuis mandauit, vt Chriſtianis parcerent. Mauros ex fuga palatos paſſim per agros, magno numero aut interfecerunt, aut in captiuitatem egerunt. Garſiæ Regis corpus militibus datum, Anagarique tumulatum eſt in D. Mariæ, quam ipſe ædem ab imo totam extruxerat. Ex Stephania vxore, quam ex Gallia duxerat patre ſuperſtite, quatuor filios reliquit, totidem filias. Sanctium, qui continuo in regno ſucceſſit, Ramirum cui pater Calagurris principatum, quam Mauris abſtulerat dono dederat, Ferdinandum & Raymundum, Ermeſendam, Semenam, Maiorem, atque Vrracã quæ Garſiæ Comiti nupſit, ei de quo ſermo nobis deinceps eſt rediturus. Occiſi imperium, vtriuſque fratris armis laceratum imminutumque eſt. Ferdinandus oppida & vrbes, de quibus controuerſia erat, nullo reſiſtere auſo in poteſtatem redegit: Virueſcam, Aucæ montes, & Riuogiæ partem eam quæ ad Ogiam pertinet: quod flumen in vicinis montibus, vbi D. Dominici Calciati fanum eſt, ortum atque in vicinam planiciem dilapſum locis Riuogiæ nomine dato, ad Harum municipium in Iberum influit. Reliqua Riuogiæ pars, & Vaſcones, atque Cantabriæ ducatus, Anagarum, Lugrunium, aliæque vrbes & oppida in Sanctii ditione manſerunt. Aragoniam huius belli progreſſu, beneficioque Ramirus armis recepit, ſpe complexus regnum vniuerſum occiſi fratris. Nam ſe Aragoniæ, Suprarbis, Ripagorſæ & Pompelonis Regem, vt ſchedæ veteres teſtantur, per hæc tempora nominabat. & ſucceſſu elatus Mauris, quorum reliquiæ ſupererant in

Ripagorſæ agro ditioneque, Benauarrium illato bello abſtulit. Demum inter Ramirum & Sanctium nouum regem fœdus ea lege eſt factum: vt vtrinque arces inter ſe traderent loco obſidum. Rueſta & Pintilla Sanctio datæ. Sangueſa, Lerda, & Onduesium Ramiro. Cura vtroſque ſolicitabat, ne dum mutuis diſſidiis indulgent, Ferdinandi viribus, quæ formidabiles eſſe ceperant, finitimis carperentur. contra eum ergo arma ſociare, eoſdemque inter ſe amicos & inimicos habituros eſſe pacti ſunt.

Ab imperio Germanico eximitur Hiſpania CAPVT V.

QVo tempore bellis ciuilibus ardebat Hiſpania, Germaniæ imperium (nam in eam prouinciam annis ſuperioribus ex Gallia migrauerat) Henricus eo nomine ſecundus regebat. Romanæ eccleſiæ Pontifex ſupremus & maximus erat Leo nonus. Leonis ſucceſſor Victor eo nomine ſecundus pontificatum adeptus, cupienſque ſacrati ordinis mores & vitam ſuperiorum temporum licentia nimium laxatos, maiori ſeueritate coercere, Florentiæ, quæ Hetruriæ caput eſt, Epiſcoporum concilium egit anno milleſimo quin- 1055
quageſimo quinto. Ex eo conuentu Hildebrandus ex Cluniacenſi monacho Subdiaconus Cardinalis, cuius magna erat opinio probitatis, & ingenii dexteritate ad verſandos hominum animos valebat maxime in Germaniam atque Galliam dimiſſus eſt, vt Imperatorem de reuocanda veteri diſciplina appellaret: Turonis Galliæ vrbe eos motus compeſceret, quos Berengarius eius eccleſiæ diaconus, nouis de religione opinionibus excitarat. In eodem conuentu, vt noſtrorum hiſtoriis memoriæ proditum eſt, Henrici legati eius iuſſu & verbis querimonias & mandata ad Patres detulerunt, quorum hæc ſumma erat. Regem Ferdinandum contra morem maiorum & legum præſcripta facere, qui ſe imperii Romani iure exemptum ferret, & incredibili arrogantia ac leuitate in ipſum imperii nomen inuaderet. Atque ego, inquit, eam iniuriam libenter tolerarem (tantum apud me tranquillitatis ſtudium poteſt) ſi nullam præterquam dignitatis noſtræ iacturam fieri viderem. Sed in conſilio capiendo Patres omnem orbem, quam late imperium Chriſtianorum patet reſpicite: cuius incolumitas ſtare non poteſt, niſi ſit vnus, cuius auctoritatem cuncti reſpiciant, cuius imperio deuincti ſint, obtemperent voluntati. Reſpicite ſacroſanctam Pontificum maieſtatem, quorum fluxa auctoritas eſt, niſi Imperatorum (quos ea de cauſſa in orbe Chriſtiano proximum poteſtatis locum obtinere voluerunt) armis & potentia muniatur. Naſcentem temeritatem in ipſis incunabilis comprimite: ne prauum exemplum ceſſatione noſtra, diſſimulatione veſtra ad alios promanet: & cæteris omnibus prouinciis ad dulce & ſæpe fallax libertatis nomen arrectis, imperii & pontificatus ſacroſancta maieſtas ad inanem appellationem perducatur. Sacrificiis ex ritu Chriſtiano Hiſpaniam interdicite, Regiſque inſolentis caput diris execrationibus defigite. quod ſi feceritis, honori eccleſiæ me non defuturum profiteor, & reipublicæ ſalutem vna vobiſcum curaturum, quæ in periculum vocatur: ſin timore defugitis, me honori imperii non defore, mihique priuatim conſulere certum habeo. Secundum eam orationem Patres eam rem ſibi curæ fore reſpondent. re deliberata, Victor pronunciauit, Henricum (cuius rebus vt faueret natura cogebat: erat enim natione Sueuus) videri æqua poſtulare. Miſſi legati Ferdinandum verbis Pontificis & Patrum monuerunt, vt imperio deinceps ſatisfaceret, & Imperatoris nomine abſtineret: quod neque legibus, neque auſpicato deſumpſerat, dira omnia niſi continuo pareret comminati. Rex ancipiti cura anxius ſiue morem gereret ſiue parere recuſaret, ne ex vtraque parte grauiſſimis perpetuiſq; malis Hiſpaniam implicaret: concilio gentis coacto de tanta re diſputare conſtituit. Variæ dictæ ſententiæ. Pars, quorum religione animi tacti erant, obtemperandum iudicabant: ne Pontificem & Patres in ſuum caput irritarent, & bello implicarent Hiſpaniam, quod futurum prouidebant, & quod omni ratione vitandum videbatur: cum vires prouinciæ in plures Reges diſtractæ, & inteſtinis motibus debilitatæ eſſent: tantumque hoſtium Chriſtiani nominis, Hiſpaniæ viſcera fatigaret. Pauci priſtinæ virtutis memores iugum Hiſpaniæ libertati imponi grauiſſimum ſi morem gererent, diſputabant: quod ceruicibus admiſſum, haudquaquam excuti poſſet. præſtare in acie mori, omneſque acerbitates pati, quam tanto malo & indignitate Rempublicam implicari. Rodericus Diacius ea tempeſtate, opinione virtutis ſingulari, viuido ingenio, in ipſo ætatis vigore circiter annos triginta natus erat, bonus conſilio, manu promptus: qui Gormatii Comitem Gometium non multo antea, in priuata contentione, adacto in viſcera gladio peremerat. Occiſi patris, pro quo ſupplicium debebatur, merces Semenæ filiæ coniugium fuit: cum illa iuuenis virtutem admirata, ſibi virum dari, aut lege in eum agi Regem poſtulaſſet. Rodericus ad paternam ditionem, dotali

principatu occiſi ſoceri auctus, viribus & potentia validus, quinque Maurorum Regulos, qui Aucæ ſaltu ſuperato, in Riuogia excurſiones faciebant, cum tumultuaria manu prælio vicit: prædaque omni adempta captos ea lege dimiſit, vt ſibi vectigales eſſent, & quotannis tributum quod imponebatur ex fide penderent. Accidit vt Zamoræ (quam vrbem ex quo Ramiro tertio Rege euerſa erat, iacueratque proſtrata, Ferdinandus reficiendam curarat, datumque ciuibus, vt ſuis legibus, hoc eſt antiquis Gothorum viuerent, pactum vectigal quinque Regulorum legati repræſentarent, Cidumque honoris cauſſa vocarent: quod nomen Arabum lingua dominum ſignificat. vtrunque coram Rege & aliis principibus factum. quæ res multorum illi inuidiam conciliauit. & eſt natura inſitum vt recentem aliorum felicitatem malignis oculis aſpiciamus: modusque fortunæ à nullis magis exigatur, quam qui in æquo fuerunt paulo ante. Rex id nomen ratum illi eſſe voluit: eoque deinceps per totam vitam cohoneſtatus eſt, veteris appellationis nulla ferme memoria. Sunt qui de Calagurris poſſeſſione vrbis ad Iberum ſitæ, Ferdinandus & Ramirus Reges cum diſceptarent, rem ad ſingulare certamen deductam affirment, & pro Ramiro Martinum Gometium, pro Ferdinando Rodericum pugnaſſe. Victum ac trucidatum in certamine Martinum, vnde origo generis ei familiæ, cui à Luna cognomen eſt in Hiſpania vetuſtæ & nobiliſſimæ, & quæ tot inſignes viros procreauit. quæ vt tanquam falſa reiiciam, facit Garſiæ Vaſconum Regis armis eam ciuitatem Mauris ablatam eſſe, vti paulo ante dictum eſt: nihilque in ea iuris Aragonio Regi eſſe potuiſſe. Omnino Rodericus noui coniugii illecebris, multiſque ex eo negotiis implicitus, quo tempore de imperii iure ſuſcepta deliberatio eſt, concilio gentis non interfuit. Regis animus cum ætatis inclinatione ad pacem quam bellum propenſior erat: tametſi non ignorabat haud a paruo initio ius libertatis imminui: rogari tamen Roderici ſententiam placuit, priuſquam certi aliquid conſtitueretur. Negat ille conſilii rem eſſe. armis defendendum, quod armis erat partum. Iniquum videri alienæ virtutis fructum ad eos redire, qui rebus perditis periculum & laborem non communicaſſent. Nonne, inquit, emori per virtutem præſtat, quam libertatem à maioribus partam ludibrio eſſe genti barbaræ & immani: quæ præ ſe omnes homines contemnit: cuius ſuperbæ ſunt aures, contumelioſa dicta, aditus difficiles, nouæ crapulæ, inhumana crudelitas? An qui modo vix Maurorum ſeruitutem euaſimus, nouum à Chriſtianis paratum ſeruitium ſuſcipiemus? Ludibrio nos & noſtra habent. Vniuerſus orbis, quam late nomen Chriſtianum patet, Germanis Imperatoribus paret ſcilicet? Omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ noſtro & maiorum ſanguine parta Germanis cedent: nobis relinquent pericula, repulſas iudicia, egeſtatem? Romani imperii iugum, quod maiores noſtri excuſſerunt, reponet Germania? erimuſque vulgus ſine gratia, ſine imperio, ſine auctoritate: iis obnoxii, quibus ſi vigeret animus, ſi viri eſſemus formidini eſſe deberemus? At difficile eſt Imperatoris conatibus reſiſtere, Romani Pontificis iuſſis non obtemperare. verum infirmi animi eſt, pro belli timore incerto, certiſſimis malis rempublicam implicare. multa experiundo fiunt, quæ ſegnib. ardua eſſe videbantur. Occupauit neſcio quæ multos torpedo, quos neque gloria mouet, neque flagitii infamia: ſatis magnam libertatem ratos, quod à flagris abſtinetur. Tam auerſas Sanctiſſimi Pontificis aures à rebus noſtris fore non arbitror, vt non iuſtiſſimis precibus, atque æquitate cauſſæ moueatur: mittantur modo, qui noſtræ libertatis cauſſam audacter coram eo tueantur, doceantque iniqua petere Germanos. Mihi ſtat ſententia, armis ſuſceptam à maioribus libertatem tueri, aduerſus omnium hominum conatus. hocque ipſo gladio defendam patriæ proditores eſſe nequiſſimos, quicunque aut ineptæ religionis ſimulatione, aut præpoſteræ cautionis ſpecie diuerſum conſilium dabunt: neque maiori cura ſtatuent ſeruitutem repudiandam, quam illi dominationem appetunt. Quantum quiſque patriæ libertati ſtudebit, tantum illi aut amicus ero, aut infenſiſſimus aduerſarius. Vicit Roderici ſententia, atque ſecundum eam Pontifici quidem reſponſum datum. aduerſus autem Imperatoris conatus, magnis tota prouincia delectibus, numeroſus exercitus conflatus. in quo decem millia militum erant, adiunctaque Maurorum auxilia, ex iis vrbibus, quæ Regi vectigales erant. copiis omnibus Rodericus præpoſitus, cuncta adminiſtrare iuſſus. Ad hunc imperii ſumma reſpiciebat. Placuit ad oſtentationem virium ſuperatis Pyrenæi ſaltibus in Vaſcones penetrare. Toloſam vſque peruentum, vrbem ea tempeſtate amicam (ſic puto:) vnde honeſtiſſima legatio ad Pontificem miſſa, obteſtatum vt re diligentius perpenſa mitteret, qui coram in re præſenti de iure imperii diſceptarent. Eius legationis princeps Rodericus Comes erat, alius à Cido, & Aluarus Fannius Minaia. iis agentibus facile ab æquiſſimo Pontifice eſt impetratum, vt Rupertus Sanctæ Sabinæ Cardinalis cum ampliſſimis mandatis, præterea

terea Imperatoris legati, eius controuerſiæ componendæ cauſſa venirent in Hiſpaniam Toloſæ vbi legati conſtiterunt, Ferdinando Rege interea in patriam reuerſo, agitata cauſſa, atque pro libertate Hiſpaniæ pronunciatum eſt: decretumque Germanis nullum deinceps ius in Hiſpaniæ Reges fore. Quod ab eo initio ſuſceptum, confirmatumque populi deinde moribus, conſenſu cæterarum gentium, & publica iureconſultorum ſententia, & iudicio eſt comprobatum. tantum plerunque præſidii rebus communibus, in vnius viri virtute & prudentia ſitum eſt. Romani præterea Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem reddere cogitarunt: vti argumento ſunt litteræ Gregorii ſeptimi ad Reges, Comites, cæteroſque Principes Hiſpaniæ, id confirmantis antiquis temporibus obſeruatũ, priuſquam à Mauris Hiſpania eſſet euerſa. Verum iis conatibus nihil eſſe profectũ, ac vero pari animorum conſtantia itum obuiam, rerum euentus declarat, retenta ſemper à noſtris immunitate. Roderici genus ad Lainum Caluum referebatur Caſtellæ Iudicem, vt eſt ſuperius indicatum. Ex eo enim & vxore Eluira Nunnia Bella Ferdinandus natus eſt. ex Ferdinando Nunnius. hic ex vxore Egilona genuit Lainum Nunnium, cuius filius fuit Didacus Lainus, nepos ex eo & Theraſia Nunnia Rodericus cognomento Cidus. Ex Roderico & Semena vxore Didacus Rodericus natus eſt: qui patre ſuperſtite in prælio à Mauris fuit interfectus. præterea filiæ duæ, Eluira, & Sol, de quibus deinceps in hiſtoria ſermo recurret. Aliquot deinceps Epiſcoporum concilia ſunt coacta. Primum Compoſtellæ anno milleſimo quinquageſimo ſexto. Actionum præſes Creſconius Compoſtellanus, qui 1056
ſe Apoſtolicæ ſedis Epiſcopum dicit. Affuere Suarius Dumienſis, & Viſtrarius electus Lucenſis Metropolitanus. Præterea presbyteri, diaconi, clerici, Abbates. In eo concilio multa ſunt conſtituta præclare, tum illud: Vt Epiſcopi & presbyteri quotidie diuina hoſtia ſacrificarent. Canonici cilicium penes ſe haberent, quod induerent ieiunii tempore, & quoties diuino numini litaniis placando datur opera. Iaccæ in ditione Ramiri Regis alter Epiſcoporum conuentus habitus ſalutis anno milleſimo ſexageſimo Sanctii Aragonii, 1060
Paterni Cæſarauguſtani, Arnulfi Rotenſis, Guillelmi Vrgelitani, Heraclii Bigerronum, Stephani Olorenſis, Gomeſii Calagurritani, Ioannis Lectorenſis, Auſtindo Auxitano Archiepiſcopo actionum Præſide. Sacrorum ritus, qui temporum iniuria deprauati erant, reſtituti. Sacerdotum mores nouis inſtitutis exculti: iiſque mandatum ne alio more quam Romano precarentur. Epiſcopi ſedes Iaccæ conſtituta quæ olim Oſcæ fuerat: ea lege, vt captæ de Mauris Oſcæ honor priſtinus redderetur, Iacca etiam vrbe illi contributa, quod conſequentibus annis eſt factum. Biennio poſt in D. Ioannis Rupenſis, Ramiro Rege præſente, concilium Epiſcoporum fuit ad ſeptimum Kalend. Iulii, Sanctii Aragonii, Sanctii Pompelonenſis, Garſiæ Naiarenſis, Arnulfi Ripacurtienſis, Iuliani Caſtellenſis, Pontii Ouetenſis, atque aliorum Epiſcoporum magno numero. In eo concilio à Sanctio maiore ſuperioribus annis factum decretũ, vt Aragonii Epiſcopi ex eius cœnobii monachis legerentur, communi Patrum conſenſu ſancitum eſt. Per hæc tempora (nam de anno ſcriptores variant, nec certi quid conſtitui poteſt) Hugo à Pont. Rom. in Hiſpaniam Legatus Barcinone in Epiſcoporum & procerũ conuentu Raymundi Barcinonenſis Comitis voluntate, Gothicas leges, quibus ante vtebantur Catalauni abrogauit, nouaſq; ſanxit, vnde iura populis ad noſtram ætatem dantur. Hunc eſſe Hugonem illum Cardinalem puto cognomento Candidum, qui anno huius ſeculi ſexageſimo quarto ad Principes 1064
Hiſpaniæ eſt Roma legatus, cum duo ſummum pontificatum gererẽt: & vterque legibus creatum ſe diceret, Alexander & Honorius. Ab Alexandro, à quo Hugo miſſus erat, quoniam meliori iure nitebatur, Hiſpani Reges ſteterunt. Is Legatus vt Gothica precandi ratio abrogaretur, quamuis magno conatu obtinere non potuit. Miſſi contra Mantuam in Gallia Ciſalpina, vbi de ſchiſmate conuentus Epiſcoporum habiti ſunt, Epiſcopi tres, Munio Calagurritanus, Eximius Aucenſis, Fortunius Alauenſis Gothicos libros quos ſecum detulere Pontifici & Patribus probarunt quaſi orthodoxos, nullaque vitioſos parte.

Reliquæ actiones Ferdinandi. CAPVT VI.

PROXIMOS Reipublicæ motus & litem quæ cum imperio extitit, Mauri ad occaſionem vertentes rebellandi, excutiendique imperii iugum, quod illis impoſuerat Ferdinãdus ſuperioribus annis: eodem tempore quaſi ex compoſito correptis armis, in Carpetanis & Celtiberia à regia auctoritate deficere viſi ſunt. Erat Rex ætate grauis, bellis feſſus, quæ per totã vitam multa & grauia geſſerat. Erat præterea tãtis ſumptib. regium ærariũ exhauſtum, vectigalium grauitate, vt fit, feſſi prouinciales. Sanctia Regina virilis animi fœmina, religio-

nis propagandæ cupidiſſima, noui belli ſuſcipiendi auctor extitit: auroque & argẽto, quod in priuatos vſus cultumq; corporis compararat, Ferdinandum vltro iuuit. Ille his ſubſidiis ſubleuatus, contracto vndique numeroſo exercitu, in hoſtium fines impetum fecit ſecundum Iberum flumen late populationes factæ. in Catalaunos & Valentiæ agrum cum ferro penetraſſet, exercitum præda Maurica grauem reduxit. In Carpetanos pari exitu & felicitate bellum adminiſtratum. vtrobique victor cum victis leges dediſſet, Regeſq; vectigal, vt facere conſueuerant, pendere in præſens, & in futurum polliceri compuliſſet, triumphantis in morem in patriam rediit. Ad Valentiam quidam Iſidori, quem per totam vitam coluerat, & cuius per quietem formam videre ſibi viſus fuit, oraculo monitum eſſe tradunt diem obitus ipſi inſtare: proinde expiandæ animæ ſuperos propitiandi, ad quos breui diſceſſurus erat, diligentem curam gereret. Oraculi veritatem morbus qui continuo Regem inuaſit, manifeſto declarauit. Rex fide data, & captiuis receptis, prædaque omni abacta quam ceperant, gentes eas in deditionem cum accepiſſet, caſtris inde motis, Legionem ſe deferri curauit, lectica ſcilicet militari, quam pro ſe quiſque milites, ac viri primarii ſubire certabant. tantus erat cunctorum ordinum amor. Eius ſeculi anno ſe-
1065 xageſimo quinto, nono Kalend. Ianuar. die ſabbathi in vrbem peruenit: vbi de more ſacra corpora ſanctorum veneratus, & felicem vitæ exitum precatus, lacrymis toto ore manantibus & corpore ad terrã proſtrato: tametſi ægritudo ingraueſcere videbatur, ipſa nocte qua Chriſti Dei inter homines nati memoria recurrit, nocturnis precibus interfuit. ſequenti luce re diuina procurata, corporis & ſanguinis Domini perceptione expiatus eſt. die altero, ad D. Iſidori delatus magnis vocibus, vt omnes exaudirent, ad Deum conuerſus coram Iſidori ſepulchro: Tua eſt, inquit, potentia, tuum eſt regnum Domine: tu es ſuper omnes Reges: tuo imperio omnia ſunt ſubiecta: quod te largiente accepi regnum tibi reſtituo. tuam tantum clementiam imploro, vt animam meam in æterna luce iubeas collocari. Hæc dixit: poſitiſque diademate, & inſignibus regiis, trabeaque detracta, quibus exornatus venerat, ab Epiſcopis qui magno numero aderant, pœnitentiæ & ſacræ vnctionis remediis ex ritu Chriſtiano procuratus, indutus cilicio, conſperſus cinere, die tertio, qui Ioannis Euangeliſtæ memoria ſacer eſt, hora ſexta extremum ſpiritum edidit. Iuxta patrem ſuum in eodem templo tumulatus eſt. Exequiæ funeris veriſſimis totius populi lacrymis celebriores fuerunt, quam pompa & apparatu principali: quæ tanto Principi deeſſe non potuit. Hæc ex Roderico Præſule, & Luca deſumpſimus: haud ignari eſſe qui Cabezonii oppido prope Valliſoletum noto, extinctum fuiſſe Ferdinandum affirment, ac ne de tempore quidem conueniunt. Nos quod veritati proximum viſum eſt, id ſecuti ſumus, neque ad arbitrium noſtrum reuocamus de tantis rebus diſceptare, ſtatuereq;. Sane Ferdinandus dum vixit, inſigni pietate fuit, quo merito Legione anniuerſariis ſacris eius memoria celebratur: & in cælitum numero locum habet. Præcipua liberalitate & munificentia pleraque tota ditione templa, aut denuo excitauit, aut muneribus auxit, Legione præſertim D. Iſidori, & D. Mariæ de Regula, monaſteria. In Vaccæis. S. Facundi cœnobium in quo præſertim cum ætatis inclinatione, quo tempore in pietatis ſtudia diligentius incubuit, multus intereſſe ſolitus erat: vſque eo vt cum ſacerdotibus diuinas laudes publice caneret, atque in communi triclinio cibũ cum monachis ſumeret paratum ſcilicet frugalemque. Accidit vt vas vitreum ab Abbate acceptum, inter Regis manus eſſet collapſum, quod ille aureum continuo reſtituit, vt Rodericus Præſul eſt auctor. additque Legione in templo maximo ob anguſtiam rei familiaris templi miniſtros nudis pedibus incedere: (tam rude ſeculum, tanta rerum neceſſariarum inopia inter Hiſpanos erat) id Rex cum vidiſſet, annuos reditus ad comparandos miniſtris calceos deſignaſſe: mille aureos Cluniacenſi monaſterio annuos ex regiis vectigalibus pendi mandaſſe. Regina Sanctia pari pietate fœmina à viri morte biennio decurſo in contemplatione vitæ per virtutem actæ, & pietatis ſtudiis, Legione tertiodecimo Decembris die extincta eſt, & prope viri ſepulcrum poſita.

Ramirus Aragoniæ Rex occiſus. CAPVT VII.

EX Ferdinandi Regis teſtamento, regnum trifariam diuiſum in trium filiorum eius ius ditionemque conceſſit. Sanctius natu maximus Caſtellæ imperium, Piſorica atque Ibero terminabat: quidquid enim à Garſiæ Regis morte Vaſconibus ablatũ erat, ad veteres Caſtellæ fines ſubiunctũ eſt. Legionis regnũ Alfonſo legatum: Cãpania, & Aſturum pars, quæ ad Dæuam fluuiũ pertineret, qui Ouetum præterfluit: præter hæc nõnullæ in Calæcia ciuitates.

ciuitates. Garſiæ natu minimo reliqua Calæcia data eſt, & Luſitaniæ pars illa, quæ in Chriſtianorum poteſtatem domitis pulſiſque barbaris erat redacta. omnes reges vocati. Vrracæ Zamora, Eluiræ Taurus ceſſerunt. Quæ vrbes Infantaſicum dictæ ſunt, voce ea tempeſtate vſitata ad eam hæreditatis portionem, quæ minoribus Regum filiis vitæ ſuſtentandæ cauſſa obueniebat, ſignificandam. Haud quietæ res eſſe poterant, in tot imperia, Regeſque diſtractæ: & Ferdinandi obitu, expectatione magnorum motuum & conſiliorum ſuſpenſa erat Hiſpania. quod nonnulli proceres prouidentes prohibere conati ſunt, grandæuumque Regem à diuidendi regni ſententia, menteque deducere, quo tempore in regni conuentibus de ea re ſuſcepta deliberatio eſt. In his Arias Gonſaluus priſci moris vir, qui magnum ſibi locum apud ſuperiores Reges bellica fortitudine, rerum vſu, generis nobilitate, prudentiæ opinione, atque multis & magnis in rebus ſpectata fide comparauerat. Salutaria monita patrius amor, & potentior fortuna diſcuſſit. Sanctius eximia formæ dignitate erat, virium robore præſtanti, belli quam pacis artibus inſtructior, vnde illi Fortis cognomen. Tractabili ingenio, & miti, niſi aliqua iniuria prouocaret, & ſpecie bonarum artium amici falſi, & fallaces corrumperent. Is defuncto patre iniuriam ſibi factam regni diuiſione querebatur: quod ob ætatis prærogatiuam integrũ debebatur, multis imminutum partibus debilitatum. Hæc arcano cum amicis, & palam præ ſe ferebat. Cæterum ne continuo in fraternam ditionem armis inuolaret, matris quandiu vixit auctoritas retinuit: præſertim cum mortuo viro, Legionenſe regnum, quoniam dotale erat, ad eius arbitrium reuocatum eſſet. Regnauit annis ſex, menſibus octo, diebus quinq; & viginti. & initio quidem initi principatus nouum illi bellum in Mauros primum natum eſt: deinde etiam in Aragonios: vt ferme bella ex bellis apta nexaque ſunt, neque res commotæ ſemel in vno gradu reſiſtunt. Ramirus Aragoniæ Rex felicibus armis imperii fines proferendo, barbarorum reliquias, quæ ſupererant, vniuerſa ditione expulerat, & victoriarum curſu Almugdaditium Cæſarauguſtanum, & Almudafarem Ilerdenſem Reges, vectigales beneficiarioſque reddiderat. Oſcæ Regem aliquot præliis vicerat. Erant Carpetani finitimi Celtiberis, vtriſque Edetani, ad quos Cæſarauguſta pertinet. armis Ferdinandi ii domiti, pactique annuum tributum, pacem a victore redemerant. nunc partim Regum mutatione confiſi, partim Ramiri Regis armis, rebus nouis ſtudere nunciati ſunt. Sanctius nouus Rex expedito conſilio validas copias in eas gentes ducit. Nihil in nouis motibus celeritate ſalutarius. Itaque Carpetani priuſquam ſe plane commouere poſſent, ad officium redierunt. cum Celtiberis maius negotium, maiorque belli moles extitit. Agri longe lateque vaſtati. oppidis & pagis illatæ clades. Cæſarauguſta princeps eo tractu vrbs circumſeſſa a noſtris, & belli malis tandiu fatigata, donec deditionẽ facere compulſa eſt: ea lege, vt quoniam ab Aragonio fœdere diſcedendum erat, Sanctii armis à Mauris & Chriſtianis, ſicunde bellum ingrueret tuta eſſet. Eo fœdere haud dubium Aragoniæ arma mouebantur & Ramirum Regem Sanctius non obſcure querebatur cum Rege Vaſconum iurato hoſte arma communicaſſe, in Caſtellæ fines irruptione facta. Celtiberos Caſtellæ beneficiarios ſuæ ditionis ſubiugaſſe. Gradus arcem, quam Mauri ad Eſeræ fluminis ripam magnis operibus munierant, Ramirus obſidebat. Eam obſidionem vt ex fœdere diſſiparat Sanctius accurrit. Improuiſo eius aduentu Aragonii perculſi, & ſubita Maurorum irruptione à tergo & à fronte circumuenti alii fugere, alii arma capere: temporis momento magna pars vulnerati aut occiſi ſunt. Rex ipſe dimicans in pugna occubuit annum circiter milleſimum ſexageſimum ſeptimum: cum ſupra vnum & triginta annos 1067
genti imperaſſet. Corpus ad D. Ioannis Rupenſis primorum Regum ſepulcris nobile templum, ſepultum eſt. triſtiſſima victoria fuit, calamitoſa nomini Chriſtiano, Sanctio ipſi victori male ominata: cum à patrui cæde rerum ſuarum curſum auſpicatus eſſet. Extat Gregorii ſeptimi, qui proximo tempore Romanum pontificatum adeptus eſt, præclarum de Ramiro Rege teſtimonium: quo primum Hiſpanorum Regum ait, Toletanæ ſuperſtitionis (ſic Gothicam precãdi rationem vocat) per gentes fuſæ, & quæ mentes hominum ſtulta perſuaſione imbuerat, repudiatis erroribus, maieſtatem Romani moris, & cultus lucem in Hiſpaniæ terras inuexiſſe. Sedi Apoſtolicæ imprimis & maxime deditus fuit: prorſus vt regnum, ſeque, & liberos Romanis Pontificibus obnoxios, vectigaleſque fore, lege in æternum lata voluerit & ſanxerit. Sanctium è filiis natu maximum ſucceſſorem habuit annos natum duos de viginti, pari pietate virum: cuius ætate annoque milleſimo ſexageſimo octauo, Perpinianum in extrema Galliæ ora, haud procul Ruſcinonis vetuſtæ vrbis 1068
veſtigiis, Guinardi Ruſcinonenſis Comitis opera condita eſt, loco vbi gemina diuerſoria Bernardi Perpiniani erant: inde nouæ vrbi nomen. Sanctium Ramiri ſucceſſorem memorant Gothicas leges abrogaſſe, Barcinonis exemplo ſcilicet:

ſanxiſſe Cæſareas, & ſecundum eas iura populis dari. Vxorem habuit Feliciam Ermengaudo Vrgelitano Comite natam ex ea filios tres, Petrum Alfonſum, atque Ramirum deinceps Reges. ſtupro genitum Garſiam, qui alio tempore Iaccetanus Epiſcopus eſt creatus. Compoſtellanam eccleſiam ad hæc tempora Creſconius obtinuit, priſci moris integra probitatis opinione, præſtanti vir ingenio. Defuncto ſucceſſit Gudeſteus ex eadem familia, Creſconii propinquus. Hunc eccleſiæ ſuæ oppida repetentem, anno altero ex quo Pontifex renunciatus erat, in lecto nocturna vi oppreſſit, atque membratim diſcerpſit Froila auunculus. Diram rabiem, tetramque dominandi cupiditatem. In huius locum Didacus Pelagius cooptatus eſt. quo Pontifice in Hiſpania lex Toletana eſt, & lex Romana recepta: ſic hiſtoriæ Compoſtellanæ auctor ait. Legem nos Toletanam, ſacrorum ritus interpretabamur, ſiue diuina hoſtia ſacrificandum eſſet ſiue laudes diuinæ decantandæ ex Gallia Toletum aductos: inde in alias vrbes & oppida fuſos, Gothicis antiquatis, vti competenti loco explicandum eſt. Legem Romanam cœlibatus neceſſitatem viris ſacratis impoſitam inuectamque in Germaniam, Galliam, Hiſpaniamque, Pontificum Romanorum diligentia: quoniam eccleſiaſtica diſciplina multum ab antiquo collapſa, ac penitus labefactata erat.

Sanctius Caſtellæ Rex fratres inuadit. CAPVT VIII.

PATRVELES tres vno tempore in Hiſpania regnabant eodem omnes nomine, potentia non pari, vitæ exitu haud diſſimili. Sanctius Caſtellæ Rex recenti facinore contaminatus ferebatur in præceps: tametſi ditionis amplitudine, magnoque rei militaris vſu, cæteris formidabilis erat. Sanctius Vaſconum Rex anguſtis ditionis finibus imperabat. iunctis tamen eius & Aragonii Regis viribus, ambo aduerſus præualidum hoſtem alterna ope tuti erant, & paternas inimicitias communibus auſpiciis perſequebantur, non minori conatu, quam gloria. Ad Vianam in Vaſconibus, quo victor Rex Caſtellæ præoccupandi ſtudio hoſtium conatus ferro penetrauit, inſigni prælio dimicatum eſt. victus Caſtellæ Rex & magna ſuorum clade in patriam eſt repulſus. Duo Reges eodem victoriæ curſu in Virueſcanos & Riuogiam irrumpentes, quæcunque Vaſconum Regum ditione Ferdinādi armis erant ablata, priſtino imperio reſtituerunt. Conuerſis ad hunc modum noſtrorum animis ad ciuile bellum, externa ſine cura erant. ac præſertim Sanctius Caſtellæ Rex ne acceptas ſuperiori bello iniurias armis perſequeretur, nouo bello impeditus eſt: quod aduerſus germanos fratres impium ac nefarium ſuſcepit. imperii auidus, præcepſque ad explendam cupiditatem ferebatur, viribus & potentia ferox. fratrum imbecillitas animos faciebat: neque ſatis concordes animi ad propulſandum periculum cōmune communibus armis. æqui atque honeſti abiecta cura. tantum apud Sanctium Regem auaritia poterat, & vtilitatis ſtudium. Igitur quam maximas poteſt copias armat, omni paternæ ditioni imperare parans. Alfonſus in quem primum irruere volebat, tametſi ad Garſiam fratrem, Regeſq; patrueles legatos miſerat, vt aduerſus communem hoſtem vires communicarent, omnium telis peti debere feræ inſtar crudelis & immanis; fretus tamen multitudine militum, & temporis anguſtia intercluſus, armis contendere parat. Vbi res ad certamē venit, virib. impar & copiis, victus ex prælio profugit, ac deinde Legionē contendit. Ad Plantacam oppidum pugnatum. deinde cum Alfonſus vires reparaſſet, ad Golpelaram, vt Pelagius Ouetenſis ait, (Rodericus Vulpeculariam vocat, oppidum ad Carrionis ripam ſitum) iterum acie dimicatum eſt. conuerſa belli fortuna, victæ fuſæque Caſtellæ copiæ. Ex re proſpere geſta ſecuritas nata victoribus. Rodericus cognomento Cidus Regem Sanctium, vt par erat, his omnibus bellis ſecutus, in re militari (vt ſuperius dictum eſt) virtute magnus, magnus diſciplina, cum quod futurum erat animo prouidiſſet, militem ex fuga retractum, ſummo mane hoſtium caſtra iubet inuadere. Illi vino ſomnoque ſepulti, nihil minus quā de prælio cogitabāt. In repentino metu, vt fit, ſibi quiſq; pro morib. cōſulit. pars fugere, pars arma capere omnes præcipere, nulli exequi quod faciendū videbatur. Itaque breui victi oppreſſique ab hoſtibus. Alfonſus ipſe in templo B. Virginis quod militari præſidio munitum erat, in oppido Carrione, quo præſidii cauſſa confugerat, 1071 captus miſſuſque Burgos, (anno milleſimo ſeptuageſimo primo dimicatum eſt) in eius vrbis arce in cuſtodiam eſt traditus. Inde concedente Rege Sanctio, in S. Facūdi cœnobium, quod ad Ceæ fluminis ripam ſitum eſt, ea lege migrauit: vt vita principali abdicata, & in ſacerdotis cucullati morem detonſus, vitæ Chriſtianæ inſtitutis purioribus excolendis per totam vitam vacaret. Vrraca ſoror impenſe Alfonſi rebus fauebat, propter ingenii ſuauitatem, morumque modeſtiam. Petrus Anſurius Comes ab eius latere, rebus quamuis

quamuis profligatis nunquam diſceſſit. Ii Sanctio primum eius conſilii auctores extiterunt, melioris fortunæ occaſionem non defore cogitantes: deinde Alfonſum hortati ſunt, vt veſte monaſtica, quam tempori inſeruiens inuitus ſuſceperat poſita, Toletum ad Almenonem Regem pro ea neceſſitudine, quæ illum inter & patrem fuerat, confugeret. Fecit ille quod monebatur: Toletumque ex fuga delatus, deductuſque ad Regem Maurum, hanc ſummam orationis, cum inter ſe ſalutaſſent, habuiſſe fertur. Quam vellem, Rex Almenon, quando ita futurum erat, vt Rex paulo ante felix potenſque, patria extorris, inops, & coopertus miſeriis externo præſidio indigerem, ad voſque confugerem ſupplex, meo aliquo merito tuam beneuolentiam promeruiſſe. Verum neque ætas mea, neque diſcrepantes de religione opiniones id hactenus tulerunt: & magnanimis Principibus, qualem te eſſe fama vulgauit, beneficii faciendi idonea ſatis cauſſa eſſe ſolet iniuria oppreſſos ſubleuare. Ego vt in malis gaudeo, à te potius quam ab alio quoquam Rege, præſidium fuiſſe poſtulandum: quem eximia benignitate pollere perſpectum habeo. Tu quoque lætare veniſſe tempus, quo Magni Ferdinandi proli benefacere poſſis. Quid etiam agerem, aut ad quem potiſſimum confugerem? præſidia omnia extincta ſunt. regni opibus frater germanus, ſi fratrem nominare fas eſt hominem omnium, quos terra ſuſtinet crudeliſſimum: ſed Sanctius tamen frater per iniuriam ſpoliauit. Belli cauſſa dominandi ambitio fuit. in Garſia fratre parum opis erat. cum in eum irruere præiudicatum habeat. patrueles infenſi rebus noſtris. Longinqua ergo fuga me tegere conſilium fuit, atque ad tuam opē confugere. Neque peto vt præualidum hoſtem mea cauſſa irrites, tuiſque viribus in regnum profugum reſtituere coneris. tametſi hæ preces ſæpe apud præclaros Reges locum habere ſolent: tantum exilio locum peto, rebus profligatis perfugium. In mœrore & luctu vitam, quæ tantum relicta eſt morte ipſa triſtiorem apud te exigam vna ſpe lætam, quod breui futurum mihi perſuadeo, vt qui nunc ſceleribus ſuis ferox eſt, rebus repente commutatis, excruciatus omnibus malis, impietatis ſuſceptæ in fratres & neceſſarios pœnas reddat. Quod ſi contingat ſpei noſtræ exitus par, ſi exorata numina aliquando opem tulerint: ingratum hominem beneficiique immemorem haudquaquam ſenties. Almenon glorioſum ducens tantum paulo ante Regem ad ſe ſupplicem veniſſe, eiuſque aduentum rebus ſuis commodum futurum cogitans, lætus pauca reſpondit. Eius ſe calamitatem miſereri. ferendum tamen æquo animo caſum, quem nulla ſua culpa aliena inhumanitas attraxit. Varias eſſe humanarum rerum vices. proinde aduerſam fortunam ferret in præſenti: in futurum meliora ſperaret. Secum quandiu vellet viueret: atque ita viueret, vt præter regiam dignitatem & patriæ deſiderium, quæ ad victum cultumque principalem forent neceſſaria, nihil defuturum certo ſciret. filii eum loco habiturum eſſe. Domus prope regium palatium, vt habitaret, deſignata, quo ferme nunc loco Conceptionis nomine virginum collegium extat ad Carmelitarum monachorum templum, quod eo tempore in poteſtate Chriſtianorum erat. vnde rei diuinæ procurandæ opportunitas, Regiſque conueniendi, quandocunque libitum eſſet. Fidem illius iuriſiurandi religione aſtringi placuit, Regiſque & regni commoda conceptis verbis iurare. Erat Alfonſus eximia formæ dignitate, modeſtus, prudens, à cupiditate omni remotus, inſigni morum facilitate. Hæc in natura inerant; maiora ipſe induſtria faciebat iiſque virtutibus, quibus cum vſus erat, facile ſtudia conciliabat. Vrraca ſoror de fratris incolumitate ſolicita, tres Anſurios fratres, Petrum, Gonſaluum, Ferdinandum Sanctii Regis permiſſu, quorum opera & conſilio rebus omnibus vteretur, cum his multos alios, vt præſidio ſimul honori & ſolatio eſſent, Toletum amandauit. Hos omnes Rex Maurus ſtipendia militaria facere voluit, vt eſſet vnde vitam ſuſtentarent. & quoniam eorum opera forti & fideli ſicunde bellum ingrueret, vti cogitabat: quod aduerſus finitimos Mauros libenter illi factitabant. Et cum à bellis otium erat, frequenti venatione vitam in exilio propagabant, loco idoneo villa exædificata, vbi venatores erant: quæ deinde in oppidum excreuit, cui nunc Brioca nomen eſt. Alfonſus ipſe Toleti multus apud Regem eſſe, & frequenti vſu barbari animum indies magis promereri. Accidit die quadam, vt remittendi animi cauſſa ad vicinum vrbi viridarium, quod Tagus amnis interfluit, eiuſque aquis tolonibus in ſublime elatis irrigatum, prouentu maximo præcipua amœnitate eſt, Regem prodeuntem proſequeretur. Alfonſum ſomnus inuaſit. Rex & proceres ſub vicina arbore conſidentes Toletum loci natura munitiſſimam eſſe diſputabant: prorſus vt nulla arte, nullis viribus expugnari poſſet. Tunc quidam ex aſtantibus maiori prudentia vir: Vnam, inquit, eſſe rationem vrbis capiendæ video, ſi quidem toto ſeptennio cōtinuata clade hoſtis fruges & fructus terræ corrumpat, obſeſſam haud dubium ciuitatem hanc

annonæ difficultate rediget in poteſtatem. Id Alfonſus non plane dormiens, auidiſſimis auribus accepit, memoriæque commendauit. Nam quod vulgo ſine locuplete teſte auctoreque fertur, Regem Maurum periculo admonitum, vt experimento diſceret, dormiret Alfonſus, an ſomnum ſimularet, liquatum plumbum in manum conieciſſe, indeq; perforatæ manus illi cognomen factum, ad nutricum cunas ablegamus: & ab eximia potius liberalitate id cognomen partum arbitramur. Contigit præterea alio tempore Alfonſi Regi aſſidentis capillos erigi, Rege barbaro ſemel, iterum, & tertio manu componere conato, quoniam denuo erigebantur: coniectores Mauri malum omen continere prædicabãt, regnumque illi portendi, ac de medio tollendum quamprimum iudicabant: ſuadebantq; oſtenti vim & ſignificationem negligendam non eſſe. Barbarus & ſua natura ad humanitatem propenſus, & Alfonſo beneuolentia conciliatus, induci non potuit vt fidem datam & iura hoſpitii violaret. inſtaurari tantum iuſiurandum voluit, & Alfonſi animum fidemque noua religione obſtringi. Dum hæc Toleti gerebantur, Sanctius frater poſt victoriam ferox, ditionem Alfonſi occupauit. vrbes aliæ vi, aliæ voluntate imperio eius adiunctæ. Legio vrbs aduenienti quidem portas clauſit: deinde obſidione compulſa deditionem facere in victoris poteſtatem venit. Omnes qui ſub Alfonſi imperio fuerant, metus inuaſerat, & victori omnia prona erant. Calæcia mox bello petita, vbi frater alter Regnum obtinebat in factiones ſciſſum obnoxium periculo: prouinciam enim vectigalibus exhauſerat, quæ indies maiora imponebantur. Verna nimium gratioſus, Regis potens publica & priuata conſilia gubernabat, maiori auctoritate quam grauitas illius ætatis, & imperii prudentia poſtulabat. Ea res multorum illi inuidiam conciliabat: & eſt non magni Principis argumentum magnos habere aulicos: ſolentque Reges recte factorum ad ſe gratiam trahere: eorum quos intimos habent, inuidia & periculo peccare. Itaque proceres rei indignitate permoti, libertum in Regis oculis trucidarunt. Quo facinore, quoniam ad multos pertinebat, contaminati animis, ſimul ſe muniendi ad omnes caſus ſtudio, in Regem arma ceperunt. In ea regni alienatione Garſias veritus, vt præualidi hoſtis viribus par eſſe poſſet, cum trecentis tantum militibus, qui ſe ſequi voluerunt, ad finitimos Mauros, qui Luſitaniæ partem obtinebant, profugit. Suadet omnibus precibus, vt vires conferant: Regis inopis, exulis, atque eiecti, cauſſam aduerſus fratris iniuriam tueantur. Supereſſe in prouincia ciuium ſtudia integra, opportuno tempore eruptura. Debere eos humanitatis reſpectu moueri, atque fraternæ ambitionis odio, quem vniuerſæ paternæ ditionis potitum, propediem hoſtem infenſiſſimum experturi eſſent: niſi priuſquam imperium confirmaretur, naſcenti malo opportune occurrerent. Se vna vindicta contentum fore, atque recepti regni finibus. belli præmia, quæ ipſorum opinione ſuaque prædicatione maiora futura erant, illis omnia ceſſura. Ad hæc Mauri moueri ſe quidem eius calamitate dixerunt: vt periculum communicarent adduci non poſſe: ac multo minus, vt hominis eiecti & exulis, qui ſua ſeruare non potuiſſet, magnificis promiſſis confiderent. Hac ſpe deiectus, ad priuatam ſuorum manum multis aliis adiunctis attractiſque, qui noui imperii odio aut ſpe prædæ ex vtraque ſcilicet gente ſequi priuato conſilio voluerunt; in prouinciæ fines incurrit. Portugalliæ oppida & vrbes non paucæ ſub ditionem reuocatæ ſunt. Sanctius ad Scalabim vrbem, cui à S. Irene nomen eſt, obuiam procedens, collatis ſignis magnaque hoſtium ſtrage edita fratrem viuum cepit: atque ad Lunæ arcem, quæ in Calæcis ſita eſt, miſſum, in cuſtodiam tradi mandauit: vbi vitam omnem exegit in ſqualore & tenebris, homo ingenio ignauus, procax ore, minimeque tantis Reipublicæ fluctibus ſuſtinendis par.

Sanctius ad Zamoram occiſus. CAPVT IX.

SANCTIVS patratis conſiliis voti compos, poſtquam omni paterna ditione potiebatur, neque facinus per otium reputare, neque timere Deum ſceleris vltorẽ, impietatis vindicem: neque inconſtantiam rerum humanarum conſiderare, longæuam vitam ſibi polliceri, cæteros mortales præ ingenii faſtu contemnere. Quod vnum ſupererat, vtroque fratre in ordinem redacto, ſorores etiam paterna hæreditate ſpoliare aggreſſus eſt. Cauſſabatur iniuria à patre regni vrbes in plures hæredes diſtractas eſſe. litem marte arbitro eatenus ſecundum ſe diiudicatam conſiderabat: ſorores multo imbecilliores fratribus eſſe. Primum Zamoram vrbem peti placuit magnis operibus munitam. Vrraca enim in cuius poteſtate erat, & Arias Gonſaluus, cuius auſpiciis & conſilio reſpublica bello paceque gubernabatur, prouiſa tempeſtate, commeatu, milite, & rebus omnibus ad ſuſtinendam obſidionem opportunis vrbem inſtruendam curarant. Ciuium eximia fides erat, magnaq;

virtute

virtute communem ſalutem tueri,atque aduerſus Regis inſolentis impetum propugnare parati erant, Circumſeſſa vrbs atq; omne genus machinis impugnata, in Regis poteſtatem haud dubium redacta eſſet:ni ex ciuium numero Vellidus quidam Ataulphus, ſua ſponte an re cum aliis communicata incertum, certus tamen Regis ex inſidiis perimendi, vrbe egreſſus eſſet, atque in Regis gratiam inſinuatus, quaſi vrbis arcana proditurus, ſi pretium operæ ſit, aditum ſe monſtraturum promittens. vno eo comite ad ſpeculãdum locum, quo in vrbem erat penetrandum, circum vrbis mœnia deambulantem, incautumque, neq; cauendis inſidiis intentum, venabulo quod manu geſtabat transfixit. Immane facinus, fœda mors, ſed vitæ tamen meritis & actionibus conſentanea. Cędis auctor patrato facinore pedes in fugam concitat. ſequuntur regii milites, Regis in ſuo ſanguine volutantis gemitu & clamoribus exciti: atque inter eos longo proximus interuallo Rodericus cognomento Cidus, vindictę ſtudio ardens. ille ſe proxima porta in vrbem infert, patefacto à cuſtodiis aditu. Ex ea re coitionem & dolum regii ſuſpicati, extrema omnia ciuibus comminabantur. Mortuo Rege, Legionenſes & Calæci infauſtam militiam auerſati, cœloq; & hominibus inuiſam, è caſtris alius alio dilapſi. Caſtellani, quos Regi fauere natura cogebat, pars Regis corpus ad Onienſe monaſterium mœſti detulerunt: vbi iuſta funeris haud magno apparatu & celebritate facta. multo maxima militum pars ad Zamoram manſit, in vltionem parricidii intenta. Zamoræ ciuibus, quaſi cædis conſcii fuiſſent, proditionis crimen impoſitum. Didacus Ordonius ex Laræ familia, ante alios ætate, virium robore, & rebus geſtis præſtans, equo vectus, armiſq; fulgens, ex loco vnde exaudiri poſſet, hominibus, auibus, iumentis, piſcibus, herbis & arboribus, cladem, exitium, vaſtitatem minabatur: maria, terras, cœlum inani verborum ſonitu complens. muſſabant ciues inter metum præſentem, & verecundiam abſentium fluctuantes. Maior periculi quam honeſti cura erat. Arias Conſaluus quamuis ingraueſcente ætate bellicis muneribus inutilis eſſe videbatur, decori tamen tenax, contumeliæ impatiens, ſe & filios pro patriæ ſalute certamini offert. Erat in more poſitum, vt quicunque vrbi aut oppido proditionis crimen imponeret, paratus ex prouocatione dimicare ſingulari certamine cum quinque hominibus aduerſus ſingulos ſigillatim pugnaret. Tres Ariæ filii, Petrus, Didacus, & Rodericus ex ordine in campum pugnaturi proceſſerunt. Incredibili Ordonii felicitate & virtute interempti omnes, Rodericus tantum, cum accepto lethali vulnere in vindictam præceps ferire conaretur aduerſarium, aberrãte ictu gladio habenas, quibus Ordonii equus regebatur, diſcidit. equus eo vulnere percitus, Ordonium fruſtra retinere conantem, è diffinito ad certamen ſpatio, quod tranſilire Hiſpanorum more nefas habebatur, inuitum rapuit. In lite an cauſa deciſiſſet eo caſu, dati iudices in neutram partem pronunciantes, ipſo ſilentio ciuibus fauere viſi ſunt. Sic certamen diremptum. quod cum primis nobile fuiſſe hiſtoriæ noſtrates declarant: atq; vulgaria carmina, quibus peruetuſto more Hiſpani clarorum hominum virtutes ad lyram in conuiuiis decantare concentu non omnino rudi neq; inſuaui ſoliti ſunt.

Alfonſus reuocatur in regnum. CAP. X.

HÆc ad Zamoram gerebantur. Vrraca vero de rerum ſumma ſolicita, veritaq; ne noui motus exſterent, nuncium Toletum mittit, qui Alfonſo fratri res geſtas, infelicem Sanctii Regis caſum denunciaret. Inſtruit ſecretis notis, quibus haud dubie intelligeret mandata ſua eſſe. dat litteras inſolentibus characterum formis deſcriptas: vt quid ſibi vellent, ſi forte interceptæ eſſent, cognoſci non poſſet. Illarum hæc ſumma erat. Nihil ſyncerum eſſe in rebus humanis. mixtum dolori gaudium nunciare. Sanctium Regem interemptum Ataulphi dolo: qui & ſi communis hoſtis, erat tamen germanus frater: eiuſq; vicem dolere æquum eſſe, ac vero neceſſarium. Sanctii morte Zamoræ vrbis obſidionem breui diſſipatum iri. tametſi certamen erat ſuſceptum: cum Ordonius ciuibus conſciis cædem proditorie patratam affirmaret. Quod caput, & diuos ſemper erat precata, ipſum ad regnum vocari. celeritate opus eſſe ad præoccupandos prouincialium animos, ſtudia concilianda. Videret ne inutili cunctatione agendi tempora dubitando, conſultandoque conſumeret. Hæc litteris continebantur. Verum Vrracæ nuncios multi Maurorum exploratores, qui inter Chriſtianos erant, fama denique ipſa ſua celeritate occupauit. Petrus Anſurius rerum mutationem propediem futuram expectans, quotidie Toleto ad tertium lapidem progreſſus ex viatoribus res omnes ſciſcitari ſolitus erat: nouique nuncii comprimendi ſtudio, in itinere vnum & alterum exploratorem, qui geſta nunciarant, occulte ferro peremerat. Tandem Vrracæ nuncium nactus, & de re tota diligenter edoctus, Toletum redit. Dabat conſilium vt clam Mauro Rege in patriam profugeret. magnos caſus

intercedere poſſe, neque barbaris fidem ineſſe, vt rationibus ſuis potiorem honeſtatem haberent. Alfonſus animo anceps,& quid conſilii captaret dubitans, tutiora tandem conſilia & honeſta periculoſis potiora fore iudicans, Regem Almenonem adiit: rem omnem vti nunciata erat, exponit, regni hæreditatem ad quod vocabatur cernendi petit facultatem. Eo inſcio, à quo tantis beneficiis deuinctus eſſet, diſcedere in patriam inhumanum & inurbanum fore iudicaſſe: quod à ſuis moribus procul abeſſet. Salutare id conſilium Alfonſo fuit. Rex enim Mauros re prodita, omnes Alfonſi aditus obſeruabat, itinera obſederat,& diligenti cuſtodia munierat, ne ſe poſſet commouere. Itaq; Alfonſi comitate fideque victus, vehementer ſe lætatum ait, cum ex aliorum prædicatione cognouit Sanctii morte, ipſum ad regnum vocari. & tunc gaudere amplius ſublatam occaſionem ſuperiora officia, quæ fuerant ipſius meritis, ſuaq; voluntate minora, aliquo maleficio mutandi, ſi ſe inuito in patriam diſcedere cogitaſſet. Quod felix, fauſtum, auſpicatumq; eſſet, quamprimum iret: fraterna regna capeſſeret: initæ tantum amicitiæ memor nouo iureiurando fidem obſtringeret, ſibi & Hiſſemo filio maiori perpetuo amicum futurum. Deum teſtem, atq; arbitrum conuentorum fore, ne datam vltro citroq; fidem, eoſdem amicos inimicoſque habituros, fallerent. Igitur rebus omnibus compoſitis diſcedentem Alfonſum pecunia iuuat,& aliquanto ſpacio honoris cauſa proſecutus, continentiæ atq; fidei ſingulari exemplo in Rege barbaro abs ſe liberum dimittit. Hæc veriora arbitror, quam quæ Lucas ait: deluſo barbaro per diſpoſitos equos aufugiſſe in patriam. Zamoram primum itum, vbi Vrraca erat, quam matris loco ſemper habuit. Cum ea conſilio communicato, de eius aduentu miſſis in omnes partes nunciis, eximia prouincialium voluntate, propenſiſq; ſtudiis, quæ ſuperiori tempore excitarat, in Legionis regnum receptus eſt. Garſias frater temporum mutatione euaſerat. regnumq; priſtinum armis recuperare cogitabat. legati ad eum de pace ſunt viri primarii. Erat homo ingenio minime malo. itaq; nihil periculi ſubeſſe ratus, atq; à fratre ſperans omnia facile impetraturum: nulla fide accepta ad eum venit. Capto libertas ad vitæ finem erepta. crudele exemplum publicæ tranquillitatis reſpectus excuſauit, cultuſq; & victus principalis. ita vt præter regnum nihil deſideraret, ſi ereptæ libertatis vlla eſſet idonea ſatis compenſatio. Caſtellæ proceres interea Burgis conuentus agitabant, decreuerantq; Alfonſum quidem ad regnum euocandum videri: recipiendum tamen non eſſe priuſquam ſe inſcio Sanctii mortem patratam eſſe iureiurando confirmaret. Cum in eam vrbem ventum eſſet, cæteris dubitantibus, ne facti memoria fraudi aliquando eſſet apud nouum Regem, cuius gratiam promereri commodius rebus ſuis fore cuncti iudicabant: Rodericus cognomento Cidus, qua in cęteris vti ſolebat animi magnitudine, Alfonſum conceptis verbis in D. Agathæ iurare compulit. Diræ imprecationes in eius caput additæ, ſi fratris cædes ipſius conſilio perpetrata eſſet. Cæremonia peracta, magno omnium qui aderant plauſu & acclamatione, Caſtellæ Rex renũciatus eſt: haud obſcure Roderico infenſus, vt rerum euentus deinde declarauit. Praui homines, qui principum offenſas acriter ſpeculantur,& alienam felicitatem ægris oculis aſpiciũt, eius animum amplius exacerbabant. Erat Alfonſus natus minimum triginta ſeptem annos, cum in regnum reuocatus eſt. bello ſtrenuus fuit, vnde Fortis cognomen tulit, pacis artibus inſtructus, ingenio facili & modeſto. Has virtutes natura inſitas res aduerſæ, quibus exercitus erat, multum auxerant. liberalitas profuſa fuit prorſus, vt regni opes exhauſiſſe videretur. Salutis anno millesimo
1073 ſeptuageſimo tertio Sanctius occiſus eſt,& Alfonſus rediit in patriam. Quo anno Romæ quidem Hildebrandus ad ſummum pontificatum euectus, Gregorii VII. nomen ſuſcepit: ſingulari vir animi magnitudine atq; cõſtantia, qui pro eccleſiæ libertate cum Henrico Imperatore, eo nomine tertio, inimicitias ſuſcipere grauiſſimas, & exercere non dubitauit per totam vitam. In Hiſpania autem Dominicus Exilienſis præcipua vir ſanctitate, tertiodecimo Kalend. Ianuarii, ſexta feria defunctus eſt. Memoria eius anniuerſariis ſacris in Hiſpania celebratur. In Riuogia Cannis oppido natus ex opilione ad S. Æmiliani Cucullati monachus effectus, atq; conſequenti tempore eius monaſterii Abbas, quod monachorum iura conſtanter tueretur, à Rege Vaſconum Garſia, ſuperioribus annis in exilium miſſus fuit: vnde illi (ſic ſuſpicor) Exilienſis nomen. Monaſterium Exilienſe, quod priſcis temporibus S. Sebaſtiani nomine dicatum erat, Ferdinandi Regis ope ſuaq; diligentia inſtaurauit: vnde alio tempore in Dominici Exilienſis nomen vetus appellatio mutata: non ipſi tantum monaſterio, ſed etiam coniuncto municipio, quod locis confragoſis ad vallem Tablatellum, quadrageſimo ab vrbe Burgis lapide ſitum eſt, ipſa militari via, qua itur Gormatium. Hæc propter antiquitatis notitiam, loci nobilitatem, prætermittere conſilium non fuit. Nunc ad Regum res geſtas,& hiſtoriæ ordinem redeo.

Alfonſi

Alfonſi Regis initia. CAP. XI.

ALFONSI initia turbulenta fuere, læti progreſſus. Anno quidem altero ex quo regnum recepit, ſalutis milleſimo ſeptuageſimo quarto, Reges Mauri Cordubenſis & Toletanus armis de finibus decertabant. Alfonſus officii memor, conflato numeroſo exercitu in Carpetanos mouit. veritus initio Almenon, ne is belli apparatus ad ſe opprimendum pertineret: deinde quod res erat intelligit auxilio veniſſe. collatæ ab vtraque parte vires. Cordubēſes fines incurſionibus vaſtati. corruptæ fruges, deformatus ager. pagi, villæ, oppida incenſa. prædæ hominum, pecorum, armentorum actæ. Iuſto prælio pugnatum non eſt, Rege Cordubenſi vniuerſi certaminis aleam ſubire detrectante. Exercitus victoria lætus, ſpoliis grauis, in patriam reductus. Quo tempore Agnete prima Alfonſi vxore defuncta, alteram Conſtantiam nomine ex Gallia, vbi nata erat, aductam duxit. Ex hoc coniugio Vrraca Alfonſo nata eſt, regni deinde atque fortunarum hęres, vt competenti loco declarabitur. Conſtantiæ hortatu (ſic arbitror) miſſa abs Rege Romam legatio enixe Pontificem poſtulante, vti rei eccleſiaſticæ, in quam vitio temporum, hominum culpa deprauati mores incubuerant, conſtituendæ nouiſque inſtitutis componendæ cauſa, Legatus in Hiſpaniam cum ampliſſimis mandatis & poteſtate mitteretur. Miſſus à Gregorio ſeptimo Pontifice Maximo Ricardus Maſſilienſis Abbas, anno huius ſeculi ſeptuageſimo ſexto 1076.
Burgis in Citeriore Hiſpania concilium Epiſcoporum agitauit. In quo regię voluntati morem gerens, in omni regno eius Romanum miniſterium confirmauit. Sic Pelagius Ouetenſis loquitur (vt ego interpretor) leges eccleſiæ veteres in mores reuocatæ. ac præſertim quod in Germania non abſque motu factitatum erat, vxores ſacerdotibus detractæ: quas priſci moris obliti, & voluptatum illecebris ſuperati, plerique habere conſueuerant. Quæ res ſanctiſſimo Pontifici inuidiam peperit, vſque eo vt conuitiis & contumeliis probroſiſque carminibus paſſim eius nomen proſcinderent. Adeo graue eſt aſſueta relinquere, & veteres mores noua cenſura mutare. Præterea Aragoniæ exemplo, precandi ritus ex Romano more ſanciti. priſca Gotthorum inſtituta rebus diuinis procurandis, propitiando numine antiquata. Mauri Reges Cordubenſis atque Hiſpalenſis, cum vectigal quod ſuperiori tempore pacti erant, pendere recuſarent, Rodericus Cidus ad eos legatus eſt ea de cauſa. Granatenſes eo tempore & Hiſpalenſes armis de finibus certabant. Regis Granatenſis ſtipendia nonnulli milites Chriſtiani faciebant. Cidus pacificatoris perſona aſſumpta, diſſidentes in pace ponere conatus primum eſt: deinde aduerſus Granatenſem Regem, quoniam ad nullam pacis conditionem adduci poterat, pro Hiſpalenſi in acie ſtetit. Inſigni prælio victi Granatenſes ad ea cōſilia recurrere compulſi ſunt, quæ per imprudentiam ante repudiarant. Roderico arbitro pax inter Reges facta. milites prēda diuites, atque vectigali Cordubæ & Hiſpali, pro qua re venerat repræſentato, in patriam reduxit: Bellatoris ex his rebus nouum cognomen adeptus, egregia militum & totius prouinciæ voluntate, virtutes eius admirantium, ipſum nouis honorum titulis, quoniam re non poterant, exornantium. Proceres Caſtellæ atque Legionis ex iiſdem rebus inuidię flammis vrebantur: prorſus vt nouis criminibus apud Regem petitum peruertere conſtituerent. Prope ſpem res erat à ſuperiori tempore Regis animo alienato. Ex ea ſpe inuidis ardor animorum creſcebat. Accidit Regem in Bætica nouo bello implicari aduerſus eos Mauros, qui tributa pendere denuo recuſabant. Maurorum alia manus è Celtiberia, vbi late ea tempeſtate dominabantur, per Medinæ Celinæ fines in Caſtellam irrupit. Gormatii agros omni maleficii genere vaſtabat. Cidus quem importuna vis morbi tenuerat in patria (fortaſſis etiam morbi ſimulatione procerum inuidiam declinare ſtudebat) tumultuario delectu habito, Maurorum latrocinia prohibuit: ipſos regni finibus magna celeritate dimouit. Ad hæc ſtudio prouectus in Maurorum fines Toletum vſque excurſiones fecit. Ingens ex iis locis præda abacta. agri & oppida deformata. ſupra ſeptem vtriuſque ſexus millia in ſeruitutem abducta. Inuidis & māle cogitātibus proceribus, qui Regis auribus Roderici felicitati inſidiabantur, ex ea re criminādi noua materia ſuppeditata. Violatæ fidei Mauro Regi criminibus petunt. videret ne diſſimulando impotenti homini atque ambitioſo habenas laxaret. ſupplicio cogendum, æquo cum cæteris iure viuere: neque ſe præ cæteris faſtu & arrogantia animi eximium putare. Auctore Rege, ac decreto principum punitur exilio: mandatumque, vt intra nonum diem vniuerſæ regiæ ditionis finibus exiret. Tempori ille cedendum ārbitratus, apud Abbatem S. Petri Cardeniæ, cuius monaſterii per totam vitam religionem præcipue coluit, vxorem & filios reliquit, certus aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes maiori impetu bellum gerere. Erant Mauri per id tempus vitiorum licentia eneruati. voluptatum illecebris virtus & gloria, cum qua venerant in Hiſpaniam, extin-

cta erat. Itaque cum priuata Rodericus militum manu, quos in armis exercitatiſſimos habebat, multi præterea amici & neceſſarii nomina dabant, tanta erat cupiditas eo Duce aduerſus Mauros bellandi, in Carpetanos primum irruit: & aduerſi fœnarii fluminis ductum ſecutus, in Celtiberos penetrauit, Alhamamque peruenit, qua parte Salo fluuius Idubedæ montes penetrans Celtiberiæ maiorem partem irrigat. In eo tractu Alcocerium arcem natura loci munitiſſimam, ſitamq; in prærupto monte expugnat. duos Duces Mauros cum iuſto exercitu à Rege Valentiæ miſſos aduerſus eius conatus inſigni prælio ſuperat. Ex ea arce agros populatur: omni iniuria belli Mauros finitimos vexat. Ex prædiuiti præda equi triginta, totidem Maurici gladii ex ephippiis pendentes ad Alfonſum Regem dono miſſi. pari numero captiui equos regere iuſſi, eximia magnitudine corporum, decoro habitu. veſtes auro purpuraq; diſtinctæ. Muneris magnitudini quanta maxima à legatis potuit verborum gratia adiuncta. quos Rex quidem hilari vultu ſuſcepit, & cum verborum honore: populus Cidi laudes ad cœlum prædicatione ferre: patriæ liberatorem, Maurorum terrorem, reipublicæ patronum vocare. Vnum eſſe, qui beneficiis maleficia vinceret, & benignitate cum offenſa certaret. veteres heroas quos æmulari videbatur: rerum geſtarum gloria, magnitudine animi exequare. Exilii decretum ſupplicium, propter Mauros ſcilicet mutari non placuit: conceſſum tamen prouincialibus vt impune qui vellent, Cido militarent. in quo reipublicæ tranquillitati bene conſultum eſt. plerique enim in armis educati, rebus Bæticæ ab Alfonſo compoſitis, otium quo ſibi marceſcere videbantur, ægris animis ferebant. Hæc quamuis plures per annos geſta, narratione iuncta ſunt, ne diuiſa memoriam perturbarent. Nunc retro reuocanda oratio eſt: & quid præterea rerum in Hiſpania ge-
1076 ſtum ſit anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo ſexto, alio ex principio explicandum.

Sanctius Rex Vaſconum à fratre occiditur. CAP. XII.

SANCTIO Vaſconum Regi frater erat Raymundus, homo leuis, inconſtanti, turbidoque ingenio: cui diſcordiæ, rixæ, ſeditiones cordi erant. rerum nouarum cupiditas: honeſti ſanctique nulla cura præ ſtudio aſſequendi quod animo deſtinaſſet. vaſtus in conſiliis & immodicus, regnandique ambitione exæſtuans. Rex quietis cupidior quam belli, pietatis ſtudiis deditus: quod veteres ſchedæ indicant, agros cum villas, prædia magno numero cœnobiis monachorum donaſſe. Ex iis rebus calumniandi materia, vicina vitiorum nomina virtutibus affingẽdo: quæ magna peruerſio eſt. religionis ſtudium, animi anguſtiam: morum tranquillitatem, ignauiam interpretabatur & metum. Aderant ſtudia perditorum hominum, quicunq; decoctores, æreque alieno exhauſti, inopeſque erant, modo nequam homines & audaces cognoſceret, eos in familiaritatem libenter admittebat. his vt cuiuſq; ſtudium ex ætate flagrabat, liberaliter pecuniam, veſtes, arma, equos largiebatur: neque ſumptui neque modeſtiæ parcens, dum illos ſibi obſtrictos obnoxioſque redderet. Rex ex vxore Placentia Ramirum filium in ſpem regni genuerat: addunt alii Garſiæ nomine ſecundum, tertiumque nulla appellatione deſignata: quos defuncto patre ad Alfonſum Caſtellæ Regem confugiſſe pro certo ponunt. Ii ætate minores erant. Rex annis grauis. Raymundo regnandi ſpes nulla niſi in ſcelere in malo obſtinata voluntas. factionis ergo viribus quas poteſt arces & oppida præſidiis occupat. & quoniam ad ſanitatem reuocari non poterat, Rege auctore decreto ſenatus reipublicæ hoſtis eſſe iudicatur: qui aliena inuaſerat, ſua perderet, regniq; finibus excederet. Ex eo tempore vterq; in alterius perniciem armari. Raymundus inſidiis parandis quam Sanctius cauendis intentior ad Rotam municipium patrandi facinoris opportunitatem nactus, fratrem proditorie obtruncat. Cædis auctorem Rodericus Præſul ne nominatim proderet gentis vnde ipſi genus, patriæque amori tribuendum putauit: aut mea me potius fallit coniectura. Cæſi fratris filius Ramirus ad Cidum profugit. Ramiri fratres ad Alfonſum Caſtellæ Regem. infirma puerorũ ætas erat, vires imbecillæ ad ſuſtinendos tyranni impetus: qui prouinciæ ſtudia teneret, regnumq; armis inuaſiſſet. Proceres rei indignitate permoti, communicato conſilio inter ſe, Sanctium defuncti Regis patruelem Aragoniæ Regem, ad regnum Vaſconum euocant. Affluit ille continuo, & maiorem prouinciæ partem breui occupauit. Virueſcani, Riuogia, ac nominatim Anagarum, & Calagurris, præterea Cantabria vniuerſa Alfonſi Regis Caſtellæ armis ceſſit. meliori is quam Sanctius iure nitens, cum Ferdinandus pater ex iuſta vxore, Sanctii pater Ramirus vulgo conceptus fuiſſet, de reliqua prouincia Aragonio Regi litem intendit. ne armis dimicandum eſſet, cõuenit vt Vaſconum regnum Alfonſo vectigale eſſet, Antiquis monimentis Sanctium & Petrum filium, pactum tributũ appendiſſe proditum, teſtatumq; inuenimus. Raymundus inter vtriuſq; Regis arma & ſtudia deſtitutus

Cæſaraugustam aufugit. Homo impurus, ſuperis, hominibuſq; inuiſus, ſcelerum conſcientia exagitabatur, neq; ſuis neq; alienis fidebat. à Rege tamen Mauro prædia domoſq; accepit, vnde inopem & calamitoſam vitam ſuſtentaret. neptis eius Marcheſia nomine Aznarii Lupi viri nobilis vxor, ea prædia Alfonſi Aragonii Regis eo nomine primi tempore, eius vrbis templo maximo, quod D. Mariæ nomine ſacrum eſt, legaſſe fertur.

Almenon Tolet. Rex, & Raymundus Barc. Comes obeunt. CAP. XIII.

PROXIMVS annus ex quo hæc geſta ſunt, qui ab ortu Chriſti milleſimus ſeptuageſimus ſeptimus erat, duorum Principum funere, quam vlla re alia inſignior fuit, Almenonis Toletani Regis, & Raymundi Comitis Barcinonēſis cognomento Senis. Almenonis filius natu maximus Hiſſemus nomine, anno integro, ex quanto tempore paternum regnum obtinuit, Alfonſi Regis amicitiam patris exemplo & præceptis inſtitutus perſanċte coluit. Hiſſemi frater & ſucceſſor Hyaia Aladirbilis, moribus patri & fratri diſſimilis & toto vitæ genere neq; bello ſtrenuus noque pacis artibus inſtructus, in luſtris & popinis vitam exigere ſolitus, atque illuſtrium fœminarum pudicitiam attentare, grauiſſimum tum Maurorum tum Chriſtianorum, qui in ditione ſupererant, odium & inuidiam incurrit. Videbatur enim cum pudicitia non pudorem tantum, ſed etiam humanitatem exuiſſe, crudelis in omnes & ferox. Alfonſus Caſtellæ Rex ſacramenti religione, quo ſe obſtrinxerat Almenoni & Hiſſemo ſolutus, vtriuſq; gentis litteris atq; quotidiano propemodum ſuorum conuitio ſolicitabatur, vt vrbem principem ac totius ferme ditionis Mauricæ propugnaculum, impia & crudeli tyrannide eriperet: temporis opportunitatem negligendam non eſſe dictitantium, quam ſuperi offerrent ex Regis imbellis ignauia: in quo neq; vigor animi eſſet, neque rei militaris diſciplina. præterea in tanta ciuium alienatione, Chriſtianorum viribus haud parem fore prædicabant. Hæc initia eius expeditionis, qua Toletum capta eſt, atque prima fundamenta ponebantur. Raymundi defuncti corpus Barcinone in templo maximo, quod ſua impenſa ab imo totum extruendum curarat. tumulo contectum eſt. iuſta funeris magnifice facta. Ditio vt ipſe moriens teſtamento mandauit, bifariam diuiſa eſt. pars Berengario data, pars Raymundo, cui Stupæ caput cognomentum fuiſſe diximus, procero corpore, eximia formæ dignitate. Moribus formæ conſentaneis prouincialium ſtudia, ſed & patris beneuolentiam ſibi conciliarat: prorſus vt fratri qui maior natu erat, principatu prælatus Barcinonem prouinciæ caput obtinuerit. Ea res illi malo fuit, exitiumque attulit fraterna ex inuidia, vti mox dicemus. Almodiam (ſic non nemo voca) Roberti Guiſcardi Nortmanni, quæ gens hac tempeſtate magnam virtutis opinionem excitarat, & ad extremam Italiam ac Siciliam late dominabatur, filiam vxorem habuit, inſigni pietatę fœminam. cuius ſumptibus gemina cœnobia conſtituta ſunt: alterum in Mariæ valle in agro Cabreræ: Danielis nomine alterum prope Gerundam. In quo, viro defuncto vitæ principalis illecebris abdicatis, virilis concubitus expers, vitam ſanctiſſime exegit. vtrūnque D. Benedicti regula & inſtitutis temperauit. Ex eo coniugio Raymundus Arnaldus natus eſt, qui patri in principatu ſucceſſit. Hoc ſane tempore Armengaudus Vrgelitanus Comes, Maurorum in ditione reliquias armis: Guilelmus Iordanus Ceretaniæ Comes Arianam ſectam in Ceretanis renaſcētem, decretis ſuppliciis, atq; malis omnibus exagitabat. Multa oppida ſecundum Sicoris amnis ripam Mauris ablata: ac nominatim vrbs Balagueris ſub Chriſtianorum imperium miſſa eſt.

Nortmanni veniunt in Italiam. CAP. XIIII.

NORTMANNORVM nomen Hiſpaniæ olim & Galliæ cladibus nobile, per hæc tempora nobilius eſt redditū: cum in Italiam virtutis & imperii gloriam propagarunt, magnam eius partem armis peruagati, ac noui tandem in ea regni conditores, quod ad noſtrā ætatem inter varias Principum familias ſæpe alternauit. Huius gentis originem (quoniam cum rebus Hiſpaniæ res Nortmannorum confuſæ non parum ſæpe ſunt) & occaſionem aduentus eorum in Italiam hoc loco intelligi, aliquid lucis afferre poſſe cogitaui. Nortmannorum appellatione, vt vox indicat, vocabantur quicunque Daniam inter & Cimbricam Cherſoneſum oram Germanici maris & vicinas inſulas incolebant: feri homines & barbari, cultu vitæ agreſti, inhumanis moribus, rei nauticæ periti, & plurimum piraticæ dediti. Luithprandus proxime ſuperioris ætatis ſcriptor, eoſdem Nortmannos & Rhuſſos facit. nimirum eodem tempore, hi in Orientis, illi in Occidentis prouincias ſeſe

torrentis inſtar infudere. In parte olim Galliæ, Carolo Simplice Francorum Rege concedente, conſederunt ea, cui antea Neuſtriæ nomen erat, deinde Nortmanniæ: vt ſuperius dictum eſt. Rholo Dux fuit genti natura imperii auidæ: quiduis ſimulare & diſſimulare aſſuetæ, eloquentiæ ſtudiis & aucupio deditæ, laboris, inediæ, æſtus & frigoris patientia obduratæ. indumentorum elegantiam conſectabantur: alioqui impotenti effrænique ingenio. Atque hę virtutes & vitia Nortmannis inerant, poſtquam mitiori cœlo & manſuetioribus Gallorum ingeniis feritas cum qua venerant mitigata eſt. Rholonis ex progenie Guilelmus cognomento Nothus, ſeptimus Neuſtriæ Dux, ex Eduardi Regis Sancti teſtamento, ad veterem Nortmanniæ ditionem Angliæ regnum adiecit. is belli ſacri, quod proxime ſuſceptum eſt, tempore claſſe in Angliam delatus Haroldo æmulo, prælio vnico victor vitam regnumque abſtulit. Inde Gallos inter & Anglos bella diuturna & grauiſſima haud multo ante hæc tempora, ad quæ noſtra perducta narratio eſt. Ex Gallia valida Nortmannorum manus in Italiam hac occaſione venerat. Eſt in Nortmannia ciuitas, quæ Conſtãtia Caſtra olim dicta eſt. in eius agro Altauilla municipium: quod Tancredus nobili genere Princeps, & multarum imaginum obtinebat, numeroſa prole felix, ex geminis nuptiis duodecim filiorũ pater nihilominus Ex priori coniuge Guilelmus cognomento Ferreabrachia, Drogo, Wifredus, Gaufredus & Serlo nati. poſterior Franſendis nomine ſeptem filios peperit, Robertum, Guiſcardum, Malgerium, Guilelmum, Aluaredum, Humbertum, Tancredum, & natu inter fratres minimum Rogerium: qui gloria rerum geſtarum & ditionis amplitudine, atque diuturnitate cæteros facile ſuperauit. Mater filios & priuignos pari amore proſequi videbatur. hoc illis mutui amoris cõciliandi, depellendęque inuidiæ incitamentum fuit. pater ciuilibus & bellicis artibus inſtituendos curauit. Manu prompti erant, boni conſilio. temeritatem ratio comprimebat, metum depellebat audacia. Ditionis paternæ anguſtia excluſi, veritique ne hæreditate diuidenda, rixæ & contentiones extarent, alio migrandi conſilium capiunt. Italia in plures principatus diuiſa, inteſtinis motibus æſtuabat. Siciliam & vicinas inferi maris inſulas Mauri obtinebãt. virtutis oſtentandæ occaſio ex vtraque re opportuna. Maiores natu fratres cum militari manu primum petiuerunt Italiam. & cum in Gallia Togata virtutis ſpecimen præbuiſſent, atque in Hetruria: inde in Campaniam itum: vbi Capuanus & Salernitanus Principes armis de finibus certabant. Capuano primum adhæſerunt, deinde liberalioris militiæ ſpe Salernitano. Victoria parta belloque ſedato inuitati à Maniaco, qui magnæ Græciæ & Apuliæ parti pro Græcis Præfectus erat, in Siciliam aduerſus Mauros tranſmiſerunt. breui operæpretium factum. multæ in ea inſula vrbes ad Chriſtianorum ditionem reſtitutæ ſunt. victi acie, fugatique barbari. Mox inter Græcos & Nortmannos ſuſpiciones & ſimultates natæ. ſuperati Græci fugatique. fratres bello victores in Sicilia atque Italia eius principatus fundamenta poſuerunt, quæ breui in iuſtum imperium excreuerunt. Nam fratres natu minores, duobus tantum ex ſuo numero relictis in patria, ii ex omni numero qui fuerint clam eſt, ſed relictis tamen in Gallia, rebus quæ in Italia gerebantur cognitis, cum ſupplemento militari ex Gallia præſto fuerunt. Partum in Italia imperium diuiſum inter fratres: cæteris defunctis tandem in Roberto Guiſcardo conſtitit, atque Rogerio. Robertus Apuliæ atque Calabriæ Dux fuit. Rogerius Siciliæ Comes, Mauris & Græcis, eius & fratris armis ereptæ. Robertus ex duabus vxoribus Alberada gentili, & Sigelgaita Salernitani Principis filia, Boamundum & Rogerium filios reliquit, filiam Almodiam: ſi vera ſunt quæ auctores Catalauni tradunt, Raymundo eam Barcinonenſi Comiti nupſiſſe, vti antea dictum eſt. Ex Rogerio Siciliæ Comite, Rogerius is natus eſt, qui paterni imperii nomen regia appellatione mutauit. & cognatis omnibus qua defunctis qua oppreſſis in ordinemque redactis, Nortmannorum ditionem vniuerſam in Sicilia atque Italia occupauit felicibus armis: Africam atque Græciam vectigales effecit. Hæc ferme ex Gaufredo monacho, qui res a Nortmannis geſtas in Italia, ipſiuſmet Rogerii Comitis hortatu proprio commentario explicuit. Verum Italia miſſa in Hiſpaniam recurramus.

Bellum in Toletanum Regem decernitur. CAP. XV.

NORTMANNORVM arma in Italia mouebantur. In Hiſpania Toletanorum ciuium frequentibus litteris & nunciis noſtrorum animi ad nouum bellum capeſſendum ſollicitabantur. Hyaiam Regem neque mora temporis ſanari, neque periculi magnitudine à turpitudine reuocari: impunitate confirmari audaciam, crudelitatem augeri: præter ſpiritum, quem ægre inter tot ærumnas ducebant, & ſpem vltionis, qua vitam calamitoſam ſuſten-

ſuſtentabant, miſeris ciuibus relictum nihil eſſe. Niſi quid in Chriſtianis præſidii ſit, Maurorum auxilium euocare certum eſſe quamcumque ſeruitutis conditionem, depellendæ eius tyrannidis ſtudio, libenter ferre ſuſcepturos. Eſſe quidem omnem ſeruitutem miſeram: ſeruire autem amenti, impudico, impuro, nunquam in diſcrimine quidem ſobrio, grauiſſimum atque intolerandum Alfonſi Regis animus ancipiti cura ſuſpenſus in diuerſas partes, hinc honeſti ſpecie, inde commodi quod oſtendebatur, ſpe maximi trahebatur. In procerum concilio de re tanta diſceptari ſaluberrimum fore viſum eſt. non vna omnibus ſententia fuit. Plerique quibus audaciæ plus inerat, bellum continuo ſumendum indicabant. priuatis id ſingulorum rationibus commodum fore, vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ honorificum & ſalutare. Expugnatæ vrbis prædam ad milites redituram Maurorum imperium euertendi, quæ ſeſe offerebat occaſio, firmiſſimo eo propugnaculo totius Mauricæ ditionis capto, negligendam non eſſe. bellumque, quod opinione facilius fore pollicebantur, eſſet quamuis periculoſum & graue, libentiſſimis animis ſumendum eſſe: in cuius euentu rei Mauricæ ſumma vertebatur. Proceres alii bellum deteſtabantur, & ex amicitia quæ Alfonſo erat cum Regibus Toletanis religiones captabant. Conſilio honeſti ſpecies prætendebatur. Ex eo numero quidam exactæ prudentiæ opinione. Quo, inquit, iure, ô Rex, quo ore ciuitatem eam armatus inuades, quæ te domo profugum, egenum, ſine lare familiari vagantem accepit hoſpitio: omnibus officiis coluit, vnde tibi ad regnum quod obtines, factus eſt gradus? Quæ pietas eius filio bellum indicere, ſit ille quamuis nequiſſimus, qui te cum in poteſtate eſſes, ſuis opibus adiutum, patriæ, & loco vnde excideras, reddidit? Nimirum vt filium benigne accepit, habuitque, vt eius poſteros fratrum loco eſſe tibi putares. Neque enim minor voluntatis & officii coniunctio, quam naturæ neceſſitudo eſſe debet. Suadere Principi quod decet, multi laboris eſt: aſſentatio ſine periculo peragitur. vt quiſque eſt animo ignauus, (abſit inuidia) ita procax ore: bella, victorias, vrbium euerſiones loquitur. ignauiſſimi cuiuſque conſilio bellum ſuſcipi poteſt, ſtrenuiſſimi labore & periculo adminiſtratur. Quanta ſit eius vrbis firmitas, quantis operibus ſit munita, nemo ignorat. At inuitamur à ciuibus. Quaſi multitudini fidendum ſit leuiſſimæ & inconſtanti, atque eo vela conuertere ſolitæ, vnde ſe aliquis fauoris & melioris ſpei flatus oſtenderit. At tyrannidem euertere pulchrum eſt. Honeſta ſcilicet ſpecies, minimeque fallax, ni ſimul humanitatis & grati animi leges euerterentur. At Hiſſemi morte iuriſiurandi religione ſoluti ſumus. Verum, ſed ſuperos vtriuſque voluntatis & perpetuæ beneuolentiæ, quam pacti eſtis, teſtes fallere non poſſumus: eoſdem ne vltores ſentiamus, prouidendum eſt. Hæc non eo pertinent, vt laborem & periculum defugiamus ô Rex. Idem animus nobis eſt, qui fuit ſemper, promptus & alacer. inermes quoque, nudi & exſangues, ſi ſtat ſententia pugnandi ad bellum ſequemur: ſed in conſilio dando accipiendoque nobis liberæ voces, tibi propitiæ aures eſſe debuerunt. Commotus ea oratione Regis animus videbatur: atque eo magis quod ex ore multorum & prudentiorum mitti videbatur, vicit tamen pugnandi ſtudium, vrbiſque nobiliſſimæ obtinendæ commoditas. atque in eam ſententiam hanc ſummam orationis habuit. Non ignoro, viri nobiles, multa eſſe, quæ animos ab huius belli cogitatione abducant: plura per hoſce dies de induſtria à quibuſdam ad terrendum eſſe iactata. Sed neque improuiſa vobis eſſe debet mendacii vanitas. Ignauia metuſque omnia in maius auget. De religione non dicam, ac ne de ingrati quidem animi nota, quæ nobis opponitur. Hyaiæ ſceleribus procurandis ſatis vtrunque credimus expiari. patre iudice & arbitro, qui pœnas grauiſſimas daret, an æquum eſt vt paternæ amicitiæ reſpectu liber euadat? Vrbis fortiſſimæ difficultas obiicitur: ſed virtuti veſtræ omnia peruia erunt. ſic magnam Hiſpaniæ partem, noſtra & Sanctii fratris auſpicia ſecuti, armis ſubiugaſtis, barbaros ſæpe acie viciſtis. munitiſſimas vrbes & arces veſtra virtute captæ ſunt. Omnia virtuti peruia, quæ ignauis terribilia ſunt. Hoſtium multitudo opponitur. nunc ſcilicet primum inconditam ſuſtinebitis turbam, quæ ipſa ſe ſua multitudine impediet: imbelles ſunt, quibus bellum inferre paramus, & longa armorum deſuetudine eneruati. Iam Toleto capta quominus longiſſima ſpacia emenſi ad Hiſpaniæ finem, atque laborum metam perueniamus, nihil obſtabit. Nomini Chriſtiano, regnoque noſtro, & vobis ipſis, labore non maximo gloriam immortalem parabitis. Cauendum ne cunctando metuendoque agendi tempus elabatur: & quod euenit in tardis conſiliis, optima deinceps videantur, quorum tempus effugerit. Regis oratione cunctorum qui aderant animi inflammati ſunt: propenſaque omnium voluntate bellum in Mauros decernitur. arma, equi, tela, commeatus comparantur, pecuniaque in ſtipendium militare. magni tota prouincia delectus habentur. veterani milites, vt in quoque erat virtutis plurimum, magnis propoſitis præmiis nominatim euocantur. Hæc omnia eo maiori feſtinatione adminiſtrantur, quod vno tempore nunciatum

erat, Pacis Auguſtæ Regem Maurum à ciuium Toletanorum parte euocatum, cum vaſ-
dis copiis ad eam vrbem capiendam aduentare, propediemque affore. vtriuſque Regis co-
piæ Toletum eodem tempore peruenere. Verum Alfonſus inuictas copias atque tot bellis
exercitatas ſub ſignis trahebat. Maurus numero & viribus inferior in patriam rejectus
abiit. Chriſtiani milites, tametſi vrbis potiundæ ſpe depulſi, quoniam Rex Maurus bello
nunciato, ſe & vrbem ad omnes caſus egregie munierat, Regis Alfonſi iuſſu agros incen-
1079. dunt, corrumpunt ſegetes, direptiones faciunt. atque hæc anno milleſimo ſeptuageſimo
nono inchoata. idem ſecundo, tertio & quarto anno factitatum: neque conſequentibus
annis ceſſatum eſt. Canales & Vlmus oppida vrbi vicina præſidiis occupata firmataque
ſunt. inde excurſiones continenter factæ. His iniuriis calamitoſi ciues re frumentaria an-
guſte vtebantur, commeatus omne genus inopia laborabant. Toletani importata pluri-
mum annona vitam tolerant. circum vrbem ſolum ſterile, nudum, ſaxeum, deforme, re-
bus omnibus indigens, cœlo terraque aquarum penuria, quod longiſſime abeſt à mari, &
tota regio præ reliqua Hiſpania ſublimis eſt: niſi qua parte planiciem Tagus amnis inter-
fluit læt orem prouentu, longioremque, quam latam ſpaciis. Vno tempore Cidi arma in
Celtiberia proſperum curſum tenebant: Maurorum oppida, & arces eius virtute, & dili-
gentia carpebantur. ad Regis Alfonſi gratiam plane reſtitutus non erat. id vnum ad felici-
1080. tatis cumulum deeſſe videbatur. Commodum accidit, vt anno eius ſeculi octogeſimo
Maurorum inteſtina arma in Bætica mouerentur. Almofala regulus arcem Grados vi ab-
ſtulit. ad Alfonſi præſidium Adefirus ditione ſpoliatus confugit, eius armis ſperans arcem
recipere, vlciſci iniurias. Occaſionem rei bene gerendæ, haudquaquam Alfonſus negli-
gendam iudicabat. præmiſſa militum manus. Ipſe paulo poſt cum iuſto exercitu in interio-
rem prouinciam penetrauit. Variis Mauri artibus, & ludificationibus cum bellum duci vi-
deret, neque totius dimicationis copiam fieri, & Toletanæ expeditionis cura ſolicitabatur
bello Bætico Cidum tanti nominis Ducem præficiendum curauit. Ex Celtiberia euoca-
tus continuo affuit. Venienti Rex complexum fert, facetus natura, & conſuetudine edo-
ctus ſimulare beneuolentiam blandis ſermonibus. non modo exilii mulctam remiſit, ve-
rum etiam eo expetente perpetua lege ſancitum, ne ingenuæ conditionis viris, quoties ſo-
lum exilio vertere cogerentur, ante diem trigeſimum è regni finibus diſcedere neceſſe eſ-
ſet: cum antea moribus fixum eſſet, vt nonus modo dies parando exilio præſcriberetur.
Belli eius confecti laus penes Cidum ſtetit. arcem Grados vi expugnauit. Almofalam re-
gulum redegit in poteſtatem: ad Regemque tranſmiſit eius arbitrio plectendum. Anno
1081. proximo huius ſæculi octogeſimo primo Garſias Alfonſi frater in vinculis obiit, diſſectis
vltro venis. Emitti cuſtodia eatenus non placuerat: ne ingenii leuitate rempublicam con-
turbaret. Neque enim regnandi ambitione crediderim, Garſiam tandiu à fratre in carce-
re retentum fuiſſe. Conuenit liberiorem cuſtodiam à morte Sanctii fuiſſe. auctor etiam
quidam ſub vitæ finem, propoſitam à fratre libertatis conditionem affirmat, ſiue vitæ tæ-
dio, ſiue quoniam ea calamitate diuinum numen propitiari volebat, conſtanter repudiaſ-
ſe: ac ne compedes quidem, quibus innexi pedes erant, eximi voluiſſe. mandaſſe præterea
in teſtamento, vt cum ferreis compedibus ſepeliretur: quod vt iuſſit factum eſt Legione in
D. Iſidori tumulo compoſito. funus magnifice factum vtraque ſorore procurante, Epiſco-
pis, atque proceribus. Anno captiuitatis decimo, regni quinto decimo ex hac vita migra-
uit. Quo tempore Cidus Bæticæ rebus compoſitis, cum in Celtiberiam rediſſet, Dianii
regulum Alfagium, & Sanctium Aragoniæ Regem, qui Mauris auxilio venerat, collatis ſi-
gnis deuicit. Noua ea victoria auctus, in Caſtellam ad Alfonſum inuitatus rediit. Nauatæ
operæ, & tantorum laborum præmium Viruesca, Valeranica, Arceionia fuere, inſigni Re-
gis liberalitate perpetuo iure donata. Rurſus Alfagius, qui Conſaburonem vſque vindictæ
ſtudio inflammatus proceſſerat, viribus & potentia formidabilis, abs Rege qui vaſtando
Toletano agro operam dabat, Maurus acie victus, in arcem euaſit. in prælio & in fuga bar-
bari magno numero proſtrati ſunt. Victoris animum inopinatus caſus perculit, multum-
que de victoriæ lætitia minuit. Didacus Viuar Cidi filius, qui paternæ virtutis æmulatione
ad parem gloriam niti videbatur, Regemque ad bellum proſecutus erat, in acie importu-
na cæde periit. Defuncti ſepulchrum in D. Petri Cardeniæ ad noſtram ætatem monſtra-
tur, extatque. Neque conſtitere gemina clade compreſſi Alfagii conatus denuo reparatis
viribus in fines Chriſtianorum populabundus inuaſit: atque in Medinæ Campeſtris con-
ſpectum venit. Eo loco Aluarus Fannius Minaia Cidi propinquus obuiam progreſſus,
1082. cum barbaris acie dimicans victor euaſit. Atque hæc ſalutis anno milleſimo octogeſimo
ſecundo geſta ſunt. Quo anno Raymundus Barcinonenſis Comes cum Gerundam con-
tenderet, ad oppidum Percham, Oſtarlitum inter & Gerundam, Berengarii fratris inſidiis
circum-

circumuentus periit. Sepultus eſt Gerundæ in æde maxima. Succeſſit Arnaldus Raymundi filius, ætate quidem infans, neque integrum annum natus: diuturnitate tamen imperii, ditionis amplitudine, & rerum geſtarum gloria, cuiuis maiorum Principum par. Parricida dolorem initio & luctum ex caſu fratris ſimulare: mox re prodita, perſona detracta, à prouincialibus odium eſt redditum, procerum armis non modo fraterno principatu, ad quem occulte nitebatur, ſed etiam ſuamet ditione ſpoliatus. exul & vagus, & linguæ vitio mutus repente effectus, vitam calamitoſam exegit Hieroſolymis, vbi defunctus eſt poſt aliquot annos. Vrgeliæ & Beſaluui Principum progenies à ſtirpe defecit: iique principatus ad Arnaldi Barcinonenſis Comitis ditionem ſubiuncti. Acceſſit in parte Galliæ Narbonenſis, Prouincia Phocæenſis dotis nomine cum vxore Alfonſa (Dulcem alii vocant) Gilberti certe Prouinciæ Comitis filia. Ex eo coniugio Raymundus & Berengarius nati ſunt. tres filiæ viris principibus olim in Gallia iunctæ. Earum vni Beregariæ nomen fuit. duarum nomina intercidere. Cum Alfonſo Toleſate bellum fuit varium ancepſque: deinde pax ea lege ſancita eſt, vt ipſi & poſteri, quaſi alternæ adoptionis iure inter ſe ſuccederent, familia altera ſublata extinctaq;. Verum hæc conſequentibus annis acciderunt. nunc ad iter inſtitutum ſeſe conuertat oratio.

Toletum capitur. Cap. XVI.

FREQVENTIBVS noſtrorũ incurſionibus Toletani ciues fatigati Chriſtianorum, qui in ea vrbe habitabant, animi ad dulce libertatis nomen arrecti erant: & quamprimum ſe Rex in vrbis conſpectum cum iuſto exercitu dediſſet, ſe portas aperturos pollicebantur. noſtrorum vires exhauſtæ erant: à belli cogitatione auerſi animi. multæ difficultates opponebantur, magni labores, pericula grauia. hæc omnia Regis conſtantia peruicit. Ergo ſupremo conatu bellum reparat: non ante in patriam redire certus, quam nobiliſſimam vrbem redegiſſet in poteſtatem. Is erat vrbis ſitus, ea locorum aſperitas & natura, vt ſi negotium confici, vrbemque obſidere vellet diducendi in plures manus milites & plura caſtra metanda eſſent. multo maiores, quam antea fecerat, copię conſcribendę erant. Quantum felicitatis rebus afferant finitimorum Regum & Principum opes, inter ſe id quod perraro accidit, conſentientes, huius expeditionis apparatu intellectum eſt. primi Caſtellani, Legionenſes, Cantabri, Calæci, Aſtures, Luſitani magno numero nomina dant. affuit Sanctius Aragoniæ & Vaſconum Rex, nauandæ operæ ſtudio incenſus. ex Italia Germaniaq; auxilia venerunt. belli quod ſuſceptũ erat, fama toto orbe volitabat. Francorum quoniam Hiſpaniæ finitimi erant maior numerus fuit, præcipua homines alacritate ad ſuſcipienda bella, corporum patientia non eadem. Ea gens quoniam hoc & conſequentibus bellis rem Chriſtianam multum iuuit, & qui in Hiſpania remanere voluerunt, magnis præmiis affecti inuitatique abs Regibus ſunt, vectigalium immunitate donata ipſis & poſteris: ex ea re factum arbitror, vt immunis atque ingenuæ conditionis homines, vulgari Hiſpanorum lingua Francos vocemus. cuius rei veteres tabulæ & diplomata Toletani per hæc tempora conceſſa indicio ſunt. Conflatus ex tot gentibus exercitus numero & viribus præſtans ductore Rege Toletum mouit. hilares animi victoriæ certa ſpes. Rex Maurus de hoſtium apparatu certior factus, excitatuſque periculi magnitudine nihil de ſua comparatione omittebat. milite & commeatu inſtructus erat. pręſidio quod in ciuium caritate & beneuolentia eſt firmiſſimum, ſeptus non erat: neq; id barbarus ignorabat. Loci tamen natura, facile ſe defenſurũ cogitabat: quod vrbs prope ex omnibus partibus altiſſimis rupibus, quas medias Tagus amnis penetrat, circũdata vnum habet & peranguſtum aditum ad Septentrionem, arduum aſcẽſu & duplici muro munitum. Septenis caſtris abs Rege vrbs circundata eſt. ingrediendi egrediendiq; facultas ſublata ciuibus. Cum maxima copiarum parte Rex in planicie, quæ ad radices montis pertinet, in quo ciuitas eſt poſita, locauit caſtra. Obſtinatis vtraque pars animis erat. pro vrbis mœnibus leuibus prælis dimicatum vario euentu, ſucceſſu haud memorabili. Hiſpano par in pedeſtri pugna Maurus non erat, velocitate æquali, virium robore præſtanti: equeſtri prælio aliquanto melior erat, more gentis ſequi ſolitus, deinde cedere. Turres à noſtris, plutei, vineæ, aliaque ſubruendo muro idonea machinamenta, magna diligentia comparata admirationi magis erant hoſtibus talium rerum inexpertis, quam vſui: muri enim quamuis partẽ proſtrata difficilis aditus in vrbem erat, propter prærupta loca & propugnantium virtutem. Inter hæc vario euentu obſidio ducebatur. Vno tempore vtroſque belli tædium cepit: & quacunque ratione ab armis diſcedere cogitabant. Noſtros inopia rerum: quoniam ex longinquis locis commeatus hominibus, iumentis pabulum petendum erat, & ex diuturno labore vulgo

per caſtra morbi,& anni tempus in æſtatem vergentis mouebat. Quo tempore Cypriano Epiſcopo Legionenſi dormienti viſus eſt venire Diuus Iſidorus, qui diceret, non placere obſidionem ſolui:intra quindecimum diem, vrbem Chriſtianorum futuram.eas ſedes diuinum numen ſibi in perpetuum delegiſſe. Somnio Epiſcopi inter milites vulgato (nam continuo ille Regi renunciandum curauit)cum ſpe potiendæ vrbis animis ardor eſt additus. Obſeſſos maior premebat inopia.iumenta equoſque,profana fœdaque in cibum neceſſitas verterat. bellum trahi non poſſe intelligebant, fortunas in extremo ſitas. Hoſtem obſtinato animo vincendi,ſpem auxilii nullam.cateruatim Regem adeunt: atque inconditis clamoribus,de pace agi petunt.ſatis pœnarum diuturna obſidione datum neque corporibus labores,neque animo mœrorem pati diutius poſſe. Ad hæc Rex barbarus. Nomine,inquit,pax dulcis eſt,re ipſa ſalutaris. prouidendum tamen, ne pacis ſpecie ſeruitutem amplectamur. Pax eſt tranquilla libertas: ſeruitus, extremum malorum & maximum, non modo armis,ſed morte ipſa procurandum. Animi eſt iſta mollicies non virtus, pauliſper inopiam ferre non poſſe. Qui ſe vltro morti & ſeruituti offerant plures inueniantur, quam qui famem & rerum neceſſariarum penuriam magno animo ferant. Si parumper ſuſtentatis,vltro hoſtes diſceſſuros, vobis polliceor. milites quotidie ex caſtris dilabi: neque minori anguſtia premi exploratum habeo. Aderunt præterea gentis auxilia: quæ de noſtro periculo ſolicita haudquaquam conquieſcit. Regis oratione quoniam ſimulata videbatur,neque cum verbis vultus conſentiebat, haudquaquam ciues conquieuere: videbanturque agmine facto continuo portas hoſti patefacturi. Ergo de deditione agi cœptum eſt. Miſſi de ea re in caſtra legati dato ſenatu, factaque dicendi poteſtate, conqueruntur primum, iniuſto ſe bello ab Alfonſo petitos. Beneficia quæ in ea vrbe acceperat in memoriam reuocant. Intelligere ſe haud multo minorem in caſtris inopiam, quam in vrbe eſſe:pacis tamen ſtudio facturos fœdus,modo honeſtis conditionibus. Ac ne vectigal quidem,ſi modicum imponatur,pendere recuſaturos. Ad hæc Rex negat pacis vllam conditionem niſi vrbe dedita fore.legatis vltro citroque commeantibus dies aliquot conſumpti ſunt.inopiæ malum creſcebat in vrbe. noſtris augebatur animus,quoniam priores de pace eſſent appellati. Conuenit tandem, vt vrbs dederetur his conditionibus. Arx vrbis portæ, pontes,regium viridarium,quod vrbi coniunctum eſt. Alfonſi Regi cedunto. Rex Maurus in vrbem Valentiam, aut quocunque gentium placebit abire permittitor. Eadem Mauris quicunque ſequi cum velint: ſuaque vnicuique aſportandi facultas eſto. Qui in vrbe permanere malint,ii domos & poſſeſſiones retinēto:& ex ritu gentis, rei diuinæ procurādæ cauſa,templum totius vrbis nobiliſſimum & maximum. Maiora vectigalia,quam Mauris Regibus pendere conſueuerant, imperandi fas non eſto. Qui iura dicant,iuxta ipſorum leges,ex ſua gente iudices dantor. Hoc fœdus ab vtriſque iuriſiurandi religione, & datis vtrinque obſidibus eſt confirmatum. Rex tantæ vrbis acceſſione lætus, triumphantis in morem in arcem inuectus eſt, inter fauſtas vtriuſque gentis acclamationes, octauo Kalendas Iunii,qui dies Vrbani Pontificis & Martyris memoria ſacer eſt, ſalutis an-

1085. no milleſimo octogeſimo quinto. alii ex hoc annorum numero biennium detrahunt, veterum ſchedarum fidem ſecuti:ex quibus Alfonſum eo ipſo tempore ſe Toleti Regem in publicis tabulis nominaſſe ſatis conſtat. Omnino annis trecentis ſexaginta nouem in Maurorum ditione fuerat: quo tempore ex antiqua vrbis elegantia & nitore plurimum erat detractum. Vici enormes erant,non tam locorum natura, quam quod barbari incuria ædificandi & inſcitia maxima eſſent. Arx regia ex formaceis parietibus extructa, quibus nunc locis Petri Cardinalis impenſa noſocomium eſt conſtructum. Templum maximum in vrbe media, loco aliquantulum decliui, rude & male materiatum quod ea tempeſtate Mahumetanæ ſuperſtitioni ſeruiebat, & paulo poſt ex ritu Chriſtiano extructum eſt. Vrbis captæ fama toto orbe breui peruagata, omnium piorum animos lætitia compleuit, tanta vrbe detracta, quæ inſtar propugnaculi barbaris erat: multum virium deceſſiſſe reputantium, piiſque reliqua prona fore ſperantium. Toleto capta, Regeque Mauro optima fide Valentiam cum militari præſidio, vbi regnum deinde tenuit, amandato variæ militum manus in omnes partes diductę, vicinum vrbi tractum facile in poteſtatem redegerunt. Vrbis caſu perculſi erant Mauri. Multa oppida,& municipia ſub ditionem adiuncta, Maqueda, Aſcalona, Illeſcæ, Talauera, Caraca, Mora, Conſaburo, Madritum, Valeranica, Butracum, Fita, Medina Celina, Caurium: pleraque vetuſtate antiquiſſima, locorum propinquitate opportuna, ſplendore ædificiorum,& agri nobilitate honeſtiſſima. Interea Rex veritus, ne ciuitas tantis laboribus capta ciuium proditione, quos ex gente Maurica magno numero remanſiſſe dictum eſt, amitteretur: in ea domicilium conſtituit, diuque moram traxit, non prius diſcedere certus, quam frequentia Chriſtianorum ciuium, &

nouis

nouis operibus ad omnes caſus munita eſſet. Magnis præmiis ex tota ditione inuitati multi mortales in ea vrbe fortunarum, & vitæ domicilium delegere. In hoc numero Petrus quidam fuiſſe traditur, natione Grçcus, ex Palçologorum nobiliſſima familia, quæ Orientis quidem prouinciis quondam Imperatores dedit. Is cum in obſidione Toletana ſuam Regi operam & induſtriam probaſſet, ædes in ea vrbe & amplas poſſeſſiones, vnde vitam ſuſtentaret, accepit. Ab hoc genti origo, cui à Toleto nomen eſt, cum primis nobiliſſimæ, opibus atque clientelis præpotenti. Nam Petri filius Elianus Perelius fuit, nepos Petrus Elianus: pronepos Stephanus Elianus: cuius effigies equeſtris retro aram maximam templi Toletani in ſumma fornicis abſide monſtratur. Stephani rurſus filius Ioannes fuit, nepos Gonſaluus, cuius in D. Romani æde ſepulchrum extat. Vicum Toleti regium, ex eo hoc nomen accepiſſe memorant: quod nobis incolis, concedentibus Mauris, Regis voluntate fuerit ad habitandum deſignatus. Nouæ præterea arcis, quo loco nunc cernitur, totius vrbis editiſſimo & munitiſſimo fundamenta abs Rege iacta ſunt. Quæ omnia eo ſpectabant, ne Maurorum ciuium multitudo ſe aduerſus Chriſtianos commouere poſſet. Omnino ex hoc tempore Alfonſus Rex Imperatoris ſibi (iure an iniuria non diſputo) ſed nomen tamen deſumpſit imperii. Felix rerum ſucceſſus animos faciebat: & tot acceſſione regnorum beatus ſibi eſſe videbatur. Tametſi vrbis captæ lætitiam Vrracæ ſororis obitus, quæ eodem tempore defuncta eſt, non parum imminuit: quam in matris loco ſemper habuerat, & à Ferdinando patre, Vrracæ res Alfonſo enixe erant commendatæ. Supererat Eluira ſoror altera: quam Cabræ Comiti, quem inclementi dicto violarat, ne vindictæ ſtudio ſuis & familiæ opibus motus in prouincia concitaret tempore minime idoneo, vxorem dediſſe: auctor hiſtoriæ affirmat, quæ Alfonſi Regis cognomento Sapientis nomine circumfertur.

Bernardus creatur Archiepiſcopus Toletanus. CAP. XVII.

NIHIL tum quidem Regi longius erat, quam vrbem nobiliſſimam Hiſpaniæ columen ſanctiſſimæ olim religionis arcem, & Gotthici ſedem imperii, priſco ſplendori reddere, atque ornamentis omnibus amplificare. Deligendi noui Præſulis, quod in tanta rerum perturbatione, tantiſque tenebris aliquot çtatibus intermiſſum erat, ſpes tentata haud pertinaciter initiò: quoniam Mauri ciues nondum plane domiti, repugnabant. Biennii mora cum maior Chriſtianorum frequentia in vrbe eſſet, & veterum ciuium quantum cuique credendum eſſet, quibus ſe committeret, & à quibus cauere deberet, Regi exploratum eſſet: rei perficiendæ cauſa quo maior eſſet auctoritas, Mauris tumultuandi opportunitas minor, ex vniuerſa ditione conuentum habere conſtituit. Epiſcopi & proceres euocati ad quintumdecimum Kalend. Ianuarias affuerunt freqentes. In eo conuentu primum diuinę benignitati gratiæ actæ, quod cœleſti potiſſimum ope tanta vrbs ad ius Chriſtiani imperii reducta eſſet. pro ſe quiſque, vt in quoque auctoritatis & eloquentiæ plurimum erat, beneficii magnitudinem verbis amplificabant. Deinde de creando Toletano Præſule deliberatio ſuſcepta. Omnium communi ſuffragio delectus Bernardus, S. Facundi Abbas, qui ſacris in ea vrbe præeſſet. ſuauiſſimi & optimi mores, præſtantiſſimum ingenium, opinio doctrinæ, ſpectata magnis & multis in rebus integritas animi, prorſus vt illuſtre exemplum veteris ſanctitatis referret, gentis voluntates homini externo & in Gallia nato conciliarunt. Garumna flumen Aagenum vrbem præterfluit in Aquitania. in eius vrbis territorio oppido cui à Salute nomen eſt, ex honeſto genere natus erat Bernardus. pater Guilelmus, mater Neimiro. iuuenis militiam exercuit, ætate adulta in S. Aurantii Auſcio ſiue Auxitano cœnobio in Sacerdotis cucullati morem detonſus eſt, excellenti colendæ pietatis ſtudio incenſus. Inde ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem eius accitu migrauit. ab eo ad Alfonſum Regem in Hiſpaniam ablegatus eſt S. Facundi cœnobium quod reliquis tota ditione monachorum collegiis Rex præficere cogitabat, ſeueriori diſciplina aſtringere, & nouis inſtitutis temperare cupiebat. In eam rem idoneum virum ex Gallia mitti abs Hugone poſtulauit. miſſus Bernardus eius tunc monaſterii curam ſuſcepit. & nunc ad ampliſſimum dignitatis & honoris gradum aſcendit. atq; quo maior nouo Præſuli eſſet auctoritas, Alfonſus Rex intelligens, tantum homines honoris vulgo deferre ſolitos, quantũ quiſque virium, & copiarum habeat, vanam ſine viribus eſſe nomen dignitatis & magiſtratus: arces, oppida, municipia, (qui eius concilii poſtremus actus fuit) magno numero Toletanæ eccleſiæ donauit: Briocam, (quod oppidum exilii tempore Almenonis dono tenuerat) Rodillas, Canales, Cabanias, Couexam, Barcileſium, Alcolcam, Melgariũ, Almonecirum,

Alpogrebam. ſic Rodericus Præſul ſcribit: Alfonſi Regis Sapientis hiſtoria Complutum addit & Talaueram falſo, vt prudentiores exiſtimant. horum oppidorum quædam nota ſunt, aliorum ne nomina quidem extant. Vetuſtas omnia obliuione obruit. nobis ex coniecturis diuinandi, neque otium neque voluntas erat. Omnino in vrbe, horti, molæ truſatiles, ædes priuatæ magno numero, atque tabernæ, vnde annuum vectigal conſtaret, donatæ: ex reditibus atque prouentu ſacerdotes Toletani templi vitam ſuſtentarent. ii regii ex eo tempore beneficii memores, ſtatis diebus ex ritu Chriſtiano Alfonſi Regis manibus parentare ſoliti ſunt. His rebus conſtitutis, conuentus ſolutus eſt. Compoſito ciuitatis ſtatu, Regem aliæ reipublicæ curæ Legionem vocarunt. Regina Conſtantia, & Bernardus Præſul Toleti relicti. additum militare præſidium. Erant præterea noui incolæ pro multitudine Maurorum admodum pauci, pro conditione temporis ſatis multi. His omnibus præſidiis vrbem ad omnes caſus paratam, inſtructamque Rex non inepte cogitabat fore. prudenter excogitata, noui Præſulis temeritas dicam, an imprudentia? an vtrunque? certe nimia feſtinatio plane conturbauit. Erat Epiſcopi ſedes pro tempore in D. Mariæ collocata, æde Carmelitis nunc monachis attributa: vt fere conſentiens opinio eſt eorum, quibus iſta præſcrutari curæ eſt. Mauri templum in vrbe maximum obtinebant, atque in eo rebus diuinis ex ſuperſtitione eius gentis vacabant. Ignominioſum id nomini Chriſtiano, fœdumque viſum eſt, in vrbe capta religionis hoſtes auguſtiori templo vti. quod occaſionis tarditas attuliſſet, Bernardi feſtinatione præcipitatum. Ergo conſilio cum Regina communicato, cum militum manu per noctem Maurorum templum occupare conſtituit. A fabris, qui comitabantur conuulſæ ianuæ. publicæ operæ Mahumetanæ ſuperſtitionis ſordibus loco repurgato, altaria ex ritu Chriſtiano erigunt. In ſumma templi turre æs campanum conſtitutum, quo ad rem diuinam procurãdam proxima luce Chriſtiani ſunt conuocati. Repentina re commoti barbarorum animi, atq; ex ſuæ religionis contumelia in furorem acti, vix retineri potuerunt, quin ad arma concurrerẽt, & marte arbitro iniurias vindicarẽt. Calamitoſus is dies nomini Chriſtiano parabatur: ni paratum noſtris exitium, qui numero & viribus vincebantur, diuinum numen diſcuſſiſſet. Vna Mauros ſpes ſuſtentabat, quod Rege inſcio tantum facinus perpetratum eſſe erat perſuaſum. alii ſpe vindictæ, alii viuendi cupiditate retenti ſunt. Rex iniquiſſime tulit fidem publicam, iuriſiurandi religionem, regii nominis maieſtatem, importuna Bernardi feſtinatione violatam, fœdatamque. Conſiderabat præterea quanto in periculo res eſſent Mauris furentibus. & ne vrbi aliquid ſecus accideret, verebatur. varios eſſe & commutabiles rerum humanarũ caſus diſputabat. Itaq; citato Toletum ſe proripit tanta feſtinatione, vt ex S. Facundi cœnobio, vbi rei geſtæ nuncium accepit, intra tertium diem Toletum peruenerit iracundia exæſtuans, furorẽ & minas in Reginam & Bernardum ſpirans. Nullæ preces ad aures admittebantur, nulla ope humana placabatur atrox ira. ſtabat ſententia vindicandę audacię inſigni aliquo ſupplicio. proceres Toletani, plebs, atque ſacratus ordo obuiam progreſſi in atrata veſte ſqualidi, perfuſiq; lachrymis cum infulis ac velamentis, veniam miſerabili gemitu poſtulant. nihil obſtinatus Regis animus mouetur. Graue malum rei Chriſtianæ parabatur, niſi Mauri proceres Regis animum ad miſericordiam flexiſſent. Etenim animorum impetu conſidente, & dolore, quem ex iniuria cõceperant mitigato, ſi Rex grauius aliquid in Reginam & Bernardum decreuiſſet, fore prouidebãt, vt eius facti inuidia penes ipſorum gentem maneret, & præſentem lętitiam perpetuo Chriſtianorum odio luerent: quod ipſorum rationibus exitiale fore prudenter iudicabant. Magno ergo numero ad pagum Maganum obuiam Regi procedunt. Stabant ancipiti animorum motu mœſti, fixis in terram oculis. hinc iniuriæ dolor vrebat, inde exitii metus ſolicitabat. ad Regis aduenientis conſpectum in genua procumbentes, ac lachrymis, quæ toto ore manabant, fœdatos ac dicere conantes, Rex occupauit: cum diceret, eo facto non ipſorum patientiam lęſam, ſed ipſiuſmet maieſtatem violatam eſſe. ſuam eam iniuriam fuiſſe, ſe vindice vltionem expectarent. Exemplum ſeueritatis crudele editurum, quo Maurorum genti teſtatũ fieret ſua voluntate haudquaquam iuriſiurandi religionem ſpretam fuiſſe: & poſteri intelligerent regiam fidem conſtantem fore, neq; importuna cuiuſquam audacia fore temerandam. Ad hæc illi magnis clamoribus veniam poſtulare, ſe quidem erratũ quod neceſſitas attuliſſet, & vis quædam pene fatalis libentiſſimis animis condonare. Rex Maurorum poſtulato perculſus ſubſtitit. tum è Maurorum numero quidam præcipua auctoritate in hũc modum locutus fer-
» tur. Quantum dolorem cepetimus, inuicte Rex, cum templum ex fœdere noſtrum, ſancti-
» tatis opinione præcipuum, iniuria ereptũ eſt, ex ſe quiuis æſtimare, poteſt: oratione expli-
» care ſuperuacaneum fore ſum arbitratus. Neq; tãtopere loci religione mouebamur, quam
» ꝙ ab eo initio imminuendæ noſtræ libertatis, tuæ fidei violandæ haud obſcura fundamẽta

iacta-

lacta eſſe videbamus. Quod in communem ædem factum eſt, quin in ſingulorum domos
irrumpant, atq; in fortunas noſtras inuadant, quæ fides? quæ religio frænabit? cum noſtra
gente violanda diuinum numen promereri veſtri homines perſuaſum habeant. Quod ne
contingat tibi prouidendum eſt, atq; maioribus præſidiis noſtræ gentis incolumitati con-
ſulendum. Alioqui Reginæ, & Archiepiſcopo iniuriam libenter condonamus. Ipſe nobis
auctoribus & hortatoribus idem facies: ne quorum iniuriam vindicare pergis, ipſis exi-
tium afferas. neq; enim religionis veſtrę Antiſtitem, Reginam nobiliſſimam, poſteri & co-
gnati, te defuncto inultos occidiſſe patientur. Itaque per eam dexteram, qua nobis fidem
dediſti, oramus atq; obſecramus, vt iracundiam ex noſtra ignominia conceptam deponas.
maius nobis beneficium dare nullum potes. niſi impetramus in vrbem haud quaquam re-
dire, ſed nouas & longinquas ad habitandum ſedes quærere certum eſt. Tu vide ne dolori
indulgendo, maius nobis malum parias, tibi luctum ſempiternum concilies, nomini Chri-
ſtiano dedecus atq; ignominiam ſingularem. Hæc dicente Mauro, reliqui nixi genibus, la-
crymis toto ore manantibus, manus tendere, idem precari. Regis animus variis motibus,
atq; contrariis agebatur, quod ex vultu dignoſcere promptum erat, nunc læto, modo pal-
lido. demum cum animi impetum ad rationem reuocaſſet, & Dei nutu conſilia hominum
moderantis, rem omnem eueniſſe cogitaret, Maurorum precibus flexus, pro ea voluntate
gratias agit: eius diei memorem perpetuo ſe fore profitetur. Vrbem adit, Reginam venien-
tem hilarem lætus aſpicit. cum Bernardo gratia reconciliata. dies ex atro in candidum re-
pente verſus erat. Omnia vrbis loca feſta lætitia & fauſtis acclamationibus perſonabant.
Annuis ſacris eius diei memoriam celebrari mandatũ Ianuarii menſis die vigeſima quar-
ta, cui à Pace nomen eſt. Tametſi non id ſolum agitur eo die, ſed etiam veſtis de cælo Ille-
fonſo allatæ memoria renouatur.

Gotthica precandi ratio abrogatur. CAP. XVIII.

RICHARDVM Maſſilienſem Abbatem à Gregorio ſeptimo Pontifice Maximo Lega-
tum in Hiſpaniam concilium Burgis Epiſcoporum agitaſſe, atq; in eo Romanæ eccle-
ſiæ leges, ritus & ſacrorum cæremonias ſancita fuiſſe paulo ſuperius indicatum eſt. Mul-
tis inſolenter facere videbatur, & conceſſa ad ſalutem poteſtate maxima & ampliſſima ad
quæſtum & tyrannidem abuti. reſpublica ſurſum deorſum agebatur. Romani Pontificis
nomen & maieſtas importunis Legati actionibus ſugillabatur. Bernardum pro ea perſona
quam gerebat, eius rei cura ſolicitabat: Legati tamen conatus validiores erant, auctoritas
maior quã vt obſiſti poſſet. Erat præterea ea tempeſtate moribus Hiſpaniæ fixum, ex con-
cilii poſtremi Conſtantinopolitani (ſic arbitror) præſcripta lege: vt Metropolitani priuſ-
quam inaugurarentur, electionem legibus iubentibus eſſe factam, neq; vitio creatos eſſe
Romano Pontifici probarent. priuſquam id factum eſſet, ſacrari aut aliquam reipublicæ
partem attingere nefas erat. pontificii aſſenſus indicio laneum pallium, quod ſacris pera-
gendis inſigne geſtare ſoliti ſunt, vt impetrarent, in more poſitum erat. Id inſtitutum ab
hoc initio ſuſceptum, tempore procedẽte ad alios Epiſcopos, cauſas explicare non attinet,
ſed ad inferiores certe Præſules deriuatum eſt. Hoc effecit, vt nullius Epiſcopi rata electio
ſit, niſi Pontificis auctoritate firmata fuerit. Vtriuſq; rei componẽdæ cauſa Bernardus Ro-
mam cõtendere parat. Longinqua profectio erat, periculi laboriſq; plena. Itaq; priuſquam
itineri ſe daret, Rege conſentiente, templum quod Mauris ereptum erat, ex ritu Chriſtia-
no eſt ſacratum. Epiſcopi ea de cauſſa ad conuentum iuſto numero euocati. Sacra cære-
monia peracta eſt die Criſpini & Criſpiniani, octauo Kal. Nouemb. ſalutis anno milleſimo 1086.
octogeſimo ſexto. S. Mariæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Stephani, atq; S. Crucis nomini-
bus templum dedicatum. In ara maxima multæ & magnę ſanctorum reliquię collocatæ.
Rodericus Pręſul id factum affirmat poſtquam Bernardus Roma rediit: nobis aliorum
auctoritas potior fuit cum ratione temporum magis cõſentiens. Omnino Gregorio Pon-
tifice atque, qui illi ſucceſſit, Victore eo nomine tertio defunctis, Romam peruenit: quo
tempore Vrbanus ſecundus Romanam eccleſiam gubernandam ſuſceperat, quarto Idus
Martii, anno milleſimo octogeſimo octauo. Ab eo, pro quibus venerat, integra omnia im- 1088.
petrata, Legatum Richardum reuocari, pallii vſus: præterea vt totius Hiſpanię & Gallię
Gotthicę Primas ipſe eſſet. pro qua poteſtate cum in Hiſpaniã rediret, Toloſę vicinorum
Epiſcoporum conuentum habuit, facileq; homines minime malos ingenii dexteritate &
Gallicę linguę commercio, qua ab infantia vſus erat, vt imperium agnoſcerent adegit. Iji-
dem Toletum cum inuitati eſſent, concilii celebrandi cauſa, ſeſe venturos profeſſi ſunt.
Cum primum Toletum applicuit, priuſquam Legatus ſe poteſtate abdicaſſet, communi
conſenſu de Gotthica precum ratione antiquanda actum: qua Hiſpani vulgo [illegible]

ab antiquiſſimis temporibus, prçterea ex Iſidori, Illefonſi & Iuliani, quos in cçlitum nume-
ro habent coluntq;, auctoritate. Tentatum id quidem aliquoties erat, neq; tamen ſucceſſe-
rat: quod vulgo homines, ſed & primores gentis antiquis ſtari mallent: nihilq; tenacius
inhæret, quam quod religionis ſpecie defenditur. Hoc tempore tanta à Primate & Legato
contentio adhibita eſt, vt cum Regina eorum conatibus enixe faueret, tandem peruice-
rint. Singulari certamine homines militares, & in armis nutriti rem tantam diiudicari vo-
luerunt. Die dicta, duo milites ab vtraque parte delecti in arenam deſcenderunt. vicit qui
antiquum Hiſpanorum morem & vetuſtiſſimam precandi rationem retinendam eſſe tu-
tabatur, Ioannes Ruizius ex familia Matancia, quæ ad Piſoricam fluuium habitabat, & cu-
ius poſteri ad noſtram ætatem eius certaminis memoria illuſtres manent. Verum aduerſæ
partis ſtudia cum nihil eo caſu remitterent, neq; victa vincerentur, viſum eſt controuer-
ſiam ignis iudicio permittere: ſic eius ſeculi mores erant rudes & agreſtes, neque ſatis ex-
penſi ad Chriſtianç pietatis regulam. rogo in platea accenſo liber vterq; Romanus & Got-
thicus in ignem proiecti & Romanus quidem continuo ex igne proſiliit. id populus victo-
riam interpretabatur: nam liber alter ſub igne & flammis diu permanens, illæſus inuentus
eſt. Rege arbitro, populo nihilominus perſuaſum, vtranq; precandi rationem ſuperis pla-
cere: quando vterq; liber ex incendio euaſiſſet incolumis. Quodam temperamento eam
controuerſiam componendam videri. in antiquis vrbis templis, quæ Mozarabum vulgo
dicebantur, vetus precandi ratio retineretur. quod hoc etiam tempore, ſtatis anni diebus,
iis in templis factitari videmus. præterea in templo maximo ſacellum extat, vbi ex Gotthi-
ca precandi ratione, Franciſci Ximenii Cardinalis impenſis: ne tantæ rei memoriam ve-
tuſtas obrueret, ſacerdotes conſtituti ſacris dant operam. In reliquis templis, quæ denuo
Toleti ſacrata erant, conſtitutum vt ex Romano ritu rem diuinam procurarent, & diuinas
laudes ſtatis diei temporibus decantarent. Ex eo facto in prouerbium vulgare abiit inter
Hiſpanos: Leges pro Regum arbitrio verſari. Ea controuerſia compoſita, Toleto ſplendor
antiquus, & ciuium Chriſtianorum frequentia reddita eſt. Nam Mauri ex ea vrbe paſſim
alii alia de cauſa dilabebantur. in eorum locum noui ſubſtituebantur incolæ: quibus tri-
butorum immunitas, multæ præterea prçrogatiuæ conceſſæ ſunt, vti huius temporis ſche-
dæ & publicæ litteræ indicio ſunt, quæ in tabulariis Toletanis ſeruantur. Neque eatenus
Bernardi conatus ſubſtiterunt: ſed Regem ſecutus in vlteriorem Caſtellam, Legione vr-
1091 be primaria nouum Epiſcoporum concilium habet, anno eius ſeculi nonageſimo primo,
vt Lucas Tudenſis eſt auctor. Affuit Raynerius ex Cluniacenſi monacho Presbyter Car-
dinalis, ab Vrbano Pontifice in Richardi Abbatis Maſſilienſis locum ad Regem Legatus.
Vtroq; annitente, tum alia decreta promulgata diſciplinç eccleſiaſticæ in mores reuocan-
dæ cauſa, quæ iniuria temporum nimium laxata erat: tum illud conſtitutum: Gotthicis
literarum characteribus, quas Vlfilas Gotthorum Epiſcopus, priuſquam venirent in Hiſ-
paniam excogitarat & inuenerat primus, ne amplius vſus eſſet, in publicis tabulis, ſed pro
iis Gallicos characteres ſubſtitui. Etenim ab antiquiſſimis temporibus Gotthi, Longobar-
di, Vandali, Sclaui, Franciq; proprios ſingulç nationes characteres literarum forma à Lati-
nis diſcrepantes, quibus vtebantur, inuenerunt. Franci & Sclaui veterem vſum retinent:
cæteræ nationes progreſſu temporis abdicarunt. commercio id cæterarũ nationum, quæ
Latino plurimum charactere vtebantur, datum eſt.

Origo Primatus Toletani. CAP. XIX.

LOCVS admonet, vt de principiis Toletani Primatus, quem in reliquas Hiſpaniæ ec-
cleſias ſibi eius vrbis Præſules tribuunt, & qua ratione auctoritas ducta ab humili venit
ad ſummum, altius differamus. Rerum omnium obſcura principia ſunt. antiquitatẽ, quod
propius abeſt à diuina progenie, mortales affectant. ambiguis originibus liberum fuit aliis
alias confingere: & auctoritatem gentis aut imperii a primis temporibus repetere. Itaque
plerique eccleſiæ Toletanæ Primatum ad ipſa Apoſtolorum tempora referri diſputant,
Eugeniumque Martyrem, qui in Hiſpaniam aduenit Euangelii euulgandi cauſa, in Tole-
tanis Præſulibus primum ponunt. Toletanos ciues ſacra Chriſtiana ſuſcepiſſe in Hiſpania,
Epiſcopumque habuiſſe primos omnium contendunt. Verum quæ tanta confidentia ani-
morum dicuntur, vetuſtis litterarum monimentis deſtituta ſunt: ac ne ſcriptor quidem
vllus ante hanc ætatem Eugenium in Hiſpaniam veniſſe memoriæ prodidit: ne Grego-
rius quidem Turonenſis, qui de rebus Galliæ ſcripſit: vnde Eugenium veniſſe, & vbi incer-
emptum pro fide eſſe vulgus ſed & doctrinæ ſtudiis expoliti homines perſuaſum habent,
quæ eo pertinent, non vt fixç vetuſtate opiniones importuna diſputatione moueantur:
ſed ne pro certis ambigua ſuſcipiantur. quid enim ii faciant, ſi pari argumento Compoſtel-
lani,

lani, auctoritatem Primatus, tanquam manu aſſertam in ſuam vrbem traducant: in quam Iacobus Apoſtolus Euangelii lucem primum tulit: & ſacrum eius corpus naui appulſum ad vicina littora in ea vrbe eſſe ſepultum, antiquiore multo litterarum fide traditur. Nobis nihil eſſet antiquius quam eius vrbis, vbi hæc cudebamus commentaria in vmbilico Hiſpaniæ de rebus Hiſpaniæ, & prope quam nati & inſtituti ſumus, dignitatem illuſtrare: verum hiſtoriæ leges exigunt ne incertos populi rumores & ambiguas rerum origines colligamus: atq; per imprudentiam ad eundem (quod in aliis accuſamus) lapidem offendamus. & indicio eſt eam prærogatiuam auctoritatis, de qua ſuſcepta eſt diſputatio, antiquam admodum non eſſe: quod videam in conuentibus Epiſcoporum, qui in Hiſpania habiti ſunt, rerum potientibus primum Romanis, deinde Gotthis Toletanum Præſulem haudquaquam primũ ſidendo ſubſcribendoque locum occupaſſe. Honoratus Toletanus Præſul in Eliberrino concilio, quod antiquiſſimis temporibus habitum eſt, poſt octo Epiſcopos nonus ponitur. In ipſis Toletanis conciliis, vbi maxime oportuit auctoritatem eccleſiæ Toletanę vindicare, & Regum ac populi fauor aderat non parum ſæpe in numero Metropolitanorum inter poſtremos collocatur. Ergo vt originẽ ab antiquiſſimis temporibus, & auctoritatẽ Primatus repetamus, ſic ſtatuo. Quinq; Archiepiſcopos in Hiſpania extitiſſe olim, qui aliquãdo Metropolitani, aliquãdo Primates dicti ſunt, diuerſo nomine ſententia non alia: Tarraconenſem, Bracarenſem, Emeritenſem, Hiſpalenſem, Toletanũ: & præter hos Narbonenſem in Gallia Gotthica, quæ Gotthorum tempore Hiſpaniæ cõtributa erat. Æquo hi iure pariq; poteſtate ſubnixi erant, nullius maiori imperio deuincti. (Romanum Pontificem excipio) In conciliis eum locum obtinebant, quem ordinationis antiquitas dabat. Horum Præſulum multitudinem aut vetus Hiſpaniæ diuiſio effecit, in quinq; partes tributæ, Bæticam, Luſitaniam, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Calæciam: totidemque iuridicundo conuentus ſupremi, rerum potientibus Romanis: aut gentes barbaræ pepererunt, (ſic mea ſententia eſt) cum primum in Hiſpaniam irrumpentes, ea prouincia in plures partes diſtracta, multa condiderunt imperia. Narbonenſis Metropolitanus in Gallia erat: Tarraconenſis in ea Hiſpaniæ parte, quæ in ea rerum perturbatione diutiſſime Romanum imperium agnouit: Hiſpalim Vandali obtinuerunt: Luſitaniam & Calæciam, vbi Emerita & Bracara ſunt, Alani atque Sueui. Toletum in ditione Gotthorum erat, quę gens cæteras nationes barbaras multitudine & imperio vincebat: vnde Toletanæ vrbis auctoritas cæteris maior eſſe cœpit, ac præſertim cum verſo reipublicæ ſtatu Hiſpaniam vniuerſam Gotthi in poteſtatem redegere, iure & legibus commutatis, Toletique imperii ſedem conſtituerunt: ſenſim mutatis rebus Toletanorum Epiſcoporum auctoritas creſcere cœpit. Futuræ amplitudinis haud obſcura fundamẽta poſita ſunt in concilio Toletano ſeptimo, cuius canon poſtremus eſt: Vt vicini vrbis Epiſcopi admoniti à Metropolitano, ſingulis per annum menſibus Toletum veniant, meſſis duntaxat & vindemiarum feriis exceptis. Regis id reuerentiæ, vrbis regiæ honori, Metropolitani ſolatio datum. Ab his initiis Toletanorum Præſulum creuit auctoritas, prorſus vt Eruigio Rege concilii Toletani duodecimi Patres canone ſexto decreuerint Epiſcoporum Hiſpaniæ electiones, quas Rex facere cõſueuerat, Toletani Præſulis iudicio, aſſenſuq; ratas fore. Quo ex tempore primas Epiſcopi alii deferre Toletano: in ſubſequentibus Epiſcoporum conuentibus, Toletani Præſulis prima ſemper auctoritas eſſe: primumq; ſedendo ſubſcribendoq; locum occupare. Atq; his ſe finibus Toletani Epiſcopi auctoritas continuit. Cætera Primatum iura, qui iidem Patriarchæ ſunt ſolo nomine diſcrepantes, vt leges eccleſiaſticæ docent, haudquaquam obtinuit. nulla dignitatis inſignia præcipua. poteſtas præterea nulla maior in ſubditos. Poſtquam rebus commutatis inſignem illam plagam accepit Hiſpania, Maurīq; rebus præfuerunt, Primatis dignitas & maieſtas conticuit: & progrediente tempore tanta rerum extitit perturbatio, vt ne Epiſcopi quidem rite ſacrati Toleti eſſent, quod multis annis tenuit. Demum ea vrbe ad Chriſtianorum ditionem reſtituta Toletanus Præſul, non modo Metropolitani honore auctus eſt, ſed etiam Primatis dignitatem impetrauit agente Bernardo nouo eius vrbis Pontifice, Vrbano ſecundo Romano Pontifice concedente: non abſque aliorum Epiſcoporum obtrectatione, qui vno prælato iniuriam factam eſſe cæteris querebantur. Vrbani de hac re litterę alio ſunt loco explicandę. primus Berengarius, quem Bernardus ipſe Auſa Tarraconem tranſtulit, de Primatu litem intendit, in qua victus eſt: nam Vrbanus ſecundus datam ſemel Toletano Pręſuli auctoritatem ratam fore iudicauit. Vrbani iudicium Paſchalis & Gelaſius eius in pontificatu ſucceſſores nouis diplomatibus comprobarunt. Calixtus eo nomine ſecundus auctoritatem imminuiſſe viſus eſt: cum Iacobo Compoſtellano Epiſcopo Emeritenſis Metropolitani iure ea vrbe (quoniam in Maurorum ditione erat) translata conceſſit. auxit pręterea Le-

gati pontificii maieſtate in prouincias Emeritenſem, & Bracarenſem, exemitque nominatim, à Bernardi Toletani Pręſulis imperio. Honori id fratris Raymundi datum eſt, qui Compoſtellæ erat tumulatus: & in Iacobum Apoſtolum ſtudio incitato. Verum Raymundo Bernardi ſucceſſore Honorius, Innocentius, Celeſtinus, Lucius, Eugenius eo nomine tertius Toletanum Pręſulem Hiſpanię Primatem fore ſanxerunt. Raymundo Ioannes ſucceſſit. quo Pontifice, tũ ab Hadriano quarto Romano Pontifice Primatus Toletanus ſancitus nouo diplomate eſt, Compoſtellano abrogato: tum Ioannes Bracarenſis Epiſcopus, qui Toletano de primatu litem intẽderat, atq; obtemperare recuſabat, Toletum venit atq; in eius, cuius imperium refugiebat, verba iurare compulſus eſt. Cerebruno Ioannis ſucceſſore exemptionis priuilegium ab Anaſtaſio Romano Pontifice, Pelagio Compoſtellano Præſuli conceſſum, ab Alexandro eo nomine. III. abrogatum eſt. Quo tempore Iacinctus Cardinalis in Hiſpaniam Legatus præter alia quæ ſapientiſſime tota prouincia conſtituit, ſecundum tabulas Toletanæ eccleſiæ litem diremit: atq; veteris controuerſiæ Cerebrunus, vt nouus victor eſſet effecit, pronunciata ſententia. Alexandri eo nomine III. literas ad Cerebrunũ, quę à maioribus erant inſtituta pręclare nouo decreto confirmantis, huic diſputationi inſerẽdas eſſe iudicauimus. Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Cerebruno Toletano Archiepiſcopo ſalutẽ & Apoſtolicam benedictionem. Cum pro negotiis cõmiſſę tibi eccleſię imminentibus, nuncium ſuum ad nos tua fraternitas deſtinaſſet, in ſede Apoſtolica, quę iuſta petentium vota ſemper conſueuit admittere, per eundem nuncium ſuppliciter poſtulaſti, anteceſſorum noſtrorum felicis memorię, Paſchalis, Calixti, Honorii & Eugenii priuilegium tibi & literas innouari: in quibus Hiſpaniarum Primatus Toletanę eccleſię noſcitur indulgeri. Nos autem quoniam te ſyncera in Domino caritate diligimus: & perſonam tuam, quæ inconcuſſa eſt columna eccleſię & ſtabile firmamentum, quibuſcunque modis conuenit propoſuimus honorare: poſtulationem tuam duximus admittendam, & deſiderium tuum effectu ſuo paſſi non fuimus defraudari. Verum communicato fratrum noſtrorum conſilio, ad exemplar prædeceſſoris noſtri bonę memorię Hadriani Papæ, Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſtatuimus, vt iuxta propoſitę petitionis iudicium deberet priuilegium ſimul cum litteris innouari: & ſicut eccleſia tua ex antiquo habuerit in tota Hiſpaniarum regione Primatum, ſic tu & eccleſia Toletana, cui Domino auctore præeſſe dignoſceris, eundem Primatum debeas ſuper omnibus in perpetuum obtinere. Adiicientes priuilegio, quod Pelagius quondam Archiepiſcopus à prędeceſſore noſtro bonæ memoriæ Anaſtaſio Papa videlicet, quod iure Primatus non deberet eccleſiæ tuæ eſſe ſubiectus, dicitur impetraſſe, ſcilicet priuilegium iam dicti anteceſſoris noſtri, ſanctæ recordationis Eugenii Papæ, prædeceſſori tuo ſuper conceſſione Primatus, indultum illi modis omnibus præiudicare decernimus: præſertim cum illud Anaſtaſii, neque de communi, neque de ſanioris partis fratrum conſilio fuiſſet elicitum. Decernimus itaq; vt ipſe Compoſtellanus Archiepiſcopus, ſic ut reliqui Hiſpaniarum Pontifices, tibi tanquam Primati ſuo & ſucceſſoribus tuis obedientiam de cętero & ſubiectionem iure Primatus impendant: & dignitas ipſa tibi, tuiſque ſucceſſoribus ſemper firma permaneat, & perpetuis temporibus illibata. Statuimus ergo vt nulli omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis & confirmationis paginam auſu temerario infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datis Beneuenti per manum Gerardi S. Romanæ eccleſiæ Notarii. VIII. Kal. Dec. Indictione tertia, Incarnationis Domini anno. M.C.LXXIIII. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ III. anno. XI. Longum eſſet ſingula recẽſere. omnino Gonſaluo Cerebruni ſucceſſori Vrbanus eo nomine tertius auctoritatem Primatus ratam habuit. Gonſaluo Petrus Cardona ſucceſſit: Petro Martinus. quo Epiſcopo Celeſtinus eo nomine. III. pro ea cognatione & neceſſitudine, quę illum inter & Reges noſtros erat, dum adhuc eſſet Cardinalis, vt maiores templi Toletani ſacerdotes Epiſcoporum ad inſtar mitris vterentur, dum res diuina peragitur, impetrauit. auxitque id priuilegium Pontifex renunciatus. Excepit Rodericus Semenus Toletanus Præſul, magno animo vir, doctrinæ opinione ſingulari. res eo tempore miraculi inſtar. Hic in concilio Lateranenſi primo coram Patribus & Innocentio tertio Pontifice Maximo, ſuæ eccleſiæ cauſam declamantis in morem luculenter egit: liteque conteſtata, reliquos Hiſpaniæ Metropolitanos vicit. Eidem quoniam Bracarenſis iugũ excutere cupiebat, Legati partes Honorius. III. conceſſit. Honorii. III. ſucceſſor Gregorius. IX. legem abrogauit, quæ Tarracone aduerſus Toletani Præſulis iura & merita promulgata erat, ne in ea prouincia Primatis auctoritate fungeretur. Roderico Ioannes, Guterrius, Sanctii duo, vterq; ex regio genere ſucceſſere ordine. præter hos Ioannes

annes Contrerius, qui Martini. V. tẽpore vixit, & deinde concilio Baſilienſi interfuit præterea Contrerii ſucceſſor Ioannes Cereſuela Aluari Lunæ Magiſtri equitum vterinus frater. Hi ferme omnes a Pontificibus Romanis diplomata in eandem ſententiã abſtulerunt: vt veteres tabulæ indicant, quæ in templi Toletani maximi ſcriniis cum fide ſeruãtur. Iam Alfonſo Carrillio Toletano Præſule aduerſus Alfonſum Carthagenam Epiſcopum Burgenſem inique ferentem crucem Toletano in ſua ditione præferri (quod erat poteſtatis inſigne) eam controuerſiam Ioannes eo nomine ſecundus, Caſtellæ Rex ſuam litem fecit, tabulis confectis, quibus Toleto vrbis Imperatoriæ cognomentum dat ſuamque illi præ cæteris ciuitatibus prærogatiuam conſtare ſancit: arbitratus, quod res erat, Toletani Pręſulis auctoritate multum ſplendoris ipſius regno accedere. Alfonſi exemplum, multi alii priores & poſteriores eius vrbis Epiſcopi imitati ſunt, crucemq; tota Hiſpania pręſe ſublimem tulerunt. In his Petrus Gonſaluus Mendoza, & Franciſcus Semenus Cardinales, argumento Toletanos Pręſules Primatum iura & auctoritatẽ obtinuiſſe, ex quo tempore a Mauris Toletum recepta eſt: tametſi nunquam defuerunt qui obſiſterent auctoritati, detrectarent imperium: ac ne nunc quidem præter nomen vllam eius poteſtatis partem exercent in alias prouincias Hiſpaniæ: neque componendis litibus, neque ſontibus plectendis, neque legibus promulgandis.

Alfonſi Regis vxores, & progenies. CAP. XX.

DVAS hactenus Alfonſi Regis vxores fuiſſe, Agnetem & Conſtantiam, atq; ex Cõſtantia Vrracam genuiſſe, ſuperius eſt dictum. Conſtantia poſt Toletum receptam defuncta eſt: quo tempore Eluira glos eius deceſſit, atq; Legione cum Vrraca ſorore & maioribus tumulo contecta eſt. In Regis torum, Benabeti Mauri Hiſpalenſis Regis filia ſuſcepta eſt, ſuperſtitione prius Maurica abiurata & Zaidæ nomine Mariæ appellatione mutata. quidam Eliſabethæ dicunt. Ex hoc coniugio Sanctius eſt natus, ſi vita diuturnior contigiſſet, magnus Princeps futurus, & paternam æquaturus gloriam: ſic virtutum indoles in tenera ætate pollicebatur. pręclaras dotes Hiſpaniæ fata inuiderunt. quartis deinde, quintis & ſextis nuptiis Bertam è Tuſcia aduectam, Eliſabetham ex Gallia: præterea Beatricem, qua ex gente incertum, ſed poſtremo tamen vxorem duxit. ex Eliſabetha duas filias ſuſcepit, Sanctiam Roderici Comitis vxorem, & Eluiram, quæ Rogerio Siciliæ Regi Rogerii Comitis filio poſt aliquot annos nupſit: vnde Guillelmus Rex & Anfuſus Capuanus Princeps, aui ſcilicet nomen referens, nati ſunt: vt Alexander Celeſinus Abbas eſt auctor, qui Rogerii Regis geſta conſcripſit ipſius æqualis. Ex concubina Semena totidem filiæ Alfonſo Regi natæ ſunt, Eluira atq; Theraſia. Eluira quidem Raymundo nupſit Toloſano Comiti: vnde Bertrandus & Alfonſus Iordanus geniti ſunt. Theraſia autem Henrico Lotaringio data eſt vxor: vnde Luſitanis Regibus generis origo & perpetua propago. Nam ex concubina altera, cuius nomen memorię non proditur, & cum qua ſtupri conſuetudinem habuit, nullam Alfonſus prolem ſuſcepit. Vrracam ex Conſtantia filiam natu maiorem, Raymundo Comiti vxorem dedit, Comitis Burgundi fratri, atq; Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis primum, deinde Romani Pontificis, cui Calixto ſecundo nomen fuit. Ex Raymundo & Vrraca: Sanctia prior, deinde Alfonſus eſt natus, is qui multorum regnorum adiunctione præpotens in Imperatoris nomen inuaſit. Hæc ex grauiſſimis auctoribus ſelecta ſunt. præſtat tamen de Alfonſi vxoribus & progenie Pelagium Ouetenſem audire, proximæ ætatis auctorem, finem ſcribendi fere facientem his verbis. Hic (de Alfonſo Rege loquitur) habuit quinq; vxores legitimas: primam Agnetem, ſecundam Conſtantiam Reginam, ex qua genuit Vrracam Reginam, coniugem Comitis Raymundi: de qua ipſe genuit Sanctiam, & Aldefonſum Regem: tertiam Bertam Thuſcia oriundam: quartam Eliſabeth, ex qua genuit Sanctiam coniugem Comitis Roderici, & Geloiram, quam duxit Rogerius Dux Siciliæ: quintam Beatricem, quæ mortuo eo repedauit in patriam ſuã. Habuit etiam duas concubinas, tamen nobiliſſimas: priorem Semenam Munionis, ex qua genuit Geloiram vxorem Comitis Raimundi Toloſani, patris ex ea Adeſonſi Iordanis: & Theraſiam vxorem Henrici Comitis, patris ex ea Vrracæ, Geloiræ: & Adefonſum. poſteriorem nomine Ceidam filiam Abenabeth Regis Hiſpalenſis, quæ baptizata Eliſabeth fuit vocata. ex hac genuit Sanctium, qui obiit in lite de Ocles. ſic Pelagius. Has Alfonſus vxores habuit, hos filios & nepotes, bello quam pace clarior, rebus geſtis aliquanto quam prole felicior, in vtraq; fortuna admirandus. Quæ conſequenti tempore quaſi ex ſummo repente conuerti, & graues Regi regnoq; calamitates attuliſſe viſa eſt: vt ſequens narratio declarabit.

LIBRI NONI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER DECIMVS.

Noua bella in Hiſpania Syriaque. CAP. I.

ORIENTIS & Occidentis regna vno ferme tempore nouis bellorum procellis quaſſata ſunt. Almorauides Mahumetana gens Arabum familia, qui ad hæc tempora rerum potiti erant in Africa, oppreſſa, in ora Mauritaniæ, quæ ex aduerſum Hiſpaniæ ad fretum Herculeum inter vtrunque mare porrecta eſt, imperium primum conſtituerunt. deinde in Hiſpaniæ parte multo maxima: cum torrentis inſtar ſe in eam prouinciã infudiſſent feroces & rapidi. In Hiſpaniam hæc occaſio traiiciendi fuit. Hiſpalenſis Regis filiam Alfonſus Rex toro iunctam habebat, vti paulo ante dictum eſt. Rex Maurus Hiſpaniam quam late in ea Mauricum patebat imperium ſpe complexus, ſi nouis ex Africa viribus & copiis eſſet adiutus, pro iure cognationis à genero petiit, vt communibus litteris Iuzephum Tephinum Almoranidum Regem viribus & potentia prævalidum, & perpetua rerum geſtarum felicitate ferocem, euocarent in Hiſpaniam: vt ſuo periculo atq; labore alienæ ambitioni ſeruiret. quod contra accidit. Dat Alfonſus litteras cum ætatis inclinatione vxorius factus. Peſtiferum conſilium atq; capitale, nullique magis exitiale, quam ipſi auctori futurum. Iuzepho non negligẽda videbatur occaſio in Hiſpaniam arma vertendi. paruis momentis magnos ſæpe caſus intercedere. alieno nomine bellum inchoari poſſe & inuidia, concludi ſuo ipſius commodo. Veniendi quidem ipſi an voluntas an facultas non fuit. Miſſus Hali Abenaxa magni nominis Dux, virtute factiſque clariſſimus: cui conſilia callida erant, audacia rebus inchoandis, conatus perficiendis, ac ſecundi demum exitus. ſequebatur iuſtus exercitus. cum his copiis Hiſpalenſi Regi ſe adiunxit, vti iuſſus erat. haud diuturna concordia fuit (neque vnquam ſatis fida potentia, vbi nimia eſt) diſſidio certe nulla magna de cauſa inter vtranque gentem repente exorto ad arma concurritur. Mauri cum Mauris confligunt. Africano par Hiſpanus non erat, diuturno otio & voluptatum debilitatus illecebris. victus Hiſpalenſis Rex Alfonſi ſocer, atque in acie trucidatus eo minori ſuorum dolore, hoſtiſq; inuidia, quod ex arcano noſtræ religioni fauere, noſterque eſſe credebatur. Abdalla interfector. eius ditionem omnem victores ſuam continuo fecerunt. Anno Arabum quadringenteſimo octogeſimo quarto ea clades accepta: ſic in hiſtoria de Arabibus Rodericus
1091 ait, hoc eſt anno Chriſti milleſimo nonageſimo primo. Mauricæ gentes quæcunque erant in Hiſpania ad nouam ſpem erectæ ſub eius imperium adiunctæ, quædam vi, pleræque voluntate, rem Mauricam, quæ in præcipiti erat, Halis virtute & præſidio ſuſtineri poſſe cogitantes. Nulla fides barbaris, præſertim arma tenentibus. Itaque Dux Africanus ditionis ampliſſimæ viribus fretus, ſuo quam alieno nomine imperare genti maluit. Aderant gentis ſtudia: & ſi qui contra ſentiebant, inuidia in occulto erat, palã aſſentatio. ſe Hiſpaniæ Miramamolinum dicit, quod erat inter Mauros regię poteſtatis nomen inſigne. Noui præterea imperii fiducia Reges Mauri, qui tota Hiſpania Alfonſo ſtipendiarii erant, quaſi ſeruitute depulſa, erectique ad libertatis ſpem, annuum vectigal pendere recuſant. ſic res Hiſpaniæ erant. Piorum armis in Syria bellum ſacrum inchoatum eſt, rerum gloria & magnitudine, atque conſternatione terrarum omnium aduerſus bellicoſiſſimos Reges atq; Imperatores Orientis nobiliſſimum. Hieroſolyma vrbs antiqua nobilitate celebris, & Chriſti Dei natalibus, vita, morteque ſanctiſſima barbaræ genti, feræ & immani parebat, grauiore indies ſeruitute. Petrus ex nobilitate Ambianenſi in Gallia natus, cum adoleſcens militia corpus duraſſet, & vir effectus, rebus humanis ſpretis, in eremo vitam egiſſet, religionis ergo Hieroſolymã abiit. Inopia, viliq; cultu, & ſpecie corporis indecora, breuiq; ſtatura inter barbaros tutus, omnia circunluſtrans, quã atrocia & quam barbaræ crudelitatis exempla noſtri homines paterentur, animaduertit. Simon ea tẽpeſtate Hieroſolymitanus Epiſcopus erat. cum eo re communicata, acceptiſque ad Pontificem Maximum litteris & ampliſſimis mandatis, in Europam reuertit. Vrbanus audito Petro, lectiſque litteris maximum animo dolorem cepit. Vrebat [illegible] Chriſtiani nominis. Terram Chriſti Dei

veſtigiis

veſtigiis impreſſam, vnde origo religioni, vbi domicilium ſanctitatis extiterat, cultoribus vaſtam, orbam ſacerdotibus. Barbaros non cum hominibus modo, ſed cum ſanctitate locorum, bellum gerere odio Chriſtianæ religionis inexpiabili atque grauiſſimo, ſecuros agere angebatur ſcilicet. neque tamen eius ignominiæ procurandæ conſilia explicabat. Id grauiſſimum videbatur. Græci Imperatores, in quibus opis aliquid eſſe debuit ob locorum propinquitatem, metumque impendentem à Turcis barbara gente & immani, de ſuis rebus ſoliciti parũ aliena curabant. Occidentis regna ſine metus ſuſpicione res communes negligere: nihilque minus mouere videbatur, quam religionis iniuria. Vrbanus Pontifex his quamuis anxius curis, nequaquam ſe animo demittit. Conſilium capit ſpecie arduum, rebus ſalutare. Proceres & Præſules ex vniuerſo Occidenti ad conuentus de religione habendos euocare conſtituit: vnde velut claſſico omnium Chriſtianorum animos ad bellum ſacrum excitare inflammareque cogitabat, optimæ cauſſæ ſperans numinis patrocinium haudquaquam defuturum. Claromons in Aruernis vrbs præcipua nobilitate concilio deſignatur. Dum hæc in Italia atque Gallia parantur, miſſiſque a Pontifice legationibus nationes omnes vt vires conferant, re & conſilio adiuuent, ſolicitantur, eiuſque belli apparatu cæteræ prouinciæ ardent: in Hiſpania res Chriſtiana fluctuabat, pronaque in occaſum eſſe videbatur, Almorauidum ob aduentum armaque. Nunquam neque maiori impetu, neque maiori Hiſpaniæ periculo concurſum eſt. genti feræ & immani victoriarum curſus, ſecundi bellorum exitus, imperiorum acceſſio ſpiritus addebat. Nouo in Hiſpania imperio fundato, arma in noſtros vertunt: atque in Carpetanos inuadunt. Toletanos fines & oppida igne & direptionibus vaſtant. vrbes quæ in eo tractu & Celtiberis, dotis nomine Zaidæ datæ erant à patre, armis ereptæ, Concha, Vrceſia, Opta. Alfonſus Comites duos Garſiam Sororium & Rodericum Mauris obuiam mittit, adiuncta valida militum manu. victi acie noſtri ad Rhodam oppidum (quod Plinio Virgao eſſe creditur, Bætim inter & Oceanum) atque fugati ſunt. Alfonſus tot cladibus caſtigatus, & impendentis periculi metu, intelligens quantopere peccatum eſſet, noua diligentia, præterita mala compenſare ſatagens, magnos toto regno delectus habet: auxiliiſque vndique contractis iuſtum exercitum conflat. Multi vltro ex vicinis prouinciis rei Chriſtianæ periculo permoti, in Alfonſi caſtra confluxere. Ad Cazalliam, quod municipium non ita procul Pace Auguſta ſitum eſt, totis vtrinque viribus dimicatum. victi Chriſtiani, cæſiq; magno numero. Noua ea clade Alfonſus haudquaquam demittit animum, neque ſecundis rebus inſolens, neque aduerſis debilitatus. Expedito conſilio bellum reparat, nouiſq; auxiliis & copiis priorem exercitum auget. cum iis copiis Cordubam vſque ferro penetratum. in homines, & pecora ſæuitum: ac ne tectis quidem & agris parcebatur. Tyrannus viribus diffiſus, exercitu veteri magna ex parte dilapſo, Cordubæ mœnibus ſe tenet vrbis munitiſſimæ. læuia modo prælia commiſſa. Accidit vt Abdalla noctu improuiſus, piorum caſtra inuaderet. cæteris pulſis cæſiſque noſtrorum accurſu, Dux ipſe captus, proxima luce in ipſis Maurorum oculis, qui ex vrbe deſpiciebant, membratim laniatus, viuuſque combuſtus eſt: cum eo è ſociis alii. crudele exemplum. ſed dolor quem ex Benabeti ſoceri caſu Rex ceperat, ſupplicii acerbitatem excuſabat. eo victoriæ fructus maior. Maurus diuturna obſidione fatigatus deditionem facit, paratus imperata facere. magno in præſenti auri & argenti pondere mulctatur: in poſterum annuum vectigal impoſitum. ditio relicta quam ceperat, quaſi Caſtellæ Regum beneficiario. Glorioſum id Alfonſo fuit, prouinciæ ſalutare: nam ab eo initio intellectum eſt barbarorum arma vinci poſſe. Rebus in Bætica compoſitis, in Celtiberiam bellum eſt verſum. Cæſarauguſta poſitis iuxta caſtris circunſeſſa eſt, magniſque operibus impugnata. ciues vectigal annuum pendere non detrectabant, dummodò eos in fidem reciperet, totaque ditione continuo ſine maleficio diſcederet. Honorifica Regi conditio proponebatur. vicit tamen ſtudium & ſpes vrbis potiundæ, vt in propoſito perſtaret. Verum dum maiora captat, vtrunque amiſſum eſt. Iuzephus enim nouo Almorauidum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis inſtructus & formidabilis ex Africa in Hiſpaniam traiecit, ad comprimendos Halis Ducis conatus, perfidiam vindicandam. Eius aduentus vno tempore in vrbe & in caſtris nunciatus, Mauris cum ſpe melioris fortunæ animos addidit: Alfonſum maioris mali periculo metuque obſidione ſoluta compulit retro redire. Et Iuzephi quidem arma proſperum curſum habebant. Nam Hiſpalim vbi tyrannus erat, primo aduentu redegit in poteſtatem: tyranno caput amputatum. Mox Corduba ex deditione capta eſt. Harum exemplo reliquæ vrbes Bæticæ, ac vero quæcunque tota Hiſpania Maurico imperio tenebantur, breui tempore ad ditionem ſubiunctæ, imperata quædam vi, aliæ voluntate fecerunt: nouiq; Regis virtute & felicitate confiſæ, Chriſtiani imperii iugum plurimæ detrectabant. Graue id Al-

fonſo viſum eſt, neque diſſimulanda ignominia. Et maioris periculi metus proponebatur,
ne rurſus Africæ & Hiſpaniæ viribus, quæ longo interuallo iunctæ erant, res Chriſtiana in
Hiſpania periclitaretur. Priuſquam mora vires conualeſcerent, Maurorum confirmare-
tur audacia, bellum comparari placuit. Tumultus decernitur, iuſtitium indicitur, ſaga ſu-
muntur non à profanis tantum hominibus, ſed etiam à viris ſacratis. ſublatis vacationibus,
tota prouincia delectus habentur. externa aduocantur auxilia. & pleriq; Hiſpaniæ pericu-
lo permoti, nauandæ in eo bello operæ ſtudio incitati, vltro ex Gallia magno numero ve-
nerunt. Raymundus, Burgundionis Comitis frater germanus: horum cognatus Henri-
cus, domo quidem Lotaringius, quamuis Veſontione natus vrbe Sequanorum maxima,
vnde Veſontinus dictus eſt, Luſitanæ gentis & regni conditor: atque Henrici propinquus
Raymundus Toloſæ & Sancti Egidii Comes. Hos inuicta Francorum manus ſequeba-
tur, magna atque incredibili ad bellum alacritate. Affuit præterea Sanctius Aragonius
Rex, quamuis ingraueſcente ætate magno animi vigore, dexteritate maxima: quam per-
petuo bellorum vſu aduerſus Mauros compararat. Ex his omnibus gentibus numeroſus
exercitus conflatus: prorſus vt hoſtes de finibus laceſſere non dubitarent. In Bæticam in-
timam penetratum eſt. populationes, vaſtationes, direptiones locis omnibus factæ. Ad A-
laguetum (nomen id loci eſt) caſtra caſtris collata. Iuzephus viribus impar, conſilio cau-
tus, certamen detrectauit. Fugæ perſimilis profectio fuit: quod feſtinatio diſcedendi &
impedimentorum pleraque relicta indicabant. Alfonſus ſatis ſe ad nominis auctoritatem
tuendam effeciſſe exiſtimans barbaro fugato: & alioqui exercitus ex tam multis gentibus
lingua, moribus & inſtitutis diſcrepantibus contineri longo tempore non poterat: mili-
tem præda diuitem, ſucceſſu lætum, reduxit in patriam. Almorauidum arma hac ignomi-
nia accepta aliquandiu conquieuerunt: & Iuzephus noui regni ſtatu componendo diſti-
nebatur. Alfonſus tamen nihil de ſua comparatione interea omittere: quoniam bellum
maiori mole futurum propediem exploratum habebat. Nouis cognationibus externo-
rum Principum animos ſibi conciliare conſtituit: ac tribus proceribus, qui ex Gallia ve-
nerant, totidem filias vxores dare. Nauatæ operæ ea merces fuit. Raymundo Toloſano
Comiti Eluira nupſit. Henrico Lotaringio Theraſia, vtraque furto quidem genita (vt ſu-
perius eſt demonſtratum) cæterum regio cultu, & in ſpem magnæ fortunæ educatæ. Ray-
mundo Burgundo Vrraca legitima Alfonſi filia connubio iuncta eſt. Hic vrbem Salman-
ticam inſtauraſſe ſoceri Regis iuſſu fertur. Præterea Roderico Comiti Sanctia Regis ex
Eliſabetha vxore filia nuptui data eſt. (ad hunc Gironii reguli cum primis nobiles in Hi-
ſpania genus referunt.) Henrico quidem dotis nomine datum eſt quidquid terrarum in
Portugalia Chriſtianorum armis partum erat, Comitis nomine: atque ea lege, vt Regum
beneficiarius eſſet: ad comitia regni veniret: & ad bellum quoties inuitatus eſſet, proſe-
queretur armatus. Noui ea regni initia atque fundamenta fuerunt: quod paulo poſt in Hi-
ſpania fundatum ſupra quadringentos annos Henrici poſteros Reges habuit. Burgundo
Calæciæ præfectura data Comitis nomine, quo nomine prouinciarum rectores vti ſoliti
erant, proximaque ſpes ad quam deſtinabatur, Sanctio Regis filio ſi quid humanitus con-
tigiſſet. Toloſano Comiti varia ſupellex, veſtis pretioſa, auri atque argenti pondus dos
fuit, ditio nulla in Hiſpania: cum de Gallia cogitaret, vbi late dominabatur. Auctor qui-
1093. dam Alfonſi armis eius ſeculi anno nonageſimo tertio Oliſiponem captam eſſe ait: vero
an falſo affirmare non poſſum. Illud dico: non parum ſæpe inter vtriuſque nationis arma
vrbem eam alternaſſe: ac conſequenti demum ætate Mauris ablatam, ſtabili poſſeſſione
ac perpetuo in Chriſtianorum ditione permanſiſſe.

Sanctius Aragonius Rex occiditur. CAP. II.

1094. PROXIMVS certe annus à Chriſti ortu milleſimus nonageſimus quartus, nobilis qui-
dem Alfonſi ortu fuit eius, qui Henrico Lotaringio & vxore Theraſia natus, felicibus
armis Portugaliæ nomen illuſtrauit, ditionem extendit: primuſque in regium nomen
Pontificum Romanorum venia inuitis Caſtellæ Regibus inuaſit. Infauſtus autem Sancti
Aragonii Regis infelici caſu cædeque: cui vni non modo bene geſtæ, atque conſeruatæ
reipublicæ, vti prioribus faciunt, ſed etiam auctæ & bonis omnibus cumulatæ laus ab A-
ragoniis datur. Primus enim ex impeditis atque præruptis montibus, vbi priores Reges
imperii fines tutati erant haud minori locorum quam armorum fiducia, in ſubiectos cam-
pos & planiciem delatus, vrbes & oppida magno numero armis occupauit: cum regulis
Maurorum Balagueris, Ilerdæ, Montionis, Barbaſtri, Fragæque continenter bella geſſit:
victoſque ſtipendiarios habuit primum, deinde longa ac difficili obſidione Barbaſtrum
cepit,

cepit, ad Verum amnem præcipua regionis amœnitate nobilem vrbem. Vndique copiæ admotæ. mœnium munitio opponebatur. pertinacia noſtrorum omnes difficultates ſuperauit: dum vndiq; circunſtrepit terror, nec remittitur ardor, obliuioq; vulnerũ & mortis contemptus occupat animos, impetu expugnata direptaque eſt. Salomoni Rotenſi Epiſcopo attributa, alii Arnulfo affirmant, nobis neutrum ſatis compertum eſt. Omnino Armengaudus Vrgelitanus Comes in ea obſidione obiit. ditio Barcinonenſi Comiti ceſſit. Eius calamitatis vindicandæ ſtudio, quoniam Regis ſocer erat, in captos ciues grauius ſæuitum. Bolea in Vaſconum atque Ilergetum finibus, ad Cingam amnem, vbi diu bellum fuit, Mauris erepta: Montioque validum in Ilergetibus municipium ſitu arceque. alia præterea oppida & vrbes, quorum numerum inire longum eſſet. Omnino in Vaſconibus Stella condita, exiguum tunc oppidum, nunc vrbs eo tractu cum primis nobilis & quoniam de Cæſarauguſta cogitabat, ad Iberi ripam viginti ſupra eam vrbem millibus paſſuum Caſtellare oppidum extructum eſt, ad arcendas barbarorum incurſiones. crebris præterea eruptionibus ex eo oppido infeſta circa omnia vrbi faciebat: vt interdum interclusis cõmeatibus obſeſſa eſſe videretur à noſtris. In Vaſcetanis Luna municipium conditum. nulla re nobilius, quam gentis origine, eius quæ à Luna nomen habet, vetuſtæ & nobiliſſimæ. generis conditor Bacalla vir primarius, cui Sanctius id oppidum dono dedit, Rex vere magnus & virtutum omnium ſplendore clariſſimus, inſignis pietate: qui ab Alexandro ſecundo Romano Pontifice Diui Ioannis Rupenſis, ſed & multa alia tota ditione monaſteria ab Epiſcoporum iure exempta eſſe impetrauit. Præſulum auiditas obtendebatur in eorum bona inuolantium: ſed & monachorum mores ea tempeſtate (quod D. Bernardus conqueritur) nimium in ſtudium libertatis incubuerant: paſſimque eorum Præfecti, vt inſignia Epiſcoporum mitram, baculum, breue circum humeros pallium geſtare fas eſſet, libertatis indicio impetrabant. ea fraudis inuenta via eſt. Qu d in Epiſcopis accuſabatur, idem crimẽ auiditatis Regẽ perſtrinxit, qua vna nota deformis fuit. Nam in templorum & ſacerdotum bona licenter inuaſit. ærarii tenuitas atque inopia, ingentes bellorum ſumptus excuſare videbantur: data præterea ante annos aliquot à Gregorio ſeptimo Pontifice Maximo facultas, decumas & vectigalia templorum, quæ extructa denuo, aut Mauris erepta eſſent, pro arbitratu permutandi, inuertendi, attribuendique quibus mallet. Illuſtri ipſe modeſtiæ & Chriſtianæ pietatis exemplo conceptam ex eo facinore religionem, procurandam curauit, odiumque populare, ante aliquot annos Rotæ in D. Victoriani, ad aram D. Vincentii humilimo corporis habitu, cum gemitu & lacrymis publice veniam precatus. Affuit Raymundus Dalmatius eius vrbis Epiſcopus, cui quæ ablata erant omnia, reponi integra fide mandauit. Et miror noſtra ætate quoſdam viros principes, cuius exempla imitantur templorum bonis occupandis, eius neque pœnitentia moueri, neque perhorreſcere exitum. Oſcenſem Regem Abderrahmanum continenti bello vexare ſolitus, omnem circa ditionem armis occuparat: Montaragonem quarto ab ea vrbe lapide municipium ceperat, magniſque operibus muniendum curarat, vt arcis inſtar barbarorum ceruicibus immineret. vrbs ipſa tandem circunſeſſa, copiis omnibus vndique contractis. vicini colles præſidiis occupati: ne exeundi commeandique in vrbem facultas eſſet. caſtra in cliuo poſita, qui ab eo tempore Sanctii podium dictus eſt. Vrbs munitiſſima erat, totiuſque Mauricæ ditionis ea parte propugnaculum: vti fuerat Romanorum tenpore, à quibus firmitudinis indicio vrbis Victricis nomine nuncupata eſt. Ergo obſidio ducebatur: vi expugnari non poterat. Oſcenſes Alfonſum Caſtellæ Regem, vt opem ferat obſeſſis, ſolicitant. annuit ille, vt ſolent Reges, cum ſpes vtilitatis oſtenditur, priuatis commodis magis quam religioni famæq; ſeruire. Aperte Mauris fauere ignominioſum erat. Itaque conſilium capit, per Cantabriam Vaſconum fines inuadendi. quo facto prouidebat vtrique bello Aragonias vires impares futuras. Miſſus in id Comes Sanctius: verum Petro & Alfonſo à patre Sanctio, contra Alfonſi Caſtellæ Regis conatus deſtinatis, retro iter hoſtes conuertere re infecta compulſi ſunt. Incommode accidit vt Sanctius Rex diuturnę obſidionis tędio mœnia vrbis circumluſtraret, & idoneum locum notatum qua parte irrumpi poſſe cogitaret, contento brachio comitibus deſignaret: cum ſagitta ex muro emiſſa ſub ala confixus eſt. lethale id vulnus fuit: numinis vindictam ob templorum bona occupata prouinciales interpretabantur. Obiit quarto menſis Iunii die. corpus Montaragonem delatum atque in Ieſu Nazareni, quod ipſe monaſterium extruxerat, extemporario ſepulcro conditum eſt, inde vrbe capta in D. Ioannis Rupenſis: quo loco Feliciæ vxoris ſuperioribus annis defunctæ, inſcriptio cum cippo monſtratur. Filii, vt erat à patre imperatum, in caſtris perſtiterunt, haud ante diſcedere certi, quam vrbis clade iniuriã vindicaſſent. Petrus ſuperſtite patre, Ripagorſæ & Suprar-

bis Rex erat renunciatus, & ex Berta vxore (alii Agnetem volunt) filium ſibi cognominem (alii Sanctium vocant) genuerat: nunc totius regni paterni hæres inſtitutus eſt. Alfonſo oppida legata. Ramirus natu minimus rebus humanis contemptis in S. Pontii Tomerii, quod cœnobium in territorio Narbonenſi ad Iauri ripas erat, veſtem mutarat patre auctore: vt ipſius diploma declarat, proxime ſuperiori anno eius monaſterii præfecto Frotardo datum: in quo amplæ poſſeſſiones, fundi, prediaque in Monachorum vſum abs Rege donata ſunt. Oſcenſis obſidio diuturna fuit atque ſemeſtris, vt quidam affirmant. alii vltra biennium productam fuiſſe contendunt. Obſeſſi fatigati omnibus malis, & ad ſupremam annonæ difficultatem redacti, Almoſabenum Cæſarauguſtæ Regem auxilio euocant, Garſiam Cabræ Comitem, & Gonſaluum virum principem: nam in ea temporum fæce, motumq; labe Chriſtianos Mauris opitulari aduerſus Chriſtianos religio non erat. Gonſaluus non venit, miſit tamen validam ſuorum manum. affuit Garſias. Rex Maurus ſupremo conatu infinitam multitudinem Maurorum ſub ſignis habebat. cum his copiis Cæſarauguſta mouent. Adducta erat res in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen. Garſias ipſe, ſiue ſyncero animo, ſiue beneuolentiæ ſimulatione Petrum monet, niſi res perditas vellet, quamprimum rediret in patriam. Vicit tamen honeſti reſpectus & ſacramenti religio, quo ſe fratres patri morienti obſtrinxerant, niſi capta vrbe non ceſſaturos. vrbi vicina planicies protenditur cui Alcoratio nomen eſt, huius prælii euentu maxime nobilis. In ea planicie vniuerſi certaminis aleam ſubire conſtituunt freti numine, cuius propitiandi cauſa corpus D. Victoriani in caſtra delatum erat. Concubia præterea nocte oblata Regi ſpecies auguſtior humana, monentis, vt prælium magno animo inuaderet de victoria certus. In primo agmine Alfonſus curabat, in poſtremo Rex ipſe, mediam aciem Liſana & Bacalla viri nobiliſſimi regebant. equites in fronte erant. ab his pugna cœpit. mox Legionum ſigna inuecta aduerſus barbaros, qui ſua multitudine ſubiectos campos & vicinas valles compleuerant. Acerrima pugna fuit, nulla eo ſeculo neque maior periculo, neque felicior euentu. Gemitus cadentium, clamor pugnantium, fragor armorum, nihil præterea exaudiebatur. Ex vrbe viros & fœminas vti Maurorum res erant, modo lætos, modo pauidos conſiderare fas erat. In noctem pugna producta haud ſatis intelligebatur, vtra pars meliora tuliſſet. noſtri cauſſa, virtute, & ſcientia pugnandi, hoſtis ſuperabat numero. in armis vſque ad ſequentem lucem perſtitum: tanta erat cupiditas inſtaurandi pugnam, tantus inſtantis periculi metus piorum animos occupabat. Cum cognitum eſſet Mauros deſeruiſſe caſtra, Almoſabenum contenta fuga Cæſarauguſtam petere, fugientibus inſiſtunt. cædendi finem ſatietas, & defatigatio attulit. In pugna fugaque hoſtes quadraginta millia cæſi. ex noſtris vix mille deſiderati. pauci quidem, minorque pro tanta victoria numerus, neque ii genere aut laude bellica præſtantes. Garſias Comes à noſtris captus. ſecundum pugnam lecta ſpolia. campi cadaueribus ſtrati. arma, tela, veſtes, equi iacebant, corpora nondum plane extincta, trunci artus, perfoſſa ferro pectora. terra perfuſa, inundanſque ſanguine. Quidam D. Georgium inter vtraſque acies viſum, eiuſque præſidio victoriam partam aiunt. Alii ex Moncadarum gente, quendam cum eodem die in Syria ad Antiochiam pugnaſſet, equo vectum huic prælio interfuiſſe. vulgus portentorum auidum, & vt lætiora ſint quæ nunciantur, affingere fabulas veritati conſueuit. nos ſi quæ veriſimilia ſunt pro veris accipiantur ſatis habituri ſumus. Conuenit deinceps Aragonius Regibus inſignia fuiſſe crucem in argenteo clypeo, & quatuor circum clypeum capita rubra ſanguine eorum Regum & Ducum, qui in hoc prælio interfecti ſunt. Pugnatum eſt ad quartum decimum Kalend. Decembris. nono poſt die vrbs nobiliſſima ſpe omni defenſionis abiecta, ex deditione venit in poteſtatem, conſequenti menſe ſextodecimo Kalend. Ianuar. templum maximum ex ritu Chriſtiano ſacratum. Berengarius, quem Bernardus Toletanus Auſa Tarraconem tranſtulit, vt mox dicemus, Amatus Burdigalenſis, Petrus Iaccetanus antea, & iam Oſcenſis Epiſcopus, Fulcho Barcinonenſis, Petrus Pompelonenſis, Sanctius Laſcarenſis ſacræ cæremoniæ Antiſtites. Eodem tempore Pompelone templi maximi noua fabrica cœpta eſt, cuius veſtigia ſuperſunt. Sacerdotum vita & mores ad D. Auguſtini leges & regulam conformati: quod ab eo initio ſuſceptum, noſtra etiam ætate retinetur. Petro Pompelonenſi Epiſcopo Gomeſanus æqualis fuit Burgenſis Præſul Semeni ſucceſſor. Semeno Epiſcopo Auca, vbi eatenus fuerat, ab antiquiſſimo tempore pontificia ſedes Burgos translata eſt. de iis Epiſcopis vtri eccleſiæ contributi eſſent, Tarraconenſis, & Toletanus Præſules diu inter ſe diſceptarunt. Romani Pontifices, quoniam controuerſia componi non poterat, ab vtriuſque imperio liberos, ſuique iuris fore ſanxerunt.

Bernardus Toletanus Præſul ad bellum ſacrum contendit. CAP. III.

QVo tempore hęc in Ilergetibus, aliiſque Hiſpanię regionibus geſta ſunt, orbis Chriſtianus in belli ſacri apparatu totus erat. equi, arma, tela, ſaga, tympanorum crepitus, tubarum clangor, nihil pręterea exaudiebatur. maria, terræ, agri, oppida permixtione gentium omnium, & belli rumoribus perſonabant. Vrbanus ipſe Pontifex Claromonte (quæ vrbs Sidonio & veteribus Aruernum fuit) Præſulum & procerum ex omnibus prouinciis generales conuentus agitat anno milleſimo nonageſimo ſexto. Inde bellicum gentibus omnibus canit, quam late imperii Chriſtiani fines extendebantur. Lectæ in eo conuentu Simonis Hieroſolymitani Epiſcopi literæ: expoſita à Petro Ambianenſi mandata: multi Hieroſolymitani, Antiochéniique ciues, ſancti nobileſque viri domo profugi lacrymis, voce, & ſqualore omnium, qui aderant, animos ad miſericordiam permouerant. Concitatis ſemel animis Pontifex declamantis in morem hanc ſummam orationis habuit. Audiſtis, inquit, filii chariſſimi mala, quæ fratres veſtri in Aſia tolerant. eorum calamitates noſtra ignominia ſunt, probrum, & dedecus religionis Chriſtianæ ſanguine ipſo & vita, ſi viri eſſemus, procurandum. Mortem quidem omnibus natura propoſuit: eſt autem poſtremum in malis maximam turpitudinem ſuſcipere, ferreque vitæ cupiditate. ſpiritum, ſalutem, animam Chriſto, à quo accipimus reddere conſentaneum. Ignominiam virtus propulſare ſolet, quæ propria eſt Chriſtiani nominis & ſeminis. eas vires & copias, quas hactenus ciuilibus bellis conſumpſiſtis, ad decus & honeſtatem conuertite. Chriſti Dei contumeliam depellite, qui quotidie ab impia & barbara gente cæditur, pulſatur, occiditur: cum Chriſti famuli premuntur, vexantur, exagitantur: terręque inſultatur illi, quam Chriſtus ſuis veſtigiis ſacrauit. An cauſa iuſtior eſſe vlla poteſt belli ſumendi, quā religionis vindicandæ, ſeruitutis depellēdæ à Chriſtianis, quos Deus immortalis omnibus gentibus voluit imperare? Si ex bellis commoda expectātur, quid vtilius quam gentem imbellem impugnare, ſpolia potius quam arma ferentem? Nunquam Aſia Europæ par fuit. ibi diuitiæ, opes, aurū, gemmęq; quę prima mortales putant. Si gloria quæritur, ecquid honeſtius, quā clariſſimum virtutis exemplum filiis & poſteris relinquere: orbis rectores vocari: domitores Orientis: religionis vindices? Habemus pubem ætate, robore, conſilio, fortuniſque præſtantem, in armis exercitam. an etiam his pręſidiis muniti, impurę genti nominis Chriſtiani maieſtatem ludibrio eſſe ſinamus? Chriſtus dux erit, vexillum crux. nihil virtuti, nihil pietati erit inacceſſum. conſpectum tantum veſtrum ferre non poterunt. Ego quidem quod debeo vobis, quod religioni Chriſtianæ, pro qua velut in ſpecula cuſtodiaq; conſtitutus, dies noctesq; vigilandum eſſe mihi ſtatui, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, conſilio eniti potero, tantum incumbam in hanc cauſam. & niſi alii ſequantur in medios hoſtium gladios irruere certum eſt: noſtroque ſanguine tantam ignominiam, & fratrum noſtrorum calamitates ærumnaſque grauiſſimas procurare. Nullum caſum dum vixero, nullum laborem, nullum vitæ periculum reipublicæ & religioni denegabo. Pontificis oratione, omnes qui aderant inflammati ſummi, medii, infimi arma, arma depoſcunt, omnis mora grauis eſt. Ademarus Anicii Vellaunorum Epiſcopus, & Guillelmus Arauſii, principes ex omnibus ad pedes Pontificis proſtrati crucem ſumunt. ea pro militari teſſera erat. ſecundum eos Galliæ, Italiæque & Hiſpaniæ clariſſimi Principes. & eorum exemplo infinitus hominum numerus. Hugo Philippi Regis Francorum frater, Gotifredus Euſtachii Bononienſis filius Duxque Lotaringię, qui vrbe Hieroſolyma capta, quod primus in vrbem irrupiſſet liberis omnium ſuffragiis Rex Solymorum dictus eſt, æternum Galliæ decus, & Bononię patrię: quę vrbs in Gallia Belgica ad Oceanum ſita eſt. Pręterea Gotifredi fratres Euſtachius & Balduinus, Robertus Flandrię Comes, Stephanus Bleſenſis, Alpinus Bituricenſis, Raymundus Toloſas: quem Theraſia vxor ad bellum proſecuta in Syria, filium alterum peperit, cui Alfonſo Iordano nomen fuit, quod in Iordane flumine aquis ſalutaribus luſtratus eſſet. Pręterea ex Hiſpania Guillelmus Ceretanię Comes, qui ſagittę ictu periit in ea expeditione ad Tripolim Syrię vrbem, vnde illi etiam Iordani cognomen: Guitardus Ruſcinonenſis, & Guillelmus Canetenſis Comes, Boamundus Apulię Princeps, Rugerio fratri de quo contentio erat, principatu relicto, cum duodecim armatorum millibus cęteros Principes ad bellum ſacrum proſecutus eſt. Bernardus Toletanus Pręſul, qua erat animi magnitudine, cum eccleſię Toletanę ſtatum compoſuiſſet, & triginta ſacerdotes in ſummo templo conſtituiſſet nihilominus, quos Canonicos vulgo vocant, totidem portionarios, cruce ſumpta ad bellum ſacrum profectus eſt. Vix vrbe diſceſſerat, cum Toletani ſacerdotes, an hominis externi inuidia an reditus deſperatione, collatis ſuffragiis nouū Præſulē in Bernardi locum

1096.

raptim ſubſtituerunt. minor & melior pars (vt ſæpe fit) à maiore victa, vrbeque pulſa eſt. ad Bernardum atrocem nuncium detulerunt. ille conuerſo itinere Toletum rediit, pulſiſque ſacerdotibus, qui nefarii conſilii auctores miniſtrique extiterant. Ex S. Facundi cœnobio (cui in minori fortuna præfuerat) euocatos Monachos, eorum loco ſubſtituit: vnde multæ Monachorum voces, rituſq; templo Toletano adhæſiſſe quidam diſputant: quæ per manus ductę ad noſtram ætatem in vſu ſunt. Rebus compoſitis propoſiti tenax, denuo iter arripuit ille quidem: ſed Romam tamen delatus ab Vrbano Pontifice, cum tantum belli in Hiſpania ſupereſſet, & nuper erepta ciuitas rectoris præſidio, & diligentia indigere videretur, retro redire compulſus eſt, voti religione, qua ſe implicarat exoluta, legeque impoſita vt iis ſumptibus & pecunia, quam in bellū ſacrum compararat, Tarraconem inſtaurandam curaret. quæ vrbs Comitis Barcinonenſis virtute armiſque per hæc tempora ad Chriſtianorum ditionem reuocata eſt, ipſa antiquitate & imperii Romani maieſtate, cuius in Hiſpania ſedes fuit, nobiliſſima olim & valida: cæterum ea tempeſtate ad caſas redacta, atque oppidum ignobile, Bernardi cura & impenſa reſtituta. Auſetanus Epiſcopus Berengarius, Archiepiſcopus datus eſt, quo maior eſſet auctoritas Auſetana vrbe contributa: tametſi beneficii immemor, litem poſtmodum Bernardo, à quo creatus erat, de Primatu intendit, exoletis vetuſtate annalium exemplis & tabulis eccleſiæ ſuæ iura libertatemque defendens: cum recentiſſima Vrbani Pontificis indulgentia Toletanus Præſul non modo totius Hiſpaniæ Primas eſſet lege perpetua renunciatus: ſed etiā Romani Pontificis Legatus in præſens, componendo eccleſiarum ſtatu cæteris eccleſiis iura daret. Omnino ex Gallia cum per eam prouinciam in Hiſpaniam rediret, præcipua eruditionis & probitatis laude viros ſecum Toletum adduxit: quos honoribus in præſenti & opimis ſacerdotiis auctos, virtus conſequenti tempore ad maiora prouexit. Gerardum Moſiaco, qui mox Toletanus Primiclerius, deinde Bracarenſis Præſul fuit. Petrum, quem Bituricis natum, ex Archidiacono Toletano Vxama Pontificem habuit. Vtrunque vitæ ſanctitas, animi candor cæleſtium numero inſeruit. Præter hos Bernardus & Petrus patria Aagenſes deducti. Bernardus ex Primiclerio Toletano Seguntinus Epiſcopus fuit, ac deinde Compoſtellanus: Petrus ex Archidiacono Toletano Segobienſis Pontifex. Petrus alter Palentinus Præſul, Hieronymus Petragorius, qui annitente Cido Valentinæ eccleſiæ curam ſuſcepit, cum primum ea vrbs Mauris erepta eſt, & ea amiſſa Zamoræ Propontificem egit. hoc defuncto Bernardus quidam ex eodem comitatu iure ſuo Zamoræ Pontifex eſſe cœpit. Ex hoc numero in diſſimili vitæ genere Raymundus, & Burdinus fuerunt. Raymundus Bernardi Primatis ciuis Vxamæ poſt Petrum Epiſcopus fuit, deinde Toletanus Præſul, Bernardi ſucceſſor. Burdinis Lemouicenſis ciuis, ex Archidiacono Toletano Conimbricenſis Epiſcopus, deinde Bracarēſis, poſtremo pſeudopontifex Romanus orbem Chriſtianum importuno diſſidio turbauit: ſeq; indignum excellentium virorum, qui Bernardum proſecuti ex Gallia erant, numero & comitatu eſſe declarauit: quod commodiori loco explicandum eſt.

Rodericus cognomento Cidus Valentiam capit. CAP. IIII.

INTEREA Roderici cognomento Cidi haud quieta arma erant. vir tantus opera, conſilio, virtute, incredibilique ſtudio rei Chriſtianæ promouendæ, & quam ſe cunq; in partem daret, ea tempeſtate omnium facile princeps otium pati non poterat. quin Alfonſo Rege concedente, quo tempore Bætico ipſe bello occupatus erat (vti ſuperius dictum eſt) cum priuata ſuorum manu Celtiberos (pro eo quod in magna apud eas gentes gloria erat) repetiit. Venientis amicitiam cuncti eo tractu Maurorum reguli certatim appetebant. Albarracini, quam vrbem veteres Lobetum Turiamve dixerunt, regulus ad colloquium primum, mox ad fœdus admiſſus: deinde Cæſarauguſtanus, quem propter vrbis amplitudinem præſens adiit. & barbarus in magnam ſpem venerat vrbis Valentiæ potiundæ, Chriſtianorum ope, qui Cidum proſequebantur. Valentia vrbs in Edetanis ſita eſt, ad maris littus, locis irriguis atque amœniſſimis, prouentu lęta, commercio exterarum gentium & ciuium frequentia atq; elegantia peræque noſtra ætate atq; eo tempore nobiliſſima. Hyaias quem Toleto pulſum fuiſſe docuimus, eam vrbem imperio obtinebat, paterno iure recepto (nam in Almenonis ditione fuerat) Alfonſi Regis armis, vt in fœdere conuenerat, quo tempore Toletum dedita eſt. Dianii regulus, qui imperio præterea Setabim & Dertuſam obtinebat, ex priuatis offenſionibus, an dominandi cupiditate Hyaiæ infenſus eam vrbem obſidione fatigabat. Cæſarauguſtanus regulus ex aliena calamitate & diſſidio lucrum captans, à Valentinis auxilio euocatus, [illegible] haud [illegible]

ſionem vtroſque opprimendi cogitans. Itaque iunctis cum Cido viribus eo contendit. Dianii regulus viribus impar, eo apparatu nunciato, ab obſidione recedit, fœdere cum Valentinis facto. Cidus vt Valentinum Regem bello impeteret, quod Cæſarauguſtanus flagitabat adduci non potuit: cum eum diceret, in Alfonſi Regis fide eſſe: negaretque, niſi eius conceſſu, ſibi fas fore eam vrbem impugnare. Ergo Cæſarauguſtanus in patriam redit. Cidus Valentini Regis partes dum tuetur, omnes circa Maurorum regulos ſtipendiarios efficit: oppidis & arcibus annuum vectigal imponit. vnde & ex præda, quæ ex agro vberi copioſa erat, bellicos ſumptus aliquandiu ſuſtentauit. Hyaia Rex cum ad veterem inuidiam ex Chriſtianorum amicitia nouo odio flagraret, Almorauides qui late fines imperii protulerant, à ciuibus in vrbem aduocati ſunt. Rex occiſus. vrbs capta. auctor conſilii Abeniafius rerum potitus eſt. Cidus proditionis vindicandæ ſtudio inflammatus, & occaſionem veniſſe gaudens nobiliſſimæ vrbis occupandæ, copiis omnibus Valentiam expugnare parat. Rerum omnium quæ ad bellum vſui erant, ſumma facultas in ea vrbe erat: militare præſidium, ciuium numeroſa multitudo, commeatus in multos menſes comparatus, arma equique. Cidi conſtantia & magnitudo animi cuncta peruicit. diuturna obſidione malis omnibus obſeſſi, fatigati, atque ad ſupremam annonæ difficultatem redacti, præterea auxilii ſpe omni ſublata, tandem deditionem faciunt. Cidus qua virtute cœperat, eadem vrbem retinere ſatagit: audax facinus, & magnis Regibus formidandum, cum tantum ex omni parte Maurorum circumfuſum eſſet. Certus tamen vrbis retinendæ Hieronymum Toleto euocat, vt Valentiæ Pontifex eſſet. præterea vxorem & filias duas, quas in Cardeniæ Abbatis cura relictas eſſe ſuperius dictum eſt. Regi quod benigne eius votis annuiſſet, ex præda Maurica, generoſos equos bis centum, & totidem Mauricos gladios ex ephippiis pendentes, dono mittit. Sic Cidi res erant, nomini immortalis gloria parta. Carrionis reguli Dieghus & Ferdinandus (Infantes vulgo dicimus) viri ea ætate in Hiſpania genere & copiis nobiliſſimi, animo ignaui, ex Cidi copiis auiditatem explere poſſe cogitantes, quoniam maſcula prole orbus erat, Regem adeunt: petuntque eius opera & auctoritate Cidi filias Eluiram & Solem ſibi vxores dari. Annitente Rege Requenam oppidum, quod non procul Valentia ſitum eſt, ad colloquium ventum: & re deliberata Carrionis reguli Valentiam Cidum proſecuti, voti compotes facti ſunt. Nuptiæ regio apparatu, feſtaque lætitia celebratæ ſunt. Adoleſcentes culti magis mundiciis, quam virilis ac militaris animi, mores ſuos ſocero & aulicis in armis educatis haud ſatis probabant: ſemelque leone è cauea, ſorte an conſilio incertum, ſed egreſſo tamen, cum præ metu ſe in turpes latebras condidiſſent: & iterum in tumultuario prælio aduerſus Mauros qui ex Africa venerant, certamen exhorrere viſi eſſent, ignauiæ atque timoris ſignificationem dederant. Dedecus quod virtute procurare debuiſſent, turpiter vlciſci cogitant: & eſt ferme crudelis ignauia. Suerus adoleſcentum patruus, in quo propter ætatem præſidii atque prudentiæ aliquid eſſe debuiſſet, in ægris animis facis inſtar maius incendium excitabat. Re conſtituta patriæ ſe deſiderio teneri ſimulant: petuntque volente ſocero diſcedendi ſibi facultatem eſſe. Annuit Cidus eorum poſtulatis, filiaſque & generos aliquanto ſpatio proſecutus, mœſtus flentes, & quaſi tacita diuinatione perfuſas lachrymis abs ſe dimittit. honeſtiſſimo ſtipante comitatu, ad Caſtellæ fines peruentum: Durioque amne ſuperato, in Valeranicæ finibus Corpeſia roboreta facinori perpetrando locus idoneus fore videbatur. Comites alii alio confictis de cauſſis amandati. ipſi vxores à militari via in interiorem ſyluam ſeductas, & nequicquam diuorum hominumque fidem implorantes, nudas flagris cedunt. Feriendi finem fatigatio ſatietaſque fecit. Exanimes atque in ſuo ſanguine volutantes, pro mortuis dimittunt. Ab Ordonio, quem Cidus cum fraudem ſuſpicaretur, præcedentium iter diſſimulato habitu proſequi mandarat, repertæ ſunt, atque in proximo vico medicamentis ciboque recreatæ. Iniuria atrox erat, neque ferenda inhumanitas. & re cognita Carrionis reguli inuidia maxima flagrare cœperunt. indignum paſſim iudicabatur tanta beneficia, tam inſigni contumelia compenſata eſſe. Iuuenes ex ſtultis amentes plane eſſe factos dictitabant. Cidus vindictæ ſtudio, honeſti cura Regem adiit. Toleti tunc generales regni conuentus agebantur: aderantque Carrionis reguli tanto facinore fœdi turpeſque. iudices abs Rege, Cido expetente in cauſſa dati. in iis princeps Raymundus Burgundus Regis gener. Diſceptata cauſſa, primum quæ à Cido data erant omnia, gemmæ, vaſa aurea & argentea, veſtiſque pretioſa, vt redderentur integra fide, mandatū eſt. deinde de illata iniuria, vt ſingulari certamine dimicarent duo iuuenes & conſilii auctor præcipuus Suerus patruus pronunciatum. Bermudius, Antolinus & Guſtius Cidi milites, virique primarii ſibi certamen depopoſcerunt. Cum Carrionis reguli imparatos veniſſe

ſe excuſarent, Cidus Valentiam, illi in patriam diſceſſerunt. Rege agente, quoniam redituros Toletum deſignato tempore non putabant, Carrione depugnatum eſſe memorant. Victi omnes in certamine ſunt: atque marte arbitro declaratum, inique eos feciſſe. Victores ad Cidum profecti. Cidi filiæ Ramiro Sanctii Regis Vaſconum filio, eius quem à Raymundo fratre occiſum fuiſſe docuimus, & Petro Petri Aragonii Regis filio, vltro per legatos expetentibus, coniuges à patre datæ ſunt. Ramiro Eluira nupſit, Petro Sol. Iis nuptiis accepti dedecoris & infamiæ memoria oblitterata eſt: auctaque vehementer lætitia, quam ex prioribus generis vindicatis ceperat maximam. Præterea à Rege Perſarum miſſi ad Cidum legati, cum rerum geſtarum fama toto orbe diffuſa eſſet, publicæ lætitiæ multum addiderunt: à Rege potentiſſimo, tanta terrarum longinquitate vltro de fœdere ſanciendo, iungendaque amicitia appellatum eſſe. Pro Valentiæ mœnibus cum Buccaro Rege, qui ex Africa venerat, ſemel & iterum acie pugnatum. Cidi virtute & perpetua felicitate victi acie barbari: vrbiſque poſſeſſio quandiu vixit (vixit autem quinquennio poſt captam vrbem) retenta eſt. moriens cum nouus Maurorum exercitus circumfuſus eſſet, parum ipſo defuncto in vrbe præſidii, vt omnes vno agmine in Caſtellam redeant, teſtamento mandat. Cum viri, fœminæ, pueri, impedimenta prodirent, numeroſi exercitus ſpecies barbaris obiecta eſt. atque ex ea re incuſſa formidine victi fugatique. Nimirum tanti viri felicitati debebatur, vt quos ſæpe viuus vicerat Mauros, defunctus profligaret tandem. Noſtri contento itinere in Caſtellæ fines abeunt. Valentia omni præſidio nudata, rurſus in Maurorum poteſtatem rediit. Cidi corpus Burgis in Diui Petri Cardeniæ tumulo contectum. iuſta magnifice facta Alfonſo Rege, atque vtroque genero funus procurantibus. quod glorioſum Cido fuit, ſed tantis meritis debitum. Huius narrationis multo maximam partem inter aniles fabulas quidam ponunt: ipſe etiam multo plura tranſcribo quam credo: nam neque ſubtrahere, quæ ab aliis traduntur, audeo: neque affirmare poſſum de quibus dubito. In Cardeniæ templo quinque ſepulcra monſtrantur: Cidi, Semenæ vxoris, Didaci, Eluiræ atque Solis filiorum: niſi forte quædam cenotaphia ſunt, gratæ poſteritatis diligentia beneuolentię indicio, ad oſtentationem memoriamque poſita.

Vrbanus, Iuzephus & Sanctius defuncti. CAP. V.

CIDI obitu magnam plagam res Chriſtiana accepiſſe videbatur, eo Duce ſublato, quo ſuperſtite reſpublica ſtetit in tanta atrocitate temporis, tantaque rerum omnium perturbatione. defuncti virtutem, grauitatem, conſtantiam, fidem in religione tuenda, & amplificanda curam omnis poſteritas admirata eſt. De anno quo deceſſit ſcriptores variant: neque facile eſt auctorem auctori, aut opinioni opinionem præferre. nos quod fidei propius viſum eſt anno milleſimo nonageſimo octauo extinctum putamus. Quo anno Vrbanus Pontifex à Giberto pſeudopontifice variis curarum fluctibus exagitatus, & vndique ſubſidia conquirens, Salernum abiit, Rogerii Siciliæ Comitis inuiſendi cauſa: cuius præcipua ea tempeſtate pietas aduerſus Romanos Pontifices commendatur: & rebus geſtis nobiliſſimus erat. Pro iis meritis ipſi & hæredibus datum eſt, vt in Sicilia Legati pontificii partes imp'erent, auctoritatem obtinerent. Diplomatis quoniam publice cognoſci intereſt, & Regibus Hiſpanis magnæ controuerſiæ de eo iure natæ ſunt, exemplum ſubiicimus.

1098.

» VRBANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo filio R. Comiti Calabriæ, & Siciliæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam ſupernæ maieſtatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Sarracenorum finibus eccleſiam Dei plurimum dilatauit, ſanctæque ſedi Apoſtolicæ deuotam ſe multis modis ſemper exhibuit: nos te in ſpecialem, atque chariſſimum filium eiuſdem vniuerſalis eccleſiæ aſſumpſimus. Idcirco de tuæ probitatis ſynceritate plurimum confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuę tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem, aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ eccleſiæ ſtatuemus: quinimmo, quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam Legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro miſerimus ad ſalutem videlicet eccleſiarum, quę ſub veſtra poteſtate exiſtant, ad honorem beati Petri, ſanctęque eius ſedis Apoſtolicę, cui deuote hactenus obediſti: quamque in opportunitatibus ſuis ſtrenue ac fideliter adiuuiſti. Si vero celebrabitur concilium, tibi mandauero quatenus Epiſcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot & quos volueris mittas, alios ad ſeruitium eccleſiarum & tutelam retineas. Omnipo-

"omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat: & te à peccatis abſolutũ ad vitam ęternam perducat. Dat. Salerni per manum Ioannis ſanctę Romanę eccleſię Diaconi. III. Nonas Iulii Indictione. VII. Pontificatus domini Vrbani ſecundi. XI. Hæc in Italia: in Hiſpania autem eodem Pontifice concedente, Iriæ ſedes & nomen Compoſtellana cathedra, & appellatione mutata: exemptaque ab imperio Bracarenſis Metropolitani. Dalmachii eius vrbis Epiſcopi diligentia, vtrunque impetratum eſt, ea de cauſſa primi in Compoſtellanorum Epiſcoporum numero. Alfonſus Rex quamuis ingraueſcente ætate ita reipublicæ curam gerebat, vt rei bellicæ curam nunquam intermitteret, aliquoties per hæc tempora in Mauricæ ditionis fines delatus, & in Bæticæ agros excurſiones faciens. Iuzepho poſtquam noui imperii ſtatum in Hiſpania fundauit, in Africam reuerſo, reſpublica reſpirare tantiſper viſa eſt. Rex otium ad religionis amplificandæ exornandæque curam conuertit. Toleti Seruandi & Germani nomine in podio ſaxeo ex aduerſum vrbis, vbi eo nunc nomine vetuſtæ arcis ſtructura cernitur, cœnobium Benedictinis monachis exædificauit, (inſtauraſſe alii putant, & Gotthorum tempore extitiſſe diſputant) S. Victoris Maſſilienſi monaſterio contributum: vnde noua monachorum colonia venerat. Intra vrbem gemina ſacratarum virginum collegia Regis impenſa exædificata: alterum Diui Petri nomine, quo loco nunc Petri Cardinalis noſocomium extat: Diui Dominici alterum Exilienſis, quod hoc tempore à D. Dominico veteri nomen habet. Burgis ciuitate Diui Ioannis nomine quartum cœnobium ædificatum extra vrbis mœnia: quod hodie D. Ioannis Burgenſis appellatione nuncupatur. Fortunio Abbati noui monaſterii, quod ea tempeſtate D. Sebaſtiani nomen habuit, in Vardulis nobile, deinde D. Dominici Exilienſis, quoniam in eo ſanctiſſimam vitam exegit, & vitæ conſentanea morte deceſſit honeſtiſſime innocentiſſimeque actæ, oppidum conſtituendi ei monaſterio coniunctum conceſſit facultatem: quod noſtra ætate centum ſeptuaginta familias numerat latiori murorum ambitu: & in Magiſtri equitum Frienſis Ducis ditione eſt. Proximus annus milleſimus nonageſimus nonus Vrbani Pontificis obitu, atque vrbe Hieroſolymitana 1099. à Chriſtianis militibus capta inſignis fuit. Succeſſit, qui ab Vrbano prædeceſſore Legatus in Hiſpaniam venerat, Raynerius Cardinalis inſigni probitate vir, magno rerum vſu, Paſchalis ſecundi nomine. Is Pontifex renunciatus templo Compoſtellano dedit, vt Caconicos Cardinales Romanæ amplitudinis æmulatione haberet: Epiſcopi Compoſtellani pallium maioris poteſtatis inſigne. Annus ſecularis, qui proxime ſecutus eſt, Iuzephi morte lætus fuit: qui duodecim annos Mauricum in Hiſpania imperium tenuerat, triginta duos circiter in Africa. infauſtus Sanctii morte, quem Garſias Cabrę Comes in ſpem paterni regni educandum Alfonſi Regis iuſſu ſuſceperat. Hali enim Iuzephi ſucceſſor noui imperii auctoritatem à præclaro aliquo facinore auſpicari cupiens, tranſmiſſo mari, magniſque in Africa & Hiſpania delectibus numeroſo exercitu conflato in Carpetanorum fines, ipſoſque Toletanæ vrbis agros populabundus inuadit. ferro, flammaque ſegetes, arbores, oppida euaſtat. pecorum & hominum prædas abigit. Alfonſus ſumma ſenectute, & corporis valetudine non ſatis firma, præterea rebus gerendis feſſus hoſti ferocienti obuiam prodire non potuit. Garſiam tamen Comitem bello pro ſe vicarium præfecit: & quo maior eſſet auctoritas Sanctium filium quamuis ætate puerum adiunxit: ipſe Toleti manſit, vbi in extrema ætate multus eſſe conſueuit. Ad Vrceſiam caſtra caſtris collata: ac mox totis vtrinque viribus dimicatum. infelix euentu prælium fuit. Sanctius enim primum cecidit, deinde Garſias Comes: cum iacentem puerum clypeo tegeret, gladio circumfuſos barbaros ſubmoueret, tanta virtute vt cum vnum procul tot manus peterent, nemo propius accederet. Pugnabat pro eo ſingularis in puerum amor, atque animi deſperatio, magnum ad honeſte moriendum incitamentum. Sed cum ſubinde hoſtes vrgerent, multis debilitatus vulneribus ſuper puerum moribundus incubuit. miſerabilis caſus, atroxque cædes victoriam barbaris continuo dedit. Regem quantus ex ea re dolor ceperit, explicare non attinet, res ipſa indicat. neque filii magis caſu mouebatur, quam rei Chriſtianæ calamitate tanti imperii hærede vnico ſublato: qui paternarum virtutum imaginem referebat, & ad laudem natus eſſe videbatur. Sciſcitanti ecquæ nam cauſſa eſſet cladis toties a Mauris acceptæ: reſponſum à quodam martiam virtutem militum extinctam copia voluptatum, illecebris, ſecuritate: corpus otio eneruatum, animum imminutum libidinibus. ſublata ergo voluptatum inſtrumenta, corruptaque balnea: quorum multus vſus erat more à Mauris mutuato. Aliquid ſpei ſupererat in Alfonſo nepote, quem ex Vrraca Regis filia Raymundus Burgundus reliquerat, defunctus ſuperiori anno, & Compoſtellæ tumulatus: verum exiguum id doloris leuamen erat, propter matris imbecillitatem, pueri ætatem flexibilem, teneram, tantiſque rebus im-

parem. His curis ſuſpenſus Regis animus, noctes dieſque de rerum ſumma ſollicitus erat.

Didacus Gelmirius Compoſtellanus Epiſcopus. CAP. VI.

COMPOSTELLANA eccleſia magnis per hęc tempora procellis vexata, non ſecus ac gubernatore deſtituta nauis portum tandem occupare viſa eſt nouo Præſule creato: cui Didaco Gelmirio nomen fuit, viro prudenti cum primis ea ætate, magnorum ſpirituum, induſtriæ ſingularis. Didacum Pelagium, quem Sanctio Caſtellę Rege Compoſtellanę eccleſię rectorem impoſitum & Epiſcopum, dictum eſt generis nobilitate pręcipua, inquieto tamen ingenio atque turbido & factionibus ſeruientem, Alfonſus Rex in cuſtodiam tradiderat. audax facinus viro ſacrato manus inijcere. Auctoritate opus erat. a Richardo Cardinali, quem à Pontifice in Hiſpaniam Legatum diximus, ad concilium Compoſtellam euocati Epiſcopi in re pręſenti diſceptaturi. productus in conuentum Pelagius, metu an ſpe ſponte abdicare viſus eſt: certęque voluntatis argumento annulum baculumque poteſtatis inſignia coram Cardinali tradidit. In eius locum Petrus Cardinenſis Abbas cooptatur. Vrbanus Pontifex re cognita factum accuſat pręcipiti temeritate. Cardinalem Legatum grauiſſimis verbis caſtigat. ad Regem litteras dat hoc exemplo. VRBANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Regi Ildefonſo Galęcię. Duo ſunt, Rex Ildefonſe, quibus principaliter mundus hic regitur: ſacerdotalis dignitas, & regalis poteſtas. ſed ſacerdotalis dignitas fili chariſſime, tanto poteſtatem regiam antecedit, vt de ipſis Regibus hominum rationem poſituri ſimus Regi vniuerſorum. Qua propter paſtoralis cura nos compellit, non ſolum de minorum, ſed de maiorum quoque ſalute pro viribus prouidere, quatenus paſtori vero ſuas oues illæſas reſtituere, quæ nobis commiſſæ ſunt, valeamus. Tuæ præcipue debemus ſaluti proſpicere, quem Chriſtianæ fidei propugnatorem, & ſuæ propagatorē eccleſiæ Chriſtus effecit. Memento ergo, memento fili mi amantiſſime, quantam tibi gloriam diuinæ contulit gratia maieſtatis: & ſicut ipſe tuum præ cæteris regnum nobilitauit, ita tu ei ſtudeas præ cæteris deuotius ac familiarius deſeruire. Dicit enim ipſe Dominus per Prophetam: Honorificantes me honorificabo: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles. Gratias itaque Deo & laboribus tuis agimus, quod de Saracenorum iure Toletana eccleſia eſt liberata. Fratrem autem venerabilem Bernardum eiuſdem vrbis Præſulem tuis exhortationibus inuitati, digne ac reuerenter excepimus: & ei pallium contradentes, priuilegium quoque Toletanæ eccleſiæ antiquæ maieſtatis indulſimus. Ipſum enim in totis Hiſpaniarum regnis Primatem ſtatuimus. & quidquid Toletana eccleſia antiquitus noſcitur habuiſſe, nunc quoque ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate in poſterum habere cenſuimus. Tu illum, vt patrem chariſſimum exaudias: & quæcumque tibi ex Deo nunciauerit, obedire curato: & eccleſiam eius temporalibus non deſiſtes auxiliis ac beneficiis exaltare. Inter cætera vero laudum tuarum præconia, peruenit ad aures noſtras, quod ſine graui dolore audire nequiuimus: Epiſcopum ſcilicet Sancti Iacobi à te captum, & in captione ab Epiſcopali dignitate depoſitum. Quod canonibus noſtris omnino contrarium, & catholicis auribus non ferendum, quod tanto nos amplius contriſtauit, quanto te ampliori affectione cōplectimur. Nunc tibi Rex glorioſiſſime Ildefonſe, Dei & Apoſtolorum vice mandamus, orantes quatenus eundem Epiſcopum ſuæ integrę reſtituas per Toletanum Archiepiſcopum dignitati. Neq; id per Richardum Cardinalem ſedis Apoſtolicæ factum excuſaueris: quia & canonibus eſt omnino cōtrarium. & Richardus tunc legatione ſedis Apoſtolicę minime fungebatur. Quod ergo ille tunc geſſit, quem Victor Papa, ſanctæ memoriæ tertius legatione priuauerat, nos irritum iudicamus. In remiſſionem ergo peccatorum, & ſedis Apoſtolicæ obedientiam, ſuæ dignitati Epiſcopum reſtituo: & ad noſtram præſentiam cum legatis tuis ipſe perueniat, canonice iudicandus. Sin autem, facere nos erga dilectionem tuam compelles inuitos: quod nos quoque feciſſe nollemus. Memento religioſi Principis Conſtantini, qui ſacerdotum iudicia nec audire voluit, indignum iudicans Deos ab hominibus iudicari. Audi ergo in nobis Deum & Apoſtolos eius, ſi te ab ipſis velis, & à nobis in his quæ poſtulas exaudiri. Rex Regum Dominus cor tuum gratiæ ſuæ fulgore illuſtret, victorias tibi tribuat, regnum tuum exaltet: itaq; te ſemper viuere concedat, vt & temporali regno perfruaris feliciter, & æterno perenniter graculeris, Amen. Acta ſunt hæc anno primo Vrbani ſecundi Pontificatus. Quod in annum Domini. M. C L X X X V I I I. incidit. In Richardi locum Reynerus Cardinalis in Hiſpaniam Legatus concilio Legione habito Petrum loco mouet, neque legibus neque auſpicato rebus præfectum. vt Pelagius libertati eccleſięque reſtitueretur, impetrari non potuit. agente tantum Raymundo Burgundo Regis genero tunc

tunc ſuperſtite, Pontifici perſuaſum, vt Dalmachius Cluniacenſis monachus, eoque Pontifici, nimirum ex eodem ordine, carus eccleſiæ Compoſtellanæ præficeretur Epiſcopus. ab hoc, cum Claromontem ad generales de bello ſacro conuentus, vnus è multis Epiſcopis abiiſſet, impetratum eſt: vt eccleſia Compoſtellana ſui iuris eſſet, ac Romanæ tantum contributa. Eius prærogatiuæ argumento Compoſtellani Præſules, non ab alio, quam à Romano Pontifice preſentes ſacrarentur. vt pallium daret præcipuæ dignitatis inſigne, adduci non potuit, quamuis magna ad id contentione a Dalmachio adhibita, ſupremoque conatu. Lux aliqua reddita rebus, breui obſcurata eſt. Dalmachii obitu nouæ lites extiterunt. Pelagius liberatus vinculis Romam abiit, honorem quo iniuria ſpoliatus erat, (ſic ille ferebat) iudicio repetiturus. controuerſia in quartum annum tenuit. Paſchalis Pontificis Romani auctoritate Pelagio abdicato, Compoſtellani ſacerdotes de nouo Epiſcopo ſubſtituendo agunt. Ventum in comitia. Dieghus Gelmirius antea vacuæ eccleſiæ impoſitus rector pro Epiſcopo, id ſpecimen virtutum dederat, vt ſi vita ſuppeteret, idoneum eſſe qui Epiſcopus præficeretur, nemo dubitaret. Cæteris ergo canonicis prætermiſſis, vnus aliorum omnium voluntate prælatus eſt ipſis Iulii Kalend. datum etiam vt propter motus reipublicæ acceptas impendenteſque calamitates à barbaris, in Hiſpania ſacraretur. Additum nouo diplomate, vt ſeptem Cardinales ſacerdotes, ad inſtar Romanæ eccleſiæ, Compoſtellæ eſſent. Iis tantum in ara templi maxima ius eſſet diuina hoſtia ſacrificandi. Gelmirius ab hoc initio ſtudio elatus eccleſiæ, quam regendam ſuſceperat, nouis honoribus amplificandæ Romam abiit: & quamuis multis repugnantibus pallii vſum Pontifice concedente abſtulit. qui illi atque Compoſtellanæ eccleſiæ gradus extitit ad Archiepiſcopatus honorem. quo a Calixto Pontifice Romano poſt aliquot annos eſt auctus. vti ſubſequens narratio declarabit. Hæc quamuis per plures annos geſta, ex Compoſtellana hiſtoria repetere atque in hunc locum conferre viſum eſt.

Petri & Alfonſi Regum obitus. CAP. VII.

CLADIS in Caſtella acceptæ memoria famaque ne magnopere lætarentur barbari, Aragonii Regis perpetua felicitas effecit: armaque, quibus barbari in diuerſa Hiſpaniæ parte impares erant. Calaſanctium caſtrum prope Bolcam ablatum Mauris erat. Pertuſa peruetus Ilergetum oppidum ad Canadris ripam. præterea Barbaſtrum vrbs recepta eſt. nam ad Maurorum ditionem redierat. Pontius Rotenſis Epiſcopus Romam abs Rege legatus à Pontifice impetrauit, vt Barbaſtri Epiſcopus deinceps nominaretur & eſſet. Præcipua belli moles in Cæſarauguſtanos vertebatur: quæ vrbs veteri Regum ſtirpe ſublata, in Almorauidum poteſtate eſſe cœperat. Hi autem Reges in ea vrbe imperium tenuerant: primus Mudiris, deinde Hyaia, tertius Almudafar, & ex alia gente Zulema: Hamas, Iuzephus, Almuzacimus, Abdelmelich: ac poſtremus huius filius Hamas cognomento Almuzacaytus, cui Almorauides abſtulerunt imperium. In Gallia Atho, qui Raymundo Barcinonenſi Comiti Arnaldi patre defuncto Carcaſonem vrbem ipſius fidei commiſſam proditorie occuparat legitimo imperio repudiato, ciuium coniuratione vrbe pulſus: ciuitaſque ad veterum dominorum imperium reuocata eſt, anno milleſimo centeſimo ſecundo. Quo anno Armengaudus Vrgeliæ Comes in Baleari maiore, quo virtutis oſtentandæ cauſſa tranſmiſerat, a Mauris interfectus eſt: vnde illi Balearis cognomentum acceſſit. Pinciam, quę noſtris Vallisoletum eſſe creditur in Vaccęis, Petrus Anſurius copiis & clientelis, genereque nobiliſſimus ſub Alfonſi Regis imperio obtinebat, vxor Elo, filia Maria, quę Armengaudo Vrgelitano Comiti filium genuerat: cuius teneram ętatem auus Anſurius rexit, & idoneo tempore ei Arſendam principi loco fœminam connubio iunxit. Quartus huius ſeculi annus tribus clariſſimis funeribus fœdus fuit. Petrus Aragonii Regis filius & Eliſabetha ſoror, eodem die ad quintumdecimum Kalend. Septembris deceſſerunt. Rex ipſe proximo menſe, quarto Kalend. Octobris, dolore victus, an incidentis morbi vi ſuperatus. ad Diui Ioannis Rupenſis ſepultus eſt. Petro ſane ſub initia belli ſacri, poſteriſque Regibus, atque regni proceribus Vrbanus Pontifex Maximus indulſit, vt templorum, quę denuo extructa eſſent, vel Mauris eriperentur: decumas & reditus ipſi perciperent, exceptis tantum iis templis, vbi Epiſcoporum ſedes erant. tanta erat cupiditas impię gentis extirpandę, vt quid incommodi ea indulgentia allatura eſſet in poſterum, non ſatis conſiderare viderentur. Omnino mœrorem, quem ex tribus his funeribus vniuerſa prouincia ceperat maximum ac propemodum ſingularem, ſpes de Alfonſo defuncti Regis fratre, qui mox in regno ſucceſſit, concepta animis magna ex parte mitigauit. cuius diuturnius imperium

fuit maior rerum geſtarum fama, atque felicitas, grauitas, conſtantia, fides, virtuſque bellica, amplitudo ditionis maxima. Nam altero regni anno Vrracam Alfonſi Regis filiam patre expetente toro ſibi iunxit. Tametſi regni proceres id ægre tuliſſe viſi ſunt: Regemque ſenio morbiſque debilitatum, ægramque vix animam trahentem hortari conati erant, vt Gometio eam Candeſpinæ Comiti diuitiis ac poteſtate reliquos Caſtellæ regulos ſuperanti, vxorem potius daret, quam externum aliquem principem aduocare eſſet neceſſe. ſatis externorum hominum in prouincia verſari: ſacri atque profani imperii ſummam penes ipſos eſſe, cum nominis Hiſpani ignominia probroque. Eius conſilii, quoniam pro ſe quiſque Regis iracundiam verebatur, renunciandi cura Iudęo cuidam medico impoſita eſt: quo valetudinis curandæ cauſſa multum ac familiariter vti conſueuerat. Iuſſus eſt molles aditus captare: & quantam poſſet verborum gratiam poſtulato addere. Maganii (alii Maſcaraquii ſcribunt) prope Toletum Rex animi leuandi cauſſa morabatur. Iudæus occaſionem nactus, Regi quod iuſſus erat, renunciat. ille iniquiſſimo animo tulit, proceres tantum ſibi ſumere, vt filiæ nuptias ad ſuum arbitrium reuocarent: atque ita vt medicum perpetuo regiæ aditu ſuoque conſpectu prohiberet: moxque Bernardi Præſulis hortatu, qui a Regis latere non diſcedebat, filiæ & Alfonſi Regis nuptias maturaret. Quæ regio apparatu ac celeberrima pompa Toleti celebratæ ſunt anno
1106. milleſimo centeſimo ſexto. Rex ea lætitia animo tantiſper recreato, & doloris quem ex caſu filii conceperat vlciſcendi cupidus, id ætatis ne quam contumeliam remanere in exercitu Chriſtiano fineret, arma rurſus induit. Rurſus in Bæticæ fines penetratum. in homines & iumenta ſæuitum: ne tectis quidem, ſegetibus, arboribus parcitur. omni belli iniuria prouincia tota vexatur. Reliquum vitæ tempus ad otium & dignitatem contulit: ad quod extrema ætas, regni fortuna, & rerum geſtarum gloria inuitabat, non militaribus ſolum, ſed ciuilibus etiam muneribus, quantum fas erat in tanta curarum mole, abſcedens. Vrbes Salmanticam & Segobiam, (vt Lucas Tudenſis eſt auctor) bellorum iniuria deformes, vacuaſque incolis inſtaurandas, muniendaſque curabat. Petrus Anſurius, quem ego ea ætate inprimis grauem hominem & ſapientem comperio, Vrracæ in minori ætate inſtitutor extiterat: & nunc auctoritatis & gratiæ proximum locum apud Regem occupabat. Eius auſpiciis bello paceque conſilia gubernabantur: rerumque ſummam & molem vnus maxime virtute & prudentia regere videbatur. Quo tempore Regem annis feſſum, nam ſeptuaginta nouem annos vixit, ad ætatis incommodum annua atque ſeptimeſtris valetudo afflixit: quamuis medicorum iuſſu equo quotidie veheretur, ſi exercendo corpore morbum leuaret. à cauſſis remedia omnia ſuperata, nullis ſalutaribus ſuccis ſanitate reuocata. Toleti deceſſit feria quinta Kalend. Iulii, ſalutis anno mil-
1109. leſimo centeſimo nono, vt Pelagius Ouetenſis auctor eſt locuples: nam & teſtis oculatus per ætatem eſſe potuit. Regnauit a patris morte, annis tribus & quadraginta, rebus ſecundis modeſtus, aduerſis haudquaquã fractus. Nam tuliſſe illum fortunæ impetus fortiter & patienter ferunt. magna laus omniumque maxima ferre quod neceſſe eſt: & quidquid homini accidere poſſit id præmeditatum habere. prudentis eſt prouidere ne accidat, conſtantis animi fortiter ferre rerum humanarum vices. Multitudo præſertim popularis mobili impetu regitur, neque maiora ſunt formidinis principia, quam remedia. Itaque Alfonſo defuncto, cuius anima res communes ſtare viſæ erant, Toletani ciues, qui plurimum ex colluuione multarum gentium conſtabant, de deſerenda ciuitate conſilia agitabant. Dum eorum animi confirmantur, Regis corpus ad vigeſimum diem in vrbe manſit. tumultu compoſito ſedatiſque animis, Bernardo Toletano Præſule curante, aliiſque Principibus proſequentibus funus, in Sancti Facundi cœnobium ad Ceam amnem illatum eſt, magnifico apparatu, nõ magis Regis caſum quam reipublicæ iacturam vniuerſa prouincia veriſſimis lacrymis deplorante. Eas lachrymas, ac vero conſequentes ex tanti Regis morte calamitates, lapides ipſi Legione portendiſſe viſi ſunt ad altare Diui Iſidori, vbi ſacerdos pedes ponere conſueuit rei diuinę operaturus, octo diebus ante Regis obitum aquis vltro, magno omnium qui aderant miraculo, tribus diebus ex interuallo manantes. Pelagius continuis tribus diebus accidiſſe ait, Iouis, Veneris, Saturni: affuiſſe cum ſupplicatione Pontifices ſacratoſque viros: luctumque ſignificatum, qui optimi Principis obitu Hiſpaniam occupaturus erat. Alfonſo Rege, Burgis quidem, Leſmius homo natione Gallus, atque excipiendis hoſpitio peregrinis nobilis, in præcipua opinione ſanctitatis vixit. Eius memoria anniuerſariis ſacris temploque dicato, ea in ciuitate celebratur. Ab Anagaro autem ſextodecimo milliari Dominicus quidam natione Hiſpanus, aut vt alii volunt, in Italia ortus, æque celebris eſt habitus eodem officio pietatis: quoniam viis muniendis atque complanandis, qua Compoſtellam ibatur, diligentem

tem operam dabat, Calzadii vernacula Hiſpanorum lingua cognomentum inuenit. Huius viri induſtria Regem vſum arbitror pontibus extruendis, quos Lugrunio Compoſtellam vſque conſtituendos curauit. Extat Dominici templum eius nomine extructum peramplum & magnificum, paguſque coniunctus, qui deinde in vrbem excreuit, primum Calagurritani Epiſcopi ſubiectam ditioni, deinde Hiſpaniæ Regibus. De qua re extat diploma Ferdinandi Regis, eius cui vitæ merita Sancti appellationem pepererunt. Præterea Iudæus quidam Moyſes nomine, eruditionis laude, & multarum linguarum cognitione pręſtans, ſub extremam Alfonſi ætatem abiurata patria ſuperſtitione, Chriſtiana ſacra ſuſcepit. Rex ipſe de baptiſmi fonte ſuſcepit: vnde Petrus Alfonſus nuncupatus eſt. Iudæorum & Maurorum ſectas de ſcripto exagitandas ſuſcepit: multique ex vtraq; gente eius opera ad ſanitatem ſunt perducti. Aragonii ſcriptores huius Iudæi conuerſi laudem, ad Alfonſum Aragonium Regem ablegant: & Oſcæ ad tertium Kal. Iulii anno milleſimo centeſimo ſexto Chriſtianis ſacris initiatum eſſe ab Stephano Oſcenſi Epiſc. po Rege Aragonio ſuſceptore affirmant. Nobis in neutram partem pronunciare placuit. quiſque ex ſuo iudicio quod veriſimilius videbitur, id ſequatur.

Vrraca regnum. Cap. VIII.

Qvo tempore Alfonſus Caſtellæ Rex deceſſit, Vrraca filia ad quam iure regnum deuoluebatur, virum ſecuta aberat. Qui non ſatis fidendum putabat procerum Caſtellæ voluntatibus, quos ab eo coniugio auerſos fuiſſe non ignorabat: neque ſe eorum fidei committere, niſi valido ſuorum præſidio ad omnes caſus munitus. præterea varia regni negotia diſtinebant, ne nouam & ampliſſimam cerneret hæreditatem. Cuncta tamen ad noui imperii decorem compoſita, dilatæ voluptates, diſſimulatæ Reginæ libidines: quæ non ſine ſugillatione maieſtatis nimium in leuitatem atque turpitudinem incubuerant. vrbibus, arcibus, atque præſidiis, præfecti ex Aragonia gente dati: ne ſe Caſtellani rerum nouarum cupiditate commouere poſſent, ſcilicet agebatur. Petro tamen Anſurio, cuius cū vtraq; gente magnæ neceſſitudines erant, ſumma reipublicæ gerendæ cura impoſita eſt: ad eum imperii ſumma redibat, belloque & pace rerum omnium gubernator erat. Eius auſpiciis reſpublica felicem curſum tenere videbatur. Haud diuturna potentia fuit. Regina impotenti animo fœmina, cum præmiſſa in Caſtellam à viro eſſet, quem parentis loco habere debuit, iniuſte Anſurium peruertit: ditioneque paterna eiecit (Principum gratia nihil inconſtantius lubrica fluxaque: procliuius eſt, iniuriæ quam beneficio vicem exoluere) nulla id iuſtiori de cauſſa, quam quod in litteris Regem Caſtellæ Alfonſum Aragonium ſcripſiſſet. id palam iactabatur. initi coniugii Reginam haud obſcure pœnitere cœperat, frænos inücientis impotenti naturæ: & vti ipſe ſuſpicor grauiſſimi viri increpationes ob male tectas libidines, ferre non poterat. Graue id Regi viſum eſt, viro clariſſimo fraudi eſſe ſuam innocentiam, & merita virtutum, pro quibus debebatur præmium. Itaque Anſurio ditionem quæ ablata erat, reſtituit. Ipſe Reginæ iracundiam veritus Vrgeliam contendit: quam vrbem in eius procuratione fuiſſe dictum eſt. Magnorum motuum hæc initia fuerunt. neque tranquillæ res eſſe poterant in tanta voluntatum & ſtudiorum colluuione, tanta alienatione Reginæ, licentiaque vitę. Ex Betica nouum periculum oſtentatum. Hali Rex Maurus cognita Alfonſi morte, in noſtros fines irrupit, ferox & validus. Azecham arcem, & Sancti Seruandi monaſterium in ipſis ciuium Toletanorum oculis euertit. agris villiſque fumantibus ipſam vrbem circumſedit, & diebus octo omnibus machinis impugnauit. rem Chriſtianam periculo proximam, ſitus natura, noua mœnia ab Alfonſo Rege nuper inſtituta ad inferiorem vrbis partem, Aluari Fannii virtus tutata eſt, viri ea tempeſtate cum primis potentis, ſtrenuique: cuius extat ſepulchrum in Campo Sicuendenſi in parte Celtiberię: vbi multorum oppidorum principatum obtinebat. Barbari ſpe vrbis obtinendę deiecti, Madrito & Talauera in reditu direptis, mœnibuſque nudatis, ingenti pręterea pręda abacta redierunt in patriam. In alia Hiſpanię parte, bello Aragonius Maurico diſtentus, Exeam in Vaſconibus nobile oppidum cepit, ſalutis anno milleſimo centeſimo decimo. ad Valterram Abuhaſalemus, quem vulgo hiſtorię Cęſarauguſtę Regem vocant, acie ſuperatus. His rebus patratis Alfonſus ſoceri exemplo ſe Hiſpanię Imperatorem dicit, ſi amplitudinem ditionis conſideres, haud temere cum Regum potentiſſimus euaſiſſet, omnium qui poſt Hiſpanię cladem extiterant: imprudenter tamen cum ex alieni iuris ditione atque temporario imperio tantos ſpiritus ſumeret. Omnino in Caſtellam rebus domi compoſitis delatus, proximo anno, comitate morum atque beni- 1110.

gnitate, gentis voluntates promereri ſtudet. Ius ipſe dicere populis, viduas, pupillos, egenos a potentiorum vi iniuriaque tegere. Optimates pro ſuis quemque meritis colere atque augere, rempublicam bonis omnibus ornare atque amplificare. vnius Reginæ peruicax animus non flectitur. Bilforadum in Beronibus, Valeranica, Soria, Almaſanum in Areuacis, quæ oppida bellorum iniuria vaſta erant, coloniis deductis inſtaurata Regis cura. Repetita Aragonia Rex, non ignarus inſtandum famæ, & prout prima euaſiſſent, fore vniuerſa, arridentem fortunam vrgere, maiorique conatu bellum in barbaros inſtaurare cogitabat: cum res in Caſtella importuniſſimo ſane tempore turbata eſt. Alfonſus Vrracam vxorem à patre tertio propinquitatis iure attingebat. proauus vtriuſque Sanctius Rex Vaſconum cognomento Maior. nondum moribus receptum erat vt Pontificum Romanorum venia lege cognationis ſoluta, coniugia inter cognatos coirent. Itaque paſſim conſideramus per hæc tempora connubia Principum dirempta eſſe, cognatione inter coniuges illegitima iniuſtaque. Hanc vnam arbitror eſſe cauſſam cur Alfonſus hic in nullo Caſtellæ Regum numero ponatur apud veteres ſcriptores: neque verum eſt, fixas vetuſtate opiniones nouis placitis conuellere: quod quidam faciunt Regem hunc Alfonſi nomine ſeptimum inter Caſtellæ Reges numerantes: in quam quid iuris habere potuit, legitimo hærede ex priori coniugio nato, poſteriori matrimonio vitioſo, & legibus repugnantibus inualido? Regina ob importunas actiones ad arcem Caſtellare in cuſtodiam tradita, re cum ſuis communicata in caſtellam euadit. verum à regni proceribus ad virum remiſſa, carceri denuo mancipatur. Calleciæ proceres, vbi Vrracæ filius Alfonſus ex aui teſtamento rerum potiebatur, inter ſe inire ſocietates aduerſus Aragonios conatus: coniugium, quod inauſpicato coierat inuita nobilitate, diſſoluendi occaſionem nacti. Ex ea re in animis hominum religiones excitatę, ei obtemperare fas eſſe negantium qui legitimus Rex non eſſet. Ad Paſchalem Romanum Pontificem miſſa legatio: cauſſa omnis expoſita: ab eoque diploma ablatum: quo cauſſæ cognitionem Didaco Gelmirio Compoſtellano Præſuli permittebat. Eius diplomatis » fragmentum ſubiicimus. PASCHALIS ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri D. » Compoſtellano Epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad hoc te omni» potens Deus populo ſuo præeſſe conſtituit, vt eorum peccata corrigas, & Domini an» nuncies voluntatem. Stude igitur ſecundum datam tibi diuinitus facultatem, tantum » inceſti facinus, quod à Regis filia perpetratum eſt, debita vltione corrigere: vt vel à tan» ta præſumptione deſiſtat, vel eccleſiæ conſortio, & ſeculari poteſtate priuetur. Quid dati iudices, ſeu potius mali vindices deſignati conſtituerint, memoriæ proditum non eſt. Illud conſtat, ex eo tempore Alfonſum in Præſules iniquo animo eſſe, atque adeo ſæuire cœpiſſe. Burgenſis & Legionenſis loco pulſi: Palentinus captus, Sancti Facundi Præfectus ſpoliatus, atque in eius locum Regis frater Ramirus monachus ipſius nominatione & opera cooptatus. Bernardus Toletanus extra diœceſim biennium exulare compulſus, nihil prohibente legationis pontificiæ ſacroſancta maieſtate. Quo tempore concilium Palentinum, cuius acta extant, & Legionenſe habuit cum aliis Epiſcopis & proceribus, ac in primis Gelmirius Compoſtellanus interfuit. vna cura pacis in prouinciam reuocandæ vniuerſos ſolicitabat. In Calæcos Aragoniæ & Vaſconum arma mota. Monteroſum arx iis locis vi expugnata. viris ſanctis internunciis Aragonius arma ponit. Agebantur omnia raptim atque perturbate, neque quid legibus liceret, conſiderabat. præſidia tantum vndique conquirere videbatur, regno quod occupabat, obtinendo. qui repugnabant bonis euerſi dignitatis gradu deiiciebantur. Calæci metu depulſo Henricum Portugaliæ Comitem in partes trahunt. Alfonſum puerum Compoſtellæ Regem ſalutant in templo maximo, & ſacro oleo inungunt. Gelmirius Præſul totius cæremoniæ Antiſtes. Petrus Trauæ Comes qui Alfonſi ætatem regebat, omnium conſiliorum auctor. Alfonſus Aragonius eo nuncio perculſus repudio facto, Reginam Soria dimittit, in cuius vrbis arce cuſtodiæ rurſus mancipata erat: imperandi tamen dulcedine illectus, dotalem ditionem non deponit. Id iniquum eſſe omnibus videbatur. Vrbium, & arcium præfecti cum iuriſiurandi gratiam non faceret, quod in eius verba conceperant, quaſi ſoluti religione, paſſim in Reginæ poteſtatem concedebant. Idem facit Petrus Anſurius priſci vir moris. Qui de fide tamen data ſolicitus Alfonſum Aragonium collum laqueo implicatus adiit, vt iuriſiurandi tradendis arcibus ſuæ fidei concreditis violati pœnas ſumeret, quo ſe imprudenter implicarat. Commotus primum Rex eius aſpectu, deinde a proceribus admonitus præclare eum in vtraq; re officio defunctum, animo ad humanitatem reuocato, cum multo verborum honore noxam condonauit. Proceres tota prouincia in commune pro ſalute, & libertate patriæ conſpirant, quiduis pati

potius

potius parati, quam Aragonium imperium. Gometius Candeſpinæ Comes, qui olim Reginæ nuptias ambierat, & modo ætatis flore amplius conciliatus fuerat, quam regia maieſtas pudorque fœmineus pati poſſet: ſe principem ex omnibus bellum defenſurum, illaturumque vltro Aragoniis profitebatur. Petrus Laræ Comes in Reginæ amoribus riualis, proximum auctoritatis & potentiæ locum occupabat. Ducum diſſidio, neque pax publica ſtare, neq; bellum ex ſententia geri poterat. Alfonſus valido ſuorum exercitu conflato, in Areuaces finitimos irrupit. Occurrunt Caſtellæ copiæ. ad Sepuluedam vtraque caſtra poſita ſunt. vtrinque pugnæ ſignum propoſitum. In prima acie Laræ regulus erat, in poſtrema Gometius Comes: medium agmen alii proceres gubernabant. Rex quadrato agmine in pugnam inuadit. in campo cui Spinæ nomen eſt, dimicatur. Laræ regulus primum certaminis impetum non tulit, fugaque Burgos ad Reginam aduolat de prælii euentu ſollicitam, mollis æque & ignauus. Gometius aliquanto melior vim hoſtium ſolus ſuſtinet: fuſiſque atque fugatis copiis in prælio pugnans occumbit. id virtutis extremum teſtimonium reliquit. nec minori conſtantia fuit Bolea Gometii ſignifer, qui equo confoſſo, & vtraque manu amputata vexillum vtroque brachio amplexus, inclamanſq; Boleæ nomen, multis acceptis vulneribus occubuit. Henricus Portugaliæ Comes magis turpitudinis odio, quam quod Alfonſi cauſam probaret, ſe Aragoniis adiunxerat. magno id momento ad victoriam fuit. Ex rebus initio lætis magna confidentia nata. Itaque Durio tranſmiſſo, per Palentinos fines Legionem vſque Aragonii penetrant. omni belli iniuria agri, oppida, pagi vexantur. Calæci proceres reparatis viribus, denuo certaminis aleam ſubire conſtituunt. ad Fontem Anguium (loco id nomen eſt Legionem inter & Aſturicam) ſupremo conatu dimicatum. eadem prælii fortuna fuit, Aragoniis ſecunda, à Caſtella auerſa. Petrus Trauæ Comes in prælio captus, magna vir auctoritate potentiaque: qui Vrgelitani Comitis Ermengaudi filiam Maiorem nomine connubio iunctam haberet. Alfonſus puer a Gelmirio Præſule a pugnæ periculo ſubductus Orſilonis arcem petiit, vbi Regina mater erat. Nulla ea ætate nobilior pugna fuit, Caſtellæ clade ſtrageq; cum primis memorabilis. Tritium, Burgi, Palentia, Legio ſecundum eam victoriam abs Aragonio Rege in fidem acceptæ. pecuniam in ſtipendium Aragonius non habebat. Luſitani conſilio in templorum theſauros manus iniectæ, quos inde mouere religio erat. Iſidorus aliique Diui grauibus inflictis pœnis eam iniuriam vindicarunt: editumque populare voceſque, impium facinus accuſantium grauia violatores manere piacula. ſic repente belli fortuna mutata. In Carpetanos belli impetus conuerſus eſt. mox Aſturica obſeſſa: quoniam ea parte bellum contractis vndique copiis Reginam reparare nunciatum erat. Martinus Munio ſupplementi cauſſa, Aragonios trecentos equites cum ad Regem adduceret, hoſtium inſidiis circumuentus, cæteris fugatis cæſiſque viuus ipſe captus eſt. Rex ea calamitate commotus, & maioris periculi metu, copiis imminutis numero, atque per præſidia diductis, Carrionem loci munitione confiſus ſe recepit. ab hoſtibus intra id oppidum aliquandiu eſt circumſeſſus: donec Abbatis Cluſenſis, qui à Pontifice pacis componendæ cauſſa Legatus venerat, opera, & auctoritate induciæ dierum aliquot pactæ. nec multo poſt obſidio eſt diſſipata. Raptim & temere collecti milites, nullo duce, cuius imperium cuncti reſpicerent, vagi per agros, non principia noſcere, non ſeruare vigilias, neque militarem diſciplinam pati poterant: neque diu retineri in caſtris. Aragonia arma depulſo periculo, in Larenſis reguli oppida & arces conuerſa. Alia parte Reginæ arma mouebantur. arx Burgenſis diuturna obſidione fatigata Reginæ deditionem fecit, deiecto Aragonio præſidio. Petrus Lara cum Reginæ nuptias ambiret, ſeque pro Rege ferret, morum ſuperbia atque arrogantia, multorum animos alienarat: ac vero publica flagrabat inuidia. nomen eius & Reginæ probroſis carminibus proſcindebatur: prorſus vt in Manſillæ arce captus à Guterrio Fernando Caſtrio, cuſtodiæ primum mancipatus, deinde cuſtodia elapſus, longinqua fuga ſe tegere fuerit compulſus, Barcinonemque petere: cum omnes circum finitimos infenſos haberet. Ea Petro Laræ regulo fugæ cauſſa fuit. erat is natus patre Diegho Ordonio, eo qui pro Zamoræ portis aduerſus Arias fratres ſingulari certamine dimicauit. Alfonſus puer propenſa omnium ordinum voluntate, Caſtellæ Rex renunciatus eſt. regnum armis erat recuperandum, tricipiti factione, atque ambitione conuulſum. Ex Alfonſi pueri inauguratione, non minor matri quam vitrico dolor erat. Cum eius incrementis ſuum ipſorum caſum implicatum fore, vates minime vani diuinabant. Vrraca filii iracundiam verita, & inter ſuorum odia deſtituta, Legionis ſe arce tenere conſtituit: loci munitione confiſa, in tanta quamuis alienatione prouincialium regiam dignitatem tueri poſſe. verum arcem obſidente filio, pax tandem ea lege facta eſt, vt reditibus vnde vitam ſuſtentaret deſignatis, regnum ipſa filio

cederet: quod populi & procerum eximia voluntate delatum erat. Rationem annorum rebus ſingulis deſignare in tanta opinionum varietate promptum non eſt: ac mirari magis poſſis in rebus non antiquiſſimis hallucinari ſcriptores, quam quid verum ſit conſtituere. Ac ne ſatis quidem conſtat, quo anno Vrraca deceſſerit. pleriq; ſeptimodecimo circiter anno putant à morte patris. pudicitiam ſane dum vixit haud ſatis honeſte habuit. in Saldaniæ arce ex partu extinctam ferunt, æternum Hiſpaniæ dedecus. alii Legione affirmant, cum theſauros D. Iſidori expilaſſet, quos auferre nefas erat, in ipſo templi limine ruptis viſceribus, manifeſta numinis vindicta expiraſſe. Illud minori fide nititur: ex Regina & Gometio Candeſpinæ Comite, Ferdinandum quendam natum, cui furto concepto Furtadi cognomen fuit, eius familiæ conditori, cui idem cognomẽtum inſigne eſt in Hiſpania nobiliſſimæ atque præpotenti.

Bellum Balearicum. CAP. IX.

HVNC curſum commotæ in Caſtellæ res tenebant, quo tempore Chriſtianorum armis Balearici & Cæſarauguſtani Mauri multarum gentium conſpiratione impetebantur. Gibertus Prouinciæ in Gallia, & Aimilliani Comes deceſſerat, Dulcia filia principatus hærede. Raymundus Arnaldus Barcinonenſis Comes, cui Dulcia nupſerat, viribus & potentia validus, tantique principatus acceſſione formidabilis, vtriuſque gentis viribus Baleares inſulas occupare conſtituit: vnde Mauri piraticam exercentes, in finitimam Hiſpaniã & Galliæ oram excurſiones facere, & omnia circum direptionibus vexare conſueuerant. id meditanti claſſe opus erat valida & numeroſa. nouam ipſe in ſuis littoribus curat ædificandam: quo ab initio Catalaunicæ claſſes celebrari fama, lateque maris imperium obtinere cœperunt. Genuenſes & Piſanos ea tempeſtate mari potentes præſens adit: & ad Balearici belli ſocietatem inuitat, victoriæ præmia proponit, nominis immortalitatem, ſi eorum virtute barbari deiecti iis inſulis eſſent: vnde velut ex muniſſima arce piorum ceruicibus imminebant. Pollicentur illi milites & naues: mittuntque ad tempus conſtitutum. his auxiliis ad copias Catalaunorum adiunctis, in inſulas traiicitur. bellum graue atque difficile fuit. Mauri enim viribus diffiſi, & ad artes conuerſi, pars arcibus & oppidis, pars montibus ſe tenere conſtituunt: neque vniuerſæ dimicationis ſubire aleam, varios & multiplices bellorum caſus eſſe cogitantes: noſtros inopia aut morbis, aut diuturnitate temporis frangi poſſe. victæ tamen noſtrorum conſtantia omnes difficultates, vrbſque præcipua in maiori Baleari expugnata eſt anno milleſimo
1115. centeſimo quintodecimo. Raymundus Barcinonenſis Præſul in ea expeditione deceſſit. ſucceſſit Oldegarius qui paulo poſt defuncto Berengario Tarraconenſi Epiſcopo, in eius locum cooptatus eſt. Vrbe capta, reliqua procliuia videbantur: cum barbaros in continenti nunciatum eſt, an ſpe prædæ, an vt Comitem ſuo periculo commotum ex inſulis retraherent, in Barcinonenſes fines inuectos prouinciam omnem formidine, trepidatione, luctuque complere: vrbem ipſam obſidere. Is nuncius multiplicem animo Comitis curam iniecit. hinc timor amittendi ſua, illinc conficiendi noui belli cupiditas in diuerſum trahebant. Vicit tamen periculi metus, preceſque ſuorum: & Ligurum fidei Balearibus commiſſis, ipſe in continentem traiicit. Barbari continuo obſidione ſoluta ad Martorellum victi, fugatique ſunt. agmine magis, quam acie pugnatum. multi ex eorum numero ceciderunt. Eius victoriæ lætitia vt minor eſſet, gemina incommoda fecerunt. Ligures Maurico auro corrupti inſulas barbaris reliquere, vt Catalauni ſcriptores affirmant. nam in Genuenſium hiſtoriis de hac expeditione mirum ſilentium eſt. In Galliæ Narbonenſis ora Carcaſo vrbs amiſſa. Atho dudum eius vrbis imperium occuparat armis, nullo iure. cum acerbe imperaret, ciuium conſpiratione pulſus eſt: vrbiſque principatus Comiti Barcinonenſi reſtitutus, cuius ab antiquo erat: vti paulo ante monſtratum eſt. Atho Guillelmi Comitis Pictauienſis viribus ciues ad deditionem compulit. Rugerius Athonis filius natu maximus intra mœnia acceptus, arma deponere iubet. cum dicto paruiſſent in miſeros ciues ſæuitum: crudelitatis, inhumanæ ſuperbiæ edita in deditios exempla. plerique ex vrbe elapſi Barcinonem confugiunt. Horum precibus Arnaldus Comes ſolicitatus, comparato valido exercitu in Galliam irrumpit. Annitentibus viris ſanctis, quibus ægre erat optimi Principis vires à belli ſacri cogitatione abſtrahi ciuili bello excitato, pax ea lege compoſita: vt quod Guillelmo Pictauienſi promiſſum erat, mutata fide Atho poſterique vrbe retenta Barcinonenſium ſtipendiarii eſſent. Atque is Guillelmus Pictauienſis Comes, nulla honeſti cura ex aliena calamitate bellaque ex bellis ſerendo ditionem augendi occaſiones captare videbatur. nam Raymundo Toloſate Comite ad bellum ſacrum in Syriam profecto (vt ſuperius dictum eſt) eius ditionem omnem

mnem in Gallia armis occuparat, homo immodicus, & iudicia hominum nihil reformidans: neque quid de eo fama loqueretur penſi habens. Raymundi filius Bertrandus per hæc tempora ex Syria vbi Tripolim ditione obtinebat, patre in eius vrbis obſidione ſagittæ ictu ſublato, peractis ſtipendiis redux in patriam, veteris principatus recuperandi conſilia cum finitimis Principibus cœpit communicare: ac cæteris deſperatis ad Alfonſum Aragonium Regem, cuius virtutum fama celebris erat, & magnæ inter vtramque familiam neceſſitudines à maioribus initæ, confugere conſtituit. Quantum nefas? patrem amiſerat & florem ætatis in bello ſacro, tam procul à patria: multos labores & maxima pericula tolerauerat: & ablata tamen patria principatuque, alienæ miſericordiæ præſidium petere coactus eſt. Barbaſtri benigne exceptus Ruthenos, Agathenſes, Cadurcos, Albigenſes, Narbonenſes, Toloſates, & his finitimas vrbes Aragoniis Regibus ea lege vectigales eſſe voluit: ſi eorum armis ipſe & poſteri patriam ditionem recepiſſent. quod fœdus ſalutis anno milleſimo centeſimo ſextodecimo initum eſt. neque tamen Bertrandus 1116.
reſtitutus, magna Pictauienſium potentia, Aragoniis armis partim ciuili bello aduerſus Caſtellam, partim pio aduerſus Mauros occupatis. aliquot tamen poſt annis Alfonſus Iordanus Bertrandi frater, cum in arce a Pictauienſi Comite captus teneretur, a ciuibus Toloſatibus è cuſtodia eductus ad imperium vrbis eſt Guillelmo Mitello deiecto: qui pro Pictauienſi Comite eam vrbem præſidio obtinebat. Ex Alfonſo Raymundus filius, Raymundus nepos, pronepos item Raymundus prognati, eius vrbis principatum tenuere: donec Raymundi poſtremi filia Ioanna nomine, cum alia is prole careret, Alfonſo Pictauienſi Comiti nupſit. Ex eo coniugio cum nulla eſſet proles ſuſcepta, Ludouicus Sanctus Galliæ Rex Alfonſi frater, eo defuncto Pictauienſes, & Toloſates ad ſuum imperium adiunxit.

Cæſarauguſtanum bellum. CAP. X.

ALFONSI Aragonii imperio Cæſarauguſtani Mauri finitimi erant: propter vrbis nobilitatem & amplitudinem potentes in primis & validi. identidem in vicinos Chriſtianorum agros excurſiones faciebant: neq; vlla prętermittebatur clades, quæ a barbaris hominibus edi poterat. His malis Alfonſus prouocatus, quamuis Caſtellę bello nondum plane confecto, eam vrbem copiis omnibus & viribus expugnare parat. Magnus labor ingentia pericula proponebantur: quæ inuicti Regis conſtantia facile contemnebat. Tahuſtum ad Iberi ripam lautiſſimum municipiũ Bacallæ opere captum eſt. Borgia ad fines Vaſconum, & Magalona, aliaque eo tractu oppida, & arces, Almogaraues, hoc eſt, veterani milites præcipua dexteritate, & multis bellis aduerſus Mauros exerciti, Caſtellare arcem, quam ſupra Cæſarauguſtam loco edito ad Iberi ripam extructam eſſe ſuperius eſt demonſtratum, valido præſidio obtinere iuſſi ſunt. commeatum, arma, tela inferre, vt infeſta circa omnia hoſti facerent: ſi caſus ferret, obſidionem etiam quamuis longi temporis ſuſtinerent. Id Cæſarauguſtani belli initium fuit: ad cuius famam multi ex vniuerſa ditione, ſed & ex Galliæ finibus viri principes exciti ad arma auxilio venerunt. Gaſto Bearnenſis, Rotro Perticarum, Centullus Bigeronum Comites. Ex vtraque gente validus conflatus exercitus; Cæſarauguſtam omni ex parte circunſedere cœpit ſalutis anno milleſimo centeſimo octauodecimo, menſe Maio. ſuburbium, quod interfluente flumine ab vrbe direptum eſt, intra octauum diem expugnatum. Rotro Perticarum Comes ipſo obſidionis tempore cum ſexcentis equitibus abs Rege miſſus Tutelam nobile Vaſconum oppidum, ad Iberi ripas loco munito conſtitutum, improuiſo occupat. nauatæ operæ merces fuit eius municipii principatus. Mauri ex Hiſpania, cum in eius belli euentu totius imperii Maurici diſcrimen verti conſiderarent, magno numero obſeſſis opem ferre conuenerunt. Affuit ex Africa Teminus cum valida Maurorum manu. ad Orbæ tamen fluminis ripam, ſupra vrbem ad Mariæ arcem, quam Mauri obtinebant caſtris poſitis, cum numero & virtute noſtros ſuperiores eſſe cerneret, in intimam Celtiberiam abiit. Ciues rerum inopia, & quod in malis ſupremum eſt, auxilii deſperatione laborabant. noſtri obſidionis diuturnitate feſſi, nouis operibus vrbem expugnare parant. extructæ ligneæ turres & propugnacula: agebantur ad mœnia vineæ: dolabris ſubruebantur lapides: cum Cordubenſis reguli (Temini is frater erat) filiũ ſupremo conatu in vrbem penetrare iuſſum, appropinquare iamq; affore nunciatum eſt. Nouo periculo cõmotus Rex Alfonſus, cum copiarum parte occurrit pugnãdi certus: ne ſi barbari in vrbẽ penetraſſent, re ipſe infecta diſcederet. & erat illi cum hyemis aſperitate, non minus quã cum hoſte certamen. Ad Cutandem vicum nõ procul Daroca ſigna collata. cæſi fugatiq; barbari. Dux ipſe captus. Cęſarauguſtani Mauri euentu eius prælii cognito, ſpe omni defenſionis abiecta, ad quintumdecimum

Kalend. Ianuarias, vrbem octauo obſidionis menſe dediderunt. Lætiſſimus is dies Chriſtianis illuxit, non magis præſenti fructu, quam certiſſima ſpe imperii Maurici extirpandi, firmiſſimo eo propugnaculo ſublato. Petrus Librana ad ſpem vrbis potiundæ iam antea Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſacratus, expiandæ vrbis curam ſuſcepit, ſacraque gubernandi. Gaſtoni Bearnenſi, & Rottoni Perticarum Principibus præmia fuere, ſinguli in vrbe vici abs Rege perpetuo iure contraditi. ſic ea tempeſtate mores erant, vt plures in vna vrbe Principes conſtituere non formidarent. Ad Iberum trigeſimo ſexto ab ea vrbe lapide, Iulia Celſa nobilis quondam Romanorum colonia ſita fuit: locus nunc vaſtus, & tribus inde millibus paſſuum oppidum Xelſa. id vnum antiquitatis veſtigium conſeruatur. in ea loca regia caſtra promota, cum primum per anni tempus licuit. in vicinos Maurorum agros irruptiones factæ. Inde in Celtiberos itum, gentem virtutis bellicæ opinione, locorum aſperitate & regionum amplitudine cum primis validam armiſque potentem. Ea prouincia alternantibus finibus olim, nunc latior nunc anguſtior fuit. proprie tamen ab Occaſu ad Ortum a Salonis fluuii fontibus, qui ad Medinam Celinam (quibuſdam hæc Ecelſta fuit) ſcatent, ad Nertobrigam, quæ nunc Ricla eſt, protendebatur. Caunum montem ad Septentriones, ad Auſtrum Tagi fontes habet prope Albarracinum: quæ vrbs antiquis Lobebetum fuiſſe creditur. Iis in locis belli fortuna noſtris proſpera, Mauris aduerſa fuit. Victoribus omnia prona videbantur eſſe. itaque breui is tractus ſub ditionem noſtrorum miſſus: Turiaſo, Alauona, Epila (quæ olim Segontia fuit,) Calatajuba non procul antiqua Bilbili à Mauris extructa, Aiubi Mauri opus. in vicino monte, Bombolæ nomen loco eſt. id vnum antiquæ vrbis veſtigium remanet. Præterea Hariza, Darocaque captæ. vltra quam vrbem ad Silocæ amnis fontes Regis diligentia loco munito, vrbs ædificata eſt, Montis regalis nomine: vt pro munimento eſſet aduerſus Valentinorum Maurorum impetus. Carthuſiani & Ciſtercienſes monachi recenti memoria vigere cœperant, præcipua morum & ſanctitatis opinione. Hieroſolymis præterea Templarii & Hoſpitalarii milites, quadam inter ſe religioſa ſocietate deuincti, rei Chriſtianæ promouendæ diligentem operam nauabant. Itaque Bernardi hortatu præcipui Ciſtercienſium conditoris noua vrbs Templariis militibus extructo cœnobio abs Rege contradita. Alii præterea reditus attributi, quintaque ſpoliorum: quæ in bello Maurico capta eſſent: vnde ſacræ militiæ ſumptus tolerarent, fineſque Aragonii regni ea parte tutarentur. Guillelmus Auxitanus Præſul ad id bellum ſuſcipiendum, nouæque militiæ conatus iuuandum, & Aragonii Præſules prouincialium animos inflammabant. Hoc initium Templariis militibus in Hiſpania fuit earum opum, quæ cum immenſum creuiſſent, deinde malo ipſis fuiſſe creditæ ſunt. Verum hæc aliquanto poſt.

Schiſma Burdini Lemouicenſis. CAP. XI.

ROMANAM eccleſiam per id tempus Gelaſius eo nomine II. Paſchalis paulo ante defuncti ſucceſſor obtinebat, magno vir animo: qui aduerſus Henricum Imperatorem eo nomine IIII. pro eccleſiæ libertate, & perſonæ quam gerebat maieſtate tuenda, inimicitias a maioribus ſuſceptas perſequi non dubitauit. atque ita vt Romam adueniente Imperatore, cum viribus eſſet impar, auctario per Tiberim Caietam, vbi natus erat, primum euaſerit: deinde in Galliam contenderit, conuentu Epiſcoporum Remos vrbem indicto. Eius conatus mors oppreſſit. annuus pontificatus fuit. Cluniaci in ipſo itinere deceſſit: conceſſa paulo ante venia militibus Cæſarauguſtam obſidentibus aliiſque, modo in templi fabricam aliquid opis conferrent. Eius diplomatis, quoniam in primis eſt
„ nobile, exemplum ſubiicimus. GELASIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, exerci-
„ tui Chriſtianorum ciuitatem Cæſarauguſtanam obſidenti, & omnibus catholicæ fidei
„ cultoribus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Litteras deuotionis veſtræ inſpexi-
„ mus, & petitioni quam pro Cæſarauguſtano electo ad ſedem Apoſtolicam duxiſtis, fa-
„ uorem libenter accommodauimus. Eundem ergo electum noſtris tanquam beati Petri
„ manibus largiente Domino conſecratum remittentes ad vos, benedictionem vobis Apo-
„ ſtolicæ viſitationis impendimus. Æquam omnipotentis Dei miſericordiam imploran-
„ tes: vt per ſanctorum preces & merita opus ſuum ad honorem ſuum & eccleſiæ ſuę dila-
„ tationem vos faciat operari. Et quoniam vos ipſos & veſtra extremis obiicere periculis
„ decreuiſtis: ſi quis veſtrûm accepta de peccatis ſuis pœnitentia in expeditione hac mor-
„ tuus fuerit, nos eum cunctorum meritis, & totius Catholicę eccleſię precibus à ſuorum
„ vinculis peccatorum abſoluimus. Cęterum qui pro eodem Domini ſeruitio vel labo-
rant;

rant, vel laborauerint, & qui præfati, & qui præfatæ vrbis eccleſiæ à Sarracenis & Moabitis dirutæ vnde reficiatur, & clericis ibi Deo famulantibus vnde paſcantur aliquid donant, vel donauerint ſecundum laborum ſuorum, vel beneficiorum ſuorum eccleſiæ impenſorum quantitatem, & Epiſcoporum arbitrium, in quorum parrochiis degunt, pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & indulgentiam conſequantur. Datum Aleſti. IIII. Idus Decembris. Ego Bernardus Toletanæ ſedis Archipræſul hanc abſolutionem facio & confirmo. Ego Suboſchitanus Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo. Ego Sanctius Calagurritanus Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo. Ego Guido Laſcurrenſis Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo. Ego Boſo ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis hanc abſolutionem facio & confirmo. In Gelaſii locum Cardinalium, qui aderant, nominatione Guido natione Burgundio frater Raymundi Burgundionis, Alfonſi Caſtellæ Regis patruus, præterea Viennenſis Archiepiſcopus, ipſis Kalendis Februarii, eius ſeculi anno nonodecimo, cooptatus eſt, Calixti ſecundi nomine. 1119.
tametſi delatum honorem non ante ſuſcepit, quam cleri Romani ſuffragium & voluntas accederet. Itaque non ante pridie Idus Octobris ſacratus eſt. In Remenſi concilio, cui præſens interfuit, Imperatorem ſacrificiis interdixit. Simoniacam labem baptizandis infantibus, ſepeliendiſque defunctis ſuſcipi ſolitam, nouis decretis coercuit. Presbyteros, diaconos, hypodiaconos à concubinis arcendos curauit: quas illi paſſim in ea temporum atrocitate, & rerum omnium perturbatione, vxorum iuſtarum loco & nomine habebant. nondumque in Hiſpania is mos exoleuerat: ex quo à Witiza impio Rege inductus erat: neque eradicari penitus potuerat, magna quamuis priorum Pontificum diligentia: præſertim in Calæcia, vbi ſacerdotum mores maxime in turpitudinem incubuerant. Quod indicant litteræ ad Didacum Gelmirium Compoſtellanum Epiſcopum à Paſchali Pontifice miſſæ ante aliquot annos, hoc exemplo. PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Didaco Compoſtellano Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſia quam regendam diſponente Domino ſuſcepiſti, iam diu etiam cum paſtorem habere videretur, paſtoris ſolatiis caret. Idcirco ſtrenuitati tuæ vigilantius inſiſtendum eſt, vt in ea rite omnia iuxta normam ſedis Apoſtolicæ diſponantur. Cardinales in eccleſia tua presbyteros ſeu diaconos tales conſtitue, qui digne valeant commiſſa ſibi eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere. Porro quæ presbyterorum interſunt presbyteris, quæ diaconorum diaconis committantur: vt in aliena ſtipendia nullus obrepat. Si qui ſane ante Romanæ legis ſuſceptionem, ſecundum communem patriæ conſuetudinem coniugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à ſeculari, neque à dignitate eccleſiaſtica repellimus. Illud omnino incongruum eſt, quod per regionem veſtram monachos cum ſanctimonialibus habitare audimus: ad quod reſecandum experientia tua immineat: vt & qui in præſentiarum ſimul ſunt, diuiſis longe habitaculis ſeparentur, prout arbitrio & religioſorum virorum conſilio melius viſum fuerit: neque in poſterum conſuetudo huiuſmodi præſumatur. Datum Laterani Incarnationis Dominicæ anno. M. C. III. noſtri pontificatus IIII. Imperatoris anathematis ignominia notandi ea cauſſa fuit: quod Gelaſio Pontifice Roma ob metum elapſo, in eius locum Bracarenſem Epiſcopum Burdinum, Romanum Pontificem, quod nefas erat, creandum curauit, atque perfecit, Gregorii VIII. nomine indito. Sic importuno duorum Pontificum diſſidio, tempore ſane minime opportuno, eccleſiæ tranquillitatem turbauit: cum vterque ſe legibus, æmulum vitio creatum ferret. Erat Burdinus Lemouicis natus, & Bernardum Toletanum Præſulem in Hiſpaniam ſecutus, (vt ſuperius dictum eſt) mox per omnes ſacerdotii gradus, eius opera ad Conimbricenſis eccleſiæ Epiſcopatum erat euectus. quo tempore ipſe Burdini nomen Mauricii appellatione mutauit: morum prauitatem non depoſuit. Conimbrica Bracaram ad eius eccleſiæ pontificatum migrauit agente eodem Bernardo. pro quibus meritis haud parem gratiam rependit. Nam corraſis vndique pecuniis, in quibus maiorem ſpem habebat, quam in cauſſa, Romam profectus, corruptiſque aulicis, Bernardi ſenectutem rebus gerendis inutilem cauſſatus, in eius locum Paſchalis Pontificis venia ſe ſubſtitui poſtulabat. Parum ſpei erat ab æquiſſimo Pontifice iniquiſſima poſtulata extorquendi. Ergo vt erat ingenio callido ex diſſidio inter Imperatorem & Pontificem creſcendi occaſiones captans, ad artes cõuerſus, Imperatoremque adiens eius voluntatem deuinxiſſe viſus eſt: prorſus vt eius opera Romanam eccleſiam inuaſerit pſeudopontifex factus. Extant Gelaſii litteræ ad Bernardum Toletanum Præſulem: quibus Burdini nomen diris à Paſchali Pontifice deuotum eſſe declarat: mandatque in eius locum Bracarenſis eccleſiæ Præſulem alium ſubſtituendum curaret. Tandem Burdinus Calixti diligentia Sutrii captus, tertio anno circumacto ex quo eccleſiæ

pacem turbare cœpit homo impudens & ambitioſus flagitioque nobilis, per Romanas plateas triumphi ſpecie camelo traductus eſt: atque in extremam Italiam ablegatus in cœnobio Caua Trinitatis nomine, in quo cuſtodiæ mancipatus eſt, obiit. Id præmium ambitioni fuit. is finis magnorum motuum, quorum expectatione metuque orbis Chriſtianus ſuſpenſus fuerat.

Pax inter Aragonios & Caſtellanos. CAP. XII.

PROPINQVI Pontificis inauguratio Regi iuueni gratiſſima fuit, Hiſpaniæ vniuerſæ ſalutaris: cui vt impenſe faueret magnæ neceſſitudines cogebant ſuperiori tempore cum noſtra gente contractæ: Caſtellæ magis, cum qua miſcuerat ſanguinem. In ea prouincia præcipuæ vrbes, & munitiſſimæ arces Aragoniis præſidiis occupatæ detinebantur nullo meliori iure, quam quod Regibus in armis eſſe ſolet. plerique prouinciales conſuetudine ſeruiendi, partim ita timidi erant, vt omnem memoriam libertatis & dignitatis abieciſſe viderentur: partim Aragoniis beneficiis deuincti, hoſti fauere præ ſe ferebant. Rex iuuenis, ætate maior, animi magnitudine nulli priorum Regum cedens, æquo animo vitrici contumeliam ferre non poterat. miſſæ vltro citroque ea de re legationes. Rex Aragonius neque aperte negare, neque continuo annuere æquiſſimis poſtulatis. diem tantum ex die ducere: aliam ex alia moræ cauſſam nectere: & variis artibus priuigni conatus ludificari. prorſus vt ad extremum illud deueniretur: feciales arces repetitum miſſi ſunt: niſi acquieſceret, bellum denunciare iuſſi. nihil pro ſano Rex Aragonius facturus eſſe videbatur, priuigni ætate deſpecta, & ex continua rerum geſtarum felicitate, humanæ ſortis atque inconſtantiæ immemor. Ad arma concurſum. maximi in vtraque ditione delectus militares habiti ſunt. externa auxilia conquiſita. prior Aragonius à rebus omnibus quam aduerſarii paratior, per Vaſconum fines Riuogiæ agros armis hoſtiliter inuaſit: commodum fore arbitratus, ſi hoſtes in ſuis ſedibus opprimeret, cogeretque non de præda modo, ſed de ipſis etiam liberis, coniugibus, parentibus & rebus chariſſimis certare. Magnum malum vtrinque parabatur, inſignisque nomini Chriſtiano clades, vtrauis parte vincente, victave. Viris ſanctis Præſulibuſque vtriuſque prouinciæ annitentibus concordiæ viam, quod toties irritum fuerat, tentare placuit. Id conſilium non ratione prudentius, quam euentu felicius fuit. Rex Aragonius ad pacem iis deprecatoribus flexus eſt: cum dicerent, iuſta Caſtellanos petere. Alfonſum priuignum iuſti filii loco futurum. non recte neq; pro bono facturos Aragonios ſi arces retinerent amplius. Eatenus aliquam excuſationem fuiſſe, propter, imbecillem Regis ætatem: & quoniam Vrracę vxoris iura repetebantur. nunc ætate confirmata, regnoque ad priuignum deuoluto matre concedente: præterea coniugio dirempto, iniquum videri alienam ditionem armis occupare velle: atque propinquis & neceſſariis iugum ſeruitutis imponere. Incertos belli exitus eſſe, martemque communem. ſæpe diuinum numen à quibus ius ſtat, eorum innocentiam tueri conſueuiſſe. Conuenit tandem, vt tractu terrarum, qui à Bilforado Calagurrim pertinet, retento, quoniam ad Regum Vaſconum ius pertinere non incommodis rationibus, certęque fidei tabulis diſputabatur, præterea iis veteris Cantabriæ partibus, quibus Guipuſcoæ & Alauæ nomen eſt, quoniam recenti memoria Alfonſi armis occupatæ erant, ex reliquis tota prouincia vrbibus & arcibus, ac Toleto nominatim Aragonia præſidia deducerentur. patrui id Romani Pontificis reuerentiæ datum magna ex parte arbitror. In quo fœdere ſanciendo neſcias vtri Regi palma tribuenda ſit: cum modeſtia & comitate certare viderentur. vitricus liberalitate: priuignus patientia, prudentiæque laude: cum regni auiti parte, pacem publicam redimendam ſibi fore iudicaret. moderati animi exemplum memorabile. Itaque ab iis Regibus maxima concordia, tanquam à duobus coniunctiſſimis fratribus, reſpublica domi foriſque adminiſtrata: & ab ſæuis ingruentium vndique bellorum procellis induſtriè fortiter-

1122. que defenſa deinceps eſt. Atque hæc anno a Chriſto nato milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo geſta ſunt: tametſi nonnulli huic numero aliquot annos addunt. Omnino ſancito fœdere Rex vterque ad bellum ſacrum propenſus, arma in Mauros vertit. Aragonius regiones eas depopulatur, quæ Cinga & Sicori fluminibus continentur. Alcolea oppidum cum ad Mauros rediiſſet, Chriſtiano imperio eſt reſtitutum in Edetanos & Conteſtanos Sucrone amne tranſmiſſo, penetratum. Alcaracium nobile iis in locis oppidum oppugnatur. expugnari non potuit. vlterius in Bæticam intimam arma prolata. oppida & vrbes, ne vaſtarentur agri, paſſim deditionem facere, annuum vectigal pactæ. ad Arinzolum oppidum cum Cordubenſi Rege & decem aliis Maurorum regulis acie dimicatum anno

anno milleſimo cẽteſimo vigeſimo tertio. victoria penes noſtros ſtetit. Proximo anno Me- 1123
dina Cœlina in Celtiberiæ & Carpetaniæ finibus edito colle munita, vi expugnata. Sic Aragoniæ res erant. Contra Caſtellæ Rex virtutis oſtentandæ cupidus, otii pertæſus, quo diutino regni vires conſeneſcere videbantur, diuerſa ex parte in Maurorum fines incurrit. Cauria vrbs, quæ poſt Alfonſi aui obitum à barbaris occupata erat, denuo recepta eſt. ſacrorum & religionis ſtatum Bernardus Toletanus Præſul Rege annuente compoſuit. Regionem inde vniuerſam, quæ Ana & Tago fluminibus continetur, veteris Luſitaniæ partem, armis hoſtiliter percurrit. ingentes populationes factæ. hominum & pecorum abactæ prędę. Mauricis ſpoliis lætum exercitum reduxit in patriam: cum ab his initiis ſatis ſe ad tuendam nominis auctoritatem profeciſſe iudicaret: earumque virtutum ſpecimen prębuiſſet, quibus pręditus fuit maxime, fidei, liberalitatis, conſtantiæ, religionis cultu caſtiſſimo. Bernardo Clareualenſi, quem perſpecta vitæ probitas cælestium numero inſeruit, magnique pro religione labores, gentili ſuo in primis deditus erat: eoque auctore plurima Ciſtercienſis familiæ monaſteria extruenda curauit: ac ferme quæ hoc tempore toto illo Hiſpanię tractu magnificentiſſima locupletiſſimaque extant. Humanarum rerum contemptu id genus homines initio paruo contenti, multis eorum ſtudia certatim iuuantibus, quod ad numen propitiandum referre multum habebant perſuaſum, breui interuallo immenſas diuitias conſtruxerunt. (Veniſſe in Hiſpaniam D. Bernardum ſub vitę finem, ex eius ad Petrum Cluniacenſem litteris perſpicitur.) Sed & templa reliqua & monaſteria, quę tota ditione extructa erant, magnis beneficiis Rex auxit: vt argumento ſunt veteres tabulę, quæ tota Hiſpania cum fide ſeruantur in veteribus ſcriniis, Dominici Calzadii, Æmiliani Cucullati, Michaelis Petroſi, Dominici Exilienſis. quæ templa ea tempeſtate, opinione ſanctitatis, & concurſu hominum celeberrima erant. A patruo Pontifice impetratum, vt Zamora vrbs pontificię ſedis maieſtate exornaretur. Bernardus Archidiaconus Toletanus, natione Gallus (vt ſuperius eſt indicatum) ei ciuitati Pręſul eſt datus. Succeſſit Stephanus: cuius ętate Opilionis indicio, cui ſpecies viri humano habitu auguſtioris viſa erat per quietem, locus deſignatus eſt, vbi D. Illefonſi corpus ſepultum erat, ex ſuperiori temporum perturbatione prorſus incognitus. atque eæ voces propter auctoris humilitatem contemptę quidem tunc ſunt. vanas tamen non fuiſſe Alfonſi Regis eo nomine octaui ætate intellectum eſt: cum Suero eius vrbis Epiſcopo, templum D. Petri ruinoſum & male materiatum, reędificari cœptum eſt. effoſſis enim fundamentis, marmoreum ſepulchrum repertum Illefonſi nomine, vnde halitus mirę fragrantię efflabatur. Re explorata, ad ipſam D. Petri aram ſacri cineres ſepulcro compoſito contecti. Compoſtellana eccleſia Metropolitano iure & maieſtate aucta eſt eodem Pontifice concedente. atque Emeritenſis eccleſię, quæ in ditione Maurorum erat, iura & poteſtas omnis, quo maior eſſet auctoritas, Compoſtellam tranſlata. Acceſſit regius conſenſus: vt ipſius litterę indicant. Duodecim Epiſcopi contributi: Salmanticę, Abulę, Zamoræ, Mirobrigę, Caurię, Pacis Auguſtę, Luci, Aſturicæ, Orenſis, Mindonii, Tudęque: quibus conſequenti tempore Placentia adiuncta eſt. Pręterea Legati pontificii partes Gelmirio Compoſtellano datę ſunt, non ſine obtrectatione Bernardi Toletani motuque. Vicit tamen Gelmirius. & pro iure acceptę poteſtatis concilium Compoſtellę habuit: Epiſcopis & Abbatibus duarum prouinciarum Emeritenſis & Bracarenſis ad conuentum inuitatis. ſic fundamenta ponebãtur amplitudinis Compoſtellanę. Loci id religioni, & Raymundi Burgundi memoriæ, qui in eo tẽplo ſepultus erat, tum à Rege filio, tum à Pontifice fratre datum eſt ipſo circiter anno ſalutis milleſimo centeſi- 1124
mo vigeſimo quarto. Quo anno, menſe Decembri Calixtus ipſe Romanus Pontifex deceſſit, Honorio ſucceſſore, qui fuit eo nomine. II. Anno proximo ciuilia arma in Gallia Narbonenſi mota ſunt. Alfonſus Toloſas Alfonſi Regis conſobrinus, vxorque Faidida bello Prouinciæ comitatum tanquam ſui iuris repetebant. Barcinonenſis Comes & Dulcia vxor paternam hęreditatem ab omni iniuria tuendam exiſtimabant. ex magno diſſidio, pax tandem ea lege facta vt Argentia & Belicadrum iuris controuerſi oppida, atque ea Prouincię pars, quæ Druentia & Iſara fluminibus comprehenſa eſt, Toloſati cederent: cætera oppida & vrbes: pręterea Auennionis vrbis partem multo maximam, quę vltra Rhodanum ſita eſt, Barcinonenſes Comites retinerent, pacta alterna inter ſe & poſteros ſucceſſione, ſi alterutri ſine liberis deceſſiſſent.

Regni Portugaliæ initia. CAP. XIII.

NOVVM in Portugalia (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Luſitania fuit) regnum auſpicato per hæc tempora fundabatur, ditione non ampliſſimum, tempore

poſtremũ, magnitudine rerum geſtarum cum primis nobile pellendis olim tota ditione barbaris. Sed & noſtra auorumque ætate Luſitani homines incredibili virtute & felicitate omnes orbis terrarum partes obeuntes, Africæ partem ſubiugarunt: innumerabiles inſulas mortalium primi patefecerunt, ijdemque occuparunt: Aſiam ſibi atque Indos ſtipendiarios fecerunt: veræque religionis lumen in remotiſſimas nationes & gentes magno pietatis incremento intulerunt. ſecundum Oceanum occiduum fuſa, atque Ana & Minio fluminibus ad Meridiem Septentrioneſque comprehenſa, longitudine quadringenta millia paſſuum colligit, multo minori latitudine: & vbi latiſſime ſe pandit centum amplius ſexaginta millium: vbi arctiſſime coit octoginta. Diuiſa eſt in partes tres Ciſtaganos, Tranſtaganos, & tractum eum qui Minio Durioque comprehenſus eſt, prouentu lætiſſimus: vbi Bracara ſita eſt, citra Tagum Oliſipo, vltra Ebora Metropolitanæ vrbes. Solum maiori ex parte ſterile eſt. incolæ aduecto aliunde frumento plurimum vtuntur. gens cupidiſſima laudis, eximieque fortis, ac præ cæteris Hiſpaniæ in victu cultuque frugalis. dedita pietati ſapientiæq; ſtudiis, & omnis humanitatis atque elegantiæ. Huius prouinciæ exiguam partem, quæ Regum Caſtellæ armis erepta barbaris erat. Henrico Lotaringio data eſt (vt eſt ſuperius demonſtratum) Comitis nomine dotiſque cum Theraſia vxore Alfonſi Regis eo nomine ſexti filia. Ex eo coniugio Alfonſus, Eluira, Sanctiaque nati ſunt. Henricus pater prole auctus, poſt Gotifredi Regis Hieroſolymitani obitum, pręſtandæ operæ Balduino defuncti fratri, ſuoque gentili & propinquo (vt quidam putant) ſtudio inflammatus, in Syriam nauigauit, conſilio, ſi humanas rationes expendas, haud ſatis probabili cautoque: cum vxorem & filios iniuriæ obnoxios relinqueret, & belli ſacri tantum in ditione ſupereſſet. Sane in Hiſpaniam reuerſus, haud magno in Oriente operæpretio facto, vrbes Bracaram, Conimbricam, Viſeum, Lamecum, Portum, quas imperio complectebatur, Epiſcoporum ſedibus poſtliminio reſtitutis, amplificari impetrauit à Bernardo Toletano Præſule: cui componendi eccleſiaſtici ſtatus, cura à Romanis Pontificibus erat demandata. Verum de Bracaræ reſtitutione, atque vrbibus ei olim ſubiectis præſtiterit ex Calixti. II. Romani Pontificis litteris cognoſcere, earumque partem adſcribere. BRACARENSEM Metropolim inſignem quondam fuiſſe, atque in Hiſpaniarum regna multis & dignitatis & gloriæ titulis claruiſſe, tam antiquæ nobilitatis indicia, quam & veterum ſcripturarum teſtimonia manifeſtant. Verum quia conſiſtentis in ea populi peccata corrigere diuinæ diſpoſitioni complacuit, irruentibus Mauris ſeu Moabitis, & Metropolis dignitas imminuta, & parrochiarum termini ſunt confuſi. Sane poſt longa temporum interſtitia, diuina rurſus miſeratio Metropolim reſtituere, atque parrochias ex parte maxima dignata eſt ab infidelium tyrannide liberare. Vnde Dominus prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Paſchalis Papa priſtinam ei dignitatem redintegrans, ſua quæque membra ei per Apoſtolicæ ſedis priuilegium counivit. Eius itaque nos veſtigiis ſubſequentes, chariſſime frater & coepiſcope Pelagi Bracarenſis eccleſiæ, cui Deo auctore præſides, integram ipſam vrbem Bracaram cum cauto illo integro, quod Comes Henricus & vxor eius Theraſia eidem eccleſiæ contulerunt, & cum terminis Bracarenſis Epiſcopatus, ſicut in deſcriptione prædicti domini continentur, præſentis priuilegii pagina confirmamus: & eidem Bracarenſi metropoli Galitiam prouinciam & in ea Epiſcopalium cathedrarum vrbes redintegramus. Item Aſturicam, Lucum, Tudam, Mindunium, Auriam, Portugale, Columbriam: & Epiſcopalis nominis nunc oppida, Viſeum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam, cum parrochiis ſuis. Hæc Calixtus. Aſturicæ in Calæcia ante annos omnino quatuordecim, Henricus defunctus eſt, cum inteſtinis Caſtellæ motibus pacandis nauaret operam, Corpus Bracaræ in humili ſacello tumulatum. nondum ſepulcrorum apparatus in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerat. Theraſia vxor viro defuncto, haud multo honeſtius, quam ſoror Vrraca, pudicitiam habens Ferdinandum Paecium Traſtamaræ Comitem ſibi adiungit, aut iniuſto, aut humili matrimonio. (ſic erant eius ſeculi mores) Veremundo Ferdinandi fratri, cum quo prius ſtupri conſuetudinem habuiſſe accuſant ſcriptores Luſitani, ex odio, an ex fide incertum: ſed Eluira certe filia nupſit. Fernando Mendoſio filia altera Sanctia nomine. Ferdinandus dotali principatu auctus, rempublicam ſurſum deorſum verſare: ad ſuum arbitrium belli paciſque conſilia reuocare: Alfonſum priuignum contemnere. quam ille iniuriam in minori ætate tulit quidem: maior autem factus cum odio maternæ turpitudinis, inſitiſq; virtutibus ſtudia prouincialium conciliaſſet, arma aduerſus vitricum arripit. Ad oppidum Guimaranes, quod antiquis Araduca fuiſſe creditur intra confluentes Aui & Viſcellæ in planicie Sanctiuania ſigna collata ſunt. victor Alfonſus. Ferdinandus & Theraſia in poteſtatem redacti. Fernandus Portugaliæ finibus prohibitus, neque amplius redire iuratus, dimiſſus

dimiſſus eſt, Theraſia matre in cuſtodiam tradita. doloris illa impatientia Alfonſum Caſtellę Regem eo nomine ſeptimum, vt propinquę, miſeræ & captiuæ matri opem ferat, per litteras obteſtatur aduerſus impios filii conatus. Nauatæ operæ mercedem, Portugaliæ principatum pollicetur, Alfonſo filio, pro eo ac par erat, abdicato. Annuit ille ſiue ambitione dominandi corruptus, ſiue materteræ calamitatem miſeratus: validoq; exercitu cõflato in Portugaliæ fines irruit. In planicie Valdeueſia, quæ Montionem inter & Limiæ pontem iacet, acie dimicatum. victæ Caſtellę copiæ, atque Legionem reiectæ. Ex ea re Luſitani maiores ſpiritus gerere quam pro præſenti fortuna: ſeque poſt eam victoriam ſui iuris factos, & à Regum Caſtellæ imperio exemptos prædicare. Alfonſus iniurię impatiens, & vindictæ ſtudio incenſus vires reparat: & maiori quam antea exercitu contracto bellum repetit. Luſitanus viribus impar intra oppidi Guimaranis mœnia ſe ſuoſq; continuit, loci munitone bellum propulſare cogitans. Caſtellani vincendi obſtinatione obſeſſis aſſident, non prius diſcedere certi, quam oppido capto. Egas Nunnius, qui minorem Alfonſi Luſitani ætatem rexerat, virtuteſq; quæ natura inerant, ampliores diſciplina vt eſſent effecerat: & tunc pro ea gratia & auctoritate qua valebat vnus maxime, res communes prudentia conſilioq; gubernabat, ex oppido egreſſus, factaque Regis conueniendi poteſtate, ita eius animum flexit, vt pace facta iis conditionibus, quas ferre ipſe voluit, obſidio ſoluta fuerit. Fidei datæ, cum poſt annos aliquot Alfonſus Luſitanus immemor eſſe videretur (vt hiſtorici Luſitani affirmant, penes quos harum rerum fidem eſſe volumus) Toletum Egas abiit ad Regem collum laqueo implicitus: vt capitis ſupplicio ſacramenti religione exolueretur, quod ſe inuito violatum eſſe excuſabat. Tanti viri ſqualore & lacrymis Rex ad miſericordiam flexus, facto quidem impunitatem dedit, honorem tamen denegauit exemplo: quoniam fraudem & colluſionem ſuſpicabatur.

Bella Alfonſi Regis in Mauros. CAP. XIIII.

HIc finis tum quidem belli Luſitanici fuit: quod quibus hæc diligentius inueſtigare curæ eſt, ſalutis anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto, incidiſſe arbitrantur. Quo 1126 anno Vrraca Regina & Bernardus Toletanus Præſul, coniunctis ferme funeribus obiere. Regina in Saldaniæ arce, an Legione ruptis viſceribus (vti antea dictum eſt) certe Nonis Martii, corpuſque Legione tumulatum magnifice. Bernardus Toleti deceſſit menſe Aprili, annis grauis & rebus geſtis clariſſimus. quatuor & quadraginta annis Toletanam eccleſiam rexerat: & peculiaribus copiis Complutum ceperat ante annos duodecim (annales Hiſpalenſes ante octo annos ponunt) ea tempeſtate vltra Fenarium amnem in colle prærupto poſitam, imminentemque ripæ. Bernardi Pręſulis caſtra in ſuperiori colle, cui à Cruce hodie nomen eſt ſcilicet, munita: vnde Mauri omni iniuria vexati oppidum deſerere compulſi ſunt: quod ex eo tempore in Præſulum Toletanorum iure fuit. In Toletano templo, defuncto tumulus hac inſcriptione rude craſſumque ſonante compoſitus. Primò Bernardus fuit hic Primas venerandus. Raymundus Vxamẽſis Pręſul in eius locũ ſuffectus eſt, ſacerdotum Toletanorum prętogatiua & Honorii Romani Pontificis voluntate. Quò Pontifice, Palentiam Epiſcopi, Abbates, & Proceres, vniuerſa ditione euocati conuenerunt, ipſe etiam Toletanus. ceterum pręcipua auctoritas penes Gelmirium Compoſtellanum erat iure Legati. affuere Rex & Regina. conuentus agitari cœperunt ieiunii Chriſtiani initio, anno milleſimo centeſimo vigeſimo nono. In quibus præter alia. Ne oblationes 1129 aut decumæ excommunicatorum recipiantur ſancitum inuenio. Neve eccleſiæ laicis dentur pręſtimonii aut villicationis prętextu. Additum à Rege diploma, quo Calixti Pontificis exemplo patrui ſui Emeritę iura regia, cum primum fuerit à Mauris recepta Compoſtellam transferre ſe ait. Deinde Humbertus Cardinalis in Hiſpaniam Legatus Legione Epiſcoporum conuentum habet. In eo conuentu de Regis coniugio eſt actum, quod vitio coiiſſe nonnulli diſputabant. Duxerat Alfonſus altero à morte matris anno Berengariam Arnaldi Barcinonenſis Comitis filiam: nuptiiſq; menſe Nouembri Saldanię celebratis, ex ea ſuſcepit Sanctium & Ferdinandum, Eliſabetham, & Sanctiam. Berengariam Regi cognatione deuinctam eſſe, ex vtriuſq; familię ſtemmate monſtrabatur. ea cura Regem ſuſpenſum habebat. dicta cauſſa Patrum ſententia abſolutus eſt: nulloque cognationis gradu lege prohibito, coniugem attingere pronunciatum. Lite diiudicata regni vires in Mauros conuerſę. per Carpetanos in hoſtium fines incurſum. Calatraua, vnde Barbari finitimos noſtrorum agros identidem depopulari ſoliti erant longa & difficili obſidione expugnata, in Toletani Pręſulis ditionem Regis dono contradita eſt. Templariis ille militibus, quorum eſſe cœperat virtutis opinio ſingularis, dedit. Sic plerique auctores affir-

mant. quidam è cruce ſignatis præſidium impoſitum arbitrantur: qui belli ſacri exemplo, quod in Syria gerebatur, piorum caſtra Mauris profligandis in Hiſpania magno numero ſequebantur: nullis ſtipendiis, veniæ tantum ſpe à Pontificibus Romanis ad militandum inuitati. Alarcus, Caracuel (Antonino Carcuuium) Meſtanſa, Alcudia, Almodouar Campeſtre, vicinis locis, in ipſiſque Marianis montibus, Pedrocium Mauris ablata. reliqua prona erant, tanta gentem impiam formido inceſſerat. anni tempus Regis conatus repreſſit. Exacta hyeme copiæ ex hibernis eductæ: atque per Caſtulonenſem ſaltum (quæ Marianorum montium pars eſt) in Bæticam abs Rege penetratum. omnia circum vaſtantur, diripiuntur, auferuntur. Aurigis obſeſſa, noſtris Giennium. mœnium munitione, obſeſſorum virtute & vigilantia, victa noſtrorum conſtantia eſt: tametſi in caſtris hyemis tempore duratum erat. Albohalis filius Halis, Iuzephi nepos Almorauidum imperium Africæ, atque Hiſpaniæ ea tempeſtate obtinebat, minori quam maiores potentia, propter inteſtinos gentis motus, opportunus exitio. Alfonſi ſocer Comes Barcinonenſis diem obiit,
1131. eius ſeculi anno trigeſimo primo. Raymundo filio maiori Barcinonenſem principatum legauit, in Gallia Carcaſonem, & Rhutenos adiecit: quas vrbes ad ſuam ditionē pertinere putabat. Berengario natu minori Prouinciæ & Aimiliani comitatus dati. Cæcilia filia Bernardo Fuxenſi Comiti, Aimerico Narbonenſi Vicecomiti filia altera (cuius nomen non proditur) vxores datæ. Aliæ præterea filiæ Berengario à patre commendatæ, viris princi-
1132. pibus in Gallia nupſerunt. Conſequens annus nulla re inſignis eſt, præterquam reditu Alfonſi Regis ex bello Bętico, ſolutaque obſidione Aurigis, atque Sanctio Regis filio militiæ honore donato. Ipſo D. Matthæi Apoſtoli feſto die, vſitata iis temporibus cæremonia, à patre indutus eſt armis: balteum militare donatum. Id prætextæ poſitæ indicium erat: atque incitamentum, vt magno animo paternas virtutes imitatione complexus, nomē ſuum immortalitati conſecraret.

Alfonſus Aragonius Rex in bello occiſus. CAP. XV.

IS erat rerum ſtatus Caſtellæ & Luſitaniæ. in Aragonia vti inſtituerant, proſperum curſum tenebant. finitima Maurorum oppida & arces noſtrorum armis carpebantur. impię gentis in præceps ibat imperium. Celtiberia omnis pręſidiis occupata: Molina in eo tractu ciuitas Chriſtianorum vectigalis, ad deditionem compulſa. Ad Pompelonem vrbem ſuburbium adiunctum, cui à S. Saturnino nomen eſt. Franci in eo collocati, ciuitateque donati: datumq; vt Iaccetanorum legibus viuerent, & ſecundum eas priuatim & publice iura darent. Pelagi littora, qua parte Iberus influit in mare, late obtinebant Mauri: inde finitima oppida & agros, incurſionibus vexabant. claſſe opus erat, multæ ergo longæ naues iuſſu Regis in eam rem Cæſarauguſtæ ædificatæ: & conſtat coercitis olim atque ſtatuminatis Iberi ripis, ad Varium oppidum, quod non procul Lugrunio ſitum fuit, ducentis ſexaginta paſſuum millibus à mari Veſpaſiani rerum potientibus Romæ atque in Hiſpania, fluuium Iberum nauium fuiſſe capacem, magno reipublicę commodo propter ſubuectiones, & commercia. Ad confluentis Iberi & Sicoris Mequinentia, quæ Cæſari Octogeſa eſſe creditur, ſita eſt loci natura opereq; munita. ea nunc deiecto Maurico præſidio, in Regis poteſtatem venit. Publicam ex iis rebus lętitiam inopinatus caſus turbauit, luctuq; ingenti mutauit: vt fere inconſtans eſt humana felicitas: ex rebus proſpere geſtis, aliis negligentia oritur, aliis temeritas: vtrunq; magnos homines vertenti ſępe fortunę prębuit. In tumulo terreo Fraga (huius belli euentu magis, quam alia re nobile) Ilergetum oppidum poſitum eſt, Ptolemęo Gallica Flauia. pars anterior Cingæ amnis aquis excela difficilem aditum prębet: prorſus vt per ardua nitentes multos pauci vel vmbonibus poſſint propellere à tergo colles eriguntur, leniter quidem decliues, culturaque lęti: ita tamen oppido coniuncti, vt tormentorum vſum impediant. Rex Mequinentia capta ſtudio elatus, vlteriusq; progreſſus aduerſo Sicori, in quem Cinga amnis euoluitur, in Ilergetum fines irrumpit: vbi maior belli moles ſupererat propter locorū munitionem: & quoniam barbari in ea loca magno numero quaſi ad pręſidium confugerant: vnde Ilerdæ & Fragę regulis vires creuerant: nominiq; Chriſtiano formidabiles eſſe cœperāt. Caſtra Regis menſe Aug. anno eius
1133. ſeculi trigeſimo tertio, ad Fragam poſita, maiori ſpe & apparatu, quam ſucceſſu. anni tempus in hyemem vergentis, & ex eo continui imbres compulerunt, copias in hiberna dimittere, iuſſas ad prima veris ſigna rurſus conuenire. Februario menſe obſidio repetita eſt non minori conatu, neque minoribus copiis. In ea menſes Martius & Aprilis conſumpti haud magno operæpretio: cum oppidani tempeſtate prouiſa à rebus omnibus parati eſſent, & externi auxilii fiducia belli iniurias, obſidionis incōmoda patienter ferrent. Abengamia

gamia Ilerdæ regulus contractis vndiq; viribus, obſeſſis opitulatum venit. ad Fragam, Iuſtæ & Ruffinæ feſto die acie dimicatum. noſtri bello feſſi erant, imminuti numero: nam pars ne à tergo circumuenirentur, in caſtris relicta eſt. Barbari recentes & feroces ad pugnam procedebant. multi ex Chriſtianorum numero in eo prælio ceciderunt: neq; obſidio tamen diſſipata eſt, barbarorum haud multo minori clade. Rex maioris periculi metu in Caſtellę fines profectus, Soriæ atque vicinis locis nouas copias ſupplementi cauſſa conſcripſit. cum his hoſtium agros Montionem vſque percurrit. ſequebatur ipſe longo proximus interuallo, cum turma trecentorum equitum. circumfuſus numeroſus hoſtium equitatus Regem inuadit. Ille periculo cognito, pauca ad ſuos pro tempore locutus, hortatuſque vt nominis Chriſtiani & patriæ virtutis memores, in hoſtes irruerent, audaciam pro muro fore, metum cum exitio coniunctum, ferro ex ijs anguſtiis & virtute euadendum, nullam pręterea ſalutis ſpem eſſe. Quod ſi virtuti, inquit, veſtrę par pugnę euentus non fuerit, ne inulti moriamini prouidete. neve capti nomini veſtro contumeliam irrogetis, turpiſſima ſeruitute: potius quam qua decet virtute dimicantes, mortem vltos eſſe videamini. Mox cœpta pugna. noſtri pro extrema ſpe egregie dimicabant. Rex inter primos paludamento & armis fulgētibus inſignis, vnus præcipue Maurorum telis petebatur, ac tandem oppreſſus eſt. Rege cadente, cæteri pars perempti, pars fuga ſalutem quæſierunt. Tametſi de obitu Regis non vna ferebatur opinio: & vulgus fingendi auidum varios rumores diſſipare conſueuit: dum alii quæ cupiunt libenter credunt: & de ſuo alii auditis adiiciunt, quo res lætior efficiatur. Quidam exiſtimarunt vitæ tædio Hieroſolymam petiiſſe. alii ſcripſerunt, corpus à Mauris redemptum in Montaragonis cœnobio ſepultum: atque eam cladem incurriſſe, quod in templorum theſauros auidius inuolaſſet. Tametſi Rodericus Pręſul, & Aragonii ſcriptores Alfonſo Regi religionis, pietatis, & manſuetudinis laudem tribuunt. Vero propius eſt corpus nuſquam inuentum in tanto occiſorum numero. ea varie opinandi occaſio. Ad ſeptimum Idus Septembris, anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto inſignis ea clades ad Sarinienam oppidum accepta eſt. magnus Imperator, 1134
animi vigore præſtanti, atque eo ſeculo Chriſtiani nominis decus & gloria. cum hoſte nouies, & vicies ſigna contulit, vt vetuſtus auctor affirmat, plerunque victor. regnauit annis triginta. Reliquit teſtamentum ante tres annos nuncupatum in ipſa obſidione Baionę vrbis, quam in extrema ora Galliæ expugnaſſe, etiam noſtrates ſcriptores ſuſpicantur. Petrus Lara Comes, ab Alfonſo Iordano Toloſate, ex prouocatione in ſingulari certamine, in ea obſidione peremptus eſt. In eo teſtamento templis, & monaſteriis tota Hiſpania multa oppida, & arces legata: & cum prole careret, Templarii & Hoſpitalarii milites, pręterea cuſtodes ſepulcri Hieroſolymitani ex aſſe omnes, ſinguli ex triente ordines, regni hęredes ſcripti. exemplo liberalitatis, quod admirarentur poſteri, improbarent æquales. ſed tanti erat religionem Chriſtianam bello amplificare: partumque in Syria imperium armis tueri: vt certatim viri, fœminæ, Principes & priuati prædia, arces, oppida in ſumptus bellicos ſuppeditarent. In extremo teſtamento diræ execrationes additæ, ſi qui euertere conarentur, quæ ipſe ſanxiſſet. Proceres Aragonii & Vaſcones concilio gentis indicto Borgiam frequentes conueniunt ad Vaſconum fines. Petrus Atarius dono defuncti Regis eam vrbem ditione obtinebat, ſumma vir nobilitate, regioque ſanguini innexus: vt nonnulli ſuſpicantur, magis quam certo argumento confirmant, rebus geſtis ſuaque virtute clariſſimus. In hunc gentis ſtudia inclinabant, videbaturque continuo Rex futurus, ni voluntates magnæ Principum partis faſtu & arrogantia alienaſſet. gloriam & regnum, quæ vltro veniſſent, feſtinatio corrupit. Viri ſapientes conſiderabant, qualis futurus eſſet accepta poteſtate, qui in priuata fortuna intolerabilis eſſet. præcipuus aliorum incitator Petrus Riſonius. nobili loco, magnoque ingenio vir. huius auctoritatem cum cæteri ſequerentur, re infecta è conuentu diſceſſum eſt. Vaſcones externi imperii odio & ius ſemper fuiſſe cogitantes, vt quæ tyranni eripuiſſent, ea tyrannis eorumve ſucceſſoribus interfectis ij, quibus erepta erant, recuperarent, ſibi priuatim conſilium capiunt. Auctore Sanctio Roſa Pompelonenſi Epiſcopo, Garſias ex veteri Regum ſuorum ſanguine Ramiri filius, nepos Sancti Regis eius quem à fratre Raymundo occiſum fuiſſe dictum eſt, communi gentis ſuffragio Pompelone Rex eſt renunciatus. E contrario Aragonii Montionem conuenientes, Ramirum defuncti Regis fratrem, Regem iubent, quamuis monachum, & ex ſancti Facundi Abbate primum Burgenſem, deinde Pompelonenſem, ac tandem Rotæ & Barbaſtri Præſulem nominatum. Oſcæ regia inſignia deſumpſit, cum pontificiis inſulis regni purpuram & diadema iungens. res omni tempore comparanda miraculo. Quod non magis ſtudio gentis, quam neceſſitate factum arbitror, ad vitandos inteſtinos motus: cum ipſe ſe ab obitu fratris Regem ferret. extantque veteres tabulæ, quibus Octobri men-

ſe proximo ſe Regem & ſacerdotem nominat, Barbaſtri datæ. Ab his initiis commota populi ſtudia non ante conſtiterunt, quam homo grandæuus, qui ante quadraginta amplius annos in Tomerienſi cœnobio veſtem mutarat, ſobolis generandæ cauſſa, vxorem ducere compulſus eſt. Romani Pontificis venia (ſic credimus) vt Rex, coniux, & ſacerdos idem eſſet, impetratum. Agnes Guillelmi Pictauorum & Aquitaniæ Principis ſoror connubio iuncta. Guillelmus hic poſt biennium Compoſtellæ defunctus eſt: quo ſe contulerat religionis procurandæ cauſſa. Alionora filia natu maxima eius iuſſu, Ludouico Regi Galliæ nupſit, cognomento Iuniori. ex hoc coniugio duæ filiæ natæ cum eſſent, lege propinquitatis coniugium diremptum eſt, Eugenii tertii Romani Pontificis auctoritate. Rex denuo Iſabellam duxit Alfonſi Caſtellæ Regis filiam. Alionora Henrico Duci Andium Nortmanniæque iuncta, Pictauorum & Aquitaniæ ad Angliæ imperium adiunxit. vnde bella internecina inter eas gentes nata, funeſta Galliæ vniuerſæ, nomini Chriſtiano exitialia fœdaque.

Noua in Hiſpania inter Chriſtianos Reges Bella. CAP. XVI.

GARSIÆ & Ramiri Regum inaugurationem magni motus ſunt conſecuti. ſæua orta bellorum tempeſtas, & reſpublica quaſi turbato mari nauis, cum maxime viro & gubernatore opus habebat, tum maxime omni præſidio deſtituta erat, Garſiæ Regis imbecillitate, Ramiri ſenectute. Alfonſus Caſtellæ Rex vtrunque imperium ad ſe hæreditate deuolutum prædicabat: iuraque ſucceſſionis à Sanctio atauo Rege Vaſconum cognomento Maiori, haud incongrue repetere videbatur. Nam milites, quos Alfonſus teſtamento hæredes nominarat, paſſim excludebantur, legibus vetantibus ad regni faſtigium admitti, niſi regia ſtirpe ortum. Hæc a iureconſultis in otio diſputabantur. potiora, vt fit, regnandi iura, quæ in viribus & potentia magna pars Principum ponit, penes Alfonſum Caſtellæ Regem ſtabant. neque deeſſe poterant vtriuſque regni procerum ſtudia in tanta voluntatum varietate. Itaque contractis vndique copiis, ne occaſioni deeſſe videretur, in Riuogiam inuectus oppida & arces, quæ ab Alfonſo vitrico Bilforado Calagurrim vſq; per vim occupata erant, in poteſtatē redegit: Anagarum, Lugrunium, Arnedum, Vigueram, aliaq; vicinis locis ignobiliora oppida. Inde tranſgreſſus in Cantabriam parte ea, cui Alauæ nomen eſt. Victoriam circumſedit quidem, virtute tamen ciuium defenſam expugnare non potuit. alia circum oppida ſubiugata: factumq; vt vtriuſque regni ditionem Iberus amnis diſcerneret. Magna inclinatio animorum facta erat: multique tum reguli Regis caſtra ſequebantur, tum Epiſcopi. in his Bernardus Seguntinus, Sanctius Anagari, Bertrandus Vxamæ. Mox in Aragoniam impetus factus, tanta feſtinatione, vt proximo Decembri menſe omnem citra Iberum amnem Aragoniæ tractum, armis præſidiiſq; occuparit. Aderant Regi externa Principum auxilia: Raymundus Barcinonenſis Comes, Ermengaudus Vrgelitanus, Alfonſus Iordanus Toloſas, Rogerius Fuxenſis, Mirus Pallenſis, aliique magno numero proceres, in eius ſe omnes clientela fore profeſſi. Ramirus noui regni ſtatu nondum confirmato, & in tanta conſternatione prouincialium viribus diffiſus, Suprarbem petiit, locorum munitione regium nomen tutari conſtituens, & meliora tempora expectare, animo ad pacem fœduſq; faciendum propenſo, honeſtum modo, & tolerabile. Oldegarius Tarraconenſis Præſul, præcipua vir opinione ſanctitatis, ſequeſtrum internunciumq; iis controuerſiis componendis ſeſe offerebat. magno labore & conatu parum promouebatur: cum magnæ difficultates opponerentur, & neuter parte contentus eſſet, totum ſpe & cupiditate complexus. Garſias Vaſco Alfonſi poteſtati permittens ſe ſuaq;, inito fœdere in Caſtellam venit. Alfonſus Legione concilium haberi curat frequentiſſimum. affuere Garſias Rex Vaſconum, Berengaria coniux, ſororque Sanctia. In eo conuentu omnium qui aderant conſenſu, imperii nomen Regi decernitur. qui Aragonios, Vaſcones, Catalaunos, Galliæ partem vectigales beneficiarioſque haberet, ei Auguſti maieſtatem conuenire. Toletanus Præſul coronam capiti impoſuit. dextera læuaq; Rex Vaſco & Arrianus Legionenſis Epiſcopus tenebant. acceſſit Romani Pontificis conſenſus, vti noſtri ſcriptores affirmant, Innocentii eo nomine ſecundi ſcilicet: cum ea tempeſtate ſacra Chriſtiana gubernaret. quod admirari magis poſſum, quam credere, tantam iniuriam irrogatam Germaniæ. niſi forte ægre iis Imperatoribus facere voluit, nouo in Hiſpania Imperatore creato: cum toties Italiam vexaſſent, & ſacroſanctam Pontificum maieſtatē contemptui habuiſſent. Legione in D. Mariæ ea cæremonia peracta primùm,
1135. anno milleſimo centeſimo trigeſimo quinto, ipſo Pentecoſtis feſto die: vti eius ætatis ſcriptor ait, & acta eius conuentus declarant. deinde Toleti ſimilis cęremonia peracta eſt, quo

die & anno incertum: ſed inde variæ ſcriptorum opiniones natæ, quibuſdam Toleti, aliis Legione affirmantibus. Extat Toleti in ſcriniis vrbis diploma ab Alfonſo conceſſum: vbi primam imperii coronam Legione accepiſſe ſe ait, nempe altera Imperatorum Germaniæ æmulatione Toleti ſuſcepta. Inde inter Hiſpaniæ Reges huic vni Imperatoris cognomen vulgo datur: & Toletanæ vrbis inſignia eſſe cœperunt, Imperatoris imago conſidentis habitu, aureaque veſte, orbis effigiem ſiniſtra, gladium diſtrictum dextra tenentis. eidem Imperatoriæ vrbis nomen eo tempore confirmatum: vt per manus ducta opinione vulgo homines perſuaſum habent. Extant Ioannis eo nomine ſecundi Caſtellæ Regis tabulæ, quibus Toletum vrbem Imperatoriam dicit. Extant D. Bernardi litteræ ad Sanctiam, quam ſororem vocat Imperatoris Hiſpaniæ, præcipua fœminam pietate virginemque: cui frater à primo regni tempore, Reginæ nomen & honorem participarat. Extant etiam Petri Cluniacenſis ad ipſum Pontificem Romanum Innocentium ſecundum litteræ, hoc initio. Imperator Hiſpanus magnus Chriſtiani populi Princeps, deuotus maieſtati veſtræ filius. Rogat iis litteris vt Epiſcopum Salmantinum concedat Compoſtellam migrare, votis ſacerdotum & populi expetitum. Berengarius is erat, in Didaci Gelmirii poſt quartum annum defuncti locum cooptatus, ſecundus eius eccleſiæ Archiepiſcopus. Sanctius & Ferdinãdus à patre Imperatore Caſtellę & Legionis Reges diuiſa ditione continuo deſignati, dictiq; exemplo, quod accuſabitur ſemper, & ſemper vſurpabitur. Interea cum virorum ſanctorum & procerum ſtudia, pacis componendæ cauſſa non remitterent: multis vltro citroque concurſationibus, conuenit tandem, vt Alfonſus & Garſias inter ſe colloquerentur, de re tota deliberaturi. Paradillia oppidum ad Iberi ripam ſitum Regum colloquio opportunum viſum eſt. dies dictus quintus Kalendis Octobris. Affuit Berengaria Regina. pax ea lege facta: vt Garſias Cæſarauguſtano regno donatus ditionem omnem Alfonſi nomine obtineret, Caſtellæ ſtipendiarius factus: armaque & vires iungerentur aduerſus Ramirum Aragonium Regem: quem vitio creatum prædicabant. Eo fœdere Aragonii & Vaſcones commiſſi, grauia inter ſe damna intulerunt. vtriuſque ditionis fines belli iniuriis vexati. Proceribus & Epiſcopis vtriuſque gentis annitentibus eius controuerſiæ componendæ ſtudio, optimum fore viſum eſt, ternos ex vtraque gente iudices dari. Caxalis, Ferricius Oſcenſis, & Petrus Atarius ad Vadum longum (id vico nomen eſt) pro Aragoniis diſceptarunt. pro Vaſconibus Latro, Guillelmus & Simon Aznarii, Conuenit vt vtriuſq; regni ditionem iiſdem finibus, quos Sanctius cognomento Maior conſtituerat, deinceps ipſi terminarent. Saraſaſum, Ida, Arago amnes, limites deſignati quouſq; cum Arga flumine coniuncti in Iberum influunt. Roncauallis, Bioſalis, aliaq; vicina oppida, tametſi ad Aragonios fines pertinebant, Garſiæ permiſſum, vt dum ipſe viueret imperio retineret. Aragonio modo Regi fidem obligaret. regnum (quod Caſtellæ paulo ante promiſerat) Aragoniis vectigale obnoxiumque eſſet. Huius fœderis confirmandi cauſa, ab vtroq; Rege Pompelonem ventum eſt. factumq; operæpretium videbatur: cum rationes optime conſtitutas caſus inopinus turbauit. Enecus Aiuarius ſiue ex vero, ſiue pacis odio, Ramiro Regi denunciat inſidias à Vaſconibus eius ſaluti parari. cum fides eſſet facta, Rex mutata veſte, concubia nocte Pompelone vrbe egreſſus eſt. neque prius conſtitit, quam ad Leirenſe monaſterium eſt ventum: vnde maiori offenſa quam cum venerat diſceſſum eſt. & vtrinque res ad bellum rurſum ſpectare cœperunt omni concordiæ ſpe ſublata. Ramirum ætatis deſpectu, ſtudia Principum, ſed & populi deſerere videbantur: vſque eo vt vulgo Regem cucullum aliiſque probroſis cognominibus nominarent. genus hominum mobile, peruicax, neque, beneficio neque metu coerceri poterat. Ergo Periandri Corinthii tyranni, & Tarquinii Romani Regis poſtremi exemplo repetito, facinus edidiſſe fertur poſteris memorabile, homini ſacrato fœdum atq; crudele. Oſcam ad regni conuentus proceres aduocat anno eius ſeculi trigeſimo ſexto, quaſi de rebus magnis deliberaturus. quindecim proceres, qui maxime infenſi videbantur, in veſtigio iugulandos curat, ex Lunæ familia quinq;, reliquos ex præcipua regni nobilitate. quorum nomina vt ſigillatim prodantur, opus eſſe non arbitror. Tomerienſis Abbas, cum quo rem omnem communicarat, conſilii auctor fuit. Per legatos enim roganti, ecquid ſibi faciendum putaret in tanta rerum perturbatione, legatis præſentibus in horto ſumma caulium capita ferro deiecit: nihilque præterea aliud reſponſi dedit. Quæ vero de Ramiri ignauia ſupra fidem, ſupraq; veritatem prædicantur: tam rudem eum, & ignarum belli fuiſſe, vt cũ ſiniſtra clypeũ, dextra lanceam teneret, equi habenas mordicus regẽdas putaret, tanquam fabulas vulgi reiicimus. Conuenit, inutilem rebus gerendis atque imparem regni oneri fuiſſe habitum. vnde occaſio fabulandi. Omnino genita filia, cui Petronillæ nomen fuit, cum neque ſibi neque aliis ſatisfaceret, tædio victus non militaribus ſolum ſed ciuilibus

etiam abſcedere muneribus certus Oſcæ, vbi regni conuentus agitabat, animi ſententiam coram explicauit, in vnam curam conciliandi Alfonſi Regis incumbendum decernens. de Vaſconum iniuriis vlciſcendis mentio nulla præ pacis ſtudio. & fortaſſis inſidiarum illi crimen, quod erat impoſitum, competenter eluerant. Raymundus Barcinonenſis concordię ineundę inter Caſtellanos & Aragonios præcipuus auctor extitit: cui magnę cum vtroque Principe neceſſitudines erant: & ſpes obiiciebatur Aragonii regni potiundi Caxali viro primario internuncio. Alauona ad Iberi ripam ſupra Cæſarauguſtam decem & ſex millibus paſſuum ſitum oppidum, Regum colloquio deſignatum. dies dicta vigeſima quarta Auguſti. quo die Alfonſo Caſtellæ Rege concedente Cæſarauguſta Aragonio imperio reſtituta eſt, reſciſſo nimirum eo fœdere, quod cum Garſia Rege Vaſconum haud multo ante initum fuiſſe monſtratum eſt. Calataiuba, Alauona, aliaque citra Iberum oppida Ramiro concedente retenta ſunt. iis legibus inter vtranque gentem concordia conſtituta. Cuius confirmandæ cauſa Ramiri filia obſes data, vt Sanctio Alfonſi filio nuberet impetrari non potuit: cum Raymundo Barcinonenſi pacta eſſet: quod Aragoniis rebus commodius fore videbatur, propter ditionis ampliſſimæ vicinitatem: & quoniam ab Alfonſo ſororio nihil non impetraturus fore credebatur. Hæc eo celerius adminiſtrantur, quod Garſias Vaſconum Rex bellum comparare nunciabatur, vir inſigni animi magnitudine: qui aduerſus duorum præpotentum Regum arma, non tantum imperium nouum tutatus eſt, ſed etiam ditionis fines proferebat. Margaritam Rotronis Perticarum Comitis filiam vxorem habuit: & cum ea dotis nomine Tudelæ principatum. Itaque ſe Pompelone, Anagari, Alauæ, Vizcayæ & Guipuſcoæ regnare publicis litteris affirmabat. Francorum vires multum contulerunt: cum Ludouicus Galliæ Rex noui Regis & infirmi patrocinium ſuſcipere glorioſum ſibi fore putaret. ad Gallurem & Cortes oppida, Caſtellæ & Vaſconum caſtra collata: acie tamen dimicatum non eſt, cum vtrique totius certaminis aleam ſubire formidarent. id vero propius quam quod fama tenuit, religioni id datum: cum per eos dies Chriſti Dei ad vitã reducis memoria anniuerſariis ſacris celebra-
1137. retur. Auguſti die vndecimo, eodem ſalutis anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, Raymundi Barcinonenſis & Petronillę infantis nuptiis pactis, Ramirus Rex regni curam & adminiſtrationẽ abdicat. Oſcæ in D. Petri ſe abdit tranquillioris vitæ ſtudio, retento tantum regio nomine, atq; ſi quando vti vellet poteſtate. Qui arces & oppida præſidiis toto regno obtinebant, iuſſi ſunt in Barcinonenſis verba nouo ſacramento iurare. & quoniam in ea rerum perturbatione motuq; viri principes pro ſe quiſque, vt fit, Regi ſeni operam ſuam cariſſime venditarant, oppidaque & arces extorſerant, prorſus vt regni viribus diſtractis dilaceratiſq;, regni maieſtas ad ſolum nomen redacta eſſe videretur: donationes tanquam iniquiſſimo tempore extortæ, nouo decreto reſciſſæ: eæ præſertim, quę poſt Barcinonenſem Comitem generum aſcitum conceſſæ erant. Vaſconum imperium iiſdem finibus deſcribi mandatum: qui Pompelone in ſuperiori fœdere deſignati erant. Raymundus regni cura ſuſcepta, continuo ad Alfonſum abiit. Carrione Vaccæorum oppido initæ paulo ante pacis conditiones ab vtroq; Principe retractatæ: datumq;, vt omnem citra Iberum regionem Aragonii Reges obtinerent, quaſi Caſtellæ ſtipẽdiarii. Itaq; Octobri menſe proximo, Raymundus Cæſarauguſtam inuectus, inter fauſtas populi voces patrem patriæ, & pacis ac felicitatis auctorem acclamantium, eius vrbis ac vero totius reipublicæ ſtatum compoſuit, tranquillitatem fundauit. His rebus perficiendis, Guillelmi Raymundi Catalauniæ Seneſcali (nomen id poteſtatis erat & magiſtratus) pro ea auctoritate & gratia, qua apud Ramirum Regem valebat maxima, opera præclara extitit. pro eo merito abs Barcinonenſi Comite, Moncada municipio donatus eſt, Moncadarum familiæ nobiliſſimæ conditor, auctorque princeps.

Alfonſus Portugaliæ Comes, Rex proclamatur. CAP. XVII.

EX aliena perturbatione Luſitani augendi ditionem nomenque amplificandi occaſionem nacti ſunt. Alfonſus Portugaliæ Comes non minus belli quam pacis artibus clarus, rempublicam illuſtrare, atq; bonis omnibus augere, exornareq; non deſiſtebat. Conimbricæ S. Crucis nomine monaſterium exędificandum curauit, ipſiuſmet olim ſepulchro celebre. Leira oppidum, quod ea tempeſtate Mauris ereptum eſt, ei monaſterio
1139. dono datum. Magnarum rerum hæc initia fuerunt. nam eius ſeculi anno 39. contractis vndique ex tota ditione copiis in Maurorum fines populabundus penetrauit: Tagoq; ſuperato, Iſmarem Maurorum Regem, qui ea loca imperio obtinebat, bello petiit. In ea expeditione, priuſquam ad manus deuentum eſſet, Egas Nunnius Alfonſi nutritius,

cuius conſiliis eatenus reſpublica ſteterat, extinctus eſt. Portus vrbe in Benedictinorum cœnobio, quod vulgo Soſę dicitur & ſua ipſe impenſa ab imo totum extruxerat, eius & filiorum ſepulcra monſtrantur: Theraſię vxoris in Sereſedę Ciſtercienſi cœnobio, octo à Lameco millibus paſſuum: quod ipſa etiam ędificandum curauit: vtrunque (ſic credimus) ex manubiis belli Maurici. Alfonſi conatu nunciato, Iſmar quam maximos poteſt tota prouincia delectus habet. quinque alii Maurorum reguli in auxilium euocati. Ea diligentia numeroſus exercitus conflatur. vtraque caſtra ad caſtrum viride poſita. vicina planicies, cui Vrichii nomen. tunc fuit, nunc Regum capita vocitatur, ad pugnam delecta. Rigat ea arua Chalybs, ex agro Pacenſi corriuatis aquis ignobilis primum: inde ſenſim auctus in Salacienſem Oceani ſinum elabitur nauigiorum capax. Hoſtium multitudine cognita, initio Alfonſus ancipiti cura anxius erat. hinc magnitudo periculi obuerſabatur animo: inde ignominia, quam inuri nomini Chriſtiano neceſſe erat certamine detrectando: contumeliamque ex ea re in victore exercitu remanere grauiſſimum iudicabat. Vicit honeſti cura: præſertim cum milites adeo bona ſpe pleni eſſent, vt altero ante pugnam die, octauo Kalend. Auguſti, qui dies D. Iacobi memoria ſacer eſt, eius ſeculi anno trigeſimo nono, Alfonſum in caſtris magna lætitiæ ſignificatione Regem proclamarent. 1139. Id incitamentum erat, ne à turpi fuga collatum honorem auſpicaretur. Biduo elapſo acies ad pugnam inſtructæ. pauca pro tempore nouus Rex locutus. Verba inquit, milites, fortiorem neminem faciunt. Ducis oratione excitati animi mox ad ingenium redeunt. quantam quiſque virtutem habet, talis in diſcrimine apparet. Quo loco res ſint æque mecum intelligitis. hoſtium multitudine & locorum conditione, ignauis fugæ locum ſublatum. fortibus audacia pro munimento erit. Quid turpius quam in pedibus ſalutis ſpem eos ponere, in quorum dextris ſint arma? terga hoſtibus ferienda præbere: quorum illi vultum ferre vix poterunt, modo metus faceſſat & ignauia? Qui vobis animus ſit, hæc alacritas oſtendit. mihi ſtat ſententia, aut morte aut victoria reipublicæ ſatisfacere: quorum alterius omen Deus auertat, alterum vt contingat in nobis ſitum eſt. Aduerſus toties victam perfidiam impietatemque pugnabitis. Idem ergo illis & vobis animus erit, qui victis & victoribus eſſe ſolet. humilis, formidoloſus, & ignauus hoſtibus: vobis excelſus & alacer. A me certe non diſciplinam tantum, ſed etiam pugnandi exempla petite. Vos videte, ne regium nomen ad ludibrium dediſſe videamini. Secundum hæc verba, pugnæ ſignum proponitur: ſignaque inferri mandatum. idem hoſtes faciunt. pugnatur ab vtriſque acriter, pro gloria, pro ſalute, pro imperio. Maurorum tandem multitudo noſtrorum virtute deuicta eſt. magnus ex iis numerus trucidatus. plerique capti. quinque regulorum ſigna in poteſtatem venerunt. Ex eo Regum Luſitaniæ inſignia in clypeo cæruleo, quinque alia ſcuta minora eſſe cœperunt alias alii ſignificationes captant: & quinq; Chriſti Dei vulnera ſignificari contendunt, ſtulte ſcilicet & inaniter. Sanctii eo nomine ſecundi Luſitaniæ Regis ætate, ad vetera inſignia, caſtella circum clypeum adiuncta: non eodem ſemper numero, nunc ſeptenario. Hæc fuit illa pugna, tantopere Luſitanicis hiſtoricis celebrata: in paucis ea ætate memorabilis. vnde breui Luſitaniæ Reges in magnam potentiam creuerunt. Regem ea victoria clarum vinctæ tandiu matris crimen obſcurabat: & re cognita Romanus Pontifex Innocentius II. qui per hæc tempora eccleſiam gubernabat, conatus eſt eum ab ea mente deducere, cum matre reconciliata gratia. Miſſus Conimbricenſis Epiſcopus Roma cum ampliſſimis mandatis monere Regem non deſtitit, vt filii officio erga matrem ſenem defungeretur. Impium videri non imperium tantum occupaſſe, ſed etiam libertatem eripuiſſe. Nullam tantæ iniuriæ inferendæ ſatis honeſtam afferri cauſſam poſſe. Verum cum ad has voces Alfonſi aures obſurduiſſent, Epiſcopus Conimbrica vrbe ſacrificiis interdicta, ex Luſitania diſceſſit. Rurſus Cardinalis quidam Roma ea de cauſa legatus nihilo meliora tulit. prorſus vt regiis minis coactus interdicti ſententiam, quo vniuerſam ditionem implicarat, retractarit. Manricus Lara ea tempeſtate opibus & nobilitate clariſſimus erat, beneficio Caſtellæ Regum Molinæ regulus. huius filiam Malfadam nomine Alfonſus Luſitanus toro ſibi iungendam curauit. Nati ex eo coniugio ſunt Sanctius, Vrraca, & Theraſia illa, quæ Philippo Flandriæ Comiti nupſit olim. præterea furto genitus filius alter, Petrus nomine in Alfonſi filiis numeratur. Peracta nuptiarum celebritate ad arma eſt recurſum. Scalabis ad Tagi ripam improuiſo occupata: cum ante lucem ciuibus inſciis in vrbem eſſet penetratum à noſtris. Ex eius belli manubiis, Ciſtercienſe Alcobaſæ cœnobium extructum: quod votum eâ Rex præteriens, ſi vrbe potitus eſſet, nuncuparat. Albohalis Almorauidum, & Abdelmon Almohadum (noua ea familia inter Mauros erat) Reges, de Africæ imperio ſumma con-

tentione decertabant. Id diſſidium Mauros, qui in Hiſpania erant, iniuriæ opportunos præbebat: & magis ſtare videbantur noſtrorum ceſſatione, cum ciuilibus bellis æſtuarent, quam ſua ipſorum virtute. Tanta otii copia, vt litterarum ſtudia diligenter colerent, quibus inter arma locus non eſt. Cordubæ præſertim, vrbe magnorum ſemper ingeniorum matre altriceque, viri hac tempeſtate extiterunt, in omni philoſophiæ parte clari, atque præſtantes. Auicenna, quem principi loco natum, ac Regis filium fuiſſe nonnulli diſputant: negant alii fuiſſe Hiſpanum. Auerrois clariſſimus Ariſtotelis explanator, Auicennæ æmulus: qui in libros Ariſtotelis de cælo cõmentaria ſcribere ſe ait, anno Arabum quingenteſimo trigeſimo, Chriſti nimirum milleſimo centeſimo trigeſimo quinto extremo, is Arabum annus initium habuit: præterea Auenzoarius inſignis ſtudiis matheſeos aſtrologiæque. Hæc Cordubæ. In Luſitania autem, noua expeditione Sintra municipium ad promontorium Artabrum, non procul ea parte, qua Tagus in Oceanum euoluitur, Alfonſi armis expugnatum eſt. Locus commodiſſimus erat propter vicinitatem maris. Itaque ex Gallia, Anglia, Belgioque Regis inuitatu validæ claſſes venerunt: prorſus vt externis copiis confirmatus Oliſiponem eo tractu vrbem ampliſſimam, Luſitaniæ principem circumſidere non dubitarit. nobiliſſimæ huius obſidionis exitum priuſquam explicamus, ad intermiſſa recurrendum eſt.

Almeria à noſtris expugnata. CAP. XVIII.

DVM hæc in Luſitania geruntur, Vaſcones & Aragonii bellis ciuilibus æſtuabant. Alfonſus Imperator belli & pacis in Hiſpania arbiter habebatur. duorum Regum, qui prior eius amicitiam occupaſſet, is victoriam de aduerſario certo ſibi pollicebatur. Itaque certatim ad id ab vtraque gente concurſum. prior Raymundus Barcinonenſis noui regni cura ſuſcepta, multiſque ex eo difficultatibus implicitus Alfonſi conciliandi, atque in partes alliciendi cupiditate, Carrionem Caſtellæ municipium ſe contulit. neque ſucceſſus defuit: pro iure enim affinitatis, quæ inter vtrunque Principem erat, haud ægre impetratum eſt, vt Cæſarauguſta, Turiaſo, Calataiuba, Daroca, aliaque cis Iberum oppida Aragonii iuris, quæ Caſtellanis præſidiis tenebantur, Raymundo cederent tanquam Caſtellæ Regum ſtipendiario. de Rege Vaſconum Garſia, qui frequentibus incurſionibus Aragoniam, Tudela Cæſarauguſtam vſque infeſtam reddebat, tum quidem
1140. mentio nulla: biennio tamen poſt, nimirum ſalutis anno milleſimo centeſimo quadrageſimo, Raymundus iis iniuriis prouocatus, fretuſque Alfonſi amicitia ad eum Garrionem rurſus adiit. vbi Aragonios inter & Caſtellanos aduerſus Vaſconum Regem Garſiam fœdus factum eſt: ex quo oppida, quæ Aragonii iuris erant, & à Vaſconibus obtinebantur, Aragoniis: quæ Caſtellæ ditioni erant detracta citra Iberum, cum fide, quamprimum communi hoſti eſſent erepta, antiquis dominis reddenda erant. Nauarræ ipſius pars tertia Imperatori tribuebatur: duæ aliæ partes Raymundo ſtipendiarii nomine pactæ. Dirempto colloquio, quaſi ſigno dato in bellum vtrinque itum eſt. Raymundum aliæ curæ diſtinebant. primus ergo Alfonſus Imperator Burgos delatus, quam maximos poteſt tota prouincia delectus habet: numeroſoq; exercitu conflato ſuperatis Aucæ montibus in fines Nauarræ irruit. maior apparatus terrorque quam belli exitus fuit. miſſis vltro citroque legationibus, Præſulumque induſtria, qui vtriuſque Regis caſtra ſequebantur, pax inter vtranque gentem facta eſt. ad Iberi ripam, Calagurrim inter & Alfarum, ad colloquium ventum. affuit Berengaria Alfonſi vxor. In eo congreſſu non tantum concordia ſancita, ſed etiam pactis nuptiis firmata, Sanctium inter Alfonſi maiorem natu filium, & Blancam Garſiæ Regis filiam, ob teneram quidem ætatem nuptui immaturam: cæterum vt fidei datæ obſes eſſet, in ſoceri poteſtatem continuo contraditam. ad nonum Kalend. Nouembris fœdus factum. Mutatę repente Alfonſo voluntatis haud ſatis idoneam cauſam reperiebam. libet tamen ſuſpicari haudquaquam mentis inconſtantia ingeniique leuitate factum: quid enim ea tempeſtate Alfonſo grauius, quid ſanctius? ſed cum ſtultum fore iudicaret Aragonios, qui negotiis aliis implicatos præſidii, aut nihil aut parum afferrent, alieni periculi fructus integros referre: ſibi priuatim conſilium cepit. Raymundum enim Barcinonenſem domi, foriſque grauiſſimę curę à cogitatione belli Nauarrici auocabant. Primum Mauri communes hoſtes bello petendi erant. Itaque ad Cingę amnis ripas Chalamera & Alcolea oppida barbaris erepta à Ducibus, qui Raymundi nomine limiti pręfecti erant. deinde milites Hieroſolymitani, qui regni iura ex Alfonſi Aragonii Regis non ita pridem defuncti teſtamento repetebant, aliqua ratione conciliandi. Veneratque ea de cauſſa Raymundus militię Diui Ioannis Magiſter. quo agente

agente conuenit tandem, vt Cæſarauguſtæ, Calataiubæ, Oſcæ, Barbaſtri, & Darocæ, aliiſque oppidis. quæcunque Mauris eriperentur, Hieroſolymitani milites ex ſingulis religionibus, Chriſtianis, Mauris, Iudæis ſingulas familias ſubiectas haberent: eæque ipſorum auſpiciis iuſſuque militarent. alii præterea reditus, opimaque prædia tota ditione data: vnde magno quamuis numero milites vitam militiamque ſuſtentarent. Iaccæ aliiſque locis domiciliis conſtituendis deſcriptæ deſignatæque areæ. Illud in primis eſt cautum, vt Raymundo ipſo ſine prole defuncto, regnum rediret ad milites. Iis conditionibus paciſcendis, retractandiſque, aliquot anni elapſi: quas Guillelmus Patriarcha Hieroſolymitanus cæterique milites Diui Ioannis ſuo diplomate ratas Hieroſolymæ habuerunt, ad quartum Kalend. Septembris ſalutis anno milleſimo centeſimo quadrageſimo 1141
primo. acceſſit Fulconis Hieroſolymitani Regis conſenſus, ac Hadriani tandem IIII. qui poſt aliquot annos Romanam eccleſiam regendam ſuſcepit, approbatio. Eo fœdere Templarii etiam milites comprehenſi: quibus quod æquior eſſet Raymundus, cum recenti memoria Raymundus Berengarius eius pater eam militiam eſſet profeſſus, plura attributa ſunt. Montio aliaque oppida & arces magno numero donata: decima regiorum vectigalium: quinta eorum quæ bello Maurico quæſita eſſent: immunitate milites omnes donati: neque niſi eorum conſenſu, pacem genti cum Mauris fore conceptis verbis promiſſum iuratumque. Hæc Gerundæ pacta conuentaque, Guidone Cardinale Pontificis Romani Legato præſente, diſceptanteq;, vigeſimo ſeptimo Nouembris die, anno milleſimo 1143
centeſimo quadrageſimo tertio. Excepit nouum bellum in Gallia aduerſus Baucios, familiam ea tempeſtate opibus & clientelis cum primis copioſam & validam. Raymundus Baucius Stephaniæ vxoris (quæ Aimilliani Comitis Gilberti filia erat, Dulcis ſoror eius, ex qua Raymundus & Berengarius nati ſunt, vt eſt ſuperius demonſtratum) iura repetens Prouinciæ principatus partem obtinere ſatagebat: ſin minus iure iudicioque, certe marte arbitro. Non deerant in prouincialibus ſtudia, cum externi Principis Berengarii imperium auerſarentur: ac pro inſita multitudo leuitate, noua ſemper antiquis meliora fore ſperabat. Bellum inchoatum Berengarii ætate, eius morte aduerſus filium Raymundum Berengarium nomine amplius exarſit. ætas pueri contemptui erat, imperii vires nondum confirmatæ: prorſus, vt Raymundus Barcinonenſis pueri propinqui, rebus cæteris prætermiſſis, patrocinium ſuſcipere non dubitauerit. Bellum acre fuit: ſeque Raymundus quo maior eſſet auctoritas ſcilicet, Prouinciæ Marchionem dixit. Aduerſarii eo redacti, vt Raymundus Baucius paterna ditione ferme omni ſpoliatus, vltro Barcinonem veniens, Raymundi ſe ſuaque fidei voluntatique permiſerit. Pax inter vtranque familiam æquis conditionibus facta: Baucioque reſtituta quæcunque belli iniuria erant ablata. præterea Trencataium municipium ea lege datum, vt Prouinciæ Comitum eo nomine ſtipendiarius eſſet. Iis difficultatibus negotiiſque Raymundo diſtento, Garſias Vaſconum Rex occaſionem tempuſque nactus eſt ſeſe amplius confirmandi. ac in primis Alfonſum Imperatorem, penes quem rerum ſumma poteſtas erat, vt amplius deuinciret, Vrracam eius ex impari matre filiam vxorem duxit. Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, 1144
octauo Kalend. Iulii Legione nuptię regio apparatu celebratæ ſunt: ludicra militaria commiſſa: agitati tauri: cœcis, galeis ſudibusq; munitis porcus occidendus obiectus, magno aſtantium plauſu riſuq; cum ſpe lucri prædæq; inter ſe ictu aberrante grauiter quidem, ſed citra noxam ferirent. Vrracæ mater Gontroda fuit in Aſturibus nobiliſſima: cuius ad Ouetum in Veguæ virginum cœnobio, quod de ſuo extruxit, & vbi vitæ reliquum exegit, ſepulcrum cum inſcriptione monſtratur. Ex Garſia Rege & Vrraca, Sanctia nata eſt ea, quæ Gaſtoni Bearnenſi Vicecomiti nupſit primum, atque eo ſine prole defuncto Petro Molinæ Comiti viro alteri Almericum peperit: qui conſequenti tempore Narbonæ principatum tenuit. Interea Africa bellis ciuilibus tumultuabatur. in Hiſpania inter Mauros quidem grauiſſimi motus erant, factione tricipiti. Zephadola Rotæ regulus, quod oppidum ad Bætis oſtium ſitum eſt, ex veteri Regum Maurorum ſanguine, noſtris fauebat: eoque Duce Hiſpalim erat à noſtris vſque penetratum. Azuelis Cordubæ pręfectus, Valentiæ Abengamia diſſidebant inter ſe, meliora ferente Abengamia. Inter pios ſuperiora bella cepiſſe finem videbantur. Raymundus tantum, & Garſias aliqua ratione conciliandi erant. Alfonſus Imperator, pro ea neceſſitudine quæ illi cum vtroq; erat, & ne pręclara occaſio bello petendi barbaros qui in Bętica late dominabantur efflueret, vtrunque Principem in oppidum S. Stephani euocauit: vt mutuo colloquio pax componeretur. Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, menſe Nouembri ad colloquium ventum eſt. 1146
pax quidem perpetua conciliari non potuit: inducię tantum inter vtranque gentem vt fierent impetratum. additumq; vt quoniam Alfonſus de bello ſacro cogitaret, atque in eam

rem lectiſſimas copias paratas haberet, Garſias terra, Raymundus mari inſtructa valida claſſe, eius conatus iuuarẽt. Primo vere ſequentis anni à tribus Regibus arma Bæticę illata ſunt. direpta oppida atq; incenſa, vaſtati agri, donec Cordubã ventum eſt, vrbẽ in planicie ad Bætis ripam lautiſſimam opulentiſſimãq;, armis viriſq; potentem: ad hæc totius ferme Hiſpaniæ imperio, quam late barbari dominabantur haud multo ante maxime inſignem: ager omni fertilitate terræ inter primos in Hiſpania. Hanc vrbem Regis Marrocii nomine Abengamia Præfectus obtinebat. Is tanto belli apparatu perterritus, vrbem continuo dedit, paratus imperata facere, frumento, pecuniaque noſtros iuuare. Templum maximum Raymundus Toletanus Præſul Regis iuſſu ex Chriſtiano ritu expiauit. vrbi præſidium nullum impoſitum, ne diſſipato exercitu vires minuerentur, cum tantum belli ſupereſſet. neque enim ſine valida manu firmari poterat ob amplitudinem vrbis: nec id virium erat, vt firmando præſidio & perficiendo bello ſatis eſſet. incuſtodita eſt relicta, nulla ex eo vtilitate aut gloria. Abengamiæ fidem noua ſacramenti religione obſtringere viſum eſt Alcorani contactu, (qua cæremonia grauiſſimum eius gentis more iuſiurandum continetur) rempublicam Alfonſi nomine cum fide gubernaturum. Timor haud diuturni officii magiſter eſt. Itaque vix noſtri ex ea vrbe diſceſſerant, cum Maurus præfectus datam fidem fefellit. Biatiam promota caſtra, quam in vrbem Mauri ex tota prouincia vires contraxerant, certi de rerum ſumma cum noſtris dimicare. Res periculo proxima erat, Alfonſi animus de euentu ſolicitus. Diui Iſidori ſpecies per ſomnium oblata (ſic fama eſt) nutantem confirmauit. Vanam viſionem non fuiſſe rei euentus comprobauit. poſtero die totis vtrinque viribus pugnatum. Mauri cæſi atque fugati. vrbs dedita, atque mutato conſilio, militari prçſidio firmata: ne Cordubenſium exemplo rebellare poſſet, neve à tergo hoſtile aliquid relinqueretur. Eius vrbis expugnatione Roderici Aſagræ, qui Stellam oppidum in Vaſconibus obtinebat, virtus & diligentia maxime commendatur. Huius filius Petrus Rodericus Aſagra vrbem Albarracinum primus imperio obtinuit. Almeria firmiſſima ea tempeſtate vrbs ad Mediterranei maris litus ſita in Baſtetanorum & Baſtulorum confinibus, antiquis Abdera ſeu portus magnus, noſtrorum armis petita eſt. eo copiis omnibus itum. Vno tempore Genuenſes, Barcinonenſesque ita moderari curſum nauium iuſſi, ſuperato Charidemo promontorio claſſes ad vrbem circumegerunt. Terra mariq; barbari impugnati: atq; poſt aliquot eruptiones leuiaq; prælia, in muro patefactus aditus, turreſq; aliquot captæ: vnde per vim reliqua vrbs expugnata eſt decimo ſexto Kal.
1147. Nou. anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo. viginti Maurorum millia, qui vrbe capta in arcem confugerant, pretio vitam redimere compulſi. ſic piratis perfugium ſublatum, vnde finitimis longinquiſque littoribus imminebant formidabiles Hiſpaniæ, Galliæ, atque Italię. Ea expeditionem maturandi præcipua cauſſa fuit. Prçda omnis militi diſtributa. Genuenſibus præmium fuit vas ſmaragdeum inſigni magnitudine: quod illi reliquę prçdæ præferendum tunc quidem iudicarunt, & nunc in theſauris ſeruant. Tametſi alii ſcribunt in bello ſacro Cæſarea expugnata in Syria inuentum & opinio eſt in eo Chriſtum Deum, poſtremo cum diſcipulis cœnatum, vulgi ſcilicet & ſine auctore. Clemens Alexandrinus in vilicatino cœnaſſe ait. Anni tempus in hyemem præcipitabat. itaque milites reducti in patriam, non fructu victorię lętiores, quam vltione de barbaris ſumpta. Validam Genuenſium claſſem, qui mari ea tempeſtate late dominabantur, Raymundus Barcinonenſis nactus paciſcitur, vt in reditu operam aduerſus barbaros, qui Aragonię partem & Baleares obtinebant, ſibi nauarent, tertiam eorum, quę bello quęſita eſſent illis redditurum pactus. præterea in ſingulis oppidis, quæ capta eſſent, Genuenſibus templum, forumque proprium. Denique negotiatoribus vectigalium immunitatem fore. Hoc præſidio, hiſque opibus Dertuſa vrbs nobiliſſima expugnata eſt: quæ quoniam ad oſtium Iberi ſita eſt, ſubuectionibus ex mari, atque commercio commodiſſima erat. atq; hæc ſequenti anno geſta ſunt. Tertio Ilerda Fragaque ereptæ Mauris, oppida nobiliſſima: alterum Iulii Cæſaris olim victoria obſidioneque: alterum nuper Alfonſi Aragonii caſu. Ilerda Vrgelitano Comiti quaſi beneficiario data eſt, nauatæ in eo bello operæ merces. Guillelmus Pereſius Rotæ Præſul, Ilerdæ Epiſcopus eſt creatus, contributis Rota atque Barbaſtro. ipſe & ſucceſſores nonnulli Ilerdæ ſe, & Rotæ Epiſcopos vocabant.

Oliſipo in Luſitania capta. Cap. XIX.

Res Maurica in præcipiti erat. Chriſtianum nomen & gens refloreſcebat in Hiſpania opibus, equis, armis, atque ſecundo victoriarum curſu. arces, oppida, & vrbes paſſim a noſtris carpebantur. Portus eſt maris media fere Luſitaniæ ora, quem Tagus in Ocea-

Oceanum mittens efficit, Fauonio vento obiectus, anguſto aditu atque impedito, ſpatio latiſſimus. ad ripam huius portus, à Septentrione, Oliſipo vrbs totius Luſitaniæ nobiliſſima latiſſime fuſa eſt. retro colles aſſurgunt molli aſcenſu. Hos vrbis ædificia occupant, minori aliquanto latitudine quàm pro longitudinis modo. veterum murorum ambitus haud latiſſimus. ſuburbia latiora, noſtra præſertim ætate: cum propter Orientis commercium multi mortales eo domicilium tranſtulerunt. vici & plateæ enormes magna ex parte: quod inæqualitate locorum vitium contigit, & incuria ædificandi, præſertim rerum potientibus Mauris. Recentia ædificia viæque multo elegantiores. Ciues honeſti, mercatores copioſi, victus cultusque vitæ moderatus: ager præcipua bonitate: dextra læuaque pagi, villæ, ædificiaque collucent, regium ſplendorem æmulantia. Eam vrbem Alfonſus Luſitaniæ Rex, quoniam imperii Maurici arx & propugnaculum erat, expugnare cupiebat. Conanti vires deerant. externæ opes quærendæ: cum cæteri Hiſpaniæ Reges alii aliis bellis impliciti eſſent. capto Sintra oppido, vti paulo ante dictum eſt, loci opportunitate inuitatus, è Germania, Anglia, & Gallia Belgica claſſes magnis propoſitis præmiis ad belli ſocietatem euocauit. magnum præſidium in mutua Principum & prouinciarum beneuolentia ſitum eſt. Itaque vrbs validiſſima Alfonſi virtute, externiſque opibus, eodem prorſus menſe quo Almeria in Bætica, capta eſt. claſſes ad portus aditum collocatæ, ne qua ad obſeſſos ex mari annona inuehi poſſet. Noſtrorum caſtra ad D. Vincentii: externorum eo loco poſita, vbi deinde D. Franciſci monaſterium extructum eſt. quæ loca noſtra ætate vrbis amplitudine comprehenſa ſunt. Multa prælia vario euentu facta. noſtri pro imperio, hoſtes pro ſalute enixe dimicabant. Vrbis mœnia multis partibus impugnata. ac tandem Criſpini & Criſpiniani feſto die, cum prope ſpem impugnatio eſſet, acie inſtructa hanc Alfonſus ad ſuos orationem habuit. Haudquaquã ad vrbem vnam oppugnandam adductos vos eſſe credite: ſed in vna vrbe vniuerſam capietis Luſitaniam. hic pecunia hoſtium eſt: quæ nobis maximo vſui erit ad bellum. Hic tormenta, arma, armamenta: hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, atque rerum omnium receptaculum. Iidem hoſtes ſunt, quos toties ſuperioribus bellis profligaſtis. eadem virtute, & induſtria: niſi quod ciuium multitudo ciuilibus artibus, quam armis aptior eſt. ipſa ſe impediet in pugna. Milites in vrbe pauci ſunt: iique continuata quinque menſium obſidione, imminuti numero. Audete ergo vincere: ſupremoque impetu in vrbis muros tot proſtratos partibus irruite. Per rudera & ſtrages lapidum penetrate: nullus erit qui veſtræ virtuti reſiſtat. His dictis cum omnes vna voce pugnæ ſignum poſcerent, in vrbem inuaditur. Rex ipſe, quod plurimum ad inflammandos milites valuit, teſtis, ſpectatorque virtutis cuiuſque aderat. inſignis pugna atque cruenta fuit. noſtri muro ſuccedere, atque in vrbem irrumpere conantur. obſeſſi omne genus tela iactabant: neque vllum fruſtra cadebat in tanta frequentia militum. Tandem refracta porta, cui Alfamæ nomen eſt, in vrbem irrumpitur. Cædes magna fuit. ſupplices in ſeruitutem capti. præda militibus ceſſit, opinione maior. Templum rite expiatum, Gilbertuſque, externus quidem homo, cæterum eruditionis opinione & probitatis laude præſtans, Epiſcopus creatur. Capta eſt vrbs octauo Kalend. Nouembris, alii duodecimo dicunt. omnino quo loco Regis caſtra erant, cœnobium Regis impenſa ædificatum eſt S. Vincentii nomine: quem præcipua pietate colebat: & vt ex nomine victoriæ monimentum poſteris eſſet. Externi milites magno numero, cum Luſitaniæ copias cultumque adamaſſent, atque aeris temperiem, hyemem egelidam, æſtatem continuis ex mari ventorum flatibus mitem, in prouincia domicilia conſtituere certi, patriamque mutare Luſitania: Alfonſi Regis permiſſu, oppida Almadam, Villam viridem, Arrudam, Zambuiam, Caſtaneram, aliaque condidiſſe memorantur. Rex victoria vſus Alanquerium, Obidos, Eboram, Helbes, Muram, Serpam, Pacem Iuliam, aliaque oppida & vrbes toto eo tractu incredibili felicitate Mauris eripuit. prorſus vt Alfonſi virtuti omnia prona eſſe viderentur. Verum hæc aliquot deinceps annis geſta ſunt: nunc iterum ad hiſtoriæ ordinem reuocanda narratio eſt.

Diui Eugenii corpus repertum. CAP. XX.

QVo hæc tempore in Hiſpania gerebantur, Eugenius eo nomine tertius Lucii ſecundi ſucceſſor, domo Piſanus atque ex Ciſtercienſi familia, Romanam eccleſiam recte & prudenter gubernabat. Res piorum in Syria nutare videbantur, extincta magna ex parte martia Lotaringiæ ſobole. vt enim ſata quædam, ſic hominum ingenia cælo terraque, ac præcipue temporis longinquitate degenerant. circũfuſi omni ex parte barbari rem Chriſtianam in magnum diſcrimen adduxerant. Balduinus eo nomine. III. Fulconis filius, re-

gnum haud magis viribus potentiaque adminiſtrabat, impoſito oneri impar propter imbecillitatem ætatis. Eugenius Pontifex eo periculo prouocatus, ac Chriſtianæ religionis amore ſuccenſus, in Galliam abiens Chriſtianos Principes ad bellum ſacrum excitare non deſiſtebat. Conradum Imperatorem, & Ludouicum Galliæ Regem, vt cum lectiſſimis copiis in Syriam proficiſcerentur, permouit. atq; in eam rem intentus Remis vrbe Galliæ
1148. Epiſcoporum ex toto orbe conuentum indixit anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo. Ad eum conuentum Raymundus Toletanus Præſul ex Hiſpania abiit. Lutetia Pariſiorum in ipſo itinere poſita eſt. Eo cum perueniſſet Dionyſiacum templum, quod quarto ab vrbe lapide in oppido eiuſdem nominis ſitum eſt, D. Dionyſii cineribus ſacrum, & Regum Galliæ ſepulcris nobile atque impeditum, inuiſendi ſtudio abiit. Ibi dum moles templi, & ornatũ curioſius contemplatur, & ſingula diligenter perſcrutatur oculis, atque conſiderat, forte an monitus animaduertit in ſacello quodam hæc verba in marmore inciſa. HIC SITVS EST EVGENIVS MARTYR, PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS. Eam inſcriptionem miratus primum, cum Eugenii memoria penitus in Hiſpania obliterata eſſet, neque vllum tantæ rei præterea monimentum extaret, libros eius templi, atque ſchedas veteres diligenter excuſſit: inuenitque conſentire omnia. atque ex ea re lætitia geſtiens Remos ad Concilium abiit, ſolutoque conuentu, atque iis rebus pro quibus venerat, ex ſententia conſtitutis in Hiſpaniam tantæ rei lætus nuncius reuertit: Regiſque & procerum, atque adeo vniuerſæ gentis animos re nunciata, gaudio quam maximo cumulauit. Ita tunc quidem res habuit. Broninenſe monaſterium in Gallia Belgica agro Namurcenſi ſitum eſt, D. Petri nomine ſacrum. eius monaſterii Benedictini ſodales D. Eugenii corpus pia fraude, an prece Gerardi fundatoris Dionyſiacis monachis extortum, Bromumque illatum affirmant anno nongenteſimo vigeſimo, ad quintumdecimum Kalend. Septembris. Nimirum parte conceſſa, totum abſtuliſſe crediderunt. Conſilia Toletum reducendi ſacros Eugenii cineres agitari cœpta, Reginæ Berengariæ atque Archiepiſcopi coniuncta ferme funera diſturbarunt. Regina enim proximo anno mille-
1149. ſimo centeſimo quadrageſimo nono defuncta eſt, atque in Compoſtellano templo, quod præcipua religione viuens coluerat, ſepulta. Annum Reginæ funere fœdum magis inſigniuit ſanguinis imber, quo in Luſitaniæ parte & ditione Maurorum pluit. Tertio anno
1150. ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo, Auguſti die nonodecimo, Raymundus Præſul longæua ætate, & longinqui itineris laboribus fractus deceſſit. in Toletano templo maximo ſepultus fuiſſe, magis ex coniectura creditur, quam certo aliquo monimento confirmatur. ſucceſſit in Archiepiſcopatu Ioannes magno animo & antiquę probitatis vir. Sic in Caſtella res erant. In alia parte Eugenius Pontifex Alfonſo Luſitano hoc tempore regium nomen, & auctoritatem rata habuit: & eius exemplo poſt aliquot annos, Alexander eo nomine tertius diplomate, quod ab Alberto Cardinali, & S. R. E. Cancellario eſt promulgatum. Ab vtroq; Pontifice annuum vectigal imperatum: ab Eugenio quidem quatuor auri pondo, ab Alexandro autem libra cum triente. quod tributum an primis temporibus Luſitania ſoluerit in incerto eſt: noſtra & maiorum ætate immunis prorſus eſt habita.

LIBRI DECIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ LIBER VNDECIMVS.

Almohades [illegible] in Hiſpaniam. CAP. I.

NOVAM Almohadum irruptionem gentis barbarę & immanis exponere pergam. nouum in Africa atque Hiſpania regnum per hæc tempora conſtitutum. nouaque bella atque internecina, quorum fluctibus reſpublica Chriſtiana agitata eſt in Hiſpania, miro quodam ac pręcipuo alternantis fortunæ ludo: donec inſigni demum victoria parta, ac qua ea tempeſtate nobilior nulla fuit, Maurorum vires debilitatæ acciſæque ſunt. Rem Mauricam in Africa atque Hiſpania Albohalis ex gente Almorauidum obtinebat: vti eſt ſuperius demonſtratum. Quo tempore Tumertus quidam in Africa, tum in cæteris aſtrologiæ partibus præſtans, tum prædicendis atque notandis ex natali die cuiuſq; vita, ingenio, moribus & caſibus (quę ſcientia vaniſſima eſt,) nobiliſſimus, Abdelmoni cuidam in vegeto corpore magnorum ſpirituum iuueni vultu conſiderato, & ex contemplatione ſiderum, tametſi infimo loco natus erat atq; adeo patre figulo, regnum gentis denunciauit. Ita cælum portendere: ſic in fatis eſſe, quorum infringi vim non poſſe Maurica gens habet perſuaſum. Commodum vtriuſq; conatibus accidit nobilem ea tempeſtate Mahumetanæ legis interpretem, atq; ex ea re præcipua ſanctitatis & doctrinæ opinione, Almohadem nomine nouis inducendis atq; euulgandis legis interpretationibus multitudinis animos concitaſſe, ingenio mobili præſertim in Africa, cupidæq; in primis rerum nouarum. Huic cum Tumertus vaticinium ſiue vero probaſſet ſiue ſimulato: euertendi reipublicæ ſtatum conſilia inter ſe communicarunt. Nihil eſt in ſpeciem fallacius, quam religionis prauæ ſpecies, vbi diuinum numen ſceleribus prætenditur: nihil æque reipublicæ exitiale, quam vbi nō patrio ſed externo ritu ſacrificatur. Itaque ab omni memoria, maxima imperia conſideramus, religionis diſſidio eſſe labefactata: dum ſciſſa in partes multitudine, à verborum altercatione ad aperta odia proceditur: ac vtraq; pars ſuas cogitationes armis tutatur. quod in præſenti accidit. Almohades enim pro ea auctoritate, quā nactus erat, ſectatoribus perſuaſit, Abdelmone Duce arma capere, atq; Almorauidum regnum euertere. illegitimum eſſe imperium, quod per vim eſſet conſtitutum Alauecinis ſublatis familia ex Fatima Mahometis filia maiori genus deducente. Prætereanisi Almorauidum imperio excuſſo, quas amplexi eſſent dé religione opiniones curſum tenere non poſſe. impios eius gentis conatus iniuriis omnibus eſſe vindicandos. Itaq; arma capere conſtituunt. verum cum bello ſtrenui non eſſent, initio Albohalis Regis armis, acie ſuperati ſunt. ceſſit virtuti multitudo. breui tamē reparatis viribus bellum inſtauratum. neque prius conſtiterunt, quam victis Almorauidibus Regem Albohalim peremerunt. Abdelmon locum tenuit: eoq; Rege Almohadis ſectatores (vnde Almohadum appellatio) rerum potiti ſunt. iura & leges commutatæ: verſoq; Africæ ſtatu, animum ad Hiſpaniam adiecerunt. Tumertus quidem in Africa ſubſtitit. ne hoſtibus ſe commouendi facultas eſſet, prouidebatur. Abdelmon nouus Rex, & Almohades vates, cum lectiſſimis copiis in Hiſpaniam tranſmiſerunt, non hoſtili animo ſtatim, quia non deſperabant gentis voluntariam deditionem: verum ſi morarentur ſpem ſibiq; priuatim conſilium caperent, nihil eorū, quæ pati aut timeri poſſent, prætermiſſuri. Haud ægre Mauris quicunq; ſupererant in Hiſpania perſuaſum eſt, vt tempori inſeruirent: nouaſque de religione opiniones & ritus populariter admitterent. quod tanto ſtudio factum eſt tantoq; tum veteris ſuperſtitionis, tum Chriſtianæ religionis odio, vt quęcunque priores Reges conſtituerant, immutarent ipſi, atq; inuerterent: & Chriſtianorum reliquias, qui Mauris confuſi velut aſtra inter noctis tenebras micabant, & vulgo Muzarabes dicebantur, omnibus cruciatibus cogerent veterem religionem abdicare. Multi ad Chriſtianos fuga elapſi. In hoc numero Clemens Hiſpalenſis Præſul Talaueram delatus in eo oppido diu vita propagata deceſſit, vir ſanctus, ac Arabicæ linguæ in primis cognitione præſtans. Alii non pauci malorum mole oppreſſi victoribus morem geſſerunt: prorſus vt ab hoc tempore, pauci inter Mauros eſſent nomine & profeſſione Chriſtiani. Operæpretium factum erat Mauris

Hiſpanis ſub imperium adiunctis. Chriſtianos de finibus laceſſere tum quidem viſum
non eſt, terra marique potentes: ſed potius redire in Africam, vbi præcipuæ factionis vires.
Almohadi poſt reditum breui defuncto, prope Marrocium regni ſedem, ſepulcrum
magnificum iuſſu Regis extructum: quod deluſa multitudo, ficta ſanctitatis ſpecie famaque,
religionis ergo frequentare cœpit. Venere in Hiſpaniam Almohades ſalutis anno
1150. milleſimo centeſimo quinquageſimo: imperii Arabum quingenteſimo quadrageſimo
quinto. Rodericus Præſul ſex minus annis ait in hiſtoria de Arabibus extrema: vitioſa
proculdubio annorum ratione.

Garſias Rex Nauarræ mortuus. Cap. II.

QVo anno Almohadibus Alfonſum Imperatorem obuiam proceſſiſſe inuenio, vaſtatiſq; Bæticę agris Cordubam obſediſſe Abdelmone reuerſo in Africam (ſic ſuſpicor) Garſias Rex Vaſconum prope Lorcam ditionis oppidum, equi caſu in venatione afflictus ad rupem, atque extinctus eſt, vndecimo Kalend. Decembris, ipſo D. Ceciliæ profeſto die: cum Stella Pompelonem feſtinaret, ciuibus haud ita magna de cauſſa iratus, atque in vindictam præceps. regnauit annis ſedecim. filios reliquit Sanctium, qui continuo in regno ſucceſſit, inſignia atque infulas regni ſumpſit Pompelone in æde maxima, quo loco patris corpus ſepeliendum curauit: Blancam Imperatoris nurum: Margaritam, quæ Guilielmo Regi Siciliæ nupſit, cui Malo cognomentum fuit. Garſię mors Principibus aliis nouorum motuum opportunitatem præbuit. Raymundo præſertim Barcinonenſi, & Alfonſo Imperatori: tametſi tot vincula affinitatis extabant. Sed nimirum Reges pluris imperia faciunt, quam humanitatis, & modeſtiæ laudem neque quid de ijs fama loquatur, præ cupiditate dominandi penſi habent: præſenti potentia cogitantes extingui etiam poſſe ſequentis æui memoriam. Ii ad Tudelinum Nauarræ oppidum prope Aquas calidas conuenientes (affuit etiā Sanctius, iam dudum à patre Caſtellæ Rex renunciatus) fœdus ſanciunt his legibus: Vt quæ Caſtellæ recenti memoria ablata erant Alfonſo, quæ Aragoniæ Raymundo cum fide redderentur. Antiquam ditionem Vaſconum, vbi iunctis viribus nouo Regi dempta eſſet, æquis partibus diuiderent: vt quis cuiq; locus opportunior eſſet. Pompelo nominatim Raymundo, Stella Imperatori cederent. Tudela communi imperio atq; vtriuſq; auſpiciis, diuiſa in partes, gubernaretur. Raymūdus pro ijs oppidis & vrbibus, quæ in Vaſconibus quæſitæ eſſent, Caſtellæ ſtipendiarius eſſet, Sanctii & Petri Aragoniæ Regum repetito fœdere. Additum præterea, vt quoniam de bello ſacro præcipua cura erat, Valentia, tractuſque terrarum Dertuſa & Sucrone comprehenſus, præterea Murcia, cum Mauris eſſent erepta, Aragoniis cederent tanquam beneficiariis Caſtellæ Regum. Additum à Regibus iuſiurandum. dextræ inter ſe contactæ. fidei acceptæ datæq; ſanctiſſimum vinculum more gentis id eſt, Nauarrico bello inchoando tempus definitum poſt finem Septembris, cum fœdus vigeſimo ſeptimo Ianuarii die percuſſum eſſet. quod turpe incepto, exitu inane fuit: cum nouus Rex eius rei fama vulgata nihil de ſua comparatione omiſiſſet: tametſi ætate minor erat, externo præſidio non magis quam ſuorum beneuolentia munitus: in quo patrem ſuperauit, ſubditis grauem, inuidioſumq;. Inter Vaſconum proceres Latro Gueuara antiqua nobilitate Aiuaris regulus, præcipua auctoritate erat: qui quod cæteros opibus & potentia facile ſuperaret, princeps Nauarræ dictus eſt. Imperatorem & Raymundum aliæ curę diſtinuerunt, ne toto impetu in nouum bellum irruerent. Aragonii quidem, incurſionibus Vallem Roncalem infeſtam habere cœperunt. Caſtellæque copiæ Vaſcones finitimos. vtriq; haud magno operæpretio: cum Raymundus Narbonem petiiſſet aduerſus Trencauellum Carcaſonis Vicecomitem, quē ad officium perduxit, Carcaſone & Rhutenis datis ſtipendiarii nomine menſe Nouembri. Alfonſus Imperator nouis affinitatibus cum Ludouico Rege Galliæ ineundis diſtentus erat. Is enim Eleonoram Pictauienſem Comitem, ex qua duarum filiarum pater erat, repudiauit. Eleonoræ locum Alfonſi Imperatoris filia Eliſabetha nomine (alii Conſtantiam vocant) tenuit Ludouico Regi toro iuncta. Imperator ipſe Ricam eodem tempore duxit Vladislai Poloniæ, quæ veteris Sarmatiæ pars eſt, Ducis filiam ex Berta ſorore Othonis Friſingenſis Epiſcopi, vti Radeuicus ait. In tanta nuptiarum lætitia, armis locus eſſe non poterat: & Francorum fœderati Vaſcones erant: atque ex ea re Imperatorem æquiorem eſſe redditum arbitramur: auertiq; animo cœ[illegible] ab eo bello, quod amicitiæ leges, & iudicia hominum damnabant. & Sanctio Vaſconum Regi propter eximiam in minori ætate indolem paſſim fauebatur. Ad hæc Alfonſus æquitatis cultor egregius alioqui erat, inſolentiæ omnis oſor: quod illuſtri ad memoriam exemplo, per hæc tempora declarauit. Miles quidam loco no-

bili

bilis ex eo numero, quos vulgo Hiſpani Infanſones vocant, in Calæcia regionis longinquitate & temporum perturbatione confiſus, ruſticum quendam bonis omnibus ſpoliauit. monitus a Rege, atque prouinciæ Prætore, vt damna reponeret ei qui pertulerat, obtemperare contempſit. Diſſimulauit in præſentia iram Rex: & cæteris rebus prætermiſſis, priuati habitu, quo res occultior eſſet, Toleto in extremam Calæciam delatus militis ædes obſedit: fugientemq; ſupplicii metu cōprehendi, atq; præ ipſis ædibus, laqueo ſuſpendi mandauit. Eo facto auctoritatem Rex innocentiamq; ſanxit: ille væcordiæ, atq; ſuperbiæ meritiſſimas pœnas dedit. Strenuum Principem neq; pace neq; bello ceſſantem. qui repetito ſacro bello Gienniū hoc anno obſedit. Proximo milleſimo centeſimo quinquageſimo ſe- 1152.
cundo Guidixium, quæ Bæticæ vrbs veteribus Acci fuit. Petronilla Aragoniæ Regina filium edidit Raymundum patre ſuperſtite nominatum, Alfonſum eo defuncto. Sub ipſum partum Aprilis die quarto teſtamentum condidit, in quo ventri paternum regnum relinquebat, ſi maſcula proles nata eſſet: ſin fœmina, memorabili exemplo Raymundum virum ſubſtituebat hæredem. Epiſcopi, Guillelmus Barcinonenſis, Bernardus Cæſarauguſtanus, Dodo Oſcenſis, aliiq; viri principes eius teſtamenti procuratores deſignati. In quo nominatim cauetur, regnum ſe hæredibus immune relinquere, vt Alfonſus patruus tenuerat, fœdere, quod cum Caſtella nuper ictum erat, reſciſſo ſcilicet. Petrus Atarius Borgiæ regulus eodem tempore defunctus eſt, atq; in Veruelæ cœnobio, quod ipſe condiderat, ſepultus nō procul Cęſarauguſta. Borgia Regi ceſſit. Templariis quibus a Petro data erat, Ambela aliaq; oppida eius permutatione abs Rege conceſſa. Aragoniis armis omnia oppida, quęcunq; ad Sicoris & Cingę ripas in Maurorum ditione erant, aut vi aut voluntate expugnata. Arces pręterea Tarraconem inter, & Dertuſam in ſaltuoſis & impeditis montibus poſitę, adituq; adeo & expugnatu difficiles, ęgre quamuis in Regis poteſtatem venerunt. Pręterea Mirauetum ad Iberi ripam munitiſſimum oppidum, quod Templariis, vt ditione pręſidioq; tenerent, datum eſt. in ijs bellis Vrgelię Comitis, Raymundiq; Moncadæ, atq; Pontii Hugonis Emporiarum Comitis, qui ipſo anno defunctus eſt, pręclara opera extitit. Dertuſæ pars tertia, quæ Genuenſibus ceſſerat ex fœdere quo tempore capta eſt, abs Rege auro redempta. Quibus rebus Raymundi nomen celebre tota Hiſpania, ſed & apud exteras nationes eſſe cœpit. Tametſi ipſe ingenii modeſtia, an quod Aragoniæ regnum dotale eſſet, Regis nomine per totam vitam abſtinuit, Principem modo Aragoniæ ſe nominans: eaq; appellatione contentus, rerum ſummam bello paceq; ſolus adminiſtrabat. Omnino ex hoc tempore vetera Regū Aragoniæ inſignia Barcinonenſiū Comitum mutata inſignibus ſunt. ea fuerunt quatuor faſciæ rubræ clypeum aureum, paribus ad perpendiculum interuallis diſtinguentes. Sanctius qui in Luſitanię regno Alfonſo patri ſucceſſit, natus eſt Nouembris die vndecimo Conimbricę, qua in vrbe Regina libenter moram trahebat. ijs natalibus annus milleſimus centeſimus quinquageſimus quartus inſignis maxime fuit: 1154.
pręterea Ludouici Regis Gallię in Hiſpaniam aduentu.

Ludouici Galliæ Regis aduentus. CAP. III.

INCESSERAT Ludouicum Regem Gallię, cui Iuniori cognomen fuit, cupido videndi Hiſpaniam, inuiſendi ſocerum. longinqui itineris idonea cauſſa quęrenda erat optima viſa eſt, ſe ad Compoſtellam voti religione exoluere, quod priori tempore nuncuparat. Hæc palam: nam ex arcano alia ſuberat cauſa, (vt Rodericus Præſul eſt auctor, nam apud ſcriptores Francos de hac re mirum ſilentium) perſcrutandi cognoſcendique præſentem, an vxor legitimis nuptiis eſſet procreata: delatores enim homines mali, quales aulæ Principum multos habent, Regi confirmarant, Reginam furto conceptam à patre, atque ex ea re violari imminuique maieſtatem. non ingratis hæc auribus accipiebantur. Eleonoræ exemplo, repudii faciendi occaſio quæri videbatur: cum duarum filiarum & ipſa mater, virilem prolem non peperiſſet. Nam Ludouici filius Philippus cognomento Auguſtus, Aliſa natus eſt Bleſenſis reguli filia: quam duxit tandem Eliſabetha defuncta. Socer Imperator rei totius ignarus, vtroque filio & Vaſconum Rege Sanctio ſtipatus, genero obuiam Burgos vſque proceſſit. Confluxerunt ex vniuerſa Hiſpania, ex propinquis, ex vlterioribus, ex longinquis, ex vltimis oris tum proceres tum magna multitudo mortalium, tot Reges ſub eiſdem tectis viſuri. Quidquid decorum magnificumque erat proferebatur, quaſi ſe Hiſpania Francis, apud quos inopiæ fama laborabat, oſtentare cuperet. Hoc apparatu Compoſtellam itum eſt: votiſque rite perſolutis Toletum feſtinatum: quo ex vtraque gente, Mauris & Chriſtianis, qui imperio patebant, conuentus indictus erat, amplioris potentiæ ſcilicet oſtentandę cauſa. Affuit Raymundus Aragonius cum

ſplendidiſſimo comitatu. Tantæ multitudinis, quanta nunquam in vrbe regia ante fue-
rat, ſed & procerum cultum & elegantiam Ludouicus Rex contemplatus, præterea rei
pro qua venerat veritate explorata: negauit ſe curiam ſplendidiorem in Europa atque A-
ſia, quas prouincias præſens obierat, quo tempore ſacram expeditionem ſuſcepit, elegan-
tioremq; vnquam vidiſſe. gratiaſque pro diuino munere agere dixit, quod Alfonſi filiam,
Raymundi Aragonii ſorore genitam vxorem haberet. ludi magnifice editi, donaque ho-
ſpiti Regi oblata: ex quibus Carbunculum tantum inſigni magnitudine & pretio accepit,
cætera remiſit, lætuſque in patriam rediit, proſequente Raymundo Iaccam vſque: vbi re-
gio apparatu & omni ſignificatione lætitiæ acceptus eſt: vt Aragoniæ hiſtoriæ teſtantur.
Iunii menſis die vigeſimo octauo Vrgeliæ Comes obiit. is Petri Anſurii nepos fuit: & à lo-
co vbi educatus eſt ſimul diſtinctionis cauſſa Armengaudus Caſtella nuncupatur. San-
1155. ctio Caſtellæ Regi ex Blanca vxore conſequenti anno milleſimo centeſimo quinquage-
ſimo quinto, tertio Idus Nouembris, die Veneris, vti annales Toletani aiunt, filius natus
eſt Alfonſus nomine, in ſpem auiti paterniq; regni. Actum quidē in Tudelini fœdere erat,
de Blanca repudianda, cum nondum viro matura eſſet: verum æquitatis leges, viri amor,
puellæ innocentia vicerunt. Excepit bellum in Galliæ Narbonenſis parte, cui Prouinciæ
nomē eſt. Hugo Baucius & fratres, Raymundi filii à Conrado & Friderico Imperatoribus
Germanis diploma abſtulerant, quo omnia quę Gilbertus Comes auus poſſederat, illis cō-
cedebantur. Eo diplomate innixi, Prouinciā omnem ſibi arrogabant: & Trencataio op-
pido munito omnia circum infeſta habebant. Raymundus de fratris filio ſolicitus: cum
validis copiis eo profectus, Bauciorū audacia coercita, breui eos ad officium pertraxit. Ia-
cinctus Cardinalis ab Hadriano tertio Pontifice Maximo in Hiſpaniam Legatus, eccleſia-
rum controuerſias, ſtatumq; componebat: Ioanneq; Præſule Toletano agente pro Toleta-
no Primatu aduerſus Compoſtellanos Bracarenſeſq; Anagari pronunciauit. Iacincti lega-
tio cumprimis hac tempeſtate fuit nobilis. Quo tempore Ludouicus Galliæ Rex Toleti
erat, mētio incidit D. Eugenii, primi Archiepiſcopi Toletani: cuius cineres in templo Dio-
nyſiaco fuiſſe, paulo ſuperius dictum eſt. Petebant vt ſacra pignora in Hiſpaniā mitteren-
tur. Graue id Francis videbatur. impetratum tamen vt mitteretur pars. Quod Ludouicus
in patriam reuerſus cumulate præſtitit, eius cœnobii Abbate ad ſocerū legato cum dextro
Martyris brachio. Alfonſus, filii Reges, proceres, populus & ſacrati viri Toletū appropin-
quanti obuiam cum ſupplicis proceſſerunt: Imperatoreq; & vtroq; filio ſuccolantibus te-
cha ad templū maximum delata, atq; in ſacrum ærarium illata, Februarii menſis die duo-
1156. decimo, anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto. Reliqua ſacrati corporis
oſſa Philippo II. Hiſpaniarum Rege curante, Petri Manrici Canonici Toletani diligentia,
qui ea de cauſa ad Carolum nonum Galliæ Regem legatus eſt, poſt quadringentos nouem
annos, menſes nouem, & dies ſex, pari pietatis exemplo, pompa & apparatu, qualem noſtrā
ætas non vidit, in idem templum regiamq; vrbem relata ſunt.

Alfonſi Imperatoris obitus. CAP. IIII.

PRINCIPVM congreſſu ciuiles motus cepiſſe finem videbantur: intercepti tamen
Nauarrici regni iniuria, Raymundi Aragonii animum altius occupabat, quam vt pla-
cari facile poſſet. Alfonſum Imperatorem fatigat, vt Tudelini fœdere inſtaurato commu-
nibus vtriuſque armis Sanctius Rex Vaſconum communis hoſtis petatur. fidei datæ, &
neceſſitudinis pignus nuptiæ eſſent Sanctiam inter Imperatoris ex Rica vxore filiam, &
Raymundi filium. tum quidem pactæ tantum ob immaturam vtriuſque ætatem. Eo fœ-
dere Sanctius & Ferdinandus Alfonſi filii comprehenſi. Alfonſus pacis arbiter, quam
belli concitator eſſe malebat in Vaſconum Regem propenſior: vnde par ſpes oſtendeba-
tur alterius filiæ Beatricis nomine ex vxore Berengaria, ipſi connubio collocandæ. quod
factum deinde eſt: & tunc oblatum, contemnendum non erat. Itaq; variis tergiuerſatio-
nibus diem ex die ducere, atq; aliam ex alia moræ cauſſam nectere, ne arma vt erat conſti-
tutum cum Aragoniis coniungeret. Maurorum conatibus, priuſquam Almohadum im-
perium in Hiſpania tempore confirmaretur, occurrendum dictitabat. & Abdelmone de-
functo Iuzephus eius filius vaſto vir animo, magno rei militaris vſu, rebus in Africa compo-
ſitis, cum ſexaginta equitum millibus, maiori multo peditum numero a Mauris Hiſpaniæ
euocatus traiecerat in Hiſpaniam, genti præſidium vindexq;, terror noſtris ingens. Ray-
mundū ergo Aragonium, qui iuſto exercitu conflato in Vaſcones irruere parabat, precibus
fatigatum compulit, ne ante Martini ferias bellum inchoaret: fœdus tantum noua iuriſiu-
1157. randi religione Toleti confirmatū menſe Februario, anno milleſimo centeſimo quinquā-
geſimo

geſimo ſeptimo. moram eam Raymũdus æquiori animo tulit, quod eodem tempore Gallici motus Narbonem ipſum vocarunt. Hermengarda eius vrbis Vicecomes finitimorum armis fatigata compulſa eſt ſe & ditionem Raymundi auunculi in fidem contradere. Auctor conſilii Berengarius Archiepiſcopus Narbonenſis ipſum Perpinianum proſecutus eſt, relicta Gallia. Alfonſus Imperator, verſo in Mauros animo, vtrunq; filium, Præſules & proceres ex vniuerſa ditione euocauit, magnoq; exercitu conflato in Bęticam irruit. Agri vaſtati. oppida incẽſa. prędę omne genus abactæ. Miſera erat ea Hiſpanię pars hac tempeſtate, vtriuſque gentis audaciæ iniuriæq; opportuna. Biatia, quæ vrbs ad Mauros redierat, Illiturgis, & Queſada ſub imperium miſſæ. & cum æſtatis ardores locis natura grauibus fatigarent, certus redeundi in patriam, Sanctium Caſtellæ Regem captis vrbibus pręfecit: ne quod toties acciderat, ad Mauros redirent. Pars copiarum multo maxima cum Sanctio relicta. ipſe cum Ferdinando filio, & reliquo exercitu retro ceſſit. In ipſo itinere ipſoq; Caſtulonenſi ſaltu morbo tentatus eſt. cuius vim cum ferre diutius non poſſet, corpore tantis laboribus fracto, præterea ætate grauis, ad Freſnedam oppidum ſub quercu tentorium erigi iuſſit. quo loco à Ioanne Præſule Toletano confeſſione atque Euchariſtia procuratus extremum ſpiritum edidit, menſis Auguſti die vigeſimo primo. annos vixit vnum & quinquaginta, menſes quinque, dies vnum & viginti, longiori æuo digniſſimus. nihil eo iuuene ſanctius, nihil iuſtius viro, fortius, modeſtius vidit Hiſpania. Regnauit annos circiter quinque & triginta. Imperii nomen & maieſtatem duobus & viginti annis, & menſibus ſex tenuit: vir omni laudum genere cumulatus, gratiſſima ad poſteritatem memoria, ob perpetuam in adiuuanda republica voluntatem.

Sanctius & Ferdinandus ſuccedunt. CAP. V.

SANCTIVS & Ferdinandus defuncti filii, par iuuenum lectiſſimum, quibus finibus pater deſignarat, imperium diuiſerunt. Legionis regnum & Calecos Ferdinandus tenuit. Caſtellam & contributas prouincias Sanctius natu maior. vterq; pace bonus eſt habitus, bello ſtrenuus, prorſus vt paternarum virtutum indolem certatim ęmulari viderentur. Sanctius colligenda populi beneuolentia fratre ſuperior erat, ingeniiq; benignitate: vnde & quoniam immatura mors fuit, Deſiderati cognomẽ tulit. Ferdinandus enim aliorum criminationibus aures accommodando procerum ſtudia alienauit, natura ſuſpicioſus: qui morbus, niſi ratione coerceatur, in perniciem vertitur. Itaq; cum fratri non ſatis fideret, priuſquam patri eſſet parentatum, Legionem accurrit, ad cernendam regni hęreditatẽ. Sanctius contra patris morte cognita citato curſu Freſnedam delatus Pręſulibus, atq; proceribus proſequentibus, defuncti patris funus Toletum intulit, regio apparatu ſed & totius populi lacrymis celeberrimum. In eius vrbis templo maximo tumulus eſt defuncto excitatus. Interea Sanctius Vaſconum Rex, cui cum ætate propter amplitudinem rerum geſtarum, atque eruditionem ingenii Sapientis cognomen acceſſit, occaſionem veniſſe exiſtimans iniurias vindicandi, collecto ſuorum exercitu, quem ad reſiſtendum comparauerat, prædabundus Burgos vſque penetrauit. Satis profectum erat ad tuendam nominis exiſtimationem: cum vltro laceſſeret, qui vix par fore tantorum Regum conatibus credebatur. Ipſe rei argumento, inſignem geſtabat in clypeo rubro faſciam auream, duobus hinc inde leonibus; irrito ſcilicet conatu & ſpe. Itaque pari velocitate ſe in patriam retulit. Mauri Bæticæ oppida proximo bello parta, cum Sanctii præſidio deſtituta eſſent, continuo occuparunt. Vtriuſque conatibus occurrendum erat. Vaſconum Regis primum audacia caſtiganda: ne iniuria diſſimulanda maieſtas imminueretur. tameſi Sanctius nouus Rex ad pacem quam ad bellum propenſior erat. Bellum magnis delectibus comparanti commodum accidit, Pontium Mineruæ Comitem inter Legionenſes proceres facile principem, Alfonſi Imperatoris Armigerum, iniuria à Ferdinando Rege violatum, boniſque euerſum relicta Legione, ſe ad Sanctium contuliſſe. Magna erat opinio virtutis, maximus rei militaris vſus. Sanctius componendo reipublicæ ſtatu diſtrictus erat. itaque Comes benigne acceptus, atque iniecta ſpe reſtitutionis, Vaſconum bello Dux pręfectus eſt. Numeroſus exercitus adiunctus: cum quo per Virueſcanum agrum in Riuogiam peruenit. Non procul oppido Baguario planicies extat, Vallispetra nomine. eo loco acie dimicatum. Vaſcones ad hunc modum ordinati. Lupus Harus in primo agmine, Latro Gueuara in poſtremo curabant: Rex ipſe Sanctius mediam obtinebat aciem. Caſtellæ copiæ vt numero, ſic virtute ſuperabant: inſtructaq; acie dimicare cũ hoſtib. non dubitabãt. pari impetu concurſum eſt. Caſtellani loco moti primũ deinde prœlii fortuna conuerſa, Vaſcones victi ſunt. fuga fœda. cædes minor quã pro tanta victoria. vicina oppida & arces multis perfugium præbuerunt. Malo fuit Francorũ auxilia non expe-

ctaſſet: quorum ſuperuentu Rex animo confirmatus, rurſus prælii fortunam experiri non eſt veritus. eodem loco iiſdemque veſtigiis pugnatum. perculſi priori clade Vaſcones, facile à victoribus victi profligatique ſunt. capti, nobiliſſimus quiſque, quos benigne Pontius habuit. non cum captiuis & calamitate bellum gerere, ſed Regis tantum temeritatem vltum veniſſe dictitans eos dimiſit. Quæ humanitas magnam illi laudem conciliauit: præſertim cum non Vaſcones tantum, ſed & Francos liberos abire iuſſiſſet. Parta victoria Burgos cum rediiſſet, Rex militum virtute collaudata ſingulos, prout cuiuſque meritum virtuſque erat, donauit. Ante omnes Pontium Ducem omni genere laudis honeſtauit: tanta propenſione animi, vt eius reſtituendi in patriam atque ditionem ſtudio, vt erat pollicitus, victrices copias ad S. Facundi oppidum promouerit, certus niſi obtemperaſſet, cum Ferdinando fratre bello decertare. cautior ille, eo ad fratrem inermis venit. mutuo colloquio offenſiones deterſæ: cum Ferdinandus non modo Pontium Comitem reſtituere polliceretur, ſed maioribus cum honoribus cumulare: ſeque paratum eſſe diceret in fratris verba iurare. in eius clientela poteſtateq; fore. quod Sanctius ſuccedente poſt iram humanitate, vt fere fit contentione ſublata, paſſurum negauit, Imperatoris filium cuiuſquam Principis imperio obnoxium reddi.

Calatraua militia inchoatur. Cap. VI.

Calatrava oppidum loco munito in Oretanis ad Anam flumen ſitum, quo tempore ereptum eſt Mauris, Templariis militibus, quorum magna erat opinio virtutis, muniendum cuſtodiendumque datum eſt: vt arcis inſtar eſſet, ad barbarorum incurſus arcendos. ij quod Mauros ſtudio elatos magno numero obſeſſum venire nunciabatur, defenſionis ſpe abiecta oppidum reddiderunt. neq; erat inter proceres qui aut vltro nomen profiteretur: aut ea de re abs Rege appellatus ſuo periculo oppidum defendendum ſuſciperet. Duo Ciſtercienſes monachi, quo res aliæ in curam euocarant, Toleti eo tempore moram trahebant, Raymundus Fiterii ad Piſoricam Abbas (errant qui hanc laudem ad Fiterii cœnobium ablegant, quod in Vaſconibus non procul Tudela ſitum eſt, cum conſtet conſequenti tempore fuiſſe extructum) atq; Raymundi ſocius Dieghus Velaſquius. Is vetus antea Alfonſi Imperatoris miles, multiſq; bellicis operibus clarus, rerum deinde humanarũ contemptu monachũ induerat: & vt erat magno animo, monẽdo, ſuadendo, hortandoq; cunctantẽ, effecit vt oppidi defendendi curam in ſe Abbas ſuſciperet. Conſilium ſpecie temerarium erat: re numinis inflatu conceptũ, (ſic arbitror) nam contra tantas difficultates ratione ſatis prouideri non poterat. Ea res Regi primum grauiſſima fuit, deinde Ioanni Præſuli Toletano mœſtis antea, atque conſilii inopibus in tanta reipublicæ difficultate. Ioannes etiam, quoniam in eius ditione Calatraua ſita eſt, pecuniam de ſuo ſuppeditauit: atq; pro concione tum nobiles tum populares permouit, vt ſe Abbate ductore diſcrimini offerrent: ne in tanto periculo rem Chriſtianam deſerere viderentur. quanto ſibi, & rei familiari minus parcerent, tanto tutiores fore. amiſſo eo oppido, quod inſtar propugnaculi eſſet, incendii flammã in ſingulorum fortunas inuaſuram. atq; hæc anno ineunte
1158 milleſimo centeſimo quinquageſimo octauo gerebantur. Quo tempore, Rex vt præmium labori eſſet, Calatrauæ principatum cum ſubiecto agro dono dedit B. Mariæ ordinis Ciſtercienſis, atque eius nomine Raymundo Abbati & ſociis iure perpetuo. magna famæ in vtranque partem momenta fiunt, plerunque vero maioris. Itaque cum eius apparatus rumor percrebuiſſet, Mauri ſpe deiecti, an aliis rebus impediti Calatrauam non venerunt. Id felix fauſtumq; & bene ominatum initium eius militiæ fuit. nam pleriq; milites Abbatem ſecuti veſtem mutarunt, quam ille inſignem attribuit, eiuſq; formæ, quæ armorum vſum non impediret. Moxq; Toletum repetens Regem & ciues lætitia ex rebus geſtis compleuit. ex cœnobio autem, cui Præfectus erat, magnam pecoris vim adduxit: atque ex vicinis oppidis hominum viginti millia: quibus agri diuiſi oppidaq; Calatrauæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilio deſignata. Ea diligentia Calatrauæ oppidum aduerſus omnem iniuriam egregie eſt munitum. Abbati Raymundo poſt aliquot annos defuncto, ad oppidum Ciruelos, vbi ſepultus etiã eſt, pro opera nauata honores à populo habiti: vſq; eo vt miraculis fulſiſſe creditus ſit, & in cęleſtium numero reponatur. Dieghus Velaſquius in multos annos vita propagata, Gumielę in D. Petri cœnobio obiit, ibiq; ſepultus eſt. Ab his initiis ſacram Calatrauæ militiam, in hunc quem cernimus ſplendorem perductam Alexander III. ſuo diplomate confirmauit, Garſia eius ordinis primo Magiſtro, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto. Garſię ſucceſſit Martinus Pereſius, Martino Nunnius Pereſius, Quignonius his alii. Domicilium quod Calatrauæ primo collocatũ eſt, Ciruelos deinde

deinde, Buxedam mox, Corcolem deinceps & Saluaterram migrauit: Couos ad extremum Nunnio Fernando duodecimo eius militiæ Magiſtro. Sunt quidem minora alia eius ordinis domicilia aliis locis conſtituta, illud præcipuum. copiæ, auctoritas, multorumque oppidorum imperium eximia Regum liberalitate acceſſit. Quæ oppida emeritæ olim militiæ eius ordinis hominibus commendabantur, vt iis reditibus vitam honeſte ſuſtentarent: neque tamen poſteris hæreditaria relinquebant. nunc rebus ab antiquo mutatis, aulicorum delitiis Regum ex libidine mancipantur. ſic fere res humanæ a præclaro initio degenerare conſueuerunt.

Sanctius Rex Caſtellæ obiit. CAP. VII.

INTEREA Raymundus Aragonius, Imperatoris morte exiſtimans fœdus antiquum eſſe ſublatum, ex quo Aragoniam citra Iberum vectigalis nomine obtinebat, ad Regem Sanctium ſe contulit. Naxama oppidum Regum colloquio deſignatum. Ibi in conuentu procerum, Ioanneque Primate adſtante, de ea controuerſia diſceptatum eſt. Aragonius Cæſaraugustam, Calataiubam, aliaque oppida & vrbes ab omni Caſtellæ iure exemptas volebat. Id cum non eſſet impetratum, conuenit tandem, vt nullas arces & oppida Caſtellæ Rex eo tractu obtineret. Reges tamen Aragonii pro ijs vrbibus in eorum verba iurarent, venirentque ad regni conuentus vocati. præterea fœdus quod toties aduerſus Regem Vaſconum ictum erat, retractatum, ſancitumque haud meliori ſucceſſu quam antea. recens memoria ſuperioris belli Sanctium ſtimulabat: Raymundum intercepti regni dolor. Colloquio dirempto, quod menſe Februario habitum eſt, Aragonii Regem Vaſconum bello petiuere. Caſtellæ arma, ne vt erat conſtitutum mouerentur, Regis & Reginæ continuatis funeribus effectum eſt. Regina Iunii menſis vigeſimo quarto die extincta eſt, eius ſeculi anno quinquageſimo octauo. funus in Regum 1158
Nauarræ ſepulcra Anagari D. Mariæ regio monaſterio illatum. cui ipſa monaſterio oppidum Neſtarem ante paucos dies dono dederat: pro quo merito ſacra quotannis hoſtia, die obitus anniuerſario Reginæ manibus parentatur. Rex an dolore confectus, quem ex vxoris obitu concepit maximum, an alio morbo tentatus Toleti obiit pridie Kalend. proximi menſis Septembris, in ipſo procinctu belli ſacri, quod collatis vndique auxiliis & copiis ſupremo conatu comparabat. prope patris ſepulcrum eiuſdem vrbis templo maximo tumulatus eſt. Regnauit annum & dies vndecim, bello paceque clarus, maiorumque gloriam æquaturus ſi longior vita ſuppeditaſſet. incredibile ſane ſui deſiderium reliquit: quod conſequentes regni calamitates & motus accendere amplius viſi ſunt. Copiæ tamen, quas comparauerat, inſigni cruce diſtinctæ, eoque Chriſtiani nominis hoſtibus formidabiles, quamuis Rege defuncto in Bæticam penetrantes Iuzephum, qui Hiſpalim contendebat, ingenti prælio vicerunt cum magna impiæ gentis ſtrage. Mauris eo periculo defunctus in alios Reges Mauros, qui parere imperio recuſabant, conuerſo impetu Valentiæ Murciæque Regem opprimere aggreſſus eſt: & eo à Raymundo Barcinonenſi, in cuius clientela erat, ab iniuria defenſo, Alhagium Emeritæ Regem bello fatigatum in deditionem accepit, paratum imperata facere, rebuſque omnibus iuuare. Itaque Alhagii filii duo, Fadala & Omar Iuzephi copiis adiuti irruptione facta, in Placentiæ & Abulæ fines inuecti, verſo mox in Talaueræ agros impetu, cum late terrorem oſtentaſſent, graues præda atque Emeritam repetentes Abulenſium copiæ ad Septem vada (loco id nomen eſt) conſecutæ ductoribus Sanctio & Gometio Semeni filiis è præcipua Abulenſi nobilitate commiſſa pugna victos atque fugatos, præda omni & captiuis ſpoliarunt. Strenui magnique ea ætate Duces fuerunt Sanctius Gometiuſque. nam quarto poſt anno in eam Vectonum partem inuecti, vbi Serenæ agri ſunt paſcuis læti, multis abactis pecoribus, pugnaque victis barbaris, qui obuiam prodierunt, opima domum ſpolia retulerunt. Ex horum Ducum poſteritate Veladæ Marchiones genus deriuant, opibus, clientelis, affinitatibus, ad hæc gratia Principum clari atque præſtantes noſtra præſertim & parentum ætate. Alfonſum filium quadriennem Sanctius Rex moriens Guterrii Ferdinandi Caſtrii curæ commendauit, quo ipſe inſtitutore olim adoleſcẽtiam formarat. proceres alios ipſorum fidei concreditas vrbes arceſque obtinere tandiu mandauit, donec Rex quindecimum ætatis annum expleſſet. Vtrunque conſilio haud ſalutari: ſed futura ſatis conſilio prouideri non poſſunt: & ſalubriter ſæpe conſtituta potentior fortuna diſcuſſit. Omnino male cogitantibus vires ad turbandam rempublicam datæ ſunt: cęterique pari nobilitate proceres ęgre tulerunt reipublicę faſtigium vnius humeris ſuſtentari, Rege puero in eius poteſtatem tradito.

Noui motus in regno excitati. CAP. VIII.

INTER Caſtellæ proceres duæ familiæ erant hac tempeſtate, ditione, opibus & clientelis facile principes, Caſtrii Laræque reguli. Lararum prima diu vox fuit in conuentibus regni. Inter Caſtrios Guterrius, is cui Regis inſtitutio eſt demãdata, præcipua pollebat auctoritate: quam longęua ætas & rerum geſtarum magnitudo conciliabat. proximus erat Rodericus: qui quod frater prole careret, ipſe quatuor filios genuiſſet, Fernandum, Aluarum, Petrum, Guterrium, & filiam vnam Sanctiam nomine, quę Aluaro Guſmanio nupſit, haud minori multo quam frater potentia & auctoritate erat. Laræ reguli Manricus, Aluarus, & Nunnius fratres ad Durij fluminis ripas amplas poſſeſſiones & oppida obtinebant. His omnibus pater fuit Petus Lara Comes, de quo commemoratum eſt, & ad Baionam occiſum diximus, mater Aba: quæ cum prioribus nuptiis Garſiæ Cabræ Comiti nupſiſſet, illique peperiſſet Garſiam Aciam principatus hæredem: ex ea re trium fratrum potentia vehementer augebatur. Iniquo hi animo præ ſe ferre viſi ſunt, Guterrio Sanctii Regis pręiudicio pręlato ſuæ domus ſplendorem obſcuratum. palam in circulis, clamque inter ſe conquerebantur, Caſtrios Reges eſſe relictos. id ſolum ex his quæ Sanctius imperaſſet, faciendum non eſſe: neque paſſuros ſe, vt vnius ad arbitrium reipublicæ ſtatus vertatur. neq; alium quam eum, qui ad eam ſpem genitus eſſet regnare, pertinaci contentione dicebant. Res ad arma ſpectare videbatur. Guterrius communis ſalutis cauſſa, inſigni modeſtiæ prudentiæque exemplo facile adductus eſt, vt Regem in Garſiæ Aciæ poteſtatem contraderet, viri moderati quidem, cæterum ſimpliciori animo, quam rerum ſtatus videbatur deſiderare: prorſus vt ſumptus excuſans, qui Rege educando faciendi erant publicorum vectigalium rationibus nondum ſatis explicatis, Manrico Larę fratri vterino, cuius rei cauſſa controuerſia ſuſcepta erat, Regem puerum educandum tradiderit. Guterrius eo facto datam fidem læſam expoſtulabat: Regiſq; educandi ex teſtamento defuncti Sanctii, iura repetebat. irridebatur ab æmulis. arma haud obſcure mouebantur. Ferdinandus Legionenſis Rex eo diſſidio, quo in partes regnum vniuerſum trahebatur, prouocatus, ſibiq; iniuriam factam dictitans, aliis ad regni Caſtellę procurationẽ vocatis, correptis armis in Caſtellæ fines irruit: ac pręſertim Durii tractum vaſtabat, vbi Laræ familia ampliſſimam ditionem habuit. Manricus & fratres, Ferdinandi metu Regem Soriam deducunt: vt longiſſime à belli diſcrimine abeſſet. Guterrio Caſtrio interea defuncto, ſepultoq; ad Encas monaſterio D. Chriſtophori, Manricus Lara inſolentior factus defuncti hęredes fratris filios poſcere vrbes & arces ipſorum fidei contraditas. cum Rege puero regniq; procuratione ſui iuris omnia eſſe facta. proferebant illi Sanctii Regis teſtamentum: negabantq; ante legitimam pueri Regis ætatem fas eſſe poſtulata facere. Guterrii corpus Manrici iuſſu exhumatum eſt tanquã proditoris, & maieſtatis reum. Dati in controuerſia iudices, pro Guterrii fide pronunciarunt: cum ſit inhumanũ in vita functos ſæuire. eorum iuſſu cadauer ſepulturę redditũ. Interim Ferdinãdi Legionẽſis arma impune tota prouincia volitabant. nulla numero aut virtute inſignis manus coibat, nullo duce, republica ſciſſa in partes. Nullũ calamitatis genus erat, quod non paterentur prouinciales, nõ magis ſenſu pręſentium, quam impendentium malorum metu fatigati: vſq; eo vt Manricus ipſe ſpe defenſionis abiecta, & rerum ſuarum periculo prouocatus, in Ferdinandi verba iurare compulſus ſit, regni procurationẽ & vectigalia in annum duodecimũ eius fore: Regẽ puerum eius ſe poteſtati traditurum. Hæc vt communi regni decreto rata eſſent, Soriam vbi Rex puer ſeruabatur conuentus indicti. Res periculo proxima, Nunnii Almexiri viri nobilis audacia, & virtute ſuſtentata eſt: qui puerum cum ad patruum deduceretur, raptum de manibus, inuolutumq; pallio, quo tegebatur, ad S. Stephani arcem perduxit. Ferdinandi artes ea diligentia deluſæ. Nam Larę fratres ſpecie conſequendi puerum à Rege digreſſi, maioris pręſidii cauſa puerum Athienſam deducendũ curarunt. ſuſcepti conſilii pœnitebat ſcil. Abulæ tandẽ vrbe firmiſſima ex longo errore fugaq; conſtitit: vbi eximia ciuium fide vſque ad vndecimum ætatis annum defenſus eſt. Ab eo facto Abulenſes veteri prouerbio fideles vulgo nuncupari cœpti. Ferdinandus ſpe ſua deluſus, qua Caſtellæ regnum ſpe & cupiditate complexus erat, atque ex ea re in furorem actus, Nunnio primum Laræ, deinde Manrico eius fratri violatæ fidei atque adeo proditę per feciales crimen impoſuit. Innocentiam illi ne marte iudice, vt erat in more poſitum, defenderent, temporum perturbatione factum: ne ſi quid incommodi acceptum eſſet, res communes perditum irent. Conſcientiam rerum geſtarum fideiq; cultę erga Regem puerum, ſin minus aliis, ſibi certe ſatisfacere Ferdinãdo reſponderũt. Magna tota prouincia gratulatio erat, Rege puero patrui inſidiis liberato. breui tamẽ ea omnis lętitia euanuit cũ vniuerſa prouincia

Ferdi-

Ferdinandi armis fatigata, vrbes & oppida aut vi aut obſidione paſſim occuparetur: pror-
ſus vt exigua regni parte dempta, quæ in fide pueri perſtitit, reliqua omnia victori cede-
rent. Toletum etiam vrbs regia Ioanneſque eius vrbis Præſul, Ferdinandi partes ſecutus
eſt, ob iram credo aliquam, aut tempori ſeruiens. Extant Ferdinandi Regis litteræ Atien-
ſæ datæ Kalend. Februarii anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, Ioannis Ar-
chiepiſcopi ſyngrapha, inter alios proceres confirmatæ. præterea Auguſti proximi nono
die Ferdinandum Regem Toletum ingreſſum ex annalibus Toletanis conſtat. Acceſſit
ad has calamitates nouum à Vaſconibus bellum. Sanctius enim Rex cũ Aragonio ex ma-
gnis motibus pace facta, tempus veniſſe exiſtimans ſuperiores iniurias vindicandi, bello
repetendi quæ à Caſtellæ Regibus erant ablata: in Riuogia, Virueſcanoque agro corre-
ptis armis, delectuque ſuorum habito (& erant legiones robuſtiſſimæ, multiſque bellis e-
xercitatæ, lectiſſimi proceres, in quibus Daualorum familia, in primis nobilis potenſq;, vti
eius ætatis tabulæ indicio ſunt) Lugrunium, Entrenam, Virueſcam, aliaque iis locis oppida
cepit. Nullus armorum finis erat, fœda rerum omnium facies.

Raymundus Aragonius obiit. CAPVT IX.

CASTELLA ciuilibus motibus iniquiſſimo tempore æſtuabat: cum tantum barbaræ
gentis ſupereſſet in prouincia. Luſitanicis tantum & Aragoniis armis Mauri preme-
bantur. In Bætica, vbi latius dominabantur, tranquillam vitam agebant: gentiſque no-
uæ imperium diuturnitate amplius confirmabatur. Quo tempore Italia non minoribus
malis, diſſidiiſque vexabatur. Duo Pontificatum Romæ gerebant: & vterque ſe legibus
creatum, æmulum vitio præ ſe ferebat: Alexander tertius patria Senenſis, Victor quartus
domo Romanus. Hunc Friderici Ænobarbi, cui amiciſſimus erat, ſtudia ſubleuabant:
Alexandrum maior Cardinalium ſaniorq; pars Pontificem renunciarat. verum cum Fri-
derici conatibus impar eſſet, vrbes & oppida eccleſiæ bello occupantis, Guillelmi Regis
Siculi claſſe vectus in Galliam aufugit: vbi eius diſſidii componendi cauſſa, concilium ce-
leberrimum Turonis eſt habitum. Eadem tempeſtate Raymundus Aragonius fama re-
rum geſtarum ac perpetua felicitate nobilis erat: vſque eo vt Lupum Murciæ regulũ Mau-
rum vectigalem haberet: Baucios in Gallia bello laceſſentes malis omnibus fatigaret, non
tantum Prouincia, de qua controuerſia erat defenſa, ſed etiam triginta arcibus hoſtium
ex ditione detractis. Trencataium municipium munitiſſimum vi expugnatum euertit,
anno milleſimo centeſimo ſexageſimo primo. eaque victoria Bauciorum vires penitus 1161
fractæ ſunt. Fridericus Imperator, qui hoſtibus fauere viſus erat, fœdere conciliatus eſt
Ricam Alfonſi Imperatoris viduam, eiuſq; filiam Sanctiam Raymundus filio deſponſam,
ex Caſtella in Aragoniam deduxerat. Ergo agente Imperatore ſancitum eſt, vt Rica (nam
Friderici propinqua erat) Raymundo Berengario Prouinciæ Comiti nuberet. Aragonii,
atque Prouinciales in Victoris pſeudopontificis verba iurarent. Friderici beneficio, non
modo Prouinciæ principatum retinerent, Druentia vſque ad mare, Rhodanoque vſq; ad
Alpes comprehenſum, ſed etiam vrbem Arelatum cum ſubiecto agro. Hæc vt firmiora
eſſent conſtitutum, vt vterq; Raymundus, Aragonius & prouincialis Turinum in Italiam
contenderent; Imperatorem conueniendi cauſſa. Dies colloquio deſignatus Auguſti
Kalendæ anni milleſimi centeſimi ſexageſimi ſecundi. In eo itinere oppido Sancti Dal- 1162
matii in ſubalpinis Italiæ Raymundus Aragonius morbo tentatus oppreſſuſque eſt, eius
menſis die ſexto. Incommodiſſimo reipublicæ tempore Aragonii mors incidiſſe videba-
tur. tametſi Raymundus Prouinciæ Comes omnia pro quibus venerant, ab Auguſto fa-
cile impetrauit, cum præſens Turinum adiiſſet: in quo defuncti manibus ſe Auguſtus gra-
tificari ait, quod Ricam Reginam honeſtiſſime habuiſſet, viduæ matronæ honori conſu-
luiſſet. Hinc Catalaunicis ſcriptoribus fingendi occaſio, Raymundum Aragoniũ in Ger-
mania Reginæ viduæ famã, cum probri inſimularetur, ſingularis certaminis periculo tu-
tatum: pudicitiæ defenſæ præmium Prouinciæ principatum fuiſſe. Nos fidem hiſtoriæ
ſecuti, rem, vt geſta eſt, narramus. Defuncti corpus in patriam delatũ in monaſterio Ri-
polis, vt ipſe moriens mandauerat, ſepultum eſt. Oſcæ regni conuentus habiti: teſtamen-
tumq; Principis recitatũ, quod ore tenus nuncuparat. Ex eo Raymundus Alfonſi deſum-
pto nomine paterni principatus hæreditatem adiit. Petro, qui proximus ætate erat, Cerda-
nia legata, Carcaſo, & Narbo, quo iure à patre obtinebantur. Sanctius natu minimus Petro
ſubſtitutus ſubrogatuſque, ſi quid humanitus contigiſſet. De Dulci filia, quæ deinde Luſi-
taniæ Regina fuit, mentio nulla, ne de Berengario quidem Turiaſonenſi olim, & Ilerdenſi
Epiſcopo, Montaragonis Abbate: quem Princeps ex impari matre genuit. Alfonſi ætas

nondum imperio matura, nam vix vndecim annos natus erat, matris Reginæ imbecillitaſ
idonea nouatoribus viſa eſt rebus turbandis. Impoſtor quidam male cogitantib. ducem
ſe præbuit: cum ſe Alfonſum Regem eum eſſe ad populum affirmaret, quem ante annos o-
cto & viginti, ad Fragam cæſum eſſe monſtratum eſt: tædio rerum humanarum tandiu in
Aſia delituiſſe, multiſque interfuiſſe bellis, quæ a piis aduerſus barbaros in Syria illata erāt.
Ætas longæua fidem multis faciebat, oriſque lineamēta non prorſus abſimilia. Vulgus fin-
gendi auidum hæc ipſa in maius augebat, muliebre imperium à pleriſque contemptū. ma-
gna ex eo impendebant mala: niſi Cæſarauguſtæ comprehenſo impoſtori gula laqueo fra-
cta fuiſſet ſub ipſa initia tumultus. ea merces commenti fuit. Proximo anno milleſimo
1163 centeſimo ſexageſimo tertio, regni conuentus Barcinone habiti ſunt. in iis conuentibus
Petronilla Regina procerum ſuaſu regnum filio de manu tradidit, annum iam ætatis ter-
tiumdecimum attingenti. Raymundus Prouinciæ Comes, qui pro Rege patrueli tantiſ-
per Catalaunos gubernarat, procuratione relicta in patriam abiit, Bauciorum armis tu-
multuantem, vexatamq;. Aduerſus eam familiam, ſe vt externis præſidiis muniret, cum
Toloſæ Comite fœdus ſanciēdum curauit, pactis nuptiis filiæ: quam vnicam habebat, cum
1166 Toloſatis filio. eius conatus mors oppreſſit, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto.
Quo tempore Gerundæ Rex morabatur: exemploque patris, atque procerum hortatu, ſe
Prouinciæ Marchionem dixit. ſic Friderici Imperatoris diplomate cautum eſſe diſputa-
bant, non Raymundo tantum Prouinciæ Comiti datum eum principatum, ſed etiam Ray-
mundo Aragonio & poſteris. Hinc nouorum in Gallia motuum occaſio materiaque.

Alfonſus Caſtellæ Rex regnum inuiſit. CAPVT X.

MAGNA rerum in Caſtella immutatio facta eſt. prouinciales Legionenſis Regis im-
perio feſſi, Alfonſoque puero fauentes, vt natura cogebat & Sanctii patris grata me-
moria, litteris eum & nunciis ſolicitare non deſiſtebant ad regni paterni ſceptra capeſſen-
da. non defutura ſuorum ſtudia: ſemperq; voto ab ipſo ſtetiſſe: tametſi tempori cedere, in-
ſeruireq; compulſi externum imperium tulerant. Attigerat Rex vndecimum ætatis an-
num. proceribus in quorum poteſtate erat, ea ætas idonea videbatur, præſertim Arago-
niorū exemplo prouocante. Eorū conſilio & hortatu Abula profectus, regnum luſtrare
1168 inſtituit, ſingulaſq; vrbes adire, anno ſalutis milleſimo centeſimo ſexageſimo octauo; (vt
nonnulli diſputant, nos ex hoc annorum numero biennium certa ratione detrahimus) ne-
que fefellit ſpes. pleræq; tota prouincia vrbes & oppida, vt erant profeſſa, Regi portas cu-
pidiſſime aperiebant: pecunia commeatu rebuſq; aliis omnibus iuuabant. Pauci initio
Regem proſequebantur: Caſtellæ proceres nonnulli, qui aut in fide perſtiterant, aut ſe il-
li denuo adiunxerunt. præterea cohors præſidiaria centum quinquaginta equitum: quos
ciues Abulenſes Regem comitari voluerunt. Exigua manus tantis rebus perficiendis, re-
gnoq; recuperando: cuius partem proceres obtinebant, pars Legionenſibus præſidiis oc-
cupata erat. Nihil in diſſidio inteſtino celeritate tutius eſt. Regi omnia prona videban-
tur. Toletum ergo regni caput tentare placuit: quantumq; fidei in ciuibus eſſet experiri.
nam Ferdinandum Caſtrium, in cuius fide erat, nihil pro ſano facturum ſperabant: cū ne-
garet ante præſcriptam à patre ætatem tempuſque, vrbem cuiquam contradere fas fore:
& alioqui tutelæ regiæ interceptæ dolor vrebat, regnique procuratio ab æmulis occupata.
Stephanus Elianus eius vrbis ciuis primarius, in ſummo colle Diui Romani nomine tem-
plum, turrimq; coniunctam ſua impenſa extruxerat, ornatus præſidiiq; cauſſa, Ferdinan-
do ex priuata contentione infenſus, & ab eius conſiliis auerſo animo. Itaq; clam ex vrbe ad
Regem profectus, cum diſſimulato habitu ad non dubiam ſpem obtinēdæ vrbis in S. Ro-
mani turrim inducit. regia vexilla è turri explicata, Regemq; adeſſe populo renunciatum.
repentina re ciues commoti ad arma concurrunt. alii Ferdinando fauebant, pleriq; Re-
gis maieſtate tenebantur: videbaturque, ni celeriter diſſidium ſopiretur, fore vti pars cum
parte ciuitatis confligeret. verum quod in ſeditionibus accidit, vnde plures erant, omnes
ferme regiam auctoritatem ſecuti ſunt. Ferdinandus deſperata vrbis defenſione, in tanta
animorum inclinatione, vrbe egreſſus fuga Optam abiit: quod municipium ea tempeſta-
te, quoniam aduerſus Mauros firmiſſimum propugnaculum erat, regniq; limes, loci natu-
ra & operibus munitiſſimum habebatur. Ciues periculo depulſo, clamore, ac fauore Re-
gi puero felix fauſtumq; imperium ominari, non ii magis, qui in fide perſtiterant, quam ad-
uerſaria factio ad Regem accedere, manus deoſculari: quantoque magis falſa erant quæ
fiebant, tanto plura adulandi ſtudio facere. Stephano pro eo merito, honores abs Rege
habiti. vrbis cura commendata. defuncto ciues in templo maximo in ſumma abſide
equeſtrem

equeſtrem imaginem, retro altare maximum ponendam curarunt. Toletum Rex eſt ingreſſus ad ſeptimum Kalen. Septembris, die Veneris. Proximo Michaelis feſto die, Ioannes Toletanus Præſul obiit, malorum tædio victus, an ingraueſcente ætate. annos ſedecim circiter eam eccleſiam cum laude tenuit. Corpus ibidem ſepultum creditur. abdicaſſe quidam aiunt, vltroque abiiſſe epiſcopatu: de eoque explicant pontificiam legem ab Alexandro tertio Romano Pontifice latam, quæ lex eſt proxima de ordinationibus factis poſt epiſcopatum renunciatum. Succeſſit Cerebrunus pari vir animo prudentiaque: prima Alfonſi Regis ætate litteris informata ipſi gratus. Tarraconenſis Præſul Hugo Ceruellonius erat, Bernardi Torti ſucceſſor. Rex Toleto pacata, hortatore Manrico Comite aduerſus Ferdinandum Caſtrium egreſſus eſt. Optenſium ille copiis, quorum eximia fide vtebatur, adiutus obuiam regiis prodiit. ad Garcinaharum oppidum octauo inde lapide ſigna collata ſunt. Manrici virtutis opinio ſingularis erat: cauſſæ regiæ acerrimus propugnator habebatur, (ſic ipſe præ ſe ferebat, tametſi opinio erat alieno nomine velle cunctis imperare) audax, callidus, promptus, & vt res eſſent prauus aut induſtrius. In congreſſu Ferdinandus cum ſibi ab eius viribus metueret, inſigni veſte depoſita pugnam inuaſit. Manricus per errorem toto impetu in equitem gregarium, quem quod paludamentum geſtaret æmulum eſſe credidit, delatus obtruncauit. ipſum Ferdinandi aſſecla certamine defatigatum, opportunumque iniuriæ adacto ferro peremit. Cæſo Duce, regii pars in fugam acti, pars in acie trucidati. dolo vulgato Nunnius Manrici frater, Ferdinandum proditionis lege accuſatum ad ſingulare certamen more gentis cum deinde prouocaret, viris ſanctis annitentibus controuerſia tunc quidem ſopita eſt: odium autem inter vtranque familiam altiſſime hæſit, cum magno ſæpe reipublicæ incommodo: cum vtraque pars priuatas cupiditates & contentiones rebus communibus anteponeret. Nec acerrimum tamen nec continens id bellum in præſentia fuit. plurimas ſane vrbes & arces ſuo ſibi beneficio fideque obſtrictas Ferdinandus retinuit. Rex eius euertendi conatu ſpeque deſiſtens, atque in aliam partem auerſus, vrbes & arces præſidiis vacuas ad ſuam ditionem reuocare non deſinebat. Ad hæc Zuritam arcem in colle arduo poſitam, cuius radices Tagus amnis alluit, propter loci commoditatem tentare viſum eſt. Lupus Arenius Ferdinandi Caſtrii Legatus præſidio obtinebat: appellatuſque de deditione Regis ætatem illegitimam, vt alii fecerant, excuſabat. fiduciariam operam obtinere ſeſe, atque in Ferdinandi verba iuraſſe: niſi eius permiſſu arcem tradere nefas arbitrari. neque permiſſurum vt reſpublica regiæ auctoritatis prætextu ludibrio eſſet, iis qui animi Regis & conſiliorum potentes erant, propter imbecillam ætatem. cum regii voluntate quidquam facturum Præfectum non ſperarent, vim adhibere placuit: vrgereque arcis obſidionem. in eam rem auxilia vndique conuocata. Lupus Harus Regis conſilio explorato, ex vltima Cantabria, vbi amplum imperium obtinebat, tametſi vocatus non erat, quod ipſum inter & Nunnium Comitem contentio eſſet ſimultaſque priuata, vltro ad Regem venit: atque arcem ſitu conſiderato, ea ſibi parte eo concedente ſumpſit impugnandam, quæ firmiſſima eſſe videbatur, & vnde maximum periculum imminere prouidebat. Cãtabrici id proprium generis & ſanguinis. Ducebatur obſidio. regii haud magnam ſpem habebant arcis expugnandæ. obſeſſi annonæ penuria laborare cœperant. Itaque ad fraudes conuerſi, deditionis ſpe facta Nunnium & Suerum Comites ea de cauſſa in arcem inuitatos admiſſoſque per fidem colloquii capiunt, ſperantes Regem eorum periculo commotũ abſceſſurum conatu oppugnandæ arcis, certe ad æquas conditiones venturum. In quo præſidium eſſe putarunt, ibi exitium fuit. Erat in regiis caſtris Dominicus quidam, oppido egreſſus, qua de cauſſa incertum, ſed egreſſus tamen. Is ſi pretium operæ ſit, arcem ſe traditurum pollicetur. Rex conditionem accepit. ſimulata ergo rixa Regis voluntate, Petro Ruizio ciui Toletano ipſo conſentiente vulnus inflictum. re patrata Dominicus in pedes ſe concitat: & fuga ſimulata à cuſtodiis in arcem admittitur. Lupus eum Præfectus, quoniam eius famulus erat, & ex nouo facinore heri gratiam amplius cõciliarat, ad omnia familiaria iura admittit venturi ſecurus. Proditor facinoris opportunitatem nactus, quo tempore barbam tondebat, hero obtruncato in caſtra continuo aufugit: oppidũ mox cæſo Duce, haud magna difficultate in Regis poteſtatem redactum facta continuo deditione. neque in milites, neq; in tecta ſæuitum. Dominico tantum oculi effoſſi: clarum id in proditores ſeueritatis exemplum fuit: tametſi vitæ neceſſaria ſubſidia, ne fides regia violari videretur, competenter tributa: quæ non multo poſt de geminato ſcelere glorianti, Regis iuſſu cum vita adempta ſunt. Milites victoria læti in patriam dimiſſi. Lupus Harus, cuius præcipuum decus erat, cum magno verborum honore collaudatus abiit: nam dona, quæ vltro offerebantur, conſtanti animo recuſauit, ærarii regii inopia quanta eſſet non ignarus.

Hunc memorant, in Riuogia Harum oppidum non procul Ibero condidiſſe. vnde ipſi & poſteris cognomen. Rex Toletum profectus eſt ad regni conuentus: ad quos proceres tota ditione vocati erant. vbi de reipublicæ ſtatu diſputatum, qui iniuria temporis vehementer perturbatus erat: de oppidis & vrbibus, quæ nondum deditæ erant, recuperandis. Hoc anno continuis imbribus inflati amnes. Toleti Tagus ſuperatis ripis ad D. Iſi-
1169 dori excreuit, die Februarii vigeſimo. Proximo anno milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, quod raro contingit, ea vrbs terræmotu concuſſa ſexto Idus Februarii: anxiis ex eo ciuium mentibus, nouaſque præſagientibus calamitates.

Alfonſi Caſtellæ Regis nuptiæ. CAPVT XI.

FERDINANDVS Legionenſis Rex, Vrracam Alfonſi Portugaliæ Regis filiam ſuperioribus annis vxorem duxerat: vnde Alfonſus natus eſt is, qui patri in regno Legionenſi ſucceſſit. Vrraca ipſa, quod cognatione deuincta eſſet, à viro repudiata. Hæc via diſſoluendis coniugiis inuenta erat, oſtenſione inter coniuges nata. nondum enim interpretando ſibi quiſque leges de matrimoniis aptas faciebat, neque venia Pontificum ſoluebantur. Ex hoc repudio graues ſimultates inter ſocerum & generum exortæ ſunt, multæ vltro citroque clades acceptæ & redditæ. Ferdinandus cum vrbes & oppida ſuperiorum temporum iniuria vaſta inſtauraret, aut ædificaret denuo: Bletiſam prope Salmanticam, Ledeſmiæ nomine indito: Granatam prope Caurium: præterea Beneuentum, Valentiam ad Ouetum, Viſſalpandum, Manſiliam Maiorigam: præter has perfugæ cuiuſdam Luſitani conſilio Ciuitatem Roderici, quæ olim Mirobriga dicta eſt, in regni finibus, qua parte à Portugalia dirimitur, extruxit inſtar firmiſſimi propugnaculi: vnde impetus Luſitanorum frangebantur, & omnia circum infeſta hoſti faciebat. Ab his initiis cœpta ſimultas in graues deinde inimicitias exarſit. vnuſque Ferdinandus duorum Regum arma prouocare ſuſtinereque non dubitabat, magno & excelſo animo: quamuis ſuauiſſimis moribus, ſimplici, liberali, mitique ingenio. Alfonſus Caſtellæ Rex ineunte ſalutis anno mil-
1170 leſimo centeſimo ſeptuageſimo Burgos abiit: vbi Caſtellæ conuentus habiti ſunt. In his conuentibus, quoniam Rex ætatis annum quindecimum attigerat, patris teſtamento legitimum, deſignatumque dedendis vrbibus, de ea re diſceptatum: magnoque procerum conſenſu bellum decretum, tum aduerſus proceres, niſi Regis voluntati obtemperarent: tum aduerſus Ferdinandum patruum, qui regni partem non exiguam præſidiis occupatam tenebat. & hoc quidem bellum propter alias difficultates diu dilatum eſt. Proceres ne perduellionis rei eſſent, arces & oppida, quoniam nulla cauſſa excuſabat, Regi tradiderunt. In primis Ferdinandus Caſtrius: tametſi Regis voluntati diffiſus, proceribus infenſis, & aduerſaria factione rerum potiente ſolum vertere conſtituit, atque patria publice abdicata, quod Hiſpanorum moribus receptum erat, ad Mauros confugere. cum dictitaret tolerabile exilium fore, præſertim innocenti, vbi nulla adiuncta eſſet turpitudo. effecturum ſe vt quem amicum habere nollent, hoſtem infenſum experirentur. Læſa ſæpe patientia mentes in furorem agit. & Ferdinandus multis iniuriis, vt præ ſe ferebat, violatus multa incommoda Chriſtianis inferre non deſiſtebat. Actum præterea in Burgenſi concilio de Regis nuptiis: quoniam ætas matura, & ſobolis regiæ procreandæ potiſſima cura erat. Henricus eo nomine ſecundus Angliæ Rex potentiſſimus imperio Andegauos & Nortmannos in Gallia, & Angliam Vniuerſam complectebatur: dotiſque nomine Eleonora vxor Aquitanos & Pictauos ad imperium adiunxerat, vt eſt ſuperius indicatum. Huius filia Eleonora lectiſſima puella regiis nuptiis, ſi patri placuiſſet, deſtinabatur. Alfonſus Aragoniæ Rex, propinqui Regis, ac ferme æqualis, inuiſendi cupiditate ad S. Facundi oppidum venit. ibi fœdus inter vtranque gentem factum. Reges ambo Iunio menſe dimidiato Cæſarauguſtam abierunt. Inde legatio honorifica in Galliam miſſa vxoris petendæ cauſſa. Legationis Princeps Cerebrunus præſul Toletanus erat. comitabantur Raymundus Palentinus, alii Præſules & proceres magno numero. Ii Burdigalam appulſi, vbi Regina Angliæ cum filia erat, facile rem pro qua venerant impetrarunt. Stipulatæ nuptiæ. puella miſſa in Hiſpaniam, deducentibus non modo proceribus, qui ab Alfonſo Rege miſſi erant: ſed etiam ad comitatum adiuncti ſunt Bernardus Burdigalenſis Præſul, aliique viri principes ex Gallia. Interea inter vtrunque Regem fœdus ſancitum eſt: quo ex fœdere vires vtriuſq; regni iungebantur aduerſus omnium Principum arma, vno Angliæ Rege excepto. nouæ id affinitati datum. fide vltro citroque confirmanda, vtrinque oppida in alterius poteſtatem tradita, vt obſidum loco eſſent. Aragonius Anagarum & Biguerram accepit. Alfonſus Caſtellæ Rex Hariſam & Daroeam, ea quoque tempeſtate

Aragoniæ ditionis. puella Regi deſponſa Turiaſonem deducta: qua in vrbe, vt antea conuenerat, auſpice Aragonio Rege ſponſalia menſe Septembri feſta lætitia confecta. arrhæ nomine magna Caſtellæ pars ſponſæ data: Burgi, Medina Campeſtris, aliaque magno numero oppida. præterea quæcunque Mauris ablata eſſent media ex parte. Rex puellæ pulchritudine captus erat: & ætate nondum matura profuſæ liberalitatis laude priores Reges ſuperare velle videbatur. Lupus Rex Maurus Murciam imperio obtinens Caſtellæ Regi fœderatus erat. (nam & Toletum per hos annos veniſſe inuenio) Regi Aragonio aduerſus eundem irato, armaque expedienti, cum vectigal pendere recuſaret. quod Raymundo patri dare conſueuerat, promiſſum eſt barbarum regulum in eius poteſtate fore: modo Mazemutibus factioni inter Mauros Lupo infenſæ, opem ipſe ferre deſiſteret. Ruebat barbarorum imperium per hæc tempora in partes diductum: ac in primis Murcia vrbs inteſtinis ſæpe diſſidiis tumultuabatur. Digreſſo Aragonio Rege, Alfonſi Regis nuptiæ Burgis incredibili apparatu, & concurſu hominum celebratæ ſunt. Abulenſium militum cohorti, quæ eatenus præſidii cauſſa Regem ſecuta erat, peracta ſolennitate miſſo præmium fuit. ciuitati Abulæ, quod fidem difficillimis reipublicæ temporibus eximie coluiſſet magna atque illuſtria priuilegia abs Rege data. Hiſce rebus peractis Toletum itum eſt. Quo tempore Rex Aragonius Valerii Martyris, quondam Cæſaraguſtani Epiſcopi caput Rota vbi ſeruabatur, Cæſaraguſtam referendum curauit, Guillelmo Pereſio Epiſcopo Ilerdæ atque Rotæ in Regis gratiam concedente. Garſendis Bearnæ Princeps patre fratreque defunctis, maiorum exemplo in Regis Aragonii verba iurauit. ac nominatim inſtaurato fœdere cauebatur, ne cuiquam nuberet, niſi ex Regis voluntate. Epiſcopi Bernardus Oloronius, & Guillelmus Laſcarius eius nomine rem tranſegerunt. Quidam exiſtimant eam Guillelmo Moncadæ, viro in Catalaunis principi, atque Seneſcalo vxorem datam fuiſſe. quod quoniam certis argumentis confirmari non poteſt, malumus in aliorum id ſuſpicione relinquere, quam in hac narratione pro vero ponere.

Fœdus contra Petrum Aſagram. CAPVT XII.

INTER pacis ſtudia haudquaquam res bellicæ, ſine cura erant: ac Maurorum præſertim reliquiæ Aragoniis armis exagitabantur: vix vti eſſet vbi pedem tuto ponerent. In Edetania veteri ad Algæ fluminis ripas, Fauara, Maella, Freſneda, aliaque oppida ſecundo bellorum curſu barbaris erant ablata. ad hæc Caſpe validum ab Iberum municipium. Montis Idubedæ pars ſupererat in Edetaniæ & Celtiberiæ confinibus. nam locorum munitione confiſi Mauri, magno numero ſe in eo tenebant. noſtris propter locorum aſperitatem acceſſus erat difficilis. virtute difficultates omnes ſuperatæ: noſtrique ex iis locis hoſtes deturbarunt. Turulis oppidum in poteſtatem venit. Mauricum ea parte imperium Valentini agri finibus terminatum. Quo tempore Petrus Aſagra Roderici filius, (is Stellæ Princeps erat, vt eſt ſuperius indicatum) cum Lupo Murciæ regulo operam nauaſſet, eique vehementer eſſet conciliatus: vrbem Albarracinum in arduo atque præcipiti monte poſitam ad Tagi fluminis fontes, eius dono accepit. Vrbi quo maior eſſet auctoritas à Iacincto Pontificis Legato & Cerebruno Toletano Præſule, cui noua eccleſia eſt contributa, Epiſcopus datus Martinus nomine: cui deinde Epiſcopo Segorbium Innocentii quarti Pontificis Maximi, & Alexandri quarti ſucceſſoris conceſſu contributa eſt, quo tempore in Chriſtianorum poteſtatem eſt redacta Caſtellæ & Aragoniæ Regum animi offenſi Petro erant: cum Aragonius Albarracinum vrbem ad ſuam ditionem pertinere diſputaret, Petrus tanquam ſui iuris in nullius Principis verba iurare vellet. Caſtellæ Rex conquerebatur in Caſtellæ finibus arces aliquot à Petro occupatas. impotentis hominis ſuperbiam communibus armis atque auſpiciis edomandam videri. eo fœdere confirmando oppida vtrinque obſidum loco data ſunt. Aragonius Agredam, Cerueram & Aquilariam. Caſtellæ Rex Arandam, Borgiam & Arguedam accepere. Cautum præterea, vt Hariſa cum arce Regi Caſtellæ redderetur, vti ſuperiori fœdere continebatur, haud ſyncero animo. cum enim Nunnii Sanctii induſtria, Regis Aragonii iniuſſu reddita eſſet, magnorum diſſidiorum cauſſa extitit, tametſi alienati tantum animi ſunt: nec vltra verba proceſſum. Ex iis tamen diſſidiis Petri Aſagræ vires confirmatæ: cum neutris armis impeteretur, & Aragonius Rex, ſpreta Caſtellæ affinitate, quam pater pepigerat, ad externas nuptias reſpicere cæpit, miſſa ad Emanuelem Comnenum Imperatorem legatione, filiam vxorem expetitum. Erat præterea Aragonia turbata Hugonis Ceruellonii Præſulis Tarraconenſis caſu, quem iura eccleſiæ ſuæ tuentem Guillelmus Aquilonius peremerat anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo, Aprilis die vigeſimo ſecundo Roberti fi- 1171

lius is erat, qui Oldegarii Præſulis dono Tarraconis principatum quondam obtinuit: & propter virium imbecillitatem Raymundo Barcinonenſi Regis patri tradiderat, vectigalium parte retenta. Ex ea re Guilielmus filius maiores ſpiritus induens, quam pro præſenti fortuna, tantũ facinus deſignare auſus eſt. Hugoni Petrus Tarrogius ſucceſſit Præſul Cæſarauguſtanus. Fuit is annus inſignis Thomæ etiam Cantuarienſis in Anglia ſimili de cauſſa cæde. Occiſi iniuria nomen Alexander III. Romanus Pontifex faſtis addidit. Ea religione in Hiſpania ſuſcepta Toleti in templo maximo, ſexto non amplius ab obitu anno, altare Thomæ nomine conſtitutum conſtat, Alcabonis prædiis a Nunnio Comite & vxore Theraſia in eius cultum attributis. quod Martyris ſanctitati, ſed & Reginæ eius gentilis gratiæ datum fuiſſe iudicatur. Id altare magnæ coniecturæ indicant extitiſſe, quo nunc loco ſacellum D. Iacobi nomine, Magiſtri equitum Aluari Lunæ nobile monimẽtum ex-
1172 tat. Lupus Murciæ regulus defunctus eſt anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo. ea res Aragonii Regis animum excitauit, vt barbaris eo tractu arma inferret: cum ſperaret regulo magni nominis ſublato, cæteros euerti poſſe. Valentini primum tentati. cum vis pararetur, Valentiæ Rex pacem auro redimere, annuumque vectigal, quod pendere conſueuerat, duplicatum polliceri compulſus eſt. Verſa mox in Murciam arma: Setabiſque præcipua ea tempeſtate vrbs obſidione cincta. victoria ferme parta, Regem in patriam reuocauit bellum a Vaſconibus illatum incommodiſſimo Reipublicæ tempore. ſed ſolent homines magis priuatæ vtilitati, quam religioni aut officio ſeruire. Induciæ tantum cum nouo Murciæ Rege factæ, vectigali pacto, quod pater pendere conſueuerat. Vaſconibus obuiam itum. iuſto prælio dimicatum non eſt, cum vterque Rex totius certaminis aleam, in cuius euentu ſalus publica vertebatur, ſubire detrectaret. Qua ſane parte Tudela ſita eſt Aragonius in Vaſcones irruit: Arguedamque oppidum redegit in poteſtatem. ager vaſtatus. prædæ abactæ. hæc in exitu anni peracta. Anno ſequenti, ab or-
1173 tu Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, bellum denuo comparabatur. Milagrum municipium, Calagurrim inter & Alfarum euerſum Aragoniis armis. quoniam inde tanquam ex arce multa damna Aragoniis finibus inferebantur. Id oppidũ conſequenti tempore fuiſſe inſtauratum, noſtra ætas documento eſt. Obiit Petronilla Regis mater Barcinone Octobris die tertiodecimo. Initio conſequentis anni, Ianuarii menſis octauodecimo die, Cæſarauguſtæ tandem nuptiæ Regis Aragonii & Sanctiæ, quam puero pater deſponderat, celebratæ ſunt: mutataq; voluntate Caſtellæ Regum affinitas, qua multæ aliorum Regum propinquitates continebantur, externis nuptiis, in quibus parum præſidii erat prælata. Auctor (vt arbitror) Iacinctus Pontificis Legatus. nam nuptiarum celebritati interfuiſſe dubium non eſt. Græci Imperatoris filia vno ferme tempore Mompellerium in Galliæ Narbonenſis parte appulſa, eius vrbis Principi nupſit, haud ſatis æquâ commutatione.

Initium militiæ Diui Iacobi. CAPVT XIII.

PER hæc tempora milites ii, qui D. Iacobi nomen inſigne præferunt, celebrari cœperunt. quæ res admonet, vt de principiis eius militiæ, & quibus modis ab humili ducta, in hanc amplitudinem creuerit, regiæ æmulam, & formidabilem aliquando, compendio exponamus. Quo ex tempore D. Iacobi Apoſtoli ſepulcrum vbi eſſet cognitum eſt, eius loci religio non tota Hiſpania modo, ſed etiam apud externas nationes propagari cœpit. multi toto orbe mortales conueniebant: plures alios itineris difficultas propter locorum aſperitatem ſterilitatemque deterrebat: & Maurorum incurſiones, à quibus multos in captiuitatem agi nunciabatur. D. Eligii Canonici ſacerdotes, quo tempore haud ſatis cõſtat; ſed conſequenti tamen ætate, iis malis occurrere cupientes, multis locis toto eo itinere, quod ad Galliam pertinet, domicilia conſtituère peregrinis excipiendis: in quibus quod in ſuburbio Legionenſi D. Marci nomine ædificatum eſt, principem locum habuit. Eo pietatis officio non plebis tantum animos, ſed etiam Principum voluntates conciliarunt. vnde magnis opibus & vectigalibus aucti tunc ſunt: & poſtmodum eorum exemplo nonnulli viri militares in Caſtella nobiles atque copioſi, in ſtudio Chriſtiani nominis amplificandi perſtiterunt, priuatis rebus in commune collatis. Ii per hęc tempora Iacincti Cardinalis induſtria, cum D. Eligii, qui domicilium prope Compoſtellam habent, Canonicis vires ſociare certi, Romam profecti ſunt: vt Pontifici Alexandro vitę genus probarent, quod inſtituere cupiebant ad D. Auguſtini normam, quam D. Eligii Canonici amplexi erant. Petrus Fernandus à Ponte Encalato, eius legationis princeps, diploma à Pontifice abſtu-
1175 lit tertio Nonas Iulii, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, quo militib: viuendi

ratio

ratio præſcripta eſt, & optimis inſtitutis temperata. Ad id vitæ genus, fœminæ etiam admittuntur coniugii ſublata facultate, niſi conſenſu Magiſtri. Ex omni militũ numero tredecim omnino viros deligere iuſſum, qui à Magiſtri latere non diſcederent: & cũ eo quotannis loco deſignato conuentus generales agerent. multa alia præterea conſtituta ſunt, quæ commemorare longum eſſet. Petrus ipſe Fernandus eius militiæ primus ſcilicet Magiſter creatur. Inſigne militibus in veſte candida crux rubra in gladii militaris modum conformata. Domicilio Xenodochium D. Marci nomine Legione deſignatum. amplæ poſſeſſiones in Caſtella & Legione hac ipſa tempeſtate erant, oppida & arces non paucæ. in his Vrceſia, Mora, Eſtriana, Almodaua, Larunda, Vicus cuminarius, cui iam Vico Zanzæ nomen erat, vt diploma Pontificum declarat. Accidit conſequenti anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, vt Alfonſus Caſtellæ Rex ætate confirmata, certuſque eas iniurias vindicandi, quæ à Vaſconibus & Legionenſibus annis prioribus erant illatæ, bellum compararet. vota priuſquam proficiſceretur Toleti nuncupata. oppida Illeſcæ (nam ad Regis ditionem redierat) & Hatagnia Toletano templo donauit, menſe Iulio: vt bellum quod inferre parabat, felici exitu concluderetur Diuos indigetes precatus. Cum magnis copiis in Riuogiam ad Iberi ripam penetratum. quid præterea rerum geſtum ſit ignoramus; niſi quod Vaſconibus mulctatis, ſatis conſtat arma in Legionenſe regnum conuerſa: vaſtatos agros, capta, direpta, incenſa oppida: cum Rex patruus viribus inferior eſſet, & prævalidi iuuenis congreſſum declinaret. In nouos Diui Iacobi milites Regis Legionenſis conuerſa rabies: quoniam eos Caſtellæ Regi veteri domino fauere ſuſpicabatur. omnes regno expulit. in Caſtellam illi migrarunt. Regem Ferdinandum breui pœnitentia ſubiit: tanto præſidio regnum haud ſatis idonea cauſſa nudaſſe: neque mutare tamẽ potuit: tametſi viris ſanctis & proceribus annitentibus, quodam induciarum genere, tũ quidem ab armis diſceſſum eſt. Hæc habebamus, quæ de initiis eius ordinis litteris mandarentur, pauca pro dignitate, pro ſuſcepti operis modo nimis multa. neq; ignoramus quoſdam vetuſtiorem originem deſignare: alios ab Alfonſo Caſto: à Ramiri ætate alios. Nimirum vtroſque decepit eius militiæ illuſtrandæ ſtudium. nam diploma, quod ante centum amplius annos virginibus ſacris, quæ Salmanticæ à Sancto Spiritu nomen habent, conceſſum profertur, falſi ab eruditioribus accuſatur: quibus argumentis explicare non attinet: res ſe ipſa prodit, ſiue ſtylum expendenti, ab eorum temporum ruditate abhorrentem: ſiue annos numerandi ab ortu Chriſti rationem conſideranti, nondum per hæc tempora in Hiſpania ſuſceptam. Verum hæc miſſa facimus. In Gallia inter Aragonium Regẽ & Toloſatem Comitem, ex magnis motibus pax facta eſt. dolebat Toloſas filii nuptias interceptas. Prouinciæ comitatum, tanquam ſui iuris antiqui, dotalemque recens, repetebat armis, quoniam iure & legibus non ſperabat. argenti pondo duo millia, vt cauſſa diſcederet, abs Rege pacta promiſſaq;. Trẽcauelli Carcaſonis Vicecomitis ſoror Beatrix nomine Toloſatis Comitis filio nupſit. nam vt Raymundi Berengarii Prouinciæ Comitis ante annos decem defuncto, filiam vxorem daret expetenti, Aragonius Rex adduci non potuit. fœderis præcipuus auctor & internuncius Hugo Gotifredus Templariorum militum Magiſter.

1176

Concha vrbs à noſtris capta. CAPVT XIV.

Ex diuturna calamitate oculos attollere Alfonſi Regis virtute, & quaſi ex altiſſimis tenebris lucem reſpicere Caſtella cœperat: Maurorum vires debilitati, atque conſeneſcere. Almohadum factio, Africæ motibus diſtenta, reb. Hiſpaniæ conſulere non poterat: eo magis, quod defuncto ſuperioribus annis Abdelmone noui imperii conditore; Abenjacob filius, eius gentis imperium ſuſceperat, haud pari virtute felicitateque. Ex vtraque re belli ſacri inſtaurandi maiori conatu, opportuna occaſio ſeſe dabat. Noſtri hactenus aut imbecilla Regum ætate, aut inteſtinis prouinciæ motibus impediti, Chriſtiani nominis dignitatem non ſatis reſpicere videbantur. Alfonſus Caſtellæ Rex ætatis acceſſu, in eam curam primus incubuit: vindicatiſque ſuperiori bello Vaſconibus, atque Legionenſibus, cum Aragonio Rege belli Maurici ſumendi conſilia communicare conſtituit. Ventum in colloquium. & qua parte barbari bello petendi eſſent, diſceptatum eſt. Concha vrbs prævalida proponebatur in Celtiberiæ finibus, Maurorum opera ædificata (nam in imperio Romano Gothicaque hiſtoria, nulla de ea vrbe mentio extat) in arduo & prærupto colle: quem dextra læuaque Sucro Veroque amnes ſtringunt altiſſimis rupibus: prorſus vt natura loci inexpugnabilis ſit. aſcenſus difficilis, arctæ viæ, arduæ, equiti plerunque inacceſſæ; ac vix pediti peruiæ. Intra oppidum iugi aqua nulla ea tempeſta-

te vtebantur: noſtra ætate ex vicinis montibus perennes fontes in plateas deriuarunt. Itaque aqua prohiberi poterat. cingi obſidione propter locorum aſperitatem non poterat. Hanc vrbem, quoniam Mauris inſtar firmiſſimi propugnaculi erat, primum oppugnare Regibus viſum eſt. delectus magni vtraque prouincia habiti. Duces nobiliſſimi genere factiſque, Præſules atque proceres magno numero Reges comitabantur. Petrus Burgenſis Epiſcopus, Ioſcelinus Seguntinus, Sanctius Abulenſis, Raymundus Palentinus, Gonſaluus Maragnonius Regis Caſtellæ Armiger, Ordunius, & Garſias Garzeſii. Petrus Aſagra cum vtroque Rege gratia ad tempus conciliata, cum ſua peculiari manu in vrbis conſpectum primus omnium venit. Ineunte anno vrbs eſt circunſeſſa. ſed neque loci natura patiebatur impetum in vrbem fieri: & Mauri tum ſua virtute, tum ſpe Africani auxilii, egregie propugnabant. Obſidio in multos dies ducebatur. neque multo minor in caſtris, quam intra vrbem annonæ anguſtia erat. Rapto tantum viuendum erat & præda, cuius facultatem locorum ſterilitas maligne ſuppeditabat. Pecunia in ſtipendium non erat: quare inuitati redemptores & dardanarii in caſtris verſari conſueuerunt. Rerum difficultate permotus Caſtellæ Rex Burgos maturauit, pecunia expedienda intentus. regni conuentus agitantur: curatumque, vt non modo plebei homines & proletarii, ſed etiam ingenui & immunes, quos vulgo Hiſpani Hidalgos vocant, quotannis quinos marauedines aureos (monetæ id genus eſt) regio fiſco inferrent. Populum tot vectigalibus exhauſtum belli ſumptibus imparem eſſe. debere eos patriæ caritate, ærarii inopia moueri, vt de veteri libertate, iureque concederent: quod maioribus deinceps commodis compenſaretur. Auctor conſilii Didacus Harus Cantabriæ regulus. Is ſuis viribus potens, & Regis Legionenſis propinquitate magnos ſpiritus gerebat. Ferdinandus enim Legionenſis, Vrraca Regina repudiata (vt ſuperius dictum eſt) Theraſiam Nunnii Laræ Comitis filiam, ſibi connubio iunxerat: & ea præpropere defuncta, Vrracam Lupi Hari filiam, ſororem Didaci, vnde Sanctius & Garſias nati ſunt. Didaci conatibus, Petrus Laræ Comes obſiſtendum exiſtimans, contracta nobilium manu raptim è conuentu diſceſſit, armis tueri certus partam armis ac virtute à maioribus immunitatem. ſe ſuperſtite haudquaquam paſſurum dictabat, nobilitatis opprimendæ, atque nouis vectigalibus vexandæ ab eo aditu initium fieri. Rex periculo permotus, ab ea cogitatione deſtitit. Petro vt pro nauata opera merces eſſet, nobiles inter ſe, ipſum quotannis & poſteros ſplendido conuiuio accipere decreuerunt: vt bonæ poſteritati monimentum id eſſet, ne quauis occaſione acceptæ libertatis ius imminui ferant. Dum hæc Burgis agitantur: nono obſidionis menſe Concha noſtrorum virtute capta eſt, menſe Septembri ipſo D. Matthæi feſto die, anno
1177 milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Qui annus non tantum huius expeditionis memoria inſignis eſt, ſed etiam Alexandri Pontificis virtute & felicitate, ſublato Romæ Pontificum diſſidio fauſtus. Innocentius enim, qui Victori ſucceſſerat, vltro pontificatu abiit. Fuit præterea Vaſconibus lætus natalibus Ferdinandi: quem Beatrix Regi peperit prole fœcunda. Nam prius Sanctium, deinde Ramirum, Berengariam, Theraſiam, Blancamque genuit. Capta vrbe quo maior eſſet auctoritas Ioannes Epiſcopus creatur: Valerię iuribus, vbi epiſcopatus Gothorum tempore fuerat, in eam vrbem conceſſu Romani Pontificis translatis. Ciuibus datum, vt ſuffragii ius in regni conuentibus habeant. Aragoniis virtutis pręmium fuit ſublata ſubiectio, qua Caſtellę Regibus, tanquam beneficiarii parere, atque in eorum verba iurare cogebantur. fœduſque inter Reges factum aduerſus principes omnes, vno dempto Legionenſi Rege: cui propter ſanguinis propinquitatem, is honos habitus eſt. Secundum Conchę expugnationem Alarconium oppidum, loci natura non minus firmum, venit in poteſtatem, continuato in Mauros bello ea parte conſequentibus annis. pręterea Eccleſiam eo tractu ſalis in rupis formam concreti, atq; pellucidi fodinis magis quam agri prouentu nobile municipium. Militibus S. Iacobi mandatum, vt commodiori ex loco Mauros impeterent, Vrceſiam domicilio deligere. vnde cum Ferdinandus Rex Legionenſis ſuccedente facti pœnitentia, eos in veteres ſedes reuocaret, quatuor ſacerdotes ea lege Legionem amandati ſunt, vt Vrceſiæ conuentui ſubiecti eſſent: quod illi imperium diſcreti Regibus conſtanter deinde repudiarunt: atque agitata diu cauſſa, Vrbani quinti auctoritate ita controuerſia eſt compoſita, vt vtrunque domicilium alterius imperio exemptum eſſet, atque militiæ Magiſtro tantum obtemperarent. admiſſi ii milites haud longo interuallo in Luſitaniam, opibus quamuis & oppidis aucti communi militiæ Magiſtro obtemperarunt: quouſque Dionyſius Luſitaniæ Rex nouo capite conſtituto, à Caſtellæ eos iure imperioque exemit. Hæc quamuis plures per annos geſta coniunximus rerum memoria iuuanda: nunc ad temporum ordinem redeamus. Omnino

Rex

Rex Alfonſus iis militibus Ocaniam, Oregiam ad Tagi ripam, aliaque oppida do-
no dedit. quemadmodum Maqueda, Azecha, Cogolludum, Zurita, Calatrauenſi-
bus ab eodem Rege dono data ſunt. Placentia vrbs in regni finibus conſtituta, & Epiſco-
pi iure illuſtrata: vbi Pagus antea erat Ambrocius nomine: quod nomen Placentiæ ap-
pellatione mutari placuit, ominis cauſſa quaſi diuis, & hominibus placituræ, & ex regio-
nis amœnitate, quamuis cæli ſalubritate non eadem. Toletana mœnia refecta. in Oreta-
nis oppidum Alarcus in edito colle ædificatum eſt. Anno hæc eius ſeculi ſeptuageſimo o- 1178
ctauo agebantur. Quo tempore Alfonſus Aragonius Rex Ruſcinonenſem comitatum ob-
tinuit, Gerardo Comite ſine prole defuncto: cœptque in publicis tabulis Aragoniæ Rex,
Barcinonis, & Ruſcinonis Comes, Prouinciæ Marchio vocari. Conſequenti anno mil-
leſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Martii menſis die vigeſimo, Perpiniano profectus 1179
ad Cazolam oppidum abiit, eius & Caſtellæ Regis colloquio deſignatum. In eo congreſ-
ſu, quoniam de bello Mauris inferendo controuerſiæ natæ erant, ſancitum: vt Aragoniis
armis Valentia, Setabis, Dianiumque cum ſubiectis agris oppugnarentur, caperenturque
de Mauris: cætera Maurorum oppida & vrbes in Conteſtanis, Caſtellæ Regi relinque-
rentur impugnanda. Contra Sanctium Vaſconum Regem arma ſociata, magno eius in-
commodo, nam Caſtellæ armis Viruesca, Cereſum, Lugrunium, aliaque oppida ab Au-
cæ ſaltu Calagurrim vſque capta. Rodericus Præſul Nauarretum adiicit: quod alii op-
pidum ea tempeſtate negant ædificatum. nobis Roderici auctoritas potior eſſe videba-
tur. Inde arma in Legionenſes verſa ſunt. vaſtati agri. capta direptaque oppida. præ-
dæ abactæ. Legionenſis Rex viribus impar Aragonium litteris & nunciis ſolicitare non
deſiſtebat. Conchenſe fœdus a Caſtellæ Rege violatum, ad eius dignitatem pertine-
re, ferocis iuuenis ſpiritus frangi: ne potentia auctus, cæteris exitio eſſet. Miſſi Be-
rengarius Ilerdæ Epiſcopus, atque Raymundus Moncada, Hariſam oppidum & ar-
cem reddi poſtulatum. ſi nihil verbis impetraretur, bellum denunciare iuſſi. Ingen-
tis belli moles, terrorque mortalium animis proponebatur, tot Regum armis vnò
tempore concitatis. Caſtellæ Regis modeſtia, parata clades diſcuſſa, Hariſa Arago-
niis reddita, atque Legionenſi bello relicto: cum ſibi videretur ſuperiores iniurias e-
gregie vindicaſſe.

Alfonſus Portugaliæ Rex à Legionenſi captus. CAPVT XV.

LEGIONENSIVM animi à Ferdinando Rege ſuo erant alienati: videbanturque oblata opportunitate odium effuſuri, quod diu conceptum continuerant, nouis exactionibus feſſi, & Regis acerbitatem ægrè ferentes. alios priuatim aliæ cauſſæ incitabant: atque in primis dolebat Salmanticenſibus, Ledeſmia abs Rege inſtaurata, agri partem interceptam. Itaque, cum bello ſuperiori eſſet implicitus, principes ex omnibus à Regis auctoritate rebellarunt. præcipuus ſeditionis concitator Nunnius Rauia bello delectus eſt Dux. (Regem Lucas nominatum ait.) Abulenſes, cum quibus vetus neceſſitudo erat, de re tota appellati, auxilia miſerunt. Rex Ferdinandus, ne malum ſerperet, continuo tumultuantibus occurrit. ad Valdemuſam collatis ſignis dimicatum eſt. victi factioſi ſunt atque profligati, amiſſis etiam caſtris. Captus Nunnius Rauia Dux, de eoque more militari ſupplicium ſumptum. reliqui ex ferocibus paulo ante, mox obedientes fuere. Nihil enim in vulgo modicum, aut terrent, aut pauent. Vrbs ipſa Salmantica in poteſtatem redacta. Inde Zamoram itum, quoniam nouarum rerum ſtudio concitati nunciatum erat. rebus ea compoſitis conquieuit, alieno exemplo pœnaque cautior. Ramiri Regis eo nomine tertii, corpus Deſtriana Aſturicam tranſlatum: atque in templo maximo commodiori ſepulcro compoſitum eſt. His motibus pacatis, Mirobrigæ tuendæ cura ſolicitabat, obſeſſæ à Ferdinando Caſtrio cum magna Maurorum manu. ope Diui Iſidori, cui res noſtras curæ eſſe perſuaſum erat, barbari a Ferdinando Rege acie victi, cæſi, fugatique ſunt. Finitimi Portugaliæ fines eodem victoriæ curſu vaſtati. Quod caput erat, & ardentiſſimis multorum votis expetebatur, Ferdinandus ipſe Caſtrius Regis diligentia ad ſanitatis conſilia reuocatus eſt: vt ipſi potius aduerſus Caſtellæ Regem, quam barbaris militaret. oblatam ille conditionem accepit. & vt erat viuido ſpiritu, & ſcientia militari inter paucos excellens, continuo nauandæ operæ cupidus, cum Legionenſium manu in Caſtellæ fines irruit. In Gothorum campis ad oppidum Lubricale, hoſtium copias obuiam factas prælio vicit. multi proceres capti. in his Nunnius ipſe Laræ æmulus. quos benigne comiterque apud ſe habuit: atque inſigni modeſtiæ, atque humanitatis laude parta liberos in patriam dimiſit, fidem mo-

do amicitiamque iuratos. priori ipſe vxore repudiata, Stephaniam Ferdinandi Regis ſororem connubio ſibi iunxit. & qui genere, & factis clarus erat, regia propinquitate nobilior euaſit. ex hoc coniugio Petrus Caſtrius eſt natus, de quo mentio deinceps recurret. Excepit bellum Luſitanicum. Alfonſus Portugaliæ Rex, quamuis ætate graui atque præcipiti, belli curam nunquam intermittebat, in affecto corpore vegetum animum retinens. ægre ferebat Mirobriga in regni finibus à Ferdinando inſtaurata, compedes iniectos Luſitaniæ: arcemque conſtitutam, vnde impune prouinciæ agri vexari poſſent. Validum exercitum conficit: Sanctioque filio mandat Mirobrigam iis copiis obſidere. victoriam ſibi certo pollicebatur: quod Legionenſis Rex vno tempore Caſtellæ armis, vt paulo ante dictum eſt, & inteſtinis motibus premebatur. Ferdinandus in ſummo periculo decoris tenax, quantumq; præſidii decederet ea vrbe ſublata nō ignarus, cum copiarum parte Luſitanis occurrit. ad Arraganaliam oppidum pugnatum eſt. Luſitani victi. alii cæſi fugatiue: alii capti, quos omnes liberos in patriam miſit. Alfonſus Luſitaniæ Rex ea clade nunciata, collectis ſuorum copiis in Calæciæ fines inuectus Limiam, Turoniam, aliaque oppida eo tractu expugnauit. aucto deinde exercitu in vindictam præceps Pacem Auguſtam tentare conſtituit: quæ vrbs quoniam in Ferdinandi fide erat, tametſi à Mauris obtinebatur, ad ſuam auctoritatem pertinere iudicans, ne in periculo deſereretur, auxilio accurrit. Luſitanus magna iam vrbis parte capta, ferro cum Legionenſibus decernere auſus, victus acie & in vrbem vnde prodierat, reiectus eſt. Tutum perfugium non erat, victum vrgentibus hinc Mauris, qui editiorem vrbis partem obtinebant, inde Ferdinando. fuga euadere conatus, crure altero in diſceſſu ad portæ vectem afflicto, ex equo præcipitatus, captuſque ab hoſtibus, in Ferdinandi poteſtatem venit. Humaniſſime accepto curam ille omnem exhibuit, non ſecus ac parenti Regiq;. ſanitati redditum in patriam dimiſit, pro ea humanitate paratum regnum vniuerſum eius arbitrio permittere, leges & magiſtratus accipere: quam Ferdinandus conditionem repudiauit, iis tantum receptis oppidis quæ in Calæcis paulo antea ablata erant, ſatis magnū victoriæ fructum exiſtimans moderationis atque humanitatis laudem. Conchæ Ioanne Præſule defuncto, Iulianus in eius locum ſubrogatus eſt, vita eruditioneque admirandus. Is Burgenſis patria, concionando magnam Caſtellæ partem peruagatus, multum in vtraq; gente profecerat: magnamq; ſibi laudem ex ea profeſſione pepererat, qui illi ad epiſcopatum gradus extitit. Vrraca Vaſconum Regina Imperatoris filia, poſt viri obitum Aluaro Roderico nupſerat viro in Caſtella principi: nullaque ex eo coniugio prole ſuſcepta, extincta hoc anno eſt menſe Auguſto. corpus Palentiæ in templo maximo conſtitutum hac inſcriptione eſt. HIC REQVIESCIT DONNA VRRACA REGINA NAVARRÆ, VXOR DOMINI GARSIÆ RAMIRI: QVÆ FVIT FILIA SERENISSIMI DOMINI ALFONSI IMPERATORIS HISPANIÆ, QVI ALMERIAM OBTINVIT. OBIIT XII. OCTOBRIS, ANNO DOMINI M. C. LXXXIX. Sic inſcriptio. Verum nos in ratione temporum annales Toletanos ſequebamur. Anno pro-
1180 ximo milleſimo centeſimo octogeſimo, tertio Kalend. Octobris Ludouicus Galliæ Rex eo nomine ſeptimus Lutetiæ extinctus eſt, ſucceſſore Philippo eius filio, cui Auguſto cognomen fuit. In Cantabriæ ea parte, cui Alauæ nomen eſt, Victoria prouinciæ caput extructa eſt, Sanctii Regis Vaſconum opera, loco vbi pagus erat Gaſteiſum nomine. mutatæ appellationis occaſio (neque enim nulla fuit) clam eſt. Tarracone conuentus Epiſcoporum habitus. In eo conuentu tum de multis aliis deliberatum: tum lege ſancitum, ne quod eatenus ducta ex antiquo conſuetudine obſeruabatur, in publicis tabulis Frācorum Regum nomen, & regni eorum annus adſcriberetur. Cerebruni Toletani Præſulis obi-
1181 tus anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo, conſecutus eſt, ad quartum Idus Maii: ſucceſſit Gonſaluus eo nomine primus, præſtanti vir animi magnitudine.

Alfonſus Portugaliæ, & Ferdinandus Legionis Reges, defuncti.

CAPVT XVI.

ALFONSI Luſitaniæ Regis expeditione in Mauros, tametſi ipſi incommode cecidit, documentum datum Pacem Auguſtam capi à noſtris poſſe. eam occaſionem Ferdinandus Legionenſis Rex, quoniam ipſi iuris erat, omittendam nō iudicabat, alioqui quietis impatiens, ingenioque cum ætate ardentior, & militari diſciplina, quam pacis artibus melior. Zamora, quo ſe contulerat dimiſſo Rege Luſitano, nouis copiis inſtructus, atque ad id bellum profectus Pacem Auguſtam cepit. Captæ vrbi, quoniam à Mauris incolebatur, neque

tur, neque promptum erat noſtram Chriſtianorum coloniam deducere, aut militare præ-
ſidium collocare, Abenabelus Maurus eſt præfectus. barbaris fides ex fortuna pendet,
neque religioni ſeruiunt niſi coacti. breui ergo à Ferdinandi auctoritate defecit: & Al-
mohadum auxiliis aduocatis, non eius vrbis poſſeſſione contentus, iuſto comparato ex-
ercitu in Legionenſes primum fines irruit. vaſtata, direpta, ablata, quæcunque obuia eo
tractu fuere. belli mox impetu in Luſitaniam verſo, Alfonſum Regem incogitantem & à
rebus omnibus imparatum, intra Scalabim circumſedit. Ferdinandus Legionenſis, ſuas
iniurias vindicandi cupiditate ardens, & ſoceri Regis periculo, quem ſemel tuendū ſuſ-
ceperat, permotus contractis raptim copiis, Mauris ſucceſſu ferocientibus occurrit. atq;
illi quidem continuo fugam arripuerunt, vtriuſque gentis viribus impares: Rex Luſitanus
cum initio ſuſpicatus eſſet Ferdinandi voluntatem commutatam, neque minus ab eius po-
tentia quam a barbarorum armis ſibi metueret: re cognita, ex ancipiti metu recreatus eſt.
Ferdinandus ingenti gloria parta, & ſpoliis Mauricis onuſtus rediit in patriam, ipſo ſalutis
anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo. Quo anno Romanam eccleſiam Lucius eo
nomine tertius, Alexandri tertii ſucceſſor gubernandam ſuſcepit. Ab hoc Pontifice Car-
dinalem quendam, cuius nomen non proditur, Legatum memorant cum poteſtate in Hiſ-
paniam, pacis componendæ cauſſa inter Reges Chriſtianos: qui fatali diſcordia ſciſſi, at-
que inter ſe odiis decertantes haud magna ſæpe occaſione impiæ gentis opprimendæ ma-
gnas opportunitates negligere videbantur. Aragonius Rex, cum Compoſtellam religio-
nis ergo petere decreuiſſet, Legatum in Caſtellam ſecutus eſt, in eandem pacis curam in-
tentus: & alioqui glorioſum exiſtimabat ſe arbitro concordiam inter Reges ſanciri. Itaq;
eo potiſſimum diſceptatore pax compoſita fineſque ſingulis Regibus deſignati, quibus di-
tionem terminarent, & qua parte Mauros oppugnare atque pro ſe quiſque, quas eorum
vrbes, oppida, arces (de quo non minima concertatio erat) imperio ſubiugare deberent.
Aragonius Rex non pacificatoris modo, ſed etiam modeſtiæ laudem tulit, cui ex Mau-
rico imperio tractus ille deſignatus tantum eſt, qui Aragoniæ Valentiam pertinet. tametſi
Petrus eius filius, cum iniuriam ſibi factam hoc fœdere quereretur, Illicim vſque, quæ no-
ſtris Alicante eſt, oppugnationis Mauricæ fines Aragoniis prolati. Cæteri Reges, quibus
finibus diiudicatum eſt, imperium libenter terminarent, vno dempto Rege Nauarræ: qui
cum ſe magnis iniuriis ab Alfonſo Caſtellæ Rege violatum ferret, vt in commune gentis
fœdus conſentiret indici non potuit. Hoc ſancito fœdere tranquilla, aut modice laceſſita
pax inter Chriſtianos in Hiſpania tenuit. Maurorum fines laceſſebantur. Luſitanus Rex
inter bellicos tumultus Chriſtianæ pietatis memor, ipſe quidem ex promontorio Sacro,
quo ea de cauſſa, vt præſens locum luſtraret, ſe bis contulit, D. Vincentii Martyris oſſa O-
liſiponem in templum maximum transferenda curauit, atq; perfecit anno milleſimo cen- 1183
teſimo octogeſimo tertio: Sanctium autem filium in Tranſtaganos, vt limitibus præeſſet
amandauit. Ille ætate feruens, & ſtudio gloriæ elatus cum ſuorum manu in Bæticam pe-
netrauit: fineſque Maurorū longe lateque Hiſpalim vſque vaſtauit. Hiſpalenſes eius igno-
miniæ depellendæ cupiditate obuiam progreſſos prælio fudit. Ilipa, quæ hodie Niebla eſt,
à noſtris obſeſſa expugnari tamen non potuit: cum validis Maurorum copiis Pacem Iuli-
am in Luſitaniæ finibus obſideri nunciatum eſſet. Sanctius enim ſuorum periculo per-
motus, ne dum aliena captat, ſua prodere videretur, atque ex ea re reprehenſionem incur-
reret vnde laudem captabat, Ilipæ obſidione ſoluta auxilio accurrit. victi barbari ſunt,
compulſique ex ea vrbe diſcedere. Sanctius tantis victoriis clarus, Scalabim triumphan-
tis in modum iniit. & erat vno tempore nunciatum, Almohades Abeniacobo Rege du-
ctore ingentes copias in Luſitaniam comparare. Ab ea gente celerius opinione ipſa vrbs
Scalabis circumſeſſa. Alfonſus Rex Luſitanus, tametſi ſenio grauis & crure altero ex quo
ad Pacem Auguſtam fregit, debilitatus erat, prorſus vt curru vteretur, cum equo non
poſſet: militibus ex omni prouincia ad ſigna vocatis Scalabim feſtinauit. commiſſa pu-
gna haud par Maurus Luſitano fuit. à fronte pater filius vrbe egreſſus à tergo vrge-
bant. magna cædes facta, fuga maior fuit. Rex ipſe barbarus lethali in prælio vulne-
re inflicto, cum fugæ ſtudio Tagum ea parte vorticibus rapidum aquis copioſum tra-
naret, flumine hauſtus eſt, anno milleſimo centeſimo octogeſimo quarto. Suc- 1184
ceſſit in vtroque imperio Africæ, atque Hiſpania Abeniuzephus frater. Ingens vi-
ctoria fuit, magna tota Hiſpania gratulatio verum ne lætitia ſyncera eſſet, Armen-
gaudi Vrgeliæ Comitis mors effecit. Erat is Armengaudo Caſtella natus. Arago-
nii Regis ſororem in coniugio habebat. neque amplam tantum in Catalaunis, & A-
ragonia ditionem obtinebat, ſed etiam Valliſoletum in Caſtella Petri Anſurii (de quo
ſuperius memoratum eſt) pronepos. Hoc tempore rei Chriſtianæ promouendæ ſtudio,

cum priuata ſuorum manu in Valentiæ fines irruit: verum operæpretio facto ad Requenam oppidum a Mauris peremptus eſt, ex inſidiis ſcilicet: alii à Caſtellanis tradunt: Mauros ipſe mallem: omnino Auguſti die vndecimo. filium reliquit eodem nomine hæredem principatus. In diuerſa parte Sanctius Vaſconum Rex, cum in Caſtellæ fines ferro penetraſſet, & Ataporcam vſque progreſſus ingentem prædam egiſſet, Cardeniæ Abbas finitimorum calamitate & lacrymis prouocatus, cum Regem curriculo adiiſſet ſeſe in patriam referentem, ab eo precibus impetrauit, vt prædam omnem reponeret iis, qui damna pertulerant. iniquum videri Regum iniurias, miſerorum hominum pœnis lui. Rex precibus annuit, eum honorem Cidi proaui vexillo habens, quod Abbas & monachi ea de cauſſa raptim ex templo conuulſum inſigne detulerant: prorſus vt Rege comitante vexillum loco, vnde erat ablatum, reſtitutum fuerit. anno hæc milleſimo centeſimo octogeſi-
1185 mo quinto geſta ſunt. Quo anno Luſitani Reges ſuperiori victoria læti, Conimbricam primum, deinde Portum vrbem adierunt, nuptias celebrandi cauſſa, Philippũ inter Flandriæ Comitem, & Theraſiam Alfonſi filiam. ſolenni peracto, Conimbrica repetita; vbi Rex morbo atque ætate confectus è vita diſceſſit die ſexto Decembris, natus annos vnum & nonaginta. Corpus in S. Crucis, vt ipſe teſtamento mandarat, ſepultum eſt, humili quidem tumulo, atque adeo plano. vnde Regis Emanuelis iuſſu, in aliud ſepulcrum ex candido lapide eleganter conſtructum, auorum memoria translatum eſt. Vir fuit omni virtutum genere admirandus, Luſitanici regni non conditor tantum, ſed etiam amplificator. diuturnum imperium ferme ſine offenſione tranſegit. bellicis artibus & ſtudiis pietatis peræque clarus fuit. Oliſipone, Eboræ, aliiſque oppidis templa præcipua conſtituit. cuius ſtudium Malfada Regina pari pietate æmulata, multa monaſteria, templaque tota ditione extruenda ſuo ſumptu curabat, clara vtriuſque pietatis ad noſtram ætatem monimenta. Quieſcebat Hiſpania, concordia inter Reges conſtituta, ſublatoque Almohadum Rege. noui tamen atque inteſtini belli expectatio multorum animos ſuſpenſos tenebat. Petro Aſagræ glorioſum erat in tantorum Regum oculis ditionem modicam, tanquam ſui iuris tueri. vt eorum Regum conatus iuuaret, Mauris oppugnandis facile adducebatur: & Conchenſi vrbe expugnanda egregiam operam præſtitiſſe ſuperius dictum eſt. vt tamen in cuiuſquam Regis verba iuraret, induci non poterat: cum ſe D. Mariæ (id nomen Albarracini templo eſt) ſubditum ferret. loci natura, & Regum inter ſe æmulatione, cum ſibi vterque ſubiici cuperet, æmulo nollet, factum arbitror, vt tandiu ſubſtiterit. quod neſ-
1186 cio an vlli veterum Ducum contigerit. Ergo proximo anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, Ianuario menſe Reges Caſtellæ & Aragonius Agredæ ad colloquium conuenientes, Petro infenſi legem ex compoſito promulgant, qua Petri affines, & neceſſarii quicunque eius auſpicia ſequebantur, vtriuſque regni finibus arcebantur. Principio ſequentis anni Gaſto Bearnenſis Vicecomes, Oſcæ maiorum exemplo in Regis Aragonii verba iurauit. Fuit is annus infauſtus Guidonis Regis Hieroſolymitani captiuitate. Saladinus enim infenſus Chriſtiano nomini hoſtis, eum & Templariorum Magiſtrum ad Tiberiadem cepit: vrbemque ipſam Hieroſolymam ex deditione in poteſtatem redegit, die Octobris ſecundo. Alfonſus Caſtellæ Rex animo interea ad pacis artes conuerſo, Calatrauæ militiam optimis legibus atque inſtitutis temperabat. Quo tempore Ferdinandus
1188 eius patruus Legionenſis Rex Beneuenti obiit anno milleſimo centeſimo octogeſimo octauo. regnauit vnum & triginta annos. In templo Compoſtellano tumulatus eſt in ſacello regio. bello quam pacis artibus melior eſt habitus. ingentes animi & corporis dotes regnandi inexhauſta libidine, præſertim Caſtellæ Rege puero contaminaſſe viſus eſt. patiens laborum, acri ingenio, ſatis prouidus, contra pericula & inſidias firmiſſimo animo. Martinus presbyter per hæc tempora litteris & vita clarus, Legione multis libris conſcribendis operam dabat, ex rudi atque illiterato repente factus doctiſſimus, ab Iſidoro, cuius in monaſterio viuebat, oblato in ſomniis libro quem comederet. Eorum librorum pars nulla ad noſtras manus venit: canonicis eius templi magna religione ſeruantibus rei geſtæ monimentum poſteritati præclarum.

Varia Regum inter ſe fœdera. CAPVT XVII.

FILII parentibus ſucceſſere: Sanctius Alfonſo Luſitano Regi. Ferdinando Legionenſi Alfonſus, nuncio de morte patris ex itinere reuocatus: quo ad auunculum ſeſe conferebat, nouercæ inſidias & inuidiam declinans. cui ægre erat Alfonſum illegitimis nuptiis procreatum (ſic illa ferebat) vnam ob ætatis prærogatiuam, & quoniam ſic patri collibitum erat, ipſius filiis prælatum in ſpem regni educari. Inde perpetuæ offenſiones natæ: quæ priuigno Rege, tametſi dotalibus oppidis abſtinuit initio, (id honori patris datum) viduam

viduam Reginam compulerunt Anagarum migrare. qua in vrbe ad D. Mariæ regiæ, eius ipſiuſque fratrum Lupi Segobienſis Pontificis, & Martini Hari ſepulcra extant, ſacello intra monaſterii ſepta dicato S. Crucis nomine. Duæ Alphonſo Legionenſi vxores fuerunt, Theraſia Sanctii Luſitani Regis filia, vnde tres filii nati, Sanctia, Ferdinandus, Dulcis. deinde iuſſu Pontificum, vt competenti loco declarabitur, Theraſia repudiata, quod ſanguine propinqua eſſet, Alphonſi patruelis Caſtellæ Regis filiam connubio ſibi iunxit. Sanctius Luſitanus Rex annis prioribus Alphonſam duxerat Regis Aragonii ſororem: ex qua numeroſa prole auctus eſt, genuitque filios, Alphonſum natu maximum, Ferdinandum, Petrum, Henricum: filias quinq; Theraſiam, Malfadam, Sanctiam, Blancam, Berengariā. & vxore defuncta, ex duabus pellicibus ſex alios filios vtriuſque ſexus ſuſcepit. ex priori Vrracam, & Martinum ex altera, Theraſiam, Egidium, Conſtantiam, Rodericum. ſic erant eius ſeculi mores in turpitudinem proni, vt quod Regibus collibitum eſſet, turpe non duceretur. In quo Alphonſus Caſtellæ Rex prole, quam cæteri multo felicior fuit, ex vnis nuptiis vndecim filiis procreatis. In eo numero Blanca vt reliquos ætate ſuperauit, ſic etiam felicior extitit, Ludouico Regi Galliæ eius nominis octauo, viro ſuo enixa felici partu Ludouicum eum, cui ſpectata vitæ probitas, & multis teſtimoniis comprobata pietas, Sancti cognomen peperit. Blancam ſequebantur Berengaria, Sanctius, Vrraca, Ferdinandus, quem anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono, ad tertium Kalend. Decembris, Mercurii die, natum conſtat. conſecutæ ſunt Malfada, Conſtantia: atque his proxime duæ aliæ ſorores, quarum nomina ignorantur. præterea Eleonora, & poſtremo partu Henricus, mira rerum varietate patris ſucceſſor. quod alio loco monſtrabitur. Ad numeroſam prolem ditionis amplitudo, multo quam aliorum Regum maior, Alphonſum præ cæteris eximium efficiebat: prorſus vt cunctis Hiſpaniæ prouinciis formidini eſſet. ipſe tantis circumſeptus opibus, neque otio ſe, neque inertiæ corrumpendum dabat: ſed ditionis fines propagando, ingenio, atque induſtria reliquos ſua ætate Reges anteeundo, maiores copiis, gratia, & dexteritate exæquando, imperii auctoritatem tuebatur, metum augebat. Nunquam ſatis fida Principum potentia finitimis eſt, occaſionem proferendi imperii auidè arripiente natura mortalium iure iniuriaque. Ergo cæteri Reges Hiſpaniæ aduerſus Caſtellæ Regem inter ſe coniurare, fœduſque facere, eoſdem amicos inimicoſque futuros. In id fœdus Legionenſem Regem allicere: qui maxime obnoxius Alphonſo patrueli Caſtellæ Regi fore videbatur, coniectura quod quàm primum regni paterni hereditatem adiit, eius beneuolentiæ promerendæ ſtudio ad conuentus Caſtellæ, qui anno eius ſeculi octogeſimo octauo, Carrione habebantur, vltro profectus, ab eoque militia more eius ſeculi inauguratus, ad manus oſculum ſubiectionis indicio ſe demiſit: in quo maieſtatem ſugilaſſe, patrueli priores detuliſſe viſus eſt. Affuere in iis conuentibus Conradus Federici Augusti, cognomento Ænobarbi, filius, religionis ergo in Hiſpaniam appulſus, Raymundus Flacada Toloſæ Comes. vtriq; honorificum fuit, abs Rege militiæ honore donari. Conrado præterea Berengaria Regis filia pacta: neque nuptiæ tamen peractæ: cum puella proficiſci in Germaniam recuſaret, gentis mores, ac longinquum iter exoſa. quid enim Hiſpaniæ amœnitatem cultumque patrium mutaret, inclementi Germaniæ cælo, aliis accolarum ingeniis? Reliqui interea Reges quid opus facto eſſet inter ſe per legatos conſultabant, præſertim Aragonius, cui ægre erat rerum arbitrium penes leuirum Caſtellæ Regem eſſe. & Vaſconum Rex Sanctius, armis repetere cogitabat, quæ per vim ablata erant. Itaque ſalutis anno milleſimo centeſimo nonageſimo ad Borgiam oppidum ex compoſito conueniunt: menſeque Septembri fœdus inter ſe ſanciunt aduerſus Caſtellæ vires. In id fœdus Legionenſes, & Luſitani duorum Regum induſtria attracti ſunt. Oſcæ per legatos de ea re diſceptatum coram Aragonio Rege: pactaque non modo inter Reges quatuor concordia, belliquè ſocietas: ſed expreſſe etiam additum, ne ſibi priuatim quiſquam conſulens, abſque aliorum conſcientia, voluntateque pacem, aut inducias cum hoſte faceret: ac ne bellum quidem mouendi facultatem haberet. Hæc menſe Maio acta ſunt, annno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. quo anno Romæ Clemens eo nomine tertius octauo Kalend. Aprilis deceſſit. Cæleſtinus eo nomine tertius quatuor poſt dies defuncti locum obtinuit, in minori fortuna Iacinctus Bobo dictus, patria Roma. Hiſpania eum Legatum priorum Pontificum diu habuit. Gonſaluus Præſul Toletanus è vita deceſſit tertio Kalend. Septembris. in locum eius Martinus à magnitudine animi, & amplitudine rerum geſtarum cognomento Magnus ſubrogatus eſt. Piſorica patria. virtutes eius Rodericus proximus ſucceſſor inſigni elogio celebrauit. Tagus eo anno ad Toletum gelu concretus eſt, quod propter regionis temperiem perraro ſolet accidere.

Male pugnatur ad Alarcum. CAP. XVIII.

MARTINO æqualis Dieghus Lupus Harus Viſcaiæ Princeps opibus, gratia, & auctoritate cæteros Caſtellæ proceres facile ſuperabat. Virueſcam, Anagarum, Soriam, Caſtellæ Regis nomine eoq; concedente gubernabat, vt eius ætatis tabulæ indicio ſunt. Hoc
1192. auctore, Carrione ex toto Caſtellæ regno conuentus habiti ſunt, ſalutis anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo, bello decernendo in Mauros, qui noſtrorum deſidia vires confirmabant, & rei Chriſtianæ formidabiles erant. Egregios pro pietate conatus, diſcordia quæ Caſtellæ Regem inter & Legionenſes, ac Vaſcones erat, retardabat, ne bellum à tergo illatum a ſacra expeditione reuocaret. Optimum viſum eſt, cum iis Regibus primum gratiam reconciliare. miſſi ea de re vltro citroque legati: ſancitaque pax Martino inde Præſuli Toletano cum militari manu mandatum, Bæticæ arma inferre. ingentis belli hæc initia fuere. Dum conuentus Carrione agitantur, Nauarretum in regni finibus ab ſ Rege ædificatum fama tenuit, multorum teſtimonio comprobata, inſtauratum, ipſe arbitror amplificatumue: cum Rodericus Præſul ante hos annos de eo oppido mentionem faciat. In Aragonia Vrgeliæ Comes, qui ex quo pater obiit, regni finibus abſtinuerat Pontio Cabreræ ex priuata contentione infenſus viro præpotenti, ad officium rediit. Caſtoni Bearnenſi Vicecomiti, Bernardi Comitis Comingenſis filia nupſit: & cum ea dotis nomine Bigorræ principatus datus eſt, tanquam Regis Aragonii beneficiario, Berengarius Tarra-
1194. conenſis Præſul, Februarii menſis ſextodecimo die, ſalutis anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, trucidatus eſt. cædis auctor Guillelmus Moncada traditur fuiſſe. ſimultatis cauſæ ignorantur. Pompelone Sanctius eo nomine ſeptimus Rex Vaſconum, ætate grauis, rebus geſtis clariſſimus, vnde Sapientis cognomen ab exacta prudētia & quoniam litteris non leuiter tinctus erat, Iunii menſis die vigeſimo ſeptimo diem obiit. corpus in templum eius vrbis maximum illatum. iuſta more regio magnifice facta. regnauit annos tres & quadraginta, menſes ſeptem, dies ſex. Ex vxore Sanctia Regis Caſtellæ amita, Ferdinandum, Remigium, Berengariam, Theraſiam, Blancam genuit: atque qui hos ætatis prerogatiua, & regni hæreditate præceſſit, Sanctium Vaſconum Regem, eo nomine octauum, cui Fortis cognomen animi magnitudo fecit, & multa in bello præclare geſta. Incluſi appellationem inde peperit, quod ſub vitæ finem cancri ſæuo carcinomate fœdatus, Tudelæ in arce ſe tenuit: hominum congreſſus deuitans, ſublataque ſe adeundi conueniendique facultate. Munificentiæ eius, ac liberalitatis multa monimenta extant. corriuatum Iberum mutato vetere alueo, Tudelam alluere compulit, ponteque eo loci iunxit ad incolarum commoditatem. Fiterii & Oliuæ Ciſtercienſia monaſteria de ſuo conſtituit. præterea ad Roſcidam vallem, templum Sanctæ Mariæ nomine, ſuæ & poſterorum ſepulturæ deſtinatum. Clementiam Raymundi Comitis Toloſani eo nomine quarti filiam vxorem habuit. ex ea Ferdinandum genuit, quem ſuperſtite patre in venatione equi caſus afflixit ad terram, peremitque. Corpus Tudelæ in D. Mariæ tumulum habuit. Omnino quo tempore Sanctius regnum auſpicatus eſt, ingentis belli expectatione ſuſpenſa erat Hiſpania. Martinus Toletanus Præſul, vt iuſſum erat, in Bæticæ agros inuectus longe lateque obuia cuncta vaſtauit. Multi mortales cum pecore, atque alia præda capti. ædificia incenſa. oppida atque agri deformata. nulla Maurorum numero aut virtute iuſta manus occurrit. incolumi exercitu in patriam ſeſe retulit. Mauri dolore iniuriæ prouocati, magnos tota prouincia delectus habent. Ipſe Miramamolinus Abeniuzephus Mazemutus, ex Africa re cognita cum validis copiis in vindictam præceps tranſmittit in Hiſpaniam. non Almohades modo, ſed etiam Æthiopes, & Arabes ſpe prædæ Hiſpanienſis eius ſigna ſequebantur. Cum ea multitudine Mariani montes ſuperati ſunt. Alarcus oppidum, non ita pridem noſtrorum opera extructum, peruētum. Alfonſus Caſtellæ Rex hoſtium apparatu, & ſuorum periculo renunciato, haudquaquam demittit animum: verum re cum Nauarræ & Legionis Regibus, cum quibus paulo ante gratiam conciliarat, communicata, prior ipſe cum peculiaribus copiis Alarcum accurrit, caſtraque hoſtium caſtris oppoſuit. Quorum multitudine perſpecta omnem circa regionem tabernaculis occupantium, alii ſubſtituendum iudicabant, variiſque artibus ludificandum hoſtem, donec Reges aduenirent, qui propediem affore nunciabantur. alii exemplo confligendum cenſebant, ne victoriæ quam præcipiti temeritate exploratam ſibi habere videbantur, Vaſcones & Legionenſes participes, glorioſique ex ea re euaderent. Vicit ea ſententia, tametſi Rex non ignorabat in bello ea conſilia ſaluberrima eſſe, quę tutiſſima ſunt. Hoſtis cōtemptum, confidentiam ſui æque exitiale malum magnis Regibus eſſe, huius prælii euentus declarauit. Commiſſa pugna ad Alarcum ad quartumdecimum Kalend. Auguſti, die Mercurii

anno

anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, magno vtrinq; animorum ardore concur- 1195.
ſum. noſtrorum virtus hoſtium multitudine victa eſt: cum ſcelerum pœnis agentibus, di-
uinituſque timore noſtris incuſſo priſtinus animorum ardor pugnantes deſeruiſſet. Multi
in pugna, & in fuga deſiderati. in his Martinus Martinius quartus Calatrauæ Magiſter,
Dieghus Harus belli præcipuus incitator ab ignauia accuſabatur: quod ſe initio prælii à
pugna ſubduxiſſet, Alarcumque retuliſſet, ſiue rerum deſperatione, ſiue (vt fama tenuit)
Regi iratus, Bæticos equites Caſtellæ nobilibus exæquanti aliquando virtute, militarique
ſcientia. Mauri tanta victoria læti, non modo Alarcum oppidum continuo ex deditione
ceperunt, ſed in veteris regni fines ferro penetrarunt: Icueneſq; vſq;, quod oppidum vige-
ſimo quarto ab vrbe Toleto lapide ſitum eſt, peruenerunt. Alarci hoc tempore parietinæ
tantum extant, & B. Mariæ nomine templum peruetuſtum, præcipua finitimorum reli-
gione cultum. nimirum Rex barbarus ſolo id oppidum exæquandum curauit. Opinio fuit
ea clade regium ſcelus vindicatum. eum Toleti vxore contempta, fœminæ cuiuſdam Iu-
dææ, quam nihil præter pulchritudinem commendabat, amoribus diu indulſiſſet. quod
non modo inhoneſtum erat, ſed etiam cum religionis probro coniunctum. neque prius
deſtitit, quam proceres rei indignitate permoti pellicem perimendam curarunt. Libidinis
impatientia furentem Regem, genius Illeſcis per noctem apparens, ad ſanitatem reuoca-
uit: cum ea forma ſe videndum præbuiſſet, qua ex imagine notus erat, iuuenis graui atque
præclara ſpecie, minas intentans niſi reſipiſceret, caſtimoniæ vel cultæ præmium expecta-
re, vel ſpretæ pœnam vereri iubens. Prorſus ea clade nunciata Reges Legionis & Vaſco-
num conatu deſtiterunt. Legionis quidem Rex Alfonſum ſalutaturus accurrit, ſiue ſynce-
ro animo, ſiue ſimulata gratia. Sanctius Rex Vaſconum, Rege inſalutato in patriam abiit.
officii prætermiſſi iniuria in Caſtellæ Regis pectus altius inhæſit, quam quiuis exiſtimare
potuiſſet: atque ex eo tempore, ira & metu anxius animus, non magis in Mauros, quam in
Vaſcones ea moliri, atq; parare cœpit, quibus iniuriam vindicaret, dolorem vlciſceretur.

Res in Luſitania geſta. CAP. XIX.

CONSEQVENS annus milleſimus centeſimus nonageſimus ſextus triſtis fuit Hiſpaniæ, 1196.
Alfonſi Regis Aragonii morte: quoniam inter Reges Hiſpaniæ proximum auctorita-
tis & potentiæ locum occupabat, virtute nulli cedebat. Perpiniani ad ſeptimum Kal. Maii
extinctus eſt. quo tempore ditione vniuerſa altiſſima pax erat: Aragoniæ regnum viris, opi-
bus, & fama florebat. Petrum è filiis natu maximum hæredem ſcripſit: Alfonſo Prouinciæ
comitatum, & contributos principatus teſtamento legauit. Ferdinandum natu minimum
veſte mutata maiorum manibus parētare iuſſit in Populeti monaſterio Ciſtercienſi: quod
à patre inchoatum, & ab ipſo perfectum Tarraconem inter & Ilerdam, ipſius & poſtero-
rum ſepulturis deſtinabatur. Filias tres Conſtantiam, Eleonoram, & Dulcem, fratribus ſi-
quidem ſine prole decederent, teſtamento imperii hæredes ſubſtituit, mutata ea in parte
Petronillæ matris, atque correcta voluntate, fœminas ab imperii hæreditate arcentis, vt eſt
ſuperius indicatum. Fuit hic annus non modo Aragonii Regis morte nobilis, ſed etiam fa-
me peſteq; fœdus: quæ mala Catalaunos præſertim vexarunt. præterea noua barbari Re-
gis irruptione Caſtra Iulia, Placentiaque captæ. Talaueræ ager vaſtatus. Olìueta præcipua
nobilitate combuſta. oppidum expugnari non potuit, propter murorum firmitatem, inco-
larumque virtutem. Eulaliæ & Eſcalonæ oppida euerſa. Toletum ipſa dies decem obſeſſa.
In vlteriori Caſtella, pontificia cathedra Anagaro vbi eatenus hæſerat, in D. Dominici
Calzadii templum translata. quod magnis molibus & cæmentis ante ſedecim annos in-
choatum, ad culmen peruenerat, ea amplitudine & maieſtate, qua cum præcipuis Hiſpa-
niæ contendit. vtrunque Roderici Præſulis Calagurritani opera perfectum. Conſequenti
anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, noui motus in Catalaunis extitere, pro- 1197.
uincia in partes diducta. Quidam Armengaudum Vrgelitanum Comitem ſequebantur:
alii fauebant Raymundo Rogerio Fuxenſi Comiti. Ab ea factione Vrgelia ciuitas obſeſſa,
viq; expugnata. In diuerſa Hiſpaniæ parte Abeniuzephus Maurus ſuperiori victoria exul-
tans, vires ſuas fortunamq; expertus animos tollere: animoq; & prædicatione vniuerſam
Hiſpaniam complecti. ergo reparatis viribus, auctiſq; copiis Toletum vſque peruenit. Vr-
bem propter loci naturam obtinere non ſperabat. oppida agriq; vaſtati. præda ingens ab-
acta. Madritum & complutum eadem belli iniuria vexatæ. ad læuā Ocania, Vreeſia, Opta,
Conchaq;. Noſtri luctu ingenti ex præterito, & metu præſenti occupati, cōſilia defenden-
dæ patriæ non explicabant. veneratq; in extremum periculum ſumma Chriſtianæ rei in
Hiſpania. Nam Maurus tantis rebus peractis incolumem exercitum in Bęticam reduxit,

maiori mole parans bellum in ſequentem annum. Alfonſus Caſtellæ Rex tantis circum-
uentus malis, quoniam viribus impar erat, externa præſidia conquirenda iudicabat. Parum
ſpei erat Legionenſes & Vaſcones quidquam pro ſano facturos: qui iniquiſſimo reipubli-
cæ tempore Caſtellæ fines diuerſi inuaſiſſent, nulla religionis cura, neque quid de ipſis fa-
ma locutura eſſet, conſiderantes. Rex quidem Vaſconum Soriæ & Almaſani agros, cum
prædatoria manu inuectus vexauit. Legionenſis autem Rex fœdus etiã cum barbaris iniit,
qui ad extremos Caſtellæ fines Anam inter & Tagum habitabant: irruenſque in Campa-
niam obuia cuncta depopulatus erat. Petrus Aragoniæ Rex cognomento Catholicus, ad
ſanciendum fœdus inuitatur, vireſq; ſociandas aduerſus communes hoſtes. fœdere conſti-
tuto, Legionẽſis Regis iniurias primum vindicare viſum eſt: deinde Vaſconum contume-
lias. Bolagnium, Caſtrum viride, Valentia, & Carpium Legionẽſi primo belli impetu ſunt
ablata. In Vaſcones ne verterentur arma (vt erat deſtinatum) nouus Abeniuzephi belli ap-
paratus effecit, noſtris finibus nimium aſſueti imminentiſq;. præterea noſtri quas copias in
barbaros inferre deberent: quoniam viribus impares erant nulla rei Chriſtianæ cura in
Legionenſem Regem omnium malorum auctorem (ſic illi ferebant) conuertentes, in eius
1198. fines Aſturicam vſque penetrarunt anno milleſimo centeſimo nonageſimo octauo. Sal-
manticenſis ager deformatus: vtraq; Alba, Mons regius, aliaque oppida occupata. Secun-
dum hæc de Rege Vaſconum vindicando, vnde non minores iniuriæ extabant, delibera-
tum, tanta Regum Caſtellæ, & Aragoniæ cupiditate, vt obliti dignitatis, neq; rei Chriſtia-
næ periculo permoti cum communi Chriſtiani nominis hoſte Abeniuzepho paciſci, bar-
baroſque de fœdere vltro appellare, turpe non iudicarent. neq; ille auerſas aures à fœdere
exhibuit, cum in Luſitanum Regem qui magnas clades barbaris intulerat, toto pectore
ferretur. præterea de rebus Africæ cogitaret, induciæ pactæ cum Mauris in decem annos.
Sanctius quidem Luſitaniæ Rex oppidis inſtaurandis extruendiſq;, vnde populorum con-
ſtructoris nomen tulit, curæ & cogitationis partem continebat, Valentia ad Minium,
Montemaiori cui Nouo cognomen eſt, Ballelis, Penamacorio, Sertella, Penella, aliiſque.
quorum pars D. Iacobi, pars Auiſii militibus, qui ea tempeſtate in Luſitania celebrari cœ-
perunt, Regis dono ceſſerunt. Maior cura erat barbaros tota prouincia exagitandi pellen-
diq; Itaq; vrbem Syluenſem ad promontorium Sacrum in poteſtatem redegit, claſſe vali-
da adiutus ex Gallia Angliaq;: ac nominatim Philippus Regis frorius, viginti ſeptem na-
ues, & in iis lectiſſimos milites ex Flandria auxilio miſit. de tempore ſcriptores variant. qui-
dam hũc ſalutis annum M.C. nonageſimum nonum adſcribunt. alii decem ante. quo tem-
pore Reges Henricus Angliæ, Philippus Galliæ, rei Chriſtianæ, quæ in præcipiti erat ſuſte-
tandæ promouendæque ſtudio in Syriam nauigare, colloquio in Vellecaſſibus habito de-
creuerunt. Anglus mutata voluntate ſubſtitit, Richardo filio vicario. Regibus adiunctus
Henricus tunc Campaniæ in Gallia Comes, deinde ducta Eliſabetha Amalarici Regis fi-
lia, Rex Hieroſolymitanus. huius Henrici ex priori coniugio Theobaldus filius fuit Cam-
paniæ Comes: cui per hæc tempora Blanca Sanctii Vaſconum Regis ſoror connubio iun-
cta eſt. eius Theobaldi mater, qui poſteriori tempore ad Vaſconum regnũ peruenit. Mor-
talium animos malis oppreſſos, metu ſollicitos, prodigia multa ſuſpenſos habebant. peſte,
fameq; grauiſſima in Luſitania laboratum. alia in cœlo ſigna viſa. vulgus in deteriora pro-
num, religioneq; obſtrictum, cœleſtem vindictam interpretabatur, iramq; Dei: quod nu-
ptiæ Alfonſi Legionenſis, ac Theraſiæ Luſitanæ, vitio cohærẽtes, haudquaquam diſſolue-
rentur, quamuis Innocentio Pontif. eius nominis III. qui Celeſtino ſubſtitutus Romanam
eccleſiam obtinere cœperat enixe curante: prorſus vt Luſitaniam vniuerſam anathemati
ſubiiceret, parereq; recuſantes a fidelium ſocietate amoueret. auxerat terrorem vrbs Syl-
uenſis amiſſa, oppidis & agris eo tractu illata vaſtitas, Abeniuzephi vtrunq; armis, acceptas
à Rege Luſitano iniurias vindicantis.

Bellum in Vaſcones. Cap. XX.

DIREMPTVM id coniugium lege propinquitatis eſt, ægre quidem ac ſero, ſed direm-
1200. ptum tandem ſalutis anno milleſimo ducenteſimo. continuoque agi cœptum de Be-
rengaria Alfonſi Caſtellæ Regis filia in Theraſiæ locum aſciſcenda, quam Conrado Sue-
uiæ Duci pactam fuiſſe paulo ante dictũ eſt. mores Germanorum, & longinquam illa pro-
fectionem excuſabat: tametſi non minus à Legionenſi coniugio auerſa erat, propinquitatis
lege vitioſo, vti q; diremptum erat, futuro. ſed nimirũ Reges priuatis commodis honeſta-
tem & religionem plerunq; poſthabent. Matris blanditiis puellæ animus leniebatur. pa-
trem cogitatio ſubiit diuerſarum gentium matrimonia infeliciter plerunque infauſteque
cadere: neq; prætermittendam eſſe opportunitatem Regis Legionenſis, vnde tanta mala
exci-

extiterant, conciliandi ſubducendique ab amicitia Regis Vaſconum, cuius potiſſimum vindicandi cura ſolicitabat: & diſtracto Legionenſi iniuriæ opportunus fore credebatur. Ergo dum hæc aguntur, Caſtellæ Rex Alfonſus in vindictam præceps, bellum omni conatu comparabat. Petrum Aragoniæ Regem, ne continuo adeſſet, vt erat in fœdere cautum, diſſidium cũ matre Sanctia tenuit: quam dum ſuſpectam habet, & de reditu in Caſtellam cogitare credit, dotalia oppida auferre ſatagit. Verum Caſtellæ Rege curãte inter matrem & filium concordia ſancita eſt, Hariſam in vtriuſq; regni finibus ſitum oppidum, colloquiĩ cauſa ventum: Alfonſoq; Rege diſceptatore & arbitro, conſtitutum, vt Dertuſæ atq; Asconæ, aliorumq; oppidorum permutatione, Hariſa, Epila, atq; Embitis dotalia Reginæ oppida, Regi Aragonio redderentur: prouidenti, ne ea parte Caſtellæ Regi aliquando Aragoniæ fines inuadendi facultas eſſet, variaſque & commutabiles hominum, ac præſertim Regum eſſe voluntates conſideranti: nec vllo propinquitatis reſpectu teneri, vbi amplificandæ ditionis ſpes affulſit. Petrus Aſagra Albarracini regulus colloquio Regum interfuit, cum vtroq; gratia conciliata ſcilicet. fœdus pridie Kal. Octobris factum eſt. Ipſo anno Berengaria altera Sanctii Vaſconum Regis ſoror, Richardo Angliæ Regi nupſit. ſic veteres Hiſpaniæ tabulæ docent. ſcriptores Anglicani priori anno id contigiſſe aiunt: hoc ipſo Richardum defunctum affirmant. Caſtellæ Rex Alfonſus, induciarũ quæ cum Mauris erant beneficio, cupiens ea damna ſanare, quæ ſuperiori tempore accepta erant, Placentiam & Begiarem inſtauranda curabat: Mirabellum atq; Seguram in monte Argentario: Monfredum & Moiam in Aragoniæ Marca: in Campania Aquilariam. Hæc agebat: neq; belli tamen quod in Vaſcones meditabatur, curam remittebat neq; deſiſtebat Aragonium Regem monere, vt arma ſociaret. Vno tempore Aragoniæ & Caſtellæ arma contra Vaſcones mota ſunt. Sanctius Rex tempeſtate prouiſa, viribus impar, cum parum præſidii eſſet in Chriſtianis Principibus, quos Caſtellæ Regis artibus alienatos ſentiebat (& de nuptiis Ludouicum inter Philippi Galliæ Regis filium, & Blancam Alfonſi Caſtellæ Regis filiam agi cœperat) in Africam nauigare conſtituit: atq; à Miramamolino Abeniuzepho, ingens facinus & probrum, auxilia poſtulare. neq; enim illum, vt erat vaſto animo, Hiſpaniæ rurſus inuadẽdæ occaſionem, quæ ex noſtrorum diſſidio offerebatur, neglecturum exiſtimabat. Vaſcones ſcriptores haudquaquam ex fide, ſed eius dedecoris amouendi cauſa Sanctium fingunt in Africam nauigaſſe, Tremeſenio Regi Mauro opitulandi ſtudio aduerſus Tunetanum. commentum quia ſe prodit, nullis tunc earum vrbium Regibus in Africa, pluribus refellere ſuperuacaneum fore arbitratus ſum. conſtat Sanctio Rege in Africam digreſſo, Reges Caſtellę & Aragoniæ tanquam in vacuam poſſeſſionem irruiſſe in Vaſcones. Aiuarium & Vallitroncalia ab Aragonio Rege occupata: Miranda & Inzula Caſtellæ Regi data ſunt. à quo præterea Victoria Alauæ caput eſt circunſeſſa: & quoniam virtute ciuium defenſa vrbe obſidio ducebatur, Didaco Haro eius vrbis expugnandę cura demandata, Rex in Guipuſcoam, quæ è tribus Cantabriæ prouinciis vna eſt, & Vaſconum iniuriis prouocata ſe dedere parata erat, abiit. arces tota prouincia continuo Regi traditæ. Victoria tandem deferſi ... n ſpe abiecta deditionem fecit, atq; eius auctoritatem vniuerſa Alaua ſecuta eſt. illud modo cauerunt, ne leges aut magiſtratus abs Rege accipere cogerentur; Victoria tantum & Treuigno exceptis, quibus vt Rex daret Præfectos permittebatur. Caſtellæ & Aragonię Regibus omnia prona erant, quod pręſidio omni deſtituta prouincia eſſet: & recẽs fama vulgarat Sanctium Regem ex cancri morbo in crure altero enati, laborare cœpiſſe, nulla ſpe recipiendæ ſanitatis. atra bilis ex rerum deſperatione concepta eum morbum conciliauit. Cantabriæ littora, quod ad retinendum prouincię imperium magni referebat, munita S. Sebaſtiani, Fontis Rabiæ. Guetariæ, & Motrici oppida inſtaurata. Laredi, S. Emeterii, & S. Vincentii appellatione oppida in ipſo littore conſtituta. his rebus perficiendis Alfonſus Caſtellæ Rex diſtrictus erat. Sanctius Rex Vaſconum, nullo operæpretio facto inglorius rediit in patriam & regnũ, multis deforme atq; imminutum partibus. miſſi de iniuriis ad vtrunq; Regem legati prope ſupplices: nihil tamen præter ſpecioſa verba retulerunt: cum iure belli vt parta reſtituerent, non inducerent in animos: neq; rationes deeſſe poterant, quas cupiditati obtenderent.

Rex Aragonius Romam abiit. CAP. XXI.

HÆc in Hiſpania. quo tẽpore Henricus Angliæ Rex in Gallia, eo bello inchoato, quod diu eam prouinciam exercuit, dum Lemouices vrbem præualidam obſidet, ſagittæ vulnere ex muro emiſſæ extinctus eſt. Succeſſit in regno Ioannes frater germanus Philippus cognomento Auguſtus Galliæ Rex, nouum Regem priuſquam ſe cõfirmaret euertere

parans,quam maximas poteſt copias armat. Nortmãnos,Britannos, Andes,qui Anglorum
imperio parebant, armatus inuadit. vrbes partim vi, alias voluntate imperio ſuo adiungit.
aduerſus eius potentiam nuſquam nouus Rex ſpem habet,viribus impar,neq; belli defen-
dendi cogitationes explicans. miſſi de pace legati. Butauentum in finibus Nortmanniæ
vtriuſq; Regis colloquio deſignatũ.fœdus ibi magis neceſſarium, quam honeſtum Anglis
factum eſt. ex quo à Francis captæ paulo ante vrbes, eis relictæ ea tantum lege, vt Blanca
Alfonſi Caſtellæ Regis filia, Ludouico Philippi Regis Galliæ filio nuberet, nulla alia dote.
ea ſcilicet honeſtatis ſpecies obtendebatur,quod Ioannis ſorore genita eſſet. Andes ex fœ-
dere Anglis dati. Miſſi ad Regem Caſtellæ de re tota legati.is nuncio lætus,quo cum ſalute
reipublicæ priuata vtilitas coniuncta erat,poſtulatis annuit. Burgis ſponſalia celebrata:pa-
treq; deducente puella in Aquitaniam, quoniam in Angli Regis ditione erat, deducta eſt.
inde ad ſponſum abiit Galliæ proceribus comitantibus. Imperii Anglicani maieſtatem eo
fœdere imminutam non obſcure dolebant Angli:prorſus vt Regem in Angliam traiicien-
tem malignis oculis intuerentur,neq; vrbes ineunti fauſtis vocibus vt fieri ſolet, acclama-
1201. rent. Anno hæc milleſimo ducenteſimo primo gerebantur, quo anno Theobaldus Cam-
paniæ Comes defunctus eſt, vxoris Blancæ vtero hærede: vnde filius poſthumus natus eſt
patri cognominis. Berengaria Alfonſi Regis Caſtellæ filia Alfonſo Legionenſi Regi con-
nubio tandem iuncta eſt.Glorioſum id Alfonſo Caſtellæ Regi erat, duas filias coniunctis
ferme nuptiis, duobus Regibus ſine vlla dote copulatas.nam Berengariæ ea oppida data
ſunt,quæ Caſtellæ armis viro ipſius non ita pridem erant detracta. Valliſoleti, quo Reges
conuenerunt,omni ſignificatione lætitiæ nuptiæ celebratæ ſunt. Alfonſum inter Prouin-
ciæ Comitem in Gallia,& Guillelmum Comitem Focalquerii, tametſi Garſendæ Alfonſi
vxoris patruus erat,bellum natum:quod Petrum Aragoniæ Regem, vt diſſidentes in pace
poneret, in Galliam maturare compulit. Ad Aquas mortuas in Galliæ Narbonenſis ora
(Foſſæ Marianæ apud veteres ſunt) Rege arbitro de controuerſia diſceptatum eſt,& fœde-
re conſtituto ab armis diſceſſum. Regem cura ſollicitabat, Baleares inſulas, quoniam in
Maurorum ditione erant,oppugnandi.in eam rem Genuenſes & Piſani mari ea tempeſta-
te potentes, conciliandi erant. Innocentii tertii Pontificis Maximi præcipua auctoritas,
ſtudiumque de Aragoniis bene merendi:quod multis argumentis teſtatus erat. Ergo Rex
ex Prouincia cum claſſe ſoluens,Romam ad Pontificem abiit: vbi ſplendido apparatu ex-
ceptus eſt:& vt maior honor eſſet, in D. Pancratii(quod templum vltra Tiberim ſitum eſt)
1204. ſalutis anno milleſimo ducenteſimo quarto,Nouembris die vigeſimo primo, à Petro Epi-
ſcopo Portuenſi inunctus, & Pontificis manu coronatus, inſulas & cætera regni inſignia
ſolenni cæremonia accepit:datumque Aragoniis Regibus,vt deinceps in prouincia coro-
nam accipiendi ius eſſet, Tarraconenſi Metropolitano totius cæremoniæ antiſtite, quaſi
Romani Pontificis vicario. Extant de re tota publicæ tabulæ,quas vt hoc loco insereremus
viſum non eſt. Nondum in mores ſuſceptum erat,vt Reges Aragonii continuo à morte pa-
tris regni inſigne acciperent: ſed cum milites creabantur, more Hiſpanis vſitato,aut vxo-
res ducebant, tum demum regium nomen, inſigneque vſurpabant. Pro eo merito Rex,
Aragoniam Pontificibus vectigalem eſſe conſtituit,certum auri pondus pendere quotan-
nis pollicitus pactuſq;. haud obſcure dolentibus vulgo prouincialibus ab eo initio immu-
nitatis ius imminui: datamq; Pontificibus poteſtatem, occaſionemque rempublicam in
Aragonia turbandi. Iuſtum dolorem, vectigal quod conſequenti anno impoſitum regno
abs Rege eſt grauiſſimum, magis exulcerauit, quod Monetale vulgo dicitur. Oſcæ No-
uembri menſe extremo edicta promulgata, quibus non plebei modo, ſed etiam immuni
conditione homines,quicunq; eſſent, comprehẽdebantur. Accuſabant Regem,quaſi pri-
uatim prodigus eſſet,publice auidus,vnde effuſa compenſaret. Nondum Rex vxorem du-
xerat.prolis procreandæ in ſpem regni cura ſollicitabat.agente Rom. Pont. Innocentio cu-
ratum, vt Maria Iſabellæ Reginæ Hieroſolymitanæ filia ad quam regnum ſucceſſione de-
uoluebatur, Aragonio Regi coniungeretur propè res confecta erat,cum Rex ſuadentibus
proceribus, Mariam Mompellerii Principem Guillelmi filiam,propter principatus oppor-
tunitatem, vxorẽ duxit:eoq; facto pii Pontificis vota deluſa,commodiſſimo connugio pro-
uidentis, Aragonia arma ad bellum ſacrum cõuertere. Vrraca tertia Alfonſi Caſtelli Regis
1206. filia Aragonii & ipſa cõiugii ſpe depulſa, Alfonſo nupſit, anno eius ſeculi ſexto, Sanctii Lu-
ſitani Regis filio primogenito. Quo anno pridie Kal. Martii inſignis Solis defectio extitit.
ſex horis dies nocte mutatus continuis imbribus inflati amnes. Tagus Almofalæ portam
Toleti ſexto Kalend. Ianuarii ineunte anno proximo, ſuperauit hominis menſura. Rex Va-
ſconum Caracam ad Caſtellæ Regem rebus deſperatis venit. induciæ quinquennes factæ,
1209. obſidum loco oppida vtrinq; data: cautumq; nominatim, vt Alfonſi opera Aragonius in
idem

idem fœdus induceretur. Conſequens annus milleſimus ducēteſimus octauus multorum 1208.
Principum funeribus nobilis fuit. menſis Auguſti die vigeſimo octauo Martinus Præſul
Toletanus obiit. ſucceſſit Rodericus Semenus domo Vaſco. hominem externum, ſpectatæ
vitæ probitas eruditioq; vt ea erant tempora, ſingularis ad eum honoris gradum prouexit.
& quoniam induciæ abs Regibus eo auſpice pactæ potiſſimum erant, Principum gratiam,
& vtriuſq; gentis ſtudia promeruit. Menſe Nouembri Sanctia Aragonii Regis mater
Xixenæ deceſſit: quod ipſa monaſterium virginum, ſub D. Ioannis Hieroſolymitani militum
diſciplina extruxerat: & in eo rerum humanarum tædio, melioris vitæ ſtudio veſtem
mutarat. Toleti ipſo Martini feſto die, Stephanus Eilanus vir omni virtutum genere clariſſimus,
iuridicundo arcibuſq; in ea vrbe Præfectus, (nauatæ Regi operæ ea merces fuit) in
D. Romani compoſitus, pius munificuſq; animo, par opibus. Vrgeliæ præterea Comes defunctus
eſt, filia vnica Aurembiaſſi ex vxore Eluira relicta: quam cum Gerardus Cabrera
Pontii filius, veteribus controuerſiis ſuſcitatis propter ſexus imbecillitatem, exagitandam
ſpoliandamq; ſumpſiſſet: Eluira matre concedente Vrgeliæ principatus ſub Regis imperium
ſubiunctus eſt. Ita magni Borelli quondam Barcinonis, & Vrgeliæ Comitis progenies,
eius vrbis imperio decidit. tametſi Innocentio Pontifici, vt filiæ præſidio eſſet, & teſtamentum
curaret Valliſoleti pars media erat à patre moriente legata. poſſediſſe non
arbitror.

Pax inter Reges facta. CAP. XXII.

INDVCIARVM quæ cum Mauris erant tempus exibat: & belli ſacri reparandi cura omnium
animos, ſed præſertim Caſtellæ Regis, qui proximus periculo erat, ſolicitos habebat.
Inteſtini inter Chriſtianos motus componendi erant, Regeſq; inter ſe conciliandi:
vt aduerſus communem Chriſtiani nominis hoſtem, tot regnorum acceſſione potentem,
tantis victoriis ferocem, noſtriſq; finibus imminentem, libenter vires conferrent. finitima
regna ferocibus Regibus pacata diu eſſe nō poſſunt, cum nouæ ex aliis nexæ bellorū cauſæ
indies exiſtant. Primus Alfonſus Legionenſis Rex in dotalia nouercæ oppida inuectus,
reipub. tranquillitatem turbauit, patrem incuſans quaſi vxoribus multa indulgendo regni
maieſtatem imminuiſſet, vires debilitaſſet. Dieghus Harus viduæ Reginæ frater, dum Regis
conatibus obſiſtit, Legionis & Caſtellæ arma in ſe prouocauit: prorſus vt neq; operæpretium
faceret ſororis ditione iureq; tuendo: & ipſe vtriuſque Regis voluntate alienata ad
Vaſcones confugerit. vnde quoniam in Caſtellæ agros identidē incurſiones faciebat, Regum
ſuperuentu, ad Stellam oppidū victus acie, & intra oppidi mœnia compulſus eſt operibus
& munitione firmiſſimi. quare ab oppugnatione ceſſatum. quatuor tamē Reges Caſtellæ,
Legionis, Vaſconum, atq; Aragoniæ, fide accepta dataque, Alfarum ad colloquium
conuenerunt: vbi pace inter ſe facta, Dieghus Harus ab omnibus deſertus, viribus diffiſus
Valentiam ad Mauros abiit. Aragonius Rex belli Maurici cura, & quoniam ita erat in fœdere
cautum, in Valentiæ fines incurrit. pugnanti confoſſus equus, veniſſetq; haud dubiū
in poteſtatē Maurorum, ni Dieghus Harus qui à Mauris ſtabat, humanitatis memor, oblitus
iniuriarum periculo eripuiſſet, equo præbito. quæ illi res magnam apud barbaros inuidiam
conflauit. cuius depellendæ neceſſitate, in Africam ad Miramamolinum nauigauit:
iure & legibus innocentiam defenſurus. Vnde lite diiudicata, placatiſq; Regibus Chriſtianis,
in Caſtellam rediit, anno vt arbitror milleſimo ducēteſimo nono. liceat enim in ratione 1209.
temporum aliquando hallucinari: nam alii Regum fœdus ad Alfarum, ante biennium
coiiſſe aiunt, Aragonii Regis matre Sanctia, cum nondum defuncta eſſet, annitēte diſceptanteq;.
Omnino à duobus Regibus Sanctio Vaſconum, & Petro Aragonio, quos inter
præcipua ſimultas erat, in colloquiū deſcenſum hoc ipſo anno. Eo congreſſu, cui planicies
prope Mallenum oppidum deſignata eſt, Iunii menſis quarto die pax facta eſt. conciliatæ
beneuolentiæ argumento, Sanctius Aragonio Regi viginti millia aureos mutua dedit. oppida
quatuor pignoris loco Semeno Radç (quem Roderici Pręſulis Toletani idem cognomen
præferentis gentilem ac propinquum eſſe ſuſpicor) quaſi ſequeſtro ab Aragonio ſunt
tradita: ea lege, vt niſi tempore ſumma reddita eſſet, ea ipſe oppida in poteſtatem Regis Vaſconum
contraderet. Alfonſus Caſtellę Rex pacis inter Reges præcipuus auctor extitit: nā
timor externus impendebat, concordiæ inter ciues & neceſſarios conciliator maximus.
Gallica præterea auxilia euocare in Hiſpaniam conabatur. bellum maiori mole coortum
inter Anglos & Francos, conatus eius turbauit. tametſi in vnam curā pacandi Reges intentus,
armatus in Aquitaniam penetrauit, vim inferre paratus ei genti, quæ ſe potiſſimum à
pacis conſiliis alienam præbuiſſet. Nullum operæpretium factum, cum diſcordiæ flamma
Gallia vniuerſa æſtuaret, nulla pacis ſpe: belli Maurici metus apparatuſq; Regē in Hiſpaniā

reuocaſſet. Induciarum ſane tempore publicum ſapientiæ gymnaſium Regis opera, Roderici Præſulis hortatu, Palentiæ conſtitutum, iuuentute litteris & humanitate informanda: quo vno ornamento Hiſpania bellis implicita eatenus deſtituta erat. artium profeſſores ex Gallia atq; Italia, magnis propoſitis præmiis euocati. Olgis etiam octauo ab vrbe Burgis lapide, virginum monaſterium B. Mariç nomine ædificatum Regis ſumptu ampliſſimum, xenodochio coniuncto, quod Regum ſepulchris olim deſtinatum fuit. Conſtantia Aragonii Regis ſoror, ex priori viro Emerico Hungariæ Rege, cui Ladiſlaum puerum pepererat, vidua Innocentio Pontifice curante, Friderico Regi Siciliæ connubio iuncta eſt, atq; hoc ipſo anno ad virum claſſe deducta. Triſtes eæ nuptiæ fuerunt, Prouinciæ Comitis, aliorumque procerum obitu: qui ſponſam honoris cauſa in Siciliam proſecuti, Panormi extincti ſunt, locis natura grauibus ſaluberrimo Hiſpaniæ Galliæq; cœlo mutato.

Bellum Mauricum inchoatur. Cap. XXIII.

Hic erat rerum ſtatus in Hiſpania. pax inter Chriſtianos Principes ex tantis diſſidiis facta piorum animos ſpe optima lætitiaq; compleuerat, quãtum in mutua ſocietate prçſidii eſſet conſiderantes. tametſi Alfonſus Legionenſis Rex, incommodo ſane tempore Berengariam vxorem, lege propinquitatis, iuſſuq; Innocentii Pontificis repudiarat, ad patremq; dimiſerat. Extant ipſius Innocentii de ea re litteræ ad Alfonſum Caſtellæ Regem diuortio repugnantem, graues atque minaces. Barbari Rege Mahomade, qui ſuperioribus annis in Abeniuzephi fratris locum ſucceſſerat, magnam occupandæ Hiſpaniæ ſpem, in quam erant ingreſſi, perſequi vſque ad extremum, delereq; piorum nomen decreuerant. noſtris partum imperium tueri, quin barbaros Hiſpaniæ finibus pellere, animus erat. Obſtinato vtrique conſilio, ſpe pari in id certamen ingreſſi. Chriſtiani virtute, Ducíſque prudentia potiores erant. barbari vincebant numero, Africæque & Hiſpaniæ vires, ſuperbiſſimo delectu in vnum bellum conferebant. Vno tempore Caſtellæ & Aragoniæ arma mota in Mauros ſunt. in Valentinis Adamutiũ, aliaque oppida à Petro Aragonio Rege occupata: Dertuſa nauatæ ſuperioribus bellis operæ merces Templariis fuit, abs Rege dono data eius militiæ Magiſtro Petro Montacuto. Ferdinandus Alfonſi Caſtellæ Regis filius, patris iuſſu in Bæticæ fines irruens Biatiam, Illiturgim, Giennii agros latiſſime depopulatus eſt. prædæ hominum, pecorumque abactæ. ipſo tempore, quo à Mahomade Maurorum Rege, cui Viridi, à pileo quem geſtare conſueuerat, cognomen fuit, Saluaterra oppidum vi expugnatum eſt. incolæ pars ferro trucidata, pars in ſeruitutem abacta. Iunio menſe, anno
1210. milleſimo ducenteſimo decimo oppidum obſeſſum & Septembri captum eſt. nam Alfonſum Caſtellæ Regem, qui cum delecta ſuorum manu auxilio accurrebat, & Elboram vſq; peruenerat, Ferdinandus filius rebus in Bætica patratis obuiam factus, ab itinere reuocauit, periculo indicato, & maioribus viribus opus eſſe diſputans barbaris impugnandis. Regis pro pietate conatus, non parum turbauit conſecuta proximo anno, Ferdinandi ipſius mors, die veneris pridie Idus Octobris, eo maiori patris dolore, & prouinciæ totius luctu, quod magni iam & iuſti Principis ſpecimen præbuerat. Corpus Madrito, vbi extinctus eſt Olgas delatum, Roderico Præſule Toletano, & Berengaria ſorore funus honoris gratia comitantibus. Ea de cauſa, expeditio Maurica in ſequentem annum dilata: comitia tantum regni Toleti habita ſunt, iis rebus comparandis, quæ ex vſu belli futura erant. In iis comitiis ſumptuariæ leges quoniam mores in luxum degenerabant, promulgatæ. ſupplicia toto regno decreta numine propitiando. ad Reges legati deſtinati, vt communi periculo non deeſſent poſtulatum. Rodericus Præſul Toletanus Romam amandatus eſt, venia peccatorum impetranda omnibus, qui more per ea tempora vſitato, cruce inſigni diſtincti ad bellum ſacrum conuenirent. Rex ipſe equos, arma, pecuniam, commeatum magna diligentia comparare. Mauri contra aduerſus tantos apparatus, tantamq; animorum conſternationem, ſuç ditionis oppida in Carpetanis, Bçtica, & ad promontorium Sacrum, quoniam in ea primus impetus futurus erat, operibus munire, quantum temporis ſpacium dabat: prçſidiiſq; firmare, nouaſq; copias ex Africa euocare. Alfonſus Caſtellç Rex, dum vniuerſas copias expectat, terroris bellici oſtentandi cauſa, in Maurorum fines inuectus, ad Suceronis ripam aliquot oppida Mauris eripuit. & re ex ſententia patrata, Concham vrbem locis vicinam rediit: vbi Aragonio Rege conuento, de ſumma belli deliberatum eſt. Sanctius Vaſconum Rex miſſis legatis ſe bello haud defuturum renunciauit. Rodericus Prçſul ſubſtituto Adamo Palentino Epiſcopo ad eccleſiç Toletanç gubernacula, in Italia atq; Gallia ſpe veniç, quam à Pontifice Innocentio III. impetrarat, & periculo indicato niſi ſuccurrerent, proceres, & Prçſules ad ſacram expeditionem, ſed & ex plebe homines excitare non deſiſte-

deſiſtebat. Tantam eſſe barbari ſuperbiam, vt omnibus toto orbe crucis cultorib. bellum, interitum, exitium comminaretur: contumeliam haud ferendã nomine Chriſtiano. Multum ea diligentia profectum, tãta erat cupiditas aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes dimicandi: prorſus vt centum millia pedites, decem millia equites ex externis nationibus confluxiſſe tradant. ingens numerus ac vix fidem facturus. verum quis pro certo aſſirmet? cum alibi duodecim equitum millia, peditum quinquaginta inueniam. His omnib. ne tot gentium colluuione Toletum quo conueniendum erat turbaretur, horti regii pręcipua amœnitate, ſed & coniuncta vrbi, ad ripam Tagi loca ad tendendum deſignata. Februario mẽſe anno ſalutis milleſimo ducenteſimo duodecimo, hæ gentes Toletũ conuenire cœperunt. 1212. In Iudęos à promiſcua multitudine ſæuitũ in ea vrbe, iis violandis numini ſe gratificari putanti. reſtitere nobiles. miſeram gentem armis & auctoritate tutati ſunt. Petrus Aragoniæ Rex feſto Trinitatis die, publica omnium lætitia, atque ſupplicatione, in vrbem exceptus eſt. viginti peditum millia, equites tria millia & quingenti ex Aragonia ſequebantur. Luſitanus Rex Sanctius ſacro bello intereſſe non potuit, Conimbricæ per id tempus ex morbo extinctus. funus in S. Crucis illatum, humili ſepulchro: vnde Emanuele Rege in magnificentius migrauit. Succeſſit Alfonſus defuncti filius, geminæ iam prolis ex Vrraca vxore pater effectus, Sanctii Alfonſiq;. Ferdinandus Sanctii frater, anno ſuperiori vxorem duxerat Ioannam Comitem Flandriæ, Balduini filiam, hæredemque. Ex Luſitania tamen non contemnenda militum manus, an ſua ſponte incitata, an ab Rege ſuo miſſa auxilio venit. Vniuerſæ multitudini ſtipendia in dies ſingulos per capita numerabantur: pediti quinque nummi, quos vulgo ſolidos vocabant, equiti quadruplum. dona principibus pro cuiuſque merito & dignitate. commeatus affatim Alfonſi Regis cura comparati, nihil vt tantis copiis deeſſet ſumma diligentia prouidentis. prorſus, vt impedimentis portandis, ſexaginta curruum millia contracta eſſent, auctore Roderico Præſule: qui totius expeditionis teſtis oculatus fuit: viſaque ad poſteritatis memoriam litteris propagauit. alii iumenta ſarcinaria eo numero fuiſſe aiunt: vtrunque miraculo proximum, in tanta temporum difficultate regii ærarii inopia. ſed nihil eſt tam difficile, quod non diligentia vincatur. & ab externis gentibus, & Principibus equi, muli, pecunia certatim mittebantur. Iunii die vigeſimo Toleto diſceſſum. Dieghus Harus in primo agmine curare iuſſus: vbi externæ gentes erant. in ſecundo agmine Rex Aragonius. poſtremum Caſtellæ Rex Alfonſus ductabat: in quo quatuordecim millia equitum erant, peditum numerus iniri vix poterat: cum ex vniuerſa Caſtella, quorum ætas idonea erat, arma induere omnes compulſi eſſent. Trinis caſtris Malaconem peruentum eſt: quod oppidum Maurico præſidio obtinebatur, Toleto diſſitum quinquaginta ſex paſſuum millibus. barbari, tantæ multitudinis metu oppidum relinquere, & arcem munire coacti: externarum tamen gentium virtute atque impetu, arce expugnata, Iunii vigeſimo tertio die ad vnum omnes trucidati ſunt: vſque adeo animos impiæ gentis delendæ cupiditas occuparat. Kalend. Iulii Calatraua firmiſſimum oppidum vltra Anam fluuium ſitum, incolarum deditione res ſuas in extremo ſitas, neq; auxilii ſpem vllam eſſe conſiderantium, venit in poteſtatem. in deditiios, ne externi milites pro ingenio ſæuirent, noſtrorum interuentu vix eſt impetratum: cum datam de ſalute fidem impiæ quamuis genti ſeruandam diſputarent: neque deſperatione (quo nullum eſt acrius telum) efferandos amplius hoſtium animos videri. Oppidum Calatrauæ militibus, quibus à Mauris ereptum erat, redditum eſt: ſpolia Aragoniis, externiſque militibus: quos inſuetus calor, cœli grauitas, rerumque omnium inopia compellebat, (ſic ipſi videri voluerunt) piorum caſtris relictis in patriam ſeſe referre, Arnaldus Narbonenſis Epiſcopus, & Theobaldus Blazo Picto rebus noſtris præ cæteris fauens, vt qui genus maternum ex Caſtella deducebat, vterque cum peculiari ſuorum manu in caſtris manſere, gentis ignauiam incuſantes, atq; quoduis periculum ſubire certi. Externorum diſceſſus, vnde metus mœrorq; noſtrorum animos occupauit, dupliciter cõmodus fuit: tãtę victorię laude, haudquaquam cum exteris participata: & ex ea re Mahomade, qui ad Giennium ſe tenebat totius certaminis aleam detrectans, vt vniuerſo prælio dimicaret inuitato. Itaque noſtri, motis caſtris Alarcum peruenerunt. quod oppidum, quoniam ante paucos annos à Mauris euerſum erat, deſerentibus incolis venit in poteſtatem. Sanctius Nauarræ Rex cum valida ſuorum manu eo loco Reges eſt conſecutus. Eius aduentus lætiſſimus fuit. mœror ex ſuperiori caſu, externorumque diſceſſu. hilaritate mutatus. aliquot eo tractu arces vi expugnatæ. In Saluaterræ agro luſtratus ac recenſitus exercitus. motis deinde caſtris, ad Marianorum montium radices peruentum. Maurus rebus omnibus exploratis, Biatiam muniit: atque ſaltus Caſtulonenſis fauces, quibus Loſæ nomen eſt, & qua noſtris tranſeundum erat, inſidere inſtitit. ſi pergerent, victoriæ ſpe non dubia propter locorum iniquitatem:

ſi conſiſterent, inopia commeatus pereundum eſſe, regreſſum ignominioſum fore conſi-
derans. prudenter deſtinata, altior potentia diſcuſſit. Diſputatur in concilio de montium
tranſitu: qua parte ſuperandi eſſent quæritur. pleriq; cenſebant, retro conuertendum iter,
maiori circuitu, mitiore via, in Bęticæ campos euadendum, inſeſſas ab hoſte montium an-
guſtias vitandas eſſe. Caſtellæ Rex Alfonſus contra: magna famę momenta in vtranq; par-
tem fieri. pro vt prima ceſſiſſent, fore reliqua. Regum diſceſſu turpiſſimæ fugę ſignificatio-
nem contineri. ea re hoſtium animos augeri, noſtris minui, ac debilitari neceſſe eſſe, alio-
qui ad deſerendum caſtra propenſis, vti externarum gentium diſceſſione nuper intelle-
ctum erat. Aduerſus difficultates, quæ proponebantur, numinis opem, cuius cauſa ageba-
tur, implorandam: & niſi ſibi ipſi deeſſent, proculdubio affuturam. Tentando ſæpe facilia
fieri, quæ ignauis ardua videbantur eſſe. Hæc vicit in concilio ſentẽtia. Lupus Dieghi Hari
filius a patre præmiſſus cum valida manu, in ſummo monte caſtrum Ferralium nomine
cepit. Mauros leuibus prælijs ſubmouit. perrumpere Loſæ anguſtias non eſt auſus: ne vno
tempore cum locorum iniquitate & aduerſus hoſtes pugnare eſſet neceſſe.

Victoria à noſtris parta. CAP. XXIIII.

OMNIS multitudo, prӕſertim militaris, animorum impetu opinioneq; potius quã rebus
ipſis mouetur, vt hic accidit. pleriq; milites rebus deſperatis caſtra deſerere cogitabãt,
par periculũ cogitantes ſiue Reges progrederentur, ſiue referrent pedem. dedecus in vno
erat, in altero temeritatis nota. Res propemodum deploratas numina diuique indigetes
ſuſtentarunt. ruſticanus enim homo, locorum notitia fretus quoniam iis in montibus pa-
ſcendis gregibus diu operam dederat, (genium quidam fuiſſe putarunt, argumento, quod
opera nauata nuſquam comparuiſſet) Regibus eſt pollicitus ſi ſe ductore fiderent, notis
tramitibus, copias omnes in ſummos montes nullo diſcrimine euaſuras. obſcuro, ignoto-
que homini de re tanta, neque fidem accommodare tutum erat: neque detrahere omnino
prudentis. Dieghus Harus, & Garſias Romerius præmiſſi, vt viſa explorataque referrent.
Erat iter à propoſito diuerſum, contrariamque in partem iri videbatur. prorſus, vt Mauri
noſtrorum diſceſſu conſiderato, commeatus inopia fugere, atque in pacata referre pedem
putarent. Enitendum erat per montis latus, tranſcendendæ valles, ſaxa multis locis præru-
pta extabant, iterque morabantur: ſed nullum laborem recuſabant victoriæ ſpe certa, ſi in
ſumma montium iuga peruentum eſſet. In feſtinatione certamen omne erat: ne iter ho-
ſtes præoccuparent. Ergo cõfecto itinere, Reges planiciem nacti caſtra muniunt. Hoſtis ſe
1210. ad pugnam parat, aciemque inſtruit, in quatuor diſtinctam agmina. in colle Rex ipſe cir-
cumfuſis prætorianis conſtitit. Noſtri continenti itineris labore fatigati, homines iumen-
taq;, in conſilio detrectandi certaminis perſtant. Idem ſequenti die faciunt: tanta Mauro-
rum lætitia metum interpretantium, vt extruſis tabellariis, tres Reges quaſi indagine cir-
cumuentos intra triduum redacturum in poteſtatem, Miramamolinus inſigni verborum
faſtu polliceretur. fama in maius augebatur, quolibet ad id quod audierat adiiciente ali-
quid, vt gratior res eſſet. Die tertio, qui dies Lunæ erat, Iulii menſis ſextusdecimus, noſtri
certamen ſubire certi, albente cœlo pœnitentia & Euchariſtia animos expiati, acies ad pu-
gnam inſtruunt. Primum agmen Dieghus Harus ductabat. mediam aciem Gonſaluus
Nunnius tenebat, eique adiuncti Templarii aliiq; milites ſacri. in poſtremo agmine Alfon-
ſus Rex, Rodericus Præſul, aliiq; Epiſcopi curabant. Reges Aragoniæ & Vaſconum cum
peculiaribus copiis ab vtroq; latere, Vaſco ad dextram, ad ſiniſtram Aragonius collocati.
Maurus contra, quo inſtituerat ordine copias ordinauit. pars caſtrorum, vbi prætorium
erat, ferreis catenis cincta. ibi fortiſſimus quiſque, genere ac factis clariſſimus. reliqui tanta
multitudine erant, vt valles & colles obtegere videretur. Vtrique ſuos ad pugnam hortan-
tur. Epiſcopi per manipulos & turmas, ſpe veniæ noſtrorum animos erigunt. Rex Alfonſus
ex loco vnde exaudiri poſſet, Mauros prædones eſſe ait, Chriſto Imperatori rebelles. Nul-
lo olim iure Hiſpaniam occupaſſe: & nunc latrocinio lacerare. Ingentem ſæpe numerum
à paucis fuiſſe profligatum: magnamq; prouinciæ partem amiſiſſe, vixq; habere vbi in Hi-
„ ſpania conſiſtant. Si hoc prælio victi erunt, quod numina pollicẽtur, & ex veſtra omnium
„ lætitia atq; alacritate ominari licet, de impia gente actum erit. Nos pro æquitate, proq; iu-
„ ſtitia pugnabimus. illi pro nulla republica, cum nullis inter ſe legibus vinciantur. Receptus
„ pulſis nullus: nec vſquam niſi in certamine ſpes. pugnã ergo magnis animis capeſſite. Deo
freti arma ſumpſiſtis. Deo freti in hoſtes impetum date. Maurus contra, ſe eo die ſummo
certamine dimicaturum admonuit. Finem belli futurum, ſeu vincant, ſeu vincantur. Si vi-
cerint, vniuerſam Hiſpaniam victoriæ præmium futuram. ad id prælium vires vniuerſas

prouin-

prouinciæ ſumma diligentia collatas. ſi victi eſſent, imperiũ Mauricum in Hiſpania interciſurum. Neq; ſibi neq; rebus ſuis parcere in eo diſcrimine æquum eſſe. Copias ſuas ex vna gente cõſtare: Chriſtianorum ex multarum colluuione gentiũ, legibus, lingua, inſtitutiſq; diſcrepantium maiorem partem ſigna deſeruiſſe. reliquos haud cõſtanter pugnaturos, ſuo periculo, aliena vtilitate præmioq;. His dictis, magno vtrinq; animo ad pugnã concurritur. victoria diu anceps fuit. vtriq; pro extrema ſpe enixe dimicant. Ducũ cõſpectus, neq; ignauiam neq; virtutem clam eſſe patiebatur, omneſq; ad certamen accẽdebat. A medio agmine pugna cœpta. conſecuti ſunt Vaſcones: mox Aragonii. Nihil profectum triplici impetu facto. contra noſtra agmina loco tantiſper mota fugam reſpectare videbantur: cum Alfonſus Rex periculo ſimul, & rei indignitate commotus, in confertos hoſtes irruere parabat: ni Roderici Præſulis, qui lateri adhærebat hortatu deſtitiſſet: in vnius anima monentis totius victoriæ, ſed & rei Chriſtianæ ſummam verti: pergeret vt cœperat, de diuino numine bene ſperare: neq; ſe periculo committeret. Poſtremi agminis ſigna illata. res noſtrorum virtute reſtituta. & qui labare videbantur, ad delendum dedecus reſtitutis ordinibus in prælium ferociores rediere. Mauri continenti totius diei labore feſſi, eorum impetum non tulere, qui cum in ſubſidiis fuiſſent, recens in pugnam inuecti ſunt. fuga fœda, neq; minor quam pro tãta victoria cædes. Ducenta Maurorum millia eo prælio cecidere. in his triginta equitum millia. alii ex eo numero mediam partem detrahunt. Miraculo certe fuit, è noſtris viginti quinq; tantum occubuiſſe, Roderico Præſule auctore. alii quindecim ſupra centum affirmant. exiguus vterq; numerus pro tam illuſtri victoria. Ex aduerſariis autem tãta multitudine cæſa, qua maiorem non meminerant, veſtigium ſanguinis toto campo nullum viſum, idem Rodericus ait. Rex ipſe Maurus, Zeiti fratris monitu, fuga ſalutem petiit, mulo vectus Biatiam. inde iumento mutato Giennium eadem nocte peruenit. ſub occaſum Solis caſtra hoſtium capta. ſpolia ab Aragoniis lecta, reliquis fugientes inſequentibus. Mauri Regis ſupellex, quæ intacta ſola permanſit, a Diegho Haro æquis partibus Vaſconum Regi, Aragonioque eſt data. ſericum tentorium rubro colore, in quo Rex barbarus tendebat, Aragonio ceſſit, Alfonſi Caſtellæ Regis permiſſu: cum gloriæ tantum auidus, belli præcipuum decus ſibi retineret, cætera ſociis libenter conceſſit. Reliquam prædam in medium conferri, ac pro cuiuſq; virtute diuidi, vt res exigebat, viſum non eſt: ſed cuiq; habere permiſſum, quod ipſe abſtulerat. nam metus ſeditionis ſuberat: & gratius id fore cogitabant, quod ſua quiſque manu ceperat, quam ſi multiplicatum ex communi præda redderetur. Multum ad victoriam contuliſſe, crucis ſignum vario colore in aere ſub ipſum conflictum viſum quidam ſcribunt. negant alii argumento, quod Rodericus Præſul de re tanta nihil meminit: ne Rex quidem ad Innocẽtium Pontificem iis litteris, quas de belli ſumma conſcripſit. Conuenit Paſchaſium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extatq; ſepulchrum eius in S. Luciæ ſacello templi maximi Toletani) crucem quam Roderico Præſuli de more præferebat inſignem, per hoſtium cuneos, ſemel & ſecundo circũtuliſſe, euaſiſſeq; incolumem: tametſi telis omnibus petebatur: multæq; ſagittæ crucis haſtili confixæ ſunt. Ea re noſtris animus creuit, Maurorum concuſſa mens eſt. Haſtæ & ſagittæ hoſtium tanta multitudine repertæ, vt duobus diebus, quibus piorum exercitus iiſdem in locis hæſit, lignorum vſum exhibuerint excitandis ignibus, cibis condiendis. ac ne cõburi quidem omnes potuerunt, tametſi ſtudium adhibebatur. Victoriam cõtinuo in omnes partes fama primum, deinde alii ſuper alios aduenientes nuncii vulgarunt. Barbaris luctus ingens fuit, non tantum præſentis mali ſenſu, ſed etiam metu impendentis periculi. Inter noſtros feſti celebreſq; dies ludis, cõuiuiis, omni magnificentia, hilaritate, comitate, gratulationeq; agitati, non tantum in Hiſpania, ſed etiam ab exteris nationibus: eo propenſius quod res prope metum fuerat. Nunquam Chriſtiani nominis gloria maior viſa: neq; Chriſtianæ nationes functiores vllo tempore fuere. Hiſpani quoq; gloriam antiquorum exæquaſſe viſi ſunt. Rex ipſe Alfonſus diuina ſtirpe genitus, ſupraq; mortalem conditionem haberi cœptus. Vaſconum Rex vt tantæ victoriæ monimentum eſſet, ad rubrum clypeum, quo maiores vtebantur, catenas circum limbũ addidit, in medio æquore ſmaragdum: cum catenas perrupiſſet primus, quibus caſtrorum ea pars, vbi Rex barbarus tendebat, munita erat. Alfonſus ipſe ad vetera Caſtellæ Regum inſignia, arcis figuram auream adiunxit in rubro ſcuto, vt nonnulli præſtanti eruditione viri ac diligentia confirmant. negant alii, indicio veterum diplomatum, quibus turris inſignis, ante hoſce annos Regum Caſtellæ inſignibus expreſſa eſt. Haud multo maiori fide nixum eſt, quod cuiuſdam hiſtorici teſtimonio à nõnullis inuenio affirmatum: ex hoc tempore in Hiſpania, religionẽ à carnibus abſtinendi diebus Sabbathi, ac inteſtinis tantum & extremis animalium partibus veſcendi ſuſceptam eſſe: veteri more, quem Gotthi ex Græcia traſtulerant, vnde ſacra primum acceperunt, hoc temperamento

emollito. Conuenit nobiliſſimam victoriam, ac qua nulla clarior extitit in Hiſpania, non humanis viribus, ſed ſuperûm magis ope partam: quos caſtiſſimis precibus & votis toto orbe Chriſtiano propitiandos curarant: Romæ præſertim, vbi ad omnia altaria ſupplicationes habitæ erant. quo ſynceriori cultu diſcreti agminibus & templis, ad quæ eundum erat, viri, fœminæ, ſacrat. homines, atq; profani. Pontifex ipſe aderat, omnium ordinum concitator. Extant de re tota eius ad Alfonſum Regem litteræ cum primis graues & elegantes.

Huic bello finis imponitur. CAP. XXV.

AD HOC bellum profecti ſunt Epiſcopi, Tellius Palentinus, Rodericus Seguntinus, Menendus Vxamenſis, Petrus Abulenſis, Dominicus Placentinus, Garſias Frontinus Turiaſonenſis, Berengarius Barcinonenſis. Procerum numerus iniri non poterat. Magiſtri militum Arias Iacobitarum, Rodericus Diacius Calatrauæ, Gometius Ramirius Templariorum. præterea Ioannes Gelmirides Hoſpitalariis in Hiſpania Præfectus. Gometius Manricus, Alfonſus Meneſius, Gonſaluus Gironius, Enecus Mendozius Cantaber Dieghi Hari propinquus (nunc primum in hiſtoria Hiſpanica Mendozīæ gentis mentio.) præter hos Comes Fernandus Lara claris maioribus egregius ipſe, ampla ditione, & multis clientelis potens. ex Caſtella hi. Ex Aragonia, Garſias Romerus, Semenus Coronelius, Aznarius Pardus, Guilielmus Peralta, aliique viri principes, Aragonium Regem ſecuti. ante omnes Dalmatius Creſſelius, Emporitanus patria: à quo propter inſignem rei militaris peritiam, ſingularem virtutem, noſtras acies ad pugnam inſtructas, Aragonii ſcriptores tradunt. In Vaſconibus Garceſius Agōcillus, Garſias Almorauides, Petrus Leetus, Petrus Arronicius, Ferdinandus Montacutus, Semenus Aiuarius, ad hoc bellum virtutem, induſtriam, belliciaſq; artes attulerūt. Omnino tertio poſt victoriam die, mota noſtrorum caſtra. Ferralium oppidum (nam ad Mauros redierat) Bilches, Balnea, Toloſa (vnde huic bello nomen) prælidiis occupata. Victoribus omnia prona erant, aſpera victis. Biatia ciues deſerta cum deſperatione concepta Vbedam aufugiſſent, in poteſtatem redacta. pauci templi maximi munitione confiſi, ſe dedere recuſantes, admoto igne cum ipſo templo conſumpti ſunt. Octauo poſt victoriam die, Vbeda ipſa vi capta eſt: cum ciues vim auri Regibus offerrent, vt pace vterentur: Epiſcopi negarent, impię genti parcere fas eſſe. quę vicit ſententia, atq; in miſeros ciues promiſcua cæde graſſatum. pars in ſeruitutem abacta. præda omnis militi ceſſit. eoq; facto barbaris metus incuſſus: exercitus diuturno labore fatigati, redemptæ voluntates. nam feſſi morbis erant, cœliq; intemperiem incuſabant. Itaq; iniquiſſimo tempore coacti Reges ſunt, in mitiores regiones exercitum reducere. In reditu ad Calatrauā Dux Auſtrię obuiam factus eſt cum ducentis equitibus, quos virtutis oſtentandæ cauſa, ad bellum ſacrum ducebat. Rex eum Aragoniæ, quoniam ſanguine propinquus erat, redeuntem in patriam ad extremam Hiſpaniam proſecutus eſt. Vaſconum Regi quatuordecim oppida iuris controuerſi, ob memoriam veteris imperii lubrica fide (nam paulo ante erepta erant) reſtituta ſunt. id nauatæ operæ præcipuum præmium fuit. Alfonſus Caſtellæ Rex, vtroque Rege dimiſſo, Toletum triumphantis in modum inuectus eſt, inter feſtas ciuium acclamationes, plauſumq; & gratulationem populi. Numini primum pro diuino beneficio gratiæ actæ. deinde perpetua lege ſancitum, eius victoriæ memoriam quotannis ſeptimodecimo Kal. Auguſti celebrari, Mauricis vexillis explicatis, omniq; lætitiæ ſignificatione: feſto die, cui triumpho ſanctæ crucis nomen eſt inditum. Otii Rex impatiens, & victoriæ vrgendæ cupidus, proximo ineunte anno rurſus in fines hoſtium incurrit. Donnias oppidum Mauris ereptum, Calatrauæ militibus dedit. arcem Eznauexoram D. Iacobi militibus. Alcaraſſum modicam vrbem in Marianorum montium complexu, arduo atq; præcipiti colle ſitam, bimeſtri obſidione oppreſſam ad quintumdecimum Kal. Iunii, die Mercurii, pridie eius diei, quo aſcendentis in cœlum Chriſti Dei memoria recurrit, vi expugnauit. aliquot præterea oppida ignobiliora eo tractu capta. His rebus patratis Alfonſus, inter Europę Principes clariſſimus effectus Toletum rediit: vbi Eleonora vxor, Berengaria filia, atq; hęres regni futurus Henricus, tunc decem annos natus, Regis aduentum operiebantur. Ludis ac hilaritate cuncta in ea ciuitate plena erant. Tametſi ſiccitate & inopia frugū inſignis annus fuit Carpetanis maxime. nouem menſibus nunquam pluiſſe memorant. præcipuo agreſtes damno, victus quærendi cauſa, paſſim deſerebant agros, in alias regiones migrantes. grauiſſima ea ab omni memoria calamitas extitit, in paucis memorabilis. Extant de huius belli ſumma victoriaq;, Alfonſi Regis, & Innocētii Pontificis litteræ inter ſe miſſæ, mutuæ gratulationis cauſa. Regiæ litteræ ſi ad calcem huius libri ſubiicerentur, operępretium me facturum exiſtimaui, quoniam in iis totius belli ſumma comprehēſa eſt, SANCTISSIMO

Patri

Patri & Domino Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici, Alfonſus eadem gratia Rex Caſtellæ & Toleti cum oſculo manuum atq; pedum ſalutem. A ſanctitate veſtra credimus nõ exceſſiſſe propoſitum impugnandi Sarracenæ gentis perfidiam, vobis per noſtros nuncios deuote & humiliter intimaſſe, in omnibus tanquam patris & domini veſtrum ſubſidium expectantes: q; ſicut à patre nos recognoſcimus benigne & pie pariter impetraſſe. Quocirca, cum litteris noſtris nuncios noſtros, quos ad hoc exequẽdum idoneos reputauimus ad partes Franciæ non diſtulimus deſtinare. addentes etiam, vt omnibus militibus venientibus ad bellum, & omnibus ſeruientibus, prout decebat, expenſas victui neceſſarias largiremur, quibus poſſent cõmode ſuſtentari. Vnde fuit, quod audita remiſſione peccatorum, quam vos venientibus indulſiſtis, venit magna multitudo militum de tranſmontanis partibus. necnon & Archiepiſcopi Narbonenſis & Burdigalenſis, & Epiſcopus Nannetenſis. Fuerunt qui venerunt vſq; ad duo millia militũ, cum ſuis armigeris, & vſq; ad decem millia ſeruientium in equis, & vſque ad quinquaginta millia ſeruientium ſine equis. quibus omnibus nos oportuit in victualibus prouidere. Venerunt & illi amici noſtri & cõſanguinei Rex Aragonum & Nauarrę cum potentatu ſuo in fidei catholicæ auxiliũ & iuuamen. quibus nobiſcum aliquanto tempore apud Toletum facientibus moram (expectauimus quippe homines noſtros, qui venturi erant ad bellum) omnia neceſſaria, prout per nuncios noſtros promiſimus, non defecimus miniſtrare: licet expenſæ eſſent propter ſui magnitudinẽ nobis & regno noſtro fere importabiles & oneroſæ. non enim tantum in his quæ promiſeramus, verum & in pecuniis, ſpecialiter in dextrariis, quibus fere omnes tam milites quam ſeruientes indigebant, nos oportuit prouidere. Sed Dominus qui multiplicat incrementa frugum iuſtitiæ, miniſtrauit nobis abunde ſecũdum ſuæ gratiæ largitatem: & dedit omnia poſſe perficere pariter, perfecte & abunde. Congregata itaq; noſtra & ſuorum multitudine viam Domini ſumus ingreſſi, & cœpimus proficiſci. & venientes ad turrim quandam, quæ Magalon nuncupatur, ſatis munitam, Vltramontani antequã noſtri peruenerũt per vnum diem in illam & cum Dei auxilio impugnare cœperunt incontinenti. Licet autem nos eis omnibus neceſſariis latiſſime prouidimus, ipſi tamen attendentes laborem terræ, quæ deſerta erat & aliquantulum calida, voluerunt ab accepto propoſito recedere, & ad propria remeare. Tandem ad magnam inſtantiam noſtram & Regis Aragonum proceſſerunt vſq; ad Calatrauam, quæ non diſtabat à prędicto caſtro niſi per duas leucas. Tamen nos ex parte noſtra, & Rex Aragonum ex ſua, & ipſi ex ſua, in Dei nomine cœpimus expugnare. Sarraceni autem qui intus erant attendentes ſe Dei exercitui non poſſe reſiſtere: diſpoſuerunt nobis villam tradere, ita quod perſonæ eorum ſaluæ diſcederent, veruntamen ſine rebus. Cumq; nos iſtud nulla ratione vellemus acceptare, Rex Aragonũ & Vltramontani habentes ſuper hoc conſilium, viderunt villam eſſe munitam muris & antemuralibus profundis foſſatis, & excelſis turribus: & q; non poſſet capi, niſi ſuffoderentur muri, & ſic ruerent: q; cederet in graue damnum fratribus terræ ſanctæ, quorum fuerat, & non poſſent ſi neceſſitas incumberet retinere: vnde apud nos inſtiterunt firmiſſime, vt villa ſalua & integra cum muris & magna copia victualium, quæ ibi erãt, quibus ſatis indigebat exercitus, nobis redderetur: & perſonæ Sarracenorum vacuæ & inermes diſcedere permitterẽtur. Nos autem attendentes in hoc firmam voluntatẽ, votis eorum annuimus. Itaq; medietas omnium eorum quæ intus erant cederet in partem Regis Aragonum, & alia medietas in partem Vltramontanorum: & nec nobis neq; noſtris aliquid voluimus retinere. Ipſi autem propoſitum repatriandi apud ſe retinentes, licet dominus Deus nobis exhiberet gratiam & honorẽ, & nos vellemus omnibus eis ſufficientiſſime neceſſaria miniſtrare, deſiderio patriæ coacti, omnes pariter ſigno crucis relicto cum Archiepiſcopo Burdigalenſi & Epiſcopo Nannetenſi, licet certitudinem de bello Sarracenorum haberemus, ad propria redierũt, exceptis admodum paucis qui permanſerunt cum Archiepiſc. Narbonenſi & Tibaldo de Belecon, qui naturalis noſter erat cum quibuſdam aliis militib. qui erãt de Pictauia. & hi omnes qui remanſerunt erant vix inter milites & ſeruientes centum quinquaginta. de peditibus autẽ eorum nullus remanſit. Cumq; Rex Aragonum apud Calatrauam morã faceret expectando quoſdam milites ſuos & Regem Nauarræ, qui nondũ ad nos peruenerant: nos cum noſtris proceſſimus & peruenimus ad quoddam caſtrum eorum, q; Alarcos dicitur. iſtud caſtrum licet bene munitum eſſet cepimus: & alia tria caſtra: quorum vnum dicitur Caracdaia, aliud Beneuentum, aliud Petrabona. Inde procedentes peruenimus ad Saluaterram: ibiq; peruenerunt ad nos Rex Aragonum, qui de ſuis hominibus non duxit niſi tãtum milites generoſos: & Rex Nauarræ qui ſimiliter vix fuit in exercitu de ſuis pluſquam ducẽtis hominibus comitatus. & quia Rex Sarracenorum in vicino erat nobis, Saluaterram noluimus expugnare, ſed procedentes contra Sarracenorum multitudinẽ peruenimus ad quæ-

» dam montana, in quibus non erat trãſitus aliquis niſi in certis locis. cumq; nos peruenimus ad pedẽ illius montis ex parte noſtra, Sarraceni venientes ex parte alia obtinuerũt ſummitatem montis, volentes nobis tranſitum impedire. Sed milites noſtri aſcendentes viriliter, quia adhuc pauci Sarraceni ad locũ illum peruenerũt, eos cum auxilio Dei viriliter expulerunt: & caſtrum quoddam munitum, q̃ propter tranſitum impediendũ Sarracenorum Rex conſtruxerat, ceperunt, q̃ Ferrat dicitur. Quo occupato exercitus Domini ſecure potuit ad cacumina montis aſcendere: vbi multũ laborauit propter inopiam aquarũ & loci crudelitatẽ. Sarraceni videntes q̃ tranſitum illum occupare non poſſent, alium tranſitum, qui erat in deſcenſu montis, arctiſſimũ occuparunt. talis quippe erat, q̃ mille homines poſſent defendere omnib. hominib. qui ſub cœlo ſunt. & iuxta tranſitum illum ex altera parte erat totus Sarracenorum exercitus, & ſua tentoria iam fixa. Cumq; nos facere morã ob defectum aquæ non poſſemus, neq; tranſire propter tranſitus difficultatẽ: quidam ex noſtris conſuluerunt, q̃ iterum ad pedem montis deſcenderemus, & ad duas vel tres dietas alium tranſitum quæreremus. Nos autẽ attendentes fidei periculum, & perſonæ noſtrę dedecus, noluimus huic parere conſilio. eligentes potius in difficultate mori pro fide, quam faciliorem tranſitum quærendo, qualitercunq; in fidei negotio retroire. Cumq; iam quidem firmauiſſemus propoſitum, ad indiciũ cuiuſdam ruſtici, quem Deus inſperato miſit, in eodẽ loco alium tranſitum ſatis facilẽ magnates viri, qui primos ictus in bello obituri erãt inuenerunt: & in quodam loco exercitui eorũ vicino, licet aridus eſſet & ſiccus, Sarracenis tamen ignorantib. tentoria poſuerunt. Quod cum Sarracenorum exercitus attendiſſet, proceſſit vt manſionẽ illam impediret. Noſtri autẽ licet pauci eſſent, ſe viriliter defenderunt. Nos autẽ & Rex Nauarrę & Aragonum armati cum militib. noſtris in loco primę manſionis, quæ erat in ſummitate montis, expectauimus donec totus exercitus Domini peruenit ſecure ad locũ, vbi anteriores noſtri caſtrametati ſunt & ita dante Domino factũ eſt: licet via eſſet inuia & inaquoſa, lapidoſa & nemoroſa, nihil de noſtris amiſimus. Hæc autem factum eſt die Sabbathi 17. Kal. menſis Auguſti. circa ſerotinam vero horam Sarraceni attẽdentes q̃ omnia tentoria noſtra tute fixeramus, diſpoſitis aciebus ſuis venerunt ante loca caſtrorũ: & ibidem quędam præludia belli in modum torneamenti cũ noſtris exercuerũt. attendentes vero illi q̃ nos illa die nollemus habere bellũ, ad caſtra ſua reuerſi ſunt. Sequẽti autem Dominica ſummo mane venit Sarracenus cũ infinita multitudine diſpoſitis aciebus ſuis. Nos autẽ volentes conſiderare multitudinẽ gentis ſuę & diſpoſitionem & ſtatum, & qualiter in omnib. ſe haberet, habito prudentũ virorum cõſilio & in his exercitatorum, expectauimus ſequentẽ diem Lunæ. Ipſis autẽ ſic exiſtentib. poſuimus milites noſtros cũ peditib. vt extremos agminis noſtri non poſſent in aliquo moleſtare: q̃ quidem diuina fauente gratia ſic euenit. Secunda die ſcilicet ſecunda feria, omnes in Dei nomine armati p̃ceſſimus diſpoſitis aciebus, cũ eis pro fide catholica pugnaturi. Ipſi autẽ promontoria quędam obtinuerunt valde ardua & aſcenſu difficilia, propter nemora quæ inter ipſos & nos erant, & propter alueos torrentiũ profundiſſimos. quæ omnia nobis erant magno impedimento, ipſis vero maximo adiumento. Veruntamen ille à quo omnia in quo omnia, fecit mirabiliter: & direxit manus ſui exercitus cõtra inimicos ſuos. & anteriores noſtri, nec non & medii multas eorũ acies, quæ in minorib. promontoriis exiſtebant, virtute crucis dominicæ proſternauerunt. Cum autẽ perueniſſent ad extremam aciem eorum, equidẽ infinitę multitudinis, in qua Rex Carthaginis erat: ibidẽ difficillimos conflictus militũ, peditum, & ſagittariorum inuenerunt: quos ſub maximo periculo, & vix etiã poterãt tolerare. Nos autem attendentes bellum illud, eis omnino incomportabile, impetu equorum proceſſimus ſigno crucis dominicæ præeunte, & vexillo noſtro: in quo erat imago B. Virginis & filii ſui in ſignis noſtris ſuppoſita. Cumq; iam nos pro fide Chriſti mori conſtanter eligeremus, attendentes crucis Chriſti & imaginis ſuæ matris ignominiã, quas lapidib. & ſagittis irritãtes petebant, in arma furientes aciem illorũ infinitæ multitudinis diuiſimus. & licet ipſi eſſent cõſtantes in bello & firmi ſuper domino ſuo, Dominus illorũ aciem infinitæ multitudinis crucis ſuæ gladio trucidauit, & ſic Rex Sarracenorum cũ paucis in fugam conuerſus fuit. Sui autẽ impetus noſtros interim ſuſtinebant. ſed ſtatim poſt maximã ſtragem ſuorum, reliqui in fugã conuerſi ſunt. Nos autẽ inſequentes eos vſq; ad noctẽ: plures tamẽ inſequendo interfecimus, quam in bello. & ſic bellũ Domini à ſolo Domino & per ſolũ Dominum eſt feliciter conſumatum. Deo autẽ honor & gloria, qui cruci ſuæ dedit victoriã, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Fuerunt autẽ milites Sarraceni, vt poſtea vera relatione didicimus à quibuſdã Regis Sarracenorum, quos captiuos cepimus, centũ octoginta quinq; millia equitũ, peditum vero non erat numerus. Occubuerunt autem ex parte Regis Sarracenorum cẽtum millia armatorum & amplius ſecundum æſtimationem Sarracenorum, q̃

poſtea

poſtea accepimus. De exercitu autem Domini, quod non ſine grandi gratiarum actione recitandum eſt, quod incredibile eſt, niſi quia miraculum eſt, vix viginti quinq; Chriſtiani, aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! niſi de hoc dolendum ſit, quod tam pauci martyres de tanto exercitu ad Chriſtum martyrio peruenerunt. Vt autem magna eorum multitudo credatur: cum exercitus noſter in caſtris eorum poſt bellum, biduum fecerit moram, ad omnia incendia, quæ neceſſaria erant in coquendis cibis & pane & aliis, non combuſſerunt alia ligna niſi de ſagittis & lanceis eorum quæ remanſerunt, & vix potuerunt comburere medietatem. Cumq; Dei exercitus propter longam moram factam in locis eremis & incultis deficeret in victualibus & aliis, ibidem tantum inuenerunt tam ciborum quam armorum, nec non etiam dextrariorum & aliorum iumentorum copiam: quæ accipientes vnuſquiſque ad ſuam de ſuis omnibus voluntatem, plus ibi dimiſerunt ex magna abundantia, quam ceperunt. Tertia autem die procedentes venimus ad quædam caſtra eorum, ſcilicet Vilches, Vanos Toloſam, quæ incontinenti cepimus. Tandem peruenimus ad duas ciuitates, quarum vna Vbeda dicitur, altera Baetia, quibus non erant maiores citra mare, præter Cordubam & Hiſpalim. Quarum alteram, ſcilicet Baetiam deſtructam inuenimus. ad alteram vero ſcilicet Vbedam, quia ſitu loci & artificio fortiſſima erat, confugerat multitudo hominum ex omnibus villis adiacentibus. Cum enim illa villa nunquam ab Imperatore vel ab aliquo Regum Hiſpaniæ expugnata ſciretur, vel ſubiugata, in eadem ſaluare ſe corpora ſua credebant. ſed & hanc in breui diuina gratia fauente cepimus & funditus deſtruximus: cum non poſſemus habere tantam multitudinem, quæ ad illos ſaluandos ſufficere poſſet. & bene perierunt ſexaginta millia Sarracenorum. quorum quoſdam interfecimus, quoſdam captiuos duximus ad ſeruitium Chriſtianorum & monaſteriorum, quæ ſunt reparanda. Hæc igitur ſanctiſſime Pater vobis ſcribenda decernimus: pro auxilio toti Chriſtianitati impenſo gratias quas poſſumus exhibentes, & humiliter ſupplicantes, vt vos quem Dominus ad ſummi ſacerdotii gradum elegit, ei cum ſacrificio laudis pro ſalute populi immoletis.

LIBRI VNDECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER DVODECIMVS.

Albigenſes turbant Galliam. CAPVT I.

RES Hiſpaniæ pulchre & ex ſententia procedebant nobili victoria parta. Almohades quieſcebant memorabili clade oppreſſi, gens eatenus ferox ſuperbaque. noſtri barbariæ extirpandæ incredibili exardebant ſtudio. Quo tempore Galliæ atque Aragoniæ regna mota ſunt, initio à Toloſatibus facto. Nouæ de religione opiniones, prauumq; de rebus diuinis diſſidium, fœdam ac pernicioſam tempeſtatem cōcitauit: qua vtraq; gens multis annis ciuili ſanguine cruentata eſt. Non aliud Germanus ante ea tempora, aliud Hiſpanus de Deo, de immortalitate ſentiebat: vna erat Franci & Itali, vna Angli & Siculi, de rebus diuinis ſententia, eadem omnium mens, & oratio. Waldenſes paulo ante extiterant, praui homines, & nefarii: horum nunc ſectatores Albigenſes ſeu Albienſes, ingrata veteribus nomina, reipublicæ Chriſtianæ pacem & tranquillitatem turbarunt: cœleſtibus patrocinium, ſacerdotibus remittendi peccata, quod maioribus inauditum erat, poteſtatem detrahentes. neq; in Euchariſtia Chriſti corpus ineſſe, neq; aquam baptiſmi ad expiandū peccata vim habere exiſtimabant: preces pro mortuis & vota fruſtra ſuſcipi. Dei matrem virginem voce impuriſſima meretricem dicere ſoliti ſunt: vt Guillelmus Nangiacus, qui proximo ſeculo vixit in Gallia, teſtatum reliquit. Chriſtum Deum turpi conſuetudine cum Magdalena iunctum fuiſſe affirmabant. ſic Petrus Ciſtercienſis monachus, qui viſa in hiſtoriam contulit Innocentio Pontifici dicatam. longum eſſet rationem inire omnium, quæ inſigni procacitate in vulgus affirmare auſi ſunt. & eſt mendacium multiplex, ſimplex natura veritatis. In Aquitaniæ parte vbi Ca-

durci ſunt, vrbs Albis ſita eſt, quæ veteribus Alba Auguſta fuit, Cæſari Heluii in commentariis de bello Gallico, ad Tarnis fluminis ripam. agri optimi, vini, frumenti, glaſti, croci, cum primis Galliæ feraces. vnde eius vrbis Præſuli opimi prouentus. quanti nulli alii Galliæ Epiſcopo. Templum pulcherrimum & maximum in vrbe muro coniunctum, D. Cæciliæ nomine. homines minime mali, ingenio miti, atque humano. quæ virtutes in perniciem vertuntur, ſi deprauator exiſtat. terræ culturæ dediti, à commercio gentium externarum alieni: quod procul a mari in gremio Galliæ poſiti ſunt. In ea vrbe, vt nomen declarat (tametſi alii in Phocæenſi prouincia malunt Galliæ Narbonenſis parte, Toloſæ alii) nouus ille furor exortus haud longiſſimo ſpacio, vt eſt vulgus hominum in deteriora pronum, Galliam vniuerſam Hiſpaniæque partem inuaſit. Lucas Tudenſis Epiſcopus, qui eruditionis religioniſque ſtudio Romam, Conſtantinopolim, ipſamque Hieroſolymam abierat, reduxque in patriam nouam ſectam de ſcripto exagitandam ſuſcepit, in Hiſpaniam penetraſſe & Legionem vſque perueniſſe, vrbem in Calæcis ſitam, teſtis oculatus ſcripſit. Sed præſtat eiuſdem verba adſcribere: quoniam ad dignoſcendum hæreticorum ingenium, & fraudes prodeſſe nonnihil poterunt. Poſt deceſſum, inquit, reuerendi patris Roderici Legionenſis Epiſcopi, ſuper electione futuri paſtoris diſcordante voto, & ſtudio clericorum: inimici veritatis hæretici, qui ſemper ſitiunt diſcordiam clericorum, vt reperiant aditum, quo Chriſti oues mactent & perdant, ad hanc confluxerunt ciuitatem, tunc temporis carentem cuſtodia paſtorali. & quodam loco ſordidiſſimo, vbi multi egrediebantur ad exquiſita naturæ, fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi ſepultus quidam hæreticus, & quidam alius homicida, qui exigente iuſtitia viuus fuerat miſſus in foueam a iudicibus ciuitatis: eo quod proditione patruum ſuum interfecerat. eſt ibi præterea quidam fons, quem hæretici ſanguine polluerunt: vt ipſa aqua verſa in ſanguinē crederetur. Confluebant è diuerſis partibus populi, vt aſpicerent miracula, quæ fieri videbantur. veniebant plures, qui erant occulte muneribus ſubornati, alii fingentes ſe eſſe cæcos, alii claudos, alii dæmoniacos, alii ægritudinibus vexatos, & hauſta fontis illius aqua, ſe mõtiebantur recipere ſanitatem. Extumulantes etiam oſſa hæretici ſupradicti, qui Arnaldus vocatus fuerat, & ante ſedecim annos ſepultus in loco, Martyrem ſanctiſſimũ fatebantur. Plures clericorum ſimplicitate ducti, laicos in facto ſacrilego ſedulo adiuuabant: & ſuper fontem domum fortiſſimam conſtruxerunt. parabant oſſa dicti proditoris & homicidæ, communi conſilio eleuare, quia hunc quondam fuiſſe Abbatem ſanctiſſimum fatebãtur. Quid plura? q̃ callide fecerant, quibuſdam detegentes hæretici, deridebant fidem catholicam: & ſimili artificio fieri miracula in eccleſia coram ſanctorũ corporibus affirmabant. nõ defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana conſilia reuelauerãt, vt in hæreſim laberentur. Peruenit tandem conſilii denudatio ad fratres ſanctæ prædicationis, qui verbum Dei populis proponentes hortabantur ab hoc facto nefario pœnitere. inſtabant fratres minores, & clerici: ne populi, vota ſacrilega in loco ſordido immundis oſſibus exhiberent: & magis accendebantur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum: & fratres prædicatores, & minores ac clericos vniuerſos quia erant cõtrarii ſuis operibus, hæreticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis & publice aſſerebant, plus eſſe ſanctitatis, & miraculi in luto, & in oſſibus illis, quam in omnibus eccleſiis Chriſti: & in omnibus ſanctorum corporibus, quos fides catholica veneratur. circumadiacentes autem Epiſcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam: & fere nihil proficiebant: quia multorũ mentes inuaſerat diabolus, & inobedientiæ filios colligauerat. Quidam vero diaconus, qui feruore fidei flagrans, hæreticã præ cunctis præcipitiis oderat prauitatem, cum eſſet in ſancta vrbe Romana, & è narrantibus diſceret, quæ fiebãt in ciuitate Legionẽſi, turbatus eſt valde: & repedare ad patriam feſtinauit: vt ſe tantæ opponeret prauitati. Hic cum veniſſet Legionem, & plenius cognouiſſet de facto, quaſi in inſaniam verſus, cœpit manifeſte ciuib. exprobrare: & eos quaſi hæreticorum fautores redarguere: ira enim motus præ nimia, quia videbantur ciues recedere à lege Dei, cum ſe non poſſet cohibere, prohibẽtibus amicis, qui de illius interitu formidabant, acceſſit ad conciliũ: & cœpit proponere q̃ infamia huius facti Hiſpaniam totã polluerat. & vnde conſueuerant oriri leges iuſtitiæ, eo q̃ eſſet ciuitas caput regni, inde hæreſis pullulabat. addidit etiam, q̃ non daret Dominus pluuiam ſuper terram, vſq; dum fanum deſtrueretur, quod conſtruxerant, & quæ venerabantur oſſa proiicerent. ſi quidem à tempore quo nefariũ cultum inchoauerãt, & per decem menſes anni non pluerat, & areſcebant omnia ſiccitate. Tunc iudex interrogauit dictum diaconũ in cunctorum præſentia dicẽs: Si domũ euertimus, dabit Dominus pluuiã ſuper terrã? diaconus plenus fide reſpondẽs dixit. Conferatur mihi poteſtas à vobis domum libere deſtruendi, & euertendi omnia quæ ſunt in ea: & in nomine Domini noſtri

Ieſu

Ieſu Chriſti ſpondeo, ſub periculo corporis, & omnium rerum mearum, quod vſq; ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluuiarum. dedit Dominus gratiam ſermonibus eius in conſpectu concilii: & accepta ſponſione ab ipſo, ei deſtruendi fanum, & omnia quæ in ipſo erant, poſſe liberum tradiderunt. Sed cum die ſequenti in manu hominum plurima fanum deſtrueret, & dicta oſſa confringeret minutatim, & inter humana ſtercora ſpargeret, cum iam poſt euerſionem omnium vellet quieſcere, quidam ſonus quaſi tubæ valide perſtrepentis, inter ligna deſtructionis inſonuit: vt in ipſo ſonitu relinquere inuite locum illũ diabolus crederetur. Sequenti vero die, pars ciuitatis non minima ſuccenſa eſt: & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos conſumpſit. quærebatur à multis dictus diaconus, vt interficeretur. quia cum promiſerit pluuiam, domus eorum incendio perierunt. inſultabant hæretici clericis, & diaconum dignum morte damnabant: & quod non plueret etiam poſt multum temporis, procaciter affirmabant. Dominus autem omnipotens miſertus populo ſuo, octaua die à fani deſtructione, pluuiarum abundantia terræ ſuperficiem irrigauit: & qui iam erant ſine ſpe frugum & fructuum ipſo anno percipiendi, eorundem copiam Dei miſericordia perceperunt. Concitauit poſt hæc dictus diaconus perſecutionem magnam contra hæreticos, & relicta ciuitate ſe fugæ miſerabiliter contulerunt. Hæc Lucas. quibus intelligitur nouæ hæreſis tabe Hiſpaniam fuiſſe infectam: tametſi vis mali in Toloſates potiſſimum incubuit. vnde illis exitium, Aragonio Regi cum eorum patrocinium ſuſcepiſſet, funeſtus exitus. vt conſequenti narratione aperietur.

Petri Aragonii Regis interitus. CAP. II,

ALBIGENSIVM ſecta à primis incunabulis, exortuq;, non populi multitudine tantum, ſed fauore etiam Principum armata fuit. Comitum Toloſani primum, deinde Fuxenſis, Biterarum & Conuenarum. accedebat Aragonii Regis patrocinium: quoniam hæ tres vrbes in eius fide erant, vt ſuperius eſt indicatum. Toloſæ Comes, præterea affinitate iunctus: nam tertiis nuptiis Eleonoram duxerat Aragonii Regis ſororem. filius Raymundus patri cognominis, qui ex ea gente poſtremus Toloſæ principatum tenuit, Sanctiam alteram Aragonii Regis ſororem connubio iunctam habebat. Ea ſuſcepti belli pro Albigenſibus cauſa fuit. tametſi Rex antea piorum cauſæ fauere viſus eſt: & Simoni Monfortio mutui amoris pignus, Iacobum filium educandum inſtituendumque tradiderat. nunc præceps ad bellum ferebatur. ea res metum prouinciæ, curam Romano Pontifici incutiebat, ne tantis præſidiis munita factio maiora indies incrementa ſuſciperet. nam vulgus nouarum rerum auidum, & nouæ ſectæ fraudibus circumuentum, veteri maiorum religione paſſim mouebatur, Medicinæ faciendæ modus aliquis quærebatur. pacis conſilia primum tentare viſum eſt: ſi quo modo agendo, moliendo hortandoq; poſſent à furore reuocari ad ſanitatē. Ergo prioribus annis Didacus Vxamenſis Epiſcopus Romam pietatis ergo profectus, viſa ex itinere Pontifici renunciarat: quantumq; periculũ inſtaret, niſi tempeſtiue remedium eſſet allatum: & cum eo Dominicus totius itineris comes. natus is Calarogæ erat, in Vxamenſi agro. iam nobiliſſimę familiæ Prædicatorum ab eo initio fundamenta ponebantur. Remiſſus vterq; in Galliam ad extinguendum incendium: quod indies magis augebatur. duodecim Abbates Ciſtercienſes ex Gallia adiuncti: additusq; eſt Legatus Pontificius, penes quem totius adminiſtrationis ſumma eſſet. Horum induſtria quantum proficiebatur magno hominum numero ab ea mente retracto, ac Dominici præſertim, cuius in ea functione edita non vno loco miracula extiterunt: tantum ex alia parte hęreticorum artibus populi multitudo corrumpebatur. Quis enim plebem in interitum concitatam, verbis & ratione poſſit retinere? quis perditiſſimos homines ab inſania deducere, quam obſtinata mente defixam habent? Excindi ferro debent, quæ ſanari non poſſunt: nihilq; tempeſtiua ſeueritate ſalutarius aduerſus id genus mali. Quod ergo reliquum erat, pacis conſilia belli apparatu terroreq; mutata. numeroſa militum multitudo ex Italia, Germania atq; Gallia ſpe venię, ſi crucem inſignem deſumerent, vt erat in more poſitum, ab Innocentio Pontifice ad arma excitati. Ab iis militibus Biteræ primum vi capta eſt, antiqua Volcarum ad Obrim ciuitas: ſeptemq; in ea hominum millia perempta. vindictam plerique cœleſtem interpretabantur, quo L. Trencauellum eius vrbis dominum ante duos & quadraginta annos obtruncaſſent, & cum eo vrbis Epiſcopum vulneraſſent. Eo ſeueritatis exemplo Carcaſo, quæ in hæreticorum poteſtate erat, deditionem fecit. ſontes pari ſeueritate vindicati. Ab iis initiis profici indies in melius videbatur. Dux multitudini deerat, cuius imperio deuincti milites maiori animo pro pietate pugnarent. Simon Monfortii, quæ vrbs in finibus Carnutum eſt, Comes offerebatur, inter Duces reliquos, & principes bellicis artibus, &

præcipua animi pietate præſtans. ad hunc cæteris cōcedentibus ſumma imperii delata eſt. eius ductu Minerua arx, Albis ciuitas, Vaurum municipium prope Toloſam, aliaq; oppida factioſis detracta. eodem belli impetu Toloſa vrbs circunſeſſa, capi non potuit, Toloſatis, Fuxenſis, & Conuenarum Comitum, qui in ea vrbe erant, virtute defenſa. Fuxenſis ditioni arma illata. Principum periculo Aragonius Rex in primis mouebatur: ne Simon Monfortius pietatis ſpecie (ſic ille ſuſpicabatur) ampliſſimam ditionem ſibi & poſteris pararet: vt nihil eſt mortalium animis fallacius, nihil exitialius ſimulata religionis ſpecie. Principes ſibi fœdere deuinctos, cōiunctos ſanguine in diſcrimine deſerere iniquum fore videbatur. Itaq; parta de Mauris inſigni victoria ad Caſtulonenſem ſaltum, vt paulo ſuperius dictum eſt, continuo de Gallica expeditione cogitare cœpit. Inuenio eū menſe Februario, ineunte
1213. ſalutis anno milleſimo duceenteſimo tertiodecimo, Toloſæ fuiſſe. de ratione belli deliberaturus ſcilicet iuerat. & proximo menſe Maio, Lerda, quo ſe retulerat, validis contractis copiis Galliam repetiiſſe. Adiuncti fœderati ex ea gente Principes: numeroſuſq; ex vtraq; gente conflatur exercitus. centum hominum millia ſub ſignis habuiſſe idonei auctores affirmant. Simon Monfortius Murellum arcem ad Garumnæ fluminis ripam, muniendam re, præſidioq; firmandam curarat: vt inſtar propugnaculi eſſet aduerſus hoſtium incurſus. hanc arcem oppugnandi voluntate fœderati Principes Toloſa profecti ſunt. Simon Monfortius raptim delectu habito, præſidio accurrit. Septem Epiſcopis, qui piorum caſtra ſequebantur, annitentibus Dominico & tribus Abbatibus tentata primum pacis ſpes: Rexq; ne fortunas ſuas cum impiis & ſceleratis, qui diris à Pontifice Maximo defixi eſſent, ſociaret admonitus eſt. cœleſtem vindictam ſi ſecus faceret comminati, orbis Chriſtiani inuidiam: nominis dedecus ſempiternū vtrauis fortuna partium. cum ſalutaribus monitis aures auerſas præberet, ad manus deuentum eſt. Simonem Monfortium octingenti equites, mille pedites ſequebātur, exigua pro hoſtium numero manus. cum iis facto agmine in hoſtium acies incurrere non dubitauit, tanto piorum ardore, aduerſariorum cōſternatione, vt momento temporis Comites in fugam cōpulſi fuerint, Rex ipſe obtruncatus. Aznarius Pardus cum Petro filio, Gometius Luna, Michael Lueſia Aragonii proceres vna occubuere. Cædes minor quam pro tanta victoria. Dignus ea clade Rex paſſim iudicabatur, q. pro impietate arma ſumpſiſſet quamuis ſententia ipſe, & appellatione catholicus à factioſis opinionibus abhorrebat, militaris diſciplinæ peritus, religionum diſcriminis ignarus. Certe promiſcuæ libidinis vitio reliquas virtutes, quæ in eo maximæ fuerunt, turpiter fœdaſſe viſus eſt, vxore innocentiſſima repudiata propinquitatis prætextu: & quoniam ſuperiore tempore Conuenarum Comiti iuncta connubio fuerat, illegitimo ſcilicet, & legibus vetantibus contracto: vti dati in cauſa ab Innocentio Pontifice iudices Romæ pronunciarunt: quo Regina ſe ad cauſam tuendā contulerat. tametſi ex eo priori coniugio Mathildis & Petrona natę erant: vt ex ipſis Reginæ teſtamenti tabulis intelligitur. In ea vrbe controuerſiæ exitum expectans morabatur, cum vir eius Aragonius Rex extinctus eſt. die Veneris, Idibus Septembris, prælium ad Murellum commiſſum. Regis corpus Hoſpitalariis militibus traditum, in Xixenæ monaſterio, vbi mater Sanctia ſepulta erat, tumulo eſt compoſitum.

Alfonſus Rex Caſtellæ defunctus. CAP. III.

IACOBVS Aragonii Regis extincti filius, quem vnicū ex legitima vxore reliquit, quatuor annos natus erat, cum pater occiſus eſt. Sanctius Ruſcinonis Comes, & Ferdinandus pueri patrui: hic profeſſione quamuis monachus, ille prouecta ætate, vt qui Alfonſi Regis frater eſſet, imperandi ambo dulcedine illecti, ambitioneq; corrupti, malignis artibus ad regnum nitebantur: plebiſq; & principum ſtudia conciliabant. Id ægre erat Epiſcopis & proceribus, ac præſertim Petro Aſagræ Albarracini regulo, paterna hæreditate innocentem puerum excludi, & in Simonis Monfortii poteſtate, captiui ad inſtar eſſe. communi conſenſu legati ad Innocentium Pontificem Romam amandati, puerum Regem expetitum. eius auctoritati Simonem haudquaquam repugnaturum arbitrabantur. commode id ceſſit: audita enim legatione Pontifex Petro Beneuentano Cardinali ipſius in Gallia Legato, id negotii vt præſens cognoſceret, demandauit: & ſi æqua petere Aragonios viſum eſſet, eorum poſtulatis & volūtati ſatisfaceret. Ceperat interea Simon Monfortius vi bem Toloſam: & in Præſulum Galliæ concilio, quod Petri Legati opera Mompellerii habitum erat, omnium eorum quæ bello capta quæſitaq; erant Princeps declaratus eſt: miſſuſq; ad Pontificem Ebrunenſis Præſul, vt concilii ſententiam ipſi probarent. Quo tempore in Hiſpania fame grauiſſima laboratum eſt: vti ante dictum eſt. inde crebræ in vulgus mortes: cum neceſſitas res etiam obſcœnas in cibum verteret. Rodericus Præſul Toletanus ſuis opibus,

opibus,aliosq; ſacris concionibus adhortando, vt egenorum calamitate mouerentur, multum contuliſſe viſus eſt: prorſus vt Alfonſus Caſtellæ Rex in extrema ætate eccleſiam Toletanam, quoniam apud eam tanquam in publico ærario, optime deponi theſauros cogitabat, noua multorum oppidorum ditione auxerit. Toletanum Præſulem iure perpetuo, legeque in omne tempus lata, regni Cancellarium eſſe confirmauit, datum ante ſeptem annos Martino deceſſori, vti eiuſdem Alfonſi diploma declarat. quo magiſtratu ſuprema & maxima auctoritas ſecundum Regiam olim continebatur. Burgis eo tempore Rex agebat: & Legionenſis Regis patruelis, cum quo grauis ſimultas erat, ex quo Berengariam vxorem repudiarat, cōciliandi in parteſque trahendi cura ſolicitabat. Valliſoletum mutui colloquii cauſa ventum. in eo colloquio offenſiones omnes vtrinque condonatæ oppida Carpium & Montem regalem Legionenſibus ablata, ne occaſio cōtrouerſiæ eſſent, euerti mandatum. Inde Rex Legionenſis in patriam rediens, Dieghum Harum ſecum Rege Caſtellæ concedente deduxit: quoniam eius opera vti cogitabat Mauris oppugnandis Dieghum Lupus filius & valida Caſtellanorum militum manus ſecuta eſt, magni nominis Ducem, earum Principibus, vulgo militum acceptum. Nō minor Caſtellæ Regem quamuis annis grauem, fractum laboribus, in extremaq; ætate cura ſolicitabat, impium regnum euertendi barbaris profligatis: quod tandiu ſubſtiterat in Hiſpania. fracti hoſtes metu debilitatiq; viribus erant ob ſuperiorem cladem, & recenti diſſidio in partes ſciſſi. ea res noſtris agendi opportunitatem præbebat. Prior Legionenſis Rex in hoſtium ditionem irruit, qua parte Legionenſi imperio finitima erat. agris, oppidis, villis illata vaſtitas. ad Tagi ripam in veteri Luſitania, Alcantara firmiſſimum oppidum captum, quod Calatrauæ militibus dono Regis ceſſit: vnde tanquam ex munitiſſima arce, atq; fortiſſimo propugnaculo, in hoſtium fines incurrerent ipſi, illorumq; impetus propulſarent. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit, tenue & inualidum, vt fere rebus magnis. cucullum & rubeam faſciam, qua longo tempore diſtingui conſueuerunt, Benedicti tertiidecimi, qui ſe Pontificem dixit, venia & auctoritate cruce viridi mutarunt, ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo vndecimo: cum Calatrauæ milites quibus olim ſubditi fuerunt, nunc vix contributi, rubræ crucis figura in candida veſte vtantur. Is exitus Legionenſis expeditionis fuit, aliquanto quam Caſtellanæ felicioris. Alfonſus enim Caſtellę Rex magnis delectibus tota ditione habitis, ex Vaccæis in Carpetanos rediit: Toletoq; profectus Conſaburonem & Calatrauam petiit. extremus is limes regni erat. inde in Bæticam penetratum. agri vaſtati. oppida capta, direpta, incenſa. Biatia (nam ad Mauros redierat) circunſeſſa. dum obſidio ducitur, Dieghus Harus cum Legionenſibus operam nauaſſet, ferox in caſtra venit. potiundę vrbis ſpem fortuna aduerſa deſtituit. publica famis calamitas hoc etiā anno Hiſpaniam oppreſſit, & ad alia mala Regem compulit commeatus inopia, ſoluta obſidione in mitiores regiones copias reducere. Cum Mauris induciæ factæ. quod illi beneficium ad occaſionem inteſtini diſſidii verterunt. Mahomad cognomento Viridis accepta ſuperiori clade abierat in Africam, ad ſubſidia belli colligenda, vireſq; reparādas, ſiue quia de rebus Hiſpaniæ diffidebat. Zeit Abenzeitus eius frater, nullo propinquitatis reſpectu Valentiam, Saguntum, & vicina loca imperio primus occupauit. idem facit Biatiæ & Cordubæ Mahomad Zeit Abenzeiti patruelis, cum ſe Abdelmone imperii gentiſq; conditore progenitū ferret, eius nepos ex Abdalla filio: ſibiq; omnibus ſermonibus, Africæ & Hiſpaniæ imperia arrogaret. Albullalis inter ſuos opibus & clientelis princeps, horum exemplo prouocatus nullo iure, niſi q; in armis eſt, Hiſpali imperium conſtituit, adiectis Carmona, Aſtigi, & Cæſariano. ſic Maurica potentia in plures partes diducta, dilacerataq; eſt, alioqui haud firmiſſima. Præclaram ea res occaſionem noſtris ſuppeditabat, impiæ gentis excindēdæ. cæterum Alfonſum Caſtellæ Regem, qui ea tempeſtate belli & pacis arbiter erat, non tantum annonæ difficultas a cogitatione belli ſacri abduxit, ſed etiam ſtudium Anglis opitulandi. propinquis & neceſſariis, qui de Aquitaniæ imperio periclitabantur, Francorum armis petiti rupto per iniuriam fœdere, quod inter vtranq; gentem ſtabat. Luſitaniam eo tempore Alfonſus eo nomine ſecundus cognomento Craſſus obtinebat, occupandis per vim iis oppidis, quæ à patre ſororibus legata erant, vehementer diſtrictus: prorſus vt Legionenſis Regis arma, cum Principum fœminarum iure propinquitatis, commiſeratione ſexus patrocinium ſuſcepiſſet, in ſe regnumque conuerteret. miſſus à patre Ferdinandus, in quo deinde & poſteris, Caſtellæ & Legionis regna perpetuo vinculo coniuncta ſunt, Luſitano aliquot oppida eripuit: quæ mox Innocentii Pontificis Romani opera & auctoritate pace facta, reddita ſunt. Inter hos motus Luſitaniæ Rex ab Alfonſo Caſtellæ Rege, & ſene & ſocero monitus eſt per legatos, vt mutui colloquii cauſa Placentiam veniret: habere ſe, quæ de rebus magnis cōferre cuperet. Luſitani Regis aduentū quoniam breui futurū non ſperabat,

interea Burgos abiit, in apparatum belli Gallici intentus. Pręclaros Regis optimi, & æquiſſimi conatus mors oppreſſit. cum enim Luſitani Regis conueniendi ſtudio Placentiam citato feſtinaret, ad oppidum Garſimunotium valetudine tentatus eſt, vim morbi alioqui grauiſſimi auxit vehementer nuncius à Luſitano Rege Placentiam ſe venturum negante, ac ad vtriuſque regni fines ſi tanti eſſet, acceſſurum ſe pollicente. Id eſt gentis ingenium cum multis, vt nulli primas concedant, neque amplitudine imperii, neque ætatis reſpectu moueantur: magnaſque agendi commoditates prætermittant, honoris contentione. forte, non ſatis fidendum ſocero Regi iudicabat, homini verſuto, & à multo rerum vſu callido, cunctaque ſolito priuata vtilitate metiri, vt plerique exiſtimabant. De ægroti ſalute cum medici deſperarent, Rodericus Primas, qui Calatrauæ relictus erat annona fameque procuranda, & re perfecta Burgos ſe ad Regem contulerat, noui itineris comes futurus, peccatorum confeſſione, quam ipſe ex ritu Chriſtiano excepit, Regem in extremo poſi-
1214 tum expiauit. Obiit teſtamento facto ſalutis anno milleſimo ducenteſimo quartodecimo. pridie Nonas Octobris, qui dies Lunæ fuit, memoria Fidei virginis ſacer. ſic Roderici Pręſulis hiſtoriam caſtigato, vitio librariorum ſæpe fœdam. Hic exitus Alfonſi fuit, militię domique clari Regis. multa ſolus proſpere, nihil fero magnæ rei Reges alii ſine illo fecerunt in Hiſpania. annis vixit quinquaginta ſeptem: è quibus, annis tribus & quinquaginta, diebus duobus & viginti regnauit. Defuncti corpus Olgas delatum. lugentium habitu funus proſecuti ſunt viri principes ex vniuerſa ditione, Eleonora Regina, Berengaria filia, Rodericus Præſul Toletanus. Acceſſere noua funera: quibus hic annus inſignis maxime fuit, Eleonoræ Reginæ, Ferdinandi Legionenſis, Dieghi Hari, Petri Caſtrii Ferdinando Caſtrio geniti. Regina pridie Kalend. Nouembris, die Veneris extincta eſt Burgis. dolor, quem de viri obitu ceperat, mortem acceleraſſe viſus eſt. cum quo coniunctiſſime vixit. morte, ſepulchroque iuncta eſt nepotibus felicior quam filiis. Ferdinandum ex Theraſia Rex Legionenſis genuerat, regia indole iuuenem. morte immatura non præſtitit qualem innatæ virtutes, oriſque decus promiſerant Regem. eo grauiori luctu prouinciæ, ad Compoſtellæ funus illatum. Petrus Caſtrius Marrocii obiit, forti opera Regi Legionenſi bellis ſuperioribus nauata, profectus in Africam, qua cauſa incertum, ſed in ea tam è vrbe deceſſit, ad quintumdecimum Kalend. Septembris. & erant à ſuperioribus annis, cum ea gente amicitiæ hoſpitiique iura à patre inita.

Caſtellæ, atque Aragoniæ motus. CAP. IIII.

EXCEPERE tempora turbulenta in Caſtella, atque Aragonia. minor vtriuſq; Regis, qui patribus ſucceſſerunt, Henrici, atque Iacobi ætas paſſim à proceribus contemnebatur. ea grauiſſimorum motuum occaſio extitit. plerique ſummæ rerum præeſſe cupiebant, & alieno nomine regnare: nonnulli etiam ſuo. id dum aſſequerentur, quid de ipſis fama loqueretur, quid pii & boni iudicarent, nihil penſi habebant. quid enim non efficiat concepta ſemel animo libido dominandi? Inter tot rerum fluctus reſpublica nauis inſtar rectore carentis ſæuiſſimis procellis agitata, in Aragonia maxime: vbi Sanctius & Ferdinandus Iacobi Regis patrui, haud obſcuris artibus ad regnum nitebantur. Erat in vtroq; fortitudo, auctoritas, ingenium, conciliandæ hominum gratiæ, & promerendæ mirum & efficax ſtudium. iura qui deeſſe poterant de regno litigantibus? Iacobum vterque illegitimis procreatum nuptiis excuſabat. Sanctius, Ferdinandum monachum eſſe, bello & rebus agendis inutilem dictitabat. Ramiri Regis exemplo, ſuam Ferdinandus cauſam tuebatur: & Iacobo excluſo diſputabat, ſanguine proximum eſſe. Omnino regnum in tres factiones erat diuiſum. pauci ſed in his optimus quiſque verum Regem ſequebatur, & ad Innocentium Pontificem legatos fuiſſe amandatos repetendi Regis cauſa paulo ſuperius dictum eſt. expoſita ii legatione, in Galliam ad Bernardum Cardinalem remiſſi ſunt, adiūcto Ebrunenſi Præſule cum mandatis: ita bello ſacro parta Monfortio Comiti dari, ſi Aragoniis ipſe ſatisfaceret Rege reddito, atque libertati reſtituto. Nec mora Pontificius Legatus, Monfortius Comes cognita Pontificis voluntate, Iacobum Carcaſone, vbi biennium detentus fuerat, Narbonem comitati ſunt, ſex tum annos & quatuor menſes natum. Iacobi patruelis Prouinciæ Comes Raymundus pari ætate ſequebatur, vt procul à Gallico tumultu in Aragonia educaretur. Narbonem, quoniam locis finitima eſt, regni proceres frequentes accurrerunt, Regis accipiendi, ſalutandi, proſequendique ſtudio. Omnia lætitia plena erant & gratulatione. promiſcuæ ætatis, ſexus, conditionis viri, fœminæ, pueri, venienti paſſim occurrebant. vota pro eius liberatione ſuſcepta publice, priuatim exoluebantur. Erat in puero oris dignitas, maiorque quam pro ætate ſtatura corporis: taciturnusque ex iis

rebus

rebus futuræ magnitudinis omen. Legato Pontificio, cuius ex ſententia cuncta procede-
bant, cum Regem comitaretur, viſum eſt regni conuentus Ilerdam conuocari, reipublicæ
conſtituendæ, regnique ſtabiliendi pacandiq; cauſa. frequentes proceres, & vrbium pro-
curatores die dicta cõuenerunt. Sanctius & Ferdinandus noluerunt venire. In iis conuen-
tibus, in pueri Regis verba iuratum à cunctis ordinibus. nouum id exemplum in Aragonia
erat, neq; prioribus Regibus inſtituendis vſurpatum: quod ab hoc initio deinceps in mo-
res abiit. Guillelmo Monredonio Templariorum militum in ea prouincia Magiſtro (lega-
tionis is ad Innocentium miſſæ princeps fuerat) Regis educandi, inſtituendique cura de-
mandata: Montioniſque arx delecta, vbi ab omni iniuria tutum fore iudicabant, dum fa-
ctionum ſtudia remitterent. Vaſconibus, quoniam Aragonios motus verebantur, à Cæ-
ſarauguſtanis ciuibus ius commercii datum, cum libera vltro citroque commeandi facul-
tate. Rex eorum Sanctius, non militaribus modo, ſed etiam ciuilibus muneribus magna ex
parte abſceſſerat, Tudelæ in arce ſe continens, & hominum congreſſum deuitans, bello
paceque inutilis. Hæc in exitu eius anni peracta, quo ad Tornacum, quæ ciuitas in Neruiis
ad Saldim eſt, Otho Imperator & Philippus Galliæ Rex inſigni prælio pugnarunt. Victi in
eo prælio Germani: & qui ab eis ſteterat Ferdinandus Flandriæ Comes à Gallis captus eſt.
Proximo ſalutis anno milleſimo ducenteſimo quintodecimo, Sanctio Ruſcinonenſi Co- 1215.
miti Regis Aragonii patruo, regni procuratio demandata eſt. ea reipublicæ pacandæ via
excogitata, auidum dominandi animum, in regni ſpem maxime accendit: maiorumque
tumultuum occaſio extitit, vti euentus declarauit. Neque multo meliori conditione res
Caſtellæ erant. Henricus vndecim tum annos natus, fratribus immatura morte ſublatis,
patri ſubſtitutus, imbecilla ætate, infirmo ingenio, Caſtellæ regnum obtinuerat. matre de-
functa, penes quam regni procuratio erat, Berengaria Legionis Regina pueri fratris æta-
tem regere, & rempublicam vniuerſam ex matris teſtamento cœpit adminiſtrare: virili
animo fœmina, maioriq; quam pro ſexu auctoritate. quam non tãtum regni copiis, ſed et-
iam ampla ditione tueri ſolita erat, Valliſoleti, Mugnonii, Curielis, Germatii, quæ oppida,
quo tempore in Caſtellam redierat ab Alfonſo Rege Legionenſi repudiata, patris dono
acceperat: vnde vitam principalem atque adeo regiam, nunc etiam regni procurationem
ſuſtentabat. Itaque Regem ciuilibus & bellicis artibus erudiendum curabat. regni proce-
res nonnullos cupiditate rerum nouarum tumultuari, & reipublicæ tranquillitatem tur-
bare ſatagentes, agendi dexteritate atque intentatis minis ad ſanitatem perduxit. caſtigan-
dis nouis flagitiis, & priſtinis moribus reuocandis operam dabat, ea animi magnitudine,
conſtantia, atque prudentia, vt reſpublica Alfonſum patrem nõ magnopere deſideraret.
Verum excellentis fœminæ inſtituta Laræ familia turbauit atque peruertit, regno aſſueta:
illectaq; ex eo vt fit, dominandi dulcedine. tres fratres germani Aluarus, Ferdinandus, &
Gonſaluus Nunnii Laræ Comitis filii, malignis artibus ad regni procurationem conten-
debant, Berengariæ ſexu deſpecto, Regis immatura ætate. alterius auctoritas fluxa erat, al-
terius nondum coaluerat. Impii conatus vt procederent ex ſententia, Roderici Primatis,
qui vnus & fraudes detegere, & obſiſtere vnus maxime potuit, profectione factum eſt.
Conuentus Præſulum ex toto orbe Chriſtiano Romæ tunc habebantur, Innocentio Pon-
tifice de rebus multis & maximis, incredibili Patrum frequentia: prorſus vt quadringenti
duodecim Epiſcopi eſſent: in his Archiepiſcopi vnus & ſeptuaginta, Patriarchæ Hieroſo-
lymitanus, & Conſtantinopolitanus, atque Antiocheni, Alexandrinique Legati. mino-
rum ſacerdotum numerus iniri vix potuit. Belli ſacri in Oriente inſtaurandi, atque motus
Galliæ componendi præcipua cura erat. In tantis nationum aliarum ſtudiis, tantaq; con-
ſternatione Rodericus Præſul occaſioni iuuandæ eccleſiæ deeſſe noluit. quin peregrina-
tione ſuſcepta Romam abiit, & Patrum concilio, quod menſe Nouembri inchoatum in
templo Lateranenſi eſt, interfuit. In eo conuentu orationem ad Patres habuit, Latina qui-
dem lingua conceptam, cæterum aliarum linguarum, quarũ expers non erat, Italicæ, Ger-
manicæ, Anglicanæ, Gallicæ, floribus, ſentẽtiiſq; ornatam, diſtinctam luminibus: vt mira-
culi inſtar Patribus eſſet, tantam Hiſpanum hominem linguarum facultatẽ aſſecutum eſſe,
quantã ab Apoſtolorum ætate, vlli homini negabant contigiſſe. Actũ præterea de primatu
eccleſiæ Toletanę, quem agnoſcere Tarraconenſis, Bracarenſis, Compoſtellanus, & Nar-
bonenſis Epiſcopi recuſabant. productę pro eccleſia Toletana veteres Pontificum Roma-
norum & conciliorum tabulæ. producta argumenta ab ipſa prima Hiſpaniæ ad Chriſtum
conuerſæ antiquitate: quæ in hominibus venerabilis, in vrbibus ſacra eſt. Roderici oratio-
nem cũ Bracarenſis, qui aderat, & Auſetanus Epiſcopus pro Tarraconẽſi refellere aggreſſi
eſſent: abeſſent alii, quorum intererat, lite integra diſceſſum eſt neutro inclinatis ſenten-
tiis. Roderico tantum Legati Pontificii partes per Hiſpaniam decennio implere datum

conceſſumq́;, ſi quando Hiſpalis piorum armis cederet, quod in ea Almohadum inclinatione & caſu fore propediem ſperabant, Toletano Epiſcopo ſubdita eſſet, quaſi Primati: prouocandi, contraq́; diſceptandi ſublata penitus facultate. Adiecta poteſtas trecentos filios nothos iure legitimo donandi: Epiſcopos & ſacerdotes in iis vrbibus creandi, quęcunque Mauris in Hiſpania eſſent ablatæ. Ex his rebus magnam Rodericus auctoritatem nactus eſt: quam litterarum ille atq; eruditionis, vt ea ferebant tempora. eximia opinione tuebatur. Extant de rebus Hiſpaniæ & Arabum gente hiſtoriæ, duobus ab eo conſcriptæ voluminibus, non omnino inelegantes. Duo Raymundi Toloſani Comites pater & filius, cum intereſſent concilio, atq; aduerſus Monfortium Comitem diſceptarent, lite conteſtata Patrum ſententia victi ſunt, principatuq; ſpoliati, quod cum impiis hominibus arma ſociaſſent. Simoni Monfortio nauatæ operæ præmium fuit Toloſa, aliaque oppida & vrbes bello quæſitæ partæq;. Is ad Regem Francum profectus, ſe ei ſanctiſſimi iuriſiurandi religione obſtrinxit, quaſi beneficiarius: oſculumq; vtrinq; delibatum eſt perpetuæ amicitiæ pignus. verum cum ſuſcepto principatu Toloſam, Carcaſonem, atq; Narbonem mœnibus nudaſſet ciuium diffidens voluntatibus, atque vectigalia grauiſſima imperaſſet, ſubditos abalienauit (& eſt auaritia in imperio ſemper exitiale malum) prorſus vt Raymundi filii armis multa oppida continuo ad Rhodanum ceſſerint: & aliquanto poſt Toloſa ipſa princeps ciuitas venit in poteſtatem. Profugos & egenos Principes, multi tota Gallia reguli, & ex Catalaunia non pauci viribus & copiis adiuuabant. Amiſſam vrbem Monfortius dum ſacro bello inſtaurato obſidet, expugnareque parat, lapidis ictu, tormento ex vrbe emiſſi peremptus eſt: vir longiori vita digniſſimus, conſilio acer, manu ſtrenuus, ſingulari pietate, atque magnitudine animi. filios reliquit fortiſſimos florenteſque iuuenes Aimericum, Simonemque. Tametſi Aimericus obſidione cõtinuo ſoluta, & partæ ditionis magna parte amiſſa, rerum geſtarum magnitudine, & fama paternam gloriam hauquaquam exęquabat. atque tantam belli molem viribus ſuis, inuidiamque populi ac magnæ partis Principum ſuſtinere poſſe diffiſus, iure ſuo Regi Franco ceſſit, ab eoque Magiſter equitum creatus eſt, haud æqua permutatione. Verum hæc triennio poſt geſta ſunt: ad ordinem temporum redeat oratio.

Laræ fratres Caſtellæ procurationem inuadunt. CAP. V.

GARSIAS Laurentius ciuis Palentinus audaci, callido, prompto ingenio, & pro vt animum incitaſſet, conſilio bonus aut prauus, agendi dexteritate in Berengariæ gratiam ſe in primis inſinuarat: & quod facillimum factu eſt, accommodatis officiis, adulandi ſcientia, bonis & modeſtis præferebatur. Laræ reguli ambitione dominandi æſtuantes, idoneum virum rati, per quem quod cupiebant, obtinerent, eum adeunt. quanto in periculo res eſſent, exponunt. Regis ætatem, Reginæ ſexum accuſant. facturum præclare, ſi pro ea auctoritate, quam obtinebat, Berengariæ perſuadeat, vti regni procuratione, quod neceſſe erat, quod res communes exigebant, vltro abſcederet. Id conſilium reipublicę ſalutare fore, Reginæ honeſtum, vtile ipſi: cui Tablada oppidum, in quod oculos coniecerat, nauatæ operæ certiſſima merces proponebatur. Ille promiſſo lætus impenſius etiam quam exigebatur promittit operam: nactuſq; opportunitatem, in Reginæ incautæ aures identidem inſuſurrat: Imperandi onus graue eſſe, fœmineis præſertim humeris impar. Eę voces, tãquam ſyncero miſſæ animo non ingratæ Reginæ erant priuatæ tranquillitatis & otii cupidę, neq; ignaræ grauiores caſus è faſtigio eſſe: ſtultũ alieno nomine ſua inuidia imperare velle. Addidit ille, Laræ fratres opibus & clientelis præualidos præ cæteris eſſe, male cogitantibus obſiſtere in primis poſſe: puerum Regem ſi in eorum contradat poteſtatem, rem conſultiſſimam facturam, regnoque vniuerſo gratiſſimam. Natura noſtra hoc quoque nomine praua eſt, quod præſentibus futura potiora fore arbitramur. Itaq; cum ad Gartiæ ſententiam Præſules & proceres accederẽt, pars in fraudem impulſi, pars fœmineum imperium auerſantes: Berengariæ facile perſuaſum, vt Regis & regni ſe procuratione abdicaret: & in Laræ fratres transferret. Redierat inter hæc Rodericus in prouinciam, Legati Pontificii poteſtate honeſtatus. in eius verba Laræ fratres iurare regni commoda compulſi ſunt; nemini ablaturos oppida & arces eorum fidei concreditas niſi Reginæ voluntate. finitimis Regibus bellum illaturos non eſſe: neq; noua imperaturos vectigalia. Berengariam Reginam eo loco habituros, quo par erat ſororem, filiam, & vxorem regiam. Recte proceſſuras res communes & priuatas eo icto fœdere videbatur: ſi quid ſanctũ ambitioſis hominibus eſſet. Omnino Aluarus Lara accepta poteſtate, cũcta in ludibrium vertit. Burgis enim, vbi fœdus factum eſt, diſcedens quamprimum, proceres quoſdam ſeu veris ſeu cõfictis cauſis

regno

regno expulit: templorum reditus inuadere: bona publica & priuata domum auertere: pa-
tronis eccleſiarum, iis præſertim qui è ſacrato ordine non erant, veterem adimere liberta-
tem, qua ſacerdotes nominare ſoliti erant. Diuini cultus reſarciēdi ſtudium facto præten-
debatur, multis partibus labefactati. omnia raptim & violenter agebantur: neq; legum ne-
que temporum, ac ne periculi quidem ratio habebatur, Ea res Rodericum Decanum To-
letanum Roderici Præſulis vicarium compulit, vt Aluarum ex ritu Chriſtiano anathema-
tis ignominia notaret. ea denunciatione compeſci tantiſper potuit, atq; adigi vti damna iis
qui pertulerant reponeret: iniquus animus vt penitus mutaret, ingeniumq; deponeret adi-
gi non potuit. Valliſoleti regni conuentus agitati, iis conuocatis ab Aluaro proceribus, qui
factioni fauebant. publicæ vtilitatis ſpecie vires confirmatæ aduerſus omnes caſus: publi-
caq; auctoritate & conſenſu peccandi licentia quæſita. Proceres alii, in quibus Lupus Ha-
rus Didaci filius, Gonſaluus Gironius Regiæ Magiſter, & fratres principem locum tene-
bant, cum doleret rempublicam ad vnius arbitrium verti, pluſque vnum p[...]ſſe quam reli-
quam nobilitatem, conſiliis communicatis Berengariam adeunt. queruntur procuratio-
nem abdicatam. periculum docēt, niſi mature ſuccurratur. b[...]no animo reipublicæ curam
abieciſſe fatentur: ſed quoniam pares rerum euentus non fuiſſent ad priora conſilia neceſ-
ſario recurrēdum, extorquendamq; regni procurationem Laris fratribus hominibus im-
modicis væſaniſq;. An ceſſatione, inquiunt, & tranquillitatis amore lud[...]brio eſſe rempu-
blicam patiaris? & prius peccatum meliori conſilio deſines emēdare? Quin regnum nobis
inſciis amentis hominis poteſtati permiſſum capeſſis? noſque & rempublicam imminenti
malorum procella liberas. armis enim tueri dignitatem, niſi in te aliquid præſidii ſit, habe-
mus præiudicatum. Tu vide, ne otii cupiditate te, nos, Regem, regnum & patriam prodi-
diſſe videaris. Mouebatur illa procerum oratione, agnoſcebat erratum. cupiebat muta-
re. verum ingenii imbecillitas, & impendentis mali metus retardabat, ſi tenentes arma de-
nunciatione noua irritaſſet. iuriſiurandi admonere ſatis habuit, quod peſſimus actionibus
violaſſe videbantur, inſolenti homines ingenio, feroci animo: prorſus vt Aluarus Lara pe-
culiari Reginæ ditione occupata, ipſam regno abire iuſſerit, inſignem audaciam, neque fe-
rendam contumeliam. ea videlicet gratia meritis exoluebatur. Regina, Eleonora ſorore
adiuncta Otellam arcem, quæ in Vaccæis non procul Palentia ſita eſt, ſe compegit. loci
munitione freta, eo ad fratris obitum ſe tenuit, adiuncta magna procerum parte. Gironio
regiæ procuratio detracta eſt, ſubrogato in eius locum Ferdinando Lara. ſic eius factionis
opes confirmabantur. hęc ſemina magni alicuius mali in Caſtella iaciebantur. Rex ſupra
ætatem prudens, tutorum audaciæ & temeritatis tædio euadere cupiebat, & ad ſororem
migrare. cæterum omnes aditus Aluari diligentia intercluſi erant. Atque quo maior gra-
tia eſſet, & adoleſcentis leniret animum, detineretque illecebris voluptatum: de nuptiis
Regis agere cœpit. Malfada Alfonſi Luſitani ſoror in coniugium expetita: reque per lega-
tos conſtituta Palentiam deducta eſt. in ea vrbe nuptiæ celebratæ. ægre id habuit Beren-
gariam. Regis immaturam ætatem voluptatibus debilitari neceſſe eſſe conſiderabat, at-
que corrumpi. Ex eius litteris Innocentius Romanus Pontifex exceptione propinquita-
tis cognita, diuelli coniugium, quod male cohæſerat, edicto mandauit, dira[...] niſi ob-
temperarent, minatus. rei perficiendæ cura Epiſcopis duobus demandata, Tellio Palenti-
no, Mauritio Burgenſi. Iis agentibus Malfada mulier quamuis effecta (ſic creditum eſt)
in patriam dimiſſa in Ruchæ monaſterio, quod ipſa condidit, vitam exegit ad vltimam
ætatem, religionis ſtudiis repulſæ ignominiam tolerans, Aluaro in primis irata: cuius
fraude non tantum in calamitatem impulſa erat, ſed & de coniugio appellare verius non
erat. felix & Regina paulo ante, mox ſerui ludibriis ſi conſenſiſſet obnoxia. Hæc ſalutis
anno milleſimo ducenteſimo ſextodecimo agebantur. quo anno, ſeptimodecimo Ka- 1216.
lend. Auguſti, Innocentius Pontifex Romæ obiit, vir iis corporis & animi virtutibus,
quantas paucis contigiſſe ſatis conſtat. præter alia, ingenium fuit in vtroque ſapientiæ ge-
nere, diuinæ atque humanæ eloquentiaque præcellens. Succeſſit Honorius eo nomine
tertius, domo Romanus. Quo Pontifice Maria Regis Aragonii mater Romæ defuncta eſt,
& ad ſepulchrum D. Petronillæ in Vaticano templo ſepulta. Is honor defunctæ fuit. ea re-
quies oſſibus procul à patria. viuentem varii curarum fluctus exagitarunt. manibus inſe-
riæ datæ regio apparatu, Chriſtiano more. Regni Aragonii, filiique Regis tutelam à mo-
riente enixe teſtamento commendatam Pontifex libenter ſuſcepit, geſſitque per totam
vitam accuratiſſime. Regis ætas præſidio indigebat. procerum ſtudia in diuerſum incita-
ta, ſapientiſſimi Pontificis prudentia frænanda erant. multa enim indies mouebantur: to-
taque prouincia omnibus partibus labefactari videbatur, & in præcipiti eſſe. Raymun-
dus Prouinciæ Comes ſuorum litteris ſolicitatus Montione, vbi cum Rege captiuū

inſtar erat, eo tantum conſcio clam cæteris, fuga elapſus naui longa, quæ in Salonio Tarraconis portu parata erat, in patriam abiit. Eius præſentia motus grauiſſimi pacati: qui ex procerum diſſidio impendere videbantur, tantum quoque ſibi in Republica arrogante, quantum viribus & potentia præſtabat. Hic eſt ille Raymundus, cui Beatrix nupta eſt Thomæ Mauriennæ (vnde Sabaudi Principes) Comitis filia. tres ipſe Reges generos habuit annis conſequentibus, quarum Cæſarem inaudita felicitate. Raymundi profectione vulgata, magna Monredonium cura inceſſit, ne ſimili arte Rex eriperetur de manibus. penes alios liberati Regis laus eſſet, ipſe inuidia flagraret, quaſi captiuum tādiu retinuiſſet. & alioqui grauitas viri & prompta libertas inuiſa multis erat. In eam curam intentus, tantæ rei cum dignitate perficiendæ cogitationes non explicabat. Petrum Aſagram pro eo ſtudio, quo Aragonios Reges coluit, & Petrum Ahoneſium ex prima nobilitate in conſilium adhibuit. iis auctoribus atque adiutoribus, Epiſcopi Aſpargus Tarraconenſis (Præſul hic Pompelonenſis fuerat) Guillelmus Turiaſonenſis, aliiq; viri principes Montionem aduocantur. Liberandi Regis, & in regni poſſeſſionem mittendi, tametſi nouē tunc natus annos erat, conſilia communicata. In eam rem, fœdus inter ſe menſe Septembri ſanciunt, per omnia ſacra Regis incolumitatem, tutelamq; iurati. Sanctius regni moderator, ferox verbis, & parta per ſcelus poteſtate ſuperbus, ac vix potens mentis, procerum molitionibus indicatis, vt nihil eſſe occultum poteſt in inteſtina diſcordia, Oſtro, inquit, viam omnem ſternam qua Regi progrediendum eſt: hoc eſt, vt prudentes interpretabantur, eius & comitum ſanguine. præ contemptu faſtuq; nihil auſuros arbitrabatur: & cum manu tamen militari Selgam oppidum in ipſo itinere poſitum acceſſit ad omnes caſus paratus. Ea res magnum egreſſo Regi timorem incuſſit: prorſus vt in ea ætate loricam indueret pugnandi animo. Sanctius, qua de cauſſa incertum, ſed cum victoria eſſet in manibus: nam pauci Regem comitabantur, genere tamen omnes factiſq; clariſſimi, certamē exhorruit. Deus illi mentem eripuit. Id initium ruinæ fuit, quæ breui præcipitauit. Rex Oſcam primum, deinde Cæſarauguſtam abiit. omnia ludis & lætitia plena erant, nullusque teſtificandæ voluntatis occaſionē vllam prætermittebat. Rege liberato magnæ res expediendæ erant, multis vis & metus intentandus. regii ærarii inopia præclaros conatus retardabat, tantis ſuperioribus ſumptibus, & tunc regni diſſidio penitus exhauſti. Catalauni eximia prouinciæ voluntate Bouaticum (quod genus tributi per boum iuga, gregum, & armentorum capita edicebatur, vnde nomen. & Petro Rege ſemel iterum & tertio exactum
1217 meminerant) Regi conceſſum anno milleſimo ducenteſimo ſeptimodecimo. tantum ex eo vectigali pecuniæ redactum, vnde aulæ ſumptus tolerari poſſent: & bello occurri ſi qui de Republica male cogitarent.

Henrici Regis geſta & mors. CAPVT VI.

INTER Berēgariæ Aluariq; diſſidia proceres & plebes in Caſtella diuerſis ſtudiis ac contrariis iactabantur. incertus erat rerum ſtatus. omnia verſabātur in tumultu. pars in partē armabatur. populationes, cædes, incendia, ſcelerum licentia volitabat. commotæ ſemel voluntates noua Aluari fraude amplius exacerbatæ ſunt. Erat Rex ea tēpeſtate Maquedæ Carpetanorū oppido. Berengaria de fratris incolumitate ſolicita, hominē mittit: qui diſſimulata cauſſa, de Rege viſa & explorata nunciaret. eo comprehenſo Aluarus fingit à Berengaria litteras allatas, ipſius annulo impreſſas, quib. Regis intimis perſuadebat, vti eum veneno tollerent. quo maior cōmento fides, innocenti homini gulam frangit. Id nimirum agebatur, vt Regi Berengaria in ſuſpicionē veniret, in qua præſidium erat: & ab ea diu alienaretur animo, cui maxime fidendū populus iudicabat. Ex eo tempore omnia in peius ruere, & præcipitare cœperūt: prorſus vt fraude cognita oppidani eū finibus facto agmine expulerint, perimere certi niſi ſe fuga Optā Regemq; ſubduxiſſet. eo Valuerdius quidam Regis rogatu miſſus à Berengaria, vt fugæ conſilia cōmunicaret, re indicata captus & ad Alarconiū in cuſtodiā miſſus eſt. Plures deinde ſed ignobiliores expeditiones factæ ſunt aduerſus eos qui Reginę fauebāt. Suerum Gironiū veteris proſapiæ hominē, & multarū imaginum, primum bello peti placuit. Valliſoleto, vbi Quadrageſimæ tēpore Rex fuerat cum copiis Montalegrū itum eſt, vbi ſe Gironius tenebat circumſeſſum oppidū. Gonſaluus & Alfonſus obſeſſi fratres opē ferre opportuno tēpore diſtulerunt. Regis id reuerentiæ datū eſt. quin eidē per feciales arcē expetenti Suerus vltro tradidit, quāuis integris virib. magna defenſionis ſpe. ſed regia maieſtas diuinæ inſtar veterib. Hiſpanis fuit: primaq; tūc officii & regis animi promerēdi cura erat. agris deinde finitimis illata vaſtitas. ad Carrionē mox abs rege ſtatiua habita. Ex eo loco Villalbā oppidum promota caſtra: vbi Alfonſus Meneſius erat, haud

haud minori quam Gironius nobilitate, modeſtia non eadem. Regi enim non tantum portas clauſit, ſed etiam obſtinato animo arcem defendit. tametſi improuiſo Regis aduentu, cum extra oppidum tenderet ferme oppreſſo, vulnus inflictum. cæſi ſocii. equi capti. His rebus peractis Palentiam Rex rediit. Tranquillæ res eſſe non poterant, in tanta temporum perturbatione, tantaq; inuidia, eius penes quem rerum poteſtas erat. Itaq; Calagurrim vrbem Cameris fratribus Roderico & Aluaro ablatam abs regiis eſſe tradūt, arcem prodente Garſia Sapata eius Præfecto : an vt tempori ſeruiret, an quoniam Regi præſenti quidquam denegare nefas eſſe credidit. In Lupum Harum Viſcaiæ regulum arma ſunt promota. qua ille iniuria prouocatus, poſt diſceſſum Regis cum valida militum manu Mirandam vſq; oppidum ad Iberum ſitum proceſſit. miſſus aduerſus eum Gonſaluus Aluari frater caſtra hoſtium caſtris oppoſuit. prælio ne dimicaretur viris ſanctis annitentibus factum eſt: quorum opera æſtuantia pectora ad mitiora conſilia reuocata. Inde Gonſaluus ad Regem ſe retulit. Lupus Otellam ad Berengariam abiit, Id oppidum abs Rege obſeſſum fuiſſe memorant: non tam voluntate ſua, quam Aluari fraude: ex cuius arbitrio belli paciſq; conſilia gubernabantur. Omnino re infecta Palentiam rediiſſe aiunt: actumq; de nuptiis Regem inter & Sanctiam Alfonſi Legionenſis ex priori coniuge filiam: pactaiq; ea lege, vt puella regni Legionis hæres eſſet, excluſo ſcilicet Ferdinando Berengariæ filio. quod nō arbitror. ſed non minor eſt hiſtoriæ per hæc tempora, quam reipublicæ perturbatio. Conuenit: Regem Epiſcopi ędibus hoſpitio exceptum, dum ludit cum ęqualibus in area domus, caſu repentino oppreſſum: tegulæ ictu comminutum caput. ex eo vulnere vndecimo poſt die, feria tertia, octauo Idus Iunias extinctus eſt, anno eius ſeculi ſeptimodecimo: magno fortunę ludibrio: quæ, quid ſibi non licere putet in rebus humanis ferox & improba, adoleſcente Rege ſublato in ipſo ætatis flore, in ipſo imperii limine, vix prima vitæ dulcedine delibata? A iuuene quodam è Mendozia gente tegulam miſſo è vicina turri lapide confractam eſſe eam quæ in Regis caput illiſa eſt, haud ſatis idoneis auctoribus fama vulgauit. Corpus Olgas delatum, atq; iuxta Ferdinandi fratris ſepulcrum tumulo tectum. quo in templo quotannis anniuerſaria mortis die eius manibus cātu lugubri parētatur. Regnauit annos duos, menſes nouem. Eo anno Mathæi Oliſiponenſis Præſulis virtute induſtriaque in Luſitania oppidum, cui Alcaſari Salis nomen eſt, cum magna Maurorum ſtrage captum fuit. Templarii Hoſpitalariiq; milites multum in eo bello iuuerunt: ſed præcipua claſſis laus ex Anglia, Belgio, Galliaq; reliqua in ea littora appulſæ: eorum qui Innocentii opera, quaſi ſigno in Lateranenſi concilio à Patribus dato, ad bellum ſacrum inſtaurandum, emenſo Oceano & Mediterraneo mari in Syriam nauigare pergebant. Commodum id rebus noſtris accidit. ſupra ſexaginta Maurorum millia trucidata. ad 7. Kal. Octobris acie dimicatum.

Ferdinandus cognomento Sanctus Rex renunciatur. CAP. VII.

DVÆ Henrico ſorores erant natu maiores: Blanca, quæ Ludouico Principi iuuentutis in Gallia Philippi filio nupſerat, & Berengaria, ex Alfonſo Legionenſi Rege coniugii tempore quatuor filiorum mater, Ferdinandi, Alfonſi, Conſtantiæ, & Berēgariæ. Blancam ætatis prærogatiua ſubleuabat, vt fraterni imperii hæres eſſet, legeſq; Hiſpaniæ: ſi iura regnandi leguleiorum modo tabulis continerentur, & non potius ſtudiis populi, & Principum dexteritate, virtute, feſtinatione, felicitate. quod in præſenti accidit. Nam maturatis comitiis Blanca prætermiſſa, procerum & populi conſenſu Berengariæ regnum delatum eſt. externum imperium exhorrebant: & nouorum motuum materiem, ſi Gallia Hiſpaniæ commiſſa eſſet, ſubtrahendam iudicabāt. paulo illa ante regnum delatum, Lupum Harum & Gonſaluum Gironium Legionem amandarat, Filium Ferdinandum expetitum Aluari ſuperbia edomanda: à quo Reginam teneri obſeſſam dictum eſt. ſed ſoluta obſidione tum quidem conatu reuocandi ad ſe filii Regina deſtitit: nunc repetita flagitatio. feſtinatione opus erat, qua famæ de Regis morte celeritatem præcederent: ne Alfonſus ad noui regni, quaſi dotalis ſpem, animum adiiceret. quod nō temere de illo ſuſpicatos eſſe rerum euentus aperuit. Omnino à patre eſt dimiſſus Ferdinandus, cum vterq; quid ageretur, ignoraret. iuſtus comitatus adiunctus. Otellæ, vbi Regina mater erat, ipſa concedente continuo Caſtellæ Rex ſalutatus eſt, inaugurationis cæremonia Anagari perfecta, ſub frondoſa quidem vlmo. tanta ſiue morum ruditas erat, ſiue procerum & populi feſtinatio. Aluaro Comiti non minor cura erat regii obitus occultandi. partam ſcelere poteſtatem fraudib. propagare ſatagebat, haud ignarus quantum præſidii rebus ſuis deceſſiſſet: neq; diu celari rem tantam poſſe. mora tantum cupiebat familiæ opes nouis præſidiis confirmare. Ad Tariegum defuncti Regis corpus erat, quem Aluarus viuere prædicabat, ſed quo minus aut ſui

copiam faceret, aut ſe daret in publicũ, aliam ex alia moræ ſimulabat cauſſam. Ferdinandus & mater Palentiam, luſtrandi prouinciam ſtudio progreſſi publica ſupplicatione, omnique lætitiæ ſignificatione in vrbem excepti ſunt. Parendi nouis Regibus auctor præcipuus Tellius eius vrbis Epiſcopus. Donniæ oppidum, quod venientibus portas clauſiſſet, primo impetu captum. In eo oppido à quibuſdam proceribus de concordia ſancienda mentio facta eſt. cæterum Aluarus regno aſſuetus ad nullam pacis conditionem deduci potuit, niſi Ferdinando eius tutelæ commiſſo. quod ſperare nefas erat: petere inſolens & temerarium. Et erat Ferdinandus non incommoda ad imperandum ætate, annos natus decem & octo. tametſi ex hoc alii numero biennium ſubtrahunt. Pacis ergo ſpe abiecta, ad arma conuerſi animi. Valliſoletum Reges abierunt, municipium in Vaccæis amplum & validum. in eo ex vniuerſa ditione conuentus generales agitati ſunt: omniumque ordinum conſenſu & ſententia pronunciatum, Berengariam regni Caſtellæ à morte fratris iuſtiſſimam hæredem eſſe: quod patre ſuperſtite ſemel & iterum fuerat declaratum, vt Rodericus Præſul eſt auctor. nam quod addit inter ſorores primogenitam fuiſſe, magis ex partium ſtudio, quam ex fide poſitum arbitramur. tametſi Roderici opinioni plures alii ſuffragantur. Illa vitæ priuatæ ſtudio, aſſuetaque præproperæ viduitatis incõmoda, in contemplatione vitæ per virtutem actæ ſolatiis honeſtis tolerare, regni ſceptra Ferdinando filio de manu tradidit. in ſuburbio, vbi rerum venaliũ forum erat, abdicationis cæremonia peracta. Rex in templum D. Mariæ maioris, tanto populi cõcurſu & lætitia, quantum fuiſſe non meminerant deductus: atque in eius verba iuratum. Alfonſus Legionenſis Rex Berengariæ artibus ſe deluſum dolens, atque in noui regni ſpẽ erectus, ferox cupiditate Sanctium fratrem præmiſit, vt in Caſtellæ fines inuaderet. ipſe cum copiarum robore ſubſecutus, in eam partem populabundus irruit, vbi Gotthorum campi ſunt. Magnæ ex eo bello impendebant Hiſpaniæ calamitates. Regina ancipiti malo permota, duos Epiſcopos Mauritium Burgenſem, Dominicum Abulenſem ad Alfonſum legat. ſi quo modo ab ea mente deduci poſſet: aut iniecta animo religione, aut agendi dexteritate. nihil non effecturi videbantur, pro ea quam gerebant ſacra auctoritate. Alfonſi tamen ira non modo nõ reſedit, eorum legatione expoſita, verum amplius accenſa eſt. & ægroto animo faces Aluarus Lara & factioſi alii ſubiiciebant: regnandi ſpem certiſſimam, quoniam eorum rationibus diſſidia commoda erant, pax exitiabilis. Itaq; Epiſcopis amandatis, maiores eo tractu prædæ factæ. cædibus, incendio, rapinis homines, agri, ædificia vexata. Burgos inde feſtinatum, vrbis regiæ potiundæ ſpe. Lupus Harus, aliiq; proceres ex vrbe egreſſi, Regem Legionenſem maiori aliquanto velocitate quàm venerat compulerunt redire in patriam. Segobienſes & Abulenſes à nouo Rege ſtudiis auerſi erant, Aluari Comitis artibus præoccupati. ii miſſis ad Reginam, quæ Palentiam Valliſoleto abierat, legatis, errati veniam poſtularunt: paratos ſe imperata facere, nouiſq; officiis præteritam offenſam compenſare. Vt erãt polliciti præſtiterunt. nihil illis pro Rege promptius fuit. nulli fortiores in bello. incitabat virtutem ignominiæ demendæ cupido: ſtudium ſe Regi probandi. Duo Præſules Burgenſis & Palentinus Aluari voluntate Henrici corpus Tariego, vbi eatenus abſq; honore ſepulturæ fuerat, Palentiam deferendum curarunt: inde Burgos Olgaſq; funus proſequente Berengaria. Munnonium partium ſtudiis parere recuſans, Rex obſidebat, munitius oppidum, quàm vt facile capi poſſet. eo ſe Regina peracto Henrici funere retulit. quo tempore regiorum virtute oppidum expugnatum erat captis militibus, qui in præſidio erant. Mox Burgis regni cõuentus celebrati. iis peractis Lermam & Laram itum quæ oppida in Aluari poteſtate erant. eam difficultatẽ, ſicut omnia alia Regis felicitas ſuperauit, oppidis pari celeritate occupatis. Burgis, quo ſe ſplendido triumpho retulerant, in Riuogiam feſtinatum: Belforadum, Anagarum, Nauarretum, iis in locis redacta in poteſtatẽ. Nouo Regi omnia prona erant. Ingenium, fortitudo, formæ dignitas in florenti ætate ſtudia hominum conciliabant: Diuos cauſſæ æquitas. Laræ tamen reguli, quãuis tot cladibus caſtigati, nõ quieſcebant. factionis ergo opibus fulti, & multorum ſtudiis ſubleuati, quos toto procurationis tempore ſibi adiunxerant, ſupremo adhibito conatu, validas copias contrahunt: atq; cum iis ad Ferrariolam conſiſtunt, qua parte Regi Palentiam contendenti iter erat. militũ pars intra oppidum erat: Aluarus in villa proxima ſubſtiterat cum paucis, regiorum contemptu an ad oſtentandam virtutem incertum. Id certe exitio illi fuit. regii enim impetu facto viuũ ceperunt, cum ex equo proſiliiſſet, atq; in terra iacens clypeo ſe protegeret. Magnum operæpretium factum erat capto Aluaro, malaq; finem cepiſſe, quæ rempublicam tandiu exagitarant. cæterum ex rebus lætis confidentia orta in eaſdem incurrit difficultates. redditis Aluarus oppidis & arcibus, quæ in eius fide erãt Alarcone, Amaia, Tariego, Villafrãca, Belforado, Anagaro, atq; Pãcoruo nõ modo libertati redditus eſt, ſed etiã deterſa ſimultate ad

Regis

Regis gratiam admiſſus, Caſtrum Sericium & Orceionem Aluari frater Ferdinãdus obtinebat. eas arces vt Regi daret adduci nõ poterat militum numero fretus, & annona in longum tempus parata. Cæterum cum vim parari videret, Regi ea lege arces reddidit, vt eius nomine ipſe ſe penes retineret, contactis aris fidem perpetuam iuratus. Id tempori datum, quamuis non ſine aliqua ſugillatione maieſtatis. verum republica turbata, ea conſilia maxime honeſta, quæ tutiſſima. Pax diuturna non fuit: neq; eſſe poterat ſtabilis. ſexto menſe, ex quo facta erat, Aluarus & Ferdinandus, cum doleret auctoritatem imminutam. & aſſueti imperio vitam priuatam non ferrent, à Regis auctoritate palam deficientes, nouam & validam militum manum conſcribunt. Gotthorum campi omni iniuria & latrocinio vexati. Ii motus breuem & facilem exitũ habuerunt. Regis occurſu, cum ad Medinam, cui à Riuo ſicco cognomen eſt, proceſſiſſet, fratres compulſi ſunt Caſtellæ finibus abſcedere, & ad Legionenſem Regem commigrare, interceptum iniuria (ſic ipſe ferebat) regnũ dolentem, & ad omnem occaſionem intentum, belli in filium Regem inſtaurandi: quod erat iniquum & inhumanum. ſed omnia pietatis iura confundit funeſta imperandi ambitio. Iis auctoribus magnos à Legionenſi Rege delectus haberi nunciatũ. quorſum res ſpectarent dubitabat nemo. Caſtellæ proceres quidam hoſte præoccupando in fines Legionenſes irruperunt. eos Legionenſis Rex intra Caſtellionem pagum, Medinam Campeſtrem inter, & Salmanticam ſitum, improuiſo adueniens, dum obſidet, eius caſtra ſecutus Aluarus morbo repente tentatus eſt. Reges inter induciæ pactæ. ex ea re moleſtia cõcepta animo, & ad morbi vim adiuncta, Aluarus Tauri, quam in vrbem lecticariorum humeris ſe deferendum curarat, breui extinctus eſt homo immodicus, & reipublicæ dum vixit fax. ſub mortem ſcelera procurandi numiniſq; promerẽdi ſpe, militiæ S. Iacobi veſtẽ inſignem induit. defuncti corpus Vreeſiæ ſepultum eſt. Ferdinandus frater ad Marrocium in Africa, quo ſe contulerat rebus in Hiſpania deſperatis, Elboræ, quod oppidum prope Marrocium à Chriſtianis hominibus incolebatur, Miramamolini permiſſu, deſperata à medicis ſalute, exemplo fratris militiæ D. Ioannis veſte deſumpta, animam exhalauit. corpus in Caſtellam relatum. in Fiteri põte eius militiæ, in agro Palentino, domicilio, vxore Maiore, Ferdinãdo & Aluaro filiis funus curantibus ſepultũ eſt. Caſtella quieta eſſe cœpit, cum auctoribus nõ modo inteſtinis diſſidiis, ſed etiam metu nouæ calamitatis ſublato, in futurum meliori ſpei induciæ modo inter patrem & filium ſtabili pace mutarẽt. In Mauros mota arma ſunt milites ſacri cruce inſigni deſumpta, ex compoſito in veteres Vectonum fines irruũt: vaſtatis agris, incenſis pagis, Caſtra Cæcilia circunſeſſa. ſequebatur incondita multitudo nõ magis ſpe veniæ, quàm prædę cupiditate. cõtinui imbres iniquiſſimo anni tempore noſtros compulerũt, fine anni milleſimi ducenteſimi octauidecimi, re infecta ſeſe in pacata vt referrẽt. 1218

Piis hominibus domicilia per Hiſpaniam conſtituta. CAP. VIII.

HIc erat in Hiſpania rerum ſtatus. exteræ prouinciæ haud meliori conditione inteſtinis ſeditionibus, belliſq; perſonabant. ex bellis, vt fit, cum alia mala & clades, tum vitiorum & ſcelerum ſeminarium exiſtebat. malorum licentia, conſuetudo peccandi, veræ exiſtimationis lucem extinxerat: vitia pro virtutibus computabantur: probe factis, quæ ſumma prauitas eſt, vitiorum nomina affingebantur. In tantis tenebris, tantaq; ignoratione veritatis quidam homines (vt fere omni ætate contingit) excitati, ipſo vitæ genere excellentes & admirabiles in viam immortalitatis, quam Chriſtus aperuit, obduxerant vitia, mortalium mentes inducere non deſiſtebant. His cũ ſe promerendæ pietatis ſtudio, multi alii adiunxiſſent, eandem viuendi rationem abiectis rebus omnibus æmulati, varię piorũ hominum per hęc tempora familię ſocietateſq; extiterunt. In hoc numero principem locum Dominicus tenuit, Calarogę natus in agro Vxamenſi, pari propemodum Vxamam inter & Arandam interuallo. In minori ætate Canonicis regularibus ſe adiunxerat, qui ad D. Auguſtini regulam vitam conformabant. vir factus, extirpandę Albigenſium ſectę, atq; radicitus conuellendæ operam in Gallia nauauit, vt eſt ſuperius indicatum. operi intentus, cum quanta eſſet præconum verbi Dei penuria conſideraſſet, qui optimis vitę exemplis, doctrinęq; pręceptis. an pietatem errantes ac vagos homines erudirent: vitæ genus excogitauit, quod qui ſectari vellent, ſacris concionibus euulgandoq; toto orbe Euangelio vacarent. Eius vitę formulam de ſcripto conceptam Honorio Rom. Pontif. obtulit: ac primo pontificatus anno probauit. biennio decurſo, ſe hoc ipſo anno in Hiſpaniam retulit: diplomateq;, quod à Pontifice Romano abſtulerat, Regibus & Principibus promulgato, eorum conſenſu aliquot domicilia pręcipuis in vrbibus ſociis conſtituit. primum Segobię, Madriti alterum, tertium Cęſarauguſtæ. Rebus perfectis in Hiſpania, quinquennio poſt Bononiæ Galliæ Ciſalpinæ vrbe primaria obiit, vitæ innocentia & virtutibus clarus, eius fa-

miliæ conditor,primuſq; auctor:vnde quaſi ex ſapientiæ pietatiſq; arce,viri prod erũt ma-
gno numero,in omni virtutum genere admirãdi.Ipſo anno quo Dominicus in Hiſpaniam
venit,Barcinone noua piorum hominum inſtituta ſodalitas eſt,nomine D.Mariæ de Mer-
cede.Multi terra mariq; Chriſtiani homines capti à Mauris,& in ſeruitutem abacti, vitæ a-
cerbitate a Chriſto data fide mouebantur.magnum id dedecus religionis erat, Chriſtiani
nominis probrum.cuius procurãdi ſtudio hominum ſocietas inſtituta, qui corrogatis vn-
diq; eleemoſynis ſtipe redacta,captiuos cum fide redimerent.Iacobus Aragoniæ Rex præ-
cipuus eius ordinis auctor eſſe creditur voti reus,vt quidam ſcribũt,quod Montione dum
captiui inſtar teneretur,Virgini matri nuncuparat,vſu edoctus quantum eſſet captiuitatis
malum.Secundum Regem Petrus Nolaſcus homo Gallus, ducem ſecuturis ſe præbuit:o-
ptimiſq; legibus & inſtitutis naſcentem familiam temperauit.regia inſignia cruce impoſi-
ta in rubro clypeo ad veſtem candidam & cucullum,toti familiæ diſtinctionis gratia con-
tributa ſunt. ipſe in ſanctæ crucis coram Rege & proceribus de manu Raymundi Penna-
fortii,qui tunc Regi à confeſſionibus erat,& deinde ordinis Dominicani Magiſter fuit,ſo-
lenni cæremonia ſuſcepit.Secutus eſt Franciſcus Aſſinas in Vmbira ciuis, ſingulari inno-
centia,modeſtia & ſanctitate vir celebrior inter cæteros ac nobilior. Is cum Honorio ipſi
vitæ genus quod excogitarat probaſſet,venit in Hiſpaniam,atq; in vltimam penetrauit Lu-
ſitaniam.multa ei ordini domicilia tota prouincia breui excitata:Barcinone, Cæſaraugu-
ſtæ,aliiſq; in vrbibus & municipiis Hiſpaniæ. Vitæ auſteritate,& honorum deſpectu,veſte
prætere a horrida & ſqualida ſtudia hominum excitabant. Franciſco ſocium ſe adiunxit
Antonius cognomento Patauinus,excellenti probitatis & ſapientiæ opinione,relictis Ca-
nonicis regularibus D.Auguſtini, quibus ſe iunior addixerat in D. Vincentii Oliſipone,
vbi natus ipſe erat,& in S.Crucis Conimbricæ primos iuuentutis annos tranſegerat.Ferdi-
nandi nomẽ,quod ab incunabulis erat,eius monaſterii appellatione mutauit,in quo Fran-
ciſci veſtem induit,præcipuas Italiæ vrbes Euangelii luce illuſtrauit: eiuſq; opera multi ad
meliorem frugem perducti. magnis in ea profeſſione laboribus perfunctus Patauii obiit,
vbi templo dicato magna hominũ religione colitur. Is videlicet honos probitati debetur,
is cultus Deo auctori ſanctitatis,& vindici. Dominicum,& Franciſcum functos vita Gre-
gorius nonus Pontifex Maximus conſecrauit.In Caſtella nouus impetus in Mauros factus
eſt.Rodericus Toletanus belli cõcitator.ſtrenuum hominem & nunquã ceſſantem. Cru-
1219. ce inſigni ad ducenta hominum millia conuenere.cum tanta multitudine in Conteſtanos
itum eſt menſe Aug. ſalutis anno milleſimo ducenteſimo nonodecimo. ignobilia aliquot
oppida capta. Requenam promota caſtra.capi nõ potuit, quãuis ſupremo conatu à noſtris
adhibito.tertio Kal.Octobris oppidum circumſeſſum. ad tertium Idus Nouembris ſoluta
eſt obſidio.tanto apparatui par ſucceſſus non fuit. Maurica tantum præda abacta.

Regum Ferdinandi,& Iacobi nuptiæ. CAP. IX.

INTEREA Iacobus Aragonius Rex Sanctium patruum exauctorabat, mutantemque &
1219. meliora pollicitum recipiebat in gratiam.moxq; ipſo anno milleſimo ducenteſimo no-
nodecimo(quo anno Hiſpania vniuerſa propter aeris ſiccitatẽ, annonæ penuria maxima,
& peſte laboratũ eſt)prima militiæ rudimenta,tyrociniaq; ponebat,ætate minor,ac vix vn-
decim annos natus,indole animi præcipua atq; excellenti,clarus ante alios.Rodericus Li-
ſana homo præpotẽs,ex priuata ſimultate Lupo Albero quãuis propinquo atq; neceſſario
infenſus ipſum improuiſo adortus captiui inſtar in ſuæ ditionis arcem Liſanam abduxit.
monitus abs Rege vt mutaret,& iracundia ſiue poſita,ſiue inimici calamitate ſatiata ad ſo-
briam cogitationem animum reuocaret,adduci non potuit dicto vt obtemperaret. Regis
ætas cõtemptui erat:& tantum ſibi quiſq; in republica licere volebat, quantæ vires eſſent.
Ea res compulit non magis vindicandi miſeri hominis ſtudio, quam tuendæ regiæ digni-
tatis neceſſitate arma ſumere.mota Oſca caſtra,vbi conuentus gentis erant. Alberum op-
pidum paulo ante à Roderico captum,ex deditione intra biduum in Regis poteſtatem ve-
nit.Liſanæ arci,quoniam voluntate nihil pro ſano facturos milites ſperabant, vis admota:
ac tandem expugnata eſt. baliſta magnitudine eximia Oſca iuſſu Regis allata ingentibus
ſaxis quingentis noctu, mille interdiu emiſſis muros arcis,ſed & præſidiarios milites ſub-
ruebat.eius tormenti, quod ipſi fundibulum vocabant,ope potiſſimum victoria parta eſt.
Lupus qui in arce erat libertati continuo redditus.Rodericus amiſſa arce,quoniã nihil ſo-
re tutum prouidebat,ipſumq; inter & Petrum Aſagram vetus amicitia erat,præſidii cauſſa
Albarracinum abiit.inde cum more eius ſeculi patriæ regnoq; publicis tabulis renunciaſ-
ſet,regni finibus bellum intulit.Rex inſolentiæ impatiens, & à præclaro militiæ initio ani-
moſior factus,eo contẽdit.In Conteſtanorum & Celtiberorũ finibus vrbs Albarracinum
ſita eſt,numero ciuium exigua, locorum natura munitiſſima. vndique excelſi,& prærupti
montes

monteſ ambiũt.alluit,ac pene circulo cingit Turia fluuius altiſſimis ripis.Eam vrbem Rex
corona circundedit munitiorem, quam vt breui tempore capi poſſet. machinæ extructæ.
opera ædificata à regiis.nihil tamẽ procedebat:cum neq; machinæ propter locorũ iniqui-
tatem admoueri muro poſſent,& nitentes per ardua regii ab obſeſſis propellebantur. prę-
terea.vt in ciuili diſcordia,omnia Regis conſilia obſeſſis iudicabantur. Duo menſes in ea
obſidione cõſumpti,in mediis æſtatis ardoribus:donec nocte quadam obſeſſi vrbe egreſſi,
Regis opera diſturbarunt:tormentum præcipuum igne ſuppoſito cõſumpſerunt. Regem
potiundæ vrbis ſpes fruſtrata. & erat exiguus militum numerus, ac vix equites centum
quinquaginta.peditum numerus non proditur. Itaq; Rex tantis difficultatibus implicitus
obſidionem ſoluit.Petrus Aſagra ad eius gratiam breui aditum inuenit, proceribus, cum
quibus magnæ neceſſitudines erant, annitentibus: quoniam tanti viri operam fortem &
fidelem Regi fore, atque proinde vtiliſſimam non inepti vates iudicabant. & fuerat regiæ
Aragoniæ Magiſter creatus:ea ſuperioribus meritis gratia habita. Quo anno milleſimo
ducenteſimo vigeſimo hæc in Aragonia mouebãtur, Ipſo D.Andreę feſto die nuptiæ Fer- 1220.
dinandum inter Caſtellæ Regem,& Beatricem Philippi quondam Germaniæ Imperato-
ris filiam celebratæ ſunt. Regis ætas idonea erat:& ne præpoſtera voluptate ab officio de-
duceretur mater ſolicita verebatur. miſſi in Germaniam legati ea de cauſa ad Fridericum
ſecundũ,virginis patruelem Mauritius Burgenſis Epiſcopus, Petrus S. Petri ad Aslantiam
Abbas,ſerius quamuis opinione, quatuorq; omnino menſium patientia rebus confectis,
ſponſam per Galliam,in Hiſpaniam deduxerũt, anno ex quo diſceſſerant euoluto.Lutetię
à Philippo Rege,cũ ea iter eſſet,ſplendido apparatu excepti ſunt, laute & liberaliter habiti
ad Cantabriæ fines Berengaria officii cauſa obuiam proceſſit: nurumq; Burgos proſecu-
ta eſt:quoniam ea vrbs connubio iungendo delecta erat.ſacra nuptiarum cæremonia per-
acta, antiſtite ipſo Mauricio Epiſcopo,in eius vrbis templo maximo:cũ pridie eius diei in
Olgarum monaſterio eodem antiſtite ſacris operante Rex ſua ſe ipſe manu militari gladio
cinxiſſet.quoniam dignior alius non erat, more ea ſane tempeſtate inter Hiſpanos vſitato.
Fuit hoc coniugium ſobole fauſtum.ſeptem ex eo filii Alfonſus, Fridericus, Ferdinandus,
Henricus, Philippus, Sanctius, Emanuel,quo eos ordine numerauimus nati ſunt.præterea
Eleonora in infantia rapta,& Berengaria Olgis olim virgo ſacrata. Eodem tempore Ara-
gonios cura ſolicitabat ſuſcipiendæ ex Iacobo Rege legitimæ ſobolis. Sanctii enim & Fer-
dinandi,cum ſpe regnandi factiones renaſcebantur,magno incommodo rerum publica-
rum. Vnum remedium erat Regis nuptias maturandi, immatura tantum eius ætas oppo-
nebatur.vicit tamen publicæ vtilitatis ſpecies:miſſiq; ea de re ad Berengariam legati, Eleo-
noram ſororem poſtulatum.conditio reiicienda non erat.Itaq; Aggredam Caſtellæ oppi-
dum ad fines Aragoniæ,quo prior Berẽgaria cum ſorore venerat, Iacobus Rex regni pro-
ceribus ſtipatus acceſſit.In eo oppido nuptiæ pactæ,dataq; ſponſalia ſexto Februarii men-
ſis die,ſalutis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo. nuptiarum ſolennia Turiaſo- 1221.
ne in D. Marię Campeſtris continuo celebrata ſunt, tam imbecilla Regis ætate, vt ſpon-
ſa non ante annum & ſex menſes ex virgine mulier effecta ſit, vti Rex ipſe auctor eſt ea hi-
ſtoria,quam de rebus ſuis ipſe conſcripſit. Toleti D.Romani ædes in ſummo cliuo à Rode-
rico Archiprę ſule ſacrata ad duodecimũ Kal.Iulias die Dominico. Proximi Nouẽbris die
vigeſimo tertio,qui dies Martis fuit,memoria D. Clementis anniuerſaria ſacer, in ea vrbe
Regi Ferdinando Alfonſus filius natu maximus natus eſt. Decembri ineũte terræmotum,
quo vrbana ædificia concuſſa ſunt,conſecuti imbris,atq; ventorum vi multis partibus pri-
uatę ædes mœniaq; proſtrata:eo maiori metu ſolicitudineq;,quod rarius propter locorum
ſitum iis cladibus obnoxia vrbs Toletum eſſe conſueuit,locis ſublimibus ſita,impoſita ru-
pibus, procul à mari.

Ferdinandus Rex nouos motus componit. CAP. X,

VASCONES, Luſitani, Legionenſes quieſcebant. Mauri inteſtinis diſſidiis æſtuabant.in
Caſtella atq; Aragonia nouis tumultibus reſpublica leuiter agitabatur. Rodericus Ca-
merus veteri proſapia,magnaq; inter Caſtellæ proceres auctoritate, cum multa oppida &
arces ſuæ fidei concreditas haberet,finitimis cœpit infeſtus eſſe.aſcitus abs Rege ad dicẽ-
dum cauſam,crucem ſe deſumpſiſſe excuſabat, Hieroſolymam iturus ſcilicet.Ea via inuẽ-
ta erat iudicia declinandi:quoniam à Pontificibus Romanis multa iis,qui crucem deſum-
pſiſſent,indulgebantur.inter ea vt ab ordinariis iudicibus exempti, coram ſacratis iudici-
bus conuenirẽtur. Tergiuerſatione ſublata,compulſus tamen eſt Valliſoletum venire,quo
Burgis curia migrarat. Magnorum criminum poſtulatus, mulctæ quæ parabatur metu iu-

dicium fuga declinauit. de fugitiuo, tanquam de manifeſto rerum capitalium ſumi ſupplicium placuit: omniq; ditione ſpoliandũ decernitur. Intra oppida ille munita præſidii cauſa ſe tenet. Rex metu ne à paruis initiis nouum exiſteret bellum, fœdere cum eo facto quatuordecim illi aureorum millia ea lege numerauit, vt oppida & arces omnes redderet, quæ in eius poteſtate erant. Hos motus nouum bellum excepit. Gonſaluus Lara (is è tribus fratribus ſupererat) pro familiæ ingenio Gonſaluum Pereſium Molinæ regulum, vt regios fines vaſtaret, hortando impulit. Honeſtæ in ſpeciem cauſæ tumultuandi proceribus nunquam deſunt. & ille patriæ & ditionis recuperandæ, nam in Africam cũ fratre Ferdinando abierat, niſi in ſcelere nullam ſpem habebat. ventum ad arma. Pereſius periculo cognito & arte, Berengariæ precibus, vt ignoſceretur temeritati facile impetrauit, idem vt daretur Gonſaluo Laræ impetrari non potuit. itaq; ad Regis gratiam aditu deſperato, ad Mauros in Bæticam ſe recepit, Biatiæque turpem vitam exegit. Hunc exitum habuere tres fratres Manricæ gentis principes ea tempeſtate, moribus factiſq; conſentaneum. Anno hæc ſalu-
1222. tis milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo gerebantur. Quo anno à Rege Legionenſi & militibus ſacris, aliaq; promiſcua multitudine Caſtra Cæcilia impugnata. pecuniæ Africanæ pondere redempta pax, ſolutaque obſidio, promiſſæ nec præſtitę. Eius & aliarum vrbium expugnatarum laudem Ferdinando nimirum cœlum ſeruabat. Burgis à Mauricio Epiſcopo eius vrbis, (natione is Anglus erat) templi quod hodie viſitur fundamenta ſunt iacta: eum antea Epiſcopi ſedes & domicilium ad D. Laurentii fuiſſet, eodem Pontifice fabrica ad culmen perducta eſt. Multis aliis tota prouincia templis religio aucta. Talauerę in Carpetanis, templi maximi ſtructura magnis molibus & cæmentis erigebatur: cuius fundamenta ante annum vndecimum poſita erant. Duodecim Canonici, quatuor Dignitates conſtituti, ea lege, vt Toletani templi maximi ſacerdotibus ſubditi eſſent. anniuerſario Aſſumptionis Virginis matris feſto quinq; æreos nummos quaſi vectigales templo Toletano penderent. Rodericus Toletanus Epiſcopus totius operis auctor, atq; fundator. Templum Valliſoleti Ioannes tunc regii ſcrinii Magiſter ſua impenſa: idem Vxamæ templum extruxit, cum eſſet Vxamenſis Epiſcopus. Nunnius Aſturicenſis Epiſcopus templo coniunctum peryſtilium, atq; ædes Epiſcopi ædificauit. idem Iriæ fecit Laurentius eius vrbis Præſul, iuris peritia ea tempeſtate nobiliſſimus, templo atq; pontificali domo conſtructis: præterea Minium fluuium ponte ad eam vrbem iunxit, commercio opportunum opus. Stephanus Tudenſis & Martinus Zamorenſis pari religionis amplificandę ſtudio certabant Regis & Berengariæ matris his operibus inchoandis, perficiendis, ornandis omni ſacrorum inſtrumento, admirabilis munificẽtia excitabat, in eius quamuis ſeculi inopia maxima, & rerum omnium difficultate. Verum ad inſtitutum iter oratio redeat. Menſe Iulio Rogerius Fuxenſis Comes obiit, ſucceſſore filio, cui Rogerio Bernardo nomen fuit. Auguſto menſe Raymundus Toloſæ Comes defunctus eſt. vtriuſq; nomen ea macula deformatum, quod Albigenſium ſectæ cum ignominia Pontificum Romanorum ſe fautores præbuerant. quo merito quamuis multum annitẽte filio & ſucceſſore Raymundo vt more aliorum piorum hominum ſepeliretur, impetrari nõ potuit. In exitu anni, menſis Decembris die vigeſimo primo, Gerardus Cabreræ Vicecomes, Comes Vrgeliæ, ad Regis Aragonii gratiã admiſſus eſt: atq; eorum quæ commiſerat venia impetrata. homo præpotens, multiſq; opibus & clientelis validus interregni tempore Vrgeliam & Vrgeliæ contributa oppida ſua auctoritate occuparat. in eo læſa Regis maieſtas videbatur: ea lege tamen Regi conciliatus eſt, vt cum Aurembiaſſi, quæ ſe iniuria Armengaudi patris principatu ſpoliatam eſſe expoſtulabat, iure & iudicio diſceptaret. Interea Guillelmus Moncada Bearnenſis regulus, Nunnio Sanctii Ruſcinonenſis Comitis filio, ex leui cauſa vehementer infenſus. & ex magna paulo ante amicitia, grauiſſima vt fit exorta ſimultate, cum ſuorum manu in agrum Ruſcinonenſem incurrit. Nunnius viribus diffiſus, cum hoſtis præter Bearnæ principatũ amplam in Catalaunis ditionem obtineret, ad Regem confugit, cum Moncada paratus, ſi quæ extaret iniuria iure agere. Ille ſucceſſu & viribus ferox, Regi vt deſiſteret ab armis monenti, quoniã obtẽperare noluit, regiæ quantæ vires eſſent expertus eſt: atq; ſuſceptę temeritatis pœnas dedit: ſeroq; intellexit regiã voluntatẽ haud impune ſæpe exacerbari. quid multa?
1223. anni cõſequentis æſtate milleſimi ducenteſimi vigeſimi tertii centum triginta, qua turres, qua arces Moncadæ familiæ & neceſſariis ablatæ ſunt, nõnullæ vi, aliæ volũtate. Ceruellonium etiam oppidum loci natura egregie munitum, prope Barcinonem in poteſtatem venit. Moncada arx, vnde familiæ nomen, quoniam operibus & milite egregie munita erat, ipſeq; Guillelmus eo ſe contulerat: longumq; erat expectare dum annona deficeret: præſertim à regiis, qui Moncadis fauebant, occulte commeatu ſubmiſſo capi non potuit. Iulii menſis Idibus Philippus Rex Gallię ex febri quartana Medunte obiit. ſucceſſit Ludouicus

eo nomine octauus: Blancæ coniugio, & filio Ludouico, cui Sancti deinde cognomen acceſſit, quā re alia nobilior. Obiit præterea Luſitaniæ Rex Alfonſus à multo abdomine cognomēto Craſſus Conimbricæ. corpus in Alcobaſæ templo, rudi ſepulchro iuxta vxorem tumulatum eſt. filios reliquit Sanctium regni hæredem, Alfonſum cui Matildiſs Bononiæ in Morinis ad mare Britannicum in Gallia Comes nupta fuit, Fernandum Serpæ Principem, qui Sanctiam Fernando Lara genitam vxorem habuit: præterea Eleonoram Daniæ quondam Reginam, vt Luſitanorum hiſtoriæ tradunt, vero an falſo non diſputamus.

Bellum in Mauros ſumitur. C A P. XI.

INTESTINIS motibus in Caſtella compreſſis Ferdinandus Rex regni potens, quo diuturnior pax eſſet, controuerſiis omnibus inter prouinciales compoſitis, obliuionem iniuriarum & præſtitit ipſe & exegit. vrbibus & per prouincias eos iuridicūdo præfectos impoſuit, quos maxime induſtrios eſſe nouerat, & gratos in primis fore ciuibus ſuſpicabatur. hęreticis infenſus maxime, quos tormentis exagitandos curabat: ſolitus ipſe quaſi victimarius ignem arſuris manu, lignaq; ſubiicere improbitatis odio. Albigenſes in Hiſpaniam penetraſſe ſuperius eſt dictum. Iis ex rebus præcipuam à ſubditis beneuolētiam promeritus, ne otio ii marceſcerent, partaq; abuterentur pace, belli Maurici inſtaurandi cogitationem ſuſcepit. Magni in eam rem delectus habebantur cum Conchæ, Optæ, Moiæ, atq; Alarconis ciues Regis volūtate perſpecta, collecta ſuorum manu in Valentinos fines inuecti ſunt. vaſtati agri. incenſæ villæ. oppida direpta. Maurica ſpolia domum relata. Rex initio lætus, quaſi ad totius belli omen ſpectaret, iuſto comparato exercitu in Bæticam irrupit. Regem Rodericus Præſul Toletanus eius belli præcipuus cōcitator, militiæ ſacræ Magiſtri, Lupus Harus, Rodericus Gironius, Alfonſus Meneſius, aliiq; viri principes ſequebantur. vix Caſtulonenſis ſaltus ſuperatus erat, cum Biatiæ Rex Mahomad, ſe in Regis Ferdinandi poteſtate fore renunciauit, paratum imperata facere, noſtroſq; in vrbem recipere. Mauros ingens terror occuparat: voluptates emollierant, inteſtinæ diſcordiæ debilitarant. Guadalhimare, vbi Rex Maurus in fidem acceptus erat, Queſadam oppidum itum eſt. Oppidani loci firmitate auſi obſidionem tolerare, vi capti: ſignoq; dato, vt omnes puberes interficerentur, in prædam ceſſere numero ſeptem millia. horum calamitate cæteris documentum datum vitandæ ſimilis temeritatis. Quid attinet omnia quæ hac expeditione ſunt geſta referre? multa oppida ab incolis noſtrorum metu deſerta: alia ex deditione redacta in poteſtatem. pars euerſa. pars occupata præſidiis. Lupus Harus, & militares Magiſtri ſacri Biuoras cum copiarū parte amandati. pulſo cæſoq; præſidio mille quingentorum Arabum oppidum captum eſt. Iis rebus æſtate patratis, Nouembri menſe anno milleſimo ducenteſi- 1224.
mo vigeſimo quarto Toletum eſt reditum exercitu incolumi: vbi vxor Regina, & Berengaria mater, Regis aduentum ſolicitæ expectabant. vota pro eius ſalute ſuſcepta paſſim exoluebantur, feſtiq; dies omni lætitiæ ſignificatione agebantur. Concham mox vrbem abs Rege itum eſt, Valentini belli inſtaurandi deſtinata voluntate. Valentiæ Rex Zeitus, & proximā clade ſuorum caſtigatus, & maioris mali metu permotus, in eandem vrbem venit: certus ſe ſuaq;, vt fecit, in fidem Ferdinandi contradere. Graue id Aragoniis viſum eſt, ipſorum armis Maurorum ditionem deſtinatam, contributam imperio, a Caſtellæ Rege occupari. actum de iniuria per legatos: & vindictæ tamen, virtutiſque oſtentandæ ſtudio, veteres Numantini agri Aragoniis armis vexati, ne maioribus odiis certaretur, rerum in Aragonia difficultate factum eſt. Guillelmus Moncada, Petrus Ahoneſius, Ferdinandus Regis patruus Tahuſte, quod oppidum in Petri fide erat, inter ſe conſpirant: coniurantque Regem ſe in eorum poteſtatem redacturum. ſpecies erat publicæ vtilitatis cura, quam abs Rege peſſimis conſiliis dum aures accommodat, peſſundari inter ſe conquerebantur. re Moncadam inuaſæ ereptæq; ditionis dolor vrebat. Ferdinādus tametſi monachus erat, & Montaragonis Abbas, regnandi neq; ſpem neq; cupiditatem poſuerat. Corrupti praua ambitione animi ægre ſanantur. Ahoneſius Regis antea conſiliorum potens, gratia ne paulatim exoleſceret verebatur. In id fœdus fraudemq; Nunnius Sanctii Ruſcinonenſis filius veteri depoſita ſimultate inductus eſt, Lupo Lueſia ſermonum interprete. Erat is cum Rege Alauonæ. coniurati cum ſuorum manu ad Regem irrumpūt. ſuadent blandis verbis, vti Cæſarauguſtam cōtendat, loco commodiore de rebus magnis deliberaturus. Ingenioſior ſimulatio veritate. Rex non obſcuris tamen indiciis, in officii ſimulatione inſidias ſubeſſe odoratus, quod neceſſe fore prouidebat, libenter ſe facturum pollicitus eſt. & vtcunq; res cecidiſſent, commodiorem ſibi vrbem prȩualidam exiguis oppidis fore exiſtimabat. Ventum Cȩſarauguſtam: ad Sudam veterē Regum aulā Rex diuertit. Ferdinandus omnes aditus obſeruari mandat: ſublata Regi quenq̃ conueniendi, & omnino litteras ſcribēdi facul-

tate. In eam rem fideliſſimi homines deſtinati, Martellus & Boinus regiæ alioqui cohortis præfecti. Verum in ea labe temporum fides grauiſſimum crimẽ erat: perfidia officium eſſe credebatur. magnum ſeculo dedecus, Aragonio nomini ignominia, reipublicæ vniuerſæ vulnus impreſſum. Viginti amplius dies Rex in cuſtodia fuit. neq; prius eſt libertati redditus, quam tum rebus aliis ſatisfecit, tum Moncadæ ablata oppida & arces, & viginti præterea nummûm millia ſe reſtituturum pollicitus eſt. neq; tamen fœdere quamuis facto, rerum procurationem, ex quo ſemel arripuerat, deponebat Ferdinandus, Regis modo ætatem excuſans, aliam modo ex alia moræ cauſam nectẽs. Rex numine fretus, nam aduerſus tantas difficultates conſilio humano ſatis prouideri non poterat, patientia & diſſimulatione mutationem aliquam expectabat. Res in Caſtella vt cœperant, meliori multo conditione erant. Ferdinandus enim Rex, ne ceſſatione ſua Mauris ſe colligendi poteſtas eſſet,
1225. ad prima veris ſigna anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto copias ex hibernis deducit. nouoſq; delectus habet. iuſto cõflato exercitu, rurſus in Bęticã irruit. ſequebatur Rodericus Toletanus Prę́ſul, ſine quo ea tẽpeſtate nihil magnę rei geſtum inuenio. Biatię Rex maiori quam pro barbaro fide, officioq; noſtris tota ditione rerũ omnium copiã fecit, portas aperuit. Illiturgis Tucciq; ea expeditione capta. Tucci Calatrauæ militibus dono dati: vt eorum prę́ſidio inſtar firmiſſimi propugnaculi eſſet aduerſus barbarorum impetus. agri circumcirca vaſtati. direpta oppida. prædæ abactæ. Sodarum oppidum iis locis de Mauris captum. exercitus ſpoliis grauis præcipiti æſtate in patriam reductus. Idem conſequentib. annis fit. tanta erat cupiditas gentis barbaræ extirpãdæ penitus, deturbandæq; tota Hiſpania. Quo anno res Aragoniæ meliori conditione eſſe cœperunt. Rex Cæſarauguſta Dertuſam vrbem maritimam abiit, nõ procul Ilergaonum finibus ad Iberum fluuium poſitam. proſequuntur ſimulati officii cauſa coniurati proceres, multis aliis interea factioni adiunctis. In his principem locum obtinebant Sanctius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, Ahoneſii frater: & Erillus Ilerdæ Epiſcopus. Rex depellendæ tyrannidis, quam in ipſum rempublicamq; ii proceres exercebant, ſecum conſilia agitabat, aulicis parum fidebat, in tanta factionum labe. optimum viſum eſt Hortam Templariorum oppidum clam coniuratis concedere. Id vbi ex ſententia proceſſit, regni proceres Turulim vrbem vt armati conuenirẽt edicto iuſſi ſunt: bellum ſibi aduerſus Valentinos ſumere in animo eſſe. quod fore gratiſſimum propter odium gentis cunctis ordinibus arbitrabatur: & ad ſanciendam auctoritatem magni referre cogitabat, ſi parta de Mauris victoria paternę ditionis fines propagaſſet. Hæc coniurati proceres tanquam puerilia irridebant: pauci ex Aragonia, è Catalaunis aliquanto plures ad dictam diem conuenere. cum iis copiis in Ilergaonum fines inuectus, agriſq; circumcirca allata vaſtitate Peninſulam oppidum circunſedit: inde dictum, quod in rupe altiſſima è regione Balearis maioris ſitum ſit, omni ferme ex parte ambiente mari. aſſurgit in metæ modum. in infima rupe cauernæ multæ ſunt, fonſq; aquæ dulcis continuo influens in mare. mille paſſus ambitus comprehendit. locorum aſperitas, niſi qua parte ædificia ſunt, maxima ſitu inexpugnabile oppidum eſſe videtur. Zeitum Valentiæ Regem Aragonia expeditione nunciata, non ſecus ac ſi hoſtis ad portas eſſet, metus inuaſit: cunctaque trepidatione plena erant. Legati de pace miſſi inducias abs Rege Aragonio ea modo lege impetrarunt, vt quinta vectigalium quæ Valentiæ atq; Murciæ pendebantur, tributi nomine quotannis Aragonii Regis eſſet. Eo facto fœdere ab obſidione diſceſſum eſt, Turulim primum, deinde Cæſarauguſtam verſus. In eo itinere ad Calamociam pagum Ahoneſius occurrit, cum ſua & Sanctii fratris peculiari manu, in Valentinos fines prædæ cauſa irrumpere parans. ægre Regem habebat, intempeſtiua excurſione pactas à ſe violari inducias. à propoſito dehortari conatus, factos ſumptus excuſantem comprehendere tentauit. elapſum è manibus regii comites peremerũt, vna cum Rege fugientem ſecuti. virum induſtrium atq; præclarum ea ætate, qui nulla nobilitate conſpicuus, Boleam oppidum & Suprarbem Petro Rege oppignerante, ditione obtinebat: niſi priora officia intimamq; familiaritatem, qua Regi adoleſcenti aſſueuerat, coniurationis perfidia commutaſſet. Fuit ea cædes inuidioſa Regi, Ahoneſii præſertim ditionem aggreſſo: prorſus vt vrbes Aragoniæ præter Calataiubam, Ferdinandi patrui auctoritatem ſecutæ à Rege deficerent. Eam animorum alienationem, dum Rex ſanare conatur, armiſque oppida & vrbes ad officium pertrahere, reſiſtunt aduerſarii: bellum vario euentu in Aragonia ducebatur ſalutis anno
1226. milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto. Quo anno Ludouicus Rex Galliæ Auenione expugnata, nudataq; mœnibus, ne ſe amplius in ea vrbe Albigenſes confirmarent, Mompellerii Idibus Nouembris extinctus eſt. Succeſſit Ludouicus filius eo nomine nonus, cui amplitudo rerum geſtarum, & pietas animi Sancti cognomen fecerunt. Alfonſus frater Pictauienſis Comes Raymundi Toloſatis filiam in coniugio habuit: vnde illi gradus ad eius vrbis

bis principatum. duo præterea alii Ludouico nouo Regi fratres fuerunt, Robertus Atrebatenſis & Picardiæ Comes in Galliæ Belgicæ parte: Carolus Andegauenſis Dux, Prouinciæ Phocæenſis Comes, ac deinde Siciliæ Rex.

Ferdinandus Baticam repetit. CAP. XII.

MAVRORVM natio in Hiſpania in præcipiti eſſe cœperat. neque id Ferdinandum Regem fugiebat, neq; Rodericum Toletanum Præſulem: cuius ea auctoritas erat, quæ eſſe maxima potuit. Eo incitatore noua expeditio aduerſus Mauros ſuſcepta. ne ipſe vt cõſueuerat Regem proſequeretur, importuna vi morbi factum eſt, quæ ad bellum inneuntum ferme oppreſſit Caracæ. Dominicus Palentinus Epiſcopus vicaria ab eo poteſtate accepta Regem eſt ſecutus. In ea expeditione aliquot oppida ignobilia à noſtris capta ſunt. præterea Giennium vrbs præſidio quamuis militari & operibus aduerſus omnes caſus munita, circunſeſſa eſt. expugnari tamen non potuit, præſertim cum Aluarus Caſtrius patria aliquanto antea renunciata, & eum ſecuti cẽtum ſexaginta equites obſeſſorum animos confirmarent, ne Regi deditionem facerent. Aluarus eius Ferdinandi filius fuit, quem Marrocii extinctum diximus: & Caſtria gens per hæc tempora ad Mauros ſæpe defeciſſe viſa eſt. facinoris idonea cauſſa non fuit: nonnulla tamen incitabat. Priegum oppidum, quo Mauri fortunas ſuas tanquam in arcem contulerant, vi expugnatum. cæſi captiq; omnes oppidani, præter eos, qui cum ad arcem confugiſſent, deditione facta in fidem recepti ſunt. Lexa mox bello tentata, & pari celeritate capta eſt. oppidani in arcem dilapſi, deditionis conditiones retractando tempus extrahere, noſtriſq; illudere viſi ſunt. Capta itaque per vim arce omnibus qui inuenti ſunt, trucidatis etiam in tecta ſæuitum eſt. eaq; re documentum datum cæteris, haud impune victorum animos exacerbari. Alhambræ ſane incolæ, quæ magnam in Turdulis habebat opinionẽ virtutis, loco munita, quippe rupi impoſita, commeatu & ſuppellectile magna ex parte relicta, Granatam vrbem aufugerunt. ab iis, cum ſuperiores eius vrbis partes domicilio deſignatæ eſſent, ea Granatæ vrbis regio nomen accepiſſe creditur, quæ hodie Alhambra nuncupatur. Noſtri abeuntium iter conſecuti, Granatæ agrum, ac eam planiciem, quæ vrbi coniuncta eſt, prçcipua amœnitate, omni belli iniuria deformarunt. Ciues veriti, ne reliqua hoſtilis flamma conſumeret, pacis ſpem tentare conſtituunt, internuncio legatoq; ad id Aluaro Caſtrio. cuius quoniam inſigni in bello virtutis opinione erat, ad officium pertrahendi ſpe: præterea mille trecentos è Chriſtiana gente captiuos, qui vltro offerebantur, liberandi ſtudio poſtulatis Rex annuit. belli impetus Montigiam conuerſus idq; oppidum ſolo eſt æquatum. omnia noſtris prona erant: hoſtibus aſpera. nam & per hæc tempora Capellam alia parte de Mauris captam inuenio: quam veteribus Mirobrigam fuiſſe marmora docent ea voce inſcripta loco reperta. ſed breui ad Mauros rediit. anni tempus diutius bellum trahi non ſinebat. Calatrauç Magiſter Tuccos atq; Illiturgim, hoc eſt, Martos Andugiaremq; præſidio obtinere iuſſus eſt adiuncto Aluaro Caſtrio propter locorum notitiam: & quoniam Mauris diu aſſueuerat, virtutem amplius concepta ignominia excitabat. Rex Toletum, vbi Regina erat, regreſſus diligenter quæ bello neceſſaria erãt comparabat, milites ad Bæticæ præſidium relicti, ne nihil viderentur agere, manu facta Hiſpalenſem agrum præcipua inter Hiſpaniæ regiones nobilitate vaſtare aggreſſi ſunt: prorſus vt in ciuium oculis prædia villæq; paſſim ex incendio fumarent. Abullaſis Hiſpalenſis Rex iniuriæ dolore percitus, inflammatus ſuorum lachrymis, raptim delectu habito, numero quam virtute inſtructiores copias hoſti obuiam miſit. Iuſto prælio iis locis dimicatum. victoria noſtrorum fuit. Magna Maurorum ſtrages. ad viginti millia cæſi ſunt in pugna, & in fuga. cum alia ex parte Garceſia arx, quæ in noſtrorum poteſtate erat, corona circundata obſideretur à Mauris tanta obſtinatione, vt neque clade accepta remitterent, neque Ferdinandi Regis aduentu nunciato: donec vi expugnata eſt, nonnulla noſtrorum ignominia, detrimento non maximo. Aduenienti Ferdinando, Tuccoſq; prætergreſſo Biatiæ Rex obuiam proceſſit, equites tria millia, numeroſum peditatum ſub ſignis habens: non oſtentandi modo ſtudio, ſed etiam Ferdinandi conatus iuuandi, ſi qua in re eius opera vti vellet. Nihil illi promptius fore pollicebatur. gratiæ actæ pro tam propenſa voluntate: quæ vt diuturnior eſſet, neque vlla temporum iniuria amicitia disiungeretur, poſtulatum: datumq; vt Saluaterra, Capella, Burgalhimar, quoniam hoſtium iniuriæ obnoxiæ erant, noſtrorum præſidio obtineri, firmariq; ſineret: dataq; in hæc fidei obſes eſſet & pignus Biatiæ arx Calatrauæ Magiſtro Mauris cõſentientibus tradita. Id fœdus cum Capella loci munitione confiſa (eſt enim edito arduoq; in colle ſita) conſtanter repudiaſſet: neque noſtrorum præſidium vt acciperet adduci potuiſſet, Biatiæ arx in Ferdinandi poteſtate manſit. Erat occaſio bene gerendæ rei, neque id

Regem fugiebat:ſed maiori diligentia vires reparandæ erant, nouiſq; ſupplemẽtis augen-
dus exercitus. Itaque Rex nullo alio operæpretio, retro ſe retulit, ancipiti cura ſuſpenſus,
Gallici belli ſumendi, an Bæticæ expeditionis inſtaurandæ. In Galliam Blancæ matertera
litteris & nunciis euocabatur aduerſus Galliæ proceres, Regis ætate deſpecta (erat enim
duodecim annos natus) rempublicam turbantes. Reginam viduam, & propinquam in pe-
riculo deſerere, turpe fore iudicabat. Ex Bætica nunciatum erat, Capellam oppidum tan-
dem à noſtris expugnatum: & contra, vt nũquam eodem loco conſiſtunt res humanæ, Re-
gem Biatiæ in fuga, qua Almodouarem feſtinabat ſeditionis popularis metu, obtrunca-
tum à ſuis. Beneuolentia qua noſtros complectebatur exitio illi fuit, fideſque grauiſſimum
crimen. eo grauior Ferdinando amici Regis caſus accidebat, quod Biatiæ arcem à Mauris 1
obſeſſam teneri, milites præſidiarios periculo proximos eſſe nunciabatur. Vicit apud Re-
gem ſententia belli ſacri inſtaurandi. quid enim vel ad dignitatem honeſtius, vel ad vtili-
tatem fructuoſius, quam tueri innocentiam: vindicare amici Regis caſum: atq; ab eo adi-
tu, qui oſtendebatur, barbaros tota Hiſpania pellere? quid contra ineptius, quam falſa ſpe-
cie laudis obiecta, ſua negligere, aliena curare? & Blanca Regina, quamuis externa ope de-
ſtituta, agẽdi dexteritate eos regni motus compoſuit, vnde graues impendere calamitates
1227. videbantur: virili animo fœmina, & ſupra ſexum prudens. Anno hæc ſalutis milleſimo du-
centeſimo vigeſimo ſeptimo gerebantur. Quo anno templi Toletani, quod hodie viſitur
celeberrimum & auguſtiſſimum, fundamenta ſunt iacta, euerſo veteri iiſdem veſtigiis for-
ma mutata. Iniectæ abs Rege, & Archiepiſcopo, qui primum lapidem poſuerunt, funda- 2
mentis argenteæ aureæq; monetę, more à veteribus Romanis mutuato. Cum hoc templo,
elegantia ſtructuræ, operis amplitudine alia fortaſſis conferantur: additis operi ornamen-
tis, ſacrorum apparatu, vectigalium magnitudine, numero miniſtrorum, diuini cultus ma-
ieſtate nullum certe toto orbe Chriſtiano ſimile extat. inſigne pietatis Hiſpanicæ, atq; illu-
ſtre monimẽtum. Romæ Honorio Pontifice quintodecimo Kalendas Auguſti defuncto,
ſucceſſit Gregorius eo nomine. IX. Anagnia patria. Quo Pontifice Lucas Tudenſis primũ
Diaconus deinde Epiſcopus Italiam, & Orientis prouincias, religionis eruditioniſq; ergo
luſtrauit, Roderico Præſuli Toletano æqualis, & in ſimili conſcribendæ hiſtoriæ ſtudio
verſatus, ingenio ſtyloq; non ineleganti, neq; prorſus vaſto. Hiſtoriam edidit de rebus Hi-
ſpaniæ Diui Iſidori chronico inſerto: vnde opinio nata eſt, primam eius operis partem Iſi- 3
doro attribuentium. Præterea Diui Iſidori vitam conſcripſit, & ſeparato volumine, edita
ipſius virtute miracula. cuius voluminis pars altera confutandis Albigenſibus conſumitur:
quos ex Aquitania in Hiſpaniam irrupiſſe Lucę ipſius teſtimonio & verbis ſuperius eſt de-
monſtratum. vtrunq; Berengariæ Reginæ iuſſu & hortatu perfecit: vti ipſemet iis in libris
teſtatur, fœminæ religioſæ atq; pietatis ſtudiis deditæ & eruditionis, moribus ſanctis.

Bellum ſacrum repetitur. CAP. XIII.

IN BIATIÆ arce, quam eius vrbis ciues omnibus machinis expugnare parabant, prouiſi
ante qommeatus erant, & præſidium militare virtute quam numero firmius. Hi cum ſpe 4
auxilii, quod propediem expectabant, tandiu ſuſtentarunt, donec Ferdinandus Rex eum
validis copiis accurrit. Mauri viribus impares, non modo arcem impugnare deſtiterunt,
ſed etiam vrbe deſerta in intimam Bæticam abierunt. Vrbi Lupus Harus, ſine quo nihil
magnæ rei ea tempeſtate geſtum inuenio, præfectus eſt. Tuccorum præſidium Aluaro
Caſtrio & Tellio Meneſio commẽdatum. nihil præterea abs Rege ea expeditione factum,
quod memoria dignum ſit. Tellius Rege Toletum digreſſo, cum ſuorum manu Vaenæ &
Lucenæ agros vaſtare cœpit: aliaq; oppida, quæ Hiſpali contributa erant, agendis prædis,
& excurſionibus fatigare. Rex Hiſpalenſis, bello à ſuis finibus auertendo in Biatię fines in-
currit: & eius vrbis profugi ciues, vt ita faceret, ipſoſq; in patriam reſtitueret, identidem
flagitabant. verum cum noſtrorum armis parem ſe fore nõ exiſtimaret in ea imperii Mau- 5
rici inclinatione labeque, trecenta millia nummûm quotannis tributi nomine pactus pa-
cem redemit. Nec enim maius à noſtris periculum quam à ſuamet gente inſtabat, Aben-
huto Rege Murciæ non ita pridem creato: ad quem toto imperio Maurico magnę animo-
rum inclinationes fiebant, multaq; ſe illi oppida adiunxerant in Granatenſi agro, Bæticaq;
vniuerſa. Is ex veteri proſapia Regum Cæſarauguſtanorum ortus, Almohadum ritus & o-
piniones de religione nuper inuectas deteſtabatur. veterem religionem motam, omnium
calamitatum extitiſſe cauſſam, palam & in circulis prædicabat. Religionis prætextu facile
multitudo impellitur. Itaq; innumeri homines eius auctoritatem ſecuti ſunt. Ricota arx in
Conteſtanis initium rebellandi fecit. Nouæ factionis comprimendæ cura, non tantum

Mauros Reges, ſed etiam noſtrorum animos ſollicitabat: ne à paruo initio, vt fit maiora incẽdia excitaret. Anno hæc ſalutis milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo inchoata ſunt. 1228.
Quo anno Raymundus Toloſæ Comes Gallicis armis vexatus, eas tandem pacis conditiones accepit, quas Galliæ Rex & Romanus Sancti Angeli Cardinalis præſcripſerunt. Præcipua pactionis capita erant: Vt Raymundus omni ſtudio & diligentia Albigenſium ſectam exterminandam curaret. Ioannam filiam nuptui daret regiorum fratrum cui mallet. Si ex eo cõiugio nulla eſſet proles nata, Toloſæ principatus Gallo Regi cederet. Theologis quatuor, Iureconſultis duobus, ſex artium liberalium profeſſoribus, duobus grammaticis Toloſæ annua ſtipendia ſolueret erudiendæ iuuentute. Hæc vt firma eſſent quinq; arces & filia in Regis poteſtatem datæ ſunt. hæc Lutetiæ pactus, menſe April: ad altare maximum, in linea tantum tunica, à Legato Pontificis Romani anathematis religione exolutus eſt. Ea erat ea tempeſtate Pontificum auctoritas: ea ad coercendos prauos homines poteſtas ſacerdotum, Regum etiam ferro armata. Magni aliquot ſacerdotes in Hiſpania deſiderati ſunt. in eo numero Ramirus Pompelonis Epiſcopus ex regio Vaſconum ſanguine prognatus. Succeſſit Petrus Ramirius: quo agẽte, eam eccleſiam Gregorius Pontifex Romanus in fidem ſuam & ſucceſſorum accepit. In Aragonia proceres cõiurati, Regis induſtria ad officium reuocabantur. Ferdinandus patruus eorum quæ commiſerat venia impetrata, Regi ea lege conciliatus eſt, vt coniurati iuriſiurandi inter ſe gratiam facerent: quo ſe mutuo deuinxerant. Sanctio Ahoneſio Cæſarauguſtano Epiſcopo fratris interfecti oppida repetenti, eaq; de cauſſa rempublicam turbanti permiſſum, vt iure ageret. Dati iudices pronunciarunt, oppida quæ honorarii nomine à Petro obtinebantur, Regi continuo reddenda: quæ iuris hæreditarii eſſe docuiſſet, Ahoneſiis relinquenda: neq; vnius culpam vniuerſæ familiæ fraudi fore æquum videri. Eo fœdere conſtituto, ex magnis motibus pax facta eſſe videbatur: niſi reipublicæ tranquillum ſtatum Cabreræ reguli contumacia turbaſſent. Aurembiaſſis Armengaudi Vrgelitani Comitis filia paternum principatum vi à Cabreris occupatum, iudicio repetebat & lege, vti icto cum illis abs Rege fœdere permiſſum erat. Illi non tantum fœminæ conatus, ſed etiam regiam potentiam contemnere videbantur. negabantque ſe eius principatus poſſeſſione deceſſuros, quem tandiu iure optimo tenuiſſent. ex lite ventum ad arma: à Regeq; qui fœminam principem tuendam ſuſceperat, eius principatus oppida & arces, pars vi, pars deditione capta: ipſaque adeo Balagueris principatus caput. & quo firmior eſſet aduerſus hoſtium conatus, Aurembiaſſim inter & Petrum Luſitanum Principem (Sanctio Craſſo Luſitano Rege genitus fuit) patria tunc profugum, conſobrinum ſuum, nuptias celebrari iuſſit. Gerardus Cabrera rerum tędio an ſincero religionis cultu, Templarium militem induit. Pontius eius filius, olim Aurembiaſſi ſine prole defuncta, veteri iure repetito, Vrgeliæ principatum obtinuit: vti competenti loco eſt demonſtrandum.

Baleares à Rege Aragoniæ captæ. Cap. XIIII.

CASTELLÆ & Aragoniæ arma vno tempore in Mauros mouebantur. Caſtellæ minori prouentu, maiore Aragonii fructu dimicatũt. Ferdinandus Rex Abenhuti, qui ad imperium Granatam ipſam adiunxerat, opprimendi ſtudio flagrabat: cum validis copiis in eius vrbis conſpectum penetratum: & Almeriam vſq; peruentum, nullo præterea operæpretio: cum hoſtis alieno periculo cautior, ſui copiam non faceret, totius certaminis aleam detrectare certus. Eodem conſiliorum tenore proximus annus milleſimus ducenteſimus vigeſimus nonus extractus eſt. Quo tempore ex Germania nunciatum milites Theutonicos, qui diu in Syria D. Mariæ auſpiciis cum laude militarant cruce nigra diſtincti in veſte candida, amiſſa Ptolemaide ſeſe retuliſſe in patriam: & Friderici Auguſti eo nomine ſecundi permiſſu, Pruſſiam horridã tunc prouinciam, impioq; ſeruiẽtem cultui, Saxones inter & Sarmatas poſitã armis occupaſſe. iidem adiuncta breui ad imperium Liuonia in Sarmatis, in magnam potentiã euaſerunt. donec parentum memoria Albertus poſtremus eius militiæ Magiſter, Luteri placitis corruptus effecit, vt ad Poloniæ Reges eæ prouinciç reciderent. Ad Aragoniam redeamus. vbi Iacobus Rex procerũ motibus aut compoſitis, ſpecimen indolis egregiæ dederat, atq; præſtantis. vna belli aduerſus Mauros ſumendi cura, dies noctesq; ſolicitabat. Accidit, vt Tarracone in conuiuio, quo ſplendide acceptus erat à ciue eius vrbis primario Petro Martello, (forte erat proſpectus in mare) remotis menſis inter varios ſermones, vt fit, de vicinis inſulis diſputatio iniretur. Petrus occaſione arrepta, quanta eſſet cõmoditas Balearium atq; nobilitas, quanta fertilitas agri, damnaq; quæ propter locorum vicinitatem noſtris littoribus inferrentur. longa oratione diſſeruit, rerum & locorum à multo vſu peritiſſimus. Retabohihes earum inſularum Rex erat, religione 1229.

Maurus. forte acciderat, vt naues aliquot Catalaunicæ ab inſulanis eſſent captæ. Miſſus fecialis, damna vt reponeret, & naues reſtitueret, Maurum poſtulauit, Regis Aragonii nomine. Maurus inſigni faſtu, ecquemnam Regem nominaret, rogauit. ille Aragonio, inquit, Rege illo genitum, cuius virtute ad ſaltum Caſtulonenſem gens veſtra cæſa, & profligata eſt. Parum abfuit eo reſponſo reddito, quin violaretur. ius tamen gentium valuit: ita vt cōtinuo ex inſula cogeretur abſcedere. Iis iniuriis Aragonius Rex prouocatus, libētius bellū ſumpſit. Barcinone in conuentu procerum, de totius belli ratione coram rege diſputatum. ſancitum vt menſe Maio dimidiato, copiæ omnes ad portum Salonium conuenirent: vnde parata claſſe traiiciendum erat. Hæc omnia tam propenſa prouincialium voluntate audiuntur, vt Bouaticum ſemel tantum Regibus concedi ſolitum, populis volentibus denuo fuerit impetratū. Venerat interea Roma Ioannes monachus Cluniacenſis S. Sabinæ Cardinalis, de magnis rebus à Pontifice Legatus. Eius conueniendi cauſſa, Rex Calataiubam abiit. quo Zeitus Valentiæ Rex ad regem venit, vrbe & regno pulſus à ſuis. fides in noſtros eximie culta, grauiſſima culpa fuit, acceptæ calamitatis occaſio. Impetratum vt ipſe & filius Abahomat in Aragonii Regis fidem reciperentur, aduerſus Zaenum tyrannum, qui vrbem eo pulſo occuparat. ſcribunt quidam Zeitum de Chriſtianis ſacris ſuſcipiendis rebus ſuis integris conſilia agitaſſe: idq; fraudi fuiſſe, cum res eſſet indicata. Calataiuba Turiaſonem Rex & Legatus profecti ſunt, quo Rodericus Toletanus, Aſpargus Tarraconenſis, aliique ex vtraque natione Epiſcopi magno numero cōuenerunt. de regio coniugio. quod Rex conſanguinitatis lege vitioſum eſſe diſputabat, coram Legato (nam ea maxime de cauſa Roma venerat) diſceptatur. Erat ex eo cōiugio, regi natus filius Alfonſus nomine, quem in ſpem regni pater educandū curabat. erat difficile matris cauſſam à filio ſecernere: cumq; legitimum pronunciare regni hęredem fore, coniugio repudiato. Lite conteſtata ſecundū regis voluntatem iudicatum. Reginam dimittendā videri. filium patri in regno ſubſtituendum. Eleonora Regina, ſententia pronunciata non inuita ad ſororem Berengariā abiit, oppidis dotalibus, quę in Aragonia habebat retentis, multaq; ſupellectile, auro, gemmis & veſte pretioſa ſecum aſportata. Rex ſoluto conuentu, Tarraconem ad tempus præſignatum diſcedens æſtatis reliquum claſſe comparanda, inſtruenda, ornandaq; exegit. Magnus vndiq; ad regem militum concurſus fiebat, eo Duce quoduis periculum adire cupientium. menſe Septembri milites in naues impoſiti e portu ſoluerunt, numero ad xv. millia peditū, equites mille quingenti. claſſis c l v. naues numerabat. onerarias x xv. longas duodecim. reliquas ſpeculatorias, auctaria, hippagines. Prouectos in mare, ac ferme in conſpectum maioris Balearis, quo nauigabant, progreſſos ventorum procella diſiecit, tanta vt curſum teneri poſſe non ſperarent. vicit tamen Regis conſtantia: & ad occaſum Solis Euronoto remittente, cui ea loca obnoxia ſunt, commutatoq; in Circium, quod nauigationis reliquum erat, proſpere confecerunt. Inſulæ quadrata forma eſt. quatuor anguli totidem cœli plagas ſpectant. Palumbariæ portus, cui Columbraria inſula obiecta eſt, ad Occaſum pertinet. promontorium Salinarum ad Meridiem. medio fere interuallo Maiorica vrbs Inſulæ caput interiacet. Petræ & S. Vincentii promontoria, ad Orientem vergunt, & Septentriones. Petræ promontorio Polentia haud remota eſt, olim Romanorum colonia, nunc modicum oppidum, ſed portu inſigne. eum quia claſſis tenere non potuit venti flatu prohibita, Palumbariam neceſſario petiit, triginta millibus paſſuum ab vrbe diſſitam. Regia triremis in eum portum plenis velis inuecta primum eſt: deinde reliqua claſſis nulla naui deſiderata. Verum cum præ Maurorum multitudine, deſcenſus in terram tutus non eſſet, ad Sanctæ Pontiæ portum vlterius aliquanto verſus Meridiem, & Occaſum itum eſt. ibi excenſione prohiberi noſtri non potuere. leuia modo prælia fuere, noſtris proſpera, barbaris ſemper aduerſa. In vrbis Maioricæ expugnatione ſumma totius expeditionis vertebatur. cui vrbs cederet, ei inſulæ imperium contingere neceſſe erat: quod neutra pars ignorabat. Rex Maurus, Portopineum vicinum vrbi montē caſtris occuparat, numeroſis copiis quas magnis delectibus conflarat ferox magis quàm validus. Noſtri dum incautius iter faciunt, longiusq; hoſtem abeſſe credunt, pene oppreſſi ex inſidiis ſunt. ac Guillelmus Moncada Bearnæ regulus, & Raymundus Moncada pluresq; alii ex ea gente, qui in prima acie curabāt, & ſiniſtrum cornu hoſtium aggreſſi erant, in primo conflictu occubuerūt. graue id detrimentum fuit. cuius rex inſcius, reliqua Maurorum agmina magno impetu inuaſit. Erat genus pugnæ, quale barbaris eſſe conſueuit, perturbatæ, atq; tumultuariæ. ordines nō magnopere ſeruabant: rari modo, modo conferti pugnabant. ſi premerentur, pedem referre: & loco excedere ſoliti, collectis rurſus viribus repetebant pugnam. Res proxima periculo fuit, ne noſtrorum virtus ab hoſtium circunfuſa multitudine opprimeretur. omnia tamen Regis ſiue virtus ſuperauit ſiue felicitas. barbari primum loco moti, deinde in fugam compulſi:

pulſi: cum ſe in caſtra retuliſſent, ſuperato monte captiſq; caſtris, omni ex parte victi ſunt. fugientes ſequi non placuit: quod proximus illis receptus eſſet: regii continenti totius diei labore defatigati, equi, hominesq;. Admota ſubinde vrbi caſtra. & quoniam Mauri copioſo commeatu inſtructi, nihil voluntate facturi videbantur: quæ expugnandis vrbibus vſui eſſe ſolent, magna diligentia comparata. machinæ quatiendis mœnibus extructæ: baliſtæ, catapultæq;, plutei, vineæq; ſubruendo muro. Foſſa vrbis profunda lataq;, materia repleta. Hæc non paucis diebus adminiſtrata: cum opera per ſe difficilia, hoſtes impetu & ex inſidiis diſturbare conarentur. Vinearum ope muro tandem ſucceditur, dolabris quatuor turrium imi lapides conuulſi, eæque contis ſuſtentatæ, vno tempore igne ſuppoſito corruerunt. barbari ex iis rebus metu perculſi, conditionis primum ſpem, deinde ea cogitatione depulſi, deditionis tentarunt, ſalutem pacti, atq; facultatem, qui vellent in Africam Regem Maurum ſequi, cum rebus ſuis nauigandi. Æqua ea conditio pleriſq; procerib. videbatur, Nunnio præſertim Ruſcinonenſi Comiti: cui cum Rege barbaro de ea re colloquium fuerat. Verum Bearnenſis reguli, propinqui & neceſſarii pulcherrimum conſilium ſæuo vindictæ ſtudio diſturbarunt: cum ignominioſum fore, atq; fœdum dicerent, niſi Maurorum excidio tantis Principibus vindicatis, bello finem imponere. Obſeſſi deſperatione ſalutis in furorem acti, maiori quam antea animo vrbem defendunt, ſæpe noſtrorum non exigua cæde: prorſus vt iam atrocis conſilii auctores ipſos pœniteret, ſi liceret retractare parati. Ad extremum muri magna parte proſtrata, per ſtrages & lapidum rudera euadendū erat. Noctu quidam irrumpendum diſputabant: quo tempore vrbis vigilię remiſerant. Rex veritus nocturni temporis licentiam, portas muroſq; aſſeruari iubet, ne hoſtis effugeret. Vbi illuxit, inſtructa acie vrbi proximus ex loco vnde exaudiri poſſet, hanc ad milites orationem habuit. Parem veſtris laboribus gratiam rependere noſtræ facultatis non eſt. habere nunquam deſiſtam. En noui meriti offertur occaſio. Vrbem opulentiſſimam expugnare hodierna die paratis, cuius ſpoliis diuites euadetis haud dubiū, beatiq; adeo. Ciuium ſtrage amiſſos iniuria ſocios, amicos & neceſſarios vindicabitis. Nobis veſtro labore nouum imperium, nouumq; regnum paratur. Obſeſſi confecti inedia ſunt, imminuti numero, metu debilitati. Pergite ergo, magno animo in vrbem inuadite. numen propitiū habetis. hæc meta laborum erit, gloriam conciliabit & immortalitatem. Iis maximum periculum, qui hoſtium congreſſum formidabunt. Audacia, conantes, proteget. Hæc vbi dixit, ſemel iterum & tertio pugnæ ſignum dat. milites timor inſolitus aut ſtupor, neſcio quis occuparat. Rex quid inquit, irruere ceſſatis? magno agite animo, inuadite. Ad eam vocem magno clamore edito in vrbem irrumpitur. Mauri deſperata ſalute locis omnibus occurrunt. pugna multis partibus fit. noſtri tandem cæſis fugatiſq; aduerſariis vrbe potiuntur. Regem Maurum in latebras compactum, Iacobus Rex barba apprehenſum (nam ita ſe facturum antea iurarat) bono animo eſſe iubet, atq; de ſalute bene ſperare. Arx continuo dedita eſt, atq; in ea Regis filius captus, tredecim natus annos: cui poſtea Chriſtianis ſacris imbuto, Iacobo nomen fuit: prædiaq; deinceps in agro Valentino, Gotoriumq; oppidum, vtrunq; Iacobi Regis dono. Inde Gotoriæ familiæ cum primis nobili generis propago. Quemadmodum Carrocius è nobilitate Germaniæ, Regem in hoc bellum ſecutus, Rebolledo deinde donatus eſt. vnde perampla ac perilluſtris familia ad noſtra tempora perſeuerat. Capta eſt vrbs Maiorica pridie Kalendas Ianuarii, initio anni milleſimi ducenteſimi trigeſimi. Sedes Epiſcopi ac domicilium in ea vrbe conſtitutum. tametſi Barcinonenſes Sacerdotes diſputabant, ſui iuris effectam eſſe ex tabulis nimirum vetuſtate obſoletis. Reliqua inſulæ oppida, & arces breui in poteſtatem redactæ: rebuſque omnibus compoſitis, militum primum maxima pars in patriam dilapſa eſt: deinde Rex in Catalauniam nauigauit. Ipſo anno Mercenarii monachi, quos ante aliquot annos inſtitutos diximus, Gregorio IX. Romano Pontifice, inſtitutam viuendi rationem probarunt. Extat de ea re Gregorii ipſius diploma Peruſii datum ad ſextum decimum Kalend. Februarii. 1230.

Legionis regnum Caſtellæ vnitum. CAP. XV.

HÆc in Aragonia, quo tempore Rex Legionenſis, ſuis & filii copiis cinctus, in Maurorum fines incurrit: & quod ſæpe antea tentatum fruſtra erat, Caſtra Cæcilia expugnauit, validum ea tempeſtate municipium, munitiſſimum imperii Maurici ea parte propugnaculum. Nouo conatu Emeritam circunſedit, ferox ſucceſſu, viribus validus. Abenhudus Rex virtutis oſtentandæ ſanciendiq; inter ſuos arrepti nuper imperii auctoritatem cupidus, collecto numeroſo exercitu, opem obſeſſis laturus progreditur. ancipiti ſententia nutabat Alfonſi animus. ſubiret an detrectaret certamen. hinc periculum proponebatur,

Digitized by Google

quod exiguæ copiæ eſſent:inde ignominiæ metus,qua non morte grauior? Concilio conuocato variæ dictę ſententię.pleriſq; certaminis aleam formidantib. Rex in extrema quãuis ætate vigore iuuenili,pugnare certus acies inſtruit: idem factũ à Mauris. Datur pugnæ ſignum.concurritur magno vtrinq; impetu,pari animorum conſtantia. vicere noſtri. cæſi fugatiq; Mauri.ſtrages tanta hoſtiũ fuit.vt præ metu pleraq; eo tractu oppida deſererẽtur. opinio fuit Iacobum Apoſtolum,& pleroſq; alios cælites in veſte candida viſos inter acies, noſtrorum animos cõfirmaſſe,Maurorum fregiſſe audaciam.præterea Zamorę D.Iſidori viſam quibuſdam ſpeciem renunciaſſe creditũ (vere an falſo non dixerim) ſed renunciaſſe tamen ad auxilium noſtrorum ſe alioſq; cælites feſtinare. Ex euentu dictis accommodata fides eſt.Emerita defenſione deſperata,continuo portas aperuit.Id præmium victorię fuit. Præterea Pax Auguſta,hoc eſt Badagioz,ad fines Bæticæ & Luſitanię,in poteſtatẽ eodem impetu redacta. Alfonſus copiis appetente hyeme in hiberna dimiſſis,proximo anno bellũ repetiturus maiori apparatu,diuino numini pro victoria,vt gratias ageret,dũ Compoſtellã pergit,in ipſo itinere Sarriæ in Calęcis morbo tentatus,oppreſſuſq; eſt,in anni exitu.ſepultus Compoſtellæ.filios reliquit ex Theraſia quidẽ Sanctiam & Dulcẽ: ex Berengaria autẽ Ferdinãdum,Caſtellæ iam Regem,& Alfonſum,cui Molina principatus fuit. Rodericum ſtupro genuit cognomento Legionẽſem,Caſtellæ Rex Ferdinandus de bello Bętico cogitabat maiori impetu inſtaurãdo:vir ſtrenuus & nunq̃ ceſſans,neq; ſuę ſaluti conſulens prę publica vtilitate.Giennium vrbs noua inita expeditione circunſeſſa quamuis,magniſq; viribus & contentione impugnata:cum ad omnes caſus antea munita eſſet, facile regios conatus eludebat. Itaq; re infecta Daralferſam diſceſſum eſt. q̧ oppidum dũ obſidione premitur,nunciatũ Regi eſt, Alfonſum patrẽ,qui in Regibus Caſtellæ & Legionis eo nomine nonus fuit, diẽ obiiſſe. Duobus & quadraginta annis regnauit, vir cũ propriis laudib. clarus,bellica fortitudine,æqui iuſtiq; tenax:quo ſtudio magiſtratib. iuridicundo de publico ſalaria conſtituit:ne accipiẽdis præ inopia munerib. iudicia corrumperentur: q̧ ſuppliciis omnibus vindicabat.tum præcipue Ferdinandi filii virtutibus,ac pietatis inſignib. merito commẽdandus. Cæteras virtutes fœdare viſus eſt,atq; obſcurare,aures criminationib. patulas præbendo(q̧ magnum in Regibus vitium eſt)odioque filii ſempiterno:prorſus, vt eo exhæredato Sanctiam & Dulcem ex priori coniugio natas, hæredes regni ſcripſerit ſupremis teſtamẽti tabulis.Eo maior feſtinatio Ferdinando adhibenda erat, vt paternã hæreditatẽ cerneret,priuſquam ab aliis eſſet occupata.Proceres,atq; in his Rodericus Præſul,qui caſtra regia ſecutus erat, vt ita faceret,hortabantur.Berengariæ matris litterę,& nuncii alii ſuper alios ſolicitabant.æqua matrẽ & proceres poſtulare,ſalutaria cõſulere Rex nõ ignorabat:rebus tantũ in Bętica impeditis diſcedere graue erat. Berengaria,paruis ſæpe momẽtis conſiderans,magnos caſus intercedere, in Bæticã proficiſci conſtituit filio reuocando, moræ impatiens,expeditoq; animo.Orgatium oppidũ vigeſimo ab vrbe Toleto lapide ꝓgreſſa erat: cum Rex Ferdinandus occurrit.celeritate opus eſſe monet,priuſquã ſe æmuli cõfirmarent:quos magno numero eſſe diſputabat. Metus & ſolicitudo omnia augebant in maius.Rex cõtinuato itinere Toleto in Legionẽſes fines inuectus,cũcta opinione faciliora inuenit.paſſim enim venienti vrbes & oppida omni ſignificatione lætitię portas aperiebãt. Regem felicẽ,pium,aliaq; honorũ nomina cumulabãt. Tauri Regium inſigne deſumpſit: cui vrbi is honos habitus eſt, quoniã prior per litteras ipſum ad regnũ euocarat. Procerib. regni non idẽ animus erat.pleriq; ſorores ſequebãtur.aderãt factioni oppida & vrbes:magnumq; aliquod malũ ex eo diſſidio impẽdere videbatur. Regni,ſacrati Præſules,quorum partes ſunt,nõ ſacra modo præbere,ſed etiã reipublicæ cõſulere,cauſę æquitate perſpecta, & priuatis affectib.ad rationẽ, vt par erat,reuocatis cõcordiæ ineundæ auctores extiterũt. Ioannes Ouetenſis,Nunnius Aſturicenſis,Rodericus Legionẽſis,Michael Lucẽſis, Martinus Salmãtinus,Martinus Mindonienſis,Michael Ciuitatẽſis,Sanctius Caurienſis, Ferdinandi auctoritatẽ ſecuti. Viuebat eo tẽpore Theraſia,Sanctiæ,Dulciſq; mater:veneratq; ex Luſitania vt filias re & cõſilio iuuaret:ab ea primũ de ineundo fœdere per legatos mẽtio facta Valentiæ,q̧ oppidum in Calæcis eſt,Reginarũ parentis atq; nouercæ, Berengariæ & Theraſiæ mutuo colloquio dirẽpta controuerſia eſt.Regiæ ſorores regni iure ceſſerũt fratri triginta aureorũ millia annua pacto,vnde vitã illę principalẽ ſuſtentarent. Fœdere facto Rex Legione,vbi ſubſtiterat. Valentiã iuit:ſorores eius ſalutãdi cauſa Beneuentũ. Roderico Toletano Præſuli,qui Regem proſecutus erat,laboris ſumpti Caſcata oppidũ eo tractu præmiũ fuit,Legionis regnũ in formã prouinciæ ad hunc modũ redactũ eſt:cũ ante tres & 70. annos non ſine reipublicę incõmodo à Caſtellę iure fuiſſet diſtractũ:atq; in Ferdinãdo Rege & poſteris ſempiterno ſocietatis vinculo vtrũq; imperiũ coaluit, ad omẽ eius amplitudinis q̃ domi,foriſq; obtinent Ferdinandi poſteri,noſtra ætate pręcipuam & maximam.

Regum

Regum colloquia inter ſe. CAP. XVI.

EODEM tempore Sanctius Rex Vaſconum, cui res præclare geſtæ in viridi ætate Fortis cognomen adiunxerant, commutata vitæ ratione, multo adipe grauis, diuturnoque morbo fœdus, ſe intra Tudelæ arcem continebat, eam turbandæ reipublicæ occaſionem tum prouinciales tum externi arripiebant. Itaq; Pompelonẽſes ciues non ſemel, neq; magnis de cauſſis tumultuatos eſſe per hæc tempora inuenimus, impunitatis fiducia ſcilicet, quod maximum ad peccandum incitamentum eſt. Lupus Harus Viſcaiæ regulus per Riuogiam in Vaſconum fines inuectus, aliquot arces ademit. id eo grauius accidit, quod conſcio Ferdinando Caſtellæ Rege & adiuuante perpetratum eſſe facinus omnes intelligebant. Theobaldus Campaniæ in Gallia Comes, cui vltro gloria & regnum ventura erant, ſi patientiam adhibuiſſet, moræ impatientia cum Vaſconum proceribus conſilia occulte regni occupandi communicabat. Tantæ molitiones diu celari non poterant. Sanctius Rex, cum domeſticis externiſq; hoſtibus imparem ſe fore prouideret, ſi res ad bellum eſſet deducta, externo præſidio ſe munire conſtituit. Iacobus Aragoniæ Rex confecto Balearico bello geſtarum rerum gloria in primis celebris eſſe cœperat: prorſus vt magni toto orbe Principes eius ſocietatem appeterent. Miſſi Cęſarauguſtam legati, quo ſe Iacobus è Balearibus per Populetum & Ilerdam retulerat, vt Tudelam feſtinaret, ſolicitabant: fore de rebus magnis colloquium. Occaſionem ille, quæ offerebatur imperii amplificandi haud negligendam fore exiſtimans, nullo fidei pignore poſtulato, ad Sanctium feſtinauit. Tudelæ in arce, vbi æger iacebat, poſtquam inter ſe ſalutaſſent magna vtrinque amoris & beneuolẽtiæ ſignificatione, de fœdere diſceptatum eſt. Sanctius prior Theobaldi ingratũ animum perfidiamq; accuſabat, cui tanti eſſet ſenis obitum expectare, vt res domi turbare minime dubitaret, præ imperandi ambitione: Ferdinandi Regis auiditatem, cui explendæ tantæ opes, & tam ampla ditio nõ ſufficerent: creſcere cum imperio cupidinem imperãdi, inquietum malum atq; peſtiferum: Eorum conatibus, Iacobi ipſius virtutem opponere cogitaſſe: quod vtriuſq; rationibus opportunum fore iudicabat: ſi Vaſconibus adiunctis Cantabria, quæ pridem erepta erat, Aragoniis armis eſſet vindicata: Gallici inſultus repreſſi. Ergo q; felix, inquit, fauſtumq; ſit regni heredem te adoptione conſtituo, certus huius meæ volũtatis & ſtudii nunquam te immemorem fore: quin reipublicæ me mortuo conſulas, dum vixero eam fidem exhibeas: quàm à filio expectare æquum eſt. Rex iuuenis oblatam conditionem haud reiiciendam eſſe iudicans, pro ea voluntate gratias immortales agit ſeq; paratum eſſe ait libenti animo obtemperare. Re conſtituto inter ſe Reges mutuo adoptarũt, vt altero decedente, alter in regnũ eius ſuccederet. Honeſtior ea ſpecies fore viſa eſt: tametſi iniquum erat, & ludibrio ſimile; à iuuene qui iam prolem habebat, extrema ſenem ętate adoptari. Morbo is anniſq; grauis, parum prouidebat animo. Aprilis menſis die quarto: ſalutis anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, fœderis initi tabulæ promulgatæ 1231.
ſunt, atq; vtriuſq; regni procerũ conſenſu confirmatæ. Centum pręterea millia nummûm, quos ſolidos ea ætate vocabant, Sanctius expetenti in belli ſumptus Iacobo mutua dedit, aliquot Aragoniæ oppidis pignoris nomine acceptis. Erat ex Balearibus nunciatũ. Tunetanum Regem validam claſſem aduerſus eas inſulas comparare. ea res Iacobum compulit, quamprimum ſe Cæſarauguſtam referre. Quo tempore Aurembiaſſis defuncta Vrgeliæ principatum viro ſuo Petro Luſitano Principi teſtamento legarat, præterea Valliſoletum in Vacceis. Nouorum ea res motuum occaſio erat, cum Pontius Cabrera, vetera iura repeteret, armiſq; diſceptare pararet. Impendentia mala, Regis prudentia diſcuſſit, fœdere cõſtituto ea lege, vt Vrgeliæ principatu ſe Petrus abdicaret, Baleares inſulas dum viueret, Regis beneficio teneret. Balaguerim Rex retinuit. alia oppida Cabreris data. ex Salonio mox portu in Baleares trãſmiſſum. verum cum nunciatum eſſet, Regem Tunetanum eo anno ceſſare, nullo magno operæpretio facto Rex in continentem rediit. Interea Ferdinandus Rex Legionis regno luſtrando diſtrictus, conciliandæq; hominum gratiæ, ac promerendi amoris prouincialium ſtudio occupatus, belli Maurici curam Roderico Præſuli Toletano commendauit, Queſada oppido donato ea lege, vt barbaris quoniam ad eos redierat, armis eriperet. Ergo ineunte æſtate fines Maurorum maturis iam ſegetibus euaſtati. ingens præda capta. Queſada oppidum expugnatum. neq; Queſada modo, ſed etiã Caſorla in Baſtetanis, Concha, Chelis, Niebla Romanis Elepla, aliaq; finitima oppida. quibus ab eo tempore Caſorlæ Præfectus omnibus iura dat, Toletani Præſulis legatus, Rege concedente, more vſq; ad noſtram ætatem retento. cum Ioannes Tauera Cardinalis Marchioni Camaraſio Franciſco Gobo, quem eximius Caroli quinti Imperatoris fauor & gratia in magnam auctoritatem euexerat, ea ditione ceſſit. Ioannes Siliceus Taueræ ſucceſſor Pręſul Toletanus, principatum iniuria, vti expoſtulabat, abdicatum, iudicio repetere conatus,

nihil neq; ipſe, neq; ſucceſſores ad hanc diem præſtitere. Queſada ſane quoniam ad Mau-
ros rediit, & Regis Ferdinandi armis recepta eſt, ex eo tempore ſub Caſtellæ Regum im-
perio permãſit. Ioannes Brena homo Gallus, Hieroſolymitanus Rex, rebus propemodum
in Syria perditis, colligendi auxilia ſpe, in Italiam nauigauit: vbi Violantem filiam Frideri-
co ſecundo Imperatori vxorem dedit. Ex eo, quoniam vir Siciliæ iura dabat, vxorq; hæres
patris erat, Siculi Reges regni Hieroſolymitani titulum vſurpare cœperunt. His nuptiis ce-
1232. lebratis Barcinonem venit anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo. Vbi benignè
à Iacobo Aragonię Rege acceptus, atque habitus aliquandiu, in Caſtellam peregrinatum iuit, vo-
ti reus Compoſtellani templi inuiſendi. Venientem Rex Ferdinandus non minori lætitię
ſignificatione coluit. Berengariam præterea ſororem, hoſpiti & aduenæ Regi connubio
iunxit, ex ſacra peregrinatione redeunti. Quibus ille nuptiis peractis in Italiam rediit, bello
ſacro in Syria reparando intentus, maiori conatu, quàm ſucceſſu. Annales Toletani, qui-
bus multum fidebamus, Brenam ante octo annos veniſſe in Hiſpaniam aiunt atque idibus
Aprilis die Veneris Toleti abs Rege Ferdinando regio apparatu exceptum. & conſtat re-
greſſum in Italiam rerum ſuarum deſperatione imperii Conſtantinopolitani, quod à Gal-
lis occupatum nutare cœperat, agente Romano Pontifice, procuratorem factum: Baldui-
no Imperatori alumno ſuo Martham ex nouo coniugio ſuſceptam collocaſſe. Id nauatæ
operæ præmium fuit. A militibus ſacris iunctis cum Placentino Epiſcopo viribus, Caſtra
Iulia in Vectonibus de Mauris capta, ad octauum Kalend. Februarii. A Iacobo Aragonio
tertio in Baleares tranſmiſſum, captaque minor Balearis. Nam Ebuſus Pityuſarum in mari
1234. Iberico maxima, in poteſtatem venit anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, pro-
uentu ſalis diues inſula, maiuſq; ex eo vectigal quam vlla ex re alia. Tarracone vt ſacra pe-
teret ſancitũ: quoniam Guillelmi Mongrii copiis potiſſimum expugnata eſt, qui in Aſpar-
gi locum electus erat Præſul Tarraconenſis. Quo anno ad ſeptimum Idus Aprilis Sanctius
Rex Vaſconum extinctus eſt: Corpus ad Rocidam vallem tumulatum in D. Mariæ Cano-
nicorum monaſterio, quod ipſe ſua impenſa extruendum curarat. A Vaſconibus Theo-
baldus Campaniæ Comes lege propinquitatis ad regnum aſcitus, Pompelone menſe Ma-
io regium inſigne deſumpſit, Aragonio etiam Rege, vt quidam ſcribit, conniuente. & for-
taſſis iniecta animo religio erat: nefaſq; putabat, iura alienæ hæreditatis inuadere. inuiſum,
bella quæ conſecuta ſunt, docent tantiſper diſſimulaſſe: cum aliæ ex aliis enatæ diffi-
cultates implicarent, retinerentque ne eius regni hæreditatem captaret, adoptionis iure,
ferroque. tametſi haud magna victoriæ ſpes, in tanta prouincialium alienatione oſtende-
batur. Noui præterea coniugii cura ſolicitabat, quod cum Violante Andreæ Hungari Re-
gis filia pactum, Ferdinandus Caſtellæ Rex modis omnibus diſturbare, & Eleonoræ foro-
ri Regem conciliare conabatur. Tentata concordiæ ſpes per legatos cum non procederet,
ad colloquium ventum eſt. Horta cœnobium deſignatum in Aragonii regni finibus. Re-
ges ad quintumdecimum Kalend. Octobris, inter ſe collocuti, re infecta diſceſſerunt. tan-
tum Aragonius explicuit rationes, cur ſibi iure Chriſtiano, à priori diſceſſiſſe coniugio li-
cere putaret. & ne nihil effectum videretur, Eleonoræ ad alia oppida dotalia Hariſa adie-
cta eſt: vbi in contemplatione vitæ per virtutem actæ vitam exigeret, adiuncto filio, qui ad
iuſtam ætatem in eius poteſtate relinquebatur. Nouum ab ea locis vicinis monaſterium
ad Almaſanum ædificatum, monachis Præmonſtratenſibus ab Humberto Lotaringo in
Galiia non ita pridem inſtitutis in ſaltu Premoſte, vnde ei ordini nomen factum eſt.

Valentini & Cordubenſis belli initia. CAP. XVII.

REGVM colloquio dirempto, Aragoniæ & Caſtellæ arma ad ſacrum bellum conuerſa
ſunt. Aragonii captis Balearibus feroces, odioq; Zaeni, qui Valentino regno occupato
Aragonios fines, vicos, agroſq; depopulatus erat, atq; vſſerat, Ampoſtam, Dertuſamq; pro-
greſſus, nouam expeditionem adornabant. cœptum in Bætica bellũ Caſtellani proſeque-
bantur. rei bene gerendæ opportunitatẽ Mauri in partes diſtracti præbebant, Almohades,
Almoratiides, Benamarines, atq; Benadalodes: prorſus vt imperiũ Mauricum nullo quã-
uis impellente ſua mole, ſuoq; pondere ruere videretur. A Catalaunis, q̃ niſi ſupremo me-
tu, ſpeve vſurpari non conſueuerat, in Valentini belli vſus Bouaticum Regi conceſſum. In
Maurorum fines variæ noſtrorum manus inuectæ prædandi ſpe. Blaſcus Alagonius Mo-
rellam munitum oppidum cepit, læto quidẽ ad belli ſummam omine: quando priuata ma-
nu factum operępretium erat: triſte autem Regi eius rei nuncium fuit, cum ęgre ferret pri-
mos belli fructus recidiſſe ad alium. ergo illud oppidum imperio ſuo ſubiicit: factã Blaſco
iniuriam Saſtago attributo compenſat. Hoc initium belli Valentini fuit, atque Saſtagi
Comi-

Comitibus. Secundum Morellam Burriana post duorum menſium obſidionem deditionem fecit: ciuium ſalutem & libertatem pacta ad ſeptem millia promiſcui ſexus, atq; ætatis homines ſunt egreſſi. graue incommodum rebus Mauricis allatum erat duobus oppidis ſublatis: vnde propter agri bonitatem, plura alia eo tractu oppida & arces vitam tolerabāt: quæ neceſſario Regi deditionem fecerunt. In primis Peniſcola (Ptolemæo Cherſoneſus) Caſtellonium, Burriolium. Alcalatenum autem Semenus Vrrea cepit: quo merito eius oppidi principatus Vrreis nobiliſſimæ familiæ conceſſus, ab eis ad noſtram retinetur ætatem. Ad Sucronis ripam in ipſo imperii Maurici ſinu per vim à Rege expugnata Almaſora, noctu irrumpentibus noſtris, hoſtibus fuga dilapſis. Quo tempore Ferdinandus Rex rebus domi compoſitis, Reginaq; vxore Legione relicta, vt noui regni ſtudia amplius conciliaret, magno exercitu conflato, Bæticum bellum aliquandiu temporum neceſſitate intermiſſum reparabat. Vbeda circunſeſſa, omnibuſq; machinis impugnata. quæ quoniam Biatiæ vicina eſt, tribus tantum paſſuum millibus diſſita, valido Maurorum præſidio, magniſq; operib. aduerſus omnes caſus munita parataq; erat. Verum difficultates omnes Regis conſtantia peruicit: ciueſq; vna tantum ſalute à victoribus impetrata vrbis deditionem fecerunt. alia parte à militibus ſacris Metellinum, Alfangium, atq; Sanctæ crucis oppidum expugnata. Lętitia ex iis rebus noua calamitate turbata. habet has vices cōditio mortalium. Regis vxor interea Tauri defuncta eſt. Corpus Olgis ſepultum. iuſta regio more, atq; apparatu magnifice facta. inde Hiſpalim poſt aliquot annos migrauit, viro ſepulcro coniuncta poſt mortem: vti coniunctiſſima vixerant voluntate. Vbeda capta Toletum Rex rediit, Legionenſes vrbes & oppida rurſus obire certus. Iis blandimentis noui regni voluntates cōciliandæ erant. milites ad Bæticæ præſidiū relicti facta manu Cordubenſes agros vrūt, ac depopulantur. Mauri aliquanto numero Almogaraues capti ſunt. (milites ii veterani erāt, atq; præſidiarii) ex illis cognitum eſt, Cordubæ vrbis capiendæ pulcherrimam occaſionem extare infenſi ne ciuibus eſſent, an libertatis ſtudio fecerint incertum. ſuburbium ſane vrbi coniunctum eſt, Axarchiæ nomine. Ea muri parte, quoniam illorum fidei commiſſa erat, noſtros re conſtituta per noctem in vrbem admiſere, ſalutis anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, Decembris die vigeſimo tertio. 1235. Exiguus numerus erat, tantæ rei perficiendæ. turres aliquot occupare, portamq;, cui à Tuccis nomen eſt, ſatis habuerūt, dum auxilia à noſtris expectantur. quos illi miſſis legatis ne occaſioni deeſſent enixe rogabant: vna tantum celeritate opus eſſe: ſe tantiſper tolerare: diutius ſi cunctarentur ſuſtentare non poſſe: Mauri ſequenti luce, periculo denunciato, noſtros expugnare parant. Aluarus Caſtrius, cuius eximia & fidelis opera, ex quo ad officiū rediit ſemper extitit, re ex noſtrorum litteris cognita Tuccis quod oppidum præſidio obtinebat, auxilio primus accurrit. idem Rex facit Legione profectus, quamuis locorum interuallo diſſitus, & iniquiſſimo anni tempore cum collectitia manu proceribus & vrbium conuentibus, vt ſequerentur, præcipit. Bienquerentia arx in itinere occurrebat. eam primum tentare placuit. Præfectus arcis commeatu quidem Regem iuuit. de deditione appellatus, negauit niſi Corduba capta, cuius auctoritatem ſequeretur, facturum ſeſe. ergo eo relicto Cordubam feſtinatum: quo multos ſane confluxiſſe inuenit, pauciores tamen numero eſſe, quam vt iuſtus exercitus conflari poſſet. Abenhutus Rex Aſtigi ſe ea tempeſtate tenebat, ad omnem occaſionē intentus. validæ ſequebantur copiæ. Laurentius Suarius transfuga barbaro militabat. Valentinis, an Cordubenſibus in pari periculo ſuccurreret incertus erat, nam ab Aragonio Rege Cullera tentata erat irrita ſpe. lapidum in eo agro penuria, qui tormentis mitterentur coegit, re infecta diſcedere: vt paruæ ſæpe res in bello, magnorum momentûm ſunt. in Valentina tamen planicie Moncadæ arx capta ab Aragoniis. & vt cæteri cladis eius exemplo terrerentur diruta eſt. Hæc vno tempore nunciata, Abenhuti Regis animum ancipiti cura ſuſpēſum tenebant. Suarius in regia caſtra ſpeculatum miſſus vt cum inſigni aliquo officio rediret in gratiam, conſilio clam cum Ferdinando communicato, maiora vero de noſtrorum apparatu & copiis, ementiente metum ac triſtitiam vultu prædicādo apud barbaros, auctor extitit, à cogitatione ferendæ Cordubenſibus opis animos auocandi. Ea res noſtris ſaluti fuit, externis vrbaniſq; copiis, ſi congrederentur, imparibus. Auxit noſtrorum alacritatem cum Rex barbarus in Valentinum bellum intentus, Almeriæ à ſuis, paucis poſt diebus, obtruncatus nunciaretur, ſtrenuus manu, ſermone promptus fuit ſerendę inuidię, diſſidii concitandi artifex, raptor, largitor, neq; pace, neq; bello cuiquam ea tempeſtate poſthabendus: grande ſane momentum addiderat rebus Mauricis reſtituendis in Hiſpania.

Corduba capta. CAP. XVIII.

IN Bæticæ medio propemodum interuallo, qua olim parte Turduli fuſi erant, vrbs Corduba ſita eſt, in planicie quidem, cæterum ad Marianorum montium radices, qui ad Se-

ptentrionalem vrbis plagam aſſurgunt ardui atq; impediti cautibus. Ædificia vrbis Bætis fluuius ad læuam alluit, multis admiſſis fluminibus nauium capax. Quadrata forma vrbs eſt ſecundum ripam extenſa, maiori longitudine quam pro latitudinis modo. Mauri quo tempore in ea vrbe ſedem imperii ac domicilium tenuerunt, multum de veteri elegantia formaq; mutarunt, vt eſt gens minime ædificandi curioſa. Quinq; olim portis aditus erat, nunc ſeptem. ſuburbia addita in iuſtæ ciuitatis modum: ac illud maxime, de quo paulo ante mentio facta eſt, Axarchiæ nomine ad fluminis ripam, Solis ortum ſpectans, perpetuo muro iunctum vrbi veteri. Regia arx ad Occaſum pertinet, proprio & ipſa munita muro. à templo maximo, quod in veteri vrbe eſt, pons pulcherrimus flumē impoſitus iungit. Olim colonia Patricia dicta eſt: quoniam eam initio Romanorum & indigenarū delecti tenuerunt, (auctor Strabo) magnorum ingeniorum altrix, belliq; & pacis artibus præſtantium. Subiectus ager omni fertilitate in primis Hiſpaniæ conſpicuus eſt, eximia amœnitate lætus: non ea modo parte, qua conſternuntur campi, ſed montes etiam ipſi vitibus, olea, omneq; genus arboribus veſtiti ſunt, irrigui fontibus. In his montibus quarto ab vrbe lapide, vbi monaſterium extat D. Hieronymi nomine, atq; inſtituto, Cordubæ veteris veſtigia cernuntur, à M. Marcello ſeu conditæ, ſeu auctæ: quo tempore ex prætura res in Hiſpania geſſit. Eius loci inſalubritate factum creditur, vt in alium quo nūc eſt poſita, commigrarit. hanc vrbem, parte à noſtris murorum occupata, obſidebat Ferdinandus Rex anno ſaluris
1236. milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto auſpicante. defendebant Mauri pro extrema ſpe, magno animo dimicantes. in ipſis etiam vrbis plateis de patria, de ſalute, de fortunis omnibus decertare cogebantur ciuium multitudine confiſi, & auxilii externi ſpe. verum cum fama primum, deinde ex captiuis quæſtione habita cognitum eſſet Abenhutum occiſum à ſuis eſſe: Laurētium Suarium ſe ad Ferdinandi caſtra retuliſſe, de quo quoniam ex prima Caſtellæ nobilitate erat, multum cōfidebant, ſublata defenſionis ſpe animus etiam abſceſſit. Actum de deditione: ventumq; in colloquium. regii Ferdinandi clementiam in deditiтios exorabilem, in deuictos animum oſtendere. Mauri neq; de Regis potentia, neq; de ſuo periculo dubitantes, de incundo fœdere diſputare. oblatæ conditiones cum conſentaneæ non eſſent, res ea in multos dies extracta eſt. nunc ad arma conuertebantur: paulo poſt ad colloquium redibatur. accidebatq; obſeſſis, quod plerunq; hominibus pertinacibus, atque arrogantibus: vti eo recurrerent, & eas conditiones cupidiſſime peterent, quas paulo ante contempſerant. noſtri illorum humilitate, & opportunitate temporis abuſi, grauiores conditiones miſeris imponebant. Eo tandem poſt magnam altercationē res redacta eſt, vt vna ſalute impetrata: abeundiq; poteſtate vrbem dediderint, Iunii menſis die vigeſimo nono, qui dies Petri & Pauli memoria ſacer eſt. Vrbe capta in ſumma templi Cordubenſis turri, vnde in omnes partes deſpectus erat, crucis ſignum, regiumq; vexillū collocata. templum ipſum, quod Mahometis ſuperſtitioni dicatum erat, expiatum Chriſtiano ritu, ſacratumq; ab iis Epiſcopis, qui magno numero Regem ad bellum ſecuti erant. Lupus Fiterii ad Piſoricam monachus, vrbi datus Epiſcopus ex Regis voluntate, & Roderici Toletani Præſulis auctoritate: cuius quoniam Romam iuerat ea tempeſtate, Ioannes Vxamenſis Epiſcopus vicarias partes obibat, regio etiam annulo concredito, cum Rodericus & ſucceſſores regii ſcrinii præfectura donati eſſent: vt ſuperius eſt demonſtratum. Campanæ, quas Alhagibus Almanſor ante ducentos ſexaginta annos Compoſtella ablatas, vt victoriæ monimentum eſſet, in Cordubenſe templum intulerat: exæquata ignominia Mauri ſuccolantes Compoſtellam retulerunt. Vacua ciuibus vrbs remāſerat, Mauris magna ex parte alio dilapſis. magnis præmiis & pollicitationibus innumeri mortales exciti, Cordubam domicilium tranſtulerunt. Alfonſus Meneſius vrbi Præfectus: limitibus Aluarus Caſtrius, à quo cuncta adminiſtrari placuit, imperiiq; ſummam obtineri. Rex ex eo tempore ad veteres titulos Biatiæ & Cordubæ ſe Regem dixit, vt eius ætatis tabulæ indicio ſunt. Calagurri in D. Dominici Calſadii pōtificia ſedes translata eſt. auctor Ioannes Pereſius eius vrbis Epiſcopus. honore poſtmodum vtriuſq; templi exæquato, enata ex eo controuerſia finem habuit.

Valentia capta. CAP. XIX.

VALENTINOS Mauros interea Rex Aragonius modis omnibus exagitare non deſiſtebat. Zeitus Valentia exul, & ſua ſponte & piorum conſuetudine noſter totus effectus (vti duo monachi Franciſcani Ioannes & Petrus Valentię ante annos aliquot eo merito ab eo occiſi fore vaticinati erant) Chriſtiana ſacra ſuſceperat, Vincentii nomine indito: arcano tamen, ne res prodita inuidiam apud ſuam gentem odio religionis conflaret. nam regni recuperandi ſpem nondum abiecerat. Sanctius Ahoneſius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, quo-

quoniam prauis ille moribus religionem, cui nomen dederat, habere ludibrio videbatur,
effuſaq; libidine deturpare, auctor impulſorq; extitit, vt ex ritu Chriſtiano vxorem duce-
ret. Dominica Lopides Cæſarauguſtana connubio iuncta: vnde nata eſt Alda Fernandia
Blaſci Semeni vxor, ad quos Arenoſii Valentini proceres genus referre memorantur. A
Rege Aragonio Exericæ maturis frugibus ager vaſtatus. Bernardus Guillelmus Regis
auunculus propter opinionem virtutis, reſq; bellis omnibus præclare & fortiter geſtas, li-
miti Præfectus aduerſus Valentinos impetus, vireſq;. Proximo menſe Octobri Montione
comitia regni habita ſunt. In iis comitiis de ratione belli gerendi, obſidendaq; Valentia vr-
be diſputatum: & publico cõſenſu ſancitum monetæ genus Iaqueſæ: quæ quod multo ære
adulterata eſſet, ne abrogaretur viri pecunioſi verebantur. Pro eo merito Regi nouum ve-
ctigal imperare permiſſum, vt domus ſingulæ ſingulis ſeptem annis æreum nummum re-
gio fiſco inferrẽt. Arcem cui podio D. Mariæ nomen eſt, alternantis belli progreſſu à Mau-
ris euerſam, inſtauratãq; à noſtris, Bernardus Guillelmus valido præſidio obtinebat: Zae-
nus Valentiæ copiis omnibus, in quibus ſexcenti equites erant, pedites quadraginta millia,
ſibi impugnandam deſumpſit. Noſtri tametſi numero multis partibus vincebantur, incre-
dibili animorũ vigore, an hoſtium deſpectu arce egreſſi prælio decertare conſtituunt. Res
in ſupremum periculum adducta erat, propter circunfuſam hoſtium multitudinem. ceſſit
tamen virtuti numerus Mauri cæſi, victi atq; fugati: opinio fuit D. Georgii numine, cum ſe
Chriſtianis Ducem præbuiſſet. Quæ ſupra ſpem, ſupraq; virtutem contingunt, diuis acce-
pta ferre conſueuit humana mortalitas. eius miraculi fidem D. Mariæ ſignum ſub campa-
na repertum in ea arce, vehementer auxit: cui templum ab incolis ſtatutum eſt, diuinis mi-
raculis celebre, vti eo tractu homines perſuadent. menſe Auguſto anno milleſimo ducen- 1237
teſimo trigeſimo ſeptimo dimicatum. cecidit in pugna Rodericus Lucia præcipua nobi-
litate vir. Iacobus Rex ſuorũ periculo victoriaq; nunciata, ſe eo retulit: præſertim cum no-
uis copiis eius arcis expugnationem Mauros repetere nunciatum eſſet, falſo ſcilicet. noſtri
tamen maiori quam pro numero animo centum triginta equites Regem ſecuti, vltra Po-
dium, vltraq; Saguntum, validæ Maurorum manui occurrerunt, quæ ductore præcipuo
Artaldo Alagonio, qui exul inter barbaros (Is Blaſci filius erat) in ea loca venerat aduerſus
noſtrorum conatus. Regis eo vſq; progreſſi temeritatem, animi conſtantia virtuſq; corre-
xit: numenq; in primis diuinum hoſtibus ne certamine quidem tentato, via alia digreſſis.
Podii arx Valentiæ vicina, proculq; à regia ditione, niſi magno ſumptu magnoq; periculo
retineri non poterat, præſertim Guillelmo Regis auunculo, cui arcis cura cõcredita erat,
per idem tempus defuncto. quæ res Cæſarauguſta, quo ſe hiberno tempore cõtulerat, Re-
gem reuocauit. Guillelmo Entenſæ defuncti filio, omnia quæ pater obtinuerat abs Rege
donata. ea merces meritis paternis fuit. arcis præſidium Berengario Entenſæ commenda-
tum: tametſi regni proceres deſerendam diſputabant. Militibus præſidiariis occulte dilabi
parantibus, Rex in ſententia retinendæ arcis perſtans, in qua bello Valentino magnę com-
moditates inerant, concione militum aduocata, in ipſo arcis templo contactis aris iuratus,
in patriam ſe nunquam niſi Valentia capta redditurũ, militares animos vt ſuſtentarent con-
firmauit, terruit aduerſarios: prorſus vt à Zaeno Rege de cõcordia appellatus fuerit, hone-
ſtis conditionibus allatis: multas ſe arces Regi traditurum, iuſtumq; auri pondus annui tri-
buti nomine repræſentaturum. quas Rex diſſentientibus quamuis proceribus, vrbis obti-
nendæ ſpe, cõſtanter repudiauit. Almenara, Paterna, aliæq; arces locis commodiſſimis vl-
tro deditionẽ fecere. Ea res maiores animos addidit. mille pedites ſub ſignis habebat, equi-
tes trecẽtos ſexaginta. cum his copiis (quo quid magis temerarium eſſe potuit? ſed audacia
conſilia ex euentu ferme iudicantur) Turia amne tranſmiſſo, in vrbis conſpectum ſe dare
frequentiſſimæ & nobiliſſimæ, eamq; obſidere auſus eſt. Gradum inter, quod oppidum ab in-
æqualitate maris, cui imminet, dictum eſt, vrbemq; ipſam mille vtrinq; millibus paſſuum
caſtra locata ſunt. Valentia in ea Tarraconenſis Hiſpaniæ parte ſita eſt, quã olim tenuerunt
Edetani, loco plano & amœniſſimo, nullius rei idoneæ egẽs, niſi quod aduecto plurimum
frumento opus habet. armis viriſq; opulenta. lætiſſima cœli ſoliq; facies. hyems egelida, æ-
ſtas temperata flatibus maris. tanta rerum omnium copia, ciuium ædificiorumq; elegãtia,
vt patriæ obliuionem aduenis inducere opinio ſit. Omne genus arboribus horti nobiliſſi-
mi, citreis maxime in quincuncem inſtitutis: vnde perpetua viriditas hyeme atq; ęſtate. ci-
trei circum parietes, citrea cõclauia. ita rami innexi inflexiq; arte ſunt, vt iuſtarum ædium
ſpeciem repræſentent. aditũ arcet operis firmitas: aſpectum frondes rimis omnib. ſtipatis
opere topiario in varias formas compoſitæ: auium, animantiũ totius domeſtici apparatus.
quales Elyſios campos beatorum ſedes antiquitas finxit, talis terræ vrbiſq; facies Valentiæ
eſt cœlo data. Turia ad læuam alluit: qua parte regia eſt radiis ſurgentis Solis obiecta, atque

ponte cum reliqua vrbe commiſſa, in plures riuos diductus: quæ res agrum irriguum efficit, vrbi aquarum copiam ſuppeditat. Ad mare æſtuarium eſt ad tertium milliare, nonnulla loci inſalubritate. id incommodum piſcium tum multitudine tum varietate compenſans. Vrbis mœnia rotunda ferme figura tunc erant: mille paſſus circulo, quatuorq; patebāt portis. prima Boatellana, Meridiem inter & Occaſum: Baldina ad Septentriones: tertia Templaria, ab ea æde, quam vicinis locis Templarii milites ædificarūt orientem Solem excipit: quarta Xareana. inter hanc & Boatellanam regis caſtra erant: eo commodiori loco, quod murus ea parte prominens in anguli formam noſtris oppugnandi commoditatem præbebat. machinæ extructæ, opera ædificata, quęcunq; ex vſu expugnandarum vrbium ea tempeſtate erant. Zaenus primo obſidionis die copias in aciem producit pugnare paratus priuſquam ſe noſtri confirmarent. Rex in detrectandi certaminis conſilio perſtitit, auxiliorū ſpe, quæ quotidie in caſtra veniebant. Præſules & proceres ipſeq; Petrus Aimillius Narbonenſis Epiſcopus cum delecta Gallorum manu, ex Anglia etiam auxilia venerunt. Leuia aliquot prælia fuerunt noſtris ferme ſecunda: quæ res Mauros retinebat, ne eruptionem ſæpe tentarent. foſſa materia repleta: vinearumq; ope tecti milites muro ſuccedunt. vectibus conuulſi lapides: tribuſq; locis aditus patefacti ea latitudine, vt militem caperent. Aduerſus ea pericula ab obſeſſis prouidebatur: quantum temporis conditio patiebatur. Cilia oppidū vltra Valentiam ſitum Petri Aſagræ & Semeni Vrreę virtute & diligentia captum eſt. Claſſis interea Tunetana decem & octo nauium ad littus appulſa, atq; in anchoris ſtans obſeſſis fiduciam addidit, noſtris ſolicitudinem iniecit. Verum cum aditus in vrbem interclūſus Afris eſſet: & noua claſſis Dertuſæ eſſet comparata, tentata modo Peninſulæ expugnatione (in Valentino littore id oppidum eſt) nullo præterea operæpretio facto abierunt. In vrbe magna annonæ penuria laborari cœptum: quæ difficultas nō magis inopia præſenti, quam futuri timore creſcebat. in caſtris lætitia omnia plena erant, copioſiq; commeatus. tametſi ſexaginta millia pedites numerabantur: mille pręterea equites. Regis non magis prouidentia iis ex rebus conſpecta, quam animi fortitudo in certaminibus: neq; Ducis tantum, ſed ſæpe etiam gregarii militis munera explebat. quo factum vt in fronte ſagittæ ictu dum incautius in pugna verſatur die quodam vulnus acceperit, neq; leue neq; lethale. quinq; tantum diebus publico abſtinuit. Quo tempore à Gregorio Pontifice Maximo, ſed & à Galliæ Ciſalpinæ ciuitatibus legati venerunt, aduerſus Fridericum Imperatorem, qui cuncta vaſtabat, ſi auxilia mitterentur à rege, tyrannidemq; depelleret, qua premebantur grauiſſima,
1238 eam prouinciam eius imperio fore ſubditā. Iunii Idibus anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo octauo fœdus cum illis ciuitatibus iis conditionibus in caſtris ictum eſt. autor conſilii Violantes Regina, ſine qua nihil rei magnæ decernere ſolitus erat: lectiſſima fœmina filiæ cognominis mater, eoq; gratior viro. tametſi vltra pacta conuenta progreſſum nō eſt, rege aliis bellis diſtento, Friderico Auguſto quamuis ſimulatè ſed Pontifici tamen Romano conciliato. & iniquum erat alienis controuerſiis implicari, cum tantum belli ſupereſſet in prouincia. Obſeſſi rebus omnibus oppreſſi, auxiliorumq; ſpe, tum ex Africa, tum ex Hiſpania deiecti, ſerio de vrbe dedenda deliberant. miſſus primum in caſtra Halialbata pręcipua apud Regem barbarum gratia & auctoritate: deinde Abulhamaletus ex Zaeni ſorore natus. actum de fœdere, de conditionibus diſceptatum. Vtriſq; longa mora omnis videbatur. noſtros ſpes, Mauros periculum & rerum omnium inopia incitabat. Cōuenit tandem his legibus: Rex Maurus vrbem Valentiam, arces & oppida citra Suceronem omnia Iacobo regi tradito. Ciues Culleram atq; Dianium Aragonia fide tuti abire permittuntor. Iis faſ eſto, nemine excutiente ſarcinas, aurum, gemmas, veſtem pretioſam, ac omnino quidquid efferre poſſint aſportare. Reges inter induciæ in octo annos ſunto: eæq; optima fide ſeruantor. Rebus perficiendis, vrbeq; dedenda quinq; dies deſignati. Ante quam id tempus elaberetur Mauri agmine facto vrbe egreſſi numero quinquaginta millia promiſcui ſexus & ætatis: regio exercitu in armis circunfuſo, præſidii cauſſa. ex abeuntibus nullus impune violatus: cum deditítios tueri ad ſuam dignitatem fidemq; rex pertinere iudicaret. Pridie eius diei, qui menſe Septembri Michaelis Archangeli memoria & celebritate ſacer eſt, noſtri in vrbem Valentiā inuecti, regnoq; nobiliſſimo aucti ſunt. luſtrata ciuitas. expiata templa. Ferrerius ex Prædicatoria familia epiſcopus datus, nouę vrbis indigenis magna ex parte Catalaunis, ac ferme ex Gerunda, Tarracone, Dertuſa. Ager ſuburbanus æquis partibus diuiſus inter Præſules, proceres, nobiles, atq; ciuitatum conuentus, qui regem eo bello iuuarunt. Templariis militibus & Hoſpitalariis ſua præmia fuere. Delectis ex omni numero trecentis octoginta equitibus, quoniam amplioribus prędiis donati erant, regni limites defendendi cura iniuncta eſt: partito ita onere, vt ſingulis quatuor menſibus, centeni limitib. præſidio eſſent. Vrbis neq; natura neq; opere ſatis munitæ, & belli iniuria deformis, noua mœnia

mœnia extructa, amplioribus quam antea ſpatiis, forma non eadem, ſed in quadrum deſcripta: duodecim ſane portis patentia, ternis ad ſingulas cœli plagas. nouæ leges, nouaque ſcita abs Rege facta, vnde ciuibus iura dantur. Ad hunc modum Zaeni regnum euerſum breui eſt, quod iniuria erat occupatum. tametſi antiquis Regibus ſe ſatum ferebat, Modeſti filius, Lupi nepos, eius quem Murciæ regnum tenuiſſe ſuperius monſtratum eſt. Victoriæ gratulatio tanta extitit tota Hiſpania, quantam oratione explicare fas non eſt: eo ſyncerior, quod incolumi noſtrorum exercitu, ac vix vllo magni nominis viro deſiderato, tantas res perfectas eſſe conſtabat. Artaldus tantum Alauonius cum ad officium rediiſſet rebus Mauricis deſperatis, & Cardonæ regulum Raymundum Folchium, qui capta vrbe venerat, proſecutus Villenam & Saiſſium oppida expugnare tentaſſet, in tumultuaria pugna ad Saiſſium ictu lapidis peremptus eſt. Numinis vindictam vulgus interpretabatur, quod Mauros rebus eorum integris adiuuaſſet. Hunc finem Valentina expeditio habuit in paucis nobiliſſima. Rege Aragonio Valentinis rebus implicito Vaſcones quieti erant: Rege gentis Theobaldo, Pompelonis Epiſcopo Petro Semeno, qui per idem tempus Petro Remigio ſucceſſit. Externa atque longinqua bella laudis ſtudio quæſita. Theobaldus Rex, Comites Henricus Barenſis, Petrus Britanniæ, Aimericus Monfortius in Syriam nauigare conſtituunt. Rebus omnibus comparatis Genuenſium claſſe, qua traiiciendum erat, denegata terra contendunt. Germaniam, Hungariam, Conſtantinopolim adeunt. Boſphoro Thracio tranſmiſſo, in Cilicia ad Tauri montis anguſtias, Turcis magno numero circunfuſis magna pericula obeunt. vix tertia parte incolumi, illuuie & ſqualore deformes Antiochiam tenent. Initiis & mediis, expeditionis exitus conſentaneus fuit: aduerſa ſæpe fortuna in Paleſtina pugnatum. ſic numina voluere à rebus noſtris auerſa. pauci cum Rege in patriam rediere. Gallici ſcriptores, Theobaldum Regem eo tempore in Syriam iuiſſe contendunt, quo Ludouicus Galliæ Rex poſt annos circiter decem, iunctis cum eo viribus ſcilicet. negant alii, argumento quod Rodericus Toletanus Præſul in extrema hiſtoria de Theobaldi Regis profectione meminit, Ludouici expeditionem in Syriam attigiſſe non potuit, morte ante id tempus præuentus, fineque ſcribendi quinto non amplius anno poſt captam Valentiam facto.

LIBRI DVODECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS
HISPANIÆ, LIBER XIII.

Multa oppida à noſtris capta. CAPVT I.

DVo Hiſpani Reges Iacobus & Ferdinandus, antea clari præ cæteris atque præſtantes: maiores & clariores haberi cœperunt Corduba & Valentia captis. oppida & vrbes, ob ea quæ feliciter acta erant, diuis immortalibus gratias agere: ſolicitudinemq; de belli euentu lætitia publica commutare. Duces & milites eo intentiores ad victoriã niti: omnibus modis vrgere, cauereq; necubi hoſti opportuni eſſent: poſt victoriam ſæpe rerum commutationem ſequi non ignorãtes. Externi Principes, ad quos rerũ geſtarũ fama peruaſit, miſſis legationibus de felicitate gratulari, hortariq; vt qua cœperant via Mauros præcipitantes opprimere non deſiſterent. tantiſper tamen ab armis ceſſatum ob inducias Mauris ab Aragonio Rege cõceſſas: & quoniam Ferdinandus Rex Burgis nouas celebrabat nuptias. Berengaria mater de filio ſolicita, ne præpoſteris voluptatibus integram ætatem corrumperet, tametſi nihil eo ſanctius omnium opinione erat, eius coniugii conciliatrix extitit. Ioanna Simone Pictauienſi Comite & Adeloide nata, neptis Ludouici Regis Galliæ atq; Eliſabethæ Alfonſi Imperatoris filiæ, ex Gallia euocata, Ferdinando coniugio iuncta eſt. Ex eo coniugio Ferdinandus cognomẽto Pictauienſis, Eleonora, & Ludouicus nati ſunt. Rex celebritate peracta, luſtrandiq; regni ſtudio, nouam nuptam per præcipuas Legionis & Caſtellæ vrbes circũduxit, iura populis dare ſolitus: tenuioreſq; a potentiorum iniuria defendere, facilis aditu, præcipua morum ſuauitate. omnium querelis patebant aures. nullius inopia aut ſolitudo non modo publico tribunali acceſſuq; communi, ſed ne à regio quidẽ conclaui arcebatur. Intelligebat nimirũ Regum officium eſſe ſcilicet conſulere ſubditis, tueri innocentiam, dare ſalutem, conſeruare & bonis omnibus amplificare rempublicam. cum ſit non eius modo qui hominibus

imperat,ſed eius etiam qui pecudibus præeſt,eorum quibus præſit, commodum vtilita-
temq; captare.Eo actionum tenore æque Legionenſium & Caſtellanorum gratiam bene-
uolentiamq; promereri non deſiſtebat. ventum Toletum. vnde Cordubam miſſa pecunia
eſt,quoniam nouos ciues, neglecto agrorum cultu & temporum difficulate annonæ pe-
nuria laborare,atq; ex ea re proximos periculo eſſe nunciatum erat. Modius tritici maior
denis æris(marauedinos vocant)hordei quaternis conſtabat,quæ ſuprema caritas ea tem-
1239. peſtate eſt habita. Et ſane proditum memoria eſt, conſequenti anno milleſimo duceteſi-
mo trigeſimo nono,Solis defectionem bis cõtigiſſe:ſemel tertio Nonas Iunii, qui dies Ve-
neris fuit,hora ſexta denſiſſimis tenebris luce commutata: quæ defectio Solis nobiliſſima
fuit. iterum Iulii menſis vigeſimo quinto die, vt Bernardus Guido Aragonius ſcriptor eſt
auctor:falſo nimirum, neq; aſtrorum conuerſionibus conſentaneè. neq; enim vtroq; die
Solis & Lunæ coniunctio potuit contingere, ſine qua Solis deliquium nunquam exiſtit.
Ne Luna quidem à media ſigniferi linea(per quam Sol decurrit, & vbi exiſtentibus aſtris
eclipſeis fiunt, vnde & Ecliptica dicitur) digreſſa ſemel,ad eandem recurrit ante menſem
circiter ſextum. fuit præterea is annus Caſtellæ funeſtus duobus clariſſimis funeribus: Lu-
pi Hari, cui Dieghus filius ſucceſſit: atq; Aluari Caſtrii,cuius virtute res Chriſtianæ in Bę-
tica ſubſtiterant, Is enim rerum difficultate perſpecta,ad Regem qui res bellicas aliis curis
implicitus,negligere videbatur, Toletum profectus eſt: & dum rem vrget,reuertiturque,
Orgacii in ipſo itinere obiit. Aluari abſentiam & militum quinquaginta,qui ad arcis pręſi-
dium relicti,prædatum abierunt ductore Alfonſo Meneſio Aluari propinquo, Alhamar in
Abenhuti locum Arione Rex ſubſtitutus ad rei bene gerendæ occaſionem conuerti poſſe
arbitratus, Tuccos arcem obſedit. Erat intus Aluari vxor. in repentino periculo fœminas
armari mandat. obmoliri ſaxa in Mauros. præſidiiq; ſpeciem præbere. Periculo nunciato
Meneſius & ſocii accurrunt. hortatore præcipuo Diegho Varga Toletano ciue, cuneo fa-
cto per medios hoſtes irrumpunt: pauciſq; deſideratis in arcem inuecti, ſaluti fuerunt ſua
præſentia ſpeq; auxilii obſeſſorũ animis confirmatis. Rex Maurus ſpe depulſus, & non mi-
nori inopia preſſus ſoluta obſidione abiit. Ea res Regis animo magnam ſolicitudinem in-
iecit, conſideranti quantum virium deceſſiſſet duobus primariis Ducibus morte ſublatis:
quantum audaciæ acceſſiſſet Mauris. Itaque Burgis,quo ſe contulerat, pecuniæ in ſtipen-
dium expediendæ cauſſa, magnis itineribus Cordubam feſtinauit. Adiuncti filii Alfonſus
& Ferdinandus eximia adoleſcentes indole, ętate caſtris idonea. Nimirum ſagax pater pri-
ma militię rudimenta aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes eos ponere volebat: inſitamque
animis virtutem armorum vſu excitare. Quo tempore Iacobus Rex Mompellerium abie-
rat, ſi quo modo ab iis ciuibus pecuniam in ſtipendium extorquere poſſet, cuius difficulta-
te non minus quàm in Caſtella laborabat. & quoniam eius vrbis ciues in factiones diducti
erant, ad cõcordiam reuocare cupiebat de ſontibus ſumpto ſupplicio. vtrunq; præſtitum.
Alhamar Rex Maurus, imperio ſuo Granatam adiunxerat volentibus ciuibus: vrbem ar-
mis viriſq; potentem, nulliuſq; rei indigam. (regni Granatenſis, quod perſtitit ad auorum
ætatem, hoc initium fuit) Hudielis Murciæ Rex Alhamaris odio à ciuibus eſt renunciatus.
hinc mutuæ atq; internecinæ inter vtranq; vrbem ſimultatis ſemina. Mauri Bætici dolis
fatigabant noſtros: pugnandi copiam non faciebant. dimiſſæ à Ferdinando Rege variæ
militum manus, in hoſtium fines, arces, oppida, vrbes carpere aut vi, aut voluntate. Aſtigi,
Stepa, Lucena, Obulcũ, Marchena (Martia veteribus) Egabrum, Vrſao, Vaena Chriſtiani
imperii iugum pertulerunt. minorum oppidorum numerus iniri non potuit, ne memoria
quidem recenti. quorum pars tamen Iacobi Calatrauęq; militibus pars Epiſcopis publice,
qui Regis ſequebantur caſtra, pars proceribus priuatim abs Rege dono data. Mauris ex iis
rebus tanta incuſſa formido, quantam nunquam meminerant. Barbarus quidam è gente
Almohadum, ex Africa rebus ſuæ gentis cognitis, noui imperii conſtituendi ſpe, & Mau-
rorum reliquias colligendi ſtudio, in Hiſpaniam venerat, quaſi gentis ignominiam, patrię-
que religionis iniurias manu vindicaturus inſigni hominem audacia atque virtute. ſed co-
gitationes eius noſtrorum diligentia, perpetua Regis felicitas occupauit: cũ captus in po-
teſtatem veniſſet, qua arte, quove loco memoriæ non eſt proditum: ac ne nomen quidem
Mauri. dę facto conuenit. Alhamari Granatenſi Regi annuæ induciæ conceſſæ. Ferdi-
nandus Rex tredecim omnino menſibus in ea expeditione conſumptis Toletum rediit:
vbi mater vxorque, eius aduentum operiebantur præſentibus lætę, de futuro ſolicitę. Quo
tempore Ferdinandus Rex Burgis, quo ſe Toleto contulerat, animo ad pacis artes con-
uerſo, Palentinam ſcholam ab Alfonſo auo cõſtitutam, Salmanticam tranſtulit, loci com-
moditate inuitatus. Erat enim muſarum otiis idonea ciuitas, præterlabentiq; Torme amne
ſalubris pariter & amœni ſeceſſus. omnino eo beneficio cupiebat Legionenſium amplius
conci-

conciliare voluntates. Alfonſus quidem Legionenſis Rex ſuperioribus annis, ne ſubditis neceſſe foret eruditionis cauſſa in Caſtellam abire, nouæ ſcholæ fundamenta Salmanticæ poſuerat, exigua & inchoata: Ferdinandi nunc filii, & deinde Alfonſi nepotis, pro eo ſtudio quo litteras complectebatur, cura & liberalitate vſque eo auctæ, nullibi vt maiora virtuti præmia, neq; artium profeſſoribus ſtipendia vberiora propoſita ſint. Dieghus Harus Viſcaiæ regulus ſemel & iterum, quibus de cauſſis incertum, ſed tumultuatus tamen, Ferdinandi Regis indulgentia, atque Alfonſi Principis cura ad officium rediit, amplioribus honoribus reſtitutis, quam antea Regum dono obtinebat. id maiorum meritis datum, & inteſtinis motibus occupari importunum erat, in tanta occaſione Maurici nominis extirpandi. Anno hæc milleſimo ducenteſimo quadrageſimo contigere. 1240 Qui annus non Caſtellæ modo fauſtus extitit, ſed etiam Aragoniis religioſus celebriſque prodigio, quod ad Chium arcem oſtenſum eſt, Corporalibus quibus ſacrificatum erat, ſex hoſtiarum ſanguine delibutis. Ea corporalia Darocæ magna religione ſeruantur. rei geſtæ ordinem, quoniam teſtatiſſima eſt, ex aliorum litteris ſermoneq; peti placet. Iacobum Regem iis commentariis, quos de rebus ſuis ipſe compoſuit, de re tanta nihil meminiſſe viri eruditi admirantur. Bairenum ſane arx valli impoſita, nobiliſſimæ ſacchari orizæq; prouentu (qualis eſt omnis fere finitimus Gandiæ ager) Villenaque Aragoniis armis præſidiiſq; occupatæ. Setabis obſidione tentata, capi non potuit. Caſtellonium modo arx, quarto ab ea vrbe lapide dedita noſtris eſt. Iacobum Regem Maurorum reliquiis eo tracto excindendis intentum, diſtrictumq;, maiores curæ in Galliam euocarunt.

Murcia regnum in fidem acceptum. CAP. II.

REBVS igitur in vtraque prouincia pro tempore atque loco compoſitis paratiſq;, Iacobus de profectione Gallica, Ferdinandus de Bætica expeditione eodem tempore cogitabant. Ferdinandum diuturni vis morbi lecto afflixit, vt ſe Burgis commouere non poſſet. Alfonſus ergo filius iuuentutis Princeps, ad bellum Bæticum neceſſario eſt præmiſſus: quoniam induciarum tempus cum Granatæ Rege pactum exibat, ne noſtris præſidium deeſſet patre prouidente. Toletum progreſſo maioris rei occaſio ſe dedit. Hudielis Murciæ Regis legati venerant, eius nomine regnum offerentes his conditionibus. Vt Rex Hudielis in fidem Caſtellæ Regum receptus, noſtrorum armis ab omni vi, iniuriaque tutus eſſet, tum domeſtica tum externa. ac nominatim contra Alhamaris arma, cui ſe viribus eſſe imparem ſentiebat. Vitæ ſuſtentandæ cauſſa, dum illa maneret, vectigalia regia dimidia ex parte perciperet. Honeſtiſſimæ eæ conditiones Alfonſo viſæ ſunt: fortunaque, Deus certe præclari facinoris caſum dabat. feſtinatione opus erat: nam niſi properaſſet, cuncti aut magna pars fidem mutaſſent: tanta mobilitate gens Maurica circumfertur. Itaque ne patre quidem conuento ad rem certam legatorum, quos præmiſerat, veſtigia ſubſecutus, regnum vltro delatum præſidiis occupauit, ipſamque in primis Murciæ vrbis arcem. reguli pro cuiuſque auctoritate & opibus annuis reditibus donati. Eliocrota (nempe Lorca) Carthago noua, atque Mula Chriſtiani imperii iugum vt perferrent, adduci non potuerunt: cum ſibi priuatim conſilium cepiſſent. vim adhibere longum erat, neque Alfonſus ſatis ſi bellum gereretur paratus. reliqua ergo ditione auctus ad patrem, qui ex morbo recreatus Toletum venerat, citato rediit. Ferdinandus ſucceſſu lætus, curaque Maurorum animos in fide confirmandi, nouum regnum oculis luſtrare conſtituit. Extatque eius ætatis diploma, à Ferdinando, dum Murciæ eſſet, templo S. Mariæ in Valle poſitæ conceſſum. Inde Burgos maiores reipublicæ curæ Ferdinandum & Alfonſum vocarunt. Quo tempore Berengaria Regis filia Olgis Deo virginitatem ſacrauit. Ioannes Vxamenſis Epiſcopus velum ſactum capiti de more impoſuit. Iacobus Aragonius Rex Mompellerii, quo ſe rebus Valentiæ compoſitis, atq; Semeno Turiaſonenſi pro ſe vicario relicto contulerat, moram trahebat. Prouinciæ & Toloſæ Comites Regi preſto affuere. officii ſpecies prætendebatur: re diuortium agitatum Toloſatem inter & Sanctiam Regis amitam: vt nullus propinquitatis reſpectus mouet, vbi de iure regnandi diſputatur. Ioanna ex eo coniugio nata, cum maſcula proles non eſſet, ad Alfonſum virum Pictauienſem Comitem Ludouici Regis Galliæ fratrem, paterni principatus ſucceſſionem, quaſi dotalem deferebat. Id Rex ægre ferebat tanto principatu rem Gallicam augeri, prætextuſque nouis nuptiis quærebatur, maſculæque prolis ſpes. Conuenit, vt in eam rem arma tres Principes ſociarent. Nonis Iunii, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, id fœdus factum eſt. 1241 Quo anno vndecimo Kalend. Septembris Gregorius nonus Romanus Pontifex obiit, ſucceſſit Celeſtinus quartus. quo intra dies decem & ſeptem defuncto, Innocentius eo nomine quartus patria Genuenſis, poſt viginti menſium interregnũ Romanam eccleſiam

regendam ſuſcepit. His Pontificibus, Hugo ex Dominicano ordine Cardinalis, Barcinone patria, eximia eruditionis opinione clarus, diuinos libros commentariis illuſtrabat. Bibliorum hic concordantias, infinitum pene opus, Herculea plane audacia primus excogitauit, & quingentorum monachorum ope adiutus perfecit, incredibili rei litterariæ prouentu. Hugonis diligentiam longo poſt interuallo Hebręi, Græciq; imitati, vtriuſq; linguę ſtudioſorum conatus non parum iuuerunt.

Ferdinandus in Bæticam abiit. Cap. III.

IN Bætica interea induciarum tempore elapſo bellum gerebatur, neque magno conatu, cum Regem Ferdinandum aliæ curæ diſtinerent, neq; euentu aliquo memorabili. Rodericus Alfonſus cognomento Legionenſis, Ferdinandi Regis ex impari matre frater, in Granatæ fines inuectus prædandi ſtudio à Mauris, qui maiori numero confluxerant, acie ſuperatus erat. Iſidorus pro Calatrauæ militibus Tuccorum Pręfectus, Martinus Argotes, aliiq; viri nobiles in pugna ceciderunt: milites alii magno numero, magno rei noſtræ incōmodo: cum bellorum euentus ferme opinione magis, quam rebus ipſis regātur. Rex Maurus ſucceſſu elatus noſtros fines nullo prohibēte vaſtabat, belli fortuna cōuerſa, timore audacia mutato. Ferdinandus periculo nunciato, Alfonſum filium Burgis ad noui regni pręſidium maturare mandat. ipſe in Bæticam proficiſci conſtituit. Illiturgim vbi appulſus eſt, Arionæ, & Giennii, quæ vrbes in Maurorū ditione erant, agros euaſtat. Ariona haud multo poſt ſub iugum miſſa. minora eo tractu oppida capta. Iis ex locis, Alfonſus Regis frater Molinæ regulus, in Granatæ fines irrumpere iuſſus eſt. iuſtus exercitus ſequebatur. vrbs circunſeſſa. Ferdinandus ratus, quod futurum prouidebat, circunfuſos vndiq; Mauros obſeſſis auxilio venturos: obſidionis vrgendæ cura, cum maioribus copiis ſuperuenit. Eius præſidio Maurorum exercitus quamuis copioſus victus in certamine, atq; fugatus eſt: vrbem expugnare non licuit, cum natura, opere, ciuiumq; multitudine munita eſſet: & Mauros Gazules (factionis id nomen eſt) Tuccos obſidione premere, eodem tempore nunciabatur. Quo nuncio perculſus Rex, Alf[illegible]nſum fratrem, & Calatrauæ Magiſtrum præmiſit, vt opem laborantibus ferrent. Quorum aduentum, Mauri haudquaquam expectarunt. Rex ſatis ſe profeciſſe ad tuendam nominis exiſtimationem iudicās, exæquata clade, multiſq; oppidis captis, Cordubam exercitum incolumem reduxit anno milleſimo ducenteſi-
1242. mo quadrageſimo ſecundo. Alfonſus filius diuerſa in parte, non minori felicitate rem gerebat: nam ex tribus oppidis, quæ imperii iugum detrectare dictum eſt, Mulam vi compulit deditionem facere ad victoris arbitrium. Eliocrotæ hoc eſt, Lorcæ, & Carthaginis agri, omni belli iniuria def[illegible]rmati: prorſus vt fractis animis de deditione conſilia agitarent. Sanctio Maſuelo, cuius hoc bello virtus enituit vna maxime, Alcaudete oppidum prope Bugarram nauatæ operæ, atq; induſtriæ præmium fuit Alfonſi Principis dono. Rex hibernorum tempore Puteolum abiit: quo mater Berengaria proceſſerat, eius videndi ſtudio, annis grauis ſupremaq; iam ætate quinque & quadraginta dies, officii cauſſa in eo oppido matri dati. quibus exactis Toletum Berengaria rediit. Rex Illiturgim abiit, inchoante an-
1243. no milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio. Regina vxor virum proſecuta Cordubæ manſit. Maurorum fines Ferdinando ductore longiſſime euaſtati ſunt: Giennii, Alcalę cognomento Benſaidæ Illoris incenſa. in ipſumq; adeo Granatæ vrbis conſpectum arma illata. Pelagius Correa S. Iacobi Magiſter, Alfonſo Principe relicto, quem Conteſtano bello comitatus erat, & rerum geſtarum magna pars fuerat, in Bæticam per idem tempus abiit: Regiq; cūctanti, monendo, hortandoq; auctor extitit, Giennium vrbem, quę toties fruſtra tentata erat, ſupremo conatu obſidendi. Magnæ difficultates offerebantur. virorum atque armorum magna vis intra eam vrbem erat, frumēti affatim. ſitus aſperitate, mœnium munitione, aggeribus, aliiſq; machinationibus locus importunus. Vrbs ea ad ardui montis latus poſita eſt, præter ortum Solis & Auſtrum porrecta in longitudinem, latitudine non eadem. iugi aqua, eaq; copioſa vtitur, fontibus perennibus gelidiſſimiſq;. fluuius ad duodecim paſſuum millia diſtat. gens Maurica ſuperioribus annis, vt inſtar propugnaculi eſſet, rebus omnibus inſtruxerat, vrbem ſitu arduam opera mileſq; firmauerant. vicit tamen Pelagii auctoritas, atq; conſtantia. Vrbs circunſeſſa abs Rege eſt. omnia quæ ex vſu eſſent cōparata. multis tamen diebus, & laboribus conſumptis haud multum proficiebatur. Forte Granatæ Rex, Oyſemelium factione inter ſuos tumultuante, de vita, deq; imperio periclitari cœperat. anxio & pendenti animo auxilia conquirere aduerſus eos motus: nihil tamen vſquam tutum inuenire, niſi in noſtrorum præſidio. ergo fide accepta, ad Regem venit in caſtra: fortemq; & fidelem operam, ſi in fidem reciperetur, & amicitiam pollicetur: ſubie-
ctionis

ctionis indicio Ferdinandi manum, facta conueniendi poteſtate deoſculatur. fœdus his legibus ſancitum. Giennium continuo dedatur. Granatæ vectigalia æquis partibus inter vtrunq; Regem diuidantur. ea ad ſeptemdecim aureorum myriades excreuerant, ſexagies octies ſeſtertium, hoc eſt aureos centum ſeptuaginta millia. Rex Maurus ad regni comitia tanquam beneficiarius, veniat euocatus. Communes vtriſque hoſtes ſint, amici non alii. Glorioſum Ferdinando fuit diuerſa religione homines illi ſe credere: eiuſq; ſocietatem & fidem cupidiſſime petere. Itaq; fœdere ſancito, vrbs dedita eſt. Rex ſolenni ſupplicatione portas inuectus, muro refecto, temploq; expiato, illud ex ritu Chriſtiano ſacrandum curauit. A Guterrio Cordubenſi Epiſcopo perfecta cæremonia, quo maior religio eſſet, nouo in ea vrbe Epiſcopo conſtituto. De tempore quo Giennium capta eſt auctores variant. annum peritiores adſcribũt milleſimum ducenteſimum quadrageſimum tertium, menſem Aprilem dimidiatum. octimeſtris obſidio fuit: duriſſima hyeme in caſtris duratum. Quo anno & proximo Catalaunos & Aragonios de finibus tumultuatos inuenio. Ilerdã vtriq; ad ſe trahere conabantur, Aragonii Sicori, Catalauni Cinga, ditionis fines deſignabant. Iacobus Rex Catalaunis æquior erat, quod diſtracto imperio Alfonſum maiorem filium Aragoniæ hæredem declaraſſet: Catalauniæ Petro cariori filio, quem ex Violante noua vxore ſuſceperat, principatum pararet. Dati arbitri deſignandis finibus: conuentuque Barcinone habito ſecundum eorum iura & merita pronunciauit: totumque tractum Cinga & Sicori comprehenſum Catalaunis attribuit. ea re Alfonſi filii, ac multorum procerum offenſi animi. ac illud vrebat maxime, quod regno diuulſo in partes, debilitari rempublicam neceſſe fore dolebant. Ergo Alfonſus non obſcure à patre deficiens, Calataiubæ ſe tenebat, & Alfonſum ſecuti Ferdinandus, Regis patruus Montaragonis Abbas, Petrus Aſagra, Petrus Luſitanus, aliique ex vtraque gente viri primarii, opibus magnis.

Sanctius Luſitaniæ Rex regno pulſus. CAP. IIII.

LVSITANI in factiones diſtracti erant, atque inteſtinis motibus perturbati. Sanctius eo nomine ſecundus à veſtium forma cognomento Capellus, regnum obtinebat, rexeratq; initio non omnino male. nam finitimos Mauros bello fatigaſſe inuenio: Mertolamq; & alia oppida Mauris erepta S. Iacobi militiæ donaſſe. cætera ea ingenii manſuetudine, vt in ſocordiam degenerare videretur. Mencia Lupi Hari Viſcaiæ reguli filia connubio iuncta fuit, viri vſq; adeo potens, vt non Principem ſe, ſed miniſtrum ageret fœmineæ cupiditatis. Apud eam gratia & auctoritate plurimum poterãt, quos minime omnium oportebat. ii ſoli, omnium conſiliorum participes erant, ſine illis neq; domi neq; foris quidquam maioris rei gerebatur. Horum compendio ac libidine honores, præfecturæ, impunitates, ſupplicia Rex largiebatur, inſciens plerunq; & ignarus. id Regi exitio fuit, vt ferme Principum periculo à domeſticis peccatur. Proceres rempublicam ignobilium hominum arbitrio agitari moleſte ferebant. Conſilio inter ſe communicato, lege propinquitatis, & quoniam Regina infœcunda erat, id coniugium diuellere primum conantur. res ad Pontificem Romanum delata. viri ſancti adhibiti, qui Regis animo alioqui minime mali, religionem incuterent. nihil ea diligentia profectum: cum Reginæ artibus vſque adeo captus eſſet, vt carminibus & veneficiis amentiam iniecisse vulgus exiſtimaret. Amore captus animus philtris non eget. Erat Sanctio frater ætate proximus, eximia indole, Alfonſus nomine: qui Matildim Bononiæ in Gallia Comitem vxorem duxerat. Epiſcopi Bracarenſis & Conimbricenſis ad Innocentium Pontificem, qui hoc tempore Lugduni conuentus eccleſiaſticos agitabat cura belli ſacri in Syria reparandi, à Luſitanis proceribus amandati. Pontifice conuento & longinquæ legationis cauſis explicatis, vt Sanctius regno pelleretur impetrari nõ potuit. id modo conceſſum eſt: vt Alfonſus eius nomine dum viueret, rem publicam gubernaret. Extant de hac re ipſius Innocentii litteræ ad proceres Luſitaniæ hoc ipſo anno datæ, quæ eſt lex altera De ſupplenda negligentia Prælatorum, epiſtolarũ decretalium libro ſexto. Alfonſus Pontifice primum conuento, Lutetiæque icti inter primores gentis, fœderis leges & commoda publica iuratus, cum ad eum ſtudia procerum inclinaſſent, in Rege parum præſidii eſſet, continuo rempublicam nullo impediente occupauit. Hinc tamen nouæ contentiones natæ ſunt, quæ Caſtellę Reges Ferdinandum & Alfonſum implicarunt. Sanctium enim Regem primum in Calæciam abiiſſe memorant: deinde cum reſtitutio tentata parum procederet, Toletum ad Alfonſum Regem, qui Ferdinando patri ſucceſſerat profugiſſe. eius armis quo minus reſtitueretur Alfonſi Luſitani diligentia effectum: cum priori vxore abdicata, Alfonſi Regis filiam ex impari matre Beatricem ſe ducturum polliceretur: regnumq; vectigale, vt fuerat olim, futurum. Vicit commoditas honeſtatem: tametſi Pontificis quoq; voluntas excuſabat, pro Alfonſi libertate pronuncian-

tis, quaſi priori coniugio inualido. nouæq; nuptiæ quamprimum celebratæ ſunt. dotis nomine oppida in ea Luſitaniæ parte data, qua Anas influit in mare: cum paulo ante Mauris erepta Caſtellæ armis, iuris controuerſi eſſent. Quo ex tempore nonnulli putant, Reges Luſitaniæ ad vetera inſignia arces circum clypei limbum addidiſſe. Sanctius Rex omni ſpe depulſus regni obtinendi, Toleti conſenuit. viuenti vectigalia Regis liberalitate donata, vnde vitam principalem ſuſtentaret. mortuo iuſta funeris regio apparatu facta: corpuſque in ipſo templo maximo tumulatum, eo loco vbi Alfonſus Imperator, & Sanctius filius retro aram maximam ſepulti erant. De obitus tempore auctores diſcrepant. ſaniores poſt tredecim annos deceſſiſſe aiunt: cum regium nomen quatuor & triginta annis tenuiſſet, fluxa primum deinde nulla auctoritate. Conimbricam obſidebat Alfonſus in Sanctii fide perſtantem: impugnabatq; acerrime. Obſeſſi ad ſupremam quamuis inopiam redacti obſtinata patientia ſuſtentabant: cũ Flectius arci vrbiq; Præfectus Sanctii morte nunciata, neq; ſatis credens tamen. quaſi certiora cogniturus Toletum eundi veniam poſtulauit. Dat Alfonſus non inuitus, interimq; ab oppugnatione ceſſatur. Flectius Toletum delatus aperto Regis extincti ſepulcro Conimbricenſes claues in manus dat, his vſus verbis. Quandiu Rex
„ viuere te iudicabam, extrema omnia ſum perpeſſus. coriis famem toleraui, ſitim lotio. ci-
„ uium animos conſilia de deditione agitantium ad malorum patientiam erexi. Quidquid à
„ fideli & conſtanti homine atq; in tua verba iurato expectari debuit, præſtiti. Mortuo tuæ
„ tibi vrbis clauibus traditis, quod ſupremum officium eſt, ſacramento me ſolutum ciuibus,
„ deceſſiſſeq; te renunciabo: Alfonſo fratri ne amplius reſiſtant te concedente ero auctor.
Viri fidem atque conſtantiam omnibus ſeculis prædicandam. Luſitani generis & ſanguinis propriam laudem.

Bellum Hiſpalenſe inchoatur. CAP. V.

GRANATÆ Rege in fidem accepto, Ferdinandus Caſtellæ Rex in magnam ſpem venerat Hiſpalis occupandæ. quingenti leuis armaturæ equites ductore ipſo Rege Granatæ, præmiſſi dum reliqua comparantur: qui Carmonæ vrbis, olim validiſſimæ agros depopularentur. Alcala cognomento Guadayra auctore Rege Granatæ noſtris deditionem fecit. valida inde manus Hiſpalim dimiſſa maturas ſegetes, vineas & olivueta præcipua nobilitate corrupit. Ita vt incendiis omnis circum vrbem ager, villæque fumarent. Ductor Pelagius Correa Vrceſiæ Magiſter. Manus alia militum Cæſariani fines ſimili iniuria vexabat. ductores Granatæ Rex & Calatrauæ Magiſter. Ferdinandus ipſe ad Alcalam Guadayram ſubſtitit, rebus omnibus comparandis intentus. atque illud maxime prouidens ne remiſſo belli ardore hoſti ſe muniendi opportunitas eſſet. Quo minus Berengariæ matris funeri intereſſe potuit, per idem tempus defunctæ. Subſecutus eſt Roderici Toletani Præ-
1245. ſulis obitus Auguſti menſis nono die, anno M. CC. XLV. tametſi alii adſcribunt annum M. CC. XLVII. Iunii menſis diem decimum: vt magis mirari liceat, in clariſſimi viri obitu diſſentire auctores, quàm opinionem opinioni præferre. magno vtrunq; reipublicæ incommodo accidit, propter inſignes vtriuſque virtutes. Regina ætate prouecta erat, Rodericus grauior annis, multiſque laboribus fractus: ac nouo itinere, quod Lugdunum ſuſceperat (vbi conuentus eccleſiaſtici erant) aduerſus Petrum Tarraconẽſem, à quo fuerat diris defixus, nulla grauiori de cauſa, quam quod iure Primatis per eius fines crucem dignitatis inſigne prætuliſſet. Extat Gregorii noni Rom. Pont. ſententia ſecundũ iura & merita eccleſiæ Toletanæ. verum controuerſia nondũ ſatis compoſita, Rodericum arbitror in extrema quãuis ætate ad Pontificem abiiſſe. in reditu ſane cum Rhodano in Hiſpaniã nauigaturus naui veheretur defunctus eſt. Hortæ ad aram eius templi maximam cippus cum inſcriptione mõſtratur duobus his carminibus, comprehenſa, rude & craſſum, vt in ea ætate ſonãtibus.

Mater Nauarra, nutrix Caſtella, ſchola Pariſius,
Sedes Toletum, Hortæ mauſoleum, requies cœlum.

Roderici ſemper in Hiſpania viuet auctoritas, memoria vigebit. Defuncti manib. in templi Toletani maximi pluribus ſacellis ad hanc diẽ parentatur, aliquot ſacerdotiis eius iuſſu atq; impenſa ea de cauſa conſtitutis. Roderico Ioannes eo nomine ſecũdus ſucceſſor eſt datus. Raymundus Prouinciæ Comes per idẽ tempus deceſſit, ob amorẽ litterarum & poetices ſtudiũ laude digniſſimus, vna ingrati animi nota deformis, aduerſus Romeũ aulę præfectũ: quo agẽte honeſtis rationib. publica vectigalia triplo aucta erant. Virtutẽ inuidia ſequitur. Itaq; criminib. appetitus & ad expẽſi rationem compulſus, fide probata cũ baculo & pera, cũ quibus Compoſtella venerat, peregrinus diſceſſit. neq; vnquã quis eſſet, aut quo receſſiſſet, eſt cognitũ. Quatuor Raymundi filiæ, Margarita Ludouico Regi Galliæ Sancto nupſit. Eleonora Hẽrico Anglo Regi, Sanctia Richardo Hẽrici fratri: Carolus Andegauẽſis Comes Beatri-

Beatricem duxit, cum qua tametſi natu minima erat, eximia prouincialium voluntate, & Ludouici fratris ſui ope, defuncti ſoceri principatum obtinuit. Ferdinandus interea Rex Corduba, quo ſe retulerat, Hiſpalim maiori conatu impugnare obſidereque parans, Raymundum Bonifacium Burgẽſem ciuem rei nauticæ peritiſſimum, in Cantabriam dimiſit, vt claſſem inſtrueret: quoniam ea gens nauigandi peritia potiſſimũ celebris erat. Carmonam ipſe maioribus copiis circunſedit annum circiter M. CC. XLVI. vrbem prævalidam, & 1246. ad omnes caſus paratam, munitamque aduerſus hoſtes mœnibus, armis, viribus atq; commeatu. Itaque expugnari non potuit. ad fœderis tamen conditiones redacta: mulctæq; nomine auri pondus in præſenti, deinde tributa annua pendere compulſa eſt. Conſtantina, Reyna, Lora (quæ tria veteribus Iporcenſe municipium, Regina, Axalita fuerunt) Cantillana, Guillena oppida pars vi, pars voluntate occupata. Vcleſiæ militibus Reyna data eſt. Conſtantina ciuibus Cordubenſibus publice: Lora militibus Hoſpitalariis. Omnia ſecunda erant noſtris. Aragonii tantum Regis conciliandi cura ſolicitabat, ne in eo rerum momento impedimento eſſet, expoſtulantis Alfonſi Principis armis, qui in Murciæ regno curabat, deſignatos olim vtriuſq; regni fines ſuperatos. viri præcipua auctoritate vtrinq; adhibiti, concordiæ ineundæ viam excogitabant. optima viſa eſt, Alfonſi Principis cum Violante Iacobi Regis filia coniugium. erat vtriq; genti commodum tantos Reges nouæ neceſſitudinis vinculo conſtringi. Nuptiæ mẽſe Nouembri Valliſoleti regio apparatu omnique lætitiæ ſignificatione celebratæ: tametſi Ferdinandus pater aberat, in vnam Hiſpalenſis belli cogitationem intẽtus, eo maiori conatu, quod à Raymundo Bonifacio, qui inſtructa claſſe tredecim nauium, circunductoque Nerio promontorio, ad Bætis oſtium, qua ſe parte effundit in mare, hoſtium claſſis in qua viginti naues, tum longæ, tum onerariæ erãt, nauali prælio fuerat ſuperata per idem tempus. Mauri enim qui Tingi Septaq; præſidii cauſa Hiſpalim conuenerant, cognito noſtrorũ aduentu, ſuas naues ex portu educunt. pugnatur vtrinque magna animorum contentione. neque Cantabris Afri multum virtute cedebant, homines militares, exercitati in armis, ad hæc nauium numero ſuperiores. Cantabri celeritate nauium, & ſcientia gubernatorum confiſi hoſtiles impetus eludebant: atque vbi locus cominus pugnandi erat, in hoſtium naues tranſcẽdendo, magno numero hoſtes neci dabant. Tres Maurorum naues captæ, duæ ſubmerſæ, vna incenſa, reliquæ in fugã compulſæ. Miſerat Rex ſubſidio iuſtum equitatum, claſſis periculo permotus. verũ priuſquam ad littus ii equites perueniſſent, victoria à noſtris parta erat. eo maior reliqui belli conficiendi cupiditas noſtrorum animis iniecta eſt: prorſus vt Rex aliis omnibus curis omiſſis, in eam tantummodo cogitationem incumberet.

Aragonia ſacrificiis interdicitur. CAP. VI.

INTEREA in Aragonia ſacrorum iuſtitium erat, templis prouinciæ omnibus clauſis, mœſtum ſilentium: quod iuſſu Pontificum, vindicandis ſceleribus Principum, curandiſque extremum remedium, nonnunquam efficax, vſurpari conſueuit: vti tunc accidit. Iacobus Rex Aragonius à Theraſia Vidaura, cuius amoribus iunior addictus fuerat, lege de coniugiis poſtulatus, quaſi datam ipſi fidẽ iniuſtis nuptiis violaſſet, cauſam apud Romanos Pontifices dixit. idonei teſtes non erant eo coniugio comprobando, quippe nullo, aut clandeſtino. lite ergo conteſtata, victa Theraſia eſt: ac ſecundum iura & merita Violantis Reginæ pronunciatum. Vnus Gerundenſis Epiſcopus, cui Rex arcano rem omnem reuelaſſe fama eſt, quo id ſtudio incertũ, ſed Pontifici tamen Innocentio IIII. renunciauit, iniuſte Regem facere, qui datam fidem falleret. poſteriori coniugio quaſi vitioſo reſciſſo, Theraſiam iuſtam vxorem loco reddendam videri. id ipſi Regem arcano confeſſum. neq; pati conſcientiam, vt grauiſſima religione illum, ſe, & populum obſtringi ſineret, vnde grauia ſupplicia poſtmodum inſtarent. id inſolentibus litterarum notis renunciare, quo res eſſet occultior. Nihil latere Principes ſolet. aliis proſternendis ſiue veris ſiue falſis criminationibus, multi primum gratiæ locum & potentiæ in aulis Regum aucupantur vaniloqui aſſentatoreſq;. Ergo cum Rex cognouiſſet Theraſiæ cauſæ paſſim fauere Romanos: Pontificiſq; animum in eam manifeſte propenſum: renunciato indice, ſeu quod res erat ex conſcientia ſuſpicatus, Epiſcopo Gerundenſi in curiam euocato, atq; in regiam ingreſſo, linguam abſcindi coram mandauit. fœdam carnificinam, turpeq; facinus. ſcelus ſcelere vindicatum, atq; noua impietate antiqua cumulata eſt. tametſi religionis violatæ ab Epiſcopo dolor ſtimulare potuit ſacræ cõfeſſionis ſecretis retectis, ꝙ nefas ſemper eſt habitum. Id tamen vbi cognouit Innocentius Pontifex (forte Lugduni generales Epiſcoporum conuentus agitabat, vti paulo ante dictum eſt,) quantum dolorem animo ceperit, quantis iracundiæ flammis arſerit, dicere non eſt neceſſe. Ditione vniuerſa ſacris interdicta, vt fere peccata Prin-

cipum multitudinis malo vindicantur. Regem diris omnibus defixum anathematis ignominia notauit. Is legato ad Pontificem Andrea Albalato Epiſcopo Valentino ſupplices preces obtulit. pœnitere ſe facti: ſed quoniam mutare non licebat, indignationi ſi non iuſtæ, certe præcipiti veniam pater & Pontifex daret, parato pœnarum dare quantum ipſius arbitratu decretum eſſet. Audita legatione Pontifex, Epiſcopo Camerino & Deſiderio preſbytero in Aragoniam legatis cauſſæ cognitionem permittit, conceſſa poteſtate Regem etiam cum eccleſia conciliandi, modo ad ſanitatem per pœnitentiam redacto. Ilerdæ conuentus Epiſcoporum & procerum eſt habitus. affuerunt Epiſcopi Tarraconenſis, Cæſarauguſtanus, Vrgelitanus, Oſcenſis, Elnenſis. His præſentibus Rex verbis grauiſſimis caſtigatus, atq; in genua procumbens criminis venia donatus eſt ea lege, ſi monaſterium Benefacianum, quod in Dertuſæ mõtibus ante viginti annos poſt captum Morellam oppidum inchoatum tardis incrementis ſurgebat, magnis ipſe molibus & cæmentis ad culmen vſque ſuo ſumptu perduceret Virginis Matris nomine ſacrum. argenti pondo centũ & quadraginta circiter annua tribueret, vnde Ciſtercienſes in eo monachi vitam ſuſtentarent. Publicum hoſpitium Valentiæ D. Vincentii nomine extrui cœperat pauperibus & peregrinis ſuſcipiendis. ei xenodochio maiora vectigalia deſignata ſunt, argenti pondo quadringenta ſingulis annis, vnde pauperes & peregrini alerẽtur: præterea ſacerdotes aliquot, qui ſacra procurarent, & iuuandis fouendiſq; pauperibus præſto eſſent. Additum, vt Gerundę in templo maximo idoneis reditibus ſacerdos perpetuis ſacris diuinum numen Regi & poſteris propitiaretur. Pontifex diploma conceſſit decimo Kalend. Octobris, anno M.CC.XLVI. quo poteſtas Legatis datur Regem conciliandi cum eccleſia: quod proximo menſe factum eſt. 14. Kalend. Nouembris, Ilerdæ ſolenni cęremonia Rex eſt piorum ſocietati templiſq; redditus. Quid acciderit Epiſcopo Gerundenſi memoriæ non eſt proditum: ac ne nomen ipſius adſcribunt. Ex tabulariis Benefaciani monaſterii hæc deſumpta, & à pleriſque annalium ſcriptoribus prætermiſſa, ſilentio præterire conſilium non fuit. quam res meretur fidem, eam lector adiungat. Multus certe ſermo variuſque de eo regis facto in vulgus ex his, vt arbitror, monimentis manauit. Ad Bæticam expeditionem recurrendum eſt.

Hiſpalis capta. CAP. VII.

AD extremum Occaſum in Hiſpania, Hiſpalis ſita eſt Bæticæ caput, in primis Europæ nobilis atq; opulenta, mœnium firmitate, armis viriſque munita. Ædificia publica & priuata regiarum inſtar magno numero. nitor cultuſq; ciuium pręcipua. Vrbem ad lęuam, & ſuburbium, cui Trianæ nomen eſt, Bætis interfluit, magnis molibus coercitus: magnarum nauium fundo capaci. eoque idoneus vtriuſq; maris commercio. pons ſublicius cum vrbe ſuburbium committit. in vrbe regia eſt Regum veterum domicilium. in ſuburbio arx firmiſſimo opere, ad ortum Solis conuerſa. Turris ad flumen aſſurgit, ab elegantia ſtructuræ aurea dicta. ſed omnium operum magnitudinem cocto latere turris altera vincebat, ad templum maximum, vlnas ſexaginta lata, quadruplo altior: ſupra quam turris minor aſſurgit, iuſta magnitudine. ea nunc tectorio noui operis & picturæ varietate circum ornata, pro miraculo cernentibus eſt. Singula referre quid attinet in tanta copia & varietate? Ciuitas omnis hac tempeſtate ſupra quatuor & viginti familiarum millia numerat: in octo & viginti tribus deſcripta. Prima Diuæ Mariæ nomine, à templo vrbis maximo: cui ædificii amplitudine & maieſtate cætera vniuerſæ Hiſpaniæ cedunt. annuos aureos triginta millia in ſtructuram conſumit. eius ſummæ quadruplum Epiſcopo prouenit. ſacerdotia alia numero & prouentu proportione reſpondent. Ager præcipua bonitate eſt. regio circum plana & lætiſſima, olea plurimum conſita: cuius prima Hiſpali nobilitas eſt. muria maceratas oliuas inſigni tum magnitudine tum ſuauitate, in omnes partes ager Hiſpalẽſis mittit: alioqui tanto prouentu, vt centum millia qua villas, qua trapeta in iis oliuetis, quibus Aſſaraffiõ nomen eſt, Mauris rerum potientibus numerarent. ingens numerus, ſed Alfonſi tamẽ Regis Sapientis hiſtoriæ auctoritate probabilis. Incredibilis hac tempeſtate aduenarum & mercatorum multitudo, ad famam earum opum, ex omnibus partibus conuenientium: quas Atlanticæ nauigationes quotannis repetitæ maximas pariunt. Huius vrbis potiundę Regem Ferdinandum maxima cupido inuaſerat: cum propter nobilitatem loci, tum quoniam ea capta imperium Mauricum concidere neceſſe erat. & Aragonii Valẽtiam vrbem magna gloria ceperant, haud diſſimiliter ſitam, neq; multo minore ciuium frequentia, Hiſpalẽſis Rex Axataffus haud ignarus periculi, ex vicinis locis ipſaq; Africa auxilia euocarat: frumentum ex finitimis regionib. in vrbem conuexerat: equos, arma, claſſem, quiduis pati certus priuſquã tantæ vrbis imperio cederet. Ferdinandus ad veteres copias noua vndiq; auxilia cõtrahit: frumentũ aliaq; omnia quæ ex vſu belli forent, ſumma diligentia cõquirit:

quod

quod fore diuturnum & difficile non ignorabat. Alcala, vbi ſe aliquandiu tenuerat Ferdi-
nandus, adulta iam æſtate mota caſtra. Auguſti 20. die anno M. CC. XLVII. vrbs circunſeſ- 1247.
ſa. caſtra Regis ad eam partem poſita: vbi Campus Tablata ad inferiorem vrbis partem &
fluminis ripam panditur. Pelagius Correa Vrceliæ Magiſter tranſmiſſo flumine ad Aznal-
farachium conſtitit, magno vir animo, præſtanti rei militaris ſcientia. huic obiectus erat A-
bengiafon Nieblæ Rex: omniaq; ea parte loca à Mauris obtinebantur. eo grauius periculũ
erat: ſed omnes difficultates conſtantia virtuteq; ſuperatæ. Ad Regis caſtra, erumpentibus
ex vrbe Mauris, atq; opera & munitiones noſtras diſturbare conantibus, leuia aliquot præ-
lia facta ſucceſſu vario, euentu haud memorabili. noſtri ſæpe meliora ferebant, hoſteſq; in
vrbem cum clade reiiciebant, mari præſertim, vnde maiora incommoda afferebantur in-
uehendi commeatus facultate ſublata. ne terra rerum quidquam neceſſariarum infer-
retur, copiæ terreſtres vetabant: variæq; manus prædatum miſſæ fructus maturos corrum-
pere, & ſi quid frumenti inuentum eſſet, diripere non deſiſtebant. Carmona viginti qua-
tuor millibus paſſuum diſſita, iis malis adacta, vt erat ante ſex menſes pacta, ne certamine
quidem tentato, deditionem fecit: eo maiori miraculo, ꝙ rara fides ſit barbaris. claſſis in-
cendendæ Hiſpalenſibus præcipua & maxima cura erat. cedria medicato igne, quoniã in
aquis ardet, ſæpe tentatum. eas artes Bonifacii vigilantia eludebat, & pro ſe quiſque Duces
terra mariq;, qua parte curare iuſſi erant, ne aliquod incommodum acciperetur, diligẽter
cauebant Pelagius præſertim Correa Vrceliæ Magiſter, Laurentius Suarius, quorum vir-
tus & induſtria toto obſidionis tempore maxime enituit. ante omnes Garſias Vargas Tole-
tanus ciuis, de cuius virtute magna ac pene incredibilia memorantur. Obſidionis initio ad
ripam fluminis, vbi ſtatio militaris erat aduerſus barbarorum incurſus, Garſias & ſocius
diuulſi à cæteris neſcio quo contendebant: cum ecce ſeptem Mauros equites conſpiciunt.
monet ſocius cedendum. Garſias, ſi certa pernicies ſit, perſtandum tamen affirmat: neque
turpi fuga ignauiæ ignominiã ſuſcipiendam. ſimul elapſo ſocio arma ſumit. hoſtes cognito
quis eſſet, certamine abſtinent. progreſſus aliquanto ſpatio erat, cum induenda galea de-
cidiſſe reticulum capitis animaduertit. iiſdem veſtigiis redit. miratur Rex, nam forte ex ca-
ſtris diſpiciebat, certamenque repetere putat, ille ſumpto reticulo, Mauriſque in de-
trectandi certaminis conſilio perſtantibus, incolumis ad ſuos ſe refert, iterque inſtitu-
tum conficit. Eo maior gloria fuit, ꝙ ſocius quis eſſet prodere, quamuis ſæpe rogatus ſem-
per recuſauit. quid enim aliũ ſugillando ſibi inimicum, ſocio dedecus nulla ſua laude quæ-
reret: cum contra ſilentio ad virtutis, modeſtiæ etiam laudem adiungeret. Dum hoc cona-
tu ad Hiſpalim pugnatur, Alfonſus Ferdinandi filius Setabim in Valentino tractu occupare
tentauit inuitatus à ciuibus. Setabi contributa Enguerra incolarum deditione venit in po-
teſtatem. Quantum quiſq; opibus præſtat, tantum in bello iuris ſibi arrogat. Iacobus Rex
Alfonſi molitionibus indicatis haud ſecus quam par erat motus, Villenam & Saiſſium, quæ
Caſtellæ finibus comprehenſa erant, corrupto præfecto occupat. præterea in eodem tractu 1248.
Bugarram eripit Mauris, anno iam M. CC. XL VIII. inchoante. ex his initiis res ad maiorem
contentionem atq; adeo bellum ſpectare videbatur. Alfonſus, vt erat ſedato ingenio, cum
ſocero de omnibus pactionibus præſens agere ſtatuit. Almizram in Aragonii Regis ditione
ad colloquium ventum. ibi Regina Aragonia interprete, Diegho Haro aliiſq; proceribus
annitentibus, controuerſia omnis compoſita eſt. Oppida vtrinq; reſtituta, quæ iniquo iure
erant occupata. vtriuſq; imperii fines deſcripti. Almanſa, Saraſulla, ipſumq; flumen Cabri-
olum Murciæ attributa. Valentinis Biara, Saxona, Alarca, Fineſtratum. Rebus ad hunc
modum conſtitutis, Principes ex colloquio digreſſi. Iacobus Rex Setabim, cuius obſiden-
dæ cauſa copias præmiſerat, cõtinuo repetiit: & adulta iam æſtate ciuium deditione cepit,
loco commodiſſimo ſitam, totius agri lætiſſima fertilitate, gleba feraci. Alfonſus Princeps
& Dieghus Harus Hiſpalim maturarũt. Alhamar etiam Rex Granatæ in caſtra Regis cum
manu militari venit, opportuno ſane tempore: nam milites mora & difficultate feſſi, de de-
ſerendis caſtris cogitare cœperant. Vulgati per caſtra morbi multum animos debilitarant.
Prius ſe hyems circumegerat, quam quidquam perfectum eſſet. Rex ipſe tantis laboribus
conſumptis, anxius trahere cum animo ſuo, ſolueret ne obſidionem, an fortunam operire-
tur, qua ſæpe proſpere vſus erat. Obſeſſi noſtrorum operibus ſubuerſis, incenſis machinis,
nõ vrbis munitione ſe tenere, ſed noſtris pro muro væcordiam obiectare, minari exitium,
conuitio & contumelia feroces eſſe. obſidio ducebatur eo meliori noſtrorum conditione,
quod noua indies auxilia veniebant. Epiſcopi Ioannes Arias Compoſtellanus (tametſi in
nullo vſu fuit, ob aduerſam valetudinem breui Regis voluntate è caſtris diſcedens) Garſias
Cordubenſis, Sanctius Caurienſis, Calatrauæ, atq; Alcantaræ Magiſtri, Fridericus, & Hen-
ricus Regis filii, Petrus Guſmanius, Petrus Leonius, Gonſaluus Gironius, aliiq; magno nu-

mero Principes auxilio venerant. Obſeſſi propter amplitudinem vrbis commeatu penitus prohiberi non poterant: tametſi magna diligentia à noſtris adhibebatur. Bonifacium claſſis Præfectum magna cura inceſſerat pontis rumpendi: quo ſublata libere vtrinq; commeandi facultate, per partes opprimerentur: qui integri reſiſtebant. erat molitio ardua, cum cymbis impoſitus, ferreiſq; catenis connexus eſſet. Binæ ad id paratæ naues, quo tempore ſe maris æſtus incitabat maxime, validis ab Occaſu flatibus, plenis nauis altera velis, eo impetu in pontem impacta eſt, quantum ferrea vincula ſuſtinere non valuerunt. Maii menſis tertio die, ingenti noſtrorum lætitia & commoditate pons fractus eſt. milites cum ſpe victoriæ ſumma vi in vrbem irrumpere conantur: ſcalis in murum conſcendere, tormentis mœnia ſubruere, tanta contentione, vt obſeſſi deſperarent. maior impetus in Trianam verſus. Mauri enixe dimicabant: & mœnium munitio opponebatur. Accidit vt Garſiam Vargam miles arcano accuſaret, quaſi vndantē clypeum alienæ familiæ inſigne geſtaret. Nulli patientius vituperationes ferunt, quam qui maxime culpa vacant. diſſimulat in præſens iram: deinde impetu à noſtris in Trianam facto, tandiu in certamine perſtat. donec lapidū & telorum imbre, clypeo & armis concuſſis, vix ipſe euadit incolumis. tum ad æmulum ſe „ tuto loco tenentem: Inſignia, inquit, gentis merito nobis detrahis, qui his obiiciamus peri„ culis. tu cautior, cui integra ſunt. Ille pudore ſuffuſus, culpam agnoſcit, veniam petit. dat ille non inuitus: contentione virtutis (quod clariſſimū vindictæ genus eſt) vltus iniuriam. Magna annonæ difficultate intra vrbem laborari cœptum erat. quibus malis adacti Hiſpalenſes, videnteſq; noſtrę gentis felicitatem cum virtute certare, de vrbe dedenda clā primum, deinde in circulis conſilia agitare. De muro cum noſtris colloquuntur: cupere ſi poteſtas fiat Regem conuenire. facta poteſtate, legati ex vrbe mittuntur. velle ſe paciſci renunciāt, modo honeſtis conditionibus, vrbeq; retēta. Quod tandiu reſtiterint, vt ignoſceretur poſtulant. malis fractos neq; corpore laborem, neq; animo poſſe moleſtiam ſuſtinere. Supereſſe tamen in vrbe copias militares, quas iniecta deſperatione irritare non deberent. Sæpe neceſſitatem ex timidis fortes facere. cruentam ſane atq; luctuoſam victoriam, niſi fœdere facto futuram. Ad hæc Rex: ſe quo loco res ipſorum ſint non ignorare. fuiſſe tempus cum de fœdere agi poſſet. nunc eo ipſorum obſtinatione ventum, vt niſi vrbe capta diſcedere turpe ſit: niſi dedita nullam fore concordiæ conditionem. Dum de fœderis conditionibus diſceptatur ab oppugnatione ceſſatur. Pollicentur regia vectigalia, quæcunq; Miramamolinis antea pendebantur. ea conditione repudiata, tertiam vrbis partem adiiciunt: deinde mediam muro perpetuo diſcretam. Satis honeſtę eæ conditiones noſtris videbantur. Regi niſi vrbe dedita, vilia omnia Maurorum promiſſa erāt, vani conatus. Conuenit tandem, vt Rex Maurus & ciues omni ſupellectile aſportata incolumes irent quo vellent. Luciferi fano, Aznalfarachio, atq; Niebla oppidis retentis, reliquæ arces & oppida Hiſpali contributa victoribus traderentur. Menſis deſignatus rebus perficiendis. Arx continuo noſtris tradita eſt. Nouembris die vigeſimo ſeptimo centū Maurorum millia promiſcui ſexus & ætatis vrbe egreſſa, pars in Africā traiecit, pars per alia Hiſpaniæ loca & vrbes diſſipata eſt. Decem & ſex menſes in obſidione conſumpti. quo ſpacio in iuſtæ vrbis ſpeciem caſtra cōformata fuerant, deſcripta ſuis quæque partibus, tabernæ rerum venalium, officinę armorum vicatim diſpoſitæ, tendentium ordo, platearum interualla. Menſe Decembri die vigeſimo ſecundo publica ſupplicatione & apparatu Rex in vrbem ingreſſus, in templo maximo, quod in eam rem expiatum erat, ſacris interfuit: quæ Guterrius Toletanus Prǽſul, in Ioannis nuper Iulio menſe defuncti locum, deſignatus ſucceſſor, inſigni apparatu peregit. Raymundus Loſana Archiepiſcopus nouæ vrbi datus. Is in ludo litterario fratri oculum graphio excuſſerat: qua religione vt ſe exolueret, ætate maior Romam abierat. inde eruditionis comparandæ facultas eximiæ, atq; præſtantis. Tributorum immunitate abs Rege propoſita, multi mortales tota Hiſpania conuenerunt, certi fortunarum ſuarum domicilium in ea vrbe collocare. vnde priſtina elegantia & frequentia in nobiliſſimam ciuitatem breui reuocata interuallo eſt.

Ferdinandi Regis mors. CAP. VIII.

EODEM tempore Hiſpalis obſidebatur: & Ludouicus Gallię Rex, ſanctiſſimis Diuorum reliquiis Toletum mittendis Toletani templi religionem augebat, à noſtra gente gratiam promerebatur magna ad hunc diem religione in ærario ſacro eius templi ſacra ea pignora cum autographis Regis litteris conſeruantur: quarum exemplum ſubiicimus tanti „ viri pietate prouocati. LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, dilectis viris in Chriſto „ canonicis & vniuerſo clero eccleſię Toletanæ ſalutem & dilectionem. Eccleſiam veſtram „ volentes xenio præclari muneris inſignire per dilectum noſtrum Ioannem venerabilem „ Archiepiſcopum Toletanum, & ad preces ipſius de venerandis & eximiis ſanctuariis no-

ſtris,

ſtris, quæ de theſauro imperii Conſtantinopolitani ſuſcepi, pretioſas vobis particulas de-
ſtinamus. Videlicet de ligno crucis Domini. vná de ſpinis ſacroſanctę ſpineæ coronæ eiuſ-
dem Domini. de lacte glorioſæ virginis Mariæ. de tunica Domini purpurea, qua indutus
fuit de linteo quo præcinxit ſe Dominus, quando lauit & exterſit pedes diſcipulorum ſuo-
rum. de ſindone qua corpus ipſius ſepultum iacuit in ſepulcro. de pannis infantiæ Saluato-
ris: Veſtram itaq; dilectionem rogamus & requirimus in Domino, vt prædictas ſacras re-
liquias in eccleſia veſtra cum debito recipiatis & cuſtodiatis honore: necnon in Miſſis, &
orationibus veſtris benignam noſtri memoriam habeatis. Actis apud Eſtampas anno Do-
mini M. CC. XLVIII. menſe Maio. His Ludouicus Rex miſſis litteris Maſſilia ſoluens, belli 1248.
ſacri reparandi ſtudio in Syriam nauigauit. piis conatibus exitus conſentaneus non fuit.
Peluſio enim (quæ hodie Damiata eſt) in ora Ægypti expugnata, belli fortuna conuerſa
eſt. è tribus Regis fratribus, Robertus in acie cecidit: Alfonſus, & Carolus cum Rege capti:
anno M. CC. XLIX. magno libertas conſtitit: neque tamen in Syria quo ſe contulere ma- 1249.
gnum operæpretium factum eſt. Sidon, Cæſarea, Ioppe Gallicis armis reſtituta ſalutis an-
no M. CC. L. nihil præterea. Quo anno Guterrio Toletano Præſule Atienſæ ad quintum 1250.
Idus Auguſti, vti Annales Toletani habent, defuncto, Paſchaſius in eius locum ſuffectus
eſt. alii ponunt Ferdinandi Regis filium: Petrum pars nominat, pars Ioannem, in vtroque
opinione haud dubium falſi. Extitit per idem tempus Petrus Gonſaluus, qui aula relicta,
ſpretaque gratia Principum, Calæcis & Aſturibus in religione inſtituendis, extremam ęta-
tem conſumpſit, clarus in paucis concionator. Petro æqualis Bernardus, ex Compoſtella-
no ſacerdotio ob eximiam iuris cognitionem, ad Innocentii Pontificis familiaritatem ad-
miſſus, in Romanorum Pontificum Epiſtolas decretales breuia edidit commentaria. Quo
tempore Aragonii in partes ſciſſi, ciuili diſſidio æſtuabant. Iacobus Rex ex Violante vxo-
re Petrum, Iacobum, Ferdinandum, Sanctium, totidem filias genuerat, Violantem, Con-
ſtantiam, Sanctiam, Mariam. Regina viri potens Regi ſuaſerat, vt regni prouincias inter fi-
lios partiretur. Conſilium id reipublicæ exitiale erat viribus debilitatis: Alfonſo maiori fi-
lio, in quem hæc comparabantur, graue. Itaque pleriq; proceres eius auctoritatem & par-
tes ſecuti, à Rege palam defecerant. eius diſſidii componendi cura, vnde maiora impen-
debant mala Alcanicii menſe Februario generales conuentus habiti ſunt. Dati in contro-
uerſia iudices, viri principes ex vtroque ordine vt filius ad officium rediret, pronuncia-
runt. nihil tamen ea diligentia profectum, cum Rex in ſententia perſiſteret: prorſus vt Ca-
talaunię principatum Petro viuens donaret. Hæc in Aragonia. Ferdinandi res multo com-
modiori loco erant: nam rebus Hiſpali conſtitutis, vbi ſe tenere conſtituerat, Cæſarianum
inuaſit. Medinam Aſſidoniam, Beteliam, Alpechinam, Aznalfarachium ſub iugum miſit.
ad maris littus plæręque arces aut captæ aut dirutæ: vt cæteri cladis eius exemplo contine-
rentur: excurſiones in Nebriſſæ agros factæ. pauca oppida Maurorum, aut locis, aut ope-
ribus munita, obſidionem non vt honeſtiorem modo, ſed etiam vt tutiorem ferre decre-
uerant: neque aliorum calamitate permouebantur, vt deditionem facerent. De bello in
Africam transferendo cogitatum: claſſisq; in Cantabriæ littoribus, Ferdinandi Regis iuſſu
noua & numeroſior ædificabatur. quo tempore morbi eum vis inuaſit, ex quo Hiſpali ex-
tinctus eſt ad tertium Kalend. Iunii ſalutis anno M. CC. LII. regnauit in Caſtella quidem an- 1252.
nos triginta quatuor, menſes vndecim, dies tres & viginti: in Legione autem annos circi-
ter duos & viginti. Vir omnibus animæ & corporis dotibus, morum probitate tanta, vt
Sancti cognomen tulerit: non magis populi fauore factum, quàm vitæ meritis datum. for-
tior, an Sanctior, an felicior eſſet, multi dubitauere. implacabilis ſibi, exorabilis aliis, in o-
mnibus vitæ partibus moderatus, omnes iuſti & probi viri partes expleuit. Alfonſo filio,
quem hæredem reliquit, tum multa præcepta ſub mortem dedit: tum Ioannam Reginam
& filios enixe commēdauit. Affuerunt morienti ex eo numero Fridericus, Henricus, Phi-
lippus Hiſpalenſis Epiſcopus deſignatus, Emanuel. Iuſta defuncto poſtridie regio appara-
tu ſunt facta. Corpus in templo Hiſpalenſi maximo ſepultum eſt. Regium ſenatum, cuius
hoc tempore litibus diiudicandis ſumma in Caſtella eſt auctoritas, ab hoc Rege excogita-
tum eſſe memoratur, duodecim virorum collegio creato: ad quos maiores controuerſiæ
ſpectant, cauſæ ab aliis iudicibus diiudicatæ, ex prouocatione: pecuniæ periculo, ſi is qui
prouocauit ſit victus. Paulatim gliſcente calumnia, multitudineq; cauſſarum increſcente,
nouum conſtituere forum opus fuit: cum antea ciuitates domeſticis iudiciis contentæ, aut
certe proximos conuentus iuris petendi cauſa appellantes modo, turpe ducerent, atq; im-
portunum regium auxilium implorare. Magnis præterea viris legum condendarum pote-
ſtas data eſt, colligendarum cura iniuncta earum quas Partitas vulgo vocant. Quod opus
ingentis laboris Alfonſo demum Rege perfectum eſt.

Alfonſi Caſtellæ Regis initia. CAP. IX.

FERDINANDI regnum iure hęreditario ad Alfonſum eo nomine decimum peruenit: cuius res geſtas explicare pergimus, illuſtres quidem euentuum varietate, & alternantis fortunæ ludo: plus tamen habentes admirationis q̃ gloriæ. Quid enim admirabilius, quam in caſtris educato, armaq; à prima ætate tractanti, tantam fuiſſe aſtrorum, philoſophiæ, rerumq; geſtarum cognitionem, quantam vix otioſi homines in vmbra aſſequuntur? extant de aſtrorum conuerſionibus, de Hiſpanica hiſtoria ab Alfonſo edita volumina magno ingenio incredibili ſtudio. Quid autem ignominioſius q̃ iis litterarum præſidiis, quæ priuato potuiſſent ſummam potentiam conciliare, neq; oblatum ab exteris imperium, neque paternum regnum tueri potuiſſe? Vidit ea ætas ꝙ vltimum in libertate atq; arrogantia erat tanto Rege deiecto: vidit ipſe ꝙ vltimum in calamitate erat, motus de gradu. Quos fortuna ſeu vis maior ludos facit? q̃ iuuat illudere rebus humanis? Sapientis cognomen, ꝙ litterę pepererunt, aut inimicorum iniuria, aut temporum iniquitas aut ipſe ingenii ſocordia labefactaſſe videtur, ea ſapientiæ opinione vix ſibi cauere ſapereq; doctus. Hiſpali vbi patri morienti affuit, regium inſigne deſumpſit. Fœdus in primis cũ Alhamare Granatæ Rege inſtauratũ: ſextaq; vectigalis, ꝙ pendere conſueuerat, vltro remiſſa: ea ſuperioribus meritis gratia fuit, nouorum incitamentum officiorum: quæ maxima aliquandiu & præclara extiterunt. tam grata Ferdinandi Regis memoria, vt iuſtum ex ſua gente hominum numerum, centumq; funalia è cera candida homo Maurus quotannis Hiſpalim mitteret, vt darent defuncto inferias anniuerſarias. Regii ærarii ſuprema inopia laborabatur, tot annorũ bellis exhauſti. redigẽdæ pecuniæ ratio aliqua excogitata. optima viſa eſt, Pepionibus (genus id monetæ erat purioris) Burgalenſes ſubſtituere, auro non probo, magnaq; pars experientibus decoquebatur. iniquum erat, valore retento pecuniam adulterari: vnde rerum venalium pretia creuere, neq; Regis inopia ſuppleta eſt, auctis magiſtratuum & Præfectorum ſtipendiis eo maiore populi indignatione, ꝙ aliquãto poſt monetæ genus alterum inuentum eſt: quę nigra vocabatur, à multo ære ſcilicet. nonaginta ex ea moneta numi, aurei æſtimationem exæquabant. aurei, Pepionis, & Burgalenſis valor ęqualis. fallaciſſimã hanc viam colligendæ pecuniæ, à magnis ſæpe Regibus tentatam, incommodã eſſe, dies & vſus & funeſti rerum exitus declararunt. Alfonſo ſane Regi magnam eius inuidiæ partem conflauit, qua breui flagrare cœpit. Sic honeſtas rerum cauſas, ni iudicium adhibeas, pernicioſi euentus conſequuntur. hæc fuere ciuilis diſſidii prima ſemina. Externi belli aliæ cauſæ extiterunt. Violantis Reginæ infœcunditate, Alfonſi animus angebatur, procreandę ſobolis cura pręcipua. Aſſentatores, quorum in aulis Principum magnus eſt numerus, diuelli id coniugium poſſe diſputabant. ingenioſis hominibus nectendæ fraudi argumenta non deerant, quibus Regis animus facile expugnatus eſt. Ad Regem Daniæ miſſi legati, Chriſtinam eius filiam in coniugium expetitum. tanto locorum interuallo diſſitos, circumuenire fraude promptũ erat. pactis nuptiis miſſa puella in Hiſpaniam. Iacobum Regem pro eo, ac par erat, Alfonſi generi conatus mouerunt. tentata concordiæ ſpes eſt per legatos. nihil effectum. ventum ad arma. vtrinq; in alteros incurſiones, prædæq; hominum, pecorumq; ſub eius diſſidii initia factæ. Per idem tempus Paſchaſius Toletanus Epiſcopus obiit. ſucceſſit Sanctius Alfonſi Regis frater, vti eius ætatis tabulæ oſtendunt, per hos annos Toletanis ſacra iura dixiſſe. Theobaldus Rex Vaſconum eo nomine primus diem obiit, octauo
1253. Idus Iulii, ſalutis anno M. CC. LIII. non maiore d gnus laude propter ſtudium rei Chriſtianæ in Syria inſtaurandæ, quam deformis ad poſteritatem opprimendi eccleſiaſtici iuris conatu. Ea de cauſa interdicto ſacerdotum, vniuerſo regno à ſacris ceſſatum memorãt toto triennio quo exacto tempore Petrus Remigius Pompelonenſis Epiſcopus ab exilio, in quod pulſus erat, ad Regis gratiam reſtitutus eſt viris primariis annitentibus, lætitia totius populi & gratulatione maxima. Theobaldum nos ob alia quidem laudamus, in primis tamen ob ſtudia liberalium artium, muſicæ & poeticæ peritiam ſtudiumq; maximũ: prorſus vt carmina ſcribere, & ad Lyram canere doctus eſſet: verſus à ſe factos in aula publice diiudicandos proponeret. Tres vxores habuit. ex prima Lotaringio Comite nata, nullos genuit filios: qua dimiſſa iuſſu Pontificum, Sibylliam duxit Philippi Flandrię Comitis filiã. ex eo cõiugio Blanca nata eſt, Ioannis Britanni Ducis cognomento Rufi olim vxor. ex tertia vxore, quæ Archembaudo Fuxenſi Comite nata erat, Theobaldus, Henricus, & Eleonora nati ſunt. Theobaldus defuncto patri ſucceſſit, minor ętate, ac ne quindecim quidem annos natus: eximia virtutum indole. Margarita mater pro filio ſolicita, ac Alfonſi potiſſimum Caſtellæ Regis arma verita, qui compreſſis atq; domitis Mauris Vaſcones bello repetiturus credebatur, veteri iure Regum Caſtellæ excitato, Aragonii auxilii vmbra tegi cupiebat. Actum de fœdere per legatos: & quo res expeditior eſſet, fide accepta dataq;, in

collo-

colloquium deſcenſum eſt. Initio mēſis Auguſti Tudelæ inter Reges fœdus factū, eoſdem amicos, inimicoſq; futuros. altera ex filiabus Iacobi Theobaldo Regi in coniugem promiſſa: cautumq; vt neutra Caſtellæ Regis fratribus nuberet abſq; Reginæ Margaritæ voluntate. Aragonio Regi ius adoptione Sanctii Regis quæſitum, integrum manſit. Eo fœdere, quod Romani Pontificis conſenſu, & ex eo maiore religione ſanctius vt eſſet curatum eſt, vtriuſq; gentis arma haud obſcure in Alfonſum Caſtellæ Regem mouebantur. Cura eius belli metuſq; externus, qui maximum concordiæ vinculum eſt, Aragonios patrem & filium, de quo tantopere laboratum erat, inter ſe conciliauit. Itaq; inuenio, quæ Petro & Iacobo à patre Rege Aragonio donata erant, Alfonſi maioris filii volūtate, atq; iureiurando Barcinone confirmata. Noui præterea belli occaſio extitit. Alaſarchus ſagaci ingenio Maurus Reguatam arcem, quæ in poteſtate erat, deditur ū pollicitus, Regem Aragonium multis caſibus obnoxium, ſeq; obiicientem periculis, ferme viuum cepit: cum exigua manu, quaſi ad rem certam acceſſiſſet. fraude prodita Maurus ſpe deluſus, ex inſidiis in apertum latrocinium ſe coniiciens, Valentinis Mauris arma ſumendi auctor extitit. Rex periculo permotus Valentiam accurrit. In ea vrbe de ea gēte finibus pellenda deliberatum eſt. Proceres compendio corrupti quod ex ea gente redibat, repugnabant. Præſules, & plebes Regi aſſentiebantur. Hæc vicit in concilio ſententia. Iuſſi Mauri omnes Valentini agri finibus diſcedere tametſi ad ſexaginta millia in armis erant, dicto paruere. In Murciæ & Granatæ fines diſſipati, magna pars Marchiam, quæ nunc Aragoniæ dicitur olim Montaragonis ab oppido eius nominis petiuerunt incultam atque aſperam regionem ea tempeſtate, nunc frumenti prouētu nobilem in paucis. magno Friderici quæſtu, qui Alfonſi Regis fratris ſui nomine Villenæ, qua miſeris tranſeundum erat curabat, ſinguli per capita aureum numum pendere ſunt coacti. Rex Aragonius his tumultib. impeditus arma vertere in Caſtellam continuo non potuit. Magni belli metus ea mora lætiſſimo exitu mutatus eſt. nam quo tempore Chriſtina ex longo itinere Toletum tandem appulſa eſt, ſalutis anno M. CC. LIIII. Reginæ vterus ſenſim intumeſcere viſus eſt: ac palam grauidam eſſe intellectum. Inſperata re perculſus Regis animus odiū amore mutauit. iidem auctores erant Reginæ conciliandæ, qui antea diſſuaſores extiterant. Philippus Regis frater, tametſi Valliſoleti Abbas erat, Hiſpalenſis Archiepiſcopus renunciatus, ſacrata veſte depoſita Chriſtinam regni ſpe depulſam, ſibi toro iunxit Regis permiſſu. Quod male cohæſit coniugium, breui ruptum eſt Chriſtinæ obitu, ex dolore contumeliæ impatientiaq;. ſic vulgus interpretabatur. Violantis Reginæ infœcunditas, fœcunditate mutata: prorſus vt numeroſa prole maritum auxerit. Berengaria, Beatrix, Ferdinandus cognomento Cerda, à crine in dorſo inſigni, cum quo eſt natus, Sanctius, Petrus, Ioannes, Iacobus, Iſabella, & Eleonora nati Alfonſo ex Regina ſunt. ex obſcura matre Alfonſus Fernandus. ex Maiore Guſmania Petri Guſmanii filia, Beatrix furto concepta. Proximo anno M.CC.LV. Eduardus Henrici Angliæ Regis maior filius in Hiſpaniam venit. Cauſſæ aduentus proditæ non ſunt: libet tamē ſuſpicari, quid enim prohibeat? Chriſtinæ iniuria commotum, iter ſuſcepiſſe: erāt enim patrueles. in quo quantum profecerit, rerum euentus declarat. Burgis tamen abs Rege benigne habitus de eius manu militiæ honorem ſolenni cæremonia ſuſcepit. iis blandimentis iuuenis animus leniebatur.

1254.

1255.

Alfonſus creatur Imperator. CAP. X.

ALFONSI fama non eadem apud omnes gentes erat. in Hiſpania, domi quidem inuidia populari æſtuabat: vicinis Regibus gratus non erat: tametſi quadam ſimulatione, pacis an potentiæ metu, ab armis temperabant. apud exteras nationes eruditionis fama celebris, facundus, callidus, belli & pacis artibus peræque inſtructus eſſe prædicabatur. Ea res pleroſq; proceres Germaniæ impulit, vt in imperii comitiis, vbi de Auguſto deligendo, atque in Guillelmi Cęſaris locum ſubſtituendo deliberatio ſuſcepta erat, Alfonſi ratio haberetur, non vna omnium voluntate neq; conſentientibus omnium ſuffragiis. Nam Colonię Præſul ſuo & Moguntini nomine eius vicarius, & Palatinus Comes Richardum Cornubiæ Comitem Henrici Angliæ Regis fratrem imperio præfecerunt, 8. Id. Ianuarii ſalutis anno M.CC.LVI. (quidā biennio poſt dicunt.) Pręſul Treuerenſis, & Saxonię Dux Richardi electionem vitioſam exiſtimantes, Alfonſum Caſtellæ Regem collatis ſuffragiis prætulerunt, proximi menſis Martii die vltimo. Miſſi ad vtrunq; legati. vterq;, ſe legibus creatum dicere, æmulum vitio. eo meliori Richardi conditione, quod continuo rebus expeditus in Germaniam accurrit: & de manu Coloniæ Præſulis, cuius eæ partes ſunt, Aquiſgrani primam imperii coronam ſuſcepit ſexto Nonas Maii. Alfonſus inteſtinis motibus implicitus, & ſuorum voluntate diffiſus, filiorum ætate nondum matura ire diſtulit. tametſi Conſtantiæ & Spiræ Præſules ea de cauſa legati venerant: & nouis ſubinde legationibus,

1256.

vt imperium capeſſeret ſolicitabatur. Ea mora ſuæ factionis ardorem reſtinxit, aduerſæ ſtudia cauſamque confirmauit. Fauebatur Alfonſo præter virtutis opinionem, quod genus maternum ad Germaniæ Imperatores referret, Beatricis filius, atque ex ea Philippi quondam Auguſti nepos. Richardum linguæ haud omnino diſſimilis commercium, veteres & magnæ inter vtranque gentem neceſſitudines, morum ſimilitudo, ſanguinis propinquitas ſubleuauit, vt idoneus imperio iudicaretur: prorſus vt in iure cõtrouerſo, aliquanto meliori cauſa niti videretur. intra annum à Guillelmi Cæſaris morte, quo die electores conſenſu deſignarant, in eius locum ſuffectus. intra annum alterum de manu Coloniæ Præſulis, cuius eæ partes ſunt, Aquiſgrani imperii inſignibus, & trabea exornatus: atque in Caroli Magni ſella legitimæ poſſeſſionis indicio collocatus. Demum in eius verba, tũ à Principibus, tum ab arcium Præfectis iuratum. Hæc omnia comitiorum imperii legibus ſancta, Alfonſum prætermiſiſſe: aduerſus Richardum qui ea legitime præſtiterat, nihil excipi poſſe. ſic magni iureconſulti diſputabant. Præterea diſcrepante electorum ſuffragio, neq; in vnum aliquem conſpirante, Comitem Palatinum totius controuerſiæ legitimum eſſe iudicem: aut certe Bohemiæ Regem, pari vtrinque ſuffragiorum numero. vtrunq; à Richardo ſtetiſſe, alterum in comitiis, alteri electionem cum primum renunciata eſt, probatam fuiſſe. Alfonſus contra diſputabat Francofurti intra ipſa vrbis mœnia, vt erat cõmuni electorum conſenſu deſignatum, ſuam electionem factam eſſe. Colonienſem & Saxonem numeroſo armatorum numero ſtipatos, quaſi ad bellum non ad comitia, terrorem incutientes, vimq; vt videbatur intentare paratos, monitoſque vt deſiſterent, & aliorum Principum exemplo cum competenti comitatu, vt ad comitia in vrbem ingrederentur, inuitatos: neq; paruiſſe monitis, & nouo potius atq; damnato exemplo, ſibi priuatim ſumpſiſſe conſilium: quę maxima pernicies eſt: atq; extra vrbem comitia, veluti in caſtris peregiſſe. Id in Richardi electione præcipuum vitium eſſe. Principes qui in vrbe erant, tandiu ſuſtentaſſe, donec ſpes fuit eos ad ſaniora conſilia traduci, & poſita contumacia ad concordiam reuocari poſſe. ea abiecta pridie Kalendis Aprilis Treuerenſis Præſulis voce tum ipſius, tum Saxonis, (qui & Brandenburgenſis abſentis partes implebat) atq; Bohemiæ Regis, cuius legatus cum ſuffragii iure in comitiis affuit, nomine Alfonſum Caſtellæ Regem Cæſarem renunciatum. Hæc maiora vtriuſq; cauſæ munimenta erant: minuta alia. facinora & flagitia inuicem obiectare neutros falſo: atq; anathematis vitium, quo iure ſuffragii alteri Treuerenſem exci- diſſe diſputabant, ob noua & inſolita vectigalia ſubditis impoſita. Colonienſem alteri, Cardinalem Sancti Georgii, Romani Pontificis Legatum pulſaſſe, criminabãtur, Epiſcopo inieciſſe vincula. Palatinum Comitem ſacratos viros, quod nefas erat, indignis modis vexare, & aduerſus ſacroſanctam Pontificum eccleſiæq; maieſtatem Friderico Auguſto atque eius filio Cunrado proximis controuerſiis adhæſiſſe. Lis hæc Alexandro IIII. Pont. Max. ſuſcepta: eo arbitro & diſceptatore, vt opus erat, & vt ſaniores iudicabant, cõponi non potuit. vtraq; pars ſui iuris tenax, ne cauſam minime dubiam ad cuiuſquam arbitrium reuocando, ancipitem reddere videretur, ſibiq; diffidere, iudicium ſubire recuſabat. armis potius diſceptare parati erant, tum propriis tum Principum Germanię: quorum ſtudiis vtriq; ſubleuabantur. imminebatq; ex ea re magnum reipublicæ malum: niſi vtrunq; Principem res domeſticæ retinuiſſent. Alfonſum quidem Hiſpaniæ longinquitas retardauit: aliæq; ex aliis enatæ, atq; connexæ domi difficultates. & erat alioqui natura cunctator: arteq; atque ingenio negotium confici non deſperabat. Richardum autem à belli cogitatione impediuerunt res Angliæ vehementer turbatæ: eo bello quod cum Francis ſupremo vtriuſq; gentis conatu gerebatur: ac mors anno ſexto ſubſecuta, ex quo in imperii nomen inuaſerat. Verum quem exitum hæc controuerſia habuerit, alio erit loco explicandum.

Proceres ab Alfonſo Rege alienati. CAP. XI.

ERAT Alfonſo Regi mite ingenium, animus ingens, glorię cupidior, quam voluptatum: otio litterario deditus neq; a negotiis alienus: incautus tamen, atq; actionum inconſtantia mirabili. pecuniæ corradendæ auidus: quæ res niſi modus adſit, in perniciem vertuntur. vt tunc accidit populi voluntate abs Rege alienata, proceribus haud amicis. Rex otii vitandi cauſa, quod ſerendis rumoribus aptum eſt, in Bæticam arma vertit: diuiſiſque copiis oppida, quæ in Maurorum poteſtate erant, expugnare contendit. Ipſe Cæſarianum capit, Henricus frater Arcobrigam, & Nebriſſam ad Bætis æſtuaria poſitam, qua ſe parte maris auctu ampliſſimus in Oceanum effundit. Cæſariano Nunnius Lara præfectus veteri proſapia homo, familia prope iam extincta maiorum ſeu ignauia, ſeu cõtumacia. Pulcherrima occaſio ſeſe dabat Maurorum reliquias eo tractu extirpandi: niſi Regem ab eo conatu noui belli cura reuocaſſet. Theobaldus Vaſconum Rex, eo nomine ſecundus, ætate confir-

confirmata, fretuſq; Aragonii Regis præſidio, cum quo paulo ante ad Mōtem acutum fœdus inſtaurarat, contractis vndiq; copiis Caſtellæ fines inuadere cogitabat: Guipuſcoam, Alauam, Riuogiam, Virueſcanum agrum iniuria intercepta eſſe ſuperioribus annis, & ad ſe pertinere cauſſatus. feroci iuuenis animo faces ſubdebāt pleriq; proceres Caſtellæ à ſuo Rege alienati, atq; ad Vaſcones & Aragonios dilapſi: cum patriæ prius publicis tabulis renunciaſſent. ne maieſtatis crimine poſtularentur ſcilicet, ea via antiquis temporibus excogitata erat. Dieghus Harus inter eos proceres principem locum obtinebat, vir egregie cōſtans, cæterum omnis iniuriæ inſolens, & regni oppreſſa libertate vehementer offenſus. Eius conatus mors intercepit, ad Bagnares oppidum, quo ſe contulerat, valetudine procuranda. Eius tamen filius Lupus Harus, quamuis ætate puer erat, cum inſigni ſuorum comitatu Stellam, vbi ſe Rex Aragonius tenebat, abiit. Idem Henricus ab Alfonſo Rege fratre, animo penitus alienato facit fœdus inter eos mutuæ ſocietatis, aduerſus omnium Principum arma percuſſum. Cum his Caſtellę populares, & pleriq; proceres, tametſi nondum ſe commouebant, voto erant. Immutatæ pecuniæ dolor vrebat: vnde maior annonæ caritas eſt conſecuta. id malum nouo incommodo, cum remediū quæreretur, cumulatum. rerum venalium pretia à Rege taxata ſunt. vnde ſuprema annonæ difficultas extitit, rerum dominis eo pretio vendere recuſantibus. Sic maiorem plerunq; perniciem afferunt, quę ſapientiſſime in ſalutem excogitata fuiſſe videbantur. Alfonſus vt erat excellenti ingenio, quantum periculum immineret non ignarus, cum Aragonio Rege de cōcordia agit, haud multum repugnaturo: cum Theraſię Vidauræ amoribus indulgeret, homo ingraueſcente ætate, & regii decoris oblitus. Ventum ad colloquium, Sorięq; concordia inter Reges ſancita,
nouo fœdere conſtituto, menſe Martio ſalutis anno M. CC. LVI. quo tempore tertio Idus 1256.
Aprilis. Margarita Theobaldi Regis Vaſconum mater, Campaniæ rebus componendis in Gallia intenta, Peruini defuncta eſt: & ad Clareualenſe monaſterium, opinione ſanctitatis nobiliſſimum ea tempeſtate, tumulata. Proximo anno Toleti Sanctius Rex Luſitaniæ cognomēto Capellus defunctus eſt: vt eſt ſuperius demonſtratum. regnum Alfonſus frater, quod tredecim annis rexerat, Regis nomine ſuſcepit. ex Beatrice Alfonſi filia Dionyſius maior natu, & Alfonſus Portalegris regulus, nati ſunt. præterea Blāca, cuius corpus Olgis, vbi Præfectam virginum diu egit, ſepultum eſt, atq; Conſtantia, quæ in minori ætate obiit. Interea Henricus Regis frater Nebriſſæ, quo ſe contulerat, vtriuſq; gentis incolas ad defectionem ſolicitabat. Nunnius Lara non ſecus ac par erat commotus, Henrici conatibus occupatis, Hiſpali quo ſe tenebat, accurrit. Henricus viribus impar, neque incolarum ſtudiis ſatis confirmatis, mari Valentiam fugere compulſus eſt: quo ſe Iacobus Rex tenebat reipublicæ conſtituendæ intentus. Is cum non reciperet, ne profugo ſuſcipiendo, initi nuper fœderis leges violaſſe primus videretur, in Africam nauigare compulit. vbi quadriennio apud Tuneti Regem conſumpto, vagus atq; egens in Galliam primum, deinde in Italiam abiit, bellum reparaturus in fratrem, ſicunde auxilia inueniret. Aragonius Rex Valentiæ rebus compoſitis Mompellerium abiit, Galliæ Regem conueniendi cupidus. Carbolium
oppidum Regum colloquio deſignatum, ibique quinto Idus Maii eius ſeculi anno LVIII. 1258.
deterſis ſyncere odiorum cauſis voluntates conciliatæ ſunt, dimiſſis vtrinq; quæ ab altero quocunq; iure poſſidebātur: ac nominatim Barcinonenſes, & Catalauni veteri Gallorum Regum imperio prorſus exempti ſunt, quod ex quo eæ regiones ereptæ erant Mauris, ſteterat. tametſi à multis iam annis, præter imperii nomen nihil Gallis cōcedebatur. id fœdus vt ſanctius eſſet, Iſabella Regis Aragonii filia natu minima Philippo Gallię Regis maiori filio pacta: & cū ea dotis nomine Carcaſo, & Biliteræ patre concedente ad Gallorum ditionem ſubiunctæ ſunt. Fœdus hic annus multa aquarum illuuie fuit. imbribus ante menſem Auguſtum vſq; ad 7. Kalend. Ianuarii continuis inflati atq; agris ſuperfuſi amnes, magno agreſtium damno. pleriq; tota Hiſpania euerſi pontes. in his Toletanus, cui Alcantaræ no-
men eſt, proximo anno inſtauratur ſalutis M. CC. LIX. Arabum DC. LVII. vti inſcriptio 1259.
declarat ad ipſum pontis aditum ſupra abſidem in lapidem inciſa charactere Gallico lingua Hiſpanorum vernacula.

Luſitania ſacrificiis interdicta. CAP. XII.

RES in Hiſpania tranquillę erant, vt in ea Principum multitudine, legibus, inſtitutis, ſtudiis, voluntatib. diſcrepantium. domeſticæ nonnullæ calamitates extiterūt. Violantes Aragoniæ Regina, & Alfonſus eius priuignus defuncti. Regis actiones fatalē vtriuſq; horā vrtiſſe viſæ ſunt. Alfonſum dolor contumeliæ male habebat, paterniq; contēptus ignominia: cū præ aliis fratrib. quaſi inutilis rebus gerendis ad nullā reipublicę partē admitteretur in pręſenti: in poſterum, regni hæreditate partita imperii maieſtas imminuta eſſet. Is dolor

nõ ad Alfonſum priuatim pertinebat, ſed publice ad pleroſq; ꝓceres: qui Rege relicto, Alfonſi partes palã ſecuti erant. Hi ad officium vt redirẽt, abrogata priori donatione Valentiã callidus ſenex paulo ante filii mortem ipſi tradiderat. Aragoniæq; contributa vt eſſet, ſanxerat. Violantem vrebat Theraſiæ Vidauræ potentia: cuius amoribus Rex à prima ætate implicitus, & aliquandiu exolutus, eam denuo reconciliata gratia, ac ſi carminibus iniecta væcordia eſſet, deperibat: eiuſq; ad arbitrium res priuatas & publicas gubernabat, libidinis vſq; ad extremam ætatem, auidus & potens, oblitus officii, neq; quid de ipſo fama loqueretur cõſiderans. prorſus vt eam tum ſuperiori tempore tum deinceps Violante defuncta, iuſtæ propemodum vxoris loco & cultu habuerit: quem illa locum ambierat ſemel & iterum apud Romanum Pontificem, pacti coniugii lite conteſtata: vt ſuperius dictum eſt. nati ex Theraſia Petrus Aierbis, & Iacobus Exericæ reguli. Violantes ad Vallem bonam virginum monaſterio Ciſtercienſi in Catalaunis ſepulta eſt. Alfonſus Valentiæ in æde maxima, ſacello Diui Iacobi. Sorita in Aragonia hiſtoria nobilis ſcriptor, in Veruelæ monaſterio Ciſtercienſi ait. Theobaldus Vaſconum Rex, amiſſa in Gallia matre, retẽto Campaniæ atq; defenſo principatu, quoniam pleriq; Galliæ proceres inuadere armis atque occupare cogitabant, Iſabellam Ludouici Regis Sanctii minorem filiam toro ſibi puellæ patre concedente iunxit. Meloduni (id eſt oppidum Senonum, olim in inſula Sequanæ poſitum, noſtra ætate vtranq; ex aduerſo ripam ædificia quoque occupant) nuptiæ celebratæ, lætiores principiis quam ſucceſſu propter Reginæ ſterilitatem. Ex Marcheſia Rada furto concepta filia matri cognominis nata Regi eſt: quæ deinde Petro Aragonii Regis ex Theraſia filio nupſit. Matildis Bononiæ Comes Sanctii Regis Luſitani obitu renunciato, mari in Luſitaniam accurrit, veteris coniugii iura repetitura: ſi quo modo tandem Alfonſus vir poſſet à praua mente deduci. ad Caſcales oppidum appulſa, tantum non in Oliſiponis conſpectum ſe dedit. Inde ne facta quidem poteſtate Regem cõueniendi, retro ſe referre compulſa eſt. has ad eum tamen litteras dedit. Acceſſiſſem propius, tuamq; improbitatem coram accuſaſſem, qui ſuſcepti laboris fructus eſſet multo maximus: ſed quoniã id facere prohibeor, noſtrumq; ingrate & crudelis conſpectum ferre non potuiſti, conſcientiæ ſtimulis agitatus ſcilicet, atq; malis incurſibus furiatus: non committam, quin abſens faciam: orbiq; vniuerſo, his litteris iuſti doloris indicium, acceptæ iniuriæ teſtimoniũ, tuæq; perfidiæ, & impietatis perpetuum monimentum relinquam. Sunt fere acerba morborum remedia quæ ſalutaria, ipſa etiam magno hæc cum gemitu ſcribo: ſed egenum tamen, patria extorrem, ſine lare, ſine ſpe, hominem pene dixerim barbarum tecto, toro, imperioq; recepi. O nimiam meam dicam, an meorum, an vtrunq; facilitatem. nimirum noſtra nos opinio, fideſque tua falſos habuit: vt plura quam velles, maiora quam ſperares dantes ludibrio haberemur. Memini cũ non anima, non nobis poſſe carere iurabas. en religio. en conſtantia. quid hoc? cum regno væcordia iniecta eſt animo. in alium virum mutatus, noſtri oblitus, beneficii immemor, amoribus nouis indulges eius, quæ pellex vocetur neceſſe eſt, priori coniugio conſtanti, nouo vitioſo. Genus, forma, ætas, opes diſplicuere? an potius vobis Regibus id ſanctum, id honeſtum eſt, quod regnandi rationibus vtile? Verum ego ſuperſtes ſum, eroq; dum Principum arma, nationum omnium odia in te concitauero. omnium telis quaſi fera appetita corrues: certe diuinã vindictã tuo capiti imminere iamq; affore præſagit animus. Qui nunc ſcelere ferox atq; præclarus noſtras lachrymas ſpernis: breui omnib. tormentis oppreſſus noſtri doloris, impietatis tuæ iuſtiſſimas pœnas dabis. hac vna ſpe vt in malis ſuſtentabor. qua aut ſublata, aut expleta, vita libens cedã: atq; ita cedã, vt perfidia tua iudicio noſtro, non virtus aut animus nobis defuiſſe videatur. His litteris nihil obſtinatus animus mouetur. contra affirmat palam, nouum ſe die poſtero coniugium initurũ: ſi id ex vſu fore regnãdi fuerit exploratum. Illa diſcedit irata regi, eiuſq; capiti dira omnia comprecata. De iniuriæ vindicta cum Ludouico Galliæ Rege præſens agit: cũ Romano Pontifice Alexandro quarto per legatos. In Gallo parum præſidii erat. ob locorum longinquitatem. Romanus Pontifex Alfonſum monet atq; obteſtatur, vt redintegrata cum Matilde gratia, ad primum coniugium redeat: quanto in ſalutis diſcrimine verſetur, docet: nõ eſſe numina importunis actionibus irritanda. Ad has voces Alfonſi aures obturatæ erant, præfractus animus. cupiditas & ambitio mali conſultores oculis officiebant, ne lumen viderent. ergo parere recuſantem diris Pontifex deuouet: Luſitaniamq;, quã longe regni fines pertinebant, ſacrificiis interdicit. Interdictum tenuiſſe duodecim annos ſcribũt. Dum neq; Rex mutat, neq; conſequentes Pontifices de iuſtiſſima indignatione remittũt, regiæ improbitatis pœnam innocentes populi ſuſtinent. ſic ſunt res humanæ: ſic fert conditio mortalium. Et erat alioqui Alfonſus miti & tractabili ingenio, æqui iuſtiq; tenaciſſimus. Latrocinia, & maleficia quę ex ſuperiorum temporum licentia, & Sanctii Regis ſocordia impune graſſabantur,

tota

tota prouincia ſuſtulit: leges ſanxit: iudicia conſtituit: ſummos cum mediis, atque cum his infimam plebem æquabili iure conſtrictos tenuit. Hæc domi. militiæ autem non minor virtus fuit: eius enim armis & auſpiciis ditionis fines prolati. Farũ, Algeſira, Aluofera, aliaque in Syluenſi tractu oppida Mauris ablata. Caſtrium, Portalegrium, Eſtremotium recẽs conſtructa. Pax Iulia, multaq; alia oppida, & arces iniuria prioris temporis aut euerſa, aut deformata reſtituit. Extant pietatis monimẽta: Oliſipone Dominicano ordini præclarum cœnobium perfectum per hæc tempora, ad culmenq; perductum. Scalabi virginum collegium ſanctæ Claræ nomine eius impenſa à fundamentis extructum. Ea in pauperes munificentia, vt exhauſtis ſæpe theſauris redigenda pecunia domeſticam ſupellectilem oppignerare eſſet ſolitus. Ad Alfonſum Caſtellæ Regem, cuius fama toto orbe celebris erat, ab Ægypti Sultano miſſi legati, cum multa veſte ſtragula atq; pretioſa attulere pręterea inſolenti forma, & noſtris hominibus incognita animalia, ſalutis anno M. CC. LX. quo an- 1260.
no Arraſatæ Guipuſcoæ in Cantabria municipii vetus nomen, noua Mondragonis appellatione mutatum: vti Alfonſi ipſius litteræ declarant, inter regias litteras, quæ Hiſpanica lingua conceptæ reperiuntur cum primis antiquæ. Primus enim Hiſpaniæ Regum latinæ linguæ vſu in publicis tabulis antiquato, Hiſpanicam linguam ſubſtituit. Extant Alexandri quarti Pontificis maximi litteræ ad quintumdecimum Kalend. Aprilis Anagniæ datæ, quinto Pontificatus anno. quibus litteris Segobrigę ſacra Albarracini Epiſcopo regenda committit. Extant eiuſdem Pontificis litteræ alteræ ſexto pontificatus anno datę. Segobrigæ epiſcopatum, cui ea tempeſtate vrbs Albarracinum ſubdita erat Toletanæ eccleſiæ contribuentis, atq; inter ſuffraganeos numerantis. His litteris cum Arnaldus Peralta Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus reſtitiſſet, ſuæq; eccleſiæ iniuriam fieri expoſtulaſſet: Pontifex priorem conceſſionem eo temperamento mitigauit, vt Cæſarauguſtanis Præſulibus ſua iura & priuilegia nihilominus conſtarent. Cardo controuerſiæ in Segobrigæ appellatione maxime vertebatur. Segobrigam conſtabat olim Toletanis Epiſcopis ſubditam fuiſſe: ſed in Celtiberia ſitam. Segobrigam, hoc eſt Segorbium, de qua vrbe lis erat, in Edetanis eſſe Aragonii diſputabant, regionibus ſecretam ab altera. quæ tandem ſententia vicit, mutato decreto, ſed annis conſequentibus.

Reges Aragonius & Siculus affinitate iuncti. CAPVT XIII.

DEFVNCTO Tarenti in extrema Italia, ante aliquot annos Friderico Auguſto, eo cuius nomen ob inſectatos Romanos Pontifices ad poſteritatem inuidioſum ſemper fuit, Cunradus filius ſucceſſit: & hoc quarto poſt anno, ex Sueuia in Italiam profecto, in Siciliaque, aut fato functo, aut quod frequens fama tulit veneno ſublato, Manfredi dolo, cum Cunradinum filium ex vxore Bauari Ducis filia, puerum in Sueuia relictum moriens hæredem ſcripſiſſet, Manfredus defuncti ex pellice frater, in regni cupiditatem impulſus, & pueri ætate deſpecta in regium nomen inuaſit: Siciliamq; & Neapoli cõtributam prouinciam, armis & præſidiis occupauit: Romanis Pontificibus, quorum in clientela ea regna à primis annis erant, inuitis, palamq; ni deſiſteret, exitium & extrema omnia comminantib. Ille ad has voces nihil moueri: neq; eccleſiaſticas execrationes vereri: ac ne curare quidẽ, quid de illo fama loqueretur. Tanti erat dira dominãdi ambitio. Quin in Tuſciam, vbi Guelforum factio Pontificum ſtudio dedita late dominabatur, Manfredi arma prolata: pulſiſque hoſtibus facile ea prouincia ad priorem ditionem ſubiuncta eſt. His initiis & incrementis res Manfredi confirmatæ, haud facile euerti poterant, ſi imperium flagitio partum foret ſtabile. Romani Pontifices regni, quod contra fas, & auſpicia conſtitutum erat excindendi omnes vias tentant. Concionatores in omnes partes dimiſſi, eum vt impium, religioniſq; hoſtem ad populum accuſare non deſiſtebant. parum in cæteris pręſidii erat. Carolus Ludouici Regis frater germanus Andium & Prouinciæ Phocæenſis Princeps, ad ſpem regni Siculi in Italiam euocatur. Tantarum molitionum Manfredus haud ignarus, & quanto in periculo res eſſent conſiderans, vndique ſe munire, ſubſidia comparare: & quoniam propinqua deerant, longinqua auxilia conquirere conſtituit. in primis Iacobi Aragonii Regis, cuius virtutum fama, & rerum geſtarum gloria pridem celebris eſſe cœperat. eum ſibi affinitate coniũgere, ſalutare iudicabat, commodum atq; honorificum. Conſtantia filia Petro Aragoniæ iuuentutis Principi in coniugium oblata. Miſſi Barcinonem ea de re legati. Regi Aragonio conditio quæ offerebatur, non aſpernanda viſa eſt. puella dotis nomine auri duodecim myriades, ingens ea tempeſtate pretium, & regni Siculi haud dubiam ſpem, cum Manfredus maſcula prole careret, in Aragoniam regiã inferebat. Re conſtituta miſſus ad Alexandrum Pontificem legatus Raymundus Pennafortius è Dominicano ordine vir prudens, eruditus & ſanctus: qui pro ea auctoritate, qua valebat maxime,

Pontificem cum Manfredo in pace poneret. Põtifex eius oratione nihil moueri, ſed Manfredo non modo vt iniuſto Principi, ſed vt notho, atque impio dira omnia minari. tum alia crimini dare: tum illud expoſtulare maxime, q; legitimi Regis atq; propinqui obitu ſimulato, per fraudes regnum occupaſſet, & aduerſus ſacro ſanctã poteſtatem, arma corripuiſ„ ſet, terroremq; intentaret. Nihil eſt, inquit, q; dari poſſit aut debeat bellum gerenti: erit for„ taſſe, q; concedi poſſit roganti & ſupplici. hoc Regi tuo renunciato: admonetoq; meis ver„ bis, ne cauſam ſuam, cum nefario homine miſceat. alioqui numinis vindictam, noſtramq;, „ qui eius vices in terris gerimus. indignationem vereatur. Ea res ancipitem ac ſuſpenſum tenuit Aragonii Regis animum. vicit tamen vtilitas honeſtatem: pactaq; nuptiarum Mom-
1262. pellerii in D. Mariæ omni lætitiæ ſignificatione & ludis celebrata, anno M. CC. LXII. Inde Barcinonem reditum. vbi menſis Auguſti die vigeſimo primo regnorum hæreditas ita inter filios eſt diuiſa. Catalaunia à promontorio Veneris, quod modo promontorium à Cruce nomen habet, Aragonia vniuerſa, & Valentia Petro attributæ. Iacobo, Ruſcinonenſes, Ceretani, Illiberis, Confluens, Valleſpira: earum modo vrbium nomine in Regis Aragonii verba iuraret: Catalauniæ legibus viuerent: nec monetæ cudendæ priuatim ius eſſet. Præterea Baleares Regis nomine datæ: atq; Mompellerium in Gallia. Hæc via duobus fratrib. pacandis excogitata à patre eſt: quoniam diſſidere de ſucceſſione, ac vero tumultuari cœperant. proceres in partes ſciſſi (quod rebus ſuis commodum fore iudicabant) nulla honeſtatis cura adoleſcentium animis faces ſubdebant.

Merini Africæ imperium occupant. CAP. XIIII.

DVM hęc in Hiſpania geruntur, noui à Mauris belli motus, atque grauiſſimi, & omnium quæ illata erant maximi impendere viſus eſt nouo in Africa imperio conſtituto: quod compreſſis Almohadibus, atq; ſublatis, Merinorum familia armis occupauit: & quaſi veteris gentis virtute, quę priorum ignauia Regum exoleſcere videbatur excitata, bellum in Hiſpaniam trãsferre cogitabat, in ſpem haud dubiam priſtinæ gloriæ atq; imperii, quod ferme extinctum erat, reſtaurandi. Etenim Mahomade cognomento Viridi ad Caſtulonenſem ſaltum Chriſtianis armis ſuperato, & deinde extincto die ſuo, Arraſius ex Buſſafo, qui ſuperſtite patre defunctus erat, eius nepos ſucceſſit. Quo tempore Almohades imperium Oceano Atlantico, & extrema Ægypto in Africa terminabant. Gomaranſa ex Abdalueſium Maurorum familia cum primis nobili & copioſa, noui Regis nomine Tremeſenii ad oram Mediterranei maris res gerebat, vrbi præfectus. Is ſiue Regis deſpectu, ſiue ſuarũ virium fiducia, palam hoſtilia moliri auſus in primis eſt. Arraſius ad eos motus cum copiis accurrens proditorie eſt interfectus. Nullæ grauiores inſidiæ, q̃ quæ in ſimulatione amicitiæ obtenduntur. Gomaranſæ propinquus arce egreſſus, quaſi Regi indicaturus arcana, cædis miniſter extitit, tantiq; patrator facinoris. Rege ſublato victi fuſiq; Mauri, qui eius auſpicia ſequebãtur, eruptione ex arce Tremeſeſſira facta, vbi proditor obſidebatur à Rege. qui ſuperfuerunt cladi, ad Phutenſes ſe locis finitimos ex fuga receperunt, atq; eã Africæ partẽ, cui Algarbio, hoc eſt terræ planæ, nomen eſt. His copiis Bucar Merinus Phutenſium Præfectus auctus, cupiduſq; heri vindicandi, armis correptis proditores nouo conflictu deleuit. & vt merces operi eſſet, neque alieno prouentu militaſſe videretur, Præfecti appellationem regia maieſtate mutare conſtituit: ſibiq; & poſteris, vt fecit, Africæ imperium vindicare. Ergo non vindicata proditio, ſed proditore commutato, Bucar Merinus noui in Africa imperii conditor effectus eſt. Almorcanda enim ex Almohadum gente in Arraſii locum Marrocii ſubſtitutus, quam Bucaro obuiam prouectus eſſet, ad Merquenoſam, q; oppidum vnius diei itinere ab vrbe Phutenſi abeſt, collatis ſignis ſuperatus eſt. Sic gemina ex vno facta Maurorum imperia in Africa extiterunt aliquandiu, Marrocium atq; Phutenſe. Bucaro, Hyaia filius ſucceſſit. Hyaia in tenera ætate defuncto, Iacobus Abeniuzephus pueri Regis patruus, regniq; procurator, magno vir ingenio, magnoq; rei militaris vſu, incredibili felicitate, familiæ & poſteris Marrocii atque totius ferme Africę imperium aſſeruit. Nulla natio hominum Africana mobilior: nullaq; imperia diu ſtare, aut quieſcere in ea gente poſſunt. Budebuſius ex Almohadum gente, magna potentia Maurus, Almorcandam ſibi ad Marrocii regnum prælatum dolens, nam defunctis Regibus non minus propinquitate iunctus erat, obtinendi imperii ſpem tentare conſtituit: & cum cætera pręſidia deeſſent, ad Iacobum Phutenſem Regem abiit: ſi vires contuliſſet, ampliores ditionis fines pollicitus, tractumque terrarum à Phutenſi agro ad Nadabum fluuium, pertinentem. Conditio reiicienda non erat: præſertim, cum ex Almohadum diſſidio ſpes ſeſe oſtentaret totius Africæ imperii obtinendi. id noui belli præmium proponebatur. Itaque copiis comparatis in hoſtem mota caſtra. Almorcanda nondum confirmato imperio viribus impar, Marrocio vrbe relicta regnũ æmulo reliquit. Is rerum potitus, pactis conuentis

quæ

quæ cum Iacobo erant, quamuis de ea re ſæpe appellatus ſtare noluit: & fere qui in periculo maxime ſupplices, rebus proſperis ingrati ſunt maxime. prorſus vt Budebuſius nouus Rex Phutenſem vrbem armis repetiturus videretur. Sic nouum bellum natum, geſtumq; eſt triennio: & violatæ fidei merces parata. hoſte atq; æmulo acie victo Marrocium Iacobus obtinuit. ſecundum eam victoriam, cum cætera prona eſſent, Rex totius Africæ euaſit, Tremeſenio atq; Tuneto demptis: quas in ea rerum perturbatione, ex Almohadũ gente reguli occuparunt: & factionis viribus, atq; ob locorum longinquitatem, tum ipſi tum eorum poſteri tutati ſunt, minuti quidem, ac veluti minorum gentium Reges. Vnde nunquam interciſa maiorum ſerie, Muleaſſem Tunetanum Regem recẽti memoria à ſuis pulſum, iure an iniuria non diſputo, ſed profugum tamen, & ſine lare, ſineq; præſidio vagantem, Carolus Auguſtus eo nomine quintus Hiſpaniæ armis in patrium regnum reſtituit (ea ſcilicet ſubiugandæ Africæ occaſio ſeſe dabat) Ariadeno Barbaroſa piratarum principe vrbe fugato: qui Solimani Turcarum Imperatoris beneficio & nomine, eam vrbem & regnum præſidiis occuparat.

Bellum Mauricum renaſcitur. Cap. XV.

HÆ inter Mauros familiæ Africam obtinebant. in Hiſpania Granatæ Rex erat Mahomad Alhamar, Murciæ Hudielis, quamuis imminuta multum imperii maieſtate, Alfonſi Caſtellę Regis vterq; beneficiarius. hi noſtrorum amicitię pertęſi, & ſpe Africani auxilii, pro eo q. Iacobi Marrocii Regis nomen in magna gloria eſſe cœperat, rebellandi conſilia inter ſe communicabant. paulo ante riuales hoſteſq; infenſiſſimi, nũc fœderati. Acres inimicitiæ ſæpe ſtudio nocendi aliis, beneuolentia mutantur. Communes iniurias, grauiſſima vectigalia, gentis calamitatem conqueruntur, ad ſupremas anguſtias, & Hiſpaniæ angulum redactos, paulo ante formidabiles & beatos. Inania penes ipſos & ſine honore Regum nomina eſſe. Miſerum, atq; intolerandũ, ab iis leges accipere, quibus antea dediſſent. Non quieturos Chriſtianos, donec religionis odio ex Hiſpania expuliſſent reliquias gentis Mauricæ. Obſoleuiſſe nimirum virtutis indolem, cum qua maiores venerãt: quando parta ab illis ſeruare, eorum poſteri non potuiſſent. Merinorum familiam, recens in Africa excitatam, videri commodum, eam in Hiſpaniam attrahere. rebus inclinatis, & perditis, aut in eo, aut nullibi fore pręſidium. Hęc clam, & per nuncios: ne ſi res prodita eſſet, viribus nondum firmatis in perniciem verteretur. Alfonſus ſiue eius conſilii & molitionis non ignarus, ſiue ſtudio gentis Mauricæ extirpandæ, dies noctesque de bello Maurico inſtaurando agitabat. ſpecies erat, vrbes & arces, quæ in Bætica parere recuſabant ad imperium adiungendi. In eam remà Pontifice Maximo Alexandro quarto, peccatorum condonatione inuitati ſunt, quicunq; cruce inſigni deſumpta ad id bellum proficiſcerẽtur. vicini Reges de ferenda ope appellati, ac nominatim ab Aragonio, cum quo maior neceſſitudo erat, per legatos poſtulatum, ſuos vt concederet arma ſumere: & Alfonſi generi conatus iuuare. Sic enim paulo ante in Soriano fœdere pactum, atq; ſancitum fuiſſe cõſtabat. Aragonius neq; præciſe negauit, neq; abſolute conceſſit: ſed eos tantummodo excepit, qui prædiis vel militaribus ſtipendiis ſibi obſtricti eſſent. Horum ſubditos, alioſq; ex promiſcua plebe, quin arma ſumerent, nihil vetare. Nimirum callidus ſenex ne proceres quorum voluntati non ſatis fidebat, aduerſus ſe externa auxilia compararent prouidẽdum iudicabat. Alfonſi animus ſoceri reſponſo vehementer perculſus eſt, prorſus vt omiſſo Maurico bello vires in Aragoniam conuertere cogitaret. vicit tamen publicæ vtilitatis reſpectus: atq; quas ex Soriano fœdere arces tanquam fidei obſides tradere Alfonſus erat pactus, & hactenus dilatum erat: de ea re appellatus, Cerueram, Agredam, Aquilariam, Arnedum, Autolium, Alfonſo Lupo Haro quaſi ſequeſtro cõtradidit, ea fide exoluto, vti opus erat, qua Caſtellę Regibus erat obſtrictus. Dum his altercationibus agendi opportunitas elabitur, Mauri & ſua ſponte incitati, neq; ignari quorſum tantæ molitiones ſpectarent, in Conteſtanis Murciæ arcem occupant, aliaq; oppida, quæ eo tractu noſtrorum pręſidiis obtinebantur. Hiſpalenſes Mauros ſubornant, vt ex inſidiis aut impetu in regiam facto Regem obtruncent. Eo conatu diſturbato (diui indigetes Hiſpaniæ tantum nefas arcuere) contractis alia parte copiis in noſtros fines inuadunt. Cæſarianum, Arcobriga, Begiar, Aſſidonia, Rota, atq; q. municipium à Lucifero nomen habet, in hoſtium poteſtatẽ redacta. In eo bello Garſias Gometius Cæſarianæ arcis Præfectus magnam virtutis & fidei laudem tulit. præſidiariis omnib. militibus aut amiſſis aut vulneratis, arcem nihilominus dedere recuſauit: neq; ad vllã conditionem quamuis rebus deſperatis, deduci potuit: virum eximium atq; pręſtãtem. Omnino Mauri tantam in hoſte virtutem admirati, ſaluumq; cupientes in exitium deſtinata voluntate ruentem, vnco ferreo attractum, atq; in poteſtatem redactum, curandis vulnerib. magna diligentia atq; humanitate conſeruarunt. Alfonſus, qui in Citeriorem Hiſpaniam

abierat bello reparando intentus, ad eos motus proximo anno cum copiis accurrẽs, in iti-
nere non procul Alarci ruinis, pago (cui Puteolo S. Egidii nomen erat, in Oretanis ab Ana
flumine tribus paſſuum millibus, eximia regionis bonitate) amplificato propter loci com-
moditatem iuſtum municipium conſtituit Villæ regiæ nomine: q. deinde nomen Ioannis
II. Caſtellæ Regis beneficio Ciuitatis regiæ appellatione mutatũ eſt. Prouidebat nimirum
Rex, vt quoniam in confinibus Bæticę ſitum eſt, ad arcendas barbarorum incurſiones, ex-
curſioneſq; in Bæticam faciendas, firmiſſimi inſtar propugnaculi eſſet. Ex eo loco in fines
Maurorum penetratum eſt: cũctaq; circum oppida & agri hoſti infenſa reddita; ac præſer-
1263. tim ſalutis anno M.CC.LXIII. Mauri locis omnib. male mulctati. Quo anno voluntarii mi-
lites magno numero cõfluxerant vectigalis immunitate inuitati, q. Martiniega dicebatur,
ea lege, vt cum armis & equo ſingulis annis trium menſium ſpacio ſuo ſumptu regia caſtra
ſequerentur. Reges Mauri tantæ noſtrorũ conſternationi tantiſq; molitionib. veriti vt pa-
res eſſe poſſent, q. antea fecerant, diligentius Marrocium Regem ad belli ſocietatẽ denuo
ſolicitarunt: quanto in periculo res eſſent, ni maturè occurreretur, per legatos explicãtes.
Miſſi mille leuis armaturæ equites ex Africa, rẽ Mauricam ſeceſſione facta amplius turba-
re viſi ſunt. Cæſarianum aliaq; oppida, quæ paulo ante amiſſa erant, in Alfonſi poteſtatem
omnia rediere. Mneſtęi portui, cui hodie à S. Maria nomen eſt, oppidum adiunctum vete-
1264. rib. ædificiis inſtauratis. His rebus perfectis ſalutis anno M.CC.LXIIII. Hiſpalim itum. co-
piæ quoniã hyems appetebat, pars in hiberna dimiſſę pars miſſione impetrata domum fre-
quentes iuerunt. Inter hæc fama, quæ omnia in maius auget, & magnis rumorib. affereba-
tur, hoſtes ex Africa non iam auxilia ſed iuſtum exercitum euocare, belli cura q. à noſtris
inferebatur, & ſpe non dubia veteris imperii reſtituẽdi in Hiſpania. Caſtellanos & Arago-
nios, qui proximi erãt periculo, primiq; Maurorum impetũ excepturi erant, ii rumores ve-
hementer perculerũt. prior Alfonſus de belli ſumma ſolicitus Iacobum Regẽ Aragoniũ, vt
vires cõferret ſolicitare cõſtituit, Commune vtriuſq; periculũ eſſe. vtriuſq; nationis caput
eas copias petere. debere eũ, ſi minus ꝓpinquitate & neceſſitudine moueatur, rei Chriſtia-
næ periculo ad arma incitari. Petrus Iuanius Calatrauę Magiſter his de rebus ad Iacobũ le-
gatus, Cęſarauguſtæ Nonis Martii ſui Regis mãdata explicuit. additæ Violantis Reginę lit-
terę quibus à patre omnib. precib. vt opẽ ferret reipublicæ, ſibi & nepotib. poſtulabat. Erat
Iacobo glorioſum à tãto Rege de ineunda ſocietate priorẽ eſſe appellatũ. verum quietę res
nõ erant. filii nondũ ſatis pacati inter ſe diſſidebant, regniq; proceres & plebẽ in factiones
diducebant: vnde latrocinia & ſcelerũ omnium licentia tanta, quanta vniuerſæ montanæ
Aragoniæ ciuitates cõpulit, hetęrias inter ſe cõſtituere, inire ſocietates: legib. conſtringere
nouis atq; ſeueris ſceleratorũ hominum audaciã, ac præſertim ſuppliciorũ magnitudine.
nã minori cõmiſſo delicto omnib. tormentis necabantur: leuiora ob peccata fuſtuario aut
alia ignominia pœnas ipſi dabãt: & magnitudine pœnæ reliquis documento erant, vt à ſce-
lere abſtinerent. Procerum præterea volũtates à Rege erant alienatæ honores & magiſtra-
tus externis aut obſcuris hominib. demandari cõquerebantur: leges patrias inuerti: & qui
earũ cuſtos erat, Iuſtitiæ Præfecti auctoritatẽ imminui. vectigalib. non modo plebẽ, ſed in-
genuos etiã & immunes homines opprimi. mortẽ ſubeundam potius, q̃ iura libertatis pa-
terẽtur euerti. Hę cõmunes querelæ erant. quemq; præterea, vti erat affectus animo priua-
tim ſuus dolor vrebat. Itaq; cũ Barcinone Rex pecuniæ redigẽdæ cauſa, Bouaticũ concedi
in cõuentu petiiſſet, Raymundus Folchius Vicecomes, Cardonę interceſſit, obſtinato ani-
mo, niſi Rex mutaret atq; ab iis iniuriis abſtineret, affirmans ſed haudquaq̃ quieturũ. Neq;
deſtitiſſet, niſi alii ꝓceres docuiſſent, q̃ alieno tempore turbas concitaret. præſtare tãtiſper
differre, ne agendi occaſio elaberetur. Catalaunorũ exemplo Aragonii gẽs in tuenda liber-
tate conſtantior. prouocandi erant. Cęſarauguſtæ ea de cauſa conuentus habiti. ibi magna
pars procerũ regiæ voluntati reſtiterunt. Fernandus Sanctius Regis filius, & Simon Vrrea
eius ſocer, ſe duces cõſternatis præbuerũt: atq; ſeceſſione facta Alauonę fœdus inter ſe ad-
uerſus Regis potentiã iunxerũt. Res ad arma ſpectare videbatur. actũ tamen annitentibus
viris ſanctis, vt iure poti⁹ ageretur. neq; Rex ſiue ex animo ſiue ſimulate recuſabat emẽdare,
in quib. eatenus peccatũ eſſet: haud ignarus, multitudinis impetus inſtar torrẽtis eſſe, violẽ-
tos quidẽ, haud diuturnos tamẽ. Factis induciis iudices in cõtrouerſia dati, Epiſc. Oſcenſis
& Cæſarauguſtanus quorũ prudentia non magis cõtrouerſia ſedata, q̃ Regis calliditate, o-
mnia ferme pollicẽtis ſeſe præſtiturũ pro quibus proceres tumultuabãtur. Tumultu ſeda-
1265. to, copiiſq; cõparatis, ad bellũ itum eſt ſalutis anno M. CC. LXV. Alfonſus cũ ſuis copiis Gra-
natenſes fines irrupit. Iacobus Murcię Regẽ ſibi impugnandum deſumpſit omnia fuere o-
pinione faciliora: nullã enim paulo inſigniorem manum ex Africa veniſſe inuenio: qua de
cauſa incertũ, niſi q. Mauri ſocii dubii ſunt, atq; ſuſpenſæ ex fortuna fidei. Iacobus Rex per.
Valenti-

Valentinum tractum in Caſtellæ fines inuectus, Villenam Mauris abſtulit: Emanueliq; Alfonſi Caſtellæ Regis fratri reſtituit genero ſuo. erat enim Conſtantia Iacobi filia Emanueli iuncta. deinde Elda, Orcelis, Illicitani ſub iugum miſſi, multaq; alia eo tractu oppida hoſtibus detracta, pars vi, deditione pleraq;. Ad hæc Stabero flumine tranſmiſſo, cõmeatus interceptus, qui duobus millibus iumentis cum iuſto præſidio militari Murciam deferebatur. Interea Alfonſus Rex Granatenſes impugnare, omniaq; circum infeſta reddere nõ deſiebat. prorſus vt de veteri fœdere inſtaurando noſtros appellarent. Reges Iacobus & Alfonſus, vt de belli ſumma coram deliberarent, ex compoſito Alcaraſſum propter loci commoditatem ad colloquium venerunt. affuit Regina Violantes. ex colloquio ad arma diſceſſum. Aragoniæ copiæ, vt erant à rebus omnibus paratæ, Orceli Murciam promotæ menſe Ianuario, anno M.CC.LXVI. Eſt ea vrbs in plano quidem ſita, amœniſſima regione, q̃ Stabe\[r\]us amnis interfluit, & diductis riuis tum agros, tum vrbem irriguam facit. malis citreis cõ\[ſi\]ta quidem eſt. ſed noſtra ætate bombycis præcipuus prouentus. & tunc multis munimẽ\[ti\]s ſepta. neq; amœnitate potius, quam vſui belli conſultum erat, validoq; inſtructa militari pręſidio: vnde minus terroris ab hoſte erat, noſtris ſuſpicio, ne obſidio in longum tempus duceretur. Aliquot leuia prælia erumpentibus Mauris initio fuere, noſtris ſemper proſpera. neq; diu fuit, cum Mauri & Aragonii Regis dexteritate illecti, & ſpe ipſi defenſionis abiecta vrbem dediderunt. Inter Alfonſum Regem, & Granatenſes colloquio ad Alcalam Benſaydam inter eos habito, fœdus interea in has leges ictum eſt: Granatẽſis Rex a fœdere Hudielis abſcedito. Ducenta quinquaginta nummorum millia quotannis pendito, vt antea ſolitus erat. Contra, Guidixenſis, & Malacitanus reguli ab Alfonſo deſerunto. Iis nihilominus annuę induciæ à Mauro dantor. Regi Murcię ſi in poteſtatem veniſſet, vita donator. Fœdere conſtituto Alfonſus Murciæ vrbis cernendæ ſtudio, cũ Iacobus rebus confectis in patriam diſceſſiſſet, eo ſe citato proripuit. ad S. Stephani oppidum Hudielis Murciæ Rex obuiam factus, atq; ad Alfonſi pedes procumbens, fidem eius non virtute magis, quam clementia, & liberalitate præcipuam implorans, ſe errore lapſum, ſe amentia præcipitem, miſereretur ſupplicis atq; tantis malis domiti: ita receptus eſt, vt regio nomine abſtineret, iis agris contentus, qui ad ſuſtentandã vitam dati ſunt, Regis nomen Mahomadi datum, eius Abenhuti fratri, quem ad Almeriam interfectum fuiſſe, ſuperius dictum eſt: atq; tertia tantum vectigalium parte retenta, reliqua in Caſtellæ fiſcum inferre mandatum. Is huius belli, vnde tantum terroris extiterat, finis fuit.

Auguſta venit in Hiſpaniam. CAP. XVI.

QVo tempore Bætici & Conteſtani bello Maurico æſtuabãt, in reliqua Hiſpania tranquillitas erat, aut modice laceſſita pax: res miraculo proxima in tanta principatuum multitudine, tantaq; procerum & populi libertate. Gonſaluus Iuanius Bazanius principi \[l\]oco inter Vaſcones, cum nuncium patriæ per publicas tabulas remiſiſſet, more iis temporib vſitato, in finibus Aragoniæ annuẽte Iacobo Rege extructa arce Boeta, inde finitimos Vaſconum agros vexabat. Moleſtiam ex iis rebus conceptam, ingenti populi lætitia mutauit ſpinei diadematis, q̃ Chriſti capiti fuerat impoſitum, pars non exigua in templi maximi Pompelonenſis theſauros illata donum Ludouici Regis Sancti, cui Balduinus Conſtantinopolitanus Auguſtus ſeneſcente iam Francorum in ea vrbe potẽtia, & in magna pecuniæ difficultate id pignus accepti ſubſidij eſſe voluit, magna apud populares inuidia: q̃ res ſua ſãctitate eatenus intactas loco mouere nõ dubitaſſet. Magna id ſertũ religione noſtra etiã ætate viſitur Lutetiæ, in regio Francorum ſacello. Hæc in Hiſpania. Ex Italia autem afferebatur anno ſuperiori Francorum armis Manfredum Regem regno vitaq; ſpoliatum, Carolumq; Ludouici Regis fratrem in eius locum ſubrogatum: quem Vrbanus prius, deinde Clemens, eo nomine quartus Romani Pontifices ea ſpe in Italiam euocarant, regiiſque inſignibus aduenientem Romæ exornandum curarant. Ad Beneuẽtum acie dimicatum: vnoq; & facili prælio Nortmannorum opes tot annos florentes conciderunt. Quadraginta mille aureos vt nouus Rex penderet quotannis Romanæ eccleſiæ, mandatum eſt: atque ab imperii nomine abſtineret, quamuis vltro eſſet delatum. Manfredi calamitate Iacobus, perinde vt æquum erat commotus animo, vix peracto Murciano Bello, in extremam Catalauniam abiit: ſi quo modo Nortmannorum reliquiis opitulari poſſet, regnumq; ad ſe attrahere iure affinitatis cum Manfredo initæ ſuum. Alfonſus Caſtellæ Rex interea Murcię rebus componendis, nouis coloniis deducendis, extruendiſq; tota ditione arcibus pręſidii cauſa erat intentus. Idonea è Caſtella multitudo tot vrbibus & oppidis incolendis nõ ſuppetebat. Catalauni in ea loca magno numero euocati ſunt. Neq; deſiſtebat Guidixenſes & Malacitanos contra leges fœderis occulte ſubleuare. Quod vt expoſtularet, præſenſq; cõquereretur fœdus ab Alfonſo violatum, Rex Granatæ Murciam venit: & reſpõſo accepto

haud ſatis æquo amplius alienatus diſceſſit. quam occaſionem nonnulli proceres arripientes Alfonſo pridem infenſi, cum Mauro clam collocuti, ipſum ad bellum capeſſendum incitarunt. conſilii princeps Nunnius Gonſaluus Lara magno vir ingenio, magniſque opibus & clientelis. Nunnium patrem Ioannemq; fratrem multis abs Rege iniuriis violatos obtendebatur: vnde nouorum motuum materia parata, cum pacem diuturnam ſibi Rex polliceretur, & venturi ſecurus Villam regiam abiiſſet, vt ſurgentis magnis operibus oppidi moles & elegantiam præſens videret. Inde in Galliam miſſi legati, anno M.CC.LXVI.
1267. ad Ludouicum Regem Sanctum, filiam expetitum, cui Blancæ nomen, in Ferdinandi filii coniugium. Ipſe Victoriam conceſſit: quo cum mutui colloquii cauſa Rex Angliæ per legatos reuocarat, venturum ſe quam primum promittens, vt de rebus magnis coram ſtatuerent. Is, qua de cauſa incertum, ſed veniendi tamen aut facultatem, aut voluntatem non habuit. Eduardus filius maior miſſus eſt. quo iam tempore ſe Burgos Alfonſus retulerat. & coniunctis ferme diebus Conſtantinopolitana Auguſta domo profuga, imperioque pulſa ad Regem venit. Balduinus eius vir, & Iuſtinianus Patriarcha Michaelis Palæologi armis Græcia pulſi à Sultano Ægypti intercepti in fuga erant, ſcilicet vxor Auguſta de viri liberatione ſolicita, argenti pondo viginti millia redemptionis pretium pacta, Romanum Pontificem & Regem Galliæ adiuerat. poſtremo Burgos appulſa, anno huius ſeculi ſexageſimo octauo, cum tertiam tantum pretii partem abs Rege peteret, integrum argẽti pondus accepit, inſigni potius atq; ambitioſa, quam prudenti liberalitate, in tanta ærarii difficultate. proceres id præcipue in Alfonſi actionibus accuſabant: quod ſubſidia reipublicæ inani laudis ſtudio prodegiſſet. & commotis ſemel animis ſiniſtre accipiuntur, etiam quæ recte facta ſunt. Huius narrationis quidam ſcriptores fidem eleuant: negantq; Balduinum à Sultano Ægypti captum. Noſtrarum nobis hiſtoriarum conſentiens auctoritas potior fuit: tametſi non ignoramus pleraque ſæpe ſupra verum famæ prædicatione augeri. Illud fertur, Sanctium Archipræſulem Toletanum hoc anno defunctum. alii quarto anno ante putant, argumento diplomatis Calatrauæ militibus publice dati Era milleſima trecenteſima ſecunda, die Octobris ſeptimodecimo: vnde Toletanam eccleſiam rectore vacuam confirmant: conueniuntque, niſi ſint numeri vitiati. In eius certe locum Iacobi Aragonii Regis filium Sanctium nomine ſubſtitutum, quæſtionis non eſt: veniſſeque Toletum per hæc tempora, vt mox erit explicandum.

Iacobus Aragoniæ Rex Toletum venit. CAP. XVII.

PER idem tempus res Italiæ in maximo motu erant, Corradino Sueuo paterna regna armis aduerſus Pontificum interdicta repetente Fridericus Auſtriæ Dux, Henricus Caſtellæ Regis frater Roma, vbi Prætor erat (generis id nobilitati potius quam meritis propriis datum erat) Gibellini tota Italia exciti Corradinum ſecuti ſunt. In Marſis ad Fucinum lacum Carolo nouo Rege obuiam facto collata ſigna. vicere Franci, arte magis quam vera virtute. Fridericus & Henricus in acie capti: Corradinus in fuga. de Corradino & Friderico dicta cauſſa ſupplicium eſt ſumptum: nouo & crudeli exemplo, tãtos viros quibus anceps prælii fortuna pepercerat, poſt pugnam in iudicio capite pœnas dare. Aragonia interea leui motu agitabatur, Gerardo Cabrera de Vrgeliæ comitatu contendente, cum Aluari fratris nuper defuncti filios nothos eſſe accuſaret. puerorum imbecillitatem Raymundus Folchius eorum auunculus aliique viri Principes commiſeratione ætatis, aut alia neceſſitudine deuincti, tuendam ſuſceperunt. Iacobus Gerardi cauſſam probare viſus eſt, iura ſua in Regem ipſum transferentis, nam viribus diffidebat. Rex Granatenſis Guidixenſes & Malacitanos impugnare pergebat, tum iure ſuo, tum beneficio fœderis nuper cũ Alfonſo icti: cui quod hoſtes clam ſubleuaret, barbarus infenſus erat. Nunnius Lara & Lupus Harus Regi ſuo irati faces ſubdebant Mauro, polliciti ſi bellum inſtauraret, ſeſe palam ad eum tranſituros, multoſq; alios proceres à Rege penitus alienatos. Hæc rumoribus & fama, quam nihil rei magnæ fugit, iactabantur. teſtibus comprobari non poterant. Re ergo neceſſaria compulſus Rex in Bæticam abiit. Itaq; inuenio Hiſpali hoc anno, tertio Kalend. Auguſti litteras abs Rege datas, quibus Vergaram Guipuſcoæ oppidum ad Deuam fluuium amplificatum, veteri Sancti Petri Ariznoæ appellatione mutata, municipii iure donauit. Bæticæ rebus vtcunq; compoſitis, adulta iam hyeme, retro referre pedem compulſus eſt, vt Iacobum Regem venientem exciperet quem Sanctii filii preces Toletum vt veniret adegerant: vt quoniam ipſis diebus quibus Chriſti Dei natalis memoria recurrit, ſacris primum operari parabat, publicę lætitię intereſſet. ad Hortęcœnobium Alfonſus proceſſit: ſocerumq; honoris cauſa in vrbem deduxit. vbi die dicta Sanctius diuina hoſtia ſolenni

lenni ſacrificauit ritu. Rex vterq;, Regina ſoror, Ferdinandus Princeps celebrantem cohoneſtarunt. dies octo Toleti conſumpti. neq; amplius Aragonius Rex detineri potuit: cum belli Hieroſolymitani quam primum ſuſcipiendi ſtudio arderet extrema ætate ſenex, neq; ſibi parcens, neq; domeſtica negotia quibus erat implicitus multis & magnis, curans præ ſtudio nominis Chriſtiani amplificandi, veteremq; gentis gloriam, quæ obſcurata eſſe videbatur, in Syria illuſtrandi. vir magnus, dignuſq; cui melior in eo fortuna contigiſſet.

Aragonius ad bellum ſacrum profectus. CAP. XVIII.

AD extremum malorum ventum erat in Syria, regnumque maiorum virtute conſtitutum, noſtrorum ignauia & ceſſatione collapſum erat: dum Principes ferrum inter ſe ſtringunt, commoda publica religionis dedecus priuatis cupiditatibus poſthabent. Virtutis indoles, qua res tantæ perfectæ erant, conſenuerat, rerum humanarum inconſtantia: & quoniam toties irrito conatu Principum, qui re Chriſtiana ſubleuanda eo cateruatim mari terraq; ſæpe cõmigrarunt, ſuperioribus annis id bellum erat tentatum. Noua nunc ſe occaſio melioris fortunæ oſtentabat: quæ vno ferme tempore Hiſpaniam, Angliam & Galliam ad arma repetenda exciuit. Tartari ex ea Scythiæ parte profecti, vt quidam diſputant, vbi olim Tractaros Plinius collocauit, cum Armeniis ſocietate armorum iuncta, eam Syriç partem, quam Sarraceni obtinebant, armis inuaſerant: magna primum apud noſtros ſpe priſtinarum opum recuperandarũ, euentu deinde nullo. Fuerant ab Innocentio quarto, quo tempore Lugduni generales cõuentus agitabat, cõcionatores quatuor è ſacro Dominici ordine, cuius ea tempeſtate celebris fama erat, ad Tartaros amandati: ſi gens horrido cultu, bello dedita, nulla aut præpoſtera religione, imbui poſſet Chriſtiana. vſque eo ea diligentia profectum, vt barbari mitiores effecti nobis præ cæteris bene vellent. Rex eorum, quem Chamum vulgo vocabant, hoc eſt Regem Regum, Europæ Principes miſſis circunquaq; legatis ad arma capeſſenda excitare non deſiſtebat, propemodum conuitiis: cum Chriſtiani nominis gloriam negligere viderentur. Id ſuperioribus annis factitatum eſt, neq; conſequentibus intermiſſum. hoc autem tempore maiori conatu, ac nominatim ad Aragonium Regem cum Alarico ciue Perpiniano, quem Rex antea alia legatione prouocatus ad Tartaros miſerat, noui legati venerunt, ſui Regis nomine omnia pollicentes, ſi quidem arma induere vireſq; conferre induceret in animum. & legati quidem Barcinone ſubſtiterunt: Alaricus autem Toletum progreſſus, in conuentu Principum viſa a ſe & totius legationis ſummam explicuit. Ea oratione Principum qui aderant animi non vno modo affecti ſunt. Iacobus ad bellum incitatus eſt, id ætatis homo: Alfonſus gener, & Regina, Grecorum dubiam fidem, Tartarorum immanitatem excuſantes omnibus precibus, quibus lacrymç addebantur, à bello deterrere conati ſunt. vicit tamen Iacobi cõſtantia, cum negaret pace domi parta fas eſſe otio ſe dare: aut vitæ paulo poſt interituræ parcere, in tanto diſcrimine nominis Chriſtiani. Alfonſus, quoniam ita deliberatum erat, centum aureorum millia in belli ſumptus promiſit. proceres Caſtellæ nonnulli, in his Magiſter militiæ diui Iacobi, & promagiſter Hoſpitalis Gonſaluus Pereira, ſe comites obtulerunt. Valentiam itum: vbi Tartarorum legatos Rex audiuit. præterea à Palæologo Imperatore legatum alium, commeatum ſi proficiſceretur, affatim pollicentem. Barcinone valida claſſis comparabatur, milite & rebus omnibus inſtructa. Priuſquam proficiſceretur, Violantis filiæ rogatu inde Hortam cœnobium repetiit, filiiſque & nepotibus valedicto, neque preces admittens quibus ab incepto deterrebatur, ad claſſem rediit: in qua triginta onerariæ naues, & aliquot præterea triremes erant, pridie Nonas Septembris die Mercurii anno M. CC. LXIX. votis rite nuncupatis è littore ſoluit, incommodo ſane anni tempore, atque procellis obnoxio. Itaq; cum triduo in Balearem minorem peruentum eſſet, priuſquam portum tenere potuiſſent, fœda ventorum tempeſtate diſiecti, alia alii littora tenuerunt. Rex ad Aquas Sextias appulſum vento reflante in Agathenſem ſinum reiectus eſt. nonnullæ naues, quæ curſum tenere potuerunt, ad Acrem Paleſtinæ oppidum nauigatione peruenerunt. in his Ferdinandi Sanctii naues Regis filii. Rex ſuorum cohortationibus fractus Mompellerii ſe ex maris iactatione paucos dies refecit, atq; propoſiti pertæſus, cui ſuper aduerſari videbantur rebus humanis irati, tametſi talium contemptor vt fortuitorum, in Catalauniam rediit nullo maiori operæpretio. In Caſtella Alfonſus Rex Lugrunium vſq; proceſſerat, comitante Eduardo Regis Angliæ filio, nurui obuiam: quæ pactis nuptiis in Gallia, ad ſponſum per fines Vaſconum veniebat. nuptiæ Burgis celebratæ, apparatu poſt memoriam hominũ maximo & celeberrimo. Iacobus Aragonius Rex ſponſi auus, Alfonſi Regis inuitatu & Petr' Iacobi maior filius interfuere. Eduardus Anglicanæ iuuẽtutis Princeps, Rex Granatæ, Alfonſus ipſe Rex eiuſq; fratres & filii, atque patruus Alfonſus Molinæ

regulus. ex Italia, Galliaque atque Hiſpania plerię; proceres conuenerunt. In his Guillelmus Montis Ferrati Marchio. His nuptiis illud prouidebatur, vt Ludouicus Rex ſuo & filiorum nomine iure decederet: quod in Caſtellæ regnum obtinere credebatur, Blancæ filius, quæ Henrici Regis ſoror fuerat natu maxima. ſolenni peracto Iacobum ſocerum Alfonſus officii cauſa Turiaſonem vſque deduxit.

Ludouicus Rex Galliæ deceſſit. CAPVT XIX.

ANGLI Franciq; ſuſcepta ſacra expeditione, aliquanto longius in opere quam Aragonii proceſſere, ſed nihilo tamen meliori exitu: niſi quod fœdere inter vtranq; gentem ea de cauſa facto, Lutetiæ in frequenti Principum conuentu veteres controuerſiæ ſublatæ ſunt. is fructus vel maximus tantarum molitionum fuit. fineſq; vtriuſque ditionis in Gallia inter Francos & Anglos communi conſenſu deſcripti: ea potiſſimum lege, vt dum Rex Sanctus Tunetum oppugnaret, quo hortatu Caroli fratris ire contendebat, Afros Italiæ ſemper infeſtos, Siciliæ & Prouinciæ Phocæenſi formidabiles diſputantis, primum euertendos eſſe: Anglus claſſe comparata Syriam perdomaret. Eduardus Anglicæ iuuentutis Princeps vt conuenerat, Hiſpaniæ atq; Italiæ littora cum valida claſſe legens, ad Ptolemaidem copias expoſuit, in ipſis initiis à ſupremo vitæ periculo numinis ope ſeruatus. in cubiculo enim percuſſor eum adortus, vnum atq; alterum vulnus inflixit. Inſidiator in veſtigio trucidatus eſt. ſceleris præcipuus auctor ne tum quidem cognoſci potuit. Aſſaſſines gẽtem in pericula promptam fama tenuit. Rex Sanctus cum tribus filiis Kalen. Martii ſalutis anno
1270. M.CC.LXX. Maſſilia ſoluit. Theobaldus Vaſconum Rex Henrico fratre ad regni procurationem relicto, religionis promouendæ, virtutiſq; oſtentandæ cupidus, Regem ſocerum comitatus eſt. Immite & turbidum cœlum nauigantibus fuit. Tunetum appulſa claſſe oppugnari cœpta. acie victi ſemel atq; iterum barbari, cum vrbe ſe continerent ad ſextũ menſem obſidio tenuit. quo tempore maligni ſideris vi exorta peſtis multos conſumpſit. in his Ioannes Ludouici Regis filius prior aliquanto, ipſeq; Rex ad octauum Kalen. Septembris profluuio deceſſit. Cum inſigni ignominia diſceſſum ex Africa eſſet, vſque adeo vires noſtrorum & animi conciderant, ni Caroli Siciliæ Regis ſuperuentu confirmati eſſent. Cum barbaris ea lege fœdus ictum eſt, vt quadraginta millia aureorum Carolo ipſi & poſteris quotannis penderet: ex quanto tributo Siculus Romanæ eccleſiæ erat obnoxius. Drepani in extrema Sicilia, quo ſe ex Africa contulerunt, Theobaldus Rex ad quintum Decembris diem obiit. ea neceſſitas belli ſacri omittendi, quod toties infeliciter erat tentatum, & patriæ repetendæ fuit. Ludouici Regis viſcera ad Montem regalem in Sicilia, corpus in D. Dionyſii prope Lutetiam ſepultum. Theobaldi Regis corpus odoribus differtum Peruini Campaniæ vrbe in Gallia, in maiorum ſepulchra illatum eſt. vxor Eliſabetha conſequenti anno Aprilis 27. die, 5. Kalend. Maii. Hieræ in prouincia Phocæenſi defuncta eſt: corpus in Barra monaſterio compoſitum. inferiæ ex Chriſtiano ritu omnibus magnifice factæ. Ad Caſtellam reuertamur.

Procerum in Alfonſum Regem coniuratio. CAP. XX.

ALFONSI Regis animus vno tempore multiplici cura ſuſpenſus erat. ardebat in primis cupiditate Germanici imperii cernendi, ad q; multorum litteris, & cõuitio propemodum erat euocatus. regni proceres erant animis alienati. nocebant aſperi mores, & nimia ſeueritas, cui aſſueti non erant. præterea rumor afferebatur, bellum ex Africa inſtare: maiorią; q̃ vnquam apparatu copias comparari: tametſi Petrus Martinius maris Præfectus, (Almirantum vocant) Gaditanos Mauros inopinantes oppreſſerat anno ſuperiori. vrbem, & inſulam præſidiis obtinere difficile erat. itaq; Marrocio Regi relicta, in cuius ditione antea fuerat. ea barbari promerendi occaſio quæſita eſt ſcilicet. Ab Alfonſo Luſitano Rege, Dionyſius filius octo natus annos ad auum Caſtellæ Regem amandatus eſt, vt regno Luſitano immunitatem impetraret. Actum de ea re in Principum conuentu: & cæteris aut tacentibus, aut etiam conniuentibus, cum Regum voluntati repugnare tutum non ſit, Nunnius Gonſaluus Lara coniurationis princeps refragari eſt auſus. negabat regni maieſtatem quouis prætextu, multo minus in pueri gratiam imminui æquum videri. Vicit in concilio Regis ſententia, vt Luſitania immunis eſſet: & Nunnii tamen libertas in Regis animum altius deſcendit, q̃ quiſquam exiſtimaret: & ad alias offenſiones adiũcta effecit, vt Nunnius, Harus, & Philippus Regis frater exitialia conſilia reipublicæ Regiq; agitare non dubitarẽt: & quoniam viribus non ſatis fidebant, externa præſidia comparanda decernerent. Itaque dum in bello ſacro Theobaldus diſtrictus erat, à Philippo Henricus Vaſconum procurator, coram de iungendo cum iis proceribus fœdere appellatus eſt. Cautior ille, ne belli grauiſſimi molem ad ſe attraheret, fratris abſentiam excuſauit. proceres ea ſpe depulſi Reges alios Luſitanum, Granatenſem, ipſumq; adeo Marrocium Imperatorẽ per litteras, vt vires iunge-

iungerent, bellumq; Caſtellæ inferrent, ſolicitarunt cæco impetu in vindictam præcipites. Erat Alfonſo ſublime ingenium, ſed incautum ſuperbæ aures, lingua petulans, litteris potius, q̃ ciuilibus artibus inſtructus: dumq; cœlum conſiderat, obſeruatq; aſtra, terrã amiſit. Is re prodita indicio Ferdinandi Pereſii, quem coniurati in partes attrahere conati erant, concuſſa mente, ac periculi magnitudinem tandem conſiderans, ad eos motus pacandos ſeſe totum conuertit. Murciaq; vbi tunc agebat ad proceres, qui Palentiæ conuentus agitabant in noui belli curam intenti, Henricum Aranam legat, ſi quomodo poſſent agendi dexteritate ab ea mente deduci. ipſe & Regina vxor Valentiam profecti cũ Iacobo Rege de rebus omnib. conſilia communicarunt. Iacobus vt erat à multo vſu callidus, quo tempore ad Ferdinandi nuptias Burgos venerat, prouiſa, quæ imminebat, tempeſtate ex alienatione Principum, Alfonſum grauiſſimis verbis caſtigarat: dederatq; præcepta. Vt a ſubditis amari, q̃ timeri mallet. Reipublicæ ſalutem in ciuium beneuolentia eſſe: exitium in odio. Omnes regni ordines ſibi conciliare, fore ſalutare: ſi minus id poſſet Præſules & plebẽ in primis complecteretur, quos procerũ inſolentiæ opponeret. De nullo occulte ſupplicium ſumeret, formidinis indicio maieſtatis dedecore. Qui enim in alteram partẽ decernit, inaudita cauſa, ius licet decernat, iniuriam tamen facit. Hæc ferme vitia in Alfonſo culpabantur: quæ ſi opportune euulſa eſſent, magnis calamitatibus reſpublica fuiſſet liberata. eo Regum colloquio nihil præterea rei magnæ geſtum eſt. rurſuſq; Alfonſus ad Regem ſocerum Alicantem proficiſci vertente anno neceſſe habuit, obteſtatum vt Aragonios proceres in officio contineret, ne cum rebellib. vt facere parabant, fœdus iungerẽt: & quoniã Granatenſis Guidixenſes, & Malacitanos bello vexare pergebat, vtris opitulari ęquius foret conſilium daret. Cenſuit Iacobus veteri fœdere ſtandum, neq; vltro Granatenſes illato bello irritandos videri. Aranæ legatione nihil profectum eſt: & Rex Granatæ procerũ impulſu, violato fœdere prior in fines Chriſtianorum irrupit, finitimos agros vrere atq; depopulari pergens. aderat ex Africa equitum manus: quos Iacobus Abeniuzephus pręmiſerat. His rebus nunciatis, Alfonſus Ferdinando filio, qui tunc Hiſpali morabatur in noui belli curã intentus, per litteras mandat, vt copiis omnibus in Granatenſem Regem feratur. ipſe Burgos profectus eſt: ſi quo modo rebelliũ animi ſanari poſſent. in ea vrbe cõuentus agitati ex vniuerſa ditione: ac nominatim rebelles euocati fide publica: & quo tutior eſſet acceſſus, loco extra vrbẽ deſignato in regio xenodochio. Regis & procerũ colloquiis, quę nõ vno loco ſunt habita, amplius exacerbari voluntates viſæ ſunt: prorſus vt fide abiurata qua regi obſtricti erant, Granatã frequentes abierunt, eius ſeculi anno LXXII. Nunnius, Harus, 1272.
Philippus tria coniurationis capita ꝑterea Ferdinandus Caſtrius, Lupus Mendozius, Egidius Roa, Rodericus Saldania, ex minori nobilitate alii, quorum numerus iniri vix poteſt. In ipſo diſceſſu oppida incenſa, agri vaſtati, omniaq; hoſtilis animi exempla edita ſunt. Rex Toletum magnis itinerib. deinde in Oretanos Almagrũ contẽdit, quia nondũ deſperabat proceres ſanari poſſe, Regemq; Granatæ nouo fœdere conciliari, in eã potiſſimum curam incumbens, & ſi minus ſuccederet, bellum omnibus viribus ſupremoq; conatu illaturus.

Noui Aragoniæ motus. CAP. XXI.

QVo hæc tẽpore in Caſtella gerebãtur, Philippus Galliæ Rex qui Ludouico patri ſucceſſerat, nouis principatib. augebatur Alfonſo patruo, qui Pictauienſis & Toloſanus Comes erat, & Ioanna eius vxore ſine prole per idẽ tempus defunctis. neq; multo poſt Fuxenſis Comes Rogerius Bernardus ditione ſpoliatus eſt, non alia maiori de cauſa, quam ꝙ magiſtratib. regiis parere aliquãdo recuſaſſet. Ea res Aragonia arma, quoniã in Iacobi fide Fuxenſis ditionis pars erat, in Gallos concitata quidem: ſed Iacobi tamen prudentia ſedata ſunt. præſertim cũ noui, atq; inteſtini tumultus metus inſtaret. Petrus Aragonii iuſtus filius Ferdinãdo Sanctio fratri ſuo ex impari matre, infenſus erat. ꝙ quo tempore ex Syria rediit, à Carolo Rege Neapolitano eximie cultus, cũ eo exitialia reipublicę cõſilia cõmunicaſſet. Erat Ferdinandus Burrianę: quo loco Petrus cũ manu militari poſtq̃ in ædes facto impetu irrupit, fratrẽ locis omnib quærere, ſcrutari latebras, clauſa effringere, ſtrepitu & tumultu omnia miſcere. cum interim Ferdinandus & Alfonſa Vrrea vxor ſeſe occulte periculo ſubduxiſſent. Hæc initia magnorũ motuum fuere, & regni proceres fratrũ ſimultatẽ ſuam occaſionem facientes, in duas factiones diſtracti ſunt: tanta obſtinatione, vt virib. auctis Regi ipſi bellum indicerent haud vllo operæpretio, niſi ꝙ Cardonæ Vicecomes, aliiq; proceres partibus infecti, ditione ſpoliati ſunt. Ferdinandus Sanctius Regis filius ad Pomariam arcẽ obſeſſus à fratre, atq; in poteſtatem redactus in præterfluentis Cingæ vortices præcipitatus periit, fama ancipite iurene an iniuria. Duce certe ſublato cæteri quieuere. hic parricidii fructus fuit. verum Ferdinandi mors tertio poſt anno contigit. reliquit filium in minori ætate Philippum nomine, ad quem gens Caſtria generis originem refert. Rogerius

Lauria in agro Valentino Rabello & Abricato prædiis donatus abs Rege eſt: operæ merces, quod ex vltima Italia Conſtantiam nurum eſſet ſecutus: magno deinceps vir ingenio, ſummuſq; Dux præſertim mari futurus. Cum Vaſconum Rege Henrico, qui fratri ſine prole defuncto ſucceſſerat, & cum quo Aragonijs ſimultates erant ob interceptum iniuria regnum, in multos annos induciæ pactæ ſunt. Iacobus Rex in tanta ſuorum ad arma conſternatione, tantiſq; diſſidiis prouidebat, ne pars altera Vaſconibus iuncta, negotium faceſſeret, faciliore conſenſu ad bellum quàm ad pacem concordiamq;. & maior cogitatio pectori inſederat vires in Mauros vertendi: vnde ſæua tempeſtas Hiſpaniæ imminere, niſi opportune occurreretur, prudentibus videbatur.

Alfonſus Rex ad imperium capeſſendum proficiſcitur. CAPVT XXII.

ARDEBAT Alfonſus cupiditate Germaniam adeundi, imperii infulas coronamq; ſuſcepturus: eo maiori ſtudio & feſtinatione, quod auctore Gregorio decimo Romano Pontifice Germaniæ proceres malorum pertæſi, quæ interregni tempore multa & grauiſſima atq; diuturna erant perpeſſi, nouam electionem adornabãt Alfonſo prætermiſſo, Richardo pridem defuncto. Eo nuncio perculſus Rex, vt par erat, priorem tarditatem noua feſtinatione compenſare volens, haudquaquam opportune in vnam adeundæ Germaniæ curam cœpit incumbere. Prudentibus tranquillitatis & reipublicæ cura præferenda videbatur. leuiſſimus quiſq; & futuri improuidus, ſpe vana tumens, ad profectionem hortabatur. nec deerant qui ambitione ſtolida, arma, equos, alia belli ſubſidia comparanda prædicarent, quaſi hoſtes ſubiugaturi. ab aliis, id ipſum q; paranti profectionem tot aduerſa ante contigiſſent, in prodigium & omen mali ſucceſſus vertebatur. Alfonſus natura cunctator. rationes regni impeditæ. & ſi aliquam honeſtam ſpeciem nactus eſſet, deſtiturus dedecoris metu expeditionem parat, quacunq; conditione Granatenſes & proceres ad fœdus attrahere ſatagens. In eam curam intento Rege Alhamarus Granatæ Rex, ſalutis anno M. CC.
1273. LXXIII. inchoante, diem obiit, homo audax, callidus, promptus, & rebus noſtris infenſus maxime. Nata de ſucceſſione controuerſia. vicit tamen ea pars, vnde Caſtellæ proceres perfugæ ſteterunt: regniq; inſigne Mahomadi datum eſt, cognomento Miralmutio Lemi nio, defuncti maiori filio. Hunc quamuis à rebus noſtris vltro abhorrentem, & à pleriſq; ad bellum concitatum, cum noui regni opes nutarent, ad concordiam ineundam procliuem Alfonſus conciliari poſſe ſperabat. Nonnulli præterea proceres ad meliora cõſilia animos reuocabant: ac nominatim Fernandus Caſtrius, & Rodericus Saldania fide publica Abulam, vbi conuentus regni agebantur, ad Regem venere. Ipſo tempore quo in Germania feſtinatis imperii comitiis, Rodulfus Auſpurgenſis Comes, conſentienti procerum ſuffragio ad imperium vocatus eſt, exiguo quidem cẽſu, anguſtoq; principatu, cæterum generis nobilitatem ad veteres Francorum Reges referens, & virtutum indole clariſſimus. Aderant Franconofurti Alfonſi legati. verum eorum interceſſione nihil effectum eſt, priori beneuolentia, qua Alfonſum complexi erant, publica inuidia mutata. Is ſoluto Abulenſi cõuentu, Requenam abierat: vt ſocero Rege conuento de bello Maurico conſilia conferret. ibi labore itineris, an animi tædio morbo tentatus eſt haud leui. & quoniam cætera non procedebant, ipſaq; feſtinatio tarda videbatur, optimum fore viſum eſt, extremam pacis ſpem tentare Reginæ opera, Sanctiiq; Primatis auctoritate: qui vt in eam curam incumberent, Cordubam continuo amandati ſunt. Ad Pontificem Gregorium decimum Aimarus ex Dominicano ordine, qui poſtmodum Abulenſis Epiſcopus fuit, & Ferdinandus Zamora canonicus Abulenſis regii ſcrinii Præfectus legati Vrbe veteri, vbi tunc Pontifex erat, dato ſenatu cauſas explicuerunt, ob quas Rodulfi electionem vitioſam eſſe crederent. Non debere Pontificem eorum dictis moueri, qui eius auribus inſidiando, alienam gratiã captarent: ſed medium ſe gerendo, vt ſacroſanctæ, q̃ gerebat, perſonæ ratio poſtulabat, ab vtriſq; inire gratiam Vrbani & Clementis exemplo: qui ex æquato honore ne alterutris præiudicarent, Richardum & Alfonſum Romanorum Regis appellatione exornarant. Ea legatione nihil profectum eſt, cum tam diuturnæ moræ tædium cepiſſet. Fredulus tãtum Lugdu-
1274. no, vbi conſequenti anno M. CC. LXXIIII. præſente Pontifice conuentus Epiſcoporum generales ſunt habiti, diſciplinæ eccleſiaſticæ resarciendæ, belli ſacri inſtaurandi, eccleſiæ Græcæ cum Latina conciliandæ cura ſtudioq;, ad Alfonſum legatus, eccleſiaſticorum redituum decumas in bellum Mauricum Põtificis nomine eſt pollicitus, modo ab inani obtinendi imperii ambitione ſpeq; animum auerteret. Externa imperia appetendo, eccleſiæ pacem pulcherrime ſtantem, turbare iniquum videri. Interea Henricus Vaſconum Rex à multa ſagina grauis fœduſq; Pompelone obiit ad vndecimum Kalend. Auguſti. ex vxore Ioanna, Roberto Arteſiæ Comite Ludouici Regis Sancti fratre genita, filiam Ioannam reliquit vix triennem: ſed hæredem tamen ſacramento procerum prius, deinde patris teſta-

mento

mento deſignatam. vnde noua diſſidiorum materia, regniq; Vaſconum ad Francos tranſlatio. Freduli legatio non ingrata extitit: ſeq; Alfonſus in Pontificis poteſtate futurum reſpondit, illiuſq; arbitrio vniuerſam controuerſiam permiſſurum. Ergo Pontifex nihil vltra moratus, Rodulfi electionem (nam eatenus in Alfonſi gratiam diſtulerat) in publico conuentu ratam habuit octauo Idus Septembris. moxque ad omnes Principes litteræ datæ in eam ſententiam: ipſiq; Rodulfo, vt quamprimum in Italiam ad coronam ſuſcipiendam feſtinaret mandatum. Ad conuentus Lugdunenſes Iacobus Aragoniæ Rex profectus eſt extrema ætate homo, decoris auidus. inde tamen haud vllo magno operæpretio rediit in patriam non obſcure iratus Pontifici, quod ipſius capiti regni coronam imponere recuſaſſet: niſi vectigali perſoluto, quod Petrus ipſius pater, quo tempore Romæ coronam ſuſceperat, pendere quotannis pactus erat Iacobo Regi indignum videbatur, regnum maiorum virtute partum cuiquam externo Principi eſſe vectigale. Interea Rex Granatæ & proceres ad officium Reginæ diligentia reuocati ſunt. & proceribus quidem pacandis omnia quæ flagitabant promiſſa ſunt. Regi autem Granatæ quotannis mandatum trecenta millia aureos in regium fiſcum inferre: magnumq; in præſenti auri pondus mulctæ nomine repræſentare. Guidixenſibus & Malacitanis, quoniam in fide Alfonſi erant, eo agente induciæ annuæ datæ ſunt Inſignem ea ætate virum Hiſpania vidit Gonſaluum Atienſam Regi intimum: cuius potiſſimum diligentia & ingenii dexteritate id fœdus eſt pactum. Granatæ Rex & proceres Corduba, deducente Ferdinando Principe, qui rebus omnibus interfuit, Hiſpalim profecti ab Alfonſo Rege benigne accepti ſunt: ex comparatione vtriuſq; temporis obſequium cum ſecuritate, quàm contumaciam cum pernicie præferendum eſſe iudicantes. Mox vno tempore Caſtellæ arma Ferdinando ductore iuſſu patris, in Vaſcones mota ſunt. & Iacobus Aragonius Rex Petrum filium maiorē, in quem eius regni iura tranſtulerat, ad occupandam procerum gratiam, quoniam in Aragonios proniores erant, dimiſit. neq; Aragoniæ artes, neq; Caſtellæ vires ex ſententia proceſſerunt, cum Regina vidua in Galliam ad Regis patruelis præſidium cum filia, vim verita in tanta temporum colluttione profugiſſet Ferdinandus tantum armis Viana tentata, inde repulſus propter loci firmitatem & obſeſſorum virtutem, Mendauiam & alia minora oppida in poteſtatem redegit. omnia difficiliora opinione fuerunt: tametſi nullus iuſtus exercitus obuiam Ferdinando proceſſit: quod maiorem afferebat moram. & eius regni rationes ita erant conturbatæ, vt in vnam defendendæ reipublicæ voluntatem proceres infecti partibus conſpirare non poſſent. Plurimi Aragoniis fauebant, ac præſertim Armengaudus Præſul Pompelonenſis, & Petrus Sanctius Montacutus, vir primarius regniq; procurator. Petro Aragonio ad vtriuſq; regni fines Soſium oppidū progreſſo, cum regnū ex Sanctii regis adoptione, & ex aliis vetuſtioribus tabulis ſibi deberi contenderet, & quadraginta millia argenti pondo exigeret non ita pridem à Theobaldo Rege pacta: re multum deliberata, conſenſu procerū, puella regni hæres deſponſa eſt abſens: regniq; poſſeſſio dotis nomine pacta: ſi minus id contingeret, ad centum quadraginta millia argenti pondo in belli ſumptus aduerſus Caſtellæ vires, & conatum in inferendi belli propoſito perſtantis. atque hæc menſe Nouembri Oliti conſtituta ſunt. Quo tempore Alfonſus Rex in Gallicam profectionem toto animo incumbens regni conuentus Toleti agitabat, vt rebus compoſitis ſeſe in viam daret. Ferdinando filio vniuerſi regni procuratio commendata eſt. proceres alii alia curare iuſſi. plurima auctoritas Nunnio Laræ, quem regni limitibus aduerſus Mauros ſi ſe commouerent. præficiendum iudicauit. id blandimentum factioſis promerendis abs Rege datum eſt. Sub anni finem conuentu ſoluto Rex, Regina, filii minores, Emanuel Regis frater iter ingreſſi. omnia ad decorem imperii compoſita: eoq; lentiori agmine Valentiam itum eſt. Inde Dertuſam atque Tarraconem: vbi Iacobus Aragonius Barcinone profectus aduenientes excepit. Barcinone natalem Chriſti diem celebrarunt, inchoante iam anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto. Raymūdi Pennafortii ex Dominicano ordine per 1275.
eos dies defuncti, in ea vrbe funus vtriuſq; Regis præſentia cohoneſtatum eſt, inſignis pietate eruditioneq; viri. Ipſo anno Pelagius Correa D. Iacobi Magiſter extinctus eſt, annis grauis, omni laudum genere bello paceque clariſſimus. corpus Talaueræ in D. Iacobi, vti frequens hominum in eo oppido opinio eſt, compoſitum. alii Tudiæ malunt: quam ipſe ædem ad Marianorum montium radices D. Mariæ nomine ſacram à fundamentis extruxerat, victoriæ monimentum: quam ſuperioribus annis de Mauris retulit: eo loco nobiliſſimam. Sole etiam à curſu retento: quo dies longior, & maior eſſet hoſtium fugientiū ſtrages. ſic vulgo iactatum. Senſibus ancipiti prælio atq; inter metum & fiduciam conturbatis, tempus metiri qui vacet? hora vna multarum inſtar eſt præ cupiditate, feſtinatione, curaq;. multa præterea in periculo credūtur facile, finguntur impune. Alfonſi conatus Rex ſocer

non ſatis probabat, multiſq; verbis eum deterrere eſt conatus: cum cauſa diiudicata Pontificem mutaturum nulla ſpes eſſet. neq; tantis laboribus adepturus videbatur, amplius q̃ vt acceptæ ignominiæ deformis teſtis apud exteras nationes viſeretur. monita ſapiẽter Alfonſi obſtinatio diſcuſſit. Itaq; vxore & filiis Perpiniani relictis ad Belcairum prouinciæ Phocæenſis oppidum Rhodano præterfluente nobile, præcipuaq; amœnitate, vt cõuenerat, Pontificem Roman. primo vere adiit, dimiſſo quidem Lugdunenſi Epiſcoporum conuentu, ſed in Gallia tamen morantem eatenus. Ibi die dicta corã Pontifice & Patribus, qui eum erant ſecuti, hac ſententia orationem habuit. Si aliquo meo ſtudio & diligentia imperium obtinuiſſem, egregium mihi erat tot prætermiſſis Principibus in externũ hominem voluntates Germaniæ conſpiraſſe. nunc Dei hominumq; conſenſu datum honorem retinere, quis iure reprehendat? cum turpe potius ſit, diuina dona tueri nõ poſſe: atq; in amore non reſpondere iis à quibus fueris prouocatus. Quo grauiori doloris ſenſu cõficiar neceſſe eſt, cum paucorum fraudibus audiam, Germaniæ proceres (ô homines in fide parũ conſtantes) circumuentos, in noui Principis electionem conſpiraſſe nobis inauditis, nondum diiudicata cauſſa noſtra. In qua, ſi q, dubium olim fuit, ſublato æmulo ſublatum eſſe oportuit. Neq; fraudi eſſe debuit, hactenus profectionem noſtram eſſe dilatam: q, quidam cunctationem & ſegnitiem interpretantur. cum verius tranquillitatis ſtudium fuerit, dũ quorundam mentes à nobis auerſas ſanare ſatagimus: & ſyncerus religionis amor, dum regni rationib. conſulimus, barbarorum irruptionib. obnoxii. Nunc filio in patria relicto, geminæ iam prolis patre, imperium te auſpice atq; adiutore Gregori Pontifex maxime, capeſſemus, inane quidem & ſine prouẽtu nomen: ſed publicum Hiſpaniæ decus reſpicere, noſtramq; ignominiam procurare cogimur. q, vtinam ſine armis præſtare poſſimus. alioqui quodcunq; periculum retinendi honoris ſtudio ſubire eſt animus. Mihi neq; maius quidquam neq; carius, veſtra Patres auctoritate in terris eſt. à primis annis ita mores conformaui, vt ab optimo quoq; probarer, & famam benefactis extenderem. his actionib. nullo ambitu prioribus Pontificibus placui. ob eaſdem artes ad imperium ſum euocatus. graue ſit, neq; ferenda ignominia, in hoc ætatis flexu, quæ iuuenis peperi, per fraudem eripi: noſtręque gloriæ ſempiternã inuri maculam. Te ô ter beate Pater, voſq; quicunq; adeſtis Patres, noſtris conatibus fauere æquum eſt, in cauſa, qua maior iuſtiorve vlla ne excogitari quidẽ poteſt: orbiq; teſtatum facere, quid priuati affectus, quid integritas & religio valeãt. Si minus prouidere ſaltem atq; pręſtare cum tempus eſt, ne reſpublica nouis enatis diſſidiis inſanabilem plagam accipiat. Ad hęc Pontifex paucis cauſas exponit, cur iure Chriſtiano licuiſſet nouum Auguſtum creare. Richardi obitu nullum nouum ius Alfonſo acceſſiſſe: ipſumq; in Pontificis poteſtate futurũ promiſiſſe. Publice id ſalutare fuiſſe, priuatim haud ignominioſum: cum non magis Hiſpanos Germanis imperare æquum eſſet, q̃ Hiſpaniæ à Germanis iura dari. Germanię itinera auia atq; impedita eſſe, vrbes munitas, gentem ferocem. priora ſtudia reſediſſe. aduerſus Germanorum conſenſum, vllas vires haud poſſe cõparari. Multum infamię victo fore, victori exiguos fructus. Pręſtare ſua tueri, q̃ aliena petere. Eam eſſe benefactis gloriam partam, nullo vt poſſet eius nomen tempore, nulla ignominia obſcurari. Daret Deo, daret religioni, ſi quid prępoſtere actum videbatur. His verbis adiicit complexum & oſculum, comis natura, & à multo vſu edoctus talibus blanditiis cõmotas hominum voluntates ſedare. Eo conatu ceſſatum. Secundum repulſam tamen, aliæ ſpes tentatę ſunt. Sueuię principatum Conradino interfecto, ſibi deberi Alfonſus poſtulabat, genus maternum ad Sueuię Principes referenti. iniuria à Rodulfo occupatum eſſe. ad ereptum imperium nouam eam iniuriam acceſſiſſe. Vaſconum regnum repetitis antiquis iuribus ad ſe reuocabat. inique facere Gallos, qui in eius procurationẽ inuaſiſſent. Deniq; Henricum fratrem, auctore Pontifice petebat, à Carolo Siciliæ Rege dimitti. nam is Pontificis voluntatem excuſabat, ne captiuo libertatem daret. His æquiſſimis, vt ipſi videbatur postulatis, cum Pontifex & Cardinales ſurdas aures præberent, Alfonſus iratus ex Gallia diſceſſit, præcipiti iam æſtate, atq; in autumnum conuerſa. Regreſſus in Hiſpaniam, imperii nomine & inſignibus non antea abſtinuit, quam dirarum denunciatione Archiepiſcopus Hiſpalenſis Pontificis iuſſu, vt deſiſteret perfecit. Decumę tãtum eccleſiarũ in ſumptus belli Maurici conceſſę ſunt. tertias vulgo dicimus: nimirum decumarum tertia, quam in templorum fabricationes & ſarta tecta conſumere moris erat, darĩ vt regium in fiſcum inferretur, lege non in omne tunc tempus lata (ſic arbitror) ſed annorum numero definito. Hoc initium Caſtellæ Regibus ſacros templorum reditus decerpendi. Hic fructus Alfonſo longinquæ peregrinationis, tantorumq; laborum fuit, erepti per iniuriam imperii compenſatio, innoxii quidem, inemptiq;, haud felicis tamen.

LIBRI TERTIIDECIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XIIII.

Rex Marrocii tranſmittit in Hiſpaniam. CAPVT I.

INTEREA Rex Marrocii Iacobus Abeniuzephus rerum potitus in Africa, cognitiſq; Hiſpaniæ rebus, Alfonſi Regis diſceſſu Bæticam præſidio nudatam: gentis iniurias toties noſtrorum armis violatæ ire vltū cupiēs, ancipiti animo, propter periculi magnitudinem in diuerſa trahebatur. cunctatorem natura, nouoq; imperio firmādo, quoniam nouitate nutabat, & ex eo multis in Africa bellis implicitū, nouus ex Hiſpania nuncius ad expeditionem maturandam impulit. Mahomad Granatæ Rex, prò gentis ingenio vtilitati potius quàm religioni fideiq; ſeruiens, quamprimum ab Alfonſi Regis complexū fœdere firmato Hiſpali diſceſſit in patriam, bellum inſtaurare Bæticamq; occupare vniuerſam cogitauit, maius fortuna & viribus facinus. Dolebat eo reliquias gentis eſſe redactas, vt vix haberent vbi pedem in Hiſpania ponerent, idque precariò, & annuo vectigali impoſito. Malacitanos & Guidixenſes Alfonſi Regis præſidio tutos, moliri hoſtilia non deſiſtere: neque dubitaturos no[…]o bello laceſſere cum primum induciarum tempus exiiſſet. In eam cogitationem intento haud ſatis virium erat aduerſus Alfonſi Regis, quamuis abſentis potentiam opeſque. Marrocius Rex ad armorū ſocietatem inuitatus, vir ea tempeſtate magnus, inſigniſque militari gloria. Veniſſe tēpus vlciſcendi iniurias. Non ignauia magna imperia contineri. virorum armorumque faciendum certamen. Regnorum iura in viribus & potentia eſſe. Sua retinere priuatam laudem: de alienis certare id demum magnorum Regum munus eſſe. Laceſſendos in Africa niſi laceſſierint: reliquiaſque Mahumetanæ gentis texerint in Hiſpania. Quanti æſtimandum, dum eam prouinciam ſubigerent in alio quodammodo orbe trophæa ſtatuere, victoriæ gloriæque: vno impetu atque victoria vna Europam & Africam committere. His commotus Marrocius Rex bellum in Hiſpaniam ſtatuit. ingentes delectus tota ditione habiti. nauium, militum, armorum apparatu ſtrepere omnia. Nihil æque fatigabat quam pecuniæ conquiſitio: & ne re prodita noſtros ad defendendum bellum vindicandaſque iniurias paratos inueniret. Vtraque de cauſſa Iacobum Regem Aragonium per legatos ſolicitauit, vt pecuniam mutuam mitteret. regulum Maurum ab auctoritate rebellātem ſcilicet, Septam vrbem occupaſſe. propter locorum opportunitatem, quoniam freto Herculeo adiacet, vtrique nationi fore id niſi occurreretur exitiale. male coercitam famam, vt in rebus magnis ſupprimentes augebant. Itaque neque Aragonius pecuniam miſit, neque Caſtellæ proceres de ſua comparatione aliquid propterea omiſerunt: tametſi ſegniter cūcta adminiſtrabantur Alfonſo Rege abſente, Ferdinando filio Burgis, quo luſtrato regno peruenerat, ſeſe tenente. Miſſi igitur in primis ex Africa qui Algeziram & Tarteſſum nomine Marrocii Regis Granatenſi, vt conuenerat, dedente obtinerent, belli quod parabatur ſedes arceſque. deinde in Hiſpaniam numeroſæ Afrorum copiæ tranſmiſſæ. decem & ſeptem millia equites, peditum numerus memoriæ non eſt proditus. ingentem fuiſſe res ipſa indicat, & magnitudo conatus. Prima cura fuit gentis inter ſe conciliandæ veteri diſſidio ſublato. Marrocii Regis auctoritate Malacitani & Guidixenſes cum Granatæ Rege conciliati ſunt. Concilio de ſumma belli Malacæ habito, diductis copiis, ne ſua ſe multitudine impedirent, & vt maius operæ pretium eſſet, placuit in noſtros fines incurrere. Marrocius Hiſpalenſem agrum inuadit: Granatenſis Giennenſes fines impugnandos euaſtandoſque ſumit. Nunnius Lara monito Ferdinando Principe vt quamprimum & quam maxima poſſet auxilia mitteret, quoniam res moram non recipiebat, raptim delectu habito Aſtigim petit. quo Marrocio tranſeundum erat munitiorem vrbem, quam vt primo impetu capi poſſet. Ex vicinis vrbibus nobilium ad eum concurſus factus eſt, periculi fama; & Nunnii litteris excitantibus: prorſus vt eorum multitudine confiſus, & ne timoris ſuſpicione animos barbaris adderet, vrbe egreſſus, cuius ſe munitione tueri potuiſſet, hoſti obuiam progredi non dubitaret. Commiſſum prælium, in quo Maurorum acies inclinata initio, ſua tandem multitudine vicit. noſtri cæſi fuſique ſunt. Nunnius ipſe Dux in acie cecidit. equites ducenti quinquaginta, pedites ad quatuor millia trucidati. vrbis propinquitas cæteris perfugium fuit. incitamentum nonnullis, ne ſupremo conatu virtutis ſpecimen ederent. Nunnii caput acris ante viri manuque ſtrenui ad Regem Granatæ miſſum: inge-

tum barbaro ſpectaculũ propter memoriam prioris amicitiæ, & quoniã eo autore regnum
ſe obtinuiſſe recordabatur. Miſſum itaq; Cordubam, vt cum trunco compoſitũ ſepulturæ
1275 mandaretur, ſalutis anno 1275. menſe Maio inſignis ea clades acceptà vniuerſam prouinciam
mœrore compleuit, non ignominiæ tantum præſentis cõtemplatione, ſed etiam maioris
periculi metu. Tametſi Aſtigi vrbe victor & exultans barbarus potiri nõ potuit. id doloris
leuamen erat, & melioris ſpei initium. Sanctius Toletanus Præſul eius cladis nuncio
percitus Toleto, Madrito, Caraca, Elboraq; equitatu omni contracto, magnis itineribus in
Bæticam abiit. Granatenſes Mauri, Giennenſes agros populari, pecora abigere, hominum
cædem facere, villas vicosq; incendere, nullique omnino rei parcere in quam ferrũ flammave
ſequire poſſet. Hos Sanctius iuuenta feruens, & paternos ſpiritus referens aggredi ſtatuit,
prædaque omni ſpoliare, maiori audacia, quam conſilio. Cum enim Lupum Harum
cum non contemnẽda manu aduenientem propediemq; affuturum ſaniores expectandũ
iudicarent, neq; ſine eo totiũs certaminis ſubeundum diſcrimen: vicit tamen eorum ſententia,
qui victoriȩ gloriam Lupi, ſi expectaretur, omniũ opinione futurã eſſe diſputabant.
Dignitatis ſpecie exitiũ comparatũ. Cõmiſſa pugna, noſtros minori numero, neq; bello ſatis
ſtrenuos Mauri conuerſo agmine facile ſuperarunt, veterani milites, magnoque vſu rerum
militarium. fœda fuga fuit, minor tamẽ quam pro victoria cædes. Sanctium ipſum captum
(cum barbari diſceptarent vtrius Regis futura ea præda eſſet, & res ad arma ſpectaret)
Atarius Malacæ regulus adacto in eius humerum enſe transfuerberauit. Abſit, inquiens, vt
de vnius canis capite, tot viri principes cum diſcrimine ſalutis ferro dimicẽt. Occiſi caput
& ſiniſtra manus pontificio annulo inſignis obtruncata: eo maiori acceptæ cladis dolore,
quod barbari ſi patientia, eſſet adhibita, deleri ea parte potuerũt. Lupus enim cum ſua peculiari
manu in certamen ingreſſus, quamuis victoria exultantes Mauros, eximia virtute
compreſſit. vini ere omnino nõ potuit noctis ſuperuentu. Sanctii Præſulis corpus, manusque,
& caput multo auro redempta, Toleti in ſacello regio, tumulo ſunt compoſita: vbi Alfonſus
Imperator, atque eius filius Sanctius, cognomento Deſideratus, ſepulti erant. Succeſsit
Ferdinandus Couarruuius Abbas. & hoc ſexto poſt anno amoto, Romani Pontificis
iuſſu, cui electionem probare nunquam potuit, Gonſaluus eo nomine ſecũdus, Conchenſis
prius, deinde Burgenſis Epiſcopus, ad eccleſiæ Toletanæ curam deinceps acceſsit. hunc
nonnulli Cardinalem fuiſſe affirmant. Affirmat Onuphrius. Romæ in D. Mariæ Maioris
marmoreum ſepulcrum extat, vt fama fert eius, hac inſcriptione: HIC DEPOSITVS FVIT
QVONDAM DOMINVS GONSALVVS EPISCOPVS ALBANENSIS. OBIIT ANNO DOMINI
M. CC. LXXXXVIIII. Gemina clade fœdum annum Ferdinandi Principis obitus inſigniorẽm
reddidit, ad Villam Regiam ex morbo menſe Auguſto defuncti: cum ad bellũ
Mauricum accurriſſet, & militares copias in eo municipio expectaret. defuncti corpus ad
Olgas ſepultum eſt. Eius obitus luctum ingentem in pręſenti attulit, grauia in futurum certamina:
cum Sanctius frater ætate proximus regni ſucceſſionem ad ſe deuolutam contenderet,
Alfonſum Regem ſuperſtitem proximo cognationis gradu attingentem. Tametſi
Ferdinandus ex vxore Blanca geminam prolem reliquit Alfonſum & Ferdinandum, Ioannis
Laræ (Nunnii is filius fuit natu maximus) fidei ſub ipſam mortem enixe commendatos.
Sanctius vt erat viuido ingenio & in quancunque ſe partem dediſſet induſtrius
in eo reipublicæ diſcrimine bello Maurico ſe Ducem præbuit (eiusque virtute & diligentia
hoſtium audacia repreſſa eſt, præſidiis pluribus locis diſpoſitis vniuerſo certamine
detrectato: vt impetus cum quo barbari venerant, mora conſeneſceret. quod ſalutare
conſilium fuit. Moti & Valenoni Mauri nunquam fidi, tunc ſine metu ob Regis Iacobi ætatem,
plenique fiducia ob res in Bætica patratas. Initia quidem belli quieti ſpeculabantur:
vbi viciſſe ſuos nunciatum eſt, ad arma communicanda excitati ſunt: paſſimque Maurorum
in agro Valentino coniurationes factæ. tametſi Petrus Aragonius Princeps patris
iuſſu in Murciæ fines inuectus, cum manu militari Almeriæ agros incendiis & direptionibus
deformarat. Res Vaſconum nihilo quietiores per idem tempus fuere.
Philippus Galliæ Rex cum Ioannam puellam filio deſtinaſſet Philippo, cui Regi Pulchro
cognomen fuit, Stephanum Belmarcham natione Gallũ Vaſconibus præfecit, Petro
Mõtacuto exauctorato. In homine externo ſatis auctoritatis non erat ad eos tumultus ſedãdos,
qui factionũ ſtudio excitati erãt: pręſertim cum Petrus Mõtacutus dolore cõtumeliæ,
& Garſias Almorauides qui ſemper Regum Caſtellæ ſtudioſus fuerat, ſe factioſis duces
præbuiſſent. Intra ipſam vrbem Pompelonem tumultus concitati. & pars cum parte
confligit: tanta contentione atque crudelitate, vt prædia inuicẽ vterẽt, filiosq; infantes allidereñt:
maiori eius partis damno, quæ Gallos ſequebatur. Ipſum Petrũ Mõtacutum quietis
ſtudio, an aliorum impulſu ad Gallos propenſum, & de tranſitione cogitantem, factio
aduerſa

aduerſa re cognita interemit. indignum ea calamitate ob eas virtutes: quibus nemo ea tempeſtate inſtructior ciuis eſt habitus, nobilis idem, ac diues, forma, prudentia, viribusque corporis præſtans.

Iacobi Aragonii Regis obitus. CAPVT II.

SVBSEQVENS annus à Chriſti ortu milleſimus ducenteſimus ſeptuageſimus ſextus, trium Romanorũ Pontificum obitu extitit inſignis, Gregorii, Innocentii, Hadriani. Innocentii pontificatus breuiſſimus fuit, ac menſium quinque & duorum dierum. Hadriani dierum triginta ſeptem. In Hadriani locum Ioannes ſucceſſit eo nomine XXI. ciuis Oliſiponenſis, magno vir ingenio, ſtudiis litterarum doctrinæque præditus, dialecticæ præſertim ac medicinæ, vt libri editi indicio ſunt, Petri Hiſpani titulo, quod illi nomen in priuata fortuna fuit. Extat de re medica liber eius, qui theſaurus pauperum nuncupatur. vita haud multo, quam prioribus diuturnior cõtigit. octo enim menſibus, & diebus octo cum pontificatum tenuiſſet, tecti conclauis ruina Viterbii oppreſſus eſt, Nicolao. III. ex Vrſinorum gente ſucceſſore. Quo tempore inteſtini belli ſemina in Caſtella iaciebantur. Sanctius Princeps procerum & populi ſtudia promereri non deſiſtebat blanditiis, comitate, liberalitate: quas virtutes cum in patre Rege populus deſideraret, eum infenſum habere cœperat. Aucta inuidia ex profectione Gallica intempeſtiue ſuſcepta, nulloque operæpretio. ac fere cui fortuna aduerſa eſt, eum hominum ſtudia deſtituunt. vulgus nouarum rerum cupidum, ſimul & pauidum: proceribus quibuſdam parata ſeditio, apud integros diſſimulatio erat. Lupus Harus, in quo tantum auctoritatis erat, Cordubæ Sanctio conciliatus eſt. Cũ Mauris quorum iam impetus reſederat, duorũ annorũ induciæ pactæ. Rex Marrocius fœdere cõſtituto Algezira, vbi ſe tenebat, in Africam cum copiis tranſmiſit: Sanctius Toletum feſtinauit. Patris ſalutandi, atque cum eo conſilia de republica conferendi ſpecies erat, paulo ante ex Gallia per Valentiam, Conchamque in patriam reducis: ſed maior cogitatio inerat, conſenſu patris & procerum, ſucceſſionis firmandæ. Actum de ea re miniſtro ſermonum Lupo Haro. quod initio Alfonſus pater ægre tulit, ſe ſuperſtite de regni ſucceſſione intempeſtiue agi: nepotes prætermitti iure publico iniquum eſſe videbatur, priuatis certe affectibus, quibus eos complectebatur, contrarium. Emanuelis tamen fratris conſilio, qui iam totus Sanctii erat, eius controuerſiæ diiudicandæ cauſſa, regni conuentus Segobiam vrbem indicti ſunt. In iis conuentibus re vltro, citroque iactata ſecundum Sanctii iura & poſtulata pronũciatum eſt, opinione ancipite iure ne, an iniuria. Vicit ſane publicæ vtilitatis reſpectus, & trãquillitatis ſtudiũ. neque enim Sãctius ſi repulſam tuliſſet, quieturus videbatur: & erat ætas idonea, ingeniumq́; & indoles rebus cõmunibus gubernãdis. Atq; hæc in Caſtella. In Aragonia autẽ Iacobus Rex Maurorũ motibus aut conſilio ſedandis, aut vi cõprimendis operã dabat: Valentinoq; tractu vrbes & oppida perertabat, in vnam eam curã intentus. multis locis varia fortuna dimicatum: atq; ad Luxenũ, quo tempore Rex Setabi erat, inſignis clades accepta eſt, fœdaque noſtrorũ cædes facta: prorſus vt eum diẽ Martis ſcilicet, male ominatũ, infauſtumq; vulgus vocare cœperit. cecidit in conflictu Garſias Ruizius Afagra, Petro natus Albarracini regulo nobili ea tẽpeſtate Principe. captus tẽpli Promagiſter, hoſtium contemtus ſemper in bello exitialis, malo fuit. Rex ex ea calamitate mœrore concepto, fractoque multis laboribus corpore, nouoque morbo tentatus, belli cura Petro filio relicta, Algeziram abiit, Valentini agri oppidum. vbi ingraueſcente morbo ac ſalute deſperata, filio ſalutaribus præceptis coram caſtigato, regnum de manu tradidit. Ipſe Ciſtercienſem veſtem induit certus ad Populetum cœnobium, quo ſe loco humari volebat, reliquam vitam exigere. Obiit tamen Valentiæ Iulii die vigeſimo ſeptimo fama ob magnitudinem rerum geſtarum immortali, vir vere magnus, præcipua religione: cuius ſtudio ad duo millia templa extructa fuiſſe memorantur. dedicata arbitror ex ritu Chriſtiano Maurica ſuperſtitione expiata. Militiæ laude cum quouis veterum Ducum comparandus trigeſies cum Mauris ſigna contulit, ſecundo ſemper præliorum euentu. vnde Præliatoris nomen tulit. tres & ſexaginta annos regnum tenuit, vna tantum libidinis licentia ad poſteritatem deformatus. Ex vxore Violante Petrum & Iacobum ſuſcepit, Iſabellam Galliæ Reginam, Violantem Caſtellæ, prɇterea Conſtantiam Emanuelis vxorem. Maria, & Eleonora in minori ætate deceſſerunt. ex Theraſia Egidia Vidaura, Iacobum Exericæ, & Petrum Aierbis regulos genuit. hos iuſtos filios eſſe pronunciauit: atque regni hæredes ſubſtituit, Violantis filiis ſine hærede, ſi contingeret, defunctis. Fœmina alia ex Antilonia familia, Ferdinandum Sanctium, quem à fratre occiſum fuiſſe monſtratum eſt, peperit. Berengaria Petrum Ferdinandum, cui Ixar oppidum donatum eſt. Ex his nobiliſſimæ familiæ in Aragonia propagatæ. Violantis, Con-

ſtantiæ,& Iſabellæ filiarum prolem maſculam quatuor filiis,ad regni ſucceſſionem ſubſtituit,ea lege,ne fœminis ad regni vnquam hæreditatem eſſet aditus. Maurorum gentem nunquam ſatis fidam,regni finibus vti pelleret, filio mandauit. quod vtinam præceptum, tum ea ætate,tum conſequenti tempore à noſtris Principibus tempeſtiue eſſet executioni mandatum gentis efferæ obſtinatio nulla arte vincitur, perfidia nullis meritis mitigatur: neque argumentis cedit,neque auctoritati.Petrus à morte patris Regis nomine tantiſper abſtinuit,ac regni ſe tantum hæredem in publicis tabulis ſcribebat, dum inſulas & coronam acciperet:quod Valentinis motibus compoſitis Cæſarauguſtæ Nouembris die ſextodecimo factum eſt. Is honor vrbi nobiliſſimæ, atque elegantiſſimæ eſt habitus. Reginæ vxoris capiti corona etiam eſt impoſita: proceresque ſacramento adacti in Alfonſi pueri verba iurarunt, defuncto Rege patre non alium hæredem regni futurum. Iacobo noui Regis fratri, vti pater teſtamento ſanxerat, & vti ſuperius eſt indicatum deſtinaſſe, Baleares dati Regis nomine ſunt, adiunctis Ruſcinonenſibus & Mompellerii principatu.ex quo Iacobus, Sanctius, Ferdinandus & Philippus filii ſunt nati. Ex hac ditionis Aragoniæ partitione ſuſpiciones inter fratres natæ ſunt:quę in apertum bellũ proruperũt. Dolebat Iacobus Valẽtinos eſſe detractos,quos à patre ante dono acceperat. fratris beneficiarium eſſe factum intolerandum videbatur.ira & ambitione in præceps ferebatur.

Vaſconum motus compoſiti. CAPVT III.

VASCONES nihilo quietiores erant, inteſtinis motibus ob ſtudia partium identidem inter ſe tumultuãtes. Philippus Galliæ rex noui regni patrocinio ſuſcepto,ad eos mot' accurrere ſtatuit,numeroſis copiis ſeptus, iniquo anni tempore, & Pyrenæi iugis quà trãſeundum erat,copioſa niue rigentibus. accedebat annonæ difficultas ob locorum ſterilitatem. quibus difficultatibus permotus, ipſe quidem retro iter conuertit: cum copiarum parte maxima & validiſſima, Carolus Atrebatenſis, in quo auctoritas inerat, quod Ioannæ Reginæ eſſet auunculus,in Vaſconiam amandatus breui operæpretiũ fecit. Aduerſa factio ad Reniegam oppidum occurſu Francorum male mulctata,intra eam Pompelonis regionem,cui Nauarrerię nomen eſt, ſeſe ad præſidiũ receperunt. Inde prementibus Gallis Garſias Almorauides factionis dux,eiusque neceſſarii ſilentio noctis egreſſi per neglectas cuſtodias,peruia, inuiaque, quà quemque aut conſilium aut terror tulit, ex vniuerſa ditione perfugerunt. Nonnulli Sardiniam ex fuga petierunt:vbi domicilio conſtituto,poſteri eorum ad noſtram ætatem manent. Vrbs regia vi capta, incenſaque ab hoſtibus eſt: qui cladi ſuperfuerunt aliorum exemplo caſtigati conquieuere. multi perduellionis legẽ poſtulati,cum die dicta non comparerent,de maieſtate damnati ex patria diſceſſerunt. Atrebas compoſitis Vaſconum motibus, & reipublicæ pace fundata Alfonſi Regis accitu in Caſtellam venit.benigne habitus,atque magnifice cultus eſt,nimirum propinquus ſanguine,atq; ex eo magna inter vtrunq; ſermonũ familiaritate: prorſus vt Rex Alfõſus haud deeſſe ſibi in Frãcorum regia quorũdam ſtudia diceret,qui arcana Regis & procerũ renũciarent.Ea ſiue vero dicta,ſeu ſimulate ad tentãdum Atrebatis animum,alte in eius pectus deſcenderunt:Brocchiusque,qui Regi Gallo à cubiculo erat,ſuſpectus haberi cœpit. Auxere ſuſpicionẽ litteræ ab eo, ad Caſtellæ Regem inſolentibus litterarũ notis interceptæ, tabellario in itinere defuncto.Itaq; de illo,dicta cauſa,ſupplicium eſt ſumptũ. verũ hęc aliquanto poſt. Violantes Caſtellæ Regina cum nepotum ætatem, in quos potiſſimum erat propenſa,ludibrio eſſe videret Sanctio prælato,neque ſatis ab eius iniuria tutam, vſque adeo omnia iura peruerterit exitiabilis imperandi cupido,fugam meditata Regem Aragoniũ fratrẽ ſuum per ſpeciẽ colloquii Hortã cœnobiũ vt veniret, præfecit.Reginã nepotes honoris ſpecie comitabantur. cum illis in Aragoniam abiit Alfonſo nequicquam, cum res eſſet indicata,prohibere conato dolenteque:adeo vt nulla ſui propria, regniq; clade moueri magis potuiſſet.Regis iracundia in eos vertit, quos diſceſſus auctores Reginæ fuiſſe credidit.Fridericus eius frater,Simon Ruizius Camerorũ regulus multarũ vir imaginum priſcæque nobilitatis Burgis,quo ſe Rex & Sãctius Segobia cõtulerant, cõprehenſi ſunt. (nimirũ concuſſa regia diſſidio pro pueris ſtudia multorũ erant) Ruizius Treuigni igne cõbuſtus Sanctii iuſſu.Fridericus Burgis gulam fregit,magna inuidia noui principatus,cuius id primum ſpecimen erat:ac illud maxime, ꝙ indicta cauſa damnati eſſent, vt quiq; interemptos aut ſanguine aut amicitia contingebant,plærique vituperabant. Cæterum inuidia in occulto erat.palam diſſimulatio. miſſæ inter Reges legationes. Caſtellæ Rex vxorem ad ſe mitti petebat, Sanctii electionem probari. Excuſabat Aragonius,nondum di-

iudicata

iudicata cauſſa: omnibusque nedum ſorori in ſuo regno perfugium eſſe paratum diſputabat, moturus in Caſtellam arma (ſic quidam exiſtimabant) ni Valentini Maurorum motus detinuiſſent: qui Marrocii Regis aduentus fiducia ab imperio rebellantes Monteſiam occuparunt. Ii motus faciliorem opinione exitum habuerunt, cum Mauri ſpe Aphricani auxilii deſtituti, Monteſiam aliaſque plures arces Regi dedidiſſent, menſe Auguſto, ſalutis anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Quo tempore Alphonſus Rex Burgis Hiſpalim venerat, vnde numeroſa claſſis, validæque copiæ ad Algeziram obſidendam mari terraque miſſæ ſunt. noſtrorum animos eius belli cura in primis ſolicitabat: ne Afri propter locorum vicinitatem, ſedem adepti in Hiſpania noſtris littoribus nimium aſſueſcerent. Cæterum conuerſis ad ciuilia diſſidia animis externa haud in magna cura erant. proximo ineunte vere Petrus Regis Alfonſi filius cum validis copiis ad eius vrbis oppugnationem miſſus, nullo operæpretio facto, cum ignominia, damnoque diſceſſit. claſſis etiam noſtra nautis & milite vacua, aduentu Marrocii Regis diſſipata, oppreſſaque eſt. milites alio, atque alio dilapſi. Ea tempeſtate nouam à Rege Marrocio Algeziram ædificatam eſſe, qui affirment auctores ſuppetunt, modico certè à priori interuallo. Iacobi Regis corpus Valentia, vbi ad aram templi maximi compoſitum erat, Populetum translatum eſt adulto vere. inferiæ defuncto, concurſu procerum iuſſu noui Regis Tarraconem facto ſplendide datæ. 12[illegible]

Varia Regum colloquia CAPVT IIII.

VIOLANTIS Reginæ diſceſſu, Caſtellæ, atque Galliæ Reges pro pueris ſoliciti eſſe cœperunt, pari cura ſtudio non eodem. Alfonſus quidem Rex in Galliam, vbi innocenti & teneræ ætati paratum præſidium erat, ne aufugerent prouidebat, Sanctio præſertim filio impulſore: qui munificentia animi, ingenii ſolertia, morumque comitate, procerum & populi voluntates promereri pergebat: ſeque ad omnes caſus virtute, diligentia, calliditate comparare. Gallo autem Regi cura erat ne in patrui poteſtatem redacti ſalutis, libertatis certe periculum adirent non ignaro, naturam mortalium ambitioſam, & præ imperii cupiditate in crudelitatem pronam eſſe. miſſæ vtrinque ea de cauſſa ad Aragonium Regem non ſemel honeſtiſſimæ legationes. Quod illi glorioſum erat, totius controuerſiæ, quaſi arbitrum à potentiſſimis Regibus, ad faciendum fœdus inuitari. vtrunque ſuſpenſum teneri pueris retentis, Aragonii rationibus commodiſſimum. re igitur agitata vt Violantes Regina ad virum rediret, pueri in Aragonia manerent viſum eſt, ſublata diſcedendi quo vellent libertate. Setabi in arce cuſtodiæ mandati. Graue id decretum Blancæ matri fuit: vbi præſidium eſſe debuit, ibi dolos tendi, nouaque fraude adimi libertatem. Ipſa in Aragoniam profecta cum nihil impetraret, Regis auribus ad eius preces obturatis, quid fama loqueretur nulla cura præ vtilitate priuata, in Galliam irata abiit ad Regem fratrem, in Caſtellam & Aragoniam Gallica arma motura, niſi eſſet obtemperatum. Vaſconum Regni poſſeſſio, quoniam vtroſque fines contingit, bellum parantibus Gallis commoda erat. Aragonius Rex, & Sanctius Princeps periculum veriti, & vt ſe mutuis auxiliis iuuarent, de rerum ſumma collocuturi loco deſignato, Requenam inter & Bugnolium conuenere ad quartumdecimum Septembris diem ſalutis anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono. 1279
Mutuo colloquio deterſæ ſimultates, amicitiaque & fœdus firmata. Inde digreſſi Petrus quidem Aragonius in Catalauniam abiit, procerum motibus tumultuantem. tametſi paulo ante Armengaudo Aluari filio Vrgeliæ principatus tanquam beneficiario datus, erat, in Fuxenſis auunculi gratiam, cuius iis motibus concitandis præcipuæ partes erant, maiusque quam cæteris ſtudium. captus is ad Balaguerim vrbem abs Rege, diu Ilerdæ in cuſtodia fuit. Sanctius autem ad patrem abiit Pace Auguſta ſe tenentem, quo Hiſpali profectus venerat: vt Dionyſium nepotem Luſitanum Regem officii cauſſa complecteretur, & Alfonſo fratri conciliaret. quem paterna hæreditate pellere correptis armis conabatur, alias ex aliis ſimultatis cauſſas nectens: haud leui inuidia populorum, cum ab initio regnum inchoaret, ſub initia huius anni defuncto patre Alfonſo Rege Oliſipone atque ad Dominici, quod ipſe cœnobium in ea vrbe conſtruxerat, ſepulto. Sanctius ſalutato patre ad delectus militares habendos tota ditione continuo dimiſſus eſt. bellumque comparandum aduerſus Regem Granatæ, arce Granatenſi præcipuæ nobilitatis & amplitudinis ædificanda per idem tempus diſtentum, cui Alhambræ nomen eſt, pulcherrimæ atque ampliſſimæ. & erat Maurus earum elegantiarum non minus quam rei militaris peritus. Belli inferendi cauſſæ inter finitimos Reges de-

eſſe non poſſunt. Eum Algeziræ bello, Marrocii Regis conatus iuuiſſe arbitror: atque ex ea re offenſis noſtrorum animis inito paulo ante cum Africanis fœdere Granatenſes comprehenſi non ſunt. Dionyſius Luſitaniæ Rex, an auo diffiſus, vt ſunt incertæ & incōſtantes mortalium voluntates, an quia fratri æquiorem fore putabat: & fere in omni certamine qui potentior eſt, quamuis optimo iure nitatur, iniuriam tamē videtur facere, Helbes quāuis progreſſus duodecimo à Pace Auguſta lapide retro conuertit iter repente mutata voluntate. Ea leuitate quantopere Alfonſi Regis animus fuerit offenſus dicere non attinet. Verum cum colloquii ſpes ſublata eſſet, Hiſpalim iratus diſceſſit. Quo tempore Cunradus Lanſa pro Rege Aragonio maris Præfectus magnaque apud omnes auctoritate, quoniam Conſtantiæ Reginæ propinquus erat, claſſe comparata inſtructaq; decem longarum nauium, Africæ littora ad Tunetum præſertim, & Tremeſenium tentauit: quod eæ vrbes vectigal ante impoſitum aliquot annis pendere recuſaſſent. auctor quidam Mirabuſatem à fratre pulſum eius ope regno Tunetano redditum fuiſſe affirmat. Conuenit multam inde prædam abactam: decemque Marrocii Regis triremes ad fretum Gaditanum obuiam factas, nauali prælio captas, ſubmerſaſque. Ab Aragonio Rege Iacobus eius filius ex concubina ortus Segorbii principatu menſe Nouembri, Valentiæ vbi ſe Rex multum tenebat, donatus eſt. In Caſtella ſtudia prouincialium in Sanctium indies magis accendebantur, maiuſque quam quod gerebat agitare animo facinus pleriſque videbatur, & fratris filiis deiectis ſpe regni, parentis ætatem in ſenium præcipitem ludibrio habiturus, per ſocordiā nihil minus cogitantis, notaque pariter & occulta filii conſilia ignorantis. Is proximi anni
1280. milleſimi ducenteſimi octogeſimi æſtate inchoante, exercitu comparato in Giennenſes abiit: nouiſque quas pater Hiſpali miſit copiis auctus in Granatæ fines ingreſſus peruaſtatis paſſim agris, in ipſius vrbis conſpectum ſe dare non dubitauit. villæ incenſæ. hominum & pecorum prædæ abactæ. Cordubam deinde reditum. inde patrem Hiſpalim comitatus eſt, ex rebus proſpere geſtis aucta tum gratia, tum auctoritate: quæ illi quam belli Maurici propior cura erat, propter factionum ſtudia. Philippus Galliæ Rex de pueris ſolicitus, eos in libertatem aſſerere, & reſciſſo priori decreto auo Regi ſubſtitui poſtulabat. miſſi ea de re ad vtrunque Regem legati, vt non hoſtiliter ſtatim, quia non deſperabat voluntate ipſos æquiſſimis poſtulatis benignas aures præbituros, ita ſi fruſtrarentur ſpem nihil eorum, quæ ab hoſte expectari poſſent Gallos prætermiſſuros. Regi ſtare ſententiam, innocentem ætatem omnibus opibus tegere. verum cum neque precibus noſtrorum animi mouerentur, placuit tandem à tribus Regibus fide accepta, dataque in colloquium deſcendi, atque de omnibus controuerſiis coram agere. Eo conſilio Rex Gallus Saluaterram acceſſit, Baionam Caſtellæ Rex in Tarbellis ſitam in finibus Aquitaniæ. Vt coram de conditionibus diſceptarent, Sanctii aſtu impeditum eſt, ne à patre in nepotes haud obſcure propēſo aliquid contra ſuam dignitatem impetraretur. ſermonum tantum miniſter Carolus Tarenti Princeps Siculi Regis filius vltro citroque vti commearet impetratum. neque quidquam tamē perfectum eſt, cum omnia conſilia Principum Sanctii artibus eluderentur. tametſi æquiſſima petere Galli videbantur: Alfonſo puero Giennium vrbem Regis nomine dari, vt Regum Caſtellæ beneficiario. Soluto eo conuentu Gallus & Aragonius reges Toloſam inter ſe collocuturi conuenerunt. nihilo maiori, quam priori colloquio, operæpretio: prorſus vt Regem Gallum ludibrio habere viderentur. Mompellerii tantum principatum, quoniam de eo controuerſia erat, Rex Gallus iureiurando eſt pollicitus ſe Iacobo Baleari Regi relicturum. gratiſſimum Sanctio Principi accidit Regis Galli opera, tantaque contentione nihil à Regibus, quod ad puerorum quidem commodum pertineret, eſſe impetratum. patris tantum inconſtantiam verebatur, ne ætatis commiſeratione ad nepotes reſpiceret: nam mutatæ voluntatis non leuia extabant indicia: multiq; qui Principū offenſas acriter ſpeculantur, Alfonſum Regem variis criminationibus in filium concitabant. eum reipublicæ procurationem vniuerſam occupaſſe. omnia pro arbitratu inuertere. Regis auctoritatem contemptui habere. Erat Alfonſo ingenium varium, flexibile, multiplex, pudenda actionum inconſtantia, cum ætate effecta maior. Sanctius prouiſa tempeſtate externis auxiliis ſe munire ſtatuit, atque Aragonium Regem ſibi omni conatu conciliare. Miſſi ad eum legati, primum Gōſaluus Gironius D. Iacobi Magiſter, deinde Montisferrati Marchio. legationis ſumma erat, vt de rebus magnis collocuturi conuenirent. Agredam inter & Turiaſonem, ad oppidum cui Campillio nomen eſt, reges conuenere Alfonſus, Petrus, & Sanctius, ſexto Kalend. Aprilis, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo. inter vtranque gentem fœdus factum, eoſdem amicos inimicoſque futuros. ei, qui prior amicitiam violaſſet, argenti ſedecim millia pondo, mulctæ nomine indicta. Nonnulla oppida Aragonio data Palaſuelus, Tharaſia, Xera, Aiora. Emanueli Alfonſi Regis fratri, cuius ea oppida

pida erant, Eſcalona municipium eorum permutatione, donatum eſt. Hæc palam. Ex arcano autem regnum Vaſconum communibus armis inuadere, atque occupare ſancitum finesque deſignati, quam quiſque partem rebus patratis obtineret. Præterea Sanctio datum eſt, vt pueri Setabi in arce diligenter cuſtodirentur. Quæ vt rata eſſent, & vt amplius Aragonium Regem ſibi obſtringeret, Sanctius ſoluto conuentu cum Agredam comitatus eſt: Vaſconumq; regnum defuncto patre Aragonii iuris integrum fore eſt pollicitus: præterea de ſuo Requenam in Conteſtanis & Requenæ contributa oppida. vſque adeo inter metum & ſpem animus fluctuabat, vt ſecuritatem magno redimere pudori non eſſet. Ioannes Lara, quem illis temporib. grauem & potentem virum inuenio, Albarracinum obtinebat, Theraſiæ iunctus connubio Aluari Aſagræ, quondam Albarracini reguli filiæ, Petri neptis ex eo. inde propter loci firmitatem Aragoniæ, & Caſtellæ finibus imminebat, vtrinque prædas agere ſolitus, perfugioque eſſe omnibus, quicunque ab vtroque Rege eſſent alienati. ac nominatim Lupus Harus ea potentia regulus, ad eius vrbis præſidium confugerat Caſtellæ Regi cum primis infenſus. Eius vrbis occupandæ Laræque euertendi conſilia inter ſeſe Sanctius & Aragonius Turiaſone communicarunt. Alfonſus Rex Burgos profectus filiorũ, Petri & Ioannis celebrauit nuptias. Petro Narbonenſis reguli, Ioanni Marchionis Montisferrati filiæ iunctæ ſunt. nihil maioris rei tot Regum colloquiis, tantisque molitionibus eſt factum: Hiſpaniæque quamuis in præſentia pacatæ ſæuiſſima aliqua tempeſtas imminere videbatur, ob alienatas commotasq; omnium ordinum voluntates.

Sanctius in patrem rebellat. CAPVT V.

SANCTIVM inter, & Alfonſum patrem grauiſſimæ ſuſpiciones ſenſim exortæ à paruis initiis, vt fit, in apertam ſimultatem bellumque prorupere. Alfonſo ægre erat, ſuam ætatem contemptui multis eſſe: plerosque conſiderabat ſtudio teneri nouarum rerum. Itaque ſanciendæ auctoritatis, decorisque cura, collecta militari manu in agros Granatenſes populabundus irrupit, ætate quamuis affecta grauis, fracto laboribus corpore. Nihil æque vexabat, atque ærarii inopia. pecuniæ redigendæ ratio aliqua quærenda erat. óptima, & facillima viſa eſt, nouum monetæ genus, tum ærea tum argenteæ eudere immutato pondere, metallóve permixto, retento valore: quod niſi peſſimis reipublicæ temporibus vſurpandum non eſt. Odium certe publice conceptum amplius accendit. præſertim cum non ius aut verũ in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectare diceretur, multosque afflictis criminibus cauſſisque ſpoliaſſe. quæ res nulla reipublicæ neceſſitate excuſari poterat. nihilque magis Principi ſtudia ſubditorum cõciliat, quam integer iuſtitiæ cultus. Fredulus Oueteñſis Præſul, domo Gallus, ad Philippum Regem legatus. ſpecies erat impetrandæ veniæ peccatorum à Pontifice Romano aduerſus Mauros: re de liberandis nepotibus conſilia communicare volebat, an ætatis innocentiam miſeratus, flexusque ad humanitatem: an quod magis arbitror Sanctii odio, cuius antea metu eos regni hæreditate ſpoliarat. Alfonſi conatus haudquaquam Sanctium latuerunt, vt nihil occulti eſſe in inteſtina diſcordia poteſt. Externis ergo auxiliis ſe munire certus, Cordubam abiit, cum Granatæ Rege fœdus facturus tertia vectigalium parte contentus: quam conditionem Alfonſus oblatam paulo ante repudiarat. Ioannis fratris opera, qui & ipſe Sancti partibus addictus erat, Caſtellæ atque Legionis proceres aduerſus Regem concitati ſunt, iam pridem alienati animis, ob Alfonſi Regis ſeueritatem, ac recenti memoria Camerorum reguli, & Friderici fratris cædem. Hæc initio anni eius ſeculi octogeſimi ſecundi gerebantur. quo anno Dionyſium inter Luſitaniæ Regem, & Iſabellam Aragonii Regis filiam maiorem natu, ad Troncoſum oppidum nuptiæ celebratæ ſunt, menſe Auguſto. Hæc eſt illa Iſabella quæ virtutum merito, & ob inſignem pietatem, in cælitum numero locum habet: eiusque memoria anniuerſariis ſacris in Luſitania celebratur. Dionyſius Sanctii dexteritate in partes attractus fœdere facto eſt, ob iram credo aliquam in auum conceptã aut maioris præmii ſpem. Alfonſus Rex cum ætatis inclinatione, parũ animo prouidebat, pro ingenio hominum hoc quoque nomine prauo, quod in ſuis quiſque periculis, quam in alieno negotio imprudentior eſt. obſtat metus, cupiditas, amor. Comitia regni Toletum indicit, ſi quo modo ſine armis filii, & procerum mentes ſanari poſſent. verum dum media, pacataque conſilia ſequitur, neque cauit, neque auſus eſt ſatis. Nam Sanctius contra procerum fauore fretus, aduerſus patris conatus Valliſoleti regni conuentus agitat, frequentiores multo, quam apud patrem. Mariam Alfonſi Molinæ reguli patrui filiam connubio ſibi iunxit, poſteritatis cura: vnde Ferdinandus natu maior aliique filii ſunt nati. procerum arbitrio omnia acta: omniaque à Sanctio conceſſa quæcunque priuatim aut publice poſtulare auſi ſunt. maioribus in futurum promiſſis onerati. Ea via conci-

Digitized by Google

liandis omnium ordinum voluntatibus optima fore viſa eſt. Noui delecti magiſtratus, nouæ leges ſancitæ. quantum quiſque viribus & auctoritate valebat, tantum ſibi è republica arrogabat. Inuaſit defectionis tabes etiam popularium motas iam mentes: iſque habitus animorum fuit, vt facinus ingens auderent alii, plures vellent, omnes ferme paterentur. neque deerant qui Sanctium Regem patrem patriæ ſalutarent, & omnia principatus nomina inter fauſtas acclamationes deferrent. quod ille conſtanter renuit, paſſurum ſe negans patri ſuperſtiti regium nomen, honoremque detrahi: ſeu ingenti modeſtia, inani appellatione cum omnia pro Rege ageret repudiata, ſiue vt cunctando ſtudia magis inflammaret. Emanuel ſane patruus ſuo & aliorum procerum nomine, Alfonſum publica ſententia in cõuentu pronũciata, regno priuauit: ea calamitate dignũ, quod diuinæ prouidentiæ opera, & humani corporis fabricam inſigni linguæ procacitate, ingeniique confidentia accuſare auſus fuerat: vti vulgo hominũ opinio eſt, ab antiquo ducta per manus. vocis ſtoliditatem numen iuſtiſſime vindicauit. Id fore aſtra memorant portendiſſe eius artis non ignaro: ſi ars eſt, & non potius inane mortalium ludibrium, quod à prudentibus ſemper accuſabitur, & ſemper tamen patronos habebit. Ex eo ferunt ſuſpicacem eſſe redditum. atq; ex metu crudelem magnam eius odii partem concitaſſe, quæ illi calamitati fuit. Sanctii Principis nuptiç Toleti peractæ, apparatu nõ magno quippe in ipſo belli ciuilis procinctu. Alfonſus in timore inter ſtudia ſuorum deſtitutus à Marrocio Rege opem mutuamque pecuniam petere eſt compulſus, regia corona barbaro oppignerata. Alfonſus Guſmanius Sancti Luciferi regulus Alfonſo Regi iratus ſeſe Marrocium contulerat. de cauſſa nõ conſtat, ſed in magna tamen apud regem barbarum erat auctoritate Maurici exercitus Dux. Extãt ad eũ Alfõſi Regis litterę in calamitate ſupplicis, extremũ malorũ: quib. hortatur, vt veteris amicitię ſuæq; nobilitatis memor, immemor iniurię opẽ reb. aſperis ferat: pecuniamq; atq; copias militares in auxiliũ mittẽdi pro ea gratia, & auctoritate, qua valebat maxime, auctor exiſtat. eius beneficii memoriam perpetuam forę pollicetur: iubetque ſumma omnia ab eius beneuolẽtia expectare. Rex barbarus ſpe plenus ex inteſtinis noſtrorũ motibus, ſui cõmodi occaſionẽ oblatã, plus etiã quam quod petebatur deferens Alfonſi Regis voluntate Algezirã traiecit: atq; in Zahara regni Granatẽſis oppido, Alfonſum regẽ ad ſe veniẽtem excepit, magna vtrinq; beneuolẽtiæ ſignificatione. altior ſedes Alfonſo eſt data. is honos hoſpiti habitus, & quoniã Alfonſus ex Regũ progenie ortus, & in regni ſpem à prima ætate educatus, dignitate maior erat ipſius etiã Regis barbari cõfeſſione, mutuo colloquio de belli ſumma deliberatũ, quoniam pacis conſilia non proceſſerant. Hiſpalis in Alfonſi fide erat. Corduba partibus infecta Sãctium ſecuta eſt. Eam vrbẽ Mauri, Bæticæ agris primum euaſtatis obſidendam ſumpſerũt. Affuit Alfonſus Hiſpali ſuorũ manu contracta. vrbs virtute ciuium, Sanctiique diligentia, qui hoſtium aduẽtum celeritate occupauerat, fortiter defenſa eſt. Maurus vigeſimo obſidionis die, quoniã properanti feſtinatio quoque tarda erat, dimiſſa vrbe, Alfonſoq; annuẽte, ſaltum Caſtulonenſem ſuperauit, atq; ad Mõtielem agros populatus, multaq; præda abacta (is ciuilis diſſidii fructus fuit) Aſtigim rediit. Inde Alfonſus cum indicatũ eſſet, eius capiendi barbarũ cõſilia agitare, Hiſpalim vnde venerat clã ſe ſubduxit. veræ eæ delationes fuerint, an falſæ in ambiguo fuit, magno ſane dolore Regis Mauri accidit fidẽ ſuam apud Alfonſum ſugillatã: prorſus vt relicta Hiſpania redierit in Africã, redditis mille equitibus, qui Fernãdo Poncio Duce Alfonſi iuſſu, Maurica ſtipẽdia faciebant. in ſignum animi non penitus alienati fuit. Ii ad Cordubã decem millia equites obuios factos, inito certamine viciſſe memorãtur: tanta erat pugnandi ſcientia, virtuſque animorũ, multis bellis comprobata. Ab Alfonſo Rege in Hiſpali in publico cõuentu Sãctius furiali carmine deuotus, & iure paterno diris execrationibus caput deuinctus, regniq; ſucceſſione ſpoliatus eſt, octauo menſis Nouembris die. Sãctius neque ea religione tactus, fœdere cum Granatẽſi Rege inſtaurato, ad omnem occaſionem intentus circum Cordubam & ipſe motabatur, & copias in hiberna diſtribuit.

Ioannis Prochitæ in Gallos coniuratio. CAPVT VI.

FVIT hic annus non magis Alfonſi Regis caſu, & Caſtellæ motibus, quam Ioannis Prochitæ coniuratione nobilis. Is inſulæ ſibi cognominis ad Siciliam Princeps fuit, magno ingenio vir, magnaque quondã apud Manfredum Regẽ gratia: quod ne fraudi eſſet, apud Gallos rerum dominos omnes occaſiones euertendi viros magnos captantes, profugus in Aragoniam abiit. Aragonii Reges Iacobus & Petrus idoneum virũ nacti, per quem regna iniuria ereptum Siciliæ atque Neapolis recuperarẽt, oppido gaudentes benigne acceperunt, amplis poſſeſſionibus, vnde ſuſtentaret vitã, donarunt ac nominatim à Petro Rege in Va-

lentino

lentino tractu Luxenum, Beniſanum, & Palmam accepit. Gibellini tota Italia Francorum imperio oppreſſi. gentis ferocis imperioſæque (ſic illi prædicabant) ad Aragonios reſpicere cœperunt, eorum ope ſperantes grauiſſimi imperii iugum poſſe depelli. Vidit ea tempeſtate Italia, quod vltimum in ſeruitute erat, ſermonis etiam libertate ſublata Gallorũ impotenti dominatu Romæ etiã cõſtituto vrbanæ præturæ ſpecie. Nicolaus Romanus Pontifex eius tyrãnidis euertẽdæ cõſilia agitabat. Edicto primũ vetuit præturã Romanã pluſq; annuam eſſe, ſublata etiã facultate eius magiſtratus gerendi Regibus Regumque propinquis. Carolo Siciliæ Regi Vicarii nomen & auctoritas abrogata (qua in Italia, quaſi Imperatorum Legatus fungebatur) per ſpeciem Rôdulfo Cæſari ſic eſſe placitũ. Quæ omnia tametſi ad imminuẽdas Caroli opes pertinebãt, iure ex cuſante factũ nondũ mouebãtur arma. Nã q; auctores nõnulli defendũt, ex familia Vrſina, vnde Pontifici Nicolao genus, binos Reges Italiæ deſtinaſſe, Lõgobardiæ, & Hetruriæ Trãſalpinis prohibẽdis Italiæ aditu, fama ſ. equctior & ſenſus prope omniũ damnat. Omnino Carolus defuncta priori vxore Balduini Cæſaris filiam, ſibi toro iũxerat: ex eoq; Philippi Leuiri patrocinio ſuſcepto, Byzantio ſpe imminebat, Alfonſum Caſtellę Regẽ cõciliare parabat, Violãte eius filia Philippo in cõiugium impetrata. Ii conatus Aragoniis artibus eluſi: & ad Cãpilliũ, vbi Reges collocutos eſſe dictum eſt, cautum expreſſe erat ne Caſtellæ Rex Gallis affinitate iungeretur. Beatrix Manfredi Regis filia Conſtantiæ Reginæ Aragonię ſoror, à Carolo in cuſtodia detinebatur: neque de eius libertate appellatus mutare voluerat. Ea ad alias ſimultatis cauſas accedebat. Prochita ex iis reb. commodã occaſionem nactus, patriam, opeſq; recuperãdi, Byzantium mutata veſte, ſemel & iterum abiit. Palæologum Auguſtum rebus ſuis ante timentem, maiori ſuſpicione metuq; implet: iunctis cum Gallo rege opib. à Carolo claſſem validam in eius exitium comparatã docet. Francorũ vires integras, Græcos domeſticis factionibus debilitatos impareſq; futuros, duorũ regum conatui. Superiores victoriæ documento ſint. dicere vera liceat, in te ſuperbia non cadit. in ira atq; periculo regi poſſe magnificum. an domi reſidens per ſocordiam expectabis, dum bello laceſſant: ſuiſq; virib. & partium ſtudiis ſubleuati, quod dicere perhorreſco imperio deturbent? Magnũ onus ſuſtines, quod aut regendum eſt arte, aut ſua te mole opprimet. domi proprio diſcrimine hoſtes implicandi. Siculis veteris imperii memoria, noui inuidia alienatis dux tantum ad quem deficiant potius, quã voluntas rebellandi deeſt. Aragonios reges ſolicitare nõ deſinũt ad ferendam opẽ, regnumq; capeſſendũ. Pontifex Romanus Gallis infenſus eſt. Si eorũ conatus iuueris, næ Cęſar paruo labore, impendioq; te atq; rempub. magnis tempeſtatib. eximes, atq; in eorum caput vertes quæ in te illi moliuntur. Poſtremo hoc in pectus tuũ demitte, Francos nunquam tibi amicos fore: nam viribus & potentia quid valeant ipſe ſcis. Ad ea Cæſar quoniã vera Prochitã dicere compertũ habebat, auro ſe Aragonios conatus iuuaturũ promittit, occulte tamẽ ne tantę molitiones proderẽtur. Ille re conſtituta rediit in Italiã, Pontificeq; Romano ad Rocam Surianam prope Viterbiũ conuento, & de reb. omnib. edocto, in Siciliam ſeſe refert, defectionis conſilia cum procerib. eius inſulę cõmunicaturus. tanta Francorum ſocordia, aut confidentia, coniuratorumque ſilentio, vt quid ageretur penitus lateret. Moritur interea Nicolaus Põtifex, ſucceſſore Martino IIII. Turonẽſi ciue Caroli partibus deditiſſimo: prorſus vt in eius gratiam Palæologum Cæſarem diris deuouerit, de impietate poſtulatum, quod Romanæ eccleſiæ nollet obtemperare. Ab Aragonio Rege Hugo Metaplana vir multarum rerum vſu ea ætate præſtans, ad nouũ Pontificẽ legatus eſt, vt eius animũ conſiliaque exploraret: tametſi legationis ſpecies erat Raymundi Pennaf ortii nomen vt conſecraretur. Renuit Pontifex, negauitque aliquid ſe conceſſurum ei, qui vectigal Romanæ eccleſiæ debitum pendere recuſaret. præterea decumæ ſacerdotiorum Iacobo patri à prioribus Pontificibus conceſſæ, abrogatę ſunt. Quæ res Aragonium deterrere potuit. ad maturandam expeditionem amplius inflammauit: ne cunctantem caſus aliquis impediret. numeroſa claſſis in Aragoniæ littoribus ædificata eſt, Africæ inuadẽdę ſpecie: vbi pulſi paulo ante Tunetani Regis à Cõrado Lãſa, vti dictũ eſt, duo filii de Cõſtantinæ atq; Bugiæ, quas ille vrbes retinuerat, principatu inter ſe certabãt. Hæc palã iactabãtur. maior tamen & verior cura ſuberat Siciliæ occupãdæ. Põtifex per oratores tãti apparatus cauſſã percõtatur. qui cum percõtandi finẽ non facerẽt, Rex in iram cõcitatus: Cõburam inquit, tunicã ſi meorũ conſiliorũ eſſe gnaram putarẽ. Simile reſponſum Rex Frãcus tulit vterq; de Caroli incolumitate ſolicitus, cui Aragonios eſſe infenſos compertũ erat. Gręcus Imperator vt erat pollicitus, in belli ſumptus aurũ ſuppeditauit minime parce. Siculorũ cõiuratio ad effectũ perducta ſanctiſſimo anni tẽpore, quod nefas eſſe videbatur. Chriſti reſurgẽtis memoria feſto die, tertio Kalend. Aprilis, cum ludis atq; lætitia cũcta perſonarent,

laſciuia & ſecuritas magis quam formido oſtentaretur, atque ex templis populus campanæ ſonitu ad veſpertinos hymnos conuocaretur, tota inſula cædes Francorum nihil minus cogitantium, vno temporis momento eſt facta. Inde Siculus veſper in prouerbium abiit. claſſis etiam occupata, quæ in Siciliæ portubus parata inſtructaque erat aduerſus Græcum Imperatorem à Pontifice Maximo hoſtem iudicatum. ſic fama vulgatum eſt: ſic multi auctores memoriæ prodiderunt. Alii affirmant Panormi primum cędem Francorum eſſe factam, cum ad Sancti Spiritus, quod templum ad Montē Regium eſt à Panormo tribus millibus paſſuum ſtato die conueniretur: fœminæque cuiuſdam pudicitiam contrectaſſet per cauſſam perſcrutandi an telum ferret Drechetus Gallus. ex ea re populũ ad arma conſternatum. in agro, in vrbe, in arce, promiſcuam Francorum cædem factam, nullo diſcrimine ſexus aut ætatis. Tanta vindictæ cupiditate, vt fœminæ etiam, quibus ex Gallis vterus intumuerat, neci darentur. vrbs ipſa hoſtiliter direpta: vt nunquam commota multitudo in vno gradu reſiſtit. Omneque magnum facinus aliquid ex iniquo habeat, propemodum neceſſe eſt. Oppida alia & vrbes Panormitanorum exemplo, multis in locis tumultuatæ ſunt. Meſſana in fide tantiſper perſtitit Herberti Aurelianenſis totius inſulæ pro Francis Præfecti diligentia & auctoritate. Metus haud diuturni officii magiſter extitit. Itaque Meſſanenſes breui aliarum vrbium auctoritatem ſecuti, correptis armis rebellarunt, Gallico tũ præſidio, tum Præfecto vrbe pulſo. Guillelmus Porcelletus Calataphimiæ Prætor, quamuis natione Francus, in medio ſeditionis ardore abire incolumis permiſſus eſt, vna probitatis & modeſtiæ opinione tectus. Hic fuit exitus Prochitæ coniurationis, famoſæ magis quam claræ Siculi ſane reſidente animorum impetu tametſi intelligebant quanto in periculo eſſent, quoſdam etiam cædis defectionisque pœnitere cœpiſſe, obſtinantes tamen animis mori priuſquam ſe Francis dederent, Aragonium Regem ad opem ferẽdam ſolicitare conſtituunt: quo ſe ille tempore ad Dertuſam tenebat inſtructa claſſe, certusq; in Africam feſtinare. Inde euaſtatis iis littoribus longe lateque, cum mutato repente curſu in Corſicam appuliſſet, cæſos in Sicilia pulſosque Francos cognouit: Carolumque ex Hetruria ad eos motus accurriſſe, & contractis vndique copiis mari terraq; Meſſanã obſidere. Nulla à multis annis acrior oppugnatio fuit. Ardebant Franci cupiditate iniuriæ vlciſcendæ: ſanguineque Siculorum interemptis ciuibus parentare cupiebant. obſeſſi id intelligẽtes ſupremo virtutis conatu propugnabant. omnis ordo, omnis ætas adeſſe omnibus partibus, nullaque onera aut pericula detrectare. Inter hæc Rex Aragonius Panormum appulit, ſumptoque regio inſigni Rex ab omnibus ſalutatur, aucta claſſis cum qua venerat, iis nauibus quas Siculi aduerſus Græcos paratas ipſis ſeditionis initiis occuparant. Carolus victoria deſperata, nam cũ ſpe maturi auxilii obſeſſis animus creuerat, mœſtus atq; inglorius in Italiã rediit Meſſanæ obſidione ſoluta. Hoc Aragoniis multæ offenſionis initium fuit magnæque gloriæ. miſſæ inter Reges litteræ iracundia contumeliiſque plenæ. Iis litteris amplius exacerbatæ voluntates. bellum vtrinque indictum. Aragonius ex Hiſpania nouas copias expectabat. Carolus ex Prouincia Phocæenſi. Aragonio omnia in Sicilia prona erãt Frãcis aſpera. Horũ caſtra ad fretũ Meſſanenſe in Siciliæ conſpectu erãt: Aragoniæ copiæ vrbibus atque oppidis in fide cõfirmandis in varias manus diſſipatæ. Petrus metu amittendi quæ parta erãt, in tanta hoſtiũ potentia ſuorũque auxiliorum lõginquitate, ad artes conuerſo animo Carolum viribus & ſcientia pugnandi confidentem miſſo feciali ad certamen prouocat. ſi vir eſſet congrederetur, innoxioque multorũ ſanguini parceretur: ſuo ipſorum periculo belli quod inſtabat materia ſublata. ſic Franci ſcriptores rem tradunt. Aragonii contra affirmant, Petrũ à Carolo priorem fuiſſe prouocatum, internuncio Simone Leontino ex Prædicatorio ordine. Conſtat accepta vtrinq; cõditione placuiſſe, vt centenis vtrinque equitibus dimicaretur. De loco pugnæ dubitatum, Burdigala delecta eſt, quoniam in Eduardi Angli Regis poteſtate erat, Aquitaniæ caput. Dies dicta certamini, & conditiones vtrinque ſacramento firmatæ. Interea Pontifex Romanus rebus cognitis quæ in Sicilia geſtæ erat, Aragonium regem, vt deſiſteret monet, neque intempeſtiua ambitione pacem turbaret. Ad extremum parere recuſantem, nono Nouembris die, ex priorum numero eximit ſententia ad Mõtem Fiaſconẽ pronunciata. Regi Anglo verbis grauiſſimis mandat, ne pugnaturis Regibus in ſua ditione locũ prębeat. nihil ea diligentia profectũ Regina Cõſtantia viri iuſſu in Siciliam abiit, ne abſente Rege Siculorum fides nuta-
1283. ret. Aprilis vigeſimo ſecũdo die, anno milleſimo ducẽteſimo octogeſimo tertio, Meſſanã appulſa eſt cũ Iacobo filio, cui pater Siciliæ regnũ deſtinabat. Reges ad certamẽ properant Carolus in Galliã, vbi certiſſima gẽtis præſidia erãt, propẽſæ in eũ volũtates: Petrus claſſe Hiſpaniã tenuit. Kalend. Iunii, qui dies certamini erat deſignatus. Carolus cũ equitum ala Burdigalæ pręſto fuit. Petrus Aragonius Rex nuſquã cõparuit. Frãci ſcriptores ignauia fa-

ctum

tum dicunt, ſimplicesq; Gallorum animos decoris ſpecie obiecta deluſos: cum ſe Aragonius interiecto ſpatio, viribus & potentia confirmare cuperet. noſtri ſcriptores excuſant: Petrum a Prætore Burdigalenſi admonitũ, vt Gallicas inſidias caueret. cum iuſto exercitu Regem Francum propinquare. centum Aragoniis equitibus aduerſus omnes Francorum copias certamen fore? Francorum quam Aragoniorum auxilia multo eſſe propinquiora. Tunc Aragonium regem Burdigalenſi galeam clypeum, haſtam, & gladium de manu tradidiſſe argumẽto ad ſtatutum tempus affuiſſe, & per diſpoſitos equos ſeſe periculo eripuiſſe in finitimam Cantabriã, variis ſermonibus & opinionibus præbita occaſione, nouorum bellorum parata materia.

Alfonſus Caſtellæ Rex moritur. CAPVT VII.

ARAGONIVS Rex in patriam rediens vno tempore Ioannem Laram Albarracino pellendum ſuſcepit, Aragoniis finibus propter locorum munitionẽ impune ſæpe imminentem: Aragonios & Catalaunos proceres pacandos, qui incommodo ſane reipubl. tempore, cum tantũ externi belli ſupereſſet, tumultuari pergebant. Quod impotenter abs rege habiti iuſto propemodum ſeruitio opprimerentur, nulla cura legum querebantur gentis moribus abrogatis. neq; ibi deſunt linguæ promptę ad plebem concitandã ſpecie patriæ libertatis defendendæ. Itaq; Turiaſone primum deinde Cæſarauguſtę, Barcinone tandẽ regni conuentus abs Rege habiti ſunt priora peccata licentiãq; (ſic præ ſe ferebat) emendare parato: quod nouis diplomatis ſe facturum confirmauit. Ea blandimenta genti gratiſsima fuerunt: tametſi non ignorabant, non voluntate data, ſed neceſsitate potius fuiſſe expreſſa. Externi belli cura, q̃ grauiſsimũ impendebat, regem ſolicitabat, ne conuerſo in Siciliã atq; Italiã animo, domi inteſtini motus eſſent, obiecta pręſertim à Rom. Pont. anathematis religione, qua regem vt paulò ante dictum eſt, deuinxerat. recensq; quoniã parere recuſabat, ſentẽtia ad Vrbẽ veterem pronunciata Martii die 21. paternis regnis priuauit, occupãdaq; dedit Carolo Valeſio regis Galliæ filio minori. Quod iniquum pleriſq; viſum eſt: neq; ſatis idonea cauſſa Siciliã armis occupaſſe Siculis in calamitate eius opem fidemq; implorãtib. ad hæc Manfredi regis Siculi iura repetentis Nicolao III. Pontif. auctore atq; auſpice. Res Caſtellæ nihilo tranquilliores erant. regno inter patrem & filium in factiones diducto, pars multo maxima Sanctium ſequebatur: Alfonſus præſidio deſtitutus, externaque auxilia cõquirens Marrochium Regem ſecundò in Hiſpaniã attraxit: quo minori inuidia eſſet, aduerſus Granatenſem regem aduerſæ factionis ſtudioſum, Sanctioq; deuinctum fœdere. bellũ haud vllo euẽtu memorabili fuit. Afri. n. omnia difficiliora opinione experti, quoniã vrbes & oppida Granatæ rex prouiſa tempeſtate munienda curarat, totius certaminis aleam detrectare conſtituens, nullo magno operæpretio redierunt in Africam nouũ ex Italia ſubſidium petitum, religionis obiecta ſpecie. Sanctius apud Martinum Pontificem Maximum per oratores de impietate atque ingrati animi noxa poſtulatur. ſuperſtite patre in omnia regni iura inuaſiſſe: neque pręambitione regnandi ſenis obitum expectare. Ergo in impiorum loco haberi mandatũ eſt, quicunq; relicto Alfonſo filii partes ſequerentur. dati etiã iudices à Pontifice in cauſa, vrbes & oppida Sanctio addicta, ex ritu Chriſtiano ſacrificiis interdixerunt. Itaq; eodẽ tempore, non eadẽ de cauſſa in Aragonia & Caſtella ſacrorũ veluti iuſtitium fuit, mœſta prouincia, Sanctioq; iudicib. ſi eos nanciſceretur, extrema quęuis comminati. quę res iniecta animis religione multos à Sãctio alienauit. In primis Petrus & Ioannes eius fratres, vt natura cogebat, ad patrem reſpicere cœperũt. verum re indicata Petrus quidẽ Murciæ regni ſpe iniecta retentus eſt: Ioannes autem cum mutatæ voluntatis ſpeciẽ præbuiſſet, per Luſitanię fines ad patrem abiit, Hiſpali ſe tenentem. Multæ vrbes & oppida cum defectionis pœniteret, circunſpicerentq; qua ratione placare iram Alfonſi regis, procurare anathematis religionẽ poſſent, ſpe veniæ gratięq; impetrandę Alfonſo ſeſe ſuaq; dediderunt. In his Agreda Treuignũq; multiq; proceres: qui iuncti cum Philippi regis Gallię copiis, in Caſtellæ fines, Toletum vſq; populabũdi peruenerũt. Erat Philippo filius Philippus cognomẽto Pulcher. Is hoc anno (alii ſequẽti dicunt) Ioannam Vaſconum reginã vxorem duxerat règno dotali. & vt eſt ingenium hominum priorũ regum iure repetito ditionis acceptæ fines in immenſum extendere cogitabat, inteſtinaq; noſtrorũ diſsidia in ſuũ cõmodum conuertere. Sanctius, quantum in tanta colluuione rerũ dabatur, in omnes partes accurrens Taurũ vrbem imperio rebellantem pacauit: Ioannẽ Laram cum ſua & Vaſconũ manu Calagurris, Vxamæ, & Segontiæ agros vexantẽ, Albarracinum reiecit obuiã factus. Actũ deinde miſsis legatis, vt pater & filius fide accepta dataq; inter ſe colloquerẽtur: eoq; cõſilio Alfonſus rex Cõſtantinã acceſsit, Sãctius Guadalcanã. ſpes erat mutuo colloquio rebus reddi tranquillitatẽ poſſe. Sæpe ex iniuria poſtmodũ gratiã ortam. & Sãctius in ipſa defectione præterquã quod regnũ eripuerat præcipua pietate patrẽ complecti viſus erat;

à contumelia abſtinere honorifice loqui, & ſentire. deſtinata ſalubriter Alfonſi Regis æ-
muli Sanctii familiares diſcuſſerunt iniecta periculi ſuſpicione: & regia diſſidia calamita-
temque reipublicæ plerique ad ſuum commodum vertebant. re infecta Alfonſus Hiſpa-
lim, Sanctius Salmanticā diſceſſerunt. Eorum conceſſu Beatrix Luſitaniæ Regina vidua,
& Maria Sanctii vxor Tauri, per idem tempus Iſabellā filiam enixa, pacē reuocare conan-
tes, nihil amplius præſtitere, indiesq; recrudeſcebant odia, & reipublicæ calamitas auge-
batur. Alfonſi Regis breui ſubſecuta mors, rebus propemodum deſperatis auxilio fuit. Hi-
ſpali ex morbo defunctus eſt, pœnitentia atq; Euchariſtia de more procuratus, ad x I. Kal.
1284. Maii, vt quidam tradunt, certe ſalutis anno *1284.* ſuperiori Nouembri menſe teſtamētum
nuncuparat: in quo Alfonſum & Ferdinandum nepotes inter ſe ſubſtitutos regni hæredes
nominauit: & vtroq; ſine prole defuncto Philippum Galliæ regem ad priores Caſtellæ Re-
ges maternum genus referentē. de filiis atque fratribus mentio nulla Sanctii odio, in quem
Francorum vires eo teſtamento mouebantur. Ioanni tamen filio ſub mortem Hiſpalim &
Pacem Auguſtam eo expetente, Iacobo Murciam legauit, vtriq; Regis nomine, ſed vt Ca-
ſtellæ Regum beneficiariis. In Caluariæ monte cor ſepeliri mandauit, loci religione ſancti-
tateque adductus: corpus Hiſpali aut Murciæ. cor tamen & viſcera Murciæ ad aram tem-
pli maximi ſunt: corpus Hiſpali ſepultum eſt prope patris & matris ſepulcra. impenſa moni-
menti non maxima, neque neceſſaria, quoniam vita meruerat, vt memoria duraret, eſſet-
que immortale nomen. maximus & prudētiſſimus Rex ſi ſibi ſapere didiciſſet, felixq; niſi
ſub vitæ exitum multis calamitatibus eſſet vexatus, atque præclaras animi & corporis do-
tes, auaritia, ſeueritas, atque impotēs dominatus fœdaſſent. Primus Hiſpaniæ Regum ven-
dendi atque paciſcendi vulgari Hiſpanorum lingua poteſtatem conceſſit, eius linguæ ni-
mirum quæ rudior erat, excolendæ locupletandæque ſtudio. ſacros Bibliorum libros in
maternam linguam vertendos curauit. Ex eo tempore in regiis diplomatibus ac publicis
tabulis Latina lingua, cuius antea vſus erat deſiit vſurpari: vnde pudenda litterarum igno-
ratio in noſtram gentem atque vtrunque ordinem inuaſit.

Sanctii Regis initia. CAPVT VIII.

ALFONSI defuncti regnum ad Sanctium peruenit nullo prohibente, iure contro-
uerſo, Abulæ id temporis res gerentem, ac vix ex morbo recreatum, ex quo Salman-
ticæ paulo ante decubuerat, ſalute propemodum à medicis deſperata. Integra ætas ſaluta-
ribus ſuccis adiuto corpore præſidio fuit. Regis nomen, quo eatenus abſtinuerat (reueren-
tiæ id patris datū eſt) continuo deſumpſit. Fortis cognomen animi magnitudo peperit, reſ-
que magis feliciter quam præclare factæ: & fere magnifici tituli fortunæ potius quam vir-
tutis ſunt beneficium. verus honor non in ſplendore nominum ſitus eſt, ſed in æquitate &
innocentia atque modeſtia. Erat audax, ſtrenuus, callidus, & in quancunque partem ſe de-
diſſet induſtria ſingulari. vndecim annis, diebus quatuor regnum tenuit, ſpoliati eiectique
patris nota ad poſteritatem infamis: alioqui in bonorum Principum numero. Imperium
enim flagitio partum bonis artibus exercuit, Abulæ patris manibus iuſta funeris magnifi-
ce perſoluta ab eo ſunt. Toleti infulas, regiaque inſignia deſumpſit, lugubri veſte in purpu-
ram trabeamque mutata. Ex aduerſa factione proceres paſſim ad nouum Regem ſalutan-
dū conueniebāt, quaſi priores offenſas maioribus officiis, fideq; integra cōpenſaturi. Quæ
quo magis falſa erant, eo propenſius per adulationem fiebant, emētiente lætitiā vultu, quo
nihil eſt in ſpeciē fallacius. eas artes Sanctius alta diſſimulatione eludebat, cōfirmato mox
regno iram animo conceptā effuſurus. Populus, proceres, legiones in eius verba ſacramē-
to adacti. Iſabella noui Regis filia ſecūdum agens annum regni hæres, ſi alia proles deeſſet,
conſenſu ordinū renūciata. aduerſus Cerdas fratres ea præſidia cōparata, à quibus, quoniā
iniuria auiti regni hæreditate ſpoliati eſſe putabantur, nonnulli palam, plerique voto erant.
Regis Aragonii, in cuius poteſtate erant, nouis officiis promerendi præcipua cura ſolici-
tabat, Albarracinū vrbē obſidere occupareq; parantis, iniuriarū impatiētia: quas Ioannes
loci firmitate, & Vaſconū auxiliis cōfiſus inferre non deſiſtebat ſtrenuus manu, ſermone
promptus, ſerendæ inter Reges inuidiæ artifex, ſeditionibus potēs, raptoq; viuere aſſuetus
Caſtellæ atque Aragoniæ finibus euaſtatis quæ res Sanctium prouocauit, vt quoniā adeſſe
non poterat, noui regni cura diſtrictus, validam manum auxilio mitteret aduerſus com-
munem hoſtem. Ipſe Hiſpalim maturauit, vbi Ioannes ex patris teſtamēto regnū conſtitu-
ere conabatur, quāuis diſſentiētibus ciuibus, idq; vnū ex iis quæ Alfōſus teſtamēto māda-
rat fieri nō oportere dictitantibus: cōfectū annis, morboque oppreſſum, parum animo va-
luiſſe: regni maieſtatem imminui nobiliſſima ciuitate detracta non paſſuros. In hæc Alua-
rus Lara conſternatis ad arma ciuibus ſe ducem præbuerat. Ii motus aduētu Sanctii pacati.

Marrochi Regis legati amicitiam cum confirmaturi, Hiſpalim appulſi cum verborum contumelia reiecti ſunt, haud ſano conſilio: importunaque ſeueritate, noui belli occaſio barbaris data eſt. in cuius belli vſum ſubeunte facti pœnitentia, aut certa animi deſtinatione, valida claſſis comparata inſtructaque eſt. Ex Liguribus, qui ea tempeſtate mari potentes erant, & ex ea re rerum naualium inprimis periti, Benedictus Zacharias euocatus magnis propoſitis præmiis duodecim triremes aduexit. maris præfecturam ad tempus, Mneſthei portum iure hæreditario accepit. vtrunque Regis dono, triremis propriis ſumptibus ædificandæ inſtruendæque lege in perpetuum impoſita. Regni conuentus Hiſpali habiti de Republica conſtituenda: in qua ſuperioris temporis iniuria multa erant deprauata, præcipua vitiorum colluuie. In his conuentibus decreta conſultaque reſciſſa ſunt, quæ neceſſitate temporum extorta potius quam impetrata, tum ab Alfonſo Rege erant, tum ab ipſo Sanctio. In Caſtellam deinde maturatum, vbi aduerſæ factioni integra ſtudia ſupereſſe nunciabatur: multoſque de Cerdis fratribus reſtituendis inter ſe arcano conſilia agitare. eorum conatibus Sanctii celeritate occupatis, pars ad meliora conſilia traducti, pars capite pœnas dederunt: eorumque calamitatis exemplo cæteris documentum datum ſimilis perfidiæ vitandæ. Hæc in Hiſpania. Quo tempore Rogerius Lauria Aragoniæ claſſis ad Siciliam præfectus, victis viginti Francorum triremibus, quas ad Melitam nactus eſt, Duceq; earũ Guillelmo Cornuto natione Gallo in pugna interfecto 6. Idus Iunii, Neapolim verſus, Carolum Claudũ Salerni Principẽ Caroli Regis filium valida claſſe parantem. Siciliam aggredi vindicareque iniurias, ad certamen elicuit: cumque quamuis Legato Romano periculum denunciante, nauali prælio decernere auſum in pugna cepit cum multis aliis. De numero nauium variant auctores, neque quid certi ſequeremur habebamus. Fama frequentior Aragonias triremes duas & quadraginta fuiſſe vulgauit, hoſtium ſeptuaginta. Ad nonum Kalend. Iulii pugnatum eſt. Secundum eam victoriam in magna Græcia plurima oppida & vrbes ab Aragoniis occupata. Victoribus omnia prona erant, victis ardua. eo maiori dolore luctuque eæ calamitates contigerunt, quod Carolus pater intra tertium a pugna diem ſeſe in Caietæ portum intulit cum viginti triremibus, quas ex Prouincia Phocæenſi auxilio vehebat: & filius Meſſanæ, vbi captiuus tenebatur, a Siculis capitis ſententia damnatus eſt, Corradini necis exemplum in illũ vertere certis. Regina cuſtodiri iuſſum, conſultoq; Rege, vt opus erat, maiores pœnas daturum diuturna captiuitate exquiſitis cruciatibus, qui ſi abſint mortem miſeriarum victo metam fore dictitans, periculo eripuit. Socii omnino ad ſexaginta effractis cuſtodiis in tumultu populari perempti ſunt inexpiabili gentis odio. Interea Albarracinum ac ſi nihil externi belli ſupereſſet, ab Aragoniæ Rege ſupremo oppugnabatur conatu. ducebatur obſidio, magnæque inerant difficultates: ardua vrbis mœnia, ſaxeæ turres, ferrati portarum obices, locorum aſperitas. Ad hæc firmatus vſu miles, nulla diſcordia corruptus, nullis emollitus voluptatibus, nulla acie exhauſtus, multis bellis exercitus: equites omnino ad ducentos, peditum iuſta manus. vna tantum annonæ difficultate laborabãt, non ſatis opportune prouiſæ: quoniam talẽ vrbem obſeſſum iri nunquam induxerant in animum. Ioannes Lara periculo perſpecto, ſe in Vaſcones aduocato ſenatu, iturum dixit: vbi certiſſima auxilia fore, minime dubitabat. hortatur, ne animo deficiant: vrbemque qua cœperant virtute tueantur. quæ tametſi falſo dicebãtur, ipſeque conſilium fugæ capere conſtituerat, neque vultus cũ oratione conſentiebat, dimitti placuit. Eo digreſſo aliquandiu ſuſtentatum: donec auxiliis deſperatis, ipſo Michaelis feſto die vrbs dedita eſt. Milites maiori parte Galli, Vaſconeſque incolumes abire permiſſi. ex vicinis locis coloni, tum veteres, tum noui euocantur. Rex ex Agnete Sapata, cui Algeziram & Liriam in agro Valentino antea donarat, Ferdinandum furto genuerat. illum vrbe capta continuo donauit. Albarracini obſidionis hic exitus fuit, principatusq; finis: quem diu Aſagræ in ea vrbe tenuerunt reguli cum primis nobiles. Eorum ſtemma ſubtexere, hoc loco commodum fore putábam. Petrus Rodericus Aſagra cõditor principatus, prouecta ætate fratrem Fernandum Rodericum Aſagram hæredẽ nuncupauit: fortaſſis cum ipſe prole careret. Extat Ferdinandi teſtamentum cõfectum vndecimo Kalend. Auguſti, Era milleſima ducenteſima trigeſima prima. ex eo teſtamento colligitur duos illi filios fuiſſe, alterum ex vxore Theraſia Iuania hæredem principatus: nothum alterum Iacobæum militem. vtriq; Petro Fernando nomen inditum. Vidimus etiã Petri Principis teſtamentum quarto Nonas Aprilis, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, morum atq; ſimplicitatis eius ætatis ſpeculum. filios is iuſtos reliquit Petrum Garſiam Fernãdum, Theraſiam, hæredemq; principatus Aluarum. Theraſia vnica Aluari proles Ioanni Laræ Nunnii filio nupſit, paterno principatu dotali. ex Ioanne & Theraſia nati Aluarus & Ioannes, de quibus mentio reditura nobis eſt.

Trium Regum obitus. CAPVT IX.

EO [illegible] maior cura ſupererat belli, quod ex Gallia imminebat [illegible] atque omnium [illegible] tempeſtate maxime memorabile, Romano Pontifice [illegible] faceque ſubdenti [illegible]. Aduerſus Galli Regis potentiam præſertim cum Vaſcones in bellum traheret, ſatis virium Aragonio non erat. externa auxilia conquiſit. Miſſi in Germaniam legati Rodulfum Cæſarem pertentatum, ſi forte Gibellinæ factionis miſericordia commotus ab aduerſariis oppreſſæ vires communicare, Italiamq; aggredi induceret in animum: cunctator natura, & cui cauta potius conſilia quam periculoſa placeret, & [illegible] rum bello implicitus. Itaq; præter ſpecioſa verba, nihil melioris ſpei ex Germania relatum eſt. Sanctius Caſtellæ Rex ad colloquium ab Aragonio inuitatus Soriam acceſſit. Citiæ atque Borouiæ, quæ propinqua oppida ſunt, amicitia inter Reges nouo [illegible] fœdere [illegible] que alteris in periculo defuturos pacti ſũt. Hiſpaniæ aſſiduus atq; infeſtiſſimus hoſtis Marrocius Rex bellum denuo inferre conabatur, Franci Aragonios fines inuadere: eo maiore periculo, quod ſe Iacobus Balearium Rex, in quo præſidium eſſe debuit, hoſtibus coniunxerat. vtrinque magnum periculum, nouaq; laborum facies. a Mauris Cæſarianum obſeſſum decem & octo equitum millibus. ab iis in finitimos agros Hiſpalim vſque excurſiones factæ ſunt: multaque hominum & pecorum præda abacta. Sanctius ſuorũ periculo commotus Toletum maturauit: quo Carolus Atrebas à Galliæ Rege legatus venit. legationis duo erant capita. Cerdas fratres in libertatem eius opera reſtitui. cũ Rege Aragonio, qui edicto Pontificis in impiorum numero eſſet, nihil commune habere. Ad hæc Sanctius, legatos [illegible] quamprimũ ad Galliæ Regem cũ amplis mandatis miſſurum reſpondit palam: ex arcano autem Carolum hortatus eſt, vt ſe Regi conciliaret ſuo. Sunt etiam qui hoc tempore ſcribant Atrebatem a Sanctio pertentatum, vt regni arcana detegeret: Brocchioq;, quod alio loco eſt poſitum, eius ſceleris manifeſto gulam fractã laqueo. Ab Aragonio [illegible] in Vaſconum finibus corona cincta eſt, atq; omnibus viribus oppugnata, Francorum impetum, quem in Ruſcinonenſem agrum parari prouidebat, alio auertere cogitanti, in [illegible] prouincia nouo bello concitato. Oppidũ Ioannis Laræ virtute & diligentia defenſum [illegible] imperio felicioris, quam ſuo. vaſtitas tantum illata agris: finitimaq; oppida ad auertendam hoſtium vim præſidiis & operibus munita. quib. rebus confectis, hyeme iam appetente, [illegible] Rex Aragonius Cæſarauguſtam retulit. Fogiæ, quod oppidum in Apulia eſt, [illegible] initio milleſimi ducenteſimi octogeſimi quinti, omnino ſeptimo Idus Ianuarii Carolus

1285 Neapolitanus Rex è vita deceſſit: malorum tædio, captiq; filii ex dolore confectus. ſi principiis vltima conſentanea fuiſſent, Princeps bello paceq; clariſſimus: longa ætas cum [illegible] tis vertenti fortunæ tribuit. Francorum vigor cum quo venerant, cęlo terræq; [illegible] & copia voluptatũ mutatus extinctuſq; erat. In externos imbelles, in ſubditos feroces, vrbibus & oppidis præfecti Principis ſui periculo peccabant, proprio compendio quæſtuq;. Eius obitus Aragonium ſpe bona lætitiaq; compleuit. Francus maximum animo dolorem cepit, quem hoſtium ſanguine procurare parans magnis delectibus numeroſas copias armat, equites viginti millia, pedites octoginta. claſſis ad foſſas Marianas inſtructa (Aquas mortuas vocant) in qua centum & viginti. partim triremes, partim diuerſi generis naues erant. Sequebantur Regis caſtra Philippus & Carolus filii: Iacobus Rex Balearis frater, vnde multæ iniuriæ exciterant, in primis infenſus: Geruaſius Cardinalis Legatus à Romano Pontifice Martino IIII. qui quarto Kalend. Aprilis Perusii deceſſerat, Honorio ſucceſſore Romano ciue è genteq; Sabella, Francorum tamen non minus ſtudioſo. Menſe Maio Narbone Perpinianum itum eſt. id oppidum Iacobo Regi deditionem [illegible] Francoſq; intra mœnia recepit: atq; eius exemplo reliqua eo tractu oppida, præter vnum Gennã nomine, obſidionem tolerare auſum, propinqua ſpe ſubſidii, Iacobi odio ſub cuius imperio redire detrectabat. Obſeſſos ſpes fefellit: captumq; vi oppidum: cæſiq; ad vnum oppidani, in ipſa tecta ſæuitum eſt. Ruſcinonenſis nothus, alioqui genere nobilis, magno [illegible] templi turrim ſe recepit. Loci firmitate defenſus, & Iacobi Regis precibus, magis quã ſanctitate ſeruatus, Francis gratiã retulit, in vlteriora penetrare parantib. Pyrenæi montis fauces Aragonio obſidente, ſic vt tranſeundi ſpes nulla eſſet, notis tramitibus, Francos circumductos integra fide ad iuga deduxit, quæ hoſtium caſtris imminebant. repentinus metus [illegible] ea re Aragoniis incuſſus, tutum Regib. iter aperuit. qui ſuperatis Pyrenæis montibus, in agrum Emporitanum deſcenderunt. Petra lata, & Figueria oppida, breui in poteſtatem venerunt. ad Gerundam vrbem caſtra promota, eo tractu nobiliſſimam [illegible] Sita eſt in Auſetanis loco decliui ſubterlabente Thici amne (quem hodie Theram vocat) ex equitis [illegible], mœnia firma, ſaxeæ turres. Vrbis ſuperiora templum [illegible]

occupat, ſede domoque Epiſcopi nobile. ſupra templum turris inſtar arcis eminet, nomine Gerundella Raymundus Cardona Vicecomes vrbis pręſidio præfectus nouis operibus muniebat. ſuburbana ædificia diruta. Felicis ante mœnia templum, loci religio & antiquitas tutata eſt. Eius diligentia Francorum opera diſturbata ſæpe ſunt machinæ incenſæ. Aragonius Rex cum valida manu propinquis locis verſabatur, impar quidem viribus, cæterum locum inſidiis opportunum captans. occaſionemq; expectãs auxilii ciuibus ferendi. Obſidio in tertium menſem ducta eſt. Quo tempore, à Sanctio Caſtellæ Rege. Martinus Calagurritanus Epiſcopus, & Garſias Valliſoleti Abbas, de pace inter vtranq; gentem legati, re infecta redire compulſi ſunt: ac vix facta Regem Francum conueniendi poteſtate (inſignem gentis confidentiam) multis præterea & aſperis facetiis, contumeliiſque violati. & erat rumor legationis ſpecie Francorum vires, & apparatum exploratũ veniſſe: vireſq; Caſtellæ Regi cum Aragonio iungendi voluntatẽ non deeſſe. Tametſi bellũ Mauricum in Bætica vrgebat, Cæſarianiq; obſidio in multos menſes ducebatur: Mauris occupare eam vrbẽ, quæ opportuniſſima erat contendentibus, Sanctio Rege certamen, in cuius euentu regni opes vertebantur, ſubire detrectante, ſeque partim Hiſpali, partim Nobriſſæ tenente: ad omnes occaſiones intento, excurſioneſq; prohibendas. Quo conſilio poſt ſextum obſidionis menſẽ barbari rebus omnibus oppreſſi, vimq; Sanctii veriti, ſi mutato conſilio congrederetur, relicta vrbe abierunt. Ex Rege barbaro tranſmiſſo raptim Lethe fluuio, cum fugæ cauſſam rogaſſet quidam: Ego, inquit, in nouam familiam Barramedæ, regni maieſtatem primus intuii: hoſtis quadraginta nihilominus Regibus ortus, tanto ſeptus præſidio, pugnam iniret, verſaturis ante oculos, nobis ad terrorem, illis ad fiduciã. cælum præclari facinoris opportunitatẽ præbere videbatur deletis hoſtibus. ſed Rex cui cauta potius conſilia cũ ratione quam proſpera cum temeritate diſcrimineq; placebant, Cæſariano tantum munita Hiſpalim rediit, hoſtem elabi de manibus quãuis milite dolente, pugnamq; expoſcenti, & ſi ea occaſio dimitteretur comminanti haudquaquam alio tempore pugnaturum. Rex animo ad pacem propenſo eas voces contemnebat. Miſſi vtrinq; legati de ea re. Ad Bætis æſtuaria (alii ad Rupem ferratam dicunt) Reges collocuti. Vt in belli ſumptus Rex barbarus Marauedinorum (genus id monetæ erat Hiſpanis vſitatæ, non vnius ſemper valoris) bis centum myriades penderet ſtatutum eſt; eaq; lege inter vtranq; gentem fœdus factum. Quod ægre tulerunt tũ alii proceres, tũ Ioannes Regis frater, & Lupus Harus: prorſus vt Hiſpali profecti vterq; in ſuæ ditionis oppida cõmigrarint. ſed nimirũ magni Duces prouidendo, conſultando, cunctatione ſæpius quam temeritate profuerunt. cæteris obſequium conuenit, cupidoq; pugnandi. ſic belli munera ſunt diuiſa. deceſſit paulo poſt Rex barbarus Iuzepho filio ſucceſſore. Gerundam redeamus. Aragonius Rex commeatum qui à Rhodopenſi portu, vbi claſſis erat hoſtium, in caſtra deuehebatur intercipere parans loca inſidiis opportuna obſidebat. Re per exploratores cognita, Rodulfus Magiſter equitũ, & Haricuria Mareſcalcus, hoc eſt Magiſter caſtrorum, viri fortiſſimi, conſilio communicato cum trecentis delectis equitibus ad locum inſidiarum contendunt: id prouidentes ne multitudine deterriti Aragonii pugnam detrectarent. Ad octauumdecimum Kalend. Septembris certatum. acris ea pugna fuit. numero Aragonii præſtabant, Francis neq; virtute, neq; ſcientia pugnandi cedentibus. Rex Aragonius nullum neque prudentis Ducis, neq; ſtrenui militis officium prætermiſit, graui in facie vulnere deformatum, ſeque è pugna ſubducere conantem eques Francus correptis habenis cepiſſet, ni iis gladio diſciſſis in repentino periculo fuga euaſiſſet. ſic Villaneus ſcribit, qui cæteros in errorem miſit. Nam Aragonii ſcriptores Regem integrum exæquataq; vtrinque cæde diſceſſiſſe confirmant: verene, an ex amore incertum. Conſtat ſane ad Gerundam propter æſtũ, & ſordes, iniquiſſimo anni tempore, peſtem in Francorum caſtris graſſatam: & accepto tamen eius pugnæ nuncio obſeſſis defenſione deſperata animos concidiſſe, legeſque a Franco accepiſſe. Vti vrbe dedita cum iis quæ agere ferreq; poſſent obſeſſis emigrare quo vellent poteſtas eſſet. In deditos multa crudelitatis exempla extiterunt. ipſa quoq; Diuorum templa violata: Narciſſiq; ſepulcrum, quoniam eius vrbis tutelaris eſt præcipua religionis opinione, diſturbatum a militibus, donaria direpta. numen ſuas ſedes tutatum eſt, de violatoribus vindicta aucta peſte ſumpta. Sic fuit hominũ opinio. præterea Ducibus cõſilium ereptũ. nam cum vrbe capta, pedeſtri itinere in Galliam ſeſe referre præcipiti autumno pararent, mercenariæ naues, quæ in portu Rhodopenſi erant, ne ſumptui & oneri eſſent, dimiſſæ ſunt, peſſimo conſilio vt vſus probauit. Rogerius enim Lauria, capta in extrema Italia Tarento cũ omni circũ regione, in Hiſpaniam Regi laturus opẽ maturans, imminutæ Francorũ claſſis beneficio occaſioneq; inuitatus, commiſſo nauali prælio victor extitit. Ioannes Scotus claſſis Gallicæ Præfectus, &

quindecim triremes captæ: duodecim ſeſe in Rhodopenſem portum retulere. Iis milites & oppido incenſis (tantus terror animos inuaſerat) ad Regẽ in caſtra abiere, acceptæ cladis nuncii teſteſq;. Qui omnia difficiliora opinione fore prouidẽs, aduerſaq; valetudine afflictus, Gerunda munita iter continuo in Ruſcinonenſem agrum conuertit. In tranſitu Pyrenæi ſaltus magnopere laboratum. anguſtias & fauces montium Aragonii obſidebant, Regemq; Gallum lecticariorum humeris, ob valetudinem vectum capere conabantur. magna certe clades accepta, multaq; eo itinere impedimẽta intercepta ſunt. Ex agitatione itineris, aucto Regis morbo Perpiniani deceſſit pridie nonas Octobris, Philippo Vaſconum Rege ſucceſſore: cui ab oris venuſtate pulchro cognomen fuit. Defuncti corpus ab vxore & liberis ad Dionyſii templum, quod prope Lutetiam ſitum eſt, deportari iuſſum. Francorum diſceſſu breui quę ablata erant ad Aragonii Regis imperiũ rediere. Maiora conantem Aragonium & arridentem fortunam vrgere parantem, mors ad Villam Francã oppreſſit, ſexto Idus Nouẽbris, integra adhuc ætate, annos natũ quadraginta ſex. Magni cognomen, auctum imperium & res peperẽrũt præclare geſtæ, decora facie, corpore ingẽs fuit, animo immodicus, eloquentia, cultu, liberalitate, conciliandi hominum ſtudia artifex, vna tãtum anathematis ignominia ad vitæ finem notatus. quam imaginem mẽti morientis atq; oculis inerraſſe fama eſt. vera ne affirmare non auſim. intereſt tamen publice vt vera videatur. Tametſi ea etiam religione à Tarraconẽſi Præſule procuratus eſt ſub mortẽ, eccleſiæ Romanæ, cui parere recuſarat, obediẽtiam conceptis verbis iuratus. Corpus ad S. Crucis cœnobium, quod vicinis locis eſt, ſepultum. Filios reliquit Alfonſum natu maximum, quẽ paterni imperii hæredẽ teſtamento dixit (de Siciliæ regno mentio nulla) præterea Iacobum, Fridericum, Petrum, Eliſabethã, Conſtantiam. Hi omnes ex Conſtantia vxore ſunt geniti. Arnaldus Villanoua vt Regi decũbenti adeſſet Barcinone venerat, rei medicę ea tẽpeſtate peritiſſimus: maiori tamen fama quam laude: cum nobile ingeniũ, eruditionẽ maximam, prauis ſuperſtitionibus, prauiſq; de religione opinionibus fœdare viſus ſit. Quo nomine aliquanto poſt ab Inquiſitoribus ignominia notatus eſt: libriq; quos magno numero ediderat reprobati. Ex humano ſemine, quibuſdam in vaſe medicamentis hominis corpus efformaſſe, qui affirmet auctorem habeo, vero an mendacio diſputare non eſt neceſſe.

Regum Galliæ & Caſtellæ colloquium. CAPVT X.

ANNVM tot Principum funeribus infauſtum, Reginæ Caſtellæ partus, aliqua ex parte procurauit. Rege enim per cauſſam componendi Rempublicam, tumultuſq; ſedandi Pacem Auguſtam profecto, Hiſpali octauo Idus Decembris filiũ enixa eſt, cui Ferdinãdo nomen fuit, & deinde in minore ætate patri in regno ſucceſſit. Eius educãdi, inſtituendiq; cura Ferdinãdo Pontio Leoni, viro primario demandata eſt: Sẽtica vrbe vbi educaretur, propter cęli ſalubritatem, regioniſq; amœnitatẽ à patre deſignata. qui cum proximo anno
1286 milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto regni hæredẽ renunciari in conuẽtu procerum
curauit, de ſucceſſione ſolicitus tum propter Cerdas fratres, tũ quod coniugiũ ipſum inter & Mariam Reginam lege propinquitatis vitioſum eſſe cõſtabat: neq; vt ea lege ſoluerẽtur à Pontificib. Romanis, quorũ ea partes ſunt, impetrare potuerat, Regib. Gallis intercedẽtibus, qua cauſſa incertũ, niſi forte regni intercepti dolor ſtimulabat. quos Sanctius omni ratione placare atq; ad amicitiam adiungere cum ſtuderet, repetita legatio. iidẽ qui ſuperiore anno Martinus Calagurritanus Præſul, & Garſias Abbas iis de reb. legati in Galliam. Vbi octauo Idus Ianuarii, Galliæ ſe & Vaſconum Philippus Regem dixerat, ſacra inaugurationis inunctioniſq; de more Remis peracta. Hoc Rege, eiuſq; iuſſu Lutetiæ in inſula Sequanæ regia in iuſtæ arcis modum extructa: vbi non multo poſt forum agi cœptũ: & quæ vaga antea fuerat iuriſdictio, certis ſedib. collocata eſt. Reginæ impẽſa, in eadẽ vrbe ſchola quæ Nauarræ dicitur, ipſa ædificii amplitudine, præceptorũ auditorumq; numero in paucis præſtans, extructa eſt. Septingentos alũnos bonis temporib. Galliæ, intra vnas ædes habitantes, numeraſſe fama eſt. rebus turbatis vix quingenti erant (quo nos tempore ſcholas Theologicas Lutetiæ explicabamus) nonnulli publica impenſa collegii, pleriq; collatã de ſuo ſtipe victitãtes. Ex his Regib. numeroſa proles nata eſt: Ludouicus, Philippus, Carolus Iſabella filia altera in tenera ætate defuncta. Hæc in Gallia. In Sicilia Iacobus cognita patris morte, regium inſigne Meſſanæ deſumpſit quarto Nonas Februarii: ſeq; Regẽ Siciliæ, Apuliæ atq; Capuę Principem dixit, regni Neapolitani partem obtinens, reliquis vrbibus & oppidis ſpe imminẽs. tametſi Roberti Atrebatis, cui rerum procurationem Rex Gallię demandarat, egregia tum virtute tum diligentia aduerſus Siculorum conatus munita erant. Alfonſus Aragonius Balearibus claſſe inuadendis, occupandiſq;, quod vt faceret, pater ſupremis verbis mandarat, aliquot menſes diſtrictus, mẽſis tandẽ Aprilis die quintodecimo,

quo die

quo die Chriſti reſurgentis memoria recurrebat, Cæſaraugustæ regiam coronã deſumpſit
de manu Iacobi Oſcenſis Epiſcopi, vacua Tarraconenſi eccleſia, cuius id dignitati deferri
ſolitum erat. Regni priuilegia impunitateſq; ratas fore a Rege iureiurando ſancitum. de
regiæ ſumptu reſtringendo, magna contentione actum eſt: ac nominatim in Oſcenſi con-
uentu aliquanto poſt, Aragoniis proceribus datum, vt Valentini dudum ad imperium ſub-
iuncti Aragoniis legibus viuerent. Magni ſacerdotes per idem tempus defuncti. in his Mi-
chael Vincaſtrius Pompelonenſis Epiſcopus, ſucceſſore Michaele Legaria. Eccleſiam To-
letanam Gonſalui obitu aut abſentia Præſule deſtitutam, Gutterius magni nominis vir,
præcipua apud Reges gratia cœperat gubernare. Is Regem ad Galliæ fines contendentem
proſecutus eſt: cum ſuperiori legatione eſſet impetratum, vt Caſtellæ & Galliæ Reges mu-
tui colloquii cauſſa Baionam conuenirent, de rebus omnib. coram diſceptaturi. Omninò
Reges collocuti non ſunt. de cauſſa non cõſtat: & ſuſpicari libet enatas inter vtranq; gentẽ
ſuſpiciones, aut prępoſtera ambitione factum vt Sanctius ad Sebaſtiani fanum conſiſteret,
Gallus Rex ad Montem Marſanum. per internuncios de fœdere actũ. Guterrius Toletanus
Præſul à Sanctio Baionã miſſus, à Gallo Burgundiæ Dux. de ineũda amicitia deliberatum,
ſummo vtriuſq; partis conatu. Negabant Galli vllã e‹ ncordiæ conditionẽ fore, niſi Regi-
nam lege propinquitatis male cohærẽtem coniugio Sanctius repudiaret: Galliq; Regis ſo-
rorem, aut Margaritam, quæ Eduardo Anglo Regi, aut Blancam, quæ Auſtrię Duci poſtea
nupſere, ſibi connubio iungeret. Ea re Sãnctius vehemẽter commotus eſt. vxorem dimitti
fœminam lectiſſimam, & vnde gemina prole erat auctus, graue iudicabat. Itaq; internũciis
reuocatis, re infecta Victoriam, vbi Reginam reliquerat, iter conuertit, Abbati Valliſoleti
in primis iratus: quem alieniſſimo tempore noui coniugii mentionem feciſſe, Franciſq; vt
id poſtularent occaſionem prębuiſſe conſtabat. Eius euertendi cõſilia cum Regina, quam
is dolor maxime vrebat, conſilia communicata. cauſſa quærebatur. optima viſa eſt, regiorũ
vectigalium, quorũ procuratio penes ipſum fuerat, ad rationes reuocare, atq; Reipublicæ
male geſtæ crimen intendere. Eius rei Guterrio Pręſuli cura commendata. Sanctius Rex
voti reus, an religionis ſtudio Cõpoſtellam abiit. quo in itinere ad Sãcti Facũdi cœnobium
Alfonſi Regis eo nomine VI. & Iſabellæ atq; Mariæ eius vxorum oſſa, quæ in humili loco
iacebant, in commodiorem tranſtulit, cippis cum inſcriptione dicatis. Valliſoletum rediẽs
Lupum Harum Viſcaiæ regulũ, cuius magna in ipſum merita extabãt, & quo potiſſimum
auctore regnum obtinebat, regiæ Procuratorem, Regum Anteſignanũ eſſe voluit. Multæ
atq; munitiſſimæ arces tota ditione in eius poteſtatem contraditę. Ad hæc Kalen. Ianuarii
Comitis honore, & appellatione ab Rege eſt cohoneſtatus, ſalutis anno milleſimo ducẽte- 1287
ſimo octogeſimo ſeptimo. & quo gratius eſſet beneficium, expreſſe cautũ, vt eos honores
Dieghus Harus filius patre defuncto ſuſciperet. Lupi frater Dieghus Harus limitibus ad-
uerſus Mauros præfectus. Ex his reb. aucta immenſum eius familiæ auctoritate cõfirmatis
opibus, Lupus Regis potens eſſe cœpit, atq; pleraq; ad ſuum arbitriũ reuocare: pluſq; vnus
poſſe, quam reliqua nobilitas, magna multorum inuidia atq; obtrectatione dolentium, di-
ctitantiumq; iuſto ſe propemodum ſeruitio opprimi, Lupum alieno nomine regnare. Ca-
læcos & Legionenſes ea res in primis male habebat: Lupumq; accuſabant præter cætera,
quod ſeuerus in alios propinquis & neceſſariis omnia tribueret: eo validior, quod regiæ
familię ſanguinem ſuum miſcuerat, Ioannis regii fratris ſocer, cui Maria filia in coniugium
data erat, nouamq; cum Rege propinquitatem ambiẽns. quod ad cæteram inuidiã adiun-
ctum Regis animum abalienauit maxime: atq; ita vt priorem beneuolentiam odio maiore
mutaret. Regium enim coniugiũ criminando, quaſi vitio cohærẽs, id agebat vt Guilelmã
Gaſtonis Bearnenſis fil am, conſobrinam ſuam, in regium torum inferret, vir immodicus,
venturiq; ſecurus præ confidẽtia animi. Rex in ea atrocitate temporũ, tantaq; Reipublicæ
perturbatione, tametſi cupiebat maxime, Lupi euertendi conſilia non explicabat. Itaq; eo
comite Carpetania luſtrata, Aſturicam abiit. ſpecies erat Merinum Aſturicenſem Epiſco-
pum, genere nobiliſſimũ, atq; adeo Gallorum Regis propinquum, primum ſacrũ de more
factũrũ ſua præſentia cohoneſtare. re Calæcorũ & Luſitanorũ motus cõprimere in animo
erat. Calæcos pacandi cura Lupo demandata. Rex Sanctius cum Luſitano Rege conſilio
cõmunicato, iunctiſq; cum eo virib. eas incurſiones arcere ſtatuit. quas Alfonſus Luſitani
frater & Aluarus Lara Ioãnis filius in finitimos Legionenſiũ agros faciebant viri acres, im-
patientes quietis, raptoq; viuere ſoliti. Portalegrum & Ronchæ, quæ oppida in Luſitaniæ
finib. in Alfonſi ditione erant, vt id facerent opportunitatẽ præbebant. Ronchæ vtriuſque
Regis virib. præſentiaq; oppugnatur. villis, agris, ædificiis extra oppidũ ignes illati. obſeſſi
dãno rerum ſuarũ permoti, & maioris mali imagine metuq; ſubeunte oppidũ dediderunt.
In ea obſidione Sãctio Dionyſius Rex, ſi Rempub. incolumem tranquillamq; vellet, Lupi

opprimendi conſiliũ dat: Aluarumq; vt in gratiam reciperet auctor extitit, Lupi potentiæ acrẽ æmulum futurũ, propter amplas eius familię in Caſtella opes, pares nobilitati. Nõ tulit ille iniuriam, Regis artes quo tenderent nõ ignarus, animo peruicax, impatienſq; æqualis. ſimulata cauſſa in Vaſcones abiit per ſpeciẽ conueniẽdi Gaſtonis Bearnenſis Vicecomitis, re iratus Regi ſuperiora merita maleficio cõpenſanti. ſed nimirũ nunquã apud Reges ſatis tuta potẽtia, vbi nimia eſt. neq; deerat apud Vaſcones belli concitãdi materia, haud ſatis æquos Sanctio ob memoriã iniuriarum regniq; intercepti. Quo tempore Clemens Luneus. homo Gallus Vaſcones gubernabat rerũ ſummæ præfectus bello paceq;. In Caſtellæ & Aragoniæ fines à Vaſconib. excurſiones ſæpe factæ, euẽtu nullo memorabili niſi q. Saluaterra Aragoniis ablata eſt, & Vaſconũ præſidio occupata. In Italia Aragonii meliori euẽtu pugnabant. Rogerius Lauria ſuperiorib. victoriis ferox atq; præclarus, ad Neapolim vrbem hoſtiũ claſſi improuiſus aduenieus, quãuis numeroſam ingẽti prælio vicit Iunii mẽſis x v I die. Dux & x L. naues captæ. captiuorũ numerus ad v. millia fuit. in his pleriq; genere & factis nobiliſſimi. cæteris pretio dimiſſis, Guido Mõfortius vt dimitteretur, neq; precibus, neq; pretio potuit impetrari. In quo Aragoniæ & Angliæ Regibus, hoſtib. implacabilibus gratificari volebat. Erat. n. Simonis Monfortii pronepos, eius quo Duce ad Toloſam Petrũ Aragoniæ Regẽ cecidiſſe, monſtratũ eſt. Simonis filius, in prælio ad Leuiſiũ Gallos inter & Anglos cõmiſſum ſuperiorib. annis Richardũ Cæſarem ceperat. Guido ipſe in patris vindictã ab Anglis in acie interfecti Viterbii ſacris operantẽ Henricum Richardi filiũ, quo tẽpore Eduardus Rex Angliæ ex bello ſacro reuertebatur, impie æque & crudeliter in tẽplo maximo interfecerat: viaq; ſibi ferro facta ad Rubrum Comitẽ Anguillariũ abiit, magna inuidia Caroli tunc Regis Siculi, quod cædẽ factam non perſequeretur, Hetruriæ ea tempeſtate Vicarius. Angli Galliq; ſcriptores Guidonem affirmãt in Regis Angli poteſtatẽ traditũ. Siculus auctor eius ætatis in Sicilia obiiſſe contẽdit ex morbo, cui ſola Venus, iudicio medicorũ ſuccurrere potuit. eo maiori continẽtiæ in viro laude, quod vxor Margarita marito vidua parũ honeſte pudicitiã habuiſſe fertur. Anaſtaſia Guidonis filia Romano Vrſino nupſit Nicolai III. Pontificis Maximi propinquo. Ad hos Nolani Comites in Cãpania nobiliſſimi generis originẽ referebãt, poſteritate ad noſtrã memoriã propagata extinctaq;.

Cerdæ fratres & Carolus Salerni Princeps liberati. Caput XI.

QVIESCEBAT Aragonia viris, opib. & rerum geſtarũ magnitudine gloriaq; præſtans. In Catalaunis tantũmodo laceſſita paululũ pax Iacobi Balearis armis, nulla re memorabili. Alfonſi Regis nomen celebre. pacis & belli arbiter effectus erat magnis Principib. captiuis. Cerdæ fratres in Morella arce, Salernitanus Princeps in Siurana, locis munitiſſimis detinebãtur. Ii diuturna captiuitate feſſi, & maioris mali metu perculſi, ad pacem quibus vellet conditionib. erant propenſi. Magni Reges deprecatores adhibiti. multis legationib. Aragonius de pace interpellatus, à Galliæ & Caſtellæ Regib. Verum Eduardi Regis Angli auctoritas præcipua erat: cum mediã perſonam gereret. ſibiq; eũ Aragonius ſocerũ deſtinaret, Eleonora filia in coniugiũ deſtinata. vt Oloronẽ (Lugdunum id Coquenorũ eſt in Galliæ finib. ad Pyrenæi montis radices. aliis Illuro apud Antoninũ) Anglus & Aragonius conuenirẽt, de reb. omnib. collocuturi ſtatuitur. In eo colloquio ſumma Angli Regis contẽtione Carolo Salernitano Principi, libertatẽ intra annũ reddi impetratũ, his legib. Sicilię regnũ Iacobo cederet, Pont. Max. vt annueret, Aragonioſq; anathematis religione ſolueret exorato. Carolus Valeſius iure Aragonii regni decederet, quod à Martino Pont. erat datũ. Eidem xx. millia pondo argenti penderẽtur. Ea omnia niſi intra trienniũ præſtita eſſent, in cuſtodiã rediret. interimq; obſides daret tres filios Robertũ & Carolum ac Ludouicum: præterea è Prouinciæ Phocæenſis nobilitate viros L X. Graues eæ conditiones erãt. paciſci tamẽ quacunq; ratione cum victori expediret, victis neceſſe erat: receptaq; libertate haud defuturã occaſionẽ melioris fortunæ ſperabãt. ſalutis anno M.CC. LXXXVIII. Carolus ab Aragonio dimiſſus in Galliã abiit: moxq; in Hetruria Gibellinorũ motib. compreſſis, Romæ a Nicolao IIII. Pont. Max. qui ſub initia huius anni Honorio ſucceſſerat, Apuliæ & Siciliæ Rex dictus eſt, corona impoſita capiti, cæteroq; ornatu regio conceſſo: cũ negaret fœdus ratum fore, quod iniuſſu ſuo factũ erat, de regno Romanæ eccleſię ab antiquis temporib. vectigali. Ea res vehementer Aragonii regis animũ perculit, eo magis quod Sanctiũ Caſtellæ Regẽ ab eius amicitia diuelli, atq; ad Gallos eſſe propenſum, erat renunciatũ eodẽ Pontifice auctore: cuius auctoritatẽ Toletanus Præſul Semenus Gonſaluus, Gõſalui Cardinalis propinquus (eiuſq; opera, vt quidã volunt, in Guterrii locũ per hæc tẽpora defuncti aut abdicãtis ſubſtitutus) Reginaq; ſequebatur: quãuis multis procerib. Aragonii amicitia propter locorũ vicinitatem, & quoniã Cerdas fratres in poteſtate habebat, præferendã iu-

dicantib.

dicantib. Verum Lupo Haro, quod proxime explicandū eſt, perempto, eius propinqui & neceſſarii ad Aragonios aufugerunt, noui & diuturni belli auctores futuri, vindictæ cupiditate priuatū dolorem communib. diſſidiis miſcere parantes. Ea res Sanctium impulit, vt fœdus cum Gallo facere maturaret. Lugdunum vbi Pontificis ea de cauſſa Legatus Ioānes Chauletus Cardinalis erat, ab vtroq; Rege miſſi legati: à Gallo Mornaius & Lābertus viri primarii, à Sanctio Merinus Præſul Aſturicenſis. Fœdus his conditionib. factum. Alfonſo Cerdæ modò Regis Caſtellæ appellatione abſtineret, Murciæ regnū tanquā Caſtellæ Regis beneficiario Sanctius ſe traditurum pollicebatur, ſubſtituto etiā ſi ſine prole decederet Ferdinādo minore fratre. Caſtellæ Rex mille equites auxilio, Gallo Regi mitteret, Aragoniā bello repeterē cogitāti: & ſi neceſſe eſſet tutū iter Gallicis copiis per prouinciam daret. Cerdæ fratres regum opera libertati redditi, in Galli poteſtate eſſent. Id fœdus Blācæ puerorum matri ingratū fuit: prorſus vt Rege fratre dimiſſo in Luſitaniā abierit, virilis animi fœmina, nouaq; belli ſubſidia aduerſus Caſtellæ vires cupiēs cōparare, maiori tamē conatu, quā ſucceſſu. Dionyſius enim Luſitaniæ Rex Mauris omni Luſitania pulſis, opima pace fruebatur: neq; eam vt alieno cōmodo, ſuo periculo turbaret, adduci poterat. quid enim dubia ſpe in certū diſcrimē incurreret? partamq; pace gloriā intēpeſtiuis armis obſcuraret, numeroſa prole felix? ex vxore.n. Iſabella, antea filia Iſabella, Conſtātia hoc anno nata eſt: poſt biennium Alfonſus, quem regni ſucceſſorē habuit. ex ſoluto concubitu hi: Alfonſus Alburquerquius, vnde eo cognomine familia in Luſitania, nobiliſſima genus ducit. Petrus litterarū ſtudiis deditus, vt argumēto eſt liber ab eo editus de Hiſpanicæ nobilitatis ſtēmatib. præterea Ioānes & Ferdinādus, duæq; filiæ, altera Ioāni Cerdæ nupta, altera virgo ſacra.

Noui in Caſtella motus. CAPVT XII.

IN Caſtella quies erat à Mauris quidē: cum Granatenſi pax, cū Africa induciæ nouo fœdere cū Iuzepho Marrocio Rege firmatæ. belli tamen inteſtini maior cura ſuberat cōcitati Lupi Hari cæde, iure an iniuria incertū, in regia certe, atq; corā Rege patrata. quod qua ratione contigerit altiori aliquāto ex principio explicare cōuenit. Aluaro Lara, paulo poſt quam in Sanctii regis gratiā redditus erat, defuncto, Lupus in Caſtellā ſe retulit, priſtinum auctoritatis locū recuperaturus, aduerſario ſublato. ſed natura, quæ nullū ſine æmulo eſſe ſinit, Ioannē Aluari fratrē ad parem dignitatis gradum, continuo fauore populi euexerat, regiſq; gratiam ingenti Lupi dolore: cū Regis artib. violari ſe, atq; imminui palā conquereretur: adeo vt neq; Regi ipſi motū animi indicare vereretur. Nā Ioanne Lupi genero Salmanticæ agros vaſtāte, & Mirobrigam vſq; cum ſuorū manu excurſiones faciēte, Regi de ea re cum Lupo expoſtulanti profiteri non dubitauit, ſuo id conſilio, ſuaq; voluntate patratū: Valliſoletum Rex pergeret, Ioannē Cigales venturum (is pagus Valliſoleto vicinus eſt.) Dare frænos impotenti naturæ, regū iracundiā minis irritare, vtrunq; exitiale eſt. diſſimulatum tamen donec ſe occaſio daret tantæ temeritatis, tantæq; audaciæ caſtigādæ. interim Valliſoleti cum Ioāne fratre collocutus Rex, eos motus tantiſper cōpoſuit. Inde digreſſus, Roam primū, deinde Valeraticā ac Soriam abiit, Turiaſonē petēs Aragonii Regis conueniendi cauſſa, cupiduſq; Cerdas fratres, vt ſibi dederet impetrādi. Lupi artib. regum congreſſus diſturbatus eſt, vltro citroq; cōmeantis, iniquaſq; neq; eaſdē vtriq; Regi pacis conditiones alterius nomine denunciātis. & ſpes erat per Cerdas fratres Sanctiū euerti poſſe, à quo ipſe animo penitus alienato erat. Conuerſo Rex itinere Alfarum abiit, ad fines Aragoniæ & Vaſconū in Caſtella ſitum municipium. Ioannes Regis frater & Lupus ſocer, officii cauſſa Regē adeunt, haud ſatis idoneo præſidio ſi vis adhiberetur. aderāt Epiſcopi Gonſaluus Toletanus, Ioānes Alfonſus Placentinus, Calagurritanus, Vxamēſis, Tudēſis: præterea ſcrinii Magiſter Hiſpalēſis decanus, atq; Valliſoleti abbas conſilio de Repub. inſtituto. Tūc Rex arces, quæ in Lupi & Ioannis poteſtate erāt, ſibi continuo reſtitui mādat, milite præſidiario ſacramēti religione ſoluto, teſſeraq; indicata, per quā intelligerēt haud dubie ipſorū mandata eſſe. parere recuſantib. vincula inici iubet. Lupus diſtricto gladio, inuolutaq; ſiniſtra ſago, addita etiam verborū contumelia, tyrannum, perfidum, impium, cæteraq;, quæ furor dabat, inclamās Regem irruit interfecturus. ingens facinus, confidentiā ſingularem. In veſtigio, aſtantiū concurſu, dextra primo ictu obtruncata confoſſus ipſe eſt, vir acer ac fortis: cui nimia potentia, nimiaq; gratia crimini, inuidia populi calamitati fuit, inſolenſque animus. Ioānes gener vno & altero ex aulicis in Regis oculis vulnerato, poſtquā ſocerū occiſum vidit, ad reginæ cubiculū fugit. Eius precib. tantum non ſinū & latus opponētis inſequentis cū gladio regis manus, necemq; euaſit: vinctus tamē ferro & in cuſtodiā traditus eſt, dicturus in iudicio cauſſam. multa breuitatis ſtudio prætermittātur neceſſe eſt. & quis omnes perfidiæ formas, quis tāti tumultus referre caſus omnes, regiæq; ex eo perturbationē explicare poſſit? Omnino ſublatis ducib. tumult⁹ in præſēti pacatus. claro recētiq; noxæ ſi-

mul & pœnæ exemplo factionis ſtudia retenta, ne ſe continuo commouerent. At recep-
tis mox animis, pleríque in circulis palamque Regis factum accuſare, qui ſimulatione be-
neuolentiæ tantos Principes oppreſſiſſet, eós vt quiſq; aut propinquitate aut amicitia con-
tingebat, alii curia, alii ſe regno magno numero ſubducunt. Noua imminere tempeſtas vi-
ſa eſt. quæ præcipua cauſſa extitit fœderis cum Gallo Rege Lugduni, vti dictum eſt, ma-
turãdi. Ioanna Lupi occiſi vxor ad D. Dominici Calſadũ Reginã ſororem adiit, in lugubri
veſte, naufragii domeſtici reliquias colligere parans, tum ſuis lacrymis, tum reginæ preci-
bus Rege placato: qui patre cæſo filium Viſcaiæ principatu armis ſpoliaro parabat: & iam
Harum municipium, Treuigni arcem armis ceperat. Actum de concordia: Reginaq; Di-
daco filio, ſi quod neceſſe erat, patris cædem æquo animo ferret, ſeque & ſua Regis pote-
ſtati permitteret, paternæ auctoritatis locum pollicita eſt. Ioanna ex iis rebus metum inter-
pretata, muliebri inconſtantia repente mutata, atque in vindictam præceps, ęgro filii a-
nimo ſubdere faces, hortariq́; vti fide qua Regi tenebatur renunciata, ad Aragonios diſ-
cederet. Maria Ioannis captiui coniux, in Vaſconiam finitimam abiit. Multi ex factione,
abeuntes proſecuti. pars maxima vt in inteſtinis diſſidiis ferme fit, ſuſpenſis & incertis ani-
mis, ad tempuſq́; fortunam in concilio habituri ſubſtiterunt in patria. Gaſto Bearnenſis
Vicecomes rebus cognitis, cum propinquis & neceſſariis vires communicaturus accur-
rit in Aragoniam, pro eorũ dignitate & ſalute quoduis fortunarum diſcrimen paratus ſu-
bire. His auctoribus Cerdæ fratres ab Aragonio Rege emiſſi e cuſtodia ſunt. & quo ma-
iorem dolorem inureret Sanctio Regi, menſe Septẽbri Iaccæ, quo ad ſe deducendos cu-
rauit, Alfonſum natu maiorem Caſtellæ & Legionis Regem dixit. inde nouorũ bellorum
materia ſegeſq; ampla. & neceſſe propemodum eſt magna regna magnis nouiſq; motibus
ſæpe turbari. eorum & Aragoniis auſpiciis bellum in Caſtellam comparatũ. Multitudo re-
rum nouarũ cupida & pauẽs Caſtellæ proceres ſtudiis non conſentiebant. optimus quiſq;
tranquillitatis amore, Sanctii iudiciũ ſequebatur, eiq; quoniã rerũ potiebatur nauare operã
& ſtudiũ malebãt. Victoriã in Cantabria, vbi Regina Henricũ filium enixa eſt per eos dies
appulſo, tũ vt cum Gallo Rege Baionæ, vt erat per legatos conſtitutũ, colloqueretur, tũ vt
Viſcaiæ oppida ſub imperium adiungeret. Bellũ difficilius opinione fuit, propter locorum
aſperitatẽ, inopiam cõmeatus, gentiſq; ingenium in retinenda fide cõſtantis. Didacus Ha-
rus Lupi frater, quẽ ſpes fuerat Calatrauæ Magiſtro annitente retineri poſſe, limiti anteà à
Rege præfectus, & nunc maiorib. honoribus præmiiſq; inuitatus, Viſcaiæ etiã principatus
ſpe iniecta, tandẽ in Aragoniam exul abire maluit, nullã fidem ei fore ſanctã dictitans à quo
viri principes, propinqui & neceſſarii per fidẽ colloquii violati eſſent certuſq; conſilio opi-
bus, diligentia proſequi fratris filiũ. Verum dum omnia belli apparatu circunſtrepũt, atq;
Caſtellæ fines inuadere armis parãt: Didacus ipſe Lupi filius extinctus morbo eſt, magno
Sanctii Regis cõmodo. eius enim obitu factionis ſtudia remiſſa, Viſcaiaq; eatenus magnis
motibus iactata, in Regis poteſtatem vniuerſa conceſſit, Didaci Salcedii virtute, cui ſum-
ma expeditionis permiſſa erat, plurimaq; fides bello paceque habebatur.

Regum colloquia. CAPVT XIII.

SANCTIVS rebus in Cantabria patratis, colloquiiq; cum Rege Gallo ſpe in aliud tem-
pus ſepoſita, Ioannẽ fratrem in Burgenſi arce cuſtodiendũ reliquit: vnde Curielẽ traſ-
latus deinde eſt. ipſe belli Aragonii, metuq; regni cura Sabugalem abiit, quod oppidum in
finib. Luſitaniæ ſitũ eſt. Ibi Sanctii & Dioniſii mutuo cõgreſſu fœdus factum aduerſus A-
ragoniũ Regem & Caſtellæ exules, qui per ſpeciem Alfonſi Cerdæ in auiti regni, in cuius
iam appellationẽ inuaſerat, poſſeſſionem mittendi, bellũ grauiſſimum moliebantur. Solu-
to colloquio Sanctius contractis vndiq; viribus & copiis ad Almaſanũ oppidũ Aragoniis
1289 occurrit. mẽſe Aprili, anno milleſimo ducẽteſimo octogeſimo nono caſtra caſtris collata,
euentu nullo memorabili. Moronũ ſane oppidũ ab Aragoniis vi expugnatũ: Almaſanum
obſeſſum. Cõtra Sãctius in Aragonios fines peruadens agros populatur, pecora abigit, vil-
las vicoſq; incendit. Dieghus Harus diuerſa parte Conchæ & Optæ, hoc eſt, Huetis tra-
ctum populationibus vaſtat: hoſtiũ manum ad Paiaronem oppidũ vincit fugatq;, Roderi-
co Sotomaiore Duce cæſo. ſigna militaria capta, miſſaq; Terulim. locorũ anguſtiæ exitio
fuerunt, Aragoniis de ſuo loco pugnantibus, atq; ex omni parte imminẽtibus. Nulla par-
te quies dabatur. alia aliis in orbẽ ſuccedebant mala: & innocentiũ pœnis Principum diſ-
ſidia luebantur. Pleræq; vrbes & oppida, qua metu, qua volũtate in fide perſtabant. in vna
Paceaugusta inteſtina ciuiũ ſeditione tumultuatum eſt, in duas factiones ab antiquo ſciſſa.
Beiaranos cũ Portugalẽſes bonis eiecisſẽt, Sanctius de iniuria interpellatus, iis qui pertu-
liſſet, dãna reponi mãdauit. imperiũ regis recuſãtes aduerſarios magno numero, Beiarani

reparauit

ſeparatis viribus cædunt: reliquiſque ex vrbe pulſis, temeritatem luentes noua temeritatẽ
ſuperiori oppido munito Alfonſum Cerdam Regem proclamant, incredibili Sanctii Re-
gis dolore, motuque. Vis magna populi eſt ſemel ad arma conſternati, Regum tamen po-
tentia maior. Miſſis abs Rege copiis audacia repente in metum mutata eſt. deditionem
facientes, tametſi ſalutem pacti erant, ad vnum omnes trucidati, quatuor millia capitum,
nulla neque ſexus commiſeratione neque ætatis. Talaueræ in Carpetanis, quoniã Alfon-
ſi partes ſequebatur, ad quadringentos ex nobilitate trucidati, membratimq; diſſecti ſunt,
ad eam portam, quam ex eo tempore vulgus Quartos vocare cœpit. ſic hominum opi-
nio eſt ducta per manus, nullo meliori auctore. Vtriuſq; vrbis calamitate, cæteris ne ſe fa-
cile commouerent documentum datum: & ferme omne magnum exemplum ex iniquo
aliquid habeat opus eſt. verum quod contra ſingulos peccatur, vtilitate publica, & tran-
quillitate compenſatur. Proximo anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo, Galliæ in- 1290
ter & Caſtellæ Reges mutui colloquii ſpes tentata eſt. tempore & loco conſtituto cõuen-
tum Baionam in Tarbellis. Nihil in eo colloquio maioris rei factum, præterquam quod
pace inter vtranq; gentem firmata Rex Francus iure deceſſit, quo illi tanquam Blãcæ ne-
poti regnum Caſtellæ, pleriq; deſtinabant, aſſentatores, vaniloqui, paciſq; publicæ hoſtes.
Toloſa, Segura, Villafranca, in Cantabriæ finibus, ab Alfonſo Rege ædificari cœptæ, San-
ctii opera ad culmen per hæc tempora ſunt perductæ. extant de ea re publicæ tabulæ ipſi-
uſmet iuſſu Victoriæ & Valliſoleti, quo ſe ex colloquio digreſſus contulerat, confectæ. Rex
Gallus icto cum Caſtellæ Rege fœdere, Aragoniæ armis repetendæ, conſilia agitabat. Ara-
gonius Caſtellæ, Galliæ, atque Italiæ viribus impar, ad pacem propenſus erat. tametſi Ca-
rolus Neapolitanus Rex, icti antea fœderis conditionibus non ſtabat. Angluſque Rex, quo
agente libertatem receperat, fidem ſuam ludibrio haberi ægre ferre videbatur. Romanus
Pontifex de tota controuerſia ab vtriſque appellatus, legatos ſe miſſurum reſpondit, qui in
re præſente diſceptarent, æquiſq; conditionibus diſſidentes pace ſtabili coniungerent. In
eam rem duo Cardinales Benedictus Columna & Gerardus Parmenſis in Galliam deſti-
nati. Interim Carolus & Aragonius Rex ad Iunqueram oppidum in Catalaunis, fide vltro
citroq; data inter ſeſe collocuti aliquot mẽſium inducias pangunt, dum de omnib. pactio- 1291
nibus, paceque perpetuo fœdere reuocanda, à legatis agi poſſet. Vterq; ad pacem procli-
uis erat: Carolus iniecta ſpe Siciliæ recuperandæ: Aragonio graue erat, tandiu prouin-
ciam ſacris interdictam: & belli molem, quod ex Gallia grauiſſimum comparabatur, auer-
tere cupiebat, vireſque in Caſtellam conuertere.

Ioannes Lara ad Aragonios tranſit. CAPVT XIV.

VBI Ioannes Lara ea auctoritate, gratiaq; & opibus ad Aragonios reſpicere cœperat
in fide haud ſatis conſtans, atque ſpe vrbis Albarracini recuperãdæ prouocatus: & ſo-
lent homines vtilitati magis quã religioni ſeruire, commodumq; honeſtati præferre. Eius
tranſitionem quoniã magnum in vtranq; partẽ momentum facturam Sanctius cogitabat;
nihil prætermiſit eorum, quæ ad ſanandã hominis mentẽ pertinere viſa ſunt, vſq; eo dum
limiti aduerſus Aragonios præficeret, omniaq; blandimenta daret. Nihil ea diligentia pro-
fectũ. Burgos vbi Rex erat, litteræ ad Ioannẽ allatæ à puero ſunt, quib. inſidias vitæ ſuæ pa-
rari denunciabatur: vero creditũ, falſo malle in vt idonei auctores affirmãt, confictas ab iis
literas, quib. ægre erat, virum acrẽ & præpotẽtem ad Regis gratiã reſtitutum eſſe, priuatas
cupiditates ſaluti publicæ potiores exiſtimantibus. Ille natura ſuſpicax, fide habitis iis, quæ
nunciabantur, curia ſe citato ſubduxit, atq; per Vaſconum fines in Aragoniã abiit, Sanctio
nequicquã eius iter Valliſoletum vſq; proſequente, atq; omni diligẽtia retrahere à fuga cu-
rante. Impendere enim grauẽ tempeſtatem prouidebat, ſi vir prępotẽs, qui multorũ ſtudia
conciliarat, cęteris ſe transfugis adiunxiſſet. Omnino in Caſtellæ fines continuo Ioannes
inuectus cum ſuorũ manu, Conchę, atq; Alarconis agros omni belli iniuria vexauit: hoſtes
pręlio fudit: Moiam oppidũ ſubegit. multa militaria ſigna capta. hominum & pecorũ factę
prędæ. Hac tempeſtate ſedata, noua validiorq; breui ſubſecuta eſt. Aragonius Rex, Harus,
atq; Lara virib. ad Valentiam collatis, quo ſe Lara reb. patratis receperat, irruptione repe-
tita Molinę, Segontiæ, Valeranicę, Almaſani agros impune vaſtãt, Sanctio Conchę quò ad
eos motus accurrerat, ex febri quartana importuniſſimo Reipublicæ tempore laborãte: ita
vt neq; ſe loco mouere poſſet, neq; belli defendendi cogitationes explicare. vnde, quam ex
morbo, tædium maius. Regina Valliſoleto, vbi per eos dies filiũ pepererat, cui Petro nomẽ
fuit, cognito periculo, nondum cõfirmata valetudine ad Regem aduolauit: amor metuſq;
incitabãt. Eius aduentus Regi iucundus, Reipublicæ ſalutaris fuit, Ioãne Lara ingenii dex-
teritate ad officiũ retracto. Leuitatis enim & inconſtantię pœnitentia ſuberat, Albarracini
recuperandi ſpes inanis. Iſabella, Blanca & Reginæ fratre nata, viro matura, excellens

oris dignitate Ioanni deſponſa eſt Ioannis Laræ filio. dos dicta Molinæ principatus, cum
ſponſæ pater virili prole careret. Re conſtituta nuptiæ principali apparatu Cōchæ peractæ.
inde Toletum itum eſt, Regem proſequente Ioanne Lara, neq; ſatis fido, neq; ſatis cōſtan-
ti, vti euentus declarauit. In D. Pauli Prædicatorum cœnobio, qui extra mœnia ad flu-
minis ripam erant, hoſpitio deſignato ad multā noctem cum Iudæo quodā copioſo luden-
tem forte teſſeris, Nunnius Ciurruciaus improuiſo adueniens monet, inſidias vitæ ſuæ fieri
multa heſterna nocte arma in regiam illata. Fugæ conſilium quaſi certo periculo captum,
clauſæ vrbis portæ impediunt, intra quam iumenta omnia, & agaſones erant. metuenti ac
ſolicito nox peruigil fuit, grauiſſima mora. Albente cælo euocati domeſtici, indicato quam-
uis periculo ſubſiſtendū tamen hortantur. inter poſitam noctē, mendacium arguere. quid
enim ceſſarent? quid lucem expectaſſent, perfidiæ teſtem futuram? quid aliud aduerſarios
cupere, quam eum à curia diuelli, inuidioſa potentia, opibus formidabilem? quieta omnia
in vrbe eſſe: prioris fraudis meminiſſet, deniq; aut incolumitatem eo conſilio quæri, aut ni-
hil grauius quam fugæ neceſſitatē proxima nocte fore: per diem nihil auſuros aduerſarios.
Sic metus mitigatus. ſimul re prodita Rex ægre ferens fidem ſuam in dubiū vocari, ad eum
ſanandum animum retulit, haud falſa eſſe etiam, quæ vera non probabantur, quaſi ſtudio
occultata ſuſpicantem tamen. Quo tempore cum Granatæ Rege pro ingenio gentis in fide
nutante, fœdus firmatum, perſoluto quod debebat vectigali. Ferdinandus Pontius Le-
gionenſis, qui limiti aduerſus Mauros præfectus erat, Reges inter ſe conciliandi præcipu-
us miniſter. Toleto Burgos primum, deinde Palentiam itum eſt: vbi Dominicani ordinis
generales conuentus habebantur. Ioannis Laræ infidus animus nullis beneficiis ſana-
batur: neq; ſolus ipſe defectionis conſilia agitabat, ſed & proceribus aliis vt res nouas mo-
lirentur ſuadere non deſiſtebat: multorumq; ſtudia a Rege erant alienata. Aduerſus has
molitiones Ioannes Regis frater Principibus æque ac plebi gratioſus è cuſtodia emiſſus, in
Regis ac Ferdinandi filii verba ſacramento adactus eſt, pueri manus patriæ recepto mo-
re tanquam regni hæredis deoſculatus. Huius opera plurimi ad meliora conſilia traducti.
Regis induſtria, cum Compoſtellam procurandę religionis ſpecie abiiſſet, Ioannes Alfon-
ſus Alburquerquius vir primarius, qui in Calæcis Ioanne Lara impulſore, tumultuabatur,
1291 ad ſanitatem reuocatur, arma ponere perſuaſus. Hæc ſalutis anno milleſimo duceteſimo
nonageſimo primo in Caſtella gerebantur. quo anno menſe Februario ineunte à Cardi-
nalibus, quos Romanus Pontifex (vti ante dictum eſt) legarat in Galliam, inter Aragoniæ
& Galliæ Reges fœdus, Tarraſcone in Gallia Narbonēſi compoſitū, pręſente Carolo Nea-
politano Rege miſſiſq; ab vtroq; Rege cum ampla poteſtate legatis. Pacis hæ conditiones
dictę. Aragonius miſſa Romā legatione eorū, quę cōmiſſa, ſunt, veniā ſupplex petito. Ve-
ctigalis nomine, vti eius proauus pactus erat, Romanæ eccleſiæ triginta auri vncias an-
nuas pendito. In Syriam belli ſacri cauſſa, cū iuſta manu nauigato. In reditu matri fratriq;
vt Siliciā reſtituant, hortator. Ac omnino ex ea inſula Aragonios tū proceres, tum milites, ſe-
uero edicto aduocato. Carolus Valeſius iure cedito, quod Pontifex Romanus in Arago-
niæ regnum ſanxit. Ad has conditiones adiectū, vt Pontifex Aragonium in gratiam recipe-
ret, legaretq; qui prouinciā interdicto eccleſiaſtico ſolueret. Et Rex Aragonius obſides à
Carolo Neapolitano acceptos redderet. Fœdere ſanciendo Siculi legati non affuerunt A-
ragonii Regis artibus, ne pacē turbarent, magno Iacobi Regis, & Siciliæ totius dolore: cum
ſe proditos, atq; deſertos, a quo minime oportuit, conquererentur perſtituros tamen in fide
neq; Gallica imperia paſſuros, vitamq; & ſanguinē, ſi res ita ferrent, ante profuſuros. Itaque
Siciliæ reſtituendæ, recuperandæq; vana ſpes fuit: ac ne in Syriam quidē abs Regē Arago-
nio nauigatū: cum per idem tempus nunciatū eſſet, Ptolemaidē quæ vrbs Chriſtianorum
ditione, vna in Syria retinebatur, ab Helpi Ægyptio Imperatore, filioq; eius Meleſairi ob-
ſeſſam, expugnatā, euerſam, vt ne indicium vllum, monumentumq; vrbis extaret, ciuib. ad
vnū cæſis. Hic finis belli ſacri fuit, noſtrorum ceſſatione, fœdaq; ignauia. A Regib. Arago-
nio, & Neapolitano Iunquerā rurſus in colloquiū de pace ventum, propēſis vtriuſq; Regis
ad concordiā animis. feſſi malis præteritis erāt, perculſi futurorū metu. Itaq; Carolus è col-
loquio digreſſus, Clementiā filiā natu maximā, Carolo Valeſio nuptui dat, dote dicta An-
degauenſi Comitatu. additi deinde Cenomāni, ea lege, vt Aragonii regni repetēdi iure, a-
ctioneq; decederet. Aragonius quæ pollicitus erat conſtanti fide præſtare paratus erat, niſi
ſubſecuta mors importuno ſane tēpore, Barcinone oppreſſiſſet, cum Eleonorā deſponſam
aduocare pararet, plenaq; omnia lætitia eſſent. defunctus in ætatis flore eſt, viginti ſeptem
natus annos, octauodecimo Iunii die, ſi vita longior cōtigiſſet, Rex celeberrimus futurus,
vt datum multarū virtutum ſpecimē pollicebatur. Oſtēſa certe Chriſtiano orbi, magis quā
reddita pace clarus imprimis, & præſtans. Corpus ad D. Franciſci in veſte Franciſcana tu-
mulo conditum eſt. inferiæ patrio more magnifice data.

Tu

Tres Reges affinitate iuncti. CAPVT XV.

ALFONSO Aragonio Rege cælibe ac ſine vlla prole defuncto, Iacobus eius frater ex Sicilia continuo in Aragoniam accurrit, iure propinquitatis & ex teſtamento fratris debiti ſibi regni hæreditatem cernere feſtinans. Cæſarauguſtæ in Saluatoris æde ad octauum Kalen. Octobris inunctus de more regni infulas & coronam ſuſcepit. Abrogato fratris teſtamento Siciliam Friderico minori fratri legantis regnum ſibi eripi paſſus non eſt, quod agente patre, propenſa Siculorum omnium voluntate erat delatum. ab Alfonſo Cerda coram, atque à Sanctio Caſtellæ Rege per legatos vno tempore, de iungenda amicitia ſociandisq; viribus appellatus æquiores aures Sanctii poſtulatis præbere viſus eſt, fortunæ magis fauens, quam cauſſæ, nulla paternæ voluntatis memoria. Cerdarum vires, quæ impetu valuiſſent, mora conſeneſcere: aduerſæ factionis ſtudia indies confirmari augerique erat exploratum. præſertim ex quo Ioannes Lara Reginæ opera, vti antea dictum eſt, in partes erat traductus. Eo amplius maiorique ſtudio Sanctio fauendum putabat, quod per idem tempus cum Luſitano Rege fœdus ab eo ictum eſſe nunciabatur, Conſtantia eius filia deſponſa Ferdinando filio Caſtellæ Principi, paterni imperii hæredi futuro. Caſtellæ etiam arces & oppida in Luſitani Regis poteſtatem tradita, vt datæ fidei obſidum inſtar eſſent. Itaque Reges Aragoniæ & Caſtellæ, re per legatos conſtituta, per cauſſam amicitiæ ſanciendæ Montem acutum conueniunt, loci opportunitatem ſecuti, quoniam ad vtriuſque Regis confines ſitum eſt. Nouembris die vigeſimo nono fœdus inter Reges factum eoſdem amicos inimicoſq; futuros. neutris apud alteros a Rege ſuo deficientibus tutum perfugium fore. & quoniam per eos dies a Marrocio Rege Begia (quæ quibuſdam Bigerra Baſtitanorum eſt apud Ptolemæum Liuiumque) rupto fœdere obſidebatur: cautum nominatim, vt in eius belli vſum, ſi res ferret, viginti triremes Aragonius auxilio mitteret. Quæ vt firmiora eſſent, Iſabella ei Sanctii Regis filia nonum agens annum pacta eſt. Sponſalia Kal. Decembris Soriæ præbita: puellaque nondum viro matura in ſponſi manus conuenit, ſpe veniæ à Romano Pont. ob legem propinquitatis impetrandæ, cum Regum feſtinatio moram non ferret. Calataiubæ, quo ſe Reges poſt data ſponſalia contulerunt, publicæ lætitiæ teſtimonio, ludi principali apparatu commiſſi ſunt. In his ludicra certamina: quibus Rogerius Lauria, qui Aragonium ex Sicilia comitatus erat, primas ab eximia pugnandi dexteritate tulit. Aragonii proceres à ſuperioribus annis inter ſe & aduerſus Reges magna contentione tumultuati ſunt: prorſus vt aulæ ſumptibus modum Alfonſo Regi imponerent; leges & magiſtratus commutandos contenderent, nouo Reipublicæ ſtatu collocato. & eſt quidam libertatis modus ſicut & aliarum rerum, & quædam imperandi mediocritas. Ii proceres Rege Sanctio agente, cum ſuo Rege conciliati ſunt. Anni exitu Reges ex colloquio digreſſi. barbaruſque Rex in Calęciæ littore a Benedicto Zacharia validam claſſem comparari audiens: prætereà oppido loci munitione & noſtrorum virtute defenſo, obſidione ſoluta, in Africam nauigauit. Tantis rebus peractis, pax in Hiſpaniam ex longo interuallo reuocata eſt: domeſtici externique hoſtes pacati. Vnus Ioannes Lara cæteris quieſcētib. turbida cōſilia agitare viſus eſt: neq; Regi fidere arma plane deponere. in hunc impetus factus. Moia & Cagnetum, quæ Sanctii dono acceperat, quo tempore Regi ſuo conciliatus eſt ſiui nuptiis pactis, armis ablata ſunt. ille viribus diffiſus, nulloque in Hiſpania perfugio, Sanctii diligentia pace inter Reges facta, in Galliam exul abiit. Gonſaluus Toletanus Præſul abeuntis veſtigia ſubſecutus eſt à Sanctio legatus, Galli Regis conciliandi cura, ne Ioannis delationibus, credulas aures accommodando, alieno animo eſſet. fœdus cum Aragoniis Galliæ hoſtibus percuſſum belli inteſtini neceſſitate factū excuſabat. Ad hæc Gallus: id haudquaquā fore ſibi graue reſpondit: quin Carolum fratrē Aragonii regni iure vltro deceſſurū, modo Sanctio autore Aragonius Siciliā eccleſię Romanæ reſtitueret. Interim ineūte ſalutis anno M.CC. nonageſimo ſecūdo, a Benedicto Zacharia in Caſtella maris Pręfecto ad littus Africę, nauale prœliū commiſſum cū viginti Maurorum triremibus. victi Mauri. captæ tredecim triremes. Ea res Marrocium Regem qui Tingi validas copias conuocarat, à cogitatione traiiciendi in Hiſpaniam deterruit: Sanctium Regem vt victoria vteretur prouocauit, collectiſque vndique copiis Tarteſſum Mauris eriperet. quod poſt diuturnam obſidionem contigit ad vndecimum Kal. Octobris. Luſitanus Rex vt ad id bellum auxilia mitteret adduci non potuit. Regina Hiſpali per eos dies filium peperit, cui Philippo nomen fuit. Captæ vrbi Rodericus Calatrauæ Magiſter præfectus primum eſt, deinde Alfonſus Pereſius Guſmanius, ſtipendii quod ſolui ſolitū erat, duabus tertiis detractis, ſe oppidū defenſurū recipiens, diues pecunia quam non modo in Hiſpania, ſed etiam Marrocio Regi aduerſus alios Mauros opera venditat

copioſam collegerat: vnde multa oppida in Bætica redempta, atque ad paternum S. Luci-
feri principatum adiuncta. Multa etiam beneficia in egentes collata; quæ illi Boni cogno-
men pepererũt, ſuperbis aliorum Principũ titulis multo præclarius. Ab hoc Aſſidoniæ Du-
ces præ cæteris Hiſpaniæ regulis ditione, opibus, clientelis preſtãtes generis ſtemma dedu-
cunt. Alfonſo.n. Ioannes filius fuit, nepos item Ioannes. Huic cum Beatrice Henrici Regis
filia notha, Niebla oppidum Comitis nomine acceſſit, vnde filio & hęredi Henrico nomen
Nieblæ Comiti. Henrico Ioãnes filius ſucceſſit, Hẽrici Regis eo nomine IV. beneficio Aſſi-
doniæ Dux. Ioanni Henricus filius deinceps Ioanneſq; nepos, cui Ferdinãdo Rege Catho-
lico in ora Africæ Melilla vrbe, & Caſaſa arce expugnatis, nauatæ operæ merces datus eſt
Caſaſæ marchionatus. Ioannes duos deinceps filios ſucceſſores habuit, Alfonſum non ſatis
mentis cõpotem, & eo defuncto Ioannem. Huius hæres Alfonſus fuit, noſtra ætate Ioannis
nepos ex Ioanne filio maiore qui ſuperſtite patre diem obierat. Hæc de Aſſidoniæ regu-
lis. nunc ad Reges ſeſe conuertat narratio.

Sanctii Regis obitus. CAPVT XVI.

IN curam conciliandæ pacis inter Aragonios & Francos Nicolaus Pontifex, Sanctius
Caſtellæ Rex, coniunctis temporibus incumbebant. Pontificis conatus quamuis Boni-
facio Calamandra milite Hoſpitalario, ea de cauſſa in Aragoniam legato, mors intercepit
pridie Nonas Aprilis nullo ſucceſſore bienſſio amplius, ob importuna Cardinalium diſſi-
dia ægras affectaſque res Sanctii diligentia recreauit, qui Galli Regis reſponſo prouocatus
Aragonium votis vt ſperabat non repugnaturum, Caracam vt veniret ad colloquium in-
uitauit. Actum ibi de pacis conditionibus. rem tamen integram in nouum colloquium
reiici placuit, Lugrunio municipio ad id deſignato. datiſque ab Aragonio obſidibus Re-
gis Neapolitani filiis, Carolus eorum pater quo maior eſſet auctoritas, ad colloquium Re-
gum vocatur. Carolus non acceſſit, incertum qua cauſſa. ſed proximo tamen anno Ca-
ſtellæ, & Aragoniæ Reges Lugrunium conuenere. In eo congreſſu nouæ inter eos ſuſpi-
ciones natæ ſunt, cum generum ſocer impotenter habens omnia ad ſuum reuocaret com-
modum. ex eo tempore Aragonius animo ab Iſabella ſponſa alienato, ad nouum con-
iugium reſpicere cœpit, per ſpeciem veniæ propinquitatis à Pontificibus Romanis nõ-
dum impetratæ: & agente Calamandra ad Iuncariam oppidum cum Carolo Neapolita-
no collocutus eſt, arcano tamen ne res efferretur tempore tamẽ cognitum eſt, de reſtitu-
enda Sicilia atque de nouis Aragonium inter & Blancam Caroli filiam nuptiis conſilia a-
gitata. Interea in Caſtella Iſabella Ioannis Laræ iunioris coniuge defuncta, Molinæ prin-
cipatus iure propinquitatis ad Reges rediit. Ioannes Lara, ſiue erepti principatus dolore,
ſiue patris inconſtantiam & exempla imitatus, & cum eo Ioannes Regis frater, conſilio
inter ipſos communicato tumultuari cœperunt. Rex prouidus belli inteſtini, quod fu-
turum metuebat, procurandi ſtudio commotus, eorum mẽtes omni diligentia ſanare ten-
tauit. breui ea tempeſtas ſedata, Regis fratre in Luſitaniam digreſſo Ioanne Lara reuoca-
to ad officium. Excurſiones, quas in Legionenſem agrũ Ioannes Regis frater iunctis cum
Alburquerquio viribus faciebat, Ioannes Lara ſenior cum iuſta manu, vt reprimeret miſ-
ſus eſt, paulo ante ex Gallia redux, atque receptus in gratiam. eoq; blandimento ageba-
tur, vt plurimam fidem habendo, Regi tandem fidus euaderet, ingeniique dexteritate
eos motus comprimeret. ſed contra res accidit. victus enim acie in hoſtium poteſtatem
venit, vnde libertate impetrata Taurum ad Regem rediit Beatricis filiæ in ea vrbe natæ
natalibus lætum. mox ad Bæticæ fines tutandos Ioannes Lara cum duobus filiis Ioanne &
Nunnio miſſus abs Rege eſt quoniã Granatæ rege defectionis cõſilia verſare, & Marrociũ
rurſus de Hiſpania cogitare nunciabatur. Verum totus is apparatus euanuit: Mauris quie-
ſcentib. Ioanneq; ipſo noſtrorum Duce, Cordubæ per idẽ tempus defuncto. ea tẽpeſtate
ſe data, noua à Ioanne Regis fratre excitata eſt, cũ Luſitaniæ finibus à Dionyſio Rege pro-
hibitus, ne pacem ea occaſione turbare videretur, naui conſcenſa Tingim appuliſſet. Mar-
rocius enim Rex idoneum hominem nactus, per quem Hiſpaniam turbaret, benigne ac-
ceptum, cultumque honorifice ad Tariffam (hæc Tarteſſus eſt, atque Carteia, ne quis re-
rum mutationem, quæ nominum eſt, putet) expugnandam dimiſit. Adiuncti equites
quinque millia. vineis, turribus & machinis omnium generum, oppidum impugnatum.
Obſeſſi mœnium firmitate confiſi, & Alfonſi Præfecti virtute prouocati, ſupremo conatu
propugnabãt. Accidit vt Alfonſi filius vnicus, in Ioannis & Maurorũ poteſtate eſſet: quem
illi pro muro oſtentantes, in patris oculis, ni oppidum dederetur, ſeſe iugulaturos mina-
bantur. Ad eas voces pater nihil commotus, cum negaret, proditæ vrbis maculam vllo
incommodo elui, ne ſi centum quidem filii iugulandi eſſent: gladio etiam ſi in ſententia

perſtarent,

perſtarent, è muro proiecto ad prandiũ interritus abiit. Inde militum clamore diſſono, & vlulatu vehementi, puerum barbara crudelitate trucidari non ferentium, crudele ſpectaculũ, barbaræ immanitatis exemplũ, eo fœdius, quod Ioannis Principis iuſſu peractum eſt, reuocatus Alfonſus cauſſa cognita, Credebã, inquit, ab hoſtib. vrbẽ captam. Itaq; ad vxorẽ & prandiũ rediit nulla turbati animi ſignificatione. ſic affectib. ſic lacrymis potuit heros imperare, cũ antiquis cõparandus. barbari cum reputarent animis, nullis artib. nulliſq; virib. vinci poſſe, qui filii amore non moueretur, vt fidẽ proderet officiumq; deſereret, deſperata victoria redierunt in Africã. Algezira etiã Granatæ Regi vltro reſtituta eſt, magna noſtrorũ lætitia: quorum ceruicibus imminere videbatur, tuto paratoq; Afrorũ in Hiſpaniam traiectu. Quo tempore Henricus Regis patruus Neapoli, vbi tandiu in cuſtodia fuerat, dimiſſus in Hiſpaniã venit. eo adiuncto Burgis itũ in Viſcaiam aduerſum Dieghum Harum, eam prouinciam ſuis & Aragoniis armis ſubiugare parãtem. Diegho pulſo atq; iis motibus pacatis Valliſoletum reditũ, inde Complutum. Vnde menſe Ianuario, ineunte ſalutis anno milleſimo ducẽteſimo nonageſimo quinto cognitis Rex iis rebus, quæ ad Tariffam geſtæ 1295 erant, litteras ad Alfonſum præfectũ dedit, quibus fidei conſtantiam cõmendat, filii ſaluti prælatæ Abrahæ exemplo. Boni cognomentũ, quod virtutes peperiſſent, eximiuſq; populi fauor, ratũm ipſi facit adſcribiq; mandat. Tantis meritis, tantiſq; laboribus præmia pollicetur. ad complexum inuitat. mutuo aſpectu, gratulationeq; maximum fructum capturos ſcilicet: quando ipſi valetudine impedito, ardenti quamuis ſtudio, ad eum ſe conferendi facultas non eſſet. Has litteras Aſſidoniæ Duces, fidei à maioribus cultæ monimentum, teſtimoniumq; autographas monſtrant, auro gemmiſq; nobiliorem theſaurum. Tertio poſt menſe omnino ſeptimo Kalend. Maii Rex animũ ſacris Chriſtianis procuratus Toleti deceſſit, in eam vrbẽ lectica militari delatus, hominib. inuicem ſubeuntibus ob ingraueſcentem vim morbi, quo Compluti tentatus oppreſſuſq; erat. Regnauit annis vndecim, diebus quatuor, magnis Principibus exæquatus fortitudinis, æquitatis, prudentiæque laudibus: ſed egregie callidus, ſagax, neq; vno loco crudelitatis impreſſa veſtigia ad poſteritatis inuidiam relinquens. Ferdinandum filium regni hæredem dixit. eius ætatem tuendã, reipublicæq; procurationem Reginæ cõmendauit, nondum iuſtæ coniugi propter vitiũ propinquitatis. ſecundum Reginam proximũ auctoritatis locum Ioannis Laræ eſſe mandauit, ſimulata beneuolentia pectore anxius ob memoriam prioris inconſtantiæ, fide tamẽ fidem redimere, merendoq; flectere ſatagens, haud ignarus quãta eius morte reipub. imminerent mala. Corpus in ſacello regio, quod ea tempeſtate retro arã maximam erat, tumulatum eſt. Mortuo habiti honores, decreta laudatio. de rebus geſtis non vna opinio fuit. turbidæ certe tempeſtatis vim, fortunæq; impetum ſuperauit: regnumq; ſibi, & poſteris, armis aſſeruit: in quibus ſunt iura regnandi. Sanctio Rege in Aragonia Guillelmus Galuanus, in Caſtella Garſias Hiſpanus iuris vtriuſque peritiſſimi ſunt habiti, priuati & publici, ſacri atque profani. Edidit Garſias commentaria in Epiſtolas Pontificum decretales.

Fridericus Rex Siciliæ ſalutatur. CAPVT XVII.

PER hæc tempora Romanam eccleſiam obtinebat Bonifacius eo nomine VIII. Celeſtini V. ſucceſſor, eius qui ex eremo conſentiẽti Cardinaliũ ſuffragio ad ſupremum eccleſiæ honorẽ vocatus, cum humeris impar onus eſſet, ſexto initi pontificatus menſe, ſponte abdicauit, exemplo quod poſteritas admiraretur, laudarent omnes, imitaretur nemo. Eo maiore ſucceſſoris inuidia, quod eremum repetentẽ otii cupiditate, retrahi cuſtodiæq; mandari curauit, veritus ne motus aliquis exiſteret, multis abdicationem vitioſam eſſe diſputantibus. Defuncti in cuſtodia poſt annum & ſex menſes memoriam Clemens. V. conſecrauit: Ludouicum Regem Galliæ hoc ipſo anno Bonifacius: eorumq; nomina templis addita. Extat Celeſtini elogium in Petrarchæ libro ſecundo de vita ſolitaria. Papatum, inquit, quo nihil eſt altius (rem tam exoptatam tamque mirabilem, vt ab admiratione ac ſtupore dictam ferant) quis vlla ætate præſertim ex quo tanto in pretio eſſe cœpit, tam mirabili, & excelſo animo contempſit, quam Celeſtinus ille priſtinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egeſtatem appetens? Audiui narrantes qui viderant, tanto illum fugiſſe cum gaudio, eaque ſigna lætitiæ ſpiritualis, oculis ac fronte geſtantem, dum à conſpectu concilii iam tandem ſibi redditus, ac liber abſcederet, quaſi non humerum blando oneri, ſed collum diris ſecuribus ſubduxiſſet. Bonifacii opera, vt erat à multo rerum vſu, & magnatum artium diſciplinis inſtructus præclare, quod toties fruſtra tentatum erat, inter Francos & Aragonios pax facta tandem eſt Anagniæ: quo Carolus Neapolitanus Franci & Aragonii legati, viri ex vtraque gente principes ad Pontificem conuenerunt.

fœderis hæ leges ſcriptæ. Aragonio Blanca Neapolitani filia nubito. dos dicta, argēti pondo millia ad ſeptuaginta. Sicilia & quidquid Aragoniis armis in Brutiis & magna Græcia fuit ablatum, ad eccleſiæ Romanæ ius redito. Si Siculi recuſarint, Aragonius copiarū tantum dato, quantum arbitri iudicarint. Carolus Valeſius iure abſcedito, quo Aragonium regnum armis vendicare parat. A Pontifice Romano interdicti, atq; anathematis religione exoluuntor, quoſcunq; ea controuerſia implicauit. Obſides liberantor. De Baleari rege actum. ſummaq; Galli Regis & Pontificis contentione impetratum, vt reſtitueretur in regnum. Hæc palam iactata. Ex arcano tamen Sardiniæ & Corſicæ ſpes Aragonio iniecta dono Pontificis: quarum imperium ob locorum propinquitatem commodiſſimum iudicabat. Extāt de eo fœdere Bonifacii litteræ vigeſimo ſeptimo die Iunii promulgatæ. Quæ res fama vulgata, cæteras quidem orbis Chriſtiani partes lætitia compleuit: Siculis autem grauiſſima extitit, extremum malorum putantibus, ad Gallorum imperia redire. Itaq; Fridericus (quem frater diſcedens reb. præfecerat) & cum eo Rogerius Lauria, Ioannes Prochita, & Manfredus Lancia viri primarii Pontificis rogatu, & de fœderis euentu ſoliciti, ipſum adierunt ad littus Romanum excenſione facta. Catharina Philippi filia, neptis Balduini Auguſti Friderico modo ne pacis conditionibus vnus obſiſteret, deſpondebatur ſpe dotali Græci imperii communib. armis, atq; viribus recuperandi. neq; is detrectabat conditionem, ſi verbis reſponderent facta. Arágonius ſemel & iterum a Siculis per legatos ne ſe in diſcrimine deſereret interpellatus, cum ſtudio pacis, conceptaq; ſemel animo religione de ſentêntia nō decederet: Panormi tandem, vbi ea de cauſſa generales regni conuentus agebantur, Fridericus Rex eſt Siciliæ renunciatus. Iacobo fratri noua vxor connubio iuncta. Nuptiæ ad Villam Beltranam celebratæ Octobri menſe ſunt. Iſabella repudiata, dimiſſaq; in Caſtellam. Aragonii proceres Regis edicto ex Sicilia euocati. ſic magnarum rerum initia motuſq; graues, lætum & iucundum exitum habuere, pace Aragoniis reddita, neq; amiſſo penitus Siciliæ imperio, in quam haud obſcure nouorum bellorum tēpeſtas vertebatur. Vaſcones ſub imperio Gallico quieſcebant, Hugone confluentio Franco, Campaniæ in Gallia Mareſcalco, prouinciæ moderatore. Singulæ vrbes & arces præfectis, ex vtraq; gente promiſcue concredebantur. nonnullum id inuidiæ leuamen erat in externum principatum paſſim conceptæ animis, quod Galli non omnia ſibi arrogarent.

Libri Quartidecimi Finis.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ. LIBER DECIMVSQVINTVS.

Noui in Caſtella motus. CAPVT I.

IN Caſtella res tranquillæ eſſe non poterant. proceres in ſtudia ſciſſi tantum ſibi quiſq; in Republica auctoritatis tribuebat, quantæ inerant vires. multitudo ſine rectore præceps, pauida, ſocors, auida rerum nouarum, vitio humanæ naturæ præſentib. futura commodiora fore putantis. peſſimo cuiq; vt in diſcordia ciuili plurima vis. per vrbes, oppida, agros ſcelera, latrocinia, cædes, qua vindictæ ſtudio, odioq; implacabili, qua auaritia in ſæuitiam degenerante. domus effractæ, direpta bona, abacta pecora: vbiq; luctus, & miſerabilis rerum facies. Reginæ auctoritas fluxa, Regis nondum coaluerat propter ætatem: tametſi à morte patris die proximo Toleti fuerat Rex ſalutatus, cunctaq; ipſi decreta, quæ Principibus deferri ſolita erant. A Regina vectigal ſublatum, quod ex annona redactum Hiſpanorum lingua Siſa vocatur: & a Sanctio Rege inuectū, magnam eius inuidiæ partem cōflauerat, qua ipſi flagrare viſi ſunt. Id blandimentum a prudenti fœmina datum, multitudinem in fide retinuit in tanta omnium ferme Principum & Regum ad arma conſternatione quaſi ad prædam accurrentium, nemine prohibituro. nam bellandi cauſſæ in ea temporū colluuione deeſſe non poterāt. Ioannes Lara in quo plurimum præſidii eſſe debuit, ad hoſtes non obſcure inclinabat, inconſtans natura, memorq; ſub Sanctio ob fidem ſuſpectam diſcrimen adiiſſe. inde cauſſa iraſum,

rum,ſpes ex Reipub. malis ditionis amplificandæ,oppida recipiendi,quæ ſuperiori tẽpore erant ablata. Henricus longa captiuitate,irritato potius ingenio quam mitigato,turbidus natura & inconſtans,maliſq; artibus aſſuetus,in regni procurationem inuadere cogitabat, grauiſſimam iniuriã interpretatus, quod ad nullam Reipubl. partem defuncti Regis teſtamento vocatus eſſet. Eo ſtudio ad Valeranicam priuati, clandeſtiniq; multorum primum conuentus habiti: multa deinde,fama vulgata,circũ oppida in fraudẽ inducta. Burgique vrbs regia in primis eos conatus iuuabat. Vallisoleti ea de cauſſa regni conuentus agitati, tanta procerum in Henricum propenſione, vt Regem & Reginam aduenientes non ante diei veſperam in municipium admiſerint, idq; comitatu relicto, quo maior decernendi libertas eſſet. In eo conuentu regni quidem procuratio Henrico decreta eſt. Regis educandi cura penes Reginam manſit. Cuncti qui aderant, in pueri Regis verba nouo ſacramento adacti. A Diegho Haro per fines Vaſconum in Viſcaiam impetus factus eſt: quem principatum Sanctius Henrico filio legarat,tanquam iure belli quæſitum.præter Balmaſedam,& Orduniam,cætera eo tractu oppida,pars vi,pars voluntate occupata à Diegho Haro: cuius conatibus Laræ fratres enixe fauere cœperant, veteri vtriuſq; familiæ cõtentione depoſita, odioq; Henrici, quem rebus eſſe præfectum ægre ferebant, Sanctii Regis teſtamento mutato,irrita voluntate. Ioannes Regis patruus ex Africa vbi eatenus ſe tenuerat, Granatam appulſus, regnum ſibi Caſtellæ vendicabat, in eo Sanctii fratris exemplum ſecutus,Ferdinandumq; fratris filium illegitimis nuptiis procreatũ eſſe accuſans. immane quam multos ea religio abalienauit. Eius armis ad fines Portugaliæ Alcantara,nonnullaq; alia oppida occupata ſunt. Dionyſius Luſitanię Rex in partes attractus,quo tempore Valliſoleti regni conuentus agebãtur, puero Regi per feciales bellum indicere non dubitauit. Res trepidæ,metus ingens,bellum improuiſum. quę mala tolerari potuerunt,niſi vt nunquam in vno gradu reſiſtit calamitas, maior belli moles ex Aragonia vrgeret. Ianuarii die xxi. anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto Bordaluæ in agro Hariſæ Aragoniũ 1296 inter & Alfonſum Cerdam Regis Caſtellæ & Legionis titulos vſurpantem fœdus ea lege factum, vt communibus armis auitum regnum Alfonſus recuperaret, Murcia Aragonio cederet: Concha, Alarconium,Moia, Cagnetum, Petro eius fratri præſtandæ operę merces,quoniam futuro bello Dux erat deſtinatus. Violantes Alfonſi auia, Reges Gallię, Luſitaniæ & Granatæ eo fœdere comprehenſi. Ioannes Lara ſpe Albarracini recuperandi ad Aragonios abiit. Dieghus Harus Caſtellæ Regi conciliatur,Ioannis perfugę ditione attributa adiunctaq; ad Viſcaię principatum. Ab eo principio Reginę artib. multi proceres in partes attracti ſunt,ac nominatim Ioannes Alfonſus Harus Camerorum principatu,quem quaſi hæreditario iure debitũ ambiebat,donato. prę ſidia aduerſus ingruentes vndiq; tempeſtates comparabantur. Menſe Aprili Aragoniæ copiæ in Caſtellæ fines penetrarunt Alfonſo & Petro Ducib. Legionem vſq; caſtra promota,opulentam quondam vrbẽ,viris, armiſq; tunc ad exiguum ciuium numerum redactam: eoq; ciuium deditione ſine ſanguine in poteſtatem venit.atq; in ea Ioannes Ferdinandi Regis patruus Legionis,Calęciæ,atque Hiſpalis Rex eſt ſalutatus. ad S. Facundi oppidum Alfonſo Cerdæ, Caſtellæ regnum pari celeritate delatum. ſic erat icto inter eos fœdere cautum. Maiorgam xx. ab vrbe Legione lapide caſtra promota. quod municipium dum mœnium firmitate,& præſidii virtute defenditur,obſidio ducta eſt in menſem Auguſtum. Quo tempore procerib. Caſtellæ,atque vrbium conuentib. Valliſoletum euocatis, Primus Henricus eo delatus Reginã in arce ſacris operantem, vt erat paludatus accedit. ſecundum ſalutem, quãtum periculum impendeat reb᷒,ſimulato mœrore explicat. A trib. Regib. in tuã perniciem coniuratũ,non ignoras. hos ſequitur magna prouinciæ procerum pars. aduerſus tantã tempeſtatem, in te fœmina,me ſeno,Rege puero quantum præſidium? arte vires adiuuandas cenſeo. Iniuria, inquit illa, filium paterno imperio ſpoliare parant. ſuperis innocẽtem ætatem curæ fore non diffidimus. id certiſſimum præſidium cauſſę ſpeſq;. Eſto Henricus ait. non votis tamen,& muliebrib. lacrymis numina placantur. vigilando,agendo,menteмq; in omnes partes vertendo,pericula procuranda. ſic ſæpe in magnis periculis Reſpublica conſeruata eſt. in ſomno,ignauiaq; certum exitium. Vt Petro Aragonio cælibi cælebs connubio iungaris, conſilium do, vtinam tam gratum, quam ſalutare. poſſum exempla commemorare multa, & præclara principum fœminarum, quibus & filiis id ſaluti fuit, nulla populi reprehenſione. Exhorret illa ad inſolentiam nouæ vocis. Apage,inquit,tantum dedecus,infamiainq;. regnum filio paterna contumelia conſeruare,nunquam inducam in animum. neq; externa exempla imitabor: cum domeſtica ſuppetant,illuſtrium fœminarum, quarũ integra fama vitaq; te cælibe filiis in tenera ætate imperia ſteterunt. non deerunt præſidia,vireſque. vitæ innocentia magis quam vlla arte ſuperum auxilium conſtabit. ſi certum periculum ſit,

perſtare tamen eſt animus, neq; filii maieſtatem ſuſcepta turpitudine ſugillabo. Sic Henrici conſilium repulſum eſt. Conuenerunt ad quatuor millia equitum. Vt iis copiis Maiorgæ obſidio diſſiparetur adduci Henricus non potuit: cum Bętici belli neceſſitatem excuſaret. Zamoram modo itum, quoniã in fide nutabat. deſerta pene omnia, Diui indigetes ſuſtentarunt. mora, reſidente primo cum quo hoſtes venerant impetu, calor æſtatis, cæli grauitas, rerumq; omnium inopia, morbos in exercitu vulgauit: & Petro Duce extincto, coegit in patriam redire, nulla re præterea memorabili, numero imminuto, nam mille equites cataphracti, peditum quinquaginta millia venerãt. Rex Aragonius eodem tempore in Murciæ fines inuectus meliori euentu bellum geſſit. Murcia vrbe & omni circum tractu ad imperium adiuncto, Caſtellæq; detracto, Alcala, Lorca, Mula exceptis, quæ in fide Ferdinandi perſtiterunt. In tantis motibus, tantoq; Reipub. diſcrimine Henricus, penes quẽ rerum procuratio erat, in neutram ſe partem fortiter commouere, mediam perſonam gerere, viderique quencunq; curſum res habuiſſent, fortunam in conſilio habiturus. vnde neque ab hoſtib. gratiam promeruit, & prouincialium odium grauiſſimum incurrit: ſuſpicioq; eius ſponte bellum excitari, cunctaq; quæ euenerant mala non inertia militum, neq; hoſtium vi, ſed eius fraude contigiſſe. Regina mutua diſſimulatione aduerſus Hẽrici artes pugnabat, alii palam præſtanti fide proceres. In hoc numero Alfonſus Guſmanius principẽ locum omnium confeſſione obtinuit, aduerſus Granatæ Regem Bæticæ fines tutatus, Henriciq; conatibus, quod grauius certamen fuit, vnus maxime obſiſtens. Is enim ſermonis vitandi cauſſa, & ne nihil ageret, delectu militari habito in Bæticam abiit Maurorũ irruptiones pr. hibiturus. ad Arionam tamen commiſſa pugna victus, diſciſſis forte habenis, quib. equus regebatur, ne in hoſtium poteſtatem veniret, ab Alfonſo Guſmanio, nam pugnæ interfuit equo altero commodum præbito ſeruatus eſt. ſecundum eam pugnam de fœdere cum Mauris inſtaurando actum. Granatæ Rex Tariffam petebat, Quæſadæ & aliarũ duarum & viginti arcium permutatione. viginti aureorum millia additurũ, pollicebatur. præterea quatuor annorum vectigal, quod pendere ſolitus erat, repræſentaturum continuo. In ea rerum difficultate, fiſciq; tenuitate Henrico quidem eæ conditiones probabantur, Alfonſus repudiabat. fidem haberi barbaro, Tariffam reddi, vtrunq; incõmodum noſtris rationib. diſputabat. res ad arma ſpectabat. accenſa contentione Mauri ſuis noſtriſq; virib. quo quid exitialius eſſe poterat? eam vrbem obſidere parabant. Alfonſus domeſticis opib. deſtitutus, externa præſidia conquirere ſtatuit. Luſitanus infenſus erat, atq; in armis. Aragonium Regem tentare placuit, ſi nominis Chriſtiani ignominia moueretur, his ad eum litteris. Graue eſt oneri prius, quam vſui eſſe. ſed communis patriæ ſalus, & religionis reſpectus cogit, ad tuam opem confugere. quod facio nihil pro me ſolicitus, cui exitium parari libẽs audirem, ſi ibi malum ſiſteret, mortemq; in tantis malis, vt finem miſeriarum expectarem. Reipublicæ me pudet & miſeret, nõ magis externis armis quam inteſtina, proh ſcelus, quorundã perfidia labefactatæ, atq; oppreſſæ. Quid enim grauius eſſe poteſt, quam ab iis exitium comparari, qui præſidio eſſe debebant? quid periculoſius, quã in ſimulatione officii, & vtilitatis inſidias tegi? Tariſtam noſtræ fidei concreditam barbaris reddi volunt, mandantq;. Fortiſſimo ſcilicet aduerſus Africæ vires propugnaculo, Hiſpania nudata, rebus turbatis regnare ipſi ſoli cupiunt, atq; in communis patriæ ruinis exultare, egregii nimirum atq; præſtantes viri, regni gentiſq; protectores præclari. Nobis deliberatum eſt, pro qua fide filii mortem antea contempſimus, eam quod reliquum eſt, noſtro ſanguine & vita tueri. Pecuniam ſi mutuam miſeris mariq; auxilia, hanc vrbem tuo Rex inuicte nomine obtinere polliceor iuroq;, dum erit adulto Ferdinando Rege, de ſumptib. ſatisfactum. Tu ſi quid offenſionis eſt, debes id totum patriæ caritati condonare: glorioſumq; ducere, pupilli Regis ætatem, ab iniuria externa, domeſticaq; fraude tutari. Ad hęc Aragonius fidem, conſtantiamq; Alfonſi laudare: cæterũ, icti paulo ante fœderis religione prohiberi. quod ſi eſſet à Mauris violatum, non moraturum ſpem, neq; cõmuni cauſſæ defuturum. Interea Luſitana arma mouebantur. Dionyſius Rex, cum ſuorum manu Salmanticam progreſſus eſt. Aſſuere Ioannes Ferdinandi Regis patruus, & Ioannes Lara Aragoniis copiis reuerſis in patriam. De belli ſumma deliberatum. placuit Valliſoletum, vbi Rex Ferdinandus erat, obſideri. ad Septimancas cum eſſet peruentum octauo ab ea vrbe lapide, dilapſis Caſtellæ proceribus, pleriſq; indignum iudicantib. Regem impugnari, obſiderıq; à ſuis. Dionyſius veritus ne id exemplũ ad cæteros pertineret, obſeſſiſq; viis reditus eſſet difficilis, præſertim vrgente iam hyeme, magnis itinerib. Medinam Campeſtrem primum, inde dimiſſis copiis in regnum contendit. Reginæ copiæ, quas ad defendendum bellum paratas habebat, eius iuſſu Paredes municipium obſederunt nullo operæpretio: cum Henricus delectu in Carpetanis atq; Vaccæis habito, eum apparatum diſſipaſſet. regni conuẽtus, qui Valliſoletum

indicti

Indixerant, ob locorum vicinitatem diſturbari nolebat. ſic videri voluit, re à Ferdinãdo Rege alienatus, hoſtiumq; cauſſæ impenſe fauebat. Ex fraudes Reginæ patientia eludebantur, ſimulataq; beneuolentia : nam eodem tempore Gormatium & Calecantoriũ oppida Henrico donata ſunt. eadem arte Ioannes Lara ad officium retractus, quamuis ancipiti fide, & ſi Albarracinum traderetur, ad Aragonios rediturus. regni conuentus Valliſoleti habiti ſalutis anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo auſpicante. In iis conuentibus, quoniam pecuniæ difficultas maxima erat, grandis ſumma à populis in belli vſus promiſſa, & poſtmodum repræſentata eſt. Quo tempore Ioannis Hari virtute, Vaſcones qui Anagari vrbis partem improuiſo aduentu occuparant, & repetitis antiquis iuribus Riuogiam vniuerſam armis occupare parabant, pulſi ſunt. Iacobus Aragonius Rex Romæ, quo ſe accitu Pontificis contulit, Sardiniæ & Corſicæ Rex eſt renunciatus. Venerunt ex Sicilia Conſtantia mater, & Violantes ſoror, Rogerius maris præfectus, Ioannes Prochita. Auſpice Põtifice Bonifacio, vt antea erat per legatos conſtitutũ, Violantẽ inter, & Robertum Calabriæ Ducem Regis Neapolitani hęredem deſignatũ, nuptiæ principali apparatu celebratæ ſunt. Aduerſus Fridericũ Siciliæ regnũ ſemel ſuſceptũ armis tueri parantem, communemque orbis Chriſtiani pacem diſturbantem, bellum decretum. Duce ipſo Aragonio fratre : quo quid inhumanius eſſe potuit, quam armari fratrem in fratrem naturæ iura reſoluere: ſed tanti fides, religioque fuere, imperioſi Pontificis mandata. rebus conſtitutis Rex quidem bellum comparaturus in Aragoniam rediit. Rogerius Lauria Neapolim miſſus, Carolo operam nauaturus. Conſtantia & cum ea Ioannes Prochita Romæ hæſerunt, ſiue religionis ſtudio, ſiue rebus feſſi, Siciliæq; miſerati caſum. Sunt qui defunctos Romæ affirment. verior tamen fama tenuit & idonei auctores teſtantur, Conſtantiam Reginam, quinto poſt anno Barcinone defunctam, ſepultamque in Minorum æde vbi extat cum inſcriptione tumulus eius nomine.

Ferdinandi Caſtellæ Regis ſponſalia. CAPVT II.

ARAGONIO in patriam reduci Lerda, Vlia, Filera, Saluaterraque, vt erat Agnaniæ fœdere cautum, à Vaſconibus reddita ſunt. Anno proximo milleſimo ducenteſimo 1298 nonageſimo octauo Vaſconum Pętore pro Gallis Alfonſo Ronæo natione Gallo, Albarracinum de cuius poſſeſſione tandiu certamen fuerat Ferdinando Aragonii Regis fratri notho ablatum, Rege ipſo auctore atq; iubente : traditumq; Ioanni Laræ, qui meliori iure niti videbatur, patremq; iniuria ſpoliatum conſtabat, aut fingebatur. honeſta ſpecies, ſed hominis præpotentis conciliandi, in parteſq; trahendi præcipua cura ſuberat. Valentiæ is ſeptimo Idus Aprilis fidei conſtantiam iurauit, maiorem quam antea ſcilicet. Hæc ab Aragonio præſidia comparabantur, vno tempore Caſtellam Siciliamq; armis inuadere cogitanti, validiori quam pro ditione proque opibus conatu. Siciliæ quidem Rex ab omnibus deſtitutus, iniuriæ opportunior futurus erat. à Caſtellæ Rege Dionyſius Luſitanus in partes attractus inito fœdere, quod gemina affinitate firmatum eſt. Conſtantia Dionyſii filia nondum quamuis matura viro ætate, connubii fœdere, vti ante conuenerat, iuncta Ferdinando eſt: Alcanitii quo in oppido non procul Zamora vrbe ad fines Portugaliæ, pacis faciendæ cauſſa conuentus Regum erat, ſolennitas peracta eo maiori publicæ lętitiæ ſignificatione, diuturnæq; concordię certiori ſpe, quod Beatrix Ferdinandi Regis ſoror Alfonſo Dionyſii filio & hæredi, octo nato annos deſponſa eſt : & quo maior eſſet fides, de matris Reginæ manu ſocero tradita, atq; in Luſitaniã miſſa, tanta ad concordiã animorum propenſione, vt cũ dotis nomine nihil Conſtantiæ eſſet datũ, Oliuẽçia, Conguela, & Campus Moiæ (oppido id nomen eſt) Luſitanis acceſſerint, nonnulla maieſtatis ſugillatione timoris ſignificationẽ maxima: ſed tanti erat temporum conditio, & reipublicæ perturbatio; vt ſuſcepto etiam dedecore, pacem redimere non vererentur. datum modo à Luſitano in patriam diſcedente, vt trecenti equites delecti Caſtellæ Regibus operam nauarent, Duce Ioanne Alfonſo Alburquerquio, aduerſus Ioannem Ferdinandi regis patruum, qui ſe Legionis Regem dixerat, vti paulo ante dictum eſt. Maiori apparatu, quam ſucceſſu expeditio fuit. nulla enim re memorabili Luſitani equites in patriam redierunt. contra Almaſanum ad Aragoniæ fines, aliaq; eo tractu oppida ab Alfonſo Cerda, præſidiis ſunt occupata. Segontia à Ioannis Laræ militibus tentata in Celtiberis; eximia ciuium virtute in fide perſtitit. Pecuniæ difficultate, cum cætera prona eſſent, maxime cõiurati laborabant. quæ ne in ſtipendium deeſſet, regiis inſignibus, & nomine percuſſa eſt, metallo non probo. experientibus pars multo maxima decoquebatur. Dionyſius Luſitanus à Rege genero ſollicitatus cum iuſta manu per Mirobrigę (ea ciuitas Roderici vulgo eſt) fines ad ferendam

opem accurrit, maiori pacis ſtudio, quam res turbarę poſtularent. Itaq; nullo operæpretio facto, irato ſimilis in Luſitaniã rediit. Ioanni regios titulos vſurpanti Calæciam, quã armis inuaſerat, relinqui perpetuo iure volebat: Legionẽ vrbem, dum viueret: Regina & Caſtellæ proceres conſilium repudiabãt: in quo pacis ſpecie, grauis ignominia, regni viribus nobiliſſimæ prouincię detractione imminutis, iniuriaq; publica cõtinebatur. Luſitani tamen Regis reditu, quos metus in officio continuerat, procerum tumultus cõcitati ſunt, importuno ſane tempore regni perturbationem ad occaſionem vindicandi iniurias ditionisve amplificandæ vertentiũ. Reginæ patientia ſingularis, vltro eorum cupiditatib. occurrẽtis, oppidaq; & arces, tranquillitatis reuocandæ cauſſa donantis. & eſt ſapientis rectoris rebus commotis, quacunq; re putat, ad Rempub. iuuãdam poſſe homines adduci, ea vti: nemoq; ita in arma promptus eſt, vt non idem pretium quietis quam periculi malit. De *Siciliæ* imperio vario belli euentu certabatur. Rogerii Lauriæ conatus Gallicis partib. iuuandis eximii, vt in quamcunq; partem ſe daret, victoriam, felicitatemq; ſecũ ferre videretur. Eius diligẽtia multa oppida in extrema Italiæ orã Siculis adempta. quo merito perduellionis lege poſtulatus, damnatuſq;, ampla ditione. quam in Sicilia obtinebat regum priorum donum, virtutis præmium, ſpoliatus primum eſt. mutatæ fidei crimẽn obiiciebatur. deinde vertẽte fortuna ad Catanzarum in Lucanis dum vrbe recepta, arcem obſidet, à minori hoſtiũ numero victus eſt. Hoſtium deſpectus malo fuit, ſemper in bello exitialis, & quoniã aduerſo Sole pugnaſſe fama eſt. multi in pugna ceciderũt. plures noctis beneficio ſeruati. Rogerius ipſe Dux inflicto vulnere in vicina oppida, deinde in Aragoniam euaſit, præceps in vindictam, eo maiori ignominiæ dolore, quod præter conſuetudinem acciderat, ſuperiorib. pugnis victor. Ex Aragonia Rex Rogeriuſq; bello Dux fœderatorum Principum cõſenſu deſtinatus, numeroſa claſſe instructa, in qua octoginta triremes erant, idonea tẽpeſtate ſoluerunt. Romę à Pontifice luſtrati ſacra prece. Neapoli Robertus Calabriæ Dux adiunctus. Sicilię littora tentata. omnia ſpe faciliora primo aditu inuenta. Pacti (quæ vrbs Ptolemęo Agathyrion eſſe creditur) alięq; eo tractu arces occupatæ. mox circunducto Peloro, fretoque enauigato, Syracuſæ diuturna obſidione mari terraq; fatigatæ. locorum longinquitas, Pacteníes ciues prouocauit, vt pulſo Aragonio præſidio ad Friderici Regis ditionem redirent, arcemq; virib. omnib. impugnandam ſuſciperent. Ioannes Lauria datis abs Rege Aragonio viginti triremib. auxilio obſeſſis accurrit. re cõfecta inſtructaq; arce cõmeatu, in reditu à Meſſanenſib. claſſe inſtructa, tum ipſe, tum ſedecim triremes captæ ſunt. fretum vorticib. infame, temereq; in modum venti nunc huc, nunc illuc verſis fluctib. velut mõte præcipiti deuolutus torrens Siculos iuuit: Aragoniis ob inſcitiam nauigandi exitio fuit. Interea Syracuſani eximia virtute propugnantes, Rege Friderico vicinis locis ad omnẽ occaſionem excubante, Aragonios ſoluta obſidione diſcedere compulerunt. & erat exercitus imminutus. decem & octo millia capitum deſiderata. inſuetus calor, cæli inſolentia, rerum inopia morbos vulgauerant. Ioannes Lauria iuſſus è vinculis cauſſam dicere Meſſanæ lege perduellionis, capite pœnas ſoluit, Rogerii patrui dolore incredibili: in quẽ ea ignominia redundabat, dolor proprius. Erat is Aragonium regem in Hiſpaniam proſecutus. vnde circumacta hyeme maiori conatu in Siciliam reditum eſt, Roberto atq; Philippo Caroli Neapolitani filiis ex itinere adiunctis. ad Orlandi promontorium non procul vrbe Pacti, claſſe appulſum: in qua ſex & quinquaginta triremes erant. Fridericus ex ſuperiori victoria, auctis ſuæ gẽtis animis minori numero nauium, omnino quadraginta, auſus prælii fortunam tentare victus eſt. naues pars captæ, pars in fugã verſæ. in captiuos a Rogerio præfecto ſæuitum, vindictæ ſtudio: magna Catalaunicæ gentis inuidia. Fridericus naue ex qua pugnabat capta, in ſcaphã deſiliens Meſſanam abiit. Aragonius cauſſis ſiue veris ſiue ſimulatis, in patriam eſt reuocatus, nõ abſq; Pontificis Romani, Neapolitaniq; Regis obtrectatione. ſaniores factum probabant. & erat ſtultum alienã rem ſuo periculo curare. erga fratrẽ ſublata contentione, humanitas miſericordiaq; ſucceſſerat. Commiſſa ea pugna eſt ad quartum Nonas Iulii menſis, in paucis ea ætate memorabilis. Galli vt victoriã vrgerent in Sicilia relicti, diuiſis copiis bellum gerere conſtituunt. inde certa calamitas. Robertus & Rogerius Lauria Randaſum firmum iis locis Pactim inter & Catanam medio ferme interuallo municipiũ obſident. cum claſſis parte Philippus Tarenti Dux ad tentanda Lilybęi littora miſſus, Friderici Regis aduentu improuiſo victus acie, captuſq; eſt. inde inter vtranq; gentem ſocietatis amicitiæque iungendæ copia bello potior, vt mox oſtendet narratio.

Annus Iubilei. CAPVT III.

ANNVM ſecularem Bonifacius Romanus Pontifex clauſit, ex Romanæ vrbis Iudaiciq; populi inſtitutis lege temperata lataq; in perpetuum: vt centeſimo quoq; anno venia peccatorum

peccatorũ donarentur, quicunq; Romana templa venerabundi inuiſerẽt plena religione, vetuſtate ſancta. Ad Romanæ maieſtatis renocandæ, religioniſq; amplificandæ cultum, id inſtitutum pertinebat. quod Clemens VI. anno L. ac longo interuallo Sixtus IIII. quinto quoq; & vigeſimo nouis id legib. fieri ſanxerunt, memores humanæ mortalitatis, vitæq; exiguis plerunq; annorum ſpatiis circunſcriptæ. Magnus mortalium concurſus ad rei famam in Vrbem factus. in his Carolus Valeſius ſecundis nuptiis Catharinæ Philippi filiæ, neptis Balduini coniux, Græcorum imperium quaſi dotale recuperare contendebat ſollicitus. ſi id contingeret, bellum in Syria pridẽ intermiſſum, fore inſtauraturum. Honorificum id Bonifacio erat, eius ætate auſpiciiſq; pia arma repeti: Carolo haud irrita vita, modo cum iuſto exercitu in Italiã primo tempore redeunti pollicebatur fore. In Cãtabria Dieghus Harus Lupi frater, eius quẽ ad Alfarium Rege Sanctio cæſum diximus, Viſcaiæ principatu parto ad Neruii ripam, quod flumen incolæ Ibaiſabellũ a latitudine vocãt, Bilbaum oppidum conſtruxit, Viſcaiæ totius nobiliſſimũ, octauo à littore milliari, eoq; propter maris ſubuectiones frequens commercio: & quoniam Bermei mercatores loci commoditatem ſecuti, eo plerią; commigrarunt. Incolis datum, vt Lugrunii legib. viuerent. Ilerdæ ab Aragonio Rege publicæ ſcholæ iura data ſunt. litterarũ profeſſores magnis præmiis euocati conſtitutiq; in ea vrbe. Quo tempore Vaſconib. Alfonſus Roleedus pro Gallis Præfectus erat: nihil inſigne in ea gente, niſi, q; eſt præcipuum, feſta pax aliis Hiſpaniæ partibus bello continuo quaſſatis. Eo auctore Valliſoletum miſſa legatio per cauſſam à Regina Caſtellæ, cuius auſpiciis vſq; dum Reſp. ſteterat, expetẽdi quidquid ab Ataporca (oppido id nomen prope Burgos eſt) ad regni fines pertinebat, vi & armis magis quã vllo iure olim ablatum. Regina legatis accurate & liberaliter habitis, negabat tamẽ Galli Regis voluntate id expeti. recẽtiſſimæ cuiuſq; poſſeſſionis vſu, potius quã exoletis vetuſtate exemplis & tabulis ſtare ius imperandi affirmabat. Re infecta abeuntes legati, vnde certior ſpes pro quib. venerant impetrandi, ad Alfonſum Cerdam & Ioannem Laram ſe cõtulerunt. Tentata in Palẽtia, ac tantum non ciuium proditione capta Donniis ſe tenentes, de alienæ ditionis oppidis liberales extitere. Miſſus in Galliam Ioãnes Lara, vt de omnib. pactionib. præſens ageret: Galloſq; ad opem mature ferendam incitaret. Parum ea diligentia profectũ: ac ne Cerdæ quidem fratres Ioannis veſtigia ſubſecuti, vltra ſpecioſa verba quidquam retulerũt: cùm belli Flandrici, quod vtriuſq; gẽtis ſupremo conatu gerebatur, quam longinqui potior cura eſſet. Icto tantũ fœdere, permiſſu Philippi Regis delectus in Vaſconib. eſt habitus. Militum manus ea parte in Calagurritanum agrum inuaſit. Ioannes Harus Camerorũ regulus eos acie ſuperauit, capto eorum Duce Ioanne Lara, neq; ante in libertatem reddito, quã arces & oppida omnia reſtituit, quæ eius fidei erant concredita, integram præterea fidẽ & conſtantiam iuratus. Quæ res Aragonium quidem Regem impulit, vt Albarracinum vrbem Ioanni datam, ſui iuris faceret. Ioannis autem patrui Ferdinandi Regis animum perculit, vt armis poſitis, in quibus contra adoleſcentis Regis reſurgentes vires parum præſidii fore ſperabat, ad pacis conſilia traduceretur. fœdus ſalutis anno milleſimo trecenteſimo 1301
primo ea lege factum eſt, vt Regis nomine poſito, vrbibus atque oppidis redditis, quæ belli tempore occupata erant, Viſcaiæ etiam principatum dotalem Diegho Haro relinqueret, Medinæ a ſicco flumine, Caſtri Nunnii, Manſillæ, Paredum, Cebreri permutatione. quæ nouos motus vitandi cauſſa, & vt eſſet vnde vitam principalem ſuſtentaret, Ioanni abs Regibus donata ſunt.

Raymundi Lulli obitus. CAPVT IV.

DVÆ res in hunc annum inciderunt neq; minutæ, neq; inſignes maxime: ſed hoc tamen loco commemorandæ. Raymundi Lulli exitus, multa ſanctitatis doctrinæq; fama: Calatrauæ Magiſtro Garſiæ Padilliæ facta iniuria, honore quem gerebat detracto. Raymundus gente Catalaunus in Baleari maiore natus, iuuenis mercaturam exercuit ſpe quæſtus, maiorũ veſtigia domeſticamq; laudem in eo ſecutus cũ ętate rerum humanarum tædio abſceſſit in ſolitudinem, vitato hominum congreſſu. Quo tempore artẽ conſcripſit, quæ nouis trãmitib. compendio in artium ingenuarum, philoſophiæ, atq; adeo diuinarum rerum cognitionem inducit, magno hominum miraculo: cum litterarum omnino expers, vt ne Latine quidẽ ſciret, ſermone patrio viginti amplius voluminib⁹, iuſti põderis euulgatis, ea de reb. tum diuinis tũ humanis tradat, quæ vix, ac ne vix quidẽ expoliti doctrina homines aſſequãtur legendo. vt præſtigiæ oculorũ, & ludibria potius artium, quã veræ artes quibuſdã videãtur. Ipſe ea ſe diuinitus accepiſſe cõfirmat, in mõte obiecta Chriſti Dei ſpecie, quaſi cruci affixi. eo haud dubiũ meritus laudẽ, q; ſtudio religionis in Africa propagãdę

Bugiam in ora Mauritaniæ delatus, cum operi inſiſtens, monendi caſtigandiq; finem non faceret, lapidibus petitus occubuit. Corpus in Balearem maiorem tranſlatum, magnam à populis venerationem habet, tantum non memoria conſecrata, nomineque in faſtos dato. De libris non vna opinio fuit, pleriſq; accuſantibus, quaſi ineptos noxioſque, alii defendunt, quaſi delapſos cœlo, humanæ ignorantiæ remedia. Quingenti errores de religione ex iis libris decerpti nihilominus, Gregorii XI. Pontificis Maximi iuſſu Auenione anathematis ignominia notati, agente Aymerico ex Prædicatorum ordine Inquiſitore aduerſus hæreticos in Hiſpania. Ex iis propoſitionibus Petrus Tarraconenſis Præſul centum euulgauit, Directorii Inquiſitorum parte altera. in quibus ſi verum fateri conuenit, nõ paucæ duriores ſunt & abſonæ, cum eccleſiæ placitis pugnantes. Sed nos bardi craſſoque ingenio aſſequi non poſſumus ea, in quibus Raymundi ſectatores reconditas ſignificationes, & arcana maiora contemplantur, melioribus oculis. an hallucinantur potius & videre ſe fingunt, aut ſomniant, quod non vident: & digito conantur oſtendere, quod nuſquam eſt; quorum eſt noſtra etiam ætate magnus numerus, ſchola etiam Barcinone iis libris explicandis dicata, conquiſitis lectitatiſque poſtquam reprobati ſunt. habendi licentia obliuionem attuliſſet. de Raymundo hactenus. Calatrauæ Magiſtrum inuidia euertit ſui ordinis concepta animis: cuius expromẽdæ occaſio venit. Maurorum irruptionibus prohibendis, in ea temporum atrocitate, facultas noſtris non erat. Itaque ſuperiori anno Alcaudete oppidum Calatrauæ militibus detractum inuenio: Vaenæ magna parte capta, præſidii virtute ægre quamuis repulſos extra mœnia Mauros: Giennium circumſeſſam, atque magno conatu impugnatam. id Garſiæ Padilliæ crimini datum, quaſi eius culpa Alcaudete eſſet amiſſum, & nouo conatu cum Alfonſo Cerda ſentiret. Hæc ſpecies erat: re aſperos hominis mores oderant, ingenium immite. multa militari laude, præſtanti armorũ ſcientia metum faciebat, & ex timore odium. Habitis comitiis, honore Padilliæ detracto, Alemanus eſt in eius locum ſubſtitutus iniuria: vti dati à Pontifice Romano iudices in cauſſa, patres Ciſtercienſes pronunciarunt. Ergo vertente anno loco redditus multis annis rebus præfuit, inuidia militum compreſſa magis quam ſanata: prorſus vt extrema ætate hominem nouis criminibus appeterent, Ioanne Prado pro ea ſubrogato haud meliori iure quam antea. Verum ille annis grauis, bellicis curis, ſed & ciuilibus impar, honorem iniuria detractum æmulo ſponte reliquit, paucis in Aragonia oppidis retentis, vnde ſenectutem ſuſtentaret, vir eximie præſtans, non magis rebus geſtis, quam prę̨ pacis ſtudio, contempto honore, condonata iniuria. Ad inſtitutum iter reuocanda narratio eſt.

Nuptiæ Ferdinandi Regis confectæ. Capvt V.

VENIÆ propinquitatis à Pontifice impetrandæ cura ſolicitabat, vt pacta inter Luſitaniæ & Caſtellæ Principes cõiugia legitima eſſent, eo vitio irrita: & ſpes ſuberat veniæ, quoniã Bonifacius Pontifex originem Hiſpanicam præferens, rebus noſtris fauere videbatur: à Gallis alieno animo eſſe cœperat. Placentiæ, Regum Caſtellæ & Luſitaniæ colloquiũ ea de cauſſa habitũ. miſſi Romã legati omnia facile impetrarunt, ac Mariæ & Sanctii Regum coniugiũ eodem vitio procuratũ: tametſi Sanctius vita functus erat, & pleriq; negabant mortuorum coniugia irrita iure, venia rite coaleſcere, ignorantes quanta Romanorum Pontificum auctoritas ſit ad hominum nonnunquã gratiam, ſæpe pro cõmuni ſalute, datæ poteſtatis fines amplificantium. Soluta certe lege propinquitatis, noua lætitia Ferdinandi Regis & Conſtantiæ coniugia Valliſoleti peracta. nuptiarũ ſolenni celebrato, noua nupta mulier facta eſt. Regis ætas, infixaq; religio animis intactam eatenus ſeruarat. Ioãnes Lara regiæ Magiſter factus eſt. Henrico patruo Atienſa & Gormatiũ dono data. regni procurationis ablatæ ea cõpenſatio fuit. ſanari tamẽ prauus animus non poterat. quem comperio ſimul Aragonios & Mauros ſimulatione beneuolẽtiæ diſtinuiſſe dubia fide, ſuſpenſoq; ſemper ex fortuna animo. Itaq; eo cõniuente Almaſani, quod oppidũ à Cerdis obtinebatur, obſidio diſſipata eſt, Caſtellæ copiis amandatis alio. conuentu ad Hariſam Aragonio Rege, fœdus ſimulatũ magis quam factum. Aragonius Lorcam in Conteſtanis va-
1302 lidum municipiũ diu obſeſſum, ſalutis anno milleſimo trecẽteſimo ſecundo inchoante in poteſtatẽ redegit. Nobile municipium in Vaccæis ad Duriũ eſt, Pennafielis nomine. In eo conuentus Epiſcoporũ fuit prouinciæ Toletanæ, ipſis Kalendis Aprilis. actionum moderator Gonſaluus Toletanus Præſul. Ne clerici concubinam publice habeant ſupplicio ſancitũ. (ſic erant eius ſeculi mores publica ſcelera vindicare ſatis habebant) ea lex tertia eſt. Sexta ſacerdos peccata reuelãs per ſacrã confeſſionem accepta æternis vinculis addicitur, pane & aqua in victũ tantũ conceſſis. Decumas ex omnib. quę terra etiã ſine cultura ſpõte

fundit,

fundit, ſolui ſacerdotibus octaua lex mandat. Liba azyma quibus ſacrificatur confici niſi à ſacerdote aut eo præſente proxima lege vetatur. tum alia ſanciũtur ad pietatis cultũ præclara. Menſe Maio Granatę Rex Mahomad Myrus diẽ obiit, ſucceſſore Mahomade Alhamare ipſius filio natu maximo. Gemina ex ea re noſtrorũ lætitia, ſublato patre ſtrenuo induſtrioq;, filium luminibus captũ ſubſtitutũ eſſe conſiderantium. Malacæ regulus Farrachenius eius ſororius, magni animi vir, præſtantiq; erga nouum Regem fide, bello paceq; Rempub. gubernabat. In Sicilia ex tantis motibus pax tandem facta eſt. ad Pontiam inſulam victi primũ Siculi in pugna nauali. Conradus Oria Genuenſis claſſis Præfectus captus. Inde Siculis timor aliquantus, Gallis ſpes amplior belli ex ſententia conficiendi. Meſſana certiſſimum totius inſulæ propugnaculum, à Gallis cõtinuo obſeſſa. rẽ proximam periculo, ciuium conſtantia, Fridericiq; diligẽtia, quoniam in eo ſumma belli vertebatur, tutata eſt. Acceſſere preces Violantis Aragoniæ virũ ad bellũ ſecutæ, ac tũc Catanæ agentis. ea annitẽte in ora Syracuſana ad turrim Maniaci de pace ab vtroq; principe in colloquiũ ventũ eſt. Induciæ tantũ pactæ, amicitiæ coniũgendæ certa vtrinq; ſpe. Duæ res incommodo tempore ſubſecutæ eam ſpem perturbare viſæ ſunt. Violantis obitus ad Thermas Himeras (Termini nunc ea vrbs vocatur, & in Gallorũ ditione erat) defunctæ. Caroli Valeſii aduentus, qui ſpe imperii Græcorũ recuperandi Italiam repetẽs Hetruriæ rebus turbatis in Siciliam trãſmiſerat. Fridericus cõmeatu omni in munita oppida comportato, corruptis frugibus aliis perſtanſq; in cõſilio vniuerſæ dimicationis detrectãdæ, eo hoſtes reſidente cũ quo venerãt ardore adegit, vt de pace volentibus ageretur. Xacã inter & Calatabelotã, vbi ſe Fridericus tenebat propter loci munitionẽ, mutuo triũ Principum colloquio de incũdo fœdere diſceptatur. Initæ pacis hæ cõditiones fuere. Philippus Tarenti Princeps redderetur libertati, aliiq; vtrinq; captiui. Continenti Italia Fridericus abſtineret. Siciliæ oppidis Galli decederẽt. Eleonora Roberti ſoror Friderico nuberet, dotis profectitiæ nomine Siciliam retenturo: donec Sardinia, aut quoduis aliud regnũ Pontificis permiſſu opeq; armis ſubdidiſſet. Si id non contigiſſet Friderici hæredes Sicilia decederẽt. cum primũ ducẽta quinquaginta aureorũ millia Neapolitani Reges numeraſſẽt. Siculis & Italis exulibus parũ cõſtãtis fidei, venia ab vtriſq; mutuo eſt data. Pridie Kal. Sept. his legibus fœdere conſtituto, ab armis diſceſſũ eſt. Ioãnes Villanus, qui bello interfuit, & Dãtes Aligerius eius ætatis poeta inprimis elegans & grauis, Valeſio probro dãt: Hetruriã bello inteſtino turbaſſe: in Siciliã fœdã pacẽ ſanxiſſe: nihil præterea tãtis molitionibus factũ. Fuit hic annus frugib. aduerſus in Hiſpania quidẽ maxime propter aeris ſiccitatẽ & arationes intermiſſas, bellis ciuilibus quarta colonorum parte abſumpta, ſic vulgo opinio fuit, vti magni auctores teſtantur.

Bonifacii Pontificis obitus CAPVT VI.

PER idem tempus Iacobo Rege Baleari defuncto, à filioque cognomine paterni regni iure abdicato, veſte Minorum deſumpta, Sanctius frater natu minor Rex ſalutatus in Aragonii Regis verba iurauit. In Caſtella tranquillæ res non erant, ærarii inopia maxima. Burgis & Senticæ regni conuentus habiti. In his conuentibus publicis impenſis modus adhibitus eſt, magnaq; vis pecuniæ prouincialib. imperata. Procerum animi a Regina matre potiſſimum auerſi erant, cuius auſpiciis rẽpublicam gubernari dolebant. Henricus & Ioannes Regis patrui, Ioannes Emanuelis filius, Ioannes Lara, Dieghus Harus aliiq; viri Principes, Reginæ euertendæ occultis apud filium criminationibus conſilia communicabant. Scrinii regii Magiſter Sanctanderii Abbas, quoniam penes eum regii patrimonii adminiſtratio fuerat, ad rationes compulſus. in quo Reginæ contumelia cõtinebatur, qua concedente iis honoribus auctus fuerat. Verum innocentia atq; integritate perſpecta, procerum calumnæ repudiatæ ſunt. Philippi Galliæ Regis legati anno milleſimo trecẽteſimo 1303
tertio inchoante Vaſconũ oppida repetẽtes, re infecta dimiſſi ſunt. Oblatæ a Rege Aragonio pacis conditiones repudiatæ, Illicis permutatione pollicentis, Murciæ tractũ armis occupatũ redditurũ: neq; id Reginæ probatum, quin Ioannes Lara, qui potens Regis eſſe cæperat, Regina auctore loco motus, Henricuſq; regiæ procurator effectus eſt, honore haud diuturno: breui enim abdicauit, ſponte an coactus non ſatis compertum. Inde certe inter Regem & matrem exortæ ſuſpiciones, inter proceres ſimultates. Ioannes Lara & Ioannes Regis patruus ex tantis paulo ante offenſis gratia recõciliata præcipua apud Regem iuuenem auctoritate pollebant. praui & callidi cæteros criminando, quod facillimum factu eſt bonis & modeſtis præferebantur. Hẽricus patruus, Ioannes Emanuelis filius, Dieghus Harus ægre ferebant, excluſa Regina, à qua erant magnis beneficiis obſtricti, ad duorũ arbitrium Rempub. verti: prorſus vt conſilio inter ſe cõmunicato Alfonſum Cerdã de incũdo

fœdere vltro appellarēt. Gōſaluus Ruizius eo conatu Almaſanū legatur, Aragonia armā in Caſtellā attracturus, nulla fidei cura præ partiū ſtudio. Hæc in Caſtella. quo tempore, incredibili audacia, inaudita impietate ſacroſancta Romanorū Pontificum maieſtas fœdata eſt violato Bonifacio a Columniis proceribus, atq; in cuſtodiā tradito. quod propter facinoris magnitudinem, paulo altius explicandū eſt. Erant à Bonifacio vno tempore Gallica gens & Columnii proceres multis iniuriis irritati. non vna cauſſa initio, conſenſu tamen ad extremū aduerſus communē hoſtē vno. Carolus Valeſius ludibrio habitus videbatur Pontifice promiſſorū immemore. In templorū bona, ſacerdotumq; reditus, Rex Gallus inuadere cœperat. Apameæ Epiſcopū, quam vrbē paulo ante Bonifacius in Gallia Narbonenſi ſitā, contributamq; antea Toloſatib⁹, Epiſcopi iure donauerat, verbis oblatrantē in vincula coniecerat. vtrunq; Pontifici graue atq; iniurioſum legatis vltro citroque commeantibus exacerbatæ amplius voluntates. ventū ad anathema iniuriarum extremum, Epiſcopi ex vniuerſa Gallia Romam aduerſus Regē euocati. Pontificum magna auctoritas eſt, Regum maiores vires. Philippo enim agente aduerſus conatus Pontificis, Lutetiæ Patrū cōcilium habitum eſt. In eo concilio Bonifaciū vitio creatum, Celeſtini abdicationē legibus repugnantibus factā decernitur. conuitia vtrinq; iacta. extant alternæ epiſtolæ cōtumelioſæ ignominioſæq;, veræ ne an fictæ, affirmare non auſim: intereſt tamē ad exemplū vt falſæ eſſe videantur. Columnii proceres Romæ fuga, exilio, bonorū ſpoliatione duob. luſtris vt Petrarcha auctor eſt, exagitati: Gibellinorum ab antiquo duces, nobilitate, opibus, clientelis Pontificibus formidabiles. Petro Iacoboq; ex ea familia Cardinalibus ius rubri pilei edicto abrogatū. Stephanus gentis Princeps in Galliā fugere compulſus. idem facit Sarra Columna atrox ipſe Bonifacii hoſtis, nouiſq; malis exacerbatus, quæ in fuga pertulerat ab Archipirata captus, ad remumq; datus. Audacior Guillelmus Nogaretus Toloſas, cui à rege cura demandata erat à Bonifacii ſententia Romanā ſedem legitimo Antiſtite tūc viduā appellandi. Inter hos euertendi Pontificis conſilia cōmunicata. auctore aut conſcio Rege, etiam memoria recenti dubitatū. in Hetruriam certe appulſi Staggiæ conſedere, dū per occultos nūcios facinoris maturandi opportunitas adeſt. Ceccanus & Suppinus proceres, ex ipſaq; Anagnia vrbe Maſſii potentis viri filii multo auro corrupti facinore patrando. Rebus conſtitutis Anagniā, vbi Pontifex erat, trecenti equites, peditū iuſtus numerus inductus, Sarra Columna Duce præcipuo. Prima luce clamor militū ſublatus, Philippi Regis nomen ingeminantiū. fit fuga aulicorum. Bonifacius cognito periculo, pōtificio ornatu deſumpto, in ſacro ſolio conſedit. eo habitu à Sarra comprehenſus, Nogareto illudenti ac minitanti, conſtātiſſime reſpondit: Paterini minas nihili ſe facere. fuerat is Nogareti auus Albigenſium impietatis conuictus, igneq; crematus. ad eam Pontificis vocē Nogareti ferocia concidit. appoſiti Pontifici cuſtodes. regia direpta. Hiſpanię Oſtiæq; Cardinales duo apud Bonifaciū perſtitere cæteris fuga dilapſis. Triduo poſt Anagniæ ciues miſericordia ſuccedente, metuq; ne Pontificem ciuem ſuū prodidiſſe dicerentur, correptis armis coniuratos vrbe pellunt. Pontifex ipſe quamprimū Romam rediens, ex dolore iincidit in morbū, ac furenti ſimilis deceſſit, quarto Idus Octob. v. & xxx. à captiuitate die. felix Pontifex ſi quam facile minas ridere erat ſolitus, tā facile hoſtiū inſidias euitare potuiſſet. Eius calamitate documentum datum ſacerdotū imperia, opinione magis hominum famaq; integra (quam tueri ipſi & extendere benefactis debēt) metuq; religionis, quā viribus & potētia conſtare. Villaneus auctor eſt, Bonifaciū doctum quidē virū fuiſſe, & a multo rerū vſu excellentem: ſed crudelē. ambitioſum: auaritiæ ſe ſordibus fœdaſſe, vt gentiles locupletaret: quæ grauiſſima pernicies eſt, deteſtanda ignominia. duos & viginti Epiſcopos, duoſq; Comites ex ſua gente fecit. Sexto decretaliū libro edito magnā ab eruditis meritus laudē eſt. in eius locum Nicolaus ciuis Taruiſinus proximis comitiis ſuffectus eſt, ordinis Prædicatorū Princeps, Benedicti nomine in Pontificatu aſſumpto. id Bonifacii memoriæ datū cui id nomē in minori fortuna fuerat, & à quo in numerū Cardinaliū allectum ſe eſſe meminerat. in Gallos tamē clemētior: quos interdicto ſoluit, Bonifaciiq; in illos acta reſcidit. Sarrā Nogaretumq; die dicta non cōparentes, maieſtatis lege dānatos execratione deuinxit. Petrum & Iacobum quamuis in gratiam receptos, purpura tamen vti vetuit, ex deceſſoris ſanctione.

Pax inter Reges ad Campillium facta. CAPVT VII.

QVIESCEBANT Hiſpani malis feſſi, ſublata magis facultate bellandi, quā voluntate materiaq;. Magnæ controuerſiæ ſedādæ erāt. Caſtellæ & Aragonię Reges de Murcię imperio diſceptabāt. Alfōſus Cerda regios titulos vſurpabat inanis vmbra & ſine prouētu nomē. Nou⁹ Granatæ rex Caſtellæ infens⁹ aſſiduuſq; hoſtis in Aragoniæ ditiōis fines inuectus,

ctus, Betmarem oppidum non procul Biatia ceperat. Publica hæc diſſidia erant. priuatim
cum Haris regulis Ioannes de Viſcaiæ principatu certabat, Regis propinquitate fretus fa-
uoreq́;, melior cauſſa. Ea res Haros à Rege auerterat, & ad arma ſpectare videbantur. Rex
Ferdinandus ætate confirmata, periculi non ignarus, finem his diſſidiis ardentiſſime exo-
ptabat. Penes Aragonium Regem hac tempeſtate ſpes & opes Hiſpaniæ ſitæ erãt. Ioannes
Ferdinandi patruus ad eum de pace legatur. Calataiubæ menſe Martio, ſalutis anno mille-
ſimo trecenteſimo quarto, re agitatã conuenit tandẽ, vt dati conſenſu partium iudices, de 1304
controuerſiis pronunciarent: interea induciæ eſſent. Regum colloquio tempus locuſque
dictus. Rex Ferdinãdus de reb. Bæticæ ſolicitus, Burgis quo ſe tenebat, menſe Aprili Pacẽ
Auguſtã abiit, per cauſã ſoceri Regis conueniendi. Nã minores controuerſiæ ſuberãt: op-
pidaq́; quædã ſe minori pignoris loco data, erãt recipiẽda. Nihil propius factum, quã vt ini-
mici diſcederent. pecunia tantũ Ferdinandus a ſocero adiutus in Bæticam abiit. Miſſi Gra-
natam legati, ipſius Mauri Regis rogatu. Rex ipſe Ferdinandus Cordubæ ſubſtitit. ea le-
gatione cũ Mauro pax reconciliata eſt, vectigal quod pater pẽdere ſolitus erat pacto. Hen-
ricus Princeps annis grauis Roæ defunctus eſt. funus Valliſoleti in Frãciſci ædem illatum.
vario vir ingenio, inquietoq́;, morum incõſtantiã mirabili, gloriæ auidus ad extremam æ-
tatem, potentiæq́;, cuius cupido etiam ſapientibus nouiſſima exuitur. Magno commodo
lætitiaq́; prouincialium Henrici obitus accidit, nam vnum maxime pacem ne interturba-
ret verebantur. Eius oppida, quoniam prole caruit cælebs ad vitæ finem, à Rege aliis pro-
ceribus data, maxima pars Ioanni Laræ, tanta erat apud Regem gratia. Regum controuer-
ſiis cõponendis Dionyſius Luſitanus Rex, partium conſenſu delectus arbiter, Ioanne Fer-
dinãdi patruo, & Semeno Luna Cæſarauguſtano Epiſcopo adiũctis. ad Torellas oppidum
in Aragoniæ finibus ad radices Cauni montis locis amœniſſimis, Luſitaniæ & Aragoniæ
Reges mutui colloquii cauſſa priores conuenerũt. In eo oppido à iudicib. pronunciatum,
vt Aragoniæ Caſtellæq́; ditionis Staberus fluuius cõmunis terminus eſſet: Aragonii præ-
cipuo cõmodo, Illicis portu aliiſq́; circa oppidis aucti: vltroq́; ipſi datum, quod magnis an-
tea votis exoptarat. ad octauũ Auguſti diẽ ſentẽtia eſt pronunciata. Die proximo ad Cam-
pillium vicinum oppidum trium Regum colloquiũ fuit, memoria fœderis ante viginti tres
annos Alfonſum inter Caſtellæ Regẽ, & Petrum Aragonium ſanciti bene ominatum. eo
loco firmatum fœdus. indeq́; Agredã itum atq́; Turiaſonem, præcipua Regum prouincia-
liumq́; lætitia, celeberrimo conuentu. nam præter Reges, tres Reginæ aderãt, duæ Caſtel-
læ, tertia Iſabella Luſitaniæ fœmina ſanctiſſima. præterea Iſabella Ferdinandi ſoror, Ara-
gonio Regi olim pacta. ſequebatur tantis Principibus comitatus par. Ac Luſitanus præſer-
tim pro ingenio gentis laudis auidus, pecuniæ copioſus, ob diuturnam pacem, mille ſecum
equites ex Luſitania deduxiſſe memoratur: tentoriis toto itinere erectis abſtinuiſſe oppi-
dis. In Cerdarum cauſſa Aragoniæ & Luſitaniæ Reges arbitri pronunciarunt: vt Alfonſus
deinde regio nomine abſtineret: oppidaq́; & arces redderet, quæ in eius erant poteſtate.
Alba, Begiar, Vallis Cornegiæ, Gibraleon, Sarria aliaq́; oppida & prædia vnde vitam prin-
cipalem ſuſtentaret, attributa leuis tantorum regnorũ compenſatio. rara hominum fides,
parata imbecillium obliuio. & Aragonius à Gallo deſtitutus, belli pondus ſolus eatenus ſu-
ſtinuerat, paciſciq́; quacunq́; ratione cupiebat: tanto Alfonſi dolore vt ne ſẽtentiæ quidem
audiendæ interfuiſſe feratur. diſceſſiſſeq́; Regum capitibus mala omnia imprecatus. Reli-
qua erat. Ioãnis & Dieghi Hari controuerſia, magna Ioannis ſpe cui Rex pace facta Viſca-
iç principatum traditurum ſeſe erat pollicitus. Soluto Regum conuentu, dies Haro dicta,
qua die Medinę Campeſtri, vbi regni conuentus futuri erant, cauſſam diceret, arbitris in
cauſſa datis. Harus ſiue ex conſcientia alieni principatus occupati, ſiue quia Regẽ à ſe auer-
ſum non ignorabat, ne venia quidẽ diſcedendi poſtulata è curia abiit. ſolutis conuentib.
cum neq́; Harus pro ſano quidquam facturus videretur, & Ioannes Regi aſſiduus cauſſam
vrgeret: Valliſoleti ſecundũ eius iura & merita ſententia eſt pronunciata, executione tan-
tum in aliud tempus dilata in quo illud prouidebatur, vt ratione aliqua concordię inter ip-
ſos excogitata, belli impendẽtis tempeſtas compeſceretur. Salutis anno milleſimo trecen-
teſimo quinto hæc in Caſtella gerebantur. Quo tempore Ianuarii menſis ſeptimodeci- 1305
mo die, Rogerius Lauria maris Præfectus in Catalaunis defunctus eſt, Dux ea tempeſta-
te nulli ſecundus, acer conſilio, manu ſtrenuus, Regibus carus, Petro præſertim, cu-
ius auſpiciis Siciliam ſubegit. multa ſolus proſpere, Reges ſine illo nihil magnæ rei
geſſerant. prope Petri Regis ſepulcrum, mutuæ beneuolentię argumento, tumulo
compoſito, ad S. Crucis cœnobium ſepultus eſt. Lutetię Ioanna Vaſconum Regina extin-
cta ſexto Aprilis die in D. Franciſci æde regio funere, celebri apparatu compoſitũ corpus
eſt: ea quam Nauarrici collegii ſepta complectuntur. Ludouicus cognomento Hutinus

matri defunctæ continuo in Vaſconum regno ſucceſſit, regia corona Pompelone ſumpta, Galliæ poſtmodum Rex paterno iure futurus. Philippus cognomento Longus, Carolus cui Pulchro cognomen fuit, Galliæ & Vaſconum deinceps Reges, Ioanna etiam Regina geniti erant. filię duæ: altera in minori ætate defuncta, altera Eduardi Angli Regis vxori, puellæ omnium ſui temporis pulcherrimæ, Iſabellæ nomen fuit.

Clemens. V. Pontifex Maximus. CAPVT VIII.

BENEDICTI pontificatus octo menſium & dierum ſex fuit. ſubſecutum interregnum diuturnius decem menſes, dies octo & viginti tenuit. magnę contentiones iactatæ, diuerſa Patrum ſtudia Italici generis atq; Gallici, quorum erat magnus numerus, in gratiam regum Neapolitanorum plurib. ex ea gente in Cardinalium collegium cooptatis. Conuenit tandem vt Italici Gallos tres ad pontificatum nominarent: ex iis diuerſa factio vnum eligeret. trium Archiepiſcoporum nomina edita, qui Bonifacii beneficio obſtricti erāt, ab eo creati. Raymundus Gottus Burdigalenſis Archiepiſcopus prælatus, re prius omni cum Philippo Rege Galliæ communicata, coramq; in Santonib. ad Angelinam oppidum, quo ad ſe Rex euocandum curarat, ſacramento adactus Bonifacii octaui memoriam damnaturum: Petrum & Iacobum Columnios Cardinales honori, vnde exciderāt, redditurum: ſacerdotiorum decumas conceſſurum in annos quinque: alia præterea pontificio nomini ignominioſa fœdaq;. ſed tanti eſt dira ambitio dominandi. ſic Nonis Iunii Pontifex renunciatus Clementis nomen edidit. Cardinales in Galliam continuo euocati. Lugduni pontificia inſignia deſumpſit tertio Idus Nouembris, incredibili omnium concurſu: triſti omine, ſic pleriq; interpretabantur, quod ipſo celebritatis die, dū nouus Pontifex in pompa circunfertur, parietis ruina vetuſtate atq; onere ſuperſtantis multitudinis procūbentis, ex equo quo vehebatur excuſſus eſt, tiara ex eius capite: ex illa carbunculus magni pretii amiſſus. Rex Galliæ lateri adhærens, proximus periculo. Ioannes Dux Britannus periit. Anglus atq; Aragonius Reges incolumes perſtiterunt. plures tum ruina, tum multitudine obtriti oppreſſiq; ſunt. His initiis cętera conſentanea fuerunt. honeſta inhoneſtaq; venalia habita. duodecim Cardinales ad Philippi Regis gratiam creati. De Bonifacii memoria, vt erat pollicitus, poſtulante Rege reſponſum: niſi in concilio generali de re tanta ſtatui nihil poſſe. Ea via eludendi regios conatus excogitata. eaq; princeps occaſio extitiſſe fertur proximi concilii Viennenſis conuocandi. Pontificia ſedes ab Vrbe in Galliam translata. id caput malorum fuit, perculſo Chriſtiano orbe, indignante Italia ad cæteras eccleſiæ calamitates, nouas ex ea re tēpeſtates concitari. Tres tantum Cardinales in Italiam legati, cum ampla poteſtate Rempub. bello paceq; curandi. Interea in Caſtella noui tumultus concitati. Rex Ferdinandus, vt nihil eſt Regum gratia fallacius, Ioanni Laræ infenſus, Lupum Dieghi Hari filium regiæ procuratorem dixit. conſilio ſpecies obtendebatur, quod Ioannes limiti præfectus aduerſus Mauros, vtriq; curæ impar eſſet. re Haros conciliandi, Ioannemq; ab eorum amicitia diducendi Regi propoſitum erat. In domeſtica diſcordia, cum occulti nihil eſſet, vtriq; inter ſe maiori quam antea beneuolentia fideq;, vires inter ſe conferunt, regiis conatib. obſiſtere deſtināes. res ad arma ſpectare videbatur. Alfonſi Guſmanii & Reginæ matris prudentia, proceres ad officiū reuocati ſunt. priſtini honores & magiſtratus vtriſq; reſtituti. Præterea Ioannem inter Regis patruū & Haros proceres ex magnis atq; veterib. odiis amicitia ſancita his legib. Vt Viſcaiæ principatus penes Dieghum Harum dū viueret eſſet. eo defuncto, Ioanni redderetur. Vrdunia, Balmaſeda Lupo Dieghi filio iure perpetuo relinquerentur. Rex de ſuo Mirandam Villalbamq; addidit. tāta erat cupiditas eas procerum ſimultates, quibus regnum in partes trahebatur, inita concordia pacandi. Magna id prouincialium lętitia, vnius Ioannis Laræ mœrore, Rempubl. prædæ habere ſoliti, & ex alienis calamitatib. creſcere: prorſus vt nullam ſibi ſpem euadēdi niſi in ſceleroratus, fide qua Regi tenebatur abiurata ad Tordeſumos ſe receperit, oppidum loci natura & operib. munitum. vnde ſuis & familię virib. bellum defendere parabat, Regem iratum offenſumq; nō ignorans. Obſeſſum a regiis oppidū. cæterū in ea colluuione volūtatū Ioannis partib. pleriq; fauebant. bellum ſegniter gerebatur, obſidioq; in longū ducta eſt. Mentioni iniectæ de pace cum Rex ſurdas aures præberet, milites alius alio dilapſi. auctor Ioannes Regis patruus, cum aliis ex occulto Laræ fauens. Itaq; neceſſario in gratiam receptus eſt. Moia tantum & Cagnetū ablata. mox Lara, Ioanneſq; Regis patruus fœdere inter ſe facto, cum eſſet indicatum vtriq; abs Rege exitium comparari, vero an falſo non liquet, ſed ad eum nunciū tamen palam rebellarunt. Ioanni breui abs Rege ſatisfactū. Laræ animus obſtinatior. Quo tempore ab Alfonſo Cerda, cum ſe ab omnib. deſtitutū videret

cęden-

cedendumque neceſſitati iudicaret, ne Regno amiſſo datiſque oppidis ſpoliatus, egens ac vagus ageretur, Martinus Ruizius in Caſtellam amandatur, vt oppidorum quæ ab arbitris attributa erãt, poſſeſſionem cerneret. vnde ſpe poſita regni recuperandi Alfonſus Exhæres vulgo cœpit nuncupari.

Bellum Granatenſe reſumitur CAPVT IX.

VVLGVS vti plerunq; ſolet Maurorũ maxime, ingenio mobili, turbidum, ſeditioſum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduerſum per hæc tempora Granatæ tumultuari cœpit, magno rerum ſuarum diſcrimine: cũ vndiq; hoſtes circunfuſi eſſent, ægraque ſpe regnum Mauricum in Hiſpania ſtaret. Inde tumultus occaſio, quod Rex rebus gerendis inutilis otio marceret. Malacitanum regulum alieno nomine regnare, & pro vno duorum imperia pati graue videbatur. Apparatu, inceſſu, excubiis Regis auctoritatẽ faſtumq; complecti, nomen remittere leuiro accuſabant, duplicatis regiæ ſumptibus. Præſtare alium regno præficere virum gubernatoremq; cuius auctoritatem cuncti reſpicerent, cuius imperio deuincti hoſtium iniurias propulſarent. Plebi ad hunc modum commotæ proceres faces ſubdebant. in primis Aborrabes ex Marrocii Regum ſanguine ſatus, ſuis & factionis viribus Almeriam armis occupauit: ſeq; eius vrbis Regẽ dixit. Pleraq; ſtudia in Mahomadem Azarum cæci Regis fratrem, natu minorem, quoniam in eo indoles erat, & aliarum virtutum ſemina, palam inclinabant. Aborrabes Almeria pulſus, de Septa cogitans, quam vrbem in ora Africæ Granatenſes obtinebant, noſtrorum opem implorat. Occaſio pulcherrima belli inſtaurandi, regniq; Maurici penitus euertendi oblata erat. Aragoniæ & Caſtellæ Reges conſilio communicato, Hortam cœnobium venire conſtituunt, de rebus omnibus coram deliberaturi. quod principio anni milleſimi trecenteſimi noni factum eſt. 1309 In eo oppido, atq; ad Montem regalem, quo ſe Reges contulerunt, de Alfonſo Cerda pacando primum actum, iis conditionibus, quæ ab arbitris dictæ erant, nonnihil immutatis. ne Regibus bello externo occupatis factionis ſtudiis motus in Caſtella concitaret prouiſum. Communibus armis Mauros Granatenſes inuadere ſtatuunt: eoſq; ancipiti bello implicare, Algezira Almeriaq; vno tempore impugnandis. Eleonora Ferdinandi Regis ſoror Iacobo deſponſa eſt Regis Aragonii filio maiori: ſexta eorum quæ Granatenſi bello quæſita eſſent, parte dotali, ac nominatim Almeria deſignata. Regibus è colloquio digreſſis, omnia armorum apparatu ſtrepere, pecuniam expedire, milites, equos, commeatum comparare. Erant vtriq; genti exercitus vſu firmati, nulla ciuili diſcordia corrupti. Aragonius maxime belli externi domitor Mauris terrorem incutiebat maximum. Ferdinandus Toletum abiit matris hortatu, Sanctii Regis oſſa, inſtaurato exequiarum honore in commodum tumulum transferre parantis. Erat Ferdinando ingeniũ candidum, pudor ingenuus (vti Guterrius Toletus eius ei à prima ætate aſſiduus affirmare erat ſolitus) vultus modeſtia compactum corpus, magnus animus, ſed clemens. Accidit vt ipſo natali Chriſti die, vir primarius, quem Caſtellæ rebus præfecerat, in prouinciam diſceſſurus ad ſalutandum accederet. Rex abiectis teſſeris, quibus forte ludebat, monet in Calæcis plures viros nobiles tumultuati. ſupplicium quãuis meritis irrogare caueret. vinctos modo ad ſe mitteret, bello ſacro vtiles futuros. Effert ille ad cœlũ clemens Regis conſilium. quod ſpecie temerarium, felix euentu fuit. nulli illis in bello Maurico fortiores fuerunt. ignominiæ demendæ cupido, Regiq; gratificandi voluntas incitabat. fortia facta in paucis latere non poterant. cum hoſte odio implacabili, inter ſe virtutis æmulatione certabant. Ergo Toleto in Bæticam itum. Caſtellæ copiæ Iulii vigeſimo ſeptimo die Algeziram promotæ. Proximo menſe dimidiato Almeria ab Aragonio Rege circunſeſſa. in Aragoniis caſtris Ferdinandus Sanctii Balearici Regis filius, iuuenis ea tẽpeſtate præſtantiſſimus, Rocabertus Tarraconẽſis Præſul, Raymundus Valentinus regioq; ſcrinio Præfectus. claſſis Bernardus Sarria Dux erat. Ferdinandũ Regem Hari proceres, Ioannes Lara paulo ante ad officiũ retractus, Ioannes Regis patruus Præſul Hiſpalẽſis, aliiq; viri principes ſecuti ſunt. cũ parte Aragoniæ claſſis Iasbert⁹ Caſtelli noui Vicecomes ad orã Africæ Septã expugnauit. prǽda Aragoniis ceſſit. Aborrabi vrbs ex fœdere relicta eſt. Granatenſes de belli ſumma cõſilio habito, ne diductis copiis vtriq; bello impares eſſent, Almeriã tueri decernunt: an Algeziræ munitione præſidioq; cõfiſi, an dolore Septæ ab Aragoniis captæ, & quod ſe bello Granatẽſi immiſcuiſſent, nullo iure indixi, nulla iniuria ꝓuocati. ipſo D. Bartholomæi profeſto die, collectis vndiq; copiis ſe in Almeriæ conſpectũ dant. pugnæ ab Aragoniis copia facta ancipitis initio, cum barbari ſupremo conatu pugnarẽt. mox victi, fœdaq; hoſtiũ fuga facta. vicinæ ſyluæ multis perfugio fuerũt. Nulla in reb. humanis ſyncera lætitia, dũ noſtri fugiẽtes barbaros auidius

incautiuſq; inſequuntur, Almeriæ ciues eruptione ex vrbe facta Aragonia caſtra inuadūt,
modico præſidio munita, Duce Ferdinando Baleari. vallum ab hoſtib. ſuperatum: captaq;
& direpta tentoria aliquot. ægre tandem Ferdinandi virtute repulſis, in vrbemque reiectis
Mauris, factum ne caſtrorum calamitate, de victoriæ voluptate & gratulatione aliquid di-
minueretur. periculo tamen cognito, cautiores in poſterū effecti ſunt, Rurſus Idib. Octo-
bris coeuntib. Mauris numeroſa multitudine, omnino ad quadraginta millia Aragonia ca-
ſtra impugnata, euentu nihilo hoſtib. lætiori. Interea Algezira mari terraq; nihilo minori
cōnatu virtuteq; oppugnata vrbis munitio validumq; præſidiū noſtris opponebatur. Ob-
ſidione in multos menſes ducta Heraclea Calpi monti impoſita, Gibraltar a noſtris dicta,
quoniam opportunior iniuriæ erat, impugnanda decernitur. Præſul Hiſpalenſis, Alfonſus
Cuſmanius, Laraq; cum parte copiarū dimiſſi eò ſunt. Alfonſi Guſmanii iactura facta: ce-
leberrimi ea ætate viri ad Gauſinum montē in tumultuaria pugna interfecti à Mauris, ma-
gno Reipub. incommodo, bonorum omnium luctu. Vrbs dedita. vſq; ad Ferdinādi Regis
tamen aduentum ſuſtentatū, vt victoriæ laus penes ipſum eſſet. Mauris datum, vt incolu-
mes abirent in Africam; bonaq; ſecum efferrent. In eo numero confecta ætate Maurus re-
gi cum diſceſſionem pararet, in hęc verba locutus fertur. Quo meo fato genii mei infelici-
tate, meisve malis meritis factum putem, vt per omnem ętatem profugus agar, ſedeſq; mu-
tare identidē compellar: & quaſi omnes vrbes mea calamitate luſtrare? A proauo tuo Fer-
dinando Hiſpali pulſus, Cęſarianū abii. Inde vrbe capta Alfonſus auus Tariffam migrare
compulit. Ex ea vrbe Sanctio Rege patre tuo Heracleam profugi. Nunc quo tempore ma-
la finem cepiſſe videbantur, mortemq; veluti ęrumnarū portum expectabā: denuo fugam
captare cogor. In Africā nauigare ſtatuo: ſi longinqua fuga extremā ſenectutē tueri poſſim,
& tantulum vitæ quietus ſecuruſq; peragere. Ad Algeziram regii milites quāuis aduerſus
pericula feroces, laborib. fracti, & hibernis tempeſtatib. male accepti, è caſtris paſſim dila-
bebātur: neq; proletarii modo, ſed viri principes Regi irati, faciles aures prauorū hominū
criminationib. præbenti. Ioannes eius patruus & Ioannes Emanuel, in nullo Granatenſis
belli vſu fuerunt. contra incōmodi ob diſceſſum multos vt ſe ſequerentur, Regemq; deſe-
rerent, auctoritate exemplo prouocarent. Dieghus Harus extinctus in caſtris eſt. corpus
Burgos delatum, in D. Franciſci ſepultum. Viſcaiæ principatus ad Mariam rediit Ioannis
Principis vxorem, vt erat ſuperiori fœdere cautum. ſic regulorum Viſcaiæ ſeries, quæ ca-
tenus per viros ducta erat, interciſſa eſt, fœminis nouo exemplo ad eius principatus hære-
ditatem admiſſis. Dieghi morte, ſubſecutiſq; continuis imbribus, iniquiſſimo anni tēpore,
neceſſario ab Algeziræ obſidione diſceſſum eſt, fœdere facto: ex quo Queſada & Bedmar
oppida noſtris reſtituta ſunt. in belli ſumptus quadraginta aureorum millia repræſentata:
id tanti apparatus tantorumq; laborum pretium fuit. In Aragoniis caſtris rerum omnium,
quæ ad ducendum bellum opportunæ eſſent, magna facultas erat. Almeriæ vrbis expū-
gnandæ non minor deſperatio. Ergo receptis captiuis, ſoluta etiam eius vrbis obſidio eſt,
1310 Februarii die XXVI. ſalutis anno milleſimo trecenteſimo decimo: non alio memorādo in
partem vllam euentu, niſi quod in ipſo ardore belli Rex Maurus a fratre Azaro regno deie-
ctus eſt, vincliſq; iniectis cuſtodiæ ad Almunecarum oppidum mācipatus. Grauis è regno
in ſeruitium, atq; adeo in captiuitatem caſus: tolerabilis tamē homini luminib. capto, ſi ibi
reſtitiſſet calamitas. in Granatam retractus peremptuſq; eſt nulla famæ memoria, nulla hu-
manitatis cura. ita omnia peruertit exitiabilis imperandi cupido. Quo tēpore Ioannes La-
ra fine belli in Galliam orator miſſus, obita ad Clementem Pontificem legatione, Hiſpalim
rediit, quo ſe Ferdinandus dimiſſo exercitu retulerat. Sacerdotiorū decumæ ea legatione
impetratæ in ſumptus belli Maurici. Deterrituſq; Pōtifex, ne Bonifacii deceſſoris memo-
riam ignominia notaret: quod à Gallo Rege agi, neq; auerſas à Pōtifice aures præberi ido-
neis auctorib. fama vulgauerat. In Cantabris ea parte, cui Guipuſcoæ nomen eſt, Azpeitia
oppidum Regis Ferdinandi iuſſu, impēſa prouincialium conſtitutū primum eſt, vt diplo-
ma ab eo Hiſpali datum huius anni initio declarat. Iſabella Regis ſoror ab Aragonio relicta,
Ioanni Britanniæ Duci deſpōſa erat. Ad eas nuptias celebrādas ex Bætica Burgos abs rege
Ferdinando itum eſt. Ioannes Emanuel regiæ procurator renunciatus, Petro Regis fratre,
qui eum honorem gerebat, nō inuito. præterea in Murciæ tractu limiti Præfectus erat, Vi-
cario Petro Lupo Aiala. ea blandimenta abs Rege data ſunt conciliādo homine prępotēti;
eximiaq; felicitate duab. filiab. genitis, poſtmodum Reginis, Conſtātia Luſitaniæ, Caſtel-
læ Maria. De Ioanne Ferdinandi patruo auxerat curā rumor, motumq; inconſtantia. nam
ita facturū quæ Regi placerent, prædicabatur, vt facile appareret non diuturnius officium
neceſſitate futurū. quo metu Burgis, quo ad nuptiarum celebritatē venerat quamuis fide
data, eius vitæ inſidiæ cōparatæ Rege auctore, diſſuaſore Ioāne Lara, factiq; turpitudinem
accuſante

accuſante. Periculo ille indicato è curia clam abiit. fugiẽtem multi proceres rei fœditate cognita proſecuti ſunt. Regis auctoritas, imperii maieſtas, nuptiarũ celebritas ludibrio habita. Noui motus, qui impedere videbantur, Reginæ matris prudẽtia procurati. Inter regem Ioannemq; beneuolentia ſyncere conciliata. Regis morbus, quo Palentiæ decubuit ſalute propemodum deſperata, medicorum diligẽtia, ætatis robore, ac præſertim cæli mutatione, nam Valliſoletum continuo abiit, depulſus plane eſt. Barcinone tamen Blanca Aragoniæ Regina deceſſit pridie Id. Octob. pudicitiæ laude & cęteris virtutibus clara, fœcũda prole. Iacobum, Alfonſum, Ioannem, Petrum & Raymundum enixa Regi eſt: filias totidẽ, Mariam, Conſtantiam, Iſabella, Blancam, Violantem. Blanca in Xixenæ cœnobio vitam exegit virginib. pręfecta; cæteræ variis coniugiis magnorum Principum ſanguinẽ, regiæ Aragonum familiæ propinquitatib. inſeruere. defunctæ Reginę corpus ad Sanctæ Crucis tumulatum eſt, nobile in Catalaunis cœnobium. inferiæ regio apparatu magnifice datæ.

Templarii extincti. CAPVT X.

EPISCOPI toto Chriſtiano orbe Viennam Allobrogum ad generales conuẽtus Clemẽtis Pontificis edictis per hæc tempora euocabantur. Ad alias euocãdi publicas cauſſas, noua omniumq; grauiſſima accedebat: de Templariis militibus, quorum nomen multis turpitudinũ maculis infame eſſe cœperat inuidioſumq;, cognoſcendi ſtatuendiq; Patrũ collatis ſententiis, quoniam ea res ad omnes pertinebat. Sææ tempeſtatis initium in Gallia exortum eſt. crimina inaudita non ſingulis modo ſed vniuerſis totiq; ordini obiecta. Accuſationis capita innumera erant. Hæc grauiſſima. Chriſtum eiurare eſſe ſolitos, Virginẽ matrem, cælites omnes, cum primum ſeſe ad eum ordinem adiungebant. Per eum ſalutem ſe habituros, Deumve eſſe negare. Suorum ſcelerum pœnas crucis morte ſoluiſſe. Crucis ſignum, Chriſti Dei imaginem ſputo, lotio, pedibus fœdare conſueuiſſe, ſanctiſſimis præſertim diebus, quib. Chriſti cruciatus memoria recurrit, quo maior contumelia eſſet. In ſanctiſſima Euchariſtia Chriſti corpus eſſe, idq; & cætera Chriſtiana ſacramẽta repudiare. Ne à ſacrificis quidem myſtica verba proferri, cum diuina hoſtia ſacrificare videbantur, quaſi hominum commento excogitata, inutiliaq;. Magiſtrum ordinis generalem, alioſq; ſingulis cœnobiis præfectos, quãuis presbyteri non eſſent, peccata omnia condonandi poteſtatem habere. Catum in conuentu apparere ſolitum, quaſi religioſum venerari, plenumq; numine. præterea idolum aliquando triceps, aliquãdo vniceps, aliquando etiã cranio demortui hominis pelleq; contectum. ei diuitias, incolumitatẽ, bona omnia accepta ferre. Chordam eius idoli contactu ſacram corpori inuolutam geſtare, ominis cauſſa ſcilicet. Auerſæ libidinis licentia, & patientia par Impuriſſimas inter ſe corporũ partes deoſculari, in omne fas & nefas auidos, idq; honeſtatis ſpecie tanquam iure cõceſſum, probitati conſonũ. Eius ordinis amplificationẽ numero copiiſq; curaturos omni conatu iurare, honeſti inhoneſtiq; nullo diſcrimine. Alia, quæ referre tędet horretq; animus. Quid hic lector dicturus eſt? facta hęc, ac nõ ficta potius, ſimilaq; anicularum fabulis eſſe iudicabit? Villaneus certe Antoninus alii à calumnia defendunt. fama frequentior & ſenſus prope omniũ damnat. diuitias quib. aucti immenſum erãt, malo fuiſſe fateamur neceſſe eſt, ſiue copia voluptatũ virtutum indole, quib. res tantas terra mariq; perfecerant, extincta: ſiue ex ea re inuidia apud populũ conflata, apud Principes ſpe lucri. Tam cito in omne improbitatis genus publice degeneraſſe, vix eſſet credibile, niſi Clementis diplomata, quæ inter tabulas tẽpli Toletani omnium maximi plura extant, vnde hæc hauſimus, indicio eſſent famam haudquaquã vanam fuiſſe, affirmantis duos & ſexaginta ex eo ordine ſe corã quęſtione habita, ſcelera quę enumerata ſunt faſſos, veniam petiiſſe. Primi indices, duo ex eodem ordine extitere: Prior Monfalconis in agro Toloſano, Noffus exul Florentinus, auctores haud ſatis idonei, vt teſtimonio multorum vulgatum eſt. Acceſſere alii. in his ipſius Pontificis Clemẽtis cubicularius, qui vndecimo ætatis anno ad eum ordinem adiunctus, viſa factaq; referebat. Accuſationis capita ad Regẽ miſſa Pictauium, vbi cum Clemente Pontifice erat. vno tempore, quaſi inde ſigno dato, Templarii omnes comprehenſi in Gallia ante annũ tertium Octob. die XIII. de iis quæſtiones tormentis habitæ. pleriq; aut omnes dulcedine vitę, aut ex ſcelerũ conſcientia, crimina de quib. accuſabantur, confeſſi ſunt. damnati quam plurimi, ac viui igne cremati. In his ſummus ordinis Magiſter Iacobus Mola Burgundus cũ ad ſupplicium raperetur ſententia pronunciata, propoſita quamuis vitæ ſpe impunitateq; ſi veniam ſupplex palam peteret, huiuſmodi verba feciſſe probatæ fidei auctores affirmant. Ego, inquit, extremo vitę tempore cũ inutili mendacio locus eſſe non debet, vera eſſe nego ac per omnia numina iuro, quæ de Templariorũ impietate criminibuſq; & ante iactata, & nunc

recitata ſunt. Ordo enim ille ſanctus, iuſtus, ac orthodoxus eſt. ego tamen extremo ſupplicio dignus, qui Pontifice Regeq; hortantibus, flagitia impia ſceleraq; ementitus ſum in ordinem meum de religione Chriſtiana optime meritum. Quod vtinã, ô, vtinam factum non eſſet. ſed quod vnum ſupereſt, meis delictis, ſi veniæ locus eſt, ignoſci poſtulo, vltroq; grauiores etiam pœnas depoſco. ſi quo modo diuinum numen patientia placare, apud homines miſericordiã hac calamitate mouere poſſim. Vitam hi precaria quid opus eſt: tanto præſertim ſcelere impietateq; ad quod prouocor retenta? Multos alios idem palã dixiſſe fertur. in eo numero Delphini Viennenſis fratrẽ nobiliſſimum, cuius nomen intercidit, de facto haud ambigitur. Proximo anno pridie Kal. Aug. litteræ à Pontifice datæ, quibus inquirendi in Caſtellæ Templarios, Compoſtellę & Toletano Archiepiſcopis poteſtatẽ permittit, adiuncto Aimerico Inquiſitore ex Prædicatorio ordine, (nũ eo à quo Directorium Inquiſitorium editum extat?) aliiſq; Præſulib. in Aragonia idem negotium Epiſcopis Raymundo Valentino, Semeno Cæſarauguſtano, datum eſt. idem in reliquis prouinciis toto Chriſtiano orbe factum. eo temperamento, vt inquiſitione habita, de ſumma rerũ in conciliis tantum prouincialib. cognoſceretur. Magna turbatio: ingens Templariis eorumq; neceſſariis luctus: nouæ ſpes aliis ex eorũ calamitate. In Aragonia correptis armis arcium ſe munitione tueri conſtituunt. variæ militum manus ad eos comprehendendos abs Rege miſſæ. ad Montionem propter loci munitionem maxima belli moles incubuit. victi Templarii, ferroq; vincti. In Caſtella Rodericus Iuanius ordinis Promagiſter, ſociiq; omnes, à Gonſaluo Toletano Præſule ad dicendam cauſam vocati. vincula iniecta abs Rege omnibus. bona eorum occupata, penes Epiſcopos tanquam ſequeſtros depoſita, vſq; ad cognitionem cauſſæ. Salmanticæ in Vectonib. Patrum concilium habitũ eſt. Rodericus Compoſtellanus, Ioannes Oliſiponenſis, Vaſcus Idigitanus, Gonſaluus Zamorenſis, Petrus Abulenſis, Alfonſus Ciuitatenſis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindoniẽſis, Alfonſus Aſturicenſis, Ioannes Tudenſis, Ioannes Lucenſis affuerunt. de vinctis atq; ſupplicibus quæſtione habita, cauſſaq; cognita, pro eorum innocentia pronunciatũ communi Patrum ſuffragio: ad Pontificem tamen Romanum reiecta totius rei ſumma deliberatio. ea contra Patrum decretũ valuit: deletoq; ordine bona abs Rege occupata, atq; oppida omnia ſunt, in Calæcis Ponsferratus, Farumq;: in Legionenſi tractu Balduerna, Tauara, Almanſa, Alcanitium: Tagum inter & Anam ad Portugaliæ fines, Valentia, Alconeta, Sericiũ, Nertobriga, Capella, Carcuuium: in Bætica Palma: in Vaccæis Villalpandum: in Conteſtanis Carauacca: in Carpetania Montalbanum, aliaq; oppida, prædia, domus tota ditione Caſtellæ Regum, quæ numerare ſingula longum eſſet. In Maguntia cum in frequẽti Patrum conſeſſu, iuſſu Pontificis de ea cauſſa ageretur, Hugonem cum viginti ordinis ſui ſociis, irrupiſſe in conuentum aiunt: claraq; voce teſtatum, ſi quid grauius in eum ordinem eſſet decretum, ſe Pontificem Maximum Clementis ſucceſſorem appellare: ferocia eorum deterritos Patres bono animo eſſe iuſſiſſe. Clementem certiorem litteris factum ius de integro quærendi ſtatuendiq; Archiepiſcopo demandaſſe: cauſſa illum cognita, crimine liberaſſe tanquam innocentes. Demum in Concilio Viennenſi, quod ſalutis anno milleſimo

1311 trecenteſimo vndecimo, Octobris die ſextodecimo, haberi cœptum eſt, defuncti Bonifacii memoriam lacerare, eiq; hæreſis crimen imponere nefas iudicatum. De bello ſacro inſtaurando, magna contentione actum eſt. In Templariorum cauſſa decretum, vt eorũ nomen & ordo penitus aboleretur. Crudele decretum fuiſſe pleriſq; viſum eſt. neq; eſt veriſimile ea delicta in omnes prouincias manaſſe, contaminaſſe ſingulos. ſed cunctis tamen, eius ordinis clade documentum datum, ſimilis perfidiæ vitandæ, præſertim viris ſacratis: quorum opes, vireſq; integra magis probitatis opinione quam re alia nituntur. Bona Hoſpitalariis addicta, quo illi tempore Rhodum inſulam Turcis eripuerant: vnde maior ad populum gratia, ſpeſq; poſſe per eos bellum in Syria inſtaurari. Hiſpania excepta eſt, quoniam in ea belli moles aduerſus Mauros, magna ſupererat. Interfuere concilio Philippus Galliæ Rex, filii eius tres, Carolus Valeſius frater. aliorum Principũ Legati magno numero, Patres ad trecentos fuere, alii centum quatuordecim dicunt: duo Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenuſque: Romanus Pontifex cæteris omnibus auctoritate potior.

Ferdinandi Caſtellæ Regis obitus. CAPVT XI.

TEMPLARIORVM caſu orbis Chriſtianus conturbatus eſt. ſontibus irrogata ſupplicia: inſontes conſeruati, attributæq; eis Patrum Viennẽſium decreto annuæ pẽſiones ex ipſis cœnobiorum bonis, vnde vitã ſuſtentarent, inſigni tantũ veſte detracta. In Caſtella omnia gratulatione plena erant, Alfonſi infantis ortu, quẽ in ſpem paterni regni Conſtantia Regina pepererat tertio Nonas Auguſti, eo maiori lætitia, quod prope deſperationem res fuerat,

fuerat, coniugio eatenus infœcundo. Inter Petrum Ferdinandi Regis fratrem, & Mariam Aragonii filiam, per legatos coniugium erat pactum. eo perficiendo Regum Caſtellæ, Aragoniæq; conuentus Calataiubæ habitus eſt. affuit Conſtantia Regina a partu confirmata valetudine, atque ex vtraq; gente viri clariſſimi factis nobilitateq;. quibus diebus Chriſti Dei natalitia celebrantur, nuptiæ peractæ. ludi exhibiti, commiſſa ſpectacula. Eleonora Ferdinandi ſoror, Iacobo Aragonii filio antea promiſſa coniux, datis nunc ſponſalibus, in ſoceri poteſtatem eſt contradita. De bello Maurico inſtaurando primo quoque tempore conſilia communicata. In lite Luſitaniæ inter & Caſtellæ Reges conteſtata belloq; proxima, Moram & Serpã, quæ oppida in extrema Luſitania ad promõtorium Sacrum ſita ſunt, repetente Ferdinando, quoniam ſe minore, Luſitano erant tradita contra ius faſq;, Aragonius delectus arbiter, componendis controuerſiis induſtrius felixque. In id ſoluto Regum conuentu, Ioãnes Aragonii frater in Luſitaniã legatur. Ferdinandus bello Maurico comparando, Valliſoleti conuentus regni habet. pecunia conquiſita collataq; propẽſa prouincialium voluntate æquo animo ferentium damnum pecuniæ, grauitatẽ vectigaliũ præ cupiditate impiæ nationis extirpandæ: neq; cogitantium honeſtis ſæpe occaſionib. iura imminui libertatis: dum malis Reip. temporib. conceſſa vectigalia, ſedata etiam tempeſtate imperantur, retinenturq;. 1312 Petrus Regis frater adulto vere ſalutis anno milleſimo trecenteſimo duodecimo ad bellum præmiſſus Alcaudetẽ, quod oppidũ a Mauris occupatũ fuiſſe dictum eſt, contractis copiis circunſedit. Rex eius veſtigia ſubſecutus Tuccos venit, Martos noſtri vocant. In eo municipio Caruaialii fratres, Petrus & Ioannes, regio iuſſu cõprehenſi è vinculis more gentis cauſſam dixere. Cæſi ad Palentiam, cum regia noctu egrederetur Benauidii viri primarii, lege maieſtatis poſtulati. Cædis auctor cognoſci non poterat, ſuſpicionib. multi exagitati: hi oppreſſi, neq; iudicio conuicti, neq; crimen faſſi, quæ maxima iudiciorum labes eſt. De vicina rupe præcipites dari iuſſi. Rex intractabilis erat, cũ recens iniuria prouocabat, neq; in ira regi valens: aulici vt fit viris nobilib. euertendis eius offenſas acriter ſpeculabantur. Rapti ad ſupplicium Diuûm hominumq; fidem teſtati ſe innocentes mori, quoniam regiæ aures obturatæ eſſent, ad Deum æquiſſimum iudicẽ prouocare: Regiq; diem dicere, ex eo die trigeſimum. Eæ voces in præſenti pro vanis habitę, caſu fortaſſe, eſto, at mirabili certe euẽtu confirmatæ ſunt. Rex nulla periculi cura Alcaudetem in caſtra abiit. ibi morbo tentatus grauiſſimo Giennium ſeſe retulit: quo tẽpore de oppido dedendo à Mauris mentio erat illata. Vis morbi indies augebatur. Rex curis grauiorib. impari valetudine, lætus tamẽ nuncio oppidi capti, nouæ irruptionis faciẽdæ conſilia explicabat: cũ die Iouis, ſeptimo Id. Sept. à prandio ſomno ſe dans in ſtrato exanimatus repertus eſt. Obiit in ipſo ætatis flore, annos natus quatuor & viginti, menſes nouẽ, in maximo curſu rerum ſuarum. regnauit annis decem & ſeptem, quatuor menſibus, diebus decem & nouem. Cibi & potus intemperantia exitio fuit. alii diuini numinis vim interpretabantur, quod à cęde patrata, magno omnium miraculo diem trigeſimũ præciſe numerarent. vnde inter Caſtellæ Reges Ferdinandus in ius vocatus nũcupari cœpit. Corpus Cordubæ trãslatitio funere tumulatum. Hiſpalim, Toletumve deduci, propter anni tẽpus non potuit, nondum æſtatis ardorib. remiſſis. Auxere vulgi opinionem religionemq; cõceptam animis confirmarũt, duo Principes ſummi, duob. proximis annis extincti: Philippus Galliæ Rex, atq; Clemens Pontifex, à Templariis militibus, cum in eam nationẽ igne, atq; omnib. cruciatibus ſæuiretur, ad diuinum tribunal citati. ſic fama ferebat, ſiue vera, ſiue conficta rumorib. placet tamen vt falſa eſſe videatur. de Ferdinandi caſu haud ambigitur. In controuerſia inter Reges Caſtellæ & Luſitaniæ, quid ab Aragonio ſit conſtitutũ, clam eſt: niſi quod in Luſitanos propenſior eſſe viſus eſt, iniqua petere Ferdinandum iudicare. eius ſane morte rebus in Caſtella turbatis, imbecilla filii ſucceſſoris ætate ea oppida de quibus controuerſia erat, Luſitano ſtabili poſſeſſione confirmata ſunt.

Alfonſi Caſtellæ Regis initia. CAPVT XII.

FERDINANDI obitum excepere in Caſtella tempora turbida, diſſidiis ciuilib. plena fœdaq;: vt Rege minore annũ & dies ſex & viginti nato, nõ ſecus ac rectore deſtituta Rep. cõtingere propemodũ erat neceſſe. Regni hæreditarii id incommodũ eſt, quod aliis commodis compenſari pleriq; prudẽtiæ opinione præſtantes, litteris expoliti perſuadẽt, fucata an vera oratione non diſputamus. Fuerat Alfonſus continuo ab obitu patris, Caſtellæ Rex proclamatus, Petro patruo qui ad rei famã accurrerat, auſpice auctoreq;. officio id datũ fideiq;, prouincialiũ voluntates amplius deuinxit. Alfonſus puer Abulæ erat. Vataſę fœminę nobiliſſimæ Theodori Laſcari quondã Græcorum Auguſti nepti Principis educãdi inſtituendiq; cura demandatur. Maria Alfonſi auia Valliſoleti erat, rerũ adminiſtratione, ſiue

depoſita ſiue ablata. Conſtãtia Regina virum ad bellũ ſecuta, Tuccis mœſtitia, luctu, ſqualore oppreſſa, quippe viro in florenti ætate viduata. Ioannes patruus Valentiã, Lara in Luſitaniam abierant, auerſis paulo ante obitum à Ferdinando animis. Qui imbecillam Regis ætatem regeret, regniq; molem tantiſper ſuſtineret quærendus erat, virtute, prudentia, nobilitate præſtans. Plures ſeſe vltro obtrudebant. vnum præferre, qui cæteris omnib. imperaret, periculoſum. inſita mortalib. potentiæ cupido, metu potentioris ſublato eruperat: nã pudorem vincebat ambitio ſpeſq;: nec diuini quidquam nec humani ſanctum erat pręcupiditate dominandi. Alfonſus pueri magnus auunculus, Philippus patruus, Ioannes Emanuel ad Reip. curam nitebantur occultius modeſtiuſq;. Ioannes & Petrus palam: hic melior iure cauſſaq;, ille ætate commodior, niſi ingenio inquietus eſſet. & Reip. diſſidiis exagitandæ natus prudentiorib. eſſe videbatur. Nuſquam amor fideſq;. potentiæ priuatim augendæ ſtudium occupabat animos. Reginæ propter ſexum tantis quamuis curis ipſæ impares, magnum tamen momentũ allaturæ erant, in quancunq; ſe partem dediſſent, inter ſe diſcordes, nempe nurus cum ſocru. Petrus Bæticæ reb. intentus cum Mauro pacẽ pepigit vtriq; commodam: cum res domeſticæ Petrum à belli cogitatione auocarent: Farrachenius Malacæ regulus, Alhamari impie interfecti vltionem expeteret, non magis armis fretus quam inuidia, qua æmulus flagrabat ex fraterna cæde apud populares conflata. Eo fœdere inito, Petrum inter & Conſtantiam Reginam conſilio communicato, de Rep. regeq; educando actum eſt. conuenit vt Abulã maturarent ſpe nihil ciues denegaturos, & ſi morarentur vi parata. Contra Ioannes Ferdinandi patruus, & Ioãnes Lara concordiã inter ſe ſanciunt. morum ſimilitudo animos conciliabat, parq; periculum. Mariã Reginam in partes traducere ſatagunt, iniecta ſpe Regis educandi. Abulam Lara prius accurrens, Regem templi Maximi munitione defenſum à Sanctio Epiſcopo, in poteſtatem redigere non potuit. Petrus & Conſtantia ſubſecuti nihil amplius impetrarunt. Quod medium erat, decretum ne Rex alterutris traderetur, niſi antea in regni conuentu lite diiudicata. in eã rem Abulenſes ciues ſacramento adacti. auctor conſilii Lara Petri excludendi ſpe. Conuentus regni Palentię primo tempore habiti ſunt. turpis ambitus, magna prehenſatio. ſanior pars Petro Mariæq; eius matri ad filium propenſæ, rerum procurationem deſtinabat: alii Ioannem præferebant, Conſtantiamq; factiõnis artib. à Petro abductam. inde nouorũ motuũ occaſio. Proceres & vrbes diductæ in partes: pro vnoq; gemina imperia extitere. tetrã rerum faciem, miſerabilem conditionem. Petrus domeſticis externiſq; præſidiis ius obtinere ſatagens cum Ioanne Emanuele fœdus facit, ſi voti compos eſſet Carpetanos, Conteſtanoſq; Ioannis fidei permiſſurum. ſic Remp. licebantur, ludibrioq; erat regni maieſtas. Calataiubæ Aragonium ſocerum conuenit principio anni milleſimi tercenteſimi tertiidecimi:
1313 aduerſariorum dolos arteſq; explicat, Reip. periculum ſi diutius cõtrouerſia alatur, ne pars cum parte contẽdat armis. debere ipſum æquitate cauſſæ moueri, generoq; opitulari, pręſertim iuſtiſſima poſtulanti. Michael Arbe communi conſenſu ad Luſitanu legatur, ſi eius auctoritate ſeditioſorum conatus comprimerentur: Petro regni procuratio cederet: penes Conſtantiam Reginam Regis educandi cura eſſet. eo temperamento vtriſq; rationib. optime conſultum iri videbatur. Abulenſes rerum magna ex parte arbitri in neutram ſe partem fortiter commouere: vtriſq; ſpem modo, modo metum oſtentare. Petri tandẽ & Mariæ partes ſecuti ſunt. Gratum id primorib. ciuitatis populus approbauit, ea lege tamen ne Rex vrbe efferretur. Quo tempore Azar Rex Granatenſis ciuium rebellione intra arcem compulſus eſt. Iſmael Farrachenii filius ſeditionis auctor, duxq;. Petrus fœderati paulo ante Regis iniuria atq; periculo commotus reb. cæteris poſthabitis, eo contẽdere conſtituit: ſerum perditis reb. auxiliũ: nam pactione cum hoſte facta, regno regioq; nomine abſceſſerat, Guidixenſem receſſum principatumq; beatos nempe Turdulorum tinus agroſq; pactus. quæ proxima auxilio eſt vltio petita. Rutes arx munitiſſima in Granatẽſi tractu Mauris erepta. latæ populationes factæ. regnauerat Azar annis quatuor, menſib. ſeptem, alieno regno felicior modeſtiorq; quam ſuo. ſucceſſit Iſmael æmulus ſororis Ferrachenii; filius. Rute capta, Petri auctoritas confirmata eſt, gratiaq; maior ad populum recordantẽ, a prioribus Regib. tentatã ſæpe antea fruſtra, nunc intra triduũ expugnatã. Motæ diſſidiis ciuilib. Reip. cura à bello Maurico auocauit, externaq; negligi propemodum neceſſe erat. Ad ſancti Facũdi fanum proceres, vrbiumq; procuratores conuenere: ſi concordiæ via aliqua excogitari inueniriq; poſſet. Dum ii conuentus agitantur Conſtantia Regina diẽ obiit menſe Nouembri. filii erepti dolor vrebat, tantaq; rei familiaris inopia: vt ſoluendis nominib. aurũ ad ornatum ſubſidiũq; fortunæ non ſufficeret, vt ipſa teſtamento teſtata eſt ſub mortem nũcupato. Conſtãtiæ ſine obitu, conſtituẽdæ pacis expeditior ratio fuit. Ioannes Princeps tanto deſtitutus præſidio ad Mariã Petrumq; ſe contulit. conuenit vt Regis educandi

curam

curam Regina auia ſuſciperet. Ioãnes & Petrus regni procuratores eſſent. iis vrbib. pro ſe
vterq; partita cura iura darēt, à quib. eſſent in Palentinis conuentibus, ad id munus nomi-
nati. Incommoda quidem gubernandi ratio, multiſq; obnoxia difficultatibus, tēpori ta-
men accommodata. Rex Taurum, quæ vrbs antiquis Sarabis fuit, præcipua regionis amœ-
nitate, ſalubritateq; deductus eſt ſalutis anno milleſimo treceenteſimo quartodecimo, de- 1314
tractuſq; Abulēſibus: in quo ſuperioris contumeliæ vindicta cōtinebatur. Noui inde mo-
tus in Carpetania excitati. ſcelerum vbiq; licentia: latrociniis ac cædib. cuncta miſceri. fœ-
da rerum facies, neq; idoneæ vires tantis motib. pacãdis. Commodior Reip. adminiſtran-
dæ ratio quærebatur. Ea cauſſa Burgos regni conuentus indicti ſunt. in iis ſancitū ſupremā
Reip. curam penes regium ſenatum fore: ad quem gentis inſtituto ex omnib. partib. liberà
prouocatio eſt, pecuniæ depoſitæ damno, ſi is, qui prouocauit, cauſſa cadat. Id collegium
Regem Reginamq; ſequeretur: Petrus & Ioannes minora negotia decernerent. Regia ve-
ctigalia donandi alienandive facultas ablata: ſubſtituendiq; ſuo loco alium, ſi quid huma-
nitus è trib. vni contigiſſet. I s dieb. tres viri principes morbo extincti: Alfonſus Reginæ
frater paulo ante. Tellius huius filius, cū ad comitia feſtinaret. Ioannes Lara Burg s, dum
regni conuentus habentur. Is inter alia mala Reip. regiæ procurationem recuperauerat. in
eius locum Alfonſus Ioanne procuratore natus ſubſtitutus eſt. Erat Ioanni Lara ſoror Io-
anna nomine, Ferdinãdo Cerdæ iuncta coniugio: vnde Blãca nata, & Ioannes Lara (quo-
niam eius familiæ principatum obtinuit) auunculo cognominis. Menſe Nouembri Eliſa-
betha Aragonii Regis filia Friderico Auſtriæ Duci paulo ante pacta, ad virum in Germa-
niam miſſa eſt, Regem Romanorum paulo ante renunciatum, Colonienſis, Saxonis, Pala-
tiniq; ſuffragiis. nam tres alii Principes Ludouicum Bauarum præfecerunt, quibus Vin-
ceslaus Bohemiæ Rex acceſſit. vnde melior cauſſa Bauarus, æmuloq; tandem acie ſupe-
rato captoq; felicior quidem fuit: inſectandis tamen Romanis Pontificibus, nouo Pontifi-
ce Romæ creando, vetera odiorum nomina exæquaturus.

Turcarum imperii initium. CAPVT XIII.

GRÆCORVM imperium per hæc tempora Andronicus obtinebat, Michaelis Palæo-
logi filius, notum perfidia & impietate nomen, diuis hominibuſq; inuiſum. Romana
Religione eiurata, quæ a Græcis ſuperioribus annis ſuſcepta erat populariter, patrē in im-
piorum numero habuit: funeris honorem, iuſq; ſepulturæ defuncto denegauit. Id impe-
rii initium fuit. fauſtu ſcilicet, atq; præclarum: tanto in noſtram gentem odio, vt iuſta ma-
trimonia non haberentur, Græcos inter Romanoſq; iuncta, niſi prius à parte altera patriis
ſacris abdicatis. Multi fidei damnati crimine grauiſſimo apud Græcos ea tēpeſtate. Iis ſce-
leribus vindicandis Turcæ hoc ipſo tempore certiſſima numinis ira excitati, gens eatenus
obſcura, nunc noſtris cladibus illuſtris fama, ignauia magis Principum, qui naſcenti incen-
dio occurrere potuiſſent, quam ſua ipſorum virtute. in Scythiæ ea parte quam Volga flu-
men interfluit, eius gentis ſedes olim fuere. inde ſalutis anno ſeptingenteſimo ſexageſimo,
magno ſe numero in Europam infuderunt: prælioq; cum Hungaris rerum potientibus
cōmiſſo male accepti, in Aſiam tranſmiſerūt, locorum fertilitate inuitati, gentiſq; ignauia;
quam voluptates locorumque amœnitates emollierant. Iis in locis, montibus Turcæ
occupatis, eorum munitione magis quam armis tuti, diu incolumes perſtiterunt, nulla ce-
lebres fama, nullo magni nominis Duce latrocinio viuentes, ſtipendiaq; facientes militia
venali: vnde maior ſpes oſtenderetur, cum à vicinis Principibus ad ferendam opē inuita-
bantur, præſertim ab Ægypti Sultano, iniuriæ opportuni, ſi fuiſſent, qui cōmunibus reipu-
blicæ malis mouerentur. Sed præterita reprehendi magis quam retractari poſſunt. Bello
ſacro, quod G tifredi virtute in Syria ſuſceptum geſtumq; eſt, nobiliores eſſe cœperūt ob
eas clades, quas noſtræ genti intulerunt, acceperuntq; ipſi mutuo, diuiſi in plura imperia,
reguloſque: donec hoc tempore O hotmanus quidam Zichi filius, obſcuro quidem loco
cæterum animi magnitudine, roboreq; præſtans, aliis ſublatis oppreſſiſq; magna ex parte
Turcarum Ducibus fuſã gentem palantemq; Numidarum more, ſub vno imperio deuin-
xit. Hic imperii Turcici noſtra tempeſtate latiſſimi, cōditor primus Othomanorū familiæ
cognomen dedit. ab hoc perpetua ſerie Turcarū Imperatores deducti, filii plerunq; patri-
bus raro inter ſe fratres ſuccedētes, vti ſubiectum ſtemma indicat. Othomani filius ac ſuc-
ceſſor Orcanes fuit, nepos Amurates, pronepos Baiacetus, Tamerlanis felicitate, ſuaq; ca-
lamitate (nam victus captuſq; ab illo eſt) quam proprio imperio celebrior. Baiaceto ſuc-
ceſſit Calapinus filius, duoq; deinceps ex eo Baiaceti nepotes Moyſes & Mahometes. huic
rurſus Amurates filius fuit, tædio rerū humanarum ſub vitæ finem imperio depoſito, con-
temptoq; quā geſto illuſtrior. integra ętate, flōrētiſſimis rebus, regna regumq; cultum reli-

quit. felix ſi pro vera religione id ſtudium ſuſcepiſſet. Amuratis filius Mahometus, is cuius armis Conſtantinopolis proximo ſeculo capta eſt, Mahometo Baiacetus, Selimus, Solimanus, Selimus, Corcutuſq; ſucceſſere. ſic Turcicum imperium à tenui principio exortum, noſtrorũ ignauia auctum amplificatumq; eſt: diſcordium inter ſe, ac ne aduerſus quidem communem hoſtem conſenſu.

Catalauni Græcorum imperium inuadunt. CAPUT XIV.

MAGNA Aſiæ minoris parte Turcæ armis occupata oppreſſaq; de Europa cogitare
cœperunt. Anguſtum, quo dirempta eſt, fretũ exultantibus barbaris tanquam fræ- 1
nos furoris iniecit. nam in Græcis parum animi erat, parum roboris ad vim propulſandam
omnium voluptatum illecebris fracti corporibus, imminuti animis, in pace inquieti, pro-
caces ore, in bello ignauiſſimi erant. Andronicus periculi magnitudine perſpecta externis
ſe & imperium auxiliis munire conſtituit. Catalauni pace inter Principes in Sicilia com-
poſita, vti ſuperius monſtratum eſt, quietis impatientia, belloq; viuere aſſueti piraticam
exercebant. Rogerius Brunduſinus præcipuus eorum Dux militari ſcientia, & rerum ge-
ſtarũ fama præſtantiſſimus, magnis præmiis euocatur. Huic origo ex Germania. pater Ri-
chardus Florus Friderico Auguſto familiaris, aſſiduuſque, Brunduſii amplas poſſeſſiones
habuit. eo ad Manfredoniam cæſo, cum Corradini partes ſequeretur, filius ſe Templariis
primum adiunxit: deinde Friderico Siculo Regi fortem operam nauauit. inde illi bellica 2
gloria, nomenq; apud exteras etiam nationes celebre. Regis ſui voluntate, Græcorum ac-
citu, Conſtantinopolim abiit cum claſſe nauium octo & triginta: in quibus triremes octo-
decim, equites mille quingenti, pedites ad quatuor millia exigua tantis molitionibus ma-
nus cæterum bello viuida virtus, vſu firmati milites, belli Siculi domitores. Rogerio coniux
data Zauræ imperatoris filia, ex Andronici ſorore genita, præcipuuſq; ſecundum Impera-
torem auctoritatis locus. nomen magni Ducis additum. His blandimẽtis Catalaunorum
animis cõciliatis, belliq; ſtudio incenſis, in vicina Aſiæ littora tranſmiſſum eſt. primo præ-
lio è Turcarum numero tria millia equitũ, pedites ad decem millia interfecti. rurſus Phry-
gia Mæoniaq; penetratis, ad Philadelphiam Pactolo fluuio nobilem, locis amœniſſimam
cum Turcis pugnatum eſt, pari euentu, neq; minori hoſtium ſtrage. ad Daniam tandem 3
Ciliciæ vrbem, non procul Epheſo atq; ad Tauri montis anguſtias, Ferri portam vocant,
dimicatum pari noſtrorum felicitate. claræ eæ victoriæ in præſens, in poſterum vſui fuere
arma, equos, pecuniam, quibus indigebant adepti ſunt, magna inter vtranq; gentem fama.
Ab iis initiis facta ſpes eſt impiæ gentis euertendæ, nationis Chriſtianæ omnibus malis ve-
xatæ in libertatem vindicandæ. Incõmode accidit, vt Rogerii ſocero defuncto, frater eius
imperium armis occuparet. leuirorum calamitate, qui patrui iniuria à paterna hæreditate
excludebantur, Rogerium moueri neceſſe fuit, præſertim Andronico in Europam euo-
cante. breui ea tempeſtas ſedata ex ſententia eſt. Magnum momentum acceſſit Berenga-
rio Entenſa domo Catalauno in auxilium attracto. Sequebantur eum equites trecẽti, mille
pedites ex omni copia delecti. is Magni ducis titulo, continuo cohoneſtatus. Rogerio Cæ- 4
ſaris nomen datũ: quo nomine à quadringentis annis Græcos vſos non eſſe conſtabat pro-
pter amplitudinem poteſtatis imperio proximæ. Hactenus omnia ſecunda, nihil vt deſi-
derari poſſet, niſi è ſummo verti fortuna cœpiſſet. ex honore nata ad populum inuidia eſt.
præterea milites ad Callipolim, vbi in hibernis continebantur tumultuantes, ſtipendiaque
poſtulãtes, diſperſi per vrbes & oppida, rapere, ſpoliare vi & ſtupris cũcta polluere, in oẽs fas
nefaſq; auidi ſuo cõpendio, Ducũ periculo, in quos Auguſti ira vertit. eorũ vitæ inſidię cõ-
paratæ. Rogerius Hadrianopoli oppreſſus: quo euocatus venerat quaſi de reb. magnis de-
liberaturus, inſigni perfidia, publico dãno. Sic eſt: ꝓcliuius iniuriæ, quã beneficio vicẽ rẽ-
pẽdimus, quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur: ac fere magna officia inſigni maleficio
cõpenſantur. Rogerio cæſo Callipolis, numeroſis Græcorũ copiis obſeſſa, magna noſtrorũ 5
virtute propugnatũ. multæ de Græcis victoriæ partæ ſunt. in quodã conflictu, ſex millia e-
quitũ, pedites XX. millia trucidati, cæteris caſtris exuti, res cõparanda miraculo, vixq; fidẽ
factura, ni Raymũdus Mõtanerius, qui bello interfuit, viſa litteris ꝓdidiſſet. Entẽſa iniuſtæ
necis vindicãdæ ſtudio incẽſus, Byzantii littora claſſe vaſtauit. pecora abacta. hominũ cæ-
des factæ. villæ viciq; incenſi. Caloioannẽ Andronici filiũ reſiſtere auſum, acie vincũt, fu-
gantq;. Claſſis Genuẽſis forte fortuna, ad ea littora appulſa Eduardo Oria Duce, reb. Græ-
corũ opem attulit: Catalaunorum rationes vehemẽter conturbauit. ſimulatione amicitiæ,
claſſis Catalaunorũ oppreſſa eſt. Entẽſa captus, ea calamitate dignus, quod Turcas auxiliares euo-
caſſet: quod Chriſtianis legib. turpe ſemper eſt habitũ. ſupererat Rocafortius ad Callipolim in
præſidio

præſidio relictus. eo duce irruptiones ſæpe factæ, multæq; hoſtib. illatæ clades, tū Græcis, tum Genuenſib. Eo ſucceſſu ferox effectus, neq; iuſtum, neq; iniuſtum imperium pati poterat, omnium ſcelerum licentia, vi, ſtupriſq; contaminatus. Entēſam reddita longo interuallo libertate, cum noua claſſe, quam in Catalaunis venditis paternis oppidis comparauerat, ad ea littora appulſum, reb. præfici paſſus nō eſt. inde ciuiles diſcordiæ graueſq; vtrinq; inſidiæ comparatæ. A Friderico Rege Siciliæ, cuius auſpiciis pugnare cœperant, periculo renunciato. Ferdinandus Balearici Regis minor filius eo eſt miſſus: ſi nominis auctoritate, ingeniiq; dexteritate in pace poneret Catalaunos. Parum ea diligentia profectum. impetratum tamē, vt quoniam omnis ad Callipolim tractus vaſtatus erat, facto omnes agmine, modicis interuallis Neapolim peterent, vrbem Thraciæ ad Macedoniæ fines nobuē Neſo & Strymone fluminib. prouentu celebrem, præcipua amœnitate. In eo itinere pars cum parte conflixit. Cecidit Entenſa. multi alii perempti. Ferdinandus neceſſario in Siciliam nauigans ad Eubœam inſulam à Gallicis triremibus captus eſt. Cum ea Gallorum claſſe Rocafortius eorūm, quę commiſerat venia apud Aragonios Siculoſq; deſperata, fœdus facit. ab iis, cum præ ſuperbia faſtuq; contemptui ſe haberi cernerent, ferro vincti Rocafortius, Rocafortiiq; frater, Auerſæ in Roberti Neapolitani Regis infenſiſſimi, poteſtatē contraditi carceris ſqualore perierunt. Merces ea ſcelerum iuſtiſſima eſt habita. Ferdinandus Balearis in libera cuſtodia fuit: ac mox Aragonio, & Friderico annitētibus, redditus libertati Meſſanæ Iſabellā duxit Ludouici neptim, eius qui Gallicæ ſtirpis poſtremus Peloponneſi Princeps ſine virili prole ante aliquot annos deceſſerat. Gallorum diſceſſu Catalauni quamuis viribus & numero imminuti ferocia retenta, quacunq; irent, omnia vaſtare, diripere, auferre. Quo tempore Athenarum Dux Gualterus Brenna, ex veterum Gallorū nobilitate, à finitimis bello fatigabatur. ab eo Catalauni ad armorū ſocietatem inuitati. diuturna amicitia non fuit. ſtipendia flagitantes, facta ſeceſſione Ducē in acie cædunt, vrbem eodem impetu capiunt, domos, vxores, opeſq; incolarum. imperii ſumma, nomenq; Friderico Regi Siculo reſeruatur. externis hominib⁹, tantaq; ex eo facto inuidia, externa præſidia conquirenda erant. Itaq; Fridericus in præſenti conditionem accepit, præfectoſq; vrbibus, Duces bello dedit, qui eius nomine res gererēt: deinde Guillelmo minori filio eum principatum teſtamēto legauit. Guillelmo Ioannes frater ſucceſſit. Ioāni Fridericus filius. Hoc nulla ex ſe prole defuncto, Friderico prioris Friderici pronepoti Regi Siculo, is principatus iure hæreditario obuenit. inde Aragoniis Regib. Ducis Athenarum & Neopatrię, noſtra etiam ætate, inane nomen vmbraq;. Fuit hoc bellum ea tempeſtate maxime memorabile, militum audacia, præliorum numero & varietate, diuturnitateq; temporis, nā duodecim annis tenuit. quod mirum ſit circunfuſis vndiq; hoſtibus, ſublata inter ipſos cōcordia, nulla imperandi parendiq; diſciplina. Ea res Clementē Pontificem, hoc ipſo quo extinctus eſt anno, excitauit, vt minacibus ad Aragonium litteris ex Græcia deduci Catalaunos pro regio imperio, mandaret, Caroli Valeſii in Peloponneſo dotales vrbes obtinentis gratiæ, incolarum lacrymis, qui malis omnibus à paucis latronibus opprimi, ſe ſuaque conquerebantur, datum id officium à Pontifice eſt.

Ioannes. XXII. Pont. Max. CAPVT XV.

DVo anni proxime conſequentes nouis in Gallia Regibus, nouoq; poſt duorum annorum & menſium ferme quatuor interregnum Romano Pontifice inſignes extiterūt. Ludouicus Hutinus ad ſaltum Vincennarum, quarto ab vrbe Lutetia lapide, ex morbo extinctus eſt, Nonis Iunii ſalutis anno milleſimo treceteſimo quintodecimo. 1315 ex priori vxore Margarita Burgundi Ducis filia Ioannam reliquit. matri adulterii conuictæ in cuſtodia gulam fregit. iuſtus is dolor eſt habitus: mirumq; vno tempore tres Philippi pulchri nurus, lege de adulteriis fuiſſe poſtulatas, præcipua in fœminis principibus impudicitiæ licentia. duæ conuictæ Ludouici, Caroliq; vxores. adulteris verenda conuulſa, cutis detracta: vncoque per plateas tractis laqueus vitæ finis fuit. Clementia Hungari Regis filia in Margaritæ locum poſterioribus nuptiis ſubſtituta vterum ferebat, quo tempore vir extinctus eſt. in ſpem paterni regni Ioannem peperit. Eo tamen intra vigeſimum diem ſublato, Philippus patruus cognomento Longus, catenus regni procurator, regium inſigne deſumpſit, cōſenſu omniū ordinum, Ioāná puella fraterna hæreditate excluſa, lege Salica, ſeu vera ſeu in gratiā potentioris recens conficta, extenſaq;. cuius hæc verba ſunt. IN terrā Salicā mulieres ne ſuccedāt. Regno Vaſconū ſpoliari nō poterat, q auiā cognominē recēti memoria obtinuiſſe hęreditate conſiderabāt. De Pontificatu Romano maior concertatio erat, Italicis Cardinalib. ex ſua gente Pontificē creari; Romamq; pontificiā ſedem referri ſatageti-

tibus. vincebant Gallici numero. vicere ſucceſſu. Carpentoracti Galliæ Narbonēſis vrbe,
vbi Clemens Pontifex deceſſerat, cū electio noui Pontificis duceretur, concurſu prouin-
cialium Italorum ædibus direptis, capta vrbe, diſſipatiq; vtriuſque nationis Cardinales: re
ſchiſmati proxima, longo interuallo Lugdunum ad comitia pontificia conuenerunt. In ea
vrbe Iacobus Oſſa genere Gallus ex Epiſcopo Portuenſi, Romanus Pontifex creatus eſt,
1316 ſeptimo Idus Auguſti, anno eius ſeculi ſextodecimo. in Pontificatu Ioannes XXII. dictus
Toloſa & Cæſarauguſta Metropoleis vt eſſent, effecit vtriuſq; gentis Gallicæ & Aragoniæ
promerendi ſtudio. Cæſarauguſtæ Pompelo contributa: cum vtriq; à Tarraconenſi Præ-
ſule ſacra petere ſoliti eſſent. Cadurcos Epiſcopi ſede donauit. is honos patriæ habitus eſt.
Noua Diuorum nomina templis data: Thomæ Aquinatis ex Prædicatorio ordine Theo-
logi præſtantiſſimi: Ludouici Epiſcopi Toloſani. is Caroli Iunioris Neapolitani Regis fi-
lius fuit, Aragonii leuir. Eæ res Ioaun s Pontificatum diuturnum, magis illuſtrem effece-
runt. In Caſtella res quietæ non erant: neq; tamen externi belli cura intermittebatur. A-
zarius priuatā fortunam quamuis feliciorem ferre non valens, grauemq; ex regno caſum,
regios titulos vſurpabat contra icti fœderis leges. infirmus virib. imparq; hoſtiū potentiæ,
noſtrorum auxilia euocare non deſiſtebat. fœderati Regis calamitas mouebat, ſpeſque ex
inteſtinis diſſidiis gentis Mauricæ opprimendæ. Belli cura Petro Principi demandata. id
ætati eius conceſſum, & quoniam fœdere facto prior Maurorū gratiam occupauerat. præ-
terea domeſtica calamitate Ioannes Princeps diſtinebatur Alfonſi filii maioris, valetudi-
ne primum, deinde obitu, inter Maurici belli initia cōſecuto, ad Morales oppidum in agro
Tauri. defuncti corpus Legione ad D. Mariæ de Regula ſepultum eſt. Quo tēpore Ferdi-
nandus Balearis in Peloponneſo, vbi Catalaunorum ope dotalem eius gentis principatum
armis vindicabat, in ipſo ardore belli extinctus eſt. corpus in Hiſpaniam relatū, Perpiniani
in Prędicatorum ęde, tumulo compoſitum. Is viri exitus fuit ea tēpeſtate clariſſimi filium
ex vxore procreatum auo cognominem in tenera ætate reliquit. Petrus Princeps bellū in
Bætica omni conatu cōparabat. Guidixēſes annonæ penuria laborabant corruptis circum
ſegetibus, agris, ferro flammaq; vaſtatis. Iumenta ſarciaria, quorum magnus numerus erat
contractus, valido præſidio, per hoſticum ducenda erāt. Iacobi & Calatrauę Magiſtri euo-
cati. adiuncta valida manus Petro ipſo totius expeditionis Duce præcipuo. ad Alatenum
oppidum occurrunt Granatenſes equites numero, virtuteq; præſtantes, Ozminio ducto-
re. eorum aduentu, noſtri in pedes deſiliunt. ſupremo conatu dimicatū pari periculo. no-
ſtrorum tandem virtute hoſtium ferocia repreſſa eſt. in pugna fugaque mille quingenti è
Mauris deſiderati ſunt: in his quadraginta è præcipua nobilitate Granatenſi. quæ res effe-
cit, vt ea clades luctuoſiſſima barbaris eſſet. Secundum victoriam reliqua prona fuerunt.
Guidixenſes commeatu inſtructi. geminæ arces, Cambiles, & Algabardus vi expugnatæ,
ereptæq; Mauris. Quod gratiam apud populum & Principes cōciliare debuit, multorum
inuidiam accendit. Petri euertendi conſilia agitata, Ioanne patruo cæteros proceres oc-
culte inſtigante. honeſta cauſſa quærenda erat. optima viſa eſt: rectam regni adminiſtra-
tionem oppidis oppigneratis prædibuſq; cauere. ærarii id rationes nimiū exhauſti exigere.
Burgis primum, deinde Carrione conuentus agitati. vtrunq; vt poſtulabatur, præſtitum:
Petriq; fides ad examen vocata illuſtrior viſa eſt. Ærarii inopiæ ſupplendæ ratio aliqua ex-
cogitata. ad vocem tributi obſurdeſcebant prouinciales, quod auctis ſæpe vectigalib. ini-
quitate temporum, belliq; Maurici ſtipendiis, conſumptū erat. impendebant infiniti ſum-
ptus, nouæq; copiæ militares conſcribendæ erant. Adire nouum Pontificem Petro viſum
eſt: atq; ab eo in vſus belli Maurici, miſſa legatione poſtulare ſacerdotiorū decumas. præ-
terea peccatorum veniam iis qui voluntariam militiā ſuſcepiſſent. vtrunq; benigne à Pon-
tifice datum eſt. aliquid etiam pecuniæ in ſtipendium à prouincialib. redactum. His ſubſi-
diis noſtrorum copiæ auctæ ſunt. hoſtium fines ſemel, iterum, tertio, irruptione facta, eua-
ſtati. hominum, pecorum prædę abactę. agri, villæ, oppida vexata. belli terror circūlatus.
in ipſius adeo Granatæ vrbis conſpectū, penetratū eſt. Mauri pugnādi copiam non facere:
noſtri in eo victoriā eſſe poſitā arbitrari, ſi ventū eſſet ad manus. ſi qui in aciem prodire auſi
erāt, eos pedes magis, quā arma tutabātur. Heraclea Maurorū conatib. occupatis, qui eam
vrbē obſidere parabāt, egregie munita. Itaq; propoſito deſtiterunt. Belmaſiū oppidū, atq;
1316 noſtrorū armis, præſidioq; occupata ſunt. ſalutis anno milleſimo trecēteſimo ſextodecimo
hæc in Bætica gerebātur. Quo anno Rocaberto Tarraconēſi Præſule defūcto, collegii ſuf-
fragiis vt tūc in more erat, Ioānes Aragonii Regis filius ſubſtituitur. electionem vt Ioannes
Pōtifex ratā haberet, impetrari nō potuit. cauſſæ memoriæ nō ſunt proditę. ſimoniaci am-
bitus (ſic ſuſpicor) vitiū obtēdebatur, aut minoris ętatis. Nondū ſoluendarū legū ad Princi-
pū gratiam vſus percrebuerat. In Pontificib. ea erat animi magnitudo, vt maximorum ſæpe
Regum

Regum cupiditatibus obſiſtere non dubitarent. Semenus Luna Cæſaraugusta Tarraconem migrauit. Petrus Luna in Semeni locum ſuffectus Cæſaraugustanus Archiepiſcopus. Ioannes Regis filius Montaragonis Abbas creatur: quod ſacerdotium Petri electione vacuum erat.

Petrus & Ioannes Principes in bello Maurico occiſi. CAPVT XVI.

PROXIMO anno milleſimo trecenteſimo ſeptimodecimo repetitis antea legationibus, [1317] ſupremaq; Aragonii Regis contentione, ex bonis, quæ templarii in Valētino tractu obtinere ſoliti erant, noua vti militia conſtitueretur impetratum, Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magiſtro in veſte cādida, cruce rubra inſignis ſimplici planaq;. Ciſtercienſium inſtituto, legibusq; viuere mandatum eſt. præcipua ſedes Monteſia, vnde militiæ nomen. tenuis cenſus. virtus bellica aduerſus Mauros, qui Valentina littora infeſta reddebant, cæteris non inferior. Proximo tempore in Luſitania eodē Pontifice concedēte, noua militia conſtituta, cui à Chriſto nomen eſt, eo regno nobiliſſima, cruce rubra, linea cādida interſecante diſtincta. huic militiæ Templariorum oppida, prædia, ædes attributæ. ad caſtrum Marinum præcipuum ordini domicilium. inde Touariū migratum. Præclare hoc. Inteſtinis tamen motib. prouinciæ tranquillitas, quæ diu ſteterat, turbata eſt. a Dionyſio Rege filius Alfonſus diſſidere cœperat. regnandi ambitio, exitiale malum, iuuenē agebat præcipitem, tametſi cauſſæ aliæ obtendebantur: Alfonſum Sanctiū furto genitū plus apud ſenem patrē poſſe, quam pateretur æquitas. ei regiæ procurationem delatam: ad ſumma de Repub. conſilia adhiberi ſolitum: ex eius arbitrio pendere omnia: & quod caput erat, eo auctore Alfonſi abdicādi cōſilia agitata eſſe. hæc ſiue vero ſiue falſo in vulgus iactata multorum animos a Rege auerterūt: eorum qui nouas ſpes præſenti fide metuq; potiores arbitrabātur. proceres in partes ſciſſi. Conimbrica Portuſq; ab Alfonſo occupatę. exules, latrones, parricidæ ſeſe ad Alfonſum adiungebāt, Dionyſii Regis patientia ſingulari: ſi arte poſſet filius ab ea mente deduci, victoriam funeſtā fore exiſtimantis victorib. æque ac victis. Hæc in Luſitania. In Aragonia Maria Regina extincta eſt: quam Cyprii Regis ſororē è Cyproq; aduectam ſuperiori anno, ſibi connubio Aragonius Rex iunxerat. nuptiæ Gerundæ celebratæ: inferiæ Dertuſæ. vbi anno milleſimo trecenteſimo octauodecimo, menſe Martio [1318] extremo defuncta eſt: tumuluſq; in Minorum æde cōpoſitus. Proximus annus duab. maxime reb. inſignis extitit. Ioannis & Petri Caſtellæ Procuratorū triſtiſſimo caſu, Iacobi Aragonii abdicatione. Ioānes alter regni procurator æmulū potentia & auctoritate, ob ea quæ præclare geſta erant, indies creſcere ægre ferebat. belli paciſq; conſilia ad eum cuncta referri grauiſſimū: ac illud vrebat maxime, q̄ ſacerdotiorum decumas ſolus adminiſtraret excluſo ſocio. Petrus quo plura præclare ſtrenueq; feciſſet eo iniuriā minus animo ſuo tolerare. ſi diutius aleretur controuerſia fore prouidebatur, vt pars cū parte confligeret: nam ſpecie belli Maurici magni in Vaccæis atq; Vectonib. delectus à Ioāne habebātur. Reginæ induſtria impendentes motus pacati. Valliſoleti concordia cōſtituta, vbi regni conuentus agebātur. Conuenit vt in Maurorū fines irruerent ambo, diuiſis copiis, publicaq; pecunia. prudēter deſtinata vis altior euertit. In his conuentib. Berengarius Cōpoſtellanus Epiſcopus paulo ante a I[illegible]āne Pontifice inſtitutus, ab eoq; in Caſtellā legatus, Alfonſi Cerdæ cauſam egit, dira omnia Pontificis verbis cōminatus ni morem gererent iuſtiſſimis poſtulatis. mouebat cōmiſeratio hominis ab ſpe regni certiſſima, in quā natus erat, deiecti, egeni profugi, vagantis: & eſt eo nomine natura hominū praua, quod ſæpe petit, atq; ad ea conſilia cupidiſſime recurrit, quæ antea obſtinatiſſime erant repudiata, pari in vtroque temeritate, ſtultitiaq;. vti Alfonſo accidit, eorum oppidorum poſſeſſionē repetenti, quę ſuperiorib. annis attributa, contemptaq; erant. id excuſabant proceres: ſacramentiq; religione teneri ſeſe prædicabant ne Rege minore, de regia ditione diminui quicquā concederent. Ferdinādo Alfonſi fratri datum, vt regiæ Magiſter eſſet, leuis tantis incōmodis compenſatio. Regina Mirobrigā abiit per cauſſam Alfonſi Luſitani generi ſui, ad colloquium alliciendi: ſi poſſet inter patrem & filium conciliari concordia. fruſtra labor omnis conſumptus. Petrus & Ioannes in Bæticam diuerſi contendunt. Iſmael Rex Maurus aduerſus ingruentē tempeſtatem tranſmarinis auxiliis ſe munire conſtituit, Algezira, Arunda, aliiſq; interiectis oppidis Regi Marrocio donatis: quod vtriuſq; rationibus fore commodum videbatur. magno certe Afrorum amicitia ſteut. Tiſarum municipium opere naturaque munitiſſimum, armis viriſquē opulentum a Petro vi expugnatum. arx dedita à Mahomade Andone, in cuius ditione id oppidum erat. magnum momentum ad totius belli ſummam ea victoria factum videbatur: pronaque cætera fore putabant: ni Ioannes præpoſtera ambitione laudis, ſibi,

& cæteris exitium comparaſſet, magnum Reipub. luctum. Vaenæ, vbi ſe tenebat, virtutis oſtentandæ cupidus, in Granatæ vrbis conſpectum penetrare conſtituit. Temerarium id conſilium erat propter anni tempus æſtuſq; graues. ad Alcaudetem tamen vtriuſq; Principis copiæ collatæ, equites ad nouem millia, peditum numeroſa multitudo. In hoſtium fines penetrant. latæ populationes factę. in primo agmine Ioannes curabat, virtutis oſtentandæ intempeſtiua cupiditate: in poſtremo Petrus: Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Magiſtri: Præſules Toletanus, Hiſpalenſiſq; aderant: lectiſſima Caſtellæ pubes virtute nobilitateq;. Illora ex itinere capta. arx impatientia feſtinandi Mauris relicta. In Granatæ conſpectum ventum, ſabbatho quo die Ioannis Baptiſtæ profeſtũ agebatur. eo & conſequẽti die haud vllo moræ pretio, loco manſerunt. die tertio caſtra retro mota. præcedebat Petrus: ſubſequebatur cum impedimentis Ioannes. Mauri de noſtrorum conſilio certiores facti, vrbe egreſſi, quinq; equitum millia, incondita peditum multitudo, duce Ozminio: neq; ſpe victoriæ, neq; pugnandi propoſito, ſed vt locorum notitia nouiſſimos carperent. Proceſſerãt noſtri procul a flumine, ardẽtiſſimo Sole, nulla præparata aqua. fortuna Mauris præclari facinoris caſum dabat. In noſtros omnib. partib. inuadunt. certatur magna vi. clamor permiſtus hortatione, lętitia gemitu. armorum fragor procul exaudiebatur. Petrus ad eas voces conuerſo agmine accurrit. milites diſpalati, à curſu feſſi, vix ſuſtinere arma, vix ingredi poterant. imperia neq; reddi, neq; accipi. In tanta perturbatione diſtricto enſe cum ſuos ad pugnam concitaret, laboris, moleſtiæ, æſtus magnitudine intercluſa repente anima concidit. idem Ioanni accidit, niſi quod alienata mente ad noctem ſpirare viſus eſt: triſtiſſimo caſu per exercitum vulgato, milites conglobantur. Mauri parari pugnam ſuſpicantes, direptis impedimentis abeunt. id noſtris ſaluti fuit. noctis beneficio in pacata euaſerunt. duorum Principum corpora Burgis tumulata ſunt. Ioanni cognominis filius erat, à fœditate oris cognomento Cocles. mores nihilo honeſtiores. Maria Petri Principis vxor Cordubæ ſubſtiterat ventre graui, hæredeq;. filiam enixa eſt, cui Blancæ nomẽ fuit. Garſias Laſſus Petro dum viueret intima familiaritate coniunctus, infantis patrocinium, paterni principatus procurationem ſuſcepit. ſubſecuta ſunt noua diſſidia: nouæq; inter Caſtellę Principes enatæ ſimultates, regni procurationem malis boniſq; artib. ſingulis ambientibus. Quo tempore Aragonia turbata erat, nouo inſolentiq; ſucceſſu. Iacobus Aragonii Regis filius maior, obſtinato animo paterni regni hæreditatem abdicare cupiebat. cauſſæ in incerto fuere, niſi quod inconditi eius mores, importuna patris ſeueritas, aliqua offenſione incitatum vt crederetur effecerunt. Filii ſane conatus grauiſſimus patri extitit. monere, hortari, & pro imperio iubere, ne id admitteret, vnde nomini patriæque dedecus luctumq; inureret ſempiternum. Noſtra, inquit, ſenectus conferre amplius populo nihil poteſt, quam bonum ſucceſſorem: nec tua amplius iuuenta quam bonum Principem dare. eo conſilio regiis moribus à prima ætate te imbuendum curaui: neq; deeſſe indoles videbatur vt dignus imperio eſſes, etiam ſi Rege patre non eſſes genitus. Vxorem paraui lectiſſimam puellã nobiliſſimamq;. regio apud me cultu habui. ſi quid addi poteſt, addam. Nunc ſpes me mea fefellit, teq; nimia indulgentia, felicitaſq; corrupit: vt regnum humeris ſuſtinere iuuenis detrectes: quod extrema ſenex ætate ſuſtineo. An tuam tranquillitatem publicis commodis anteferas, patrio imperio, religioni ſanctiſſimæ: qua obſtricti ſumus. Eleonoram ſponſam, cuius te miſereri opus erat, coniugem tuam, Aragoniæ Reginam fore? Fortaſſe ſenis obitum expectare, qui diu abeſſe non poteſt, graue eſt: tametſi alias cauſſas nectis, libido te dominandi exagitat. ego diuinæ voluntati, vnde viuendi fines pendent, præſcribere non poſſum: quod meum tamen eſt libens tibi regno cedo. iſtam tantũ mentem depone: quæ nobis communiq; patriæ non poteſt non eſſe grauis. Quod vt facias per omnia numina, & quidquid in cælo ſanctum eſt, moneo, hortor, obteſtor. ac illud vide, ne præpropera feſtinatione eo progrediaris, vnde regreſſus non ſit. Ad hæc iuuenis pauca. Stare ſibi ſententiam ait, vitam principalem, tot ærumnis obnoxiam, priuata & beatiore commutare. Ergo Tarracone, quo conuentus procerum & Præſulum erat, regni hæreditate vltro ceſſit Decembris die vigeſimo tertio. Calatrauæ veſtẽ continuo induit: quam deinde Monteſiæ militia mutauit. Vxor Eleonora intacta ad ſuos in Caſtellam miſſa eſt. De Iacobi facto non vna opinio fuit. morum licentia, vitæq; deinde turpitudo argumento fuit, non colendæ pietatis ſtudio, ſed ingenii leuitate abdicaſſe. Eo ſane amoto hæreditatis ius Alfonſo fratri ætate proximo quæſitum: qui Petro ſeptimeſtri partu ex Theraſia vxore paulo ante ſuſcepto pater effectus erat Vrgeliæ principatu dotali, ex Armengaudi teſtamento, magno Theraſiæ auunculo. Ergo vno tempore Luſitani Aragoniique domeſticis calamitatibus exagitati ſunt, contrariis quidem ſtudiis, pari tamen incommodo infelicitateque.

Maria Reginæ obitus. CAPVT XVII.

ACCEPTA ad Granatam calamitate, Mauri victoria feroces atque præclari Oſcam
in Baſtetanis, Ores, Galeramq; occuparunt, eripueruntq; D. Iacobi militibus, in quo-
rum ditione erant. parte altera Tucci lautiſſimum municipiū expugnatum. in incolas fer-
ro ſæuitum, nulla neq; ſexus neq; ætatis miſericordia. proxima rupes, arciſq; munitio, mul-
tis perfugio fuit. In Caſtella Citeriore atq; Vlteriore, aliiſq; contributis prouinciis motus e-
rat: nouæq; ſpes Principum, quos generis nobilitas potentiaq; proxime ad regni procura-
tionem deſtinabat. Maria Regina fœderis beneficio annis ſuperioribus facti, rerum ſum-
mam ad ſe auocabat. de ea re ad vrbes & oppida litteræ datæ, ne ſe prauis cuiuſquam arti-
bus in fraudem induci paterentur, decoris obliti ſcilicet, fidei immemores. Reginæ imbe-
cillitas pleriſq; contemptui erat: imparq; grauiſſimis regni curis fore videbatur. proceres
multi ad rerum faſtigium vno tempore aſpirabant. hi præcipui: Philippus Regis patruus
Ioannes Emanuel & Ioannes alter Viſcaiæ Princeps remotiores quidē ſtirpe, cæterum e-
gregie fortes, opibus ingentes, regioq; ex ſanguine nobiliſſimi. his cura ſummaq; omnium
rerum demandata eſt, haud quaquā in vnum conſenſum conſpirāte prouincia, ſed in par-
tes factioneſq; ſciſſa. Inconſulte, ac veluti per dementiam cuncta agebantur. Multi priuati
conuētus habiti, vrbium oppidorumq;. multum timoris, multum periculi erat. Philippum
Bætica rebus præfecit. Ioannem Emanuelē Carpetania, atq; ea veteris Luſitaniæ pars, cui
Extremaduræ nomen eſt. Ioannem Viſcaiæ Principem multo maxima Caſtellæ Vlterio-
ris pars ſequebatur. intra vrbes ſæpe partium ſtudio tumultus erant. imperia ſæpe mutata:
dum nunc his, nunc illis afficiuntur, prout cuiuſq; res erant, ſpe largitionum multitudine
pretio venali, dubia fide. hinc ſcelerum licentia, cædes, latrocinia, luctuoſiſſima rerum fa-
cies. A potentioribus tenuiores opprimebantur. regia vectigalia domum auertebant ma-
giſtratus, Principeſq;. infame latrocinium, turpiſſimum peculatum. nullū erat genus mali,
quod ea prouincia non pateretur. Ferdinandus Cerda viribus inferior, ſuſpicionibus ob-
noxius, ob veteres de regno contentiones paſſim excluſus, Ioanni Viſcaiæ Principi adhæ-
ſit. Eius ſæculi anno viceſimo hæc in Caſtella gerebantur. Quo anno Ioannes Aragonii Re- 1320
gis filius, Toletanus Pontifex Ilerdæ ſacratus eſt, in locum Gonſalui priori anno defuncti
ſubſtitutus, eximia vtriuſque gentis lætitia, ſpe, plauſu, proſperum iuſtumque pontificatum
fauſtis vocibus ominantiū. Reginæ Mariæ haud obſcuro dolore metuentis, ne tanti Prin-
cipis aduentus, res commotas amplius exulceraret, verum eæ ſuſpiciones Romani Pon-
tificis ad Reginam litteris deterſæ ſunt, timorq; exemptus, pacata omnia fore pollicentis.
Cum Aragoniis certe Præſulibus magna de dignitate eccleſiæ Toletanæ contentio fuit.
Ioannes de more crucem præferebat poteſtatis inſigne. id ſibi veteri iure conceſſū recen-
tique memoria confirmatum, licere arbitrabatur: cum Primas eſſet Hiſpaniæ. Tarra-
conenſis, Cæſarauguſtanuſq; Præſules, qui inaugurationis cæremoniæ interfuerunt, iure
controuerſo, cauſaq; nondum diiudicata negabant. ad has voces cū Toletanus non mu-
taret ſuæ eccleſiæ dignitatem tueri certus, patriſq; fauore fretus: Cæſarauguſtæ, vbi regni
conuentus à Rege habebātur, à Cæſarauguſtano Præſule anathemate notatur. clauſa tē-
pla, ſacrorum iuſtitium fuit. incredibilem audaciam, confidentiam ſingularem. Conſtitu-
tio ſuperiorib. annis anathemate ſancita, ſi quis in aliena prouincia crucē præferret, facto
prætendebantur, Id ægre Aragonium Regem habuit, filium in ſuo regno violari, ſuiſque in
oculis. Datæ ad Romanum Pontificem de ea re litteræ acres atque minaces: videbaturq;
crudele aliquod exemplum editurus, ni admonitus à ſuis, de ſuarum eccleſiarum dignita-
te agi, regnoq;: neq; videri æquum priuatis affectibus indulgendo publicam cauſſam pro-
dere, multum de animi furore remiſiſſet. Pontificis ambiguo reſponſo vtriq; ſuſpenſi, ita
factum accuſantis, vt anathematis ignominia exolui Toletanum iuberet, ſi forte extitiſſet
iuſta. cum nouus Præſul ex Aragonia digreſſus in prouinciam appuliſſet, de quo maxime
timebatur, ne Ioanni Emanueli faueret, quoniam Conſtantiam eius ſororem natu maxi-
mam vxorem habebat: cum maxime abalienauit regiis vectigalibus in prouincia denega-
tis, quæ ille pro iure acceptæ poteſtatis auertere cupiebat. vnde implacabile inter vtrūque
Principem odium. Quo tempore Vaſcones ſub imperio Gallico quieſcentes memorabi-
lem cladem in Cantabria acceperunt. Obierat Philippus Longus Rex Galliæ quarto No-
nas Ianuarii, ſalutis anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo, nulla relicta prole. ſuc-
ceſſerat Carolus eius frater cognomento Pulcher, forma, liberalitate, animi magnitudine 1321
fratribus par. Hoc Rege à Cantabris ea parte cui Guipuſcoæ nomen eſt, Gorritia arx im-
prouiſo aduentu occupata. cauſſa obtendebatur, quoniam à Vaſconibus iniuſte poſſideri,
ſuiq; iuris eſſe comperti erant. Iniuriæ vindicandæ ſtudio, Vaſcones progreſſi ad ſexaginta

millia, niſi aut numeri ſunt vitiati, aut fama mẽtitur, ad Beotibaram (id oppido nomen eſt)
Septembris die nonodecimo, à paucis Cãtabris omnino octingentis iuga montium, clau-
ſtraque occupantibus: indeq; vegetes magnis lapidibus refertos, in ſubiectos prouoluen-
tibus, profligati ſunt. maior quam pro numero cædes fuit, multique capti. Cantabrorum
Dux Egidius Onizius, Vaſconum Pontius Morentaina, homo Gallus eius prouinciæ pro
Rege Gallo Præfectus. Victoriam ea ætate in paucis celebrem fuiſſe neceſſe eſt: argumen-
to vulgarium carminum, quibus ad hanc diem ad lyrã canere, celebrareq; eius prouinciæ
homines, vtraq; lingua Caſtellæ & Cantabriæ, eius pugnæ euentum conſueuerunt. Guil-
lelmus Cardinalis Sabinus Epiſcopus à Romano Pontifice in Caſtellam legatus: ſi eius di-
ligentia, pontificia auctoritate malis quæ vniuerſam prouinciã occupabant, finis impone-
retur. Eo auctore Palentiam regni conuentus indicti. Quo tempore Maria Regina annis
grauis fracta valetudine reipub. calamitatibus oppreſſo animo extincta eſt, Iunii Kalend.
1322 anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo, trium Regũ ætate reipublicæ præſidium,
Caſtellæ columen, Pietatis monumentum Olgarum cœnobium eſt eius impenſa inſtaura-
tum, extructumq;: vbi funus eius illatum. duo alia monaſteria Burgis vnũ, Tacri alterum
conſtituta: aliis per prouinciã locis alia. Guillelmi Legati iuſſu Epiſcopis vniuerſa ditione
Valliſoletũ conuocatis, conciliũ hac tẽpeſtate nobiliſſimũ peractũ eſt. In eo concilio quar-
to Nonas Auguſti multæ ſalutares leges promulgatæ ſunt. in eo numero anathemate vin-
ciuntur, qui carnibus quadrageſimæ aut quatuor temporũ diebus veſcentur: quique in eis
publicè vendiderint carnes. A noſtra religione alienis, templis dum res diuina peragitur,
intereſſe vetatur. iis tamen ſi noſtra ſacra ſuſceperint ſacri ordines, & ſacerdotia vnde ino-
piam tolerent, non denegantur. Purgatio vulgaris reprobatur, qua Hiſpani vulgo vteban-
tur. Extant Ioannis Toletani Præſulis conſtitutiones per idem fere tempus promulgatæ. In
iis, niſi Iudæi & Mauri quo tẽpore res diuina peragitur à templis receſſerint, ceſſare man-
dat. Redactas Cruciata pecunias ad ſe cum fide deferri captiuis redimendis, egenorũ ino-
pia ſubleuanda. Presbyteri quater minimũ per annum diuina hoſtia ſacrificanto: neq; vn-
quam niſi matutinis precibus exorato numine. Eccleſiaſticis obſequiis parta bona, ea dare
legareve filiis quamuis iuſtis nefas eſto. & erit qui ſacerdotes & Epiſcopos eorũ bonorum
dominos & arbitros faciat? Eodem anno Granatæ in arce Alhambra, Rex Iſmael ſuorum
coniuratione occubuit. Cædis miniſter auctorq; Algeziræ regulus conſcius Ozminius, v-
terq; infenſo in Regẽ animo: ex quo Tuccis oppido capto priori captiuam abſtulit, excel-
lenti formæ venuſtate, Ozminii nepos in ipſa expugnatione occiſus eſt. Mahomad Iſmae-
lis filius, nondũ plane cognita Regis morte, duodecim natus annos ſellæ impoſitus, atq; per
plateas circumductus, Rex ſalutatur, eximia Prætoris fide, pleriſque vt in repentino caſu,
miraculo attonitis. nam coniurati, niſi eorum conatus eſſent occupati, alium ex ſuo nume-
ro Regem deſtinabant. ii omnes vrbe exacti, maioris mali metu, in exilium abierunt.

Alfonſus Caſtella Rex regnum capeſſit. CAPVT XVIII.

REGINÆ obitu regni calamitates auctæ ſunt: tumultus, cædes, latrocinia vigebant. ſpes
communes & priuatæ in vno Rege ea tempeſtate ſitæ, ſi ad iuſtam ætatem perueniſſet,
in minoribus annis id ſpecimen præbuerat, vt iuſti atque optimi Principis indolem habe-
re crederetur. & fauent homines libenter votis ſuis, credunt, ſperantq; quod cupiunt. Ergo
cum primũ ætatis annũ quintumdecimum attigit, Valliſoleti regnum capeſſere conſtituit,
ætate quidem nondum tantis matura rebus, cæterum rerum ſtatus moram non recipiebat.
Maior ipſi, quam pro annis prudentia inerat: prouincialium ſtudia accenſa feſtinaque, in-
genita gentis erga Reges ſuos caritate. Garſias Laſſus, Aluarus Oſorius, præcipua pruden-
tiæ opinione viri quam multarũ rerum diuturno vſu, magnoq; ingenio quæſierant, vltro ſe
in adoleſcentis Regis gratiã inſinuabant ſpe veniæ, eorum quæ diuturno interregno com-
miſſa erant, rei priuatæ augendæ, publicæ iuuandæ ſtudio. Hos in familiam admiſit, inti-
moſq; habere cœpit: quorũ conſiliis vteretur. duobus tertius adiunctus Iuzephus quidam
Aſtigitanus Iudæus, proximum gratię locum obtinuit, homo copioſus, publicanorũ prin-
ceps. vnde omnes pecunię vias norat, quod in tanta ęrarii inopia ex vſu futurũ erat. & eſt
id genus hominũ maxime Principibus gratũ. regiis litteris regni procuratores acciti, certa-
tim Valliſoletũ venerunt, pro ſe quiſq; Regis gratiam pręoccupare, aliiſq; eripere conten-
dentes, aſſimulatis ad tempus officiis, fide neq; ſyncera neq; diuturna. Philippo penes Re-
gem reſiſtẽte, Ioannes vterq; è curia, venia neq; impetrata neq; petita abierunt à Rege pe-
nitus auerſi: quẽ peſſimis conſiliis in fraudẽ induci querebantur. Mutuis auxiliis aduerſus
omnẽ iniuriam vt ſe munirent, ad Cigales oppidũ armorum ſocietatẽ ſanctiſſimo iureiu-
rando conſtituũt. & quo ſanctius fœdus eſſet Ioannẽ inter Viſcaiæ Principẽ, priori vxore
defuncta cęlibẽ & Conſtantiam Emanuelis filiã, pactę nuptię. Sanciendæ inter proceres

ſocietatis hic mos fuit per multos annos ſeruatus. Legibus fœderis lectis pater patratus eo-
rum nomine: Teſtor, inquit, Deum & matrem eius, vt cuncta quę ſunt ordine ex tabulis
pronũciata, ſine dolo malo fraudeq; illis legibus ſtabo: neq; in fines hoſtium ſine ſocio ibo
neq; quid aliud contra faciam. Si prior defecero certo cõſilio, illo die vos ſuperi corpus in
hoc ſeculo, in futuro animã diris cruciatibus mactate. vires verbaq; deficiãt facite: in pu-
gna equus, arma, calcaria, ſubditi cum opus eſſet maxime. Id vbi dixit, ſocii ſubiiciebant,
Amen. Nonnunquã etiam diuinam hoſtiã diuiſam in duas partes, vterq; ſociorũ libabat.
addebantur execrationes hoc erat ſanctiſſimũ iungendæ inter proceres ſocietatis pignus,
rituſq;. Eius ſocietatis diſtrahendæ, vnde noua bella metuebãt, cura regios ſolicitabat, ratio
aliqua quærebatur. optima viſa eſt, vt Rex à Ioanne Emanuele Conſtantiã filiam coniugẽ
peteret. Vtilitati magis quã amicitiæ aut religioni ſeruire Principes ſolent: atq; eo ſe con-
uertere, vnde ſpes melior affulget, nulla famæ memoria. Emanuel Pennafielem ſuæ ditio-
nis oppidum occulte digreſſus totũ ſe ad Regis amicitiã trãsfert. puella in eius poteſtatem
contraditur, nondũ matura viro. Ioannes ea ſe ſpe deiectum dolens, ſuiſq; artib. peti videns,
Blancã Petri Principis filiam ad Granatam extincti in coniugium ambire conſtituit am-
pliſſima dote inuitatus: quæ Almaſani, Alcocerii. aliorumq; circa oppidorũ ditione con-
ſtabat, ad Aragoniæ limitem locis cõmodiſſimis res nouas molienti. Aduerſus eos conatus
Regi perſuaſum, vti Blancam paterno principatu opibuſq; ſpoliaret. Omne magnum ex-
emplum aliquid iniquitatis habere admixtum, ſed iniuriã tamen priuatam vtilitate publi-
ca compenſari. Præcipuus auctor Garſias Laſſus, vt fidem, conſilii atrocitate Regi proba-
ret, Petri Principis beneficiorum immemor. & eſt erga mortuos obliuio parata, raraq; fi-
des. Ioannes Emanuel in Regis gratiam reſtitutus Toletani Præſulis vlciſcẽdi euertendiq;
conſilia agitabat. accidit vt Rex vectigalium rationẽ exigeret à Toletano ille iniuriam in-
terpretatus æmuli fraude comparatam, apud Regem quidem eorum quæ facta erant, cauſ-
ſas excuſauit: in æmulum vero (nam forte aderat) grauiſſimis verbis inuectus eſt. probra
inter ſe obiiciunt, quæ furor dabat. Contentione ad tempus ſedata Emanuel pro ea aucto-
ritate quã obtinebat, vt dolorem vlciſceretur, multa ſuadendo auctor extitit, vt ſcrinii re-
gii præfectura, quo magiſtratu proxima ſecundum Regem poteſtas cõtinebatur, & ab an-
tiquo penes Toletanos Præſules fuerat, Ioanni detraheretur. Non tulit ignominiam inſo-
lens contumeliæ animus. ergo è curia Caſtellaq; diſceſſit: Regiſq; patris interuentu impe-
trauit, vt Toletanum pontificatum Tarraconenſi mutaret, adiuncta Alexandrini Patriar-
chæ inani & ſine prouentu appellatione. Semenus Luna, Præſul Toletanus effectus: Gar-
ſias Laſſus ſcrinii regii Magiſter. Inde initium eius magiſtratus imminuendi, obſcurãdiq;
obſcuris miniſtris. noſtra ætate debilitata auctoritate, ac nulla ferme (quæ magna labes
fuit) nomen tantum Cancellarii à Toletanis Præſulibus retentum eſt. Dum hæc in Caſtel-
la gerebantur, Aragonius ex Bonifacii Pontificis conceſſione Sardiniã armis petebat à Pi-
ſanis publice poſſeſſam nullo iure, ſed vi tantũ & armis iniuriaq; Romanæ eccleſiæ, in cu-
ius clientela ab antiquo eius inſulæ imperium fuerat. Miſſus Alfonſus Aragonii filius. ad-
iuncta valida claſſis biennio inſulani domiti. variis locis & præliis victi Piſani. Aragonii ex
ſaluberrimis Hiſpaniæ locis in eam inſulam cæli grauitate infamem deducti, morbis graſ-
ſantibus pars magna periere: haud exigua Petri Principis ſpe, ſi Alfonſo fratri aliquid hu-
manitus contigiſſet, regni hæreditatem excluſa fraterna prole ſui iuris futuram ſperantis.
recenti Caſtellæ exemplo erectus erat, multorumq; procerũ ſtudiis fretus, quæ illi certa-
tim offerebantur. ea cauſſa extitit pacis cum Piſanis maturandæ. Iunio menſe anno mille- 1324
ſimo trecenſimo vigeſimo quarto ſancita eſt, his legibus. Vt captiui vtrinq; redderentur.
Mutui cõmercii libertas eſſet. Calaris arce à Piſanis retenta cum territorio & oppidis con-
tributis, reliqua Aragoniis cederẽt. Eo fœdere facto inſulę quidẽ poſſeſſio penes Aragonios
Reges manſit. Alfonſus autẽ in patriam reuerſus apud patrem effecit, vt filios ſuos in re-
gni ſucceſſione Petro præferret. Cæſarauguſtæ id à Rege præſtitum vbi conuentus regni
erãt. proceres ſunt in puerorũ verba ſacramento adacti. ſic legum inſtituta, opinioneſque
hominũ variabant. Anno proximo milleſimo trecẽteſimo vigeſimo quinto, ſeptimo No- 1325
nas Ianuarii, Dionyſius Luſitaniæ Rex Scalabi deceſſit, diuturno regno ann. XLV. nouem
menſiũ, dierum V. excelſa animi magnitudine, & perpetua felicitate inter Principes ea ętate
inclytus. Domeſtica diſſidia implacabileq; inter patrẽ & filium odiũ ad aliquã iniuriã ex-
trema ætate acceſſerũt. Corpus in Ciſtercienſe monaſteriũ illatum, quod eius impenſa ab
Oliſipone ſex paſſuũ millibus, ab imo totũ erat extructum. Pietatis id argumentũ eſto. li-
beralitatẽ magnificentiamq; animi, multa oppida conſtituta, alia perpetua mœniũ corona
aut aliis operibus munita indicant. Eliſabetha vxor fęmina ſanctiſſima ad vndecimum an-
num viro ſuperuixit, in memoria vitæ per virtutem actæ, ſynceroque religionis cultu, ege-

norum miſeriis ſubleuandis, viduitatis incommoda ſuſtentans, morum innocẽtia tanta, vt defunctæ memoria ex ritu Chriſtiano templis cæloq; dicata ſit. Corpus Conimbricæ ad Sanctæ crucis præcipua prouincialium religione colitur. Dionyſio Alfonſus filius maior abſq; controuerſia ſucceſſit, Fortis cognomen ab ingenio bellicis ſtudiis nactus. filios Alfonſum, Dionyſiũ, Ioãnem, quos ex Beatrice vxore genuerat, in tenera ætate amiſit, nulla neq; vitæ neq; mortis gloria. Maria, Petrus, Eleonora, meliori fato nati parentibus ſuperſtites fuerunt. Ipſo anno in Ceretanis Sanctius Rex Balearis vita functus eſt nulla ex ſe prole. Iacobus tamen fratris Ferdinandi filius, eius teſtamento regni hæres nuncupatus. Rex Aragonius ex Iacobi aui teſtamẽto, qui id regnũ primus inſtituerat, minoriq; filio reliquerat, ſui iuris factũ Sanctii obitu diſputabat. vtriq; argumenta non deerant, quibus cauſam tegerent. Iacobus puer poſſeſſione potior erat, hominumq; miſericordia, propter infirmam ætatem patriſq; memoriam. Aragonius validior. Conuenit, vt Conſtantia Aragonii neptis Iacobo Baleari nuberet, dotiſq; nomine aui patriſq; iura in viri domum inferret. ſermonum miniſter auctorque fœderis Philippus pueri Regis patruus, vir ſacratus: penes quem Sanctii Regis teſtamento, regni procuratio pueriq; Regis tutela ad iuſtam ætatem fuit.

Aragonii Regis obitus. CAPVT XIX.

NONDVM Caſtella conquieſcebat. ſuperior licentia proceres feroces vt eſſent, effecerat: multorum inter ſe odia accẽderat, non ſecus ac fluctus maris ventis agitati, remiſſa tempeſtate, nondumq; in malaciam compoſiti. Ea res Alfonſum Regẽ, alioqui mitẽ ingenio prouocauit, vt in turbulentos ciues ſæuiret: vnde illi Vindici nomen. plectendi initium à Ioanne Cantabriæ Principe factũ eſt. Blancæ is nuptias malis artibus ambiebat (quę cum matre in Aragoniã abierat) luculento atq; cõmodiſſimo principatu inuitatus. niſi impetraret Alfonſum Cerdã ex Gallia ad ſpem auiti regni reuocaturus. ſic ſe facturum minabatur, in vtraq; re Alfonſo Regi ægre facturus. Importuni conatus occupãdi erant. vi periculoſum, fraude indecorum. Quid rex faceret? vicit vtilitas honeſtatẽ. cum bellũ in Mauros compararet, ſpecie eius belli Taurum ad ſe Ioannem vocare conſtituit. fit ſpes Eleonoræ regiæ ſororis ipſi iungendæ. ſplendidius id coniugium viſum eſt. præterea Garſias Laſſus, quem Ioannes infenſiſſimũ inimicum eſſe conquerebatur, è curia amandatur. ſic ars victa arte eſt. Vocatus venit ad Regẽ. conuiuio ſplendide accipitur, ipſo omnium Sancto-
1327 rum feſto die, anno. M CCC. vigeſimo ſeptimo. dies apparatuſq; conuiuii ludũ & ſecuritatem magis quã metũ oſtendebat. Itaq; inermis & imparatus acceſſit. inter epulas Regis iuſſu obtruncatur. cõmiſiſſe quidem videbatur, vt hoſtis loco eſſet: iura tamen hoſpitii violare, & per fidẽ colloquii incautũ opprimere iniquum fuit. tametſi non deerant, qui Regis factum excuſarent: veris an falſis rationibus non diſputamus. vnica certe Ioannis filia, quę in nutricis poteſtate erat, Baionam in Tarbellis, quæ vrbs Anglico imperio tenebatur, fuga delata. Maria Ioannis mater Peralii (id oppido nomẽ eſt) in virginum collegio à ſuperioribus annis vitam exigens, & nunc atroci nuncio, luctu, lacrymis, ſqualore oppreſſa, Viſcaiæ principatum Garſia Laſſo auctore, Regi pretio vendidiſſe fertur, metu an voluntate incertum. Et erat Regi obſiſtere periculoſum: iniqua certe cõditione nepti ſuperſtite, Ioannis Laræ poſtea vxore, vt eſt inferius demonſtrandũ. (huic tandem Viſcaiæ principatus cedet, Regis ira remittẽte) paterna Ioãnis oppida arceſq; ſupra octoginta pars armis pars voluntate occupata penes Reges perpetuo iure ſubſtiterunt. Erat Emanuel Princeps limiti aduerſus Mauros Præfectus. eo Duce, quamuis Ioãnis cæde territus erat, eiuſq; exemplo intelligebat male Regi fidem committi, qui nuptiarũ ſpecie principem ſibi propinquũ violaſſet: bellũ tamen cum Mauris impigre gerebatur: à quibus Rute arx paulo ante improuiſo aduentu occupata erat: & Ozminio Duce in fines Bæticæ irrumpere cogitabant. ad flumen, cui Guadalfortium nomen eſt, pugna cõmiſſa. victi cæſiq; Mauri. Emanuel victoria parta ad ſuæ ditionis oppida abiit bello abſiſtẽs, à Rege, alienato animo: quẽ nouo conſilio Conſtantię filiæ nuptiis repudiatis ad Luſitanos animũ adieciſſe ferebatur. id ſui euertendi initium eſſe non ignorabat. Itaq; Maria Regis Luſitani filia in Conſtantiæ locũ ſubrogata eſt. auctor conſilii Aluarus Oſorius, magno Emanuelis dolore, Regiſq; Aragonii: qui & ipſe Alfonſus vocabatur, & Conſtantiæ auũculus erat. Iacobus enim Aragonius Rex Alfonſi pater proximo à Ioannis cęde die Barcinone deceſſerat. ad Sanctæ Crucis regium funus illatum. Theraſia nurus ante quinq; dies Cæſarauguſtæ defuncta, & in Minorum æde ſepulta, gemino totius prouinciæ luctu, duobus principibus, quos ſumma caritate complectebatur, vno tempore orbatæ. Succeſſit Iacobo Alfonſus filius, Petri Iacobi, Conſtantiæ ex Theraſia vxore pater: quatuor aliis filiis in minori ætate amiſſis. Illud in Iacobo Rege eximiam laudem meretur, quod regni principatus Aragoniæ, Cataluniæ, Valentiæ indiuiduos fore perpetua lege ſanxit. Litibus, quibus vt antea flagitiis

prouinciæ

pruinciæ laborabant, vſq; eo infenſus fuit, vt Semenum Radam inſignem ea ætate iure-
conſultum, cuius malitia multi euerſi erant, præuaricatoris lege poſtulatum regni finib. ex-
pierit. Carolus cognomento pulcher Rex Galliæ & Vaſconum, ad Vincennas ex mor-
bo deceſſit, ipſis Februarii Kalend. anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo. [Sacer- 1328 1
dotiorum decumæ tota Gallia ſpecie belli ſacri aduerſus Ludouicum Bauarum Eccleſiæ
Romanæ aſſiduum infenſumque hoſtem (qui ſuperiori anno Petrum Corbarium Romæ
pſeudopontificem crearat Nicolai V. nomine impoſito) à vero Pontifice Ioanne XXII.
conceſſæ ſunt, lucri partem pacto. ſic fama tulit.] Quod Philippo Longo datum quidem 2
erat. hac tamen conceptione exceptioneq; verborum, ſi è re pietateque fore prouinciæ
Episcopis viſum eſſet. conditio honeſtiſſima quam aduerſus importunas Principum pre-
ces, vtinam alii Pontifices amplexi eſſent. Caroli vxor grauida, tertio à viri obitu menſe fi-
liam enixa eſt, cui Blancæ nomen fuit, Gallorum inſtituto regni expertem futuram. Caro-
li Valeſii ante ſecundum annum defuncti filius Philippus, trium ſuperiorum Regum pa-
truelis, atque Eduardus Rex Angliæ Eliſabetha prognatus, eorundem trium Regum Gal-
liæ ſorore ad regni hæreditatem contendere cœperunt. Philippus lege Salica prælatus eſt
omnium ordinum ſuffragio. Inde inter vtranque gentem diuturna internecinaque bella
extiterunt: Reges Angli Gallici imperii nomen & inſignia vſurparunt. meliori fato Va-
ſconum, qui à Gallorum imperio exempti ſunt. Eburouicû Comiti Philippo Ioanna nu-
pſerat Ludouici Hutini filia. ei Vaſcones Pompelone in regni conuentibus materno iure
regnum decreuere: concedente nouo Gallię Rege, annuenteq; iuſtiſſimis prouincię po-
ſtulatis. & Philippus erat Eburobicum Comes regio Francorum ſanguine propinquus,
Ludouici Sanctii pronepos. Vaſcones interea, quaſi ſoluti imperio, implacabili odio in Iu-
dęorum fortunas vitamq; graſſati ſunt. Stellę in oppido vis mali incubuit. ad decem Iu-
dæorum millia trucidata, niſi fortaſſe aut numeri ſunt, aut memoria vitiata.

Variæ Regum nuptiæ. CAPVT XX.

ISDEM diebus in Caſtella bellum atrox in Mauros parabatur. veteribus copiis ſupplementum ſcribere: ab ſociis auxilia accerſere: modis omnibus feſtinare. Regis barbari imbecilla ętas, Maurorum inter ſe diſſidia excindendæ gentis occaſionem dabant. Ozminii filius Abrahamus, cui à multo vino Ebrii cognomen fuit, noſtris ſeſe adiunxit. ſequebatur delecta militum manus. Rex Alfonſus Hiſpalim maturare conſtituit. inde in hoſtium fines inuectus grauiſſimas clades intulit. Oluera, Pruna, Aiamontes captæ. æſtate iis rebus perficiendis autumnoq; circumactis, miles præda grauis lætuſq; Hiſpalim in hiberna eſt reductus. Alfonſus Gotifredus maris Præfectus noua & ipſe victoria clarus, ad Regem venit. duas & viginti hoſtium triremes Granatenſes Africanaſq; nauali pugna deuicit. ex eo numero tres captæ, quatuor ſubmerſæ, mille & ducenti Mauri pars cæſi, pars in ſeruitutem abacti. plena omnia gratulatione erant: feſtaque lætitia vrbs nobiliſſima perſonabat. De regiis nuptiis per legatos actum. Ioannes Emanuel Regis voluntatem in eo obſtinatam intelligens, fide per feciales renunciata, cum Regibus Aragonio & Granatenſi fœdere facto ex Chinchilla Almanſaque locorum munitione fretus, regis finibus imminere, latiſſime prędas agere, pręcipuo agreſtium damno. Oſorio amicorum principi abs Rege Hiſpali datum, vt Traſtamarę, Lemoſii, atque Sarrię Comes eſſet. nouum id exemplum fuit, nullis antea in Caſtellæ regno Comitibus. Rudi cæremonia honos delatus. Hiſpania litteraturæ expers moris omnis ignara. Tres offæ in vini poculo oblatæ. cum inter ſe Rex Comeſq; tertio inuitaſſent, vter prior ſumeret, à Rege offa vna ſumpta, à Comite altera. Ius caldariæ in caſtris, in bello vexilli propriis inſignibus diſtincti datum. In eam ſententiam confectis tabulis atq; recitatis, conſecutus aſtantium clamor, plauſuſque, lęta fauſtaq; nouo Comiti ominantium. Is inſtituendi Comites ritus fuit. Cordubæ regiæ ſeueritatis exemplum conſtitutum. Ioanni Pontio, quod Egabri arcem Calatrauæ militibus reſtituere ad regis imperium recuſaſſet malis reipublicæ temporibus occupatam, prætereà homini ſeditioſo caput amputatum idem ſupplicium alii ciues Cordubenſes tulere initæ cum eo ſocietatis, aut rerum aliarum capitalium conuicti. Garſias Laſſus Soriæ ad aras, dum in D. Franciſci ſacris operatur, obtruncatus Regis dolore maximo eſt, à quo fuerat Hiſpali aduerſus Ioannis Emanuelis conatus, paulo ante amandatus. inuidia illi nobilitatis exitio fuit: cuius euertendę conſilia agitare credebatur. Eſcalona modicum in Carpetanis, ipſeq; Toletano agro oppidû tumultuari cœperat, & aduerſus Regis imperium cum factioſis conſpirare. noui motus ex vlteriori Caſtella nunciati. Taurus, Sentica, Valliſoletum concitatæ. auctor ſeditionis Fernandus Balboa Hoſpitalarius Prior, fretus opibus

ſuis,& familiæ iis locis cum primis nobilis copioſæq;. Oſorii Iuzephiq; Iudæi arbitrio cu-
cta agi inuertiq; querebantur. Regemq; duobus hominibus mancipari, quaſi iniecta ca-
minibus væcordia ægre ferebant. ſoluta Rex Eſcalonæ obſidione, vnde maius periculu
imminebat, feſtinauit. Vallisoleti non prius intra mœnia eſt admiſſus, quã Oſorio ex au-
curiaque amandato. Regis imperium quamuis neceſſitate vſurpatum, tantũ inſolenti ho-
mini dolorem inuſſit, vt a Rege plane deficeret: atq; cum Ioãne Emanuele vires iungere,
id illi exitio fuit. Ramirus Guſmanius ſimulata à Rege fuga in amicitiam inſinuatus, in-
cautum obtruncauit. arces theſauriq; ingentes, quo tempore Rempublicam prædæ ha-
buit, congeſti, à Rege occupati. multorum criminũ accuſatus, nulloq; defendente con-
uictus, lege perduellionis damnatur, ſententia ad Tordehumos abs Rege ipſo pronũciata.
is exitus duorum ea tempeſtate magnorum virorum fuit. Iuzephum ignobilitas tutata eſt,
gentiſque contemptus. quod exitio eſſe potuiſſet, ſaluti fuit. Regis nuptiæ ad Mirobri-
gam celebratæ, quę Ciuitas Roderici hodie eſt. Alfonſi Aragonii placandi ab Emanue-
leq; diducendi inter duos Reges Caſtellæ & Luſitanię conſilia communicata. Ex prior
coniugio cælibi Eleonora Regis Caſtellæ ſoror in coniugium oblata. accepit Aragonius
conditionem: rebuſque conſtitutis Turiaſone Regum duorum conuentu, Caſtellæ atque
Aragoniæ nuptiarum celebritas peracta, magna vtriuſq; gentis lætitia plauſuq;, auſpicante
1329 ſalutis anno milleſimo treceteſimo vigeſimo nono: quo ſyncerior amicitia eſſet, multi-
plici affinitate obligata. Blanca Petri Principis filia, eius quem ad Granatam occubuiſſe
dictum eſt, Petro Luſitani Regis filio maiori deſpõſa eſt, Reginæq; Caſtellæ tradita in Lu-
ſitaniam mittenda. Inter tres Reges fœdus aduerſus Mauros ſancitum: ſi gentis impiæ re-
liquias viribus ſociatis delere poſſent. cautum præterea, ne perfugas inter ſe reciperent. in
quo tranquillitatis publicæ ſpes continebatur. Ioannes Emanuel eo fœdere excluſus, ab
Aragonioque deſtitutus, nouis affinitatibus ſe munire ſatagens, ipſe quidem ſecundis nu-
ptiis Blancam duxit, Ferdinandi Cerdæ filiam: Ioanni autem Laræ, Maria Ioannis Cocli-
tis proles cõnubio iuncta eſt, ſpe communibus armis Viſcaiæ principatum puellę dotalem
recuperandi eripiendiq; Caſtellæ Regi. cum quo ſimultates Emanuel Laraque apertius
ſimpliciuſque exercebant: callidius alii & implacabilius, Petrus Caſtrius, Ioannes Albur-
querquius Dionyſii Luſitani Regis ex Ferdinando Sanctio nepos, Ioannes Harus Came-
rorum regulus, factionis princeps. hos magna prouinciæ pars ſequebatur. Noui Vaſco-
num Reges ipſo anno Pompelonem appulſi, conceſſi regni hæreditatem creuere his legi-
bus. Ne intra duodecimum annum nouæ monetæ genus cuderetur. Erat enim pecuniæ
deprauandæ inuectus ea ætate mos prauus incommoduſq;. extatq; de ea re Ioannis Pon-
tificis lex, quæ eſt de crimine falſi vnica per idem tempus promulgata. Ad aulæ obſequia
externi ne admitterentur: idem de arcium præfecturis cautum. Regni vendendi, permu-
tandi, regiive patrimonii alienandi facultas ſublata. Si proles maſcula nata eſſet, cum pri-
mum vigeſimum ætatis annum expleſſet, Vaſconum Regẽ fore, reipublicę moderatorem,
datis Philippo patri centum aureorum millibus. Si nullam ex ſe prolem reliquiſſent, noui
Regis inſtituendi liberam poteſtatem penes tres ordines futuram. Sic Vaſcones leges vt
acciperent dederunt. quibus iureiurando ſancitis in templo eius vrbis maximo Rex &
Regina coronati, inunctiq; ſunt tertio Nonas Martii. lætis fauſtiſq; ominibus, plauſuq; om-
nis ordo, omnis ætas felix fauſtumq; regnum comprecari. viæ flore, fronde, virenteq; her-
ba ſtratæ: aulæis, picturis, tabulis, parietes veſtiti: nullum lætitiæ genus prętermiſſum, qua-
ſi noua rebus luce reddita, publiceq; prouinciæ ſalute reddita, Regibus quaſi poſtliminio
in auguſtas eas ſedes poſt annos quinq; & quinquaginta reſtitutis. Fuerunt hi Reges nu-
meroſa prole felices: Carolum, Philippum, Ludouicum magnis principatibus auctos: Io-
annam, Mariam, Blancam, Agnetem, magnis Principibus conſequenti tempore iunctas
ſuſceperunt. Flandri per idem tempus tumultuantes, Ludouicum Comitem ſuum in car-
cerem coniectum, liberatum poſtea intra Gandauum obſedere. Domo profugi patroci-
nium Rex Galliæ ſuſcepit. miſſis in Flandiam legatis nihil effectum. ventum ad arma.
huic bello tum alii Principes, tum Philippus Rex Vaſconum affuere. Ad Caſſelum oppi-
dum caſtra caſtris collata. menſe Auguſto ardentiſſimo Sole, neglectis cuſtodiis Flandri
in Gallorum caſtra atq; munimenta irrumpentes, regium tentorium inuaſere. priuſquam
arma ſumere & equos conſcendere poſſent, plurimi Francorum obtruncati. Rex proxi-
mus periculo fuit. ſed cum ex alia caſtrorum parte occurſum eſſet, Flandri armorũ pon-
dere, æſtuq; Solis debilitati, oppreſſi, reiectiq;, in fugamq; compulſi ſunt. Sic vtriuſq; Regis
virtute Lud u cus in paternum principatũ reſtitutus eſt: nam cætera poſt victoriam pro-
cliuia fuere. Rex Vaſco rebus patratis in prouinciam rediit, cædibus, latrociniis, ſcelerum
licentia ex priori Regum abſentia infeſtam. De regni ſtatu æquitateque reuocanda actum.

Adh

Adhibitis in conſilium viris principibus, iuriſq; tum communis tũ priuati peritiſſimis, nouæ leges ſancitæ, vnde ius populo diceretur, quibus Noui fori nomen eſt. rebus compoſitis, reique publicæ tranquillitate fundata, noui Reges rediere in Galliam. Species erat Gallo Regi propinquo & neceſſario opem ferendi aduerſus Anglos, regni iura armis repetentes. re patriæ deſiderium incitabat: & præ Galliæ copiis, cultu prædiuite vbertateque Vaſconum regio contemptui erat. Henricus Solibertus homo Gallus, rebus Præfectus: magno multorum dolore obtrectationeq; breuem lętitiam fuiſſe (ô nulla longi temporis felicitas) [illegible] recordantium atque dolentium.

Bellum Mauricum renouatur. CAPVT XXI.

CASTELLAM inteſtini motus vexabant: bellique Maurici inſtaurandi cura ſolicitabat. pecuniæ in ſtipendium redigendæ præcipua difficultas opponebatur. Madriti in regni conuentibus oblata à prouincialibus eo maiori ſtudio eſt, quod per eos dies Prieghum oppidum in vtriuſq; regni finibus à Mauris erat occupatum: ablatumq; Calatrauæ militib. ſine ſanguine, Præfecti tantum perfidia. Inteſtini motus componendi erant. Ioannes Emanuel & ſocii conciliandi Regi. Aragonius ad belli ſocietatem alliciendus. vtrunque præſtitum. Conſtantia Emanuelis filia reddita, eatenus ad repudii ignominiam Tauri retenta ſeruataq;. Iuzephus Iudæus ad rationes regiorum vectigalium compulſus, cũ fidem non ſatis probaſſet (& occaſio euertendi hominis quærebatur, neq; deeſſe poterat) ærarii præfectura abiit: cautumq; ne deinceps externæ religionis homini demandaretur. Almoxarifi vox Arabica odii mitigandi cauſſa, Præfecti theſaurarii appellatione mutata. in ea re vniuerſæ prouinciæ abs Rege gratificatum. Quingentos equites Rex Luſitanus in auxilium miſit. Aragonius & Emanuel alia parte in Maurorum fines irrupturos polliciti. & erat Emanuel Murciæ limiti Præfectus, Petro Aiala vicario. omnibus contractis copiis in Granatenſes fines penetratum abs Rege Caſtellæ eſt. Theba validiſſimum oppidum obſeſſum ſalutis anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo. Ozminius cum ſex equitum millibus abs Rege ſuo datis, Turoni ſe tenuit, duodecim à Theba paſſuum millibus. inde noſtris aſſiduus infeſtuſq; imminebat, preſertim cum ad pabulum ad aquatumve progrediebantur, acie dimicare non auſus. Pruna oppido interim à noſtris capto, conuerſus ad artes equites tria millia ad vicinum flumen mittit: ipſe ex inſidiis noſtrorum caſtra, vbi pugna incaluiſſet, aggredi alia parte conſtituens. Rex Mauri conſilio indicato validam quidem manum aduerſus Mauros præmiſit. armatus ipſe in caſtris ſubſtitit. ſic ars arte deluſa. fugati Mauri: eodemq; impetu ipſorum caſtra, cum nullo pręſidio teneretur, capta direptaq;. Thebæ incolæ ſpe defenſionis abiecta, menſe Auguſto oppidum dedidere, vnam ſalutem pacti. Cagnetum Prieghumq; noſtris continuo ceſſere, aliæ præterea arces: eo maiori Alfonſi laude, quod neq; Aragonius neq; Ioannes Emanuel auxilia communicarant; hic nondum ſatis ſyncera fide: ille Sardiniæ motus à Genuenſibus concitatos excuſans. præterea Luſitani equites in patriam redierunt. Nouæ eç irarum cauſſæ, præſertim aduerſus Emanuelem & ſocios: paciſq; proximo tempore cum Mauris ſanciendæ, annis duodecim aureorum millibus pactis: mutui commercii iure conceſſo, dataq; facultate annonæ è Caſtella exportandæ, eo propenſius, quod Rex Hiſpali, vbi fœdus factum eſt, Eleonoræ Guſmaniæ amoribus indulgere cœperat: prorſus vt iuſtæ propemodum vxoris loco eſſet. Hæc mulier genere, forma, opibus, ingenio, præterea patre Petro Guſmanio, viroq; Ioanne Velaſco paulo ante defuncto ſatis fortunata fuerat: regio pellicatu maiori fama, quam laude. prole fœcunda fuit, filioque tandem Rege felix. Amicitia inter vtranq; gentem ſancita, Ozminius quidem Granatæ deceſſit, Abrahamo & Abuceberto filiis relictis. Rex Maurus eo præſidio deſtitutus, nouaſq; ſpes captare volens, in Africam nauigauit, nouas inde copias, noui atque grauiſſimi belli molem attracturus in Hiſpaniam: vti proximus liber explicabit.

1330

LIBRI QVINTIDECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XVI.

Granatæ Rex tranſmittit in Africam. CAPVT I.

IN parte tertia orbis terrarum Africa eſt, fines habens ab occaſu quidem Oceanum Atlanticum, ab Ortu autem Ægyptum rubrumq; mare, vadoſum importuoſumque: Mediterraneo mari ad Septentriones alluitur. ſævis vtrinque Oceani fluctibus caſtigata, exeſaq; pyramidis latiſſimæ figura in promontorium deſinit, cui a Bona ſpe nomē recenti memoria eſt inditum. Pleræq; gentes legibus, moribus, inſtitutis, ipſo animorum & corporum habitu diſcrepantes ea loca obtinent. interiora Æthiopes incolunt latiſſime fuſi, fuſco omnes colore. ſuccedunt Libyes, dehinc Numidæ Atlantis montis ſummis iugis diſcreti. Secundum noſtri maris littora, qui proprio nomine Afri, Maurive nominantur, extenſi ſunt. ager ea parte bonus frugibus pecorique, arboribus plerunque nudus, raræ cælo pluuiæ, terræque fontes & flumina. Homines ſalubri corpore, laborum patientia durati, velocitate magna. in bello multitudine potius quam vera virtute vincunt. in equite præcipua vis. In ea prouincia Albohacenus ex Merinorum familia nonus Marrocii Rex latiſſimum imperium hac tempeſtate tenebat, omnibus circum Africæ regulis perpetua bellorū felicitate domitis: Hiſpanici imperii ſpei imminens, Chriſtianoque adeo nomini formidabilis, claris maioribus, egregius ipſe, multis animi & corporis bonis. Cum Botexefinio Tremeſenio Rege bellum gerebat, paternas in eo inimicitias perſecutus. id vnum ad vniuerſam prouinciam ſubiugandam deerat: Hiſpaniæq; inuadendæ conatum retardabat. vetera gentis trophæa ad audendū incitabant, Mauricíq; imperii in Hiſpaniam reſtituendi ſtudium accendebat. Ad hunc Mahomad Granatæ Rex nauigare conſtituit, infirmus ipſe viribus, arma tamen ſociare, atq; cum Africa Hiſpaniam committere cupiens. Phuth Mauritaniæ Tingitanæ vrbē nobiliſſimam cum eſſet peruentum, ſplendide à Rege barbaro acceptus atque habitus eſt, deterſa veteri ſimultate: nam Ozminio antea fuerat eiuſq; familiæ infenſus. amore vtrinque & munificentia certatum. Die conſtituta Granatenſis ad barbarum Regem hac ſententia orationem habuit. Bellū in Hiſpania, Rex maxime, vix toleramus, imminutis regni viribus, veteri gentis gloria obſcurata: noſtra an temporum culpa haud facile dixerim. in extremum tamen Bæticæ angulum compacti, omnibus oppreſſi malis, ægra ſpe vitam libertatemque ſuſtentamus. Turpe eſt dicere, ſed dicam tamen. vtinam ſeruire aliqua conditionē liceret, vllaque fides hoſti eſſet, nobis violandis diuinum numen promereri perſuaſo, nullaq; nobiſcum fœdera, quauis ſanctitate vallata, firma fore cogitanti. Corrumpuntur quotannis ſegetes, agriq; incenduntur: oppida, viri, fœminæ, pueri, pecora prædæ ſunt, nullum datur reſpirandi ſpatium. An non emori ſemel præſtat, quam in tantis periculis acerbitateque verſari? Vbi nunc virtus illa maiorum, qua incredibili celeritate Aſia, Africa, Hiſpania laudibus victoriiſque noſtris peragratæ ſunt: diſiunctiſſimæq; nationes virtutis noſtræ admiratione famaq; coniunctæ? Maiorum facta non æmulari turpe eſt: partam vero ab illis dignitatem gloriamq; & imperium tueri non poſſe flagitioſum. In his ærumnis tua nos virtus perpetuaq; felicitas hactenus ſuſtentauit: & nunc prouocauit, vt ſupplex in Africam relicto regno nauigarem. Fuerit mihi pretium eguiſſe externæ amicitiæ. Regium eſt in amore reſpondere a quibus fueris prouocatus: gentis patrocinium ſuſcipere, imbecillium cauſſam tueri, religionis patriæ, vt es, vindicē dici glorioſum, diuiſq; immortalib. par. Subditis omnibus Africæ populis, aut finienda vobis militia eſt, aut in alias gentes transferendum bellum. Magni ſæpe Principes, bello, quam poſt victoriam clariores extitere. quod otium frangat, bella ex bellis ſerendo, opes, gloria, imperiumq; quæritur. Finitimi Hiſpani ſunt, anguſto certe diremptí freto, inter ſe imperiis diuiſi, inteſtinis motibus æſtuantes, ne conſenſu quidē futuro aduerſus externos hoſtes: tibi validiſſimæ legiones, multis exercitæ bellis, in aditu Hiſpaniæ munitiſſimæ arces bello opportunæ. nobis viri, arma, pecunia ſuperſunt. Præda vniuerſa veſtra erit: quem locum reliqueris libens tenebo. victoriæ ſatis magnū fructum arbitrabor, de gente impia atque nefaria vindictā. Ad hæc Rex barbarus, gratum eius aduentum extitiſſe reſpondit: ad belli ſocietatem inuitari iucundum. quoad inter vtranq; gentem amicitia extitiſſet, res proſpere ceſſiſſe: labefactatas diſſidio.

quod-

quod ad traiiciendum inuitaret, ſibi id curæ futurũ. quamprimum belli Africani reliquiæ confectæ eſſent, cum omnibus copiis tranſmiſſurum. Abomelicum filium cum valida equitum manu præmittendum videri. id amicitiæ initæ pignus futurũ. Interea Granatenſes Mauri Roduano & Abucebeto Ducibus in Conteſtanos inuecti, agris illata vaſtitate, Guardamarem (ad Staberi oſtiũ id oppidum eſt in mare proſpiciens, vnde nomen factum) captum direptumq; incendere: capita mille ducenta in captiuitatem abacta. Mahomade in patriam reuerſo, Ioannes Emanuel aliiq; factioſi ad fœdus ineundum attracti ſunt. ſancita amicitia, miniſtro Petro Caluillo vltro citroq; commeante. vſq; adeo fatali diſſidio cunctorum animi occupati erant, nulla religionis memoria, nulla gentis ſuæ miſericordia, in quam bellum grauiſſimum comparari non conſiderabant, modo Regi ſuo ægre facerent, priuataſque vlciſcerentur iniurias.

Abomelicus venit in Hiſpaniam. CAPVT II.

ERAT adhuc in viuis Regina Luſitaniæ Eliſabetha, quamuis in extrema ætate pro communi ſalute publicaq; tranquillitate quencunq; laborem ſubire prompta. Eius accitu Caſtellæ Rex Pacem Auguſtam venit: nullo maiori ex mutuo colloquio fructu, quã quod auia ſanctiſſima fœmina ſalutata, omnibuſq; officiis culta eſt. Diſcedẽti ex ea vrbe Regi ad Burguillos oppidum Alfonſus Cerda, à quo tandiu, tantoq; reipublicæ diſcrimine, de regno certatum erat, improuiſus occurrit cum ætate prudẽtior irrito toties conatu. in genua procumbens Regis dextram deoſculatur: quod gentis more, honori obſequioq; ducitur. gratiſſimum id Regi fuit, Alfonſo ſalutare. in patriam tandem reſtituto, data oppida, vnde vitam ſuſtentaret. Duxerat in Gallia Madelfam, ex regio Gallorum ſanguine nobiliſſimam ex ea Ludouicus Ioanneſq; ſuſcepti. Ludouicus natu maior patrem in Hiſpaniam ſecutus eſt. Ioannes à Rege Galliæ propinquo Engoliſmorum comitatu donatus: deinde etiam equitum Magiſter effectus. inanis vmbra in Hiſpania quidem, & ſine poteſtate appellatio, in Gallia autem ſupremæ ſecundũ regiam in bello auctoritatis nomen. Proceſſit Rex in Carpetanos. peruentum Talaueram. D. Eulaliæ oppidũ medio itinere Toletum verſus, Ioannis Emanuelis ditione tenebatur. cædibus & latrociniis viæ infeſtæ erant, in vicinos agros identidem erumpente ex eo oppido perditorum hominum manu. ii Regis iuſſu comprehenſi, iudicioq; conuicti pœnas capite ſoluerunt. ſimile ſeueritatis exemplum Toleti conſtitutum. inde Madritum, Segobiam, Valliſoletum itum eſt. In eo municipio ex Eleonora pellice filius Regi natus, cui Petro nomen, Aquilaria Cãpeſtris principatus fuit. Ærarii ſupplendi cura, monetæ genus inſtitutum, quã Coronatos dixere, non probæ, neq; ſano conſilio. aucta annona eſt, magno populi damno itaque. nam ære adulterato commercia ſublata ſunt. Burgos ex ea Cantabriæ parte, cui Alauæ nomen eſt, legati ad Regem venerunt, eius regionis principatum offerentes, liberę eatenus, ſuoq; iure viuere ſolitæ: Victoria & Treuigno exceptis, quæ iam oppida regio Caſtellæ imperio parebant. Ariagæ in planicie, vbi veteri inſtituto conuentus gentis erant, Regi præſenti is principatus defertur: atq; libertas per tot ætates inuiolata illius primum fidei ditioniq; vltro permiſſa eſt. datum expetentibus, vt Calagurris legibus viuerent. antiqua gentis priuilegia cõſeruata, in omni actione omnique vitæ parte conditio proxima libertati. noua vectigalia imperandi facultas ablata. extant de tota pactione Alfonſi Regis litteræ, Victoriæ datæ, quarto Nonas Aprilis ſalutis anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſecundo. In ea vrbe noua militia à Rege 1332
excogitata inuectaque Bandæ nomine. Banda vulgari Hiſpanorum lingua Tænia eſt: quam noui milites rubro colore quatuor latam digitos à dextro humero ſub ſiniſtro brachio corpori circunducebant, honoris inſigne. ingenui tantum, & qui decem minimum annis in caſtris aulaque verſati eſſent, ad eum ordinem allecti: nobilium modo filiis maioribus excluſis. Rex ipſe vniuerſæ ſocietatis Magiſter inſtitutus. eo honore iuuenes nobiliſſimi ad res maximas capeſſendas perficiendaſque inflammati. qui longo tempore in magno pretio habitus, conſequentium Regum ignauia, rerumque humanarum inconſtantia in deſuetudinem abiit, vt ne veſtigium quidem extet. Compoſtellæ Rex, quo religionis cauſſa conceſſit, balteo militari donatus, Burgis inunctus, regium inſigne deſumpſit ipſe, Reginaque, in vtraque vrbe Ioanne Limia Præſule Compoſtellano ſacris de more operante. Regina inuncta non eſt. pudori id datum, & quoniam vterum ferebat. Affuere Præſules magno numero: viriq; principes non pauci abs Rege militiæ honore donati, tecti corpus ferro omni ex parte: quod lege in poſterum nouis militibus creandis ſancitum, more gentis confirmatum deinde eſt. Publicam ex his rebus lætitiam duæ res incommodæ exceperunt. de Blanca, quæ Petro Luſitanæ iuuentutis Principi pacta

erat, dimittenda conſilia agitata: ſubſtituendaq; in eius locū Conſtantia Emanuelis filia. vtrunq; Caſtellæ Regi graue accidit. Blanca valetudinaria erat, neq; gignendis liberis apta. Balboa prior Hoſpitalarius, Reginę cui intim⁹ erat, vt dolorē ex viri pellicatu vlciſceretur, eius cōſilii præcipuus auctor extitit. & erant Regi per idem tempus ex Regina quidē Ferdinandus in ſpem regni ſi vita ſuppeditaſſet, ex pellice autē Sanctius, cui Ledeſmia oppidum datū eſt, vno tēpore Valliſoleti nati. Præterea Abomelicus Regis Marrocii filius, vti cum Granatenſi conuenerat. traiecto freto Algezirā venit, ſeq; eius vrbis & Arundæ Regem dixit. ſequebantur ex Africa equites ſeptē millia, totius Hiſpaniæ imperiū inuadendi cupiditate ſpeq;. Heraclea circumſeſſa, menſe Februario ineunte anno milleſimo trecen-
1333 teſimo trigeſimo tertio. vineis, turribus & machinis omnium generum impugnata. Rex factioſorum motibus componendis in Vlteriori Caſtella diſtrictus, Gotifredum Tenorium claſſis præfectū mari, ſacros militum Magiſtros, vt terra opē ferrēt obſeſſis præmiſit. impar hoſtiū viribus manus. annonæ penuria in vrbe erat Præfecti culpa, cui Vaſco Pereſio nomen fuit. nam militiam quæſtui habens, neq; ſe milite, neq; cōmeatu ſat's inſtruxerat. Granatæ Rex alia parte in Cordubēſes agros inuectus, latiſſimas populationes facit. Egabrum captū. arx diruta. incolæ in ſeruitutē abacti. Præfecti pſidia cladis accepta, Mauros vltro in oppidū & arcē vocātis. Heraclea omnib. feſſa malis, ſpeq; defenſionis abiecta mēſe Iunio hoſti dedita, militū incolarūq; incolumitate pacta. Vaſcus præfectus ex flagitii conſcietiā regis iram, populi inuidiā veritus in Africā nauigauit. in vniuerſa Hiſpania magnus in præſenti luctus, maior in futurū metus fuit, ea olim parte vniuerſæ Hiſpaniæ exitium vaſtitatem illatam à Mauris recordantium. Caſtellæ Rex factioſis in ſpeciem pacatis, magniſq; tota prouincia delectibus iuſto exercitu comparato, adulta æſtate Hiſpalim venit. Serum rebus perditis auxiliū. ad Cæſarianum deditæ vrbis triſtiſſimū nuncium accepit. ſpe tamē priuſquā à Mauris muniretur, recuperari poſſe, eo maturare contēdit. Affuit Iacobus Exerica cum Aragoniorū manu. pro vrbe vario euentu pugnatum. leuia prælia erant: nam vniuerſis copiis dimicare, pars vtraque recuſabat: Abomelicus neque ſocors victoria neque inſolens factus: Rex in propoſito perſtans Heracleæ recuperandæ. Rei frumentariæ inopia in regiis caſtris laborari cœptum grauiſſima. mari ſemel & iterum commeatus affatim aduectus breui à multitudine abſumebatur: prorſus vt multi deſerentes caſtra in Abomelici manus inciderent, vicinis locis tendentis, atque ad omnes occaſiones inuigilantis: tanta apud hoſtes captiuorum multitudine, vt ſingula capita aureo numo veniſſe feratur, graue Chriſtiani nominis dedecus. Hoſtes Granatenſis Regis aduentu, noſtrorum imminuto numero, fractiſq; viribus, animis confirmati, omnibus copiis pugnare conſtituunt. ter Mauri in aciem producti. Caſtellæ Regi cauta potius conſilia cū ratione, quā proſpera ex caſu placere. prudentiorib. Heraclea pro qua re venerant capta, cætera fore prona videbatur. Itaq; in conſilio detrectandi certaminis perſtitū: perpetuoq; vallo ad irruptiones prohibendas caſtra noſtrorum incluſa: quod à mari ductum ſinu quodam flexuq; pro locorum conditione curuatum, rurſus altero cornu ad aliud littus pertinebat. ex vtraq; re hoſtes metum interpretati, victoriæ ſpei ardentius imminebant. Emanuel interim, Ioannes Lara & ſocii cum Aragonio Rege ſancito fœdere regios fines omni iniuria deformabant. Acceſſerat Ioānes Harus Camerorū regulus, opibus & ditionē præpotens. vnde auxilium eſſe debuit, inde exitium exiſtere grauiſſimum Regi fuit. Itaq; cum Mauris expetentibus induciæ quadriennes pactæ: vectigali retento, quod Granatenſes pendere conſueuerant, Heraclea relicta, non abſq; maieſtatis ſugillatione. ſed Rex periculo prudens honeſtiſſima ea conſilia iudicabat, quæ tempori eſſent & rebus accommodata maxime. vulgi ſermonibus opinionique ſeruire turpiſſimum.

Quorundam Principum obitus. CAPVT III.

FOEDERE ſancito Caſtellæ & Granatæ Reges inter ſe collocuti, mutuæ beneuolentiæ argumento ſingulari, eidem menſæ accubuerunt. donis & munificentia vtrinque certatum victus Maurus, vnde illi exitium. Caſtellæ Rex Hiſpalim abiit, quamquam inter aduerſa integra virtutis fama. Abomelicus Algeziram, Rex Granatæ Malacam feſtinabat, eius vrbis inuiſendæ cupidus: cum Ozminii filii, qui rebus omnibus interfuerant, in eius necem conſpirarunt, hominem deteſtati, qui Chriſtianorum conuictu ſe, gentem, religionemque fœdarat. Forte veſtem geſtabat à Caſtellæ Rege dono acceptam. id iracundiam accendit; maioremque occaſionem calumniæ præbuit. Sequebatur Regem Maurus quidam Alhamatus nomine, ex priori Granatæ Regum ſanguine, nobilis mag's, quam clarus. hunc Ozminii filii aggrediuntur. hortantur, vt intercepti iniuria regni pœnas petat, violatam religionem vindicet. fraude compoſita incautus Rex ferro

ferro obtruncatur Auguſti die vigeſimo quinto. Roduanus antea Granatenſis Prætor, & tunc præcipua auctoritate aberat, neque ſæuæ coniurationis particeps fuit. Iuzephũ is occiſi fratrem cognomento Bulhagixum Granatæ regno præficiendum curauit, ſui beneficii regnum facere ſatagens, quod ſuperbum contumelioſumq; erat: eo amplius, quod Ferrachenus maior natu occiſi frater prætermittebatur. ſic res Mauricæ turbatæ erant. Ad nouum Regem Aquilarii fratres Gonſaluus & Ferdinandus Montillæ & Aquilariæ reguli, in Bætica præpotentes, à Rege ſuo auerſi, qua cauſſa incertum, ſed alienato tamen animo ſeſe receperunt. de finitimis prædę actæ. in quo induciæ nuper pactæ violatæ erant. Caſtellæ Rex diutius opinione voluntateq; Hiſpali reſtitit, quorſum ii motus euaderent expectans. longius proceſſiſſet malum, ni Abomelicus in Africam reuocatus eſſet à patre Tremeſenio bello auxiliũ. eo diſceſſum maturãte, de inſtaurando cũ nouo Granatæ Rege fœdere actũ. initio anni milleſimi trecenteſimi trigeſimi quarti induciæ quadriennes rurſus pactæ ſunt, remiſſo Granatenſib. annuo vectigali. tãta erat cupiditas factioſos vindicãdi. Quo tẽpore 1334
gemina proles ex Eleonora Guſmania vnico partu Regi ſuſcepta eſt Hẽricus, Fridericuſq;. Prius ſe hyems circumegit, quã mouere ex Bætica poſſet. in Carpetanos ineunte vere itum eſt: inde Segobiã, Valliſoletumq;. bello petiti coniurati proceres, irruptionib. tumultibuſq; idonei, bello iuſto impares. in Laræ ditionem impetu facto pleraq; oppida abs Rege capta: Ventoſa, Buſtũ, Ferraria, Viſcaiæ tractus nondũ ſatis domitus in fidẽ acceptus. In conuentu gentis de more ſub annoſa Guernicæ arbore habito, in Regis, qui aderat, verba iuratũ. aliquot tantũ arces locorum natura, magis quã re alia fretæ in Laræ fide perſtiterunt. Ioãnes Harus ad Agoncillũ ſuæ ditionis oppidum Regis iuſſu obtrũcatur. ditio vniuerſa perduellionis lege occupata. Cameri oppidum, occiſis fratrib. Aluaro & Alfonſo relictũ, ne nobiliſſimi principatus & familiæ nomẽ penitus interiret. Iſcaris arcis Præfectus cũ loci munitione confiſus Regi portas clauſiſſet, cõprehenſus capite pœnas ſoluit: grauiq; in poſterum documento ſancitũ, nulla ſacramenti religione iniuriam regib. illatam à ſubditis excuſari. Iiſdẽ dieb. Regi Caſtellæ ex Regina quidẽ Burgis filius natus eſt menſe Auguſto extremo, cui Petro nomen fuit: (hunc extincto Ferdinando fratre, acerba Caſtellę fata Regem fore deſtinabant) ex Eleonora autem nouo partu Ferdinandus alter natus eſt. In Aragonia duo regii fratres continuatis funerib. elati: Iacobus Monteſiæ miles Tarracone, vbi ſe antea regni hæreditate abdicarat: Ioannes Tarraconẽſis Præſul Poui (id oppido nomen eſt) in Cæſarauguſto agro. Succeſſit Arnaldus Gaſcones Ilerda Tarraconem tranſlatus. Rex Aragonius integra quãuis ætate, perpetua valetudine, ex quo nouis ſe nuptiis implicarat fractus non militarib. ſolum, ſed etiam ciuilib. munerib. abſceſſerat, rerum ſumma Petro filiorum maximo demandata. Eleonora Regis potens importunis precibus Ferdinando & Ioanni, quos filios ipſa genuerat, Dertuſam, Orihuelam, Albarracinum, Saguntum, alia oppida & vrbes donari à patre impetrarat. in quo Petri Principis iniuria continebatur, regni nõ maximi opib. imminutis: religionis ignominia, qua ſe ſuperiorib. annis Darocæ obſtrinxerat, lege in perpetuum lata, ne quidquã de regia ditione diminueretur. Regem parũ valere animo, Reginæ artib. blanditiiſq; circumueniri prouinciales accuſabant. inde priuignũ inter & nouercam implacabile odium, regniq; motus graues. Regina vt ſe muniret fratrem Caſtellæ Regem ad mutuum colloquium inuitabat. Id Regis Caſtellæ & ſororis Reginæ colloquium ad Atetam Calataiubæ in agro oppidum fuit. in eo oppido fœdus ſancitũ, Regem ſorori non defuturum: Iacobus Exerica & Petrus eius frater, qui Reginæ partes ſequebantur, in fide officioque confirmati.

Vaſconum & Luſitaniæ motus. CAPVT IIII.

ANno proximo ineunte, qui eius ſeculi quintus & trigeſimus fuit Ioãnes Emanuel Ha- 1335
ri caſu territus, Laræq; exemplo inuitatus, Regi conciliatus eſt. tantis rebus breui tempore patratis, diuturnæ tranquillitatis ſpe, ex longo interuallo reuocata, ingẽs tota prouincia gratulatio fuit. ludi ſpectaculaq; per vrbes & oppida cõmiſſa. Valliſoleti ludicrũ militare inſtitutũ. Bandæ milites aduerſus reliquã nobilitatem ex prouocatione pugnarunt. Rex quo maior libertas eſſet, diſſimulato habitu pugnæ interfuit. ictus maximi frequenteſque, ſed innocui. nonnulli tantum ex equis in terrã excuſſi. dubia pugnæ palma, certamen diremptũ. Res humanę fluxę & mutabiles, breui in aduerſa mutantur. publica lętitia nouorũ motuũ nuncio obſcurata. Rex Luſitanus in propoſito Blancæ dimittendæ, Conſtantiæ in eius locũ ſubrogãdæ perſiſtebat, ferro niſi impetratũ eſſet, vindicare certꝰ. Aragonii filiorũ natu maximo Maria Vaſconũ regis filia pacta eſt, quãuis minor natu ſorori Ioanæ, in regni ſucceſſione prælata, ſi ꝓles maſcula patri deeſſet. fœderis conciliãdi auctor Hẽricus ꝓ rege Vaſconũ præfectus. vtrũq; Caſtellæ regi graue ingratũq; extitit: & aduersꝰ eius potentiã ea

fœdera comparari videbantur. ſane Petrus Aragonius nouercæ odiũ vlciſci cupiens, cum Vaſconibus armorum ſocietatem conſtituit. Fiteri cœnobium, quod in Caſtellæ ditione erat, improuiſi occupant. iure feciali res à Vaſconibus repetitæ. ad Aragonium Regẽ iniurias expoſtulatum miſſi legati. excuſat ille valetudinem: filiiq; conatibus ſe imparẽ fore ait. ad arma neceſſario ventum. Valida militum manus aduerſus Vaſcones miſſa, ductore Martino Portocarrerio: cum Ioãnes Lara id officium præſtare, à Rege inuitatus excuſaſſet. Ad Tudelam collata ſigna. atrox pugna fuit. victi tandem Vaſcones cæſiq; multi in Iberum præcipitarunt. eam cladem accepiſſe creditum eſt, quoniam defecti Duce non ſecus ac corpus capite, Vaſcones Aragoniiq; pugnam inuaſerant. nã Henricus Præfectus Tudelæ ſe tenuit, periculum veritus, an publicæ ſalutis reſpectu, quæ in eius capite verſabatur. Michael Sapata Aragonius Fitero muniendo occupatus, quod in illud oppidum primum belli impetum fore exiſtimabant, ſub prælii finem è vicinis collib. ſe ſuoſq; oſtentauit. nouum certamen fuit. Aragonii recentes aliquandiu ſuſtentarunt. victi tamẽ verſiq; in fugam ſunt. Dux ipſe captus. minor opinione cædes, hoſtib. continenti totius diei labore feſſis: noctiſq; beneficio inter ſe non cognoſcebant, cum victi æque ac victores ob linguæ communionem Caſtellam ingeminarent. eo aſtu multi ſeruati. Cantabri alia parte Duce Lupo Laſcano, Pompelonis finibus euaſtatis, Vnſam arcẽ locis finitimam occuparunt. his cladibus Vaſconum audacia repreſſa, temeritas caſtigata. Quarum vno tempore in Hiſpania Galliaq; fama vulgata, Regẽ Caſtellæ Palẽtiæ eo tempore ex febri quartana laborantem, gentis commiſeratione perculit, vt Portocarrerio mandaret ab armis vt diſcederet, iniuriaq; abſtineret. ſatis pœnarum datum, ſiue inuita militia fuiſſet, ſiue voluntaria. ſic copiæ ex iis locis deductæ. Petri infantis vexillum relatum: quod præferri placuerat, ne viri nobiliſſimi eam militiam detrectarẽt, quaſi Regis filio præſente. Gaſtonem autem Fuxenſem Comitem ea fama ad opem ferendam reb. profligatis attraxit. vetuſta inter vtranq; gentem amicitiæ iura, & regionum vicinitas inuitabat. Eius aduentu Lugrunium lautiſſimum iis locis municipiũ inuaditur. ex vicinis oppidis multi, vt in repentino periculo arma corripiũt: adiunctiq; Lugrunii ciuib. tranſmiſſo Ibero hoſti occurrũt. pugnatur acriter. vicere Vaſcones. victi ſeſe in oppidum retulere, mœnib. bellum defendere parati. pro ponte Gaona copiarum Dux Lugrunii ciuis memorabili audacia, tribus ſociis adiunctis, aciem hoſtiũ ſuſtentauit, ne ſuis immixti portas irrumperent. cecidit ipſe in conflictu, tres alii ſeruati, ſalutẽ reb. attulere. Vaſcones expugnatione oppidi deſperatã retro abierunt. accidit vt Ioannes Remenſis Archiepiſcopus, religionis ergo Cõpoſtellam petens ea iter haberet, vir ſanctus præcipuaq; apud vtranq; gentẽ auctoritate. eo agẽte atq; arbitro concordia inita ab armis diſceſſum. tantum in vno homine præſidiũ ſæpe eſt. Eodem tempore à trib. Regib. Albohaceno, Philippo Gallo, Eduardo Anglo, legationes honeſtiſſimæ ad Regem Caſtellæ venerunt: pro eo quod in magna gloria apud vicinas nationes erat. ex Africa ſplendida munera allata. vt induciæ ratæ eſſent poſtulatum. ab Anglo præterea filia Petro infanti ſponſa deſtinabatur: quod vnum à Rege excuſatum ob teneram & fluxam infantis ætatem: de qua certi quidquã ſtatui foret temerariũ. Salutis anno

1335 milleſimo trecẽteſimo trigeſimo quinto hęc in Caſtella gerebantur. quo anno in proximũ euoluto, Alfonſus Aragonię rex Barcinone obiit, Ianuarii vigeſimo quarto die iuſtus, pius, moderatus, vnde illi Benigni cognomen factũ: patris imperio felicior, quam ſuo. diuturna valetudo obſtitit: alioqui neq; virtutem neq; induſtriam defuiſſe, res in minori ætate proſpere geſtæ ſatis indicant. Iacobo ex priori coniugio minori filio Vrgeliæ principatus relictus eſt. Petrum regni hæredem Eleonora Regina verita, ne ipſam filioſq; ob memoriam prioris ſimultatis violaret, magnis itinerib. Albarracinũ abiit: vrbis munitione, & Caſtellæ quæ finitima erat, virib. freta, bellum ſi inferretur defendi poſſe. Exericæ reguli Iacobus & Petrus rerũ ſuarum cura, officium erga Reginã antiquius exiſtimãtes, abeuntis iter proſecuti ſunt. Iis diebus noua è Luſitania belli tẽpeſtas exorta. Lara & Emanuel haud ſynceris animis ita Regi conciliati eſſe videbantur, vt facile appareret facultatẽ magis deeſſe, quam voluntatẽ rebellandi: neq; diutius in officio, quã neceſſe eſſet perſtituros. Luſitani cõiugii dilata ſpes Emanuelem ſollicitabat. Rege inſcio nolenteq; illud perficere verebatur, ne dotalem principatum interciperet in Caſtellæ finib. ampliſſimũ. Caſtrius, Alburquerquiuſq; à Regis fide abducti. Luſitanus vt arma Caſtellæ inferret ſollicitatus. tantæ molitiones occultæ eſſe non poterant. denuo à Rege in Larę ditionem impetus factus. oppida arceſq; captæ. ipſe intra Lermam municipium circumſeſſus XVIII. Kal. Iulii, vineis, turribus, & machinis omnium generũ dies nocteſq; impugnatur. nunc vi, nũc dolo, præmiis atq; formidine oppidani tẽtantur, ſi Laram tradidiſſent, liberos donatóſq; in Regis amicitiã venturos. ſi morarentur ſpẽ, omnib. malis mulctatũ iri. neq; vi neq; volũtate quidquã facturi, eximia

erga

erga Laram fide, lociq; firmitate perſtiterũt. foſſa, formaceiſq; parietib. oppidum circundatũ eſt. vicinis agris illata vaſtitas. variæ manus diductæ vicina oppida circunſeſſum. obſidio ducebatur, obſeſſiq; annonæ difficultate, non ſatis prouiſæ cœperant laborare. In Ioanne Emanuele parũ præſidii erat, tametſi virtutis oſtentandæ opitulandiq; ſtudio ad Pennaſielem ſuæ ditionis oppidum prope ſitum, occultus aduenerat. parum abfuit, quo minus Regis aduentu opprimeretur. velox fuga ſaluti fuit. Alburquerquius mutata voluntate ſeſe ad Regem contulerat. Rex Luſitaniæ, vt Lermæ obſidio ſolueretur, per legatos poſtularat. inique Regẽ facere, qui eximia fide hominem, ſibi amicum bello exagitãdum ſumpſiſſet. cum nihil eſſet impetratum, collectis ſuorum copiis in Caſtellæ fines inuehitur. Pax Auguſta obſeſſa, magnaq; diligentia impugnata. Alfonſo Soſa Duce manus militaris prædatum miſſa, occurſũ prouincialiũ, qui ſe mutuis cohortationib. ad defendẽdam patriam concitarant, ad Villam nouam qua cæſa, qua in fugam verſa eſt. reliquis Luſitanis documentum datum, importunos conatus haud impune fore. Rex cautior, maioriſq; mali metu, ſi ventum ad manus eſſet, ſeſe cum omnib. copiis in Luſitaniam retulit. ſic mẽſe Nouembri extremo, Lerma externa ope deſtituta, diuturnæq; obſidionis malis oppreſſa, deditionem fecit. Ioannes Lara in gratiam receptus: & vnde exitiũ metuebat, inde pręmium ſceleris adeptus eſt, dotali etiam Viſcaiæ principatu reddito. oppidum mœniũ corona nudatum. rebellionis ſupplicium, ſublata denuo tumultuandi facultas fuit. Hoc anno Marrocius Rex æmulo victo, occiſoq;, Tremeſenii regno auctus eſt: vnde Mauris nouæ ſpes, noſtris impendentis mali metus, maioriſq; ex Africa belli cura.

Induciæ Luſitanis conceſſæ. CAPVT V.

MVLTA Caſtellæ Rex blandimenta factioſis procerib. dabat: ſi aut in officio retineri, aut ad ſaniora conſilia reuocari poſſent, turbidi homines ingenio, callidi, fraudulẽti. Valliſoleti vbi Chriſti Dei natalem diem peregit, principio anni milleſimi trecẽteſimi tri- 1337
geſimi ſeptimi Ioannes Lara aquiliferi regii, honore auctus honeſtatuſq; eſt. beneficiis maleficia vlciſci: benignitate cum offenſa certare erat propoſitum. Iis artib. & Ioannæ Principis opera (quæ Laræ mater fuit) Ioannes Emanuel delictorum illi gratia facta, Regi cõciliatur, vafro ingenio homo prauoq;, ancipiti fide: qui duos Reges Aragoniæ Caſtellæq; fœderis amicitiæq; ſimulatione diſtineret, vt vno alienato ſcilicet, apud alterũ receptus eſſet. Et erant Aragonium inter & Eleonoram nouercam integræ ſimultates. actum de cõcordia per legatos. ſpecioſa verba ab Aragonio data ſunt, nihil præterea. Caſtellæ Rex ſororis inuitatu Aillonẽ oppidũ ad vtriuſq; regni fines abiit. Regina priuigni iniurias & immanitatẽ conqueſta, vt ſe, filios, & proceres, qui eius partes ſequebantur, ſuſciperet in clientelã, additis lacrymis poſtulabat. Rex ancipiti cura ſuſpenſus, ſorori non opitulari inhumanũ iudicabat: Luſitani regis iniurias oppido cupiebat vlciſci. Ergo in Aragonios fines inuadẽdi cura Diegho Haro demãdata, Soriæ, Molinę, Conchæ, aliorumq; oppidorũ viribus & copiis ad Regis edictũ adiunctis, Eleonora Regina per Burgos, Valliſoletumq; Madritũ abiit, ibi regis aduentũ ſuſtentatura, belli tunc Luſitani ſtudio incenſi, magniſq; delectib. numeroſas copias Pacẽ Auguſtã euocantis, vnde belli initiũ erat futurum. Quo tempore ex Eleonora pellice, noua ei proles nata eſt, cui Tellio nomen. Luſitanum offendebat maxime reginam ſororem contẽptui eſſe: de eaq; repudianda actum fuiſſe, non ferenda contumelia videbatur. Pace Auguſta in Luſitaniam magna vi irrumpitur. latæ populationes factæ. cuncta agi, ferriq;, nulliq; omnino iniurię parcere. Rex ad Oliuentiã febri propter anni tẽpus tentatur. Pace Auguſta propter cæli grauitatem, mẽſe Iunio Hiſpalim cura valetudinis abiit. Iiſdem dieb. à Gotifredo maris pro Rege Caſtellæ præfecto, Luſitaniæ littora vaſtata: mox cũ hoſtium claſſe cui Pecanus Genuẽſis pręerat, non procul Oliſipone pugnatũ. atrox dimicatio fuit, ancepſq; belli mars. geminæ Gotifredi triremes initio captæ ſunt. Id damnum, capta prætoria Luſitaniæ, deiectoq; regio vexillo compẽſatũ. Ex ea re incuſſa formidine, hoſtes vndiq; victi fuſiq; ſunt. tetrũ ſpectaculũ, patenti mari ſequi, fugere, occidi, capi: omnia qua viſus erat cõſtrata telis. infecta ſanguine. octo triremes captæ, ſex ſubmerſæ. Præfectus ipſe Pecanus cum Carolo filio venit in poteſtatem. clara in paucis ea tempeſtate victoria: prorſus vt Gotifredus Hiſpalim cũ claſſe veniens, triumphi ſpecie, Rege obuiã progreſſo iniret. Honos virtuti habitus, ad maiora animos accendit. Affuere Remenſis Præſul à Rege Galliæ legatus: Magiſter Hoſpitalarius Benedicti XI. Pontificis Romani, qui Ioanni ante tres annos ſucceſſerat, orator de pace. maximo quãuis ab vtroq; conatu adhibito, Regib. conciliandis, impetrari tamen non potuit, quin Caſtellæ Rex valetudine confirmata rurſus in Luſitaniã populabundus irrumperet, ea parte vbi Turdetani veteres erant, nunc Algarbii,

præcipuo damno prouincialium doloreq; atq; in ſuum Regem odio: qui magnis conatib. nihil aliud præſtitiſſe videbatur, quam vt Caſtellæ vires irritaret: ſi imbecillitatis cōſcientia, quorſum arma mota? ſi fiducia cur prouocatus certamē detrectaret: Calæcoſq; diſiunctiſſimis locis inuaderet, Saluaterræ agris igne ferroq; vaſtatis? Ergo Caſtellæ Rex præcipiti autumno, nulla iuſta hoſtiū manu Hiſpalim ſeſe retulit. ſequebatur Egidius Carrillius Calatrauæ Archidiaconus, q sacerdotium in templo Toletano eſt, vir ſpectata magnis reb. prudentia probitateq;. Is Semeno Luna defuncto in eius locū ſuffectus eſt Toletanus Præſul, ſumma Regis contentione: nā collegii voluntates in Vaſcum Decanum propenſæ erant. De Egidii virtutib. ſilere, quam pauca dicere præſtat. Concha patria fuit. parentes Garſias Albornocius, Theraſia Luna, clari fama, atq; nobilitate præſtantes. Ingeniū illuſtre iuriſprudentiæ ſtudiis dedit: non vt otio marceret, ſed vt paratior ad Rempub. accederet. Ætate confirmata regiis conſiliis adhibitus eſt: nunc Toletana ſacra regenda ſuſcepit. Deinde Cardinalis creatus, eximiam operam nauauit Pontificib. Romanis exactis tyrānis: qui eccleſiæ Romanæ ditionem armis in Italia occuparant. in omni ætate cunctis vitæ officiis æquabilis, recti tenax, opum contemptor, conſtans aduerſus metus: bello an pace melior fuerit in incerto eſt. omnes certe litterati æternum laudent, neceſſe eſt: qui collegio Bononiæ in Gallia Ciſalpina inſtituto, ſacrificos, quatuor collegas triginta annuis reditib. litterarum cauſſa perpetuo alit, omnes natione Hiſpanos. vnde velut ex arce ſapiētiæ multi prodierunt, litteris & eruditione præſtantes: doctrinæq; ſplendor in Hiſpaniam eſt reuocatus: exemplumq; conſtitutum, quod extruendis id genus collegiis, alii imitarentur, pari ſtudio facultateq;. Ipſo anno, ſeptimo Kalend. Iulii (Fazellus priori anno Calendis Iulii dicit) Fridericus Siciliæ Rex obiit, annis grauis, bello tandiu ſuſtentato clariſſimus. Catanæ ad D. Agathæ cippus eius cum ſtatua monſtratur, & inſcriptione hac.

Sicaniæ populi mærent. cæleſtia gaudent
Numina. terra gemit. Rex Fridericus obit.

Petrus filius ſucceſſit in regno. Guillelmo ætate proximo Athenæ & Neopatria legatæ. Ioanni alia. filiæ, quas quatuor reliquit, regni ſucceſſione excluſæ, lege haud futura ſtabili, neq; priorib. exemplis conſentanea. Remenſis Præſul in Hiſpania, & Magiſter Hoſpitalarius vltro citroq; commeando Reges de pace ineunda appellare non deſiſtebant. regna diſcordia interire, valere concordia. nouum & grauiſſimū bellum ex Africa imminere. metum ſæpe externum diſſidentes voluntates pacaſſe. victis & victorib. vnum in pace præſidium. His vocibus Caſtellæ Rex aduerſus, flecti videbatur, Luſitanus pacis cupiditate vehementius accenſus, conſtitutum vt Emeritam Caſtellæ Rex accederet, de conditionibus fœderis diſceptaturus. In ea vrbe annuæ induciæ pactæ principio anni M.CCC. trigeſimi
1338 octaui. pacis conciliandæ facultas non fuit.

Abomelicus occiſus. CAPVT VI.

DE Albohaceni Regis apparatu maiora vero, vt fit, in Hiſpania nunciabantur. Maurici nominis robur concitari: omnes Africæ prouincias vires conferre: cum filiis, vxoribus, & re familiari migrare, quaſi coloniis vniuerſam Hiſpaniā occupaturi. neq; arceri trāſitu, neq; ſuperari armis poſſe præ multitudine. In Valentina littora primū fore impetum fama vulgabat. Ex his reb. magna noſtros ſolicitudo formidoq; inceſſerat, Aragonios maxima. arma, equos, commeatum conferre: omnia circum ſtrepere belli apparatu. de ineunda concordia cogitari cœptum. ſociatis virib. victoriæ ſpem eſſe, in diſcordia certū exitium. Anglici legati ſui Regis verbis pacē, fœduſq; expetentes ancipiti reſponſo ab Aragonio ſuſpenſi: mutuā amicitiam fore & fuiſſe ſemper antiquiſſimam, ſi priora cum aliis gentib. fœdera ſeruare concedatur. de Mariæ & Regis nuptiis agebatur, eatenus propter imbecillam viroq; immaturam ætatem Tudelæ retentæ. Iulii XXV. die Alauonæ, magna vtriuſq; gentis lætitia, celebratæ ſunt. auſpex antiſteſq; Philippus, puellę patruus Cabillonenſis Epiſcopus. Ad Pont. Rom. miſſa legatione poſtulatum, vt ad Hiſpaniā oculos cōuerteret, ad aliquamq; ſuę prouidentię partem imminens nomini Chriſtiano diſcrimen pertinere iudicaret. Decumę ſacerdorum, quę Aragoniis Regib. ſubſidium belli ſacri erant cōceſſę, ad iuſtum recentemq; valorem expendi mandaret: alioqui veteri ęſtimatione retenta, parum ſubſidii futurum. Hęc Aragonius. Caſtellę Rex Burgis, quo Emerita abierat, in gentis concilio leges ſumptuarias ſciuit, veteri frugalitate in mores reuocanda: qui nimiū in leuitatem incubuerant in victu, cultuq;. Gotifredo Tenorio freti inſidendi barbaroſq; Hiſpanię aditu prohibēdi cura impoſita. Eleonorę ſororis precib. Concham abiit. affuere Emanuel & Lara, gratia penitus cum Rege reconciliata. eodem Petrus Aſagra appulit ab Ara-

gonio

gonio legatus de pace, de fœdereq; aduerſus Mauros, tertia claſſis parte Mauris arcendis oblata. Conditionē Rex accipere reſpondit: foreq; Aragonii amicitiā tunc gratā, ſi Eleonorę ſorori eſſet ſatisfactum. Darocæ in Aragoniis conuentib. de tota controuerſia diſceptatur. delecti arbitri, Petrus Aragonii patruus, Ioannes Emanuel ea cauſſa à Rege Caſtellę legatus. Conuenit vt Exericæ regulo venia daretur: Reginæ & filiis integra eſſent, quæ ab Alfonſo patre donata erant. Petrus Luna Cæſarauguſtæ Pręſul cōcordię aduerſus aberat à Pont. Rom. ad dicendā cauſſam vocatus. id fœderi ſanciendo commodũ accidit. Quo Madriti cōprobato, Eleonora & filii in Aragoniā redeũtes, benigne accepti ſunt, cultu propemodum regio. ſeruire tempori tum priuati, tũ magni Principes ſolent: altaq; diſſimulatione vti Rep. gubernanda. Remenſis Præſul, Magiſterq; Hoſpitalarius adiuncto Bracarēſi Epiſcopo, de pace è Luſitania legati, repulſi in pręſentia ſunt, iniquaq; petere iudicatum. ac illud maxime diſplicebat, quod Conſtantiam Emanuelis filiam Petro Luſitanę iuuentutis Principi deſponſam repoſcerent. Ineunte ſalutis anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo 1339
nono ſacer D. Iacobi Magiſter Vaſcus Rodericus obiit. ſuffragio militari Vaſcus Lup° cooptatur, Rege indignāte, qui eum honorē Friderico filio deſtinabat. nouo Magiſtro multa crimina vero an ad Regis gratiā obiecta ſunt: prouiſaq; tēpeſtate in Luſitaniā elapſo probata. itaq; honore detracto Alfonſus Guſmanius Friderici pueri auunculus, reſciſſa priori electione, Magiſter creatur: magno multorum dolore, atq; obtrectatione, ne in tāto quidē Reip. diſcrimine pelli Rep. ambitum conſiderantiũ quæ magna peruerſitas eſt. Per idem tēpus Rodericus Pereſius Alcantarę Magiſter loco motus. ſuffectus Gonſaluus Martinius, Nunnium alii vocant. vocũ diſſimilitudine quidā cōturbati diſcernunt, quę ſeparāda non ſunt: cum veteri Hiſpanorũ lingua Nunnius & Martinus idē ſint. Ioannis Prati Calatrauæ Magiſtri auctoritate, id eſt præſtitũ: cui Alcantaræ milites veteri inſtituto cōtributi erant. De bello Maurico agebatur. Hiſpalim, ex vniuerſa ditione copiæ militares cōtractę, preſto Caſtellæ Rex fuit, nuncio excitatus, Abomelicũ ex Africa traieciſſe cum quinq; equitum millibus: & induciarũ tēpus exierat: Maurieiq; conatus celeritate occupandi erāt. In Granatæ fines fit impetus. Antequeræ & Archidonæ agris populatis vix ab oppidis vis eſt prohibita. idem ad Arundam factũ. Præterea Maurorum manus vrbe egreſſa ad carpendum nouiſſimũ noſtrorũ agmen, profligata Laræ, Emanuelis, & D. Iacobi Magiſtri, qui in poſtrema acie ſubſtiterant, virtute. qui ex fuga iugum occuparant barbari, noſtris per ardua nitentibus, magna ſtrage deiecti. multi metu præcipitarunt, è locis præruptis. Hiſpalim itum. inde variæ manus ad fines tutandos dimiſſæ. affuit Gilabertus XII. triremib. ex Aragonia deuectis, iuſſus cum Caſtellę claſſe ſe coniūgere, atq; ad fretum Gaditanũ excubare. Pecuniæ inopia erat. eius redigendæ neceſſitate, menſe Septēbri ad regni conuentus Madritum Rex abiit, Vicario Calatrauæ Magiſtro, ad quē bellici imperii ſumma rediret: inter duces alios & proceres partita cura. Nebriſſæ, q. oppidum ad Bætis æſtuaria, agri fertiliſſima regione ſitum eſt, frumenti copia in belli vſus erat collata. Mauri Regis diſceſſu audentiores id oppidum expugnare parant. copiæ ex hibernis eductæ quamuis iniquiſſimo anni tempore. Abomelicus poſitis ad Cæſarianum caſtris reſtitit. Mille quingenti equites Nebriſſam miſſi. ii oppido repulſi agros vaſtant. ad rei famā Portocarrerius Tariffa, Hiſpali Guſmanii Aluarus, & Petrus, atq; Pontius Legionenſis viri nobiliſſimi accurrerunt. præterea ex vicinis Mauricæ ditionis locis, in quæ armis irruperat Magiſter Alcātaræ, exigua manus, minorq; quam pro hoſtium numero. diurno tamen nocturnoq; itinere ad Arcobrigā graues præda Mauros, lentoq; agmine incedentes conſecuti, ad vnũ ferme trucidant, aut capiunt. præda omnis ablata. Læti ſucceſſu, de Abomelico inuadendo deliberāt. maius quam pro numero facinus, pleroſq; hoſtium multitudo conturbabat: neq; amplius belli fortunam tentandā iudicabant. alii animo feroci negabant Mauros pertimeſcendos. virtuti ſuorum, numiniſq; præſidio credendũ diſputare: neq; eſſe fas in ea rei bene gerēdæ occaſione incertæ ac paulo poſt interituræ morbo vitæ ſibiq; parcere. vicit ea ſententia. Mauri ex reb. proſperis orta negligentia motis caſtris ad Arcobrigam nulla cura, nullis vigiliis tendebant. Hoſtium contemptus exitio ſæpe fuit. noſtri dubia luce ſigno dato, in hoſtes concurrunt. in fluminis tranſitu, aliquandiu repugnatũ quingentorum Maurorũ accurſu. eo traiecto à noſtris reliqua procliuia fuerunt. momento tēporis cæſi fugatique hoſtes. Abomelicus ipſe pedib. fugiens, vt in repentina trepidatione, pro gregario milite obtruncatur. Aliatar propinquus in acie cecidit. Mauri ad decem millia perempti. (ſic fama tulit) noſtri caſtris hoſtium impedimentiſq; potiti, gemina victoria læti, clariq; in hiberna reducunt copias. Hoc anno à Tarraconenſi Præſule conciliũ prouinciale habitũ eſt. Quo tempore D. Eulaliæ corpus in locũ commodiorē tranſlatum in ea vrbe, ſolenni ſupplicatione habita. Aragonius Rex Auenionē abiit in Pontificis verba, pro Sardaniæ & Corſicæ imperio, quaſi beneficiario iuraturus.

Victi ad Tariſſam Mauri. CAPVT VII.

ABOMELICI caſu ingens luctus Africam occupauit, patrem maxime immatura morte præreptum præſtare non potuiſſe qualem promiſerat Regẽ querebantur. eo ardentius ad vltionem inflammatis omnibus expeditio Hiſpanica feſtinatur. ingentes delectus tota ditione habiti. certi homines per vniuerſam Africam dimiſſi, qui ſimulata ſanctitate ſpe diuini numinis promerendi, religionis patriæ vindicandæ facta, eas gentes ad capienda arma incitarent. Incredibilis concurſus fuit. equites ſeptuaginta millia, pedites quadringenta. cum quanta multitudine ſatis conſtabat neminem priorum Regum in Hiſpaniam veniſſe. claſſis comparata nauium ducentarum & quinquaginta, triremium ſeptuaginta. Caſtellæ Regem eius belli defendendi cura ſolicitum, nouus dolor excepit. Nunnius Alcantaræ Magiſter multis criminibus appetitus, vero an falſo non facile dixerim, ſed Madritum tamen in ius à Rege vocatus diffidentia cauſſæ, an Eleonoræ Guſmanię fraudibus, potentiæq; vt par eſſet veritus regium imperium contemnere viſus eſt. ſcelus ſcelere cumulatum. Granatenſi Regi ſeſe adiunxit. Præterea claſſis Aragoniæ præfectus ad Algeziræ littus excenſione facta in tumultuaria pugna ſagittæ ictu confoſſus eſt. Socii cum claſſe quaſi infauſtam militiam auerſati ſeſe retulerunt in patriam. vtrunq; regias rationes vehementer conturbauit. Ergo ad prima veris ſigna in Bæticam abiit. Nunnii conatus celeritate occupati. intra Valentiam, quod oppidum in veteris Luſitaniæ parte eſt, circumſeſſus captuſq;, lege maieſtatis dãnatur. ignis ſupplicium fuit: vt pœnæ magnitudo reliquis documento eſſet. Chamiſus vir ſpectata virtute in Nunnii locum cooptatus. Cœperat Albohacenus copias in Hiſpaniam traiicere. equites tria millia præmiſſi, virtutis oſtentandę ſtudio incitati Arcobrigæ, Cæſariani, Aſſidonięq; agros vaſtant. cum ingenti capta pręda reuerterentur, noſtri Cęſariano egreſſi ſecuros incautoſq; opprimunt. ad duo millia ceciderunt. Interea quinq; menſibus freto traiiciendo conſumptis vniuerſæ Maurorum copiæ ad Algeziram expeditæ, Tenorii præfecti culpa: quem hoſtes tranſitu prohibere potuiſſe populus accuſabat: inuidia plerunq; & ingrato animo aduerſus clariſſimũ quenq; virum. Non tulit contumeliam ferox animus. cum vniuerſa claſſe hoſtium dimicare auſus, inſignem cladẽ accepit. periit ipſe. claſſis oppreſſa. quinq; tantum triremes celeri fuga Tariſſam euaſerunt. Regis animus ancipiti cura ſuſpenſus erat. hinc metus vrgebat, ne exitium immineret Hiſpanię: inde glorię cupiditas incitabat. Hiſpali vbi bello comparando intentus erat, Epiſcopis & proceribus in regiam vocatis, de belli ſumma deliberare conſtituit. Ad ſiniſtram corona, ad dextram gladio poſitis, è ſublimi loco ſolioq; reſidens, hac ſententia orationem habet. Quanto in periculo res publicæ & priuatæ ſint, viri amici atq; cognati perſpicitis. quo in ſtatu res noſtræ ſint, vos ignorare non arbitror. A prima ętate cum regno continentes labores, & moleſtię vexarunt. (ſic cælo placitum) tametſi noſtra peccata innocentium calamitate expiari graue eſt. Vix inteſtinis motibus pacatis, bellum externum excepit, eorum quæ pertulit Hiſpania grauiſſimum. Ærarium inane eſt. prouinciales nouis ſubinde vectigalibus feſſi, ad mentionem noui tributi irritantur. Paciſci forte cũ hoſte placet? ſed infido hominum generi nihil ſanctum eſt. Externa auxilia aduocentur? verum. ſed finitimi Reges noſtro periculo parum mouentur. Rebus aſperis cęleſte numen aderit? ſed noſtris ſceleribus irritatum ne deſerat, vereor. In tanta difficultate cõſilia explicare noſtræ prudentiæ non eſt. collatis ſententiis quid erit faciendum, pro veſtra viri præſtantes prudentia putate. Quo maior libertas ſit, è conuentu diſcedam ipſe: vos in ſententiis dandis ne huic regię coronæ exitium, neve huic gladio dedecus afferatur, Hiſpanięq; nominis gloria ludibrio ſit, conſiderate. Rege digreſſo magna inter proceres diſceptatio fuit. prudentioribus aduerſus hoſtium potentiam, Regem fore parem non videbatur: paciſcique cum Mauro honeſta aliqua conditione ſatius fore iudicabant. pleriq; ferocius bellũ decernere, decoris & gloriæ auidi, in pace ſummam ignominiam fore, ad barbari arbitrium quod neceſſe erat conſtitutę. Hæc vicit ſententia. conuenit tamen vt Aragonios & Luſitanos miſſis legationibus ad ſociandas vires ſolicitarent. claſſis ad S. Luciferi portum refecta eſt: eiuſq; cura Calderoni Priori Hoſpitalario demandata. remiſſa ab Aragonio claſſis Petro Moncada pręfecto. à Genuenſibus quindecim triremes miſſæ Regis Caſtellæ ſumptibus. Ioannes Leiua ad Romanum Pontificẽ ea cauſſa legatus, delictorum veniam iis concedi impetrauit, qui ſacram militiam tribus menſibus toleraſſent ſuis ſumptibus. Eius euulgandæ cura Egidio Toletano Præſuli demandata. Luſitano conciliãdo abs Rege Caſtellæ datum, vt Conſtantia Emanuelis filia Petro Principi deſponſa in Luſitaniam mitteretur. Nuptię Eboræ regio apparatu confectæ. dos dicta trecenta aureorum millia. Prętera Maria Caſtellæ Regina viri iuſſu ad patrem feſtinauit, vt vires conferret, belloq; ſacro ipſe adeſſet impetratura. Re conſtituta, duodecim triremes, Peçano duce, (nã libertati

erat redditus) è Luſitania dimiſſæ. ipſe Caſtellæ Rex Luſitani promerendi, confirmandiq; ſtudio in Luſitaniam abiit. Regum ad Iurameniam in Anę ripa oppidum colloquio, deterſæ ſimultates. metus ira potentior. Copiæ interea militares Hiſpalim ex omnib. partibus conueniebant: eo maiori feſtinatione, quod vno tempore Tariffam ab Albohaceno, Granatenſiq; circunſeſſam eſſe nunciabatur. Septemb. XXIII. die obſidio inchoata eſt. ad augendam formidinem turres ædificari, excuti tormentis tela, vineis promotis mœnia dolabris vectibuſq; ſoluta lapidum compage dirui. Obſeſſi quamuis valido pręſidio impoſito, haud diu vim hoſtium ſuſtentaturi videbantur. Rex, ne vrbem dederent, verebatur. eo maiori cura belli ſubſidia comparare, maturiq; auxilii ſpem obſeſſis facere. Hiſpalim è Luſitania cum rediſſet, breui eodē Luſitanus appulit. ſequebātur mille equites, virtute, quam numero validior manus. Rebus omnibus comparatis vrbe egrediuntur, obſidionem diſſipandi, aut pręlio dimicandi certo animo. ingentem confidentiam, cum vix quartam hoſtium partem ſuorum numero exæquarent. equites quatuordecim millia, pedites ad viginti quinq;. modicis itineribus progrediebantur. Reges Mauri noſtrorum conſilio explorato, operibus quibus vrbs impugnabatur igne corruptis, vicinos cliuos caſtris occupārunt, leui munimento, in eo victoriam eſſe poſitam arbitrati, ſi ventum eſſet ad manus. Ad Rupem cerui (pago id nomen eſt) in conſpectum hoſtium peruentum. de ſumma rerum in conſilio Ducum diſceptatur. mille equites, pedites quatuor millia nocte intempeſta Tariffam miſſi, vrbi præſidium, & vt à latere hoſtes aggreſſi è cliuo deiicerent. reliqui curare corpora iuſſi: atq; vti ſimul cum ortu Solis pugnam inuadant, paratos eſſe. Plauſus lætitiaque in caſtris eſſe, vota diuis nuncupari, ſanctiſſimo inter ſe iureiurando ſancire, per turmas & manipulos, niſi victores domum non redituros, in periculo auxilio inuicē fore. Lucis aduentu, Reges, & eorum exemplo cęteri, cōfeſſione & Euchariſtia rite procurati ſunt. mox acies ad pugnam inſtructæ. In primo agmine Lara, Emanuel, & D. Iacobi Magiſter conſtituti: in poſtremo Gonſaluus Aquilarius: peditum incondita multitudo in ſubſidiis Petro Nunnio Duce. mediam aciem cum robore copiarum Reges obtinebant. aderat Egidius Toletanus Præſul, aliiq; Epiſcopi & proceres. vexillum crucis Iugus natione Gallus Romani Pontificis iuſſu geſtabat. milites omnes rubra cruce diſtincti, vti aduerſus impios pro religione pugnaturi. Luſitano inuadendi Granatenſes cura impoſita eſt. ad peculiarē manum adiuncti, Calatrauæ & Alcantarę Magiſtri. Caſtellæ Rex Olbohacenum inuadere parans; concione aduocata, hac milites oratione accendit. Profunda auaritia, infinita imperandi libido, odium Chriſtiani nominis implacabile, nulla iuſta belli cauſa hanc barbariem in Hiſpaniam attraxit: inconditam, mihi credite, & ex colluuione multarum gentium conflatam. nemo numero terreatur, ſua ſe multitudine impedient: neq; ordines ſeruare, neq; imperia accipere idonei. Quanto ſibi quiſq; minus pepercerit, tanto tutior erit. neq; decet in pedib. potius præſidium, quam in virtute, armiſq; ponere: nudum cęcumque tergus hoſti feriendum præbere. Aut barbaris ſeruiendum, aut ſtrenue pro patria, pro vxorib. & liberis, pro ſanctiſſima religione pugnandum: victoriæ ſpe certa, (nihil in nobis vanitatis eſt.) Quod ſi aliter eueniret, vbi maiori fructu, maioriq; gloria, vita breuis & paulo poſt interitura ponatur? Quid ſalutarius, quam breui moleſtia cæleſtes ſedes parari? quod crux illa ſanctiſſima, cuius auſpiciis pugnamus, & ſanctiſſimi Pontifices pollicentur. Læti ergo, pleniq; bona ſpe in hoſtes inuadite. Dato ſigno mota continuo agmina. præterfluebat inter vtraq; caſtra Salſus amnis: vnde prælio nobiliſſimo victoriæq; nomen factū, haud longo ſpatio decurrens in mare. qui priores traieciſſent ab iis pugnæ initium futurū erat. Miſſi à Rege barbaro equites ad duo millia, tranſitū prohibituri. ipſe interea ſpe tumidus, & de victoria certus; ad circunfuſas legiones. Si noſtram, inquit, ætatem, reſq; in Africa geſtas tantum reſpicerem, nihil ad vitæ fructum, gloriamq; nominis deeſſe videbatur. omnibus circū nationibus veſtra milites virtute ſubditis. gentis amor, patrię religionis ſtudiū, vobis impulſorib. in Hiſpaniā attraxit. Turpe erit q; in pace ciues polliciti, in pugna nō poſſe præſtare, domi procaces, in bello ignaui. Si numero pares congrederētur veſtræ virtuti crederem, tamen. ſi certa peſtis adeſſet mori ſatius iudicarem, quam vt tantum dedecus inureretur. nunc aduerſus paucos, inermeſq; tyrones pugnabitis nullo vſu firmatos, nulla ſcientia militari. Atq; illud potius verendum eſt, ne Africæ domitoribus cum tali hominū genere pugnaſſe turpe ſit: Illis glorioſum quocunq; tandem euentu. Phutenſes, Tremeſenias, Algarbienſes victorias cogitate. Eo animo, eaq; fiducia quę perpetuo victoribus eſſe debent, pugnate, erecti conſtantes periculorum, hoſtium, mortiſque ipſius contemptores. His dictis ad flumen progreſſum. Lara & Emanuel diu ſubſtitere, metu incertum, an re alia. doli certe, & coitionis ſuſpicionem præbuerunt, quæ ſuſpicio late per acies manauit. Laſſi fratres, Gonſaluus & Garſia exiguo ponte tranſmiſſi, primi omnium cum

multo maiori hoſtium numero, pugnare cœperunt. Periculo proximos Aluarus Guſmanius ſuo aduentu ſeruauit. ſecuti cæteri, Luſitanus læua collium latus radens. Caſtellę Rex aliquanto locorũ flexu verſus mare in hoſtes irruit. vtrinq; clamor ingens mutuo ſe ad pugnam hortantiũ. pugnatur acriter omnib. partibus. Conſiſtunt agmina: & collato pede in eodem veſtigio cædũt, cęduntúrq;. eo Duces ſigna inferũt, vbi maxime ſuos laborare conſiderabant. Noſtrorum pars notis tramitibus à cęteris diuulſi caſtra inuadunt, capiunt, diripiuntq; ſuperato præſidio. re cognita cęteri Mauri perculſi, qui eatenus in pugna ſubſtiterant, loco pulſi, deinde in fugam conuerſi ſunt. Magna cędes facta. Supra ducenta Maurorum millia in prælio fugaq; ceciderũt. captiuorũ ingens numerus fuit. è Chriſtianis, quod vix fidem faciat, viginti deſiderati non amplius. claſſiarii milites parum contulerunt: cum ſe Aragonii ad vnũ tenuiſſẽt nauibus. Vaſcones in nullo huius belli vſu fuere, Philippo gẽtis Rege Gallicis bellis diſtricto, reipublicæ moderatore Reginaldo Pontio homine Gallo. Egidius Toletanus Præſul à Regis Caſtellæ latere nunquam diſceſſit: deſertumq; pene à ſuis, & in confertos hoſtes irruere parantem, voce manuq; retinuit, ne triſtis caſus certã vi-
1340 ctoriam corrumperet. Salutis anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo pugnatum eſt. de die ſcriptores variant. nobis certiſſimis monimentis exploratum eſt, tertio Kalen. Nouembris, die Lunæ, victoriam nobiliſſimam partam eſſe, vti in faſtis Toletanis notatum eſt; vbi anniuerſariis ſacris, feſtaque lætitia, veteri inſtituto eius diei memoria celebratur.

Reliqua huius belli

CAPVT VIII.

VICTI fuſiq; barbari Algeziram abierunt: moxq; eius vrbis munitione diffiſi, ne noſtrorum aduentu opprimerẽtur, Rex Granatenſis Marbellã abiit, Albohacenus Heracleam eademq; nocte in Africam traiecit, Abderrahmanum filiũ veritus, quem pro ſe Vicarium reliquerat, ne ad cladis acceptæ nunciũ, regnum inuaderet. Parẽtum, vxorum & filiorum non magna neceſſitudo apud Mauros eſt. vxorum quas plurimas pro opibus ducũt & filiorum multitudine amor diſtrahitur, omnes in vili pretio ſunt. Ergo Fatima Tunetani Regis filia Albohaceni Regis vxor præcipua, tres aliæ vxores, Abohamarus filius capti in pugna caſtriſq; eo minorem dolorem barbaro Regi inuſſerunt. duo alii Albohaceni filii in pugna ſunt occiſi. caſtra hoſtium plena omnis opulentiæ, regiæ, priuatæq; erant: multa veſtis pretioſa, auri & argenti tantum, vt valor in Hiſpania monetæ imminueretur, mercium precium creſceret. Victores Reges eadem nocte in caſtra redierunt, pars cædendis, inſequendiſq; hoſtibus feſſi, pars quibus minor animus fuit, maior auiditas, Mauricis ſpoliis onuſti. die proximo Tariffam inuecti, refectis mœnibus, quæ multis partibus erant quaſſata, atq; præſidio muniendam curarunt. Contra timorem Maurorũ: & cõtra quam opus fuerat, ab Algeziræ obſidione ceſſatum. commeatus inopia in paucos dies comparati, & propter anni tempus in hyemẽ inclinantis, re neceſſaria compulſi Reges Hiſpalim reuerſi ſunt. Triũphi perſimili pompa, omni ætate, omni ordine obuii ciues, patriæ liberatores, impietatis vindices, victores, Auguſtos fauſtis vocib. acclamãtes in vrbẽ excepere. reliqua Hiſpania decretæ, habitæq; ſupplicationes. Diuis immortalibus actæ gratiæ. dies feſti ludis, ſpectaculis, tripudiis Hiſpanorũ more agitati. Rex Luſitanus ephippiis, gladiiſq; Mauricis ex omni prędа acceptis, vt victoriæ monimẽto eſſent, in patriã ſeſe retulit: rei Chriſtianæ adiutæ, inuictæq; virtutis laudẽ deferens. additi nonnulli captiui nobiliſſimi. abeũtis iter Rex gener ad Caſalliã oppidum officii cauſſa eſt proſecutus. Auenionẽ equi centũ, gladii, parmæq; è corio totidẽ è præda Maurica Benedicto Pontifici miſſa ſunt. quatuor præterea & viginti Maurica ſigna: equus vexillumq; Regis quibus in prælio vſus erat, alia. Leiua legatus aliquanto ſpatio à Cardinalibus obuiis exceptus. Pontificis voce, cũ ſacris de more eſſet operatus, Alfonſi Regis laudes maximo Principũ, hominumq; cõcurſu celebratæ ſunt. Freti Gaditani cuſtodia, ne ſe hoſtes refecta claſſe denuo in Hiſpaniam infunderent, Egidio Genuenſi demandata maris Præfecto; pro Rege Caſtellæ creato. id nauatæ operæ præmium fuit: genti blandimentum ne triremes Genuenſes reuocarent quaſi bello confecto: vti Aragonius, & Luſitanus fecerunt. tametſi aliquanto poſt Caſtellæ Regis precib. vt auctæ numero claſſes reuerterẽtur, dãtũ eſt. neq; enim quieturos Mauros iudicabãt prudentes, quin inſtauratis viribus bellum ſupremo conatu, primo quoq; tempore repeterent.

Alcaualæ initium

CAPVT IX.

MAGNO metu liberatos regẽ Hiſpanoſq; victis ad Tariffam barbaris, maior cupiditas inceſſit impię gẽtis reliquias extirpandi: ſolicitudoq; in belli vſus, quod fore diuturnum

num prouidebatur,pecuniæ conquirendæ. Nã quæ ex præda erat redacta,plurima quãuis
in prçmia militum,paucaq; ſtipendia conſumpta erat: annuis tributis exhauſta prouincia.
Mercatorib. tantum immunitas erat, impudenſq; cẽſus: reliqui ordines oppreſſi grauitatẽ
vectigaliũ. Ellerenæ atq; Madriti concedentib. prouincialib. aliquantũ pecunię collatum
eſt. Leue id ſubſidium tantis factis futuriſq; ſumptibus: ſed ineunte tamẽ ſalutis anno mil- 1341
leſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, Corduba,quo copiæ militares conuenire iuſſæ
erant,in Granatenſes fines irrumpitur. arte quã virib. victoria glorioſior. Præmiſſæ naues
aliquot commeatu onuſtæ,Malacam inuadendi ſpeciẽ præbuerunt. Mauricis copiis ea vr-
be munienda occupatis rex Alcalæ regię agros improuiſus inuaſit. Auguſti XXVI. die oppi-
dũ deditum. oppidani ſalutẽ pacti dimiſſi incolumes. magno id hoſtiũ dolore accidit,ſua
ſe opinione deluſos conſiderantiũ. Eo oppido capto Prieghum, Rutes, Benamexillũ,aliaq;
oppida & arces eo tractu,pars vi,pars deditione in poteſtatem venerunt. victoribus omnia
prona erant,Mauris aſpera. copiæ in hiberna reductæ,præſidia tãtum opportunis locis di-
ſpoſita,finib. tutandis. claſſi imperatum, vti fretũ inſiderent, Afroſq; tranſitu arcerẽt. Regẽ
obſidendæ Algeziræ cura ſolicitabat,atq; in eam rem pecuniæ comparandæ quacunq; ra-
tione. Datum conſilium,vt à mercatorib. nouum vectigal exigeretur. ea ratio facillima in
pręſenti viſa eſt,in poſterum grauia incõmoda attulit: vt eſt improuida mortalium mens:
ſæpeq; in perniciem vertuntur,quę prudenter excogitata eſſe videbantur. Eo conſilio rex
Burgos principem ciuitatẽ contendit,limitis cura D. Iacobi Magiſtro cõmendata. Valliſo-
leti Chriſti Dei natali ſe tenuit principio anni milleſimi trecenteſimi quadrageſimi ſecũdi. 1342
Burgos Egidius Toletanus, Ioannes Lara, Garſias Burgẽſis Præſul, proceres alii & Epiſcopi
nominatim euocati. horum Regiſq; ſumma contentione vigeſima rerum venaliũ in vſus
belli Maurici à Burgenſib. conceſſa: definito tempore, dum Algezirę obſidio duceretur.
Burgenſiũ exemplũm, Legionenſes, aliæq; ferme tota ditione ciuitates ſecutæ ſunt. Nihil
tunc nimiũ videbatur: cunctis ardentib. ſtudio belli Maurici profligandi. metu depulſo,
quã graue id vectigal fuerit, vſu intellectũ: inde certe Hiſpanicæ immunitatis opprimẽdæ
initium factum eſt. lętitia, metus, cupiditas, peſſimi conſultores in fraudem impulerunt.
Regii miniſtri augendi fiſci rationib. Principis gratiã aucupabantur. quæ ars nimium pro-
ſpero multorum ſucceſſu creuit. ab his prouincialiũ ſimplicitas circumuenta. prudẽtiores
diſſimulabant. Nã ſuadere Principi quod oportet periculoſum, rara fides, parata aſſenta-
tio. Nouo vectigali Alcaualæ nomen fuit, re & voce à Mauris hoſtib. mutuata. Auxit ſtu-
diũ ciuitatum victoria de Mauricæ claſſis parte vno tẽpore nunciata. tres & octoginta tri-
remes ad Septã in Africæ littore erant, bellum repetituræ. in Bullonio portu duodecim alię
priuſquam ſe cũ reliqua claſſe coniungerẽt, decẽ è noſtris aduentu oppreſſæ ſunt vere in-
eunte. vniuerſa deinde Maurorũ claſſis,quæ ad Guadamecili fluminis oſtiũ appulerat, in-
ſigni prælio deuicta eſt. Mauricæ triremes quinq; & viginti, quã captæ, quã ſubmerſæ. duo
claſſis Præfecti Granatẽſis, Africanuſq; interfecti. Aragoniæ triremes huic pugnę nõ inter-
fuerũt. ab Aragonia quo ſe contulerãt redeũtes ad Steponę vel Aſtapæ littus, tredecim ho-
ſtium triremes commeatu onuſtas oppreſſere. quatuor captæ, duæ ſubmerſæ, reliquę fuga
tenuerunt Africæ littora. noſtrorũ virtuti & felicitati terræ, mariaq; fauere videbãtur. fuiſ-
ſetq; multo amplior clades illata, ſi vno tẽpore hoſtiũ copiæ ad Guadamecilũ terra mariq;
fuiſſent impugnatæ. quo conſilio Rex Hiſpalim primum deinde Cæſarianum magnis iti-
neribus erat progreſſus, cum in ea vrbe commiſſi prælii nuncium accepit. neceſſitatẽ pu-
gnæ, caſus attulerat: cum tres è noſtris naues in vadis hærentes remiſſo maris æſtu hoſtes
inuaſiſſent: noſtri defenderent, vtriuſque claſſis concurſu conatuque maximo.

Algezira obſeſſa. CAPVT X.

TANTIS vno tẽpore victoriis terra mariq; partis, reliqui belli ex ſentẽtia conficiẽdi ſpes
erat. noſtra claſſis ad Satareſiũ portum, prope Tariſſam ſe tenebat. eo Rex acceſſit Al-
geziræ ſitũ, cuius obſidendæ cupiditate flagrabat, locorumq; naturã mari luſtraturus. Vrbs
nobiliſſima viſa eſt, fertilis ager, amœni colles circũ ambiẽtes, multæ frumẽtariæ molę, vil-
lis, ædificiiſq; regio vniuerſa qua viſus erat, collucebat. Regis animus eo amplius ad rẽ per-
ficiendã accenſus, q ex captiuis cognitũ erat rei frumentariæ non magnã in vrbe facultatẽ
eſſe: & firmiſſimo Maurici imperii propugnaculo ſublato, reliqua prona fore ſperabat. Vo-
rũ exiguæ copiæ, parũ cõmeatus erat. id regios conatus retardabat. Locis finitimis raptim
delectus habiti ſunt. viri principes nominatim euocati. affuere Egidius Toletanus Præſul,
Bartholomæus Gaditanus, Alcantaræ, & Calatrauæ Magiſtri, militum manus non exiguæ
quã veteri inſtituto Bæticæ ciuitates ſuis ſumptib. miſerãt, eius belli cõficiendi ſtudio am-
pliorem. feſtinanti mora omnis lõga eſt. Cõmeatus expediendi, reliquaq; cõparandi cauſa

Rex Hiſpalim abiit. equites duo millia quingẽti, pedites ad quinq; millia conuenerãt. cum
iis copiis Algezira obſeſſa eſt tertio Nonas Auguſti. maris cura Caſtellæ & Aragoniæ claſ-
ſibus cõmendata. nam Luſitani ex quo ad Guadamecilum pugnatum erat, nulla arte reti-
neri potuerunt, quin in patriam abirent. Obſeſſi nihil voluntate facturi videbantur, vrbis
munitione, & numero confiſi. octingenti enim equites, ſagittarii ad duodecim millia pro-
pugnabant, non arcere vim modo ſed etiam æquo congredi campo idonea manus. erum-
pentibus Mauris leuia prælia vario euentu cõmiſſa. Carthago arx vicinis locis Mauris e-
repta. à captiuo, cum Pugionem militis arripuiſſet, ne Rex violaretur periculum fuit, ſuo-
rum concurſu ſeruatus. diuturnam fore obſidionem prouidebatur. Cæſa, comportataque
materia opera ædificari cœpta, plus formidinis, quam vtilitatis allatura. Claſſis Aragonia
interea menſe Septembri reuocata eſt, ſpecie Balearici belli quod Rex Aragonius com-
parabat, magno Regis Caſtellæ dolore. eius tamen precibus decẽ triremes Matthæo Mer-
cero Præfecto, auxilio ex Aragonia miſſæ: quibus deinde totidẽ acceſſerunt, Iacobo Scri-
ba Duce. Ciuis vterq; Valentinus erat. D. Iacobi Magiſter diuturna valetudine extinctus
belli, paciſq; artibus, regiaq; gratia ea tempeſtate clariſſimus. is honos Friderico Regis fi-
lio, in ipſis caſtris delatus, reb. gerendis ætate nondũ matura. Octobri mẽſe tãta cælo miſſa
vis pluuiarum, vt omnia corrumperentur: magnæ difficultates in caſtris eſſent, pecuniæ
maxima: quam exhauſta penitus prouincia, Alfonſus ab externis Principibus mutuam pe-
tere compulſus eſt, Benedicto Pontifice, Rege Luſitano. Ad Gallum Egidius Toletanus ea
cauſſa legatus, quinquaginta aureorum millia impetrauit. è qua ſumma, viginti continuo
repræſentata, alia certis penſionibus à menſariis Genuẽſibus numerari mandatum. parum
ſubſidii tantis molitionibus, ſed regia conſtantia omnia victa. In vrbe magnis pręmiis pro-
poſitis de Regis capite, quo ſuperſtite quietem nuſquam fore prouidebant, obſeſſi li-
citabantur. gratiſſimam ſuperis victimã fore prædicabant: inimicũ Maurico nomini Re-
gem mactari. neq; deerant qui eo facinore clari, aut nobiles euadere cuperent, nulla ſalutis
propriæ cura, quæ ſæpe magnis conatibus aduerſatur. à pluribus in Regis necem coniura-
tum, vti ex Mauro, quem altero minorem oculo ceperant, intellectum eſt, ea mente in re-
gia caſtra veniſſe. idem paucis poſt diebus duo alii Mauri, de iis quæſtione tormentis habi-
ta, profeſſi ſunt. Sed cæleſte numẽ quos tuetur, hos ab inſidiis & piculo eripit. Reges Mau-
ri obſeſſis cupiebant opitulari. Marrocius ſe ad Septã tenebat Abderrahmani filii volun-
tate diffiſus, cui noua moliri per idem tempus capitale fuit. Granatenſis ſuis viribus totius
certaminis ſortem ſubire formidans, ne nihil videretur agere manum militarem ad vaſtan-
dum Aſtigitanos agros præmiſit. ipſe Palmam oppidũ ad confluentes ſitum vbi Singulis, id
eſt Xenil, Bęti confunditur diripuit, incenditq;, præſidio occupare non auſus; neq; diutius
iis in locis morari, quoniam finitimas vrbes arma expedire nunciatum erat. Manus altera
Ferdinandi Aquilarii accurſu oppreſſa, prædaq; omnis quã copioſam agebant ablata. an-
1343 nus iã milleſimus trecenteſimus quadrageſimus tertius agebatur nullo magno operæpre-
tio ad Algeziram facto: opera tantum ædificata Horoſco p ęfecto. agger inſtitutus. ligneæ
arces circum vrbẽ extructæ. vineæ atq; arietes ad mœnia agebãtur. ſed tanti erant antiqui-
tus rerum omnium apparatus, tantaq; vis tormentorũ in vrbe; vt noſtrorum diligentiam e-
luderent, operaq; miſſis lapidibus corrumperẽt. machinis admouendis locus importunus.
milites neq; conſiſtere poterant propter locorũ iniquitatẽ, neque inter opera ſine periculo
verſari. Duo ſunt in freto Gaditano ſinus impares magnitudine, pares natura. minori Alge-
zira modico diſſita interuallo, cliuo impoſita, aſcenſu arduo, ſaxiſq; impedito: in duas diſ-
ſecta ſpatio interiectę partes, veterem nouamq; pręcipua mœnium firmitate: gemina ex-
trinſecus foſſa geminoque pomœrio, anguſta regionibus. cæterũ ea tempeſtate Africi in
Hiſpania imperii ſedes, eoque pulcherrima in paucis & nobiliſſima. Ad obſeſſos nequid-
quam commeatus inferretur, mari terraque diligenter cautum: niſi qui lembi noctis tene-
bris tecti noſtram claſſem eluſiſſent. exiguum id famis leuamen erat.

Algezira capta. CAPVT XI.

MVLTIS diebus & laboribus haud magno operæpretio conſumptis, noſtri ancipiti cura ſuſpenſi abſiſterẽt ne incepto, quoniam fruſtra erat, an belli exitum expectarent, quo catenus proſpero vſi erant, dies nocteſq; cogitabãt. Rex maxime pecunia conſumpta; quam à Rege Galliæ, & Pont. Rom. mutuam acceperat (nam Luſitanus nihil contulit) annonæ inopia, imminuto numero, ne dedecus acciperetur, verebatur. cautiores de ineũdo cum hoſte fœdere conſiliũ dabant. Pauone internũcio vltro citroq; cõmeante, de pace pri-

mum,

mum, deinde de induciis actum eſt. irriti ii conatus fuerunt: cū Rex Caſtellę negaret, con-
cordiæ conditionem vllam Granatenſi fore niſi Africana amicitia renunciata: qua diſtra-
cta, quid præſidii reliquū barbaro fuiſſet, aliena potius ope quam propriis virib. ſtāti? Itaq;
Granatenſis ea ſpe depulſus, ad Guadiarum viginti ab Algezira millib. paſſuum Kal. Maii
caſtra promouit: magis formidinis oſtentandæ cauſſa, quam q; pugna decernere delibe-
ratum haberet. Claſſis Maurica ad Septam erat numeroſa, vniuerſis Africæ viribus con-
tractis, ad traiiciendum primoquoq; tempore parata. recentes ii veniebant: noſtri diutur-
nis laboribus & difficultatibus fracti. Rem Chriſtianam periculo proximam Diui tutela-
res Hiſpaniæ ſuſtentarunt, perpetuaq; Regis aduerſus ingruentia mala, animi conſtantia,
atq; felicitas. nam vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vaſconibus numero & virtute valida
manus venit. Eduardi Angli Regis permiſſu Comites Arbidi & Soluzberi: Fuxenſis Co-
mes cum fratre Bernardo ad opem ferendam ex locis diſiunctiſſimis excitati ſunt: ſpe ve-
niæ quam Romanus Pontifex Clemens ſextus Lemouicenſis priori anno in Benedicti de-
ceſſoris locū ſubrogatus, omnibus, qui pia arma caperent pollicebatur. Philippus ipſe Va-
ſconum Rex ſub Iulii menſis finem. commeatu nauibus præmiſſo, copiiſq; ſequi iuſſis ma-
gnis itinerib. feſtinauit, ne prælio deeſſet, quod propediem fore fama ferebatur. Horum
Principum aduentus Regi Caſtellę, vt oportuit, gratiſſimus fuit: noſtris cum ſpe certa vi-
ctoriæ pugnandi animus acceſſit. Venerant ante Emanuel, Laraq;, nouæq; ſubinde mili-
tares manus tota prouincia ſubmittebantur. vniuerſi certaminis aleam Mauri ſubire de-
trectabant: Regiq; Albohaceno de ea re conuitio expoſtulanti, reſponſum. Superiori prę-
lio ſatis magnum documentum datum, quantum virtutis, & conſtantiæ in hoſtibus eſſet.
numero nuper auctos fore validiores. Ex diſtantib. locis conſilia afferri tempori & rebus
non ſatis accommodata. Traiiceret modo, non repugnaturos eius volūtati. Seruaſſe exer-
citum ſęuo Reip. tempore, quam prælio dimicaſſe, ducere maiorem gloriam. Interea in-
ducias repetitis legationibus petere non deſiſtebant. Expetentibus legatis, vt caſtra inui-
ſerent datum. illi ordinem mirati, milites in partes tributos, artificum multitudinem, forā
rerum venalium ciuitatis ad inſtar, præ noſtrorum diſciplina, earum rerū rudes ſe eſſe con-
feſſi ſunt. neq; tamen induciarum ſpe vrbis oppugnatio intermittebatur. Excuſſa tormētis
tela lapideſq; a noſtris. barbari ex vrbe contra ferreos globos cum igne & fragore, pulue-
req; tormentario eiaculabantur, haud leui ſæpe noſtrorum damno. Huius tormenti men-
tionem, nunc primum in hiſtoria factam inuenio. Menſe Auguſto Ceruerę in agro Vrge-
litano, infans gemino capite, quatuor cruribus natus erat. prodigium vnde perniciē rebus
portendi ſuperſtitioſo homines ingenio ſibi perſuaſerant, infantis cęde auerruncari placu-
it. viuus ſepultus. in parentes, quoniā iis volentibus factum erat, parricidii lege eſt actum.
Ipſo anno Robertus Rex Neapoli ſupremum diem obiit, literarum ſtudiis & amore, quam
rebus bellicis clarior. eius enim illa vox fuit. Dulciores ſibi litteras regno eſſe. Ad Algezi-
ram redeamus. vbi externi milites, quorum animus impetu valet, mora conſeneſcit, e ca-
ſtris autumno diſceſſerunt. Angli proceres à ſuo Rege euocati (ſic videri voluerunt) Fu-
xenſis Comes ſtipendii tenuitatem cauſſatus (ſic fama tulit) nos cæli Bætici per æſtatem in-
clementiā ægre tuliſſe, morbis, & laboribus fractos, patriā appetiuiſſe ſuſpicamur. noſtram
coniecturam euentus comprobauit: nam Fuxenſis Comes Hiſpali in reditu obiit. Philip-
pus Vaſco Regis Caſtellæ volūtate è caſtris digreſſus Cæſariani: vterq; menſe Septembri.
vtriuſq; corpus in patriam relatum. Ea re Mauri incitati mutato conſilio, prælio decernere
ſtatuunt. Sexaginta triremes Mauricæ Octobri menſe ad Steponā appulſæ, mox Heracle-
am tenuere. eo terreſtres copiæ poſuerunt caſtra. ad Palmonem amnem interfluentem, v-
traſq; copias cum ſemel, iterū & tertio ex interuallis acceſſiſſent, in tranſitu prælio pugna-
tum eſt. nō animo nō armis non bellica diſciplina, non corporis robore par Hiſpano Mau-
rus fuit. breui victi, fuſiq; hoſtes. in vrbe ſuprema annonæ penuria erat. triremes vna & al-
tera commeatu onuſtæ à noſtra claſſe interceptę. quinq; tantum Myoparones ineunte an-
no milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto in vrbem penetrarunt: reuerſiq; in Afri-
cam diutius ſuſtentare non poſſe renunciarunt: aut pereundum omnibus, aut vrbem de-
dendam. ergo con[illegible] uo de ineundo fœdere actum. Martii menſis vigeſimo ſexto die de-
ditio his conditionibus facta. Vt Granatenſis qua ante belli tempus lege Caſtellæ vecti-
galis eſſet. Obſeſſis incolumitas, & cum rebus ſuis quo vellent, diſcedendi data facultas.
Induciæ decēnales cum Mauris Regib. pactę. Fœdere ſancito Mauri in Africam frequen-
tes conceſſerunt. Caſtellæ Rex in vrbem ſolenni ſupplicatione ingreſſus, ſexto Kalend.
Aprilis, proxima luce templo maximo Mahumetanæ ſuperſtitionis ſordibus expiato,
D. Mariæ Palmæ nomen indidit: quod Dominicus Palmarum dies eſſet. In eo tem-
plo ingenti omnium lætitia & gratulatione, ſacra ex ritu Chriſtiano peracta ſunt. agri

militibus dati, eo domicilium transferre, propter locorum amœnitatem certatim cupientibus. Rebus omnib. constitutis Hiſpalim Rex abiit. In ea vrbe ab Eduardo Rege Anglo per legatos de nuptiis, Petrum inter Alfonſi filium iuſtum, & Ioannam Angli filiam appellatus, in præſenti quidem annuit: deinde tamen pactæ nuptię non coaluerũt: vt ſunt fluxæ Principum voluntates, & ex commodo ſæpe mutantur, nulla fidei cura. Duæ Albohaceni filiæ ſuperiori ad Tariffam prælio captæ, ad patrem remiſſæ. id promerendo barbaro Regi datum. neq; vinci is munificentia paſſus eſt. legatos continuo amplaq; munera ex Africa ad Regem miſit. Victoriæ fama per Hiſpaniam, atq; adeo Europam vniuerſam pios omnes gaudio compleuit. confectum Mauricum Bellum. duos Reges ſuperatos. vires Africę concuſſas. ergo ii omnes dies feſtos agere. omnis ætas, ſexus, ordo adire templa, vota ſoluere: nullum lætitiæ, religioſæq; gratulationis genus prętermittere, quod ad oſtentandam conceptam animis lætitiam pertinere iudicarent.

Bellum Balearicum. CAPVT XII.

QVo hæc tempore in Bætica gerebantur, Aragonia arma mota ſunt: Rexq; Balearis paterno imperio eſt eiectus, in quo præſidiũ eſſe debuit, ſumma Aragonii Regis iniquitate, atq; perfidia. Dira ambitio dominandi tranſuerſum egit, ne propinqui regis calamitate moueretur: aut quid homines iudicaturi eſſent, cõſideraret. Mompellerium nobilis & lauta ciuitas in Gallia Narbonenſi, Magalonę Pontificib. olim ſubdita fuit. iis ſiue concedentibus, ſiue diſſimulantib. peculiares eius vrbis Principes extiterunt Pontificum beneficiarii. eo principatu ad Aragonios primũ, deinde Baleares Reges deuoluto, vti ſuperius eſt demonſtratũ, Magalonæ Pontificũ auctoritas contẽni ſenſim abrogariq; cœpit. vis regũ & libido, non ius aut æquitas valẽt. illi cum priſtinæ auctoritatis locũ recuperare nõ poſſent: quod proximum erat, vindictæ ſtudio Gallis Regib. vrbis eius imperium pretio vendiderunt ante L. amplius annos. Eo Galli Reges iure innixi, Reges Baleares ſolicitare nõ deſiſtebãt, vt quaſi beneficiarii fidẽ ſacramento firmarent: ciuib. Lutetiã prouocandi libera facultas eſſet. Negare illi, detrectareq; imperiũ non exoletis vetuſtate annalium tabulis & exẽplis imperia conſtare, ſed recentiſſimę conſuetudinis vſu. Quod datũ non erat Magalonę Epiſcopis, neq; Galliæ Regib. concedendum, quippe illorum Vicariis. vis admota. contributa Mompellerio oppida, Gallicis pręſidiis occupata. Rex Balearis arma expedit. Aragonii imperii beneficiũ Aragoniis armis defendi poſtulat, ſperatq;. Rex Aragonius profunda calliditate, immenſaq; ambitione Gallo gratificari magis velle viſus eſt, Regẽ propinquũ per ſe imbecillũ externo pręſidio deſtitutũ, pręda fore prouidens cupienſq;: tametſi de ferenda ope appellatus, ſpecioſa verba dabat, nihil pręterea. mutuo colloquio habito ita ſe facturũ, quę poſtulabantur, reſpõdit: ſi iure agere Gallus recuſaſſet. in eam rem miſſi vltro, citroq; legati, diſtinendi animo, nulla opitulandi voluntate. Quę vt honeſtatis ſpecie velaret, grauia crimina miſero Regi imponenda curauit. Regis eũ Aragonii imperiũ detrectare. Neq; vocatum ad comitia venire. Inſolenti forma & pondere monetam, quod nefas erat, Perpiniani percuſſam. In Aragonii regis necem Barcinone, quo per fidẽ colloquii venerat, conſpiraſſe. index regina ipſa Conſtantia Balearis vxor de fratre ſolicita. Demum cum Gallo, Italis Principib. ipſo Marrocio rege feciſſe fœdus aduerſus Aragonium. Hęc accuſationis capita fuerũt, ſiue vera, ſiue cõficta: vt fama tulit, cui calamitoſi regis exitiũ fidẽ conciliauit, iniuria fuiſſe oppreſſum. Hęc fatalis diſſidii initia: quę Rom. Pont. Sanctia regina Neapolitana, vtriuſq; regis propinqua ſopire conati nihil profecerũt. Et erant vt in exiguis principatib. fit, Baleares cęteriq; minuto regi, ſubditi populi, nouis ſubinde vectigalib. oppreſſi, quorum cum modũ non ſperarẽt, imperiũ mutari haud ægre laturi erant. Ventũ ad arma. Petrus Moncada maris pręfectus ab Algezirę obſidione reuocatur, vti paulo ante dictum eſt. Claſſe valida comparata, in qua centũ & ſedecim maiora, minoraq; nauigia erant. ad Rubricati promontorium Aragonius ſoluens maiorẽ Balearem tenuit. inſulani trecenti equites, pedites ad quindecim millia cõgregãtur, collectitius exercitus, parumq; roboris habiturus. Victus continuo Balearis Pontiã vrbem ſe recipit: deinde reb. deſperatis in continentẽ abiit. & erant inſulæ volũtates in Aragoniũ propenſæ, omniaq; victori procliuia. Inſulis in fidẽ acceptis, atq; Arnaldo Erilo reb. pręfecto, Aragonius cũ claſſe Barcinonem ſeſe retulit. Ruſcinonenſes & Cetetani in extrema Hiſpanię ora bello petiti. vaſtitas illata agris. aliquot oppida capta. Cardinalis interuentu, quem Pontifex ineundæ concordiæ cura ad eos Principes legarat, ab armis tantiſper ceſſatum: & hyems appetebat, machinæque oppidis impugnandis idoneæ allatę non erant. Tranſacta hyeme, menſeque Aprili, i-
1344 pſo huius ſeculi anno quadrageſimo quarto, bellum maiori conatu inſtauratũ eſt. agri incẽſi. corruptę ſegetes. oppida & vrbes, qua vi, qua voluntate expugnatę. Balearis intimi, vt

Aragonii

Digitized by

Aragonii fidem, quam vim experiri mallet ſuadere. negare alii, procacibus verbis probare fidē cupientes, morituroſq; ſe antea denunciare, quam in hoſtis poteſtatem venirent, ante bellum feroces, in periculo ignaui. Regis animus in varias cogitationes diſtrahi. pudebat libertatis ſtudiū maius apud quenquā eſſe, quā apud ſe. viriū imbecillitate terrebatur, vno Perpiniano ferme relicto. anceps animus ad tutiora tandē, quā honeſtiora conuerſus, Petro Exerica ſermonū miniſtro in poteſtate ſe Aragonii futurum dixit: ſalutē libertatemq; pactus modo. regni recuperandi à clementia victoris ſpe an iniecta an præſumpta temere menſe Iulio accepta fide in Aragonia caſtra, quæ ad Elenam vrbē erant, Perpiniano venit, procerib. tum ſuis, tum Aragoniis comitātibus. Ad Regē deductus in genua procumbens dextrā deoſculatur. mox alleuatus: Erraui, inquit, Rex inuicte, erraui. error tamē perfidiæ culpa vacat. Quod imprudentia peccatum eſt, clementia virtus Regum, hoc eſt, tua propria condonare debet Regi ſupplici, propinquo, neceſſario: præterea quatenus rationes noſtræ tulerunt, veſtræ maieſtatis in paucis ſtudioſo, nouiſq; & maioribus officiis in poſterum ſuperiores offenſas compenſaturo. Peccato, in vno non ſemel peccatū fateor: ſed tunc præcipua clementiæ laus, cum iræ cauſſæ iuſtiſſimæ. Alioqui tuus ſum: de me ditioneque mea vt libet ſtatue, benigne (vt ſpero) memor modo rerū humanarū inconſtantiæ. Ad hæc Aragonius fallaci eblāditur vultu. peccatū excuſat. pœnitentia veniam promereri ait. Verbis contraria fuerunt facta. aliquanto poſt Barcinone procerum conſilio aduocato. Baleari regium nomen honoremq; detrahit. annuū vectigal conſtituit, vnde vitam ſuſtentaret. Tum ille, quā grauis caſus ex regno eſſet reputans: deceptumq; ſe ſua opinione, blandiſq; Exericæ verbis tandē intelligēs magnis præſidiis nudat⁹, de integro reſumit bellū. In Galliā profugus Clementē Pōtificem primū adiit: & quoniā in eo parum præſidii fore prouidebat, ad Gallū Regem, vnde tempeſtatis initiū extiterat, ſupplex confugit: & in belli ſumptus Mompelerii principatū, de quo contentio erat, pretio centū millium aureorum vendit. Gallus & Pontifex egeni & profugi patrociniū ſuſcipiunt: ſegnius tamē cunctantiuſque, quippe in alieno periculo. Ipſe bello repetito, Baleares, Ceretanos Ruſcinonenſeſque inuadens magnis conatibus, nihil aliud quā vitæ exitiū peperit, quinq; poſt annis in Baleari maiori acie ab Aragoniis victus cæſuſq;. Is fuit calamitatis exitus. honos ſupremus extincto eſt habitus. Corpus Aragonii Regis iuſſu Valentiæ trāſlatitio funere tumulatū. Filii tū ipſius, tū Ferdinandi fratris paulo ante belli tempus defuncti, alieni criminis, ſi tamen crimen fuit, pœnas luerunt: capti, profugi, egeni, ſine lare familiari vagantes. quod iniquiſſimū pleriſq; viſum eſt, præſertim iure regnandi innocentes filios propter vlla parentū peccata ſpoliari. Ipſo anno, quo Algezira capta eſt, & Rex Balearis regno decidit, Oliſipone ad oram Oceani, terra horrendo fragore mouit. magna mortalium trepidatione ædificia concuſſa: templi maximi fornix collapſa. maioris id mali omen initiumq; extitit. Conſtātia Emanuelis filia, Petri Luſitani vxor, morbo extincta eſt, proximo anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quinto. eo minori ſuo viriq; dolore, quod Agnetis Caſtriz, quæ in obſequiis 1345 Conſtantiæ erat, eximia formæ venuſtate, amoribus indulgebat: atq; ita vt eam iuſtæ propemodum vxoris loco cultuq; haberet. quod nefas impiumq; erat, Ludouico Petri filio, qui in primis annis defunctus eſt, ab ea ex ſacro fonte ſuſcepto. Ferdinandus præter ea Mariaq; Petro ex Conſtantia nati erant.

Inteſtini Aragoniæ motus. CAPVT XIII.

REX Caſtellæ peracto ex ſententia bello Maurico, maxima curarum parte leuatus ad vindicandas iniurias magiſtratuū procerumq; quas ſæuo reipublicæ tempore multas & graues exiſtere neceſſe fuit, animū cōuertit. Ea vero in primis cura ſolicitabat, Caſtellæ & Legionis exēplo, Bęticos & Carpetanos inducere, vti vectigal ex rebus venalibus exigi darent. alioqui res tranquillæ erant, opima pace vniuerſa prouincia florebat. Nouorum in Aragonia motuū cauſſa extiterūt. prauo & inquieto Rex Aragonius ingenio, bella ex bellis ſerēdo imperiū amplificare ſatagebat, maiorū importunis donationibus regni vires debilitatas, maieſtatē imminutam accuſans: ſucceſſuq; ferox pulſo Baleari Rege, in Iacobū fratrem germanū irā vertit in Balearē, ſubeunte poſt calamitatē miſericordia propenſum. pręterea ſuſpecti inuiſiq; dominātibus ſunt, qui proxime ſubſtituūtur. Iacobus veteri gētis inſtituto (ſic nonnulli diſputabant) regni ſucceſſor fore prędicabatur, Conſtantia, Ioanna, Maria, quas Rex ex vxore genuerat, paterna hęreditate excluſis. eoq; Vicarius regni creat⁹ procerū & populi ſtudia ſibi adiūxerat, bonis artib. fraude nulla. Rex ad ſe vocatū regni ꝓcuratiōe abire iubet. raptim & perturbate agūtur omnia: eo amplius, ꝙ ſalutis an. milleſimo trecēteſimoquadrageſimoſexto Aragonię regina ſāctiſſimis morib. fęmina, eoq; viro diſſimi 1346 lis, quinto à partu die, quo filiū breuis ęui, nēpe vno die victurū enixa erat, extincta eſt. breue

gaudium dolori permixtum tota prouincia fuit. defunctæ corpus Valentiæ in Vincentii æde tumulatum. ipſa Populeti ad vetera Regum ſepulcra mandarat. Prolis maſculæ ſuſcipiendæ cura, inteſtinis motib. pacandis, de regiis nuptiis continuo actum eſt. miſſi in Luſitaniam legati Eleonoram à Rege patre in coniugium expetitum. eaſdē nuptias Ferdinādus frater ambiebat, Caſtellæ Regis auunculi fauore & flore iuuentutis nexus. Vicit in contentione, vt neceſſe erat, Aragonius: annitēte in primis Ioāne Emanuele, qui Eleonoræ, Guſmaniæ, eoq; Regi Caſtellæ infenſus, ſe totū voluntate ad Aragoniū contulerat: Ioannamq; eius patruelem Raymundi Berengarii filiam filio ſuo Ferdinando connubio iungendā nuper curarat, atq; perfecerat: tres regias arcta propinquitate cōplexus, eoq; cæteris per Hiſpaniam procerib. validior. Proceres Aragonii & Valentini cum plebibus tumultuari cœperunt, conſpiratione facta, libertatem iuraq; prouinciæ armis etiam, ſi opus foret tutaturi. offenſionis præcipua cauſſa obtendebatur, quod Iacobo Vrgelitano abdicare compulſo, Conſtantiæ Aragonii Regis filiæ nomine, quaſi hæredis futuræ leges edictaq; ſancirentur. Semenus Vrrea, Petrus Coronelius, Blaſcus Alauona, Lupus Luna Segorbii principatu, & Violantis, quæ Regis amita erat, nuptiis præ cæteris eximius, libertatis conſeruatores deſignati. Iacobo Vrgelitano, vti neceſſe erat, primæ partes datæ ſunt. Ferdinandus Ioanneſq; eius fratres è Caſtella vbi Aragonii voluntate diffiſi ſe cū matre tenebant, litteris nunciiſq; euocantur. rem ſuſcipiētibus, quingenti equites ab auunculo Caſtellæ Rege præſidii cauſſa adiuncti ſunt. Aragonius non ignarus ciuilib. bellis irritatæ multitudinis quantę ſint vires, valere impetu, mora conſeneſcere, regni conuentus Cæſarauguſtæ habendos curat. in iis conuentibus gentis pacandæ ſtudio magis quam ſyncera voluntate, reſciſſo priori decreto, Iacobo fratri regni procuratio reſtituta à Rege eſt, regnique hæres renunciatur. Ex iis rebus reddita reipublicæ pax, lux rebus ipſius Iacobi obitu, qui mox accidit, conturbata eſt. Aragonius nouas nuptias maturandi ſtudio Barcinonem abiit, quo ſponſam claſſe vehendam ab extrema Luſitania curarat. eodem Vrgelitanus appulſus defunctus morbo eſt
1347 fine anni milleſimi trecenteſimi quadrageſimi ſeptimi. fama tenuit noxio infectum medicamine. affectati regni ſuſpicio malo fuit. nullo ſane præcipuo apparatu nuptiæ celebratæ, vniuerſa prouincia præſenti luctu & impendentis tempeſtatis metu occupatā. Iacobi corpus in ea vrbe ad D. Franciſci ſepultum eſt. Ferdinandus & Ioannes fratres, qui ſoluto Cæſarauguſtano conuentu ſeſe in Caſtellam retulerant, conſilio cum matre & auunculo rege Madriti communicato, duces ſe coniuratis populis præbuerunt. Octingenti equites è Caſtella abs Rege dati. Ferdinandus Valentiam tenuit. Ioannes Cæſarauguſtā. Regina mater Conchæ & Requenæ, vbi frequens morabatur, de belli euentu filiorumq; ſalute ſolicita ſubſtitit. miſſi inter Reges legati: è Caſtella Portocarrerius amicitiæ inter fratres conciliandæ ſtudio: ab Aragonio Thauſtes iniurias expoſtulatum, & ne rebellium partes tueretur expetitum. vt ſexcenti Caſtellæ equites Aragoniis ſtipendiis, ductore Aluaro Albornocio conducerentur impetratum. Aragonius non abſq; ſugillatione maieſtatis pene ſupplex, & quaſi in rebellium poteſtate futurus Valentiæ præſto fuit. Parum abfuit quin violaretur. regii & populares voluntatib. inter ſeſe diffiſi, obſeruare inuicē ſermones, vultum oris inter ſe habitumq; notare, conuitiis contumeliiſq; initiū pugnæ occaſionemq; captare. inde ſeditione facta ventum ad arma. In regiam ipſam irrumpitur. magna aulicorum trepidatio fuit. Rex equum conſcendere, & in populū ſe dare compulſus, cōmotam multitudinem pacat. Ferdinando datum, vt Rege ſuperſtite vicarius, defuncto ſucceſſor, filiabus excluſis eſſet. fœdus metu expreſſum, haud diuturnū eſſe poterat. Rege digreſſo Lupus Luna, qui ſe iam ad Regem traduxerat, ab armis non deſiſtebat, infenſus importunuſq; coniuratis hoſtis, Rege diſſimulante primum, deinde annuente. Ad Darocam vicinaque loca caſtra erant. Ferdinandus vt Lunæ conatus comprimeret, cum copiis Cæſarauguſta profectus, equitum peditumq; quindecim millibus ad Epilam, prope Salonē fluuium, qui vulgo Xalon eſt, caſtra promouit. oppido potiri nō potuit, propter loci firmitatē. ager incenſus. ſegetes maturę corruptæ. regiorum concurſu collatis ſignis dimicatum. coniurati milites ſeditioni magis quam iuſto prælio idonei, victi profligatiq; ſunt. Semenus Vrrea, aliique viri principes ceciderunt. Ferdinandus ipſe Dux accepto in facie vulnere in hoſtium poteſtatem venit, ab Aluaro Albornocio, cui cuſtodiendus datus erat, fraternæ ſeueritati ſubſtractus, dimiſſuſq; in Caſtellam, Lupo Luna ſiue inſcio, ſiue diſſimulante alternantibus, vt in ciuili bello, voluntatibus. Regi ſatisfeciſſe declarat, Comitis Lunę honor nouo in Aragonia exemplo Lupo collatus, merces operæ ſtrenuæ. Secundum eam victoriā peruia omnia Aragonio Regi fuerunt: Cæſarauguſtæq; pace reuocata conſpirationis & res & nomen ſublatum. regni hæreditas Ferdinando ſancita. Iuſtitiæ Aragonum auctoritas amplificata. ne à Regibus libertas peſſundaretur eo magiſtratu veteri gentis more cautū erat.

Hæc

Hæc ſalutis anno milleſimo treceuteſimo quadrageſimo octauo in Aragonia gerebantur. 1348. Qui annus peſte grauiſsimus fuit. vis mali Orientis prouincias initio afflixit: deinde in cæteras regiones graſſata, Italiam, Siciliam, Sardiniam, Balearesque, Hiſpaniæ tandem prouincias vrbesque omnes vexauit. prorſus vt Octobri menſe Cæſarauguſtę in rationem Libitinæ trecenta funera quotidie venirent. aeris vitium, curatio ipſa & contactus ægrorum vulgabat morbos. infecti tabo, aut neglecti moriebantur, aut aſsidentes curantesque eadẽ vis morbi inuadebat. ita aſſuetudo mali animos efferarat, vt exhauſtis lacrymis inſepulta, ſtrataq; corpora iacerent: miſerãdaq; rerum facies per vrbes & oppida tota Hiſpania erat. Eleonora Aragoniæ Regina Exericæ, quo Rex ſe contulerat cõtagionis metu, extincta per idem tempus eſt, nulla ex ſe prole relicta. Corpus in eodem oppido ſubitario funere ſepultum. tertiisque nuptiis locus Aragonio relictus, prole felicioribus. In coniuratos Valentinos nondum quieſcentes in omnes armis, in ſingulos victoria parta grauiſſimis ſuppliciis ſæuitum: vt pœnæ magnitudo cæteros perterreret, documentoque eſſet, Regum iracundiam haud temere irritandam eſſe.

Calatrauæ diſsidium compoſitum. CAPVT XIV.

CALATRAVÆ milites Caſtellæ atque Aragoniæ inter ſe diſſidebant, ſtudiis voluntatibuſq; pro vno duo ordinis Magiſtri, Calatrauæ alter, alter Alcanitii. Garſias Lupus eius ordinis Magiſter, ante viginti amplius annos multorum criminum legeq; maieſtatis poſtulatus, minore Rege rempublicam prædę, ordinem ludibrio habuiſſe, vnde grauia incommoda extiterant, vniuerſi ordinis perturbatio, ab Alfonſo Caſtellæ Rege in ius vocatus iudicii metu in Aragoniam abiit, ſiue ex mala conſcientia digna metuens, ſiue hoſtium potentiæ & fraudibus, vt par eſſet veritus. nam militum potẽtiſſimi & nobiliſſimi ad accuſandum acceſſerant. ea prima diuturni diſſidii cauſſa fuit. cum enim Aragonii Regis fauore Alcanitii, quod oppidum ei ordini contributum eſt, Magiſtri nomen auctoritatemque tueretur, agente Caſtellæ Rege abſens damnatur, graduque deiicitur. in eius locum Ioannes Nunnius Calatrauæ ſufficitur: quem fama ferebat furto genitum ex Blanca Regis Luſitaniæ amita, virginum collegio Olgis prope Burgos præfecta. Ciſtercienſes Abbates, quibus in eum ordinem inquirẽdi veteri inſtituto poteſtas erat, noui Magiſtri electionem ratam habuere. Neque ſe tamen propterea Aragonii milites deſerunt, neque noui Magiſtri auctoritati cedunt: quin Lupo Magiſtro defuncto Alfonſum Pereſium in eius locum ſubſtituunt. acceſſit Morimontenſis Abbatis conſenſus, cuius eæ partes erant, ſiue voluntarius, ſiue expreſſus. Tentata ſæpe ineundæ inter milites concordiæ via: nam diſcordiam fore exitialem vtraque pars prouidebat. miſſis ea cauſſa inter Reges legatis, nihil ad hoc tẽpus profectũ, cum Pereſio defuncto Ioannes Ferdinandus Alcanitii in eius locum electus eſt. priuſquam ea electio rata firmaque eſſet, Regibus agentibus Caſtellæ Aragoniæque; vterque Magiſter Cæſarauguſtam, quo tempore Aragonii conuentus habebantur, aliique ex vtraq; natione milites conuenerunt. cauſſa dicta Rege ipſo Aragoniæ diſceptante, ſecundum iura & merita Caſtellæ pronunciatur: legeque in poſterum ſancitur, eum ordinis Magiſtrum rite inſtitutum haberi, quem eius ordinis milites Calatrauæ iuſſiſſent. Ioanni Ferdinando Alcanitii cura commendata, cum honoris prærogatiua cęteris Aragoniæ militibus prælato. ea ablatæ ſupremæ poteſtatis compenſatio fuit. cautumque ne in eum cæterosque Aragonios milites, dum ipſi viuerent, quidquam ſtatuendi ordinis Magiſtro poteſtas eſſet, niſi Populeti & Viruelæ Abbatum conſilio. inuidia ne malo eſſet prouidebatur. Sic cõcordia ſancita inter Calatrauæ milites, ſublataq; diſſidia ſunt Auguſti menſis vigeſimo quinto die, vt ſunt varia hominũ iudicia, Caſtellæ Regis gratiæ datũ, non ad iuris rigorem expenſum nõnullis vituperãtibus. Ipſo tẽpore Ludouicus Claromõtis Comes Alfonſi Cerdæ cognomento Exhæredis, ex Ludouico filio nepos claſſem ad Catalauniæ littora adornabat, Regis Aragonii permiſſu opeque, Pontificis Romani cõceſſu, qui ei ante bienniũ Fortunatas inſulas attribuerat ea lege, vt barbaris gentib. Chriſtianæ religionis lumen inferẽdũ curaret. De earũ inſularũ ſitu, natura, numero, & quo tẽpore ſub ditionẽ regũ Caſtellæ conceſſerint, pauca vt exponamus res videtur poſtulare. Egreſſis Gaditani freti fauces ad læuam in mari Atlantico iacent numero ſeptem, ab Occaſu ad Ortum ordine porrectæ, à media cæli linea ſeptimo & vigeſimo gradu diſtantes. Quæ maxima eſt, Canaria vocatur. inde cæteris eadem appellatio facta Solum frugibus & pecori bonum: aduectorum cuniculorum multitudo tanta, vt exitio vineis & ſegetibus ſit, aduexiſſeque pœniteat. In ea cui Ferrariæ nomẽ eſt, nulla terra aqua pręter eam, quæ ex arboris foliis liquitur. miram naturæ ac reconditam varietatem. Ludouicum ſane, cui ab eo conatu Fortunæ co-

gnomen eſt factum, quamuis claſſe comparata, imperioque attributo in eas inſulas nunquam traieciſſe conſtat. bella Gallica cladesque Philippo Regi Galliæ ad Creſiacum inflicta impedimento fuere. Poſt quinquaginta circiter annos Cantabri & Bætici collatis ſumptibus ad eam expeditionem excitati, in eas inſulas claſſe appulerunt, prædæ auidiores quam imperii, ferro flammaque minitantes inſulanis. Ex Lanceroto prædæ vis magna in Hiſpaniã aduecta Regibus eas inſulas ſubiugãdi cupiditatem iniecit. impliciti tamen rebus aliis eo conatu deſtiterũt. Ioannes Bentacurtus homo Gallus Henrici eo nomine tertii Caſtellæ Regis permiſſu, eaque lege, vt in eorũ Regũ clientela fideque eſſet, repetita nauigatione quinque minores inſulas imperio ſubdidit. duas reliquas expugnare non potuit, inſulanorũ numero & virtute defenſas. Epiſcopus genti datus Mẽdus nomine. hũc inter & Menautũ Bentacurti hæredẽ cum non ſatis conueniret, & res ad arma ſpectaret, indigne ferente Epiſcopo miſeros inſulanos prædæ haberi, nulla æquitatis cura, nulla religionis reuerentia: Petrus Barba à Rege Caſtellæ eo dimiſſus, earũ inſularum imperiũ ſibi aſſeruit, deindeque Peraſæ homini copioſo pretio vẽdidit. Peraſæ gener Ferrerius in regium etiam nomen inuaſit. Canariam tamen & Tenariſem ſubiugare nõ valens, quatuor inſulas Ferdinando Regi Catholico tradidit, accepta pecunia, vnius Gomeræ principatũ, Comitisq; appellatione cõtentus. Ab eo Rege, vt fuit inter Hiſpaniæ Reges feliciſſimus, omnes eæ inſulæ repetitis nauigationibus in ius regium ditionemque redactæ. ad intermiſſa redeamus.
1349. Anno ſane milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono Eleonora Ludouici Regis Siculi (qui in minori ætate Petro ſucceſſerat, Friderici nepos) ſoror natu maxima, matre cõcedẽte, Valentiam nauibus aducta in ea vrbe, effuſa totius gentis lætitia, Regi Aragoniæ connubio iuncta eſt.

Alfonſi Regis Caſtellæ obitus. CAPVT XV.

IN Africa per idem tempus grauiſſimi motus concitati erant. Abohanenus patris Albohaceni imperio repudiato Phutenſe regnum in Africa, in Hiſpania Heracleam, Arundam, & quidquid Afris reliquum eo tractu erat, armis præſidiisque occupauit. perfido pro more gentis ingenio, paternaque iura contemptui habens præ cupiditate imperandi, neque fraternæ cladis exemplo cautior. Patris ignauia cum magno dedecore nominis Maurici, priores calamitates acceptas eſſe accuſabat: ſi ſe duce confiderent, iniurias vlturum. Ad eas voces vulgus nouarum rerum auidum, vitio humanæ naturæ, futura præſentibus commodiora fore ſperabat: quę leuitas maxime Afrorum genti eſt innata. Res inter Mauros turbatas, ſuam occaſionem noſtri facere cupiebant. ſacramenti religio opponebatur, qua decem annorum induciæ firmatæ erant. ſed Principis mutatione, quaſi diminutione capitis exolutã eſſe, prudentioribus videbatur. belli inſtaurandi ſtudium inſtigabat, expugnandique Heracleam, cuius munitio noſtrorum conatibus quaſi frẹnos iniiciebat. Pecuniæ conquiſitio ſolicitum Regem habebat: non deſperabat tamen prouinciales quinquennii iam pace recreatos, pro ſe quemque ſuppeditaturos. inimicæ gentis extirpandæ ſtudiũ inflammabat: vñde ſæpe in fraudem multitudo impelli conſueuit. regni conuentus Complutum in Carpetanis indicti. multæ ciuitates vniuerſa ditione præter morem euocatæ, Bæticæ & Carpetaniæ hactenus à belli oneribus magna parte immunes: quod Mauricis incurſionibus obnoxiæ iniuriis propulſandis magnos ſuſtinere ſumptus neceſſe habebant. nunc ſpecie honoris obiecta in fraudem impulſi ſunt. Nam ſumma contẽtione agebatur, vt Caſtellæ & Legionis exemplo, quaſi partito inter omnes onere, vectigal pẽderent ex rebus venalibus. In his Toletani ciues ad conuentum venientes, proximum honoris & auctoritatis locum deberi ſibi diſputabant. reſtitere magno animo Burgenſes poſſeſſione meliores, ancipiti cauſſa. Ab illis ciuitatis amplitudo, vetuſtas, nobilitas, templi celeberrimi ſanctitas, Præſulis, qui cæteris per Hiſpaniam Epiſcopis iura daret maieſtas, præclara maiorum facta ad victoriæ argumentum vertebantur: Gotthorum tempore regiam vrbem fuiſſe: recenti memoria imperii titulo auctam. iniquum videri, quam diu homines que prætuliſſent, ipſaque natura loci in vmbilico Hiſpaniæ, locisque maxime editis, vnde diuortia aquarum ſint, poſitam: eam de dignitate cuiquam vrbi concedere: atque ea maxime cauſſa ad conuentum euocatam videri, vt ludibrio omnibus eſſet. Quod Burgenſes poſtularent, eodem ſe iure reliquas ciuitates tueri poſſe: poſtremumque ipſi locum idque precario relinquere. Cauſſam communem omnium eſſe: Toletique ignominia vniuerſæ Hiſpaniæ dedecus contineri. Ad hæc Burgenſes Caſtellæ ſe prærogatiua tueri, vbi principem ipſi locum occuparent. antiquiſſimæ poſſeſſionis iura proferre. contra quæ exoleta vetuſtate exempla nihil valerent. Si de honore certandum ſit, vnde inſtaurandæ religionis principium, vnde Mauricæ gentis profligandæ ſpes factæ? Eo merito Regum

priorum

priorum domicilium fuiſſe. æquum non eſſe in pace eripi, quem armis, multoque ſuorum ſanguine, honoris gradum tenuiſſent: teque Rege a maioribus tuis data priuilegia, nulla idonea cauſſa abrogari. Proceres in ea contentione diducti in partes: vt quiſque propinquitate aut alia neceſſitudine alterutram ciuitatem attingebat. ac nominatim Ioannes Emanuel Toletanis aderat, Burgenſibus Lara. neutri alteris concedebant. Diſceptata cauſſa conuenit tandem, vti Burgenſibus honoris locus, & primi ſuffragii ius relinqueretur: Toletani ſede diſcreta à cæteris exaduerſum Regis poſita priores nominarentur, Rege ad hunc modum pronunciante: Quod ego iuſſero, Toletum faciet: idque eius nomine dico. Burgenſes loquantur. ea arte, eoque temperamento, controuerſia in præſenti ſedata: quod ad noſtram ætatem perpetuo more conſeruatum eſt. Sic ſæpe popularis offenſionis non maiora remedia, quam cauſſæ ſunt. Octodecim vrbes & municipia regiis Caſtellę conuentibus intereſſe ſolent: Burgi, Soria, Segobia, Abula, Valliſoletum, Caſtellæ omnes. ex Legionenſi ditione, Legio, Salmantica, Zamora, Taurus. è Carpetanis Toletum, Concha, Caraca, Madritum. ex Bætica & Conteſtanis Hiſpalis, Granata, Corduba, Murcia, Giennium. In his Burgis, Legioni, Granatæ, Hiſpali, Cordubæ, Murciæ, Toleto, quoniá regnorum capita ſunt, ſedendo, dicendoq; ſententias, certi loci præſcripto ordine definiti ſunt: cæteris vt in conuentum veniunt promiſcuè. tametſi in Complutenſibus conuentib. multo plures ciuitates interfuiſſe memorantur, Rege eo honoris blandimento inter plures cōmunicato, vniuerſę prouincię voluntates promereri ſtudente. Actum de vectigali. negatū initio. nam quę in poſterum imminerent incommoda, prudentiores augurabantur. victa tandem eorum qui reſtiterant conſtantia, Toletanis præſertim aſſentientibus: qui nouum quamuis initio vectigal pendere recuſantes, ærarii tandē inducti inopia, belliq; inſtaurandi cupidi, cum reliquis conſenſere. Communi ſentētia, incredibili alacritate bellū in Mauros decernitur. magni delectus tota prouincia haberi: arma, tela, equos, commeatū, pecuniam comparare. iuſto conflato exercitu in Bæticam itur. Heraclea obſeſſa: magnis munitionibus operibuſq; ſepta, & ad omnes caſus parata. noua laborum facies: ardua vrbis mœnia, excelſæ turres, validū præſidium opponebatur. multi Afri ad famam noſtræ expeditionis congregati. Ferro flammaq; amœniſſima circum vrbē ædificia conſumpta: ſi damno rerū ſuarum obſeſſi ad mutandā fidem traherentur. opera admota, mœnia cōcuſſa. obſeſſi lapidib. telis, facibus, propugnare. Maurorū animi ſenſim lāguere, ſpe defenſionis abiecta, propter vigētes Africę motus: oppidani præſertim, ne capto per vim oppido nulla vltra venia eſſet: nam milites minori venturi cura perſtabant. trahebatur tempus. Miſſi antea à Caſtellę rege legati, pacem & auxilia ab Aragonio rege expetitū, redierunt in caſtra, adiuncto Bernardo Cabrera: quem ea ætate grauem ſapientemq; virum fuiſſe conſtat, eoq; Aragonium eius cōſiliis potiſſimum rempub. gubernaſſe, non ſine multorum, vt neceſſe erat inuidia, à receſſu in quem ſe contulerat otii cupiditate, ad publicas curas extractum. Fœdus inter Reges ad 4. Kal. Septembr. his legibus ſancitum eſt. Eleonoræ Reginę & filiis integra eſſent, quę pater teſtamento donarat. Nullum in Rege Caſtellę auxilium iis fore ad motus in Aragonia concitandos. Decem triremibus, quadringenti ſagittarii ex Aragonia miſſi. Dux Raymundus Villanus Ioanna Regina Vaſconum, quæ à morte viri quinque amplius annos regnum tenuerat in Gallia, vbi ſe tenebat, ad confluentes Oyſis & Sequanæ morbo oppreſſa deceſſit pridie Nonas Octobr. Corpus ad D. Dionyſii coniuncto cum patre Hutino, ſepulcro compoſitum. ſanctiſſimis moribus fœmina, proleque numeroſa felix, Carolum eo nomine ſecundum, annos ſeptendecim natum, ſucceſſorem reliquit. præterea minores filios Philippum, & Ludouicum cui Dyrrachii principatus dotalis poſtea fuit. filiæ Ioanna, Maria, Blanca, Agnes, magnis Principibus iunctę fuerunt. Maior Rhotomagenſi regulo. Aragonio altera. tertia Philippo Valeſio Gallię regi poſtremis nuptiis. omnium minima Fuxenſi Comiti coniux data eſt. Ioannes Confluentius homo Gallus eximia nobilitate Vaſconum reipublicę pro abſente Rege Præfectus erat. Interea ad Heracleam noſtri in ſpem venerant oppidi potiundi. mœnia munitionesque retardabant. Granatēſes Mauri incurſabant, inſidias tendebant, carpebant diſpalatos. eruptiones ex oppido factę. leuia ſępe pręlia commiſſa. fame tamen obſeſſos opprimi, neque diu ſuſtentare poſſe perſpectū erat. Peſtis lues repente in caſtris vulgata, opem Mauris attulit: noſtrorum rationes conturbauit. multos indies morbi contagio abſumebat. prior alacritas metu, luctu & mœrore mutata. magnam rerum humanarum inconſtantiam. Ioannes Lara, Ferdinandus Emanuel patre defuncto Villenę regulus, auctores diſcedendi erāt. auerſantibus ſuperis, alieno anni tempore, conatus fore exitiales. poſtremo neceſſitati cedendum. Furori proximum fore contra ſpem in exitium ruere. Ad has Rex voces commoueri quidem videbatur: cęterum oppidi capiendi, quod ſe Rege amiſſum erat, cupiditas retardabat: & pręteriti tem-

poris felicitas,qua ſæpe proſpere auſus erat,addebat animos.Strenuos etiam contra fortu-
nam niti dictitabat:ignauos ad deſperationem formidine feſtinare. Si vitę exitus appro-
pinquaret,vbi honeſtius quam in caſtris moriendum homini à prima ętate enutrito in ar-
mis,Regique in ipſo conatu Chriſtiani nominis amplificandi? Ea ſiue conſtantia ſiue ob-
ſtinatio exitialis fuit.glandula enata deceſſit,Martii vigeſimo ſexto die ſalutis anno mille-
1350. ſimo trecenteſimo quinquageſimo.qui annus Clemētis Pontificis cōſtitutione ſecularis
fuit:inſignis etiam obitu Philippi Regis Galliæ, cui Ioannes filius ſucceſſit, excelſo gene-
roſoq; Rex animo,minime omniū ſimulator, ſua & regni Gallici calamitate nobilis. Hūc
ergo vitæ finem Alphonſus Caſtellæ rex eo nomine XI. octauo & trigeſimo ætatis an-
no habuit: ſi vita longior contigiſſet,Maurorum reliquias exciſurus in Hiſpania,magniſq;
Principibus cōparandus rerū geſtarū magnitudine,ſciētia militari,ciuili prudētia.vna do-
meſtica incontinentia ad reliquarū virtutum iniuriam non leuem acceſſit. Vindicis nomē
iuſtitiæ amor ad populum conciliauit,aliquādo fortaſſe nimius.Extincti Regis corpus ob-
ſidione ſoluta, Hiſpalim relatum,& in Regum ſacello conditum. inde Cordubæ,vti mo-
riens teſtamento cauerat, Henrico eius filio Rege.obſeſſi barbari,virtutem etiam in hoſte
admirati,Regemq; periiſſe dictitantes,cui ſimilis in terris nullus ſupereſſet, & ſatis magnū
fructum arbitrati,metu eſſe liberatos, noſtros diſcedentes perſecuti non ſunt.

Eleonora Guſmania occiſa. CAPVT XVI.

TVRBIDÆ tempeſtates in Caſtella excepere,varii caſus,atrocia prælia, fraudes,pro-
ditiones,exilia,cædes. multi viri principes ferro interempti.multa bella ciuilia extite-
runt:ſacri externique nulla cura.noui Regis an procerum culpa in ambiguo: Principis fa-
ma tenuit: vnde illi Crudelis cognomen vulgo factum. Proceres intemperantes, in omne
fas nefasque auidos, magnam malorum partem conciliaſſe, Regique vindicandi iniurias
neceſſitatem impoſuiſſe, idonei auctores teſtantur. nimirum Principum lenitas non in
ipſorum modo. ſed etiam in ſubditorum moribus ſita eſt: obſequio mitigantur imperia.
virtus modo infelix in vitio ponitur. & clementia etiam aduerſus ſontes Regibus ſæpe
conuenit. temporibus ſeruire, diſſimulareque neceſſarium: ne quantæ irritatæ multitu-
dinis vires ſint,ſuo malo experiantur: vti Petro Regi accidit. Et quid iuuat ſanare repente
velle,quæ longum tempus corrupit? flectere,quæ vetuſtate indurucrunt,nulla proficien-
di ſpe certo exitii periculo? Pręterita dices, reprehendi magis,quā corrigi poſſunt: eſto ſed
fruſtra tamen opera ſumeretur, niſi poſteris vitæ inſtituēdæ præcepta præteritorū malorū
reprehenſiones eſſent. Cæterum antea quam tātarum rerum explicationem ingredior,
qualis ſtatus reipublicæ eſſet, quæ mens, quis habitus animorum.quid in prouincia vali-
dum,quid ægrum explicandum eſt. Petrus defuncti Regis filius ex iuſta vxore, in caſtris
continuo ab obitu patris Rex, vti erat neceſſe.proclamatur annos quindecim natus,men-
ſes ſeptem. Hiſpali ipſe cum matre reſtiterat.impar curis grauioribus ætas, ingenium quā-
tæcunque fortunæ capax. decor candidi oris cum quadam maieſtate, flaua cæſaries, cor-
pus procerum,magnarum virtutum ſemina inerant, audaciæ, conſilii: neque labore cor-
pus, neque animus vlla difficultate vinci poterat. aucupio potiſſimum deditus erat, iu-
ſti tenax.Inter has virtutes non minora vitia conſpiciebantur, inchoata tunc, cum æta-
te robur acceptura.contemptus hominum,dicta contumelioſa,ſuperbæ aures,aditus non
alienis,ſed domeſticis etiam difficilis. Hæc in teneris annis. auaritia, libidinis licentia,ſæ-
uitia morum conſequenti tempore acceſſerunt. Praua inſtitutione aucta naturæ vitia in-
dicio eſt Alfonſi Alburquerquii,cui pueri mores cōformādi cura erat à patre data,eo Re-
ge pręcipua gratia,& rebus omnibus auctoritas: non ſine inuidia atque obtrectatione pro-
cerum aliorum: ſuſpicione malo publico priuatas opes augere indulgendo voluiſſe,qua
nulla grauior peſtis.Erant nouo Regi ex Eleonora Guſmania hi fratres: Henricus Traſta-
maræ Comes,Fridericus D.Iacobi Magiſter, Ferdinandus Ledeſmiæ, Tellius Aquilariæ
reguli.prætereа Sanctius, Ioannes, Petrus, Ioanna Ferdinandi Caſtrii futura vxor. Petrus
alter & Sanctius in minori ætate erant extincti.hi omnes ſuperiorum offenſarum memo-
ria,noui Regis volūtati diffidebant,præſertim Maria Regina filii potente, faceſque ſubdē-
te animo. Eleonora Guſmania ex tanta potentia, tantaque auctoritate deiecta, (praua feli-
citas nunquā diuturna eſt)ex mala conſcientia, Reginæque viduæ indignatione ſibi me-
tuens è caſtris, vnde Regis extincti funus proſequebatur, Aſſidoniam firmiſſimum ſuæ di-
tionis municipiū delata,diu deliberauit: an eius oppidi munitione ſalutē tueretur, an noui
Regis ſe ſuaq; fidei permitteret.cōſilio cum amicis & cognatis cōmunicato,patris defun-
cti ſi utrumque reſpectum plus apud nouum Regem, quam matris querelas valiturum iu-
dicans,

dicans, conatu deſtitit. & alioqui ab Alburquerquio vis, ni pareret neceſſitati parabatur. Itaque ipſa quidẽ Hiſpalim abiit: filii Henricus Fridericusque, Pontii fratres, Petrus Marchenæ regulus, & Ferdinandus Magiſter Alcantaræ viri nobiliſſimi, Alfonſus Guſmanius aliique propinqui & neceſſarii pars Algeziram, pars in alias firmiſſimas arces ſeſe contulerunt, conſilio ne cuncti inimicorũ inſidiis eſſent opportuni, iniuriasque armis vindicaturi. Audax Regis animus, muliebris ira timori nõ ceſſit. vix regio funere procurato, Eleonora Guſmania capta Hiſpali, atque in cuſtodiã tradita eſt. ſic res Hiſpanas ira numinum in exitium agebat. quę ſemel quos premere cœpit, in præceps dat. Henricus filius Algezira pulſus cum ſe fide accepta ad Regem contuliſſet, re cum matre communicata, feſtinatis nuptiis Ioannam Ferdinãdi Emanuelis Villenę reguli ſororem pactam antea, toro ſibi iunxit. Noua præſidia aduerſus Regis potentiam, Reginæque ſæuitiam quærebantur. Accidit vt Auguſto mẽſe Hiſpali Rex ex morbo decũberet grauiſſimo, ſalute à medicis deſperata. aderat regni vix inchoati finis, & ſpes nouę nectebãtur. vulgus proceresq; pro more multos ſucceſſores deſtinabant. pars Ferdinandum Dertuſæ Marchionẽ, pars Ioannem Larã. Ferdinandum Emanuelem alii, regio omnes Caſtellę ſanguine prognatos, præ cæteris nobiliſſimos. De Henrico Traſtamaræ Comite & fratribus nondum mentio vlla. ſermonum materiã, quã aduerſa regis valetudo præbuerat, eadẽ recreata breui, ac plane reſtituta abſtulit. nihilq; importuno morbo actũ videbatur, quã vt procerũ & populi volũtates regi exploratæ eſſent: vnde nouæ offenſiones, implacabiles ſimultates: vt fere inuiſi Principibus ſunt, quicunque ad ſucceſſionis ſpem proxime deſtinantur. Itaque Ioannes Lara ea rẽ offenſus, nimiæque Alburquerquii potentiæ inuidens, rempublicam pro arbitrio gubernantis, Hiſpali ſe ſubduxit, atque in Vlteriorẽ Caſtellam abiit, prouinciæ ſtudia, quoniam amplam iis in locis ditionem obtinebat, excitaturus. Impendentes motus mors breui ſubſecuta compreſſit, vigeſimo octauo Nouembris die. Burgis, vbi deceſſit, in D Pauli Prædicatorum æde tumulatus eſt, filio bienni, cui Nunnio nomen fuit. Coniuncto ferme funere Ferdinãdus Emanuel, Blanca filia ſuperſtite ſublatus & ipſe eſt. Alburquerquio vtriuſque Principis obitus gratiſſimus extitit, aliena calamitate augere potentiã, ſublatisq; æmulis alieno nomine regnare ſatagenti, nulla reipublicæ cura. Ergo Rex defunctorũ principatus inuadere occupareque certus Hiſpali diſcedit. Iter incruentum non fuit, ſæuique animi veſtigia non vno loco extiterunt. Ad Ellerenã municipium, Fridericũ fratrẽ aduenientem recipere viſus eſt fallaci, vti euentus probauit, vultu verbisque. Eleonoram Guſmaniam eius matrem Talauerę in Carpetanis, vbi in cuſtodia erat, interficiendam eodem tempore mandauit. cædis miniſter Alfonſus Olmedus, magna noui principatus inuidia, cuius tale ſpecimẽ initio cernebatur. Scelere in vno multa & grauiſſima peccata commiſſa Quid præterita gratia? Rex amicus quid profuit? numeroſaq; proles? Omnia peruertit atrox noui Regis ingeniũ: tametſi propter tenerã ætatẽ diri facinoris inuidia penes viduam Reginam ſtetit: doloremq; diuturnum ex viri pellicatu æmulæ cæde vlciſci velle viſa eſt. Ab eo ſane tempore ei municipio, quoniam in Reginæ ditione erat, Talaueræ Reginæ appellatio facta eſt. Burgis Garſias Laſſus adempta defenſione, ſociiſque in vincula raptis, intra ipſum Regis palatium, eiusque iuſſu cõprehenſus interfectusque eſt. grauiſſimum crimen erat, ſyncerum erga Ioannem Laram ſtudium. Caſtellæ Antelatus in eius locum Garſias Mãricus creatur. De Nunnio infante Viſcaiæ Principe in Regis poteſtatem redigendo conſilia agitata. Mentia fœmina primaria, cuius fidei puer erat concreditus, regiæ iræ auaritiæque ſubtraxit in Viſcaiam aufugiens, Cantabrorumque fide ſperans regios impetus poſſe retardari. Regis iracundia tanta, vt fugientis veſtigiis inſiſteret, & cum conſequi non poſſet, ditionem omnem armis occupare deſtinaret. quod puero intra dies paucos defuncto factum eſt: Ioanna & Iſabella eius ſororibus in Regis poteſtatem redactis, Viſcaja, Lerma, Lara, aliaque oppida & arces, ad Regis ditionem imperiumque ſubiuncta. Hæc ſalutis anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo gerebantur. Quo tempore in 1351. Aragonia feſta lætitia, atque gratulatione omnia plena erant, Ioannis Aragonii filii ortu, ſublatis de regni ſucceſſione controuerſiis omnibus, quibus diu reſpublica fuerat exagitata. Infanti Bernardus Cabrera educator inſtitutorque, perſpecta prudentia probitateque vir, Gerundæ principatus Ducis nomine à patre continuo eſt datus. quod in morem ab hoc initio ſuſceptum eſt, vt Aragoniæ Regis filio maiori eius vrbis imperium eſſet: Regum Galliæ æmulatione, quibus Humbertus Delphinus Viennenſem prouinciam pretio ante paucos annos vendiderat: ea lege, vt eorum Regum filii maiores natu Viennenſem prouinciam, Delphini titulum obtinerent, inſigniaque eius principatus geſtarent. ipſe principalem vitam monaſtica atque beatiore mutare certus, Prædicatorum veſtem induerat, raro in Principibus pietatis colendę ſtudio. De Carolo Rege Vaſconum, qui ſu-

periore anno regium inſigne Pompelone deſumpſerat, conciliando in parteſque trahendo. Regibus Aragonię atque Caſtellæ vno tempore cura erat. qui prior eius gratiam occupaſſet, non leue momentum ei acceſſurum videbatur. nam belli tempeſtates impendere prudentes conſiderabant: & Ferdinandus Dertuſæ Marchio ad inuadendos Aragoniæ fines auxilia vndique comparabat. Vtroſque amicitiæ ſpecie diſtinere Vaſconi viſum eſt: Burgosque Regis Caſtellæ conueniendi cauſſa, eiusq; inuitatu cum fratre Philippo venit. Inter adoleſcētes Principes comitatis elegantiæ atque munificētiæ certamē fuit. ætas vna, ingenii ſimilitudo animos deuinxit. nam & Carolo Regi à quibuſdā Mali, ab aliis Crudelis cognomen fuit: quod initio regni motum popularem in prouincia concitatū ſeuerioribus æquo ſuppliciis vindicaſſet. his initiis media exitusq; cōſentanei fuiſſent. Linguæ libertate cui æque ac corporibus imperari non poteſt, Principum peccata vindicantur. Diebus aliquot Burgis conſumptis in ludis, ſpectaculis, conuiuiisq;, vti Regū ferebat ætas, Rex quidem Caſtellæ Valliſoletum abiit, regni conuentus in eo municipio habiturus. Carolus autem Pompelonem ſeſe retulit. vnde rebus conſtitutis, Galliæ repetendæ ſtudio, vbi natus erat, Momblancum Aragoniæ oppidum primum petiit, Aragoniæ Regi mutuum colloquium expetenti gratificaturus. De geminis nuptiis actū, Caroli ipſius cum Regis Siculi ſorore: Blancæ Caroli ſororis viduæ, cum Caſtellæ Rege. vtrunque excuſatū: cum Galliç moribus ſuſceptum diceret, ne Reginæ quauis ætate viduæ ſecundo nuberēt: ſuam ipſius ætatem coniugio immaturam videri. hæc palam, ex arcano tamen ſpes erat Galliæ Regis filiam Ioannam nomine, ſibi connubio iungēdi: quod Vaſconum rationibus fore cōmodius videbatur propter amplitudinem ditionis regiæ non imparem, quam is paterno iure obtinebat in Gallia.

Caſtellæ Regis nuptiæ. CAPVT XVII.

VALLISOLETI, vbi regni conuentus erant, tum aliæ minores res conſtitutæ: tum de duab. potiſſimū grauior diſceptatio fuit. In Caſtella vlteriori oppida quędā erāt, quibus ducta ab antiquo conſuetudine, dominos pro re proq; voluntate mutare liberū erat. quędam ex vniuerſa gente promiſcue, eum Principem iubebant, quem ſuis rationibus opportunum maxime iudicarent. alia ex vna tantum familia. vtraque ab ea re Behetriæ vulgo dicebantur. in iis quoniam multa erant perturbata, & ſcelerum licentia vigebat maxime, ſumma Alburquerquii contentione actum eſt, vt datis à Rege certis Principibus, mutandi amplius facultas non eſſet. in quo nō magis publicæ vtilitatis reſpectus, quā priuati cōmodi eſſe videbatur. nam vt erat Regis gratia inter proceres potentiſſimus, magnam eorum oppidorum partem ſpe erat complexus. Interceſſit Ioannes Sandoualius, aliique viri primarii: quibus iis in locis, aut patriæ ius, aut aliæ neceſſitudines erant, priuato & ii cōpendio ducti ex aliena calamitate, libertatemque à maioribus acceptam eripi. populis nefas fore dictitantes. itaque is conatus fruſtra fuit. Mox de Regis coniugio actum. Vaſco Palentino Præſule, qui regio ſcrinio erat præfectus, ipſoque Alburquerquio annitentibus, Reginæ matri perſuaſum eſt, vti ex Gallia coniux Regi iuueni peteretur. ætati lubricæ non aliunde maius periculum imminere, quam circunfuſis vndique voluptatibus. ſimul in ſpem regni prolis ſuſcipiendæ cura erat. Ioannes Roelius Burgenſis Epiſcopus, Aluarus Albornozius ciuis Conchenſis ea cauſſa in Galliam legati ſunt, Ioannis Ducis Borbonii regio Gallorum ſanguine nobiliſſimi potentiſſimique filiam, è ſex quas habebat, eam expetituri, quam regio toro idoneam fore maxime iudicarent. Blanca, concedente patre, delecta: eique continuo ſponſalia data præſtantibus animi & corporis dotibus felix, quas ſecum ipſa quaſi certans natura cælumque benigne contulerat: infelix coniugio, vnde bonorum cumulus expectabatur. Sic ſpes humanas altior, ſiue fortuna, ſiue vis occulta deludit, ludibrioq; ſumus nos noſtraque. Hēricus Traſtamarę Comes ex Aſturibus, quo matre cæſa, Laſſo interfecto abierat, Regis voluntati diffiſus, viribus impar in Luſitaniam ſe recepit. Profugi miſeratione, Petri Regis periculo ex populi odio inuidiaque Luſitanus mouebatur, eiuſque res ad ſuam curam pertinere iudicabat: quippe nepotis ex filia. Eo expetente per cauſſam mutui colloquii Mirobrigam Petrus acceſſit. eodē Luſitanus appulſus Hēricum reſtitui conceſſa impunitate impetrauit. In tanta tamen colluuione voluntatum, tantisque offenſis res trāquillæ eſſe non poterāt. In Bætica, in Aſturibus, in Cartha-
1352. ginenſi tractu inteſtini motus cōcitati principio anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi ſecundi. Alfonſus Coronelius vir magnarum opum, magnæque inter Bæticæ regulos auctoritatis, Regis munere quamuis Aquilariam obtineret, de quo oppido illi cum Bernardo Cabrera diuturna contentio fuerat, Regi diffiſus, quod eo Hiſpali decūbente, vt eſt paulo ante monſtratum, Ioanni Laræ regnum deſtinarat: ex eoq; in offenſam incurrerat,

oppida

oppida & arces munire, præſidia comparare, in Aquilariæ munitione magnam ſpem habere: proceres ad arma ſocianda ſolicitare, externa auxilia conquirere. Ea cauſſa Ioannes Cerda Ludouici Cornelii ipſius gener ad Mauros legatur. in Granatenſi parum præſidii erat, quod à Caſtellæ Rege pactis induciis occupatus, nihil mouere pręiudicatum haberet neque maius in Africa præſidium fuit, vbi Abohaneno adiunctus inſigni prælio interfuiſſe memoratur, quo Albohaceni patris opes concuſſæ ſunt. inde in Luſitaniam rediit, exul profugusque, ſpemque patriæ aliena miſericordia ſuſtentans. Eius vxor Maria Coronelia, cum mariti abſentiam non ferret, ne prauis cupiditatibus cederet vitam poſuit, ardentem forte libidinem igne extinguens adacto per muliebria titione. dignã meliori ſeculo fœminam, inſigne ſtudium caſtitatis. Interea Caſtellæ Rex ad Bæticæ motus accurrens pleriſque oppidis Coronelio ablatis, Aquilariam inuadere parabat: cum vno tempore nunciatur Henricum in Aſturibus Gegionis munitione confiſum concitare tumultus, parare arma: Tellium fratrem Montacuto ad Aragoniæ fines latiſſime prædas agere. Rex quoniam ea parte maius periculum inſtare videbatur, Bætica relicta in Aſtures primũ abiit, aduenienti qui in Gegionis præſidio erant, deditionem continuo fecerunt, veniã Henrico, qui in vicinos montes ſe contulerat, ſibique incolumitatem pacti. Eo in itinere Regis animus Mariæ Padillię, quæ in Alburquerquii familia educabatur, eximia pulchritudine captus, cum ea ad S. Facundi oppidum ſtupri conſuetudinẽ habere cœpit, ſponſæ immemor, nouisque amoribus amens. vnde reipublicæ Regique ipſi ſupremũ exitium parabatur Ioannes Hineſtroſa puellæ auunculus internuncius, prauæque conſuetudinis cõciliator. Teneram Principis ætatẽ, praui homines obiecta ſpecie omni libidinũ, conciliandisq; voluptatibus, quod genus obſequii peſſimum eſt, expugnare conabãtur: nulla neq; honeſtatis cura, neque metu turpitudinis, grauiſſimo reipublicæ damno odioq; communi Regis gratiam aucupantes. Domi laſciuia erat, foris ſæuitia: cui cæteræ Principis cupiditates cedebant. Montacutum conuerſo in eam partem belli impetu, aliaq; vicina oppida abs Rege capta. Tellius in Aragoniã aufugerat, Regionum propinquitate Reges Caſtellæ & Aragoniæ inuitati, de concordia agere, inſtituunt. ventum in colloquiũ non eſt. miſſi vltro citroque legati. Alburquerquio tandem cum Bernardo Cabrera in Turiaſonenſi agro conueniente, eorum arbitratu fœdus ſancitũ. Eoſdẽ amicos inimicosq; futuros. Tellio, Ferdinãdoque Aragonio inuicẽ venia à Regibus data. Rebus cõſtitutis Bætica repetita. Aquilaria corona cincta. quatuor menſes obſeſſi præſtãti fide ſuſtentarunt. mẽſe Februario ſalutis anno 1353. oppidum vi expugnatum eſt. Sacris Coronelius operabatur, cum hoſtes intra munitiones irrupiſſe nunciatum eſt. neque deſtitit tamẽ priuſquã diuina hoſtia ſacrificatum eſſet, 1353. mortem adeſſe certus nulla ſpe veniæ. captus intra turrim, in quam ſe præſidii cauſſa incluſerat, maieſtatis lege pœnas ſoluit. idẽ fecerũt quinq; alii ſocii primarii, oppidũ mœniũ corona nudatũ. multitudo conſeruata. Cordubæ, quo ſe Rex Aquilaria capta cõtulit Beatrix ex Padillia nata eſt. inde in Carpetanos itum. Tortigiis, quod municipiũ Toleto abeſt viginti paſſuum millibus. dum eis victoriæ, natæque filiæ lætitia ludrico militari celebratur, Regi in manu vulnus inflictum: vnde vitæ diſcrimen adiit, vix vllis medicamentis retento ſanguine. eodẽ Alburquerquius venit obita legatione ad Luſitaniæ Regẽ, eiusq; conſilio Ioanne Cerda adiũcto. Blandis is verbis à Rege in gratiã receptus, vt ablata ſocero oppida reſtitueret impetrari non potuit. nõ ratio & æquitas, ſed vis & libido dominari cœperat. magnã eorum oppidorũ partem filiæ donaſſe excuſabat Rex, nuper natæ coniugio dotẽ, vitæ ſubſidium. Blãca Borbonia per idẽ tempus Narbonenſi Vicecomite proſequẽte, atque Friderico D. Iacobi Magiſtro, qui honoris gratia obuiam proceſſerat, Valliſoletũ tandem appulſa erat. Nuptias maturãdas Alburquerquius diſputabat, pro auctoritate imperare videbatur, conuitio nõnunquam: Padilliæ propinqui ne principẽ gratiæ locum occuparent, haud temere verebatur. dolebatque. Rex parendi ſibi neceſſitatem imponi nõ ferebat Padilliæ amoribus æger, & cũ annis ſe ipſo ferocior. & Alburquerquius minori in gratia eſſe cœperat: vt ſæpe facinorũ miniſtri conſultoresq; quaſi exprobrantes aſpicimus. inde illi caſus initium. eo minori populi miſeratione, quod omniũ, quæ perperã geſta erãt, auctor eſſe credebatur. Nuptiæ tertio Nonas Iunii modico apparatu celebratæ, infauſtum fore coniugiũ plerisq; ominantibus. auſpices nuptiarũ Alburquerquius ipſe, & Eleonora Regina. Interfuere celebritati Henricus & Tellius, Ferdinandus, & Ioãnes Aragonii. Ioãnes Nunnius Calatrauæ Magiſter, Ioannes Cerda, Principes alii. Per idẽ tempus Caroli Regis Vaſconum, Ioannæque Galli Regis filiæ natu maximæ, nuptiæ in Gallia celebratę ſunt, multo quã noſtrę feliciores futurę, mutuo inter cõiuges amore, numeroſaq; prole. Carolus. Philippus, Petrus ex his nuptiis procreati: tametſi Philippus in prima ętate extinctus eſt. præterea Maria, Blãca, Ioanna. Blanca quidẽ tertiodecimo ętatis anno deceſſit.

eius ſorores magnis Principibus iunctæ ſunt. Leo ex impari matre Carolo Regi natus erat, vnde Corteſii Marchiones Vaſconum nobiliſſimi, genus deduxunt. quemadmodum ad Petrum Caroli Regis iuſtum filium Marchiones Falcis, generis materni originẽ referunt.

Caſtellæ Rex Blancam deſerit. Cap. XVIII.

VIx Caſtellæ Rex nuptiarum celebritate peracta, nouam nuptam faſtidiuit, in Padilliæ amorem effuſus: ſi regiæ ſtirpi compararetur, ignobilis, neq; maiori formæ pulchritudine. tanti plerunq; eſt præpoſteræ animum libidini mancipari. Biduo tranſacto Montalbani arcem ad Tagi fluminis ripam, vbi amicam antea, nunc pellicem reliquerat, continuato itinere feſtinare parabat: cum Regina mater, Eleonora amita Regis conſilio indicato, eum remotis arbitris per omnia numina, & quidquid in terris ſanctum eſt, ne ſe, regnum, fortunas, nominis exiſtimationem pręcipiti temeritate perditum eat, profuſis lacrymis obteſtantur. Quid orbi ſermonem, Gallis arma iniuriam non laturis, ciuibus diſſidiorum materiam daret? Ignorare videlicet integra probitatis fama humana imperia conſtare. quos deſtitui à numine, quibus infenſum cœlũ eſſe, ſemel fuerit perſuaſum, in eos homines malaque omnia quaſi facto agmine impetum dare. Lectiſſimæ coniugis luctu moueretur: eiuſq; amore fœdam libidinem commutaret: neq; flagitio in exitium rueret. Ad has ille voces nihil moueri, negat tantum ſibi id eſſe propoſitum. mox clam adductis iumẽtis fugienti ſimilis diſcedit. Henricus & Tellius abeuntis iter proſequuntur. idem Aragonii fratres faciunt. tempori ſeruire, atq; Principis voluntati aſſentari, quod peſſimum obſequii genus eſt, pleriſque proceribus certum erat. Vnus Carrillius Toletanus Præſul, priſci moris vir monere ſalubria non deſiſtebat: verbis, litteriſque caſtigare. ex eo grauis Regis auribus eſſe cœperat. odii cauſſæ acriores, quia iniquæ. Itaq; ante hæc tempora venia diſcedẽdi impetrata, negotia domeſtica cauſſatus. Concham abierat: deinde ſeſe in Galliam cõtulerat, ſatius iudicans in exilio viuere, quam precariam animam apud infenſum Regem trahere. Auenionem appulſus Pontificibus Romanis aſſiduus gratuſque imprimis, à Clemẽte VI. in Cardinalium numerum cooptatus ante tres annos fuerat. ab Innocentio, qui ſuperiori anno Clementi ſucceſſerat, ad cõſilia de rebus omnibus adhibebatur. In eius locum Blaſius (alii Gõſaluum vocant) Præſul Toletanus cõſtitutus eſt Rege annitente, legib. an vitio creatus, nõ ſatis cõſtabat. Tametſi Carrilliũ ſpõte abdicaſſe. quidã nullo idoneo autore diſputant: diſceſſuſq; cauſſam non irã Regis extitiſſe, ſed honorẽ purpuræ delatũ: cui abſens ſatisfacere nõ poſſet. Si credi par eſt, tanti eũ honorẽ fuiſſe, vt ampliſſimæ eccleſiæ primoque inter Hiſpaniæ Præſules loco præferendũ iudicaret. Montalbano Toletũ abs Rege itũ eſt Valliſoleti eius reuocãdi conſilia cõmunicata, Rege non ignaro eoq; maiori in Alburquerquiũ ira eius cõſilii auctorem prorſus vt Regis placandi ſtudio Egidium ille filium fidei obſidem daret. Summa tamen procerum contentione impetratum, vt rex ad nouam nuptam Valliſoletum rediret. non amplius biduo apud eã ſubſtitit: tanta impudici amoris impatientia væſaniaque, vt iniectam carminibus amentiam fama vulgauerit, zona Iudæi cuiuſdam arte medicata draconis ſpecie regiis oculis obiecta. Quibuſdã ſuſpicio fuit, temeraria ſane & impudens, Regem non ſine cauſſa à Blanca vxore repente alienatum: vitiumque illi a Friderico fratre illatum: natumque ex eo commercio Henricum, quem Columba Iudæa Hiſpali nutrice educatum, Henricorum familia nobiliſſima auctorem generis nominat, regio inſerti, à regioque deducti. Neutrum nobis veriſimile viſum eſt: ac credam potius vbi tetri amoris flamma pectori inſederit, non alia philtra amatoria quærenda, neque alias offenſionis cauſſas præpoſtere excogitandas: vt iuuenis animus in furorem agi, & de poteſtate mentis exiiſſe videretur. Valliſoleto Olmedum Rex abiit, locis finitimis ſitum oppidum. eodem Maria Padillia eius accitu Toleto venit, coniugis Reginę nulla amplius neq; memoria, neq; miſeratione. Alburquerquius munitis ſuæ ditionis oppidis ſe primum tenuit: deinde vim veritus in Luſitaniam ſe contulit, haud tuto committi fidem ei arbitratus, cui coniugii ſanctitas, & ſacramẽti religio vilis extitiſſet. Fridericus tamen D. Iacobi Magiſter, redintegrata cum Rege gratia, à quo matre cæſa auerſo animo eſſe cœperat, ad eum Cuellarẽ venit. Tellio fratri Ioanna Laræ filia, natu maxima Segobię, vbi ſolennitas nuptiarum fuit connubio iuncta eſt. dotali Viſcaiæ principatu. Mariæ Padilliæ propinqui eo blandimento regios fratres iam antea Alburquerquio iratos, ſibi conciliare ſtudebant. Blanca Regina Medina Campeſtri, vbi cum Regina ſocru honeſtis ſolatiis vitam tolerabat, prius propemodum vidua quam coniux Areualum ducta eſt, ſublato etiam ſermonis cum ſocru, aliiſque Principibus commercio. Petrus Gudiel Segobienſis Epiſcopus, Tellius Palomecluus ciuis Toletanus cuſtodes adhibiti, minime fugituræ. aulæ ſubinde miniſte-

miniſteria mutata. Diegho Padilliæ Mariæ fratri regii cubiculi cura data. Aluarus Albornocius pincerna, Petrus Gonſaluus Mendoza dapibus pręfectus, Mendoziorum familiæ conditor, eaque tempeſtate in Cantabriæ parte, cui Alauæ nomen eſt, oppidum obtinens, vnde genti nomen. (huic Dieghus Mendoza filius fuit maris Præfectus annis conſequentibus) Hæc Segobiæ geſta ſunt Alburquerquii odio, quoniam multi in aula eius beneficio obſtricti erant. idem Hiſpali factum: quo Rex præcipiti autumno ſeſe contulit. multi Bæticæ reguli datis ab Alburquerquio honoribus ſpoliati. ſic ſunt rerum humanarum vices. nihil inſtabilius, inconſtantiusque Regum gratia, præſertim malis artibus parta. omnino ſe Rex & rempublicam Mariæ propinquis gubernandum tradiderat. eorū arbitratu, belli & pacis conſilia gerebantur. proceres ipſiq; Regis fratres tempori ſeruire, atque ad fortunæ motum ſe mouere: ad Mariæ gratiam donis, officiis, aſſentatione, aditum certatim captare. fœda rerū tota prouincia colluuio. Hyeme cōtinuis imbribus inflati amnes. Hiſpalis portæ, ne reſtagnantis late fluminis impetus vrbana ędificia labefactaret, pice ſtupaque ferruminatæ ſtipatæque. Proximi anni principio milleſimi trecenteſimi quinquageſimi
1354
quarti, Ioannes Nunnius Calatrauæ Magiſter cum prius ſe exitii metu in Aragoniam contuliſſet, blandis deinde regiis litteris inductus Almagrum rediit, amplum ſuæ ditionis municipium. intra id oppidum à Ioāne Cerda captus eſt, quem Rex nouis honoribus auxerat. amicitia cum Alburquerquio grauiſſimū Nunnii crimen erat: Regisque reuocandi quo primū tēpore Blancā deſeruit, cōſilii particeps fuerat Dieghus. Padillia cōtinuo in eius locum ſubrogatur, raptim perturbateq; nullo comitiorū ordine. regia voluntas pro lege fuit. Nunnius Maquedæ in cuſtodia inopinato obtruncatur, Regis dolore iraq; an vera, an ſimulata: vt atrocis facinoris infamiā inuidiamq; à ſe amoueret, deriuaretq; in alios. Sed nullis quæſtionibus habitis, nemine vindicato, ſuſcepta ſemel opinio ad populum confirmata, Regis voluntate cædem factā. In Alburquerquii oppida, quæ multa & valida ipſius nomine tenebantur, præſidiis militaribus firmata, impetus factus. Metellinū in Luſitania veteri, munitione diffiſum, ipſo Alburquerquio cōcedente deditionē fecit. alia parte Alburquerquium oppidū tentatum expugnari non potuit, loci præſidiique firmitate defenſum. Cum duceretur obſidio, regii fratres Henricus, Fridericusque ad Pacem Auguſtam relicti ſunt irruptionibus prohibendis, quæ ex oppido Alburquerquio fiebāt. Eo conſilio nouis rebus materia parata eſt. Caſtris Cęcilianis quo Rex diſceſſit legati ad Luſitanum miſſi, viri primarii, Eborę tunc nuptias celebrantem, magna gentis lætitia, apparatuque Marię neptis, & Ferdinandi Aragonii. Facta ii dicendi poteſtate Alburquerquiū Regi ſuo dedi poſtularūt, regiorū vectigaliū, quæ diu penes ipſum fuiſſe conſtabat, rationē redditurū lege peculatus poſtulato, receptum in Luſitania eſſe nō debere. Ad hęc Alburquerquius: Qui reipub. male geſtæ crimen imponeret eum ad ſingulare certamē prouocare. ferox animus continuis incommodis irritatus, contumeliā non ferebat. Quod de fiſci rationibus petebatur, nō recuſare, exigerētur modo in Luſitania. honeſta petere viſus eſt. re infecta dimiſſi legati. Locorum propinquitate inuitati regii fratres, quibus rempublicam ſurſum deorſum agi, pręd æque haberi graue erat, Alburquerquium de ineundo fœdere priores appellare conſtituunt. Miſſus in eam rem legatus. Inter Pacem Auguſtam & Helbes medio interuallo, colloquiū eſt habitū. de opprimendis regiis conatibus, temeritateque conſultatur. alii proceres adiuncti. vires tamen impares erant. Petrus Luſitani Regis filius ad ſocietatē inuitatur, ſpe iniecta Caſtellę regni tum belli, tum propinquitatis iure, quippe Sanctii Regis nepoti ex filia Beatrice. verum cum id conſilium Regi Luſitano non probarēt, conatu deſtiterūt. Hęc ad fines Luſitanię noua tela texebatur. Caſtellę Rex, qua inſtituerat ſocordia, nouo flagitio priora ſcelera cumulauit: prorſus vt ſi aliorū turpitudo excuſati poſſet, hoc crimine penitus obruatur. Ioanna Caſtria, Diegho Haro marito defuncto vidua, cui forma cōparari nulla poterat, inſigni pudicitię laude, viduitatis incommoda ſuſtētabat. in eam Rex prauis cupiditatibus imperare neſcius, oculos iniecerat. pudicitiam expugnare non ſperabat. coniugii ſpecies pretenſa. fingit ſe cęlibē eſſe: Blancę nuptias ex animo auerſatum, cuius rei teſtes, indiciaq;, proferebantur, neq; enim deeſſe poterāt. Epiſcopi Sanctius Abulenſis, Ioannes Salmanticenſis de re ea appellati, ſecundū Regis libertatē pronūciarunt, furenti Principi repugnare nō auſi, vinceteq; honeſtatis iura metu periculi. O homines ad ſeruitutē natos! ſic erat, acerba gentis fata exagitabant. ſentētia pronūciata, Cuellare, quo Rex venerat, nuptię feſtinatę ſunt. copia faſtidiū vt antea faciēte, paucis apud nouā nuptā diebus moratur. ſunt qui vna tantū nocte dicāt. tametſi ſpecies pręrendebatur initę inter proceres cōiurationis: quorū conatibus ne tempore confirmarētur, occurrendū videbatur. Ioāna Caſtria regiā auctoritatē Donniis nomine tenus tuebatur, acceptęq; ignominię velamē honeſtum ſcilicet, atq; pręclarum. Ioannes filius ex iis nuptiis procreatus eſt, matri ſolamē,

fortunæ ludibrium futurus. In ipſo belli ciuilis apparatu ad Caſtrum Sericium in vlteriori Caſtella Ioanni Aragonio Iſabella altera Laræ filia iuncta eſt, Viſcaiæ principatu dotali, Tellioque qui maiorē ſororem in coniugio habebat, quoniam conſpirationis ſocius erat, eo principatu ſpoliato. tametſi iniquum erat viri culpam vxoris pœna lui: ſed Petro Rege neque ius neque æquitas valebat, raptim & peruerſe cuncta adminiſtrabantur. In eo oppido Maria Padillia filiam alteram peperit, cui Conſtantiæ nomen fuit, Alencaſtrio Angliæ Duci quondam nupturæ. Ad proceres coniuratos, noui ſe proceres adiungebāt. Ferdinandus Caſtrius Ioannæ ſororis ignominia percullus, vindicareque armis certus, eorū partes ſecutus eſt. idem fecere Toletani ciues Regis væſaniam deteſtati, Blancæ Reginæ commiſeratione. Cordubenſes, Giennenſes, Conchenſes, Talauera, Toleti auctoritatem ſecuti, acceſſere paulo poſt Aragonii fratres. fauebant Reginæ Eleonora Mariaque, Regē malo non aliter ſanari poſſe ſperantes. ſic belli ciuilis, atque internecini fundamenta ponebantur, viamque ad regnum Henrico fata monſtrabant.

Bellum Sardicum. Capvt XIX.

IVVAT cogitationem tantiſper à Caſtellæ malis auocare, nouaque narratione reficere animum. tametſi alienum ab inſtituto non eſt quæ aliis per Hiſpaniam prouinciis contigerunt, locis competentibus explicare. Granatæ Rex Iuzephus Bulhagix cum regnaſſet annis vno & viginti, ſuorum perfidia ferroque hoc anno peremptus eſt. coniurationis auctor Mahomad à ſenectute cognomento Lagus Iuzephi patruus, Ferracheni reguli Malacitani filius regnum occupauit, multis calamitatib. per totam vitam obnoxius, vt nunquā eſt fida potentia piaculo, parricidioque parta. Res Maurica regulis eo tractu in factiones ſciſſis, imperiique mutatione ſæpe alternantibus, ad interitum feſtinabat. Oſca vetus Ilergetum vrbs publicæ ſcholæ iure ab Aragonio Rege donata. annua vectigalia, artium ingenuarum profeſſoribus de publico conſtituta. Quo tempore bellico apparatu vniuerſa Aragonia incitata erat. moti ad arma proceres cum Rege in Sardiniam traiecturi. Fuerat ea inſula Bonifacii. VIII. conceſſu Piſanis iniuſtis rerum dominis detracta Aragoniis armis. cū iis anceps, diuturnumque bellum fuit. pulſi tandem Piſani ſunt. partum tamen inſulæ imperium tueri ardua res Aragoniis erat, in Mediterraneo mari ſitæ, procul a littoribus Hiſpaniæ, hinc Africa obiecta, inde Liguria, interiecta tantum Corſica inſula à Sardinia anguſto freto dirempta. Inſulanis ſtudium erat rerum nouarum, ingrata quæ tūta, in temeritate ſpes. Oriæ Genuenſium familia nobiliſſima freti incolarum ſtudio, ditioneque oppida in ea inſula obtinentes, in pellendi Aragonios certamen ingreſſi ſunt. opem vti neceſſe erat, Genuenſes tulerunt. Saſſarim & Calarim firmiſſimas vrbes ad extrema inſulæ promontoria ſitas, ſui quondam iuris ab Aragoniis inaudita cauſſa occupatas cauſſabantur. ventum ad arma. Alguerium vrbs medio interuallo capta. Saſſaris obſeſſa. expugnari non
1355. potuit, eximia ciuium erga Aragonios fide. ſed dum obſidio vrgetur tamen, miſſa ab Aragonio Rege claſſis rebus aſperis opem latura, aliquandiu alternante fortuna bellū ſuſtētatum. Veneti perpetui Genuenſiū potentiæ æmuli hoſteſq;, miſſa legatione Aragoniū ad armorū ſocietatē inuitant. ſi vires conferantur exultantē hoſtium inſolentiā reprimi poſſe. Sācito fœdere claſſes Aragonia & Veneta in ipſo Boſphoro Thracio ad Perā Genuenſium ea tēpeſtate vrbem, ante annū tertiū cum hoſtiū claſſe ſupremo conatu dimicarant, quamuis inflato mare, fluctibusque intumeſcentibus, tanta erat cupiditas pugnādi. victi Genuēſes. tres & viginti triremes captæ. non paucæ vi tempeſtatis ad littus eiectæ. Cecidit etiam Pontius Aragoniæ claſſis præfectus duodecim triremibus amiſſis. neque clara ea victoria in præſens fuit, neq; in poſterū vſui. eaque opinio extitit, vt vtrinq; ſe victores ferrent. Clemens & Innocentius Pontifices, Chriſtianæ reipublicæ calamitas ex iis diſſidiis quanta inſtaret, prouidētes, pace aut induciis factis conati ſunt Venetos, Aragonios, atque Genuenſes pacare. repetitæ ea cauſſa legationes. fruſtra is conatus fuit: rebus adeo exulceratis, vt niſi alterius gēntis clade ſanari nō poſſe crederēt. & nouū Genuenſibus præſidium acceſſerat. Marianus Arboreæ regulus, ditione, opibus, clientelis, in Sardinia ab antiquo prępotēs, prædæ ſpe ſeſe Mattheo Oriæ Genuenſium factionis principi adiunxerat, magnam inſulanorum partem ſecum trahens. oppida, vrbes, arces, tota inſula momento temporis occupata. Saſſaris, Calariſque in Aragonia fide perſtiterunt. venerat in periculum ſumma rerū. qui enim tantis viribus obſiſti poſſet, foris Genuenſi claſſi, in inſula diuerſis inconſtantibusq; volūtatibus? Re in Aragonia nūciata, valida numeroſaq; claſſis centū nauiū cōparatur. in iis quinq; & quadraginta triremes erāt. magnis delectibus mille cataphracti, quingēti leuis armaturæ equites, pedites ad decem millia conſcripti, validæ copiæ, magniſq; rebus

conficien-

conficiendis pares. aderant ſocii nauales. è Germania, Anglia Vaſconibus delectæ bello manus venerant. proceres tota prouincia ad nobilem expeditionem excitati. Rerum ſumma penes Bernardum Cabreram fuit. Petrus Exerica, Rogerius Lauria, Lupus Luna, Otus Moncada conuenerunt. Petro Regis patruo Vicario relicto è Rhodopenſi portu, quo claſſis conuenerat, dimidiato Iunio mēſe ſoluerūt. modicis tempeſtatibus octidui nauigatione in Sardiniæ cōſpectū ventum eſt. copiæ in terram expoſitæ, tribus ab Alguerio millibus paſſuum: mox ad eam vrbem mota caſtra claſſique ductore Cabrera. Rex ingenio acer anteire agmina, locum capere, periculo adeſſe, alioſque ſuo exemplo ad præclare audendum incitare. prorſus ſi ambitio, nimiaq; imperii auiditas abfuiſſet, antiquis Ducibus exæquandus. Quadraginta triremes Genuēſes celeritate magis quā virtute præſtantes, ſeſe mari oſtētarunt. terra Arboreę regulus, cum duobus millibus equitū, peditum quindecim millib. vicina loca inſedit. neutri pugna decernere auſi ſunt. quippe temere collecta multitudo, nulla militiæ diſciplina neq; ordinē ſequi neq; imperia accipere idonei, quib. neq; in victoria decus, neq; ex fuga ignominia futura erat. Mænia operibus machiniſque dies noctesque impugnabantur. iniquiſſimo anni tempore, locis natura inſalubribus, morbi in Aragonio exercitu graſſari cœperant. Rex ipſe æger decubuit neceſſario cum hoſte de fœdere actum. fœdis Aragonio nomini conditionibus ſancita pax. Mariano, Matthæoque venia conceſſa. ditio, quam obtinuerant relicta. præterea Mariano ad Galluram multa oppida abs Rege data: ſic hoſtes cōtra timorē animi præmia ſcelerum adepti, ferociores euaſerunt. Regi datum eſt vt Alguerio vrbe dedita, incolæ quo vellent migrarent. Catalauni veterani milites diuiſis agris in corū locū ſubſtituti. Reginæ precibus, quæ virū erat comitata, Oti Moncadæ, Philippi Caſtrii, aliorumq; procerū obitu, morę impatiētia fœdus Nouēbri menſe feſtinatum. Septem deinde menſibus Rex in Sardinia conſumptis, (quo tempore inſula luſtrata, confirmataq; in fide, de ſontibus pœnæ ſumptæ) Marianus, Matthæusque tumultuari incipientes rurſus ad officium reuocauit: atque rebus omnibus compoſitis, reipublicæque præfecto Olſo Prochita incolumi tandem claſſe Betullonem rediit, maiori conatu quam operæpretio facto, ſed neceſſitati parere, quo nullum eſt acrius telū temporique ſeruire magnis Regibus vſitatum, conſentaneumque eſt.

Caſtella motus. CAPVT XX.

ALBVRQVERQVII oppidis abs Rege Caſtellæ tentatis captiſque magna ex parte, cum in Fridericū fratrem ſe Seguræ arce munitiſſima tenētem ducere pararet. Toleto Hineſtroſam in Vlteriorem Caſtellam amandauit, vt Blancam Reginam, belli cauſſam captiuæ inſtar in ea vrbe cuſtodiæ mandaret. graue id decretum fuit, innocentis puellæ calamitatem non vno loco conſiſtere. templum Toletanum ingreſſa, quaſi exoluendi voti ſpecie pedem inde efferre recuſauit. loci ſanctitate ſalutem tueri cupiens. ſi quid tamen audaci iuueni & temerario ſanctum eſſet Ille eo nuncio cōcitatus Ocaniā ſeſe retulit, quo in municipio Ioannem Padilliam Vilbageræ regulum, in Friderici fratris locum D. Iacobi Magiſtrum ſubſtituendum curauit, & quidem coniugem contra ſuperioris temporis exempla. nouum exemplū, legibus, moribusque validius fuit. ab eoque initio ſuſceptum vt coniugēs iidem & Magiſtri eſſent. Mariæ in gratiam, quæ noui Magiſtri ſoror erat, maiorum inſtituta violata. Procerū vires confirmabātur. Ioannesq; Cerda Hiſpali veniēs ſeſe illis adiunxit, optimus quiſque ſequebatur, omnesque viri ſtrenui nauare cōiuratis operā & ſtudium volebant. Regem ſuper inſitam ſæuitiam auerſæ procerum voluntates, Toletanaque rebellio ſollicitabat. vim adhibere imminutæ copiæ prohibebāt. neceſſario in Vlteriorē Caſtellam abiit, ſubſidia belli comparaturus. ventū Tordiſillam, vbi Regina mater morabatur. Fridericus Magiſter interea a Toletanis euocatus, vrbi pręſidium cum ſeptingentis equitibus venerat: alii proceres cōiurati ex diuerſis locis in vnum coeuntes circū Tordeſillam, quaſi circumſeſſo Rege tendunt, armis acturi niſi iuſtiſſimis poſtulatis annuiſſet. Ea erant. Ab ſtupri fœditate recēderet: Blancam regio toro reſtitueret. Padilliam pellicem regni finibus arceret. Eius propinquos à republica amouendos curaret, atque perficeret. Ea ſi præſtita eſſent, vti neceſſe erat, paratos ſeſe omnia, quæ imperarentur, facere. Cum his mandatis Eleonora Aragoniæ Regina miſſa quo minus violaretur, ius gentium valuit. ſexus, propinquitas, auctoritas, tutatæ ſunt. re infecta, dimiſſa. Proceres ſpe deiecti voluntate quidquam impetrari poſſe, matre Regina filioque elapſis, retro conuerſo agmine Valliſoletum tentant. inde depulſi, Medinam Campeſtrem occupant ſine ſanguine. Eo Fridericus Magiſter ſeſe cōtulit. eo etiam Alburquerquius deceſſit noxio medicamine venis concepto, quod Paulus medicus Romanus magnis pollicitis corruptus ægro diluerat. Sic periit vir ea tempeſtate nobiliſſimus. Origo illi è Luſitania. ampla in Caſtella ditio. pater Afonſus Alburquerquius, auus Rex Dionyſius, maternum genus

impar, non ignobile tamen. Regis alumni gratia primum, deinde odio, tantundem exitu bonæ famæ, quantum priori tempore malæ ad populum meruit. Corpus, vt ipſe teſtamento mandarat, odoribus refertum non ante ſepulturæ mandare iurati proceres decreuerunt, quam rebus ex ſententia patratis. Miſſi denuo à proceribus legati viri primarii: ſi forſan regis animus tempore pacatioris, vt nunciatum erat, ad meliora conſilia traduceretur re integra. Colloquio dies, locus, tempusque deſignatū. venere ex vtraque parte quinquaginta equites paribus armis in pagum non procul Tauro oppido, inſidiis minime idoneum. Ibi cum inter ſe officioſe ſalutaſſent, & proceres coniurati more gentis, Regis dextram deoſculati eſſent, Gutterius Toletus pauca ex ſententia Regis præfatus: Graue, ait, accidiſſe tantos viros, ea nobilitate, eo ſplendore, alienato animo eſſe. eripere Principi velle, quod eſſet beatiſſimum, decernendi libertatē: eosque caros acceptosque habere, quos fidos maxime iudicaret. Cæterum errori per imprudentiam commiſſo veniam ſe dare paratum, modo copias militares dimitterent. Quod de Blanca poſtularent, niſi forte ea obtenderetur ſpecies maiora conantibus, facturum ſeſe quæ vellent. Ad hæc procerum conſilio habito, eorum verbis Fernandus Aiala poteſtate dicendi facta ſic incipit. Quod contra exempla maiorum, magnanime Princeps, armati venimus, veniam dari poſtulamus. Inimicorum inſidiæ, à quibus nulla innocentia tuta, compulerunt, tuoque permiſſu factū eſt. alioqui tui ſumus: de ſubditis & ſupplicibus, vt libet, ſtatue. Habet hoc regia fortuna, vt nihil occultum eſſe patiatur: omnia populo proponit, atq; explicat turpia honeſtaq;. Blācæ Reginæ. cui diadema impoſuimus, cui coniugii ſanctitate nobis præſentibus deuinctus es, exitiū ab æmula comparari ægre ferimus, Principisq; auribus inſidias à prauis hominibus tendi graue ducimus, nulli magis quam tibi gratificaturi: vbi ſedata animi ęgritudine, fraudeque perſpecta (quod propediē fore cupimus, ſperamusque) maior ętas acceſſerit. Quanto difficilius eſt alios pręſtare, quam ſe, tanto laudabilius in eam curam incumbere, vt optimus quisque ad tuum contubernium recipiatur. Multis alioqui claris Principibus dedecori fuit, domeſtica infamia. Tua coniuge quid ſanctius, quid nobilius: quamquam modico cultu, quanta morum ſuauitate? forma quæ alia comparanda? Eam grauiſſimo luctu leuari, & in debitum dignitatis locum reſtitui, ſi homines ſilerent, ſi aliena eſſet, tu ipſe armis, copiisque omnibus conari atque efficere deberes. Illud caue, ne præpoſteris blanditiis illectus per errorē cōmittas, vnde tibi, nobis, vniuerſoq; nomini Hiſpanico luctū inſanabilē, ignominiā ſempiternā inuras. De re tanta breui ſtatui non poterat. cōuenit, vt quaterni ex vtraq; parte delecti de pacis conditionibus diſceptarent. ſic à colloquio diſceſſum. moxque variis regis tergiuerſationibus intellectum eſt, nihil eum pro ſano facturum. præſertim cum eodem tempore Tauro digreſſus ad amicā iuiſſe cōſtaret. qua occaſione Regina mater pridem à coniuratis voto ſtans, eos Taurū euocauit: eisque oppidum tradidit. Eo nuncio perculſus Rex, totiusque regni defectionem veritus, Hineſtroſa & Samuele Iudæo (is ærarii præfectus erat carus in primis) comitātibus Taurū repetiit: matriq; cōplexum ferens in eius ſe poteſtate futurū dixit. comites continuo detracti, datiq; in cuſtodiam. præcipua aulę miniſteria mutata. Fridericus Magiſter regio cubiculo pręfectus, ſcrinio Ferdinandus Aragonius, Ioāni Cerdæ vexilliferi honor eſt datus, Ferdinādo Caſtrio, qui Ioānam Eleonoræ Guſmaniæ filiā vxorem habebat, regiæ procuratiò concredita. in quo honoris ſpecie prou debatur, vt rex captiui inſtar teneretur, ſublata etiā ipſum adeundi promiſcua libertate Alburquerquii cineres, quaſi victoria parta in monaſterio Ciſterciensi, cui ab Spina in Vaccæis nomē, ſepulturæ ſunt dati. Magnū reipublicæ nominique Hiſpanico vulnus inflictū, Principē gentis, parētem & columen obſideri, capi, includi: niſi facti atrocitatem ſalus publica, Principis inuidia, infamiaq; excuſarent. Venationis tantū libertas relicta erat. qua ille occaſione, & nonnullis proceribus eius calamitate, magnisque in poſterum pollicitis, æquioribus factis Segobiam ſeſe proripuit, proſequente Samuele, qui datis prædibus, è cuſtodia liberatus fuerat. ſecutus eſt etiam Tellius frater, cui eo die Regis cuſtodiendi cura concredita erat, haud diuturna gratia futura. Inde maiorum motuum initia. Aragonii fratres Roam Eleonoræ matri datum captiuitatis tempore abs Rege oppidum diſceſſerunt. Ioannes Cerda ſeſe ad Regem contulit, Fridericus Talaueram, vbi copias militares reliquerat, Ferdinandus Caſtrius in Calæciam, Tellius in Cantabriam abiere. Henricus & Regina mater Tauri ſubſtiterunt, oppido præſidium. Hæc fine anni ge-
1355. rebantur. quo in proximum euoluto milleſimū trecenteſimum quinquageſimum quintum, regni conuentus Burgis habiti ſunt, interfuerūt Aragonii fratres de procerū inſolentia conqueſtus in conuentu rex, vindicare iniurias paranti vti opem ferrent, petiit. In Principe vniuerſam nationem violatam, grauique ignominia affectam eſſe. Publica inuidia, communibus armis perfidiam vindicandam. æs militare ciuitatibus imperatum. Iisdem

diebus

diebus Carolus Cerda Alfonſi Exheredis filius. an nepos, à Rege Vaſconum interfectus eſt. atrox facinus Regi Gallo viſum, fortem & ſtrenuum virum, quo multum & familiariter à prima ætate vſus erat, præterea Magiſtrum equitum inſidiis oppreſſum. Engoliſmorũ comitatus abs Rege donatus malo fuit, quem Rex Vaſconum tanquam ſui iuris repetebat. Campaniam præterea. Briamque paterno iure à rege Gallo extorquere conabatur. ſpe obtinendi depulſus, qui maxime iniuriæ opportunus erat, in Magiſtrum equitum iram effudit. ad Aquilam Nortmanniæ vicum nocturna vi ſubmiſſis percuſſoribus, in lecto inopinantem oppreſſit ſexto Idus Ianuarii Froſſartes ex annorum numero biennium detrahit: de die conuenit. Cæde vulgata Rex Gallus publico quatriduũ abſtinuit, ſublata etiam ſe adeundi poteſtate. quæſtiones habire, diesque Vaſconi dicta. accepto obſide Ludouico Regis filio, contra omnia vetuſtatis exempla Lutetiam cauſſam dicturus venit. Inſidias capiti ſuo comparatas non ſatis probabat. duci à lictoribus iniecta in eũ manu iuſſus eſt. vxoris ſororisq; viduæ preces euicere, vti venia donaretur, feroci iuueni neque diu, in fide perſtituro. nam pecuniã à ciuibus exigenti Gallo aduerſus Anglos, apud populũ interceſſit. quæ iniuria, vt par erat, altiſſime in pectus offenſi Regis deſcendit. iram idoneo tempore effuſuri. Cum Agnete Caſtria, vti antea memoratũ eſt, Petro Luſitanæ iuuentutis Principi ſtupri vetus cõſuetudo erat. eandem ſuperiori anno vxorem cõtra leges duxerat, ſugillata in eo regia maieſtate. ignominiæ depellẽdæ, filiique ſanandi cauſſa Regis patris iuſſu Conimbricæ interfecta eſt, tametſi iniquum erat filii libidines amicę interitu lui: præſertim Alfonſo, quem primis annis mors rapuit, Ioanne Dionyſio, Beatriceque ex Agnete nepotibus. Ludouicus Siciliæ Rex menſe Iulio Catanæ deceſſit. Fridericus frater moribus, ætate, ingenioque ſimplex ſucceſſit. vtriuſq; regnũ externis bellis inteſtiniſq; motibus iactatum fuit: Regique Aragoniæ ad eius inſulæ imperium via rurſus ſtruebatur. Ad intermiſſa redeamus.

Multa cædes in Caſtella facta. CAPVT XXI.

BVRGENSI conuentu dimiſſo in Medinam Campeſtrem primus abs Rege Caſtellæ impetus factus eſt. Villega Rogiuſque cum primis nobiles occubuerunt. capti alii. Hineſtroſa Tauro dimiſſus, fide data niſi Rege placato in cuſtodiã rediturũ, id liber non præſtitit. Henricus & Fridericus iunctis ad Talauerã virib. Toletũ accurrerũt, regios conatus occupaturi. Ad D. Martini pontẽ traiecto flumine aditu prohibiti, à parte ciuiũ circunductis mõtibus, quibus ea vrbs circulo ferme ambitur, põte altero admiſſi ſunt, cui Alcantaræ nomen eſt. Iudæorũ cædes factæ: direptaq; bona eorũ, qui ad forũ rerũ venaliũ domicilia habebant. merceſq; & ſcruta vendebãt mille amplius cecidere, non ſine coniuratorũ inuidia. Rex periculo nũciato, eodẽ feſtinauit, priuſquã ſe hoſtes vrbe munitiſſima firmarẽt. admiſſus fratribus fugæ neceſſitatẽ attulit. celeritas ſaluti fuit. ira in ciues verſa. e nobilitate nonnulli cæſi ſunt, è plebe duo & viginti. In eo numero aurificis filius octodecim annos natus pro patre octogenario, ſupplicio ſeſe vltro obtulit: Regeq; pro venia, quã eximia pietas omniũ iudicio merebatur, permutationẽ concedente, ſubiit. fœdum populo ſpectaculum, miſericordiæ permixtam crudelitatem. nomina memoriæ ſubtracta. de facto ſatis conſtat. petro Barroſo Epiſcopo Seguntino, inſigni ea ætate viro, ob eximiã iuris cognitionẽ, quoniã ciuium ſuorũ ſtudiis, Blancæque Reginæ fauere viſus eſt, manus iniectæ. Regina ipſa Seguntiã cuſtodienda amandatur. Toleti Rebus cõpoſitis reliquę ciuitates ſubigendæ erant. Conchenſes maiori inter ſe concordia venienti regi portas clauſere. vim adhiberi loci firmitas prohibuit. Sanctius Regis frater, qui in ea vrbe educabatur, quamuis eo periculo liberatus, in Aragoniam aliquãto poſt ab Aluaro Albornocio, cuius fidei creditus erat, ſubductus eſt. Taurus obſeſſa, vbi Regina mater, Henricus, Fridericus, & Stephanus Carpentarius, qui ſe Calatrauæ Magiſtrum ferebat, roburque coniuratorum erat: eoque diuturna obſidio fuit. Quo tempore ad Tordiſillam (Turrim Sillæ alii vocant) Maria Padillia filiam enixa eſt, Iſabellæ nomine. Ioannes Padillia illius frater D. Iacobi Magiſter ad Vreeſiam in tumultuaria pugna occubuit. honor importune delatus exitialis fuit. Meſſia Carrilliusque ex eo ordine Friderici partibus fauentes, cædis auctores extiterunt. præfici in eius locum alium Rex vetuit, cum ætate prudentior, Fridericoque fratri ad gratiã aditum parans. Bononiæ Cardinalis iiſdẽ diebus ab Innocentio Pontifice legatus de pace, nihil impetrauit rebus adeo exulceratis: Petro tantũ Barroſo libertas data eſt. Henricus in Calęciam Tauro euadens ſeſe periculo eripuerat, cauto iuuenis ingenio: cuius rei bellis omnibus documẽta dedit. Fridericus accepta incolumitatis fide ad Regem egreſſus eſt. Vrbe ipſa tãdem incolę cuiuſdam proditione, quinto Ianuarii die ſalutis anno milleſimo trecenteſimo quin- 1356
quageſimo ſexto capta Carpentarius, Caſtaneda aliique viri primarii in ipſis Reginę ma-

tris oculis ad tetrum etiam ſpectaculum exanimatæ decidentiſque obtruncati, ea ſibi reddita filii caput maledictis contenta voce defigere: paucisque interiectis diebus, commeatu impetrato in Luſitaniam conceſſit, haud honeſtius quam antea pudicitiam habitura. Martini Tellii Luſitani amoribus cum licentius indulgeret, fratris Luſitani Regis iuſſu, veneno eſt perempta quidam à patre interfectam affirmant: quem certis monimentis conſtat, ad annum huius ſeculi ſexageſimum primum vixiſſe. plerîq; anno MCCCLVII. extinctum aiūt. Ludicrum militare Tordeſillæ commiſſum, lætitiç ob res geſtas argumento. Dies, & locus ludum magis & laſciuiā quam formidinē oſtentabant. duo tamen Friderici ſatellites proxima luce peremti: ipſe ſimilis ſupplicii metu perfuſus conſeruatur. Terra multis locis hoc anno mouit: vrbium maritimarū pręcipuo damno. è templo Hiſpalenſi ſummo ferreæ pilę decuſſæ. Oliſipone ſacellum maximum Alfonſi Regis recens ſtructura, proſtratum. clades imminere Hiſpaniæ plerique portendebant. irrita prodigia: Caſtellæ Regis imperium & ſcelera multis poſt annis continuata. populus in preces & vota conuerſus numine placando vacabat. Tauro capto, Henricus viribus, Regique diffidens occultis tramitibus in Cantabriam euaſit: vbi Tellius frater gentis armis, & locorum aſperitate partium reliquias tuebatur, regiis vna & altera pugna victis. inde naui Rupellam Sanctonum vrbem nauigauit, quorſum quæ commota erant euaderent, expectaturus. Quo tempore Vaſconū Rex Rhotomagi à Carolo Delphino Nortmanniæ Duce conuiuio exceptus, Regis Galli repentino ſuperuentu captus, atque è vinculis cauſſam dicere compulſus eſt. maieſtatis lege poſtulatus, quod Anglis faueret Princeps Galliç multis nominibus beneficiarius. ſic Hiſpanorum, qui in Gallia erant ſtudia diducta. Henricus Gallica ſtipendia fecit. Philippus Vaſconis frater in Nortmanniam excito Anglo ſeſe adiunxit. idem fecit Fuxenſis Comes leuiri Regis iniuria permotus. vnoque tempore in expectationem rerum nouarum Gallia, Hiſpaniaq; erectæ erant.

LIBRI SEXTIDECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XVII.

Belli Aragonii initia, CAPVT I.

BELLVM inter duas cognatas vicinasque regias Caſtellæ, atq; Aragoniæ lib. ſeptimusdecimus continebit, atrox, implacabile, multis viris principibus ipſique adeo ad extremum auctori exitiale futurum. nouorum Regum ſobolem: lucemq; terris & tranquillitatem redditam. Horret animus malorum, quæ paſſi ſumus, commemoratione: tantūque ſanguinis ſine cauſſa perditum fatigat: ſtylumque reſtringit. Detur hæc venia narrationi vt ſine tædio cognoſcatur. detur temere pereuntibus ruentibusq; in arma. ira illa numinum fuit furorq; terris immiſſus. Singulæ belli cauſſæ exiguæ. omnes quaſi ex modicis riuis iratum flumen effecerunt. Rex vterque ardēti ingenio, omnis inſolentiæ impatiens, morum ſeueritate haud diſſimili, Caſtellæ ferocior cum ætate. Aragoniis fratribus in Caſtella receptum eſſe auxiliumque rebus turbandis, Illicis nuper & Orihuelæ arces Caſtellæ præſidiis occupatas, Ferdinando Aragonio concedente vti datæ fidei pignora eſſent, ne vt fratri Regi incommodaret, Aragonio graue erat. Contra Caſtellæ Rex rem frumentariam fame ingraueſcente in Bætica impeditam, ad ipſum Bętis oſtium oppreſſa claſſe ab Aragoniis triremibus eſſe, magna prouinciç clade. Caſtellæ perfugis tutum in Aragonia perfugium eſſe: milites Aragonios ordinum D. Iacobi, atque Calatrauæ ſuis Magiſtris non obtemperare grauiſſimum iudicabat, iniuriamque armis vindicandam. Ad has belli cauſſas noua acceſſit. Caſtellæ Rex rebus in vlteriori prouincia compoſitis in Bæticam feſtinarat adulto vere, Hiſpali atq; vicinis vrbibus factionis reliquias compreſſurus. animum curis diſtentum, vt tantiſper leuaret, conſcenſa triremi ad Bætis oſtium Hiſpali abiit. vbi tunnorum piſcatus, prouentusque ex eo maximus eſſe conſueuit. forte decem triremes Regi Gallo opem laturæ aduerſus Anglos aſſiduos, infenſosque Galliæ hoſtes ex Aragonia miſſæ, freti Gaditani faucibus egreſſæ Oceani littora legebant. duæ onerariæ naues ad S. Luciferi portum in ancoris erant. in eas ductor Aragoniæ claſſis Franciſcus Perellus ſpe prædæ impetum facit captæ in ipſis Regis oculis. grauis ignominia, aulicis præſertim viſa, ex bello viuere, creſcereque aſſuetis, rebus tranquillis

minori

minori gratia potentiaque. Miſſus Gutterius Toletus iniuriam contumeliamque expoſtulatum. propoſito metu ferox Aragonii ducis animus, nihil mouetur: Genuenſium eas eſſe merces excuſans belliqueiure occupatas: quod rurſus maiorique conatu cum ea gente in Sardinia renatum erat inſigni Matthęi Oriæ perfidia. Egidius Velaſquius ad ipſum Aragoniæ Regem continuo legatus, cum ſuperiores iniurias commemoraturus, tum iure feciali res ablatas repetiturus, ducemque temerarium dedi ad ſupplicium illatæ ignominiæ iuſtum piaculum. Erat Aragonius Barcinone claſſe comparanda, inſtruendaque intentus aduerſus Sardiniæ motus. eoque importuna legatio viſa eſt. reſpondet, ad ea quæ poſtulantur demiſſe: Se Caſtellæ Regi ſatis facturum, perfugis regni finibus prohibitis, Ducisque temeritate cum primum in prouinciam rediiſſet caſtigata. Quod de militibus D. Iacobi & Calatrauæ quereretur, id ſui iudicii non eſſe. ſacra iura à Romanis Pontificib. petenda, ſe neque auctore, neque repugnante. Velaſquius eo reſponſo nihilo mitior, bellum denunciat, hoſtilia paſſuros cum fecerint. Aragonius contra idoneam ſibi inter fœderatos amicosque Reges belli cauſſam non videri. numine tamen omnis inſolentiæ vindice ſe, vt non prouocare, ita te nere illatum bellum non timere recuſaréve. ab hoc initio ventum ad arma. Catalauni mercatores, quorum magnus numerus erat, Hiſpali capti. bona publicata. magni delectus in vtraque prouincia habiti. externa auxilia conquiſita. Ludouicus Vaſconum Regis frater, qui ſe eo capto in Hiſpaniam contulerat, rebus præſidium, ab vtroque Rege ad ſocietatem armorum inuitatur. cautior ille vtrunque ſpe pacis diſtinere maluit, fortunam in conſilio habiturus, ex arcano Aragonio æquior, cum quo maior neceſſitudo erat. In Valentiæ fines impetus, tribus vno tempore partibus factus eſt. Ferdinandus Aragonius prioris conſpirationis memoria, prouinciales ſolicitare, in eoque maiorē ſpem habere quam in armis, nihil audituros, pœnisq; quas dederant ſuperiori tempore cautiores. trahebatur bellum præcipuo agrorum, pagorumque damno, menſe Auguſto extremo. Ipſo anno, quo in Gallia Pictauienſe prælıū cōmiſſum eſt Gallica clade nobile, genti funeſtum. à multo minori Anglorū numero, victi Galli, cæſique ſunt. vires eius gentis fractæ, rex captus, filiusq; Philippus natu minimus. cecidere viri nobiliſſimi: Petrus Borbonii dux Blancæ Reginæ pater, Galterus Magiſter equitū, Robertus Dyrrachii, eius propinquus Cardinalis Petragorii, qui forte de pace ab Innocentio Pōtifice Legatus, prælio interfuit. Ad tertiumdecimum Kalend. Octobris pugnatum eſt. Huiusque pugnæ euētu duo ſunt conſecuta ad noſtram memoriam pręcipua. Rex Vaſconum, furto à ſuis hominibus è cuſtodia ſubductus eſt, intraque Lutetiam admiſſus, ſeditioſis dux aduerſus Delphini conatus: qui patre liberando intentus ſubſidia colligebat, redigendę pecunię pręcipua cura, magna prouincialiū offenſione. Vaſco concionē Lutetię habet: indignitatē, iniuriam, ignominiamque conqueritur. ſe iure potiorem iis, qui de regno armis decertarent, Ludouici Hutini ex filia natum: cum Anglus Rex Iſabellę eiuſdem Hutini ſororis filius eſſet. neque obſcure nouam telam contentionum Vaſco ordiebatur. ſi pares vires ſuppeterent animo & voluntati. bona reſtituta. ad hęreditaria oppida principatumque Matiſco & Bigorra adiectę. Briam, Campaniam, Burgundiamque, quas maiorum iure repetebat, quamuis rebus turbatis obtinere nō potuit. Henricus Traſtamarę Comes ex eo pręlio incolumis magnis pollicitis inuitatus ſeſe ad Aragonium contulit: qui primus illi aditus ad regnum fuit, felicitatisque initium. Fœderis initi ſumma: vt Caſtellæ amicitia fideque renunciata perpetuo ſe Aragonio ſubditum, amicumque fore iuraret. Vrbes, oppida acciperet, quæcunq; Ferdinandi Aragonii extitiſſent, vna Albarracino excepta. Sexcentis equitibus, totidemq; peditibus abs Rege ſtipendia darentur, ſub Hērici ſignis eiusque imperio militaturis. Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ineunte de finibus inter ſe Caſtella & Aragonia laceſſebant. variabant ſecundæ aduerſæque res. Illicis iuris Aragonii facta eſt. Embites, Bordaluaque à Caſtellæ Rege armis, præſidiisque occupatæ. pręcipui Aragonii duces Traſtamaræ Comes, Lupus Luna, Petrus Exerica. pro Caſtellæ Rege Fridericus D. Iacobi Magiſter, duo Aragonii fratres, & Ioannes Cerda. illi maiori fide, hi dubia atque ex fortuna ſuſpenſa, ſui Regis ſcelera morumque aſperitatem exoſi. Aragoniis artibus circumuenti: quibus ſane hoc tempore magis quam viribus extitiſſe comperio. Ioannes Cerda, Aluarus Guſmanius primi ad mutandam fidem impulſi. cæſi ſoceri ditionisque interceptę, dolor ſtimulabat: nam duas Coronelii filias, Mariam, Alfonſamque connubio iunctas habuerāt. Tametſi metus obtendebatur. Regem immenſa libidine in Alfonſam coniectis oculis eam viro eripere deſtinaſſe. & fortaſſe gemina defectionis cauſſa erat. Ii Serone, quam arcem ad Aragoniæ fines præſidio obtinebant, in Bæticā ſe proripiunt, ſtudia prouinciæ, vbi magnæ neceſſitudines erant amplaque ditio, concitaturi. magnam confidentiam, audaciamque temeritati proximam, in mediis regni viſceri-

bus ciuilia arma mouiſſe. Siſamonē arcem, quæ ad fines Caſtellæ in Aragonia ſita eſt, cum copiarum robore, ea tempeſtate Rex inſidebat. inde diſcedentium veſtigia inſecutus aliquanto ſpatio conſequi non potuit, per diſpoſitos equos fugientium inſtar feſtinantes. Repetitum bellum maiori quam antea impetu. tum alia ignobiliora oppida in poteſtatem venerunt: tum Turiaſo vrbs primaria Vaſconibus finitima eodem impetu expugnata Martii die 9. ciues in repentino metu, ſuperiore vrbis parte, quæ firmiſſima erat amiſſa, defenſione deſperata pacti incolumitatem Tudelam dimiſſi ſunt. Michaelis Gurreæ Præfecti, culpa vrbs ea amiſſa fertur: cui ſi animus fuiſſet, diutius ſuſtentare poterat. Itaq; Regi ſuo diffiſus poſſe ſatisfacere, domicilium in Vaſcones tranſtulit. vrbs Caſtellæ militib. data, agriq; attributi. Aragonius ea vrbe amiſſa, vix ſe Cæſarauguſtę mœnibus tutum putare. noua ſubinde & externa auxilia conquirere maiori diligentia, quod per idem tempus Ioannes Cerda in Bætica ab Hiſpalenſi conuentu ducibus Ioāne Pontio Marchenæ regulo, Egidio Bucanigra maris Præfecto oppreſſus interfectusq; erat. Venere ex Gallia Fuxenſis quidē Comes in Aragonia caſtra cum valida manu: Fuxenſis autem ęmuli Albreti reguli ſeſe Caſtellæ viribus adiunxerunt. Venit ab Innocētio Pontifice Guilelmus Cardinalis, pacem inter eas gentes reuocaturus. magna eius contentione vltro citroq; commeando, conuenit tandem: vt induciæ annuæ & trimeſtres eſſent: dum de pacis conditionib. delecti proceres diſceptarent, pro Aragonio Cabrera, pro Caſtella Hineſtroſa. interim oppida vtrinq; capta penes Legatum, quaſi ſequeſtrum eſſent. Qui prior initum fœdus violaſſet, anathematis ei ignominia, religioq; obiecta. menſis Maii 18. die induciæ pactæ. Quo menſe Alfonſus Luſitanus rex Oliſipone deceſſit, annos natus 77. menſes 6. regnauit annos 32. menſes 4. Corpus in ea vrbe ad aram templi maximi, vbi Beatrix coniux ſepulta erat, ſepultū eſt. Succeſſit Petrus noua prole ſuperiori menſe auctus ex Theraſia Calæca, quam Agnete Caſtria à patre interfecta, amicam habebat, formæ excellēti venuſtate, nulla præterea aut animi aut corporis dote. Proli Ioanni nomen fuit: cui cœlum patrium auitumq; regnum deſtinabat. vti competenti loco eſt explicandum. Ab Aragoniis arces continuò Cardinali Legato traditæ, eo promptius, quod pauciores ceperant. Caſtellæ rex cæteris ſtare volebat: vti Turiaſone nouos incolas deduceret adduci non potuit. & Hiſpalim interea diſceſſerat, vt Bæticę motus componeret, claſſemq; compararet, Aragoniæ littora inuaſurus, cum primū induciarum tempus exiiſſet. nam de pace nec ſperabat, neq; cupiebat. In ea vrbe Alfonſę Coroneliæ amorib. ita indulſit, vt prę illa Padillia contemptui eſſet. breuis gratia. ſic prauum animum nullæ difficultates à turpitudine, libidineq; auocabant. Eius fruſtrationib. exceptionibusq; Legatus Pontificis fatigatus, regem quidem è piorum numero exemit: Caſtellæ vniuerſæ ſacrorum iuſtitium indixit, præpropera feſtinatione, vt viſum eſt: qua cauſſa eum Pontifex ex Hiſpania auocauit. & id Aragoniis fraudib. agebatur, vt Caſtellę regi, quaſi impio & ſcelerato, nouam inuidiam conflarent: gentis ſtudia auerterent: in quo maius pręſidium, quàm in vera virtute collocabant. Acceſſit nouū incommodū. Ioanna Henrici coniux in Aragoniā deducta erat Petri Carrillii fraude deluſo rege, nulla amplius ſpe pacis. Fridericum, Telliumq; fratres ad defectionē propenſos, nihil aliud morabatur, quam quod tantorum principatuum ęquam ab Aragonio compenſationē fore nō ſperabant. ea cunctatio multis vno tempore exitialis fuit. Ferdinandus Aragonius Iumilliam, quam in Aragonię finibus, armis ceperat, pręſidio obtinens, re cum Cabrera communicata in partes traductus eſt, Aragonii regni procuratione conceſſa, ditioneque reſtituta. nihil in tanto diſcrimine tum quidem immodicum videbatur. Hērici tamen & Ferdinādi defectio Aragoniis ſalutaris, eorum fratribus exitium attulit. Quo tempore res in Sardinia meliori loco eſſe cęperant, Matthei Orię opportuno obitu, poſteris cū Aragonio cōciliatis. Marianus Arborę regulus nondum plane quieſcebat. ſed tanto pręſidio amiſſo, parū proficiebat tamē. Sicilię pars multo maxima Ludouici Neapolitani Regis armis pręſidiiſq; occupata erat: Panormū Meſſanaque principes ciuitates. Fridericus (huic Simplici cognomē fuit & ante duos annos Ludouico fratri ſucceſſerat) ingenio, ętate, viribus imbecillus, regiū nomē Catanę vnius munitione tuebatur, ęgra ſpe, Gallica factione reſurgente, vicinis Neapolitanis Regibus infidis prouincialibus. prorſus vt Siciliā, Athenas, Neopatriam Eleonorę ſorori Aragonię Reginę donaret. publicę de ea re tabulę ad Aragonium miſſę: vt eum ad vires conferendum inuitarent, graui bello multiſque ex eo difficultatibus in patria occupatum. Artalis Alauonę Miſtretę Comitis virtute, fideq; res Aragonia ſtetit in Sicilia propemodū deplorata. multis locis cęſi hoſtes ſontib. irrogata ſupplicia, aliorū perfidia beneficiis victa.

Principum in Caſtella cædes. CAPVT II.

CASTELLÆ atque Aragonię Reges vindictę ardor agebat pręcipites nulla honeſtatis cura, neque quid homines locuturi eſſent, conſiderantes. prorſus vt Maurica auxi-

lia euocare non vererentur. veneratque è Granata valida manus Caſtellæ rebus opitulatura, cum quibus fœdus antea ictum ſtabat. Rex Marrocius ex Africa ab Aragonio euocatus: quem hoſtis conatib. obiiceret, vireſq; exęquaret. graue dedecus, religioni ignominioſum: de quo Pontifex Innocentius grauiſſimis litteris expoſtulauit. tantam eſſe lædēdi cupiditatem, vt certam peſtem, vnde olim minori cauſſa exitium extitiſſet, allicere atque attrahere in Hiſpaniā nō formidarent. recte atq; opportune, niſi ſalutaribus paterniſq; monitis, aures Principum eſſent obturatæ. Proceres qui Caſtellæ partes ſequebantur ad trāſitionem ſolicitati. Ferdinandus in primis Aragonius, quē in diſcrimine fratri potius quā amitino fauere natura compellebat. Iumilliæ, quod oppidū armis ceperat, de ea re arcano ſermones habiti, tandemque Bernardi Cabreræ opera ad Aragonias partes traductus eſt. tantæ molitiones occultæ eſſe non poterāt. Itaq; principio anni eius ſeculi quinquageſimi octaui Friderici Magiſtri armis Iumillia occupata, detractaq; Aragoniis eſt. re patrata Hiſpali in palatio, à Regis ſatellitibus, eiusque in oculis obtruncatur. ea nauatæ operæ merces fuit. tametſi conſilia eum ad Aragonios deficiendi communicaſſe ſatis conſtat: eaq; Regi detecta exitium acceleraſſe ſuſpicor. Ex ea vrbe continuo in Cantabriam feſtinatum. quoniam fraterno ſanguine manus ſemel cruentauerat, in ea prouincia, ſimile ſeueritatis exēplum editurus. præoccupauit Tellius fuga eius conatum, in Galliamque nauigauit. inde ſeſe in Aragoniam retulit, fraternā necē, ſuamq; iniuriā armis vindicaturus. Pro eo victima alia mactata. Ioannes Aragonius Tellio fugato, Viſcaiæ principatum debitū, pactumque, & nuper Hiſpali promiſſum importunus efflagitator poſtulabat. ea cauſſa, ſiue quoniam cum cæteris Principib. conſpiraſſe compertū erat, ad Bilbaum municipium occiſus eſt à ſatellitibus: auctor etiam quidā ipſius Regis manu cecidiſſe ait. ſæuitiam deteſtandam. corpus è feneſtra in ſubiectam plateā præcipitatum eſt, addita abs Rege verborum contumelia. En inquit, veſtrum dominum, veſtræque regionis ambientem principatū. inde Burgos relatum, funeris honore iureque ſepulturæ caruit, in præterfluentē amnē proiectum. id ſcilicet ſæuitiæ genus ſupererat, vt exanimis corporibus inſultaret. Eodē impetu Eleonora Regina Iſabellaque Ioānnis interfecti vxor, Roa vbi ſeſe tenebāt, Caſtrum Sericium in cuſtodiam miſſæ. fœda carnificina per prouinciam exercebatur. ſex nobilium capita variis locis cæſa Burgos allata ſunt, gratum Regis oculis ſpectaculū, optimo cuique fœdum. plures alii Valliſoleti ad necē deſtinati, Henrici & Ferdinādi improuiſa irruptione in Caſtellæ fines ſeruati ſunt. Hēricus Soriæ Almaſanique agros vaſtare nunciabatur. Ferdinādus in Murciæ fines penetraſſe ferro. fraternæ cædis dolor vtrunque ſtimulabat, impellebatque in arma. Caſtellę Rex periculo motus Vxamam abiit. inde Iulio mēſe miſſus ad Aragonium fecialis iniurias expoſtulaturus. Contra is, hoſtis inſolentia excuſat, arma neceſſario capta: & quoniam culpā, vndecūque extaret, innoxio multitudinis ſanguine expiari iniquū eſſet, vt vigeni, quinquageni, centeni ve dimicarēt, & ſecundū eius certaminis euentū finis controuerſiæ eſſet, verbis minacibus prouocauit. quod aduerſarius contēnere viſus eſt, animo ingens, viribus maior. Igitur Guterriū Tolerū, quem Priorē Hoſpitalarium nuper crearat, Murciam vti præſidio rebus eſſet, dimittit. præterea alium alio: quem opportunum maxime fore cogitabat. ipſe Hiſpalim feſtinauit, vbi claſſis triremium duodecim inſtructa erat. venere è Liguria ſex aliæ. cum ea claſſe Valentina littora, oppida & vrbes tentare cōſtituit. Guardamare oppidū, quod in Ferdinādi ditione erat, primo appulſū, impetuq; captum eſt. arx defenſa, quoniā ipſo tēpore, vi improuiſæ tempeſtatis triremes ad littus eiectæ, fractęque erant, duobus tantum incolumib. Graui & inopinato incommodo, ſuperbus animus nec flectitur, nec frangitur. oppidū crematū. pedeſtri itinere Murcia petita eſt. Petrus Ioannius regia gratia in paucis præſtās Hiſpalim miſſus eſt, noua claſſe comparādā. Rex collectis vndiq; copiis Almaſanum abiit. eo tractu in Caſtellæ & Aragonię finibus, oppida & arces hoſtibus detractæ: ac in Tellii profugi ditionem ſæuitum maxime. Autumno pręcipiti Hiſpalim Rex rediit, quoniā terra parum profectum erat, mari hoſtem rurſus impugnaturus. in id numeroſa claſſis comparata. Luſitanus auunculus decem triremes auxilio miſit, tres Granatenſis Rex. Fuit is annus Eleonorę Petri Aragonii Regis, atque Ioānis, Henrici filiorum natalibus fauſtus, quibus coniugibus Caſtellę regnū ſuperi deſtinabant. Eleonora menſis Februarii vigeſimo die, Auguſti Ioannes vigeſimo nati ſunt. Pręterea in Valentinis conuentibus, vetus annorū per Eras Cęſaris ratio antiquata eſt: nouaque lege inducta, annorum à Chriſti ortu ſalutari computatio. Medina Celina olim ampla ciuitas, in Celtiberię Carpetanię, & Areuacum confinibus, nūc modicū municipium, ſed natura loci validoque ea tēpeſtate pręſidio munitū, ab Aragonio proximi anni principio 1359. tentatū eſt, conatus fruſtra fuit. inde ſe Cęſarauguſtam retulit. Caſtellę Rex ad periculum accurrebat. quo tempore nunciatum eſt, Guidonem Bononię Cardinalem ab Innocentio Pontifice

Legatum. Almaſanum appuliſſe. In eo oppido, facta dicendi poteſtate, in Caſtellæ Regum laudes effuſus, quos Hiſpaniæ columen, rebus perditis præſidium extitiſſe: nunc dolere Pontificem aiebat. inter ciuilia arma ſacri belli cogitationem omitti. Quantũ, ſi contingeret, oppreſſis cognatis, & neceſſariis profici? quę laus? quę gloria? ignominiam potius inuidiam, luctum, victori iuxta, ac victo. Verterent in impios arma. de ſumma rerũ illic decertarent. Vltro honeſtiſſimas opes, decus, triumphosq; obuenturos. Verbis hæc ſanctiſſimi Pontificis renunciare. venturum ipſum, tantopere ea cura ſolicitari, niſi ætatis incommoda aliæq; curæ auocaſſent. Ad hæc Caſtellæ Rex Aragoniis ſe fraudibus circumuẽtum ait: imagine pacis amicitiæ ſæpe ſpecie deceptum. Vnam tantũ concordiæ conditionem supereſſe ſi perfugis regno prohibitis, Orihuelã, Illicim (Alicantem vulgo dicimus) aliaq; vicina oppida Ferdinando auo ſuo minore ab Aragoniis iniuria occupata redderẽtur. prætereain belli ſumptus, quingenta florenorũ millia. id Pontificis voluntati, Legati ipſius precibus, nobilitatique dare. adiit Cardinalis Aragoniũ nonnulla pacis conſtituendæ ſpe, quoniam de conditionibus agi cœptum erat. Verum ille aduerſarii culpa, bellum ſuſceptum excuſabat, priorem intuliſſe arma. De patria, auitaq; ditione quidquã diminui intolerandũ videri, Cõtrouerſiæ modo arbitrium Innocentio Pontifici permiſſurũ, quamuis lite olim datis iudicibus diiudicata. Tempus altercationibus trahebatur nullo fructu. tetrum ſpectaculũ vtranq; gentem in mutuum exitium ruere ſublata opitulãdi poteſtate. ne induciæ quidem vt fierent impetratum. ſumptus obtendebãtur claſſe valida comparanda à Rege Caſtellæ facti.

Aragonia littora tentata. CAPVT III.

OMISSA concordiæ cogitatione, arma reſumta, repetitæ cędes. Almaſani Ferdinandus Aragonius, Henricus & Tellius fratres, die dicta quamuis abſentes perduellionis lege damnati. ſublata reconciliationis ſpes: eo amplius quod Eleonora Regina in cuſtodia mori compulſa eſt. execrabile facinus. quamuis aduerſus ſontem, & extrema ſupplicia meritã. iam liberorum culpam materno ſanguine expiari, nullo neque ſexus, neque dignitatis, neque propinquitatis reſpectu quanta immanitas? Ioanna, & Iſabella calamitatis ſociæ Ioanna Hiſpalim miſſa eſt, vbi aliquãto poſt & ipſa neci datur: Iſabella Blancæ Reginæ adiuncta, quam Seguntię arce Cæſarianam transferri eodem tempore mandauit, dilata vtriuſq; in aliud tempus nece: vſque adeo obſtinato Regis animo, vt nullo mitiori affectu perrumperetur. Obcœcabat diuina vindicta ne vim ingruentẽ declinaret. tametſi precibus & votis ſuperos alieni iam imperii, fatigare non deſiſtebat, cõſcenſurus claſſem, quã Hiſpali paratã habebat, triremium vnius & quadraginta: quibus naues aliæ octoginta numero adiũctæ erant, validam, magniſque rebus perficiendis idoneam. ſed rem Aragoniam in magno diſcrimine diui tutelares, prouincialium concordia tutata eſt. Præmiſſæ ſeptem triremes ad Baleares inſulas, onerariam Venetã nactæ ceperunt, nullo meliore iure quam quod in armis erat a Rege auido, ne vlla excuſatio eſſe poſſet, merces magni pretii, quibus onuſta erat, occupatæ. à reliqua claſſe Guardamare oppidum cum arce expugnatum eſt. Illicim incolæ deſeruerunt, viribus & munitione diffiſi. ſequebãtur Regem Egidius Bucanigra maris Præfectus, Magiſter Calatrauæ, Magiſtri Alcantaræ Gonſalui Martini filius, aliique tota prouincia delecti proceres. è quibus Guterrius Toletus Prior Hoſpitalarius, cũ idonea militum manu iis in locis præſidio relictus eſt. reliqua claſſis Dertuſam tenuit. Ibi à Legato Cardinali rurſus noſtri de pace appellantur nihilo maiori fructu. Inde Barcinonem appulſum menſis Maii nonodecimo die. duodecim triremes Aragonię in eius vrbis cõſpectu ſemel, & iterum impugnatæ, capi non potuerunt. littoris vicinitas, vnde ciues magna alacritate propugnabant, ſaluti fuit. Hoſtes eo conatu depulſi in vicinas inſulas, quæ Aragonio imperio parebãt, claſſe delati Ebuſum tentãt. oppidũ Inſulæ cognomine, quãuis machinis & operibus impugnatũm, loci natura defenſum ſtetit. Aragonius interea collecta à vicinis littoribùs claſſe triremium quadraginta, certus cum hoſtium claſſe pugnare, in Balearem maiorem traiecit. in ea inſula ſuorum precibus fatigatus, ne rei ſummam in vnius pugnæ diſcrimen vocaret, Ipſe reſtitit. Bernardus Cabrera maris Præfectus, Cardonę Vicecomes aliiq; viri principes dimiſſi aduerſus hoſtium claſſem. ad rei famã Ebuſi obſidione ſoluta, pugnandi voluntate ad Calpem prouectam. Aragonia claſſis in oſtium ſe intulit eius amnis, qui ad Dianium influit in mare (Sucronẽ putabã, locis haud procul remotum.) vtriq; pugnandi cupiditatẽ oſtentabant. pari vtrinq; metu ceſſatũ. ſic maximus apparatus inanis fuit. Aragonius Barcinonẽ ſeſe retulit Auguſti die vigeſimo nono. Caſtellę Rex claſſe Hiſpalim dimiſſa, ipſe Carthagine pedeſtri itinere Tordeſillam feſtinauit, vbi per eos dies ex pellice Maria Padillia filius natus, cui Alfonſo nomen, incredibili patrem lętitia compleuit,

uit, vaña tamen, cum breui æuo gaudium mœrore mutarit. Garſias Toletus in Friderici locum D. Iacobi Magiſter inſtitutus, infanti educator, inſtitutorq; deſignatur. Ad Cauni mõtis radices Campi Arauianæ panduntur, ſeptem olim nobiliſſimorum fratrum, quos Laræ Infantes dicimus, clade nobiles, Caſtellæq; infauſti: in eum locum Henricus, Telliusq; fratres cum Aragoniis copiis progreſſi, præſidiarios Caſtellæ milites obuiam factos ceciderunt. magna ſtrages fuit. trecenti ex hoſtium numero deſiderati. multi viri nobiliſſimi, pars cæſi, pars capti. Dux ipſe Hineſtroſa in pugna cecidit. Ferdinãdus Caſtrius celeri fuga euaſit. clades hæc mẽſe Septembri illata, magnũ Caſtellę regi mœrorẽ animo iniecit: prorſus vt doloris vlciſcendi ſtudio furens, duos fratres ſuos Ioannẽ decem & octo, Petrũ quatuordecim natos annos, Carmonæ vbi vincti erant, interficiendos curarit, nulla innocentis ætatis miſericordia: id vnũ reſtabat. magna apud populũ inuidia regi ex eo facto conflata eſt: nulla vtilitate publica, nulla priuata iniuria. tot Principes vnius hominis, feræ verius immanis ſæuitia conſumptos: omneſq; in vno facto humanitatis, pietatis, religioniſq; leges violatas. Multi viri nobiles ad Aragonios, animos adiecerũt, ex alieno exitio cogitãtes nullius ſalutẽ in Caſtella tutã eſſe. Ea maioris ſæuitiæ occaſio extitit. Duodecim triremes Venetæ, quas vt interciperent Regis Caſtellæ iuſſu, viginti Caſtellæ triremes freti Gaditani fauces obſidebant, beneficio tẽpeſtatis repẽte exortæ, periculũ euaſerũt. noua ex ea re belli materia quæri aduerſus Venetos videbatur. nulla iuſtiori cauſſa, quã quod oneraria paulo ante capta, irritatã eam gentẽ noua iniuria irritare, ſceluſq; occupare erat propoſitum. Legati Cardinalis opera, ſummaq; contẽtione de ineunda cõcordia denuo actũ eſt principio anni M.CCC. ſexageſimi. oratores vtrinq; Tudelã miſſi, cum ampla paciſcendi facultate, 1360 res prope ſpem erat, multa Caſtellæ nobilitate in Arauianæ pugna amiſſa, pleriſq; aliis ad Aragonios elapſis. In his Dieghus Sarmentus Caſtellæ Antelatus, pariq; nobilitate & opibus Petrus Velaſcus recens profugerãt. nihil tamẽ neq; Tudelæ neq; Sadunæ, quo paulo poſt oratores de pace cõuenerũt, perfectũ eſt. Aragonii ſucceſſu elati erant. Caſtellæ Rex quãuis rebus aduerſis, nihil de priori ferocia remittebat: tametſi tãtis nudatus præſidiis vagus incertuſq; agebatur. inter belli paciſq; conſilia ſuſpẽſo animo nulli fidere: Præfectos in dies mutare: virtuti an fidei ſuorum minus crederet dubitare. miſerabilis conditio, ſed tãti nequitia erat.

Blanca Regina occiſa. CAP. IIII.

ITA de fœdere agebatur, vt interim à neutra parte belli cogitatio intermitteretur. exercitui ſupplementum ſcribere, externa auxilia accerſere, pecuniam conquirere: denique modis omnibus feſtinare: præſertim Aragonii, nam Caſtellæ Rex proceribus vindicandis intẽtus erat. Eo ſtudio Hiſpali Legionẽ abiit. Petrus Guſmanius Legionenſis Antelatus in Luſitaniam euaſit. Petrus Oſorius inter prandendũ à Calatrauæ Magiſtro conuiuio exceptus, eo inſcio ſubmiſſis à rege ſatellitibus Legione obtruncatur. ſimili ſupplicio Maldonatus Archidiaconus Burgis, quo Rex feſtinauit, affectus eſt nihil terrente perſonæ quam gerebat ſanctitate. litteras ab Henrico accepiſſe exitiale fuit. Aragoniorũ irruptio aliis ſaluti fuit: qui Ducibus Hẽrico, Tellio, & Auſæ (Oſonã vulgo dicimus) Comite in Rigouia quidẽ Harũ Anagarumq; ceperant. Anagari Iudæorum cædes facta Regis odio: qui ei genti fauere videbatur, Samuele Leuita ærarii Præfecto. vicinis locis cædes oppidanorũ, agrorum vaſtitas. Pancoruũ vſq; Aragonia ſigna ꝑlata. Turiaſo ad Aragoniorũ ius rediit, Lucii Præfecti deditione, ob metũ credo aliquẽ, aut ſpem melioris fortunæ. Caſtellæ Rex copiis contractis, hoſtibus occurrit. Aragonii ſeſe retulerunt Anagarum. Caſtellæ caſtra ad Aſofram ignobilem pagum poſita ſunt. eo vir ſanctus (ſic fama tulit) regem periculi monuit, quod ab Henrico fratre, iraq; numinis immineret. D. Dominici Calſadii, cuius ille cultui dicatus erat, ſpeciem humana auguſtiorem dormienti viſam, id ſignificaſſe. Nuncius interpreti exitialis fuit, in ipſis caſtris igne eſt combuſtus, iure an iniuria dubitatum. Pro Anagari mœnibus pugnatum. Caſtellæ milites meliora tulerũt. Aragonii intra oppidum compulſi, opprimi potuerunt: ni væcordia rex iniecta, ſalutare conſiliũ repudiaſſet, ſatis profectum exiſtimans elapſis hoſtib. Anagarũ Harumque recepta. Itaq; regni finib. ea parte munitis Hiſpalim rediit. fœdere cum Luſitano facto perfugæ ad ſuppliciũ vtrinq; dediti, iure gentiũ violato, fideq; publica. nouarũ ea occaſio cędium fuit. à Luſitano Cuellus Aluaruſq; interfecti, iis autorib. Agnetem Caſtriã occiſam fuiſſe recordante. Dieghus Paciechus ſocius criminis & periculi felici ſorte, cædẽ fuga euaſit, nauateq; Henrico Principi operæ, amplã in Caſtella ditionẽ accepit, Paciechorũ familiæ nobilis, atq; opulẽtæ inter Caſtellæ proceres cõditor. cõtra Petrus Guſmanius Hiſpali obtrũcatur: Gometius Carillius in triremi, qua Hiſpali vehebatur, quaſi Algeziræ Præfectus futurus. Garſię fratri vxor à rege ablata, illi fugę cauſa

extiterat: in hunc odii & ex mala cõſcientia prauę ſuſpicionis occaſio. Ad Alfarum Ferdinandus Toletus regis ſupellectili pręfectus, eius iuſſu peremptus. luctuoſa viri nobiliſſimi & integerrimi cędes toti prouincię fuit. alię cauſſę ad inuidiam mitigandam indignę necis confictę. te monendi libertas exitio fuit, quę apud malos Principes non poteſt nõ eſſe exitialis. aſſentatio etiam apud bonos ſine periculo peragitur. eo in aulis Principũ magna eius nationis incremẽta ſunt: nullius rei maior, quã vera monentiũ penuria. Prior Hoſpitalari⁹ & frater patrui iniuria irritati, ad Aragonios diſceſſerunt. Vaſcus Toletanus Præſul ſolum exilio vertere compulſus eſt, ſublata togam mutandi, aut partẽ aliquam domeſticę ſupellectilis efferendi facultate: nulla alia culpa, quam q̃ pro eo ac par erat, Guterrii fratris necem indignè tuliſſe videbatur. Conimbricæ is in Prædicatorũ monaſterio vitæ reliquũ exegit. extincti corpus conſequentib. annis in templum Toletanum relatum eſt. hunc Blaſiũ nõnulli vocant. nominũ varietas ne te, lector cũ multis fallat. Miſerat rex Aragonius quatuor triremes milite inſtructas, Tremeſenio regi fœderato auxiliũ. eæ à quinq; Caſtellę triremibus oppreſſæ captæq;. Dux ipſe Matthæus Mercerus, ſociiq; nõ pauci Hiſpali obtruncati: nulla veteris officii memoria: quod is forte & fidele Algezira expugnanda præſtiterat. Samuel Leuites regia vectigalia gubernabat pro volũtate: vnde illi ingẽtes opes & gratia antea, nũc exitiũ. Vincula iniecta, quæſtiones tormẽtis habitæ, quorũ grauitatẽ perferre non potuit. interfecti bona in fiſcũ relata. fiſci cauſa ſub malo Principe nunquã eſt mala. alioqui ad 400. aureorũ millia occupata ſunt. præterea ampla ſupellex, veſtisq; pretioſæ tantũ, vt miraculo eſſet Iudæũ hominẽ tantopere creuiſſe, noſtra calamitate ſcilicet. Fine anni Granatenſis rex ſuorũ conſpiratione facta regno eſt pulſus. Mahomad à Cæſarie barbaq; cognomento Rufus ex veteri regũ proſapia, eius vrbis imperiũ occupauit. hinc noui belli materia: cũ Caſtellæ rex amici & fœderati Principis calamitate moueretur ad Arundã profugi, quæ vrbs in Marrocii regis fide perſtabat: nouus rex vndiq; auxilia conquireret ad Aragonios propẽſus, q̃ illi exitiale fuit, Albohaneno præſertim ex Africa ad Hiſpaniã repetendam inuitato. Conſtantia Aragonii filia Barcinone in Siciliã miſſa, Friderico regi pacta vxor, claſſis qua vehebatur Duce Olſo Prochita Sardiniæ pro Aragoniis Præfecto. nuptiæ
1361. proximi anni 1361. ſub initia Catanæ celebratæ. Eius inſulæ res meliori loco eſſe cœperant, Neapolitanis hoſtib. qua pulſis, qua oppreſſis. ex eo coniugio Maria nata eſt, olim Aragoniæ regina, Siciliæ regno dotali. Cardinalis Legati opera in Hiſpania tandem pax conſtitit, neq; ſynceris animis, neq; diuturna futura, his tamẽ legib⁹: Vt capta belli tẽpore oppida, inter ſe reſtituerẽt. Caſtellæ perfugę Aragoniis finib. prohiberentur. Iis à ſuo rege venia eſſet. Menſis Maii die 18. ad Deſam oppidum, vbi Caſtellæ Rex ſtatiua habebat, voce præconis fœdus proclamatũ. Maurici belli, quod grauiſſimũ impendebat, metus cupiditaſq; ſanciẽdæ cõcordiæ occaſionẽ præbuerũt. quæ vt conſtãtior eſſet obſides vtrinq; dati: cautũq; vt ii in Caroli regis Vaſconũ, quaſi ſequeſtri poteſtate eſsẽt: eo tẽpore in Gallia, prole ex vxore ſuſcepta, cui Carolo nomẽ fuit, læti atq; de Hiſpania repetẽda cogitãtis, Vicario interim Ludouico fratre, cui Vaſconũ reſp. erat cõmiſſa. Facta pace Aragonius Calataiuba, vbi ſe tenuerat, Cæſarauguſtã abiit. Caſtellæ rex Hiſpalim: Henricus & fratres tẽpori ſeruientes in Galliã conceſſerũt: quorũ partes in Aragonia Caſtellaq; præualidæ formidabileſq;, Gallorũ fauore & armis muniẽdæ erant: bellumq; maiori quam antea impetu inſtaurandum. Blancę reginæ calamitas gentẽ permouebat, vt vires armaq; ſociarẽt. nõ latuere ii conatus Caſtellę regem. ira in Blancã, quaſi tantorũ bellorũ cauſam continuo vertit. Aſſidoniæ, vbi in cuſtodia tenebatur, ipſam adeundi, aut cũ quoquã colloquendi ſublata facultate, extincta eſt. Venenũ à medico viri iuſſu temperatũ. deteſtandã vęſaniam, impiũ & crudele facinus, puellam inſontem, regio ſanguine nobiliſſimã, lectiſſima forma, ſanctiſſimis moribus prudentiaq;, XXV. ętatis anno peremptam. Nulla ab omni memoria eo loco fœmina maiori miſeratione. alias quidem à viris interfectas pulſaſve meminimus, ſed aliqua ſua culpa certe arridentem fortunam aliquando expertæ, præſentem dolorem melioris olim temporis recordatione lenire potuerunt. Blancę primus nuptiarũ dies, funeris inſtar fuit, relictę, incluſę, deductę, vbi nihil pręter calamitatem eſſet: pulſis domeſticis, pellice validiore, auxilio ſuorum longinquo. Sed te Rex truculente, fera verius immanis, diuina ira manet: tuum caput hoc ſanguine cõſecratur. breui gratiſſima ſuperis victima cades. Inſontis puellę manes vltione felicioris, quam vita, noctes, dieſq; exagitabũt: atq; ita, vt neq; pudor à turpitudine, neq; à periculo motus, neq; ratio à furore reuocatura ſit in certum exitiũ ruentẽ. Fama eſt & idonei auctores confirmant, Regi ad Aſſidoniã venanti, paſtorẽ occurriſſe vultũ veſteq; horridum, capillo barbaque ſqualidum, extrema comminantem, ni mutata mente Blancæ calamitate moueretur. miſſi qui indagarẽt, an Reginæ ſuaſu ea paſtor renunciaſſet, nixam genibus, caſtiſſimis precibus vacantẽ inuenerunt, aditu ita clauſo, vt omnis ſuſpicio amoue-

amoueretur. Opinio hominum magis confirmata, cum paſtor è vinculis emiſſus nunqu comparuiſſet, aliquo inſtinctu inflatuque diuino prædixiſſe futura. Iſabella, Laræ filia Cę ſariani & ipſa veneno ſublata eſt. quidam Vrenia prope Taurum in Vaccæis Blancam ex tinctam ait, ac ne de tempore conuenit, Eleonorę Reginæ opſonator, in proprio commen tario, de rebus ſuæ, hoc eſt, conſequentis ætatis.

Rex Granatenſis interfectus. CAPVT V.

SIc innocentium ſanguine vrbes & oppida, arces, agri maria redundabant. vbique ſæu tiæ impreſſa veſtigia relinquebantur: quanto prouincialium mœrore metuque dice non attinet, ne ſimile exemplum paterentur, ſingulis dubitantibus, nullius in tuto ſalute eſſe, mærorem tamen publicum aliqua ex parte Marię Padilliæ obitus Hiſpali menſe Iuli conſecutus mitigauit: fœminæ præter iniuriam pellicatus magnis animi & corporis do bus, dignæque imperio. Blancæ corpus Tudelæ in tēpli ſummi ſacrario, translatitio fune aliquanto poſt tumulatum eſt ab iis Gallis, qui Henrico opitulatum venerūt, cum in Ga liam deferre ad maiorum ſepulchra propoſuiſſent. Padilliæ funus per vrbes & oppida ma gnifice quaſi iuſtæ Reginæ celebratum. datæ vbiq; inferiæ. cineres in Studilli monaſteri quod in Vaccæis eius impenſa extructum erat, conditi ſunt. filii regio cultu, & in ſpem pa terni regni educati. Tria Toleti in D. Dominici regio virginum monaſterio ſepulchra ex tant? Theraſiæ vnum, cui in obſequiis Reginæ matris verſanti coniugii etiam ſpe facta, v tium Rex intuliſſe memoratur. ex eaque filiam genuiſſe, cui Mariæ nomen fuit. duo ali huius vnū, cum ei virginum collegio diu præfuiſſet, alterū Sāctii & Dieghi, Petri Regis fi liorū ex Iſabella, nobili an obſcuro loco cōpertum non eſt: ſed nulla erat tāta pudicitia, ta tisq; virtutū præſidiis munita, quam impudici iuuenis libido audaciaq; non perrumpere ita expertecti viri, propinqui & neceſſarii eſſe non poterant, vt ab eo cauere poſſent, ſtud omnia vincente temeritate. Per idē tempus à Luſitano rege proles quas ex Agnete Caſtr ſuſcepiſſe dictum eſt, iuſtis nuptiis procreatas eſſe, regiæq; adeo hæreditatis capaces fo Oliſipone pronunciatum. teſtes laudati Egidius Guardiæ Epiſcopus, Stephanus Louat regiæ ſupellectilis præfectus: quos clandeſtino coniugio adhibitos ſanctiſſimo iureiurād confirmabat. Aderant Luſitani proceres, atq; in iis Alfonſus Tellius, Barceloſii Comes ea vrbe anno priore proclamatus inſigni apparatu feſtaq; vniuerſæ gētis lętitia. Id honor nomen in Hiſpania infrequēs, in Luſitania eatenus inuſitatū fuerat. noſtra ætate Comitu Marchionū, Ducumque iniri numerus nō poteſt. ſordētibus primis inſolita nouaq; adm ramur captamusq; humani ingenii vitio hoc quoq; nomine praui. Bellum interea Grana tenſe magno vtriuſq; gentis conatu gerebatur. contractis vndiq; Caſtellæ copiis in Mau rorum fines irrumpitur. Antequera (Syngilia hæc veteribus fuit) obſeſſa, loci præſidiiqu firmitate defenſa eſt. ipſe vrbis Granatæ ager vaſtatur. nullum pręterea operępretiū extit Maurorū tantū manus ſexcenti equites, duo millia pedites, in Caſorlę agros inuecti, Gien nienſium aliorumq; circū oppidanorū concurſu oppreſſi ſunt. hoc initiū belli Maurici fu it. Maior ex Gallia belli metus impendebat, quem vt auerterēt, Cardinalis Legati, qui ſe e æſtate Pompelone tenuerat, celi amęnitatem, lociq; opportunitatē ſecutus, ſumma cōten tione, quos Caſtellę Rex perduellionis lege Almaſani damnauerat, fratres, proceresq; v iis ſentētia reuocata integra venia eſſet, agebatur. id icti nuper fœderis legibus cōuenit. Iu ſtiſſimis poſtulatis ferox Caſtellę Regis animus nihil flectebatur: videbaturq; ma us, qu q; geſſerat bellū in Aragonios verſare. Legatus ergo pro iure acceptę poteſtatis latā in Hen ricū & ſocios maieſtatis ſentētiā, irritā pronūciauit. impulſor incitatorq; Aragonius. Caſte lę Regis animus ex ea re in vindictę ſtudiū vehementius inflammatur: irā confecto bell Maurico effuſurus. Ad Granatā bellū alternāte fortuna gerebatur. ad Accim, hoc eſt Gu dixiū, inſignis clades accepta, ad quintūdecimū Kalēd. Februarii ſalutis 1362. mille equi tes, pedites duo millia in hoſtiū fines intraſerāt, Accimq; parabāt expugnare. ductor Cala trauę Magiſter. maior militūnumerus vrbis pręſidio aduenerat, noſtris ignaris: eoq; ma gna animorum confidentia vicinis Athamę agris euaſtandis nonnulli dimiſſi. Mauri cęte ros opprimi poſſe cogitantes vrbe erumpunt, continentique totius diei pugna victo res euadunt. multitudini virtus ceſſit. è piorum numero multi ceciderunt. plerique capt in his ipſe Calatrauæ Magiſter Granatam deductus ſine vllo pretio dimittitur. eo blandi mento infenſi Regis animum lenire barbarus ſatagebat. Metum ille interpretatus fero cior, cum omnibus copiis acceptę ignominię reſarciendę ſtudio, in Maurorum fine impetum facit. bello vaſtatus ager multa oppida capta. villę incenſę. abactę prædę. ad ha calamitates domeſtica peſtis accedebat. gentis ſtudia diducta. magna pars Lag profugo quamuis, & eiecto fauebat: magnusque propterea cumulum amittendi regn

metus inceſſerat. Ergo Rufus re cum proceribus communicata Hiſpalim abire inſtituit, fide prius incolumitatis impetrata: alioqui in Caſtellæ regis poteſtate futurus. conſilii exitialis auctor Odricius comes periculi, magna ea tẽpeſtate inter Mauros autoritate, & à multo rerum vſu facta prudentia clariſſimus. Quadringenti equites ſequebãtur, pedites dimidiato numero. argentum aurumq; multum, gemmarum, veſtisq; pretioſæ vis ingẽs. aduerſus iram Regis infenſi præſidium in eo ponebat Maurus, vnde exitium extitit. Hiſpali intra arcem admiſſus, factaq; conueniendi poteſtate hanc è comitibus vnus orationem habuit. Adeſt Granatenſis Rex, maiores ſuos, Caſtellæ beneficiarios, fœderatos, ſubditos, ſemper extitiſſe memor. Si quid offenſum erat, vt ſunt variæ & inconſtantes res humanæ, vectigali impoſito, pecuniaq; imperata mulctatis ad redintegrandã gratiam aditus erat. Si quid domi controuerſiæ incidiſſet, regum Caſtellæ arbitrio finire moris erat. quod nobis accidiſſe gaudemus. Sit operæpretium ſupplices ad regem potentiſſimum acceſſiſſe. Lagus à gente pulſus, cui ſuperbe & auare dominabatur: in eius nos locum ſuffecti ſumus propenſa omnium ordinum voluntate, regio genere orti, regniq; hæredes legitimi. Æmuli virib. ſuperiores ſumus: tibi cedimus: neq; tuæ potentiæ & felicitati pares nos fore putamus. Æquitatis præſidio vallatis iuſtiſſimi Principis patrocinium haud defuturũ confidimus: neq; noſtras, hoc eſt, regias preces inanes apud regem futuras. eoque amplius, quod fidei inſtar publicæ, conceptà de tua clementia ſpes, vt veniremus animos fecit: ſatis magnum præſidium arbitrantibus, innocentiam noſtram, tui ô Rex inuicte nominis maieſtatem. Ad hæc Caſtellæ rex fallaci eblanditus vultu verbiſq; gratum aduentum extitiſſe ait. bono animo eſſe iubet. Hæc, inquit, dies, neq; tibi neque tuis quicquam detrahet. omnes cauſſæ neceſſitudinis intercedunt. alioqui non cum fortuna hominum, ſed aduerſus ſuperbiam ferociamque bellum gerere conſueuimus. Hæc ait: ſimul à D. Iacobi Magiſtro Garſia Toleto Rex barbarus ad cœnã deductus eſt. cœnanti vincula iniecta. ſic repẽte aut mutata, aut detecta ſæui Principis voluntate. Neque eatenus calamitas conſtitit. paucis poſt diebus Rex calamitoſus in purpura aſino impoſitus, & cum eo ſeptem triginta ſocii pœnas capite dederunt. Campus, cui ad vrbem Tablatæ nomen eſt, ſupplicio deſignatus. fama fuit theſauros quos attulerat malo fuiſſe, Regis animo auaritia corrupto. tyrannumque ipſum ſua manu interfeciſſe addũt. fœdũ facinus deteſtabile carnificis miniſterium, cędiſq; genus morte ipſa grauius. ſermones hominũ, qui futuri eſſent, inuidiæ moles quãta nõ cõſiderabat. vulneri verba contumelioſa addita. Noſtra, inquit, manu cades. Aragonii fœderis tua cauſſa importune icti, hæc merces eſto. ad quę patria lingua Maurus: Poſitis armis ſupplicẽ dedititium, quæ nam gloria, fraude cædis? Rufi ſane interfecti corpus ad Lagum æmulum miſſum: qui continuo regno recepto Chriſtianos omnes, qui ad Accim capti erant, liberos abire permiſit.

Aragonium bellum repetitur. CAPVT VI.

CONFECTO bello Maurico, rebusque in Bætica compoſitis maiori impetu in Aragonios arma mota: diſſimulanter tamen ſpecieque belli defendendi, quod ex Gallia grauiſſimum impendere videbatur, Henrico auctore præcipuo. Angliæ rex ad ſanciendum fœdus ſolicitatus. in Gallo parum ſpei erat, Blancæ interfectæ memori, vindicaturoque armis. Soriæ, Vaſconum & Caſtellę Regum colloquiũ fuit. arcano vires aduerſus Aragonium ſociatæ. Vaſconi, belli inferendi nulla cauſſa erat. fingit denũciatque ſibi aduerſus Galliæ Regem propinquo & neceſſario opitulatum non eſſe: eamque iniuriam armis vindicare velle. ergo ex ſua gente copiis contractis, in vicinos Aragoniæ agros irrũpit, Soſium municipium diuturna obſidione expugnat. Caſtellæ rex viribus formidabilis, nam decem millia equitum, peditum triginta millia ſub ſignis habebat, Hariſam, Atecam, Cetinam, Alhamam improuiſo adortus, capit. menſe Iunio Calataiubam promota caſtra, validum in Celtiberis municipiũ, præſtanti erga ſuos Reges fide. Miſſus ab Aragonio, qui Perpiniani & Barcinone ſe tenebat, Auſonæ Comes, Bernardi Cabreræ filius, vt obſeſſis præſidio eſſet, ad Miedes oppidum interceptus captusque eſt. & erat Aragonius diuturnæ pacis ſpe è rebus omnibus imparatus. Hẽricus Telliusque, præterea Gallica auxilia euocata. ſerius omnia voluntate neceſſitateque procedebant. Itaq; Aragonio cõcedente, quarto kalend. Septembris obſeſſi deditionem faciunt, incolumitatem, atque vt ſuis legibus viuerent pacti. Capto municipio D. Iacobi Magiſter cũ iuſta militari manu præſidio relictus. Vaſconum & Caſtellæ copiæ in hiberna deductæ. Caſtellæ Rex Hiſpalim ſeſe retulit. in ea vrbe priusquam Aragonium bellum repeteret, in regni conuentib. Mariam Padilliam legitimis nuptiis iunctam ſibi à primis annis fuiſſe affirmauit, eoque Blancæ nuptias irritas extitiſſe. Procerum ob diuerſa ſtudia eatenus diſſimulatum: nũc conſciẽtiã religione

obſtrictam,

obſtrictam, & filiorum quos genuerat, cauſſam mouere. mortuæ nomen Reginæ, & inter Regum buſta tumulus datus. Deinde Alfonſo filio, cui regnũ deſtinabat, immatura morte ſublato quintodecimo Kalend. Nouembris, grauiſsimo patris luctu, teſtamentum condidit ad quartumdecimum Kalend. Decembris. In eo medium ſe inter Padilliam Reginam, filiumque Alfonſum, in ſacello quod ſua impenſa extruendum curabat, ſepeliri mandat, in veſte Franciſcana homo pius, religioſus, memorque mortalitatis diuinum numen propitiari eo ritu volebat. & ſane ſenſu cũ aliquo numinis tangi, tametſi prauæ ſæpe cupiditates in tranſuerſum rapiebant naturæ vitio, longoque vſu confirmatæ, ſatis indicant eius teſtamenti tabulæ, quæ autographæ extant. Regni hæredes filias deinceps fore ſancit, eisque Ioannem ſubſtituit, ex Ioanna Caſtria ſuſceptum: cùm vtrique iuſtis nuptiis procreati eſſe non poſſent: vanumque commentũ extitiſſe, quod de Padilliæ coniugio vulgarat, neque iura, ſed vim & libidinem dominari, id ipſum indicio eſt. tametſi Calatrauæ Magiſter, Maiorga, Pereſius, aliique teſtes idonei ſcilicet & præſtantes, initum cum Padillia coniugium, ſanctiſsimo iureiurando, contactis ſacris confirmarãt. Ferdinando Aragonio, Henrico & fratribus filiarum aliquam connubio iungi vetat: ſi ſecus faxint, iure paterno maledicit regnique ſucceſsione amouet, Beatrici mandat, vti Ferdinando Luſitanæ iuuentutis Principi nubat: dote Caſtellæ regno. tutor ad idoneam ætatem Garſias Toletus D. Iacobi Magiſter deſignatur. Diegho Padilliæ Calatrauæ, Suero Martino Alcantaræ Magiſtris honores antea habitos integros eſſe ſtatuit. Rebus domeſticis compoſitis, fundatoq; reipublicæ ſtatu, in mediis hyemis frigoribus, principio anni milleſimi trecenteſimi ſexageſimi 1363. tertii, ad arma rurſus feſtinatum. tanta erat cupiditas Aragonios vindicandi. exercitui ſupplementum ſcribit, externa auxilia conquirit: ac nominatim Rex Angliæ, Walliæq; Princeps ad ſocietatem armorum inuitati. Primus impetus in Maluendam, Arandam. Borgiãque factus eſt. hæc, aliaque minora oppida in poteſtatem venere. Turiaſo circumſeſſa. Alia parte Vaſconum Rex ad Exeam, Tiermaſque in hoſtium fines incurrit, fortunas agreſtiũ agens ferenſque paci, agriſque infeſtus, ac vicinis vrbibus formidabilis, Caſtellæ militum, qui cum eo erant, præcipua ſæuitia. Ludouicus Vaſconis frater cum delecta manu in Caſtellæ caſtra venit. idem fecere trecenti Luſitani equites, ductore Egidio Caruallio, D. Iacobi in Luſitania Magiſtro. Granatæ Rex ab Aragonio ſolicitatus, vt Bæticæ arma inferret, facere recuſauit, recenti Caſtellæ beneficio obſtricta fide. Solicitati etiam Africani Reges ad ferendam opem, nulla famæ memoria ac excuſatio erat, ſexcentos Granatẽſes equites, Roduano Duce in Caſtellæ caſtra veniſſe. Tantis virib. Aragonius impar erat: tametſi ex Gallia valida auxilia venire nunciabãtur, Henrico duce equitũ tria millia. dedita Turiaſo, capta Magalona, Teruelaq;. alia parte Segorbium, Exericaq; in poteſtatem venerunt, minorum oppidorũ arciumq; magnus numerus. peruia omnia Caſtellæ virib. erant. in intimã prouinciã armis victricib. penetratum. Saguntũ circumſeſſa, deditaq;. in Valentiæ conſpectu caſtra poſita, ad 12. Kal. Iunii, magnus tota prouincia terror, rerumq; deſperatio. Erant Caſtellæ copiæ numero imminutæ, diductęq; in plura pręſidia, quę captis oppidis imponi neceſſe fuit. id vnum ſaluti fuit Aragonio, Henricoq; cum iuſto exercitu obuiam procedentibus. Caſtellę Rex totius certaminis aleam ſubire nõ auſus, ſeſe Saguntum retulit, loci firmitate bellum defendere parans. hoſtes ea ſpe depulſi Burrianam redierunt, vicinum in Ederanis oppidum, firmiſſimumq;: quamuis immiſſus Caſtellę equitatus intermorari atq; impedire erat conatus. Obierat Londini Ioannes Gallię rex ante menſes duos, cum vt datos ante libertatis ſuę obſides liberaret, in Angliam traiecisset. Cadauer Lutetiam relatum, conditumq; in templo Dionyſii, iudicibus ſenatus Pariſienſis in veſte lugubri ſuccolantibus. Carolus eo nomine Quintus Remis more inſtitutoq; maiorum, Rex Gallię ſacratur, Regi Vaſconum ex ſuperiori rerum memoria vehementer infenſus. Bertrandus Clakinus è Britannia Celtica vetus Regum Galliæ miles, multisque bellicis operibus clarus. impetu in Vaſconis Gallicam ditionem facto, Meduntam, Mulanchumque in Nortmannia, fraude cepit. Philippum Vaſconis fratrem acie deuicit: quem per hęc tempora deceſſiſſe comperto: eoq; Vaſconis animum ad pacẽ inter Hiſpanas gẽtes cõſtituendam propenſum eſſe cœpiſſe. Aragonii is propinqui & neceſſarii, periculo & calamitate mouebatur. Regis Caſtellę felicitas inuidioſa erat, actiones importunæ. Ludouicus Vaſconis frater Regũ conſenſu de pace legatus, adiunctusq; Abbati Fiſcani, qui Legati pontificii partes implebat vtrunq; Regẽ adiit. aderant Deniæ Comes, Bernardusq; Cabrera ab Aragonio ad Caſtellę Regẽ, de rerũ ſumma legati. iis agẽtibus ferox Caſtellę Regis animus mitigari viſus eſt. gemini cõiugii ſpes facta. Caſtellę regis & Ioãnę Aragonii filię pręterea Ioãnis Gerundę Ducis & Beatricis Caſtellę Regis filię. Hęc palã iactata. ex arcano Hẽrico Traſtamarę Comiti Ferdinãdoq; Aragonio, diſſidiorũ in vtroq; regno pręcipuis autoribus, exitiũ moliebatur.

Caſtellæ Rege id expetente, Aragonio graue id facinus & turpiſſimum videbatur, fide publica munitos, nulla noua culpa interimi: alienaque calamitate pacem redimere. Siue hæc cauſſa fuit, ſiue alia, Ferdinandus Aragonius Caſtellonii ad Burrianam iuſſu fratris interfectus eſt. veteris odii ſemina ad maturitatem peruenerunt: & nunc Aragonio fratre deſerto, cum Caſtellæ militum multo maxima manu, qui eius auſpicia ſequebantur, in Galliã diſcedere parabat. vxor cũ clam in Luſitaniã diſcederet, in itinere intercepta, deinde ad patrem Regem dimiſſa eſt. Henricus Traſtamaræ Comes vitæ diſcrimẽ ad Vncaſtellum (oppido id nomen eſt, quo Aragonius & Vaſco per cauſſam mutui colloquii ad confines conuenerunt) inſcius euaſit: felix dupliciter, Ferdinãdo grauiſſimo æmulo ſublato, euitatis inſidiis beneficio Arellani ei arci Præfecti, per fidẽ colloquii tãtum Principẽ perimi, ſuęque familiæ proditæ fidei perpetuam inuri maculam paſſurum ſe negantis. Mirum inter fidẽ perfidiamque ea tempeſtate fuiſſe diſcrimen, cædium frequentia, cunctorum animis effeœtis. hominẽ externum, Vaſconis cubicularium, tanta conſtantia ſeſe duorũ Regum conatibus oppoſuiſſe mirũ. Henrico cœlum, imperiũ fraternũ deſtinabat, cui humanæ fraudes ſunt impares. Catanæ in Sicilia per idem tẽpus menſe Iulio Conſtantia Siciliæ Regina extincta eſt, filia relicta, cui Mariæ nomen fuit, regni paterni hæredi, Aragonii Regis filio Martino nuptura.

Henricus Rex Caſtellæ proclamatur. CAPVT VII.

CONCORDIÆ ineũdę conatu ſpeque intermiſſa, Aragonius in Catalaunos belli ſubſidia conquiſiturus. Caſtellæ Rex oppidis quæ capta erant munitis, Hiſpalim abiit, tanta cupiditate belli inſtaurandi, vt fine anni per Murciæ fines in Valentinos agros inuectus Ilicim, Muelam, Calloſam, Dianium, Gandiam, Oliuam, partim vi, partim deditione ceperit. Valentia ipſa prouinciæ caput menſe Decembri circunſeſſa. ingens terror genti vniuerſę, Aragonioque Ilerdę natalem Chriſti diem celebranti, atque de belli euentu ſolicito. Ad Soſium Aragoniæ arcem Vaſconis & Aragonii Regum colloquium fuit, ſe-
1364 ptimo kalen. Martii, ſalutis anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto. affuit Henricus Traſtamaræ Comes, reconciliata gratia, an quod potius arbitror priorum inſidiarum ignarus. Fœdus factũ eoſdem amicos inimicoſque futuros. Caſtellam ſi victores euaderẽt prędæ futurã. Henricus fraternas opes & imperiũ ſpe inuaſerat. quòd oppreſſus eatenus nõ eſſet, victorię inſtar ducebat. Cantabria Vlteriorque Caſtella vniuerſa Vaſconi: Murcia Toletũque Aragonio pacta ſunt. de alieno munificum eſſe facile erat. Bernardo Cabreræ vni maxime ii conatus diſplicebant, quibus Caſtellæ vires irritabantur Aragoniis ſuperiores, vt belli euentus indicarat. Bernardi opprimendi cõſilia inter Principes communicata. res tãta latere non potuit. Almudeuare ſe ille in Vaſcones ſubduxit. ibi captus, aliquandiuque in cuſtodia detentus, per conditiones Aragoniis traditus eſt, quorſum Valentina obſidio euaderet ſolicitis: prorſus vt copiis omnibus contractis, Rege ipſo ductore, hoſti totius pugnæ copiam facere non dubitarent. verum eo certamen detrectante, qua cauſſa incertum, ſed pugnare non auſo, ſeſe Valentiam intulerunt, quarto Kalend. Maias, magna Aragonii nominis gloria, hoſtiũ dedecore. Caſtelię claſſis numeroſa, quippe viginti quatuor triremium, nauium quadraginta ſex, vicinis littoribus tentatis Saguntũ appulit. Cardonę Vicecomes cum decem & ſeptem triremibus Aragoniis ſeſe in Cullerę fluuium intulit, eius opprimendi ſpe Caſtellę Rex claſſe conſcenſa oſtium obſidet, irrito conatu ob exortam repente tẽpeſtatem. repetita caſtra: Rexque à ſupremo vitę periculo ſeruatus, voti reus vicinũ D. Marię templũ reliquis indumentis detractis in linea tunica adiit, reſti etiam collum implicitus: ingenio ſuo neque immitis, neque irreligioſus niſi iniuria prouocaſſet. ſic Reges Aragonius Barcinonem, Caſtellæ Murciam atque inde Hiſpalim redierunt in magnis ęſtatis feruoribus. De Bernardo Cabrera ſupplicium Cæſaraugustę ſumptum eſt ſeptimo Kal. Auguſti, Aragonio ipſo ſententiam pronunciante, Ioanne filio eius iuſſu exequente. ablata oppida Cabrera, Auſaque, atque multa alia, quę Bernardus obtinebat. Magnum nefas, nutritium à quo erat ſanctiſſimis moribus informatus ab alumno interfici, quid innocentem, cuius ampliſſima merita in Aragoniam regiam extabant: nimirum incorrupta libertas maiori fama celebratur: obſequium Principibus magis probatur: & à Regibus ſæpe familiariũ inuidia peccatur: qua vir pręſtãtiſſimus nulla prętere a culpa oppreſſus eſt. Regina, Vaſco, Henricus prętere a Ripagorſę Comes in eius necem cõſpirarant. Mox repetita arma. in agro Valẽtino à Caſtellę Rege Aiora capta eſt. Guterrius Toletus, qui in Sueri locum Alcantarę Magiſter ſuffectus erat, vt cõmeatum Sagunto inferret miſſus, ab Aragonio in ipſo itinere victus interfectusque eſt. Martinus Corduba regię ſupellectilis pręfectus ſucceſſor. Ea clades noua ignominia & maxima geminata eſt. Caſtellę Rex Illici, Orihue-

lę fines

læ fines infeſtos reddebat: veneratq; in ſpem eius vrbis potiundę. Aragonius omnib. copiis
contractis præſidio adeſſe certus, caſtra in hoſtium conſpectum promouit: iisq; certamen
eo etiam loco detrectantib. quippe ſuorum voluntati Caſtellæ rex nõ fidebat, Orihuela in-
uecto commeatu, impoſitoq; præſidio munita eſt. Hæc fine anni gerebãtur. Quo tempore
allatum ex Italia eſt, Ægidium Cardinalem, antea Toletanum Præſulem, diem obiiſſe. Vi-
terbii ad 3. Kal. Octob. deceſſerat vir domi militiæq; clarus. tribus Pontificibus Clementi,
Innocentio, & qui per hæc tempora Romanam eccleſiam tenebat Vrbano V. carus. felici-
bus armis ditionem reſtituit, quam varii reguli occuparant, iniuriaq; abſtulerant in Italia.
iterq; eorum ſucceſſorib. aperuit, vt Romam veterem ſacri imperii ſedem repeterẽt, quod
propediem futurũ erat. Cineres Aſſiſii in Franciſcano templo conditi. inde Hiſpanię mo-
tibus pacatis Petri regis cæde, Toletum vti ipſe teſtamento cauit, relati ſunt, atq; in D. Ille-
fonſi templi maximi ſacello cõpoſiti, tumulo marmoreo dicato. populis baiulis, qui ſe ve-
niæ peccatorum ſpe toto itinere obuii cateruatim effudere. proximo ſalutis anno ineunte
1365. ab Aragonio quidem Saguntum obſeſſum, ac tandẽ ex deditione captum. à Caſtellæ 1365.
rege Orihuela diuturna obſidione in poteſtatem redacta. Iunii menſis die 7. Alfonſus Guſ-
manius S. Luciferi regulus, Henrico cuius is partes ſequebatur, eximia opera nauata ad eã
vrbem occubuit, quamuis in florenti ætate iuuenis, acer cõſilio, manu ſtrenuus. hæredem
habuit fratrem germanum Ioannem Guſmaniũ. Ad Saguntum Gometius Porras Hoſpi-
talarius Prior cum 600. pręſidiariis militib. ad Aragonias partes traductus eſt: ſui regis me-
tu, an Henrici caritate incertũ. ab hoc certe initio, quamuis modico, Caſtellæ vires debili-
tari cœperunt, ac plane in præceps ire: adeo ex paruis ſæpe magnarum rerum exitus pen-
dent. Acceſſere ex Gallia militum numeroſæ manus, qui pace cum Anglis facta, tota pro-
uincia vagi palanteſq; bello viuere aſſueti, miſerorum fortunas prædæ habebant. Vrbanus
ipſe Pontifex ab his prædonib. circunſeſſus, ſuam Romanæq; aulæ libertatem multo auro
redimere compulſus eſt: omnino *300.* florenorum millib. ſtipendii nomine (ea ſpecies præ-
tenta eſt.) tantundem à Gallo rege reprę́ſentatum eius peſtis à ſuis finib. auertendæ ſtudio.
Pontifex ſane eo defunctus periculo in Italiam ſedem transferre cogitauit haud ſtabilem
tunc: ſed vim numinis ſentiens, metuenſq; indies grauiora ob deſertũ à maiorib. ſanctiſſi-
mum religionis domicilium: & defuncto Egidio Cardinali, partam ab eo veteris patrimo-
nii hæreditatem cernere cupiebat, ſubditoſq; populos in fide & officio confirmare. Militũ
Gallorum colluuies ex Germanis, Anglis, Armoricis, Vaſconib. aliiſq; gentib. conflata, &
ex vniuerſa Gallia ſpe lucri prædæq; auiditate, Henrici inuitatu, cui a priori tempore bene
velle cœperant, fortiſſimi viri, genere factiſq; præſtantes venere in Hiſpaniã. pręcipui Du-
ces Bertrandus Glakinus Armoricus, Hugo Carbolaius domo Anglus. Ioãnes Borbonius,
quem interfectæ ſororis dolor ſtimulabat, bello quamuis delectus dux mãſit in patria, qua
cauſa incertum, ſed in Hiſpaniam tamen non venit. ad 12. hominũ millia erant equites pe-
diteſq;. Froſſartes hiſtoricus Gallus ad *30000.* in eo exercitu fuiſſe autor eſt. Ipſis Kal. Ianua-
rii ſalutis anno 1366. harum copiarum pars Barcinonem appulit. reliqui modicis interuallis 1366.
ſequebantur. præcipui duces ab Aragonio benigne accepti conuiuio ſunt. magnũ in præ-
ſenti auri pondus numeratum, plura in poſterũ promiſſa. Bertrando ipſi Borgiæ principa-
tus ab Aragonio donatus: quo maiori animo bellum ſuſcepit. Tãti apparatus Caſtellæ Re-
gem Hiſpali, vbi ſe tenebat, periculi magnitudine excitarunt: alioqui neque ſocordem, ne-
que ceſſantem. Burgos abiit, in regni conuentu ſubſidia belli cõquiſiturus, fruſtra cælo ir-
ritato, auerſis omnium hominum voluntatibus. dabat conſilium Labretus, qui auxilio ex
Gallia venerat, vti venales externoſq; milites præbito auro ſibi conciliaret, ab Henricoque
deduceret. fore id promptum tum gentis ingenio, tum ob neceſſitudines, quæ ſibi cum il-
lis maximæ erant. Obcæcantur eorum animi, qui ad exitium nutu numinis deſtinantur. ſa-
lutaribus monitis Regis aures occluſæ erant, natura ferocis, contemptoriſq; periculi. In-
terea Cæſarauguſtæ, quo externi milites conuenerant, Aragonii, Henricique colloquium
habitum eſt. in eo colloquio priora fœdera menſe Martio ineunte confirmata: deſignataq;
rurſus Caſtellæ pars Aragonio victoriæ præmium. pactiſq; nuptiis Ioannis Eleonoræq; v-
triuſque Principis filiorum, fides aſtricta amplius eſt. Soluto conuentu, Aragonius quidem
in ea vrbe ſubſtitit, tantarum rerum euentum expectans: Henricus autem omnibus copiis
contractis in Caſtellæ fines irrupit. Alfarum municipium occurrit valido præſidio & ope-
ribus firmiſſimũ Horoſco Præfecto. eo impugnando tempus terere viſum non eſt, ad ma-
iora nitentibus: & inteſtinis bellis celeritate magis quã re alia opus eſt, cunctatio omnis ex-
itialis. Calagurrim locis finitimis ſitam vrbẽ itũ eſt: quã Iberus amnis alluit, in paucis eo tra-
ctu nobiliſſimã. Ferdinãdus eius vrbis Epiſcopus, Touarius Præfectus venienti Hẽrico por-
tas aperiũt, 17. Kal. Aprilis, ſeu munitione diffiſi, ſeu auerſis à Caſtellæ Rege voluntatibus.

In ea vrbe concilio coacto de belli ratione conſultatur. variæ dictæ ſententiæ. pars Burgos regni caput feſtinandum cenſebat: pars continuo Regis nomen occupandum, vt ſpe reconciliationis ſublata, maiori animo & conſtãtia bellũ inuaderent. Clakinus, vt erat magno animo, & propter rei militaris peritiam, primus ei auctoritatis locus deferebatur, ita locutus fertur. Quicunq; de rebus magnis conſilium dat, conſiderare debet, quid reipublicæ vtile ſit, quid propriis viribus conſentaneũ. nam maiora viribus conari temerarium eſt reipublicæ commodis priuatas cupiditates præferre exitiale inhumanumque. Ego te, Henrice Princeps, ad Caſtellæ regnũ voco ſalutare reipublicæ, tibi magnificum, nobis omnibus glorioſum. ſi noſtris viribus, tuo ductu auſpiciiſque tyrannus oppreſſus, mõſtrũque tetrum in hominis facie terris incubans, eius exitio fuerit procuratũ: nobiliſſimo regno reſtituta libertas, facultasq; à tantis malis reſpirãdi. An vndantẽ per domos, agros, oppida. ſanguinem populi & nobilitatis non vides? propinquos cæſos: ne fœminis quidem & pueris parci? An te patriæ non miſeret, pudetq; cõditionis? tot exilia, bonorum euerſiones, prædas, direptiones? tantã malorum elluuiem, quis etiã ſi ferreus ſit æquis oculis aſpiciat? Non aduerſus veteres Caſtellæ Reges Alfonſos, Ferdinandos pugnabis: qui ſuorum beneuolentia magis quã armis freti, nullo inteſtino hoſte externa bella profligabant. Hoſtis offertur vetera odiorũ nomina exæquans, externis exoſus, ſubditis grauis, per ſeq; caſurus, etiã ſi à nullo impellatur. nullis legionibus munitus: & ſi qui ſunt milites, Principis ii imitatione, eneruati libidine in aciem prodibũt. Tibi è Gallia, Anglia, Germania, Aragonia, numeroſæ copiæ ſunt, vſu firmatę multiſque bellis exercitæ: amici Reges, & tua ante omnia felicitas. tibi tota Caſtella boni omnes nauare operam & ſtudium cupiũt: nulluſque erit, qui te Rege renunciato, in noſtra ſe caſtra non conferat. Habenti exercitũ imperii nomen alio tempore vtile fuerit: hoc ſane mihi neceſſariũ videtur, ſancienda auctoritate, detegendis hominũ ſtudiis. Si cœlum cœptis affuerit, vt ſpero, tibi ſummum decus paratur, nos honore quẽ dederis cõtẽti erimus. ſi ſecus euenerit quod horret animus meminiſſe, nihil accedet, quam quod pateris grauius. par cunctis periculum manet. Eo fidelius cõſilium videri debet, quod in pari diſcrimine verſamur. Age macte animo virtuteq; Princeps: nomen ad quod te Numina è tantis periculis ſeruarunt continuo arripe. præclarum facinus celeritate occupa, q tibi hoſtis exitium parat, inferre perdereq; aut perire certus. Fortuna fortes metuit adiuuatq;, peruertit ignauos. Poſt Bertrandi orationem, cæteri Principes audentius circunſiſtere, hortari dubitantẽ repugnantemq;, (ſic videbatur) vatũ reſponſa proferre Diuum hominumq; opem certò affuturã polliceri. Vexilla inter hæc explicata. Henrici regis nomẽ, per vrbis plateas, populi & militũ concurſu ingeminatũ. ea cæremonia gentis inſtituto regia poteſtas nomenq; deferri cõſueuit. à nouo Rege pro cuiuſq; auctoritate dona Principibus data oppida, arces, principatus. & in ea rerũ perturbatione nouus Rex quaſi de alieno munificus videri volebat: quiſq; id habiturũ iudicabat, quod precibus occupaſſet. Bertrandus Traſtamara, Hugo Carrione donati ſunt. vterq; Comitis nomine. Noui regis fratrib. Tellio Viſcaiæ principatus, reſtitutus, Sãctio Alburquerquiũ datũ. Gõſaluus Meſſia D. Iacobi: Petrus Munitius & ipſe intima familiaritate Henrico coniunctus Calatrauæ Magiſter inſtitutus. Alfonſus Aragonius Dianii Comes (patruelis is Aragonii Regis erat) Villenæ Marchio renunciatur: cæteraq; adiuncta, quæ in Ioannis Emanuelis ditione poteſtateque fuerant. aliis arces & oppida tota prouincia donantur.

Petrus Rex Hiſpania pellitur. CAPVT VIII.

DVORVS in Caſtella Regibus vniuerſa prouincia ad nouas ſpes erecta erat. ſæuitia Petri Regis multorum animi erant alienati. inclinatos tamẽ ad defectionem cũctos Caſtellæ populos vnus timor morabatur, ne ſuo propinquorumque ſanguine, ſi cœptis fortuna obſtitiſſet, defectionis culpa lueretur. Reges ipſi maiori contentione conatũque de principatu certare cœperunt: cuius ea eſt natura, vt plures vno Rege in prouincia vna eſſe non poſſint. magna vtrique præſidia aderant pro Henrico externi milites, æmuli odium, rerũ nouarum ſtudium pugnabant. ſubleuabat alterum quod ante Rex fuiſſet propemodum, quam natus: quod patre, ac tot maioribus Regibus ortus: quod vna eſſet reliqua eorum Principum ſoboles legibus procreata. Maieſtas in vtroque ſancta erat. Petrum iniurię impatientia ſtimulabat: Henricum fratrum & propinquorum effuſus ſanguis publicæque ærumnæ ad vindictam irritabant: magiſque recentis regii nominis, quam vitæ memor erat. Rebus ſic patratis, Burgos feſtinare viſum eſt, in itinere Lugrunium, quoniam volũtate quidquam facturos ciues non ſperabat, & vim admouere longum erat, intactum relictum. Nauarretum iis locis Virueſcaque in poteſtatem redacta. Petrus interea Burgis, amiſſis amicis, quorum pleroſque ipſe necauerat, reliquorum virtuti, an fidei minus crederet in ambiguo erat, vagus incertuſque agitabatur: an hoſtis aduentum opperiretur, prę-

liiqua

liiſque fortunam tentaret, qua ſæpe proſpere vſus erat. vicit tamen diſcedendi ſententia, Hiſpalimq; maturandi metu, ne filii theſauriq; interciperentur in tanta alienatione voluntatum. Burgenſibus ciuibus ſua illi ſtudia profitentibus remiſit, ſacramentique religione exoluit, vt nulla ignominiæ nota, ſi res ita ferret, ſe ſuaq; hoſtis poteſtati permitterēt. Deus illi mentem eripuit: atq; eo amplius, quod publicam inuidiam, vnde exitium imminebat, Ioanne Touario ſub ipſum diſceſſum interfecto auxit fraternæ tantum culpæ reo, ob deditam Calagurrim. ad quintum Kalen. Aprilis Burgis diſceſſum. ex itinere arcium oppidorumque, quæ de Aragonio capta fuerant, præfectis mandauit, vti præſidio deducto, publicis priuatisque ædificiis incenſis, ad ſe quamprimum maturarent, exercitui ſupplementum. Sic momento amiſſa ſunt, quæ pluribus annis magnaque difficultate parta erant. Calataiubæ Martii menſis dies vltimus, quo reſtituta libertas eſt, inter faſtos relatus: ad D. Mariæ Rupenſis peregrinatione, ob eius beneficii memoriam, anniuerſaria inſtituta. Toleti, quo Rex Petrus appulit, ciuium voluntates confirmatæ, haud perſtitura fide. Garſias Toletus D. Iacobi Magiſter in ea vrbe relictus. Henricus à Burgenſibus euocatus, metu periculi, an æmuli odio incertum: & Comitis quidem illi nomen adſcripſere, ad regiū inſigne inuitantes, modo in ea vrbe ſuſciperet: cui propter amplitudinem & vetuſtatem debebatur, vt non aliunde imperii principium eſſet. Ergo inter fauſtas acclamationes nouus Rex in eam vrbem exceptus, Olgis regni coronam ſuſcepit. Burgēſium exemplo pleræq; Legionis & Caſtellæ vrbes vltro deditionē fecerunt. omnino intra quinq; & viginti dies ex quo Rex fuerat proclamatus, ditione viribusque æmulo nihilo inferior euaſit. proceres & populi certatim noui Regis beneuolētiam occupare officiis & celeritate cupiebāt. Toletum aduenienti Henrico portas aperuit. reliqua prona erant. omnino Petrus rebus omnibus deſperatis, lōginquaque fuga ſe ſuaq; tueri conſtituens, theſauris filiisque in triremē impoſitis, in Luſitaniā diſceſſit. Quem cæleſtis fauor deſeruerat, eundem ſtudia hominū deſtituiſſe viſa ſunt. Negabat Luſitanus duos Reges vnam prouinciā capere. Ferdinādus Luſitani filius ad Henrici partes propenſus erat, legationibus vltro citroq; miſſis Henrico fauēs, à Petro auerſus. qui tamē ne violaretur ius gentiū valuit. in Calæciā tantū abire permiſſus, fugæ ſubſidiū cōparaturus claſſe inſtructa. Cōpoſtellæ Suerus Archiepiſcopus, Petrus Toletanus decanus Petri iuſſu ſunt interfecti. ſic ne in periculo quidem ſæuus animus compeſcebatur: vltroq; ruinæ cauſſas augere non ceſſabat. Abeundi certo, ſi terra diſcederet, periculum proponebatur. duæ & viginti onerariæ ex vicinis littoribus contractæ: minora nauigia aliquot. ea claſſe filias duas (nam Beatrix maior natu extincta iam erat, Polydorus Baionæ extinctam ait) Ioannem filium Baionā Aquitaniæ vrbem deduxit: quæ Angli Regis imperio obtinebatur. theſaurorū partem ſecū detulit. pars altera, quæ ab ærarii Præfecto Martino Iuanio triremi impoſita vehebatur, Hiſpali intercepta à ciuibus eſt, Hērici gratiā promereri ſatagentibus, qui Corduba dedita, in eam vrbē feſtinabat. Sic Petrus ſuo tandem malo didicit res humanas nunquā eodem veſtigio conſiſtere: ſæpeq; magnos Principes quātacunq; felicitate, & viribus, & copiis, inuidia tamen populari opprimi, meritisq; mercedē conſentaneā referre. Reges Luſitanus, Granatenſisq; de incūdo fœdere ab Henrico victore appellati. cum iis ſancita amicitia externis militibus dimiſſis, retenti ex omni copia ſunt equites mille & quingēti, Bertrādi Clakini & Bernardi Bearnēſis reguli ductu. vxor Henrici Regis ad virū fuerat ex Aragonia amandata, adiūcta Eleonora pacta nuru, vti paulo ante eſt demonſtratū. Lupus Luna Cæſarauguſtanus Epiſcopus, aliiq; viri primarii, comites dati. Regni ſuſcepti rationes cōfirmādæ erāt:ærariumq; ſupplendū, tot antea bellis exhauſtū. nam nouā ex Gallia tēpeſtatem imminere nemo dubitabat: neq; Petrus quieturus, vt erat ardēti ingenio, priuſquā cum regno vita ſpoliatus eſſet. Ergo generales conuentus è tota prouincia Burgis agitati. Omnes ordines in Ioānis Principis verba ſacramento adacti, ſi quid humanitus cōtigiſſet paterni regni hæredē fore. In belli ſubſidiū decima rerū venaliū conceſſa, nullo tēpore deſignato. belli ex ſententia cōficiendi ſtudiū, Petriq; odiū in fraudem induxit, ne quā graue id vectigal poſteris eſſet futurum, in præſenti conſiderarēt. improuidas hominū in periculo & cupiditate mētes, cæcā vlciſcēdi doloris cupiditatē. Miranda, quod oppidū Ibero alluitur, Burgēſi ciuitati donatū abs Rege eſt operæ præſtitæ ea merces fuit, Viruesſcæq; ablatæ, Velaſcoq; Regis cubiculario datæ compenſatio. ſummi tēpli ſacerdotibus, in quorū ditione Mirāda erat, æris ſexaginta millia annua pretiū fuit, exigēda è portoriis: diſtribuēdaq; ex aſſe preces diuturnas nocturnaſq; frequentātibus. Burgēſis Epiſcopus Dominicus. De huius inauguratione in vulgus iactatū eſt ſciſſis Ferdinādi deceſſoris obitu, bifariā ſacerdotū ſuffragiis, totius cōtrouerſiæ partiū voluntate Dominicū delectū arbitrū. eū prætermiſſis riualib. ſe Epiſcopū nominaſſe. felicē temeritatē ſecutus, eorū qui aderāt, aſſenſus inſigniaq; pōtificalia delata. Lupus Luna denuo

ad Henricũ ab Aragonio legatur, quæ per icti fęderis conditiones debebãtur, mutuáq; pecuniam repetiturus. regni nondũ confirmati rationes, Henricum excuſare, metúq; maioris mali, ſi vrbes & oppida importuna feſtinatione alienata eſſent. alioqui paratũ ſe, quem parentis loco duceret, cui vitam, fortunas, regnũq; deberet, cuncta quę erat pollicitus idoneo tempore præſtare. Hæc Aragonio ludificando extrahendoq; tempore dicebantur. de antiqua regum ditione nihil imminuere certũ erat: vt ſolent Principes ſuis vtilitatibus magis quàm officio & religioni ſeruire.

Res Vaſconum. CAPVT IX.

DVM hæc in Caſtella gerebantur, inter Vaſcones & Gallos bellum ante tres annos inchoatũ ancipiti fortuna in Gallia erat, maiori Vaſconis damno abſentis, regniq; rationibus impediti. Itaq; vrbes ei & oppida quædam detracta, tentata alia. præterea Toloſæ in Gallia Narbonẽſi inter reges Gallum Aragoniumq; fœdus ictũ miſſis in eam vrbem legatis Ludouicoq; Andegauẽſi Galliæ regis fratre conditiones ferente conuenit, vti fines Vaſconũ Aragonius imperaret. Gallicis ſtipendiis 50. equites auxilio eſſent, nullo propinquitatis reſpectu. Gallus leuir, Aragonius ſororius Caroli in perniciẽ coniurabant: penes quos bello aliunde illato, præſidiũ eſſe ęquũ erat. Dirã dominandi cupiditatẽ. Importunę Caroli actiones, moreſq; aſperi apud vicinos Principes, inuidiã illi concitarãt: multoſq; inimicos adiunxerãt. Ea tẽpeſtate prouiſa rex ipſe Vaſco in Hiſpania quidẽ ſubſtitit, Aragoniorũ impetũ repreſſurus: qui duce Ludouico Coronelio Turiaſone vicinos Vaſconũ fines vaſtare, prædaſq; agere nõ deſiſtebãt: vxor aũt Regina, quãuis vtero graui in Galliã miſſa, rebus aſperis præſidiũ, regẽq; fratrẽ placatura. inanis ea opera fuit: cũ Gallicã Vaſconis ditionẽ ſpe vniuerſam hoſtis inuaſiſſet. prid. ea Kal. April. ad Eburouices ſuæ ditionis vrbẽ in Nortmãnia, filiũ enixa eſt, cui Petro nomẽ fuit, Morẽtania principatus. cũ eo adulta ętate ad virũ in Hiſpaniã rediit. Eo conatu irrito, aliunde prę́ſidia cõparanda erant. optimũ fore viſum eſt, cum Petro profugo vires fortunaſq; iungere. & erat ab eo ad armorum ſocietatem inuitatus, multorum oppidorũ ſpe facta, vt ſunt homines in calamitate munifici, Guipuſcoæ, Calagurris, Lugrunii, Nauarreti, Saluaterrę, Victorię. Exſtãt pactionis tabulę, ipſo anno Oliſipone datæ, nimirũ (niſi cõfictæ ſunt) quo tẽpore in eam prouinciã fuga abiit. nunc Baionæ in Tarbellis, bello inſtaurando operam dabat: Richardumq; Walliæ Principẽ Aquitanię pro Anglo Præfectum, ad opem ferendã ſolicitabat. affuit Carolus Vaſco Richardi principis inuitatu. conuiuio accepti, ad vnã menſam accubuiſſe hoc ordine, memorantur. dextram Petrus tenebat, iuxtaq; eum Richardus: ad ſiniſtram Carolus ſolus ſedebat. inter tres Principes fœdus iureiurando ſancitum Petro Rege reſtituendo in regnum. Viſcaię principatus, Anglo deſtinatur, operæ præmium. Lugrunium Vaſconi obſides Petri Regis filiæ in Aquitania relictę, tum hęc tum datam in ſtipendium pecuniam pręſtandi parta victoria. Contra hos conatus inter Gallum & Aragonium, fœdus anteà ictum, denuò inſtauratur. Vaſconem ea cura ſolicitabat: ne quoniam in medio conſtitutus erat, vtriſq; prędę eſſet. inuenturos per fines viam, aut ferro facturos Anglos. neq; ſatis conſilium expediebat. Quod peſſimũ eſt, mediũ ſe gerẽdo neutri parti ſatisfecit. diſſimulato cõſilio, an mutata volũtate, ad Campeſum Caroli, & Henrici Regum colloquium habitum eſt. interfuere Gometius Manricus Præſul Toletanus, in Vaſci locum ſuffectus, Lupus Luna Cæſaraguſtanus Epiſcopus, Dianii Comes Alfonſus Aragonius, Bertrãdus Clakinus. fœdus inter eos Principes factũ, eoſdem amicos inimicoſq; futuros. Vaſco tranſitu prohiberet Anglos. Bello, quod futurum erat, cum copiis omnibus Henricũ Regem pręſens iuuaret. Ita facturum loco obſidum arces & oppida daret. Nauatæ operæ Lugrunium merces eſſet, municipium à Petro antea eidem Vaſconi promiſſum. Ludouicus Vaſconis frater Ioannam duxit Caroli filiam Dirrachii (in Macedonia ea vrbs ſita eſt) paterno principatu dotali, eius Caroli patruelem, cui ad regnum Neapolitanum Vrbano VI. concedente, gradus eſt factus annis conſequẽtibus. Stemma horum Principum ſubiicimus, quoniam paſſim aberratur. Caroli ſecundi Neapolitani Regis Ioannes Dirrachii Dux filius fuit. nepotes ex Ioanne Carolus & Ludouicus. pronepotes è Carolo quidem Ioanna, è Ludouico autem Carolus. hic Rex Neapolitanus fuit, illa Ludouici Vaſconis vxor. Caroli, & Henrici colloquium ad Campeſum principio anni M. CCC. ſexageſimi ſeptimi habitum eſt. Quo tempore omnino Ianuarii die

1367 octauodecimo Petrus Luſit. Rex annos natus quadraginta ſex, menſes nouem, dies vnum & viginti, ad Stremotium Luſitaniæ municipium deceſſit. regnauit annis nouem, totidem menſibus, diebus viginti octo. coniuncto cum Agnetis Caſtriæ tumulo in Alcobaſæ monaſterio compoſitus eſt. Funus regio apparatu magnifice factum. ſex ipſe ſacerdotes quotidie ſibi & maioribus diuina hoſtia parentare, opimis reditibus deſignatis conſtituit. æquitatis laude præſtantiſſimus, incredibile ſui deſideriũ reliquit, cunctis quaſi publica lætitia,

titia, felicitateq; eodem tumulo condita, mœrentibus. Regiis obſonatoribus, agaſonibusq; quidquam niſi ad veram æſtimationem pretio numerato vetuit accipere. Aduocatorum, iudicúmq; auaritiam, fraudes, tergiuerſationes, vnde lites immortales extabant. ſanctiſſimis editis legibus reſtrinxit. Scelerum omnium vindex acerrimus, præſertim in eos ſæuus, qui alieni tori iura violabāt. Eius criminis reū Portuenſem Epiſcopū ad ſe vocatū manu ſua pulſaſſe fertur. vulgo opinionem, quæ flagellum ipſum cædēdis hominibus geſtare cōſueuiſſe vulgauit, ab hoc, aliiſq; ea ſeueritate ſuppliciis ortā eſſe arbitror. argenti facti, ſignatiq; magnum pondus quotannis ſuis, pro cuiusq; merito diſtribuere conſueuit. eiusq; illa vox fertur. Indignū regio nomine Principē videri, quo die nemini beneficiū contuliſſet. Limię pons coniūctumq; pōti oppidum Petri Regis ſtructura fuit. ſucceſſorē habuit Ferdinādū filiū pari felicitate laudeq; Aragonii legati ad patrē miſſi Ferdinādum adeūtes cum eo mēſe Martio prope Scalabim amicitiam iunxerūt, veteris ſimultatis cauſis vtraq; parte deterſis. Eleonoræ Meneſię nouus Rex amoribus indulgebat, nulla honeſtatis cura, Laurētio Acunio viro detractæ. vnde in Caſtellā profugus, conſueuit in pileo argentea cornua geſtare, regiæ intemperantiæ ſuæque ignominiæ argumētum inſigne.

Henricus ad Tritium victus. CAPVT X.

CASTELLA vniuerſa Galliaq; bellici apparatus erant: militares delectus habebantur: arma, equi, pecunia conquiſita. par vtrinq; ſpes, metusq; hos parti regni fiducia, illos amiſſi cupiditas inflammabat. Henricus Burgis erat in defendendi belli curam intentus. hoſtes collectis vndiq; copiis formidabiles Ronceuallis anguſtiis ſuperatis, Vaſcone aut Duce, aut nihil curante Pompelonem vſque peruenerunt. Interceptus is eſt ab Oliuerio Manno inter venandum homine Armorico, qui Clakini nomine Borgiam iis locis obtinebat; fraudem compoſitam Reges ſuſpicati ſunt, vt ea occaſione, neutris fauendo, apud vtroſq; aditus ad gratiam relinqueretur. ſed ea eſt natura principatus, vt nihil latere poſſit eorum quæ callide comparantur, ac ſæpe homines vero peiora interpretantur. Henricus de belli euentu ſolicitus ad Bagnares oppidum, caſtra promouit. ſequebatur Caſtellæ nobilitas, Gallica, Aragoniaque auxilia. equites erant quatuor millia quingenti. peditum numerus memoriæ proditus non eſt. Sylua erat late diffuſa proceris multisque quercubus. iis in locis, conſilio Principū aduocato, de belli ſumma diſceptatur. regis Galliæ legati, ea cauſa miſſi, Bertrandusq; prælii fortunam detrectandā diſputabant, munienda oppida, extrahendū tempus. eam eſſe ſoli Hiſpanici naturam, vt diu hoſtes ſuſtentare non poſſint. Quis victoribus fructus? quid victis, niſi certum exitium? regnique non ſatis confirmati amiſſio? Alioqui Anglicæ militiæ florem in hoſtium caſtris eſſe: non armis non arte belli, non ſcientia pugnandi, aut viribus corporis pares Hiſpanos futuros. Magnorum Ducum partes eſſe non magis viribus, quàm arte hoſtes vincere. Contrà alii ferociores, quamprimū pugna decernendum iudicabāt. Hominum opinione res humanas imperiaq; conſtare. quid detrectando certamine, niſi turpiſſimi timoris ſignificationem, imbecillitatis confeſſionem contineri? Virium ſatis eſſe, niſi deſit animus. Optimæ cauſſæ cœleſtē opem minimè defuturam. Hæc vicit ſentētia. In Alaua, vbi hoſtilis manus ſpe prædæ vaga diſperſaq; erat, ad Saldirianum oppidum caſtra caſtris collata, Henrici munitiori loco, a tergo claudentibus montibus. videbaturq; non ſi ex inſidiis aut è ſuo loco minimè pugnaturus. Ergo hoſtes motis caſtris Lugruniū, quod oppidū in Petri fide perſtabat, paucis diebus peruenerunt: ad pugnam Henricum elicere deſtinantes, aut ſi certamen detrectaſſet, in interiorem prouinciam penetrantibus reliqua prona futura ſperantes. Hoſtium conſilio indicato Henricus ſeſe retro conuertit, cum hoſtibus pugnaturus: quorum ad Nauarretum caſtra erant. Anagarum ipſe tenuit, quæ vrbs veteribus Tritium Metallum in Autrigonibus fuiſſe creditur indicio pagi, duobus inde millibus antiquum nomen retinentis, lætiſſima ſoli cælique facie, multis rebus, ſed & huius belli euentu nobilis. Miſſæ inter Principes litteræ. vtriq; ſe neq; belli cauſſam eſſe, neq; morā ſi modò æqua & honeſta conditione liceat, paci facturos. Arma inuitos ſumpſiſſe: miſereri cladis, quam futuram prouidebant, ſi ventū ad pugnā eſſet. Sed neutri alteris de regno concedebant: eoq; ſpe concordiæ ſublata, acies ad pugnam inſtructæ. Henricus ad dextram Gallica auxilia conſtituit, Sanctiumque fratrem cum multo maxima nobilitatis parte. Tellius, Dianiiq; Comes ad læuam curare iuſſi ſunt. ipſe medium agmen ductabat. Cōtra hoſtes omnino ad viginti millia equitum peditumq; exæquato numero. ſic agmina diſtribuerunt. In primo Alencaſtrius Dux, Hugo Carbolatus, qui ſe ad Anglos contulerat, collocati. Armeniacus, Labretusque agmen alterū ductabant. in poſtremo Rex ipſe Petrus erat: Vualliæ Princeps, Iacobus, Balearis regis filius: qui è cuſtodia Aragonia elapſus, vxorem duxerat Ioannam Reginam Neapolitanam. trecenti equites Vaſcones, Duce Martino Henrico Caroli regis iuſſu. Inter vtraque caſtra flumen

erat, quo Henricus tranſmiſſo, in vicina planicie acies explicuit, qua hoſtib. iter erat. Eo loco concurrunt agmina. clamor permixtus hortatione: ſtrepitus armorum, tela vtrinq; mitti. dextrum cornu, vbi Bertrandus erat, hoſtium impetum tulit: videbaturq; meliora ferre. Sed Tellius parte altera victoriã corrupit. vincente pudorem metu, neque pugnam inuaſit & terga continuo dedit. fuga facta, Sanctius, Bertrandusq; vno tempore à tergo fronteque circumuenti, vincuntur. fit magna cædes. multi proceres capti. in his Duces ipſi præcipui. conatus eſt Henricus inclinatam ſuorum aciem reſtituere, ſemelq; & iterum equo in conferta hoſtiũ agmina admiſſo periculum adiit. rebus ad extremũ deſperatis, ſe è pugna ſubduxit. ipſe in Aragoniam abiit, comitibus Ioanne Luna Touaroq; atq; Alfonſo Guſmanio. his ſeſe ad Aragoniæ fines Petrus Luna adiunxit, cui deinde Pontifici ſchiſmatis tẽpore Benedicto nomen fuit. neque prius Henricus conſtitit, quã in Galliã fuga abiit, Aragonio diffiſus. Reliquæ copiæ fuga diſſipatæ per vicina oppida ſunt, nulla manu, numero, aut viribus inſigni. è captiuis Horoſcus, Carrillius, Moſcoſus, Tenorius peracta pugna interfecti ſunt. ſeruati alii. Malè coercitam Petri Regis ſæuitiã Principis Walliæ reſpectus retardauit, vitia eum continuare victoria parta, per quæ res amiſerat accuſantis propemodum conuitio. Petrus Lupus Aiala, Henrici partes ſecutus, eius regiũ vexillũ in hac pugna geſtauit: in hoſtiumq; poteſtatem venit. partiũ ſtudiũ facit, vt minor hiſtoriæ ab eo cõſcriptæ ſit fides: ac nonnulla Petri odio finxiſſe credatur, à quo fuerat antea lege maieſtatis damnatus, Alfari pronunciata ſentẽtia. pugnatũ eſt ſabbatho tertio nonas Aprilis. Tellius ex fuga, deformis acceptæ cladis nuncius, Burgos abiit. Ioãna Regina, & filii tanto terrore propoſito Cęſaraugustã feſtinarũt: Præſules Toletanus, Cæſarauguſtanusq; qui in ea vrbe ſubſtiterant fugæ comites, Aragonio haud ſatis æquo reperto. vt fert natura hominũ, ad victores propẽſus erat, certusq; ſeſe ad fortunę motũ mouere: actumq; cõtinuo cum eo de fœdere, Hugone Carbolaio ab Anglo per eam cauſſam in Aragoniã legato. concordia iniri facile non poterat, induciæ menſium aliquot pactæ. Victores Burgos appulſi. Cordolacus Bracarenſis Epiſcopus Henrici partes ſecutus, in ea vrbe captus, in arcta cuſtodia, vſq; ad Petri necem manſit: cum rebus mutatis, loco libertatiq; redditus eſt pecunię colligendæ quam ab Anglo mutuã acceperat, pactaque oppida reddẽdi cura ſolicitabat. nã neq; Cantabri gens indomita, feroxq; externi principatus iugũ laturi erãt: & ęrarii rationes ſuperioris temporis difficultate impeditę expediri nõ poterãt. Itaq; Wallię Principe Burgis relicto per ſpeciem colligẽdę pęcunię, Toletũ atq; Cordubã Petrus maturauit. In ea vrbe ſedecim viri primarii noctu ſunt interfecti. priores hoſtem intra mœnia accepiſſe accuſabat. Hiſpali Buccanigra, Pontius Marchenæ regulus, Vrraca Ioannis Guſmanii mater, aliiq; cæſi ſunt ex eoq; aucta vehemẽter inuidia, prauũ animũ ne calamitate quidẽ & exilio ſanari potuiſſe conſiderantiũ regia licentia a puero eductũ natura praua. cõtra Henrici comem ingeniũ ob multas calamitates amplius adamare cœperũt: de eoq; reuocãdo cõſilia communicare. Rex Vaſconũ dato obſide Petro filio è cuſtodia liberatus: Oliuerio, qui Tudelã comitatus erat, vincula iniecit, nec niſi obſide reſtituto reddidit libertati.

Magiſter D. Bernardi. CAPVT XI.

DIVI Bernardi Magiſter ignotum noſtra ætate nomen honosque, prælio ad Anagarum commiſſo interfuit, Hẽrici partes ſecutus cum multis. de capto lege perduellionis, capitis ſuppliciũ ſumptum. Behetriis, vbi late dominabatur publicatis, fiſcoq; addictis, quod ab annalium auctoribus prætermiſſum, vnus obſonator Eleonoræ Reginæ, memoriæ prodidit, de quo paulo ante meminimus. Quod Magiſtro nomen fuerit, quod Magiſterio initium, auctoritasve nõ explicat. ea ætate notiſſima tempus caligine obduxit. Virũ ſacratum fuiſſe, anathematis ignominia indicio eſt, eo nomine Petro inuſta. & ſuſpicari libet, Behetrias, cum Petrus rex ſui iuris ea oppida facere contenderet impulſore Alburquerquio, vti ſuperius dictũ eſt, ſane certis dominis adſcribere, pecuniæ auidior, quã honeſtatis: obiecta religionis ſpecie Romaniq; Põtificis auctoritate, ſe Diui Bernardi ordini vltro ſubdidiſſe, Calatrauæ, & Alcãtaræ militum exẽplo, capite delecto conſtitutoq;, cui D. Bernardi Magiſtro nomẽ eſſet, cura cum cæteris belli ſacri. Eo tẽperamento, quantum libertati per multas ætates illibatę cõſultum eſt ab eorum oppidorum incolis, tantum Regem in nouum Magiſtrum, atq; ordinẽ infenſus animus eſſe cœpit: eoq; diuerſas partes fuiſſe ſecutum arbitror. Hę coniecturę ſunt. quod ſequitur in confeſſo, Miſſus ab Vrbano quinto Pontifice Archidiaconus, qui Petrũ Regem eius cædis reum, & quoniã Epiſcopos Calagurritanum, Lucenſemq; loco mouerat, ſacrificiis interdictum eſſe renunciaret: atq; in impiorũ numero haberi mandaret. Cum is à ſæuo Principe periculũ vereretur, cui religio & ſanctitas vilis eſſet, ad Hiſpalim ea parte agri vicini, cui Tablatę nomen eſt, Regi ex vrbe forte egreſſo, biremi aduerſo flumine vectus occurrit: rogatq; num de Orientis rebus cognoſcere cupiat

noua & admirãda renunciaturum: recens ſe ex iis regionibus in Hiſpaniȩ littora appulſum accedenti eo ſtudio ad ripã regi, pontificias litteras legit: caputq; diris defigit: tum ſe in fugam ſecundo flumine (& Oceani ęſtus remittebat) remorum pulſu concitat. Rex furore percitus, & tacentib. cęteris ſtolida audacia ferox, diſtricto gladio in medias vndas adacto equo, inſilit. Archidiaconum ferire cupiens, vano ictu biremem percutit. fugientes ſequebatur Rex, cum equus natando feſſus in mediis vorticibus deficere cœpit. Periculo vix ereptus accurſu cymbȩ contenta voce minatur ſe Põtificis iugum excuſſurum, violenter & ſordide imperantis: atq; vt idem facerent Aragonius & Vaſco, auctorem futurum. prætereà bello vindicaturum iniuriã. Hæc flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur cũ cõuitio effudit. impenſa probra magis ipſi inuidiam, quam ſanctiſſimo Põtifici ignominiam attulerũt. Claſſem tamẽ inſtrui & magnos delectus haberi, cõtinuo mãdat. Veritus Põtifex impotens hominis ingenium, placare quacunq; ratione conſtituit: quo maior eſſet auctoritas legato in eam rem fratris filio an ſororis, Anglico Cardinali S. Petri. Eo agẽte, inducto priori decreto pax his legibus eſt facta: Vt ſublato nomine & munere Magiſtri D. Bernardi, Behetriæ ea retenta appellatione Regi cederent: eas donandi, vendendi, alienandive poteſtas nulli eſſet id religioni datum, quoniam ſacræ militiæ erant addictæ ne pretio venales eſſent. Vt tertiam decumarum, quæ Romanis Pontificibus obuenire ſolita erat è ſacerdotiis Caſtellæ deinde eſſet Regibus belli ſacri ſubſidium, Mauris extirpandis. Epiſcopos, militares Magiſtros, Priorem Hoſpitalarium inſtituendi, aliave maiora ſacerdotia donandi, niſi Regum accedente conſenſu Pontificibus Romanis poteſtas ſublata. Id ſtudio datum publicæ tranquillitatis, quamuis contra quam moribus erat ſuſceptum, & contra omnia vetuſtatis exempla. & miror Pontificem ad cuiusquam gratiam paſſum eſſe, tantum de ſua auctoritate in Hiſpania diminui. ſed tanti fuit ea ætate Regis vnius væcordiã ſanare malis prius, deinde victoria multo quam antea ferocioris.

Henricus redit in Hiſpaniam. CAP. XII.

HENRICVS in Galliam appulſus haudquaquam abiecit animũ, gnarus variã & commutabilem rerum humanarum conditionem: fortes & ſtrenuos tolerare aduerſa, atq; contra fortunã niti: timidos & ignauos deſperatione concidere. Fuxenſis Comes, ad quem primo appulit, benignè apud ſe habuit: tametſi Anglici belli tempeſtatem verebatur, in ſuã prouinciam acceſſere. ad Auenionẽ conuento Andegauẽſi duce, omnia faciliora ſpe, opinioneq; fuerunt. Angli nimia felicitas Gallos Principes cõturbabat: & Petri iniuriarũ memoria nondũ inducta erat. pecunia Henricum & milite iuuare conſtituunt. Captiui Principes redditi libertati, atq; à Petri ſæuitia, Anglorũ ope cõſeruati ſeſe ad illũ cõferebãt. Bernardus Bearnẽſis inprimis, cui peracto bello Medina Celina operæ merces fuit, cõiux Iſabella Cerda Ludouici filia, neptis Alfonſi Exhæredis. Medinæ Celinæ duces ad hos Principes generis originẽ referunt nunquã interciſa ſerie. Affuit Auſonæ Comes. hic poſtquã captiuus in Caſtella fuit, Petro regi militauerat parẽtis calamitate, & domeſtico dolore cõmotus: deinde Henrici regis auſpicia ſecutus erat. id nunc propoſitũ perſequi ad extremũ conſtituẽs, ſeſe rurſus libertati redditus Henrico Principi adiunxit. Perapertuſa in Galliæ finib. loco & mœnib. munita arx contributa à Gallo: vbi Henrici vxor & filii, qui ſeſe Aragonii voluntati diffiſi in Galliã contulerãt, ab iniuria tuti rerũ euentũ expectarẽt. Cõmodè accidit, Walliȩ Principẽ ſpe Viſcaiæ obtinendæ pecuniæq; repræſentandæ depulſum, Petroq; iratũ rediſſe in Aquitaniã. & ſupererãt in Caſtella gentis ſtudia. Guipuſcoa, Viſcaia, Segobia, Abula, Valliſoletũ, Palentia, Salmantica, aliaq; in Carpetanis oppida in fide perſtabant. augebãtur factio indies: prauiſq; ęmuli actionib. confirmabatur. Collectis omnib. copiis Henricus per Andorræ vallem in Aragoniam prius, quamuis Aragonio tranſitũ impedire conanti, deinde in Caſtellæ fines peruenit. Ad Iberi ripã, crucis figura in arena facta ſe niſi victorẽ è prouincia nunquã diſceſſurum iurauit in genua procumbẽs, crucemq; deoſculatus. ad ſuorũ ſtudia inflãmanda ea cæremonia pertinebat. D. Michaelis profeſto Calagurrim ventũ eſt. ad eam vrbẽ magnus ex tota prouincia concurſus eſt factus exulũ, profugorumq; exitii metu. Burgis, cũ eo ventũ eſſet, propẽſa ciuiũ voluntate acceptus, in arce Philippũ Caſtrium domo Aragonium, cui Ioanna Principis ſoror cõiuncta erat, & ad Tritium fuerat captus, in libertatẽ aſſeruit: Iacobum Balearẽ Neapolitanum regem, qui in ea vrbe reſtiterat, cepit. Regiȩ vrbis exemplo, plerȩq; aliȩ defecerũt metu depulſo, haud diuturni officii magiſtro. Legionẽ parere recuſantẽ caſtra promota ſunt: atq; pridie Kal. Mai anno 1368. in poteſtatem venit. Toleti ciuium ſtudia & voluntates variabãt, conſiliis in diuerſa diductis. maior pars in Petri fide perſtabat, ſuperiori rerũ memoria caſtigata, validã

præſidii metu omnino ſexcentorum equitum Duce Ferdinando Toleto, eius vrbis Prætore. Henricum mille equites ſequebantur, peditũ numerus maior. cum iis copiis vrbẽ prævalidam circumſidere non dubitauit, ea capta ſperans, propter loci firmitatem, ciuitatisq; amplitudinem, reliqua omnia prona fore. in ſubiecta planicie caſtra poſita. variæ militares manus per vicinos montes diſtributæ. Tagus fluuius, quo ferme tota veluti circino ambitur, ligneo ponte iunctus: vt commeãdi facultas eſſet, vbicunq; ſe periculum oſtentaſſet. Toletani cõſtanti animo obſidionis mala tolerabant: ne defectionis culpa obſidum cæde lueretur, quos ſecũ Petrus abduxerat ciuitatis nobiliſſimos: alioqui ciues militeſq; ad mutãdam fidem propenſi erãt. quod Cordubẽſes eodẽ tempore fecerãt, tametſi auxilia longinqua erant. tãto ex eo facto Petri Regis dolore: vt iunctis cum Granatẽſi Rege viribus eam vrbẽ impugnandã ſuſceperit. reſtitere Cordubenſes ſupremo virtutis conatu edito. ſalutis deſperatio, ſi victi eſſent, incitabat acer ſtimulus ad virtutẽ depromendã. Itaq; ſpe potiundæ vrbis depulſi Reges, Petrus quidem Hiſpalim abiit per cauſſam belli comparandi, ſed tardius omnia opinione procedebãt. Granatenſis autem eius permiſſu Giennium, Vbedamq; vicinas vrbes, quoniã Cordubæ exemplo defecerant, ſubiecto tectis villiſq; igne incendit. Bæticæ agris vaſtatis multa millia capitum in ſeruitutẽ abducta planctu omnia tumultuq; perſonabãt. neque vllum mali genus deerat, cum per omnes ordines, ætateſq; hinc Maurica arma, inde regia ſæuitia, ac licentia vaſtarent,

Petri Regis exitus. CAPVT XIII.

PETRVS Rex validis auxiliis nudatus, cæterorum fide ſuſpecta, quod vnũ reliquũ erat, rem in caſum dare, prçlioque experiri conſtituit, fama magis, quam vi regna ſtare non ignarus. Vrbis regiæ diſcrimen ſolicitabat, & tuendæ auctoritatis cura. repugnabãt Hiſpalenſes: & Regem diſputabãt in exitium feſtinatione ruere. mora vires confirmãdas videri, ſociorũ & amicorũ auxilia expectanda. quod omnino illi faciendũ fuit: niſi obcæcaſſet mẽtẽ diuina vrgens vltio, magnitudoq; ſcelerũ. Acceſſit nouum incommodũ. Victoria, Saluaterra, Lugrunium, finitimis armis vexatæ præſidio longinquo, Regi Vaſconum deditionẽ feciſſe nunciabantur. Tellius defectionis auctor vtriq; Regi Petro, fratriq; germano ex æquo infenſus, atq; Viſcaiæ oppidis ſeſe tenẽs. Toletani in partes ſciſſi. qui Henrico fauebant turrim Abbatũ (ſic vulgo vocatur) vnde in hoſtiũ caſtra deſpectus erat, ei tradere, tentarũt atque ab ea parte in vrbem accipere. eo conatu depulſi, põte cui à D. Martino nomẽ eſt in vrbẽ hoſtes admittere conabãtur. vnde inteſtini in vrbe motus, cædeſq; factæ. Eo maiori feſtinatione Petrus auxilium afferre parat, ne rebus perditis intempeſtiuus opitulator veniret. Sanctium, Dieghumque filios regioſque theſauros Carmonæ reliquit. firmiſſimum id & latiſſimum Bæticæ municipiũ eſt. mox raptim delectu habito in Carpetanos proficiſci parat. equites tria millia ſub ſignis erant, media ex parte Mauri, eoque minori fide, atque animo pugnaturi. Ferũt ſub ipſum diſceſſum Abenhatinum Granatenſem Maurum, quo multũ & familiariter vti conſueuerat, conſultum mortem denunciaſſe ex Merlini monimentis hominis Britanni ante annos circiter quadringentos & quinquaginta: Auẽ nigram in occiduis partibus fore vaticinantis, auri cunctorum voracem, ſitientẽ ſanguinis, euomituram prius comeſta: geminum deinde interitũ profugæ abditæque in Syluas imminere. Hoc ſiue verum vaticinium fuit, ſiue vaniſſimi hominis ludibrium, euentu certe non caruit cum iis copiis Montielem ventum, oppidum in Oretanis ſitum, mœnibus, locoque & arce munitum. Henricus obuiam hoſti prodire cõſtituens, cum copiarũ parte Manricũ Toletanum Præſulem obſidionem vrgere mandat. ipſe Toleto mouet. Sequebãtur equites duo millia quadringenti, peditum nulla cura præ ſtudio feſtinandi ventum Orgacium, vigeſimo ab vrbe Toleto lapide. eo Bertrãdus Clakinus cum ſexcentis externis equitibus appulit, quos ex Gallia ductabat, firmiſſimum rebus prçſidium, propter virtutem, ſciẽtiamq; pugnandi. eodem acceſſere Magiſtri D. Iacobi, & Calatrauæ Meſſias, & Munitius: alii præterea viri principes ad ſtudiũ iuuandæ patriæ excitati. nocturno itinere feſſi omnes prius in hoſtiũ conſpectum veniunt, quã profectio eſſet nunciata. Quod poſtquã auditũ eſt, Henricũ adeſſe, tum vero ingens metus hoſtes inuadit: credere ſe proditos, inſidiiſq; circũuentos. neq; inter ſe ſatis fidere, ne oppidanis quidẽ. Aduocãtur ex vicinis pagis ꝑ quos diſperſi erant, milites omnes. non pauci periculum veriti ſigna deſerũt. pariter cũ ortu Solis acies, ad pugnam inſtructæ. Duces pro ſe quiſq; ſuos ad certamẽ incitat. Henricus hãc ad milites orationem habet. Hic dies opes, gloriam, imperiũ, aut dabit nobis omnib, aut auferet, ærumnarum finis felicitatiſve principium quocunq; euentu futurus. diutius ſuſtentare non poſſumus. niſi interimim⁹ hoſtẽ, pereamus ipſi neceſſe eſt: morsq; ſi cruciatus abſit in lucri

parte ponatur. Mortis quidem neceſſitatem natura omnibus, quaſi vectigal impoſuit. crudelitatẽ mortis, ignominiam, dedecus, virtus veſtra propulſauit, ſi maxime cętera abſint. auertite ò ſuperi,& deteſtamini quęſo hoc omen, ſed quanam morte victis calamitoſior vita futura non eſt? Nõ eſt cũ eo hoſte milites certamen, cũ quo aliqua pacis conditio, aut qui tolerabili aliqua ſeruitute cõtentus eſſe poſſit: incredibili crudelitate, fide nulla. Nullus ei ludus iucundior eſt, quam cruor, quam cędes, quam ante oculos trucidatio. Nũ cum ſcelerato homine atque nefario res eſt,& non cum immani tetraq; bellua: quæ velut in cauea irritata, deinde emiſſa nouas cædes, nouum furorem ſpirat? & quoniam, vt ſpero in caſſes incidit, teneatur neceſſe eſt: cunctorumq; telis obruatur. Succurrite per Deum immortalem patriæ in ſolitudinem redactæ. affinium, propinquorũ, ciuiumq; ſanguinẽ vindicate. Deo freti, cuius ille religiones omnes ſpreuit, teterrimi tyranni capite, quaſi gratiſſima hoſtia cæſa, patrata ſcelera, immane monſtrum procurate. His dictis in hoſtes continuo impetus factus eſt. turmatim & quã maxime confertis equis pugnam inuadunt. Momento temporis diſpalati hoſtes. fugæ initium à Mauris factum eſt. cæteri aliquãdiu ſubſtiterunt: mox rebus deſperatis ſeſe in vicinum oppidum receperunt. cædes Maurorum pręſertim in fuga facta. pugnatum eſt pridie Idus Martii, die Dominico, ſalutis anno milleſimo trecẽteſimo ſexageſimo nono. Victor Hẽricus Mõtielem oppidum corona circũdat, niſi Petro capto, inde non diſcedere certus. formaceis parietibus circumuallata mœnia, ne exitus aliqua parte pateret. Aquę penuria in oppido laborari cœptum eſt, frumentiq;, à militum aliquo induſtria corrupti. his malis Petrus circumuentus, fugæ conſilium capit. Erat Sanabria vir nobilis, Traſtamaræ quidẽ natus, cæterũ egregia in Petrum fide. hoc internũcio Clakinus tentatur, multis promiſſis oppidis, ducentiſq; aureorũ millibus, ſi mutata fide Petro euadendi poteſtatẽ faceret. Excuſat ille, ſempiternã perfidiæ maculã eo facto inuri. vrgẽte Sanabria ſpatiũ ad deliberãdum ſumpturũ ſe ait. re cum fideliſſimo quoq; communicata, viſum eſt, Hẽricũ de re tota monere. ille magnis pollicitis ſuadet, vt ſpe fugæ hoſti facta, eum in ſuũ hoſpitium eliciat. factũ ita. Petrus noctu aliquot comitibus ſtipatus, vt conuenerat, venit in caſtra. ſpei aliquantũ metus amplior, cognitis verbis recens auctus, (ſic ferunt) quæ in præcipua eius arcis turri inſcripta erant. HÆC EST TVRRIS STELLÆ. Acceperat à vatibus, in eius appellationis turri exitiũ aſtra portendere. ſed eius artis quanta ſit vanitas,& poſt res affingi ſæpe rumores non ignoramus. Illud prudẽtius. ex medico Iudæo qui noua imperia, multũ glorię & felicitatis ex natali die oſtẽdi Petro affirmarat, cũ rebus aſperis ac deſperatis rogaſſet, ecqui vaticinii fides cõſtaret? ſubdidiſſe vatem aiunt: cælo rigẽte, ſi quis in balneo lauet ſudaturũ nihilominus: aſtris ſtudia vitæ, moreſq; potentiores eſſe indicans. Ergo Petro Rege in Clakini tentoriũ ingreſſo, ac de fuga meditanti, accurrit Hẽricus: primumq; attonito ſimilis ſubſtitit, facinoris magnitudine credo, an quia inter ſe diu non viderãt. fluctuabãt inter ſpẽ & timorẽ, omnium qui aderant animi. monet Gallus intẽta in tyrãnum manu, eũ hoſtẽ ſuum eſſe. Petrus ego, inquit, ego ſum. vulnus in faciem pugione illi ab Hẽrico eſt inflictũ: mox brachiis inter ſe eluctãtibus, vterq; poſtratus eſt ad terram. Henricũ, vt fama fert, Clakino iuuante ſubſtratumq; voluente, multis vulneribus confectus eſt Petrus. tetrum ſpectaculum, regem, Regumq; progeniem in ſuomet ſanguine volutari, à notho fratre cæſum. ſed cuius funeſta Hiſpaniæ vita fuerat, mors extitit ſalutaris: grauiq; documento mõſtratum, nullis legionibus, opibus, potentia, tutã eſſe improbitatem. exẽplum editũ, q; admirẽtur poſteri, perpetuoq; exhorreant: atq; doceãtur, Principum ſcelera non inuidia tãtum præſenti & certo exitio vindicari, ſed æternis etiam annalium monimentis, execrationeq; a qua improborum manes nullo tẽpore conquieſcent. Vigeſimo tertio Martii die interfectus eſt, in ætatis flore, annos natus quatuor & triginta, menſes ſeptem. regnauit annis decem & nouem, tribus minus diebus. Corpus in Alcocerio municipio ſepultum ad D. Iacobi, vilibus exequiis, plebeio funere. inde Ioanne Rege Caſtellæ, eo nomine II. eiusq; iuſſu Madritũ ſedes mutata, in D. Dominici regio virginum monaſterio tumulo conſtituto. Fernãdus Caſtrius, Sanabria,& Alcantaræ Magiſtro Gonſaluo natus Dieghus Ouetus, cæſo Petro Rege, capti ſunt, cum ad omnẽ ſimul adeundam fortunã ex oppido ſecuti. In tãtis motibus, nõnulli tamẽ litteris & probitate vt in tãta rerum perturbatione viri præſtantes, hac tẽpeſtate extiterunt in Hiſpania: in hoc numero Martinus Calatrauæ Archidiaconus, patriæ Calagurris, Epiſcopatu repudiato nobilis, in templi ſummi Toletani veteri Regum ſacello, ſepulchrum cum inſcriptione habet.

Caſtella Henricus potitur. CAPVT XIIII.

PETRI caſu magna repente rerum immutatio facta eſt: omnia ad victorem inclinarunt. Montielis continuo dedita. Toletum quanto poſt rei geſtæ fama, cum prouinci[a]

peruaſiſſet, perculſis ciuibus. accedebat annonæ difficultas, quod malũ in dies ſingulos augebatur: & quaſi diminutione capitis ſacramenti religione, qua fidem Petro aſtrinxerant, exoluti eſſe videbantur. Apud externos Principes ortum de Caſtellæ poſſeſſione certamẽ, quis potior iure eſſet. obſcuros Henrici natales cuncti accuſabant, imperio ineptos. pro ſe quiſq; id habiturum putabat, in tanta permiſtione rerum & voluntatũ, quod primus occupaſſet. ſic ſæpe nouos principatus conſtitui, augeri veteres. à rege Vaſconũ nobiliſſima Caſtellæ oppida erant occupata, vti paulò ante dictum eſt. ab Aragonio Molina, Cagnetum, Requena, præfectorũ perfidia in deditionem redacta. Luſitanus ad totius imperii poſſeſſionem aſpirans, ſe Caſtellę Regem ferebat, Sanctii regis abſq; controuerſia pronepos. Mirobriga, Senticaq; in eius poteſtatem redactæ. Maurus ad nouas ſpes erectus erat, conſtanti in Petrum fide (ſic videri voluit.) maior belli moles ex Anglia, Aquitaniaq; imminebat. Ioannes dux Leceſtriæ, Principis Walliæ frater, Cõſtantiam occiſi Regis filiã in matrimoniũ acceperat: Comes Cantabrigenſiũ, & ipſe Principis frater Iſabellam natu minorẽ. dos vtrique paterni theſauri, & regni Caſtellæ ſpes, ſi armis eſſet in poteſtatẽ redactum. Sic in nobiliſſimo regno, vno tẽpore domeſtica cõcordia conſtituebatur, foris noui bellorum motus, terroresq; oſtẽtabantur celeritate prouincialium voluntates confirmandæ erant, hoſtium conatus occupãdi. capto Mõtiele Henricus Hiſpalim abiit lætus, ouansq; victoria. Bæticæ vrbes & oppida continuo imperata fecerũt: vna Carmona excepta, vbi occiſi Regis filios, theſaurosq; relictos eſſe monſtratũ eſt, Martino Corduba Præfecto, præſtanti in Petrum fide. Rex Maurus ad ineundum fœdus vltro eſt ſolicitatus, nõ ſine ſugillatione maieſtatis. Regni confirmãdi maior, quã decoris cura erat. fruſtra is conatus fuit. Rebus tamẽ in Bætica cõpoſitis, finibusq; præſidio militari firmatis, Toletum rediit, quo regina coniux, filiusq; Princeps Burgis veniſſe nunciatũ erat. In ea vrbe pecuniæ conquirendæ rationes excogitatæ ſunt: quod externis militibus debita ſtipendia numerare neceſſe eſſet, Bertrandoq; in primis præmiũ nauatæ ad Montielẽ operæ, hoſte interimẽdo pactum. ex regia pecunia, publicaniſq; penes quos regiorũ vectigalium rationes erant, aliquanta ſumma redacta. modicum tamẽ id erat ſubſidiũ ad explendã auiditatem militũ Ducumq;, in manu ſua fuiſſe regnũ, datumq; Henrico haud obſcure dictitantiũ: quod erga rempublicã ſuperbum erat, Regi ignominioſum: nihil tamen tũc graue ducebat præ dulcedine regnãdi. Monetæ non probæ duo genera percuſſa, metallis adulteratis. vnde in præſenti inopię ſubleuandæ magnũ cõpendiũ eſt factũ: in poſterum rerum auctis pretiis maiori difficultate prouincia eſt implicata. vt fere in exitium vertũtur quæcunq; ad redigendã pecuniam à populis, prudẽter videntur excogitari. Sed vincebat omnia mite Henrici ingeniũ, ſuauiſſimi mores, atque in breui quamuis ſtatura corporis flaui candidiq; oris maieſtas. Quæ naturæ bona, conciliatamque ex eo ad populum beneuolentiam conferendis muneribus augebat: vnde illi inter Caſtellæ Reges Munifici cognomen eſt factum. & erat neceſſe nouo regno confirmãdo, periculorũ ſocios opib. ditioneq; augeri: vnde in prouincia noui multiq; extitere principatus. De Luſitaniæ, Aragoniæq; regibus, fama indies grauior eſſe & cura nouo Principi. Petrus Mendozius, Albornociusque ab Henrico cum valida manu pręmiſſi, Requenam pulſo Aragonio præſidio receperunt. Rex ipſe in Calæciam feſtinauit, vbi Luſitanos vagari paſſim per agros, grauesq; præda, eoque opportunos iniuriæ fore, erat nunciatum. Sentica obſeſſa. deinde Calæcos peruadens, in eam Luſitaniæ partem irrũpit, quæ Durio, & Minio fluminibus circunflua, præcipua ſoli fertilitate eſt. agris illata vaſtitas. villæ oppidaq; incenſa. Bracara, & Brigantiũ captæ. ſic bellico terrore hoſtib. oſtentato, iniuriiſq; vindicatis, retro iter flexit. Aderat Sanctius Regis frater, auro redempta libertate. Luſitanus totius certaminis diſcrimẽ ſubire detrectauit, viribus minor, neque ſcientia militari exæquandus. Bæticæ motus reb. Luſitanis præſidio fuerũt: vbi à Granatenſi Rege capta Algezira erat, ſoloq; æquata. memor nimirum barbarus erat multarũ cladiũ genti olim cauſſam extitiſſe. Præterea Bertrando, externiſq; pacta pecunia numerãda erat. ea cura nouum Regẽ habebat ſolicitũ, præſertim cũ is cõuitio propemodũ poſtularet. in Sardiniã traiicere conſtituẽs, Aragoniis reb. p̃ſidiũ, quæ in magno periculo erãt Mariani Alboreæ reguli ſumma p̃fidia. Is correptis repẽte armis, vrbes & oppida ceperat, nõ obſcure ad totius inſulæ imperiũ aſpirãs. Præfectus ei bello fuerat, miſſuſq; ex Aragonia cũ iuſta claſſe Petrus Luna Almoneciri regulus, cui & ſi cũ Mariano rebelli, affinitatis neceſſitudo erat, breui operæpretiũ fecerat, hoſtib. maiori q̃uis numero, acie dimicare non auſis, atq; Oriſtanũ cõpulſis. Ad eã vrbẽ inſignis Aragoniis clades eſt illata. Obſeſſi ad omnẽ occaſionẽ intẽti, è ſuperioriq; loco neglectã caſtrorũ cuſtodiã cõſpicati, eruptione ex vrbe facta tã rapide decurrũt, vt prius pene in caſtris eſſent, q̃ q̇dnam rei foret, cognoſceretur. ſublato truci clamore in hoſtium tentoria inuadunt. deſides, inermeſq; opprimũt. Dux ipſe

Petrus

Petrus Luna,& Philippus frater peremti ſunt. Secundum eam victoriam Brancaleo Oria eatenus Mariani partes ſecutus,ob iram aliquã aut ſpem liberalioris militiæ Aragonio regi cõciliatus eſt. venia defectionis data. verum quantum præſidii rebus acceſſerat, tanto viro in partes attracto,tantum detrimenti acceptum,Saſſari vrbe amiſſa totius inſulæ principe. Berengarius Carrocius in Petri locum ſubſtitutus. Bertrandus Clakinus magnis pellicitis ab Aragonio ad id bellum inuitatus,conditionẽ non abnuebat.& erat priuato homini honorificum,quaſi belli & pacis arbitrum ea tempeſtate eſſe,regnaq; dare,& auferre pro voluntate. ſed bellum maiori mole coortum in Gallia,ab ea expeditione retinuit,reuocauitq; in patriam. Tædebat Aquitanos Anglici imperii: exhauſto enim Hiſpanica expeditione publico ærario, Eduardus grauiſſimum tributum imperauit: quod è ſingulis familiis exigeretur. deplorabant illi præſentem rerum ſtatum, magisque auctor,ad quem deficerent, deerat,quam rebellandi voluntas,quod vnum ſupererat Regi Gallo ſe dedere conſtituũt. Cadurcorũ ciuitas defectionis initiũ fecit. Opportuna ea occaſio Gallis viſa eſt acceptæ in Pictauienſi prælio iniuriæ vindicandæ. ſtrenuo Duce opus erat. Clakinus ex Hiſpania euocatus eſt. præterea Rex Vaſconum ad armorũ ſocietatẽ inuitatus in Galliam abiit, tametſi ſanciendo cum Aragoniis fœdere intentus erat, Cruſato Tudelæ Decano ea cauſſa in Aragoniam legato. Verum totius reipublicæ cura Reginæ coniugi demandata, profectus ex Hiſpania Chireburgum ſuæ ditionis in Nortmannis municipium tenuit Gallo diffiſus ob memoriam veteris ſimultatis: belli futurus ſpectator: in eam ſine diſcrimine rerũ ſuarũ partẽ inclinaturus, vnde maior ſpes oſtẽderetur. Feroci inquietoque ingenio Principem lenire Gallus ſtudebat, haud ignarus paruis ſæpe momẽtis magnas rerum immutationes exiſtere. legati in eam rem viri primarii. Ad Sequanæ ripam Vernonium ſitum eſt, in vtriusque principatus finibus. in eo oppido Regum colloquiũ fuit. ſancita concordia. Mompelieriique permutatione Medunta, Mulanchumq; iuris controuerſi oppida, Gallo relicta. verum hæc aliquanto poſt. ad intermiſſa referenda narratio eſt.

Tellius deceſſit. CAPVT XV.

HENRICVS quamuis victoria de hoſte parta, nouoque in Hiſpania imperio fundato, clarus lætusque erat: tot tamen circunfuſis hoſtibus in omnes partes cogitationem verſare non deſiſtebat, haud ignarus parua ſæpe offenſi ne victoriam corrumpi, amitti imperia. In prouincia optimus quiſq; eius partes auſpiciaq; ſequebatur. ſed omnibus placere non poterat:& vt quiſq; beneficio aliquo deuinctus erat,occiſi regis cauſam tuebatur. Luſitani milites,qui Mirobrigam præſidio obtinebant, in vicinos agros excurſiones faciẽtes, agreſtium fortunis,quæ proximæ iniuriæ ſunt,magna detrimenta inferebant. Eo cum copiis omnibus ſalutis anno 1370. ineunte accurſum eſt. palatos ad prædam carpere ſperabat, 1370.
viq; aut voluntate nobilem iis locis vrbem in deditionem redigere. hiberni temporis iniquitas eum conatum irritum reddidit. Regni conuentus, Mirobrigę obſidione ſoluta, Medinam Campeſtrem indicti. pecuniæ conquirendæ cura ſolicitabat: nam quæ adulteratis metallis confecta erat,in militaria ſtipendia, Ducumq; præmia impudenti eorum auiditate omnis erat conſumpta. Clakino, duodecim aureorum myriades debebantur (more Romano quadragies octies ſeſtertium) Petri Regis proditi pactum pretium, ingens ea tempeſtate ſumma. impendebant noui ſumptus regni motibus pacandis. Ergo noua pecunia ingens iis conuentibus imperata. Iacobus Balearis, Rex Neapolitanus Clakino deditus eſt, pro 70. aureorũ millibus, quod libertatis pretium Regina coniux locupletiſſima erat pollicita. reliquum auri pondus repræſentatum. Soria, Almaſanum, Atienſa, Montacutus, Molina, Seronq; adiecta. eo principatu, iis opibus, partaq; nominis immortalitate clariſſimus ad nouas ſpes in Galliam receſſit. Maurellus Fiennus Magiſter equitũ in Gallia erat. eo abdicante imperium militare Clakino delatum. eo Duce Anglorum conatus, Galliam vrentium repreſſi. res præclare geſtæ. hoſtes nunc ferro, nunc arte, multis locis victi: & quæ ſuperiori tempore erat amiſſa, Gallicæ genti gloria bellica reſtituta eſt. Inter Aragonios & Vaſcones Dertuſæ concordia ſancita, armorumq; ſocietas aduerſus communes hoſtes: re iunctis viribus Henricum inuadere erat propoſitum. oppida Saluaterra, Regaleq; Aragoniis, in quorum ditione ab antiquo fuerant, à Regina Vaſconum ſunt reſtituta. fœderis conſtituendi præcipui auctores Bernardus Pompelonenſis Epiſcopus, Cruſatus Tudelæ Decanus: quos rebus gerendis proficiſcens Rex coniugi conſultores, adiutoresque adiunxerat, republica gerenda. In Caſtella cui primum parti occurreretur ſuſpenſis animis conſultabatur. Petrus Sarmentus Caſtellæ Antelatus cum aliquot cohortibus in Calęciam dimiſſus, vbi recens Luſitanis armis Tude, Compoſtella, Brigãtinusq; portus erepta erant. eodem Tellius Regis frater venire iuſſus, rebus præſidium. cum robore exercitus, Rex

Hiſpalim regni conuentu ſoluto maturauit: vnde maius periculum oſtendebatur, infenſis Mauris, Luſitana claſſe ea littora vexante, Bætisq; oſtium obſidente, Carmona rebelli. Cōmodum accidit cum Mauris à D. Iacobi, & Alcantaræ Magiſtris, qui limiti præfecti fuerāt inducias pactas eſſe, vſu ſalutares, bello meliores, Regi gratas, tot vno tēpore hoſtibus impari futuro ſi per partes bellum eſſet. Aduerſus Luſitaniæ claſſem, in qua 16. triremes erant, naues aliæ quatuor & viginti, Hiſpali viginti triremes Henrici iuſſu inſtructæ ſunt, armamentorū penuria maxima, quę à Petro Rege Carmonam illata erant: in eo ſpem habēte, ſi rebellādi occaſio eſſet Hiſpalenſibus ablata. miſeram principatus conditionē. ergo ex vltima Cantabria nouæ euocatæ, aduectæque naues: quibus hoſtiū claſſis impar fuit. amiſſis tribus triremib. ne tētata quidē pugnæ ſpe diſſipata in Luſitaniamque reiecta eſt. & imminuta numero, quod cum triremium parte Martinus Eborenſis, Ioannes Syluenſis Epiſcopi Barcinonem miſſi erāt, de fœdere ineundo ad Aragoniū legati. fœdus iis agentibus inter vtranque gentem ſancitum aduerſus Henricū. Murcia, Concha aliaque finitima oppida Aragonio pacta. reliqua Caſtella Luſitano relinquebatur, ſe iam eius prouinciæ Regē publicis tabulis adſcribenti. additumque vt Eleonora Aragonii filia Luſitano nuberet, dote centum florenorum millibus. Verum hi omnes conatus effectu caruerunt, Luſitano alienis amoribus diſtricto, Aragonio de Sardiniæ bello ſolicito. Quo tempore omnino Idibus Octobris Tellius Viſcaiæ regulus in Calæcis obiit, cunctis vitæ officiis æquabilis, multis exercitus calamitatibus, fratri Regi ad extremum infenſus. quę occaſio extitit in vulgus iactandi noxio medicamine infectis viſceribus occiſum. mendacio habita fides eſt, ſic arbitror. Defuncti principatus Laræ, atque Viſcaiæ Ioanni Regis filio à patre datus, in Regū ditione ſtabili poſſeſſione manſit ad noſtrā ætatem. Corpus Palentiæ in D. Franciſci ſepultum. inferiæ ex ritu Chriſtiano datæ, funusque magnifice factum eſt.

Regis Luſitaniæ nuptiæ. CAPVT XVI.

MVLTVM erat profectum factis cum Mauro Rege induciis, Luſitana claſſe noſtris littoribus prohibita. Carmona ſupererat: cuius rebellio non ad vnius modo expugnandæ vrbis moram, ſed ad totius belli ſummam pertinebat, perfugium omnibus, quibus præſens rerum ſtatus diſplicebat. magno eos numero eſſe, neceſſe fuit, milites veteranos ſcientia militari præſtātes. vis omnis belli in id oppidum conuerſa eſt. Anno eius ſeculi ſeptuageſimo primo inchoante omnibus copiis circunceſſa. diuturna, ac difficilis obſidio fuit. pro mœnibus varia ſæpe fortuna pugnatū erūpentibus oppidanis, ſępeq; haud impari acie ſtantibus: tanta animorum confidentia, vt per diem nunquam portas clauderent, nunquam oblatum ab hoſtibus certamen detrectarēt. Die quodam omnia è mœnibus ſpeculati poſt meridiem, cum Solis ardor vehementiſſimus eſſet, neglectis caſtrorum cuſtodiis improuiſo eruptione facta, hoſtium munitiones inuadunt, perrumpuntque. regium tabernaculum petunt, Principis cæde finem bello facturi. Diui indigetes Hiſpaniæ eo die rempublicam texere. nonnulli periculo permoti Carmonenſiū impetū ſuſtinuere. acceſſere alii. diu intra munimēta pugnatū. cruenta funeſtaq; illis audacia fuit. Sub hæc regii quoniam vi parum profecerant, ad artes cōuerſi allatis ſcalis ad mœnia noctu ſuccedunt. quadraginta milites ſcanderant, turrimque ceperant. trepidatio toto oppido facta, quaſi amiſſo oppido. mox obſeſſi receptis animis hoſtes repellunt. deſilientium pondere fractæ ſcalę. capti alii. de iis aduentu Martini Cordubæ ſupplicium ſumtum: quod Henrico Regi graue fuit, Martino exitiū attulit. fame tandem oppreſſis omnibus, deditionemque facientibus, quamuis incolumitatem pactus Hiſpali peremptus eſt. qua in re violatæ fidei dedecus erat ſed Rex priuatum dolorem, militum cædem nobiliſſimi viri interitu, qui Calatrauæ Magiſter fuerat, vltus eſt. Petri Regis theſauri, filiique innocentes in Hērici poteſtatem venerunt, paterna ſcelera diuturna captiuitate luituri. Alfonſi Regis cineres, vt ipſe teſtamento cauerat, Cordubā Henrici filii cura tranſlati ſunt. Retro aram templi maximi Alfonſi patris, Ferdinandique aui, tumuli extant ſacello dicato, lignei quidem & humiles, non inelegantí tamen opere inciſi ſculptoris arte. A Petro Velaſco Sentica Luſitanis erepta, atque in Henrici Regis poteſtatem redacta. Calęciæ motus compreſſi. Ferdinandus Caſtrius qui ſe fuga ad Luſitanos contulerat, eorum motuum concitator, acie ſuperatus à Manrico Sarmentoque pro Caſtellæ Rege copiarum Ducibus. iis cladibus fractus Luſitanus (molli effœminatoq; voluptatib. corpori acer & vehemens animus deuinctus eſſe non poterat) ad ineundam cum Hērico pacem pronior eſſe cœpit. Alfonſus Guſmanius Gibraleonis regulus, facta ab vtroque Rege poteſtate Kalend. Martii ad Alcautinū Luſitaniæ oppidum concordiæ inter vtranq; gentem auctor extitit ea lege. Vt oppidis, quæ belli tēpore erant amiſſa Luſitano redditis, Eleonora Henrici filia coniux eſſet. Mirobriga, Valentiaque in

Turdetanis

Digitized by Google

Turdetanis,in Calæcis Monteregio dotali. Luſitani imperii augendi magna opportunitas erat: ſed omnia peruertit dira tetri amoris flamma, quo Luſitani animus Eleonorę Meneſię deuinctus erat, vt eſt ante demonſtratum, eò amplius q; ex ea Beatrix filia nata erat. prorſus nouo quod offerebatur cõiugio repudiato. reſtitutisq; per legatos vrbibus, quas ceperat, amicã ſibi iuſtis nuptiis iungere ſtatuit. Auſpices Tellius Barceloſii Comes nouæ nuptę patruus, Mariaque eiuſdem ſoror germana. multarũ ea res calamitatum extitit cauſſa. ciues Oliſiponenſes correptis præ dolore armis, in regiam impetum faciunt, ſugillari maieſtatem eo coniugio dictitantes, fœdari Luſitani nominis gloriam. Nihil obiecto periculo obſtinatus Luſitani regis animus mouetur. Portum vrbem ſe clã ſubducens, iis locis publice nuptias confecit. ſic concubinæ nomen Reginæ appellatione mutatum eſt, addita ampla ditione, iuſſiſque omnibus nouæ nuptæ manum oſculo petere. quod regii etiam fratres præſtiterunt, vno excepto Dionyſio, qui facere palam recuſauit: tanta ex eo regis iracundia, vt pugione diſtricto vindicare vellet: Dionyſius latebras captare cogeretur, donec ſe totum ad Henrici Caſtellę regis amicitiam tranſtulit. Noua Regina ex eo tempore regis, rerumq; potens, quaſi veneficio virũ dementaſſet, omnia pro arbitrio gubernabat. Acunii proceres ob memoriam prioris coniugii, & quoniam Oliſiponenſis tumultus auctores extiterant, ſolum exilio vertere compulſi ſunt Reginæ metu. Eius cognati & neceſſarii nouis principatibus aucti. Ioannes Tellius patruelis Vianæ Comes, Lupus Soſa, Maria ſorore genitus, eius militiæ Magiſter inſtitutus, cui à Chriſto nomen eſt: aliis alia oppida data. plurima gratia, potentiaque Ioanni Andeiro. Natione is Calęcus erat, atque Orenii Comes creatus. eo Regina multum & familiariter vſa, remotis ſæpe arbitris mutui ſtupri ſuſpicionem præbuit: vulgoq; iactatum, filios ex ea conſuetudine regi ſuppoſitos, mendacio an ex fide non ſatis compertum erat. & ſępe veritas vulgi rumoribus prona in deterius perſuaſione publicaque inuidia corrũpi conſueuit. Fine huius anni ab Henrico rege Tauri regni conuentus habebantur. in iis conuentibus, reſtitutis a Luſitano vrbibus, quæ priori tẽpore occuparat, quę illi res magnam inuidię partem ad populum conflauerat: de iis oppidis deliberatum, quę Vaſconum pręſidiis in Caſtellę finibus tenebantur: ſancitumque vt primo tempore armis, ſi voluntate detrectarent, in poteſtatem redigerent. Iudæi & Mauri, quorum erat numeroſa multitudo noſtris confuſa, vti inſigni nota diſtincti eſſent mandatum eſt. Pecuniæ non probæ valor imminutus. antiquare non eſt viſum, ob ærarii publici tenuitatem. Secutum aliud certamen. Behetrias, quarum erat magnus numerus in vlteriore prouincia, pręter quas D. Bernardi Magiſtro ablatas fuiſſe monſtratum eſt, certis Principibus addicere, regi erat propoſitũ. ex ꝓmiſcua libertate mutãdi dominos magna incõmoda extare dictitabat. interceſſere proceres priuati compendii cauſſa: tametſi alia ſpecies obtendebatur. Itaque eo conatu ceſſatum eſt. Copię militares aduerſus Vaſcones miſſæ, inito cum Regina Vaſconum fœdere, continuere impetum. conuenit, vti oppida de quibus controuerſia erat, penes Gregoriũ eo nomine XI. Romanum Pontificem, quaſi ſequeſtrũ eſſent. Is principio huius anni, in Vrbani defuncti locũ ſuffectus erat, patria Lemouicenſis, reſtitutis Romanis Pontificibus in antiquas maiorum ſedes, nobilis, clarusque. additum in fœdere, vt pontificius Legatus, quem venturum propediem conſtabat, de omnibus controuerſiis diiudicaret. Ioãnes Arellanus domo Vaſco. magnis ab Henrico beneficiis obſtrictus (nam operę nauatæ Camerorũ principatũ pręmium acceperat) ea oppida Pontificis nomine obtineret, ſacramento adactus, ei redditurum, cui lite diſceptata iudicatum eſſet. ſic in pręſenti à vi, armisque temperatum eſt. Paulo poſt Henricus Burgos profectus contra fœderis conditiones, miſſa militari manu, Saluaterrã, Campeſumq; Vaſconibus abſtulit. Victoria, Lugruniumque nullis artibus ad mutandam fidem tunc potuerunt adduci.

Alia inter Reges fœdera. CAPVT XVII.

MAIOR ab Aragonio belli metus impendebat, acerrimo, infenſoque hoſte. multæ ſimultatis cauſſæ extabant. noua acceſſerat: Iacobum Balearem è cuſtodia emiſſum, contra quam Aragonius egerat per legatos: nam paternos principatus armis repetiturum, dubium non erat. Actum de armorum ſocietate inter Aragonios Leceſtriæque Ducem conſtituenda, iunctisque viribus Caſtellæ rege impugnando. ſed eos conatus bellum in Gallia grauiſſimum inter Anglos, Francosque renatum, retardabat. Aragonium belli Sardici cura ſolicitabat, metusq; ne Iacobus Balearis Galliæ viribus, vbi magni delectus habebantur, Ruſcinonenſes fines inuaderet, quod fore propediem fama erat. Conuenarum Cardinalis, à Gregorio Pontifice, de pace inter eas gentes Legatus, in Aragoniam appulit. Ne armis diſceptare eſſet neceſſe omnium controuerſiarũ arbitrium. Romano Pontifici permiſſum, graui mulcta indicta, ſi quis pactas Ianuarii 4. die ſalutis anno 1372. inducias 1372

violaret. Variis Henrici tergiuerſationibus verentis ne Pontifex Aragonio æquior eſſet, concordiæ ſanciendæ tempus extractum eſt. Tude, quam vrbem Sanabria, aliiq; in Luſitaniam profugi occuparant, circunſeſſa: atque in Henrici poteſtatem iiſdẽ diebus redacta eſt. Duodecim Caſtellæ triremes Gallo Regi amico, & fœderato, auxilio miſſæ, ob memoriam accepti beneficii. Ductor Buccanigra, maris Præfectus, gloria belli, ſanguiniſq; nobilitate præſtans, adiuncta Gallica claſſe, ſex & triginta Anglicas naues nauali prælio vicit, cepitq; ad Rupellæ littus. victoria cum primis ea ętate celebrata. Vrbs Santonũ firmiſſima in Gallia Rupella eſt, Anglicoq; pręſidio tenebatur. quo deiecto in hoſtiũ deditionẽ redacta eſt. viri nobiliſſimi capti, ipſeq; Anglicæ claſſis Dux. Magnum auri pondus, multa precioſa veſtis, victoriæ monimentum, operæ merces, Burgos vbi Henricus erat allata. Erant Aragonio regi ex Eleonora Regina Siculi regis filia, tres filii ſuperſtites: Ioannes regni hæres futurus. Martinus, Conſtantia. Conſtantiam ſane Friderico regi Siculo nupſiſſe monſtratum eſt. Maria Lupi Lunæ proles vnica Barcinone menſe Iulio Martino iuncta eſt, Lunæ, atq; Segorbii principatu dotali. Exerica à patre rege addita. neq; multo poſt, idẽ equitum Magiſter in Aragonia eſt conſtitutus. Iiſdem diebus Ioanni maiori eius regis filio Mata Ioannis Armeniaci ſoror deſponſa eſt. dos dicta, centumquinquaginta Francorũ millia. nata ex eo coniugio Ioanna Matthæi Fuxenſis Comitis quondam vxor. Auguſti vigeſimo ſecundo die Bernardino nepoti Bernardi Cabreræ ex filio Auſæ Comite per hæc tempora defuncto, auita oppida à rege reſtituta, Auſa vrbe tantum excepta, cum ſubiecto circum ad quartum lapidem agro. miſericordia erga nobiliſſimam familiã ſucceſſerat: conſcientiaq; tanti viri iniuria perempti, regem Reginamq; vrebat. Inter Caſtellam & Luſitaniam, maiori quam ante mole atq; periculo bellum renatum. multę Cantabricæ naues ferro, calybe, aliiſq; mercibus, vt ſoli natura fert, onuſtæ à Luſitanis erant interceptæ, qua cauſſa incertũ: niſi quod trãsfugis, quorũ erat magnus numerus, pacẽ inter vtranq; gentẽ cõſtare ægre erat veritis, ne per conditiones, vt antea erat factum, ad ſupplicium hoſti dederentur. Sentica quo Henricus acceſſit bello cõparãdo intentus, miſſi feciales res repetituri, & niſi eſſet ſatisfactum, bellum denunciaturi. Ab his initiis ventum ad arma. Alfonſus Henrici filius ex impari matre in Calæcia curare iuſſus. Buccanigræ mandatum, vti Hiſpali duodecim triremibus inſtructis Luſitaniæ littora vexaret inteſtina gentis diſſidia, præclari facinoris opportunitatem dabant. ad Senticam vrbem, quod grauiſſimum impedimentorum erat relictum, Rex ipſe in Luſitaniam irruit. vbi ventum in hoſticum eſt, agros populatur, pecora abigit, villas vicoſq; incendit: Almoida, Cilloricũ, aliaq; oppida capta ſunt fine anni. Quo tempore Guidonem Bononienſem Cardinalem à Gregorio Pontifice Legatum veniſſe in Hiſpaniam nunciatum eſt. rogat Henricus vti eius aduentum Caracæ operiretur, vbi Regina morabatur. negat ille cum tantum belli eſſet excitatum, cuius cõponendi cauſa miſſus eſſet in Hiſpaniã. ergo continuato itinere Mirobrigam appulit, vtrunq; regem adire conſtituens. Vrebatur Luſitania belli flamma, proximique anni principio M C C C-

1373 . LXXIII. Viſeum, cui olim oppido Vico aquario nomen fuiſſe creditur, expugnatum eſt. Conimbrica tentata. belli impetus Scalabim verſus eſt: vbi Luſitanus Rex ſtatiua habebat: & prælio cum eo decernere Henrico erat propoſitum. detrectat ille certamen. minori copiarum numero, ſuorumq; voluntati non ſatis credens. nam Dionyſius frater hoſti ſe adiunxerat, Dieghi Paciechi opera, cui iam Begiæ in Caſtella principatus erat Henrici dono. Is Dionyſiũ anxiũ aggreſſus hortatur, vt contumeliarũ quæ à fratre extabant pœnas petat, Henricum ſecutus. facileq; vt ita faceret, perſuaſerat, in parteſq; traduxerat. Ergo ſpe totius certaminis abiecta, Oliſiponem itum. ſuburbia, quæ ea tempeſtate muro cincta non erant, primo aduentu occupata. pulcherrimis ædificiis iniectus ignis. pars vrbis ſuperior, propter mœnium firmitatem propugnantiumq; virtutem expugnata non eſt. multæ tamen naues in portu qua combuſtæ, qua captæ ſunt à Caſtellæ claſſe. ingens præda fuit, multi captiui. Cardinalis Legatus inter reges commeare nõ deſiſtebat, nullum laborem, nullum vitæ periculum recuſare certus pacis reuocandæ cauſa. Eo annitente ad quintum Kalend. Aprilis fœdus iis conditionibus factum eſt. Oppida vtrinque redduntor. Caſtellæ perfugæ omnino ad quingentos equites Luſitaniæ finibus arcentor. Beatrix Luſitani ſoror, Sanctio Alburquerquii Comiti, Iſabella eiuſdẽ filia furto genita, Alfonſo Henrici filio, Gegionis Comiti nubunto. regum & Cardinalis colloquiũ ad Scalabim in medio flumine fuit. ibi concordia inter reges ſanctiſſimo iureiurando ſancita. obſides à Luſitano dati. nuptiæ, vt conuenerat, in eo oppido celebratæ Sanctii Beatricisque. Iſabella octo tantum annos nata, viroq; immatura, in Henrici poteſtatem tradita eſt. Sic pace conſtituta è Luſitaniæ finibus diſceſſum. Vis belli in Vaſcones verſa. ad D. Dominici Calſadii fanũ, Caſtellæ copiæ progreſſæ erãt. Legati pontificii opera, priuſquam ad manus veniretur, ea etiam parte concor-

dia

dia ſancita. Lugrunium, Victoriaque Caſtellæ regi reſtituta. Inter Eleonoram Henrici & Carolum Vaſconis filios pactæ nuptiæ. Centum viginti aureorum millia Vaſconi certis penſionibus numeranda erant dotis nomine: & propter eos ſumptus, quos iis oppidis muniendis, quæ reddebantur, tolerare neceſſe fuerat. Ad Briones municipium, in finibus vtriuſque regni, regum colloquium fuit. ibi Carolo puero Vaſconis filio & Eleonoræ ſponſalia data. initæ pacis conditiones fore ſtabiles, Petrus minor Caroli frater obſes fuit, in Caſtellæ regia educandus. Bernardus Pompelonenſis Epiſcopus, Cruſatus Tudelæ Decanus, quos rebus gerendis à Vaſcone adhibitos quo tempore in Galliam abiit dictum eſt, eo reduce Hiſpaniam ſolū exilio vertere compulſi ſunt. rei male geſtæ crimen imponebatur. & Præfectorum ſępe periculo peccatur, quamuis nulla propria noxa, præſertim apud feroci animo Principes, atque implacabili, qualis Carolus fuiſſe memoratur. Cruſatus inſidiis exceptus peremptusq; eſt. Bernardus fuga felicior Auenionem euaſit: deinde in Italiam tranſcendit Gregorii Pontificis comes.

Pax cum Aragonio Rege. CAPVT XVIII.

SOLVTO Brionenſi Principum cōuentu, fundataq; publicæ in Hiſpania tranquillitatis ſpe, Henricus quidē in Carpetanos diſceſſit: Carolus ſeſe in Vaſcones retulit. ſolicitaſſe eum quoſdam perſuaſiſſeque, vt Regem Francum veneno perimerent, fama erat. venenarii deprehenſi, capite pœnas ſoluerunt. Regina Vaſconum eius criminis auertendi deprecandiq; ſtudio in Galliam amiſſa. Rex ipſe Madritū abiit, vbi Caſtellæ rege conuento eū à Gallica amicitia deducere conatus eſt. diſceſſuros Anglos ab armis, neq; de regno amplius cum Leceſtriæ Duce futurū certamen, ſi Walliæ Principi ea pecunia repræſentata, quæ à Petro Rege ſtipēdii nomine pacta erat, Gallicæ amicitiæ Anglicā præferret. Henrico aduerſus Gallum neq; votum erat neque animus, ſuperiori beneficii memoria obſtricto. itaque ſe facturum præciſe negauit: non recuſare tamen, pace inter eos Principes facta, tertiū ad fœdus accedere: pecuniaq; prębita Anglo ſatisfacere quantam deſignati arbitri iudicaſſent. Sic Vaſco inani conatu Pompelonem, Henricus in Bæticam abiere. ſubſecutum eſt nouum certamen de regni parte. Maria Ferdinandi Cerdæ filia, eadem Ioannis Laræ cognomēto Coelitis ſoror germana Alanſonio Comiti in Gallia nupſerat, regio ex ſanguine nobiliſſimo. numeroſa prole felix, cognatisq; cæteris in Hiſpania extinctis, Viſcaiæ Laræque principatus materno iure repetebat. miſſus in eam rem legatus apud Henricum Regē Burgis quo is venerat Bætica obita, cauſſam diligenter egit. graue erat amplam ditionem ad Gallos proceres redire. legibus reſiſtere & æquitati nefas. arte Gallici conatus deluſi ſunt. Reſpondet Rex, ſe quidem paratum duobus Mariæ filiis, Laram Viſcaiamq; reddere, modo in Hiſpaniam reducibus domicilio ſtabili. detrectant illi conditionem, amplis principatibus, opimisq; ſacerdotiis in patria aucti, Regū fauore & propinquitate præpotentes. Aragonius ad iungendas cum Anglis vires ſolicitatur, legato in eam rem Spinula ciue Genuenſi: Murciam, Concham, Soriam, contributaq; iis vrbibus oppida, victoriæ præmium Aragonio futura, ſi communibus armis Caſtellæ regnum Henrico eſſet ablatum. cautior is Henrici amicitiam præferebat, bellica gloria ea tempeſtate clariſſimi, ſuorum gratia pręualidi: præterea rerum potientis, viciniq;. & erat ſi bellum exiſteret Aragonio formidabilis propter rerum locorumq; notitiam: & quoniam exilii tempore magnam ſibi Aragonię nobilitatis partem adiunxerat. Occulta lege fati oſtentis ac reſponſis Henrico Hiſpaniæ regnum deſtinari, Aragoniæ etiam opinio erat: terroresq; de cælo multorum mentes conturbabant, horrendo terræ hiatu, motuque multis oppidis ea Aragoniæ parte, vbi Ripagorſa ſita eſt, euerſis menſe Februario. Superſtitioſo homines ingenio, ea parte cladem prouincię imminere interpretabantur. dictis fides paſſim adiuncta, quod multæ cohortes Gallicæ Balearis ſtipendio conductæ ad fines Ruſcinonenſes tenderēt irrumpere paratæ. Itaq; Anglici conatus vani fuerunt: & de Regibus Caſtellæ atque Aragoniæ inter ſe conciliandis Ludouici Andegauēſis præcipua diligentia agebatur, Carcaſone ſeſe tenētis, in eāque cauſſam intenti. metus ne Angli, perpetui Gallorum hoſtes, rerum potirentur in Hiſpania ſolicitabat. Miſſi ea de cauſſa ad Aragonium legati. Eleonoram filio ſuo antea deſponſam reddi Henricus poſtulabat. neq; recuſabat Aragonius honeſtiſſimam conditionem, modo iis vrbibus redditis, quæ priori tempore pollicitus erat. Excuſabat Hēricus ſibi profugo atq; exuli nullam opem allatam: contra cū hoſte infenſiſſimo fœdus pepigiſſe. placuit totius cōtrouerſiæ arbitriū Guidoni Cardinali Legato permitti, pace inter Hiſpaniæ gētes conſtituenda, quam antea feliciori. Quo tempore hæc in Aragonia agitabantur Octobris die quintodecimo, Gregorio Pontifici ratio viuendi probata eſt: quam ii monachi conſectantur in Hiſpania, quibus à Diuo Hieronymo nomen eſt, copiis, ædificiorum amplitudine, diuinas laudes concentu ſuauiſſimo decantādi ſtudio, clauſuræ patientia præcipui præ

cæteris atque præſtantes. natiuis lanarum coloribus extra veneto intus candido diſtincti. Quidam viri Itali pietatis ſtudio incenſi, non procul Toleto domicilium conſtituerunt, ab hominum conuentu ſecretum. Horum vitæ genus, propter excellentem ſanctitatis opinionem æmulati alii ſeſe illis adiunxerunt. Viri in eo numero primarii, Fernandus Iuanius templi Toletani Canonicus, Pechæ fratres, Alfonſus Petruſq;: hic regius cubicularius, ille Genuenſis Epiſcopus. Primū huic ordini monaſterium, legibus inſtitutisque temperatum prope Caracam ſupra Lupianam pagum. Regum Principumq; munificentia deinde multa alia fundata ſunt. ab his Iſidoriani monachi prodierunt annis conſequentibus. Barcinone inter Reges Caſtellæ Aragoniæq;, menſe Decembri, cum de pacis conditionibus non conuenirent, pactæ induciæ ſunt, vſq; ad feſtum Pentecoſtis: quo die illapſi in Apoſtolos diuini Spiritus memoria celebratur. Ioannes Emporitanus Comes Aragonii patruelis, generq;, Ioanna vxore Aragonii filia, Ioanneſq; Arellanus pro Henrico Rege legatus, induciarum auctores. Iccium, qui portus in Morinis eſt, Galliç Belgicæ parte, Leceſtriç Dux cū validis copiis tranſmiſerat. adiunctus Ioannes Dux Armoricus, qui eius ſororem coniugē habebat: eoq; Anglicis partibus fauebat, à Frāco alienus. ab his finitimi Atrebates & Veromandui rapinis, ferro, incendiis vexati: verſo mox in Aquitaniam itinere, Ligeris traiectus: ventum Burdigalam. Hiſpaniæ inferre arma cogitabant, atq; Caſtellç regnum inuadere. Aragonii Vaſconeſq; ad belli ſocietatem, miſſis identidem legationibus ſolicitati. prudentiores illi pro incerta prçmiorum ſpe, in certum exitii periculum incurrere detrectabant: fortunam, vt plerique mortalium, in conſilio habituri, alieni periculi ſpectatores. Henricū eius tēpeſtatis amouendç cura ſolicitabat. Burgos vbi ſe tenebat, copiç ex vniuerſa ditione contractæ ſunt. noui habiti delectus. veterani nominatim ad ſigna euocati. Affuere proceres periculo permoti, & ſtudio in ſuum Regem incenſi: illi etiam, qui ſuperioribus bellis alieno animo fuerant, promptitudine, diligentia, alacritate, fidem approbare cupientes. diſſidere antea ſolitos commune nunc externi imperii odium iunxit. Noua & inopinata re omnium animi conturbati ſunt. eodē appulſus Sanctius Alburquerquii Comes in tumultu nocturno peremptus eſt: cum eius & Petri Mendozç milites de hoſpitiis decertarent, ad compeſcendos tumultuātes famulos, heri eſſent progreſſi, ad quartumdecimum Kalend. Aprilis, eius ſeculi anno ſeptuageſimo quarto. Fratris caſu Hēricus, pro eo ac par erat, commotus, vindicta tamen abſtinuit culpç per imprudentiā commiſſç. Beatrix Sanctii vxor grauida, Eleonorā deinde peperit, Aragonię olim reginā. Caſtra regia Bagnares municipiū promota. iis loci, recenſitæ copię. equites ſex millia ducenti, pedites 5000. inuenti: virtute quam numero validior manus: parataq; quocunq; ſubita armorum vis aduocaſſet, eo occurrere. bellicumq; terrorem, tum Galliç, tum Aragonię finitimç intentans. nam pactum induciarum tempus exibat: & Angli imminuto numero belli Hiſpanici cogitationem intermittere nunciabantur. Philippus Burgundus, Ioanneſq; Vienna, maris Gallici Præfectus, magni nominis Dux palantes, vagos, prædaq; graues toto itinere magnis cladibus oppreſſerant. ſic ex triginta hominum millibus, vix ſex millia Burdigalam peruenerunt. Rei bene gerendæ occaſio offerebatur, pellendi Anglos ex vniuerſa Gallia: quos belli fortuna deſtituiſſe videbatur verſa ad Gallos. Ludouicus Andegauenſis Henricum monet, vti iunctis viribus Baionam in Tarbellis obſideant. ad tuendam nominis exiſtimationem, ea res pertinere viſa eſt: ſi tantum virium fiduciæq; ineſſe, perſuaſum hoſtibus eſſet, vt non tantum bello propulſando, ſed etiam inferendo idonei eſſe viderentur. Obſeſſa ea vrbs ab Henrico eſt extremo menſe Iunio. verum continuis imbribus impedita opera, commeatus inopia, finitima Cantabria ob locorum ſterilitatem maligne ſuppeditante, feſſis omnibus, re infecta eſt diſceſſū. & Ludouicus Andegauenſis contra quam erat pollicitus venire non potuit, aliis curis diſtrictus. In reditu Bertrando Gueuaræ eius familiæ principi Ognatii regulo, nauatæ operæ Lenitium eo tractu oppidum præmium fuit Henrici regis dono, nimia liberalitate profuſi: quod poſteri retractarent. Auguſto menſe Iacobus Balearis in Ruſcinonenſem agrum peruenit. numeroſæ validæq; copiæ ſequebantur, quibus Aragoniæ vires impares erant futuræ, ſi vniuerſo prælio decertandum eſſet. vicit tamen eius gentis fortuna. variæ manus vicinis locis diſſipatæ exiguo fructu ſunt. hominum tantum & pecorum prædæ abactæ. vis mali in Vrgelitanum tractum potiſſimū incubuit. Alia parte Bearnenſis regulus & Gotifredus Recco Armoribus, quibus ampla ditio in Caſtella erat, ſiue Henrici permiſſu, ſiue ſua ſpōte Borgiæ agros irruptione facta imfeſtos reddiderunt. tentata oppida. villæ agrique incenſi. A Granatenſi Franciſcus Perellus interceptus, quem Aragonius in Angliam mari legatum miſerat, auxilia pacemque expetitū. Catalanis mercatoribus iniecta vincula. captæ Granatenſis nauis ad Tunetanum littus à Petro Bernardo Aragonio dolor ſtimulabat: ſimul Henrico regi gratificari cupiebat. In tantis ca-

lam tati-

lamitatibus,tantiſque periculis,quo ſe Aragonii verterent? vnde euocarent auxilia? Henricus ſanari Aragonium,q̃ perire malebat,memor eius ope,tantũ Imperiũ acceſſiſſe. Ioannes Arellanus & Salmanticenſis Præſul rurſus de pace legati, Barcinonem appulere. Ipſo tempore Vaſconum Regina in Eburouicibus deceſſit, die tertio Nouembris,eius lacrymis multa marito ſcelera antea condonata fuerant: nunc fratris regis aures ſuis precibus obturatas dolebat.is dolor ægritudinem, & ex ægritudine mortem attulit. Corpus in D. Dionyſii ad maiorum buſta tumulatum eſt.exequiæ regio apparatu ſplendidæ factę. Noua marito inuidia ad populum concitata,eorum propinquis & neceſſariis vindicandis, quos hoſtium partes in ea temporum calamitate ſecutos eſſe conſtabat.bona publicata.ipſi exilio ſuppliciisq; mulctati.quę mala ſi ipſis auctoribus inflicta eſſent, vindictæ dolor excuſari potuit: nunc alienã culpam innoxii luebant. Grauius atq; atrocius fame, quam bello Aragonia vniuerſa conflictabatur.aduecto ex Africa frumento,inopia vtcunque leuata.id incommodum ſalutem rebus attulit.hoſtium copię eo malo compulſæ,in Caſtellæ fines diſceſſere principio anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi quinti.ipſe Balearis Princeps 1375. ex morbo continuo deceſſit.Corpus Soriæ in D. Franciſci ſepultum. Iſabella, Montis ferrati Marchioni iuncta coniugio fratrem in eam expeditionem ſecuta erat,ſpe paternas iniurias vindicandi.ea Duce Gallorum copiæ in patriam reductæ ſunt. Paterna iura Ludouico Andegauenſi ea lege data,ſi armis Aragonios inuaderet. Vnde noua contentionum materia extitit, vix inter Aragoniæ & Caſtellæ reges pace conciliata, opera Ioannæ Caſtellæ Reginæ,eo ſtudio Almaſanũ appulſæ. venere eo Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, Ceruelloniusq; ab Aragonio legati.iis agentibus concordia pridie Idus Aprilis confirmata eſt,his conditionibus. Eleonora Aragonia Ioanni Principi antea pacta,nuptura redderetur. Dos dicta ducenta florenorũ millia: quæ Henricus belli ciuilis initio mutua ab Aragonio acceperat. Molina Caſtellæ regi reſtituta. Aragonio in belli ſumptus centum octoginta florenorũ millia pacta,certis penſionibus numeranda. Eius concordiæ lætitia,quam diuturnam fore ominabantur ſuę quiſque ſpei indulgentes,in vtraq; prouincia conuiuiis, ludis,ſpectaculis, publicaq; gratulatione celebrata eſt.ex tantis motibus,tantiſq; tempeſtatibus in vniuerſam Hiſpaniam exoptatam tandiu tranquillitatem reuocari gaudebant ſcilicet,atque ſperabant.

Principum nuptiæ. CAPVT XIX.

FVIT hic annus non Hiſpaniæ fauſtus,ſed orbi terrarum vniuerſo,quam late gens Chriſtiana fuſa erat. Gregorius vndecimus Pontifex Maximus pontificium decus in veteres maiorum ſedes,& celeberrima ſanctitatis domicilia reuocauit. Auenione relicta, vbi ſeptuaginta annis hæſerat: Romamq; delatus eſt, vt in ea vrbe reliquam vitam exigeret,vir magnus,immortaliq́ue laude dignus.res in Italia turbatæ abſentiam Pontificum non ferebant. Catharina Senenſis virgo ſanctiſſima,cuius ad Gregorium duodecim epiſtolæ extãt ſalutaris conſilii auctor præcipua extitit,aduerſus diſſuadentes Cardinales, in re certa propriaq; proprio vt arbitrio vteretur,elegantiſſimis verbis perſuadens. Bertrandus Clakinus magnis honoribus in Gallia habitis, auctusq; Longæ villæ principatu,Soriam, Atienſam, Almaſanum,aliaq; oppida, quæ in Caſtella data erant, Henrico Regi vendidit. ducenta ſeptuaginta aureorum millia (centies octies ſeſtertium) pretium fuit.ingẽs ea tempeſtate pecuniæ ſumma,redditis viginti ſex Anglis nobiliſſimis, qui ad Rupellam capti erant,magna ex parte compenſata.pro reliqua pecunia,obſes datus Ioannis Arellani filius, patri cognominis.nam regium ærarium bellicis ſumptibus exhauſtum erat. Conficiendis Principum nuptiis,vrbs Soria delecta eſt ad Vaſconum & Aragoniæ fines pertinens.loci commoditate Rex Henricus inuitatus, vno tempore geminas nuptias celebrare conſtituit. Eleonora Aragonia deducentibus Lupo Luna Cæſarauguſtano Præſule & Ceruellonio legato, Aragonia nobilitate proſequente Soriam venit. Eodem Carolus Vaſconis filius appulit.prior Eleonora Henrici filia nuptui collocata Maii menſis die vigeſimo ſeptimo.is honor hoſpitibus habitus. Iunii octauodecimo die Ioannnis Caſtellæ Principis & Eleonoræ ſponſæ coniugium eſt initum.plauſu fauſtiſq; acclamationibus ac ludis cuncta plena erant, non in ea vrbe modo,ſed in reliqua Hiſpania, ob ſpem diuturnæ felicitatis hominũ animis cõceptam. Ferdinandum Caſtrium(Ioannæ Caſtriæ is frater germanus fuit) qui ſuperiori tẽpore ex Luſitania profugerat,in Anglia deceſſiſſe dum ſpei imminet patrię armis repetendę nunciatum eſt: Anglięque littora cognitum,à Caſtellę claſſe prędis, direptionibus,incendioque vaſtata.ductor Ferdinandus Touarius, Dux ea tempeſtate nobiliſſimus. Soria ſeſe Henricus Burgos retulit, foris clariſſimus, domi felix, Gallicis partibus vnde tantum præſidii extiterat ſubleuandis intentus. Alfonſus Gegionis Comes pactas nuptias auerſa-

tus iuuenili leuitate, in Galliam profugit: Rupellamq; mari tenuit, vnde patris diligentià aliquanto poſt reuocatus eſt. Obierat Manricus Toletanus Præſul. comitia habita ſucceſſore deſignando. Sacerdotes Toletani, quorum eæ partes erant ſtudiis ſciſſi, pars Petrum Fernandum Decanum Toletanum præferebat: pars Ioannem Manricum ex Archidiacono Talaueræ Aurienſem prius, deinde Seguntinũ Præſulem, defuncti propinquũ, fratris filium Garſiæ Fernandi Manrici. huic Rex impẽſe fauebat, quippe Arellani affini & neceſſario. Controuerſia ad Gregorium Põtificem reiecta, iis pulſis, vti vitio creatis, Petrus Tenorius Conimbrica, vbi Epiſcopum agebat, ad Toletanam eccleſiam tranſlatus eſt, eruditionis laude præſtans: quam Italica peregrinatione obita, maximam ceperat Baldo præceptore vſus, prudentia ex multarum rerum vſu collecta, atq; animi magnitudine ea tempeſtate clariſſimus. Nobiliſſimi viri Vaſcones extincti: Rodericus Vrricius opibus auctoritateq; præſtans, ſui Regis iuſſu Pompelone captus, trucidatusq; eſt menſe Martio extre-
1376. mo, ſalutis anno 1376. male tecta defectionis conſilia exitium attulere, cum Henrico Rege, vti fama tulit, communicata, falſis vt ego arbitror rumoribus accommodata fide. nã pacem tam cito turbare voluiſſe, quis inducat in animum? Bernardus Pompelonenſis Epiſcopus Nonis Iulii Anagniæ in exilio deceſſit. Grauitas viri, & prompta libertas inuiſa Regi erat. in eius locum Martinus cognomento Calua cooptatus eſt iuris cognitione ſacri profaniq; publici atque priuati excellens ea tempeſtate. prorſus vt Baldo æquali iuriſperitorum principi multorum opinione exæquaretur. Fridericus Siciliæ Rex Meſſanæ obiit ad ſextum Kalend. Auguſti, Maria regni hærede Athenarum, atque Neopatriæ. vnde nouę ſpes, multisque Principibus contẽtionum materia, puellæ coniugium, Siciliæq; regnũ ambientibus, nouorũ motuũ conſiliorumq; expectatio, Aragoniis imperii amplicãdi occaſio.

LIBRI SEPTIMIDECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XVIII.

Diſſidium de Romano Pontificatu. CAPVT I.

SEQVVNTVR tempora bello vacua, præcipua tranquillitate inſignia. Hiſpani Reges quamuis legibus, inſtitutis, lingua, animis, cauſſaque diſcrepantes, bello feſſi & tam multis affinitatis vinculis inter ſe conſtricti quieſcebant: pax diuturna fore videbatur. cum Mauris coniugii commercii eſſe non poterat ob diuerſam religionem: induciæ tamen extabant. Leceſtriæ Duci Caſtellæ armis repetẽdę in tanta noſtrorum concordia neq; facultas erat neque ſpes: & bellum in Gallia nuper cõcitatum vigebat maxime. Angli victores paſſim cædebantur, verſa partium fortuna. Henricus Rex tanto imperio parto clariſſimus ea tempeſtate habebatur. in Hiſpania belli & pacis moderator ad pacis artes conuerſus caſtigare flagitia, quorum maxima licentia fuerat belli tempore: mores priſtinos reuocare: vrbes, oppida munire: rempublicam vniuerſam modis omnibus augere. Aragonia modo nouis belli ſuſpicionibus fatigata, Ludouico Andegauenſi pro balcari Principe, cuius iura perſequenda ſuſceperat, vicario ſubſtituto, vti paulo ante dictum eſt. Ea cauſſa Montione gentis Aragoniæ cõuentus habiti ſunt. eius belli defendendi agitata conſilia. pecunia in ſtipendium imperata Iudæis atq; Mauris vniuerſa prouincia confuſis. vt promiſcue indiceretur populi & proceres recuſarunt: parati tamẽ more maiorum ſuo ſumptu, regiis auſpiciis pro patriæ incolumitate, libertateq; militare. ergo magni delectus habiti, cæteraque omnia ex belli vſu comparata grauiſſimi, & omniũ quæ extiterant maximi. ſic opinio hominum fuit, quadraginta triremibus in Galliæ littore inſtructis, cataphractis equitibus ad quatuor millia. & pace cum Anglis conſtituta, quod propediem fore videbatur (tanta à Romano Pontifice contentio ea cauſſa adhibita eſt) vniuerſæ Galliæ vires & copiæ ne ſeſe in Aragonios fines infunderent, verebantur. Acceſſit noui atque inopinati belli metus, leui de cauſa excitatus: vti ex paruis ſæpe ſcintillis, niſi tempeſtiue occurras, magna incendia concitantur. Ioannes Arellanus Seguntinum Epiſcopum de Toletano epiſcopatu coram Romano Pontifice diſceptaturũ, officii cauſa proſecutus erat. in reditu Barcinone coram Aragonio Rege à Rotæ vicecomite confidenti animo iuuene ad ſingulare certamen prouocatur, perduellionis crimine impoſito: quaſi

ab Ara-

ab Aragonio multis beneficiis obſtrictus Iacobum Balearem ſuperiori tempore in prouin-
ciam euocaſſet. Vicecomitis partib fauere Aragonius viſus eſt, Arellano cum primis infen-
ſus, nulla maiori culpa, quam quod eius conſiliis Caſtellæ Rex multum & familiariter vte-
retur. haberetque intimum. diem certamini dicit, ex eo die nonageſimū. Henricus in ami-
ci ignominia ipſe violari ſibi videbatur. per legatos certamen excuſatum. & cum non im-
petraretur, quoniam Aragonius in alteram partem propenſus eſſet, tria equitū millia præ-
ſidio affutura renunciatum. haud obſcura belli denunciatio ea legatione continebatur. I-
taque Aragonius conatu deſtitit: conſilium non ratione prudentius quam euentu ſalutare
eſt habitum. Brugis, quod ea tempeſtate nobiliſſimum Belgii emporium erat, Andegauē-
ſis Burgundusque cū Leceſtriæ, Eboracique Ducibus Anglis, data & accepta fide ad col-
loquium de pace conuenere. Petrus Velaſcus regio cubiculo Præfectus, & Alfonſus Bar-
rasa Salmantinus Epiſcopus ab Henrico Rege legati, ſi qua ratione inito inter Principes
fœderi tertius accederet. magnus labor irritusque. ne Bononiæ quidem, in quam vrbem
nempe locis finitimam, proximo ſalutis anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſepti- 1377
mo, Principes commigrarunt, concordia ſancita eſt. Eduardi Regis Angli, ſexto Idus Iulii,
defuncti importunus obitus, præclaros Principum conatus, conceptamque omnium ani-
mis ſpem conturbauit. Obierat aliquanto ante Eduardus Walliæ Princeps. Richardus e-
ius filius vndecim annos natus auo Eduardo ſucceſſit. ita moriens teſtamento mandarat,
nulla à patruis clariſſimis Ducibus controuerſia: quod in ea temporum perturbatione la-
beq; inſigne pietatis & modeſtiæ exemplū fuit. Soluto Bononienſi conuentu, Burgundus
quidem in Hiſpaniā venit, voti reus Compoſtellæ templum aditurus D. Iacobi religione,
præſentiq; numine celeberrimum. Omnibus officiis & comitate Segobiæ, vbi Henricus
erat, excultus perſoluto voto rediit in patriā. Caſtellæ Rex Legione reliquū æſtatis exegit.
hyeme proxima Hiſpalim abiit. Gallici belli impetus in Vaſconis ditionē verſus eſt Gal-
lis cum primis infenſis, ob rerum geſtarū memoriā. Erant in Nortmannia Petrus Mariaq;
matrē Reginam Vaſconū in Galliam ſecuti: ſi innocentis ætatis cōmiſeratione Rex auun-
culus moueretur, iramq; temperaret in patrē conceptā. Eadem de cauſſa Carolus maior
natu, noua nupta apud patrē relicta, quamuis dolēte dehortanteq; ſocero, in Galliam feſti-
nauit. dati comites Balduinus artiū belli ea tēpeſtate peritiſſimus, Iacobus Rua patri in pau-
cis carus. huic data abs Rege mandata Anglos cōueniendi: ſi Aquitania redderetur quaſi
Angliæ beneficiario, Galliæ bellū inferre non recuſare. nihil eorū quæ gerebantur Gallum
latuit. Rua interceptus in itinere eſt. de capto quæſtiones tormentis habitæ. confeſſo, capi-
tale ſuppliciū Lutetiæ inflictū. Balduino mādatū arces tradere, quas in Nortmannia Vaſco-
nis nomine obtinebat, arcanis notis indicatis, per quas intelligeretur haud dubium ipſius
eſſe mandata. Carolo ipſi Principi vetitū è curia pedē efferre. Petrus Mariaq; fratres Breto-
lii capti. auita Vaſconis ampliſſimaq; in Gallia ditio vno impetu occupata. Eburouices mul-
tæq; aliæ vrbes & oppida partim expugnata, partim in fidē accepta: Vaſconiſq; conatus &
facinora ea calamitate, qua grauior atq; atrocior nulla extiterat, vindicati. Clakinus, Bur-
gundus, Borboniuſq; belli Duces. vnū & alterū oppidū, qua cauſa incertū, ſed in fide tamē
Vaſconis perſtitere. Chereburgū Anglorū præſidio tenebatur, mutuæ amicitiæ, pecuniæq;
pignus priori tempore datū. Henricus à Gallo ſolicitatur, vt Vaſconē præcipitātem oppor-
tunumq; iniuriæ, alia parte laceſſeret. belli inferēdi cauſſa Principi amico & neceſſario nō
erat. optimā ſors attulit. querebatur ille, pactæ ſuperiori fœdere pecuniæ, partē argenteam
oblatā, cum auream deberēt. nempe adulterata pecunia. genus etiā monetæ cōmerciis in-
eundis paciſcebantur. eius iniuriæ vindicandæ ſtudio, Petrus Manricus Caſtellæ Antela-
tus precib. gratia, pretioq; inuitatus, vt Lugruniū, quod præſidio obtinebat, Vaſconi trade-
ret. præſtanti fide heros rē omnē Henrico Regi aperit. Monet ille, vti ſpem Vaſconis alat,
atq; ſpecie dedēdi municipiū, attractum intra mœnia capiat. Re compoſita Vaſco Lugru-
nium acceſſit. quadringenti equites ſequebātur. horū pars in oppidū præmiſſa eſt, ipſo quia
fraudē ſuſpicabatur intra mœnia ſe includere recuſante. capti ii Vaſcones atq; ſpoliati pau-
ci expedito animo, manuq; prompti, fuga ſeruati. in his regii vexilliferi Martini Henrici
virtus enituit, qui diſtricto ferro oppidanorum impetū tulit: deinde è vicino pōte in Iberū
ſubterfluentem deſiliens ſe, vexillumq; cōſeruauit. Ab hoc initio res ad apertū bellum de-
ducta. Ioannes Henrici filius bello præfectus Dux, in Vaſconū fines populabundus irrupit.
Guardia Vianaq; captæ. Lagarra & Artaxona incenſæ. odio implacabili pugnabatur. nul-
li omnium rerum parcitum, in quam ferrum, igniſve ſæuire poſſent. miſerabilis rerum
ſtatus: à duobus potentiſſimis Regibus vno tempore Vaſconibus bellum illatum, vel al-
teri futuris imparibus. Hæc ſalutis anno 1378. gerebantur. Qui annus Caſtellæ quidem 1378
priuatim lætus fuit, publice toti orbi Chriſtiano maxime infauſtus. Burgis vbi Caſtellæ

Rex morabatur bello intentus,rei bene geſtæ in Vaſconibus lętitiā filiis connubio locandis
celebrabat. Alfonſus Gegionis Comes ex fuga reuocatus, Iſabellæ Luſitanæ ſponſæ iun-
ctus eſt, inconſtanti iuuenis ingenio,prauoq;. Ioāna Eleonoraq;,& ipſę furto genitæ Hērici
filię, Alfonſi Dianii comitis duob. filiis,prior Petro minori nupſit:Eleonora Alfonſo maiori
natu pacta eſt,ea tempeſtate apud Anglos obſidi in Gallia,pretii quod pater ad Tritium ca-
ptus pro libertate erat pollicitus.ea cauſſa dilatæ nuptiæ,irritæ poſtmodum extiterunt. Ro-
mæ ante ſextum Kalend. Aprilis Gregorius Pōtifex deceſſit.inferiæ defuncti manibus da-
tæ. vacuo pontificatu Cardinales ad ſucceſſorem deligendum euocati.eos Romana nobi-
litas magiſtratusq; adeunt:ne Roma deſerta,Gallia rurſus repeteretur ſupplices orant, at-
que obteſtantur: Eccleſiæ Romanæ Romanū Pontificem darent: vrbis nobiliſſimæ,vnde 1
origo religioni,vbi domiciliū ſanctitatis extitiſſe miſererētur.additæ minæ,metusq; intentati:
adeo plebē eſſe commotam,vt verendū eſſet,ne quod atrox exemplum ederetur.Qua
tuor Itali Cardinales,tredecim Galli,ad comitia conuenerant,ſtudiis voluntatibusq; inter
ſe diſcrepantes.multitudinis ad arma conſternatæ ſtrepitus clamoresq; terrebant,vna vox
exaudiebatur. Per Deum crucifixū, Romanū Pontificē date certe generis Italici.Eo metu
propoſito,Bartholomęus Butillus patria Neapolitanus Barenſiū Epiſcopus Romanę eccle-
ſię præficitur gubernator,ad quintum Idus Aprilis. Vrbani VI.nomen Pontifex deſumpſit.
inter plauſum populi atq; tumultum diuerſi Patres alii molem Hadriani tenuerūt,alii extra
vrbem elapſi ſunt: pleriq; in ędes quiſq; ſuas ,vim illatam accuſantes,execrantes factum.v-
niuerſi tamen ſiue mutata repente voluntate,ſiue inſeruiendū tempori iudicantes,Vrba- 2
nū pontificiis inſignibus,tiaraq; exornarūt quartodecimo Kalendas Maias.Id præcipuum
cauſſæ fulcimentum fuit.ſi inuiti cur in vrbem reuerſi inaugurationis cęremonię interfue-
runt?ſi voluntate,quę peruerſitas cum publico periculo quę probaueris retractare?Excu-
ſabant illi inſeſſas à militibus vias,exitus omnes occupatos:cum noui Pontificis ſeueritatē
ferre non poſſent: cui vitio temporū impares erant.& ſane debuiſſet Vrbanus temporum
meminiſſe:præſentibus obſecūdare, meliora voto expetere:quę maxima prudētia eſt. Ho-
norato Caietano Fundēſi Comiti Campanię procurationem initio pontificatus abſtulit.
ea res Cardinalibus male cogitantibus opportunitatē prębuit publicę pacis turbandæ. Vr-
banos ęſtus,cęliq; Romani grauitatem cauſſati fundos diuerſi ac diſſimulanter cōceſſerūt.
In ea vrbe Robertus Gebennenſis Cardinalis, Pontifex eſt renunciatus tertiodecimo Ka- 3
lend. Octobris, Clementis VII. nomine impoſito. publicis execrationibus inter ſe vterq;
Pontifex certabāt. Vrbanus collegii ſupplendi cauſſa nouem & viginti Cardinales vnica
creatione nominauit, ex omnibus nationibus viros præſtantes. Clemens continuo Aue-
nionem abiit. Vter verus Pontifex eſſet, toto orbe Chriſtiano dubitatum eſt.Itali,Germa-
ni, Angli Vrbani partes ſecuti ſunt:Galli Scotiq; Clementi adhæſere.Hiſpani neutris initio
tametſi multis legationibus ea cauſa ſolicitati.

Henrici Regis obitus. CAPVT II.

QVo tempore orbis Chriſtiani pax funeſto Pontificum diſſidio turbata eſt, Luſita- 4
nia opima diuturnaq; tranquillitate fruebatur.ſed vt in pace peiore res eſſe loco nō po
terant. Regina viri potens,libidinis licentia infamis,Andeiro amaſio, ſuisque propinquis
& neceſſariis omnia tribuebat:in proceres alios aut vi aperta,aut ex inſidiis graſſabatur.ea
cauſſa Dionyſiū Regis fratrem in Caſtellam aufugiſſe dictum eſt.idem aliquanto poſt Io-
annes fecit. Regis hi iuſti fratres fuerunt. Ioanni Auiſii Magiſtro ex impari matre iniecta
vincula, metusque exitii intentatus.cautior ille aſſimulatis ad tempus officiis,pœnitentia-
que, Reginæ infenſum animum placauit. Oliſiponis vrbis primariæ pars inferior ad mare
pertinens, mœnibus cincta. memoria ſuperioris cladis incitabat: & belli ſicunde exiſteret
pericula, præſtare Regi Ferdinādo erat propoſitū.Reges Hiſpaniæ legationibus Pontificū
ſolicitati. Aragonius quidem in neutram ſe partē commouit, quamuis Vrbano Pontifici 5
ex priuata re iratus, Sardiniam Siciliamq; auferre cogitanti.edicta à Clemente in Vrbanū
contumelioſa promulgare in ditione vetuit. reditus pontificios penes ſequeſtrum fore,
publiceque cuſtodiri,quouſque iudicio eccleſiæ controuerſia finem acciperet, in prouin-
cia mandauit. Ad Henricum Regem, Cordubæ agentem legati ab Vrbano Pontifice ve-
nerunt,vt eum Pontificem ſalutarent, æmulum quaſi vitio creatum execrarētur poſtula-
tum.viris primariis in conſilium adhibitis de re tanta Toleti in frequentiori conuētu diiu-
dicare viſum eſt:quo Ioānes Regis filius hyematurus venire decreuerat.In eam vrbē noui
à Rege Gallo legati venerūt,Clemētis cauſſæ aſſuturi. Epiſcoporum & procerū cōcilio ad-
uocato in re cōtrouerſa,ſui iudicii non eſſe reſponſum in partem alterā inclinare:facturos
quod

quod eccleſiæ iudicio decretum eſſet. quæcunque in prouincia ad Romanos Pontifices pertinerent, integra ei fore qui æmulum ſuperaſſet. Eo reſponſo legati dimiſſi ſunt principio anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi noni. Rebus ita compoſitis Henricus Toleto 1379. Burgos abiit. bellum in Vaſcones inſtaurare parantẽ, legati ab hoſte miſſi adierũt viri principes cum ampla paciſcendi facultate. iis agentibus cõcordia ſancita. leges dictæ: Vt Angli milites Vaſconiæ finibus diſcederẽt. Viginti arces, Caſtellę præſidio tenerentur ad decimũ annum. in his Stella, Tudela Vianaque. Viginti aureorum millia Vaſconi in belli ſumptus mutua a Caſtellæ Rege data firmato fœdere. Regum colloquiũ ad D. Dominici Calſadii vrbem fuit. magnificentia, comitate, atq; omnib. officiis inter reges certatum. ſic ab armis ceſſatum eſt. Belli impetus ne in Mauros verteret, rex Granatæ formidabat: ex conſcientia eorum quę Petro rege fecerat digna metuẽs: neq; ſatis Henrici animum placatum eſſe arbitratus. nullam retinendę poteſtatis niſi in ſcelere ſpem fore, eo omnes cogitationes intendit, vt pręualidum hoſtem ex inſidiis occuparet. Maurus quidam eius ſuaſu ſimulato exilio, ac commodatiſq; tempori officiis, Henrici gratiã promereri non deſiſtebat. elegantia pretioſaq; munera addita, gemmę, ocreæque habiles, Maurico opere pulcherrimæ: ſed præſenti atq; efficaci medicatę veneno. ſic idoneis auctoribus fama vulgauit. fides accommodata mendacio, quod quo primum tempore eas induit, vis morbi lethalis inuaſit: neruorum dolore prudentiores extinctum aiũt, die decimo ex quo cœpit ægrotare, in ipſa D. Dominici vrbe, ad tertiũ Kalend Iunii, die Lunæ. Vixit annos ſex & quadraginta, menſes quinq;. regnauit ex quo Calagurri primum regium inſigne deſumpſit, annis tredecim, duobus menſibus. vir aduerſis ęque ac proſperis admirabilis: conſtans aduerſus fortuita, acer conſilio, manu promptus, cibo promiſcuo, veſte cultuq; corporis vix à cæteris diſtinctus. vindicatis maternis fraterniſq; manibus æmuli ſanguine, regnoque ablato felix: clariſſimum exemplum obſcuritatem natalium virtuti non officere. ſi libidinis intemperantia abeſſet, antiquis Regibus pat. nam profuſam liberalitatem, qua regni potentiam imminuiſſe viſus eſt, temporis perturbatio ſatis excuſat, proceribus alliciendis cõfirmandiſq;, ingentia munera data. & erat æquum, victoriæ præmiorũ participes eſſe, qui laborũ & periculorum fuerant. Sed ea tamen munificentia poſtremis arcaniſq; teſtamẽti tabulis reſtricta eſt: cognatis à latere ab hæreditate excluſis, ac iis tantũ admiſſis, qui recta ſerie ſuccederẽt, filii, nepoteſque. vnde alio tempore magna eorũ oppidorum, quæ donata erant, pars ad regiam ditionẽ rediit. Affuit moriẽti Ioannes Manricus Seguntinus Epiſcopus. Eo interprete Ioanni ſucceſſori hæc miſſa mandata. In Pontificum diſſidio non temere in alterutram partẽ inclinandũ. Deum præ oculis & eccleſiæ incolumitatẽ haberet. Gallicã amicitiã omnibus officiis tuendã: vnde tantũ præſidii rebus aſperis extitiſſet. Captiuos omnes Chriſtiani nominis reddendos libertati. Nullũ neque maius, neque magis pretioſum, iuſti imperii inſtrumentũ, q̃ bonos amicos. Prouinciã in tria hominũ genera, tributã qui ſibi, qui Petro Regi, qui neutri adhæſiſſent. primis data beneficia cõſeruaret: ſed ita fidei eorũ innitẽdũ, vt perfidiam leuitatemq; vereretur. alteris ſatis tuto res cõmunes credi poſſe, conſtanti hominibus ingenio, offenſam officio cõpenſaturis, fidemq; diligentia atque induſtria approbaturis. poſtremos in officio contineret iuriſdictione, legum cura: regni ne vllam partem attingerent, quippe priuata cõmoda publicæ ſaluti potiora habituri. Defuncti corpus ex ea vrbe Burgos continuo delatum, Ioanne filio proſequente, funuſq; regio apparatu curante, in tẽpli maximi ſacrario D. Catharinæ extemporario ſepulchro tumulatum eſt. inde Valliſoleti poſtremo Toleti vertente anno, ſacello eius ſumptibus extructo, ea parte templi maximi, vbi præcipua turris ſurgit, Matremq; Virginem de cælo delapſam veſtigio olim conſtitiſſe, ducta per manus opinione affirmatur. Verũ id ſacellum Carolo quinto imperatore, in locum alium migrauit: vbi Hẽrici, eiuſq; filii & nepotis Caſtellæ Regũ, atque vxorum ſepulcra ſex, cum inſcriptionibus extant elegãti opere. ſacerdotes ſex & triginta ſacra quotidie hoſtia pro eorum manibus parẽtare non deſiſtũt. Veſtis Dominicani ordinis morienti defunctoq; induta. id eius voluntati amoriq;, quo eum ordinem complectebatur ob D. Dominici ſui gentilis memoriã datum eſt: & Regibus ſolenne erat ex eo numero & ordine ſacerdotes diligere, quib. conſciẽtiæ vulnera detegerẽt, procurarentq;. Deceſſit per idẽ tempus Rex Maurus. ſucceſſit filius Mahomad, cognomẽto ab ſtudio eã vrbẽ amplificãdi exornandiq; Guidixenſis, regno nullis inteſtinis motibus turbato, præ cęteris Granatæ Regibus clarus atq; præcipuus. Rex Aragonius in affecta quamuis prouectaq; ætate nouis ſe nuptiis implicabat. Ioannæ Neapolitanæ Reginæ cõiugio quod offerebatur repudiato, Sibyliam Fortiam viduam duxit, præſtanti formæ venuſtate fœminam. id Regem in fraudem impulit. Nati ex eo coniugio duo filii in tenera ætate defuncti, filia vna Iſabella nomine, Iacobi Vrgelitani Comitis vxor futura.

Ioannis Caſtellæ Regis initia. CAPVT III.

IOANNES Henrici regis filius paterno funere procurato Burgis in Olgarũ templo regni coronam ſuſcepit, annos natus vnum & viginti, menſes tres. centum nobiliſſimi iuuenes balteo militari donati. Eleonoræ coniugi etiã regia corona impoſita. vrbi nobiliſſimæ pro iis ſumptibus quos tantis apparatibus facere neceſſe fuit, proq; fide eximie culta, Pancoruũ oppidum datum eſt. inaugurationis lætitia tota ditione cęlebrata, feſti dies agitati: eo maiori ſtudio, quod haud diſſimilem patri fore filium certa ſpes erat, ob præſtantem indolem, ingeniũ facile, ſedatos mores, atq; ad omnem pietatis partẽ compoſitum animum. Exigua corporis ſtatura fuit, oris præcipua dignitas: minime per ſe præceps feſtinus ve, alienis conſiliis faciles aures præbebat. Regni cura ſuſcepta, nihil antiquius Gallorum amicitia habuit. Itaque cõtinuo claſſis inſtructa, miſſaq; aduerſus Ioannem Monfortiũ Ducem Armoricũ, quem quod Anglicis partibus faueret, publicũ Galliæ hoſtem Lutetiæ regius ſenatus iudicarat: principatuq; publicato bona fiſco addixerat. Ea littora Caſtellæ triremium aduentu longe lateque vaſtata: arx capta, cui Gaio nomen erat. æſtatis reliquum Burgis extractũ eſt. Publicam vrbis regniq; lætitiam, duæ res ſubſecutę, altera auxit, conturbauit altera. Iudęus quidam in ea gente primarius, opibus copioſus, cui Ioſepho Picho nomen fuit, ſuæ gentis fraude occubuit. vectigalium rationibus præfectus fuerat, magnaq; ex ea re, tum gratia, tũ auctoritate. Iudæi quidam in ea natione principes, qua cauſſa non proditur, ſed tamẽ exoſi hominem eius interimendi conſilia communicarunt. diploma à Rege inſcio, & quid ſubſcriberet ignorante, fraude ablatum, vti continuo perimeretur mandans. adiunctus regius apparitor, ſeu ſimili deceptus fraude: ſeu pecunia corruptus, quod ſumptum de eo ſuppliciũ arguit. Facto agmine in Ioſephi domum inuaditur, venturi ſecurus inopinato obtruncatur: fraude cognita, ſceleris auctoribus irrogata ſupplicia: Iudæorũ genti in ſuę nationis homines animaduertendi in poſterũ poteſtas ablata: quod temporibus antea datũ erat Principũ diſſimulatione, propter ærarii egeſtatẽ, genti pecuniæ vias omnes callenti. Quarto Nonas Octobris Regi filius, cui Hẽrico nomen fuit, natus eſt, in ſpem paterni auitiq; regni obtinẽ-
1380. di. Finis huius anni, principiumq; proximi milleſimi trecenteſimi octogeſimi, copioſis cõtinentibusq; imbribus inſignia fuerunt. fœda agrorum illuuies. inflati immenſum amnes. Iberus ad Cæſarauguſtam ruptis obicibus, alueo dimotus eſt: magnoq; demum labore & ſumptibus caſtigatus priſtinum curſum tenuit. Burgis Toletum abs Rege itum. In ea vrbe paterno funere inſtaurato, magnificeq;, vt par erat, corpore tumulato, Hiſpalim itum. inde viginti triremes Duce Touario maris Præfecto dimiſſæ in gratiam Galli Regis Angliam appulſæ, aduerſo Tameſi amne in Londini conſpectũ peruenerũt. omnia terrore luctuque cõpleta. vaſtati agri. deliciæ ciuiũ, villæ amœniſſimæ in eorũ oculis incendio vaſtatæ. Quo tempore diſſidiũ inter Põtifices Romanos concitatum, maiores indies vires ſumebat, numine peccatis Principum & populi irritato. ſancti viri, & eorum quidam diuinitatis ſignis clariſſimi, opinionibus inter ſe diſcrepantes, Vrbanum alii, alii Clementem ſequebantur: quo iuſtior venia populo fuit, malũ grauius atq; diuturnius. Reginæ Neapolitanæ, quam eius mali præcipuam auctorem fuiſſe conſtabat vlciſcendę, Vrbanus Pontifex ſtudio inflãmatus, pace Florentinis, Peruſinis, aliiſq; populis, qui pontificii imperii iugum detrectauerant, data omnes ingenii induſtrięq; neruos in eam curam intendit. vires tantis molitionibus impares erant. externa auxilia conquiſita. Carolus Dirrachii Princeps (nam alteram Ludouici patrui filiam Margaritam nomine coniugem habebat) ex Hungaria euocatur, odio Reginæ ob Andreaſum Hungari fratrem ab ea necatum: & ſpe iniecta regni Neapolitani, ſi eius ductu impotentis fœminæ atque impudicę libidines & ſcelera eſſent procurata. In maxima fortuna, minima licentia eſſe debet. Principum peccata cunctorum oculis patent, fama atque fortuna paribus. Othonem illa Brunſuicum tertiis nuptiis ſibi adiunxerat: ex Gallia modo aduerſus ingruentem tempeſtatem præſidia aduocare conſtituit. Ludouicus Andegauenſis in filiũ hæredemq; adoptatur. Abſenti Calabrię principatus (vti hęredib. regni erat vſitatũ) donatur. adoptionis cæremonia Neapoli ad arcem Oui 3. Kal. Iulii peracta. Clemens Pontif. quo partes firmaret, eius conſilii ſuaſor. Hoc Andegauenſib. primum initium extitit regnum Neapolitanum iis armis inuadendi, quib. res Chriſtiana diu ac multum conflictata eſt. Bertrandus Clakinus in caſtris, quæ ad Caſtrum nouum in Armoricis oppidum erant, 3. Id. Iulii deceſſit: vir magnus, rebusq; geſtis clariſſimus. origo illi ex Britãnia Armorica, Reginaldus pater, cognomẽto Clakinus, vir nobilis, Bronii oppidi regulus, nõ procul antiqua Rhedonũ vrbe. Gallicis Hiſpanicisq; bellis ſpectata virtus atq; induſtria, ingentes opes, paremq; gloriam attulerunt. in eius locum Oliuerius Cliſſonius equitum Magiſter creatur. Carolus Galliæ Rex potentiſſimus ad ſaltum Vincennarum

ſexto

ſextodecimo Kalend. Octobris defunctus & ipſe eſt. Corpora coniunctis fermè funeribus elata: ad D. Dionyſii, iunctis certe ſepulcris tumulata ſunt. is honos Clakino defuncto habitus. ſic Rex ipſe moriens faciendum mandarat. Carolus eo nomine VI. paternum in Gallia imperium cepit. Luſitano Regi ingraueſcente ætate de ſucceſſore cura erat. filia Beatrix è Regina ſuſcepta (legibus an ſtupro poſt euerſas fortunas, patriſq; obitum dubitatũ) Friderico Beneuentano Duci, Henrici Nothi Regis filio ex Beatrice Pontia, fuerat deſponſa Henrico patre ſuperſtite. nunc mutata voluntate noua conſilia inita. redeuntem è Bætica Caſtellæ Regem Luſitani legati adeunt: reſciſſo priori pacto puellam Henrico eius filio coniugem offerunt paucos menſes nato. præpoſteram conditionem, infauſtaſq; nuptias propter imparē ætatem ſponſæ maiorem futuras, regni Luſitaniæ ſpe propoſita, rex Caſtellæ auerſatus non eſt. *Soriæ* in conuentu regni data ſponſalia ſunt haudquaquam rata futura. *Petro* Manrico Antelato vincula iniecta. rerum nouarum conſilia cum Alfonſo Dianũ Comite communicata crimen fuit. defuncto in cuſtodia ſine prole, Dieghus Mãricus frater ſucceſſor eſt datus. rerum præclare bello Vaſconum geſtarũ id præmiũ fuit. Galliç procuratio propter imbecillam Regis ætatem, curis maioribus imparem, penes Ludouicum Andegauenſem erat: magno periculo metuq; Aragonii Regis non defuturũ occaſioni Balearica iura repetendi exiſtimantis. ſed maior cura inerat Reginæ Neapolitanæ, cuius patrocinium ſuſceperat, armis tuendæ. & à Ioanne Rege ſoceri Principis periculo & litteris prouocantib. miſſi in Galliã de pace legati viri principes, iura pretio emta, vt pretio venderet expetitum, oblato etiam de ſuo ingenti pecuniç pondere, ne Hiſpaniæ tranquillitatem pulcherrime conſtitutam importunis armis turbaret. Miſſa etiam legatio ad Sultanum Ægypti, per cauſſam Leonem Armeniç Regem, qui fortunis euerſis captiuus tenebatur, vxore filiaq; in cuſtodia amiſſis calamitoſum liberandi. Dedit barbarus Imperator, quod à Rege Caſtellæ petebatur miſitq; litteras de ſe ſuperbas, in Ioannem honorificas: cuius virtutē & potentiam magnis laudibus celebrabat: expetebat amicitiam. Armenius tertio poſt anno in Galliam Caſtellãq; delatus, & Madritum & Illiturgim à Rege accepit: annuoſq; reditus vnde vitam ſuſtentaret, patriæq; & regni deſiderium leniret. & eſt magnorum Principũ propria laus alienam calamitatem, Regum maxime, ſubleuare: prohibere iniuriam. Is in Galliam cum abiiſſet tamen & Angliam, inter eos Reges pacem cõſtituere ſatagens, communiaq; arma in communes Chriſtiani nominis hoſtes maiori fructu gloriaq; verti monēs, in ipſo conatu tantarũ molitionũ obiit. Extat Lutetiæ in Celeſtinorũ tēplo ad dextram aræ maximæ, in pariete excauata abſide Leonis Regis Armeniæ marmoreus tumulus, haud ineleganti opere.

Caſtella Clementem Papam agnoſcit. Cap. IIII.

ROMANORVM Pontificum diſſidio concuſſus orbis. Chriſtiani Principes miſſis legationibus fatigati. religiones variæ omnium animis obiectæ, qua re nihil potentius eſt. Ad Medinam Campeſtrem Caſtellæ conuentus ea cauſſa agitati ſunt. à legatis pontificiis ſumma contentio adhibita, quod ibi decretum eſſet, ratum in reliqua Hiſpania, fore, minime dubitantibus. Hi Romana, illi Fundana comitia præferebant. prudentioribus neutri parti fauendum fore videbatur: ſed quaſi pontificio interregno controuerſiam ad arbitrium generalis concilii reiiciendam. tempus altercationibus trahebatur. Regina quinto Kalend. Decembris filium peperit, cui Ferdinando nomen, Aragonia alio tempore regnũ fuit, nobiliſſimo omniũ ea tempeſtate atq; feliciſſimo Principi. Affuere Benedictini ſodales frequētes, iniurias expoſtulãtes, quæ a proceribus in Vlteriori Caſtella grauiſſimæ extabant, ſpecie quaſi ea monaſteria opibus amplitud. neq; præſtantia, haberent ipſi commēdata. oppida per vim occupata: noua & inſolita vectigalia imperari oppidanis: cognitionēs rerum capitalium, iudiciaq;, eorum arbitratu fieri contra ſuperiorum temporum morem legeſque querebantur. Dati iudices in cauſſa viri prudentiſſimi, procerum ſuperbiam auaritiamque reſtringendam videri pronunciarunt. cœnobiorum diuitias fore ſanctas, neque cuiuſquam tutelæ præterquam Regibus commendari. id Ioanne Rege decretum valuit. Erat Petrus Luna nobiliſſimo inter Aragonios loco, à Gregorio Pontifice Cardinalis creatus: ſecutuſq; in diſſidio Clementis partes, ardenti ingenio vir, legum peritiſſimus. is in Hiſpaniam, ſi ingenii dexteritate eas gentes in partes attraheret, legatus eſt, ineunte ſalutis anno 1381. & in Aragonia quidē inanis opera fuit, Regis & procerũ animis incertis ſuſpen- 1381.
ſiſq;. apud Caſtellæ Regē maius operæpretiũ fecit. Viri præſtantiſſimi ſelecti de re tota iudicaturi. multi dies in cognitione cõſumpti. Salmãticæ tãdē, quo cõuētus tranſlati ſunt, ad tertiumdecimũ Kalen. Iunias Vrbani cauſſam, vt vitio creati auerſati, Clemētem Pontificē

quaſi liberis comitiis electum ſalutarunt, Auenione morantem. in quo & loci vicinitatẽ ſecuti ſunt: & Regis Galli gratiæ magis id datũ, quam ad æquitatis regulas expenſum. Reginæ matris obitus ſeptimo poſt die ſubſecutus, male ominatam fore ſententiam apud pleroſq; confirmauit fœminæ ſanctiſſimæ, munificæque in pauperes. vnde illi egenorum matris cognomen. veſtem in monaſticam conformatam viuẽs, moriensq; geſtauit. funus Toletum, vbi Hẽricus maritus ſepultus erat, apparatu celebre, ſed & populi lacrymis, deſiderioque celeberrimũ illatum eſt. Dum Clementis Pontificis opera, Caſtella in partes trahitur, Carolus Dirrachii Dux ab Vrbano ex Hungaria euocatus, venit in Italiam: acceptaque à Florentinis ingenti pecunia in ſtipẽdium, ne arma Hetruriæ inferret, Romæ Senator à Pontifice creatus, regiiſq; inſignibus exornatus, in Neapolitanos fines irrupit. omnia opinione faciliora fuerunt. vrbes & oppida aduenienti patefacta. Neapolis ipſa vrbs ampliſſima & nobiliſſima dedita. Ioanna viribus minus an ciuibus fideret incerta, arcis munitione aliquandiu bellum defendit. vir Otho ad pugnam egreſſus in acie capitur. Regina amiſſa iam omni ſpe deditionem fecit. dedita in cuſtodiam coniecta: ac mox ea parte ſuſpendio necata eſt, vbi ipſa viro Andreaſſo gulam fregerat. Otho Brunſuicus in patriam dimiſſus. multũ ea victoria Vrbani auctoritas cõfirmata eſt. numẽ ab eo ſtare viſum: oppugnare, damnareq; æmuli conatus. Andegauẽſis ſpes irritę fuere, in Apulia extincti morbo. eius obitu ingẽs exercitus cũ quo venerat diſſipatus. Ludouicus Vaſco his rebus non interfuit, bello implicitus, quod in Attica gerebat, Athenarũ atq; Neopatriæ principatus armis occupandi ſpem vrgens, Neapolitanorũ Regũ veteri iure repetito. verũ prouinciæ proceres e Catalaunis oriundi rebus Aragoniis fauebant: Regemq; Aragonium ad id imperium capeſſendum litteris & legationibus prouocare non deſiſtebant.

Bellum Luſitanicum. Capvt V.

NOva ex Luſitania belli tempeſtas concitata inter Luſitanos & Anglos fœdere facto, initaque armorum ſocietate, aduerſus Caſtellæ Regem, propter ætatem iniuriæ opportunum (ſic illi cogitabãt). victoriæ præmiũ Anglis proponebatur Caſtellæ imperiũ, Leceſtriæ Duci dotale. Luſitanum interceptæ regnandi ſpei dolor vrebat: & Caſtellæ Regẽ tanquam impium auerſabatur, ipſe Vrbani Pontificis partes ſecutus. Alfonſus Gegionis Comes defectionis conſilia agitabat. ex modicis ſæpe principiis rerum maiorum euentus pendent. fratris ſanandi cura Ioannes Rex Ouetum in Aſtures abiit. Alfonſus in eius ſe poteſtate fore dixit ficta voluntate, factione nondum ſatis confirmata. Senticã itum eſt, vbi bellici apparatus erant, militeſq; ex omni prouincia euocati conuenerãt. Almoda municipium Luſitaniæ, vicinum Mirobrigæ corona circũdatur. loci firmitas opponebatur, obſeſſorumq; virtus. Dum obſidio ducitur, claſſis Luſitana trium & viginti triremiũ Duce Alfonſo Tellio Reginæ fratre Barceloſii Comite à ſedecim Caſtellæ triremibus ſuperatã eſt. captæ viginti triremes, magnaq; in iis Luſitanorum multitudo, præterea Dux ipſe claſſis. ad totius belli ſummam magnũ operæpretiũ erat factum, parto maris imperio, terrore omnibus iniecto: niſi ſe Touarius Hiſpalim ſecundum victoriam retuliſſet: vnde Anglicæ claſſis opportunitas Oliſiponem appellẽdi. Caſtellę Rex ſucceſſu elatus, miſſo feciali ad pugnã prouocat, litteris in hanc ſententiã datis. Scire ſe Emundũ Cantabrigenſem veniſſe in Luſitaniam, fratris Leceſtrię Ducis vicarium: adiunctam lectiſſimam Angliæ pubem. ſi cauſſa viribuſq; confiderent, pugna experirentur. ſe Almoida oppido capto, vltro venientibus occurſurum, progreſſurumque duorũ dierum itinere. numina optimæ cauſſę affutura non dubitare. Ardebant Angli cupiditate dimicandi: ſed equorum penuria, quos nondũ Luſitanus contraxerat, certamen detrectarunt. feciali tantum vincula iniecta, in eo iure gentium violato. Caſtellę copiæ propter anni tempus in hiberna deductę, proximo ſalutis anno
1382. no milleſimo treceenteſimo octogeſimo ſecundo maiori conatu bellum repetiturę. Gegionis Comes rurſus defectionis conſilia agitans, Brigantiiq; ſe tenens, venia tamen à fratre Rege propoſita, deſertus à ſuis neceſſario ad officium rediit, Alfonſo Dianii Comite ſermonum inter fratres interprete: quem Caſtellę Rex Magiſtrum equitum pridie Nonas Iulii creauit, more ex Gallia, atque Aragonia translato, nouo in Caſtella inſtituto Bini Mareſcali adiuncti Ferdinandus Toletus, Petrus Sarmentus Magiſtro ſubditi: ac fere iidem, qui Romana republica Legati vocabantur, aut caſtrorum præfecti. Præclara ingenia gloria ad bellum incitata: ſapienſq; Rex iis inſtitutis honoribus rempublicam iuuare, atque illuſtrare cogitabat. Sentica, quo militares copiæ conuenerant, Pacem Auguſtam feſtinatum obuiam Luſitanis copiis, ea parte irruere parantibus, Helbeſque duodecim paſſuum millibus progreſſis. E Luſitania tria equitum millia erant, iuſtus peditatus Cantabrigenſis, tria alia equitum millia aduexerat, paremq; ſagittariorũ numerum. In Caſtellæ caſtris e-

quites grauis armaturæ quinq; millia erant, quingenti velites, pedites numeroſi, quamuis rebus magnis idonei, multiſq; bellis exerciti vincere aſſueti. eoque ardentiori pugnæ cupiditate: prorſus vt Caſtellæ armis Luſitanam amentiam obrui poſſe confiderent. regi tamē Caſtellæ, vt erat moderato animo, viam ineundæ concordiæ tentare viſum eſt, Aluaro Caſtrio caduceatore, Rerum humanarū inconſtantiæ monet. Innoxiæ multitudinis ſanguini parcerent. Victoriam haud multo minus luctuoſam victoribus quam victis fore. magnas inter vtranq; gentem, atq; vetuſtas neceſſitudinis cauſſas extare. rebus integris arma facile deponi: ſi ad manus eſſet ventum. quis exitus futurus eſſet neminem dubitare. Gloriam, imperium, nominis immortalitatem, concordia parari. Legibus, iudicioq; quam martis arbitrio controuerſiam componere, vtriq; genti fore ſalutare. Longinquæ, & diuturnæ expeditionis tædere Anglos cœperat? tametſi Luſitani regni ſpes, victoriæ pręmium proponebatur, Beatrice puella Luſitana, de cuius nuptiis toties licitatū eſt, Eduardo pacta Emūdi Cantabrienſis filio. Ex vtraq; gente viri principes, pacis ſtudio tenebantur. iis annitentibus conuenit tandē, vti Beatrix Ferdinando Caſtellæ Regis filio, reſciſsis prioribus pactis deſponderetur. capti pręlio nauali Luſitani, triremesque reſtituerētur. Angli Caſtellę nauibus deueherentur in patriam. Graues eę conditiones Caſtellę Regi, atque ignominioſę videri potuerunt: ſed quid ancipitem pręlii fortunam experiretur? quid tantum luctū, tantamq; cladem victorib. ęque ac victis in Hiſpaniam attraherent? & eſt nemo vsque adeo in arma promptus, vt nō idem pretium quietis, quam periculi malit. obſides eas conditiones ratas fore Luſitano Regi dati, viri Caſtellę primarii. ſic ab armis eo quidem tempore diſceſſum eſt atque à pugna temperatum.

Rex Luſitanus deceſsit. CAPVT VI.

BREVIS ea lętitia fuit, magnorum Principum funeribus obſcurata. Ioanne rege in Carpetanos delato, Madritiq; ex morbo decumbente. Eleonora coniux Cuellare municipio in vlteriori Caſtella deceſſit, ex partu filię haud diu futurę ſuperſtitis, tanto mariti, populariumque dolore, luctu, deſiderio, vt tantum non memoriam conſecrarent fœminæ caſtiſsimæ, atque ſanctiſsimæ. Corpus Toleti in Regum ſacello ſepultum eſt. Ea res Luſitano Regi nouorum conſiliorum occaſionē prębuit. miſſi legati, qui cœlibi Regi, quamuis geminæ prolis parenti, florenti tamē ætate iuueni, Beatricem Luſitanam coniugem offerrent. Henrici ætas dum expectaretur, multos intercedere caſus poſſe. regni Luſitani ſucceſſionem, amicitiamque initam eo vinculo commodius firmari. Re conſtituta Helbes municipium, pace nuper conſtituta fauſtum, nuptiarum celebritati deſignatum. Fine anni hęc in Hiſpania agitata. Quo tempore Attica Vaſconū & Aragoniorū armis tumultuabatur, de Athenarum atque Neopatriæ principatu contendentium. ductor Aragoniæ claſſis Dalmatius Rocaberti Vicecomes, cęſis, pulſiſq; Vaſconum tota prouincia præſidiis, eum principatū Aragonio Regi peperit. Raymūdus Villanoua Athenis cū iuſto pręſidio præfectus. in Sicilia nihil trāquilliores res erant. Artallus Alauona Miſtretæ comes pro ea auctoritate quam habebat maximam, Reginę coniugium ad ſuum arbitriū reuocabat: regnumque ſui beneficii facere ſatagebat: Ioannemque Galeaſum nondum Mediolani Ducem ex Inſubribus eo conſilio euocarat. Sed claſſe ab Aragoniis triremibus in ipſo Piſano portu oppreſſa ſuperioribus annis, Galeaſi nauigatio impedita eſt. Siculis proceribus graue erat, tantum ſibi Artallum ſumere, vt plus priuatim ipſe poſſet quā alii omnes. Guillelmus Mōcada, re cum Aragonio communicata, Catanam occulte ingreſſus Reginam Auguſtam ſuæ ditionis arcem mari deduxit, acceſſit Catalaunorum præſidium, Rogerio Moncada Duce ex Aragonia miſſum. Artallus furore percitus Auguſtam mari, terraque obſidione premebat. commodum Dalmatius ex Attica rediens periculo cognito, obſidionem diſſipauit. Reginamque periculo exemptam, triremibus in Sardiniam aduexit. Inde in Hiſpaniam migrauit. paternum Siciliæ regnum cum Aragonia, eius nuptiis tempore coniunctū. Carolus Vaſconis filius eatenus in Gallia detentus ſublata diſcedendi libertate, regis Galli permiſſu tandē ſoſpes in Hiſpaniā rediit: Pompelonemq; tenuit ineūte ſalutis anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio. Ioannis leuiri Caſtellæ regis, id gratiæ atq; precibus datum eſt. beneficii memoria in iuuenis animo diuturna fuit. in Vaſconibus feſti celebreſ- 1383
que dies aduentu Principis agitati. Rex ipſe Vaſconum cum ætate prudentior, prioris tēporis errata melioribus actionibus caſtigabat, extant Pompelone aliiſque locis, pia mutati animi monimenta. nā veluti numine irato piacula quęrenda exiſtimabat: benefactis procurabat infamiam, quaſi veneno multorum Principum ſalutem appetiuiſſet: Regis Galli, Ducum Burgundi, Bituricenſiſque. & Fuxenſis Comitis. quę ſiue vera, ſiue aſſimulata, quod magis credere iuuat, iactata tamen in vulgus, magnam illi apud vtrāq; gentem inui-

diam conflarunt. Nuptiæ Ioannis & Beatricis menſe Maio, quo loco conuenerat, ingenti vtriuſq; gentis lætitia celebratæ ſunt: tametſi Rex Luſitanus valetudine impeditus intereſſe non potuit. Alfonſus Gegionis Comes eodem tempore in Calæcis tumultuabatur, inquieto iuuenis ingenio. aduerſus eum copiæ militares miſſæ. Rex Segobiam feſtinauit ad regni conuentus, veteri annorum computatione per Eras Cæſaris immutata Valentinorũ exemplo, à Chriſti Dei ortu initio computandi ſumpto, magis quam re alia memorabiles. Dum hi conuentus in Caſtella agitantur, in Luſitania quidem Ferdinandus Rex diuturna valetudine oppreſſus Oliſipone deceſſit ad tertiumdecimum Kalend. Nouembris, ætatis anno quadrageſimo tertio. regnauit annos ſedecim, mẽſes nouẽ, dies duos. egregius Princeps ſi dempta domeſtica intemperantia, ignominiaq; aliæ adſpiciantur virtutes. ſermone facundus, rerumq; ciuilium, magis quam belli peritus diuturna totius prouinciæ tranquillitate. Eius & Conſtãtiæ matris corpora Scalabi in D. Franciſci honeſtiſſimo loco tumulata ſunt. In Sardinia autem quietæ res non erant. Hugo Arborea Mariani filius, paternas ſpes perſecutus, haud minori ambitione regnandi, ſuorum cõiuratione ferro occubuit. omnes cruciatus adhibiti, quos ille perimendis hominibus excogitarat, homo ferus immanisque, neq; conſiderans, quantæ ſint multitudinis vires malis exacerbatæ. Brancaleo Oria, cuius opera fidelis & præſtans proximis bellis extiterat, pacandæ inſulæ conſilia cum rege communicaturus, in Aragoniam delatus quamuis fide publica, cuſtodiæ eſt mancipatus: quod eius vxor Eleonora Arborea Hugonis perempti ſoror, virili animo fœmina, atque expedito conſilio, correptis armis fraternam necem, paternumq; imperium vindicatura, inſulæ regiones peruaderet: oppida arcesq; in deditionem, qua vi, qua voluntate redigeret. Miſſus Brancaleo in Sardiniam, cum vxorem ad æquas pacis conditiones non perduceret, diu Calari ſubſtitit, erepta quoquam diſcedendi libertate. ſic Aragonium imperium in ea inſula nutabat. rege Aragonio aliis curis implicito, neque tempeſtiue eius belli defendendi cogitationes explicanti.

Caſtellæ Rex Luſitaniam adit. CAP. VII.

FERDINANDI Luſitani Regis obitu noua atq; internecina inter Luſitaniã & Caſtellam bella extiterũt. plebs Luſitana mutationem Principum non ferebat: odio Caſtellæ vti in vicinis regnis fere conſueuit: atq; inter libertatem & licentiã incerta ex ſua gente dari regẽ exoptabat. hæc pro ſe quiſq;, hæc in circulis, hæc viri, fœminæ, puerîq; iactabãt. proceres Oliſipone ſuſpenſis animis de republica conſultabãt. metus pro rege Caſtellæ. cõtra eum libido ſuadebat peſſimi conſultores. Nullo conſenſu publico proceres quidam priuatim datis litteris Caſtellæ regem, ad regnum capeſſendum inuitant, gratiæ nimirũ aditum apud nouum Principem captantes. primus in eo numero fuit, ipſe Auiſii Magiſter natura, atq; arte compoſitus, populi voluntatibus nondum conciliatis. male cogitantium conatus celeritate occupandi, mora conualuerunt. dum altercationibus conſultationibuſq; tẽpus extrahitur, pulcherrima occaſio elapſa de manibus eſt, non reditura amplius. Conſultorũ pars cenſebat expectandum, donec communis conſenſus populi, atque optimatum ad regni coronam vocaret. religio obiiciebatur iuriſiurandi. ſuperiori fœdere Luſitaniæ procurationem, penes Eleonoram viduam fore, quouſque ex Beatrice nata proles ad iuſtam ætatem perueniret pactum. Prudentioribus in ea rerum perturbatione, armis occupandum regnum videbatur: voluntate nihil facturos Luſitanos. vim adhiberi placebat. mediã viam tenere placuit, inepto atq; incommodo vtriuſq; ſententiæ temperamento: vt Rex inermis præcederet. ſequerentur armati. Guardiæ Epiſcopus, quæ olim vrbs Idigita fuiſſe creditur in finibus Luſitaniæ, in Beatricis Reginæ obſequiis erat, comes à patre datus, conſiliorum omnium particeps. is ſeſe intra vrbem Regem accepturum pollicetur. ſed erant in prouincia quorundam praui conatus occupandi. Ioannes defuncti regis Luſitani frater, ex iuſtis nuptiis procreatus, in Caſtella profugus, metu tempeſtatis, quam in Luſitania viguiſſe dictũ eſt, cuſtodię traditur in arcem Toletanam, neq; arctę, neq; obſcurę, nullũ ob crimen. ſed generis nobilitas, iuraq; regnandi notabantur. Gegionis Comiti ad Montalbanum non procul Toleto iniecta vincula: quoniam ad officium toties retractus, turbida conſilia agitare, atque datis ad Luſitanos litteris communicaſſe compertum erat. eius cuſtodia Tenorio Præſuli Toletano commendata: eiuſq; iuſſu diu in Almonaciri arce detentus eſt. bona omnia fiſco addicta. His rebus compoſitis Placentiã Rex & Regina abierunt. inde in Luſitaniam feſtinatum. Idigitani ſacerdotes cum ſacris crucibus, infulisque venientibus obuii occurrere fauſtis acclamationibus, felix diuturnumq; regnũ comprecantes. arcis Præfectus reſtitit, quorſum commotæ res euaderent expectans: neque in alterutram partem ſe commouere certus, antequam Rex aduentaret. Oliſipo ſacramentũ eius acceperat. auctor Henricus Emanuel Ferdinandi regis auunculus Sintræ Comes: quod oppidum ad Tagrũ

montem

montem ſitum eſt. acceſſit Eleonoræ Reginæ viduæ conſenſus: ad compeſcendas procerũ
& populi voluntates ſtudiaque, maiori opus eſſe potentia exiſtimãtis. Ex eo principio plebs
tumultuari cœpit: graſſarique inter ſe. cædis initium ab Andeiro Comite factum: quem in
ipſa regia Auiſii Magiſter obtruncauit. nimia Reginæ gratia, quam turpem conſuetudinẽ
plerique interpretabantur, exitium attulit. Efferata ſemel multitudine atque ad arma con-
ſternata, nullus modus, nulla reuerentia fuit. Martinus Oliſiponenſis Præſul intra templi
turrim, ad quã confugerat, populi concurſu periit (iniicere viro ſacrato manus religio non
fuit) nullo alio crimine, niſi quod in Caſtella natus, Ioannis regis partibus fauere viſus eſt,
turbida conſilia deteſtari. Eleonora Regina in tanta rerum perturbatione vim verita, per-
miſſu Auiſii Magiſtri vrbe egreſſa, Scalabim tenuit. præcipitibus vt aſſolet conſiliis cuncta
adminiſtrabantur, mole ciuilis belli, tempeſtateque vrgente. Erat Auiſii Magiſter ob mul-
ta ingenii bona, elegantiam, liberalitatem, comitatem populo æque, ac proceribus carus,
acceptusque. dignus tantum, qui ex concubina ortus non eſſet. neque acceptum imperiũ
in quemquam grauius, aut ſeuerius, quam in ſemetipſũ exercuit. Caſtellæ regi mite & tra-
ctabile ingenium, niſi iniuria prouocaret: ſed ſermo breuis, quo hominum voluntates ma-
xime conciliantur: eoque eius facultatem facillimam homini voluit eſſe natura. Itaque ſi-
mul in Luſitaniam appulit, & quorundam ſtudia reſtinxit: aliorum animos auertit, gentis
natura comis & priorum Regum familiaritate aſſuetæ. Idigita Scalabim itum eſt, Reginæ
ſocrus inuitatu, ineunte eius ſeculi anno octogeſimo quarto. Quingenti equites è Caſtel- 1384.
la ſequebantur, quantalibet virtute, parua tamen pro tantis molitionibus manus. verùm
Magiſter equitum, Toletanus Præſul, Petrus Mendoza Regis vicarii, eiuſque iuſſu, rebus
in Carpetanis præfecti, magnis delectibus in vtraq; prouincia habendis, nouas indies co-
hortes ſubmittebant. Exhauſto ærario pecunia in ſtipendium redacta: ac theſauri Guada-
lupei templi ea tempeſtate celeberrimi, quos inde mouere religio erat, ſigna argentea, atq;
donaria conflata, ad tria circiter millia argenti pondo. male ominatum bellũ vulgus inter-
pretabatur: ſuumque templum Virginem tutaturam, grauia à violatoribus piacula fore exi-
genda credebatur. tametſi Carolus Vaſconis filius beneficii propinquitatiſq; memor, cum
valida ſuorum manu auxilio feſtinabat. Aragonius annis grauis, & rerum ſuarum difficul-
tate detentus, belli Luſitani ſpectator, quàm particeps eſſe maluit. Eleonora Regina vidua
tantæ rerum moli impar viribus & ingenio, Luſitanię procuratione genero ceſſit: magno
dolore prouincialium Caſtellæ imperii iugum imponi, eo facto exiſtimantium grauiſſimũ
ſeruitutiq; proximum. ſic proceres, ſic plebes priuatim, palamq; conquerebantur. Magna
pars procerum diuerſas partes ſequebatur. Caſtellæ regẽ Henricus Emanuel, Ioannes Te-
xeda regii antea ſcrinii Magiſter, Petrus Pereira Prior Hoſpitalarius in Luſitania, in Caſtel-
la deinde Calatrauæ Magiſter inſtitutus, huiusque fratres Dieghus, atq; Fernandus. Erant
alii tota prouincia diſperſi: ac præſertim regio, quæ Tagum inter Miniumq; iacet, Caſtellæ
regis partes ſecuta erat, Lupi Leiræ induſtria, qui quamuis in Calæcia natus, ei prouinciæ
cum imperio erat præfectus. Alfonſus Pimentelius Brigantium dedidit. Ioannes Porto-
carrerius Alfonſus Sylua arces alias eorum fidei commiſſas.

Oliſipo obſeſſa. CAP. VIII.

HACTENVS res Caſtellæ in Luſitania ſine offenſione proceſſerant: magnaq; ſpes erat
vniuerſam prouinciam voluntate in deditionem venturam. ſi bellum eſſet viribus im-
par, quamuis integris: nunc populus & proceres in factiones ſciſſi erant, eoq; opportunio-
res iniuriæ. breui tamen ea omnis ſpes euanuit, verſaq; fortuna partium eſt: grauique docu-
mento ſancitum, rebus ſępe maius in vnius hominis prudentia, pręſidiũ eſſe quam in virib.
& potentia. Dolebant Luſitani recuſabãtq; externũ Imperiũ, Caſtellæ maxime, inſito gen-
tis odio, vt fere fit in vicinis regnis, quæ vna reliqua ſpes erat, Eleonoræ reginę procuratio-
nem ablatam: contra quam ſuperiori fœdere erat cautum. Ioannem Ferdinandi regis legi-
timum fratrem Toleti victum eſſe, nulla ſua culpa. nimirum hoſtis cum iure diffideret, vi
& dolo opprimere innocentem Principem velle. Quod vnum ſupererat, ad Auiſii Magi-
ſtrum cunctorum conuerſi animi. ſpes, atq; opes Luſitanię in eo ſitæ videbantur: homine
callido, altaque diſſimulatione, verſare multitudinis voluntates edocto. pollicetur ille ſuã
operam: nullum laborem, nullum periculum pro communi ſalute recuſare profitetur. Io-
anni abſenti imperium delatum. eius imago in vexillis prælata, ferro vincti, quo maior po-
puli commiſeratio eſſet. Eleonoram Reginam imparem genere accuſabant: ſola corporis
forma commendante, Acunii coniugio ablatam, in regiam contra auſpicia irrupiſſe exitiũ
patriæ allaturam. filiam quaſi ſtupro genitam à regni hæreditate excludi legibus. quod in

eius verba ante iuraſſent, id patris Ferdinandi voluntati datum: vnumq; ex omnibus, quæ conſtituiſſet ſeruandum non eſſe. Oliſipone hæc conſilia agitata: quæ vrbs à Caſtellæ rege maxime auerſa erat. acceſſere proceres: ſed principē auctoritatis locū Nunnius Pereira obtinebat, Prioris Hoſpitalarii filius, Bracarenſis Epiſcopi nepos, ceterū manu promptus, expedito conſilio, præſtanti vir ingenio, poſt victoriam Brigantinorum Ducum in Luſitania præpotentium conditor primus. Eo Duce valida Luſitanorum manus ad Caſtellæ fines euaſtandos præmiſſa. quod ad ſanciendam auctoritatem valere creditum eſt, ſi hoſtes vltro laceſſerent. aduerſus eos conatus, pars copiarum à rege obuiam miſſa. ad Pacem Auguſtam pugna tumultuaria fuit. Alcantaræ Magiſter in conflictu cecidit. Ioannes Guſmanius Nieblæ Comes, Touarius maris Præfectus in fugā verſi. magna clades, ſed maior ignominia accepta. & ab eo initio, Caſtellæ res præcipitare cœperūt. Conimbrica Gonſalui præſidio tenebatur, Eleonoræ Reginæ fratris. ſpe eius vrbis potiundæ Caſtellæ Rex cū Reginis Eleonora Beatriceque feſtinauit. conatus inanis fuit, cum Præfectus à Caſtellæ rebus auerſus in fide perſtaret: eo maiore regis deſperatione iraque. quod Petrus Regis ipſius patruelis, Friderico D. Iacobi Magiſtro natus, ſe in eam vrbem intuliſſet, conſcia vt creditum eſt, & conſilii participe Eleonora Regina, pridem à genero alienata, rebusque Luſitaniæ fauente. Mitti eam in Caſtellam, atque ad Tordeſillam, honeſta cuſtodia detineri mādatū. quæ res populariū voluntates amplius exacerbauit. De Oliſipone obſidēda deliberatio cœpta: cuius diuitię reliquā Luſitaniā vincebant, totius prouincię opib. in eam vrbem auro atque argento congeſto. Quibuſdam propter vrbis firmitatem & amplitudinem ſatius fore videbatur, diducto in plures manus exercitu, qui iam numeroſus erat, alias arces & oppida carpere. totius prouinciæ conſenſum, ſecuturos Oliſiponenſes: aut ſi reſiſterēt, tum demum totis viribus impugnandos. vicit tamen ea ſententia, quæ vrbem nobiliſſimā, regnique caput petēdam diſſerebat. in vnius obſidione vniuerſi belli ſummam verti. vaſtatis agris, oppidisque com pluribus in poteſtatem redactis, Oliſiponem ventum eſt. caſtra ad eam vrbis partem poſita, vbi Sanctorum cœnobium ſitum eſt. claſſis Hiſpali inſtructa, naues longę tredecim, onerarię myoparoneſque duodecim, in oſtium Tagi fluminis inuecta, ad aduerſam ripam commeatus ne ad obſeſſos inueheretur, intenta erat. In vrbe ampla, atque frequenti (& eo pleri que quaſi ad præſidium confugerant) annonæ difficultate laborari cœptum eſt, non tantum præſenti penuria, ſed futurę metu, indies ingraueſcentis. claſſis Luſitana. Portu vrbe prouecta, in qua triremes ſedecim. octo onerariæ erāt, per medios hoſtes inuecta quāuis trib. amiſſis, cōmeatus affatim intulit. ſic repēte fortuna cōuerſa eſt, & ex cæli inſueti intēperie grauis & peſtilēs autumnus, vires hoſtiū debilitauit. Actū de pace Petro Velaſco caduceatore. is Auiſii Magiſtrū facta conueniēdi poteſtate, alloquitur, ſi malorum quę futura erant, & periculi commemoratione moueretur. Imperandi dulcedine deguſtata, regnique ſpe propinqua, nihil pro ſano facturus negat pacis vllam conditionem fore, niſi vni ſibi Luſitanię procuratione permiſſa, donec ex Beatrice ſuſcepta proles ad iuſtam ętatem perueniret. id populū, id optimates cupere: ſeque niſi concedatur, ciuibus de ſe optime meritis haudquaquam defuturum. regiis pleriſque grauis ea & infauſta militia videbatur, cum propinquis, neceſſariis, denique piis hominibus: & quacunque ratione paciſci cum hoſte cupiebāt. Peſtis lues non modo in vulgus militum, ſed etiā in Principes ſæuiebat, abſumptis duobus D. Iacobi Magiſtris Petro Fernando, & qui in caſtris ſucceſſerat Meſſia; Touario maris Pręfecto, Velaſco: Sarmento, Toletoq; Mareſcalis: ingraueſcenteq; indies malo, ducenta in dies ſingulos funera in Libitinæ rationē veniebant: prorſus vt extincta magna exercitus parte diſcedere ab obſidione neceſſe fuerit. Itaque Scalabi munita commendataq; Diegho Sarmento, qui fratris locum Mareſcali honorem acceperat, aliiſq; præſidiis tota prouincia diſpoſitis vno tempore claſſis Rexq; cum pedeſtribus copiis Hiſpalim diſceſſerūt. grauis clades accipi potuit, ſi Luſitani diſcedētes inſecuti eſſēt. à paucis modò integris deleri vniuerſæ copiæ potuerūt. verum illi cautiores, neq; minorib. fracti malis, ſeſe intra vrbē continuerunt, ſatis profectū exiſtimantes pręſenti periculo ereptos eſſe, diuino potius beneficio, quā humano cōſilio. pro quo ad omnia tēpla inſigni pōpa ſupplicationes habitę. diuisq; immortalib9 actę gratię. Quo tēpore Rex Aragonius à filiis Ioanne Martinoq;, alienato animo erat, nouercali odio, arteq; circumuētus: ſic fama ferebat, tametſi in Ioannē maiorē natu peculiaris cauſſa ſuberat: nuptiæ cū Violante Ioannis Biturigū Ducis filia, inuito patre, eoq; nullo principali apparatu feſtinatæ, repudiato Siculo cōiugio, quę honeſtiſſima cōditio erat. Ioānes Emporitanus comes Regis patruelis generq; iuueni receptū in ditione præbuit. inde irarū cauſæ. filio ad patrē reducto Aragoniis armis Emporitanus petitus eſt: ablataq; ferme ditione vniuerſa, quā ampliſſimā in Catalaunis obtinebat, ipſe vix triremi Auenionē euaſit, inde bellū ſuis & amicorū virib. ditionis recuperandæ ſtudio reparaturus.

Prælium

Prælium ad Aliubarrotam. CAP. IX.

EMPORITANI Comitis fuga in annum ſalutis incidit 1385. Cuius principio magnis delectibus validæ copiç à Caſtellæ rege comparatç ſunt: claſſis inſtructa triremium duodecim, nauium viginti. verum omnia tardius opinione, votoque Regis adminiſtrabantur. quod ipſe ex morbo grauiſſimo decumberet, ſalute à medicis deſperata. eo maior ſolicitudo inerat, maiorq; cupido belli inſtaurandi animum inuaſit, quamprimum ex morbo confirmari cœpit. nunciatum erat, ab Scalabis præſidio Luſitanç militiæ Magiſtrum, eius cui à Chriſto nomen eſt, & Priorẽ Hoſpitalarium in cõflictu captos eſſe. ſed quantũ ex eo nuncio voluptatis, tantum mœroris incuſſum, cognito Auiſii Magiſtrum Conimbricç Luſitaniæ Regem fuiſſe ſalutatum. Concilio in ea vrbe coacto, de belli exitu deliberatio ſuſcepta erat. Duce impigro opus eſſe, cunctis videbatur aduerſus Caſtellæ vires, conatusq; ſed nominis regii auctoritatem plerique adiungendam diſputabant: vt maior iubendi atq; vetandi auctoritas eſſet: vniusq; imperio deuincti, cæteri in vnam defendendç reipublicæ cogitationem ardentius incumberent. Regiam poteſtatem à multitudine exortam eius conſenſu commutari poſſe. Extare antiquitatis exempla multa atq; illuſtria. Defendẽdæ libertatis ius, repellendæq; ſeruitutis, omnibus à natura datũ. Si legibus hoſtes fiderẽt, cur priores arripuiſſent arma, inita fœdera violaſſent? Illatã iniuriam viribus repellere, atq; armis nulli negatum. Aderant viri eruditi, qui id naturç legibus conceſſum, ciuili iure permiſſum multis argumentis confirmarent. Pars Beatrici regnum deferebat, iniquumq; fore affirmabat paterna hæreditate ſpoliari, meminiſſe ſe temporum quibus nati eſſent: meliorẽ rerum ſtatum voto expetere, præſentẽ conditionem tolerare. Caſtellæ arma irritare fore temerariũ, præſertim irrito conatu, exitio certo. Arma tenentibus æquas pacis conditiones haud denegaturos hoſtes. id priuatim, id publice ſatius extimare. Nonnulli Ioannẽ quãuis in Caſtella detentũ, Regem iubebant: eius liberandi conſilia agitarent. ſic paulo ante communi conſenſu definitum. quid enim aliud illa vexilla deſignare? eueniſſe nihil cur recens inſtituta mutarent. Verũ hæc ſententia ab aliis exploſa eſt. quid enim rebus præficerent, qui non Rex, neq; præſidiũ in periculo, ſed tantum belli cauſſa futurus eſſet? Eo maiori volũtate Auiſii Magiſter Rex Luſitaniæ proclamatur in D. Franciſci, Aprilis quinto die, omniũ qui aderãt communi conſenſu. etiam qui diuerſa ſenſerant, ardentiori ſtudio ſimulato in genua procumbere, dextram oſculis fatigare, quo fidem nouo regi approbarẽt. Reſponſa vatum & ſiderum motus referre. Infantem octimeſtrem Eboræ horum motuũ initio, cunis aſſurrexiſſe, tertioq; Ioannem Luſitaniæ Regem proclamaſſe. quod illi de Auiſii Magiſtro interpretabantur, vt ſuis votis fauet nimium humana mortalitas. Ex eo die maiori conatu bellum geſtum eſt, certiori præmiorum ſpe. vulgus ad noui nominis celebritatem erectum, inſita à natura mortalium animis, cupidine rerum nouarum, odio præſentium. ea pars Luſitaniæ, quæ Durio & Minio fluminibus comprehenſa eſt, à nouo Rege expugnata. pars in fidem accepta. claſſis ex Bætica & Cantabria ad Oliſiponẽ erat, maris imperio parto. agris illata vaſtitate, ciuibus timor incuſſus. ea res Luſitanorum conatus ſpesq; morabatur. Caſtellæ Rex Cordubæ ſe tenebat. Ineunte æſtate Regina Abulam miſſa eſt oneri in bello futura, nulli commodo irritatis Luſitanorum animis, vincente reuerẽtiam fidemq; ſtudio libertatis. dum omnes copiæ conueniunt, Tenorius Toletanus Pontifex Mirobriga iuſſus in eam Luſitaniæ partem, vbi Viſeum municipium ſitum eſt, validã ſuorum manum immiſit ineunte mẽſe Iulio. ii per agros & oppida ſpoliare, rapere, vi & ſtupris cuncta polluere, præda graues, atq; impedito agmine procedẽtes, aggreſſi Luſitani tumultuaria pugna vicere. Ceciderunt viri primarii. greges, ſpoliaq; ablata. Ex iis rebus cum ſpe victoriæ, animus Luſitanis creuit. bellum alternante fortuna, multis vno tempore locis gerebatur. vbiq; direptiones, vaſtitates, rapinæ, miſerabilis rerum facies. æſtate præcipiti Mirobrigam Caſtellæ copiæ contractæ. Carolus Vaſconis filius ex patria, quo ſe retulerat, breui aducturus nunciabatur, cũ valida ſuorũ manu. In ea vrbe cõcilio aduocato, de belli ſumma cõſilium initum. Pars totius certaminis aleã ſubire recuſabat. Darent gentis furori, darent malorum pœnitentiæ locum. Præclaros conatus confirmari mora, prauos debilitari: Lenti belli atq; diuturni malis Luſitaniam domandã, prçſidiis tota prouincia diſpoſitis, agris depopulandis. Superiori anno militiæ florẽ peſte ad Oliſiponẽ extinctũ ſupereſſe Duces, iuuenes belli inexpertos. pecuniç in ſtipendiũ magnam inopiam eſſe. Omnino Regem à belli periculis eximendũ neq; debere in hoſticum penetrare, prçſertim imbecilla valetudine. in vnius capite publicas & priuatas omnium fortunas, ſpesq; periclitari. Pars quibus ardentior animus erat, pugna decernere cupiebant, ſuorum vires efferentes, hoſtium eleuantes. Raptim ab illis delectu habito nomen magis exercitus, quam robur eſſe contractũ: 1385.

neque permittendum, vt nouum imperium tempore confirmaretur. Arces & oppida, quæ in fide erant, deſeri in periculo nefas videri. Hæc vicit ſententia, in qua plus dignitatis inerat, in altera prudẽtię amplius: vti poſt fortunam belli intellectum eſt. Non ſemel noſtri in hac expeditione peccarunt, numine à Caſtellæ rebus auerſo. omnino manus Vaſconum propediẽ affutura, fuerat expectanda. Ergo rebus conſtitutis, mota Mirobriga caſtra. Cilloricum oppidum obſeſſum in ea Luſitaniæ parte, cui Veræ nomẽ eſt, atq; in ditionem redactum. Conimbricæ ſuburbia combuſta. Leiria quæ in Eleonoræ Reginæ fide erat, tentata. Ad Cilloricum teſtamentũ à Rege Caſtellæ, incertos atq; inconſtãtes humanæ vitæ caſus reputanti cõſcriptum eſt, ad duodecimum Kal. Auguſti. In eo teſtamento Viſcaiæ atq; Molinæ principatus Regum Caſtellæ filiis maioribus addicti ſunt. ſex tutores Henrico filio inſtituti, regni procuratores duodecim. de Regina ſocru, Ioanne, Dionyſioq; Luſitanis, de filiis Petri Regis, ac Ferdinandi Caſtrii filio, qui vincti tenebãtur, iure decerni mandatũ: om.ſiſſet offenſas, an diſſimulaſſet breuitate vitæ in incerto fuit. multa alia tumultuarie ſancita, vnde iurgiorum & contentionũ copioſa materia extitit poſteris. Luſitanæ copiæ interim ad Tomarium oppidum erant, vniuerſo prælio dimicare certæ. mota vtrinq; coniunctaq; medio ferme itinere caſtra. Luſitani priores loco reſtiterũt, à fronte quidem plano, cęterum ab vtroq; latere gemina atq; profunda valle muniti: equites duo millia ducenti, pedites ad decem millia. hoſtes multo ampliori numero, ad ſex paſſuum millia caſtrametati in planicie æqua atq; patenti ex omnibus partibus. ipſo peruigilio Aſſumptæ in cælũ Virginis matris, copiæ ad pugnam inſtructæ. In medio agmine Caſtellæ Rex erat, cornua ductare præcipui proceres iuſſi, inutilia pugnæ propter interiectas valles. ex omni copia ſubducta manu præfectus Gonſaluus Gulmanius Alcantaræ Magiſter occulte circuire hoſtium tergum iuſſus eſt, vt quaſi indagine cincti cuncti aut caperentur, aut perirent. tanta inerat fiducia animis, hoſtiumq; cõtẽptus. Luſitani proter locorũ anguſtiã duobus agminibus pugnare decreuerunt. in Priori Nunnius Pereira, in altero Rex ipſe Luſitanus curabat. latera vtrinq; claudebat equitatus. eo ordine acies promotæ ferme ad teli iactum. conſiſtebant Luſitani de ſuo loco pugnaturi. tunc de pace à Pereira, quem paulo antea Magiſtrũ equitũ crearant, appellati aduerſarii. Miſſis viris primariis, dũ altercationibus tẽpus extrahitur (induſtria vt poſtea creditũ eſt) nullo fructu: inter Caſtellæ Duces de pugnæ conſerendæ ratione, magna ſententiarũ varietate diſceptabatur. Pars laceſſendos hoſtes iudicabat: alii niſi æquo loco detrectabãt certamẽ. neq; Ioãnis Riæ pro Rege Galliæ legati, Caſtellæ caſtra ſecuti prętermittenda oratio eſt, propter inſignem hominis ſeptuagenarii prudentiã, auctoritatemq;. Hoſpes, inquit, atq; externus, cui audire ęquius erat, cõſilium tamẽ iuſſus do, ſi proficuũ vtimini, ſi ineptũ parcite. Meo in veſtrã nationẽ ſtudio beneuolentięq; venia dãda, atq; huic ętati, in qua nulla arrogãtię, aut leuitatis ſuſpicio ſubeſſe poteſt: eaq; omnibus bellis, quę in Gallia geſta ſunt exacta, diuturno vſu didici: nulla re magis in bello peccari, quã acie ad pugnã perperam inſtruenda. locum eligere, tempusq;, acies competẽti ordine explicare, eaſq; opportunis ſubſidiis firmare, magnorum imperatorũ partes ſunt. ſępiusq; arte victoria, quam viribus & potentia paratur. Nunc hoſtes quamuis minori numero, & vt nõnulli ante me verboſius diſputarũt, nulla virtute, loco tamẽ muniti ſunt: cornua noſtrorum nulli vſui futura: diei tẽpus in veſperam extractum: milites in eodem veſtigio hęrentes, labore itineris, armorumq; pondere fatigati: potus cibiq; nihil ſumtum, quod procul ſint caſtra. Cenſeo, igitur à pugna abſtinendũ cenſeo: perſtandumq; in acie. ſi hoſtes inuaſerint, ęquo loco pugnabimus: ſi detrectarint certamen, noctis ſuperuentu & noſtri corpora curabunt, & multos ex hoſtiũ caſtris dilabi neceſſe erit, commeatu in hunc tantũ diem parato, collectitio exercitu. & ſunt tenebrę pudori inimicę. luce à virtute ſecernitur ignauia Ipſe ſane quodcunq; tandẽ conſilium Rex ceperis, periculi particeps eſſe non recuſo. ſed niſi audaciã fręnatis, vtinam falſus vates ſim, luctum, ignominiã, exitiũ vobis, nominiq; veſtro ſempiternũ, haud dubium comparabitis. Hęc placebat regi ſententia: ſed iuuentæ ardore proceres quidam morę impatientia, ne dato quidem ſigno, in hoſtium agmina incurrunt feroces, formidabileſq;. ſecuti ſunt cęteri, vti par erat, ne primos in periculo deſererent. Pugnatum, vt de regno acriter. Caſtellę milites regni iniuria intercepti dolor ſtimulabat. Luſitanos libertatis ſtudiũ incitat, ipſa morte durius extimantes à Caſtellę Rege & magiſtratibus iura peterẽ. Miſſa inuicẽ pila: cõſumptisq; telis omnibus, diſtrictis gladiis res geritur. multũ effunditur ſanguinis. conferti equites, pediteſq; dimicant, non timidus, non ignauus ceſſat. in eodem veſtigio ſtant, mori aut interimere cõtendentes. Caſtellę Rex ſella ſublimis propter valetudinem geſtabatur, magnũ ſuis incitamentum. Hoſtium prima acies loco mota reſpectare fugam. cum Luſitanus cognito periculo agmen ſecundum promouit. Ego ego Rex ſum, contenta voce inter phalanges ingeminans, quo ruitis milites?

milites? quæ cauſſa trepidationis? Fugæ locus ſublatus, circunfuſis vndiq; hoſtibus. niſi in dextra, ſalutis nulla ſpes eſt. An excidit pro patriæ incolumitate, pro libertate, pro liberis, pro coniugibus eſſe certamen? Caſtellæ nomen penes hoſtes eſt, non vires, robore exercitus proxima peſte conſumpto. An tyronum primos impetus nõ feretis, ſpolia potius ad bellum, quam arma vireſq; ferentiũ? Ponite ante oculos luctum, calamitates, ignominiã, quæ victis accidere neceſſe eſt: ac illud prouidete, ne mihi imperiũ ad ludibrium dediſſe videamini. His hortationib. nutantes milites confirmati. reſtituti ordines. momentoq; temporis, verſa prælii fortuna. Caſtellæ copiæ ſuorũ præſidio deſtitutæ, cæduntur magna ſtrage. nobiliſſimi Duces in oculis ſui Regis trucidati aduerſo corpore omnes. ipſe veritus, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, in paratum equum imponitur: è pugnaq; educitur. cęteri in fugam verſi. Cædes magna fuit. decem millia ceciderunt. in hoc numero promptiſſimi quique, nobiliſſimiq; viri. Petrus Magiſtri equitum filius. Ioannes Tellio genitus, Ferdinandus Sanctio, vterq; Regis patruelis. Dieghus Manricus Caſtellæ Antelatus, Carrillius Mareſcalus, Ioannes Touarius maris Præfectus, in patris locum nuper creatus. Petrus Mendoza regiæ Magiſter. è Luſitanis, Ioannes Tellius Reginæ auunculus, Pereiræ fratres Petrus Calatrauæ Magiſter, Dieghuſq; Caſtellæ partes eo bello ſecuti. præterea Ioannes ipſe Ria pro Rege Gallo legatus, indignus ea calamitate. multi noctis ſuperuentu ſeruati, pars ad Alcantaræ Magiſtrũ perfugit: qui fuſis fugatiſq; cæteris loco ſe aliquanto tempore tenuit. pars ad Carolum Vaſconem ſeſe recepit, diuerſa parte prædas agentem, quoniam regia caſtra conſequi non ſperarat. Alii qua data cuiq; fugæ via eſt, diſſipati abiectis plerique armis, in Caſtellæ fines aufugerunt. Luſitanis incruenta victoria non fuit. quidam ex eorũ numero ad duo millia deſiderata ait. Rex Caſtellæ, cõtinuato tota nocte itinere, vincente valetudinẽ metu, quatuor & quadraginta milliũ cõfecto itinere Scalabim tenuit. inde proximo die auctariũ nauigiũ nactus Oliſiponem ſecundo flumine abiit: claſſeq; diſcedere iuſſa, Hiſpalim tandẽ incolumis appulit in atrata lugubriq; veſte, totius ciuitatis luctu admixto lætitiæ ob Regẽ è periculo ſeruatũ. Hæc eſt illa memorabilis pugna inter Caſtellã & Luſitaniam cõmiſſa, cui à vicino pago Aliubarrotæ vulgo nomẽ eſt celeberrimæ. Victoriæ memoriã gens Luſitana anniuerſariis ſacris Oliſipone inſtaurat, ſed peruigiliis, & Bacchanalibus magis, quã Chriſtianæ diſciplinæ ſimili lætitia. Orator è ſuggeſtu declamãtis in morẽ, in Caſtellæ ignauiã inuehitur. Luſitanorũ virtutẽ effert, præclaraq; facta: ac ne à verborum obſcœnitate nonnunquã abſtinet. Cõſequitur magnus aſtantiũ riſus, plauſusque. turpe dictu: ſed dãda venia ob partã retẽtamq; eius prælii euẽtu, patriæ libertatem. Caſtellæ homines non virtute hoſtiũ, ſed ſuorum laſſitudine ignominiã acceptã vulgo aiũt. vim numinis perſuadẽt alii, cõtra quam nulla potẽtia ſatis eſt. Virginẽ Matrẽ à Guadalupei tẽpli ſpoliatorib. eas habuiſſe pœnas. Omnia ex eo tẽpore victori in Luſitania procliuia fuerunt Scalabis, Brigantiũ, aliæq; arces & oppida, pars vi, pars voluntate in ius, ditionẽq; venerunt. regiũ nomen ſibi, & poſteris ſtabile, perpetuũq; fecit. Rex Aragonius graui ex morbo ad Figueras oppidũ decumbebat, ætate grauis, corpore multis laboribus fracto: ſed recuperata valetudine Ioannẽ filium abalienauit. iniectam ab vxore magicis ſacris amentiã vulgus interpretabatur. excedit ille curia militeſq; ex Gallia euocat, ſibi & Emporitani Comitis rebus præſidium. à patre regni procuratione ſpoliatur. In Aragonia vti ſuperius eſt indicatum, magiſtratus veteri inſtituto eſt, quã Iuſtitiam Aragoniã nominant, legũ libertatiſq; præſidiũ certiſſimum, ne à Regibus opprimatur: nam quaſi tribunitia interceſſione omnem iniuriam prohibere, & plebis atq; optimatum commoda tueri conſueuit. Hunc Ioannes regni procuratione excluſus adit: paternas iniurias, Reginæ inſidias conqueritur: impetratque, vt eius auctoritate quouſque cauſſa diiudicata eſſet, in priſtinum dignitatis locum reponatur. Verum hæc hoc ipſo anno inchoata, proximo perfecta ſunt: ad Caſtellæ res referenda eſt oratio.

Luſitani Caſtellam inuadunt. CAPVT X.

IN ipſo acceptæ cladis luctu, Caſtellæ Regi, atque proceribus nouus exoritur metus. varios atque ancipites rerum humanarum caſus conſiderabant. fortunam vbi ſemel motã eſt non vno gradu conſiſtere. Luſitani feroci homines ingenio vrgere victoriam deſtinantes, primũ legatione miſſa in Angliam, Leceſtriæ Ducẽ ad belli ſocietatem inuitant: victoriæ præmiũ Caſtellæ regnum futurum: hoſtium gemina clade vires fractas, ignominia debilitatos animos. inſiſtendum ſpei, neq; prætermittendam occaſionẽ proteruæ gentis domandę. Deinde correptis armis Rex ipſe Luſitaniam omnem peruadit. equitũ Magiſter cum delecta manu in Bæticæ agros populabundus incurrit, antequam Ducibus au-

ctoritas, militi fiducia rediret. denuo hoſtes opprimi poſſe confidens. Obuiam miſſi Munitius D. Iacobi, Gonſaluus Guſmanius Calatrauæ Magiſter, Nieblęq; Comes. ii collectis reliquiis ſuperioris naufragii ad Vallem viridem (pago id nomen eſt) hoſtes minori numero quaſi indagine claudunt. eo etiam loco auerſa a rebus Caſtellæ fortuna fuit. in ſupremo diſcrimine trepidos, fœduſq; orãtes Luſitanos, Munitii Magiſtri inopinatus caſus eripuit, initio conflictus confoſſo equo perempti. quo caſu perculſi alii, pugnam quaſi male ominatã exhorrentes deſtiterũt. Itaq; Luſitani incolumes in patriã receſſerunt diuites præda, lætiq;. merces operæ Nunnio Gonſaluo Pereirę Barceloſii comitatus fuit. in occiſi Munitii locum Villagarſia D. Iacobi Magiſter eſt inſtitutus. Belli Anglici tempeſtas ſupererat. ea Caſtellæ Regi proprior quam vindicandi iniurias cura erat. Hiſpali ad regni conuentus Valliſoletũ contendit. proſequitur Carolus Vaſconis filius bello bonus, officio in leuirum Regem pius, gratuſq;. noui delectus, atq; maiores quã antea habentur. externa auxilia cõquiruntur, pecuniaq; in belli vſus, cuius maxima difficultas erat. in Galliã, vbi pręſidiũ certiſſimum fore rebus aſperis iudicabant, miſſi legati, viri nobiliſſimi Lutetiæ dato ſenatu, in-
1386. eunte anno M.CCC. octogeſimo ſexto patriæ calamitatem lugubri oratione expoſuerunt. Nouam ex Anglia impendere tempeſtatem, niſi excitatam flammam oppreſſiſſent, ingẽti mox incendio vti in coniunctis ædibus arſuram primum Hiſpaniam, deinde Galliam. Dolere ſe quod oneri toties eſſe cogerentur: cum nulli vſui ante fuiſſent, certe exiguo, quoniã ita res tulerunt. ſed Caſtellæ regnum Gallię beneficium Henrico patri collatum, debere ipſos in filio tueri. Non de ſociorum iniuriis. de ditionis parte certamen eſſe: ſed de dignitate, libertate, animaq;. victis nihil reliqui futurum. Galli proceres qui aderant promptiſſimis animis Regi amico & fœderato opem ferendam decernunt. auxilia deſtinata, duo equitũ millia Duce Ludouico Borbonio, Galli Regis auunculo, centum millia Francorum in prima ſtipendia. additumq; niſi ea pręſidia bello defendendo ſatis eſſent, Regem ipſum cum Galliæ copiis omnibus & viribus auxilio venturum. Venerunt à Clemente Pontifice litteræ, quibus amici Regis caſum ſolabatur ex diuinis libris, atq; antiquitate accommodatis exẽplis. Petrus Regis patruelis, quem ad Conimbricam defeciſſe dictum eſt, & inde exul in Galliam abierat, data delictorũ venia rediit in patriã. Exigua hæc præſidia rebus aſperis, ac propemodũ deploratis erãt. ſed mora, qua nihil fuit ſalutarius, cicatrix obducebatur. Luſitanus Rex Cauria in Vectonibus obſidione tẽtata, nouo inuecto ab hoſtibus præſidio victoria deſperata in patriam cũ præda rediit. Ex Anglia Leceſtriæ Dux claſſe vectus in Brigantinũ Calæciæ portũ (quæ hodie Corugnia eſt) ad octauũ Kalend. Auguſti, ſeſe intulit. mille quingẽnti equites erant, pariq; numero ſagittarii. exigua manus, ſed multum momẽti allatura, ſi ſeſe Luſitanis adiunxiſſent. primo aduẽtu ſex Caſtellæ triremes in ipſo portũ ſunt captæ. oppidũ expugnari non potuit, eximia Andradæ Præfecti virtute fideq; defenſum. Ea mora non ad eius modo expugnãdi oppidi, ſed ad totius belli ſummã pertinuit. quædã tãtum in Calæcis oppida capta, ipſaq; Compoſtella ꝓuinciæ caput dedita: vim verita, an rerũ nouatũ ſtudio incertum. nonnulli certe viri primarii eo tractu Anglis ſeſe adiunxerunt, rebus mutatis maiora prȩmia ſperantes. Luſitani Regis inuitatu in Luſitaniã Leceſtriæ Dux abiit. ad Portũ vrbẽ, quo Durius in mare illabitur, Principũ colloquium fuit Leceſtriæ & Luſitani. Venerãt ex Anglia, Cõſtantia Ducis Leceſtriæ vxor, Catharina filia Conſtantiæ, præterea duæ priuignæ ex priori mariti coniugio, Philippa, Iſabellaq;. De ſumma belli in eo congreſſu conſultatũ, ſancitumq;, vt iunctis viribus Caſtellã inuaderent. victoriæ præmiũ Anglus Caſtellæ regnum, cuius iam nomen & inſignia vſurparat: Luſitanus vrbes quaſdã & oppida ferrẽt, de alieno inter ſe munifici. Cõcordię vinculũ. nuptię Philippã inter & Luſitanũ pactæ, cœlibatus legis modo venia ab Vrbano Põtifice eſſet, cuius religione aſtrictus erat Luſitanus, ad inſtar Calatrauę militũ homo religioſus. Caſtellę res periculo proximas Diui indigetes Hiſpanię tutati ſunt magis quã vlla humana induſtria. tametſi ſeſe Caſtellę Rex Zamorę tenẽs, in omnes ꝓſpiciebat partes: nouęq; indies ex prouincia Galliaq; copię aduentabãt. Legionem in quã primus impetus futurus erat valido prȩſidio muniendã curauit, Ioãni Mãrico Cõpoſtellano Epiſcopo ea cura demãdata. ſed locis natura grauibus, peſtilentiq; anni tẽpore morbi inter Anglos vulgati. vnde crebrę mortes, tertiaq; copiarũ pars extincta eſt. prȩterea commeatus, aut pabuli cauſſa palãtes per agros, vagoſq; intercipiebãt oppidani, (nam pars maxima in fide perſtitit) quę priori peſte grauior peſtis fuit. ergo reliquum ȩſtatis nullo magno operȩpretio conſumtũ, niſi quod legationes inter Principes miſſę ſunt, fecialis ab Anglo niſi regnũ redderetur, bellũ denũciaturus: à Caſtellę Rege viri primarii, in quibus Serranus erat Guadalupeus Prior, eo templo recẽs Hieronymianis cõtributo. ii Aurię, vbi ſe hoſtis tenebat, cauſſas explicarunt, cur Ioannes iure Rex eſſet, Conſtantia paterna hȩreditate excluderetur. Sanctii neptis eius cui regnum per vim occupãti

Alfonſus

Alfonſus pater cognomento Sapiens iure paterno maledixerat, & quaſi impium erat execratus, Cerdis ſucceſſionis iure reſtituto: vnde ipſe materni generis originem duceret. de iniuſtis Padilliæ nuptiis mentio nulla. credo vt inter ſe vitium generis condonarent. Hæc palā conſilio aduocato explicata ex arcano Prior Guadalupeus optimum fore ſui Regis verbis denunciauit, Catharinam Conſtantiæ filiam Henrico iungi, Caſtellæ iuuentutis Principi. ſic vtriuſq; familiæ iura connubii legē firmari, atq; in vnum coaleſcere. id publice, id priuatim conailium ſalutare fore. Gratiſſimū id Anglo fuit, honeſtiſſimaq; pacis cōditio viſa. tametſi, re nondum matura aliud præ ſe tulit: coramq; niſi regnum reſtitueretur bello ſe temperaturum negauit, neque aliam pacis conditionem fore reſpondit.

Trium Regum obitus. CAPVT XI.

SIc res in Caſtella erant, vt in malis conditione tolerabili. quod non eſſent, continuo oppreſſi in præſens lętitia, in futurum ſpes, poſſe inclinata reſtitui: minusq; iam terroris ab hoſte erat. Regionibus diſiunctiſſimis continuata ferme trium Principum funera. in Hūgaria Caroli Neapolitani pridie nonas Iunii, ſecuri in caput impacta. Pompelone Caroli Vaſconis eo nomine II. ipſis Kalend. Ianuarii principio anni 1387. tametſi de anno variant [1387.] auctores, & nonnulli ſuperiorem adſcribunt. ſed quoniam die Martis deceſſit diuerſam opinionem ſequamur neceſſe eſt. Vixit annos quinquaginta quinque, menſes quatuor, dies duos & viginti. regnauit annos ſeptem & triginta, menſes duos, dies quinq; & viginti. Corpus in eius vrbis æde maxima tumulo eſt compoſitum. Rex Aragonius Petrus eo nomine IIII. quarto poſt die Barcinone deceſſit, annos natus ſeptuaginta quinq;, regni anno quinquageſimo primo expleto, minus diebus decem & nouem, in exiguo & debili corpore, ardenti vir ingenio, ambitione maxima. omnia ad decorem imperii eo Rege comparata: vnde Cæremonioſi nomen. ſuis copiis cum opulentis Regibus bella geſſit: ſępeq; violentiam fortunæ excelſo animo tolerauit. litteras, litteratosq; coluit, Aſtrologiæ impenſe deditus, atq; ohalchymiæ metalla commutare arte profitenti: ſi ars eſt, & non otioſorum potius & vaniſſimorum hominum præſtigiæ. Corpus Barcinone primum ſepultū: deinde Populetum, vti ipſe teſtamento mandarat, translatum. Neapolitano Regi amplificandi imperii cupiditas exitio fuit. ab Hungaris proceribus ad regnum capeſſendum Ludouico Rege defuncto, iure propinquitatis euocatus, atq; ab Eliſabetha Regina vidua beneuolentiæ ſimulatione ſplendide acceptus, Budæ in conuiuio atq; inter pocula ipſiuſmet fraude perimitur, hoſpitii iure violato, Mariam filiam paterna hæreditate excludi dolentis. Vxorem habuit Margaritam Ioannæ minimam ſororem Neapolitanæ Reginæ (Ioannam alteram huius Caroli ſororem, Ludouico Vaſconis fratri nupſiſſe dictum eſt) ex ea liberos ſuſceperat Ladislaum, Ioannāq; deinceps Neapolitanos Reges, ætate ſexuq; inualidos. vnde noui in Italia motus, bellaq; internecina extiterunt. Rex Vaſco ſuperiori tempore lepręcontagione ita laborare cœperat, vt corpus depaſceretur vreretq;. iuſtas cælitum iras vulgo homines interpretabantur, ob ea quæ impie & crudeliter geſſerat feroci, auaro, crudeliq; ingenio, præterea immenſa libidine. Inde fabulam ortam exiſtimo, horrendo vitæ exitu ſemiuſtulatum deceſſiſſe, lecti cortinis forte incenſis, linteisq;, quibus corpus erat inuolutum auide concipientibus flammam: quod ſulphureis balneis & fomentis medicorū iuſſu curaretur. Filia ſane natu minima, cui Ioannæ nomē erat, Ioāni Mōtfortio Duci Armorico pacta de menſe Septembri ad ſponſum nauigarat: puella auis, atq; atauis nobiliſſima, prole deinde numeroſa felix Ioannē, Arturū, Guilelmum, Richardū, filias tres viro peperit: eoq; defuncto Hērico Angliæ Regi nupſit annis conſequentibus. Succeſſit defuncto Vaſconi filius cognominis, ea tempeſtate Caſtellæ Regi aſſiduus: vnde paterno obitu nūciato in patriā accurrēs, parentis manibus iuſta perſoluit. mox in procerum conuētu, Clementē eo nomine VII. iuſtum videri Pontificem pronunciatum. quod eatenus Aragoniæ exēplo factū non erat, incertis ſuſpenſisq; Principū & populi animis. Regū Galliæ atque Caſtellæ gratiæ id dari viſum eſt, potius quam ad veritatis, atq; æquitatis regulā ſatis expendi. & extabat à Caſtellæ Rege nouum beneficiū, redditis Vaſconi arcibus, quæ in ditionē eius Caſtellæ præſidiis magno numero obtinebātur: pecunia etiam, quā pater magno pōdere mutuam acceperat, cōdonata. Erant etiā à Gallo & Anglo multa oppida & vrbes, quæ in Nortmannia, aliisq; locis occupata erāt, recuperanda: eoque honeſtiſſimæ legationes ad vtrūq; Principem miſſæ, in magna prouentus ſpe. ſic inter ſe Principes officiis, & beneuolētia certabāt, quæ pulcherrima contentio eſt. & paſſim nouo Principi fauebatur, propter morum integritatem, facilitatem ingenii, atque liberalitatem, nihil denegantis quod dono dignū eſſet ad cætera quibus nemo ea ætate inſtructior Princeps fuit, cōgeſtis omnibus à natura,

fortunaq; bonis: eoq; patri diſſimillimus, vnde Nobilis cognomentū factum eſt. Ex vxore Eleonora Ioannam, Mariam, Blancam, Beatricem, Iſabellam: præterea Carolum, Ludouicumque in minori ætate defunctos genuit, furto Gotifredum Mareſcalum Corteſiumque Marchionem futurum, Ioannam, quę Eneco Stunicæ viro nobiliſſimo nupſit. Aragoniæ regnum poſt patris obitum, Ioannes Princeps ſuſcepit, modeſto, mitique ingenio, niſi iniuria naturam corrumperet. decubuerat is paulo ante Gerundæ ex morbo grauiſſimo, deſperata propemodum valetudine. ex quo nondum plane confirmatus, neque paterno funeri intereſſe potuit, neque regni curam ſuſcipere: tametſi reſpublica commota vehementer erat, Sibylia Regina vidua, fratreq; Bernardo aliiſq; viris primariis in fuga captis, qui metu noui Regis ſuæ ſaluti conſuluerant. Magicarum cantionum, iiſq; virum contaminaſſe crimen Reginæ impoſitum, Iudæi cuiuſdam indicio haud ſatis idoneo (ſic viſum eſt.) de conſciis quæſtiones tormētis habitæ, atq; ſicuti de manifeſtis rerum capitalium ſuppliciū ſumptum. Regina eiuſq; frater conſeruati, tametſi bona eorum nouæ Reginę addicta ſunt, leui compenſatione annui vectigalis, vnde Sibylia vitam ſuſtentaret. Rege reſtituto, nihil prius quam de Pontificum diſſidio actum, vti moriens pater teſtamento ſanxerat diris execrationibus, niſi eſſet obtemperatum. Barcinone in Epiſcoporum & procerum conuentu agitata cauſa, diu multumq; Fundana comitia præferenda videri, pronunciatum pridie Nonas Februarii. Ergo Clemens omnium ordinum conſenſu atq; lætitia, Pontifex ſalutatur. ſic Hiſpaniæ multo maxima pars eius auſpicia ſequebatur: nouiſq; acceſſionibus factio ea vehementius confirmabatur. Petri Lunæ Cardinalis Aragonii, qui a Clemente Legatus in Hiſpania agebat, diligentia, & auctoritate res ad exitum perducta. Ioanni Emporitano ob memoriam amicitiæ, quæ illi cum nouo Rege fuerat, in patriam reduci, melioraq; ſperanti vincula Barcinone iniecta. ſæpe apud Reges magna merita leui offenſione inducuntur, officiorum obliuione parata. Gallica arma commouiſſe crimen obtendebatur. De Sardiniæ motibus pacandis, quod ſæpe ante tentatū erat, nouo conatu ſpeque agitatū. & erant Sardi diuturni belli malis domiti: duroq; ſeruitutis iugo oppreſſi, finem calamitatibus orabant. Semenus Arenoſius ea re inſulæ pro Aragoniis Præfectus, cum Eleonora Arborea, viroq; Oria fœdus ea conditione ſanxit: vt Arboreæ principatus illis, Mariano filio, & poſteris integer eſſet. de oppidis controuerſi iuris, dati partium conſenſu iudices diſceptarent, atq; ſtatuerent. quæ eorum armis & præſidiis occupata tenebantur, ad regiam ditionem redirent. ſic in præſenti diſceſſum ab armis eſt.

Pax cum Anglis facta. CAPVT XII.

IISDEM dibus bellici apparatus, motuſq; graues Luſitaniam inter Caſtellamque erant. Beneuentum Angli equites ſexcenti, parique numero ſagittarii, reliqua multitudine peſte conſumpta, è Luſitania duo millia equites. pedites ad ſex millia inuadunt: mœnibuſque prohibiti ab Aluaro Oſorio Præfecto, leui pro munitione commiſſo certamine oppidum obſident. ignobilia circum oppida capiunt. Rex Caſtellæ ſuperiori clade cautior in propoſito totius certaminis detrectandi perſtabat. Sic nullo magno operæpretio duo menſes exacti ſunt. quo ſpatio peſtis lue nondum plane ſedata & denuo reſumente vires, præterea inopia commeatus, qui in loca tuta collatus erat, reliqua de induſtria corrupta, cum tantæ vno tempore difficultates premerent, copiæ Anglicæ Luſitanęq; qua parte Mirobriga ſita eſt, ſeſe in Luſitaniam contulerunt. Milites moræ impatientia, quibus in temeritate ſpes, cædes, & vulnera prædæ auiditate penſantur, iniecta inter Principes pacis mentione, minori ſtudio gerebant arma. metu depulſo Gallica auxilia ſerius quam opus fuiſſet aduenientia, à Caſtellę Rege dimiſſa ſunt, ſtipendii parte in pecunia, parte alia in nominibus perſoluta. Caduceatores ad Anglū in Luſitaniā, de pace continuo miſſi, ad Troncoſum oppidū mandatis expoſitis, mite, ac tempori locoq; cōueniens reſpōſum tulere. tędebat Anglos infauſtæ militię: patrięq; deſiderium vrgebat. nuptiis Henrici Catharinęq;, quam vnicam Leceſtrię Dux ex Conſtantia filiam haberet, victorię fructū compendio breui redire, nēpe Caſtellę regnum. Ergo eæ nuptię in primis pactę. dos puellę dicta Soria, Atienſa, Almaſanū, Molina. matri Caraca in Carpetania: Medina Cāpeſtris, Olmedū in vlteriori prouincia. Sexcēta francorum millia certis penſionibus numerāda erant. prętereà dum Leceſtrię Dux vxorve Conſtantia viuerent, quadraginta frācorum millia annua promiſſa ſunt. Hæc ſumma fœderis fuit Luſitano ingrati. qua cauſſa Portu vrbe ſoluētes Angli, Baionā in Tarbellis tenuerūt irati Luſitano regi, quod feſtinatis nuptiis, nōdū voti religione exolutus deſpōſam ſibi Philippā toro iūxiſſet. Simul Angli è Luſitania diſceſſerūt, omniaq; in Callæcis oppida, quæ fuerāt primo aduētu occupata ad priſtinā Caſtellæ ditionē redierūt, pceribus qui defecerāt, venia data. puinciæ magna ex parte reſtituta trāquillitas, metus depulſus. miſſi

miſſi denuo Baionam, vt conuenerat, legati fœderis conditiones retractaturi, ſacramentoque inuicem reddito, acceptoq; firmaturi. Pecuniæ à popularibus cogendæ præcipua difficultas obiiciebatur, multo maioris, quam pro eorum facultatibus. eo ſtudio Viruescæ ineunte ſalutis anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo octauo conuentus generales ex 1388.
vniuerſa prouincia agitati. locorum propinquitas inuitauit, & quoniam Burgi vrbs, aliaque circum oppida, peſtis contagione laborabant. In iis conuentibus inſtitutum vectigal eſt, eius ſummæ redigendæ gratia: à quo neq; viri ſacrati, neque ingenui immunes eſſent: neque videbatur iniquum, quoniam de communi omnium libertate agebatur, communi ſubſidio reipublicæ opitulari. Sed ab eo initio ius libertatis imminui optimates conquerebâtur, nihil non auſuri per deſperationem. quæ tandem ſententia valuit: decretumque inductũ. Soluto conuentu ad Calagurrim Regum Caſtellæ & Vaſconis congreſſus fuit. Rurſus Nauarreti, eorum Principum colloquium habitum, Eleonora Vaſconum Regina virum comitata affuit: eiuſque permiſſu in Caſtella permanſit, valetudinem qua diu aduerſa conflictabatur, natiuo cęlo, quod præſentiſſimum remedium eſſe conſueuit, curatura. Catharina Leceſtriæ Ducis filia firmato inter Principes fœdere, in Hiſpaniam miſſa, Palentiæ propter vrbis amplitudinem, ſubiectique agri bonitatem, ſponſalia regio apparatu celebrata ſunt. decimum ætatis annum Henricus agebat, Catharina annos decem & nouem nata erat. vt Aſturum Principes vocarentur datum, more ex Anglia translato: vbi Regum filii maiores, Walliæ Principes nominantur. quod ab hoc initio ſuſceptum ad noſtram ætatem conſeruatur, vt Caſtellæ Regum maiores filii, Aſturum Principes ſint: quibus annis conſequentibus Vbeda, Bætia, Illiturgisq; ſunt adiectę. Pace ad hunc modum inter Caſtellam & Angliam conſtituta, Conſtantia puellę mater, regio iam nomine abſtinens, permiſſu Caſtellæ Regis Medinam Campeſtrem ad eum menſe Auguſto venit. benigne acceptæ, officiisque omnibus, vti iura propinquitatis, & amicitię nuper initę poſtulabant, cultæ ad pacta oppida Opta vrbs adiecta eſt, vnde annui reditus ampliores ſuppeditarent. pręcipua liberalitas ſed regni amiſſi, compenſatio non magna. Inter Regem & Leceſtrię Ducem munificentię certamen erat. aurea corona eximii decoris pretiiq; miſſa abs Leceſtrię Duce. addita muneri verborum gratia: regni iure abdicato, corona etiam quam ſuo capiti pararat, cedere. Pactę pecuniæ conquirendę ratio excogitata. conuenit vti priori decreto reſciſſo, in quo tantum offenſionis erat, ſumma ea per familiarum capita, mutui nomine imperaretur, eorum qui ante ea tempora in ærarios relati eſſent. ingenuis, virginibus, matronis, viris ſacratis immunitas conſeruata. Conſtantia ineunte ſalutis anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo nono poſſeſſionem Caracæ vrbis ſibi attributę adiit. Rex Madriti reſtitit. Quo tẽ- 1389.
pore à Leceſtrię Duce de mutuo colloquio, ad Cantabrię Aquitanięque fines, per legatos appellatus primũ venturum ſe dixit: eaque voluntate Burgos ſeſe retulit: vbi ieiunii tẽpore quod ritu Chriſtiano obſeruatur, ex morbo decubuit. ſpatio temporis interiecto ſententia mutata, tametſi Victoriam acceſſit, vnde Conſtantia ad virum dimiſſa erat. Legati Petrus Aiala, Vxamę Epiſcopus, Fernandus Illeſca, qui ex ordine Franciſcano, Regi à ſacris confeſſionibus erat, Leceſtrię Duce conuento Regis valetudinem nondum plane confirmatam, annique tempus excuſarunt: Pyrenæi iuga niuibus impedita, gelu rigentia fore ſuperanda. hæc ſpecies obtenta. ex arcano colloquium Rex detrectabat, quod Leceſtrię Duci propoſitum eſſe cognouerat, eum à Gallica amicitia diſtrahere. parque periculum offerebatur. ſiue Principi recens fœderato, aliquid coram negaret: ſiue annueret, iniquiſſimo poſtulato, tantis à Gallis Regibus beneficiis obſtrictus, in quo turpiſſimam ingrati animi notam incurreret. Actum de re tota cum legatis. ii ſui muneris eſſe negant quidquam niſi Rege conſcio conſtituere: remque omnem ad eius arbitrium reuocari integram petunt. ſic re infecta Victoriam ad Regem redeunt, ne facta quidem Anglis poteſtate Compoſtellam religionis ergo adeundi, quod reliquis nationibus datum erat. Calæcorum animos ne ſuo aduentu denuo ad ſtudium rerum nouarum concitarent, ob belli ſuperioris memoriam prouidebatur. Quo tempore omnino quarto Idus Martii Cæſarauguſtæ, dum templi pars reficitur, cui ab Engratia nomen eſt, opinione ſanctitatis in ea vrbe celeberrimum, dumque ſuperſtruendo operi fundamenta effodiuntur, gemina ſepulchra vetuſtate obruta forte reperta ſunt, D. Engratiæ, atque D. Lupercii. conſecuta publica vniuerſæ ciuitatis lætitia & gratulatio, eo pignore Diuos tutelares propitios amplius fore exiſtimantis. numini gratiæ actæ, ſupplicatioque ad omnia templa inſigni apparatu habita.

Regis Caſtellæ obitus. CAPVT XIII.

MVTVI inter Principes Leceſtriæ, Caſtellæque colloquii mentio intermiſſa eſt. Inter Anglos Galloſq; triẽnes induciæ factæ: ſuccedẽteq; æmulatione virtutis ex lõgo

interuallo ſacrum bellum repetitum. iunctis viribus Genua traiiciunt in Africam. Aph[illegible]-
diſium, quæ vrbs hac ætate Africæ nomen habet, obſidione tentata. prouentus tãtis moli-
tionibus impar fuit. Hiſpania nondum quieſcebat. Caſtellæ cõuentus Segobiæ habiti ſunt,
inde ad Luſitanum miſſi legati, quoniã in Gallico fœdere vtriuſq; gentis cõfœderati Prin-
cipes comprehenſi erant, quid animi haberet ſciſcitatum. negat ille ad ſe rem eam pertine-
re: rebus ſecundis inſolens feroxq;, neque ſatis reputans rerum humanarum inconſtantiã:
& nouo bello Calæcos impetere cogitabat. induciæ tantum ſemeſtres Ferdinandi *Illeſcæ*
diligentia impetratæ: quem ego ea tempeſtate probum induſtriumq; hominem fuiſſe cõ-
perio. Romæ Vrbanus VI. deceſſit Idibus Octobris. in eius locum Petrus Tomacellus pa-
tria Neapolitanus paucis poſt diebus cooptatus eſt. Bonifacii IX. nomen Põtifex deſump-
ſit. Tuda Calæciæ vrbs ad Luſitaniæ fines pertinens, quo primum tempore induciarum
tempus tranſactum erat, à Luſitano obſeſſa, omniq; conatu impugnata eſt. ſubiectus ager
incendiis, ruina, cæde fœdatus. Caſtellæ Rex belli fortunam, quam auerſam erat expertus,
formidabat: & Luſitanos ſucceſſu feroces laceſſere tutum non erat. ne tamen nihil agere
videretur, Tenorium Toletanum Prę̨ſulem, Martinum Iuanium opitulaturos præmittit.
ſerum auxilium fuit, rebus perditis, vrbe capta. Eorum tamen interuentu induciæ in ſex an-
nos inter vtrãq; gentem factæ. Tuda reſtituta, aliaq; ab vtraq; parte oppida. Proximo anno
1390. 1390. regni conuẽtus Caracæ habiti ſunt, rerũ geſtarũ magnitudine, multitudine, varietate
omnium celeberrimi. referente Rege de regno abdicando actum: ſi Caſtellæ imperiũ de-
poſuiſſet, filioq; de manu tradidiſſet, Luſitanos eius & Beatricis vxoris imperium haud-
quaquam repudiaturos. Decumarum eccleſiaſticarum tertiam partem Clemens Pontifex
conceſſerat, vt eo blandimento Caſtellæ Principes deuinctos teneret, exemplo Vrbani VI.
qui idem Anglis præſtiterat. Eas ſe decumas Hiſpalim, Cordubam, Giennium, Murciam,
atq; Cantabriã retenturum dixit: cætera ceſſurum filio. proceres ſententiam rogati, ſeſe id
paſſuros negant. peſſimum exemplum induci. Regem idonea maxime ę̨tate reipublicæ cu-
ram abdicare: tradere puero curis publicis impari. malo cogendos Luſitanos, neque quid-
quam pro ſano voluntate facturos. Deinde de factioſis relatum. iis in commune venia eſt
conceſſa. modo delicti pœnitentiam benefactis approbarent. vnus exceptus Gegionis Co-
mes in cuſtodia manens: cui infenſus Rex omnes ad eum opprimendum occaſiones ſæpe
captarat: feciſſetq;, ni Petri Regis calamitatis exemplum, ob ſimiles cædes retardaſſet. Ve-
ctigal militare ordinum conſenſu maius quam vnquã inſtitutum. Cõſueuerãt milites ho-
ſtili metu ſublato, conſeneſcentibus bellis tota prouincia vagari, res agreſtium agere, ferre-
que. Sancitum, vt eorum multitudo ad competentem numerum redigeretur. grauis arma-
turę equites quatuor millia, leuis mille & quingentos, ſagittarios mille cum ſuo iuſto co-
mitatu, ordinario ſtipendio ali: atq; in prę̨ſidiis, quarum videretur vrbium collocati finem
licentię facerent. Sic militaris diſciplina reſtituta, & ę̨rarii inopię prouiſum, imminutis ſti-
pendiis immunitate veniaq; multarum legum conceſſa. externa ſtipendia faciendi facul-
tas omnibus ſublata. rem haud dubio vti[illegible]em, & à bonis poſtea Principibus perpetuitate
diſciplinę firmatam. Externis hominibus ſacerdotia in prouincia dari vſu receptum erat,
vnde magna incommoda extare neceſſe erat: templorum cultum negligi ſacerdotum ab-
ſentia: litterarum ſtudia prouinciales non curare, nullis virtuti præmiis. Communi conſen-
ſu conſtitutum, Clementem Pontificem de ea re appellandum. neq; enim iuſtiſſimis pro-
uincię votis repugnaturum putabant. Priorum temporum perturbatione Caſtellę Vlterio-
ris proceres in iura eccleſiarum inuaſerant, patronorum occupato nomine ſacerdotes in-
ſtituere ſoliti. exiguo ſtipendio conſtituto, decumarum multo maximam partem, pro ſe
quiſq; domum auertere, eccleſiarum iura occupare, dare, & auferre templis mercenarios
ſacerdotes atque temporarios. Epiſcopis Burgenſi & Calagurritano, vbi vis mali incubue-
rat maxime, agentibus de ea re in conuentu eſt relatum. Rege ad ę̨quitatem propenſo prę̨-
clari ii conatus impediti regulorum interceſſione, ne noua offenſione eorum animi irrita-
rentur. Erat enim ſubditis paulo ante poteſtas conceſſa, à proceribus ad regios iudices
prouocandi: quod ægerrime tulerant. Itaq; eccleſiarum libertas ſanciri non potuit: & illi
morem per multas ę̨tates cõtinuatum, maiorum merita, priorum Pontificum veniam ex-
cuſabant, ante concilii Lateranenſis tempora: Alexandro tertio Pontifice ſcilicet, cũ no-
uo decreto eſt cautum, ne decumas profani inuaderent, ne Pontificum quidem permiſſu.
Prę̨terea petentibus, vt Henrici Regis teſtamẽtum, qua parte profuſas donationes reſtrin-
xiſſe dictum eſt, nouo decreto reſcinderetur, præter ſpecioſa verba: placere Regi dona pa-
terna eſſe rata, nihil impetratum. Vno tempore à duobus Regibus Vaſcone, atq; Grana-
tenſi legati Caracam venere, Ramirus Arellanus, Martinus Ayuarus pro Vaſcone dato
ſenatu poſtularunt Reginam Eleonoram curata valetudine, qua cauſſa diſceſſerat impe-

trata

trata venia, ad virum remitti. æquum non eſſe integra vtriuſq; ætate coiugium dirimi. regium inſigne, quod eatenus dilatum erat, more gentis vtriq; imponendum fore. De ea re, Eleonora Regina à fratre Rege appellata: videri æqua virum petere: profectionem continuo maturaret: odium illa gentis excuſauit, inſidias vitæ ſuæ comparatas, veneno à medico Iudæo præbito, vnde tandiu aduerſa valetudine conflictata eſſet. vim adhiberi regiæ fœminæ graue erat. legatis tamen poſtulantibus datum, vt Ioanna maior filia, quoniam virili prole carebāt, Roa vbi à matre erat relicta, primo quoq; tempore, vti factum eſt remitteretur ad patrem. Qui reuocandæ vxoris ſpe depulſus celeberrimo apparatu Pompelone in templo maximo regias infulas ſuſcepit Idibus Februarii. regni libertatem, ſubditorum commoda iuratus, inunctuſq; de more, clypeo militari impoſitus, humeriſq; ſublatus Rex à cunctis ordinibus proclamatur. totius cęremoniæ Antiſtes Petrus Martinus Salua Pompelonenſis Epiſcopus. Petrus Luna Clementis Legatus affuit, aliiq; magno numero nobiliſſimi proceres. à Rege Mauro Malacæ Præfectus legatus, inſignes equos, gemmas, veſtēque pretioſam ſplendidi muneris loco, Caſtellæ Regi attulit. petenti induciæ cōceſſæ. Petrus Tenorius Archiepiſcopus Toletanus inſigni ponte Tagum iungendum curabat, eo cui ab Archiepiſcopo nomen eſt iuxtaq; caſæ ruſticanæ in pagi formam. loci cōmoditate Rex oblectatus, cum belli Luſitani tempore Hiſpalim peteret, hac tempeſtate expetēti eidem Præſuli dedit incolis eius oppidi vectigalium omnium immunitatem, Villæ Francæ, hoc eſt, immunis, ab ea re nomine dato. idem Alcoleæ oppido conceſſum, in cuius agro pons ædificabatur. Extat diploma regium in ærario ſacro inter ſchedas templi Toletani, Caracæ datum, pridie Idus Martii. Ferdinando minori Regis filio, cui Lara principatus erat, oppidū Pennafielis additum, Ducis nomine. corona capiti impoſita, nullis extantibus floribus, quod collatæ dignitatis inſigne erat: tametſi noſtra ætate non Duces, ſed Comites etiam coronam clypeis adiiciunt regiæ haud abſimilem. ex vtraq; regia Caſtellæ atque Aragoniæ inſignia puero temperata diſtinctionis cauſa, & quoniam vtriſq; Regibus ſatus erat. Sic adulto vere, tantiſq; rebus, qua perfectis, qua conſtitutis, conuentus Caracenſes ſoluti ſunt. menſe Iunio cum Luſitano Rege, cuius indies potentia confirmabatur Caſtellæ formidabilis, induciæ ſexennes denuo pactæ. Romæ pontificatum gerebat Bonifacius eo nomine IX. patria Neapolitanus, anni ſuperioris fine, vti paulo ante monſtratum eſt, in Vrbani defuncti locum ſubrogatus. eo concedente Oliſiponenſis Præſul Archiepiſcopi honore auctus eſt Conimbricenſi Epiſcopo contributo. noſtra ætate Portalegris epiſcopatus Pauli tertii Pontificis Maximi venia recens inſtitutus acceſſit. hoc aliaq; multa blandimenta Luſitanis in fide confirmādis à nouo Principe Pontificeq; per id tempus data. Segobia in aditu Caſtellæ Vlterioris ſita eſt vrbs ampla, ciuium numero frequens, lanarū artificio, vnde magnus ciuibus prouentus, quam re alia nobilior, montibus ambientibus, qui perpetuis niuibus rigent, eoq; per æſtatem præcipua cæli temperie. eo ſe Caſtellæ Rex Caraca profectus contulit. Vicinis locis ad pagum Raſcafriam Regis impenſa ſtructura monaſterii ſurgebat, eius cui Paularii nomen eſt, inter Carthuſianorum domicilia ipſo ædificii ſplendore, copiis, & loci ſanctitate in Hiſpania celeberrimū. Valliſoleti arx vetus in monaſterii formam conuerſa: vnde Benedictini monachi vniuerſa prouincia iura repetere, noſtra quidem ætate ſoliti ſunt. Guadalupeum templum aliis ſacerdotibus, quibus ab Alfonſo auo datum erat, detractum, atq; monachis, quibus à D. Hieronymo nomen eſt, attributum ſuperioribus annis fuerat, regiæ pietatis atq; religionis, quę in Ioanne erat, hęc extant monimenta in Hiſpania. Æſtate circumacta, Reginam quidem Madritum præmiſit: Henricum & Catharinam ſponſam Talaueram hyematuros, regionis temperie & amœnitate inuitatus. Ipſe conſilio in Bæticā feſtinandi, vbi perturbatione temporum omnium facinorum licentia erat, inualido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur, fluxa magiſtratuū auctoritate, quæ magna pernicies eſt, Complutū inprimis abiit. Venerant ex Africa quinquaginta milites, profeſſione quidem Chriſtiani, atque Farfanes vulgo dicti: cęterum Marrocio Regi operam nauare ſoliti, atq; Africanæ militiæ aſſuefacti, vt fere quibus quiq; in locis milites verſantur, multum earum regionum conſuetudine moueantur neceſſe eſt. equos magna agilitate incitabant, varioſq; orbes elegantia quadā implicare explicareq; erant edocti. Eo ſpectaculo cum ſe Rex & proceres oblectare cuperent, die Dominico, ſeptimo Idus Octob. ſacris procuratis, egreſſi in vicinum agrum ſunt, ea porta, quæ palatio coniuncta eſt, & vulgo Burgenſis vocatur. Rex ſtudio incitatus equū quo inſigni vehebatur in veruacto cum ſubditis calcaribus incitaſſet, loci inæqualitate ſulciſque offendente equo, concuſſo afflictoque corpore ad terram præcipitatur: momentoque temporis extinguitur. O nullam conſtantem felicitatem, magnumque rerum humanarum ludibrium, morteque ipſa triſtius mortis genus? Quid regia potentia pro-

fuit, opes, comitatus, copiæ? quid ætatis viridæ decoræque iuuentæ flos, annum agenti trigeſimum tertium? regnum tenuit annis vndecim, menſibus tribus, diebus viginti. Sub vitæ finem Segobiæ ipſo Diui Iacobi feſto die inſigne excogitarat, ex aureo torque radiis diſtincto columbæ effigiem, aulicis, atque nobilibus ad præclara facinora aui exemplo honoris ſpecie obiecta incitamentum. verum eius morte res ea priuſquam confirmaretur euanuit.

Res Aragoniæ. CAP. XIIII.

HÆc in caſtella. in Aragonia Ioannis Regis mores à paternis degenerabant inſtitutis. Ille viuido ingenio erat, bellaque ex bellis ſerendo imperium amplificare ſemper ſtuduit: belli & pacis conſilia, vtilitate magis metiri, quam honeſtate. Ioanni mitis ac tractabilis animus fuit, niſi naturam fortuna corrumperet, aut grauis aliqua iniuria ad vindictam prouocaret. quietis quam belli cupidior. cuncta tamen ad imperii gloriam compoſita. aucupio, venationi, muſices & poetices ſtudiis deditus in primis fuit, ſed cum ſplendore ſumptuq; : vt pares imperio diuitiæ, ijs oblectationibus vanitatiq; non ſufficerent. neque diſſimulatæ voluptates aliæ, neque tecta luxuria. Regina iiſdem ſtudiis, vt ſexus ferebat delectabatur: eoque viri potens erat. regia conuiuiis, cantibus, ſaltationibus perſonabat. puellæ quæ in obſequiis erant, pſallere elegantius & frequentius, quam neceſſe erat ingenuis. omnia inſtrumenta luxuriæ viſebantur. Præcipua præmia poetis, qui Lemouicenſi lingua aliquid dignum ingenio ijſque moribus conſentaneum cuderent: prorſus vt legatione ad Regem Gallum miſſa id genus poetas conquiri, atq; ad ſe mitti poſtularit. Prouocauit eius rei fama Wenceslaum Cæſarem pudenda hominem ignauia, vti per legatos noui Regis amicitiam expeteret, eiuſque filiam Ioannam ſibi in coniugium dari. morum ſimilitudo ſtudia conciliabat: tametſi quod de coniugio petebatur, dilatum in præſenti, ac poſtmodum diſturbatum eſt. Proceres Aragonii rerum perturbationem ex Regis ſocordia non ferentes, communicatis inter ſe conſiliis, iunctiſque viribus Calaſanctium anno ſuperiori conuenerunt: quo tempore regni conuentus Montione erant. conſpirationis princeps Alfonſus Villenæ Marchio, Iacobuſque illius frater Dertuſæ Epiſcopus, præterea Bernardus Cabrera, aliique viri principes. Querelæ de ſcripto propoſitæ, miſſæque ad Regem & conuentum. ſumma erat: Militarem diſciplinam labefactatam voluptatibus. priſcos gentis mores indies magis euerti. nec libidini, nec ſumptibus, neque veſtium pretio modum eſſe. Atque illud intolerandum, ad vnius fœminæ arbitrium rempublicam verti: (Carrocia hæc erat, qua multum & familiariter Regina vtebatur) plus in aula poſſe, quam grauitas illius ætatis ſexuſque conditio, & imperii maieſtas poſtularet. vulgi & procerum querelas, atque ſermones in eius potiſſimum nomen erumpere, neq; à Rege & Regina tamen temperare. certatum ab vtraq; parte minis conuitiiſque. & initium belli ciuilis proceribus in factiones diductis, quæri videbatur. Regis mite ingenium præſidio rebus fuit. poſt multas altercationes Principibus coniuratis datum, quod iuſte petebatur. Regia laſciuia voluptateſque reſtrictæ. repetitæ leges ſumptuariæ. & quod caput erat Carrocia, aula exacta eſt: nullamque vt deinceps reipublicæ regiæve partem attingeret, cautum. Sic iræ conſedere: paxque publica modice laceſſita tandem ſtetit. Noui tamen ex Gallia belli terrores oſtentati. Armorici milites magno numero, Tomichus ad decem & octo millia equitum fuiſſe ait, ductore Comite Armeniaco, cui ægre erat fraternos conatus fruſtra fuiſſe, in Auſetanos, Indigeteſque ſeſe magno impetu infuderunt, nulla belli cauſa, vno tantum ſtudio prædandi. villæ vicique incenſi. direpta oppida. abacta pecora. cædes factæ. in Emporitanos Gerundenſesq; fines vis mali deſæuiit. Contractæ raptim prouincialium copiæ. Raymundoq; Bagio Duce ad Cabanias oppidum, iuſto prælio cum hoſte certatum eſt. victi fuſique Galli. Dux ipſe earum copiarum Maſtinus in poteſtatem venit. ſecundum eam victoriam Rex, qui ſe Gerundæ continuerat, ad omnem occaſionem, intentus ex ea vrbe egreſſus, hoſtium copias, quæ ex variis partibus in vnum corpus conuenerant, deleturus contendit. Gallorum vires impetu valent, mora conſeneſcunt: vti tunc accidit. diuturna enim militia feſſi, & ſuperiori clade caſtigati, certamen deuitarunt: ſeque ſuperato Pyrenæo monte in Galliam retulerunt, agro Ruſcinonenſi direpto vexatoque: cum Marigotus Auernus Regis Aragonii auſpiciis militaturus, Armeniacum Comitem in patriam retraxiſſet, ditionis defendendæ neceſſitate. Bellum in Aragoniæ finibus gerebatur, & nouorum coniugiorum pacta inibantur, Ludouicum inter Andegauenſem alterius Ludouici filium, qui ſe Neapolitanum Regem ferebat, & Violantem Regis Aragonii filiã per legatos, Clemẽte Pontifice

tifice Auenione diſceptante corā & conditiones ferente, pactæ nuptiæ. Maria Siciliæ Regina Martino Exericæ regulo, Regis ex fratre nato pacta eſt. ſponſalia Perpiniani data: vbi Rex bello defendendo intentus, veris tempore morabatur. In Sardinia noui motus concitati ſunt, principio anni milleſimi trecēteſimi nonageſimi primi à Brancaleone Oria nulla 1391
memoria icti nuper fœderis, veniæq; impetratæ arma quaſi pro communi libertate correpta. fauebant Genuenſes inſulaniq; rerum nouarum ſtudio, Aragonioq; imperio feſſi. Saſſaris vrbs primaria, aliaq; oppida & arces, pars vi, pars voluntate occupatæ. Aragoniæ vires imminutæ erant. nouæ ergo copiæ conſcriptæ: atq; Cæſarauguſtæ ad quintum Idus Febr. omnes quicunq; in ea inſula poſſeſſiones aut oppida haberent, continuo præſidio accurrere à Rege mandatum eſt. Quo anno Martinus Salua Pompelonenſis Epiſcopus à Clemente Pontifice honore purpuræ donatus eſt: eumq; primum ea eccleſia Cardinalem habuit, virum omnibus animi & corporis dotibus præſtantem ea tempeſtate.

Henrici tertii Caſtellæ Regis initia. Cap. XV.

REGIS Caſtellæ lateri, quo tempore equi caſu afflictus oppreſſuſq; eſt, Tenorius Archiepiſcopus adhęrebat prȩſtanti vir, expeditoq; conſilio. Ergo extemporali tentorio ipſo loco extructo acres cuſtodias adhibet. exanime Regis corpus veſtibus & fomētis tegit. pro Principis incolumitate, quaſi eius iuſſu votis & ſupplicationibus ſuperi fatigantur, haudquaquam exauditurі extincto iam Rege. ſed à prudenti Præſule prouidebatur, vt extracto tempore extruſi in omnes partes tabellarii vrbes & oppida in fide confirmarent: proceribuſq; & Epiſcopis, qui diuiſi ſtudiis erant, reipublicæ conturbandę facultas non eſſet. Quo conſilio interdum nuncii vulgati Regem melius habere: dareq; mandata. ſed cum vultus non conſentiret cum verbis, omniaq; timide ac perturbate agerentur, multumq; miniſtri inter ſe arcano colloquerentur conſultarentq;, diu res contineri non potuit. Prima Beatrix Regina ad triſte ſpectaculum accurrit, paterno ante ſpoliata regno, nunc etiam viduata viro nulla prole, quæ calamitatem leuaret. Henricus eodem percitus nuncio Madritum venit, iter proſequente Ferdinādo fratre. Agenteq; Toletano Archiepiſcopo, cuius primę partes erant, in eo municipio, vexillis de more explicatis, Henricus primū in cōuentu procerū, deinde per compita Caſtellę Rex proclamatur vndecim annos natus, paucis adiectis diebus. publicæ lætitiæ mœror permiſtus, tanto ſublato Principe, corpore noui Regis imbecillo, vnde Valetudinarii cognomen acceſſit. Conuenere tamen certatim tota prouincia proceres nouum Regem ſalutaturi, rebuſq; in diſcrimine opem laturi. nouas nonnulli fingebant ſpes rebus mutatis turbatiſq;, augeri ipſos copiis & potentia poſſe. affuerunt Fridericus Beneuenti Dux, Petrus Traſtamaræ Comes; Magiſtri militum Laurentius Figueroa D. Iacobi, Gōſaluus Guſmanius Calatrauę, Martinus Iuanius Alcātarę. Ioannes Manricus Archiepiſc. Compoſtellanus, idem regii ſcrinii Magiſter. Alfonſo Villenæ Marchioni, qui priori tempore in Aragoniam diſceſſerat infenſus (ſic arbitror) Caſtellę Regi, nunc expetenti, ſeſeq; ea conditione affuturum pollicenti equitum præfectura conceſſa à Rege Reginaq; eſt, iudicium defuncti Principis ſecutis, ſub quo eum honorem obtinuerat. neq; venit tamen, aliis in Aragonia rebus implicitus. Extincto Regi poſtquā iuſta magnifice facta ſunt, corpuſq; vti ipſe mandauerat Toleti in regio ſacello eſt tumulatū: proceres in vnū conuenere, vt inter ſe de reipublicæ ſtatu componendo diſceptarent. venere vrbiū procuratores ſtudio incitati, patriæ opitulandi. Eleonora Sanctii Alburquerquii Comitis filia vnica, & ampliſſimi principatus hæres, prorſus vt ea tempeſtate locuples fœmina vulgo diceretur, in aula verſabatur, huius nuptias Beneuēti Dux eius patruelis ambire cępit. verum conatus fruſtra fuit. Ferdinādo Regis fratre prȩlato, ea lege, ne prius ratę nuptię eſſent, quā Rex quatuordecim annos eſſet natus, vti erat in Anglico fœdere cautum, ſi quid Henrico ante iuſtam ætatem humanitus accidiſſet, Ferdinandum cum regno in Catharinæ nuptias ſubrogari. Ea cauſa Eleonora ſacramento, nuptiarum pactū confirmauit, lectiſſima puella forma, regia indole, decem & ſex annos nata: Ferdinandus ætate minor, iureiurando abſtinuit. Dum de republica diſceptatur, Petri Aialæ, ad quem Fuenſalidæ Comites genus referunt, indicio cognitum eſt, a Ioanne Rege teſtamētum conſcriptū ſuperioribus annis fuiſſe. conquirendum proinde diligenter viſum eſt priuſquā certi aliquid ſtatuerent. regię ſchedæ excuſſæ omnes, atq; teſtamētum inuentum ante annos aliquot ad Cilloricum oppidum in Luſitania nuncupatum, vti ſuperius dictum eſt. Recitatę tabulę in conuentu. varii animorum conſecuti ſunt motus. ac illud pleroſque offendebat maxime, quod Henrici tutores vſq; ad quintumdecimū ætatis annum inſtituti erant, Alfonſus equitum Magiſter, Archiepiſcopi Toletanus, Compoſtellanuſq;, Calatrauę Magiſter, Nieblę Comes Alfon-

ſus Guſmanius, Petrus Mendoza regiæ procurator. his ſex ciues Burgis, Toleto, Legione,
Hiſpali, Corduba, Murcia, ex ſingulis vrbibus ſinguli, aliorum ciuium ſuffragio deligendi,
adiungebantur. Res magna controuerſia agitata. pauci defuncti Regis voluntatem ratam
eſſe cupiebant. aliis teſtamentum abrogandum videbatur: quod conditori ipſi diſplicuiſ-
ſe multis argumentis & teſtibus confirmabant. Itaque ea ſententia valuit: tametſi Archie-
piſcopus Toletanus comburi tabulas teſtamenti vetuit: quod in eo templo Toletano mul-
ta abs Rege legarentur, quę rata fore diſputabat, vt cętera conſulta & decreta reſcinderen-
tur. De adminiſtrando imperio mox actum. & cõmuni ſentẽtia rerum poteſtas Beneuen-
ti, Villenæ, atq; Traſtamaræ regulis commendata, Archiepiſcopis Toletano, & Compo-
ſtellano, D. Iacobi & Calatrauæ Magiſtris. è ſedecim regni procuratoribus octo per vices
ſpatio trimeſtri adiuncti proceribus. collatis omnium ſententiis, quod maior pars decre-
uiſſet, id ratum fixumque fore placuit. Ea gubernationis ratio vni Toletano Archiepiſco-
po diſplicebat, in plures partito principatu, eoque minori ſingulorum potentia, maiori re-
rum perturbatione: atq; Alfonſi Sapientis ſtari lege malebat, vnum tres, quinq;, aut ſeptem
Rege minori creari procuratores ſancientis. victus tamen aliorum procerum importuni-
tate, miniſq; conſenſit. Monetæ genus Agni figura percuſſæ, quoniam nuper ex cogitata e-
rat, & temporum vitio adulterata, abrogari placuit: atq; ex priſtina forma valoreq; confla-
ri. Alfonſus Gegionis Comes vinctus, in Toletani Archiepiſcopi poteſtate erat. eo referẽ-
te contendenteq; Almonaciri arce Montem regalem translatus, D. Iacobi Magiſtro eius
cuſtodiendi cura demandata: donec maturo conſilio de eius rebus cõmuni conſenſu deli-
beratum eſſet. Fine anni Hiſpali atq; Cordubæ in Iudæorum gẽtem ſæuitum à populo eſt.
illatæ clades. domicilia Synagogæq; eorum direptæ. turbæ concitator Ferdinandus Mar-
tinus Archidiaconus Aſtigitanus per plateas concionabundus, inualidis magiſtratibus, a-
pud vulgus ſpe prędæ, magis quam ſyncero religionis ſtudio. vis mali ex interuallo in alias
Hiſpaniæ regiones diffuſa. Toleti, Lugrunii, Valentiæ atq; Barcinone, quaſi ſigno dato ad
certam diem Nonis Auguſti in miſerorum fortunas graſſatum eſt. multi, Chriſtiani homi-
nis officium datis nominib. ſimularunt potius, quã impleuerunt. metus haud ſyncera vo-
luntate impellebat. verum hæc aliquanto poſt. Madriti in templo quodam procuratorum
regni conuentus haberi ſoliti erant. Beneuenti atq; Traſtamaræ reguli ferro tecti in con-
uentũ irrupere. cohortibus armatis locus circumſeptus. ea res in Præſulis Toletani pectus
altius, quam vt facile euelli poſſet, deſcendit. Itaq; proxima luce Complutum abiit, ſuæ di-
tionis municipium: deinde Talaueram conceſſit. ex ijs locis ſolicitare populos & proce-
res litteris non deſiſtebat, atq; ad arma concitare. Pontificem Clementem, Reges Galliæ
atq; Aragoniæ monere: Paucorum vi oppreſſam Caſtellæ libertatem. In ſenatu non argu-
mento & ratione, ſed linguę petulãtia, de rebus publicis & priuatis diſceptari. Non publi-
cum conſilium vigere, ſed paucorum libidine regnum adminiſtrari. In regia ſigna eſſe, in
oppido vbi curia erat, milites vagari. Senatum nihil decernere, nihil à ſingulis pro ſenten-
tia dici: terrore propoſito ad paucorum libidinem circumagi. Defuncti Regis volunta-
» tem. quæ ſacroſancta eſſe deberet, pro nihilo duci. Quod ſi regii teſtamenti tabulæ con-
» temnebantur, quaſi in procinctu ac perturbate factæ, id enim nequitiæ velamen prętendi-
» tur, quid regni leges à ſapientiſſimo Rege promulgatæ? an eum etiam parum animo valuiſ-
» ſe, confectum annis & laboribus contendant? Ne ergo ſenatus iudicio, neq; regni publico
» conſenſu ſtatutum eſſe putate, quod paucis collibitum fuit. ac rebus potius perditis Regi
» minori, cuius ætas ludibrio eſt, regnum quæſtui, opem ferre maturate. quod per omnia
» numina & quidquid in terris ſanctũ eſt, melior & ſanior regni pars oramus, obteſtamurq;.
Beneuentanus Toletani Pręſulis exemplum ſecutus, in ſalutato Rege Beneuentũ diſceſſit,
ſeſeq; cum Toletano coniunxit. acceſſit in partes Villenæ Marchio. miſſi ad omnes legati:
vt quoniam regni conuentus futuri erant generales, venire non recuſarent. certe pro ſe vi-
carios cum poteſtate mitterent. fruſtra is conatus fuit. variæ facto excuſationes prætenſæ:
Dominicus S. Pontii Epiſcopus ex Prædicatorio ordine, præſtanti vir eruditionis opinio-
ne à Clemente Pontifice Legatus, geminas litteras attulit, ad Regem, regniq; procurato-
res. ſumma erat. Dolere eum optimi Principis inopinato triſtiq; caſu: atq; ex eo intellige-
re, quanta ſit inconſtantia humanæ felicitatis. debere eos æquo animo ferre orbitatem: at-
que in vnam reipublicæ iuuandæ concordiam pari voluntate incumbere. publicamque
regni ſalutem priuatis doloribus atq; cupiditatibus potiorem arbitrari. quod vt facerent,
pro iure paterni imperii mandare. Eo legato vltro citroq; commeante, de concordia in-
ter proceres actum, nullo fructu. A Regibus Galliæ atq; Aragoniæ legati eadem de cauſa
venerunt. cum iis fœdus inſtauratum, ac nouo iureiurando ſancitum eſt. Vaſconum Re-
gis legati præterea, Eleonoram Reginam ad virum remitti poſtularunt eo loco futuram,
quo

quo erat conſentaneũ. De ea re appellata, quæ fratris preces reiecerat, pueri conatus facile iiſdẽ excuſationibus ludificata eſt. Interea a Toletano Præſule delectus habiti: conquiſita auxilia. ſpecies erat reipublicæ liberandæ: ſed vt eſt prona vulgi in deterius perſuaſio, pleriq; exiſtimabant, occaſiones captare vniuerſę adminiſtrationis occupandæ, profunda ambitione hominẽ, perſonæ quã ſuſtinebat nulla memoria. legationibus ineundę concordiæ ratio ſemel & iterũ tentata: & cum nil proficeretur, vim veriti regni procuratores, atq; Madriti munitione diffiſi, cum Rege Segobiam abierunt. Traſtamaræ Comes Magiſter equitum creari cupiebat: idq; Ioanni Regi fuiſſe propoſitum dum viueret, diſputabat. Villenæ Marchionem eo honore detracto irritari, in ea rerum colluuione, ſanioribus non placebat. temperamento excogitato, ſeptuaginta millia æris annua in præſenti, ex regio fiſco Traſtamaræ regulo conſtituta, quod Magiſtri equitũ ſtipendium erat: in poſterũ, niſi Villenæ regulus mutaret, a factioneq; recederet, honor quẽ ambiebat promiſſus. quod paulo poſt factum eſt. Sequebantur Toletani partes Alcantaræ Magiſter, & Dieghus Mendoza, is ad quem Infantatus Duces copiis & ditione hac tempeſtate prævalidi, generis originem referunt. Exercitus conflatus: in quo mille quingenti equites erant, pedites quingenti. cũ ijs copiis coniurati Valliſoletum perueniunt, quo Rex ſe contulerat. ad vicini fluminis ripam poſita caſtra ſunt. Vaſconum Regina, quę ſe Areuali tenebat, periculo percita, ne pars cum parte confligeret, pari damno ſiue victoribus ſiue victis coniuratis regiiſve, vtroſque adeundo, magno labore, magna contentione impetrauit, vt colloquium de pace eſſet. Peralio oppido deſignato conuenere die dicta, ex vtraque parte proceres. affuit Regina ipſa, virili animo fœmina, Clementis Pontificis Legatus. rogat in conuentu Toletanũ Pręſulem Compoſtellanus: cuperet ne rata eſſe omnia quæcunq; defuncti Regis teſtamento ſancita erant. ad eam vocem Toletanus cunctatus, dolumq; veritus, id agi vt Beneuentanus alienaretur, quoniam in regni procuratoribus eo teſtamento nominatus non erat placere ſibi reſpondit, ea tamen lege, ſi tres alii proceres accederent Beneuenti, & Traſtamaræ reguli ex regio nati ſanguine, atque D. Iacobi Magiſter, opibus & clientelis in primis potens. id publice & priuatim fore ſalutare, tantos Principes a reipublicæ procuratione non excludi. Aſſenſere aduerſarii ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi. cautumque vti eo fœdere confirmando Burgis generales conuentus haberentur. dati obſides virorum principum filii, Ioannis Mendozæ regiæ procuratoris, ad quem Montis accuti, Almaſanique reguli genus referunt, Petri Aialæ, Dieghi Sunicæ, Alfonſi Cerdæ. ſic in præſenti diſceſſum quidem ab armis eſt.

Fœderis conditiones mutatæ. CAP. XVI.

TOLETANI Præſulis partes nouo fœdere haud obſcure confirmabantur: pluſq; vnus auctoritatis & virium habiturus videbatur, quam omnes aduerſarii, & ſuis opibus validus, & noua trium Principum acceſſione formidabilis. id intelligentes Compoſtellanus & ſocii, omnes ingenii & induſtrię neruos ad imminuendam illius potentiam conferunt. Conſilio inter ſe cõmunicato Alfonſi Gegionis Comitis liberandi, atq; in priſtinam ditionem reſtituendi auctores exiſtunt. ſatis ærumnarum pertuliſſe, ſatis pœnarum eſſe datum. ſic ille mutatione temporum euaſit, ad Regemq; deductus eſt. Burgis vbi conuentus agebantur, de fœdere nuper icto diſceptatur. negat Compoſtellanus aſſenſurum, niſi Gegionis Comes, quartus tribus proceribus accederet, pari nobilitate potentiaq;. dolet Toletanus ſuis de artibus peti. diducti in partes ipſi ciuitatũ procuratores. res magna altercatione agebantur. nouorũ motuum metus iniectus. partiũ conſenſu, delecti iudices controuerſię, Gonſaluus Epiſcopus Segobiẽſis, atq; Aluarus Martinus, vtriuſq; iuris publici & priuati peritiſſimi, cęterũ & ipſi infecti partibus, eoq; conſenſu nullo. Principio hęc anni 1392. agebantur. 1392 multis in ea re diebus & laboribus conſumptis conuenit tandẽ: quatuor proceribus, de quibus controuerſia erat, ad reliquos adiunctis regia vectigalia diuidi: tempore imperii ſingulis cõſtitui: ita vt ſemeſtri ſpatio quini rempublicam procurarent: ceſſarent alii. ea compoſitione tranquillitatis ſpem prouincialium animis conceptam, improuiſus caſus repente conturbauit. Dieghus Regius ex Gegionis Comitis familia, è venatione rediens, à duobus Beneuentani aſſeclis trucidatur, hero haud ignaro (ſic vulgo perſuaſum eſt) vnde magna inuidia flagrare cœpit. ſingulis cõſiderantib. qualis futurus eſſet accepta poteſtate, qui id ſpecimen ſæui animi ipſis initiis præbuiſſet. ergo rebus mutatis, retractatoq; fœdere defuncti Regis teſtamento ſtari placuit: ea modo conditione, vt quoniam Villenæ & Nieblæ reguli aberant, dum euocati denuo regiis litteris venirent, eorũ partes Toletanus Præſul impleret, quaſi vtriuſq; vicarius, cum iure trini ſuffragii. Duci Beneuentano, & Gegionis Comiti ex regio fiſco, ſtipendii nomine centũ æris myriades annuæ, ſingulis deſignatæ.

datũ pręterea Toletano, vt regia vectigalia dimidia ex parte penes ipſum eſſent: vnde eos ſumptus compenſaret, qui paulo ante contrahendo, alendoq; exercitu facti erant, publicæ vtilitatis cauſa. ſic ipſe prædicabat, crediq; cupiebat. & quoniam induciarum tempus exibat, quæ pactæ cum Luſitano erant, neq; ſatis virium ad bellum inſtaurandum: communi conſenſu legatio ad Luſitanum miſſa eſt. cuius legationis principes fuere Ioannes Serranus Seguntinus Epiſcopus, atq; Dieghus Corduba Caſtellæ Mareſcalus, nobilis in primis potenſq;. vnde Egabri ſiue Cabræ Comites, generis ſtemma perpetua ſerie deducunt. Nieblæ Comite in curiã euocato, graues Hiſpali motus extiterunt. Maris præfecturam Aluarus Guſmanius illius propinquus obtinebat. Dieghus Mendozius pro ea gratia & auctoritate qua apud puerum Regem valebat, dari ſibi cupiebat. attraxeratq; in partes Nieblæ Comitem, aliena calamitate ſtudẽtem, nouum ſibi & potentiſſimum amicum conciliare. ea irarum cauſa grauiſſima. Petrus Pontius Marchenæ regulus, iunctis cum Aluaro Guſmanio viribus Hiſpalim occupat. Nieblæ Comitis amici & neceſſarii ad vnum omnes vrbe exacti. Segobiam propter loci firmitatem ciuiumq; fidem abs Rege itum eſt. eo ex Luſitania allatum: Regem Luſitanum à fœdere aures auerſas præbere. Henrici Regis ætas contemptui erat, & ex procerum Caſtellæ diſcordia rei bene gerendæ occaſio exiſtere videbatur. præterea Beneuentanus Dux, qui publicam inuidiam non ferens, & ne teſtis deformis acceptæ ignominię in curia viſeretur, in patriam diſceſſerat, rebus Luſitanis fauere nunciabatur, Beatrice Regis Luſitani filia notha deſponſa, ingenti auri pondere dotis nomine promiſſo. ægre id habuit Regem & proceres reputantes, quantum momenti acceſſurum Luſitanis eſſet, Beneuentano in partes attracto, magnis opibus & clientelis, finitimo principatu. Eleonorę Alburquerquii Comitis nuptias interceptas, accuſabat ille, dolebatque. ea cauſa Rogium interficiendum curaſſe creditum, cupiditati repugnantem. quod ſi Ferdinando detracta, ſibi redderetur, facile Luſitanam conditionem eſſe repudiaturum. conſilio inter proceres collato, parere neceſſitati viſum eſt. Areualum in Vlteriori Caſtella nobile municipiũ, nuptiarum celebritati deſignatũ: quam rem incenſo ſtudio ambierat, eius copia faſtidiũ pepetit, repenteq; mutata voluntate deſtitit. ſiue id fuit, ſiue inſidias & fraudem veritus in fœderis ſpecie, certe ad Luſitanum coniugium denuo animum retulit. Toletanus Prȩſul haud ignarus quantum periculũ rebus immineret, pro ea gratia & auctoritate quã penes Beneuentanum obtinebat, ad eum citato itinere profectus eſt. Villenę Marchionis filiã coniugẽ pollicebatur: auri pondus dotis nomine, non minus quam quod in Luſitania offerebatur. recuſat ille conditionẽ: ſibiq;, externo præſidio opus eſſe ait, aduerſus inimicorũ potentiam: quorũ erat magnus numerus in prouincia, opes ampliſſimæ. ergo nihil profectũ. tantum in reditu à Toletano Prȩſule Senticæ, hoc eſt, Zamoræ ciues in fide cõfirmati: Villaiſanoq; arcis Præfecto ſuſpecto, ne eam Beneuentano traderet, proditionis facultas ſublata, præcipua turri templi maximi, cui à Saluatore nomen eſt, quam occuparat prȩſidio, detracta. Erat annus in æſtatem extractus: cum ex Luſitania, quò legati de pace amandati ſunt, intellectũ eſt, nihil ea legatione fuiſſe profectũ. tametſi ad Sabugaliam oppidum in vtriuſq; regni finibus, vbi Prior Hoſpitalarius pro Rege Luſitano cum ipſis cõuenerat, ſupremus conatus erat adhibitus, res ad bellũ reſpectare: Luſitanos ex memoria rerũ geſtarũ ſpei imminere ditionis amplificandæ: nec niſi ſuo commodo fœdus facturos. Beneuentanum quingentos equites ſub ſignis habere: peditũ magnum numerum. cum ea manu ad Pedroſam habere caſtra, quod oppidũ prope Taurum in Vaccæis ſitũ eſt. Magna regni procuratoribus iniecta cura: ingens popularibus metus reputantibus ad inteſtinas difficultates malaq; quantum periculi accederet, nouo bello concitato. Ergo Rex Medinam Campeſtrẽ abiit. vniuerſa ditione militares delectus habiti. bellico ſtrepitu, armorum apparatu cuncta perſonare. Eo maiori terrore, quod a Mauris alia parte bellũ imminere videbatur Mahomadis Granatenſis Regis obitu: cui huius anni principio importune ſane defuncto, magnoq; rei Chriſtianæ incõmodo (nam noſtrorũ amicitiam perpetuo coluerat) Iuzephus filius ſucceſſit, ingenio haud abſimili, moribuſq;, atq; pietate: qui ſuperſtite patre, multis Chriſtianis libertatẽ reſtituit, eoſq; in patriã remiſit, nullo redemptionis pretio, ſed propenſa de noſtra gente bene merendi voluntate. quod illi Regi facto malo fuit. Quatuor genuerat filios, Iuzephum, Mahomadem, Halim, Hametũ. Mahomad ardenti ſpiritu iuuenis, nullamq; ſpem regni niſi in fraudibus habens, ætate minor patrem criminando, quaſi nomine tantum Maurus eſſet, re & ex arcano profeſſione Chriſtianus; multos in partes attraxit, vitio humani ingenii rerum nouarũ cupiditate cõcitatos, & prauæ ſuperſtitionis ſtudio incẽſos. Eo res à paruis initiis proceſſerat, vt periculũ eſſet, ne pars cum parte armis certaret, pari vtrinq; gentis malo cladeq;. aderat Marrocii Regis legatus, vir à multo rerum vſu collecta prudentia, vt in ea gente admirabilis. eo annitente, diſſidio

ſublato

ſublato inter patrem & filiũ, pax in pręſenti quidem compoſita eſt. ne potentia imminuta ciuili bello, gens Maurica prædę eſſet hoſtibus prouidebatur, ad omnẽ occaſionẽ eius imperii delendi intentis. Moneant, inquit, vos vtriuſq; temporis documenta, ne contumaciã cum pernicie, quam concordiã cum ſecuritate malitis. Noſtris diſſidiis, nulla hoſtiũ virtute, maximæ clades acceptæ. quid nunc fore putatis, nouo tumultu cõcitato? Parenti quãuis impio, filiũ obſequi conſentaneũ eſt. in eius vitã conſpirare, quid aliud, quam naturã inuertere, & ima ſummis, ſumma infimis cõmutare? Quin potius iunctis viribus, in hoſtium fines irruitis, iniuriæ opportunos propter infirmã Regis ætatẽ, diſſentientes procerũ inter ſe voluntates, belli Luſitani metũ. Ad has voces rebelliũ ſtudia repente cõquieuerunt. Mahomad in patris ſe poteſtate fore dixit. mox in Murciæ fines impetus factus, ea parte vbi Eliocrota ſita eſt, noſtris Lorca. vaſtati agri. actæ prædæ. Septingenti equites erant, peditũ tria millia. his obuiã factus Alfonſus Fagiardus cum centum & ſeptuaginta equitibus, quadringentis peditibus, magna eos ſtrage cecidit, fuditq;, ablata pręda. magno metu Hiſpania liberata. quo metu belli etiã Sardici apparatus claſſe Barcinone inſtructa per cauſam Sardiniæ repetendę, vbi Brancaleonis armis vrbes & oppida occupabãtur, diſturbatus eſt. Accepta Mauri clade caſtigati, maioriſq; mali metu, ad pacatiora cõſilia animos reuocantes, inducias petierunt, impetraruntq;: reputantib. noſtris plus gloriæ atq; periculi è Luſitania inſtare: eoq; bello, aut cõpoſito, aut profligato, Mauros in cętera victorię pręmia facile acceſſuros. Augebatur Luſitanus numeroſa prole, quatuor filiis continuatis ferme annis ex Philippa vxore ſuſceptis. Alfonſus, qui ad iuſtam ætatẽ non peruenit, Eduardus cui regnũ fata deſtinabant, priorib. annis nati ſunt. hoc anno Septemb. nono die Oliſipone Petrus in lucem prodiit, Conimbricæ deinde Dux: & ſedecim menſibus elapſis Henricus cui Viſeũ principatus fuit, eius militiæ Magiſtro, cui à Chriſto nomen eſt: rerũ cęleſtiũ atq; cõuerſionum peritia maxima. Quo pręſidio, atq; animi magnitudine, Oceano enauigato, intima Africæ littora explorare primus, atq; aperire tentauit vnde poſteris occaſio in vltimas Orientis oras circũducta Africa nauigandi, magno ſplendore, fama, prouentuq; gentis Luſitanę, vti alio loco cõmodius eſt explicandum. Caroli Regis Gallię eo nomine vi mens cõuulſa erat, furoreq; percita, ex inopinato miſerabiliq; caſu. Magiſtrũ equitum Lutetię ex aula redeuntẽ noctu, Crao vir nobilis aggreſſus multis vulnerib. inflictis pro mortuo reliquerat, ſeq; ad Armoricæ Ducẽ ex fuga recepit. inde iræ in vtrunq; Regi, quę ſemet vindictæ mora atq; difficultate accendit. dedere hominem iuſſus Dux non parebat: ſe tamen neq; auctore neque conſcio facinus factum excuſabat. Rex delectu habito vindicare iniuriam parabat. Ex Cenomannorum vrbe, iniquiſſimo anni tempore, maximis Solis ardoribus ſub meridem pręceps abiit. vix ad alterum ab vrbe lapidem peruentum erat, cum inuiſus eum furor corripuit. ſtringi repente gladium. vnum & alterum interimit, vulnerat alios: equo tandem delapſus pro mortuo inter manus Cenomannos reportatur. adhibita curatione ita reſtituitur, vt ex interuallo mẽte periclitaretur, vacillaretq;. vnde magna mala Gallicę genti extiterunt, Rege curis grauioribus inepto, rerum procurationem multis vno tempore proceribus ambientibus. Ioannes Iuuenalis Bellauocorum Pontifex Carolum in eo furore nihil moleſtius tuliſſe ait, quam ſi quis Anglię Anglorumq; mentionem faceret. purpureas cruces, quæ Anglis pro militię teſſera ſunt, plurimum execrari ſolitum. credo quod inſanis & dormientibus eæ potiſſimum inerrant menti, atq; oculis imagines, quibus ſani vigilantesve maxime mouebantur.

Inducia cum Luſitanis facta. CAP. XVII.

FRIDERICI Beneuentani Ducis pacandi, in partesq; trahendi cura Caſtellæ proceres ſolicitabat. Toletanus Præſul nullum reipublicæ laborem negare fas eſſe cogitans, & nouis propoſitis conditionibus eius animum flecti poſſe confidens, rebus aliis neglectis ad eum maturare conſtituit principio anni milleſimi treceenteſimi nonageſimi tertii. optimi Præſulis precibus & auctoritate id modo datũ, ne Luſitanas nuptias maturaret, donec induciæ, de quibus magna cõtentione agebatur pactæ eſſent. vt ad Regem veniret, militeſq; dimitteret, adduci non potuit, multis inimicis, præpotentibus aulicis: quod erat neceſſe Rege minore, neq; ſui penitus arbitrii. turpe autem illis rempublicam gubernantibus ſe in curia cõſpici, nulla apud Regẽ auctoritate. Digreſſo Toletano, rurſus Sentica vrbs in periculũ venit, ne à Beneuentano caperetur: ſed conatus eius, Villaiſani inconſtantiã dedendę arcis cõſilia agitantis, Compoſtellanus, Toletanus, & Calatrauę Magiſter magna celeritate occuparũt, ciuibus ſua præſentia in fide confirmatis, munita vrbe. Beneuentanus, qui cum copiis in vrbis conſpectũ venerat, eã ſpe depulſus, alio impetũ vertit. Maiorgę arcẽ Alfõſus Cerda obtinebat, Ferdinãdi regii fratris nomine. eo dedente, in Beneuẽtani poteſtatẽ venit. acceptę iniurię dolor ſtimulabat, q; honore eſſet ſpoliatus ex Ioannis Regis teſtamen- 1393

to,quẽ in Ferdinandi pueri aula obtinuerat, familiæ procurator. vrebat etiam Villaiſanũ, lictoris munus, quo pater erat functus Senticæ, ereptum eſſe. ea inconſtantis fidei cauſſa erat: vt ſolent homines dolori indulgere, magis quam officio ſatisfacere, nulla famæ memoria.eo minus fidus fore putabatur, perſuaſumq; , vt annuo vectigali conceſſo, arcẽ traderet Gonſaluo Sanabriæ Bletiſæ,hoc eſt, Ledeſmiæ ciui,eius Sanabriæ filio,quẽ ad Montielem captum fuiſſe monſtratũ eſt, Petro Rege interfecto. Henrici Regis curia Senticam migrauit, vt locorum vicinitate commodius de Luſitano fœdere ageretur. Beneuentani gratia potentiaque indies minuebatur: multiq; conſilio mutato, eo relicto ſeſe ad Regem conferebant. Retractandis fœderis conditionibus multi menſes conſumpti ſunt. re diu multumq; iactata, conuenit tandem, vt Sabugalia, Mirandaq; ſuperiori tempore de Luſitanis captæ redderentur. Caſtellæ Rex Beatrici nouercæ, Ioanni, Dionyſioq; eius patruis, quos in Caſtella detineri dictũ eſt, Luſitano regno recuperando, quo ſe ferebant iniuria ſpoliatos, nullam opem cõmunicaret. idem Luſitanus faceret, ſi qui vellent Caſtellæ fines inuadere. Captiuis vtraq; parte libertas eſſet. Iis legibus induciæ annorũ quindecim pactæ: cautumq; vt duodecim obſides in Luſitani poteſtatẽ darentur, procerũ Caſtellæ filii. id vnũ mutatum: datiq;, Hiſpali, Corduba, Toleto, Burgis, Legione, Sentica ex ſingulis vrbibus bini obſides, primariis ciuibus nati. ſic fœdus ſancitũ; Oliſiponeq; & Burgis, vbi Reges erant Caſtellæ & Luſitaniæ, magna vtriuſq; gentis lætitia voce præconis promulgatũ, Maio menſe dimidiato: turpe quidẽ atq; ignominioſum Caſtellę Regi. ſed eſt prudentium virorũ, malis reipublicę temporib. obſecũdare: meliora in voto habere, quęcunq; tolerare.

Archiepiſcopus Toletanus captus. CAP. XVIII.

EÆ induciæ, quantum prouinciam vniuerſam recrearunt, diuturnæ tranquillitatis ſpe, tantopere conturbauit Toletano Præſuli irrogata iniuria. Externo timore depulſo, inteſtina diſſidia confirmata. fauebat Duci Beneuentano Toletanus Præſul: Ioanni Velaſco regio cubiculario vtriuſq; amico & neceſſario, maiores honores haberi cupiebat, augerique ſtipendium, quod ex regio teſtamento magna ex parte erat imminutum: & cum non impetraret, curia abire conſtituit. veriti alii proceres, ne nouorum motuum ea occaſio exiſteret, propter amplas opes, ditionemq;, Toletani excelſum animum, omniſq; iniuriæ impatientem: conſilio inter ſe & cum Rege cõmunicato, eum in aula Ioannem Velaſcum domi ſuæ capiunt. erat is opibus & clientelis validus, (nuperque acceſſerat Villalpandum dotale municipium) eius Velaſci filius, quem ad Oliſiponem deceſſiſſe dictum eſt, nobiliſſimæ familiæ conditor: vnde plures Magiſtri equitum continuato honore, noſtra tempeſtate extiterunt. capti etiam Petrus Vxamenſis Epiſcopus, Ioannes Fuſſelenſis Abbas. inicere viris ſacratis manus, pudori non fuit. publicæ tranquillitatis ſpecies obtenta. Sentica, vbi capti ſunt, Palentia, atque Salmantica ſacris interdictæ. Itaque aliquanto poſt dimiſſi omnes ſunt: cum Toletanus Talaueram, Complutum, obſidum loco tradidiſſet, præterea quatuor propinquos. Ioannes Velaſcus Sorię arcẽ, quã Regis nomine obtinebat. Anathematis religione Rex & proceres ex eo facto erant deuincti. Eius procurandæ poteſtás Dominico pontificio Legato, Albienſi tunc Epiſcopo facta eſt, iis litteris, quarũ exemplum ſubiicimus ex Toletani templi ſchedis. Impleuit amaritudine mentẽ noſtrã nunciata nobis nouiter venerabiliũ fratrum noſtrorum Petri Archiepiſc. Toletani, & Petri Epiſcopi Oxomenſis, & dilecti filii Ioannis Abbatis de Fuſſellis in eccleſia Palentin. captio, ſeu detentio perſonarum, per nonnullos, tam eccleſiaſticos, quam laicos, Henrici Regis Caſtellæ & Legionis illuſtris, tutores, conſiliarios & ſubditos, ac de mandato & conſenſu Regis ipſius perpetrata. dolemus ſiquidem & inconſolabiliter contriſtamur, eccleſiæ ſanctæ Dei, his mœſtuoſiſſimis temporibus, tam afflictę & multifarie deſolatæ, necnon ſchiſmatico diſſidio miſerabiliter laceratæ, ſuper tot ſuorum vulnerum, per dictum Regem ipſius peculiarem filium & præcipuum defenſorem ſuperadditum exiſtere tantum vulnus. verum quia ſicut pro parte dicti Regis expoſitum nobis fuit, in captione ſeu detentione prędicta, quæ ex certis, iuſtis & rationalibus cauſſis, perſonæ Regis eiuſdem & regnorum, ac ſubditorum ſuorum ſtatum bonum, ſecuritatem, pacem, quietem & commoditatem concernentibus, maturaq; conſiliariorum ac magnatorum ſuorum ſuper hoc deliberatione pręhabita, facta fuit: alias grauis vel enormis circa perſonas dictorum ſic captorum, ſeu detentorum, non interuenit exceſſus: ipſiq; ſic capti ſiue detenti, poſtmodum reſtituti fuerunt plenariæ libertati, & ipſa principaliter potiuntur. nos teneritudinẽ ętatis Regis ipſius, adhuc impuberis, propenſius attendentes: & proinde captionem ſeu detentionem huiuſmodi, nõ tam ex ipſius, quàm ſui deliberatione conſilii perpetratã fuiſſe veriſimiliter arbitrantes: volenteſq; propter hoc mitius agere cum eodem, ſuis in hac parte ſupplicationib. incli-

nan

nati, fraternitati tuæ committimus & mandamus, quatenus ipſum Regem ab excõmunicationis ſententia, quam occaſione præmiſſorum incurrit à iure vel ab homine, quoquomodo, ſi hoc humiliter petierit, auctoritate noſtra abſoluas in forma conſueta: & iniungas inde ſibi pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem: & alia quæ de iure fuerint iniungenda: etiam iuris rigore circa hoc manſuetudine temperato: ſi & prout ex iuſtis & rationabilibus cauſis diſcretioni tuæ videbitur faciendum. nec non pœnas alias, in quas propter præmiſſa quomodolibet incidit, circa ipſum eadẽ auctoritate relaxes. Datis Auenione, quarto Kalend. Iunii, pontificatus noſtri anno quintodecimo. His acceptis mandatis, in D. Catharinæ templi maximi Burgenſis ſacrario, Rex in genua procumbens, atq; humilimo corporis habitu veniam precatus, ſacramentoq; adactus, ſe in poſterum legibus ſacris obtemperaturum, ſatisfacturumq; Toletano Pręſuli redditis arcibus: anathematis religione exolutus eſt quarto Nonas Iulii, die Veneris. Affuerunt Epiſcopi Petrus Vxamenſis, Ioannes Calagurritanus, Lupus Mindonienſis, Dieghus Mendoza maris Præfectus. interdicti decretũm inductum, quo tres vrbes aſtrictæ erant. Ad hanc lætitiam, noua acceſſit. Compoſtellano, penes quem rerum arbitrium erat, deprecatore atque annitente; Beneuentano Duci perſuaſum eſt, vti dimiſſis copiis animum ad tranquillitatem referret: atq; ſe Regis permitteret poteſtati. Luſitanæ induciæ mouebant, amici Pręſulis caſus, vnde rebus ſuis præſidium expectabat. Sexaginta millia Francorum pacta, dotis Luſitanæ compenſatio: libertaſq; conceſſa ex quauis gente vxorem ducendi, exceptis modo Luſitanis: vt Taurum venit, nullis acceptis obſidibus, quo fidem fide obligaret, Rex eum omni comitate atque officiis omnibus complexus, eo loco apud ſe habuit, quem eius nobilitas poſtulabat: minori aulicorum potentia, Regis ætate confirmata. ſic magnorum motuũ ſublato metu, qui ſolicitos habebat prouinciales, pax rebus reddita eſt. Compoſtellanus magnus haberi: in ore omnium eſſe: gloria haud diuturna, Rege breui ſui iuris facto; Toletano æmulo in priſtinũ gratię & auctoritatis locũ reſtituto. q; illi malo fuit, vti fictis vtriuſq; Pręſulis nominibus vulgatoq; prouerbio populus ominabatur. q; alio loco explicandũ eſt. Regi Vaſconũ Chireburgum in Nortmannia ab Anglis redditũ eſt, mutuæ eatenus pecuniæ pignus. impoſitum præſidium propter circunfuſas vndique Gallorum copias, Martino Lacarra Præfecto. Martini Principis & Reginæ Siculæ pactæ nuptiæ, ſuperiori tempore confectæ erant, Clementis Pontificis venia: quod ea inſula Romanæ eccleſiæ eſſet vectigalis Siculi proceres ad ſpem libertatis arrecti magnam inſulæ partem præſidiis occupabant. armis ad officium pertrahendi erant: nam voluntate quidquam pro ſano facturos non ſperabant. eo noui Reges claſſe comparata traiiciunt, Martinuſque Momblanci Dux, Regis Siculi pater. Bellum geritur varia alternanteq; fortuna. Aragonii, quibus initio cuncta prona fuerunt, ij rebus conuerſis intra Catanæ arcem compulſi, obſeſſique tenebantur. Bernardus Cabrera (quem ea ætate præſtantem virum bello paceque fuiſſe conſtat) vritutum indole, ſuis maioribus æqualis, ad eam expeditionem profectus, claſſiſq; præfectura donatus, propter Sardorum motus, in Hiſpaniam redierat: ſua nunc ſponte, an ab Aragonio euocatus, incertum, ſed periculo tamen ex Sicilia nunciato, paternis auitiſq; oppidis oppigneratis. ex Catalaunis, Aquitanis, & Morinis exercitu raptim conflato, atq; in Siciliam traiiciens; rebus in extremum diſcrimen adductis, ac propemodum deſperatis; ſalutem attulit. verſa partium fortuna, victi coniurati proceres, totaq; inſula rurſus Aragonii imperii iugum ſubire compulſa eſt quod ad noſtram ætatem perſtitit, propriumq; fore auguramur.

LIBRI OCTAVIDECIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ LIBER NONVSDECIMVS.

Henricus Rex rerum adminiſtrationem cepit. CAP. I.

RECREATA ex magnis diſſidiorum tempeſtatibus, magnoq; timore tantiſper Caſtella eſt. multorum imperio, vnde magna incommoda extiterant ſublato, rerum adminiſtrationem Rex deſumpſit quatuordecim annos natus (quæ ætas patris teſtamento legitima erat) duobus tantum menſibus minus. ſed id ſpecimen ſui dederat, vt magni, prudentis, iuſtiq; Principis in eo indolem eſſe appareret, ſi modo vita ſuppeteret. Proceres vt rempublicam capeſſeret, conuitio propemodum hortabantur, non vno omnes ſtudio. quidã vt puerili cupiditati indulgendo gratiæ aditum ſibi & neceſſariis patefacerent: pars inuidia præſentis ſtatus æſtuantes, & nouarum rerum ſtudio incitati. Conſilio Rex approbato, in Olgarum monaſterio, quod prope Burgos eſt, vbi Caſtellæ Reges regni infulis exornari cõſueuerunt, cõgruentia, tẽpori elocutus: Quod ſuperis placitũ, reipublicę ſalutare, felix fauſtumq; omnibus eſſet, regni adminiſtrationem ſe ſuſcipere profeſſus orat, ac poſtulat, vt imbecillam ætatem conſiliis ſuis ipſi ſuſtentent, atq; vna ſecum prouinciam adminiſtrent. cæterum tutorum, procuratorumq; nomine & poteſtate ab eo die penitus ſublato, eius ſigno, litterarum, diplomatumq; fides conſtaret. Secutus eſt omnium qui aderant plauſus, procerum approbatio: pontificii Legati, Ducis Beneuentani, Magiſtri Calatrauæ, aliorum, qui toti cæremoniæ interfuerunt teſtes ſpectatoreſq; Compoſtellanus Præſul, vti erat à multo rerum vſu exercitatus, & quoniam ei primas cæteri deferebant, in hunc modum locutus fertur. Non minore religione, neq; minore lætitia apud te, inquit, ô Rex verba faciemus, quam modo pro tua incolumitate ad aras ſuperis vota perſoluimus: te quoq; eadem animi pietate auditurum confidimus. Tertius agitur annus, ex quo tuæ ætati rectores, vniuerſæ prouinciæ moderatores, patris tui teſtamento & voluntate ſumus adhibiti. Quantum ſit profectum, aliorum iudicium eſto. nullum certe laborem, nullum vitæ periculum cõmunis ſalutis cauſa ſubire recuſauimus. De noſtris laudibus dicere inuidioſum eſt: ſed domeſtica tamen concordia perſtitit, in magna quamuis voluntatum varietate. Nullus effuſus eſt ſanguis: nullæ cędes extiterunt: quæ res comparanda miraculo, & tuæ felicitati accepta feratur neceſſe eſt: atq; ad reliqui imperii omen vertatur. Cum Mauris ad ſpem imperii depellendi concitatis, perpetuiſq; hoſtibus nominis Chriſtiani fœdus inſtauratum eſt. ferocientes Luſitanorum animi factis induciis pacati. Galli, Angli, Aragonii, vt erat opus, omnibus officiis culti, cõciliatiq;. At plebes noſtris imperiis exacerbatæ, exhauſtęq; ſunt? quî id cum populis recreandis, decuma rerum venalium, quam pendere ſoliti erant, ad vigeſimam ſit redacta? ſic populi inopiæ, atque querelis occurſum eſt. pleriq; patrię extorres violentia, atq; crudelitate publicanorum, atq; fortunis omnibus euerſi, domos redierunt. At ærarium eſt exhauſtum, theſauri regii conſumpti. eſto. ſed æs alienum nominibus ſoluere quî poteramus: nobilium, & populi commotas voluntates ſedare, niſi augendis muneribus? quæ à te tamen, regno confirmato reſtringi pro voluntate poſſunt. Nullum hactenus oppidum detractum eſt, ne ignobilis quidem pagus. omnia integra ſunt. nihil tuæ felicitati deeſt, nihil noſtræ lætitię. quin confecta nauigatione longiſſima, multis perfuncti periculis, mercibus, armamentiſq; ſaluis, portu tandem occupato, veliſq; contractis libenter conquieſcimus in tua prudentia & benignitate, certi ſi quid in tanta rerum varietate peccatum eſt, te id vltro nullo deprecante condonaturum. Hoc quoq; in tuam gloriam cedet, eos habuiſſe tutores, qui, quibus hactenus modeſtię prudentię diligentię inter ſe, quibus virtutibus res tantę perfectæ ſunt, & aduerſus vitia certamen fuit, nunc quoq; modica tolerare, & quietem pati poſſent. Ad hæc Rex: Veſtra quidẽ erga me merita, cũ perſpecta ſint omnibus, dum vita ſuppetet, æterna erunt: & vt ante veſtris pręceptis pueritiam conformaui, ſic deinceps conſilio vti certum eſt, in omni reipublicæ parte. Hęc ineunte Auguſto menſe acta ſunt. mox de regni ſtatu relatum: Sacris Caſtellæ beneficiis, vt quęq; opulentiſſima erant, ita maximo ſtudio, ſpe, conatu externi imminebant, nullo probitatis reſpectu, nullo eruditionis honore, [illegible] procu-

randi

Digitized by

randi cauſa, Caracæ in regni conuentibus, vti ſuperius dictum eſt, cautum: ne externi in ea beneficia inuaderent. nihil eſſe ſordidius, atq; crudelius, quam ſi eccleſias arroderent, ii qui nihil opis contuliſſent, neq; ipſi, neq; maiores eorũ: nulli deinceps vſui futuri eſſent. Cum id decretum à Romanis Pontificibus negligeretur, à regni procuratoribus prioribus annis ſacerdotiorum reditus, quæ externi obtinebant, occupati erant. De ea re referente Clementis Legato, in conuentu diſceptatum: conſilioq; inter proceres cõmunicato reſponſum. Iniqua videri externos petere: ſed aulicis tamen ſpe imminentibus ea ſacerdotia impetrandi venia Pontificum, lubrica pueri Regis ætas tentata precibus, ac victa tandem eſt. De ea, aliiſq; controuerſiis cõmuni procerum conſenſu deliberandum videbatur. conuentus ergo regni generales Madritum indicti. Verum dum euocati conueniunt, nouus Rex Cantabriam præſens cernere volens, vti eius prouinciæ homines flagitabant, eo profectus, eius principatus poſſeſſionem iniit: datumq; Cantabris expetentibus Caſtellæ exemplo (nondum enim mos ille ſublatus erat) prouocandi ius ad ſingulare certamen, marte arbitro controuerſias, quæ multæ in ea gente erant, diiudicandi. ſic tempora erant. Fuit hic annus inſignis Fortunatis inſulis ex interuallo noua nauigatione repetitis. Cantabri ingenti ſumptu, claſſe inſtructa, circunductiſq; Hiſpaniæ littoribus ad eas inſulas appulſi, earum ſitu, amœnitate, numero atq; nominibus cognitis, ad Lanſarotam (vni earum inſularum id nomen eſt) excenſione facta, conſertaq; pugna victores, Regem, Reginam, centũ ac ſeptuaginta inſulanos captos: prꝑterea pelles caprinas, cerꝑq; primitias, quibus inſulꝑ abundant, nauibus in Hiſpaniam aduexere, innatꝑ fertilitatis ſpecimen, prouentuſq;: ſi repetitis nauigationibus eas inſulas Hiſpanorum imperio ſubiugarent.

Madriti conuentus habiti. CAP. II.

INTEREA proceres, Epiſcopi, ciuitatum procuratores, Madritum, vti erant iuſſi, magno numero conuenerunt. Rex rebus in Cantabria compoſitis, atq; ad Segobiam æſtate tranſacta, menſe Nouemb. eodem appulit. Vocato concilio, de parentis laudibus, de reipublicæ ſtatu pauca præfatus, conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregie imperii atq; adminiſtrandi, domeſtica ſuppetere, multa & præclara memorauit. Pace cum externis Principibus pulcherrime ſtante, ſe minore regnum domeſticis diſcordiis agitatum, ac tantum non oppreſſum. Quod vitio temporum, magis quam hominum culpa, deprauatum erat, affectũq;: ſua cura, eorũ, qui aderant, conſilio ſanandũ. Futuri principatus, eam formã fore, quæ maxime ea declinaret, quorum recens inuidia erat. Curaturum, effecturumq;, ne ambitioni quidquam peruium, aut pecunia venale eſſet. Iudiciorum, legumq; auctoritatem, ſuperiorum temporum licentia euerſam, cupere reſtitutam: cum benignitate tamen, ad quam ætatis conditione, ingenio, atq; natura eſſet, quam ad ſeueritatem procliuior. Publici ærarii, cuius erat tenuitas maxima, ſupplendi vnam rationem eſſe, ſi aut populis ipſi noua tributa imperarent, aut donationes ipſe reſcinderet, quæ ſuperiori tempore à tutoribus factæ erant, optimo haud dubium animo, ſed magna tamen calamitate regiorum vectigalium. Regis oratio, grata Patribus fuit: tametſi ex eorum ore mitti conſtabat, qui in aula gratioſi adoleſcentis Principis ætatem haud leui aliorum inuidia pro voluntate, proq; arbitratu gubernabant, in pari potentia gratiaq; concordibus animis, quod miraculi inſtar erat: Ioannes Mendozius regiæ Magiſter, Dieghus Stunica, Rodericus Daualus cubicularius, præſtanti omnes fide, magnoque ingenio viri. Certamen tribus vnum erat, lubricæ Regis ætatis frænandæ, reipublicæ tuendæ, aduerſus procerum conatus. Rogati patres ſententias ad vocem noui tributi, ſe exhorreſcere affirmarunt, populo tantis antea vectigalibus exhauſto: vigeſimam tamen rerũ venalium, libenter concedere. Importuna procerum auiditate antiqua vectigalia alendis militibus, maiori quam opus eſſet numero conſumi, intolerandum videri. Æs militare ad antiquas priorum Regum rationes eſſe reuocandum. Id conſilium approbatum: atque ex publicis rationariis inductæ penſiones, quæ Rege minore, aut conceſſæ denuo aut plurima ex parte auctæ erant. Multorum ex ea re offenſi animi, publicarum opum attactu contaminatorum. ſed odium in occulto erat, palam approbatio. Geminæ nuptiæ publica gentis lætitia celebratæ: Regis & Catharinꝑ ſponſꝑ, quoniam ad legitimam ætatem peruenerat: Ferdinandi fratris, & Eleonoræ Alburquerquiꝑ. His rebus confectis, Madriti conuentus ſoluti ſunt. Rex Illeſcas abiit, principio anni milleſimi trecenteſimi nonageſimi quarti. metũ incuſſerat peſtis contagio, quæ 1394
Madriti graſſari cœperat. Loci opportunitate inuitatus Toletanus Prꝑſul, quoniã id oppidum in eius ditione erat, ſeſe ad Regem contulit, priſtinumq; gratiꝑ & auctoritatis locum facile obtinuit: facetus natura, & conſuetudine exercitus, magnorũ Principum gratiã promereri officiis ad tẽpus accõmodatis. Grauiter ea res perculit Cõpoſtellanũ Prꝑſulẽ pror-

ſus vt ſimulata valetudine, ſeſe è curia ſubduxerit, abieritq; Hamuſcum, ſuæ ditionis oppidum in Vlteriori Caſtella, Regi, Toletanoq; iratus, vindicaturuſq;, ſi qua ſeſe occaſio daret. Fuere ea tempeſtate ij duo Præſules diuerſis virtutibus, artibus, moribus. quos quoniam res obtulit, viſum eſt, vtriuſq; naturam, atque ingenium explicare. Nobilitas his, ætas, eloquentia, animi magnitudo, paria ferme fuerunt. ad gloriam non eadem via nitebantur. Compoſtellanus blandiciis, calliditate, munificentia certabat. Toletanus egregiis artibus, vitæ integritate. Officiis ille, & conciliandis procerum voluntatibus pręſtabat: hic ſeueritate, dignitate, opibus. In illo flagitioſis perfugium erat: hic bonos tuebatur, malis perniciem comparabat. Compoſtellanus laborare, contendere, amicis fauere, nihil negare, cuius haberet facultatem. Toletano ſtudium modeſtiæ, decoris, & probitatis erat. Dolor illum interceptæ eccleſiæ Toletanæ ſtimulabat, tranſuerſumq; agebat: hunc obtentæ nullo ambitu, nulla cura, gloria decorabat, formidabilemque reddiderat aduerſariis. ſæpeque oppreſſus, euaſit tamen: & quaſi lucis radiis diſcuſſit inſidiarum caliginem, quas æmuli offundere conati erant.

Magiſter Alcantaræ occiſus. CAP. III.

DOLEBAT proceres intercepta vectigalia, annuaſq; penſiones, quas ex regio ærario auferre conſuerant. ea occaſio rebus turbandis in Vlteriori prouincia extitit. Beneuentanus Madrito digreſſus, in regia vectigalia ipſoſq; templorum reditus inuadere non deſiſtebat, Regis ætatem ludibrio habens. miſſus ad eum Ferrerius Mareſcalus, vt officii & modeſtiæ admoneret: non ſine periculo occupari, quæ à Principe eſſent precibus meritiſq; impetranda. iuſſus Reginam etiam Vaſconum, Gegionis, & Traſtamaræ Comites, quos idem dolor vrebat, vireſq; & copias ſociarãt, iiſdem verbis appellare. Reſpondit Beneuentanus, nouis hominibus apud Regem primum gratiæ & auctoritatis locum eſſe, ægre ferre. ea cauſa diſceſſiſſe è curia, neque rediturum tamen, vti Rex poſtulabat, niſi obſidibus datis trium aulicorum potentiſſimorum filiis. Ad Compoſtellanum, quoniam ad cõiuratos Principes propenſus erat, Stunica abs Rege legatus, eius verbis mandauit quam primum in curiam rediret. Negat ille præſente Toletano, cum quo ab antiquo inimicitiæ eſſent, venturum ad Regem. Reginam Vaſconum maritus Rex reuocare ſatagens, reique perficiendæ opportunitatem veniſſe ratus Principum alienatione ob factam cum proceribus conſpirationem, noua legatione miſſa, Henricum Regem de ea re appellare conſtituit, legati Complutum appulſi, quo ſe Rex contulerat, quamuis maxima contentione, nihil amplius quam antea impetrarunt. exhorrebat Regina reditum, detrectabatq;. principi fœminæ & neceſſariæ vim adhiberi, moleſtum. ne duæ quidem filiæ, quas penes ſe habebat, vt ad patrem redirent datum eſt. dirempto coniugio, proles diuidi exęquato numero æquum videri obtendebatur: quarũ vterq; aſpectu, viduitatis, & ſolitudinis incõmoda ſuſtentaret. Noua acceſſit à Luſitano legatio, quorundam procerum ſubſcriptione, qui eatenus facere recuſarant, inducias nuper pactas, ratas eſſe conuitio expoſtulãti, Villenæ Marchionis, atq; Alfonſi Comitis Gegionis. ſuo ille conſenſu & approbatione, nihil eſſe opus excuſabat, cum quo rem integrã non communicaſſent. negabat Gegionis Comes fœdus initũ antea approbaturũ, quam oppida, quæ dotis nomine in Luſitania promiſſa erãt a Luſitano redderentur. Ergo Luſitani legati re infecta, dimiſſi ſunt. res ad bellum reſpectare videbatur. Maior tamen aliunde terror oſtentatus eſt, vnius hominis imprudẽtia, & temeritate, fœderis cum Mauris initi mota fide. Martinus Barbuda, præcipiti vir ingenio, natione Luſitanus, Ioanni Auiſii Magiſtro infenſus, tametſi eius ordinis Clauiger erat, an ſpe liberalioris militiæ, (nam cauſæ æquitatem ſecutum non arbitror) belli ſuperioris tempore Caſtellæ Regi adhæſit: pręlioq; ad Aliubarrotam facto interfuit. ſtudii operęq; pręmiũ, Alcantarę Magiſter creatus eſt: vnde magna auctoritas, opes amplæ. Ioannes quidã Sagus vir ſanctus, (ſic vulgo creditum) qui diu ſecretam ab hominũ conuentu vitã in montibus egerat, quaſi inſtinctu, inflatuq; numinis (furore percitũ euentus docuit) ingentes de Mauris victorias, nominis gloriã, ampliſſimũ imperiũ pollicetur. hortatur, perſuadetq;, vt cum Mauris, de Chriſtianę religionis veritate, pręſtantiaq; armis decertet. Præclarum initium, legibus Chriſtianis violandis earum tueri ſanctitatem. Idoneos viros Granatã mittit, Maurorum Regem ad ſingulare certamen prouocatum. ſi id recuſaret, viceni, triceni, aut centeni dimicarent, Maurorum duplicato numero. eam defendendæ profeſſionis conditionem proponere, quam recuſare non deberent. inclementi reſponſo, legati conuitiiſq; violati. Eo Magiſter maiore celeritate conſilium maturare conſtituit. nihil potentius ad permouendos multitudinis animos, quã religionis opinio. qua vbi capta eſt, impotens, ſæua, mutabilis in præceps ruit. Ad rei famam multi mortales cõciti. trecenti equites ſequebantur, mille pedites. acceſſere magno numero milites voluntarii, omnino ad quinq; peditum

millia

millia erant: ſed ex omni numero, quota pars militaribus armis inſtructa: cęteris, ſpari, fundæ, ſudes. Conſilio indicato, conatus eſt Rex hominem ab ea mente deducere. Aquilarii reguli Alfonſus, Dieghuſq;, quibus à Corduba nomẽ erat, obuii facti: Quo, inquiunt, Magiſter ruis? cur te & ſocios in præceps das? nimirum fata in exitium trahunt. Horum miſeret, quos tanquam pecudes mactandos, Chriſtiani nominis hoſtibus obiicis. Per omnia numina, & quicquid in cælo ſanctum eſt, iſtam mentem exue: compreſſoq; tantiſper impetu, animi cupiditatem, ad rationem reuoca. ſi recuſas, næ magnum genti malum perpetuum luctum, ignominiam religioni certiſſimam comparas. Ad has ille voces, neq; flectitur animo neq; mouetur, non magis quã duriſſima cautes. obcæcat animos diuina vindicta, cum ſupplicii imminentis aciem retundi non vult. In hoſticum penetratum VI. Kal. Maii, die Dominico. Ex ea turris in ipſo aditu impugnata. quo tẽpore Rex Maurus improuiſus aduenit, equites quinq; millia, pedites ad centũ viginti millia inſano delectu trahens; iuſſis tota ditione arma capere, quorum eſſet ætas idonea. re improuiſa perculſi noſtri momento temporis ſuperantur: pedites præſertim ab equitatu diſcluſi, & ex promiſcua colluuione conflati, nulla virtute, nulla militari ſcientia. equites reſtiterunt egregie pugnantes. Barbuda ipſe memor Chriſtiani nominis, atq; priſtinæ dignitatis, ſupremo virtutis conatu edito, perimitur. cæteri quẽ quiſq; pugnando locum ceperat, cum exanimi corpore texit, aduerſis omnes vulneribus confoſſi exiguum id acceptæ calamitatis & ignominiæ leuamen fuit. Sic dies Chriſti ad vitam reducis memoria octauus, req; & nomine candidus in atrum verſus eſt. Barbudæ corpus, Maurorum permiſſu, Alcantaram relatum, atq; in D. Mariæ tumulo compoſitum, inſcriptione, quam incidi ipſe mandarat: HIC SITVS EST MARTINVS IVANIVS, IN OMNI PERICVLO EXPERTI TIMORIS ANIMO. Hanc ferunt inſcriptionem referenti cuidam Carolum Auguſtum eo nomine V. ſubieciſſe. Fauillam ardentem candelæ reſtinxiſſe hunc digitis nunquam arbitror. In eius locum Calatrauæ Clauiger Ferdinandus Villalupus cooptatus eſt, magna obtrectatione militum, ex alio ordine Magiſtrum pręfici recuſantium. ſed vicit tamen regis voluntas, parereq; neceſſitati cõpulſi ſunt. Barbudæ calamitate, atq; Henrici Regis excuſatione Mauri mitigati, ne in noſtros fines incurrerent, alioqui parati, armis illatam iniuriam, violatum fœdus vindicare.

Noua in Caſtella diſsidia. CAP. IIII.

BELLI Maurici ſuſpicio proceribus, qui in Caſtella veteri tumultuari cœperant, occaſionem ſuppeditauit factionis opes nouis delectibus confirmandi, per ſpeciem belli; quod inſtabat, defendendi: ad Regemq; deinde Toletum eius iuſſu veniendi, vbi reliqui apparatus bellici erant. Villenæ Marchionem Alfonſum Aragonium regiæ amicitiæ, Calatrauæ Magiſter reſtituit, Illeſcasq; perduxit. venientẽ cum ſplendido nobilium comitatu, qui ex Aragonia honoris cauſa ſequebantur, benigne Rex accepit. adiicit complexum & oſculum, comis natura, ſimulareq; beneuolentiam, quæ inter regias artes ponitur, à primis annis edoctus. ſecundum ſalutem ſe Magiſtrum equitum, à Ioanne Rege inſtitutum, iniuria eſſe ſpoliatum conqueritur: reſtitui poſtulat. Pollicetur Rex, ſi in vlteriorem Caſtellam ſe proſequatur, ad pacandos procerum motus euntem, qui depulſo belli timore, in miſerorum fortunas graſſabantur. quaſi graui ac diuturna tempeſtate iactata republica; nondum diſſidiorum fluctus componi potuerant. excuſat ille, in patriamq; redit, irato ſimilis. Superatis Rex montibus, Valliſoletum abiit. proceres veriti, vt regiæ potentiæ pares eſſent, rebus ſuis diffidere: ad meliora conſilia reuocare animos. fide incolumitatis accepta, Compoſtellanus prior, deinde Beneuentanus in curiam veniunt: factum excuſant: inimicorum iniurias conqueruntur: ignoſci petunt, fatali propemodum neceſſitati, maioribus officiis ſuperiores offenſas compenſaturis. venia data. præterea Beneuentano ex publico ærario annuum vectigal cõſtitutum, ſeſtertii quinquaginta millia, in Betuſia Valentiæ municipium. dotis Luſitanæ ea compenſatio fuit. vtrunq; ea lege, vt vectigalium, quæ ſua auctoritate à publicanis extorſerat, rationem redderet. Exoptatæ tranquillitatis affulſerat ſpes, eo diuturnioris, quod Petro Traſtamarę Comiti Henrici fratris opera, Rege cõciliato, in curiamq; deducto par vectigal datum eſt: Paredeſq; municipium, quod Alfonſus Gegionis Comes iniuria occuparat, regia auctoritate reſtitutũ. & eſt nemo ita turbido ingenio, vt non idem quietis præmiũ, quam laboris malit. Gegionis Comes ſupererat audaci homo ingenio, callidus, inquietus. In eum quoniam voluntate nihil pro ſano facturus videbatur, Rex vires conuertere parabat, cum à Carolo Rege Vaſconie oratores venerunt, Epiſcopus Oſcenſis homo Gallus, Martinus Ayuarus. quod toties irrito conatu tentatum erat, Eleonoram Reginam ad virum remitti poſtulant. impetrandi, quod petebatur ſpes e-

rat, propter æquitatẽ poſtulati, Henriciq; Regis alienatam ab amita voluntatẽ: quam cum cæteris proceribus conſpiraſſe conſtabat, atque ex Madriti conuentibus irata diſceſſerat: quod annui reditus, qui ex regio fiſco dabantur, magna ex parte eſſent detracti. De eius reditu diſceptabatur, cũ repente Traſtamaræ Comes ſeſe è curia ſubduxit, Roamq; ad Reginam abiit, præſidio futurus ſi vis pararetur. Beneuentano conſcio, dolum & coitionem ſuſpicatus Rex, in aulam euocato, vincula injci mandat ſabbatho ad VIII. Kal. Auguſti, cuſtodiaſq; adhibet. mox cum ijs copiis, quas in Gegionis regulũ habebat paratas, magnis itineribus contendit: ne ſe Petrus & Regina temporis ſpatio munirent. Occurrunt ad munimenta venienti Regina & filiæ atratæ, ſuppliciq; habitu veniã precantes. nulla ſua culpa Petrum aufugiſſe, ſed fratri tamen perfugiũ, & hoſpitii iura denegare fas non fuiſſe. neceſſario pietatis officio ſe ad eas contuliſſe, vt conſolando dolore leuaret. excuſatio ita admiſſa, vt Petro in Calæciam elapſo, oppidum Rex ſui iuris fecerit, vectigalibus modo Reginæ relictis, vnde vitam ſuſtentaret. eam Valliſoletum ſe ſequi iubet. cuſtodias circundat, ſublata quoquam diſcedendi facultate. Gegionem Alfonſus armis, milite, commeatu munire nunciabatur. eius conatus celeritate occupandi erant. profectus Rex in Aſtures eſt: Ouetoq; vrbe recepta, quæ hoſtis præſidio tenebatur, Gegionẽ promota caſtra. Vi capi, loci natura prohibebat. obſidionẽ duci graue erat, frigidiſſima anni tempeſtate, regioneq;, morbis in caſtris vulgatis. Ne nihil profectum eſſe tantis molitionibus videretur, Traſtamaræ Comes effecit Regi conciliatus, veniensq; in caſtra. cum Alfonſo obſeſſo fœdus ea lege factum eſt: vt Gegione tantũ retento, reliqua ditione regiis præſidiis occupata, de perduellionis crimine, quod obiiciebatur, in Gallia præſens diſceptaret. quod Rex Gallus conſenſu delectus arbiter iudicaſſet, id fas iuſq; eſſet. Henricus Alfonſi filius paternæ fidei obſes datus. ſic in præſenti ab armis diſceſſum eſt: reſpublicaque ex magno timore magnaque ſolicitudine recreata.

Benedictus. XIII. Pontifex creatur. CAP. V.

DVM hæc in Hiſpania geruntur, Auenione Clemens Pontifex deceſſit, ad XVI. Kal. Octob. Principes finitimi atq; longinqui cum Cardinalibus per legatos egerunt, ne comitiis feſtinatis, quemquã in defuncti locum cooptarent. tollendi ſchiſmatis rationem prius ineundam videri. Differri comitia non placuit. id modo Principum voluntati conceſſum, vt pro ſe quiſq; Patrum conceptis verbis iuraret pontificatu abiturum, ſi eligeretur, modo idem facere Romanus induceret in animum. totius orbis terrarum concordiæ reuocandę eam optimam rationem videri. Iuriſiurandi formam hoc loco adſcribi placuit. Nos omnes & ſinguli S. Romanæ eccleſiæ Cardinales congregati pro electione futura in conclaui, ante altare, in quo miſſa communis celebrari conſueuit, pro Dei ſeruitio, vnitate eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac ſalute animarum fidelium omniũ promittimus, & iuramus ad ſancta Dei Euangelia corporaliter per nos tacta, quod abſque dolo, fraude, & machinatione, quibuſq; ad vnionem eccleſiæ, & finem imponẽdo ſchiſmati, proh dolor, in eccleſia nunc vigenti, quatenus in nobis erit, laborabimus fideliter & diligenter, quatenus ad nos pertinet, ſeu etiam pertinebit & dabimus paſtori noſtro, & gregis dominici, ac Vicario Ieſu Chriſti domino noſtro futuro, qui erit pro tempore auxilium, conſilium, & fauorem: nec ad impediendum præmiſſa dabimus conſilium, vel fauorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte. Et iſta omnia & ſingula, & alia vltra præmiſſa, omnes vias vtiles, & accommodas ad vtilitatem eccleſiæ, & vnionem prędictam eiuſdem ſane & veraciter, ſine machinatione, ſeu excuſatione vel dilatione quacunq; ſeruabit: & procurabit poſſe tenus quilibet noſtrùm, etiam ſi aſſumptus fuerit ad apoſtolatum, etiam vſq; ad ceſſionem incluſiue, per ipſum de papatu faciendam: ſi dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt, vel erunt in futurum, de iis, qui ſunt nunc, vel maiori parti eorundem hoc, pro bono eccleſiæ & vnionis prędictæ videatur expedire. Hac conceptione verborum iurati ſinguli Cardinales: iurati vniuerſi vnus & viginti, omnibus ſuffragiis Petrum Lunam, Aragonium natione, nobiliſſima familia ortum, Pontificem iuſſerunt, iuris cognitione excellentem, ciuilis, ſacriq;, multis obitis legationibus ea tempeſtate clariſſimum. Comitas inerat, atq; naturalis ingenii dexteritas, quibus ſtudia hominum, conciliantur maxime. Benedictus vocitatus eſt. mox de transferendo in Italiam domicilio, conſilia agitata, de abdicatione memoria nulla. Vtraque re Gallica natio, in primis perculſa eſt. Lutetiæ in conuentu Principum ſuſcepta deliberatio eſt. Ad terrendum nouum Pontificem: tanta præſertim animi magnitudine, quantũ reliqua vita declarauit, maieſtate opus erat. tres Duces Burgundus, Aurelianẽnſis, Bituriçenſis Auenionem legati orare, flagitareq;, vt pacem terris redderet, memor iuriſiurandi, memor calamitatum, quas gens Chriſtiana paſſa erat. Cogendũ Patrum concilium qui in re pręſenti diſceptarent. Negat ille, deſerturũ ſe Dei viuentis eccle-

ſiam,

ſiam, Petriq; nauem quam in tantis fluctibus ſuſceperat gubernandam. cum finem obſecrandi non facerent, neq; quidquam tamen impetraretur, re infecta abeuntes, Regem & gentem noua impleuerunt ira: ad quam mitigandam, ius decimæ, de ſacerdotibus cogendæ, in annum Regi Gallo conceſſum. hæc menſe Maio gerebantur ſalutis anno 1395. A 1395. milite Franco, regioq; Prætore obſideri nouus Pontifex, oppugnariq;. ne quis ab eo ſacra peteret edictum. vnde ſeceſſio, ex omni Cardinalium numero, vno Pompelonenſi in Benedicti fide perſtante. neq; prius conſtitere commotæ ſemel voluntates, quam in diſſimulato habitu ſeſe Auenione ſubduxit, in Catalaunosq; abiit. verum hæc aliquot poſt annis contigerunt. Inter Reges certe ea cauſa vltro citroq; legationes miſſæ: contendente Rege Gallo, Regẽs Hiſpanos nõ Vaſconem modo, & Aragonium, ſed Henricum etiam ea ætate a Benedicti Pontificis ſtudio, obedientiaq; deducere. Ioannes Conchenſis Epiſcopus ab Henrico in Galliam legatus: ſi ingenii dexteritate inter Pontificem & Regem Gallum, reconciliaret gratiam. nullum eo conatu operæpretium factum. In Aragonia belli ſuſpicio ex Gallia oſtentata, militibus magno numero ad fines Ruſcinonenſes, quaſi ad prędam vagantibus. à Violante Regina, penes quam viri ceſſatione rerum poteſtas erat, pulſa tempeſtas, ad Regem Francũ, Ducemq; fratrẽ Coponio legato. Ioannes Rex in Foxano nemore cum venationi operam daret, portentoſæ magnitudinis lupa excitata, ſiue ſpectrum id fuit, ſiue vera ſpecies, morbo repentino & lethali oppreſſus eſt. ad XIIII. Kal. Iunii deceſſit, nulla re præterquam ignauia, otiiq; ſtudio nobilis. Corpus ad Populeti ſepultum. iuſta funeris regio apparatu facta. prole virili caruit. Ioannem, Violantemq; ex duobus coniugiis ſuſceptas, illam Fuxenſi Comiti Matthæo collocarat, Violantem Ludouico Andegauenſi deſponderat, vti antea dictum eſt. Martinus Momblanci Dux, eius frater ad regni ſucceſſionem lege, defuncti teſtamento, & voluntate gentis vocatur, eo tempore Siciliæ motibus pacandis diſtrictus, abſensq;. Maria eius vxor, virili animo fœmina, regnum pro viro vicaria, regiumq; nomen capeſſit: atq; in procerum conuentu Barcinone, quoniã Regina vidua prægnãtem ſe eſſe relictam ſimulabat, cuſtodes adhiberi ſancit: ne qua eſſet ludificatio. illa conatu, ſimulationeq; deſtitit. Fuxenſis Comes de regno litem intendit, paratus niſi cauſæ æquitate impetraret, armis deſceptare. aduerſus defuncti Regis teſtamentum, Petri eius patris voluntas proferebatur, ſupremis ſuis ſanxiſſe Ioannis filias ad regni ſucceſſionem vocari, ſi maſcula prole deſtitueretur. id mutari nefas fuiſſe. nouum proinde decretum inducendum reſcindendumq; videri. hęc Fuxenſis cauſę munimenta erant. Cæſarauguſtæ tamen Iulio menſe regni conuentus habiti omnino frequentes. communi omnium voluntate Martino, quamuis abſenti, regium inſigne, nomen, poteſtasq; decretã ſunt. belli, quod ex Gallia inſtabat, defendendi conſilia à proceribus explicata.

Regina Vaſconum ad virum rediit. CAP. VI.

SIC Aragonia noui belli ſuſpicionibus iactata eſt: armorum ſtrepitu, & apparatu, vrbes & oppida perſonare. In Caſtella tranquillæ res erant, reliquis proceribus ad officium pertractis, Gegionis Comite in Galliam, Eleonora Vaſconũ Regina ad virum abire compulſa, ſacramento adactum in eius verba eo loco futuram, qui Reginæ, regioq; ex ſanguine prognatæ eſſet conſentaneus. Abeuntem Caſtellæ Rex Alfarum & ad fines Vaſconum proſecutus eſt, propinquitati id, honorique datum, atq; ſolatio neceſſitatis impoſitæ, cui repugnare non licebat. Rex Carolus venientem Tudelæ excepit: vbi eius aduentum morabatur, lętitia ingenti ſiue vera, ſiue ſimulata. Pro Reginæ reditu, regioq; coniugio inſtaurato, ſupplicationes decretæ, feſti dies agitati, ludi, ſpectaculaq; commiſſa. vniuerſæ gentis animi recreati. Ioannes Mendoza principem auctoritatis gratiæq; locum apud Caſtellæ Regem occupabat. Agreda municipio recens abs Rege donatus erat, Ciria, atq; Borouia oppidis in Soriæ agro. ea nauatæ operæ, atq; induſtriæ merces fuit, meritis maior. ſic vulgi opinio fuit, vt eſt ad deteriora promptum, & ferme magnos homines obtrectatio comitatur. Agredæ incolæ noui principatus iugum ſubire recuſabant, libertatem tueri armis, ſi opus foret parantes. Quid enim regium imperium, priuato mutarent, initio leni, deinde grauiſſimo futuro? vti multa documenta vetera recentiaq; oppidorum confirmabant. in Vaſconum & Aragoniæ finibus ſito municipio, ac propterea iniuriæ, direptionibusque opportuno, quid priuatæ opes præſidii allaturæ eſſent? maiorum certe meritis, fideiq; eximie cultæ parem gratiam non reddi. Commotas incolarum voluntates, vt præſentia & auctoritate pacaret Caſtellę Rex, eo feſtinandum duxit. vix ſe incolæ continuerunt, quin venienti portas clauderent. vicit tamen ſanior pars: periculoſe à Regibus extorqueri, quod eſſet precibus & æquitate impetrandum. Id conſilium ſalutare fuit. facile enim Regi perſuaſum eſt, vt eius oppidi poſſeſſione retenta, Ioanni Mendozio Almaſanum, Gormatium-

que prictis muneris compenſatio eſſet. ſic tumultus populares deuitati. In Galliam legati ab Henrico Rege amandari, Lutetiæ ad diem dictam pręſto fuere. Gegionis Comes venire diſtulit, neceſſitate, an prudens incertum: ſed cum legati de reditu cogitarent, nunciatũ eſt ad Rupellam Santonum vrbem & portum, nauigatione appulſum, lite ergo coram Rege Gallo, vti conuenerat, conteſtata Gegionis Comes lege maieſtatis damnatur, ſancitumque eſt, vt in ſui Regis poteſtate eſſet. ſi ita faceret, eorum quæ cõmiſſa erant, veniam, principatumq; priſtinum ſperaret, ipſo Rege Gallo annitente, deprecatoreq;: ſi recuſaret, nullam ſpem pręſidii, ac ne tutum quidem perfugium in Gallia fore. De ea re ad Armoricum Ducem, alioſq; vicinos proceres, & præfectos litteræ datæ: vetitumq; cum pecunia, milite, armis, nauibusve iuuare ad repetendam Hiſpaniam. Gegionem ex fœdere dedi Caſtellæ Rex poſtulabat: & cum Comitis vxor recuſaret virilis animi fœmina, ne mora vires confirmaret, eo feſtinatum. haud diuturna obſidio fuit. nulla defenſionis ſpe, deditum oppidum eſt, ſoloq; abs Rege æquatum. iuſtiſſimum obſtinationis ſupplicium, rebellandi facultate priuari. Iſabellæ Principi permiſſum, recepto etiam Henrico filio, qui obſidis loco fuerat, ad virum diſcedere ſeſe in Santonibus tenentem, neq; magna, neq; nulla ſpe principatus recuperandi. Capto euerſoq; Gegione, Madritum feſtinatum, conſilium Bæticæ vniuerſæ inuiſendæ: quod eatenus factum non erat, ex quo Henricus Rex erat renunciatus. menſe Nouembri ad Talaueram nobile municipium Mauri Regis legatos obuios habuit, quoniam induciarum tempus exiuerat, poſtulantes, vti nouo inito fœdere, earum tempus prorogaret: & metus ſuberat, ne inteſtinis motibus pacatis, in Granatẽſes fines impetus fieret vindicandi iniurias ſtudio, quæ Rege minore acceptæ erant. integra totius rei deliberatio, in aliud tempus reiecta: legatiq; Regem Hiſpalim ſequi iuſſi. in ea vrbe inter feſtas populi acclamationes, ſplẽdido apparatu receptus eſt. Archidiacono Aſtigitano, qui cladis illatæ Iudæorum nationi auctor præcipuus extiterat, iniecta vincula: cæteriſque eius ſupplicio documentũ datum, non eſſe temere pietatis prætextu tumultus populares concitandos. Noua lux reddita rebus eſſe videbatur, fontibus cõpreſſis, prouincia pacata, cum Mauris expetentibus, inſtaurato fœdere. In Henrico Rege magna virtutũ ſemina inerant; cum ætate ad maturitatem perducta. breui tamen ea omnis felicitas luxuriauit, inaniſque effecta eſt diuturna principis grauiq; valetudine, perpetua oris macie, corporis viribus debilitatis, mentis vigore vacillante. vnde curis grauioribus impar, præſtare reliqua ætate nõ potuit, qualẽ prioribus annis promiſerat Principem: vix vt cognoſci poſſit, quid deinceps rerum geſſerit. quod non ſcriptorum incuria magis accidiſſe arbitror, quam ipſiuſmet ceſſatione Principis, Republica nullis aut leuibus tempeſtatibus iactata. id diuino magis beneficio, quam hominũ induſtriæ tribuatur neceſſe eſt. Dux Beneuentanus ad Montem regalem aſſeruari iuſſus, D. Iacobi Magiſtri cura, fideq;, inde Almodouarẽ translatus eſt, annis conſequentibus. ea iniuria Compoſtellanum Præſulem maxime vrebat, virum in exiguo corpore, præſtanti animi magnitudine, ingenio turbido, neq; in adulationes prompto: ſe agente datam Beneuentano fidem conquerebatur eſſe violatam. Præterea ex Aueniōnenſibus Pontificibus religiones captatę, quos vitio creatos diſputabat: legibus Romanos. ea ſiue vera cauſa fuit, ſiue prætenſa, fuga in Luſitaniam certe dilapſus Epiſcopus Conimbricenſis primum, deinde Bracarenſis Luſitani beneficio creatur. abdicatæ Compoſtellanæ eccleſiæ compenſatio fuit, mutatæ id fidei præmium. in eius locum Lupus Mendoza ſubſtitutus eſt Compoſtellanus Epiſcopus. Palentinis iura ſacra Ioannes Caſtrius ea tempeſtate dicebat: fidei conſtãtia erga Petrum Regem, eiuſq; poſteros quam re alia nobilior, clariorq;. Leceſtriæ Ducis beneficio Epiſcopus Aquenſis in Aquitania factus antea, Conſtantię vxoris precibus datum in cuius ille obſequiis erat, pace facta; redux in patriam Giennenſi Epiſcopatu primum, deinde Palentino donatus eſt. Hunc ferunt, de Petri Regis rebus geſtis commentaria ſcripſiſſe multo ſynceriori fide, iis quæ vulgo circumferuntur, ex fraude & mendacio compoſita eius, qui perfidię maculam eluere, ſeq; ad fortunæ motum mouere induxit in animum. ſic fama fert. ſic magni autores teſtantur. intercidiſſe tamen eam hiſtoriam conſtat. non tam iniuria temporis, quam eorũ arte, quibus veritatem celari, & rerum memoriam inuerti, commodum erat. Hæc illi. nobis cõmunis hominum ſententia, quæ vna famæ vox eſt, potior videbatur: neq; mentis oculis minus officit amor, quã odium, vt verũ ſyncere diſpiciatur, nullo in alterutram partẽ præiudicio. In Aragonia quietæ res nõ erant. Ioanni Emporitano Comiti, quoniam Fuxenſis partes ſequebatur ex memoria acceptæ iniuriæ, an cauſæ æquitate motus, vincula iniecta, ne ſeſe commoueret poſſet. ordinum conuentus Cæſarauguſtæ ad ſextum Nonas Octobris, in D. Franciſci habiti ſunt, ex vniuerſa gente frequentes. communi conſęnſu tumultus indictus, de[illegible]pta ſaga, habiti tota prouincia delectus. Petrus Vrgelitanus Comes, omnibus copiis præfectus

impo-

imperator. Fuxenſis Comes cum iuſto exercitu Pyrenęi ſaltu ſuperato, Ilergetũ regionem,
quam Sicoris amnis interfluit, ferro, igne, direptionibus vaſtabat: menſe Nouemb. extre-
mo Barbaſtrum obſedit. habebat ſub ſignis quatuor equitum millia: peditum numeroſa
multitudo ſequebatur. in caſtris regio inſigni deſumpto, Reges proclamãtur Fuxenſis ipſe
vxorq;. In Valentino agro menſe Decembri dimidiato, terra horrendo fragore mouit, ma-
gna ędificiorum ſtrage. concidere alia, nonnulla conuulſa ſedibus ſuis inclinata manſerũt,
magno intuentium miraculo. vulgus ex ea re religiones captare, futuraq; mala ſuſpenſis a-
nimis ominari. breui tamen depulſus metus, Fuxenſi propter inopiam commeatus, locis
omnibus corrupti, aut in alia loca conuecti, obſidionem ſoluere compulſo, atq; in Vaſco-
nes primum elapſo, fugientis inſtar: quod feſtinatio & impedimẽta multis locis relicta in-
dicabant: inde ſeſe per vicinos montes in Galliam retulit inglorius, nullo operæpretio fa-
cto, amiſſa ſuorum parte: cum Vrgelitanus locis omnibus inſtaret, vrgeretq; aſſiduus infe-
ſtuſq;. Sic Aragoniæ tranquillitas reddita principio anni 1396. Martinus nouus Rex rei 1396.
geſtæ nuncio recreatus, compoſitiſq; Siculis motibus, in Hiſpaniam redire conſtituit, claſ-
ſe Meſſanę comparata, inſtructaq;. ex itinere Sardorum etiam motus ex parte pacati. nouo
Regi cuncta eſſe facilia videbantur. Ad Prouinciæ oram delatus, aduerſo Rhodano Aue-
nionem vectus, Pontificẽ Benedictum omni comitate complexus, ab eoq; tum aurea roſa,
tum maxime Sardiniæ, & Corſicæ imperio donatus, data acceptaq; fide, ſoſpes tandem &
tantorum regnorũ acceſſione clarus, triumphantis in morem, Barcinonẽ claſſe appulſus
eſt. In ea vrbe regnum ſe iure capeſſere profeſſus, fratriſq; defuncti teſtamento: Fuxenſem
Comitem, eiuſq; vxorem, quoniam in regium nomen inuaſerant, armatiq; prouinciã ve-
xarant, lege maieſtatis damnauit: iure, an iniuria quis ſtatuat? Verum hæc aliquanto poſt,
ad intermiſſa reuocanda narratio eſt.

Bellum Luſitanicum repetitur. CAP. VII.

SIc in Hiſpania res erant, non omnino male. Orientis imperium in præcipiti, importu-
no Græcorum procerum diſſidio, perpetua Othomanorum felicitate. Amurates Tur-
carum Imperator, ab ea parte accitus, quæ in ciuili certamine impar erat, aliorum calami-
tatem ſuam occaſionem fecit: Callipoliq; ad fauces Helleſponti, atque Hadrianopoli vrbe
nobiliſſima occupatis, reliqui imperii obtinẽdi ſpe imminebat, finitimis etiam prouinciis
infeſtus formidabiliſq;, Pannonię maxime: vbi late imperabat Sigiſmundus, pace in eccle-
ſiam conſequentibus annis reuocata quam bello felicior. Ab eo ad Regem Galliæ Caro-
lum VI. legati venere, auxilii impetrandi ſpe aduerſus ingruentẽ tempeſtatem. Commu-
nem Chriſtiani nominis cauſam agi, communibus armis periculũ propulſandum: priuſ-
quam imperium gentis efferæ & barbaræ in Europa diuturnitate confirmaretur. Miſſi Io-
annes Burgundi filius, Philippus Magiſter equitum in Gallia, Henricus Borbonius, alii viri
principes genere & factis nobiliſſimi. iuſtus equitum numerus adiunctus. In Pannoniam
vt ventum eſt Budæ conſilium belli gerendi cum Sigiſmundo Rege communicatum. pri-
mo quoq; tempore prælio decernere viſum eſt, priuſquam ardor cum quo Galli venerant
mora remitteret. prædę ex vicinis locis actæ. ignobilia oppida expugnata. Ex re proſpere
geſta ſecuritas orta, hoſtiumq; contemptus ſemper in bello exitialis. ad Nicopolim Thra-
ciæ vrbem, noſtrorum caſtra hoſtium caſtris coniuncta. pugnæ mox ſignum propoſitum:
Galli ſuarum virium fiducia elati, prius in hoſtes irruunt, quam è caſtris Hungari proceſſiſ-
ſent. ea temeritate victi oppreſſique noſtri. Ioannes Burgundi filius venit in hoſtium pote-
ſtatem: paternoq; auro redemptus eſt. Sigiſmundum fuga ſeruauit. ipſo D. Michaelis pro-
feſto die inſignis ea clades accepta eſt, anno 1396. Pij toto orbe non præſenti tantum ma- 1396.
lo, ſed etiam futuri metu ſoliciti eſſe: prouinciæ omnes luctu perſonare, in vota & ſuppli-
cationes verti, ſi cæleſtem iram placare poſſent: Granatæ Iuzephus Rex diem obiit. Phu-
thenſis Rex ſpecie beneuolentiæ eius vitę inſidias comparauit, ſplendida munera mittens,
atq; in his veſtem veneno medicatam, vſq; adeo efficaci, vt cum primum eius pulchritudi-
ne inuitatus induit, morbo lethali oppreſſum ferant: atq; intra diem trigeſimum inter gra-
uiſſimos cruciatus expiraſſe, laceratis diffluentibuſq; ſanie artubus. regnum ab eius morte
Mahomad cognomento Balua defuncti minor filius armis occupauit obtinuitq;: Iuzepho
maiori fratre, quem ætatis prærogatiua ad regnum meliori iure vocabat, prætermiſſo, in
ordinemq; deiecto. Erat nouus Rex ardenti ingenio, promerendi hominũ ſtudia arte prę-
ditus. Henrici Regis conciliandi cura ſolicitabat, ne fratris patrocinio ſuſcepto imperium
eriperet. ergo Toletum eius conueniendi cauſa feſtinauit. ibi tametſi eo animiſſe videba-
tur, vt hoſtis loco eſſet, inſtaurato fœdere pactiſq; induciis à cõgreſſu diſceſſum. Quo tem-
pore Toleti quidẽ regni conuẽtus agitati de ſummis reipublicæ rebus. regiumq; edictum

promulgatum, externos homines à ſacris Caſtellæ beneficiis arcens: in quo aliarum prouinciarum exemplum ſecuti ſunt: venia tamen legis, nonnullis priuatim data, ac Luſitani omnes excepti. id blandimentum genti promerendæ, in parteſq; trahendæ datum. Hiſpali autem die Iouis, XIX. Octob. Ioannes Guſmanius Nieblæ Comes deceſſit, ſucceſſore Henrico filio. Henrico natus Ioannes Guſmanius aui nomẽ referens, Aſſidoniæ Dux conſequẽtibus annis Regum beneficio dictus eſt. Calatrauæ militibus veſtis nigra, qua pectus & humerum tegentes inſigni vti conſueuerant, rubra cruce quadrata forma mutata. Gonſaluus Guſmanius eius militię Magiſter Benedicto Pontifice concedente ſanxit, quod perpetuo vſu ad noſtram ętatem confirmatum eſt. Henrici Regis valetudo Luſitanis contemptui eſſe cœperat. nouo bello laceſſendi occaſio quærebatur. inducias à Caſtellæ proceribus non eſſe opportuno tempore confirmatas accuſant. bellum indicitur. repente correptis armis Pax Augusta locis finitima à Luſitanis occupatur. Garſias Ferrerius Mareſcalus ei vrbi præfectus capitur. malorum orbis repetitur, quæ ſuperiori fœdere procurata erant. bellum toto triennio non minori, quam ante animorum contentione geſtum eſt. Rodericus Daualus equitum Magiſter recens creatus erat, Petro Traſtamaræ Comite defuncto: incertum, an in ordinem redacto. maris Pręfectus Dieghus Mendozius erat. his præcipuis
1397 Ducibus bellum adminiſtratum. proximo menſe Maio ſalutis anno 1397. à Caſtellæ claſſe quinq; longarũ nauium, ſeptem triremes Luſitanę victę ſunt: quæ Genua veniebant, armis, omniq; bellico apparatu onuſtæ. quatuor captæ, vna ad terram eiecta, duæ tantum fuga euaſerunt: homines quadringenti in mari proiecti ſunt parta victoria. crudele exemplum: ſed eius gentis inſolentia, inſigni ſeueritate reprimenda videbatur. Præterea à Dieghо Mendozio maris Præfecto, Luſitana littora longe lateq; vaſtata: direpta, incenſaque oppida, abactæ prædæ. multi viri nobiles, ſiue cauſæ æquitatem ſecuti, ſiue Luſitani Regis imperio feſſi, in Caſtellam aufugerunt: Regiq; Henrico fortem & fidelem operam bello paceq; nauarunt. in his Acunii fratres, Martinus, Egidius, Lupus: præterea Ioannes & Lupus Paciecchi & ipſi fratres, vnde nobiliſſimę familię in Caſtella propagatæ ſunt. Tude vrbs Luſitanis armis in Calæcia occupata. Belli impetus in eam veteris Luſitaniæ partem verſus, cui Beturię, nunc Extremadurę nomen eſt. Alcantara nobile iis locis municipium circumſeſſum, Magiſtri equitum occurſu periculo eſt ereptum. præterea vicini hoſtium fines igne ferroq; vexati. ignobilia oppida expugnata. magnus genti terror illatus. Alia parte Miranda vrbs, quam Durius amnis alluit, à Calatrauæ Magiſtro Dieghoq; Mendoza, atq; Stunica regio Prætore obſidione premebatur. Accurrit eodem Daualus Magiſter equitum: & cum reſiſti non poſſet, ciues deditionem facere compulſi ſunt. Sic Luſitanorum audacia compreſſa in præſenti eſt, in futurum ſpes concepta animis concordiæ inter vtranq; gentem reſarciendæ.

Induciæ inſtauratæ. CAP. VIII.

BELLI Luſitani initio, duo Franciſcani ſodales, quorum nomina memorię prodita non ſunt, Chriſtianæ pietatis propagandæ ſtudio incenſi, gentiſque Mauricæ ab ſtulta perſuaſione, ad veram religionem reuocandæ, Granatæ in magna populi frequentia conciones habere aggreſſi ſunt. moniti vt deſiſterẽt, adduci non potuerunt, ac ne verberibus pulſati. Mauri ſacerdotes facto agmine Regem adeunt: iniuriam patriæ religioni fieri expoſtulant: impetrantq;, vti lege maieſtatis in eos homines ageretur. capita amputata. corpora vnco in gemonias tracta inter populi conuitia. ſed poſt fata tamen à noſtris dicati templis ſunt, atq; in ſanctorum Martyrum numero habiti. Auenione Pontifex Benedictus Rege Gallo infeſto à ſuis deſertus, atq; intra palatiũ obſeſſus, pontificatus retinendi, neq; magnam, neque nullam ſpem habere. terrebat eum popularis inuidia, qua flagrare cœperat. Regum Hiſpanorum ſtudia adhuc integra faciebant animos. Eos Rex Gallus litteris & legationibus à Benedicti amicitia deducere ſatagebat. concordiæ reuocandæ nullam viam eſſe, niſi Benedicto abdicante, quod ſanctiſſimo iureiurando erat ipſe pollicitus. Salmanticæ Epiſcoporum aliorumq; virorum eruditionis opinione præſtantium, conuentus habiti ſunt ex vniuerſa ditione generales. affuere Aragonii legati Vitalis, Raymundusq; iureconſulti. nouari tamen nihil placuit: quamuis Rege ad mutandam fidem propenſo. ſancitum tantum, vt reſciſſis ab vtraq; parte inductiſq; decretis, quæ in alteros promulgarant: loco communi conſenſu deſignando, duo Pontifices conſilia pacis conſtituendæ, ſerio inter ſe, & quamprimum communicarent. Pompelone templi maximi præcipua pars proſtrata iacebat, ante ſeptimum forte collapſa annum. eius inſtaurandæ rationes excogitatæ. impenſæ magnitudo terrebat, cui priuatæ opes, pares futuræ non erant. quadrageſima regiorum vectigaliũ in annum duodecimum inſigni Caroli Regis liberalitate operi faciendo di-

do dicata. extantq; de ea re publicæ tabulæ ad nonum Kal. Iunii, hoc ipſo anno datæ oppido, cui à D. Ioanne nomen eſt, ad radices Pyrenæi montis in ora Galliæ ſito. cura eum ditionis priſtinę recuperandę ſolicitabat, quam maiores in Gallia ampliſſimam obtinuerant, Eburonicum atq; partis Nortmanniæ. actum de ea re per legatos: & cum nihil proficeretur, ad Gallum Regem ipſe contendit, ex ſuperiori morbo nunquam plane reſtitutum, ſed pectore per interualla temporis titubante, impariq; regni curis. ergo nullo operæpretio facto, menſe Sept. anni 1398. in patriam rediit, filiumq; ſibi cognominem, quem proximo anno ex vxore ſuſceperat, regni ſucceſſorem fore ſanxit, cunctis ordinibus in eius verba ſacramento adactis. tota cæremonia Pompelone peracta, V. Kalend. Decemb. lætitia haud diuturna fuit puero breui, immatura morte extincto. Luſitanorum ferocia non vna clade caſtigata, ad pacis cōſilia animos reuocarunt. Henricus ſe, neq; cauſam eius belli fuiſſe reſpondet, neq; moram paci facturum: ſi modo æqua & honeſta conditione liceat ab armis diſcedere. pax ſtabilis conſtitui non poterat: priores modo induciæ inſtauratæ. De Aragoniis fama indies grauior, ne alienati arriperent arma: & cura creſcere Caſtellę Regi pręſertim Villenæ Marchione, ad vtriuſq; regni confines amplum principatum obtinente. is in curiam Regis venire recuſabat, in quo multum offenſæ erat. Accedebat honeſta occaſio belli inferendi. duobus Alfonſi Villenę Marchionis filiis Alfonſo Petroq;, duæ Henrici Regis amitæ connubio iunctæ fuerant. dos dicta triginta aureorum millia ſingulis. ea Anglis data paternæ libertatis pretium, pro quo Alfonſus filius erat obſes. Petrus ad Aliubarrotam ceciderat, eius Henrici pater, cui à Villena cognomentum fuit, eruditionis tantum ſtudium, vt magica etiam ſacra, carminaq; calluiſſe fama ſit. extant ingenii monimenta: in quibus multa reconditaq; eruditio eſt, elegantiæ parum quippe affectatæ, ſed horridæ, & cum Hiſpana lingua Latinam miſcentis. Alfonſi coniugium diremptum, ob male tectas vxoris libidines. Henricus Rex earum fœminarum patrocinio ſuſcepto, cum dos non reſtitueretur in ditionem inuolauit, atq; præter Villenam & Almanſam, quæ in fide perſtiterunt Aragonio præſidio, & locorum firmitate defenſæ, cætera omnia eius principatus oppida regiis pręſidiis occupata. Henrico Villenæ ætate eruditioneque æqualis Paulus Carthagena fuit, cognomento Burgenſis à patria vnde ortum habuit, & vbi Epiſcopum egit, profeſſione antea Iudæus, copiis, nobilitate, doctrinę laude, in ea gente facile princeps. Is D. Thomę Aquinatis ſcripta de Theologia peruolutando, facile intellexit, quantū Chriſtiana religio Iudaicæ ſuperſtitioni præſtaret. noſter effectus, religionis quam ſuſcepit placita litteris illuſtrauit: libroſq; edidit in ſuo genere mirandos. Erat enim ingenio facili, copioſo, perſpicaci, & diuinarum litterarum cognitione præſtabat. Treuigni Archidiaconus primum, deinde Carthaginenſis Præſul, poſtremo Burgenſis creatus. id probitatis eruditioniſq; præmium fuit. addita conſequentibus annis ſcrinii regii præfectura perſpectæ fidei argumento, quod rarum in ea gente eſt. Eiuſq; illa vox fuit. (ſic fama tulit) Ex ea gente prognatis nullam reipublicæ partem committendam videri, moribus ex fraude atq; mendacio compoſitis, ſimulare mentiriq; natis, neq; bello bonis, neque pace. tres filios ex vnis nuptiis reliquit, priuſquam noſter eſſet ſuſceptus: Alfonſum, ex Decano Segobienſi in defuncti patris locum ſubrogatus Burgenſis Epiſcopus: cuius extat de Hiſpaniæ Regibus opus non inelegans, cui Anacephalœoſi nomen fecit. Gonſaluum, virtutum merito Placentinum Epiſcopum. Aluarum Garſiam familiæ propagatorem, ſanguine, vti erant eius tempeſtatis mores, cum nobilibus Hiſpanię familiis confuſo. cuius extant commentaria de rebus Ioanne ſecundo Caſtellæ Rege geſtis, non eleganter conſcripta.

Res Aragoniæ. CAP. IX.

FOEDA tempora eccleſiæ diſſidiis, peſtis lues magis inſigniuit, ſuperiori præſertim anno, ad oram maritimam Barcinone Auenionem vſq; graſſata: Iberi & Orbę inundationes cum magna agrorum, ædificiorum, pecorum, hominū ſtrage. Rex Aragonius his malis mitigatis, Barcinone vbi ſe tenuerat, Cæſarauguſtam, ad eam vrbē regni conuentū euocato abiit ad tertium Kalend. Maii. In D. Saluatoris æde, concio abs Rege ad circumfuſos proceres & populū, è ſolio habita eſt: ampliſſimis verbis gentis Aragoniæ laudes celebrarę. Non ferro, inquit, atq; copiis militarib. ſed fide ciuiū imperia cōſtare, viri amici, & neceſſarii, ſi alia argumenta deeſſent, domeſtica exempla ſatis declarant. Sic noſtri regni ab humili principio, anguſtiſq; finibus opes auctæ ſunt. nominis gloria vniuerſum terrarum orbem peruaſit. Ab ipſo Pyrenæi montis ſaltu, vbi ægre maiores libertatē tutabantur, locorū magis munitione, q̄ armis confiſi, ditionis fines non in Hiſpania tantū prolati, ſed ad extremas etiā inſulas maris Mediterranei. Veſtrarum laudum trophęa in Sardinia, Sicilia, totaq; Italia extant nobiliſſima atq; pręclara. O magnam concordię fideiq; vim. Non numero,

„ ſed virtute Sanctius & Petrus Sanctii filius Oſca expugnata, quaſi ex latibulis, vbi ſe tenue-
„ rant, in planiciem dilapſi ſunt. Hac ipſa vrbe Alfonſus de Mauris capta, regnum confirma-
„ uit: poſteris ad bene ſperandum ſignum ſuſtulit. Ecquid attinet vetera commemorando,
„ tempus conterere? nos ipſi quingentis Aragoniis equitibus numeroſas Siculorum copias
„ fudimus: vniuerſamq; inſulam filii imperio ſubiecimus, veſtra ciues fide atq; conſtantia.
„ quæ ſeu vincit ferociter inſtat victis, ſeu victa eſt, inſtaurat cum victoribus certamen: neq;
„ ſe opprimi ſinit. Pro quibus meritis Deum precor, vt parem gratiam referat: quoniã nobis
„ pro noſtro animo, veſtriſq; erga nos obſequiis ſatis facultatis non eſt. curabimus tamen,
„ ne ingrato, aut immemori beneficium dediſſe videamini. Quod præſentis celebritatis eſt,
„ ſolenni vos cæremonia, vt in noſtra, filiiq; noſtri verba de more ſacramento adigamini cõ-
„ ueniſtis: id vt pręſtetis precamur. Propenſa id omniũ ordinum voluntate factũ eſt. Publicã
ex ea re lętitiã noui belli ſuſpiciones cõturbarunt. equitũ peditumq; copię Pyrenęi monti-
bus ſuperatis Tardenſi notho ductore Thermas Vaſconum oppidum primo impetu occu-
parunt. Aragoniis terror illatus. breui tamen ea tẽpeſtas diſiecta eſt, Lihorio regni procu-
ratore pro Vaſcone obuiã hoſti progreſſo. Sicilia mollibus noui belli tempeſtatibus & ipſa
iactata: vbi ad x v. Kal. Decemb. Martino filius eſt natus in ſpem paterni auitiq; regni, in-
credibili vtriuſq; gentis lætitia. ſed ea tamen breui mœrore mutata, infante ante legitimam
ætatem, matreq;, importuna morte ſublatis, vti competenti loco repetendum eſt. Cæſar-
1399. auguſtę Rex & Regina menſe Aprili, ſalutis anno 1399. de more inuncti, regia inſignia, atq;
imperii infulas ſuſcepere. cæremoniæ Antiſtes Fernandus Heredia Epiſcopus Cęſaraugu-
ſtanus. Alfonſo Villenæ Marchioni regia inſignia, atq; Gandię ducatus data abs nouo Re-
ge ſunt. Interea Auenione Benedictus Pontifex deſertus à Cardinalibus, obſeſſus ab hoſti-
bus, in magno diſcrimine erat. ad eum ab Aragonio Rege legati viri præſtantes Ceruellio-
nus Zaquamus vtriuſq; iuris priuati & publici peritiſſimus, Matinus ex ordine Franciſca-
no præſtanti eruditione vir. ab iis de concordia reuocanda ſublato diſſidio appellatus: re-
ſpondet ſe in eorum Regum poteſtate futurũ, qui ipſius partes ſecuti erant. Galli pręſertim
atq; Aragonii arbitrio, controuerſiã diſceptandã permittere. ſibi nihil antiquius pace eſſe:
cauerent tamen ne pacis nomine ſeruitutem inducerent: iuſq; & æquitatem in re minime
dubia perturbarẽt. Eo accepto reſponſo legati Aragonii, vti in mandatis habebant, ad Gal-
lum Regem ſunt profecti. Lutetiæ in gentis concilio de concordia reuocanda conſulta-
tum. mandata ad Benedictum miſſa: quorum hæc ſumma erat: Vti pro virili parte quam-
primum pacis conſtituendæ rationem excogitaret. Ad conuentum Epiſcoporum veniret,
quẽ ex toto orbe Chriſtiano euocare deſtinabant, in Patrum poteſtate futurus Galli Regis
fide, atq; pręſidio militari, à vi & iniuria ſecurus. In Caſtella Petrus Tenorius Toletanus
Archiepiſc. deceſſit in ipſo limine anni ſecularis, die Veneris, ad X. Kal. Decem. (marmo-
reo tumulo Toleti inſcriptus titulus obiiſſe ait XV. Kal. Iunii. ipſo illapſi in Apoſtolos di-
uini Spiritus feſto die) vir bello paceq; clarus, præſtantiq; animi magnitudine, rebus ad-
uerſis æque ac proſperis admirabilis. Tauiræ in Luſitania natus eſt. alii Talaueræ in Car-
petanis aiunt. iunior iuriſprudentiæ ſtudiis operam dedit, in Italia cum fratribus patria ex-
torris, propter turbida reipublicę tempora Petro Rege. cum ætate Conimbricæ epiſcopa-
tum obtinuit, deinde Toletanum, nullo ambitu, Pontificis tãtum Romani, cui notus erat,
beneficio, vti ſuperius dictum eſt. extant multa & pręclara ædificia, tota prouincia Tenorii
impenſa cõſtituta, munificẽtiſſimi animi certiſſima argumẽta. vix vt credas tantis ſumpti-
bus priuatas cuiuſquã opes pares fuiſſe. nimirũ domi frugalis, parcus in ſuos, ad publicum
ſplendorẽ cõmunemq; vtilitatẽ cuncta referre ſolitus erat: quę magna in Principib. virtus
eſt. Toleti quidẽ pontem, cui à Diuo Martino nomen eſt, bellis ciuilibus quæ Petrum inter
& Henricũ fratres fuerunt euerſum reſtituit. Arcẽ ſubterfluenti Tago amni impoſuit, qui-
bus olim veſtigiis S. Seruandi cœnobiũ fuit. Templo maximo coniunctũ periſtyliũ ampliſ-
ſimũ: vbi ipſius ſepulcrum cernitur ſacello dicato, prope alterum Vincentii Balboę Placẽ-
tini Epiſcopi, quo multũ & familiariter vſus erat. Sedecim in eo ſacello ſacerdotes perpe-
tuis ſacris, ipſi & maioribus quotidie parentant. Ad fines Granatẽſes, vbi Alcala regia mu-
nicipiũ eſt, turrim extruxit, captiuorũ, quorũ erat inter Mauros magnus numerus pfugio,
perpetuis per noctẽ ignibus monſtrato itinere. Talauerę D. Catarinę nomine cœnobium
ampliſſimum templo maximo contiguum, Canonicis illud deſtinans, abdicatis volupta-
tum illecebris, cõmuni menſa & domicilio victuris: ſed incolarũ interceſſione conatu im-
pedito D. Hieronymi monachis attributum eſt, ampliſſimis reditibus, ipſoq; ſtructurę ge-
nere in paucis inſigne. aliis locis alia, munifice omnia, religioſeq;. Mariam ſororẽ Ferdinã-
do Syluę collocauerat: vnde Alfonſus Tenorius eſt natus, cui Caſorlę pręfectura ab auũculo
data eſt. Hic ex Iſabella Menceſia geminã prolem ſuſcepit, Petrũ Tudenſem Paciſq; Augu-
ſtæ Pr[illegible]

ſtæ Præſulem: cuius extat ſepulcrum Toleti in Dominicanorum æde: atq; Ioannem Syluam, qui in Baſilienſi olim concilio legatus, rerum geſtarum merito Ciſontanus Comes abs Rege creatus eſt.

Annus ſecularis. CAP. X.

DE publica conſequentis anni milleſimi quadringenteſimi lætitia: quo more & inſtituto maiorum, venia delictorum conceſſa eſt omnibus, qui Romam adirent Chriſtianæ religionis caput, arcemq; ſanctitatis, multum diminutum eſt, Pontificum diſſidio nondum compoſito. tametſi tanta à Principibus adhibebatur contentio, vt prope res confecta videretur. Henricuſq; Caſtellæ Rex a Benedicti auctoritate quoniam auerſum ſe a pacis conſiliis præbebat, abdicareq; recuſabat, contra quam erat pollicitus, publico gentis conſenſu defecit, faces ſubdente Petro Fria Cardinali Hiſpaniæ. Regis id Galli gratiæ datum, vulgus interpretabatur: Aragonio tamen pro Benedicto annitente, decretum tandem inductū eſt. Acceſſit peſtis lues, quæ multos mortales vniuerſa Hiſpania conſumpſit, ex Gallia Narbonenſi & Catalaunis, vbi vis mali primum incubuit, in reliquas Hiſpaniæ prouincias diffuſa. Hiſpali Caſtellę Rex frequens morabatur, vrbis elegantia, & locorum amœnitate oblectatus. menſe Iulio, Rege è templi maximi turri deſpectante, vbi magno populi concurſu, primum horologium, magniq; ponderis campana collocāda erat, repente procella exorta, multiq; fulmine exanimati. malorū præſentium indicium, futurorum præſagium eſſe pleriq; exiſtimabant. prodigio auerruncando, ſupplicationes decretæ habitæq; ſunt. In Vaccæis ad oppidum Nieuam, Virginis Matris ſignum forte repertum: vbi conſtituto Dominicanorum cœnobio, impenſa Reginæ Catharinæ, locus religioſus haberi cœpit, plenuſq; numine: breuiq; multorum concurſu in municipium excreuit, eius templi poſſeſſione, atq; opinione ſanctitatis, quā re alia nobilius. Violantes Ioannis Aragonii Regis filia, ad virum miſſa Barcinone eſt: nam eatenus nuptiæ dilatæ erant, propter immaturam virginis ætatem. dos dicta centum ſexaginta florenorum millia, ea lege, vt paterni regni iure publicis tabulis, atq; iureiurando decederet. Ioannes Montfortius Dux Armoricus deceſſit. Ioanna Caroli Regis Vaſconum ſoror eo viduata (cui Ioannem, Richardum, Arturum, Guillelmumque genuerat) Henrico Leceſtriæ Duci, Richardo æmulo recens oppreſſo, iam Angliæ Regi nupſit, & ipſi ex priori coniugio, vnde multiplicem prolem ſuſceperat, cælibi. Blanca Vaſconis Regis filia tertia, coniux Martino Regi Siculo pacta eſt: cuius prior vxor, filiuſq; ex ea, ſalutis anno 1401. deceſſerunt, coniunctis elati funeribus, mater ad VIII. Kal. Iunias, filius paulo ante. eius coniugii paciſcendi cauſa, ad Cortes Vaſconum oppidum colloquium Regum fuit, Vaſconis Aragoniiq;: puellaq; in Siceri Regis manum conradita, eximia formę venuſtate, lectiſſimis moribus, præcipua felicitate: nam prioribus ſororibus extinctis, fratreq;, regni ipſa paterni hæreditatē accepit: ſed annis conſequentibus. Proximo quidem, de menſe Septembri noua nupta Valentia in Siciliam nauigauit ad virum, eius inſulæ imperium ex defunctæ coniugis teſtamento retinentē. claſſis qua vehebatur, ductor Bernardus Cabrera. Henrico Caſtellæ Regi, Maria filia ex vxore Segobiæ nata eſt Nouembris quartodecimo die, magna parentum lætitia, gentiſq;, Alfonſi Aragonii Neapolitaniq; regis vxor futura ventre infœcundo.

1400 (beside line 1 of Cap. X) — 1401 (beside "cuius prior vxor")

Tamerlanes Scytha. CAP. XI.

NICOPOLITANA victoria, fuſis fugatiſque Hungaris, Francis oppreſſis, Turcæ Orientis imperium ſpe vniuerſum inuaſerant. finitimis longinquiſque maximus terror illatus. Baiaceres eorum Imperator felix ſibi eſſe videbatur: copiiſque omnibus Conſtantinopolim obſidebat Grecorum imperii & fortunarum ſedem. Fallax rerum humanarum fides, mirabilis inconſtantia. eam tempeſtatem maior aliunde procella diſiecit ad tempus atque diſcuſſit. Tamerlanes Scytha magnus corpore, animo magnus, ex gregario milite audendo, moliendo, populares ad arma concitando, magnam auctoritatem, pareſque opes conſecutus ingentem exercitum conflauerat, equites quadraginta millia, pedites ad ſexcenta. vix fidem faceret numerus, ni idoneis id auctoribus confirmaretur. cum his copiis torrentis inſtar rapidiſſimi ſeſe in Orientis prouincias infudit, terris vaſtitatem, cladem, exitium allaturus. Parthi primi imperata fecerunt: Syria, Ægyptuſque ludibrio, cædi, rapinæ fuerunt. In more habuit cum ad vrbem aliquam caſtra poneret, primo die ſigna candida præferre clementiæ ſignificatione: ſi continuo portas aperirent facta deditione, neque morarentur ſpem. die proximo purpurea cædem minitantia. exilia, bonorum euerſiones. tertio atra, quibus excidium, vaſtitatemque denunciabat hominibus, agris, vrbi. neq; vllis precibus ſæuus animus mutabat. ſic magnitudine ſupplicii

terroriſque, cuncti certatim imperata fecerunt. Accidit vt Berytenſes in diem alterum deditione dilata, barbaro placando, virgines, pueroſq; ramos geſtantes cũ infulis & velamentis ſupplicum habitu præmitterent. ad genua cum procumbere conarentur, voceq; flebili patriæ interitum deprecarentur, adacto equitatu conculcãdos obterendoſq; prębuit. crudeli ſpectaculo cõmotus quidam Genuenſis, qui barbari caſtra ſequebatur, loquebaturq; Scythice, benignitatis admonuit, ſe hominem ac mortalem eſſe recordaretur. ad quem ille toruo vultu, contractoq; ſupercilio. Ecquid me hominem eſſe putas? flagellum ego ſum Dei, diræ, peſtiſq; terrarum. Pro magno Genuenſis habuit incolumem euaſiſſe. Baiacetes Aſiæ periculo permotus, relicta Conſtantinopoli, cum omnibus copiis obuiam progreditur. ad Tauri montis eam partem, cui Stellæ nomen eſt, pugna olim Pompeii & Mithridatis nobilem, totis vtriſq; viribus & copiis dimicatum. vicere Scythæ. ſupra ducenta hominum millia cęſa. ipſe Baiacetes captus, ludibrio reliqua vita futurus: qui tot gentibus fuerat terrori, aureis catenis vinctus, atq; in cauea ferrea per vniuerſam Aſiam Syriãq; ad oſtentationem circumductus, cibum capiens, quem tanquam cani de menſa victor proiiceret, aſcenſuroq; equum, ſubſternens pedibus tergum. Idem calamitatis & vitæ finis fuit. Sic homines humanaq; vertuntur. & eſt infeliciſſimum infortunii genus miſeris, fuiſſe aliquãdo felices. Henricus Caſtellæ Rex aduerſa quamuis valetudine oppreſſus, omnia ad imperii ſplendorẽ conferebat. ad finitimos longinquoſq; Principes frequentes legationes mittens, quæ apud quamq; gentem pręcipua eſſent, ſciſcitari non deſiſtebat. Ad Orientis prouincias Pelagius Sotomaior, & Fernandus Palaſuelus legati, earum gentium vires moreſq; exploraturi prælio interfuerunt, forte an prudentes, quod inter Turcas & Scythas cõmiſſum eſt. eos victoria parta Tamerlanes honeſte habuit, remiſitq; in Hiſpaniam, nouo ex ſua gente oratore adiuncto, Henrici Regis amicitiam expetitum. cum eo Alfonſus Paez, Rodericus Gonſaluus, atq; Gometius Salazarius denuo ad victorem barbarũ miſſi. quorum extat de eo itinere cõmentarius Itinerarii nomine, ab ipſiſmet legatis confectum. Tamerlanis potentia, gloriaq; diuturna non fuit. in Scythiam reuerſus, tantis belli manubiis vrbẽ Mercantim condidit, ſpoliiſq; aliarum gentiũ exornauit, elegantiſſimamq; reddidit. mortuo duo filii ſucceſſere, neq; fortuna, neq; indole eadẽ: de paterna hæreditate diſſidentes, imperium patris virtute partum ſua ipſi ignauia amiſerunt, corrupere gloriam. Fuit hic annus Luſitanis priuatim atq; Vaſconib. infauſtus, vtriuſq; regni hærede morte ſublato. Alfonſus Luſitani Regis filius maior cum duodecim annos eſſet natus, deceſſit magno gentis luctu. Corpus Bracaræ in templo maximo ſepultum eſt. tametſi eam fortunæ iniuriã, numeroſa proles Regi ſuperſtes ſupplebat, Eduardus, Petrus, Henricus, Ioannes, Fernandus, duæ filiæ Blanca, Iſabellaq;. eo minor genti, atq; parentibus mœroris cauſa fuit. Pompelone Ludouicus ſemeſtris, & Carolus quinq; natus annos, coniunctis funeribus ſublati, ſepultiq; in æde maxima, ipſo Philippi Regis abaui ſepulcro. luctus ingens nulla virili prole ſuperſtite, regniq; hæreditate neceſſario ad fœminas deuoluta. Fine anni, atq; conſequen-
1403 tis initio 1403. magnę fluuiorum inundationes vniuerſa Hiſpania extiterunt, Hiſpali pręſertim Bætis ſupergreſſus ripas, ipſaq; vrbis munimenta, magnam vrbis partem cooperuit. ad D. Michaelis, atq; ad portam, cui à cõiuncto nauali nomen eſt, inundatio peruenit. fœda rerum facies. metuendaq; colluuies. prætoris diligentia, cui Alfonſo Tauro nomẽ erat, ſaluti fuit, noctu atq; interdiu omnib. partibus occurrentis, ripas ſtatuminantis, portas pice ſtupaq;, vrbis mœnia alia materia ſtipantis. ſic periculum procuratum eſt, terrorq; populi ſedatus. Toletana eccleſia, ex quo Petrus Tenorius deceſſit, Pontifice vacua erat. iniuria id temporum factum, diſſidioq; Romanorum Pontificum. in Caſtella præſertim Benedicto repudiato nullus Pontifex erat, vnde ſacra peterentur, magno gentis incõmodo. Ergo Valliſoleti in frequenti regni conuentu, Benedicto Pontifici ad IIII. Kal. Maij, imperii ius reſtitutum, ſolenni cæremonia: cui Rex ipſe, proceres, & Epiſcopi affuerunt. idem ad VII. Kal. Iunias in Gallia factitatum. conuerſę repente vtriuſq; gentis voluntates erant. breue tamen obſequium fuit. ſed datum tamẽ Benedicto Pontifici, vt eccleſiã Toletanam Petro Lunę fratris filio cõmitteret, quod tertio Kal. Auguſti factum eſt. tametſi venire aliquandiu diſtulit, Dertuſanæ eccleſiæ, cui ante pręfectus fuerat procuratione, & motu temporum impeditus. Martinus Salua Cardinalis Pompelon. Sellone in ora Prouinciæ, quo Benedictus peſtis vitandæ ſtudio ſe contulerat, diem obiit ſexto Kal. Nouemb. eccleſiã Pompelonenſem, poſt eius obitum Michael Salua gubernandã ſuſcepit. additus aliquanto poſt purpuræ honos, quod eruditioni eſt datum (erat enim iuris peritiſſimus) atque patrui defuncti meritis, fideiq; perpetuæ erga Benedictum Pontificem, aliis Cardinalibus deſerentibus. Matthæo Fuxenſi Comite in patria ſine prole defuncto, Aragonii regni obtinendi nulla ſpe, Ioanna vxor, nulla ex ſe edita prole, internuncio Iacobo Scriba Aragonio Regi

condi-

conciliata: rediensq; in patriam tria millia florenorum annua, vnde vitam ſuſtentaret, ab Rege pacta eſt. exiguam regni erepti vilemque compenſationem. nimirum neceſſitati parendum fuit, cuius quam pietatis, honeſtatis ve maiores ſunt vires.

Henrico Regi filius naſcitur. Cap. XII.

OPIMA feſtaq; pace Hiſpania florebat. domeſtici motus compoſiti. externa arma ſilebant. Vaſconem tantum interceptæ à Rege Gallo ampliſſimę ditionis dolor vrebat, Eburouicum, Campaniæ, atq; Briæ. miſſis vltro citroq; legationibus, nihil erat profectum. Rex ipſe Vaſco ſemel & iterum Gallicam profectionem ea cauſa ſuſceperat, haud magno operæ pretio. nunc extremam ſpem tentare viſum eſt: ſi à Rege Gallo amitino, cæteriſque Gallię Principibus, pręſens agendo, moliendoq; aliquid impetraret. regni cura Reginę cõmendata. Vt ad Regem Gallum ventum eſt, ſuprema contentione de re tota diſceptatum. conuenit tandẽ, vti omni ditione de qua controuerſia erat, Gallis relicta, Chireburgo etiã Vaſconũ pręſidio deducto, Nemoroſum Ducis nomine Celticę vrbẽ acciperet. iniqua permutatione, ampliſſimorũ principatuũ opes abdicatę: addita tamẽ annua duodecim Francorum millia: pręterea in pręſenti ingens auri pondus. hęc ſalutis anno 1404. quinto Idus 1404
Iunii Luterię geſta ſunt. Ex ea pecunia gemina palatia Oliti atq; Tafallæ, quę oppida quatuor inter ſe milliũ interuallo ſunt diſſita, cõſtituta à Carolo Rege fuiſſe, vulgo hominũ opinio eſt, plane magnificentiſſima: prorſus vt nihil artificii, ad pulchritudinem, magnificentiamq; ac cõmoditatem deeſſet. Et erat is Princeps harũ non minus elegantiarũ, quam ciuilium, militariumq; rerum peritus. ea oppida inter ſe perpetuo porticu cõmittere habuiſſe, in animo fama fert, ſi longior vita contingeret. Ipſo tẽpore Reges Granatæ atq; Caſtellę munificentia inter ſe, atq; comitate certabant. Salutaris barbaris erat noſtræ gentis amicitia propter anguſtiã ditionis: Caſtellæ neceſſariũ ob perpetuam Regis imbecillitatem, ſua magis tueri, quam alienos fines inuadere. miſſa abs Rege Mauro ad Henricum ampliſſima munera, aurum, argentũ, gemmæ, picta veſtis, atq; pretioſa: & quo maior gratia eſſet, vxor etiam cum iis donis legata, nimirum è multis vna: quas Mauri ſinguli, pro opibus quiſque quam plurimas habent, Reges maxime. ſic animo diſtracto, nulla in magno pretio eſt. iis officiis vtriuſq; gentis animi noua beneuolentia deuincti, neq; ſyncera tamen, neq; diuturna, vt rerum euentus breui declarauit. Romæ Bonifacius IX. deceſſit Kal. Octob. in eius locum feſtinatis comitiis Coſmatus Melioratus, patria Sulmonen. ex presbytero Cardinali ſubrogatur ad XVI. Kal. Nouemb. Innocentii VII. nomine deſumpto breuis pontificatus fuit, duorum annorum, vnius & viginti dierũ. Conciliandæ inter Pontifices pacis ſpes à Principibus tentata. cæterum variis artibus ii conatus ludificati: cum locus vtriuſq; partis quem conſenſus probaret, conuentui nullus inueniretur: prorſus vt colluſio videretur, & vtrunq; Pontificem in ſacra cauſa præuaricari. Benedictus præſertim magna amicorũ parte alienata, cæteris ad Romanos reſpicientibus, vagus, incertuſq; agebatur. neque illi res vlla, neq; conſiliũ, aut quiſquam hominum ſatis placebat. tametſi eius cauſam multi viri eruditionis & ſanctitatis opinione præſtantes tuebantur. in his ex Dominicano ordine Vincentius Ferrerius Valentinus: cuius ea tempeſtate fama, per ora omnium nationũ volitabat: ad quas Euangelii lumen intulit. ſatis conſtat patrio ſermone concionantem ab externis gentibus, auditum libenter, atq; intellecta quæ diceret: quod ab Apoſtolorum temporibus vni contigit. doctrina miraculis confirmata. cæcorum aperta lumina. claudis gradiendi facultas data. omne genus morbi depulſi. mortui ad vitã reuocati. Quo minus mirum ſit, eius opera innumeram hominũ, altiſſimis eatenus ignorantiæ tenebris oppreſſam, cæleſti illuſtratã lumine Chriſto nomina dediſſe, in vna Hiſpania Mauri octo millia, Iudęi ad triginta quinque millia: ac præſertim Palentiæ in Vaccæis multo maxima Iudæorum pars Chriſtiana ſacra ſuſcepit, Sanctio Rogio eius vrbis Epiſcopo. Calamitas ex ea re ſacrorum vectigalium, cum ſuſcepta religione immunitate donarentur, ex regio fiſco annuis Epiſcopo attributis reditibus eſt procurata: vti regium diploma per hæc tempora datum declarat. Publicam ex ijs rebus lætitiam Catharinæ Caſtellæ Reginæ partus feliciſſimus auxit. Tauri in Franciſcanorum cœnobio filium enixa eſt, cui de aui appellatione Ioanni nomẽ fuit, ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo quinto, die Veneris, pridie No- 1405
nas Martii. per oppida & vrbes feſti dies agitati: ludi, ſpectaculaq; commiſſa: quo diutius expectata fuerat, ac prope diffidebatur, eo maiori vniuerſę gentis lætitiæ. ab externis Principib. miſſæ legationes, quæ gaudio fungerentur. Ioannes Reginæ auunculus, Petri Regis filius, Soriæ vbi vinctus erat, paulo ante deceſſerat, ex Eluira vxore, q̃ in vinculis duxerat, cuſtodis Bertrãdi Erilis filiã gemina prole relicta, Petro, Conſtãtiaq;. hanc Rex cõtinuo natus Madriti in D. Dominici regii virginẽ ſacrari curauit. Petrus quẽ in cuſtodiam tradere cupiebat, ſubſtractus eſt. Amitini cõmiſeratione Regina ad ſe deductũ Regi poſt partum

forte inuiſenti conciliauit, venia precibus impetrata: neq; erat æquũ aliquid denegari puerperæ, quod dono dignum eſſet. repente ergo è latebra. vbi retro Reginæ ſtratũ erat, ad Regem deductus in veſte ſacerdotis genibus nixus, in gratiam acceptus: atq; vt eſſet vnde vitam in ſtudiis litterariis ſuſtentaret, Alarconis Archidiaconatu continuo donatus eſt. deinde Vxamẽſis Epiſcopus, ac tandẽ Palentinus eſt creatus. nobilitas pro virtutibus fuit. Ex duabus concubinis, Iſabella domo Anglica, atq; Maria Bernarda numeroſam prolem genuit: quatuor filios Alfonſum, Ludouicum, Sanctium, Petrum, pari numero filias, Alfonſam, Iſabellam, Catharinã, Conſtantiã. Ab his ac præſertim ab Alfonſo maximo filiorũ, cui ex iuſtis nuptiis ſeptem proles fuerunt, ea familia deducta perpetua ſerie cui à Caſtella cognomentũ eſt, in paucis nobiliſſimæ, ad paucos redactæ, modicis opibus.

Bellum Mauricum CAP. XIII.

INTEREA Aragonia inteſtinis tumultibus vexabatur: ac Cæſarauguſtæ cædes paſſim, bonorumq; direptiones factæ. partium duces Lupus Nuza, atq; Petrus Cerdanus, viri opibus, clientelis, auctoritateq; præpotentes. Ad Maelliam municipium conuentus gentis habiti. de ordinando regni ſtatu, deque iis motibus pacandis abs Rege eſt relatum. leges aliæ in tempus aliquod, quædam perpetuæ vtilitatis cauſa in æternum promulgatæ. ſancitumq; Martinum Regis filium primo quoq; tempore in Hiſpaniam euocandum: vt hominibus maxime liberis, ius à natura datum, virtute, meritis, fide, fœdere, ac religione fundatum diſceret conſeruare: neq; rempublicam pro voluntate arbitratuq; vt in cęteris prouinciis, ſed legibus æquitateq; gubernare. ergo auctore patre Drepano ſoluens, atque Benedicto Pontifice ex itinere ad Nicæam, quo ſe is contulerat ſpecie ineundæ pacis, ſalutato, fœdereque in ea vrbe cum Ludouico Andegauenſi, qui ſe Neapolitanum Regem ferebat, & ad Aragoniæ imperium aſpirabat, Pontificis opera conſtituto, Barcinonem tandem claſſe appulit, tertio Nonas Aprilis. Pro eius aduentu dies feſti per vrbes & oppida agitati: nam diu in Hiſpania moraturum ſperabant, nimirum opinione ſua falſi, cum Siciliam relinquere metueret, ſuſpenſis antea, & incertis prouincialium animis, & nunc Bernardo Cabrera, in quo præſidium eſſe debuit, plus eius diſceſſu ſibi auctoritatis arrogante, quam quod reipublicæ rationes, & regia dignitas pati poſſent. Itaq; rebus vtcunque in Hiſpania compoſitis, ad octauum Idus Auguſti, Barcinone claſſe qua vectus erat, Siciliam repetiit. Bernardus Cabrera, aula primum deinde tota inſula pulſus eſt. eorum quæ obiiciebantur cognitio, ad patrẽ Aragoniæ Regẽ integra reiecta. Quatuor argenteæ ſtatuæ gemmis, auroq; nitentes, menſe Nouemb. ineunte Barcinonẽ delatæ, Benedicti Pontificis donum: quibus Valerii, Vincentii, Laurentii, Engratidis cineres, qui Cæſarauguſtæ ſeruantur, præcipuis diebus incluſi, in pompa circumferrentur, thenſis impoſiti, & humeris hominum magna populi religione geſtati. In Caſtella pax erat domeſticis factionib. ſublatis, externis Principibus aut fœdere aut amicitia deuinctis. quam Granatenſis Regis inſolentia turbauit, Aiamonte oppido in Turdetanis ad Anę oſtiũ per vim capto, detractoq; Aluaro Guſmanio, in cuius ditione erat: præterea annuum tributũ pendere recuſabat. Quibus rebus tametſi commiſiſſe conſtabat, vt hoſtis loco eſſet, experiri tamen placuit, ſi reuocandæ concordiæ ratio aliqua iniri poſſet. miſſi qui iure feciali res repeterent. Barbarus metum

1406 interpretatus, principio anni 1406. ſuorum manum in vicines Biatiæ fines immiſit. magnus gẽti terror, agris, & oppidis vaſtitas illata. Petrus Manricus limiti præfectus, Dieghus Benauidius, Martinus Rogius tumultuario delectu habito, obuiã progrediuntur Mauris. ad Queſadam oppidum acie dimicatum. pugnantes nox diremit dubia victoria. niſi quod noſtri per medias hoſtium acies perrumpentes, vicinum tumulum occuparunt. id perculſi animi, peioreſque in pugna tuliſſe argumentum fuit. cecidere non pauci. in his nobiliſſimi Martinus Rogius, Alfonſus Daualus, Ioãnes Ferrerius Mareſcalus, Garſias Oſorius. Henricus Rex Segobiæ ſe in Vaccæis ea tempeſtate tenebat, quãuis imbecillo corpore, memor dignitatis, publicæ ſalutis memor. bellum omni conatu comparare certus, ipſe quidem Madritum continuo abiit: regni autem ordines Toletum primo tempore cõuenire iubet: vt communi gentis conſenſu de re tota conſilia ineantur. Rex Vaſco in Gallia eatenus moratus, rebuſq; confectis, vti paulo ante dictum eſt, alio itinere in Hiſpaniam rediit, per Narbonem in Catalaunos appulſus. ipſius & Aragonii Regis colloquium ad Ilerdam habitum, menſe Martio. in ea vrbe inſtaurato inter vtrunq; Regem fœdere Cæſarauguſtam itum: Aragonio omnibus officiis & comitate Vaſconem toto itinere proſequente. Beatrix Vaſconis filia Blanca minor, Iacobo Borbonio Marchiæ Comiti deſponſa erat, iuueni in procero corpore eximia formæ dignitate, bellica fortitudine pręſtãti. eæ nuptiæ Pompelone Septemb. die XIIII. principali apparatu celebratæ ſunt. Quo menſe

Michael

Michael Salua Pompelonenſis Cardinalis Benedictum Pontificem in Liguriam ſecutus, ad Monæci arcem ex peſte deceſſit: qua contagione iis locis multi mortales conſumpti erant. defuncti corpus Nicææ in D. Franciſci tumulatum eſt. in eius locum Lancelotus Nauarra Pompelonenſis Epiſcopus creatur. Gallia vniuerſa à Benedicto Pontifice diſcedit. quoniam eatenus concordia inita inter Pontifices non erat, fraudem ſubeſſe atq; præuaricationem vulgo homines, ſed & gentis Principes interpretabantur.

Henrici Regis obitus. CAP. XIIII.

CONVENTVS Toleti agebantur omnino frequentes, rerum de quibus ſuſcepta deliberatio erat, magnitudine, Principum numero, ac triſti tandem Regis exitu nobiles. Ioannes Seguntinus Epiſcopus, qui Toletani Epiſcopi partes implebat eius eccleſię rector, ex quo Petri Tenorii obitu vacua erat, Sanctius Rogius Palentinus, Paulus Carthaginenſis, Fridericus Traſtamaræ Comes, Henricus Villena Calatrauæ Magiſter in locum Nunnii Guſmanii ante bienniũ ſubſtitutus, Rodericus Daualus Magiſter equitũ, Ioannes Velaſcus, Dieghus Stunica, aliiq; viri principes interfuerunt. Regem in ipſo conatu morbus ſolito grauior oppreſſit. Itaq; pro Rege vicarius Ferdinandus frater ſubſtitutus eſt. Eo referente de ſubſidio in bellum Mauricum conferendo, pecuniaq; genti imperanda actum: vnde equitum millia quatuordecim, peditum quinquaginta millia conſcribi poſſent: triginta triremes inſtrui, quinquaginta onerariæ: præterea ſex ignea tormenta maiora, quas noſtrates hiſtoriæ Lombardas vocant, fortaſſis quod in Longobardia id genus machinæ inuentum primo eſſet: minora tormenta centum, aliaque inſtrumenta belli: quod extirpandæ genti Mauricæ ſupremo conatu gerendum erat. Res per altercationes ducebatur. negabant vrbium procuratores tantum pecuniæ redigi poſſe, præſertim Epiſcopis oneris partem ſubire recuſantibus centum modo aureorum myriades in belli ſumptus conceſſę. datumq;, vt niſi ea ſumma ſufficeret, aliquanto amplior populis imperaretur, non conſultis regni ordinibus, neq; conuentu procerum euocato. Equiti ſtipendium erat in dies ſingulos ſeſtertii viginti, pediti dimidiatum. Ferdinandi Principis diligentia res ad exitum perducebatur: cuius ſecundum Regem fratrem prima & maxima rebus omnibus erat auctoritas. Cum Roma allatum eſt Innocentio Pontifice defuncto ad octauũ Idus Nouemb. ſucceſſorem datum pridie Kal. Decemb. Angelum Corarium Cardinalem, natione Venetum, Gregorii XII. nomine edito. Toleti Henricum Regẽ mors oppreſſit octauo Kal. Ianuarias, ineunte ſalutis anno 1407. annos natum viginti ſeptem, atq; omnibus ſacris ex ritu Chriſtiano procuratis. regnauit annis ſedecim, duobus mẽſibus, diebus vno & viginti. filios reliquit Ioannem, Mariam, Catharinam. Corpus in veſte Franciſcana regio ſacello templi maximi Toleti tumulatũ, veriſſimis totius gentis lacrymis, luctuq;, immatura morte præreptum eximia indole Principem lamentantium. rempublicam rurſus quaſi rectore ſpoliatam nauim, nouorum motuum fluctibus agitari neceſſarium. fuit ingenio facili, miti; atq; liberali. vultus ſatis decorus, niſi perpetua valetudo fœdaſſet. vernacula facundia inſtructus, omnium quæ diceret atq; ageret, arte quadã oſtentator. Ad Principes tum Chriſtianos, tũ Mauros finitimos longinquoſq; legationes mittere ſolitus, vnde multũ prudentiæ rebus gerendis multumq; ſplendoris hauſtum eſt. animi magnitudinem, atq; conſilii, vnius rei argumento notaſſe ſat erit. Superioribus annis cum primũ regni adminiſtrationẽ ſuſcepit, Burgis accidit, vt ex coturnicum aucupio, quo ſe oblectare conſueuerat, poſt meridiem redeunti die quadã nihil opſonii ad prandium eſſet paratum. cauſam ſciſcitanti, reſpondit opſonator, regiis vectigalibus exhauſtis, fidem etiam eſſe conſumptam, ne pignora quidem ſupereſſe cibis regiæ familiæ comparandis. Miratus Rex, Arietinas carnes, pallio oppignerato, emi continuo mandat: iis & coturnicibus, quas ceperat, prandium parari. miniſtrat brachatus regius ipſe opſonator. in ſerum dies erat extractus: proceres, Toletanus Archiepiſc. Dux Beneuentanus, Traſtamarę Comes, Henricus Villena, Medinę Celinę Comes, Ioannes Velaſcus, Alfonſus Guſmanius, aliiq; magno numero, luxu inter ſe & ſplendore menſarũ certabant, ſoliti in orbem conuiuiis ſe mutuo excipere. Forte apud Toletanũ cœnabatur. eo Rex nocte tectus, inuolutoq; capite abiit. opipara fercula illata, deliciis lautitiaq; diffluebant. Remotis menſis, varii vt fit ſermones additi. quantũ quiſque copiarum haberet, quantum ex regiis vectigalibus perciperet, vt in nullo tali periculo commemorare. Noua ea res Regem impleuit ira. proxima luce fingit grauiſſima ſe valetudine opprimi. dare ſuprema mãdata velle. proceres in arcẽ euocat ſingulos. iis admiſſis comites excluſi. Sub meridiẽ Rex ferro tectus, diſtrictoq; gladio, ad proceres ingreditur in cœnationem magnam, vbi rei euentum ſuſpenſis incertiſq; animis expectabant. aſſurgunt illi;

Rex aſſidet, truciq; vultu, Toletanum rogat. Ecquot Reges antea noſſet: idem ex alijs ſigillatim ſciſcitatur. alij tres reſpondent, quidam quatuor, qui plurimos quinq;. Ecquî id verum eſſe ait, cũ hac ipſa mea ætate, viginti Reges nihilominus in Caſtella nouerim regnaſſe. Mirantibus dicti cauſam. Vos inquit, vos omnes Reges eſtis, magna reipublicæ calamitate, noſtri nominis ignominia. ſed ne diutius imperetis, neq; Reges ludibrio habeatis, veſtris capitibus continuo ſanciam. Simul cõtenta voce lictores euocat, militeſq; ſexcentos, quos arcano paratos habebat. quæ ad ſuppliciũ poſtulabat parari, afferriq; iubet. tunc Toletanus ab inſita animi magnitudine præſidium petens, in genua procumbit, veniam ſupplex rogat: idem eius exemplo cæteri faciunt, panſis manibus, lacrymis toto ore manantibus. emendaturos atq; in eius poteſtate ſe ſuaq; fore pollicẽtur. Increpitos atq; vltimi ſupplicii metu perculſos, non ante dimittit, quam regiis arcibus traditis omnibus, auriq; pondere repræſentato, quod occupatis regiis vectigalibus debebatur. Iis rebus perficiendis duo menſes conſumpti, ex quanto tempore in arce ſeruati ſunt. regia auctoritas confirmata: nullo vt tempore obſequentiores proceres fuerint, timore ipſis timoris cauſis longiori. Simile ſeueritatis exemplum Hiſpali editum eſt: quo tempore Nieblæ Comes & Petrus Pontius inteſtinis diſſidiis tumultuabantur: niſi quod grauius ſupplicium fuit mille ſontibus Regis iuſſu peremptis. Regia vectigalia liberata, præſertim Ferdinandi fratris diligentia: vnde annis ſingulis magnum auri pondus in regium ærarium illatum. cuius pars maxima Madriti ſeruata ad grauiores reipublicæ caſus. Henrici Regis impenſa ei arci muniſſimæ turres ſunt additæ. Eius illa vox fuit: Populi ſe execrationes amplius quam hoſtium arma formidare. eoq; theſauros congeſſit, innoxios tamen & ſine ſubditorum gemitu: cura tantum regiorum vectigalium, modeſtiaq;, quæ magna Principum laus eſt.

Ioannes Caſtellæ Rex renunciatur. CAP. XV.

IVSTA funeris Henrico Regi ſplendide facta: ſimul de ſucceſſore renunciando ſuſcepta à proceribus deliberatio eſt. non vna omnium mens erat, nec eadem cunctis oratio, graue reputantibus expectare dum infans menſes duos & viginti natus, ad iuſtam ætatem perueniret. malorũ imagines, quæ paſſa prouincia erat, Regum priorum ætate minori ante oculos verſabantur. Defuncti Regis teſtamentum prolatum: in quo reipublicæ procuratores, Regina vidua, Ferdinanduſq; Princeps ſcripti erant. Dieghus Stunica, Ioãnes Velaſcus infantis tutores deſignati: Paulus Carthaginẽſis Epiſcopus magiſter inſtitutus, adoleſcentia litteris & regiis moribus informanda: ea tamen lege, ne aliquam reipublicæ partem attingerent, contenti ea cura, quæ ipſis concredita erat. Verum ea decreta reſcindenda omnia nonnulli diſputabant: Regem cõfectum morbo parum mente valuiſſe. nam pridie obitus teſtamentum confectum erat. & ſi cætera eſſent integra, nouarum tempeſtatum fluctibus rempublicam obiicere recuſabant. Hæc clam inter ſe. hæc palam atq; in circulis conquerebantur. conſilia mali vitandi non ſatis explicabant: quodq; in re tali difficillimũ eſt primus auctor, primaque vox expectabatur, dum animis ſpes, timor, ratio, caſus ancipites obuerſantur. loquebãtur omnes, adiicere conſilio periculũ ſuum ſinguli detrectabant. Vnus erat Fernandus Princeps, qui regno ſuſcepto rebus opem ferre poterat, (ſic illi exiſtimabant) ſed natura cunctator, manſuetus, modeſtia ſingulari: quæ vulgus virtutibus affinia vitiorũ nomina affingendo, metum, ignauiam, anguſtiã, humilitateq; animi interpretabatur. Nouorum cõſiliorum opportunitatẽ Reginæ tum ſexus, tum abſentia ſuppeditabat, Segobiæ cum filiis, quorſum res euaderent, expectantis, ſqualore luctuq; oppreſſæ, ob mariti obitum, neq; magis pręſenti calamitate afflictæ, quã metu imminenti, ne ipſa filiuſq; ludibrio haberentur. Re inter ſe cõmunicata proceres, Ferdinandi conſtantia tentare decernunt. Daualus Magiſter equitũ poſt multos ſecretoſq; ſermones cunctantem dubitantemq; hac orationẽ erigere ac confirmare nititur. Nos te, Ferdinande, ad patrium auitumque regnum vocamus, ſalutare reipublicę, tibi magnificum, nobis omnibus fauſtum. in tua id manu ſitum eſt. nemo erit, qui noſtro conſilio repugnare audeat. Neq; ſpeciem adulantium, fraudemq; ſubeſſe cogita. Ad regni faſtigium ambitu & malis artibus niti turpe eſt; vltro delatã, & quaſi ad tuum præſidium confugientem rempublicam deſerere in periculo, ne ſopor & ignauia videatur, prouidendum eſt. Poſſe gentis conſenſu regna mutari, nouoſq; Reges inſtitui. ipſa regiæ poteſtatis natura documento eſt: quæ populi voluntate exorta, rebus exigentibus transferri poteſt ad alios. Vagi initio homines, incertis ſedibus errabant. in quaq; familia tantum, ei à cæteris honos deferebatur, quem ætate prudentiaque cæteris pręſtare conſtabat. verum cum vita omnis iniuriis eſſet obnoxia, ac ne conſanguinei inter ſe ſatis conuenirent animis: qui à potentioribus premebantur, ſocietates cũ aliis

inire,

inire, & ad vnum aliquem opibus fideq; præſtantem reſpicere ceperunt. Hinc vrbani cœtus primum, regiaq; maieſtas orta eſt. non fraude, atq; ambitu, ſed moderatione, innocentia, virtute, obtinebatur: neq; hæreditario iure, ſed pro multitudinis voluntate, in defuncti Regis locum alius ſubſtituebatur. Imperaturus omnib. eligebatur ex omnibus. Nimia regum potentia effectum, vt parentibus filii, prauis ſępe moribus, imbecilla ætate ſuccedant. qua peruerſitate, quid exitialius excogitari poteſt? exercitus, prouincias, copias ex vxoris ſinu dari accipiq; temere nullo delectu? & quod virtutibus erat datũ, nullis iam meritis contra malis artibus obtineri: rempublicamque vnius reſpectũ, grauiſſimis procellis exagitari? Licet antiqua exempla proferre. Henrico eo nomine primo defuncto, Berẽgaria ſoror minor eſt pręlata, Blanca Galliæ Regina prætermiſſa. quod conſilium ſuperis eſſe probatum, Ferdinandi Regis Berengarii filii, ſanctitas ac perpetua felicitas declarauit. Alfonſi Regis cognomẽto Sapientis minor filius, quia indoles erat, nepotibus ex maiori filio pręlatus eſt. Licet recentia. Henricus auus tuus fratrẽ Regem imperio euertit, eiuſq; filias paterna hæreditate ſpoliauit. quod niſi iure factũ eſt, priores Reges iniuria regnaſſe, fateatis oportet. Prioribus annis Ioannes Auiſii Magiſter Luſitania occupata, iure an iniuria non diſputamus, ſed certe eximia populi voluntate hactenus ſtetit, quamuis Caſtellę armis ſępe laceſſitus: & nuper duæ Ioannis Aragonii Regis filiæ à paterno regno depulſę: Martinusque Ioannis frater ex Sicilia ad imperii ſceptra euocatus eſt. Nimirum quod publicę ſalutis cauſa, & communi conſenſu inſtitutum eſt: eadem multitudinis voluntate rebus exigentibus immutari quid obſtet? Quod ſi externus homo inuitaretur, nulla nobilitate, nulla rerũ geſtarum gloria, conſilium reprehendi poſſet: nunc Principem nobiliſſimum, patre atq; atauis Regibus natum, ad imperium vocamus, & fratre ſuperſtite rerum moderatorem. Vide ne propius contumeliæ quã laudi ſit, hanc eximiam noſtrûm omnium, & populi voluntatem repudiaſſe: patriæq; ſupplici, & quaſi manus tendenti, periculum ſi quod eſſet, certe laborẽ curamq; denegaſſe. Nam illud admonere non attinet, vt oblata dignitate, quam modeſtiſſime vtare. Poſt hanc orationem cæteri proceres circumſiſtere, hortari, cælitum voces, & aſtrorum motus referre. Negat ille tanti eſſe regnum, vt ambitioſi propterea notam velit incurrere, atq; inhumanitatis, innocenti puero ſpoliato, Regina vidua contẽpta, quorum patrocinium ſuſcipere æquius foret: atq; nouorum bellorum materiam pręſcindere, quæ regni mutatione futura neceſſario prouidebant animis. Se quidem pro eo ſtudio immortales gratias agere: ſed maius beneficium dare nõ poſſe, quam fratris filio, vti ratio & ęquitas poſtularent, Rege renunciato. ipſum remp. curaturum, vti frater moriens mandarat: neq; vllum laborem, aut vitæ periculum patriæ denegaturũ. vt ſuo nomine imperaret, adduci non poſſe. Conuentus procerum in templi maximi eo ſacello habitus eſt, quod Tenorii Archiepiſcopi impenſa extructum erat. Daualus equitum Pręfectus, rurſus ad Ferdinandum cõuerſus, ſi ſubeunte pœnitentia mutaſſet, ecquem Regem renunciari vellet, rogauit. Ille indignantis habitu, contentaq; voce, Quem, inquit, niſi fratris mei filium? Continuo ergo Ioannes in conuentu primum, deinde per vrbis plateas explicatis vexillis, Rex eſt Caſtellæ pręconis voce proclamatus. Ferdinandus omnium confeſſione, eorum etiam qui maximè inſtiterant, ab eximia moderatione, fideq; laudẽ tulit, cum vltro delatam regiam dignitatẽ repudiarit: quam alii per ignes & ferrum petunt. dignus cui ad ampliſſima regna viam numina aperirent, gloriamq; eo maiorem, quod variis antea criminibus apud fratrem fuerat appetitus ab iis, qui Principum offenſas aliis euertendis acriter rimantur. & per ſe inuidioſi ſuſpectiq; Principibus ſunt, qui proximi ad imperiũ deſtinantur. ſed ſub vitę tamen finẽ eius probitate perſpecta odium beneuolentia mutarat. Maria etiam filia Alfonſo Ferdinandi filio maiori cum ſpe regni deſponſa: quod vtriuſq; rationibus commodum, reipublicæque adeo vniuerſæ ſalutare erat futurum.

Bellum Granatenſe. CAP. XVI.

NOVVS in alia Hiſpaniæ parte luctus exortus Aragoniæ genti eſt, Marię Reginæ funere pręſtantiſſimę Principis, ad Villam regiam extinctę prope Valentiam, quarto Kalend. Ianuar. corpus ad Populeti eſt tumulatum: exequiarum iuſta magnifice facta. tres filios Iacobum, Ioannem, Margaritam in minori ætate amiſerat; Martinum ſibi ſuperſtitẽ reliquit: verum rebus Siculis implicitum, multiſq; ex eo periculis obnoxium, & vt erat pręſtanti animi magnitudine, offerentẽ ſeſe: quod illi perniciem tandem, maximas genti calamitates attulit. Ferdinandus Princeps rebus Toleti compoſitis, fraternoq; funere procurato, ipſis Ian. Kal. Segobiã abiit: vbi ſe Regina limine cõtinebat, recẽti mœrore oppreſſa, ſqualoreq; fœdata. coram de repub. ſummiſq; regni rebus conſilia cõmunicata. & quo maior eſſet auctoritas proceres ex vniuerſa prouincia, populiq; ad generales conuentus euocati ſunt. pu-

eri Regis educandi cura Reginę matri ipſius rogatu permiſſa. id vnum in Henrici Regis tabulis mutari placuit. Velaſco & Stunicę auri pondus abs Rege datum, duodecim florenorũ millia, ablatæ poteſtatis non ſatis æqua compenſatio. ſed erat tempori cedendũ: neq; vacabat periculo Ferdinandi Principis voluntati, atq; Reginę votis velle repugnare. Mox de bello Granatenſi in conuentu ſuſcepta deliberatio eſt, eo maiori animorum alacritate, quod Februario menſe noſtri, per Murciæ fines in Maurorum agros inuecti, Veram municipium impugnarant: & cum obtinere non poſſent, ſine ſcalis vineiſq; ad bellum profecti, cęteriſq; quæ expugnandis oppidis idonea ſunt, duodecimo inde lapide ad Xuxenam Maurorum manum auxilio obſeſſis venientem, commiſſa pugna profligarant. minor quã pro victoria cædes fuit: vicinum oppidum multis perfugio. arx defenſa. captum direptumque oppidum. ductores pręcipui Ferdinandus Ferrerius Caſtellę Mareſcalus, Ioannes Fagiardus, Ferdinandus Caluillus, aliiq; viri primarii. Id principium ad totius belli omen ſpectare viſum eſt: magnumq; auri pondus referentibus in conuentu Regina, atq; Ferdinando, volentibus populis imperatum. vniuerſi belli cura Ferdinando Principi, vt par erat, demandata. exortæ inter eum & Reginã nonnullę ſuſpiciones: cum apud Reginam Eleonora Lopides plus poſſet, quam imperii maieſtas poſtularet: multiq; corruptores, & vaniloqui, quales in aulis Principum ſunt, Ferdinandi potentiam Reginæ, atq; filiis fore formidabilem diſputabant. Iis criminationibus effectum, vt procurationis finibus diuiſis, Vlterior Caſtella Reginæ permitteretur, Citerior Ferdinando: cui in Vaccæis nonnullę vrbes additę ſunt. vxor & filii Ferdinandi Medinam Campeſtrem amandati. ipſe Idibus Aprilis Segobia ad bellum profectus ad Villam regiam in Oretanis reſtitit, dum copiæ militares idoneo numero & omnibus partibus, vti erat iuſſum, conuenirent. irruptiones tamen in Mauricam ditionem facere interea, è finitimis populis permiſſi pedites, equiteſq;, non eadem ſępe belli fortuna. vaſtati agri, direpta oppida, abactæ prædæ, crebra facta transfugia. Maurus quidam noſtrę religionis ſtudio incenſus, ad Magiſtrum D. Iacobi, qui ſeſe Aſtigi tenebat, dilapſus, facta cum conueniendi poteſtate: Transfugę, inquit, nomen, quam ſit omnibus execrabile ſuſpectumq; non ignorans, ad vos tamen venire conſtitui, numinis impulſu actus, cui repugnare non potui. Tranſitio apud vos, neq; fraudi, neque honori ſit, niſi inſigni aliquo officio prius fidem approbauero. Chriſtianis tantum me ſacris expiate: mox noſtra opera vtimini: quã fortem & fidelẽ fore, dies & vſus declarabit. Factum vt Maurus poſtulabat, lotus ſalutaribus aquis indicat Prunam oppidũ opportunum iniurię eſſe. Duce Promagiſtro D. Iacobi, copiæ militares improuiſo ſeſe ad mœnia oſtendẽtes, qua parte ille indicauit admotis ſcalis, pridie Nonas Iunii, momento temporis in oppidũ tranſcendunt: magno Chriſtianæ rei commodo, gentiſq; lætitia, recordantiũ Mauros præſidiarios ex eo oppido excurſiones in finitimos piorũ agros facere ſolitos. Ferdinandus Princeps in eius belli curam intentus, Cordubã primum, deinde Hiſpalim abiit, decimo Kal. Iulii. itineris labor, inſueti loci calores morbum importuno tempore conciliauerunt. Marchiæ Comes octoginta equitibus ſtipatus eodem appulit decora iuuenta florens, ſtudioq; incitatus rei Chriſtianæ aduerſus Mauros iuuandæ. inſigni morũ ſuauitate comitateq; omnium voluntates conciliabat ſibi. A Mauris Lucena primum tentata: & cum conatus non proceſſiſſet, incredibili Maurorum multitudine Biatia circumſeſſa: pedites centum millia, ſeptem millia equites ipſo Granatæ Rege ductore, in caſtris eſſe ferebatur. ingens tota prouincia trepidatio. conclamatũ ad arma, concurſumq; in muros, atq; portas eſt. ſuburbiis combuſtis, vix hoſtilis impetus ſuſtentatus. prouinciales eius vrbis periculo permoti, ad arma concitantur ingenti multitudine: quod vbi auditum eſt, hoſtes præda graues, multiſq; captiuis in patriam diſceſſere. Ab Alfonſo Henrico maris Præfecto ad Gadeis inſulã ingens victoria parta, de quinq; & viginti triremibus, Regum Tunetani, Tremeſeniiq;. octo triremes captæ. aliæ pars ſub merſæ, pars in fugam actæ: eo maiori laude, quod noſtræ triremes tredecim tantum erant. Ferdinandus Princeps eo nuncio lætus, confirmataq; valetudine, ſeptimo Idus Septembris Hiſpali profectus eſt. incertus tamen qua parte Mauros inuaderet, cum viris principibus deliberatione habita, variis dictis ſentẽtiis, tandem conſtituit in Arundæ agros irrumpere. Zahara nobile iis locis oppidum, copiis omnibus circumſeſſum. tribus tormentis igneis, diu noctuq; verberata mœnia: haud magno operæpretio, rudi tum arte, magnaq; imperitia librandi. ducebatur obſidio: obſeſſiq; malis omnibus fatigati, & maioris mali metu perculſi, deditionem fecerunt, pacti libertatem, reſq; efferẽdi poteſtatem, exceptis armis & commeatu. Mox minora alia oppida in poteſtatem venerunt. Septinilium admota caſtra, oppidum eo tractu viris, arteq; munitum. Interea Aiamontem quidem Petrus Stunica cepit de Mauris, cui ea cura à Ferdinando erat commendata. Rex autem Maurus virtuti diffiſus, atque totius certaminis diſcrimen ſubire detrectans, in cuius

euentu,

euentu, rei Mauricæ ſumma vertebatur: nouo conatu Giennium vrbem obſidet, octoginta millia peditum, ſex equitum ſub ſignis habens. nihil tanta multitudine profectum. noſtrorum accurſu, inglorius reiectus eſt. vaſtitas modo illata agris. ſed in ea iniuria vindicata, Maurorum finibus depopulatis Malacam vſq;. nam variæ noſtrorum manus è caſtris in omnes partes ad prędam egreſſæ inferre hoſtibus clades non deſiſtebant. Capi Septinilium non potuit. id vnum ad cumulum felicitatis defuit. autumno præcipiti, continuiſq; imbrib. noſtri fatigati, ab obſidione ad octauum Kal. Nouemb. diſceſſerunt. Hiſpalim reductæ copiæ. Gladius quo Ferdinandus Rex Sanctus. clarum iis locis nomē, in bellis vſus fuerat, eumq; Ferdinandus Princeps ominis cauſa, vti more erat ſuſceptum, commodato detulerat, loco reſtitutus, Hiſpali, Cordubæ, aliiſq; locis præſidia conſtituta. ad colligenda belli ſubſidia in Citeriorem prouinciam Ferdinandus abiit. Quo tempore Calagurri quidem Petrus Aiala, extrema ætate quinq; & ſeptuaginta annos natus, defunctus eſt, regii ſcrinii præfectura, ſed & ſuorum temporum hiſtoria à Petro Rege vſq; ad Henricum tertium deducta, clarus in paucis ea tempeſtate. Tametſi factionis ſtudio creditus eſt, Petri virtutes obſcuraſſe, æmuli illuſtraſſe, pari vtrunq; vitio, & veritatis iniuria. Corpus in Quixanæ cœnobio tumulatum eſt. Vniuerſa autem Gallia mota, diductaq; in factiones eſt, Ludouici Aurelianēſis cęde, quem Ioannes Burgundiæ Dux Lutetiæ, ex aula, multa iam nocte redeuntem, interficiendum curauit Otonuilla ſicario, Kal. Decemb. Simultatis cauſæ in incerto fuerunt. Sed Regis imbecilla mente vtrunq; ad ſe rerum poteſtatem reuocare voluiſſe fama eſt. cædis auctore detecto, Burgundus quidem in ditionem abiit, armis paratus immane parricidium defendere. Valentina vidua de facto inquiri lacrymis & querula voce poſtulabat. venit ille ad cauſam dicendam. Ioannes Paruus Theologus, hominem venalem, aſſentationiq; ſeruientem, parricidium defendit, defuncti manes inſectatus: quaſi in regium nomen inuadere cogitaſſet. tyrannidis depulſorem gratia, honore, diuitiis cumulandum videri. armato venia data Ludouici filiis mer.to expoſtulantibus: vnde ... us bell. flamma concitata eſt, qua vniuerſæ Galliæ opes fortunæq; afflictæ ſunt. Inter Theologos magno animorum motu iactatum diu: Fas ſit opprimere tyrannum priuato, quod aiebat Paruus: Patres Conſtantienſes negarunt, cum de ea quæſtione eoq; facto eſſet in conuentu relatum. Ludouicus Caroli Regis frater erat, Burgundi patruelis.

Induciæ Mauris conceſſæ. CAP. XVII.

TOLETI Chriſti Dei natalis dies principio anni 1408. à Ferdinando Principe eſt celebratus: [illegible]ricię; Regis manibus inſtaurato funere parentatum. Caracę Rex & Regina erant, locorum amœnitate, cęliq; ſalubritate inuitati. eo ad conuentus regni proceres atq; Epiſcopi euocati, magno numero conuenerunt in cōmune de belli Maurici ſumma deliberaturi: quod maiori impetu repetere cogitabant. Summa redigendæ pecuniæ difficultas erat: & ad vocem noui tributi popularium aures obturatę, metuentium ne in pace manerent, quæ belli neceſſitas excuſare videbatur. Magna Ferdinandi Principis, & aliorum procerum cōtentione impetratum, vt centum quinquaginta aureorum millia in belli ſumptus imperarentur prouincialibus: ita tamen, vt accepti & expenſi rationes conſtarent, ne ad alia conuerterētur, pro voluntate imperantium. Alcaudetem municipium Rex Granatenſis Februarii octauodecimo obſederat ſeptē millia equitum, peditum centum & viginti millia ſub ſignis habens. res prope periculum erat magna vniuerſa Bætica trepidatio, modicas vires eſſe ſibi non ignorantibus, auxilia longinqua, tempus importunum: ſed virtute tamen obſeſſorum fracta Maurorum audacia: noſtriq; tribus ex partibus in Granatenſes fines inuecti, agros depopulati, acta præda hominum pecorumq;, præclare iniurias vlti ſunt. Quibus malis fracti Mauri, miſſis Caracam legatis, inducias poſtularunt. Recuſabat Ferdinandus, ac Maurorum rem in præcipiti eſſe diſputabat: ſed Reginæ tamen voluntate à bellis abhorrentis, octimeſtres inducię conceſſę ſunt Mauris, neq; ideo de pecunię conquiſitione mutatū: vt eſſet vnde in proximū annum bellum ſuſtentaretur. populis tantum exigentibus datum, vt eius ſummæ pars quarta remitteretur. Venit ad hos conuentus inter alios Principes Petrus Luna, quem ſuperiori tempore Toletanum Præſulem fuiſſe renunciatum, monſtratum eſt, ſecum deducens Aluarum Lunam propinquum, decem & octo annos natum. Huic Aluarus Luna Cagneti & Iuberę in Aragonia regulus pater fuit: mater Maria Cagnetia: in qua præter formam, nihil laudares, libidine ſic accenſa; vt quatuor filios, totidem viris furto genuerit: hunc, & Ioannem Cereſolam Cagneti præfecto, Martinum Ioanni cuidam opilioni; quartum eodem nomine agricolæ Cagnetenſi: ſed duobus poſtremis Lunæ cognomē ab Aluaro fratre fuit. vſq; adeo ab humili ducta Albari potentia creuit, inopi iuuenta cum ætate nō modo cæteris proceribus. ſed Regi etiam

formidabilis, quod illi exitiū attulit. Petri nomen quod à prima ętate habuit, Benedictus Pontif. pueri ingenio, & venuſtate oblectatus, Aluari appellatione mutauit nunc inter regii cubiculi aſſeclas annumeratus eſt. aderat facundia, mulcendiq; homines artes, formæ dignitas, atq; auctoritas. Mahomadis Regis Mauri ſubſecutus interitus, diuturnæ pacis ſpem confirmauit. Granatæ in arce extinctus eſt, interula veneno medicata: ſane ad quintum Idus Maij. Iuzephus eius frater è vinculis, quibus conſtrictus Salobrennæ, iuſſu Mahomadis Regis tenebatur, ad regnum eductus eſt. ſic rerum humanarum vices mutantur. ſilentio, & celeritate res vniuerſa adminiſtrata, ne Chriſtianorum viribus ij conatus impedirentur. ſuſcepto regno, legatis vltro citroq; miſſis, induciæ confirmatæ. magnificentia munerum vtrinq; certatū: Mauriq; legati equos, gladios, telas bombyeinas, vuam paſſam, caricas, amigdala, quibus ea gens oblectatur, ad Caſtellæ Regem attulere: neque iis donis tamen, vt longiores induciæ concederentur, impetrarunt.

Benedictus Pontifex venit in Hiſpaniam. CAP. XVIII.

INTEREA Benedictus Pontifex, prouinciis diuturnitate diſſidii feſſis, amiſſis amicis, quorū pleroſq; ipſe importunis actionibus alienarat, anceps incertuſq; agebatur: neq; illi res vlla aut conſilium ſatis placebat. Auenione vitata Gallorum vim veritus, ſeſe Maſſiliæ ad D. Victoris tenebat. inde ad Gregorium æmulum de pace litteræ datæ: à qua nunquam abhorruiſſe dictitabat: neq; modo facturum moram, modo æquis conditionibus locoque idoneo delecto: ad quem vterq; conueniret, coram diſceptaturi de re tota. longo itineris ſpatio, cum per alios conditiones ferantur, idem perfici non poſſe. Conuenit vt Gregorii legati Maſſiliam venirent: interim à noua creatione Cardinalium abſtineretur. Saona in ora Liguriæ conſenſu legatorū delecta, Pontificū colloquio. eo Benedictus, quo ſe promptiorem oſtenderet, continuo nauigauit. recuſat Gregorius conditionem, locumq; in Benedicti poteſtate eſſe, ſibi minime tutum cauſatur. Lucam tamen Hetrutiæ vrbē ipſe, Benedictus portum Veneris accedunt huius anni principio, ex propinquis locis, de omnibus conditionibus diſceptaturi. modica cōcordię ſpes erat: colludereq; inter ſe pontifices credebātur. confirmata opinio, cū contra pacta, tres Gregorius vna creatione Cardinales renunciaſſet. ea re alii collegę alienati, ſeſe facto agmine Piſas cōtulerunt. eorū alienationem Benedictus ſuā occaſionē facturus, eodē quatuor Cardinales, tres Archiepiſcopos mittit. Liburni medio itinere mora facta, dum Florentinorū fides expectatur. mentio de concilio generali facta: rumoreſq; ſparſi, de Benedicto capiendo conſilia agitata. quæ fama, ſiue vera fuit, ſiue de induſtria cōficta, Benedictus Italiā timens tam incertis & [illegible]penſis omnium animis, & Ladislai Neapolitani Regis, quē Gregorius imperii Vicarium dixerat, Romanū Senatorem, vim veritus in Hiſpaniam nauigare conſtituit concilio Perpinianū indicto. Illiberim appulit, Iulii menſis ſecundo die. inde Helenā, atq; Perpinianum abiit. Quo tempore Vaſconum Rex Galliæ motibus ſperans priſtinæ ditionis partem poſſe recuperari, eo feſtinans Cæſarauguſtam tenuit: Regeq; Aragonio Barcinone, Benedicto Pontifice Perpiniani ſalutatis, Lutetiam contendit. nihilo felicior ea profectio fuit. nullo operępretio rediit in patriam. A Benedicto Pontifice, vt erat inſtitutum, concilium Epiſcoporū centum & viginti ex Hiſpania ferme atq; Gallia, Perpiniani inchoatū, ipſis Kal. Nouemb. Concordiæ in eccleſiam reuocandæ prima cura erat. non eadem mens omnibus. ſententiis variantibus, pleriq; è conuētu dilapſi ſunt. Decem & octo Patres qui ſupererant, oblato codicillo, ſuadent, hortanturq; in eam vnam curā incumberet, pontificatuq; ſi ſit opus abiret: atq; in eo, orbis potius terrarū conſenſum ſequi verius, quam prauis quorundā adulationibus moueri. Luctu, & ſqualore oppreſſam eccleſiam, ac pene confectā, cum lacrymis ſupplices manus tendere. Communi ſaluti nihil eſſe denegandum: neq; aliter diuturno morbo poſſe ſuccurri. Parum ſpei erat, quidquam Benedictum voluntate facturum: qui ſe in extremam Hiſpaniam, quaſi ad præſidium ſubduxiſſet. ſeptem tamen viri primarii ab eo *Piſas* legati, ſimulatione ineundæ concordiæ, re vt Patrum conatus cognoſcerent, exploratáq; renunciarēt. Erant in ea vrbe pręter alios Epiſcopos, qui magno numero cōfluxerant, tres & viginti Cardinales. in hoc numero ex Benedicti aſſeclis ſex, hoc eſt maior pars collegii ipſius. Ab his vterq; Pontifex ad dicendā cauſam vocatur: & cū non obtemperarent, tempuſq; altercationibus duceretur, ad VI. Kal. Iulii, ſalutis anno 1409. Petrus Philargus Cretenſis ex Minorum ordine Mediolanenſis Pręſul Presbyter Cardinalis, Pontifex renunciatur, Alexandri V. nomine impoſito. breuis pontificatus fuit. non toto vertente anno deceſſit. & vnde melioris fortunæ ſpes affulſerat, amplius exacerbatę res ſunt, ad priores Pontifices tertio adiuncto, qui ſe legibus creatum diceret: alii vitio contenderent: orbiſq terrarum, nullo vno conſenſu, in tres factiones diſtractus eſt. ſic ſępe in peius vertuntur, quæ prudenter videbantur eſſe in ſalutem deſtinata.

1409.

Martini Regis Siculi obitus. CAP. XIX.

MELIORI fato, fideq́; res Caſtellæ à Ferdinando Principe gerebantur. potentiam opeſq́; familię, bonis artibus quæſitas, tempore confirmabat: tametſi nõnulli occultis apud Reginã criminationib. eum in ſuſpicionẽ vocare non deſiſtebãt, quaſi regiæ malo creſceret: neq; vnquã ſatis fida potentia, vbi nimia eſt. Regum animo nihil ſuſpicacius, incertius nihil ea gratia. præcipui impulſores Velaſcus, & Stunica, ſiue inuidię ſtimulis incitati, ſiue quia ita iudicabant. Fridericus Traſtamaræ Comes, eius Petri filius, quẽ equitum Magiſtrũ fuiſſe dictũ eſt, auctor Ferdinando erat, iis manus & vincula iniiciendi. euaſerunt illi fuga, periculo indicato. Regine animus exulceratus, quaſi iis pellendis maieſtas violata eſſet, rebus ſuis præſidiũ ſublatũ. Erat Ferdinandus ad cætera naturę bona, numeroſa prole felix. ex vnis nuptiis ſuſceperat Alfonſum, Ioan. Henricum, Sanctiũ, Petrũ, quos vulgi cõſuetudine Aragonię Infantes vocarũt, pręterea Mariã, & [illegible]norã. Accidit, vt Alcantarę Magiſter Ferdinãdus Villalobus diẽ obiret. in eius locũ S[illegible]us Ferdinãdi filius, patre annitẽte ſubſtitutus eſt, ætatis legẽ Benedicto Pontifice ſol[illegible] eidem factũ, Laurentio Figueroa intra paucos mẽſes ſublato, Hẽricus D. Iacobi Ma[illegible]er cooptatus eſt. vtrunq; Ferdinãdi gratię eſt datũ, non ſine aliorũ procerũ obtrectatione motuq;: cũ ad regni procurationẽ ampliſſimas pręfecturas adieciſſet: vnuſq; ſuo, & filiorũ nomine, omnes reipublicæ partes velle cõplecti videretur. A Carolo Aurelianenſi miſſi in Caſtellã legati, operã pollicenti milleq; equites auxiliares, ſi bellũ Mauricũ inſtauraretur. idem Lucemburgius Comes obtulit, Duxq; Auſtriacus. pręterea Beatricẽ Reginã Ioanni Regi Caſtellæ antea iunctã, coniugem Carolus poſtulabat. Vtrunq; repudiatũ: cum Regina à nouis nuptiis abhorreret, neq; ſpecie coniugii Hiſpaniã vellet longinquo exilio mutare: & Iuzepho Regi Mauro inducię pactę, in alios quinq; menſes, progatę eſſent: & ſi Priegho municipio Mauri tentato cõmiſiſſe videbãtur, vt hoſtiũ loco eſſent. quod Rex barbarus ſe conſcio factum negabat, paratus ſatisfacere, quantũ delecti arbitri iudicaſſent. Fuit hic annus inſignis, Virginis Matris ſigno reperto, Salmanticã inter & Mirobrigã, religioſiſſime: cui à Francię rupe nomẽ eſt. Dominicanorũ id cœnobio inſtituto, hominumq; cõcurſu ex vicinis longinquiſq; locis celebre eſt. infauſtus autẽ Aragoniis, Martino Rege Siculo Calari in Sardinia extincto, ad VIII. Kal. Auguſti, in ipſo iuuẽtutis flore, curſuq; rerũ gerendarũ. Venerat in eam inſulã Brancaleonis Orię, & Aimerici Narbonenſis Vicecomitis armis prouocatus: qui duabus Mariani Arboreæ reguli filiabus matrimonio iunctis, ad imperiũ inſulę nõ obſcure nitebantur: ac pene res cõfecta erat. nam modicæ vires Aragoniis ſupererãt: & pręſentibus magis à populo fauebatur. Regis aduentu, verſa belli fortuna. nam ad oppidũ Lurim coniunctis caſtris, cõmiſſoq́; prælio, de Sardorũ copiis victor euaſerat, capto etiã ipſo Brancaleone, hoſtium Duce. verũ eius importuno obitu, cũ cętera prona eſſent, corrupta omnis ſpes eſt: tametſi Petro Torellio amicorũ principe, copiis præfecto, aliquãdiu eſt ſuſtentatũ. Corpus Galari in ęde maxima tumulatũ eſt. ex duobus Siculis pellicibus, ex Theraſia Fridericum, ex Agathuſa Violantem filiam reliquit Nieblæ Comitis coniugẽ. famaq; vulgatum, cum non ſatis cõfirmata valetudine, puellę pulcherrimę, in Sardinia natę, complexibus indulgeret, ſibi exitiũ attuliſſe. Tabulis teſtamenti patrẽ regni Siculi hęredẽ ſcripſit: vxori Blancę reipublicæ procurationẽ, q̃ diſcedens inſtituerat, demandauit, adiunctis viris primariis, quorum conſiliis auſpiciiſq; regeretur. Eius Principis obitu, grauis luctus Aragoniam gẽtem occupauit: multa excepere de ſucceſſione certamina. Rex pater quantam lacrymarum vim fuderit, de ſuo ſenſu quiuis æſtimare poteſt. ſed filii tamen funere procurato, ad ſtabiliendas regni rationes animum retulit. perſuaſum ab intimis, vt vxorem duceret. procreandæ ſobolis ſpem integram eſſe. eam vnam rationem eſſe, ſæuę tempeſtatis, depellendæ, quæ rebus communibus imminere videbatur. Margaritam Pratenſem eximia formæ venuſtate, regia ſtirpe ortam, ſibi toro iunxit. nuptiæ celebratæ Barcinone, ad quintumdecimum Kalendas Octobris. ætate Rex idonea erat. vnum & quinquaginta annos natus, cæterum fracto valetudine corpore, & à multa ſagina grauis, libidinis auidus, magis quam potens: cuius facultas dum exquiſitis medicamentis excitatur, vitalia labefactata, fataliſq; hora accelerata eſt. Conſeranus Epiſc. ex Gallia continuo à Ludouico Andegauẽſi legatus eſt, poſtulãte, vti filiũ cognominẽ ex Violãte Ioannis Aragonii Regis filia ſuſceptũ, iure propinquitatis ſucceſſorẽ ręnunciaret, matremq; cõcederet in Aragoniam venire: filiumq; Aragoniis moribus educari. funeſti id ominis loco acceptum: in ipſa nuptiarũ lætitia, Regẽ de ſucceſſione appellari. Potiori iure Iacobus Vrgelitanus Comes niti videbatur prouincialibus: aderatq; multorũ fauor, pro ingenio hominũ, inſito externũ imperiũ exhorrentiũ, & quacũq; cõditione domeſticũ Regẽ dari exoptantiũ. eratq; Alfonſi Regis, cognomẽto Pii, ex filio Iacobo, atq; Petro nepote pronepos. pręterea Iſabel-

Iam Regis ſororem connubio iunctam habebat. Similes ſpes ſed longo proximus interuallo, Alfonſus Dianii Comes, Villenęque Marchio nectebat, extrema ætate, ſuorum importunitate ambitioſus, atq; à Iacobo Rege generis ſtemma deducens.

De iure ſucceſsionis coram Rege Aragonio diſputatur. CAP. XX.

DE horum Principum iure, audita Galli epiſcopi oratione, excluſaq; multitudine, coram Rege, cum ſe à conuentu recepiſſet in conclaue, noua diſceptatio inter aulicos ſuſcepta eſt: quam vt hoc loco insererem, in pauca collatam, quoniam omnia cauſæ fundamenta continet, operæpretium me facturum putabam. Orſus Guillelmus Moncada: Vtinam: inquit, Rex, ex te prolem videamus, viuo ſolamen, defuncto hæredem. alioqui quis Ludouico Andegauenſi præferatur iure, Ioannis fratris tui ex filia nepoti? Non dubitabo animi mei ſenſum aperire in ſuo quiſq; negotio quam in alieno minus eſt peritus. obſtat metus, cupidi[illegible] amor. ſed niſi tu extitiſſes, an non patri, Regi Violans filia ſubſtituta eſſet? te (quod a[illegible]ne prole ſublato, cur non eadē in priſtinū iuris locū reponatur? Quod ſi ſexus impe[illegible]to eſt: en filiū pro ſe offert materno genere Aragoniū, idoneum, gentis imperio. Dicent[illegible]q; aulici aſſentiebantur, ac vera prædicare muſſantes confirmabant. Tum Bernardus Centellia. Diuerſa noſtra ſententia eſt. Comiti Vrgelitano ſucceſſio potius debetur, cuius pater Ioannes eodē quo tu eſt auo prognatus, in quē Aragonia ſceptra trāslata, poſt Alfonſum Regē fuiſſent, niſi Petrū patrem tuū, Iacobo Vrgelitani auo excluſo, ætatis prærogatiua ſubleuaſſet. Fœmina à regia hæreditate excluſa, vti ſuperiori tempore eſt iudicatum, quî in filiū transferat ius, quod ipſa nunquā habuit? quod ſi fœminis noua cenſura locū damus, Vrgelitani vxor præferatur neceſſe eſt, tuo patre Petro Rege ex Sibylia nata, eoq; tibi propinquior gradu filia fratris. Commouerat aſſenſionē Centelliæ diſputatio. Sed Bernardus Villalicus. Recte, tu, inquit, & acute, niſi Alfonſi Villenę Marchionis Gandię Ducis, pares ac vero ſuperiores partes eſſent, patre Petro, auo Iacobo Rege, qui fuit proauus tuus, patruo Alfonſo auo tuo. ſic cū proauus tuus idem Gandiæ Ducis auus, ſicut è cōtrario proauus Vrgelitani auus tuus fuerit, eodē te, ille fraterq; Comes Pratenſis proſocer tuus gradu contingunt, quo tu Vrgelitanum, eo digniores quo propiores ijs Regibus ſunt, vnde quaſi ex fonte regni poteſtas deriuauit. de Vrgelitani vxore non attinet commemorare, neque Sibyliam matrem qualis fuerit priuſquam Regina eſſet, explicare. Suſpenſis animis auditus eſt Villalicus, nulla admurmuratione ſubſecuta. probabilia dicere viſus eſt: ſed erat ingratum confecta ſenem ætate ad regnum vocari, iura obſoleta vetuſtate moueri. Ergo diſputationem Villalici magis nolebant. quā non probabant. Rex, eleganter, inquit, de tribus diſputatum cum ſit, plura adiungi de illis poſſent: ſed eſt quartus cauſa potior, niſi me animus fallit (cum vos infecti partibus videre non potuiſtis) Ferdinandus Caſtellæ Regis patruus, Eleonora natus ſorore noſtra germana, in quo Sibyliæ filia eſt potior. Villenæ Marchio, Vrgelitanuſque procul à nobis remoti ſunt: idem de Ludouico iudicium eſto. ſororis filius fratris nepote propinquior eſt, arctiorique coniunctus gradu. vnus omnibus præferatur oportet. Exemplo res aperienda eſt: ſicut intercisa fontis vena, atq; alio deriuata, riui priores omnes, quib. antea deducebatur, exareſcunt neq; aqua recurrit in canalem priſtinum, niſi irrigatis completiſque omnibus poſterioribus aut riuis aut areis: ita progenies eius, quem ſemel à ſucceſſione contigit dimoueri, excludatur neceſſe eſt in perpetuum: neq; adeat hæreditatē, niſi ſublata alterius ſucceſſoris progenie. Nam cum res ſint in iure, atq; mancipio vltimi poſſeſſoris, nō autem ſuperiorum, quorum ius eſt in alios transfuſum: vt quiſq; ei maxime coniunctus erit, ita optimo iure nitetur: ſibiq; ius ſuccedendi vindicabit. Erratis ergo cum priores Reges Petrum, Alfonſum, Ioannem conſideratis: indeq; quaſi è latere ſucceſſionis iura deducitis, me prætermiſſo: cui nemo Eleonora ſorore propinquior ſanguine eſt: ipſa omnibus, & ſecundū eam, eius proles Ferdinandus. Cui in dubia cauſa fauere æquum tamen eſſet, omniū optimo Regi futuro. blanditur ſua cuiq; ſpes, & votis noſtris fauemus: ſed id tamē ſpecimen virtutū dedit, vt iuſti & moderati Principis in eo indolē eſſe appareat. Hęc eſt noſtra ſententia, hoc iudicium, vtinam tam felix, quam reipublicę & vobis omnibus ſalutare. de fœminis diſputare nō eſt neceſſe, cū inter mares lis omnis ſit. non vnde ſint geniti: ſed quo gradu nos ipſi attingant conſiderandos puto. Hoc Regis teſtimoniū per vrbem Barcinonē, in cuius ſuburbio hæc geſta ſunt, ſed & per omnes nationes euulgatum fama, nunciiſq;, magnam Ferdinando auctoritatis partē conciliauit, quā aduerſarios vicit. hæc palam iactata: ſæpeq; de ſucceſſionis iure, coram in aula, & in circulis diſputabatur Rege non inuito. cum pręiudicatū haberet, cęteris excluſis, imperiū Friderico nepoti, qui Lunæ Comes erat, aſtruere, à Benedicto Pōtifice vitioſi ort⁹ venia impetrata: ſi nō ſuccederet, in Ferdinandū Caſtellę Regis patruū non obſcure propenſus: quē eximię virtutes, bellica gloria, regnumq; contemptū, ad noua

imperia

imperia vrgentib. ſuperis deſtinabant. tametſi Vrgelitano expetenti, regni procuratio data eſt: quod eſt gentis inſtituto ſucceſſionis inſigne, magno æmulorum præiudicio: niſi eſſet à Rege occulte prouiſum, vt ab Vrreis, Herediiſq; regulis, Cæſarauguſtæ vrbis aditu, acceptæ poteſtatis adminiſtratione prohiberetur. quod magno Vrgelitani dolore factum eſt.

Martinus Rex Aragonius defunctus. CAPVT XXI.

INTEREA induciarum tempus abierat cum Mauris pactum: nouæque iniuriæ ad arma vocabant, Zahara oppido vi capto, direptoq;, vicinis agris vaſtatis, præcipua agreſtium calamitate. Ergo Ferdinandus Princeps non amplius cunctandum ratus, maximos delectus habet. nauium, militum, armorum apparatu, vrbes & oppida ſtrepere. Menſe Februario ſalutis anno 1410. collectis omnibus copiis, Cordubam itum eſt. arx Zaharæ expugnari à Mauris non potuit: oppidi mœnia inſtaurata ſunt. Caſtra mox Antequerã, quæ veteribus Syngilia fuit, promota. decem millia peditum erant, equites tria millia quingenti, Caſtellæ robur. Aderant Sancius Rogius Palentinus Epiſcopus, Aluarus Guſmanius, Ioannes Mendozius, Daualus, Velaſcus, aliiq; viri principes. ad ſextum Kal. Maij oppidum circumſeſſum, omniq; diligentia impugnatum. obſidio ducebatur, miſſiq; à Rege Mauro equites quinq; millia, pedites octoginta millia, oppidi liberãdi cauſa: & ſi recuſaretur, vniuerſo certamine dimicaturi. caſtra collata caſtris, pridieq; Nonas Maij ſigna collata ſunt. victi Mauri. ad quindecim millia in pugna, fugaq; cecidere. vno impetu capta direptaque caſtra. victoriæ fructus eo ſyncerior, quod è noſtris centum viginti non amplius deſiderati ſunt. Ferdinandus ſecundum actas numini gratias, miſſaſq; in omnes partes litteras, nouam munitionem inſtituit: foſſam competenti latitudine circum oppidi mœnia duxit. additur agger ex formaceis parietibus, qui aſcenſum hoſtium tardarent. præterea propugnacula adhibita, competenti inter ſe interuallo diſtantia. id hoc conſilio factum, ne commeatus inferri ad obſeſſos poſſet: neve de improuiſo irruptiones illi, vt antea conſueuerant, facerent, diminutis noſtris copiis: quæ longius à caſtris progrediebantur, ſpe prædæ agrum omnem Malacam vſq; vaſtantes. ingens apud Mauros trepidatio: nullumq; erat genus mali, quod non experirentur. Rex barbarus collectis omnibus copiis, omnibus qui arma ferre poſſent, cõuocatis, vicinis locis ſe oſtentat. vt rurſus totius certaminis ſortem experiretur, adduci non potuit. At ii, qui in oppido obſidebantur, conſumpto frumento de exitu fortunarum ſuarum conſultabant: & abiecta quamuis defenſionis ſpe, obſtinatis tamen animis perſtabant, verti fortunam poſſe cogitantes. & recens trecenti equites ex Giennenſi præſidio, in Maurorum fines imprudẽter inuecti, circumuenti ab hoſtib. oppreſſiq; erant. Ipſis diebus, quibus ad Syngiliam dimicatum eſt, omnino quinto Nonas Maii nouus Pontifex Alexander Bononiæ in Gallia Ciſalpina deceſſit. Corpus in D. Franciſci ſepultũ. feſtinatis comitiis in eius locum Baltaſſar Coſſa, patria Neapolitanus, Diaconus Cardinalis, eiuſquè vrbis pro Põtifice gubernator, ad 16. Kal. Iunii ſubrogatus eſt. Ioannis XXIII. nomine edito. audax, callidus, promptus, & prout animũ intendiſſet, prauus aut induſtrius: alieno tamen põtificatu felicior, q̃ ſuo. Subſecutũ eſt Martini Aragonii Regis funus, Barcinone in virginum collegio, q; vrbis muro coniunctum eſt, veterno oppreſſus diẽ obiit, pridie Kal. Iunii. Corpus ad Populeti ſepultũ. funeris apparatus exiguus, luctu præſenti, metuq; futuri, cunctorum animis occupatis. Generales conuentus Barcinone habebantur, non ſine animorũ motu. ex omnib. ordinib. viri delecti ſunt, qui Regem agentẽ animam, officii admonerent rogarentq;: vti contentionib. vitandis ſucceſſorẽ ipſe regni declararet. Ergo præeunte Ferrerio vrbis Senatore: cui is honos à ceteris eſt delatus, rogãtiq; vellet ne eũ Regem præfici, qui iure propinquitatis potior eſſet? cupere vero capite annuit: neq; aliud verbum exprimi potuit. Ex eo tẽpore Aragoniæ felicitas obſcurata, in Martino Rege virili Barcinonenſium Comitũ proſapia interciſa, quæ eatenus in ſexcenteſimũ annum propagata erat. Aragonii obitus in omnes partes fama, & frequentib. litteris euulgatus, multorũ ſtudia, ſpeſq; inflammauit. celeritate opus erat ad gẽtis ſtudia præoccupãda: ſed Ferdinandũ Principẽ, cui numina viã ad regnũ parabant, bellũ Mauricum diſtinebat. itaq; in pręſenti ſatis habuit, publicis litteris regni hęreditatẽ accipere, nullo quãuis offerẽte: mittereq; de re tota in Aragoniã legatos, Vegã & Aceuedum viros induſtrios, atq; primarios. neq; toto tamen obſidionis tẽpore ab oppidi impugnatione ceſſatum. Et erat ad Archidonam in tumultuaria pugna cum Maurorum manu proſpere à noſtris dimicatũ. De huius pugnæ occaſione, euentuq; paulò plura dicẽda ſunt, ſed ex Vallæ hiſtoria, q̃ de rebus Ferdinandi confecit non ineleganter.

Petra Amantium. CAP. XXII.

VICINA oppida in noſtrorum poteſtatem venerant, pars vi, metu alia, Cozà, Sebar, Alzana, Mar. Mauri de Archidona valido iis locis municipio ſoliciti (ab Anteque-

ra abeſt octo tantum millibus paſſuum) collecta valida manu, cõmeatu, & milite inſtruũt. quoniam prima ex ſententia ſucceſſerant, elati animis, & ſtudio, in vicinos agros excurſionẽ faciunt, vt pabulatione, & cõmeatu hoſtes prohibeãtur. id eſſe facile, quoniã equitatu ipſi abundent, hoſtiũ iumenta magno numero procul à caſtris ad præterfluentẽ amnẽ nomine Gorzã, quotidie modico præſidio producebãtur. in hęc illos & cuſtodes impetũ dãtes, è vicina rupe, quæ Amantium Petra vulgo dicitur, animaduertens noſter ſpeculator, imminens periculum fumo ſignificat. Correptis, vt in re tali noſtri armis, è caſtris prouolant. vrgent barbaros: compelluntq; ſeſe in oppidũ vnde venerant recipere. noſtris à tergo vrgentibus, carpentibuſq; poſtremos, diſtinetur iter. ad Archidonæ muros pugna fit, magno animorum ardore. vincuntur barbari, cæduntur q; ad duo millia: capiuntur multi. recepta noſtri præda incolumes reuertuntur, duobus modo deſideratis, paucis vulneratis, lęti ouanteſq;. De Petræ illius appellatione, quoniã nobiliſſima eſt inter Archidonam & Antequeram medio ſpatio, pauca dicenda arbitror. Iuuenis quidam profeſſione noſter, nomen & patria non traditur, ſed Granatæ tamen captiuus duobus, tribusve annis, quo multum dominus rebus vrbanis, & domeſticis vtebatur, morum elegantia, vultuſq;, heri filiam in ſuum amorem allexit. Libera conſuetudo futura diu non erat, altero ſeruo, puella nubili: & ne deprehenſi capite pœnas darent, verebantur. fugę conſilium capiunt, adoleſcenti honeſtius, quoniam ad ſuos fugiebat, à ſuis illa abibat: niſi verę religionis amor impulit, quod non puto. Profecti cum ad Petram perueniſſent, feſſaq; puella requieſceret: en patrem & comites omnes equis vectos, cõtento curſu inſequentes vident. quid facerent? quo ſe verterent? quid conſilii caperent? fallaces hominum ſpes, miſeram conditionem. exanimati metu, quod vnum erat reliquum, per petræ cautes rependo in cacumen euadunt. inane præſidium. Flagrans oculis pater, trucíq; voce deſcendere iubet: niſi morem gerant, continuo extrema exempla editurum minatur. cęteri admonere, hortari, vnam ſalutis ſpem in patris miſericordia ſupereſſe: ſe ad pedes abiicerent, precarentur veniam, parere recuſantibus in pedes dilapſi omnes rurſum aſcendere tentant. Iuuenis obmoliri ſaxa, glebas, ſtipites quæcunq; deſperatio dabat, arma facere. è vicino vico ſagittarii aduocantur. Eorum aduentu fracti animis iuuenis & puella, certo exitio, quod reliquum erat, ignominiam, probra, cruciatus maiores euadere parantes (quæ fuerint extrema duorum verba commemorare non eſt neceſſe) ſane arcto complexu innexi; ab ea parte, qua ſæuus pater operi intentus erat, ſeſe præcipites deuoluunt. In eo complexu perlati; extinctique ſunt, fortunam miſerantibus omnibus qui aderant præter patrem; illacrymantibus, nonnullis dolentibus caſum eorum, quos non prius amor quam vita defecit. In eodem habitu, quamuis inuito patre, eo loci ſepulti ſunt: & Petræ ab ea re nomen inditum. animorum conſtantia meliori exitu digna, nobileque certamen: ſi pro religione vera, non væſano amore fuiſſet ſuſceptum. Ad Antequeræ impugnationem redire oportet. ſecundum pugnam ad Archidonam commiſſam, aditus in vrbem tormentis non vno loco eſt patefactus, caſſo labore cum noctu inſtauretur, quod per diem erat deiectum. Supremum conatum adhiberi placuit. ad turrim, cuius ſuperior pars deiecta erat, admotis repente ſcalis, ægre quidem, ſed in oppidum tamen virtute penetratum. Mauri amiſſo oppido, ſeſe in arcem receperunt. eo minor cędes fuit. De murali corona die poſtero diſceptatum. multi profitebantur, non tam ipſi inter ſe acriter contendentes, quã ſtudia excitantes, ſuæ quiſq; nationis hominum. ea contentio cum prope ſeditionem eſſet, recuperatores dati cognita cauſa, auditiſq; teſtibus, pronunciarunt, Turrianum, Seruam, Cherinum, Biatiam, primos turrim aggreſſos eſſe: conſcendiſſe Ioannem Cantabrum, qui in ipſa turri occiſus eſt, alterumq; Ioannem à S. Vincentio. quos Ferdinandus laudibus, præmiiſq; cumulauit: quod eorum virtute, non tantum lautiſſimi municipii compos factus erat, ſed eo capto, Mauris in omne tempus, cæteriſq;, qui fortunam belli expectauerant, animi fracti eſſent. Ad ſextumdecimum Kal. Octob. captum oppidum: octauo poſt die, qui in arcem cõfugerant, deditionem fecerunt, incolumitatem pacti, vt ſine fraude dimitterentur, reſq; efferendi facultatem. agmine facto Archidonam, locis vicinum oppidum, vti conuenerat, dilapſi ſunt. Superis actæ gratiæ, pro diuino dono: temploq;, quod in arce erat, cum ex ritu Chriſtiano ſacratum eſſet, habita ſupplicatione, diuina in eo hoſtia ſacrificatum. Rodericus Naruaes arci præfectus, ſacramento in verba Caſtellæ Regis adactus.

Ferdinandus his rebus confectis, viciniſque aliis oppidis & arcibus captis, agris illata vaſtitate, Hiſpalim autumno præcipiti maturauit.

LIBRI NONIDECIMI FINIS.

DE

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ LIBER VIGESIMVS.

Rerum ſtatus. CAPVT PRIMVM.

TEMPORA ſubſequuntur variis caſibus, bellis, diſſidiisq; obnoxia, ipſa etiam pacę, ſæua non in Hiſpania tantum, ſed in toto terrarum orbe, quam late Chriſtiani imperii fines pertinebant. ſublato metu, qui haud diuturnus officii, ſed neceſſarius magiſter eſt, nouis cladibus affectæ prouinciæ: vrbes incendiis vaſtatæ: pollutæ cæremoniæ: domeſtica diſſidia: & quaſi permiſtione terrarum cunctæ reipublicæ partes concuſſæ: incertũ maligni ſideris vi, numinum ira certiſſima. Italia tricipiti ambitione Pontificum, Germaniæ Imperatorũ aut ignauia, aut imbecillitate vna eſt maxime vexata, hinc Ladislai Neapolitan. Regis armis, qui Gregorii Pontificis partes ſequebatur: impugnabat Ludouicus Andegauenſis, a nous Pontificum ſtirpe patronus aduocatus. In Gallia Ciſalpina Ioannes Galeacius Vicecomes imperium late propagabat. Bononia recens occupata, vrbium aliarũ oppreſſa libertas. In Germania imperii interregnum erat, Alberto Auguſto defuncto ipſis Kal. Iunii. Wenceslai antea Imperatoris, & nunc Regis Bohemi ignauia in ea prouincia vetuſtæ de religione opiniones mutabantur, conuellebanturq; paſſim. Ioannes Huſſius, & Hieronymus Praga concitatæ multitudini ſe duces præbuerunt. metus ſuberat, ne incendium ab iis initiis ad cæteras prouincias manaret. Orientis prouinciis quies tantiſper poſt Tamerlanis expeditionem data erat. cæterum noua trepidatio ſolicitos habebat, à Turcarum gente Boſphoro tranſmiſſo, ſpe vniuerſæ Europæ occupandæ. Emanuel Palæologus Græcus Auguſtus prouiſa tempeſtate, Venetias mari appulſus, pedeſtri inde itinere in Franciam ſupplex abiit, ſpe noui aduerſus cõmunes hoſtes ſubſidii. fruſtra ſuſceptus labor. præter ſpecioſa verba, nihil relatum. & ardebat Gallia ipſa domeſticis malis poſt Aurelianenſis cædem. varii rerum motus. multiplices hominum conatus. temporum conditio miſera. plebs in plebem armata. Lanii etiam crudele hominum genus Lutetiæ in partes recepti Burgundioni fauebant. Rex mente per interualia vacillante, impar tantis curis, belliq; magis cauſa, quam rebus profligatis præſidium erat. Anglorum arma volitabant, poſt longam ſeculorum ſeriem maiori conatu, ſpeq; repetita. In Aragonia Martini Regis obitu, varii motus animorum erant, de ſucceſſore deſigendo ſententiis in omnes partes diſtractis. res ſpectabat ad arma. tametſi legibus diſceptabatur, inter ampliſſimas familias multiplici cauſa cognationis, agnationis, propinquitatis, ſtirpis, capitum iure controuerſo. Conuentus de ea re frequentes habiti, nullo initio ſucceſſu. Petrus Torellius res Sardinię extrema ſpe ſuſtentabat, modicis virib. nullis ex Aragonia auxiliis. Siciliam Cabreræ arma vrebant. Regina etiam Blanca intra Syracuſanam arcem obſeſſa nulla maieſtatis reuerentia. filiæ periculo permotus Vaſconum Rex, confecta Gallica expeditione, rediens in patriam, Barcinonem tenuit, quarto Kal. Ianuarii, principio anni 1411. Reginæ liberandę conſilia communicata, in patriamq; reuocandæ: quando nulla prole ſuſcepta, alieno nomine proprio periculo Siculorum rempublicam procurabat. 1411.
Caſtellę prouinciæ Rege minori Catharinæ matris, & Ferdinãdi patrui auſpiciis regebantur, partito tamen imperio. quæ res exitialis eſſe potuit: & multi corruptores aderant, Reginæ inſidiantes auribus. Ferdinandi prudentia, & dexteritas in bonum vertit: cui tantum omnes ea tempeſtate, quantum ſuis quiſq; parentibus, debere profitebantur. bello Maurico ex ſententia confecto, illuſtrior euaſerat, induciisq; menſium ſeptendecim Hiſpali conceſſis, rebus in Bætica conſtitutis, in interiorem prouinciam maturabat. Cum nouorum motuum ſuſpiciones exortę ſunt. Fridericus Beneuentanus Dux, quem in cuſtodiam miſſum ſuperioribus annis dictum eſt, Ioanne Apontio Montis regalis præfecto interfecto euaſerat. magnam ea res Ferdinando ſolicitudinem incuſſit, ne pacem pulcherrime ſtantem turbaret homo præpotens, nobilitate regia. itinera verſus Luſitaniam obſeſſa, exitusq; omnes intercluſi. ille forte an conſilio ad Vaſcones aufugit Regis ſororii opibus, amicitiaq; fretus. contra res accidit. nam a Rege Vaſconum in patriam reuerſo, Ferdinando per legatos expetenti datus ad Almodouaris arcẽ in agro Cordubenſi repetito carcere, eundem

captiuitatis,& vitæ finẽ habuit. Vni Luſitani opima pace florebant: nouuſque Rex vitium natalium optimis actionibus compenſare non deſiſtebat, regnumq; nouis operibus illuſtrare. cœnobium Prædicatorio ordini ad Aliubarrotam conſtituit, partæ de Caſtellæ Rege victoriæ monumentum, vnde & loco Victoriæ nomen. Almerinum oppidum ad Tagi ripam. Sintræ regiã, aliiſq; locis magnifica & pulcherrima ædificia conſtituit. iuſtitiæ cultor eximius, ſummos cum infimis, atq; cum iis medios in officio continebat. Illud paulo ſeuerius quod Ferdinandum cubiculo præfectum, è templo, ad quod confugerat, quaſi ad aſylum per vim extractum igne combuſſit. vitium Beatrici Caſtriç, quç in obſequio Reginæ erat, illatum obiiciebatur. illa etiam aula exacta. ſic res Luſitaniæ erant; vt pace publica fundata in Africam arma transferre, aduerſus Maurorum gentem, non dubitarent: quod ei nationi principium magnæ felicitatis aditusq; ad gloriam fuit. Hic erat rerum ſtatus, in vniuerſis prouinciis. Pontificum diſſidium, quem exitum eſſet habiturum, ſuſpenſis animis mortales expectabant. maiori animorum æſtu, recens de Aragonio regno controuerſia in Hiſpania agitabatur.

Nouem in Aragonia iudices deſignati. CAP. II.

CATALAVNI, Aragonii, Valentini, quç nationes Aragoniis Regibus parent, ſuos quique conuentus habere, de ſumma rerum ſoliciti, & quem potiſſimũ Regem dicerent deliberaturi, ſtudiis in partes ſciſſi, neq; in vnam ſententiam conſpirantes. ſuas ſinguli candidati clientelas habebant, proprioſq; fautores. quiſq; ſui beneficii regnum facere cupiebat: nouumq; Regem officio obſtrictum habere. Vrgelitano Catalauni ferme fauebant, atq; in ea gente nobiliſſimæ familç Cardonç atq; Moncadæ: in Aragoniis Alagonæ Lunçque, non minori potentia atq; nobilitate. prorſus vt Antonius Luna ſtudio incenſus, Garſiã Herediã Cçſarauguſtanum Prçſulem, vnum maxime repugnantem Vrgelitano, ad Almuniam oppidum inſidiis exceptum, ſimulata beneuolentia ferro peremerit. Graue id ſcelus viſum eſt: caputq; ſacrilegum diris execrationeq; ritu Chriſtiano defixum. ab Vrgelitano multorum ſtudia, facti atrocitate alienata: infauſtum fore principatũ, atq; iniuſtum ominantium, cuius tale ſpecimen extaret. Inter proceres Aragonios tumultus concitati, ad armaq; concurſum, aliis vlciſci ſcelus, aliis defendere parantibus. celeritate opus erat: grauioreſq; indies metus proponebãtur. Ex Gallia, atq; Caſtella ſeſe militares copiæ oſtetare, ferro regnũ, niſi vltro daretur, paratæ vindicare. Miſſis inter prouincias legationibus, rcq; diu & multum agitata, conuenit, vt controuerſiæ finiendæ ea forma eſſet. nouem iudices darentur, ex ſingulis nationibus terni. ii in arce Caſpe, quæ in Aragoniis finibus eſt, conuenientes, auditis partium rationibus, in cauſa pronunciarent. quod ſex ſaltem eorum decreuiſſent, id ius, faſq; eſſet, modo in eo numero ex ſingulis gentibus ſinguli. Secundum id decretum, hi delecti. Dominicus Oſcenſis Epiſcopus, Franciſcus Aranda, Berengarius Bardaxius, Aragonii omnes. è Catalaunis Sagariga Tarraconẽſis Archiepiſcopus, Valſeca, atq; Bernardus Gualbius. præterea è Valentinis, Vincentius Ferrerius, cuius ea tempeſtate inſignis erat opinio ſanctitatis, ex Prædicatorio ordine, ex Carthuſiano eius frater Bonifacius Ferrerius, atq; cum his Petrus Bertrandus. rem inauditam, atq; mirabilem paucorum hominum iudicio, ampliſſima regna dari, auferriq;. Euocati candidati. affuere nonnulli, alii miſere legatos. Ferdinandi partes Sanctius Rogius Palentinus Epiſcopus, & Dieghus Stunica Begiaris regulus implebant. pro Vrgelitano aderat Semenus ex Franciſcano ordine Melitenſis Epiſcopus, quo multũ is Princeps & familiariter vtebatur. ſinguli ſacramẽto adacti, id ratum habituros, quod iudicum ſententia ſtaret. vnus Ludouicus Andegauenſis venire aſſentiriq; iudicio recuſauit, cauſæ diffidens an armis certare malens. certe quatuor iudices, ſibi ſuſpectos eſſe accuſauit. Friderici Lunæ Comitis nulla ferme a iudicibus ratio habita. minor ipſius ætas, nulli fautores erant: iuſtis ex nuptiis procreatum non eſſe opponebatur: neq; nouũ inducendũ exemplum, obſcurandamq; Aragoniam ſucceſſionẽ vitio nataliũ diſputabant. Alfonſus Gandię Dux, eoq; in ipſo ardore controuerſiæ defuncto, filius, fraterq; facile excluſi: quod remotiori agnationis gradu proximos Aragoniæ Reges attingerent. Vrgelitanus, Ferdinanduſq; relinquebantur, nõ vna via ad victoriam contendentes. Afferebat Vrgelitani legatus, fœminas à regia hçreditate maiorũ inſtituto ſemper excluſas. tumultus concitatos Petro Rege, quod filiã Conſtantiã, regni hçredẽ renunciare voluiſſet. Ioanne Rege defuncto, vtranq; filiã excluſam, Ioannam, Violantemq;: neq; eſſe q; ante prçiudicata nouis contentionib. retractarent. neq; exoletis vetuſtatẽ exemplis ſtare ius, ſed recentiſſimç cuiuſq; conſuetudinis vi, atq; auctoritate. excluſis fœminis, earum filios admitti iniquũ videri: neq; trãſmittere ad poſteros poſſe, quod habiturç nunq; eſſent, ſi maxime ſuperuixerent. Vrgelitanũ à Martino Rege Aragoniæ Procuratore, Magiſtrum equi-

equitum ſub mortẽ creatum, voluntatis atq; iudicii argumento certiſſimo. Hæc Vrgelitani cauſæ fundamenta. Ferdinandi autẽ legati, à Vincentio Aria Placentino Epiſcopo, qui magnam ſibi laudẽ ex iuris peritia profeſſioneq; quæſierat in Hiſpania inſtituti fœmineæ ſucceſſionis ius tanquã imbecillũ prætermittens, regnũ iure ſanguinis dari confirmabant, deſcendentibuſq; & aſcendentibus rectà ſerie ſublatis, agnatos è latere ſuccedere propinquitatis gradu, eorũ ſexu & ætate conſideratis, neq; in ſtirpem vocandos. id iure communi rectũ eſſe, proprio obſeruatũ. ſic Alfonſum Ramiri Regis nepotẽ auitũ regnum ſuſcepiſſe. ſic ipſius Alfonſi voluntatẽ. filiam ad regnum euocantis, ſi alia proles deeſſet, à magnis iuriſperitis irritam fuiſſe iudicatam. quid enim an in regni ſucceſſione, vbi tam graues curę ſunt, non is potior iudicabitur, qui ex regia familia ortus, propinquiorique gradu nixus, ſexum, ætatem, regiaſque virtutes afferat: quam qui minori propinquitate regias attingunt, quamuis per viros ducta proſapia? Sed quoniam hæc controuerſia ſæpe agitata, ſæpe recurret, locus admonet, vt de iure regiæ ſucceſſionis, & quibus modis paretur, pauca in commune repetantur.

De iure regiæ ſucceſſionis. CAP. III.

GRAVIS diſputatio ſuſcipitur, varia, multiplex, ſpinoſa, tantaq; difficultate impedita, quantã hactenus explicare pro dignitate nemo potuit, quamuis multis ingeniis & temporibus in eius inquiſitione conſumptis. Cæteris principatuũ generibus, regium eſſe præſtantius in confeſſo eſt, naturæ legibus conſentaneum, vniuerſitatis cæliq; rectionẽ ad vnũ caput reuocantis. Quod primi homines prouidentes, qui propius aberant ab ortu, primâ & meliori progenie, eoq; facilius rerũ naturã intuebantur, amplexi ſunt. alias regiminum formas tẽpus inuexit. inde illæ voces natę. Multos eſſe Principes non eſt bonũ: Rex vnicus eſto. Initio quidem cum nulli Principes eſſent, voluntate eos ac ſuffragiis populorũ in rerum faſtigio collocari neceſſe fuit: quorum ætas, prudentia, ſpectataq; virtus præ cæteris emicabat. Dubitatum deinde, vtrum commodius foret, & ſalutarius rebus humanis, vno Principe defuncto, filios, propinquos vt ex eadẽ familia ſucceſſores dari, an eligi ex omni multitudine, qui omnibus eſſet imperaturus. quod diu inſtitutum in pleriſq; gentibus tenuit, prouidẽtibus, ne regia poteſtas data ad ſalutem, diuturnitate imperandi, certaq; ſucceſſione degeneraret in tyrannidem, & filios ſæpe paterna indulgentia, aut copia voluptatũ corrumpi, & parentibus eſſe diſſimiles non ignorabãt. Is mos in Hiſpania tandiu viguit, quandiũ Gotthorũ in ea imperiũ ſtetit. Imperio & legibus cõmutatis, hæreditariã ſucceſſionẽ, vt fere in aliis prouinciis, tempus inuexit: populis Principũ voluntati blandientibus, & contra experimenta ſuæ nimiũ ſpei indulgẽte multitudine: Principumq; filios ex nobiliſſimo ſanguine procreatos, & in plena ſanctitatis atque pudicitiæ domo educatos, ſimiles fore maioribus augurante. Fefellit eos opinio, ſpeſq; concepta, non parũ ſæpe: Principeſq; reipublicæ dati, vitiis & prauitate fœdi. ſed id incommodum atq; periculũ conſiderabant: multis bonis compenſari. Maiorẽ Regibus reuerentiã exhiberi, ex Regibus auis atq; atauis natis. Res hominũ opinione maxime gubernari. pereunte obſequio etiam imperiũ intercidere. & ferunt æquiore homines animo quẽ Princeps infeliciter genuit, quã qui electus eſt non male. Perpetuæ reipublicæ perpetuos quodãmodo Principes dari. Res cõmunes diligentius quaſi proprias curari ab eo qui poſteris eſſet, quã acceperat relicturus poteſtatẽ. Interregni turbulentas tempeſtates auferri, quaſi cõtinuato principatu. Graues dẽ ſucceſſione contentiones ſimultateſq; vitari. Legibus tantum circumſcripta conſtrictaq; ſucceſſio eſt: quas Principibus mutare non liceret, populi voluntate, ſuffragioque regnum adeptis, certis conditionibus, legibuſq; munitum. Eæ leges pars in æs inciſæ, in tabulaſque relatæ, pars moribus inſtitutiſq; ſingularum prouinciarũ conſeruatæ. ſed deſcriptis legibus quomodo intelligendæ ſint, dubitatũ ſæpe eſt: conſuetudines ſæpe pro rerum conditione mutantur. Inde totius controuerſiæ difficultas extitit; quã ſcribentiũ diuerſitas magis etiã obſcurauit. Filios patribus in regno ſuccedere receptũ eſt, ac fermè virili ſexu, natuq; maximos: ſed vbi ſuperſtite patre, è pluribus filiis maior natu deceſſit prole relicta, nepos auo defuncto an eius patruus præferri debeant, dubitatũ ſæpe eſt, illuſtriaq; in vtranq; partem exempla extãt; tum in Hiſpania, tum in cæteris prouinciis patruis aliquando, nepotib. prætermiſſis, regnũ adeptis; nõ nunquã è contrario nepotes ad regnũ vocati ſunt. Quod æquitati eſſe, atq; legibus magis conſentaneũ, pleriſq; viſum eſt. in auiti regni ſpem natos, atque educatos, non eſſe ea ſpe, eoq; iure ſpoliandos: acerbumq; videri patris obitũ, noua filiorũ calamitate cumulari. Illud maiori ſententiarum varietate diſputatur. Omnibus liberis ſublatis, aut nulla prole ſuſcepta, ex agnatis qui ſuccedere debeat, Rege defuncto, finge illi fratres, ſororeſq; fuiſſe: an nati ex ſororibus, an ex fratribus: an ſtirps conſideranda, an ſingulorum agnatorũ capita inter ſe; non ſecus ac ſi filii eſſent, comparanda, ſexus atq; ætatis diſ-

crimine perſpecto. præterea an gradu remotiori præferendus ſit, vt nepos maioris fratris patruo, aut amitæ. Sane in cęteris bonis, quæ hæreditario iure proueniũt, vtroq; modo cõtingit: legeq; imperatoria, quæ lex eſt De hæreditate ab inteſtato proueniente, ſcitum eſt: auo cum patruis nepotes ex filio defuncto ſuccedere, in ſtirpẽ tamen relatos: vt nihil amplius obueniat omnibus, quam patri ſi ſuperſtes eſſet. idem ſancitum, cum defuncto fratri inteſtatoq; frater ſuccedit: nam ſi contingat, alterius fratris ante extincti filios ſupereſſe, ad communionem hæreditatis vocãdi ſunt, in vnã omnes ſtirpem relati. Nam ſi cum patruo nepotes, aut filii fratrũ non ſuccedunt, ſed aut hi inter ſe comparati aui, patruive hæreditatem adeunt, aut qui remotiori gradu propinquitatis defunctum attingunt: in capita vt referantur, & æquas ſinguli portiones obtineant, neceſſe erit. ergo in priori hæredũ genere repræſentatio ſuſcipitur: excluditur in poſteriori. vtrum hori... regno obſeruari debeat, cũ deſcendentib. ſublatis, propinqui à latere ad ſceptra vocãtur, magna quęſtio eſt, incredibili ſententiarũ varietate, exagitata inter iuriſperitos. Numero tamen & eruditione potiores, capitũ rationem haberi iubent, negant ſtirpis. Omnia argumenta colligere noſtri inſtituti non eſt. fontes deſignare ſatis habeã. Quod iure ſanguinis regnum obueniat. Dicuntur autẽ ſanguini dari quę more, inſtituto, lege, aut priuata cuiuſpiã voluntate, vni cuipiã familiæ deſtinata capiuntur, non iudicio & voluntate vltimi poſſeſſoris: vti alia quæ hæreditario iure prouenientia, pro voluntate mutantur. eoq; in pari propinquitate iubent, præſtantiſſimũ ex ea familia ad regni ſucceſſionẽ vocandũ. Quod fœminis, quas ipſa natura ab imperio ſeiunctas voluit, puerisq; ætate minoribus, & curis grauioribus impari aditum ad regnum, diuerſa ſententia patefaciat: quę magna pernicies eſt, omnibusq; piaculis procuranda. Reiicienda repræſentatio, quaſi iuris figmentũ, neq; extẽdenda ad ea, quæ expreſſe legibus ſancita nõ ſunt. quid enim, an cõmentis fictionibusq; ſuſceptis rempublicã præſtanti gubernatore ſpoliabimus? atq; in manifeſta pericula incõmodaq; ſcientes prudenteſque pręcipitabimus? vanaſq; cogitationes & argumenta, multorũ ſalute potiora iudicabimus? At parentes in poſteros omnia ſua cum generatione transfundunt. verũ in iure quæſito: in futuro, ſi ſuperſtites eſſent, non item. At in minoribus principatibus hæredes reuocantur ad ſtirpem. negant id quidã. deinde ſi cõcedatur, non continuo verũ eſt in regni id ſucceſſione ſeruari debere: vbi multa propria ſunt ab aliis omnibus hæreditatibus diſcreta. ſed vt in pauca diſputationẽ conferamus, ſint ex iuſtis nuptiis, modo iuſti filii, imperiiq; ſanctitas, cum coniugii ſanctitate iungatur, in pari propinquitate è latere ſuccedentiũ in regno, qui ætate, ſexu, virtutibus præſtantior eſt, ei regnum deferatur. tametſi iure ſucceſſionis cõtrouerſo eam ſequi partem rempublicã poſſe non negamus, modo voluntate, certoq; iudicio, quæ rebus & tempori erit maxime accõmodata. vnde varia in vtranq; partem, illuſtriaq; exempla manarunt. Quod ſi priuatis Prouinciæ legibus aut more ſecus eſt ſancitum, illis ſtandum putamus. noſtra diſputatio ex ipſis naturę principiis procedebat, & iure cõmuni. Conſtat etiam iura regnandi in armis plerunq; homines ferre, malis artibus ambitioſos, atque væcordes: & qui minus iure, plus viribus nonnunquam poteſt. ſilent autem inter arma leges: nemoq; eſt, qui oblatam facultatem regnandi, iudicum arbitrio permittat. prorſus vt miraculi inſtar fuerit, Aragonia comitia ſine offenſione, ſine ſanguine, proſperum curſum ad exitum tenuiſſe. vti proxima narratione eſt explicandum.

Ferdinandus, Rex Aragonius renunciatur CAP. IIII.

REBVS maturis, collatiſq; inter ſe iudicũ ſuffragiis, pro oppidi templo, amplũ ſuggeſtum conſtitutũ eſt aureis periſtromatis contectũ, vnde eſſet in omnes partes deſpectus. In nobiliori parte iudices conſidebant: in alia Principum legati. Aderat Benedictus Pontifex, magna conſilii ſuſcepti pars. Oſcenſi Epiſcopo ſacris de more operato, Vincentius Ferrerius, cuius ſanctitati à cæteris primæ partes deferebãtur, luculentã orationem habuit, à di-
„ uinis verbis exorſus: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptię
„ agni. Poſt turbidas tempeſtates, ſerenum conſequitur: noſtraq; nauis ſæuis pelagi fluctibus
„ tandiu exagitata, naucleroq; deſtituta, exoptatum tandẽ portum occupat. E templis quaſi
„ è colloquio Dei Opt. Max. venientes, non minore religione apud vos verba faciemus, quã
„ modo ante aras vota pro communi ſalute ſuſcepta ſunt. vos quoq; pari animi pietate audi-
„ turos confidimus. Quid autem in Rege diligẽdo antiquius opportuniuſq;, quam de regni
„ dignitate ſanctitateq; diſputatio? ſed eam tempus intercludit. Reges ſane inſtituti, qui Dei
„ ſummi Regis vice munereq; fungerentur in terris. debet ergo is probitate proxime ad di-
„ uinas virtutes accedere: debet quidquid in cęteris pulchri honeſtiq; eſt, id omne ſolus ipſe
„ præſtare: quem maiorem conditione mortali, & quaſi de cælo dilapſum heroem ſubditi
„ populi intueãtur, admirentur, colant. nõ ſuę, ſed reipublicę ſaluti, cõmodiſq;, dies nocteſq;

proſpi-

proſpicere. Verum hæc pluribus explicare Rege abſente, non attinet. Quæ tamẽ Rege deligendo conſiderata fuiſſe diligenter putate quotquot adeſtis omnes. vobis obſequiũ perſuadere neceſſariũ, ſine quo fruſtra tantus labor ſuſceptus eſſet, vanaq; eſſet auctoritas imperandi. Poſitis priuatis cupiditatibus, vniuerſi Deum præ oculis habentes, in commune conſulite: atq; eum optimũ Principem fore vobis perſuadete, qui tanta conſenſione animorum, quod diuinæ voluntatis certũ argumentũ eſt, fuerit datus: huncq; diem feſtũ lætumq; agere. tantũq; optimo Pontifici & Maximo, qui præſens eſt, tantũ ſapientiſſimis iudicibus, quorũ labore, induſtria, diligentia, res tanta ad exitũ perducta eſt, omnes debere, quantũ ſuis quiſq; parentibus exiſtimate. Secundum hæc verba ſuſpenſis animis, quę res exitũ eſſet habitura, cuncti expectabant. Iudicum ſententia de ſcripto eiuſdem voce pronunciata. Vbi ad Ferdinandi nomen ventum eſt, tum Vincentius ipſe, tum cæteri præ lætitia vix ſe animis continere: vitam, victoriam, felixq; regnũ nouo regi ingeminare: alii alios intueri mirabundi, velut ſomnii vanam ſpeciem: ſuarum aurium fidei minimum credentes, rogare proximos: vix inter ſe intelligere præ clamore, & quoniam vnum gaudium omnium aliorum ſenſuum officium occuparat, cunctorum, fere qui aderant animos. Pro diuino munere laudes continuo numini decantatæ. Geſta hæc ſunt pridie Kal. Iulii. Soluto cõuentu legati ad Ferdinandum miſſi, qui ad regnum capeſſendum inuitarent. Conchæ is in Celtiberis erat, quorſum comitia euaderent expectans. miſſæ ex omnibus partibus legationes, quæ gaudiũ afferrent, aut ſimularent: ac nominatim à Sigiſmundo, qui ſuperiori menſe Maio in Germania fuerat Imperator ſalutatus, pace quã bello felicior, diſſidioq; inter Pontifices ſublato, clariſſimus breui futurus. Ferdinandus rebus cõpoſitis Cęſarauguſtam abiit: vbi Aragoniæ Rex à cunctis ordinibus ad III. Nonas Sept. proclamatur. In eius & Alfonſi filii, quaſi ſucceſſoris futuri verba iuratur. Alfonſus Caſtellę imitatione Gerundæ Princeps vocatur. Affuere cęteri candidati. Fridericus Lunæ Comes, Alfonſus Aragonius iunior Gandiæ Dux. vnus Vrgelitanus Comes non interfuit, excuſata valetudine: re ablatũ iniuria regnũ (ſic exiſtimabat) armis obtinere cogitabat. & quoniã modicæ factionis vires erant, Anglica auxilia euocare parabat, Clarentiæ Duce in fœdus attracto. Nouũ Regem ea ſolicitabat cura. ſcintilla ſæpe contempta excitauit incendiũ. ſed ad Sardiniæ Sicilięq; motus compeſcendos, primum omniũ animum retulit. Genuenſes. qui ad Sardiniæ imperium aſpirabant, tanti Regis ad famam excitati, miſſis legatis Cigala, Perſeoq; inducias quinquennes impetrarunt. In Sicilia Bernardus Cabrera ad Panormum hoſtium improuiſo concurſu captus erat, atq; ad Tauromeniũ in arce Mota in cuſtodiam erat traditus, ſeueriorem quã grauitas perſonæ, & res olim præclare geſtę poſtularent. ſed vęſano amori congruens ſupplicium, quo Reginę nuptias expetierat, modeſtię immemor, ętatiſq;. Lihorius maris Siculi Pręfectus ex priuata ſimultate Cabrerę infenſus, auctor pręcipuus eius calamitatis extitit. Noũi Regis importuna efflagitatione, vix tandem è cuſtodia dimiſſus eſt, è Sicilia diſcedere, ſeq; quamprimum ad Regem conferre cauſam dicturus in Aragonia iuratus. Pax rebus Siculis reddita ex longo interuallo. Vniuerſa vero Sardinia ſub Aragoniam ditionem reuocata Guillelmo Narbonenſi Vicecomite conciliato, atque pro vrbe Saſtari, quam occuparat, aliiſq; ea inſula hæreditariis principatibus, æqua abs Rege compenſatione facta. ſic res Aragonię erant. In Gallia Archimbaudus Fuxenſis Comes diem obiit, quinq; filiis relictis, Ioanne principatus hærede, Gaſtone, Archimbaudo, Petro olim Fuxenſi Cardinali, præterea Matthæo Conuenarum Comite. Ioanni, Vaſconum Regis filia Ioanna nomine, connubio iuncta eſt: eaq; ſine prole defuncta, ex Maria ſecunda coniuge Caroli Labreti filia, filios ſuſcepit, Gaſtonem natu maiorẽ, & Petrum Lautrechii Vicecomitem, Lautrechiæ familiæ conditorem, rebus bello paceq; geſtis ad noſtram memoriam in Gallia clariſſimæ.

Vrgelitanus capitur. CAP. V.

Res Aragoniæ foris quidem quietæ erant, domi turbatæ, Vrgelitani Comitis importuna ambitione. in Caſtella inducię Mauris expetentibus ſuperiori menſe Aprili fuerant in menſem XVII. prorogatæ. Pecunia in bellũ Mauricum à populis antea redacta ad centum aureorum millia, Ferdinando nouo Regi conceſſa eſt, propenſiſſima totius prouincię voluntate. morum comitas, atq; naturalis ingenii dexteritas cunctorum conciliabat animos. equites, pediteſq; magno numero ſecuti. opportunũ vtrunq; motibus pacandis ſubſidium. Graue Aragoniis cuſtodiam corporis ſui, regni, quod vltro delatum erat, firmandi ſpem in peregrino milite poni, damnata prouincialiũ fide, quam à condito regno inuiolatam ſuis Regibus præſtitiſſent. Vrgelitanus Comes ad Regem cum copiis Ilerdã progreſſum legatis viris primariis ſe in eius poteſtate fore profeſſus eſt. ad V. Kal. Nouemb. man-

data à legatis expoſita, Vrgelitanięq; nomine in Ferdinandi Regis verba iuratum, ficte, vti rerum euentus declarauit. ſed tanti erat Caſtellæ copias, quacunq; ratione ex Aragonia depellere. A Rege & Benedicto Pontifice colloquium Dertuſæ habitum: iuſq; Aragoniis in eo congreſſu imperii Siciliæ atq; Corſicæ venia Pontificis confirmatum eſt. Barcinone
1413. Catalaunicæ gentis conuentus agitati fine huius anni & principio proximi 1413. In his conuentibus Vrgelitano pacando omnia conceſſa ſunt, quæcunq; eius nomine legati poſtularunt. verum iis blandimentis ferox animus nihil placatur. collectis ſuorum copiis, atque Gallicis auxiliis euocatis, regnum armis occupare cogitabat. Rex periculum veritus, ne modica negligendo, magnę inclinationes fierent, delectus militares vniuerſa prouincia habet. quadringenti equites à Catharina Regina è Caſtella opportune miſſi. Regi Vaſconum ſuę gentis auxilia mittere profitenti remiſit, odii vitandi cauſa. Gotifredus tantũ Corteſius Comes, Vaſconis filius nothus, cum equitum ala auxilio venit. Iuſto exercitu conflato in Vrgelitani ditionem impetus factus eſt: ipſamq; vrbem Balaguerim principatus caput, copiæ promotæ: quo ſe propter loci firmitatem Vrgelitanus contulerat. obſidio diuturna fuit. interim eo tractu oppida in Regis poteſtatem redacta. Vno tempore à Gallo & Neapolitano Regibus legationes venerunt. Gallus renunciabat, Burgundionis inſolentia, Pariſienſis populi tumultu, res in extremo ſitas. ipſum, & filium, alioq; Principes captiuorum inſtar eſſe. rebus profligatis ferret opem memor humanitatis atq; amicitiæ, quæ inter vtranq; regiam ab antiquis temporibus extitiſſet. Ladiſlaus Rex de belli ſocietate aduerſus Andegauenſem appellabat. Aragonia regna repetiturum bello, niſi cõmunibus armis repulſus eſſet. reſpondit Ferdinandus: Gallis quidem, dolere ſe nobiliſſimi regni calamitate quod peterent curæ fore. Ladiſlao autem, ſe amicitiam non repudiare oblatam. Cum Andegauẽſi omnia neceſſitudinis iura intercedere: competitorem, extitiſſe, hoſtem nunquã. Pacis ſe potius auctorem, quam belli ſocium fore. ſic dimiſſi legati. Obſeſſi omnibus malis oppreſſi, ad deditionem procliues erant. Iſabella Vrgelitani coniux ad Regem egreſſa eſt: ſi viro veniam impetraret. fides tantum data inuiolatum, ſi veniſſet fore. Rex in extremo erat. Ergo conditione accepta, pridie Kal. Nouemb. ad Regem egreſſo, atq; in genua procumbenti, infimiſq; precibus, vt iuuenili errori ignoſceret deprecanti: tametſi cõmiſiſſe videbatur, vt capite plecteretur, vitam tamen dare dixit. De libertate atq; principatu nulla mentio. Illerdam in arce cuſtodiendus mittitur. Mox vrbe Belagueri dedita, rebuſq; aliis eo tractu compoſitis, lege maieſtatis poſtulatus, bonis publicatis, perpetuo carceri mancipatur. & ne tumultus cauſa in Aragonia exſteret, propter vigentia partium ſtudia, in Caſtellã miſſus eſt, Vrenia arce ad cuſtodiã deſignata, vbi primũ, deinde Morę, Setabi tandẽ ad vitæ finem retentus fuit, miſer non magis amiſſi regni memoria, quam patrię deſiderio. Antonius Luna, qui Loharrim arcem præſidio obtinebat. ea dedita ex Aragoniis finibus fugatus eſt, ditione omni in regiam poteſtatem redacta. Hunc inteſtini Vrgelitani motus exitum habuere, expectatione hominum, metuque prouinciæ faciliorum.

Concilium Conſtantienſe indictum. Cap. VI.

Concvrsvs oratorum ex toto orbe Chriſtiano ad Cæſarem Sigiſmundum fiebat, rebus eccleſiæ turbatis in eo præſidium fore, cunctis nationibus ſperantibus. Conſenſu tribus Pontificibus denunciatum, vt ſine fruſtratione concilium generale haberi ſinerent: ipſi abdicato pontificatu, in Patrum eſſent poteſtate. eatenus ſimulationem prorſus & imaginem deponendi imperii tantum fuiſſe, diſtinendis ea ſpe mortaliũ animis nullam ſynceram voluntatem. Ioannes & Gregorius æquas aures iis poſtulatis præbere videbantur: Benedictus præfractior. Eius flectendi cura Aragonio Regi commendata, legatis ad eum à Cæſare, atq; Rege Gallo, viris primariis. Qui pace publica fundata domi, foriſque, quaſi ad triumphum nullis hoſtibus, Cæſarauguſtam abiit. in ea vrbe regium inſigne
1414. deſumpſit tertio Idus Februarii, ſalutis anno 1414. Tarraconenſis Epiſcopus coronam capiti impoſuit; quam Catharina Caſtellæ Regina dono miſit, magni ponderis, aurum diſtinguentibus gemmis: materiam vincente operis pulchritudine. affuere legati Principum: proceres magno numero: Bernardus Cabrera Auſæ Modicęque Comes cum nouo Rege reconciliata gratia, Henricus Villena, Calatrauæ magiſterio nuper ablato deformis: quod Maria Albornotia prædiuite fœmina, Alcocerio, Salmeronio, Valdolius, aliiſque Infantatus oppidis dotalibus quaſi irrito coniugio repudiata, Henrico Caſtellæ Rege obtinuerat. ne maiorum opes ei militiæ crederent prouidendum erat. Ergo Tineum, Canicam, & Villenæ principatus iura Regi donauit: tanta erat cupiditas eius honoris impetrandi, haud diuturni futuri, Milites eo coniugio ſoluendo fraudem ſubeſſe exiſtimantes, inſtauratis comitiis, Ludouicum Guſmanium, amoto Henrico cooptarunt: vnde

diſſidia

diſſidia in ſextum annum tenuerunt, militibus in vtranque partem diſtractis. donec Pontificis conſenſu in Ciſtercienſi conuentu hoc ipſo tempore ſecundum iura & merita Ludouici æmuli eſt pronunciatum. Henricus in tantis litteris, tantaque eruditione, parum ſibi ſapuiſſe viſus eſt: repetitoque coniugio egenus, vitæ reliquum exegit. Soluto Cæſarauguſtano conuentu ad res eccleſiæ componendas conuerſi animi. Morella oppidum in ditione Valentina, Catalaunis, & Aragoniis finitimum Benedicti Ferdinandiq; colloquio deſignatur. ad quintumdecimum Kalend. Auguſti eo loco congreſſi ſunt. Magni Pontifici honores ſunt habiti. venientem Rex ipſe pedes ſub vmbella in templum vſque equitem deduxit. inde ad hoſpitium veſtis caudam geſtauit. prandenti die proximo, cum ſplẽdidum conuiuiũ paraſſet, miniſtrauit ipſe, Henricus filius pincernæ partes impleuit, aureis argenteisq; vaſis & lancibus ſubſtitutis pro ſtanneis, quibus Pontifex vtebatur mœroris argumento propter diſſidium de pontificatu ſummo. Quæ blandimenta non magis maieſtati data ſunt, quam promerendo peruicaci hominis animo. Itaque crebris ſermonibus, de pace, ponendoque per conditiones pontificatu actum eſt. difficilem ſe Benedictus præbebat, difficiliores aulici diſcrimen ac dedecus, ſi ita fieret, oſtentantes, & fidem in libidine victoris. Quinquaginta dies magnis altercationibus exiguo fructu conſumpti. Quo tempore ex Italia renunciatur, Ladiſlaum Regem Neapolitanum diem obiiſſe. Auguſti ſexto die Neapoli defunctus eſt, veneno, vti vulgo opinio fuit, in ipſo certe felicitatis curſu, quũ ad totius Italiæ imperium aſpirare videbatur. Ioanna ſoror ex Guillelmo Duce Auſtriaco, cui iunior nupſerat vidua, ſupra triginta annos nata, Regina eſt ſalutata, nihilo ſanctius honeſtiusque ſuperiore Ioanna Regina habitura regnum, pudicitiamque. Nouæ tamen ſpes excitatæ initio, multis Principibus eius nuptias ambientibus: ac nominatim miſſis legatis in matrimonium pacta eſt Ioanni Ferdinandi Regis minori filio. lætus adoleſcens, quaſi ad certas nuptias in Siciliam nauigauit. Iacobo illa Borbonio Marchiç Comiti, præſtanti corpore formaque nupſit. Pandolfus Alopus conſpicuą forma iuuenis maiorem apud Reginã gratiæ locum obtinebat, quam imperii grauitas, muliebriſque pudicitia poſtulabant, non ſine aliorum procerum obtrectatione atq; inuidia. ſpes certe Aragonia fruſtrata eſt. Concilio celebrando delecta Conſtantia, magno Sigiſmundi gaudio, in cuius ditione ea ciuitas erat. Itali atque Galli Patres conueniunt. Gregorius Pontifex cum liberis mandatis mittit legatos. Ioannes æmulus etiam accedit, gratia Cæſaris, & ingenii dexteritate confiſus. Benedicti peruicacem animum, vt idem faceret, flectere Ferdinandus non poterat. multiplices animorum motus erant, varii conatus, rerum conditio miſera. Conuenit vti ad Sigiſmundum miſſa legatione locum colloquio peterent: venturos Benedictum atque Ferdinandum. in eam rem Ioannes Ixarius delectus, omnibus corporis & animi, litterarum prudentiæque ornamentis, ea tempeſtate clariſſimus: adiuncti alii viri præſtantes. à Caſtellæ Regina Dieghus Anaia Conchenſis Epiſcopus, & Martinus Corduba regiæ cohortis præfectus, Conſtantiam legati ſunt. Ex omnibus nationibus Patres frequentes conuenere, omnino trecenti. ſarciendæ concordiæ ſtudium, tædium præſentium malorum incitabat. Concilium nonis Nouembris inchoatur. In Aragonia Iudæi magno numero Chriſtiana ſacra populariter ſuſceperunt. Vincentius Ferrerius ſuaſor præcipuus: Benedictique Pontificis conſenſu, habitæ de religione diſputationes, peruicacem alioqui gentem traduxerunt ad ſanitatem. reſiſtentes malo compelli viſum eſt. graues in Iudæorum gentem leges promulgatæ. Extatque Benedicti edictum Valentiæ in Edetanis quinto Idus Maii datum pontificatus anno vigeſimo primo, cuius hæc præcipua ſunt capita. Thalmuditici libri vetantor. Conuitia in noſtra ſacra puniuntor. Nulla Iudæis permittitor poteſtas, iudicandi, aut quemuis alium honorem in republica obtinendi. Synagogæ nullæ denuo ædificantor: vnaque tantum eſto in ſingulis ciuitatibus. Medici, pharmacopolæ, proxenetæ ex ea gente nulli ſunto. Nullus Chriſtianus Iudæis miniſtrato. Rubro, croceoue ſigno à cæteris diſtinguntor: viri in pectore, in fronte fœminæ. Vſurarum libertas præſcinditor, etiam venditionis ſpecie prætenta. Qui Chriſtiana ſacra ſuſceperint, iis ius eſto, in propinquorum bonis ſuccedendi nihilominus. Ter annis ſingulis ad Chriſtianam concionem audiendam, de præcipuis religionis capitibus congregantor. Huius edicti exemplar in omnes Hiſpaniæ prouincias miſſum eſt: vnum in templi Toletani ſcriniis ſeruatur. Ipſa nocte, qua Chriſti Dei nati memoria celebratur, ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo quinto- 1415.
decimo, nocturnis precibus Ioannes Pontifex, Imperatorq; Conſtantiæ interfuere coniunctis ſedibus, aliquanto humiliori Imperator: locis aliis Auguſta, Patreſq;. Proximis diebus de pace agitatum. nulla neq; cõmodior, neq; tutior via ſeſe dabat, quam ſi inſignibus pontificatus, nomineq; ſe volentes exuerent, Gregorius, Ioannes, Benedictus. Ioanni præſenti ægre quidẽ, ſed perſuaſũ tamen, vt morẽ gereret. Quarto Nonas Martii in infulis, ſa-

craq; veſte cum diuina hoſtia ſacrificaſſet, ſe pontificatu deceſſurū palam renunciauit. cōſecutus eſt magnus omnium qui aderant plauſus. Simulatio viſa eſt: cum poſt paucos dies concubia nocte ſe Conſtantia ſubduxiſſet, nouas captaturus ſpes, veteres repetiturus. ex fuga retractus, abdicareq; coactus prid. Kal. Iun. carceri mancipatur. eius cuſtodiendi cura Palatino Comiti demandata: vnde poſt tertium annum euaſit: honoreq; purpuræ recepto, Florentiæ, quæ caput Hetruriæ eſt, deceſſit. Corpus in D. Ioannis baptiſterio ſepultū. theſauris, quos pontificatus tempore congeſſerat maximos, Coſmus Medices potitus eſt: qui illi gradus & poſteris ad ampliſſimas diuitias fuit, vrbisq; ſuæ principatum. ſic vulgo perſuaſum. Ioanne in ordinem redacto, aucta Patrū lætitia eſt, cū Carolus Malateſta Gregorii Legatus cū ampliſſimis mandatis, ſeſe poſt quintū diem eius nomine pontificatu exuiſſet. Vnus Benedictus multiplicē Patribus iniiciebat curā, ne eo prætermiſſo, veterū malorum orbis repeteretur, nouo Pontifice creato. Ad ea ergo conſilia, quæ paulo ante repudiata erant, auidiſſime eſt recurſum: vt loco cōmodo deſignato, cū Aragonio, Benedictoq; Sigiſmundus Cæſar colloqueretur. neq; deerat ſpes totius orbis terrarū conſenſum Benedictū ſecuturū. Nicæa, in ora Liguriæ ciuitas, colloquio eſt delecta: miſſiq; de ea re ad Regē & Pontificem honeſtiſſimi legati.

Colloquium Perpiniani habitum. CAP. VII.

INTEREA Valentiæ Rex Aragonius Alfonſi maioris filii nuptias inſigni celebrabat apparatu. affuit Benedictus, atq; ex vniuerſa gente principū virorum concurſus eſt factus, ſponſam è Caſtella Sanctius Rogius deduxit: qui ipſo tempore Palentinū epiſcopatū Toletano mutauit, in Petri Lunæ defuncti locū, Rege Aragonio annitēte cooptatus: vir domi militiæq; clarus, præcipua ingenii dexteritate, atq; animi magnitudine. Nuptiæ confectæ pridie Idus Iunii. Villenæ principatus puellæ dos a patre deſignata, ducentis aureorū millibus mutatus eſt. cum eſſet graue nouæ ditionis acceſſione, Aragonias opes in Caſtella cōfirmari. Rex Luſitanus numeroſa claſſe comparanda, ab altero anno diſtrictus erat, non ſine finitimorū ſuſpicione, vt nulla eſt Principibus fides inter ſe. Aragoniū præſertim ſolicitabat, ne Vrgelitani patrociniū ſuſcipiens, quod fama ferebat, noui regni rationes importuna ambitione turbaret. longe alia mente erat Luſitanus, arma in Africā trāsferre cogitabat, confirmato regno, ſed & numeroſa prole felix: quippe ex vnis nuptiis, Eduardū, Petrū, Henricum, Ioannē, Ferdinandū, Iſabellam ſuſceperat, furto genitum Alfonſū Barceloſii Comitē. his propter anguſtiā ditionis, nouos in Africa principatus parare cogitabat. Triginta onerariæ erant, ſeptē & viginti triremes, biremes triginta, minora nauigia centū & viginti. In ipſo belli apparatu Philippa Regina extincta eſt. Corpus in cœnobio, quod ad Aliubarrotā recens extructū erat, ſepulturæ mandatū. Cum iis copiis traiectum in Africā. Septa vrbs freto adiacens, primo impetu capta ad vndecimum Kal. Septembris. Satis conſtat Cortercalem primum in murum aſcendiſſe, Albergueriam porta irrupiſſe, ambo, virtutis cauſſa præmiis donati, coronisq;: tum reliqui, prout cuiusq; meritum virtusq; erat. Maurorum cædes facta. pars deſerto oppido, qua quemq; metus agebat. diffugerunt. Africæ ſub iugum Hiſpanorum reuocandæ ab hoc principio ſpes animis concepta. & quod in aliis Hiſpaniæ prouinciis factum erat, computandi annos ratio per Eras Cæſaris, in Luſitania hoc ipſo anno antiquata eſt: commodiorque inducta à Chriſti ortu principio numerādi facto: quod commercio aliarum gentiū orbisq; Chriſtiani conſenſui datum eſt. Ad Pōtifices redeamus. cōtinenti valetudine impeditus Ferdinandus, Niceam accedere non potuit, in affecto corpore quāuis leuis cauſſa timebatur. quod proximū erat, Cæſar Perpinianū, agri Ruſcinonenſis oppidum in extrema Hiſpania, accedit ſtrenuū hominē dignumq; immortali laude ob perpetuam in adiuuanda republica voluntatem. Benedictus & Ferdinādus, nempe ex vicinis locis priores venerunt. conſecutus eſt Imperator ad tertiumdecimū Kal. Octobris, armatis equitibus quadringentis ſtipatus, vili tamen cultu, remotoq; & ipſe auro & argenteo, menſarum inſtrumēto omni ex ſtanno vtens. Venerūt à Regibus Galliæ, Caſtellæ & Vaſconū legati. In eius colloquii euētu ſalus publica vertebatur. ſumma omniū expectatio erat. par cupiditati metus. Rex lecto affixus, tātis molitionib. impar, monere tamē, hortari, obteſtariq; Benedictū, vt pacē terris eccleſiæq; redderet, memor publicæ ſalutis, memor iuriſiurandi. Coactū Patrū conciliū: quid amplius totius orbis ſpes irritas facere? accedendum, aut abdicandum. clariſſima duorū æmulorū exēpla prouocare. quātulū vitæ ſupereſſet ad extremā ætatē perducto? Abire pōtificatu cum gloria poterat, ſi libido dominādi ratione regeretur, tetra cupiditas cæteris affectibus flagrantior. & ille præiudicatum habebat, nihil pro ſano facere, niſi malo coactus: diē taniū de die trahere, variisq; excuſationib. tergiuerſari. Cum duo Principes vrgerēt: neq; finē obſecrandi facerēt, multa de iure cauſſæ ſuæ locutus, ſi quid ante cōtrouerſiæ eſſet, capitis diminutione ſublatum ait:

duobus

duobus æmulis in ordinem redactis, ſe vnum ſupereſſe totius eccleſiæ rectorẽ. neq; deſertum Dei viuentis eccleſiam, nauemque, ad cuius clauum gubernator ſedeat. Quo maior ætas, eo prouidendum magis, ne conſilii imbecillitate ſuperos offendat, nomini ſuo ignominiæ notam ſempiternam inurat. Die quodam ſeptem horis diſputationem continuauit, defatigatisque audiendo omnibus ac pleriſq; abeuntibus dicere perſeuerauit, citra vllum defatigationis ſignum, maior ſeptẽ & ſeptuaginta annis. Se verum eſſe Pontificem contendebat: aut ad ſe noui Pontificis electionem deuolutã, vnicum ab indubitato Pontifice Cardinalem creatum. Cum tempus altercationibus duceretur, Sigiſmundus quidẽ Perpiniano iratus diſcedit: minabundusq; vi facturum, quod recuſaret voluntate. Narbone tamen reſtitit, ſi Ferdinãdi precibus, qui eam curam deſumpſerat, peruicax Benedicti animus flecteretur. nihil impetratum, quin citato ſe Peninſulam proripuit, oppidi firmitate, quod ad maris oram rupi impoſitum eſſe demonſtratũ ante eſt, pontificiam dignitatem tueri parãs. Quod reliquũ erat: à Ferdinando, agitatum, de eius imperio abdicando. conſilii præcipuus auctor Vincentius Ferrerius, qui eius ante auctoritatem conſtanter erat ſecutus. Ad octauum Nonas Ianuarii, principio anni 1416. regium edictum in eam ſententiam promulgatum eſt. longa conſuetudine obtemperandi, religio paucorum animis infixa manebat: populus vacuus curis, ſine falſi, verique diſcrimine, regiæ ſe voluntati facile audientẽ præbebat. Perculit ea res Benedicti animum, vnde officia omnia deberentur, inde initiũ præcipitandi extitiſſe: palamq; Regi ingrato, regnum quod dederat, ablaturum minabatur. ſed vanæ ſine virib. eæ voces erant. Eleonora Vaſconum Regina Pompelone per eoſdem dies deceſſit, omnino tertio Nonas Martii. ſepulchrum ex alabaſtrite in templo eius vrbis maximo cum inſcriptione extat, defunctæ conſtitutum. 1416.

Obitus Ferdinandi Regis. CAPVT VIII.

FERDINANDI animum ardens cupido inceſſerat, in Caſtellam migrandi, natiui cæli mutatione, melius habiturum confidens, ſpeique, vt ſolent ægri, nimium indulgens. Cura vtrunq; regnum complectebatur: nouaque ex arcano ſuberat, Caſtellæ prouincias vbi ſtudia vigebant, Benedicto ſubtrahere. eo conſilio Barcinone, quo ſe Perpiniano contulerat, ineunte vere, itineri ſe dat. corporis agitatione morbus inualuit. in ægro corpore quamlibet leuis cauſſa grauior exiſtit. ad Igualadam, quod oppidum vigeſimo quarto lapide abeſt, reſtitit: vbi deſperata valetudine, ſacris Chriſtiano ritu procuratus, extinctus eſt Aprilis ſecundo die. regnauit annis tribus, nouem menſibus, diebus octo & viginti. dignus longiori vita, eximiis animi & corporis dotibus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis ineſſet, quam gratiæ. multum ingenii, multum artis, vel fortunæ fuit, ad promerendam omnium voluntatem, non ſuo tantum, ſed quod difficilimum eſt, alieno imperio. Vulgi vituperatione non caruit: quaſi Benedictum deſeruiſſet: Caſtellæ vectigalia, domum auerteret, largus priuatim, quod ex publico auidius ſuppleret. Corpus ad Populeti humili ſepulchro eſt conditum. Laræ principatum, Medinam Campeſtrem, Balaguerim Ioanni filio legauit, Henrico Alburquerquium, Sanctio Montalbanum. Alfonſum natu maximum regni hæredem nuncupauit. Sublatis ſine prole fratribus, ſororum Mariæ atq; Eleonoræ filios nepoteſq;, hæredes regni ſubſtituit, ipſas excluſit. quod ad memoriam inſigne viſum eſt. Ferdinandi obitu Caſtella in fide Benedicti perſtitit aliquandiu: vbi multi erãt eius beneficio deuincti. ac Archiepiſcopi Toletanus, & Hiſpalenſis Exea nomine, eius in primis partes ſequebantur.

Martinus V. Pont. Max. CAPVT IX.

IN Caſtella noui motus animorum ſubſecuti ſunt, maiorũ initia. vnde intellectum, quãtum in Ferdinandi virtute præſidii rebus eſſet. Catharina Caſtellæ Regina iuſtis Vallisoleti defuncto perſolutis, vniuerſam regni procurationem ad ſe reuocauit. Regis tuendi cura Toletano Præſuli, Velaſco, & Stunicæ concredita. Alfonſus Henricus maris Præfectus. Daualus Magiſter equitum factum palam vituperare: ſeque contemptos fuiſſe iniquis animis ferre. vnde inteſtini belli metus. Cum Mauro Rege biẽnes induciæ denuo pactæ, ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimodecimo: ea tamen lege vt centum ſingulis annis captiuos libertati redderet. Cõſtantiæ patres vigilare, cogitare, adeſſe animo atque in oẽs reipub. partes proſpicere. Noua hæreſis reprobata. auctores Hieronymus Praga, & Ioannes Huſſius ex fuga ad ſupplicium retracti, quãuis noxii, iure an iniuria dubitatũ, q; fide Imperatoris veniſſent: ſed cõmiſiſſe tamẽ cõſtabat, vt hoſtiũ loco eſſent. Ad eccleſię diſſidia conuerſi animi: Benedictumq; ante ſeptimũ Kalend. Auguſti diris omnib. deuotũ, pontificatu ſpoliarunt. De nouo Pontifice creando diſceptatũ. duo & viginti Cardinales aderant, quorum erat ius ſuffragii. ex aliorum Patrum numero triginta Epiſcopi, iis adiun- 1417.

cti ſunt. Quibus in comitia conuenientibus, Othoni Columnæ Romano ciui, atq; Cardinali, innoxius, atq; inemptus pontificatus datus eſt, tertio Idus Nouembris, Martini quinti nomine, magna gratulatione, tũ vrbis Romæ, tũ totius orbis Chriſtiani, quaſi poſt dẽſas diſſidiorũ tenebras luce ſuccedente. eo ſyncerior lætitia, quod omnia in vnũ ſuffragia conſpirarũt, linguis, inſtitutis, moribus, ſtudiis, diſcrepãtiũ. rei geſtæ fama cũ peruaſiſſet omnia repẽte ad nouũ Põtificẽ inclinauere. cũ Benedicto pauci modo Cardinales perſtitere, fugę ſocii, neq; ii cõſtanti fide. prouinciæ omnes deſeruerũt, Principesq;, Rege Scoto, & Armeniaco Comite tantũ exceptis. ſic Patrũ conuentus ſolutus eſt. Sancitũ tamen cõmuni conſenſu, vt ex ea die, quinto poſt anno conciliũ haberetur, alterũ ſeptimo, tertiũ decimo. exin proprium id legitimumq; eſſet, vt decimo quoq; anno, generales Patrum conuentus haberentur. Duo Ciſtercienſes monachi à nouo Pontifice ad Benedictum legati vt orbis potius conſenſum quam priuatum iudicium ſequeretur, monuerũt ipſum, monuerũt etiã Cardinales. Benedictus nihil iis monitionib. mouetur. quatuor Cardinales Hiſpani oẽs purpuræ honore retento, nouisq; honoribus aucti ſeſe Florentiam ad Martinum cõtulere. in quibus principem auctoritatis locum tenebat Cardinalis ſancti Euſtachii, Seguntinus Epiſcopus Alfonſus Carrillius, Egidii Carrillii Cardinalis propinquus, Alfonſi Carrillii auũculus Toletani olim Pręſulis. Fuit hic annus Gallię infauſtus, Hiſpanis lętus. Caſtellæ Regina cõcedẽte, Fortunatarũ inſularũ nauigatio repetita eſt. Ioannes Bentacurtius homo Gallus inſtructa claſſe, quatuor inſulas ſubegit. maiorem Canariam obtinere non potuit. in ipſo rerũ curſu defuncto, Menautes propinquus ſucceſſit, Regi nuncupato Rex. Martinus quintus Mendũ monachũ iis inſulis Epiſcopũ dedit. inter hunc & Menautẽ nata diſſidia, Epiſcopo ſuſcipiente gentis barbaræ patrociniũ, Menaute ad quæſtũ abutente, arrepta poteſtate. Inſulanos quãuis Chriſtianos effectos in ſeruitutẽ vendebat, nullo religionis reſpectu. Petrus Barua cum noua trium nauium claſſe, à Regina miſſus rebus præſidiũ, inſulas redẽptas auro, Petro Peraſæ Hiſpalenſi ciui vendidit. Peraſæ poſteri vſque ad Ferdinandi Regis cognomento Catholici tempora earũ inſularũ obtinuere principatũ. Henricus quintus Rex Anglus Catharinã Galli Regis filiam in coniugiũ expetebat. repulſæ ignominia accẽſus, in Normanniam claſſe tranſmiſit. inde funeſti belli initium, quo Gallicæ opes attritę ſunt, ingens de Frãcis victoria parta. Duces Aurelianus Borboniusq; capti. Rhotomagũ Princeps Normãniæ vrbs lõga obſidione capta. Acceſſit noua calamitas. Iſabella Gallię Regina viro relicto, abducta Catharina filia Turonum ſeceſſit. Burgũdio in auxiliũ euocatus, nõ modo Reginam, ſed & Regẽ, vrbemq; Lutetiã regni ſedem in poteſtatẽ redegit. in Carolo Delphino ſpes erat, contractis vndiq; copiis Anglorum conatibus obſiſtẽti. Inter eũ & Burgũdionẽ pacis ſpes tẽtata. colloquii dies dicta. ad oſtium Icaunę amnis in Sequanã influẽtis in medio ponte clatra lignea extructa, exigua ianua relicta, qua cõmeandi facultas eſſet. deni armati vtraque ex parte conueniunt. Burgundionẽ procul Carolus conſpectum cõpellat vultu lætitiæ ſpeciem præferente: atq; poſt mutuam ſalutationem ad complexum inuitat. reſerata ianua, rixæ initiũ forte an conſilio exortum. Burgundio interẽptus: cuius vita non magis funeſta Galliæ, quã mors fuit. Philippus filius Regem, Reginam, Catharinamq; atque vrbem regiam Anglo dedit, tanta erat vindictæ cupiditas, inde innumera mala cladesq; extiterunt. Sed hæc aliquanto poſt neq; erat animus externa perſequi, ſatis oneris ſuſtinentibus, noſtrarum rerum commemoratione.

Coniugia Principum. CAPVT X.

MEDINÆ Campeſtri ſeſe Eleonora Aragoniæ Regina tenebat, numeroſæ prolis comitatu, atq; ſolatiis honeſtis mariti deſiderium tolerans. actum de ineundo coniugio Mariam inter eius filiam, & Ioannem Caſtellæ Regem. excuſabat Catharina Regina minorẽ filii ætatem, ex arcano in Luſitanũ coniugiũ propẽſa: vbi Eleonora offerebatur Luſitani Regis filia, diuturnæ concordię vinculũ. ſic illa putabat, ſic aulici augurabantur. accidit, vt ad 4. Nonas Iunii Catharina Valliſoleti decederet anno milleſimo quadringenteſimo octauo ſeptimo, quinquaginta annos nata. ꝓcero atq; obeſo corpore fuit, in potu largior gẽtis vitio, ingenio ſimplici & liberali. quæ virtutes in fraudẽ ab illis vertebãtur, qui eius aurib. inſidiabantur, obſcuro loco homines quorũ cõſiliis fere regebatur: quæ magna Principũ pernicies eſt. in regiũ Toletani tẽpli ſacellũ funus illatũ: vbi quindecim ſacerdotes perpetuis ſacris ſuis & Hẽrici viri manib. quotidie parẽtare cõſtituit. Reginæ obitu magna rerũ immutatio cõſecuta eſt. Rex quãuis ętate minor, ad regni curã vocatus è tenebris educitur. adiũcti viri ꝓceres, quorũ cõſiliis reſpublica regeretur. Toletanꝰ Archiepiſcopus vti erat vaſto animo, honoriſq; quã ſatis eſſet auidior, cæteris contẽptis, ad ſe rerũ ſummã reuoca-

Digitized by

reuocabat: ſoluſq; alieno nomine regnare cupiebat, nõ ſine aliorũ inuidia, obtrectationeq;. Gallis legatis auxilia expetentibus, nihil datũ. Regis ętas, reipublicę motus excuſati. De regiis nuptiis repetita mentio: auctoreq; Toletano, qui omnia ſe Aragoniis Regibus debere profitebatur, inter Regem & Mariam Aragoniã nuptię pactę ſunt. Octobris die vigeſimo primo, principali apparatu Medinę Campeſtri ſponſalia data. ſancitum pręterea, vt Catharina minor Caſtellæ Regis ſoror, vni ex Aragoniis fratribus connubio iungeretur, nullo eo quidẽ tempore deſignato. Ioannes .n. inter fratres cęlibes ætate maior, Iſabellã Vaſconis Regis filiã deſponſam habuerat: verũ eius coniugii ſpes repudiata, Neapolitani cupiditate. vanus is conatus fuit, vti ſuperius dictum eſt: Iſabella tamẽ Armeniaco Comiti coniux eſt data. Ioannes aliquandiu in Sicilia reſtitit, rebus pręfectus in Blancę Reginæ locũ, quem pater regni futurum hæredem reuocauit in patriam. viduæ nuptiæ certatim à Principibus ambiebantur. Ioannes Aragonius ob eximias virtutes, & ſpem fraterni regni, cæteris prælatus eſt. dos dicta quadringẽta & viginti florenorũ millia: cautũq;, vt Blanca ante virũ defuncta, quamuis ſine prole, ille nihilominus reliquo vitæ tempore, regnũ Vaſconũ poſt ſoceros obtineret. Sponſalia Oliti in Vaſconibus celebrata ſunt. Dieghus Sandoualius Caſtellę Antelatus intima familiaritate Ioanni coniunctus, qui illi gradus ad magnã potentiã fuit, pareſq; opes, pro abſente Principe vicarius rebus omnibus interfuit. Hæc ſalutis anno
1419. geſta ſunt. Quo anno Nonis Aprilis Vincentius Ferrerius Venetiæ in Gallia Armo- 1419.
rica obiit, vir eximie præſtans magnis virtutibus, multiſq; editis miraculis clariſſimus, ante & poſt mortem obitam. Corpus in templo eius vrbis maximo eſt ſepulturæ datum.

Caſtellæ motus. CAP. XI.

MOVEBANTVR Caſtellæ regna, quaſi rectore deſtituta nauis. inter diſcordes proceres Regi puero parum auctoritatis erat: imperii cura penes Toletanum, dolentibus cæteris, plus vnũ ſacerdotẽ poſſe reliqua nobilitate. conſiliũ Regi datũ, vt integrã liberamque regni curã ipſe deſumeret. quatuordecim annorũ ætatẽ, ad q̃ peruenerat, maiorũ inſtituto, patriſq; teſtamento, iuſtã legitimamq; eſſe capeſſenda republica. Conuẽtus Madriti ex omnibus prouinciis habiti. Rex quid ſuæ voluntatis eſſet, oſtendit. cõſecutus eſt aſſenſus plauſuſq; omniũ qui aderant, iuſtũ, diuturnũ, fauſtumq; imperiũ acclamantium. Hæc huius anni principio geſta ſunt. Conſilio opus erat. quatuor abs Rege delecti, Toletanus Archiepiſc. maris Pręfectus, Magiſter equitũ, & cum his Legionis Antelatus Petrus Manricus, quẽ ea ætate virũ ſtrenuum in paucis & prudentẽ fuiſſe conſidero. additus Gutterrius Toletus, qui regias tabulas dictaret, magno Toletani dolore, qui ad ſe eam curã reuocabat (quippe ſcrinii Magiſter) intempeſtiue ambitioſus. Aderant Aragonii fratres, præcipuâ iuuenes auctoritate potentiaq;: præſertim Ioannes, atq; Henricus D. Iacobi Magiſter. Hos ſibi Toletanus ingenii dexteritate, accõmodatiſq; ad tempus officiis cõciliat. Segobię, quo Madrito ad ęſtiua itũ eſt, tumultus repẽte cõcitatur aduerſus regios. parũ abfuit, quin pars cũ parte cõfligeret ne inter fratres quidẽ ſatis fida potẽtia, vbi nimia eſt. Ioannes, Henricuſq; in partes diducti. vterq; penes ſe rerũ ſummã eſſe cupiebat conſortis impatiens. diſtracti proceres. Henrico Daualus Magiſter equitũ atq; Petrus Manricus fauebant: Ioanni Fridericus Traſtamarę Comes, Toletanuſq;. Regis ętas imbecilla ſubitis offenſis, aut intempeſtiuis blanditiis mutabilis, contemptui magis, q̃ timori erat. Corpus vti in ea ætate procerũ & candidũ: cęterum roboris parũ, facies parũ venuſta: ingeniũ mite, tractabile venatione & ludicris certaminib. oblectabatur: neq; à litteris abhorruit: eruditis ſermonibus libenter intererat, verſus ipſe ſermone vulgari nõ inepte pangens. Hæ virtutes in puero inchoatę, ętate ad maturitatẽ peruenerũt: quas vna incuria, & rerũ neglectus corrumpebant. breui auditu, quamuis magna negotia tranſigere ſolitus, curis grauioribus impar: vnde aulicis ad magnã potentiã aditus, præſertim Aluaro Lunę, quo multũ & familiariter prę cęteris vtebatur. Aluarũ Regina mater, quod futurũ erat verita, ab aula pulſum in Aragoniam amandauit. hoc recte. illud imprudenter, quod Regem puerum vſq; ad ſuum obitum Valliſoleti D. Pauli vicinis ædibus, ſex amplius annis limine continuit, erepta libertate exeundi, quenquamve præter miniſtros aulæ ad ſe admittendi. Ne à proceribus ſubtraheretur, materiaq; exiſteret rerum nouandarum prouidebatur. miſeram regni dixerim, an Regis conditionem: rectorem omnium publico carere, vt ne proceres quidem agnoſceret ſe adeuntes. loquendi audiendiq; cõmercium auferri Principi & quaſi in cauea efferari. extingui humanitatis indolem. Indignum facinus: quaſi altilem in auiario pullum, mihi ſagines, qui ad ſudorem & puluerem natus eſt? in vmbra & inter mulieres creſcat puellæ inſtar educatus: cui corpus debet eſſe potius labore & victu moderato duratũ, contra morborum cauſas, & vt in bello frigus æſtumq; iuxta patiatur? voluptatibus frangas animum;

qui dies noctesq; quaſi in ſpecula præſidere, & in omnes reipublicæ partes debet proſpicere? Næ ea mollities magno ſubditorum damno conſtabit. pueritiæ & adoleſcentiæ maior ætas ſimilis erit, imbecilla, lubrica, dedita libidini, ac cæteris voluptatib. quod in hoc Principe perſpicimus. defuncta enim matre, quaſi è tenebris, & ex materno vtero in hanc lucem rurſus egreſſus perpetuo hallucinatus eſt. magnitudine negotii obruebatur animus, aulicorũ ſemper obnoxius imperio: quæ maxima pernicies eſt: vnde continui motus extiterunt & graues. Sed hæc vitia accuſare facile eſt, emendare quis poſſit? quis quod veriſſimum eſt mulieribus munditias, Principibus laborẽ conuenire etiã in ætate tenera, affirmare audeat, apud eos qui imperii maieſtatem mollitie, libidine, voluptatibuſq; definiunt: ventri & turpiſſimę corporis parti ſeruire, vitę fructũ vel maximũ arbitrantur: Principum cupiditatibus indulgere obſequii gratiſſimũ genus putant. ergo hæc mittantur. Principio proximi anni 1420. Tordeſillã in Vaccęis itum eſt. Henricus D. Iacobi Magiſter, ſiue Ca-
1420 tharinæ Principis nuptias ambiens, ſiue vt aduerſarios opprimeret, cum ſuorũ manu in id oppidũ irrumpens, Ioanne Mendoza regiæ Magiſtro, aliiſq; aulicis captis, Regem etiam in ſuam poteſtatẽ, pridie Idus Iunii redegit, ablata libera quoquã eundi, aut decernẽdi facultate. magnũ dedecus, grauem reipublicæ ignominiã, Rex obſeſſus, captus, incluſus. Sed ea indignitate, cæteri per prouinciã proceres ad arma ſunt excitati, Ioanne Aragonio Duce: qui nuptiis Pompelone celebratis atq; confectis in Caſtellam poſt diem quartum ſeſe retulerat, eorũ quæ acciderant fama, & multorũ litteris euocatus. Abulæ regiæ nuptiæ celebratæ, modico apparatu, exigua lętitia: cum magna pars procerũ abeſſet, Rex captiui inſtar teneretur. Henricus ſe muniendi cura, tria millia equites in eam vrbem inuexerat: Ioannes frater ſeſe Olmedi tenebat, vicinis locis parem equitum numerũ ſub ſignis habens. ad eum ex vniuerſa prouincia concurſus facti. infimi, medii, ſupremi regię iniuriæ vlciſcẽdæ conſilia cõmunicabant. colloquii inter Principes tentata ſpes. Cæterũ Regis conueniendi poteſtas, Ioanni Principi facta non eſt. Henricus rerũ arbiter in præſenti, de futuro ſolicitus, regni conuentus in ea vrbe agitari curat. libera ſuffragia non erant, vrbe à militibus occupata, circumſeſſo armis ſenatu. paucis repugnantibus Henricus, quę geſta erant, omni noxa liberatus eſt: quin vt facinoris pręmiũ eſſet Rege concedente, à Martino Pontifice impetratũ, vti Magiſtri D. Iacobi principatus, ditioq; vniuerſa Henrici poſteris hæreditaria eſſet. nouum reipublicæ vulnus atq; grauiſſimum, niſi maiori ætate id decretũ à Rege eſſet reſciſſum. Quod vnũ ſupererat, Catharina Princeps vna maxime, Henrici cupiditati obſiſtebat, negans eum virum paſſuram, qui armis & immanitate extorqueret, quod officiis & beneuolentia erat impetrandum. victa tamen ſiue imbecillitas, ſiue inconſtantia. nuptiæ Talaueræ in Carpetanis, quo abs Rege Abula itum eſt, principali apparatu celebratæ ſunt. dos dicta Villenę principatus Ducis nomine. Aluaro Lunę aulicorũ principi pro nauata opera Gormatium oppidum dono datum: qui illi gradus ad ſupremã potentiam fuit, pareſq; opes. Salmanticæ D. Bartholomęi collegiũ extruebatur, impenſa Dieghi Anaiæ, (qui ipſo Conſtantienſis concilii tẽpore Conchenſem eccleſiã Hiſpalenſi mutarat) amplius vectigalibus attributis, vnde collegę idoneo numero vitã ſuſtentarent. ad exemplar Bononiẽſis collegii, quod ab Egidio Cardinali, Hiſpanis iuuenib. litteris informandis cõſtitutũ, Italica peregrinatione pręſens erat contẽplatus. Anaię exemplũ ęmulati viri principes tota Hiſpania multa domicilia litteris ædificarunt annis conſequentibus (vnde veluti ex arce ſapientiæ viri magno numero prodierunt in omni litterarum genere excellentes) maiora in ea vrbe tria, Valliſoleti quattũ, quintũ Compluti: minorũ numerus iniri vix poteſt. Vno tempore Aragoniis & Luſitanis ad noua imperia aditũ ſuperi aperiebãt. Henricus Luſitani filius ex aſtrorũ cognitione, in qua magnã vitę partẽ conſumpſerat, ſuſpicatus eſt in Oceani maris vaſtitate ad nouas inſulas nouaſq; gentes curſum patere. miſſis claſſibus tentatũ, ſi quod operæ pretiũ exiſteret. Oliſiponẽ inter & Fortunatas inſulas, medio propemodũ interuallo, inſula hoc anno reperta, anguſta quidem ſpatiis, cæterũ eximia cæli ſoliq; bonitate: vti condenſæ ſyluæ indicio erant, cęduaq; materia: vnde inſulę Maderæ nomen eſt factũ. Ab hoc principio extima Africę littora lecta: atq; ad vltimas orientis Solis oras, Aſiã, Indos, Sinas, inuicta virtute à poſteris penetratũ eſt, ingenti gloria nominis Luſitani, pari prouentu. Ioannam Reginã Neapolitanã Ludouicus Andegauenſis intra Neapolim obſidebat. belli cauſæ, ducta ex antiquo cum ea regia inimicitia, Reginæ ipſius non ſatis tectæ libidines: quas Iacobus vir cum ſanare non poſſet, in Galliã abierat: vbi aliquanto poſt tempore principali vita abdicata, atq; in cucullati ſacerdotis morẽ detonſus, Franciſcanis monachis ſeſe adiũxit. Ludouici adiutor pręcipuus Sfortia, magni nominis ea tẽpeſtate Dux, Braccii obtrectatione in quẽ erat Regina propẽſior. prope res erat cõfecta, cũ Alfonſus Aragonius rex eo nomine V. excellenti virtutũ indole, recenſq; Sardinia domita, pacataq; clariſſimus, in auxilium

auxiliũ eſt euocatus, regni Neapolitani ſpe obiecta, ex adoptione Regina quoniã alia prole carebat. occaſionẽ ille amplificandi imperii, quę vltro offerebatur, nõ prętermiſit. Aragonia claſſe è Sardinia miſſa, Neapolitana obſidio diſſipata eſt. operę pręmiũ fuit, in conuentu Principum adoptionis tabulæ recitatæ ad X V I. Kal. Octob. quam Romanus Pontifex aliquanto poſt tempore ratam habuit. nihil diſputo de iure. magis diſputatio facilis eſt, quã neceſſaria. Ab hoc certe principio diuturna bella atq; internecina Gallis & Hiſpanis nata ſunt, alia ex aliis ad noſtrã ætatem nexa. Alfonſus Sardinia ſubdita, Corſicaq; Genuenſibus occupanda relicta, in Siciliã maturauit: Panormumq; tenuit, ſublata mora, ſpeiq; inſiſtens noui regni confirmandi. eo ardentiori curã; q, ante quintũ annum inſpectis aſtris, aut occultiore arte Mathematicus: Cælũ, dixerat, Alfonſe Rex magna & mirabilia portendit. ad imperiũ Neapolitanũ te fata vocant, breue primum, ne terrearis, neu demittas animũ. Datur tibi certa ſedes, ingentes opes, multũ hominũ. Ad regnũ reuocato, tantũ copiarum accedet vt vel venatoribus, etiã opimi principatus obuenturi ſint. Deo fretus perge, qua tua te fortuna vocat. certus omnia proſpere caſura, atq; ex animi ſententia præclare.

Henricus Aragonius captus. CAP. XII.

NON reſtitere in vno gradu Caſtellæ motus, calamitateſq; graues, à paruis quamuis initiis concitatæ, Regi ſuper inſitam animo ignauiam ablata libertate, ciuili ex ea re diſcordia. Talaueræ curia erat, vti ante dictũ eſt. Rex quaſi animo curis vacuo, ſeſe venatione oblectabat. ea ſpecie ad III. Kal. Decemb. oppido egreſſus, Montalbanũ fuga abiit: arcem tumulo terreo impoſitam, Talauerã inter & Toletũ, medio ferme ſpatio, Tago amne præter fluente, ſubiecti agri præcipua bonitate. fugę ſuaſor, comeſq; Aluarus Luna, iam tunc Regis potens. ægre id tulit Henricus, memor patrati facinoris, atq; ex cõſcientia digna metuens. noua audacia raptim contractis copiis Montalbanum obſeſſa: ab impugnatione tamen ceſſatum. id vnũ Regis circumſeſſi quamuis, reuerentiæ datum eſt. fiebat concurſus procerũ, ad eam iniuriã vindicandam, Toletani Præſulis, Ioannis Aragonii, Henrici maris Præfecti. ſed par periculũ proponebatur, vtrauis parte victrice. interim in arce annonę anguſtia erat, iumenta, equiq; profana fœdaq; in cibos verſa. X. Idus Decemb. ſoluta obſidio eſt. Henricus Occaniam abiit, ſuæ ditionis validum municipium, armis defendere bellum paratus. Regi Talaueram repetenti Ioannes, Petruſq; Aragonii fratres occurrunt. ſalutant inter ſe. Henrici audaciã accuſant. ad arcem Villalbam Montalbano vicinã, conuiuio regio excepti. fallacibus blanditiis vtrinq; certatum. retro inde redire iuſſi. Aluarus Luna etiam conſilii auctor, ſolus ad ſummã potentiam euadere ſatagens: vnde maiori impetu præcipitaret. Verſus ex eo reipublicæ ſtatus, fortunaq; partium immutata. Talaueram ſe Rex contulit, in eo municipio natalem Chriſti diem celebraturus, ineunte anno 1421. mox in 1421. Vlteriorem Caſtellam itum eſt, vbi maiora præſidia erant, magiſq; ſynceræ prouincialium voluntates. Henrico Aragonio Villenę principatus attributus erat, dotis nomine, vti paulò ante dictũ eſt, magna tamẽ obtrectatione, inuidiaq; incolarum, negantiũ rata fore, quæ vi extorta eſſent. Contra leges & inſtituta priorum Regum eum principatum alienari nefas eſſe, recẽs pecunia redemptũ, ne in Aragonii Regis poteſtatẽ veniret. Quid aliud eſſet nobilem principatum in regni cõfinibus Henrico tradere, quam publicam ſalutem prodere Aragoniis aditum in Caſtellam patefacere? A verborum diſceptatione, ventum ad arma. Henricus pręceps natura, cui audacia potius conſilia, quam moderata placerent, miſſa militari manu, omnia oppida occupauit, vno excepto Alarconio, quod loci firmitate defenſum eſt. nunc iuſſo diſcedere ab armis, copiaſq; dimittere, neq; obtemperanti, is principatus regio edicto, viribuſq; detractus. abrogatum præterea, quod de D. Iacobi ditione erat conceſſum, vt hæreditaria eſſet. hæc initia magna rerũ moles eſt inſecuta. Henricus enim iniuriæ dolore percitus, Occania diſcedens, ad Regẽ feſtinare conſtituit, mille & quingẽtos equites ſecum ducens, præſidii cauſa. Guadarramam ventum. montes ſuperati: atq; in ipſum Regis conſpectũ, qui ſeſe Areuali tenebat, penetratũ. periculũ erat, ne ad pugnã procederetur. Eleonora Regina, de Henrici filii ſalute ſolicita, vltro citroq; cõmeando, impẽdentem tempeſtatẽ depellere conata eſt. idem facit Lupus Mendoza Compoſtellanus Epiſcopus. Perſuaſum Henrico vti copias dimitteret. peſſimi exempli rem eſſe dictitantibus armis extorquere velle, quod legibus & æquitate poſſet. Arma tenenti, quid dari poſſe? cũ potius maieſtatis crimine teneretur. deponenti omnia ex ſententia obuentura. Regum patientiam exacerbare, paucis impune fuiſſe. tardos impetus habere, ſed vehementes, exitialeſq;. ſic in præſenti diſceſſum ab armis. Blanca Vaſconis Regis filia, ad quartum Kalendas Iunii, filiũ viro peperit, cui Carolo, de aui appellatione, nomen fuit. Caſtellę eũ Rex de ſacro fontę ſuſcepit, ſocio adhibito Aluaro Luna, cui eũ honorẽ haberi voluit. nihil tũc im-

modicũ videbatur, creſcẽte hominis gratia. Regni conuentus Toletum prius deinde Madritum indicti. eo conſilio in Citeriorem Caſtellam profecti Rex & Regina Toletum peruenerunt, ad X. Kal. Nouemb. Henricus Aragonius, Daualus Magiſter equitum, Petrus Manricus Antelatus ad eos conuentus euocati ſimultates excuſabant, quæ illis cum viris principibus erant. Inter Alfonſum Aragonium, & Ludouicum Andegauenſem de regno Neapolitano graue certamẽ erat. Alfonſus ſeſe Neapoli tenebat: Auerſam locis vicinã obtinebant Galli. vtrinq; in alteros excurſiones factæ. Cerra quarto ab vrbe Neapoli lapide Aragoniis copiis circumſeſſa, loci munitione, præſidiiq; virtute defenſa diu, dedita tandẽ Alfonſo eſt. Petrus Aragonius & fratris litteris, & ſua ſponte incitatus, Rege Caſtellę cõce-
1422. dente, ad id bellum profectus abiit, principio anni 1422. Quo tempore Madriti generales conuentus agebantur. aderat Ioannes Aragonius, aliiq; viri principes magno numero. Toletanus Præſul valetudine impeditus, adeſſe non potuit. Henricus & ſocii, cum vis à Rege pararetur, niſi ad cõuentus accederent, conſilio inter ſe cõmunicato, vt Henricus & Garſias Manricus irent: Daualus, atq; Petrus Manricus reſiſterẽt, ſeſeq; locis tutis tenerẽt, inter ſe decreuerunt. Idibus Iunii, Henricus, Garſiaſq; Madriti præſto fuerũt. exceptis hoſpitio, atq; liberaliter habitis, proxima luce cum Regẽ ſalutaturi in arcẽ eius accitu acceſſiſſent, vincula iniecta ſunt. Henrici cuſtodiendi cura Garſię Toleto Oropeſiæ regulo demandata. Moræ arx cuſtodiæ deſignata. Vrgelitanus Comes, qui à ſuperioribus annis in ea arce ſeruabatur, Madritum translatus eſt. In cõuentu maieſtatis lege poſtulati ſunt, quaſi conſilia prodendæ reipublicę cum Mauris perpetuis Chriſtiani nominis hoſtibus cõmunicaſſent. quatuordecim epiſtolę Magiſtri equitum ad Iuzephum Regẽ in eam ſententiã productæ, recitatęq;. Atrox id crimẽ viſum eſt. Henrici, Garſięq; bona iudicũ ſententia publicata. idem ſancitũ de Petro Manrico, qui ad eius rei famã Turiaſonẽ abierat, atq; de Daualo Magiſtro equitum, qui rebus deſperatis cũ Catharina Henrici vxore, Segurã prius locis præruptis in Conteſtanis ſitum oppidũ, arduumq; aſcenſu, ſe contulit: deinde in Valentinos fines dilapſus fuga eſt, ampla ditione relicta, quã in Caſtella obtinebat, Arcobriga, Ariona, Oſorno, & Ribadeo, Candeleda, Arenis, aliiſq; oppidis magno numero. vnde Daualorum familia ex magnis diuitiis, magnaq; potentia, in pręceps abire cœpit. ex aliena ruina, vt fit, creuere alii, Fagiardi, Henrici, Sandoualii, Pimentelii, Stunicæ. Suſpicio fuit eas epiſtolas confictas fuiſſe: & magni auctores teſtantur, Ioannẽ Garſiam, qui Daualo à cõmentariis erat, quęſtione tormẽtis habita, eas ſe cõpoſuiſſe cõfeſſum: ſed id ſuppreſſum quoniã Regis intererat, & procerũ aliorum. & de cõfeſſo tamẽ, tanquã de conuicto rerũ capitaliũ, vti alio loco monſtrabimus, ſuppliciũ ſumptũ. certe Aluarus Luna Magiſter equitũ in Dauali locũ ſuffectus eſt. Gonſaluus Meſſias D. Iacobi militiæ pro Magiſtro moderator, cum libera decernendi poteſtate creatus. Tantis rebus vno tempore perfectis, Complutũ Rex abiit. quo tẽpore filia illi Illeſcis nata eſt ex vxore, tertio Nonas Octob. cui Catharinæ nomen eſt inditum. explorata Reginę fœcunditas, ſpes maſculę prolis, puellęq; ortus vniuerſam prouinciã lætitia, & gratulatione compleuit. quã Toletani Præſulis obitus breui conſecutus, nonnihil conturbauit. Compluti ad XII. Kal. Nouemb. ex diuturno morbo cõſumptus eſt. ſepulchrũ marmoreũ in D. Petri templi maximi Toletani ſacello, quod eius impenſa erat extructũ, eleganti opere cernitur. In defuncti locũ Ioannes Contrerius Toletanus Decanus, patria Riacenſis cooptatus à collegio, Romam continuo abiit, vt electionem Martino Pontifici probaret, vti erat more ſuſceptum. biennium ferme eundo, redeundoque conſumptum.

Rex Maurus obiit CAP. XIII.

TOLETI, quo Rex Caſtellę ſoluto procerum conuentu quam primum abiit, reipublicæ forma immutata eſt perturbatę antea, & partium diſſidiis obnoxiæ. ſex Ædiles biennes creari conſueuerant; ex plebe terni; totidem ex nobilitate. hi duobus prætoribus & lictorum duci coniuncti, quadam ſenatus imagine res communes gubernabant. admittebantur è Patriciis alii quicunque intereſſe vellent, cum iure ſuffragii: quæ magna peruerſio erat, ſenatoribus partim incertis, partim temporariis. vtrunque nouo Regis edicto procuratum: ſancitumque vt quod Burgenſibus datum erat ab Alfonſo Regis tritauo, ſedecim ſenatores; pari è nobilitate atque populo numero, Toleti eſſent, proprii dum vita maneret. quod eorum maior pars decreuiſſet, id ius faſque eſſet. in defunctorum locum Regis nominatione ſuccederent alii. Vnde is magiſtratus venalis eſſe cœpit. ſic plerunq; in contrarium vertuntur, quę à ſano principio ſuſcepta erant. Maiori cauſa aliquanto poſt Pompelone regiminis ratio correcta eſt, in tres prętores antea diuiſi, qui totidẽ vrbis partibus iura dabant: ſuburbio, ciuitati, atq; illi vrbis regioni cui Nauarrerię nomẽ erat; magna ſępe partiũ cõtentione, qualẽ in multiplici imperio fuiſſe fides eſt. annu' ꝑtor iuridi

cundo à Carolo Vaſconũ Rege conſtitutus eſt, adiunctis ſenatorib. decẽ, commoda publica iuratis, vniuerſiſq; ciuibus reuocatis in vnũ reipublicę corpus. Ioanni Comiti Fuxenſi, Gaſto filius ex vxore natus eſt: cui cũ ætate mirabili rerũ humanarũ varietate ad regnum Vaſconum aditus eſt patefactus cõſequentibus annis Carolo extincto, quẽ in auiti imperii ſpem ex Blanca Ioannes Aragonius ſuſceperat: miſeratq; cũ matre ad Regẽ auum. Vianæ is Princeps continuo eſt renunciatus, multis aliis municipiis adiunctis, ac nominatim Corella, Peraltaq;, nouo in Vaſconibus exemplo, ex imitatione tamen finitimarũ gentium, vt is principatus Regũ maioribus filiis legitimus eſſet ſancitũ, lege in perpetuũ lata ad tertiũdecimum Kal. Febr. eius ſeculi anno 23. quinto poſt menſe agente auo, in infantis verba à 1423. cunctis regni ordinibus iuratũ Oliti, vbi ſe Rex ingraueſcente extremaq; adeo ætate multus teneri conſueuerat, locorũ amœnitate palatiiq;, quod extruxerat, elegantia & magnificentia inuitatus. Rex Caſtellæ identidẽ in minori etiam ætate, à Luſitano fuerat per legatos de fœdere, paceq; appellatus. diuturnis calamitatibus vtranq; gentem vexatam, finem malis, aut modum eſſe debere. nunc hactenus Luſitani poſtulatis datũ, vt induciæ nouem & viginti annorũ eſſent: cautumq; ne alterutri in alteros eo decurſo tempore arma ſumerent, niſi bello per feciales ante annũ & dimidium denunciato. Eæ inducię voce præconis Abulæ, vbi Caſtellæ Rex erat, promulgatæ magnã genti lætitiã pepererũt. pro diuino munere ad omnia templa ſupplicationes habitę. inter proceres ludis, conuiuiis, comitateque certatum. ludicrum militare commiſſum. Ferdinandus Caſtrius Luſitani legatus, equo regio, & paludamento inſignis, dum cæteros ad certamẽ prouocat, pleriſq; experiri detrectantibus, à Roderico Mendoza, Ioannis Mendozæ filio, primo ictu ad terram proſtratus, magnum vitæ periculũ adiit. afflicto Rex omnem humanitatẽ exhibuit: reſtitutumq;, atq; magnifice donatũ, remiſit in patriã. Inter Caſtellæ, & Aragoniæ Reges legationes repetitę. Mendoza Almaſani regulus Neapoli Henrici Principis capti cauſas explicaret: Catharinã eius coniugẽ Daualum Magiſtrum equitum, perfugas alios reddi poſtularat. noui de vtraq; re legati ab Aragonio, ad Caſtellæ Regẽ miſſi. legationis princeps Dalmatius Tarraconenſis Præſul. Leges Aragoniæ excuſatæ, nefaſq; vlli eſſe, ad eius gentis pręſidium confugientib. patrociniũ denegare: fidem publicã, qua confiſi venerant, violare cõtra ius gentiũ fore. Præterea explicatũ, quo in ſtatu res Neapolitanæ eſſent. ſuſpiciones inter Reginã & filiũ multiplices exortas. vrbes & oppida in partes ſciſſa. ex ſummo cõuerti fortunã Aragoniorũ cœpiſſe. periculũ eſſe ne veniretur ad manus. Alfonſum Regina querebatur, plus ſibi auctoritatis rebus gerendis arrogare, q̃ pro cõceſſa poteſtate. dare pręfecturas, mutare præſidia, milites in ipſius verba ſacramento adigere. leges, gentis inſtituta, moreſq; immutare, atq; peruertere. Hæc illa in Alfonſo accuſabat, vario & mutabili ingenio fœmina: cui tædium pręſentia fecerat, in timore benigna, poſt victoriã ingrata, vitio prauitatis humanę. Alfonſus Reginæ imbecillitatẽ animi verebatur, & male cautos amores non ferebat. eam procul ab vrbe Neapoli in Catalaunos ſubmouere cogitabat. eo conſilio claſſem in Hiſpania inſtrui mandauit. id non fefellit mulierem ſeu per ſe ſuſpicacem: ſeu quia in domeſtico diſſidio occulti quicquã eſſe non poterat. Ex eo tempore parum ſancta ſocietas inter vtranq; gentẽ eſſe. vtrinq; querimonias iactari, vtroſq; ſe inſidiis petitos accuſare, neutros falſo. Rex ſe in arcẽ noua tenere, Regina ad portam Capuanam, loco, arcis inſtar firmiſſimæ, munito. Duæ factiones Neapoli exortæ, Aragoniorum & Andegauenſium, nomina genti inuidioſa noſtra etiam & parentum ętate. Simulat Rex valetudinem. Ioannes Caracciolus Seneſcalus maiori apud Reginam gratia, & auctoritate, quam honeſtum eſſet, inuiſendi cauſa accedens capitur: mox ad portam Capuanam aduolatur. portis clauſis ponteq; ſublato, vitatum periculum, Alfonſuſq; repulſus eſt. ſagittis, & miſſilibus pugnatum, non abſq; Regis periculo. ab iis initiis ventum ad manus, diuiſaq; ſtudiis ciuitate, in ipſis plateis acie dimicatum eſt. melior initio fortuna partis Aragoniæ fuit. vrbe in poteſtatẽ redacta, direptaq;, atq; incenſa magna ex parte, arx vbi Regina erat circumſeſſa: ſupremoq; conatu impugnata, loci firmitate, præſidiiq; fide ſtetit. præſto tum Reginæ affuit Sfortia è propinquo, vbi caſtra habebat, auxilio euocatus, tum Alfonſo è Sicilia Bernardus Cabrera, è Catalaunis claſſis, in qua duę & viginti roſtratæ naues, octo onerariæ erant. Ea claſſis ad quartum Idus Iunias Neapolim appulſa Aragonias vires, quæ labare cœperant, cõfirmauit. denuo intra vrbem dimicatũ. nouę cędes, nouæ direptiones factæ. Regina Auerſam deducta. proſequebatur Sfortia cum præſidio militari, ad quinq; millia ciues ſua ſtudia profeſſi: captiuorum permutatio facta: Caraccioluſq; redditus libertati. Ventum ad extremũ. Regina Alfonſi adoptionem, vt ingrati animi reſcindit Nolæ ad vndecimum Kal. Iulii. Ludouicum Andegauẽſem tertium eo nomine, ſecundi filium, Roma euocatũ, in eius locũ ſubſtituit, ac Calabriæ Ducem renunciat: qui principatus regni deſtinatis hęredib. dari con-

ſueuit. auctores cõſilii, Sfortia Caracciolusq́. paruis momentis magnæ inclinationes fiunt, in omni reipublicę parte, in bello ciuili maximę, quod opinione hominum, famaq; gubernatur. fortuna Aragoniæ partis ex eo conuerſa, immutataq;. Braccius quem Sfortiæ opponeret, ab Alfonſo accerſitur è Veſtinis vbi Aquilam obſidebat. venire ille recuſauit. ſeu diffidentia victoriæ, ſeu ſpe eius vrbis occupandæ, totiusque vicini tractus. ergo Alfonſus neceſſario in Hiſpaniam nauigare conſtituit, æger mora, impatienſq;, ad noua belli ſubſidia colligenda: tametſi alia ſpecies erat, Henrici fratris à vinculis eximendi. Petrus alter Alfonſi frater, rebus, bello, paceq; præfectus, ad quẽ ſumma imperii rediret. Iacobus Caldora, aliiq; ex vtraq; gente Duces adiuncti. Caietæ priuatim Antonius Luna Præpoſitus, filius Artaldi Lunę Calatabelotę Comitis. Quo tempore Regi Caſtellę, Placentiæ, Talaueræ, atq; Madriti agros, & oppida obeunti, filia altera ex vxore nata eſt, ad quartũ Idus Sept. cui Eleonoræ nomen eſt inditum. Rex Maurus Iuzephus Granatæ deceſſit, anno Arabum octingenteſimo vigeſimo ſexto. ſucceſſit Mahomad filius regno tertium ablato, & perpetuis calamitatibus, quam alia re geſta nobilior futurus. Regis Caſtellæ amicitiam publice coluit initio: Muleium Tunetanum Regem magnis officiis deuinxit. prouidus barbarus aduerſus externam vim, ſi ab alterutra gente ingrueret, perfugiũ apud alteros parare ſatagebat. præſidium, quod in ciuium beneuolentia firmiſſimum eſt, parare non potuit, læuus manu, vnde illi cognomen, læuus conſilio, ſiniſtra fortuna.

Henricus Aragonius liberatur. CAP. XIIII.

PETRVS Luna, cui in Pontificum diſſidio, Benedicto tertiodecimo nomen fuit, Peniſulæ, vbi ſe tenebat loci munitione pontificium nomen retinens deceſſerat ad decimum Kal. Iunias, ipſo Pentecoſtis feſto die, ætate grauis, atq; adeo nonagenarius. quod miraculi inſtar fuit in tanta rerum varietate, tantiſq; procellis, tandiu produxiſſe vitam: corpus in eius arcis templo compoſitum funere tranſlatitio. Ludouicus Panſanus ciuis Hiſpalenſis, atq; è familia Alfonſi Carrillii Cardinalis ſancti Euſtachii, pro certo affirmat in proprio cõmentario, Benedictum veneno fuiſſe peremptũ, infectis nebulis dulciariis, quibus in ſecundis menſis libenter veſcebatur, à Thoma monacho, quo is multum & familiariter vtebatur de confeſſo, atq; conuicto ſumptum ſupplicium, corpore in quatuor conſcerpto partes. Conſilii auctorẽ Cardinalem Piſanum ad capiendũ Benedictum in Aragoniam legatum, Dertuſa vbi ſe tenebat operi intentus, aufugiſſe metu Roderici, Aluariq;, patrui Benedicti indignam cædem vlciſci parantium, Legati haud dubium capite: niſi celeriter Hiſpanię finib. diſceſſiſſet, re ex ſententia patrata, neq; diſſidio tamẽ compoſito. Nam duorũ, qui ſupererãt, Cardinaliũ nominatione Egidius Munotius Barcinonẽſis Canonicus, in defuncti locũ ſuffectus eſt. Vile erat ac nihili, q; ad eas ſordes abiiciebatur. & ipſum nutãtem, atq; aduerſus cõſenſum orbis terrarũ oblatum honorẽ, ſuſcipere recuſantẽ, Alfonſus Aragonius Rex confirmaſſe fertur, ineundiq; Pontificatus auctorẽ extitiſſe, Clementis VIII. nomine nimirũ Martino Pontifici ægre facere cupiebat, ad Andegauẽſes propẽſo, ab Aragoniis reb. aduerſo: qui Ludouicũ Andegauenſem antea Regẽ Neapolitanũ, Romanęque eccleſiæ beneficiariũ nuncuparat: & nuper abdicatam à Ioanna Regina Alfonſi adoptionẽ probaſſe videbatur, vireſq; contra illũ, & conſilia participaſſe. Ex decreto cõcilii Conſtantienſis cõuentus Papię Epiſcoporũ haberi cœptus, Senas Hetruriæ nobilẽ ciuitatẽ, propter vim peſtis graſſantem tranſlatus. eo vndiq; Epiſcopi & oratores miſſi. ſuos etiam miſit Alfonſus: mandauitq;, vti Benedicti cauſam diligenter agerent: ereptiq; per iniuriam pontificatus, litẽ intenderent. abſterruit ea mentio Martinũ: ſtudiaq; reſtinxit in Andegauenſes concitata. feſtinanterq; ſoluto conuentu, atq; in tẽpus aliud reiecto, Epiſcopos, & oratores diſcedere iuſſit, veritus ne renaſcente diſſidio, nouis difficultatib. orbis Chriſtianus implicaretur. Interfuit conuentui Ioannes Contrerius Toletanus, Primatis nomine Archiepiſcoporũ primus Martini Pontif. cõceſſu, vti gemina eius diplomata indicio ſunt: quorũ exempla adſcribimus, inter Toletani tẽpli ſchedas forte ab amico reperta. »Cũ Patriarchę & Primates vnũ ſint, & ſolũ nomine differant, dignũ cenſemus & debitũ vt eiſdẽ honoribus etiã potiantur. Hinc eſt quod nos de venerabiliũ fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio, cuiusvis ambiguitatis ſuper hoc ortæ, vel orituræ dubiũ tollere volentes auctoritate apoſtolica tenore pręſentiũ declaramus, venerabilem fratrem noſtrũ Ioannẽ Archiepiſcopum Toletanũ, qui Hiſpaniarũ Primas eſt, eiuſq; ſucceſſores Archiepiſcopos Toletanos, in Capella noſtra, conciliis generalib. ſeſſionibus, conſiſtoriis, & locis aliis quibuslibet tam publicis, q̃ priuatis, quoſcunq; ſedis Apoſtolicę notarios & alios Archiepiſcopos non Primates, etiã ſi ętate & ꝓmotione priores fuerint, ꝓcedere debere, quemadmodũ venerabiles fratres noſtri Patriarchę illos hactenus ꝓceſſerunt & pręcedũt. volẽtes & eadẽ aucto-

ritate

ritate ſtatuẽtes, vt idẽ Ioannes Archiepiſcopus & ſucceſſores ſui, ac quicunq; alii primates,
Notariis, & aliis Archiepiſcopis nõ Primatib. prędictis in Capella, cõciliis, ſeſſionibus, cõ-
ſiſtoriis & locis huiuſmodi de cętero perpetuis futuris tẽporib. ad inſtar Patriarcharũ prę-
dictorũ præponantur & præferantur ætate & primæuis promotionibus Archiepiſcoporũ
non Primatum huiuſmodi, cæteriſq; contrariis non obſtantibus quibuſcunq;. Hoc primi
diplomatis exemplũ eſt. alterius ſubiicimus. Quamquã venerabiles fratres noſtri Archie-
piſcopi & Prælati in generali concilio cõſtituti, pro ſtatu proſpero vniuerſalis eccleſiæ atq;
noſtro & conſeruatione libertatis eccleſiaſticæ, curis, vigiliis laborare, & diligenter inten-
dere teneantur: tu tamẽ quem Hiſpaniarũ Primatẽ eſſe tenemus & aſſerimus: & propter-
ea quemadmodũ iam pridẽ in noſtra curia experientia docuit: dilectis filiis noſtris & A-
poſtolicæ ſedis notariis, qui prælatis aliis præferuntur, præferebaris: ſicut in concilio eiuſq;
ſeſſionibus & aliis locis publicis præferaris: eo debes feruentius animari & vigilantius in-
tendere ad omnia concernentia ſtatum catholicæ eccleſiæ atq; noſtrum: quo propter hu-
iuſmodi primatiã excellentiori titulo dignitatis fore dignoſceris inſignitus. Quocirca fra-
ternitatẽ tuam, quam fide feruentẽ & in bene gerendis rebus dicti concilii circumſpectam
eſſe non dubitamus, requirimus & hortamur: vt cum Hiſpaniarũ Primas exiſtas, ſicut pru-
denter agis iuxta datã tibi à Domino ſapientiã, illa omnia in eodem cõcilio circunſpicias,
cõſulas & prouideas: quæ pro felice ſtatu Romanæ eccleſiæ honoreq; noſtro & Apoſtoli-
cæ ſedis tibi neceſſaria, vel vtilia videbuntur: & quæ ad laudem Dei & pacem Chriſti fide-
lium noueris pertinere. Datum Romæ apud ſanctum Petrum nonis Ianuarii, pontificatus
noſtri anno ſeptimo. Hæc ante. Nunc Alfonſus in conſilio perſtans in Hiſpaniã nauigan-
di, conſcenſa claſſe, in qua triremes decẽ & octo erant, onerariæ duodecim, Neapoli ſoluit
Octobri menſe dimidiato. Iniquũ anni tempus erat. Itaq; coortis tempeſtatibus diſiectæ
in varia loca naues, correcto tandẽ curſu, Maſſiliã tenuerunt, vrbẽ in ora Phocæenſis Pro-
uinciæ nobilem, celebrem portu, & Andegauẽſium imperio parentẽ ea tempeſtate. ruptis
catenis penetratũ in portum eſt. pugnatum acriter mari, terraq; ad multam diem. noctis ſu-
peruentu Cardonæ Comes Folchius abſtinendũ certamine iudicabat: certa pericula eſ-
ſe, ignotas vrbis plateas, intus hoſtes, & cuncta inſidiis opportuna: ne ſi pateant quidẽ por-
tæ, niſi explorato, niſi luce intrandum negare. Contra Ioannes Corbera inſtandũ perculſis
diſputabat: neq; dandum ſpacium, quo vires, animoſq; colligerent. Hæc placuit Regi ſen-
tentia. certamen inſtauratum. magno impetu in vrbem irrumpitur. multum audaciæ per
tenebras irrumpentibus fuit: magna rapiendi ſcelerumq; licentia. Illud religioſe: fœminæ
incolumes conſeruatæ, quæ ad Diuorum templa confugerant: ac ne res quidẽ quas detu-
lerant ablatę vtrunq; Regis edicto. Vrbe relicta, prędaq; in naues impoſita, fine anni diſceſ-
ſum. D. Ludouici Epiſcopi Toloſani Carolo II. Rege Neapolitano geniti oſſa Valentiam
in Edetanis delata: quo ſe Rex confecta nauigatione retulit, aliis vitatis ciuitatibus: quo
vicinior Caſtellę, de Henrici fratris liberatione ageret. Cognito eius aduẽtu Caſtellæ Rex
legatos mittit, principio anni milleſimi quadringẽteſimi vigeſimi quarti, qui redditũ patrię 1424
partaſq; victorias gratularentur. deinde reſtitui perfugas atq; ad iudicium dedi, de quo tan-
diu fuerat contentio, nouo conatu poſtularent. hi legati Valentiæ auditi ad tertium No-
nas Aprilis. Quo tempore res Aragoniæ Neapoli quidem vehementer inclinauerant: ac
penitus oppreſſæ erant, Sfortia quamuis tanti nominis Duce, dum Aquilę obſidionem diſ-
ſipare contendit, à Braccio circumſeſſæ Aterni fluminis hibernis imbribus inflati, in tranſ-
itu extincto ipſis Ianuarii Nonis. Tenue id leuamen erat Franciſco Sfortia idonea iam æta-
te paternas partes implenti. Acceſſere externæ vires. Martinus Romanus Pontifex atque
Philippus Mediol. Dux Pontificis opera partibus conciliatus. ab eo Genuæ idonea claſſis
inſtructa, miſſaq; Duce Guidone Taurello. affuere copiæ terreſtres. Caieta momẽto tem-
poris capta, miſſo per cõditiones Aragonio præſidio. vis admota Neapolim. venientib. Ia-
cobus Caldora vrbis pręſidio Pręfectus, cũ ijs cõſilio cõmunicato, pactuſq; ſtipendiũ, quod
ab Aragoniis debebatur, vltro portas aperuit. inſidias vitę ſuę à Petro Principe cõparatas fa-
cto prætendebat: cũ pro ingenio, infidus eſſet, mobili animo, auidus rerum nouarũ. Pridie
Idus Aprilis amiſſa Neapolis, duabus tantũ arcibus retentis, Noua atq; ea, cui ab Ouo no-
men eſt mari circunfuſæ, exiguę quidẽ anguſtęq; ſpaciis, firmiſſimę tamen. Neapoli capta,
cætera victori prona erant. vrbes & oppida certatim deditionem facere. Id ægre Aragoniũ
Regem habuit, importunis Caſtellæ Regis actionibus, grauiſſimam plagam acceptam. fla-
grabat vindictæ cupiditate: ſed omnia tamẽ tentare conſtituit, priuſquã bellum attingeret.
rurſus Dalmatius Pręſul legatus Ocaniæ dato ſenatu ſui Regis mãdata corã Caſtellæ Rege
explicuit. Debere eũ ęquitate poſtulati tandẽ, ſin minus Henrici propinquitate, fraterniſq;
precibus moueri. Si quid peccatũ erat, ſatis pœnarum diuturnis vinculis datũ. Sibi pręiu-

dicatum eſſe, niſi fratre liberato, cauſam non deſerere. Tibi, inquit, Rex maxime conſiderandũ, ne priuatis tuorum cupiditatibus indulgendo, vtranq; gentem nouis obiicias calamitatib. ſi ventũ erit ad manus. Erant in Caſtellę regia pleriq; gratia, auaritia, timoreq; deprauati: ne Henrico liberato, ſuſcepti eo capiendo conſilii pœnas luerent, bonaq; exulum eriperentur, contactu alienę ditionis cõtaminati. horum ſtudiis fauebant alii. ante omnes Aluarus Luna nimia gratia potentiaq; ferox, ſatis magnũ fructum ratus, ſi præſentibus frueretur, neq; longius conſpectũ intendens. his impedientib. nihil effectũ: ac ne impetratum quidem, vt inter ſe Reges colloquerentur. Dimiſſis Aragoniis legatis, Caſtellę Rex Burgos abiit: quo tempore Auguſti die decimo, Catharina eius filia Madrigale extincta in Vaccęis eſt. Corpus Olgis ſepultum. is mœror breui noua lętitia & maxima mutatus eſt. Vallisoleti
1425. Henricus infans ex Regina natus eſt, ipſis Ianuarii Nonis, inchoãte eius ſeculi anno 25. Infanti de ſacro fonte ſuſceptores à patre Rege adhibiti. Henricus maris præfectus, Aluarus Luna, Dieghus Sandoualius Antelatus Caſtellę cũ vxoribus. Menſe Aprili in infantis verba cuncti ordines ſacramento adacti, poſt patrem Regem futurum. Aragonius Cæſarauguſtę bellũ omni conatu comparare: militum, equorum, armorũ apparatu prouinciæ ſtrepere. de eo bello defendendo Vallisoleti deliberatio ſuſcepta eſt. varię dictę ſententię. pars continuo decernebat bellũ, procaci ore, in ipſo conflictu ignaui. alii cautiores omni ratione tempeſtatẽ eam procurandã iudicabant: ac niſi neceſſario ad manus venire recuſabant. Regis ſententia anceps erat, neq; quid optimũ factu foret, ſatis prouidebat animo. Carolus Rex Vaſconũ de eius controuerſię euentu ſolicitus, in quo ſalus publica vertebatur, legatis ad Caſtellæ Regẽ Petro Peralta regiæ Procuratore, & Falce, qui erat ipſi à commentariis, contentione pacanda ſuam operã pollicetur. Magna legatorũ diligentia rem propemodũ confectã, litteræ ab Aragonio allatę diſturbarunt, Ioannem fratrẽ ad ſe euocantis imperio, quaſi de rebus magnis deliberaturi. diſcedit ille inuitus (ſic videri voluit) impetrataq; abs Rege Caſtellę venia, dataq; poteſtate de tota controuerſia, quæ inter patrueles Reges erat, paciſcendi, in Aragoniã abiit. Erant ad Turiaſonẽ Aragonii Regis caſtra in Caſtellæ fines irrumpere parantis, niſi ſatis factũ eſſet, vſq; adeo in vindictã præcipitis, vt præ eo res Neapolitanas negligere videretur, vbi nouam plagam acceptã nuper eſſe nunciabatur: Braccio ad Aquilã prælio inſigni victo cæſoq; ad octauũ Kal. Iunias, Duce in paucis ea ætate nobili. Confidẽtia animi, hoſtiumq; contemptus exitiũ attulit. ad Aquilam, quã vrbem Braccius obſidebat, ancipiti pugna dimicatũ eſt, ductore pontificii exercitus Iacobo Caldora. Carrillii Cardinalis propinqui duo Ioannes, Sanctiuſq; victoriæ præcipuã laudem tulerũt, pręſtanti virtutũ indole iuuenes. Picenum etiam copiis pontificiis pręfecti, à Braccio ante occupatũ, mox eripuerunt. Interfecti Braccii corpus Romam delatum, quoniã à piorum numero exemptus erat, ad D. Laurentii pro foribus in loco profano ſepultum eſt. Inde Eugenio quarto Romano Pontifice Peruſiã translatũ, in nobiliſſimo ſepulcro rite condidit Nicolaus Fortebrachius: qui Roma capta eum honorẽ auunculi defuncti manibus habendũ curauit. Florentiæ in Hetruria Petrus Frias Hiſpaniæ Cardinalis deceſſit. corpus in Hiſpaniam relatum, Burgis in templo maximo tumuli honorẽ habet. ex obſcuro genere tenuiq; fortuna, conſpicua forma, induſtria, atq; dexteritas, Regũ gratia Henrici Ioanniſq; ad ampliſſimos honores euexit. mediocris ſtatura fuit: turpis vita auaritiæ ſordibus atq; libidine. accidit vt Burgis cum Segobienſi Epiſcopo Ioanne Tordeſilla rixaretur. eum Cardinalis è familia quidã fuſte eodẽ die dolauit. atrocis facinoris inuidia penes herum ſtetit, quamuis inſcium: vti is poſtmodũ eſt confeſſus, qui tetri facinoris patrator fuit. ſed expoſtulantib. tamẽ proceribus ſuperbiã hominis immodici & priſtinæ ſortis obliti edomandã, in Italiam Cardinalis abſcedere fuit cõpulſus. Pecunia cuius vim magnã ſtruxerat, abs Rege occupata. quæ præcipua cauſa extitit exilii maturandi. ſic pereunt male, perduntq; theſauri prauis ſtudiis quæſiti. viris ſacratis nullũ certius quam in pietate præſidium. an in exilio in quo vitæ reliquũ exegit mutarit, nil compertũ habebamus. Huius opus eſt Spegiæ monaſterium D. Hieronymi ordini conſtitutũ, magna iam incrementa in Hiſpania ſumenti. Ioannes Aragonius Turiaſone à Rege fratre benigne atq; ſplendide acceptus eſt. eo auctore dum de conditionibus diſceptatur, & plenior à Caſtellæ Rege, atq; proceribus decernẽdi poteſtas demandatur, flexo itinere in Vaſconũ fines ſine maleficio penetratũ: & ad Miraculũ oppidum Aragonia caſtra poſita ſunt æſtate iam exacta. Carolus Rex Vaſconum cognomento Nobilis Oliti extinctus eſt, repentina vi morbi deficiente anima, ſabbatho, ſexto Idus Sept. qui dies Virginis matris natali ſacer eſt. Corpus Pompelone in templum maximũ illatum. iuſta exequiarũ regio apparatu facta. Morienti patri Blanca eius accitu affuit, haud multo antea filiã ſibi cognominẽ enixa. ea continuo ad virum ſucceſſionis inſigne, vexillũ regium miſit. quo prælato in caſtris, Rex Vaſconũ proclamatus eſt, feſtinato vt quidã diſputabant:

cum

eũ Pompelone debuiſſet regni prius iura & immunitates iurare. ſed nimirũ Regũ voluntas pro iure ſæpe eſt: proceribus diſſimulantibus, multitudo curis vacua, & ſine falſi, veriq; diſcrimine adulationibus certat palam, neq; vltra verba quamuis offenſa progreditur. defuncti Regis manibus cum eſſet in caſtris parentatum, ad Regum controuerſiam conuerſi animi: reque diu & multum deliberata in ampliſſimo procerum è tribus gentibus conuentu ſententia pronunciata eſt: cuius hæc ſumma fuit. Henricum Principem vinculis continuo eximendum. Honores atq; ditionem omnem reſtituendam videri: adiiciendos etiam decurſi temporis reditus, qui penes ſequeſtrũ erant. tantundem de Petro Manrico exule mandatũ. Regi Caſtellæ & proceribus grauis ea ſententia viſa eſt. & nimirum natura cogebat, vt ſe Ioannes fratribus æquiorem præberet, neq; ineundæ concordiæ vlla ſpes erat, niſi liberato Henrico. quæ res Caſtellæ Regem & proceres mouit, vt ſentẽtiæ morem gererent. Henrici liberati nuncius intra diem & dimidium ad fratres perlatus eſt, vt conuenerat, fumo è turribus, atq; ſpeculis, quarum erat magnus numerus ſignificatione facta. Ergo Aragonię copię Turiaſonem reductæ, mox dimiſſæ in hiberna ſunt menſe Nouemb. Ioannes Aragonius Agredam eſt progreſſus, vt fratri obuius complexũ ferret: atq; ad Aragonium Regem Turiaſonem deduceret. nullus dies tribus fratribus iucundior illuxit, non modo Henrici libertate lætantibus, ſed etiã Caſtellæ proceribus terrore perdomitis: quod pulcherrimũ victorię genus eſt. Valentię per idem tempus Alfonſo Iuniore Gandiæ Duce ſine liberis defuncto ad tertium Kal. Decemb. Ripagorſæ principatus Ioanni Aragonio, Regi Vaſconum datus eſt. id præmium nauatæ operæ fuit, promiſſum antea, nunc præſtitum. A Ioanne Guſmanio Nieblæ Comite vxor Violantes Martini Regis Siculi filia, poſt diuturna diſſidia repudiata eſt: magno dolore Friderici Lunæ Comitis, ſororem regio ſanguine prognatam, nulla ſua culpa væſanos tantum ob mariti amores ludibrio haberi non ferentis. inde ſimultates graues exortę ſunt inter vtranq; familiam. Caſtellę proceres quoſcunq; Fridericus tentando opportunos inuenit, in partes attraxit.

Aluarus Luna è curia ablegatur. CAP. XV.

HENRICO Principe liberato, res Caſtellæ amplius exacerbatæ ſunt, tricipiti antea ambitione conuulſæ Aluari Lunæ, Ioannis, Henriciq; Aragoniorum fratrum. hos proceres alii ſequebãtur, vt quemq; ſpes variæ, aut beneficiorũ memoria incitabat. nunc Aragoniis fratribus inter ſe conciliatis è tribus factionibus geminæ factæ, reipublicę nihilominus exitiales. Maxima procerum pars in perniciem Aluari conſpirauit, quem in aula cum paucis, iiſq; nouis hominibus, atq; eius beneficio obligatis ſuperbe, & auare dominari dolebãt. nulla militari laude, nullis virtutibus, vna ingenii dexteritate, & aſſimulatis ad tempus officiis ad eum gratiæ & potentiæ gradum euectũ querebantur ſcilicet, ſolumque alieno nomine regnare: recentem eius felicitatẽ ægris oculis aſpicientes, & fortunę modum in homine alioqui humili & obſcuro requirentes maxime. ipſe fauore Principis ferox, cui à puero in omnia iura familiaritatis aſſueuerat, vẽturiq; ſecurus cęteros omnes prę ſe viles exiſtimare: nimiumq; pręſenti potentia fidere. Prorſus vt Reginam de turpi amore appellaſſe, rumor eſſet, & magni viri affirmarent: vero, an falſo, compertum ne tum quidem fuit: & multa ex inuidia crimina afficta, creditaq; putamus fuiſſe. Eius conſpirationis ſemina Turiaſone, quo Aragonios fratres conueniſſe dictum eſt, iacta, vertente proximo ſalutis anno 1426. ad maturitatem peruenerunt. Cuius principio Caſtellę Rex Segobię Chriſti Dei 1426. natalem diem celebrauit: Vaſconum Rex Medinę Campeſtri cum matre: paulo ante Rege Caſtellę ad Roam municipium conuento. Henricus Ocaniam abierat, ſublata facultate curiam accedendi: attingendive aliquam reipublicę partem. Valentię Rex Aragonius ſe tenuit: vbi Conſtantia Dauali Magiſtri equitum filia Ludouico Maſę nobili in primis iuueni, & copioſo pacta eſt. dos magna ex parte abs Rege dicta. Ea enim fuit animi magnitudo, vt non modo ſenis & profugi patris vnam ob iniquitatem fortunę euerſi egeſtatem ſubleuarit: ſed filium etiam Enecum Daualum, atq; ex Bertrando filio nepotem Enecum Gueuaram amplis opibus donarit, rerum potitus Neapoli. Aragoniæ Regina vidua cum filia Eleonora filii Regis Aragonii hortatu Valentiam abiit: breuiq; ſeſe Medinam Campeſtrem retulit, ne diuturna abſentia ęgre faceret Caſtellę Regi. Quo annuente Vrgelię Comes Caſtro Taraſſio, quo Morę ex arce translatus fuerat, Setabim migrauit hac tẽpeſtate. id Aragoniis rationibus propter impendentes Caſtellę motus commodius fore prouidebatur. vnus diuturnę calamitatis & vitæ terminus fuit. Tauri Caſtellę conuentus agitati ſunt. De reſtringendis aulę ſumptibus diſputatum: cui pares amplitudini regni opes non ſufficerent. Cohors prętoria in qua mille equites inerant, ad centũ redacta. Aluarus ei cohorti pręfectus. nouę auctoritati inuidia par. Fuere ii conuentus inſignes duobus claris fu-

neribus, Ioannis Mendozę, in cuius locum Rodericus filius regię Magiſter eſt creatus. Io-
annes minor filius Viſcaię Pręſtamerus. Henricus etiã deceſſit regio ſanguine & ſuis virtu-
tibus clarus. maris pręfectura Friderico defuncti filio data eſt abs Rege. Caſtellæ proceres
inter ſe conſilia atq; dolores cõmunicant, per litteras & nuncios, quo tectior res eſſet. Ma-
giſtri militares, Calatrauę Ludouicus Guſmanius, Alcantarę Ioannes Sotomaior, Velaſcus
regio cubiculo pręfectus, Rex Vaſconum, Henricus frater, alii fœdus inter ſe ſanctiſſimo
iureiurando, atq; omnib. execrationibus ſanciunt eoſdẽ amicos inimicoſq; habituros: Re-
giſq; auctoritate incolumi daturos operã, ne quid detrimenti reſpublica caperet, peſſimis
quorundã conſiliis, atq; actionibus perturbata. Id fœdus mẽſe Nouembri auſpicante Or-
cillę in Medinę Campeſtris agro eſt ictum, totius actionis miniſtro Petro Manrico: quem
inquieto & ardenti hominẽ ingenio fuiſſe, eius ætatis monimenta docent. Rei perficiendę
1427. opportunitas quærebatur. Tauro Zamorã Caſtellæ Rex abiit, principio anni 1427. Hen-
ricus Aragonius impetrata prius, deinde denegata curiã accedẽdi facultate, Ocania in Vl-
teriorem Caſtellam mouet ſplendido comitatu ſtipatus, & cum armis ad omnem caſum
paratus. Rex Septimancas ſeſe retulerat. Aragonii fratres coniurati proceres Valliſoleti ſe
tenent. Principes ſtudiis diuiſi, quiq; ſeparati ab aliis ſuos agitare conuentus. pauci quibus
otium republica carius erat, mediã perſonam gerere: alienæ cõtrouerſiæ ſpectatores mal-
le quam participes eſſe. inter diſcordes Regi parum auctoritatis erat præter inſitã ignauiã,
quaſi veneficiis vix animi compoti. Offertur à coniuratis libellus aulæ vitia, & Aluari cri-
minationes continens. rationem aliquam inueſtigandam videri publicæ calamitatis pro-
curandæ. Re deliberata dati iudices in cauſa ferme è coniuratis, maris Præfectus, Calatra-
uæ Magiſter, Petrus Manricus, Ferdinandus Roboreus, obſcurus quidẽ homo, pecunio-
ſus tamen, & fiſci rationibus, ærarioq; regio præfectus. His cognoſcendi facultas conceſ-
ſa eſt de criminibus quæ Aluaro obiiciebantur. ſi ſententiis variarent, Benedictini cœno-
bii Præfectus adiunctus. quod maior pars decerneret, id fixum ratumq; fore conſilio illi
cõmunicato pronunciãt primũ Videri, relicto Aluaro, Regi concedendũ Cigales: facien-
damq; poteſtatẽ Aragoniis fratribus ipſum cõueniendi. deinde adiiciunt. Aluarum è curia
ſubmouendũ. annuum & ſemeſtre exilium fore. Proh dedecus atq; ignominiam Regis di-
xerim, an prouincię, an ætatis. Ereptum Principi, quod eſt in principatu beatiſſimum, nihil
cogi. imperatum à ſubditis, Regem obtemperaſſe. Cigales Rex abiit: coniurati, ſalutatum
acceſſere. Henricus aliquandiu in genua procumbens, lacrymas etiã pœnitentiæ indices
profudit, adeo humanis ingeniis parata ſimulatio eſt. Aluarus Ayllonẽ ſuæ ditionis oppidũ
abiit, magna nobilitate proſequẽte, honoris & pręſidii cauſa. in his Garſias Toletus Orope-
ſiæ, Mendocius Almaſani regulus, vterq; Aluari ære obſtricti, à quo accipiebant annua ſa-
laria. Excepit procerũ contentio ad Regis familiaritatẽ nitentiũ variis artibus: apud quem
tantũ gratia pollet, vt ſe, & ſua alieno arbitrio manciparet. Ferdinandus Roboreus cęteros
auctoritate anteibat, ante proximus Aluaro, & nunc ſublato æmulo validior: prorſus vt ſi-
mulata valetudine ſępe ad eũ Rex & proceres ſenatu habendo ventitarent: quod nouo &
ignobili homini inuidioſum erat: vt ſæpe in contrariũ vertitur aulæ fauor, niſi modũ adhi-
beas. Cœperat Rex iratus eſſe Ferdinando, quod feſtinatione præcipite in eum à quo ma-
gnis beneficiis eſſet obſtrictus, ſententiã exilii in Aluarũ protuliſſet. Vbi exacerbatũ Regẽ,
& poſſe Ferdinandũ euerti ſatis patuit, ijs qui occaſionẽ rei maturãdæ acriter ſpeculaban-
tur, à Rege Vaſconum de multis criminibus coram Caſtellę Rege poſtulatus eſt. factioſum
hominem eſſe: perfida cum proceribus cum externis conſilia agitaſſe: ſermonis etiam ac-
cuſauit frequenter aduerſus maieſtatẽ habiti. Re deliberata, in vincula duci iuſſus, Sego-
biæq; ſeruari. Vzedæ in cuſtodia obiit, haud leui exemplo nihil incertius aura aulica eſſe,
quę leui momento in diuerſa circũagitur. Granatæ Rex ciuium cõiuratione hoc anno, re-
gno, & patria pulſus in Africam ad Tunetani Regis Pręſidiũ nauigauit, profugus, egenuſq;
Mahomad cognomento Paruus in eius locũ ſubrogatus, in diuerſæ factionis homines graſ-
ſari cœpit: morte, exilio, bonorum ſpoliatione mulctare, quæ effunderet in alios. Ac nomi-
natim Iuzephus ex Abenſarraxia familia inter Mauros nobiliſſima Prætor vrbanus antea
iuridicundo creatus, rebus deſperatis Murciam abiit ſe tuendi conſilio, armaq; Caſtellæ in
nouum Regem, priuſquam ſe confirmaret, concitandi. Eodem tempore Hieronymiani
monachi in duas factiones ſciſſi ſunt, vti eſt antea demonſtratum. Lupus Olmedius Mar-
tini Romani Pontificis gratia pollens, cum quo Lutetiæ ſtudiorum tempore eodem con-
tubernio vſus erat, diſſidii auctor extitit, nouæ ſectæ capite Diui Iſidori nomine monaſte-
rio ad Hiſpalim conſtituto. vnde vniuerſæ familiæ appellatio facta eſt. Noſtra ætate reſar-
cita concordia, ij monachi veteribus Hieronymianis vnde prodierant contributi ſunt,
cura Philippi ſecundi Regis Hiſpaniæ. verum ad Caſtellæ motus reuocetur oratio.

Aluarus Luna in aulam reuocatur. CAP. XVI.

AETERNA conſtitutione nexuq; cauſarum latentium (quod fatum vocant) quemq; hominem ſuum curſum peragere, neq; eſſe aliquid in noſtris conſiliis. ad euitandum quod eſt immutabili lege deſtinatum, Stoici perſuadere conati ſunt, genus alioqui philoſophorum cum primis ſeuerum & graue. Stulte, inquis, & inaniter. quis id neget? an maior eſſe furor poſſit, quam homini, per quod homo eſt, conſiliorum ſuorum & vitæ arbitrium detrahere? Sed cauſam tamen extitiſſe aliquã fateri neceſſe eſt, quæ Regẽ Caſtellæ, & Aluarũ Lunam, ita conſtrinxit, ac conglutinauit animis, ita deuinxit voluntates, vt diuelli vix poſſent: quamuis publica ex ea re inuidia flagrarent ambo, maiori Aluarus. prorſus vt Seianos, Patrobios, Polycletos, Aſiaticos Romanorum Principum libertos, vetera odiorũ nomina ſuperaret. qui factum, vt neq; Rex infamia moueretur, quæ ex ea familiaritate orta erat: neq; Aluarus exitium prouideret, ad quod magnis itineribus feſtinabat? nempe moderata durant, violenta in præceps ruunt: quoq; magis humanus fauor extulit, hoc ſe magis deprimere homines debent, varioſq; caſus metuere, memores humanæ inconſtantiæ. Nimirum eſt in aſtris poteſtas aliqua, conditioneque naſcendi: inde Principum inclinationes, offenſioneſq; ortũ plerunq; habent. aut perſtringit mẽtem diuinæ vindictæ gladius, cum aciem ſuam retundi non vult. vti in præſenti accidit. Nullus Regi dies iucundus illuxit. nunquam niſi triſti vultu, lugubri animo viſus eſt, ex quo ab eo Aluarus fuerat diſtractus. de eo loqui per diem, de eo cogitare noctibus: mentiſq; oculis abſentis ſpeciem identidem repręſentari. Quod neceſſe erat, prouidentes ij qui in aula Regis erant, Aluarũ propediem reuocandum, maioriq; in gratia futurũ ſuſpicantes, quaſi inimicis, fortunaq; ſuperatis, maiori conatu ad eius amicitiã niti. Ipſe etiam Vaſconum Rex Henrico inuidens fratri, quem in magna apud Caſtellæ Regem gratia eſſe, & priorem auctoritatis locum obtinere dolebat, Aluaro fauere cœpit: eiuſq; reuocandi conſilia agitare. & opportuna occaſio ſeſe dabat, Roderico Daualo extincto ad octauum Idus Ianuarias, anno 1428. Valentiæ 1428.
vbi Aragonius Rex erat. Prole Daualus quam aulæ gratia felicior fuit. ex tribus coniugiis ſeptẽ filios, duas filias genuit: vnde Potentiæ & Bouini Comitibus, Vaſti & Piſcariæ Marchionibus in Italia, multis in Hiſpania familiis ſtemmata texuntur. Corpus Valentia, vbi temporario tumulo conditum eſt, Toletum In D. Auguſtini annis conſequentibus migrauit. Aſtrologorum prędictionibus credulas aures præbere ſolitus (nam erat cum multis ea ſuperſtitione non intactus) caſum præuidere non potuit. is nondum ſpem poſuerat priſtini honoris recuperandi: & magna in eam rem contentio ab Henrico Aragonio adhiberi cœpta erat. ſed amicis deſerentibus factum non eſt. vt fere miſeros ſtudia hominum deſtituunt. Vnus Aluarus Nunnius Ferrerius Cordubenſis ciuis eximia atq; perpetua Daualum fide coluit, familiæ ante magiſter & deinde in vincula traditus, quaſi obiecti criminis particeps, non prius quieuit, quam mendacii auctore Ioanne Garſia de crimine falſi conuicto, ſuppliciiſq; ſubiecto. Ad heri etiam egeſtatem ſubleuandam, bonis, quæ eius dono acceperat ampla, diuenditis, octo florenorum millia, textrinæ lignis excauatis, quo res occultior eſſet, atq; aſino impoſitis, filio pedibus ſequente, in diſſimulato habitu ſubſidio miſit. egregiam viri fidem, atq; maiori copia laudeq; celebrãdam. Sublato æmulo Aluari potentia confirmabatur. Caſtellæ Rex Segobiæ diſſoluendis procerũ inter ſe fœderibus operam dabat. edictoq; ſanxit: vti inter ſe iuriſiurandi gratiam facerent, quo deuincti inter ſe erant. criminum atq; iniuriarũ perpetuam obliuionem edixit. pręterea Catharinę Henrici coniugi Villenæ permutatione, Caſtra Iulia & Alcaraſſum data ſunt. in Carpetanis oppida ad Caracam, ignobilia aliquot. adiecta ducenta florenorũ millia. ampla ac vere regia dos. Agente eodẽ Henrico Aragonio Daualus crimine maieſtatis abſolutus eſt. quod conſequens erat, honores, bonaq; defuncti, filiis reſtituta non ſunt. ſic Regi placitum. ſic proceribus expediebat, alieni caſus præda ditatis. His rebus cõfectis Turueganũ Caſtellæ Rex abiit. eo Aluarus eius accitu venit, comitatu ſplendido & numeroſo, quaſi triumpho nobiliſſimo de aduerſariis parto, lętus ſuperbuſq;. creſcere indies gratia. maioriq; auctoritate; reb. omnibus eſſe. reliquis Principib. ac nobilitate vniuerſa plus vnũ priuatim poſſe. Eleonora Aragonii ſoror, deſpõſa erat Eduardo Luſitaniæ Principi, regni hęredi deſignato, annos nato ſex & triginta. ſponſalia in Darocæ agro pago, cui oculis nigris nomen, data abs Rege Aragonio ſunt. affuit Petrus Oliſiponenſis Pręſul ꝓ Luſitano legat⁹, natusq; Alfonſo Gegionis Comite. dos dicta virgini ducẽta florenorũ millia. adiunctaq; Conſtãtia Touaria, q̃ cubiculo pręeſſet, Dauali defuncti vidua. Valẽtia puella per Caſtellę fines deducta. Valliſoletũ venit: vbi à Caſtellę Rege & fratrib. eximie culta eſt. ludi militares dies aliquot cõtinuati. magnis inde muneribus ornata in Luſitaniã ad ſponſum abiit. nuptiæ eo maiori gentis lætitia celebratæ, quo diutius erant deſideratæ; ac pene futuras deſperarant, Eduardo

Principe cęlibe ad eam ætatē. Accidit per idē tempus, vt Petrus Eduardi frater, obita longa peregrinatione, inuiſoq; Sigiſmūdo Cæſare, ipſoq; adeo Tamerlane Scytha (vulgus ſeptē orbis partes adiuiſſe fabulatur) rediret in Hiſpaniam. is Iulio menſe Valentiam appulſus, Septembri Iſabellā duxit Vrgelitani Comitis vincti filiā maiorem natu. ex hoc cōiugio Iſabella quondā Luſitaniæ Regina, Philippa virgo ſacra, Petrus in Luſitania Magiſter equitū nati ſunt, Iacobus Cardinalis Oliſiponenſis Epiſcopus, qui Florētiæ extinctus eſt, Ioannes Cyprius Rex, atq; Beatrix, Adolfi Cleuēſis vxor. Ergo Petrus ijs nuptijs perfectis, Valentia profectus, Caſtellæq; Rege Arandæ ſalutato, in Luſitaniam tandē redijt. Venienti ſeſe obuia multitudo portis effudit, quaſi lapſum de cęlo hominē, ſupraq; mortalē conditionē, qui remotiſſimas prouincias peragraſſet, admirātes rudi agreſtiq; homines ingenio. Caſtellę Rex rebus in vlteriori prouincia cōpoſitis, & Garſia Manrico, quē cum Henrico Aragonio captū diximus, reddito libertati atq; dignitati priſtinę, in Carpetanos abiit fine anni: & Compluti aliquādiu moratus, Illeſcas cōtendit. Iuzephus Abenſarraxius Granata profugus eodē delatus, benigne à Rege acceptus atq; habitus cū Alfonſo Lorca, qui eius iter Murcia erat proſecutus, ad Regem Tunetanū cum litteris ablegatur: quibus barbarū hortabatur, vt profugi Regis cōmiſeratione eū ſuis copiis in regnū reſtitueret. præclare conantibus ſuam opem non defuturam: pecunia, armis, milite, commeatu iuuaturum. Erectus ea legatione Tunetanus, Regem Mahomadē cum claſſe & equitibus trecentis in Hiſpaniā remiſit. Eo ad Veram ſeu Baream oppidum delato, magnæ animorū inclinationes factæ ſunt, eorū qui veteri imperio ſtudebant, nouū auerſabātur, mobili homines ingenio. vrbes & oppida cu-
1429. pidiſſime deditionē facere. ipſaq; Granata vrbs in poteſtatē venit, principio anni 1429. ty-
rannus intra Alhambræ arcem incluſus, ac breui in poteſtatē redactus, occiſuſq;, quod iniuria occuparat, fauentibus ſuperis, tota prouincia plaudente, reliquit imperium iuſto Regi, Regibus Auis, atq; atauis. Galliæ res peiori loco eſſe non poterant. Lutetia cum multo maxima eius prouinciæ parte ab Anglis occupata, perpetuis Gallici nominis hoſtibus. Carolus eo nomine ſeptimus Gallię Rex in periculo tū ad alios Principes auxilia petitum, tum ad Aragoniū Regem preces propemodum ſupplices mittit. Matthias Rexachus Barcinonem appulit menſe Aprili, ea cauſa ex Gallia legatus. Erat Aragonius gemino bello diſtrictus, Neapolitano in primis, vnde reb. prope deſperatis ſeſe Petrus frater in Hiſpaniā cum claſſe retulerat, rerū ſummę præfecto Dalmatio Sarſera, qui ægram ſpem ſuſtentaret: deinde Caſtellæ bellū inferre cogitabat, atq; in eius apparatu totus erat. nihil ergo impetratum. Sed rem tamen Gallicam ſine viribus, ſine præſidio, ſine Duce, numina recrearunt. ſeptimum menſem Aurelia obſidebatur ad Ligerim nobiliſſima ciuitas. obſeſſi rerum omnium inopia laborabant, ac vix mœnibus hoſtilē vim propulſabant. Ioanna puella annorum non amplius octodecim rebus ſaluti fuit. Remigii nata, qui pagus in agro Tullenſi apud Leucos eſt, patre Iacobo Durcio, matre Iſabella, atq; à prima ætate paternas oues paſcere ſolita, veniens in caſtra Gallica, diuino ſe monitu miſſam ait, ad Aureliam periculo, Galliā liberandā Anglico imperio. Variis & multis interrogationibus verſata, vbi fides abs Rege & proceribus eſt habita, per hoſtiū munitiones impetu facto, auxilia & cōmeatum in vrbē infert. ciuibus cū ſpe defenſionis creuit animus. crebriſq; ex vrbe eruptionibus obſidio diſſipata eſt ad ſextum Kal. Iunias. circumiecta oppida recepta: leuia tantūmodo prælia facta, neque vniuerſi certaminis fortuna tentata, dum vincendi conſuetudine Gallorum vires & animi confirmarentur. Rex Gallus per medios hoſtes Remos (quod factum non erat) ad ſacrum chriſma, regniq; inſigne ſuſcipiendum abiit. auctor conſilii puella. ſic auguſtior ſuis, hoſti formidoloſior eſt factus. Multis receptis vrbibus, Lutetia tētata capi nō potuit: quin ad D. Honorati portā, puellæ vulnus inflictum eſt. belli impetus verſus alio. Compendiū obſidebatur ab Anglis. puella ſucceſſu fidentior animo, ſuorū cuneo facto in vrbem irrumpit. ſed fortuna tamen in medio curſu deſerente eruptione facta in hoſtiū poteſtatē redacta, Rhotomagi Magicę ſuperſtitionis rea cauſa dicta igne cōbuſta eſt. Petrus Cauchonius Bellouacorū Pontifex præcipuus cōcitator, nemine pro captiua cōtra hiſcere auſo. tametſi pleriſq; perſuaſum erat, virginē eam iniuria fuiſſe damnatā. ęternum Gallię decus, omnibus ſeculis nobile. vti dati in cauſa iudices à Calixto Romano Pōtifice pronūciarunt. quæ acta in ſcrinio ſūmi tēpli Lutetię cū fide ſeruātur. Ærea virginis ſtatua armati militis habitu in medio Aureliæ ponte cernitur, accepti beneficii monimentū. Verum hæc aliquanto poſt. Tarracone in Catalaunis à Petro Fuxēſi Cardinali Martini Romani Pontificis Legato, Epiſcopi Tarraconenſis prouinciæ ad conciliū euocati ſunt. in eo concilio quid fuerit ſancitū compertum nō habeo. Quod erat p̄cipuū, Egidius Munotius pontificatus nomen abdicauit: inſignia depoſuit. Cardinales quos penes ſe habebat, loco moti, de graduq; deiecti, quę inauſpicato occuparāt, auctor Aragonius rex in Martini Pōtificis gratiā. quē vt antea metu cō-

tinere,

tinere, ita nouo nunc officio conciliare, in parteſque traducere erat propoſitum. Peninſula Hoſpitalariis militibus detracta, quorum in ditione ab antiquo fuerat, Regi ceſſit. Egidius nonnulla compenſatione Balearis Epiſcopus factus eſt. Alfonſus Borgia Valentię Pontifex renunciatur. ea merces nauatæ operæ fuit Egidio & ſociis ſanandis, ad ſummos & maximos honores aditus. Auguſto menſe hæc Dertuſæ ſunt geſta. ſic diuturno, & poſt hominum memoriam maximo Pontificum diſſidio finis tandem eſt allatus. Pro diuino beneficio ad omnia altaria ſupplicationes habitæ: piaculaque inſtaurata ſuperis propitiandis: vt quæ erant collata conſeruarent: & tantis muneribus adderent perpetuitatem permixto lacrymis gaudio precantium. Verum ad res Caſtellæ intermiſſas, nouique inter Hiſpanos Reges belli cauſſas explicandas referenda narratio eſt.

LIBRI VIGESIMI FINIS.

DE ACADEMIIS, ET DOCTIS VIRIS HISPANIÆ SIVE PRO ASSERENDA HISPANORVM ERVDITIONE,

narratio Apologetica, Alfonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis Rhetoris Complutenſis. Ad hęc Nomenclator illuſtrium ſcriptorum Hiſpaniæ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. IOANNI TELLEZ GIRON, VRANIAE COmiti, Alfonſus Garſias Matamorus Hiſpalenſis S. P.

CVM ſuperiore æſtate Hiſpali decedens, Oſſunam veniſſem, eoque me diutinum, & incredibile quoddam videndi nouã Academiam deſiderium attuliſſet. nihil mihi potius fuit, quam vt te conuenirem, Comes illuſtriſſime, bonarum litterarum vindicem & patronum. Ad te quum veni, ea me complexus humanitate es, & beneuolentia, vt in fortuna longe diſpari parem prope locum tenuitas noſtra inuenerit. Nam primo congreſſu multis vltro citroq; habitis, quæ excelſi, generoſique animi tui manifeſta ſigna præſtiterunt, ſermonem de ſtudiis humanitatis peropportune excepiſti, quẽ tanto verborum flumine, & ſententiarum ſubtilitate in multas horas protraxiſti, vt nullam ego tum rem aliam in alia diſputatione Socratica magis deſiderarem, quam coronam & iudices. Mirabar equidem incidiſſe me in principem philoſophum & Rhetorem, qualem Hiſpaniæ gymnaſia multis ab hinc annis neminem ex iſto loco & ordine tulerunt, vbi vero dimiſſus tuo conſpectu & colloquio ſum, Academiam omnem perluſtraui, Xenodochium præterea, & ſe erigentia in cœlum celeberrimi fani epiſtylia: quatuor poſtremo monaſteria inuiſi, inque ampliſſimas Geryonis opes [cuius te ſanguine, longiſſime repetito ſtemmate procreatum ferunt] pietate ſimul & amore literarum inflãmatus profudiſti. Hæc & alia quamplurima magni Principis monumẽta, te mihi è veſtigio in cœlo collocarunt, & inter alios viros clariſſimos retulerunt, qui ſtudia quondam doctrinæ cum vera religione coniunxerunt, coniunctam amplificarunt, amplificatam in memoria poſteritatis glorioſe conſeruarunt. Neq; enim res alia Conſtantinum efficit magnum, quam gratuita illa bonorum profuſio in Romanam Eccleſiam: neque Phocas Imperator alio nomine bene præclareq; audire cœpit, quam, quod alii in thermas, coloſſos, pyramides, baſiliſcos, & inſana illa ædificia, quæ olim celebrauit antiquitas, conſumpſerunt, hic in diuorum baſilicas, ſacras ædes, templa, vale-

Digitized by Google

tudinaria, plene, prolixeque impendiſſet. Tantam vero hanc religionem, tam inuſitatam, inauditamque pietatem, tu ex tot principibus vnus conſopitam iam, & pene mortuam his temporibus ſuſcitaſti, non modo templis Oſſunæ magnificentiſſime ædificatis, ſed noua quoque conſtructa Academia, ad quam ex tota Bætica, & vtraque Hiſpania innumerabiles gentes, & nationes tanquam ad mercaturam bonarum artium certatim conuenirent. Bello enim Granatenſi clariſſimi maiores tui, profligatis in Bætica Mauris: contritis, ac domitis Chriſtiani nominis hoſtibus, prima fidei ſemina in his terris, ac regionibus proſeminare cœperunt: quas tu maxima tua gloria, & illorum immortali virtute, ac fama tenes. Sed cum Arabes, qui in ditionem noſtram, ac poteſtatem venerant, nondum legibus, nec iure certo, neque ſatis firma religione nobis deuincti eſſent, pie, ac ſapienter putaſti, non aliter illos in pietatis officio contineri poſſe, quam ſi depoſitis armis, quæ annos circiter octingentos nunquam ex Hiſpanorum manibus exciderant, ad ceremonias, diuorum cultum, ſanctitatem, diſciplinarum ſtudia, iam metu liberata Hiſpania, conuerteres. Hæc mihi & alia per multa intuenti, ipſarumque rerum magnitudine ſuſpenſo, & attonito, neſcio qua imprudentia mea, niſi motus, ille fortaſſis diuinus fuit, ſubito inſedit animo, libellum, quem De viris Hiſpaniæ doctis *commentabar, illuſtriſſimo nomini tuo conſecrare: neque conſideranti, quid promitterem, neque cui demum eſſem Lucubrationes meas dicaturus, attendenti. Nam ſi initio cum integrum erat, diligenter, accurateque animaduertiſſem, quam & difficile, & periculoſum eſſet, de aliorum ingeniis, ſtudiis, & doctrina iudicium ferre: quam rurſus audax, & temerarium alienas velle metiri virtutes, expendere dotes, librare vitia, æſtimare cuiuſque literas, cum aliorum conferre, ſtatuere modum naturæ, terminare cogitationes liberas, nunquam equidem cum tam multis viris eruditis in hoc equo Troiano includi voluiſſem. Sed emiſſam ſemel vocem reuocare non licet, neque fas eſſe arbitror, non præſtari magnitudini tuæ, quod ſponte noſtra ſumus polliciti. Habeo tamen auctores quamplurimos, quibus hanc audaciam meam tueri, & reprehenſionem, ſi quam incurrero, propulſare poſſim: nam nec hoc nouum eſt, quod aggredi paramus, nec à me primum inuētum: neq; vitio quidquam dari debet, quod bene, ac præclare fieri poſſit. Dialogum compoſuit Marcus Tullius* De claris oratoribus: *quam incorrupto iudicio Deum immortalem? quanta eloquentia? quanto ingenii lumine? iurares ſane, illuſtriſſime Comes, aut vnum illum omnium ætates vixiſſe, cum ſingulisque fuiſſe locutum: aut cunctos Græcos, & Latinos, qui ex eloquentia nomē ſunt adepti, Romam ad conuentus vocaſſe, vbi de cuiuſque natura, & ingenio tam perfectum, & conſummatum iudicium ferret. Hunc imitatus Fabius Quinctilianus, quas non ingenii, & doctrinæ opes oſtentauit, quum libro decimo Oratoriarum inſtitutionum omnia ſcriptorum genera diuina cenſura percurrerit? Quid huius diſcipulus Plinius? nonne ex eo laudem promeruit, quod nullam fœdam iniuriæ notam, his inuſſerit auctoribus, quos ſcriptis ſuis illuſtrabat? Hieronymus vero, & Gennadius, & longo poſt tempore Ioannes Trithemius. non ſic de viris illuſtribus ſcripſerunt, vt neminem ſua gloria defraudarent? Mitto Eraſmum in Ciceroniano, Raphaelem Volaterranum, Paulum Iouium, Lilium Gyraldum Ferrarienſem, qui noſtra, & patrum memoria, editis elegantiſſimis libellis de iudicio clarorum virorum, laudem ſine inuidia inuenerunt, & amicos pares.* * *Quamquam dicam hoc loco libere, quod ſentio, Comes illuſtriſſime, vt ſi quam voluptatem horum nonnulli male de aliis iudicando acceperunt, recta æſtimatione noſtra, & iudicio ſtatim amittant. Nam Paulus Iouius, & Lilius Gyraldus, in multis mihi non probantur. Quis enim æquo animo ferat, tantum virum, quantus omnium eruditiorum iudicio fuit Eraſmus, inter Germanos Latinum & inter La-*

*Terentii Andria verbum eſſe videtur à paro, paras. Auctor nomē facit, Martialis pares amicos numerat in iis, vitā quæ faciunt beatiorem.

ter Latinos Germanum cenſeri à Lilio Gyraldo? Prætereo alia non parum multa: quæ, quia ſine iudicio effuſa ſunt, cenſuram noſtram non merentur. Alios permultos nominarem, niſi viderer iam de fæce haurire, qui ſine ingenio, & doctrina, obſcuri ipſi quum fuiſſent, de viris illuſtribus pueriles commentarios ediderunt. Cui enim riſum non excitarunt Lucius ille Siculus Marinæus? & nuper Grammaticus quidam Pincianus, qui inter claros, & illuſtres Hiſpaniæ viros, ſordidos, & triobulares etiam Grammatiſtas retulerunt, quos nullum vnquam ad doctorum numerum perueniſſe conſtat. Tales equidem ſcriptores grauius ego peccare puto, quam qui de eruditorum fama, & comparata exiſtimatione egregium aliquid moroſe detrahunt. Siquidem infimos homines qui longius ſupra ordinem ſuum, & gradum attollunt, vt aliud nihil admittant criminis, hoc certe male gratiæ ineunt, vt & ſibi fidem derogent, & doctis iniuriam faciant, & illos ipſos, quos temere euexerunt, miſere, ac fœde ridendos propinent. Qure hoc arduum & difficile quum ſit, de viris doctis hiſtoriam conſcribere, timeo quem euentum habitura ſit hæc mea De aſſerenda Hiſpanorum eruditione Apologetica narratio. *Nam docti continuo certabunt de loco: & grauiter, ac moleſte ferent ſibi alios præferri in ordine renunciationis. Imperiti autem, quum ſe plane ignorent, tumidumque ſit, & arrogans hominum genus, quas non turbas, & Tragœdias mouebunt, quum ſe in hoc albo non inuenerint? quæ dira nobis non imprecabuntur? quæ monſtra, & portenta non ſtatim deprehendent in Hiſtoria noſtra? Hæc me ſane cura vehementer angeret, & ſolicitaret, magnanime Comes, ſi aut te non ſummum, & perfectiſſimum iudicem huius quæſtionis conſtituerem, aut plus priuatis amicorum affectibus indulgendum eſſe putarem, quam æquitati, religioni, fidei, conſilio: aut non illam iam pridem Luciani ſententiam toto eſſem complexus animo* ἀδέκαστον, ἄφοβον, ἄπολιν *hiſtoricum eſſe oportere. Igitur veteres omnes celebres viros, quos aut memoria repetita conſequi, aut ex antiquitate ipſa eruere potui, breuiſſima ſum narratione perſecutus. Quorum & ingenii varias, multiplice ſque dotes, tum virtutes reliquas innumerabiles, & his contraria vitia, quæ aut laudem generi, & decus familiæ conſtituere, aut ignominiam contra, & infamiam afferre poſſent ſine cuiuſquam odio, aut amore narraui. Eorum autem qui nunc viuunt, perpaucos, ſed inſignes illos quidem, & quos citra fœdam inuidiæ crimen nominari licuit, oratione mea cohoneſtaui, ne deprecandæ ſcilicet inuidiæ cauſa turpiter magis, quam honeſte tacuiſſe viderer. Itaque recipias ex tenuitate ingenij mei breue hoc, & exiguum munus; obſidem alicuius magnæ, & elegantis hiſtoriæ, qua res tuas pro litteris ac religione præclare geſtas, ſi proſperiori ſalute vſi fuerimus, te iubente celebrabimus. Seruet Deus optimus Maximus Illuſtriſſimam vitam tuam. Compluti, Anno*

M. D. LIII.

Lylii Gyraldi de Eraſmi ſtylo iudicium.

DE ACADEMIIS LITTERATISQVE VIRIS HISPANIÆ

APOLOGETICA NARRATIO ALFONSI GARSIAE MATAMORI HISpalenſis, Rhetoris Complutenſis.

Hiſpaniæ laus.

RES Hiſpanorum bello, paceque geſtas, cum plerique noſtrorum hominum, tum ex Græcis, Latiniſq; non pauci memoriæ prodiderunt: Omnes vero incredibili ſtudio propagandi famam gentis noſtræ ſcripſiſſe videntur, ne tot ingentia facta ſilentio prætermiſſa iacerent in obſcuro, quæ Hiſpaniæ nomen ſempiternum, & poſteris magnum virtutis documentum eſſent allatura. Hi memorabiles victorias, nobiles triumphos, facinora, nec pauciora quam Græci, nec minora quam Romani fecerint, referentes, Hiſpanorum indomitam ferociam, inuictos animos, virtutem bellicam immortalis præconio famæ ad memoriam poſteritatis conſecrarunt. Egregie quidem facturi, ſi, vt res bellicas ſcriptis ſuis illuſtrarunt, ita ingeniorum monumenta, artes, & diſciplinas, ex quibus non minor laus, quam ex bellis gloria in nationem noſtram eſſet redundatura, in hiſtoriam etiam contuliſſent. Verum in tanto ſcriptorum numero nemo poſt tot ſecula extitit, qui cum horrore illo militari doctrinæ cultũ, cum ferocia humanitatem, cum ſtudiis belli otia pacis voluiſſet attingere; ratus foraſſis facturum ſe ſatis Hiſpaniæ nomini, ſi fortes, & inuictos Hiſpanos; ac non perinde doctos, & humanos demonſtraret. Hac ſocordia, & neglectione tanta commiſſum eſt, quod erat indignum gente totius orbis præſtantiſſima, vt barbariæ macula inuſti Hiſpani, inter feros, & immanes Scythas numerarentur, famaq; fœdiſſimæ notæ latius indies propagata per multas annorum ætates exterarum gentium, inueteratã opinionem animis reuellere minime poſſent. Hanc perſuaſionem augebat, quod iam inde ab heroicis temporibus continuis occupata bellis Hiſpania, in quam variis ſe fortunæ caſibus, diuerſiſque ſtudiis cunctæ propemodum orbis nationes effudiſſent, nec literas colere, nec diſciplinas capeſſere, nec ad ingenii lumen aſpirare vnquam valuiſſet. Nam fuit quondam Hiſpania, certa deſtinataque fortium bellatorum arena, & publicum contentionis curriculum; vbi non de Helena illa tandiu Græcorum, Troianorumque expetita armis, certamen erat, ſed de pulcherrimæ prouinciæ poſſeſſione, quam primum Iberi, Perſæ, Phœnices, Græci, deinde Carthaginenſes, Romani, Vandali, Alani, Gothi, partim ſpe dominationis acerrimis inuaſerunt prœliis, partim vbertate, ſpecieque regionis capti fortunatas ſedes, Elyſioſque campos per errorem Homericæ fabulæ arbitrati, ſumma contentione potierunt. Hinc plerique mortales occaſionem nacti, cum multis edocti periculis facinora bellica nobis adimere non potuiſſent, doctrinæ ſtudia per ſpeciem laudis negantes, culpam Hiſpaniæ barbariæ in tempora tranſtulerunt: quæ ſi bellis vacua fuiſſent, nõ dubium eſſe dicebant, quin eos viros latura eſſent, qui & ingeniorum prſtantia, & naturę ſagacitate, & animorum vi, cum Latinis, & Græcis auctoribus comparari potuiſſent. Sed cum natiuam nobis commoditatem ad perdiſcendas diſciplinas concedant; ſcientias tamen odio, & inuidia commoti tollunt: ne vt viribus corporis à nobis vincuntur, ita conſilio, & prudentia, reliquiſque animi ornamentis ſuperari etiam videantur. Quæ ſi, quemadmodum importuniſſimi homines falſo, arroganterq; in Hiſpanos iactant; vera eſſent, quum nimium ſit, quod intelligitur, ſi quæ leuiter effutiunt, grauiter, ac diligenter attendamus, infeliciſſimi eſſent profecto omnium hominum Hiſpani, quum ea parte infra vniuerſos homines conſiſterent, qua vere homines ſunt. Nam tribuunt Ægyptiis ſuos prophetas; Aſſyriis Chaldæos; Perſis Magos; Indis Gymnoſophiſtas; Gallis Druidas; Bactrianis Samanæos; Hebræis Eſſenos, Caballæos, Talmudicos; Scythis Anacharſim; Thracibus Zamolxim; Hiſpanis vero præter varia metallorum genera, ſoli feracitatem,

equorum

equarum è Fauonio vento admirabiles conceptus, oues ad Bætim aurei coloris; nullas artes; nulla liberalia ſtudia, nullos denique viros doctos dari ſuſtinent, quos gleba tantū diuites, non ęque animo beatos putent. Mihi tamen cuncta rimanti, & à primis Hiſpaniæ habitatoribus ſtatum, & fortunam nationis noſtræ per acta retro ſecula repetēti, talis contra vituperatores Hiſpaniæ eruditionis, defenſionis ratio occurrit, qualē neq; repudiabunt Itali; neq; deſpicient Germani; nec Galli poſtremo nō accipient. Qui antiquitatis forsaſſis ignari, aut alienæ (quod credibilius eſt) laudis inuidi, rarū & pręcipuum Hiſpanis decus, q. in ſempiterna mihi literarū gloria ponitur, perfidioſe adimere tentarūt. Quantū enim hoc inuidię crimē fuit, velle cęteros homines veris animi bonis, & literaria felicitate frui, ſolos tamen Hiſpanos à gentilitia hæreditate, & veteri maiorum poſſeſſione, maligne deturbari? Diſtribuenda itaque ſunt Hiſpaniæ tempora quæ primum in maioribus inchoata, deinde in auis noſtris, & poſteris longo ætatum ordine repetita, in tam multis Hiſpaniæ mutationibus, & fortuna imperii varia, erudtionis fructu aliquo minime caruerunt. *Temporum ratio.* Sic vero rem immenſam, lateq; patentem temporum notatione diſtinguam, vt quando primum in Hiſpania natæ literæ fuerint, quando auctę, quando florentes; & ad humani ingenii perductæ faſtigium, quando omnia ingenia, quę lucem noſtris ſtudiis attulerunt, orta fuerint, ante omnium oculos ponam.

Igitur fama eſt, non vago, nec incerto ſparſa rumore, ſed communi veterum autorum conſenſu, teſtimonioq; firmata. Tubalem quintum Noei ex Iapheto nepotem veniſſe primum in Hiſpaniam, à quo & fundatum ante omnia imperiū Hiſpaniæ, ſanctiſſimiſq; conſtitutum legibus, religione deinde, ac doctrina, variiſq; artibus propagatū, in ea præſertim Hiſpaniæ parte accepimus, *Tubal.* quæ trecentos poſt annos, & paulo amplius, à Rege Bæto nomen accepit. *Bætus Rex.* Nam cum poſt longam maris iactationem ad Bæticæ littus aliquādo appuliſſet, ſeq; intra terram ſolo diuitem, cælo beatiſſimam, & mari proximā, cum familia ſua late explicaſſet, nihil prius habuiſſe dicitur præſtantiſſimus vir, quam vt nouas, & rudi etiā ſeculo incultas, ac deformatas colonias, primo ciuilitate morum, deinde artib. ac diſciplinis quam optime formaret. Hęc prima doctrinæ ſemina Bætici ſemper ingenio præſentes homines, alte imbiberunt: *Bætici.* creuit deinde cum ætate imperium, cū imperio floruerunt literæ: has protinus ingentia ſecuta ſunt commoda: quod vbi obſeruatum à maioribus fuit, honor cœpit literarum ſtudioſis quam ampliſſimus haberi, & maiores inde acceſſiones in humanitatis ſtudiis fieri, adeoque ſe omnes certatim ad Poeticam, & Philoſophiam, reliquaſque præclaras, & ingenuas diſciplinas conuerterunt, vt Maia Athlātis regis filia, quod ingenio, & artibus putaretur excellere, à cunctis Hiſpaniæ fœminis diuinitus honorata fuerit. *Maia.* Nec enim fabulā potui vnquam putare, quod me non ſemel apud graues autores legiſſe memini. Narrant enim dicatos fuiſſe illi menſe Maio in ſingulos annos propter ingens doctrinæ miraculum, ſtatos, ſolemneſq; honores, qui in moribus etiam noſtris (quod quidem mirari ſubit) nunc perſeuerant: dum antiquo ſcilicet Hiſpaniæ ritu, egregia forma puellam (quam noſtri homines Maiam vocant) miris exornari modis videmus. *Maia Hiſp.* Hanc in loco paulo celſiori ſedentem, æque formoſæ circumſtant virgines, cui totos menſis Maii triginta dies velut reginæ libenter obediunt, veteris illius viraginis gentilitia traditione memores. *Maius.* His temporibus nondum literas in Græciam Palamedes inuexerat, *Palamedes.* & multis cum Poetis, tum philoſophis Bætica florebat; quæ poſt Phœnicum illud celebre literarum emporium, (quod primum in orbe conditum à Xenophonte proditur,) *Xenophontem Æquiuocis, fictum auctore ab Annio Viterbienſi.* inſignem Academiam habuiſſe fertur; in qua Aſclepiadem Mirlianum literas docuiſſe, Strabo memorat. *Aſclepiades Mirlianus.* Fluxit hoc tempus longiſſimis ductum interuallis vſque ad primos Scipiones, qui cum exercitu Romano linguam quoque Latinam in Hiſpaniam traduxerunt. Quæ ſic per annos ducentos vſque ad Auguſtum Cæſarem inualuit, in totamque Bæticam potuit, exactis Hiſpania Pœnis, tā late diffundi, ac propagari, vt Turdetani ipſi, quod ad Bætim præſertim loca tenerent, in Romanos ritus penitus transformati fuerint; *Latina lingua apud Hiſpanos.* nec propriæ memoriam linguæ ſeruarint amplius, plurimique Latini facti ſecum accolas Romanos fecerint; parumque abfuit Auguſti tempore quin, vt Strabo refert, Romani omnes putarentur. Sed paucis ante Auguſtum annis quamplurimi nati Cordubæ poetæ, ingentem ſui nominis famam carminibus excitarunt, *Cordubenſes poetæ.* quibuſcum ſumma ſæpe voluptate Quinctum Metellum aures dediſſe legimus; tametſi Ciceroni pingue aliquid, & peregrinum propter ætatem adhuc rudem, & parum cultam, viderentur ſonare. *Cicero pro Archia.* Quin non modo ante Liuium Andronicum, qui primus annis fere quadringentis decem poſt vrbem conditam, Romanis fabulam dedit, anno ante natum Ennium; *Cic. 1. Tuſc.* qui fuit maior natu quā Plautus, & Nęuius; ſed ante ipſum quoque Homerum, & huius æqualem Heſiodum, octingentis annis clari, diuinique poetæ in Hiſpania extiterunt, quorum poemata memorandæ vetuſtatis ad Au-

guſti feliciſſima tempora, auctore Strabone, peruenerunt. Nam leges è ſex annorum millibus ſapientiſſimi Hiſpanorum Turduli oſtendebant, qui duo millium annorum ætates, quantum quidem temporis à Tubale conditore noſtro ad ipſum vſq; Auguſtum interceſſiſſet, per digitos reuocato calculo, plane reddunt, modo quadrimeſtres annos de more Ibericæ gentis (ſicuti à Xenophõte in Æquiuocis traditum eſt,) bene ſubducta ratione numeremus. Auguſtum vero ſecuta eſt ætas, Romanis effœta viris, grauis quidem imperio, ſed linguæ Romanæ multo acerbior, & infelicior. Nam extincto Cicerone, literę quoque Latinæ ingens damnum fecerunt, & lumen illud Eloquentiæ, quod forum cauſſis, & Senatum ſententiis illuſtrabat, cum ipſa imperii libertate ſimul ereptum fuit. Cum enim in vnius viri poteſtatem redacta eſſet maieſtas Reipublicæ, ſubito omnes conciderũt oratores, viriq; eloquentes repente ſiluerunt, minoraq; cœperũt eſſe deinde humanitatis ſtudia: nullumq; veteris amplitudinis linguę, aut Romani nitoris extaret hodierno die veſtigium, niſi dolore ſimul & indignatione languenti Latio, hãc vnam gloriam mature præripuiſſet Hiſpania. Hæc fractas iam, & debilitatas imperii opes, indieſq; magis ad interitum properantes, ſuffectis ex Bætica clariſſimis viris, non fortiter modo ſuſtentauit, ſed vrbe quoq;, & tota iam Italia fugientes literas ſola propemodum reuocauit. Nam inprimis Corduba, colonia Patricia, bonorum ingeniorum fœcundiſſima parens, tales eo tempore viros Romam miſit, quales recens literarum iactura, acerbus, & infeſtus eloquentiæ caſus, Oratorum miſerrimæ clades contra tot fortunæ vulnera poſtulabant. Siquidem Annæus Seneca, cum Gallione & Mela germanis fratribus, Lucanoq; nepote, capta à Gn. Domitio Ahenobarbo patria, Romam ſub id tempus commigrauit: reſq; fuit illo ſeculo Hiſpanorũ fama digna, vt mitterentur in Italiam victi, qui imperarent victorib. Fuit autem Annæorum ſtirps generoſa, & tanquam in vnam arborem plura genera, ſic in illam domum multorum inſitę, atq; illuminata doctrina. Huic ætati, vt omittam interim Iuliũ Hyginum Hiſpanum, Romanæ bibliothecæ ab Auguſto Cæſare, cuius erat libertus, præfectũ, & Sextiliũ Henam, poetam. (vt inquit Seneca) magis ingenioſum, quam eruditum, qui ex eodem, quo Lucanus municipio fuit; Seneca alter Tragicus, & Porcius Latro declamator inclytus, quẽ Sodalem ſuum ipſe etiam Seneca ſubinde appellat, ſuppares fuiſſe dicuntur. Ab his itaq; diuinis viris initium ſecundi ſeculi extitiſſe dico, quod ad Imperatores vſq; Antoninos non ſine ingenti Hiſpanorum laude peruenisse video. Ac iure quidem ab ipſo Seneca exordium illuſtrium virorum damus, quem ingenii videlicet acumine, multarum rerum ſciẽtia, ſcriptorum copia, dignitate præterea, & opibus ad fœdum etiam inuidiæ crimen, & ſuſpicionem affectati regni, cęteris æqualibus antecelluiſſe nunquam dubitaui. Cuius memoria tanta fuit, vt non ad vſum modo illi ſufficeret, ſed ad miraculum vſq; & vltra fidẽ procederet. Nam & duo millia nominum, quo ab aliis ordine recitata fuerant, ſtatim ſine vlla hæſitatione referebat, & ab his qui ad præceptorem Marulum audiendum conuenerãt, ſingulos (vt ipſe ait) verſus à ſingulis datos, quum plures quam ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens, vſq; ad primum recitabat. Sed illud mihi memoriæ Lucii Senecæ prope æternæ, ac diuinæ, & preſſius intuenti, & ſępius contemplanti fidẽ facit, quod in ætate iam affecta, & vltra centum & viginti annos progreſſa, omnium Declamatorum, qui in ſuam ętatem incidiſſent, præclaras quidem ſententias, & multitudine innumerabiles, diuinitus meminiſſet: quas & ſeruato Controuerſiarum ordine collegit, & in monumentum tanti facinoris non ſolum Nouato Senecæ, & Melę filiis reliquit, ſed ſtudioſis omnib. perpetuo dicauit. Vnum tamen inter præclaras, & excelſas huius viri virtutes acerrimus æſtimator ingeniorum Quinctilianus deſiderauit, vt ſuo nimirum ingenio, & alieno iudicio dixiſſet. At Iunius Gallio ex arte Oratoria gloriam ſibi petendam exiſtimauit, quemadmodum ex poeſi nepos Lucanus, qui ſi immaturo interceptus non fuiſſet obitu, non eſt quidem dubitandum, quin claros Virgilii manes, ad inuidiam tanti decoris, quãtum in eius illuxit Pharſalia, eſſet permoturus. Nam & ipſe Nero Claudius carminibus tantæ ſublimitatis commotus: vbiq; ſe dilatantem Lucani poeſis famam inuidioſe premere voluit, prohibueratq; oſtentare vanus aſſimulatione. Quod ita grauiter, & iniquo tulit animo diuinus poeta, vt propter hãc vnam cauſam, in eius exitium, cum multis principibus viris conſpirare nõ dubitauerit. Verum in Portio Latrone nequit ſatis demirari Seneca, aureum eloquentiæ flumen, non pluris, quãtum ego credo, diuinam illam Ciceronis vocem facturus, ſi, vt beneficio longiſſimæ ætatis attingere potuit, in illo ſaltem atriolo, in quo duo grandes prętextati ſecum (vt ipſe refert) declamare conſueuerant, quoquo verſus reſonantem audiſſet. Sed diues illa dicendi vena quæ fuit in Latrone, in ſcholarum vmbra, & inanibus ſimulachris, falſaque rerum imagine erudiẽdis tantum iuuenibus occupata, amplitudinis fructu, & lucę Reipublicæ caruit, ſicq; eſt inter priuatos parietes domeſtica exercitatione repreſſa; vt cum

Auctor eſt ſuppoſititius, Sic Xenophõtem Beroſo & Metaſthene aliiſq; ab Annio Viterbienſi confictis Monarchia.

Corduba colonia Patricia.

L. Annæus Seneca.

Annæa gẽs.

Iulius Hyginus.

Sextilius Hena

Seneca Tragicus.

Porcius Latro,

In proœmio Declamationum Senecæ.

Secundum ſeculum.

Seneca philoſophus.

Corn. Taciti locus de Seneca emendandus laborãte.

Hæc Rhetoris patris elogia ſunt, non philoſophi Stoici.

Quinctiliani de Seneca iudicium.

Iunius Gallio.

Lucanus.

Claudius Nero imp.

Porcius Latro:

Seneca in proœmio lib. 1. Epitome Declamationum.

cum illi pro reo, in Hiſpania; Ruſtico Portio, propinquo ſuo cauſa eſſet dicenda, vſque eo confuſus turbatuſq; fuit, vt à ſolæciſmo inciperet, nec ante confirmari potuit, quã à iudicib. impetrauerit, vti ſubſellia, & iudicium in Baſilicam transferrentur, ita ingenia in ſcholaſticis exercitationib. delicata enutriuntur, vt clamorem, ſilentium, riſum, cœlum deniq; nouum pati non poſſint. Cum his vero & ętate æquali, & pari fere declamandi gloria coniuncti fuerũt, Victorius Statorius, municeps Annæi Senecæ, & Cornelius Hiſpanus, & Quinctilianus ſenex Calagurritanus, eius qui Inſtitutiones Oratorias cõſcripſit, feliciſſimus pater, cuius fama (ſi credendum eſt Lucio Senecæ) cum ipſo prorſus extincta fuit. Hinc eius filii, Oratoris clariſſimi, alte inſediſſe animo putauerim iuſtum odium aduerſus Senecam, quod in ipſo poſtea, q̃ tulit de Oratorib. iudicio, dum ſe purgare cupit, nõ potuit diſſimulare. Quamquã ſi tẽpora Galbæ Imperatoris, ex Hiſpania in vrbẽ reuertentis, quũ ex Calagurro nobili Hiſpaniæ oppido Quinctilianum Romã duxit, & numerentur exacte, & conferantur fideliter, cum vix ætate Senecæ, aut memoriam æqualẽ incurrant, ne falſo quidẽ, aut incõſiderate exiſtimauerim, ſi hunc, quẽ numero Declamatorũ exemit Seneca, Afranium illum Quinctilianum eſſe mihi perſuaſerim, qui cũ Lucano, & pleriſq; procerib. in Neronis necem coniurauit. Hoc mihi in loco vellicata eſt auris, ſubitoq; animũ Pomponii Melæ & Iunii Moderati Columellæ minime iniocunda recordatio, qui Caii Cæſaris principatu, his, quos modo nominaui, æquales, cultiori, ac magis elegãti, quã cæteri ſtylo conſcripſerunt. Alter enim de re ruſtica, minime ruſtice; Alter orbis ſitũ (vt ipſe ait) dicere aggreſſus, impeditum opus, & facundiæ minime capax, ſingulari tamen ſermonis proprietate explicauit. Vterq; quidem Bæticus fuit, ſed vnũ nobiliſſimæ Gades, vetus Phænicũ colonia populo Romano dedit; alterum Mellariam oppidum, quod in ditione nunc eſt, Methymnæ, ac Sidoniæ Ducum, diffluentem melle produxit. Verum Columellæ elegantiam, & tantum in re neq; vrbana, neq; lauta nitorem, non Palladis modo ruſticitati, ſed priſcis illis Catonis oraculis, & Plinianæ maieſtati, & Varronis etiam Muſis, ne ambitioſa quidem cenſura prætulerim. Etenim conſideraſſe arbitror virum eloquentiſſimum, quondã Reges, ac ſummos Imperatores terram laureato vomere ſubegiſſe, viroſq; illos triumphales, & Senatum ipſum Romanũ orbis Dominum, diſperſos olim habitaſſe in agris, vbi ſerentem Seranum, dati honores inuenerunt, & Quinctio Cincinnato quatuor ſua iugera in Vaticano aranti viator attulit Dictaturam, & quidem (vt traditur) nudo, plenoq; pulueris etiã ore; voluiſſeq; eam materiam, quam ipſi quoq; Reges ſtudioſe pertractaſſent, ſplendida iuxta, atq; eleganti oratione complecti.

Victorius Statorius. *Co n. Hiſpanus.* *Quinctilianus ſenex.* *Præfat. libr. 6. Declamationum: & Cõtrouerſia 33. ex edit. Gryphii.* *Pomponius Mela.* *Iunius Columella.* *Agriculturæ laus.* *Plinius libr. 18. Natur. Hiſtor. ca. 3. Perſius Sat.*

At Pomponium Melam ſic ego dum nihil ago, cum doctiſſimis Geographis comparare, neq; inepte tamen, neq; imperite ſoleo, vt Straboni Cretenſi *eruditionem, Plinio diligentiam, Ptolomæo artem tribuam, huic quidem vni, cum valde laudare cupio, omnia libenter largior; cum intra modum vero laudationis conſiſto, breuitate, pariter, & elegãtia præter cæteros commendo.

Mela. ** Nã matre Gnoſſia natus, vt ipſe lib. 10. Geograph. ortus tamẽ in Amaſia, ciuitate Pontica Amaſeus eſt, Stephano autore. Cappadocem facit Ioſephus lib. 13. antiqu. Iudaic.*

Non multos poſt annos Domitiani imperio exſtitit Fabius Quinctilianus, cuius domus cunctæ Italiæ quaſi ludus quidam patuit; magnus quidẽ orator, & perfectus magiſter, neque forenſi luce caruit, neq; illam gloriam, quam per viginti annos inſtituendis iuuenibus intra parietes aluit, quiſquam eſt meo iudicio poſtea conſecutus. Hunc Galba Imperator, ex Calagurro antiquo quidem Hiſpaniæ oppido, cum patre illuſtri oratore (ſicuti facer affirmat Hieronymus) Romam attulit: vnde antea Iulius Cæſar eductis equitum turmis, & vitam tueri propriam & opes firmare imperii, inuicto, fideliq; præſidio voluit, vnum in Hiſpania oppidum (quod tacitum equidem præterire non poſſum) neq; frequens ciuibus, neque florens opibus, ea tempeſtate viros tulit, quib. & imperii Romani tutela, & linguę Latinæ ſalus crederentur.

Fabius Quinctilianus. *D. Hieronymus ad Euſeb. Chronicon.*

Cæterum in Fabio Quinctiliano ſummum fuit ingenium, & memoria tanta, quantam in alio vnquam fuiſſe memini. Nam ſi quando ex tẽpore declamaret, nobiliumq; virorum (vt ſæpe fit) interuentu cogeretur à principio dicere, ſingula ſine vlla, aut vultus, aut vocis perturbatione reddebat verba: quæ facultas alioqui extẽporalis per vim, ac mobilitatem ingenii quum iam longius proceſſiſſet, copioſe ſuppeditauerat. Cauſas cum multis oratorib. illuſtres egit, à quib. ponendi officium inprimis exigebatur, quemadmodũ Hortẽſius cum partiretur cauſas, Ciceroni epilogos conſueuit relinquere, quod in ea maxime orationis parte viri eloquentis exultaret oratio. Hoc non admodum ſene ad magnum nomẽ ingenii peruenerint Silius Italicus, qui à natali ſolo, & patria germana cognomen accepit, & Valerius Martialis Bilbilitanus, quos in diuinis poetis habitos ſcio: nam & plurimum eos natura valuiſſe, & mentis ſolitos excitari viribus, & quaſi diuino quodã afflari ſpiritu, dum Bella Punicæ alter ad Virgilii imitationem, cuius quotannis illuſtres Manes colebat, com-

Silius Italicus poeta. *Val. Martialis.*

poſitus perſonaret; Alter neq; ſermone inculto, neq; arida vena, ſalibus & iocis vndiq; diffflueret: ſic Ælio Seuero in deliciis habitus, vt noto illo, & à pleriſq; celebrato elogio, ſuum Virgilium appellaret. Epigrammatis clarus extitit, ſoluſq; inter plurimos viſus eſt, cui omnes lepores, gratiæ, vrbanitates à Muſis benigna manu concederentur. Facultas tamẽ forenſis exoptanti non contigit, ne vltra quam homini datum eſt, humana proueherẽtur ingenia. Etenim ſic naturæ lege comparatũ eſt, vt ſuis ſint apti reb. excellẽtes viri, & quibuſdam etiam eloquentiæ finib. terminen ur ingenia, ne feſtinata in hominib. maturitate, in ſpes maiores ſorte ſua ab adoleſcentia aſſurgant. Atqui Vergilium ipſum illa tanta ingenii felicitas in oratione ſoluta reliquit, Ciceronem eloquentia ſua in carminib. deſtituit. Orationes Salluſtii in honorem hiſtoriarũ leguntur, Eloquentiſſimi viri Platonis, quæ pro Socrate ſcripta eſt oratio, nec patrono, nec reo digna eſt habita. Illuſtrarunt præterea hæc tẽpora Decianus, & Licianus, tũ Canius Rufus Gaditanus, quos nõ vates modo diuorumq; nuntios, & interpretes, ſicuti diuinus Plato vocat, ſed ſocios etiã, & poetici laboris cõſortes fuiſſe nouimus. Contraxerat autem Martiali communis cum Liciano patria arctiſſimam amicitiam: nam Decianus Emeritanus credebatur ex gente illa doctiſſima, atq; longæua Turdulorum, quorum & vltra flumen Anam fines protendebantur.

Non Cui dat cuncta Deus Homer.

Seneca Verba in præfat. lib. III. Controuerſiarum.

Decianus. Licianus. Canius Rufus. Hadrianus Imp. Aug. Traianus Imp.

Porro res ipſa temporib. & imperiis diſtributa, ad Æliũ Adrianũ Italicæ ſtirpis, & Traiani conſobrinum, neq; nos inuictos perduxit, neq; ad huius viri magnitudinẽ ſcribẽdam, ſine quodam mentis quaſi ſtupore traducere potuit. Habuit igitur Adrianus ingenium multiplex, variũ, acutum, ſemper præſens, & imperio Romano par, q; antea Seneca de Cicerone dixerat, quamq; eius gentilis Traianus, qui adoptione Neruæ imperiũ obtinuit, à literis, & Muſis nunquam auerſus fuerit. Sed in Adrianum diui ipſi ſua prorſus bona (vt dici ſolet) effuderunt: nam ſi dicendi copiam, & artẽ oratoriam in Principe (vt Plato poſtulat) requiramus, cauſam pro Italicenſib. municipib. ſuis eleganti, ornataq; oratione (quẽadmodum Gellius refert) frequenti Senatu egit, ſi vero poeticam ſpectemus, nemini vnquã (q; meminiſſe queam) aut præſentius Mineruæ numen fuit, aut magis ſane familiare, quam cum ſaltitſſimis verſib. (q; Ælius narrat Spartianus) Florum poetã luſit. Literarũ omnium peritiſſimus eſt habitus: ſed Matheſeos inprimis. Idẽ architectus, Muſicus, ſtatuarius, multarum deniq; artiũ refertiſſima officina. Huius vero principis aulã, non viri tantũ militares, ſed innumerabiles etiam philoſophorũ greges tanquã in Lyceum, aut veterẽ Academiam, vnũ ve aliquod ex illis antiquis gymnaſiis, magnis de reb. diſputaturi, conueniebãt. Atqui fuit priſcis illis ſeculis præclara quædam, & nunquam ſatis laudata cõſuetudo, quã in Principib. noſtris non ſine ſummo deſiderio requiri videmus, vt duces modo exercitati, modo viri genere illuſtri, & claro, alias inſignes, vel vſu rerum, vel eruditione præſtantes, regiæ menſę adhiberentur. Qui quaſi diuum epulis accumbentes, vel quæ de re militari ſub ipſis pellib. fuerant experti, vel optimarum artiũ ſtudiis inueniſſent, aud ẽte rege grauiter pertractabant. Sed Gotica poſtea, & aliorũ Barbarorum cæde, ac ſanguine ſaturata ſuperbia, vt eſt omne genus humanitatis aſpernata, ita dum à ſuis timeri magis, quam amari ſtuduit, neq; menſis fortes bellatores recepit, nec diſertis, literatiſq; viris vacuas vnquam accommodauit aures.

A. Gellius lib. 16. cap. 13. Noctium Atticarum.

Florus poeta.

De Ximenſis Principum adhibendis.

Sed vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, Adriani imperium duo diuerſis temporib. continuato tamen ſucceſſionis ordine, exceperunt Antonini. Quorum funeſtiſſimo, miſerandoq; bonis literis interitu, grauis eſt imperio Romano iniecta ſecuris, tum quod in ſuccedẽtib. principib. iã omnino maſcula illa Romuli proles, & Italica virtus defeciſſent: tumq; omnis Latini ſermonis exulcerata gratia, & ab eo quidem tempore extincta prorſus exiſtimetur: tumq; decus, gloria, maieſtas. Romani nominis, nec propagari in poſterũ (q; magis fuit dolendum) nec ruentia, ſiſti, niſi in vno Theodoſio Hiſpano, & altero Conſtãtino Magno, translatis Byzantium imperii opibus quo ferus omnia Iupiter (vt bonus canit poeta) cum orbis tutela commigrauit.

Antonini Impp. AA.

Cõſtantinopolim translata imperii ſedes.

Cicero in Topicis ex Vetere poeta. Igneum fulmen creſpe ſulcum detecit &c.

Hinc mihi nouum ſęculum vt religione, & pietate ampliore, ita doctrina quidem, & eloquẽtia auguſtiore, inter miſerrimas vrbis clades, & diſiecta membra Reipublicæ, labantem, quoq; molẽ imperii, exoriri viſum eſt. Nam trecentis poſtea annis, vſq; ad euerſam vrbem, & deuaſtationem illam Gothicam, quæ totam fere Europam, ceu fulmen Iouis criſpi ſulcum peruaſit, vnus, aut alter extitit, qui ſilentes inter arma Muſas, non locis iam publicis, aut ſpaciis Academiarum ampliſſimis, ſed gurguſtiis, & ſpecubus infinita altitudine abditus colebat.

Gregorius Bæticus, Theologus, Epiſc.

Pacianus Epiſc. Barcinonenſis.

Ex his, quanquã diuerſis temporib. fuerunt Gregorius Bæticus, vir ſanctimonia, & eruditione illuſtris, cuius cum ſtudiis, apud Granatam, vbi erat Epiſcopus, vita terminata fuit.

Et Patianus, qui Theodoſii tẽpore in Pyrenæi iugis ortus, impiis Nouatianis acerrime

profli-

proſligatis, magnam quidem, & immortalē gloriam Eccleſiæ Barcinonenſi cōparauit. Æqualem incurrerunt memoriam Matronianus & Tiberianus Bætici, neq; poetæ ignobiles, neq; oratores contemnendi.

Matronianus. Tiberianus.

Sed in Idacii labiis ſeſſitaſſe dicebatur eo tempore quædam, contra Priſcilianum hæreticum perſuadendi dea, cuius neq; vim perferre, neq; ſplendorem eloquentiſſimi hominis nefarius ille gladiator ſuſtinere poterat. Fuit enim Idacius, vrbis Lemicæ Prȩſul, quæ caput nunc eſt in Galecia, ditionis illuſtriſſimæ familiȩ Caſtrorū, nec à Bracara, quod oppidum eſt in Luſitania, longiſſime abeſt; vbi longo poſtea tempore (ſicuti ego à maiorib. accepi) quinquaginta Epiſcoporum ex tota Hiſpania coacto Concilio, primo diſputationis impetu fuſi, turbatiq; Priſciliani ſectatores conciderunt. Aprigius autem Epiſcopus Pacenſis, & Iuſtinianus Valentinus, Eccleſias, quib. magno populi conſenſu gubernandis admoti fuerāt, doctiſſimis literarum monumentis continuerunt.

Idacius Epiſ. Aprigius Epiſc. Pacenſis. Iuſtinianus. Valentinus.

Sed maiorem in Rufo Feſto, & Aquilio Seuero eloquentiæ vim, Diocletiani, & Valentiniani tempora ſenſerunt, cuius præclaræ poeſis fama non in Hiſpania modo percrebuerat, ſed omnes etiam Imperii terras ſumma cum laude peruagata fuit.

Rufus Feſtus. Aquilius Seuerus.

Anteceſſerūt ætate Oſius Cordubenſis, & illa vnica Hieronymi Lux, Damaſus Madritenſis, (ſi qua tamen fides Lucio Siculo citra pudorē debetur, qui ex Mantua Carpetanum appellat) & vtriuſq; æqualis Oroſius, qui ab Auguſtino, cuius erat cum Eutropio amantiſſim⁹ diſcipulus, in Palæſtinā miſſus, de Animi ratione à principe Hieronymo eſt inſtitutus. Prætereo Iuuencum nobilitate clarum, & Aurelium Prudentium Cæſarauguſtanum, quos inter principes poetas ſacer Hieronymus numerauit.

Oſius Cordubenſis. Damaſus papa. Paulus Oroſius. Iuuencus Prudentius.

Omitto rurſus Maximum Cæſarauguſtanum, & Eutropium Epiſcopum Valentinum, qui mihi ſane viri diuini, omnem ſupergreſſi laudem videntur. Verū cum omnis ætas conqueſta ſit de tempore ſuo, ita tulit caſus miſerabilis, & acerbus, vt ea tempora ingenioſi homines incurrerent, quum non imaginem Eloquentiæ veram, ſed vmbram potius aſſecuti fuiſſent: quæ ita à fortuna deformata eſt, vt tamen à natura inchoata facile cōpareret. Quāquam qui ſub Theodoſio literis aliquid mandarunt, quum Hieronymi & Auguſtini tēpora attigiſſent, nunquam ſi numeros eloquentiæ non impleuerint, in Latinorum numerum mihi referentur. Neq; eo tamen in his commendandis proceſſerim, effuſæ laudis, vt non mirer magis mores antiqui candoris, ſynceritatem vitȩ, integritatem animorū, robur fidei, incendium amoris, quam aut elegantem breuitatē, aut fuſam contra, lacteamq; dicēdi copiam in Oroſii hiſtoria. Nam de Damaſi verſibus, quos non vidi, aut Pontificū Annalibus, quos ipſe etiam conſcripſit, nihil equidem iudicare poſſum. Prudentius vero, & Iuuencus (ſi quod mihi eſt in hac re cū libertate iudiciū) meliores verſificatores, quā Poetæ videtur.

Maximus Cæſarauguſtanus. Eutropius Epiſc. Valentinus. Theodoſii Imp. ætas. Omphrius Panuinius negat Damaſi eſſe hoc opus.

At Oſius Cordubenſis, ad Bithyniæ Nicæam venit, vbi & pro dulci libertatis nomine, & vera Chriſti religione magni eo tempore celebrarentur conuentus; hic ille, & in Concilio Sardicenſi præclaras, & alta mente petitas ſententias dixit, niſi eas poſtea in Sirmio cū impiis Arrianis conſentiens, modo vt miſeriæ, & importunitati illius temporis inſeruiret, turpi defectionis nota obſcuraſſet. Sed id fecerat inuitus, quod longa iam ætate confectus, & male ſeruatus in illum diē miſerrimus ſenex, neq; ſæuas pati plagas, nec immanes ferre cruciatus poſſet, quum flagris, & verberib. ab ipſis Arrianis validiſſime cæderetur. Verū depoſito ſtatim miſeræ mortalitatis metu, in Liberii Pontificis Romani ſocietatem tanquam in equum Troianum cum principib. includi vſq; adeo non recuſauit, vt exilium, quod in maximis malis dicitur, pertæſus defectionem illam ſuam, miſeram, & male quidem ſimulatam, conſtanti animo tulerit. Nam nullis neq; minis, neq; terrorib. pertrahi vnquam potuit, vt nefariis, ac ſacrilegis Arrianorum decretis in Concilio Mediolanenſi cū dedecore Chriſtianæ veritatis ſubſcriberet. Quocirca nunquam tam immemor poſteritas fuit, neque literæ cuiuſquam tam ingratæ memorantur, vt huius viri gloriam immortalitatis memoria non proſequantur.

Honorii & Arcadii Impp. ætas. Bibliotheca incendium. Vide Zonaram.

Dum hi florerent, eripitur Theodoſius, qui deſide, ignauoque relicto filio Honorio, (vt nihil de eius germano fratre Arcadio dicam) miſerabilem, & luctuoſiſſimum caſum imperio Romano attulit. Nā Gothica lues repēte erupit, lateq; per Italiā, & Hiſpanias exitiali impunitate graſſata, vrbē ipſam orbis caput, anno poſt eam conditā MCLXIV. furore barbarico euertit. Sic creuit continuo huius belli ſæuiſſima peſtis, flammaq; miſerrimi incendii, regnante Iſaurico, adeo eſt excitata, & vltra vrbis partem maximam conflagrantē, centum & viginti librorū milia vno fatali die & ſtudiis calamitoſo, crudeliter abſumſerit. Inter quȩ (quod lacrymans refero) & Homeri diuinum Poema inteſtino draconis centū viginti pedum aureis literis deſcriptum, crepitantibus flammis (vt cum eius æmulo Virgilio loquar) vna combuſtum eſt. Quod ſi noſtra, aut patrum, auorumq; memoria obtigiſſet, ô quam bene cum multis libris egiſſet ignis.

Virg. 1. Georgic. Atque leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis & Aeneid. 7 imitatus Lucretium. Vitius & Tibullus lib. 1. Elegia 6. Et ſuccenſa ſacris crepitet bene Laurea flammis.

Sed pulſis Italia Gothis, eorum Hiſpania ſtatim concrepuerunt arma, & facile fuit vincere non repugnantes. Nam Hiſpani propter elatos ſpiritus, nec vnum ſequi caput, nec in ordinem cogi, nec habere delectus, nec reſpondere ad nomina pro innata ſuperbia, tædioque Romani imperii poterant; quod aliorum ſcilicet obedire præceptis erubeſcerent: nam dum ſuis obtemperare recuſant, alienam ſeruitutem incurrunt. In hac tãta fortunæ iactatione, & æſtu ferentium Gothorum, immenſa barbarie nox incubuit communib. ſtudiis, neq; cuiuſquam ingenio tenebræ illæ, quæ totam occupauerant terram, prærumpi poterãt, donec ſtellæ Caſtores in Bætica peropportune promicare cœperunt, fulgoreque ſuo illuſtrare orbem conati, maculam Arrianæ hæreſis, quæ penitus iam inſederat, atq; inueterauerat in Gothicæ gentis nomine, dextri, ac ſalutares deleuerunt.

D. Leander, Fulgentius & Iſidorus, fratres.
Valens Imp.
Hebræa lingua.
Iudæi Roma Italiaq; exacti Cæſarum Tiberii & Claudii imperio.
Græca litera.
D. Iſidorus.
Gilbertus Gallus qui poſt Silueſter II.
Synodi Toletana 13. & Hiſpalenſes.

Hi fuerunt tres Germani fratres, lumina, & ornamenta Reip. noſtræ, Leander, Fulgentius, & Iſidorus, nobilitate clari, eruditione inſignes; ſanctimonia venerabiles: qui Romanam, & Atticam eloquẽtiam inſigniter edocti, in literis quoq; Hebraicis minime infantes, Gothos ipſos Valẽtis imperatoris ſcelere, ac ſacrilegio corruptos, Chriſtianam religionem fortiter docuerunt. Vigebant porro ea tempeſtate Hebraicæ literæ in Hiſpania, quas multis ante ſæculis ſub Tiberium Cæſarem vrbe, Italiaq; tota pulſi, fugienteſq; decreto Senatus Iudæi, & paucis poſt annis exacti imperio Claudii, in Hiſpaniam inuexerant. Florebant quoq; Hiſpali Latinæ, & Græcæ literæ, artes etiam omnes humanitatis: vnde & ſermo facetus, & nulla in re rudis inerat noſtris hominibus, qui à fera, agreſtiq; vita ad humanũ, ciuilemq; cultũ Hiſpanam gentem deducebat. Hic noſter Iſidorus præſtans ingenio, ac diligẽtia, ſtudia doctrinæ mirifice colebat, vbi poſtea Gilbertus Gallus, literas auidiſſime didicit: ille in quã Imperiũ Romanæ eccleſiæ adeptus, Silueſter ſecundus eſt appellatus. Trium igitur linguarũ cognitione tres præſtantiſſimi Bæticæ principes armati, importunitatẽ noui, & inauditi ſceleris, quæ in Gothorũ morib. & viſcerib. exarſerat, partim Hiſpali, & Toleti celebratis Synodis, & magnis Eccleſiæ conuentib. reſtinxerũt; partim belluas illas portentis immanes, & feras, forma hominum inducta, docta primũ, & eloquenti voce cõmotas, deinde hortando, monendo, obſecrando, ad verum Dei cultũ pertraxerunt. Adfuerũt Reges Gothi Toletanis, & Hiſpalenſib. Conciliis; lauſq; illa fuit vnica, & maxime propria noſtræ Hiſpaniæ, barbaros, & feros homines, qui non iuri, non legib. non diuinæ religioni, non humano officio aſſueti erant; ſed omnia virib. corporis per vim, ac tyrannidẽ adminiſtrarent, ex cæca ac temeraria dominatrice animi ira ac libidine, ad manſuetudinẽ, & clemẽtiam potuiſſe perduci. Nã Rex inclytus Reccaredus dum Leandrũ de fide, ac religione diſſerentem audit. Primo propter inſolentiam attonitus, modioeq; reclamãs, deinde propter rationem, & orationem ſtudioſus auſcultans ex impio religioſus, ex immani mitis, ac manſuetus eſt effectus.

Eiuſq; filiũ Hermenegildum.

S. Leander.
Gregorius I. Pont. Max. libros Moralium in Iob Leandro inſcripſit.
D. Iſidorus.

Erat vero in Leandro autoritas tanta, & ſummæ eruditionis præiudicata opinio, vt magnus ille prætextatus Gregorius, & primus huius nominis Eccleſiæ Romanæ princeps, cõmẽtaria, quæ in Iob prophetam ediderat, huic dicare in lucro poſuerit. At Iſidori eloquentiam ſæpe in Conciliis, præſente Siſebuto laudatam comperimus: præſertim quũ Acephalorum nefarios conatus, Siſebuti Regis fauore, qui Iudæos Hiſpaniarum regno expulerat, coacto Hiſpali Concilio, acri, eloquentiq; diſputatione fregit.

S. Eugenius.
Pro beata Virgine contra Eluidianos.
Concilia Hiſpaniæ.

Eugenii doctrinam admiratus eſt Chintilianus Gothus: nam Bamba, & Eringius reges ad memorabilem, & diuinã Alfonſi præſulis vocem rigidi obſtupuerunt, dum fœcundam virginitatem & inuiolati pudoris ſacramentum, in Seruatorem enixa virgine, à nefario Eluidio vindicaret. Fuit enim quaſi immortalis Dei beneficio, datum Reip. noſtræ Præſulum Gothicorum genus, & nomen, ad libertatem populi Chriſtiani vel conſtituendã, vel recuperandam. Nuſquam enim plura, quam in Hiſpania Concilia celebrata ſunt, quæ nec cogi potuiſſent, neq; ad ſummum perduci coacta, niſi Hiſpani homines exactã diuinæ ſcripturæ cognitionẽ habuiſſent, & linguas probe noſſent, quas Chriſtus ſuo ſanguine in cruce conſecrauerat: & Viennenſis Synodus nõ multis ab hinc annis, ſalariis quam ampliſſimis profeſſorib. conſtitutis, publicis ſcholis intuliſſet. Atqui fuerunt Hiſpaniæ Præſules potentium regum præceptores, & veri Magiſtri nobilitatis Gothicæ, quos ſic inſtituerũt, pie prudenterq; formarunt, vt ſe nunquam cum hoſtib. Chriſtiani nominis non ſuſcepturos bella, ſolenni inautorati ſacramento, ad ſacras diuorum aras ſponte ſua iurarent. Quod quidẽ Hiſpaniæ reges, iam inde a Pelagio fortiſſimo, ſanctiſſimoq; principe, cum religioſe, tum ſtricto in acie Granatenſi gladio, nouiſſime contra Saracenos, & fortiſſime præſtiterunt. Ac vidimus tandẽ victoriam ipſam bellorũ exitu terminatam, & enſem Ferdinãdi Regis apud inclytam Granatam ſanguine cruentum. Perculit continuo vis Martis proximos Tingitanos, quibus quoad vixit, bellum atrox, & luctuoſum indixit. Neq; Carolus v. inuictiſſimus

Granatenſe bellum.
Ferdinãdus Rex Hiſp.
Carolus quintus.

Cæſa

Cæſar huius iuriſiurandi immemor, nuper domuit rebellantes Germanos, gẽtes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, Lutherana impietate bacchantes, & vltra Oceanum patefecit terras, quas in conſultatione poſuit Alexander an eſſet inuenturus.

Hiſpania amiſſio. Iulianus Comes Hiſpaniam Mauris prodidit.

Cæterũ magnis ſe deinde variantis fortunæ turbinibus, & nouis inenarrabilis æſtus excitatis procellis, vnius Iuliani dolo, & deploranda perfidia, exciſum eſt Gothicũ imperium: nam cum filiam vnicam, forma quidem egregia, ac liberali præter cæteras, à Roderico Rege vitiatam reſciſſet, protinus dolos pluſquam Sinonios perdendæ Hiſpaniæ nexuit, Arabeſq; Religionis noſtræ acerrimos hoſtes, traiecto Gaditano freto, per Bæticã in Hiſpanias introduxit. Hic alius fuit Hiſpaniæ ſtatus omnium certe miſerrimus, & calamitoſus: tum q, tota propemodum Hiſpania capta ad Aſtures, & Cantabros cum diuis Laribus, patriaq; diſciplina, Gothica nobilitas confugit; tum quia relictis literarum ſtudiis, de vita, & fortunis eſſent in poſterum miſeri Hiſpani decertaturi.

Medicina & Aſtronomia in Hiſp. ſcient.

At in his denſiſſimis Hiſpaniæ tenebris, tum primum enituerũt Medicina, & Aſtronomia. Siquidem ante id ætatis nihil languidius acceperamus: nam & Arabes vtramq; artem ſupra modum conſecuti putantur; & quę longinquitate temporum, multiſq; experimẽtis obſeruaſſent, in commentarios retulerunt. Hinc tot ſpeculas in iugis Hiſpaniæ montiũ, & prærupta, editiſſimaq; oppida videmus, quæ partim ad Chriſtianorũ inſidias explorandas; partim (quod mihi vero ſimilius eſt) ad intuendum cœlum ex omni parte patens, atq; apertum, ſapienter ædificata videntur. Cum enim planiciem (vt Aſſyrii) ad conſiderandos ſtellarum motus, & traiectiones vbiq; non haberent, ad celſiſſima loca, vnde longiſſimus eſſet in omnem partem proſpectus, vniuerſi Aſtronomi cõceſſiſſe eredunt. Tulit hoc tẽpus cum alios in Medicina, & Phyſicis diſciplinis per multos conſummatos viros, cum quatuor in omni genere artium facile princeps, Raſim, qui ſeptuaginta ante Auicennam annis floruit, & cunctorum ante ſe ſcriptorum commentaries collegit: Zourum, qui cognominatus eſt ſapiens. Auicennam Cordubenſem, & vt quidã tradunt, Hiſpalenſem, & Bithyniæ regem, cuius Metaphyſica à poſteris (vt equidem inuenio) valdẽ probata fuit. Et Auerroem Cordubenſem, implacabilem Auicennæ æmulum. Quamquã mallem ego Auicennam ipſum Arabice, quam Latine in ſcholis interpretari; vel quod natiua lingua minus Galeni ſectatores offenderet; vel quod ęquiori ſane reciperetur animo, ni tam barbare didiciſſet loqui; qui ſi modo princeps medicus ab inferis ſuſcitaretur, quãs non eſſet Tragœdias cũ barbaro illo interprete excitaturus? Chriſtiani autem qui ſe ad montes & anguſtias viarum interea temporis receperant, cum ſuum præſidium in capite, atq; ceruicib. Arabum collocaſſent, ſæpe eum hoſte collatis ſignis, dimicarunt, ac primum à Legionenſi regno deiecerũt; mox magna Caſtellæ parte recuperata inter ſæuam bellorum rabiem, illaq; fortia noſtrorũ hominum facta, quæ ipſi ſi adeſſent Troiani, etiam exhorrerent, ad ſqualorem, & luctũ literarum ex longo deſiderio oculos conuerterunt. Ingemuerunt omnes viri boni, ac literati, vicemq; ſtudiorum vehementer miſerati, de aſſerendis in priſtinum nitorem literarum ſtudiis prudenter conſultare cœperunt.

Raſis Arabs. Zourus. Auicenna. Auerroes.

ACADEMIA PALANTINA.

Tellio Epiſc. Palantinus.

HVIVS autem ſalutaris conſilii autor Tellio, Epiſcopus Palantinus ferebatur, qui cum paucis eiuſdẽ animi lectiſſimis viris, ab Alfonſo Caſtellæ rege ſanctiſſ. itidẽ regis filio (ſicuti ego accepi) obnixe, multiſq; precib. contendit, vti noua Palantiæ Academia erigeretur, quando ſignum aliquod eſſet ſublatum ad bene de omni recuperanda Hiſpania ſperandum. Conditur igitur Palantiæ ab hinc trecentis octoginta circiter annis nobile, magnificumque Muſæum, vnde in omni doctrinarum genere viri pręſtantiſſimi prodierunt.

Palantina Academia. S. Dominicus.

Inter quos Dominicus Calagurritanus, vir & ſanctimonia, & literis eo tempore incomparabilis, velut fulgentiſſimus Sol inter planetas minores apparuit; quamquam Valentiæ tum literas didiciſſe Volaterranus affirmet.

SALMANTIC. ACADEMIA.

VErum poſt annos exactos triginta quatuor, vel Ferdinãdus Caſtellæ rex (vt quibuſdam placere video) vel Alfonſus ſanctiſſimi illius Ferdinãdi regius filius, qui Hiſpalim vrbẽ florentiſſimam ex Arabum dominatione, ac tyrannide vindicauit; aut propter vberiorem annonæ copiam, & abundantiores alendis iuuenibus, qui ingenii excolendi gratia eo confluerent, è proximis vicis commeatus; aut ob cælũ ſtudioſis mitius, ac benignius, in vrbem Salmanticam Academiam ipſam auſpicato tranſtulit.

Alfonſus x. Hiſp. rex.

His temporib. Alfonſus x. qui anno poſt tranſlatã Academiã XVII. laureatos regni faſces accepit, ingẽs dec^o attulit. Si quidẽ parũ viſum eſt cæleſti numini, cũ eſſe maximũ Aſtrologorũ, niſi & veterẽ Hiſpaniæ gloriã mirũ in modũ ampliaret, & leges infinitis voluminib.

Leges & Tabula Alfonſina. Hiſtoria Vniuerſalis Hiſp.

antea diſperſas, in ſeptem ſectionum libros (quas noſtri Hiſpani *Partitas* appellant) cõtraheret; & doctiſſimas Aſtronomię tabulas; & hiſtoriam, quam generalem nominãt, partim ipſe ſuo elaboraret ingenio, partim per alios conſcribendas curaret. Huius cum exemplo, tum fauore cœperunt magis protendi, ac dilatari literarum ſtudia, quæ ſic mentes hominũ arcana quadam vi, ac poteſtate occuparunt, & parua putarentur fore arma; quorum à literis præſidia non peterentur.

Iulianus Pomerius. Ioannes Epiſc. Gerundenſis.

Quocirca magni breui tempore extiterunt eruditorũ prouentus, inter quos enituerunt Iulianus Pomerius, & Ioannes Epiſcopus Gerundenſis, qui natione Gothus, & patria Luſitanus, literis quoq; Græcis, & Latinis Byzantii apprime eruditus, tũ diſciplina illa formatus, quæ digna eſt (vt ait Cicero) ſtudioſis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna Principibus, digna Regibus, bacchantes, ac furentes in Luſitania ea tempeſtate Arrianos multis, ac doctiſſimis quidem diſputationib. coercuit. Ac propter hanc vnã cauſam Barcinonem relegatus eſt, vbi ita ſe collocauit, vt Gerundenſis Eccleſiæ principatum obtinuerit. Tum diuus Antonius Olyſipponenſium gloria, cuius doctrinę vberrimos fructus Itali etiam, & Galli auidiſſime perceperunt. Ramundus quoq; Barcinonẽſis Theologiæ, iuriſq; Pontificii egregie doctus, qui Decretales Epiſtolas quæ fuſæ, ſparſæq; fuerãt, in vnum quaſi corpus, aut volumen, delegata huius eximii laboris cura à Gregorio nono, artificio ſe contulit.

D. Antonius de Padua, cognominatus. Raymũdus Barcinon.

Garſias Hiſpalenſis I. C.

Parem huic eſt aſſecutus gloriam Garſias Hiſpalenſis, doctiſſimis in eaſdem Decretales editis Commentariis.

Io. Turrecremata Card.

Secutus è veſtigio eſt Ioannes Torquemeda, vir ſeculorũ omniũ memoria dignus, qui cum his duobus, quos modo nominaui, egregium Triumuiratum conſtituere poteſt.

Verus Hiſp. Archiep. Pet. Hiſpanus.

Conuerterũt ad ſe deinde hominũ ſtudia, vbiq; terrarũ diffundẽte ſe doctrinę fama, Verus Archiepiſc. Hiſpalẽſis, Et Petrus Hiſpanus, qui ab Innoc. octauo Cardinalis creatus eſt.

Vincentius Ferrarius. Paulus & Alfonſus Burgenſes. Alfonſus Toſtadus Abulenſis Epiſc.

Tum Vincẽtius Ferrarius Valẽtinus, Paulus deinde Epiſcopus Burgenſis, & huius filius Alfonſus, qui cum eccleſiam Burgenſem adminiſtraret, hiſtoriam de rebus in Hiſpania à noſtris hominibus bello geſtis, non inepte conſcripſit.

Sed ex tam infinita doctorũ hominũ multitudine quantã hæc ætas habuit, nemo citra controuerſiã ad Alfonſi Toſtado Epiſcopi Abulẽſis laudẽ aſpirauit: cui ſi alio, quã ſuo ſeculo viuere contigiſſet, neq; Hipponæ Auguſtinũ, neq; Stridoni Hieronymũ, nec aliũ quempiam, ex illis procerib. Eccleſiæ antiquis nunc inuideremus. Excellẽtis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ; diuinæ etiã ſapiẽtiæ, & antiquitatis peririſſimus; dignus fortaſſe, qui poſt quatuor Eccleſiæ doctores, cũ Iſidoro & Thoma, de quinto loco certaret. Quod ſi purior quędã, ſplendidiorq; conſuetudo loquendi ſuis temporib. fuiſſet, nõ dubito quin poſteriores omnes in ſui admirationẽ eſſet conuerſurus. Fuit hæc ætas paulo eruditior: nam poſtea quã regno Hiſpaniarũ cõſtituto, diuturnitas pacis otiũ cõfirmauit, nemo ferè laudis cupidus adoleſcens, non ſibi ad perdiſcendũ literas omni ſtudio enitendũ putauit. Huius enim memorię minime veteris mihi ſane ſatis explicata eſt recordatio; quinquaginta duos cũ in iure Canonico, tũ in ſacris literis laureatos viros, rogatu, iuſſuq; Alfonſi Carilli Archiepiſcopi Toletani, Complutũ noſtrorũ auorum memoria conueniſſe, vt de Exomologeſi à Petro Oxomenſi edita, iudicii ſeueritas exerceretur. Is enim Salmanticæ Theologiã profitebatur: cumq; vindices nondũ eſſent, qui vltricib. flammis cuiuſquã in religione errata coërcerent (quod quidem decus Ferdinandus Rex exactis Hiſpania Iudæis, noſtræ nationi fecit) ipſi eſt Alfonſo Præſuli à Sixto quarto huius cognitionis delegata cura.

Alfonſus Carillus Archiepiſc. Tolet. Petrus Vxamenſis. Iudices fidei in Hiſpania: patres & ſalutis auctores. Sophiſtica in Hiſpania oppreſſa.

Hoc mihi in loco Sophiſtarũ reddenda eſt ratio, qui iam inde à Boethio Seuerino, quũ Zeno Iſauricus late rerum potiretur, ſiniſtris ominib. nati fuerunt. Hi vero praua, & ambitioſa leguleiorum æmulatione, ad rubricas paſſim, & formulas ſe conuertentium, cũ ipſum Ius ciuile conſtituendis reb. publicis perneceſſarium non intelligerent; principio modice; ac diffidenter in Italia cœperunt, mox tranſlata Lutetiam Pariſiorum à Carolo magno Romana Academia; confidentius ac maiori cũ impetu, ſæui, imperioſiq; homines eruperunt; vnde in omnes terras in exitium, & interitum bonarum literarum diſtributi putantur. Ita ſerpſit hæc contagio, diffuſaq; eſt per totam Hiſpaniam, vt nulli homines aut plane barbariores, aut in illis ſuis prodigioſis inuentis pertinaciores quam Hiſpani inuenirentur. Vt enim primum intellectum eſt, quantam vim oſtẽtationis haberet ſubdola, & ficta quodammodo diſſerendi ratio, tum etiam magiſtri ex noſtra Hiſpania multi illius nouæ artis ſubito extiterunt: quia nuſquam fertiliores ſegetes naſci affirmant noſtri coloni, quam in ſterquiliniis.

Sophiſtæ quidam in Hiſpania.

Tum Gaſpar Lax, Ferdinandus Entinas, duo fratres Coronelli, Ioãnes Dolzius, Hieronymus Pardus, Coetus, Dulartus, Nauerus. aliique quam plurimi temporibus, eiſdem

docere

docere ſe profitebantur, arrogantib. ſane verbis, vertere in candida nigrum; & quibus reſpondere non poſſent, præſtigiis cum Dauo ludificari, rem ſane veris diſciplinis pernicioſam, quã non aliter inhiberi poſſe video, quã ſeueritate inuictiſſimi Cæſaris; q. Franciſcus Galliarum Rex importuniſſimis barbaris Lutetia pulſis, magna cum laude, & Gallici nominis, & maiori ſtudiorũ vtilitate noſtris temporibus, fecit. His autem hominib. neq; ingeniũ defuit, neq; probabilis induſtria, ſed ætatis iniuria tanta fuit, vt felix multorũ natura, qua donati eſſe videbantur, inuenire aliquid perfectius non poſſet, in quo præcipue elaborandum putaret. Itaq; hoc toto tempore, quod longiſſimum à Boethio fuiſſe videmus, altiſſimas egerat Barbaria radices, & nemo quiſquam ex tot hominum millib. fuit, qui immane hoc, & ferale monſtrum, aut domi priuatis ſtudiis auderet conficere, aut à finib. Hiſpaniæ pellendum tentaret donec tandem poſt multa ſecula; natus eſt feliciſſimis fatis, in Bætica, Antonius Nebriſſenſis, qui literis, ac diſciplinis omnibus, quib. eo tẽpore florebat Italia; tanquam ex longa ſiti auidiſſime hauſtis, atrox, quoad vixit, & crudele bellum cum Barbaris geſſit. Quod ſi propter inſitas, inueterataſq; mentib. hominum perſuaſiones conficere omnino nõ potuit, magna certe ex parte fregit, ac debilitauit. Hic quidẽ fuit magnus Hiſpaniæ Ariſtarchus, præclarus orator, multæ & variæ lectionis, ſed hiſtoriam, quã de reb. geſtis à Ferdinãdo auguſtiſſimo Rege conſcripſit, tenui, ac deiecto quidem ſtylo, parumq; diligenter eſt proſecutus; ſiue quod magni viri ſit (vt ait Cicero) hiſtoriam cõſcribere; ſiue quod Ferdinandi Pulgaris (quod negare equidem non poſſum) in ſermone Hiſpano eloquentiſſimi interprete (vt fama eſt) perfunctorie egerit.

Antonius Nebriſſenſis.

Io. Ludouicus Viues.

Æqualis Antonii fuit Ludouicus Viues, rarum Valentiæ decus, propterea quod & Declamator egregius, & Philoſophus magni nominis, & multis in reb. eminentiſſimus eſt habitus; placuiſſetq; multo magis viris eloquentiſſimis, ſi vt multa diſerte doctiſſimeq; cõſcripſit, ita ſermonis innata, inſitaq; duritia, & vocabulis quibuſdã Græca Latinis, quæ ad ampliandam linguã Latinam excogitauit, orationis gratiã non obſcuraſſet. Mihi autẽ hac de re vna viſus eſt Ludouicus Viues cũ Portio Latrone contẽdere voluiſſe, vtrũ hunc ille ſermone Hiſpano Latino vinceret, an illum hic potius Græco Latino ſuperaret. Sic enim Pollio Aſinius, Liuiũ ſapere Patauinitatẽ dixit, & Meſſala Porciũ Latronem ſua lingua, hoc eſt Hiſpano-Latina fuiſſe diſertũ. Fatale hoc quidem fuit pleriſq; noſtrorum hominũ, vt ſemper aliquid peregrinum, & rude ſonarẽt, adeo vt in ipſo etiam Eloquentiæ principe Fabio Quinctiliano, qui elegantia ſimul & ingenii laude floruit, Hiſpanitatẽ inuenerit Frãciſcus Philelphus. Verum ſi næuos quærimus, neminem vnũ poſt homines natos inueniemus, ſic numeris omnib. abſolutum, & conſummatũ virum, in quo non ſit aliquid, quod iure queas reprehendere. An fuit aliquis inter mortales, exceptis Platone, & Ariſtotele, quẽ æſtus ingenii tam procul à terra arripuerit, atq; in altum à conſpectu pene omnium abſtraxerit; cui plures dotes larga, benignaq; natura dederit; qui rerũ omnium ſcientiã ſit cõplexus, quam Marcus Tullius? At in hoc terreſtri numine pudor eſt profecto referre, quæ ingenii, & naturæ vitia, non eius familiaris modo Brutus deprehenderit, ſed multi etiam æquales obſeruauerint. Itaq; ego ſic ſtatuo, habuiſſe maiores noſtros, & copiam rerum, & orationis vbertatem, ſapientiamq; Eloquentiæ iunctam: quorum ſi alterum noſtris Hiſpanis ſit optãdum, malim ego illis indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem deſiderare.

Stylus Viuis. Varia de doctorũ hominum ſtylo iudicia.

T. Liuius Quinctil. lib. 1. cap. 9. & lib. 8 cap. 1. Porcius Latro. Seneca Controuerſia. 12. Fab. Quinctilianus. In Cicerone Brutus quædam deſiderauit.

Academia Valentina.

NE hoc quidem alumno ſolum gloriari *Valentia* poteſt, quoniam multorum cũ Oratorum, tum philoſophorum edito ab hinc annis viginti beatiſſimo partu, ſuſceptã priſcis temporib. barbariæ maculam non delere ſolum ſuis viribus, ſed aliis quoq; Hiſpaniæ ciuitatibus Eloquentiæ, & artium omnium, ac diſciplinarum lumen inferre valet.

Io. Gelida, Valentinus. Honoratus Ioannes Valentinus; poſt Oxomẽſis Epiſcopus.

Nam, vt Ioannem Gelidam tacitus prætereã, quem magno Ludouici viuis teſtimonio, alterũ noſtri tẽporis Ariſtotelẽ liceret appellare, non equidẽ inuitus faciã, vt nobiliſſimi viri Honorati Ioãnis, Equitis Valẽtini, illã vnam omniũ rerum principem doctrinam quæ ſit claro homine digna, atq; eo, qui in repub. velit excellere, quantũ animo conniti potero, ſuſpiciam & admirer. Siquidẽ præter literas Græcas & Latinas, & eas artes, quib. liberales doctrinæ atq; ingenuæ continentur, ciuili etiam prudentia vſq; adeo præditus eſt, vt controuertas merito, plus ne literæ in hoc homine, an morũ compoſitio, & recta animi moderatio valeãt. Sic vero literarũ ſtudio, & amore arſit, vt multos annos pene puer, pcul à domo peregrinatus ſit; varias terras, ac regiones obierit; ſeiunctiſſimas prouincias peragrarit; multarũ gentiũ ac nationũ perluſtrarit arcana: quæ quantũ bonis artib. & diſciplinæ ciuili attulerint cõmoditatis ſane ipſe quotidie oſtendit in aula Philippi Hiſpaniarũ principis. Quocirca cũ tam multa virtutis, & doctrinæ huius viri pro foribus Regiæ domus exſtent exempla, quid

Sereniſſimum Principem noſtrum retardet, non ſtatim Carolum dulciſſimum filiũ huius cum diſciplinę, tum probitati committere? quemadmodum Philippus olim Macedonum Rex Ariſtotelem Alexandro filio, tantæ ſpei principi, doctorem acciuerit, à quo & agendi acciperet pręcepta, & loquendi. Veteres enim principes, quorũ & in Græcis, & Latinis hiſtoriis plurima mentio eſt, non triſti ſupercilio formidabilẽ aliquem Philoſophũ; aut declamatorem, qui nouiſſet ad clepſydram latrare, erudiẽdis liberis quærebãt, ſed viros toto orbe terrarum præſtantiſſimos, qui literis, ingenio, fama præcellerẽt. Nouimus quidẽ Periclem, qui doctrina, conſilio, eloquentia, XL. annos præfuit Athenis, pręceptorẽ habuiſſe Clazomeniũm Anauxagoram, virũ ſummum in maximarum rerũ ſcientia: Critias, & Alcibiades Socraticis ſermonib. eruditi fuerũt: Dionẽ Syracuſanum omnib. doctrinis expoliuit Plato; eundem ille non lingue ſolum inſtitutor, verum etiã animi, ac virtutis magiſter, ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, & armauit. Iſocrates clariſſimum Timotheũ, Cononis præſtantiſſimi imperatoris filium; Xenophon Ageſilaum: Philolaũ Architas Tarentinus; & Pythagoreus ille Lyſias Thebanum Epaminondam literis inſtituerunt. Cui enim hoc perſpicuum non eſt, ꝙ pluri b. equidem probare argumentis poſſem, neminem neque ducem bello, neq; principem domi, magnas res, & ſalutares ſine prudenti conſilio, & literarum adiumẽtis efficere potuiſſe? Quod ex veterib. permulti clariſſimi viri conſiderãtes, philoſophorũ otia, ſolitudinẽ, vitæq; inſtitutum proſequebantur; quorũ audire colloquia, libros legere, meditari præcepta, in militia etiã, & medio bellorum æſtu auidiſſime conabãtur. Pulchrũ erat medius fidius intueri Principes illos bellatores, quo animi ardore in acie pugnarent, eodẽ pene mẽtis vigore cauſas agere in foro, & philoſophorũ ſcholis diſputare. Itaq; Maximilianus Imperator hui[9] noſtri feliciſſimi Principis fortunatiſſimus proau[9] quum præceptorẽ daturus eſſet Carolo nepoti, tanti imperii, & regnorũ hæredi, vnũ Adrianum præcipua quæſitũ cura delegit; repudiatis, qui ſe ambitioſe protulerãt; vel amicorum ſtudio producti ingenium variis artib. oſtentabãt. Hęc vero Maximiliani ſingularis, & diuina prudentia non ita poſt annos multos repetita fuit in eodẽ Carolo Cæſare inuictiſſimo Imperatore, erudiẽdi Philippi principis, Reuerendiſſimo Ioanni Martino Siliceo pręſtantiſſimo eius ætatis philoſopho demandata cura. Neq; tam eſt his temporib. Hiſpania noſtra bonis, & eruditis vacua, & ſpoliata viris, vt non Academia vna *Complutenſis* decẽ poſſit pro vno Ariſtotele, magnos, & in comparabiles pręceptores Carolo puero ſuppeditare.

Optimi primæ ætatis informatores deligendi.

Lyſis, legendum ex Cicerone III. de Oratore, & 1. officiorum extrema. Lyſias vero Orator. Litterarũ adiumenta in Principe.

Hadrianus VI. Caroli V. præceptor.

Io. Mart. Siliceus Philippi præceptor.

Sed reuertamur rurſus ad eruditos Valẽtinos, ſiquidẽ neſcio quis me ardor animi, & occulti amoris flãma iam dudũ conſiderantem vrũt, quantũ ſcilicet illud decus fuerit, quam rarum & incredibile, & ante annos multos poſt vnũ illum Aragoniæ ex ſtirpe regia virum, Hiſpanis noſtris inauditum; qui patrio, & auito relicto regno, inter monachos priuatus vitam agere decreuerit: Quod feliciſſimis his temporib. illuſtriſſimus vir Frãciſcus Borgius, Dux Gandienſis fecit: qui diuinis incẽſus, & inflammatus tædis, repudiato ampliſſimo patrimonio in Societatem Religioſorum nominis IESV, glorioſe quidem, ac ſapienter illatus eſt. Quæ quia me vehemẽter terrent, & magis, ac magis contemplantẽ attonitum, ſuſpenſumq; reddunt, potuiſſe virum illuſtrẽ, publicis functũ honorib. florentẽ opibus, potentia eminentẽ, generoſis liberis auctũ, ſuis charum, gratũ alienis, à fluctib. ſecularibus emergere & à domina voluptate reſpirare; non ſane auſus fuero, tantum virtutis & diuini amoris documẽtum tenuitati ſtyli mei cõmittere. Illam tamen nobilitatẽ, quam ex laude optimorum ſtudiorũ & artiũ ſibi comparauit, quid me celebrare impediet? Nã in oppido Gandienſi, ꝙ caput eſt Borgianæ ditionis, percelebre collegium ædificauit, ſalariaq; conſtituit artiũ, & linguarum profeſſoribus præter quotidianos illos ſumptus, quos alẽdis Religioſis nominis IESV, plene cumulatoq; facit. Librũ præterea de Chriſtiana pietate, & ſeipſũ cognoſcẽdo cõpoſuit, qui nunquã erat à manib. noſtris, meo conſilio deponendus tam eſt vndiq; cęleſti philoſophia, & ſpiritu diuino refertus. Quod ſi Plinius, hiſtoricus Naturæ, Ciceronis officia ad verbũ iuuenib. ediſci iubet, & Heſiodũ Græci pueris primũ interpretabantur, à quo cũ eloquentia, viuendi quoq; præcepta mutuarẽtur; nos Cõmentarios illos non quotidie ſumemus in manus? vnde ſanctitas, religio, pietas, neq; inſulſe, neq; imperite proficiſcũtur. Non hæc dico, priuato vlli affectui inſeruiẽs, (hiſtoriã enim, non fabulas conſcribimus) ſed admiratus profecto patere etiã Eloquentiæ locũ inter ſacras, & pias literas; quã nõ vſus, aut exercitatio vlla ſcholarũ attulit, ſed inflãmata mens cæleſti igne, & calore diuini furoris agitata, fudit interdũ eos facũdiæ riuulos, quos nunquã Ciceronis & Quinctiliani pręcepta dediſſent. Talis mihi videtur Franciſcus Borgius, & illorũ pleriq;, qui ſpiritu magis, quam arte ſe exercuerunt: qui cũ ſine artificio vllo dicendi ſcripſiſſent, aliquid tamen maius, & potẽtius ipſa arte, boni, & acuti lectores inuenianr. Ventũ enim iam eſt ad ea tẽpora, quum non tam præclarũ eſt ſcire Latine, quam turpe, neſcire; ſiquidem hæc perſuaſio paucis ab hinc

Ranimirus II. monachus, Rex Aragonum & parentũ memoria Ferdinãdus Aragonius, Monachus, Prorex fuit Aragonia.

Franc. Borgius Gandiæ Dux, ex regno Valentino, Societatis IESV præpoſitus Generalis.

Cic. Officia ad verbum ediſcẽda ait Plinius in præfat. Nat. Hiſtor.

hinc annis magno, ac ſingulari numinis beneficio, Hiſpanorum animos artiſſime tenuit, vt multi etiam viri nobiles arbitrati ſint, nunquam ſe veram nobilitatẽ eſſe adepturos, quæ in virtute, admirabilique ſapientiæ ſtudio conſiſtit, niſi plus attigiſſent eruditionis, quaqua prima illa puerili inſtitutione fuiſſent imbuti.

I. CONIMBRICENS. ACADEMIA.

HOc prudenti & diuino conſilio, Ioannes Sereniſſimus Luſitaniæ Rex, qui mihi omniũ primus, honoris, & maieſtatis gratia, fuerat nominandus, in decus nobiliſſimæ gentis, & vtilitatem ſtudiorũ, inter victrices lauros, quas ex Africa quotidie reportat, his temporib. *Conimbricæ* fecit. Hic nobili conſtructa Academia, doctiſſimos vndecunq; præceptores, ampliſſimis conditionib. euocandos curauit, quorũ illuſtri, pręclaraq; nominis fama, non Luſitanos modo intra ſuum regnum cõtineret, ſed exteras, ſeiunctiſſimaſq; nationes, tanquam in refertiſſimum rerum omnium mercatum, ad ſuauiſſimas epulas inuitaret. vnũ inter plurima, quæ ſingulari Regis prudentia inſtituta ſunt, quod me ſæpe cogitantem plurimum recreat, veteri Scęuolæ exemplo fieri audio, neminem ad Ius ciuile audiendum admitti, qui non ſit prius in Dialectica tempore aliquo verſatus. Hic mihi licebat quam plurimos Luſitaniæ viros doctos oratione mea celebrare, qui pręter cæteras artes pulcherrimas, quas ſunt conſecuti, hac etiam dicendi laude delectantur. *Conimbricenſis Academia. Ioannes III Luſitaniæ Rex.*

In his eſt Hieronymus Oſorius, qui de Gloria, & de Ciuili, & Chriſtiana nobilitate nobiliſſimos libros ſuaui ſimul, & artificioſa verborũ ſtructura citra verſum conſcripſit. Sono & numero orationis leniter demulcet aures, vt hac vna poſſit ſingulari virtute cũ Lactãtio, & Chriſtophoro Longolio, & quouis alio Ciceroniano nõ iniuria certare. Ariſtotelica tamen quadam differendi ratione, & copia ſic eſt vſus, vt non ad voluptatẽ auriũ, quæ ſumma eſt, ſicuti ego æſtimo, in hoc auctore, ſed ad iudiciorum certamen ſcripſiſſe videatur. *Hieron. Oſorius.*

Sequitur è veſtigio Bartholomæus Pinus Portodomæus, qui longe abeſt ab his ornamentis, & deliciis orationis: propter ingeniũ tamen, & artes liberales, quib. eſt inſtitutus, & illud ſuum commentandi genus, quo librum Quinctiliani ſane difficilem enarrauit, philoſophis, & eloquentię ſtudioſis nõ improbandus: Quod ſi omnes viros doctos nominatim perſequi vellem, quũ tam multi quotidie in Hiſpania ſe proferant, & oſtentent, nullũ ſane eſſet oratio mea habitura modum: nam & copia narrantẽ obrueret; &, ꝙ certius fore pertimeſco, pudor cohiberet viuentium laudes, & honor alienæ virtutis moueret inuidiã, quę ſolum pertinaci ſilentio ſanari poſſunt. Sed nunquam hæc religio me ab hoc conatu repellet, quin celebritatem incredibilem, & gloriam *Academiæ Complutenſis* fere immẽſam memorię poſteritatis ſempiterno præconio commendem. *Barthol. Pinus in quẽdã Quinctilian. librum ſcripſit.*

ACADEMIA COMPLVTENSIS.

MIHI igitur Academia Cõplutenſis pulchrũ, videtur eſſe totius Hiſpaniæ oraculum, vbi humanæ vitæ ſortes laureati verſant Theologi, quos non ſolũ numero, ſed diuina quoq; ſapiẽtia cæteris totius Hiſpaniæ doctorib. ſi non præferre propter inuidiã audemus, ne poſtponendos quidẽ, iudicamus. Philoſophorũ præterea, & qui aliis diſciplinis in ſectas, & familias diſtributi, operã nauant, tã eſt innumerabilis, infinitaq; multitudo, vt ſingulorũ annorũ fœtura, poſſit viris doctis (ſicuti re ipſa compertũ eſt) tota vndiq; repleri Hiſpania. Atq; vt totam hanc rationem Academiæ Cõplutenſis ad veterem ſtudiorũ formã, & imaginem amœniſſime conferam: Hic canũt (vt inquit Martianus) redimiti vates; perſonant fidib. Muſici; dicũt ad clepſydrã oratores; deuoluũt Plato, & Archimedes aureas ſphæras; ardet Heraclitus; vdus eſt Thales; volitat Democritus circũfuſus atomis; replicat Samius Pythagoras cæleſtes numeros; requirit Ariſtot. Endelechiã; ducit Zeno anũ prouidentẽ. Illud quoq; addo Hippocratẽ, & Galenũ medicinam ex nocte dẽſiſſima, in qua vſq; ad hęc prope tẽpora latuerat, in lucẽ reuocaſſe, partim publicis, & quotidianis diſputationib. Cõplutenſium Medicorũ, partim editis doctiſſimis Commentariis, qui in templo Æſculapii (vt, quondam fecit Hippocrates) inſcribi, & dicari potuiſſent. Cæterum vt artes omnes, & diſciplinas nobiles hæc Academia perbeate coluit, ita vnius eloquentiæ ſtudio adeo fuit incenſa, vt magnos Oratorum partus perbreui tempore tulerit. *Complutẽſis Academia. Martianus Capella.*

Hinc illi, quorũ ego memoria vehemẽter recreari ſoleo, orti fuerũt, Lupus Herrera, Laurentius Balbus Liliẽſis, Ioannes Ramirus, & Petreius Toletani, Quorũ hic poſtremus immatura morte nobis ereptus, ingenii, & eloquẽtiæ ſuæ triſte deſideriũ Academiæ Cõplutenſi reliquit. Impetratũ hoc (quantũ ego arbitror) à Ciceronis manib. ne ſi diutius ille vixiſſet, inuẽtus eſſet aliquis, qui ex Eloquẽtiæ laude ad ipſũ Ciceronẽ aſpiraſſet, ſed cũ eſſet iuuenis, delectabat magis, quã inflãmabat, & quodã quaſi cãtu detinebat auditores; & ſuauitate vocis, cuiꝰ plurimũ illi natura dederat, ſic exhilarabat animos, vt porata cauſa, dimiſſi *Rhetores Cõplutenſes. Io. Petreius, poeta & orator.*

qui in ea concione aderant, honorifice, & cum admiratione de huius viri eloquentia loquerentur, & multis poſt diebus, ſermonibus requirerent amœnitatem illam. Sed me mouebat magis Ioannis Petrei poeſis: quæ non humanum aliquid, aut infimum, ſed diuinum, excelſumq; ſonabat, vbi non ille langor inerat, quē orationis iocũditas, vbertas lactea, ſuauiores numeri, imitatio Ciceronis afferebant: ſed magnitudo quædam, & ſublimitas mẽtis quæ vi quadam occulta, & ſpiritu magni vatis hominum mentes permouebat. Vtraque vero arte plurimũ valuiſſe, teſtes ſunt Complutenſes. Nec illi defuit extẽporalis facultas, vel vltro, & ex conſuetudine declamanti, vel ſępe etiam aduentu Procerum & virorũ nobilium intercluſo, vbi non paratum aliquid, & præmeditatũ recitabat, ſed de omni re propoſita, quam modo intellexiſſet, ornate & copioſe, & incredibili quadam ſuauitate diſſerebat.

Ioannes Ramirus, Rhetor. Verum huius æqualis Ramirus Doctor Theologus, & Rhetor primarius Academiæ Complutenſis, plus habuit, meo iudicio, induſtriæ, quã naturæ; quamquam vtriuſque ſane permultum. Actio tamen propter fœditatẽ oris, non ſatis commendabat huius viri orationem: quæ cùm à doctis per otiũ legeretur; & omni artificio dicendi; & lectiſſima copia, & nitore Romano; & ſumma grauitate abſoluta iudicabatur. Fuit amator popularis eloquentiæ, quã ita per omnẽ vitam cõplexus eſt, vt eos perſæpe reprehẽdere ſoleret, qui ſe a reb. vulgaribus, & maxime notis ad ſublimes, & recõditas inutiliter, & ambitioſe ſubducerẽt.

Lupus Herrera. Laur. Balb. Lilienſis. At Lupus Herrera, & Laurẽtius Balbus Liliẽſis, vt ingenio præſtãtiori, ita doctrina vberiori fuiſſe putantur; quod ſane ex eorũ monumentis perſpici poteſt: nã *Orationem* alter *de ſtudiis humanitatis* omni antiquitate, & doctrina refertiſſimam, tametſi parũ luculentã propter ſtyli affectationẽ, reliquit. *Commentarios* alter perquã eruditos, *in Valeriũ Flaccum* conſcripſit, teſtes certe eruditionis ſingularis & memoriæ ſtabilis, & firmæ, quæ plurimũ in eo viro eminuiſſe dicitur. Sed linguæ Græcæ cognitione, cuius fuit ſine cõtrouerſia, doctiſſimus, auctoritatem ſibi maiorem, & ingenii cõmendationem eſt conſecutus.

Ludouicus Catena. Ne prius quidem à Complutenſibus diſcedã, quam te, Ludouice Catena, cuncta pene audientẽ Hiſpania, in Regno tuo collocem. Gloriari enim in primis (me iudice) licet Academiæ Complutenſi, habere ſe Cancellarium, clariſſimũ Oratorem, numeroſum & iocundũ poetam, pręſtantem philoſophum; optimũ Theologum; nihil præterea eſſe vlla in arte rerũ omnium, quod ipſe neſcias; ſiſq; vnus inſtar populi, vt Antimachus dixit de Platone. Verũ illud non ſtudio amplificandi eloquentiã tuam, veriſſime referam, neminem à me inueniri hodie ex his, quos de arte, & dicendi vi erudita miratur Italica, qui locos communes maiori rerum varietate, ſuauitate, & copia, quam tu vnquam pertractauerit. Deũ immortalẽ, quã me ſępe ſine faſtidio delectaſti, eodẽ plus millies repetito argumento: quã nouus ſemper, & recens in cauſa non ſemel perorata verſabaris! quas faces auditorũ animis de integro ſubiiciebas! qui quum annos xv. in eadem fere materia te exerceas, nulluſq; menſis ſit, in quo nõ plurib. diebus pro Magiſtris, & Doctorib. dicas, ita te tamẽ, à priuata, & ſingulari cõtrouerſia ad vniuerſi generis vim explicandã varie conferre didiciſti, vt nunquam non iocundus, & nouus accedere videaris. Sed illa eſt omnium tuarum virtutum præcipua, & maxima laus, in qua exſultat, & ſerio triumphat oratio mea; quod diu, ac multũ repugnantibus barbaris, Sophiſticam à Complutẽſi Academia fortiter eieceris; vbi annos multos cum graui detrimento bonarum literarum, & dedecore noſtræ nationis ad riſum vſque, & contemptum exterarum gentium, regnauit impune.

SALMANTICENSIS ACADEMIA.

Academia Salmanticenſis. SED nos iamdudum vocat *Salmantica* antiqua Muſarum domus, quam literarum ſacra colentes tacitã præterire non poſſumus. Hęc Lycurgos, & Solones aliti & præter paucos monachos eximie doctos, quos nuper Cæſar Tridentũ ad Conciliũ vocauit, vnum habet *Fredenandum Pintianum*, multæ & variæ lectionis virũ; quo nemo viuit hodie, aut veterum auctorũ literate peritior, aut vtriuſq; linguæ callẽtior.

Fredenãdus Nonius Pintianus. Hic poſt edita quã plurima optimi, acerrimiq; iudicii, & abſtruſioris doctrinæ monumenta, doctiſſimas itẽ in Caium Plinium obſeruationes; opus, vt infiniti laboris, ita quidẽ vtilitatis ingentis, proxime in lucẽ emiſit. Verum neſcio quo malo fato adhuc fit, vt Salmanticenſes viri graues, & qui primũ ſcholas ingreſſi, ad honores ſtatim. & Reip. adminiſtrationẽ, cuncta ſuo nutu gubernaturi, ſpirant, tanta eloquentiæ neglectione laborẽt, quantam nec legum, quas profitentur, maieſtas, nec ſtudium boni patroni, nec illa ipſa conſilia Regia, quib. ceu Minoes, & Rhadamãthi adhibentur, quoquo pacto ferre poſſunt. Qui ſi Platonem aliquando, aut Ciceronẽ in manus ſumerent, dubitare equidem nõ poſſum, quin eſſent percepturi animis, ingẽs in eloquẽtia verti momentũ optimæ gubernãdæ Reip. Neq; enim de Profeſſorib. loquor, quos multos & doctiſſi-

& doctiſſimos, Salmantica habet, ſed de auditorib. hæc publica, & iuſta querela eſt: qui ſũmam ciuilis ſcientiæ eſſe putant, pulchre veſtites eſſe in cauſis agẽdis, & nihil propter grauitatem Latine loqui. Porro Salmantica diſceſſurus, non eſt cur ſilentio pręterire debeam, virum incomparabilem, Frãciſcum Victoriã, qui ſplendor inſtituti Dominicani, decus, & ornamentũ Theologiæ, exẽplar antiquæ religionis fuit. Hic Theologiã, vt Socrates quondã Philoſophiã, à cælo euocauit; quã non in Hiſpaniæ modo ciuitates, ſed domos etiam, & animos hominũ ſic inuexit, vt ſint hodie permulti illius diſcipuli, quos propter admirabilẽ ſcientiã, & exquiſitã rerum copiã exteræ nationes iure debeant admirari. Huic vero tam excellenti, & diuino homini, patrem fuiſſe arbitramur, Ioannem Methymnæum, Cõplutenſem, nõ ingenio ſolum, quo plurimum viguit, ſed doctrina & ſubtilitate quadam diſſerendi, & reliquis etiam animi ornamentis, quæ permulta in hoc ſingulari, & ſummo viro fuerunt; quem nec à ſcribendo deterruit amplitudo Victoriæ; nec huius vnius viri ſtudia, quæ per annos viginti Compluti floruerunt, potuit quiſquam ſua copia obſcurare.

Franciſcus Victoria.

Io. Methymna Theologus.

Fuit enim hoc datum dono quodã Prouidẽtiæ duab. maximis, & ampliſſimis Hiſpaniæ Academiis, vt duo in eis ſummi Theologi eodem tempore verſarentur; vnde fructus doctrinæ admirabiles in omnes partes ex æquo, & ſine inuidia redundarent. His duobus eiuſdem ætatis annumerabatur nemo tertius.

Verũ poſt Theologos Cõplutenſes, quib. ſicuti ego ſtatuo, nihil fieri poteſt, ſiderũ conuerſione perfectius, Philoſophiæ, iuxta atq; Theologię arcẽ hodie citra controuerſiã tenẽt Dominicus de Soto Secobienſis, Alfonſus de Caſtro Camorẽſis, Reuerẽdiſſimus vir Melchior Canus, Bartholomæ⁹ Mirandẽſis, quib. ego Ludouicũ Carauaialũ merito adiũgam.

Cæterum Dominicus de Soto, vnicum ingenuarum artium columen, totius Hiſpaniæ conſenſu cæteris ſtudio, & doctrina præſtitit doctorib. ſi ſuo Thoma, & Ariſtotele contentus, præclaram illam ad Romanos epiſtolam Commentariis non attigiſſet.

Dominicus Soto.

Alfonſus autẽ de Caſtro Camorenſis, Monachus Franciſcanus, ſi vt aliena, cũ hæreticis congreſſus, fortiter, & literate nimis refutauit, ita ornate, & copioſe cõfirmaret noſtra, ne quidẽ vererer cũ veteris ętatis præcipuis auctorib. multis quidẽ doctrinæ partib. cõparare.

Alfonſus à Caſtro Zamorenſis.

At ſũmi viri Melchioris Cani, & Bartholomæi Mirãdenſis omnis illa ingeniorũ, & ſingularis doctrinæ nunquã ſatis pro meritis laudata facultas ex monumentis ipſorũ non in eleganter ſcriptis, perſpici poteſt: quæ & omnino abſoluta eſt, & perfecte diſerta: in eoq; cõſtituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant. Nuſquam autem, quod ego legerim aut plures olim Academiæ fuerunt, aut priuata eruditorum Collegia, quam hodie ſunt in Hiſpania, ſi veterem Græciam recordari, & florentem quoq; Italiam meminiſſe iuuat.

Melchior Canus.

Barthol. Caranza Mirãdenſis qui poſt Archiep. Toletanus Romæ obiit.

Oscenſis Academia.

NAM retinet etiam nũc veteris veſtigii formã, & antiquæ maieſtatis imaginẽ aliquam fundata à Sertorio Academia in vrbe Oſca, vt eſt a Plutarcho memoriæ proditum.

Oſca, Vrbe Celtiberia.

Academiæ Variæ.

ET habẽt ſuos literarũ celebres ludos Ilerda; Valentia; Oſſuna, Granata, Pintia, Hiſpalis, Barcino, & Cãtabria illa ferox, quæ fera (vt Flaccus canit) vincta eſt Catena: nũc primũ (quod eſt ingentis admirationis) & Latine loqui, & philoſophari cœpit, Laconumque illa breuiloquentia; qua vtebatur, in Atticam conuerſa eſt.

Academia Ilerdenſis Oſſunenſis Granatenſis Pintiana Hiſpalenſis Barcinonenſis.

Hoc loco mihi fuerat vicatim peragranda tota Hiſpania, & celeri ſtylo in omnẽ partem percurrẽdã, vt aceruatim narrarẽ, qui vrbe Toleto prodierint viri eloquẽtes, vbi vna dom⁹ Vergaræ eſt cuius eadẽ felicitas, q̃ olim Curionib. vt tres in ea clari nominis eſſẽt Oratores.

Toletana.

Qui Soria, (Numantia quondã Vraculm, (vt Straboni; vel vt Plinio placet, Pelendonum appellata) qui nũc Burgis, Pintiæ, Hiſpali, & in ipſa Cæſaris aula viuãt, in gloriã pręſentis ſęculi excellẽtes Philoſophi & oratores. Sed cohibẽdus eſt ſtylus: nã timeo vehemẽter, ne iudiciũ premat amor, & affectu nimio occupatus anim⁹, inquirẽdæ veritatis rationẽ amittat, velut amãtes, qui de forma iudicare nõ poſſunt: quia æſtus ille cupiditatis ardẽtiſſimus oculorũ ſenſum perturbat. Quamquã non patiar ſic à me præteriri leui orationis curſu Ioãnem Vergarã Toletanũ, qui omniũ prim⁹ inter viros Hiſpaniæ doctos, iuſtiſſimis de cauſis fuerat mihi referẽdus; vel q; Græcas, & Latinas literas feliciſſime à puero didiciſſet; vel q; eruditi, ac diſerti oratoris palmã ſæpe non repugnãte Italia, meruerit, dũ pro Eccleſia Toletana ad Romanos Põtifices ſcriberet; vel q; nullũ ſit ſcriptorũ genus, in quo nõ ille bene, ac pręclare fuerit verſatus. Qui ſi tãtus eſt, quantũ ęqualis me⁹, & familiaris, Aluarus Gometi⁹ vir literis Græcis & Latinis ingenio ſimul, & doctrina ornatiſſim⁹, mihi prædicauit; quẽ illi parẽ hoc tẽpore faciã, vnum aut alterũ inuenio, ſuperiorẽ habeo neminẽ. Nam quantũ huius germanus frater Franciſcus Vergara ingenio, & doctrina præſtiterit, nõ modo edita ars Græca: ſed cuncta Academia Cõplutenſis, quæ hoc præceptore, & patrono multos annos vſa eſt, nobis omnibus teſtatur.

Numantia hodie Soria putatur.

Io. Vergara Toletanus.

Aluarus Gometius Græcarum literarum Toleti doctor.

Franc. Vergara Græca lingua Compluti doctor.

Hiſtorici regii tres.
Cic. 2. de Oratore.
In ludo de morte Claudii, ſuetto.

Sed longius intrabo, & ſic occurrat poſſe reperiri non inuidos ſolum, quib. referta ſunt omnia, ſed Momos etiam, ſandalium Veneris carpentes, non tamen oōmittam, vt inuictiſſimi Cæſaris hiſtoricorum ſit meo ſilentio non illuſtrata fama. Habet. n. Cæſar tres, quos ego nouerim, ornatiſſimos viros: qui rerum à ſe geſtarum diuerſo quidem ſtylo, ſed nō diſpari fide, aut diligentia conſcribunt: qui cum primam hiſtoriæ legē religioſiſſime ſeruēt, primū *ne quid falſi dicant*; deinde, *ne quid veri non audeant*, ita omnes hiſtoriç virtutes cōplexi ſunt, vt illud Senecæ locum non habeat, *Quis vnquam ab hiſtorico iuſiurandum accepit?*

1. Petrus Meſſias Hiſpalenſ.
Stylus Petri Meſſiæ qualis.

Nam Petrus Meſſias eques Hiſpalenſis, qui nuper è viuis non ſine magna bonarū literarum iactura commigrauit; inſtar amnis leniter labentis ſedatus fluit, fidelis eſt, & valde circumſpectus in hiſtoria, & quodammodo, vt Quinctil. de Meſſala dixit, præ ſe ferēs in dicendo nobilitatē ſuam. Fuiſſe tamen quorundam eruditorum aurib. multo dulcior, ſi linguam Hiſpanam paucis vocabulis Latinis non vitiaſſet. Hoc tamen mihi peregrinum non videtur, q; ſuo loco; quod maiore quadā ſignificatione; quod ſuauiori ſono Hiſpano ſermoni infertur: Aut dele ex lingua Hiſpana Græcas, & Latinas phraſes: expungē Hebraiſmū: tolle tot gentium, & nationū vocabula, quæ cum imperio introducta fuerunt. Vrgebo etiam magis: prohibe tu, aſſertor linguæ Hiſpanæ, ne Mar. Tul. Græca Latinis coniungat, tū ego Hiſpanis Latina non copulabo. Fuit iſta Pomponii Læti ſtulta, & ſcrupuloſa, dum viueret, perſuaſio, ediſcendi nunquā literas Græcas, ne ſermonis Latini puritatē cultu alieno deturparet. Verum cū lingua Latina Grçcæ filiola ſit, diuinare vtiq; nequeo, quonā modo Pōponius Lætus ad iſtā Romani ſermonis proprietatē & arcana linguæ Latinç peruenire potuerit, niſi pl⁹ ille ſuo tēpore viderit, quā Cicero, & Mar. Varro: quos linguç Latinç deos ſemper Roma coluit. Itaq; non eſt, neq; futurū aliquando permittemus, ſummo ingenio virū, doctrina itē maiore hominum opinione; læſæ corruptæq; linguç Hiſpanæ apud nos reū agi: qui cum homo Hiſpanus ſit, ſumma interdū gratia, & non ſine aliquo eloquentiæ miſterio Latiniſſet: quū Latinis quoq;, cum velint, permiſſum ſit, citra culpam græciſſare.

Pomponii Læti ſuperſtitio, quia à Græcis abſtinendum ſibi duxit.

2. Ioa. Geneſius Sepulueda.

Mox adeſt Geneſius Sepulueda, Cordubēſis, in quē intuenti crebro in mentē mihi venit vereri ecquod ſit habitura curriculū, illa & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria: qui cū multis in reb. excellat, ſic in omnib. tamē eminet, ac ſi totū ſuū otiū in ſingulis repoſuiſſet. Latine vertit Ariſtotelē & quç à doctis accepit Græcis, ſi digna exiſtimauit, in quib. elaboraret, multo quā in ipſis fuerant explicata auctorib. meliora reddit. Genus orationis habet fuſum, tractum, & cum lenitate quadam profluens, quale Hiſtoria (autore Cicerone) poſtulare videtur. Hinc quibuſdam error natus eſt, (modo errore illi, ac non vera potius, certaq; ſententia trahantur) vt tam in admirabili, aureoque eloquentiæ flumine, quantum in Geneſio Sepulueda attoniti intuemur, ſpiritū aliquem ampliorē deſiderent; calorem intenſiorem quærant; & flammas maioris incendii poſtulent; non intelligentes, fuſiorib. numeris placidam, quietamq; orationē reddi. Sit igitur hoc Geneſii propriū, perpetuumq;, Elogiū, laudatum fuiſſe ab Eraſmo; celebratū encomiis à Paulo Iouio; ſublatum in cœlū à Lilio Gyraldo Ferrarienſi; neminemq; virū eſſe ex his, qui de claris doctrina viris ætate noſtra conſcripſerunt, qui non Hiſpanorum primū Geneſium Sepuluedam meminiſſet. Satiuſq; iam eſſet, de aucta eius dignitate loqui, quam de artibus, & ſtudiis; de quibus nemo, modo eruditus eſſet, vnquam dubitauit.

3. Florianus Ocampius.
Antonius Gueuara Epiſc.
Petrus Rua, bonarum literarum Soriæ profeſſor, errores ſiſtaſque fabulas Gueuaræ primus detexit.

Poſtremus eſt Florianus, qui mihi vir vnus, & veterem maieſtatem imperii repræſentat, & quadam cum grauitate eloquentiæ, & puritate ſermonis Hiſpani ad ſcribendam hiſtoriam ſe maxime applicat, clariſſimum hiſtorici nomen tranſmiſſurus ad poſteros.

Perſius. Forte legendum Heróſtratū ſignificans ſtiſti ad Voluptatem fabulis nobilitari illum, quiſquis eſt, Scriptorem Amadiſii voluiſſe, Vt ille incenſo tēplo Dianæ Epheſiæ nimiā laudē ſcelere quæſita cupiditate: vterq; ferunt Val. Maxim. A. Gel. Solinus & Strabo.

Decretum mihi erat, nil de prçſtantiſſimo viro, & antiquç nobilitatis præſule Mindonienſi; quū ſolus aulicorū manib. proximis annis geſtabatur, priuato iudicio ſtatuere: niſi me inuitum, & plane repugnantem libellus vulgatus à Petro Rhua Sorienſi, homine cum paucis erudito, in hanc cenſurā pertraxiſſet. Ego vero ſic exiſtimo virū hunc miræ facūdiæ fuiſſe, & incredibilis vbertatis naturæ; ſed omnia rerū momenta (q; Pedio obiecit Perſius) *raſis Librat in anthitetis, doctas poſuiſſe figuras*: laudari contentus: fulgurat interdū, & tonat; ſed non totā (vt olim Pericles Athenienſis) dicendo cōmouet ciuitatē; & dum nihil vult, niſi culte, & ſplendide dicere, ſæpe incidit in ea quæ deriſum effugere non poſſunt. Qui ſi illam extra ripas effluentem verborū copiam artificio dicendi repreſſiſſet; & grauiorū artium inſtrumento locupletaſſet, dubito quidem, an parem in eo Eloquentiæ genere in Hiſpania eſſet inuenturus. Hoc dicendi genus corruptū, & omnib. nugis, & deliciis fractum; ante hūc * Herodatū Hiſpanum, Amadiſii, & Splandiani, & ſimilium librorum male feriati auctores ſibi excogitarunt: qui multa quidem præclara dixerunt, adiuuante natura: tamen quia id fortuito, & non arte fiebat, paratum eſſe non potuit. Hinc adulationes, & hyperboles poeticas tumido; elatoq; ſermone plerique ſunt buccinati; vt Homerus, (quod refert

refert Lucianus) de Agamemnone commētus eſt, ꝙ capite eſſet Ioui ſimilis: pectore Neptuno; zona Marti: quaſi Deus vnus, ad ſimilitudinem Regis vnius, non ſufficeret. Etenim multa hominum ingeniis donanda iudico, ſed vitia (vt inquit Seneca) donanda ſunt, non portenta: nam ea ſępe finguntur à multis, quæ magnos, & ſapientes viros de ſe ipſis audire pudet. Quod vtiq; Ariſtobulo (vt idem faceſſime narrat Lucianus) accidiſſe legimus, non acutius aliquid ſcribenti, (quod ſane ferendū eſt in hiſtoria, ſi Marco Tullio credimus) ſed aperte mentienti; quod non licet. Nam cum notum illud, & maxime celebre Alexādri, & Pori Regis ſingulare certamen à ſe ſcriptum, coram ipſo Alexandro legeret, putaretq; vecordiſſimus homo, ſe maximam apud Regem gratiam initurū eſſe, ſi de reb. ab eo præclare geſtis quam ampliſſime nugaretur, quædam falſo per adulationem adiecit; quæ cum Alexander audiret, ſubita indignatione, princeps altę mentis, commotus, ereptum manibus librum in fluuium Hidaſpim, quem tūm forte nauigabat, quam longiſſime proiecit. Et te, inquit, eodē modo oportebat, Ariſtobule, pręcipitari, qui talia pro me ſingulari certamine pugnaueris, & elephantos ſagitta interfeceris, etenim ſi hanc Alexandri, reliquis ſuis factis exæquatam virtutem, Græciæ principes imitati fuiſſent, nunquam quidem tot portēta fabuloſa nobis peperiſſet Gręcia: quæ noſtri nunc Hiſpani in Regum aulis deſides, omniq; otio ſoluti, legendis Feliciani prodigioſis nugis complecterentur. Romana quoq; Hiſtoria (quod in Bruto Marcus Tullius tacere non potuit) mortuorū laudationibus, facta eſt mendoſior: cum enim ab aliis ſcriptas orationes in familiæ ſuæ quaſi ornamenta, ac monumēta Romani veteres ſeruarent; & ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, ad illuſtrandam nobilitatem ſuam pro hiſtoriis à poſteris receptæ ſunt: cum multa in eis fuerint ſcripta, quę facta non ſunt: falſi triumphi: plures conſulatus, genera etiam falſa: & ad plebem tranſitiones: cum homines humiliores in alienū eiuſdem nominis infunderentur genus.

Ariſtobulus. *Alexander Magnus.* *Hiſtoria.* *Cicero in Bruto & T. Liuius lib. 7. extremo ab V. C.*

Verum quæ à noſtris veteribus Hiſpanis ſcripta eſt de reb. domeſticis Hiſtoria; vt omni dicendi artificio: & orationis lepore caret, ita fide rerū geſtarum principatum tenet. Nam Lucas Tudenſis, Rodericus Toletanus, & alius huius nominis Pallantinus, cum nō ad voluptatem aurium, ſed ad memoriam, & iudicium poſteritatis ſcripſiſſent, cū à deliciis longiſſime, tum ab ineptiis, & mendacio procul abfuerunt. Quib. ſi nobilium Hiſpanorū genera, familias, imagines, armorū emblemata; poſt abſolutam magnā illam, quam iam pridem Florianus conſcribit hiſtoriam, præſtiterit; nihil erit in hoc genere, vel certius noſtris Annalibus; vel propter hanc vnam laudem memorabilius.

Hiſtorici Hiſp. antiqui. *Lucas Tudenſis.* *Rodericus Ximenius Toletan. Archiepiſc.* *Roder. Pallantinus.*

Sed pleroſq; eorū quos nominaui, pura & illuſtri breuitate præcurrit clariſſimus vir Ludouicus de Auila: qui lectiſſimam illam, Muſicamq; elegantiam, quæ fuit in Cæſare quondam maxima, & nomen quoq; ipſum Commentariorū, conſcripta nuper, de Victoria Germanica, Hiſtoria, ſola fere eſt imitatione conſecutus. Natiuis etenim, & maxime propriis, & vrbanis vtitur verbis, quæ quamuis domeſtica, vt Caius Cæſar, conſuetudine imbibit; tamen vt eſſet perfecta hæc loquendi laus; multis literis, & his quidem reconditis, ſummo ſtudio, & diligentia dum in aula verſaretur, etiam obtinuit.

Ludou. Auila. Hiſpanico ſermone & diſerte res geſtas Cæſaris in Germania deſcripſit.

Sed iam dudum me expectari à Complutenſib. ſentio, vt de Cypriano monacho Ciſtercienſi, qui vario auditorum iudicio ſacras literas Compluti profitetur, ſententiam quoque meam pronuntiem. Quod ego ſane libenter faciam; & quod propoſitum eſt colligere, eos, qui non doctrina ſolum, & eruditione præſtare putantur, ſed qui munere etiam aliquo eloquentiæ, aut præteritis temporib. functi fuerunt, aut nunc propter hanc vnam eximiam, ſingularemq; virtutem doctis omnib. in admiratione ſunt; aut quod ſummam voluptatem capio, tam ornatum virū, tamq; excellens ingeniū in Academia noſtra, & Republica florere. Quamquam multo quidem libentius ad hoc ferendum iudicium accederē, niſi dum vnius viri gratiam inire quæro, ex iudicio ipſo protinus nata inuidia, multorū fauorem timerem amittere. Nam quis non videt, quanta mihi pugna cū principib. ſcholæ noſtrę viris, iure fortaſſis ſubeunda ſit, qui inter tot præclaros, & excellentes profeſſores, quot magno & ſingulari Dei beneficio Academia Complutenſis hoc tempore habet, vnū præter cæteros prædicandum ſuſcipiam, vbi omnes ſunt immortalis famæ praconio digni. Itaq; aut cunctos celebrare ex æquo oportebat, quos ingenii ſcilicet, & doctrinæ ornamenta viros maximos, & admirabiles reddiderūt: aut vniuerſos vno præteriri ſilentio, ne cuiuſquā offenſionem (vt ſæpe fit) incurreremus. Sed cum hoc, quod exercemus, clarorū virorum iudicium ſit, fieriq; nequeat omnino, vt victis, & victorib. vna placeamus, pertinacis ſilētii vnum erat remedium; niſi me quorundam ſciolorū indocta pariter, & perturbata de Cypriano iudicia mouiſſent; magis in circulis addiſcentium effuſa temere; quā lata prudēter. Itaq; huic viro religioſo nihil neq; à natura, neq; à vera, & ſolida doctrina, ſicuti ego iudico,

Cyprianus Monachus Ciſtercienſis Theologiæ diſertus profeſſor Compluti.

deeſſe inuenio, vt non inter claros nomine ſapiētiæ viros ſit cum primis non à me referendus. Siquidē ad Græcas, & Latinas literas, quas raro, feliciq; fretus ingenio perbreui tempore didicit, Hebraicas, atq; item Chaldaicas præclare adiunxit, vt eſſet nihil, quod ille ignoraret, ſtudio & interpretationi diuinæ ſcripturæ neceſſarium. Atq; præter hanc linguarum peritiam minime vulgarem; fuſa etiam, ſplendidaq; verbis eloquētia, cum multa, diutinaq; bonorum auctorum lectione, tum peculiari quodam naturæ dono feliciter illi contigit. Quę cum ſe in copia magis, quam breuitate oſtentet, hoc euenit interdum, vt dū præ nimia fertilitate luxurianti ingenio habenas laxet, immodicus, & redundans quibuſdā videatur. Quotidianas vero ſcripturæ diuinæ pręlectiones ſupra modum auget, & amplificat; inſertis ſubinde locis communibus: quos, quia nō more Sophiſtarum in ſpinoſas Dialecticæ quæſtiones confert, ſed molli potius, Xenophonteoq; genere ſermonis tractat, vacuum eruditione doctiſſimum virum multi querūtur, quum ſecus fluat alueo pleno. Neq; enim vident inconſiderati homines, vitium apertum eſſe, ſolam virtutē Sententias putare: quo tota fere Quinctiliani ætas, iam inde ab Annæo Seneca, hoc malum vſque repetens, in miſerabilem caſum, & interitū Eloquentiæ laborauit. Nam quæ obſecro Sacrarū literarum interpretatio illa eſſe poteſt, quæ aridis & ieiunis conferta ſentētiolis, nullum vmbris, aut communib. locis ſpatium relinquit; quos parum culti & impoliti auctores Materias appellant: Mitto quod affectus, & colores, & illa ipſa in qua (auctore Cicerone) exſultat oratoris laus, amplificatio, & figi altius auditorum animis, quæ dicuntur, & diutius retineri, quam oblectent, occulta quadam vi, ac poteſtatē efficiant. Itaq; virtus, non vitium eſt, res quas tractes, plenius, & vberius amplificare: quoniam & rerum copia, verborum copiā gignit; quæ ſi vſpiam deſiderari debuit, à publicis pręſertim profeſſorib. & in permixta hominum corona, & ſacræ, cæleſtiſq; Philoſophiæ explicatione expeti, ac requiri diligēter oportuit. Reliquas porro cum doctrinæ, tum corporis animiq; virtutes nobiles, ſi nos pudore impediti, nunc ſilemus, futura ſæcula non tacebunt. Quoniam vita, mores, religio, vultus deniq; ipſe, vocis preterea, ac ſermonis cum grauitate lepor, non modo ingenii huius viri cōmendationem non euertunt, ſed incredibili fere totius Academię cōcurſu ſtudioſos omnes ad ſe rapiunt. Vnum poſtremo, quod eſt reliquum ſententiæ meę, teſtari nunquam pudebit; tantum virū datū fuiſſe diuinitus Academiæ Cōplutenſi; vt hoc inſigni præceptore diſcāt poſthac noſtri Hiſpani, vere, & eleganter ſacras literas interpretari? Si quidē non vulgarem illam, & ridiculam interdum, barbarorum hominū vitio, ex Tropologicis, Anagogicis, & reliquis ſenſis quadripartitam enarrationem, facundia, & ingenio deſtitutus perſequitur; verum ita ex arcanis diuinarum literarum ſpiritum ducit, vt penetraſſe eum ad Chaldæos proculdubio ſuſpiceris, quo miranda noſtræ legis fundamēta reuelaret. Hęc vero dicimus, non q; non amplectamur quatuor ſenſus receptos ab Eccleſia, & ſacris Doctoribus: ſed improbamus morem indoctorū hominum in exponendis ſacris litteris; qui putant ex omni loco diuinæ ſcripturæ ſemper quatuor ſenſus deduci oportere.

Hiſpanici poetæ.

Reliqui ſunt, qui noſtra, & patrum auorumque memoria, partim rythmis illigati Hiſpanis; partim (quod noſtris tēporib. neſcio cuius Apollinis afflatu vſurpari video) Italicis numeris magis artificioſi, quam ſuaues, & canori linguam noſtram locupletarunt. Sed cum multa intercidant, inualeſcantq; temporibus; ſitq; certiſſima regula, non in cuiuſquam rei bona, aut mala natura; ſed in vſu potius, atq; conſuetudine; damnare equidē non poſſum, nec ſi poſſem maxime deberem, principes huius artis nobiliſſimos, Boſcanum, Laſſum, Ioannem Hurtado Mendozium, Gundiſaluum Perez, viros plane doctiſſimos, & quos in numero Petrarchæ, & Dantis, & ſi quos Italia præſtantiores habuit, locare nō timeo. At quorundā aurib. dulcius ſonant Ioannes Mena, Bartholomæus Naharro: Georgius Manricus, Carthagena, & illuſtriſſimus Marchio Ignatius Lopez Mēdozius: tū veteres illæ Cātiones, quæ clarorum hominum amores, & fortia facta, victorias etiam, & triumphos cū horrore aliquo Antiquitatis iocundiſſime narrāt. Mihi vero ſi minus aliud, amplitudinē, & diuitias linguæ Hiſpanæ hi oſtentare videntur, qui in hanc rythmorum formam, vel iocundiores fabulas, vel honeſta vitæ præcepta contulerunt. Eſt enim lingua Hiſpana locuples, & ſpecioſa; quæ non ſemitis, ſed campis; nō vti fontes, anguſtis fiſtulis, ſed vt latiſſimi amnes, totis vallib. fluit: quod Fabius de Eloquentia ornatiſſime dixit: Multis tamen, ac diſſimilibus diuerſarum linguarum augetur vocabulis: quippe ex parte maxima Latina eſt, & Græcas interdum, & Hebraicas dictiones incurrit; ſæpe in Gothicis hæret; frequētiſſime Arabicas profert; vt nullum ſignum euidentius habeamus, quo exteras peregrinaſq; gētes in Hiſpaniam veniſſe credamus, quam vnum ex tam diuulſis, & quaſi diſcerptis nationū vocabulis conflatam linguam. Hinc mecum omnia verſans, nihil Hiſpanorum ingeniis [illegible]acius eſſe putaui; his præſertim, quæ diſciplinis liberalib. exculta ſunt: propterea quod vt ſegetes fœcundæ,

Boſcanus Garcias Laſſus Ioa. Hurtado Mendozius. Gūdiſaluus Pereſius. Ioan. Mena Cordubenſis Bartho. Naharro. Georg. Manricus. Ignatius Lopez marchio. Hiſpana lingua permixta. Hiſpanica ingenia.

cundæ, & vberes non ſolum fruges, verũ herbas effundũt inimiciſſimas frugibus; ſic interdum ex illa diuite verborum copia, qua ſupra modum Hiſpani abundant, non mirandum eſt, ſi noui nunc erumpant rapſodi; qui maiorum modulationibus non contenti, Italorum aſſimulata poemata, cum Ione Platonico, diuinitus ſcilicet inſpirati canãt. Ego enim, ſi ambitu certiſſimæ immortalitatis Poeta eſſe vellem, optarẽ illud in primis, vt me dulces muſæ remotum à ſollicitudinibus, & curis in illa ſacra, illoſq; fontes ferrẽt, vt eſt à Virgilio amœniſſime exoptatum: vbi ſi de more veteri carmina in Theatro recitarem, totus repẽte mihi aſſurgeret, acclamaretq; populus, quemadmodum præſente Auguſto, ipſi accidiſſe Vergilio Cornelius Tacitus, ſcriptis mandauit; Mediocres vero poetas, qui nullis virtutib. accedunt ad Linum, Orpheum, Apollinem; & illos, quos diis genitos & ſacros reges deluſa fabulatur antiquitas aut molliorib. numeris, & maieſtate carminis ad Maronem, Lucanum, Statium attingunt; nunquam tanti fecit Horatius quanti ipſi hodie ſe inani quodam artis inuento arroganter efferunt, & iactant. Quos, Poetas ne nominare debeã, an verſificatores non equidem ſtatuo; numerum ſane, & tonũ, & luſus quoſdam per vrbanos in multorum carminib. ineſſe video; eruditionem vero, & ſpiritum vatis, & exultam, elegantemq; linguam, (nam id quoq; plurimum refert, quo quiſq; loco linguam didicerit) moroſe ſæpius, & ſcrupuloſius requiro. Hoc quidem Cicero non in Poetis modo, ſed in ipſis quoq; Oratoribus, quorum magna eſt cum Poetis affinitas, ſæpiſſime deſideraſſe videtur. Nã & Cæcilio competitori ſuo in cauſa illa de eligendo accuſatore contra Verrem, hoc vno pudorem fecit, quod literas Græcas non Athenis, ſed Lylibei; & Latinas, non Romæ, ſed in Sicilia didiciſſet. Omitto iam poetas noſtros, quibus neq; ſtudio quemquam, neq; induſtria maiori, neq; ingenio qui præſtiterit, facile inuenio; ſi maluiſſent quidam eorum culpa vacare, quam errati veniam turpiter deprecari, qui Hiſpani cum eſſent, Italicos modos, tanquam alienos fundos inuaſerunt.

Poemata Hiſpana.

Tacitus, ſiue is Quintilianus eſt, Dialogo de Oratorib. ſui ſæculi, cum veterib. concinſ. ſermo.

Vnus poſtremo mihi reſtat vir nobilis Chriſtophorus Colonus, natione Genuenſis, ſed Hiſpali vrbe donatus, non ſtudio iocundæ poeſis ipſi orbi notus, ſed Matheſis potius diuinitate memorabilis: nam ſiderali ſcientia, qua erat egregie doctus, aut diuino potius conſilio excitatus, magnũ quidem & inauditũ facinus; eſt aggreſſus. Deſpectis enim Herculis colũnis, per mare Oceanũ quod Atlanticũ & magnũ appellamus, in Antipodas feliciter nauigauit: vbi nouũ orbẽ terras alias, & eas ſtellas, quas nunquã ex Hiſpania vidimus, omnium mortaliũ primus, neſcio ne in ſuã magis, an illius gentis fortunã inuenit. Et quod fuit quondam multis viris doctis incredibile, eſſe homines, qui aduerſa nobis veſtigia premerẽt, ipſe ſuis eſt oculis contemplatus: perſuaſurus etenim, quantum ego credo, Lactantio & Auguſtino ſi eo tempore viuerent, quod ineptias illi, & fabulas Mathematicis artib. deſtituti, falſo aliquando crediderũt. Itaq; ter peragrato orbe, per immenſos nauigationis errores, Hiſpalim, ad ſuos reuertit; maiori quidem cumulatus gloria, quam Bacchus olim, & Hercules; qui totam fere Aſiam, & Europam magnificentiſſimis triumphis perluſtrarũt; aut magnus ille Alexãder, qui mundos adhuc alios ſuis reſtare victoriis ſuſpirabat. Neq; inter tanta fortunæ blandimenta re alia gaudebat magis, quam ſe duce in illos fines orbis terræ propagatum eſſe Chriſti Euangelium, & inſonuiſſe nomen Iacobi filii Zebedei, dum aquilas Imperii, & leones Hiſpaniæ noſtri homines victores inferrent. Hoc ſibi lauream, hoc currum auratum putabat, tumido, ac indignanti Oceano ſe primum compedes inieciſſe; non illas, quas Mithridates olim, furore amẽs, mari minabatur; ſed quæ libertatẽ Chriſtianam, & felicitatem ſempiternam barbaris hominibus pollicerentur; quod ipſe, ſecundũ Deum, ſuis referebat acceptum Mathematicis; quæ per intentatum mare viam in alium orbem muniuiſſent. Huius etiam filius Ferdinandus Colonus, prope æqualem vitę dignitatem in otio tenuit, quam pater in negotio habuit. Nam vt erat eximius ſingulariſq; Philoſophus, ædes ad Bætim operoſe, magnificentiſſimeq; ędificauit, in loco ſalubri, & amœno, Muſis etiam maxime conuenienti. Has circum topiario opere exornauit, vbi conſtructa quam ampliſſima bibliotheca, quæ XXV. librorum millia dicitur habuiſſe, tum annuis dotata reditib. ne non quotidianis librorum acceſſionib. aucta, periret, vitã cum ſtudiis terminauit.

Chriſtoph. Colonus Indiarum repertor.

vt Diuo Auguſtino, & Lactantio.

Ferdinãdus Colonus Chriſtoph. F.

Bibliotheca Hiſpali Colonorũ ampliſſima.

Quod ſi tot doctorum hominum millibus, Hiſpanę eruditionis vituperatorib. non ſatisfacimus, prodeat, etiam in aciem lectiſſimus fœminarum chorus; qui de ingenio, & doctrinæ laude cum Græcis, & Latinis generoſe admodum certet. An non ego iure opponam excellentem Calabriæ Ducem, Zeneti Marchionam, Aſpaſiæ Xenophontis; quę quõdam in conuentu eruditorum auſa fuerit cum Socrate inductionib. diſputare? Cuius obſecro principis viraginis ingeniũ vberius cultũ Græca, & Latina eruditione fuit? Cuius animus in ſtudiũ magis æſtuauit? Quis tam occultos eruditionis theſauros ex Belgis vnquam in Hiſpaniam reportauit, quam cum hæc, defuncto priore viro Naſao, ad ſuos reuertit? Pu-

Hiſpanica matrona erudita.

Marchionã Zenetti.

Iſabella Ioenſis Barcinonenſis.

gnabit cum Diotima Platonica, Iſabella Ioenſis, nobilis fœmina Barcinonẽſis, optimarum literarũ ſtudio, & vigilantis ingenii fertilitate; tũ vita, & morib. Paulæ Romanæ perſimilis.

Angela Zapata Valentina.

Quid referam clariſſimam fœminam, Angelam Zapatam, quę cum angelica mente donata eſſet, doctiſſimi viri Ludouici Viuis ciuis ſui, amplum & magnificum teſtimonium de ingenio pariter, & doctrina tulit?

Sigæa Toletana.

Quid Sigæam Toletanam? quã propter literas Latinas, Gręcas, & Hebraicas sereniſſima Luſitaniæ Regina intra aulam ſuam incredili admiratione excepit, & in illuſtrium fœminarum claſſem, quibus ipſa priuatim, & honeſtiſſime vteretur, ſtatim referri voluit.

Anna Oſoria Burgenſis. Alexius Vanegas.

Quid Annam de Oſorio Burgenſem, & maiorum imaginib. nobilem, & diuinæ Theologiæ ſtudio celebrem? Quid complures aliæ, quas ego partim de facie noui, partim Alexius Vanægius prope infinitæ, & ſtupendæ lectionis vir (qui & ſubtilitate ingenii, & diſciplinarum varietate, & morum honeſtate, & elegantia nulli eſt poſtponendus) magna cum voluptate mea mihi narrauit? E quarum ſpecioſo, conſpicuoq; grege, vnius mulieris Latini verſus, ſacris ſæpe, & publicis certaminibus primam Hiſpali, & Compluti lauream, iudicum, ſententia meruerunt. Quam velim ſignificare, nemo non Cõplutẽſis intelligit. Nam hæc fuit illa Catherina Pacenſis, quæ nõdum expleto ętatis anno viceſimo ſeptimo, in ipſo

Catharina Pacenſis. Caraca nũc Guadalaiara, vicus quarto à Cõpluto lapide, dictũ inſantalijorum.

vitæ flore, Caracę, quæ nũc Guadalaiara, acerba & immatura morte è viuis proxima æſtate erepta, inſanabilẽ attulit Muſis dolorẽ. Heu, quæ ingenii vena illo die ad ſummam gloriam Eloquentiæ floreſcens exaruit? quos Poeſis fontes ſubito fortuna proſtrauit? Quæ non literæ politiores cum illa mortuæ, & ſepultę fuerunt? Verum profecto illud eſt, Quod à Fabio Quinctiliano dicitur, celerius occidere feſtinatam maturitatem; & eſſe neſcio quam, quæ ſpes tantas decerpat, inuidiam; ne videlicet vltra quam homini datum eſt, noſtra prouehantur. Laudet Cicero, quantum velit, Corneliam, matrem Gracchorum; miretur attonitus Lælias, Mutias, & Licinias; proferat Lucanus ſuam Polam argentariam; nunquam tibi, Catherina Pacenſis, tam erit Complutum ingrata, vt non cum illis te cõparare audeat.

Cornelia Gracchorum mater Lælia, Mutia, Licinia, Pola Argentaria Lucani vxor.

Sed modus iam ſit deſtinato operi, quanquam memoriam æqualem, & maxime notam, & fortaſſe neceſſariam quorundam incurrebã: tamen modeſtiſſimum eſſe putaui, de pręſentibus, & quibuſcum viuerẽ ſine odio, & inuidia tacere: vel quod in Bruto Marcus Tullius, de omnibus ætatis ſuæ autoribus, exceptis Cæſare, & Marcello, altum ſilentium egerit: vel quod hũc imitatus vir acutiſſimus, & ſingularis prudentiæ Quinctilianus, paucis ſui tẽporis eruditis nominatis, totam iudicii inuidiam ſapienter effugerit: vel vt habeãt poſtremo, qui poſt nos de viris Hiſpaniæ doctis conſcribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi?

Scriptores, incertum an Hiſpani. Trogus Põpeius. Gerundẽſis Epiſcopus, hiſtoricus. L. Marineus Siculus.

Conſulto equidem ex veteribus nonnullos prętermiſi: quos quidem iactatione populari, & vt nobis quidam blandirentur; Hiſpanos fuiſſe memorant, In his *Trogus Pompeius* (vt nihil de imperatorib. Antoninis, & cæteris dicam (quem Epiſcopus Gerundẽſis, hiſtoricus magis doctus, quam ornatus, inter noſtros ambitioſe connumerat. Ego vero (vt quod eſt apud Iuſtinum veriſſime referã) Trogi maiores Volſcos fuiſſe inuenio, cuius auus Trogus Pompeius Sertoriano bello, quod geſtũ fuit in Hiſpania, ciuitate donatus à Cn. Pompeio memoratur. Vnde hunc errorẽ Epiſcopi Gerundenſis, in quẽ Lucius quoq; Marineus incidit, certiſſima cõiectura extitiſſe arbitror. At pater Trogi, Caii Cęſaris fuit ab Epiſtolis, qui legationum, & curã etiam annuli, propter eloquentiã, & vim ingenii, habuiſſe fertur.

Epilogus.

Quare ſi hæc vera, vt ſunt, comperiant. Deſinant poſthac importuniſſimi conuiciatores, doctiſſimis Hiſpanis maledicere; quum neq; artium liberalium antiquitate; neq; doctorum hominum copia: neq; ingenio, neq; induſtria, neq; religione, aut priores extitiſſe alios aut poſt Gręcos & Latinos præſtantiores inueniamus. Illud tamen inficiari neq; debeo, neq; iure poſſum, pleroſque eorum ad maiorem ingenii, & eruditionis famã potuiſſe peruenire, ni maluiſſent exercere, quantum haberent, quam conſequi quantum poſſent: Diſciplinas tamen modice vitiatas fuiſſe, taceri non licet.

Littera in Hiſpania inſtaurata refloreſcunt.

Sed quum his, qui inquinate loquuntur, nullus iam in ludis literariis locus ſit; nullus inter eruditos honor; nulla vulgi admiratio; neq; præmium vllum defloreſcentis, & putridæ doctrinæ; non equidem dubito, quin quod eſt huius calamitatis reſiduum, breuiſſimo tempore ſit expurgandum. Siquidem Dialectici repudiatis Barbarorum nugis, in vno principe Ariſtotele, & veterum auctorum commentariis libẽter conquieſcunt. Medici

Medicina.

præter literas Græcas, & Latinas, & Hippocratis, Galeniq; doctrinam, quam mirifice complectuntur, Aſtrologiæ etiam ſtudio, quam plurimum temporis ſuppeditabunt; vt nulla illis boni, perfectiq; Medici laus deſit. Id enim frequenter requiro, in noſtris Medicis; optarimque hoc vno aliquando expleri gaudio, & propter reliquorum hominum ſalutẽ, & crebro ingruentes meos morbos, vt Aſtronomica ratione pharmaca componerẽt, & accom-

modarent

modarent. Nam quantum conferat curandis, ac pellendis hominũ morbis, producendęq; in æuum cunctorum animantium vitæ, cæleſti aliquo adminiculo fieri medicamenta, nouerunt ſane Pythagoras ille Samius, Democritus Abderites, Apollonius Thyanæus; Marſilius Ficinus, & Arabes quam plurimi; qui ſibi, & aliis permultis longiſſimã vitam cœlitus compararunt. Itaq; inferiorum naturas, & cęleſtium vires, & horum ſympathiam, qui aut aliquando didicerunt, aut diuturno ſtudio fuerunt perſcrutati; & curandi laudem, & doctrinæ palmam, & magni, perfectiq; Medici cognomen ſemper reportarunt. Iureconſulti autem melioris frugis ſpem mihi pollicentur, quod videam eorũ pleroſq; vt Iuris, ita æquitatis conſultiſſimos eſſe. Theologis poſtremo nihil habet Hiſpania hoc tempore eruditius, nihil præclarius, nihil diuinius. Nec eſt, quod timeamus ſemel reſtitutam Theologiam iterum perditum iri; dum longe omnib. fortunatior Academia noſtra, duos in omni doctrinarum genere principes viros, Andream de Cueſta, & Mantium, monachum Dominicanũ, abſolutæ virtutis magiſtros, & veræ germanæq; Theologiæ ſelectiſſimos profeſſores complexa fuerit. De quorum ingeniis, & optimarum artium ſtudiis, quæ cum ſumma vtilitate Reipublicæ literariæ erudiendis Compluti iam annos circiter decẽ Theologiæ candidatis feliciter quidem, glorioſeq; exercuerunt, nihil nunc ſtatuam: tam præclarum, diuinumque iudicium, debitumque teſtimonium poſteritati relinquens.

Aſtrologiæ cognitio Medico neceſſaria.

Iuriſprudẽtia.

Theologia.

Fr. Mantius Dominicanus.

ACADEMIAE HISPANIAE.

Barcinonenſis	pag. 817	Oſſunenſis in præfat. & pag.	817
Complutenſis	815	Palantina	811
Conimbricenſis	815	Pintiana	817
Granatenſis	817	Salmanticenſis	811. 816
Hiſpalenſe Gymnaſium	817	Toletana	817
Ilerdenſis	817	Valentina	817
Oſcenſis	817		

Conſtitutæ poſt alias, noſtra memoria.

1 Cæſarauguſtana, an. CIↃ. IↃ. LXXXIII. à Petro Cerbuna, Priore templi, nunc Epiſc. Turiaſonenſi; & S. P. Q. Cęſarauguſt.

2 Tarraconenſis, an. CIↃ. IↃ. LXXII. à Gaſpare Ceruantes, Gaete S. R. E. Cardin. Archiepiſc. Tarracon. qui Salaria magiſtris ampliſſima reliquit. Gymnaſium vero S. P. Q. Tarracon. exædificauit.

3 Gandienſis à Franc. Borgia, Duce Gandial. in regno Valentino. an. M. D. XLVIII.

DAMIANI A GOES, LVSITANI, VITA; COLLECTA POTISSIMVM E SCRIPTIS EIVS.

DAMIANVS A GOES in oppido Alãquer, quod, vt ſentit Reſendius, priſca ſecula Gerabrigam appellabant, nobili apud ſuos genere natus, Luſitanus fuit, quales in Hiſpania *Hidalgos* hodie nominant, ſiue Italici iuris, vt quidam volũt, ſiue quod patrem vt bene nati, ciere poſſint: quomodo olim & *Patricii* Romę dicti: Luſitanus, inquã, nõ Belga fuit. Fallit itaq; nos Cornelius Callidius Batauus, qui in Belgicorũ ſcriptorum cenſum nuper hunc retulit: deceptus, credo, nominis ambiguitate in ſcriptura quidẽ, pronunciatione enim ſatis diſtinguũtur. Zelandum fuiſſe putat ex Goeſa Zelandorum inſula frumenti ſatis ferace. Accidit nimirum Damiano quod Homero ob præſtantiam ingenii olim: cuius de patria certabant.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ, vt & Chriſtophorũ Longoliũ, Eloquentiæ nomine (quæ tũ exiſtere primũ, atq; è tenebris emergere cœperat,) Pariſiẽſes ſuũ eſſe dicebãt, Romani ſibi vendicabãt, Batauí vero repetũt. Puer igitur DAMIANVS, optimæ indolis fuit, Emanueli Luſitaniæ regi à cubiculis, ætateq; prouectior in frugem optimam euaſit. Fratrẽ habuit, Fructum à Goes nomine, eiuſdẽ regis cubiculariũ, hominẽ probum & amicis vtilem. Ille luſtrandi orbis iam inde à puero cupiditate flagrabat, ne obſcurus domi atq; inglorius, (quod in patria fere quiſq; neglectus iaceat,) conſeneſceret. Per Germaniam itaq; & Belgicam Galliam, Luſitanorum Regum negotia gerens, per annos amplius quatuordecim, terra mariq; iactatus, honorificas obiuit legationes, ad ipſum etiam Sarmatiæ Regem, quæ Polonia hodie dicta eſt, ſenex tandem fama clarus, literiſque diues, & prudẽtia inſtructus reuertit. Primũ igitur in Belgiũ nauigio delatus, iactis iam vel in gran-

diore ætate fundamentis, Italiæ viſendæ, vt ſcientiarum parentis, percupidus, eruditorum hominum cõmendatione Patauium ſe contulit, anno eius ſæculi CIↃ.IↃ.XXXIIII. Hic in Petri Bembi hominis ea ætate diſertiſſimi, & Patricii Veneti, qui poſt à Paullo III. virtutis ergo an 1539. in Purpuratorum Patrum collegium eſt allectus, amicitiam ſe inſinuauit. Hic hominis elegantia morumq; ſuauitate, vehementer delectatus, ſponte, quod aiunt, currentem incitauit ſtudiiſque calcar addidit. Quatuor ipſos annos Patauii commoratus, vſus quoque doctore eſt Lazaro Bonamico Profeſſorum diſertiſſimo. Aeſtate vero dum Vindemialibus feriæ ceſſationeſque dari ſolent, vltro citroque peregrinari gruum more conſueuit: ſiue quod ingenio eſſet Mercuriali, & profectioni adſueuiſſet, ſiue quod capitis vertigine aſſidue conflictaretur, cui malo vectationem præſens adferre remedium medicorũ filii affirmarent. Vſus & amicitia eſt crebris litteris Iac. Sadoleti, & Chriſtoph. Madrucii Cardinalium quorum hic Tridenti, Carpentoracti ille præſulem agebat. Anno vero eius ſeculi XXXVIII. Louanium poſtliminio rediit, & Conradum Goclenium, quique illi ſuccenturiatus fuit, Petrum Nannium Latinæ doctores linguę, vt diſertos homines, & eruditos in primis coluit. Muſicę autem à pueritia deditus, vſque eo Luſitanicæ gentis ritu, excelluit, vt ea componeret, quæ in templis alii modularentur. Sic & Athenienſes Muſicam litteris, ac gymnaſticæ, natationique coniunxiſſe accepimus: pro quibus, è palliata Comœdia, in Togatam retulit Terentius Venationem & Philoſophiam ad quam libero dignæ homine artes & Muſica referantur.

Quod pleriq; omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant aut equos
Alere, aut canes ad venandum aut ad Philoſophos.

Muſicam autem Damiani, popularis eius Andreas Reſendius, poeta eius æui non ignobilis, celebrauit hoc epigrammate.

Elige vtro mauis horum te nomine dici,
An Phœbi an Orphei; dulcis vterq; modis.
Aut (ſi non ſpernis genus) à quo Muſica primum
Inuenta eſt, nobis ſis, Damiane, Tubal.

Huic altera, ex parte reſpondere Poeticam non ignorans, quod hæc rythmis, illa ſonis, vtraque numeris conſtet; & licet grandis iam natu eſſet, diſcere non erubuit, Latinæque ſeſe Eloquentiæ addixit, M. Catonis exemplo; qui iã ſeptuagenarius Græcas litteras (quas cum gente ipſa cane peius & angue ad eam diem oderat) tam auide arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere vellet. Sed quo vſus Damianus magiſtro; poeta ipſe dixerit:

Quis docuit? ſuus ille Grapheus. quis duxit in alti
Pimplei montis culmina ſacra? Grapheus.
Quis pinxit? ſuus ille Grapheus, Cornelius, idem
Nouit qui & verſu, & pingere penicilo.

Cornelius autem hic à Secretis fuit Reip. Antuerpienſis, vt & Ioachimus Polites, Goeſa Zelandiæ oriundus poeta egregius, & ab actis Reip. (*Graphiarios* ibi nominãt) qui & carmine Damianum prædicauit. Hic animum tandem ad matrimonium appulit, duxitque Hagæ Comitis, (quod oppidum Batauorum curia eſt) nobilem virginem Ioannã ab Hargen, liberaliter educatam, eleganti forma, dignamque quæ vni illi nuptui daretur, præterea nemini: Quemadmodum in Epithalamio, quod poſt vitam ſubiecimus, Alardus Amſtelredamus cecinit.

Suſtulit ex ea filium, cui Emanueli nomen à Rege illo Portugalliæ inuicto: de quo nomine & omine in pueri recens nati Genethliacum luſit Petrus Nannius.

Ab aula ac palatina ſeruitute, animum pridem abduxerat, vt ſtudiis ſe daret commodius poſteritatique ſubſeruiret memor illius Marci Varronis ſententiæ, quæ *legendo ſcribendoque produci* vitam iubet, hortante eodem & ſtimulos addente verſibus, Andrea Reſendio Eborenſi, vate inſigni, & aulicæ iam vitæ pertæſo: vt veteris illud poetæ, identidem vterque memoria repeteret.

—exeat aulâ. Qui vult eſſe pius

Igitur domicilium Louanii poſt tot tantaſque peregrinationes, veluti in ſede Muſarum collocarat? cum ecce tanquam Dauus, Comœdiam turbans, interuenit bellum, quieti eius inuidens. Etenim anno CIↃ.IↃ.XLII. obſeſſa vrbs Louanienſis à Martino Roſſemio Duce non impigro qui Geldrorum copias, Regis Gallorum auſpiciis in Banbatinum agrum, Caroli Cæſaris vexandi cauſa, ductabat: & propius factum nihil quam vt

vrbem

vrbem occuparet, niſi ſcholaſticorum vis obſtitiſſet, inſtruente copias animoſq; addente Damiano; qui cum ſenatus populique nomine durantibus induciis ad hoſtes exiuiſſet, & ab ipſis in vincula coniectus eſſet, violatas inducias cauſantibus, cum ſocio ſuo Metero duobus aureorum liliorum millib. redemptus eſt; vt terga tandem hoſtis verterit & in fugam ſe dederit. Cuius etiam virtutis nomine, gratias publice ſtudioſis Nannius Rhetor egit ea oratione quæ in manib. eſt: deſcripſitque eam ipſam obſidionem Damianus Olyſipone. Vt & Gelrogallicam illam coniurationem, obſidionemque Antuerpienſem Io. Seruilius, verius ſane copioſiuſque narrans, quam in ſui temporis Annalibus, Paulus Iouius. Ceterum de variis Damiani opuſculis, quæ ſenior Louanii edidit, approbante Academia vniuerſa hęc fere leguntur. *Dienſis in India oppugnatio*, qua Luſitanorum ea virtus enituit vt profligatis Turcarum copiis victoria ſint potiti. *Lappiæ deſcriptio ac deploratio Laudatio* item HISPANIÆ, quam Nannio, vt victoriam illam Bembo, inſcripſit, qui tum, Venetam meditabatur Hiſtoriam. Sebaſtiani autem Munſteri calumnias refellit, qui Hiſpanos famelicos, de alieno ſemper ſaturos & peregrinos homines, duros, feroces, immanes, imperitos, ingenio infelices, inelegantes, in ſua Coſmographia venenis referta vocaſſet. ÆTHIOPICA quoque LEGATIO magnam legenti voluptatem adfert: vt & *Olyſiponenſis* vrbis *deſcriptio*. Igitur hiſce ingenii monumentis, & morum ſuauitate, facilite, & erga doctos liberalitate non modo apud ſuos clarus exſtitit, ſed & exteris hominibus carus acceptuſque vſque eo fuit, vt vel inuiſum, abſentemque vnice diligerent. Nam & in Germania, (de Italia enim & Belgio iam commemorauimus,) obſeruabatur ab eruditis hominibus: Henrico Glareano, Bonifacio Amerbachio, & Sigiſmundo Gelenio, quorum hic ſuas in *C. Plinii Naturalem hiſtoriam* Obſeruationes doctas, Iupiter, & laborioſas, Damiano libens dedicauit; Glareanus libris *de Muſica* honorifice prædicauit. Senex in patriam honoris gratia à Rege accitus, vt patriam ſcribere hiſtoriam regia auctoritate pergeret, calumniis æmulorum circumuentus (Virtutis enim comes inuidia eſt) in vinculis cauſam dicere coactus eſt. Tandem in libera cuſtodia domus atque vrbis verſans, domi ſuæ mortuus repertus eſt, ſiue apoplectico correptus morbo ſiue à furacibus ſuffocatus famulis, incertum. Illud certum, meliori dignum exitu fuiſſe. Viuent tamen perpetuo ingenii monumenta. Imagini eius à Philipo Gallæo Antuerpiæ in æs inciſæ Benedictus Arias Montanus, elogium hoc aſcripſit:

Gentis Thucydides enarrat geſta Pelaſga,
Romana claret Liuius hiſtoria:
Hic alia vt taceam ſera data ſcripta ſenecta,
Aethiopum accepit nomen ab hiſtoriæ.

CARMINA HÆC AD DAMIANVM A GOES EQVITEM LVSITANVM, QVIA IPSORVM IN VITA EIVS fit mentio hic ſubiecimus.

Epithalamion
DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, ET IOANNÆ AB HARGEN HAGENSIS; PER Alardum Amſtelredamum.

NEC melius teneris iunguntur vitibus vlmi,
Nec plus Lotos aquas; littora Myrtus amat:
Quam Goſio *lepida eſt ſociata* Ioanna *marito,*
Quam generoſa ſuum deperit Harga *virum.*
Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo:
Addita quam vero eſt Penelope hiſtorico.
Quam platanus riuo gaudet, quam populus vnda,
Et quam limoſa canna paluſtris humo:
Tam formoſa ſuum complectitur Harga *maritum;*
Tam coniunx Hargam *ſuſcipit ipſe ſuam.*
Qualiter aquano ſociatam palmite vitem
Vlmus amat: iunctum ſic colit Harga *virum.*
Qualis vbi Oceani renouatus Lucifer vnda
Laudatur Veneri: ſic Equiti Harga *placet.*

Digitized by Google

Exiit in cælum ramis fælicibus arbos,
Luſitanus ab hac eſt generatus Eques.
Vt Phebe ſtellas, vt fratris lumina Phebem
Vincunt, ſic vincit dotibus Harga *ſuis*
Fœmina digna illis quos aurea condidit ætas
Principibus natis, principe digna viro,
Digna quidem facies pro quâ vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli cauſſa probanda foret,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, candidiorq́ niue,
Candidulum lucet ſic per bombicina corpus,
Calculus in liquidis vt numeratur aquis,
Nobilis vt ſpecies ſpectando viraginis vrget,
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor,
Carpit item vires, vritque ſubinde videndo
Fœmina, clamq́ faces addit & igniculos.
Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Sic Hargę *placidus leniter afflat amor.*
Vt Venus ante alios aſtrorum dirigit ignes
Luciferum, lucem ſic amat Harga *ſuam,*
Arctius ac hedera procera aſtringitur ilex,
Vnam itidem in carnem corpora ſuntq́ duo.
Qualiter artificis iunctura pollice ceræ
Accipiunt formas igne manuq́ datas,
Non aliter Goſii *docilis quoq́ coniugis* Harga
Sedula ſe placido commodat ingenio,
Vt floret ſemper laurus nec fronde caducâ
Carpitur, æternum ſic habet Harga *decus.*
Et prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas:
Hargam *ab amore ſuo quam duxerit vlla ſenectus,*
Seu vir Neſtor *erit, Tithoniuſue ſenex.*
Nil *adeo validum eſt (adamas licet alliget illud)*
Vt maneat caſti firmius igne thori.
Nil *ita ſecurum blandoq́ recognitum amore,*
Non ſit vt inferius, ſuppoſitumq́ thoro.

Genethliacum
IN CL. V. DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI FILIVM EMANVELEM.

PETRI NANNII.

T*Andem læta dies Erythræo digna lapillo*
Aduenit, & patrem te Damiane *facit,*
Ominis haud vani eſt tanta hæc clementia cœli,
Quæq́ ſua ex hyeme nubila nulla tenet.
Indulſit natura tibi, brumaq́ nouauit
Tempora, vernali dulcia temperie.
Quoq́ magis poſſes cognoſcere munera diua,
Quamq́ haud fortuitis caſibus iſtud agat:
Antea ab imbriferis maduerunt omnia nimbis,
Nulla vel pluuiis hora ſerena fuit.
Vt metus adfuerit, ne naufraga terra vetuſtas
Deucalioneas perpeteretur aquas.
Sed poſtquam in lucem proceſſit puſio dulcis,
Omnia mutata clara fuere vice.
Nil *Iouis in vultu reſidet mæſtumq́ minaxq́,*
Nec *frontem placidam ſæua procella tegit,*

Vt matrem

Vt matrem foueat, ſimul vt puerum ipſe ſalutet,
Maiale arridens fundit ab axe iubar,
Nil mirum, dedit Alcioni, cum parturit oua,
Incubitus fœdis imbribus vt careat.
Haud æquum fuerat tibi, ſi Damiane *negaret,*
Quod capit ex ipſo parua quotannis auis.
Sed puero blandus nitidiſsima lumina ſpargit,
Auſpicium vt faciat firmiter inde bonum.
Imbre madet cælum quoties miſer editur infans,
Gaudia præſagit lux ſine nube micans.
Adiuuat augurium tam ſanctum nomen, vt inde,
Ad quæ ſit genitus fata puer, videas.
Nobiſcum Deus eſt *Hebræa voce notatur*
Accepit nomen quod tuus Emanuel.
Parca quod adnuit, cognata vocabula monſtrant,
Sic diſtractus equis rumpitur Hyppolitus.
Sic Agamemnon habet diuturni prælia Martis,
Atque moras belli nomine ſignificat.
Exitium ſonat ipſe ſuum de nomine, primus
Qui cecidit Phrygia Proteſilaus humo.
Sic Eua viuentum genetrix, ſic Moſes ab vndis
Liber ab euentu nomina digna gerit.
Sic erit Emanuel diuis comitatus vbiq;
Atq; ſatis faciet nominis officio.
Creſce puer, patremq; refer, ſint numina tecum
Præſidioq; Dei quicquid agas facias,
Regibus atq; Deis commune hoc nomen habetur
Quod natalitiis accipis auguriis.
Sit mens cæleſtis ſit ſemper numine plena,
Regius in magno pectore ſitque animus.
Te Luſitanum, Batauum, ſimulatque Brabantum
Noris, & has terras eſſe tuam patriam.

EPISTOLA DAMIANI A GOES

AD

IO. IACOBVM FVGGERVM PRO DEFENSIONE HISPANIÆ.

EX tuis literis amantiſsime Iacobe cognoui te febri correptum fuiſſe, ab eademq; modo liberatum, quod nuncium etſi mihi ſatis ægrum fuerit, inde quod morbum tam tetricum ſuſtinueris, tamen gratum, cum intellexi te penitus ab eius tyrannide euaſiſſe, Quod autem ais me parum amice in Munſterum hominem mihi vtcunque cognitum debacchatum eſſe, te iudicem in hac cauſa eligo, & quid, cum laudes & vbertatem Germaniæ, vti nos Hiſpaniæ, ſcripturus eſſes, in eum tibi dicendum cogita qui nulla cauſa vrgente, Hiſpanos famelicos de alieno ſemper ſaturos, in peregrinos homines duros, feroces ac immanes, nec non imperitos, ingenio infelices, arrogantes, iactabundosq; vocaſſet, quibus notis Munſterus gentē noſtram inuaſit. Ego vero contra, dum noſtros defendo, quid feci aut commiſi? Germanos profecto & Gallos non in genere, vt ipſe Hiſpanos, læ do, ſed in ſpecie tantum, & in harum prouinciarum famulos & gnathones ſolum quaſi ioco ludens, meam defenſiunculam emiſi, ipſumque Munſterum virum bonum prædico, quem tantum moneo, vt poſt hac cautius ſcribat, & ea quæ comperta habuerit, ſolum typis mandet. Quod ſi feciſſet, non tot mendacia & de ſua quoque Germania ſuo Ptolomeo inſeruiſſet, omitto alios libros de Chriſti fide loquentes quos ipſe euulgauit; qui adulterini & fictitii à multis iudicantur; res ſane ſi ſic eſt non admodum pia, nec Chriſtiano homine digna. Hæc omnia tibi amantiſsime Io. Iacobe retuli, vt ſcias me latius in Munſterum ſtomachari potuiſſe quod ſane feciſſem, niſi eſſet homo Germanus ill

Germaniaque natus, quam gentem & prouinciam ego tanquam numen ſemper veneratus ſum, & in qua eximios amicos habeo, quorum amicitiam ſanctiſſime inuiolatam mihi & volo & perpetuo ſeruatam cupio. Caterũ quod ad librum Luſitanicum attinet, vidi quæ ſcribis pro quib. tibi gratias ago maximas, librum enim egomet apud Peutingerum vidi, & truncatim legi, qui re vera ei cum linguam noſtram ignoret, minime vſui eſt. Quare te iterum atq; iterum oro, vt vel librum ipſum mihi impetres, vel eiuſdem exemplar, vnum, quod ſi feceris, hiſtoria noſtra, quam in manibus de rebus Indicis habemus, magnum adferes adiumentũ, & nobis facies rem gratam, pro qua tibi perpetuo deuincti erimus. Vale & nos vt facis ama. D. Antonium Fuggerum noſtro nomine ſaluta. Louanii 11. Aprilis Anno 1542.

IO. IACOBVS FVGGERVS DAMIANO A GOES EQVITI LVSITANO.

NOn opus erat apud me vlla excuſatione Damiane amicorum amiciſſime, quod parum amice te in Munſterum ſtomachatum eſſe ſcripſeram. Id enim ex amicitia & vere ſyncero animo, quo erga te ſemper hactenus fui affectus, factum eſſe credas velim. Ignorabam etenim ipſum Munſterum tam atrociter in Hiſpanos debacchatum eſſe, idq; nunc etiam miror, cur auſus fuerit in illam tam vberem & præſtantem occaſus regionem quam ipſe nunquam viderit, in qua nunquam peregrinatus ſit, tam atrociter præter vllam occaſionem, ignorans omnium rerum, ita temere inuehi, vt interim taceam qua temeritate in euulgandis adulterinis fidei noſtræ libris (vt ſcribis) vſus eſt. Vt ita re cognita te non ſolum excuſatum ſed ipſum etiam ob inſignem eius temeritatem plane odio habeam, & omnium doctiſſimorum virorum acerrimo ſtylo perſtringendum iudicem, qui non ſolum de iis quæ non viderit aut expertus ſit, ita audacter & temere in publicum proferat, ſed etiam ea quæ ad ſacroſanctæ fidei noſtræ ſuſtentationem & augmentum pertinent, adulterari non vereatur. Sed vides & ipſe cognitum habes, quam peruerſa aliquot annis fuerint ſecula: vt nedum dicere, ſed & typis cõmittere quæuis ſomnia nonnulli auſi ſint. Deus Opt. Max. faxit vt propediem meliora ſequantur. Cæterum quod ad librum Luſitanicum attinet, ſedulo equidem egi cum Peutingero, vt mihi eius copiam faceret, idque tandem impetraui, ea tamen conditione ne cuipiam oſtenderem, neue reſcribi quicquam curarem; quod ſane pollicitus eram, eam ſolam ob cauſſam, vt quem tanti faciebat librũ non intellectum viderem, vidi & mox, vt fidem dederam, ne quidquam ſuſpicari poſſit reſtitui. Noſti opinor hominem, decrepitum, antiquitatis & raritatis ſtudioſum, qui ob eam cauſſam libro vt arbitror non intellecto delectatur, quod præter ſe neminem habere credat. Agam tamen ſedulo, vt ſi quidquam impetrandum eſt à ſene, hunc librum eliciam, faciamque pro viribus vt meam in hoc negocio diligentiam & ſedulitatem non defuiſſe intelligas. His te cum coniuge quam optime valere cupio. Ex Auguſta 8 Maii. 1542.

L. ANDR. RESENDII LVSITANI EPISTOLA HISTORICA,

De Aera Hiſpaniorum.

L. ANDR. RESENDIVS, IOANNI VASÆO VIRO DOCTISS. S.

CIRCITER *Cal. Maias, Vaſæe litteras tuas adcepi, datas Nonis Februarii Salmanticæ. Adcepi autem Conimbricæ quo me Regia auctoritas, ita enim blandiri mihi malo, quam vim adpellare, tranſtulerat, hoc eſt, ab honeſto, & quieto otio, in negotium turbulentiſſimum, á muſeo in piſtrinum, vbi ſine vlla intermiſſione defatigationum eſt molendum. Nec ſatis ſcio quid conquerar, neque quid non conquerar, niſi quod hoc, quicquid eſt, irato meo genio mihi contigiſſe certo ego ſcio. Non igitur vacauit, immo ne nunc quidem vacat poſtulationi tuæ adcuratius paulo reſpondere, vti amico amicum par erat, tamen nonnulla ex parte ſatisfaciam tibi, cui quidem ſemper ex omni, pro tua in me beneuolentia, ſtudui ſatisfacere, ſcito me de Aera nihilo plus cogniti, nihilo plus cõperti habere nũc, quã habuerim tunc, cũ de ea re præſẽs mecũ egiſti. Neq; ego de initio ei⁹ loquor. Nã ſatis manifeſte adparet, incepiſſe eo tẽpore, quo ex partitiõe Triũuirali vtraq; Heſperia Octauio ceſſit, poſt an. IV. quã eſt interfect⁹ C. Cæſar. Loquor aũt de origine tantũ vocabuli*

bulí, vnde videlicet Æra nominetur, quæue nominis eius cauſa fuerit. Nam quod alii ab Ære dando, id eſt, à cenſu, qui Auguſti indictione ſoluebatur, Æram nominatam arbitrantur, non admodum probo. Multo etiam minus, quod alii ab hero, id eſt, domino heram, dici volunt, quaſi dominationem. Commentum autem Geneſii Sepuluedæ, quo ex compendio ſcriptionis A. ER. A. Caſ. id eſt, annus erat Auguſti Cæſaris, feciſſe imperitos Æram Cæſaris, nobis nititur perſuadere, fateor, non ſine admiratione, propter hominis eruditionem, legi: libenter enim ab illo quærerem, cum litterarum illarum compendium exiſtimet ſcribis tantum fuiſſe cognitum, quaſi eſſet ſimile illi Hebræorum elementorum arcano quod apud ipſos Cabala, nominatur, aut Hieroglyphicis notis, quibus vetus Aegyptiorum obducta implicataque erat ſapientia, quarum miniſteria, quum ſolis eſſent cognita ſacerdotibus, à patribus adcepta quaſi per manus poſteris proderentur, an magis compendiariam iſtam formulam etiam in vulgus emanaſſe arbitretur. Huic parti ſi, vt doctum facere æquum eſt, adſentiatur: reſpondeat, quonam tempore Hiſpanos autumet in tantam animi, vt ita loquar ſupinitatem deueniſſe, ſtantibus nec adhuc in Hiſpania Romanis rebus, ac vigente imperio, an poſteaquam conlabi ad Gothorum irruptionem cœpere? florentibus rebus id fieri nunquam potuit, cum Latina lingua multum non Romani modo, qui in Hiſpania erant, ſed ipſi etiam Hiſpani vterentur. Ad hæc, cum Hiſpania primum in prouincias duas, hoc eſt, citeriorem, & vlteriorem, deinde in tres, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam eſſet diuiſa, tum deinceps, propter magnitudinem diuiſa trifariam, Tarraconenſi, Gallecia facta ſit quarta, Carthaginenſis vero quinta, vt ſcribit ad Valentinianum Sextus Rufus, nec ibi finis, ſed diuiſa quoque Luſitania, ſexta numero cœperit eſſe Vettonia, atque hæ omnes prouinciæ, ſiue conſulibus, ſiue procoſſ. ſiue prætoribus, ſiue proprætoribus, ſiue præſidibus, ſiue legatis regerentur: præterea ſcribis, legiſtis, tabulariis, tabellionibus, hominibus vel Romanis, vel certe Romana lingua peritis, plenæ eſſent etiam vſque ad tempora Maiorani Cæſaris, qui regnare cœpit circiter annum ſeruatoris noſtri CCCC. LXXII. conſentaneum profecto non eſt, ignoraſſe eos vim harum litterarum A. ER. A. ſi autem, poſtquam in Hiſpanias Gothi inuaſerunt, id accidiſſe dicat, rurſus quærerem, ſubito ne id, an paulatim potius? ſubito ac repente exſtinctam fuiſſe notitiam illorum verborum, quibus tam frequenter in tabulis vterentur, perſuaderi ego non poſſum, niſi me doceat Geneſius lethargo fuiſſe tum ſimul correptos Hiſpanos omneis. Paulatim euenit, inquiet. en rurſus eodem luto, in eadem hæremus ſalebra, vt nimis ſane videatur eſſe mirum, vix centum annorum interuallo, in tantum rem obſoleniſſe, vt etiam ad Leandrum illum, ac adeo Iſidorum, multæ tum eruditionis, tum diligentiæ hominem, vulgatiſſimus quatuor illarũ intellectus minime perueniret: vt concilia vetuſtiſſima, nempe Bracarenſe primũ, AERA DCX. & Hiſpalienſe prius, AEra. DCXXVIII. celebrata prætermittamus. vt prætermittamus, etiam & veteres in ſaxis inſcriptiones æra. DX. & DXX. & DL. factas hoc eſt, ſub Anaſtaſio, & maiore Iuſtiniano. ſed quid? quod ſub Arcadio & Honorio circa annum nati ſeruatoris CCCC. integris etiam dum, aut certe minima ex parte adciſis in Hiſpania rebus, Diuus Fauſtus Regienſis in Gallia Epiſcopus, ſcriptor ſatis luculentus, æræ vtitur vocabulo? Cuius verba priore de Spiritu ſancto libro, ita habent. Sacer autem numinis diximus, quia trecenti in æra ſiue ſupputatione, ſignum crucis: decem & octo vero, Ieſu adorandum nomen oſtendunt. Quibus ego verbis partim, partim etiam ipſa ratione adducor, vt credam, neque ab Ære dando vocatum, Æram vt putauit Iſidorus, neque ab hero heram, vt ſomniant nonnulli, ſed ſimpliciter à nota numeri quod æra, ſit nota vel ſupputatio, vt Fauſtus interpretatur. Ad quam rationem Alphonſus Hiſpaniarum rex ſuam temporum ſupputationem Æram adpellarit. ſi quis autem roget, ſatis ne id Latine? reſpondebo Nonii Marcelli verbis, Æra, inquit, numeri nota. Lucullus lib. 29. Hęc eſt ratio peruerſa, Æra ſumma & ſubducta improbe. Igitur ab initio, ratio hæc numerandi tempora, ab vſq. Auguſto cœpta, Æra nominata eſt. Neque mouere quemquam debet, eius vocabuli vſum apud probatos auctores minime inueniri.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidêre, cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Ait Horatius. Meus, Vaſæe, huc inclinat animus, ſi cui aliud placuerit ſuo fruatur iudicio.

NOMENCLATVRA VRBIVM HISPANIÆ, IN QVIBVS SEDES EPISCOPALES CONSTITVTÆ SVNT EX DVOBVS vetuſtiſſimis C C. Eccleſiæ Ouetenſis, ex Wambæ Regis limitibus.

INCIPIT NVMERVS SEDIVM Hiſpanienſium, & vniuſcuiuſq; prouinciæ ſedes ſub Metropolitano ſubſcriptæ vſque in Rodano maneant. Id eſt, METROPOLIS TOLETO ſubditæ, Oreto, Beatia, Menteſa, Acci, Baſti, Vrgi, Bagaſtri, Ilici, Setabo, Dianium, Valeria, Valētia, Secobriga, Arcebrica, Compluto, Segontia, Oxoma, Secobia, & Palentia; SVB VNO. XX.

METROPOLIS ISPALIS ſubditæ Italica, Aſſidona, Elepla, Malaga, Elberris, Aſtigi, Corduba, Egabro, & Tuccis. SVB VNA. X.

MERITA METROPOLIS, Merita, Pate, Olixbona, Exonoua, Egitania, Coninbria, Viſeo, Lamego, Caliabria, Cauria, Elbora, Abela, Salamantica, Numantia, id eſt Cemora. Sub VNA. XIIII.

BRACARA METROPOLIS: Bracara, Dumio, Portucale, Tude, Aurienſe, Iria, Lugo, Britonia, & Aſtorica. SVB VNA VIIII.

TERRAGONA, METROPOLIS Terragona, Barcinona, Exara, Hierunda, Empurias, Auſona, Vrgello, Lerita, Ictoſa, Tortoſa, Cæſarauguſta, Oſca, Pampilona, Calafora, Teraſona, & Auca. SVB VNA XIIII.

Et inter Hierundam & Empurias nomina vetuſtiſſimis litteris adiectæ fuerũt, Maiorica, & Minoriga, Formentera, Eueza; & in codice altero non litteris Gotticis deſcripto in contextu ipſo leguntur.

NARBONA METROPOLIS. Narbona, Beterris, Agatha, Magalona, Nemauſo, Lateba, Carcaſſona, Toloſa, & Elna SVB VNA. VIIII. Sedes Hiſpanienſes abſq; prouincia Tigitaniæ vſq; ad mare Oceanum, qui eas circundat ſedes. LXXXII. exceptis Legione, & Oueto, quę nulli vnquam metropoli fuerunt ſubditæ.

EX V. C. GOTTICO.

ERA DCLXV. Recenſuintus regnauit annos XXIII. menſ. VI. dies. XI.

Wamba regnauit annis VIIII. menſem. I. dies XIIII. Iſte celebrauit concilium apud Toletum, & erat tunc temporis contētio inter Epiſcopos & Archiepiſcopos ſuper omnes terminos diœceſeos eorum & nulla conuenientia erat inter illos. & cōgregati ſunt omnes Hiſpani Epiſcopi, & Archiepiſcopi: & celebrauerunt concilium in Toleto, & inuitauerunt Regem Bambanem ad concilium, vt diuideret inter eos terminos Epiſcopales. rex BAMBA vt vidit contentionem eorum miſericordia motus venit ad concilium & diuiſit ſic terminos inter eos.

Primum diuiſit Toletum ſub poteſtate Archiepiſcopi QVIRICI. qui tunc temporis ibi erat Archiepiſcopus. Toletum metropolim & alias XVIIII. ſedes poſuit ſub poteſtate præfati Archiepiſcopi Toletanę ſedis & diuiſit terminos inter ipſas ſedes.

Oreto teneat de Galla vſq; Ecigā: de Pintam vſque Campaniam.

Beatia teneat per terminos de Oreto, & Menteſa & Acci.

Menteſa teneat de Eciga vſq; Securam, de Lida vſq; Pulixena.

Acci teneat de Secura vſque Montaniam, de Archatel vſq; Caracoie.

Baſti teneat de Montania vſq; Geſtam, de Rauca vſq; Ruſitam.

Vrgi teneat de Geſta vſq; Cartagini, de Aſtri vſq; Mida.

Bagaſtri teneat de Pugilla, vſq; in Loſolam, de Secta vſq; in Lumbam.

Setabi teneat de Cuſto vſq; ad Moletam, de Togola vſq; Vinitam.

Demi teneat de Goza vſq; Vinitam, de Silua vſque Gil.

Valentia teneat de Silua vſq; Muruetrũ do Mare vſq; Alpont.

Valeria teneat Alpont, vſque in Tarauellam de Figuerola vſque in Ner.

Secobrica teneat de Tarabella, vſq; Obuiam de Toza vſq; Brecam.

Arcabria teneat de Alcont vſq; ad Ouiam, de Mora vſq; Luceram, alii Luſtram.

Cōpluto teneat de Alcont vſq; ad Cortem, de Buſca vſq; ad Cortem.

Segontia teneat de Corte vſque Furcam, de Godol vſq; Pinnam.

Oxoma

Oxoma teneat de Furca vſque Aylanzon, quomodò currit in camino. S. Petri, qui vadit ad ſanctum Iacobum: de Garafe vſque hermitas.

Secobia teneat de valle Alhomet vſq; Mãbellam, de Montel. vſque Vaſodoto.

Palentia teneat de Mambella vſq; Caleam, de Valbona vſque Fortoſa.

Hę ſunt ſedes xx. diuiſę Epiſcopales de Toleto à mare vſque in caminum. S. Petri. qui vadit ad. S. Iacobum.

Poſt hac diuiſit ſedes Yſpalia.

Hispalis metropolis. Italia teneat de Vica vſq; Buſcam, de Aſa vſque Lamolam.

Aſſiolma teneat de Buſa vſq; Senam, de Lateſa vſque viam latam.

Elepla teneat de Sena vſq; Datam, de Abiſa vſque Corteſam.

Malaga teneat de Data vſq; Malcocam de Fenna vſque ſedes Campo.

Elberri teneat de Malcoca, vſq; Sotellam & de Almica vſque ſedile.

Aſtigi teneat de Sotella vſque parietem, de Lucca vſque Raucam.

Corduba teneat de Pariete vſque Vbetam. de la Galla vſque Raniam.

Egabro teneat de Malaſaia, vſque à Balagar. de Gigera vſque Calonam.

Hæc ſunt x. ſedes Hiſpalis diuiſæ à Mari vſque Turſam.

Poſt hac diuiſit Emeritam.

Merita metropolis. Pace teneat de Balagar vſque ad Artam, de Olla vſq; Matanal.

Oliſibona teneat de Carta vſq; Ambiam, de Olla vſq; Matar.

Elbora teneat de Soeſtra vſque Petram, de Rutella vſq; Paratam.

Oxonoua teneat de Ambia vſq; Salam, de ipſa vſq; Turrem.

Agitania teneat de Sala vſq; Nauam, de Sena vſq; Mauriellam.

Addit. V. C. infra hos terminos hanc ſuam diœceſim, tota Agitania, Mene, Cipio & Francos, ſub vnius xii.

Conimbria teneat de Naua vſque Borgam, de Torrente vſque Coram.

Addit V. C. infra hos terminos hanc ſuam diœceſim Conimbria, Eminio, Selio, Lurtinc, Inſule, Aſtuſiane, Porgale, Caſtrũ anticum, ſub vnius viii.

Viſeo teneat de Borga vſq; Sorcam, de Bonella vſq; Ventoſam.

V. C. Infra hos terminos totam hanc ſuam diœceſim, ipſum Viſeum, Rodomiro, Submoncio, Oſania, Ouellione, Tutella, Coleca, Caliabrica, qui apud Gottos poſt ea ſedes fuit. Sub vnius viii.

Lamego teneat de Sorta vſq; Pertã, de Tara vſq; Ortoſam.

V. C. Infra hos terminos hanc ſuam diœceſim, ipſum Lamegum, Tuentia, Araueæ, Cantabriano, Oma, Caminus, Sub vnius vi.

Calabria teneat de Sorta vſq; Albennum, de Soto vſq; Faram.

Salamantica teneat de Albenna, vſq; Sotobrum. de Ruſa vſq; Siberam.

Numãtia quæ noſtra & Gotti, poſtea vocauerunt Cemoram, teneat de pẽna Gonſendi vſq; ad Tormen, ſuper illos balneos. de Valle, de Rege vſque Dorium, de villa Lalle vſq; Otero de fumos, ſecus riuulum ſiccum, vſque Bretto, de Tauera vſque Dorium.

V. C. Numantia qua noſtrates Gotti. &c. & ſecus riuulum ſiccum deorſum vſque Bretto.

Abela teneat de Petra vſq; villam, de Maſco vſq; Terrero.

Cauria teneat de villa vſq; Dorium, de Aſa, vſq; Pumar.

Hæc ſunt xiii. ſedes Emeritę, diuiſæ de Anta vſq; Riuum ſiccum, & Tenilla flumen, v. c. & eſtulæ flumen.

Poſt hac diuiſit ſedes Bracaræ, & dixit, ſicut Theodericus Rex diuiſit, & ordinauit ſedes Galleciæ, ita eas permanere mandamus, & hos terminos eis ſuperponimus.

V. C. ſicut Theodericus Rex Sueuorum catholicus apud Metropolis Bracaræ cõcilium celebrauit, & diuiſit vnicuiq; ſedi diœceſes; quæ erant inter omnes Epiſcopios Galleciæ, ita eas ſtare pręcipimus atque cõfirmamus: & eos terminos illis ſedibus præponimus.

Bracara metropolis. Dunio teneat de Ducia vſque ad Albiam, de Rumeta vſque ad Aram.

Portugale teneat de Albia vſq; Loſolam, de Olmos vſq; Solam.

Tude teneat de Solam vſque Lagunam, de Monte albo, vſq; Fetoſam. [*Deſunt in V. C. Got.*]

Aurienſe teneat de Cuſaneã vſq; flumen Silum, de Vereganos vſque Calabezas maiores.

Iria teneat Diſſum vſque Cueanſam, & de Callas de Rege vſque in ora maris Oceani.

Lugo teneat de Laguna vſq; Buſam, de

monte Soto vſque Quintanam.

Britonia teneat de Buſa vſq; Torrentes, de Occaba vſq; Tobellam,& vſq; ad ouem, v. c. vſq; Ouem flumen.

Aſtorica teneat tota Valliſcaro, & fluuios, Vmauia, ſcilicet & Vrbigo per Breto, & Tauara.

V. C. Aſtorica teneat per ota vallis cerces & per fluuios Inania ſcilicet & Vrbico.

Hæ ſunt ſedes VIIII. Bracharæ diuiſæ à Portugale vſq; flumen Vrbico.

Poſt hæc dixit Bamba Rex coram omnib. aſtantibus, qui erant in concilio, tam eccleſiaſticis quam ſecularibus viris. V. C. Poſt hæc Rex coram adſtantibus omnibus qui erant in concilio, ait.

LEGIO, quæ numquam vlli Metropoli ſubdita fuit ſicut illam Deſcētius Legionēſ. Epiſcopus in Liberitano concilio cū authoritate Romana in præſentia Ataci regis Alanorum cum omnibus eccleſiaſticis ſiue & ſecularibus Hiſpanis viris ſtabiliuit: ſubſcriptoſq; terminos poſuit, ita eam permanere mandamus atq; confirmamus.

LEGIO teneat per Pirenæos montes, per pennam rubeam vna cum Media Leuana, Ceruera, Petras nigras, Auiam vſq; ad flumen Carinonem, per illa Serna, per riuulum ſiccum vſq; Villa Ardegam, per Cereſinos vſq; in caſtro Pexi per villam Mannam vſq; in arborem de Quedros, non habet aliter v.c. infra fines Galleciæ tria Caſtella.

Furtures dauncijs, Cancellata, & Nauiam.

ERA. DCC. X. & iterum dixit Rex.

Lugo quem in Aſturiis Euandali ædificauerunt & Epiſcopum in ea miſerunt, quę nunquam fuit ſubdita, vlli metropoli, teneat totas Aſturias, per Pyrenæos montes per omne litus Oceani maris vſque Biſcaya, per Menam vna cū campo Arboſio, Gordon, Aluam, vſque ad illam arborem de Quedros, Coianca, Ventoſa, vſq; ad Oruecum. Luna vſq; riuulum de Vmania, & vſq; ad Pirenæos montes: in Gallecia, Suatnam, Valſelongam, Neram, Flamoſam, totam Sarriam vſque ad flumen Mineum. Totum Lemos cū initio & Veroſino & Sauiniana deſtoranæ vſque ad flumen, Silum. Totam Limiam cum Eccleſiis de Petraio quæ ædificatæ ſunt vel fuerint inter Arnouium flumen & Silum à termino montis Baron: & per aquam Zoſe vſq; in fundum Arnoiæ: & per ipſum diſcurſum vſq; flumen Miniū. IN VEZA vſq; in Porcellam de Vanati, & Eccleſiis de Salas; inter Arnouiam & Silum, cum Eccleſiis, de Barroſa, Caſtella, Cuſanca, Burbantes, Auia, & Auion, Aſſina, Camba, Auiancos: ſicut eam dotauerunt noſtri prædeceſſores Euuandali Reges. & dixerunt omnes, Placet, placet omnibus nobis.

In altero v. c. Ouetenſi, hoc modo, Tunc prędictus Rex ſurgens in concilio dixit. LVGO, quæ in Aſturiis Guntamundus Catholicus Euandalorum Rex ædificauit, Epiſcopumq; in ea ſtatuit, quæ nunquā ſubdita vlli Metropoli fuit, ſicut ille cum authoritate Romana & cum conſenſu omnium eccleſiaſticorum, ſiue laicorum virorum Hiſpanorum in Legionenſi concilio ſtabiliuit, terminoſque poſuit, ita eam permanere mādamus atque confirmamus. & in eo C. non deſignantur termini vti in v. c. Gotthico.

Poſt hæc diuiſit Rex ſedes Terragonæ.

TERRAGONA METROPOLIS. Barcinona teneat de Minona vſq; Pagela de Vſa autem vſq; Bordel.

Exarta teneat de Bordel vſq; Palada vſque Mant. Ita in v v. c c. de Alcoſa vſq; Pinnas.

Exara teneat de Bordel vſque Palada, de Monteſa vſq; Portellam. Gerunda teneat de Palada vſque iuſtament, de Aloſa vſq; Pinnas: quę deſunt in v v. cc. Ouet.

Empuria teneat de iuſtament vſq; Bertam, de Ventoſam vſq; Galbam. alii cc. Giluam.

Auſona teneat de Borga vſq; Auratam, de Bulga vſq; Mentiam.

Vrgello teneat de Aurata vſq; Naſonam, de Mucamera vſq; Valam.

Lerita teneat de Naſona vſq; fontem Salam de Laxam vſq; Matam.

Hictoſa teneat de fonte Salam vſq; Portellam, de Morale vſq; Tormalam.

Tortoſa teneat de Portella vſq; Teniam, de Tormega vſq; Cachenam.

Oſca teneat de Splana vſq; Gobello, de Sperle vſq; Riberam,

Cæſarauguſta teneat de Demia vſq; Splanam, de ribas montes vſq; Gordolo:

Pāpilona teneat de Cobello vſq; muſteilā, de Muſtella vſque Nampiam, de Sparga, vſq; Oſtaual.

Calafora teneat de Nampia vſq; Sparſam, de Muſtella vſq; Sacalam.

Tiraſona teneat de Sparſa vſq; Platenam, de Altomonte vſq; Miloſam.

Auca teneat de Plantena vſq; Amaram, de villa

villa inferno vſque ad pedem morum.
Hæ ſunt xv. ſedes Terragone, de Barcinona vſq; Aucam.

Poſt hæc diuiſit Rex ſedes Narbonæ.

NARBONA METROPOLIS. Beterris teneat de Scalet vſq; Baromuna, de Magai vſq; Riboſara.
Agathe teneat de Luſa vſq; Riberá, de Gattar vſq; Mirlam.
Magalona teneat de Mirla vſq; Ribogars de Caſtello miluim vſq; Angoram.
al ter V. C. de Caſtello miliani.
Nemauſo teneat de Buſa vſq; Anguorō, de Caſtello vſq; Sambram.
Lateba teneat de Sabia vſq; Ribaual, de Auget vſq; montem Ruſo.
Carcaſſona teneat de monte Ruffo, vſque Angeram, de Angoſa vſq; Montana.
Elna teneat de monte Ruſo de Angera vſq; Roſmolam de Latroſa vſq; Lamuſam.
Hæ ſunt ſedes VIII. Nerbonæ.
Aliter V.C. Hęc ſunt VIIII. ſedes Narbonæ à terminos Oxenſes, vſq; ad flumen Rodanum. & hæ ſunt Hiſpanienſes ſedes diuiſæ vſque Yſpalim & Oceani Maris in circuitu earum.
Hæc fecit Rex Bamba in Concilio Toletano vbi fuerunt congregati omnes Hiſpani Archiepiſcopi, & Epiſcopi: tam Eccleſiaſticus ordo quam ſecularis: & eiecerunt contentionem à ſe, & laudauerunt Regem Bambanam in hunc ſermonem; & acceperunt concilium ab inuicem, & dixerunt ad Regem. Domine, ſi vis faciamus ſtabilitatem inter nos & ligationem firmiſſimam, vt non ſit ſoluta vſq; in finem ſeculi: & cui Epiſcopo, aut Archiepiſcopo creuerit vana cupiditas, & dederit Munera ad Apoſtolicū & tulerit honorem vlterius, ſit ſub anathemate dum vita vixerit quiſquis hæc fecerit. Et ſi qs dederit munera ad Regem pro honore Eccleſiaſtico & qui acceperit vel dederit anathema ſit.
Quia dominus IESVS CHRISTVS eiecit de Templo vendentes & ementes. Tūc Rex Bāba pro amore Dei, & bona fide quam in ſe habebat, & omnes ibi adſtantes vna voce dixerunt. Fiat, Fiat. Amen.
Et Rogauerunt Regē vt ſcriberentur omnia quæ facta & confirmata ſunt in prædicto concilio. & dixit Rex ad Archiepiſcopū Toletanum. cuius nomē erat Quiricus, facite ſcribere cito. Et Archiepiſcopus fecit ſcribere ad Petrum de Sancta Leocadia & ſcripſit hęc. & legerunt in Concilio: & placuit illis omnibus, & abſoluto concilio abierunt quiſq; in ſuam prouinciam. Poſt hæc Bamba regnauit annos v. & mortuus eſt in pace & ſepultus eſt in valle de Mornia in Eccleſiam Sancti Petri.

In eodem Veteri Codice, litteris Gotticis deſcripto, in Nomenclatura Vrbiū Hiſpanię ſedium, litteris eiſdem & Characteribus Gotticis vetuſtis nominib. noua & ſui temporis ſupraſcripſit in his ſcilicet. Orcto, Calatraua, Beatia, Bacca, Menteſa, Iaen, Acciguadix, Baſti Baſta, Vrgi Almaria, Bagaſtri, Berga, Ilici, Bolſa, Serab Xatiua, Valeria Valera, Compluto Giadalajara.
Elberris Granata, Egabro Cabra; Tuuis Xerez, Pace Balalioce, Egitania Lucena. Caliabria Mongages.

IN Vetuſtiſſimis Codicibus rerum Hiſpaniēſium in Hiſtoria Ranimiri Regis Legionenſ. qui Cæſarauguſtam à Sarracenis vi cœpit ita habet.
Tunc temporis populauit Rodericus Comes Amaiam. Didacus etiā Comes populauit Burgis per iuſſionem Regis. Populauit etiam Munio Muniz RAVDAM. & Gundiſaluus Tellit Exomam: & Gundiſaluus Ferdinandi Axeam, Duniam & S. Stephanum. Populauit Gundiſaluus Ferdinandi ſeptem publicam.
Hęc ita habētur in Vetuſto Codice, vt haud dubie Aranda ad Durii ripas eā ſit quæ in Vacceis vetuſtis temporibus Rauda celebre opidum fuit, Ptolomæo & Antonino auctorib. Præterea vbi Duniā legitur Cluniam legendum.
Quod Iberus amnis Vaſcones præterlabitur Prudentius Vaſconem appellauit, nos Vaſco Iberus diuidit, Binis remotos Alpib. Innuit enim poeta ſe Calagurri id temporis degere. Rufus Feſtus in iambis: [Ac Iberus inde manat amnis, & loco. [Fœcūdat vnda. Plurimi ab ipſo ferunt [dictos Hiberos: non ab illo flumine. [Quod inquietos Vaſcones prælabitur.

HIERONYMI PAVLI BARCINONENSIS.

DE FLVMINIBVS ET MONTIBVS HISPANIAE.

AD REVERENDISS.
D. RODERICVM EPISC. PORTVENSEM
CARD. VALENTINVM, S. R. E.
Viceeancellarium,

Qui poſt Rom. Pontifex creatus ALEXANDER SEXTVS *eſt appellatus.*

SCRIPSERAM, Pater ampliſſime, quorundam Poetarum hortatu Libellum hunc de *Hiſpaniæ noſtræ & fluuiis & Montibus* quorum apud veteres mentio habetur: eum Celſitudini tuæ dicatum, non prius auſus ſum manifeſtum præbere, quam tibi, quem nemo ignorat, & ingenio, & rerum experientia nemini tui ordinis cedere, emendandũ tribuiſſem: Accedit locorum, regionumque notitia, quorum te ampliſſima Prouinciæ noſtræ legatio peritiſſimum reddidit. Magnam enim Hiſpaniæ partem feliciter peragrando, immenſæ tuæ dignationis, & gloriæ monumenta noſtræ Heſperiæ reliquiſti. Spero dabuntur tuo nomini aliquãdo maiora: Nunc autem aliquid Coſmographiam & ſuſcitationem Antiquitatis pertinens, per vacationem à ſtudio iuris collectum, haud iniucunde deguſtaſſe ſufficiat.

Alba, qui & *Clodianus* appellatur per *Indicetas*, quos *Emporitanos* vocant, decurrit: *Emporias* Phocenſium, & Latinorum olim coloniam alluens, à Pyrenæis funditur, & verſus *Medas* inſulas in quibus *Palæopolis* opidum quondam fuit, in Balearicum mare deuoluitur.

Anas fluuius eſt non mediocris in Hiſpania: & Luſitaniam à Bætica, teſte Pomponio, ſeparat: ortus in Leminitano agro Tarraconenſis Iberiæ: modo in ſtagna ſe pandit, modo in anguſtias reſorbet, & alicubi in cuniculis totum ſe condens iuxta Emeritam, & Pacem-Iuliam lapſus, tandem in Athlanticum emittitur Oceanum:

Aurelius Clemens Prudentius:

Nunc locus Emerita eſt tumulo
Clara Colonia Betoniæ,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit: & viridante rapax
Gurgite mœnia pulcra cauat.

Areda fluuius eſt apud Celtiberos; à quo, vt tradit Plinius *Arenates* populi nominati fuere.

Aſtura fluuius eſt in Tarraconenſi: à quo *Aſtures* acre hominum genus, nomen accepere. Lucanus:

Hic præter Latias acies erat impiger Aſtur.

Aurum etiam apud eos effoditur, quod præclare deſcribitur à Silio his verſibus:

Sed ſcelerum cauſas aperit Deus Aſtur auarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infœlix effoſſo concolor auro.

Hunc amnem vulgus *Aurigam* nominat.

Auoceladus fluuius eſt Celticorum: qui Galletiam ac Luſitaniam contingunt.

Bacchus fluuius eſſe fertur in Bætica.

Bel-

Belo fluuius eſt & opidum in oris Bæticæ.

Beſola in eiuſdem oris fluit.

Bætis fluuius, qui Bæticæ nomen dedit. quæ poſtea *Vandaluſia à Vandalis* creditur nuncupata: dextra læuaque oliuiferis colitur opidis. Ipſe ex Tarraconenſi regione demiſſus per mediam fere Bęticam, ſicut naſcitur vno decurrit alueo: poſt autem mari propinquus lacum ex ſe ingentem facit. *Cordubam* Pieridum alumnam atque *Hiſpalim* celeberrimas vrbes alluit. Amœniſſimis admodum excultiſſimiſq; præclarus eſt inſulis, nullaq; etiam affluentiſſima eloquentiæ facundia mediocriter collaudandus. In cuius agris homines ſoli cœliq; natura voluptates delitiaſq; abunde præbet: Vnde Poetarum quidam *Elyſios campos* in his oris eſſe finxerunt. Hunc amnem auctore Liuio *Chiuium* Hiſpani appellant: Græci *Bætim* à vocabulo, quod profundum ſonat. Magnarum enim nauium ferax eſt, quibus varia merciũ genera exportare liceat. Meminit Statius in Genethliaco Lucani ad Pollam:

Graio nobilior Melethæ Bætis.
Bætym, *mantua prouocare noli.* Et Martialis:
Bætis *oliuifera crinem redimite corona,*
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.
Quem Bromius quem Pallas amat.

Vino enim abundat regio, atque huius fluminis aquæ immerſa ſæpius, & madefacta vellera, colorem recipiunt aureum.

Bilbilim ferri temperamento aptiſſimũ tradit Trogus Pompeius in Hiſpania eſſe: quem reor *Salonem* appellari. Inde eo nomine aſcito, quod *Bilbilim* vrbem alluat.

Betulus fluu. eſt in Leletanis, ni imbribus intumeat, exiguus eſt, & vadoſus: præbet tamen ſuburbanis agris celebris, & pulcherrimę vrbis noſtræ vtiles irrigationes: huius etiam molinæ hoc amne ciuntur, & exhauſti riuuli in vſus officinarum tranſeunt: ab orientali latere Barcinonis Balearicum ingreditur pelagus.

Cinga flu. eſt vagus admodum, & rapax: *Fragam* vrbem alluit. Poſtremo Ibero mixtus eum tantum auget, vt inde nomen maximi Hiſpaniarum fluminis accipiat.

Lucanus:

Cinga rapax vetitus fluctus & littora curſu
Oceani pepuliſſe ſuo: nam gurgite mixto
Qui præſtat terris aufert tibi nomen Iberis.

Calybem Hiſpaniæ fluuium eſſe, & iuxta *Arandim* opidũ fluere priſci auctores tradunt.

Clerum Hiſpaniæ flumen eſſe legi, nec qua fluat regione traditum eſt.

Durius vlterioris Hiſpaniç celebratũ eſt flumen arenis aureis: in Tarraconenſi oritur & in Celtiberos lapſum Numantiam vrbem alluit. Tandem Siſamonem oppidum lambens, & in Luſitanos veniens in Athlanticum procurrit Oceanum.

Silius Italicus:

Hic certant Pactole tibi Duriuſq; Taguſque.

Diua Cantabros perfluit.

Eſtitius Hiſpaniæ fluuius eſſe legitur, qui cum dulcis eſſet, amarus poſtea factus eſſe fertur; quod ex Græcorum fabulis ortum puto.

Eunemius fluuius eſt Galletiæ, quadrinomius: nam & *Lethes*, i. obliuionis appellatur. & *Bellion*, & *Limia*: fabulis eſt admodũ famigeratus: vt qui vulgo ab inferis oriri exiſtimetur. Aurum etiam, vt pleraque Hiſpaniarum flumina, arenis commixtum deducit è mõtibus. Silius libr. 3. bel. Pun.

Quiq; ſuper Gronios lucentis voluat arenas,
Inferna populis referens obliuia Lethes.

Lethem autem Strabo inde appellatum tradit, quod cum Galli atque Turduli ſociis ad id flumen armis perueniſſent, eo traiecto ſeditione orta diſſidentes, eorumque obliti quod in Hiſpanos mouerant belli, iuxta flumen reſedere.

Florius Aſtures irrigat.

Iberum nemo ſine pudore ignorat Hiſpaniæ fluuium eſſe quippe qui toti *Iberia* nomen dederit. Hiberia autem Aſię Regio ab Iobele, vt Ioſephus tradit, appellata eſt. Dionyſius porro Alexandrinus auctor eſt, eos qui Aſiam incolunt *Iberes* ex Hiſpania profectos eſſe. Contra ſentit auctore Agrippa, Plinius: quod eſt vero ſimilius, ſi priſcæ hominum origines repetantur. Oritur *Iberus* agro Iuliobricenſi in Cantabria, tenuiſſimus, primo mox magnorum amnium capax, Calagurritanoque exceptus agro, Tutelam petit opidum & Celſam vrbem, ponte olim celebrem: inde Saldubam, quæ nunc eſt

Cæſarauguſta, affluit, opimam admodum vrbem: & patentibus vndiq; campis irriguis lætiſſimam. illinc digreſſus in Auſtrum labitur, nauium ferax, iunctus deinde Cinga Sicoriq; amnibus *Dettiſam* opulentam vrbem alluit. Poſtremo maritimarum iam nauium patiens verſus Alphacium Ibericum dulcorat pelagus.

Meminit Lucanus in tertio:

Stagnantem Sicorim & rapidum deprehenſus Iberum.

Commertiis poſt Bætim primus eſt; ſed aquarum copia, non ingruentibus in Bætim Oceani æſtuariis maior.

Ilerda, Ilergetarum fluuius à quo *Ilerda* vrbs vetuſtiſſima appellata eſſe legitur. Vulgus *Nocenam* appellat. Silius huius vrbis meminit illo carmine:

Et quæ Dardanios poſt videras illa furores

id eſt, Romana bella: nam Petreius & Afranius Pompeianarum partium duces auſpiciis Cæſaris ibi expugnati fuere. Meminit & vrbis Horatius; ad quam tempore belli ciuilis frequentes epiſtolæ mittebantur:

Aut fugies, inquit, *Vticam: aut vinctus mitteris Ilerdam*,

Nonnulli eundem eſſe hunc & *Sicorim* arbitrantur.

Lacros per Celticos fluit.

Limia per Gallecos.

Limius ad Deorum inſulas.

Meacus Gallecos penetrat.

Menuba Turdetanorum fluuius eſt, Bæti ſe commiſcens:

Menaſcus & *Melſus* per Cantabros fluunt.

Minius fluuius eſt Galletię maximo ore ſpatioſus; qui vt Iſidoro Carthaginenſi placet, à minii colore, quem frequens trahit, nomen creditur accepiſſe.

Munda fluuius eſt inter Luſitanos notiſſimus: & opidum eiuſdem nominis in Bætica, vbi Pompei liberi debellati fuere. Silius de vrbe.

Et Munda Emathios iterum paritura labores

Muliadas fluuius eſt Carpentaniæ, exiguis nauigabilis ſcaphis.

Naumaſa, auctore Pomponio, per Cantabros fluit.

Nerua Negauices per eoſdem.

Narius Nelo per Aſtures.

Nauia, Cantabrorum fluuius eſt, vnde ferunt *Nauarrigenas* nuncupatos, qui & nunc *Nauarri* dicuntur. Nonnulli à Niuaria opido nominatos exiſtimant.

Nauillus in Gallæcis eſt.

Negauicus in Cantabris.

Oſsigitanus fluuius in Bætim mergitur.

Pallantia, per Edetanos funditur.

Rubricatum fluuius eſt à colore eo nomine appellatum, à Pyrenæis demittitur, & per Bagutos in Lacetanos lapſus Illentium circuit agros. Inde ad Leletanos noſtros veniens Serreſum iuxta montem labitur. Auctus deinde Norica flumine Rubricatam opidum petit. Hinc digreſſus ad quatuor millia paſſuũ in Barcinonis littore occiduo ingreditur pelagus.

Salia in Cantabris labitur.

Salſus Turdetanorum, id eſt, Bæticolarum, fluuius eſt aquarum amaritudine infamis, Geenneſium præterfluit agrum. Meminit Cæſar in Commentariis.

Salo Celtiberiæ fluuius eſt, ortus Aracęlitano agro, armentorum pecudumque potui perquam vtilis; ferrique temperamento aptiſſimus eſt: Mauros petit opidum & Feriſiam Silaos, & ipſam Bilbilim in cliuo poſitam: exin Epilam petens in agro Cæſarauguſtano Ibero demum coniungitur. Martialis,

Quibus remiſſum corpus ſtringes breui
Salone qui ferrum gelat.

Sanga Cantabrorum eſt flumen.

Saducas in ora exit Bæticæ.

Sars per Luſitanos fluit: & emittitur iuxta turres Auguſti.

Sambroca, vulgus *Samucam* vocat, per agrum Emporitanum decurrit, Sacramque villam & Nouemporium.

Sicoris Ilergetarum fluuius eſt, à Surdaonibus, & Cerretanis inter Pyrenęos oritur, accoliturque amœnis opibus, Illerdamque vrbem iam magnus alluit. Inde Octigenam petit, & apud Micheneſiam Ibero ſe iungit. Arenis aureis non eſt Tago inferior.

Meminit Lucanus in deſcriptione Ilerdæ vrbis his carminibus.

Colli

Colle tumet modico leuique exceſsit in altum,
Pingue ſolum tumulo ſuper hunc fundata vetuſta
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur vndis
Heſperios inter Sicoris non vltimus amnes;
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu
Hibernas paſſurus aquas.

Huius quondam fluminis accolæ in Trinacriam nauigantes à patrio amne *Sicori*, vnde diſceſſerant, *Sicaniam* appellauere: quod oſtendit Silius his carminibus:

Poſt dirum Antiphæ ſceptrum & Cyclopea regna
Vomere verterunt primum noua rura Sicani
Pyrene miſit populos qui nomen ab amne
Aſciti patrio terræ impoſuere vocanti.

Sunt qui ſcribant eos primum Latium tenuiſſe, longe ante Aborigenes, & inde à Liguribus pulſos in Siciliam transfretaſſe.

Silenſis fluuius eſt in agro Segouienſi.

Sorbis Ilerchaonum fluuius eſt, in agro Dertaſono; quē ab oppido per quod fluit vulgus *Seniam* nuncupat: Nec deſunt qui exiſtiment hoc flumen hodie *Milaſiam* appellari.

Subi fluuius eſt tenuis, Sueſetaniæ regionis, vulgus *Francolinum* appellat. Speluncia opido ſurgit & Tarraconenſium delicioſis agris infuſus ibidem mari excipitur: huius aqua irrigata lina, carbaſa reddunt vſui nauium aptiſſima.

Sucro fluuius eſt non exiguus citeriori Oroſpetanis ortus montibus, Sertorii & Pompeii prælio inſignis, Setabitanum præterfluit agrum. Inde Algeriram ambit opidum ita Arabico nomine appellatum, quod in inſula poſitum ſit; Poſtremo non longe à *Colleria* Ebuſitano conditur æquore. Nauium patiens eſt ſi eius aluei ſæpe rotantur: & qua ſe excurſu imbrium ſparſerit cogatur in aptas anguſtias compactis vtraq; ripa trabibus. Huius fluminis meminit Silius in illo carmine.

Sedetana cohors, quam Sucro rigantibus vndis,
Atque altrix celſa mittebat Setabis vrbe.

Et Saluſtius in libris hiſtoriarū: *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Turiam & Dux hoſtium C. Herennius cum exercitu: & vrbe Valentia deleti.*

Tader fluuius verſus nouam Carthaginem funditur. Oritur montibus, quibus Baetis, & Murtiam, Aureolamque contingens. Ebuſitano pelago ſeu Iberico conditur, hunc vulgus *Securam* appellat.

Tagus fluuius eſt Graiis noſtriſq; carminibus celebratus, aureis granulis inſignis, piſcium oſtrearumque feraciſſimus. Ex Catulonenſi erumpens agro & in Carpentanos lapſus Toletum præpotentem, validamque vrbem pene circuit: tandem Luſitanos contingens ad Oliſiponem ingreditur Oceanum. Catullus:

Tertia Iberia quam cit amnis aurifer Tagus.

Statius Papinius in Epithal. Stellæ & Violantillæ.

Hinc Hermum, fuluoq; Tagum decurrere limo.

Meminit & Iuuenalis.

Omnis arena Tagi quodq; in mare voluitur aurum. Et Ouidius.
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Tamara, fluuius eſt in Gallecia clarus.

Tuis qui & *Ticer* à Plinio appellatur, inter Auſetanos fluit, à conuallib. Pyrenes delapſus per confragoſa primum loca, & ſalebras in plana decurrens, Hierundam validam vrbem petit, vbi Nudarium amnem abſorbens, inde iam grandior factus Indicetum apricos agros circuit, & verſus Cirneum montem immiſcetur mari.

Turia Sedetanorum, & Conteſtanorum fluuius eſt, eorum amœniſſimus irrigans campos, *Turiolum* ſui nominis opidum linquens Valentiæ vrbi delitiarum & nobilitatis altrici proximus labitur. Inde ob crebram riuulorum deductionem tenuiſſimus in mare deuoluitur. Saluſtius quarto hiſtoriarum libro in hæc verba meminit. *Inter laua Manium & dextrum flumen Turia, quod Valentiam paruo interuallo præterfluit.* Ab Afris poſtea, qui eam vrbem ad CCC. pene annos tenuerunt, barbarum huic fluuio nomen vix ore Latino ſonandum impoſitum eſt; quod referre pudet.

Laudat hunc amnem Claudianus illo carmine inter laudes Syrenę:

Floribus & roſeis formoſus Turia ripis.

Turiam quidam ideo dictum exiſtimauere, quod petentibus olim Phœnicibus Gades, cum ab Ebuſio ſoluiſſent, tempeſtate repulſi ad huius fluminis oſtia deuenerunt: vbi vaccarum multitudinem inuenientes flumen *Turia*, id eſt, vaccis cultum appellauere:

quas ipſi *Tur* patrio ſermone appellant. Alii *Thuriam* ſignificatione Græca, quaſi *celerem* appellari putant.

Tarnum fluuius eſt in Leletania; aureos tradens grumulos. Vulgos *Tarderiam* vocitat. Exoritur monte quem *Virnum* quidam, alii *Senium* appellant, qui omnium metallorũ genere ſcatet; marmoribus quoque fœcundus eſt. Leguntur aureæ arenulæ inter fluminis lapillos non longius à loco, vnde amnis oritur, toto anni tempore; præſertim ſi vis aquarum repente immineat, tunc enim imbribus eliquata terra, ex monte, quem diximus, cum auro labitur, & in amnem defluit. Inde demiſſis tabulis ab accolarum alacri turba pretioſiſſimum naturæ munus excipitur. Scimus lectum fuiſſe nouiſſime grumum ponderis vnius libræ, & confectum inde torquem. Fluuius ipſe Celidonium irrigans agrum non longe à *Blandis* opido noſtrum ſubintrat pelagus.

Vacua inter Carpetanos fluit; quos iuniores *Caſtellanos* appellant, & lintribus vel monoxilis non onerariis nauibus, vt refert Strabo, enauigatur.

> *Vacus* per Luſitanos fluit.
> *Via* per Gallecos.
> *Vir* per eoſdem.
> *Velo* per Celticos,

Vduba tenuis eſt fluuiolus, in regione Ilercaonum Sagunto, ęrumnis & ſeruata fide venerandæ vrbi propinquus. Hanc vrbem noſtra ętate, cum antiquiſſima ſit & à ſociis Herculis condita, *Vetereſmuros* appellant. Silius.

> *Haud procul Herculei tollunt ſe littore muri*
> *Clementer creſcente iugo, quis nobile nomen*
> *Conditus excelſo ſacrauit colle Zacynthos.*

DE MONTIBVS, ET PROMONTORIIS.

A*Varium*, promontorium eſt non longe ab Anae fluuii oſtio.

Barbarium promontorium eſt Luſitaniæ haud procul ab Oliſipone, inſigni & quæſtuoſa vrbe.

Calpe mons eſt totus in mare prominens, latitudine exilis, altiſſimus celſitudine, A*bile* qui in Africa eſt, oppoſitus, quem alteram *Columnam Herculis* eſſe fabuloſa vetuſtas tradidit, eumq; quondam perpetuo iugo A*bile* iunctum ab Hercule, cum in Hiſpaniam veniſſet, ſeparatum, & inde Oceanum mole montis ante retentum, in medias exundaſſe terras anguſtoq; Freto Europam ab Africa ſeparaſſe. Lucanus.

> *Heſperium Calpen ſummumque repleuit Atlantá.*

Silius; *—ac laudibus olim. Terminus Herculeis Calpe.*

Canatus citerioris Hiſpaniæ mons eſt, è Pyrenæis ſublimior vergit in Galliam Narbonenſem, verſus Ruſcinonenſem agrum: in cuius vertice non improbata fama lacus eſſe fertur, immenſæ profunditatis, qui repentinis imbribus Oceani more æſtuare & quaſi efferuere videtur, ab grandine & tonitribus concuti. Interius vmbrarum & dæmonum eſſe ſedes ferunt; lugentiumq; clamores & planctus audiri horrificos; & ea loca ad infernas vſq; regiones penetrare affirmant, ſataque & arbores eius aquæ malignitate contractas aduri atque areſcere.

Caridemum, vt Ptolomæus tradit, promontorium eſt in capite Bæticæ verſus nouam Carthaginem, haud procul à portu magno.

Celticum, promontorium eſt Gallecíæ, in oceanum prorumpens.

Cuneus promontorium eſt ſacro propinquum.

Edulius mons eſt in Tarraconenſi.

Erminius mons eſt Luſitaniæ.

Ferraria promontorium eſt in agro Dianienſi diſtat ab Ebuſo inſula LXXX. M. P.

Grini mons eſt mari contiguus, in citeriori apud Emporitanos & oſtia Ticeris.

Idubede, montes ſunt continui in Tarraconenſi in Cantabria incipiunt & vſque ad noſtrum mare excurrunt.

Ilipa mons eſt in Bætica.

Iouis mons eſt vndiq; abſolutus, olim portum, nunc ſpeluncam Barcinoni præbens recreſcentibus lapidicinis egregius eſt, & vario fructuum fontiumq; genere ornatus: Inter quem & Tarraconem mõtes ſunt ad littus rupicoſi, & per decliuia cautium in forma graduum diſtincti: quos vulgus olim *Scalas* Hannibalis appellauit.

Larſo promontorium eſt Pyrenæi apud Vaſcones in Oceano Cantabrico.

Luna promontorium eſt, non ab oſtio Mundæ fluuii ſitum.

Digitized by Google

Lunarium promontorium eſt in Loletanis, verſus Indecetarum oram.

Maſſceria montis Hiſpaniæ regionem non legi.

Magnum promontorium eſt Luſitaniæ inter Hannibalis portum & Oliſiponem ſitum, quod & *Oliſiponenſe & Artabrum* appellatur: In hoc Fauonio flante equas ſine maſculis concipere ob earum multitudinem poetæ auctore Pomponio Mela fabulati ſunt: quod oſtenditur à Silio his verſibus:

Hic adeo cum ver placidum flatuſq; tepeſcit.
Concubitus ſeruans tacitos grex præſtat equorum.
Et Venerem occultam genitali concipit aura:
Sed non multa dies generi, properatq; ſenectus
Septimaq; his tabulis longiſſima ducitur ætas.

Quidam autem affirmant huius geniture equos triennio tantum viuere, & perraro quadrimos videri: Porro ſi vento generantur, velociſſimos eſſe non eſt mirum. Nihil enim vento velocius inueniri poteſt. Vnde Homerus xx. Iliados ait; Eryctonium habuiſſe tria millia equorum, cum quibus Boreas ſuſcepta equi ſpecie coiuit, quo velociores eſſent.

Nerium promontorium eſt Vardulorum in Cantabris.

Orubium promontorium eſt Gallaicorum, ſitum inter Minium & Tamaram flumen.

Oroſpedæ montes ſunt continui à columnis incipientes qui aduſque Carthaginenſem agrum porriguntur.

Pyrenæi perpetui montes ſunt, Hiſpanias à Gallis diuidentes: dicti vt plures tradũt quod fluminibus crebris feriantur vel à *Pyrene* Bebrycia Virgine ab Hercule ibi ſtupro cognita; quod videtur ſequutus Silius III. Punicorum his verſibus:

Pyrene celſa nimboſæ verticis arce
Diuiſos Celtis late ſpectabat Iberos,
Atq; æterna tenet magnis diuortia terris:
Nomen Bebrycia duxere à virgine colles,
Hoſpitis Alcidæ crimen qui ſorte laborum,
Geryonis peteret cum longa tricorporis arua
Profeſſus Baccho ſæua Bebrycis in aula,
Lugendum forma ſine virginitate reliquit.

Pyrenen; ſeu vt Diodoro placet, (nam ea fabuloſa Plinius exiſtimat) dicti ſunt, quod olim à paſtoribus impoſito igne conflagrauerunt; quo incendio varia metallorum genera erupiſſe tradit: aut quod verius puto, appellati ſunt, quia in modum Pyrarum eorum cacumina emineant. Horum radices incipiunt finibus Narbonenſis Galliæ regione.

Sardoum promontorium quod *Pyrtam* vocant. Patet frons eius verſus noſtrum pelagus in latitudinem circiter decem millia paſſuum, vbi Canciliberum opidum Iberitanorum olim, & Ruſcinonenſium nunc *Perpinianenſium emporium*. Eſt & in fronte *Veneris portus* & *Ceruaria* promontorium Galliæ finis, vnde & Pompeii trophea cernuntur. Dein & promontorium aliud oſtenditur nautis celebratum, quod *Crucianum* appellant. hic ab Hiſpania in Galliam nauigantibus initium eſt Narbonẽſis procelloſi atq; importuoſi ſinus, quippe qui Auſtro & Africo totus expoſitus eſt. Quatitur etiam æua hyeme Circio & Aquilone. Inde digreſſus Pyrenæus in ſublime ſeſe faſtigat in excelſum iugum exſurgens; quod cum niuoſum ſit *Albetam* vocant, à Cerretanis Herculis quondam Comitibus & Vaſconibus ſuprema eius inhabitantur. Ipſe Empotitanos, Anſetanos, Ilergetas, Surdaones, Iaccitanos, Cantabroſq; relinquens tandem Larſonem verſus Oceano ſe iungit: In his montibus percandidi pauones gignuntur, non ingentes; boues elephantibus maiores; vt Græcorum quidam tradidere. Pernas ſuum, qui in his conuallibus naſcuntur, acceptas fuiſſe Romæ tradidit Strabo.

Sacrum promontorium è media occidua Hiſpaniæ fronte in Oceanum extenditur.

Saturni promontorium, in quo aræ *Seſtianæ*, verſus maritima Aſturum eſt.

Solorius mons eſt excelſus verſus Oretanos, non *Arogotis* vt recentior quiſpiam tradit.

Serreſus, quem & *Serratum* vocant, mons eſt finibus Leletanorum in Lacetanis: Olim profanis deorum cultibus dicatus: de quo quædam haud indecenter enarrare lubet. Mõs ipſe non modo in Hiſpaniis, ſed vbiuis prouinciarum Latini, Chriſtianique nominis fama pernotiſſimus eſt; ſitus & religio efficit, diſtat à Barcinone circiter xxx. millia paſſuum tantundem mari remotus. Lambitur à Septentrione rubricato amne, vbi *Palladium* opidum Oleſia patet XII. millia paſſuum in inſulam ſedens, & nulli contiguus, vt Soracte in Italia. Altitudo eius ardua, & quam eminentes claui cauleſq; exaſperant: Nemoroſis internis ornis & fraxinis & huiuſcẽmodi arboribus inſignitus eſt, ſalientibuſque fontibus

irriguus, medicinalium quoq; herbarum feracior. Aſpectus eius ampliſſimus vt Pyrenæis & occidente ſole Balearibus terminetur. Et cum cernentibus ſe inacceſſibilem oſtendat, benignum tamen aditū circuitus tribuit; exterius autem præruptis exciſiſq; ſaxis ita vndiq; in graduum, & ſerræ ſimilitudinem, & ex ordine compoſitum eſt, vt prudenti opere naturam ipſam aut mundi huius opificem montem ipſum neſcio quid ſacri numinis oſtentantem ſuo celeberrimo cultui extruxiſſe credamus. Religionis eius auxere initia, quod ſupremæ Virgini ſacer ſit ob vetuſtiſſimum ipſius ſimulacrum abditiſſima ſpelunca diuinitus adinuētum. De quo ſi pro materia diceretur, grande eſſet profecto opus; & ideo relinquendum. Vltra montis modum ara Virgini extructa eſt, & auguſtiſſimum templum. Via quoq; aſcendentibus non exigua, laborioſo, accolarum cultu regiiſq; ſumptibus coacta eſt. Deſperatum prima manu opus, mox abſolutum. Cacumina præterea montis religioſis habitantur viris, quos heremitas appellant, ligneiſque gradibus & exemtilibus ſcalis & pendentia ſaxa admotis non ſine vaſtæ ſublimitatis terrore, ac caſus etiam periculo adeuntur. Aſcendentibus ne decidant remedium eſt, curioſius ſcandere, & ne ima deſpiciant. Heremicolæ ipſi cœlibes, ac ſpretis libentius male caris opibus cœleſtia venerantur. Templum quod diximus cera argentoq; atq; auro conflatis per orbem donariis onuſtum eſt. Cuius veterrimi tholi faſtigio mirandæ virgineæ opis miſeris ægriſq; mortalib. præſtitæ teſtes appendent ſtatuæ, & depictæ imagines, cathenæ, loricæ, clypei, & roſtra carinis erepta, atq; alia liberationis ac victoriæ monumenta. Quodque omnium maximum eſt, reuiuiſcentium hominū funebria veſtimenta ſuperatæ naturę mirificentiſſimum ſpectaculum. Soluuntur vota ſexto Idus Septembris: numeroſa populorum vſque ad internecionem preſſura. Sed iam alios quæramus montes.

Scombraria promontorium à ſcombris piſcibus dicta, ſita ſunt inter *Dianium* vrbem & *Carthaginem nouam*.

Temarianus Bæticæ mons eſt.

Tenebrum promontorium eſt in agro Dertoſano.

Trileucum quod etiā *Lexactacorum* dicitur in Gallecis eſt, non procul à fluuio Brigantia.

Vrinium montem eſſe Hiſpaniæ non deſignata regione, complures tradunt.

Vadarueronem quidam non temere Celtiberiæ montem eſſe exiſtimant; ab aliis effractum atq; in inſulam poſitum: quem nunc *Vadanicorum* corrupto in vulgus vocabulo appellari volunt. Olim Manibus ſacer fuit, qui etiam à Martiale carmine celebratus eſt, vbi *Voberſæ* ſiluæ meminit. *Montordi* opidi & *Somonæ* vici, & *Congredi Balnearum*: quę omnia in agro *Bilbilitano* ſunt: vbi & *Ferraria*. Diſtat mons à Tarracone dierum quinque itinere: quod à Poeta notatum eſt cum ait:

Quinta forſitan eſſeda videbit.

Mons ipſe ſterilis eſt, & niuoſus, vbi etiam hodie intempeſta nocte vmbræ apparere dicuntur.

BARCINO
HIERONYMI PAVLI
BARCINONENSIS IVRECONSVLTI
AD PAVLVM POMPILIVM.

AMICORVM quoſdam fures eſſe temporis ait Seneca. Tu cōtra Pompili facis: curas enim & inſtigas ne ſurripiantur amicis, neue negotiis obruantur. Rogas vnum, aut aliud: quo temporum mora fructū aliquem literarum his, quos diligis, pariat: appellaſq; negotia ipſa impedimenta quędam philoſophiæ & ſublimioris exercitationis animi interceptionis. Interrupiſti nuper per epiſtolā negotioſas legum actiones, gratiſſimo rogatu. Cupis enim vt quæ de vrbe mea, eiuſq; agro & principatu; incolis & ſitu, deq; eorum rebus præclare magnificeq; geſtis, apud priſcos auctores & fide dignos legi, ad te ſcriberem, addita perſtrictim vſque ad noſtra tempora hiſtoria quod libens feci: id te expoſcente, vt de eruditione taceam, amicorum optimo: Placuit mihi à noſtra, quamquam labori & vigiliis obnoxia, tamen vt iuris prudentes volunt, non minus, quam tua vera atq; ſacra philoſophia: ad mitiora & cunctis iucunda ſtudia, tui gratia & materiæ diuertere: placidioriq; exercitio patrium ſolum, velut præſens, mente

mēte pauliſper colluſtrare. Igitur vt à cōditore ordiamur: qui ab Hercule conditā tradunt recentiores parui momenti auctores habentur, nulla adiuti priſcorum auctoritate aut probabili coniectura. *Vrbis conditor quis.* verumtamen ea opinio in vulgus ſparſa, fouente iactantia, difficile truditur. Vnde veterum quidam poetarum huic annexi, Barcinonem Herculeam dixerunt: quod nonnulli tamen a cultu Iouis, non à conditore dictum ſuſpicantur: eorumque opinionem ex Macrobii ſententia, ſed non liquido, vt nobis videtur, comprobare nituntur, qui ait ſummum maximumq; in citeriore Hiſpania Martis numen fuiſſe, quem ipſe ex radiorum ornatu ſolem interpretatur: eundemq; eſſe & Iouem & Herculem. Quin etiam ad ſuæ opinionis confirmationem extare hodie aiunt, vetuſtos lapides delubri Martis in agro Settabitano, vbi Mars dominus vt Sol & Hercules appellantur: verum validior ſurgit opinio ex his qui exiſtimant ab Amilcare *Barca* Pœnorum ſtrenuo & ſapientiſſimo duce fuiſſe conditam primi belli Punici temporib. Etenim Pœni & Carthaginem in agro Spartario, explorata opportunitate inſignis portus, conſtruxere, vbi exile oppidum fuerat ante à Teucro poſitum, & plures alias vrbes in Hiſpaniæ littoribus. Itaq; cum hæc: tum nomen (nam & *Barcine* etiam à veteribus eſt appellata) vel eiuſdem argumento, indicant è familia Barcina fuiſſe conditorem. Ea Carthagine & per vniuerſam Africam clariſſimis imperatoribus excellens fuit: quippe qui maximam ſenatus ſuæ Ciuitatis partem ad ſe traxere; non abſq; inuidia Giſgonum atq; aliorum nobilium factionis aduerſæ. Originem domus primariā, à Barce antiquiſſima vrbe Libyæ nonnulli exiſtimant. Sed ne quid huius diſquiſitionis vel fragilis opinionis omiſiſſe videamur: Credidere quidā Barcinonis primordia à Barcilo vrbe Cariç fuiſſe: ducti, vt reor, magis ſimilitudine nominis & Græcorum Aſiaticæque gentis profugiis atque erroribus, quam veterum traditione. Porro primum qui vrbis noſtræ meminerit, reperio Pomponium Melam. Is Augusti temporibus, inter parua oppida oræ Hiſpanienſis Barcinonem enumerat. Sed Plinii ſecundi tempore coloniam iam fuiſſe conſtat Romanam, Fauentiamq; cognominatam: Interq; colonias ius quoque Italicum ſub diuo Alexandro habuiſſe, reſponſo Pauli iuriſconſulti oſtenditur: *In Lasit. D. De Censib.* Diocletiani item tempore perfrequentem fuiſſe vrbē legimus, & ſuburbiis auctam, attrita prius per Germanos ſub præſide Gallieno Tarracone. Diui vero Conſtantini principatu haud parui nominis & opulentam vrbem fuiſſe ex ſcriptoribus animaduertere licet. Cæterum prius quam inſequentia tempora perſcribantur, erit operæ pretium antiquiſſimos quoſdam ciues vrbis noſtrę florente in Hiſpaniis Romana R. P. referre. Scio equidem Romanorum nominum ſuſcitata vetuſtate gaudebis. *Clari ciues Barcinonē-ſes.*

L. Licinius ſecundus, & L. Licinius Sura ciues noſtri fuere, & vterq; Conſul. ſed non vno tempore: vt in Epigrāmatibus legitur, & eiuſdem familiæ P. Licinius; notæ, etiā poetæ Martiali probitatis. *Viri illuſtres Barcinonen.* *1. 2.* Fuit & municeps noſter C. Publicius Meliſſus: qui ob cauſas vtilitateſque publicas ex fide atque conſtanter defenſas, ſtatuam in foro Barcinoni meruit & IV. Vir eiuſdem vrbis creatus eſt. *3.* *Lib. 1.* Is magiſtratus ad Seuiratum poſtea auctus eſt. fuerunt & *4.* ex ea vrbe C. Iulius & M. Antiſtius homuncio, & amœnioris ingenii M. Conetius, & Caluitius Paulinus; *5. 6.* *7. 8.* huic omnibus honoribus in R. P. ſua ſumma cum laude perfuncto etiam ſtatua poſita eſt; curante Sergia Fuluinilla rariſſimi exempli fœmina. Sed & huius generis viro cui tamen Ilerdenſi, Gal. Paulino, qui ab Hadriano Cæſare equo publico donatus eſt, ſtatuam olim poſitam fuiſſe Tarracone cum titulo optimi; & in R.P. liberaliſſimi ciuis nunc etiā inſcripta marmora oſtendunt. Nobilitata fuit & olim monumento clari adoleſcentis Sp. Pomponii magiſtri equitum qui ſub Afranio meruit. *9.* Eius epitaphium circumfertur ſub his verſibus:

BELLO SERTORIANO
SVSCEPTO VVLNERE
À CALLAGVRRITANO HICIA. *al. IN VIA*
QVEM EXTEMPLO FODI
ACQVIRENDAE VALITVDINIS CAVSÂ *GRATIA.*
BARCINONEM PETII
AESCVLAPIO VOTA VOVI
TEMPLVM INGRATO
VT FIERET, STATVI:
MORTE IMMATVRA. ME
INTERCIPIENTE A. VALI-
TVDINE ET AB AVRA ADOLE-

SCENTEM MISERABILITER
DESTITVTVM VIDES.

Hoc ipſi epigramma alicubi fortaſſe Barcinoni latens vel iam perditũ minime legimus ſed eius teſtimonium habemus Cyriaci Anconitani, epigrãmatum per orbem ſane diligentiſſimi collectoris, cuius ad nos ſex haud parua volumina peruenerunt. In hac quoq; vrbe erectus fuit olim fornix à M. Aurel. Antonino Fauſtinæ Auguſtæ: cuius adhuc Epigramma in marmore cernitur. Poſt Conſtantinum ſub Theodoſio claruit L. Dexter hiſtoriarum ſcriptor, Pręfectus Pretorio, cui Hyeronimus libellum de illuſtribus Chriſtianis dicauit. Sed nec caruit ſanctiſſimis viris, Religionem noſtram profeſſis, & qui Pontificatum ſub primitiuis Chriſtianorum conuentibus in ea vrbe prouidentiſſime tenuerunt. Quorum habentur egregii L. Victor Aeius, Alexander, Theoticus, & mox ſub Theodoſio ſuperiore Pacianus, cuius adhuc ara colitur, vir, vt ait Hyeronimus, caſtigata eloquentia illuſtris: & ab hoc Seuerus & Idalius huius ſanctiſſimi ſenis pauca quædam per interualla podagræ, ſcripta legimus. Ornauit & hæc tempora antiſtes Olympius, cuius perſigni exemplo Pontius Paulinus Aquitanicus ſacris noſtris in hac vrbe initiatus, ad Põtificatum Nolanum aſſumptus eſt: huius extant epiſtolæ ad Licentium Poetam, Aurelii Auguſtini alumnum Religionis & humanitatis plenæ. Aſſertores etiam vſque ad necem habuit ſacroſanctæ Religionis Eulaliam virginem, & Euphratem Arabem aduenam, & hos Diocletiani tẽporibus: qui ſub falſa ſuſpicione immiſſi per Chriſtianos in Nicomedia incendii, perſequebatur toto orbe inſontes, ſimilis etiã occaſio Neronem olim vt in Chriſtianos ſæuiret mouerat, ſed alia cauſa Decianæ perſecutionis fuit, quod ipſe Decius Cæſar ærariũm Romanum ſpoliatum ab Imperatore Philippo adoleſcente diceret, profuſionibus factis in Fabium Chriſtianorum antiſtitem, qua ratione & diuus Laurentius Celtiber theſauri Pontificii & à Fabiano in Xiſtum tranſmiſſi cuſtos, diris, variiſque cruciatibus adfectus eſt: & cum ſempiterno nomine finem vitæ adeptus: cui merito ex Cœlitibus ſoli Roma quinque quę cernimus, percelebrata templa dicauit. Eodem quoque ſupplicio indigne necati ſunt in hac vrbe Anaſtaſius Ilerdẽſis, vir Equeſtris ordinis, ex eiuſdemque Diocletiani aula & alii quidam, tametſi nonnulli apud Betulonem oppidum Barcinonis littori proximum occiſos tradant. Sed iam ad temporum ſeriem reuertamur.

Qui, ne ſis neſcius, pleraq; conſinxit Epigrámata.

1. 2. 3. 4. 5. Scriptores Barcinonẽſes. 6. 7.

8.

9.

10. Barcinonẽſes Martyres

Irruentibus ſub Honorio & Theodoſio in Hiſpanias Barbaris, captaq; & diruta à Vandalis eius tractus inſigniore vrbe Tarracone, ſuccreuit habitatoribus Barcino: paruit poſt hæc Goticæ genti, & Alanis, vt reliqua Hiſpania. Quo tempore Ataulphus Gotorum Rex, Theodoſii imperatoris muti gener; quia in mores Romanos propter coniugem miteſcebat, conſpirante clam Vallia, dolo ſuorum ibi interfectus eſt: Creditur à nonullis veſtigia quædam columnarum & antiquorum ruderum, quæ in paradiſo ſublimiore vrbis parte videntur, ſepulcrum olim Ataulphi ſuſtinuiſſe: pars reliquias arcis, alii porticus arbitrantur: Fama vulgi habet Herculem ibi monumento conditum. quæ opinio ſcriptis Saluſtii iuuatur: nam hic in Hiſpania Herculem ſepultum fuiſſe Afris & Iberis perſuaſum teſtatur. At Barcinoni ſub ditione Gotica, augeſcente populo ſuburbanæ domus conſtructæ ſunt, interque maiores Hiſpanię vrbes habita eſt, nam & ſedem tum ibi Goti, quę poſtea Toletum tranſlata eſt, atque à Luſitania adciti Alani conſtituerant, idoneam rati ad tutelam Pyrenæi, ſimul & maritimos exercitus inde facile in Italiam vel Numidiæ littora mittendos: ex copia item materiæ, ad conſtruenda nauigia accedente commoditate extãntis tunc portus. Quodque Barcinon in Bæticam per maritima, vel in Celtiberiam & penitiorẽ Hiſpaniã per mediterranea euntib. atq; redeuntib. quaſi obuia ad vtrunq; iter occurrit: vnde exiſtimatum eſt à non vulgaribus propter conſiſtentẽ tum maxime in ea regione Alanam & Gotorum gentem, inceptos appellari *Gotalanicos* populos: qui nunc *Catalani* dicuntur. Etſi quidam ab Angario quodam, cognomento Catalone, Germanorum duce dictos fuiſſe ſcribant; quem ante Caroli magni tempora non legitimo exercitu, vt Sarracenos pelleret, Hiſpaniam intraſſe tradunt, militibuſque ſuis *Catalanorum* nomen indidiſſe, & paulo mox dum Emporias vrbem obſidet, occubuiſſe. hunc ducem quidam non Germanicæ, ſed Gallicæ gentis fuiſſe ferunt è Catalaunica regione ſingulari prælio memorabili. Superiora ſane aſtruere illius temporis ſcriptores videntur: qui vſque ad Caroli Calui tempora hanc regionem Hiſpanicam Goticam & prouinciam Narbonenſem Gallogotiam appellant. Sed iam Getarum tempora repetamus: Goticam deinde gentem poſt ducentos annos in mores Latinos pæne transformatam, ſed diuturna pace præſegnem plurimoque luxu & variis ac flagitioſis etiam libidinibus eneruatam, euertere Sarracenorum, quos nunc diximus, & Maurorum permiſtum genus. Itaque notiſſima

Roderici

Roderici Regis clade, Barcinon capta, peræque vt cæteræ Hiſpaniæ vrbes, acerbe quaſſata eſt, nam præter Cantabros, Aſtures, atque Pyrenenſium aliquas gentes, quas vix locorum aſperitas eſt tutata, vniuerſa Hiſpania in Mauroarabum ditionem peruenit: mirumque profecto viſum eſt, vt quam Romani prouinciam olim continuis ducentorum annorum & calamitoſiſſimis bellis vix bene ſubegerant, quî eam Barbari perexigua quindecim menſium mora in ſeruitutem redegerint: Quinimo nec latis Hiſpaniæ finibus contenti, ſed Pyrenæum tranſgredientes, & Aquitaniam, & cuncta inferiora vſque in Arelatem obtinuere. Tanta fuit aduerſantium ſyderū vrgens poteſtas: vel diuinæ potius mentis in degeneres à maiorum moribus populos aperta punitio,

Recepta deinde ſub plurimæ famæ Carolo & Ludouico Auguſtis Barcino à principibus gubernari cœpit, qui *Comites* appellati ſunt: & ciuibus rurſus augeri, militiam magis quam commercia exercentibus. Quorum prǽſtantia Comites bis à Sarracenis captam Barcinonem receperunt: ac longe lateque etſi parua manu, dominatum auxere, continuis bellis innumeros Barbarorum exercitus profligantes. *Tarracô* primum quæ à Gotis parum, & à Sarracenis pluſculum inſtaurata fuerat, ſubinde & *Dertoſa* commerciis opportuna & *Ilerda*, claræ vrbes à iugo Mauroarabum per eos liberatæ ſunt & Catalanorum nomen vulgatum quorum *Barcinon* metropolis fuit ſemper, vtque ſummatim magna & multa perſtringamus, à faucibus Iberi Niceam vſque, ſub alpibus Imperium pertulere. Sed ne Catalanorum res etiam in Africa & Oriente ſplendide geſtas texere videamur; quod ſequente vita, alterius & protenſioris erit operis, ad vrbem duntaxat noſtram redeamus.

Iunctis Aragonenſium & Catalanorum imperiis ſub Innocentio II. conſpicua ſuſcepit incrementa: captis prǽſertim *Balearibus*, pulſiſque à præculto agro *Valentiæ* Afris: quo tempore mercaturæ pariter & militiæ intenta Barcino, breuique hoſtium ſpoliis & commerciorum lucris amplificata, inter primas Hiſpaniæ iterum & celebriores Europæ connumerari cœpit: continuata vſque ad noſtra tempora gloria. Siquidem in omnibus & grauiſſimis bellis quæ in Sicilia, Sardinia, atque Italia, lateque per orbem a Regibus Aragonum fœliciter geſta ſunt, naualibus maxime præliis præcipua auxilia Barcinonenſium fuere prorſus nec vllæ ſine eis partæ victoriæ. Auxerunt nomen facultates, nauigatio & libertas, ſenatui, populoque a regibus ob ingentia merita conceſſa; item religionis & iuſtitiæ obſeruantia, ad hoc publicæ rei priuatæq; cura laudabili adiuta parſimonia, & conſeruatrice Imperii concordia, expurgataque inprimis ciuitate, velut dulci reip. pernicie otioſorum incolatu.

Plurima & perpulcra quorundam ciuium noſtrorū belli & pacis facinora iam nos Pompili, ſolicitant vt pandantur. Sed ea vberiori operi Catalanicæ hiſtoriæ reſeruamus ad iuridicæ gubernationis formam tranſeuntes.

Poſt Punicam dominationem, cuius nihil liquidi exploratum habemus, legibus; paruit *Barcino*, primum Romanis, quibus per Gotos exactis, intruſç Barbaræ; lingua tamen latina promulgatæ, in quibus Romanæ vti petricoſç atque ambagioſis ſubtilitatibus inutiles abrogantur: & in eiſdem inter nationis Goticç homines & Romanos (ſic enim tum Hiſpanos appellabant) coniugia prohibentur, ne feritas gentis Romani ſanguinis commiſtione molleſceret: quç ſanctio, longo poſt tempore manſuefactis Barbaris, ſublata fuit: ſub ipſis Comitibus aliæ leges ſubortæ ſunt, rudi ſermone conſcriptæ, nec ſententiis, vt pleriſque videtur, ſatis cohęrentes, vacantibus vtpote ea tempeſtate armis magis quam legibus incolis: quia manu Comitum omnia pene gubernantur: tum ſub regibus adulta iam vrbe Romanæ leges à Iuſtiniano digeſtę, reſtitutæ ſunt: additis quibuſdam municipalibus quarum ſtudio dediti complures, inter primos legum peritos claruere: tametſi pauci vtcunque periti nulla ſcripta reliquerint, forenſibus omnino actionibus occupati: quæ acutiſſime atque exactiſſime in Barcinonenſium foro etiam nuper aguntur. Accedit grauitas, & libratum animi iudicium, quo ciues noſtri præcipue commendantur. Hoc igitur tenore morum & ſerie legum, opibus & gloria florentem ciuitatem noſtram pueri vidimus, eandem adoleſcentes mutata fortuna labantem; ſed nunc inteſtinis bellis attritam, opibus exhauſtam, ciuibuſque infrequentem, dolenter cernimus, atque vtinam ſenes reuiuiſcentem videamus; quod cura quidem & beneficentia optimi maximique principis Ferdinandi, vt eueniat, haud deſperare licet. Hæc bella, luxus, & ciuium diſcordię partim, (quibus opulentiſſimæ vrbes periere) partim tenacitas libertatis, licentia principis læſę pepererunt. *Bella inteſtina.*

Summa bellorum ratio hæc fuit: nam ſingulares cauſas & ſubinde ærumnas & cruentos annales velle perſcribere non eſt huius operis. Quare ad ſitum vrbis tranſeundum eſt:

Priſci ſitus. Priſtini oppidi muri vetuſtate notabiles, integri adhuc videntur, paulo editiore parte vrbis, cum quatuor duntaxat portis, nunc enim nouem ſunt. In illarum turribus capitis bubuli ſtatuæ, dum conderetur vrbs, poſitæ fuere ad pacis atque imperii votiua ſigna. Hoc vetus oppidum, & quæ quondam ſuburbia fuerunt illi circumquaque addita, amplectuntur nunc nouæ vrbis muri: quibus inſuper proauorum noſtrorum temporibus adiuncti ſunt ab occaſu alii recentiores muri, quæ poſtea ſuccreuerant pomœria claudentes: redditque vniuerſa vrbs in plano iacens nouam faciem hemicycli, ſeu C. litteræ vtroque capite apertum æquor tangens: vnde expugnatu difficilior fit: expoſita per frequentes procellas hoſtili claſſe naufragiis: nec facile vel æſtate, auxilia prohibente. Etenim tutius noctu, & haud raro per lucem inter numeroſa hoſtium nauigia, auxiliarias naues littus vrbe ſubire vidimus incolumes: Mare ipſum noſtra tempeſtate etiam aduerſum oſtenditur afflictæ vrbi, dum ſoluto veteri limite, obrutaque littorali area, vrbem petit, excauatque muros, & mœnia intus aperit: vnde pulcherrimæ ædes tractandis commerciis, reponendiſque temporariis mercibus ad littus poſitæ, vndarum pulſu concuſſæ ruinam timent, & ſatis difficile eſt hybernos fluctus inſanientis pelagi obicibus arcere. In quo tamen ardenti cura laboratur, obiecta immenſitate molarum.

Templa. Intra vrbem templa viſuntur pulcra quidem & egregia, inprimiſque plurimo claroque ſacerdote ornata, interque ipſa templa, vetuſti operis diui *Michaelis* apparet, populari peruigilio frequentatum: quod olim Æſculapio dicatum fuiſſe nonnulli arbitrantur: argumento afferunt, pauimento inſcriptos angues: ab aliis templum fuiſſe Iouis exiſtimatur, pari primariæ vrbis religione. Nam Tarraco eximio templo & cultu Iouis enituit: hoc ſane ex monumentis antiquorum lapidum patet, Mineruam templum habuiſſe Barcinoni, haud procul ab vrbe, Veneris ædes fuiſſe fertur, vbi fanum Diuæ Eulaliæ Emeritenſis antiquitate venerabile, à Chriſtianis dicatum fuerat, in quo ſepulcra ciuium Romanorum ante demolitionem vidimus. Nam per ſuperiora bellorum tempora, ne præſidium hoſtibus redderet, quod per obſidionem Gallorum euenerat, non abſque graui vetuſtatis diſpendio à noſtris dirutum eſt: ſed nuper eodem loco erectum. Muri & domus vrbis ex lapide ſunt qui in monte Iouis, ab occaſu vrbi prope iuncto ſemper renaſcitur. Viæ in ea non luto ſordidæ aut porticibus occupatæ conſpiciuntur: ſed nec cœlum protectis ſubgrundiiſue aut mænianis obtegitur, proinde nec ædificiorum frontiſpicia deformantur, quibus multas alioqui percelebres vrbes dehoneſtari comperimus. Mons ipſe ad decorem vrbis accedit & ſalubritatem, intercepta paluſtri aura abſolutus vndique & contra Zephyrum erectior cernitur, læto vinearum & arborum conſpectu; probata in eo rubrica eruitur effoſſorum olim metallorum, vt multi autumant, index: Nec fontibus caret limpidiſſimis, aut viuacibus herbis: proſpectu vero tam longinquo, vt quidam Balearicos montes inde, ægrè tamen, ſub Occaſu aut Ortu ſolis cerni contendunt. Conſtans fama tenet ex remanentibus orta veſtigiis, olim vrbi portum reddidiſſe montem, ventis Euro atque Auſtro interque hos medio, tutiſſimum: quibus plaga illa validius infeſtatur, hic poſtea ſiccus relictus eſt, refluente longius *Salo*, ideoque colonis fabricatio inchoata: famam confirmare Artemidorus videtur, qui ait *Leletaniam* cujus caput eſt *Barcino* portubus frequentem fuiſſe: Sed & idem his verſibus Anieni aperte oſtenditur in ora maritima.

Et Barcinonum amœnas ſedes ditium
Nam pandit illic tuta portus Bracchia,
Vinetque ſemper dulcibus tellus aquis.

In ſummo montis ſpecula eſt poſita, vbi olim fanum fuiſſe Iouis non pauci conſentiunt. Nunc ædiculas habet annuis ciuium conuentibus, iucunde ſimul & religioſe inuiſas, inque iis proculdubio pulcro fonti vicina percolitur, Iuliano dicata, quam vetuſtate collabentem, L. Deſplanus Archidiac. vir claritudine & generoſa probitate prænitens nuper inſtaurauit, fons ipſe non prorſus abolita veteri ſuperſtitione, additur à plebe *fortunæ fortis* feſto. VIII. Kalend. Iulias, per famam apparentium eo die Nympharum, verbena & filice coronatatum. interq; montem & Rupricatum flumen, quod per ſeptem ferme millia paſſuum longe ab vrbe pelagus ingreditur, paluſtria loca ſunt, frugifera tamen alicubi & paſcuis non ignobilia, fluuius ipſe vbi accreſcit, pontis ſæpe vel impatiens eſt, vel mutato curſu fallax. Vrbs amœno magis quã fertili loco poſita eſt, littore

ſatis

ſatis profundo præterquam ad *Taſtas*: hæc loca ſunt contra littus ad octo ferme ſtadia, vbi arenarum dorſa inhibent atque irritant mare, vnde extra deſurgere naues ſolent: Duos habet amnes, prędictū ab occaſu & *Betulum* qui & *Betulus* dicitur ab ortu fluentem, propinquius, tenui alueo: ſed irrigationibus vtili, vnde riui per foſſas & ſulcos aquarios decurrunt in prædia, terreni & ſtructilis operis molinas etiam citantes. Scatent & intra vrbem frequentes putei, non improbæ aquæ. Ducitur & aqua è fonte perenni per lapideos cuniculos in vrbem, eque receptaculis & caſtellis per labra vel ſaltus in varia loca effunditur. Mulierum præterea peculiaris pulchritudo, & matronale decus lætiorem ciuitatem reddunt, vnde & tenacior manet. Torus & ſoboles fit generoſior. Ambitus eſt ſtadiorum circiter xxv. eadem pæne dimenſio eſt Neapolis Italicę: ſed Neapolis hodie ciue & aduenis plenior habetur, vtque Germanicæ gentis pulcerrimas, ſed gelidas vrbes relinquamus Florentiam Etruriæ clariſſimam vrbem an pulchritudine & munditiis vincat Barcino iuſtiſſima hactenus dubitatio eſt huius ſane ſitum præſtantiorē omnino eſſe propter littus & cæli apricitatem nemo inficiabitur. Ferunt Aſtronomi eā ſagittario ſuppoſitam pręcellenti Ioui domeſtico, interque multa vrbis inſtituta ampliori, quam diximus operi inſerenda. Ædilitię ſunt & mercatoriæ leges, per has iudicium ex bono & æquo, & ſub compendio redditur à Duumuiris, qui conſules appellantur: vnde conſulares leges dictæ ſunt: quarum hac tempeſtate non in ea vrbe modo vſus viget, ſed per cunctas ferme maritimas ciuitates nauticæ, & mercatorum controuerſiæ huiuſmodi legibus, vel ex his depromptis, ſumma cum auctoritate terminantur. Vtque Rhodias olim, ita plerique nunc per vrbem *Barcinonias* leges appellant, Ædilitię quoque plurimis & inclytis vrbibus exemplo fuere. Criminum animaduerſio ciuiliumque cauſarum notio per creatos à Regibus Magiſtratus, maiori ex parte exercetur Pontificalis fori iuriſdictione excepta. Cura frumentaria & R. P. per Quinqueuiros hodie gubernatur, anniuerſario munere, adiunctis xxx. duobus aut Centum Viris, ſi grauiora immineant. Ab hoc procerum ordine, admiſſa etiam nuper in partem ſenatus plebe decreta emanant. Creditum eſt popularem hanc admiſſionem initia ruinæ vrbis noſtræ parauiſſe, inepta ad gubernationem plebe, inſolentia, atque indignitate imperandi, atque conſulendi, tum de diſſidia vel propter inuidiam nobilitatis promptiſſima & denique apta gubernari magis quam regere. Sunt & monetales, operumque & ęrarii Pręfecti & ſcribæ: ac plures alii magiſtratus nulla iniuria hiſtoriæ tacendi.

Habet vrbs inſigne; publicam menſam depoſitoriam, fidei, vel alienigenis & ignotis pertinaciſſime nullo periculo, culpaue aut mora excuſabilis. Illud quoque imitandum: quod in multis ſpecioſis vrbibus, & Romæ negligi miramur; in Tabellionem, Chirurgum, & medicinarium admitti neminem, niſi probatiſſimæ fidei examinatique curioſius exercitii: optima certe conſuetudine, ne fides doloſæ aut imperitæ manui temere committatur.

Nec non & hoc à compluribus laudari vidimus, quod vrbem noſtram Iudæis nequàquam licet habitare, vtpote generi hominum ſordido, libidinoſo atque impudenti, & niſi *Iudæi.* ſeruitute reprimeretur, ſuperbo atque crudeli: Ad hęc quod eſt gens fœnoris aliorumq; noxiorum Ro. Po. quæſtuum profunde conſectatrix: Quodque cæteros mort.lium neſcio quo ſingulari odio dolis atque fraudibus circumſcribere conetur. Vnde nec hi, quorum maioribus Iudaica origo eſt, tametſi Chriſtiani nominis, & forſitan probi, ad honores R. P. noſtræ aut Tabellionatus, vel Medicinarum officia admittuntur: exiſtimantibus cunctis perdifficile maiorum mores, & vix obliuione generis exui poſſe: Sed nec Maho- *Turcæ.* meticę Religionis hominibus in eadem vrbe præterquam ſeruis, commorari permittitur, ne pura religio, aliarum vſu captis ſuperſtitionibus, deprauetur: neue religionum & cultus in vna eademque ciuitate diuerſitas, inuidiam, odia, impoſturas, & diſſenſiones, & clades interdum, atque exterminia R. P. pariat. Quod in Antiochenſi & Alexandrina aliiſque clariſſimis vrbib. eueniſſe, qui res geſtas legerit, facile intelliget. Magnificant ciuitatem præterea populorum conuentus totius prouincię Catalanicæ, & vrbium oppidorumque contributiones, à quibus vrbs noſtra vt Nobile caput, colitur & augetur: *Oppida ciuitatis Barcinonenſis.* quorum numerum præter vicos plus quam quadringentorum eſſe, compertum eſt. Quas referemus regiones & oppida. Clariores habentur: *Gerundenſes*, & qui *Emporitanorum* vberem & portuoſam regionem incolunt, & his vicini priſci nominis *Auſetani* & *Iannipola*, fullonica noti: Interque conualles Pyrenæorum *Cerretaniæ* antiquiſſimi Hiſpaniæ populi, in quibus Liuium Salinatorem oppidum condidiſſe perhibent, Sertorii temporibus, quod extat, perque Pyrenæum veteri Aquitaniæ contermini, *Paliarenſes*, nouæ appellationis: Tum *Sicuritani* aurifero amne perfuſi & ſub eis *Ilergetani* campeſtres, qui & *Vrgellenſes* di-

Ilerda. cuntur, littora olim verſus *Leletanos* attingentes. In quorum finibus *Ilerda*, veteri hiſtoria & nunc litterarum Gymnaſio clara poſita eſt, fructifero ſolo, ſed nebuloſo per hyemem cœlo taxata; At ſub *Vrgellenſibus* verſus maritima iacentes *Cumulatii, Albimontani, Barbarienſes*, conuallis. *Sigarienſes* & pratenſes habitant: & à latere *Ceruarienſes*: & varii ac candidi ſalis foſſores *Cardonenſes*. Item *Minoricenſes* cum Mediolanenſibus iuxta hos ſupra Barcinonem *Rubricaticenſes*, & ſub latus *Vallenſes*: atque ad oram Barcinonis, ab ortu *Mariſini* & verſus Gerundam, ſiluoſi ſaltus incolę: *Caprarienſes*, & aurileguli *Tarnicolæ*: interque Barcinonem & Tarraconem libero prælati oppido *Penitenſes*, ac deinde quondam primi *Tarrac.* & maximi *Tarraconenſes*, cum eorum amœno agro olim *Sueſetano*, à magnitudine ſuum, vt quidam exiſtimauere, dicto. In ipſiſque *Catalanorum* finibus *Dertuſani* poſiti ſunt, & *Ibericenſes*. Itemque cis Pyrenæos Catalanici nominis in Gallia Narbonenſi habitant. *Ruſcinonenſes*, nobilem agrum colentes: quorum hodie caput inſigne *Perpinianum*, lanificio pollet, ſupraque hos ad radices Pyrenæi *Confluentani* ſunt, foſſilium & fluentium metallorum poſſeſſores. His ferme regionibus ac vrbibus & aliquot clarioribus oppidis haud exactius, quam nunc conuenit, deſcriptis *Catalania* clauditur. Horum Barcino princeps eſt mater. Quarum gentium tractus in longitudinem ferme centum ſeptuaginta millia, porrigitur: Latitudinem vero, vbi maior centum triginta. Ab his olim gentibus deductæ ab *Valentia.* Ibero amne vſque in Bæticam plures coloniæ: quarum plane longe clarior *Valentia*, & in *Balearibus*, *Maiorica*, Regnorum ſedes alio opere celebrandæ: & validum in Sardinia oppidum *Calaris*, præterea, & in Græcia quondam percelebres Athenæ & Zacynthus inſulæ, & Iceſſium in Africa Catalanorum coloniæ fuerunt. Vnde non temere quidam Valentinos, & Maioricenſes, horumque regnorum incolas ab origine atque lingua *Catalanos* appellauere.

Ager Barcinonenſis. Supereſt vt de agro Barcinonenſi dicamus. Is ab antiquis *Leletanus* eſt appellatus, maiori tractu monteoſus eſt, aut diſtinctus collibus: ideo non plurimi & ignobilis, vt olim, ſed vbi cura adhibetur, laudati vini ferax: mutata poſterioribus vitium cultura, maturataque ob denſitatem muſti feruoris mora, fertque oliuæ & fructuum pęne omnium copiam qui arboribus naſcuntur, ſed & mellis & frugum, exiguo tamen in frumentis reditu, venationi quoq; & aucupio aptus eſt. Ex ſuburbanis ſalubriora habentur prædia procul à litore, ꝑpter lacunas & ſtagna: quę *Betulonis & Rubricati* oſtia circunſtāt: Ideo, ſi liceat patriā deſcribenti vel minutioribus oblectari, laudantur villæ verſus Ortanos, Areolum collem, & albas petras. Syluas habet cæduas complures Barcinonenſis ager. Quare & materia abunde præbetur ſtructurę nauium. Pinus in eo frequentiſſima naſcitur, copioſo fructu atque eſui pergrato. Artemidorus *Leletanum* agrum bonitate præcellentem tradidit: eſculenta enim omnia ibi orta ſapidiſſima notantur: Barcinonenſis quoque Murię con- *Muria Barcinonenſis.* ditura apud veteres in precio fuit. Hodie vt cernis, è Barcineis rebus præpoſci Romæ ſolent cultrorum omne genus, qui ad menſas, qui ad tonſtrinam & Chirurgicos, quique ad pugillares, & muliebrem quoque mundum pertinent. Sed quid non iam Roma externę voluptatis ad ſe trahit; etenim leuia, & pręmollia, quæ flaccida appellantur, ſtragula ab vrbe noſtra perferuntur; quo delicatius per hyemem cubare liceat: aduehuntur & *Vitrea Vaſa.* inde percandida, & verſicoloria vaſa vitrea, cum Venetis certantia, & exilia, quæ vocantur thoralia. Quod ſi quibuſdam, quæ pauca ſunt, vrbs noſtra carere videatur, ea peregri- *Aquæ calidæ* na nauigatione ſupplentur. Itaque fit, vt habitatoribus vel ad delitias deſit nihil. Habet & aquas calidas Barcinonenſis ager in Vallenſium regione ab antiquioribus recte memo- *Marmoris auri & argenti fodinæ.* ratas: & quas plerique Cerretanis in Roſcinonenſi, & his quæ in agro Gerundenſi ſunt prætulere. habet & marmoris optimi, & auri atque argenti fodinas ad Senium montem: quamquam Tarraconenſes & Saguntini lapides ad pauimenta meliores, & ob cœleſtem colorem gratiores putentur. Et metallorum effoſſiones quæ in Feliceto ad pagum Argentarium & manſiones rubras fiunt, hodie Senienſibus notiores ſint. Hæc ſunt loca, quæ decem ferme millia à Maura oppido Iberi abſunt. Eſt enim Hiſpania cum multarum rerum prouentibus felix, tum vel maxime omnium metallorum pæne vbique ditiſſima. Teſtes fuere olim Pœni, & poſt deinde Romani, qui intimis atque ſupernis Iberiæ opibus pręcipue adiuti: videlicet metallis, frugibus, materia, lino, ſparto, vino, oleo, lana, ſale, ſalſamentariis, corio, & equis, & pugnantibus denique ac vere viris, diuturna atque ingentia bella per orbem confecere. Extant etiam nunc pluribus in locis in vniuerſam Hiſpaniam effoſſionum illorum temporum aperta veſtigia, ſuperioris & noſtræ ætatis negligentiam, vel ſegnitiem accuſantia: proinde & quotidianæ illæ querelæ ortæ, auri valorem indies augeri; liquidiſſima certe cauſa: cum aurum vbique gentium vel per luxum

xum conſumatur; & vbi plurimum gignitur intra fœcundiſſima montium viſcera, non ſapientiore contemptu, ſed per ignauiam relinquatur: ad cuius profecto continuam egeſtionem non dicam captiuorum, ſed facinoroſorum per prouincias iugem atque ingentem numerum ſufficere poſſe quis neget? longeque Reipublicæ fore vtilius, vt qui in tenebroſo carcere miſerabili otio ſqualent, vel ad remum damnati in adiumenta ſæpenumero piraticæ, & ſcelerum miniſteria traduntur fructum aliquem publicæ rei in metallis eruendis, aliiſue operibus publicis exercendis, noxia corpora præberent. Nec hoc perſpicuo exemplo caret: etenim reorum inprimis opera prouidentiſſima orbis domina muros, templa, porticus, & thermas conſtruxit: item portus, theatra, pontes, & palatia, quæ miramur, ædificauit: hac ratione longiſſima Italiam, diuerſis viis latiſſime ſtrauit, ac varios atque altiſſimos aquarum ductus ſtupenda longitudine continuauit. Appenninumque ſexingentorum ſtadiorum producto ponte vrbi coniunxit: vt remoti montis pulcerrimos fontes, vix accolarum hauſtu notos, quaſi captiuos, per ſaltus, & aſpera montium tractos ſibi ſeruire cogeret. Sed neſcio quo me pacto vrbis magnitudo à patria ad ſe reuocauit: Quare iam finis operi imponendus erit.

Hæc perſtrinximus, Pompili, de vrbe, ex qua editi in lucem ſumus, vtque amici genus non ignores, honeſtis maioribus: patre Iacobo Paulo Iureconſulto, (ſi filius in re obſcura teſtis idoneus eſt) conſummatæ inter opes & gratiam Principum virtutis & doctrinæ. Te nunc inuicem accingi cupio ad id, quale me ipſe rogaſti: vtque nos ſtrictim de vrbe noſtra conſcripſimus, tu quoque excelſæ tuæ, vel potius communis vrbis res iuſto, ſed clariori opere abſoluas: mihi ſufficiat amico ſimul & patriæ, quod debebam, vel tenuiter exſoluiſſe.

Barcinone anno M. CCCC. XCI. *regnante Ferdinando II. Caſtellæ & Aragonum Rege.*

EPISCOPI ECCLESIÆ BARCINONENSIS.

1. Lucius Victor, qui ſcripſit contra Arrianos.
2. Actius 1.
3. Alexander
4. Theoticus
5. Paſianus, qui ſcripſit contra Nouatianos
6. Olimpius vir doctiſſimus
7. Ydaltus, qui plura ſcripſit.
8. S. Seuerus, qui à Gothis clauo infixo in capite occiſus eſt: fuitque vnus ex 70. Epiſcopis, qui condiderunt leges Gothicas.
9. Ioannes
10. Adaulphus, qui dedit domum ſuam pro domo Epiſcopali.
11. Trodinus, qui tranſportauit corpus S. Eulaliæ de Eccleſia S. Mariæ matris ad Eccleſiam Cathedralem.
12. Guileranus
13. Theodoricus
14. Petrus 1.
15. Viues
16. Actius 2.
17. Deus dedit. In tempore iſtius ædificata eſt Eccleſia Puellarum Sancti Petri.
18. Guadallus
19. Gilasbertus nobilis
20. Berengarius 1.
21. Vmbertus, ex nobili familia Alamanii.
22. Bertrandus.
23. Iuleus ex nobili familia Cardona.
24. Berengarius 2. Ex Comitibus Barcinonenſib.
25. Raimundus Guillelmus 1.
26. Megarius Tarraconenſis Archiepiſcopus iſte Tarraconem à Sarracenis deſtructam cœpit reædificare.
27. Arnaldus hermengaudus 1.
28. Guillelmus
29. Bernardus de Bega 1.
30. Raimundus 2.
31. Berengarius 3.
32. Petrus 2.

33. Berengarius 4. Is cũ Canonicis inſtituit domum caritatis, in tempore iſtius parochiali ſancti Vincẽtii conſtructũ eſt monaſterium de Iunqueres pro monialib. ſancti Benedicti, & inſtitutus eſt ordo mercenariorum in eodem tempore.
34. Petrus, de domo Centelles 3.
35. Arnaldus 2.
36. Bernardus 2. In tempore iſtius in parochiali S. Fauſti erectum eſt monaſterium de Monte alegre pro monialib. Canonicorum regularium Sancti Auguſtini, & iſte epiſcopus & Canonici conceſſerunt monaſterium de Iunqueres magiſtro S. Iacobi de Spada.
37. Pontius
38. Geraldus de galba
39. Pontius de galba
40. Ferrarius, in tempore iſtius facta eſt ſecunda tranſlatio Sanctæ Eulaliæ vbi nunc eſt.
41. Bernardus 3.
42. Michael
43. Guillelmus de Torelles
44. Berengarius 5.
45. Petrus de plañella 4.
46. Raymundus 3.
47. Ioannes 2.
48. Franciſcus de blanes 1.
49. Franciſcus 2.
50. Andreas Bertrandus
51. Franciſcus Clemens 3.
52. Andreas 2.
53. Simon Saluator
54. Iacobus girat. magnus Theologus.
55. Ioannes de Soler. Theologus
56. Rodericus de Borgia
57. Gondiſaluus de Heredia.
58. Petrus Garricas 5.
59. Henricus de Cardona.
60. Martinus Garcia.
61. Guillelmus Raimundus.
62. Ludouicus de Cardona.
63. Ioannes de Cardona.
64. Iacobus Caſſador
65. Guillelmus Caſſador
66 Martinus Martinez del Villar.
67. Ioannes Dimas Loris.

REGVM ARAGONIÆ SERIES, ELOGIAQVE IMAGINIBVS SVBIECTA CÆSARAVGVSTÆ, A HIERON. BLANCA CÆSARauguſt. CIↃ. IↃ. LXXXVI. ad an. MDC. continuata.

Suprarbienſes Reges VII.

I. GARSIAS Eximini Dux ſtrenuus, Regio Gothor. genere natus, deperdita iam Mauror. irruptionib. Hiſpania, Aynſa capta, eos adortus, cum inito prælio cœleſte ſignũ Crucis rubei coloris aureo veluti in clypeo, ſupra arborem (vnde nominis ducta appellatio putatur) quercũ vidiſſet, deq; ipſis Mauris victor glorioſe triumphaſſet, Regio nomine dignus exiſtimatus, primus Suprarbienſium Rex fauſtis omnium acclamationibus eſt appellatus, anno CHRISTI DCCXXIV. Regnauit ann. fere XXXIV. exceſſitq; è vita ad ann. DCCLVIII.

II. GARSIAS Innici I. Garſiæ Eximini F. Suprarb. Rex II. Regni fines, oppidis aliquot bello partis, protulit longius: in his Pompeiopolis, Vaſconum Metropolis, quæ hodie Pampelona: ſed, vt ſunt res humanæ fluxæ, non diu vrbe potitus, vitam cum morte commutauit: ad ann. DCCCII. Regni fere XLIV.

Hoc tempore AZENARIVS *vir armis præſtans primus Aragonum Comes dictus.*

III. FORTVNIVS I. Garſiæ Inn. F. Garſ. Eximini N. Suprarb. Rex *III.* non minus armorum, quam pater auuſq; ſtudioſus, bellis aſſiduis Mauros laceſſiuit: de quib. in Olcaſſenſi tandem valle manu conſerta illuſtrem victoriam reportauit: Ad ann. Dom. DCCC.XV. Regni vero X*III*. diem clauſit extremum.

IV. SANCTIVS Garſiæ Fort. I. F. Garſ. Inn. N. Garſ. Exim. Pron. Suprarb. Rex IV. initio tam felici Marte depugnauit, totam vt ſibi, debellatis hoſtib. Nauarram ſubegerit. Tandẽ commiſſa pugna, à Muza-Aben Heazin Mauro Cæſarauguſtan. Tyranno vna cum Garſia Aragon. Comite V. victus ſine liberis occubuit, ad ann. DCCCXXXII. Regni fere XVII.

Tunc

Digitized by Google

Tunc primum multorum annorum Interregnum in quo vetus Suprarbienſe ius conditum, Magiſtratumq; inter Regem, Regniq; incolas medius, qui poſt IVSTITIA Aragon. *dictus eſt, inſtitui cœpit.*

INNICVS Eximini F. Ariſta, paterno nomine appellatus, quod viſis Mauris ſubito graui V. in eos ira odioq; exardeſceret. Cum Pompeiopoli vrbi, victrici olim manu partæ imperaret, à Suprarbienſibus ſpectatæ virtutis bellicæ nomine, Ara Sueſti in oppido Rex V. ſalutatur, Iudiciſq; illius medii magiſtratu ex fœdere confirmato, imperium poſteris mirifice ſtabiliuit, cœleſtiſq; argenteæ Crucis inſigni regio condecorauit. Belli deniq; paciſq; artib. clariſſ. vitam cum regno poſuit ad ann. fere DCCCLXX. *exarſerit*

GARSIAS Innici II. Ariſtæ F. Suprarb. Rex VI. Pompeiopolitanis & ipſe imperauit. Sed ad Larambe oppidum iter faciens, à Mauris ex inſidiis oppreſſus, cæſuſq; eſt cum Vrraca coniuge, vltimi Aragonici Comitis F. vnica, ad ann. fere DCCCLXXXV. Regni vero XV. Cumq; Reginæ ictu mortuæ, qui geſtabatur infans manum exereret, cæſo matris vtero, viuus eductus, educatuſq; eſt clam: & Sanctius Abarca dictus, poſt Fortunium fratrem natu grandiorem, primus Aragon. Rex inauguratur. VI.

FORTVNIVS II. Garſ. & Vrracæ F. Ariſtæ N. patri hæres ſuffectus, VII. adeoq; vltimus Suprarb. Rex. Nam Regium Aragonum nomen, quod à Kæſone fratre mox inuectum eſt, priſcum illud Suprarb. antiquauit. In Legerenſi tandem cœnobio monachi ſe votis ſponte obſtringens, Regno ſex fere annos adminiſtrato abdicauit, ad ann. C. CIↃI. VII.

Hic ſecundum Interregnum annor. fere IV. *Aragoniæ Comites ſex.*

AZENARIVS Azenarii F. Hædonis N. collecta ſociorũ manu è Cantabria ad Pyrenæos penetrauit, opem Garſiæ Suprarbienſ. Regi II. Põpeiopolim obſeſſuro, laturus. Hic Mauris Iaccam vrbem eripiens, eius, aliorumq; circa oppidorum ditione à Rege donatus, primus ſibi Comitis Aragoniæ nomen vindicauit, ad poſteroſq; hæreditario iure trãſmiſit. Annos cum Iaceſ rerũ potitus, animi corporiſq; dotib. illuſtris moritur, ad annũ DCCXCV. VIII.

GALINDVS Azenarii Com. F. Aragon. Comes II. paternæ dignitatis hæres, Iaccæ foro conſtructo, Vrbi ius, formamq; dedit, eidemq; Magiſtratum, quem Merinum appellari voluit, præfecit. Atareſiam præterea, cæteraſq; arces & munimenta, adhæc Acomueri in oppido Cercitenſe cœnobium ſua pecunia exædificauit, vt non tantum fortis, ſed & boni piiq; Principis munus nauiter obiiſſe videatur. Itaq; annos fere XX. bene geſtæ Reip. laude inſignis, vita, officioq; deceſſit, an. DCCCXV. à partu Virginis. IX.

EXIMINVS Azenarii Aragon. Comes III. Gal. Com. F. Azenarii N. Azenarii cognomentum in aui gratiam memoriamq; ſibi adiunxit. De reb. geſtis nihil memoriæ proditũ: illud ſi demas ferro cum Mauris fortiter dimicantem, nulla ſobole relicta cecidiſſe. X.

EXIMINVS Garſiæ Arag. Com. IV. Azenarii prim. Com. F. Eximino Galindi fratris Filio ſucceſſit. Cæſus & ille à Mauris imperauit non diu, vnico hærede relicto paternæ dignationis ſucceſſore. XI.

GARSIAS Azenari Aragon. Com. V. Eximini Garſ. IV. F. in demortui patris locum vocatus, Azenarii cognomen & ipſe, in primi Comitis memoriam aſſumpſit. A Cæſarauguſt. illo Tyranno Mauro vna cum Sanctio Suprarb. Rege IIII. interemptus. ad ann. Chriſt. DCCCXXXII. relicto Fortunio F. hærede, nullum interregno locum dedit. XII.

FORTVNIVS Eximini VI. & vltimus Aragon. Comes, Garſ. Azon. Com. V. F. hæreſque Ariſtæ Regi neceſſitudinis vinculo, & ſanguinis affinitate coniunctus, carus, acceptuſque quod Vrracam vnicam F. Regis F. Garſiæ nuptum dederit. In periculoſa illa primi interregni tempora incidens, Reip. qua hodie tranquilla fruimur conſtituendæ ſuaſor auctorque exſtitit. Per annos amplius XXXVI. Comitis dignatione florens, ſenex deceſſit ad annum fere DCCCLXVIII. Garſias Gener. poſt quem Fortunius N. Suprarb. Reges ſuo iam ordine collocati, hæreditatem adieruht. Hinc ſecundum Interregnum: quod Sanctius Kæſo, N. & ipſe, qui continenter ſequitur, Regis nomine vſurpato, clauſit. XIII.

ARAGONVM REGES XXVII.

SANCTIVS I. Kæſo, Garſ. & Vrracæ Reg. F. Ariſtæ V. Suprarb. Reg. & Fortunii Com. VI. N. Fortunii monachi Frater, legitimuſq; hæres repertus, lætiſſimis Procerum populiq; acclamationib. ad Iaccam vrbẽ Rex ſalutatur, & Abarca cognominatur. Primus hic præclarum Comitum Aragoniæ nomen in Regis titulum ornamentaq; conuertit: fineſq; imperii, domitis ſæpius cæſiſq; Mauris, longe lateq; propagauit. Tandem carus ſuis hoſtib. vero vel nomine ipſo formidabilis, vitæ ſtationem deſeruit, Regni fere an. XXVIII. Chriſti vero orbi redimendo nati CIↃXXXIII. XIV.

GARSIAS I. Kæſonis F. Abarca identidem & ipſe appellatus. Aragon. Rex II. Optime XV.

adminiſtrata R. P. liberis, quas ex Thereſia coniuge ſuſtulit, Regno, quod ann. fere ſex & xxx. otii, paciſq; publicæ ſtudioſus tenuerat, ceſſit, an. Dom. CCIↃLXIX.

XVI. SANCTIVS II. Garſiæ I. F. Kæſonis N. Aragon. Rex III. nunc Abarca, interdũ vero Galindus dictus, patre vita functo, Regiam poteſtatem nactus, auitæ fortitudinis æmulus extitit, Prole ex Vrraca Ferdin. coniuge ſuſcepta, moritur, Regni fere XX. ann. Chriſti vero CCIↃXC.

XVII. GARSIAS II. Tremulus, Sanctii II. F. Garſ. I. N. Kæſ. Pron. IV. Arag. Rex, Abarca & ipſe interdum cognominatus, virtute clarus extitit, Regniq; clauo admotus, rebus præclare geſtis, aſſiduiſq; cum Mauro bellis * exercitus, demum vitæ laborioſæ, ærumniſq; plenæ curſum, Regni anno X. confecit: quo tempore nati ſeruatoris milleſimus agebatur.

per exercitado.

XVIII. SANCTIVS Tremuli F. natu maior Sanct. II. N. Garſ. I. Pron. Kæſ. Abn. Arag. Rex V. Hiſpaniæ imperauit. Filiis regna partitus, Ranimiro, Aragon. Regnum conceſſit, coniugis nouercæ precib. victus, quod pudicitię illius cuſtodem ſe propugnatoremq; aduerſus fratres obtuliſſet. Denique parta Reip. quiete, annonæ copia, rerumq; omniũ vbertate, cum Pompeiopoli, Aragoniæ, Suprarbio, Ripacurtiæ, Vaſconiæ, Alanæ, Caſtellæ, Aſturiis, Legioni, & Aſturicæ tranquille imperaret, lætus exceſſit A. D. XV. Kal. Nou. an. CIↃXXXIV.

Regnauit an. XXXIII. Menſ. IX. Dies XIIX.

XIX. RANIMIRVS I. Chriſtianiſſimus Sãct. maioris F. Tremuli N. Sanct. II. Pron. Garſ. I. Abn. Kæſ. Atn. Aragon. Rex VI. Cum Chriſtianę Religionis (vnde Chriſtianiſſimi cognomen) cultum ceremoniaſq; ex Rom. Eccleſ. ſanctionib. multor. Epiſcopor. ad Iaccã habito Concil. curauiſſet: Suprarbienſiq; Ripacurtienſi, ac Pallarienſi ditione quęſita, imperii terminos protuliſſet, ad Gradus arcẽ pugnans, tandem occubuit, A. D. VIII. Eid Maii. Ætatis LX. Natalis Dom. CIↃLXIII.

Regnauit an XXVIII. Menſ. VI. Dies XX.

XX. SANCTIVS IIII. Ranimiri I. F. Sãctii Maioris N. Tremuli Pron. Sãct. II. Abn. Garſ. I. Atn. kæſon Trin. Aragon. Rex. VII. geſtar. rer. gloria clarus Pompeiopolitan. Regnum adeptus, fuſis ſæpius fugatiſq; Mauris opida complura amiſſa recuperauit. Sed Oſca celebri Veſcitaniæ vrbe caſtris obſeſſa, dum mœnia ſpeculabundus obequitans explorat, ſagitta eminus emiſſa, latus confixus interiit, prid Non. Iun. an. nat. XLIX. Natal. Chriſti CIↃXCIII. Regni, an. XXXI. & Dier. XXV.

XXI. PETRVS I Sanct. IIII. F. Aragon. Rex. VIII. in ipſa Oſcæ obſidione paterni imperii ſucceſſor, poſt non diu inſignem illam Alcoracenſem victoriam victoriæq; clariſſima, quæ ad poſteros tranſmiſſa viſuntur inſignia, reportauit: quatuor nimirum Mauror. Regum capita abſciſſa, hinc illinc. S. Georgii Cruci appoſita: qui exinde Regni tutelaris Diuus religioſe colitur. Capta denique Oſca, gloria nobilis, atque omni genere virtutum excellens, iure optimo, Pius, Fœlix, Victor, & Maximus appellari cœpit. Annum iam agens XXXV. ſine liberis exceſſit è vitã, A. D. IV. Kal. Oct. an. CIↃCIV.

Regnauit ann. X. Menſ. III. Dies XXVI.

XXII. ALFONSVS I. Bellator Sanct. IV. F. Petri I. frater Aragon. Rex IX. Hiſpaniæ Imp. Cæſarauguſta hac nobiliſſima Sedetaniæ Metropoli, quam Mauri annos fere CCCC. ſeruitute oppreſſam tenuerant, expugnata, victos fugatoſq; in Bæticam vſque cedendo perſecutus eſt. Tandem qui vndetricies collatis ſignis fœlici ſemper Marte ſuperior diſceſſerat, ridiculo quodam certamine, dum audacius quam cautius in hoſtem pugnare ſtudet, ad Gallicam Flauiam cecidit nullo hærede relicto, A. D. VII. Eid. Sept. An. Chriſt. CIↃCXXXIII.

Regnauit ann. XXVIII. Menſ. XI. Dies X.

Hic tertium menſis I. interregnum, quo Pompeiopolitani ſeorſim à noſtris in Rege deligendo conſultarunt.

XXIII. RANIMIRVS II. Monachus, Sanct. IV. F. Pet. & Alf. Reg. frater, ex Tomarienſi monacho Epiſcopus, poſt Rex Aragon. X. creatus, cum ſe regio ſceptro facibuſq; ineptũ modeſte iudicaret, Raymundo Barcinon. Comiti, cui Petronillam gnatam vnicam deſpõderat, de ſumma re, regniq; adminiſtratione concedens, quod reliquum vitæ fuit ſacris rite operatus, in diuinarum rerum meditatione conſumpſit. Vixit annos LXIII. Obiit A. D. XVII. Kal. Sept. Ann. Chriſt. CIↃCXLVII.

Regnauit an. XIII. Menſ. XI. Dies XXI.

Hic primum Arag. regnum fœmina delatum.

XXIV. PETRONILLA Ranim. II. filia, Arag. Regina XI. vxor Raymundi Berengarii Barcinon. Comitis:

Digitized by Google

Comitis: qui cum magni & excelſi animi princeps, manu promptus, & ſtrenuus exiſteret, vtriuſq; ditionis coniunctione, multiſq; oppidis bello partis, commune imperium iuſque amplificauit: quod regina, magni conſilii fœmina, ex, A. D. VIII. Eid. Sextil. an. CIↃCLXII. quo maritum quinquagenarium amiſit, filio, poſteriſq; ſaluum & incolume ſeruauit: ipſa quoq; A. D. III. Eid. Oct. annos nata XXXVII. fato conceſſit, ann. CIↃCLXXIII.

Regnarunt ann. XXVI. Menſ. I. Dies XXVI.

His nuptiis matrimonii tabulis ex pacto conuent. Barcinonenſ. inſignia Regiis Aragonenſium inſignibus præferri cœpta.

ALFONSVS II. Caſtus. Petronillæ Reginæ & Raymundi Com. F. Aragon. Rex XII. XXV.
patre etiamnum ſuperſtite patrio nomine appellari ſolitus: Hic bellica laude præſtãs, &, quod mireris, caſtitate, continentiaq; inſignis. Inter cætera oppida Turolium expugnauit, cui nouas Sepuluedæ leges conceſſit. Annum agens XLIV. vitæ pertæſus, ad ſuperos migrauit, A. D. VII. Kal. Maii. an. CIↃCXCVI.

Regnauit an. XXII. Menſ. VI. Dies XII.

PETRVS II. Catholicus. Alf. II. F. Aragon. Rex XIII. Romæ ab Innocentio Pont. XXVI.
Max. corona impoſita, hic dum Vbedenſi illo memorabili prælio pręſens adeſſet, periculorum ſocius, cum Nauarræ & Luſitaniæ Regib. à Caſtellano Rege aduerſus innumerabiles Maurorum copias accerſitus. cum ſinguli hoſte cæſo prędæ loco abſtuliſſent, Nauarrus inſignia, Luſitanus ſpolia, & Caſtellanus victoriæ laudem, quaſi debitũ labori præmiũ depopoſciſſet, hic graue vulnus, quia pro fidei Chriſtianæ amplificatione acceperat, rebus illis caducis prætulit, maioriq; honori duxit. Laude itaq; & gloria illuſtris, in Muretina tandem obſidione Eidib. Sept. eſt interfectus, ætatis anno XL. Chriſti CIↃCCXIII.

Regnauit ann. XVII. Menſ. IV. Dies. XIX.

IACOBVS I. Expugnator. Pet. II. F. Aragon. Rex XIV: Murtienſis, Balearicus, & Valen- XXVII.
tinus dictus. Is cum puer etiamnum turbulentam, ac pæne collapſam R. P. accepiſſet, ſenex tranquillam & iam pridem præclare conſtitutam, legibus armatam, trophæis ornatam, Prouinciis auctam, delubris ad bis mille in Deiparæ Virginis honorem ædificatis illuſtratam: ac Granatæ Tumiſſi & Tremiſſi Regum vectigalibus locupletato ærario, diuitem, deniq; magno ſui deſiderio morte obita æſtuantem reliquit: A. D. VI. Kalen. Sext. An. Dom. CIↃCCLXXVI. Quamuis enim LXXII. ætatis exceſſerat, immatura tamen omnibus viſa mors eſt.

Regnauit an. LXII. Menſ. X. Di. XV.

PETRVS III. Magnus, Iac. I. F. Arag. Rex. XV. excelſi atq; inuicti animi Princeps, pa- XXVIII.
tre vita functo, ſacro oleo inunctus eſt: Siciliam regno adiecit: generale priuilegium conceſſit. Deniq; Philippum Gallorum regem inſolenter magno exercitu in Catalauniam irrumpentem, paruis copiis repreſſit, fregit, ac debilitauit: in fugamq; re infecta ac moribundum conuertit: ſed non diu tantę & victorię & glorię ſuperſtes, moritur & ipſe A. D. IV. Eid. Nouem. ætatis quidem XLIX. anno Chriſti CIↃCCLXXXV.

Regnauit an. VIII. Menſ. III. Dies V.

ALFONSVS III. Beneficus. Petri III. F. Aragon. Rex XVI. cum ceteris virtutib. XXIX.
ornatus, tum beneficentia clarus, patrum regnum, tituloſq; excipiens, cum hac ipſa in vrbe regium diadema accepiſſet, de connectendo, quod pæne temporis iniuria diſſipatum erat, patrimonio, præclaras leges tulit: vnionis, vt vocant, priuilegia indulſit. Tãdem annos natus XXVII. cũ Eleonora Angliæ regis F. pactas facere volens nuptias, peſtilenti morbo correptus immature, & abſq; hęrede pręreptus eſt A. D. XIV. Kal. Quinct. An. ſalu. CIↃCCXCI.

Regnauit an. V. Menſ. IV. Dies XV.

IACOBVS II. Iuſtus. Petr. III. F. Aragon. Rex XVII. in Sicilia patri cum adeſſet, hoc XXX.
regno donatus, à noſtris inde ad Regis munia obeunda euocatur, quod Alf. frater infauſtis nuper in nuptiis deceſſiſſet, (vt pro Epithalamio Epitaphium poſitum iam eſſet, ductumq; funus magna nobilium celebritate, & luctu.) Vrbem itaq; hanc ingenti pompa ingreſſus, regia tiara inſignitus, Regnique gubernaculis admotus, Iuſtitiæ, æquitatiſq; perſtudioſus, diu fama gloriaq; illuſtris imperauit, ann. XXXVI. Menſ. IV. Dies XIV. cum rebus domi militiæque præclare geſtis abiit è vita poſtridie Kalen. Nou. Chriſti Natalis an. CIↃCCCXXVII. Vixit autem LXVI.

ALFONSVS IV. Benignus, & Pius. Iac. II. F. Rex Aragon. XVIII. Patri ſuus hæres ſuf- XXXI.
fectus, cum vniuerſum iam regnum, pace tot tantiſq; bellis parta frueretur, initium capeſſendi illius in auguſta hac vrbe; feſtorum, ludorumque celebritate, (dum inſignibus

potentiæ dignitatiſq; regiæ maiori quam antea vnquam apparatu, & pompa coronari vult) cohoneſtauit. Cæterum cum miti admodũ placidoq; ingenio eſſet, boni & benigni Principis nomen adeptus, in ipſo ætatis flore XXXVII. agens, diadema, vitamq; poſuit A. D. IX. Kal. Februar. ann. à nato Chriſto CIↃCCCXXXVI.

Regnauit an. VIII. Menſ. II. Dies XXII.

XXXII. PETRVS IV. Cærimonioſus, Alf. IV. F. XIX. Aragonum Rex, ſeptimeſtri partu editus (qui aut non vitalis, aut inſignis ad omnem morum deformitatem exiſtere putatur.) Simul atq; regni clauum tenere cœpit, more maiorum & ipſe coronatur. Qui niſi ſuorum ſe ſanguine fœdaſſet, aliis plurimis gloria vel æquaretur, vel præferretur potius. Vnionis, quę vocant Priuilegia pugione, quem ſemper circumferebat, reſcindere conatus, cum è digito ſanguinem elicuiſſet: Par erat, inquit, vt quę tot virorum ſanguine conſtituiſſent, non niſi Regis ictu conciderent. Poſtea crudelis ingenii poſita feritate, maximis ſibi Remp. beneficiis deuinxit, amoremq; conciliauit ad ſenium enim poſt diuturnum regnum peruenit, annos natus vnde ſeptuaginta. Obiit poſtridie Non. Ian. An. Chriſti. CIↃCCCLXXXVIII.

Regnauit an. LI. Menſ. XI. Die. XVIII.

XXXIII IOANNES I. Pet. IV. F. Aragon. Rex XX. Patri ingenio diſſimillimus: Quo compoſito, elatoq; magnifica pompa, Regnũ, regniq; decus tiaram accepit ſed à publicorum negotiorum mole natura * abhorrens, cum miro venandi feraſq; inſectandi ſtudio teneretur, maſcula prole carens, in ipſa venatione ex equo delapſus, mortuus eſt repertus A. D. XIV. Kal. Iun. ætatis ann. XL. Chr. vero CIↃCCCXCV.

alienus.

Regnauit ann. VII. Menſ. IV. Di. XIII.

XXXIV. MARTINVS Petri IV. F. Aragon. XXI. Rex à Ioanne fratre ex teſtamento inſtitutus, Regia ornamenta cum Maria Luna coniuge ſummo Procerum conſenſu lætitiaque ſuſcepit. Filius vtriuſq; Martinus & ipſe dictus, cum Siciliæ rex inauguratus. A. D. VIII. Kal. Sext. an. Chr. CIↃCCCCIX. peſtilentis vi morbi oppreſſus ad Callarem ſine ſobole legitima obiiſſet, pater filio, (cum hic illi naturæ lege deberet) ſuccedens, Siciliẽſe regnum, Ducatumque Athenar. & Neopatr. Regno Aragon. pro cumulo adiecit. Nec diu poſt & ipſe parens vix annor. XLIV. ſine liberis deceſſit prid. Kal. Iun. an. Chr. CIↃCCCCX.

Regnatum an. XV. Die. XI.

Hic quartum Interregnum annor. II. *dierumq;* XXV.

XXXV. FERDINANDVS I. Honeſtus. Ioan. Caſt. Reg. F. Pet. IV. ex Eleonora filia, Ioan. I. & Mart. Reg. ſorore N. ad Caſpas ſelect. Iudic. ſententiis A. D. VII. Kalend. Quinct. anno Do. CIↃCCCCXII. Aragon. Rex XXII. renunciatus, regno inaugurandus vrbem hanc alacer ac lætus ingreditur. Biennio poſt conſtituta pacataque Repub. diademate regio inſignitur. Si firmiore corpuſculi valetudine diutius imperare potuiſſet, nulli maiorum gloria conceſſiſſet: verum morbi, qui cum multos iam annos conflixerat, dolore victus, in medio ætat. curſu anno XXXVII. deceſſit, A. D. IV. Non. April. à Chriſto nato CIↃCCCCXVI.

Regnauit ann. III. Men. IX. Dies VII.

XXXVI. ALFONSVS. Sapiens, & Magnanimus Ferd. I. F. Aragon. Rex XXIII. Neapolitan. Princeps patre, auo, maioribus illuſtrior, ſic claruit virtute, doctrinaque ſingulari, vt, cum vtraque re longe aliis præſtaret omnibus vtra ſibi ipſe præſtiterit, incertum relinquat. Doctorum hominum tanquam Mæcenas alter, inſignis patronus: vt plures ſapientiæ laudatores nemo repererit. Primus in hac ipſa aula Ioanne fr. Protege vicem gerente Comitia habuit: nam tametſi Italicis diu rebus occupatus hinc abeſſet, vrbem tamen ornandam, magnificentia hac ædium, & ingenti pontis lapidei exædificatione, Regii denique valetudinarii ad pauperum CHRISTI curationem ſubſtructione, liberaliter curauit. Tandem domi, militiæ, terra, mari, clarus ann. LXV. in ſpem reſurrectionis acquieuit, ſine legitimis liberis. A. D. IV. Kal. Quinct. ann. Dom. CIↃCCCCLVIII.

Regnauit ann. XLII. Di. XXVI.

XXXVII. IOANNES II. Ferdin. I. F. Alf. V. fr. Aragon. Rex XXIV. ea fuit animi magnitudine, iure vt Magnus cognomento dici queat. Et vero ſi eandem ingenii ſui vim in externis bellis gerendis intendiſſet, quam in ciuilibus domeſticiſque induſtria, laboriſque patientia conſumpſit, poſſet ſane vnus rebus præclare geſtis aliorum retro Principum laudibus adæquari. Hic ſenio feſſus, ac militaribus fractus laboribus (quos ſæpe, quaſi gregarius miles eſſet, immenſos tolerauerat) in ipſo flore ætatis, quam & in octogeſimum alterũ annum produxerat, interiit, A. D. XIV. Kal. Feb. Ann. Chr. CIↃCCCCLXXIX.

Regnauit

Regnauit an.21. Menſ.2.dies 25.

FERDINANDVS II. Catholicus Ioan. II. F. Aragon. Rex 25. Iſabella Caſtellæ Reg. matrona lectiſs. vxore ducta, commune imperium maximis ac præſtantiſſimis rebus illuſtrauit, amplificauitq́. Sic autem de omni Aragon. R.P. de Optimatibus, de militibus, de domeſticis, de ciuibus, denique de omnibus eſt meritus, iure vt, qui Illiberitanus, Africanus, Indicus, Neapolitanus, & Cantabricus eſt dictus, idem Pater patriæ Prudentiſſ. vigilantiſſ. Benigniſſ. adeoq; Optimus appellari à nobis & poſſit & debeat. Nullo ſuſcepto filio, Karolum ex Ioanna gnata vnica N. regni hæredem inſtituit, cumque 64. an. attigiſſet, publico luctu & diuturnis lacrymis cohoneſtatus effertur. A.D. 10. Kal. Febr. Nat. Chr. 1516.

Regnauit an.37. dies 4.

KAROLVS Auſtriacus Max. & Fortiſſ. Maximil. Rom. Imp. ex Philib. F. Ferdin. vero Cath. reg. ex Ioanna gnata N. Aragon. Rex 26. Rom. Imp. eius nominis V. Aug. & Inuictus. 39. Hic Hiſpaniæ regno ſuſcepto, Turcam fugauit, Gallorum regem & Saxonũ ducem captos vicit, Italos domuit, Afros ſuperauit, hæreſes debilitauit, Gandauenſes ciues ſuos tumultuantes repreſſit, Indos ſubegit, vt VLTERIVS quam Hercules, poſitis ad fretum Gaditanum columnis, rerum geſtar. gloriam propagarit. Tandem humanæ ſortis, vitæq; pertæſus, gloriam adhuc excelſiori animo fugiens, Regnis ſponte ſe abdicauit. Et in D. Iuſti Hieronymianor. ſodalium cœnobium, vt quod reliquum vitæ erat, religioſe tranſigeret, ſecedens, triennium ibi in cœleſtium rer. meditatione conſumpſit. Deniq; morte laborioſę vitæ digna pie obita, in beator. ſedes emigrauit An. D. XI. Kal. Oct. an. Seruat. 1558.

Vixit an.58. Menſ. 6. dies 28.

PHILIPPVS I. Kar. V. F. Ferdin. Cathol. regis Pron. Aragon. Rex 27. Omnium ætatum 40. ampliſſ. Imperii Monarcha, Triumphator, & Pacificus: Summus Catholicæ fidei Religioniſq; maiorum defenſor, ad eam potentię maieſtatiſq; amplitudinem Dei Opt. Max. benignitate peruenit, cum orbis terrę globũ, VT QVIESCAT ATLAS humeris ſolus ſuſtineat, vt iam glorię domicilium, non Atlantici Oceani, Chinenſiſue aut Zurii maris, ſed iidẽ ipſi, qui ſolis curſum termini definiant: Meritorum vero in Eccleſiam Cathol. omnemque Chriſtian. Remp. memoria in cœlum vſque ſecundis piorum votis penetrarit, merceſque maneat ſempiterna. Tandem plenus dierum febri ardenti correptus A. D. XI. Kal. Quinct. extinctus eſt. Id. Sept. an. Red. 1598.

Vixit an.71. Menſ. III. Di.22.

PHILIPPVS II. Philippi. I. F. Karoli. V. N. Arago. rex 28. quemadmodum regnorum 41. & nominis, ſic virtutis paternæ hęres, potentiſſimus orbis dominator, cui quanta Catholicæ religionis cura, quantũ ſit conciliandæ pacis ſtudium, teſtantur hactenus vicina regna.

CORDVBA
AB AMBROSIO MORALI
CORDVBENSI DESCRIPTA.

De Corduba Vrbis origine, ſitu & antiquitate.

CORDVBÆ quidem vrbis originem, ſitum, eiuſque mutationes, cum reliquis quæ ad eius antiquitatem perueſtigandam poterãt pertinere: in eo opere quod de *Hiſpaniæ antiquitatis* hiſtoriæ noſtræ adiunximus, plenius ſumus proſecuti. Inde huc nonnulla transferemus.

SITA eſt *Corduba* in ipſo ferme Bæticæ prouincię meditullio, atq; in his eius populis, qui *Turduli* ab Ptolemęo, Plinio, & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Baſtulos ſeu Baſtetanos vſque protenditur: ab occaſu Turdetanos contingens, Hiſpalenſi tractu terminatur. Habet ad Meridiem late patentes campos, qui ad Mediterraneum mare, & Herculeum fretum expanduntur. Qua vero parte Septentrionem *Corduba* ſpectat, poſita eſt ad ipſas *Marianorum montium* radices: quos nunc Hiſpani priſco nomine corrupto, *Sierra Morena*, hoc eſt Morenos montes dicimus. Ea vero horum montiũ pars,

quę *Corduba* imminet, aut ſaltus Caſtulonenſis eſt portio, aut cum eo ad ortum coniungitur. In his mõtibus, auctore Plinio, Bęturia regio, à Bęti flumine nomẽ accipiens, in duas regiones diuiſa, ad Anam vſq; fluuiũ excurrit. Ipſe *Bætis* qui *Cordubam* alluit, *Cirtius* olim & *Tarteſſus* etiam, vt apud Plinium, Liuium, & Strabonem eſt, dictus, tanta ſemper celebritate fuit, vt toti prouincię nomen dederit, tanta porro eſt magnitudine, vt ingentia flumina exorbens, ab Mauris inde nomen acceperit. *Guadalquibir.* namq; quod huic fluuio nũc nomen eſt ab iiſdem impoſitum, magnum flumen ipſorum lingua ſignificat. Ab ortu vero ad occaſum latus *Cordubæ* Auſtrale lambens, ita montes ab planitie diſterminat, vt id ſibi ſtudio habuiſſe natura videatur: quo diuerſiſſima ſoli diſcrimina ſeiungeret & eo tanquam limite ſuperaret. Hinc montana, quæ ipſa ſuburbia pene contingũt, celſis collibus edita, duris collibus pręrupta, hortis, vineis, olea, & omnium generum arboribus ſunt conſita. Inde campeſtris regio trans flumen complanata, nata, glareis & luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis eſt accõmoda. Huius vero tractusquæ ſit feracitas, inclita noſtræ ciuitatis horrea, tota Hiſpania celeberrima ſatis oſtendunt. Alterius vero ſoli montibus prætenti quanta ſit amœnitas cum inſigni fertilitate coniuncta: vix quiſquam dignè poſſit explicare. Ipſæ præciſæ rupes, ſcopuli ipſi, vbi planum quidpiam non ſoli (neque enim ſolum eſt illud ſed lapidum ſtrues.) verum quidquid id eſt plani, Loton ſuauiſſimam & ſiliquam ſponte naſcentes, ſatiuas vero oleam, vitẽ, ficum, ceraſum, mala punica, & Perſica, pruna, & quod magis mirandum ſit, citrea mala omnis generis abunde producunt. Pręſtãt hoc ipſum magna ex parte fontes, copioſæ, puriſſimæ, ſuauis, & ad potum ſalubris aquæ, quibus paſſim pene erumpentibus, irrigua omnia circum circa fiunt. Hinc valles vrbi propiores non niſi ab pulchritudine, ab paradiſiacis, ab Regiis hortis, ab roſarum multitudine, aut ab florum aſpectu nomen inuenere. Hinc vini & olei *Cordubæ* tanta eſt copia, atq; adeo exuberantia, fructuum omnis generis tanta vbertas, vt hoc vnum aliam quantumuis celebrem ciuitatem magnopere poſſet nobilitare. mala autem citrea omnis generis tantopere in ea vrbe exuberant, vt aduenis & peregrinis hominibus frequenter ſint ſtupori, non cumuli ſolum, qui per plateas venales vili pretio cernuntur, ſed etiam qui nouorum fructuum aduentu per agros & ſterquilinia proiiciuntur: decuſſis non modico impendio ex arboribus malis, ne ſuper fœtantes flores impediant. florum autem ipſorum in his arboribus tãta vndiquaque intra vrbem & per vicina ſuburbana eſt copia, tanta verno tempore fragrantia: vt non iam, quod de iiſdem floribus Virgilius dicit

Animas & olentia ciues
Ora illis foueant, & ſenibus medicentur anhelis.

ſed ſuauiſſimo odore vrbs tota viciniq; agri perfundantur, & ad eã ſuaueolentiã captãdam noctu homines peruigiles diſcurrant. Neq; tamen diutius in *Cordubæ* amœnitate & vbertate celebranda, ſit immorandum. Vnum ſatis ſit teſtis præſtantiſſimi teſtimonium. Ipſe ſit Muca dux Arabũ Hiſpanię totius victor, quiq; eam omnẽ perluſtrauerat, & vndiq; percognitam habuerat. De eo Raſis Maurus in Arabum hiſtoria his ipſis verbis, Latine fideliter redditis ſcribit. Abibus Albydi filius Romo qui nullatenus in re vlla mentiretur ita ſcripſit. *Quum Muca Cordubam egreſſus in Africam nauigaturus, ſummis Hiſpaniæ proceribus deducentib. iter, occiperet, & in collem vnde vrbis totius proſpectus patebat, veniſſet: mula, cui inſidebat, retro conuerſa aliquantulum conſiſtens vrbem tacitus contemplabatur: & tandem in hæc verba cum gemitu prorupit. Eheu Corduba quantum es inſignis? quæ & quantæ tuæ ſunt deliciæ? quantum tibi bonorum Deus voluit conferre? Hæc loquutus mærens iter continuat.* Huc uſq; Raſis. Probum autem hũc æſtimatorem nemo non poſſit digne cenſere, à quo videat ipſam rei veritatem, ipſam natiui ſoli præſtantiã tales gemitus, tales voces tantum encomium extorſiſſe. Metalla Cordubenſia ſunt etiam apud authores celebratiſſima. *Auriferam* quod mox apparebit, poetæ *Cordubam* vocant. & *Aes Marianum*, hoc eſt, quod prope eam vrbem in eius montibus effoditur, maxime Plinius laudat: cum argenti vim & ſtibii ditiſſimas fodinas hodie in eius tractu conſpiciamus.

Habuit ea ciuitas duo nomina, quemadmodum apud Plinium legimus, *Corduba* enim atq; eadem *Colonia Patritia* eſt appellata. Sed *Cordubæ* nomen priſcum fuit, & peruetuſtæ originis, illud alterum quo tempore ei fuerit inditum, ſuo loco dicemus. Eſt verum rectumq; vocabulum. *Cordubam* eſſe Silius Italicus, Martialis, Prudentius, atq; alii poetæ atteſtantur. Lex enim carminis incorruptiora & incontaminata vocabula conſeruat, Potuit ſane nominis huius veritas fidelius ex nummis & ex lapidibus aſtrui. Sunt qui ſe nummos vidiſſe affirment. Sed ego harum rerum non indiligens perueſtigator, & omnis patriæ meæ antiquitatis imprimis ſtudioſus. Romanum nummum adhuc vidi nullum, qui *Cordubæ* nomen habeat inſcriptum: cum *Coloniæ Patriciæ* nomen in quam plurimis Augu-

ſti,

ſti, Tiberii, & Germanici etiam, quorum nonnullos ipſe habeo, conſpexerim. Lapides, in quibus vtrumque, & alterum ſeorſim nomen inſit, quinque apponam, quorum quatuor primos omnes ipſe vidi, & ipſe deſcripſi: vltimum relatu doctiſs. hominum habui.

In oppido Linares baſis eſt marmorea, nigra ex ruinis Caſtulonenſis vrbis admodũ vicinę aduecta, his litteris inſcripta:

VALERIÆ. CIPATINÆ. TVCCITANÆ. SACRVM. COLONIÆ. PATRICIÆ. CORDVBENSIS. FLAMINICÆ. COLONIÆ. AVG. GEMELLÆ. TVCCITANÆ. FLAMINICÆ. SIVE. SACERDOTI. MVNICIPII. CHASTVLONENSIS.

Superioribus annis Cordubæ cum capite & muliebris ſtaturæ fragmentis baſis marmorea cum hac dedicatione eſt eruta:

D. N. CORNELIÆ. SALONIÆ. AVG. CONIVGI. D. N. IMP. CÆS. P. LICINI. GALLIENI. PII. FEL. ET. INVICTI. AVG. DACICI. MAX. GERMANICI. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. IMP. III. PP. PROCOS. PROVINCIÆ. BÆTICÆ. DEVOTA. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS. CORD. ....

CORDVBÆ in diuæ Marinæ templo ad vſum aquæ benedictæ cippus marmoreus candidus.

D. M. S.

M. LVCRETIVS. VERNA. PATRICIENSIS. ANN. LV. PIVS. IN. SVOS. H. S. E. SIT. T. T. LEVIS.

LORÆ. quod oppidũ eſt in medio ferme itinere, quo *Corduba* Hiſpalim itur, in baſi marmorea, pro foribus templi:

L. LVCRETIO. SEVERO. PATRICIENSI. ET. IN. MVNICIPIO. FLAVIO. AXATITANO. EX. INCOLATV. DECVRIONI. STATVAM. QVAM. TESTAMENTO. S. SIBI. PONI. IVSSIT. DATIS. SPORTVLIS. DECVRIONIB. M. F. AXATITANI .... XII. ....

Hiſpali in vico cui à ſerpente nomen eſt, cippus cum hoc epitaphio viſitur.

Q. FABIVS. Q. F. QVIRINA. FABIANVS. ILVRCONENSIS. IDEM. PATRICIENSIS. ANNORVN. XXXXIIII. IVST. IN. SVIS. H. S. E. ST. T. L.

Patriciæ vero nomen in vſu libentius fuit tempore Romanorum imperatorum, tanquam honorificentius, & illuſtri de cauſa, vt poſtea videbimus, *Cordubæ* impoſitum. *Cordubæ* vero nomen incorruptum credo cum Romano imperio & lingua ad Gotthorum vſq; tempora permanſit. Tunc demum cepit permutari, vt *Cordoua*, quemadmodum nunc Hiſpani proferimus, diceretur: nec ſubito tamẽ, ſed paulatim immiſſa corruptela. Teſtimonio ſunt aurei nummi. Gotthici duo, quos ego habeo, diuerſis ſatis typis percuſſos. Recceſuinti Regis Gotthorum ſunt, & altera parte cum regis ipſius facie inſcriptum habent. RECCESVINTHVS. REX. In auerſa vero parte ſcriptum in orbem eſt. CORDVBA. PATRICIA. & iam. V. verſum in O. eſſet. B. autem nondum eſſet in. v. Ad eundem modum, tum in D. Eulogii veteri exemplari, quam in quibuſq; libris Gotthicis literis, quos vidi plurimos deſcriptis, ſcriptum Cordoba reperitur. Et de noſtræ vrbis nominibus hęc ſatis? nunc de eius antiquitate eſt dicendum.

Priſcam admodum, & peruetuſtam vrbẽ *Cordubam* fuiſſe: cuiuſq; originis propter ſummam antiquitatem nullũ exſtet in hominum memoria principium: duabus potiſſimum de cauſis adducor vt credam. Primum enim quæcunq; vrbes in Hiſpania duobus nominibus olim Romanorũ tempore compellabantur: Alterum Hiſpanum nomen, priſcum vetuſtiſſimæ originis, & quaſi vernaculum peculiaris linguæ habuiſſe conſtat: alterum vero tanquam Romanæ ditionis & imperii ſtygma eiſdẽ fuiſſe impreſſum, aut adulatione dominãtium Imperatorũ certe expreſſum. Tales fuere in Celtiberia *Illurcis* ab Tiberio Graccho, mutato nomine, vt autor eſt Verrius Flaccus, *Graccuris* dicta. *Salduba* in eadem regione Plinio teſte, *Cæſaraugusta* poſtea nominata. Eodem autore & priſcis lapidib. etiã atteſtantibus. *Obulco*. Municipium Pontificenſe nomen accepit. *Attubi*, *Claritas Iulia*: *Aſtugi*, *Iulia firma*, *Tucci*, *Auguſta Gemella*: *Ilaturgi*, *forum Iulium*: *Hiſpalis*, *Romulenſis Colonia* eſt dicta. Multa ſunt eiuſmodi apud eum authorem, & in antiquis marmorib. & nummis nominum in vrbibus geminationes. In quibus omnibus negare non poſſis, prius nomen vernaculum eſſe & Hi-

Digitized by Google

ſpanū æqualiſq; cū vrbis primordio antiquitatis fuiſſe. Talis eſt *Corduba*, q̄ *Colonia Patricia* poſtea eſt cognominata: teſtemq; ſuæ vetuſtatis priſcum nomen habet, veluti naſcenti ſibi olim impoſitum. Illud deinde vrbis noſtrę vetuſtiſſimam poteſt antiquitatē aſtruere: quod cum *Turduli* populi omnium vetuſtiſſimi, & ſapientiſſimi in Bætica fuiſſe à Strabone tradantur, Cordubenſis vero ſitus feracitate & amœnitate tanto opere præcellat: Credi par eſt oppidum ibi non paucis retro ſæculis fuiſſe conditum, neq; neglectam ab eius regionis accolis præſtantiſſimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de *Corduba* origine nihil certi afferri in medium poteſt. ita etiam vetuſtiſſimam ipſam fuiſſe merito creditur.

QVIDAM à Perſis quos in Hiſpaniam etiam veniſſe Plinius ex Varrone tradit, conditam *Cordubam* fuiſſe aſſeuerant. Ipſum vrbis nomen eos, vt opinor, in eam ſententiam illexit. Nam *Cordubam* etiam in Perſide ciuitatem fuiſſe credidere. Sed enim leuis eſt coniectura, & quam nullo veritatis fundamento ſubnixam, facile nobis fuerit in hiſtoria noſtra, occaſione oblata conuellere.

APVD auctores nullam priorem *Cordubæ* mentionem inuenias, quam quæ apud Silium Italicum reperitur. In Catalogo namq; earum Hiſpaniæ ciuitatum, quæ Annibali in Italiam tranſeunti milites miſerunt, *Cordubam* connumerauit illo carmine:

Nec decus aurifera ceſſauit Corduba terra.

SED neque quo in loco condita primum *Corduba* fuerit, ſatis conſtare poteſt cū duo eiuſdem ſitus nunc appareant: alter quem vrbs ipſa occupat, alter quem quarto ab vrbe ad occaſum milliario clariſſimo D. Hyeronimi monaſterio vicinum cum veteris *Cordubæ* nomine deſolatum cernimus. Ego non leuibus coniecturis adducor vt credam, priſcā vrbē eodem quo nunc eſt iunior iſta, ſitu fuiſſe. Quod ipſum tunc oſtendemus, cum quæ neceſſario præmittenda ſunt fuerimus perſecuti.

SEQVENS igitur, poſt illam Silii Italici, *Cordubæ* mentio inſignis admodum eſt & illuſtris. Refert enim Strabo ab M. Marcello quaſi conditam, & paulo poſt magnificentiſſime auctam. Eius libro tertio hęc ſunt verba. *Corduba, Marcelli ædificium, eo magnitudinis creuit, vt nominis celebritate & potentia polleat.* Quæ verba homines doctos non paucos permouiſſe video, vt crederent hanc vrbis noſtræ primam eſſe originem, & eiuſdem Marcellum primum fuiſſe conditorem. Proinde neceſſarium fuerit totum hoc diligenter inueſtigare, & ſubtilius expendere. Quod ex Liuio atq; Appiano Alexandrino conſtat, Marcus Marcelli eius M. Marcelli qui docuit Hannibalem poſſe ſuperari, ſiue nepos, ſiue pronepos totam Hiſpaniam in prætura ſua obtinuit, eo ipſo anno, quo Q. Martius Philippus iterum, & Cn. Seruilius Cępio conſules fuerunt. Eſt autem is annus ante Ieſu Chriſti Domini noſtri natiuitatem centeſimus ſexageſimus ſeptimus. Totam autem Hiſpaniam is Marcellus hoc anno ſuſcepit gubernādam: quoniam ex duabus vna prouincia, duobus tantum antea annis fuerat effecta. Idem *Cordubam* & hoc ipſo anno haud dubie exædificauit. Cū enim manifeſtum ſit hoc tempore ædificatam fuiſſe: ſiquidem crebrior eius mentio, vt ſtatim apparebit, in hiſtoria Romana reperiatur, & Strabo *Marcelli opus* ipſam nominet, neque vllus alius Marcellus, neque ſuperioribus annis, neque multis ſequentibus in Hiſpaniā venerit cum magiſtratu: planum fit huic vrbis ſtructuram eſſe attribuendam. Et hoc proculdubio anno quidquid id operis fuit, Marcellus perfecit: nam quintodecimo poſtea, cum in tertio ſuo conſulatu in Hiſpaniam rediit, tunc enim diuiſa iterum denuo in duas prouincias Hiſpania, Citeriorem tantummodo rexit: magnis videlicet bellis implicitā & quę cōſulari duce atq; exercitu indigeret. Habuitq; illo ipſo anno vlterior Hiſpania, hoc eſt Bætrea, cū Luſitania ſeorſum prætorem M. Accilium, vt eſt apud Appianum.

SED quid illud tandem fuit quod Marcellus fecit, vt *Cordubam* aut cōdidiſſe, aut ędificaſſe dicatur? Dicam quod ſentio, q̄ manifeſta pene ratione adducor, vt credā. nouā vrbem in eo ſitu, qui nunc vetus dicitur, cōſtruxit, & à fundamentis totam erexit, cū oppidū antea eſſet non admodum magnum, transferre inde, & alio ſitu amplificare cogitauit. nouā forma, Romana vtique denuo vrbem condens, ab ſe vt eſſet, & dici poſſet ædificata, perfecit. Vrbē igitur, quæ nunc *vetus* dicitur *Corduba*, ædificauit. Docet hoc profecto eius vrbis forma: & tota, quam ruinę adhuc oſtendunt, ſtructura, Romanū plane opus, & Romanorū conſilio totum vndiq; fuiſſe fabrefactū declarat. Situs namq; totus quadrata forma eſt, ita vt filo protactus, & circumſignatus initio plane videatur. Duplo longior totus eſt quā latior ambitus. Ego enim probe funiculo dimēſus, cum pedes in fronte duo millia quadringētos inueniſſem ab latere quatuor millia octingētos ad amuſſim comperi. Cum pedes dico, tertiam vlnæ noſtratis, quā pannum, linteum, ſericumq; metimur partem intelligo: quod ipſum cum pedis Hiſpani antiqui menſura probe cōgruit. Hæc autē tam exquiſita diligētia

ſtruunt

ſitum quadrandi & conduplicandi, tota plane Romanorum fuit non noſtratium Hiſpanorum, qui vix dum hoc noſtro tempore politioris ædificationis formam didicere. Prominet præterea media vrbe, quadrata etiam forma planities, ſiue arcem illa habuit, ſiue forum, quam ſatis apparet ad perpendiculum fuiſſe productam. Tantundem enim ab vtraq; fronte diſtat, ſuperiori latere (nam accliui ſolo tota vrbs fuerat impoſita) aliquantiſper cũ muro coniungitur. Eam curam & ſubtilem formæ ſymmetriæque diligentiam quis non videt Romanorum eſſe, non priſcorum Hiſpanorum? Apparent inſuper quatuor magnarũ turriũ fundamenta, eiuſdem induſtriæ Romanæ & ſtudii in ædificando manifeſta teſtimonia: vt quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Eiuſdem Symmetriæ Romanæ ſimul eſt indicium, via quadrato lapide conſtrata, quæ ab inferiori vrbis latere, portæ, vt credi poteſt, coniuncta, in proximum colliculum ducit, vbi magni cuiuſpiam ædificii veſtigia perſeuerant: fanumq; inſigne inibi fuiſſe libet coniicere, cui nobile ſtramentum, & viæ maior cõmoditas deberetur. Locus enim ab vrbe diuulſus, & in plano modice admodum elatus vetat præſidium cogitare.

Hæc omnia hominis ſunt ſtudioſiſſime ædificantis, & veluti ocioſe ad fabricam conſidentis. Multum autem ocii Marcellum toto pene eo anno habuiſſe, Hiſpaniæ pax, de qua Liuius & Appianus, declarat. Longum vero ſit ſi commemorare pergam quanta ex ſitu eius vrbis monumenta Romana ſuperioribus, & noſtro etiam hoc ſæculo ſunt eruta: quæ plane teſtantur, Romanam eam vrbem fuiſſe, Marcellumq; perinde Romanũ hominem eius fuiſſe conditorem. Cum vero iam ex ſuperioribus ſatis conſtat, ante hanc Marcelli ædificationem priſcum oppidũ, quod *Corduba* diceretur, in iis locis fuiſſe: intelligere plane nõ poſſumus, num antiquum ſitum Marcellus ſuo opere complexus, an nouum exquiſierit. Niſi quod ſequentia quædam indicabunt, contempto veteri opido, ipſum in delectum ab ſe ſitum totum penitus tranſtuliſſe.

Ex ædificata ad hunc modum denuo vrbe magnificeq; amplificata: frequentiorem iam eius mentionem Romana habet hiſtoria. Creuerat nimirũ oppidũ antea non admodũ celebre, & Romana plane vrbs cœpit iam ab Romanis nobilitari. Eo iam paulo poſt prætores ad hibernandũ exercitum reuocabant, & ad ius petendum populi conueniebãt. Quę omnia ex Romanis & Gręcis ſcriptoribus collecta late nos in noſtra hiſtoria proſequimur. Hinc Metellus Pius deuicto Sertorio gregem poetarum indidem ciuium ſecum Romam reduxit. Quod ſi, vt de eiſdem Cicero dixit *pingue quiddam & peregrinum reſonabant*, temporum plane fuit vitium, non ingeniorum. Neque enim Roma cultiores poetas tunc temporis habuit. Hic etiam nobile illud continentiæ frugaliſſimæ exemplum Prætor Piſo, eodem Cicerone ferente ædidit. Quod vtiq; præſtiterit ipſiſmet ſummi oratoris verbis apponere. *Nihil*, inquit, *nimium vetus proferam. Sunt veſtrum, iudices, quam multi qui Lucium Piſonem cognouerunt, huius. L. Piſonis, qui prætor fuit, patrem. Is cum eſſet in Hiſpania Prætor, qua in prouincia occiſus eſt: neſcio quo pacto dum armis exercetur. annulus aureus, quẽ habebat, fractus eſt, & comminutus. Cum vellet ſibi annulum facere, aurificem iuſſit vocari in foro, ad ſellam, Cordubæ: & ei palam appendit aurum: hominem in foro ſellam, iubet ponere, & facere annulum omnibus præſentibus. Nimium fortaſſe dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendat ſi quis volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum*: Filius enim. L. Piſonis erat eius, *qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum eſt nunc de Verre me dicere, cum de Piſone Frugi dixerim: Veruntamen quantum interſit videte. Iſte cum aliquorum abacorum faceret vaſa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in iudicio audiret. Ille in auri ſemuncia totam Hiſpaniam ſcire voluit, vnde prætori annulus fieret. Nimirum vt hic nomen ſuum comprobauit, ſic ille cognomen.*

Svpervenervnt non multo poſt bellorum ciuilium inter Cæſarem & Pompeium tempora, in quibus caput prouinciæ Bæticę totius *Corduba*, ab Aulo Hirtio, ſiue is Opius eſt, appellatur. Et ad hanc *Cordubam*, ab Marcello ædificatam, de qua nobis ſermo nũc eſt, omnia illa geſta fuiſſe, multa ſunt quæ aperte declarent. Illud inprimis, quod pertranſito ponte prælium inter ipſum atq; vrbem non ſemel committitur. Sed non eſt hic locus de his pertractandi.

Pavlo poſt etiam Auguſti Cæſaris temporibus, quibus Strabo & vixit & ſcripſit, vere iam is auctor, potuit inſigni cum præconio affirmare, eo magnitudinis *Cordubam* creuiſſe, vt nominis potentia, & celebritate polleret. Colonia autem paulo ante fuerat effecta: nec cuiuſuis vulgaris Coloniæ dignitas eidem fuerit attributa, Sed quæ nomine & maieſtate præcelleret, atq;. Colonia Patricia, & eſſet reuera, & vocaretur. Qua de re idem auctor, de *Corduba* verba faciens, his verbis ſcripſit. *Eam ſane initio habitauere, & Romanorum & indigenarũ viri delecti: Nam prima hac iſtos ad locos à Romano populo eſt dimiſſa Colonia.* En tibi & primam in Hiſpania, ſaltem in Bætica Coloniam *Cordubam* fuiſſe, & cum magna

dignitatis præſtantia,& veluti prærogatiua fuiſſe. Vtrumque inſigne quiddam eſt, & ad Cordubenſem celebritatem & gloriam ſingulare. Neq; vacat tamen hic, quantum hoc ſit fuſius explicare. Illud vnum tantummodo non præteribo: tantam hanc dignitatem vt non niſi viri Patritii ex Romanis & Hiſpanis deligerētur, qui in eam Coloniam immigrarent,& clariſſimum vtriuſq; nobilitatis domicilium ipſam redderent: eo maxime merito *Corduba* fuiſſe conſequutam, quod fide & tolerantia ſingulari Iulii Cæſaris partes eo in bello ſemper fouerit,& ciues Romanos ſæpe protexerit, atq; ſeruarit. Id eius ciuitatis, ex quo primū Colonia facta eſt, nummi teſtantur, qui omnes cum COLONIA PATRICIA, in auerſa parte habeant inſcriptum, ciuica corona id ipſum præferunt incluſum. Ciuicam autem ſeruati ciuis & præmium & inſigne apud Romanos fuiſſe, quis ignorat? Vnde & ab Iulio Cæſare præmii cauſa *Corduba*, vt Colonia eſſet, tributum crediderim. Certe Seneca pater de bellis ciuilibus loquens, *Coloniam* iam *Cordubam* vocat: & in *Corduba Colonia* iam factæ nummis faciem & nomen Cæſaris Augusti cernimus. Et *Carteiam* quidem aliquanto vetuſtiorem in Bætica fuiſſe *Coloniam*, ex Liuio prorſus intelligo. Neque obſtare tamen hoc Strabonis dicto is plane intelliget, qui quo hominum ex genere, Parthenorum videlicet & Libertinorum deducta fuerit, animaduertit.

ILLI vero duo inſignes admodum lapides ex Augusti Cæſaris temporibus ad hæc noſtra vſque *Corduba* perdurant, qui ipſo eodem anno, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus eſt, fuere inſcripti. Habent enim hæc verba:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS COS. XIII. TRIB. POTEST. XXI.
PONTIF. MAX. A. BÆTE. ET IANO. AVGVST. AD OCEANVM LXIIII.

EST hic lapis in ſummo templo, alterq; perſimilis in D. Ioannis Herediæ domo viſitur. Amouent autem hæ columnæ omnem illam controuerſiam, quam D. Auguſtinus inter quoſdam Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptores narrat fuiſſe de anno dominicæ natiuitatis. Ignorantes Romani conſulatus ſeriem, vt idem inquit ſanctus doctor, hic diuerſa ſenſere. Sed de hoc non vno in loco hiſtoria noſtra pertractat. Ibi etiam quod hoc Iani templum Cordubenſe fuerit proſequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæſaris tempore erectæ eiſdē etiam omnino verbis meminerunt. Altera in ipſo fano maiori, in D. Franciſci altera conſpicitur. Illud vero in antiquitatis ſtudioſorum gratiam non prætermittam: in his omnib. columnis numeri primam notam hanc eſſe ⅃ quæ nimirum L geminatæ vim habeat, & bis quinquaginta, hoc eſt centum milliaria ſignet. neque enim pauciora milliaria ab Corduba ad Oceanum, qua magis eſt propinquus, quam centū quatuordecim reperies. Quod Francus Iuriſconſultus antiquitatis ſtudioſiſſimus primus, quod ſciam animaduertit.

HABVIT etiam Romanorum tempore ad Romanæ ciuitatis & aliarum magnificentiſſimarum ciuitatum imitationem *puteal Corduba*. Viſitur namque hodie quoque in Marchionis Commarenſis ædibus marmoreum puteal cum hac inſcriptione:

PVTEAL THADAI.

ARISTOTELES porro in politicis docet, non niſi magnas vrbes puteal, hoc eſt ſubterraneum carcerem ad putei ſimilitudinem excauatum habere ſolitas fuiſſe. Et *Libonis puteal* Romę ab Horatio celebratum nō vno loco legimus, tum etiā in argenteis nummis depictum & inſcriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inſcriptis lapidibus Romanis qui multis in locis vrbis viſuntur, nemo vnquam dubitauit, ex veteris ruinis fuiſſe huc diuerſis temporibus aduecta.

IN ea igitur *Marcelli* nati ſunt, *Seneca duo pater & filius*, *Lucanus*, *Portius Latro*, & alii inſignes Cordubenſes, quorum meminit Seneca pater. Illa eadem clariſſimum & fortiſſimū ciuem *Æmilium Regulum* dedit, qui & ipſe cum aliis, ipſum tanquam ducem inſequentibus in Caligulæ Imperatoris necem coniurauit. Et cum alios, inquit Ioſephus, priuata odia incitarent, hunc publica tantummodo mala permouebant.

QVANDIV vero vrbs illa vetus ab Marcello condita perdurauerit, quove tempore mutatione oppidi, in hanc, quæ nunc eſt, ſit traducta: & ſi maxime vellem, non poſſum tamen liquido explicare. Quod cōiecturis aſſequi poſſum, in mediū adducā. Tempore Tiberii, & Caligulæ imperatorū, vetus Marcelli ciuitas, non ſolum ſtabat, ſed inclyta admodū & celebris vigebat. Id nummi veteres indicant ibidem reperti, cum Germanici vultu & nomine quorum auerſa pars. COLONIA. PATRICIA. habet intra ciuicam inſcriptum. Neque multi ſimul eiuſmodi vnquam nummi ſunt reperti, vt reconditi fuiſſe videantur: ſed vnus atq; alter, vt caſu prolapſi, & amiſſi appareant. Sed neq; quiſquam tamen ſequentium imperatorum

peratorum nummos ſe ibi reperiſſe, vnquam dixit. Tanta præterea vrbis per illa tempora celebritas, repente vtique non potuit concidere cum in ſumma pace & tranquillitate nobis Romani imperarent. Non niſi maturo per multos annos conſilio, non niſi longi temporis ſpatio opus fuit, vt inde penitus fuerit immigrandum. Noua etiam vrbs fuit condenda & magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namque fuiſſe, & oppidi mutationem, res ipſa teſtatur, & paulo poſt ſumus oſtenſuri. Sexaginta igitur aut eo amplius poſt Caligulam annos eam vrbem ſtetiſſe, poſſumus credere, & ad Traianum vſq; perduraſſe.

DVCENTI deinde ferme anni ad Diocletiani vſq; tempora præteriere, in quibus Cordubæ nullam mentionem apud auctores inuenimus. Tantum illa baſis marmorea, de qua iam diximus, cum fragmentis etiam muliebris ſtatuę in domo Garſiæ Mendeſii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliæ Saloninæ vxoris Gallieni Imperatoris inſcriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium eſſe non poteſt, quin vrbs vetus iam periiſſet, & noua, quæ nunc eſt, percelebris haberetur. Teſtimonio ſunt ſanctorum Martyrum, qui eo tempore *Cordubæ* coronati ſunt ſemper, monumẽta, quæ ſuper ſunt. Ibi ſanctorum Aciſcli & Victoriæ domus in qua educati fuerint: vbi ſepulcrũ, quod ad portam fluminis fuiſſe in eorum paſſione ſcribitur: ibi puteus, in quem pars viſcerum S. Zoyli martyris fuerit proiecta, monſtrantur, atq; omnia & ſingula magna religione ab tota ciuitate coluntur. Ita fit vt nemo pius ferre iam poſſit, ſi quis paſſos in veteri vrbe hos ſanctos martyres crederet. Et de S. S. tribus martyribus Fauſto, Ianuario, & Martiale idem prorſus eſt ſtatuendum, & cũ Gotthos hanc nouam vrbem tenuiſſe conſtet: & Siſebuti regis temporibus Agapius Cordubenſis epiſcopus Sanctum Zoyli corpus ibidem, ipſo per ſomnium commonſtrato, repererit, quod ab Martyrii ſui tempore delituerat. Ibidem vtiq; fuerat excarnificatus, & occiſus, nam ab Ethnicis inter peregrinorum ſepulchra, cadauer eius occultatum legimus, ne à Chriſtianis dignoſceretur: & Agapio epiſcopo idem Martyr. (quemadmodum inuentionis habet hiſtoria) & locum vbi paſſus fuit, & vbi ſuum corpus occultatum iaceret, indicauit. Quæ omnia liquido poſſunt probare, hanc nouam vrbem Diocletiani & ſociorum imperatorum tempore, hoc eſt circa annos dominicæ natiuitatis trecentos, conditam iam veteri diruta fuiſſe. Ille itaque marmoreus lapis ad D. Nicolai, quod vocãt in vrbe, templũ effoſſus, ibidẽq; parieti inſertus, qui baſin Conſtãtii Cæſaris (vt eius indicat inſcriptio) ſtatuæ olim præbuit: in hac noua vrbe dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiã de Saloninæ ſtatua & baſi quiſpiam poſſit etiam exiſtimare.

CAVSA autem huius mutationis, & *Cordubæ* iterum renaſcentis occaſio vulgo inter ciues affertur aquæ penuria, qua vetus Marcelli vrbs laborabat, longius à flumine quatuor pene milliaribus remota. Ego vero nihil minus in cauſa fuiſſe video. Nam & intra vrbis eius ſitũ fontes nõ vno loco erũpunt: prope muros vero ad ortum fons eſt etiã bene magnus, cui ab lauerũ copia nomẽ eſt: & vicini huic fonti fratrũ D. Hieronymi horti ab fontiũ copia nomẽ inuenere: & amplior ille canalis, quo ipſum idem D. Hieronymi Cœnobiũ nunc fruitur, per vallem ipſam dorſumq; prominẽs circũductus, in vrbẽ influebat. Durat adhuc ad ipſum fontis caput, eius aquæ ductus portio, quadrato lapide cõſtructa. Reliquũ ipſa Cœnobii ſtructura lapidũ ſimilis indiga, conſumpſit. Quicunq; etiã putei inferioribus præſertim vrbis partibus, effoderentur, aquæ in omnẽ vſum cõmodiſſimæ copiã profecto ſubminiſtrarẽt. Quæ cũ ita ſint, loci inſalubritatẽ, atq; etiã ad inhabitãdũ incõmoditatem cauſas potiſſimas vrbis transferẽdæ fuiſſe credendũ eſt. Eũ enim ſitũ Marcellus delegerat, qui ponẽdæ vrbi eſſet multis modis importunus. A flumine primũ tã lõge remouit: cũ fluminis eo tẽpore nauigabilis cõmoda eſſent quã plurima. Munita neq; ſitu neq; opere vrbs eſſe potuit. Per eũ enim cliuũ eſt in planũ demiſſa, cui mõtiũ iuga ita ſuper immineãt, vt lapidibus rupibuſq; nõ admodũ magnis, quarũ eſt in ſublimi ingẽs copia tãtũ cõmotis, obrui mœnia poſſent, atq; proſterni. Sed loci inſalubritas imprimis eſt inſignis. Iidẽ præcelſi mõtes ſeptẽtrionale vrbis latus ita protegũt, vt aquilonarib. vẽtis, qui ſalubriores exiſtimantur, nullo modo poſſet afflari. Cumq; ab ortu ad occaſum in longũ ſit totus ſitus porrectus, ab ſeptentrione vero in Meridiẽ Latitudine per cliuũ in planũ excurrẽte protendatur: ad ſolis ardores, qui ſunt in ea regione feruẽtiſſimi, vrbs tota quãta erat, iacuit impoſita. Neq; inferiora ædificia tegere in cliuo ſuperiora poterãt, aut æſtus mutua cõiunctione impedire: cũ interim ſi quo algore Aquilones poſſent ſubuenire pręrupta montiũ culmina arcerẽt. Inde eſt ꝙ nunc etiã Scorpionũ multitudine totus is veteris vrbis ſitus abũdat: ipſa venenatorũ animantiũ fœcunditate loci peſtilẽtis vitiũ prodente. Quod ipſum maxime facit vt credam, priſcam illam Cordubã quæ ante Marcellũ fuerat, hoc ſitu quo nunc eſt, extitiſſe, ſalubritatiſq; memoria & experimento eum ipſum iterum nunc repetiſſe.

INSTAVRATA igitur,ſeu denuo condita noua vrbe, quadratam formam quantum poſſum coniicere, retinuit. Duo enim muri latera ad amuſſim producta cum antiqui operis, atq; adeo Romani veſtigiis perdurant. Ab arce ad ſolis quam dicunt, portam labente flumine auſtrale: inde ad eam portam, quæ anguli orientale. Duo alia latera Maurorum credo detrahentium, ſuperaddentium, & multis modis immutantium, ſubſtructiones cōfudere. Et prę terquam quod quadrata iſta forma, lapidesq; quadrati Romanam indicāt ſcripturam: ipſa quoque portarum in illo ad Orientem latere cum æque diſtante interuallo dimenſio tota prorſus Romana eſt. Quinq; enim portas cum adaperirent, in medio vnam (quæ ferrea dicebatur, ipſaq; diruta, loco nomen manet) conſtituerunt: hinc inde binas æqualibus interuallis ſuperaddentes. Perdurant hæ quatuor, ſolis & anguli, in ipſis angulis: reliquæ mediæ, quæ portulæ voce diminuta nuncupantur, altera ad Emporii vicū, altera ad Fontem ſiccum eſt poſita: & vtraq; ab ſuis locis nomen accepit. Nec dubitant noſtri Cordubenſes, quin ex veteri Marcelli vrbe tranſlata in nouam hanc fuerint publicorum & priuatorum ædificiorum omnia ornamenta. Hinc in vrbe ſtatuæ Romani operis non paucæ, inſcripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnę multaq; alia huiuſmodi, quæ paſſim viſuntur. Quamquam nonnulla huius nouæ vrbis propria fuiſſe, ſuperius probabamus.

HINC iam liquet quantopere vulgus noſtræ ciuitatis aberret, qui *Senecæ* domū eam fuiſſe affirmat, quæ nunc publici ſenatus ædibus ad Auſtrū coniuncta ex aduerſo pene diui Benedicti templum reſpicit. Emit eam olim vir clariſſimus. D. Petrus à Corduba Plieguenſis Marchio, ea fama commotus, & doctori *Antonio Morali* patri meo medico præſtantiſſimo dono dedit, dicens: Sapientiſſimi viri Cordubenſis domum, non niſi ab ſapientiſſimo Cordubenſi debere poſſideri. In his ædibus ego natus ſum: ſed *Senecæ* eas nunquam fuiſſe, quis iam non videt. Qua de re latius in Hiſtoria noſtra & Hiſpaniæ antiquitatibus diſſeruimus. Cum vero *Senecam* nomino patrem *Senecæ* Philoſophi ſemper intelligo. Hic enim Neronis præceptor Cordubę niſi puer admodum, nunquam fuit: infans pæne inde Romā à patre abductus.

SED enim ſilentio hic præterire non eſt æquum: quamuis *Senecæ* ipſius nulla mentiō perduret in antiquis *Cordubæ* monumentis, eius tamen familiæ cognomen in baſi peruetuſta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, iuuenis ingenio & litteris ornatiſſ. antiquitatiſq; ſtudioſiſſ. in patris ſui, fratris mei, doctoris Auguſtini Oliuæ, medici etiam præſtantiſſimi domum transferre curauit. Habet autem ſubſcriptum.

FABIÆ. GN. F. PRISCÆ. ASIDONENSI. FABIVS. SENECA. ET. .... ERIA. Q. F. PRISCA.

HABVIT etiam hæc noua vrbs ſuam Romanorum temporibus magnificentiam: cū præceptorem etiam Græcarum litterarum qui Grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinę probatiſſimæ inſigne) tueri poſſet, quiq; præterea illud habuit admodum ſingulare, quod ſupra centeſimum annum peruixit. Exſtat eius iaſpideus cippus in eiuſdem fratris mei doctoris Auguſtini Oliuę domo, cum his litteris.

D. M. S.

DOMITIVS. ISQVILINVS. MAGISTER. GRAMM. GRECVS. AN[illegible]ORI CI. H. S. EST. S. T. T. LEVIS.

HVIVS autem poſterioris temporis, & rudioris, eſſe hanc inſcriptionem, tum charāteres iam degenerantes, tum etiam verba ipſa & Orthographiæ neglectus docēt. Proinde nouæ vrbi hunc lapidem dedi.

HÆC igitur noua vrbs, inſignis etiam ipſa olim & celebris, ſed inde multo celebrior, quod clariſſimorū martyrum ſanguine diuino munere fuerat conſecrata: ab Romanis ad Vandalos, inde ad Gothos tandem peruenit: apud quos in magno pretio ſemper eſt habita. Bellum videlicet aduerſus Agilam regem potuit ſola ſuſcipere, & ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellanti aduerſum Leouigildum patrem diuo Ermenegildo principi tūc poſtea martyri inclyto ſeſe coniūxit, & fidei catholicę causā pio bello cōplexa eſt. Ioānes enim Biclarenſis abbas, qui eo tēpore vixit, ſcriptū in ſuo Chronico reliquit. ſanctū principē peracto bello Cordubæ ab patre fuiſſe cōprehēſum. Ad amicā nimirū & ſuarū partiū ciuitatem confugerat. Nummum etiam aureū eiuſdē principis habeo, & tanquam ſanctiſſimi martyris egregium monumētum veneror, quē in hoc ſacro bello conſtat eſſe percuſſum.

gratiſſi-

Gratiſſimum autem lectoribus me facturum ſpero, ſi ipſum hic deſcripſero. Altera parte faciem habet principis ipſius iuuenilem cum his litteris. ERMENEGILDI: altera alatam victoriam præfert, vt eius conſpectu ſuorum animis validam eius potiundæ ſpem Deo duce & adiutore immitteret. Inſcriptio autem quæ victoriam circumdat, cum ſit cæleſtis prorſus & admirabilis, tum etiam ſanctum principem in eo bello eadem pro militari teſſera vſum fuiſſe, eſt admodum veriſimile. Eſt enim hæc. REGEM DEVITA. Quam nemo vel leuiter in ſacris litteris verſatus non confeſtim videt, ex illis D. Pauli ad Titum verbis fuiſſe deſumtam. *Cap. 3.* Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita. Et omnia tam acute, prudenter & pie excogitata ſunt & adaptata, vt credi poſſit ab Leandro aut Iſidoro fratre viris ſanctiſſimis litteriſq; & ingenio præſtantibus Diui etiam Ermenegildi auunculis fuiſſe excogitata, & principi pie rebellanti ad ſymbolum & teſſeram tradita. Repertus vero fuit is nūmus prope *Cordubam* tertio milliario, in eo agro qui *Caſa Blanca* hoc eſt domus alba, nominatur. Et *Corduba* fuiſſe percuſſum poſſumus etiam exiſtimare. Officinam enim nummariam in ea vrbe fuiſſe tum ingens eius celebritas tum numeri illi Receceſuinthi regis, de quibus retro diximus oſtendunt. Nulla enim alia de cauſa *Cordubæ* nomen in illis ad eum modum potuit apponi, niſi quod ibidem fuiſſent conflati, atq; ſignati. Sed hæc omnia cum aliis noſtræ ciuitatis fortunis in noſtra de rebus Hiſpaniæ hiſtoria late proſequimur.

EXPVGNATIO REGNI GRANATÆ.

CAROLI VERARDI CÆSENATIS IN HISTORIAM BÆTICAM AD R. P. RAPHAELEM RIARIVM CARDINALEM.

Præfatio.

CVM felix ille, venerande preſul, & iam pridem ab vniuerſo Chriſtiano orbe, mille votis exoptatus nuntius Romam perueniſſet: quo cognitum eſt vrbem Granatā, cum omni eius regno, quod per octingētos fere annos, impio Mahumetis dominatu oppreſſum fuerat: iugo ſeruitutis excuſſo: in Chriſti libertatem erectū, nunc tandem in poteſtatem ac ditionem Ferdinandi & Eliſabethæ Chriſtianiſſimorum inuictiſſimorumq; Hiſpaniæ Regis ac Reginæ deueniſſet, memet continere non potui, quin arrepto calamo ſummam ſaltem huius rei literis mandarem, præſertim cum ob eam cauſam Pontifex ipſe Maximus, Senatus Apoſtolicus, Populuſq; Romanus tanta victoria exultās: quibuſcunq; poſſet modis, lætitiæ ſuæ ſigna monſtraret: Templis omnibus ſacra fierent: Supplicationes per dies complures ad cuncta puluinaria conſtituerentur: Gratiæ deo immortali ac diuo Iacobo Hiſpaniarum patrono ad aras omnes agerētur: Vrbe tota longiſſimus ſacerdotum ordo diuinis hymnis & gratulationibus perſonaret: Noctem lampades flammis vincerent: Interdiu ludi per omnia fere compita celebrarentur: Hic taurorum venationem, quos expediti iuuenes iaculis aut enſibus conficerent, populo ederet: Ille pugnam equitum leuis armaturæ qua potiſſimum Mauri vtuntur, exhiberet: Alius expugnationē vrbis Granatæ cū ſumma omniū referret voluptate. Tu vero omnium magnificētiā lōge ſupergreſſus: quo ſingularē animi tui lætitiā, quam ex hac Chriſtianæ religionis amplificatione cœperas, & ſimul amorem obſeruantiamq;, quibus inclytos illos principes proſequeris, oſtenderes: ſpecioſiſſimum currum, quo iidem de Baudeli Granatæ rege triumpharunt, tanto ſumptu & apparatu, tantaq; pompa & ſplendore induxiſſes, vt Senatus populuſq; Romanus veteres illos maiorum ſuorum triumphos iam pridem ſeculis noſtris incognitos, nunc demum ſpectare ſibi viderent, & ſimul in circo ingentibus propoſitis præmiis celeberrimos ludos, in quibus equites grauis armaturæ longis inter ſe haſtis cum ſumma populi voluptate concurrerent, pluribus diebus edidiſſes. Itaque ego tantorum veſtigia ſecutus, quo & ipſe pro virili parte interiora animi mei gaudia, quo pacto poſſem cunctis aperirem, & ſimul noſtrorum temporum feli-

citati quodammodo gratularer, vnius duntaxat diei quo videlicet Vrbs Granata Baudelis regis bello iam fracti fameque fatigati deditione recepta eſt, acta complexus ſum, hiſtoriamque interlocutoribus perſoniſque ita contexui, atque diſtinxi, vt totam rem ita vti geſta eſt, poſſet Populus Romanus non ſolum auribus percipere, verum etiam oculis intueri, cumque tuo ampliſſime Antiſtes: cui omnia debeo: nomini dicaui, tuoque acerrimo iudicio caſtigandam ſubieci. Tibi enim vtpote Regiæ illorum maieſtati deditiſſimo, & qui in primis hac noſtra tempeſtate ingeniis faues, & de eorum ſtudiis ac ſcriptis iudicare potes, id muneris potiſſimum debebatur. Eam igitur cum tu magnopere probaſſes, confeſtim temperario in tuis magnificentiſſimis ædibus excitato theatro, recenſeri agiq; curaſti: Tanto autem patrũ ac populi ſilentio & attentione excepta eſt, tãtusq; fauor ac plauſus ſubſecutus, vt iam dudum nihil æque gratũ ac iucundũ auribus oculisq; ſuis, oblatũ fuiſſe omnes faterentur. Quod ea potiſſimum cauſa contigiſſe crediderim: Quod res erat per ſe ipſa gratiſſima, & excellentis virtutis, qua Rex & Regina præditi ſunt, commemoratio, nobilibus & bene inſtitutis animis non iucundiſſima eſſe nõ poteſt. Eandem hiſtoriã, non tam meæ famæ (quæ perexigua eſſe poteſt) quam Regiæ gloriæ ſtudens, eodem te hortante, vna cum nõnullis carminibus, quæ Bartholinus Verardus nepos & alumnus meus, facili & copioſo adoleſcens ingenio, me authore luſit, vulgandam putaui, quo reliquis etiam populis Chriſtiani nominis, qui dum ageretur, intereſſe nequiuerunt, tam præclaræ victoriæ, tantæq; virtutis ſplendor illuceſceret. Poſſentq; hoc exemplo, admoniti reliqui Reges, ac principes noſtri, intelligere quanto glorioſius ſalutariusq; ſit, pro religione noſtra tuenda vel amplificanda aduerſus eius hoſtes arma ſumere, quam pro leuibus & caducis fortunæ muneribus (vt ſæpe ſolent) inter ſe digladiari. Vale Præſul optime humanitatis, ingenii, & modeſtiæ columen.

ARGVMENTVM.

Rebus ſuis Rex Maurus cum diffideret,
Suos amicos conſulit, variantibus
Sententiis quorum, incertus dimittitur.
Mox nuntii aduentu Turcarum principis
Spondentis, illum inuaſurum Trinacriam
Cum vere primo, confirmatur plurimum,
Diemque lætum hunc, ſtatuit in conuiuio
Luxu parato regio traducere.
Sed illud omne perturbauit gaudium,
Speculator Hiſpanorum Regum nuntians
Vrbem continuo decreuiſſe inuadere.
Poſt paulo Regis Numidarum literis
Permagna pollicentis ſibi auxilia
Erectus animo præfectum cum copiis,
Hoſtilem mittit qui contundat impetum.
Sed territus poſtremo vxoris ſomnio,
Exercitusque internetione cognita,
Bello fameque fractus, ac demum omnibus
Rebus iam deſperatis, ad clementiam
Confugit hoſtis, vrbem, ſeque tradidit.
Ferdinandus & coniux ſumma cum gloria,
Granata & omni illius regno potitur.

PROLOGVS.

Salutem primum Spectatores optumi
(Quorum frequentia, vultuque maxume
Lætor ſereno) vobis ſummam nuntio
Aures mihi dein ſi dabitis propitias,
Qua huc gratia prodierim, paucis eloquar.
Apporto non Plauti, aut Nænii comœdias,
Quas eſſe fictas ſcitis omnes fabulas.
At nouam nobis veramque fero hiſtoriam,
Per quam licebit noſſe, vt ſummi principes
Ferdinandus & coniunx, domuerunt Bæticam,
Regnique Granatam caput, & finitimis
Terrorem populis adiecere imperio,
Quod fabulis ſi in fictis, tantam capere
Soletis pleno voluptatem pectore.
Quid quæſo res vbi narratur veriſſima,
Coznitioneque digna, vos facere addecet?
Præſertim cum vlla hic tyrannorum ſcelera
Non ſitis audituri, aut faſtus regios,
Intolerandam vel bonis ſuperbiam,
Quæ ſæpe deſcribi ſolent tragœdiis.
Neque audientur lenonum hic periuria,
Seruorum techna, aut meretricum blanditia,
Auara non vſquam lena hic inducitur,
Milesue glorioſus, aut ſycophanta impudens,
Edaxue paraſitus, vel matrona impudens,
Paterue durus, aut amator cupidus,
Et reliqua, quæ in Graiis noſtriſque comicis
Spectata præbent voluptatem plurimam.
Verum pudica, honeſtaque hic ſunt omnia,
Summoque cuncta perfecta conſilio
Virtute ſemper duce, fortuna comite,
Fides, bonique mores, & probitas vigent,
Nullus ſuperbiæ, nullus auaritiæ eſt
Locus relictus, aut fœdis amoribus.
Vos itaque, virtutem qui facitis maxumi,
Fauere noſtræ decet huic hiſtoriæ,
Animumque ſummo aduertere cum ſilentio.
Requirat autem nullus hic comœdiæ
Leges vt obſeruentur, aut tragœdiæ,
Agenda nempe eſt hiſtoria, non fabula.
Adeſte iam æquis animis, & pernoſcite:
Maurorum Rex en qui foras egreditur.
Suis cum conſultoribus, ſibi quid velit.

EXPVGNATIO REGNI GRANATÆ, QVÆ CONTIGIT ANNO AB HINC QVADRAGESIMO SECVNDO A CAtholico Rege *Hiſpaniarum Ferdinando.*

BAVDELIS MAVRORVM REX, HALLATAR, SERRAIA, HABDISBAR, CONSVLTORES.

PROFECTO quanto magis magisq; cogito, tanto mihi res noſtra duriore in loco eſſe videtur, dabitq; nimirũ hic Rex Hiſpaniæ nobis magnum malum, cui quod remedium inueniam aut quid conſilii capiam, neſcio. Ita nobis omnia aduerſa, hoſtibus proſpera contigere. Quicquid tentauimus fruſtra fuit. Spes hactenus vanæ, conatus irriti fuere: fame, omniumque rerum inopia, premimur. Hoſtis adeſt, inſtat, nullam requiem feſſis præbet. In vna deditione ſpes omnis oſtenditur, quam tamen ita abominor, vt emori per virtutem ſatius putem, quã hoſtibus ludibrio eſſe. Proinde vos, quos ſemper ſupremos habui comites conſiliorum meorum: quique ætate ac longo rerum vſu plus ſapitis, mihi quid agendum ſit, conſulite. Nam ego quidem ita ſum animo perturbato, tot me excruciant curæ, vt quid mihi, regnoq; meo expediat, non ſatis diſpicere poſſim. Igitur tu Hallatar, qui dignitate præſtas, ediſſere nobis quid ſentias. HALL. Graue onus optume Rex meis humeris imponis, qui me iubeas imparatũ tanta de re ex tempore dicere, maluiſſemq; vt hi collegæ mei, priores ſententiã dixiſſent, quo plus ad cogitãdum ſpatii haberem, & ſimul eorum prudentia inſtructus, ad dicendum paratior accederem. Verum quando ita iubet, parebo, atque animi mei iudiciũ paucis aperiam. Non clam me eſt Inclyte Rex, quot damna, quot incommoda, quot clades (quorum non poſtrema pars fui) in hoc diuturno & calamitoſo bello, ab hoſtibus paſſi ſumus: verum non vſq; adeo vires imperii tui fractæ ſunt, ſpes opesque conciderunt, vt niſi deditionem feceris, ſalus deſperanda ſit. Nam per Deum immortalem: primum conſidera robur ac multitudinem militum tuorum, ſexaginta millia & eo amplius lectiſſimorum ac fortiſſimorum peditum, vrbe tuo firmo præſidio non exuta, in aciem educere potes. Circumſpice hunc ſplendorem equitum, quantus ſit in eis vigor, quanta rei militaris ſcientia, quam ad pugnandum prompti, & ad decipiendum hoſtem edocti ſint, meditare. Deinde cogita quanta ſubſidia ab Rege Numidiæ, Mauritaniæq; principibus, & ab ipſo Turcarum imperatore ſperare merito poſſis. An eſt veriſimile, hoc inclytum regnum, quod in vltimo Europæ angulo, tanta cum noſtra, atque adeo omnium Mahometis ſectatorum gloria, & ſumma contra, Chriſtianorum ignominia, annos circiter octingentos perſeuerauit, eos paſſuros nunc opprimi, peſſundari, atque deleri? At einm dices: cur tam diu ſubſidia, ſi illa miſſuri fuerant, diſtulerunt, & donec in extrema conſtituti eſſemus neceſſitate: Expectandũ putauerunt. Multæ poſſunt eſſe cauſæ, quæ illos ab hoc honeſto ac debito officio, quæ nos latent, retardarunt. Sed illa in aperto eſt: Quod exiſtimarunt nos noſtris opibus ac viribus, vt maiores noſtri fecerunt, ad reſiſtendum hoſti paratos ſatis eſſe, neq; fieri vnquam poſſe crediderũt, vt tot oppida, tot caſtella, tot vrbes arte ac natura munitas, pugnaciſſimo milite, inſtrumẽto bellico, omniq; rerũ copia inſtructas, tam cito amitteremus. Nunc vero cum res noſtras in anguſto ſitas eſſe, atque in id prope deductas diſcrimen animaduertetint, vt niſi celeriter ſuccurrerẽt, aut turpis deditio, aut dirũ huius vrbis excidium, cum maxima omnium noſtrum ſtrage ſit futurum. Veriſimile non eſt, Maures potiſſimum, qui in proximo ſunt, non totis viribus in auxilium noſtrum deſcenſuros, cum præſertim eos non lateat incẽdium noſtrum ad eos pertinere. In prouerbio eſt: Tua res agitur, paries cũ proximus ardet. Num enim ſperare poſſunt Regem ac Reginam Hiſpaniarum. quorũ hi ſunt ſpiritus, ea (ſi de hoſtibus verum fateri libet) magnitudo animi, vt vniuerſus orbis eorum cupiditati ſatis eſſe non poſſit. ſi tuo inclyto hoc regno per victoriam (quod dii omen auertant) potientur, quieturos eſſe, & non ſtatim omnib. imperii ſui viribusq; totaq; belli mole in Africam trãſmiſſuros? Quare tuam iſtam Rex animi magnitudinem atq; conſtantiã mirifice laudo, quod pręſtare exiſtimes per virtutem emori, quam deditionem facere. Nam

quid eſt aliud hoſtibus præſertim Chriſtianis, quibus cum tanto odio diſſidemus, ſe dedere, quam in miſeram, turpem, ac perpetuam ſeruitutem ſe ac liberos poſterosq; omnes ſuos tradere? Quod ſi nos amici forſan deſeruerint, auxilia ſperata defecerint, virtutique noſtræ fortuna inuiderit, nonne præſtabilius eſt virorum more pugnantes occumbere, & non incruentam hoſtibus victoriam relinquere, quam aut exutos libertate (quã nemo bonus niſi cum anima ſimul amiſit) in prædam & ludibriũ trahi, aut veluti pecudes ab hoſtibus trucidari? Saguntini in hac terra Hiſpania (ut in hiſtoriis memoriæ proditum eſſe accepi) quo Romanis quibus cũ fœdere & amicitia iuncti fuerant, fidem ſeruarent potius quam ſe Hannibali dederent, immani in foro excitato rogo, ſe ſuosque atq; inſuper opes omnes igni ferroque corruperunt. Ergo quod illi pro fide Romanis ſeruanda fecerunt. Nos pro aris, pro ſanctiſſimis focis, pro delubris atque templis, poſtremo ꝑ ea fide, quã deo noſtro & clariſſimo eius prophetę Mahometi debemus, ſi ita neceſſitas (q, minime reor) cogat, facere recuſabimus? Huc accedit quod nunquam eundem curſum ac tenorem fortuna ſeruat: Nunc hoſtibus fauet, forſitan poſt paulo tibi ac tuis arridebit. Quis ſcis an ita di fata ordinarint, ut Maurorum in Europa imperium, magno motu concuterent, potius quã euerterent admonerentque nos imbecillitatis humanæ, cuius nimia in ſecundis rebus obrepit obliuio? Igitur Rex (ut iam dicendi finem faciam) te hortor, ut bono fortiq; animo ſis, virtuti militum tuorum confidas, externa auxilia non deſperes, & poſtremo Deum noſtrum, cum propheta ſuo Mahomete, pro hoc imperio quod ſuum eſſe nouit, pro aris atque templis ſuis, ſi eum ſancte pieque coluerimus, ac nobis ipſi non defuerimus, pugnaturum, noſtræque virtuti ac pietati non defuturum eſſe confidas. BAV. Non inuito ad aures meas tua iſthæc peruenit oratio. Nam vt fortem uirum, & ętate integrum militẽ decet, bene ſperas, meq; vt idem faciam, multis rationib. exemplisq; adhortaris, & ſane, modo id fieri poſſit, magnopere huic faueo ſententię, ſed me multa perturbant, quę alias proferentur. Nunc libet ordine ſententias veſtras exquirere. Dic igitur Serraia, meq; ſi potes prudenti tuo cõſilio, ex tantis curis miſeriisque exime? SERRAIA. Difficile eſt id quidem optime Rex, & quod præter deum vix quenquam hominũ præſtare tibi poſſe arbitror. BAV. Cur quęſo? SERRAIA. Quia in tanta aduerſitate fortunæ, vix optari fas eſt, vt curis moleſtiisq; plurimis careas, etiamſi miſerias euaſeris. BAV. Recte ais: Neque id ego propterea dixeram, quod me curis moleſtiisque vacuũ eſſe poſſe ſperarẽ. Sed te vt hortarer cõſilio, quo polles plurimum, me iuuares. SERRAIA. Vtinam ea eſſet in me prudentia, quam mihi tribuis, quã ego mihi neque ſumo, neque arrogo. BAV. Pro modeſtia tua id facis: At ego quantum prudentia valeas, re ipſa expertus, intelligo, vtinamque tibi bene monenti hactenus obtemperaſſem. Nam meliore fortaſſe in loco, quam nunc ſunt, res noſtræ forent. Itaque aperi mihi ſenſum animi tui, neque expectes, vt te interpellem. Libentius enim vt Hallatarem modo audiam, perpetua oratione ſententiam tuam explicantem. SERRAIA. Poſtquam ita vis, parebitur tibi. Quam vellem Rex, vt rebus noſtris ita fortuna arrideret, vt merito poſſem Hallataris, quem ſedulo dixiſſe credo ſententiam confirmare, ac ſpem aut victoriæ, aut ſaltem defenſionis iniicere, nihil enim libentius feciſſem. Sed ſi res, quantum ego iudico, non ſinit, ſatius eſſe duco, vt tibi vtilia & vera conſulam, quam iucunda & magnifica dicendo: vana ſpe te interim lactem, ac gratiam ſtudeã aucupari tuam. Paulo poſt vero in eũ locũ res deducatur, vt ipſa ſi cupiat ſalus. te ac tuos ſeruare nõ poſſit. Quid eſt enim quod nobis ſpem vllam certã præbere videatur: ſiue hoſtium opes ac vires, ſiue ſi noſtras diligẽter penſitauerimus? Nonne omnia victoriam illis polliceri, nobis perniciem, & huic vrbi excidium: niſi nobis mature conſuluerimus, minitari videntur? Reminiſcere quæſo (licet moleſtum ſit) quotiens per hoſce decem annos, quibus dirum hoc bellum fruſtra propulſare conamur, exercitus tuus fuſus fugatusq; ſit, quotiẽs caſtra capta atq; direpta. Quot caſtella, quot oppida, quot vrbes, quæ adeo manu & natura munitæ fuerant, vt hoſtes, niſi à cœlo venirent, contemnere poſſe viderentur: partim vi & armis, partim terrore ſubactę in poteſtatem hoſtium deuenerint: Ad quod oppidum vnquam Hiſpaniæ Rex admouit exercitum, quod non cœperit? Quid concupiuit, quod non aſſecutus ſit? Quocunq; ſe cõtulit, virtutem eius fortuna comitata eſt. Quid nunc opus eſt, vt damna, clades & calamitates, quas interim paſſi ſumus, commemorem, cum eas, etiam ſi cupias obliuiſci non poſſis, & hoc nihil aliud foret, quam obductum pauliſper vulnus exulcerare. Hęc igitur omittamus conſideremus ſi placet hoſtis potẽtiam. Longum eſſet referre quot vrbes, quot prouincias, quot regna poſſideat. At non abundant iis rebus quę bello vſui ſunt: imo præter cæteras prouincias, iis refertæ ſunt maxime, vt enim omittam quod frumenti vini cæterarumq; rerum ad victum pertinentium Hiſpania feraciſſima eſt, & equorum multitudine ac pernicitate reliquas anteit prouincias. Sicilia quæ Ferdinando paret, frugum mater appellatur,

pellatur, equos mittit omnium bellicoſiſſimos, Calybes, ferrum tanta copia ſufficiunt, vt inde in cæteras orbis partes aſportetur. Auro vero, quo non minus quam ferro bellum adminiſtratur, hoſtes abundare quis dubitet? Cum Tagus & alia nonnulla eorum flumina arenis aureis fluere dicantur. Nam de militum numero quid attinet dicere? cum tanta ſe illi ſponte multitudo offerat, plures quotannis ſint domum dimittendi, quam ad bellum conuocandi. Quale vero & quantum ſit eorum robur, quæ in cōmittendo pręlio alacritas & audacia, in perſeuerando conſtantia, quantus in dimicando mortis contemptus, vt aut vincere aut mori parati ſint, ſępius quam è re noſtra eſſet experti didicimus. At dicet fortaſſe quiſpiam exercitus ipſe inuictus eſt, fateor. Sed duce & imperatore, qui illum norit regere, indiget. Vtinam ita eſſet, nam non foret neceſſe nos tunc tanta cum ſollicitudine, & animi anxietate his de rebus cōſultare. Sed habet (habet inquam) ducem, cui nulla earum rerum, quæ in perfecto & conſummato imperatore exiguntur deſit, imo adſint omnes cumulatiſſime. Inuita hoc in loco verſatur oratio mea, cogitur enim de acerrimi infeſtiſſimique hoſtis noſtri laudibus diſſerere, ſed tantas vires habet veritas, vt etiam ab inuitis hoſtibus verā confeſſionem extorqueat. Quæritur in ſummo imperatore rei militaris ſcientia. At Rex Hiſpaniæ in armis (vt ita dixerim) natus, ibi adoleſcentiam, ibi iuuentutem, ibi mediam ætatem exercuit. Nā pene puer bello, quod cum Barcinonenſibus & aliis populis deſciſcentibus à patre geſtum eſt. paternis auſpiciis militauit: in quo difficile dictu eſt (vt memorant) quantam indolem virtutis, quot ſigna fortitudinis, magnanimitatis ac futuræ probitatis oſtenderit. Eo vero adhuc prætextato, cum Luſitaniæ Rex magni vir animi ac virtutis, vniuerſam fere Hiſpaniam citra Iberum, infinito pene exercitu inundaſſet, ac fauentibus pluribus eius regni principibus & tetrarchis, iam Caſtellæ regno tanquam opimæ prædæ incubaret. Ferdinandus, hoſtis nunc noſter, tanta celeritate, tanta virtute, tanta deniq; felicitate illum ex Caſtellæ regno expulit, vniuerſam Hiſpaniam, quę ad ſe dotis iure ſpectabat, recepit ac pacauit, vt non homo, ſed numen aliquod de cœlo delapſum, tantum bellum, tam inteſtinum, tantis viribus omni ex parte ſubnixum, tam breui confeciſſe videretur. Nobiſcum vero cum decimum iam annum, & quidem ſemper victor pugnauerit, quod genus belli, quæ dimicatio, quæ diſciplina militaris, quæ calliditas, aut in comparandis hoſti inſidiis, aut deuitandis, & cætera id genus, ei ignota eſſe poſſunt: ac non aſſiduo vſu percepta & cognita? Virtutes imperatorias quæris? At quanta ſit Ferdinandi in ſubeundis periculis conſtantia, in rebus moliendis efficiendisq; velocitas, negotiis laboris patiētia, in agendo induſtria, in prouidendo conſiliū. Ad hæc quanta ſit eius animi magnitudo, mortis contemptio, veræ gloriæ laudisq; cupido, ſolertia, innocentia, rebusq; in omnibus temperantia. Et nos ipſi maxima ex parte ſumus experti, & tot victoriæ maxima eius virtute ſumma cum gloria partæ declarant. De autoritate in Rege præſertim, ſuperuacaneum eſt dicere, quem omnes ſocii ac populares colunt vt deum, noſtri metuunt vt peſtem. Iam vero felicitate quanta is eſſe putandus eſt, qui fortunam ipſam in omnibus bellis, in poteſtate habuiſſe videatur? qui omnia ſua conſilia ita gubernarit, proſpereq; perfecerit, vt ad extollendum exornandumq; ex hominibus eum virtus & fortuna cōtendiſſe credantur. Conſideremus porro aduerſum hæc omnia, quæ præſidia belli, quæ ſpes nobis ſit reliqua. Virtuti tuorum militum fidere non potes, cum omne robur exercitus, ſuperioribus bellis, & Malacenſi Baſtenſiq; potiſſimum cladibus amiſeris, vt enim quiſq; fortiſſimus & audaciſſimus fuit, ita primus in acie cecidit. Si non virtus, at multitudo fortaſſe militum tibi auget animos, ſexaginta millia peditum: & eo amplius, vt Hallatar noſter, dixit, in aciem educere potes. Sed hæc ſi ad exercitum hoſtium comparentur, quid ſunt, aut quid poſſunt? In quo etiam illud ineſt incommodum, quod quo maior eſt turba: eo citius, ſi non bello, at fame ac peſte, conficietur. Conferre vtriuſq; exercitus inter ſe duces, & odioſum ſane eſt. Sed ſi verum fateri volumus, licet Rex ſis conſilio prudens: in præliis audax ac manu promptus, non potes tamen cum Ferdinando iure comparari à quo ſępius, victus, & ſemel captus: quantum ille in bello valeret, tibique præſtaret: tu te ipſe ſenſiſti. Extrema vero auxilia tamdiu fruſtra expectauimus, vt ſtultum eſſe putem in eis ſpem vllam ponere. præſertim cum ita ferro, fame, incommodisque omnibus vrgeamur: vt bellum trahere, diutiusque ea expectare non detur. In præſentique nobis deliberandum ſit: vt aut omnes moriamur, aut deditionē faciamus. Et profecto licet vtrunque ſit durum, tamen ſi ex duobus malis minus eligendum eſt, deditionem potius faciendam ſuadeo. Ad quod potiſſimum te hortari debent: Regis ac Reginæ Hiſpaniarum tum ſingularis humanitas, manſuetudo, facilitas: Tū ſumma in promiſſis conſtantia & fides, & aduerſum eos, qui ſe ſponte dediderunt, inaudita clementia. Nam eos tam benigne tam indulgenter tractare dicuntur: vt non ſeruorum (quod iure belli poſſent) ſed amicorum & ſociorum quodāmodo

loco habere videant, eoſque ſuis legibus atq; inſtitutis ſuo ritu ac cerimoniis viuere patiātur. Vt igitur in pauca conferam: cum neque ipſi ad reſiſtendum hoſtis potentiæ ac virtuti pares ſimus, neque diutius obſidionem, ferro ac fame vrgentibus, tolerare poſſimus, neq; in externis auxiliis, iampridem fruſtra expectatis, ſpem habere debeamus. Contraq; liceat plurimum benignitati & clementiæ Regis ac Reginæ confidere, quamprimum deditionē faciendam eſſe cenſeo. BAV. Dic tu Abdisbar. ABDIS. Tam multa ſunt in vtranq; partem & ab Hallatare animoſe, & à Serraia dicta ſapienter: vt illis auditis magis ſim animi dubius, quam ſi in initio mihi ſententia dicenda fuiſſet. Itaq; cum ea res in conſultationem veniat, qua nulla maior excogitari queat, quippe in qua de fortunis omnibus, de liberis ac coniugibus noſtris, de vita, de libertate, de aris atq; templis agatur, ego amplius deliberandum cenſeo. BAV. Merito vos omnes laudo nam & ſi veſtris variis ſententiis, ſatis me incertum dimiſiſtis, tamen his hinc & hinc auditis, videor propemodum quid mihi, Regnoq; meo expediat? poſſe diſpicere. Quanquam autem in Serraiæ ſententiam, animus magis inclinare videtur: tamen quia à ſapientibus viris ſolitum dici audio, conſulendum cunctanter, agendum vero eſſe celeriter: Placet in alium diem, iuxta Abdisbaris conſilium, hanc conſultationem reiicere. Ite igitur vos intro, & ad ſuum quiſque munus redite, ac ſuper his etiam atque etiam cogitantes, parati eſtote: vt cum vos iterum cum aliis noſtri Regni proceribus, quibus cum placet hæc communicari, in concilium euocauero, nihil moræ ſit: quin pari conſenſu, recte ſapienterque mihi conſulere poſſitis. Tu vero Abdisbar, ne à latere meo diſceſſeris: nam eſt, quod te velim. ABDIS. Ego vero nuſquam abeo: & ad tua iuſſa præſto ſum.

SPECVLATOR RAGEL. BAVDELIS REX. ABDISBAR.

VBi nunc ego Regem quæram, aut quo primum intendam? Nam nunquam eodem in loco quieſcit diu: nunc vrbis mœnia luſtrat, defenſoresq; in propugnaculis diſponit, nunc in arce, quæ ad defenſionem oportuna ſunt, parat, modo hanc portam, quæ recta ad hoſtes tendit paulum egreditur, vt inde quid hoſtes moliantur proſpectet, vt primus audiat: quam vellem eum nunc obuiam dari, ne mihi in arcem tranſcurſo opus eſſet, & hoc amplius ad laſſitudinem adderetur. BAV. Abdisbar, quem video horſum tendere? eſt ne hic ſpeculator Ragel, an non eſt? ABDIS. Certe ipſus eſt. BAV. Non temere eſſe arbitror quod ſic feſtinat. Hei miſero mihi. ABDIS. Quid times? BAV. Quia per hæc tempora, ita ſum aſſuetus audire quæ nolo, vt ſemper cum nuntium quempiam conſpicor, mali quid animus præſagiat mihi. Heus Ragel. Quo properas? RAGEL. Hem. Quis me vocat? BAV. Reſpice ad me & ſcies. RAGEL. Oportune, ad te ibam. Salue Rex. BAV. Quid affers? læta ne, an triſtia? RAGEL. Non hercle certum ſcio qualia ſint. Illud dicam, quod vidi. BAV. Expedi. RAGEL. Iam. Verum ſine me, ſi libet, vel pauliſper reſpirare, nam præ curſu vix loqui poſſum. BAV. Mos geratur tibi: Eia eloquere iam. RAGEL. Eloquor. Cum eſſem in ſpecula, ad eamq; partem, quæ ad mare vergit, oculos coniicerem, proſpexi quoſdam nouo habitu, quem nunquam ante hac videram, horſum ad mœnia tendere, ſtatimq; cucurri, vt id tibi nuntiarem. BAV. Amici ne, an hoſtes eſſe viſi ſunt tibi. RAGEL. Neſcio: Illud ſcio, quod properantes veniebant. BAV. Hoſtes ſunt igitur. ABDIS. Qui ſcis an idcirco properent, ne Hiſpanorum, (qui omnia fere circum obſident) cuſtodias elapſi, iterum in eorū inſidias inciderent, ab iiſq; caperentur. BAVDELIS. Omnia timeo, & quid timeam neſcio. ABDISBAR. Deſine quæſo male ſuſpicari, & ad eas miſerias, quas res ipſa, & aduerſa hæc tempora ferunt, metum & ſollicitudinem (vt reor) vanam adiicere. BAVDELIS. Cedo Ragel: qualis fuit habitus iſte quem dicis. RAGEL. Cenſen' me potuiſſe ex ſpecula tam cito omnia conſiderare ac perpendere? Illud tibi affirmare poſſum, quod eorū habitus propior noſtro quam Hiſpanico viſus eſt. ABDIS. Rex ne dubita, nam niſi me animus fallit, amici ſunt. BAVDELIS. Ita deus faxit. Sed opportune adeſt Bomilcar alter ſpeculator. ABDIS. Hic te certiorem reddet.

BOMILCAR. ABDISBAR. BAVDELIS REX.

ECquis me vnquam fuit felicior nuntius? Nemo hercle quiſquam: Nam tātum boni regi apporto, quantum à dis vix audeat optare. Sed vbi eum quæram? quem percontet? ABDIS. Audin' tu illum? BAVDELIS. Audio, ſed quid dicat non ſatis intelligo. ABDIS. Lætus eſt. BAVDELIS. Ita videtur. Heus Bomilcar. BOMILCAR. Haud mirum eſt reuocari properan-

properantem de via. Quis me vult? Bav. Is qui tibi imperare poteſt. Bomilcar. Hem, ſaluus ſis Rex, te ipſum quærebam. Bavdelis. Quid eſt Bomilcar, quid affers? Bomil. Affero nuntium, cuius te maxime participẽ fieri velles, ſi ſcires quantum in eo ſit boni. Abdis. Dixin' tibi te fruſtra timere? Bav. Explica ergo quamprimum quid apportes, & metum, in quo nunc ſum, adime. Bomil. En adimo: Legati Turcarum imperatoris ad te cum muneribus veniunt. Bav. Qui id ſcis? Bomilcar. Quippe qui ex ipſis audiui. Nam, vt diligentis ſpeculatoris poſcebat officium, illis viſis, curaui vt ſcirem qui nam eſſent, & quid ferrent, quibus cognitis ad te quamprimum aduolaui. Bav. Diligentiam tuam laudo. O ſumme rerum opifex gratias tibi ago, quod ex tot vnus tandem lætus allatus eſt nuntius Abdisbar, propera illis obuiã, atque huc ad me quamprimum eos adduce. Nam vbi intus quæ opus ſunt facto, imperauero mox huc reuertar, vt legatos hic coram omnibus honorifice excipiam, quo populus qui iam diffidebat rebus ſuis ac noſtris, horum aduentu aliquantulum à malis reſpiret. Vos ad ſpeculas veſtras redite, atq; heus curate, vt ita diligenter obſeruetis, quæ apud hoſtes gerantur omnia, vt ne muſca quidem illic ſe commouere, poſſit, quin à nobis ſtatim certior fiam.

Legatvs Baiacit Imperatoris Tvrcarvm. Abdisbar. Bavdelis Rex Granatæ.

Dici non poteſt quanta me cœperit voluptas poſtquam Granatæ mœnia proſpexi. Tot enim pericula maris ac terræ in tam longa peregrinatione paſſus ſum, vt nunquam me huc incolumem peruenturum putarem. Abdi. Non mirum ſi gaudes. Quid eſt enim iucundius, quam extra pericula poſitum, præteritorum laborum recordari. Sed Rex egreditur. Leg. Salue optume Rex. Bav. Et vos ſaluete, Leg. Magnus Turcarum imperator cum his litteris ad te nos ire iuſſit, quas vbi legi mandaueris, quod veniamus explicabimus Bav. Lege has Abdisbar. Abdisbar. Cedo: Soltan Baiazit magnus Turcarum imperator Baudeli Granatæ Regi. S. P. D. Qui tibi has reddidit, familiaris noſter eſt magnæ apud nos autoritatis & gratiæ: ei mandauimus, vt nonnulla noſtris verbis tibi nuntiaret Quare fidẽ ei habeas, & quæ ex eo acceperis, putato ex me ipſo accepiſſe. Vale ex vrbe noſtra Conſtantinopoli decima Calend. Octobris. Leg. Optume Rex magno animi dolore nuper affectus eſt inclytus imperator Turcarum: quod accepit ex tam munito, & viris, armis, equisq; affluenti regno, nihil tibi reliquum eſſe præter hanc vnam vrbem imperii tui domicilium, & tot quondam Regum potentiſſimorum fortiſſimorumque parentem, quos ferunt vniuerſæ Europæ populisq; Chriſtiani nominis ſæpe terrori fuiſſe. Reliqua omnia oppida, caſtella, vrbes, prouinciasq;: partim belli impetu & terrore perculſas deditione facta: partim & maiore quidem ex parte, vi ferroque expugnatas ac direptas, in hoſtium tuorum, imo communium, ditionem iuſq; conceſſiſſe, metuendumq; eſſe, niſi tibi aliunde ſuccurratur, ne cum magna tua tuorumq; clade, & ſimul Mahometis ſectatorum ignominia, aut hoſti ſuccumbas, aut turpem deditionem facere cogaris. Cumque animaduerteret hoc incendium, niſi celeriter extinguatur, aut ſaltem ſubductis fomentis imminuatur, facile poſſe latius diffundi, & Affricam primo, deinde etiam Aſiam fortaſſe corripere: ſtatuit ad commune incendium extinguendum, communibus quoq; viribus occurrere, & pro virili parte, tibi regnoq; tuo, qua poſſet ope, non deeſſe. Itaque nos huc ad te legatos miſit, qui verbis eius polliceremur, primo quoq; tempore, quo tempeſtiuum eſſet ad nauigandum mare, cum ingenti claſſe Siciliam Sardiniamq; inuaſurum, & ita illic omnia igni ferroque vaſtaturum: vt Hiſpaniæ Rex, ſuorum clade perculſus, & in diuerſa diſtractus ab hoc affecto & prope iam confecto bello deſiſtere, ſuisque opem ferre, ac potius de propulſando quam de inferendo bello cogitare cogatur. Non minus autem libenter huc ad te ſubſidia imperator meus mitteret, niſi per tanta terrarum ac maris ſpatia abs te diuiſus, id ſibi difficilimum periculoſiſſimumque fore exiſtimaret. Quam ob rem optume Rex eius nomine te bono erectoque animo eſſe iubeo, hortorq; vt interim has belli difficultates ac pericula, longæque obſidionis moleſtias, patienter ſuſtineas, & quiduis potius in animum inducas quam deditionem facere. Id eſt enim Chriſtianorum ſuperbiæ ludibrio eſſe, & in turpem perpetuamque ſeruitutem te tuosque tradere: ſpereſque deos & homines auxilio tibi non defuturos, niſi per ignauiam, puſillanimitatemque (quod de tantæ virtutis viro nefas eſt ſuſpicari) prius tibi ipſe defueris. Munera autem hæc læto animo vultuque ſuſcipe, ea enim tibi de more Baiazit mittit, vt ſint fœderis & amicitiæ inter vos certiſſimum pignus, & monimentum, Bav. In tempore ipſo Legate cariſſime,

cum iſtis mandatis te inclytus imperator tuus, & ipſa (vt reor) fata miſerunt. Ita enim eram bello fractus, tot curis fatigatus, tot malis, tot aduerſis caſibus oppreſſus, ita ſpes omnes tā-quam vanæ ex animo exciderant, vt iam nihil fere aliud quam de faciēda deditione cogi-tarē. Nunc quando tam opportunum ſubſidium mihi Baiazit pollicetur, certum eſt omnia experiri, extrema quæq; pati, etiam ſi ad humanos cibos redigeremur (vt in ſimilibus, aut forte minoribus caſibus Hieroſolymitanos obſidēte Tito, ac pleroſq; alios populos feciſ-ſe tradunt) potius quam deditionem facere: præſertim cum plura imperatorem tuum quā polliceatur, re ipſa præſtiturum confidam, ea animi magnitudine, ea potencia, ea poſtremo fide illum eſſe omnes prædicant, ſtatimq; non committere, vt quando dii homines nos adiuuant (quod bene abs te dictum eſt) nobiſmet ipſi defuiſſe videamur. Gratiam autem quam pro tantis erga me meritis illi referam, in hac præſertim afflicta fortuna, nullam ha-beo: ſed ſperare debet illum quem pie colit communem deum, qui bene facta hominum audit ac videt, ac pro meritis vnicuiq; iuſta præmia tribuit: gratiam ſibi cumulatiſſimam relaturum. Ego vero ſi eius ope (quod ſpero) ſeruatus fuero, hoc imperium, hanc regiam di gnitatē, & poſtremo hanc animam ipſam, quam ſpiro, illi acceptam referam, memoriamq; tanti beneficii colam beniuolentia ſempiterna. Munera vero libenter accipio, eaq; non tā-tum vt amicitiæ ac fœderis noſtri, ſed fidei, quam mihi ſeruaturus eſt, firmiſſimum pignus perpetúumq; monimentum inuiolata cuſtodiam. Vos munera iſtæc intro auferte: ac dici-te architriclino vt cœnam mihi & his nobilibus hoſpitibus regio luxu paret, volo enim nos hunc diem lætum feſtumq; agere, & cum omni gaudio & alacritate celebrare. Tu vero le-gate cum tuis regiam ingredere, vt dum ego ſacrificiis interſum, ac deo noſtro pro tantis meritis gratias ago, pauliſper requieſcas, & poſtea ſimul mecū in cœna recreeris. LEGAT. Ego vero ac lubens, nam de via feſſus, quiete præſertim indigeo.

FERDINANDVS REX. ELISABETHA REGINA. PETRVS MENDOZA CARDINALIS.

QVis hoc non admiretur, tanta hos perfidos Mauros præditos eſſe pertinacia atque ve-cordia, vt cum vndique adeo circunſepti, vt vix quiſquam niſi per incertos tramites & loca feris, capris pene inuia, ad eos penetrare poſſit, cum armis noſtris obſiſtere? famem diutius tolerare nequeunt, tamen deditionem (quam ſe dudum oſtenderant eſſe facturos) procraſtinent, & animum noſtrum iam ad maiora tendentem, in hoc ſegni bello detineant occupatum? Nam ſi in aciem ſæpe prodirēt, minus ægre ferrē has obſidendi moleſtias. Sed poſt prima illa prælia, quibus noſtram militumq; noſtrorum vim ac virtutem ſenſerunt, ſemper ſe vallo ac mœnibus tutati ſunt, nec aperti certaminis copiam vllam fecere. REG. Sapiunt mea quidem ſententia, nam ſtultiſſimi forent, ſi virtute ac viribus inferiores cum ſuperiore contenderent. REX. Quid igitur faciemus? REG. Nempe vt cœpiſti. Cum opus eſt fortitudine, aliiſq; bellicis virtutibus, quibus polles plurimum, vt illis vtaris. Cum opus eſt patientia, ab qua nonnunquam (quæ tua eſt animi magnitudo atq; ferocia) videris ab-horrere, eam quoq; amplectaris, omnia enim tempus habent ſuum. Nūc meo iudicio, pa-tientiæ tempus eſt, vt videlicet poſtquam hyems grauis inſtat, neque manum conſerere audent hoſtes: neq; ſine manifeſto periculo ad vrbis mœnia tanta militum frequētia, tot ſcorpionibus, baliſtis, tormentisq; bellicis munita, licet exercitum admouere tuæ militum-que ſaluti conſulas, & ęquo animo has belli moras perferas. CAR. Sapienter more ſuo, Re-gina tibi conſulit inuictiſſime Rex. Nam capitis adire periculum, niſi neceſſitas vrgeat, nō probo. Et ſane quanto magis exuperas virtute, tanto æquius eſt reginam, atque adeo nos omnes, qui ex te pendemus, de tua ſalute eſſe ſolicitos, omneſq; caſus, qui homini accide-re poſſunt, maturius expendere, & nonnunquam fortunam nimium fauentem metuere. REX. Fateor ita eſſe vt dicitis, ſed tamen ſtrenuis ducibus vetus illud verbum in ore ſem-per eſſe conſueuit: Non ſine periculo fit magnum facinus ac memorabile. REG. Ad id pe-riculum vbi de vita agatur, te adire minime velim. Qui ſcis an breui, ſi pauliſper modo qui-eueris, veniam hoſtes oratum venient, ſeque cum id minus exiſtimes, vltro dedant? REX. Nimis ſero id facturos arbitror, niſi eos omnibus modis & artibus terruerimus, niſi eos nunquam paſſi fuerimus quieſcere, niſi poſtremo omnes nos aditus explorare, omnes ad expugnationem vrbis vias tentare perſenſerint. CARDI. Video te Rex inuadendæ vrbis cupiditate flagrare, quod magnoperè laudo. Nam id magnitudini animi debet adſcribi, ve-rum à Reginæ conſilio, quo te ad patientiā adhortatur, non ſine magna ratione diſceden-dum puto. Nam ſi tibi iucundum eſt, glorioſumque exiſtimas in præliis ſæpe verſari. con-

ſideres etiam oportet, non minorem fere gloriam conſecutum eſſe Fabium Maximum, quam Scipionem. Siquidem Hannibalem Scipio in acie vicit, eundem antea Fabius iuueniliter exultantem, patientia ſua domuit, & vt vinci poſſet effecit. Ille Africanus cognominatus eſt. Hic imperii ſcutum, & rei Romanæ reſtitutor à populo eſt vocatus. Imitatus es hactenus Scipionem fortiter dimicando, imitare nunc pauliſper Fabiū ſapienter cunctando. REX. Laudo conſilium veſtrum, & eo vtar ſuo loco & tempore, ſed mihi nunc aliud ſuadet occaſio, quæ prætermittenda non eſt. Nam & Scipionem, quem me dixiſti hactenus imitatum, & vere dixiſti, vtinamq; vt eius virtutem ſequor, ita aſſequi poſſem, ſed Scipionem ſolitum dicere accepimus, tunc eſſe cum hoſte confligendum, cum aut neceſſitas incidit, aut obuenit occaſio. REGINA. Dic obſecro mi vir, quæ eſt iſta occaſio, quam tibi in præſentia ſecus quam nos conſulimus, ſuadere dixiſti? REX. Dicam, neq; enim fas eſt quicquam vobis eſſe abſconſum ac reconditum, ſed animum aduertite. REG. Iſtic ſum. CAR. Et quidem ego præſto ſum. REX. Explorator Didacus modo nuntiauit defenſores paucos eſſe in mœnibus, eoſq; patientia noſtra, quia proximis diebus pauliſper quieſcere permiſſi ſunt, factos eſſe multo negligentiores ſolito. Idem ait ſe animaduertiſſe in poſteriore vrbis parte, locū quendam non ſatis munitum, muro illic vetuſtate collapſo, ſed virgultis, ſentibus & caprificis obtecto, eundemq; locum ab hoſtibus negligenter cuſtodiri, quod ſit à caſtris noſtris auerſus, neque ex ea parte fuerint hactenus ab exercitu noſtro vexati. REG. Quid igitur facere cogitas? REX. Si tacueris, citius audies. REG. Taceo, ac lubens, nam mulieri decus affert taciturnitas. REX. Hoc mihi ſedet in animo, quādo hæc ſe præbet occaſio, belli tentare fortunam lectiſſimos milites, ex ea parte vbi locum dixi minus eſſe munitum, in inſidiis collocabo, reliquum exercitum, ad hanc partem, quæ caſtris oppoſita eſt, ad mœnia admouebo, hi ſcilicet pugnabunt acriter, totumq; in ſe hoſtium impetū oculoſq; conuertent. Interim fortaſſe dabitur occaſio iis, qui in inſidiis erunt mœnia defenſoribus vacua capiendi, in vrbemq; irrumpendi. CAR. Profecto prudentiſſime iſtud conſilium tibi venit in mentem, idq; magnopere laudo, nam proſpere gerendæ rei facultatem omittere, extrema dementia eſt. REG. Placet hoc tibi conſilium? CAR. Quidni? cum ſit plenum prudentiæ. REG. Mihi quoq; ita videtur. Sed ſi pugnare ſtatuis mi vir. REX. Statuo quidem. REG. Obſecro ne ad mœnia propius accedas, vnde te baliſtæ aut tormenta impetere poſſint, nimis enim miſere ea timeo. REX. Ne timueris: Deus enim cuius cauſam agimus, nos tuebitur, pugnabitq; nobiſcum. Tu modo (vt ſolita es) ad ipſum ac diuum Iacobum, quem tam pie colis, preces fundito: cōfido enim pro ea religione ac pietate, quæ in te ſumma ſunt, tuis precibus victoriam nobis poſſe impetrari: quemadmodum (vt ſacra narrat hiſtoria) populus Iſraelita Moſe orante vincebat. REG. Vtinam quidem digna ſim quæ audiar, nam piæ preces non deerunt, ſed ſpero potius Deum (qui tuam ſibi deditam mentem intuetur) qua non ad tuam, ſed ad eius laudem & gloriam omnes actiones, conatus, cogitationeſq; tuas dirigis, virtutem tuam adiuturum. REX. Ita pro ſua immenſa bonitate, non pro noſtris meritis (quæ perexigua ſunt) faxit. Heus tubicen admoneto omnes duces, centuriones & milites noſtros, ad pugnam ineundam ſe parent: vt cum tempus præliandi mihi viſum fuerit, nulla ſit mora quin eos inſtructos in aciem educere valeam. Eamus iam hinc in caſtra, vt ego quoq; arma induam, & milites adhorter. REG. I præ, nos te ſequemur.

HAMETES EXPLORATOR. MANSIR CVSTOS.

NÆ ego infelix homo, ſum, qui nihil vnquam niſi moleſta ac triſtia regi meo nuntiem. MAN. Iuſſit me Rex hic in porta, quæ ad hoſtes ſpectat, dum ſacris intereſſet, ac cœnaret, aſſidere, & qui intrarent quiq; exirent, diligenter obſeruare, ac ſi quid ex hoſtium caſtris noui afferretur, renuntiare. HAM. Sed mihi ad Regem properato opus eſt. MAN. Quis eſt qui tam huc feſtinat, & ſecum neſcio quid fabulatur? HAM. Vt quamprimum Regem conueniam, & huius quicquid eſt participem faciam. MAN. Ibo obuiam homini, vt ſciam quid afferat, nam niſi me oculi fruſtrantur, explorator eſt Hametes. HAM. Niſi enim is ſtatim quoad poteſt, rebus ſuis ac noſtris conſuluerit, aut potius deus quiſpiam nos reſpexerit, actum eſt illicet perimus. MAN. O Hamete. HAM. Quis me vult. MAN. Manſir amicus tuus. HAM. Quid eſt quod me velis? MAN. Quid apportes ſcire velim. HAM. Regius ſum explorator, non tuus. MAN. Verum, ſed tamen licet ne mihi hoc ſaltem ſcire, lęta ne, an triſtia apportes? HAM. Iſtuc tibi vultus & color meus, me tacente, indicare poſſunt. MAN. Triſtia ergo ſunt, nam & ora pallor occupat, & triſtis ac perturbatus videris. HAM. Bene ariolaris.

BAVDELIS REX. HAMETES EXPLORATOR.

PRouiſo quid rerum geratur, an noſtri in officio ſint, & item an hoſtes noui quicquam (vt aſſolent) moliantur. HAM. Regem opportune video adibo propere. BAV. O Hamete. HAM. Salue Rex. BAV. Quid affers? HAM. Heu me miſerum. Non læta. BAV. Hem: Iſtuc haud mirum eſt, quippe qui per hoſce annos aliquot nunquam niſi talia nuntiaueris mihi. HAM. Vt res ſunt, ita nuntium eſſe oportet. BAV. Eloquere vno verbo quid id ſiet: Nam quandoq; magis cruciant expectata mala, quam præſentia. HAM. Regem Hiſpaniæ ex transfugis comperi, decreuiſſe exercitum omnem, cunctasq; belli machinas mœnibus admouere, & fortunam quæ hactenus ei ſemper arriſit, experiri ſuam. BAV. Væ miſero mihi. Nonne hoc monſtri ſimile eſt, me non potuiſſe vel diem vnum integrum lætum agere? Paulum gauiſus eram aduentu Legati imperatoris Turcarum, en ſtatim hic nuntius perturbauit omnia. Verum illud profecto verbum eſt, quod à ſapientibus dici audio: Riſus dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat. Sed quem horſum feſtinãtem video? Audalla curſor noſter eſt: aliquid credo apportabit eiuſmodi: Præſtolabor eum hic pauliſper, nam iam hic aderit, ita in curſu velox eſt. Interim cogitabo quæ mihi facto opus ſunt, vt hoſtium impetus, ſi vrbem oppugnatum venerint, propulſem. Nam quando tanta nobis ſubſidia promittuntur, non decet me fracto & conſternato animo eſſe, & committere, vt prius per ignauiam aut metum, hoſti ſuccumbamus, quam à Turcarũ imperatore ſuccurratur.

AVDVLLA CVRSOR. BAVDELIS REX.

VBi ego nunc regem quæram? qua potiſſimum inſiſtam via? BAVDELIS. Quam cito Audulla curriculum euaſit, numne hominis celeritas fefellit? AVD. Regem opportune video. Rex æternum viue. BAV. Quid eſt? AVD. Recte. BAVDELIS. Quid recte? AVD. Audies, Offendi modo Tabellarium Numidiæ regis, qui deceptis hoſtium excubiis magno cum periculo ſe euaſiſſe narrabat, aiebatq; cum regis ſui litteris ac mandatis quam lætiſſimis ad te properare, quo audito ego præcucurri, vt te quamprimum hoc afficerem gaudio. BAVDELIS. Vtinam tibi vera narrarit: Sæpe enim Tabellarii (vt vulgo dici ſolet) in ore mendacium, in tabellis veritatem ferunt. Sed quicquid ſit, eum ad me intro deduci curato. Nam militibus edicere volo, vt arma capiant, paratique ſint, vt ſi hoſtis ad mœnia propius acceſſerit, & impetere & propulſare poſſint.

AVDVLLA CVRSOR. TABELLARIVS NVMIDIÆ REGIS. PVER.

HOſpes quam cito me conſecutus es, non videris ſane laſſus de via. TABEL. Aſſuetus ſum huic labori. Nam à puero Africam Europamq; perferendis huc & illuc tabellis peragraui. AVD. Vere dictum eſt: Magni referre hoc vel illo modo ab ipſa adoleſcentia inſtitutum eſſe: Sed rex iam te expectat, ei enim aduentum tuum nunciaui. TABEL. Vbi is eſt? AVD. Intus. TABEL. Fac me ergo ad eum deduci. AVD. Ea in primis gratia hic reſtiti: I puer & recta hunc in Regiam ducito. Ibi rex eſt, nam ego hic amicum pauliſper volo operiri meum, mox ego quoque iſtuc conceſſero. PVER. Præſto ſum, tu me ſequere. TABEL. Propera, ſequor. AVD. Quam gaudeo me primum Regi aduentum huius Tabellarii nũtiaſſe: nam ſi vera mihi narrauit, aliquam apud Regem inibo gratiam, quod primus ei id gaudium obiecerim, & ſimul aliquo forſan munere (vt in talibus ſolet eſſe liberalis) me afficiet. Sed hic meus amicus ceſſat diu, ſi ad conſtitutum venire volebat, iamdudum eum hic adeſſe oportuerat. Nam quæ eſt hæc hominum impudentia? Non ſatis habent amicorum vti opera, niſi etiam eos longæ expectationis mora defatigent. Sed Rex foras exit, lætus eſt, quantum video, verus fui nuntius. Ego vero ad meum munus abeo, ne Rex me hic videat otioſum, nam compellandi eum non ſatis idoneum tempus videtur.

BAVDELIS REX.

GRatias tibi ago ſumme Iupiter, qui me ex alto miſeratus, tandem tot miſeriis ærumnisq; noſtris diuinam aliquam opem præſtiturum ſignificaſti. Tu enim (tu inquam) paulo ante Turcarũ imperatori eam mentem indidiſti, vt inſulas hoſtis noſtri ditioni ſubiectas,

lectas, proponeret inuadere. Tu idem nunc Numidiæ regis oculos hactenus caligantes aperuiſti, vt aliquando intelligeret, non poſſe hoc regnum cadere: quin ſecum magnam Africæ partem trahat, pariq; ruina inuoluat. Tu itaq; hoc ei in animũ induxiſti, vt q̃ per literas ſuas, quas modo hic tabellarius reddidit, mihi oſtendit in auxilium noſtrum, cum omnibus regni ſui viribus, terra mariq; deſcendere proximo Vere decreuit. Quare pater omnipotens ne tanto tuo fauori deeſſem: Almanſorem præfectum cum omni equitatu, & meliore copiarum parte iuſſi poſteriore vrbis porta exire exercitumq; hoſtium nihil minus opinantẽ à tergo inuadere. Spero enim te duce, illum facile caſum victoriæ inuenturum, aut ſaltem eatenus profecturum, vt hoſtis ſibi quoque cauendum eſſe cognoſcat, libentiusque nos quieſcere patiatur: interim promiſſa ſubſidia hic aderunt, & non ſolum propulſare bellum, ſed etiam inferre poterimus. Nunc huc prodii, vt præſto eſſem, ſi illis auxilio opus foret, nam reliqua omnis copiarum pars in armis eſt, ſignum a nobis expectans, aut ſi hoſtis exercitum ad muros admoueret, vt ad reſiſtendum parati eſſemus. Sed quid eſt hoc quod Regina ita exanimata ad nos egreditur? Non temere eſt, prodibo illi obuiam, vt quamprimum quicquid, id eſt, ſciam,

REGINA GRANATÆ. BAVDELIS REX. ANTYPHO SOMNIORVM CONIECTOR.

MIſera me, quam timeo quorſum euadant hæc viſa ſomniorum? Sed eccum Regem video. Salue vir. Salue noſtra ſpes. BAV. Et tu quoque ſalua ſis mea vxor, vnde tibi iſta trepidatio? REG. Non ab re eſt, quia videlicet ſum de tua exercitusq; ſalute ſollicita. BAVDELIS. Iſtuc pudicæ, & virum ſuum amantis matronæ eſt. Sed quid noui eſt, quod nũc magis ſolito ſis de nobis anxia. REG. Dicam tibi: Nam huc ea gratia ad te prodii. BAV. Dic quæſo quid eſt. REG. Accepi te mandaſſe Almanſori copiarum tuarum præfecto, vt hoſtes adoriretur, id nollem factum. BAV. Cur nolles? REG. Quia præter id quod diſplicet, te tuam populique ſalutem in tam manifeſtum diſcrimen conieciſſe, ſomnium, quod proxima nocte vidi, maiorem in modum me terret. BAV. An tu ſomniis credendum eſſe exiſtimas? REG. Quid ni? cum & ipſa in vtranq; partem multa ſomnia vera experta ſim, & à ſapientibus viris acceperim, ſolere deos per ſomnium futura nonnunquam mortalibus ſignificare? an non in tuorum ſapientum numero & ſomniorum coniectores habes? BAV. Habeo quidem, ſed raro eorum opera vtor, quanquam ipſi ſæpe mihi perſuadere conantur, ne ſomniorum monitus negligam, enumerantes Almicaris, Hannibalis, matris Phalaridis, Sophoclis, Socratis, & aliorum plurimorum tam philoſophorum quam ducum ſomnia, quæ non magis ſomnia quam oracula certiſſima fuiſſe contendunt. REG. Cum igitur ſomniorum veritatem tot exemplis confirment, & pluribus rationibus aſſerere, vt credo, poſſint, cur fidem illis abnegas? BAV. Non abnego omnino, ſed non facile adducor, vt illis credam. Sed cedo iſtuc tuum ſomnium. REG. Viſa eram ſecundum quietem videre ingenti ſuborta tempeſtate fulmen è cœlo magno cum fragore lapſum, templum quod Meſchit dicimus, magno motu concutere, Mahometis & aliorum prophetarum noſtrorum monimenta ad terram dare. Indeq; ſtatim in Africam tranſgreſſum, magnam eius prouinciæ partem depopularier. Quo ſomnio exterrita, è ſopore confeſtim corpus proripui, fuitq; in animo id tibi extemplo nũtiare, obteſtariq;, nequid magnæ rei hodie aggredereris: Neſcio quid enim animus mihi præſagibat mali, ni verita eſſem, ne me nimiam (vt ais) fidem ſomniis adhibentem tuo more deluderes. Nunc cum accepiſſem te miſiſſe præfectum cum exercitu, qui cum hoſte confligeret, diutius mihi reticendum non putaui. BAV. Prudenter feciſti, nam & ſi ego non ſoleo magnopere huiuſmodi rebus moueri, tamen nihil omitterre quod vſui aliquando eſſe, & ad capiendum conſilium pertinere poſſit, prudentis eſſe exiſtimo, præſertim cum ſomnium iſtud tuum tale ſit, vt videatur negligi non debere. Aduocemus igitur Antyphonem, qui nobis hoc ſomnium coniectet: Nam is præter cæteros in hoc genere pollere exiſtimatur. ANTY. Eccum me, quid Rex iubes? BAV. Tun' hic eras? ANTY. Eram quidem. BAV. Quid igitur hactenus reticuiſti? ANTY. Quia non decet ſeruum, domini ſe colloquio impudenter ingerere, & ſimul quia Reginæ ſomnium me magnopere perturbauit. BAV. An tu id audiſti? ANTYPHO. Quid ni, qui inter hos comites tuos vna ſemper affuerim. BAV. Quid ſentis, aut quæ te res adeo, vt ais perturbauit? ANTY. Non vna ſed plurimæ. Cæterum velim Rex vt alios quoque coniectores, ac Mathematicos tuos conuoces, qui mecum vna hoc ſomnium interpretentur: Nam plurimorũ iudiciũ certius eſt, & dici ſolet, illic eſſe ſalutem, vbi fuerint multa conſilia. BAV. Nihil opus eſt aliis. Nam plus vni tibi in hac arte tribuo, quam reliquis omnibus. Ediſſere igitur mihi vno

verbo, ſi potes, quid ſibi velit hoc ſomnium. ANTY. Dicam, licet inuitus. BAV. Eloquere ſubito. Nam me iſtæc tua plus torquet mora. ANTY. Finem Regni tui iam affore, hoc ſomnio ſignificatur. BAVDELIS. Hem. Vnde coniecturã facis? ANTYPHO. Dicã: Tempeſtas quam ſe vidiſſe in ſomnis Regina commemorat bellum eſt, quo Regnum tuum, tanquam agri tempeſtate vaſtatum eſt. Fulmen, Hiſpaniæ Rex eſt qui nimirum à cœlo miſſus dici poteſt: Nam vt vides, illi cœlum & ſydera omnia fauent. Concuſſione templi & monimentorum in terram caſu, portendi autumo, hanc vrbem breui in hoſtium poteſtatem venturam, & in ea non amplius Mahometis legem, ſed Chriſti ſeruatam iri. Poſtremo tranſgreſſio eiuſdem fulminis in Africam, & illa depopulatio, manifeſto ſignificant, hac vrbe capta, bellum in Africam traiecturum, Hiſpaniæq; Regem, ea prouincia impetu belli perculſa atque proſtrata, maiore ex parte potiturum. BAVDELIS. Heu me miſerum, quã metuo, ne eueniant iſta quæ vaticinaris. Ita enim apte ſomnium illud interpretatus es, vt nõ ſomnium, ſed oraculum aut hiſtoriã mihi viderer audire. Quid igitur faciam Antypho? ANTYPHO. Quid facias, niſi vt iram dei, qui tibi nunc infenſus eſt, ſi poſſis, placare ſtudeas, ac tibi Regnoq; tuo, dum licet conſulas. BAVDELIS. Recte mones. Sed placandorum deorum munus ad te potiſſimum pertinet mea vxor, quæ cum religione ac pietate præſtes, facilius nobis numina irata reconciliare poteris. REGINA. Nihil faciã libentius: non quod pietate ſuperiorem me exiſtimem, ſed vt quemadmodum meo ſomnio mala fata tibi cognita ſunt, ita meis precibus, ſi fieri poſſit, eadem auertantur. BAVDELIS. Ita deus faxit, abi ſupplicatum. REGINA. Abeo, vos me ſequimini.

BAVDELIS REX. ANTYPHO. MESSI CVRSOR.

NVnc vana ſpes eſt in exercitu noſtro qui ſi bene rem geſſerit, non erit tam cito fortaſſis omnino deſperandum. Si male, actum eſt illicet. Ita ne cenſes Antypho? ANT. Quid ſentirem iam tibi explicui. Ita profecto ſomnio dei voluntatem mihi perſpicere viſus ſum, vt vix fieri poſſe putem, amplius vt læti quicquam aut proſperi nuntietur. BAV. Tace. Iam ſciemus, num quæ in exercitu ſpes reliqua ſiet. Meſſi curſorem ex noſtris, qui cum præfecto exierat, huc properantem video: præſtolari volo, vt primus ſciam quid boni aut mali afferat. Væ miſero mihi, vt animus inter ſpẽ & metũ dubius trepidat: feſtina Meſſi, vt mihi nunc piger videtur. ANT. Non mirum. Nã cupido animo celeritas ipſa tarda eſt. Sed quid properas ſcire, quæ fortaſſe poſt velles neſciſſe. BAV. Quoniam hoc more humani ingenii euenit, vt nimis miſeri mortales miſerias ſuas ſcire properẽt. Meſſi, Satin' ſaluæ? MES. Vtinam. BAV. Quid mali eſt? dic ſtatim mihi. MES. Exercitus. BAV. Quid exercitus? MES. Tuus. BAV. Iam teneo, fuſus eſt? MES. Imo ad internecionem cæſus. BAV. Heu me miſerum, perii, interii, nullus ſum. ANTYPHO. Ne te crucia obſecro Rex. BAV. Occidit, occidit ſpes omnis, & fortuna noſtri nominis, exercitu amiſſo. ANT. Quin ſatius eſt, vt dum tempus eſt, priuſquam hoſtis vſus victoria, mœnia inuadat, ſeniores & proceres tuos in concilium huc euocari iubeas, ac de eorum conſilio, tibi regnoq; tuo, quoad fieri poſſit conſulas. BAV. Bene mones, præſertim cum ego præ dolore vix ſim apud me. Tu temet igitur cura, vt Serraia cum reliquis, quos ſolitus ſum in rebus grauioribus conſulere, ſubito huc adſint. ANTYPHO. Curabitur. BAV. At celeriter. ANTYPHO. Iam faxo hic aderunt.

BAVDELIS REX. MESSI CVRSOR.

INterim volo ex curſore rem certius cognoſcerę. Dic mihi Meſſi, ſi exercitus noſter funditus deletus eſt, quonam modo tu incolumis euaſiſti? MES. Dicam tibi, prælium in conualle iſtac ſiniſtrorſum commiſſum eſt, me præfectus in ædito àc tuto monte, vnde ſpectari poſſent omnia, locarat, quo tibi victoriæ aut fugæ nuntius eſſem, cuncta itaq; vidi, & ad te propere cucurri. BAV. Cedo: Ipſe præfectus quid? MESSI. Occidit vna cum cæteris. Strenuiſſimus enim quiſq; in pugna cecidit, pauci admodum viui licet grauiter ſaucii, in poteſtatem hoſtium redacti. BAVDELIS. Quid, Rex ipſe in prælio interfuit? MESSI. Non interfuit ſolum, ſed præfuit, vidi ego illum noſtrorum ſanguine madentem, per totum agmen manibus, oculis, clamore volitare, & ſtrenui militis, & optimi ſimul imperatoris officia exequi. BAVDELIS. Male eſt, mihi, reuertere ad tuam ſpeculam, vt obſerues, quid hoſtes parta victoria moliantur. MESSI. Fiat.

BAVDE-

BAVDELIS REX.

O Fortuna, quæ ſoles eſſe tam inconſtans & varia, vt in meam meorumque cladem ac perniciem conſtans & certa es? Decimus agitur annus, ex quo nullum fere diem læ-tum exegi. Omnia ſemper aduerſa fuere. Raro quicquam niſi turbulentum, triſte, ac mo-leſtum aut audiui, aut vidi. Res dura, ſpes multo fuit aſperior: hodie paululum gauiſus e-ram aduentu legatorum, heu miſero mihi, quam cito ad luctum & lacrymas ea gaudia re-ciderunt. Sed eccum Antyphonem, cum Sarraia & reliquis ſenioribus adeſſe video.

ANTYPHO. SERRAIA. BAVDELIS REX. HALI CONSVLTOR.

ITa ne cenſetis? SERRAIA. Prorſus ita, Nam nulla alia ſalutis via oſtenditur. BAV-DELIS. Heus Antypho diligens fuiſti in mandatis noſtris obeundis. ANTYPHO. Meo functus ſum officio. Sed non fuit opus me in his conuocandis magnopere laborare. Nam audita clade exercitus quam incertis rumoribus neſcio quo modo acceperant, ſponte cō-uenerant omnes. Iamq; huc ad te ibant, te vt orarent, tandem aliquando tuæ communiq; omnium ſaluti proſpiceres. BAVDELIS. Audierunt ne quæ geſta ſunt omnia? ANT. Plura quam vellent. BAVDELIS. Vidiſtis ne vnquam hominem infeliciorem, quā ego ſum? SER. Me, atq; adeo hos omnes collegas meos, quippe qui tuam ac noſtram vicem doleamus. BAVDELIS. Non ita eſt. Nā quo meus ſtatus eſt ſublimior, eo caſus eſt altior, & ruina graui-or. SER. Verum eſt, ſed tu ſtare potes nobis cadentibus, nos te cadente, ſalui eſſe non poſſumus. BAV. Miſſa hæc faciamus, quid tandem in tanta aduerſitate fortunæ mihi con-ſulitis? SER. Dicant ipſi, quibus cum, vt iuſſiſti, communicaui omnia. Nam quid ego ſen-tirem, in initio cum nondum eſſet ſubſecuta clades exercitus, tibi explicui. BAV. Dic Ha-li quid tibi videtur? HALI. Mene? BAV. Te ergo, quem vt ætate, ita prudentia cæteros an-te ire par eſt. HALI. De prudentia alii iudicent, ſtudium certe & fidem erga te meam, ſum-mamq; in conſulendo libertatem tute noſti. BAV. Nil deeſt tibi quod ad fidum amicum, & ſummum virum pertineat. Sed dic quid conſilii mihi capiundum ſit, HALI. Quando ita iubes, dicam id quod mecum vna omnes iſti ſentiunt. Nam iamdudū inter nos hanc rem tractamus, & ſuper ea diſceptamus, BAV. Hem iſtuc volo, & ſi potes, vno verbo ex-pedi. HA. Iam omnes quamprimum deditionem tibi faciendam eſſe cenſemus. BAV. Hem. HALI. Quid dubitas? cum id non modo neceſſarium, verum etiam vtile ſit. BAV-DE. Quomodo? HALI. Primum vides amiſſo exercitu & omni flore iuuentutis, nullam tibi amplius in armis ſpem fore, metuendumq; eſſe ne hoſtis, tanta victoria elatus mœnia inuadat. Quod ſi fit, perimus omnes illicet. Vt enim vrbe expugnata (quod tantæ poten-tiæ ac virtutis viro erit perfacile) aut mortem crudeliter oppetemus, aut in prædam miſe-randamq; ſeruitutem, vna cum coniugibus & liberis trahemur. Deinde, vt hoſtis quieſcat quod (mihi crede) haud faciet, non intelligis hunc populū, tanta ſenum, puerorum, ac mu-lierum turba ſuperſtite, cum iam omniū nos alimentorum genera defecerint, famem diu-tius tolerare non poſſe? Nam in externis auxiliis ſpem ponere, ea vero ſumma foret demen-tia. Vt enim omittā, quod ea iampridē fruſtra expectamus, illud dico, ſi vniuerſa Aſia & Africa in auxiliū noſtrum cōſurgeret, vix fieri poſſe, vt hanc vrbem ex faucibus imminen-tis hoſtis, iam, iamq; abſorbentis eriperet. BAV. Quæ nos vis belli vrgeat, & famis neceſſi-tas ſat ſcio. Sed ego mortē ſeruituti anteponendam puto. Nam quid eſt aliud ſe dedere, quā in ſeruitutem ſe hoſti addicere. HALI. Non ita eſt Rex. Magni enim referre arbitror cui te dedas. Primum Ferdinando & Eliſabethæ Hiſpaniarum principibus ſubeſſe, non ſer-uitus ſed libertas appellanda eſt. Sunt enim (vt noſtri quoq; fatentur, & conſtans fama præ-dicat) tantæ humanitatis, manſuetudinis, atque clementiæ: tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum tenent, adeo denique ſunt omnibus animi & corporis dotibus ornati, vt beatius pene videatur, illis ſeruire, quam aliis imperare. Deinde ſi te ſpon-te dediderís, non vt ſeruum, ſed vt clientem, & amicum in ſuam fidem, qua ſunt beni-gnitate (mihi crede) recipient. Rondenſes, Loſcani, & pleriq; alii, qui ſe ſponte dedi-dere, quibus nihil pene ademptum eſt, præter iniuriæ licentiam, quique pari quodam-modo iure cum Hiſpanis viuunt, Regiæ humanitatis & clementiæ locupletiſſimi teſtes ſunt. At Malacenſes (vt alios ſileam) qui obſtinatis animis belli impetum experiri volue-runt, patria capta & direpta, in catenis per omnem Europam tracti, ſuo ludibrio omnes gentes impleuerūt. Poſtremo ſi tibi conſilium caperes, forſan tuam iſtam animi magnitu-dinem non improbarem, qua dicere ſoles, præſtare virorum more, pugnantes occumbere

quam vlli hominum ſubeſſe. Nunc cum ſimul etiam deliberandum tibi ſit, de coniugibus & liberis, atque omni populo ditioni tuæ ſubdito, ſi tibi minus parcis, at illis parcas, & tua pertinacia non cōmittas, vt ea illis eueniant, quæ vrbe capta victis accidere ſolent, quæ quidem talia ſunt, vt ea fugiat ac reformidet oratio. Quare cum neceſſitas te, vt fateris, vrgeat, vtile ſit, & non indecorum tam modeſtis, tam mitibus, tam omni virtutum genere præſtantibus principibus colla ſubmittere: nihil cunctandum, quin ſtatim deditionem facias, cenſeo. BAV. Ita vobis videtur. HALI. Non ſolum videtur, ſed id vt facias, etiam atq; etiam obſecramus. BAV. Fiat. Nam malo vobiſcum errare, quam mea prudentia fretus, recte ſentire. Eamus igitur intro, vt oratores eligam, & ea, quæ ad deditionem faciendam pertinent, parem.

GVTTERIVS PRÆCEPTOR MAIOR EQVITVM IACOBENSIVM.
FERDINANDVS REX. PETRVS CARDINALIS.

EST vt dixit Rex: Non enim ſatis eſt bono imperatori vincere, niſi etiā victoria vti ſciat. REX. Et propterea quando hæc victoria nobis cœlitus data eſt, decreui, vt ſoleo, ſucceſſus meos vrgere, numinumque fauori inſtare. Atque ea gratia huc prodii, vt hinc procul conſiderarem, in quam potiſſimum murorum partem machinas dirigam, qua vineæ agendæ, vbi ſcalæ admouendæ ſint, vbi equitatus, vbi peditatus diſponendi, vbi inſidiæ collocandæ. GVT. Sed quis vnquam putaſſet Mauros iſtos auſuros eſſe exercitum tuum vltro laceſſere, cum plures iam menſes præ timore portas vrbis egredi formidarint? REX. At ſuæ ſtultitiæ ac temeritatis debitas pœnas dederunt. Verum hoc nihil eſt. Cras faxo vt noſtram ac militum vim melius ſentiant. Certum eſt enim vrbem cras primo mane, omnibus viribus totaq; belli mole adoriri, indeq; non niſi ea expugnata & ſolo æquata diſcedere. GVT. Facile id fuerit, ſi tua virtute ac militum robore vti volueris. REX. Ita ſpero. Sed ego hactenus hanc expugnationem diſtuli, quod oſtendebant hoſtes, quotidie fere deditionē ſeſe facturos. Ego autem militum ſaluti, (quos filiorum loco diligo) proſpiciens, libentius longæ obſidionis tædia ſufferebam, quam eos in diſcrimen adducerem. CAR. Rex viden' tu illos vrbe exeuntes? REX. Video nunc, poſtquam oculos in eos conieci. Sed quos nam eos fore putemus, aut quid ferre denique CARDI. Neſcio, niſi quod inermes horſum veniunt, & ſi ſatis cerno, oliuæ ramum paciferæ, manibus geſtant. REX. Demiror hoc quid ſit, niſi forte ſint Oratores, qui veniant vt ſe dedant, veniam pacemq; poſtulent. CARDINA. Bene ſibi, ſi id fecerint, conſulent. REX. Neſcio quid inter ſe colloquuntur, aucupemur eorum ſermonem, & eo pacto, quid veniant, ſciemus. CARDINALIS. Iſtuc optimum eſt.

ORATOR BAVDELIS REGIS. CARDINALIS. FERDINANDVS REX. GVTTERIVS.

PROFECTO quanto magis magiſq; cogito, tanto magis hanc deditionem laudo. CARDI. Audin' tu illum? Neſcio quid de deditione loquitur. REX. Audio. ORATOR. Nā hac potiſſimum via, ſalutem nobis, coniugibus, liberisque noſtris parabimus, & vrbem direptione excidioque, quod imminebat liberabimus. CARDINALIS. Non dubium eſt, quantum audio, quin iſti deditionem facturi veniant. REX. Ipſi viderint. Nam ego vtrum malim, neſcio: ſi enim ſe ſpōte dediderint, militum ſaluti (quos in diſcrimen adducere non erit neceſſe) proſpexero. Sin obſtinato animo obſidium tolerare voluerint, virtutis exercendæ, adipiſcendæ gloriæ latiorem campum præbuerint: ſiquidem magis virtus eniteſcet, & cumulatior erit noſtra gloria, vi & armis expugnata Granata, quod breui conſequemur, quam ſpontanea hoſtium deditione recepta. ORATOR. Opportune Rex adeſt, & non præuideram. Procidamus ei ad pedes. Salue Rex inuictiſſime, & omnium quos terra ſuſtinet, gloria & honore digniſſime. Cum te non lateat quam graue durumq; videri debeat homini cum Regia dignitate nato, & ab ipſis pene incunabulis, pluribus populis gentibusq; imperare aſſueto, alienæ ſe ditioni ſpōte ſubiicere, exiſtimare merito potes nō ſine ſumma vrgētiq; ratione Baudelim Regē hactenus noſtrū, deditionis faciēdę (cuius gratia nūc ad te Magnanime Rex venimus) conſiliū cœpiſſe. Licet enim fames, ferrum ac poſtremo rerū omnium difficultas ad hoc illū impellere videātur, tamē (mihi crede) plus apud eum, eosq; omnes, opinio & quodāmodo certa ſpes tuæ bonitatis, fidei, atq; clemētiæ valuit. Niſi enim ipſe, omniſq; populus eius ditioni ſubiectus te his, quas modo nominaui,

reliquiſq;

reliquiſq; tuis ſingularibus virtutibus erga ſe vſurum confideret, quibus potius perpeti, quã tibi ſe tradere cógitaſſet. Nõ deerat profecto nobis animus, ſi vis ferri vrgeret, mortem fortiter pugnando oppetere, aut fame ingraueſcente, eam quoquo modo tolerare patienter, donec aut amici promiſſa ſubſidia mitterent, aut deus fortaſſe quiſpiam nos reſpiceret. Verum hæc (quam dixi) opinio, & ſpes de tua ſumma bonitate perſuaſit, vt viuere etiam nunc Baudeli ac nobis omnibus libeat, neque pudeat, tibi tam inclyto Regi, tam benigno miſericórdique victori, ceruices ſummittere. Itaque Baudelis nomine, ipſum, omnem populũ, vrbem, agros, diuina humanaque omnia in ditionem arbitratumque tuum tradimus. Nũc tuum fuerit, ne illum noſque ſimul hæc ſpes fruſtretur, prouidere. Quod vt facias etiam atque etiam ſuppliciter oramus & obſecramus. REX. Prudenter factum eſt ab rege veſtro ac vobis: quod noſtram benignitatem quam vim & arma experiri maluiſtis, quodque nullum vobis eſſe ad ſalutem tutiorem portum intellexiſtis, quam ad noſtram fidem clementiamque confugere. Quod ne fruſtra feceritis, ſedulo à nobis (bono animo eſtote) curabitur. ORAT. Ita ſperamus optume Rex. REX. Cæterum quo certior ſim huic deditioni nullum ſubeſſe dolum, iubeat ſtatim Rex nobilium liberos obſides dari mihi, arma omnia huc transferri, captiuos ex Chriſtianis, quotquot in vrbe ſunt (quorum ſalus ac libertas mihi præcipue cordi ſunt) ad me deduci. ORATOR. Et hæc & alia quæcunque iuſſeris, faciet, ac lubens Baudelis ſeruus tuus ne dubitaueris. REX. Ite ergo & hæc curate. ORATOR. Factum puta, REX. Tu Gutteri cum lecta peditum manu paratus ſis, vt cum obſides dederint, & huc arma detulerint, vrbem recipias: portas, arcem, munitaque omnia vrbis loca, validiſſimo præſidio firmes. Id vbi feceris, ex ſumma arcis turre ſolita noſtra ſigna extollito. Tibi enim tanquam præceptori maiori equitum Iacobeorum, merito debetur hic honor & labor. GVTTE. Nihil vnquam in omni vita feci libẽtius, quam hoc facturus ſum, etiam ſi vitæ periculum, (quod nullum imminet) mihi eſſet adeũdum. Nam quid mihi poteſt euenire glorioſius, quam me primum poſt tot ſæcula, in arce Granatæ, dei noſtri & tua victoria ſigna collocaſſe? Vos commilitones mei, eia arma ſumite, & mecum ad vrbis portas propius accedite, nolo enim vt ulla ſit mora, quin ſtatim, cum tempus fuerit, vrbe potiamur. CARD. Quantæ tibi Rex laudi, & quam immortali gloriæ hoc fore putandũ eſt, cuius cõſilio, ductu, ac virtute ſingulari, hoc tam diuturnum, tam crudele, tam inteſtinum, ac viſceribus ipſis Chriſti fidelium inhærẽs inceptum, adminiſtratum & cõfectum eſt bellum? Cum tantum Gutterius noſter (& merito quidem) iam nunc glorietur, ſe primum Granatæ portas & arcem, tuo nomine victorem intraturum. REX. Quin potius deo noſtro, à quo emanant bona cuncta, gratias agamus. CARDI. Vt pium & catholicum principem decet loqueris. & vere. Deus enim tibi eam mẽtem indidit, vt ſolus eam maculam delere velles, quæ iã inſederat, ac per tot ſæcula inueterauerat in populi Chriſtiani nomine, quod Mahometis ſectatores, qui Aſiam iamdudum nobis Africamq; eripuerant, non modo ſuis latiſſimis terminis contenti non eſſent, ſed in Europa, peculiari noſtra debaccharentur. Idẽ in ſuſcepto, contra perfidos iſtos Mauros bello, iſtam conſtantiam & patientiam contulit, vt nullo labore, nulla inedia, nullis vigiliis, nullis deniq; incommodis moleſtiiſq; frangereris. Idem in tot maris ac terræ periculis incolumem te cuſtodiuit, & poſtremo ad hunc ſeruauit diem, vt quod maiores noſtri ſemper optarunt, ſperauerunt nunquam: Granatam cum vniuerſo eius Regno, videas tuis armis, tuo conſilio, ac ſingulari virtute ſubactam, domitam, ac pacatam, in tuam ac Chriſtianorum poteſtatem deueniſſe. REX. Eſt ita vt dicis. Ego hæc & ſi qua alia ſunt in me, quæ digna ſint laude, vni deo accepta refero. Sed eccum arma exportant, obſideſq; ad nos adducunt: dubitari non poteſt, quin ſint ingenui & nobilium liberi, ita ſunt facie liberali. Heus comites mei, illos ſuſcipite, & curate vt per veſtra diſtributi tẽtoria diligẽter cuſtodiãtur, & ſimul arma in tẽplũ referãtur. Hem: optime eſt. Gutterius noſter perbenigne in vrbẽ recipitur. CARDINA. At ego iſtuc nõ aduerteram. O factum bene verum aliud ſperandum non fuit. REX. Sed optimum factum eſt: me huc euocare exercitum ad me. I tubicen: & Præfectos, Tribunos, Centuriones, reliquoſque ductores exercitus: meis verbis moneto, vt cum omnibus copiis, tanquam ſi cum hoſte dimicandum eſſet inſtructi, quamprimum huc adſint. CARDINA. Prudentiſſimi (vt ſoles) imperatoris officio fungeris: dum ita te comparas, ita ad omnes caſus, tam proſperos, quam aduerſos inſtructus: & multo ante paratus es: vt nihil quicquam accidere poſſit, quo dicendum tibi ſit: non putaram. Nam ſi hoſtes in fide manſerint: tuto & honorifice cum omni equitatu & peditatu vrbem ingredieris. Sin quis dolus aut fraus ſubſit (quod vix credibile eſt in tanta ipſorum clade ac rerum omnium deſperatione) paratus eris, qui eorum perfidiam vlciſcaris. REX. Dicis id quod res habet. Sed videon ego, an non, crucis ſignum in ſumma arce eleuatum? & ſane

Digitized by Google

niſi me oculi fallunt, ipſum eſt. CARDINA. Recte vides, illud ipſum eſt. Iam igitur arx cũ vrbe tota, libere in manu eſt tua. REX. Adoremus eam. CARDI. Iuſtum eſt. REX. Et pro tantis erga nos meritis deo gratias agamus. CARDINA. Æquiſſimum. Sed cum tantis rebus nullæ voces ſufficiant, efficacius corde, cuius ſcrutator eſt deus, ſatis fieri poterit. REX. Ita eſt. CARDINA. Eccum autem poſt crucem, diui Iacobi vexillum, ac deinde tuum elatum eſt. REX. Bene iſtuc. Nam Diuus Iacobus Dux & aduocatus noſter eſt, & illi cum beata virgine poſt deum victoriam hanc referre debemus acceptam. CARDI. Sed præconem è ſumma arce ſilentium ſibi tubæ cantu poſcentem, viſus ſum audire. REX. Et quidem ego. CARDI. Attendamus quæſo quid nam dicturus ſit. REX. Placet.

PRÆCO.

VIuant viuant æterna laude atq; gloria Ferdinãdus & Eliſabetha Rex & Regina Hiſpaniarum illuſtres, quorum opera, ductu felicibusq; auſpiciis, ſummo labore, incredibili virtute, diuino conſilio, potentiſſima hæc vrbs Granata, cum omnibus prouinciis, ciuitatibus, caſtellis & oppidis, eius imperio ſubiectis, Deo duce, Regina cœli Maria, diuoque Iacobo Hiſpaniæ patrono, ſuffragantibus, Beatiſſimo patre noſtro Innocentio octauo, Põtifice Maximo, liberaliſſime opitulante. Ad hoc præſulibus, principibus, ciuitatibusq; caſtellæ, pro ſe quibusq; ſedulo elaborantibus, ex impia & tenebricoſa Mahometana ſeruitute eruta, in veri dei lumen translata eſt & Regnum.

CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

SAne præmio dignus eſt præco, qui tam egregie ſuo functus eſt munere, licet plurima quæ in tuam Reginæq; laudem & gloriam vere dici poterant, prætermiſerit. REX. Mihi ſat eſt recte feciſſe. Nam gloria, etiam ſi id non agamus, tanquã vmbra corpus, benefacta conſequitur.

CAPTIVI. CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

BEnedictus dominus deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. CARDINALIS. Canentes neſcio quos audio. REX. Agmen eſt eorum, quos ex noſtris captos Mauri diu in compedibus & vinculis tenuerũt. Miſerum me, vt ſunt ſenti, ſquallidi, luridi, laceri, toto denique habitu vultus & corporis deformati. CARDI. Tales ſunt, vt vix vxores & liberi eos agnoſcere poſſe videantur. REX. Cuius mentem, vel ferream, miſericordia non tangat, ſi eius oculis tam dirum ſpectaculum ſit obiectum? Procedamus paululum illis obuiam. Si enim ſeruitutem iſtam æquo animo propter fidem tulerunt, in martyrum quodammodo numerum referri poſſunt. CAPTI. Rex æternum viue, cui tantum debemus, quantum hominem homini debere vix fas eſt. Tu enim nobis libertatem, quæ bonis vita eſt carior. Tu patriam, qua nihil eſt iucundius. Tu liberis noſtris parentes. Nobis liberos. Tu coniugibus noſtris viros, nobis coniuges. Tu propinquos, affines, amicos, fortunas, & deniq; noſmetipſos nobis reddidiſti: omnia quæ ab homine optari poſſunt bona, ſimul cum libertate amiſeramus, ea nobis per te hodierna die reſtituta ſunt. Pro quibus omnibus gratias tibi agere ſuperuacaneum eſt. Quis enim pro immortalibus tuis erga nos meritis conuenire exiſtimet, vt tam vili munere defungamur orationis? Gratiam autem referre non eſt noſtræ facultatis, ſed eam ſperare debes ab illo cuius vexilla ſecutus glorioſam hanc de hoſtibus eius victoriam reportaſti, qui pia hominum facta ex alto proſpiciens, ſingulis præmia digna muneratur. Nos quod poſſumus, te non ſolum vt Regem id quod es ſed vt parentem, & ſi fas eſt dicere, deum ſalutis noſtræ, vitæ, libertatis, fortunę colemus, & dum ſpiritus hos artus reget, obſeruabimus. REX. Neque à vobis neque adeo à quoquam hominum iſtas gratiarum actiones vnquam deſiderauimus. Id mihi iucũdiſſimum eſt vos videre liberos & incolumes, pro quorũ ſalute, acrius quam pro imperii propagatione & gloria dimicauimus. CARDI. Iſtuc recte. Satius quippe & glorioſius ciuem vnum ſeruare quam multos hoſtes perdere. REX, Tu diſpenſator hos in caſtra ad Reginam deducito, & abluto ſquallore, congruentibus veſtibus exorna, nihilque quod ad cultum aut victum pertineat, eis deſieri patiaris. Vos vero bono animo eſtote.

CAPTIVI. Quid ni ſimus? cum te viuum ac victorem videamus.

REX. CARDINALIS.

OPportune Reginæ mentio incidit, eam cum principe cæteriſq; liberis noſtris quamprimum huc adeſſe oportet, vt nobiſcum vna vrbem ingrediatur, ſitque nunc particeps honoris & lætitiæ, ita vt hactenus particeps ſociaq; fuit laborum, vigiliarum, periculorum. CARDINA. Imitata eſt Ipſycrateam, quæ virum in caſtra ac per omnia bellorum diſcrimina ſecuta eſt. Sed tua: conſilio, prudentia, animi magnitudine longe illa ſuperior eſt. Nam de pudicitia, qua Lucretiæ par eſt: amore coniugali, quo Iuliæ Pompeii, aut Portiæ Bruti non cedit, reliquiſq; virtutibus, quæ ad conſummatã matronam ſpectant, dicere ſuperuacaneum eſt. REX. Hui tu mihi illam laudas. Sat ſcio nihil tam magnifice dici poſſe quin id excellens ac diuina illius virtus longe exuperet. Puer curre propere, ac Reginam cum liberis, reliquoq; comitatu huc meis verbis euoca. Sed Baudelis egreditur cum ſuis ſatrapis. Neſcio quid mœſtus ſecum loquitur. Concedamus hinc paululum ad dexteram vt nos tardius videat, poſſumusque interea ſermones eius aucupari.

BAVDELIS. FERDINANDVS REX. CARDINALIS.

QVis vnquã exiſtimaſſet, qui annos ad hinc decẽ me tot diuitiis opibusq; affluentẽ, tanto equitatu ac peditatu ſtipatũ, tot oppidis, caſtellis, vrbib. opere ac natura munitiſſimis cinctum vndiq; ac vallatum, omni deniq; bonorum copia florentem vidiſſet, fore aliquando, vt in has ærumnas miſeriasq;, quæ nunc me premunt, inciderem? O fortuna, quæ dici ſoles nunquam eſſe perpetuo bona, vt ex illo tempore, ad hoc, aduerſum me es perpetuo mala? REX. Hic mihi conſolandus eſt, ne ſe adeo maceret. CARDINA. Bene factum. REX. Nihil eſt Baudeli quod tantopere fortunam lamenteris tuam. BAVDELIS. O ſalue Rex inuictiſſime. Nuper tibi vrbem cum omnibus meis fortunis tradidi. Nunc meipſum, coniugem, liberos ſpesq; omnes meas: & ſi quid eſt mihi amplius reliquum, abſque vlla exceptione dedo. Illud duntaxat per tuam iſtam dexteram victoria, & fideglorioſam te oro, vt cũ de me, coniuge liberisque deliberare voles, non victoriam (quæ natura inſolens & ſuperba eſt) ſed tuum mitiſſimum ingenium, tuam ſolitam humanitatem, manſuetudinem, clementiam, quas egomet, dum tuus captiuus fui, expertus ſum, in conſilium adhibeas, fortunamque, cui tantum de me licuit, reuereare. REX. exurge ac bonum habeto animum. Senſiſti hactenus, quantum aduerſus hoſtes in bello valerem, qualis vero in pace ſim, præſertim aduerſos eos, qui ad noſtram fidem miſericordiamque confugerunt, poſthac ſenties, eriſq; documento cęteris, vt experiri malint, quid poſſim prodeſſe amicus, quam obeſſe inimicus. Vos eum in caſtra comitamini, vrbi curate vt honorifice accipiatur. Sed heus cõcedite iſtorſum ad ſiniſtram, ne is Reginam ad nos (vt video) cum comitũ ſuorum pompa, aduentantem vſquam remoretur.

REGINA. REX FERDINANDVS.

SAlue Rex. Omnia tibi ex ſententia hodie obtigiſſe maximopere gaudeo. REX. Credo Quandoquidem tu mearum omnium voluptatum, honoris, & gloriæ particeps & ſocia es. Introeamus iam vrbem, vt eius poſſeſſione (quod tot ſuſpiriis, tot votis nos ac maiores noſtri tam diu optauere) tandem aliquando perfruamur. Deoq; noſtro gratias agamus qui tot curis, tot diſpendiis, tot moleſtiis, laboribus, periculiſque noſtris, finem hodierna die imponere, fidemque ſuam ſanctiſſimam per nos miniſtros ſuos amplificare & exaltare dignatus eſt. REGI. Iſtuc ſi grati eſſe volumus, vt certe volumus, iuſtiſſimum eſt. REX. Eamus iam intro. REGI. In me nulla eſt mora. Vos valete & plaudite.

FINIS DIALOGI EXPVGNAtionis regni Granatæ.

LVSITANICA.

Damiani à Goes *Vrbis Oliſiponis deſcriptio.*
De rebus & Imperio Luſitanorum ad P. Iouium diſceptatiuncula.

L. Andreæ Reſendii *Antiquitatum Luſitaniæ, Lib. V.*

Iacobi Menœtii *Commentarius de municipio Eborenſi.*

L. Andr. Reſendii *Epiſtola de Colonia Pacenſi.*
Eiuſdem ad Bartholomæum Kebedium de Eborenſis Eccleſiæ Sanctis.

Ambroſii Moralis *Epiſtola ad Andr. Reſendii, & ad eandem Reſendii reſponſio de delubri in ponte Alcantara inſcriptione.*

Io. Antonii Viperani *de obtenta Portugalia à Rege Philippo.*

Hieronymi Coneſtagii *de Coniunctione Portugaliæ cum regno Caſtellæ.*

Duardi Leonis *Cenſuræ in libellum de regum Portugaliæ origine.*
Eiuſdem de vera regum Portugaliæ Genealogia.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI.

Vrbis Oliſiponis deſcriptio.

INCLYTO PRINCIPI DOMINO HENRICO, Portugalliæ infanti ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Tituli ſanctorum quatuor coronatorum Cardinali meritiſſimo, DAMIANVS GOES Eques Luſitanus S. P. D.

INDICARVM *rerum hiſtoriam, in lucem vt darem, cum crebris doctorum hominum epiſtolis diu vrgerer, eam ex exemplaribus colligere, atque diſponere pridem cœperam, id quidem mihi effectum iri poſſe, tunc pollicebatur otium meum literarium, quo eo quidem tempore lante, & citra publicorum negotiorum onera vtebar. Sed cum mecum perpenderem, mihi id modo deeſſe, quod ſumme in hiſtoria ſcribenda requiritur, ab incepto deſtiti. Nam ei qui iuſtam, & abſolutam hiſtoriam ſcribere vult, inprimis liberum, & vacuum tempus tribuendum eſt, deinde animi quies, & omnium munerum vacatio, poſtmodum magnorum principum fauor, quo induſtria, & labor ſtudiorum, præmiis adaugeantur. Quocirca (præſertim cum neq. cura neque negotio, carere poſſem) ſucciſiuis tantum dierũ horis, id quod continenti temporum decurſu deſtinaram, concedere, & tribuere propoſui, & curriculi mearum lucubrationum currens, Oliſiponis vrbis deſcriptionem hoc tantum tempore componere inſtitui, eamque tuo duntaxat nomine illis inquam ipſis euulgare decreui, qui à nobis id flagitare nuſquam deſtiterunt. In qua ſane deſcriptione, quidquid ad ipſius vrbis originem, & ornamentum inueſtigare valuimus, faciliori quam potuimus penicillo depinximus. Cæterum opuſculum hoc quale qualecunque fuerit, ſub tua protectione emittere conſulto propoſuimus, vt quæ noſtro huic labori deſunt, nam forte multa deerunt, quæ nos aſſequi non potuimus, ea tua animi celſitudine, & eximia doctrina, ſic foueantur, protegantur que, vti ab alienorum laborum mordacibus, temereque calumniantibus, nullo alio adminiculo ſuffulta, ſeſe tueri, defendereque poſſint.*

Vale.

VRBIS

VRBIS OLISIPONIS
SITVS, ET FIGVRA.

DAMIANO GOE EQVITE LVſitano Authore.

QVÆ ſunt vrbes noſtra hac tempeſtate, quas iure Oceani dominas, ac tanquam Reginas appellare poſſimus, quarum ductu & imperio totus Oriens, Occidensque hodie nauigatur. Earum altera eſt Oliſipo, quæ à Tagi faucibus eius Oceani partis imperium ſibi vendicat, quæ Aphricam, Aſiamque immenſo maris circuitu complectitur. Altera vero Hiſpalis, quæ à Bæti fluuio Occidentem verſus, quem hodie dicunt nouum orbem, claſſibus patefecit. Cuius deſcribendæ partes, iis conſulto relinquimus, quorum ſcriptis, de huius noui orbis reperti ratione, multa forte memoriæ mandabuntur. Nobis vero, cum de ſitu, & vrbis Oliſiponis ſtatu conſtitutum ſit ſolummodo ſcribere, non ab re viſum fuerit, ſi antequam negotium aggrediamur, inde incipiamus, vnde ipſa res de qua ſcripturi ſumus, nobilior effecta ſit, nempe de inuento à noſtratibus per æquora in Indiam itinere. Quæ res vt memorabilis, ita etiam in ea paulo nobis vagari licebit, atque etiam antiquorum teſtimoniis, ſtudio noſtro lectoribus aperire. quanta difficultas in hoc negotio, ſe ſemper obtulerit iis, qui rem tantis periculis plenam, auſi fuerunt quouis modo tentare. Quocirca ab eo qui ſummo ſtudio, ſummaque animi virtute rem tam præclaram noſtris temporibus aggredi auſus eſt, exordium capiemus. Is enim inuictus ille Alfonſi quinti filius, diuus Ioannes ſecundus Luſitanorum Rex fuit. Ille quidem qui bello regnum ſuis vindicauit, paceque ſibi regni hæreditatem multifarie turbatam reſtituit. Igitur cum regis indefatigatum animum Indicarum rerum deſiderium vehementius agitaret, non nauibus ſolum ab illa parte litoris Æthiopici, quod ad ea vſque tempora à noſtris exploratum erat, eam Indiæ plagam, quæ ad ortum ſolis attinet, inueſtigare propoſuit, ſed terreſtrib. etiam itineribus negotium auſpicari voluit. Quod quidem per homines Luſitanos ſingulari linguarum, rerumque notitia præditos, in eo libro quem de rebus Æthiopicis ſcripſimus, factum eſſe demonſtrauimus. In quo etiam ſtudio, doctrinaque prudentiſſimi principis Henrici, oceani Atlantici, Æthiopicique inſulas, & litora prius, multoque antea inuenta, luſtrataque à noſtris fuiſſe, obiter tractamus. Proinde dum Ioannes ille adhuc viueret, induſtria, auſpiciiſque Bartholomæi Didaci, viri Luſitani, nauticæque artis peritiſſimi, frontem ei continentis parti contiguam, quæ recta ad montem Lunæ porrigitur, noſtri inuenerunt. Quæ frons ab Oceano emergens, ſinu Heſperico, Praſſoque promontorio, immenſo tractu terrarum, ad auſtralem cœli cardinem, vtrinque protenſa, gradum ferme quintum, & trigeſimum attingit. Quibus terminis Ichtyophagorum videlicet, & Anthropophagitarum, nihil literis Ptolomæo cognitum fuiſſe conſtat. Quamquam Plinius, Mela, Solinus, & Martianus, ex Iuba, Artemidoro, & Xenophonte Lampſaceno, & Nepote Cornelio, de Hannone Pœnorum Rege, & Eudoxo, aliiſque qui hoc mare experientia, ſeu relatu nauigabile tradunt, ſcribentes, huius itineris notitiam olim fuiſſe, totumque ab Indis ad Herculeas columnas patefactum, cultaque eius litora eſſe teſtentur. Ac inſuper teſtimoniis confirment, C. Cæſare Augusti filio in Arabico ſinu conſtituto, Hiſpaniarum nauium, naufragio eiectas fragmentorum reliquias apparuiſſe. In qua quidem ſententia Herodotus eximius antiquitatum indagator, Græcos fuiſſe aſſerit, qui mare quod extra columnas vocatur Atlanticum, & rubrum, idem eſſe mare pro certo affirmant. Atque alibi Græci, inquit, qui Pontum incolunt, Oceanum confluere terram, pro comperto habent. Poſtmodum ex vetuſtiſſimis Ægyptiorum annalibus, hæc prodit. Nempe Necum ipſius gentis regem, cum à deprimenda foſſa, à Nilo ad Arabicum ſinum deſtitiſſet, nauibus quoſdam Phœnices miſiſſe, quos iuſſit, Herculis columnis ſuperatis, ad ſeptentrionale vſque mare penetrare, atque inde in Ægyptum curſum facere. Qui è mari rubro ſoluentes in auſtra-

le venerunt mare denique in Ægyptum per fretum Herculeum poſt biennium remearunt: & in hunc modum dicunt Græci Africæ litus primo in totum cognitum fuiſſe. Secundo vero, Xerxis temporibus Africæ promontorium Sataſpem ſuperaſſe ſcriptis confirmant. Qui admodum nauigationis tædio confectus, ad columnas Herculis, vnde in Atlanticum Oceanum prodierat reuerſus, in Ægyptum curſum tenuit, Denique Strabo ex Ariſtonico teſtatur, Menelaum per Gades circunductum, iter in Indiam feciſſe. De qua quidem re, prolixius non agemus, ne longius, quam res ipſa poſtulare videtur, digrediamur. Illud quidem veriſſimum videtur, & ratione credibile, tam vaſtam, & periculis infinitis obiectam nauigationem, ita tum hominum animos affeciſſe, vt ſemel inchoata, vel (ſi attigit) abſoluta, nemo ſecundo rem tam arduam, vel potius monſtroſam, aggredi auderet. Qui ſane tam immenſæ peregrinationis curſus, noſtratium, ſiue indefagitata indole inſtigante, ſiue auri ſacra fame vrgente, tam denique modo frequens habetur, vti non maioris negotii nunc huiuſcemodi nauigationem exiſtiment, quam ſi in Britaniam, aut in Belgicam, ex Luſitania per Oceanum iter facerent. Huic vero repertæ fronti, vt ad inceptum redeamus, ob rem inſperatam, Rex idem Bonæ ſpei caput nomen indidit: reliquum iam inde Oceanum Indicum nauigandi, occaſionem faciliorem, ſibi oblatam eſſe ſperans. Cæterum naues illæ quibus Bartholomæum Rex præfecerat, multis caſibus, aduerſiſque tempeſtatibus diſiectæ, ipſo Bonæ ſpei promontorio, vt antea demonſtrauimus, ſuperato, flumen ingrediuntur, cui Infantis flumen nomen inditum fuit, eo quod inter cæteras naues, vna cui Rex Lupum Infantem virum Luſitanum præfecerat, omnium prima ad fluminis Ripam appulſa ſit. Inde vero vlterius progredi minime tutum eſſe duxerunt, propterea, quod in tanta maris vaſtitate, itinerisque & temporis intercapedine, gentem nullam reperiſſent, quæ tum nauibus vteretur, veriti ne ſi longius procederent, non Indos, genus hominum ſuapte natura cultiſſimum, ac diſertiſſimum, ſed alias nationes, terraſque barbaras, ac immanes offenderent, à quibus forte etiam grauioribus incommodis premerentur, quam quæ in iis experti eſſent, quorum litora, portuſque antea tetigiſſent. Qua re mature pro rerum facultate, & prudenter animaduerſa, mutata velificatione, in Luſitaniam reuertuntur. Id vero diuino potius quam humano conſilio accidiſſe crediderim, quod deuicti Oceani gloria, futuro regi integra, fato quodam, intactaque reſeruari videretur. Interea quidem re infecta, Ioannes Rex moritur: nouiſque rerum momentis occurrentibus, vti tum maxime fieri conſueuit, Emanuel Regnum ſuſcepit, ſtatimque biennio poſtquam regni gubernacula ſuſcepiſſet, cum omnia domi, foriſque, à finitimis regibus tuta ſatis, ac pacata cerneret: quod à ſuis maioribus antea ſummo ſtudio factum eſſe videbat, in idipſum animum cœpit intendere. Tres igitur parari naues, ac inſtrui iubet. Quibus Vaſcum Gammam, genere Luſitanum, equeſtris ordinis virum præfecit. Qui comparatis rebus omnibus quæ ad tam longam profectionem neceſſariæ videbantur, octauo Idus Iulii anno Dominicæ Incarnationis milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, idoneum Aquilonem nactus Oliſipone ſoluit, celeriterque, concitatiore vento in Indiam lætis auſpiciis, ſed immenſo labore peruenit. Sed nos rebus iis omnibus cum ipſa India omiſſis, ad inſtitutum noſtrum properemus:

Oliſiponem igitur quis primus condiderit, in tanta ſeculorum vetuſtate, pro certo nos affirmare non audemus, quam tamen inter antiquiſſimas Hiſpaniæ vrbes, annumerandam eſſe, vetuſtiſſimi quique ſcriptores teſtantur. Hanc Varro Oliſiponem, & Ptolemeus Olioſiponem appellant. Strabo vero Vliſſeam, & ab Vliſſe conditam eſſe, ex verbis Aſclepiadis Myrliani videtur aſſerere. Is enim Myrlianus in Turditania ludo literario præfuit, atque de gentibus ipſius regionis librum conſcripſit, prodiditque etiam Oliſipone in templo Mineruæ, fragmenta quædam ſuſpenſa tunc extare videlicet parmas, Apluſtra, nauiumque roſtra, Vlyſſis errores indicantia.

Ex quo ſane loco non ſatis liquere arbitrantur quidam Oliſiponem ab Vlyſſe conditam eſſe. Nobis tamen tanti viri teſtimonio adhærere placebit potius, quam illorum dicta comprobare, qui id nullo certo argumento cauillare conantur. Præſertim cum Solinus vir apprime doctus ipſius Strabonis ſententiam ſit ſequutus. Noſter quoque Laurentius Andreas Reſendius vir doctorum omnium iudicio & calculo comprobatus, id multis in locis ſcriptorum ſuorum, & imitatur & confirmat. Sed quoad nominis rationem attinet, ex quadam ipſius Reſendii oratione, & ex multis vetuſtiſſimis tabulis in vrbe ipſa repertis, ab illoque collectis, facile liquet, ſcribi debere.

Oliſipo-

Oliſiponem, per O & duplex iota, & ſimplex s. Erat autem Oliſipo Romanis temporibus Romanorum ciuium municipium. Plinii grauiſſimi ſcriptoris teſtimonium hoc loco afferre non pigebit. MVNICIPIVM (inquit) CIVIVM ROMANORVM OLISIPO, FOELICITAS IVLIA COGNOMINATVM.

Vnde autem nominis origo emanarit, temere affirmare non audemus. Id enim fortaſſe tam multis fabuloſum videretur, quam illud Varronis à Iuſtino iudicatur. in Luſitania vbi eſt oppidum Oliſipo, monte Tagro, equas è vento ſuſcipere. Cuius ſententiam, & Plinius, & Solinus approbarunt. Quam tamen diximus, Iuſtinus his verbis mendoſam eſſe enixe affirmat. IN LVSITANIA (inquit) IVXTA FLVVIVM TAGVM EQVAS VENTO CONCIPERE MVLTI AVTHORES, PRODIDERVNT, QVÆ FABVLÆ EX EQVARVM FOECVNDITATE, & GREGVM MVLTITVDINE NATÆ SVNT. QVI TANTI IN GALLECIA & LVSITANIA, & TAM PERNICES VISVNTVR, VT NON IMMERITO IPSO VENTO CONCEPTI ESSE VIDEANTVR. Quæ ſententia nobis ſane non ita diſpliceret: niſi phyſici rationibus adniterentur probare naturam ipſam, ex fœmineo tantum ſexu, ſineque marium congreſſu, multa gignere, & procreare ſolitam eſſe. Quem quidem Varronis locum D. Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, in ſua hiſtoria, ſatis luculenter comprobat. Mons vero Tagrus, cuius Varro meminit, meo quidem iudicio ille idem eſt, quem nos SINTREVM vocamus, & à quo Lunæ promontorium in mare prorumpit, millia paſſuum ab Oliſipone plus minus viginti, & quatuor. Quod noſtris hodie Rocham appellari placuit, ſiue vt latine dicam, Rupem. In cuius decliui montis, oppidum, admirabili loci amœnitate, cœlique clementia hodie conſpicitur, ingenti ac munifico Regum Luſitaniæ domicilio nobilitatum, quod de nomine montis SINTRAM, dixere. Mons vero diuerſis ferarum generibus, auiumque, mire abundans, pecori item paſcendo propter ſingularem ſoli bonitatem, adeo eſt accommodus, vt cuilibet facile poſſit perſuaderi, equas ſine admiſſario concipere, Ad latus porro huius montis, quod latus ab Oceano patet, vicus paſſibus circiter duobus millibus in colliculo poſitus eſt (COLLARES accolæ vocant) à quo haud ita procul, ſub rupe in pelagus procumbente antrum eſt quod accedente alluitur Oceano, fluctuſque introrſus reciprocantes, ſalo ſpuma permiſto, recipit in ſeſe, & idem eructat ingenti vndarum ſtrepitu, in quo Tritonem concha canere olim viſum noſtrum vulgus exiſtimat. Quod ad locum quidem attinet, conſtanter quicquam affirmare non audeam. Propterea quod ab omnibus, id litus propius legentibus cerni facile, ac conſpici poſſit. Tritonem vero Tiberii Cæſaris temporibus viſum in Luſitania, auditumque fuiſſe, ita ſcribit Plinius. TIBERIO (inquit) PRINCIPI NVNTIAVIT OLISIPONENSIVM LEGATIO, OB ID MISSA, VISVM AVDITVMQVE IN QVODAM SPECV CONCHA CANENTEM TRITONEM, QVA NOSCITVR FORMA. Nec vero illud ſilentio prætereundum eſſe duximus. Noſtro hoc tempore pleriſque in locis huic litori vicinis quoddam hominum genus reperiri, qui & natura & nomine Marini ab indigenis vocari cœperunt, ob eam præſertim cauſam, quod hiſpidum quid in cutis ſuperficie gerentes, notas quaſdam ſquammarum, ac tanquam reliquias antiqui generis, per totum ferme corpus ſparſas, præ ſe ferre, atque retinere videantur. Eos enim ab hominibus marinis, vel Tritonibus, originem, genuſque traxiſſe, pro certo ſemper habitum eſt, eiuſque rei initium inde profluxiſſe à maioribus accepimus Tritones ſcilicet ad littus proſilire interdum, atque colludere paulatim aſſueuiſſe, eoſque fructuum dulcedine delinitos, quorum in iis locis maxima eſt copia, eodem reuerſos ſæpius, ineffabili quodam incolarum aſtu, eorum aliquot interceptos, ac poſtea blanditiis ad exeultum, manſuetumque genus vitæ traductos eſſe. Et quidem ſi fabuloſum videbitur, domeſtica familiaritate, vocales reddi Tritones potuiſſe, inſuperque cum Luſitanis conſuetudinem, vt haberent effeciſſe, fabuloſius ſane mihi erit, barbarum incultumque Tritonem, in Africa, in palude Tritonide, proſiluiſſe, ac cum Græcis garrientem, ab Iaſone tripodem, quam Delphos aſportabat, vti ſyrtium periculis, ſuo ductu euaderet, ſibi dari popoſciſſe.

Noſtris vero temporibus, vt efficacius teſtimonium in medium afferam, piſcator quidam, dum inter ſcopulos Barbarii promontorii, filo, hamoque iuxta Diuæ Virginis ſacellum, piſces capere contendiſſet, derepente ex vndis in ſcopulum, mas Triton exili-

uit, barba prolixa, crinibus oblongis, pectore hiſpido, facie non admodum deformi, abſolutaque hominis forma. Qui cum paululum apricatus eſſet, & hominem à tergo, ipſius formam contemplantem, inſpexiſſet, voce non diſſimili prolata, territus confeſtim in ſalum ſe ſubmerſit. Hæc piſcator de Tritone, ſiue homine marino cupidis audiendi, compto ordine ac ſermone, hodierna die enarrat.

Deinde paucis ab hinc annis, hâc procul à Lunæ promõtorio, vt nobis retulit Ferdinandus Aluarus domus Indicæ ſcriba, vir integrę fidei, q iuxta illud litus ruſculũ habebat, cuiq; vicinus erat vir probus, minimeque fallax, is enim vicinus perſæpe piſcandi gratia, ſe in quoſdam litoris ſcopulos conferebat. Ibi cum negotium die quadam fœliciter ſuccederet, (vt Ferdinandus ab eo ore tenus accepit) piſces quos hamo capiebat, à tergo ſui in aridum ſcopuli anfractum, quo tutius aſſeruarentur, proiiciebat. Quod quidem per ſæpe inculcans, interdum nudum adoleſcentem imberbemque per anfractum conſpiciebat. Attamen cum in illo loco, circum vicini incolæ frequenter nare conſueuiſſent, credebat ex iis aliquem forte eſſe: Cui, cum intentus piſcationi eſſet, nihil verbi faciebat. Tandem intentius animaduertens, adoleſcentem piſces manu capere, & ad os deductos edere inſpicit. Qua re commotus occurrit, hominem petiturus. Qui violento curſu, cachinnans, ridensque, in fugam ſeſe proripuit, pelagoque vrinans ſeſe ſubmerſit.

Eodem ferme tempore, è regione vrbis, pelago intericcto, non procul ab oppido quod BARRERIVM noſtri nominant, iuxta Alfonſi Albuquerci viri patricii villam, ſimilis formæ hominem marinum exanimem æſtus maris in litus eiecit. Præterea in antiquis regni archiuis, quibus ego ipſe præſum, extat adhuc compoſitionis chirographum vetuſtiſſimum, inter regem Alfonſum tertium & Pelagium Petreium, equeſtris ordinis Diui Iacobi magiſtrum, tranſactæ, qua decretum fuit, non magiſtro ordinis, ſed regibus deberi vectigal Syrenum, aliarumque belluarum, in ipſius ordinis littoribus captarum. Vnde facile colligitur Syrenes, cum de eiſdem lex lata fuerit, frequentes olim in noſtris æquoribus fuiſſe. Sed hæc hactenus de Tritonibus, Nereidibus, Syrenibuſque dicta ſufficiant.

Cæterum, vt ad inſtitutum reuertamur, ſcire oportet, vt paulo antea diximus, nobis de nominis vrbis Oliſiponis origine, & cauſa, nihil certi conſtare, imo nec quicquam, quo ad ipſius priſtinam memoriam ſpectet, nec item ad res in ea olim geſtas, inter Græcos, Latinoſq; authores reperire potuiſſe, cum minime dubium ſit, in ea ciuitate in qua hodierna die tot elogia, epitaphiaque latinis characteribus, lapidibus exculpta extant, in ea ipſa, multa & præclara facinora tranſacta priſcis temporibus etiam, fuiſſe, quibus noſtrum hoc commentarium ornare, luſtrareque valuiſſemus.

Sed cum illa omnia, vt ratione licet credere temporum iniuria potius quam ſcriptorum incuria forte periiſſent, ex noſtris tantum Luſitanicis annalibus, cum altius nihil, quod minime fabuloſum videatur, repetere audeamus, exordium faciemus. Et poſt illam miſerandam cladem qua ferme vniuerſa Hiſpania à Mauris occupata Chriſti fidem deſeruit, quomodo iterum ipſa Oliſipo Chriſto initiata fuerit, demonſtrabimus. Quæ res ſic ſe habuit. Cum olim aſſiduis incurſionibus Mauri Hiſpaniam impeterent, pii ac Chriſtiani homines vndique opitulandi gratia eo confluebant, Regibus ſuam operam offerentes. Accidit tunc inter alios D. Raymundum Toloſatium Comitem ad Alfonſum Caſtellæ Regem electum imperatorem, ſubſidio veniſſe: Cui Henricus eius ex ſorore nepos, huius expeditionis comes fidiſſimus fuit. De cuius Henrici ortu, inter authores non ſatis conuenit. Nam Caſtellani ſcriptores eundem Conſtantinopolitanum eſſe aiunt. Galli autem ex Lotharingia promanaſſe aſſerunt, noſtri vero ex Hungaria originis ſeriem deducunt. Attamen nulla certa ratione omnes, id quod dicunt, demonſtrant, qua nos quicquam audacter confirmare poſſimus.

Cæterum ob ingentia iſtorum principum merita, Alfonſus Rex, Raymundo Orracam, Henrico vero Theraſiam, filias in matrimonium collocauit. Et quidem Henrico & Theraſiæ, Portugalliæ comitatum in dotem dedit, cuius prouinciæ eo ſane tempore, præcipua pars à Mauris occupabatur. Ex Theraſia, Henricus Alfonſum ſuſcepit. Is Alfonſus poſt multa, & præclara facinora, pro Chriſti fide acta, cum quinque potentiſſimis Regibus Mauris in campis Oricienſibus apud caſtrum viride conflicturus, quos vnico prælio deuicit a ſuis militibus, in ipſis caſtris vnico temporis momento, Rex electus, creatus, iuratusque fuit, & quidem reluctans, id contumaciter cunctis aſſerentibus, non decere ſtrenuos milites, tam arduum, contra præclaros reges prælium inire, niſi ſub regum vexillo. Affirmant noſtri ſcriptores, ipſum Alfonſum, antequam prælium iniret, Chriſtum in cruce appenſum in æthere conſpexiſſe, ei victoriam pollicentem, atque ducem

ducem fide flagrantem ita reſpondiſſe. Domine cum certo ſciam, te filium Dei eſſe, mundique verum ſeruatorem, non eſt quod te mihi demonſtres. Vade ergo inquit, hoſtibus tuæ religionis, te ea lege oſtende, vt nos tantis malis careamus, ipſique credant, cognoſcanque tua, tui ſolius nece, mundum viuero, & ſaluum eſſe.

Ob quod miraculum, ſcuti baſi, quod albi duntaxat coloris, tunc temporis Alfonſus ipſe geſtabat, quinque cæruleos clypeos, pro deuictis quinque regibus, clypeiſque cunctis, in Chriſti plagarum memoriam, quinque alba puncta, quincunciali ordine Rex ipſe ſubnexuit. Quibus ſignis ab eo vſque tempore Luſitaniæ Reges ſumma cum reuerentia vtuntur, eaque continuo ob myſteriorum gloriam omni debito honore deoſculantur amplectunturque. In quibus illud etiam myſterii, ſcitu dignum, ineſt, quod ſi quinque præfatis clypeis, numerum omnium punctorum adiungas, rationem triginta denariorum reperies. Quo quidem pretio, orbis redemptor Chriſtus, à Iuda Iudæis venundatus fuit. Igitur aſſecuti ſunt Luſitaniæ Reges, ex tam inſigni victoria, ea ſignorum tam glorioſa myſteria. Quæ ſigna vt cœlitus à Chriſto cõceſſa fuere, ſic ipſis ducibus, nobiſque ſub eis militantibus, ipſius Chriſti fidem in immenſum per vniuerſum orbem, longius, latiuſque quam vnquam fuit, noſtraque induſtria, & labore propagata, euulgataque hodierna die eſt.

Porro, vt ad ſcopum reuertamur, cum Oliſipo ab hoc rege Alfonſo obſideretur, & bello diu præliando, confligendoque oppugnaretur, Chriſti fidei anno ipſius Chriſti natalis milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, reſtituta fuit. Cui bello etiam nonnulli peregrini milites ex variis Europæ partibus religionis cauſa interfuere quorum non pauci dimicando deſiderati ſunt.

Nec defuere qui ex iis miraculorum argumentis, loco ſanctorum habiti ſunt, inter quos quidam Henricus fuit, natione Germanus, Bonnæ natus, oppidum eſt ad ripam Rheni, non procul à Colonia Agrippina conſtitutum, cuius Henrici meritis Deus multa & præclara miracula dignatus eſt facere, vt noſtri annales teſtantur. Hoc Rege Alfonſo regnante, non multis diebus poſt expugnatam Oliſiponem, corpus D. Vincentii Leuitæ & Martyris, in ipſam vrbem, ex ſacro promontorio, vbi diu latuit relatum eſt, & in fornice ſummi templi, ſumma cum reuerentia hodierna die aſſeruatur. Quam rem diffuſe Reſendius noſter graui carmine proſequutus eſt.

E regione cuius monumenti, Alfonſi quarti Regis, ſepulchrum extat, eius inquam qui anno Chriſti milleſimo treceteſimo quadrageſimo. Alfonſo Caſtellæ Regi ſuo genero luculentum contra Alboacem Maurorum potentiſſimum Regem ſubſidium tulit, cruentiſſimoque ad flumen ſalſum prælio, aduerſum eundem Alboacem præfuit. & glorioſe victor, cognomen Ad ſalſum victoris vulgo obtinuit. Ob quam cauſam ipſius Regis mentionem non diſplicuit nobis hoc in loco facere.

Ad radicem vero huius ſummi templi, paulo inferius Occidentem verſus, interpoſita platea, ſacellum diui Antonii, quem Paduanum vocant, admirabili ſtructura, & mira elegantia elaboratum, ſeſe nobis offert, olim ipſius diui Antonii parentum habitaculum, in quo quidem ipſe natus, educatuſque fuit, ex cuius natalibus non mediocriter, ſeſe vrbs Oliſipo extollit, & merito quidem eſt cum inter cœlites tam digne omnium Chriſtianorum conſenſu, ſic annumeratus relatuſque ſit, vt Deo totius Chriſtiani populi ſententiam miraculorum fide confirmante, ipſius beatiſſimi Antonii nomen per vniuerſum orbem cognoſcatur, & reuerenter vbique gentium ab omnibus eius memoria colatur, celebreturque. Super eius ſacelli epiſtylium domus ciuica, ſeu vrbana curia conſtituta eſt. De cuius ordine, ſerieque regiminis, multa & præclara dicere potuiſſemus, ſi id alienum à noſtro inſtituto non videretur. Quamobrem ad ea quæ polliciti ſumus redeamus.

Igitur antiquæ vrbis Oliſiponis ſitus, collem excelſum, ad Tagi Ripam deductum vſque, antiquitus ſolum modo occupabat, nunc vero plures montes, ac valles, magnitudine amplectitur. Cuius potiſſima, celeberrimaque pars Orienti oppoſita eſt: qua potiſſimum parte, ſuſcepto iam Tago, pelagus in latitudinem millia paſſuum ſex patet. Ex aduerſo latere duo ſinus efficiuntur: quorum vnus, Aquilonem verſus introrſum reductus ad frequentem hac tempeſtate vicum GALLECVM nomine, alter vero ad meridiem paulum deflexus, ad vicum CONAM quotidianas habent nauigationes. Ab eodem vero latere paulo inferius, oppidum ALMADA ſitum eſt, in extremo frontis, quam Cornenſis ſinus obliquo circuitu emittit. Quo quidem loco pelagus à licentioſa ſinus vaſtitate paulo coarctatur. Illincque ad vrbem traiectus eſt,

paſſibus paulo minus, quam millibus quatuor. Ripa vero lateris eius fere præcipitio in mare deſcendens, ac dorſo in arcus ſimilitudinem ad meridiem ſeſe inclinans, ad Barbarium promontorium extenditur, Mediis his anfractibus, ſinuoſa, deuia, quaſi ſyrtes inter ſunt: in quibus aurum arenis inuolutum noſtri conquirunt, eo præcipue loco quem ADDICIAM nuncupant: quod item pleriſque locis in ipſa Tagi ripa fieri conſueuit. Nec à veterum ſententia diſcrepat, qui Tagum auro, gemmiſque affluere ſcripſerunt. Ab hoc rurſus Barbario promontorio, ad citeriorem litoris partem, quæ occaſui ſubiecta eſt, in mare progreditur lunæ promontorium, à quo ingenti flexu, veterum Turdulorum fines exoriuntur. Quod litus in hanc vſque ætatem, à noſtris, vetus appellari conſueuit. Interius non magno deinde interuallo, in extimo Oliſiponenſis ſinus oſtio, fanum Virgini matri, quam Ductricem appellant, dicatum, in ſcopulis inſpicitur, vbi nocturnis facibus accenſis, nauigantibus iter noctu præmonſtratur, ne locorum ignari, ad vada, ſcopuloſque vicinos, naues allidere cogantur. Interiora legenti Aquilonem verſus, oppidum CASCALE ſitum eſt, quo naues, onerariæ in anchoris conſiſtentes, accedente maris æſtu, auram operiuntur, portu vadoſo alioqui, & anfractuoſo. Modico inde interuallo, aduerſo etiam flumine, ſinus in cubiti formam efficitur. in cuius fronte ſacellum eſt diui Iuliani, ſupra quod aliud diuæ Catherinæ ſacrum. Tum eodem latere obliqua ripa, propius ad vrbem accedenti, Betheleem Oppidulum, & ibi templum ingens diuæ Virgini dicatum, vna cum cœnobio monachorum, qui diui Hieronymi vitæ inſtitutum profeſſi ſunt, ſeſe offert, incredibili ſumptu, ac magnificentia, conſtructum? diui Emanuelis regis monumentum, quod dum viueret, ſibi ipſe deſignauit erexitque Magnam tamen ipſi operi acceſſionem Ioannes tertius Emanuelis filius, qui nunc feliciter regnat, & fecit, & facere non ceſſat.

De qua re extat ibi in arcu celebre Reſendii noſtri beſſalibus literis tetraſtichon, quod quia à multis externis hominibus eo accedentibus deſcribitur, ponere non grauabor:

VASTA MOLE SACRVM DIVINÆ
IN LITORE MATRI.
REX POSVIT REGVM MAXIMVS
EMANVEL.
AVXIT OPVS HÆRES REGNI ET
PIETATIS, VTERQVE.
STRVCTVRA CERTANT, RELIGIO-
NE PARES.

Turris vero ex aduerſo, quatuor tabulatorum extat, quadrato extructa ſaxo, quam ictis in mare molibus, ipſe etiam Emanuel Rex inædificari curauit. vti ſalo vndique circundata, ab omni ſubita hoſtium vi, & impreſſione, tuta redderetur: nullæque naues, iis inuitis, qui turris præſidio impoſiti ſunt, propter anguſtias, ad vrbem propius auderent accedere. Hinc autem ad primum vrbis cornu, trium millium paſſuum intereſt ſpatium: quo excurſu crebra villarum ſuburbanarum ædificia, mira elegantia & amœnitate conſtructa, licet cernere. Rura item, ac paſcua, præter maximam omnis generis fructuum copiam, ſummam etiam pulchritudinem, ac iucunditatem ipſo aſpectu præſe ferentia.

Quod ſi ſingula quæ in vrbis ambitu inſunt, perſequi vellem, res profecto me longius quam oportet diſtraheret. Qua propter ab inſtituto non longe diſcedamus. Vrbis igitur Oliſiponis initium, ab hac parte, qua meridiem reſpicit, vetus regia ampliſſima, magnificoque opere pulcherrima, efficit, quam Ad Sanctos noſtri nuncupauit.

Nomen inditum loco, quod longo temporis ſpatio, corpora ſanctorum martyrum Veriſſimi, Maximæ, ac Iuliæ ibi recondita fuerint, donec ſub Ioanne rege eius nominis ſecundo tranſlata alio fuere. Qui quidem diui, dum Chriſtum dei filium orbiſque ſeruatorem conſtanter profiterentur, ſub Romano præſide, Oliſipone paſſi ſunt. Inde obliquo aggere, ſaxoque conſtructo ad veſtalium templum, cui diuæ Mariæ Spei nomen eſt, per cliuum ſenſim depreſſum itur: vnde rurſus eadem via in aduerſum montem conſcenditur, Cuius in tergo, ſacellum diuo Rocho nuncupatum conſpicitur.

EODEM deinceps tractu, in vallem amœniſſimam, mœnibus vrbis contiguam, hortiſque vndique conſitam, eſt deſcenſus: quæ à ſacello Eremitarum, Diuo Antonio

Digitized by Google

Antonio conſecrato, nomen olim ſumpſit. Nunc vero iis excluſis, ab adnunciatione Angelica deiparæ virginis facta, nomen habet, & à veſtalibus Dominicani inſtituti inhabitatur. Mox pari accliuitate collis naſcitur, denſiſſimo olìueto obſitus, vt non facile introrſus inſpici poſſit. A ſuperiori vero parte apertus, & ſacello diuæ Annæ, recens dicato, ornatus, quod ſumma cum religione, & reuerentia, magna item populi frequentia, ab omnibus hodie viſitur, & colitur. Ab hoc ſubinde per agrum compaſcuum, leproſaria, foroque boario interiectis, in aliam vallem non minus fertilem, iucundamque deuenitur. Quæ Mauruſia nuncupatur, ex eo quod poſt recuperatam de Saracenis vrbẽ, eo loci permiſſi ſunt Mauri habitare. Cuius ſiniſtram partem, quæ ad ſeptentrionem vergit, vbi campi diuæ Barbaræ incipiunt, angelorum ſacellum diuidit. Supra vallem hanc orientem verſus, mons excelſus imminet recto, difficilique aſcenſu, à quo fanum diuæ Mariæ Montanæ, quod in ſummo montis culmine ſitum eſt, nomen accepit. Ab hoc præterea modico flexu, vtcunque directo itinere, ad vrbem reditur, ſtatimque obuium fit templum vetuſtiſſimum Auguſtinienſium monachorum, diuæ Virgini gratiarum ſacrum, introrſus eidem vrbis muro adhærens. Ex inde porro præteritis ditiſſimo cœnobio Vincentio leuitæ & martyri dicato, canonicorum diui Auguſtini, atque Gymnaſio non ita pridem celebri, antequam Rex Ioannes Tertius illud Conimbricam tranſtuliſſet, ad ripam Tagi decurritur, quæ aquilonare vrbis cornu ab ea parte efficit. Qua parte ampliſſimum, nobiliſſimumque veſtalium diuæ Claræ cœnobium, ad fluminis crepidinem ferme attingit: indeque auerſo itinere, ſacelloque diuæ virginis Paradiſiacæ interiecto, ad primam vrbis portam, quæ Crucis dicitur, iter eſt. Ab illo autem Claræ templo ad regiam veterem quam ad Sanctos antea nominari diximus, vbi meridionale vrbis cornu poſuimus, rectus margo, ſecundo mari ab oriente æſtiuo incipiens, in meridiemque excurrens, millia paſſuum tria ferme efficit. Eo igitur modo, latus hoc vrbis mari alluitur, reliquæ tres partes aditum habent à terra. Itaque collibus quinque, vallibus totidem feraciſſimis, & iucundiſſimis, vrbs tanto ſpatio complectitur, ita vt vniuerſus eius ambitus ſeptem millibus paſſuum deſignari poſſit. Certam autem eius formam deſcriptionemque, facile deliniari poſſe non arbitror, cum in ſolo montoſo, aſperoque ſita ſit. Nihilominus ſi quis ex oppido *Almada*, quod contra in vlteriore ſinus parte poſitum eſſe docuimus, rectis immotisque oculis, vrbis ſitum figuramque velit contemplari, ab ea præſertim parte, qua in vrbem traiicitur, illam certe veram veſicæ piſcis effigiem referre comperiet. Quod ſi ſolum omnibus ex partibus planum eſſet, à latere terreſtri, formam arcus demonſtraret: Interioris vero vrbis amplitudo & magnificentia, tanta eſt, vt cum cæteris omnibus Europæ vrbibus, & hominum multitudine, & ædificiorum pulchritudine, & varietate, merito contendere poſſit. Domorum ſiquidem amplius quam viginti millia ineſſe conſtat. Earumque ingens multitudo, tam principum virorum, nobiliumque, quam etiam priuatorum hominum, eleganter, & ſumptu prope incredibili conſtructa eſt, adeo, vt etiam parietes intrinſecus, fornicesque, ligno Sarmatico vndique veſtiti, vermiculato opere, auro, variiſque coloribus adhibitis exornentur In litore, fontes quam plurimi ex diuerſis vrbis partib per ductus ſubterraneos oriuntur, è quibus populus aquationem facit. Eorum vnum Regium nominant, marmoreis columnis, ac fornicibus eximie conſtructum, ſexque fiſtulis tanta aquę copia profluentem, vt vnus, vniuerſæ hominum multitudini potum pene ſuppeditet. Hic autem ſaporis, & ſplendoris, & lenitatis pręſtantia, omnium fontium, quos vſquam me videre meminerim, aquam aut æquat, aut ſuperat, Tepidam etenim cum effundat, paruoque ipſa poſt temporis momento reſederit, tum puriſſima, frigidiſſimaque ſuauiſſime bibitur. Duo præterea fontes haud ita procul, emergunt maximis aquæ ſcatebris, in mare breui ad modum fluxu prorumpentes. Quod ſi longiori diſtarent à mari interuallo, multæ frumentariæ molæ tanta aquarum vi atque impetu, quouis anni tempore facile agerentur. Cæterum lotricibus, alutariis, fulonicisque opificibus plerumque ſeruiunt. Non multo deinde interiecto ſpatio portam crucis verſus, fons alius. aut vt verius dicam ſtagnum emergit : qui Equorum dicitur, propterea quod per ænea ſtatuarum equeſtrium labra, aquam ore affatim vomentium, inſtar fluuioli curſum tenet. Sunt denique diuerſarum aquarum ſalientes fontes, puteique non pauci in omni parte vrbis, magnam ciuibus commoditatem afferentes. Quos omnes in præſenti ſigillatim enumerare, non huius inſtituti multum intereſſe videtur. Ad reliqua igitur vrbis ornamenta breuiter, ac ſummatim delibanda veniamus. Atque vt antiquam in ſumma arce regiam, quæ in editiore vrbis par-

Digitized by Google

te poſita eſt (opus ipſam antiquitatem vere repræſentans) omittamus. Oliſipo ſeptem inprimis ingentibus ædificiis ſingulari Regum noſtrorum conſilio, ſumptuque incredibili magnificentiſſime extructis, hoc tempore illuſtratur. Horum primum, vt à religione initium faciamus, Miſericordiæ templum eſt, quadrato vndique lapide eleganter extructum non infinito prædiorum cenſu, ac prouentibus annuis vberrimis, quemadmodum plæreque omnes noſtræ ætatis baſilicæ, ſed ſola optimatum, ac piorum hominum benignitate ita ſuſtentatum, vt prope fidem ſuperet, quantum in annos ſingulos ex collatitia ſtipe, in pauperes impendant, Huius qui curam gerunt, ſodales, ſiue vt expreſſius dicam, fratres Miſericordiæ nuncupantur, quibus, propter & generis & nominis claritatem, & ſummam etiam pietatis probitatiſque exiſtimationem, negotium defertur. Siquidem illi omnes communi conſilio parique animorum voluntate, illud Miſericordiæ ærarium adminiſtrant: quod ex fortuitis tantum modo hominum piorum largitionibus, eleemoſynisque conflatum eſt. Ex quo ſumma ſodalitii fide & integritate, nullo habito perſonarum delectu egentium omnium inopiæ conſulitur, ac prouidetur, præſertim puellarum pupillarum, quibus inde, iuxta cuiuſque qualitatem, dotes in matrimonium conferuntur. Tum etiam eorum qui graui aliquo incommodo, aut calamitate preſſi, vitam in mœrore, rerumque anguſtia trahere coguntur. Quo fit, vt multorũ tam incolarum, quam exterorum mentes, ad largiendum alliciat, perpetuus ille ordo incorruptaque ratio ærarii quotannis in pauperes exhauriendi. Nihil enim in eo pecuniæ vltra annuum tempus aſſeruari fas eſt, nec item prouentus habent, nec ex inſtituto legibuſque ſodalitii habere licet. Quod ſane eo magis admiratione dignum videtur, quod ex ærario amplius viginti quatuor, aureorum ducatorum millibus in ſingulos annos conſtet egentibus erogari. Quin nonnullis annis numerum quadraginta millium æquaſſe vel ſuperaſſe, compertum eſt. Secundo loco ſequitur alterum Miſericordiæ, ac humanitatis exemplum, Valetudinarium videlicet commune pauperum, infirmorumque hominum, nomine Omnium ſanctorum, non magnificentia ædificiorum, non ſumptuum magnitudine, non denique benignitate erga pauperes, variis corporis morbis conflictatos, & expoſitos infantes quos nutriendos alendoſque curat, priori illi cedens. Id quatuor diuiditur clauſtris, hortiſque amœniſſimis, porticibuſque quatuor & triginta, quibus circumcirca continenter adhærent ædes magnificæ, tricliniis, lectis culcitriſque mundiſſimis decenter ornatæ. Ibi pauperes ægrotantes benigne, liberaliterque excipiuntur: nec niſi recuperata in integrum valetudine, inde dimittuntur, dato inſuper quibuſdam viatico, quo ſe non paucos dies, dum firmiores, valentioreſque effecti fuerint, ſine vllo labore ac moleſtia ſubleuare poſſint. His porro quæſtorum, curatorum, medicorum, pharmacopolarum, cæterorumque miniſtrorum domus recte diſtinctis ordinibus coniunctæ ſunt: vt infirmis, ſi quis caſus neceſſitaſue acciderit, præſto ſemper adſint, dieſque nocteſque pro ſe quiſque ſedulo diligenterque inſeruiant: adeo vt inter reliqua regia xenodochia quibus ampliſſimis celeberrimiſque Hiſpania paſſim præter cæteras orbis Chriſtiani prouincias referta eſt, noſtrum hoc facile principatum ſibi vendicet. Pro huius vero foribus campus patet apertus, planus vndique, quadrato ædium pulcherrimarum ordine circumdatus, à quo diui Antonii & Mauruſia valles, quarum ſupra mentionem fecimus, in Δ literæ figuram ſe contingunt ac diuerſis poſtea plateis in corii bubuli ſimilitudinem detracta cauda, explicantur, mare verſus decurrentes. Ad dextrum deinde eiuſdem xenodochii latus, medium inter aquilonem & occidentem, diui Dominici templum ſitum eſt, ac collegium celeberrimum, cuius ex aduerſa fronte campo interiecto occidentem verſus, tertium extat monimentum, à Diuo Petro, Ioannis regis huius nominis primi filio ſumptu publico conſtructum, domus reuera ampliſſima mirificoque opere admodum conſpicua. Quam eo tantum conſilio inibi, dum nomine Alfonſi quinti, ſui ex fratre nepotis, regni regimen ſuſtinuit, extrui imperauit, vti exterarum gentium regumque legatis, eo loci hoſpitium præberetur: publiciſque ſumptibus ibidem liberaliter magnificeque exciperentur. Inde ſi recto itinere ad litus ire perrexeris, relictis ad dexteram in loco eminentiore cœnobiis Carmelitarum, Franciſcanorum, ac ordinis Trinitatis, magnifica, ſumptuoſaque ſtructura nobiliſſimis, regiam nouam plateam, anagliptariis, annulariis, cœlatoribus, vaſculariis, fabris argentariis, & ærariis aurariis, item argentariiſque refertiſſimam, præteriens, in aliam eodem pariter nomine nouam mercatorum, continuo flectens ad læuam, deuenies, cæterarum omnium longe latiſſimam, ædificiiſque pulcherrimis, vtrinque exornatam, Illuc omni-

bus ſe-

bus fere ex partibus orbis, & gentibus quotidie mercatores certatim conueniunt, maximo hominum concurſu atque frequentia, propter commerciorum portuſque opportunitatem. Eademque via contra ſeptentrionem progredienti, ad læuam portorium vetus obiicitur: vbi pro mercibus importatis publica regi vectigalia nuper pendebantur. E regione huius portorii forum quod veteris pali vocatur apparet, in quo ſemper non pauci homines menſis aſſidentes reperies, quos notarios vel librarios vocare poſſimus, nullis tamen ciuitatis miniſteriis obligatos. Hi omnes ex hoc vitæ genere ſibi alimentum ſuppeditant, quod omnium accedentium, menteſque ſuas explicantium, ſenſum aſſequantur, ordineque in eodem ipſo loco ſubito ſchedis, ſcribant petentibusque dato pro ratione materiæ pretio, tradant, in tantum, vt literas, epiſtolaſque amatorias, elogia, orationes, epitaphia, carmina, laudes, parentalia, petitiones, ſyngrapha & cuiuscunque generis alia quæ ab eis poſtulaueris, ad ea habeant diſpoſitum ſcribendi ſtylum, quod nuſquam in totius Europæ vrbibus fieri vidi. Vnde Oliſiponis magnitudinem, & hominum frequentiam facile quis iudicabit. Dehinc recto itinere ad templum Miſericordiæ, de quo iam diximus, iter eſt, contraque eius veſtibulum ex orientali latere, quartum apparet ædificium, regis Ioannis hoc nomine tertii, perpetua memoria digniſſimum. Duplex nempe magnificarum ædium ſtructura, totidem porticibus, vtrinque triginta duobus arcubus, octoginta quo cellis exornata, anguſta, æqualique areola interiecta: quam domum frumentariam reipublicæ, ac quaſi Luſitaniæ nutricem merito nominare poſſis. Ea ſiquidem mente horreum ibi publicum à rege optimo ac prudentiſſimo conſtitutum eſt: vt ſublato frumenti leguminumque omnium portorio quod non ſine fiſci magno detrimento, ipſe omnium regum Luſitaniæ primus plebi elargitus eſt, ſpeque ingentis quæſtus mercatoribus propoſita, frumentum vndique ab eis conuehitur. Eo pacto breui plebs annonæ caritate ſubleuatur. Quod ſane magno reipublicæ commodo factum eſſe nuper experti ſumus. Poſt huius tergum, nouum portorium inhæret, ipſam maris crepidinem attingens, immanis quædam lapidum moles, tignis trabalibus confertim immiſſis, ac fiſtucationibus in mare adactis, ſuffulta, regiſque eiuſdem iuſſu ſumptuque conſtructa, cui merito ob ædium magnificentiam, & operis pulchritudinem, quintum in hoc ordine locum tribuendum eſſe duximus. Eodem tractu ſecundo mari, campus latus admodum ineſt, à noua portorii, horreique ſtructura, tum à ſeptentrionali, tum ab occiduo latere, pulcherrimarum ædium ſerie circumſeptus, tum maxime à meridionali, porticu iucundiſſima aſpectu, ad litus vſque ornatu ſummo, deductus. Nam aliud latus quod orientem hibernum reſpicit, mare includit. In eo forum ineſt piſcarium, vnaque forumque cupedinis conſtitutum, quo cetarii, ſartores, cupedinarii, lanii, panifices, dulciarii, gregati quotidie concurrunt, omnia quæ ad vrbem veſcendi cauſa afferuntur, vendentes. Præterea, propolarum, inſtitorum, cauponum, ſtabulariorum, linteonumque tabernæ ibidem inſtructiſſimæ viſuntur. In hoc vero piſcario foro, certa quantitas corbium depoſita eſt, magiſtratuum edicto, quibus cimbis piſcatoriis appulſis, piſces à mediaſtinis in forum ad venditrices aduehuntur. Hi quidem corbes ſingulis annis à magiſtratu, piſcatoribus, plus minus, duobus millibus ducatorum locantur. De qua ſane re, an cauſa adaucti vectigalis, ciuitati congratuler, an tam latentem tyrannidis ſpeciem reprobem, dubius & perplexus ſum. Nec huic loco talia conſerui, niſi vt vrbis opulentiam externis hominibus patefacerem. In huius vero campi occiduo ſinu, eodem piſcario foro à tergo relicto, mercatoque panificum, holitorum, fructuum venditorum, aucupumque interiecto, nec non macello, domus quam noſtri Septenſem nominant, ſita eſt, in qua regii præfecti negotia ad bellum Africanum ſpectantia expediunt. Non procul præterea ab hac domo, contiguo ædium ordine, ſextum monumentum, opere admirabili factum extat: præda ſpoliiſque multarum gentium regumque refertiſſimum, quod ab Indicis negotiis, quæ ibi pertractantur, domum Indicam vulgus noſtrum appellat. Attamen meo quidem iudicio, aromatum, margaritarum, carbunculorum, ſmaragdorum, aliarumque eius generis gemmarum, quæ quotannis ad nos ex India deportantur, emporium copioſiſſimum, tum auri quoque & argenti facti infectique, horreum ampliſſimum verius appellare poteris, quod cellas ibi quam plurimas miro artificio atque ordine diſtributas, maxima omnium harum rerum copia affluentes, ab omnibus conſpici poſſe palam eſt, vt me hercule, fidem res ſuperatura ſit, niſi id omnium oculis obiici, manibuſque in horas pene contrectari videremus. Proinde ex regia, quam ibi deſuper Dominus Emanuel ampliſſimam, & ſumptuoſiſſimam ſibi fabricatus erat, porticus latiſſima velut muſculus, vt demon-

ſtrauimus (à qua campus de quo paulo ante mentionē fecimus à meridionali latere ſepitur) in mare prorumpit, in cuius fronte ad Orientem verſus, turris vndique quadrato ſaxo mire exculta, litori imminet. Ad hoc ibidem in ipſo litore aliud ædificium opere mirabili à fundamentis modo facere occepit potentiſſimus Ioannes. III. Rex dominusque noſter, quod cum Deo diuiſque ꝓpitiis ad exitum perduxerit, octauum locum ciuitatis ornamenti obtinebit, ac reliquis omnibus palmā facile præripiet. Poſtremò ei regiæ, quam diximus Emanuelem ædificaſſe, è regione huius nouæ inſtructuræ, occidentem verſus, platea interpoſita, contiguum eſt ſeptimum, vltimumque publicum monumentum, cellis quam plurimis, ac tricliniis quaquauerſum artificioſe fabrefactis inſtructum, vt ob interiorum ædium multiplices receſſus aditusq; diuerſos, Labyrinthum eſſe vere exiſtimes. Ibi Reges noſtri armamentariū ingenti armorū omnis generis copia refertū conſtituerūt, machinarum item & tormentorum, tum rerum omnium quæ ad bellum terra marique gerendum pertinent apparatu, adeo inſtructum, vt cæteris omnibus, quæ Europa Aſiaue hodie inſtructiſſima copioſiſſimaque habere fertur, quorum optimam partem vidimus, & multitudine machinarum, & infinito armorum telorumque numero facile præſtet. Id vero hoc argumento me cuiuis facilius probaturum puto, quod Rex in ordinariis tantum naualibus, expeditionibus, naues plures ducentis omnium generum perpetuo inſtructu optimeque armatas in Aſia, Africa Europaque habere cogitur. Tribus autem harum ædium cellis, quadraginta millia peditum armorum corpora, ac tria millia cataphractorum integra quaſi ex depoſito diligentiſſime, nitidiſſimeque cuſtodiuntur, præter ea quæ ad quotidianos & extraordinarios motus depromuntur. Bombardici quoque generis, Mortarios, Scorpiones, Baſiliſcos, Leones, Colubrinos, Camelos, Petrarios, Diſperſores, Ruptoresque inuſitatæ magnitudinis, & ponderis. tum reliquorum etiam vulgarium miſſilium, quos Falcones, Bercios, Sclopposque vulgus appellat: Pulueris item, & globorum, tam ex ſaxo quam ex ferro tantam vim & copiam aſſeruari compertum eſt, vt ſi ſingulas omnium diuerſaſque formas, numerum, pondusque, per partes explicare coner, verear ne falſa iis, pro veris huic operi videar inſeruiſſe, quibus hæc legendo duntaxat, vel audiendo, percipere ſufficiet. Ad reliqua igitur pergamus. Vrbs ex ea parte qua mari adluitur, vt paulo ante demonſtrauimus, vtpote nobiliſſima eius parte, portis duabus, & viginti diſtinguitur: pars vero quæ continentem reſpicit, ſedecim, quibus omnibus, propter infinitam hominum multitudinem, eiuſque ambitum latiſſimum, maxime indigere videtur. Turribus autem per murorum gyrum ſeptuaginta ſeptem munitur. Templa vero, quæ à Græcis parœciæ appellantur, in quibus ſacramenta fidelibus omnibus ſubminiſtrantur, quinque & viginti numerantur, præter ea, quæ plurima monachis, Anachoritis, veſtalibuſque virginibus ſunt attributa. Huic loco nonnihil in laudem eccleſiaſticæ muſicæ adiiciam, idque veriſſimum compertiſſimumque inter omnes ciues habetur. Nempe quod in præcipuis anni feſtis diebus, ex ipſa vrbe Oliſipone, vltra triginta abſolutos cantorum choros, ad ſacra modulato cantu, in pagis villiſque circum vicinis canenda, vna die cuncti exeant: omnibus vrbis templis, in quibus muſica modulata canitur, ex eo nihil detrimenti, ad ſuas celebrandas feſtiuitates capientibus. Societates vero, quas confraternitates vocant c x x x i. ſunt, in quarum vſum ingens à ſodalibus quotannis conflatur pecunia, quæ in pauperes, & alios vſus neceſſarios ſummo ordine elargitur. Quod ac ad loci, ſituſque ſalubritatem, & aeris temperamentum attinet, tanta certe ſoli, cœlique clementia, & amœnitas eſt, vt nullo fere vnquam anni tempore, nec æſtas, nec hyems immoderata ſentiatur, quo factū eſt, vt multi mortales ex diuerſis nationib. terriſq; remotiſſimis, cœli puritate pellecti, illuc cōmigrarint: derelictoq; ſoli natali & patriæ cura poſthabita, perpetuā ibi ſedē, vitæq; domiciliū poſuerint. Vrbis vero territorium, ſuburbanis, ruſticiſque villis ædificiiſque magnificis, quocumque oculos verteris, propter agri fœcunditatem vndique refertum videas, tanta etiam hominum frequentia, vti ſecundis iam pridem rebus, perpetuaque pace cum finitimis parta, complures iam ruri potius, quam in vrbe commorandi deſiderium teneat. Agros enim paſſim, non vicis pagiſque ſolum, ſed templis etiam, clauſtriſque innumeris & ornatiſſimis, frequentari, cum tanta animi voluptate videmus, vt villæ, tam ruſticæ, quam ſuburbanæ, numerum ſexcentarum excedant. Pagos vero qui ab vrbis magiſtratibus ius petere coguntur, ducentos quadraginta numerant, inter quos ſex & triginta, priuatis propriiſque iudiciis ac prætoribus vtuntur, ſuiſque oppidanis iuriſdicendi poteſtatem habent, incolarumque controuerſias per ſe omnes diiudicant, & finiunt, niſi cum de cauſis capitalibus, grauioribusque agitur. Tunc enim ad ſummum vrbis magiſtratum prouocatur, eiuſque

iuſque ſententiam requirere compelluntur. Denique vt ea quæ inſigne aliquod ornamentum vrbi afferre poſſunt, breui velut epilogo complectamur, ad Tagi ripam quinquageſimo circiter ab vrbe lapide, flumine aduerſo, oppidum Scalabis ſitum eſt, peruetus atque inter pleraque alia Luſitaniæ oppida percelebre, quod Plinius quintam Luſitaniæ coloniam fuiſſe, atque præſidium Iulium olim vocatum teſtatur, noſtri hodie SANCTARONAM VOCANT. De qua re plura apud Reſendium noſtrum antiquitatis amatores inuenient. Inde quoniam in montis excelſi admodum iugo poſitum eſt, in campum apertum & planum, longe lateque deſpicit, qui campus Tago medius diuiditur, maxima terræ fertilitate, quæ cæteris omnibus, vſque eo præſtat, vt modicæ arationes, quotannis pro vallis anguſtia, incredibiles tritici aceruos afferant. Ad tantam autem ſoli vbertatem id laudis non pudebit connectere, quod multis dictu vix credibile videbitur, ſexageſimo nempe poſt die, quam ſementis fieri cœpta eſt, ſegetes momento fere temporis adultæ, ac præmaturæ ſecantur, teruntur, & ſi libet, moluntur. Verum vt ad propoſitum reuertar, Tagus qua Scalabim adluit, vſque ad vrbem latiſſimo alueo defertur, atque altiſſimo. Nec eo contentus, interdum multos ſinus vltro citroque, & inſulas efficit. Eo itidem interuallo, oppida, pagi, villæque aſpectu, ſituque gratiſſimæ ac amœniſſimæ conſpiciuntur. Medio fere curſu cis Tagum, occidentem verſus, oppidum Alanquer ſitum eſt, quod, vt ſentit Reſendius, priſca ſecula Gerabrigam appellabant. Locus natalis noſtri, cuius nouam interpretationem ſi propius inueſtigare libuerit, Alanorum eccleſiam lingua Saxonica ſonare comperies: nec à veritatis via multum aberrabis. Alanos ſiquidem cum vniuerſam Europam cædibus, incendiiſque vaſtando peragraſſent, iis locis conſediſſe, eaque tantiſper incoluiſſe ex multorũ annalium monumentis compertũ eſt, dum Gothis ſuperuenientibus ex prouincia prorſus diſcedere, aliaſque terras quærere coacti fuerint. Quæ gens omnis lingua, moribus, vicinitateque, Saxonibus ab origine fere ſemper coniuncta fuit, & ad hunc vſq; diem mutuo quodam vinculo propinquitatis ſeſe refouent. Ad huius vero oppidi radices (eſt enim eius præcipua pars in ſummo montis præalti culmine ſita) fluuius è multis fontiũ riuis ſubterraneis oritur peramœnus, piſciumque multo feraciſſimus, qui arboribus vtrinque conſitus, ſole meridiano, magniſque caloribus, vmbram efficit, quo homines, vt plurimum ſecedunt, gratiſſimam. Mox magno impetu inter confragoſa montis, in planiciem apertam delatus, ſexque à capite fontium paſſuum millibus, in Tagum diffunditur, qua parte Tagus crebras inſulas emittit, quæ omnes frumento, paſcuiſque pinguiſſimis abundant. Attamen earum nulla hoc tempore caſtellis, pagiſve, aut vitibus colitur, vt Strabo ſcriptum reliquit Quæ res Tagi ipſius alluuionibus vetuſtateque temporis fortè deficientes, hoc gloriæ corollario cohoneſtantur, quòd hodierna die, Tagus ipſe per vniuerſa Oceani litora, in Aphrica, Aſiaque, leges & inſtituta det, quibus ipſarum prouinciarum reges, principesque, ſponte vel coacti parent, tributaque Luſitanis ſoluunt, Chriſtique fidem indies magis magiſq; non pauci colunt. Quod non in Indorum ditionibus modò, ſed in Chinarum etiam terminis, ac Iapponum finibus, gente antehac Europæ incognita, ſumma cum reuerentia fit. De innumeris verò exoticis rebus quæ ex noſtris vniuerſæ Indiæ, Perſiæ, Arabiæ, Æthiopiæ, Breſiliæ, Aphricæque ditionibus, in hanc vrbem toto anni circulo aduehuntur, deportanturque, cùm de omnibus iis ſatis luculenter, in eo opuſculo, quod de fertilitate & opulentia Hiſpaniæ emiſimus, tractemus, nullam conſulto hic facere mentionem ſigillatim voluimus. Si quis forte id cognoſcere auide cupierit, ipſum librum conquirat, quæſitumque legat. Cæterum ſi lectori noſter hic labor diſplicuerit, ſciat nos non ita hoc opus cudiſſe, vt itinera aliis ſcriptoribus intercluſa à nobis eſſe opinemur. Nam ſi forte aliquis de origine, & vrbis ſitu compertiora in medium attulerit, rem profecto gratam cunctis, nobiſque in primis fecerit.

DE REBVS, ET IMPERIO LVSITANORVM AD PAVLVM IOVIVM DAMIANI à GOES DISCEPTATIVNCVLA.

Paulus Iouius.

HVIVSMODI multa ſunt doctiſſime Bembe, quæ quotidie à noſtris in Africa, Aſiaque pro ſacroſancta fide catholica aguntur, quæ ſi Paulum Iouium Nouocomenſem, virum (vt fatear) doctum, non latuiſſent, ea quæ in ſua Moſcouitarum legatione, deceptus cuiuſdam Pauli Centurionis Genuẽſis verbis, ſcribit, nunquam in lucem dediſſet. vbi eundem Paulum iniuriis Luſitanorum accenſum, ita aſſerentem introducit, Luſitanorum nauigationibus, non ſolum itinera reliquis nationibus in Indiam intercludi, verum etiam omnia aromata, inibi comparata, ingenti quæſtu Oliſipone, bona dum ſeruant, corruptaque proſtituunt, venundari. Id autem non dabimus Pauli verbis, vt hanc impoſturam agnoſcamus. Siquidem ſingulis annis, à Regis noſtri negotiatoribus,, omnia ad vnum aromata, quæ ex India portata fuerint, diuenduntur. Nũquam enim inde tantum aromatum aduehitur, quin facile vertente anno ab Europa abſumatur, præter piper, quod in multos annos ſine corruptione ſeruari poteſt. Nec credo Paulum illum Genuenſem ob publicum bonum talia blaterare, ſed proprio commodo ad iſtius verba incitari, propter quod & cæteræ quoque nationes, noſtræ inuident nauigationi, potius ſuum lucrum affectantes, quam propagationem religionis. Porro nos id quoque quod confiteri nefas non eſt, emolumentum etiam & opes ex noſtris peregrinationibus quærimus, ſine quo vix tota Europa ſuſtinere poſſet ſumptus, quos quotidie facimus. Certe vel ob id laudari debemus, quod non vt inermes negotiatores ad quæſtum tantummodo aromatum per Oceanum oberramus, vt multæ nationes Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæque antiquitus fecere, & modo faciunt, ſed exercitibus, & claſſibus inſtructi maximo cum metu hoſtium, non tam pomeria noſtræ ditionis, quam Chriſtianæ fidei prorogamus. Nec, vt falſo multi opinantur, ex omnibus noſtris nauigationibus lucrum elicimus, ſed ex pluribus pro religione dimicando, magnam hominum ac pecuniarum iacturam facimus, vt in Mauritania, & Atlantico littore, vbi domitis, & in mancipiorum genus redactis Mahometanis omnibus, qui Luſitaniam occupabant, idque multis annis, confligendo paucis noſtrorum copiis. Deinde Caſtellanis, eorumque ſociis omnibus, ac Gallis, vnico prælio ad Scalabitanum deuictis, ac ex regno depulſis, ſubito Abylam, ſiue Ceiptam celeberrimam ciuitatem in freto Herculeo ſitam occupauimus. Poſtea vero Reges Fez & Heſperidum multis conflictibus ſubactis, Tingidem, Argillam, Alcacerem, Tutuanum, Aſaphium, Caſtellum Regale, ac Aſſamorum, Titium & Maſſaganum, iſtorum Regum patrimonia expugnauimus, & alia oppida, quæ excidiis deleta ſunt. Ex quibus locis omnibus non ſolum nihil commodi Regi noſtro accreſcit, ſed etiam ingens ſumptus impenditur, idque cum iactura multorum nobilium, quos ibi perpetuo in præſidio habet. Vtinam doctiſſimus ille Iouius iſta vna cum iis, quæ in Æthiopia à noſtris geruntur, perſpecta habuiſſet, vbi noſtra opera & ſermone potentiſſimus Rex Manicongri cum toto ſuo regno (quod in longitudine tria millia millium paſſ. habet, in latitudine vltra duo millia millium) fidem Chriſti accepit, eamque indies magis magiſque colit. Deinde vtinam & id quoque cognitum habuiſſet, quomodo in omnibus Guineæ ac Nigritarum regnis, quæ plurima ſunt, & ad montes Lunæ ferme vſque atque in regnis Zofalæ, Bennamataxæ, Mocambiqui, Quilloæ, Monbacæ, Melindi, & in aliis, atque in inſula diui Laurentii, & vſque ad Arabicum ſinum, liceat eandem Chriſti fidem per nos prædicari, atque in latiſſima Auſtrali Braſiliæ plaga, vbi multas colonias nunc habemus. In quibus Regnis, multi ad ipſam religionis veritatem à noſtris concionatoribus perducti ſunt. Præterea noſtris quoque armis & in claſſibus fit, vt liceat (idq; noſtris magnis ſumptibus) Oratores potentiſſimi Precioſi Ioannis Æthiopum Imperatoris, tuto aulam Romanam commeare, ac principis ſui verbis, Romanum Pontificem vt ſupremum Epiſcopum agnoſcere, ſubditorumque obſequia polliceri, id in mandatis habentes vt ſe Catholicæ Eccleſiæ coniungant. Quæ res adeo præclara, vt gratulatione, non odio proſequenda eſſet, ſi vere Chriſti cultores eſſemus. Iam vt omittam, quo pacto noſtri ſæpius ſinum Arabicum pererrantes, Suezium vſque peruenerint, omneſque ferme eius litorales ciuitates euaſtauerint, ac templa Mahometanorum incendiis abſumpſerint. nec id quidem ſine ingentibus ſumptibus, ac magna

noſtrorum

hoſtrorum iactura conficitur, quæſtu prope nullo. Rurſum quod regnum Adenenſ. nobis tributarium cum Fartaquorum regno fecerimus. ſinumque Perſicum in ditionem, iuſque noſtrum fere totum redegerimus. Vbi regnum & inſula Oromuziæ, iam tanquam Luſitaniæ legitima patrimonia ſita ſunt. Adhæc regnum quoque Cambaiæ, à nobis hoc tempore domitum eſt, & eius firmiſſima ciuitas Dium occupatum. In quo loco ingens claſſis Sultani Babyloniæ, milite etiam Chriſtiano inſtructiſſima, ac trecentis Regis Cambaiæ nauibus, quas Attalaias vocamus, & quadraginta Regis Calecutii, quas Parahos nominant, à Prorege Frãciſco de Almeida anno milleſimo quingentiſimo nono profligata eſt, pletiſque nauibus, aut captis, aut demerſis cum ingenti hoſtium clade. Quid hic referam Dacam, Cheul, Dabul, Bandam, ac Inſulam Goæ, quæ tota iam Chriſto paret. Poſtremo quod ad Reges Narſingæ, Honori, Batecallæ, Otiſæ, Deli Cananori, Callequi, Calecutii, Cochini Coulani, inſulæq; Seylani, & vltra Gangem ad reges Bengallæ, Pegui, Syani, & ad magnam Malachæ ciuitatem, quam primo Alfonſus de Albuquerque Prorex, ditiõni noſtræ adiecit (cui etiam debemus Oromuziæ, ac Goæ imperium) & ad inſulam Samatræ. Ad Iauam quoq; minorem & maiorem, & ad inſulas Bandæ. Moluqui, & ad Borneum, poſtremo ad Chinam, ad Lequios denique nationem vix antehac cognitam, fidem Chriſti propagatam eſſe, quod noſtri non æſtimandis laboribus atque ſumptibus obtinuerunt, quorum Reges, & plures alii, quos omitto, multi ſe ſeruos Regis noſtri vocant, nonnulli tributarios, & confœderatos, alii amicos, apud quos ſiue ex fœderatorum genere ſint, ſiue ex numero dedititiorum, ab Herculeis columnis vſq; ad Chinam & Lequios per omnes prouincias maritimas, nobis authoribus, fides Chriſti celebratur, ita tamen, vt alibi id liceat colloquiis & ſermonibus, alibi publicis concionibus, nonnullis in locis phana quoque, & templa religioni Chriſtianæ dedicentur. Nunc certe IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS ET IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORVM, & ſpes eſt longius ſenſim ad mediterranea, fidem Chriſti propagatum iri, & Chriſto fautore, & noſtrorum prædicatione. Quibus rebus omnibus conſideratis, & quod Rex noſter à principio nauigationis noſtræ in Indiam cogatur perpetuo alere, tam in Mauritania, quam in ipſis Indiis, & in aliis quoque prouinciis, ordinarium & perpetuum exercitum, 20. ferme millium militum, quos ſumptus domeſticis opibus tolerat, nullis ad hoc ab amicis auxiliis corrogatis. His adiice claſſem pluſquam trecentarum omnis generis nauium, quas nunquam otioſas, ſed in perpetuis expeditionibus occupatas habet. vt iam non enumerem extraordinarios ſumptus, quos ad ſubita bella facere cogitur, nam quæ ſuperius recenſui, impẽſæ pacis & tranquillitatis ſunt, non bellorum, quæ ſubinde aliis ac aliis in locis gerenda ſunt. dum aut fines tuetur, aut ſocios protegit, aut fines imperii promouet. Quis piorum Chriſtianorum non deſinat nos maledictis laceſſere, conſiderans ad tot ſumptus ſuſtinendos magnum omnino requiri lucrum? Quod ſane nobis inuidere non debent, ſed potius augere, aromata noſtra carius emendo (quanquam à noſtris ſemper vilius vendita ſint, quam olim à cæteris nationibus vendebantur) vt ea pecunia Mahometani de facie terræ (quando alii Chriſtiani principes inter ſe dimicando Chriſtianam ditionem neglectui habent) deleantur, & ſacroſancta fides paſſim ac tuto prædicetur. Hæc omnia ſi ille bonus ac doctus Paulus Iouius ſciuiſſet, nunquam aut de quæſtu noſtro inuidiam mouiſſet, aut corrupta aromata pro integris vendi aſſeruiſſet, quippe cum edicto Regis, placitiſque totius regni mucida, adulterinaque ſemper crementur, id quod dum puer ab intimis cubiculis prudentiſſimi Regis Emanuelis eſſem, ſæpius vidi Oliſipone fieri. Cæterum, ſi qua iſtius rei culpa eſt, ea apud ſolos iſtos tabernarios, propolas, & inſtitores hæret, quibus nihil ſancti, niſi quod cum lucro coniunctum eſt, in quos animaduertendum eſſet, nam ii omnium generum mercimoniorum corruptela veriſſima ſunt. Hæc ſi Iouio comperta fuiſſent, non noſtras laudes arroſiſſet, ſed benigna prædicatione celebraſſet, quod illi ob terſiſſimam eloquentiam & facile, & expeditum fuiſſet. Hæc ad Dienſ. oppugnationem, de noſtrorum Luſitanorum geſtis, obiter adieci, vti per te (cuius amplitudo ſumma eſt) gratiam aliquam, & commendationem huic diſceptatiunculæ noſtræ conciliatem, quo illa ex tua autoritate maiorem vbique fidem emereretur.

Vale.

L. ANDREAE RESENDII EBORENSIS,

Antiquitatum Luſitaniæ, & de Municipio Eborenſi Lib. V.

ORATIONES ITEM, EPISTOLÆ HISTORICÆ, quotquot reperiri potuerunt.

IN HISPANIA DILIGENTER AB AMICO COLLECTA,
Nunc primum ſumma diligentia edita.

Ad CC. VV.
NICOLAVM ET SIMONEM
RODERICIOS fratres, Luſitanos.

Clariſsimo Viro
SIMONI RODERICIO
LVSITANORVM, QVI ANTVERPIÆ NEGOTIANTVR, COS. AMPLISSIMO.

ARNOLDVS MYLIVS, ARN. F.
BIRCKMANNVS S. D.

SI quibus ſua cuique ornandæ patriæ voluntas eſt, ampliſſime RODERICIE, parem facultatem cum ANDREA RESENDIO doctiſſimo Luſitano attuliſſent, næ, illi quæ in tenebris adhuc apud varias gentes deliteſcunt in apertam lucem euocaſſent. Ille enim omni doctrinæ genere, Poetica Oratoriaque facultate iuxta atque Hiſtoricarum Eccleſiaſticarumque rerum peritia, inſtructus, (teſte Ioan. Vaſæo Brugenſi, Eloquentiæ olim Salmanticæ doctore, qui illo Eboræ Luſitaniæ viſus antea fuerat familiariter,) ad patriæ antiquitates illuſtrandas ſic aggreſſus eſt, vt qui hominis induſtriam mirentur, plurimos, qui vero imitentur, paucos inuenias: quare etiam RESENDII pectus amabit, quiſquis literas amat, & patriæ ſtudium inter virtutes adnumerat. Quæ quidem Antiquitatum & ſacræ Hiſtoriæ monumenta, paucis hactenus vel viſa vel cognita, quo ad omnes manaret vtilitas, cum amici beneficio in Hiſpania, pridem collecta, ad manus noſtras perueniſſent, quod optumo cuique luce digna viderentur, ARNOLDVS MYLIVS parens optumus, euulganda cenſuit, &, me quidem curante, clariſſimi nominis tui auſpicio, in publicum referenda exiſtimauit: ſperans fore, vt te patrono ab inuidorum calumniis liberentur Reſendianæ vigiliæ, proſintque iis, qui gentium variarum origines, ſitum, mores, rituſq; ſacrorum, è mutis quidem magiſtris, h. e. libris ſed ſumtu exiguo, ſed periculo nullo, domi auent cognoſcere. Quamobrem vt labori noſtro in colligendis tanquam naufragii diſperſis tabulis, ANDREÆ RESENDII hiſtoricis ſcriptis omnibus quæ nanciſci licuit, faueas, libenterque accipias etiam atque etiam rogo. Quod te facturum pollicetur innatus omnium animis amor patriæ, quo, vt in id, quod ad patriæ laudem facit, neruos omnes intendant, natalis etiam ſoli deſcriptores inter amiciſſimos agnoſcant, pietatis amantiores impelluntur: humanitas etiam illa tua prope ſingularis, qua in tantis opibus, Dei benignitate larga manu tibi conceſſis, inopes in Xenodochiis libenter ipſe & viſis, & alloquiis, teque iuuas: Quem tibi in æterna illa beatudine theſaurum fore qui nec eripi poſſit nec corrumpi, nemo dubitat. Vale, & ſtudia litterarum, potes enim, ope iuuare perge. Coloniæ Agrippinæ A. D. IIII. Gal. Mart. ſacro anno ſæculari CIↃ. IↃ C.

VITA

VITA

L. ANDREAE RESENDII

Luſitani,

Collecta ex ea quam

IACOBVS MENOETIVS VASCONCELLVS I. C. CONSCRIPSIT.

ANDREAS *Reſendius Eboræ natus anno* CIↃ. CCCC. XCIII. *Quæ vrbs Olyſiponenſi inter Luſitaniæ vrbes dignitate proxima, olim* LIBERALITAS IVLIA *cognominata eſt, Plinio auctore, marmoreiſque Inſcriptionib. Patrem habuit Andream Vaſæum Reſendium, ex equeſtri ordine: matrem vero* Angelam *Leonoriam Vaſiam Goes, feminam, vt natalibus, ſic pudicitia claram. Vnde etiam ipſe Reſendius* Angeli *prænomen, aliquandiu vſurpauit, quod ex librorum titulis, quos in prima ætate edidit colligere licet. Infans patre orbatus, à matre liberaliter eſt educatus: cuius etiam pietate adductus adoleſcens etiamnum S. Dominici ſodalibus nomen dedit. Pie hic & religioſe à Præpoſitis Eboræ educatus, illorum auctoritate Complutum Carpetanorum adiit: vbi* Antonio *Nebriſſenſi magni nominis* Grammatico, *ac Rhetori operam dedit: poſt* A*rium Barboſam* Luſitanum, *Græcas litteras profitentem, audiuit. Cumque in illo felicioris ingenii indoles eluceret, à matre & propinquis admonitus vt, grauiora ſtudia capeſſeret, Salmanticam proficiſcitur: vbi decurſo laudandarum Artium curriculo,* Theologiæ *operam nauauit, magnoſq; breui progreſſus fecit. Deinde vero in Galliam ad vberiorem ingenii cultum, parandamque e peregrinatione prudentiam, profectus,* Lutetiam *adiit, diſciplinis ingeniiſq; florentem Academiam, tranſactiſque menſibus aliquot,* Louanium *Grudiorum ſe contulit in Belgium. Inde à Petro Maſcarenio Luſitano nobiliſſimo, (qui tum ad Cæſarem Carolum* Regis Legatus *Bruxellis verſans,, incredibili diſcendi flagrabat cupiditate) honorifico præmio euocatus, docendo induſtria, eruditioniſque ſuæ exſpectationem non æquauit modo, ſed & ſuperauit. Hunc & in Pannonica expeditione ſecutus, fidem illi ſuam probauit: vt & Cæſaris caſtra Petrus ſecutus erat, aduerſus* Solimannum *Turcarum Imp. Viennam* Auſtriæ *obſidere parantem: ſed re infecta, Caroli quinti virtute, fugere, magna etiam copiarum parte amiſſa, coactus tyrannus eſt. Cæſari vero notus, & doctrinæ opinione carus etiam* Reſendius *fuit: maxime vero Ioanni tertio* Luſitaniæ Regi *acceptus, & in aula eius aſſidue verſatus: numquam tamen, quæ erat animi celſitudine, ad honores opeſq; paruo contentus, aſpirauit.* Latere *nimirum ſine inuidia, & fallere, quam in excelſo loco digito monſtrari, perpetuo maluit. Iuuenis adhuc Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, & Italiam luſtrauit. Maſſiliæ enim vltra biennium commoratus, ad* Aquas *Sextias Hypodiaconatus & Diaconatus ordinem ſuſcepit; vt epiſt. ad Kebedium ſcriptum reliquit. Mox non ſine magna nominis celebritate, domum reuerſus, matrem deceſſiſſe comperit: cuius obitum quo animo tulerit, Tabula, quam ſepulcro ex antiquorum formula, ſcripſit affigendam, ſatis oſtendit. Placuit eam ob elegantiam apponere.*

MEMORIÆ ET PIETATI DICATVM

SALVE MEA MATER FOEMINA INNOCEN-
TISS. CVI ME INTER CVNAS RELICTVM
PIVS PATER FIDEI TVÆ NON IGNARVS.
EXTREMA VOCE COMMISIT MORIENS.
QVVIVSQ. PERPETVO CASTISSIMOQ. VIDV-
VIO EDVCATVS LIBERALITER ANNOS XXX-
III. QVIDQVID ID ÆTATIS SVM. QVIDQVID
FVTVRVS POSTEA. ADCEPTVM FERO. AVDI-
TA MORTE TVA ADSVM AB VLTIMIS GERMANIS PA-
RENTATVM. CONLACRVMANS MÆSTITER IVSTA SOLVI.
ET QVONIAM TE VNA MEA MATER ADEMPTA MISE-
RABILEM ET ORBVM TÆDET PATRIÆ OLIM DVLCISSI-
MÆ. ITERVM PEREGRE REVERTOR.
L. ANDR. RESENDIVS ANGELÆ LEONORIÆ VASIÆ
MATRI PIENTISS. ET B. M. D. S. P.

Fixum id animo ſedebat, cum matri iuſta perſoluiſſet, patriam relinquere, ne in oculos quotidie mœroris cauſſa incurreret, niſi Ioannis Regis, *& fratris eius Alfonſi S.R.E. Cardinalis ampliſſimi iuſſu manere, vt Reipub. vtilis futurus ciuis, coactus fuiſſet, itaque vbi tum regni ſedes erat, ædes habuit, modicas illas quidem, & in quibus anguſte habitaret, ſed xyſto & hortulo excultas, ac peramœnas: domino vero adeo iucundas, vt aliorum ſpacioſis palatiis nihil inuideret. Ornauit enim hortos, intus ordine collocatis antiquis Romanorum, quibus impenſius delectabatur, Inſcriptionibus, totus vt paries marmoreus videretur, non lateritius. Cui rei adeo enixe ſtuduit, vt quoties iter faceret, tametſi longinquum, in ſarcinis (quis credat?) ligonem, aliaque ferrea inſtrumenta exportari ſecum curaret: vt ſicubi Antiquitatis ſeſe veſtigia offerrent, ea induſtria ſua atque impenſa eruere, & incolarum oculis exponere poſſet. Fecit hoc non raro, nec modico ſumptu, aut labore. Dominicani inſtituti habitum, bona cum Pont. venia, & Præpoſitorum, iuſtis de cauſis in ſacerdotalem commutauit. Regulam tamen ſtudiumque eius familiæ perpetuo, ad extremum vſque ſpiritum retinuit, vt in porticu cœnobii Eborenſis, (Clauſtrum vulgo vocant) in limine cellæ, quam Capitulum nominant, ſepulcri locum ſibi, matrique, pientiſſimæ matronæ, delegerit. Gratus dum vixit, acceptuſque Principibus viris fuit, quæ laus non vltima exiſtimari ſolet: Cardinalibus præcipue duobus, Alfonſo, Emmanuelis* Regis *F. & Ioannis III fratri, & filio,* Henrico: *qui poſt cæſo in* Africana *expeditione* Sebaſtiano, *regni clauum tenuit. Ille ad patriæ Antiquitates colligendas auctor exſtitit: ſudumque, Reſendii frequenter honoris gratia, cum ædes vicinæ eſſent, ingreſſus eſt: vt Phormionis philoſophi ſcholam Hannibal, & Poſidonii domum intrans Cn. Pompeius cognomento Magnus, faſces ſubmiſit. Henricus vero Eccleſiaſticum ſibi, verbique Dei præconem (erat enim patria lingua non ſecus atque Latina perdiſertus) delegit, & ſacerdotiis aliquot cohoneſtauit. Coluit & ipſe in Belgio verſans ob ſingularem eruditionẽ, Conradum Goclenium* Weſtphalum, *Eloquentiæ primum in collegio trilingui Buſlidiano* Louanii *doctorem. Teſtatum id Oda eleganti, quæ in manibus eſt, reliquit. Oraculum domus eius eſt habita eruditionis, antiquitatiſque patriæ, &* Eccleſiaſticæ. *Argumento ſunt* Epiſtolæ *hiſtoricæ, de* Hiſpaniæ *ſanctis,* V*incentio, cæteriſque ad* Bartholomæum *Kebedium, & Ambroſium Moralem. Hic enim Complutenſis* Rhetor *& ante illum Ioannes* V*aſæus Brugenſis, Salmanticæ doctor* Latinæ *linguæ, cum res* Hiſpaniæ *literarum monumentis mandarent, plurimũ ſe* Reſendii *opera adiutos fatentur ingenue. Candidi eſt enim hominis agnoſcere per quem profeceris, & quid cui acceptum referas. In poetica, pangendiſque verſibus mirifice excelluit, Horatii fere æmulus. In ſcribẽdi ratione plus æquo Antiquarius, vt* Adceptum, & Quuius, *aliaque id genus cupide ſcriberet, lapides & marmora imitatus, illumque ſecutus eruditus diſcipulus* Achilles *Statius eſt,* Luſitanus *& ipſe, qui Romæ claruit. Sed de orthographia priſca,* Reſendius Epiſtola *ad Alfonſum Card. initio Antiquitatum* Luſitaniæ, *diſſeruit.* Ebora *ciuibus etiam carus, vt in oculis ferrent: in his potiſſimum dilexit Iacobum Menœtium Vaſconcellum, Iuriſc. quo vrgente Antiquitatum libros ferme abſoluit: Quis extincto* Andrea, *nuper edidit hortante* Henrico *Card. auſpiciis vero & ſumptibus Philippi* Regis *vere Catholici.* Obiit *vero* Reſendius *iam octogenarius, anno* CIↃ. IↃ. LXXIII. *Statura fuit procera, prægrandibus oculis, criſpo capillo, colore ſubfuſco: ſed hilari minimeque contracta fronte. In domeſticos, diſcipuloſque ſeuerior, è cuius ludo tamquã ex equo Troiano, viri docti prodierunt: in quibus & Achilles Statius, ſingulari vir doctrina, & Antiquitatis* Rom. *peritiſſ. aliique innumerabiles.*

Alius, ne quis erret, Andreas *eſt* Eborenſis, *qui dum Olyſipone negotiatur, horis ſubſecinis libros tractans, Exemplorum, ſententiarumque non pœnitendam ſyluam à ſe collectam foras dedit, &* Ludouico *Granatenſi, Theologo diſertiſſimo inſcripſit. Cetera e ſcriptis* Reſendii *cognoſcas licet, quorum ſyllabum adſcripſimus.*

TOMI PRIMI ELENCHVS, ANTIQVITATVM LVSITANIÆ LIBRI QVINQVE.

LIB. I. De populis Luſitaniæ.
Lib. II. De fluminibus Luſitaniæ.
Lib. III. Quinam rerum in Luſitania potiti olim ſint.
Lib. IIII. De vrbibus Luſitaniæ.
Scholia IACOBI MENOETII Vaſconcelli in præſcriptos quatuor libros.
Lib. V. De antiquitatibus Eboræ, è Luſitanico ab AND. SCHOTTO Latine redditus.
De Eborenſi municipio IACOBI MENOETII Vaſconcelli liber ſingularis.

INDEX CAPITVM QVAE HIS QVINQVE ANTIQVITATVM LIBRIS PERTRACTANTVR.

LIB. I.

DE Luſitaniæ nomine. pag. 899
De Luſitaniæ terminis olim. 900 noſtro æuo. 903
De Turdetanis. 904
De Celticis. ibid.
De Turdulis. ibid.
De Vettonibus & Vectonibus. 905
De Barbariis. 908
De Paſuris aut Paſuribus. 909
De Turdulis veteribus. ibid.
Qualis gens Luſitani. ibid.
De Bracaris. 911
De montibus Luſitaniæ. 912
De monte Tagro ſiue Iuncto. 913
De monte Herminio. 914
De Tapiao monte. 916
De monte Cordubæ. ibid.
De Alcoba monte. 917
De montibus, Marano, Ireſſo, Suaio & Muro. ibid.

LIB. II.

DE fluminibus Luſitaniæ. 917
De piſce Aſturione. 918
De Callipode. 921
De Tago fluuio. 922
De Tagi nomine. 922
De Munda. 923
De Vacca fluuio. 924
De Durio. 924
De fluminibus Bracarorum. 925
De Minio. 926
De aliis nonnullis fluminibus. ibid.
De Luſitaniæ fertilitate. ibid.

LIB. III.

QVinam rerum in Luſitania potiti olim ſint. 927
De Gothis. 944
De viis militaribus. 946

LIB. IIII.

DE vrbibus. 950
De Maura. 951
Luſitaniæ Algarbium. 952
De Myrtili. ibid.
De Balſa. ibid.
De Oſſonoba. ibid.
De Lacobriga. 954
De portu Hannibalis. ibid.
De Medobriga. ibid.
De S. Iacobo de Cacem. 955
De Cetobriga. 956
De Neocetobriga. ibid.
De Pace Iulia ſiue Auguſta. 957
De Orichienſi agro. 959
De arcu extructo à Sebaſtiano rege in victoriæ loco 961
De Colla. ibid.
De Sini. 962
De Heluis. 962
De villa Vizoſa. 963
De Iouis fano. 964

LIB. V. QVI EST de antiquitatibus Eboræ.

PRæfatio. 971
De vera Eboræ appellatione. 972
De prima Eboræ origine. 973
De Sertorianis temporibus. ibid.
De Coloniarum & Municipiorum iure. 974
Eboram Latii iuris Municipium fuiſſe. 975
A quo primum Eboræ hoc ius conceſſum. ibid.
De flamine & flaminica Eboræ. 976
Clarorum aliquot ciuium Eborenſium monumenta. 977
De ætate, qua Chriſtianam fidem Ebora ſuſcepit 977
Eborenſem Epiſcopatum perantiquum eſſe. 978
Raſis, hiſtorici Arabis, de Eborenſi Epiſcopatu teſtimonium. 979
De Eboræ à Mauris captæ ſtatu. 980
Qua tempeſtate Vlyſſipo, Ebora & Pax Auguſta à Mauris captæ. 981
Ebora qua ratione in Chriſtianorum poteſtatem, redacta, reſtitutaque ſit. 982
Ebora rurſus Epiſcoporum ſedes conſtituta, & quis primus Eborenſium Epiſcopus. 982
De prima Ordinis militaris, quæ hodie Auis adpellatur, apud Eboram origine. 984
Iacobi Menœtis Vaſconcelli de Eborenſi municipio commentarius. 985

Iacobi Menœtij Vaſconcelli

IN LAVDEM

LVCII ANDREÆ RESENDII,

LVSITANIA RESENDIVM

alloquitur:

REx Macedû clari proles generoſa Philippi,
Cû terras Aſiæ quateres victricib. armis,
Dirutaq; antiquæ luſtrans veſtigia Troiæ,
Potares Simoentis aquas, Xanthique liquorem,
Conſtitit ad tumulum Sigæo in litore, magni
Æacidæ, tali compellans voce ſepultum.
O felix nimium iuuenis, cui contigit altum
Mæonidæ plectrum, quo ſe tua gloria cælo
Attollens, viget æternos manſura per annos.
Sic ego fœlicem Reſendi maxime, noſtræ
Gentis honos dicam nunc me, nimiumque beatam.
Quod tua me titulis decorarint ſcripta vetuſtis,
Et decus antiqua repetens ab origine noſtrum
Erueris, monimenta meas teſtantia laudes.
Macte animi, non tu vanos mihi fingis honores.
Aut mea fucatis auges præconia verbis:
Sed veram hiſtoriæ ſeriemque fidemque ſecutus,
Abdita Romanis annalibus, abdita Graiis
Pandis, & in lucem multis incognita profers.
Lyſiadum narrans inſignia facta meorum,
Magnanimosq; duces, olim quos Romula virtus
Vt bello inuictos, ſic fidos pace probauit.
Ipſa igitur clarum ventura in ſæcula nomen
Conſequar, atque æuo per te celebranda futuro
Semper ero, dum noſtra Tagus per rura meabit
Aurifer, & rapido deſcendet in æquora curſu,
Dumque meo feſſos merget Sol litore currus.

IOAN. SECVNDVS HAGIENSIS, L. ANDREÆ RESENDIO.

QVod tibi Pierios Vrbs aſpirauit odores
Diuite qua Delos, nat ſinuoſus aquæ,
Turris vbi vaſtæ moles operoſa ſuperbit,
Mœniaque hoſtili non ſuperata pede,
Non honor ille mihi debetur, docte Reſendi,
Debetur fratri non honor ille meo,
Sed ſua Teſpiades oblectamenta ſecutæ
Plectraque Phœbais æmula pectinibus:
Perteſæ laticesque ſuos, & Apollinis odas,
Hæſerunt lateri, magne poeta, tuo.
Tectaque cum ſacro ſubierunt hoſpita vate,
Mox & odorato rore rigatur humus,
Veſtiturque locus violis, quas legerat ipſa
Parnaſſi in ripis Calliope roſeis.
Hinc tibi Caſtaliis fragrarunt dotibus auræ,
Fallor, an & noſtris naribus haſit odor?

Ad Eundem.

ANgele ad immeritas laudes ignoſce tacenti.
Si tua decliueis plectra morentur aquas,
Vocalesque modos ilex aurita ſequatur
Mitius, & ſortis te premat ira tua,
Nec te perpetuo grauet aula hæc imperioſa,
Sed tua purpureus tempora cingit honor.
Quaq; gerit laurum frons, & gerat illa galerum,
Hæc ego: fatipotens hæc rata Phœbe velis.

Ad Eundem.

REbus in aduerſis animoſus frange ſuperba
Iura Deæ, dominãq; rotã, quæ ſingula verſat,
Stare loco impatiens. ſpera bene, forſitan aſtro
Adueniet grata hora ſuo, nec lenta moratur,
Quum te, cornuta cinctum ſacra tempora mitra,
Sublimem, ſortis meminiſſe iuuabit acerbæ.

ARNOLDI MYLII ARN. F. BIRCKMANNI, ANAGRAMMA.

Lucius Andræas Reſendius Eborenſis:
Sanč. Reſendi ſis robur aulæ, ſis, decus.

IN ſolitum ſplendens lux, orta Reſendius orbi,
Præſertim populo Lyſia terra, tuo?
Queis animum ſtudiis, quando ſtetit anxius, olim
Defeſſum curis ſubleuet aut recreet:
Certarunt ſuperi, cuius ſub numine vitam
Vinceret Andræas, Mars meus, inquit, erit,
Illum Saturnus, voluit Mercurius illum
Calliope meus eſt, dixit Apollo, meus.
A Ioue ſum ſuper hæc SANE *ſubiecta,* RESENDI
SIS AVLÆ ROBVR, *gloria Lyſiadûm,*
Induperatorumque AVLÆ, *Regumq; Ducumq;*
SIN ROBVR, *regis* SIS DECVS *ergo tui.*

Alfonſus

Alfonſo S. R. E. Card. Emmanuelis Regis filio

L. ANDR. RESENDIVS S. P. D.

ILLI qui vetuſta hæc ſaxa, quæ in veteribus Romanorum Coloniis inueniuntur litteris notata, admirantur, cupideue requirunt, mordētur abunde: nec ſolum iam ab ineruditis iſtis craſſisque hominibus: ſed interdum etiam à doctis adprime viris. Ab illis quidem, quoniam, quę non norunt ipſi, ſumma improbant confidentia, & ne ſcitu quæque digniſſima, male ignorare videantur, hinc latebram, & perfugium ſibi ignorantiæ petunt, quaſi gentilium nugas, vt pios decet, fortiter ſpernant. Cur autem doctis, non video niſi otioſis facetiari ſic libet, in alienam diligentiam. Facete illi quidem, & nimis ridicula oratione iocantur; tamen vtinam quam falſe, tam vere hoc ab illis fieret. Quoniam vero neminem me plus vno, horum lædit dicacitas, accipe Princeps piiſſime, quæ pro cauſa mea, & eorum qui in ea mecum ſunt opinione, dicenda habeam. Primum omnium, ſi, teſte Fabio, ſcribendi ratio, quam Græci orthographiam vocant iuncta cum loquendo eſt, & nos Romane loqui & ſcribere volumus, ſicut eloquentiam ex doctiſſimis libris, ita orthographiam ex marmoribus his petendam, apud illum peruincemus, qui rem paulo æquius animo aduerterit. Mali cuſtodes orthographiæ ſunt libri, quiſque librarius ſuo more ſcribit, ſua nititur opinione, mutat, inuertit, corrigit vt lubet. Nec ſi Ciceronis manum, aut Vergilii præ ſe liber ferat, penſi quidquam habuerit. Mitto quod Gellius palam teſtatur ſciolos in Saluſtio, & aliis meras feciſſe nugas; illuc eo, vnde corrupta deflemus immortalium auctorum monumenta: Quid? cum codicem vetuſtum quempiā in manus adſumimus, nonne aliam ſcribendi cernimus rationem, quam ea eſt, qua paſſim nunc docti pariter vtuntur, & indocti? At ſaxa, quod ſemel inſculptum eſt, aut incorruptum ſeruant, aut ſimul cum litteris pereunt. Saxa, inquam, quæ eruditum illud ſeculum legenda reliquit. Nec enim ego aut priſca nimis, aut recentia, hoc eſt, poſt Gothicam inluuionem inciſa, ſequenda cenſeo. Nec ſi interdum barbariſmum inuenero in ſaxo, aut marmorarii ignauia, aut dormitantia, id defendam, ſed, quod perpetuum magis, magisque vſitatum videro, id ſequendum ducam. Nec adeo moroſus ſum, vt quoniam ſemel, iterumue, ſcriptum inuenerim, VCSOR VICSIT, PLEPS, COIVGI. Quæ priſca ſunt, ſtatim ita deinceps fecero. Adhibenda prudentia eſt, & quod eruditiori ſeculo placuit, quodque conſtanter inuenitur, id imitandū. Altera deinde accedit vtilitas, nec minima: Videlicet, quod ſæpe ibi legimus nomina vrbium, quarum mentio in libris eſt, quæ nunc forte ignorantur. Quod cum coſmographiæ conducat multum, atque adeo latine ſcripturis maxime, tum vero illud iucundiſſimum, quod quæ ad hiſtoriam attinent, & dicendi ſuppellectilem, patriæque ornatum, nonnunquam adferunt. Errore ante hoc Badiora, pax eſſe Iulia credebatur. Medobriga, Derobriga, Salacia, omnino ignoratæ. Aquarum Flauiarum ne mentio quidem vlla erat. De Auguſti turre, & fluuio Sarte apud Pomponium, aliter à commentariis deliratum, auctorque ipſe ſumma iniuria laceratus magis quam emendatus. Quæ omnia noſtra diligentia vt à ſitu informi adſeruit, ita aliquando ab iniuria hallucinantium vindicabit. Sexcenta ſuppetunt exempla, quæ ne longior ſim, omitto. Mihi ſic videtur: cui aliud arridet, per me quidem licet illi ſine hac moroſa cura, profundum ſtertere. Ego iuſſis tuis parui, mi Princeps & cupio totam perluſtrare Luſitaniam, veteresque Colonias denuo rediuiuas mundo facere. Sed nihil egregium moliuntur, quos familiaris res æquo malignior domi premit. Quæ per occaſionem oblata ſunt peregrinanti, damus. Daturi quæ poſt hac tempus adferet. Vale Eboræ, Calendis Octobris M. D. XXXIII.

BARTHOLOMAEO FRIAE ALBERNOTIO I. C. DOCTISSIMO.

L. ANDREAS RESENDIVS
S. P. D.

QVANTVM Albernoti, ex aduentu ad me tuo, percepi voluptatis, ſi contulero cum dolore, negati tibi in vrbem noſtram ingreſſus, ab iſto, qui pro abſente prouinciæ huius Transtaganæ præſide, vicarium gerebat magiſtratum; abſque dubio poſterum hoc, prius illud, longo poſt ſe interuallo relinquet. Nam ſicut ex altero, mihi honor à te habitus, multum me extuliſſet, ita alterum, eo vſque depreſſit, adfecitque pudore, vt quanquã diſſimulaui, acerbius in vita nihil vnquam me pertuliſſe, audeam affirmate. Auxit dolorem hunc, poſt villaticã illam, & quaſi furtiuam vnius diei collocationem ſparſa per vrbem repulſæ fama, admirante populo, mihi homini nec ignoto, neque ciuibus meis non caro, denegatam recipiendi tanti hoſpitis facultatem: ſpecioſo iſto auertendæ peſtilentiæ, quam ab Hiſpali metuebamus, prætextu: cum tamen de eo metu ſecuros nos redderet, maximum inter Hiſpalim & Talaueriam vnde veniebas, terrarum interſtitium. Optimates autem, & ex decurionibus triumviri, ac meliorum litterarum amatores, quorum non eſt exigua, neque contemnenda apud nos copia, vna cum ſuperueniente Roderico Vernandio Caſtaneda prouinciæ præſide, quem vobis Iuriſconſultis permittentibus correctorem appellamus, viro pereruditoac nobili, & ingenii maxime comis, atque humani, indignitatem rei, non modo ægerrime ferebant; verum dictis etiam inſectabantur, exiſtimantes ad honorem vrbis, intromitti virum talem, pertinuiſſe. Nam ſi nihil aliud hic eſſet, tibi quod ſpectare conlibuiſſet, cum tamen ſint nonnulla, certo ſexto à receſſu tuo die, puella ſeptemdecim annorum, Publia Hortenſia à Caſtro, ſtudiis Ariſtotelicis non vulgariter inſtructa, publicè diſputans, multis doctis viris, quæ propoſuerat conuellentibus, cum ſumma dexteritate, nec minore lepore, argumentationum cauillationes eluderet, tanta animum tuum perfudiſſet iucunditate, vt ſpectaculum pulchrius, tu te non vidiſſe, ſi adfuiſſes vtique faterêris, & vrbem, quæ eam habeat puellam, (omitto formam intra modum venuſtam) dignam, non negaſſes, ad quam ſola ea gratia, deuenires: ſed bonus illis præſidiis vicarius, vt iſta potuit inturbare, ita euadere non potuit, quin duriſſimi oris, & ingenii perſeueri, ne dicam agreſtis, pœnas daret, vſque ad conuicia barbaræ inciuilitatis denotatus, & ego me illi, hiſce commemorandis, vt meritus eſt, gratiam habuiſſe, nolui præterire. Cæterum redeo ad te, cui pro ſingulari tua humanitate, debere me intelligo: ſed quid litterato homini & in re ampla conſtituto, reddam, præter litterarium munus, equidem non video. Ita ergo faciam, & antiquitatum Luſitaniæ noſtræ, cum veteribus inſcriptionibus, quibus delectari te animaduerti, ſcribam commentarium, rem à ſtudioſis apud nos antiquitatis, à me diu deſideratam, expectatamque, ſed hactenus dilatam, quia peragrãda vniuerſa erat prius, ei qui de vniuerſa ſcripturum ſe polliceatur, Quod efficere neque priuatis intra tenuitatem opibus, ipſe potui, neque mihi contigit, qui ſua quantacunque opulentia, animum perdifficile opus molientem, erigeret, & incitaret. Nota igitur, ac comperta mihi ſcribam, & patefacta curioſis via, aliis ſupplenda cætera, poſt me relinquam.

L. ANDR. RESENDII DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIÆ, LIBER PRIMVS.

De Luſitania, eiuſq; populis.

PRINCIPIO, vt de nomine LVSITANIÆ aliquid dicamus, nomen illi dediſſe LVSVM Liberi patris, ac LYSAM cũ eo bacchantem aſſerit Plinius: cuius verba nonnulli diuerſo ſenſu *lib.3.c.1.* intellexere, dum aliqui LVSVM, atq; LYSAM Bacchi fuiſſe comites credunt, à quorum altero LVSITANIA vocata ſit, ab altero vero LYSITANIA: vtroque enim modo appellari ſolet. Alii LVSVM, non hominem, ſed ludum potius, ſeu luſionem interpretantur. Qui parum aduertiſſe videntur, non potuiſſe eo tempore à Latina voce, fortaſſis nondum audita prouinciam denominari: denominata eſt autem LVSITANIA ex ipſo Bacchi æuo, ſi Varroni, quem Plinius citat, fidem adhibeamus. Nec deſunt qui pro LYSA LYSSAM reponant, id eſt bacchantium rabiem, atque furorem. Sed cum per diuerſas prouincias Mænades bacchatæ ſint, cur hoc nomen hic potius, quam alibi, tanquam rabiei monumentum ſit impoſitum non video. Adde quod ſi ab illa inſolenti, & abſurda vocula prouinciam dictã eſſe admittamus, non LVSITANIAM, ſed LYSITANIAM eam nominari oporteret. Verum ceſſant iſta omnia, ſi veterem lectionẽ non intelligamus, & à LVSO quidem LVSITANIAM, à LYSA vero LYSITANIAM eſſe vocatam, ægre non admittamus. Certe LVSVM hominem fuiſſe ſuppoſititius Beroſi auctor intellexit, quem in Hiberia, ASCARIDIS neſcio cuius Babyloniorum Regis tempore, regnaſſe perhibet, ſub quo vitis apud Græcos inuenta ſit: inuentam autem aiunt à Dionyſio. Concurrunt igitur DIONYSIVS vitis inuentor, & LVSVS, vt appareat ex ratione temporis, Luſum ad DIONYSIVM, id eſt LIBERVM PATREM potuiſſe pertinere.

Si vero qua neceſſitudine illi coniunctus fuerit, forte dubitetur, ego ex loquendi formula, filium fuiſſe puto. Nec vero alienum videri debet, Dionyſium vtique hominem filium genuiſſe perhiberi, cum ei quoque ARISTÆVM olei inuentorem filium Græci tribuant, vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero. Quamquam ipſe, non AC LYSAM ſed AVT LYSAM legendum puto, vt idem fuerit LVSVS qui LYSVS, is, qui cum Libero patre bacchari ſit ſolitus. Nam à Græco λύω, vnde ipſe etiam Bacchus LYSIVS cognominatus eſt, & eius ſacerdotes LYSII, homo ille LYSVS dici potuit, qui Latina conſuetudine in LVSVM mutatus ſit. Et ſane magis videtur conſentaneum vt ab vno potius prouincia nomen acceperit, quam à diuerſis. Quia etiam ſi LYSAM legere magis libeat, modo particulam AC in AVT commutemus, idem efficietur, vt videlicet vel à LVSO LVSITANIA, vel à LYSA LYSITANIA fuerit nominata.

LVSITANIÆ nomine Latini libri pleni ſunt, & Græcorum nonnulli, inter quos Ptolemæus atque Stephanus. LYSITANIÆ vocabulo vtuntur Dion, Strabo, Athenæus ex Polybio. Neque id Latinis eſt inſolitum: nam & in Pandectis, ſub Titulo DE CENSIBVS, verba ſunt nouiſſima Pauli Iuriſconſulti: IN LYSITANIA PACENSES, & EMERITENSES IVRIS ITALICI SVNT. Eboræ quoque in ędibus magiſtri Equitum lapis eſt cum hac inſcriptione:

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINI-
CÆ MVNIC EBORENSIS FLAMINI-
CÆ PROVINCIÆ LYSITANIÆ.

Id eſt,

LABERIÆ LVCII FILIÆ GALLÆ FLAMINICÆ MVNICIPII EBORENSIS FLAMMINICÆ PROVINCIÆ LYSITANIÆ. de qua inſcriptione in libello, quem DE EBORENSIVM ANTIQVITATE vulgari lingua iam pridem ſcripſimus multa à nobis dicta ſunt.

LVSITANIÆ vero populi etſi in multas ſpeciatim gentes diuiſi ſunt, tamen vniuerſi ac generatim LVSITANI appellantur. Stephanus autem in libro de vrbibus, fretus Artemidori teſtimonio, LVSITANOS etiam BELITANOS vocari tradit. Sed cum cauſam ipſe minime aſſignet, nec apud alios ſcriptores reperire liceat vllam eius nominis mentionem, ego veriſimili coniectura ductus, exiſtimo à BELIIS POPVLIS vel ab oppido BETHICÆ, cui nomen BELIONA dici ait Strabo, LVSITANOS potuiſſe BELITANOS vocari: niſi Stephanum BELITANOS, quicunque illi fuerint, à LVSITANIS originem ducere intellexiſſe credamus: quod Græca phraſis magis ſignificare videtur, quæ ſic habet: BELITANI IIDEM SVNT CVM LVSITANIS, IVXTA ARTEMIDORVM IN TERTIO GEOGRAPHIÆ LIBRO.

Enumerat etiam Plinius BELLITANOS populis non procul à Cæſarauguſta, quos à LVSITANIS originem traxiſſe ſuſpicari poſſumus, & ita Stephani verba intelligi debere. Supereſt, vt obiter admoneam lectorem, fuiſſe & LVSONVM gentẽ, quæ vt Strabo ait, ad fontes Tagi olim pertineret, & in Arcadia Luſos oppidum, in cuius ruinis Mepſæ ſuo tempore extarent, collocaſſe Pauſaniam libro octauo, vbi Clitoriorum fines deſcribit. Sed hæc de nomine ſatis.

LVSITANIÆ TERMINI.

CEterum LVSITANIÆ, vt nonnullarum aliarum prouinciarum, terminos apud auctores præſertim Græcos variaſſe cõperimus. Strabo enim à Tago ad Artabros, qui iuxta promontorium Celticũ ſunt, LVSITANIAM protendit. TAGI VERO REGIO, inquit, AD AQVILONEM SPECTANS LVSITANIA EST, INTER HISPANOS GENS AMPLISSIMA, & ANNIS PLVRIMIS ROMANORVM ARMIS OPPVGNATA. HVIVS REGIONIS LATVS AVSTRALE TAGVS CINGIT, AB OCCASV VERO, & SEPTENTRIONE OCEANVS, AB AVRORA CARPETANI, VETTONES, VACCÆI, & CALLAICI, SATIS NOTÆ GENTES. Et paulo poſt, Minium amnem omnes Luſitaniæ fluuios, dicit, magnitudine ſuperare. Artabros etiam LVSITANIÆ poſtremos ad ſeptentrionalem, & occaſum vocat. Regionẽ vero, quæ inter Tagum & Anam eſt, à LVSITANIA excludit. Vnde & Barbarium promontorium ſuper LVSITANOS eſſe commemorat, vbi de ſtanni fodinis loquitur. Carpetanos etiam, Vettones, Vaccæos, ac Callaicos cum ab aurora dicat LVSITANIAM cingere, extra LVSITANIAM eos proculdubio eſſe oſtendit. Quamquam, vt ibidem ait, nonnulli & hos LVSITANOS vocent. De Vettonibus poſtea. Satis modo ſit, iſtos nonnullos, qui nulli iam ſunt, Strabonem non probare, ſed pro non LVSITANIS Carpetanos, Vettones, Vaccæos, & Calaicos habere. Ad hæc de Tagi agens origine, eumque ex Celtiberis per Vettones Carpetanos, & LVSITANOS in æquinoctialem labi occaſum dicens, manifeſte à LVSITANIS ſeparat non modo Vaccæos, & Callaicos, ſed etiam Vettones. De Vaccæis quidem dubium nullum eſt: de Callaicis, & Carpetanis dubitabit aliquis. Sed meminerit, Strabonem LVSITANIAM ad Artabros vſque extendiſſe, tametſi non diſſimulat ſuo tempore multos LVSITANORVM Callaicos iam vocari.

Ita igitur intellecta Strabonis LVSITANIA Callaici, qui ipſo auctore nouiſſimi montana habitant, Vaccæis vicini, & Aſturum nonnulli, quos omnes ob vicinitatem Callaicos appellat, ab aurora LVSITANIS fiunt. Sed Carpetani, quos poſt Oretanos ad Aquilonẽ declinare commemorat, quid ad LVSITANIAM attineant non video; niſi dicamus Strabonem eos per defluentem Tagum ab Oriente verſus Occaſum vſque ad LVSITANIAM protraxiſſe. Similiter & Vettones, & Vaccæos, quemadmodum & Turdulos inter Anam, & Tagum, in quibus Emeritam locat. quæ regio illi LVSITÀNIA non eſt, cum primum Auſtrale eius latus Tago determinat.

Alibi tamen, hoc eſt ſub finem tertii libri cũ Hiſpanias ab aliis in partes duas, ab aliis in quinque fuiſſe diuiſas dicit, earumque alias plebi, Senatuique attributas oſtendit, alias Romano duci: & quidem Bæticam plebi attributam, ad quam Prætor mitteretur, qui legatum haberet, & quæſtorem, reliquam omnem Cæſaris eſſe, qui duos mitteret legatos, prætorium, & conſularem. E quibus prætorius legatum haberet ſecum, qui LVSITANIS ius diceret, qui Bæticæ adiacentes vſque ad amnem Durium, & eius oſtium extenderentur. Subdit veros LVSITANIÆ terminos, LVSITANIAM dicens eam regionem appellari, proprio in eum diem nomine in qua regione ſita ſit Auguſta Emerita. Reliquam autem maximam Iberiæ partem (iuuemus enim interpretes, qui Græca minus commode verterunt) eſſe eam, quæ duci conſulari ſubderetur, non indignum exercitum habenti, tribus inſtructum ordinibus, ac legatis tribus.

Quorum

Quorum vnus duos ſecum ordines ducens, tractum vltra Durium ad Arctos ſeruaret vniuerſum, quem tractum, inquit, prius *Luſitanos* quidam appellabant, alii vero modo Callaicos vocant. Hi itaque iuxta Strabonem *Luſitaniæ* fuère termini.

Ptolemæus Latinis geographis conuenientius *Luſitaniæ* auſtrale latus Ana diſterminat, ſeptentrionale Durio. Quæ autem à Durio ad Minium eſt regio Callaicorum Bracarorum, Tarraconenſi prouinciæ contribuit, quemadmodum & Plinius. Differt etiam à Strabone, quod Vettones ab orientali parte adſcribit *Luſitaniæ*: & ſane ita ſunt. ſed an tam late paterent, vt intra ſe Salmanticam includerent, poſtea expendemus. At Latinorum multo conſtantior, & indubitata magis eſt ratio. Pomponius ſcriptor non modo diligens ac diſertus, ſed etiam, vtpote Hiſpanus, domeſticarum rerum peritiſſimus, breuiter, & eleganter tres, quæ tunc erant, Hiſpaniæ prouincias diuiſit. *Tribus autem*, inquit, *eſt diſtincta nominibus, parſque eius Tarraconenſis, pars Bætica, pars Luſitania vocatur. Tarraconenſis altero capite Gallias, altero Bæticam, Luſitaniamque contingens, mari latera obiicit; noſtro, qua meridiem, qua ſeptentrionem ſpectat, Oceano. Illas fluuius Anas ſeparat.* & lib. 3. de flexu terræ inter Tagum & Durium cum agit, ita ſcribit: *In eoque ſunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere vltimi promontorii latus effluens, & radices eiuſdem abluens Durius.* In tria enim promontoria diſperſam Luſitaniam dixerat. Plinius ſimiliter lib. 3. cap. 1. *Vlterior videlicet Hiſpania in duas per longitudinem prouincias diuiditur. Si quidem Bæticæ latere ſeptentrionali prætenditur Luſitania, amne Ana diſcreta.* & lib. 4. cap. 21. *A Durio Luſitania incipit.* Sed quando in hunc Plinii locum incidimus, exigit res, vt duo eius capita expendamus, quæ ad Luſitaniæ ſitum rectius percipiendum maxime pertinere cenſemus.

Ante annos quadraginta, cum Salmanticæ ſtudiorum cauſa agerem, & Ferdinando Pintiano Græcarum litterarum, ac Plinii publico profeſſore, eius rei gratia plurimum vterer, oſtendit mihi vetuſtiſſimum Plinianum codicem, quem ab eccleſia Toletana conferendi gratia dato pignore deferendum curauerat: alterum quoque ex Salmanticenſis academiæ Bibliotheca, quæ certa hora ſolet quotidie ſub duobus cuſtodibus aperiri, non admodum ſane veterem, ſcriptum tamen perdiligenter. In vtroque deprehendimus, quod in publica lectione teſtatus ille erat, decem aut duodecim verſus, vt mihi primo viſi ſunt, loco ſuo luxatos, à promontorio Celtico in promontorium Oliſiponenſe ſcribę oſcitantia immigraſſe, magna ſenſus confuſione, cum magna etiam Plinii ipſius iniuria.

In medio igitur vigeſimo capite quarti libri ad hunc modum ambo codices habent.

Promontorium Celticum, quod alii Artabrum appellauère, terras, maria, cælum diſterminans. Illo finitur Hiſpaniæ latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanuſque Gallicus, Occaſus illinc, & Oceanus Athlanticus. Promontorii excurſum LX. M. prodidere. Alii XC. ad Pyrenæum inde, non pauci XII. L. millia, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifeſto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere, literis permutatis: Amnes Florius, Nelo, Celtici cognomine Neria, ſuperque Tamarici, quorum in peninſula tres aræ Seſtianæ Auguſto dicatæ. Cepori. Oppidum Noela. Celtici cognomine Praſamarci. Cileni. Ex inſulis nominandæ Corticata, & Annios. A Cilenis conuentus Bracarum. Heleni, Grauii, Caſtellum Tyde. Græcorum Sobolis omnia. Inſulæ Cicæ. Inſigne oppidum Abobriga. Minius amnis IIII. M. paſ. ore ſpatioſus. Leuni Seurbi. Bracarum oppidum Auguſta. Quos ſupra Callæcia. Flumen Limia. Durius amnis ex maximis Hiſpaniæ ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiam, lapſus deinde per Areuacos, Vaccæos, diſterminatis ab Aſturia Vettonibus, à Luſitania Callæcis. ibi quoque Turdulos à Bracaris arcens. Erratum & in amnibus inclytis. Ab Minio, quem ſupra diximus CC. M. paſ. vt autor eſt Varro, abeſt AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limiam vocant obliuionis antiquis dictus. Omniſq; dicta regio à Pyrenæo metallis referta auri, argenti, ferri, plumbi nigri, albiq;.

A Durio Luſitania incipit, Turduli veteres. Peſuri. Flumen Vacca, oppidum Vacca, oppidum Talabrica, oppidum & flumen Æminium. Oppida Conimbrica, Colippo: Eburo, Britium. Excurrit deinde in aliud cornu promontorium, quod alii magnum appellauere, multi Oliſiponenſe: ab oppido. Ab Durio Tagus CC. M. paſſuum interueniente Munda.

Exultaui equidem tunc, propter Plinii grauitatem. Illo ſiquidem pacto calumnia negligentiæ. quam patitur ab omnibus, qui geographica tractarunt, liberari ſane videbatur, & Pintiano magnas egi gratias, qui id demonſtraſſet. Verum exultare deſii Plinii verborum ſeriem penſitatius expendens, ſimulque ſumpto in manus Solino, Plinii ipſius, vt perhibetur, ſimia. cuius referam verba, atque ex manu ſcripto vetuſtiſſimo codice, vt ſyncerius exeant: *In Luſitania Hiſpaniæ promontorium eſt, quod Artabrum alii, alii Oliſiponenſe dicunt. Hoc cælum, terras, maria diſtinguit. Terris Hiſpaniæ latus finit, cælum, & maria hoc modo diuidit, quod circuitu eius incipiunt Oceanus Gallicus, & frons ſeptentrionalis. Oceano Athlantico, & occaſu terminatis. Ibi Tagus flumen: Tagum ob arenas auriferas ceteris amnibus prætulerunt. In proximis*

Oliſiponē equæ laſciuiunt mira fœcunditate. Nam aſpiratæ Fauoniis, vento concipiunt & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur.

Non dubium eſt hæc Solinum ex Plinio eſſe mutuatum, in eandemque ſententiam, & Marcianum Capellam abiiſſe, & Iſidorum decimoquinto etymologiarum libro, & alioqui ipſa verborum connexio ſatis indicat Plinium ita ſcripſiſſe; attendat diligens lector: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere.* Sunt ne hæc verba longe a Celtico iam progreſſi, an adhuc in eodem deſcribendo inhærentis? *Hoc in loco poſuere.* Quo in loco? In Celticone; certe: ibi enim ceteri eos collocant, & ipſemet Plinius: Ponit enim Arotebras ante Celticum. Arotebræ autem iidem ſunt qui Artabri. *Noſtræ ætatis homines*, ait Strabo, *Artabros Arotebras vocant, litteris permutatis*, vt fatetur Plinius. Quomodo igitur in Celtico detentus, quaſi ſui oblitus, erroris manifeſti argueret eos, qui ibi gentem Artabrum, quæ numquam eo loci fuerit, poſuiſſent.

Iſta quæ admiſſa Toletani, & Salmanticenſis codicum lectione, obiici poterant, nequaquam obiicientur, ſi quod de Artabris hic ait, Oliſiponenſi promontorio Plinium dicamus tribuiſſe. At falſum eſt, Oliſiponenſe promontorium terras, cœlum, mariaque diſterminare, illoque Hiſpaniæ latus finiri, & à circuitu eius frontem incipere, clariſſime dicente Strabone Hiſpaniæ latus hoc ab ſacro promontorio vſque ad Artabrorum montem, hoc eſt, promontorium Celticum extendi: & quartum denique latus ex eo loco vſque ad promontorium Pyrenes, quæ pars Boream ſpectat. Falſum etiam, quod de promontorii excurſu, & longitudine inde ad Pyrenæum, ſi quidem de Oliſiponenſi intelligas.

Quid ergo dicemus? niſi Plinium male Artabrum promontorium cum Oliſiponenſi confudiſſe. Poteratque non minima ex parte culpam eius, minuere, quod non ipſe affirmat Artabrum id eſſe promontorium, ſed nonnullos ita vocaſſe, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuerit, collocaſſe, atque hoc manifeſto, vt inquit, errore. Et erroris cauſam ſubiicit: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere, litteris permutatis.* Quos iure reprehendit, quicunque ii fuerint, qui Artabrum promontorium hoc Oliſiponenſe vocarint. additque optima verborum conſequutione alium non minimum errorem.

Erratum, inquit, *& in amnibus inclytis*, ſicut, ait, erratum in hoc eſt, quod promontorium magnum, ſiue Oliſiponenſe Artabrum appellauere, *ibique gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuit, manifeſto errore poſuere.* ita erratum ab iis eſt in amnibus inclytis, videlicet Æminio, atque Limia. Quemadmodum itaque ex parte hac Plinium excuſare poſſemus, quando erroris arguat eos, qui Oliſiponenſe promontorium Artabrum appellauere, ita protegere à culpa non audemus Oliſiponenſi iſto terras, cœlum, maria diſtingui, eoque Hiſpaniæ latus ad Occidentem finiri aſſeuerantem.

Sed mirandum nequaquam eſt, falli, ac decipi tempeſtate ea Plinium, cum noſtra hac quotidiano vſu, & tanta frequentia, quaſi digitis contrectatis rebus, & oculis etiam ad faſtidium ſubiectis, atque perluſtratis, Ioachimus Vadianus, qui propter erratum hoc in Plinium adeo excandeſcit, vt iuuari eum etiam prohibeat, deceptus ipſe ſit, promontorium Cuneum Sancti Vincentii eſſe caput, & ſacrum idem, quod Barbarium opinatus: præter illa, quæ de Salaria, atque Oliſipone alio eo loco obieci. Lubrica iſthæc ſunt, & cognitu non nimis facilia, atque in tam vaſto terrarum orbe non labi pene monſtri ſimile.

Mihi ſi meo arbitratu Plinium emendare liceret, ſic potius legerem: *Promontorium Celticum, terras, maria, cœlum diſterminans. Illo finitur Hiſpaniæ latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanuſque Gallicus, Occaſus illinc, & Oceanus Atlanticus.* Deinde in capite de Luſitania, ſic: *Excurrit deinde in alind vaſto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellauere alii magnum, multi Oliſiponenſe ab oppido. Promontorii excurſum L X. M. prodidere, alii X C. M. paſſ. Ad Pyrenæum inde non pauci X I I. L. millia. Et ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifeſto errore* & quæ ſequuntur. Oporteretq; tunc, & Solinum, & Capellam in iam corruptos Plinii libros incidiſſe cauſificari.

Quod neſcio an euinci poſſet. Quare per me quidem autographis libris illis, & Pintiano habeatur ſane gratia Plinianum erratum ſedulo amolientibus; ſed recepta lectione, cum iſthac magni viri labecula contenti ſimus, neque eius ſententiæ vim faciamus.

Cæterum quæ de Luſitania ſequuntur, nos noſtro Marte, diligentiaq; emaculauimus, reddemuſque ſuo cuiuſque rei loco rationem.

Plinii libri IIII. CAPVT XXI.

A Durio Luſitania incipit, Turduli veteres. Præſuri. Flumen Vacca. Oppidum Talabriga. Oppidum, & flumen AEminium. Oppida Conimbrica, Collipo. Eburobritium. Excurrit deinde in aliud vaſto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellauere alii magnum, multi Oliſiponenſe ab oppido, terras, maria, cælum diſterminans. Illo finitur Hiſpania latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanuſq; Gallicus, occaſus illinc, & Oceanus Atlanticus. Promontorii excurſum LX. M. prodidere, alii XC. M. paſ. Ad Pyrenæum inde, non pauci XII. L. millia, & ibi gentem Artabrum quæ nunquam fuit, manifeſto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere, litteris permutatis.

Erratum & in amnibus inclytis. Ab Minio, quem ſupra diximus CC. M. paſ. vt auctor eſt Varro, abeſt AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant, obliuionis antiquis dictus, multumq; fabuloſus. Ab Durio Tagus, CC. M. paſſuum interueniente Munda. Tagus auriferis arenis celebratur. Ab eo CLX. M. paſ. promontorium ſacrum è media prope Hiſpaniæ fronte proſilit XIIII. M. paſ. inde ad Pyrenæum medium colligi Varro tradit. Ab Ana vero, quo Luſitaniam à Bætica diſcreuimus, CXXI. M. paſ. A Gadibus CII. M. paſ. additis, Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.

Ab Ana ad ſacrum Luſitani, oppida memorabilia à Tago: in ora Olyſippo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria, Merobriga, Promontorium ſacrum, & alterum Cuneus. Oppida, Oſſonoba, Balſa, Myrtilis. Vniuerſa prouincia diuiditur in conuentus treis, Emeritenſem, Pacenſem, & Scallabitanum. Tota populorum XLV. in quibus Coloniæ ſunt quinque, municipium ciuium Romanorum vnum, Latii antiqui tria, ſtipendiaria XXXVI. Coloniæ, Auguſta Emerita, Anæ fluuio adpoſita, Metallinenſis. Pacenſis, Norbenſis, Cæſariana cognomine. Contributa ſunt in eam Caſtra Iulia, Caſtra Cæcilia. Quinta eſt Scallabis, quæ præſidium Iulium vocatur municipium ciuium Romanorum Olyſippo, felicitas Iulia cognominatum. Oppida veteris Latii Ebora, quod item liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia, quæ diximus. Stipendiariorum, quos nominare non pigeat, præter iam dictos in Bætica cognominibus, Auguſtobrigenſes, Amaienſes, Aranditani, Arabrigenſes, Balſenſes, Cæſarobrigenſes, Caperenſes, Caurienſes, Colarni, Cilibitani, Concordienſes, qui & Boccori, Interaunſenſes, Lancienſes, Mirobrigenſes, qui Celtici cognominantur, Medubrigenſes, qui Plumbarii, Ocellenſes, qui & Lancienſes, Turduli, qui Barduli, & Tapori. Luſitaniam cum Aſturia, & Callacia patere longitudine DXL. M. paſ. latitudine DXXXVI. M. Agrippa prodidit. Omnes autem Hiſpaniæ à duobus Pyrenæi promontoriis per maria totius oræ circuitu p. XXIX. m. colligere exiſtimantur. Ab aliis XXVII.

Et hic terminari caput de Luſitania, iam pridem in Vincentii mei ſcholiis admonui.

NON videbimur à ſcopo digredi, ſi noſtri quoque æui Luſitaniæ terminos exponamus. Quamquam hi magis regni totius, quam vnius Luſitaniæ dicendi ſunt. Protenditur enim regnum vltra Durium à ſeptentrione, Callaicas continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium Miniumq;, monteſq; Iureſſum, atq; Maranum clauduntur, ſed qui vltra eos monteis per Aquiflauienſeis, Tamacanos, & reliquos, qui ad Bracarauguſtanum pertinent conuentum. Et deinceps per aliquot Aſturum olim populos aſcendit vſque ad Saborem fluuium, oppidumque Sotellum. Vnde reſiſtens conuertitur limes ad orientem per Mirandam vrbem ex aduerſo Zamore Durio impoſitam, vbi introrſus ad ſeptentrionem curuatur amnis, excipitq; Eſtulam fluuium è Legionenſi agro defluentem. Ex eaque vrbe prono flumine deſcendit flexu modico vſq; ad Fraxinum. Heinc per Tranſcudanorum, Vettonumq; aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Saluaterram, rurſumq; reducitur maiore interius angulo ad Tagi ingreſſum: à quo recto iterum limite procedit, donec paulo ſupra Ouguellam oppidum ad Anam ſe inclinat. per Caiæ, & Caiolæ confluenteis quatuor circiter paſſuum millibus à Badioza inſigni Bæticæ prouinciæ vrbe Anæ ipſi adpoſita.

Traiecto inde flumine ad auſtrum verſus, ex Bæticis Celticis, qui Luſitaniam attingunt, oppida complectitur memorabilia, Oliuentiam, Moronem, Maurum, Serpam, non longe ab amne diſſita, & Mortiganum, ac Noudar caſtella magis in Bæticam penetrantia, ad fonteis vſque Ardillæ, & Xanthiæ non magni nominis fluuiorum, præter vicos ignobileis quoſdam. Atque hæc, quam circumſcripſimus, regio ſæculi noſtri more Portugaliæ regnum appellatur.

Ratio petenda eſt ex iis, quę nuper ad Kebedium ſuper ea re prolixe reſpondimus. Id totũ, quod *Portugaliam* dicimus, *Luſitaniæ* propriæ ac veræ partes duas continet, & ex Tarraconenſi prouincia Bracaros, vltraq; monteis Maranum, atq; Iureſſum, Aſturum nonnullos, & aliquot ex Vettonibus, acceſſionemq; vltra Anam, quam diximus.

Quod ſi a maiori portione vno id nomine *Luſitaniam* appellemus, erit hodie *Luſitania* à

meridie quidẽ, & ſeptentrione longior non paulo, & auctior, ab Oriente vero propter Vettones fere omneis à noſtris ſeparatos aliquanto vetere anguſtior.

Eam ergo, quæ proprie dicta *Luſitania* eſt inter Durium atque Anam fluuios, incolunt gentes, *Luſitani* peculiariter vocati, Turdetani, Celtici, Turduli, Vettones, Barbarii, Pæſuri, Turduli veteres. Quorum limites atque confinia exacte diſcriminare nequaquam poſſumus, in tantis antiquarum rerum tenebris, & inter mutuo ſe collidentia ſcriptorum teſtimonia. Numeris Ptolemæi per ſe rei maxime corruptioni obnoxiæ, nemo quidquam ſe aſtringat. Qui ſi perſeuerarent integri vti ab illo notati ſunt, fidem integram adhuc non facerent, cum is eos numeros, non additis locis, ſed relationi acceptis, ſubnotarit. in quo labi potuit facillime. Depictæ autem tabellæ, atq; illi adiectæ plura habent, quæ reiicias, & adſpernere, quam quibus credere merito vel debeas, vel poſſis.

DE TVRDETANIS.

AB Ana igitur ad ſacrum Promontorium, circumque *Turdetanos* alios à Bæticis Ptolemæus habitare ait, maritimaſque illorum vrbeis, Balſam, Oſſonobam, ante promontorium; deinde poſt fluuii Callipodis eruptiones Salaciam, atque Cætobrigam. Intus autem Pacem Iuliam, ac Iuliam Myrtilim enumerat. Strabo regionem eam Celticis, & *Luſitanorum* pleriſque tribuit, ſicut diximus in epiſtola pro Colonia Pacenſi ad Vaſæum. Plinius omiſſis *Turdetanis*, ab Ana ad Sacrum *Luſitanos* ponit, nimirum ad genus reſpiciens, non ad ſpeciem, cuius Ptolemæus rationem habuit. Sed tamen horum *Turdetanorum* terminos nimis extendit. Tribuit enim illis non modo Algarbii regnum, & totum Orichienſem tractum, ſed etiam aliquanto amplius ex Celticis, & *Luſitanis* Strabonis, videlicet Pacem Iuliam, Salaciam, atque Cætobrigam, olim in ſinu Salacienſi poſitam, dirutam modo, ſed multa priſtinæ frequentiæ veſtigia retinentem; de qua ſuo dicetur loco.

DE CELTICIS.

CONTIGVI his ſunt atque intermixti *Celtici*, Gallica natio, iuxta Anam late vſque ad *Turdulos*, & *Vettones* multis ciuitatibus effuſi; inter quas etiam noſtro æuo Heluæ claræ ſunt, ipſo nomine originem præ ſe ferentes. Parentes fuerunt hi non ſolum *Celticorum*, qui Nerium Callæciæ promontorium inſedere, cuique nomen dedere, verum etiam eorum *Celticorum*, qui ad alteram Anæ ripam migrantes, in Bæturia Bæticæ parte vrbeis condidere. De prioribus illis refert Strabo hiſce verbis: *Extremi incolunt Artabri circa promontorium, quod Nerium vocatur, quod & occidui, & ſeptentrionalis terminus eſt lateris. Circumhabitant ipſum Celtici conſanguinei eorum, qui ad Anam ſunt. Hos etenim, & Turdulos ſociis armis exercitum cum duxiſſent, ibi poſt Lemii fluminis tranſitum ſeditionem egiſſe ferunt, in eaque ſeditione facta ducis amiſſione, palanteis, ac diſſipatos ibidem remanſiſſe, & ab iis fluuium obliuionis eſſe dictum.*

De alteris his Plinius lib. 3. cap. 1. *Quæ autem regio à Bæti ad fluuium Anam tendit, extra prædicta Bæturia appellatur, in duas diuiſa partes, totidemque genteis, Celticos, qui Luſitaniam attingunt, Hiſpalenſis conuentus, Turdulos, qui Luſitaniam & Tarraconenſem adcolunt, iura Cordubam petunt.* Celticos à *Celtis* ex *Luſitania* aduenisſe manifeſtum eſt, ſacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica diſtinguuntur. Diximus de hoc quoque ſatis in epiſtola ad Vaſæum pro Pacenſi Colonia.

DE TVRDVLIS.

TVRDVLI ſequuntur, gens per Hiſpaniam vlteriorem late diffuſa. Nam & Bæticæ partem tenuere, quorum metropolis erat Corduba; & Luſitaniæ portionem iuxta Vettones, & maritimam omnem regionem à Tago vſque ad Durium, ex iis quidam Veteres appellati ſunt; de quibus poſtea. Quorum meminiſſe modo conuenit, ii ſunt, qui à *Turdulis* Bæticis amne Ana diſcreti erant, de quibus Plinius in capite de Luſitania: *Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.*

Hoc præter eundum nequaquam eſt fuiſſe, qui *Turdulos*, ac *Turdetanos* eoſdem arbitrarentur. E quibus Liuium nominare fuerit ſatis libro quarto quartæ decadis in hæc verba: *Fama deinde vulgatur, Cos. in Turdetaniam exercitum ducturum.* & poſt: *Interim P. Manlius prætor exercitu vetere à Q. Minutio, cui ſucceſſerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudii Neronis ex vlteriore Hiſpania, vetere item exercitu in Turdetaniam proficiſcitur. Omnium Hiſpanorum maxime imbelles habentur Turdetani, ſi etiamen multitudine ſua, obuiam ierunt agmini Romano.*

Nec tamen ea pugna debellatum eſt; decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt, alieniſque armis parabant bellum. Deinde dum Cos. exercituſq; *Turdulo* bello eſt occupatus, vbi

cerneret

etnere licet terram *Turdetaniam* dictam, incolas, cum *Turdetanos*, tum etiam *Turdulos* appellatos, bellum quoque *Turdulum*. Strabo autem horum ſubſcribens opinioni diuerſam etiam non tacuit: *Regionem*, inquit, *ipſam à flumine Bæticam vocant, ab incolis autẽ Turdetaniam. Incolas vero ipſos Turdetanos, & Turdulos appellant. Quidam autem eoſdem eſſe exiſtimant; alii vero diuerſos: è quibus etiam eſt Polybius qui Turdetanis finitimos ad ſeptentrionem dicit eſſe Turdulos. Verum tempeſtate hac nulla inter ipſos apparet diſtinctio.*

Mihi non contigit eum Polybii locum expendere, cum præter quinq; eius libros Græce, & à Nicolao Perotto Epiſcopo Sipontino latine verſos, ad hoc tempus nihil viderim: ſed fidem Straboni habeo, & Polybium vere ſenſiſſe arbitror, etiamſi Liuius, & alii eos propter vicinitatem confundant. Siquidem Ptolemæus diſtincte Turdulos alios a *Turdetanis* facit in ipſa Bætica: nam in Luſitania *Turdetanorum* tantum meminit, vt ſuperius expoſuimus, *Turdulos* prætermiſit. E contrario Plinius de *Turdetanis* in *Luſitania* nullum verbum, *Turdulos* poſuit geminos, videlicet hos Anæ contiguos, & alteros Veteres vocatos de quibus poſtea.

DE VETTONIBVS ET VECTONIBVS.

VETTONES inter *Luſitaniæ* populos circa Tagum recenſet Plinius, ita ſcribens: *Ab Ana vero, quæ Luſitaniã à Bætica diſcriminat, gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.* Diſſoluamus, ſi poſſumus, nodum hic, ſuperius obiter tactum, cum de *Luſitaniæ* terminis agebamus, vbi ex Strabonis ſententia *Vettones Luſitania* excluſimus: atque de ſcriptura vel nominis orthographia quieſcamus tantiſper, dum cætera examinamus. Conferat diligens lector quæ Strabo dicit: *Oretani maxime vergunt ad meridiem, peruenientes vſq; ad maritimam, aliqua ex parte intra columnas. Poſt quos Carpetani declinant ad aquilonem. Inde Vettones, & Vaccæi, per quos Durius labitur.*

Et paulo poſt, vbi Luſitaniam ab aurora cingi ait Vettonibus, Vaccæis, & Callæcis, conferat, inquam, hæc cum Plinii verbis lib. 3. c. 3. *Primi in ora ſunt Baſtuli, poſt eos, quo dicetur ordine intus recedentes Menteſani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vectones, & Celtiberi.*

Libro item quarto c. 10. *Durius amnis ex maximis Hiſpaniæ, ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiam, lapſus per Areuacos. Vaccæoſq; diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis, ibi quoque Turdulos ab Bracaris arcens.* & collatis inter ſe altrinſecus vtriuſque verbis, videbit vtrumq; de Hiſpania citeriore loqui *Vectoneſq;* extra *Luſitaniam* ponere, ſicut & Cæſar fecit in primo belli ciuilis commentario. *Afranius, & Petreius,* inquit, *& Varro, legati Pompeii, quorum vnus tribus legionibus Hiſpaniam citeriorem, alter à ſaltu Gaſtulonenſi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vectonum agrum, Luſitaniamq; pari numero legionum obtinebat, officia inter ſe partiuntur: vt Petreius ex Luſitania per Vectones cũ omnibus copiis ad Afranium proficiſcatur.*

Et poſt: *Petreius per Vectones ad Afranium peruenit.* Extra *Luſitaniam* ergo *Vectones* erant. Atqui Ptolemæus ex *Luſitanis* hos maxime orientales facit: interq; eorum ciuitates ex noſtra ætate notis Salmanticam, Caparam, atq; Obilam ponit. Plinius etiam in *Luſitaniæ* deſcriptione, *& circa Tagum*, inquit, *Vettones.* Quærendum igitur, ſintne iidem iſti *Vectones* ſeu *Vettones*, an diuerſi, & an conſtent ſibi auctores, anne ſecus.

Durius, inquit Plinius, *lapſus per Areuacos, Vaccæoſque diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis.* Qualis hæc partitio eſt, *diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis*, ſi Vectones iſto loco poſiti *Luſitani* ex Ptolemæo ſunt? Qualis & illa, *Et circa Tagum Vettones*? ſi circa Tagum, non ergo ii ſunt, qui Durio interfluente ab Aſturibus dirimuntur, quique ab eodem ipſo Plinio in Citeriori Hiſpania iuxta Vaccæos collocantur. Si vero ii ſunt, minus apte dictum eſt, & circa Tagum *Vettones*, cum magis ex re & æque breuiter dici potuiſſet, & à Tago ad Durium *Vettones*. Sed tunc, quinam illi eſſent Vectones non *Luſitani*, ab Aſturia amne Durio diſterminati?

Paulo expreſſius rem indagemus, eruamuſq; qui ſint iſti poſt Vaccæos Durio ab Aſturibus diſterminati. Percurrat qui velit, in Hiſpaniæ pictura Durii curſum vſque ex Numantia Pelendonum vrbe, per Areuacos, & eorum vrbeis Vxamam, Sagũtiam, Cluniam, & reliquas à Plinio commemoratas. Tum vbi ſe Areua eorum nominis cauſa, & origo Durio miſcet. Deinde à Piſoraca fluuio Vaccæos, eorumq; ciuitates Pallantiam, Caucam, & illis à Ptolemæo tributas Pintiam, & Sarabrim, & Senticam: quarum Sentica, quæ Zamora exiſtimatur, vicina fluminis angulo eſt, vbi Eſtulam fluuium Aſturum Durius excipit iuxta Mirandam, cuius in Luſitaniæ deſcriptione meminimus.

Vectones modo iſtos iis conterminos, ac Durio ab Aſturibus diſterminatos quæramus. Nulli apparent, niſi qui ab illo, quem dixi, Durii angulo introrſus cuneato, per meri-

dianum fluuii latus ad Carpetanos porriguntur. Siquidem ii à Mirandenſibus, qui olim in Aſturum validæ gentis ditione fuère, fluuio medio ſecernuntur. Atqui hi ſunt, quos Ptolemæus maxime Orientaleis Luſitanorum dixit, in quibus Salmanticam, Obilam, & Caperam poſuit, vt tractus, per quem meat in Durium Tormis, qui Salmanticam alluit, Vettonum ſit, Vaccæis vti oſtendimus finitimorum.

Hi etiam, qui & à Strabone, & à Plinio in Hiſpania citeriori nominantur. Sed hi quid ad Vettones Plinii circa Tagum, interſtitio CLX. millium paſſuum, quæ à Durii iuxta Vaccæos ripa ad Tagum numerantur? Eouſq; Vettones extendebantur, inquiet aliquis. Non omnino id præter rationem. Strabo enim Tagi narrans originem, ait: *Ex Celtiberis autem originem habens, per Vettones, & Carpetanos, & Luſitanos in æquinoctialem labitur occaſum aliquantiſper, ſpacio pari ab Ana, & Bæti fluuiis diſtans.* Sed impedimento eſt, qui cum Vettonum ſuorum vrbeis, Salmanticam, Obilam, & Caperam (vt has ſolas exempli gratia nominem) diligenter recenſuerit, inde ad Tagum, imo etiam ad Anam, ingentem quaſi lacunam inter mediam, non iam *Vettonibus*, ſed *Luſitanis* proprie ita vocatis oppleuit, Caurio, Norba, Colarno, circa Tagum, aut non longe ab eo ſitis, & Emerita ipſa *Vettonum*, vt dicam poſtea, metropoli nominatis.

Quid ergo? duæ ne iſtæ ſunt gentes, altera *Luſitana*, altera nequaquam, ſed ad citeriorem pertinens Hiſpaniam, ambę nominis ſimilitudine congruentes, an tantum vna? Duas eſſe affeuerare ego non audeo, ſed auctorum varietate, & vnius in ſcriptura litteræ differentia certe apparet. Omitto Strabonem, cuius in hoc nomine codices mire ludunt, ipſiuſne, an ſcribarum culpa neſcio. Modo enim ſunt *Ouettones*, modo *Vuettones*, modo *Ouetiones*. Latinorum codices expendamus: vtrobique enim per c t nomen gentis huius apud Plinium ſcribitur, cum de citeriori loquitur prouincia; ſic apud Cæſarem commentario ſuperius citato; ſic apud Liuium in quinto quartæ decadis libro, vbi M. Fuluium cum iis, atq; Vaccæis, & Celtiberis refert dimicaſſe; apud Lucanum ſimiliter, atq; Silium, quorum verba mox referam. At iſti *Luſitaniæ* circa Tagum *Vettones* geminato tt ſcribuntur, vt apud ipſum Plinium ibidem liquet, & in multis ſaxeis inſcriptionibus inueni. quarum duas in libello ad Kebedium Toletanum canonicum nuper poſui. nec pigebit modo repetere, etiamſi nimium videatur, quandoquidem hic locus maxime id expoſcere mihi videtur. Eboræ ingens in ædibus meis cippus ita habet.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO ÆD. Q. II. VIR. VI.
FLAM. ROM. DIVOR. ET. AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT.
ET COH. I. VETTONVM.

Id eſt,

L. Voconio Lucii filio Quirina Paulo AEdili quæſtori duumuiro ſextum flamini Romæ diuorum, & Auguſtorum præfecto cohortis primæ Luſitanorum, & cohortis primæ Vettonum.

Emeritæ autem in domo Petri Mexiæ, ſic.

P. ÆLIO. VITALI AVG. LIB. TABVL. PROVINC. LVSITANIÆ ET VETTONIÆ. STEPHANVS, LIB. ET. HERES. PATRONO. FECIT.

Hoc eſt,

Publio AElio Vitali Auguſto liberto tabulario prouinciæ Luſitaniæ & Vettoniæ, Stephanus libertus, & heres patrono fecit.

Sagunti in cœnobio ſanctæ Trinitatis.

SERGIÆ. M. F. PEREGRINÆ. M. SERGIVS VETTO. AMITÆ.

Hoc eſt,

Sergiæ Marci filiæ peregrinæ, Marcus Sergius Vetto amitæ.

In pago Oliua ex ruinis Caperenſibus.

L. PVBLICIVS. L. F. PAP. THIAMVS. EMERIT. ANN. XXVII. H. S. E. S. T. T. L. CÆCILIVS VETTO. SODALI CIPPVM. D. S. D.

Hoc eſt,

Lucius Publicius, Lucii filius Papiria Thiamus Emeritenſis annorum viginti ſeptem hic ſitus eſt. Sit tibi terra leuis. Cæcilius Vetto ſodali cippum de ſuo dedicauit.

In eodem pago alius lapis.

L. DOMITIVS T. F. GAL. VETTO. OTO BESANI. H. S. E. S. T. T. L. DOMITIVS FORTVNAT. PATRONO. D. S. F.

Hoc

Hoc eſt,

Lucius Domitius Titi filius Galeria Vetto Otobeſanus hic ſitus eſt. ſit tibi terra leuis, Domitius Fortunatus patrono de ſuo fecit.

Ptolemæus etiam duplici tt hos *Luſitanos Vettonas* ſcribit *Ouettonas*. Eſt & alia differentia nam illi *Vectones* citerioris prouinciæ mediam ſyllabam productam habent: vt oſtendunt duo ſummi poetæ Lucanus, & Silius ille Pharſaliæ lib. 4. ita canens:

His præter Latias acies erat impiger Aſtur,
Vectoneſq; leues, profugiq; à gente vetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Hic autem lib. 16. de Peloro equo in hunc modum.

Campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.

Primus vero Luſitaniæ iuxta Turdulis ad Tagum, ac duplici tt ſcripti, eandem ſyllabam breuem habere comperiuntur ex ipſo *Vettoniæ* nomine apud Prudentium in Diua Eulalia clara colonia *Vettoniæ*. Cum quo facit & Sammonicus Serenus de *Vettonica herba*, quam à *Vettonibus* inuentam in Hiſpania dicit Plinius.

Vettonica manſus ſiccabis lumina ſuccus.

Dioſcorides Bettonicam appellatam à Romanis ait, cum *Keſtron* appellent Græci. Breuem itaq; ſyllabam eam comperimus: vnde colligi videtur, gentem aliam eſſe Vettones, aliam, *Vectones*. Quæ ſi opinio recipitur, integra manebit cum Cæſaris, tum Strabonis, tum etiam Plinii auctoritas, Vectones à Luſitania ſeparantium. Scriptura tamen Straboniani codicis emendanda erit, vt vbi *Ouettones*, vel *Vuettones*, vel *Ouettones*, ſcriptũ eſt, reponatur *Vectones*. Verum vacillabit tunc Ptolemæi deſcriptio, qui *Vettones cũ Vectonibus* nominum ſimilitudine videbitur confudiſſe, terminumq; *Luſitaniæ* orientalem partibus nouem cum ſemiſſe, & quadraginta & vna, ac fere beſſe definiens; hoc eſt per Sarabrin Vaccæorum vrbem, quam Taurum noſtræ ætatis docti exiſtimant, ducta linea vſq; ad Metallinenſe oppidum, olim coloniam, pauloue ſupra. Sin vero opinio, vti noua, explodatur, doceat me aliquis, quinam ſint *Vettones* Durio ab Aſturia diſterminati, apud Plinium, & qui ab oriente vna cum Carpetanis, Vaccæis, & Callæcis *Luſitaniam* cingant, apud Strabonem, & cur Ptolemæus, *Vettonibus* circa Tagum omiſſis, illorum tantum, qui Durio ab Aſturia deſtinantur, & vſq; ad Caperam ſunt, mentionem fecerit.

Si ab ea perplexitate extricari poſſemus, diffuſis partim per citeriorẽ Hiſpaniam iuxta Carpetanos, & Vaccæos *Vettonibus*, Durium ex aduerſo Aſturum adcolentibus partim circa Tagum iuxta Turdulos, aut ita ſuppreſſis Turdulis, vt *Vettonum* excelleret nomen vſq; ad Anam, vnde *Emerita Vettonum clara colonia* à ſanctiſſimo, eodemq; doctiſſimo Prudentio vocata ſit: iuberem equidem omnes Cæſaris, Liuii, Strabonis, Lucani, Silii, ac Plinii emendare locos, in quibus per litteras ct ſcripti ſunt, & ad duplex tt omneis reducerẽ, & illos, qui ab Aſturibus Durio ſecernuntur, *Luſitania* cum Plinio excluderem, terminumq; *Luſitaniæ* Orientalem non tam intus ad citeriorem Hiſpaniam limitarem, ſed à Durii ſecundo flexu, quẽ ſupra ad Fraxinum notaui, hoc eſt à loco vbi Tormis Salmanticenſium fluuius in Durium ſe fundit, & amnis recto iam alueo hodiernam *Luſitaniam* ingreditur, eamq; diuidit à Callæcis Bracaris, vt auctor eſt Plinius, inde per Rodericopolin, Placentiam, & Caſtra Iulia ad Metallinenſe opidum, pauloue ſupra lineam dirigerem.

Quod autem ad ſyllabæ menſuram attinet, aut Prudentio, Serenoque minus fiderem, aut, ſi inuitum hoc eſt, ancipitem eam dicerem, vt permultas obſeruarunt grammatici, apud poetas, quod inſtituti noſtri modo non eſt. Hæreremus tamen rurſus propter Ptolemæum, qui longius, ac penitius à ſeptentrionali capite Luſitaniam extendit, Plinio homine Romano, cui non credere durum eſt, aperte reclamante.

Vſque adeo verum eſt, quod ipſe ait Plinius in fine primi cap. lib. 3. *alibi mutato prouinciarum modo, alibi aliis aliunde exordium menſura capientibus, factum eſſe, vt nulli duo concinant.* Concludamus igitur, *Vettones*, vel alios eſſe à *Vectonibus*, vel ſi iidem ſunt, quod magis probamus, per geminum tt debere ſcribi: nec omneis ad Luſitaniam pertinere, ſed magnam eorum partem per citerioris Hiſpaniæ finitimos Carpetanos, atque Vaccæos ad Aſtures vſque diffundi, quo illos à Luſitania ſeiungunt Strabo, atque Plinius, licet non ſeiungit Ptolemæus: partem alteram Luſitanis cohæſiſſe, protenſo etiam vſque ad Anam nomine, & cum ceteris Luſitanis prouinciam vnam coluiſſe: nouiſſime tandem per ſe prouinciam effeciſſe *Vettoniam*, cuius caput, ac metropolis eſſet *Auguſta Emerita*, alioqui in Turdulis ſita: vnde eam ſacer Prudentius *claram Vettoniæ coloniam* appellarit, cum tamen eandem alibi, diuerſa reſpiciens tempora, *Luſitanorum* caput oppidorum

dixit. Factam vero *Vettoniam* per ſe prouinciam, ex eoque tempore cœpiſſe *Vettoniam*, & *Vettones* ſeparatim à *Luſitanis* ſcribi, in libello ad Kebedium nuper oſtendimus, & ex inſcriptionibus paulo ante relatis comprobatur.

DE BARBARIIS.

LONGE minus negotii nobis exhibebunt *Barbarii*, cum propter obſcuritatem gentis, tum propter ſitum, & eorum ſedes ambiguitate nulla confuſas, à promontorio ex ipſorum nomine vocato vſque ad ſinum Olyſipponenſem. Sed de promontorio poſtea: de nomine propter nouitatem diſquiram aliquantulum. Mihi nonnumquam ſubiit cogitare, cur mons, quem *Rabidam* vocamus, *Barbarius* dicatur, & populi circa eum Barbarii, omiſſa Floriani Campenſis ignominioſæ appellationis fabula, ad morum aſperitatem denominationem torquentis. Mei autem inſtituti non eſt hiſtorias per figmenta concinnare. Neque enim *Barbari* vocantur, ſed *Barbarii*, vt docet Strabo libro tertio de ſtanno loquens, quod generari dicit in *Barbariis* ſupra *Luſitanos*, & in *Caſſiteriis* inſulis, & è Britannis Maſſiliam deferri: & eodem libro *promontorium Barbarium* nominat: quo etiam nomine Ptolomæus vtitur.

A Barbaro autem, cum ad ingenium refertur, Barbaricus, non Barbarius deriuatur. Veni igitur in hanc cogitationem: montis huius omnes rupes iaſpideæ ſunt, inueniunturq́; inter eas iaſpides albi, purpurei, virides, varii, ac multi colores, ſplendore mirabili. Cæduntur inde columnæ, poſtes, & ſimilia, quæ vbi accedit politio translucent in tantum, vt ſpeculorum vicem & præbeant, & vincant. At vero terrenum laudatiſſimo abundat cocco, Emeritenſi, quod laudat Plinius, nullo modo cedente. Ex quo tingunt infectores veſtem, quam ſcarlatam, vel granam noſtri homines appellant, videlicet à granis, quæ in fruticetis toto eo tractu naſcuntur, ſicut veteres à vermiculo in iiſdem granis innato blattæ ſimili, vermiculatam veſtem dixêre, quam recentiores blatteam, coccineam vel purpuream volentes ſignificare: etſi hæ diſtinctionem capiunt.

Nam purpurea proprie ex ſanguine purpurarum, conchyliorumue fit: coccinea vero ex ipſo quod dixi, cocco. Hinc Suetonius in Neronis luxuriam inuectus, *aureo reti, & funibus purpura coccoq́; nexis piſcatum* cum criminatur, Quod recentiori verbo, *blattis funibus*, dixit Eutropius. Multumq́; vſi ſunt ea voce illius æui ſcriptores. Ac propter eminentis coloris in vtriſq; ſimilitudinem cœperunt iſta confundi. Oſtendam hoc ex Sidonio Apollinari, non contemnendo poeta, in hoc Anacreontico monſtroſe deprauato: noſtraque opera, ſicut cetera eius auctoris ſcripta, reſtituto.

Rutilum thoreuma biſſo,
Rutilaſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibaa fucat vnda,
Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus,
Peregrina det ſuppellex
Cteſiphontis, & Niphatis
Iuga texta, Belluaſq;
Rapidas vacante pano:
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco,
Iaculoque ceu forante
Cruor incruentus exit.

In quibus carminibus aperte confundit blattam, purpuram, & coccum. Melibœa namque purpura ex conchis eſt, vt oſtendit Lucretius lib. 2.

Iam tibi Barbarica veſtes, Melibœaque fulgens
Purpura, Theſſalico concharum tecta colore.

Vbi etiam aduertendum, quas veſtes barbaricas dixit Lucretius, peregrinam ſupellectilem dixiſſe Apollinarem. Redeamus iam ad inſtitutum. Veſtium purpura, cocco, vermiculo, quæ à barbaris terris, id eſt peregrinis, adlata erant, infectores, *Barbaricarii* appellari cœperunt, vt patet. C. de excuſationibus artificum & de palatinis ſac. larg. quod etiam adnotauit Alciatus in treis poſteriores libros Codicis. Marianus Scotus in tit. Magiſtri officiorum, & fabricæ, *Barbarios* eos vocat.

Etenim iſthæc nomina in *arius* finita. hominum fere officia ſignificant, *Sagarius*, *Caligarius*, *Limbolarius*, & quæ multa alia apud Plautum in Aulularia bonus ille Megadorus enume-

enumerat. Sic *Barbaricarium*, & *Barbarius* ad harum rerum officinas, opificeſque pertinent. Populi itaque iſti, de quibus loquimur, Barbarii appellantur. Cogitabam igitur ſi forte à cocco, quod in magna multitudine colligerent, venderentque negociatoribus Romanis eam mercem conuecturis, aut forte ipſi baphicæ gnari tingerent, *Barbarii* fuerint nuncupati. verum hæc ariolando. Quare huic meæ coniecturæ addici lectores neque poſtulo, neque parteis ſuſcepi meo periculo iſtiuſmodi appellationum cauſas, origineſue tradendi.

DE PAESVRIS AVT PAESVRIBVS.

IGNOBILES, & obſcuri ſunt *Paſuri*, ab vnoque auctorum omnium Plinio memorati. Late paterent, an terminis anguſtis concluderentur æque ignotum. In nobiliſſimo illo ſuper *Tagum* ponte ad *Vettoniæ* oppidum *Alcantaram*, inter cetera prouinciæ *Luſitaniæ* municipia, quæ ſtipem ad pontem conficiendum contuliſſe memoriæ proditum ibi eſt, *Paſures* vltimi recenſentur. Quo ſane intelligimus, non longe eos inde eſſe diſcretos: ſimulq; emendandum eorum in codicibus Plinianis nomen à ſecunda in tertiam inflexionem. De inſcriptione vero pontis huius cum vrbeis enarrabimus, tunc agemus.

DE TVRDVLIS VETERIBVS.

CONTRA autem *Turduli veteres* valde celebres, & parentes omnium *Turdulorum*, qui vlterioris Hiſpaniæ maximam partem ſuo nomine repleuerunt. Ab iis enim prodiiſſe quaſi examina *Turdulos*, & in Bætica, & iuxta Anam forſitan & *Turdetanos*: indicio eſt ipſum veterum cognomentum. cum enim veteres iſti ſint, reliquos omnes recẽtiores eſſe oportet. eorum regionem Plinius à Durio dextrorſus Oceanum verſus deſignat; ſiniſtrorſus vero ex dictis ſuperiori capite, Pæſures Turdulis ſubiunctos ab Plinio incolere exiſtimamus. Pomponius, cui in Hiſpaniæ rebus multum eſt merito tribuendum, à Tagi oſtio ad Durium eos extendit: *Ab iis* inquit, *promontoriis ad illam partem, qua receſſit, ingens flexus aperitur, in eoque ſunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere vltimi promontorii latus effluens, & radices eiuſdem abluens Durius.*

QVALIS GENS LVSITANI.

EXPLICAVIMVS ſummatim *Luſitaniam* triplici terminorum differentia: à quibuſq; populis ante Gotthorum illuuionem, de quibus poſtea, poſſeſſa olim ſit, dictum ſatis.

Exigit ordo, vt qualis nam fuerit ea gens, quibuſue moribus, indicemus. Et quidem gentem eſſe fortem, vt noſtra tempora non præoccupemus, antiqui ſcriptores non tacuere. Diodorus Siculus *omnium Celtiberorum fortiſſimos eſſe Luſitanos aſſerit.* Quo loco, vt obiter dicamus, aut legendum, *omnium Iberorum*, aut Diodorus *Iberos* omnes *Celtiberos* appellaſſe, minus apte eſt exiſtimandus. Sed, cum ſtatim *Luſitanos* galeam, enſemque ferre *Celtiberorum* more dixerit, abſq; dubio à *Celtiberis* eos ſeparat.

Quare magis placet, vt lectio emendetur, legaturque *Omnium Iberorum*. Ceterum ad fortitudinem pertinet, quod Strabo ait, *Luſitaniam annis plurimis Romanorum armis oppugnatam.* Fortitudinem quoque arguit conſtans, ac grauiſſimum Decimo Bruto Cinnanienſium reſponſum, quod affert lib. 6. Valerius, neq; ſine animi quodam exulcerati, & forte ex inuidia, dolore. *Melius*, inquit, *ſine dubio homines noſtri ſanguinis hæc dixiſſent, quam audiſſent.* Vrſit tamen veritas ſcriptorem ita concludere: Sed illos quidem natura in huius grauitatis veſtigia deduxit.

Nec ad fortitudinem non pertinet, quod idem Valerius *titulo de vafre dictis, aut factis* commemorat, *non potuiſſe Sertorium Luſitanos oratione flectere, ne cum vniuerſa Romanorum acie vellent confligere, donec vellendis equorum duorum caudis notiſſimum illud exemplum oculis mirantium obiecit.* Vocet Valerius ſuo libito gentem barbaram, aſperam, regi difficilem, his opprobriis parum diſciplinæ militaris peritos Luſitanos arguerit, imbelleis, aut ignauos animos iis minime fuiſſe eadem illa narratione palam prædicat. Multa Liuius tertia, quarta, & quinta decadibus prælia cum Luſitanis varia fortuna commiſſa refert. Quamquam ſuſpecta ſcriptorum Romanorum cenſeri fides merito poſſit. Fere enim eleuant, & attenuant barbarorum, ſicuti aiunt, res geſtas, ſuas augent etiam immodice, vitio fortaſſe priorum.

Diſerte Strabo Polybium notauit lib. 3. quod trecentas Celtiberorum vrbeis in Tiberii Gracchi gratiam ſubuerſas ab illo memoriæ prodiderit. *Nam Imperatores*, inquit, *& rerum geſtarum ſcriptores, vt ornatoria efficiant negotia, ad hoc mentiendi genus feruntur.* Antiatem Valerium non ſemel ipſe Liuius perſtringit, vt in numero augendo intemperantem

atque immodicum, & præcipue circa finem lib. ſexti tertiæ decadis, *adeo nullus*, inquiens, *mentiendi modus eſt*. Ex quo cum pleraq; deſumpſerit, non mirum ſi fallat ſimiliter.

Expendatur (vt vnum hoc argumentum verbi cauſa referam) Publii Cornelii Cnei filii Scipionis proprætoris pugna cum Luſitanis, qui deuaſtata vlteriori Hiſpania onuſti præda domum redibant, narrata in initio quinti libri quartæ decadis. eius ipſius verba recenſebo.

Prætor hæc geſſerat Scipio. Idem proprætor Luſitanos, deuaſtata vlteriori prouincia, cum ingenti præda domum redeunteis in ipſo itinere adgreſſus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, ſuperior aliis. Nam & acie frequenti armatis ad longum, & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduerſus feſſos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hoſtes. Huic nocturno itineri tres diurnæ horæ acceſſerant, nec vlla data quiete labori via prælium exceperat. Itaq; principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus, animiſque fuit. Et turbauerant primo Romanos, deinde æquata paulisper pugna eſt. In hoc diſcrimine ludos Ioui ſi vi fudiſſet, cecidiſſetq; hoſteis, proprætor vouit. Tandem gradum acrius intulere Romani, ceſſitq; Luſitanus: deinde prorſus terga dedit. Et cum inſtitiſſent fugientibus victores, ad XII. millia hoſtium ſunt cæſa, capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & ſigna militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Romano ſeptuaginta, & tres amiſſi.

Cui enim, Liui diſſertiſſime ſuſpectum non ſit, in prælio continentium horarum quinque incerto euentu, in quo primo turbatos fuiſſe ait Romanos, deinde paulisper æquatam pugnam, proprætoremq; in eo diſcrimine ludos vouiſſe Ioui, quod ſane ſolent ii, qui de victoria deſperant, duodecim *Luſitanorum* cecidiſſe millia, captos quingentos quadraginta, omnes ferme equites; de Romano vero exercitu tantum amiſſos treis & ſeptuaginta? Aggreſſus, inquis, eſt proprætor armatorum frequenti acie longum & impeditum turba pecorum agmen, recenti milite feſſus longo itinere accipimus, vt merito credantur Romani Luſitanorum multa millia cecidiſſe: Sed in duodecim millium clade ſolos treis & ſeptuaginta amiſiſſe Romanos, neſcio an perſuadeas.

Quid enim Romanos turbauit? Quid eſt poſt quinq; horarum ſpatium incerto euentu paulisper æquatam fuiſſe pugnam? Ab hora tertia diei vſq; ad octauam incerto euentu pugnauit Romanus, deinde æquata paulisper pugna eſt.

Si tam illæſi in prælio erant Romani, ſi tam obtuſis gladiis, & exhauſto vigore *Luſitani*, cur horis continentibus quinq; incertus fuit euentus? an non, quia cædebant, & cædebantur? Quid ſibi vult, æquatam fuiſſe pugnam, niſi eatenus inferiores fuiſſe Romanos? & perſuadebis in tanto diſcrimine, cum Luſitanorum duodecim millia cæſa fuerint, ſolos treis & ſeptuaginta de Romano exercitu fuiſſe amiſſos?

Sed bene quod itinere longo feſſos, & de tertia vigilia egreſſos, prædaq; longo agmine impeditos, confeſſus es, parum alioqui fidei habiturus. Non enim gerebatur res cum fugacibus Armeniis, & ventoſi Tigranis exercitu, ſed cum Luſitanis aſſuetis pugnare contra Romanos, quorum forti opera vſus fuerat Hannibal, non modo in Hiſpania, ſed in ipſa etiam Italia, quiq; Luci Æmilii Pauli proprætoris exercitũ apud Lyconem oppidũ profligarunt, cæſis vno prælio ſex Romanorum millibus, ceteris intra vallum compulſis, ac ægre caſtra defendentibus, ac tandem ad modum fugientium magnis itineribus in pacatum agrum reductis. Quod idem teſtatur Liuius decadis quartæ lib 7. Vbi etiam aduertant lectores, quam religioſe Romanorum fugam ſcriptor facundiſſimus obumbret, *ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum perductos* memorans.

Oroſius certe *L. Aemilium cum vniuerſo exercitu cæſum interiiſſe dicit* lib. 4. c. 20. de quo alibi diffuſius, & cap. 21. *Sergium Galbam prætorem à Luſitanis magno prælio victum, vniuerſo exercitu amiſſo, cum paucis vix elapſum euaſiſſe* narrat. Ex qua ignominia cum ſe poſtea vlciſci Galba ſtatuiſſet, Luſitanos, qui citra Tagum habitabant, ſponte ſua ſe dedentes ad colloquium vocauit, ſimulans de eorum ſe commodis acturum. Sed circumpoſitis militibus, inermes, atque incautos per ſcelus maximum omneis profligauit. *Quæ res*, inquit Oroſius, *poſtea vniuerſæ Hiſpaniæ propter Romanorum perfidiam cauſa maximi tumultus fuit.*

Trium Luſitaniæ ciuitatum conuocato populo, vt ſcribit Valerius Maximus libro nono titulo de perfidia, *nouem millia, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, partim trucidauit, partim vendidit.*

Accuſauit acriter M. Cato Sergium Galbam pro interfectis contra interpoſitam fidem Luſitanis, vt teſtatur in Bruto M. Tullius, & obiter in Diuinatione, quod explicat latiuſcule Aſconius Pedianus, & Liui epitome lib. 49. & idem Valerius Max. lib. 8. cap. 1.

Nonageſimum autem ætatis annum agebat Cato, cum Galbam accuſauit, teſte Liuio, decadis 4. lib. 9.

Ab Oroſio non diſcedamus. Is ex Claudio narrat, trecẽtos Luſitanos cũ mille Romanis

pugnam commiſiſſe: in qua ſeptuaginta Luſitani, Romani autem trecentum viginti ceciderunt. Cumq; victores ſparſi iam, atq; ſecuri abiiſſent, vnuſq; ex illis longe à ceteris ſegregatus maneret, à circumfuſis equitibus pedes ipſe eſt deprehenſus: ille tamen vnius eorum equo lancea perfoſſo, ipſius equitis vno gladii ictu caput deſecuit. Quo facto, ita omnes metu percuſſit, vt proſpectantibus cunctis ipſe contemptius atque ocioſus abſcederet.

Suppeterent nobis ſimilia fortitudinis exempla, ſi modeſtius ſua extuliſſent Romani. Nos autem cum rerum noſtrarum ſcriptores alios non habeamus, ex iis, ſiue æquis, ſiue iniquis cogimur accipere, quantum illis prodere de nobis fuit libitum. Nonnumquam tamen veritas excidit imprudentibus.

A Gallis, & à Luſitanis Romanos per arma grauiter vexatos ait Iulius obſequens cap. decimo quinto de prodigiis, & cap. 40. *à Luſitanis exercitum Romanum cæſum.* Florus lib. 2. c. 17. *Tota certaminum moles cum Luſitanis fuit, & Numantinis, neque immerito, quippe ſolis gentium duces contigerũt.* Ex quibus verbis perſpicuum fit. duces magnum ad victoriam afferre momentum: quos cum ſemper haberent Romani, non mirum, ſi turbam hominum ſine duce incompoſitam vincerent.

At quoties duces contingebant militaris rei non ignari, non tantum ſe iactabant Romani. Eſto iudicium vel Luſitanis Viriatus, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpanię Romulus, vt idem ſcribit Florus, vel Sertorius. Facetus eſt Iuſtinus lib. vlt. *In tanta ſæculorum ſerie nullus illis dux magnus præter Vriatum fuit, qui annos decem varia victoria Romanos fatigauit. Adeo feris quam hominibus propiora ſunt ingenia.* Quæſo te, Iuſtine, cur feris quam hominibus propiora dicis noſtrorũ ingenia? Quia annos decem Romanos varia victoria fatigauerunt? Quid? Romanorum, cum Luſitanos variis fatigabant victoriis, ingenia diis credo quam hominibus propiora exiſtimares. Eſtne, an minime, quod ſuperius dixi, Latinos ſcriptores ſemper vt potuerunt noſtra detrectaſſe? Sed de fortitudine iſthæc ſufficiant.

Mores Strabo, quales ſuo tempore acceperat, diligenter annotauit; neque tunc quidem malos, neque modo nobis erubeſcendos. Quorum multi cum religione mutati ſunt, multi etiam perſeuerant. Ex iis exponam aliquos.

Quod *inſidiatores* eos dixit, nemo in peiorem partem accipiat. Militare enim vocabulum eſt, vt admonuit Iulius Pollux capite 10. Cicero ea re Q. Fabium Maximum laudat libro de officiis primo. Callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex noſtris ducibus, Q. Maximum accepimus, facile cælare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium conſilia. Quod ad Luſitanos attinet, Dion Herminii montis incolas Cæſari inſidias paraſſe ait.

Pugio lateri adhæret. Pugionum vſus Hiſpaniæ antiquiſſimus, qui me puero in magno honore viris adhuc erat, paulatim defluxit ad ſicas, quibus etiam impuberes ante nimis properum enſium vſum ſæpe in ſuam perniciem, & parentum orbitatem armantur.

Vnuſquiſq; plura fert iacula. Callaicorum, & Bracarorum etiam nunc pleriq; ex plebe id ſeruant, cum ad agros egrediuntur, bina ferentes iacula, & quidem amentata.

Quidam & vtuntur haſtilibus. Tranſtaganorum mos hic eſt, etiam pedibus euntium, lanceas ſane longas extra vrbem geſtare. Equitibus habiliores ſunt.

Aquæ potores. Id ad noſtram ætatem etiam magna ex parte durat, præſertim inter nobiles. Certe pueri citra pubertatem abſtemii generatim ſunt. Regibus, ac Principibus noſtris ſolemnis eſt vini abſtinentia.

Ceterum, *Spartano ritu degere Luſitanos, & Græco more Hecatombas facere, gymnica certamina exercere*, quæque ſequuntur, omnia eo pertinent, vt Græcam Luſitanorum originem oſtendant. Cetera poſſunt, qui velint ex ipſo Strabone petere.

Leui armatura vti Luſitanos, primo belli ciuilis commentario Cæſar aſſerit. Grauiorem, & quæ Panoplia vocatur, à Romanis Gallis, atque Germanis accepere. Cetratos pugnare pedites, & Cæſar, Liuius, & Silius, & pleriq; alii atteſtantur.

Proſequamur & illam *Callecia* partem, quam annexam Luſitanię ſupra memorauimus, videlicet *Bracaros* ab vrbe gentis capite nominatos. Vetuſto hi nomine *Gronii* dicebantur Pomponio, Plinioq;. quamquam in Plinio emendata iam lectio eſt, & pro *Groniis* ſubſtituti *Grauii*, ex Silio lib. 1.

Quiq; ſuper Grauios lucentes voluit arenas
Inferna populis referens obliuia Lethes.

Et libro tertio.

Et quos nunc Grauios, violato nomine Graium
Oenææ miſere domus.

Plinius quadrifariam partitur, in *Helenos, Grauios, Leunos, Seurbos.* Adhuc minutius Pto-

lemæus, in *Turdulos, Nemetatos, Cœletinos, Bibalos, Limicos, Gruios*, quos alii *Grauios*, *Leuuges Quarquernos, Lubanos, & Narbaſos*. Sed hæc potius ciuitatum ſunt nomina, vt eſt Aquis Flauius in columna, de qua ſuo loco. vbi legitur.

CIVITATES. DECEM
AQVIFLAVIENSES. AOBRIGENS.
BIBALI. COELERINI. EQVÆSIL.
INTERAMICI. LIMICI. ÆBISOC.
QVARQVERN. TAMACANI.

Hoc eſt,

Ciuitates decem, Aquiflauienſes, Aobrigenſes, *Bibali, Cœlerini, Equæſilici, Interamici, Limici, Æbiſoci, Quarquerni, Tamacani.*

Pomponius vero vno nomine *Gronios*, ſeu potius *Grauios* complexus eſt. Addit Iuſtinus *Amphilochos*, Græcæ originis. Strabo *Hellenas*, & *Amphilocos*: & Græcorum ſobolis omnia, dixit Plinius. Nam, præter Teucrum, Telamonis filium, quem ſcribit Iuſtinus ad Callæciam veniſſe, & genti nomen dediſſe, etiam Diomedes, eo delatus, Tyden vrbem condidit, quam propterea *Ætolam* Silius cognominauit, lib. 3.

Ætolaque Tyde.

Durio vicinos amni, Spartano ritu degere, Strabo de Luſitanis agens, memoriæ prodidit. Hecatombas, certamina gymnica, ludos, armis, equis, ceſtibus, & curſu ſolitos celebrare; itemque coniugia Græcanico ritu: vt abſque dubio græcam hi populi præ ſe ferant originem.

Liberi patris, atq; Olyſſis vetuſtiora ſęcula ſupra memorauimus. Adeo verum eſt, Grecæ originis multa in Hiſpania ſupereſſe veſtigia, vt etiam linguæ complura, & vocabula, & Helleniſmi, & pleræque diphtongi, ipſique etiam additi nominibus articuli, eorumq; vſus apud nos & ſit, & cuſtodiatur. Aliquando, curioſitatis ſtudio, atq; animi cauſa, otio abuſus, ſiluam collegi vocabulorum fere quingentorum, cum ſua dialecto, nobis ex Græco relictorum. quæ perſequi, huius loci nequaquam eſt.

DE MONTIBVS.

MONTES nonnullos habet *Luſitania*: ſed, quorum mentio facienda ſit, *Cicum*, *Barbarium, Iunctum, Herminium, Lunamontem, Tapianum, Cordibam, Alcobam, Murſim, Maranum, & Ireſſum. Mons Cicus* ab Caſtro Marino oppido, Anæque fluminis exitu incipiens, tamquam *Marianorum montium* appendix, Algarbii Regnum ſecat, & nonnullis emiſſis fluminibus, in mare propinquum ſe condentibus, ad oppidum Algiazur cum fluuio eiuſdem nominis in occidentalis Oceani littore deficit. De Barbario ſuperius dictum ſatis.

Lunamontem, nos *Sintria*, ab oppido appellamus efficitque promontorium illud, quod magnum, ſiue Olyſipponenſe appellant Geographi. In cuius ſummis rupibus templum eſt Sanctiſſimæ Dei Matri ſacrum, ab indigenis maxima religione cultum, ſimulque cœnobium monachorum, ad S. Hieronymum vitæ inſtitutum referentium, non tam numero, quam morum integritate ſuſpiciendum. Ad radices montis, in ipſo promontorii cacumine, quo in Oceanum præcipitatur, templum olim fuit, Soli, & Lunæ ſacrum. Cuius modo inter littorales arenas ruinæ tantum extant, & cippi aliquot inſcripti, ſuperſtitionis antiquæ indices.

Vnus ſic habet.

SOLI. ET. LVNÆ CEST. AGIDIVS
PERENNIS LEG. AVG. PROPR.
PROV. LVSITANIÆ.

Hoc eſt,

Soli, & Lunæ Ceſtius Acidius Perennis Legatus Auguſtalis Proprætor Prouinciæ Luſitaniæ.

Alter autem ſic.

SOLI. ÆTERNO. LVNÆ
PRO ÆTERNITATE. IMPERII ET
SALVTE. IMP. CAL.. SEPTIMII.
SEVERI ET. IMP. AVG. CÆS. M.
AVRELII. ANTONINI
AVG. PII

.... CÆS.
ET. IVLIÆ. AVG. MATRIS. CÆS.
DRVSVS. VALERIVS. CÆLIANVS
VIATI. VSI .... AVGVSTORVM
CVMV. SVALE .... NI .... SVA
ET. Q. IVLIVS. SATVR. QVAL....
ET. ANTONIVS.........

Hoc eſt,

Soli æterno, Lunæ, pro æternitate imperii, & ſalute Imp. Cæſ. Septimri Seueri, Auguſti Pii, & Imp. Cæſ. M. Aurelii Antonini Auguſti Pii .... Cæſaris, & Iuliæ Auguſtæ, Matris Cæſaris, Druſius Valerius Cælianus .... & Q. Iulius Saturninus, & Antonius ....

Eſt ibi præterea ingens alius cippus, qui habet ſupra triginta lineas littera minutiore. verum iniuria temporis, & aſpergine maris in tantam ſcabritiem deuenit, vt in vnaquaque linea vix litteræ quatuor agnoſcantur. Atq; hic eſt locus in quo, qui ſacroſanctæ vetuſtatis inſcriptiones typis in Germania edendas curauerunt, erutas fuiſſe aiunt quadratas columnas tres, in quarum vna vaticinium Sibyllæ contineri aſſerunt.

VOLVENTVR SAXA LITTERIS
ET ORDINE RECTIS.

Quod vaticinium ego fictum exiſtimo, & tres illas quadratas columnas tres eſſe cippos, quos dixi, ſunt enim ingentes. Valentinum vero Moranum, fabulæ aſſertorem, virum bonum, negotiatorem ſplendidum, litterarum tamen Latinarum rudem fuiſſe accepi, vt facile fuerit ab impoſtore quodam decipi, & nouæ rei admiratione inductum ſuſpicor voluiſſe Germanos ſuos participare.

DE MONTE TAGRO SIVE IVNCTO.

TAGRVM montem, in quo equæ vento concipiunt, Olyſipponi vicinum Varro aſſerit. *In ſatura*, inquit, *res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad Oceanum in ea regione, vbi eſt oppidum Olyſippo, monte Tagro, quædam è vento, certo tempore, concipiunt equæ.* Non diſputo de conceptu ex vento, re nobis modo incomperta. Sed, quod ad inſtitutum meum attinet, mouet mihi ſcrupuli neſcio quid, ſimilitudo *Tagri*, & *Tagi*, hoc eſt montis, & fluuii.

Subdubitaui ſæpe, referendum ne eſſet, quod de monte ait, ad amnem, vt pro *Tagro* monte, amne *Tago* ſubſtitueremus. Quemadmodum fecit Plinius, qui circa Olyſipponem oppidum, & *Tagum* amnem, dixit: & Iuſtinus, In *Luſitania*, iuxta fluuium *Tagum*. Sed duæ res impedimento ſunt: altera, quod non bene diceretur, equas concipere amne *Tago*: altera Columellæ verba montem quoque nominantis, tametſi ſacrum, non *Tagrum*. Verum, cum id à Varrone acceperit, ad illius lectionem reuocandus vtique eſt. Quod ſi quis opinatur etiam apud Varronem legendum, *Monte ſacro* non repugnarem, ſi montem aliquem ſacrum alicubi iſto in loco legeremus. Sacrum montem in *Callæcia* eſſe nouimus ex Iuſtino. Sacrum & in *Luſitania*, qui eiuſdem nominis efficit promontorium. Sed horum vterque longiſſime ab Olyſippone diſtat, cum Varro vicinum dicat. Quare non audeo lectionem eius immutare: neque temere in notæ eius auctoribus id faciendum cenſeo.

Nam, quod Plinius, & Iuſtinus, *Iuxta amnem Tagum*, dixere, non tollit, in monte, qui iuxta ipſum amnem ſit, idem etiam fieri, vt vere dixerint hi, *iuxta amnem*, & illi, *In monte*. Ceterum montem hunc eum eſſe, quem *Iunctum* adcolæ vocant, contiguumq; illi *Albardum*, videtur liquere, ex equiferorum inibi paſſim multitudine per montem: cum ſolitarie, tum etiam gregatim errantium. Corporatura illis mediocris, ſed firma. ſoliditas vngularum ſicciſſima, pernicitas mirabilis. Quare capti, ac domiti, ad perferendos labores, tam ſarcinæ, quam itineris, ceteris duritia, videlicet rupibus aſſueti, longe præſtant.

Sed, quamquam de conceptu ex vento diſputandum à me negaui, referá tamen, quod inquirendæ rei gratia percunctanti, mihi indicatum eſt. Diuerti abhinc ſeptennium apud colonum agri Beneuentani, iuxta Tagum: &, cum ab illo quærerem, ecquid de huiuſcemodi conceptu, aut ſciret ipſe, aut ab aliis auditum meminiſſet, reſpondit, neq; ſe, neq; vicinos, qui equarias haberent, de ea vmquam re fuiſſe ſolicitos.

Non fuiſſe *Londobrin*, cuius meminit Ptolemæus, (Berlengam modo dicimus) indicio eſt diſtantia à continente non modica. Et, cum alia iuxta *Luſitaniæ* totius littus nulla noſtro æuo extet, hæc, de qua Dion loquitur, vel incumbenti violentius mari abraſa, deletaq; eſt, vel certe peninſula illa oppidi *Peniſci*, iuxta *Atouguiam*, erit intelligenda. Nam etiam nunc alueo quingentis paſſibus lato à continenti ſeiungitur, qui pedibus æſtu cedente tranſitur, redeunte vero inſula plane fit, neque adiri vado poteſt. Et forte illo ſæculo fuerit aliquanto maior.

Certe non importuoſum eſſe locum, vt eo Cæſaris claſſis appellere, & in ſalo eſſe potuerit, Piratæ nouere. Qua vna ex cauſa Ludouicus Athaidius, tractus eius toparcha, vir dignus de quo ſermo longior haberetur, apud Regem Ioannem tertium expoſitis illius oræ periculis, inſtitit, vt liceret illic ſibi caſtrum firmiſſimum, operibus, propugnaculis, omniq; ad arcendos piratas neceſſaria ſupellectile munitiſſimum extruere, cuius huiuſcemodi inſcriptionem præfixit:

Securitati & Memoriæ.

Emmanuelis Luſitan. Regis. Pii. Fel. inuicti. fil.
Ioannes. III. Luſitan. Rex. pius. fel. inuictus
Caſtrum cum propugnaculis. ad oppidi munimentum
Atque ad arcendos ab ora maritima Piratas
Petente, & curante
Domino Ludouico Athaidio
Limitis Atougiaci toparcha

Eamque rem, ne in hiſtoria vrbium poſtea repeteremus, hic oblata occaſione, viſum eſt non prætermittere. Epigramma quoque in tanti viri memoriam hoc, qualecumque eſt, ipſi fecimus.

Hac infeſta prius, Pradones ſæpe marini
Qui faciebatis littora, quique mare:
Ite alio poſthac, longeque faceſſite portu:
Longe hic per vaſtum velificate ſalum.
Donec Athaidius noſtram tutabitur oram,
Stabit & hæc moles pulchra, ſuperba, minax:
Piratis nullas datur hinc auertere prædas:
Nil rapere hac vobis in regione licet.

Ac de Herminio ſatis iam multa.

DE TAPIAEO MONTE.

T*Apiæi montis* nomen apud ſcriptorum antiquorum quempiam non legi, inueni tamen in vita ſancti Martini, Saurienſis presbyteri, ſcripta à Saluiano alumno eius familiari. Eam reperi in libro teſtamentorum, venditionumque Cœnobii Canonicorum ſanctæ Crucis Conimbricenſis, charta quadrageſima ſexta. Quod adnotare volui, vt memoriam sancti viri, quæ interciderat, renouarem. Quam aliquando ſpero me editurum, iiſdem quibus ſcripta eſt, verbis, vt lectori maiorem fidem faciam. Sed de hoc alibi. Quod ad rem facit, de qua agimus, ſcriptor ille, qualis qualis eſt, cum oppidum Saurium iuxta decurſum Anci fluminis in Mundam labentis pæne ſuperflua curioſitate deſcribit, ita ait: *Ab vrbe Colimbrianorum decimo octauo Auſtrum verſus diſtat milliario. Ad Orientem ſunt Tapiæi montis ſaxoſa cacumina.* Et alia, quæ ſequuntur. Ex quibus patet Tapiæum montem eſſe, quem Anſidianum ab oppido nominamus, & inter Rapaciale, & Palumbare oppida excurrit, qui à Thomario Conimbricam euntibus ſaxoſo nimis itinere perquam moleſtus eſt. Quod nos in carmine ad Lupum Scintillam teſtati ita ſumus.

Sic creptaui cliuum lapidòſe ſuperbum
Anſidiane, tuum, ſic per ſine ſole moleſtos
Anfractus Tapiæ tuos, vergente ſenecta
Æger anhelaui.

Summum montis iugum ſupra Rapaciale oppidum, adhuc, vt ab indigenis dicitur, pertus Tapiæus dicitur.

DE MONTE CORDVBA.

C*Orduba mons* in Portuenſi diœceſi nomen adhuc vulgo retinet, niſi quod ruſticorum inſcitia, primum cōciſe montem Cordubam cœpit appellare, poſtea deprauatione, montem

montem Coruam. De quo, & de Baſilicis in eo Saluatoris, ac ſancti Michaelis Archangeli, particularis fiet mentio in rebus, ac hiſtoria ſancti Rodeſindi Epiſcopi, & confeſſoris, quam etiam aliquando, Deo bene iuuante, ex tenebris in lucem proferendam curabimus.

DE ALCOBA MONTE.

ALCOBA *mons* ex Conimbricenſi diœceſi, per Viſenſem protenſus, in Lamecenſi: Muro monti coniungitur, nulla re alia magis clarus, quam inſigni Virginis Aroccenſium parthenone, & fluuiis nobilium piſcium troctarum, Lampetrarum, aloſarumq; prçter alia vulgata genera feraciſſimis. Quorum tamen alii in Mundam, alii in Vaccam, in Durium alii ſe condentes, ſuorum nominum interitu, dant incrementum alueis alienis.

DE MONTIBVS MARANO, *Ireſſo, Suaio, & Muro.*

MARANVM, *Ireſſum*, & *Murum*, adde, ſi placet, *Suaium*, ob id tantum referendos putaui, quia Bracarorum prouinciam, ita mediam ſecant, vt pars, quæ ab iis tendit ad mare, Interduriominia vocetur. De cuius regionis laudibus, fertilitate, amœnitate, ac ſalubritate extat opuſculum lectione minime indignum. Altera vero pars, quæ vltra eos montes, Minio ab læua relicto, Orientem verſus aſcendit, Transmontana vulgo appellatur.

Videntur autem hi montes quaſi rami eſſe quidam montis Vindui: cuius Florus, & Oroſius meminere. Ptolemæus Vindium vocat, qui ex Pyrenæo ſupra Pompelonem, Cantabrorum vrbem, per Victoriam, eiuſdem gentis ciuitatem, & Geminos Aſtures late excurrit, donec in duo diuiſus cornua, altero Callaicum petit Oceanum, & Nerium promontorium, altero in meridiem flexus, Bracaros, vti dictum eſt, diſſecat, iuxta aquas Flauias Luſitanam ingreſſus ditionem, ac variis ſubinde locis nomina quoq; varia ſortitur.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIÆ, LIBER SECVNDVS.

DE FLVMINIBVS.

MVLTIS fluminibus irrigatur *Luſitania.* Id ſilentio non præteriit Strabo. *Regio*, inquit, *de qua loquimur, felix eſt, & amnibus magnis, ac paruis irrigua.* Qui omnes ab oriente pariter diſiuncti à Tago ſunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque *Ana, Tagi, Munda, Vaccæ, Durii, Auis, Limiæ*, ac *Minii* tanta claritas eſt, vt in eis explicandis operam inſumere ſuperfluum videatur. Sunt tamen ſingulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, vt opinor, non iniucunda ſunt futura. Veluti *Ana*, tanto flumini, cuniculis ſe totum condere non ſemel, alicubi interſtitio quadraginta millium paſſuum, rurſusque impetu maiori renaſci. Potu eius ac paſtu, ingenita naturæ vi adeo grandeſcere pecudes, vt Ananis armentis, ac bobus, prima ex magnitudine palma, in Hiſpania tribuatur. Cumque piſcoſiſſimus amnis ſit, piſces tamen eius non tam iucunditate ſaporis, quam proceritate commendantur.

Myrtilin vſque à mari ſubeunt aloſæ, & lampetræ, ſiue muſtellas eas, ſiue fluuiales murænas magis conueniat appellare, vt eas appellauit Tertullianus in libro de pallio, notata Vedii Pollionis immanitate, qui damnata mancipia viuariis earum immergebat, vt murænarum ſuctu paullatim abſumerentur. Et quidem lampetras Septimium intellexiſſe, indicant verba, quæ ſubdit: *Terrenæ beſtiæ, exedentulæ, exungues, & excornes.* Marinæ ſiquidem murænæ, vt neque terrenæ beſtiæ erant nuncupandæ, ita neque exedentulæ ſunt, verum dentatæ etiam eminentius. Subeunt, & Anam ſub Idus Martias vſque ad iam adultam æſtatem, Aſturiones iuſta magnitudine, ſed raro maiores, quam vt bini mulum onerent clitellarium.

Oliſiponis equæ laſciuiunt mira fœcunditate. Nam aſpirata Fauonio, vento concipiunt & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur.

Non dubium eſt hæc Solinum ex Plinio eſſe mutuatum, in eandemque ſententiam, & Marcianum Capellam abiiſſe, & Iſidorum decimoquinto etymologiarum libro, & alioqui ipſa verborum connexio ſatis indicat Plinium ita ſcripſiſſe; attendat diligens lector: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere.* Sunt ne hæc verba longe à Celtico iam progreſſi, an adhuc in eodem deſcribendo inhærentis? *Hoc in loco poſuere.* Quo in loco? In Celticone; certe: ibi enim ceteri eos collocant, & ipſemet Plinius. Ponit enim Arotebras ante Celticum. Arotebræ autem iidem ſunt qui Artabri. *Noſtra ætatis homines*, ait Strabo, *Artabros Arotebras vocant, litteris permutatis*, vt fatetur Plinius. Quomodo igitur in Celtico detentus, quaſi ſui oblitus, erroris manifeſti argueret eos, qui ibi gentem Artabrum, quæ numquam eo loci fuerit, poſuiſſent.

Iſta quæ admiſſa Toletani, & Salmanticenſis codicum lectione, obiici poterant, nequaquam obiicientur, ſi quod de Artabris hic ait, Oliſiponenſi promontorio Plinium dicamus tribuiſſe. At falſum eſt, Oliſiponenſe promontorium terras, cœlum, mariaque diſterminare, illoque Hiſpaniæ latus finiri, & à circuitu eius frontem incipere, clariſſime dicente Strabone Hiſpaniæ latus hoc ab ſacro promontorio vſque ad Artabrorum montem, hoc eſt, promontorium Celticum extendi: & quartum denique latus ex eo loco vſque ad promontorium Pyrenes, quæ pars Boream ſpectat. Falſum etiam, quod de promontorii excurſu, & longitudine inde ad Pyrenæum, ſi quidem de Oliſiponenſi intelligas.

Quid ergo dicemus? niſi Plinium male Artabrum promontorium cum Oliſiponenſi confudiſſe. Poteratque non minima ex parte culpam eius, minuere, quod non ipſe affirmat Artabrum id eſſe promontorium, ſed nonnullos ita vocaſſe, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuerit, collocaſſe, atque hoc manifeſto, vt inquit, errore. Et erroris cauſam ſubiicit: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere, litteris permutatis.* Quos iure reprehendit, quicunque ii fuerint, qui Artabrum promontorium hoc Oliſiponenſe vocarint. additque optima verborum conſequutione alium non minimum errorem.

Erratum, inquit, *& in amnibus inclytis*, ſicut, ait, erratum in hoc eſt, quod promontorium magnum, ſiue Oliſiponenſe Artabrum appellauere, *ibique gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuit, manifeſto errore poſuere.* ita erratum ab iis eſt in amnibus inclytis, videlicet Æminio, atque Limia. Quemadmodum itaque ex parte hac Plinium excuſare poſſemus, quando erroris arguat eos, qui Oliſiponenſe promontorium Artabrum appellauere, ita protegere à culpa non audemus Oliſiponenſi iſto terras, cœlum, maria diſtingui, eoque Hiſpaniæ latus ad Occidentem finiri aſſeuerantem.

Sed mirandum nequaquam eſt, falli, ac decipi tempeſtate ea Plinium, cum noſtra hac quotidiano vſu, & tanta frequentia, quaſi digitis contrectatis rebus, & oculis etiam ad faſtidium ſubiectis, atque perluſtratis, Ioachimus Vadianus, qui propter erratum hoc in Plinium adeo excandeſcit, vt iuuari eum etiam prohibeat, deceptus ipſe ſit, promontorium Cuneum Sancti Vincentii eſſe caput, & ſacrum idem, quod Barbarium opinatus: præter illa, quæ de Salaria, atque Oliſipone alio eo loco obieci. Lubrica iſthæc ſunt, & cognitu non nimis facilia, atque in tam vaſto terrarum orbe non labi pene monſtri ſimile.

Mihi ſi meo arbitratu Plinium emendare liceret, ſic potius legerem: *Promontorium Celticum, terras, maria, cœlum diſterminans. Illo finitur Hiſpaniæ latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanuſque Gallicus, Occaſus illinc, & Oceanus Atlanticus.* Deinde in capite de Luſitania, ſic: *Excurrit deinde in altum vaſto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellauere, alii magnum, multi Oliſiponenſe ab oppido. Promontorii excurſum L X. M. prodidere, alii X C. M. paſſ. Ad Pyrenæum inde non pauci X I I. L. millia. Et ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifeſto errore* & quæ ſequuntur. Oporteretq; tunc, & Solinum, & Capellam in iam corruptos Plinii libros incidiſſe cauſificari.

Quod neſcio an euinci poſſet. Quare per me quidem autographis libris illis, & Pintiano habeatur ſane gratia Plinianum erratum ſedulo amolientibus: ſed recepta lectione, cum iſthac magni viri labecula contenti ſimus, neque eius ſententiæ vim faciamus.

Cæterum quæ de Luſitania ſequuntur, nos noſtro Marte, diligentiaq; emaculauimus, reddemuſque ſuo cuiuſque rei loco rationem.

Plinii libri IIII. CAPVT XXI.

A Durio Luſitania incipit, Turduli veteres. Præſuri. Flumen Vacca. Oppidum Talabriga. Oppidum, & flumen Æminium. Oppida Conimbrica, Collippo. Eburobritium. Excurrit deinde in [illegible] vaſto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellauere alii magnum, multi Olyſiponenſe [illegible] terras, maria, cœlum diſterminans. Illo finitur Hiſpania latus, & à circuitu eius [illegible] frons [illegible] hinc, Oceanusq; Gallicus, occaſus illinc, & Oceanus Atlanticus. Promontorii excurſum [illegible] prodidere, alii XC. M. paſ. Ad Pyrenæum inde, non pauci XII. L. millia, & ibi gentem [illegible] quam nunquam fuit, manifeſto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, [illegible] loco poſuere, litteris permutatis.

Erratum & in amnibus inclytis. Ab Minio, quem ſupra diximus CC. M. paſ. vt auctor eſt Varro, [illegible] Æminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant, obliuionis antiquis dictus, multumq; fabuloſus. Ab Durio Tagus, CC. M. paſſuum interueniente Munda. Tagus auriferis arenis celebratur. Ab eo CLX. M. paſ. promontorium ſacrum è media prope Hiſpania fronte proſilit XIIII. M. paſ. [illegible] de ad Pyrenæum medium colligi Varro tradit. Ab Ana vero, quo Luſitaniam à Bætica diſcreuimus, CXXI. M. paſ. A Gadibus CII. M. paſ. additis, Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.

Ab Ana ad ſacrum Luſitani, oppida memorabilia à Tago: in ora Olyſippo, equarum è Fauonio [illegible] conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria, Merobriga, Promontorium ſacrum, [illegible] Dunum. Oppida, Oſſonoba, Balſa, Myrtilis. Vniuerſa prouincia diuiditur in conuentus treis, [illegible]enſem, Pacenſem, & Scallabitanum. Tota populorum XLV. in quibus Coloniæ ſunt quinque, [illegible] ciuium Romanorum vnum, Latii antiqui tria. ſtipendiaria XXXVI. Coloniæ, Auguſta [illegible], Anæ fluuio adpoſita, Metallinenſis. Pacenſis, Norbenſis, Cæſariana cognomine. Contributa [illegible] Caſtra Iulia, Caſtra Cæcilia. Quinta eſt Scallabia, quæ præſidium Iulium vocatur. municipium ciuium Romanorum Olyſippo, felicitas Iulia cognominatum. Oppida veteris Latii Ebora, quod [illegible] Liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia, quæ diximus. Stipendiariorum, quos nominare non pigeat [illegible] dictos in Bætica cognominibus, Auguſtobrigenſes, Amaienſes, Aranditani, Ara[illegible], Balſenſes, Cæſarobrigenſes, Caperenſes, Caurienſes, Colarni, Cilibitani, Concordienſes, qui & [illegible]enſes, Lancienſes, Mirobrigenſes, qui Celtici cognominantur, Medubrigenſes, qui [illegible], Ocellenſes, qui & Lancienſes, Turduli, qui Barduli, & Tapori. Luſitaniam cum Aſturia, & Callæcia patere longitudine DXL. M. paſ. latitudine D.XXXVI. M. Agrippa prodidit. Omnes autem Hiſpaniæ à duobus Pyrenæi promontoriis per maria totius oræ circuitu p. XXIX. m. colligere exiſtimantur. Ab aliis XXVII.

Et hic terminari caput de Luſitania, iam pridem in Vincentii mei ſcholiis admonui.

NON [illegible]bimur à ſcopo digredi, ſi noſtri quoque æui Luſitaniæ terminos exponamus. Quanquam hi magis regni totius, quam vnius Luſitaniæ dicendi ſunt. Protenditur enim regnum vltra Durium à ſeptentrione, Callaicas continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium Miniumq;, monteſq; Iureſſum, atq; Maranum clauduntur, ſed qui vltra eos monteis per Aquiflauienſeis, Tamacanos, & reliquos, qui ad Bracaraugustanum pertinent conuentum. Et deinceps per aliquot Aſturum olim populos aſcendit vſque ad Saborem fluuium, oppidumque Sotellum. Vnde reſiſtens conuertitur limes ad orientem [illegible] vrbem ex aduerſo Zamore Durio impoſitam, vbi introrſus ad ſeptentrionem [illegible] amnis, excipitq; Eſtulam fluuium è Legionenſi agro defluentem. Ex eaque [illegible] flumine deſcendit flexu modico vſq; ad Fraxinum. Heinc per Tranſcudanorum, Vettonumq; aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Saluaterram [illegible] reducitur maiore interius angulo ad Tagi ingreſſum: à quo recto iterum limite procedit, donec paulo ſupra Ouguellam oppidum ad Anam ſe inclinat. per Caiæ, & Caio[illegible] quatuor circiter paſſuum millibus à Badioza inſigni Bæticæ prouinciæ vrbe [illegible] adpoſita.

[illegible] inde flumine ad auſtrum verſus, ex Bæticis Celticis, qui Luſitaniam attingunt oppida complectitur memorabilia, Oliuentiam, Moronem, Maurum, Serpam, non [illegible] diſſita, & Mortiganum, ac Noudar caſtella magis in Bæticam penetrantia, [illegible]que Ardillæ, & Xanthiæ non magni nominis fluuiorum, præter vicos ignobi[illegible]. Atque hæc, quam circumſcripſimus, regio ſæculi noſtri more Portugaliæ [illegible]ellatur.

[illegible] petenda eſt ex iis, quę nuper ad Kebedium ſuper ea re prolixe reſpondimus. Id [illegible] quod *Portugaliam* dicimus, *Luſitaniæ* propriæ ac veræ partes duas continet, & ex Tar[illegible] prouincia Bracaros, vltraq; monteis Maranum, atq; Iureſſum, Aſturum non[illegible], & aliquot ex Vettonibus, acceſſionemq; vltra Anam quam diximus.

Quod ſi a maiori portione vno id nomine *Luſitaniam* appellemus, erit hodie *Luſitania*

meridie quidẽ, & ſeptentrione lorgior non paulo, & auctior, ab Oriente vero propter Vettones fere omneis à noſtris ſeparatos aliquanto vetere anguſtior.

Eam ergo, quæ proprie dicta *Luſitania* eſt inter Durium atque Anam fluuios, incolunt gentes, *Luſitani* peculiariter vocati, Turdetani, Celtici, Turduli, Vettones, Barbarii, Pæſuri, Turduli veteres. Quorum limites atque confinia exacte diſcriminare nequaquam poſſumus, in tantis antiquarum rerum tenebris, & inter mutuo ſe collidentia ſcriptorum teſtimonia. Numeris Ptolemæi per ſe rei maxime corruptioni obnoxiæ, nemo quidquam ſe aſtringat. Qui ſi perſeuerarent integri vti ab illo notati ſunt, fidem integram adhuc non facerent, cum is eos numeros, non additis locis, ſed relationi acceptis, ſubnotarit, in quo labi potuit facillime. Depictæ autem tabellæ, atq; illi adiectæ plura habent, quæ reiicias, & adſpernere, quam quibus credere merito vel debeas, vel poſſis.

DE TVRDETANIS.

AB Ana igitur ad ſacrum Promontorium, circumque *Turdetanos* alios à Bæticis Ptolemæus habitare ait, maritimaſque illorum vrbeis, Balſam, Oſſonobam, ante promontorium; deinde poſt fluuii Callipodis eruptiones Salaciam, atque Cætobrigam. Intus autem Pacem Iuliam, ac Iuliam Myrtilim enumerat. Strabo regionem eam Celticis, & *Luſitanorum* pleriſque tribuit, ſicut diximus in epiſtola pro Colonia Pacenſi ad Vaſæum. Plinius omiſſis *Turdetanis*, ab Ana ad Sacrum *Luſitanos* ponit, nimirum ad genus reſpiciens, non ad ſpeciem, cuius Ptolemæus rationem habuit. Sed tamen horum *Turdetanorum* terminos nimis extendit. Tribuit enim illis non modo Algarbii regnum, & totum Orichienſem tractum, ſed etiam aliquanto amplius ex Celticis, & *Luſitanis* Strabonis, videlicet Pacem Iuliam, Salaciam, atque Cætobrigam, olim in ſinu Salacienſi poſitam, dirutam modo, ſed multa priſtinæ frequentiæ veſtigia retinentem; de qua ſuo dicetur loco.

DE CELTICIS.

CONTIGVI his ſunt atque intermixti *Celtici*, Gallica natio, iuxta Anam late vſque ad *Turdulos*, & *Vettones* multis ciuitatibus effuſi; inter quas etiam noſtro æuo Heluæ claræ ſunt, ipſo nomine originem præ ſe ferentes. Parentes fuerunt hi non ſolum *Celticorum*, qui Nerium Callæciæ promontorium inſedere, cuique nomen dedere, verum etiam eorum *Celticorum*, qui ad alteram Anæ ripam migrantes, in Bæturia Bæticæ parte vrbeis condidere. De prioribus illis refert Strabo hiſce verbis: *Extremi incolunt Artabri circa promontorium, quod Nerium vocatur, quod & occidui, & ſeptentrionalis terminus eſt lateris. Circumhabitant ipſum Celtici conſanguinei eorum, qui ad Anam ſunt. Hos etenim, & Turdulos ſociis armis exercitum cum duxiſſent, ibi poſt Lemii fluminis tranſitum ſeditionem egiſſe ferunt, in eaque ſeditione facta ducis amiſſione, palanteis, ac diſſipatos ibidem remanſiſſe, & ab iis flumium obliuionis eſſe dictum.*

De alteris his Plinius lib. 3. cap. 1. *Quæ autem regio à Bæti ad fluuium Anam tendit, extra prædicta Bæturia appellatur, in duas diuiſa partes, totidemque genteis, Celticos, qui Luſitaniam attingunt, Hiſpalenſis conuentus, Turdulos, qui Luſitaniam & Tarraconenſem adcolunt, iura Cordubam petunt. Celticos à Celtis* ex *Luſitania* aduenille manifeſtum eſt, ſacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica diſtinguuntur. Diximus de hoc quoque ſatis in epiſtola ad Vaſæum pro Pacenſi Colonia.

DE TVRDVLIS.

TVRDVLI ſequuntur, gens per Hiſpaniam vlteriorem late diffuſa. Nam & Bæticæ partem tenuere, quorum metropolis erat Corduba; & Luſitaniæ portionem iuxta Vettones, & maritimam omnem regionem à Tago vſque ad Durium, ex iis quidam Veteres appellati ſunt; de quibus poſtea. Quorum meminiſſe modo conuenit, ii ſunt, qui à *Turdulis* Bæticis amne Ana diſcreti erant, de quibus Plinius in capite de Luſitania: *Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.*

Hoc præter eundum nequaquam eſt fuiſſe, qui *Turdulos*, ac *Turdetanos* eoſdem arbitrarentur. E quibus Liuium nominare fuerit ſatis libro quarto quartæ decadis in hæc verba: *Fama deinde vulgatur, Cos. in Turdetaniam exercitum ducturum.* & poſt: *Interim P. Manlius prætor exercitu vetere à Q. Minutio, cui ſucceſſerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudii Neronis ex vlteriore Hiſpania, vetere item exercitu in Turdetaniam proficiſcitur. Omnium Hiſpanorum maxime imbelles habentur Turdetani, freti tamen multitudine ſua, obuiam ierunt agmini Romano.*

Nec tamen ea pugna debellatum eſt; decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt, alieniſque armis parabant bellum. Deinde dum Cos. exercituſq; *Turdulo* bello eſt occupatus, vbi

cernere

retnere licet terram *Turdetaniam* dictam, incolas, cum *Turdetanos*, tum etiam *Turdulos* appellatos, bellum quoque *Turdulum*. Strabo autem horum ſubſcribens opinioni diuerſam etiam non tacuit: *Regionem*, inquit, *ipſam à flumine Bæticam vocant, ab incolis autẽ Turdetaniam. Incolas vero ipſos Turdetanos, & Turdulos appellant. Quidam autem eoſdem eſſe exiſtimant; alii vero diuerſos: è quibus etiam eſt Polybius qui Turdetanis finitimos ad ſeptentrionem dicit eſſe Turdulos. Verum tempeſtate hac nulla inter ipſos apparet diſtinctio.*

Mihi non contigit eum Polybii locum expendere, cum præter quinq; eius libros Græce, & à Nicolao Perotto Epiſcopo Sipontino latine verſos, ad hoc tempus nihil viderim ſed fidem Straboni habeo, & Polybium vere ſenſiſſe arbitror, etiamſi Liuius, & alii eos propter vicinitatem confundant. Si quidem Ptolemæus diſtincte Turdulos alios à *Turdetanis* facit in ipſa Bætica: nam in Luſitania *Turdetanorum* tantum meminit, vt ſuperius expoſuimus, *Turdulos* prætermiſit. E contrario Plinius de *Turdetanis* in *Luſitania* nullum verbum, *Turdulos* poſuit geminos, videlicet hos Anæ contiguos, & alteros Veteres vocatos: de quibus poſtea.

DE VETTONIBVS ET VECTONIBVS.

VETTONES inter *Luſitaniæ* populos circa Tagum recenſet Plinius, ita ſcribens: *Ab Ana vero, quo Luſitaniã à Bætica diſcernimus gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.* Diſſoluamus, ſi poſſumus, nodum hic, ſuperius obiter tactum, cum de *Luſitaniæ* terminis agebamus, vbi ex Strabonis ſententia *Vettones Luſitania* excluſimus: atque de ſcriptura vel nominis orthographia quieſcamus tantiſper, dum cætera examinamus. Conferat diligens lector quæ Strabo dicit: *Oretani maxime vergunt ad meridiem, peruenientes vſq; ad maritimam, aliqua ex parte intra columnas. Poſt quos Carpetani declinant ad aquilonem. Inde Vettones, & Vaccæi, per quos Durius labitur.*

Et paulo poſt, vbi Luſitaniam ab aurora cingi ait Vettonibus, Vaccæis, & Callæcis, conferat, inquam, hæc cum Plinii verbis lib. 3. c. 3. *Primi in ora ſunt Baſtuli, poſt eos, quo dicetur ordine, intus recedentes Menteſani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vectones, & Celtiberi.*

Libro item quarto c. 10. *Durius amnis ex maximis Hiſpaniæ, ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiam, lapſus per Areuacos. Vaccæoſq; diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis, ibi quoque Turdulos ab Bracaris arcens.* & collatis inter ſe altrinſecus vtriuſque verbis, videbit vtrumq; de Hiſpania citeriore loqui *Vectoneſq;* extra *Luſitaniam* ponere, ſicut & Cæſar fecit in primo belli ciuilis commentario. *Afranius, & Petreius*, inquit, *& Varro, legati Pompeii, quorum vnus tribus legionibus Hiſpaniam citeriorem, alter à ſaltu Caſtulonenſi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vectonum agrum, Luſitaniamq; pari numero legionum obtinebat, officia inter ſe partiuntur: vt Petreius ex Luſitania per Vectones cũ omnibus copiis ad Afranium proficiſcatur.*

Et poſt: *Petreius per Vectones ad Afranium peruenit.* Extra *Luſitaniam* ergo *Vectones* erant. Atqui Ptolemæus ex *Luſitanis* hos maxime orientales facit: interq; eorum ciuitates ex noſtra ætate notis Salmanticam, Caparam, atq; Obilam ponit. Plinius etiam in *Luſitaniæ* deſcriptione, *& circa Tagum*, inquit, *Vettones.* Quærendum igitur, ſintne iidem iſti *Vectones* ſeu *Vettones*, an diuerſi, & an conſtent ſibi auctores, anne ſecus.

Durius, inquit Plinius, *lapſus per Areuacos, Vaccæoſque diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis.* Qualis hæc partitio eſt, *diſterminatis ab Aſturia Vectonibus, à Luſitania Callæcis*, ſi Vectones iſto loco poſiti *Luſitani* ex Ptolemæo ſunt? Qualis & illa, *Et circa Tagum Vettones?* ſi circa Tagum, non ergo ii ſunt, qui Durio interfluente ab Aſturibus dirimuntur, quique ab eodem ipſo Plinio in Citeriori Hiſpania iuxta Vaccæos collocantur. Si vero ii ſunt, minus apte dictum eſt, & circa Tagum *Vettones*, cum magis ex re & æque breuiter dici potuiſſet, & à Tago ad Durium *Vettones.* Sed tunc, quinam illi eſſent Vectones non *Luſitani*, ab Aſturia amne Durio diſterminati?

Paulo expreſſius rem indagemus, eruamuſq; qui ſint iſti poſt Vaccæos Durio ab Aſturibus diſterminati. Percurrat qui velit, in Hiſpaniæ pictura Durii curſum vſque ex Numantia Pelendonum vrbe, per Areuacos, & eorum vrbeis Vxamam, Sagũtiam, Cluniam, & reliquas à Plinio commemoratas. Tum vbi ſe Areua eorum nominis cauſa, & origo Durio miſcet. Deinde à Piſoraca fluuio Vaccæos, eorumq; ciuitates Pallantiam, Caucam, & illis à Ptolemæo tributas Pintiam, & Sarabrim, & Senticam: quarum Sentica, quæ Zamora exiſtimatur, vicina fluminis angulo eſt, vbi Eſtulam fluuium Aſturum Durius excipit iuxta Mirandam, cuius in Luſitaniæ deſcriptione meminimus.

Vectones modo iſtos iis conterminos, ac Durio ab Aſturibus diſterminatos quæramus. Nulli apparent, niſi qui ab illo, quem dixi, Durii angulo introrſus cuneato, per meri-

dianum fluuii latus ad Carpetanos porriguntur. Siquidem ii à Mirandenſibus, qui olim in Aſturum validæ gentis ditione fuêre, fluuio medio ſecernuntur. Atqui hi ſunt, quos Ptolemæus maxime Orientaleis Luſitanorum dixit, in quibus Salmanticam, Obilam, & Caperam poſuit, vt tractus, per quem meat in Durium Tormis, qui Salmanticam alluit, Vettonum ſit, Vaccæis vti oſtendimus finitimorum.

Hi etiam, qui & à Strabone, & à Plinio in Hiſpania citeriori nominantur. Sed hi quid ad Vettones Plinii circa Tagum, interſtitio CLX. millium paſſuum, quæ à Durii iuxta Vaccæos ripa ad Tagum numerantur? Eouſq; Vettones extendebantur, inquiet aliquis. Non omnino id præter rationem. Strabo enim Tagi narrans originem, ait: *Ex Celtiberis autem originem habens, per Vettones, & Carpetanos, & Luſitanos in æquinoctialem labitur occaſum aliquantiſper, ſpacio pari ab Ana, & Bæti fluuiis diſtans.* Sed impedimento eſt, qui cum Vettonum ſuorum vrbeis, Salmanticam, Obilam, & Caperam (vt has ſolas exempli gratia nominem) diligenter recenſuerit, inde ad Tagum, imo etiam ad Anam, ingentem quaſi lacunam inter mediam, non iam *Vettonibus*, ſed *Luſitanis* proprie ita vocatis oppleuit, Caurio, Norba, Colarno, circa Tagum, aut non longe ab eo ſitis, & Emerita ipſa *Vettonum*, vt dicam poſtea, metropoli nominatis.

Quid ergo? duæ ne iſtæ ſunt gentes, altera *Luſitana*, altera nequaquam, ſed ad citeriorem pertinens Hiſpaniam, ambę nominis ſimilitudine congruentes, an tantum vna? Duas eſſe aſſeuerare ego non audeo, ſed auctorum varietate, & vnius in ſcriptura litteræ differentia certe apparet. Omitto Strabonem, cuius in hoc nomine codices mire ludunt, ipſiuſne, an ſcribarum culpa neſcio. Modo enim ſunt *Ouettones*, modo *Vuettones*, modo *Ouettiones*. Latinorum codices expendamus: vtrobique enim per e t nomen gentis huius apud Plinium ſcribitur, cum de citeriori loquitur prouincia; ſic apud Cæſarem commentario ſuperius citato; ſic apud Liuium in quinto quartæ decadis libro, vbi M. Fuluium cum iis, atq; Vaccæis, & Celtiberis refert dimicaſſe; apud Lucanum ſimiliter, atq; Silium, quorum verba mox referam. At iſti *Luſitaniæ* circa Tagum *Vettones* geminato tt ſcribuntur, vt apud ipſum Plinium ibidem liquet, & in multis ſaxeis inſcriptionibus inueni. quarum duas in libello ad Kebedium Toletanum canonicum nuper poſui. nec pigebit modo repetere, etiamſi nimium videatur, quandoquidem hic locus maxime id expoſcere mihi videtur. Eboræ ingens in ædibus meis cippus ita habet.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO ÆD. Q. II. VIR. VI.
FLAM. ROM. DIVOR. ET. AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT.
ET COH. I. VETTONVM.

Id eſt,

L. Voconio Lucii filio Quirina Paulo AEdili quæſtori duumuiro ſextum flamini Romæ diuorum, & Auguſtorum præfecto cohortis primæ Luſitanorum, & cohortis primæ Vettonum.

Emeritæ autem in domo Petri Mexiæ, ſic.

P. ÆLIO. VITALI AVG. LIB. TABVL. PROVINC. LVSITANIÆ ET VETTONIÆ. STEPHANVS. LIB. ET. HERES. PATRONO. FECIT.

Hoc eſt,

Publio AElio Vitali Auguſto liberto tabulario prouinciæ Luſitaniæ & Vettoniæ, Stephanus libertus, & heres patrono fecit.

Sagunti in cœnobio ſanctæ Trinitatis.

SERGIÆ. M. F. PEREGRINÆ. M. SERGIVS VETTO.
AMITÆ.

Hoc eſt,

Sergiæ Marci filiæ peregrinæ, Marcus Sergius Vetto amitæ.

In pago Oliua ex ruinis Caperenſibus.

L. PVBLICIVS. L. F. PAP. THIAMVS. EMERIT. ANN. XXVII.
H. S. E. S. T. T. L. CÆCILIVS VETTO. SODALI CIPPVM. D. S. D.

Hoc eſt,

Lucius Publicius, Lucii filius Papiria Thiamus Emeritenſis annorum viginti ſeptem hic ſitus eſt. Sit tibi terra leuis. Cæcilius Vetto ſodali cippum de ſuo dedicauit.

In eodem pago alius lapis.

L. DOMITIVS T. F. GAL. VETTO. OTO BESANI. H. S. E. S.
T. T. L. DOMITIVS FORTVNAT. PATRONO. D. S. F.

Hoc eſt,

Lucius Domitius Titi filius Galeria Vetto Otobeſani hic ſitus eſt. ſit tibi terra leuis, Domitius Fortunatus patrono de ſuo fecit.

Ptolemæus etiam duplici tt hos *Luſitanos Vettonas* ſcribit *Ouettonas*. Eſt & alia differentia nam illi *Vectones* citerioris prouinciæ mediam ſyllabam productam habent: vt oſtendunt duo ſummi poetæ Lucanus, & Silius ille Pharſaliæ lib. 4. ita canens:

His præter Latias acies erat impiger Aſtur,
Vectoneſq; leues, profugiq; à gente vetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Hic autem lib. 16. de Peloro equo in hunc modum.

Campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.

Vettones vero *Luſitanis* iuncti Turdulis ad Tagum, ac duplici tt ſcripti, eandem ſyllabam breuem habere comperiuntur ex ipſo *Vettoniæ* nomine apud Prudentium in Diua Eulalia clara colonia *Vettoniæ*. Cum quo facit & Sammonicus Serenus de *Vettonica herba*, quam à *Vettonibus* inuentam in Hiſpania dicit Plinius.

Vettonica manſus ſiccabit lumina ſuccus.

Dioſcorides Bettonicam appellatam à Romanis ait, cum *Keſtron* appellent Græci. Breuem itaq; ſyllabam eam comperimus: vnde colligi videtur, gentem aliam eſſe Vettones, aliam, *Vectones*. Quæ ſi opinio recipitur, integra manebit cum Cæſaris, tum Strabonis, tum etiam Plinii auctoritas, Vectones à Luſitania ſeparantium. Scriptura tamen Straboniani codicis emendanda erit, vt vbi *Ouettones*, vel *Vnettones*, vel *Ouettones*, ſcriptũ eſt, reponatur *Ouectones*. Verum vacillabit tunc Ptolemæi deſcriptio, qui *Vettones cũ Vectonibus* nominum ſimilitudine videbitur confudiſſe, terminumq; *Luſitaniæ* orientalem partibus nouem cum ſemiſſe, & quadraginta & vna, ac fere beſſe definiens; hoc eſt per Sarabrin Vaccæorum vrbem, quam Taurum noſtræ ætatis docti exiſtimant, ducta linea vſq; ad Metallinenſe oppidum, olim coloniam, pauloue ſupra. Sin vero opinio, vti noua, explodatur, doceat me aliquis, quinam ſint *Vettones* Durio ab Aſturia diſterminati, apud Plinium, & qui ab oriente vna cum Carpetanis, Vaccæis, & Callæcis *Luſitaniam* cingant, apud Strabonem, & cur Ptolemæus, *Vettonibus* circa Tagum omiſſis, illorum tantum, qui Durio ab Aſturia deſtinentur, & vſq; ad Caperam ſunt, mentionem fecerit.

Si ab ea perplexitate extricari poſſemus, diffuſis partim per citeriorẽ Hiſpaniam iuxta Carpetanos, & Vaccæos *Vettonibus*, Durium ex aduerſo Aſturum adcolentibus partim circa Tagum iuxta Turdulos, aut ita ſuppreſſis Turdulis, vt *Vettonum* excelleret nomen vſq; ad Anam, vnde *Emerita Vettonum clara colonia* à ſanctiſſimo, eodemq; doctiſſimo Prudentio vocata ſit; iuberem equidem omnes Cæſaris, Liuii, Strabonis, Lucani, Silii, ac Plinii emendare locos, in quibus per litteras ct ſcripti ſunt, & ad duplex tt omneis reducerẽ, & illos, qui ab Aſturibus Durio ſecernuntur, *Luſitaniæ* cum Plinio excluderem, terminumq; *Luſitaniæ* Orientalem non tam intus ad citeriorem Hiſpaniam limitarem, ſed a Durii ſecundo flexu, quẽ ſupra ad Fraxinum notaui, hoc eſt à loco vbi Tormis Salmanticenſium fluuius in Durium ſe condit, & amnis recto iam alueo hodiernam *Luſitaniam* ingreditur, eamq; diuidit à Callæcis Bracaris, vt auctor eſt Plinius, inde per Rodericopolin, Placentiam, & Caſtra Iulia ad Metallinenſe opidum, pauloue ſupra lineam dirigerem.

Quod autem ad ſyllabæ menſuram attinet, aut Prudentio, Serenoque minus fiderem, aut, ſi iniurium hoc eſt, ancipitem eam dicerem, vt permultas obſeruarunt grammatici, apud poetas, quod inſtituti noſtri modo non eſt. Hæreremus tamen rurſus propter Ptolemæum, qui longius, ac penitius à ſeptentrionali capite Luſitaniam extendit, Plinio homine Romano, cui non credere durum eſt, aperte reclamante.

Vſque adeo verum eſt, quod ipſe ait Plinius in fine primi cap. lib. 3. *alibi mutato prouinciarum modo, alibi aliis aliunde exordium menſura capientibus, factum eſſe, vt nulli duo concinant.* Concludamus igitur, *Vettones*, vel alios eſſe à *Vectonibus*, vel ſi iidem ſunt, quod magis probamus, per geminum tt debere ſcribi: nec omneis ad Luſitaniam pertinere, ſed magnam eorum partem per citerioris Hiſpaniæ finitimos Carpetanos, atque Vaccæos ad Aſturea vſque diffundi, quo illos à Luſitania ſeiungunt Strabo, atque Plinius, licet non ſeiungit Ptolemæus: partem alteram Luſitanis cohæſiſſe, protenſo etiam vſque ad Anam nomine, & cum ceteris Luſitanis prouinciam vnam coluiſſe: nouiſſime tandem per ſe prouinciam effeciſſe *Vettoniam*, cuius caput, ac metropolis eſſet *Auguſta Emerita*, alioqui in Turdulis ſita: vnde eam ſacer Prudentius *claram Vettoniæ coloniam* appellarit, cum tamen eandem alibi, diuerſa reſpiciens tempora, *Luſitanorum* caput oppidorum

dixit. Factam vero *Vettoniam* per ſe prouinciam, ex eoque tempore cœpiſſe *Vettoniam*, & *Vettones* ſeparatim à *Luſitanis* ſcribi, in libello ad Kebedium nuper oſtendimus, & ex inſcriptionibus paulo ante relatis comprobatur.

DE BARBARIIS.

LONGE minus negotii nobis exhibebunt *Barbarii*, cum propter obſcuritatem gentis, tum propter ſitum, & eorum ſedes ambiguitate nulla confuſas, à promontorio ex ipſorum nomine vocato vſque ad ſinum Olyſipponenſem. Sed de promontorio poſtea: de nomine propter nouitatem diſquiram aliquantulum. Mihi nonnumquam ſubiit cogitare, cur mons, quem *Rabidam* vocamus, *Barbarius* dicatur, & populi circa eum Barbarii, omiſſa Floriani Campenſis ignominioſæ appellationis fabula, ad morum aſperitatem denominationem torquentis. Mei autem inſtituti non eſt hiſtorias per figmenta concinnare. Neque enim *Barbari* vocantur, ſed *Barbarii*, vt docet Strabo libro tertio de ſtanno loquens, quod generari dicit in *Barbariis* ſupra *Luſitanos*, & in *Caſſiteriis* inſulis, & è Britannis Maſſiliam deferri: & eodem libro *promontorium Barbarium* nominat: quo etiam nomine Ptolomæus vtitur.

A Barbaro autem, cum ad ingenium refertur, Barbaricus, non Barbarius deriuatur. Veni igitur in hanc cogitationem: montis huius omnes rupes iaſpideæ ſunt, inueniunturq; inter eas iaſpides albi, purpurei, virides, varii, ac multi colores, ſplendore mirabili. Cæduntur inde columnæ, poſtes, & ſimilia, quæ vbi accedit politio translucent in tantum, vt ſpeculorum vicem & præbeant, & vincant. At vero terrenum laudatiſſimo abundat cocco, Emeritenſi, quod laudat Plinius, nullo modo cedente. Ex quo tingunt infectores veſtem, quam ſcarlatam, vel granam noſtri homines appellant, videlicet a granis, quæ in fruticetis toto eo tractu naſcuntur, ſicut veteres à vermiculo in iiſdem granis innato blattæ ſimili, vermiculatam veſtem dixêre, quam recentiores blatteam, coccineam vel purpuream volentes ſignificare: etſi hæ diſtinctionem capiunt.

Nam purpurea proprie ex ſanguine purpurarum, conchyliorumue fit: coccinea vero ex ipſo quod dixi, cocco. Hinc Suetonius in Neronis luxuriam inuectus, *aureo reti, & funibus purpura coccoq; nexis piſcatum* cum criminatur, Quod recentiori verbo, *blattis funibus*, dixit Eutropius. Multumq; vſi ſunt ea voce illius æui ſcriptores. Ac propter eminentis coloris in vtriſq; ſimilitudinem cœperunt iſta confundi. Oſtendam hoc ex Sidonio Apollinari, non contemnendo poeta, in hoc Anacreontico monſtroſe deprauato: noſtraque opera, ſicut cetera eius auctoris ſcripta, reſtituto.

Rutilum thoreuma biſſo,
Rutilaſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibæa fucat vnda,
Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus,
Peregrina det ſuppellex
Cteſiphontis, & Niphatis
Iuga texta, Belluaſq;
Rapidas vacante pano:
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco,
Iaculoque ceu forante
Cruor incruentus exit.

In quibus carminibus aperte confundit blattam, purpuram, & coccum. Melibœa namque purpura ex conchis eſt, vt oſtendit Lucretius lib. 2.

Iam tibi Barbarica veſtes, Melibæaque fulgens
Purpura, Theſſalico concharum tecta colore.

Vbi etiam aduertendum, quas veſtes barbaricas dixit Lucretius, peregrinam ſupellectilem dixiſſe Apollinarem. Redeamus iam ad inſtitutum. Veſtium purpura, cocco, vermiculo, quæ à barbaris terris, id eſt peregrinis, adlata erant, infectores, *Barbaricarii* appellari cœperunt, vt patet. C. de excuſationibus artificum & de palatinis ſac. larg. quod etiam adnotauit Alciatus in treis poſteriores libros Codicis. Marianus Scotus in tit. Magiſtri officiorum, & fabricæ, *Barbarios* eos vocat.

Etenim iſthæc nomina in *arius* finita, hominum fere officia ſignificant, *Sagarius*, *Caligarius*, *Limbolarius*, & quæ multa alia apud Plautum in Aulularia bonus ille Megadorus enume-

enumerat. Sic *Barbarinarium*, & *Barbarius* ad harum rerum officinas, opificeſque pertinent. Populi itaque iſti, de quibus loquimur, Barbarii appellantur. Cogitabam igitur ſi forte à cocco, quod in magna multitudine colligerent, venderentque negociatoribus Romanis eam mercem conuecturis, aut forte ipſi baphicæ gnari tingerent, *Barbarii* fuerint nuncupati. verum hæc ariolando. Quare huic meæ coniecturæ addici lectores neque poſtulo, neque parteis ſuſcepi meo periculo iſtiuſmodi appellationum cauſas, origineſue tradendi.

DE PAESVRIS AVT PAESVRIBVS.

IGNOBILES, & obſcuri ſunt *Paſuri*, ab vnoque auctorum omnium Plinio memorati. Late paterent, an terminis anguſtis concluderentur æque ignotum. In nobiliſſimo illo ſuper *Tagum* ponte ad *Vettoniæ* oppidum *Alcantaram*, inter cetera prouinciæ *Luſitaniæ* municipia, quæ ſtipem ad pontem conficiendum contuliſſe memoriæ proditum ibi eſt, *Paſures* vltimi recenſentur. Quo ſane intelligimus, non longe eos inde eſſe diſcretos: ſimulq; emendandum eorum in codicibus Plinianis nomen à ſecunda in tertiam inflexionem. De inſcriptione vero pontis huius cum vrbeis enarrabimus, tunc agemus.

DE TVRDVLIS VETERIBVS.

CONTRA autem *Turduli veteres* valde celebres, & parentes omnium *Turdulorum*, qui vlterioris Hiſpaniæ maximam partem ſuo nomine repleuerunt. Ab iis enim prodiiſſe quaſi examina *Turdulos*, & in Bætica, & iuxta Anam forſitan & *Turdetanos*: indicio eſt ipſum veterum cognomentum. cum enim veteres iſti ſint, reliquos omnes recẽtiores eſſe oportet. eorum regionem Plinius à Durio dextrorſus Oceanum verſus deſignat; ſiniſtrorſus vero ex dictis ſuperiori capite, Pæſures Turdulis ſubiunctos ab Plinio incolere exiſtimamus. Pomponius, cui in Hiſpaniæ rebus multum eſt merito tribuendum, à Tagi oſtio ad Durium eos extendit: *Ab iis* inquit, *promontoriis ad illam partem, qua receſſit, ingens flexus aperitur, in eoque ſunt Turduli veteres, Turduiorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere vltimi promontorii latus effluens, & radices eiuſdem abluens Durius.*

QVALIS GENS LVSITANI.

EXPLICAVIMVS ſummatim *Luſitaniam* triplici terminorum differentia: à quibuſq; populis ante Gotthorum illuuionem, de quibus poſtea, poſſeſſa olim ſit, dictum ſatis.

Exigit ordo, vt qualis nam fuerit ea gens, quibuſue moribus, indicemus. Et quidem gentem eſſe fortem, vt noſtra tempora non præoccupemus, antiqui ſcriptores non tacuere. Diodorus Siculus *omnium Celtiberorum fortiſſimos eſſe Luſitanos aſſerit.* Quo loco, vt obiter dicamus, aut legendum, *omnium Iberorum*, aut Diodorus *Iberos* omnes *Celtiberos* appellaſſe, minus apte eſt exiſtimandus. Sed, cum ſtatim *Luſitanos* galeam, enſemque ferre *Celtiberorum* more dixerit, abſq; dubio à *Celtiberis* eos ſeparat.

Quare magis placet, vt lectio emendetur, legaturque *Omnium Iberorum.* Ceterum ad fortitudinem pertinet, quod Strabo ait, *Luſitaniam annis plurimis Romanorum armis oppugnatam.* Fortitudinem quoque arguit conſtans, ac grauiſſimum Decimo Bruto Cinnanienſium reſponſum, quod affert lib. 6. Valerius, neq; ſine animi quodam exulcerati, & forte ex inuidia, dolore. *Melius*, inquit, *ſine dubio homines noſtri ſanguinis hæc dixiſſent, quam audiſſent.* Vrſit tamen veritas ſcriptorem ita concludere: Sed illos quidem natura in huius grauitatis veſtigia deduxit.

Nec ad fortitudinem non pertinet, quod idem Valerius *titulo de vafre dictis, aut factis* commem >rat, *non potuiſſe Sertorium Luſitanos oratione flectere, ne cum vniuerſa Romanorum acie vellent confligere, donec vellendis equorum duorum caudis notiſſimum illud exemplum oculis mirantium obiecit.* Vocet Valerius ſuo libito gentem barbaram, aſperam, regi difficilem, his opprobriis parum diſciplinæ militaris peritos Luſitanos arguerit, imbelleis, aut ignauos animos iis minime fuiſſe eadem illa narratione palam prædicat. Multa Liuius tertia, quarta, & quinta decadibus prælia cum Luſitanis varia fortuna commiſſa refert. Quamquam ſuſpecta ſcriptorum Romanorum cenſeri fides merito poſſit. Fere enim eleuant, & attenuant barbarorum, ſicuti aiunt, res geſtas, ſuas augent etiam immodice, vitio fortaſſe priorum.

Diſerte Strabo Polybium notauit lib. 3. quod trecentas Celtiberorum vrbeis in Tiberii Gracchi gratiam ſubuerſas ab illo memoriæ prodiderit. *Nam Imperatores*, inquit, *& rerum geſtarum ſcriptores, vt ornatoria efficiant negotia, ad hoc mentiendi genus feruntur.* Antiatem Valerium non ſemel ipſe Liuius perſtringit, vt in numero augendo intemperantem

atque immodicum, & præcipue circa finem lib. ſexti tertiæ decadis, *adeo nullus*, inquiens, *mentiendi modus eſt*. Ex quo cum pleraq; deſumpſerit, non mirum ſi fallat ſimiliter.

Expendatur (vt vnum hoc argumentum verbi cauſa referam) Publii Cornelii Cnei filii Scipionis proprætoris pugna cum Luſitanis, qui deuaſtata vlteriori Hiſpania onuſti præda domum redibant, narrata in initio quinti libri quartæ decadis. eius ipſius verba recenſebo.

Prætor hæc geſſerat Scipio. Idem proprætor Luſitanos, deuaſtata vlteriori prouincia, cum ingenti præda domum redeunteis in ipſo itinere adgreſſus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, ſuperior aliis. Nam & acie frequenti armatis ad longum, & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduerſus feſſos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hoſtes. Huic nocturno itineri tres diurnæ horæ acceſſerant, nec vlla data quiete labori via prælium exceperat. Itaq; principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus, animiſque fuit. Et turbauerant primo Romanos, deinde æquata paulisper pugna eſt. In hoc diſcrimine ludos Ioui, ſi vi fudiſſet, cecidiſſetq; hosteis, proprætor vouit. Tandem gradum acrius intulere Romani, ceſſitq; Luſitanus: deinde prorſus terga dedit. Et cum inſtitiſſent fugientibus victores, ad XII. millia hoſtium ſunt cæſa, capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & ſigna militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Romano ſeptuaginta, & tres amiſſi.

Cui enim, Liui diſſertiſſime ſuſpectum non ſit, in prælio continentium horarum quinque incerto euentu, in quo primo turbatos fuiſſe ait Romanos, deinde paulisper æquatam pugnam, proprætoremq; in eo diſcrimine ludos vouiſſe Ioui, quod ſane ſolent ii, qui de victoria deſperant, duodecim *Luſitanorum* cecidiſſe millia, captos quingentos quadraginta, omnes ferme equites; de Romano vero exercitu tantum amiſſos treis & ſeptuaginta? Aggreſſus, inquis, eſt proprætor armatorum frequenti acie longum & impeditum turba pecorum agmen, recenti milite feſſos longo itinere accipimus, vt merito credantur Romani Luſitanorum multa millia cecidiſſe: Sed in duodecim millium clade ſolos treis & ſeptuaginta amiſiſſe Romanos, neſcio an perſuadeas.

Quid enim Romanos turbauit? Quid eſt poſt quinq; horarum ſpatium incerto euentu paulisper æquatam fuiſſe pugnam? Ab hora tertia diei vſq; ad octauam incerto euentu pugnauit Romanus, deinde æquata paulisper pugna eſt.

Si tam illæſi in prælio erant Romani, ſi tam obtuſis gladiis, & exhauſto vigore *Luſitani*, cur horis continentibus quinq; incertus fuit euentus? an non, quia cædebant, & cedebantur? Quid ſibi vult, æquatam fuiſſe pugnam, niſi eatenus inferiores fuiſſe Romanos? & perſuadebis in tanto diſcrimine, cum Luſitanorum duodecim millia cæſa fuerint, ſolos treis & ſeptuaginta de Romano exercitu fuiſſe amiſſos?

Sed bene quod itinere longo feſſos, & de tertia vigilia egreſſos, prædaq; longo agmine impeditos, confeſſus es, parum alioqui fidei habiturus. Non enim gerebatur res cum fugacibus Armeniis, & ventoſi Tigranis exercitu, ſed cum Luſitanis aſſuetis pugnare contra Romanos, quorum forti opera vſus fuerat Hannibal, non modo in Hiſpania, ſed in ipſa etiam Italia, quiq; Luci Æmilii Pauli proprætoris exercitũ apud Lyconem oppidum profligarunt, cæſis vno prælio ſex Romanorum millibus, ceteris intra vallum compulſis, ac ægre caſtra defendentibus, ac tandem ad modum fugientium magnis itineribus in pacatum agrum reductis. Quod idem teſtatur Liuius decadis quartæ lib 7. Vbi etiam aduertant lectores, quam religioſe Romanorum fugam ſcriptor facundiſſimus obumbret, *ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum perductos* memorans.

Oroſius certe *L. AEmilium cum vniuerſo exercitu cæſum interiiſſe dicit* lib. 4. c. 20. de quo alibi diffuſius, & cap. 21. *Sergium Galbam prætorem à Luſitanis magno prælio victum, vniuerſo exercitu amiſſo, cum paucis vix elapſum euaſiſſe* narrat. Ex qua ignominia cum ſe poſtea vlciſci Galba ſtatuiſſet, Luſitanos, qui citra Tagum habitabant, ſponte ſua ſe dedentes ad colloquium vocauit, ſimulans de eorum ſe commodis acturum. Sed circumpoſitis militibus, inermes, atque incautos per ſcelus maximum omneis profligauit. *Quæ res*, inquit Oroſius, *poſtea vniuerſæ Hiſpaniæ propter Romanorum perfidiam cauſa maximi tumultus fuit.*

Trium Luſitaniæ ciuitatum conuocato populo, vt ſcribit Valerius Maximus libro nono titulo de perfidia, *nouem millia, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, partim trucidauit, partim vendidit.*

Accuſauit acriter M. Cato Sergium Galbam pro interfectis contra interpoſitam fidem Luſitanis, vt teſtatur in Bruto M. Tullius, & obiter in Diuinatione, quod explicat latiuſcule Aſconius Pedianus, & Liui epitome lib. 49. & idem Valerius Max. lib. 8. cap. 1.

Nonageſimum autem ætatis annum agebat Cato, cum Galbam accuſauit, teſte Liuio, decadis 4. lib. 9.

Ab Oroſio non diſcedamus. Is ex Claudio narrat, trecẽtos Luſitanos cũ mille Romanis

pugnam

pugnam commiſiſſe: in qua ſeptuaginta Luſitani, Romani autem trecentum viginti cecciderint. Cumq; victores ſparſi iam, atq; ſecuri abiiſſent, vnuſq; ex illis longe à ceteris ſegregatus maneret, à circumfuſis equitibus pedes ipſe eſt deprehenſus: ille tamen vnius eorum equo lancea perfoſſo, ipſius equitis vno gladii ictu caput deſecuit. Quo facto, ita omnes metu percuſſit, vt proſpectantibus cunctis ipſe contemptius atque ocioſus abſcederet.

Suppeterent nobis ſimilia fortitudinis exempla, ſi modeſtius ſua extuliſſent Romani. Nos autem cum rerum noſtrarum ſcriptores alios non habeamus, ex iis, ſiue æquis, ſiue iniquis cogimur accipere, quantum illis prodere de nobis fuit libitum. Nonnumquam tamen veritas excidit imprudentibus.

A Gallis, & à Luſitanis Romanos per arma grauiter vexatos ait Iulius obſequens cap. decimo quinto de prodigiis, & cap. 40. *à Luſitanis exercitum Romanum caſum.* Florus lib. 2. c. 17. *Tota certaminum moles cum Luſitanis fuit, & Numantinis, neque immerito, quippe ſolis gentium duces contigerũt.* Ex quibus verbis perſpicuum fit, duces magnum ad victoriam afferre momentum: quos cum ſemper haberent Romani, non mirum, ſi turbam hominum ſine duce incompoſitam vincerent.

At quoties duces contingebant militaris rei non ignari, non tantum ſe iactabant Romani. Eſto iudicium vel Luſitanis Viriatus, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, vt idem ſcribit Florus, vel Sertorius. Facetus eſt Iuſtinus lib. vlt. *In tanta ſæculorum ſerie nullus illis dux magnus præter Viriatum fuit, qui annos decem varia victoria Romanos fatigauit. Adeo feris quam hominibus propiora ſunt ingenia.* Quæſo te, Iuſtine, cur feris quam hominibus propiora dicis noſtrorũ ingenia? Quia annos decem Romanos varia victoria fatigauerunt? Quid? Romanorum, cum Luſitanos variis fatigabant victoriis, ingenia diis credo quam hominibus propiora exiſtimares. Eſtne, an minime, quod ſuperius dixi, Latinos ſcriptores ſemper vt potuerunt noſtra detrectaſſe? Sed de fortitudine iſthæc ſufficiant.

Mores Strabo, quales ſuo tempore acceperat, diligenter annotauit; neque tunc quidem malos, neque modo nobis erubeſcendos. Quorum multi cum religione mutati ſunt, multi etiam perſeuerant. Ex iis exponam aliquos.

Quod *inſidiatores* eos dixit, nemo in peiorem partem accipiat. Militare enim vocabulum eſt, vt admonuit Iulius Pollux capite 10. Cicero ea re Q. Fabium Maximum laudat libro de officiis primo. Callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex noſtris ducibus, Q. Maximum accepimus, facile cælare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium conſilia. Quod ad Luſitanos attinet, Dion Herminii montis incolas Cæſari inſidias paraſſe ait.

Pugio lateri adhæret. Pugionum vſus Hiſpaniæ antiquiſſimus, qui me puero in magno honore viris adhuc erat, paulatim defluxit ad ſicas, quibus etiam impuberes ante nimis properum enſium vſum ſæpe in ſuam perniciem, & parentum orbitatem armantur.

Vnuſquiſq; plura fert iacula. Callaicorum, & Bracarorum etiam nunc pleriq; ex plebe id ſeruant, cum ad agros egrediuntur, bina ferentes iacula, & quidem amentata.

Quidam & vtuntur haſtilibus. Tranſtaganorum mos hic eſt, etiam pedibus euntium, lanceas ſane longas extra vrbem geſtare. Equitibus habiliores ſunt.

Aquæ potores. Id ad noſtram ætatem etiam magna ex parte durat, præſertim inter nobiles. Certe pueri citra pubertatem abſtemii generatim ſunt. Regibus, ac Principibus noſtris ſolemnis eſt vini abſtinentia.

Ceterum, *Spartano ritu degere Luſitanos, & Græco more Hecatombas facere, gymnica certamina exercere,* quæque ſequuntur, omnia eo pertinent, vt Græcam Luſitanorum originem oſtendant. Cetera poſſunt, qui velint ex ipſo Strabone petere.

Leui armatura vti Luſitanos, primo belli ciuilis commentario Cæſar aſſerit. Grauiorem, & quæ Panoplia vocatur, à Romanis Gallis, atque Germanis accepere. Cetratos pugnare pedites, & Cæſar, Liuius, & Silius, & pleriq; alii atteſtantur.

Proſequamur & illam *Callecia* partem, quam annexam Luſitaniæ ſupra memorauimus, videlicet *Bracaros* ab vrbe gentis capite nominatos. Vetuſto hi nomine *Gronii* dicebantur Pomponio, Plinioq;. quamquam in Plinio emendata iam lectio eſt, & pro *Groniis* ſubſtituti *Grauii*, ex Silio lib. 1.

Quiq; ſuper Grauios lucentes voluit arenas
Infernæ populis referens obliuia Lethes.

Et libro tertio.

Et quos nunc Grauios, violato nomine Graium
Oenææ miſere domus.

Plinius quadrifariam partitur, in *Helenos, Grauios, Leunos, Seurbos.* Adhuc minutius Pto-

lemæus, in *Turdulos, Nemetatos, Cœletinos, Bibalos, Limicos, Gruios*, quos alii *Grauios*, *Luarges Quarquernos, Lubanos, & Narbaſos*. Sed hæc potius ciuitatum ſunt nomina, vt eſt Aquis Flauiis in columna, de qua ſuo loco. vbi legitur.

CIVITATES. DECEM
AQVIFLAVIENSES. AOBRIGENS.
BIBALI. COELERINI. EQVÆSII.
INTERAMICI. LIMICI. ÆBISOC.
QVARQVERN. TAMACANI.

Hoc eſt,

Ciuitates decem, Aquiflauienſes, Aobrigenſes, Bibali, Cœlerini, Equaſilici, Interamici, Limici, Æbiſoci, Quarquerni, Tamacani.

Pomponius vero vno nomine *Gronios*, ſeu potius *Grauios* complexus eſt. Addit Iuſtinus *Amphilochos*, Græcæ originis. Strabo *Hellenas*, & *Amphilocos*: & Græcorum ſobolis omnia, dixit Plinius. Nam, præter Teucrum, Telamonis filium, quem ſcribit Iuſtinus ad Callæciam veniſſe, & genti nomen dediſſe, etiam Diomedes, eo delatus, Tyden vrbem condidit, quam propterea *Ætolam* Silius cognominauit, lib. 3.

Ætolaque Tyde.

Durio vicinos amni, Spartano ritu degere, Strabo de Luſitanis agens, memoriæ prodidit. Hecatombas, certamina gymnica, ludos, armis, equis, ceſtibus, & curſu ſolitos celebrare; itemque coniugia Græcanico ritu: vt abſque dubio græcam hi populi præ ſe ferant originem.

Liberi patris, atq; Olyſſis vetuſtiora ſęcula ſupra memorauimus. Adeo verum eſt, Grçcæ originis multa in Hiſpania团 ſupereſſe veſtigia, vt etiam linguæ complura, & vocabula, & Helleniſmi, & pleræque diphtongi, ipſique etiam additi nominibus articuli, eorumq; vſus apud nos & ſit, & cuſtodiatur. Aliquando, curioſitatis ſtudio, atq; animi cauſa, otio abuſus, ſiluam collegi vocabulorum fere quingentorum, cum ſua dialecto, nobis ex Græco relictorum. quæ perſequi, huius loci nequaquam eſt.

DE MONTIBVS.

MONTES nonnullos habet *Luſitania*: ſed, quorum mentio facienda ſit, *Cicum*, *Barbarium, Iunctum, Herminium, Lunamontem, Tapianum, Cordibam, Alcobam, Murum, Maranum, & Iureſſum. Mons Cicus* ab Caſtro Marino oppido, Anæque fluminis exitu incipiens, tamquam *Marianorum montium* appendix, Algarbii Regnum ſecat, & nonnullis emiſſis fluminibus, in mare propinquum ſe condentibus, ad oppidum Algiazur cum fluuio eiuſdem nominis in occidentalis Oceani littore deficit. De Barbario ſuperius dictum ſatis.

Lunamontem, nos *Sintriæ*, ab oppido appellamus efficitque promontorium illud, quod magnum, ſiue Olyſipponenſe appellant Geographi. In cuius ſummis rupibus templum eſt Sanctiſſimæ Dei Matri ſacrum, ab indigenis maxima religione cultum, ſimulque cœnobium monachorum, ad S. Hieronymum vitæ inſtitutum referentium, non tam numero, quam morum integritate ſuſpiciendum. Ad radices montis, in ipſo promontorii cacumine, quo in Oceanum præcipitatur, templum olim fuit, Soli, & Lunæ ſacrum. Cuius modo inter littorales arenas ruinæ tantum extant, & cippi aliquot inſcripti, ſuperſtitionis antiquæ indices.

Vnus ſic habet.

SOLI. ET. LVNÆ CEST. AGIDIVS
PERENNIS LEG. AVG. PROPR.
PROV. LVSITANIÆ.

Hoc eſt,

Soli, & Lunæ Ceſtius Acidius Perennis Legatus Auguſtalis Proprætor Prouinciæ Luſitaniæ.

Alter autem ſic.

SOLI. ÆTERNO. LVNÆ
PRO ÆTERNITATE. IMPERII ET
SALVTE. IMP. CAL. SEPTIMII.
SEVERI ET. IMP. AVG. CÆS. M.
AVRELII. ANTONINI
AVG. PII.

.... CÆS.
ET. IVLIÆ. AVG. MATRIS. CÆS.
DRVSVS. VALERIVS. CÆLIANVS
VIATL. VSI .... AVGVSTORVM
CVMV. SVALE .... NI .... SVA
ET. Q. IVLIVS. SATVR. QVAL....
ET. ANTONIVS.........

Hoc eſt,

Soli æterno, Lunæ, pro æternitate imperii, & ſalute Imp. Caſ. Septimii Seueri, Auguſti Pii, & Imp. Caſ. M. Aurelii Antonini Auguſti Pii .... Cæſaris, & Iuliæ Auguſtæ, Matris Cæſaris, Druſus Valerius Cælianus .... & Q. Iulius Saturninus, & Antonius ....

Eſt ibi præterea ingens alius cippus, qui habet ſupra triginta lineas littera minutiore. verum iniuria temporis, & aſpergine maris in tantam ſcabritiem deuenit, vt in vnaquaque linea vix litteræ quatuor agnoſcantur. Atq; hic eſt locus in quo, qui ſacroſanctæ vetuſtatis inſcriptiones typis in Germania edendas curauerunt, erutas fuiſſe aiunt quadratas columnas tres, in quarum vna vaticinium Sibyllæ contineri aſſerunt.

VOLVENTVR SAXA LITTERIS
ET ORDINE RECTIS.

Quod vaticinium ego fictum exiſtimo, & tres illas quadratas columnas tres eſſe cippos, quos dixi, ſunt enim ingentes. Valentinum vero Moranum, fabulæ aſſertorem, virum bonum, negotiatorem ſplendidum, litterarum tamen Latinarum rudem fuiſſe accepi, vt facile fuerit ab impoſtore quodam decipi, & nouæ rei admiratione inductum ſuſpicor voluiſſe Germanos ſuos participare.

DE MONTE TAGRO SIVE IVNCTO.

TAGRVM montem, in quo equæ vento concipiunt, Olyſipponi vicinum Varro aſſerit. *Infatura*, inquit, *res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad Oceanum in ea regione, vbi eſt oppidum Olyſippo, monte Tagro, quadam è vento, certo tempore, concipiunt equæ.* Non diſputo de conceptu ex vento, re nobis modo incomperta. Sed, quod ad inſtitutum meum attinet, mouet mihi ſcrupuli neſcio quid, ſimilitudo *Tagri*, & *Tagi*, hoc eſt montis, & fluuii.

Subdubitaui ſæpe, referendum ne eſſet, quod de monte ait, ad amnem, vt pro *Tagro* monte, amne *Tago* ſubſtitueremus. Quemadmodum fecit Plinius, qui circa Olyſipponem oppidum, & *Tagum* amnem, dixit: & Iuſtinus, In *Luſitania*, iuxta fluuium *Tagum*. Sed duæ res impedimento ſunt: altera, quod non bene diceretur, equas concipere amne *Tago*: altera Columellæ verba montem quoque nominantis, tametſi ſacrum, non *Tagrum*. Verum, cum id à Varrone acceperit, ad illius lectionem reuocandus vtique eſt. Quod ſi quis opinatur etiam apud Varronem legendum, *Monte ſacro* non repugnarem, ſi montem aliquem ſacrum alicubi iſto in loco legeremus. Sacrum montem in *Callæcia* eſſe nouimus ex Iuſtino. Sacrum & in *Luſitania*, qui eiuſdem nominis efficit promontorium. Sed horum vterque longiſſime ab Olyſippone diſtat, cum Varro vicinum dicat. Quare non audeo lectionem eius immutare: neque temere in notæ eius auctoribus id faciendum cenſeo.

Nam, quod Plinius, & Iuſtinus, *Iuxta amnem Tagum*, dixere, non tollit, in monte, qui iuxta ipſum amnem ſit, idem etiam fieri, vt vere dixerint hi, *iuxta amnem*, & illi, *In monte*. Ceterum montem hunc eum eſſe, quem *Iunctum* adcolæ vocant, contiguumq; illi *Albardum*, videtur liquere, ex equiferorum inibi paſſim multitudine per montem: cum ſolitarie, tum etiam gregatim errantium. Corporatura illis mediocris, ſed firma. ſoliditas vngularum ſicciſſima, pernicitas mirabilis. Quare capti, ac domiti, ad perferendos labores, tam ſarcinæ, quam itineris, ceteris duritia, videlicet rupibus aſſueti, longe præſtant.

Sed, quamquam de conceptu ex vento diſputandum à me negaui, referã tamen, quod inquirendæ rei gratia percunctanti, mihi indicatum eſt. Diuerti abhinc ſeptennium apud colonum agri Beneuentani, iuxta Tagum: &, cum ab illo quærerem, ecquid de huiuſcemodi conceptu, aut ſciret ipſe, aut ab aliis auditum meminiſſet, reſpondit, neq; ſe, neq; vicinos, qui equarias haberent, de ea vmquam re fuiſſe ſolicitos.

Digitized by

Tantum, vt equire feminas animaduerterent, admitti eas curare. Si tamen, cum pulchram equam haberet, cuperetque beneuendibilem in proximas nundinas efficere, ante hinnitum, in Inſula, quæ in medio Tago eſt, ſolam incluſiſſe, vt abundantia pabuli ſaginaretur. Inuiſam poſt menſes duos reperiſſe grauidam, miratumq́;, eò quod illuc nunquam acceſſiſſet admiſſarius, euentum expectaſſe. Septem fere iam menſes, cum tuliſſet vterum, enixa non quidem animal, ſed concreti ſanguinis informem materiam, abortumque ſuſpicatum.

De hac equarum genitura aliud noui nihil. miror tamen, vt Virgilium, Siliumq́; libro tertio taceam, Varronem doctrina tanta, eſſe veram aſſeuerantem, Columellæ habitam pro notiſſima, Plinium conſtare teſtatum, nec vno id loco referentem. Verum id inter ſe agitent phyſici. Nos ad ſuſceptam materiam reuertamur.

DE MONTE HERMINIO.

HErminium montem & olim in epiſtola ad Emanuelem Soſam, Arruncenſis caſtri præfectum, virum nobilem, & eruditum, & poſt ad Ioannem Vaſæum, oſtendi eum eſſe, in quo *Alacriportus ciuitas, Aruncis, Alacretum, Maruanum*, aliaq́; oppida non contemnenda ſita ſunt. Ad cuius radices extant adhuc *Meidubrigæ* vrbis ruinæ, non procul à Maruano Caſtro, cuiuſque editiſſimum culmen ſupra dirutam vrbem, etiam dum veterem appellationem retinet. *Herminius* enim *mons* vocatur.

Ipſa etiam deſtructa ciuitas a monte, cui ſubiecta eſt, *Herminia* vulgo dicitur, ſiue, vt Luſitane loquar, *Haraminia*. Superſunt tota illa inter montes conualle, hic turres, illic ſuper fluuium pontes, hîc ædium nobilium ſtrata pauimenta, etiam Aſarotica, illuc ductus aquæ fontanæ, parte alia parietes ſemiditruti, & alia veteris frequentiæ manifeſta indicia. Fodinæ quoque plumbi, auriq́;, vt indigenæ aiunt, multis locis per latera montis apertæ, vt non immerito *Meidubrigenſes Plumbarios* Plinius cognominarit. Veni in loci huius notitiam primum ex ipſo ſeruato ad hanc diem montis nomine, conſpectiſq́; inter ruinas ſepultæ vrbis veſtigiis. Deinde ex collatis Hirtii, aut Oppii verbis in commentario belli Alexandrini, qui eſt ciuilium bellorum quartus, vbi refertur Caſſius Longinus *Meidubrigam* oppidum, *montemque Herminium*, quo Meidubrigenſes confugerant, expugnaſſe. Eamque mihi opinionem cõfirmauit Antonini Pii itinerarium, tribus ab Olyſippone Emeritam poſitis itineribus. Quorum in tertio *Meidubriga, LXIIII. M. paſſ.* diſtat ab Emerita, hoc eſt Hiſpanicis leucis ſedecim. Tot enim modo numerantur. Sic: *Poſt Meidubrigam, ad ſeptem Aras, vbi nũc Alacretum eſt oppidum, M. paſſ. XIIII. Plagiaria. M. p. XX. Emerita M. p. XXX.* In ſecundo autem ſic: *Poſt ſeptem Aras. Budua. M. p. XII.* Eratque Budua fere *M. p. XII.* ab eo loco, vbi nunc oppidum eſt Campi Maioris, extatque eo loco fanum Virginis matris, ad *Botouam* appellatum, videlicet *Budua* nominis *Betoua* nomen, facili ex cognatione litterarum deprauatione: *A Budua vero Plagiaria. M. p. VIII. Inde Emerita. M. p. XXX.* Hoc ita explicandum cenſui, vt ab Emeritæ, ac Meidubrigæ propinquitate acquieſcat lectoris animus, nec titubet de *Herminio* monte, ac *Meidubriga* à me modo expoſitis, cum paulo poſt non parum inde remotiorem montem *Herminium* quoq́; eſſe oſtendero.

Aio igitur, nominatum, ac celebrem tota Luſitania *Stella* montem, multis oppidis frequentem, multorum fluuiorum patrem, & vbi niues delicuere, ob pabuli abundantiam, maxime pecoroſum, *Herminium* quoque eſſe, neq́; obſtare inter modo expoſitum, & hunc *Stellam* ſine continuis montibus longiuſculum interuallum.

Quod autem *Stella* mons *Herminius* vocatus quoque ſit, patebit ex libris teſtamentorum, donationum, emptionum, ac venditionum cœnobii Canonicorum ſanctæ Crucis Conimbricenſis.

In quarta igitur parte libri teſtamentorum, inſtrumento primo, Comes Henricus, & Regina Theraſia, Aifonſi Henrici primi Portugaliæ regis parentes ita loquuntur: *Facimus chartã donationis, de illa hæreditate nomine Sancto Romano, quæ eſt ſita iuxta Senam, ſub monte Hermeno.* Valde vero notum eſt. *Senam* oppidum, oppidumq́; *Sanctum Romanum*, ſub *Stella monte* eſſe, non longe ab inſigni oppido, *à Cabia Iuliani* dicto, & lanificio celebri de quo alias.

Inſtrumento octauo eiuſdem libri, vbi agitur de hæreditate Anſedi, habetur ſic. *Ego Anſedus de medietate totius noſtræ hæreditatis, quam habemus in villa Lagaris in territorio Senæ, ſubtus monte Hermeno.*

Inſtrumento decimotertio, de hęreditate Ioannis Garſiæ: *De noſtra terra, quam habemus in territorio Senæ, ſubtus monte Hermeno, in loco, qui dicitur Aſſamaſſa.*

Inſtrumento quintodecimo, de Sancta Maria de Meſquida. *Eteſt*, inquit, *ſita ſub monte Hermeno, in partibus Senæ.*

Inſtru-

Inſtrumento duo de vigeſimo, de hereditate Pelagii Ariei, ſic: *De tota illa hereditate, quam habemus in villa Sancti Romani, in loco ſcilicet, qui dicitur Aſſamaſſa, ſubtus monte Concieiro.* Vbi aduertendum, *Sanctum Romanum* oppidum, *& vicum Aſſamaſſam* ſub *monte Hermeno* prius dicta, modo ſub *monte Concieiro* collocari: Videlicet, quia *Concietrus Herminii* pars ſit, peculiari nomine *Sancto Romano, & Aſſamaſſa* imminens.

Inſtrumento vndetrigeſimo, de hæreditate Sancii Vermuizii, ſic eſt: *De tota illa mea hereditate, quam habeo in villa Pallacios, territorio Senæ, ſub monte Hermeno.*

In ſecunda vero parte libri venditionum, inſtrumento primo, de hęreditate Menendi Pelagii, ita legitur: *In villa, quam vocant Lagares ſubtus montem Hermenum, in territorio de Sena.*

Inſtrumento ſeptimo, itemq; duodecimo: *In villa Sancti Romani, & in circuitu eius, ſub monte Hermeno, diſcurrente fluuio Aluia.* Et alias ſæpe.

Semperq; hic mons *Hermenus* vocatur. non autem *Stella*, quaſi nomen hoc recens, nec ita pridem ſit impoſitum. Audiui, à paſtoribus inditum, argumento Stellæ, in ſummitate cuiuſdam rupis ab natura effigiatæ.

Hermenii montis incolas à Cæſare Luſitaniam prouinciam poſt præturam vrbis adepto expugnatos, ad hunc modum ſcribit Dion, ſub libri trigeſimi ſeptimi finem. Cuius verba, quanta potui fide, ex Græco ita verti: Hoc *eodem tempore Fauſtus Syllæ filius, agonem monomachiæ pro patre fecit. & populum publico conuiuio excepit, & lauacra, atque oleum gratis præbuit. Et hæc quidem in vrbe facta ſunt. Cæſar autem poſt præturam, Luſitaniæ imperium accepit. Cumque potuiſſet latrocinia, quæ ſemper apud illos erant, tollere ſine magno quopiam labore, otium habere noluit. Etenim, gloriæ cupidus, & Pompeio, aliiſque, qui ante ipſum multum potuerant, inuidens, nihil paruum animo concipiebat, ſed ſperabat quidpiam & ipſe tunc poſſe efficere, conſulque ſtatim decerni, & opera ingenita edere. Cum propter alia, tum quia in Gadibus, quando quæſturam geſſit, ſomnium viderat, quaſi cum matre coiret, & ac interpretibus, ab diuinis didicerat, in magna ſe potentia eſſe futurũ. Vnde & effigiem Alexandri ibi in Herculis templo ſuſpenſam videns, ſuſpirauit, & conqueſtus eſt, quod nullum adhuc ipſe opus magnum feciſſet.*

Ex eo igitur tempore, cum liceret illi pacem habere, vt dixi, ad montem Herminium verſus eſt. Iuſſitque incolas eius in campeſtria ad habitandum tranſire. prætextu quidem, ne à munitis locis prodeuntes latrocinarentur; re autem vera, quod non ignoraret, eos hoc nunquam facturos, atque ex hoc belli occaſionem caperet. Quod & factum eſt. Eos igitur ad arma venire compulit. Verum, cum finitimorum quidam veriti ne etiam in ipſos impetum faceret. filios, & vxores, & alia, quæ chara, ac pretioſa habebant, vltra Dorium clam exportarunt, interim dum hoc faciebant, ipſe ciuitates illorum occupauit. Et poſt hæc certamine congreſſus cum ipſis eſt, obiicientibusq; armẽta ſua, ac greges, vt in Romanos ad prædam pecorum diſſipatos incurrerent, exercitum tranſmiſit illoſque adortus deuicit. Inter hæc, cum cognouiſſet eos, qui Herminium montem habitabant, abſceſſiſſe, & ſibi reuertenti inſidiaturos, tunc quidem alio ſe contulit, rurſus vero exercitum in eos duxit, &, cum præualuiſſet, ipſos ad Oceanum vſque fugientes, inſecutus eſt. Poſtea vero quam illi continentem relinquentes, in inſulam quandam traiecere, cum ipſe naues non haberet, circa regionem manſit, compactiſque ratibus: partem quandam exercitus aduerſus eos miſit, multos tamen ibi amiſit. Etenim terram quandam è regione inſulæ exiſtẽtem cum aduertiſſet militum illorum præfectus, eoſque illuc adduxiſſet perinde ac pedibus tranſituros, ipſe poſtea, æſtus reciprocantis vi coactus, & ſubductus eſt, & illos deſeruit. Ex illis autem alii quidem egregie ſe vlti occubuerunt. Publius vero Scæuius ſolus relictus, & ſcuto priuatus, adhuc multis vulneribus ſaucius, in aquam deſilit, ac demum enatauit. Atque hæc quidem tunc ſic euenere. Poſtea vero Cæſar, à Gadibus accerſitis nauigiis, in inſulam cum toto exercitu tranſiuit, ipſoſque rei frumentariæ penuria laborantes ſine pugna ad deditionem compulit. Atque inde, cum ad Brigantium, Callaciæ ciuitatem præternauigaſſet, recto nauigiorum curſu, illos, qui nondum ad id tempus claſſem viderant, exterruit, ac in poteſtatem redegit.

Hoc, quod hic narrat Dion, Cæſarem finitimorum Herminii ciuitates inuaſiſſe, cum eo congruit, quod ait Suetonius, *Luſitanorum illum quædam oppida hoſtiliter diripuiſſe, quamquam neq; imperata detrectarent, & portas aduenienti patefacerent.* Sed quænam Herminii pars hinc intelligetur, mihi nondum ſatis liquet. nam ex pecorum gregibus, & armentis, quæ Romanis incolæ, ſeparandi exercitus gratia, obiiciebant, videtur ſignificari Stellæ mons, vt ante dixi, pecoroſus: quamquam pars illa vergens ad Meidubrigam oppidum non parum etiam pecoribus abundet.

Vxorum, filiorum, aliarumq; rerum in pretio habitarum exportatio vltra Durium ad Stellę montem Durio propinquiorem, videtur pertinere. Rurſus fuga Herminienſium, & Cæſaris inſecutio vſque ad Oceanum, expoſito priori loco, monti magis conueniunt. Sed quærendum vtrobiq;. quænam inſula iſta fuerit terræ contigua, ad quam ſiue pedibus, ſiue natatu, profugi tranſire potuerint, ad quam ſimiliter & milites traiicere tentarint?

Non fuiſſe *Londobrin*, cuius meminit Ptolemæus, (Berlengam modo dicimus) indicio eſt diſtantia à continente non modica. Et, cum alia iuxta *Luſitaniæ* totius littus nulla noſtro æuo extet, hæc, de qua Dion loquitur, vel incumbenti violentius mari abraſa, deletaq; eſt, vel certe peninſula illa oppidi *Paniſci*, iuxta *Atouguiam*, erit intelligenda. Nam etiam nunc alueo quingentis paſſibus lato à continenti ſeiungitur, qui pedibus æſtu cedente tranſitur, redeunte vero inſula plane fit, neque adiri vado poteſt. Et forte illo ſæculo fuerit aliquanto maior.

Certe non importuoſum eſſe locum, vt eo Cæſaris claſſis appellere, & in ſalo eſſe potuerit, Piratæ nouere. Qua vna ex cauſa Ludouicus Athaidius, tractus eius toparcha, vir dignus de quo ſermo longior haberetur, apud Regem Ioannem tertium expoſitis illius oræ periculis, inſtitit, vt liceret illic ſibi caſtrum firmiſſimum, operibus, propugnaculis, omniq; ad arcendos piratas neceſſaria ſupellectile munitiſſimum extruere, cuius huiuſcemodi inſcriptionem præfixit:

Securitati & Memoriæ.

Emmanuelis Luſitan. Regis. Pii. Fel. inuicti. fil.
Ioannes. III. Luſitan. Rex. pius. fel. inuictus
Caſtrum cum propugnaculis. ad oppidi munimentum
Atque ad arcendos ab ora maritima Piratas
Petente, & curante
Domino Ludouico Athaidio
Limitis Atougiaci toparcha

Eamque rem, ne in hiſtoria vrbium poſtea repeteremus, hic oblata occaſione, viſum eſt non prętermittere. Epigramma quoque in tanti viri memoriam hoc, qualecumque eſt, ipſi fecimus.

Hac infeſta prius, Prædones ſæpe marini
Qui faciebatis littora, quique mare,
Ite alio poſthac, longeque faceſſite portu:
Longe hic per vaſtum velificate ſalum.
Donec Athäidius noſtram tutabitur oram,
Stabit & hæc moles pulchra, ſuperba, minax:
Piratis nullas datur hinc auertere prædas:
Nil rapere hac vobis in regione licet.

Ac de Herminio ſatis iam multa.

DE TAPIAEO MONTE.

T*Apiæi montis* nomen apud ſcriptorum antiquorum quempiam non legi, inueni tamen in vita ſancti Martini, Saurienſis presbyteri, ſcripta à Saluiano alumno eius familiari. Eam reperi in libro teſtamentorum, venditionumque Cœnobii Canonicorum ſanctæ Crucis Conimbricenſis, charta quadrageſima ſexta. Quod adnotare volui, vt memoriam ſancti viri, quæ intereiderat, renouarem. Quam aliquando ſpero me editurum, iiſdem quibus ſcripta eſt, verbis, vt lectori maiorem fidem faciam. Sed de hoc alibi. Quod ad rem facit, de qua agimus, ſcriptor ille, qualis qualis eſt, cum oppidum Saurium iuxta decurſum Ançi fluminis in Mundam labentis pæne ſuperflua curioſitate deſcribit, ita ait: *Ab vrbe Colimbrianorum decimo octauo Auſtrum verſus diſtat milliario. Ad Orientem ſunt Tapiæi montis ſaxoſa cacumina.* Et alia, quæ ſequuntur. Ex quibus patet Tapiæum montem eſſe, quem Anſidianum ab oppido nominamus, & inter Rapaciale, & Palumbare oppida excurrit, quiq; à Thomario Conimbricam euntibus ſaxoſo nimis itinere perquam moleſtus eſt. Quod nos in carmine ad Lupum Scintillam teſtati ita ſumus.

Sic ereptaui cliuum lapidoſe ſuperbum
Anſidiane, tuum, ſic per ſine ſole moleſtos
Anfractus Tapiæe tuos, vergente ſenecta
Æger anhelaui.

Summum montis iugum ſupra Rapaciale oppidum, adhuc, vt ab indigenis didici, portus Tapiæus dicitur.

DE MONTE CORDVBA.

C*Orduba mons* in Portuenſi diœceſi nomen adhuc vulgo retinet, niſi quod ruſticorum inſcitia, primum cōciſe montem Cordubam cœpit appellare, poſtea deprauatius, montem

montem Coruam. De quo, & de Baſilicis in eo Saluatoris, ac ſancti Michaelis Archangeli, particularis fiet mentio in rebus, ac hiſtoria ſancti Rodeſindi Epiſcopi, & confeſſoris, quam etiam aliquando, Deo bene iuuante, ex tenebris in lucem proferendam curabimus.

DE ALCOBA MONTE.

ALCOBA *mons* ex Conimbricenſi diœceſi, per Viſenſem protenſus, in Lamecenſi: Muro monti coniungitur, nulla re alia magis clarus, quam inſigni Virginis Aroccenſium parthenone, & fluuiis nobilium piſcium troctarum, Lampetrarum, aloſarumq; pręter alia vulgata genera feraciſſimis. Quorum tamen alii in Mundam, alii in Vaccam, in Durium alii ſe condentes, ſuorum nominum interitu, dant incrementum alueis alienis.

DE MONTIBVS MARANO, *Ireſſo, Suaio, & Muro.*

MARANVM, *Ireſſum*, & *Murum*, adde, ſi placet, *Suaium*, ob id tantum referendos putaui, quia Bracarorum prouinciam, ita mediam ſecant, vt pars, quæ ab iis tendit ad mare, Interduriominia vocetur. De cuius regionis laudibus, fertilitate, amœnitate, ac ſalubritate extat opuſculum lectione minime indignum. Altera vero pars, quæ vltra eos montes, Minio ab læua relicto, Orientem verſus aſcendit, Tranſmontana vulgo appellatur.

Videntur autem hi montes quaſi rami eſſe quidam montis Vindui: cuius Florus, & Oroſius meminere. Ptolemæus Vindium vocat, qui ex Pyrenæo ſupra Pompelonem, Cantabrorum vrbem, per Victoriam, eiuſdem gentis ciuitatem, & Geminos Aſtures late excurrit, donec in duo diuiſus cornua, altero Callaicum petit Oceanum, & Nerium promontorium, altero in meridiem flexus, Bracaros, vti dictum eſt, diſſecat, iuxta aquas Flauias Luſitanam ingreſſus ditionem, ac variis ſubinde locis nomina quoq; varia ſortitur.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIÆ, LIBER SECVNDVS.

DE FLVMINIBVS.

MVLTIS fluminibus irrigatur *Luſitania*. Id ſilentio non præteriit Strabo. *Regio*, inquit, *de qua loquimur, felix eſt, & amnibus magnis, ac paruis irrigua.* Qui omnes ab oriente pariter diſiuncti à Tago ſunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque *Anæ, Tagi, Mundæ, Vaccæ, Durii, Aui, Limiæ*, ac *Minii* tanta claritas eſt, vt in eis explicandis operam inſumere ſuperfluum videatur. Sunt tamen ſingulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, vt opinor, non iniucunda ſunt futura. Veluti *Ana*, tanto flumini, cuniculis ſe totum condere non ſemel, alicubi interſtitio quadraginta millium paſſuum, rurſusque impetu maiori renaſci. Potu eius ac paſtu, ingenita naturæ vi adeo grandeſcere pecudes, vt Ananis armentis, ac bobus, prima ex magnitudine palma, in Hiſpania tribuatur. Cumque piſcoſiſſimus amnis ſit, piſces tamen eius non tam iucunditate ſaporis, quam proceritate commendantur.

Myrtilin vſque à mari ſubeunt aloſæ, & lampetræ, ſiue muſtellas eas, ſiue fluuiales murænas magis conueniat appellare, vt eas appellauit Tertullianus in libro de pallio, notata Vedii Pollionis immanitate, qui damnata mancipia viuariis earum immergebat, vt murænarum ſuctu paullatim abſumerentur. Et quidem lampetras Septimium intellexiſſe, indicant verba, quæ ſubdit: *Terrenæ beſtiæ, exedentulæ, exungues, & excornes.* Marinæ ſiquidem murænæ, vt neque terrenæ beſtiæ erant nuncupandæ, ita neque exedentulæ ſunt, verum dentatæ etiam eminentius. Subeunt, & Anam ſub Idus Martias vſque ad iam adultam æſtatem, Aſturiones iuſta magnitudine, ſed raro maiores, quam vt bini mulum onerent clitellarium.

DISQVISITIO DE PISCE ASTVRIONE.

PEto vero à lectoribus hanc veniam, vt iſto nouitio excellentis piſcis nomine hic me vſum non indignentur, quando medicorum, quorum maxime intereſt, & eruditorum qui de piſcibus ſcripſerunt, concertatio adhuc finem non reperit, & diſſidentium mutuo ſententiæ in aliqua certa appellatione, nondum conquieſcunt.

Eorum, qui magis ad veritatem accedere videntur, Paulus Iouius *Silurum* eſſe exiſtimat. Et ſane ſunt non pauca quæ fidem videntur facere, ſi è diuerſo non eſſent alia, quæ manifeſte abrogarent. Nam cum *Aſturionem* fateatur, maleficum neq; eſſe, neq; eſſe poſſe, quia dentibus omnino careat, ſic ab natura formatus, quoniam piſcibus non alatur, hoc vno argumento, ſuam de Siluro opinionem tueri non poterit.

Nam Silurus maleficus eſt, &, vt ſcribit Plinius libro nono, capite decimo quinto, *graſſatur vbicumque eſt, omne animal appetens, & equos innatantes ſæpe demergens.* Ad hæc, hamo prehenſus, morſu duriſſimi dentis ſępe hamum frangit, vt in nono hiſtoriæ animalium capite trigeſimo ſeptimo inquit Ariſtoteles, quibus nihil alienius ab Aſturione commemorari poteſt.

Præterea eodem loco Ariſtoteles Silurum fluuiatilem piſcem eſſe ait, quem ſequitur Plinius libro nono capite decimoquinto. Cum enim de Thynnorum magnitudine eſſet locutus, *Sunt*, inquit, *& in quibuſdam amnibus non minores, Silurus in Nilo, Eſox in Rheno, Attilus in Pado.* Et capite decimoſexto: *Fluuiatilium, Silurus canicula exortu ſideratur.* Libro quoque trigeſimo ſecundo, capite decimo: *Siluri fluuiatilis, qui, & alibi quam in Nilo naſcitur, carnes impoſita, &c.*

Strabo etiam libro decimo ſeptimo, Siluris abundare Nilum oſtendit. Quod ſi quis, propter Plinii verba poſtremo à me poſita, Siluri fluuiatilis, ideo dictum exiſtimet, quia ſint & marini, qui tamen amnes aſcendant, tum alios, tum etiam Nilum, id Strabo de Nilo conſtanter negat, Ariſtobuli auctoritate lib. decimo quinto. *Tradit etiam*, inquit, *Ariſtobulus, nullum ex marinis piſcibus in Nilum recurrere, præter aloſam, & mugilem, & delphinum, propter crocodilos.* De Siluro tamquam Nili indigena nihil dixit.

Fluuiatilis ergo eſt. Aſturiones vero pelagici, niſi quod pinguioris pabuli gratia, dulces petunt aquas, quibus & pingueſcunt, & ſalſuginis depoſita triſtitia in obſoniis longe ſuauiores guſtui efficiuntur.

Gulielmus Rondeletius, laborioſo, & docto, de piſcibus edito volumine, qui nunc Aſturio eſt, Acipenſerem Latinis fuiſſe contendit, Dorioni Græco auctori Oniſcon dictum, Galaxiam Galeno, Sed quid reſpõdebit Plinio? qui libro nono, capite decimoſeptimo ait: *Apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus Acipenſer, vnus omnium ſquamis ad os verſis contra aquam nando meat. Nullo nunc in honore eſt, quod quidem miror, cum ſit rarus inuentu, quidam eum Elopem vocant.*

Quid etiam Plutarcho? qui in libro de induſtria animalium, cum dixiſſet piſces omnes cauere, ne ventus à tergo incumbens ſquamas ſurrigat, cieatque addidit: *Hoc igitur commune piſcium eſt omnium, Acipenſere tantum excepto, ſecundum ventos, & fluctus meat hic, ſquamæ vulſionem veritus, vt quarum commiſſuras ad os verſas habet.* Vbi enim ſquamæ in Aſturione? vt de conuerſis ad os ſileam.

Nam, quod Rondeletius litem ſe diremiſſe autumat, reſpondens, dictum eſſe hoc, ab iis qui Acipenſerem eumdem eſſe cum Elope exiſtimarint, equidem probare nõ poſſum. Piſcem hunc, cui Aſturioni nomen fecerunt neoterici, aut norat Plinius, aut non norat. Plutarchum prætereamus. Non noſſe, veriſimile non videtur, cum eſſet omnium marium indigena, & amnium fere omnium in Romano orbe, tum vero in ipſa Italia hoſpes aſſiduus. Si norat, & is Acipenſer erat, qui poterat, ſquamas eum non habere, ignorare? Quomodo ergo Acipenſeri, non modo ſquamas, verum ad os verſas attribuit? Videlicet dormiens literis iſta mandabat. Non mora fortaſſe, quoniam rarus inuentu eſſet. Ita certe Acipenſer. Admodum enim raro capi, etiam in libro de fato Cicero teſtis eſt, vt aſſerit in tertio Saturnalium Macrobius. Nam nos eum Ciceronis librum imperfectum habemus. Cui ignotum quoq; fuiſſe Acipenſerem indicant ipſiuſmet verba, etenim cum allatum ad Scipionem dixiſſet, *Raro*, inquit, *admodum capitur, ſed eſt piſcis, vt ferunt, in primis nobilis.* Et Plutarchus ipſo in libro de Anthia ſacro piſce apud Homerum. *Eratoſthenes*, inquit, *Auratam videtur, Pernicemq; ſupercilio flauente ſacrumq; dicere. Multi Acipenſerem. Nam & hic rarus eſt, & ægre capitur. Conſpicitur autem circa Pamphyliam ſæpe.* Martialis quoq; rarum dicit:

Ad Palatinas Acipenſerem mittite menſas:
Ambroſias ornent munera rara dapes,

Quis

Quis autem vel Plinio, vel Ciceroni vel etiam Martiali credat, raro capi eum piſcem, qui Pado, qui Tiberi, vt nihil amplius dicam, tam familiaris ſit? Acipenſer autem non tantum rarus admodum, ſed etiam omnino peregrinus.

In Halieutico dixit Ouidius.

Tuque peregrinis Acipenſer nobilis vndis.

Sed dolendum, quoniam in hoc verſu fragmentum eius libelli nos deſtituit. Forte enim de Acipenſere plenius inſtrueremur. Illud tamen ſatis eſt, peregrinum vocaſſe piſcem, vt ea peregrinitatis appellatio Aſturioni conuenire nullo modo queat, piſci perquam domeſtico.

Caret ſquamis Acipenſer, inquit Rondeletius. Hoc nunquam euincet per Plinium, neque per Nigidium Figulum, naturalium rerum maximum indagatorem, vt eum honoris cauſſa vocat apud Macrobium Serenus Sammonicus, neque per Plutarchum, neque per Macrobium, ipſumque Serenum, qui in Seueri princip s conuiuio Acipenſerem crebro citarit, & quæ de ſquamis ad os verſis à Plinio dicta ſunt, vera eſſe ex Nigidio confirmarit.

At ex Archeſtrati ſententia, Athenæo referente, Galeus Rhodius idem eſt cum eo, qui apud Romanos cum tibiis, & coronis, coronatiſque miniſtris cœnis inferebatur, vocareturque Acipenſer, ſit ita ſane. Sed oſtendendum erat Rondeletio, Aſturionem Galeum eſſe Rhodium, eumque eſſe, qui tanta pompa ad menſas deueniret. Quod ille non facit. Imo ille ipſe Galeus Rhodius, potius idem eſſe cum Elope videtur. Nam Elopem, quem in profundo tantum Pamphylio mari paſci, nec niſi raro, ac vix capi, aiunt Columella, & Ælianus. Rhodium quoque eſſe oſtendit ex Varrone Gellius libro ſeptimo capite decimoſexto, vt Galeus Rhodius, & elops Rhodius idem piſcis ſit, Romanis dictus Acipenſer.

Vnde & Plinius Acipenſerem, quoſdam vocaſſe Elopem dixit. Inter quos fuit Appion Grammaticus, vt refert Athenæus.

Theodorus Gaza, homo non minus Latine, quam Græce eruditus, qui que Græca nomina ſemper latine quoad fieri poterat, reddere conatus eſt, apud Ariſtotelem de hiſtoria animalium libro ſecundo, capite decimotertio, Elopem Acipenſerem tranſtulit. De Branchiis enim piſcium agens Ariſtoteles, ita ſcribit: *Aliis bina vtrinque, altera ſimplices, altera duplices, vt congro, & ſcaro, aliis quaterna vtrinque ſimplices, vt Acipenſeri, dentici, murenæ, anguillæ.* Quod ſi certi eſſemus, eundem cum Elope eſſe Acipenſerem, vt vertit Theodorus, & multi dixere Græcorum; hæc vna quaternarum branchiarum nota ſatis nobis erat ad excludendum ab Acipenſeris nomine Aſturionem.

Etenim pro ea mole, tam exiguæ, ſimplices, & opertæ illi Branchiæ ſunt, vt branchiis carere ſit potius exiſtimandus. Naribus autem refrigeratur, & quam hauſtu collegit aquam, eam illo ſemper patentis proni oris foramine reiicit. Verum ſitne idem Elops Rhodius, vel Rhodius, vel Pamphylius, ſiue Galeus Rhodius cum Acipenſere, viderint Græci. Certe tam Elops quam Acipenſer peregrini ſunt. Ouidius in ſuperius citato libello, ſic ait,

Et pretioſus Elops noſtris incognitus vndis,
Tuq; peregrinis Acipenſer nobilis vndis.

Quibus Ouidii carminibus adductus Plinius in fine libri trigeſimi ſecundi falli eos dixit, qui Elopem Acipenſerem exiſtimaſſent, cum diuerſi ſunt, licet & hic, & ille peregrinus.

Aſturio autem, vt ante dictum eſt, in omnibus Romani orbis fluminibus, paulo tamen maioribus, atque in Pado, ipſoq; Tiberi tam frequens eſt, vt parum conſiderati fuerit hominis, quæ de Acipenſere, ſiue Elope dicta ſunt, Aſturioni tribuere, & Nigidium, Ciceronem, Plutarchum, ac Plinium, illiſq; minores, doctos tamen: & antiquos, tam pueriliter eſſe alucinatos exiſtimare.

Acipenſer igitur, ſit, ſi placet, cartilagineus, ſit triangulari corpore, vt eum contendit eſſe Rondeletius, dummodo ſit paruus, vt ait Athenæus, dummodo peregrinus, nec alibi, quam in Pamphylio, vel in Rhodio mari, & raro, ac vix captus. Aſturio certe vulgatiſſimus piſcis eſſe non poteſt. Atq; hæc reſponſa ſint Rondeletio.

Hermolaus Barbarus, nobilium ſtudiorum gloria inſignis, à Paulo Corteſio ſententiam rogatus, per epiſtolam reſpondit, Aſturionem antiquitus Hyccam fuiſſe Athenæi teſtimonio, hac adductus coniectura, quod Hycca porculum ſignificet, & Aſturio, præſertim adhuc paruus porcelletus ab Italis nominetur, à porco, vel porculo ſane per diminutionem facto nomine. Cuius opinionem Sanctus iuuat Ambroſius, in Dominica

paſſione, cum dicit: *Gutto, ſiue gulo porcellum amat, vt comedat.* Et in Hexamero, *Iudæos marinis porcis veſci, dicit, cum terreſtribus abſtineant.* Quæ coniectura non tam frigida eſt, quam eâm Iouius exiſtimauit. Si tamen frigida videatur, calefaciamus nos & verbis Iſidori, ſcriptoris neque externi, neque tanquam ignobilis contemnendi. Is Etymologiarum libro decimo, ſecundo capite de piſcibus, diſerte, & ſine vlla ambiguitate, Aſturionem modo Italis vocatum, ita deſcribit: *Porci marini, qui vulgo vocantur Suilli, quod, dum eſcam quærunt, more ſuis terram ſub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & niſi roſtrum arenis immergant, paſtum non colligunt.* Non potuit neque planius, neque euidentius res aperiri. Roſtrum habet piſcis oblongum, inſtar proboſcidis, ſub mento circa guttur foramen, magis quam os, dentes autem nullos, neque maxillas. Quare dum paſcitur roſtrum limo, ſoloque aluei, vt immergat, neceſſe eſt, nihil alioqui comprehenſurus. Eoque fit, vt cum paſcitur, limi reuolutio è fundo ad ſummam aquam pertingens indicium latentis eo loci faciat piſcatoribus. Bene igitur piſcem nobis expreſſit Iſidorus. Nec tacuit nomen hoc, quo Hiſpani omnes vtimur. Suillos enim appellamus, ſiue, vt mere Luſitane dicam, *Soilhos.*

Quod ſi de Iſidori fide dubitabunt, quibus is auctor idoneus non videtur, inter varias de Siluro, Oniſco, Galazia, & Acipenſere ſententias, ne videatur abſurdum, ſi etiã nos ſcrupulum doctis iniiciamus, adductis duobus piſcium generibus, qui Aſturiones non inepte videri queant. Ex Niliacis piſcibus, à Strabone primo loco numeratur Oxyrinchus, ex eo vtique dictus, quod oblongum, atque acutum roſtrum habeat. Talia vero eſſe Aſturionum roſtra, indubitatum: nec minus certum, frequentem in Nilo eſſe capturam.

In Danubio quoque, ac Boryſthene, piſcis capitur, cuius ita meminit Plinius libro nono capite decimo quinto: *Et in Danubio, mari extrahitur Porculo marino ſimillimus, & in Boryſthene memoratur præcipua magnitudo, nullis oſſibus. ſpiniſue interſitis, carne prædulci.* Emendat eum locum Gelenius, & pro, *Mari extrahitur*, reponit *Mario extrahitur*, vt hic piſcis oſſibus ac, ſpinis carens, Mario vocetur. Emendandi occaſionem ſumpſit partim ex eo, quod cum illic fluuiatici piſces referantur, marino locus eſſe non videbatur, partim, quod hunc Itali, quibus ob ſalſamenta notus eſt, Moronem adhuc ſemilatino appellent nomine. Iouius inter ſalſamenta prædura valdeque rubentia ignoti ſibi piſcis fruſtra, Moronem vocat. Sed enim, ſi tueri veterem lectionem velimus, intelligemus Plinium innominatum reliquiſſe, ſigna autem dediſſe maximæ cum marino Porculo ſimilitudinis. Et capi quidem in Danubio, ac Boryſthene, verum à mari extrahi. A mari enim tractus, Danubium, ac Boryſthenem ſubit. Vtro autem modo legamus, non multum refert, niſi quod Gelenii lectio blandior eſt. Mari extrahitur, pro trahitur ex mari & paulo coactior. Quamquam nec ſic tota periodus mihi non ſuſpecta eſt. Deſidero enim Plinianæ dictionis iuncturam, & concinnitatem, quæ languida, ac diſſoluta hic videtur. Quare donec alius me felicius locum emendet, ego ita legerem. *Et in Danubio Mario extrahitur, Porculo marino ſimillimus, & in Boryſthene. Memoratur præcipue magnitudo nullis oſſibus ſpiniſue interſitis, carne prædulci.* Hoc videlicet ſenſu: præcipue memorari in eo piſce magnitudinem ſine oſſibus ſine ſpinis interſitis, carne autem prædulci. Ceterum hunc piſcem, ſiue innominatum, ſiue Marionem dictum, Hermolaus in Corollario capite de Homotaricho, Antacæum exiſtimat, ſortitum nomen hoc ab amne, qui in Mæotin ex regione Antacarum influit. Eos piſces Delphinibus magnitudine pares lib. 17. Strabo aſſerit. Herodotus autem libro quarto de Boryſthene, agens, magnitudine cetaceos, ſpinis carentes, & ad Salſuram dicit optimos. Atqui à Boryſthene, Phaſi, & Tanai, ſalſamenta, ex Aſturionum ouis ſalitis, Cauiaria vulgo dicta, & ex dorſuali parte, quæ vocant Schinalia, & pleuras, id eſt, latera, & hypocælia, id eſt, abdominis, pubiſq; partes, per totam Italiam circumferri, vulgatiſſimum eſt.

Ea ſalſamenta, quæ ex Aſturione eſſe omnes fatentur, Hermolaus ex hycca, vel hyſca, id eſt porculo marino, conſtanter affirmat. Hyccam autem, ſiue hyſcam Sturionem Italiæ conſenſu ait appellari, Conſiderent igitur, & expendant eruditi, num Oxyrinchus Strabonis, Mario ſiue innominatus Plinii piſcis, quem Antacęum Hermolaus interpretatur, ipſeque Strabonis, & Herodoti Antacæus, hycca, ſiue hyſca Athenæi, & porculus, idem omnino piſcis ſit, Sturio, ſiue Aſturio modo vocatus.

Verum, Mario, vel innominatus Plinii piſcis, ſitne idem, qui marinus porculus, an alius illi ſimillimus, liquido nobis non diſtinxit Plinius. Mihi ſatis eſt, innominatum hunc, vel Marionem, ſiue Antacæum ſine oſſibus, ſine ſpinis, carne autem prædulci, ac ſimillimum marino Porculo indicari. Iam enim hinc habeo, porculum marinum oſſibus ac ſpinis carere,

fere. & prædulci eſſe carne. Iſthæc Sturioni ineſſe, qui ignorat, Aſturionem neque vidit, neque guſtauit.

Si vero quis obiiciat, Aſturioni oſſa quædam minime deeſſe, videlicet in capite; huic reſpōdero, ea nequaquam vera eſſe oſſa, ſed calloſam quandam cartilaginem, aut ſi ſenior piſcis eſt, eaq; oſſa habeat duriuſcula, id tam puſillum eſt, vt pro non oſſibus merito habenda ſint. Si vero idem eſt Mario, & Antacæus, & porculus marinus, immo etiam ſi diuerſus eſt, ſimillimus tamen, relinquitur recte nos docuiſſe Iſidorum.

Tot nomina, inquiet aliquis, vni piſci? Neminem ea nominum multitudo conturbet. Sapienter enim Plinius loco ante citato. Græcis, enim, in pleriſq; nominibus, vti par erit, quando aliis, atq; aliis eoſdem diuerſi appellauere tractus. In Ægypto itaq; à roſtri effigie Oxyrinchum dixere ad Boryſthenem, & Mæotim Antacæ gentes ſibi domeſtico Antacæo nomen fecere. Hyceam Græci, vel Hyſcam maluerunt. Latini Porculum, & Porcum, nominis ab Iſidoro reddita ratione.

Congi latiſſimum Æthiopiæ regnum, cum ſuis Regibus, opera, & ſtudio pientiſſimorum Luſitaniæ Regum, ab idolorum cultu conuerſum eſt, & in Chriſti religione mira pietate perſeuerat. Per eius medium, vt ferunt incolæ, Nili Brachium ab ipſis ſtatim fontibus diuiſum, tam vaſta magnitudine, ac tanto impetu non modo fluit, verum etiam rapitur, vt duodecim millia paſſuum latitudo excedat, altero ad immēſitatem profundo. In eo iidem piſces, eademq; animalia gignuntur, quæ in brachio illo, quod per Ægyptum meat, proceriora tamen, & corporum mole auctiora omnia. Immanes ibi & Crocodili, & Hippopotami, & aliorum Nilo domeſticorum piſcium maxima toto flumine multitudo. Aſturionum quoq; ingens copia, fiſci tamen Regii, capitaleque eſt, captum piſcem Regium ad Regem non deferri. Delatum ipſe cui vult donat. Angullum ibi vocant, id eſt Porcum. Differentię tamen cauſa, Angullum amazi, hoc eſt, aquarum Porcum dicunt.

Duo hic ſumo argumenta. Alterum Nili Ægyptiaci, Oxyrinchos, Aſturiones in hoc Æthiopico brachio captos mihi videri. Nam & hic & illic, iidem Nilo familiares immeāt, & naſcuntur piſces, eademque reperiuntur animalia. Neque futile videri argumentum debet, cum eodem bis vtatur Plinius libro quinto, capite nono: Tum circa Nili originem ex lacu Nilide, *ibi*, inquit, *piſces reperiuntur Alabetæ, coracini, ſiluri, Crocodilus quoque.* Inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus, tum mox cum aliquot dierum itinere conditum, in Maſſæſylorum gente dicat erumpere, iiſdē animalium argumentis, Nilum agnoſci tradit. Cumque ſe rurſus condiderit viginti dierum deſertis, proſilire tandem ad proximos Æthiopas, fonte nigri vocato. Diuidi autem in ramos, vt Ægyptum prætercam, indicio eſt, Zanaga appellatus amnis iiſdem refertus animalibus, quem à Nilo defluere compertum à noſtris eſt.

Alterum duorum, quæ me ſumere dixi argumentorum, Porcorum videlicet nomen, quod illis tribuit Iſidorus, Æthiopicarum gentium conſenſu validius confirmari. Sed vt tandem finiam, ſi leuioribus coniecturis vti videamur, interim tamen, dum veritas eruitur, arbitratu ſuo appellent Itali, ceteræq; nationes, recenti nomine Sturiones, ſiue potius Aſturiones, à Minio Aſturiæ flumine, vt apud Clementem Septimum Pont. Max. noſter Michael Siluius diſſeruit, appellemus nos porcos marinos, aut ſi amphibologiam timemus, quia ſunt & alii porci marini, tum Plinio, tum Straboni, ſimpliciter appellemus Suillos, nomine à mille iam annis, & ſupra Iſidori ætatem, Hiſpaniæ noſtræ peculiari, ac vernaculo. Sed de his nimis multa.

DE CALLIPODE.

Callipodis meminit ſolus Ptolemæus, eſtque is qui in Cetobrigenſem, ac Salacienſem ſinum ingreditur, ad duodecim millia paſſuum ſupra Salaciam, onerariis nauigiis, & celocibus nauigabilis. Nos vulgo Sadanum appellamus. Quod nomen, vt non à fonte, vel ab origine, quaſi ſuum detulit. Sed poſteaquam Extramma, Odiuella, ſancta detinentia, diuerſis ex locis collecta, torrentium, ac fluentorum multitudine in amnium iuſtorum opinionem aucti, & in alueum vnum confluentes paulo ſupra portum Regium, ſuis depoſitis nominibus, honorem illi ceſſerunt, Sadanus vocari cœpit, ita nomen id non longe perfert. Sed poſt ſedecim, aut paulo amplius milliaria vſurpatum amittit, Salacienſi æſtuario longiſſimo præoccupatus. Videlicet ne recens vſurpato nomine, Deæ Salaciæ, ex qua vrbi nomen, de interitu fluuiorum trium ſuperbius ſe iactaret.

Familiares huic flumini ſunt mugiles, tū cephali, tum labiones, barbi, & anguillæ egregio ſapore. Bocæ quoq;, & minores alii piſces. Atq;, vbi ſalſis intermiſcetur vndis, cammarorum, pectinumq; prouentus ingens. Raro lampetræ in eo capiuntur.

DE TAGO.

TAgus in ſinum Oliſipponenſem ingreſſus, librum pro ſua dignitate poſcebat peculiarem. Tot enim vrbes, tot valida, & opulenta oppida, in ſinus ambitu, & per vtraſque amnis ripas centum fere millium ſpatio tantum vetuſtatem colligenti, idonea modo materia non eſt.

Quin & multa, quæ de fluuio Strabo prodiderat, ad nos integra non peruenerunt. Indicium eſt, confuſa verborum ſeries: *Deinde promontorium Barbarium, & eruptiones Tagi, in quas recti nauium curſus. Sunt autem ſtadia decem. Hoc in loco, & maris infuſiones ingruunt, quarum vna vltra ſtadia quadringenta extenditur à turri iam dicta. Ea in parte aquantur, &c.* Certe corruptum locum, vel hoc teſtatur. *A turri iam dicta.* A qua turri? Nullius enim mentio præceſſerat. Et illud: *Ea in parte aquantur* Iponlacia. Quibus reſtituendis locis, cum impar ego ſim, expectanda erunt, vel feliciora ingenia, vel exemplaria emendatiora.

Miſcetur Tagus marinis aquis in intimo ſinu ad oppidum Villam Francam. Latitudinem oſtii Strabo ſtadiorum eſſe viginti tradidit, altitudinem vero permagnam, vt à nauigiis millia decem vectantibus nauigari facile poſſit. Hoc verum eſt, nauigaturque duplici canali, veteri, ac nouo. &, quod ait, in ſuperioribus campis æſtus acceſſione duas diffundi inundationes, vt ad ſtadia centum & quinquaginta facies extet pelagi, reddaturque planities tota nauigabilis, hoc nos experimur ab ipſo oppido Villa Franca, vſque Beneuentum. Sed inſula ſtadiorum triginta longitudinis, & æqualis fere latitudinis, fertilis, optimiſque vitibus conſita, quænam fuerit, aſſignare non poſſumus. Multæ ibi ſunt inſulæ, ac fertiliſſimæ quidem, ſed nullis vinetis conſitæ. Frumentariæ enim factæ omnes ſunt, aut paſtionibus ſeruatæ.

Quod vero dicit, agrum circumcirca bonitate conſpicuum, ſcimus non ſolum eo loci, ſed ex vtroque amnis latere, campos illos, ad Tancos vſque limoſis inundationibus tam lætos, ac fœcundos effici, vt ſimpliciſſima, fereque nulla ratione triticum quidem, & hordeum quinquageſimo ab ſatione demetatur, ſingulari terrarum omnium exemplo. Statimq; in leuiuſcule aratis dicam, an ſcalptis? milium ſeratur, vbere ocyſſimoque prouentu, vel inter pauciſſimos à meſſe ſublata dies, nullo ſatu, ſed ſponte ſeges regerminet, fœcunditate teſtibili.

Vt, quod de Erytheia contra Luſitaniam inſula, quæ nuſquam modo eſt, Mela tradidit, longe in his agris, amniſque inſulis contingere copioſius, experimenta demonſtrent. Siue frugum vbertas, ſiue pabuli abundantia requiratur. Tale ingenium glebæ eſt, quam Tagus inundationibus lætificat, vereque dixit Strabo: *Vicina Tago ceterorum opulentiſſima ſunt oppida.*

Amnis quidem piſcium feraciſſimus eſt, oſtreorumque redundans. Inter Taganos piſces principatum obtinent Aloſæ, & propter bonitatem, & propter copiam. Alterum Aloſarum genus, de quo in Ægidio Scallabitano diſputaui, Sabogarum, vel Sabellarum, ſtrigoſius, inſipidiuſque eſt, præterquam Maio menſe: tunc enim aliquam in eduliis habent gratiam, verum ita vt recentes à flumine prunis in craticula toſtæ, petroſelini pultario ex piperi, ac mali medici ſucco condiantur. Vt merito de his intellexerit Auſonius, cum in Moſtella dixit.

Stridenteſq; focis obſonia plebis aloſas.

Raræ in *Tago* capiuntur lampetræ, rariores marini porculi ſiue Suilli. Iam enim audeo Iſidoro niti. At celebris illa auri fama per omnes poetas vulgatiſſima, obſcurior modo, ac prope extincta eſt, cautione legum, ne commotæ arenæ depreſſiores frumentarios agros nocumento afficiant. In teſtimonium tamen cantatæ gloriæ, Regum Luſitanorum ſceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum poteſt, factum & ſcimus, & non ſemel vidimus.

DE TAGI NOMINE.

DE ipſo *Tagi* nomine, cum aliquid etiam cuperem annotare, nihil inueſtiganti oblatum eſt, quod vllum operæ eſſe pretium exiſtimarem. Piget autem fabularum, quas Ioannes Annius in fictitium ſuum Beroſum effudit: *Tagum* dictum fuiſſe à nomine regis, qui poſt Brigum in Hiſpania regnarit. Iſidorum demiror, virum magnum, & rerum multarum bene peritum, nec elegantiorum litterarum tam expertem, vt inſolenti faſtidio ſit à dicendi teſtimonio ablegandus. Is Etymologiarum lib. 13. *Tagum*, inquit, *fluuium Carthago Hiſpaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit. Fluuius arenis auriferis copioſus, & ob hoc ceteris fluuiis Hiſpanorum prælatus.*

Omitto, quod non oritur à Carthagine Tagus, ſiue Carthaginem nouam Haſdrubalis intelli-

Digitized by Google

intelligamus, ſiue veterem Ilercaonum etiam Hiſpaniæ, cuius ſolus meminit Ptolomæus, non autem Cicero, ſicut ex non adhibita diligentia exiſtimauit, & adnotauit in Pomponium Vadianus, adducto Ciceronis loco de lege agraria: *Tum ipſam veterem Carthaginem vendunt.* Cicero enim, quam veterem Carthaginem vocarit, ſatis aperuit lib. 2. de eadem agraria lege: *Et in Africa ipſam veterem Carthaginem vendit.*

Verum, hoc omiſſo, intelligere non poſſum, quonam modo *Tagus* à Carthagine ſit nuncupatus. Neque tamen mirum, ſi Iſidori coactior, ac contortior etymologia videatur, cum M. illi Varroni non perbene ſemper res ea ſucceſſerit.

Fuit ex noſtris, qui alicubi ſcripſerit, Olyſſem, quo tempore Oliſipponem condidit, à ſocio *Tago*, qui in flumen ceciderit, ipſum *Tagi* nomen fluuio indidiſſe. Nec abhorrebat à vera ſimilitudine, ſi antiquitatis fundamento niteretur.

Fateor igitur, non noſſe me, vnde iſthęc *Tagi* originatio proceſſerit. Sed, vnde vnde ſit, antiquiſſimum nomen eſt: nec aliud flumini fuiſſe comperitur. *Batin Cirtium* ab incolis appellatum, ſcribit Liuius. Græcorum quidam, *Tarteſſum* dixere, vt Steſichorus apud Strabonem. Stephanus ab indigenis *Percen* vocari tradit.

Tago nulla nominis contigit mutatio, neque apud Græcos, neque apud Latinos. Eſſe vero nomen vetuſtiſſimum, etiam viris proprium, in Latio, oſtendit Virgilius Æneid. lib. 9.

Dum trepidant, iit haſta Tago per tempus vtrumq;.

Hiſpano quoq; regulo cuidam, nomen idem fuiſſe, cum rerum in Hiſpania Carthaginienſes potirentur, auctor eſt Silius lib. 1. Haſdrubalis crudelitatem, Tagi reguli ſæuum interitum & ſerui non minus magnanimam in vindicanda iniuſta domini cæde, audaciam, quam in perferendis ob patratum nobile facinus cruciatibus, generoſam patientiam his carminibus proſecutus.

Interea rerum Aſdrubali traduntur habenæ,
Occidui qui ſolis opes, & vulgus Iberum,
Bæticolasq; viros fatis agitabat iniquis,
Triſtia corda ducis ſimul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas erat, aſper amore
Sanguinis, & metui demens credebat honorem.
Nec nota docilis pœna ſatiare furores,
Ore excellentem, & ſpectatum fortibus auſis,
Antiqua de ſtirpe Tagum Superumq; hominumq;
Immemor, erecto ſuffoſſum robore, mæſtis
Oſtentabat ouans populis ſine funere regem.
Auriferi Tagus adſcito cognomine fontis,
Perq; antra, & ripas nymphis vlulatus Iberis.
Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet
Stagna ſibi, nec qui riguo perfunditur auro
Campum, atque illatis Hermi flaueſcit arenis.
Primus inire manum, poſtremus ponere Martem,
Cum rapidum effuſis ageret ſublimis habenis.

DE MVNDA.

M*Vnda* ſequitur, in medium fere vltimi promontorii latus effluens, vt Mela tradidit. Inter Durium, atque Tagum, æquis fere ab vtroque ſpatiis ſeparatus. *A Durio Tagus* inquit Plinius. *CC. M. paſ. interueniente Munda.*

Non longe oritur, aurifer & ipſe, minoribusq; nauigiis aliquatenus, cymbis vero fluuiaticis, vſque Conimbricam hodiernam, & ſupra nauigabilis. Abundat Aloſis, Lampetris autem vbiq; ſcatet laudatiſſimis, in ſuperioribus etiam Troctis. Rapax eſt, ac modicis imbribus excreſcit ad inſaniam.

Agros fœcundat tritico, hordeo, ſecale, olyra, milio, panico, & præcipue lini magna copia tenuiſſimi, & cum quouis optimo conferendi. Non procul Catina oppidum (ita enim legendum) vulgo Catima dictum, etiam adhuc extat, in cuius agro fontes illi ſunt Plinio libro ſecundo memorati, alter omnia reſpuens, alter abſorbens, ille quia fere communem cum reliquis naturam habet, miraculo nequaquam eſt: hic propter mirabilitatem quotidie à viſentibus frequentatur *Ferventiam* vulgus appellat.

Vidi egomet cum illo eſſem cum Alphonſo Cardinale principe memorabili, cæſam arborem bene magnam in lacunculum arenæ, in quo ebulliens fons diffunditur pedali

altitudine, iniectam, paulatim inter arenas ſorberi, & poſt paruam moram non comparuiſſe.

Amnis Straboni *Muliadas* appellatur. Sic enim libro quarto circa medium fere ſeribit. *Deinceps poſt Tagum nobiliſſima flumina ſunt Muliadas, paruas habens nauigationes. Itidem Vacca fluuius.*

DE VACCA FLVVIO.

MEdio fere inter *Mundam*, & *Durium* interuallo, *Vacca* in mare influit & ipſe, vt Strabo ait, *quemadmodum, & Munda paruas habens nauigationes.* Nec longe ortus, aloſarum, lampetrarum, troctarumque ferax. *Vacuam* illum Strabo vocat, *Vacum* Ptolemæus. Oritur non peregre, ſed paulo ſupra *Alcobam* montem collectus, indeque leni alueo illapſus multos nec exiguos fluuios, ac fere parem Agatham in ſe condit. Iamq; intra modum magnus miſcetur mari.

Errore putauere quidam *Vaccæos* populos ab eo denominatos, cum intra Luſitaniam ortus, latiſſimis Vaccæorum Tarraconenſis prouinciæ populis dare nomen non potuerit. Potius igitur à *Vacca* oppido, quod fuit iuxta Pyrenæum, vt refert nono etymologiarum libro Iſidorus, *Vaccæum* nomen eſt factum, & late per citeriorem Hiſpaniam, propagatum.

Sed de *Vacca* fluminis oſtio, maritimoq; tractu, inter recenſendas vrbes, quod ad rem faciat, non omittemus.

DE DVRIO.

D*Vrius* claritate ſua, & ſcriptorum teſtimonio celebratiſſimus, aquarum mole *Tagum* ſuperat, niſi quod compreſſiore, vt fere inter montes, alueo fluit, Tag per liberos, & planos campos ad oſtentationem ſe dilatante. Hinc apud nos vice prouerbii vſurpatum: *Tagus tulit famam, ſed Durius vehit aquas:*

Ceteris amnibus, *Minio* excepto, grandiores fert Aloſas, Lampetras, & Troctas, quas iure præferunt delicatioris gulæ æſtimatores, Salmonum parcior, & Aſturionum.

Nauigatur aduerſo amne m. paſſ. fere centum, vſque ad cataractam vnde ex rupe lenunculorum aſcenſum impediente, magno fragore præcipitatur. Ingens ibi lampetrarum rupi ſub cadente in arcum aqua oribus adhærentium captura eſt. Locum cum oppidulo, *ſanctum Ioannem ad Piſcariam*, vulgo appellant.

Nobis adoleſcentibus Martinus Ficaretus iuriſconſultus, & Latinarum litterarum nõ imperitus, quibus operam non ignauam ſub Politiano Florentiæ dederat, cum intelligeret, amota cataracta, poſſe cymbas vſque ad maxime frumentarios Sarabris, Senticæque agros paruo negotio ſubuehi, & frumento onuſtas prono amne redire, non minima laxioris annonæ prætenta ſpe, patriæ emolumento, rege permittente, priuatus ipſe, & impari tantæ rei cenſu moliri opus attentauit, bonamque obſtaculi partem ſummo labore irruperat. Verum illudentibus optimo viro, vel qui ex vetere forte ſimultate nondum illi erant pacati, vel quibus mos eſt, facilius aliorum egregios reprehendere conatus, quam egregium aliquid ex ſe conari, hominemque tamquam ſemidelirum, apud Regem criminantibus, neque modo principali munificentia non iuuandum, ſed cœpto temerario etiam prohibendum obloquentibus. Cataractam enim illam, & meatum ſubterraneum non procul à Brigantia vrbe, vbi terræ, & rupibus merſus amnis æſtiuo tempore fere per mille paſſus ſubter labitur, diuinum non ſine prouidentia eſſe opificium, negata Hiſpanis in mediam Luſitaniam vſque ex Vaccæis ea illabendi facultate. Quaſi vero vna illa rupe tetius patriæ ſecuritas niteretur, tandem familiari ſua re attenuatus, interuerſoq; æmulorum malignitate regali fauore, deſperata perficiendi ſpe deſtitit.

Aurum vehere *Durium*, ſi nos ignoraremus, à Silio poteramus admoneri, dicente: *Hinc certant Pactole tibi, Duriuſque Taguſque.* Terris tamen parcitum eſt, ſalutari legum interdicto, quemadmodum de *Tago* ante diximus. Nomen amnis Latini magno conſenſu *Durium* appellauere. Ptolemæo *Dorias* eſt. Dioni *Dorios*, Straboni tum *Durios*, tum *Durias*.

Non bene quidam miſcuerunt *Turiam* cum *Durio*, idem ambobus nomen facientes, credo ob Hiſpanicarum rerum ignorationem, quia *Turia* non tam celebris eſt. Fluit autem Turia iuxta Valentiam, de quo Pomponius libro ſecundo, *Setabim, & Turiam, & Sucronem non magna excipit flumina.* Et Plinius libro tertio capite tertio. *Valentia colonia tribus m. paſ. à mari remota. Flumen Turia.* Ita enim legendum, & apud Pomponium, & apud Plinium, erudite & vere contendit Hermolaus.

Citat

Citat locum Priſcianus lib. quinto, & ſexto ex ſecundo Hiſtoriarum Saluſtii; *Inter lanam Manium, & dextrum flumen Turiam, quod Valentiam paruo interuallo præterfluit.*

C N. quoque Pompeius in epiſtola ad Senatum (quæ vna cum Saluſtianis fragmentis circumfertur) ex fide veteris codicis, quem apud me habeo. *Recepi Galliam,* ait; *Pyrenæum, Lacetaniam, Indigetes, & primum impetum Sertorii victoris nouis quidem militibus, & multo paucioribus ſuſtinui.* Et paulo poſt, *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Turiam, & Dux hoſtium C. Herennius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti ſatis clara vobis ſunt.*

Vbi corrupte legitur, *apud flumen Durium. Turiam,* enim, vocari id flumen, de quo Pompeius loquitur, oſtendit Plutarchus in Sertorio. *Remedia,* inquit, *in rebus aduerſis, magis claram eius virtutem faciebant, veluti in ea pugna, quæ apud Sucronem contra Pompeium commiſſa eſt, & rurſus in ea quæ apud Turiam aduerſus Metellum ſimul & Pompeium.*

Et adducunt quidam Claudianum in laudibus Serenæ.

Te naſcente, ferunt, per pinguia culta tumentem
Diuitiis vndaſſe Tagum, Callæcia riſit,
Floribus, & roſeis formoſus Turia ripis
Vellere purpureo, paſſim mutauit ouile.

Pleriſque tamen viſus poeta eſt non ſatis œconomiæ proſpexiſſe. Nam cur fluuium paruum, & alias ignobilem, prætermiſſis Ibero, *Bæti, Ana, Durio, ac Minio* maximę rei, quam efferre geſtiebat, tanta pompa ſeligeret, ac formoſum roſeis ripis vocatum *Tago* copularet, fluminum Hiſpanorum famæ vulgatiſſimæ, & dotem, quæ peculiaris Bæti eſt, vt ait Martialis, *Aurea qui nitidis vellera tingis aquis,* illi tribueret? Quare lectionem emendarunt, & pro *Turia* ſubſtituerunt *Duria*, quaſi acceperit Claudianus hoc ex Strabone, qui vt dixi *Durion*, & *Durian* appellat, viderurq; congruere ſenſui. Nam dixerat *Callæcia riſit floribus*, adnexuitq; fluuium, qui *Callæciam* & *Luſitaniam* dirimit.

Primam autem nominis ſyllabam propter Græcam diphthongon produxiſſe creditur, videlicet homo Græcus. Nos tamen Silium præponimus, qui nomen id non tantum cum flumen ſignificat, verum etiam cum virorum proprium eſt prima ſyllaba breui ſemper enunciat, vt libro quinto;

Quam victor ſub mœnibus ille Sagunti. Abſtulerat Durio.

Et libro decimo ſex o.

Nobilis hunc Durius ſtimulabat in æquore currum.

Claudiani vero *Turiam* mutare non audemus, potiuſque circa œconomiam labeculam illi condonandam, quam audaciæ nimiæ, tum circa declinationem, tum circa menſuram ſyllabæ, adſpergendam tam bono poetæ notam exiſtimamus. *Turia* igitur, *Turia* ſit, & *Durius* ſuo fruatur nomine, vt Latinis placuit. Nam Græci, in recenſendis Latinis virorum, fluuiorum, & vrbium nominibus, mire variant, neq; ſibimetipſis conſtant.

DE FLVMINIBVS BRACARORVM.

POſt *Durium*, quo Luſitanos à Callæcis ſeparari ſupra docuimus, per Grauios, qui Bracari poſtea dicti ſunt, *fluunt*, inquit, Pomponius, *Auo, Celandus, Nabis, Minius, & cui obliuionis cognomen eſt Limia.* Non ſeruauit ordinem Pomponius, ſed ſatis habuit omnes nominare. Ordo ſic habet. *Celandus, Auo, Nabis, Limia, Minius,* ita enim à *Durio* ſequuntur. Eſt autem *Celandus* is fluuius, qui ad oppida *Laciam, & Matuſinos* mare ingreditur, æſtu iuuante, etiam nauigiis aptus. *Auo*, ſiue *Auus*, vt Ptolemæo placuit, notior eſt, & nauigiorum capacior. *Nabis* is eſt, qui & oppido, & ponti *Nabia* (cuius mentionem facit in itinerario Antoninus) nomen dedit, ſed vbi *Cadauo* iungitur, ſub *Cadaui* appellatione exit in mare, ad oppidum Fanum. *Limia* nomen retinet. Strabo alterius nominis mentionem facit.

Obliuionis, inquit, *fluuius, quem quidam Limæam, alii vero Belionem vocant.* Decipitur autem Strabo in eo, quod ait *Limiam à Celtiberis, & Vaccæis fluere.* Non longe enim oritur, ex paluſtribus quibuſdam locis inter Aquicaldenſem vrbem, & oppidum Montem Regium, Tractuſque ille vulgo *Limia* dicitur, & incolæ *Limici*, vt ex columna Aquiflauienſi, quam ſupra poſui, apparet.

Cognominis obliuionis cauſam, Strabo idem prodidit, & nos ab illo, cum de Celticis ad Anam ageremus, ſummatim attigimus: quam tamen, quoniam huic loco propria videtur eſſe, etiam reddemus.

Celtici Luſitani ad *Anam* pertinentes, & veteres *Turduli*, cum ſociis armis ad hæc loca perueniſſent, traiectoque *Limia* coorta ſeditione ducem amiſiſſent, palantes ac diſſipati ea in regione conſedere. Quam ob cauſam flumen obliuionis eſt appellatum. Nempe

quia expeditionis, quam ſuſceperant, & mutuæ ſeditionis obliti, ibidem poſtea quieuere.

Auxit religionem vanitas, vt crederent à contactis fluuii aquis obliuionem incurri, adeo vt cum D. Iunius Brutus cum exercitu eo deueniſſet, & milites fluuium tranſire nollent, raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulerit, & ſic vt tranſgrederentur perſuaſerit, vt in Liuii epitome legimus, & obiter attigit Plutarchus in problematis ſectione trigeſima tertia. Qua ex cauſa Plinius eum fluuium multum fabuloſum appellat.

DE MINIO.

SEquitur *Minius*, quem Iuſtinus libro vltimo à Minii frequentibus venis ſic vocatum prodidit, Strabo duo illi nomina tribuit, ita ſcribens: *Poſt hos Banis, Alii autem Minium dicunt.* Verum ego duplicem errorem ineſſe conicio. Alterum ſcripturæ, vt non *Banis* ſed *Nauis* legēdum ſit: Alterum ſitus, vt vicinitas Strabonem fefellerit. Nam diximus ex Pomponio, *Nebin* fluuium eſſe *Minio, Limiaq;* vicinum, qui mixtus Cadauo in Fanuenſi littore erumpit. Verum qui velit ſuo fruatur iudicio.

Ceterum omnes ii fluuii piſcium lautiorum feraciſſimi ſunt, Lampetrarum, Aloſarum, Troctarum, Troctiſalmonum, Iridum, atque Salmonum, inprimiſque ipſe *Minius*. Fert *Limia* Salmones, & Suillos, ſiue Aſturiones, ſed minores. *Minius* vero prægrandi magnitudine & excellenti præſtantia. Atq; omnes hi, quos hactenus expoſui, veteribus Coſmographis noti fuerunt.

DE ALIIS NONNVLLIS FLVMINIBVS.

SVnt alii, & perquam multi, neque ignobiles. Qui quoniam in maiores influunt, nec ſuo alueo in mare egrediūtur Geographiæ ſcriptoribus, aut ignorati ſunt, aut ſuppreſſi. Horum aliquot, dignos qui in notitiam veniant hominum noſtrorum, referam. Nominibus vti licuerit priſcis, ac Latinis, vbi minus, iis, quibus modo appellantur, quam maxime potero, barbarie, ſi qua merit, mitigata. Cuiuſcemodi ſunt, *Cuda, Tamaca, Naban, Ozecarus, Ancus, Caia, Cania, Scila, Subur, Thera, Sata.*

Cudam Luſitani *Coam* vocant. *Cudam* autem vocari, ex inſcriptione pontis Alcantaræ, vbi *Transcudani* notati ſunt, animaduerti.

Tamacæ ſimiliter nomen ex Aquiflauienſi columna accepi, vbi *Tamacani* populi recenſentur. *Nabanem* & *Ozecarum* hiſtoriæ ſanctæ virginis, & martyris Irenes, quæ ante annos ſeptingentos ſcripta eſt, acceptos refero. De Nabane alias, cum inter vrbes ad Nabantiam ventum erit.

Ozecarus eſt, quem Luſitani *Zezarum* vulgo dicunt. Is *Nabanem* excipit, & ipſe in *Tagum* erumpit, tanta vi, vt Taganas aquas, ad alteram vſque ripam proſcindat, & quaſi indignatus, quod à maiore fluuio extinguatur, fere ad mille paſſus prono alueo contumaciter mixtioni reſiſtens, à colore dignoſcitur. Nam *Tagus* flauas ac ſubalbas vehit aquas, hic autem cæruleas, ad nigrorem tendentes. Arbitrantur à multitudine lini, quæ macerandi cauſa quacumque fluit immergitur, eum traxiſſe colorem, Quin, & arguti quidam nomen factum inde putant, quod infecti liquoris graueolentia caput tentet.

Anci nomen, ex vita ſancti Martini Saurienſis presbyteri, abhinc annos ſupra quadringentos quinquaginta ſcripta, accepi. De quo cum de Tapiæo monte agerem, ſuperius memini.

Non tacendus eſt *Subur*, de quo à Ioanne Barrho viro nobili, & inter negotia litterato interrogatus, reſpondi, vetus me nomen ignorare. Sed cum Luſitane *Soor* dicatur, ô littera obſcuro ſono inter O, & R, prolata, auſus ego ſum *Subur* formare, interpoſita, B. Ad ſimilitudinem duorum eodem nomine vocatorum, alterius quidem in Africa, alterius vero in citeriore Hiſpania.

Noſter itaq; *Subur* poſtea *Raiæ* iunctus, *Suburraia* nomen accepit, quod perfert, donec exit in *Tagum*, ibi aloſarum mercatura nobis Tranſtaganis factus celebris.

Scilia nomen priſcum ſortitus eſt, ab oppido quod præterfluit ditionis Vrbanenſis cœnobii. Ingrediturq; *Mundam*, iiſdem quibus *Munda* piſcibus abundans

DE FERTILITATE LVSITANIAE.

DE hodierno huius prouinciæ cultu, deque eius admirabili tum amœnitate, tum etiam omnis generis frugum copia, atque vbertate, ſuperuacaneum exiſtimo hic verba facere. Quæ autem antiquitus de ea re ſcriptores variis in locis tradiderunt, longum eſſet repetere. Vnum tantum Athenæi teſtimonium adducam, ex quo facile conſtare poterit, quam fœcunda, fertilis, ac felix regio hæc de qua agimus, ſemper habita fuerit. Is igitur libro

libro 8. Dipnoſophiſtarum, capite primo, ita ſcribit: *Vbi Luſitaniæ fertilitatem (eſt autem regio Iberiæ, quam Hiſpaniam Romani appellant) declarat Polybius Megalopolitanus: Omnium hominum optime Timocrates. & ſcribit libro* Hiſtoriarum trigeſimo quarto, *quod ibi ob optimam aeris temperiem animalia ſunt fœcunda, atque homines; nec vmquam fructus deſunt in ea regione: roſæ enim, albaque violæ, aſparagi, reſque huiuſmodi non deſunt per maius temporis ſpacium, quam trium menſium.*

At marinum obſonium, quod ad multitudinem, bonitatem, pulchritudinemque ſpectat, maxime differt ab eo, quod eſt in noſtro mari. Nam & hordei ſiclus, qui medimnum continet, drachma venundatur, & tritici nonem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma: hædus mediocris, obolo: ſic & lepus: at agnus trium, vel quatuor obolorum pretium eſſe conſueuit.

Sus, qui ad centum librarum pondus accedat, quinq; drachmis in cœnas emitur, ouiſque duabus, ac ficuum talentum tribus obolis emitur.

Vitulus drachmis quinq;, bos iugo aptus decem, ſilueſtrium vero animalium carnes, neque pretio quidem vllo digna putantur, ſed hæc inter ſe conferunt, benigneq; admodum viciſſim largiuntur, ac mutant.

Nobis vero bonus Larenſius Romam Luſitania adeſſe facit, quotidieque variis implet bonis, vt cum ſuauitate, magnificentiaque omnia conficiantur, ſtudet, cum nihil domo afferamus, præter ſermones.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIÆ, LIBER TERTIVS.

QVINAM RERVM IN LVSITAnia potiti olim ſint.

QVIBVS ſubdita fuerit *Luſitania* ante Carthaginienſes, atque Romanos, haud facile dixerim; niſi forte Luſcinio regulo putemus, de quo & Culca, Liuius libro tertio decadis quartæ: *Cum is ſtatus rerum in Aſia, Græciaq;, & Macedonia eſſet, vixdum terminato cum Philippo bello pace certe nondum perpetrata, ingens in Hiſpania vlteriore coortum eſt bellum. Marcus Heluius eam prouinciam obtinebat. Is litteris ſenatum certiorem fecit, Culcam, & Luſcinium regulos in armis eſſe. Cum Culca decem & ſeptem oppida, cum Luſcinio validas vrbes Cardonem, & Bardonem, & maritimam oram, quæ nondum animos nudauerat, ad finitimorum motus conſurrecturam.*

Obſcura nimis hæc ſunt, tædet enim fabularum. Quare catalogum Regum, vel ex ficto Beroſo, vel ab Anio Viterbienſi, vel à ſuperioris ætatis Hiſpanicarum rerum ſcriptoribus excogitatum, illis relinquo, quibus belli iſti concinnatores valde placebunt.

Ego multos per totam Hiſpaniam diuerſis in locis reges, aut potius regulos ſemper fuiſſe exiſtimo. Quales fuere Gargoris, Habides, Argantonius, & Geryones. Etſi Hecateus Hiſtoricus, vt eſt apud Arrianum lib. ſecundo Geryonem nihil ad Hiberiam pertinere tradiderit, ſed potius ad Ambraciam, & Amphilolocos, ipſeq; Arrianus neminem extare Hiſpanum dicit, qui id nomen ſciret regibus ſuis fuiſſe.

Veruntamen fuerit, cum multi alii id tradant auctores, neq; receptæ antiquitati derogemus. Fuit quoq; Theron, cuius in primo Saturnaliorum meminit Macrobius. Mandonius item, & Indibilis apud Liuium decade tertia, quos etiam celebrat Silius. Mandonium quidem libro tertio, in catalogo Hiſpanorum, qui Hannibalis ſequuti ſunt partes. Indibilem autem lib. 16.

Indibiliſq; diu latus bellare Latinis
Iam ſocius.

Hunc, niſi ego fallor, Polybius lib. 3. Andobalem vocat, de Cn. Corn. Scipione loquēs, cum inquit, *viuos autem cepit Annonem Carthaginenſium ducem, & Andobalem Iberorum.*

Plutarchus etiam in Scipione, non hos duos ſolum, verum & Corbin, & Orſuam inuicem patrueles, de regno inter ſe narrat diſſidentes.

Hilermus quoq; à M. Fuluio nobiliore captus in prælio apud Toletum, de quo Liuius lib. 5. decade quarta.

Thurrus item longe potentiſſimus omnium Hiſpanorũ, vt ait Liuius lib. 10. decade 4. Fuere & alii permulti, quorum ſeriem per continuas ſucceſſiones velle deſcribere, intemperans mentiendi libido mihi videtur, cum maxima eorum pars vetuſtate nimia exoleuerit, pars, quæ apud auctores nonnullos ſparſim reperitur, nihil ad peculiare meum de *Luſitania* pertineat inſtitutum.

Romanorum, Pœnorumque prædæ prout, aut hi, aut illi plus armis valuere, expoſita Hiſpania fuit, vt Græcos, Iberos, Perſas, atque Celtas nouas ſedes quærentes, & Phœnices, Tyrioſque ipſos diuitiarum fama inuitatos, ante duarum harum gentium de imperio propagando contentionem prætereamus.

Sub Carthaginenſium ditione, cum reliqua Hiſpania fuiſſe *Luſitaniam*, ſub initia ſecundi belli punici, ex Liuio cognoſcitur. Poſtea enim quam Romanis Pœni bello fracti, Siciliam reliquerunt, cedentes tempori, compoſitis Africæ rebus, Hiſpaniam inuaſere, miſſo cum exercitu Amilcare, cui Barcha cognomen fuit, vna cum Hannibale filio, fere nonum ætatis annum agente, & genero Haſdrubale rerum gerendarum ſocio.

Amilcar igitur bonam Hiſpaniæ partem olim amiſſam, bello recuperauit, nouem circiter annis cum imperio in Hiſpania commoratus. In bello tandem contra Vettones, (ſic enim legendum apud Plutarchum in Hannibale) fortiter pugnans interiit apud Caſtrum Altum. Nam ita Liuius locum cædis eius appellat, libro quarto tertiæ decadis.

Quo interfecto, & Hannibale domum reuerſo, ſucceſſit Haſdrubal, qui nouam condidit Carthaginem, vt auctores ſunt Polybius, Mela, & Strabo. Quamquam Silius Italicus ad Teucrum conditorem eam retulit lib. 3.

Dat Carthago viros Teucro fundata vetuſto.

Et ne putemus hoc de altera veteri Carthagine in Hiſpania dictum eſſe, cuius ſolus meminit Ptolemæus, & nos ſuperius cum de Tagi nomine ageremus. Idem Silius libro decimo quinto ad vnguem, ſitum, & portum deſcribit his carminibus:

Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetuſto.
Nomen Carthago, Tyrios tenet incola muros
Vt Lybia ſua, ſic terris memorabile Iberis.
Hæc caput eſt.

Quæ autem hic Silius canit, explicat copioſe Liuius libro ſexto tertiæ decadis.

Iuſtinus Teucrum ædificaſſe, non dicit, ſed Hiſpaniæ littoribus appulſum, loca occupaſſe, vbi nunc noua Carthago eſt, inde in Callæciam tranſiſſe. Fieri tamen potuit, vt aliquid ibi manſerit ædificii parum frequentis, & ſine nomine, à Teucro vſque relictum. Carthaginis enim ipſum nomen, vtramlibet in Hiſpania intelligas, Teucer ponere non potuit, cum nondum vlla extaret Carthago, ad cuius exemplum id nomen ſumeret.

Siue enim originem Carthaginis ex Iuſtino petas, non parum multos poſt Troiam captam interfluxiſſe annos intelliges, ſiue ab Aurelio Caſſiodoro, qui conditam dicit à Tyriis, quod fatentur omnes, ſed duce eorum Carchedone, regnante apud Italos Latino Siluio, à capta Troia anni colligentur vltra centum triginta quinq;.

Euſebius variat. Alibi enim auctore Philiſtoo à Zaro, & Carthagine Tyriis conditam dicit, ante Troiæ captionem annis ſupra triginta. Alibi autem iuxta aliorum opinionem diu poſt captam Troiam,

Timæus Siculus eodem fere tempore Romam à Romulo, quo Carthaginem à Tyriis tradit fuiſſe conditam. Non hic addo Virgilium, quia neceſſario, vt veriſimilem faceret fictum Æneæ ad Didonem aduentum, paulo poſt Ilii excidium, exorientem facit Carthaginem. Eaq; gratia reginam inducit de Teucero iſta dicentem.

Atq; equidem Teucrum memini Sidona venire.

Sed hiſtorici aliter, tanta rei eſt incertitudo. Tamen vt Iuſtini de Didone, & bubulo corio, ſeu fabulam, ſiue hiſtoriam, vt receptio[illegible]m ſequamur, ante Romam conditam, annis ſeptuaginta duobus fundatam à Didone Carthaginem admittamus, ita enim Iuſtinus.

Velleius autem Paterculus libro priore, *ante annos quinque & ſexaginta, quam vrbs Roma conderetur, ab Elyſſa Tyria, quam quidam,* inquit, *Dido autumant, Carthago conditur.*

Seruius vero Grammaticus ſuper illud, *Vrbs antiqua fuit* ante annos ſeptuaginta dixit.

Iam, cum à capta Troia vſq; ad conditam Romam anni fuerint quadringenti triginta tres, vt Solinus aſſerit, libro primo, capite ſecundo, ſi ex iis demas ſeptuaginta duos, quibus

Iuſti-

Iuſtinus Carthaginem ait Romam anteceſſiſſe; nonne relinquitur Carthaginem anno à capta Troia tercenteſimo ſexageſimo altero fuiſſe extructam?

Nulla ergo extabat Carthago, quo tempore, paulo poſt euerſionem Troiæ, Hiſpaniæ littoribus Teucer applicuit. Nec igitur ei loco Carthaginis nomen potuit imponere. Niſi quis nos doceat alterius peculiaris rei cauſa id illum confinxiſſe nomen. Quam oſtendi non poſſe, ego arbitror.

At Haſdrubal vicum forte parum prius cultum propter loci commoditatem, in vrbis dignitatem auxit, atq; muniuit. Carthaginemq; vocatam ad imitationem patriæ Pœnis habitatoribus frequentem reddidit, vt merito vrbis conditor perhibeatur.

Is ergo Haſdrubal conſilio magis, quam vi regulorum ac principum conciliandis per amicitiam animis Punicum valde auxit imperium, dux arte mira, & Romanis formidoloſa, adeo, vt miſſis ad illum legatis, fœdus percuſſerint, in quo inter cetera cauebatur, ne Carthaginienſibus liceret Iberum fluuium cum armis traiicere, per Hiſpaniæ reliquum, ab Saguntinis tamen abſtinentes, qua vellent progrederentur; vt libro ſecundo retulit Polybius, & in initio decadis tertiæ Liuius.

Sub hoc imperatore Hannibal vixdum puber, triennio meruit, litteris accerſitus Carthagine. Sed obtruncato Haſdrubale à ſeruo quodam ob iram interfecti ab eo domini, ſicut ſuperius attigimus, cum de Tagi nomine ageremus, dux ab exercitu Hannibal eſt declaratus. Is non modo eam Hiſpaniæ partem, quæ propius Africam eſt, ſed etiam Luſitaniam ſuo iunxit imperio. Fuiſſeq; eum in Luſitania teſtatur, vel oppidum ab ipſo dictum, portus Hannibalis in promontorio ſacro, apud Melam, vel illius verba, quæ refert Liuius primo tertiæ decadis libro: *Satis adhuc in vaſtis Luſitaniæ, Celtiberiæq; montibus pecora conſectando, nullum emolumentum tot laborum, periculorumq; veſtrorum vidiſtis.*

Cœpto quoq; iam terra, mariq; bello militaſſe pro Hannibale Luſitanos, oſtendit Liuius decadis tertiæ libro primo his verbis: *Creati Conſules Cn. Seruilius, & C. Flaminius. Ceterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus paſſim Numidis equitibus, & quæ his impeditiora erant, Celtiberis, Luſitaniſq;.*

Quin Haſdrubal Hannibalis frater, cui relicta erat cuſtodienda Hiſpania, vt eodem libro inquit Liuius, *in Luſitaniam ac propius Oceanum conceſſit.*

Cumque poſtmodum ad fratrem in Italia bellum gerentem ſe contuliſſet, ac duo alii Haſdrubales cum Magone, ac Maſaniſſa in Hiſpania rem Punicam gererent, alterum ex iis Giſgonis filium vltimam Hiſpaniæ oram, quæ ad Oceanum, & Gades vergit, hoc eſt, Tranſtaganos, & Turdetanos Luſitanos tenuiſſe apparet. Magonem autem reliquos. Vnde cum ambo ad Haſdrubalem alterum, poſt factum cum Scipione ad vrbem Bætulam prælium, auxilio iam ſero deueniſſent, capto in commune conſilio, vt Haſdrubal ad Hannibalem in Italia cum exercitu iret, imminutumque quod erat Hiſpanis militibus repleretur. Mago traditis Haſdrubali Giſgonis, quibus præerat, copiis, cum grandi pecunia ad conducenda ex Balearibus auxilia eſt profectus. Haſdrubal vero Giſgonis cum exercitu penitus in Luſitaniam abiit, vt ad vltima Hiſpaniæ traducti Hiſpani milites, à tranſitionibus ad Romanos prohiberentur. Hæc ex Liuio ſeptimo tertiæ decadis libro, & in initio octaui. Et poſt prælio victi Carthaginienſes, duce amiſſo in vltimam Hiſpaniæ oram, vſq; ad Oceanum compulſi erant.

Hannibalem ſecutos fuiſſe Luſitanos in Italiam, non modo ex Liuio colligimus, ſed id etiam confirmat Silius, libro tertio in catalogo populorum, quos ad Italicum bellum Pœnus contraxit.

Hos Viriatus agit, Luſitanumq; remotis
Extractum luſtris, primo Viriatus in æuo
Nomen Romanis factum poſt nobile damnis.

Et libro quinto in pugna ad Traſymenum, Tellum ſigniferum, ac nobilem Mamercum, ab iis interemptos ita narrat:

Nec fati melior Mamercus, corpore toto
Exoluit pœnas, nulli non ſaucius hoſti.
Namq; per aduerſos, qua Luſitana ciebat
Pugnas dira manus, raptum cum ſanguine Telli
Signiferi, magna vexillum mole ferebat,
Et trepida infelix reuocabat ſigna ſuorum.
Sed furiata cohors, auſiſq; accenſa ſuperbis,
Quodcunq; ipſa manus geſtabat miſſile, quidquid

Præbebat tellus, ſparſis non peruia telis,
Iniecit pariter pluresq; in corpore nullo.

Libro quoque decimo in memorabili illa Cannenſi pugna CN. Seruilium à Viriato Luſitanorum duce interfectum ait, Viriatum vero ipſum ab Æmilio Paulo Conſule. *Incurrebat in arma.*

Vincentum Conſul: pereundi Martius ardor,
Atq; animos iam ſola dabat fiducia mortis.
Cum Viriatus agens telis, regnator Ibera
Magnanimus terra, iuxta atq; ante ora furentis
Obtruncat Pauli feſſum certaminis hoſtem.
Heu dolor, heu lacrymæ, Seruilius optima belli,
Poſt Paulum belli pars optima, corruit ictu
Barbarico, magnamq; cadens læto addidit vno
Inuidiam Cannis, triſtem non pertulit iram
Conſul, & inſani quamquam contraria venti
Exarmat vis, atq; obtendit puluere lucem,
Squalentem rumpens ingeſtæ torrens arena
Ingreditur nimbum, ac ritu iam moris Iberi
Carmina pulſata fundentem barbara cetra
Inuadit, læuaq; fodit vitalia mamma.

Et ne quem turbet hæc Silii de Viriato narratio, aduertat alterum fuiſſe Viriatum hunc, alterum magnum illum, qui cum Luſitanis aduerſus Romanos, annos quatuordecim pugnauit.

Nam hic regulus à poeta perhibetur; ille alter ex paſtore, ac venatore latro, & inde dux exercitus ab omnibus qui de eo ſcripſere, fuiſſe narratur. Hic à Paulo Conſule Cannenſi pugna occiſus eſt, ille alter Seruilii Cœpionis dolo atq; inſidiis periit. At inter mortem vnius, atq; initium bellorum alterius fluxerunt anni circiter ſeptuaginta, videlicet ab anno conditæ vrbis DXL. ad annum DCVII.

Iterum ſiquis vrgeat, quonam modo Silius Viriati nomen mox factum nobile Romanorum damnis aſſerat? Reſpondebo non referendum hoc ad priorem Viriatum, quamquam, & ad hunc, qui & ad Traſymenum, & ad Cannas, Romanorum damnis inclaruerat, ſed potius ad poſteriorem Viriatum ducem maximum. Ideoq; poeta non dixit ducem factum nobilem, ſed ipſum nomen Viriatum, ignotum prius, mox, id eſt, poſt paucos annos, Romanorum damnis factum nobile.

Fuiſſe vero idem nomen duobus Luſitanis ducibus, diuerſis temporibus, non mirabitur, qui vna tempeſtate, tot Hannibales, & plures aduertit extitiſſe Haſdrubales. Præterquam quod Viriati nomen, nempe à virium magnitudine dictum, vtrique inditum à ſuis eſſe potuit, eadem gratia. Vnde & Lucilius Hannibalem Viriatum appellauit, vt eſt apud Nonium Marcellum.

Finito Punico bello, & à P. Corn. Scipione pulſis Hiſpania Carthaginienſibus, cum nondum perpacatæ eſſent prouinciæ, frequentibus eas bellis Romani attriuerunt, interdum victi, maxime interfectis intra menſem duobus fratribus P. & Corn. Scipionibus; ſæpius tamen victores.

Quod ad Luſitanos attinet, M. Portius Cato, is qui Cenſorinus cognominatus eſt, ex Hiſpania citeriore, quam fuerat ſortitus, ad vlteriorem deſcendiſſe videtur, ſi Polybio apud Plutarchum aſſentiamur.

Luſitaniam certe in officio continuit, metune an beneficiis non ſcio. Reperi de eo fragmenta marmorea duo, ſed ex quibus nihil certi diuinare potui. Alterum Olyſippone in gradibus Palatii, quod eſt in ſumma arce:

... M. PORTIVS. M. F. M. N. CATO ...

Id eſt.

Marcus Portius, Marci filius, Marci nepos, Cato. Alterum in agro Sintrienſi, in vico cui nomen eſt Fanum, de quo alias, & eſt cippi fracti ſuperior pars.

M. PORCIO. M. F. CATONI OB SINGVL RI........

Hoc eſt,

Marco Porcio, Marci filio Catoni ob ſingularem eius. Poſt Marci Catonis ex Hiſpania profectionem, cum multæ in citeriore prouincia ciuitates rebellaſſent circa vrbis annum DLX. Sex. Digitius Prætor crebra magis quam digna dictu prælia fecit, & adeo pleraque aduerſa, inquit Liuius in initio libri quinti quartæ decadis, vt vix dimidium militum, quam

quàm quod acceperat, ſucceſſori tradiderit. Nec dubium fuit quin omnis Hiſpania ſublatura animos fuerit, ni aliter prætor P. Cornelius. C N. F. Scipio, trans Iberum multa ſecunda prælia feciſſet. Quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc geſſerat Scipio. At idem poſtea Proprætor acerrimum illud prælium cum Luſitanis geſſit, de quo ſuperius multa diximus, cum, qualiſnam gens Luſitanorum eſſet, diſputaremus.

L. Corn. Scipione, qui poſtea Aſiaticus appellatus eſt, & C. Lælio nepote coſſ. Circa vrbis annum DLXIII. Luſitani L. Æmilium Paulum Proprætorem, cum vniuerſo exercitu ceciderunt, in qua pugna ipſum Æmilium interiiſſe dicit Oroſius, qui eum Proconſulem vocat. Neſcio quem ſecutus auctorem.

Non enim interiit, cum poſt hanc pugnam, iterum collatis ſignis, ingenti clade Luſitanos affecerit, & poſtea bellum Macedonicum cum magna gloria geſſerit, vt idem Oroſius fatetur eodem capite, niſi alium exiſtimauerit, cõſtat autem ex Liuio eundem fuiſſe. Nam quod Oroſius illum Proconſulem vocat, id forte eſt, quoniam in Hiſpaniam ſibi decretam prouinciam, non cum ſex tantum ſecuribus, aliorum Prætorum more, ſed cum duodecim honoris cauſa miſſus eſt, ita vt dignitas conſularis in imperio eius ineſſet, vt in ipſius vita narrat Plutarchus.

Sed præſtat Liuium audire libro ſeptimo quartæ decadis: *Huius triumphi* (videlicet M. Acilii Glabrionis de Ætolis) *minuit lætitiam, nuncius ex Hiſpania triſtis, aduerſa pugna in Vaſcetanis ductu L. Æmilii Proprætoris apud oppidum Lyconem, cum Luſitanis ſex millia de exercitu Romano cecidiſſe, cæteros pauentes intra vallum compulſos ægre caſtra defendiſſe, & ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos.*

Quæſiuit aliquando à me Ioannes Vaſæus vir doctus, ac diligens, cum Hiſpanicarum rerum chronicon commentaretur, quoſnam arbitrarer eſſe *Vaſcetanos*, in quibus tam inſignem victoriam adepti eſſent Luſitani.

Reſpondi, videri mihi lectionem nonnihil fuiſſe deprauatam, litterarum commercio, legendumque *in Bateſtanis*. Nam ſolebant nonnulli B. eo ſono, quo V. cum eſt conſonans, pronunciare, vt etiam modo Græci, & Hiſpanorum plerique. T, vero minutiore littera (qua nunc vtimur) ſcriptum, facile mutari potuit in C. Vaſcetanos enim in vlteriore Hiſpania populos, ſcire me nullos, immo neque in citeriore. *Veſci* oppidum Fauentiam cognominatum legi apud Plinium, in Bætica, & apud Ptolemæum ex quo *Veſcitani* fieri potuiſſent, ſi de oppidanis, non autem de populis ſermo eſſet. At Liuius populos intellexit, *in Vaſcetanis*, inquiens, *apud oppidum Lyconem*. Quod oppidum ſi extaret, aut ſaltem nominis veſtigium, exiguæ eſſet operæ lectionem veram agnoſcere, interea placere mihi *Bateſtanos* pro *Vaſcetanis* ſubſtitui.

Sed vt redeamus ad Liuium circa eiuſdem libri finem de P. Iunio Bruto in vlteriorem Hiſpaniam miſſo. C N. Manlio. CN. F. Vulſone. M. Fuluio. M. F. Nobiliore Coſs. circa vrbis annum DLXV. *Profectuſq; in Hiſpaniam eſt. P. Iunius Proprætor, in qua prouincia prius aliquanto, quam ſucceſſor veniſſet, L. Æmilius Paulus, qui poſtea regem Perſea magna gloria vicit, cum priore anno haud proſpere rem geßiſſet, tumultuario exercitu collecto, ſignis collatis, cum Luſitanis pugnauit. Fuſi, fugatiq; ſunt hoſtes, cæſa decem & octo millia armatorum, tria millia, C C C. capti, & caſtra expugnata. Huius victoriæ fama, tranquilliores in Hiſpania res fecit.*

Lucium Æmilium Paulum de Luſitanis propter hanc victoriam triumphaſſe opinantur nonnulli ex verbis Velleii Paterculi libro priore. *Tum Senatus, Populuſq; Romanus. L. Æmilium, Paulum, qui, & prætor, & Conſul triumphauerat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt. Conſulem creauit filium eius Pauli, qui ad Cannas, &c.*

Sed Liuius poſt narratam hanc de Luſitanis victoriam, *ſupplicationes*, inquit, *deinde fuerunt, ex S. C. Quod Lucius Æmilius in Hiſpania proſpere rem geßiſſet.* De triumpho non meminit. Neq; Plutarchus in hominis laudem mire propenſus, neq; item Capitolinæ. M. Verii Flacci tabulæ.

Onuphrius autem Veronenſis in commentario virorum triumphalium, ex Paterculi à me modo citatis verbis, & baſi Capitolina quadam, atque aliquot nummis, non male videtur colligere illum triumphaſſe.

Huius victoriæ fama, inquit Liuius, *tranquilliores in Hiſpania res fecit*, verum non diu, Nam C. Catinio, & L. Manlio in Hiſpaniis Rempub. gerentibus, circa annum ab vrbe condita DLXVIII. in citeriore prouincia Celtiberi, in vlteriore Luſitani armis Romanorum ſocios vexabant, eorumque agros populabantur. Sp. Poſthumio Albino. Q. Martio Philippo Coſs,

C. ergo Catinius, qui cum biennio ante Prætor in vlteriorem prouinciã eſſet profectus,

& tum ex prorogato imperio eam Proprætore obtineret, in Aſtenſi agro cum Luſitanis ſignis collatis pugnauit. Ad ſex millia hoſtium ſunt cæſa, vt refert Liuius libro nono quartæ decadis, ceteri fuſi, fugati, caſtriſq; exuti.

Catinius inde ad Aſtam oppugnandã legiones duxit, eamq; haud multo maiore certamine cepit, quam caſtra, ſed dum incautius ſubit muros, ictus, ex vulnere paucos poſt dies mortuus eſt. Qua re cognita Senatus cenſuit, vt C. Calpurnius Piſo, qui erat ſucceſſurus, maturaret proficiſci, ne ſine imperio prouincia eſſet.

Profecti igitur, C. Calpurnius Piſo in vlteriorẽ Hiſpaniam, propter Luſitanorum motus, in citeriorem, L. Quintius Criſpinus, primo vere ex hibernis eductas copias, in Bæturia iunxere. Ea eſt pars Bæticæ à Marianis montibus ad Anam pertingens.

Inde in Carpetaniam, vbi caſtra erant hoſtium, progreſſi ſunt, communi animo, conſilioque parati rem gerere, haud procul Hippone, & Toloto vrbibus, inter pabulatores pugna orta eſt.

Quibus dum vtrimque ſubuenitur à caſtris, paulatim omnes copię in aciem eductæ ſunt. In eo tumultuario certamine, & loca ſua, & genus pugnæ pro hoſte fuere, ait Liuius libro nono decadis quartæ. Duo exercitus Romani fuſi, atq; in caſtra compulſi ſunt. Non inſtitere perculſis hoſtes.

Prætores Romani, ne poſtero die caſtra oppugnarentur, ſilentio proximæ noctis tacito ſigno exercitum abduxerunt.

Luce prima Hiſpani acie inſtructa ad vallum acceſſerunt, vacuaq; præter ſpem caſtra ingreſſi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant diripuerunt, regreſſiq; in ſua caſtra paucos dies quietis ſtatiuis manſerunt. Romanorum ſociorumque in prælio fuga, & ad quinq; millia occiſi, quorum ſe ſpoliis hoſtes armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti ſunt. Ita Liuius.

Prætores poſthac cum omne id tempus contrahendis ſociarum ciuitatum auxiliis, recreandiſq; ab terrore aduerſæ pugnæ militum animis conſumpſiſſent, ſuppleto exercitu, iterum collatis ſignis atrox prælium inierunt; hinc inflatis recenti victoria Hiſpanis, illinc Romanis militibus priore ignominia accenſis. Cæſi Hiſpani adeo, vt ex numero ſupra XXXV. millium, quatuor millia effugerint, tria tantum millia, qui arma retinuerunt, in propinquum montem ſe receperint, mille ſemiermes per agros palati ſint.

Romani, ſociiq; paulo plus ſexcenti, & prouincialium auxiliorum CL. ferme ceciderunt, Tribuni militum quinq; amiſſi, & pauci equites Romani. Pro concione poſtero die laudati, donatiq; phaleris, catellis, & fibulis, equites, & centuriones, quorum maxime opera fuſi eſſent hoſtes.

Hæc eo anno, quo App. Claudius. M. Sempronius Coſs. fuerunt, ſunt geſta.

In ſequenti anno, quo P. Claudius, L. Porcius erant Coſs. in Hiſpania vlteriore, fractis proximo bello Luſitanis, res quietæ fuerunt, vt tradit Liuius.

Ex quo intelligimus prælia duo, quæ paulo ante retulimus, cum Luſitanis, ac Celtiberis fuiſſe. Id etiam ex eo patet, quod veteres Prætores C. Calpurnius Piſo, & L. Quintius Criſpinus, qui eas pugnas pugnauerant, Romam cum rediiſſent, vtrique magno Patrum conſenſu triumphus eſt decretus. Prior C. Calpurnius de Luſitanis, & Celtiberis, paucos poſt dies L. Quintius ex iiſdem Luſitanis, ac Celtiberis triumphauit.

In ſequenti anno vlterior Hiſpania in pace fuit, quia P. Sempronius Longus, cui ea decreta erat, diutino morbo eſſet implicitus, & nullo laceſſente peropportune quieuerant Luſitani. Hæc Liuius in fine libri noni quartæ decadis: Ex quo etiam patet illa tempeſtate belli, paciſq; momenta præcipue penes Luſitanos fuiſſe.

Inde Coſſ. Cn. Bæbio Pamphilo, L. Æmilio Paulo, anno ab vrbe condita DLXXII. P. Manlio Hiſpania vlterior obuenit, quam & priore prætura obtinuerat, inquit Liuius, quæ tunc P. Sempronii Proprætoris morte, ſine imperio fuerat. Is ſecunda aliquot prælia cum Luſitanis fecit, quæ Liuius non explicat. A. Poſthumio Albino, & Calpurnio Piſone Coſſ. Hiſpanias ſortiti Prætores, L. Poſthumius Albinus poſteriorem, citeriorem Tib. Sempronius Gracchus. Qui bene re geſta, centum quinque oppida ad deditionem coegit.

L. autem Poſthumium eadem æſtate in Hiſpania vlteriore bis cum Vaccæis egregie pugnaſſe, & ad XXXV. millia hominum occidiſſe, ſcribit Liuius.

Codicem ego Liuii manu ſcriptum ab amico quodam accepi, in quo non *cum Vaccæis*, ſed *cum Bracaris* habebatur, ſicut & in Badiana editione legitur, probante Henrico Glareano docto, ac diligenti homine. Hoc aliquando Ioanni Vaſæo indicaui, eramque in eam lectionem propenſus, videlicet, quia in vlteriore Hiſpania Vaccæi non ſunt, Bracari autem, iuxta

iuxta vetuſtiórem terminationem, ſicut & noſtro æuo ad Luſitaniam pertinuerint. Quod ſi ita eſſet, emendari oporteret Liuii quoque epitomen, libro quadrageſimo primo, ac pro *Vaccais*, reponendi *Bracari*.

Verum poſtea expendens Liuii paulo ſuperius verba. vbi ſic ſcribit: *Eodem anno in Hiſpania L. Poſthumius, & Tib. Sempronius Propra. comparauerunt ita inter ſe, vt in Vaccaos per Luſitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiam reuerteretur Gracchus, quod maius ibi bellum eſſet, in vltima Celtiberia penetrauit*; non audeo quidquam immutare.

Videtur enim Liuius finem conſilii, quo inter Proprętores conuenerat, poſuiſſe; nempe, vt in Vaccæos per Luſitaniam iret Albinus, ſicut & Tib. ipſe Gracchus Mundam vlterioris prouinciæ vrbem oppugnauit, ac cepit. Ita enim è rep. fore vterq; exiſtimauit.

Gracchus Prætor ibidem iterum ducēta oppida expugnauit, & cepit. Ibidem, hoc eſt, in citeriore Hiſpania, iterum quia iam ibi centum quinque ad deditionem coegerat. ergo in citeriore, non in vlteriore prius legendum.

Quoniam igitur modo in vlteriore Hiſpania geſta res fuiſſe narratur. Videlicet quia Proprætor vlterioris erat Albinus, & finitimi Luſitanis, Aſturibuſque Vaccæi, vti ſuperiore libro, cum terminos Luſitaniæ definiebamus ex Strabone oſtendimus, etiam ſi eas pugnas idem extra Luſitaniam Albinus pugnauerit.

Niſi & illic emendandus Liuii codex ſit, vt legatur, *in Bracaros per Luſitaniam iret Albinus*. Nam ſi cum Vaccæis, & non cum Bracaris, hoc eſt, cum Luſitanis eæ pugnæ fuiſſent, quo iure Poſthumio Albino de Luſitanis decretus eſt triumphus, non autem de Vaccæis? Verba Liuii hæc ſunt decadis quintæ lib. primo: *Triumphi ex Hiſpania, deinde duo continuo acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, ſociiſque eorum, poſtero die L. poſthumius de Luſitanis, aliiſque eiuſdem regionis Hiſpanis triumphauit.* Docti examinent. Vnum addam, apud Oroſium perperam mutatas eſſe prouincias. Tiberium enim Sempronium in vlteriore Hiſpania *centum quinque oppida*, vt vetus habet codex, non *centum quinquaginta*, vt vulgata editio, ad deditionem coegiſſe ſcribit. Eadem autem æſtate L. Poſthumium in citeriore quadraginta millia hoſtium bello interfeciſſe. Triumpharunt anno ab vrbe condita quingenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Quinto Opimio Nepote. Lucio Poſthumio Albino Coſſ. circa ſexcenteſimum vrbis annum à Luſitanis per arma vexatos fuiſſe Romanos, ſcribit Iulius Obſequens in libello de prodigiis. Quamquam Conſulum prænomina perperam ſint poſita. Quinti enim prænomen Opimio fuit, Lucii vero prænomen Poſthumio, vt patet ex tabulis Capitolinis, ſic *Q. Opimius Q. F. Nepos. L. poſthumius. S. P. F. L. N. Albinus.*

Poſthumio tamen in magiſtratu mortuo, in eius locum M. Acilius Glabrio ſuffectus eſt. Eodem auctore, M. Marcello, & L. Valerio Coſſ. in Luſitania varie pugnatum. Conſentit epitome Liuii. 46. Hi autem Coſſ. M. Claudius Marcellus, & L. Valerius Flaccus fuêre, Anno ab vrbe condita. DCI.

His Coſſ. L. Mummi L. F. L. N. Proprętorem de Luſitanis triumphaſſe oſtendit in Iberico Appianus, & qui in Capitolinas tabulas commentarios edidère.

Mendoſe legitur apud Eutropium lib. 4. *L. Memmius in Hiſpania bene pugnauit*. Nam cum hic ſit, qui poſtea à deuictis Achæis, & Corinthiis, Achaicus ſit appellatus, certum eſt, Achaicum L. Mummium L. F. L. N. fuiſſe, non L. Memmium.

Per hæc ipſa tempora L. Licinio Lucullo, Aulo Poſthumio Albino Coſſ. Hiſpanienſe bellum. cum parum proſpere aliquoties geſtum, ita confudiſſet ciuitatē Romanam, vt nē ii quidem inuenirentur, qui aut tribunatum exciperent. aut legati ire vellent, P. Cornelius Scipio Æmilianus. L. Pauli F. Africani nepos, ſed adoptiuus, qui & ipſe poſtea Africanus eſt appellatus, proceſſit, & excepturum ſe militiæ genus quodcumque imperatum eſſet, profeſſus eſt. Quo exemplo ad militandi ſtudium omnes inuitauit.

Iiſdem Coſſ. Sergius Sulpicius Galba prætor, male aduerſus Luſitanos pugnauit, inquit Liuii abbreuiator. Quam rem ſuperiori volumine à nobis tactam hic ſuo loco latius repetere eſt viſum, ex quarto Oroſii libro capite trigeſimo primo.

Sergius autem Galba Prætor à Luſitanis magno prælio victus eſt, vniuerſoq; exercitu amiſſo, ipſe cum paucis vix elapſus euaſit, ex qua ignominia, cum vlciſci ſe poſtea Galba ſtatuiſſet, immane, ac pluſquam barbarum facinus perpetrauit. Quod Oroſius ita narrat: *Igitur in Hiſpania Sergius Galba prætor, Luſitanos circa Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepiſſet, per ſcelus interfecit. Simulans enim de cōmodis eorum ſe acturum fore, circumpoſitis militibus, cunctos inermes, incautoſq; proſtrauit. Quæ res Hiſpaniæ vniuerſæ, propter Romanorum perfidiam, cauſa maximi tumultus fuit.* Valerius Maximus lib. 9. capite de perfidia ſic ait. *Sergius quoque Galba ſumma perfidia. Trium enim Luſitaniæ ciuitatum, conuocato populo, tamquam*

de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, electa, & armis exuta, partim trucidauit, partim vendidit. Quo facinore maximam cladem (codex manuſcriptus habet *partem*) *barbarorum magnitudine criminis anteceſſit.* Accuſauit acriter M. Cato Galbam, pro interfectis cõtra interpoſitam fidem Luſitanis, vt teſtatur in Bruto M. Tullius, & obiter in diuinatione, quod explicat apertius Aſconius Pædianus, & Liuii epitome libro quadrageſimo nono.

Ætatis autem nonageſimum annum agebat Cato, teſte Liuio decad. quartę lib. 9. cum Galbam accuſauit, ardentiſſima oratione, quam in Origines ſuas retulit.

Reus vero Galba, cum ſe damnari videret cõplexus duos filios prætextatos, & C. Sulpitii filium cuius tutor erat, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, vt rogatio antiquaretur.

Miſericordia ergo, inquit, lib 8. cap. 1. Valerius Maximus, *illam quæſtionem, non æquitas texit*. Ceterum de prænomine Galbæ, quod alias *Seruius*, alias autem Sergius habetur, ſi quis forte inquirat, neſcio an facere ſatis omnino poſſim.

Nam Cicero loco à me citato *Seruium* habet, Pædianus, & Oroſius *Sergium*. Epitome Liuii prius *Seruium*, deinde *Sergium*. Liuius ipſe vbi de accuſatione eius meminit *Sergium*; at libro quinto decadis quintæ, cum ſcribit Galbam impedire conatum, ne de capto Rege Perſæ, deuictaq; Macedonia. L. Æmilio Paulo triumphus decerneretur, ac M. Seruilium pro L. Æmilio ad populum verba facientem inducit, vbique eum *Seruium Sulpicium Galbam* nominat.

Valerius Maximus in altero locorum modo citatorum *Sergium*, in altero vero *Seruium*, quemadmodum lib. 6. cap. 4. de Scipione cum ait: *Seruius Sulpicius Galba*, quæ varietas in impreſſis codicibus eſt. In manu autem ſcripto, vbiq; Seruium inuenio.

Plutarchus in Catone *Seruilium*, quod parum abeſt à Seruio. Suetonius vero in Galba Cæſare, cuius familiam ab hoc Galba deducit, *Sergium* ſemper vocat, *familiam*, inquit, *illuſtrauit Sergius Galba temporum ſuorum eloquentiſſimus, quem tradunt Hiſpaniam obtinentem triginta Luſitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli cauſam extitiſſe.* Eius quoque filios, alterum Caium, alterum Sergium nominat. Ex quibus Tranquilli locis, in prænomen Sergium pedibus prope iam ibam, niſi me Eutropius libro ſeptimo reuocaſſet. Scripto enim Neronis obitu, *huic*, ait, *Seruius Galba ſucceſſit antiquiſſimæ nobilitatis Senator.* Non ergo quieui donec Dione Græco Auctore conſulto, libro quinquageſimo ſeptimo, inueni *Seruium*, non *Sergium* ab illo nominari. Quare magis ad *Serui* prænomen animus iam inclinat. Varietatem autem ex compendio ſcribendi eueniſſe puto. Nam prænomina cum fere compendio notentur, factum eſt, vt SER. à quibuſdam *Seruius*, ab aliis autem *Sergius* legeretur. Sane tamen SER. magis *Seruium* notat, quam *Sergium*, vt fert mea opinio. Ego *Sergium* prænomen quatuor litteris ſcriberem, ſic. SERG. vt Dionem video feciſſe in initio eiuſdem libri.

Quod ſi opinioni huic meæ obiiciatur etiam tribum SERGIAM. litteris tantum tribus ſcribi, & Sergiam intelligi, vt in Tarraconenſi cippo vidi. P. FABIO. P. F. SER. LEPIDO. reſpondebo in tam nota tribu nihil opus fuiſſe pluribus litteris; at in prænomine, quod ad hoc, vel ad illud trahi poterat, in *Sergio* quartam litteram fuiſſe neceſſariam.

Tam ex Suetonio, quam ex Oroſio Seruii Galbæ perfidiam, ac crudelitatem maximi tumultus vniuerſæ Hiſpaniæ, ac demum Viriatini belli cauſam fuiſſe didicimus, vt dederit Roma pœnas impuniti Galbæ, qui contra ius, etiam inter extremæ barbariæ hoſtes, ſanctum, & inuiolabile vel *nouem millium*, vt Valerio placuit, vel *millium triginta*, vt Tranquillo, nefaria ſe cæde polluerit, & quem contra ſummi viri Catonis iuſtam acrimoniam trium puerorum miſericordia noxa capitali exemerat. Anno igitur ab vrbe condita DCVII. Cn. Cornelio Lentulo. L. Mummio Nepote Coſſ. Luſitanos Viriatus erexit. De quo hæc Auctores. Florus: *Vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone ſubito dux, atque imperator, & ſi fortuna ceſſiſſet Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere per quatuordecim annos omnia citra, vltraq; Iberum, & Tagum igni, ferroq; populatus, caſtra etiam Prætorum, & præſidum aggreſſus, cum Claudium Vnimanum pene ad internecionem exercitus cecidiſſet, & inſignia, trabeis, & faſcibus noſtris, quæ ceperat, in montibus ſuis tropæa fixiſſet, tandem eum Fabius Maximus conſul oppreſſerat, ſed ab ſucceſſore Seruilio violata victoria eſt. Quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem per fraudem, & inſidias, & domeſticos percuſſores aggreſſus hanc hoſti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuiſſe.* Iuſtinus: *In tanta ſæculorum ſerie, nullus illis dux magnus præter Viriatum fuit, qui annos decem Romanos varia victoria fatigauit. Adeo feris propiora, quam hominibus ingenia ſunt. Quem ipſum non iudicio populi electum, ſed vt cauendi ſcientem, declinandorumq; periculorũ peritum, ſecuti ſunt.*

Cuius

Cuius ea virtus, continentiaq; fuit, vt cum conſulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus geſtis, non armorum, non veſtis cultum, non deniq; victum mutauerit: ſed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perſeuerauit, vt quiuis gregarius miles, ipſo imperatore etiam opulentior videretur.

Velleius in poſterioris voluminis initio: *Triſte deinde, & cõtumelioſum bellum in Hiſpania, duce latronum Viriato, ſecutum eſt, quod ita varia fortuna geſtum eſt, vt ſæpius Romanorum gereretur aduerſa. Sed interempto Viriato fraude magis, quam virtute Seruilii Capionis, Numãtinum grauius exarſit.*

Eutropius: *Quintus quoq; Capio ad idem bellum miſſus eſt, quod quidem Viriatus contra Romanos in Luſitania gerebat. Quo metu Viriatus à ſuis interfectus eſt, cum quatuordecim annos Hiſpanias aduerſus Romanos mouiſſet. Paſtor primo fuit, mox latronum dux, poſtremo tantos ad bellum populos concitauit vt adſertor contra Romanos Hiſpaniæ putaretur.*

Plinius in libello de viris Illuſtribus: *Viriatus genere Luſitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad poſtremum dux, bellum aduerſum Romanos ſumpſit, eorumque Imperatorem Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium oppreſſit. Pacem à Popilio maluit integer petere, quam victus: & cum alia dediſſet & arma retinerentur, bellum renouauit. Capio cum vincere aliter non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depoſitum peremerent. Quæ victoria, quia empta erat, à ſenatu non fuit probata.*

Oroſius libro quinto capite quarto: *Viriatus in Hiſpania, genere Luſitanus, homo paſtoralis, & latro, primo inſectando vias, deinde vaſtando prouincias, poſtremo exercitus Prætorum, & conſulum Romanorum vincendo, fugando ſubigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Iberum, & Tagum maxima, & diuerſorum locorum flumina late tranſgredienti & peruaganti, C. Vetilius Prætor occurrit. Qui continuo cæſo vſque ad internecionem pene omni exercitu ſuo, vix ipſe Prætor cum fuga lapſus euaſit. Deinde C. Plautium Prætorem ipſe Viriatus multis præliis fractum fugauit. Poſt etiam Claudius Vnimanus cum magno inſtructu belli contra Viriatum miſſus, quaſi pro abolenda ſuperiore macula, turpiorem ipſe auxit infamiam. Nam congreſſus cum Viriato vniuerſas, quas ſecum adduxerat copias, maximaſq; vires Romani amiſit exercitus. Viriatus trabeas, faſces, ceteraq; inſignia Romana, in montibus ſuis tropæa præfixit. Eodem tempore trecenti Luſitani cum mille Romanis in quodam ſaltu contraxere pugnam, in qua ſeptuaginta Luſitanos, Romanos autem trecentos viginti cecidiſſe, Claudius refert. Et cum victores Luſitani ſparſi ac ſecuri abiiſſent vnus ex iis longe à ceteris ſegregatus, cum à circumfuſis equitibus pedes ipſe deprehenſus, vnius eorum equo lancea perfoſſo ipſius equitis ad vnum gladii ictum caput deſecuiſſet, ita omnes metu perculit, vt proſpectantibus cunctis ipſe contemptius, atq; otioſius abſcederet.* Et paulo poſt: *L. Cæcilio Metello. Q. Fabio Max. Seruiliano Coſſ. Igitur Fabius conſul contra Luſitanos, & Viriatum dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriatus obſidebat, depulſis hoſtibus liberauit, & in deditionem cum plurimis aliis caſtellis recepit. Fecit facinus etiam vltimis Barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei, & moderationi execrabile. Quingentis enim principibus eorum, quos ſocietate inuitatos, deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit. Pompeius ſequentis anni Conſul fines Numantinorum ingreſſus accepta maxima clade diſceſſit, non ſolum exercitu pene omni profligato, verum etiam plurimis nobilium, qui ei militiæ aderant, interemptis. Viriatus autem cum per quatuordecim annos Romanos duces, atque exercitus protriuiſſet, inſidiis ſuorum interfectus eſt. In hoc ſolum Romanis circa eum fortiter agentibus, quod percuſſores eius indignos præmio iudicarunt.*

Sex. Iulius Frontinus ſtratagematum libro ſecundo capite quinto: *Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere ſe Romanis equitibus ſimulans, vſq; ad locum voraginoſum, & præaltum eos perduxit, & cum ipſe per ſolidos, ac notos ſibi tranſitus euaderet, Romanos ignaros locorum, immerſoſq; limo cecidit.* Celtiberorum illum ducem appellat, quoniam non contentus vniuerſam Luſitaniam ademiſſe Romanis, Iberum bella transferens, Celtiberiæ etiam populos occupauit, & aduerſus Romanos erexit. Multa alia in libris his magni, ac ſapientis ducis argumenta Frontinus de Viriato prodidit, quæ peti inde poſſunt.

Epitome Liuii lib. 52. *Viriatus primum in Hiſpania, ex paſtore venator, & ex venatore latro, mox iuſti quoq; exercitus dux factus eſt, & vniuerſam Luſitaniam occupauit. M. Vetilium prætorem, fuſo eius exercitu, cepit. Poſt quem C. Plautius Prætor nihilo felicius rem geſſit, tantumq; terrorem is hoſtis intulit, vt aduerſus eum conſulari opus eſſet, & duce & exercitu.* Et lib. 45. *Quintus Fabius Proconſul, rebus in Hiſpania proſpere geſtis labem impoſuit pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus à proditoribus, conſilio Seruilii Capionis interemptus eſt, & ab exercitu eius multum imploratus ac nobiliſſime tumulatus, vir, duxquè maximus per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum geſſit, frequentius ſuperior.* Hæc ſcriptores de Viriato, quem omnes latronem, latronumq; ducem fuiſſe dicunt, quemadmodum Strabo lib. 3. Noſter quoq; Cicero libro de officiis ſecundo: *Quin etiam leges latronũ eſſe dicuntur, quibus parent, quas obſeruẽt. Itaq; propter æquabilem prædæ partitionẽ, & Bargulus Illyricus, de quo eſt apud Theopompum, magnas opes habuit,*

& multo maiores Viriatus Luſitanus, cui quidem exercitus noſtri imperatoreſq; ceſſerunt. Quem C. Lelius, is qui ſapiens vſurpatur, Prætor fregit, & comminuit, ferocitatemq; eius ita repreſſit, vt facile bellum reliquis traderet.

Vbi quoque aduertendum, quam Viriati attenuet ſummus Orator victorias: *Cui quidē exercitus noſtri imperatoreſq; ceſſerunt. Ceſſerunt verecunde,* inquit quidam, *cū victos ſignificet.* At vero C. Lælium quo ambitu, qua verborum amplitudine attollit? *fregit, & comminuit, ferocitatemq; eius repreſſit.* Et in Bruto: *Egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Lælium.* Atqui niſi Seruilius Cæpio Lælii in conſulatu collega, pecunia, qui Viriatum interimerent corrupiſſet, nondum ſane debellatum erat. Alioqui quid eſt quod ait Plinius, *Cæpio cum vincere aliter non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depoſitum perimerent.*

Redeo ad latronis nomen. Mihi videtur inuidioſius id à Romanis in magni viri odium inculcatum, latronem autem, aut latronum ducem, aliter intelligo, vt & Liuius de Maſaniſſa decadis tertiæ libro nono ait: *Inde nocturnis primo, ac furtiuis incurſionibus, deinde aperto latrocinio infeſta omnia circa eſſe, maxime vero Carthaginenſis ager, quia & plus prædæ, quam inter Numidas, & latrocinium tutius erat. Et ſtatim: vix regium videbatur, latronem vagum in montibus conſectari.* Latro autem vagus Maſaniſſa erat, debitum ſibi regnum repoſcens. Ita ergo, cum propter Galbæ perfidiam, alieniſſimo à Romanis eſſent animo Luſitani, Viriato paſtori primum, inde venatori, & qui mercenariam vecturam faceret, viro tamen calliditatis acerrimæ, periculorumque declinandorum perito adhæſere nonnulli, cum quibus incurſiones, ac latrocinium aduerſus Romanos, Romanorumque ſocios exercebat. Cuius felici audaciæ, cum ex Romanorum recenti iniuria multi fauerent, & copiæ indies maiores accreſcerent, iuſto tandem exercitu congregato, electus dux, ad bellum iam intrepide, patriamque liberandam, non autem ad latrocinium proceſſit. Quippe cuius miram virtutem, continentiamque adeo Iuſtinus prædicet, vt tantis rebus geſtis, neque cultioribus armis, quam ceteri, ſit vſus, neque veſtitum, neq; victum mutauerit, vt quiuis gregarius miles ipſo imperatore opulentior videretur. Quæ animi moderatio in latronum moribus eſſe non ſolet.

Interfecto Seruilii Cæpionis opera à duobus domeſticis ſatellitibus Viriato, cum interfectores eius præmium à Scipione Conſule peterent, reſponſum eſt, *numquam Romanis placuiſſe, imperatores à ſuis militibus interfici*, vt ait Eutropius. Duplicem in eius cæde perfidiam accuſat Valerius Max. lib. 9. cap. 6. alteram amicorum eius, quod eorum manibus interemptus; alteram Q. Seruilii Cæpionis, quod is ſceleris huius auctor, promiſſa impunitate fuerit, victoriamq; non meruerit, ſed emerit. Imperatores igitur Romani quos Viriatus deuiciſſe legitur, fuere hi. Prætores C. Vetilius, vt Oroſius, ſiue M. Vetilius, vt epitome Liuii habet. C. Plautius, Cl. Vnimanus. C. Nigidius, cum M. Popillio Lænate, tunc Prætore, vt arbitror. Nam conſulatum non iniit, niſi poſt Quintum Seruilium Cæpionem, quo agente domeſticis inſidiis periit Viriatus. Cum Popillio ergo, adhuc integer de pace agitauit. Sed quia tradere arma poſcebatur, quod ea res videretur victi eſſe, confeſſio bellum renouauit. Cum Lælio varie pugnauit: nam ſi eum Lælius tam fregiſſet, quam in eius gratiam iactat Cicero, nequaquam cenſuiſſet Senatus, vt bellum aduerſus Viriatum, non iam per Prætores, ſed per Conſules adminiſtraretur.

Cum Q. Fabio Maximo Conſule etiam varie pugnauit. Cum eodem poſtea Proconſule varie quoque. Quare cum eo Fabius æquis conditionibus pacem fecit, cum tamen bonam ei Luſitaniæ partem ademiſſet. Vnde labem proſpere geſtis à ſe rebus impoſuiſſe Fabius eſt iudicatus. Proconſul tum erat Fabius, vt patet ex Liuii Epitome. Emendandus eſt Flori Locus paulo ante citatus. *Tandem eum Fabius Maximus Conſul oppreſſerat.* Sine dubio enim legendum *Proconſul.* Nam Fabius anno vrbis DCXII. Conſul fuit. Poſtquam fuere Cn. Seruilius Cæpio, & Q. Pompeius Rufus. Quorum anno prorogatum Fabio imperium eſt, vt Proconſule aduerſus Viriatum ex parte affectum bellum tandem conficeret. Anno ſequenti deſignati Coſſ. C. Lælius Sapiens, & Quintus Seruilius Cæpio auctor cædis Viriati, vt ex Eutropio oſtenſum ante eſt. Igitur pace rurſus turbata futurus victor apparebat Fabius, niſi Q. Seruilius Cæpio, qui poſt Cn. Seruilium Cæpionem fratrem, & Q. Pompeium Rufum Conſul eſt deſignatus, bellique cum Viriato ſucceſſor, inſidiis victoriam corrupiſſet.

Manent adhuc in Luſitania aliquot monumenta militum Romanorum, qui in Viriatino bello occiſi ſunt, vt in territorio Eborenſi, Pomarienſi prædio, hoc cuius ego teſtis ſum oculatus.

L. SILO. SABINVS. BELLO. CONTRA. VIRIATVM. IN EBOR.
PROV. LVSIT. AGRO. MVLTITVDINE. TELOR. CONFOSSVS

AD. C.

AD. C. PLAVT. PRÆT. DELATVS. HVMERIS. MILIT. H. SEP. E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. NEMIN. VELIM. MECVM. NEC. SERV. NEC. LIB. INSERI. SI. SECVS. FIET. VELIM. OSSVA. QVORVMQVOMQ. SEPVLCRO. MEO. ERVI. SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Id eſt,

Lucius Silo Sabinus bello contra Viriatum in Eborenſi prouincia Luſitania agro multitudine telorum confoßus, ad Caium Plautinum prætorem delatus humeris militum, hic ſepultus eſt. pecunia mea mihi fieri iußi, in quo neminem velim mecum, nec ſeruum, nec liberum inſeri. Si ſecus fiat, velim oſſua quorumquomque ſepulcro meo erui. Si patria libera erit.

Honoratus Ioannes Valentinus, vir & natalibus, & luculenta eruditione nobilis, & hoc & tria, quæ ſubiiciam à Floriano Campenſi accepta mihi Olyſippone oſtendit. Sed ego illi hoc emendatius tradidi. Alterum etiam ibidem ſimul inuentum eſſe narrabat, quod ego etſi diligenter perquiſiui, hactenus tamen invenire non potui, eſſe autem ferebat iſtiuſmodi

Q. LONGINVS. TARTAREO. ABSORPT. HIATV. ANTE. TEMPVS. ARM. HOST.

IN. CAMPIS. LVSITAN.

M. REGVLVS. TRIB. MIL. MAR. SARCOPH. OSSA. CONTEXIT. VALETE. MILIT. ROMANI.

Hoc eſt,

Quintus Longinus tartareo abſorptus hiatu ante tēpus armorum hoſtilium in campis Luſitaniæ. Marcus Regulus Tribunus militum marmoreo ſarcophago oſſa contexit. valete milites Romani.

Et hoc prope Viſæum vrbem.

L. AEmil. L. F. confect. vulnere Hoſt. ſub
Nigidio. Coſſ. cont. Viriatum Latronem
Lanciens. quorum Remp. tutarat. baſim
Cum vrna, & ſtatuam in loco publico erex.
Honoris. liberal. que ergo.

Hoc eſt,

Lucio Aemilio Lucii filio, confecto vulnere hoſtili ſub Nigidio Conſule contra Viriatum Latronem, Lancienſes, quorum Remp. tutarat, baſim cum vrna, & ſtatuā in loco publico erexerunt honoris liberalitatiſque ergo.

Hoc quoque neque ego vidi, neq; C. Nigidium Conſulē Viriatino bello fuiſſe inuenio, niſi conſulari poteſtate bellum geſſiſſe dicamus; quem à Viriato oppreſſum dicit Plinius. Fertur etiam teſtamentum Gallii Fauonii, quod retulit Marlianus in vrbis deſcriptione in Luſitania repertum, quod ab Iacobo Simoneta Piſaurienſi Epiſcopo, & Rotæ auditore; ſe accepiſſe ait in hęc verba.

EGO GALLVS FAVONIVS IVCVNDVS
P. FAVONII F.

Qui bello contra Viriatum occubui, Iocundum, & Pudentem filios è me & Quintia Fabia coniugê mea ortos, & bonorum Iocundi *patris mei, & eorum quæ ipſe mihi acquaſiui, hæredes relinquo, hac tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc veniant; & oſſa hinc mea intra quinquennium exportent, & via Latina condant; in ſepulchro iuſſu meo condito & mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque ſeruum, neque libertum inſeri, & velim oſſa quorumcunque ſepulchro ſtatim meo eruātur, & iura Romana ſeruentur, in ſepulchris, ritu maiorum retinendis voluntate teſtatoris. Et ſi ſecus fecerint, niſi legitima oriantur cauſa, velim ea omnia quæ filiis meis relinquo, pro reparando templo Dei Siluani, quod ſub Viminali monte eſt, attribui. Maneſque mei à Pontifice maximo & à Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio ſunt opem implorent; ad liberorum meorum impietatem vlciſcendam. Teneanturque ſacerdotes Dei Siluani me in vrbem referre, & ſepulchro meo condere. Volo quoque vernas qui domi mea ſunt omnes à Prætore Vrbano liberos cum matribus dimitti, ſingulisque libram argenti puri; & veſtem vnam dari. in Luſitania in agro.* VIII. *cal. Quintileſ. bello Viriatino.*

Teſtamentum hoc paulo diuerſius mihi. Honoratus Ioannes Floriani Campenſis manu deſcriptum communicauit hoc modo.

EGO GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS L. F.

Qui bello cont. Viriatum occub. Iocundum. & Pudentem
fili. ex teſt. herr. relinquo, & bonor. Iocundi
patr. mei, & cor. quæ mihi adquæſiui. hac
tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc ve-
niant, & oſſa mea intra quinquen. è Luſitan.
export. via Latina condant, ſepulch. marm.
cond. mea voluntate, ſi ſecus fec. niſi legiti-
ma oriant. cauſa, velim ea omn. quæ fili.
relinquo, pro templo Dei Siluani reparando
adtribui. Maneſque mei opem à Pont. max. &
Flaminum Dial. qui in Capitolio ſunt implo-
rent, ad impiet. contra fili. vlciſcendam.
Teneanturque ſacerdd. Dei Siluani me in
vrb. referre, & ſepulch. me cond.
Velim quoque quotquot domi mea vernæ
ſunt, liberos à Prætore cum matribus dimit-
ti, ſingul. que libram arg. & veſtem dari.
Act. VI. Kalend. *Quint .... R. Galba. Q.* AVREL. *Coſſ.*
DECVRR. Tranſcudant hoc teſtam. ore eiuſd.
Galli FAV. emiſſ. lapide iuſſere adſculpi.

Diſplicent tamen mihi affecta hic aliquot compendia contra ſæculi illius morem. Ac neſcio, an ita in marmore ſit, an magis ita Florianus tradere voluerit, quo antiquitatem ſuo iudicio maiorem repræſentaret, ſi lectori mutilatis dictionibus negotium faceſſeret.

Onuphrius Panuinius in primo faſtorum anno vrbis conditæ DCX. huius etiam meminit: *Horum*, inquit *conſulum mentio eſt in teſtamento Galli Fauonii ſecundi, qui bello Viriatino cecidit*, ita: ACTVM. VI. KAL. QVINTILEIS. SER. GALBA. L. AVRELIO Coſſ. & de Viriato ſatis iam multa.

Decius inde Iunius Brutus. M. Iunii Penni filius, cum circa vrbis annum. DCXVI. vnà cum P. Corn. Naſica qui Serapio appellatus eſt, conſulatum gereret, in Hiſpaniam venit, & iis qui ſub Viriato militauerant, agros, oppidumque dedit, quod Valentia nuncupatum eſt. Ex epitome Liuii. Meminit etiam huius rei Sabellicus quintæ Æneados lib. nono. Et nos in Vincentio Martyre, vt liqueat à Luſitanis ceteriſque Viriati militibus Valentiam eſſe conditam & nominatam. Fabulam vero inanem eſſe, eam conditam ante Romam, & Romin appellatam à Romo Rege neſcio quo, apud commentitium Manethonem reperio. Quæ tamen fabula Floriano Campenſi, & quibuſdam ex neotericis Hiſpanicarum antiquitatum ſcriptoribus non diſplicuit.

Brutus igitur hic Luſitaniam, vſque ad Oceanum perdomuit. Quamquam, vt Valerius Maximus libro ſexto capite quarto ait, *Pene tota ſe ei ſponte dediderat, præter Cinaniam vrbem: quæ pertinaciter arma retinebat*; vt ei in ſuperioribus diximus; cum qualiſnam gens Luſitani fuiſſent, diſſeruimus. Adortus etiam Bracaros Callæciæ gentem Callaicorũ, qui Luſitanis auxilio venerant. ſexaginta millia bello aſperrimo, atque difficili, quamuis incautos circumueniſſet, oppreſſit, in eo prælio, inquit Oroſius, libro quinto capite quinto, quinquaginta millia occiſa, ſex millia capta referuntur, pauci fuga euaſere. Propter hanc igitur de Callaicis, & Bracaris victoriam, Callaici cognomen non autem à cætera Callæcia Brutũ eſſe adeptum, hinc colligo, quod Strabo libro tertio, vbi amnis Minii mẽtionem fecit, ita ſcribit: *Hic expeditionis Bruti terminus eſt.* Negligenter enim vertit interpres: *Bruti Præturæ terminus*, obiterque notandum iam non Conſulem Brutum, ſed Proconſulem, illic rem geſſiſſe eoque tempore illi ad Limiam contigiſſe; quod ſupra retulimus cũ Bracarorum flumina recenſeremus.

Triumphauit autem de Luſitanis, & Callæcis, anno vrbis DCXVII. quod in tabulis Capitolinis ita notatur.

D. IVNIVS. M. F. M. N. BRVTVS. CALLAICVS. ANNO DCXVII. PRO. COS. DE LVSITANEIS. ET CALLAICEIS. EX HISPANIA. VLTERIORE.

Hos

Digitized by Google

Hoc eſt: *Decius vel Decimus* Iunius, *Marci filius, Marci nepos Brutus Callaicus anno ſexcenteſimo decimoſeptimo Proconſul de Luſitanis & Hiſpania vlteriore.* An. ab vrbe condita DCXIV. Q. Seruilius Cæpio. Q. Seruilii Cępionis ſuperioris filius CN. nepos, Proprætor de Luſitanis, & Hiſpania vlteriore triumphauit. At anno DCXLIX. P. Rutilio Rufo: CN. Manlio Coſſ. exercitus Romanus à Luſitanis cæſus. Quod niſi à Iulio Obſequente quatuor tantum verbis eſſet notatum, per ceteros Romanos ſcriptores penitus ignoraremus. Tametſi de nominibus Conſulum Obſequens & Caſſiodorus nonnihil variant, ſed ego Onuphrio Panuinio, qui eam rem exquiſitius indagauit, adhæreo.

Anno inde conditæ vrbis DCLII. C. Mario IIII. Q. Luctatio Coſſ. deuictis Luſitanis pacatam vlteriorem Hiſpaniam, ſcribit Obſequens. Non tamen à quo deuicti ſint; expreſſit. Opinatur Panuinius à D. Iunio Syllano, propter Sexti Rufi verba: *Rebellantes in Hiſpania Luſitanos, per D. Brutum obtinuimus, & vſq. Gades ad Oceanum peruenimus.*

Poſt ad Hiſpanos tumultuantes Syllanus miſſus, eos vicit; ego tamen & Obſequentis, & Rufi verba aliter intelligo. Nempe deuictis à Bruto Luſitanis, vlteriorem Hiſpaniam fuiſſe pacatam, vſque ad Gades, & Oceanum. Syllanum vero ad tumultuantes Hiſpanos miſſum non autem ſingillatim ad Luſitanos. Ad quos autem tumultuantes miſſum intelligat non explanauit. Verum quia Panuinio & cæteris tabularum triumphalium explicatoribus ita videtur, ab illis non diſcedamus.

Anno vrbis DCLV. L. Cornelius Dolabella de Luſitanis triumphauit. Quod Verrii Flacci tabulæ ita oſtendunt.

L. CORNELIVS. L. F. L. N. DOLABELLA. PRO. COS. EX HISPANIA. VLTERIOR. DE LVSITAN. V. K. FEB.

Hoc eſt,

Lucius Cornelius, Lucii filius. Lucii nepos Dolabella, Proconſul ex Hiſpania vlteriore de Luſitanis quinto Kalen. Februarii.

Quinto poſt anno, id eſt, ab vrbe condita DCLX. P. Licinius Craſſus de Luſitanis triumphauit, teſtatur hoc Verrius Flaccus, ſic.

P. LICINIVS. M. F. P. N. CRASSVS. ANNO. DCLX. PRO. COS. DE LVSITANEIS PRID. IDV. IVNI.

Hoc eſt,

Publius Licinius, Marci filius, Publii nepos, Craſſus anno ſexcenteſimo ſexageſimo Proconſul de Luſitanis, pridie Idus Iunii. Hunc in Luſitania, & ea Callæciæ parte, quæ Bracarorum eſt bellum geſſiſſe, inde coniicimus, quod Strabo in calce libri tertii tradit illum etiam Caſſiteridas inſulas è regione Celtici promontarii pace conciliaſſe.

Sexcenteſimo ſeptuageſimo tertio vrbis anno, ſparſo per Macedoniam, Pamphyliam, atque Dalmatiam Romanorum bello, cum quod in Hiſpania erat, ob id remiſſius gereretur, pauliſper interquieuerant Luſitani, donec diſcordiis ciuilibus Sertorianorum exarſit Syllanæ proſcriptionis hęreditas, vt inquit Florus. Quintus enim Sertorius, vir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ virtutis, ac magnæ in rebus bellicis peritiæ dux, quod Marii partes fuerat ſecutus, cum proſcriptus à Sylla eſſet, exceſſit vrbe atque Italia variis caſibus vbique iactatus.

Cuius quia vitam, reſque geſtas accurate perſcripſit Plutarchus, & de eo multa ciuilium bellorum libro primo Appianus, & libro tertio L. Florus quinto. P. Oroſius præter ea quæ ſparſim Plinius Iunior de Illuſtribus viris, Valerius Maximus, Frontinus, Obſequens, & alii adnotarunt, minime opus eſt in ea re me laborare. Summatim ex Plutarcho, Appiano atque Oroſio dicam. Adſcitus ex Africa à Luſitanis cum duobus millibus, & ſexcentis, quos Romanos vocabat, admixtis Afris ſeptingentis, illinc venit, adiunxit Luſitanorum quattuor millia peditum, & equites ſeptingentos; atque tam exiguis copiis aduerſus quattuor Romanorum duces ſub quibus erant peditum millia centum viginti, equitum ſeptem millia, ſagittariorum, & funditorum duo millia, & vrbes innumeræ, bellum geſſit, cum ipſe initio viginti tantum Luſitanorum vrbes in ſua ditione haberet. Validas non ſolū gentes, ſed miſſos etiam aduerſum ſe Romanos duces ſubegit. Cottam naualiprælio ad Melariam ſuperauit, Phidium Prætorem ad Bætin, interfecitque in ea pugna duo millia Romanorum ciuium, Domitium per Hirtuleium ducem oppreſſit. Qui etiam Manilium Galliç Procoſſ. cum tribus legionibus, & mille quingētis equitibus in Hi-

ſpaniam tranſgreſſum, caſtris, copiiſq; nudauit, vt Oroſii verbis dicam & pæne ſolum Ilerdam compulit refugere.

Lucium procoſſ. contriuit, Toranium à Metello miſſum cum toto exercitu deleuit. ipſum Metellum in tantam compulit neceſſitatem, vt L. Lollius ex Narbonenſi Gallia ei ferre auxilium cogeretur, & Pompeius Magnus ex vrbe cum magna feſtinatione ea de cauſa mitteretur. Neque enim habebat Metellus, quo ſe verteret. Aquilium à Metello miſſum cum ſex millibus cecidit, Pompeium iam Pyrenæos montes tranſgreſſum bello excepit, poſitiſque iuxta caſtris ſuperior fuit, Pompeium Palantiam obſidentem vi repulit, Et caſtra, quæ ad Calagurrim erant, adortus, ad tria millia interfecit. Eodem Pompeio ſpectante Lauronem vrbem expugnauit, atque incendit, neque ille tam magnifice Lauronenſibus de ſe pollicitus, ſociis pereuntibus auxilium ferre auſus eſt. Quibus vitam ex incenſa vrbe dedit Sertorius, in Luſitaniam miſerabili captiuitate traduxit. Ad Sucronem Pompeium prælio ſuperatum fugauit, ita vt vulneratus, & ex equo proſtratus, pæne interfectus, & captus ſit.

Afranium qui cornu ſiniſtrum regebat, cum Sertorianos intento in Pompeium duce pelleret, ſuorum intellecto periculo accurrens, facile ſuperauit, eiuſq; milites diſperſos occidit. Ad flumen Turiam Pompeium male multauit, & niſi Metellus ſuperueniſſet, actum de eo erat. Vnde illa Sertorii gloriatio: *Ego puerum hunc, niſi veniſſet anus illa, caſtigatum verberibus, domum remiſiſſem.* Memmius Pompeii quæſtor, & ſororis eius maritus, ad Saguntum Sertorio ſuperante, eſt interfectus. Et cum magna ſtrage victor ad Metellum vſque perueniſſet, pilo percuſſus Metellus interierat, niſi a ſuis pudore nimio affectis protectus eſſet. Didium Lælium Pompeii legatum, qui pabulatum exierat, ſcribit Obſequens, à Sertorianis interfectum.

Et certe Sertoriani duces fere ſuperiores erant, præcipue Hirtuleius, qui initio Metelli antequam ſe Pompeio iungeret, multis prœliis fatigarat tandem cum eodem Metello apud Italicam Bæticæ prouinciæ vrbem congreſſus, ex fiducia credo præteritarum victoriarum elatus, commiſſa pugna, viginti millibus amiſſis, victus in Luſitaniam cum paucis profugit. At Sertorius poſt id cum Pompeio congreſſus, decem millia militum eius interfecit, licet totidem & ipſe amiſerit, in tantamque deſperationem duos egregios illos duces Metellum, atque Pompeium adduxit, vt publice Metellus præmia ſtatuerit ei, qui Sertoriũ necaret, centũ argenti talenta, & viginti millia agri iugera, & ſi exul eſſet, veniam reductionemq; promitteret. Nẽpe, vt ſaltẽ proditione conſequeretur, quod armis nõ poterat.

Põpeius vero querulus ad Senatũ ſcripſerit, niſi ſibi pecuniæ mitterẽtur, ſe milites è prouincia deducturum. Recipiebat ſe in Hiberna Sertorius in Luſitaniam, vnde appetente vere, cum M. Perpenna legato ſuo, ad hoſtes vſque in Celtiberiam properabat, Luſitanorum maxime opera ſemper vſus. Hoc diſerte aſſerit Appianus.

Eboram vero vrbem ad hiemandum peculiariter elegerat, ſagaci conſilio, cum fere in medio ſita ſit Luſitaniæ, & ſolo fertili, vnde in omnes partes præſto eſſe poterat, ſi vſus eueniret. Ibi domũ, quæ adhuc extat, & Iuniam Donacen domeſticam, & libertos tres habebat. Inde cohortẽ vnam ad bellum duxerat, vti docemus latius, cum ventũ erit ad vrbes.

Ita proſpere in Hiſpania bellum gerentis Sertorii, cum fama etiam Pontum compleſſet, Mithridates, ſi ducem rei militaris peritiſſimum ſibi fœdere conciliaſſet, facilem de populo Romano victoriam ſe adepturum pollicebatur. De qua re non pigeat lectorem conſulere Plutarchum. Ex quo, & qui vir, & qua probitate fuerit Sertorius, & quo amore patriam, vnde exulabat, proſequeretur, liquido intelliget. Simul quanto digni fuerint odio Perpenna, & qui cum eo in cædẽ magni ducis coniurauere. Quorum tamen omniũ exitus, vt proditorum eſſe conueniebat, miſer atque infelix non multo poſt omnino fuit. Id breuiter atque eleganter Velleius Paterculus de Perpenna loquens commemorat: *Sertorium* inquit, *inter cœnam Oſcæ interemit, Romaniſq; certam victoriam, partibus ſuis excidium, ſibi turpiſſimam mortem peſſimo auctorauit facinore.* Item Marcellinus ſub libri XXVI. finem: *Ad veteris Perpẽnæ exemplum, qui poſt Sertoriũ inter epulas obtruncatũ dominatione pauliſper potitus e fruteis, ſub quibus latebat extractus, oblatuſq; Pompeio, eius iuſſu eſt interfectus.* Sic decimo inchoati belli anno ſuorum dolis interfectus Sertorius victoriam quidem Romanis dedit, verũ ſine vlla gloria quod non virtute, ſed fraude obueniſſet.

Quo interẽpto Hiſpaniæ vniuerſę ciuitates vltro ſe Romanis dedidere: præter Callagurrim, & Vxamã, ſed hãc Pompeius euertit illã ſiue Afranius, vt ſcribit Oroſius, iugi obſidione confectã, atq; ad infames eſcas, ex inopia coactã, vltima tandẽ cęde incendioq; deleuit, ſiue idẽ Pompeius, vt in lib. 7. cap. 6. refert Valerius. Quieuere itaq; Luſitani, ac de Hiſpanis tum Metellus Pius quã Cn. Pompeius magnus adhuc eques Romanus triumpharũt, anno vrbis DCLXXII, vt tabulæ referunt Capitolinæ. Toto

Toto autem Sertoriani belli tempore nullum populo Romano vectigal ex Hiſpaniis fuiſſe, in oratione de Agrariis legibus, contra Rullum conqueritur M. Cicero.

Iulius deinde Cæſar, poſt Vrbanam præturam, vlteriorem ſortitus Hiſpaniam, in qua prius ſub Tuberone Prætore Quæſtor fuerat, Luſitaniam ac Callæciam imperio Romano ſubdidit. De qua re non pigeat lectorem repetere, quæ ex Dione retulimus, cum de monte Herminio ageremus, ſecuto paulo poſt triumuiratu. Cæſar Galliam, Aſiam Craſſus, Pompeius inuaſit Hiſpanias, quas per legatos tres, M. Petreium, L. Afranium, & M. Varronem adminiſtrabat, donec ciuile bellum conflatum eſt. Ac Cæſar in Hiſpanias veniens, eas pro tempore quieſcere coegit, M. Lepido procoſſ. Citeriorem, Q. Caſſio Lõgino Vlteriorem Proprætore, obtinentibus, quo tempore ad Dirrachium Cæſar Pompeium obſidebat.

Is Caſſius Longinus inexplebilis auaritiæ, nec ob eam obſcuræ crudelitatis homo, cum ſe prouinciæ odio haberi nõ ignoraret, magnaſq; indies eius odii acceſſiones faceret, contra Prouincialium offenſionem, exercitus amore ſeſe munire ſtudebat, donatiuorum largitionib. immoderatis, & præmiorum pollicitationibus, ex rapinis, grauiſſimiſq; oneribus. Seſtertia igitur centum militib. pollicitus, Medobrigam oppidum in Luſitania, montemq; Herminium, quo Medobrigenſes confugerãt, expugnauit, ibiq; Imperator appellatus, iterum Seſtertiis centum milites donauit.

Anno inde ab vrbe condita DCCX. Cæſar poſt deuictum Pompeiũ in Hiſpanias eſt profectus aduerſus duos adoleſcentes Pompeios Magni filios, qui bellum inſtaurauerãt. Pronior in Pompeii partes erat Luſitania, ſiue quia S. P. Q. R. magis eas fouebat, vt iuſtiores, ſiue recordatione iniuriarum Cæſaris, à quo in Prætura direpti nimis hoſtiliter fuerãt Luſitani, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, vt inquit Suetonius. Et paucis verbis Catulli mordaciſſimus Iambus innuit:

Secunda præda Pontica, inde tertia.
Ibera, quam ſcit amnis aurifer Tagus.

Vettonum igitur agrum, Luſitaniamq; pro Pompeio tenebat M. Petreius, antequã cum ſuis copiis, & equitibus, auxiliiſq; totius Luſitaniæ ad Afranium in Celtiberiam proficiſceretur, vt irrumpentem Cæſarem pariter reprimerent. Luſitanos Petreii beneficiarios vocat ipſe Cæſar, in primo belli ciuilis commẽtario, quos cuſtodię ſuæ cauſa ſemper habuiſſe confirmat. Fecit idem Munatius Flaccus in Bætica, Pompeiani nominis acrior quã probabilior defenſor, ſed id credimus Valerio Maximo libro nono capite de crudelitate. Luſitanorũ enim præſidio vallatus Cæſari cum reſiſteret pertinaciter ad Attegam barbarum in modum ſæuiit in eos, quos Cęſaris ſtudioſos eſſe comperit, & in eorũ vxores ac liberos.

Videat qui velit Valerium, & Hiſpanienſis belli commentarium, atq; obiter Valerii codicem emendet, in quo perperam legitur: *Numatius*, pro *Munatius*, & *Attinguenſium* pro *Attegenſium*. Sufficiet hoc ex Dione oſtendiſſe libro quadrageſimo tertio ita ſcribente: *Audiens autem in Attegua ciuitate magnam eſſe copiam commeatus.* At paucis interiectis: *Poſteaquam vero milites intra vrbem recepti ſunt, Munatium Flaccum ad eos miſit.* Munatius ergo *Flaccus* vocabatur, atq; ita eum appellat Plutarchus in Catone: *Præterea*, inquit *cum Pompeius commendationes reis dari in Iudiciis conſuetas, per legem vetuiſſet, ac poſtea ipſe Munatio Flacco commendationem ſcripſiſſet*, Cato qui in ea cauſa iudex erat, cum recitari cœpta eſt Pompeii commendatio, aures manibus clauſit, legiq; illã prohibuit; vt mendum quoq; ſit apud eundem Plutarchum in Pompeio, vbi idem Catonis factum referens, *Plancum* eum, non autẽ *Flaccum* appellat. Niſi forte iidem Munatii, tam Flacci, quàm *Planci* appellarentur. Probabile eſt Munatiam gentem in duas familias Flaccorum videlicet, & *Plancorum* fuiſſe diuiſam. Et ideo apud Plutarchum in Pompeio ex *Flacco* factum *Plancum*.

Plancorum enim cognomen aliquot ex Munatiis habuiſſe, liquet ex L. Munatio Planco, qui cum Lepido triumuiro R. P. C. cõſulatum geſſit, & ex ode ſeptima libri primi Carminum Horatii. Præterea ex inſcriptione, quam extare Caietæ Onuphrius Panuinius in ſecundum faſtorum, & in libello de Romanorum nominibus, aſſeuerat. Ea eſt huiuſmodi:

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS. IMPER. ITER. VII. VIR. EPVLON. TRIVMPH. EX RAETEIS. AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE MANVBIIS AGROS DIVISIT. IN ITALIA BENEVENTI. IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM. ET RAVRICAM.

Hoc eſt: *Lucius Munatius, Lucii filius, & Lucii nepos, Lucii pronepos, Plancus, Conſul Imperator iterum Septemuir epulonum triumphauit ex Rateis. Aedem Saturni fecit, de manubiis agros diuiſit*,

in Italia Beneuenti, in Gallia colonias deduxit Lugdunum, & Rauricam.

Sed multum ab inſtituto diuertimus propter Valerii locũ. Redeo ad Munatium Flaccum, qui ſe Luſitanis ſtipatoribus munierat, quos tamen ſuæ crudelitatis ſatellites habuiſſe breuiter Valerius, Dion tacet, ſubobſcure narrat Hiſpaniẽſis belli commentarius, neque Munatii, neq; Luſitanorum facta mentione. Petreianos, Afranianoſq; milites, quod aſſuefacti cum Luſitanis eſſent, eorum more pugnare ſolitos, ſcribit Cæſar in Primo belli ciuilis commentario. In tantum autem Pompeii partes fouebant Luſitani, vt etiam illo iam interfecto, filiis Cn. & Sext. Pompeiis, in omnem euentum adhæſerint. Tranſeo Cotonem vel potius Catonem, vt alii habent codices, qui Attegue cum Luſitanorum præſidio ſub Munatio erat, & cum Tullio legato ad Cæſarem venit.

Acerrimi Pompeianarum partium defenſores fuere, Philo tota Luſitania notiſſimus, ac Cæcilius Niger, qui cum bene magna Luſitanorum manu Hiſpali contra Cæſarem, pro Cn. adoleſcente mire laborarunt, multas ad Bætin naues incenderunt, tandem, victum ad Mundam, fauciumq; non deſeruere. Sed cum ſe Carteiam recepiſſet, ſecuti ſunt. De quo tradendo cum ciues legatos ad Cæſarem miſiſſent, re intellecta Pompeius, vt in naues quas ibi in præſidio habebat, confugeret, ſcapham ingreſſus eſt.

Sed pede caſu funibus implicito, dũ funẽ gladio ſecare nititur, *pedis plantam gladio abſcidit* vt libro bellorum ciuilium ſecundo ait Appianus, *vel talum intorſit*, vt Hiſpanienſis belli commentarius refert.

Cum ab hoſtib. quæreretur, occurrente ad id Didio, qui Cæſarianæ claſſis Gadib. præfectus erat, ex naui in qua curabatur egreſſus eſt, & in Luſitaniam profugiens lectica ferebatur. Sed vulneribus, & intorto talo cum ad fugiendum tardaretur, in itinere à Didio deprehenſus, interfectus eſt, *non ignaue ſeſe protegens*, inquit Appianus: cuius caput Hiſpalin allatum Cæſar in conſpectum iuſſit dari populo, & ſic vi be potitus eſt.

Luſitani, qui ex pugna ſuperfuere, cũ ſe ad ſigna recepiſſent, aduerſus Didium elatum ea gloria redierunt, & quotidianis cum pugnis laceſſentes tripartito diſtributis ſignis, illius naues incenderunt, ipſum qui ad propellendum cum copiis proceſſiſſet, prælio excipientes interfecere, omneſque eius copias deleuerunt, paucis exceptis, qui aut in ſcapha, quæ ad littus erat, aut nando ad naues, quæ in ſalo erant confugientes, ſublatis anchoris, vitæ ſubſidium remis quæſiuerunt. Luſitani præda ingenti potiti ſunt; vt refert ille Hiſpanienſis belli commentarius, alioqui mutilus, corruptus, impeditoq; ſermone confuſus, Quiſquis auctor illius fuerit. Neque enim ad Hircium, aut Opium diſertos ſatis homines referendum ego exiſtimo. Miles tamen Cæſaris cum eſſet, & eius laudes immodicus, ita ſcripſit, vt ſæpe, neq; quid velit intelligas, neq; ſi diuines, oratio ipſa ſibi congruat.

Cn. Pompeio extincto, & maxima ex parte Hiſpania in poteſtatem redacta, Cæſar ad Vrbanam dominationem feſtinans, Sext. Pompeium alterum ex Pompeii Magni filiis iuniorem, contempta eius adoleſcentia, neglexit in Hiſpania, nõ arbitratus enim aliquid magnum propter ætatem eſſe auſurum; ſed aliter res euenit. Nam iuuenis primo cum paucis piraticam exercuit ignotus, deinde paulatim timorẽ exuens, ſeq; Pompei Magni filiũ profeſſus, ex iis, qui ſub patre Põpeio vel ſub Cn. Fratre militauerãt, victiq; ceſſerãt, validũ cõflauit exercitũ, ad eum tamquã ad ducem ſuum confluentibus, quib. Pompeii nomẽ erat gratioſum. Adauctus igitur amplioribus copiis, formidini eſſe cœpit Præſidibus, qui ſub Cæſaris imperio Hiſpanias obtinebant, ita vt vererentur cum eo ad manus venire. Qua re intellecta, Cæſar Carrinacem cum validioribus copiis miſit, qui Pompeium debellaret.

Apud Appianũ *Carinam* in his locis ſcriptũ pro *Carrinate* reperias, neſcio an interpretis vitio. Nã ſermo eſt de C. Albio Carinate, qui poſtea Cõſulatũ geſſit, cũ Auguſt᷑ abdicaſſet.

At vero iuuenis cognito Carrinatis aduentu, ſtatim aduolãs illum oppreſſit. Ea ex cauſa Cæſar ſucceſſorem Carrinati miſit C. Aſinium Pollionẽ, quo in vlteriore Hiſpania bellum gerente, Cæſar interemptus eſt. Et Senatus Pompeium vltro reuocauit. Ille vero cũ Maſſiliam eſſet delatus, ad vrbem nequaquam rediit, ſed quæ ibi fierent intentus expectabat.

Atq; electus maris Imperator, vt pater eius fuerat, aſſumptis, quę in portu erãt, nauibus, vna cum iis, quas vel ſecum, vel in Hiſpania habebat, cõtra Triumuirorum dominationem in Siciliam nauigauit. Multi illum Galli, multi Iberi, multi etiam Luſitani, ſecuti ſunt, Pompeii patris amore, & Cæſaris adhuc odio. Nam etiam Bruto à Triumuiris proſcripto, cum vna cum Caſſio ad Nigrum ſinum aduerſus Antoniũ bellum pararet, quattuor millia Celtarum, ac Luſitanorum equitum illi fuiſſe, ſcribit Appianus.

Pompeius igitur Sicilia potitus cõtra Octauium, & Antoniũ pugnauit plerumq; victor. Et quidem magni famam ducis poſteris reliquiſſet, ſi nihil tentaſſet vlterius. Verũ mutata priori fortuna, quaſiq; inſolentiam eius indignante, qua ſe, & amictu cæruleo, & verborum

vanita-

vanitate, Neptuni filium eſſe iactauerat, tãquam Magni Pompeii eſſe, fuiſſet parum, victus Antonii ſe duci Titio dedidit, à quo Mileti interfectus eſt. Qui copioſius iſta ſcire velit, legat Appiani ciuilium bellorum libros quartum, & quintum. Nos in his immorati prolixius aliquanto ſumus, propter Oroſium, qui Sext. Pompeii mortem poſt Mundenſem pugnam ſtatim ſecutam ſcribit, neſcio quem ſecutus auctorem. Eius hæc ſunt verba libro 6. ca. 16. *Vltimum bellum apud Mundam vrbem geſtum eſt, vbi tantis viribus dimicatum, tantaq; cædes acta, vt Cæſar quoque veteranis ſuis cedere non erubeſcentibus, cum cædi, cogique aciem ſuam cerneret, præuenire morte futurum victi dedecus cogitarit, cum ſubito verſus in fugam Pompeiorum ceſſit exercitus. Et ſtatim Cn. Pompeius cum centeſimo equite aufugit. Frater eius Sex. Pompeius contracta celeriter nõ parua Luſitanorum manu, cum Cæſonio congreſſus, & victus fugienſq; interfectus eſt. Munda ciuitas cum immenſa hominum cæde, Cæſare oppugnante, vix capta eſt.*

Dubium tamen apud me non eſt, corruptum Oroſii locum hunc. Nam paulo poſt, capite 18. & capit. 19. Octauii quartum bellum aduerſus Sex. Pompeium Cn. Pompeii filium commemorat, narratq; eum Siciliam occupaſſe, & tandem à Titio, & Furnio Antonianis ducib. victum, & captum, poſt paululum fuiſſe interfectum, vti ex Appiano ante diximus. Quare priori loco libenter legerem: *Cum Cæſonio congreſſus, & victus fugiens pæne interfectus eſt* Euaſit enim, atq; ad piraticam inde ſe conuertit, quod etiam Oroſius ipſe confirmauit his verbis: *Sex. Pompeius poſtquam ſe in proſcriptorum numerum relatum comperit, conuerſus ad latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus rapiniſq; vaſtauit, Sicilia præcepta.*

Ceterum, vt ad C. Aſinium Pollionem redeam, eius tres extant epiſtolæ inter Ciceronis familiares libro decimo, in quarum vna ſic habetur: *Sed vt rationem ineo, quo die prælium Panſa commiſit, eodem à Gadibus naues profectæ ſunt. Nulla enim poſt hiemem fuit ante eam diem nauigatio. Et hercule longe remotus ab omni ſuſpicione futuri ciuilis tumultus, penitus in Luſitania legiones in hibernis collocaueram. Inclinauit poſt hæc ad Cæſarem Auguſtum fortuna, & Romani orbis imperium adeptus, Hiſpaniam, cum per ſe, tum per ſuos duces, intra annos quattuor pacatam reddidit. Colonias partim deduxit, partim ampliauit.* De quibus nonnihil inter vrbes referemus.

In primo volumine, cum terminos Luſitanię ſignabamus, diximus Bæticam prouinciam plebi attributam, ad quam Prætor mitteretur, qui Legatum, & Quæſtorem haberet, reliquas omnes in Hiſpania Cæſaris fuiſſe, qui duos mitteret Legatos, Prætorium, & Conſularem. Ex iis Prætorius Legatum ſecum habebat, qui Luſitanis Bæticæ adiacentibus, & ad Durium vſq; protenſis ius diceret. Conſularis, quod reliquum erat Hiſpaniæ adminiſtrabat. Auguſtus enim omnium prouinciarum Romano imperio ſubditarum adminiſtrationem ita diuiſit, vt aliæ proconſulares eſſent, aliæ prætoriæ, aliæ præſidiales. Proconſulares Senatui, prætorias populo demandauit, Præſidiales ſibi ipſe ſumpſit, in quas legatos mittebat, qui modo Præſides, modo Cæſaris, vel Auguſti legati dicebantur.

Iiq; Præſides Legatiue Cæſaris, nonnumquam honoris cauſa conſulari poteſtate augebantur, vt eiuſdem eſſent auctoritatis, cuius Proconſules. Proconſulum namque dignitas amplior, quam Legatorum, Præſidumue erat, quoniam hi ex equeſtri ordine eligi poterant, illi non niſi ex Senatorio, conſularium prouincias ſortiebantur. Proconſulares ergo & Prætoriæ illæ ſunt factæ, quæ vel pacatæ iã eſſent, vel militari præſidio non indigerẽt.

Quæ vero adhuc rebelles, legionibus, armiſque retinendæ viderentur, ſibi attribuit Cæſar, ſpecioſo quidem prætextu gratificandi Senatui, populoque Romano, quaſi eis laborem adimeret, re autem vera, vt ipſe exercitus, copiaſque militares omnes in ſua poteſtate haberet, ne vnquam Senatus, populuſue inuaſam rempublicam repetere auderent, vt ſcriptum reliquit Dion.

Hiſpaniæ igitur poſtea in ſex prouincias diuiſæ; Bætica, Luſitania, & Calætia conſulares factæ, Tarraconenſis, Carthaginienſis, Inſularis, & Tingitania, quæ trans fretũ Hiſpaniæ eſt contributa, præſidiales.

Tandem Luſitania in duas diuiſa prouincias, quarum altera, videlicet maior veteris prouincię pars, ſuum ſibi Luſitanię nomen retinuit, altera *Vettonia* dicta eſt, vt in primo libro abunde retulimus.

Paulatim emerſere Comites, eorumque vicarii vſque ex Hadriano, qui Senatum quendam domeſticum in palatio ſuo habuit qui peregre euntem comitaretur. Cęſaris Comitatus ideo nuncupatus, & illi ipſi Senatores Comites Palatini, Donec diuus Conſtantinus oppida, vel prouincias illis attributas ad eorum tranſtulit hęredes. Atque hęc origo eſt dignitatis Comitum, Ducumque.

Morem eum ſecuti Longobardorum reges Italiam ſibi ſubiectam in *Comitatus* varios, atque Ducatus diuiſerunt. Limitanei quoque duces *Marchiones* nuncupati ſunt, quoniam limitem *marcham* vulgus appellaret.

Ab Auguſto igitur vſq; ad Gothos, nihil quod magnopere ad Luſitaniam pertineat in tam deplorato ſcriptorũ antiquorum interitu ego reperi; niſi Luſitaniam in Romanorum acquieuiſſe dominatu, eorumq; legibus domitam paruiſſe. Othonem poſtea Cæſarem fuiſſe à Nerone Luſitaniæ præfectum, vt Popæa illius vxore, amoto ex vrbe viro liberius frueretur, libro tertio ſcribit Tacitus. *Vbi*, inquit, *vſq; ad ciuilia arma, non ex priore infamia, ſed integre ſanctèq; egit, procax, otii, & poteſtatis temperantior*. Eadem fere repetit libro decimo ſeptimo.

Suetonius quoq; Tranquillus in Othone. *Sepoſitus*, inquit, *eſt per cauſam legationis in Luſitaniam.* Iactatum etiam de hac re diſtichum:

Cur Otho mentitus ſit quæritur exul honore,
Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Illum tamen per decem annos moderatione, atque abſtinẽtia ſingulari, prouinciam adminiſtraſſe teſtatur.

Et pro Romanis etiam in Italia militauere Luſitani. Eodem enim libro ſcribit Tacitus, Luſitanorum cohortes ſub Vetellii ſacramento fuiſſe.

Septimæ Luſitanorum cohortis meminit Alciatus in annotationibus in Taciti librum decimum ſextum, ex inſcriptione marmorea, quę Comi adhuc ſit, in memoriam Calpurnii Fabati Nouocomenſis, C. Cæcilii Plinii proſoceri.

Sorranale vocatur oppidum inter Dertonam, Genuámq; non procul à montib. Ibi ego inſcriptionem vidi, quam aiebant ex diruto iuxta oppido *Antilia*, ſeu potius *Attilia* fuiſſe allatam. ea eſt huiuſmodi:

Q. ATTIO. T. F. MAEC. PRISCO AED. II. VIR. QVINQ. FLAM.
AVG. PONTIF. PRÆF. FABR. PRÆF. COH. I. HISPANORVM. ET.
COH. I. MONTANORVM. ET. COH. I. LVSITANOR. TRIB. MIL. LEG.
I. ADIVTIC. DONIS. DONATO. AB IMP. NERVA. CÆSARE AVG.
GERM. BELLO SVEBIC. CORON. AVREA. HASTA. PVRA. VEXILL.
PRÆF. ALÆ. I. AVG. THRACVM. PLEBS. VRBANA.

Hoc eſt: *Quinto Attio Titi filio Mæcenati Priſco Aedili Duumuiro quinq., Flamini Auguſtali Pontifici, præfecto Fabrum, præfecto cohortis primæ Hiſpanorum, & cohortis primæ Montanorum, & cohortis primæ Luſitanorum, tribuno militum legionis primæ adiutricis, donis donato ab Imperatore Nerua Cæſare Auguſto Germanico, bello Sueuico corona aurea, haſta pura, vexillo, præfecto alæ primæ Auguſtalis Thracum plebs vrbana.*

Vbi illud animaduerſione dignum iudicaui, Luſitanos ſeparatim ab Hiſpanis eſſe poſitos. Abiere tandem in Romanorum mores Luſitani, & ciuilitatem linguámq; Latinã, ſicut & Turdetani, accepere, vti in libello ad Vaſæum pro colonia Pacenſi, diſputaui; vt audiendus quidam non ſit, qui ſe operæpretium facturum exiſtimauit, ſi poſt diſputationem illam meam Geneſio Sepuluedæ Badiozam Pacem fuiſſe Auguſtam aſſerenti ſubſcriberet. Nos ad libellũ illum remittimus lectorem, & ad ea, quæ poſtea inter vrbes commentabimur.

Cæſaribus etiam pleriſq; ſtatuas erexere, vt alibi oſtendimus. Quin ſi qua mira res suboriretur, quæ aut animum paſceret, aut oculos, ad illos protinus mittebãt, vt Tiberio principi Olyſiponenſes, miſſa ob id legatione, nunciaſſe tritonem qua noſcitur forma, in quodam ſpecu canentem concha viſum, auditumq; ſcribit Plinius libro nono cap. 5.

Prouinciam in tres iuridicos conuentus diuiſam, Emeritenſem, Pacenſem, & Scallabitanum, ſic, vt triangulum ęqualium prope laterum facerent. Et vrbium alias colonias appellatas, alias municipia, vel ciuium Romanorum, vel antiqui Latii, vel ſtipendiarias relictas, ex Plinio in Luſitaniæ deſcriptione, ſupra oſtendimus, & poſtea oſtendemus; diuiſam quoque in duas non ſemel diximus.

Erant nihilominus in Luſitania aliquot ſiue reguli, ſiue dynaſtæ, aut toparchæ, imperio Romano ſubditi, qualis pater fuit Encraditis nobiliſſimæ virginis, & martyris Cæſarauguſtæ, & in tota Celtiberia notiſſimæ: & iam dominantibus Gothis, Caſtinaldus Nabantiæ princeps.

DE GOTHIS.

DE *Gothorum* autem origine ad inſtitutum meum ſcribere nequaquam pertinet, maxime nõ conuenientib. inter ſe, qui de illis ſcripſere auctorib. Verum quia lucẽ aliquam

ſis quæ dicenda ſunt, ea res afferet, in ſumma, Getas eoſ fuiſſe, ac Sarmatas, nonnulloſq; alios populos illis finitimos, dixiſſe ſufficiat. Multæ ſiquidem gentes, ſiue ex Schandia, Cimbricæ Cherſoneſi inſula, ſiue ex vicinia, Gothicum effecere nomen, priſcis ſcriptoribus ignoratum, & ſub Getica appellatione confuſum, donec viribus ipſi ſuis emerſere magna vocabuli claritate, quod a duce proprio qui *Gothus* vocabatur, vt aſſerit Vitichindus Saxonicorum libro primo, ſortiti ſunt. Niſi malimus à *Guthis* ipſius Scandiæ, iuxta Ptolemæum, gentibus eos priùs *Guthos* deinde, *Gothos* fuiſſe denominatos. *Gothicæ gentes*, inquit Procopius belli Vandalici libro tertio, *multæ quidem & aliæ prius fuere, quam nunc. Omnium autem maximæ ac potiſſimæ, Gothi, & Vandali. & Veſogothi, & Gepedes, iamdudum, Sarmatæ, & Melanchlani appellati.* Addamus & nos, *Gothos* in *Oſtrogothos*, & *Veſogothos*, hoc eſt, in Orientales, & Occidentales fuiſſe diuiſos. Ita Iornandes in Geticis. A loco Orientali dicti ſunt Oſtrogothi; reſidui vero Veſogothi in parte occidua, & ſæpe alias. Ratio in promptu eſt, Germanicam linguam non ignorantibus. Gothi enim veteris Germaniæ fuere populi, apud quos, *VVeſt*, Occidens dicitur, & ſi Germanice pronunciandum ſit, *VVeſtigothi*, idem eſt, quod Occidentales Gothi, & contra, *Oſter*, Oriens vocatur. Vnde Carolus Magnus cum ventorum nomina in ſuam linguam mutaret, ſubſolanum Orientalem ventum *Oſtrenvvindt*, appellauit.

Zephyrum vero, qui ab occidente ſpirat *VVeſtren*. Sicut adnotauit is, qui vitã eius mandauit litteris, vt obiter admoneam, ventorum nomina, quibus hodie nautæ Luſitani vtuntur, à Carolo fuiſſe impoſita.

Inter Gothos duæ nobiliſſimæ excellebant familiæ, Amalorũ videlicet inter Oſtrogothos, & Baltorum inter Veſogothos.

Iornandes in Geticis, *Diuiſi*, inquit, *per familias populi Veſogothi, familiæ Balthorum, Oſtrogothi præclaris Amalis ſeruiebant.* Et quidem Amali regem Amalam ſuæ ſtirpis, & nominis auctorem fuiſſe gloriabantur. Balthi vero ab Alarico, qui ob audaciam *Baltha*, id eſt, audax, inter ſuos cognomen acceperat, deriuati ſunt.

Ceterum Veſogothos nobilitarunt, Alaricus, quem dixi, & Vallia, & Theodoricus is qui pro Romanis vna cum Aetio in Catalaunicis campis contra Attilam pugnans victor occubuit. Quem ex noſtris quidam *Theodoredum* vocant, Gregorius Turonenſis *Theudonem*; videlicet in barbaris his nominibus, vel ſuo more proferendis, vel paulo mollius proferendis, vel paulo mollius pronunciandis, mutuo non conſentiunt ſcriptores. Oſtrogothos, quos amalorum excellens familia illuſtrabat, illuſtriores reddidit magnus ille Theodoricus Amalus à Zenone Auguſto adoptatus, & quaſi alter Imperator Romæ, & Italiæ deſtinatus. Alanos præterea Gothicum & ipſum genus, eodem Procopio auctore, minime prætereamus, quos Maſſagethas fuiſſe, ſcribit Ammianus Marcellinus, libro vigeſimo tertio. Tametſi cognatæ gentes eæ ſeceſſionibus, ac factionibus inuicem diuiſæ etiam inter ſe frequenter bella geſſere. Quo factum eſt, vt Alani, Sueui, & Vandali à Gothis vicinis, & conſanguineis pulſi ſedibus, fœdere inter ſe iuncti, primum in Pannonias, deinde in Gallias, poſtremo in Hiſpanias immigrarent.

Ex quibus Vandali Bæticã occuparunt, ab ipſis deinde Vandaliam, & Vandaliciam nominatam. Vnde à Veſogothis, qui poſtea inundarant & eorum rege Vallia, Honorio Auguſto iam fœderato eiecti in Africam ſunt. Alani Emeritam, maioremque Luſitaniç partem, cũ Olyſippone, quæ ſemel pecunia ſe redemerat, tenuere. Sueui Callęciam omnem. Verum qui ad Emeritam conſederant, à Conſtantio prius Comite, deinde Cæſare ab Honorio declarato, & reſtitutę Placidiæ matrimonio affine facto, cum eiuſdẽ Valliæ, & Veſogothorum auxiliis graui prælio ſuperati, cum in pugna Athacem regem amiſiſſent, pars ad petendam pacem inclinarunt, pars ad Sueuos, qui Olyſiponem tenebant, confugientes, ſub eorum tutela acquieuere. Omneſque ii metu Romanorum territi, conſilia pacis agitantes, hæc ab Honorio poſtulabant, vt Oroſius ait: *Tu cum omnibus pacem habe, omniumque obſides accipe. Nos nobiſcum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus. Immortalis vero quæſtus eris Reip. tuæ ſi vtriq; pereamus.* Ita illi tunc. Verũ audita Cõſtantii morte, repudiato petitæ pacis conſilio, ad ingeniũ redierunt. Et quidem Alani Emeritã reuerſi, totã ſibi Luſitaniam vendicabant, Vandalis, qui in Bætica ſuperfuerãt, adhortantibus. Erexerant enim animos Vallia Toloſam reuerſo, quã ei Honorius permiſerat, cum nõnullis aliis Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus. Vnde Veſogothia regio ea eſt nuncupata. Hiſpani noſtri, Galliam Gothicam dicere maluerunt. Audaciam quoque auxit inſecuta Honorii mors. Sed cum minor Theodoſius, Valentinianum Placidiæ amitæ ſuæ, & Conſtãtii filium Cæſarem declaraſſet is contra Alanos, atque Sueuos in Luſitaniam Comitem miſit Sebaſtianũ. Qui ſane geſta bene re Luſitania potitus erat, tyrannide tamen affectata, cum Vandalorum reliquiis

& Veſogothis iniit fœdus. A quibus paulo mox circumuentus, & interfectus eſt.

Sueui ergo relicta ſociis Alanis Luſitania, ad ſuos qui in Gallæcia erant, cum ſe contuliſſent, atque in maius corpus coaluiſſent, regnum conſtituere. Quod ab Hermerico ad Leouigildum Veſogothorum regē, per annos CLXXVII. durauit, vt Iſidorus teſtatur. Præualuere autē Veſogothi, & actis altius radicibus, cum in citeriorem Hiſpaniam, tum etiam in Narbonenſem Galliam ſe extendentes, per annos trecentos, & octoginta, atq; amplius regnauerunt, quod decus, & gloriam Roderico regnante amiſerunt. Ad hunc modum, Hiſpaniæ Scythicis nationibus patuerunt, admiſcentibus ſe ſemper, in iſtiuſmodi demigrationibus vicinarum gentium populis, quos triſtis cæli, glebæq; infœcundioris tædium cepiſſet. Vniuerſos tamen propter amplitudinem, Gothicū nomen amplectebatur. Hæc breuiter, & ſummatim dicta ſint, quæ ad ſuſceptum à nobis opus facere videbantur.

DE VIIS MILITARIBVS.

VIAS militares, atque publicas, faciles, & expeditas, cum in Italia, tum in prouinciis efficere Romani conabantur. Qua in re præcipuam, & ſupra reliquos principes egregiam nauauit operam Traianus, vt etiam annotauit medicus Galenus Methodi libro nono. Vias igitur publicas propter lutum ſternebant lapidibus. Lucretius libro primo dixit:

Strataq; iam vulgi, pedibus detrita viarum,
Saxea conſpicimus ——

Vnde eas nos Luſitani *ſtratas regias* appellamus. Sternebant autem alibi impolito, rudique lapide, alibi pro vrbium claritate quadratis ſaxis, pæne inſana profuſione, vt memini in Narbonenſi Gallia me vidiſſe.

Millia paſſuum erectæ columnæ diſtinguebant, cum inſcriptionibus eorum, qui eas fecerant, eorumue qui refecerant.

Inde illa formula vulgatiſſima, primo ab vrbe, ad primum ab vrbe lapidem, & ſimilia.

Locis autem vliginoſis, ac depreſſis, addebant terræ aggerem, ſuper quem lapideã cruſtam inſternerent, eoq; factum, vt aliquando ipſa publica via, ac militaris, agger publicus diceretur, præcipue à ſcriptoribus Gallis, qualis Appollinaris eſt Sidonius, qui in propemptico ad libellum dixit:

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per ſpatium, ſatis vetuſtis
Nomen Cæſareum viret columnis. Et ſæpe alias.

Virgilius etiam dixit Æneidos quinto:

Qualis ſæpe via deprehenſus in aggere ſerpens.

Sed verbi inſolentiam mitigauit ac molliuit, quoniam nequaquam ſimpliciter, *in aggere* ſed *in aggere via* dixit.

Talium viarum ſeptem in Luſitania, atq; in Bracaris ſuperſunt adhuc, & vna in Vettonia, altera Luſitaniæ prouincia. Verum magna ex parte adgeſtionibus, ſtratiſq; vetuſtate corruptis, & collapſis milliariorum columnis.

Prima, cuius meminit Antoninus Pius in Itinerario, ab Olyſippone ducebat Emeritam. Cuius verba apponam aliquanto emendatius quam vulgo circumferuntur.

ITEM AB OLYSIPPONE EMERITAM M. P. CCIIII.

Equabona. M. P. XII.	*Celtobrica.* M. P. XII.
Ceciliana. M. P. XII.	*Malceca.* M. P. XVI.
Salacia. M. P. XII.	*Ebora.* M. P. XLIV.
Ad Anam flumen. M. P. LX.	*Euandriana.* M. P. XVII.
Dippone M. P. XII.	*Emerita.* M. P. IX.

Omitto oppidorum nomina, de quibus ſuo agetur loco. In hoc itinere in prædio, quod Pinarium vocant, Illuſtriſſimi ducis Auiarienſis, XX. Mil. P. à Çetobriga. à Salacia vero XVI. M. P. Oppidi ruinæ ſuperſunt, & ibi cippus non inelegans.

L. ÆLIO. AVRELIO. COMMODO. IMP. ANTONINI. AVG. PII. P.
P. FILIO. COS. DESIGNATO. P. M.
D. D.

Hos

Hoc eſt: *Lucio Aelio Aurelio Commodo imperatori Antonini Auguſti Pii patris patriæ filio conſuli deſignato pontifici maximo dedicarunt.*

Inter Salaciam, atq; Eboram, in colle ſuper flumen, cui Riuo Maurino nomen eſt, columna adhuc extat ad hunc modum inſcripta.

IMP. CÆS. DIVI SEPTI ... SEVERI PII ARAB. ADIAB. PARTHICI, MAX. BRIT ... AX. F. DIVI. M. ANTON. PII GERM. SARM. NEP. DIVI ANTONINI PII PRONEP. DIVI HADR .... ABNEP. DIVI TRAIANI PARTHIC. ... ET DIVI NERV ..... ADNEP. M. AVR. ANTONIN ...... P. F. AVG. PAR. MAX. BRI.... MAX. PATER MILITVM. TRIB. POT. XX. III. COS. IIII. P. P. PROC. REST ....

Hoc eſt: *Imperator Cæſar Diui Septimii Seueri Pii Arabici Adiabenici, Parthici Maximi filius, Diui Marci Antonini Pii Germanici Sarmatici nepos, Diui Antonini Pii pronepos, Diui Hadriani abnepos, Diui Traiani Parthici, & Diui Neruæ abnepos, Marcus Aurelius Antoninus Pius felix Auguſtus Parthicus, Maximus Britannicus, Maximus Germanicus, Maximus pater militum, tribunitia poteſtate vigeſimum* Imperator, *tertium conſul, quartum pater patriæ, Proconſul reſtituit.*

Ad duodecimum ab vrbe Ebora lapidem, itineris eiuſdem, in prædio, quod vocant Tabularios, duæ ſunt columnæ, altera omnino corroſas vetuſtate litteras habet, altera cũ hac inſcriptione manſit integrior.

IMP. CÆS. MAXIMIANO PIO. FELICI. AVG. EBORA. M. P. XII.

Hoc eſt: I*mperatori Cæſari, Maximiano Pio, Felici Auguſto Ebora millia paſſuum duodecim.*

Eodem itinere in veteri ædificio templum eſt Virgini Dei matri ſacrum & magna religione cultum. *Turegiam* locum eum vocant. De quo multa in libello ad Kebedium Toletanum ſcripſi.

Ibi menſa marmorea eſt, quam ſepulchro Q. Iulii Maximi Calpurnia Sabina vxor imponendam curauit. In quo ſepulchro duo etiam filii eius viarum curatores fuere conditi. Ea ſic habet.

D. M. S.

Q. IVL. MAXIMO. C. V. QVÆSTORI. PROVIN. SICILIÆ. TRIB. PLEB. LEG. PROV. NARBONENS. GALLIÆ PRÆT. DESIG. ANNO XLVIII CALPVRNIA. SABINA. MARITO OPTIMO.

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM ANNO. XXI. Q. IVL. NEPOTIANO. C. V. IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM. ANNO. XX. CALP. SABINA. FILIIS.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum Quinto Iulio Maximo, clariſſimo viro, quæſtori prouinciæ Siciliæ, tribuno plebis, Legato prouinciæ Narbonenſis, Galliæ Prætori deſignato annorum quadraginta octo Calpurnia Sabina marito optimo.*

Quinto Iulio *claro clariſſimo viro, quartum viro viarum curandarum annorum viginti vnus. Quinto Iulio Nepotiano clariſſimo iuueni, quartum viro viarum curandarum annorum viginti Calpurnia Sabina filiis.*

In agro Stermotienſi, nõ procul à pago Borbacena columnæ duæ ſunt, altera collapſa, eraſis omnino litteris præter primum & ſecundum verſum.

IMP. CÆS. DIV...... RI PII FIL.......

. . . .

Hoc eſt: I*mperatori Cæſari Diui Seueri Pii Filio.*

Altera ſtat cum inſcriptione hac, quæ tamen ægre iam legitur:

IMP. CÆS. DIVI ANTONINI PII MAGNI FIL. DIVI SEPTIMI SEVERI PII NEPOTI M. AVRELIO ANTONINO P. FEL. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. PROC. P. P. FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI ..... ORA. M. P. XXII.

Hoc eſt: *Imperatori Caſari diui Antonini Pii Magni filio, Diui Septimii Seueri, Pii nepoti, Marco Aurelio Antonino Pio, felici Auguſto Pontifici Maximo, Tribunitia poteſtate, ſecundum Conſuli, ſecundum Proconſuli, patri patriæ, fortiſſimo, feliciſſimoq; principi Ebora millia paſſuum viginti duo.*

Heluis in ædibus cuiuſdam viri nobilis columnæ duæ ſcriptæ iacent, ex itinere eo delatæ, ſed litteris tam corruptis, vt vix in quoque verſu duæ aut tres appareant. Ex ea via nihil amplius vidi.

Ab vrbe autem Ebora Pacem vſq; Iuliam, etiam apparent ſtratæ viç veſtigia. Columnæ extant multis in locis, partim adhuc erectæ, partim collapſç, fractæ, & terra opertæ.

Item ſuper Exarramam, Murtariam, & Odiuellam fluuios pontium dirutorum hic ſubiices, illic pilæ, pilarumque baſes. Litteræ in columnis intercidere. In vna tantum has cum diutius conſideraſſem, ægre potui legere:

IMP. CÆS. . . . .

. . . VÆ NEP

. . . IANVS HADR. . . . . COS. III

. . . .

Hoc eſt: *Imperatori Caſari Neruæ nepoti Traianus Hadrianus Conſul tertium.*

Iter quod ab Eſuri Pacē Iuliam corruptiſſimum Antonini itinerarium ponit, ego quinque aut ſex modis intelligere, cum tentaſſem, nihil fere in tanta deprauatione confeci.

Quare ita vt apud illū habetur reliqui, ſi forte aliquando prodeat is libellus minus mendoſe ſcriptus, aut feliciora nodum explicent ingenia.

ITEM DE ESVRI PACE IVLIA, M. P. CCLVII. Sic:

Balſa M. P. XXIV.	*Serpa* M. P. XIII.
Oſſonoba M. P. XVI.	*Fines* M. P. XX.
Arani M. P. LX.	*Arucci* M. P. XXV.
Rarapia M. P. XXXV.	*Pace Iulia* M. P. XXX.
Ebora M. P. XLIV.	

Et ſtatim ſequi debet alterum iter per compendium ab Eſuri Pacem Iuliam, quod bene ſignatum eſt. Ita enim habet: *Item ab Eſuri per compendium, Pace Iulia, mil. paſſ.* LXVI. Sic *Myrtili mil. paſſ.* XL. *Pace Iulia mil. paſſ.* XXXVI.

Magna quoque deprauatione vitiatus numerus eſt in itinere, quod à Salacia Oſſonobam deſcribit, habet enim: *A. Salacia, Oſſonoba, mil. paſſ.* XVI. Cum ſint ſupra CXVI.

Eodem itinere in colle ſiniſtrorſum, iuxta ſemidirutum oppidum Aureolam, meta eſt, quæ olim terminum Eborenſem à Pacenſi dirimebat. De qua meta in meo ad Kebedium Toletanum libello, ſatis multa. Ea autem eſt huiuſmodi.

D. D. N. N.
ÆTERN. IMPP. C. AVRE. VALER. IO. IOVIO. DIOCLETIANO. ET M. AVR. VALERIO. ERCVLEO MAXIMIANO PIIS. FEL. SEMPER AVGG. TERMINVS INTER PACENS. ET EBORENS. CVRANTE. P. DATIANO V. P. PRÆSIDE. HH. N. M. Q. EORVM DEVOTISSIMO HEINC PACENSES

Hoc eſt: *Dominorum noſtrorum æternitati imperatoribus Caio Aurelio Valerio Ionio Diocletiano. Et Marco Aurelio Valerio Erculeo Maximiano Piis felicibus ſemper Auguſtis, terminus inter Pacenſes, & Eborenſes curante Publio Datiano viro patricio præſide Hiſpaniarum, numini, maieſtatique eorum deuotiſſimo. Hinc Pacenſes, hinc Eborenſes.*

Duplex inde iter Antoninus ponit ab Olyſipone Emeritam, ſed vtrumque numeris corruptiſſimis, oppidiſque aut iam non extantibus, aut diuerſiſſime commutatis. Alterum ſic:

ALIO

ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE EMERITAM M. P. CXLV. Sic.

Aritio Pratorio. M. P. XXXVIII.
Abelteri. M. P. XXVII.
Matuſaro. M. P. XXVII.
Ad ſeptem Aras. M. P. VIII.
Budua. M. P. XII.
Plagiaria. M. P. VIII.
Emerita. M. P. XXX.

Corruptos eſſe numeros hinc apparet. Nam recto iſthac itinere ab Olyſippone Emeritam, numeramus tres & quinquaginta leucas, eæ conficiunt ducenta duodecim millia paſſuum. Sic:

Ab Olyſippone Beneuetum, traiecto ad villam Francam Tago, leucæ octo. Inde Saluaterram, quæ an Aritium prętorium ſit, alii expendant, leuca vna. Inde Culucci, quod an Tubucci ſit, alii quoq; expendant, & inde tota via ſuburipontana.

Alterum per Scallabin, ſic:

ITEM ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE EMERITAM. M. P. CC. XX. Sic.

Hierabriga M. P. XXX.
Scallabis M. P. XXXII.
Tubucci M. P. XXXII.
Fraxinum M. P. XXXII.
Medobriga M. P. XXX.
Ad ſeptem Aras M. P. XIII.
Plagiaria M. P. XX.
Emerita M. P. XXX.

Huius viæ columnæ partim vetuſtatis iniuria diffractæ, partim Crebris ignibus aduſtæ tantum abraſarum litterarum veſtigia demonſtrant, quas mihi videre contigit. Ita habent:

Iter autem à Scallabi ſupra Almerinum oppidum, per Alpiarſæ fluuii initia ducebatur.

Alicubi fragmenta rudia columnarum apparent, ex quibus nihil erat quod ſcriberem. Poſtea cum quatuor collapſas inueniſſem in vna earum hæc tantum potui legere:

IMP. CÆS. CAIVS IVL. VER . . . . . . NOB. IMPERATOR. V. TRIBVNICIÆ. POTEST. COS. PRO. P. PATRIÆ. . . . . . .
. . . .

Hoc eſt: *Imperator Cæſar Caius, Iulius, Verus nobilis Imperator, quintum Tribunitiæ poteſtatis Conſul, Proconſul, pater patriæ.*

Poſt mille paſſus columnæ tres collapſæ.

IMP. CAES. . . . .
. . . .
. . . .
TRAIANVS. AVG. GER. PONT. MAX. TRIB. POTESTATIS. II. RESTITVIT:
X
I

Hoc eſt: *Imperator Cæſar Diuus Traianus Auguſtus, Germanicus, Pontifex Maximus, tribunitiæ poteſtatis ſecundum reſtituit vndecim.*

Secunda fracta erat, & has tantum litteras habebat in fine:

RESTITVTOR VRBIS. IMP. CAESARI CLAVDIO. TACITO. PIO. F. INVICTO AVG. PONT. M. TRIB. POTESTATIS. II. COS. PRO.
. . . . . .

Hoc eſt: *Imperatori Cæſari Claudio Tacito, Pio, felici inuicto, Auguſto, Pontifici maximo, tribunitiæ poteſtatis, ſecundum Conſuli Proconſuli.*

Poſt mille paſſus, tres columnę, duæ collapſæ abraſis vetuſtate literis, vna erecta, quæ ſic habet:

IMP. CÆSARI M. CLAVDIO TACITO PIO. F. INVICTO AVG.
PONTIF. M. TRIB POTESTATIS. II. COS. P. P.

Hoc eſt: *Imperatori Cæſari M. Claudio, Tacito Pio Felici inuicto Auguſto, Pontifici maximo, tribunitiæ poteſtatis ſecundum Conſuli, patri patriæ.*

Poſt mille paſſus duæ collapſæ in fine vnius hæ tantum legi poſſunt:

. . . .
. . . .
. . . . . . COS.
IIII. PROCOS REFECIT.

Poſt mille paſſus, iuxta diuerſorium, quod vocant *Meſtas*, quatuor ſunt columnæ collapſæ, tres corruptas habent inſcriptiones: In vna ſic legitur:

IMP. CAES. CAIVS IVLIVS VERVS MAXIMINVS PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. PONT. MAX. PATER PATRIAE. TRIBVNICIAE POTESTATIS. TER COS. GERMANICVS MAX. DACICVS MAX. SARMATICVS MAX. ET C. IVLIVS VERVS MAXIMVS NOBILISSI. CAESAR. PRINCEPS IVVENTVTIS. GERMANICVS MAX. DACICVS MAX. SARMATICVS MAX. IMP. CAESARIS. CAI IVLI VERI MAXIMINI. PII. FEL. AVG. GERMANICI. MAX. DACICI. MAX. SARMATI. MAX. FORTISSIMI. CÆSARIS FILIVS. IIII.

Hoc eſt: *Imperator Cæſar Caius* Iulius *Verus Maximinus Pius, Felix, inuictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, pater patriæ, tribunitiæ poteſtatis, ter Conſul, Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus, & Caius* Iulius *verus Maximus nobiliſſimus Cæſar princeps iuuentutis, Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus* Imperatoris *Cæſaris* Caii Iulii *Veri Maximini, Pii Felicis Auguſti, Germanici Maximi, Dacici Maximi, Sarmatici Maximi fortiſſimi Cæſaris filius quatuor.*

FINIS LIBRI TERTII.

L. ANDR. RESENDII

DE

ANTIQVITATIBVS LVSITANIAE

LIBER QVARTVS.

VRBES nunc aggrediar, non minimam intentionis meæ partem. Quarum pleræq; etiam Romanis temporib. priſca nomina amiſerunt. Multas nominat Liuius à vetuſtioribus acceptas, aut nullo nunc modo, aut ægre intellectas, quoniã iis alia Romani poſteà vocabula impoſuerũt.

Incipiamus ab illa parte Bæticę, quæ modo appendix eſt Luſitaniæ, in qua Oliuentiam Mauranum, Maurani, Serpam, Mortiganum, ac Noudarem eſſe primo libro commemorauimus.

Ac de Oliuentia vrbe nihil quod ad antiquitatem faciat, adhuc habeo, niſi cippi ibi inuenti inſcriptionem ad me illinc miſſam.

D. M. S.
C. ANTESTIVS CALVVS. C. ANTESTIVS PROCVLVS. H. SS. CORNELIA TERTVLLA. VIRO ET FILIO. DE. S. P. F. C.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum. Caius Anteſtius Caluus, Caius Anteſtius Proculus hic ſiti ſunt. Cornelia Tertulla viro & filio de ſua pecunia fieri curauit.*

De Maurano æque nihil.

DE MAVRA.

M*Auram* inſigne oppidum. Nouum fuiſſe Arucci, ex cippo iſtiuſmodi, quem ibi legi perſuaſum habeo.

IVLIAE. AGRIPPINAE CAESARIS. AVG. GERMANICI . . . .MATRI. AVG. NOVA CIVITAS ARVCCITANA.

Hoc eſt: *Iuliæ Agrippinæ Cæſaris* Auguſti *Germanici matri Auguſtæ noua ciuitas Aruccitana.* Nouum autem Arucci dici puto, quoniam adhuc ſuper eſt Arucci vetus, nomenque retinet. Vulgo enim *Arouche* dicitur, profertur que plane Græce vt à Ptolemæo vocatur. Parum tamen iam frequens eſt Arucci vetus.

Accõmodant Maurenſes nouo nomini, haud ſcio an fabulam appellem. Fuiſſe Maurum Regulum quendam tractus illius dominum, qui cum de finibus cum altero potentiore bellum gereret, atque in prælio cecidiſſet, eiuſque vxorem forma luculenta mulierem ſæpe victor interpellaſſet, additis niſi acquieſceret minis, illam contumaci odio interfectoris poſtulata reſpuiſſe. Cumque Arucci veteri, propter hoſtis vicinitatem diffideret, migraſſe ad nouam ciuitatem Aruccitanam, vt tutiorem ſitu, ita bonitate vberioris agri magis accommodam. Cumque ab indigenis Maura ex Arucci vulgo appellaretur, factum eſſe, vt etiam ipſa vrbs Maura exinde nominata ſit.

In territorio quoque oppidi eiuſdem multa antiquitatis ſuperſunt veſtigia. Inter Mauram, atque Ficalium ſemidirutum oppidum, ad pagum, quem vocant Vallemuargi, in fani antiqui ruinis, vbi ſacellum Michaeli ſacrum poſteri meliori religione extruxerunt, quattuor cippos fractos, exeſiſque vetuſtate litteris deformatos inueni. Vnus qui reliquus integer eſt, fideliter à me deſcriptus ita habet:

DIS. MAN
IBVS. AVRIILIAII.M. F. GALLAII. A.NNO. XII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus Aureliæ Marci filia Galla annorum duodecim, hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis.*

Et ne quis forte miretur inuſitatam ſcripturæ rationem, AVRELIAII. GALLAII. pro AVRELIAE *Gallæ.* Sciat in Epigrammatis quoque antiquæ vrbis pagina 149. legi,

M. PONTIVS HIIDISTVS. DAIINI COIVGI BIINII MIIRIINTI
FIICI VIXIT. MIICVM ANNIS TRIBVS.

Pro eo quod eſſe deberet: *M. Pontius Hediſtus Daeni coniugi bene merenti feci. Vixit mecum annis tribus.* Et annotauit corrector, alibi etiam duo II pro E poſita ſe inueniſſe.

Ficalii quoque cippus hic eſt:

D. M. S
VLPIA. M. F. MARCELLA ANNORVM LIII.
H. S. E. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum. Vlpia Marci filia Marcella annorum quinquaginta trium hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis.*

Ad pagum Callæcum inter Ficalium, & Arucci vetus in fano S. Mametis cippus:

D. M. S.
VIBIA. CRISPIA . . . RVFINI. ARABRICENSIS ANNOR. LXVII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Vibia Criſpia Rufini* Arabricenſis, *annorum ſexaginta ſeptem, hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis.*

Inſigne quoque oppidum Serda non multum mihi negotii exhibuit. Nomen enim illæſum vſq; ex antiquo retinet, vt apud Antonium in itinerario eſt, & in cippo iuxta oppidum reperto:

D. M. S.

FABIA. PRISCA SERPENSIS. C. R. ANN. XX. H. S. E. S. T. T.
L. C. GEMINIVS. PRIS CVS. PATER. ET FABIA CADILLA MA-
TER. POSVERVNT.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum: Fabia Priſca Serpenſis ciuis Romana annorum viginti, hic ſita eſt, ſit tibi terra, leuis, Caius Geminius Priſcus pater, & Fabia Cadilla mater poſuerunt.*

LVSITANIAE ALGARBIVM.

TRanſgrediamur nunc Anam, & Luſitaniæ vrbes, de quibus, vel indubitato conſtabit, vel certe probabili coniectura antiquitatum ſtudioſis explicemus. *At Luſitania,* inquit Pomponius, *qua mare Atlanticum ſpectat, primum ingenti impetu in altum abit, deinde reſiſtit, ac ſe magis etiam, quam Bætica abducit. Qua prominet bis in ſemet recepto mari, in tria promontoria diſpergitur, Anæ proximum quia lata ſede procurrens, paulatim ſe ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur, ſequens Sacrum vocant Magnum, quod vlterius eſt.*

Aduertant lectores promõtoria hic non vocari ipſa tantũ terræ acumina, quæ mari imminent, ſed totos late etiam tractus, qui tandem acumine in mare deſinunt. Ita Liuius Decadis tertię libro primo: *prægreſſus ſigna Hannibal in promontorio quodam.* patet hoc ex ipſa Pomponii deſcriptione. *Quia lata ſede procurrens paulatim ſe ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur*, videlicet ad ſimilitudinem cunei, quo ligna ſcinduntur: Græci *Sphina* vocarunt promontorium hoc, Latini *Cuneum*. Noſtra ætas ſanctæ Mariæ caput appellat, ſicut & ſequens, quod Sacrum dicebatur ſancti Vincentii caput vulgo dicitur. Priſci tamen nominis veſtigium ibi in oppido Sacris adhuc perſeuerat. Promontorium vtrumq; Strabo Celticos, ac Luſitanorum pleroſque habitare dixit. Ptolemæus etiam Turdetanos adiungit: ſicut latius à nobis pro Pacenſi colonia diſputatum eſt. Nos Algarbii regnum vocamus à Mauris, cum id tenuere indito vocabulo. In cuneo vero hoc, Myrtilis, Oſſonobæ, atq; Balſę oppidorum meminit Pomponius.

DE MYRTILI.

MYrtilis, quam Mertolam appellamus, Anæ fluuio eſt impoſita, multis antiquitatum monumentis plena, cippis; columnis, ſtatuis, quibus tam Gothi, quam Mauri, ad reficiendos muros pro cæmentis abutebãtur, vt erant, & hi, & illi ingenio plane barbaro. Octo, vel decem ſtatuas annis ab hinc aliquot terra effoſſas Myrtilenſes homines inde tollere permiſerunt affabre inſculptas, ſed ſine capitibus. Arbitrantur capita fuiſſe ænea & inſititia, atque ideo à corporibus in alium vſum euulſa.

Abeſt à pace Iulia iuſtis XXXVI. paſſuum millibus hoc eſt, noſtratibus nouem leucis quod Antoninus in itinerario dixit. Myrtilin Plinius, ſicut & Eboram, & Salaciam veteris Latii municipium fuiſſe ſcriptum reliquit, Ptolemæus Iuliæ cognomen illi tribuit.

DE BALSA.

OLim vocatam *Balſam* eam eſſe coniicimus, quæ noſtro tempore *Tauilla* nominatur maxima Algarbii ciuitas. Eius præter Pomponium, meminere Plinius, Ptolemæus, & in itinerario Antoninus.

DE OSSONOBA

OSſonoba vero diruta pæne eſt, cuius priſcæ nobilitatis nonnulla adhuc extant veſtigia, paſſimque per viciniam, præcipue in muris Phari propinquæ ciuitatis, magiſque littoralis. Hæc vrbs ſedes fuit Epiſcopalis; vt liquet ex conciliis, in quibus Oſſonobenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Nomen Maurorum temporibus paululum inuerſum eſt. Raſis Maurus Exubonam eam vocat, ingenito linguæ Punicę vitio. Cuius de ea teſtimonium, ad verbum ſed ad ſenſum iſtiuſmodi eſt:

Exubana ſolo fertili, ac frumentario ſita eſt, plano, & fructiferis arboribus conſito. Habet etiam pineta, & montes ad alenda pecora maxime accommodatos, hortos quoq; irriguos multos, quoniam fontibus, ac fluentis abundat; electrum producit optimum: mari vicina eſt, vbi aliquot ſunt inſulæ paruæ, cymbis, ac nauiculis ad vſum, & inuectiones opportunæ. Ciuitas inter eadem magnitudine pares de melioribus totius eſt orbis. Sub iure, ac dominio ſuo habet oppida nonnulla, è quibus Siluis eſt ſita ſuper æſtuarium, quod à mari egreſſum paruo fluuio commiſcetur. Hactenus ille. Fortunæ viciſſitudine facta, Siluis pontificio exornata eſt, Oſſonoba vero in vicum redacta de cuius quoque ruinis, proxima Pharus nobilitatur, & creſcit. Nec ipſum nomen iniuriæ non patuit. ex Oſſonoba in Exubanam tranſiit, & cum iam prope non ſit, *Eſtoi* nuncupatur. Phari in muro inter propugnaculum nouum, & alterum à Roderico Barreto extructum, cippus eſt:

IMP. CAES. P. LICINIO VALERIANO. P. F. AVG. PONT.
MAX. P. P. TR. POT. III. COS. RESP. OSSON. EX DE-
CRETO ORD. DEVOT. . . . . NVMINI MAIESTAT. IS.
EIVS. D. D.

Hoc eſt: *Imperatori Cæſari Publio Licinio Pio. Felici, Auguſto, Pontifici maximo. patri patriæ tribunitia poteſtate tertium Conſuli, Reſpublica Oſſonobenſis ex decreto ordinis deuotiſſima numini maieſtatis eius dedicauit.*

In quadam turri ex parte maris cippus:

D. M. S.
CATVRISAE. PRIMAE CONIVGI PIISSIMAE QVAE. VIXIT.
ANN. XXV. M. VIII. L. CALP. THEODORVS. MARIT.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum. Caturiſæ piiſſimæ, quæ vixit annos viginti quinq;, menſes octo, Lucius Calpurnius Theodorus maritus.*

Inter Pharum, & Tauillam in turri, quam vocant marini cippus:

D. M. S.
C. ANNIVS ROMVLVS ANNORVM XXVIII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Caius Annius Romulus annorum viginti octo hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

Phari ad portam maris, cippus:

M. CORNELIVS ERIDIMVS. C. IVNIVS. RECEPTVS. OB HO-
NOREM. IIIIII. VIR. D. S. P.
D. D.

Hoc eſt: *Marcus Cornelius Eridimus, Caius Iunius receptus ob honorem Seuiratus de ſua pecunia dedicarunt.*

Sequitur promontorium Sacrum, ita vocatum propter Herculis templum, & quia religio indigenis erat, locum nocturnis inambulare temporibus, quod eum tunc ab diis poſſideri fabularentur, vt initio tertii libri Strabo ſcriptum reliquit.

Promontorium ipſum duobus cornibus in altum ſe præcipitat, effecto inter vtrumque modico ſinu, cuius eſt ambitus quinque fere millium. In ſiniſtro cornu Sacris oppidum eſt; quod adhuc promontorii nomen refert. In dextro nobile ſancti Martyris, ac Leuitæ Vincentii templum, cuius corpus, quonam pacto ex Valentia delatum eo ſit, tyrannidem exercente in Sanctorum reliquias Abderramene, cum in meo de eodem Sancto poemate, tum in libello ad Kebedium Toletanum, late explicaui. Veteres Geographi, vrbium huius tractus, nequaquam mentionem faciunt. Vnus Pomponius, vtpote Bæticus, & non longo interuallo diſſitus, Lacobrigæ, ac portus Hannibalis maritimarum ciuitatum meminit: *In ſacro*, inquit, *Lacobriga, & portus Hannibalis.*

DE LACOBRIGA.

LAcobrigam mutilato, atque nonnihil deflexo nomine *Lagos* appellat vulgus, nobiliſſimum noſtro æuo, frequenſque oppidum ac nuper à Sebaſtiano Rege in ciuitatis titulum, & honorem euectum, ſicut & Pharo ab Ioanne tertio Sebaſtiani auo.

Legi ante multos iam annos in Agelariis Baptiſtę Mantuani, qui me puero per omnium ora volitabat, magnum de Lacobriga teſtimonium.

Dicitur Ardiburi poſuiſſe Lacobriga ſeptem
Victori totes ſtatuas totieſq. per illum
Eruta Vandalicis bello inſurgente procellis.

Quod neſcio vnde fuerit mutuatus, cuius poetæ, quoniam multum iam fama refrixit, cetera, quæ ad Lacobrigam attinent, videre poterunt, ſi velint, quorum in manus liber is deuenerit.

DE PORTV HANNIBALIS.

DE portu Hannibalis dubitanti, duo ſe oſtia obiiciebant; alterum ad Villam nouam cognomine Portimanam, eius fluuii, qui vrbem Siluin, ad quam Oſſonobenſe pontificium tranſlatum eſt, præterfluens in mare delabitur. Alterum ad Alborem oppidum non obſcurum, vtrumque in ſinu magnarum, multarumque nauium capaci. Sed quarum interius per oſtia ingreſſus, non niſi æſtu accedente fiat. Facilior Villanouanus recto curſu, paulo Alboritanus difficilior, propter flexus varios & in modum Syrtis obſtruentes oſtium arenas. Verum vbi penetrarint pandente ſe æſtuario, commodiſſima ſtatio eſt nauigiorum. Parua inſula intus eſt ſitu editior, in ſummo plana in qua olim oppidum fuit. Superſunt vndique muri à fundamentis vſque ad mediam altitudinem cæmentitii, in ſuperioribus formacei Punico opere. Summa planities, ruderibus, parietinis, fractis teſtis, tegulisque tota plena, ędificiorum monſtrat ruinas. Hoc nimia Vetuſtate extincto, Alborem noſtri maiores ibi iuxta intima æſtuarii ora conſtruxerunt. Hunc fuiſſe Hannibalis vocatum Portum potius arbitramur, quam Villamnouam, oppidum reuera nouum, propter loci ſitum, vnde defendi naues egregie poterant, & aditu arceri hoſtes, quod à peritiſſimo bellicæ rei duce conueniebat prouideri. Quando autem oppidum hoc Hannibal condiderit, pro comperto ego aſſerere nequaquam audeo. In Luſitania fuiſſe Hannibalem, tertio volumine oſtenſum à me eſt.

Potuit quoque ex Gadibus, cum vota Herculi exſoluiſſet, nouiſque ſe obligaſſet. Quod primo tertiæ decadis libro ſcribit Liuius, ad promontorium hoc Hannibalem accedere propter dicatum Herculi templum, & diſſipatam de diis locum tenentibus famam. Sicut Strabone referēte paulo ante narrauimus, maxime inuitante maritima tractus illius amœnitate, & ad res gerendas opportunitate.

DE MEDOBRIGA.

A Sacro promontorio vſque ad Callipodis fluuii egreſſum, hoc eſt ad ſinum Salacienſem, multa ſane ſunt oppida, neque contemnenda, ſed quorum mentionem veteres non fecerunt. Plinius Merobrigæ meminit, ac mirum eſt Cetobrigam omiſiſſe in ora poſitam, cum Salaciam multo interius locatam non prætererierit neque Merobrigam, ſex fere millibus paſſuum ab littore ſeparatam. Verba illius ſunt: *Oppida memorabilia à Tago in ora, Olyſippo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria, Merobriga promontorium ſacrum, & alterum Cuneus.*

Interiit autem Merobriga, in cuius locum ſucceſſit iuxta oppidum S. Iacobus cognomine Cacem oppidum in excelſo colle poſitum. De quo poſtea. Muri cum turribus, alibi integri, alibi vero ſemidiruti, aquæductus, pons in intermedia valle, & quadrato lapide perennis fons, antiquæ me ciuitatis admonuerunt.

Habeo etiam ex ære Cyprio Vulcani paruum ſimulacrum ibi repertum, & elegans æneum candelabrum. Templum ibi eſt ſancto Blaſio dicatum, & ſuper aram lapideam.

Menſa cum hac inſcriptione:

C. CONCILICO. FVSCO PATRI EX TEST. COCILICI A PASTOR

Hoc eſt: *Gaio Cocilio Fuſco patri ex teſtamento Cocilicia Paſtor.*

In ſemicol-

In ſemicollapſa turri cippus.

C. NVMISIO. C. F. FVSCO. VI. VIRO. SEN. TATI
NIA. Q. F. FVLVIANILLA VCSOR PERMITTENTE.
ORD. MEROBRIG.

Hoc eſt: *Caio Numiſio Caii filio Fuſco, ſextum viro Sentatinia Quinti filia, Fuluianilla vxor permittente ordine Merobrigenſi.*

SANCTVS IACOBVS DE CACEM.

DIXI ſucceſſiſſe Merobrigæ oppidum ſanctum Iacobum in excellenti colle, qui maris proſpectum aperit, nec à Merobriga diſtat ducentis integris paſſibus.

Loco dominabatur Cacem tyrannus Maurus, cum à Chriſtianis receptum oppidum eſt. Cauſam nomini dedit Apoſtoli Iacobi marmorea ſub terra effigies, eo loci reperta, quæ nunc quoque religioſè ibi colitur. Factumque eſt nomen à Sancti effigie, cognomen autem à regulo, ſub cuius fuerat poteſtate. Expugnationem referunt oppidani ad heroïdem Batazam, cuius quia ſemiſepulta fama eſt, non ab re fuerit, operæ pauxillum impendere. Viam nobis aperuerit Hieronymus Zurita Cæſarauguſtanus, vir doctus, & hiſtoriç diligens ſcriptor. Sed quia Ioannem Batazen cum Ioanne Comneno, quem Caloiannem quidam appellant, Manuelis Comneni patre, confundere videtur ex Nicæta Choniate Grçcō auctore, qui ea tempeſtate fuit, & ex Baptiſta Egnatio rem ipſam petamus.

Grçciç imperator Alexius Angelus cum duas haberet filias adoleſcentulas ac viduas, & eas ob adoleſcentiam & formam, vt ait Nicçta, ſecundas nuptias deſiderare videret, Irenen Alexio Palæologo, Annam Theodoro Laſcari, adoleſcenti animoſo & bellicoſiſſimo deſpondit, dotiſque nomine, inquit Egnatius, imperii titulos genero tribuit. Et quidem Laſcaris, depulſo & profligato Manuele Maurozome rubro calceo induto, ab omnibus Orientalibus vrbibus imperator conſalutatus eſt, vt teſtatur Nicæta. Ceterum ex vxore maſcula illi proles nulla fuit, femina tantum Irene.

Hanc Ioanni Diplobatazio in matrimonium iunxit, imperiumque illi per manus tradidit. Ita Egnatius. Sed quem Ioannem Diplobatazium ipſe vocat, Ioannem Batazem appellant alii, & quidem Græci, inter quos Nicephorus Calliſtus, & Batazem tam Zonaras quam Nicæta ſæpe nominant. Ioannes itaque Batazes filium Theodorum Laſcarem minorem ſucceſſorem reliquit. Qui moriens Ioannem filium, & filiam Laſcaram Michaeli Palæologo tutorio nomine commendauit. Verum Palæologus, interfecto puero, per ſummum ſcelus, ſibi imperium vendicauit.

Redeamus modo ad Zuritam in Aragonicis libro quinto capite vltimo. Laſcara puella verita, ne & ipſa in tyranni ſæuitiam incurreret, Ligurum mercatorū auxilio Genuam venit. Nupſitque in Liguria Wilelmo comiti, Entemelii, vel, vt vulgo dicitur, Vigintimilii, peperitque ex eo filium Ioannem Laſcarem, & tres filias. Mortuo marito, filium Genuç reliquit, qui patri in Entemelii ditione ſucceſſit. Ipſa filias ſecum ducens, ad Petrum Aragoniæ regem, cuius ingens erat fama, ſe contulit, ſi forte dignaretur auxilium ferre, ad recuperandum paternum imperium ſibi per tyrannidem ereptum. Suſcepit illam rex nobilis honorificentiſſime, & in Valentiæ regno retinuit. Filiarumque maximam Iolanthē ex Græcia cognominatā, vxorē dedit Petro Baroni Aierbæ, regis Iacobi nepoti.

Secundam Beatricē ex Græcia vocatam prætermitto huic operi non neceſſariam, Bataza quoque ex Græcia, in matrimonio non diu fuit, peperitque filiam, cui ſui nomen impoſuit. Hanc Iolanthæ matertera, vbi per ætatem licuit, nuptui collocandam curauit.

Interea cum Iſabella Petri regis filia nupſiſſet Dionyſio Luſitaniæ regi Bataza iam vidua, propter morum, & vitç probitatem, vna etiam venit, fuitque in Luſitania, quo ad Conſtantiam ipſius Dionyſii, & Iſabellç filiam, Ferdinandus Caſtellæ duxit in matrimonium. Tunc quoque Bataza ſpectatæ virtutis matrona, nouam nuptam comitata eſt, tamquam moderatrix eius adoleſcentiç. Quæ cum partu edidiſſet Alfonſum poſtea regem, non diu ſuperſtite marito, regis filii cum Bataza nutricationem ſedulo curabat. Sed ſubducto à materna cura infante auiæ conſilio, quæ ad ſuam poteſtatem transferre illum maluit, Regina mater & recenti viduitate mœſta, & præcipue nutriendi filii ſolatio deſtituta, inſuper alēdæ familiæ impar, quod peranguſtè admodumq; tenuiter, nec pro regia dignitate, ſumptus ſuppeditaretur, ex dolore morbū incurrit, deceſſitq; in oppido ſancto Facūdo. Et cū eius ſupellex, mundusq; muliebris ad ſatisfaciendū alumnis minimè ſufficeret, teſtamēto à

Dionyſio patre, atq; Iſabella matre periit, vt quod illi deerat, ipſi ſupplerent. Bataza autem, cum ſe inuidioſam ex præterita potentia indies perſentiret, re cum ſuis communicata, nauem adornari præcepit, beneq; tam ex ſuis copiis, quam ſororum auxilio inſtructam conſcendens per mediterraneum mare exiit, ac circumitis Gadibus, & ſacro promontorio, ad flexum, vbi oppidum Sinis eſt, extenſionem fecit. Conuenerunt ad illam Chriſtiani multi, & ex ſacra ſpathophorum militia equites non pauci, qui vicina loca tenebant, atque ad non ſpernendas copias aucti, Cacem regulum oppido exuerunt. Extructoq; templo Bataza bonam ligni ſanctæ crucis partem, quam à Laſcara matre Conſtãtinopoli delatam acceperat, in quadam templi pila concluſit. Quę diu ignorata latuit, donec miraculo fuit prodita. Ob hoc ſolenne ibi eſt, dominicis, ac celebrioribus diebus, cum poſt ſacrificii Euangelium populum ſacerdos alloquitur, etiam adhortari, vt precentur Deum pro Bataza Laſcara, Græciæ Imperatoris nepte. Relicto in poteſtate Chriſtianorum oppido, venerabilis matrona Conimbricam ſe contulit, adhuc illa tempeſtate vrbem regiam. Vbi facultates opeſque ſuas iis, qui ſibi inſeruierant, diſtribuens, pauperum nequaquam immemor. Eccleſiam cathedralem donariis multis ac prædiis locupletauit. Sepulta ibi eſt in lapideo, nec operoſo monumento, inſcriptione ſimplici.

HEIC SITA EST BATAZA IMPERATORIS GRAECIAE
NEPTIS.

DE CETOBRIGA.

CEtobriga, quæ Ptolemæo *Cetobrix* appellatur in ora & oſtio ſinus Salacienſis quondam ſtetit, vrbis tenue veſtigium modo eſt, arenis obrutæ, niſi qua irrumpentis maris violentia, ſub aqua nonnunquam, nonnunquam vero à tumulo in tumulum in arenas cadentib. ventis, detegũtur ædificia. Cauſa nominis à Cetis, & Briga orta eſt. Briga ſiquidẽ veteri Hiſpanorũ lingua vrbẽ ſignificat, vt Arabriga, Conimbrica, Cetobriga, Lacobriga, & multę alię. Prima vero cõpoſiti nominis pars, à Cetis eſt facta. Cete magnos piſces, vt thynnos, omiſſis marinis belluis ſignificare, & qui piſces eos ſaliunt, cõdiunt, ac vẽdunt, cetarios appellari notum eſt, lacus autẽ in quib. ſaliuntur cetariæ & cetaria dicuntur, vnde Horatius:

Plures adnabunt thunni, & cetaria creſcent.

Quoniam vero in vrbe hac, de qua nobis ſermo eſt, celebris erat piſcatio, & ſalſura talium piſcium, ſicut etiam nunc Cecimbrigæ, quod oppidum è regione eſt in extimo fere Barbarii promontorii littore, Cetobriga vocata ciuitas eſt. Durant adhuc in Cetobrigenſi littore ipſa cetaria, ſignino opere antiquitus fabricata. In medio obrutæ arenis ciuitatis fanum peruetus eſt, quod inſtauratum virgini Chriſti matri ſacrauit Chriſtiana religio. Ad cuius ingreſſum, ſupra portam, arietis caput viſitur contortis cornibus, factum ex marmore, & quidem elegantiſſime. Neq; diſſentaneum eſt fanum id, atq; ſimulacrum Iouis Ammonis olim fuiſſe, contra frequentes arenarum turbines, ab ethnicis ibi culti. Statua quoque marmorea ſtolata illinc Neocetobrigam delata eſt, abſque tamen capite. Inſcriptio quoque hæc in quadrato iaſpidis albi lapide, in parthenone virginum ſancti Dominici inſtitutum profitentium Neocetobrigæ extat.

L. IVLIVS. L ET. T. LIB. VALENS. ANNOR. XXV.
H. S. E. S. T. T. L.
COPIRVS. FRATRI.

Hoc eſt: *Lucius Iulius Lucii & Titi libertus, Valens annorum viginti quinq. Hic ſitus eſt. Sit tibi terra leuis Copirus fratri.*

Antiquitus Cetobriga ab Occidente Eborenſem Epiſcopatum terminabat, Ex Bambæ optimi regis diuiſione, qui finium cathedralium eccleſiarum terminatione Epiſcoporum lites voluit dirimere. *Epiſcopatus*, inquit ille, *Eborenſis habeat à Cetobriga vſq; ad Petram, & à Rutella vſque Paratam*. Noſtris quoque temporibus, Eborenſis diœceſis finis, Cetobriga vetus eſt. Corrumpi cœpit nomen in Cetobram, quam poſtea, multo corruptius vulgus ineruditum Troiam fecit.

DE NEOCETOBRIGA.

POST dirutam Cetobrigam, mutata colonia eſt, ad alteram ſinus oram Septentrionem

nem verſus, ab hinc anno: circiter quadringentos quinquaginta, conuenientibus eo loci piſcatoribus, tantaq; & ibi & Cecimbrigæ, ſitæ, vti dixi, in extimo fere Barbarii promontorii litore, nobilium piſcium captura eſt, cum mare piſcoſiſſimum ſit, vt etiam ex intima Hiſpania plenis viis confluant mercatores. Accedit ingens candidiſſimi ſalis copia, propter ſalinarum toto ſinu multitudinem. Cuius gratia, externarum quoque nauium magnus ſemper numerus aut exit, aut ingreditur. Commercio itaque tam inuectionum factum inſigne oppidum eſt, opulentiſſimumque adeo vt magnarum vrbium nequaquam inuideat claritati. Vocata quoque Cetobriga poſterior hæc colonia eſt, retento priſco nomine, & vulgo Cetobra. Indies autem vergente corruptione, Cetobala. Florianus Campenſis in commentitiis ſuis originibus, à Cetobala corrupto nomine, cœtum Tubalis confinxit, originemque oppidi vſque à Tubala fabulatur. Ego Neocetobrigam ſoleo nominare diſtinctionis gratia, liberum cuique eſt alterutro vti, ſiue enim Cetobrigam, ſiue Neocetobrigam dixerit, erudite loquetur.

DE PACE IVLIA SIVE AVGVSTA.

Dicta ora eſt, ab exitu Anæ vſque ad Salacienſem ſinum. Quem prius quam transgrediamur, redire ad continentem oportet, per ciuitates, non quidem omnes. Neq; enim omnes recenſere propoſitum mihi eſt, ſed eas, quæ vel à veteribus auctoribus nominatæ ſunt, vel quæ inſcriptionum vetuſtarum beneficio, aut maxime inſigni quopiam facto, nomina ſibi ſuo merito prodiderunt. Idque ſemel hoc loco præfatum eſſe me, candidi lectores meminerint. Ceterum Pacem Iuliam, ſiue Auguſtã deſcripturus modo eram, niſi ſatis ſuperque id feciſſem, in bene longa ad Vaſæum epiſtola, pro Pacenſi colonia & in libello ad Franciſcum Nonium, & aliis non paucis ſcriptorum meorum locis. Si quidem oſtendi eam eſſe, quæ vulgo Bexa dicatur, corrupto à Mauris nomine, ſitam vero in Celticis Luſitaniæ populis, iuxta Strabonem, vel in confinio Celticorum, Turdetanorumq; iuxta Ptolemæum Coloniam fuiſſe, & ſecundum Luſitaniæ conuentum, & quo pacto ab ea pontificatus dignitas translata Badioſam ſit, prolixe etiam expoſui. Ante vniuerſalem Hiſpaniæ cladem, floruit in hac vrbe Aprimgius Epiſcopus ſcriptor eruditus, cuius in Apocalypſin interpretationem veteribus omnibus præfert Iſidorus. Floruit etiã Iſidorus Pacenſis cognominatus, cuius opuſcula horrido parumq; culto ſermone, eaq; imperfecta, & mendis ſenticoſiſſimis ſcatentia circumferuntur. Floruere quoq; iuuenis Siſenandus martyrio Cordubæ coronatus, & Tyberinus presbyter. Extant ibi complura Romanorum monumenta, ex quibus aliquot adſcribam, quæ per muros ipſius ciuitatis diſperſa viſuntur.

Ad portam Maurenſem, verſus nouam.

C. IVLIVS. C. F. . . . . .II VIR BIS PRA . . . .VTRIQVE
SEN. . . . .
. . . .

Hoc eſt: *Caius Iulius Caii filius, Duumuir.*

Poſtea fragmentum in muro:

EQVIT. PRAEF. FABRVM.

Hoc eſt: *Equiti præfecto fabrum.*

Cippus ſemifractus:

M. AVRELIO. C. F. GAL. II VIR. FLAMINI CAESARIS. AVG.
PRAEFEC. FABR.
D. D.
. . . .

Hoc eſt: *Marco Aurelio Caii filio Galerio Duumuiro Flamini Tiberii Cæſaris Auguſti præfecto fabrum Decreto Decurionum, vel dedicarunt.*

Ad Portam Myrtilenſem:

Q. PETITIO. T. F.
RVFO. MATER. FILIO.

Hoc eſt: *Quinto Petitio Titi filio Ruſo mater filio.*

Fragmentum, vltra portam Maurenſem, littera beſſali. Deſiderantur lapides in vtroque capite:

CVRIAE. PONT. FLAM. PACIS IVLIAEVE. FLAMI. . . . .

Hoc eſt: *Curia Pontifices, Flamines Pacis Iuliæ.*

Extra Muros.

D. M. S.
HEL. AERIANVS. ANNORVM XII
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum Helius AErianus annorum duodecim, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

In quodam horto:

C. IVLIO L. F. GAL. AVITO FRATRIVS. SABINVS.

Hoc eſt: *Caio Iulio Lucii filio Galeria auito fratri Sabinus.*

In gradibus ſummi templi:

. . . .
. . . PAX. IVLI. . . . . .
. . . Q. PETRON. . . .
. . . .

Hoc eſt: *Pax Iulia Quinto Petronio.*

Ad Sanctum Saluatorem:

D. M. S.
IVL. PATERNA. ANN. XV. IVLIA TERSPICORE LIBERTÆ OBSEQVENTISSIMÆ
H. S. E. S. T. T. L.
. . . .

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Iulia Paterna, annorum quindecim Iulia Terpſicore liberta obſequentiſſimæ, hic ſita eſt. Sit tibi terra leuis.* Errore ſculptoris poſitum eſt *Terſpicore* pro *Terpſicore*, ſed ego mutare nolui.

In foro Cippus:

L. ÆLIO AVRELIO COMMODO IMP. CÆS. ÆLI. HADRIANI
ANTONINI. AVG. PII P. P. FILIO COL. PAX. IVLIA
D. D.
Q. PETRONIO MATERNO C. IVLIO IVLIANO II VIR.

Hoc eſt: *Lucio Aelio Aurelio Commodo Imperatoris, Cæſaris Aelii, Adriani, Antonini, Auguſti, Pii Patris patriæ filio Colonia Pax Iulia dedicauit. Quinto Petronio Materno, Caio Iulio Iuliano Duumuiris.*

In cochlea ſummi templi:

A * ω
SEVERVS PRESBIT. FAMVLVS CHRISTI VIXIT ANN. LV REQVIEVIT IN. PACE DOMINI XI. KAL. NOVEMBRIS. ERA DCXXII.

Hoc eſt: Alpha, & *omega. Seuerus presbyter famulus Chriſti vixit annos quinquaginta quinq, requieuit in pace Domini vndecimo Kalendas Nouembris era ſexcenteſima vigeſima ſecunda.*

In agro

in agro quattuor mil. paſſ. ab vrbe. Repreſam prædium vocant.

D. M. S.
MERCATOR. ANN. XXXII. VXOR MARITO MERENTI POSV
IT. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum. Mercator annorum triginta duorum vxor marito merenti poſuit. Hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

Sunt in ea vrbe fragmenta alia, ſed minutiora Caput imaginis Veſpaſiani, taurorum capita decem, aquæductus alicubi ſub terra integer, alibi confractus, murorum portæ tres adhuc Romana architectura.

Inuentus marmoreus lapis duorum cubitorum, in quo erant vir & puella equeſtri curſu certantes, mirabili elegantia.

DE ORICHIENSI AGRO.

ORichienſis ager, Turdetanis ac Celticis iunctus, regionem paruam efficit, octo vel ad ſummum decem oppidorum præter vicos ignobiles. Nomen accepit ab Orichiô regionis nobiliori oppido, & quia cãpeſtris ager eſt, frumentarius, ac paſcuus, vulgo campus Orichienſis nominatur.

Non piget eius meminiſſe, propter regni noſtri illic cœptam originem. Quam vt paulo altius repetam, ab æquis lectoribus condonari mihi poſtulo.

Magnus Alfonſus Hiſpaniæ rex qui Toletum expugnauit, & Imperator eſt appellatus ex diuerſis vxoribus tres filias habuit, Eluiram, Theraſiam, atque Orracam. Et quidem Eluiram ac Theraſiam, Rodericus Toletanus, parum Luſitanis æquus, quique illi adhæſerunt, ex concubina Simena Munione natas, vt aiunt. Verum apud me chronicon Hiſpanica vetuſta lingua habeo, factum ſeptuaginta annos ante Rodericum, in quo eadem Simena minime concubina, ſed iuſta vxor & Regina diſerte perhibetur. De qua re ad Ioannem Barrum ſcripſi, & quidem prolixe.

Ad Alfonſum igitur imperatorem, in aſſerenda Hiſpania laborantem, conueniebant magni viri, militiam ſuam Chriſtiano deuouentes. Inter quos emicuere Raimundus comes ſancti Aegidii, & Henricus Lotharingiæ comes, ex Germana Raimundi natus, quem illa Vngariæ regi, cui nupta erat, ſecundo edidit partu. Hos vt talium neceſſitudine arctius ſe munire. Alfonſus filiarum connubiis ſibi deuinciendos exiſtimauit. Eluiram igitur comiti ſancti Aegidii, Theraſiam Henrico Lotharingiæ comiti, Orracam vero trium, vt alii ſcribunt, maximam, vt aliis autem placet, minimam, atque poſt Simenam defunctam, ex Conſtantia vxore natam, Raimundo comiti ſiue Burgundiæ, ſiue Toloſæ (neq; enim inter ipſos Hiſpanicarum rerum ſcriptores ſatis conuenit) in matrimonium dedit. Quorum nos opinionibus prætermiſſis, de Henrico tantũ loquamur, cui valde dilectam ſibi Theraſiam tradidit. Atque vt nexu deuinctiore virum maximum quaſi ad manum haberet, Callæciæ partem Bracaros, à Minio vſque ad Durium totumque id, quod recentiore vocabulo *Portugallæ* tunc dicebatur, à Durio vſque ad Luſitaniæ vrbem Conimbricam dotis nomine aſſignauit, liberumq; ei reliquit, vt de Saracenis Luſitaniam armis recuperaret, ſuoq; dominio, & ditioni adderet. Is ex Theraſia coniuge, quæ ſemper regina appellata eſt, filium genuit Alfonſum Henricum qui patri ſucceſſit in principatu, & vbi per ætatem licuit, bella geſſit quamplurima, vrbes multas expugnauit, Saracenorum potentiam fregit. Quare commotus Iſmarius, magnæ partis Africæ; Bæticæque rex, conuocatis quattuor aliis regibus, tam ex Africa, quam ex tota vlteriore Hiſpania tantas congregauit copias, vt millia quadringenta exercitus ſuperaret. His confiſus in Alfonſum properabat, lentis itineribus, ſed animo ad vindictam concitatiſſimo. Nec ille ſegnitur proceſſit obuiam. In agro igitur Orichienſi paulo infra Caſtrũ viride oppidum, non procul à confluente Cobris, & Tergis fluuiorum, in mutuum conſpectum venientes, caſtra poſuerunt. Inſedit tumulum Alfonſus, vbi vetus ſacellum erat, in quo ſenex quidam prouectæ ætatis eremiticam vitam agebat, inter Mauros, & ob paupertatem, & ob vitæ ſanctimoniam, nullius iniuria laceſſitus. Iſmarii copiæ prope infinitæ vndequaque campos opplebant, iamque agmina circumcluſa ſpe deuorabant. Non videbatur militibus noſtris ſani eſſe conſilii, cum tanta multitudine confligere. Vnus enim quiſque ſupra centum hoſtes aduerſum ſe in prælio erat habiturus. Sed militum animos

orationeſpei ac fiduciæ plena princeps confirmauit; dimiſſoſq; curare corpora iubet, & craſtinum diem, qui Iacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono ſacer erat, lætos expectare. Cum aduesperauiſſet, Anachorita ille ad Alfonſum venit, atq; oraculi denunciatione, forti eſſe animo admonet, vt qua noctis hora tintinabuli, quod in ſacello erat, ſonum audiret, tentorium egrederetur, appariturum illi Chriſtum in aere Cruci ſubfixum. Lætus tam optato, tamq; inſperato nũtio Alfonſus, totius noctis puigilio promiſſum expectabat. Primo itaq; ante lucem diluculo, ad tintinabuli ſonum prætorium egreſſus, ſuſpexit in aere Crucifixum Dominum. Cuius viſi voluptate propemodum extra mentem adſorptus, ita adorans dicebat: Ecquid Seruator mundi, tunc mihi, tunc appares? Quid eo opus eſt, in te credenti, & te ſumma pietate colenti? Perfidis his, tuis atq; ideo meis hoſtibus, tuæ diuinitatis ignaris, potius apparere digneris, vt Crucis tuæ myſterium intelligant, ac deſinant inſanire.

Hæc atq; alia his ſimilia, cum ex mentis quaſi abſtractione proſequeretur, Chriſti colloquentis, & victoriam pollicentis voce iucundiſſime affectus, in cœlum recepta diuina illa ſpecie, arma poſtulat, armari milites, acies ordinari, & canoro tubarum concentu imperat ſignum dari. Quem ex procerib. quidam exercitus nomine adeuntes, poſtulant; inquiũt, fortiſſime Imperator, milites tui, vt regem te ſalutari permittas. Quibus ille: Ego fidiſſimi commilitones, honorificum ſatis inter vos nomen titulumq; Principis ſortitus ſum, alium non ambio. Neq; ſi maxime expeterem, vel poſcentib. vobis morem gerere vellẽ, id tempus, aut locus patiuntur. Sed operam dabo, vt vos ducis veſtri nõ pœniteat, vos date, vt milites dux non deſiderem. Contra illi, & quæ poſtulas pollicemur, & nobis nõ deerimus, ſed pro rege pugnabimus ardentius, vincemus honeſtius, moriemur alacrius. Cum igitur prope intuliſſent vim recuſanti, magnis vocibus, & tubarum, lituorum, tympanorumq; ſonitu ter acclamatum: *Alfonſo Henrico primo Luſitaniæ regi vita, & victoria.* Data inde militib. teſſera, ferebatur in hoſtes.

At parte ex alia innumerabilis ille Barbarorum exercitus, tam diſſonis clamoribus, tam terribili fragore perſtrepebat, vt cælum ruere, terra quaſſari tremoribus viderentur. Commiſſum prælium eſt ſanguinolentum, pertinax, diuturnum, à prima diei hora vſq; ad meridiẽ; donec Iſmarius, cuius iam vita periclitabatur, quamq; maxime noſtri appetebant, reb. deſperatis, & amiſſo in conflictu conſobrino, cui ſui corporis cuſtodiam mandauerat, nominẽ Homar Atagor, Halli regis nepote, fugit ipſe, & vna reges qui cum eo erant. Tantum autem ſanguinis effuſum eſt, vt ex cædis loco riuuli in Cobrin atq; Tergem decurrerent. Quin inſecuta paucos poſt dies pluuia, cum tinctam atro ſanguine ſuperficiẽ lauiſſet, creuiſſentq; riui, Terges qui ad confluẽtes Cobrin recipit, etiam vſq; ad Anam aquas infectas pertulit. Id nos in Vincentio martyre hiſce carminibus breuiter adnotauimus:

Vbi paupere Terges
Flumine, ab Orichio ſegnis delabitur agro,
Excepti cecidere duces, fuſæq; cohortes
Barbaricæ. Ac tellus tanto eſt imbuta cruore,
Vt poſtquam pluuiæ cædem elauêre, pigerq;
Riuus iit, contage ſua, quacumq; meabat,
Polluerit ſpatium late, fluctuſq; petitos
Funeſtarit Ana, torrens inglorius ante,
Atq; vaporatis æſtu Quintilibus impar.
Poſt illa, indigenis factus de clade ſuperbi
Nobilis Iſmarii.

Alfonſus igitur nouus Rex, conſueto victorib. more in caſtris triduo permanſit, & conceſſa militib. prędа, ipſe qui catenus niueo ſcuto vtebatur, inſignia commẽtus eſt, quæ rem ibi geſtam deſignarent. Ac primum, quia Chriſtum in aere cruci ſubfixum conſpexerit in argenteo ſcuto cęruleam crucẽ formauit. Deinde quod quinq; reges viciſſet, ſcuta quinq; per ipſam crucẽ diſtinxit. In vno quoq; triginta numos argenteos figurauit, quod totidem mundi ſeruator venditus exſtitiſſet.

Mutata à poſteris regib. numorum figuratio eſt commodiori ratione, & in ſingulis quibuſq; ſcutis, ſinguli quinq; numi poſiti, decuſſatim ad figurã literæ X. bis numerato, quod in medio eſt, & cum à ſummo deorſum, & cum à latere ad latus fit ſupputatio, vt numerus triginta expleatur. Hæc tunc ibi ſumpta inſignia. Caſtella vero aurea ſeptem, quæ in rubro campo ſcuti regii oras ambiunt, ad alterius hiſtoriæ tractationem pertinent.

Expoſuimus quanta potuimus breuitate, regum noſtrorum, regniq; initium & cauſam, ab hinc annos quadringentos triginta quatuor. Geſta enim res eſt, vt mei veteres annales

habent,

habet, era milleſima centeſima ſeptuageſima ſeptima. Cui annorum numero ſi demantur triginta & octo, manebit Seruatoris annus milleſimus centeſimus trigeſimus nonus. Cum hæc proderem, agebatur annus M. D.LXXIII. Subducta ergo ad calculos ratione apparebit, interfluxiſſe quadringentos triginta quattuor, quos dixi, annos.

DE ARCV EXTRVCTO A SEBASTIANO REge in victoria loco.

IAm diſceſſiſſem ab Orichio, niſi piaculum eſſet, regis noſtri Sebaſtiani recens factum non commemorare. Is initio huius anni, Algarbii regnum adiit, vt oppida omnia maritima, quam munita eſſent, ſuis oculis, perſpiceret. Et ſiquid ad munimentum deeſſe videretur exactiſſimo ſuo iudicio, & rei bellicæ peritorum conſilio præſens vel ſuppleret, vel nouaret, vel corrigeret. Fecit autem iter per Orichienſem agrum, & victoriæ memorabilis loca omnia perluſtrauit.

Nullum ibi erectum trophæum, nullam inſcriptionem, tantum ſacellum illud ignobili fabrica, non ſemel refectum, ruſticorum tamen cultu religioſum reperit. Puduit illum incuriæ, ac ſocordiæ ſeculi ſuperioris. Atqui vt excuſari mereatur, ætas hominum illorum, qui in continuis bellis vitam agebant, & promptiores ad præliandũ dextras habebant, quã ad litteras illa tempeſtate ſepultas, inclinatiora ingenia: non tamen miranda non eſt, florentibus poſtea rebus, & renata philologia, obliuio tam diuturna. Niſi quod natura comparatum ita eſt, vt quæ optima ſunt, non omnia ſimul, ſed per temporum interualla emergant. Sebaſtianus igitur mira pietate affectus, vt & apparitionis Chriſti, & Regis maximi, inclytæque victoriæ memoriam rediuiuam faceret, diruto veteri ſacello, templum inædificari præcepit, atq; extructo nobili arcu mihi inſcriptionis curam demandauit, ita vt altera ex parte Latine, ex altera Luſitano idomate, latina ſic habet:

Heic contra Iſmarium, quattuorq; alios Saracenorum reges, innumeramq; barbarorum multitudinem pugnaturus felix Alfonſus Henricus ab exercitu primus Luſitan. Rex appellatus eſt, & à Chriſto, qui ei Crucifixus adparuit ad fortiter agendum commonitus, copiis exiguis tantam hoſtium ſtragem edidit, vt Cobris ac Tergis fluuiorum confluentes cruore inundarint. ingentis ac ſtupendæ rei ne in loco vbi geſta eſt, per infrequentiam obſoleſceret. Sebaſtianus I. Luſit. Rex, bellicæ virtutis admirator, & maiorum ſuorum gloriæ propagator, erecto titulo memoriam renouauit.

DE COLLA.

COlla fuit interius in media Orichienſi prouincia, non procul à Meſſagena inter colles, neſcio an hodiernum nomẽ hoc inde traxerit. Non mediocre erat oppidum. Extant muri & turres cæmẽtitio opere neque ſatis polito. Aditus perdifficilis eſt, & ad defenſiones accommodatus. Non habitatur, tantum Dominicis, & ſolennibus aliis diebus ruſticorum vicinia eo confluit, ad templum Virgini Chriſti matri dicatum, vbi ſacerdos iiſdem diebus, ſacris altaribus operatur. In angulo turris ſemidirutæ menſa elegans marmorea:

C. MINICIVS. C. F. LEM. IVBATVS . . . LEG. X. GEM. QVEM IN
PRÆLIO CONTRA VIRIATVM VOLNERIBVS SOPITVM IMP. CLAV
DIVS VNIMA . . . PRO MORTVO DERELIQVIT. EBV. . . TIS LV-
SITANI OPERA SERV . . . RARIQVE IVSSVS. PAVCOS SV . . .
DIES. MAESTVS OBI. QVIA . . . MERENTI. MORE ROMA . . .
AM NON RETVLI.

Hoc eſt: *Caius Minicius Caii filius Lemonia iubatus Tribunus legionis decimæ geminæ, quem in prælio contra Viriatum vulneribus ſopitum, imperator Claudius Vnimanus pro mortuo dereliquit, Ebutii militis Luſitani opera ſeruatus, curarique iuſſus, paucos ſuperuixi dies, mæſtus obii, quia benemerenti, more Romano, gratiam non retuli.*

Ad ianuam templi ingens cippus eſt, inter columnas ibi iacentes olim ornatus cauſa poſitus, qui me amplius horis tribus ad faſtidium detinuit. Tam male à barbaris hominibus habitus eſt, vt ſpem percipiendi integre ſenſum plane depoſuerim.

Auis in modum Græculi, altera ſimilis mutuo ſe reſpicientes:

D. M. S.

L. SVRSI F. VC. . . . . BRIANÆ. COIVGI . . . .

NCTISSIME. TV . . . . VM. POSITE VICS . . . . .
N. XXXVIII DIE. . . . . . S. XVII. SI QVAN . . . .
PIET . . . SIRM. TI . . . . ANTVM FORTV. . .
GER. LITE AVREC . . . . IT. T. POSVI.
S . . . . . . VALE.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Balbis Surſi filius coniugi ſanctiſſimæ tumulum poſuit. vixit annos triginta octo, dies ſeptendecim.*

DE SINI.

NOn omittenda *Sinis* eſt, maritimum oppidum, & propter piſcationem non parum vicinæ regioni conducibile. Ibi in templo cippus fractus eſt cum his litteris:

. . . .
AN. L. CLAVD. THALASSINVS MARITE MERENTISSIME
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt; *Annorum quinquaginta, Claudius Thalaſsinus, marite merentiſsime hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

Per murum, iuxta terram, & quaſi iam ruderibus coopertum:

D. M. S.
FVLVIVS. L. F. QVINTIANVS FABER. MATERIARIVS PI-
VS IN SVOS VIXIT ANN. XLVI. RVBRIA. Q. F. SERGIL-
LA. MEROBR MARITO. B. M. FEC
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: : *Diis Manibus ſacrum. Fuluius Lucii filius Quintianus faber materiarius. pius in ſuos, vixit annos quadraginta ſex, Rubria Quinti filia Sergilla Merobrigenſis marito benemerenti fecit, hic ſitus eſt, ſit ſibi terra leuis.*

In quadam turri:

D. M. S.
IVLIA. C. FIL. MARCELLIN A. A. XXX.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt : *Diis Manibus ſacrum. Iulia Caii filia Marcellina annorum triginta, hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis.*

DE HELVIS.

PRIMO libro admonuimus vrbem *Heluas* in Celticis noſtratibus eſſe. Nomen accepit ab Heluis Celticæ Galliæ populis, inter Garumnā & Ligerim habitantib. de quib. Strabo 4. lib. agit. Plinius *Albam* eorum ciuitatem nominat. Ab Heluis igitur Celtarum populis, qui inter Celtas olim ad nos venere, Heluæ ciuitas nominata, quod nomen à conditoribus obtinuit, etiam hodie retinet. Vrbs fertilitate ſoli, & nobilitate ciuium, vt poſtremas non fert, ita olei bonitate ſine controuerſia primas obtinet. Diœceſis Eborenſis hactenus fuerat, verum agente Sebaſtiano rege, Epiſcopalem dignitatem adepta, metropolim vnde exciſa eſt, nihilominus agnoſcit. Non multa ibi ſunt Romanorum monimenta, & quæ ſunt, peſſime à Barbaris habita, ita inueni:

Iuxta portam arcis, quam Alcaſſauam vocant, fragmentum.

FEL. CEPAL. ONIS F. SEVERVS. AN. . . .
. . . .

Hoc eſt: *Felix Cepalonis filius Seuerus annorum.*

In domo cuiuſdam viri nobilis, tabula elegans:

C. AXONIVS. Q. F. PAP. LEG. XX. NAT. COL. PIR. BI-
CENO. SE VIVO MONIMENT. FEC. SIBI. ET
FR. Q. AX. Q. F.

Hoc eſt: *Caius Axonius Quinti filius Papiria legionis vigeſima natus colonia Firmica Piceno ſe viuo monimentum fecit ſibi, & fratri Quinto Axonio Quinti filio.*

Iuxta parthenonem Virginum inſtituti ſancti Dominici, cippus:

ANTHYMVS REB . . . . SCIENTINI. ET CE . . . .
LERIS SVR . . . . .
V. S. A. L . . . . .

Hoc eſt: *Anthymus Reburri Scientini, & Celeris ſeruus votum ſoluit animo libenti, vel libens.*

In agro, quem vocant Ventoſæ, lapis oblongus, videlicet cubitorum ſeptem, latus cubitum, & ſemiſſem, rudis atque impolitus, quem fabulantur ſepulchrum eſſe Bertrandi vnius ex duodecim Franciæ paribus:

CACALO AVIOLI LIB. HIC SIT.

Hoc eſt: *Cacalo Avioli libertus hic ſitus.*

In domo tabula marmorea fracta eleganti littera:

. . . .
INSIGNEM PARVO . . . . . MANS CARMINE AMOR . . . .
REQ. IN PACE D XIII KAL . . . . . MART. ERA.
DLXXXII . . . .

Hoc eſt: *Inſignem paruo manſurum carmine amorem, requieuit in pace Domini decimo tertio Kalendas Martias era quingenteſima octuageſima ſecunda.*

VILLA VIZOSA.

AB Heluis digredientem intercipit nobiliſſimum oppidum, Brigantii ducum ſedes, quod ab amœnitate Luſitanus idiotiſmus Villam Vizoſam nominauit. Vno nomine Latine dici non poteſt, niſi Callipolin Græce confingamus, audaci fortaſſis exemplo, ſed lectoribus poſtquam ea vox aſſiduitate percrebuerit, minime diſplicituro. Proſerpinæ ibi delubrum fuit, vbi modo S. Iacobi ædes eſt, in ſuburbio, vbi hæc inueni monumenta:

PROSERPINAE SANCTAE G. IVLIVS PARTENOPAEVS. VOT
QVOT FECIT
A L P

Hoc eſt: *Proſerpinæ ſanctæ Gaius Iulius Parthenopæus, vota quot fecit animo libenti poſuit.*

Q. HELVIVS SILVANVS PROSERPINAE VOTVM
S. AN. L. P.

Hoc eſt: *Quintus Heluius Siluanus Proſerpinæ votum ſoluens animo libens poſuit.*

PROSERPINAE SERVATRICI C. VETTIVS SILVINVS. PRO.
EVNOIDE PLAVTILLA CONIVGE SIBI RESTITVTA
V. S. A. L. P.

Hoc eſt: *Proſerpinæ Seruatrici Caius Vettius Siluinus pro Eunoide Plautilla coniuge ſibi reſtituta, votum ſoluens, animo libens poſuit.*

D. M. S.
PVLTARIVS AN. XXIII. H. S. E. S. T. T. L. SEMNE. ET.
SEMN . . . MATRI. POSVERVNT

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Pultarius annorum viginti trium, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis. Semne & Semnine matri poſuerunt.*

Ibi etiam modo viſuntur inſcriptiones Endouellici, quas clariſſimus Dux Theodoſius ex antiquo fano, quod extat iuxta oppidulum Therennam, aſportari curauit, & inſeri in frontiſpicio cœnobii fratrum ordinis S. Auguſtini. Sunt autem huiuſmodi.

DEO. ENDOVELLICO PRÆSTANTIS SIMI. NVMINIS SEXTVS COCCEIVS CRATERVS HONORINVS. EQVES. ROMANVS. EX. VOTO

Cippus fractus.

ENDO VELLICO ALBIA IANVARIA.

. . . .

ENDOVOLLICO SACRARVM. MARCVS. IVLIVS. PROCVLVS ANIMO. LIBENS. VOTVM SOLVIT.

DEO. ENDOVELLICO. SAC. IVNIA. ELIANA. VOTO. SVCCEPTO ELVIA. YBAS. MATER. FILIE SVÆ. VOTVM. SVCCEPTVM ANIMO. LIBENS. POSVIT.

Hæ inſcriptiones adeo claræ ſunt; vt expoſitione non indigeant.

D. ENDOVELLICO. SA. AD RELICTITIVM. EX T. NVMIN. ARRIVS. BADIOLVS. A. L. F.

Hoc eſt: *Deo Endouellico ſacrum ad relictitium ex teſtamento numini Arrius Badiolus animo libens fecit.*

Q. SEVIVS. Q. F. PAP. FIRMANVS VOTVM DEO ENDOVOLICO

S. L. M

Hoc eſt: *Quintus Seuius Quinti filius Papiria Firmanus votum Deo Endouolico Soluit Libens merito.*

ENDOVELICO CRITONIA MAXVMA EX VOTO. PRO CRITONIA. C. F.

Hoc eſt: *Curauit faciendum.*

Hic Cippus allatus eſt illinc ad arcem oppidi Lendroalis, vbi nunc extat.

C. IVLIVS NOVATVS ENDOVELLICO PRO. SALVTE VIVENNIÆ VENVSTAE MANILIÆ. SVÆ VOTVM. SOLVIT.

Nominis Endouellici cauſam, aut originem ego penitus ignoro. Niſi ſi ab oppido propinquo, quod Endouellia forte diceretur, nomen eſſet impoſitum. Quod ſi nebuloſo infelicis gentilitatis æuo ſuperſtitionibus addicti Luſitani fuere, certe Euangelica luce radi ante morati diu non ſunt, quin veri Dei cultum, & religionem amplecterentur. Mancio Chriſti diſcipulo gloriantur Eborenſes, à quo cęleſti doctrina ſunt initiati. Debent hoc Bracarenſes Petro Ratenſi, Apoſtoli Iacobi diſcipulo. Propagata breui religio eſt, & inuitis tyrannis mira pietate adoleuit. Quam natio Luſitana incorruptam, vt à ſanctis patrib. accepit, ad noſtra hæc tempora cuſtodiuit. Et quod non ſine magno Dei munere nobis contigit, nec ſine magna mea voluptate refero, quaſſantibus orbem ſectis, incolumi religione, integraq; ſacroſanctæ Apoſtolicę ſedis auctoritate, perſeuerat. Nec ſolum id, ſed longe lateque etiam per vaſti Oceani receſſus, & ante nunquam prioribus cognitas regiones, Orientemq; totum, & Antipodas, ipſũ Seruatoris nomen propagare non ceſſat.

D. M. S.

P. PETRONIVS. CAVTIN. ANN. LXXXXI LAVDICE MARITO PIISSIMO POSVIT

H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrũ Publius Petronius Cautinenſis annorum nonaginta vnius Laudice marito piiſſimo poſuit, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis,*

DE IOVIS FANO.

SVPER Exarramam fluuium, duobus paſſ. millibus infra Terranum oppidum, Iouis fuit

fuit olim fanum. Quod adulta iam Chriſtiana pietate in templum ſanctorum martyrum Iuſti & Paſtoris conuerſum eſt. De quo egi in libello ad Ambroſium Moralem Complutenſem virum ſæpe alias, luculentæ eruditionis gratia in his commentariis nominandum.

Supra ianuam templi Gothica inſcriptio.

*HVNC DENIQVE EDIFICIVM SANCTORVM NOMINE CEPTVM IVSTI ET PASTORIS MARTYRVM QVORVM CONSTAT ESSE SACRATVM CONSVMATVM EST OC OPVS ERA DCCXX.

Hoc eſt: *Hunc*, pro hoc, *deniq; ædificium ſanctorum nomine ceptum Iuſti, & Paſtoris martyrum, quorum conſtat eſſe ſacratum conſumatum eſt oc*, pro hoc, *opus era ſeptingenteſima vigeſima.*

IOVI. O. M.
FLAVIA. L. F. RVFINA EMERITENSIS. FLAMINICA PROVINC LVSITANIAE. ITEM COL. EMERITENSIS. PERPET. ET MVNICIPI. SALACIEN.
D. D.

Hoc eſt: : *Ioui opt. maximo. Flauia Lucii filia Rufina Emeritenſis. Flaminica prouinciæ Luſitaniæ, item coloniæ Emeritenſis perpetua, & municipii Salacienſis dedicauit.* Ex vno latere eſt arbor mihi incognita. Ex altero latere Aquila expanſis alis quaſi ſubuolatura, in vnguib. triſulcum fulmen habens.

Cippus aliquanto minor ſed elegantior:

I. O. M.
OB PVLSOS A Q. SERTORIO MATELLVM AD Q. POMP. IVN. DONACE CORON. ET SCEPTRVM EX ARG. MVNVS ADTVLIT FLAMINICAE PHIALAM CAELATAM HIERODVLIS COENAM DEDIT.

Hoc eſt: *Ioui optimo maximo. Ob pulſos à Quinto Sertorio Metellum atq; Pompeium Iunia Donaco coronam, & ſceptrum ex argento munus adtulit Flaminicæ Phialam calatam, hierodulis cœnam dedit.*

Alter cippus elegantiſſima littera:

L. RVBRIVS PRISCINVS ANN. XXVI. H. S. E.

Hoc eſt: *Lucius Rubrius Priſcinus annorum viginti ſex, hic ſitus eſt.*

Sunt tres cippi, ſed poſiti in parietib. templi, contectis interius litteris.

Cubæ non procul Pace Iulia in templo Cippus:

D. M. S.
TERENTIVS. CHRYSOGONVS ANN. XXXII. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Terentius Chryſogonus annorum triginta duorum, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

In territorio Ferrarienſi, ſuper Callipodem fluuium, quem Sardanum vocari noſtra ætate ſuperius diximus, templum Sanctæ Margaritæ dicatum eſt, vbi olim fortunæ Obſequentis delubrum fuerat, a Flauia Modeſtina Sergii Terentii Æmiliani Centurionis vxore ædificatum. Qui, vt apparet, ſub L. Poſthumio Albino militauerat & emeritus ac diues, ad quietem ſe contulit, in prædio vxorio. Hoc ex duobus ibi Cippis colligitur. E quibus alter ſic habet:

FORTVNAE OBSEQVENTI. SACRVM FLAVIA MODESTINA PERP. EIVS ANTISTES EX VOLVNTATE TERENTI. ÆMILIANI VIRI SVI. IN PRAEDIO A PATRE FL. MODESTO SALACIENSI SIBI RELICTO. A. L. F.

Hoc eſt: *Fortunæ obſequenti ſacrum. Flauia Modeſtina perpetua eius antiſtes ex voluntate Terentii Æmiliani viri ſui, in prædio à patre Flauio Modeſto Salacienſi ſibi relicto animo libens fecit.*

Alter vero in duas partes fractus ſic.

D. M. S.
SERG. TERENTIV. . . . S SERG. F. AEMI . . . LIA-
NVS CENTVR. EMER. VIX. N. . . LXX ORDIN. DVX.
SVB . . . . L. POST . . . VMIO MODES . . . TI-
NA. MARITO. MERENTISSIMO
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus ſacrum. Sergius Terentius, Sergii filius Aemilianus centurio Emeritus, vixit annos ſeptuaginta, ordines duxit ſub Lucio Poſthumio, Modeſtina marito merentiſſimo poſuit, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

SCHOLIA

IACOBI MENOETII VASCONCELLI

In quattuor libros Reſendii.

LIBRO PRIMO.

PAG. 899. lin. 13. *Aſſerit Plinius.* Libro videlicet tertio cap. 1. his verbis: *In vniuerſam Hiſpaniam Marcus Varro perueniſſe Iberos, & Perſas, & Phœnicas, & Pœnos tradit. Luſum enim Liberi patris, aut Lyſam cum eo bacchantes, nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum eius vniuerſæ.*

Ead. pag. 899. lin. 7. *Alii Luſum non hominem, ſed ludum potius, ſeu Luſionem interpretantur.* Marcianus Capella lib. 6. qui de Geometria inſcribitur in ea fuit ſententia, vbi ita tradit agens de Luſitania: *Cui nomen fabula à Luſu Liberi patris, vel cum eo Bacchantium ſociauit.* Addit & aliam non minus ridiculam opinionem, credens Anam fluuiũ à Luſitaniæ vocabulo cognominari, hiſce verbis: *Hæc quoque cognominis ſui fluuio permeatur, licet eam Tagus quoque arenis illuſtret auratis.*

Ead. pag. lin. 22. *Nec deſunt, qui pro Lyſa, Lyſſam reponant.* Fuit in ea ſententia Sigiſmundus Gelenius in obſeruationibus in Plinium lib. 3. cap. 1.

Eadem pag. lin. 29. *Suppoſititius Beroſi auctor intellexit.* Ioannes Annius in libro de Regib. Hiſpaniæ cap. 20.

Ead. pag. lin. 36. *Vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero.* In ſexta actione, quæ incipit: *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat ſtudium*; non longe à fine orationis, eius autem verba ſunt hęc: *Ariſtæus, qui vt Græci ferunt, Liberi filius inuentor olei fuit.*

Ead. pag. li. 41. *Vnde ipſe etiã Bacchus Lyſius cognominatus eſt.* Pauſanias in Bœoticis circa mediũ libri noni, dũ Thebanæ vrbis antiqua monimenta enarrat, ita ſcribit: *Theatro proxima eſt Liberi patris ædes cognomento Lyſii. Cognominis cauſa, quod cum olim captiuos complures ex Thebanis vinctos Thraces abducerent, eos cum ad Haliartiorum fines ventum eſſet, vinculis ſolutos dimiſit, moxq; illis Thracas ſomno oppreſſos, occidendos præbuit.* Hæc ille. Aliqui vero credũt à diſſoluendis, & eneruandis animis, quod ex vini copia accidere ſolet: vel quod curis liberos eos reddat, ita Bacchum fuiſſe appellatum.

Pag. 900. lin. 6. *Stephanus autem in lib. de Vrbibus.* in dictione *Belitani.* Nec mirum eſt in hoc erraſſe Stephanum, vtpote Græcum ſcriptorem, & qui Hiſpaniæ ſitum, ac vrbes, minime ipſe peragraſſet, quod alios quoq; Græcos decepit, teſte Polybio.

Extat etiam ſimilis error apud eundem Stephanum in dictione *Luſitaniæ*, dum eam aſſerit partẽ eſſe Bæticæ, cum vlterior Hiſpania in duas prouincias diuiſa olim fuerit, Bæticam videlicet, & Luſitaniam, quod obiter admonere volui, ne eius auctoritas quemquam decipiat. hoc Reſendius etiam animaduertit.

Pag. 900. lin. 21. *Strabo enim.* vide Strabonem lib. 3. fol. 105.

Pag. 901. lin. 4. *Ptolemaus.* Libro ſecundo, vbi agit de Luſitaniæ ſitu.

Ead. Pag. lin. 22. *Ante annos quadraginta, &c.* Hæc de Artabro promontorio tam diffuſe tradita mihi ſemper ſuperuacanea ſunt viſa: quia meo iudicio, neq; Pintianus, neque ipſe Reſendius exacte ſenſum Plinii ſunt aſſecuti. Vnde accidit, vt eius verbis vim inferre ſint conati. Plinius enim, cum prius de Celtico, ſeu Nerio promontorio lib. 4. ca. 20. verba feciſſet, & à Minio, ac Limia fluuiis ad Durium perueniſſet, tunc demum de Luſitania agere cœpit in ipſo vigeſimo capite, cuius initium eſt: *A Durio Luſitania incipit.* Nec aliquid eorum, quę mox ſequuntur ad Nerium promontorium pertinere poteſt. Miror autem tam inſignes viros non aduertiſſe Celticum promontorium nunquam apud Geographos Artabrum appellari, ſed ſemper Nerium, aut Celticum, quamuis omnes conſentiant iuxta illud Artabros populos, ſeu Artotrebras, vel Arotebras habitare. In eo etiam decepti ſunt quod crediderint Nerium frontem eſſe Hiſpaniæ, cum aperte Plinius eodem capite vigeſimo aſſerat frontem Hiſpaniæ tribus effici promontoriis, videlicet Olyſipponenſi, Sacro, & Iunonio, ita vt Sacrum è media quoque fronte erumpat. Certum eſt etiàm Olyſipponenſe, ſeu Artabrum, cœlum, terras, & maria diſterminare, vt tradit Plinius. Nam quemadmodum Iunonium ſeu Calpe auſtrale, & occidẽtale latus Hiſpaniæ diuidit, ita magnum ſeu Olyſipponenſe, vel Artabrum frontis occidentalis eſt terminus, & ab eo ſeptentrionale latus incipit, quamuis ad occaſum etiam aliquantulum vergere videatur vſque ad circuitum Nerii promontorii, à quo penitus ad ſeptentrionem terra conuertitur, vt Pomponius Mela tradit lib. 3. cap. primo. Quod vt facilius intelligatur, expendantur verba eiuſdem Pomponii libro ſecundo capite ſexto quæ ſic habent: *Luſitania Oceano tantummodo obiecta eſt, ſed latere ad ſeptentrionem, fronte ad occaſum, ex quibus aperte conſtat ea littora, quæ à promontorio Olyſipponenſi, vſque ad Minium amnem extenduntur, latus ſeptentrionale Luſitaniæ efficere. Quæ vero à Celtico ſeu Nerio ad Gallicum Oceanum tendunt, latus ſeptentrionale Hiſpaniæ totius, non autem Luſitaniæ conſtituunt.*

Ead. Pag. lin. 48. *oppidum & flumen Aeminium, &c.* Æminiũ Ptolemæo oppidũ eſt in Luſitania, Plinio oppidum & flumen lib. 4. cap. 21. & 22. Fit etiam illius mentio ab Antonino in Itinerario, cum illud iter deſcribit, quod ab Olyſippone Bracarum ducebat. Fuit autem Æminium eo loci vbi hodie eſt oppidum dictum vulgo Agata ſeu Augeda, quod flumine eiuſdem nominis alluitur, & recepta hac ſententia, in qua etiam fuerunt Vaſæus & Barrerius, emendari debet codex Antonini hoc ordine, *Conimbrica Aeminium quadraginta millia paſſuum, Talabricam decem millia paſſuum.* Eſt autem Conimbrica oppidum illud antiquum, quod dirutum cernitur & vulgo Condexa vetus dicitur. Talabrica vero fuit prope oppidum maritimum, quod hodie Aueiro dicitur, & ſic bene quadrat paſſuũ numerus à me reſtitutus. Nam à Condexa Agatham ſunt decem circiter leucæ, & ab Agatha Talabricam duæ cum dimidia. Erat autem in codice Antonini numerus tranſpoſitus, & præpoſtere mutatus. Hinc apparet reiiciendam eſſe illorum opinionem, qui exiſtimarunt idem eſſe oppidum Æminium, & illud quod hodie Conimbricam ſeu Colibriam appellamus, & eundem fluuium Mundã & Æminium. Nam vt cetera argumenta breuitatis cauſa omittã, id aperte Plinianis verbis repugnat, qui in allegato ca. 22. libri quarti cum prius Æminium flumen & oppidum nominaſſet, ſtatim hæc verba adiecit. A Durio Tagus ducentis millibus paſſuum, interueniente Munda. Præterea habeo apud me Codicem vetuſtiſſimum, cuius ſæpe mentionem faciunt Vaſæus, & Reſendius, qui inſcribitur Chronica Gothorum. Vbi inter cetera, quæ geſta fuiſſe narrantur ab Alphonſo quarto Ordonii filio, cognomento magno, hæc ad verbum ſcripta ſunt:

Multos quinetiam inimicorum terminos acquiſiuit rex iſte. Cepit namq; caſtrum, quod dicitur Nezan. Autenſam vero pace acquiſiuit. Conimbricã ab inimicis poſſeſſam hereditauit, & ex Gallacis poſtea populauit. Multa quoq; alia caſtra ſibi ſubiecit. Eius tempore Eccleſia creuit, regnumque ampliauit. Vrbes quoq; iſtæ à Chriſtianis populantur: Scilicet Bracharenſis, Portugallenſis, & Aminienſis, atque Lamecenſis. Hactenus ille, Ex cuius verbis aperte colligitur Æminium, & Conimbricam diuerſas fuiſſe ciuitates, & ex conſequenti Mundam, & Æminium diuerſa flumina.

Pag. 905. lin. 16. *De Vettonibus, &c.* Florianus Campenſis libro ſecundo capite decimo. Ait Vettones a Beronibus corrupto vocabulo denominatos fuiſſe, & eorum regionẽ, quæ Luſitanię pars erat, fuiſſe figura triangulari, ſeu triquetra, ita vt latus Septentrionale inciperet ab eo loco, quo Piſorga fluuius Durio miſcetur, vſque ad XX. M. Paſſuum, ſeu quinque leucas infra oppidum vulgo dictum *Fermoſel*, quod ad ripas ipſius Durii ſitum eſt, intra terminos antiquæ Luſitaniæ, qui viginti ſex leucis circiter extendebantur ab eo latere. Alium vero latus à dicto oppido Fermoſel per Rodericopolin, & Capram vſque ad fluuium

Digitized by Google

quo Luſitania à Bætica diuiditur, extendit. Latus vero Orientale deſcribit à flumine Ana, vſque ad Durium, vbi Piſorgam excipit, ducta linea per eum tractum, in quo eſt oppidum dictum hodie Villa Noua dela Serena, ita vt includeret hæc regio intra fines ſuos Salmanticam, Bletiſam, Fermoſel, Beiar, Rodericopolin ſeu Merobrigam. Licet aliqui putent Mirobrigam ſeu Mirobricam eſſe oppidum vulgo dictum *Guadramiro*: Ciuitatenſem autem, ſeu Rodericopolin eſſe Auguſtobricam. Vide Vaſæum tomo primo capite decimo.

Pag. 911. lin. 48. *Cetratos pugnare pedites, &c.* Cetram nonnulli crediderunt eſſe illud ſcuti genus, quod vulgo Adargua dicitur, inter quos fuere noſter Reſendius & Ambroſius Moralis lib. 8. cap. 25. Sed illorum opinioni aperte refragatur locus Silii Italici libro tertio vbi ita canit.

Fibrarum & pennæ, diuinarumq́; ſagacem
Flammarum miſit diues Callæcia pubem,
Barbara nunc patriis vlulantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percuſſa verbere terra,
Ad numerum reſonas gaudentem plaudere Cetras.

Cum enim Cetras reſonas hoc eſt tinnitum & ſonitum edentes vocet, manifeſte innuit eſſe illa parua ſcuta quæ *Bluqueria* dicuntur ex ligno fabrefacta atq; ære contecta, quæ clariſſimum ſonitum inter ſe colliſa edunt, ad quem (veluti Siſtris olim Corybantes) Hiſpani milites tripudiare ſolebant, quod coriaceis illis & maioribus ſcutis, ſeu parmis nequaquam conuenire poteſt. Adſtipulatur huic ſententiæ Imago ipſius Hiſpaniæ, ſeu effigies, quam idem Ambroſius Moralis apponi curauit in principio operis ſui, quæ altera manu Iaculum & Cetram hoc eſt Bluquerium, altera vero ſpicas gerit. Hactenus ad lib. 1.

Lib. 3. pag. 946. lin. 43. *Item ab Olyſippone, &c.* Videtur Antoninus propter Emeritenſis Coloniæ dignitatem, quę eius tempore in Hiſpania fere principatum obtinebat, complura itinera ad eam ducentia ex diuerſis locis deſcribere voluiſſe, inter quæ tria ab Olyſippone commemorat, duo per extrema latera & ita longiora, tertium vero quaſi medium & compendioſum. Sunt autem hoc loco exemplaria mire deprauata.

PRIMVM ITER ITA EMENDARI DEBET.

Ab Olyſippone Emeritam M. P. 212. Sic vel 208.

Equabona	M.	P.	12.	Couna.
Cetobrica	M.	P.	12.	Setuual.
Ciciliana	M.	P.	12.	Agualua.
Malceca	M.	P.	8.	Marateca.
Salacia	M.	P.	20.	Alcacer.
Ebora	M.	P.	40.	Euora.
Ad Anam fl.	M.	P.	60.	Guadiana por Badaios.
Euandriana	M.	P.	12.	Talaueruela.
Emerita	M.	P.	36.	Merida.

Sunt M. P. 212. Forſ. 208. Leucæ autem 53.

SECVNDVM ITER ITA LEGI, ET EMENdari debet.

Ab Olyſippone Emeritam M. P. 212. Forſ. 210. Leucæ vero quinquaginta tres, in hunc modum.

Hierabrica	M.	P.	30.	Pouos.
Scalabi	M.	P.	22.	Santarem.
Tubucci	M.	P.	32.	Abrantes.
Fraxinum	M.	P.	32.	Alpalhano ougauiano.
Medobriga	M.	P.	30.	Aramenha.
Ad ſeptem Aras	M.	P.	14.	Forſ. 16. Acumar.
Plagiaria	M.	P.	20.	
Emerita	M.	P.	30.	

TER-

TERTIVM ITER SIC EMENDANDVM EST.

Ab Olyſippone Emeritam M. P. 186. vel 196. In hunc modum.

Aritio prætorio	M. P. 38.	Benauente.
Matuſaro	M. P. 50.	Ponte do Sor.
Elteri	M. P. 20.	Alterdochano.
Ad ſeptem Aras	M. P. 28.	Forſ. 38. Acumar.
Budua	M. P. 12.	Noſſa S. de Betouē.
Plagiaria	M. P. 8.	
Emerita	M. P. 30.	

M. P. 186. vel 196. Leucæ vero 46. & dimidia vel 49.

Et ita compendioſum hoc iter breuius erat ſpatio ſexdecim P. M. Quæ leucas quatuor conſtituunt.

Suſpicor etiam Antoninum deſcribere voluiſſe aliud iter à Salacia Oſſonobam, cuius manſiones omnino deſunt, niſi pro Salacia Balſam reponamus, vt numerus ſedecim M. P. recte quadret, licet mihi non fiat veriſimile, tam exiguum locorum interuallum pro itinere eſſe computandum.

VRBIVM, CIVITATVM ET OPPIDORVM NOMINA LATINA.

Forum Limicorum
Næbis
Bracara Auguſtà
Aquæ Flauiæ
Concia ſeu Contium
Calem
Lama & Lamecà
Lancobriga
Talabricà
Aeminium
Conimbricà
Seilia
Eburobritium
Collipo
Scallabis, ſeu Iulium præſidium
Ierabrica
Moro
Olyſippo felicitas Iulià
Tubucci
Fraxinum
Igædita
Amæa
Medobricà
Ad ſeptem Aras
Elteri
Matuſarum
Aritium Prætorium
Equa bona
Cetobricà
Ceciliana
Malceca
Salacia vrbs Imperatorià
Ebora liberalitas Iulià
Calantica
Cœllium
Saurium
Heluii
Noua ciuitas Aruccitana
Serpa, vnde populi Serpenſes
Pax Iulia
Myrtilis Iulià
Merobrica
Lacobriga
Portus Hannibalis
Oſſonobà
Balſà.

VVLGARIA.

Ponte de Lima
Neiua
Bragua Colonià
Chaues
Miranda de Dourò
O Porto
Lamegò
A Feira
Aueiro
Agueda, vbi etiam flumen
Condexa à Velha
Seire
Euora de Alcobazà
Leiria ex ruinis
Santarem
Pouos
Almoroul ou Punhetē
Lixboa
Abrantes
Alpalhano, ou Gauiau.
Idanhá, Velha, Aguardà
Portalegre
Aramenhà
Azumar
Alter do chano
Ponte do Sor
Benauentē
Coruna

Setuual.	Moura.
Agualua ou Agoa de Moura.	Serpa.
Marateca.	Beia.
Alcacer do ſal.	Mertola.
Euora.	Santiago de Cacem.
Arraiollas.	Lagos.
Ceice iunto de Thomar.	Vlla noua de Portimano ou Aluor.
Soure.	Eſtoi prope Pharum.
Eluas.	Tauilla.

POPVLORVM NOMINA, SEV PROVINCIArum, in quas Luſitania diuiditur.

TVrdetani populi, qui hodie Algarbienſes, inter Anam fluuium, & Oceanum vſque ad Pacem Iuliam extendũtur, ita vt etiam Orichii campum occupent. Algarues, & campo de Ourique. Luſitani dicuntur proprie & peculiari nomine illi, qui Turdetanorum latus ſeptentrionale contingunt, & à Celticis, ſeu Heluiis vſque ad Cetobricenſes, & Olyſiponenſes, per Eborenſes, & finitimos populos extenduntur. Vulgo Entre Teio & Guadiana. Peſures, ſeu Pæſuri vltra Tagum per Herminios montes vſq; ad Cudam fluuium incolunt. Comarca de Couilham & Serra da Eſtrella. Tranſcudani populi, qui vltra fluuiũ Cudam, hodie Coam inhabitant. Riba de Coa vulgo. Barbarii ſtatim poſt Luſitanos à Cetobriga vſque ad mare collocãdi ſunt, vbi etiam Barbarium promontorium. Turduli populi à Durio vſque ad Mundam, pertinent non procul à Mari, qui tractus hodie *Beira* dicitur. Bracari populi ſunt, qui à Minio vſque ad Durium incolunt, & ideo Interamnenſes appellantur. Antredoraminho, Aquiflauienſes populi ſunt, qui vltra Bracaros ad Orientem ſolem, & verſus ſeptentrionem extenduntur vſq; ad Brigantium, & Mirandenſem ciuitatem iuxta Durium ſitam, & vltramontani vulgo dicuntur, ibique maxima eſt Luſitaniæ latitudo. Tralos montes.

FLVVIORVM NOMINA.

ANas fluuius	Godiana.
Auus	Rio Aue.
Minius	Minno.
Tagus	Tejo.
Callippus	Cadam.
Durius	Douro.
Limia, ſeu Lethe	Lima.
Vacua	Vongua.
Munda	Mondeguo.
Tamaca	Tamagua.
Cuda	Coa.
Ozecarus	Zezere.
Subur	Sor.
Ancus	Rio de Soure.
Scilia	Seire, eſt etiam oppidum.
Æminium	Rio Dagueda & opp.
Næbis	Neiua rio & oppidum.
Celandus	Rio Grefones.
Cadauus	Rio cauado inter fam. & ſpoſende.
Malceca	Marateca ribeira, & oppidum.
Ceciliana	Agualua ou agoa de Moura.

Nabam Flu. qui Tomarium interfluit.

Libr. 4. pag. 205. lin. 17. *Dicitur Ardiburi profuiſſe Lacobricæ ſeptem, &c.* In chronico, quod Wandalia inſcribitur, cuius auctor fuit Albertus Krantz libro primo cap. vigeſimo, fit mentio Ardaburi ducis rei militaris peritiſſimi tempore Valẽtiniani Imperatoris. Conſtat autem ex ratione temporis eundem fuiſſe illum, & hunc, quem Baptiſta Mantuanus Ardiburum nominat.

Pag.961.lin.41. C. *Minicius, &c.* Hæc inſcriptio mihi omnium, quæ hactenus in Luſitania repertæ ſunt, digniſſima ſemper eſt viſa, quę in hominum notitiam deuenire, & à Luſitanis perpetua memoria conſeruari deberet. Continet enim pium quoddam, & illuſtre facinus cuiuſdam militis Luſitani, cui (quantum ex confractis litteris coniicere licet) Ebutio nomen fuit, à quo Caius Minicius tribunus militum, qui à ſuis pro mortuo derelictus fuerat, ſeruatus, & omnibus humanitatis officiis excultus fuit. Quod exemplum in hoſte tam rarum tamque admirabile eſt, vt gens Luſitana non minus Ebutii pietate, quam Viriati victoriis gloriari merito poſſit.

Vnde Minicius ipſe, vt virum fortem decuit, & Romano nomine dignum, tam inſignem Luſitani viri virtutem, cum ſumma pietate coniunctam, memorabili etiam grati animi exemplo quantum in ipſo fuit celebrare, & ad perpetuam hominum memoriam conſeruare ſtuduit.

Colligitur etiam ex hac inſcriptione, id quod apud eruditiſſimos viros hactenus incertum erat, quo loco videlicet commiſſa fuit ea pugna, in qua Viriatus Claudium Vnimanum cum vniuerſo exercitu fere vſque ad internecionem profligauit. Quis enim iam dubitet in Orichienſi campo non procul ab eo loco, vbi cippus hic viſitur, prælium fuiſſe commiſſum?

Pag. 963. lin. 25. *Callipolin, &c.* Simili nomine vocatam vrbem in Calabria tradit Pomponius Mela libro ſecundo capite quarto. Plinius etiam libro quarto capite duodecimo, vbi Cycladas inſulas enumerat, in Naxo Callipolin collocat, quam aliqui Dionyſiada à vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem appellabant. Quod ſi ob amœnitatem, & ſitus pulchritudinem, tam ſpecioſum nomen oppida, & vrbes ſortiri queunt, merito noſter Reſendius Vizoſam Amœnam, ſeu Callipolin nominauit.

Pag. 964. lin. 35. *Nominis Endouellici cauſam, aut originem, &c.* Sunt qui putēt Endouellicū dici à dictione Græca Balos, ſeu Valos, id eſt, via, & endon, hoc eſt intus; & eſſe eum, quem Ethnici viis præeſſe crederent, quemadmodum Terminus agris præeſſe credebatur. Sed inſcriptiones aliud innuere videntur, dum eum præſentiſſimi numinis vocant, quod viarum cuſtodi parum conuenit. Quare potius à Vellendo dictum fuiſſe puto, quod cæca illa ætas iacula, ſagittas, oſſa & ſimilia corporibus affixa, & hærentia eum auellere, atque extrahere falſo exiſtimaret. Et tunc particula, *endo*, pro valde accipi debet vt antiqui accipere ſolebant, teſte Feſto. Nam vt cum Reſendio ſuſpicemur, ab oppido Endouellia, quod tunc extare potuit, dictum fuiſſe, adduci nullo pacto poſſum, cum apud Geographos & ceteros auctores nulla eius fiat mentio.

L. ANDR. RESENDIVS

DE

ANTIQVITATIBVS EBORAE.

Ex Luſitanico nunc primum Latinè redditus, ab And. Schotto Antuerp.

ÆDILIBVS, PROCVRATORIB. ET TABELLIONIBVS. CVRIÆ CIVITATIS EBORENSIS.

L. Andreas Reſendius. S. P. D.

VETERE iam pridem conſuetudine Antiquitatis vſque eo memoria culta ſemper fuit, vt vno quaſi ætatum omnium conſenſu, ea opinio inueterauerit, pleraq; non tam ſua natura & bonitate, quam vetuſtate in vulgus commendanda, & in precio habenda videri: & id quidem temere fortaſſe nonnūquam iudicatum. Fuit enim cum pluris rudes & incompoſitos Ennii poetæ verſus, quam politam elegātemq; Virgilii Mutam facerent, nō alia de cauſa, quā quod antiquū illius, huius vero nuperū recenſq; eſſet

Horatius lib. II. Epiſt. I. ad Aug.

Diod. lib. Herod. in Euterpe Mela libr. 1. cap. 10.

poema. Et vero ea eſt Antiquitatis gratia, ea maieſtas, vt ſummo ſemper in precio ab omnibus gentibus ſit habita. Hinc factum, vt res quo vetuſtiores, eo etiam dignitate magis præſtent: vtq; gentes, quæ laudare ſeſe non poſſent, vna ſe antiquitate prædicarint. Ægyptii cum, auctorib. Diodoro Siculo, Herodoto, & Mela, primos ſe mundi incolas iactare ſoliti, fictis, fabuloſisque argumentis: numeratis etiam tot annorum millibus, & vrbibus longe antiquiſſimis. Sed demus hoc vulgi opinioni, ſiue error eſt, ſiue non; illud tamen nemo iure reprehenderit, quod tanto eſt nationum omnium, publice priuatimq; ſenſu atque iudicio receptum: quibus & ſacræ Scripturę auctoritas accedit, quæ & vrbes ab antiquitate commendandas docet. Petiiſtis, viri clariſſimi, vt quę de EBORÆ vrbis patriæ noſtræ antiquitate & origine, legendo eſſem conſecutus, vobiſcum communicare, litteriſque mandare, vt poſterorũ memoriæ conſecrarentur, non detrectarem. Quod vbi reſcitum, exigi à vobis cœptum eſſe, à principibus aliquot in Rep. viris, qui ſumma valeant auctoritate, idem & ipſi à me ita efflagitarunt; vt ſi aggredi, quod ſummis votis poſtularent, recuſarem, vno conſenſu tantum non conuiciis extorquere decreuerint. Equidem, vt libenter agnoſco, quantum vobis pro tam honorifico de me iudicio debeam; ſic illud inficiari non poteſtis, occaſionem gerendæ rei pęne è manibus excidiſſe: Proximo enim menſe magiſtratu eſtis abituri: ſumma itaque me ad ſcribendum temporis anguſtia circumſcribi videtis: & Regis noſtri iuſſu atque auctoritate totus in opere de Architectura conſcribendo verſor, nulli vt alii rei vacem, præterquam ſacris ad populum concionibus, quas nulla de cauſa prætermittere debeo. Interdum etiam de valetudine vitaq; Henrici, Cardinalis & Luſitaniæ infantis, quem Mæcenatis, vel parentis potius loco, duco, valde animi laboro, vix vt apud me ſim. Nihilominus ſi hoc tempore imperio veſtro obſequar, maieſtatis lege minime reus agar: immo quod ad Regis officium, voluntatemq; Præſulis, qui huic vrbi reipſa & ſtudio, ſemper fauit, pertineat, pergratum illis hoc officium meum accidet. Libuit itaque productiorib. his brumæ noctibus duodecim, hanc patrię qualemcumque operam dare, & quod à me poſtulaſtis, litteris conſignare: Ex qua quidem lucubratione ſi quæ ad nos gloria, ad alios vero vtilitas dimanabit, eam vobis, qui primi hortando auctores extitiſtis, acceptam referri ſolidam volo.

De vera EBORÆ *appellatione.* CAPVT I.

SCripturas itaque EBORÆ vrbis, Antiquitates, principiaque & ortus vſque à capite arceſſens, illud primo quæri video, quonam antiquitus nomine appellata ea ſit, & ab eruditis appellanda. In libris ſacrorum Rituum, Horarumque Canonicarum Breuiariis, Miſſarumque voluminibus ad hanc diem ELBORA, ſex litteris, vſuſque ELBORENSIS plerumque legitur: At verum illi nomen EBORA eſt, quinque, non amplius litteris. Sic enim vrbem vocat Pomponius Mela, ſic Plinius, ſic Antoninus Pius in Itinerario: & ita paſſim libri emendatiores Conciliorum præferunt, legiturque in marmorea inſcriptione, quæ exſtat ſic in ædibus Tribuni militum equeſtrium, itemque in tribus, quas penes me domi habeo: & in alio lapide confracto, in vico ſellariorũ: Præterea in columna, qua milliarum numerus olim deſignabatur, via regia quę ducit Turega Alcacarem verſus: de quibus quidem lapidum inſcriptionibus poſt commodior erit dicendi locus. Quamobrem in Ptolemæi codice, qui circumfertur, deprauatum eſſe hoc nomen nullus dubito, ſiue librariorum id vitio accidit, ſiue Græci hominis incuria, *μνημονικὸν ἁμάρτημα* id ſit; Hanc enim Luſitanię vrbem EBVRAM, per quintam vocalem in ſecunda ſyllaba appellat: alteram contra, Bæticæ, non procul à Gadibus, EBORAM nominat. cum retro oportuerit, hanc noſtram Luſitanię EBORAM vocare: illam vero EBVRAM, Cerealem cognomento: vt auctor eſt Plinius libro tertio, cap. 11. Et, qui Bæticus fuit, Mela Pomponius, non procul ab EBVRA originem ducens; quæ ipſa vrbs ſolo ęquata, veſtigia & rudera tantum oſtendit: quam & in Strabone lib. 3. Geograph. ÆBVRAM, prima diphthongo ſcriptam eſſe obſeruaui. Stephanus vero libro de vrbibus, quod Strabonis locũ non ſatis expendiſſet, Eboræ ea tribuit, quæ Eburæ ſunt propria, & vice verſa: ſed Græci cum eſſent, & exteri, quid mirum, ſi nominum ſimilitudine, & vt fit, affinitate decepti, hæc inuicem commutarint? Melam vero, Plinium, & Antoninum, (cum Latine loquerentur, & fere eſſent ciues Romani) vera harum vrbium nomina ignoraſſe credi non poteſt. Facio itaque libenter, vt hos in præſens potius, quam illos, in Eboræ appellatione ſequar.

Ptolemæus castigatur & Strabo.

De prima

De prima Eboræ origine. CAP. II.

COGNITO iam vero vrbis nomine; auctor eius ſubiiciendus eſſe videbatur: quod hinc oppidi cuiuſque prima origo, ſubducta calculi ratione, & ætas colligatur: tum quod ſummæ voluptati eſſe ſoleat, ſuos quoſque vrbium auctores, præſertim viros domi militiæ que illuſtres, cognouiſſe, teſtantur id ſacræ litteræ. Geneſis enim 4. cap. de Caino, qui vrbem exædificauit, quæ prima orbis terrarum legitur earum vrbium, quæ in authenticis ſcriptoribus occurrunt, & appellaſſe ait, de filii nomine, Henoch. Verum hic lectoris deſiderio ſatisfacere non poſſum: quod auctores ſatis idoneos laudare nequeam: nec libeat, more quorundam noſtri ſæculi, nugas & fumos vendere: in quorũ numero etiam Florianus Ocampius eſt, quem Regii hiſtorici titulo, origines & Antiquitates, fabularum refertas, foras dare non puduit. Equidem meo more, inſtitutoque maiorum, nihil huc adferam, niſi quæ idoneos ſatis ſcriptores habeant: fide dignos, omnique exceptione maiores teſtes laudabo, & lapidum teſtimonia, quæque hiſce oculis inſpicere licuit; quiſquis tandem ille eſt, qui primus huius vrbis auctor exſtiterit: Quem vt vere nominare non poſſim, poſſum tamen magnam vrbis noſtræ vetuſtatem oſtendere, quod Viriati, magni illius Luſitani, ætate iam tum EBORA condita florebat. Clarum id ex veteri inſcriptione, quæ ad Diui Benedicti Pomarenſium ſpectatur, his litteris:

L. SILO SABINVS BELLO CONTRA VIRIATVM IN EBOR. PROV. LVSIT. AGRO MVLTITVDINE TELOR. CONFOSSVS AD C. PLAVT. PRÆT. DELATVS HVMERIS MIL: H. SEP. E. PEC. M. M. F. I. IN QVO NEMINI VELIM MECVM NEC SERV. NEC LIB. *INSERI SI SECVS FIET VELIM *OSSVA QVORVMCVNQ. SEPVLCRO MEO ERVI, SI PATRIA LIBERA ERIT.

Hoc ſepulcrum è pecunia mea mihi faciendũ iuſſi.
* *Forte inſerere. Sic Terent. in Eunuch.*
* *Oſſuum pro Oſ. teſte Donato, & Capello.*

Vnde patet antiquiſſimam eſſe Eboræ originem, quod bello Viriato iam tum vt dixi, celebris eſſet: Viriatus autem Luſitaniam, poſt etiam Hiſpaniam vniuerſam ad defectionem, armaque capeſſenda ſollicitauit, anno Vrbis conditæ IↃCVII. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coſſ. auctore Paulo Oroſio, aliiſque: qui fere centeſimus & quadrageſimus eſt annus ante natum orbi redimendo CHRISTVM Saluatorem. Quot vero anni iam abierint, ex quo condita Ebora eſſet, non habeo dicere: illud tantum, fuiſſe iam tum, claram Eboram ſatis ſit neceſſe eſt. Quo cognito cur non acquieſcam? perinde atq; Vlpianus I. C. qui L. Sciendum, D. De cenſibus, Tyram coloniam, ex qua oriundus erat, antiquiſſimam eſſe, non nominato, qui eam primus condidiſſet, dixiſſe contentus fuit.

De Sertorianis temporibus CAP. III.

POST id tempus, deficiente rurſum à Romanis Luſitania, duce fortiſſimo Q. Sertorio: ad annum ab V. C. IↃCLXII. Ebora, quod clara & frequenter habitata vrbs eſſet, cohortem vnam, Sertorio miſit auxilio, ſexcentorum ſcilicet militum, qui militiæ fidelem ei operam nauarunt. Hic itaque cum grati animi declarandi cauſa, tum quod Luſitaniæ vmbilicum Ebora teneret, (quæ res ad reliquas vrbes in officio continendas plurimum valet, quod, vt periti rei militaris cenſent, qui campeſtribus locis imperat, ceteram regionem facile adiungat:) ſedem fixit, domumque exædificauit, quæ etiamnum hodie Sertorii appellatur: in qua familiarem ſeruam, treſque cum illa libertos, alebat: vt didici ex eleganti lapide, qui ſexto ab hinc anno, proxime eas ædes erutus eſt, his litteris inſcriptus:

LARIB. PRO SALVTE ET INCOLVMITATE DOMVS Q. SERTORII COMPETALIB. LVDOS ET EPVLVM VICINEIS IVNIA DONACE DOMESTICA EIIVS ET Q. SERTOR. HERMES Q. SERTOR. CEPALO Q. SERTOR. ANTEROS LIBERTEI.

Iuſſit idem Sertorius muris vrbem cingi, ex lapide quadrato: qui muri hodieq; mul-

tis in locis ad vetera mœnia ſpectantur. Adhæc aquam, Prattæ quæ dicitur, ad porticum
vſq; qui excelſior vrbis locus eſt, vnde in omnes vrbis regiones diuideretur, deduxit: vt
olim oſtendi: in Apologia, qua Epiſcopo Viſentii reſpondi: qui Regi noſtro, ne iterum a-
quam illam in vrbem reduceret, diſſuadebat: negans aquæ ductum illic fuiſſe vnquam,
nec eſſe potuiſſe: ac ne Sertorium quidem vnquam in his locis fuiſſe: denique ne Ro-
manum quidem opus videri aſſerebat: contra atque ego Regi pridem perſuaſeram. Qua
etiã de re agere nos memini copioſe, duobus de Aquæ ductibus libris, quos Regi morem
gerens, nuper ſcripſi: quare iterare eadem iſta nihil opus eſt: quin potius, quod Aquæ-
ductuum deducendorum, inueniendorumq; rationem contineant, propius nihil factum
eſt, quam vt his adiungendos, vt legi interdum queant, ſi quæ forte hinc vtilitas ad alios 1
rediret, curarem.

De Coloniarum, & Municipiorum iure. CAP. IIII.

ANTIQVITATEM hic breuiter explanare conuenit, vt qui Romanorum tempori-
bus vrbis noſtræ ſtatus fuerit, melius cognoſcatur. Romani itaque cum finitimis po-
pulis, vt Latio, in quo & Roma ſita erat, imperare inciperent, nullam ab armis requie-
tem, victores nonnunquam, interdum etiam victi, inuenerunt: vt per annos aliquot fines
proferre imperii non potuerint, donec tempus conſiliumque vtroſque ab armis diſcede-
re, fœdera inire, vnumque populum, & gentem, fieri coegit. Latinos igitur Romani 2
pro ſociis & amicis ſibi adſciuerunt, dato iure, vt in bello legionibus Romanis permiſti
militarent, & magiſtratus officiaque hic gerere, honores accipere communi iure poſ-
ſent. Hoc amplius, Romæ etiam petere magiſtratus & gerere iis licuiſſe refert Aſconius
Pedianus, idoneus ſane auctor: non tamen ſuffragia ferre, honoresve aliis decerne-
Ius Latii. re Latinos potuiſſe. Quod ius, quia Latinis, & prius quidem quam aliis gentibus con-
ceſſum eſt, Ius Latii appellatum. Contenti itaque tunc eo honore Latini fuerunt: poſt
tamen & ſuffragii in vrbe Roma ferendi, & creandi magiſtratus, ius dari ſibi poſtula-
Ius Ciuiũ Romanorum. runt, vtque pro ciuibus Romanis pari cum cæteris iure haberentur. Conceſſum & id
priuilegio quodam populis aliquot, ægre tamen, vocatumque, Ius ciuium Romanorum:
Ius Italicum. vetus vero ad diſcrimen noui huius, Ius antiquum Latii eſt appellatum: Datumque i- 3
dem Ius longo poſt tempore vniuerſæ Italiæ dirimendorum, quæ hoc nomine plurima
gerebantur, bellorum cauſa: Hinc etiam Italicum Ius dici cœptum: Cuius Vlpianus I.
Et Caroli Sigonii libros de antiq; iure ciuiũ Rom. C. meminit. L. ſciendum D. de Cenſibus. Et hæc quidem de iure Latii, ciuiumque Ro-
manorum, & quidem breuiter, diſſerui: qui forte plura requiret, Andream Alciatum
lib. II. Diſpunctionum legat: quæque de his nuper copioſe, & latius, ſingulari commen-
tario, qui Deo bene iuuante breui apparebit, complexus ſum. Erat & illud in more po-
Colonia municipium. ſitum Romanis, vt ciues aliquot alio habitatum diuerterent, vt loca illa incolerent, poſ-
ſiderentque: quam hinc Coloniam appellabant. Municipium vero, cum loci incolis
ius illud, quo de egimus, concederent. Ampliabant itaque Romani vel aſtringebant
arbitratu ſuo ius & immunitates, quantum vellent: vt auctor eſt Corn. Tacitus Annali 4
vndecimo. Tiberii enim principatu A. Vitellio L. Vipſanio Coſſ. Anno DCCCI. poſt
Ro. cond. diſceptatum in Senatu magna contentione refert, ſi prouinciæ Galliæ Coma-
tæ principibus viris, qui iam pridem ciuitatis Ro. ius obtinebant, ius etiam honoris ma-
giſtratuſque Romæ gerendi, concedi oporteret. Idem diſcere licet titulo Pandectarum,
qui eſt de Cenſibus: municipia enim quædam & Coloniæ, immunes, & iuris erant Ita-
lici: aliæ Coloniæ latinæ, quæ ius illud antiquum Latii haberent: alię rurſum priuilegio
conditæ, ſaluis vectigalibus, quæ penderent: quædam vero præter nomen Coloniarum
nihil obtinebant iuris. Antonius quoque Imp. omnes, qui Romano imperio parerent,
lege lata pro ciuibus haberi iuſſit: quæ lex exſtat L. In orbe Romano, D. de ſtatu homi-
num, vt legunt quidam, & interpretantur, Andr. Alciatus, & Ioannes Coraſius, Iuriſ- 5
conſulti eruditiſſimi: idque ſaluis pop. Ro. vectigalibus ius datum ſatis patet. Agellius lib.
16. cap. 13. Noctium Atticarum Municipiorum conditionem, tametſi dignitate inferior
eſſet, Coloniarum iuri præſtitiſſe docet. Coloniæ enim, cum ex ciuibus Romanis alio
deductis conſtarent, legibus Rom. quibus regebantur, non ſuo arbitratu viuentes, ſubie-
ctæ, vt antea, permanebant. Municipia vero cum Coloniarum immunitate & iure, vel
paulo minore gauderent, ſuis ipſa legibus, ſuoque arbitratu regebantur. Verum
quod imago Romanæ vrbis Coloniæ eſſent honoratiores, &
dignitate præſtantiores habeban-
tur.

EBORAM

Eboram Latii iuris Municipium fuiſſe. CAP. V.

EBORA Municipium, veteris Latii oppidum, & immune, quod LIBERALITAS IVLIA cognominatum, auctor Plinius lib. 4. cap. 22. Sed præſtantiori iure Olyſippo fuit, vtpote municipium iuris ciuium Romanorum: & Pax Auguſta, Colonia iuris Italici, vt ait Paulus Iuriſc. l. in Lyſitania D. de Cenſibus. Pacenſes, inquit, & Emeritenſes iuris Italici ſunt. Dixit Plinius immunem Eboram, quod vectigalia minime penderet. Idem enim, cum in Luſitania vnum eſſe Municipium iuris ciuium Romanorum, tria vero iuris Latii docuiſſet, ſubiicit, ſex item & triginta ſtipendiaria eſſe: quod ſtipendium, ſeu vectigal penderent: & Eboram in tribus illis iuris Latii nominat: mox quæ tributum penderent oppida ſingulatim enumerat. Hinc conſtat Eboram immunem à vectigalibus fuiſſe. Et licet, vt idem Plin. antea lib. 3. cap. 3. refert, vniuerſæ Hiſpaniæ Veſpaſianus Imper. Auguſt. iactatus procellis Reipub. Latii ius tribuit; apparet tamen quod hæc coacta liberalitas, ac neceſſitate expreſſa fuerit, non ita diu duraſſe ius illud, ſed reuocatum, permanſiſſe duntaxat penes eos populos qui antea obtinuiſſent. Si enim perpetuo duraſſet, quid attinebat iterum à Plinio enumerari ſingulatim eos populos, qui Latii ius obtinerent. Quæ cum ita ſint efficitur, Romanis rerum potitis immunem iam tum Eboram fuiſſe, ſociamque populi Ro. Populos vero in omnibus, quaſi ciues Rom. habitos: adhuc vocari & recenſeri in tribus Romanis ſolitos: Potuiſſe etiam belli in cohortibus militum, & legionibus Romanis ſtipendia facere: munia publica Romæ obire; Magiſtratus denique in vrbe petere, & eligere. Suffragia tamen ferre, quod ius ciuium Romanorum non omnino obtinerent, non potuiſſe.

A quo primum Eboræ hoc ius conceſſum. CAP. VI.

QVIS primus hoc Ius Eboræ, quave de cauſa conceſſerit, mihi quidem non liquet: amplius itaque pronuncio: coniectura tamen ducor, vt credam C. Iulii Cæſaris id beneficio, Eborenſibus datum, idq; ex vrbis cognomento, quod apud Plinium, LIBERALITAS IVLIA EST: Cõfirmaturq; elegantiſſimo marmorei cippi Epigrãmate, quod domi meæ ſeruo, olim vero ad D. Petri viſebatur, & poſt paulo, cap. 8. adſcribam: Altera item eiuſdem fere magnitudinis Inſcriptione, elegantiorib. litteris ad D. Iacobi, hoc titulo:

DIVO IVLIO LIB. IVLIA EBORA. OB IL-
LIVS IN MVN. E MVN. LIBERALITATEM
EX D. D. D. QVOIVS DEDICATIONE VENE-
RI GENETRICI CESTVM MATRONÆ DO-
NVM TVLERVNT.

Hoc eſt: *Liberalitas Iulia Ebora Ob illius in municipes è municipio liberalitatem ex Decreti Decurionum dedicauit*, ſcilicet ſtatuam hanc, in cuius baſi hæc inſcriptio erat, *Ceſtum* pro veſte precioſa.

Quæ ſi non me fallit coniectura, Cæſaris Iulii liberalitate ac beneficentia, hoc Eboræ eſt ſecuta, vt eſſet Iuris Latii municipium, idq; poſt bella cum Sertorio geſta: nimirum cum iam in gratiam ciuitas hæc cum populo Rom. fortaſſe etiam ob bene merita rediiſſet. Nam & Cæſar Auguſtus, referente Tranquillo, Ius Latii, vel ciuitatis Romanæ, non niſi bene de Repub. Rom. meritis conferre ſolebat. Niſi forte cognomento hoc magis eſt conſentaneum, Sertorianis temporibus Eborenſes arma contra Romanos ſumpſiſſe, hoſtiliterque ſe geſſiſſe: Cæſarem nihilominus, quo deuinctam magis ſibi redderet, reique publicæ Romanæ æterna amicitia obſtringeret, ſua benignitate priuilegium hoc, iuſque Latii & immunitatis permiſiſſe. Et quamuis coniectura hæc noſtra, cum veteri illa inſcriptione Sertorii, quam in Apologia ad Viſenſem Epiſcopum copioſius explanaui, pugnare videatur; in qua Eborenſes Municipes appellati: tamen fieri poſſe affirmo, improprie eo tempore ſic apellatos: quo modo Vlpianus D. ad Municipalem, ait, ea tempeſtate ſuos cuiuſque ciuitatis ciues, Municipes ſuæ ciuitatis, non tamen Municipes Romanæ appellatos. Credibile & illud Eboram ante Cæſaris Iulii tempora municipium fuiſſe, ſed ſtipendiarium, neque vt poſt, iuris Latii extitiſſe: idque ius, quod à populo Romano accepiſſent, tempore Sertorii ob rebellionem amiſiſſe, quod arma contra tuliſſent. Iulium vero ob eam q̃ proxime dixi, cauſam, ſua liberalitate ius illud poſtliminio reddidiſſe, nõ ob benemerita, quia potius ob damna, belliq; offenſiones, Romanis illatas. Verum hac tota de

re, quando mera coniectura nititur, animus eſt non pertinaciter contendere: De ratione vero cognomenti, quod haud dubie non abs re vrbi inditum eſt, facile illi ceſſero, qui certiora attulerit, Ebora quidem Romanorum temporibus; poſtque Gothorum ætate ſatis clara fuit, in qua & nummi cudebantur. Didici id nuper verum eſſe ex antiquo numiſmate; quod Ambroſius Moralis, hiſtoricus Regis Catholici, & Academiæ Complutenſis Rethor, ad me miſit: in cuius altera parte, facies ſiniſtra eſt Cæſaris Germanici, his litteris: GERM. CÆS. AVG. In auerſa vero cuſa ſpectatur corona cum foliis, in cuius medio tribus verſibus inſcriptum legitur.

LIBERALITATIS IVLIÆ EBORÆ.

Habeo & ipſe penes me nummum, argenti aſperi, & impoliti, rudi forma, vt Gothicis illis temporibus, cuſum, Siſebuti regis Gothorum: in quo regis expreſſa imago, his litteris SISEBVTVS REX. In altera vero parte crucem ambit hoc Elogium: DEVS ADIVTOR MEVS: in medio autem: CIVITAS EBORA.

De Flamine, & Flaminica Ebora. CAP. VII.

ERAT & Eboræ iiſdem Gentium temporibus, Flamen ſacerdos, ea fere dignitate præditus, qua apud Chriſtianos hodie Epiſcopus eſt, Flaminicam item nobiliſſimam habebat, quæ non Eborenſium ſolum ſacerdos femina, ſed & Luſitaniæ totius erat. Huius Epitaphium hodieque ſpectatur in limine infero feneſtræ ædium Tribuni militum equeſtrium, hoc titulo.

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINICÆ MVNIC. EBORENSIS FLAMINICÆ PROVINCIÆ LVSITANIÆ L. LABERIVS ARTEMAS L. LABERIVS GALLÆCVS L. LABERIVS ABESCANVS LABERIVS PARIS L. LABERIVS LAVSVS LIBERTI.

Nec hic ſolum, ſed & Leriæ lapis exſtat, Collipone, qui vicus præter nomen hodie nihil retinet, allatus, vbi diem clauſiſſe extremum, humoq; condita eadem illa eſſe videtur, ex hac inſcriptione.

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINICÆ EBORENſI FLAMINICÆ PROV. LVSITANIÆ. *IMPENSAM FVNERIS. LOCVM SEPVLTVRÆ ET STATVAM *D.D. COLLIPPONENſium datam L. SVLPICIVS CLAVDIANVS.

** Impēſam ſ[illegible] eat, fecit, & locum impetrauit & ſtatuam poſuit.*
** Decreto Decurionum.*

Alterius item Flaminicæ mentio exſtat in cippo non perinde magno, atque ſuperiores illi, elegantius tamen inſcripto: quem agricola quidam aratri dente exarauit, iuxta ruinas ædium, via montis Saracii: vbi & templum fuiſſe apparet: nam & Columnæ eius marmoreæ ibidem repertæ; vocaturq; vulgo adhuc locus ille, Meſquita, quod templum Arabice ſignificat. Titulus eius baſis.

D. M. S.

C. ANTONIO C. F. FLAVINO VI. VIRO IVN. HAST. LEG. II. AVG. TORQ. AVR. ET AN. DVPL. OB. VIRT. DONATO IVN. VERECVNDA FLAM. PERP. MVN. EBOR. MATER. F. C.

Id eſt: *Diis Manibus Sacrum. Caio Antonio, Caii filio, Flauino, Seuiro iuniorum haſtatorum legionis ſecundæ Auguſtalium torque aurea, & annulo duplici ob virtutem donato Iunia verecunda Flaminica perpetua municipii Eborenſis, mater faciendum curauit* (hoc monumentum.)

Clarorum

Google

Clarorum aliquot ciuium Eborenſium monumenta CAP. VIII.

PRODVXIT & Ebora olim ciues aliquot egregios, quibus ob bene merita reſque præclare geſtas monumenta è publico ſtatuit: Haud dubie compluribus aliis quam quorum extat memoria, ſed ædium ruinis, ſcriptorum iactura, temporumq; vaſtitate interciderunt nomina, nihil vt de iis certo ſciri queat. Duorum illuſtrium ciuium monumenta apponam, quæ adhuc in litteratis lapidibus perdurant. Baſis eſt ingens, quam domi meæ aſſeruo, his verbis inſcripta.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO ÆD. Q. II.
VIR. VI. FLAM. ROMÆ DIVORVM ET AVGG.
PRÆF. COH. I. LVSIT. & coh. I. VETTONVM
LEG. III. Ital. OB CAVSAS vtilitates Q. publicas.
APVT ORDIN. ampliſſ. FIDELITER ET CONSTANter DEFENSAS LEGATIONE qua gratuita Romæ pro R. P. ſua funct. eſt LIB. IVL. EBORA PVBLICE IN FORO.

Hoc eſt, *Lucio Voconio, Lucii filio, Quirina* (tribu) *Ædili, Quæſtori. Duũm viro ſextum, Flamini Romæ, Diuorum, & Auguſtorum: Præfecto cohortis primæ Luſitaniæ, & cohortis primæ Vettonum Tribuno Legionis tertiæ Italiæ, ob cauſas vtilitateſq; publicas, apud ordinem ampliſſimum, fideliter & conſtanter defenſas legatione qua gratuita* (ſuo ſumptu) *Romæ pro Repub. ſua functus eſt, Liberalitas Iulia Ebora, publico* (ſumptu) *in foro* (hanc ſtatuam ponendam curauit.)

Epitaphium alterius ciuis Eborenſis eſt, Cæcilii Voluſiani nimirum, qui militiæ clarus armis exſtitit, quantum ex hac inſcriptione colligere eſt, quæ ex fundamentis templi in honorem B. Virginis Mariæ à Rege noſtro exſtructi, reperta eſt: cumque inſpecturus accurrerem, fractum iam lapidem comperi, partemque alteram muro inſertam, vt deſcribendi poteſtas non fuerit. Reliquum fragmentum hæc præferebat.

... CILIO Q. F. VOLVS. ÆF. COH. II. C. R. X.
... PROVOC. VICTORI S. DONATO AB IMP. II.
... HAST. PVR. III. VEX. VIC. I. MVR. IIII.
... OBSI. NIB. H. IN R. P. SVA FVNC. BORENS.
... CIVI OPT. ERITA EIVS IN MVNIC RMOR.
... BASI ÆNE. D. D.

Nos ex coniectura quæ deerant, ſupplere conati ſumus. Q. Cæcilio, Q. filio, Voluſiano, Præfecto cohortis ſecundæ ciuium Romanorum, ex prouocatione victori, bis donato ab Imperatore 4. duabus, haſtis puris tribus: vexillis, ciuica (corona) *vna, muralibus quattuor, obſidionali 4. Omnibus honoribus in Repub. ſua functo Eborenſes ciui optimo, ob merita eius municipium marmoream* (ſtatuam) *baſi ænea* (poſuerunt)

Decreto Decurionum.

Excreſceret nimium hic Commentarius, ſi harum inſcriptionum ſingula explicarem: alibi ea diſcere liceat.

De ætate, qua Chriſtianam fidem Ebora ſuſcepit. CAP. IX.

ATQVE hic quidem Romanorum temporibus ciuitatis noſtræ ſtatus fuit, clarus haud dubie, quo & gloriari iure queat: at iuſtius multo, quod Chriſti fidem prima, aut inter primas ſaltem Hiſpaniæ vrbes amplexa ſit, ſacriſque Chriſtianorum initiata fuerit. B. enim Mancius vnus è ſeptuaginta duobus CHRISTI diſcipulis, ab Apoſtolis, in Hiſpaniam Euangelii gratia miſſus, appulit Eboram, & de verbo Dei, fideq; Chriſtiana conciones frequenter habuit: cumq; gentẽ docilẽ ſua natura cõperiſſet, magnos hic laboris fructus retulit; frequens enim ad eum credentium concurſus fiebat, augebaturq; indies magis, magiſq; numerus Chriſtianorum: quos ſæpe conuenire ad orationes Deo fundendas, & ad Euchariſtię communionẽ corporis & ſanguinis CHRISTI, iubebat. Primus hic igitur vrbis noſtrę Epiſcopus & Apoſtolus exſtitit. Nec in vrbe duntaxat Euangelium Chriſti promulgauit, ſed & in finitimis circumcirca locis fidei rudimenta docuit; donec Validii Præfecti ſententia, Martyrii coronam eſt conſecutus. Corporis eius reliquiæ, extra vrbis pomœria ſterquilinio conditæ, fimoq; ne à Chriſtianis, cultus religionis gratia auferren-

Digitized by Google

tur, tectæ. Quo modo abiectum, & ignoratum, annos aliquot corpus lauit, donec ciues ipſi aucto iam in immenſum credentium numero, tutius agerent: Quo tempore, D. Mancius, rem tandem aliquãdo aperiendam eſſe ratus, nobili in primis viro ſecundum quietem locum oſtendit; qui in prædio ſuo, quod ad hanc rem Diui nomen religioſe conſeruauit, honorifice condidit. Fama vero, miraculorumque vi creſcente indies, mox Iulianus Comes, eiuſq; coniunx Iulia, matrona pia, ad quos locus ille reliquiis ſacer hæreditate peruenerat, auguſtum templum, magnificumq; honori illius dedicauit: ſed vetuſtate collapſum eſt, vt & turris maior pars, quæ non procul inde ſpectatur, concidit. In huius baſilicę medio conditæ D. Mancii Epiſcopi & Martyris reliquię: ſeruatęq; ad ea vſq; tempora, quibus Abderrahemen Maurorum Regulus, vrbem noſtram, vt poſt referam, arctiſſima obſidione cinxit. Chriſtiani itaq; metu eius, qua Barbarus graſſabatur, tyrãnidis in Sanctorum reliquias in Aſturum fines antea, ſalui vt eſſent, fugientes, eo deportarunt, & in agreſti pago, qui villa noua vulgo dicitur, aſſeruari hodieq; ferunt, vno lapide ab oppido Methymnę ſieci fluminis (ſic enim Hiſpani appellant) in Cœnobio monachorum, qui D. Benedicti inſtitutum, hormamq; ſequuntur. Hæc eo breuiter narro, vt de vera vrbis noſtræ religione, fide, & pietate lectori guſtum aliquem darem, qui enim plura ſcire auet, is legat horarum Canonicarum Breuiarium Eborenſe, quod olim iuſſu Cardin. ampliſſimi, Henrici principis Luſitanię cõcinnaui. Profecto par erat, Martyrem hunc religioſius à noſtris coli; quod & primus, & ab ipſis fere Chriſtianæ fidei incunabulis ſolida hic fundamenta docendo iecerit: quæ ſane res non in paruo beneficii loco ponenda eſt.

Poſt, Diocletiano, & Maximiniano imperantibus, & in Chriſtianos adeo ſęue & immaniter graſſantibus, vt Imperium omne cruentũ & ſanguine nobilitatum fuerit, ſi, vt par eſt, ſcriptoribus Eccleſiaſticis fides habenda, tres hac tempeſtate Eboræ ciues clari, morte pro CHRISTO fortiter obita, D. Vincentius, ſororeſq; duæ Sabina, & Chriſtina, martyrio omnes inclyti: in hac ipſa vrbe nati, educati, & inquilini eo in loco, quo hodie Sacellum humile viſitur, & ab illis nomen mutuatur: cuius tam inopis Sacelli, pro meo in patriam Diuoſque amore, ſæpenumero me pudet, ac ſi verum fateri volumus, Reipub. noſtræ intererat, ignominiæ ſibi loco ducere, multis ab hinc retro annis, labente ædicula, illam non inſtauraſſe. Martyrii, & horum Sanctorum hiſtoria in Breuiario illo Eborenſi, & alibi à me concinnata eſt.

Eborenſem Epiſcopatum perantiquum eſſe. CAP. X.

CATHOLICÆ apud Eboram Religionis antiquitate iam pertractata, affirmare liquet peruetetem hanc Epiſcoporum ſedem fuiſſe. Miſſo enim facto Diuo Mancio, quo tempore fidei Chriſtianæ infantia erat, & exiguus credentium numerus, Conſtantino Magno, Imperatore Chriſtiano, Eborenſium Epiſcopus, Quintianus erat, vt conſtat ex Concilio Iliberitano, vrbis Iliberorum; quæ & olim Eluira etiam dicta, penitus collapſa, & in ruinis ſepulta: tunc vero Metropolis erat; Epiſcoporumque ſedes, quæ poſt Granatam tranſlata. Huic Concilio Quintianus adfuit, Decretiſque quæ ibi agerentur, ſubſcripſit: idque Romanis adhuc in Hiſpania imperantibus. Excepit hoc tempus Gothorum ætas, qui cum fere eſſent ingenio immani, & barbaro, & à Catholica fide alieni; ad ciuitatis noſtræ ſtatum quod attinet nihil dum comperi, ſi turres illas vaſtaſque moles, quæ etiamnum hodie ſpectantur, mœnibus Romani operis adiectas, excipias. Architecturæ enim non omnino rudis, facile magnum à Romanorum ſubſtructione diſcrimen deprehendet: Ebora nihilominus difficilimis his Gothorum temporibus Epiſcoporum ſedes permanſit. Equidem domi ſeruo duas inſcriptiones literis rudi modo inſculptas: tamen quod de fidei Chriſtianæ apud nos vetuſtate locupletes teſtes ſint, magni, vt debeo, æſtimo. In altero hæc verba leguntur.

DEPOSITIO PAVLI. FAMVLVS DEI VIXIT AN-
NIS L. ET VNO REQVIEVIT IN PACE D. III.
IDVS MARTIAS ERA DLXXXII.

Alterius vero lapidis, quod ad rem magis, qua de agitur, pertinet, Epitaphium eſt Iuliani Epiſcopi Eborenſium era Cæſaris IↃCIIII. Qui eſt à Chriſti Natali annus quingenteſimus ſexageſimus ſextus. Octo enim & triginta annis ÆRA Cæſaris Chriſti Natalem in-

Digitized by Google

lem incœpiſſe tradunt * Annales Hiſpaniæ. Lapidis vero hæc eſt inſcriptio.

Vt Reſendius Epiſt. ad Ioannem Vaſæum docet, Ambr. Morales & Ioan. Geneſium Sepulueda. Fort. Requieuit vt ſuper, vel Receßit.

IVLIANVS FAMVLVS XPI. EPISCOPVS
ECCLESIÆ EBORENSIS H. SITVS EST
VIX. ANN. PLVS MIN. LXX. REC. IN
PACE KAL. DECE. ERA DCIIII.

Honorio primo, Pontifice Max. qui ad Annum CHRISTI, IↃCXIII. Eccleſiæ clauum Romę tenere cœpit, Siſiſclus Eboræ Epiſcopus fuit. Toletano enim Concilio quarto interfuit nomenque ſubſcripſit; quod regni Siſenandi tertio anno celebratum. Subſcripſit idem, & adfuit Toletano ſexto, regnante Chintillano. Coacta rurſum Toleti Carpetanorum octaua Synodo, Receſuintho rege, præſto fuit, ſubſcripſitque Abſentius Eborenſium Epiſcopus. Eiuſdem regis anno duodeuiceſimo, Æra Cæſaris IↃCCIIII. Qui erat à CHRISTO nato ſexcenteſimus ſexageſimus ſextus, habita Synodus eſt Emeritæ, quæ Luſitaniæ tum Metropolis, duodecim eiuſdem prouinciæ Epiſcoporum præſide Profiſio Metropolitano: Adfuit, & ſubſcripſit Eborenſium Antiſtes Petrus: quam Synodum, ad hanc diem typis nondum editam, calamo exaratam, & quidem antiqua manu, in bibliotheca ſeruo. In duodecimo item Concilio Toletano, Flauio Eringio regnante, ſubſcripſit nomen, & interfuit Tructimundus Eborenſis Epiſcopus, vt in Conciliorum voluminibus legitur. Argumento eſt & Epiſcopatuum diuiſio à Bamba rege in vndecimo Concilio Toletano facta: Anno CHRISTI IↃCLXXIX. Limites item quos Bamba Eborenſium Epiſcopatui attribuit, ſub Emeritenſi Archiepiſcopatu, quę tunc Luſitaniæ Metropolis erat, his fere verbis deſignabantur, rudi illo ſæculo. Eborenſis Epiſcopatus termini à Cetobra ad Petram vſque: & Rutella vſque ad Paradam ſunto.

Raſis, hiſtorici Arabis de Eborenſi Epiſcopatu teſtimonium.

CAPVT. XI.

RASIS Arabs, ſiue mauis, Maurus, hiſtoricus Miramolimi Regis Mauritaniæ Africę, res in Hiſpaniæ militia geſtas Hiſtoriæ monumentis conſignauit: Quæ ex Arabica lingua in Luſitanicam tranſtulit Magiſter Maſamedus, Maurus & ipſe, ex eorum numero qui in Luſitania manſerunt: Deſcripſit vero ſua manu Ægidius Pireſius, ſacrificus Petreani Portellii, Ioannis Auoimi filii, eius qui Marmellarium oppidum equeſtri militiæ Diui Ioannis attribuit: vt & Genealogiæ liber Petri Comitis, Dionyſii Regis filii, conſtat, Tit. 36. §. 9. & Tit. 22. §. 3. de Soſanis, vbi multa de Petreanis leguntur. Quæ quidem Raſis hiſtoria, quod eſſet ſcriptor hiſtoriæ, omniſque antiquitatis, ac rerum Romanarum ignarus, fabulas ſæpe veris narrationibus permiſcet: veruntamen cum Maurorum imperium attingat, ordinem temporum ſeruat, veritatiſque hic rationem habuit: De Conſtantini itaque Magni ætate verba faciens, ab Imp. illo Hiſpaniam in ſex Epiſcopatus, ſic enim vocat, quos Metropoles dixiſſe oportuit, diuiſam, ſinguliſque certum oppidorum numerum aſſignatum refert. De quinta vero Metropoli agens, quam ille Emeritam fuiſſe affirmat, Epiſcopatui quincto (inquit) Emeritam attribuit, Pacem Iuliam, Olyſipponem, Exombam, Abraniam, Conimbricam, Lamecam, EBORAM, Cauriam & Lapam. Sed licet Maurus non admodum fide dignus ſit, proximo capite Conſtantini ætate Eborenſium Epiſcopum fuiſſe Quintianum oſtendi, vtque ex Bambæ regis Gothorum Hiſpaniæ diuiſione conſtat, Emeritenſi archiepiſcopatui Ebora eſt attributa. Quæ cum ita ſint, efficitur, antiquiſſimam eſſe Epiſcoporum ſedem Eboram. Ad Hiſpaniæ vero ciuitates quod attinet, earumque fines, ſic idem Raſis, de Pacenſi loquens: Huius limites, partim Emeritam, partim Sanctarenum attingere. In Pacenſi item agro oppidum eſſe Ebrim ab antiquis appellatum, quæ hodie Ebora, cum finibus ſuis. At ille, quid ſcriberet, non intellexit. Nomen itaq; miſſum faciamus, quod homo Arabs omnium rerum imperitus, ignorauit.

Romani vero in Luſitania tres conuentus fori conſtituerunt, quo finitimi, tanquam ad Coloniæ Metropolim ius petituri, & de controuerſiis, quæ orirentur, diſceptaturi, conuenirent: quemadmodum hodieque in Gallia forum iuris publici Lutetiæ Pariſiorum, & Toloſæ conſtitutum perdurat: & in Caſtellæ regno, prætorium Valliſoletanum, & Granatenſe. Luſitania itaque in tres partes diuiſa, ſingulis Coloniam aſſignarunt, quo commodius finitimi populi conuentus agere poſſent: Prima Emerita fuit, quo Vettonum omnis ora, quæ Luſitaniæ pars eſt, conuenerat. Pacenſis altera, quo Algarbienſes, Cam- *Plinius lib.*

penſes,& Tagi accolæ concurrerunt. Tertia Sanctaren, quo Tranſtagani, Durium vſque populi conuentus egerunt: quomodo fere hodie Correcturæ ſunt, intra Tagum, & Anam flumina, & extrema duræ & eorũ qui trans montes accolunt. Erat itaq; inter Pacenſis iuris oppida, Ebora ſita, non autem in communis agri finibus: & municipium cum eſſet, ſuis legibus regebatur, non Pacenſium: niſi forte controuerſiis eorum dirimendis, iurique adminiſtrando eorum qui ad ſuum forum non pertinerent. Equidem non inficior fieri potuiſſe, vt cum iam omnes, qui Rom. imperio parebant, ciues facti eſſent, quod M. Antonini Imp. ætate accidiſſe ſupra retulimus, Eborenſes tunc Pacem Auguſtam conueniſſe, vt & Olyſipponenſes Sanctarenam. At longe aliud eſt, quod Maurus narrat, in agrorum finibus ſitum habuiſſe: Imo fuit cum Pacenſes & Eborenſes inter ſe de terminis adeo contenderunt, vt Dacianus Hiſpaniæ Pręſes, Diocletiano & Maximiano imperantibus, finium regundorum, litiumque dirimendarum gratia venire coactus ſit, vt copioſe nuper oſtendi Epiſtola ad Bartholomæum Quebedum Canonicum Toletanum; Dacianum Eboram veniſſe docens; vbi & in vincula Martyrem noſtrum inclytum S. Vincentium, cum ſororibus, compingi iuſſit.

De Ebora, à Mauris capta, ſtatu. CAP. XII.

CAPTÆ à Mauris Hiſpaniæ initiũ, idem Gothici imperii finis exſtitit. Hinc enim Saraceni rerũ in Hiſpania potiti ſunt: cuius ætatis cum omnia barbariei plena eſſent, vix memoriæ quidquam mandatum, quid Eboræ geſtum, reperias: neque ſi ſit, legere admodum eſt operæpretium. Adſcribam tamen quæ ex Raſi Arabe comperta habeo. Æra Maurorum, hoc eſt, à Mahometicæ ſectæ exordio, anno CXXXVIII. Qui à nato Chriſto fere IↃCCLX. Abderrahemenes, Moabiæ filius, auſpiciis Miramolini Meuruſiorum reguli in Hiſpaniam traiecit, vbi iam à Maurorum ingreſſu, regnabat Ioſeph: Cum quo prælio dimicans, victum interemit: occupatis locis omnibus, quibus ille imperitabat, fortunas tamen incolis integras reliquit. Iamque Mauris deuictis, Hiſpali caſtra mouet aduerſus Chriſtianos, occupauitq; Pacenſem vrbem, Eboram, Sanctarenam, & Olyſipponem, totamque adeo Algarbenſium regionem. Filius Abderrhamenis fuit Abrahami nomine, qui patris caſtra ſecutus, vxores aliquot in Pacenſi vrbe, feminas genere claras, formaq; venuſta, reliquit: auditaque inſigni pulchritudine filiæ Ioſephi, qui regno exutus in prælio nuper ceciderat, & Eboræ aſſeruari in anguſto ædificio à patre extrui iuſſo, Abrahami eo legationem, cum donis quantiuis pretii miſit. At illa, memoria repetens fortaſſe ignobili illum loco natum, & domi obſcurum, patremque ſuum victum occidiſſe, munera repudiauit: legationique minime acquieſcens, conditione illius vſuram ſe negauit: quin ſtatim cum fratre (qui Eluiræ Granatenſis regni oppido, omnique illi oræ, locisque finitimis imperabat, ex pacto & fœdere cum Abderrahemene initio) rem omnem communicauit. Qui hinc grauem ſibi iniuriam factam interpretatus, paratis quantum pro re licuit, copiis Pacenſem vrbem obſidione cinctam, occupauit: Vxores hinc Abrahami cepit, treſq; pediſequas, filiaſq; pulcherrimas probri cauſa vi conſtuprauit: mox ad ſororem ſuam eas deduxit, his fere verbis cõpellans: Eat nunc Abderrahemenis filius, quamq; tibi contumeliam parabat, eam nunc accipiat vel inuitus: Domumque vnde venerat, reuertit. Cognita mox ab Abrahami re omni, copiis inſecutus, Granatenſi vrbe, quæ & illius erat ditionis, clauſum obſedit: ſed à tergo Ioſephi filius incurrens, exercitum illius fuſum fugatumque cecidit, victumque illum manu cepit: at veritus Abderrahemenem regem, imperatis obſidibus, & fide publica, numquam memorem illum fore calamitatis bello acceptæ, aut ignominiæ, nec ſibi, ſororiue moleſtum vnquam futurum, ſtatim emiſit. Non fugit tamen ea res Abderrahemenem patrem, qui Ioſephi filiũ bello aggreſſus, manu conſerta ſuperauit, duoſque filios cepit: ipſe fuga delapſus Toletanum in agrum ſe recepit: vbi poſſeſſionibus exutus, priuatus viuere & latere dum vult, à rege Abderrahemene ſubmiſſis percuſſoribus, interfectus eſt: caput regi allatum. Hæc ex Raſi deſcripſimus, quæ adeo obſcure dicta erant, coniectura vt opus, diuinationeque videatur. Captis igitur à rege Abderrahemene Pace Auguſta, Ebora, ceteriſque iam à Raſi nominatis vrbibus, quas Chriſtianis ademerat, efficitur Ioſepho adhuc regnante, Chriſtianis paruiſſe, liberaſque fuiſſe: Hinc victis Mauris ſubiectas. Exſtruxit itaque Ioſephus ædes Eboræ: cumque regnum, ereptum iri auguraretur, Chriſtianis potius, ob fidem & continentiam illorum, virtutes Mauris prudentioribus ſatis iam perſpectas, vnicam filiam credere voluit; cum quod feminei ſexus, & in puerili adhuc ætate eſſet; qua facere iniuriam Eborenſibus non poſſet, tutiuſque ibi depoſitum aſſeruatum iri putauit, quam apud

Arabes

Arabes ſuos, homines infidos, impuros, & incontinentes. Ex his omnibus illud etiam ſequitur, ex quo primum Maurorum opera occupata Ebora eſt, annos iam abiiſſe ſeptingentos fere, & octoginta.

Qua tempeſtate Olyſippo, Ebora, & Pax Auguſta à Mauris capta.
CAPVT. XIII.

MISERA ſane vrbis noſtræ conditio fuit ſub Arabum imperio, & vt iam dixi, cognitu ferme indigna. Vnde conſtat Mauros cæli benignitate, & ſoli bonitate vehementer delectatos, ſedem hic potiſſimum fixiſſe: vix vt circum circa locus ſit, quin Arabicum nomen, in hunc vſq; diem retineat, inditum à Maurorum principibus, & Satrapis: qui inter ſe, vrbe capta, agros eorum occupatos partiti erant. In his, verbi gratia, Almancor, Ben-hamorek; Benha-falck, Ben-caſed, Benha Mexi, & id genus alia nomina mere Arabica agris, vicis, & fluminibus impoſita. Atq; hic quidem infelix Eborenſium ſtatus: durauitq; donec Deo Opt. Max. viſum, armaq; contra capta ſunt à regni huius incolis, virtute induſtriaq; Alfonſi Henriquez Regis primi, & bellica laude inſignis: quem honoris gratia libenter nomino, adiutis. Quo tempore è ſeruitute, qua annos amplius quadringentos oppreſſa vrbs iacebat, tandem aliquando in libertatem vindicata, Chriſti fidem Religionemque recepit. Duartus Galbanus, qui res præclare geſtas Alfonſi Henriquez litteris mandauit, quo id anno geſtum ſit, non refert: illud obiter duntaxat, oppida trans Tagum occupaſſe, Alcacarem, Eboram, & Serpam, reliquaſq; ad Pacenſem vrbem. At Petrus Comes libro Genealogiarum Tit. 7. §. 5. annum etiam adſcripſit: Regem Olyſipponē recuperaſſe referens Æra Cęſaris M. C. LXXXV. Menſe Octobris, qui eſt poſt natum Chriſtum, M. C. XLVII. *Olyſippo.* Quod verum eſſe cum ex Annalibus didici, tum maxime ex duabus lapideis Inſcriptionibus quæ in ſumma ſacra æde Olyſippone etiamnum exſtant: Quarum vna antiquior, litteriſq; melius conformatis, ad eam portæ, quæ Orientem verſus ſpectat, partem interiorem, his verſibus legitur.

Tunc anni Domini, cum centum mille notantur,
Cumque quaterdenis, quattuor, atque tribus, ANNO
Quum per Chriſticolas vrbs eſt Vlisbona capta, 1147.
Et per eos fidei reddita Catholicæ.

Altera ad dexteram portæ præcipuæ partem ſpectatur interius eademq; refert: illud tamē addit, feſto die Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, qui octauo Kal. Nou. (hoc eſt, 25. die octob.) agitur, recuperatam vrbem. Exſtat & apud me Gothorum regum Epitoma, vſq; ad Alfonſum Henriquez latine, vt tum quidem tempora patiebantur, conſcripta, cum his, anni, menſiſq; die mirifice conſentiens: Addit tamen feria ſexta geſtum eſſe, hora diei ſexta, poſt menſium quinque obſidionem, Iunio menſe à Rege inchoatam, & Octobri finitam. Hactenus de Olyſippone, de qua cum ſit omnium Hiſpaniæ vrbium celeberrima, precium operę erit hæc cognouiſſe. Ad Eboram noſtram quod attinet, idem Comes, receptam à Chriſtianis narrat, Aera Cæſaris M. CC IIII. Qui anno Chriſti nati *Ebora.* M. C. LXVI. reſpondet: Pacem vero Auguſtam Cæſaris Æra, M. CC. Quarto nimirum ante Eboram recuperatam anno: à quo Epitoma illa nihil diſcrepat: addit tamen quorum *Pax Auguſta.* opera occupatæ vrbes, his, vt ſecula illa ferebant, verbis:

ERA M. CC. pridie Kalendas Decembris, in nocte S. Andreæ Apoſtoli ciuitas Paca, id eſt, Begia, ab hominibus regis Portugalis domini Alfonſi, videlicet Ferdinando Gonſalui, & quibuſdam aliis plebeis militibus nocte inuaditur, & viriliter capitur, & à Chriſtianis poſſidetur, anno regni eius. 25.

ERA 1204. Ciuitas Elbora capta eſt, & deprædata, & noctu ingreſſa à Gilraldo, cognomento ſine pauore, & latronibus ſociis eius, & tradidit eam Regi Dn. Alfonſo. Et poſt *Giraldus Impauidus.* paululum ipſe Rex cepit Mauram, & Serpam, & Alchonchel. Et Culuohi caſtrum mandauit reædificari. Anno regni eius 39.

Recepta itaq; Ebora, Giraldi cognomento Impauidi opera, Anno Domini 1166. Alfonſo Henriquez nonū iam & trigeſimū annum, rerum in Hiſpania potito, quod regnare ſcriptor ille appellat: ducto regni initio ab æra Cæſaris M. C. LXVI. Quo tempore ſolemni Diui Ioannis Baptiſtæ die, vitricum pugna vicit, & exinde regionem illam armis tenuit. Hiſtoricus vero rerum ab Alfonſo Henriquez geſtarum, regni initium ad Cæſaris Æram M. C. LXXVII. retulit, cum quinque Maurorum reges in Ouricenſi agro Alfonſus debellauit, idque vndecimo poſt anno. Quem ſi auctorem ſequimur, recuperata Ebora eſt anno XXVIII. regni Alfonſi. Cumque res à militibus geſtæ ducibus adſcribi plerunque ſoleant; hinc factum Petrum Comitem, Epitomæ concinnatorem; Regi

ſolidam receptæ Eborę laudem adſcribere: at ego mearum eſſe partium duxi rem omnem, prout geſta eſt, referre. Sed de vrbe Pacenſi, quando & Hiſtoricus ille à Comite, & Epitoma diuerſa narrat, in præſens omitto.

Ebora, qua ratione in Chriſtianorum poteſtatem redacta, reſtitutaq; ſit.

Capvt XIIII.

GIRALDVS ille Impauidus cognomento genere nobilis, regnante Alfonſo Henriquo, quum bellorum, vt fit, tempeſtatibus, rebuſque identidem nouis exorientibus, nobiles moribus diſſolutis eſſe ſolent commiſſo itaque, de quo tamen nihil certi habeo dicere aliquo fortaſſe facinore, eam Regis indignationem incurrit, vt aula excedere, Chriſtianorũq; vrbibus cogeretur abire, quo regis manibus effugeret. Transtagum itaq; fugit, quæ tum ora à Mauris tenebatur; Hiſmaro Regi, ei qui in campis Ouricis victus fuit, ſe tradens: Quo quidem rege iubente, in ſylueſtribus Muri, ſic dicti, locis, copias opeſque collegit, caſtrumq;, cuius hodie, præter Giraldi nomen, nihil eſt reliquum, exædificauit, vbi cum ſuis ſe continebat, inito cum Mauris pacis fœdere. Cumque rebus gerendis aptus eſſet, mox flagitioſi complures homicidæ atque proſcripti ad eum ſe contulerunt: Quemadmodum ad Dauidem, dum à facie Saul fugeret, vt ſacræ litteræ referunt, *conuenerunt omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum princeps.* [1. Regum 22. a.] Creuit itaque in immenſum militum numerus: nec dubium, quin hoſtiles in Chriſtianorum agros excurſiones, cum Mauris arctiſſimo fœdere iuncti quotidie fecerint. Quare Epitoma illa Hiſtoriæ Luſitanicæ, latrones eos & prædatores appellat. Cumque iam trans Tagum caſtrametaretur Alfonſus Rex, veritus Giraldus, ne in ſe expeditionem ſuſcepiſſet, quo potiſſimum facinore in gratiam cum illo rediret, ſibiq; Regem demereretur, cogitare. Tandem in eam venit ſententiam, nihil Deo O. M. acceptius, nihil regi gratius, nihil denique ad nominis ſui exiſtimationem, decuſque vtilius à ſe præſtari poſſe, quam erepta Mauris Eborenſi vrbe; aſtu & fraude potius militari, quam viribus & ſanguine fuſo tot Chriſtianorum, quibus expugnatio illa, ſi aperto Marte, armiſque res gereretur, conſtaret. Quæ dum animo conſilia verſat, Mauris iam vti familiarius, viaſq; vrbis exituſque inueſtigare ſtudioſius, cuſtodias explorare. Et quamquam non ſatis illi fiderent Mauri, illo præſertim tempore, quo de Regis expeditione rumor increbuerat, ſuſpectarentque Giraldum, metu ancipiti hærere: vt de Dauide Philiſtæi, hæc fere in vulgus ſpargere: [1. Regum 29. b.] *Quomodo aliter poterit placare dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris?* Nihilominus, quæ ad rem, quam moliebatur, eſſent neceſſaria diligẽter Giraldus adornabat. Cumq; campeſtri loco, pauloque editiore ſita ſit Ebora, vt nuſquam colliũ obtentu inſidiæ tendi queant, niſi ad D. Benedicti, ideo turrim ibi Mauri excitarunt, qua tanquam è ſpecula nota oppidanis ſigna darent: Hanc primo occupare in animo erat Giraldo. Cognito itaq; Maurum duntaxat, cum filia ibi excubare, noctu cum paucis militibus ſeorſim inter duos colles ſe abſcondit: iuſſitque reditum ſuum præſtolarentur, vel, ſi res poſtularet, dato ſigno extemplo aduolarent: ipſe vero incertos euentus nihil reueritus, ſed, quod illi cognomen datum erat, animi impauidus, recta ad turrim contendit, ſudes, perticaſq; ferens præacutas, quibus, parietum eas foraminibus infigens, ad feneſtram conſcenderet: nec enim niſi ſcala demiſſa aditus ad eam patebat: Vtque excubantium oculos falleret, ramis ſe virentibus induit. Acceſſerat iam proxime turrim, ſed non ex aduerſo feneſtræ, nocte intempeſta: & Dei benignitate commodum iam Maurus ſtatione vigiliaque decedens, cubitum conceſſerat, filia excubare iuſſa: quæ (vt imbecillis eſt ille ſexus) parũ ſolicita quid rerum gereretur, dormitans feneſtræ limini incubabat, & quieti ſe ſomnoq; dedit. Lætus itaq; bene gerendæ rei occaſione oblata Giraldus, exutis, quibus ſe accinxerat, ramis arborum, perticis conſcendit, puellamq; ſomno oppreſſam, continuo arreptã precipitauit, vt ne clamorem quidem edere, patremq; excitare mortua potuerit. Turrim itaq; ingreſſus, & Maurum, qui altum ſtertebat, enſe obtrũcat, ſpeculaq; potitus eſt. Cumq; intempeſta nox eſſet, vt nullo adhuc ſigno ſociis dato, ad ſuos per tempus accedere poſſet, Mauri cæſo capite, & filiæ, vtrunq; manibus geſtans accurrit, animoq; addito, & felici omine victoriæ oſtenſo, rei bene gerendæ opportunitatẽ prędicabat. Vna itaq; omnes ad turrim aduolant, cũ aurora nondũ illuſceret, ignẽ quamprimũ in ſumma ſpecula excitat, dato oppidi vigilib. ſignũ, eum agrum, in quo nunc B. Virginis ædes ſacra (vulgo ab incolis, do Spinheiro, vocatur) frequentatur, Chriſtianorum incurſionibus infeſtari. Iuſſit itaq; ſuorum aliquot circũ circa facto agmine curſitare, ſtrepitumq; qui audiretur, edere. Vigiles continuo opidanos ad arma conuocare: & cognito exiguas ibi Chriſtianorum turmas volitare: excurrendi eas debel-

debellandique cupiditas inceſſit. Egreſſi itaque præpropere, nullo ordine, ac patentibus vrbis portis: nec ita longe progreſſis oppidanis, Giraldus vrbem inuaſit & obſcuræ noctis obtentu, tumultu, vt fit, exorto, vigiles cuſtodeſq; portarum hoſtes eſſe ne ſuſpicabantur quidem, donec res ipſa declarauit, vi & ferro graſſantibus noſtris, cæſis primum vigilibus, cuſtodibuſq; portarum, quibus rurſum ſuorum præſidio munitis, reliqui vicatim diſcurrere & obuios quoſque obtruncare, paucos licet: quod & maior pars ſepulta ſomno iaceret, alii vrbe egreſſi eſſent: In oſtiis, quæ peſſulo munirentur, obicem obiicere, ne vel ædibus egredi inquilini ipſi poſſent. Sic vrbem diſcurrendo obire. In aliorum ianuis per annulos quibus trahuntur fores, vectes exiguas, quas eo conſilio plures attulerant, traiicere ne domibus egreſſi patresfamilias, exorto clamore aduolare, armiſque ſumptis gregem facere poſſent. Ea fuit rei geſtæ feſtinatio, tamque prudens conſilium, vt cum iam ad arma clamatum eſt, vrbs à noſtris occupata teneretur, Vrbe egreſſi ciues, audito armorum ſigno, turmam perſequi ceſſant, retroq; vnde venerant, redeunt: ſed in vrbis portis male a noſtris accepti ſunt: neq; cognita, ingredi nihilominus conati, repulſi tandem ſunt, ſuorum facta iactura. Turma enim Chriſtianorum à tergo eos adoriri, vt vtrimque domi foreſq; hoſtilibus armis premerentur. Cumq; tenebroſum adhuc eſſet, Sole nondum exorto, & vt fit in tumultu, rebuſque ſubitis, omnia re ipſa maiora viderentur, abiectis armis, terga vertentes fugam fecerunt. Noſtri inſequi pauidos fugienteſq; detrectant; vrbis cuſtodiæ potius intenti. Rebus iam ex animi ſententia geſtis, atq; compoſitis, Giraldus gaudio exiliens vrbem militibus diripiendam dedit, à cæde modo temperarent. Pronum id ſuis, q. vix Mauri, qui arma contra ferrent, reperirentur, eiectis vrbe aliis, aliis contrucidatis, non paucis domi ſuæ clauſis, & quis eos exitus maneret incertis, efferre domo pedem n nauſis. Direpta iam vrbe, vitam, veſteſq; nec quidquam victis aliud Giraldus indulſit. Diffugerant itaque plurimi: plerique ſe Chriſtianorum poteſtati clementiæq; dediderunt: & ad Emmanuelis regis vſque tempora, cum regno omni Luſitaniæ eiecti Mauri ſunt, perdurarunt. Miſſo mox ad Regem Alfonſum Legato, de capta Ebora, lætum ipſi nuncium attulit: Rogare, vrbem in ſuam poteſtatē recipiat; ſibi, facinorumq; ſociis ignoſcat: Laudare itaque Rex, libenterque accipere lætum nuncium, legatoſq; benigne amplexus, gratiam ſe habere oſtendit. Ad vrbem vero quod attinet, non eſſe, cuius eam præſidio potius committeret, quam qui eam virtute eſſet conſecutus. Sic Ebora in Chriſtianorum poteſtatem venit, hic primus vindex & aſſertor Giraldus: cuius gratia hodieque in clypei inſignibus vrbs præfert equitem cataphractum, equo vectum, ſtrictum enſem geſtantem: duo item capita, viri vnum, alterum puellæ. Sunt vero qui hiſtoriæ ignari, Diuum Iacobum eſſe fingant, Mauros trucidantem; Alii Eborum, neſcio quem, & Euorinum comminiſcuntur, alii alias aniles fabulas venditant: ſed vt narraui, res omnis geſta eſſe creditur.

Ebora rurſum Epiſcoporum ſedes conſtituta, & quis primus Eborenſium Epiſcopus.

CAPVT XV.

VRBE à Chriſtianis recepta ſtudioſe operam dedit, qua erat pietate Alfonſus rex, priſtina Epiſcoporum ſedes, vt antea, fieret Ebora. In anniuerſariorum templi huius libris, primum ab vrbe Chriſtiano iuri reddito, Epiſcopum fuiſſe comperi, Paium: cuius corpus conditum eſt ad Diui Ioannis Baptiſtæ altare, quod nunc corporis Chriſti Euchariſtiæ ſacrum eſt. Decreta Eccleſiaſticorum beneficiorum tulit: & annuis Epiſcopatus reditibus, in tres portiones diuiſis, duas vſui ſuo, tertiam Canonicorum corpori attribuit. Templum item hoc erexit, iactis fundamentis XXII. Maii, Aera Cæſaris. M.CC.XXIV. qui erat ab ortu Saluatoris noſtri carne induti milleſimus centeſimus & octogeſimus ſextus; captæ vero vrbis, ſeu potius receptæ, annus viceſimus. Primum itaque lapidem poſuit ſub baſi altaris S. Mancii, quod hodieque ante ſacellum viſitur. Interea dum ædes ſacra extruitur, ſacris operabatur in ædicula vicina ei vſui conſecrata: quæ poſt vrbis Curia fuit, vbi forenſes actiones agerentur: & haud ſcio quo iure profano vſui ei, qui à ſecretis eſt Reipub. relicta eſt, cum multa ibi ſepulcra ſint eorum, qui bona fortunæ ex teſtamētō Eccleſiæ legarunt. Alter Epiſcopus Seuerus fuit, qui primus ibi Canonicorum Decanus fuerat: cuius mentio in quadam fori vrbis huius conſuetudine adhuc exſtat. Hinc continua ſerie Epiſcopi creati ad annum vſq; Domini M.D.XLI. quo Ioannes tertius eius nominis, Luſitaniæ Rex à Paulo 3. Pont. Max. impetrauit, noua vt Metropolis fieret, manetque hodie. Primus eius Archiepiſcopus eſt, ſitque precor quam diutiſſime, Henricus, Cardin. infans Portugalliæ.

De prima Ordinis militaris, qua hodie Auis appellatur, apud Eboram origine.

CAPVT XVI.

CHRISTIANIS iam Eborenſi, vt dixi, vrbe potitis, quod ſitu, naturaque aptus locus videretur Mauris debellandis, placuit Regi caput hic, magiſtrumque equeſtris militiæ, quæ in Caſtellæ regno Calatrauenſium, in noſtro vero Auiſenſium nuncupatur, conſtituere, eo conſilio, vt inde crebris excurſionibus fidei noſtræ hoſtes acerrimos, pro viribus paulatim expellerent. Confirmauit militarem hunc ordinem Auiſenſium, Eboræ agentium, miſſo diplomate Innocentius tertius, qui Cæleſtino ſucceſſit, Pontificatus anno quarto, CHRISTI vero nati M.CCIV. regnante Sanctio, qui Alfonſo Henriquez parente mortuo, regnum hęres proxime excepit. Sedes horum militum, qui Gallica voce *Freres*, hoc eſt, fratres dicti; vbi hodie locus ille Freiria appellatur, & in ipſa vrbis arce, quæ muro & turribus ab vrbe ſecluſa erat: vt etiamnum hodie apparet in ſitu ędium Didaci Caſtri, vrbis noſtræ Tribuni militum. Iuxta ædes item Comitis Portalegrii ſacellum tenebant, Diuo Michaeli archangelo ſacrum, vbi ſtatis horis res diuina peragebatur. Atque hæc quidem Ordinis huius militaris apud Eboram origo, durauitque ad tempora vſque Alfonſi tertii. Tres vero Eboræ Magiſtri equitum fuiſſe memorantur: Primus Ferdinandus Roizius Mentellus, ſummæ vir auctoritatis: cui Alfonſus Henriquez Rex Maſaram oppidulum, Mauris ademptum donauit. Alter frater Gandiſalonis Viegas. Tertius Alfonſus, Anenſius, quo Magiſtro equitum Auiſium milites commigrarunt, quo propius a Mauris abeſſent, aut vt citius debellare eos poſſent, vel alia quauis, quæ Regi placeret, cauſa.

EPILOGVS.

HACTENVS de Eboræ Antiquitatibus hæc dicta ſufficiant: nec me fugit, eſſe & alia ſcitu non indigna, ſed quod ea in annalibus regum, Priuilegiis, & Fori conſuetudinibus vrbis noſtrę legantur, prudens prætermiſi. Parui itaque & morem vobis geſſi, viri ampliſſimi: quare finem faciam, adiecta tantum Coronidis vice Inſcriptione, quæ in templi columna legitur, in S. Crucis ſacello: quod ad rem faciat, vrbis nimirum ſplendorem, ciuiumque frequentiam oſtendens. Alfonſus enim Luſitaniæ Rex quartus, Soladenſe prœlium commiſſurus, centum equites, & mille pedites Ebora eduxit ad pugnam. Titulus autem Latine ſic habet.

AERA. M. CCC. LXXVIII. Rex Maurorum Aben Amarinus, tranſmarinarumq; regionum, viribus ſuis fretus & opibus ciſmarina aggredi armis cœpit, cum Forra regis Tuneti filia, vt Chriſtianos debellaret, funditusque deleret: Tariſam (qua Tarteſſum veterum putatur fuiſſe) obſidione cinxit militarium copiis innumeris. Rex itaq; Caſtellæ Alfonſus, ratus, quod res eſt, ancipitem eſſe bellorum aleam, legatione ad Alfonſum 4. Luſitaniæ Regem ſocerum ſuum miſſa, auxiliares copias poſtulauit. Qui nihil cunctatus, præſens ipſe, omnibus ſubſidiis ſuppetias tulit. Terminos itaque regni ſtatim attigit, ſuoſque pene ſubſequi iuſſit. Ebora centum equitum turmam, cohortem vero mille peditum euocauit. Gundiſaluo Stephano Caruoero ſigna ferente. Commiſſum prœlium cum Mauris Granatæ regem Luſitanię rex adortus eſt, Caſtellæ Rex Aben Amarinum, Deique Opt. Max. benignitate, Maurorum vix cladis nuncius effugit; ſed ad internecionem cæſæ ſunt, noſtrorum opera, innumerabiles hoſtium copię, Reges Aben Amarinus, & Granatenſis fuga ſalutem quæſierunt. In tentoriis Regis Aben-Amarini magna auri vis & argenti in prædam Caſtellæ Regi ceſſit: Interfecta & Forra, multæque adeo matronæ ex opulentioribus, Maurorum & pediſſequę. Filius item Aben-Amarinus captus, conſobrinus, & nepos. Deus itaque pro tot, tantiſque in Chriſtianos collatis beneficiis, ſit benedictus in ſecula AMEN.

IACOBI MENOETII VASCONCELLI I.C. LVSITANI.

DE EBORENSI MVNICIPIO, COMMENTARIUS.

ANTIQVITVS hanc vrbem Eboram dictam fuiſſe, & ſic ab eruditis nominari debere, conſtat tum ex Plinio, Pomponio Mela, Antonini itinerario: tum etiam ex antiquis Conciliis in Hiſpania celebratis, & vetuſtis lapidum inſcriptionibus, intra vrbis ambitum, & in eius agro repertis, de quibus mox agemus. Vnde apparet locum Ptolemęi deprauatum eſſe, qui hanc vrbem *Eburam*, & quandam in Bætica ſitam, *Eboram* appellat, cum è diuerſo noſtra hæc *Ebora*, altera vero *Ebura*, ſit, cognomento *Cerealis* dicta, teſte eodem Plinio, libro tertio, cap. 2. & Pomponio, qui ex eadem Bæticæ prouincia ortus, Mellaria, nempe oppido, fide dignus eſt teſtis. Hæc nominis ſimilitudo, Strabonem etiam fefellit, & Stephanum in libro de Vrbibus, qui Strabonis verba minus exacte perpendens, quod alterius erat, alteri attribuit, Eburam pro Ebora accipiens, nec mirum eſt iſtos, cum Græci fuerint, & in longinqua regione nati, deceptos nominum propinquitate fuiſſe.

Latinos vero Geographiæ ſcriptores, quales fuerunt, quos antea nominauimus, non eſt veriſimile hæc nomina incognita habuiſſe, quos hac in parte nos ſequimur. Alteram etiam Eboram Ptolemęus nominat, non procul à Cæſarauguſta. De nominis autem, & huius vrbis origine, & quiſnam primum eam ædificare cœperit, quis quæſo certi aliquid aſſerere queat, in tanta rerum antiquarum obſcuritate, niſi qui fabuloſis, & confictis originibus, otio abuti, & bonas horas malè collocare cupiat: Datum hoc fuerit priſcis rerum ſcriptoribus &, vt ita dixerim, Gentilitati ſit venia, quod vrbium primordia, ad deorum, dearumque fabulas, pluſquam aniles, referre ſint auſi. Nobis, qui eorum ſuperſtitionem, non minus ridendam, quam miſerandam cenſemus, veritas in primis conſtare debet, & nihil eſt aſſerendum, niſi quod pro comperto habetur, aut grauis alicuius auctoris teſtimonio, aut veriſimilibus coniecturis, aut ipſis etiam inſcriptionum veterum monumentis. Sed ne omnino hanc curam neglexiſſe videamur, non pigebit ea, de vtraque re adducere, quæ nobis ſæpe, diuq; de nomine cogitantibus, apud Geographos, & ceteros ſcriptores occurrerunt. Plinius itaque libro tertio capite primo ſcribit Marcum Varronem aſſerere in vniuerſam Hiſpaniam perueniſſe Iberos, & Perſas & Phœnices, Celtaſq; & Pœnos. Et vt cæteros modo miſſos faciamus, de Celtis, ſeu Gallis, idem aſſerit Strabo libro tertio, tradens eam Luſitaniæ regionem, quæ eſt inter Anam, & Tagum maiori ex parte, à Celtis incoli, & paulo poſt, cum de Nerio agit promontorio, ita habet: *Extremi Artabri incolunt, circa Nerium promontorium, quod Occidentalis, & Aquilonaris finis eſt lateris. Circumhabitant Galli, qui colentes Anam fluuium cognatione contingunt.* Hæc ille. Ex quibus aperte cōſtat, hunc tractum, vbi Ebora ſita eſt, a Celtis fuiſſe habitatum, qui ante Carthaginienſes, & Romanos in Hiſpaniis rerum potiti ſunt. Veriſimile eſt igitur ab Eburonibus Belgis, ſeu ab Eburonicibus Celticæ Galliæ populis, hanc vrbem, & conditam, & denominatam fuiſſe, vt Heluiam, ſeu, vt vulgo dicimus, Heluenſem ciuitatem, ab Heluis Gallis originem trahere, ſuo loco dictum eſt. Tam pertinax autem fuit, tamque diuturna Gallorum in Hiſpania mora antiquis illis temporibus, vt cum lingua, & moribus Hiſpanis ſimillimi haberi vellent, Celtiberi dicti ſint. Linguam autē ab illis vſurpatam, eam fuiſſe puto, quæ hodie Cantabris in vſu eſt, & Vaſconica dicitur, vel à Vaſconibus vltimis Hiſpaniæ populis, vel ab Aquitanis, qui etiam Vaſcones dicuntur. Hanc autem Vaſconicam linguam Celtis communem, aut etiam Celticam fuiſſe, confirmat verſiculus Auſonii Burdigalenſis, cum patriam celebrat, & fontem ibi ſcaturientem nimiis laudibus extollit in hunc modum. Libet enim Carmina apponere, quia digna ſunt, & quia Burdigalenſibus, quibus puerilis ætatis cultum debeo, obiter gratificari cupio:

Salue fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis, opace.

Salue vrbis genius, medico, potabilis hauſtu.
Duiona Celtarum lingua, fons addite diuis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemauſus
Purior, æquoreo non plenior amne Timauus.

Duiona Gallice fontem diuinũ ſignificare innuit, cuius nominis forma, & ſonus Vaſconicæ Cantabrorum linguæ apte quadrat. Sic enim finiunt vrbium & complura alia vocabula, & hæc vox, *Ona*, apud illos bonum ſeu diuinum ſonat.

Aquitanos autem non modo lingua, ſed etiam corporibus, Hiſpanis magis, quam Gallis ſimiles fuiſſe, ſuo tempore, teſtatur Strabo initio libri quarti, qui etiam aſſerit Callaicis, Aſturibus, & Cantabris, vſq; ad Vaſcones, & Pyrænen eandem fuiſſe viuendi formulam. Noſtram igitur Eboram, ab Eburronibus Galliæ gente, conditam, ac denominatam fuiſſe, veriſimile mihi fit. Nec me latet, etiam in quadam Italię parte, Eburinos populos Plinium collocare, libro tertio, capite vndecimo: & Pomponium Melam in ſinu Gaditano, caſtellum Eboram iuxta littus: id enim paſſim cõtingere videmus, vt in diuerſis orbis partibus nonnulla oppida eodem fere nomine cenſeantur. Sed vtrum Celtæ illam condiderint, an vero iam conditam, & ædificatam inhabitauerint, merito dubitari poteſt. Quantum autem cõiecturis aſſequi licet, ego eos conditores huius vrbis fuiſſe crediderim: quia ante Quintum Sertoriũ, muris caruiſſe videtur, ipſe enim ſe mœnibus eam cinxiſſe teſtatur. Vnde ſuſpicari fas eſt, à Gallis, quorum mos erat vicatim habitare, originem traxiſſe, qui præter hoc municipium, minora etiam quædam oppidula, ſuæ gentis nomine inſignita reliquerunt: vt Eboram à monte, in quo ſita eſt, montanam dictam, diſtantem ab hac, de qua agimus viginti circiter paſſuum millibus, & Eburobritium ſitam inter Scallabin, & Olyſipponem, cuius meminit Plinius, libro quarto, capite vigeſimo primo, vbi corrupte, *Eburo, Brttium*, legebatur, quod primus omnium Reſendius noſter indagauit, minime ab his, qui antea in eum auctorem obſeruationes ediderant, animaduerſum. Mœnia igitur antiqua, quæ etiam nunc extant, & verus ambitus, ſeu circuitus, vt vulgo dicitur, Quintus Sertorius condidit, peracto (vt ex eius inſcriptione conſtat) bello Celtiberico, in quo Eborenſium militum prompta, ac ſtrenua opera vſus fuerat.

Conſtabant autem muri, ex quadratis lapidibus, validis propugnaculis, ac turribus, ſuis locis diſtincti, adeo firma, ſolidaq; ſtructura, vt poſt tot ſæcula, tantamq; & tam variam rerum viciſſitudinem, adhuc hodie integra illorum cernantur veſtigia. Addidit aliud non minus neceſſarium beneficium, gratiſſimus ac liberaliſſimus Imperator, inuecta in vrbem magna aquarum copia, ab duodecim fere millibus paſſuum, quam ex diuerſis fontibus in vnum ductũ collectam, ex manubiis magnificentiſſimo opere perducendam curauit. Sed iam ipſam inſcriptionem ſubiiciamus.

Q. Serto. . . . .
honorem nominis ſui, & cohort. fort. . . . .
Eborenſum Munic. vet. Emer virtutis ergo. . . . .
Don. Don. bello Celtiberico, deq; manubiis. . . . . .
in public. munic. eius vtilitatem vrb . . . .
mœniuit, eoque aquam diuerſeis in duct. . . . . . .
vnum collecteis fontib. perducendam curau. . . . .

Hoc eſt: *Quintus Sertorius ob honorem nominis ſui, & cohortis fortiſſimorum Eborenſium municipum, veteranorum, emeritorum, virtutis ergo donis donatorum bello Celtiberico, deque manubiis in publicam municipũ eius vtilitatem, vrbem muniuit, eoque aquam diuerſeis in ductum vnum collecteis fontibus perducendam curauit.*

Quo magnanimi viri, eiuſdemq; fortiſſimi ducis teſtimonio, etſi alia deeſſent, ſatis commendata olim fuiſſe videtur Eborenſium virtus, & rei militaris ſtudium. Quam ob cauſam eos præ cæteris totius Hiſpaniæ populis, peculiari quadam beneuolentia proſecutus eſt, adeo vt hic domum, & aliquot libertos habuerit, vna cum Iunia Donace domeſtica, vt ex duabus marmoreis tabulis conſtat, quarum altera in eadem Q. Sertorii domo in foro piſcario ſita, reperta fuit cum hac inſcriptione:

LARIB. PRO SALVTE ET INCOLVMITATE DOMVVS Q. SERTORI COMPETALIB. LVDOS ET EPVLVM VICINEIS IVN. DONACE DOMESTICA EIIVS. ET Q. SERTOR. HERMES Q. SERTOR. CEPALO Q. SERTOR. ANTEROS LIBERTEI.

Hoc eſt: *Laribus pro ſalute, & incolumitate domuus Quinti Sertorii, competalibus ludos & epulum*

epulum vicineis, Iunia Donace domeſtica eius, & Quintus Sertorius Hermes, Quintus Sertorius Cepalo, Quintus Sertorius Anteros Libertei.

Altera iuxta oppidum Terraneum, diſtans Ebora ad XXX. M. paſſ. in templo ſanctorum Iuſti & Paſtoris, cuius cippum iam ſuperiori libro Reſendius exhibuit, ex quo apparet Iuniam Donacen, pro victoria illa celebri à Sertorio parta, contra Pompeium, & Metellum illic Ioui, cuius tunc erat delubrum, vota ſoluiſſe. Veriſimile eſt etiã Q. Sertorium erga Eborenſes ita fuiſſe animatum, propter loci opportunitatem, & ad hiemandum feracem, idoneumq; agrum, vnde veris initio, copias educere, & in citeriorem Hiſpaniã proficiſci ſolebat, vt ex Appiano Alexandrino liquet, cuius verba hæc ſunt, libro primo de ciuilibus Romanorum bellis, circa finem: *Cum autem ver inſtaret, ad inuicem congredi cœperunt, Metellus ſcilicet, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus, inter quos hiberna egerant, Sertorius & Perpenna ex Luſitania.* Et paulo poſt: *Metellus iterum, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus in Iberiam venere, his Sertorius, & Perpenna à Luſitanis occurrunt.* Et iterum, vbi de nece Sertorii, & de contemptu atq; odio militum in Perpennam agit: *Porro Sertorii virtutem, vnicam illorum ſalutem fuiſſe rati, haud facile in Perpennam oculos conticiebant, nec ipſi duntaxat Romani, verum barbari fere omnes, Luſitaniq;, quorum opera Sertorius præcipue in bello vſus fuerat.* Hactenus Appianus. Nos autem de hac Sertorii in hanc vrbem egregia voluntate, præcipuoq; amore, ita canimus in ea Silua, quam de noſtro ex Ebora diſceſſu nuper vna cum quibuſdam aliis opuſculis in lucem edi curauimus:

Hic illum certos fama eſt habuiſſe penates,
Et proprios coluiſſe lares, hic dulcia fixis
Limina, quæ trepido belli ceſſante tumultu,
Incoleret, poſitis & ſæpe reuiſeret armis.
Siue loci genio captus, ſeu gentis amore,
Vel quia ad euentus dubios, bellumq; parandum
Apta foret regio, delecta robore pubis,
Et virtute virum, vario quos Marte probarat.

Siquis vero fertiles Eboræ campos, & circumquaque in modum amphiteatri, obiectos altiſſimos montes non ſemel, nec obiter contempletur, ille ſane ſi Romam, & Romanum agrum vnquam aſpexit, ſimilitudinem incredibilem fortaſſis his, qui hæc legent, inter vtrumq; tractum deprehendet, hoc vno dempto, quod Ebora fluuio caret, & mediterranea omnino eſt. Nam (ſi parua licet componere magnis) vt Roma ad ſeptentrionem, & orientem ſolem Tyburtina iuga circiter XVI. M. P. diſtantia à mœnibus habet, interueniente lata ac pulchra camporum planitie: Sic Ebora ad eundem cæli ſitum, Oſſam montem aſpicit amœniſſimum, multiſque fontibus, & riuulis vndique ſcaturientem, atque in eadem fere diſtantia, inter cuius ardua cacumina, & ciuitatis muros, latiſſimi campi patent. Rurſus Sabinis, Prænestinis, Tuſculanis, atque Albanis montibus verſus Orientem & Meridiem agrum Romanum cingentibus, non abſimiles ſunt ſaltus, eodem fere ſpatio ab Ebora diſtantes, quos Portellenſes, Viennenſes, & Alcaceuenſes, à circumuicinis oppidis vulgo appellamus. Cingitur deinde Ebora iugo montis, quẽ *Murum* vocant, præterea Calanticẽſi ſaltu, quem Arraiolenſem vulgus nominat, & perpetua deinde montium corona, qui Oſſam ex Septentrionali latere attingunt, & ita circulum efficiunt, quem initio ex eodem loco deſcribere cœpimus, non diſſimilem illi, quo Romanus ager vndique clauditur. Sed quorſum hæc dicet aliquis? vt ad eas cauſas, propter quas, hanc vrbem Sertorio charam fuiſſe diximus, hæc etiam accedat, quod quandam Romæ ſimilitudinem, & imaginem ex camporum planitie, & montium diſtantia, atq; aſpectu deprehendere poterat. Conſtat enim ex hiſtoriographis, qui vitam illius litteris tradiderunt, & præcipue ex Plutarcho, perquam auidum fuiſſe Romæ repetendę, ſi compoſitis diſcordiis, tuto arma deponere licuiſſet.

Tradunt etiam maximo ſemper arſiſſe deſiderio Rheæ matris viſendæ, quam vnice dilexit, quia cum infans patre orbatus fuiſſet, ab ea liberaliter, & peramanter fuerat educatus. Vnde in ea inſcriptione, quam ſuperius adduximus, nõ patris nomen, more Romano, ſed matris appoſuit. Quo argumento Michael Siluius, vir clariſſimus, qui ex Epiſcopo Viſenſi Cardinalis creatus fuit à Paulo III. Summo Pontifice, contendebat eam memoriam minime eſſe antiquam, ſed ab aliquo huius ciuitatis fautore fuiſſe confictam, quo reg. perſuaderet, vt aquę ductum à Sertorio olim erectum, & vetuſtate collapſum, inſtauraret. Cui elegantiſſima Apologia Reſendius adeo accurate reſpondit, vt in ea reconditos antiquitatis, & eruditionis ſuæ theſauros, in patriæ gratiam deprompſiſſe videatur. Cuius ipſe ſæpius mentionem facere ſolet, vt qui in ea merito ſibi placeret, vir alioqui modeſtiæ, & caſti-

doris amiciſſimus. Eam Apologiam nos aliquando in lucem edere cogitamus, vna cum aliis eiuſdem opuſculis, quæ diuiſim typis excuſa, obliuioni tradita, & fere iam conſumpta, atq; extincta ſunt. Itaq; (vt eo vnde digreſſa eſt, redeat oratio) potuit Ebora Sertorium tum ob eas cauſas, in ſui amorē trahere, tum etiam, quia opera ab eo extructa, & domeſtici penates lareſq; communes, magnam amoris, & neceſſitudinis materiam erga hoſpites, & amicos ciues illi ſuppeditare potuerunt. Præterea ſimilitudo dulciſſimæ patriæ, cuius deſiderio flagrabat, ſubinde aſſerens, malle ſe inter ſuos priuatam, atq; humilem vitam degere, quam exulem in ſumma potentia viuere. Scimus autem municipia, & colonias, quaſi effigies paruas, & ſimulachra fuiſſe vrbis Romæ, vt Politianus teſtatur, in ſecunda epiſtola libri primi, vbi agit de origine Florentinæ ciuitatis, quam ad Romæ ſimilitudinem conditam fuiſſe aſſerit. Quæ conſuetudo antiquiſſima eſt, & à profugis, & extorribus, ac exteras ſedes quęrentibus, ad exilii acerbitatem mitigandam, excogitata, quod Virgilius libro tertio in Ænea obſeruauit, quem ita loquentē inducit, cum in inſula Creta vrbem conderet:

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,
Pergameamq; voco, lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemq; attollere tectis.

Et mox cum hoſpitio Heleni, & Andromaches exceptum refert:

Procedo, & paruam Troiam, ſimulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnoſco, Scææq; amplector limina portæ.

Atque iterum libro quinto, dum in Sicilia apud Aceſtem mœnia condentem inducit, ita canit;

Interea Æneas vrbem deſignat aratro,
Sortiturq; domos, hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Eſſe iubet.

Nil igitur mirum, ſi Quintum Sertorium, virum & bellicis artibus & totius antiquitatis cognitione præſtantem, nec à litteris alienum, vt qui eas in Hiſpania edoceri curauerit, priſcos illos heroas hac in parte imitari voluiſſe credamus; & hanc vrbem, à ſe mœnibus, porticu, & aquęductu magnifice ornatam, atque aliis fortaſſe nobilitatam monumentis, quæ temporis iniuria aboleuerit, velut alteram Romam, in ſolatium amiſſæ patriæ elegiſſe, in qua præcipue habitaret, ac manſuras ſedes figeret. Sed fefellit illum, id, quod mortalium ſpes fallere plerunque ſolet concepta, videlicet de proſpero futurorum euentu, & fauentis fortunæ ſtabilitate opinio. Paucis enim interiectis annis, ſuorum inſidiis circumuentus, ac procul à dilecta Ebora trucidatus eſt. In qua ſibi forſitan monumentum viuens poſuerat, vbi veriſimile eſt eius cineres fuiſſe repoſitos, vt fama apud Eborenſes vulgatum ſermus, ſed certum eius rei argumentum nemo hactenus inuenire potuit. Inſcriptio autem quæ ea de re circumfertur ab aliquo antiquitatis ſtudioſo confiсta videtur. Et quoniam in rebus adeo antiquis, coniecturis vti licet, non pigebit aliam etiam cauſam aſſignare, Sertorianæ erga Eborenſes beneuolentiæ. Tradunt antiquitatum Hiſpanię ſcriptores, eas Celtarum gentes, quas diximus ex Galliis in Hiſpanorum fines commigraſſe, tandem in Luſitaniam perueniſſe, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo nono ante Seruatoris noſtri aduentum, quo tempore veriſimile eſt Eboram ab illis conditam fuiſſe. Conſtat autem Romam eodem fere tempore fuiſſe ædificatam, hoc eſt, ante Domini natale, ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo anno; ita vt Romanæ vrbis primordia, cum Eboræ origine concurrere videantur. Cuius rei recens adhuc memoria apud Eborenſes Sertorii tempore fortaſſis extabat, non ſolum à maioribus fama, & ſermonibus, per manus tradita, vt plerunque fieri ſolet, ſed etiam litterarum monumentis, & publicis tabulis conſcripta atque conſignata. Cum enim tam illuſtris eſſet illis temporibus, Romanorum fama, vt ditionis & potentiæ magnitudine, vniuerſum prope terrarum orbem, in ſui admirationem conuertiſſent, quis dubitabit ceteras nationes in magna poſuiſſe gloria, ſimilem illis quacunq; in re, etiam minimi momenti, fortunam ſortiri potuiſſe? Ea ergo originis ſimilitudo, vltra ſitus formam, & patrii ſoli ſimulacrum, illum incitare potuit, ad hanc vrbem, vt fecit, peculiari quodam ſtudio, ac ſingulari amore complectendam. Nec minori beneuolentia, Iulium Cęſarem, Eboram proſecutum fuiſſe exiſtimandum eſt, tum propter cognomen, quod ab illo receptum retinuit, & Liberalitas Iulia dici voluit, tum etiam propter magnificum titulum, quem in eius gratiam publice dedicauit, inſcriptum in marmoreo cippo, litteris elegantiſſimis, in hunc modum:

Digitized by Google

DIVO IVLIO LIB. IVL. EBORA OB ILLIVS IN MVN. ET MVN. LIBERALITATEM EX D. D. D. QVOIVS DEDICATIONE VENERI GENETRICI CESTVM MATRONÆ DONVM TVLERVNT.

Id eſt: *Diuo Iulio, Liberalitas, Iulea Ebora, ob illius in municipes, & municipium liberalitatem, ex decreto decurionum dedicauit. Quoius dedicatione Veneri genetrici ceſtum matronæ donum tulerunt.* Quæ autem fuerit Cæſaris liberalitas erga hanc vrbem, ſi dubitetur, ego exiſtimarem conceſſum ab illo Eboræ fuiſſe ius Italicum, vt ex eo tempore municipium Latii veteris dici cœperit. Sic enim ſcribit Plinius libro quarto ſæpius adducto, cap. 22. *Oppida veteris Latii, Ebora, quod idem Liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia.* Erat autem municipiorum conditio, multis in rebus coloniis præferenda, & præcipue ea de cauſa, quia, *municipes*, teſte Gellio, libro decimo ſexto, cap. octauo; *erant ciues Romani ſuo iure, & ſuis legibus vtentes, nullis aliis neceſſitatibus, neque vlla populi Romani lege aſtricti, ſed coloniarum, alia neceſſitudo eſt. non enim veniunt extrinſecus in ciuitatem, nec ſuis radicibus nituntur, vt municipia, ſed ex ciuitate, quaſi propagatæ ſunt, & iura, inſtitutaq; omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent.* Hæc Gellius. Itaque municipia, ſimul cum ciuitatis Romanæ priuilegiis, & iure, ſuas leges, ſuos magiſtratus, & ſua tam publica, quam priuata inſtituta; ac ſacra retinebant. Coloniæ vero diuerſa ratione rempublicam adminiſtrabant, vt copioſe, & eleganter tradit Onuphrius Panuinius Veronenſis, in Commentariis Reipublicę Romanæ, in eo libro, qui, Imperium, inſcribitur, vbi agit de iure municipum cum ſuffragio. *Municipes enim* (vt ait Iuriſconſultus Vlpianus, in l. 1. ad municipiales ff.) *proprie appellantur, muneris participes, recepti in ciuitatem, vt munera nobiſcum facerent;* Vnde omnibus ciuium Romanorum priuilegiis potiebantur, vno dumtaxat excepto, vt Onuphrius aſſerit, quod in curias Romanas deſcripti non erant, atque ob eam cauſam curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. Curiæ enim ſolum ad eos, qui vrbem Romanam incolerent, pertinebant. Nam qui in municipiis habitabant, ſua ſacra municipalia pro curiis habebant. Ius vero Italicum, ſeu antiqui Latii; Adeo nobile, & præcipuum fuit, vt etiam aliquot coloniæ antiquæ, & celebres, minime illud adipiſcerentur. Quæ vero Italici iuris dicebantur, in maximo id honore, & beneficio ponerent, vt colligitur ex eodē Vlpiano, in l. 1. de cenſibus, quo loco gloriatur Phœnicem Tyriorum coloniam patriam ſuam, ius Italicum fuiſſe adeptam, ob inſignem erga Imperium Romanū fidem, ceteraſque dotes, quas ibi, vt gratus ciuis commemorat. Et paulo poſt, *in Palæſtina* (inquit) *duæ ſunt coloniæ, Cæſarienſis, & Aelia Capitolina, ſed neutra ius Italicum habet.* Quin etiam in Luſitania, & reliquis Hiſpaniæ prouinciis, Emeritenſes, Pacenſes, Valentinos, cum coloni eſſent, iuris Italici eſſe affirmat idem, in l. vltima, eodem titulo: quibus addit Galliæ Narbonenſis, & Germaniæ nobiliſſimas colonias. Splendor itaque, & dignitas Eborenſis municipii, tam ex originis antiquitate, & Italici iuris prærogatiua, quam ex eo etiam deprehenditur, quod immunitatis ius habuerit, vtpote, quæ inter ſtipēdiaria Luſitanię oppida à Plinio minime numeretur lib. 4. cap. 22. Vt autem olim Cæſaribus, & ceteris Romanorum ducibus, hæc ciuitas grata fuit, ſic quoq; à potentiſſimis Luſitaniæ Regibus maximo ſemper in honore eſt habita, & poſt Olyſipponem, Regni caput, primum locum obtinere cenſetur, quamuis ei haud libenter hunc honorem ceſſura ſit nobiliſſima Calenſis vrbs, hæc hodie Portugalenſis dicitur, ſita ad oſtium Durii, vt ſuo loco dicemus, cum ad illam hæc hiſtoria peruenerit. Quid autem prohibet carmina noſtra, ex eadem illa ſylua, de hac Eboræ dignitate à Cæſare obtenta, in medium proferri, ex quibus ea, quæ diximus, apertius cognoſci poſſint?

Salue magna parens frugum, fecunda virorum,
Salue altrix, nobis vrbs o gratiſſima ſalue.
Cæſaribus dilecta piis, adamataq; magnis
Regibus, antiqui retinens monumenta decoris;
Maximus ille ducum, Romanæ gloria gentis;
Iulius à Phrygio deducens nomen Iulo:
Cum quateret terras armis, cum ſidera fama
Compleret, ſoluſq; orbis tractaret habenas:
Te titulis, ciueſq; tuos decorauit opimis
Muneribus, largaq; manu largitus honores
Eximios, Latii tribuit tibi iura vetuſti.

Cæſaris hinc tibi creuit amor, cui marmora quondam
In medio manſere foro, teſtantia laudes,
Egregiumq́ viri decus, à quo Iulia dici
Gaudes, occiduas inter memorabilis vrbes.

Sed vt ad Romanorũ monumenta deueniamus, quæ præter iam ſuperius adducta, in ipſa vrbe, & in eius agro reperta ſunt, ex quibus antiquitas ſatis oſtenditur. Illa ſtatim iam peruulgata inſcriptio ſeſe offert, quæ incipit L. SILOSABINVS, quam Reſendius libro tertio iam exhibuit. Cuius interpretationem ab illo prætermiſſam, tantummodo ibi appoſuimus. Reperta autem fuit hæc inſcriptio, in prædio cognominato Pomarienſi, diſtante ab hac vrbe XVI. mill. paſſ. & ab oppido Vienna, VI. mill. paſſ. vbi amœni ſunt colles, quos Appianus Alexandrinus vinetis conſitos fuiſſe, & ibi templũ Veneris extitiſſe refert. Conſtat autem apud omnes Hiſpaniæ antiquitatum ſcriptores, vetuſtiſſimam eſſe omnium, quæ apud Hiſpanos hactenus inuentę ſunt. Commiſſum eſt enim illud prælium, inter Caium Plantium, & Viriatum Luſitanorum ducem, anno ab vrbe condita ſexcenteſimo nono, Quinto Fabio Maximo, & Lucio Hoſtilio, Conſulibus. Niſi antiquiorem eſſe admittamus, eam, quæ Marco Catoni Cenſorio tribuitur à Petro Appiano Alexandrino, quæ incipit PALLADI VICTRICI. Sed meo iudicio, illius ſæculi antiquitatem parum redolet.

Extat autem apud nos, in agro Sintrienſi, in vico cui nomen eſt, Fanum, marmor admodum vetuſtum, dicatum memoriæ Catonis, ſed imperfectum, & lacerum, litteris confractis, & alterum in ipſa Olyſipponenſi ciuitate, in arce ſumma, quorum meminit Reſendius libro tertio, de quo autem Catone, ibi fiat mentio, nihil certi auſus eſt aſſerere. Ego à veritate minime abhorrere putabo, eum, qui ad antiquum Cenſorium referat, quem in vniuerſa Hiſpania Imperium tenuiſſe conſtat anno ab vrbe condita, quingenteſimo quinquageſimo nono: atque etiam in vlteriori Hiſpania res geſſiſſe Plutarchus teſtatur, vt etiã Vaſæus annotauit, tomo primo, cap. 12. vbi de eius conſulatu agit. Hinc illius in Luſitanos amor, ita vt Galbam in eorum gratiam accuſarit, mutua etiam Luſitanorũ erga ipſum beneuolentia, ob accepta beneficia, quod verba Sintrienſis inſcriptionis ſignificare videntur. Sed ad ceteras inſcriptiones redeamus. Habuit olim hęc ciuitas nobilem Flaminicam, hoc eſt ſacrorum præfectam, ſeu curatricem, nomine Laberiam, quæ non ſolum huius municipii ſed etiam totius prouinciæ Luſitaniæ flaminio præerat. Extat eius memoria à libertis dedicata, vt libro primo Reſendius admonuit, in hæc verba: *Laberia Lucii filia Galla, Flaminica Lyſitaniæ. Lucius Laberius Artemas, Lucius Laberius Gallæcus, Lucius Laberius Abaſcantus, Lucius Laberius Paris, Lucius Laberius Lauſus. Liberti.* Obiit autem in Colliponenſi oppido, ex cuius ruinis Leitinenſis ciuitas conſtructa fuiſſe videtur, quo aliquot vetuſta marmora translata ſunt, vt ſuo loco dicemus, inter quæ epitaphium huius Laberiæ viſitur, in angulo frontiſpicii eccleſiæ ſancti Stephani, ad ſiniſtram maioris ianuę partem, in hunc modum:

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINICÆ EBORE-
SI. FLAMINICÆ PROV. LVSITANIÆ IMPEN-
SAM FVNERIS. LOCVM SEPVLTVRÆ ET STA-
TVAM. D. D. COLLIPPONESIVM DATAM L.
SVLPICIVS CLAVDIANVS.

Hoc eſt: *Laberia Lucii filia, Galla, Flaminica Ebore ſi, Flaminica prouinciæ Luſitaniæ, impenſam funeris, locum ſepulturæ, & ſtatuam decreto decurionum Colliponeſium datam, Lucius Sulpicius Claudianus.* In quo marmore, *Eboreſis*, pro *Eborenſis* & *Colliponeſium*, pro *Colliponenſium* ſcribi, lectorem monemus, vel incuria marmorarii, vel quia ea loquendi formula, tunc in vſu erat, vt ex multis aliis inſcriptionibus colligitur. Inuentus eſt & alius cippus, in quo Flaminicæ alterius Eborenſis fit mentio, in prædio, cui *Meſquita* hodie nomen eſt, decem millibus paſſ. circiter ab Ebora, remoto, prope viam, quæ montem Soratium oppidum ducit, vbi veſtigia vetuſtiſſimi fani extant, & aliquot marmoreæ columnæ repertæ ſunt. Eſt autem hic lapis magnitudine, his, de quibus proxime egimus, inferior: ſed elegantius ſculptus, quem vomeris vnco inter arandum, erutum aſſerunt, vt in eum, & in complures alios eodem caſu repertos, quadrare poſſint elegantiſſimi Maronis verſiculi, libro Georgicorum primo, paucis immutatis:

Scilicet adueniet tempus, cum finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro,
Exeſa inueniet ſcabra rubigine ſaxa,
Et leuibus raſtris tumulos pulſabit inanes.

Inſcriptio

Inſcriptio vero eſt huiuſmodi:

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLAVINO. VI. VIRO.
IVN. HAST. LEG. II. AVG. TORQ. AVR.
ET AN. DVPL. OB VIRT. DONATO. IVN.
VERECVNDA. FLAM. PERP. MVN. EBOR.
MATER. F. C.

Hoc eſt: *Diis manibus ſacrum. Caio Antonio, Caii filio, Flauino ſextumuiro iuniorum haſtato legionis ſecunda Auguſtalis, torque aureo, & annona duplici ob virtutem donato, Iunia Verecunda, Flaminica Perpetua municipii Eborenſis, mater faciendum curauit.*

Habuit Ebora etiam antiquis illis temporibus, ciues complures rei bellicæ gloria, & multis aliis virtutibus claros, quibus ob merita in patriam, ſtatuas, & alia monumenta dedicauit. Quorum memoria, tot annorum ſerie, tot Hiſpaniæ cladibus, tanta rerum Romanarum obliuione, tam deformi totius antiquitatis interitu, haud omnino extingui, aut oblitterari potuit. Extant namque aliqua veſtigia venerandæ vetuſtatis, ex quibus coniicere quis poſſit, quam ferax olim hæc ciuitas fuerit fortium, & illuſtrium virorum, & in primis ſeſe offert cippus ingens marmoreus eleganter ſculptus, qui in Reſendii ædibus viſitur, ſed quo loco ſit repertus, ipſe non dicit, nec nos perueſtigare potuimus. Suſpicamur autem ex fundamentis templi Deiparæ Virginis Gratiarum, in quo Auguſtiniani fratres degunt, erutum fuiſſe, vbi etiam lapis, quem illico apponam, inuentus eſt, teſte ipſo Reſendio. Veriſimile autē mihi fit, ibi forum ciuitatis fuiſſe Romanorum tempore: id enim inſcriptiones ipſę innuunt.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO. ÆD. Q.
II. VIR. VI. FLAM. ROM. DIVORVM ET
AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT. ET COH. I.
VETTONVM... LEG. III. ITAL. OB CAVSAS
VTILITATESQ. PVBLICAS. APVT ORDIN.
AMPLISS. FIDELITER. ET CONSTANTER DE-
FENSAS. LEGATIONE QVA GRATVITA RO-
MÆ PRO. R. P. SVA FVNCT. EST. LIB. IVL.
EBORA PVBLICE IN FORO.

Id eſt: *Lucio Voconio, Lucii filio Quirina Paullo. Ædili, Quaſtori, Duumuiro ſextum, Flamini Roma diuorum, & Auguſtorum, prafecto cohortis prima Luſitanorum, & cohortis prima Vettonum, tribuno legionis tertia Italica, ob cauſas vtilitateſq. publicas apud ordinem ampliſſimum fideliter, & conſtanter defenſas legatione, qua gratuita Roma pro republica ſua functus eſt. Liberalitas Iulia Ebora publice in foro.*

Eſt autem in marmore ſcriptum *aput*, pro *apud*, inſcitia, vt credo, ſculptoris.

Alter cippus fractus, & mutilatis aliquot litteris à Reſendio ereptus fuit è manibus operarum, vt ipſe teſtatur, cum Architecti in ædificando templo occupati, eum frangere, & ſine vllo delectu iam parieti inſerere cœpiſſent: ſic vero ſeſe habere ea pars, quæ ſemilacera remanſit:

CILIO Q. F. VOLVS ..AEF. COH. I. C. R.
..X. PROVOC. VICTORI ..S. DONATO AB
IMP. ..II. HAST. PVR. III. VEX. ..VIC.
I. MVR. IIII. OBSI ..NIB. H. IN. R.
P. SVA FVNC. ..BORENS. CIVI. OPT.
..ERITA EIVS IN MVNIC. ..RMOR. BA-
SI ÆNE. D. D.

Cuius ſenſus integer eſſe videtur: *Quinto Cacilio Voluſiano Quinti filio, prafecto cohortis prima ciuium Romanorum, ſexies prouocatione victori, donis donato ab Imperatoribus ſuis, duabus haſtis puris, tribus vexillis, duabus ciuicis, vna murali, quattuor obſidionalibus, omnibus honoribus in republica ſua functo, Eborenſes ciui optimo, ob merita eius in municipium, ſtatuam marmoream baſi Ænea dedicarunt.* Lapis vero integer in hunc modum mihi ſculptus fuiſſe videtur:

Q. CICILIO Q. F. VOLVS PRÆF. COH. I. C. R.
SEX. PROVOC. VICTORI DONIS DONATO. AB
IMP. SVIS II. HAST. PVR. III. VEX. II. CIVIC.

I. MVR. IIII. OBSIDION. OMNIB. H. IN. R. P.
SVA FVNC. EBORENS. CIVI OPT. OB MERITA
EIVS IN MVNIC. STATVAM MARMOR. BASI Æ-
NEÆ. D. D.

Inuenti ſunt duo alii lapides elegantiſſimis litteris inſcripti, in muro antiquo Sertoriano, iuxta ædem Sancti Vincentii, quos Alphonſus Cardinalis Emmanuelis Regis filius, ad villam, quę Vallis viridis dicitur, transferri curauit, cum eſſet Eborenſis pręſul, & amœniſſimũ illum ſeceſſum, omnibus modis ornare cuperet, vbi nunc viſuntur, in ipſo ædium veſtibulo, ſuper baſes decenti ſtructura collocati:

Primus eſt huiuſmodi:

D. M.
CANIDIÆ ALBINÆ C. M. F. MATRI CATINI
CANIDIAN. C. M. V. CONSOBRINI. SVI CATI-
NIA M. FIL. ACILIANA. C. F. S. P. F.

Id eſt: *Canidiæ Albinæ, Caii Munatii filiæ, matri Catinii Canidiani, claræ memoriæ viri, conſobrini ſui, Catinia Marci filia Aciliana, curauit faciendum. Sua Pecunia Fecit.* De Caio Catinio, qui in agro Aſtenſi cum Luſitanis conflixit, & ſex hominum millia in ea pugna occidit, ſed poſtea Aſtam oppugnans, vulneratus occubuit, conſulat, qui volet Liuium Decade 4. lib. 9. Meminit etiam Catinii Aciliani Onuphrius Panuinius, lib. 2. Faſt. in inſcriptione quæ incipit LVCIO FABIO. Et iterum in lib. de antiquis nominibus Romanorum, vbi ait ſe legiſſe in quodam marmore; *Quinto Fabio Caloni Septimino Catinio Aciliano Fulginiano;* & ita ſex cognomina ab vno vſurpata.

Alter lapis è regione huius erectus hanc habet inſcriptionem, & (quod mirum videri, ac vix credibile poterit) vel leuiter tactus, ſulphureum odorem emittit, teſte ipſo Reſendio.

D. M. S.
ASINIVS FLORENTINVS. ANNO. XXXXV.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: *Diis Manibus Sacrum. Aſinius Florentinius annorum quadraginta quinq; hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.*

Nomen Florentini, ad originis locum referendum videtur, vt intelligamus, hunc Aſinium ciuem Florentinum fuiſſe.

In ſchedis Reſendii noſtri annotatum inuenimus repertos fuiſſe quinque marmoreos cippos, ordine pari diſpoſitos olim in antiquo muro, iuxta nonam portam, qui omnes vnam inſcriptionem efficiebant, quos conqueritur à cæmentariis fuiſſe euulſos, & laceratos, ex quorum fragmentis, extat hodie in quadam turri cœnobii ſancti Ioannis, hęc inſcriptio imperfecta:

C. IVNIO. L. F. GAL. RVLLO C. NORBANVS. L.
F. . . IVNIVS. DEXTER HERED. . . . ES

Id eſt: *Caio Iunio Lucii filio; Galeria, ſiue ex tribu Galeria Rullo. Caius Norbanus Lucii filius, & Iunius Dexter heredes.* Extat eodem loco; & hæc imperfectior:

C. IVNIO LIGARIO. ...PVLT. . .F. C. NORBA-
NVS IVNIVS. HERES.

Id eſt: *Caio Iunio Ligario Caius Norbanus Iunius heres.* Abraſas litteras ſupplere non potuimus. Apparet autem ex nomine Iunii & Norbani, vnam, & eandem cum ſuperiori fuiſſe memoriam, vt diximus.

In eodem cœnobio extat tabula marmorea, cuius prior pars confracta, ſiue reuulſa, nuſquam apparuit; à Reſendio magna cura diu quæſita, vt ipſe teſtatur.

. . IR STLITB. IVDICAND. . . . LIA. Q. FAVITA.
MATER. . . ITEMQVE D. D.

Hoc eſt (vt ſolum integras dictiones exponere nobis liceat, quando aliter facere nõ poſſumus) *Stlitibus iudicandis Quinta Fauita mater, itemq; dedicauit ſeu Decreto decurionum.*

Suſpicor

Suſpicor autem cippum erectum fuiſſe in honorem alicuius decemuiri ſtlitibus iudicandis, cuius magiſtratus ſæpe fit mentio in inſcriptionibus antiquis, & etiam apud Ciceronem, vt tradit Onuphrius in ciuitate Romana, vbi agit de minoribus magiſtratibus ordinariis. Aduertendum quoq; exiſtimo prænomen Quintæ, ſeu Quinctæ (ſic enim veteres ſcribebant) Fauitæ feminæ attribui, quæ conſuetudo vſque ad Auguſti tempora permanſit, teſte eodem Onuphrio, de antiquis nominibus Romanorum, in capite de mulierum nominibus. Vnde apparet hunc lapidem florente adhuc reipublicæ libertate dedicatum fuiſſe. Quinta autem dicebatur, quæ quinto loco nata fuerat, hoc eſt, quæ cum quatuor ſorores haberet, ipſa ab ordine naſcendi, Quintæ prænomen fuerat ſortita. In vico, qui ducit à foro ad ſummũ templum, qui vulgo via Sellaria dicitur, quod ibi artifices coriarii habitent, qui ephippia vendunt, in ædibus cuiuſdam armorum fabri, extat cippus vtrinque mutilatus in hunc modum:

. . . .
. . N Q V I . . .
. . . C T I S S . . .
. . . C O I V C . ,
. . . C Æ S S A . .
. . .) I A N I . .
. . . I S. A V C. . .
. . . R E N S I . .

Quis quæſo, ſit adeo ab omni humanitate & litterarum cognitione alienus, qui non ingemiſcat, & ægre ferat tam illuſtria antiquitatis monumenta, ſic à rudibus, & imperitis hominibus fuiſſe corrupta? Gloriatur M. Cicero, vir illa prudentia, illa grauitate, illa (vt cætera omittam) in republica Romana auctoritate, libro quinto Tuſculanarum quæſtionum, ignoratum, Syracuſani Archimedis ſepulchrum à ſe repertum fuiſſe, cum in ea prouincia Quæſturam gereret, idq; indicio carminum, quæ audierat in eius monumento eſſe inſcripta. Verba autem ipſius apponam, quia elegantiſſima ſunt, & non omnibus paſſim obuia: *Cuius ego* (Archimedem intelligit) *Quæſtor ignoratum ab Syracuſanis, cum eſſe omnino negarent, ſeptũ vndiq; & veſtitum vepribus, & dumetis, indagaui ſepulchrum. Tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumẽto eſſe inſcriptos acceperam, qui declarabant, in ſummo ſepulchro, ſphæram eſſe poſitam cum cylindro. Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis (eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulchrorum) animaduerti columnellam, non multum e dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura, & Cylindri. Atq; ego ſtatim Syracuſanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipſum eſſe arbitrari, quod quærerem. Immiſſi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum. Quo cum patefactus eſſet aditus, ad aduerſam baſim acceſſimus. Apparet epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidiatis fere. Ita nobiliſſima Græciæ ciuitas, quondam vero etiam doctiſſima, ſui ciuis vnius acutiſſimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet.* Hactenus ille. Ex ore cuius melle dulcior fluebat oratio, eius ſuauitate, lectorem tantiſper noſtræ elocutionis tædium condire volui. Nil igitur mirum, ſi hoc tempore extent homines ignari rerum antiquarum, cum etiam illo ſæculo, in Sicilia, & in vrbe Syracuſana, Archimedis ſepulchrum tam abiecte, & obſcure iaceret. Et mihi venia danda erit, ſi huius Ciceroniani loci occaſione, hic verſiculos meos adiecero, quibus alibi, de hoc antiquitatis interitu, & corruptis vetuſtate, Romanorum monumentis conqueror:

Sed collapſa iacent veterum monumenta ruinis
Obruta perpetuis, dumiſq; & ſentibus altis
Obſita, confractiſq; notis, & torrida flammis.
Multa tamen noſter Reſendius abdita profert
In lucem, & vigili veſtigans ſingula cura,
Antiquum decus, & priſcos tibi reddit honores,
Lyſiadum gens clara: viro quam debita tanto
Præmia, vix reor exhauſtis perſoluere arenis
Poſſe Tagi, aut vectis Eoo ab litore gemmis.

Sed ad reliquas inſcriptiones redeamus. Omiſſis ergo his, quas ad hanc vrbem pertinentes, Reſendius iam exhibuit libro tertio, vbi agit de viis militaribus, vltimam earum, quæ ante Conſtantini magni tempora dedicatæ ſunt, hic reponendam curauimus etiam mutilatam, & aliquot litteris abraſis. Extat autem in quodam prædio à mœnibus vrbis duodecim M. P. remoto, cui fons Abbatis nomen eſt:

M. ÆLIA . . . TERTVLLA . . .

L. CÆCILIVS... VXORI. FE. . . .

Id eſt: *Memoria Aelia Tertulla. Lucius Cacilius vxori fecit.* Nec deerunt qui litteram M, monumentum ſignificare putent. A quibus vt diſſentiam, mouet me, quod lapis iſte beſſalibus, & maioribus litteris ſit eleganter exaratus. Deinde quia in ſuperiori parte, deſunt illa propria ſepulchrorum verba, D. M. S. *Diis Manibus Sacrum*, & in inferiori illa, S. T. T. L. *ſit tibi terra leuis.* Pars autẽ cippi huius adhuc ſub terra latet, illa videlicet, quæ aliquot elementa occultare videtur. Viſitur autem iuxta initia aquæductus Sertoriani, qui aqua argentea dicitur, cuius iam à nobis ſæpius facta eſt mentio. Atq; hic fere fuit Eborenſium ſtatus, florente Romano Imperio. Quo tandem prolapſo, & afflicto Getarum, ſeu Gothorum armis, ad eius gentis reges, ſumma rerum Hiſpaniæ deuenit. Sub quorum dominatu, conſtat Siſebuti Regis tempore, in hac vrbe, argentariam officinam fuiſſe cudendę monetæ: vt colligitur ex argenteis nummis ibidem repertis, in quibus ex altera parte ipſius Regis effigies eſt, cum hac inſcriptione, D. N. SISEBVTVS REX. Ex altera vero crucis ſignum cum his litteris, CIVITAS EBORA. In circuitu autem ſcripta ſunt hæc verba. DEVS ADIVTOR MEVS.

Vetus etiam numiſma ſibi ab Ambroſio Morali dono miſſum teſtatur Reſendius, in quo ex vna parte erat imago Germanici Cæſaris, cum hac inſcriptione, GERMANICVS CÆSAR AVGVSTVS. Ex altera vero, corona cum his litteris, LIBERALITATIS IVLIÆ EBORÆ. Turres quoq; duæ ingentes à Siſebuto erectæ fuiſſe dicuntur, quarum vna prope forum initio viæ Scilariæ, altera non longe ab eccleſia ſancti Iacobi, è regione maioris ianuæ conſpicitur.

Nec raro aliorum Gothorum regum numiſmata in hac vrbe reperta ſunt, teſte ipſo Reſendio, in Epiſtola ad eundem Ambroſium Moralem. Regnare cœpit Siſebutus anno ſexcenteſimo duodecimo, & Regno potitus eſt annis octo. Fuit Rex clariſſimus, & religionis Catholicæ acerrimus defenſor, quique ad armorum gloriam, eruditionis, & eloquentiæ decus adiecerit, vt ſcribit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, & meminit Vaſæus, tomo priori. Merito igitur Ebora gloriari poteſt, ſe à Sertorio fortiſſimo duce, antea inſtauratam fuiſſe, & ab hoc præſtantiſſimo Rege, longo poſt tempore, ædificiis, & omni beneficentiæ genere locupletatam. Cuius expeditiones aduerſus Romanos feliciter ſuſceptas, non parum iuuiſſe credenda eſt, vt olim Sertorianas iuuerat, & in præmium ſtrenuæ à ciuibus ſuis nauatæ operæ, vtriuſque amicitiam, egregiumque fauorem fuiſſe conſecuta. Sed potior multo illa gloriatio, quod Chriſti fidem, in ipſis naſcentis eccleſiæ primordiis amplexa, auctore diuo Mancio Domini diſcipulo, natione vt traditur Romano, eam per tot ſæcula, tenaciſſime retinuit, hodieque integram, illibatamque religioſe conſeruat: quotidie maius incrementum pietatis, ac diuini cultus, ſacroſanctęque Apoſtolicæ ſedis venerationis ſuſcipiens. Martyrium paſſus eſt diuus Mancius, tempore Traiani, aut (vt quibuſdam videtur) Neronis, ſub præſide Validio. Eius corpus Eboræ primum ab ethnicis ignominioſe abiectum iacuit, poſt aliquod vero tempus, à Chriſtianis honorifice ſepultum, in villa illuſtris cuiuſdam viri duodecim mill. paſſ. à mœnibus diſtante diu ſumma cum veneratione aſſeruatum, ſæuiente poſtea in Hiſpania Arabum tyrannide, à piis hominibus in Aſtutias, aut in vicinam illis regionem, quæ campeſtris dicitur, exportatum, tandem in oppidulo, non longe à foro Egurrorum, quod Villam nouam ſancti Mancii vulgo appellant, repoſitum fuit, in monaſterio quodam ordinis ſancti Benedicti, ſub inuocatione ipſius martyris, vbi religioſiſſime aſſeruatur, & incredibili populorum deuotione colitur. Præter hunc ſanctiſſimum martyrem, veriſimile eſt, nonnullos alios in hac vrbe extitiſſe, cum in Chriſtianum nomen gentilica rabies deſæuiret. Sed trium præcipue memoria extat, Vincentii videlicet, & Sabinæ, ac Chriſteridis ſororum ipſius, quibus EBORA natale ſolum fuit. Palmam vero martyrii Abulæ tempore Diocletiani, & Maximiani, ſub Datiano Hiſpaniarum præſide, vel potius crudeliſſimo carnifice adepti ſunt. Epiſcopos poſt Beatum MANCIVM habuit quamplurimos, ex quibus hic aliquot nominare ſatis erit. Quintianus Epiſcopus floruit tempore magni Conſtantini, cum adhuc maieſtas imperii Romani in Hiſpaniis vigeret, vt conſtat ex Illiberitano concilio, in quo ipſe ſubſcripſit. Deinde ſub Gothorum regibus, quinque Epiſcopos Eborenſes, ſeu Elborenſes, vt illis temporibus dicebantur, nominatos inuenimus in Synodis Toletanis, nempe, Siſiſclum, Abientium, Zoſimum, Tructimundum, Arcontium. Reperi etiam in Schedis Reſendii, codicem manuſcriptum Emeritenſis illius Concilij, cuius ipſe ſæpe meminit, quod celebratum fuiſſe dicitur à duodecim Epiſcopis, anno natalis domini ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, regnante Receſuintho, cui interfuit Petrus Eborenſis Epiſcopus. Extant in ædibus Reſendianis

dianis duo cippi litteris minus elegantibus, & iam Gothicam phraſim redolentibus, quorum primus memoriam continet Iuliani Epiſcopi in hæc verba:

IVLIANVS FAMVLVS XPI EPISCOPVS ECCLESIÆ EBORENSIS H. SITVS EST. VIX. ANN. PLVS MIN. LXX. REC. IN PACE KAL. DECB. ERA DCIIII.

Id eſt: *Iulianus famulus Chriſti Epiſcopus Eccleſiæ Eborenſis, hic ſitus eſt, vixit annos plus minus ſeptuaginta, requieuit in pace. Kalendis Decembris, Era ſexcenteſima quarta.* Et ſic anno Natalis Domini quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Alter eſt huiuſmodi:

DEPOSITIO PAVLI. FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS L. ET VNO. REQVIEVIT IN PACE D. III. ID. MARTIAS ERA D. LXXXII.

Hoc eſt: *Depoſitio Pauli. Famulus Dei vixit annos quinquaginta & vno. Requieuit in pace Domini tertio Idus Martias Æra quingenteſima octuageſima ſecunda.* Et ita anno ſalutis quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Euerſo deinde Gothico imperio, & vaſtata ab immani & impia Arabum multitudine, non ſolum Hiſpania, ſed vniuerſa fere occidentalis Europæ plaga, caruit Ebora (proh dolor) libero religionis Chriſtianæ cultu, ſpatio circiter quadringentorum annorũ, quod extremæ cuidam infelicitati adſcribi merito debet.

Regnante deinde primo Luſitaniæ rege Alphonſo Henrico, *quo iuſtior alter, nec pietate fuit, nec bello maior & armis*, à Maurorum tyrannide liberata eſt, opera, & virtute fortiſſimi viri Giraldi, cui ob animi & corporis robur, *intrepidi*, ſeu abſq; timore cognomentum Luſitani indiderunt. Cuius effigiem armatam ſtricto gladio caput Arabis præferentem, & manu ſiniſtra etiam caput puellę Maurę geſtantẽ, pro gentilitio nobilitatis inſigni Eborenſes habent. De cuius laudibus & bellica virtute, deq; ſingulari ſtratagemate, quo hanc vrbem ex inſidiis aggreſſus pręclaram victoriam reportauit, ſi quis encomium ſcribere cupiat, ſatis amplam, vberemq; dicendi materiam illi tam illuſtre facinus ſuppeditabit. Iterum ergo Ebora epiſcopalis ſedis dignitatẽ recuperauit, creato Antiſtite Pelagio viro pręſtantiſſimo, ſuffragante ipſo rege Alfonſo. Hic autem Pelagius à fundamentis Eccleſiæ ædificationem exorſus, magnificum templum hoc, quod hodie extat, extrui, ornariq; curauit, multaq; ad ſacrorum celebritatem, prouentuumq; diuiſionem ſpectantia ſapienter decreuit, vt apparet ex antiquis monumentis, quæ in publicis Eccleſiæ ſcriniis aſſeruantur. Cui ſucceſſit Suerius Epiſcopus, qui anteà Decani dignitatem ibidem obtinuerat. Et complures deinde vſq; ad Henricum Cardinalem, qui primus Archiepiſcopus Eborenſis creatus eſt, regnante fratre ipſius Ioanne huius nominis tertio, ſalutis anno 1541.

Habet eccleſia ampliſſimos redditus, & ex illa quamplurimi inſignes viri, quibus ſemper abundauit, ad ampliſſimas dignitates aſſumpti, atq; euecti ſunt, quos ſi nominare velim, vereor ne diffuſa narratione lectori tędium afferam. Danda vero erit, vt ſpero, amori, vel potius pietati meæ venia, ſi auunculi mei Gondiſalui Pinarii obiter hic mentionem fecero, qui cum canonicus ob ſingularem doctrinam, morumq; probitatem, ab Alphonſo Cardinale Emmanuelis regis filio electus fuiſſet, poſtmodum ad Zaphienſem Epiſcopatum, deinde ad Tingenſem, & poſtremo ad Viſenſem promotus, & ampliſſima legatione apud Franciſcum Gallorũ regẽ functus, vt diffuſius in eius vita narrauimus, mihi eundẽ canonicatũ, annuente ſummo Pontifice, reſignauit, meq; multis aliis beneficiis affecit, quorũ immemor videri poſſem, niſi oblatam eius nominandi occaſionẽ hoc loco auide arripuiſſem. Nec prætermittendum exiſtimo, qua cura, & liberalitate; ſuperiores Eboræ Antiſtites, in extruendis, dedicandiſq; in eadem vrbe Cœnobiis ſemper claruerint. In primis Vaſcus Epiſcopus ſanctæ Claræ monaſterium, intra nouum ciuitatis ambitum; Alterum vero Sancti Hieronymi, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ à Rubo nuncupatæ, in amœniſſimo loco duobus paſſuum millibus a mœnibus diſtante, erexit, & vtrumque magnis redditibus locupletauit. Henricus autem, qui poſteà Sebaſtiano ſucceſſit in regno, cùm Eborenſi Eccleſiæ præeſſet, collegium inſigne, patribus Societatis IESV, vnà cum magnificentiſſimo templo extruxit, vbi celebrem inſtituit academiam, in qua humaniores litteræ, & Philoſophia, ac ſacræ Theologiæ ſtudia cum pia morum diſciplina maxime florent. Vnde non tantum huic vrbi, ſed etiam ceteris vicinis oppidis, & vniuerſæ Luſitaniæ; ingens vtilitas, ornamentumque acceſſit. Ædificauit etiam non longe à mu-

ris ciuitatis, monaſterium beati Antonii, fratribus Franciſcanis, qui ob arctiorem viuendi normam, à pietate denominantur. Cum illis antea aliud erexiſſet, diſtans ſex millibus paſſuum ab eadẽ vrbe, prope villã, quæ Vallis viridis dicitur, cuius iam mentionem fecimus.

Nec eſt ſilentio prætereundum nobile templum ſancti Antonii Archimandritæ, quod in publico ciuitatis foro, conſpicuo, & illuſtri loco, erigi, eleganti, magnificaque operis ſtructura curauit, ex communibus cathedralis Eccleſiæ prouentibus. In cuius frontiſpicio, eius iuſſu, ab Andrea Reſendio litteris maiuſculis lapidi inſerta inſcriptio conſpicitur huiuſmodi:

Diuo Antonio Ægyptio. Sanctiſſimo
Monachorum Archimandritæ Sacrum
Henricus Diui Emmanuelis Luſitan. Regis.
P. F. Inuicti F. S. R. E. Presb. Cardinalis.
Primus Eborenſis Archiepiſcopus. Priore
Diruto. Nouum Hoc. Structura. Formaq.
Auguſtiore. Religionis Ergo Erexit.
D. Antonio Archimandritæ Sanctiſſ. Sacrum.

Id eſt: *D. Antonio Ægyptio ſanctiſsimo monachorum Archimandritæ ſacrum. Henricus diui Emmanuelis, Luſitaniæ regis, Pii, felicis, Inuicti filius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, primus Eborenſis Archiepiſcopus priore diruto, nouum hoc ſtructura, formaq. Auguſtiore religionis ergo erexit.*

Diuo Antonio Archimandritæ ſanctiſsimo ſacrum.

Habet hæc ciuitas præter ea, quæ iam diximus, quattuor alia fratrum inſignia monaſteria; monialium vero ſeptem, non minoris magnificentiæ, de quorũ eleganti, ſumptuoſa, atque admirabili ſtructura, ſi quis dicere cupiat, ille profecto non breuem concipere queat narrationem.

Qua prætermiſſa, illud tantũmodo addam, in omnibus fere fontes ex marmore candidiſſimo, adfabre factos, ſubterraneis aquæ argenteæ canalibus ſcaturire, vnde & aquandi facilitas religioſis ipſis, & cœnobiis pulchrum ornamentum, & vniuerſæ vrbi grata, ac ſalubris aeris temperies æſtiuo tempore prouenit. Portas habet decem, nulla ſuburbia, præter vnum figulorum, & hortos muris vicinos circiter centum, in quibus hortulani ædes ſatis commodas habent. Viſuntur vndiq; vſq; ad ſex millia paſſuum innumeræ villæ ſuburbanæ, nec mediocri ſumptu, nec minori elegantia ædificatæ. Ambitus mœnium tria millia paſſuum, & quadringenta quinquaginta duo continet in hunc modum.

A porta Blaſiana ad Raimundiã.	paſſ. 488	Ad Proditoriam.	paſſ. 154
Ad Olyſipponenſem, quæ Alchonchelenſis dicitur.	paſſ. 300	Ad Machedinenſem.	paſſ. 262
Ad Lacunarem.	paſſ. 532	Ad Mendoſtephanium.	paſſ. 190
Ad Auiſitanam.	paſſ. 370	Ad Meſquitalem.	paſſ. 370
Ad portam molæ acriæ.	paſſ. 416	Ad Blaſianam.	paſſ. 370

Noua mœnia condidit Rex Ferdinandus primus huius nominis, & numero Luſitanorum regum nonus, qui regnare cœpit anno ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo, & regnauit annos ſexdecim, cuius opera, & induſtria complures aliæ ciuitates muris cinctæ, & munitæ fuerunt. Conſtant autem mœnia duplici muro, ſed diſpari altitudine. Interior enim pars duplo altior exteriori, eadem etiam proportione, turres eminentiores habet. Propugnaculis altiſſimis vniuerſus ambitus in formam ſerræ diſpoſitis, vndiq; cingitur, adeo mirabili artificio, vt ex vtroq; muro hoſtes à lateribus, & à fronte miſſilibus (vt illa tempora ferebant) facile arceri, ac propulſari poſſent. Sed iam tempus poſtulat, vt receptui canamus, & à muris Eboræ recedentes, ceteras Luſitaniæ vrbes, in quibus Romanæ antiquitatis extant veſtigia, peragremus. Libet autem pro meo erga Eborenſes amore ſingulari, hãnc orationis partem, fauſtis piiſq; precationibus claudere, Deum Opt. Max. & cœli Reginam, omneſq; Sanctos, ſub quorum numine, & tutela hæc vrbs eſt, orando; vt eam in perpetuum ſaluam, & incolumem, virtute, iuſtitia, morum diſciplina, rebuſque omnibus florentem conſeruent.

FINIS.

L. ANDR.

L. ANDR. RESENDII, PRO COLONIA PACENSI, AD IOANNEM VASÆVM VIRVM DOCTISſimum Epiſtola.

CASV ac fortuito adcidit Vaſæe, vt quum eſſem in mea bibliotheca, audirem in vicinia quendam de Salmantica loquentem. Quare aperta feneſtra, vbi compellaui hominem, reſpondit publicum ſe ſcholaſticorum iſthic eſſe tabellarium. Intromiſſum percunctatus ſum, ecquid litterarum à Vaſæo ad me. Ad me quidem ille nihil, multum ad multos. Meretur forte hoc diuturnum ſilentium meum, ſingularis certe amor & beneuolentia erga te, non meretur. Sed eſto, quamquam multi mihi ad excuſationem ceſſationis erant regreſſus, par pari relatum ſit. Nam querulam & expoſtulatricem amicitiam, homo minime moroſus, neque vnquam geſſi, neque eos iudicio meo comprobaui, qui dum perſuaſione quadam falſa contemni ſe putant, moleſtas faciunt amicitias. Tria ſunt in præſentia, de quibus potiſſime ſcribendum ad te duxi. Primum facio pergrauate. Non quod nolim factum, volo enim & cupio, ſi quiſquam alius, ſed quod in litteris ad te de tuis laudibus, & meo more orationi moderari cogor, & verecundiæ tuæ habere rationem. Eoque factum eſt, vt de editis chronicorum libris diligentiſſime à te ſcriptis, amicorum tuorum mea vnius ſeriſſima fuerit gratulatio. Sit illa quantumlibet ſera, certe qui ſecum reputarit quem locum, quem numerum, in iis libris ego obtineam, quam ſæpe honorificentiſſime adpeller, ſiue id grato & beneuolenti erga me feceris animo, ſeu candore tibi ab natura inſito, nam exacto iudicio tuo, aut merito meo, dicere, ſuperbum exiſtimo, ſed quoquo id modo ſit, qui ſecum hæc reputarit, intelliget, de libris his, omnibus qui in hoc præſtando officio moram & cunctationem meam præuerterunt, me tacitum, quum prius tum libentius eſſe gratulatum. Sed ego videor illorum obliuiſci, quæ paulo ante dixeram. Quare ad reliqua duo, quæ tibi, vt ſpero, aliquanto gratiora ſunt futura. Alterum eſt, de epiſtola mea tumultuaria opera ad te ſcripta, quam tu me neque conſulto neque probante, inter tua edendam curaſti. Eam poſteaquam ad te miſi, quum per otium retractaſſem, & Martino Aſpilcuetæ Nauarro, doctorū academiæ Conimbricenſis facile & abſque controuerſia principi, oſtendiſſem, atque ille qua monendo, qua auctoritatem ſuam interponendo, vrgeret vt ederem, quod in rem ſtudioſorum eſſe exiſtimaret, durum & inexpugnabilem me præſtiti. Sero nunc non geſti tali viro moris me pœnitet. Nam ſi publicanda erat, quanto retractatiorem multiſque locis refectam in publicum exire præſtitiſſet? Tamen quando neque præteritum mutari, neque quod factum ſit fieri infectum poteſt, det illa prior celeritatis ſuæ pœnas, poſterior hæc, quam modo mitto, in eius ſubcedat locum, ſine vlla iam extemporali gratia, cum aliqua etiam elaboratæ diligentiæ nota. Alterum, quæ tertia mihi ſcribendi cauſa fuit, ex tuis libris adcepi. Nam vbi de Pacenſi vrbe agis, quam ego eam eſſe, quæ nunc in Luſitania Bexa nuncupatur, & pridem ſcriptis editis, & ſermone ſemper adfirmauerim, quuius tamen flaminium, poſt inlatam à Pœnis ei vrbi cladem, Badiozam translatum ſit, manēte priore Pacenſis pontificatus titulo, narras tu iſta quidem, ſed Ioannis Geneſii Sepuluedæ, quem honoris cauſa nominatum velim, opinionem adducis etiam, qua ille meum de Pacenſi colonia teſtimonium, apud te videtur feciſſe dubium, ac controuerſum. Eam modo rem, in ſtudioſorum rerum antiquarum, & Pacenſis coloniæ gratiam, diſceptandam ſuſcepi. Ponam ergo ipſamet tua verba, ex Geneſii, vt ais, admonitione. (*Alii episcopum Pacenſem ab ipſo ſtatim initio dictum adfirmant, à Pace Auguſta, vrbe & colonia Romanorum, Anæ fluuio adpoſita. Nam Pax Auguſta, Maurorum corruptione, in Baxaugus, deinde in Badaxos, degenerauit. Quæ vrbs quamquam ex parte Bæticæ adpoſita eſt Anæ fluuio, tamen quia Luſitaniæ iuriſdictioni contributa erat à Romanis, idcirco ab eis inter Luſitanas cenſebatur. Quæ ratio eadem eſt Metallinenſis coloniæ. Horum me admonuit Ioannes Geneſius Sepulueda.*) Omnium primum, Vaſæe, illud nobis conſtituendum eſt, coloniam Pacenſem vrbem eſſe Luſitaniæ. Id perſpicuum nobis faciet: vel iuriſconſultus Paulus, *ff. de cenſibus*, L. *In Lyſitania Pacenſes & Emeritenſes iuris Italici ſunt*, vel Plinius lib. 4. cap. altero & vigeſimo ſicut vulgo circumfertur. *Iulii* autem cognominis, meminit Ptolemæus, in Luſitaniæ deſcriptione. Κατέχουσι δὲ τὰ μὲν περὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον, Τουρδητανοὶ, ἐν οἷς, αἱ ἐν τῇ Λουσιτανίᾳ πόλεις μεσόγειοι, Παξιουλία, Ἰουλία, Μυρτιλίς, τὰ δ' ὑψηλότερα τούτων,

Κελτικοὺς. Turdetanos, qui circum Sacrum promontorium habitant, noſtra ætas Punicâ voce *Algarbios* adpellat. Celtici, ii ſunt, qui interius vlteriorem Anæ fluminis ripam incolunt, ad vrbem vſq; Heluas, quæ ipſo etiam nomine Gallicam præ ſe fert originem, ex Heluis Celtarum Narbonenſis prouinciæ populis. Celticos autem à Celtis deriuari, vt à Gallis Gallicos & ſimilia, notius & vulgatius eſt, quam vt admonendum videatur. Sita ergo eſt Pax Iulia in mediis Turdetanorum Celticorumque confiniis, Iuliæ Myrtili, quam *Mertulam* vulgo dicimus, vicina. Eſſe autem ea quæ modo Bexa dicatur, probari poteſt, tum à longitudine latitudineque à Ptolemæo deſcripta, tum quod ab ea Turdetanus ager incipit, tum etiam à Myrtilis vicinitate, quæ, præterquam quod à Ptolemæo oſtenſa eſt, ex Antonini præterea itinerario deprehenditur. Sic enim ille. *Ab Eſuri, per compendium, Pacem Iuliam M. P. plus minus* LXXVI. *ſic Myrtilin*, M. P. XL. *Pacem Iuliam*, M. P. XXXVI. Qui numerus optime conuenit cum noſtra nouem leucarum computatione, qua leucæ vni, quatuor millia paſſuum adſignamus. *Eſuris* vero, vt id quoque non omittamus, oppidum eſt in Bætica ad Marianos pertinens montes, nequaquam æuo noſtro ignobile, quod deformato paulatim nomine, dici cœpit *Exeriz*, deinde *Xeriz*, Badiozæ vrbi attributum, à qua vix quindecim paſſuum millibus abeſt, vt hoc ipſo, Badioza Pax eſſe Iulia non poſſit. Confirmatur etiam quod adſerimus, compluribus in ea vrbe monumentis Romanorum, ipſum Pacis Iuliæ nomen oſtentantibus, vt in fragmento hoc quod eſt in muro, beſſalibus inſcalpto litteris.

RIÆ. PONT.
FLAM. PACIS IVLIÆ.

Et in hoc quod eſt in gradibus ſummi templi.

PAX. IVL.
Q. PETRON.

Ibi quoque cippus integer eſt, Aurelio Commodo dicatus, in quo non ſolum *Pacis Iuliæ* nomen eſt, verum etiam coloniæ. Is ita habet.

L. ÆLIO AVRELIO
COMMODO
IMP. CÆS. ÆLI. HADRIANI ANTONI
NI. AVG. PII. P. P. FILIO COL. PAX.
IVLIA.
D. D.
Q. PETRONIO MATERNO C. IVLIO.
IVLIANO II. VIR.

Facit ad eam quoque rem annalium libellus ille quem tibi aliquoties oſtendi, ſine dubio ante annos tercentum ſcriptus, in quo hæc ad verbum leguntur. *Æra.* M. CC. *Pridie Calend. Decembris, in nocte ſancti Andreæ, ciuitas Paca, id eſt Begia, ab hominibus regis Portugalis domini Alfonſi, videlicet Fernando Gonſalui, & quibuſdam aliis plebeis militibus, noctu inuaditur, & viriliter capitur, & à Chriſtianis poſſidetur.* Iuuat non mediocriter noſtram hanc rationem Raſes Maurus, qui Marrochiorum tyranno imperatori vocato, tunc oppreſſa Punicis armis Hiſpania, Cordubæ regnanti, de rebus & vrbibus Hiſpaniæ librum compoſuit. Quuius libri à me in ſcholiis in Vincentium noſtrum mentio eſt facta. Is Raſes quum de Bexa loquitur, *terminus*, inquit, *Bexenſis altera parte Emeritenſi termino iungitur, altera Scallabitano.* Terminus quem barbarus iſte Raſes dicit, non agri, territoriiue intelligendus eſt, ſed iuriſdictionis. Nam quum in treis iuridicos conuentus diuiſa eſſet Luſitania, *Emeritenſem, Pacenſem, & Scallabitanum*, colligitur Bexæ conuentum fuiſſe Pacenſem, & Bexam Pacenſem vrbem. Et quoniam Geneſius argumentum etiam ſumit ex deprauatione nominis *Pacis Auguſtæ* in *Baxaugus & Badaxos*, imitabor & ego illum, reddamque rationem corrupti nominis. Neque deterrebor, ſi ea res parum inluſtrem faciat orationem, modo ei de qua agitur non parum adferat lucis. Ingenito oris vitio Mauri nonnullas noſtras literas nequaquam recte pronunciant, ſed eas vel in mutuo inter ſe cognatas, vt Hiſpani quoque ſolent, vel in ſibi familiareis commutant. Eſt illis litera Xim, quam pingui admodum & vaſto ſono ita proferunt, vt ſtridorem feruentis ſartaginis, præcipue vbi inter frigendum ſalſum quidpiam iniicias, referre videantur. Ea litera noſtrum S. fere reddunt. Heinc fluuius *Singylis*, abiit in *Xinil*, *Sucro*, in *Xucar*, *Satabis*, in *Xatibam*, *Menteſa*, ſiue *Mentiſſa*, vt eſt apud Liuium, in *Mentixam & Montixam*. Illa quoque littera noſtrum C. ſequentibus e, vel, i, ſolent efferre, vt pro, CE, CI, XE, XI, pronuncient, ſicut etiam ex hac contagione vidi noſtrorum nonnullos, qui lenem illam doctiorum Italorum prolationem perperam æmulati, pro

[illegible]

Cicerone, *Xixeronem*, dicerent, & pro, *Feci*, *Fexi*. Redeamus ad Pœnos. Literam. P. Plerumq; transferunt in cognatam illi. B. Et ne diutius in his moremur, de induſtria, quum hæc ſcriberem, Pœnum adoleſcentem iuſſi Luſitanam hanc orationem pronunciare. *Senner, perdone me voſſa mercee*. Hanc ille ita reddidit. *Xenior berdone me voxa merxee*. Et pro *Pater noſter*, dicebat *Bader noxter*. Tandem quo caſurum ſit tantum ineptiarum, aduerte. Pacenſem vrbem ſolebant antiqui, nunc addito cognomine, *Pacem Iuliam* dicere, nunc remoto, *Pacem* tantum, ſicut *Bracaram Auguſtam*, vel tantum *Bracaram*; *Emeritam Auguſtam*, vel tantum *Emeritam*. Mauri itaque, pro *Pace*, mutatis litteris, *Baxe* dixerunt, inde vocalibus tranſpoſitis, *Bexa*. Iam dudum arbitror, ex inſidiis auſcultas, vt meum intercipias ſermonem, deſtruaſque hoc totum, quod molitus ſum, & dicas controuerſiam de *Pace Iulia* non eſſe, quam Geneſius Luſitaniæ vrbem eſſe, non neget, ſed de colonia Auguſta Pacenſi Anæ fluuio adpoſita, quæ licet ex Bæticæ parte ſita ſit, adſcripta tamen eſſet Luſitaniæ, quemadmodum & colonia Metallinenſis. De Pace Auguſta, ſtatim. Fingamus tamen interim eſſe *Badiozam*. Sed quum, Strabone excepto, qui Luſitaniæ Auſtrale latus amne Tago determinat, reliqui omnes qui Geographica ſcripſere, vtramque prouinciam Ana fluuio diſcerni tradiderint, neque vrbem ex Ciſananis aliquam, in Tranſananam prouinciam, aut contra in illam ex his contributam meminerit, vnde id probat Geneſius? A Metallinenſi colonia, quæ in eadem Anæ ripa ſita eſt, quæ ad Bæticam ſpectat, & tamen inter quinque Luſitaniæ colonias numeratur? Non ne? Coniectura igitur adauguratur, non autem valida quapiam ratione coarguit. Sed hanc ego coniecturam non tam leuiſſimam, quam vaniſſimam eſſe, iam oſtendero. Adii ante aliquot annos, celeberrimum illud religioſiſſimumque tota Hiſpania Virginis Dei matris ad *Aquas Lupias* delubrum: Vnde votis quæ ſuſceperam, rite perſolutis, quum redirem, veſtigandæ antiquitatis cauſa Metallinenſe oppidum deueni. Sumptiſque indidem qui commonſtrarent, quum cernerem ſitum eſſe oppidum ex parte Bæticæ, magnopere admirabar, hæſitabamque eſſetne ea Metallinenſis olim colonia. Inde conſcenſa arce, ſubiectum agrum circumſpiciens, aduerti longo limite depreſſum locum in ſpeciem ſicci aluei, ad Auſtrale ipſius oppidi latus. Super qua re rogati commonſtratores reſponderunt, vbi paulum excreuiſſe amnis, redundantia illac etiam meare. Eueſtigio ſubiit animum illud Horatii noſtri,

Curſum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius.

Idq; quum apud me pro non ambiguo iam eſſet, non audebam tamen adſeuerare, donec è re nata ſententiam eam corroboraui. Ex eodem enim latere, à medio arcis colle ad imam planiciem, brachium duplici muro, ac opere fornicato, ductum olim, nunc ruderibus pœne obrutum, inueni, per quod ii qui in arce eſſent, tecti & inuiſi aquarentur. Manifeſtum indicium illa parte fluxione perenni antiquitus iuiſſe fluuium, oppidumque ipſum re vera in prouincia fuiſſe Luſitania, quod nunc mutatione fluenti, Bæticæ parua quædam eſt adceſſio. Videſne iam non tantum labaſſe, verum corruiſſe etiam Geneſii rationem, ſubruto firmamento quod tamquam validiſſimum ad adprobationem ille adſumpſerat, *Badiozam* attributam Luſitaniæ, quemadmodum & Metallinenſem coloniam? Pacem iam Auguſtam adgrediamur, & apud quem auctorem, quaue in terra ſita fuerit, conſideremus, *Pacis Auguſtæ* nomen apud vnum Strabonem, & quidem corrupte legitur. Quius verba, vt vulgo in latinam linguam conuerſa circumferuntur, adponam. Ita enim de Tarteſſo. *Verum regionis felicitate, manſuetudine, ſimul & vrbanitate, adcedit proxime ad Turdetanos & Gallos, propter vicinitatem cognationemq;, vt teſtis eſt Polybius. Ceterum illis minor. Vt plurimum enim* vicatim *habitant, & viuunt. Nam Turdetani, præſertim qui circa Bætim loca tenent, in Romanos penitus ritus transformati ſunt, nec propria memoriam lingua ſeruant amplius, plurimiq; Latini facti, ſecum adcolas adcepere Romanos. Itaque parum abeſt, quin vniuerſi Romani ſint. Et nunc habitatæ vrbes, & in Gallia PeZauguſta, & alia in Turdulis Auguſta* Emerita, *& in Celtiberis Cæſarea Auguſta, & aliæ coloniæ quædam, permutatos dictarum ciuitatum ritus demonſtrant.* Heic iuuemus potius quam reprehendamus interpretes, qui tamquam aliud agentes. ita Celticos qui Anam adcolunt, Gallos, & eorum regionem Galliam adpellant, quaſi non de Hiſpania, ſed de Gallia ipſa Strabo ea ſcribens loqueretur. Et quod maioris videtur eſſe negligentiæ, Strabo ita ſcripſit. καὶ τὸ ἥμερον, καὶ τὸ πολιτικὸν, συνηκολούθησε τοῖς τουρδιτανοῖς, καὶ τοῖς κελτικοῖς. id eſt, *& manſuetudine ac ciuilitate correſpondent Turditanis & Celticis.* Item οἵ τε νῦν συνῳκισμέναι πόλεις, ἥ τε ἐν τοῖς κελτικοῖς πεζαυγοῦστα. ſiue vt legendum magis arbitror, παξαυγοῦστα. id eſt, *Et nunc coactæ ſiue coadunatæ ex pluribus ciuitates* (id enim ſignificat græca dictio συνῳκισμέναι.) *in Celticis quidem Pax Auguſta.* Nec excuſari poterit interpres, quod

ſupra legatur ita. ὁ δὲ ἄνας πρὸς νότον ἐπιστρέφει τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἣν κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον. Id eſt. *Atqui Anas, ſeſe in Auſtrum conuertit, interamnam regionem illam diſterminans, quam Galli maiori ex parte poßident.* Nam ſine dubio legendum eſſe κελτικοὶ, id eſt *Celtici*, non κελτοὶ, id eſt *Galli*, adparet ex iis quæ de Artabris circa Nerium incolentibus, paulo poſt ſcribit. περιοικοῦσι δ' αὐτὴν κελτικοί, συγγενεῖς τῶν ἐπὶ τῷ ἄνα. Id eſt, *circum habitant eam Celtici, conſanguinei*, aut ſi ad verbum vertendum eſt, *congeneres eorum qui ad Anam ſunt*. Quum audis Celticos ad Nerium, eorum eſſe conſanguineos qui ad Anam ſunt, nonne clarum eſt, & hos & illos Celticos vocari, non Gallos aut Celtas, tametſi & Celtici Gallica gens ſit, & à Celtis profecta? Scio Gallos omneis, id quod etiam Strabo libro quarto ſcriptū reliquit, ſiue propter Celtarum claritatem ſiue propter Maſſilienſem vſum cœpiſſe à Græcis vocari *Celtas*, vel potius *Celtos*, qua forma multum vſus eſt Polybius, & nōnunquam Strabo, quamquam Celtæ tertia tantum ſit Galliæ pars, Cæſari, & reliquis Latinis ſcriptoribus, & ipſimet Straboni. Sed tamen conferendis ambobus, quæ citaui locis, potuiſſet interpres admoneri. Quod non carpendi, ſed rei oſtendendæ cauſa dictum ſit. Vera igitur ac germana verborum Strabonis interpretatio erat, *In Celticis quidem, Pax Auguſta.* Aiebat ergo Strabo Tarteſſios manſuetudine & ciuili viuendi ratione adcedere proxime ad Turdetanos, hoc eſt, ad veros Bæticos, & ad Celticos Anæ adcolas, quos ſupra ex Ptolemæo Luſitaniæ eſſe populos eſto ſtenſum, ad illos, propter vicinitatem, ad hos, propter cognationem, quin & propter vicinitatem. Neq; enim multum inter ſe diſtant, ſed inter Celticos & Tarteſſios ſoli Turdetani Bætici interiecti mediiq; ſunt. Et quidem vitæ humanioris cauſam iis populis fuiſſe Romanorum conſuetudinem, à quibus & linguam, & mores & ciuilem viuendi in vrbibus rationem ac modum adcepiſſent. Ob eam quoque cauſam, ſpreta priſtina vicorum habitatione, vrbeis iam frequenteis coli, in Celticis quidem Pacem Auguſtam, in Turdulis vero Emeritam Auguſtam, & in Celtiberis Auguſtam Cæſaream. Hos autem, quos diximus, Celticos etiam Straboni eſſe, liquet ex ipſius verbis, quæ antea retulimus. Nam vbi continentem ad Sacrum promontorium, inter Anam Tagumque deſcribit, ὁ δὲ ἄνας, πρὸς νότον ἐπιστρέφει, τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἣν κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον, καὶ τῶν λυσιτανῶν τινες ἐκ τῆς περαίας τοῦ τάγου μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων, id eſt, *Atqui Anas ſeſe in Auſtrum conuertit, Interamnam regionem illam diſterminans, quam Celtæ,* (vel vt ego legendum puto, Celtici) *maiori ex parte poßident, & Luſitanorum nonnulli, ex vlteriori Tagi regione in coloniam traducti à Romanis.* Audis heic Luſitanos deductos in coloniam à Romanis ad Celtas, ſiue potius ad Celticos, illeic audiſti in iiſdem Celticis eſſe Pacem Auguſtam. Obſcurumne etiam eſt coloniam hanc Pacem Auguſtam eſſe? Quod ſi colonia Pax Auguſta in Celticis eſt, Celtici vero Luſitaniæ populi, vtique & Paxauguſta Luſitaniæ ciuitas. Ad hæc, Straboni *Pax Auguſta* Luſitanorum colonia, in Celticis eſt, Ptolemæo *Pax Iulia* Turdetanorum Luſitanorum vrbs in confinio Celticorum Luſitanorum ponitur; ex vetere inſcriptione *Pax Iulia* colonia eſſe oſtenditur, Plinio autem quinq; tantum coloniæ in Luſitania numerantur, Emeritenſis, Metallinenſis, Pacenſis, Norbenſis, Scallabitana, Nonne id conficitur, eandem eſſe Pacem Auguſtam & Pacem Iuliam? Vel oſtendat Geneſius duas in Celticis colonias, alteram Pacem Auguſtam, Pacem Iuliam alteram, Neq; vero quemquam moueat, quod Ptolemæus & Plinius, etiam in ea Bæticæ parte quæ à Bæte ad Anam eſt, & proprie Bæturia adpellatur, ponunt Celticos, ad Hiſpalenſem conuentum pertinenteis, quemadmodum & Turdulos, qui iura Cordubam peterent. Nam aiente Plinio Celticos hos aduenisse in Bæticam *à Celticis ex* Luſitania (ſic enim legendum, non *à Celtiberis*) perſpicuum eſt, Celticos Luſitanos & vetuſtiores, & famæ fuiſſe maioris, parenteiſq; non modo Celticorum Bæticorum, quorum nulla eſt apud Strabonem mentio, neq; alibi, neq; quum de Bæturia parte Bæticæ, ab ipſo Bæte ad Anam tendente dixit, τοιαύτη δὲ καὶ ἡ Βαιτουρία, ξηρὰ ἔχουσα πεδία τὰ παρήκοντα τῷ ἄνα, verum etiam eorum Celticorum, qui Nerium promontorium ad Artabros tenuere. Strabo vero quum Turdetaniam Bæti fluuio mediam diuidi, Ana terminari ad Septentrionem & obcaſum, deinde ab Ana ad Sacrum promontorium Celticos & Luſitanorum pleroſque habitare tradiderit. Pacem autem Auguſtam in Celticis conlocet, dubium non eſt, intellexiſſe eum Celticos Luſitanos, non Bæticos, quorum ipſe non meminit. Præterea, quum Strabonis Pax Auguſta adeo inluſtris fuerit, vt vna cum Emerita Auguſta & Auguſta Cæſarea in argumentum Hiſpaniæ illo tempore manſuetudinis & vitæ politioris, propter Romanorum conſuetudinem, ab ea inducatur, ſi hæc Pax Iulia noſtra non eſt, colonia & iuridicus conuentus, in Celticis poſita, vt Strabo ait, inter Celticos & Turdetanos

Luſita-

Luſitanos, vt Ptolemæus, quam dicemus eſſe alteram? In Celticis Bæticis vnā quampiam, dicet Geneſius. Vt hoc ratione aliqua niti videatur, duo illi oſtendenda neceſſario erunt. Alterum, Badiozam quam ipſe Pacem Auguſtam eſſe vult, in Celticis Bæticis eſſe ſitam. At hoc non euincet, quum potius in Turdulis Bæticis eſſe multo ſit probabilius. Nam Celtici Bætici qui Bæturiæ partem Luſitaniæ prætenſam ab Anæ oſtio quinque tantum ciuitatibus Ptolemæo, aliquanto pluribus Plinio adcolebant, non tam late patebant quam Celtici Luſitani. Turduli vero Bętici Luſitaniam Tarraconenſemq; attingentes, erat gens ampliſſima, multarumque ciuitatum, quarum erat Corduba metropolis, quam in Turdulis eſſe Ptolemæus teſtatur, vt merito Plinius hoſce Turdulos iura Cordubam petere dixerit. Eoque factum mihi videtur, vt Emerita ab his Turdulis ſolo amne Ana intercedente diuiſa, in iiſdem Turdulis eſſe Straboni dicta ſit. Atqui Badioza quam non amplius quam triginta paſſuum millibus diſtet ab Emerita, quur magis Celticis quam Turdulis, Hiſpalenſi conuentui potius quam Cordubenſi adſcribatur, huic propinquior, ab illo remotior? Diſcriminet arbitrio ſuo harum duarum gentium terminos Geneſius, & Badiozam, quam Pacem Auguſtam eſſe contendit, referat ad Celticos, petam iam alterum illud è duobus quæ oſtendenda ab illo eſſe dicebam, nempe vt auctorem proferat, qui liquido Pacem Auguſtam in Celticis Bæturiæ conlocet, quorum vti ſuperius eſt oſtenſum Strabo non meminit. Nam Ptolemæo, Celticorum Bæticorum vrbes hæ tantum nominantur. *βαιτικῶν κελτικῶν, ἄρουκι, ἀρούνδα, κύργια, ἀκινιππῶ, οὔαμα.* Plinius quoque Celticorum Bæticorum recenſens oppida, quos ex Celticis Luſitanis aduenisse manifeſtum ait, ſacris, lingua, oppidorumque vocabulis, quæ tamen cognominibus in Bætica diſtinguerentur, nullam omnino Pacis Auguſtæ mentionem fecit. Oblitus vterque eſt, inquiet, Egregium vero Geographum vtrumque, peruerſeque diligentem, qui quum in ignobilibus oppidis recenſendis operam prope dicam luſerint, nobiliſſimam coloniam prætermiſere. Atqui non ita eſt. Sed nobilis illa Strabonis *Pax Auguſta* in Celticis poſita *Pax Iulia* Ptolemæi, ac Plinii eſt in Celticis quidem iuxta Strabonem poſita, inter Celticos vero ac Turdetanos Luſitanos iuxta Ptolemæum, quoniam tractum hunc ab Ana ad promontorium ſacrum, quem totum à Celticis poſſideri & Luſitanorum pleriſque ab vlteriori Tagi regione eo traductis Strabo dixit, hic alter minutius expoſuit, Celticis Strabonis bifariam in Celticos ac Turdetanos diuiſis. Quod ſi interroges, ſi vna eademque eſt, quur ergo ab Strabone cognominatur *Auguſta*, quæ ab aliis *Iulia*? Interrogabo ego ſimiliter, Gaditana vrbs, quur & *Auguſta*, & *Iulia Gaditana* adpellaretur, confirmante id Plinio in fine libri quarti. Cognominis enim vel huius vel illius rationem, cauſamue niſi diuinando, in tanta rerum antiquarum obſcuritate, nos reddere non valemus. Sed ſi diuinationi locus vllus eſt, cauſa quur *Pax Iulia* vocaretur adſignari poteſt, quod Iulio res in Luſitania gerente, hæc Luſitaniæ regio inter Anam ac Tagum, quam *interamnam* ideo Strabo vocat, domita ac pacata auſpiciis illius fuerit. In quuius ſignum quum ex Tranſtaganis Luſitanis eo traductis vrbem cõſtituerit (nam à Iulio ſe conditos Pacenſes ipſi fatentur, & vetus fama obtinuit, cui Raſes etiam Maurus atteſtatur) boum capita ex marmore pleriſque locis interſperſit, quæ adhuc extant, Pacemque à ſe Iuliam adpellauit. Non tamen protinus nouæ vrbi coloniæ Romanæ ius, aut iuridici conuentus dignitatem tribuit, quum nondum rerum omnino potiretur. Ad quam forte ſub Auguſto prouecta, Iulii cognomen in Auguſti mutauit, quod tamen diu non retinuerit, quum prius in gratiam conditoris inualuiſſet. Verum hæc diuinantes. Nobis ſatis eſt, ſi maneat incolume illud, quod conlatis inter ſe ſcriptoribus confeceramus, eandem eſſe *Pacem Iuliam*, & *Pacem Auguſtam*, Luſitaniæ vrbem, & iuridici conuentus coloniam.

Reliqua eſt parua quædam perleuiſque obiectio, qui factum ergo ſit, vt *Badiocenſis* Epiſcopus multos iam annos *Pacenſis* ſibi titulum induerit. Sed in hac propellenda longe admodum minus laborandum nobis eſt, cognita etiam vulgo, poſt funeſtam illam Hiſpanis rebus inlatam à Pœnis cladem, ſacerdotiorum mutatione. Nam vrbes prius claræ, vt quæque vel maiorem plagam adceperunt, vel ægrius reualuerunt, ita priſtinum ſuum decus aut recuperarunt ſerius, aut penitus amiſerunt. In nonnullarum locum alibi ſuffectæ aliæ. Vbi nunc Emeritæ Auguſtæ Luſitaniæ totius metropolitana quondam *ἐπισκοπή*? Quam multos annos Bracara Auguſta Callæcię metropolis, quum ſemel peſſum iſſet, obtrita iacuit? Granata innobile quondam oppidum Iliberitanæ Diœceſeos, quum de interitu ſuæ metropolis, per Maurorum tempora, ad immenſas creuiſſet opes, & molem hanc hodiernam, tandem à *Fernando* rege non vno tantum nomine *maximo*, feliciter victa, & Chriſtianis initiata ſacris, in adcretionem, &, ſi mihi per Ciceronianos liceat ita loqui, auctarium

nobilitatis,pontificiam dignitatem adcepit,& quidem inluſtriorem quam olim habuiſſet *Iliberis*. Menteſa, in parum frequentis pagi redacta eſt formam, & pontificatus honorem habet Geena,ſiue,vt ipſi malunt,Gyena. Neque fortunatior fuit Oſſonoba,ſpoliata ſacerdotio, quod etiam Siluenſibus nouæ mutationis rumore indies conglaciat. Sed harum trium,translatis alio dignitatibus,etiam tituli interiere. Sunt etiam quæ translato pontificali iure,apud nouum poſſeſſorem ſolum nominis ſui titulum retinuerint, quaſi quum ſolebant venditores non nequam,in iis quæ mancipio darent,rutis cæſis recipiendis ſibi cauere,aut quemadmodũ fecit Mænius,qui in venditis ædibus ſaltem columnam vnde ſpectaret,excepit. Ad iſtum modum, translata Compoſtellam Epiſcopali ſede, quæ Iriæ Flauiæ ante fuerat, nihilo tamen ſecius epiſcopus Irienſis eatenus adpellatus eſt, quoad metropoli conſtituta,etiam is titulus obſoleuit,ſicut à nobis explicatum eſt,quum de translatione corporis Apoſtoli Iacobi ageremus. Sic etiam Igæditanorum eccleſia translata in vrbem Gardiam,veterem adhuc adpellationem retinet. Longum eſt omnia ad hoc exemplum perſequi. Hoc igitur pacto,Pax Iulia,quæ pontificem olim habuit,vt,tum ex ſubſcriptionibus aliquot Hiſpanorum Conciliorum videre eſt, tum maxime ex concilio duodecim Prouinciæ Luſitaniæ epiſcoporum Emeritæ congregato, ſub Receſuintho rege, æra DCCIIII. quod in vetuſto codice apud me habeo, quum & ipſa in Hiſpaniæ euerſione corruiſſet,amiſſum eius decus poſſidet quidem Badioza, ſed Pacenſis tamen conſeruatus titulus,tum aduerſæ Pacis Iuliæ fortunæ nos admonet, tum explicat veteris & prope exoletæ memoriæ recordationem.

Hæc habui Vaſæe,quæ pro colonia Pacenſi ad te ſcriberem, quæ etiam Geneſio probatum iri non diffido. Nam vt prima laus ſit,ea dicere, quæ veritate vndique fulciantur, certe proxima primæ eſt, ſine pertinacia rationem ad veritatem ipſam reuocare. Magni quoq; eſt animi,& hominis ingenue docti,quum aberraris,reuicto ab aliis errore tuo,non iracunde contra niti, ſed æquo aut potius lubenti animo, conuulſam veritate opinionem remittere. Quod ad me attinet,ſi Geneſius ipſe aliquid melius veriuſq;, quod pro Badioza adferat,etiam habuerit,idque nobis,vt erudito homine dignum eſt, non inuideat,tantum abeſt, vt meas has rationes verioribus confutari vel doleam, vel indigner, vt etiam ea re magnam initurum illum apud me gratiam iam nunc pollicear. Etſi enim diligentis nomen & amo,& quodammodo videor meo mihi iure ſine adrogantia vindicare,tamen non tantum mihi ſumo,vt aliis multa non concedam. Verum hęc hactenus. Erant præter hęc,quæ communicata tecum vellem. Sed ea,quod nondum ſatis maturuerunt, commodius alias. Mitto ad te oratiunculam, qua noſtræ vrbis nomine, aduentui Ioannæ Caroli Auguſti filiæ,principi noſtro deſponſæ,publice ſum gratulatus. Mitto autem Luſitane ſcriptam, vt ad Semiluſitanum. Sin tu iam omnino Hiſpanus factus es, ſcito etiam Hiſpanis adeo placuiſſe, vt ſupra viginti exempla primores eorum à me extorſerint. Vale.

Poſtquam hæc ad te ſcripſi, quum in tuis libris iterum vrbium, quæ ſiue olim habuerunt,ſiue nunc Epiſcopos habent,catalogum legerem, hæſi ad Tabetanum Epiſcopatum, quem te ex tertio Toletano Concilio adcepiſſe arbitror,in quo ſubſcribit, *Muttoſe Tabetana Eccleſia Epiſcopus.* Et ſuſpicaris eum Epiſcopum Africanum fuiſſe, ex eo quod apud Cyprianum in Carthaginenſi Concilio legitur; *Martyr Secũdianus à Tabeis, dixit.* Sed nihil opus eſt,ea cauſa trans fretũ peregrinari. Nullus enim Tabetanus,ſeu ex Africa ſeu aliunde gentium. Epiſc. in Toletano illo Concilio fuit: ſed electio peruerſe poſita feſellit. Legendum quippe, *Mutto Satabitana Eccleſia Epiſcopus.* Nam Sætabis,etiam Epiſcopum olim habuit, vt patet ex ſubſcriptionibus Toletanorum Conciliorum, quinti, octaui, & vndecimi. Et tu Sætabi ſedem Epiſcopalem fuiſſe,etiam adnotaſti. Huius te rei viſum eſt admonere,ſi forte eum locum recudere non graueris, Etiam vale.

Eboræ, quarto Nonas Februarii.

M. D. LIII.

L. ANDR. RESENDII, PRO SANCTIS CHRISTI MARTYRIBVS VINCENTIO OLISIPONENSI PATRONO, VINCENTIO, Sabina,& Chriſthetide, Eborenſibus ciuibus,& ad quædam alia Reſponſio.

AD BARTHOLOMAEVM KEBEDIVM, *ſanctæ Toletanæ Eccleſiæ ſacerdotem, virum doctiſſimum.*

QVAM non parum ſtudiis meis debeam, ſi antea, neq; ſemel, expertus non eſſem, ex tuis modo ad me literis Kebedi eruditiſſime, ſatis ſuperque potui animaduertere. Satis enim amplum ex iis fructum me cepiſſe confiteor, non modo ex ipſa rerum notitia, propter quam ſectatus illa ſum, qualis qualis mihi ea contigerit, verum etiam ex doctorum grauiumque virorum, quam mihi domi ac foris conciliarunt, amicitia. Fuerint ſane aliis ſtudia ſua ad rem amplificandam lucroſiora, mihi vnum hoc emolumentum ad hoc ætatis, fuit ſemper, eritq; propoſitum. Quuius percupidum eſſe me, nequaquam pœnitet. Sed doleo, quaſiq; ſubiraſcor, has ad me literas ex ante diem calendarum Iunii anni ſuperioris Toleti datas, vſq; ad eidus haſce Ianuarias iter paucorum dierum vix tandem confeciſſe, aut mihi redditas non eſſe, præſertim quum eo tempore ego minime latuerim, vt illis aliquot annis, quibus tu meum congreſſum fruſtra, vt ais, expetiſti. Perpetuum ſiquidem eum annum Oliſipone egi, palam mediaque in luce. Nempe eo vocatus à meo principe, ad prouincialis concilii decreta ſcribēda, & quotidie itabam ad ſummum templum, ad Epiſcopos. Quod niſi tam diu illæ obdormiuiſſent, iam haberes ad ea quæ à me quæſiſti reſponſionem. Et, ſi ſatis tibi eſſet factum, adquieſceres; ſin non eſſet, commodius ipſe aliquid excogitares, ac commentareris. Reſarciam tamē iacturam hanc, ſi iactura vocari mereatur, prolixiſſima reſponſione, vt mea verboſitate ad faſtidium vſq; ſatur, incipias minus noſtra eſurire. Sequarq; in reſpondendo propoſitum à te quæſitorum ordinem. Beati confeſſoris *Gundiſalui* officium à me compoſitum mire extollis. Gaudeo ſane, & ita vere adfectum eſſe te, non ſolum gaudeo, ſed exulto. Modulationem tamen cantus valde improbas Quid ni improbes? quum tam deprauate typis excuſa ſit, vt ego eam nec adnoſcam, nec ſaltem cantare me poſſe vllo modo ſperem, qui eam compoſueram. Spero tamen te, ipſam typographi culpam à me præſtandam, pro tua æquitate, non exiſtimaturum. Ego, vir doctiſſime, autographum meæ manus in comitiis ſacerdotum Prędicatorii inſtituti *Scallabi* habitis, quum obtuliſſem, ſcriptura comprobata, cantus examen commiſſum eſt fratri Iſidoro, homini veſtrati, muſicæ compoſitionis bene perito, & quatuor aliis, qui choragium in ſuis agerēt cœnobiis. Qui quum ſemel atq; iterum inoffenſe cantaſſent, retulerunt patribus, non modo ſe modulationem probare, ſed illa etiam mirifice fuiſſe delectatos. Quumq; vno conſenſu dictum eſſet, placere recipi, in comitium vocato, publice actæ gratiæ, & ab omnibus omnia mihi felicia exoptata. Addo amplius. Quotquot inde Oliſiponem redierunt, vna cum prouinciali præfecto, in naui officium ipſum cantillando, nauigationis tæd um iucunda cantus voluptate ſeſe propuliſſe, gloriati apud me ſunt. Data poſt id imprimendi prouincia monacho viro hercle docto & probo, ſed impreſſoriæ artis inexperto, neq; ſcio quam canendi perito. Qui tum typographo inſigniter eius rei ignaro, ad hunc modū rem geſſit, vt niſi denuo ad autographi ipſius fidem modulatio recudatur, poſſe cantari mihi ſane videatur impoſſibile. Neq; hoc dico, quaſi culpam vniuerſam à me ablegem, & in typographum reiectam velim. Neq; tu, ſi alioqui, præter deprauationem, abſona compoſitio eſt, culpam à me transferas. Si quid peccatum eſt, & minime ex arte factum, id ad me pertinere peccatum profiteor. Nam tametſi non omnino rudis eius artis fuerim, eatenus tamen in ea laboraueram, quatenus opus erat homini choro & altari deſtinato. Cæterum literarum ſtudiis amplius delectatus, ſcriptoris non indiligentis nomen aliquod, & ſermonis nitorē, quoquomodo potui, cōſectatus ſum. Quam feliciter, viderint lectores. Muſici exquiſitioris decus non ambiui. Tantum, quum officia nonnulla huius noſtræ Eborēſis Eccleſiæ à mea officina prodierint, ex eadem, cantum adieci duobus, alteri Reginæ ſanctæ Elizabet, alteri huic Diui Gundiſalui, nimirum offenſus cantu ab aliis in aliquot mea alia officia compoſito, per diuerſa ſyſtemata euagante, nullaque ἄρσεων καὶ θέσεων ratione modo faſtigato, modo depreſſo, Atqui ego

dederam, vt putaui, operam, ne μελοποιία ſenſui ac literæ non conueniret. Et ſi ad Gregorianæ compoſitionis me normam adigis, ſi quidem hic exordium & antiphonarum cantus, quem omnes Eccleſiæ ſequuntur, Gregorii eſt, poſſum oſtendere me nihil ſine exemplo feciſſe. Vitaui tamen longiorum pneumatum perplexitatem, & ſuper breueis ſyllabas adcentu deſtitutas moroſam multarum notarum inculcationem. Sed vereor ne tu me iam ineptū arbitrere, qui hæc apud te, virum, vt nihil amplius addam, inter Eccleſiæ Toletanæ ſymmyſtas celebrem. Quare ad illa quæ tibi placere magis ſignificaſti, iam pergam.

Viſcella fluuius, Luſitané *Vizella* dictus, in Auum maioris famæ fluuium, paulo infra Neruæ Traiani Cæſaris memoriam, in ipſa *Aui* ripa perdurantem ingreditur. Intra quorum fluuiorum confluenteis, *Vimaranenſis* eſt ciuitas, ſancti Pontificis Damaſi quondā patria, ſi per veſtros liceret. Tametſi nondum decennium eſt, quum prodiit Onuphrii Veronenſis viri diligentiſſimi, de Pontificibus Romanis liber, omnibus Vrbis templis, archiuis, bibliothecis, perquiſitis, adcuratiſſime compoſitus. Is penitus Luſitanum ac *Igaditanum* eum facit. *Sanctus*, inquit, *Damaſus, Antonii filius, Egitanenſis, Luſitanus Hiſpanus.* Sed ego Eborenſis Eccleſiæ vetuſtum codicem ſum ſequutus, quum eius vitam Breuiario inſerui. A Vimaranenſi ergo ciuitate interſtitio ſedecim milliū paſſuum, hoc eſt leucarum ad noſtram rationem quatuor, oppidum eſt *Authanagilde* Viſcellæ impoſitum, *Athaagilde* Luſitane vocatum, è regione oppidi *Sancti Veriſſimi*, in altera fluuii ripa locati. Non procul ab Athanagildi, ſecundo flumine, Vimaranium verſus, oppidum & templum *Sancti Pelagii* eſt, quuius Gundiſaluus rector fuiſſe perhibetur, antequam Hieroſolymam petit. Fueritne Athanagilde id nomen à Gotthorum rege ſortitum, an aliam ob cauſam, adſeuerare modo non poſſum. Exſtant veſtigia quædam non contemnendæ antiquitatis, & ædes ſemidirutæ *Palatia* vulgo adpellatæ, ſtructura plane Gotthica, non Romana.

Tamaca fluuii nomen, quod Luſitanum petis, *Tamaga* eſt. Oritur is amnis non procul à Monte Regio Gallæciæ oppido, inde *Aquas* adluens *Flauias*, de quibus alibi, *Amaranthum* deſcendit, mediamq; ſecat, vt duplex oppidum efficiat, duplici foro, duplicique iudicio ponte nobili lapideo a Gundiſaluo exſtructo vtrinq; iunctum. Idque eſt, quod in Hymno dicitur. *Nec capit duplex Amaranthus amplas ſæpe cateruas.* Quod quam vere dictum ſit, liquere hinc poteſt, quod paucis ante diebus quam hæc ad te ſcriberem, certior factus ſum, ipſius dicato die, quarto eidus Ianuarii, ſupra quatuordecim millia ſexus vtriuſque Amaranthum ad ſancti viri ſepulchrum conueniſſe.

Quod interrogas de ſanctæ Reginæ *Elizabet*, officio, & an ante meum hoc aliud exſtaret, quod tamen apud ſolas Claraleis Conimbricenſis Parthenonis virgines, vbi ea Diua ſepulta eſt, feſto eius die ad quartum nonas Iulii celebraretur, quaue id auctoritate, ſic adcipe: Felicis memoriæ Emmanuel rex, ab Leone decimo Rom. Pontifice impetrarat, vt in Parthenone ſepulturæ eius, & in ipſa vrbe & diœceſi Conimbricenſi, ſancta hæc Regina, vti Diua coleretur, pingeretur, & inuocaretur, eiuſq; annua memoria inibi celebraretur. Canebaturq; tunc officium illud quo me offenſum in præfatione ſum teſtatus. Eaque fuit cauſa, vt nouum ipſe facerem. Creſcente indies propter miraculorum frequentiam fidelium adfectu, & propagata per totam Luſitaniam ſanctitatis eius fama, piiſſimus Ioannes hoc nomine tertius, erga quem gratitudinem animi tui & probo, & magni equidem facio, non ſatis pietati ſuæ eſſe putauit, tam anguſtis terminis eum cultum circumſcribi. A Paulo igitur quarto ſummis precibus contendit, vt ſicut ea Diua toti olim regno præfuerat, ſic à toto modo *beatam* coli, celebrariq; permitteret. Adnuente pontifice, factum eſt, vt Diuæ memoria anniuerſaria vbiq; iam celebrior habeatur.

Moues deinde controuerſiam, neq; ſane exiguam, inter Luſitanos noſtros, ac Gallos prouinciæ Aquitaniæ, de reliquiis corporis *Diui Vincentii* leuitæ & martyris, inquientibus Luſitanis Olyſipone in ſummo templo haberi, vbi religioſiſſime colitur, vt ipſe teſtis oculatus es, Gallis contra, ad *Caſtrenſe* oppidum Aquitaniæ delatas quondam à monacho, qui Valentiam deueniens, Mauri quuiuſdam indicio inuentas furatus ſit. Cum quibus etiam Valentinos facere adſeueras, & irridere ſolitus qui ſecus ſentiant. Quemadmodum & *Petrus Antoninus Beuter* iocatur in noſtros, quaſi Vincentii corpus dicant natatu deueniſſe ad promontorium Sacrum, quod ab illo poſtea Sancti Vincentii nomen ſortitum ſit. Facetum hominem. Sed ſi facetos & ipſi nos faciamus, non deeſt ingenium ad facetias aduerſus ſannionem Beuterum comminiſcendas. Verum potius citra vel iocos, vel iracundiam, ſedato quietoque animo, diſpiciamus vtri veriore ac probabiliore ſe tueantur hiſtoria. Venit quidam monachus Valentiam, quadam motus reuelatione, regnante apud Gallos Carolo Caluo. Qui nimirum regnum auſpicatus eſt, circa annum Seruatoris octingenteſimum quadrageſimum primum. Is monachus myſterio quodam, induſtriaq;

Sara-

Saraceni quiuiſpiam, ſanctum corpus inuenit, & furatus eſt. Iam ergo Valentia in poteſtate erat Saracenorũ, & ſancti martyris corpus deſertum ac ſine cuſtodia. Pergamus. Quumque clam illud abſtuliſſet, deueniens Cæſarauguſtam, præda illa nobili ſpoliatus eſt. A quibus? A Saracenis, an à Chriſtianis? A Chriſtianis arbitror. Namque cuſtoditus ibi eſt. Vnde poſt annos pleroſque quibuſdam ambagibus deportatum tandem eſt in Gallias ad Caſtrenſe oppidum, ſub Pontifice, vt Platina dicit, Ioanne Anglico, quem ipſe octauum facit, hoc eſt, anno Chriſtianæ ſalutis octingenteſimo quinquageſimo quarto, aut quinto, vt Beuter autem adfirmat, anno à Chriſti natali octingenteſimo ſexageſimo tertio. Quo tempore, non Ioannes, ſed Nicolaus, erat Pontifex. Vtroquumque modo ſit, non paucos annos Cæſarauguſtæ retentum corpus fuiſſe adſtruunt, indeque poſtea deportatum. Quod ſi Chriſtiani auferri ſibi ſiuerunt, immane quam male meriti fuerint, parumque pii, qui diuum indigenam, ſuumq; ciuem, & qui, vt ſacer ait Prudentius, *peregre necandus, Martyr his terris tenui notarat Sanguinis rore ſpecimen futuri Morte propinqua*, oblatum ſibi tam opportune, quaſiq; iure poſtliminii redditum, ſic abire permiſerint. Niſi ſe etiam furto alterius monachi circumuentos eſſe querantur. Eos tamen ante quam Luſitanos audierimus, nequaquam arguamus. Non proferemus monachilia furta, ſed regni publicos annaleis, & Alphonſi Henrici, primi Luſitanorum regis hiſtoriam, non modo hanc quæ Luſitana lingua circumfertur, à Duarte Galuano viro nobili & eruditionis variæ, non tam compoſitam, quam in epitomen redactam, ſed antiquam ab ipſius regis temporibus Latine, vt illa ferebant tempora ſcriptam, quæ à Sanctæ Crucis Conimbricenſis, vbi idem rex ſepultus eſt, canonicis reuerenter adſeruatur. In his ergo legimus Alphonſum Henricum in Orichienſi agro memorabili prælio Iſmarium, alioſq; quatuor Saracenorum reges fudiſſe, & exutos caſtris, multis milibus interemptis fugaſſe. Cui Conimbricam reuerſo, obcurriſſe ſanctum Theotonium gratulabundum. Qui quum inter captiuos vidiſſet aliquam multos, qui ſe Chriſtianos eſſe dicerent, *Muzarabas* vocatos, hoc eſt, vt interpretantur, *mixtos Arabas* petiiſſe à rege, vt libertate donarentur. Quos ad ſe vocatos, quum interrogaſſet rex, qui nam, aut vnde gentium eſſent, reſpondiſſe, origine quidem ſe Valentinos, incolas vero promontorii fuiſſe illius, quod in Algarbii finibus mari prominet. Eorum maiores Valentia ſimul cum corpore ſacratiſſimi martyris *Vincentii* aufugiſſe, metu aduentantis Abderamenis, illoq; in promontorio conſediſſe, domoſq; ibi pauperes inædificaſſe, iuxta ſacellum, vbi ſancti martyris corpus cuſtodirent, illicq; eos manſiſſe, donec Maurus quidam potens venationis cauſa eo deueniens, eorum parenteis obtriuiſſet, ſe pueros captiuos fuiſſe abductos. Signum rei certæ illud ſe poſſe dicere, ſi domunculæ permanerent, aut corui ſaltem, qui ſacellum illud familiariter frequentarent, à tempore quo martyr beatiſſimus illuc adplicuiſſet, vnde factum eſſet vt Mauri promontorium illud *Coruorum montem* adpellarent, id etiamdum priſtino more facerent. Regem his auditis, incenſum cupiditate, iniiſſe conſilium, probaſſeq; fieri aliquot dierum inducias. Eoq; quum iuiſſet fruſtra, loci facie ſitu iam deformata, infecta re tunc quidem reuertiſſe. Verum debellatis poſtea paulatim Saracenis, captaq; Oliſipone exarſiſſe deſiderio inueniendi martyris, eaq; gratia conſtruxiſſe canonicorum cœnobium. Diuoq; *Vincentio* nuncupaſſe. Anno tandem à capta Oliſipone vigeſimo ſexto, Allibo Iacobo Hiſpalenſi regi inducias in quinquẽnium poſtulanti, ſola huius rei gratia conceſſiſſe, ac miſiſſe ad promontorium Saracenis iam vacuum viros armatos in naui, vnaque ex Muzarabibus illis ſeniores, qui locorum melius recordarentur. Ibi ſuppliciter adorato numine: domuncularum ac ſacelli, coruorum indicio, tandem repperiſſe veſtigia, multiſq; foſſionibus aperta terra, & ruderibus expurgatis, inueniſſe lgneum ſacri corporis conditorium, ſubtus dirutam ſacelli aram. Quumq; inter colligendum ſemiputre conditorium, ex iis qui aderant vnus clam paruum os abſcondiſſet, lymphatum ac cæcum corruiſſe, donec quod in ſinu abſconderat, deprompſiſſet. Inde corpus impoſitum naui quum eſſet, coruos duos, alterum in prora, alterum in puppi conſediſſe, tanquam familiareis Diui alumnos, neque inde reuolaſſe, verum comitatos in naui ſanctas patroni reliquias. Tandem adplicuiſſe Oliſiponi, iuxta fanum Diuarum *Iuſtæ & Rufinæ*, quo loci porta vrbis etiam nunc eſt, *Sancti Vincentii* adpellata. Eo enim vſque mare tunc erat, quod paulatim poſtea propulſum, ampliandæ vrbi locum reliquit. Tunc noctis ſilentio, vitandi tumultus cauſa, deportatum corpus ad fanum Iuſtæ. Orto tamen die quum increbuiſſet fama concurriſſe armatam multitudinem, diuerſis ſtudiis, parumque abfuiſſe, quin ventum eſſet ad arma. Adcurriſſe tunc Conſaluum Viegam militiæ regiæ præfectum, & ſeditionem compoſuiſſe, exſpectandamq; regis eo tempore abſentis voluntatem perſuaſiſſe. Robertum denique ſummi templi decanum, ſuo & Capituli nomine, ſecreto conueniſſe Munionem Diuæ Iuſtæ rectorem, impetraſſeque vt corpus ad ſummum

templum deferri permitteret. Regem quod factum eſſet, non improbaſſe, licet in animo haberet in Canonicorum cœnobio Sancto martyri à ſe nuncupato illud conlocare. Nec quieuiſſe illum, ſed miſiſſe denuo ad promontorium, qui numquid adhuc ſupereſſet ſolertius ſcrutarentur. Inuentam adhuc caluariæ partem, & conditorii fragmenta aliquot Regem ob geſtæ rei memoriam Oliſiponi vrbi inſignia dediſſe, nauem iuxta malum Diui martyris imaginem geſtantem, ac duos coruos, alterum in prora, alterum in puppi conſidenteis. Et in loco vbi ſanctum corpus diu latuerat, curaſſe templum nobile ædificari, & nomen promontorio immutaſſe, atque vt *Sancti Vincentii* poſt id vocaretur effeciſſe. Hæc ſumma eſt hiſtoriç Luſitanorum, quam te arbitror, quum apud nos eſſes, didiciſſe, inſignia paſſim vidiſſe, picturam geſtæ rei vetuſtiſſimam, veſtibus, calceis, capillitio, præ ſe ætatem illam priſtinam ferentibus, adhuc recordari. Confer nunc vtrorumque rationes, & num credendum magis putes monachi furto, an regni annalibus, Caſtrenſe in oppido, an Oliſiponenſi vrbi, totique Luſitaniæ regno, & indito ex eo tempore promontorio nomini. Quod ſi parum adhuc egimus, ſuppetias petamus à noſtræ religionis hoſtibus, & veritas vndequumque eruatur.

Raſes Maurus, Dalharab Marrochiorum Miramolini, ac Cordubæ regis hiſtoricus, Hiſpaniæ vetuſtates ſcribere eſt adortus, vt regum Saracenorum: qui in Hiſpania regnarunt, annaleis, qui etiam nunc exſtant, concinnaret. Libri titulus eſt. *Incipit liber Raſa, hiſtorici Dalharab Marrochiorum Miramolini Cordubaque regis, quem ipſius iuſſu compoſuit.* Verſus eſt in linguam Luſitanam ex Arabica, per me magiſtrum Machometum Saracenum nobilem architectum. Et ſcribebat mecum Ægidius Petri, clericus Domini Petri Ioannidæ Portellenſis, patris Domini Ioannis Auolini. Is igitur Raſes, de montibus, fluminibus, & vrbibus Hiſpaniæ, de priſcis Hiſpanorum regibus ante Romanos, de Romanis ac Gothis, nonnulla commode, permulta inepte, quo pacto ethnici ſcriptores atque poetæ, de rebus ſacris diuinæ ſcripturæ, quaſi per ſomnium, loquuti ſunt, omnia fabulis inuoluentes. Vt tamen ad Saracenorum regum compertiora ſibi tempora deuenit, non contemnendus ſcriptor iudicandus eſt. Ergo de Abderamene huius nominis quarto Saracenorum regum vndevigeſimo, hæc ad verbum.

Æra *Arabum centeſima trigeſima octaua, Abderrame Moaba filius, in Hiſpaniam venit. Et debellato interfectoque Ioſeph, regnum Hiſpaniæ inuaſit. Dixit Abdemelich filius Abib, ſe interrogaſſe nutritium Abderamenis, & de illo veritatem exquiſiſſe, quo patre quoue ortus eſſet genere. Nutritium reſpondiſſe. Patrem Abderamenis fuiſſe Moabiam virum ruſticum agricolam. Ad quem quum caſu Miramolinus diuertiſſet, hoſpitio hilariter adceptum, motumque hoſpitis humanitate, eum ſecum duxiſſe. Moabian tam induſtriè ac ſapienter ſe geſſiſſe, vt breui inter Miramolini familiareis & amicos primus fuerit.* Deinde interiectis nonnullis, quæ ad rem non faciunt, ſequitur. *Hic Abderamen vrbeis omneis & oppida quæ Saraceni habebant in Hiſpania, in ſuam poteſtatem redegit. Bellum quoque intulit Chriſtianis. Ac Hiſpali profectus, expugnauit Bexam, Eboram, Sanctirenam, Oliſiponem, totumque Algarbium. Adflixitque mirum in modum Hiſpaniæ Chriſtianos. Nec fuit ciuitas, aut oppidum munitum, quod ſe tueri aduerſus potentiam eius poſſet. Sed habitatores deſertis ciuitatibus confugiebant ad Aſturiæ Monteis. Hic omneis Hiſpaniæ eccleſias, quas adhuc integras inuenit, deſtruxit. Erant autem multæ & egregie fabricatæ, tam à Græcorum, quam à Romanorum temporibus. Hic omnia corpora illorum in quos Chriſtiani credunt quoſque venerantur, ſanctoſque adpellant, rapta de Eccleſiis comburi faciebat. Quo viſo, Chriſtiani, vt quiſque poterant, cum talibus his rebus fugiebant ad monteis, & tuta atque inadceſſa loca. Itaque pleraque omnia quæ in Hiſpania erant, ſecundum Chriſtianorum fidem religioſe culta, ad Aſturiæ montana ſunt deportata. Quum autem adpropinquaſſet Valentiæ, Chriſtiani qui ibi habitabant, habebant ibi corpus quiuiſdam hominis mortui, cui nomen erat Vincentius. Et ipſi adorabant illum, quaſi Deum. Et qui corpus in poteſtate habebãt, perſuadebant vulgo, quod ille homo cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos recte ambulare. Ac ſic dementabant ſtultam gentem. Quum autem cognouerunt de Abderamenis aduentu, timuerunt ne hæc fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis ſecum portantes. Et dixit Allibohaces eques ille bonus Facenſis, ſe quum die quadam cum ſuo comitatu venationis cauſa veniſſet ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, inueniſſe ibi corpus illius hominis, cum iis qui cum illo fugerant à Valentia, qui ibi domunculas fecerant, in quibus habitabant. Et homines quidem occidiſſe, pueros autem duxiſſe captiuos, corpus vero hominis illius ibi reliquiſſe.* Hæc Raſes.

Videſne, vir eruditiſſime, quanta veritate nitantur Luſitani, & quam non fictam, aut heſternam ſui patroni hiſtoriam proponant? Omitto Saraceni blaſphemias, quas propter detectam veritatem æquiori animo tolerabimus. Sed quod ait, Chriſtianos maxime ſub Abderamene adflictos, deſtructa templa auguſtiſſima, multa ſanctorum corpora ſcelerato igne combuſta, multa à piis in montana tutioraque loca deportata, quod in laudẽ impuri Abdera-

Abderamenis impurus ſcriptor commemorat, non potuit quidquam ad cognoſcendas tempeſtatis illius miſerias adferre adcommodatius, nihil verius narrare. Alioqui, diſquirendum nobis, quonam modo tot ſanctorum Hiſpanorum reliquiæ perierint, quoue à ſuis ſedibus demigrarint. Vt de cæteris perquam multis ſileam, noſtræ Eboræ Apoſtolus ac martyr Mancius Chriſti diſcipulus, quo pacto ad *Nouum Pagum*, iuxta Methymnam ad Riuum Siccum deuenerit. Quo *Eulalia & Iulia* Emeritenſes ad Eunos in Gallia? *Leandro* illo celebri Hiſpalenſi epiſcopo, quid factum ſit? Imo etiam veſtra *Leucadia*, qua ratione Tagi flumen Rheno commutarit? Suum hoc, ſuoque nomine vocatum, totaque Hiſpania celeberrimum templum deſeruerit, vt *Coloniæ Agrippinæ* peregrinaretur, tantumque hoſpes habeatur? Veſter etiam *Ildephonſus* ille, ſanctæ Dei matris amaſius, & perpetuæ virginitatis eius propugnator, quur ſede in qua cœleſti dono muneratus eſt derelicta quum ad Aſturas Ouetenſeis portaretur maluerit Zamoram incolere? Vnus Raſes Maurus breuiter rationem reddidit. *Abderamen*, inquit, *corpora Sanctorum quæ Chriſtiani venerabantur, comburebat. Quo alii metu permoti, cum talibus his rebus fugiebant ad Aſturiam, & tutiora loca.* Perge Raſe, Quid Vincentio Valentiæ culto adcidit? *Fugerunt*, inquit, *cum eo, ad montem qui in fine Algarbii mare illud ingreditur. Ex dixit Allibohaces.* Quid dixit? Iam ſuperius explicaui. At Caſtrenſes dicunt veniſſe monachum Valentia. Neſcio. Sed ſi venit ſub Carolo Caluo iam olim ablatus inde erat Vincentius. Et ſi Saraceni ſe commiſit induſtrię monachus, certe monacho Punica fide inluſit Saracenus, cui pro Vincentii corpore, vtinam non aliquuius Saraceni corpus colendum dederit, quo plane Saracenum ageret. Verum miraculis res comprobata eſt. Et hoc neſcio. Si tamen miracula vlla ibi contigerunt, Dei hoc clementiæ adſcribendum, hominum fidem reſpicientis. Nec ſimilia deſunt exempla.

Animi cauſa, narrabo tibi Eborenſium meorum fabellam non inlepidam. Octauo ab vrbe lapide, Salacienſi via, lapidibus enim viarum trium Emeritenſis, Pacenſis, ac Salacienſis, millia paſſuum diſtinguuntur, fanum eſt Virgini Chr ſti matri ſacrum, inter diruta à Romanis vſque temporibus ædificia. Locum *Turegiam* vocant. Manent adhuc aquæductus veſtigia, & aquarum diuerſa conceptacula. Vnum cæteris capacius, *Agonem*, ſeu martyrum *Caueam* adpellant. Aiunt illic obciſos ſine certo nomine martyres non paucos, vna cum epiſcopo. Duas epiſcopo fuiſſe ſorores virgines, alteram *Columbam*, quæ ibi iuxta interfecta ſit, vbi etiam nunc ſacellum exſtat illius nomine. Alteram metu fugiſſe inſequutumque epiſcopum, puellam de perfidia increpaſſe. Illam reſpondiſſe, non mortis ſe metu, ſed ne barbaris ludibrio haberetur aufugiſſe. Orare tamen fratrem, vt virginali imbecillitati id condonaret, ipſeque ſororem ſua manu martyrem faceret, quando fugæ nulla ſpes eſſet reliqua. Epiſcopum ſororicidium auerſatum, verum ſatellitibus venientibus innuiſſe, qui puellæ caput amputarint. Vbi corruit, promanaſſe fontem aquæ dulciſſimæ, qui nunc vulgo *Fons Sanctus* nominatur, lippientibus ſalutaris. Puellam tamen in fugæ pœnam, manſiſſe innominatam. Hoc peracto, epiſcopum rediiſſe ad Agonem, & martyrium conſummaſſe. Sepulchrum eius lapideum, ſi tamen eius eſt, viſitur in ipſo Dei matris fano, vacuum atque apertum, Supra quod menſa exſtat lapidea inſcripta, columellis ſuffulta quatuor, ita vt pateat ſepulchrum à dextro in ſiniſtrum cornu ingredi, & tranſire volentibus. Menſa tamen minor eſt, quam vt monumenti operculum exiſtimari debeat. Arbitrorque inuentam inter ruinas, in aræ vſum adcommodatam. Solebant illac meare, quibus lumbi dolerent, martyris epiſcopi auxilio implorato, & abſque dubio iuuabantur. Super aram etiam eandem, celebrabantur myſteria in martyris Epiſcopi honorem. Exſtat & pictura, & *Viarii* nomen Epiſcopo adſcriptum. Vnde id, mox aperiam. Hæc vetus fama. Quæ ſi hiſtoria eſt, ea nimirum obſoleuit, omnia confundente & obliterante barbaria. Mihi, quum Diuorum hiſtorias ad Eborenſis Eccleſiæ Breuiarium concinnarem, contigit illuc ire, indagandæ antiquitatis cauſa. Fani eius parœcus reuerendus admodum ſacerdos, ac loquutuleius non inuenuſte ad vocem geſtum adcommodans, vt qui Romæ pluſculos fuiſſet annos, quum me perhumane excepiſſet, & cognita itineris cauſa, martyrum ſiue hiſtoriam hanc, ſiue fabulam denarraſſet, oro te, inquam, vir egregie, exſtatne ſcriptura quæpiam quæ id atteſtetur? Eccam, inquit ille, & quidem luculentam. Duxitque me ad aram. Et ablatis mappis quibus tegebatur, inſcriptionem oſtendit iſtiuſmodi.

D M S

Q. IVL. MAXIMO. C. V. QVÆSTORI. PROV. SICILIÆ.
TRIB. PLEB. LEG. PROV. NARBONENS. GALLIÆ. PRÆT.
DESIG. ANN. XLVIII.

CALPVRNIA. SABINA.
MARITO OPTIMO

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM.
ANN. XXI.
Q. IVL. NEPOTIANO. C. I. IIII. VIRO. VIARVM CVRANDARVM.
ANN. XX.
CALP. SABINA. FILIIS.

Protenſo itaque digito ad verba illa, VIARVM CVRANDARVM, ecce ait, nomen proprium *Viarii*, illud autem CVRANDARVM, perinde eſt, quaſi diceret *Curam Curarum*. Cura vero Curarum *Epiſcopus* eſt. Cætera, inquit, nomina, opinor aliorum martyrum eſſe peculiaria. Continui erumpentem riſum, atque vt vere dicam, ſtomachum pudore motum cohibui, ne hoſpiti viderer parum ciuilis. Rem tamen ad Alphonſum S.R.E. Cardinalem principem meum, tunc Eborenſem pontificem, detuli. & interpretis belliſſimi narrationem, ac vnde *Viarii* nomen effictum eſſet: expoſui. Is imperauit obcludi ſepulchrum, ne peruium eſſet. Mihi vero qui auctor fuerim, non ſemel vulgus non tam adſoctos lumbos, quam lumbifragium eſt imprecatum. Quod ſi Diui aut Diuæ quuiuſpiam ſepulchrum illud eſt, mihi vtrumlibet propitium eſſe velim, qui non fecerim, vt ſanctitati detraherem, ſed vt fabulam à ſacro dimouerem, & vt ne homines ethnici *Viarum curatores* pro Martyribus colerentur. Iuuabantur tamen, vti prius dixi, *Viario* ſupplicantes.

Dionyſii Epiſcopi & Martyris ſui corpus Pariſienſes oſtendunt. Oſtendunt id etiam monachi Benedictini, cœnobii Sancti Hemerami, extra muros Rætobonnæ, ad Danubium, in Germania, & quo pacto Imperator Rudolphus, ſi ſatis memini, integrum corpus ad eos tranſtulerit, vetuſtiſſima pictura, & ſcriptis non male ad rem facientibus comprobant. Alteros tamen mentiri neceſſe eſt. Vtrobique autem miracula & olim, & nunc, facta prædicantur. Quid, quod etiam Iacobi Apoſtoli noſtri caput Toloſæ oſtenditur, iactantibus Gallis à Carolo Magno eo ex Callæcia deportatum, votumque ſuſceptæ peregrinationis, *Compoſtellæ* nequaquam ſolui, niſi Toloſæ finiatur? Poteram huiuſcemodi rebus longos implere commentarios. Cæteroqui, non ignoramus quam Gallica natio ad ſimilia comminiſcenda proba ſit artifex. Luſitanis ſubrudi, vt perhibemur, genti, neque tanta ineſt ſolertia, neque tam venalis reliquiarum ſanctarum cultus populo exhibetur. Adfatim tamen ſuppetunt rationes, quibus Caſtrenſium iſtam, ſiue confictam non ita pridem, ſiue temere ab illis creditam monachilis furti hiſtoriam, expugnemus atq; refellamus.

Atqui, Valentini Caſtrenſibus ſubſcribunt. Si monachus induſtria & indicio Mauri clam corpus abſtulit, Valentinis inſciis, quantum momenti habere debet iſtiuſmodi ſubſcriptio? An non ſimilis illi erit teſtimonio, quod à militibus Iudæi coemerunt, *Venerunt nocte diſcipuli eius, & furati ſunt eum, nobis dormientibus*? Exſpectemus quid reſpondeant Valentini. Reſciuimus hoc poſtea. Quam mox *poſtea*? Nuper vtique. Nam qui hoc adfirmet, ante octoginta, aut ſummum, centum annos, nemo eſt. Luſitanorum vero adſertio reſque geſta, ſuperat quadringentos.

Raſes autē quum librum ſuū ſcripſerit Dalharab Miramolino, qui regnare cœpit anno Arabum CCC. LXVI. hoc eſt, anno Chriſti DCCCC. XC. nimirum æquat annos quingentos ſeptuaginta. Valentini autem diſſipatam à Caſtrenſibus famam ſequuti ſunt, noſtris nondum ſcripturientibus, ſed contentis ſuum ſibi domi habere, Optimam vero Caſtrenſes Valentinis commenti ſui fautoribus gratiam retulerunt, dum publice in templis canunt.

Hoc theſauro ſpoliantur
Valentini, dum fœdantur
Idolorum ſcelere.

Quod quam verum ſit, ipſis expendendum relinquo. Miſeros ęque fuiſſe, ac Hiſpanos reliquos arbitrabar, Idololatriæ deditos non putabam.

Cæterum, turbat te Platinæ auctoritas. Ne turbet. Nam quum eius hęc verba ſint, *Sunt qui dicant huius temporibus beati Vincentii corpus è Valentia Citerioris Hiſpaniæ ciuitate, à quodam monacho in pagum Albienſem Vlterioris Galliæ deportatum.* Quid heic ineſt, quo magnopere commoueare? *Sunt qui dicant*? Qui ſunt iſti qui dicunt? Caſtrenſes, opinor. Atqui, ſunt qui non dicant, quique veriora dicant. Platina igitur nihil adſerit, tantum eſſe ait qui dicant. Præſertim quum in Ioanne IIII. contrarius ipſe ſibi videatur. Vbi etiam prudenteis expendiſſe velim, qui quadret, Anaſtaſii in Perſide paſſi corpus, quod Veneti ex Conſtantinopoli tranſlatum poſſident, cum Vincentii corpore coniungere: non addito vnde, aut quonammodo factum id fuerit, vt iam neque heic, neque illic pondus vllum habeat Platinæ adnotatio. Tu vero, non pluris facies Diuum Bonauenturam in beati Antonii Oliſiponenſis hiſtoria, quam omnia Romana præferunt breuiaria, ita adſerentem? *In Hiſpania, ciuitate Vlyxbona, quæ ad occidentalem regni Portugaliæ plagam, in extremis terræ finibus ſita eſt, quædam*

pragran-

pragrandis eccleſia in honore glorioſa virginis Dei matris fabricata conſiſtit, in qua pretioſum beati Vincentii martyris corpus honorifice requieſcit. Si ſcriptorum tempora componas, hic multo antiquior eſt. Si perſonas, quanto hic illo grauior nihil attinet dicere.

Arbitrabar iam me Labyrinthum hunc egreſſum, quum relegens epiſtolam tuam, denuo hæſi ad id, quod te in chronico Prędicatorum reperiſſe commemoras, Marię Magdalenæ, & beati martyris *Vincentii* reliquias eſſe Maſſiliæ. At ego me iuuenem commoratum fuiſſe aio Maſſiliæ, vltra biennium, & ibi apud *Aquas Sextias* hypodiaconatus, & diaconatus ordinem ſuſcepiſſe, neque vnquam audiuiſſe Vincentii martyris ibi eſſe reliquias, aut Magdalenæ; ſi reliquias corpora intelligas. In Maſſilienſi, apud oppidum *Sanctum Maximinum* vocatum, Magdalenæ corpus ſcio adſeruari, religione celeberrima: Non parua Maſſiliæ, Lazarum Epiſcopum & Martyrem. Præterea Victorem militem indigenamque martyrem; quuius feſtum ſolenni cæremonia ibi agatur. Vincentium vero neminem, niſi natus poſtmodo ibi ſit. Quod etiam Bracarenſem Eccleſiam *Vincentii* Tranſlationem ad quartum nonas Maii celebrare dicis, patronumque ſuum eum adpellare, facilius ab hoc, quam à ſuppoſititiis illis Vincentiis me extricauero. Bracarenſi Archiepiſcopo data particula ſancti corporis à Rege eſt. Ea quo tempore in Bracarenſi Eccleſia eſt conlocata, ſolennem Tranſlationis diem fecit. Quæ res etiam hiſtoriæ noſtræ ſuffragatur, quum duæ tales Eccleſiæ vna conueniant, atq; ipſum quod eſt, manifeſtum faciant. Puto me ſatis reſpondiſſe pro Luſitanis, de Oliſiponenſi Vincentio.

Adgrediar nunc Eborenſium meorum decus Vincentium, Sabinam, & Chriſthetida. Quorum ex veſtris quidam, contra hiſtoriæ fidem, patriam, non tam ratione, quam libidine, conantur interuertere, & à nobis alienare. Quorum temeritas, ioco potius, quam ſtili acumine explodenda eſſet, niſi tu eruendæ veritatis cauſa, ſicuti præ te fers, multo illis neruoſius, argumenta quædam in nos congeſſiſſes, quibus occurrere neceſſe mihi ſit. Age, Braulio ſanctus Cæſarauguſtæ Pontifex, vt ais, horum trium martyrum hiſtoriam poſteritati mandauit, & Braulionis nomen liber Toletanæ eccleſiæ *Smaragdinus* adpellatus, oſtentat. De auctore certi nihil habebam, nec Eccleſiæ noſtræ Eborenſis lectionarius, ſane ante annos trecentos viginti ſcriptus, nomen auctoris præfert. Credo tamen libro iſti Smaragdino, oppido non inuitus. Opuſcula enim, & vitam *AEmiliani* monachi ſcripſiſſe illum teſtatur *Sanctus Ildephonſus*, in libello *de inluſtribus viris*, quam ego in hoc Eborenſis Eccleſiæ lectionario reperi, tamen imperfectam, videlicet, vſque ad principium capitis, quod incipit, *Sed referam quod etiam latrones pertimeſcant*. Ex qua tamen, & ex epiſtolis eius ad Sanctum Iſidorum, quæ in libris *Etymologiarum* exſtant, & in additamento quodam ad librum Iſidori etiam *de viris inluſtribus*, non paulo caſtigatiore ac limatiore fuiſſe ſtylo deprehenditur. Vtquumque tamen ſit, quantumquunque longo parumq; neceſſario vſus fuerit exordio, ſeculo illi indulgeamus, & quid ſcripſerit, non quo ſtylo ſcripſerit, expendamus. *Datianum* ait, *poſteaquam Hiſpaniam ingreſſus, Felicem, Cucufatem, Eulaliam Barcinone, & alios grauiſſimis tormentis interfeciſſet, & Caſarauguſtam ſanguine polluiſſet, Compluti Iuſtum & Paſtorem ferali immanitate ſuſtuliſſet, & Toleti Leucadiam virginem cuſtodiri feciſſet, Elboram profectum, conſcendiſſe in aulam, officiumque pramonuiſſe, vt indagine pramiſſa Chriſtianos quoſquumque inueniſſent, tribunali ſuo praſentarent. Statimque repertum adoleſcentem nomine Vincentium, ſatellites Praſidi ſtitiſſe. Quem diutius interrogatum, quum à Chriſti confeſſione amouere non poſſet, iuſſiſſe duci, vt Ioui ſacrificaret, lapidemque ante aram ſimulacri emollitum vt cretam figularē, pedis veſtigium expreſſiſſe, qui vſque ad eam diem perſeueraret. Ex quo prodigio, quum ortus eſſet tumultus, domum fuiſſe reductum, datis in triduum induciis, cuſtodia remiſſiore, neque prohibitum conueniri. Eo triduo, Vincentium multarum lucrum feciſſe animarum. Tandem germanarum fletibus deuictum, cum illis noctu fugam adripuiſſe, & alacri profectu, cornipedum euectatione* (vtar enim iiſdem auctoris verbis, poſtea mihi ad reſpondendum neceſſariis) *Abulam contendiſſe. Fuga cognita, quuinſdam ſacrilegi indicio, immiſſos qui fugienteis perſequerentur. Qui eos Abula comprehenſos tormentis adfectos variis, inliſo tandem fuſtibus ſuper lapides cerebro martyres effecerint* & quæ ſequuntur reliqua.

Controuerſum modo ſcriptores quidam veſtri faciunt, apud te, quænam vrbs ſit, quæ heic *Elbora* dicatur. Reſpondeat tibi Romana Curia, ecquem Epiſcopum hactenus, modo Archiepiſcopum norit Elborenſem, ecquod Breuiarium, ecquem ritualem ſacrificiorum librum ad ſanctæ Elborenſis Eccleſiæ vſum admiſerit. Ecquam Sanctus Antoninus Florentinus pontifex, ecquam veſter Rodericus Toletanus intelligant, ipſorum ſcripta iis qui in media luce caligabunt, palam teſtificentur. Neque enim ignota eſt Eccleſia, quuius reditus tam opimi ſunt, vt annua ſola pontificum quinquaginta ducatorum millium, noſtratis monetæ ſint, fabricæ annuus reditus octo millium, ſacerdotiorum qui *Canonicatus*

vocantur, vnumquodque mille ducentorum ducatorum, interdum mille ac trecentorum ſummam exæquet. Vt præter Toletanam veſtram, haud ſciam, an alia in Hiſpaniis ditior habeatur. Quod nõ multum ſane ad rem facit de qua agimus, ita non parum tamen ad notitiam. Quum itaq; Datianus Elboræ conſcenderit in aulam, vt libellus ait, quam putemus Elboram, niſi quę *Elbora* & eſt, & vocatur? vbi incunabula ſanctorum Martyrum fuere, vbi fanum eſt, quæ domus illorum fuit, vbi adſeruatur lapis ille, qui pedis veſtigium expreſſit, vbi etiam dum manet Cogominiorum familia, quæ ad illos pertinere memoratur, ab illa vetuſtate etiam inter Arabes aliquatenus religioni habita.

At ex veſtris, obſcuri quidam & ignobiles, vt Diuorum originis poſſeſſione nos euertant, *Talaueriam* diœceſeos veſtræ oppidum *Elboram* fuiſſe olim vocatam fabulantur. Adſertionis tamen ſuæ teſtem aut auctorem ex probatis & vetuſtis aliquem neque laudant, neq; proferre vnquam poterunt. Neq; oſtendent *Talaueriam* Epiſcopum habuiſſe peculiarem, quum toties in Conciliis pleriſque Toletanis, & in Iliberitano, atque in vetuſtiſſimo Emeritenſi quod apud me eſt, *Elborenſis* Epiſcopus & interfuerit, & ſubſcripſerit. Neq; ſaltem Inſcriptionem antiquam aliquam producent, ex qua colligi idem poſſit, quum talibus iis noſtra hæc referta ſit. Et ſi ſatis *Talaueria* recordor, nam iuuenis eam vidi, nulla ibi ſunt antiquitatis indicia, ſed omnia Maurorum tempora præ ſe ferunt, quum noſtræ vrbis interior murorum ambitus, porticus excellentibus columnis Corinthiis, Aquæductus olim à Sertorio exſtructus, à Diuo Ioanne. III. noſtra ætate reſtitutus, Inſcriptioneſq; variæ, & ſtatuæ, noſtram proclament antiquitatem. Raſes ille à me ſuperius citatus, quum de termino Toletano loquitur, *Talaueriam* ait conditam ſuper flumen Tagum, in diuiſione limitum inter Mauros & Chriſtianos. Et muros laudat ab altitudine & turrium frequentia, additque Miramolinum poſtea Machometi filium, ſub æra Saracenorum. CCCXXV. ibi caſtrum iuſſiſſe ædificari. Neque hoc dico, vt *Talaueriam* minoris quam æquum eſt, faciam. Scio inſigne eſſe oppidum, nobilibus familiis decoratum. Admodum eſſe vetuſtum non ſcio, niſi hoc oſtendat vetuſtatis indagator aliquis, & quo nomine adpellandum ſit, nõ vt ariolus, ſed vt verus diſceptator, ex tenebris obliuionis eruat. Nam *Elboram* fuiſſe, nemo vnquam euicerit. *Talabrigam* Nebriſſenſi Antonio adſerenti nequaquam credas, quum *Talabriga* ex Plinio, & Antonino Pio, ad flumen Vaccam, non procul ab Auarienſi oppido ſitum ſit, vt ex Reſendii ſcriniis candide communicatis, non candide vſurpatis, *Gaſpar Barrerius* noſter ſatis oſtendit. Sed prodierunt, ait, modo in *Ptolemæum* ſcholia quædam, cum locorum aliquot nominibus vel mutatis, vel declaratis. vbi legitur, *Libora, Elbora olim, Talabriga hodie, vulgo Talaueria.* Quid iſtis ſcholiaſtis credas, qui ex imperitorum relationibus, ſine vllo ſitus examine, in typographorum gratiam, quo vendibiliorem librum faciant, ita ludunt? Etiam eadem ſcholia *Iuliam Myrtilin Vahenam* interpretantur, & *Lancobrigam Conimbricam, & Scallabin, Iulium Præſidium* Plinio cognominatam, *Trogillum* ſomniant, & pleraque alia delirationi ſimilia, atq; vbi Ptolemæus *Olioſipon* ſcripſit, addiderunt, *vulgo Libona, Salacia Plinio, Vlyſſeia Straboni*; Vadiani hallucinatione decepto ſcholiaſta. De qua re in Vincentii mei ſcholiis, ſatis diſſerui. Prætereo Geſneros, & Calepinos, aut in Calepinum additiones, Lucam Tydenſem, & nebulonẽ Marinæum, vniuſmodi notæ homines. Quid enim attinet iſtos inculcare, qui nullo veritatis fundamento nituntur? Imitabimurne bellum illum ſcriptorem, qui pro geſtis Sanctæ *Marinæ* virginis & martyris apud Aquicalderſeis ad Limiam paſſæ, *Sanctæ Margaritæ* à primo principio ad extremum vſque finem geſta nobis obtruſit, ſe Theotimum faciens, & Antiochiam ad quam Olibrius venerit, Tyden Callæcię ciuitatem ſomnians? Nihil audacius imperitia. Inſtituti Diui Franciſci monachus, homo veſtras, qui ſe cognominabat *Valentiolam*, linguaciſſimus concionum actor, firmis lateribus, neque parum multitudini iucundus, cordatis ob nimiam adrogantiam & vanitatem non perinde gratus, quum aliquando Conimbricæ de ſuggeſto concionaretur, *Totus*, inquit, *ciues gaudio perfundor, quum vrbem hanc antiquiſſimam, & campos hos intueor, vbi ciuium veſtrorum auxilio, Pompeii filios Cæſar memorabili prælio ſuperauit. Hæc enim eſt Munda illa famigerata, de qua Lucanus cecinit.*

Vltima funeſta concurrant prælia Munda.

Nec defuerunt, quibus hac vaniloquẽtia perſuaderet, Conimbricam fuiſſe Mundam, præcipue non abludente fluuii nomine, quod etiam pridem Rodericus Toletanus in ambiguo reliquerat. Valentiola dixit, & in ſacra concione dixit. Satis hoc eſt. *Venit Elboram Datianus.* Quis hoc dixit? Braulio vetuſtus & grauis auctor. Ita enim vocabatur, quæ nunc Talaueria. Quis hoc dicit? Non Braulio, ſed Valentiola quiſpiam, & temerarius iſte neſcio quis. Satis id eſſe putemus? Nobis certe non eſt. qui Elboram incolimus.

Teneo te inquis Reſendi, qui in Eborenſi hiſtoria, *Elbora* nomen repudiaſti, *Eboræ* adſo-

adſeruiſti. Ita certe. Ergo martyres tutemet alienos à veſtra vrbe facis qui Elborenſes fuerint, veſtra autem vrbs *Ebora*. Si efficax argumentatio iſthæc tua eſt, erit & iſta ſimiliter. *Diuus Antonius Patauinus*, ex Vlyxbona Luſitaniæ vrbe fuiſſe paſſim ſcribitur. Ego vrbem quam vulgo *Lisbonam* dicimus, *Olyſiponem* dicendam, non *Vlyxbonam*, contendo. Ego igitur Diuum Antonium alienum ab Olyſiponenſi vrbe facio? & me auctore, quærenda in Luſitania *Vlyxbona* eſt, quæ Olyſipo non ſit? Nonne vides heic, vir doctiſſime, non agi de loco, de quo ſatis conſtat, ſed de vero & antiquo nomine ſeculi eruditioris? Alioqui, ſanctus Iſidorus, Hiſpalenſis non eſſet, quem in libris manu ſcriptis vbique *Spalenſem* legimus, eumque ad Spalenſeis Citerioris Hiſpaniæ populos relegabimus. Rudior ætas in nomine hoc principium mutilauit, Olyſiponem vero, in Vlyxbonam inuertit, propter conditorem, iam inde ex Sancti Iſidori temporibus, & retro, vt patet ex primo capite libri decimi quinti etymologiarum. Noſtræ vrbi, literæ vnius adceſſio, ex *Ebora Elboram* fecit, etiam ex mille & amplius annis, vt ex Conciliis à me ſupra memoratis liquebit, tametſi nuperrime, typographis quibuſdam alterum illud ac vetuſtius nomen magis adriſerit. Nomen igitur quo politiores vtantur rediuiuum facio, non diuerſas vrbeis conſtituo. Fecerunt idem Legionenſes, vt ipſe etiam fateris, vbi reliquiæ horum martyrum modo eſſe dicuntur, id negante Abulenſi populo, addito inſuper; *Quæ ciuitas eſt regni Luſitaniæ*, Ioannes quoque Maldonatus Burgenſis. *Apud Eboram ciuitatem*, inquit, *Vincentius adoleſcens comprehenſus eſt*. Siue itaque *Elboram* dicas recentiori vocabulo, ſiue *Eboram* priſco ac proprio, quo vſi ſunt Pomponius Mela, Plinius, & Antoninus Pius, & habent inſcalpta à Romanis vſque ſaxa, vna eademque ciuitas noſtra eſt fauente etiam nobis *Muzarabum Eccleſiaſtico ritu*, qui in veſtra vrbe ex illa vetuſtate ſupereſt. Quuius tu ſi magni auctoritatem pendis, facis quidem recte, & mecum ſentis, atq; ego viciſſim tecum. *Elbora* igitur, *Ebora* noſtra eſt, quam Eccleſiæ iam ante Conſtantini Magni tempora, *Elboram* vocare maluerunt, vt peruulgatum nomen hoc aliubi quærere, hominis nequaquam ſani merito eſſe videatur.

Pergis deinde argumentari, ab itinere Datiani. Et interrogas, quinam itineris ordo ſit, à Toleto proficiſcentem prius Elboram hanc noſtram deueniſſe, quam Emeritam, quum rectum eſſet iter à Toleto Talaueriam, oppidum iam tunc nobile, inde Emeritam? Tunc quænam loquutionis ratio, profectuſq; Elbora, Emeritenſem adgreditur ciuitatem? quum potius dicendum eſſet, *regreſſuſq;* Elbora. Videri igitur, non mala niti ratione, iſtos qui *Talaueriam* Elboram dicunt. Sic enim, rectum itineris ſeruari ordinem, neq; vim inferri loquutioni, ſed ſponte fluere, *Profectuſq;* Elbora, *Emeritenſem adgreditur ciuitatem*. Si aliud non haberem expeditius, reſponderem, itinerum me Datiani neq; menſorem, metatoremue eius fuiſſe, neque cogendum rationem reddere, quur prius Eboram, quam Emeritam veniſſet, præcipue quum non ſolius Luſitaniæ, ſed Hiſpaniæ vniuerſæ præſes fuerit. Equidem neſcius non ſum, Hiſpaniam diuiſam primum in prouincias duas, *Citeriorem & Vlteriorem*. Per bellum poſtea Macedonicum, in vnam tantum redactam. Rurſus, Q. Ælio, M. Iunio coſſ. cenſuiſſe patres, vt duæ fierent, quod refert Liuius quintæ decadis libro quinto. Treis inde factas, *Tarraconenſem, Luſitaniam, ac Bæticam*. Tarraconēſi poſt id in treis diuiſa, propter magnitudinem, creuiſſe prouinciarum numerum, & factam quartam *Callaciam*, quintam *Carthaginienſem*. De *Luſitania* quoq; diuiſa, paulo inferius. Omitto *Baleareis* inſulas, & adnumeratam Hiſpaniæ Tingitaniam. Ex his quinq; prouinciis, *Bæticam Luſitaniam*, ac *Callaciam* conſulareis fuiſſe, *Tarraconenſem & Carthaginienſem*, præſidibus gubernari, ante omnino corruptam reipublicæ adminiſtrationem, & nouum Comitum inuentum, quorum alicubi in Iuſtiniani Codice fit mentio. Sed quum *Præſidis* nomen generale ſit, vt Martianus Iuriſconſultus adfirmat, *ff. de officio Præſidis*, complectaturq; & *Proconſules, & Cæſaris legatos*, & omneis, qui quoquo modo prouincias regerent, nec vnam tantum, ſed multas, vt eodem Titulo teſtatur Vlpianus, hiſce verbis: *Qui vniuerſas prouincias regunt, ius gladii habent, & in metallum dandi eis poteſtas permiſſa eſt*, nos quum Datianum Hiſpaniarum *Præſidem* vbiq; legimus, vel Auguſtorum legatum intelligamus, quemadmodum Papinianus interpretatur, vel Præſidem vicaria ac plena gladii & in metallum dandi poteſtate. Talis certe fuit carnifex ille. Hiſpaniarum *Præſidem* eum vocat Martyrologii auctor, ſiue ſit Hieronymus ad Chromatium, ſiue presbyter Bedas, vt alii habent libri. Sufficiat locus vnus, XI. Cal. Februarii, *In Hiſpaniis, ciuitate Valentia, ſub Datiano impiiſſimo Hiſpaniarum Præſide*, &c. Hiſpaniæ igitur vniuerſæ Præſes, poterat à Toleto hac illac euagari per conuentus, antequam Emeritam deueniret, pro re nata, vel arbitrio. Verum diuerticula non quæramus, donemuſque tibi non tamen neceſſario, recta venturum fuiſſe illum Toleto Emeritam, ac Talaueria tranſiturum oppido nobili, quod tu tantum abeſt vt oſtendas, vt neque ſi iam erat, probare poſſis. Dixi ſuperius recentius ædificium videri. Fuerit tamen, & fuerit

quantum velis nobile, *Elbora* certe non fuit. Neq; Antoninus itinera duo ab *Emerita Cæſaream Auguſtam* quum propoſuiſſet, alterum alia, alterum Toleto, nullius ſiue *Ebora*, ſiue *Elbora*, inter Emeritam ac Toletum meminit, non prætermiſſurus vtique, ſi vlla exſtaret, præſertim quuius eſſet habenda ratio, propter nobilitatem. Recta ergo Emeritam veniſſe concedo, & inde Elboram, Elboram tamen noſtram hanc intelligo. Quur igitur prius Elboram veniſſe legitur, quam Emeritam? Braulio itinerarium Datiani ſcribendum non ſuſcepit, ſed ſanctorum martyria & agones. Atque vt quique præceſſerant, ita narrauit prius. Aliorum ſummatim, nominatis tantummodo locis, horum trium explicatius. Integer enim contextus eſt. Et ſi dicas diſſipatam poſtea fuiſſe hiſtoriam in ſingulos quoſq;, potero abs te quærere, quur longiſſimum illud exordium, *In diebus* dum poſt corporeum Saluatoris aduentum, *illis*, in ſolis his repetatur, non vtique neceſſarium, ac non item in Felice, non in Cucufate, quamquam hic ſub Rufino legitur effectus Martyr, non in Barcinonenſi Eulalia, de qua nihil me hactenus potuiſſe inuenire, doleo neque mediocriter, non in Cæſarauguſtanis Martyribus *Vincentio*, *Encratide*, & duo de viginti eius ſociis, in quibus Braulio Cæſarauguſtæ Pontifex plus debuiſſet immorari, non in Complutenſibus *Iuſto atque Paſtore*; *Leucadiam* quoque obiter commemorauit, ſic inquiens, *vincla recludens Toleto Leucadiam virginem Elboram properans*, &c. Quamquam in *Leucadia confeſſione* (ſic enim codex noſter habet titulum) idem exordium totidem verbis reperitur, addito dialogiſmo inter ipſam & Datianum. De quo quid ſentiam poſtea. Tranſiliit vero Emeritam Braulio, quoniam carnificinam tunc ibi non exercuit lupus ille. In Eulaliam ſæuiit, inquies. Ego pace tua id inficior. Siquidem *Eulaliam* Datianus martyrem non fecit, ſed Calpurnianus Prouinciæ Luſitaniæ præſes, qui à Maximiano imperatore & perſequutore fuerat directus, ad Chriſtianorum perſequutionem, vt geſta ipſa teſtantur. Probabileque eſt, fuiſſe hoc poſt Datianum, Diocletiano orientale imperium gubernante, occidentale Maximiano. At Datianus à Diocletiano & Maximiano pariter miſſus legitur. *Laurentius Padilla*, Calpurnianum Datiani legatum facit. Quod equidem neque adſero, neque refelio. Proconſules habere ſolitos ſecum legatos, ſcribunt Iuriſconſulti, *ff. de offi. Proconſulis*. Quod etiam oſtendit Marianus Scotus, in *Notitia Prouinciarum*. Sed quum legati iuriſdictio arctis admodum limitibus contineretur, vt neque animaduertendi, neq; coercendi, vel atrociter verberandi ius haberet, ſed ad proconſulem eum oporteret, ſiquid grauius oriretur, referre, non mihi *Calpurnianus* tantum Legatus videtur potuiſſe muneris ſui metas tranſilire, niſi extraordinariam à Proconſule mandatam fingamus poteſtatem. Quod poſſe fieri negat Vlpianus. Geſta diſerte aiunt Calpurnianum Præſidem fuiſſe Luſitaniæ à Maximiano miſſum, non autem à Datiano legatum. Quod etiam ſi maxime fuiſſet, illud mihi abunde eſt, *Eulaliæ* martyrium ad Datiani præſentiam non pertinere. Eaq; propter, & ſi Emeritam antequam Eboram veniſſet, aduentus ad Emeritam non meminiſſe Braulionem. Reditus vero meminit, quia tunc Chriſtianos ibi adflixit.

Neque eſt quur offendaris loquutione, *Profectusque Elbora*, quum, *regreſſusque*, fuiſſet rectius. In ſcriptore non tam eruditæ dictionis, nimia exactio iſta eſt. Et neſcio an Braulionis ſit coronis hæc, *hiſtoria Vincentii ac ſororum*, eoque magis, quod in ea Datianus *Eulaliam* martyrio conſecraſſe dicitur, neque plene, ſed vix ſeptem verbis, quod eſt contra geſtorum fidem. In noſtro hoc Eborenſis Eccleſiæ libro, ſi non *Smaragdino*, ſaltem membranaceo, valdeque antiquo, ea certe coronis non eſt. Sed concluſa martyrum hiſtoria per baſilicæ conſtructionem, additur. *In qua, ſi qui puro corde, fideli deuotione, & fide prompta orauerint, ſtatim petita vltro adueniunt, & omnis infirmitas amouetur, per eum qui ſanctos ſuos coronauit, per bonam confeſſionem. Cui eſt honor & gloria, virtus & imperium, & poteſtas, in ſecula ſeculorum, Amen.*

Appendicem vero illam in Leucadiæ confeſſione, quæ poſteaquam in ergaſtulum illam detruſam dicit, ſtatim verba hæc ſubdit. *Properans itaque Elboram, officium præmonet, vt indagine percurrente, Chriſtianos quoſquumque inueniſſent eius tribunali præſentarent. Statimque repertum adoleſcentem quendam nomine Vincentium, quuius meritum nominis comitabatur ſuo, comprehenſum eius conſpectibus ſiſtunt. Quem cum Sabina & Chriſtheta eius ſororibus in Abulenſem vrbem perſequens, digna Chriſto munera conſecrauit. Profectuſq; ab Elbora, Emeritenſem ingreditur ciuitatem, & illico tribunal ſibi præparari præcepit, multoſque ſanctorum crudeliter fuſos, tranſmiſit ad dominum, inter quos, ſanctam Eulaliam multis verberibus adflictam, igne adplicato, Domino conſecrauit. Quumque in Toletanam vrbem ad beatam Leucadiam percurriſſet fama genibus in oratione poſitis, in eodem quo retruſa tenebatur confeſſionis loco, completa oratione, ſuum domino commendauit ſpiritum, qui martyres & confeſſores ſuos coronauit in pace. Ipſi honor & gloria, virtus & imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.* Arbitrarer ego non a Braulione, ſed ab aliquo

alio, qui de eadem fidelia duos voluit dealbare parietes, fuiſſe additam, vt Leucadiæ confeſſio concluderetur. Aut ſi ad Braulionem referri placeat, vel hoc de Eulalia interiectum ab alio eſt, vel Eulaliæ martyrium Braulio ignorauit. Quam notam ſancto & docto viro inuſtam Medius Fidius nollem. Sed redeamus ad propoſitum, à quo pauxillum declinauimus.

Elboræ itaque, ſiue eo recto venerit itinere, ſiue flexo, prius fuit, quam in Chriſtianos Emeritæ gladium exſereret. Sed inſtas. Quid opus erat Eboram, tametſi municipium, deſcendere? quum non venerit vt Præfectus municipii quuiuſquam eſſet, verum vt Emeritę, quæ Luſitaniæ erat Metropolis, & iuridicus conuentus, reſideret. Hoc vnde colligas non video. Datianus, vt ante dixi, Hiſpaniæ vniuerſæ Præſes fuit. In Hiſpania autem, multi *Iuridici* erant *conuentus*, quos regionatim circum ire, ex officio teneretur. Quamquam ſi vnius prouinciæ Luſitaniæ Præſes fuiſſet, non ideo Emeritæ reſidere, tanquam regem in regia, eum oporteret. Iuridici etiam cõuentus erant & *Scallabis*, *&* *Pax Iulia*, quæ eodem iure vtebantur, quo *Emerita. In Lyſitania*, inquit Iuriſconſultus Paulus, *Pacenſes & Emeritenſes iuris Italici ſunt*. Quum tres itaq; diſtincti Conuentus eſſent, quur Præſidi Prouinciæ Luſitaniæ ſedẽ adſignes *Emeritam*? nedum præſidi Hiſpaniæ vtriuſq;? Quamquam autem *Ebora* neq; colonia eſſet, neque conuentus, ſed tantum municipium *Latii* veteris, nobilitate tamen & ædificiis, quorum alia etiamdum exſtant integra, alia ſemidiruta, *Pacem Iuliam* vicinam, coloniæ & conuentus dignitate inclytam, ſuperabat. *Emeritam*, ſi theatrum, naumachiam pontem, & Tropæi arcum excipias; pæne æquabat. De quibus alio egi loco. Et quum aliquando de agri finibus cum Pacenſi colonia, contenderit, vt ſtatim oſtendam, videri mirum non debet, ſi litis componendæ cauſa, eo venerit Datianus. Teſtatur hoc meta lapidea, via Pacenſi, in colle iuxta vetus, ſemidirutumq; oppidum Aureolam, quod ad Archidiaconum tertiæ ſedis Eccleſię Eborenſis pertinet, quæ ex ea parte qua Pacem Iuliam ſpectat, credo coloniæ & conuentus habita dignitatis ratione huiuſmodi Inſcriptionẽ habet.

Verſus Pacem Iuliam.

DD. NN. ÆTERN. IMPP. C. AVR. VALER. IO.
IOVIO. DIOCLETIANO. ET M. AVR. VALERIO.
ERCVLEO MAXIMIANO PIIS. FEL. SEMPER
AVGG.
TERMINVS. INTER PACENS. ET EBORENS. CV-
RANTE. P. DATIANO V. P. PRÆSIDE. HH. N. M.
Q. EORVM DEVOTISSIMO.

HEINC PACENSES.

Ex altera vero parte Eboram verſus, hæ tantum cernuntur in media meta literæ. HEINC EBORENSES.

Præterea quod de fuga argumentaris, tanquam vero ſit ſimilius à Talaueria Abulam propinquam vrbem fugiſſe, donarem forte, ſi duas admitterem Elboras. Sed quum vna tantum ſit, exiguam, ac potius nullam vim habet argumentatio. Quaſi vero neceſſario ſequatur, ideo Talaueriam Elboram eſſe, quia illi quam Eboræ vicinior ſit Abula. Vt impeditiorem profectionem eam fingas, non euinces, vt Elbora heinc Talaueriam demigret. Quod autem ad impedimenta fugæ attinet, non erant tam delicatæ Vincentii ſorores illę, quam modo noſtræ ſunt mulierculæ, quæ prius quam amoliri ceptent, integer tranſit annus. Et alioqui, fugere norunt etiam delicatæ, inquiſitoreſq; fallere. At carro vectas inquis. Id enim ex illis verbis intelligi vis, *Cornipedum euectatione.* Quonam pacto? *Cornipedes*, equi ſunt, vt eos vocat Maro, dictio poetis quam oratoribus aptior. *Equo vehi ac vectari*, bene Latine dicitur, vel dorſo nudo ſine ſtragulo, vel ephippio. Vbi heic *carrus* lateat, nondum video. Non ægre tamen id concederem. Nam noſtra etiam ætate, carrucis contectis vſque ex celtiberis, Vardulis, & Carpetanis, ad vrbem hanc mercatores nonnulli veniunt citato mularum carrucariarum curſu multum itineris quotidie conficientes. Quod ſi illo tempore ita fiebat, ſane & fugere celerius, & commodius latere potuerunt, negata curioſis introſpiciendi facultate. Ad hæc. Etiam ſi inſequuta die cognitum de fuga eſſet, incerto quo quave abiiſſent, retardanda erat inſequutio, donec indicium fieret. Quod ſatis illis erat ad longius euadendum.

Neque moueor, quod Talaueriæ quoque dicatum illis templum eſt. Adde, ſi placet, noſtro quod hactenus fuit nobilius. Nam modo, incentore me, elegans admodum ac capacius noſtra vrbs exſtruit. Neque item, ſi domeſtici eorum lares effingantur, oſtendaturque in lapide pedis veſtigium, ſicuti apud nos. Ei enim qui Talaueriam in Elboram transformare potuit, quantum erat domus vnius facere metamorphoſin, & veſtigium adſimu-

lare? Quuius mendacio recepto ſemel, facile fuit templum ciuibus creditis, in oppido nobili atq; opulento ædificare. Quod autem veſtigium & heic & iſtheic dicis plantæ pedis formam non ſatis exprimere, iſthuc quidem ita apud nos eſt. Sed pro hoc noſtro reſpondebo. Ante quadraginta ab heinc annos, adprime expreſſum viſebatur. Feminarum poſtea pia ſed inconſulta religio, ramenta quædam atq; puluiſculum inde, quæ ægrotantium collo ſuſpenderent, eradentium, formam abſtulit.

Porro tua illa ſolicitudo, Talaueriam Elboræ vel Talabrigæ nomine excluſam, aut *ἀνώνυμον* omnino manſuram, aut neceſſe eſſe Liboræ ei nomen adaptare neque enim probas *Aquis* nomen fuiſſe, quod illi veſter Archiepiſcopus tribuit, quodque vbinam inuenerit, te dicis ignorare, illud item, quod poſtea leuiter, quaſique aliud agens, iniecta corrupti nominis ſuſpicione, diffiſus, vt adparet, Elboræ nomen Talaueriam poſſe trahi, cardinem quæſtionis verti dicis in nomine vel Eboræ vel Liboræ in Elboram deprauato, non parum mihi diſplicet. Eſt enim hoc hominis inferre iniuriam meditantis, & litem nobis alteram ex altera conſtituentis. Iamne non placet parentheſis, quam hiſtoriæ veſtri interſperſerunt, *Elboram vocatam olim, quæ modo Talaueria ſit?* Iamne vel ab Ebora, vel à Libora, calumniæ male textæ, penituſque ieiunæ, ſuppetias petendas etiam ipſe *decreſti*? Etiamne *Talaueria Ebora* vocata olim eſt: Gratiam Braulioni habeo, quod Elboram dixit, & ſi minus erudite, minus tamen parti noſtræ fauturus, ſi Eboram dixiſſet. Fuit vetus Carpetaniæ veſtræ oppidum *Ebura*, per quintam vocalem, & ſecunda intenta ſyllaba, ad quod, vt decimo quartæ decadis libro Liuius auctor eſt, Q. Fuluius Flaccus Prætor, memorabili prælio, ad viginti tria Celtiberorum millia, die vna cecidit. Quuius oppidi inter Carpetanas vrbeis etiam meminit Ptolomæus. Fuit quoque *Ebora* Caſtellum, in Gaditano litore, inter Bætis æſtuaria, Pomponio & Plinio, licet Hermolaus Barbarus *Ceram* legat, non *Eboram*. Sed ego Melæ terræ eius indigenæ adcedo. Strabo lib. tertio Eburam eam vocat. ἐνταῦθα δὲ ὁ τοῦ Βαίτιος ἀνάπλους ἐστὶ, καὶ πόλις Ἔβουρα, καὶ τὸ τῆς Φωσφόρου ἱερόν. Vtrumque tamen oppidum hoc vetuſtate intercidit. Eſt & noſtra *Ebora* quæ vetuſtati non ceſſit; imo longe auctior eſt, in *Elboram* Eccleſiaſtico vſu mutato iam pridem nomine. Quas turbas igitur conciuiſſet nomen tribus communicatum, ſi vni tantum peculiare in has nos deduxit difficultates, inuadentibus in alienam gloriam iis qui ne veſtigium quidem vel tenue, nominis huius poſſunt proferre? Vertant ſe refractarii in alias atq; alias formas, omnē moueant lapidem, Elboram veniſſe Datianum, librorum omnium conſenſu, ſcripſit Braulio. *Elbora* pręter noſtram, nuſquā comparet. Agite, aliud commētamini. Tu modo rimam aperis, ad Liboram ſaltem confugiendi. O inopem ſemper conſilii, & imbecillam apertæ varietatis inficiationem. Cui quaſi nomine cariture metuebas, in ſex iam nomina concreuiſſe videtur, *Talabrigam, Eboram, Elboram, Liboram, Aquas, Talaueriam.* Septimum addas licebit, *Deobrigam*, quod non indocti quidam ſunt opinati. Ex iiſque omnibus nullum illi proprium oſtenditur, niſi id quod habet. Nam non eſſe *Talabrigam*, perſuaſus ipſe iam es. *Eboram* excludit parentheſis a veſtratibus interiecta, *Talaueriam Elboram fuiſſe vocatam.* De *Elbora* confido me euiciſſe. *Aquas* ipſe non adgnoſcis. *Deobrigam*, forte nouitium reputabis inuentum. *Liboram* videris anteponere, vt deprauationi viciniorem. Memineris tamen quonam pacto ſis ratiocinatus. Si *Talaueria*, inquiebas, in Tarraconenſi prouincia ſita eſſet, ſicut & *Toletum*, non autem in Luſitania, amota eſſet omnis dubitatio. Vis itaq; in Luſitania ſitam eam eſſe. Si in tua ratione perſiſtas, iam Talaueria Libora non eſt. Libora enim, non Luſitaniæ, ſed Carpetaniæ ciuitas eſt, id atteſtante Ptolemæo. At Carpetania, quuius caput Toletanos facit Plinius, pars vtique Tarraconenſis eſt. Igitur & Libora ad Tarraconenſem pertinet. Talaueria ergo, ſi Libora eſt, non ad Luſitaniam, ſed ad Tarraconenſem prouinciam eſt referenda. Quod & ipſe poſtea confiteris. De hoc viderint antiquitatis curioſi, & ex tot nominibus ſeligant, quo Talaueriam vocari velint. Si oppidum vetus eſt, ſaxa inerūt non muta. Elboræ falſum nomen excipio. Quod ſi vnquam habuiſſet, nequaquam id tacitum prætcriiſſet Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, huiuſcemodi rerum non diſſimulanter adfectator & ambitioſus, neq; *Aquas* vocatum ſcriberet. At nomen hoc vbinam repererit, tu te ais neſcire. Ego ſcio. Nempe ibidem, vbi Conſules *Tolemonem & Brutum* Toleti conditores, centum & octo annis ante quam C. Cæſar rempublicam inuaſit. Equidem Toletum non paulo antiquius exiſtimabam. Nimirum quia Philippi Macedonum regis, & Annibalis antecedit ſecula. Legeram ſiquidem in quinto quartæ decadis Liuianę libro, apud *Toletum* cum Vaccæis & Vettonibus ac Celtiberis dimicaſſe M. Fuluium, poſteaq; vrbem ipſam tunc quidem paruam, ſed loco munitam, ab eodem M. Fuluio, fuſis Vettonibus qui ſubſidio venerant, expugnatam. De hoc tamē fortaſſe alias. Nunc ad rem.

Quod

Quod ais te neq; Toletanum, neq; Talauerienſem, neque Abulenſem eſſe, ſed ex veteri Caſtella, oriundum, videlicet, vt intelligamus ſimpliciore te ingenio, & moribus eſſe longe candidioribus, (Taleis enim veteres Caſtellanos & fama prædicat, & nos experti non raro ſumus) facetum plane eſt. Sed nihil opus erat. Inter bonos & literatos viros iſtiuſmodi vulgareis adſectus reperiri æquum non eſt. Aut certe ſi aliquatenus inſint, ratione cohibendi ità ſunt, vt veritas omnino præponderet, principemque locum ſemper obtineat. Ex eo tamen quod tantopere glorioſius & importunius ſe efferentis vulgatum gentis morem à te ſegregas, (à quo ego crimine ſemper nobilitatem exciperem,) videris mihi de induſtria radicem attigiſſe, vnde pullulauit atq; in promiſcuum vulgus inrepſit parentheſis illa, *Talaueriam vocatam olim Elboram*. Qua propter ignoſce veterem noſtratium querimoniam repræſentanti.

Amplum late que diffuſum veſtræ gentis eſt imperium, vrbeſque quaqua Hiſpania eſt, celeberrimæ ac florentes, paſſimque memoriæ veteris res cognitu digniſſimæ, vt nulli terrarum inuidêre iuſte poſſitis. Hoc quamquam ita eſt, veſtrates quidam, neſcio quo liuore, ſeu potius, quo maleuolo genio inſtincti, multum angulum hunc noſtrum, ac *Portugaliolam*, vt contemptim adpellant, non modo laceſſunt, verum faſtidire etiam ſe oſtendunt, nec perſuaderi queunt, aut æquo animo patiuntur, quidquam apud nos eſſe vel mirificum, vel excellens. *A Nazaret*, inquiebat ille *poteſt aliquid boni eſſe*? Veſtri iſti ſimiliter. *A Portugalia poteſt aliquid boni eſſe?* vt tametſi clamemus, *veni & vide*, agamus paulo plus nihilo. Auctorum teſtimonia laudem nobis aliquam tribuentia, aut diſtorte interpretantur, aut malitioſe inuertunt. Geſtas præclare res aut ſupprimunt, aut fide referunt nequaquam bona. Sicubi vel inclinatiore fortuna vſi ſumus, vel minus honori noſtro conſuluimus, ibi Thraſymachos ac plane λογοδαιδάλυς, poſt terga relinquant. Longiſſimum eſſet, iſthæc omnia perſequi. Sed vt breuiter, atque ex multis pauca dicam, heinc Damaſo noſtro patriam commenti ſunt *Madritium*, ſiue ea *Mantua Carpetanorum* eſt. Quin & *Viriatum* finxerunt *Zamorenſem*.

Bambæ regis humilitatem generis, atque originem, non ob aliud inter fabulas reiecerunt, quam vt Luſitanum fuiſſe ne faterentur. Eſto ſane, inſit fabuloſi aliquid in illa hiſtoria, vt plerunque ſolet in ſimilibus, atque vt adcidit in *Ciddi* bellatoris ſtrenuiſſimi hiſtoria, quuius fortiſſime geſtis rebus intermixta ſunt quædam male ſarta deliramenta. Sed non ideo negandus erat natiuitatis locus, ei quem alicubi natum eſſe neceſſe ſit, niſi alio probabiliter adſignato. Atqui in tot ſeculis poſtea exactis, nec aliam illi patriam, nec nataleis alios comminiſci potuerunt, præterquam equitem ignotum neſcio quem, ex Gothorum ſanguine fuiſſe. Vetus autem fama abolita nondum eſt, & in *Igaditanorum* agro prædium & arbor ficus, & fons quadrato conſtructus lapide, etiam dum regis *Bambæ* adpellantur. Quæ poſſeſſio eius fuiſſe perhibetur.

Victoriæ de Saracenis ad flumen *Salſum*, quum maxima pars, imo pæne omnis ad Luſitanos pertinuerit, fuſo Granatæ rege, captis & interfectis regulis tribus *Allibohaca* filiis, antequam ſuas copias Caſtellæ rex loco promoueret, hoc tamen ſuperficie tenus leuiſſime attingunt hiſtorici veſtri.

Quantum attulerit momenti ad Tunetenſem expugnationem Luſitana claſſis, & princeps Ludouicus, palam fatebatur Carolus Cęſar. Qui eam expeditionem literis & memoriæ mandarunt, diſſimulanter iſta prætereunt, tanquam noſtri vel non interfuerint, vel tantum egerint ſpectatores. Certe illa claſſe, illoque bellico adparatu, ac ſub tali principe noſtra in Africa prouincia Mauritania Tingitania fines latius promouiſſet. Saltem *Laracium*, *& Tituanum*, duo improba Mauruſiorum piratarum receptacula ablata eſſent, ac in poteſtatem redacta.

Audiui aliquando Salmanticæ *Alphonſum Caſtricum*, monachum, anniuerſariis Diui Antonii Olyſiponenſis ſolemnibus, è ſuggeſto concionantem. Erat autem multitudini gratus, & quem ego poſt Laodicienſis epiſcopi tubam illam ſonoram mihi imitandum propoſueram Quumq; opus eſſet patriæ meminiſſe. *Olyſiponenſis*, inquit *fuit*. Et caput ſubinde quaſſans, non ſine ſtomacho, tandem tandem ait, *noſter Antonius Portugalenſis exſtitit* quaſi portentum aliquod denunciaret.

Areius Luſitanus quadraginta, & eo plus, annos Salmanticæ tum Latinas literas, tum Græcas magna cum laude profeſſus eſt. De quo illud exſtitit Antonii Nebriſſenſis elogium, in præfatione *Introductionum Græcanicarum* vt in autographo eius Salmanticenſis bibliothecæ non ſemel vid., & in Cantabrica editione incorrupte adhuc perſeuerat, hiſce verbis. *Ego vero quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquiſſem, communicata re primum cum Areio Luſitano, à quo vno, ſiquid vſquã Græcarum literarũ apud nos eſt, emanauit,*

auſus ſum facere quod ille harum rerum peritior facere debuiſſet. Hoc ad iſtum modum deprauarunt. *Ego vero quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquiſſem, communicata re prius cum iis à quibus ſiquid vſquam Græcarum litterarum apud nos eſt, emanauit, auſus ſum facere, quod alius harum rerum peritior facere debuiſſet, Areti* expuncto nomine, hominis de Hiſpania tota quam optime meriti. Niſi ſi *Antonius* tam leuis fuit, vt eum conſilii ſui prioris, & relatæ viro ſemper amiciſſimo gratiæ poſtea pœnituerit. Nec abhorret hoc ab ingenio illius. Ex Vernandi Catholici regis, & Elizabet excelſæ reginæ hiſtoria, quam & Latine & Hiſpanice ſcripſit, vbi vbi nos tangit, quam effuſo mentiendi ſtudio feratur, nemo non intelliget. Atqui ad id quod efficere cupiebat, non minimum intererat verecundius ac tectius reginæ adulari.

Mihi quoq; nonnihil adcidit incommodi. Scripſeram ad Vaſæum Belgam epiſtolam de *æra* nomine atque origine. Eam ille oſtendit *D. Didaco à Caſis Rubris* (Hic *Didacus à Leiua Couaſruuias* eſt, I.C. egregius, Salmanticæ doctor, ſcripſit in iure varia, quæ doctis mire placent ob ſingulare iudicium.) Quali vero? Si genus ſpectes, nobili? Si literas, iuriſconſultiſſimo; Si famam, ſcriptis iam noto; Si auctoritatem, paulo poſt Rodericopolitano Epiſcopo; & nunc Oxomenſi. Viſam non modo laudauit, ſed correxit opinionem ſuam priſtinam, ac vulgarem, mihique id debere ingenue faſſus eſt. En prodiit tertia eius editio aliis iam verbis, quaſi non ego prior rem eam diſquiſierim, ſed ab illo prius diſquiſitæ adhæſerim adſtipulator. Tam nihili apud vos ſumus. Sed vos, eſtote beati, eſtote felices, muneribus à Deo conceſſis gaudete, lateque dominamini. Sinite nos pauxillo noſtro etiam frui; Hiſpani omnes ſumus, magnis inuicem propinquitatibus, adfinitatibuſque cognati, ac familiarum mutua vtrimque permixtione conſanguinei. Verum de his, nimio pluſquam conſtitueram, ſed fere neceſſario, vt oſtenderem ab hoc ſeminario ſubcreuiſſe nominis *Talaueriæ in Elboram* inuerſionem, non ferentibus iſtis, trium martyrum noſtram vrbem fuiſſe matrem, noſtram gentem altricem.

Cæterum Legionenſis Breuiarii lectionem, in qua, non *Elbora* ſed *Ebora* legitur, & ſubiungitur, *Quæ ciuitas eſt regni Luſitaniæ*, eatenus probas, quatenus facit ad explicandam Martyrum patriam. Improprietatem vero loquutionis non probas, quum non dicamus, inquis, *regnum Luſitaniæ*, ſed *prouinciam*, ſicut neque *prouinciam Portugaliæ*, ſed *regnum*. Hoc iam extra controuerſiam noſtram eſt. Poteramque à reſpondendo ſuperſedere, niſi & ipſi *Luſitaniæ regnum, & regem Luſitaniæ* ſimiliter diceremus. Improprie dices, quum titulus *regni* Portugaliæ & Algarbiorum ſit. Imo tam proprie, quam vos *Hiſpaniæ regem* veſtrum adpellatis quum titulus ſit, *Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, atque Nauarræ.* Omitto breuitatis cauſa cæteros, *Toleti, Murtiæ, Granatæ*, & ſi qui ſunt alii. Omnia iſta enim vno *Hiſpaniæ*, aut *Hiſpaniarum* nomine continentur. Et nos breuitati ſtudentes, ne *Portugaliæ, Luſitaniæ, & Algarbiorum* dicamus, *Luſitaniæ* tantum dicimus, videlicet à maiori regni ipſius portione. A Durio enim vſque ad Sacrum promontorium Luſitania protenditur. At *Portugalia*, vel vt magis proprie & vetuſte dicam, *Portugale*, à Durio tantum, vſq; ad Minium.

Incunabula noſtri regni tibi homini antiquitatis ſtudioſo explicabo. Sunt qui *Portugalliam*, quaſi *Galliæ portum* confingant. Sed ii in certo errore feruntur, aut in adulationem Gallorum etymon extorquent. Nos vetuſtum nomen *Portugale*, vel ſi blandius loqui placet, *Portugaliam*, præponimus. Oppidum vetuſtiſſimum eſt ad oſtium Durii fluminis, *Cale* ab Antonino vocatum. Quod quia ſitum in monte eſt, difficilemq; habebat vſui hominum ſeruitutem, loco plano in ripa fluminis cœptum habitari, facto à piſcatoribus initio. Creuitq; paulatim multitudine habitatorum locus, vocatuſq; eſt *Calis portus*, vel vno nomine, *Portucale*, & ex frequentia, in ciuitatis dignitatem deuenit. Cuius Epiſcopus *Portucalenſis* in antiquis Conciliis nominatur. Nota vero eſt cognatio literarum C. & G. præcipue Hiſpanis noſtris. Ad ſolam igitur vrbis huius diœceſin *Portugalis* nomen proprie pertinet. Diffuſum inde ad Bracaros Callæciæ partem. Crede hoc ſaltem veſtro Roderico Toletano, in cap. *de morte Ranimiri. Interea*, inquit, *Alcorexi rex Agarenorum, eam partem Gallaciæ, quæ nunc Portugalia dicitur, & vſque ad Sanctum Iacobum non veritus Apoſtolum, deuaſtauit.* Et paulo poſt, quum agit de morte Almanzoris. *Igitur anno terdecimo, Almanzor reſumpto exercitu ingreſſus eſt per eam partem Gallaciæ, quæ dicitur Portucale.* Et in cap. de monarchia Vernãdi regis *Quumq; tranquilla ſecuritate gauderet, congregato exercitu proceſſit, vt Portugaliam & Luſitaniam obcuparet.* Adducerem de hac re inſcriptiones plurimas, niſi prolixitatem vererer, & niſi alibi ea de re diſſeruiſſem. Hoc nõ omittam. Vbi *Portugalis* nomen cœpit vltra diœceſin ſuæ vrbis exire, & ad alias proximas extendi ciuitates, Epiſcopos, qui prius *Portucalenſes* dicebantur, vitandæ amphibologiæ cauſa, vocatos exinde *Portuenſes* tantum. En tibi *Portugale* vix quartam regni noſtri partem.

Non

Non dicimus,inquis, *Luſitaniæ regnum*,ſed *prouinciam*. Et Hiſpania *prouincia* fuit,& *prouincia*,& tamen belle *regnum* adpellatur. At non totam Luſitaniam rex noſter poſſidet. Neque totam Hiſpaniam veſter.

Expoſtulat hic locus,vt quod de diuiſione Luſitaniæ ſupra ſum pollicitus, modo perſoluam.In treis conuentus Luſitaniam diuiſit Plinius,*Emeritenſem*, *Pacenſem*, *& Scallabitanum*. Duos nos habemus,& vltra Anam ex Bætica oppida aliquot neq; ignobilia. Adhuc expreſſius. *Luſitania*, vna fuit prouincia, tribus diſtincta conuentibus. Diuiſa poſtea eſt propter magnitudinem. Et conuentus duo,hoc eſt, *Pacenſis & Scallabitanus*, nomen retinuerunt Luſitaniæ.Vnus *Emeritenſis*,amiſſo Luſitaniæ nomine, *Vettoniæ* nomen, à gente, ſortitus eſt.Teſtatur hoc cippus Emeritæ in domo Petri Meſſiæ.

D M

P. ÆLIO. VITALI AVG. LIB. TABVL. PROVINC. LVSITANIÆ. ET. VETTONIÆ STEPHANVS. LIB. ET HERES. PATRONO. FECIT.

Heinc illud ſacri Prudentii in Eulalia.

Nunc locus Emerita eſt tumulo,
Clara colonia Vettoniæ.

Heinc etiam *Vettones* iam ſeparati à Luſitanis reperiuntur, tametſi & ipſi prius inter *Luſitanos* cenſerentur.Domi meæ ingentem cippum marmoreum habeo,quuius meminit Reuerendus Dominus Didacus à Leiua Couaſruuias Iuriſconſ.nunc Oxomenſis Epiſcopus,in libris *Variarum Reſolutionum*.Is ita habet: Niſi quod literarum inuicem complicatarum compendii cauſa connexiones,ob characterum inopiam, exprimere non potuimus.

L. VOGONIO. L. F. Q. VIR. PAVLLO ÆD. Q. II. VIR. VI. FLAM. ROM. DIVORVM ET AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT. ET COH. I. VETTONVM. Ↄ. LEG. III. ITAL. OB CAVSAS VTILITATESQ. PVBLICAS, APVD. ORDIN. AMPLISS. FIDELITER ET CONSTANTER DEFENSAS, LEGATIONE QVA GRATVITA ROMÆ PRO. R. P. SVA FVNCT. EST.

LIB. IVL. EBORA PVBLICE IN FORO.

Quum itaq; duas veteris Luſitanię parteis poſſideamus,vna excepta,quæ ex prius Luſitania facta *Vettonia* eſt, ſine iniuria,qui in duabus his partibus regnat, *Luſitaniæ rex* poteſt adpellari. Non igitur Legionenſis Breuiarii conditores perperam *Luſitaniæ regnum* dixerunt.Neq; nos erigimur,aut inuaſa Luſitania inſurgimus, falſoſq; nobis titulos induimus, vt à te ambitus,tametſi ioco,notari debeamus.*Inſurgitis*,ais,*cum Luſitania. Sed nos heinc vobis illam cedimus*.Lepide.Sed vtrum nobis ceditis?Terramne ipſam Luſitaniam, an nudam adpellationem?Si terram dixeris,duas certe eius parteis vos nobis non ceſſiſtis,ſed eas noſtri maiores labore & ſanguine infidelibus ademerunt. De tertia quæ apud vos eſt, quam prouinciam *Vettoniam* dixi, vtinam decederetis. Sed vereor ne non velitis. Si vero adpellationem ſolam dicas, mirifice liberaleis vos. Eſt quur gratiam magnam vobis habeamus, qui tanta nos nuncupatione donatis. Verum iſta omittamus.

Miraris,in calendario Breuiarii Eborenſis à me facti,quarta decima Februarii die *Valentinum* presbyterum & martyrem Barcinonenſem reperiri,& ignotum vobis eſſe ais Valentinum hunc Barcinonenſem. Mihi quoque ignotus æque eſt. Sed quibuſnam tu oculis hoc in meo Breuiario legiſti?Hyalinisne,an tuis?Si hyalinis,fefellerunt plane. Si tuis, feſtinabas. Dictio enim *Barcinonenſis*, non additur *Valentino* presbytero & martyri. XVI. Cal. Martii, ſed *Eulaliæ* virgini & martyri, pridie eidus Februarii. Cui Diuæ lectiones ideo non adpoſui,quia quæ de illa circumferuntur,fere ex *Emeritenſi Eulalia* ſumpta ſunt. Ætas annorum tredecim, habitatio in ſuburbano prædio, presbyteri Donati eruditio, ſpontaneus adceſſus ad forum,libertas in reſpondendo,& denique Præſidis carnificina,fere ſunt eadem, vt hoc forte nonnullis impoſuerit, vnam tantum fuiſſe Eulaliam exiſtimantibus. De Emeritenſi,exſtant & acta,& ſacer ille Prudentius. De altera: viderint ciues Barcinonenſes, & ſolertius inueſtigent.

Redeo ad Kalendarium Breuiarii. Contuli data opera,ſupra centum volumina,heic apud bibliopolam reperta, & totidem fere per ſacerdotum manus, mire conſentientibus exemplaribus. Fieri tamen potuit, vt atramenti viſcoſitate correpti laxius hærentes typi, euulſi fuerint,& ab ignauis operis loco non ſuo repoſiti,in pauca aliquot exemplaria. Credo te non ignorare typographorum,præſertim indoctorum oſcitantiam, cui neq; tres Argi ſufficiant. Sed arbitror ſatis me de hoc capite apud te eſſe purgatum.

De Vaſæo quod ſcribis, fateor à me adiutum in pleriſque vt æquum fuit, hominem beneuolentem, quem in Gallia Belgica, *Nicolao Clenardo* viro doctiſſimo, ac pientiſſimo

ſacerdotio, in Hiſpaniam me impulſore venturo, profectionis comitem addideram, quemque poſtea quam Salmantica Clenardum abduxi, etiam in Luſitaniam aduocandum curaueram. Sunt itaq; non pauca, & fere quæ ad *antiquitatem* pertinent, vel à me data, vel certe communicata mecum. Reliquorum omnium conlector ipſe fuit, & omnino *Chronicorum* ſuorum auctor. De altero quem promiſit Tomo, nihil habeo quod reſpondeam, niſi apud me non eſſe. Tantum petierat à me, vt quos nam *Deos* ante Chriſti ſuſceptam gratiam peculiariter Hiſpani coluiſſent, ad ſe ſcribere ne grauarer, & quędam alia. Quæ dum commentarer, ingratus de morte eius nuncius cōmentationem meam illā hactenus interrupit.

Librum τῶν γενέσεων, aut *proſapiarum*, ſi mihi permittant Ciceroniani priſco vti vocabulo, nobilium Hiſpaniæ familiarum, quem *Gaſpar Barrerius* in ſua *Chorographia* promittit, antiquum eſſe ſcito, auctoremque eius Petrum Comitem Barcellenſem, regis noſtri Dionyſii nothum. Liber eſt, etſi ſtylo rudi, vt illud erat ſeculum, lectione tamen non indignus. Comptiorem eum facere poterat *Barrerius*, cui non deeſt ingenium & ſermonis vſus, nouum facere non poterit, niſi plagio ſe inuoluat aduerſus auctorem, ſimile ei quod in *Chorographia* pleriſq; locis aduerſus me, commiſit. Vſq; adeo verum eſt, quod ait Martialis.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Aliquam tamen illi gratiam debeo, quod mea ſic tractauit, vt aperte domini fidem implorare videantur. Sed hæc latius in expoſtulatione cum illo mea. A Barrerio vero neſcio quam circa familiarum notitiam verſato, quid exſpectare poſſis non video, præcipue poſt mutatum vitæ prioris inſtitutum. Quæ res vt illi bene & feliciter, atque ad animæ ſalutem vertat, Chriſtum omnipotentem quæſo. Tractat idem argumentum, ex aulica nobilitate D. *Antonius Limicus*, materiæ ſuſceptæ non paulo adcommodatior. An ſummam impoſuerit manum, equidem modo non ſcio.

Sancium poſteriorem Luſitaniæ regem, qui ob ſocordiam, non quidem regno priuatus, ſed motus regimine exſtitit, quum ignominiam non ferret. Toletum ad Hiſpaniæ regem conſanguineum, auxilii petendi gratia ſe contuliſſe, vbi aliis atq; aliis cauſificationibus, quum eſſet de ſpe deiectus, mœrore ac tædio vitam finiſſe, ibique ſepultum, ſcriptores noſtri omnes commemorant. *Flectium* autem Conimbricenſis arcis & vrbis præfectum, quum nullis conditionibus adduci poſſet, vt vrbem fratri ſubceſſori traderet, mortuumq; nuncianti non crederet, poſtulaſſe vt explendæ fidelitatis ſuæ cauſa, Toletum ſciſcitatum de morte eius adire permitteretur. Interea, ab vrbis oppugnatione abſtinerent milites. Quum placuiſſet hominis poſtulatū, permiſſum adire Toletum. Vbi ſepulchro adaperto, Conimbricæ claueis mortuo regi in manu poſuiſſe, taliq; vſum oratione. Quam diu Rex Sanci, viuum te arbitrabar, extrema omnia ſum perpeſſus. Coriis famem, lotio ſitim toleraui. Ciuium animos conſilia de deditione agitantium, ad malorum patientiā erexi. Quidquid à me homine tibi ligio, atq; in verba tua iurato, præſtandum erat, præſtiti bona fide. Mortuo, tuę tibi vrbis claueis trado, ſacramento me ſoluo. Ciuibus deceſſiſſe te nunciabo, ne pertinaciter in ſuam perniciem ſubceſſori reſiſtant. Hæc Toleti facta ſcribunt hiſtorici noſtri. Ex veſtris quoq;, ea tempora qui attigerunt, idem confirmant. Satisq; ſit, geſtorum Alphonſi regis vocati Sapientis caput ſeptimum indicare. Arbitrabar me quum iuuenis Toletum deueni, in altero cellæ ſummi templi latere, infra Magni Alphonſi mauſolæum, huius noſtri vidiſſe conditorium, ſtatuamq; ſuper porrectam, in ſchemate monachi ex Diui Franciſci, in quod propenſus fuerat, inſtituto. Verum corona regia ſepulti olim dignitatem atteſtante. Neſcio an fefellerint tunc oculi, an γεροντικῶς vacillet ipſa memoria, an potius ablatus inde, & alio translatus ſit. In tota certe Luſitania nuſquam ſepulchrum eius exſtat, nec vel tenui ſaltem famā.

De cognomine Legionenſis vrbis, quod poſt Vaſęum me interpellas, reſpondebo adhuc timidiuſcule. Non enim temere vetuſtiorum auctorum lectionem ſoleo inuertere, niſi ipſa ratio conuincat loci corruptionem. Ptolomæi codex ita habet. ἀπ' ἀστυρῶν ὑπὸ τούτων, παρῄκηται ἡ ἀστυρεία, καὶ πόλις ἐν αὐτῇ, &c. λεγίων ζ γερμανική. id eſt, *Legio ſeptima Germanica.* Quam lectionem ſequuntur interpretes, & noſter Nebriſſenſis. Multum tamen moueor Antonini auctoritate, vbi ſcribit iter à Mediolano Vapinquum, trans Alpeis Cottias, atque inde ad Callæciam, *ad Leugas VII. Geminam*, quod legendum me dixi arbitrari, *ad Legionem ſeptimam Geminam.* Nec parum incitamenti addit Inſcriptio iſta inuenta in pago Legionenſis agri, quam adcepi lateritiam eſſe, quaſi defuerint ibi lapides. Quuius exemplum neque Vaſæus, neque tu modo ad me miſiſti. Quod maluiſſem percenſendę rei cauſa, quam ad notationem illi modo adiectam. In Claudio, Luperco, atq; Victorico, in hanc partē iam ante inclinaueram, ſed tamen uerebar Ptolemæum. Verum ſi inſeri-

ſi inſcriptio iſta ad Antonini itinerarium accedat, audebo forſitan manum Ptolemæo admouere, & illud, λεγίων. ζ γερμανική, emendare, vt ſit. λεγίων ζ. γεμινιανή.

Grati muneris loco mihi fuit commentariolus Translationis nuper factæ *Sancti Eugenii* primi Toletani Epiſcopi, & martyris, ſi modo *Toletanus Epiſcopus* ille fuit. Neque dubitationem meam de nihilo proueniſſe arbitreris. Veſter *Ildephonſus* in *Cathalogo virorum illuſtrium*, & maxime eorum qui Toletanæ eccleſiæ præfuerunt, duos tantum Eugenios recenſet, alterum Helladii diſcipulum & Iuſti conſortem, ſub Chintilla, Tulgane, & Chindaſuintho regibus, alterum, cui ſe Ildephonſus ſubceſſiſſe teſtatur, ſub eodem Chindaſuintho & Receſuintho, Eugenii prioris ſubceſſorem. Hunc *Iulianus*, qui libello illi additamentum fecit, ſecundum vocat Eugenium, de Ildephonſo ita ſcribens. *Præſul poſt ſecundum Eugenium.* Et de Iuliano altero: *Iulianus*, inquit, *Eugenii ſecundi diſcipulus.* Tam Ildephonſus igitur, quam Iulianus, ſanctiſſimum hunc martyrem Eugenium Toletanum Epiſcopum non agnoſcunt. Si in tanta noſtrarum rerum ignoratione locus coniecturæ ſit dandus, prædicaſſe Euangelium Toletanis non abnuerim, credendum enim antiquitati, ſed quum non multum forte promouiſſet, in Gallias, vnde venerat, videtur veriſimile rediiſſe, parum alioqui officio Epiſcopi functum, ſi primis illis initiis bonum prędicationis ſucceſſum ſolo videndi magiſtri deſiderio reliquit.

Imo ſi veritas patefacienda eſt, Quid enim oportet falſis nos titulis gloriari? & *Eugenius* hic qui primus veſtræ vrbi Chriſtum adnunciaſſe perhibetur Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi ac martyris exiſtit diſcipulus, quum is Dionyſius nō Areiopagita ille fuerit, quod nobis perſuadere nituntur Galli, ſed alter circa annum Seruatoris noſtri ducenteſimum quinquageſimum tertium, Decio & Grato Cos. Romæ ex presbytero cum aliis ſex Epiſcopus ordinatus, atq; in Gallias ad prædicandum miſſus, vt auctor eſt S. Gregorius Turonenſis in primo hiſtoriarum ſuarum libro, Gallus ille quidem, atq; in ſuam alioqui gentem propenſus, reuocanda ad calculum, & incunda iterum tuæ tibi ſupputationis ratio illa eſt, poſt quadringentos quinquaginta ſupra mille annos, ex quo paſſus ſit, eſſe tranſlatum. Atque etiam ſi *Epiſcopum* fuiſſe donemus, neq; ſeuerius diſquiramus, an à ſolo Dionyſio ordinari potuerit Epiſcopus, & ab eo in Hiſpaniam delegari, quod factum in eius legitur hiſtoria, expendendum, an in illum conueniat id quod ais, *Toletanæ vrbis, ac totius Carpetaniæ primum fuiſſe* antiſtitem *ſi primum*, non ad tempus, ſed ad dignitatis prærogatiuā referas. Quod ſi ad tempus referendum dicas, explices, oportet quur tam Ildephonſus, quam Iulianus Toletanæ eccleſiæ alumni duorum tantum Eugeniorum meminerint. Propter vetuſtatemne & exoletam ſeculorum memoriam? An quia omiſſo Toleti grege receſſit? An magis quia vere Toletanus Epiſcopus non fuerit, licet ibi Chriſtianæ religionis fundamenta feciſſet? Et quidem memoriam vſque eo obſoleuiſſe, putandum non eſt, quum à Decio & Grato Cos. ad Chriſtianorum perſecutionem quæ ſub Diocletiano facta eſt, poſt quam Toletanam cœpiſſe eccleſiam mox aperiam, anni tantum interceſſerint quinquaginta, vno plus minus, quumque inde ad Conſtantinum & Iliberitanum concilium, quo tempore Toletanam Eccleſiam Epiſcopum iam habuiſſe etiam oſtendam, pauci admodum anni præterierint. Non poterat igitur memoria tanti Martyris, ſi Epiſcopus fuiſſet, ex Epiſcoporum ſerie interiiſſe.

Sin quum primum dixiſti, prærogatiuam ſedis intellexiſſe te inquias. hoc quonam pacto poſſis tueri, non video. Nondum enim illo tempore Toleti erat Eccleſia conſtituta, quum neque dum, eo veniente Datiano, eſſet, verum pauci atque latentes ſuſceptam non ita pridem ab Eugenio religionem formidoloſe ſeruarent. Poſt martyrium vero ſanctæ virginis *Leucadiæ* videlicet à puellæ fortitudine animoſiores factos, Eccleſiam inſtituere cœpiſſe, teſtatur Raſes, hiſce verbis. *Diocletiani tempore, Chriſtiani qui Toleti in Hiſpania erant, Eccleſiam conſtruere cæperunt, quæ poſtmodum regum dicta fuit. Chriſtiani vero Sanctam adpellant Leucadiam.*

Nec puto, non dico iam Toleti, ſed etiam in tota Hiſpania, Epiſcopum poſſe iuſtum, ordinariumue oſtendi, ante Conſtantini Magni tempora. Si qui autem ad id tempus alicubi fuiſſe legantur, quum inter pauciſſimos profiteri religionem perſequutorum metu vix audenteis, præter ordinem, prædicationem, & ad martyrium expoſitam mentem, Epiſcoporum nihil habuerint, talibus quæ prærogatiua conueniat, ipſe videris. Imperio itaque Conſtantini Epiſcoporum dignitas, & ſedium emerſit prærogatiua. Is enim optatam Chriſtianis pacem reddit, & Epiſcopos Archiepiſcopoſq; fieri per Hiſpanias edixit, & metropoleis ordinauit, per iuridicos Hiſpaniæ conuentus, iuxta *Diui Clementis* præſcriptum, *in Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini*, quod citatur à Gratiano, 80. diſtinctione. De qua re ita Raſes, *Conſtantinus diuiſit Hiſpaniam ſex Epiſcopis qui religionem Chriſtianam populos docerent.*

Primum fecit *Narbonenſem Epiſcopum, cui dedit alias ciuitates ſex, quibus in animarum cura, iuxta Chriſtianorum fidem, praeſſet, videlicet Bliteras ſiue Beterrin, Toloſam, Magelonam, Nemauſum, Agatham, & Carcaſſonam,*

Secundo dedit *etiam bonas ciuitates, Bracaram, Dumiam Portugale, Auriam, Tuden, Lucum, Iriam, Britaniam, Ouetum, & Aſturiam.*

Tertio, Tarraconem, Barcinonem, Cæſaraugustam, Ilerdam, Auſonam, Dertoſam, Oſcam, Calagurrin, Oriollam, & quatuor alias, tam barbare in ſcriptura deprauatas, vt quænam fuerint, ex barbaro hoc auctore non intelligam, nec animus ſit hoc aliunde ſupplere.

Quarto, Carthaginem, Lorcam, Baſtam, Toletum, Alharam, Oxomam, Saguntiam; Valentiam, Valeriam, Caſtulonem, Menteſam, Oretum, Secobrigam, & quinque alias quorum nomina non intellexi.

Quinto Emeritam Pacem, Olyſiponem, Oſſonobam, Abtaniam, puto Igaditaniam, Conimbricam, Lamecam, Eboram, & Cauriam. Sexto, Hiſpalim, Italicam, Cordubam, Xeritium, Sadunum, Neuelam, Malacam, Iliberim, Aſtygin, & Agabram.

Sub Conſtantino itaque Toletana eccleſia non pridem inſtituta, Epiſcopum ſane habebat, vt patet ex Iliberitano Concilio, in quo ſeptimo loco ſubſcripſit *Melanthius Epiſcopus Toletanus*. Erat tamen ſub metropoli *Carthagine noua*, in qua, auctore Plinio, conuentus erat, quæque, vt ait libro etymologiarum decimo quinto Iſidorus, à Romanis colonia facta, nomen etiam prouinciæ dedit. Nunc autem, inquit, à Gothis ſubuerſa, atq; in deſolationem redacta eſt. Rodericus Toletanus à Gunderico Vandalorum in Callæcia, & Sueuorum rege euerſam dirutamq; ait, ibiq; antiquitus dignitatem ciuitatis fuiſſe, antequam à Vandalis eſſet euerſa, confitetur. Gothorum tempore, dignitatem ad Toletanam eccleſiam eſſe translatam, & adhuc *Carthaginenſem* dici *prouinciam*. Sit ſane à Vandalis euerſa. verum, etiam Vandali Gothi erant, vt teſtis eſt Procopius. Alioqui ſatis nobis erat Iſidorus, qui à Gothis euerſam dicit. Mallem tamen, vt Rodericus explicatius diceret, ecquam ciuitatis dignitatem Toletum translatam intelligat. Nam ſi epiſcopalem tantum ſedem intellexit, ex Iliberitano concilio prius oſtendi, iam ante euerſam Carthaginem Toletum epiſcopalem dignitatem habuiſſe. Quanto erat ſimplicius, *metropolitanam dignitatem* translatam dicere?

Euerſa ergo Carthagine, quum Gothi Toletum ob loci ſitum, & ſoli commoditates comprobaſſent, & vrbem feciſſent *regiam*, eo metropolitano dignitas eſt translata, verum manente prouinciæ Carthaginienſis titulo. Adparet hoc ex primo Toletano Concilio, ab vndeuiginti epiſcopis prouinciarum Tarraconenſis, Carthaginienſis, Luſitaniç, & Bæticç celebrato, ſub Honorio & Arcadio AVGG. circa tempora Anaſtaſii Papæ, præſidente *Patrono* Tarraconenſi metropolitano, ſubſcribente ſexto loco *Aſturio Toletano*, quem ſanctus Ildephonſus Audentio in Toletana vrbe metropoli prouinciæ Carthaginis ſubceſſiſſe dicit, & ob inuentos diuina reuelatione in *Complutenſi* municipio Chriſti martyres, redire in ſedem ſuam noluiſſe, ſed in ſanctorum miniſterio atq; complexu, diem obiiſſe. Eoque factum, vt Aſturius, qui apud Toletum nonus erat ſacerdos, apud Complutum primus haberetur. Vides quam recens erat Epiſcoporum Toletanorum origo, vt Aſturius nonus numero perhibeatur? Nec ſane plures eſſe poterant centum fere annis, ab Eccleſiæ Toletanæ primordiis, hoc eſt, à fine imperii Diocletiani, vſq; ad Arcadium & Honorium AVGG. & Stiliconem cos. quo tempore fuit Aſturius. Vides etiam translatam iam Toletum metropolim, nondum Carpetaniæ, ſed Carthaginienſis titulum prætuliſſe? Proceſſu inde temporis, inrepſit paulatim Carpetaniæ adpellatio, vt in tertio Toletano concilio, ſub Recaredo principe, in quo ſecundo loco, hoc eſt, poſt Mauſonam Emeritenſem prouinciæ Luſitaniæ metropolitanum, ſubſcripſit *Euphemius*, in Chriſti nomine, eccleſiæ Catholicæ Toletanæ, metropolitanus Epiſcopus, *pro Capitaneu*, quod emendandum eſt, *prouincia Carpetania*. In quinto rurſus. Eugenius priorſe Toletanæ eccleſiæ Epiſcopum, prou. Carthaginienſis metropolitanum vocat. Et ſic fere in cæteris. Nec aliter Ildephonſus & Iulianus vtuntur, in illo *de viris inluſtribus* libello. Atq; hæc non eo dicta à me ſunt, quo Toletanis de ſua quidquam antiquitate detractum velim, Sed quia inluſtria Diuorum martyria, falſorum admixtione contaminari non probem.

Ex paulo ante dictis intelliges *Ildephonſi de illuſtribus viris* libellum eſſe apud me, cum ſuperioribus eiuſdem argumenti ſcriptoribus, hoc eſt, *Hieronymo, Gennadio, Iſidoro, Braulione*, poſt quos ſequuntur *Ildephonſus & Iulianus*. Eſt etiam in noſtra Eborenſi Eccleſia liber ipſius *Ildephonſi, de perpetua ſanctæ Dei matris virginitate*, non parum quidem antiquus. attamen non parum etiam mendoſe ſcriptus. Interq; nonnullos bibliothecæ meæ vetuſtiores manu deſcriptos, *Conciliũ* extat *Emeritenſe*, à duodecim prou. Luſitaniæ Epiſc. celebratum,

anno

anno decimo octauo Receſuinthi regis, æra DCCIIII. ſimulq; *Homilis beati Leandri epiſcopi Hiſpalenſis*, habita in tertio Toletano cõcilio, pro conuerſis ab Arriana impietate Gothis. Quius meminit Rodericus Toletanus in Reccaredo.

Iulianum Pomerium iam olim deſidero, eoq; magis quod ſanctus veſter pontifex *Iulianus* Eugenii ſecundi diſcipulus, *Quirici* ſubceſſor, multum illi tribuit, in libris quos *de prognoſticis futuri ſeculi* ad Idalium Barcinonenſem conſcripſit. Eos mihi furto à Pariſienſi quodam hoſpite ante annos viginti ſublatos, adcepi poſtmodum typis excuſos, non tamen ſatis mendis quibus paſſim ſcatebant, purgatos. Vidi aliquando in Germania *carminum* eius *libellum*, ſed apud hominem qui neque vnius diei vſuram prȩſtare voluerit. *Iſidorum Pacenſem* citat alicubi Vaſæus in Chronicis. Non dubito in Eccleſiæ veſtræ, quæ prima ex Saracenica inluuione & reſpirauit, & priſtinum ſplendorem recepit, inſtructiſſima, vt ais, bibliotheca, merces has poſſe reperiri. Quibus ſi nos participes, opta viciſſim heinc aliquid, quo tibi nos gratificemur.

Concilium Toletanum ſtatim vt prodiit, delatũ ad me eſt. Noſtrum *Oliſiponenſe* abſoluimus circiter Saturnalia, vel, vt potius Chriſtiane loquar, inſtante Seruatoris noſtri natali die, ſex Actionibus diſtinctum. Creuit in iuſtum volumen, vt quod *Decreta* contineat ſupra tercentum. Nondum exiit, turbato apud nos nonnihil Eccleſiaſtico ſtatu, ſiue circa iuriſdictionem, ſiue neſcio quur, & ſi ſcio, non tam longe vterque diſtamus. quin eorum quæ heic geruntur, ad vos rumor celeriter pertingat.

Delaſſaui te arbitror, verboſiſſima epiſtola, aut ſi mauis, libello. Sed boni conſules prolixitatem hanc, vbi attenderis, ad litterarum tuarum capita vix potuiſſe me pro materiæ dignitate reſpondere, niſi tot verba neceſſario funderem. Bene vale, & huic homini, quem ſponte ad amicitiam prouocaſti, indies amiciori, mutuam amicitiam ſerua. Eboræ, 4. Nonas Maii, M.D.LXVII.

AMBROSIVS MORALES CORDVBEN. ANDREÆ RESENDIO. S.P.D.

AMo te, Reſendi doctiſſ. amo te, & vnice profecto diligo: vel de tua nobilitate, quam mihi ego in bonis ſemper ſuſpiciendam & colendã exiſtimaui: vel de tua iſta inſigni eruditione, & eximia Hiſpanæ antiquitatis cognitione, qua noſtrates omnes præcellere, & longo interuallo videris anteire: vt carminum tuorum iucunditatem, mihi poetices amantiſſimo dulciſſimam, orationum grauitatem eloquentiæ profeſſori commendabilem interim taceam. Accedit inſignis tuus candor, & in iuuandis aliorum ſtudiis benignitas, qua nunquã grauaris libenter aliis impertiri, quicquid ingenio & ſingulari iudicio fueris aſſequutus, aut indefeſſa diligentia aliquando eruiſti. Quis non hoc amare? Quis non plurimi facere debeat? Ego vero & amo, & admiror, & bonorum & eruditorum omnium nomine, humanitatis huius tuæ ergo, ingentes tibi gratias ago. Offenſus nimirum & peſſima & frequenti multorum apud nos tenacitate, qui ſi quid vel exiguum antiquitatis monumentum adepti ſunt, ita occultant, ita aliis denegant: vt perire ſibi omnem eruditionem putent. ſi cum quoquam id communicauerint. His de cauſis cum te iam pridem amem, & iuuari abs te magnopere ſtudia mea poſſe intelligam, ſcribere ad te conſtitui: vt tu me viciſſim pro ingenua tua humanitate ames, mihi reſcribas, & me opem tuam enixe poſcentem libenter adiutes. Scripſi enim Hiſpaniæ totius hiſtoriam ad Roderici Regis *tempora, quinque Floriani libros ſeptem aliis continuato opere proſequutus. Non quod mihi eius hominis ſcripta perplacerent, vel quod tibi diſpliceant: ſed quod iuſtis de cauſis mihi fuit, indidem vbi ille deſiit incipiendum. Vrbium origines, ſitus, nomina, & quæcunque ad illarum antiquitatem pertinebant, hiſtoriæ non admiſcui, ſed peculiari commentario ſeorſum adnexui: quia liberiora ſpatia ad hunc curſum plenius conficiendum mihi patere cuperem. Atque vtinam vtrunque id opus coram tecum relegere, & te admonente, atque adeo edocente corrigere mihi licuiſſet: tunc demum mihimet ipſe in meo opere ſatisfacerem, & doctis omnibus ſatisfacturum ſperarem. Nihil, ita me Deus bene amet, quantum ad ſtudia ſpectat, libentius vnquam in vita feciſſem, quam vt hoc iter caperem: vt tecum aliquandiu verſarer, multo abs te doctior recederem, opuſq; noſtrum tali iudice caſtigatum innocens iam & plane abſolutum reducerem. Sed quoniam tum ingraueſcentis ætatis ſenium, tum etiam peculiaris valetudinis imbecillitas hoc ipſum vetat optare: quod v-*

num datur, tuaque benignitas tribuit ſperare, te de multis per literas percontabor. Vides enim, mi homo quantis & quam multis in rebus, ſuppetias mihi poßis adferre. Ego vero hic iam mature, opem tuam, quo magno opere indigeo, implorare, & de multis interrogare te incipiam.

1. *Qualiter putes intelligenda poſtrema illa verba, quæ pontis Alcantara delubro poſt epigrāma leguntur.* C. IVLIVS. LACER: &c. *Nam mihi niſi reconditum aliquid ſubſit, difficilia videntur intellectu. Quæ ego in hiſtoria dixi, cum his literis accipies.*

2. *Quæ apud authores leguntur de oppidorum nominibus, quæ in eodem ponte recenſentur, mihi ſunt percognita. neque tamen inde ſatis poſſum quippiam certi & perſpicui afferre. Tu qui vicinias has regiones incolis, nō dubito quin aliqua planiora & indubitata magis perueſtigaueris. Ea mecum obſecro communicato.*

3. Ecquid *habes, quo rationem reddere poßis, & aſſumpti & continuati in regibus Gotthorum prænominis Flauii. Ego enim in hac parte nihil habui quod dicerem, præter vnam coniecturam æmulationis imperatorum. Nam cum ab Conſtantino, & retro etiam, imperatores omnes Flauii prænomen continuarent:* Gothi *toties imperat. victores, æmulatione ſuccenſi, id ipſum etiam prænominis ſibi videntur deſumpſiſſe.*

4. *Ecquid inſigne & memorandum legeris alterutrum Reccaredum regem in veſtra vrbe Eborenſi feciſſe? Nam ſi quid eiuſcemodi protuleris: omnem ego iam tuam illam cum Quebedio de Elbora nomine concertationem diremero. Interim ſcias proximo Auguſto Quebedium Toleti obiiſſe, opuſque ſuū* de ſanctis Hiſpaniæ, *vix dum inchoatum reliquiſſe.*

5. *De Acoſta Rege ſi quid certum alicubi reperiſti, id magno opere cupio intelligere. Quidam enim viri ſcis, regnaſſe negant, quidam affirmant. Nummi, qui tanquam regis huius ſint, oſtentantur, ego adduci non poſſum, vt credam eius eſſe regis.*

6. *Si quos habes Gothorum Regum nummos non graueris obſecro deſcriptos ad me tranſmittere.*

7. *Scire cupio concilium illud* Emeritenſe, *quo menſe, quo die, quibus cum epiſcopis ſit celebratū.* T*um præterea ſiquid inſigne in eo ſit decretum.*

Onero te multis quæſtionibus? Tuæ iſti ſingulari eruditioni ſuccenſeto, quæ ſola hæc noſſe, & poteſt docuiſſe: tuæ humanitati iraſcere, quæ aditum ad percunctandum patefecit. Tu vero vicißim à me ſiquid habeo quo tibi gratificari poßim, requirito. Pauperis eſt numerare pecus: *ſed tamen quid à me poßis optare ſignificabo. Nummos antiquos cum oppidorum* Hiſpanorum *nominibus priſcis plus quadraginta diuerſos congregaui. In his ſunt. Saguntos, Caſtulo, Valentia, Graccurris,* Obulco, *Sacili, Ylia, Carmo, Ebora, Claritas Iulia, Corduba, Colonia Patritia, Ercauica, Caſcantum, Hiſpalis, & quædam alia.*

Gothorum regum nummi hi ſunt apud me.

Diui Ermenegildi aureus, quo tempore cum patre bellum gerebat percuſſus. Bone Deus, quem theſaurum nomino.

Fratris eius Reccaredi *aurei quatuor, argenteus vnus, diuerſi omnes.*

Liuua huius filii aureus.
Suintilani aureus.
Receſuinti aureus.
Eruigii aureus.
W*iterici aureus.*
W*amba argenteus.*
W*ittiza &* Egica *aureus.*

Inſcriptionum antiquarum ex multis Hiſpaniæ regionibus magnam copiam comparaui. Ex *vetuſtiſsimo Ouetenſis* Eccleſiæ *codice Sancti Deſiderii martyris vitam tranſcripſi, ab Rege Siſebuto conſcriptam.* Multa *alia inde habui.* E*iuſdem* Regis *epiſtolas aliquot, & eorundem temporum alia nonnulla. Chindaſuindi* Regis *priuilegium, quo patrimonium monaſterii ab Sancto Fructuoſo in* Bergido *ad Compluticam erecti adauget. Poſt* Regem *Pelagium antiquiſsimorum regum noſtrorum priuilegia quamplurima, leges item antiquas (* fueros *noſtri vocant) quarundam ciuitatum noſtratium vndecunque corraſi.* Sed *hæc nihil ad te. Aliorum omnium, quæ te oblectare, aut quaqua ratione tua intereſſe poterunt, quiduis optato, quiduis petito, deſcriptum quamprimum remittam. Doctor Ioannes de Sancto Clemente Badaiocenſis eccleſiæ canonicus* Theologus, *qui has ad te mittet, tuas ad me transferendas tuto recipiet. Eum ego hominem multis de cauſis, tum amo mirifice, tum etiam plurimi facio. Neque ideo ſolum quia mecum ſit aliqua propinquitate coniunctus: neque quia pene à paruulo eduxerim in litteris, amauerim pro meo, & in eo me oblectem, ſed quod in eo ingenium, virtus, doctrina, magna omnia, ita decertent, vt non cuiuis facile ſit, quid præcellat iudicare.*

E*go ſemper vitæ innocentiam & ſanctitatem præfero. Per eundem cum his litteris librum noſtrū de ſanctis Iuſto & Paſtore accipies: quem eo conſilio miſi vt ſi quid in eo ſit, quod te legiſſe iuuat, ea te pia & erudita voluptate minime fraudarē. Potui fortaſſe errare, quia templum illud horum martyrum eſt*

inſcri-

inſcriptione, ad Salaciæ ineſſe ſcripſi. Nam F. Alfonſus Chaconus Dominicanus, qui abs te mutuatã eam inſcriptionem ad me miſit, perperam titulum addiderat, vt ego quo loco reperiretur, plane non poſſem intelligere. Interim ſcire peruelim, probes ne noſtram in peruestigandis vrbium antiquitatibus rationẽ cuius exemplum in Complutenſibus antiquitatibus cernere poteris. Ibi tu mihi nominari non potuiſti. Vbicunque interuenis, hominis & tibi amiciſſimi, & eruditionis tuæ non vulgaris æſtimatoris officium non requires. Tu vale, meque ama, & amanter reſcribe.

Compluti. XXX. Ianuarii. M.D.LXX.

Vincentium tuum fac ad me mittas, quem ego cum legere magno opere iam diu cupierim, nunquam datum eſt inuenire. Iterum Vale.

L. ANDREAE RESENDII, LVSITANI, AD EPISTOLAM D. AMBROSII MORALIS VIRI DOCTISSIMI, INCLYTÆ ACADEMIÆ Complutenſis Rhetoris, ac Regii hiſtoriographi Reſponſio.

D. AMBROSIO MORALI, VIRO ERVDITISSIMO, L. AND. RESENDIVS S.

AD eidus fere Martias, Ioannes à Sancto Clemente neceſſarius tuus, libellum & litteras à te amantiſſimas, vna cum ſuis, etiam amantiſſimis, ad me miſit. Quid ego vtrique veſtrum aliud reſpondeam, quam meæ me felicitati, ob taleis viros amicitiam meam ſponte ambienteis gratulari, nihil equidem intellego. Certe amanteis, quantum intendi amor poterit, redamabo, daboque operam, ne quod priores diligere cœpiſtis, in eo erraſſe videamini. Tibi vero cui has peculiater modo ſcribo, immortaleis ago gratias; de tua iſta humaniſſima comitate, comi, vt comior eſſe non queat, humanitate. Nec vtique ob id, quod mirificis me laudibus euehis, an obruis? Neque enim tam elato ſum ingenio, vt quæ ſcribis mihi quaſi meo iure adrogem, ſed quod tua iſthæc laudatio quum ab incredibili animi candore proficiſcatur, non poteſt iucunda mihi non eſſe. Pudefacit igitur multum me, multum tamen delectat. Lætus ſum, laudari me abs te pater, laudato viro, inquit apud Næuium Hector, & vſurpat, Catoni reſpondens, noſter Cicero. Sed de his dicam modice. Vereor enim ne mutuum reddere conatum eſſe me quiſpiam ſuſpicetur. Quod tamen potius deinceps ſpondeo, atque in me recipio. Nunc ad epiſtolæ tuæ præcipua capita. Eſt ſane quod ais, mea ſatis procliuis in communicandis quæ vel ingenio, vel ſedulo nauata opera, deprehẽdi, inuenique facilitas. Quæ mihi nonnunquam obeſt, inſidiantibus meo labori plagiariis quibuſdã qualis fuit in pleriſque amicus olim meus Barrerius, qui locos ſupra viginti candide impertitos, ſuæ immiſcuit Chorographiæ, non habita commonſtratori gratia. Quorum tamen non paucos ea dexteritate tractauit, vt mihi illud Martialis in eum iure liceat detorquere.

Quem recitas, meus eſt ô Fidentine libellus,
Sed male quum recitas, incipit eſſe tuus.

Ingenue magis Vaſæus, tametſi neque ſemper, neque alicubi, maxime expoſcente loco, non diſſimulanter. Ei certe quæ de Romanis tribubus, ſiue legendis libris, ſiue inſcriptionum veterum monumentis, compereram, additis auctorum priſcorum teſtimoniis, communicaui. Compleueramque vnius & quadraginta numerum, hoc eſt, ſupra triginta quinque confeſſas atque receptas, ſex alias. Non enim pluris eatenus diſerte inueneram, præter treis, litteris quamque tribus. CAM. CLV. HOR. ſæpe in marmoribus adnotatas, quarum integra nomina neque apud idoneum ſcriptorem aliquem legeram, neq; ſine veterum teſtimonio, ſola trium literarum coniectura, Camillam, Cluentiam, Horatiamve, pronunciare ipſe audebam. Nam CLV. pro CRV. hoc eſt, Cluſtuminam pro Cruſtuminam dici, nondum ſatis eram, neque adhuc ſum perſuaſus, quum ciuitas vnde nomen habet, Cruſtumium vocetur, non Cluſtumium. Mihi autem non contigit marmor videre, vbi CLVS, vel CLVST, ſcriptum eſſet. Hærebam igitur in ſcriptura, CLV. eſſetne interpretandum Cluſtumina, vt bene docti quidam exiſtimant, an Cluentia, quæ extra numerum, ſicut CAM. & HOR. tribus eſſet. Omneiſque has apud me in ſchediis collectas, ne-

que dum ſtylo ordinatas eo conſilio reprimebam, vt ſi lectione aſſidua certius tandem aliquid eſſem adſequutus ea in re ſtudioſis antiquitatis mea diligentia non deeſſet. Ecce autem in libris variarum reſolutionũ Reuerendi D. à Foſſis Rubris, Rodericopolitani Pontificis, prodiit de Romanis tribubus opuſculum, in quo inter multa alia, quæ vir ille eruditiſſimus & ex veteribus, & ex neotericis congeſſit, quæ ego peculiariter lucubraueram, vna reperi, à Vaſæo, ſicut poſtea reſciui, prodita, tantũ cippi. L. Voconii, L. F Qvirin. Paulli, qui domi meæ eſt, facta obiter mentione, videlicet vt indicio eſſet, illuc ſcrinia mea, non meo conſenſu, perueniſſe. Quod ægre minime equidem tuliſſem, imo vltro egiſſem gratias, ſi treis illas, quas pro ignotis adhuc habeo, etiã expediuiſſet. De quibus neque verbum vllum fecit, neque exceſſit triginta quinque numerum, neque rem omnino ad amuſſim dolauit. Vicit ea in re, & nos, & illum, & cæteros qui noſtra ætate id attentarunt, Onuphrius Panuinius, quanquam neque in illo exactius aliquid nõ deſideres. Sed ad rem. Vaſæo homini quo ad vixit beneuolenti, leuem hanc pleni officii prætermiſſionem, libenter condonamus. De fraude, cum Barrerio, neque ſane iracunde, expoſtulauimus. Neque propter illum ſimileiſque, reſtrictiori animo in aliorum iuuandis ſtudiis, ſi forte potero, equidem ſum factus. Minus autem poſſe, vehementer doleo. Non enim pudet inſcitiam meam fateri. Nam à perueſtigandis eruendiſque antiquitatibus, ad quam rem videbar ab natura propenſus, maiora me ſtudia, & neceſſariæ quædam compedes retraxerunt, atque ſemotum à doctorum hominum quotidiano congreſſu, quo & erudiebar, & delectabar, ad rudem compulere inuitum, & in hoc patriæ angulo, quaſi in ingloria ſenectute deliteſcentem, retinuerunt. Sed qualis iſta quumque eruditio noſtra eſt, ad quam velut ad grauioris itineris diuerticulum, nonnunquam animi cauſa deflectimus, non enim noſtri nos omnino pœnitet, certe doctis ac tui ſimilibus, ſemper erit obnoxia. Quare omiſſis ambagibus quod in epiſtola tua petis, vt te viciſſim amem, etiam ſi non periſſes, ipſe vltro prouocatus, eram facturus. Atque vt initio teſtatus ſum, maximo te opere profecto amo. Vt vero de ſtudiis tuis loquar, probo conſilium tuum, quod vrbium origines & vetuſta nomina hiſtoriæ rerum geſtarum non admiſcuiſti. Impediſſet enim hoc ipſum hiſtoriæ quaſi corpus, & narrationis curſum remoraretur, ac perplexiorẽ reddidiſſet. Separato vero cõmentario, antiquitatis ſtudioſis eo melius, quo liberius ſatiſfiet. Sed per tuam te fidem oro atque obteſtor, vt in reddendis originibus, ſi nondum opus emiſiſti, religioſiorem te præſtes, quam fuit in comminiſcendis Florianus, multæ alioqui lectionis homo.

Quæris à me quonam modo intelligenda putem poſtrema verba inſcriptionis eius fani, quod ad pontẽ eſt Alcantaræ. C. Ivlivs Lacer, & cæt. nec integram eorum verborum lineam miſiſti, quod equidem maluiſſem, quum verbum quod ſtatim ſequitur, ſemiabraſum ſit tribus tantum, vt adparet, litteris inſculptum. D: : ƆS. Ego ante multos iam ãnnos, quum ſcalas loco adhibuiſſem, horam integram, eoue plus, etiam pluente cœlo, legendæ inſcriptioni impendi, præcipue propter octauum carmen, quod falſiſſime tranſlatum, nullo penitus ſenſu, circumferebatur, etiamq; dum circumfertur. Quod ex ductu abraſarum literarum veſtigiis, me puto ad germanum verumque ſenſum reſtituiſſe, comprobantibus multis, quibus id poſtea communicaui. Sed hæſi, hæreoque adhuc in tribus illis litteris, D : : ƆS. non hęſurus ſi duę tantum eſſent. D. S. Quæſtio vero tua non eſt niſi in verbis quæ ſequuntur, F. Et dedicavit. amico cvrio lacone. igaedita-no. Et ſciſcitaris an probem lectionem tuam & expoſitionem, quam extra epiſtolam in commentariolo Hiſpanice confecto miſiſti, *fecit, & dedicauit, amico curione Lacone Igaditano*, ad hunc ſenſum, *fecit, & dedicauit* dedicationis munus obeunte *amico Lacone, curione*, id eſt, ſacerdote *Igaditano*. Verbũ autem Cvrio, conciſione dictum exiſtimas, pro Cvrione, id eſt ſacerdote. Ita, vt *curio Igæditanus*, hoc eſt, Sacerdos Igæditanus, Laceri amicus, delubrum dedicauerit, quum nefas, vt ais, eſſet, ſine ſacerdote hoc fieri. Et *curionem* pro ſacerdote, apud bonos auctores reperiri, verbo, nõ re, confirmas. Dicam libere, bona tua venia. Mihi argutius, quam verius, eſſe hoc videtur. Primo, quia tametſi donarem *curionem* pro ſacerdote reperiri, vim facis latinitatis contextui, *Amico curione Lacone Igaditano*, pro eo quod eſſe debuiſſet, iuxta tuam ſententiã, Amico lacone cvrione igæditano. Imo neque ſic, oſtendebat *curionem*, hoc eſt, ſacerdotem *Igaditanum* dedicationem peregiſſe, & templum ſolennibus verbis fuiſſe effatum. Si enim hoc eſſet, ita ſignificari debuiſſet, effante, vel dedicante, vel præeunte, *amico Lacone, curione Igaditano*; non autem diſtortiſſime, *amico curione, Lacone Igaditano*. Deinde, vt velis corrigere, quod dixiſti, *curione municipii Igaditani*, & dicas, *amico curione*, id eſt, ſacerdote, *Lacone Igaditano*, vt curio non intelligatur ſacerdos eius municipii fuiſſe, ſed id municipium patria fuiſſe Laconis, reſtat tunc inquiren-

quirendum, apud quem veterem auctorem legeris, id quod fidenter adſeris, *curionem* pro ſacerdote, aut potius flamine in prouinciis, & extra vrbem Romam. Romam enim à principio Romulus in treis diuiſit tribus, & tribum quamque in decem curias. Tribuum treis præfectos, tribunos adpellauit, Curiarum triginta præfectos, vocauit curiones. Et qui curionum omnium princeps eſſet, is curio maximus eſt nuncupatus. Curiones autem hi, ſuæ quiſque curiæ curam habebant, & in calanda, hoc eſt, vocanda ad curiam Calabram, vel alio, concione, & in ſacris faciendis, & in procurandis curialium commodis. A cura enim nomen erant ſortiti. Vnde illud Plautinum eſt.

Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ.
Diuidere argenti dixit nummos in viros.

Fuiſſeque id ſacerdotium Romæ honeſtum, vel ex vno Liuio poteſt liquere. At extra Romam, vbi nullæ curiæ fuere, quonam modo eſſent curiones? Inquies fortaſſe, ab illa Romana conſuetudine, etiam alibi Curiones pro ſacerdotibus vſurpare. Hoc oſtendendũ à te eſt. Ego ſacerdotes, flamines, ac flaminicas paſſim inuenio, curiones eo quo tu vis modo, nuſquam. Quod ſi ego in ſtudiis non ſatis profeci, abs te peto, vt quod rectius ipſe noſti, amice impertias. Ad hæc, CVRIO, pro CVRIONE, extrema breuitatis cauſa, mutilata ſyllaba, non magis admitto, quam admitterem. Sermo in ſexto caſu, pro Sermone, facilius admiſſurus, ſi tantum CVR. ſcriptũ eſſet. Inſuper, LACON, ſine dubio cognomen eſt, non nomen. Sacerdotem autem per cognomen tantum, atque id obſcurum, prætermiſſo priori nomine, contra Romanorum conſuetudinem notari ac deſcribi: in templo quod ipſemet dedicaſſet, minus certe conuenit. Quare duabus illis dictionibus CVRIO LACONE, nomen & cognomen Igæditani illius ſignificari non dubito. Quomodo igitur interpretamur, F. ET. DEDICAVIT, AMICO CVRIO LACONE, IGÆDITANO? Nẽpe ſic. Si minus placet ſubaudiri præpoſitionem CVM, *vt ſimul cum amico Curio Lacone Igæditano feciſſe, & dedicaſſe* intellegatur, certe AMICO adiectiuum nomen erit, non ſubſtantiuum.

AMICO, id eſt, fauente, iuuante, operamve dante, Curio Lacone Igæditano. Quemadmodum apud Horatium *Diues amico Hercule*, Siue CVRIVS LACON flamen fuerit, quod non multum curo, ſiue faciendo pontis operi, atque erogandæ in operarios ſtipi præfectus, pręcipue quũ Igæditanus eſſet, quuius municipes in pontis effectione primi recenſentur, ſiue carminum illorum auctor. Quod pronunciare non poſſum. atqui, ſi *Curius Lacon* præfectus operi faciundo fuit, fauore ſane illius indigebat architectus, vt permitteretur iuxta publicum opus fanum exſtruere, quod quidem non tam religione ductus, quam cupiditate ſui nominis poſteris commendandi faciebat. Et quoniam ea in re facilẽ habuerat forte *Curiũ Laconẽ Igæditanũ*, id teſtificari voluit, ac quaſi gratiã reddere, facta nominis eius & patriæ mentione. Fuiſſe quoque *Igæditano* illi prænomen *Curius*, verum videtur ex multis marmoribus in ipſis Igæditani municipii ruinis, vbi Curiorum familia frequens fuiſſe inuenitur, vt oſtendemus, Deo bene iuuante, in noſtra Luſitania, quæ modo in incude verſatur. De nominibus municipiorũ in eodem ponte recenſitis, quæ neoterici tradunt, tibi nequaquam probari, nihil miror. Sunt enim magna ex parte mera ſomnia, & diuinationes, prope dixerim, ebriæ. Sunto exempli cauſa hæc, Coloniam Scallabin, Præſidium Iulium cognominatam, modo eſſe Trogilliũ, Norbam Cæſaream, Alcantaram, Iuliam Myrtilin, Vaenam. Et ſimilia, quorum commemoratio non modo faſtidium, ſed indignationẽ etiam mouet, quando iſtorum næniæ non in Hiſpania noſtra ſopiuntur, ſed peruadunt & in Italiam, & in Gallias, & vſq; ad Germanos: atque illic homines ſane doctos, ſed nimium credulos, in errores puerileis inducunt. Ego non omnia illa, quæ in ponte recenſentur municipia, percognita habeo. Quæ vero pro compertis poſſum adſerere, propediem vt ſpero, proditura exſpectato. Nam ea epiſtolaribus cancellis concludi non poſſunt.

Exquiris ecquam rationem poſſim reddere, adſumpti & continuati apud Gothorum reges in Hiſpania Flauii prænominis. Nullam certam, vt verum fatear. Sed ſi diuinationi locus eſſe vllus poterit, ego ita coniecto. Flauium prænomen, quod à Veſpaſianis incepit, reliqui Cæſares, qui vel ſanguinis propinquitate ad illos pertinebant, vel eo ſe nomine gratioſos fore putabant, ſunt proſequuti. Quemadmodum & M. Aurelii Antonini Pii, magna ambitione nomen per multos decucurrit. Quin & Traiani nomen Decius quoque adamauit. En tibi poſt multos annos. FL. Valerius Conſtantius. FL. Valerius Conſtantinus. FL. Valerius Seuerus. FL. Valerius Criſpus. FL. Valerius Conſtantinus iunior. FL. Iulius Conſtantius. FL. Iulius Conſtans. FL. Nepotianus. FL. Claudius Iulianus. FL. Iouianus. FL. Valentinianus. FL. Valens. FL. Gratianus. FL. Valentinianus iunior. FL.

Theodoſius. Fl. Arcadius. Fl. Maximus. Fl. Eugenius. Fl. Honorius. Fl. Theodoſius iunior. Fl. Ioannes. Fl. Placidius. Fl. Marcianus. Fl. Auitus. Fl. Leo. Fl. Maiorianus. Fl. Vibius Seuerus. Fl. Anthemius. Fl. Olibrius. Fl. Leo iunior. Fl. Glicerius. Fl. Zeno. Fl. Nepos. Fl. Baſiliſcus. Fl. Auguſtulus. Fl. Zeno Iſauricus. Fl. Anaſtaſius. Fl. Iuſtinus. Fl. Iuſtinianus. Fl. Iuſtinus iunior. Fl. Mauricius. Fl. Phocas. Fl. Heraclius. Vides ambitioſam Cæſarum, & inter Cæſares tyrannorum aliquot Flauiorum turbam? vt longam imperatorum reliquorum orientalium, ſeriem, vſque ad Palæologos, vt Stiliconem, aliosque militiæ magiſtros, vt Odouacrum tyrannum, vt Narſen eunuchum, vt Beliſarium, vt conſulum centurias, ſilentio prætereamn. Vnde ad Gothos in Hiſpania regnanteis id prænomen defluxit? Nam eorum maiores Flauii adpellati non ſunt. Arbitraris tu, æmulatione imperatorum, quos non raro vicerant, eos ita voluiſſe nuncupari. Poteſt hoc eſſe. Quamquam ab hac ſententia iſta potiſſimum ratione diſcedo. Nam ſi æmulatione id feciſſent, illi maxime feciſſent, qui de Roma vrbe triumpharunt, quaſi ſic, Romanis inſultarent, vt Alaricus, vt Ataulphus vel etiam Gizericus Vandalorum Rex, qui ex Africa veniens Romam eſt deprædatus. Quibus Flauium adiectum fuiſſe prænomẽ, nuſquam quod equidem meminerim, adhuc legi. Quare non peſſima coniectura exiſtimarem, potius ex adfinitatibus, & iam conſanguinitate, vel ex beneuolentia & obſeruantia erga Cæſares ipſos, conſeruandæque amicitiæ cauſa, adulatione quadam eſſe id factum. Nam quum Ataulphus Alarici propinquus Placidiam Theodoſii filiam in vrbis direptione captam iugali ſibi vinculo ſociaſſet, vt tradunt Oroſius & Iornandes, atque Alarico mortuo, in Gotthorum regnum ſuffectus eſſet, paulatim Placidiæ moribus lenitus, ad pacem ſe, & Romanorum amicitiam conuertit, Honorioque adfini gratificari ſtudebat. Poſt quem, Regerico, qui ſubceſſerat, ſuorum fraude interempto, Vallia quartus ab Alarico ſequutus eſt. Qui non modo pacem cum Honorio confecit, ſed ſororem illi etiam viduam, honorifice ſemper habitam, remiſit, & bella plurima, etiam contra gentileis ſuos, pro Romano geſſit imperio. Teſtatur hoc Sidonius Apollinaris, in Anthemii Panægyri.

ſimul & reminiſcitur illud,
Quod Tartheſiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & iuncti Martis Alanos,
Strauit, & obciduam texere cadauera Calpen.

Simili modo Theodericus Veſogotthorum rex, vt eum Sidonius Apollinaris, & Iornandes adpellant, ſiue Theoderedus, ſi magis Roderico Toletano adſentiaris, pacem cum Valentiniano, quam prius fregerat, tandem confirmauit, & cum Aetio in campis Catalaunicis, pro Romanis, aduerſus Attilam potentem Hunnorum regem fortiſſime pugnans, obcubuit. Iam Amalaſuintha magni Theoderici Amali filia, per obitum Eutharici mariti Hiſpaniæ regis vidua relicta, ſuam viduitatem, & Athalarici filii pueritiam Fl. Iuſtino imperatori, quaſi in tutelam commendauit, eo quod pater Theodericus Athalarici auus è vita migraſſet. De qua re latius poſtea. Athanagildus vero contra Agilam, ſiue Agilanem, vt Gregorio Turonenſi placuit, auxilia ab imp. Fl. Iuſtiniano petiit. Herminigildus inſuper, vt ab Ariano patre ſe defenderet, ad Tiberii imperatoris parteis ſe tranſtulit. Quod Gregorius Turonenſis libro quinto, ſexto, & octauo, memoriæ tradidit. Notum etiam eſt. Stiliconem Gothum, nempe Vandalum, genere fuiſſe, vel Oroſio atteſtante, cap. 38. lib. ſeptimi. Is Flauii prænomen tum ſibi, tum Eucherio filio indidit, videlicet, vt Cæſaribus per quos ad immodicam illam potentiam erat euectus gratificaretur, ac præcipue maiori Theodoſio, qui ei Serenam adoptiuam filiam, ex Honorio fratre natã, in matrimonium dederat. Quam rem, quia ad Hiſpaniam noſtram pertinet, aliquanto perplexam, latius explicemus, Theodoſius Hiſpanus, ex prouincia Bætica, ciuitate Italica, dux egregius Valentiniani comes, qui & in Britannia res magnas geſſerat, & Africam à Firmi tyrannide Romano adſeruerat imperio, vt vigeſimo octauo, & vndetrigeſimo lib. narrat Marcellinus, duos habuit filios, Honorium & Theodoſiũ. Hunc Valens inſanus ac ſuperſtitioſus imperator fecit interfici, vt teſtantur Hieronymus, Oroſius & Iornandes. Cauſa fuit, vel inuidia, quod adſerit Oroſius, vel quod Valens temeraria curioſitate quum de imperii ſubceſſore magice eſſet ſcrutatus, ſiue ipſe, vt Socrates in hiſtoria Tripertita narrat, ſiue Libanius rethor & Iamblichus Procli magiſter, vt ſcribit Zonaras, adcepiſſetque ſubceſſurum eum, quuius nomen per quatuor has literas inciperet, Th. e. o. d. interimi fecit multos ex nobilibus. Theodoros, Theodotos, & Theodoſios, inter quos etiam Theodoſium hunc virum optime de imperio meritum. Eo interfecto, Theodoſius filius

iam

iam tum nominatiſſimus. Nempe qui ſub Valentiniano Valentis fratre dux fuerat Mœſiæ, prima etiam tum lanugine iuuenis, princeps poſtea perſpectiſſimus, vt Ammiani Marcell. in calce lib. vigeſimi noni verbis vtar, periculi euadēdi cauſa, vel vt parium declinaret inuidiam, quod Theodoreto placet, in Hiſpaniam rediit, vbi & ortus fuerat & nutritus, ac cum fratre Honorio priuatam quietamque vitam ducebat. Honorio tres erant filiæ, Flaccilla, Thermantia, & Serena. Et quidem Flaccillam, quam Theodoretus, & Zonaras Placillam vocant, Theodoſius patruus adhuc priuatus, vxorem duxit, ex qua Arcadium genuit atque Honorium, fratris iam mortui nomine illi impoſito. Horum adſtipulator eſt in laudibus Serenæ Claudianus.

geſtabat Honorius arcto
Te pater amplexu, quoties ad limina princeps
Theudoſius, priuatus adhuc, fraterna veniret.
Oſcula libabat, teque in ſua tecta ferebat.

Et quum Honorium iuuenem Serenam ad loquentem inducit.

ô patrui germen, cui nominis, hæres
Subceſſi, ſublime decus torrentis Iberi,
Stirpe ſoror, pietate parens.

Tandem Theodoſius Theodoſii comitis à Valente interempti filius non Honorii, vt falſo exiſtimauit ſiue Sex. Aurelius Victor, ſiue qui eum in epitomen redegit. Tandem inquam Theodoſius à Gratiano vocatus, & apud Sirmium Pannoniæ ciuitatem imperator adpellatus, quum ſe Bizantium contuliſſet, fratris Honorii filias Thermantiam & Serenam, vxoris Flacillæ ſorores, adduci fecit, atque adoptauit. Confirmat hoc Claudianus his verbis.

Defuncto genitore tuo, ſublimis adoptat
Te patruus. & ſtatim.
Addidit & proprio germana vocabula nato,
Quâque datur, fratris ſpeciem ſibi reddit adempti.
Denique quum rerum ſummas delectus habenas
Suſciperet, non ante ſuis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter, fidamque ſororem,
Litus ad Eoum terris adciret Iberis.

Adductas igitur atque adoptatas patruus Theodoſius, principibus viris dedit coniuges. Nam Serena ætate iunior, Stiliconi nupſit, ex qua nati ſunt Maria & Eucherius. Maria, Honorio Auguſto Flaccillæ materteræ, & patrui Theodoſii filio, in coniugium eſt tradita. Hoc ita Claudianus:

Adſtitit, & blande Mariam Cythereia ſalutat.
Salue ſiderea proles auguſta Serena.

Ad tantam igitur potentiam Auguſtorum beneficio, & ſuis eo tempore meritis, euectus Stilico. Flauii prænomen adſumpſit. Atqui Theodoſius comes, à Valente interemptus & Theodoſius eius filius, poſtea imperator, & Honorius huius frater, cum filiis Flaccilla, Thermantia, atque Serena, vt dixi, Hiſpani & in Hiſpania orti educatique erant: vt oſtendit idem Claudianus in laudibus Serenæ, & in panægyri de quarto Honorii conſulatu. Non ergo erit abſonum ſuſpicari ex iis manſiſſe gentem in Hiſpania, quuius connubiis permixti Gothi, Flauium prænomen non modo non adſpernarentur, ſed etiam ambirent, præſertim vigente adhuc in imperio Flauiorum, Theodoſii vtriuſque atque Honorii progenie, quorum conſanguinitatem adfinitatemve Hiſpaniç reges prç ſe ferrent. Sumo argumentum ex ſubſcriptionibus tertii Toletani concilii, vbi inter proceres qui ex Ariana hæreſi reſipuerant, ita legitur. Flauius, vir inluſtris ſubſcripſi, & ex Theodoſia Seueriani prouinciç Carthaginienſis ducis filia. Quod nomen non Gotthicum eſt, ſed in Romanum vſum ex Græcia translatum, atque adeo Theodoſianam præfert originem, Theodoſiæ vero hæc Seueriani filia, Leonigildi Regis vxor fuit, & mater Flaui: Recaredi. Quin & Seuerianus ipſe Theodoſiæ pater, à Luca Tudenſi, & Roderico Tolerano, Magni Theoderici Amali filius fuiſſe adſeritur. Quæ res vt facilius intellegatur, Theoderici ſubceſſus, ex Iornande in Gethicis, ſaltuatim ac ſummotenus percurram. *Theodemirus ex Amala ſtirpe Oſtrogothorũ, rex, Valemiri & Videmiri frater, quũ in Pãnonia regnaret, pacis obſidẽ filiũ, Theodericũ adhuc infantulũ imperatori Leoni Cõſtãtinopolim miſit. Quẽ imperator nutriri fecit, & pueri elegãtia, bonaque indole delectatus, carũ habuit, atq; ad ſuos liberaliter donatũ remiſit. Vnde adcepto paterno regno, à Zenone eſt vocatus, & inter aula aug. proceres adſcriptus. Deinde ab imp. in filiũ adoptat⁹, & cõſul ordi-*

narius factus, equeſtri quoque ſtatua honoratus. Demum Zenonis permiſſu & voluntate in Italiam venit, vt Romam ipſamque Italiam à Turcilingorum Rugorumque tyrannide liberaret, Zenone illi Senatum. P. Q. R. commendante. Dominus itaque Italiæ factus, & veſtitum, & inſignia ſumpſit, quaſi Romanorum Gothorumque rex. Miſſaque ad Clodouæum, vel potius Clodouichum, vnde nobis Lodouici prodierunt, Francorum regem legatione, Audefledam illius filiam vxorem duxit, ex qua filiam Amalaſuintham ſuſcepit. Genuerat vero Theodericus in Mæſia filias duas, quarum alteram rerum in Italia potitus, antequam ex Audefleda liberos ſuſcepiſſet, Sigiſmundo Burgundionum regi, vt præter Iornandem Gregorius Turonenſis confirmat, licet Gulielmus Paradinus non Sigiſmundo, Sed patri eius Gundebado adſerat, *alteram Alarico Veſogotthorum regi in matrimonium dedit. Ex Alarico natus eſt Amalaricus. Cui parentibus orbato, Theodericus auus Thiodem, noſtri Theudem adpellant, tutorem in Hiſpaniæ regno adſignauit. Sed ſublato in adoleſcentia Amalarico, Thiodes regnum inuaſit.* Hæc ex Iornande. Addamus ex ſancto pontifice Iſidoro, Theodericum hunc in Hiſpania quoque regnaſſe annos 15. Quod ita intelligo. Alarici generi comperto obitu, deſcendiſſe eum in Hiſpaniã, vt Amalarico nepoti infantulo regnum ſtabiliret. Inde adulto iam puero, ſub tutela Thiodis regno tradito, Romam reuerſum. Addit Lucas Tudenſis, illum in Hiſpania vxorem adcepiſſe, ex prima Hiſpanorum nobilitate, & forte ex Honorii ac Theodoſii familia, quorum ſumma erat nobilitas. Ex qua vxore Seuerianum genuerit, Theodoſiæ patrem, Hermenegildi & Recaredi auum. In tanta rerũ felicitate Theodericus, ſemper imperatores per quos creuerat, eſt veneratus, & ſumma reuerentia coluit. Quare ipſe quoque, vt pote à Fl. Leone nutritus, à Fl. Zenone adoptatus, ordinarius conſul, Romanorum denique & Italiæ factus Rex, in imperatorum gratiam, aliorum multorum more, Flauii prænomen non prætermiſit. Quod eius nepos Amalaricus, & pronepotes Herminigildus & Reccaredus ſuo ſibi iure vindicare potuerũt. Ex hactenus dictis, habeo vnde Fl. Amalaricus. Fl. Herminigildus, Fl. Reccaredus dici potuerint, nimirũ ille ab auo, hi à proauo mutuato prænomine, & probabili coniectura, quod ad Hermenigildum & Recaredum, per maternam lineam à Theodoſiis Honoriove, origine deriuata. Redeo ad Theodericum. *Is quum noſſet in Hiſpaniæ parte regnare Eutharicum Vitericifilium, Beremundi nepotem, ex nobili Amalorum ſtirpe deſcendentem, iuuenem impigrum, ac ſtrenuum, ad ſe vocato, filiam Amalaſuintham in matrimonium conlocauit, & conſulari dignitate honeſtatum, Fl. Eutharicum Amalum nuncupauit. Ex eo coniugio procreati ſunt Athalaricus & Mathaſuintha. Eutharico defuncto, Theodericus Amalaſuintham filiam, Athalaricum nepotem, & neptem Mathaſuintham ad ſe recepit. Et ſenio confectus, quum non diu ſe victurum intelligeret, ac prolem maſculam non haberet, Gothorum conuocatis primatibus, Athalaricum nepotem, vix decimum ætatis annum tunc agentem, pro ſe regem conſtituit, Fl. Athalaricum Amalum adpellatum, mandans, vt Senatum P. Q. R. amaret, & orientalem principem ſtudioſe coleret. Quod Athalaricus, & Amalaſuintha mater quamdiu fecerunt, per annos octo, & aliquanto plus, quiete regnarunt. Mathaſuintham Vitiges tyrannide obcupata, vel nolentem, ſibi fecit coniugem, Sed à Beliſario debellatus, vna cum vxore ad Iuſtinianum perductus eſt, vbi ſine liberis fato conceſſit. Mataſuintha autem vidua, Fl. Germano patricio, Iuſtiniani Auguſti ex ſorore nepoti, imperatoris iuſſu denupſit, peperitque, Fl. Germanum vocatum.* Hæc ex Procopio, qui ſub Beliſario duce militauit. Et heinc quoque habeo vnde meam alam atque ſtabiliam opinionem, adfinitatibus & cognatione, Auguſtorum Gothorumque regias ſibi inuicem fuiſſe obnoxias, Gothorumque in Hiſpania reges, ad decus & honorem ſuum pertinere prænomen illud exiſtimaſſe. Abſque hoc, quod ita gratiores ſe facerent Hiſpanis gentibus, quæ in Romanos iam pridem mores abierant. Adcipe iam Fl. Recaredi, de ſolo enim eo breuitatis cauſa loquar, cum gente Flauia cognationem, Recaredus Theodoſiæ fuit, filius, Seueriani nepos, Fl. Theoderici Amali pronepos. Amalaſuintha. Fl. Theodorici Amali filia Seueriani ſoror, magna Reccaredi amita fuit. Fl. Athalaricus & Mathaſuintha. Fl. Theoderici Amali nepotes. Fl. Eutharici Amali & Amalaſuinthę filii, Theodoſię Fl. Recaredi matris fuere amitini. Fl. Germanus iunior, Fl. Germani & Mathaſuinthæ filius, Fl. Iuſtiniani ex ſorore nepos, & Fl. Recaredus, inuicem ſobrini, vt Amalarici Fl. Theoderici Amali, ex naturali filia, quam Alarico Veſogothorum regi nupſiſſe ſupra diximus, nepotis conſanguinitatem omittam.

Theodo-

Theoderici concubina in Moſſia.	Theodericus Amalus, & Audefleda vxor.		Theoderici vxor in Hiſpania.
Vxor Sigiſmundi Burgund. regis.	Vxor Alarici Veſegoth. regis.	Amalaſuintha vxor Eutharici.	Seuerianus.
Amalaricus.		Athalaricus & Mathaſuintha vxor Germani, Iuſtiniani nepotis.	Theod[illegible]ſia vxor Leonigildi.
		Germanus iunior.	Herminigildus & Recaredus.

Verum hoc quod hactenus diſputaui, ſi parum procedit, age alia via, atque indagine, rem iſtam peruestigemus. Langobardi Germanica gens, à Narſe eunucho, ſed duce non inſtrenuo, propter Auguſtæ Sophiæ acerbum dictum, animo ex iniuria exaſperato, in Italiam ſunt ſedibus ſuis euocati. Quam ita obcuparunt, vt ſupra cc. annos tenuerint. Horum, poſt annorum decem ſub variis ducibus interregnum, in Italia rex fuit Autharus, ſiue Autharis, Clephonis filius, vt ſcribit libro tertio Paulus diaconus. Matthias Palmerius Daphonis, filium dicit. Tanta eſt in barbaris hiſce nominibus varietas apud auctores. Sed ego Paulo ex eadem Langobardorum gente oriundo magis adcedo. Sit igitur interea Autharus ſiue Autharis quuius velis filius. Hunc, inquit Paulus, etiam ob dignitatem, Flauium adpellauerunt: Quo prænomine omnes qui poſtea fuere Langobardorum reges feliciter vſi ſunt. En tibi & Langobardos Flauii prænominis amatores, ſumpto ab Authare principio, per Fl. Mauricii imper. tempora, ob dignitatem prænominis ipſius, quo Auguſti, Duces, Comites, & conſules vtebantur. Quid ni ergo, etiam ob dignitatem, Hiſpaniæ Reccaredus rex, qui tam propinqua ſanguinis communione gentem Flauiam contingebat, id prænomen adſumeret, quod in poſteros hæreditario iure transmitti poſſet? Sed vereor ne de Flauio prænomine longa commentatione tibi faſtidium attulerim. Quam tamen ideo protraxi diffuſius, quia Rodericus Toletanus pontifex, rei alioqui per ſe non ſatis apertæ, magnas ex negligentia tenebras obduxit. Nunc ad alia.

Poſtulas à me, ecquid inſigne memorandumve legerim, alterutrum Reccaredum in noſtra vrbe feciſſe. Nam ſi quid eiuſcemodi protulerim, omnem iam meam cum Kebedio, de Elboræ nomine concertationem diremturum te polliceris. De neutro apud nos quidquam adhuc legi. Miraberis forte id. Verum ego nolo, vt concepta maiore quam pro re de nobis opinione decipiaris. Ego vir doctiſſime, perpaucos rerum Hiſpanicarum ſcriptores habeo, perque parum iiſdem rebus operæ impendi, vitæ inſtituto ad alia me ſtudia neceſſario trahente. Quare ſi id quod à me petis, tu potius mihi potes ſuppeditare, per amicitiam te quæſo, vt eius rei participem me facias. non quidem dirimendæ controuerſiæ gratia, quam pro ſatis dirempta ego habeo, ſed vt eorum quæ ad meæ vrbis hiſtoriam pertinent neſcius ne ſim. Siſebuti regis tempore argentariam officinam cudendæ monetæ in hac vrbe fuiſſe adparet. Quod colligo ex aliquot argenteis nummis, apud nos ab hinc annos decem repertis. In iis, altera ex parte ipſius regis effigies eſt, cum hac Inſcriptione. D. N. SISEBVTVS REX ex altera vero, ſignum crucis ab extremo in extremum decuſſatim pertingentis. atque hæ in medio literæ. CIVITAS EBORA. per circumitum vero, hæ. DEVS ADIVTOR MEVS. Turres quoque vaſtiſſimæ duæ Siſebuto adſcribuntur, à Reccaredis geſtum apud nos nihil ſcimus.

Nec felicior ad reſpondendum ſum de Acoſta ſiue rege ſiue tyranno, percontanti. Quem an in mundo natus ſit, haud quaquam adhuc ſcio. De Emeritenſi concilio. reſpondebo expeditius. Titulus hic eſt, totidem iiſdemq; verbis. In nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. Synodum quod geſtum eſt in prouincia Luſitaniæ, apud vrbem Emeritenſem, quæ caput eius dignoſcitur eſſe. duodecim epiſcopis in vnū conlectis, die octauo iduum Nouembrium, anno 18. Sereniſſimi & piiſſimi Receeſuinthi regis, Era. DCCIV,

Sunt vero concilii capita viginti tria. Quæ quia diffuſiora ſunt, quam vt inſeri heic poſſint, prætermitto, integrum conſilium cum mea Luſitania, fauente numine, publicaturus.

Legi cum voluptate priſca oppidorum nomina, in antiquis nummis, vt adſeris, inſcripta, vellemque diſtinctius iſta intelligere. præcipue quid ſibi velit, EBORA, CLARITAS IVLIA. Nam ſi ad noſtram vrbem referri id autumes, ea non Claritas Iulia, ſed Liberalitas Iulia cognominatur, Plinio referente, & vetuſtis marmoribus palam atteſtantibus. Attubi, Aſtigitani conuentus oppidum, Claritatis Iuliæ cognomen habuiſſe, ex Plinio didici. Nec aliud eodem cognomine vſquam in Hiſpania legi. Oro ergo te, vt denuo ipſum nummum, vel mea cauſa, inſpicias, & exacta diligentia inſcriptionem recognoſcas. Aduerte fatui palati mei faſtidium. Gothorum regum numiſmata, non raro apud nos in veteribus ruinis reperiuntur. Quæ aliquando ad me adlata, propter barbaram litterarum diſtortionem, nō magni hactenus pendebam, quum tamē ab Romanis illis ſeculis, nummationem non mediocrem ſedulo compararim. Eius me modo ſtultitiæ ſero pœnitet. Tuam in congregandis antiquis inſcriptionibus diligentiam, merito laudo. Nec opus eſſe arbitror, admonere te virum talem, vt non facile alienæ fidei credas, niſi tu te lapidem inſpexeris. Multa enim adferri ſolent cōmentitia. Multa quoq; parū fideliter exſcripta. Quod finxit, quiſquis fuit, Cyriacus Anconitanus, dum antiquarii famā etiā ab ementitis, aucupabatur? Quā perperā pleraque, vt omittam ficta, non ſolum Petrus Apianus, & amicus meus Amantius, in libro cui, Inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis, nomen fecerunt, & ii qui Germanicas & Auſtriacas ediderunt antiquitates, ſed qui Romanas etiam atque Italicas? Eruditium non vulgariter, & prope ad ſuperſtitionem vſque religioſum oportet eſſe, eum qui vetuſta monumenta deſcribit. Adfecit me ſtupore Complutenſium, pro receptis poſtliminio ſanctorum martyrum Iuſti & Paſtoris reliquiis, ſimul publica hilaritas, ſimul profuſa magnificentia. Ego nondum annos decem & treis exceſſeram, quum iſtheic, curante matre, nam patre orbatus pridem eram, Antonio Nebriſſenſi præceptori operam dedi. Sed coorto inter funebria iuſta, quæ Cardinali academiæ patrono, per eos dies mortalitatem exuto, ſoluebantur, neſcio quo inter municipes & ſcholaſticos tumultu, abductus inde ſum. Ea tempeſtate, neque tam validum, neque tanta opulentia oppidum eſſe videbatur. Verum creuit academia, magiſtris ſemper eruditiſſimis florens, eoque confluxere lectiſſimi adoleſcentes, ſummorum hominum liberi. Quo effectum eſt, vt nulli vrbium Complutum iam cedat. Sed ego videor tam magnifici adparatus quaſi choragum, & inſtinctorem internoſcere. Quæ de inſcriptione templi eorum martyrum ab Alphonſo Chiaconio ex me mutuata dicis, nihil miri eſt parum te explicate adcepiſſe. Nam ille, vt eſt earum rerum auidus, biduo quod apud me fuit, dum ſchediázein feſtinat, me neque vrgente, neque ad ſumendum quæ vellet horas præſcribente, multa arbitrio ſuo conferſit, congeſſitque potius, quam digeſſit. Rem ſi explanatius ſcire deſideras, ſic adcipe.

Exarrama fluuius a noſtræ vrbis ſuburbanis, ac pæne ex pomerio primo tenuiter ortus, deinde emendicatis fluentis auctus, & mixtus Calipodi validiori flumini, in ſinum Salacienſem iam nauigiorum capax ingreditur. Iuxta fluminis huius ripam, antequam Calipodi miſceatur, paulo infra Terranum oppidum, fanum olim fuit, Ioui ſacrum. vbi cippi aliquot ſcripti etiam dum perdurant. id fanum inualeſcente Chriſtiana pietate dirutum, & poſtea refectum, in ſanctorum martyrum templum eſt commutatum. Nec veteres cippos pii homines aboleuerunt, ſed addiderunt titulum huiuſcemodi, quem cum ſuis ſolœciſmis adponam. Petoque abs te, vt litteris ſupra titulum mutuo inter ſe complicatis, pauxillum operæ impendas. Ego enim extricare atque enodare minime potui.

✠ HVNC DENIQVE EDIFICIVM SANCTORVM NOMINE CEPTVM, IVSTI ET PASTORIS MARTIRVM QVORVM CONSTAT ESSE SACRATVM CONSVMMATVM EST OC OPVS. ERA. DCCXX.

Poſtremo ſcire expetis probemne tuam in perueſtigandis vrbium antiquitatibus rationem, capta ab iis quæ de Compluto feciſti coniectura. Si ad hoc exemplum vrbeis cæteras proſequare, probo & quidem valde. Hoc enim eſt antiquitatem ab interitu vindicare, atque efficere, denuo vt iuueneſcat. Non autem frigidiſſimis etymologiis, & male fartis fabulis ariolari. Tu meam ſimiliter rationem ex iis quæ pro Pacenſi colonia diſputaui, potes animaduertere. Sermocinandi tecum deſiderio, in loquacitatis vitium credo vix ſentiens incurri. Sed ita res tulit, vt alias in ſcribendo breuitatis amator, euitare nequiuerim prolixitatem. Vincentium meum, quem deſiderare te ais, mitto, & epiſtolam quam

Philippo

Philippo clariſſimo regi, per hos dies, à ſacris Cineralibus, ſcripſi. Carmen quo regi noſtro ætate quidem tunc puero, verum indole excellēti non puero, permiſſam regni gubernationem ſum gratulatus, vna mitto. Quod ſuppreſſi hactenus, contentus ſoli regi animū meum ſignificaſſe. Nunc partim importunis amicorum poſtulationibus, partim quia tibi, quantū ex te intelligo, poetices amatori, gratum fore exeſtimo, edendum curaui.

A Kebedio, quem è vita deceſſiſſe ægerrime tuli, poſtularam Iuliani Pomerii, & Iſidori Pacenſis ſcripta, ſi in Toletanæ eccleſiæ bibliotheca forte reperirētur. Hæc eadem, quæ apud te maiori eruditione hominem, diligentem hiſtoriarum ſcriptorem, veterumque librorum ſupellectile inſtructiorem, reperiri non ambigo, forſitan inuerecunde ſed tamen enixiſſime peto. Vale, & quem ingenii tui bonitate amare cœpiſti, eadem viciſſitudine iam addictum, amare perge. Eboræ, 14. Kalend. April. M. D. LXX.

IO. ANTONII VIPERANI
DE OBTENTA PORTVGALIA A REGE CATHOLICO PHILIPPO HISTORIA.

SERENISS.^{mo} PRINCIPI

Alberto S. R. E. Card. Legato.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ, AC PRO REGE PHILIPPO IN PORTVGALIÆ regnis Gubernatori

IO. ANTONIVS VIPERANVS.

HISTORIAM *Sereniſsime* ALBERTE, *quam de obtenta Portugalia à Rege Catholico Philippo, auunculo tuo, ſcripſi, quod res nouas, & varias contineat, bellicas & ciuiles, ac graues & inopinatos rerū euentus, non ſolum profuturam, ſed etiam ſatis delectaturam putaui. Continet enim miſerabilem Portugalenſium regis Sebaſtiani necem in Mauritania cum duorum regum Maurorum interitu; & Henrici S. R. E. Cardinalis, qui poſt Sebaſtianum in Portugalia regnauit, ad declarandum ſucceſſorem ſuum acta; tum eorum iura, qui in petitione regni concurrerunt; deinde quorundam Portugalenſium motus contra Regem Catholicum Philippum, cuius in Portugaliā ius optimum eſſe iudicabatur: poſtremo victum profligatumq; Antonium, quem aliquot Portugalenſes Philippi aduerſarii regem creauerāt. Nec de huius hiſtoriæ fide quicquam dubitandum cuiquam eſt. quæ ita vere narrat omnia, vt nihil in ea falſum fictumq; ſit omnium ſententia, qui rebus ipſis interfuerunt. Debetur autem Sereniſsime Alberte tuo nomini huius hiſtoriæ dedicatio vel ob hanc maxime cauſam, quod pro rege Philippo auunculo tuo ipſam Portugaliam ſumma cum prudentia & æquitate regis, auunculo pariter et Portugalenſibus charus: atq; ipſam expectationem ſupera, quam de tuo ingenio, & virtute conceperamus. Sed & meæ famæ conſultum bene fuerit, ſi meì patrocinium pro tua benignitate ſuſceperis.*

IO. ANTONII VIPERANI

DE OBTENTA PORTVGALIA A REGE CATHOLICO PHILIPPO HISTORIA.

PORTVGALIA eſt in extrema Hiſpania, quæ in Occidentem vergit, ac magnam Luſitaniæ partem continet, quæ eſt tertia pars totius Hiſpaniæ. Nam Hiſpania omnis in tres diuiſa eſt partes: quarum vnam Bæticam, alteram Tarraconenſem, tertiam Luſitaniam appellarunt. Quæ quidem à Tarraconenſi, qua parte ad Septentriones erigitur, flumine Durio; à Bætica flumine Ana diuiditur, qua ſpectat in Orientem; cæterum ab occaſu Solis & meridie Oceano cingitur. Eſt autem (vt Luſitanarum rerum ſcriptores prodiderunt) à portu oppidi Calis ſic appellata Portugalia, quod M. circiter & D. paſſ. à litore diſtat, & Durio imminet, vbi in Oceanũ influit. quippe ab eius portus celebritate ex frequentia mercatorum vndiq; commeantium quod erat vnius loci proprium nomen in vniuerſum regnum deriuatum eſt. Vnde idem regnum modo Portugalia, modo Luſitania nominatur. Hæc Gregorio XIII. Pont. Max. ſub rege Sebaſtiano huius nominis primo, reliqua Hiſpania ſub rege Catholico Philippo II. erat, Caroli V. Imp. F. Sed in prælio à Mauris interfecto Sebaſtiano, & Henrico S. R. E. Cardinale, qui poſt Sebaſtianum regnum obtinuit, vita functo, ad regem Philippum propinquitatis iure peruenit. Verum operæpretium eſt prius Sebaſtiani interitum, & Henrici acta breuiter enarrare, quam explicem quo modo rex Philippus Portugaliam adeptus ſit. Sebaſtianus iuuenis natura ferox, magna vi corporis, auidus imperii (quam cupiditatem præceptorum cohortationes, & aſſentatorum blanditiæ magis ac magis accenderant) ardebat animo vel in Indiam nauigare, vel in Africam ſe traiicere, vt nationes à Chriſtianorum moribus & inſtitutis alienas ſuæ ditioni ſubigeret. quibus in regionibus olim multæ vrbes à Portugalenſibus parua manu, magna cum gloria captæ, & imperio Portugalenſi adiunctæ ſunt. Ac primo in Mauritaniam Tingitanã cum paucis tranſmiſit, vt regionẽ, ac loca, & oppidorum ſitus perſpiceret: nec multo poſt deinde à Mahomethe Marrochenſium & Feſſenſium rege contra patruum ſuum Moluchum, à quo regnis ſpoliatus fuerat, rogatus auxilium ad bellum Mauritanicum toto pectore incubuit: ac contra Mahomethis ſententiam & voluntatem arma contra Moluchũ ſuſcepit. Nam Mahomethes tantum auxilia contra Moluchum petebat, &, ne cum exercitu in Mauritaniã tranſiret, enixe regem Sebaſtianum orabat, vt ne quid Mauri de eius aduentu ſuſpicarentur, quod non ad ferendum auxilium, ſed ad occupandam Mauritaniam veniret. qua Maurorum animis iniecta ſuſpicione (porro facile credimus quæ timemus) nec qui ſecũ eſſent, cõtra Moluchũ pugnarẽt; nec qui cum Molucho, ad ſe vnquã transfugerent. Spem vero recuperandorũ regnorũ ſe non ſolum ab his, qui ſecum erant, ſed et[iam] ab illis, qui Moluchum ſequebãtur, accepiſſe: quod ad ſe transfugere conſtituiſſent, ſi defendendi ſui vires aliquas habuiſſet. At Sebaſtianus bellũ ipſemet contra Moluchum pro Mahomethe gerere voluit, ratus occaſionẽ occupandi vniuerſam Mauritaniam ſibi tunc diuinitus oblatam: è qua Turcam excluderet, & religionem Chriſtianam inferret, ac ſibi Marrochenſium imperatoris nomen acquireret. Nec multa diſputatione res in Portugalenſium concilio agitata eſt, licet longa diſputatione indigeret. quippe cum eius voluntatem obſtinatam viderent, maxima pars idem velle cum rege, ac ſentire ſimulauit; pauci, quos regis, regnique charitas mouebat, bellum diſſuaſere: quod non parum metuendum eſſet de Maurorum vana fide, de regis Sebaſtiani iuuenili furore, de regni orbitate, ſi quis aduerſus caſus regi eueniret. Atque etiam rex Philippus ipſius Sebaſtiani auunculus, cui vnam è duabus ſuis filiabus in matrimonium dare cogitabat, ad ædem S. Mariæ ad Aquas Lupias in Caſtella: vbi reges ambo conuenerãt, vt de multis inter ſe rebus diſſererent, plurimis rationibus illius animum ab hoc bello retrahere conatus eſt. Monebat ne bellum temere ſuſciperet, quod eſt conſilio, non caſu gerendum; neue infidis fidem vllam haberet. Mauros ingenio eſſe mobili & infido, quibus pulchrum eſt fallere, præſertim Chriſtianos, quos acerbe & penitus odere: non iuriſiurandi religione tangi, non beneficiorum & amicitiæ

Ana vulgo Guadiana.

Cale hodie Porto.

Aquas Lupias vulgo Guadalupe.

Larache olim Lixa.

citię memoria moueri, ſemper cum fortuna fidem mutare. eundẽ, quem nunc amicũ putat, mox ſibi hoſtem futurum: bellumq; totum poſtremo in ſe vnum conuerſum iri. Reputaret animo ſibi cum paucis contra innumerabiles copias in alienis ſedibus ſuo cum periculo pro alterius cõmodis pugnãdũ. Ne fortunã tentaret, & in diſcrimẽ ſe, remq; ſuã incõſulte cõiiceret: Euentus quidẽ belli incertos eſſe, ſed raro voluntatib. hominũ reſpondere. Quod ſi tandem in Mauritania bellum facere deſtinaſſet, Larachem expugnandam curaret, maritimum, & ad res multas oportunum oppidum: vnde piratas Mauros & Turcas eiiceret, atque in Hiſpanias Afris tranſitum præcideret. ſe ad hoc bellum ei cum L. triremibus V. millia veteranorum militum Hiſpanorum miſſurũ. Nec vero tamen ipſe bello intereſſet, ſed alicui ſtrenuo, & rei militaris ſcienti duci adminiſtrandum committeret: ipſe ſuo in regno remaneret, iuuenis, relictus vnicus regni hæres, necdum vlla ſuſcepta ſobole, nec ducta vxore. Iiſdem quoque rationibus alii regis Philippi aulæ primarii, quos interdum Rex ſubmittebat, vt idem confirmarent, ab huius belli cura Sebaſtianum reuocare moliti ſunt. At fruſtra omnis oratio. Nam quamuis diceret ſe Larachem tantum armis oppugnaturum, tamen ſemper animo bellum contra Moluchum agitabat, vt aliqua illuſtri victoria ſe, nomenq; ſuum nobilitaret. Sed neque Henricus S. R. E. Cardinalis, patris patruus, neque regina Catharina auia monendo, ac rogando ne bellum ſumeret indignum ſe, neque neceſſarium, & importunum, iuuenis, ſine prole, ac belli neruis, quicquam eius animum flexere: qui non tantum Mauritaniam, ſed vniuerſam Africam cogitatione inuaſerat: & cui ab aſſentatoribus perſuaſum erat neminem poſſe armorum Portugalenſium impetum ſuſtinere, cæcus ad optatum bellum rapiebatur. Augebatq; ſpiritus Arzilla oppidum in Mauritania illi Moluchi odio ab Abdelcherino præfecto traditum. Ergo totus deinceps animo & opibus huic bello inſiſtens, naues inſtrui, nautas & gubernatores conquiri, milites ſcribi, exercitum cogi, arma, tela, tormenta, & quæ ad bellum vſui forent comparari iuſſit. Omnis nobilitas cum armis & equis regi præſto fuit. quandoquidem Portugalenſes fideliter & amanter ſuum regem colunt. M. D. equites, pedites ad XV. M. coacti ſunt: ſed eorum maxima pars rudis & iners. Claſſis maiorum nauium onerariarum LX. triremium VII. præter alia diuerſorum generum minora nauigia numero fere D C C C. Igitur rebus omnibus ad profectionem comparatis anno M. D. LXXVIII. IX. Kal. Iulii Olyſſipone ſoluit, ac Gades tenuit. vbi à ſapientioribus viris tandem ſibi perſuaderi ſiuit Larachem ſolum petere, non alio exercitum ducere. Deinde hac mente hinc recta in Mauritaniam traiecit, atque ad oppidum Tingim, quod in Portugalenſium poteſtate eſt, claſſem applicuit. quo in loco Mahomethes cum paucis Mauris illi præſtolabatur: ac ſecundam nauigationem gratulatus eſt, & de allatis auxiliis gratias egit; ſed rationem iuuandi ſe contra Moluchum reprehendit. Negabat enim regem ipſum in Mauritaniam venire oportuiſſe, quod eius præſentia ſuorum bellandi ſtudium reſtinctura, & aliorum à ſe animos alienatura eſſet. quoniam Mauris omnibus à Chriſtianis metus eſt, ne tandem ſocietatis ſpecie decepti hoſtile aliquid patiantur. Quamobrem tantum vt aliqua ſibi contra Moluchum auxilia daret poſtulauit. Cui rex Sebaſtianus reſpondit ſe nihil niſi de conſiderato & explorato conſilio feciſſe, atque facturum. Tum Mauris militibus Mahomethis iuſſis terreſtri itinere Arzillam ire (quod oppidum ab Abdelcherino regi Sebaſtiano traditum ſupra memoraui) ipſi reges occidentalem Africæ oram legentes eodem claſſem appulerunt. At Moluchus, qui ingentem equitum & peditum numerum comparauerat, profectuſque Marocho montes, quos Sus vocant, circumierat, præſidia certis locis diſpoſuerat, quos ad defectionem ſpectare cognouerat, punierat, dubios confirmauerat, ac demum in Taſmena loco plano, & opportuno haud longe ab Alcaſſarequibirio caſtra fecerat, poſt nunciatum ſibi regis Sebaſtiani aduentũ, & claſſis ad Arzillæ litus appulſum, Agmethem fratrem cum III. M. equitum & II. M. peditum Arzillam verſus miſit hoſtium conſilia exploratum. Verum Sebaſtianus poſtquam Arzillam nauibus attigit, XX. M. paſſ. ab Arzilla Larachem terra petere conſtituit. Itaque milites, arma, tela, tormenta in terram exponi, ac militibus in dies VIII. cibaria diſtribui, & claſſis præfectum Larachem adnauigare iuſſit. Ergo Arzilla proficiſcuntur; atque iter ad flumen Almechazem XXVII. M. paſſ. hinc dirigunt: quo tranſito Larachem flectant. Quam rem Moluchus ex transfugis & ſpeculatoribus cognoſcens, lętus caſtra contra hoſtem mouit: atque ad Alcaſſaremquibirium conſedit. At Mahomethes quem in via certiorem perfugæ faciunt de maximo hoſtium numero, & de Moluchi mortifero morbo ex dato (vt ſuſpicio erat) veneno, Sebaſtianum vehementer orat atque obſecrat, ne longius progrediatur, quoad certum de Moluchi valetudine nuncium accipiant: cui grauiſſime ægrotanti mors inſtare creditur. poſt eius mortem Mauri-

Arzilla olim Zilia.

Gades vulgo Calez.

Tingis vulgo Tanger.

taniæ principes ad ſe illico tranſituros. Sic bellum ex voto ſine prælio & vulnere confectum iri. Sed rerum neceſſariarum penuria & Sebaſtiani feruor animi nullam moram ſuſtinent. Iam ad flumen Almechazem peruenerant, quod per apertum campum Alcaſſariſquibirii fluit X. M. paſſ. hinc Alcaſſarequibirio: nec toto itinere Maurus vllus vſquam uiſus fuerat. quæ res prudentioribus viris à callido & potente hoſte metum iniecit: quod fluminis tranſitum Chriſtianis liberũ reliquiſſet, vt poſt tranſitum ſeſe illis in patẽte campo cum maximis copiis oſtenderet, atque ad neceſſarium certamen pertraheret. Nec res aliter euenit. Nam vt Sebaſtianus flumen tranſmiſit, & in planiciem euaſit, ac III. m. paſſ. à flumine progreſſus eſt, hoſtes vndique aduolare conſpecti ſunt. quorum aſpectus rerum bellicarum inſolitos non mediocri metu affecit. Et quamuis pugnæ conditio iniqua eſſet in patente omni ex parte campo paucos pedites cũ magna equitum multitudine congredi, tamen cibariorum inopia, quæ iam conſumpta erant, & hoſtium propinquitas, quæ nullum facilem Portugalenſibus receptum dabat, ad pugnandum eos cogebat. Atque etiam Sebaſtianus turpe exiſtimans detrectare certamen, aciem inſtrui, & in hoſtem dirigi iuſſit. Et Moluchus propius accedẽs acie in orbem mediũ inſtructa, è lectica qua decũbens vehebatur, in equum imponi ſe voluit, vt hoſtilem exercitum cerneret. quem procul à flumine in lata planitie conſpiciens, conuerſis ad ſuos oculis, Viciſtis, inquit, plures contra pauciores, loco etiam vobis æquiore pugnabitis. Nolite pati tam præclaram victoriam vobis e manibus elabi. Signum igitur pugnæ vtrinque datur: ac primo congreſſu pulſus Maurus: ſed mox omnis equitum & peditum à tergo & lateribus circumfuſa multitudo exercitum Portugalenſem breui vndique circumuenit, permultos cecidit: reliquos victos cepit, ſuorum paucis dẽſideratis pridie Non. Auguſti. Ipſos quoque reges alium alius caſus oppreſſit. Sebaſtianus in acie fortiter dimicando mortem occubuit: Mahomethes in fuga errore vadi merſus in flumen Almechazem interiit: Moluchum in ipſo pugnæ initio in lectica morbus extinxit. quorum calamitatem ardens cometa prænunciauerat. Sic Portugalenſium regis Sebaſtiani iuuenilis ardor ex inſcientia & audacia miſerabilẽ caſum inuenit. qui alioquin ſi ingentem illum ſuum ſpiritum doctrina & ratione rexiſſet, ob egregias animi corporiſque dotes profectò vir ampliſſimus ac clariſſimus euãſiſſet. Ad huius cladis nuncium magnus mœror vniuerſam Portugaliã inuaſit. Dolebant regis necem, regni vires afflictas, nobilitatem amiſſam, Luſitanæ virtutis gloriam neſcio quid obſcuratam. Cognitumque eſt ſapienter & vere dictum eſſe, Væ regno, cuius rex puer eſt. Poſt regis Sebaſtiani interitum Henricus S. R. E. Cardinalis, quod ſolus de virili Portugalenſium regum legitima ſobole ſupereſſet, communi omnium ordinum conſenſu regni gubernacula prehendit. Tunc Rex Catholicus Philippus II. in Portugaliam legauit Chriſtophorum Moram nobilem Olyſſiponenſem, domeſticum ſuum, cuius fidei & prudentiæ fidebat, vt regem Henricum, & Portugalenſiũ primarios de ſuo in Portugaliæ regnum poſt ipſius Henrici mortem iure doceret: quoniam filius ſororis Henrici natu maximæ, ac mas eſſet, atque omnes qui ius aliquod in idem regnum haberent, ætate præiret. Quam legationem Chriſtophorus egregie obiit. Cum autem Henricus infirma valetudine, & ætate prouectum ſe videret, veritus ne ſi vita decederet nõ declarato ſuo ſucceſſore, variæ nobilium diſſenſiones, & graues populi motus fierent, hanc cogitationem ſuſcepit, vt eorum, qui ius aliquod in Portugaliæ regnum habere cenſerentur, rationes diſpiceret: atque illum deinde renunciaret Portugalenſium regem, ad quem regni ſucceſſionem iure pertinere cognouerit. Ac grauiter tulit, quod Antonius Ludouici fratris ſui filius ſpurius, natus ex concubina obſcuris orta parentibus, iudæis, vilium rerum venditoribus, nuper ad Eccleſiam Chriſtianam admiſſis, atque olim in ſacrum Eccleſię Diaconorum ordinem receptus, poſtea miles Hieroſolymitanus factus, quanquam à Pontifice maximo his legibus, quæ ſpurium initiari, & initiatum fieri militem vetant, abſolutus, regnum petere auderet, aſſerens matris ſuę nuptias legitimas fuiſſe. Diuque dubius fuit vtrum illi iudicium concederet, an non. Nam actionem dare, quam leges adimunt prohibentes ſpurios in regni hæreditatem vocari, iſtud erat plures lites ſerere: at ſi non dediſſet, quia maxime popularis eſſet, timebat ne multa miſceret atque turbaret. Tandem ad dandam illi actionem inclinauit, atque in iudicium admittendum duxit, è quo plane excludendum intelligebat, quoniam facile ſpurius eſſe conuinceretur: vt male exiens iniquitatem ſuæ cauſæ doleret, non alterius iniuriam quereretur; & illius fautores in errorem inductos ſe eſſe perciperent: ſibi autem deinceps iure liceret & Antonii, & ſtudioſorum eius inſolentiam & contumaciam vindicare. Ac Gregorium XIII. Pontificem maximum rogauit, vt cauſam de nuptiis matris Antonii, cuius iudicium ad ſedem Apoſtolicam ſpectaret, in Portugalia agi ſineret, atque iis iudicibus, quos ipſemet Pontifex voluiſſet, iudicandam permitteret; quia

plurimum

plurimum intereſſet ad communem Portugaliæ tranquillitatẽ mature, qui poſt ſe regnet, ante ſuum obitum declarari; cum ſenex, & valetudinarius ſit, multaq; à factioſis hominib. contra Rempub. ſtruantur. nec vero ante cognitam cauſam de nuptiis matris Antonii regem denunciandum. Cui poſtulationi Pontifex benigne conceſſit: ipſumq; Henricum cauſæ iudicem præpoſuit. Henricus igitur de regni ſucceſſione iudicium conſtituit, & eos, qui actionem aliquam petendi regnum habere putabantur, citauit, vt ad ſtatum diem adeſſent; ac pro ſe quiſq; experiretur. nominatimq; citauit regem Catholicũ Philippum, Emanuelem Philibertum Ducem Allobrogum, Catharinam Ioannis Ducis Brigantini vxorem, Rainutium Farneſium filium Mariæ ſororis Catharinæ, & Antonium Ludouici fratris ſui filium. Sed iſtorum inter ſe, & cum rege Henrico affinitatum vincula explicanda ſunt, quo cuncta melius cognoſcantur. Portugalenſium rex Emanuel, cuius egregia virtus fuit, & nomen toto orbe terrarum illuſtre, ex Maria Ferdinandi Aragonenſium Regis & Iſabellæ Caſtellanorum reginæ coniugum filia I X. liberos ſuſcepit, Ioannẽ, Iſabellam, Beatricem, Ludouicum, Ferdinãdum, Alfonſum, Henricum, Odoardum, Antonium. Ioannes omnium primus poſt patrem regnauit huius nominis tertius: atq; ex Catharina Caroli V. Imp. ſorore filium habuit nomine Ioannem. Is viuo patre obiit, atque vnicum filium Sebaſtianum ex Ioanna Caroli V. Imp. filia reliquit. quem iuuenem à Mauris interfectum in prælio ſupra demonſtrauimus. Iſabella Carolo V. Imp. nupſit: cuius ſatu editus eſt rex Philippus. Beatrix coniuncta in matrimonio Carolo Philiberto Duci Allobrogum Emanuelem genuit. Ludouicus ex concubina Antonium procreauit. Ex Odoardo Maria, quæ Alexandro Farneſio Octauii Ducis Parmenſis F. nupta Rainutium peperit, & Catharina ducis Brigantini vxor nata eſt. Ferdinandus ſine liberis obiit: Antonius migrauit infans è vita: Alfonſus & Henricus in S.R.E. Cardinalium collegium cooptati ſacris initiati ſunt; ſed alter è vita exceſſerat, alter ſolus è filiis regis Emanuelis ſuperſtes in regis Sebaſtiani demortui locum ſucceſſit. Quapropter cum Henrico deuincti cognationib. & affinitatib. erant rex Catholicus Philippus ex Iſabella, Emanuel Philibertus ex Beatrice, Antonius ex Ludouico, Rainutius ex Maria Odoardi filia, Catharina ex eodẽ Odoardo prognata: quorum parentes iam hanc vitam deſeruerant, ipſi in petitione regni concurrerunt. Dux Brigantinus & Antonius ante regem Henricum Olyſſipone omniũ Portugalenſium vrbium principe in iudicio adfuerunt, alter Catharinæ vxoris ſuę ius defendens, alter ſuam per ſe ipſe cauſam agens. At Rainutius Farneſius Ferdinandum Farneſium Epiſcopum Parmenſem pro ſe cognitorem allegauit. Emanuel Philibertus licet Regis Philippi ius ſuo melius eſſe ſciret, tamen quia ius ſuum cæterorum iurib. potius eſſe intelligebat, vt de ſucceſſione quæſtio omni ex parte agitaretur, atq; omnis dubitandi ratio tolleretur, Carolum à Ruuere iuris ſui vicarium miſit. Rex Philippus Petrum Gyronium Ducem Oſunæ potentem & honoratum principem legauit cum Chriſtophoro Mora (quem etiam ante ſolum ſtatim poſt regis Sebaſtiani mortem legauerat) duobuſq; delectis iuriſperitis Roderico Vaſchio ab Arce & Ludouico Molina. *Oſuna non-nullis* [illegible] Interim quoq; rex Henricus totius regni concilium conuocauit: in quo ordinibus edixit, quoniam de ſucceſſione in Regnum controuerſia longiorem diſceptationem poſtularet, ipſe vero grandis natu, & ægra valetudine eſſet, vt I X. ex omnibus nobiles viros legerent in Luſitanis prudentia & dignitate præſtantes: è quibus ipſe V. ſeligeret; qui, ſi diem obire ſibi cõtigiſſet ante litem regni diiudicatam, ipſi regnum communi conſilio & authoritate gubernarẽt, donec iudicatum de ſucceſſione eſſet. Inſuper XXIV. iuriſperitorum delectum haberent doctrina & probitate excellentium, è quorum numero ipſe XI. excerperet, qui de regni ſucceſſione cognoſcerent, ac iudicarent: eorumq; ſententiis cui regnum adiudicatum foret, traderetur. Gubernatorum vero & iudicum nomina ſecreta dum viueret apud ſe habiturum, ne cui fas ſit corruptelam aliquam iudicii moliri. Præterea voluit omnes ordines, & Ducem Brigantinum pro Catharina vxore, & Antonium iurare gubernatorum ac iudicum ſententiis & decretis ſe plane ſemper obtemperaturos. Quæ Portugalenſibus non ingrata fuere; quod ſperarent hac via regnum non niſi alicui Portugalenſi principi adiudicatum iri: quamuis aliqui nullam omnino rationem externorum haberi maluiſſent. Igitur cauſa agitur: & quiſque ius defendit, cuius eſt cognitor. At vero Catharina Henrici I I I. Gallorum regis mater etſi ad idem iudicium vocata non fuerat, tamen Vrbanum à ſancto Gelaſio Epiſcopum Comingenſem miſit, qui Portugalenſium regi ius exponeret, quod ipſa in Portugaliæ regnum haberet. Referebat Alfonſum huius nominis tertium Portugalenſium Regem, fratrem Sancii, cui Carpeli cognomen fuit, antequam Regnum obtinuiſſet, habuiſſe in Gallia vxorem Matildam, ex eaq; filium ſuſcepiſſe Rodulfum dominum Bononiæ in Galliæ oppidi: deinde poſt obtentum regnum vxorem duxiſſe Beatricem filiam Alfonſi X I. *Bononia olim Geſſoriacum.*

Regis Caſtellæ, atque ex ea Dionyſium genuiſſe. Quare Portugaliam ad Rodulfum ex priore coniugio natum obuenire debuiſſe, non ad Dionyſium ex vxore ſecunda procreatum: eademq; ratione ad Rodulfi potius, quam ad Dionyſii nepotes pertinere. Reginam Catharinam a Rodulfi nepotibus maternum genus ducere. Qua oratione non modo regnum poſcebat, verum etiam ipſum Regem Henricum, & quotquot ab Alfonſo Reges fuere, male captæ Portugaliæ hęreditatis accuſabat. Vnde quoniam par non erat ſtultam legationem cenſere, à quibuſdã exiſtimatũ eſt Epiſcopum Comingenſem ſpecie quidem petendæ Portugaliæ hæreditatis, ſed re vera miſſum, vt cum Portugalenſibus ſecreto aliquid contra Regem Philippum ageret. quem Galli, qui cum Hiſpanis continuas ſimultates exercent, videbant omnium Chriſtianorum Regum, quotquot vnquam fuere, ex Portugaliæ poſſeſſione potentiſſimum fore. Quod Catharinæ ius, quia nullum omnino erat, quoniam ex rerum Portugalenſium, Gallicarum, & Belgicarum monumentis conſtaret. Alfonſum nullos ex Matilda liberos ſuſcepiſſe; & Robertum, qui poſt obitum Matildæ Comitatum Bononiæ obtinuit, non ex Matilda, ſed ex Matildæ ſorore Alida Claramontis & Aruerniæ Comitis vxore natum fuiſſe, ab omnibus neglectum eſt: mens tamen, & voluntas à quibuſdam probata. Et Antonius iuſſus matris ſuæ nuptias legitimas oſtendere quattuor teſtes dedit, duos è nouis, materteram inquam ſuam, & matertere maritum, duos è veteribus Chriſtianis ortos; quos ſubornauerat, vt rogati de matris ſuę nuptiis dicerent legitimas fuiſſe, ſeq; ipſis interfuiſſe. Qui ortum è veteribus Chriſtianis ducunt, conſcientia conuicti faſſi ſunt ſe quidem ab Antonio inſtructos fuiſſe, vt affirmarent eius matrem Ludouico patri legitime nupſiſſe, re vera tamen ſe nihil de hoc matrimonio ſcire. At materteræ maritus & matertera teſtificati ſunt verum & legitimum connubium fuiſſe, ſeq; ipſis nuptiis interfuiſſe. Verum minutatim de loco, tempore, & his, quæ factum circunſtant, interrogati cum inter ſe diſſentirent, neque eorum conſtaret oratio, Rex Henricus ipſos tanquam aperte fictos falſoſq; teſtes in carcerem coniici, & debitis ſuppliciis affici iuſſit: ipſumq; Antonium ſedens iudex cum IV. Epiſcopis, totidemq; iuriſperitis, quos ad cognoſcendam ſecum cauſam adiunxerat, pronunciauit ſpurium eſſe non modo omnium opinione ſemper ita habitum, ſed etiam à Ludouico patre voce, ac ſcripto ſæpe, ac demum teſtamento renunciatum: ſua quoq; confeſſione conuictum, quod olim à Iulio III. Pont. Max. quibuſdam legibus, quæ contra ſpurios ſunt, abſolui poſtulauerit; abſolutuſq; ſit. Nec multi à lata ſententia dies interceſſere, cum à prioribus alteræ Gregorii XIII. Pontificis Maximi litteræ vel Antonii rogatu, quod alios, quam Portugalenſes iudices appellaſſet, vel Alexandri Frumenti in Portugalia Nuncii Apoſtolici opera, qui cum Antonio magis facere, quam cum Rege Philippo exiſtimabatur, Regi Henrico redditæ ſunt: quib. Pontifex maximus priores ſuas literas interpretatus, quod in illis Antonii cauſam agi tantum in Portugalia, non etiam iudicari ſenſiſſet, aperte iubebat ne in Portugalia iudicaretur, ſed iudicanda Romam ad ſe tranſmitteretur. Quod Rex Henricus ſatis acerbe accepit: queſtuſque his literis non modo authoritatem ſuam immerito contemni, & integritatem in tam aperta cauſa violari, ſed etiam diſſenſiones ciuiles ali, & Reipub. Portugalenſi ex variis motib9 occaſum afferri, aſperius, quam eius mores ferebant, Pontifici reſcripſit. Atq; illum hoc etiam male habuit, quod ſentit Romæ per nouos Chriſtianos, quorum ortus à Iudæis eſt, agi, vt de Antonii cauſa iudicium, cuius maternum genus ex Iudæorum ſtirpe profectum eſſe ſciunt, prolatetur: quoniam in magna ſpe habent ipſum aliquando ab omnib. Regem creandum, ſi nullus denunciatus Rex ſit. Cum vero intelligeret Antonium contra iuſiurandum, quo iurauerat ſe re iudicata ſtaturum, ac nihil contra moliturum, multa mouere, ac modo plebem, modo ciuitatum & Dynaſtarum procuratores ambire, hortari, rogare, multaq; illis polliceri, vt ſe Regem creent, quod Regis creatio ad ipſos pertineat, iuſſit illum ex vrbe Olyſſipone, totoq; vrbis agro intra certum diem excedere: edixitq;, ne poſthac Olyſſiponem reuerteretur, comminatus illi, ni paruerit, pœnam, quæ contra non obedientes Regis imperio, & contra perturbantes regni pacem & tranquillitatem conſtituta eſt. Paruit edicto Regis Antonius: ſed mox acrius ſtimulante animum regnandi cupiditate Olyſſiponem rediit; eademq; mouere cœpit. Quod ſentiens Rex Henricus illum vt reum citat; atq; adeſſe negligentem bonis omnibus ſpoliat; & ni è finibus regni excedat, pœnam conſtituit, quæ de lædentibus regiam maieſtatem ſumitur. Graues quoq; pœnas contra eos ſancit, qui Antonium tecto exceperint, aut re aliqua iuuerint, vel eius rebus vllo modo fauerint. Poſt quæ Antonius procul à conſpectu Regis Henrici latuit. At vero Regis Philippi procuratores, quibus Rex præceperat ſuo nomine Regem Henricum orare, vt ius ſuum bene perſpiceret, atque vbi perſpexiſſet optimum eſſe, non dubitaret ſe regni ſucceſſorem

rem Portugalenſibus denunciare, ſic de Regis ſui iure apud Regem Henricum diſceptant.

In regnum non morientis teſtamento, ſed propinquitatis iure ſuccedi. Regnum enim ei, quem vnum ex omnibus delectum ciuitatis principem, & Reipubl. moderatorem conſtituerunt ad tollenda ciuium diſſidia, quæ in noua Regis creatione ex dominandi libidine ſemper enaſcerentur, hac conditione delatum à populo, vt in demortui Regis locum qui propinquitatis vinculis coniunctiſſimus illi eſſet, ex legitimis natus nuptiis, ſuccederet. Quod ſi plures eundem propinquitatis gradum tenerent, mas fœminæ, & maior natu minori præponeretur. Proinde Regnum eſſe non demortui, ſed generis hæreditatem, eandemque indiuiduam, ac iure ſanguinis adeundam: quæ non ad eum, quem Rex moriens voluerit, ſed quem illi ſanguinis cognatione proximum natura fecerit, venit. Ipſi Regi Henrico Regem Philippum omnium, qui Portugaliam ſucceſſionis nomine petunt, neceſſitudine proximum eſſe: interiorem quidem Philiberto, non modo quia mater eius Iſabella ſemper auguſta Beatricem Philiberti matrem ætate anteiuerit, ſed quia ipſe Rex Philippus Philiberto grandior natu ſit: Catharina vero, quod eam ſexus nobilitate, & ætatis authoritate antecedat, at Rainutio, & quia maior ætate, & quia vno propinquitatis gradu propior. Nec magni momenti eſſe quod à Catharina affertur, à ſe patrem ſuum Odoardum repræſentari: qui ſi viueret, ipſi Henrico ſuccederet. Nam in huius Regni ſucceſſione nullus nunc eſt fratrum filiis cum patruis concurſus, inter quos repręſentationis ratio haberi ſolet. quoniam hi, qui regnum petunt, omnes conſobrini ſunt, Regis Henrici fratrum, ac ſororum filii: quorum perſonas ſpectare oportet, non parentum, quas hic referre non poſſunt. Id quod etiam antiquiſſimis legibus à Gothorum temporibus ſemper in Hiſpania ſeruatum eſt. Quin etiamſi daretur poſſe parentes referri, certe Maria, ſi in viuis eſſet, & Catharina Odoardi filiæ ſexum virilem patris nullo modo poſſent repræſentare. Non enim ius naturæ patitur, nec iuris rationes, quæ naturæ vim imitantur, volunt, vt quæ re vera eſt fœmina, repræſentationis iure pro mare habeatur. Quare patrem filia non in ſexu, ſed in gradu repræſentabit. Proinde licet ipſarum pater Odoardus Iſabellæ Regis Philippi matri honore ſexus anteponeretur, non tamen ipſius Odoardi filiæ Regi Philippo itidem anteponerentur, quæ ex fœminis mares fieri nequeunt. Quod ſi nullum ius repræſentationis eſt Mariæ, nec à Maria quidem in Rainutium filium transfundi vllum poterit. Quamobrem Portugaliæ ſucceſſionem Regi Philippo iure optimo deberi, quod competitores omnes ætate, inſuper alium ſexu, alium vincat propinquitate. Quinimmo leges ipſæ Portugalenſes hoc ipſum ſtatuunt, vt in iſtis ſucceſſionibus mas fœminæ, & mas natu maior cęteris omnibus præferatur. De Antonio ſe nihil velle dicere; quando leges omnes & inſtituta prohibent ſpurios non modo regnorum poſſeſſionem, ſed ne aliorum quidem bonorum hæreditatem vllam ab inteſtato adire. Illum vero eſſe ſpurium ipſi Henrico magis notum atq; teſtatum eſſe, quam aliis. qui hoc ipſum à fratre ſuo Ludouico ſæpe audierit: à quo rogatum Pontificem maximum etiam ſciat, vt iis legibus filium ſuũ Antonium ſolueret, quæ prohibent ſpurium ſacris initiari, dignitates eccleſiaſticas obtinere, in teſtamentis hæredem nominari. Nec valere Ioannis huius nominis primi Portugaliæ Regis exemplum, quod ſpurius fuerit. Non enim iure ſanguinis regnum obtinuit, ſed à populo Rex creatus eſt, cum è regia ſtirpe nemo ſuperſtes eſſet non ſpurius, qui Ferdinando mortuo iure poſſet ſuccedere. ſiquidem eius filia Beatrix ſpuria eſſe credebatur. At nũc Regis Henrici cognatos extare, ad quos Regni hæreditas iure pertineat. Hæc atq; huiuſmodi alia regis Philippi miniſtri de Regis ſui iure dicunt: eaq; tum argumentis ductis ex naturæ initiis, & ex legum authoritatibus, tum præſtantiſſimorum iuriſperitorum ſententiis confirmant. Quamobrem Henricum orant, vt quando Regis Philippi cauſam omnium excellentiſſimorum iuriſperitorum non ſolum Caſtellanorum, ſed etiam Portugalenſium, & Italorum, atque aliarum nationum iudicio ſine vlla dubitatione optimam & æquiſſimam eſſe videt, atque ad cæterorum regnorum ſuorum incolumitatem, & totius reipub. Chriſtianæ tranquillitatem maxime referre, ipſius regis Catholici ius recte, atque extra iudicium perſpiciat: & quod certum eſt in controuerſiam non adducat: neve Regem ab omni foro & iudicio liberum iuriſconſultorum ſententiis ſubiciat, & eorum, quorum animi facilime poſſunt odio & amore permoueri. His ipſis argumentis, quæ à Regis Catholici miniſtris aſſerebantur, vtens Carolus à Ruuere fatetur Emanuelem Philibertum in hac Regni petitione à rege Philippo vinci, quod eo ſit minor ætate, ſed Catharinæ & Rainutio præferendum, quod illam ſexu, hunc antecedat propinquitate. At Dux Brigantinus contra Regem Philippum & Emanuelem Philibertum pro Catharina repræſentationem, contra Rainutium propinquitatem vſurpat. Ferdinandus Farneſius vero repræſen-

tationem contra Regem Philippum & Emanuelem Philibertum pro Rainutio, ſexum contra Catharinam proponit. Sic excellentiſſimorum iuriſperitorum concilio Regis Henrici iuſſu habito quæ à quoque dicebantur magno cum ſtudio agitata; & de ſingulorum actionibus diſputatum diu & permultum eſt. Ob quas concertationes Rex Henricus, qui Portugalenſibus natiuum Regem eſſe cupiebat, & ſuo iure priuare quempiam nolebat, à multis perſuaſus eſt publicæ tranquillitatis cauſa, vir alioquin ſummæ caſtitatis & ſanctitatis, vxorem ducere, ſi quos liberos ſuſciperet, vnde omnem controuerſiam tolleret. Quoniam vero oportebat abſolui à Pontifice maximo lege, qua vetitum eſt ſacris initiato vxorem habere, huius rei gratia conſtituit Odoardum Caſtroblancum nobilem Olyſiponenſem ad Pontificem Romam mittere. verum interea in febrim incidit: è qua cum minime recrearetur, ſed continuata moriuncula in dies extabeſceret, a nuptiarum cogitatione deſtitit, atque animum ad declarandum ſucceſſorem ſuum aduertit. Poſtremo cum regis Philippi cauſam optimam eſſe cognoſceret, à qua ſtarēt peritiſſimi legum, atq; animaduerteret Portugalenſes à Caſtellanis alienos imperium regis Philippi non ſatis æquis animis accepturos, optimum factu iudicauit, vt Regis Philippi actioni & Portugalenſium voluntatibus vtilitatibuſque conſuleret, regnum, quod alioquin iure deberetur, certis quibuſdam pactionibus illi tradere, quæ Portugalenſium commoda reſpicerent. Et quidem Rex Philippus ad omnem æquam pactionem veniebat, vt Portugalenſium animos conciliaret, ac quiete regnum obtineret, & bellum contra Chriſtianos & ſui generis homines effugeret. Præſtat enim de ſuo iure interdum aliquid remittere, quam totum violenter velle retinere. Verum procuratores ciuitatum poſtquam hoc conſilium regis Henrici olfacere incœperunt, vt illi obuiam irent, quæſiuere an extincta regia virili & legitima prole ſibi liceret quem vellent regem creare. Quib. reſponſum eſt non licere; quia regnum hęreditarium foret, non in populi arbitrio & poteſtate ſitum, partim dotale, partim armis partum. Interea peſtilentia Olyſiponem inceſſit, malum dirum & miſerabile, omnibus commune, corporum contactu ſerpens. Quamobrem vitandæ contagionis cauſa in cœnobium S. Benedicti, quod vetus appellant, in ſuburbio ſecedit. vbi Chriſtophorum Moram ad ſe accerſit. ait velle ſe certis pactionibus regnum Philippo tradere: rogatque an ius vllum procuratorium in hac re habeat. ille ius, quod habet, profert. quod quia inualidum videtur, aliud à Rege Philippo mitti poſtulat, quod mox miſſum eſt. Sæuiente autem quotidie magis peſtilentia ex Olyſiponis ſuburbio, menſe Octobri, anno M.D.LXXIX. Almerinum proficiſcitur, vt rebus regni melius illic conſulat: ibiq; totius regni concilium indicit. Almerinum eſt pagus è regione Santarenæ (quod oppidum veteres Scalabim nominarunt) inter quæ flumen Tagus fluit XL. m. paſſ. ſupra Olyſiponem. Locus planus & patens, à dextra & ſiniſtra collibus late cinctus, frugum ferax, venatione amœnus, hyeme ſaluber, regiis ædibus nobilis: vbi Portugalenſium reges hyberno tempore propter aeris temperationem vitam degere conſueuerunt. Poſtquam Almerinum peruenit, cum Oſunorum Duce & Chriſtophoro Mora de pactionibus agere, quibus Portugalia regi Philippo tradatur. At Rex Philippus ſibi perſuadens, ob Portugalenſium vetus in Caſtellanos odium ſibi ius ſuum armis aliquando repetendum fore, ac doctus à ſacrarum rerum peritis licere ſibi abſque crimine bello perſequi ius, quod iniuſte ſibi eripitur, quia Rex ex ſe iuſte bello vindicare illatam iniuriam poteſt, quoniam ſuperiorem iudicem non habet, qui damnum æſtimet, lucroque compenſet, quæ ad bellum pertinerent comparari conſtituit. In Hiſpania multas peditum & equitum leuis, ac grauis armaturæ copias cogi; Italos & Germanos conduci; ex Sicilia, Neapoli, Mediolano Hiſpanorum præſidiorum partem accerſiri; arma, tormenta, commeatum vndique conuehi; magnam inſuper claſſem nauium & triremium inſtrui, eo conſilio, vt ſi rex Henricus è vita ceſſiſſet, & Portugalenſes regnum ex æquo & bono dare ſibi noluiſſent, ipſum armis peteret: ſin aut Henricus in vita diutius fuiſſet, aut Portugalenſes ſponte ſibi regnum dediſſent, arma in religionis Chriſtianæ hoſtes transferret; vel rem aliquam aliam ſubiectis ſibi populis gratam, quam fortuna, vel tempus ſuaſiſſet, efficeret. Cæterum Rex Henricus Almerini, vbi Antiſtites, Reguli, & ciuitatum Procuratores in indictum concilium ex regni more conuenerant, intentus Portugaliam regi Philippo certis conditionibus tradere, vt ad illas facilius Portugalenſes induceret, per Antonium Pineirum Epiſcopum Lerienſem eos prius edocuit regni ſucceſſionem omnium ſapientum iudicio duos potiſſime ſpectare, videlicet regem Philippum & Catharinam Ducis Brigantini vxorem: ſed eorum vtrum magis ſpectet ſatis anceps & dubium adhuc eſſe. Verum ſi pro vtroque ſententia feratur, magna vniuerſæ Portugaliæ pericula proſpicienda. Proinde videri ſibi ſatius eſſe regnum quibuſdam æquis conditionibus regi Philippo tradi, ſi

ante ipſum ſobrinum ſuum mori ſibi contigerit. Sic enim belli damna vitari, & Reipub. Portugalenſi optime prouideri. Deinde accipiens quod procuratores ciuitatum intelligerent mandatum eſſe duntaxat de concordia inter Regem Philippum & Catharinam agi, rurſum per eundem Pineirum eos edocuit de pactionibus eſſe tantummodo inter Regem Philippum & Portugalenſes agendum: illud vero quod de ſucceſſionis iure Regis Philippi & Catharinę in priore legatione dictum eſt, ea ratione dictum fuiſſe, vt ſignificaretur inſtare diem, quo ſecundum Regem Philippum ſententia feratur. Ideoque ſe eos monere, ac magis magiſque ſuadere, vt vltro Regi Philippo certis, & vtilibus conditionibus regnum concordiſſime dedant. Eodem quoque tempore Catharinam per Paulum Alfonſum iuriſperitum, cuius opera multum vtebatur, hortatus eſt ad faciendam ſponte, ad quam publicę tranquillitatis cauſa compelli poterat, cum Rege Philippo & ſe dignam, & ſuis rebus vtilem pactionem; quod ab illo bonitate cauſæ, ab Antonio gratia apud populum vinceretur. daturum ſe operam, vt inter eos conueniat. Quinetiam eodem die, quo animam exhalauit, per tres regni miniſtros hortatus eſt ciuitatis Olyſſiponenſis Procuratores, vt aliarum ciuitatum Procuratoribus perſuaderent de pactionibus agere, quibus regnum Philippo cum pace tradant. Sed Catharina de pactione nihil audire vult: & Procuratores, licet ad pactiones Antiſtites & Reguli veniant, quo magis probari Regis Philippi cauſam audiunt, eo magis de ſuo iure inſtant, aſſerentes neminem debere ſanguinis iure ſuccedere, ſed à Portugalenſi populo Portugalenſium Regem eſſe creandum: contenduntque vt Henricus hoc ius populo eſſe pronunciet. Ad quorum rationem cum certa Regis denunciatio retardaretur, miniſtri Regis Philippi Regem Henricum etiam atque etiam hortari, ne ob plebem modo vllo cunctaretur ſucceſſorem ſuũ ad præſcriptam regni formulam renunciare. Proinde Rex Henricus & à Regis Catholici miniſtris, & à regni cura ſtimulatus volens omnino Regem Philippum ante extremũ vitæ ſuæ diem Portugaliæ Regem in Concilio denunciare, ac motum aliquem populi grauiorem timens, armatorum hominum manum ex vicinis agris cõtraxit, recuſans copias, quas illi Rex Philippus offerebat, vt earum præſidio tectus, & ſuam dignitatem retineret, & de regni ſucceſſione liberius iudicaret. Tunc ciuitatum Procuratores de creando Rege quæſtionem repetierunt, ſperantes hoc interim ſpacio Regem Henricum nulla facta Regis ex certa formula denunciatione vi morbi conſumptum occaſurum: factam vero per Pineirum denunciationem irritam fore. Quibus biduum ad id denuo inquirendum datum eſt, contranitentibus Regis Philippi miniſtris: quod iſtud erat moras trahere. omnem autem cunctationem procreare multa incommoda, & pericula poſſe. Interim nulla alia, quam per Pineirum facta denunciatione, Rex Henricus annis, curiſque confectus obiit pridie Kalend. Februarii, Ann. M. D. LXXX. ætatis vero ſuæ LXIX. Eo mortuo Gubernatores, quorum nomina paulo ante ſuum obitũ diuulgauerat, Regni gubernationem ſuſceperunt, Georgius Almeida Archiepiſcopus Olyſſiponenſis, Ioannes Maſcharenias, Franciſcus Saa, Ioannes Telius, Didacus Lopius Soſa. Antonius, qui Scalabi latebat, confeſtim Olyſſiponem ad tentandos multitudinis animos aduolauit: atque à Senatu contendit, vt ius ſuum in regnum cognoſceret. Qui ex conſilio præſertim Fernandi Pinæ magnæ authoritatis Senatoris reſpondit nullum experiundi iuris apud ſe locum eſſe, ſed Gubernatorum ſententiis & decretis obtemperandum, perinde vt iurati ſunt ſeſe facturos. atque illi minime conquieſcenti, ſed multa in Rempubl. molienti deinde edixit, vt ex vrbe excederet: alioquin ſe alia via Reipub. pro ſuo munere conſulturum. Qua re commotus Antonius amicorum concilium conuocauit: in quo variæ ſententiæ dictæ ſunt. tandem in eam ſententiam iuit, qua commonebatur ne quid contra Senatus Conſultum & Gubernatorum authoritatem faceret; vnde in ſe aliquam inuidiam concitaret. Itaque vrbe egreſſus eſt, atque ad Bethlem templum naſcenti Chriſto dicatum iuxta litus Tagi III. M. paſſ. Olyſſipone diſtans, fluminis oſtio propius, quaſi patruo parentaturus abiit: ac mox illinc Scalabim rediit, imperans vni ex ſuis famulis, quem maxime audacem & fidum ſibi cognouerat, vt Fernandum Pinam interficeret. Ille Fernandum obſeruat, & obtruncat: comprehenſus indicium profitetur: factuſque Senatoris necis reus omnium Gubernatorum regni ſententia ſuſpendio damnatur. Cæterum ſignificans Antonius velle ſe Gubernatorum decretis parere, quoniã his ipſis dieb. tertiæ Pontificis maximi litteræ ab Alexandro Frumento Georgio Almeidę redditæ erant, quib. cauſæ de matris ſuæ nuptiis, ſublatis aliis, ipſi Alexãder & Georgius iudices conſtituebãtur, inſtitit vt conſtituti à Pont. Max. iudices de ſua cauſa cognoſcerent, ac iudicarent. Dux Oſunorum & Chriſtophorus Mora cæteriq; regis Philipp: Legati ſingulis regni ordinib. regis ſui literas dederũt, & pro literarũ ſentẽtia poſtularunt, vt regnũ ſpõte regi ſuo traderẽt, ad quẽ optimo iure puenerit.

Quo de iure dixerunt Rodericum Vaſchium ante ipſos planius diſputaturum. Tum Vaſchius, Rex Philippus, quippe princeps abſolutæ politiæ, nullius ſententiæ obnoxius eſt; ſed ius ſuum ex ſe exequi poteſt, quod omnes legum periti optimum eſſe docent, cum iudex nullus ſit, cuius ſententiæ ſtari debeat. Neque enim Portugalenſes poſſunt ea de re iudicare, de qua ſimul experiuntur. Nam aſſerunt regnum nulli iure ſucceſſionis deferri debere, ſed populo creandi regem ius eſſe. Nullum autem naturale, & ciuile ius patitur quempiam de ſuamet cauſa iudicare. Quinetiam Rex Henricus, cui ſoli de ſucceſſore iudicare fas erat, ipſi Philippo, cuius cauſam optimam eſſe perſpexerat, regnum adiudicauit: ſuaſitque Catharinæ, & Portugalenſibus cum illo pactionem aliquam facere. Adhæc neque Regi Philippo, neque ipſis Portugalenſibus conuenit ſententiam vllam expectari. Nam dum tempus neceſſario dicendis ſententiis & de nuptiis matris Antonii, & de populi authoritate, & de competitorum iuribus longiſſime protrahitur, regis Philippi rebus periculum procreatur, & Portugalia ſumptibus exhauritur, atque externorum [illegible], qui aduocantur, moribus & doctrinis inficitur. Cæterum in potentiſſimi, iuſtiſſimi, ac ſanctiſſimi regis ditione res Portugalenſis ampliſſima & firmiſſima erit. Quamobrem ſi æquitatem, ac Regis Henrici voluntatem ſequentes regi Philippo debitum regnum vltro detulerint, ſibi ipſis optime conſulent. Hęc eadem quoque Vaſchius Olyſipone magiſtratibus copioſe diſerteque diſſeruit. Cuius orationem aliqui probarunt; quidam ad reſpondendum ſpatium petierunt. Gubernatores autem reſponderunt optare ſe quidem regi Philippo, ſed minime poſſe regnum abſque certorum iudicum ſententiis cuiquam deferre. Nec tamen, cum iuriſperitos conſuluiſſent an ius procuratorium à ciuitatibus datum iis, quos in regni concilium ad regem Henricum miſiſſent, adhuc ratum foret, & reſponſum eſſet non amplius valere, quod ad regem Henricum, non ad Gubernatores miſſi eſſent, ſed ad nouos conuentus agendos nouo iure procuratorio opus eſſe, nouum concilium indixere: nec conſtitutorum à rege Henrico iudicum nomina in apertum retulere, quod prius de nuptiis matris Antonii, & de populi authoritate, quam de competitorum iuribus agendum dicerent. Inſtant nihilominus regis Philippi miniſtri monendo, ſuadendo, pollicendo regnum poſcere: nec ſolũ vniuerſos, ſed etiam ſingulos regis ſui cauſa bonitatem docent: & beneficentiam, & quę inter reges ipſos Henricum & Philippum conuenerant proponunt. quorum ſumma hæc fere erat. Regem Philippum, ſi Portugaliæ regnum, alioquin iure propinquitatis ſibi debitum, ſponte tradatur, ſpondere nec priuilegia, neque immunitates ciuitatum Portugalenſium vnquam imminuturum; non mores, non leges, non iudicia commutaturum; eadem regni, ac regiæ munera eoſdemque ordines militares retenturum. Magiſtratus non niſi Portugalenſibus mandaturum; eiſdemque Eccleſiarum, & ſacrorum militarium ordinum dignitates & fructus diſtributurum. Magiſtratus omnes ciuitatum etiam ſe abſente ſemper eodem, quo nunc, modo mandandos. Nulla ratione vectigal vllum ex Eccleſiis Portugalenſibus vnquam exacturum. Idem ſacerdotum collegium ad res ſacras faciendas, quod reliqui reges, Olyſipone conſeruaturum. Dominatum in alios, & regia iura nulli, niſi Portugalenſi ciui daturum; & quæ ab aliquo ad ius regium bona redierint, ea non ſibi addicturum, ſed illius propinquis, aut aliis benemerentibus impertiturum. De rebus iudiciariis, & pecuniariis eodem, quo nunc, ritu in Portugalia iudicandum. In nummis non alia ſigna, quam quibus Portugalenſium reges ſemper vſi ſunt, inſignia impreſſurum. In arcium præſidiis non niſi Portugalenſes collocaturum. Ad inſtruendam claſſem, cogendum exercitum, adminiſtrandum bellum pro rep. Portugalenſi Portugalenſium opera vſurum, nauarchorum, militum, ducum. In Portugalia quoad licuerit ab aliorum regnorum [illegible]rum: nec hoſpitia, quę in Caſtella aſſolet, imperaturum: ſed morem in hoc Portugalenſem obſeruaturum. Cum abire contigerit, vnum aliquem ex ipſis Portugalenſibus, aut cognatum aliquem & affinem ſuum regendis pro ſe regni gubernaculis relicturum. nec non filium ſuum ſtirpis regiæ principem inter Portugalenſes educãdum è Caſtella in Portugaliam, ni quid obſtiterit, miſſurum. Portugalenſium ordinum conuentus de regni negociis non niſi in Portugalia acturum. Vbicunque locorum fuerit, Portugalenſes homines apud ſe habiturum. per quos regni negocia conficiantur: & quæ ab his mandata ſint tabulis, Portugalenſi lingua mandentur. Se more Dominorum Burgundorum Portugalenſes mares in famulatum ſuum recepturum: reginam vero Portugalenſes fœminas; eaſque deinde in matrimonio locaturũ. At Portugalenſiũ regum more nobiliũ filios poſt XII. ætatis annũ apud ſe pro familiarũ ordinib., nõ nobiles in regiis claſſib. ſtipendia (quę Portugalẽſes moradias appellãt) merituros: ac ſingulis annis CC. Portugalẽſes certis ſtipẽdiis in ſuũ famulatum adſcripturũ. Portoria confiniorum Portugaliæ & Caſtellæ ſublaturum.

Res ad

Res ad vitę vſum neceſſarias ex Caſtella Portugalenſibus, quantum vtrorumq; populorum commoda ferrent, ſuppeditaturum. Poſtremo CCC. m. ducatorum in vſus pauperum, & captiuorum ipſis largiturum. Quas conditiones aduerſarii regis Philippi cælatas voluiſſent, ne qua eius benignitas appareret. Nec acceptæ ſunt tamen, quod in diuerſas partes diuiſi eſſent. Quamuis enim eſſet omnium eadem voluntas natiuum regem habendi, tamen cum id fieri non poſſet, aut quam ægerrime poſſet, diuerſę voluntates, & varia pro cuiuſq; libidine ſtudia extitere. Antonium plebei amplectebantur, & nobiles aliquot: in quibus Ioannes Portugalius Epiſcopus Igæditanienſis, Franciſcus Portugalius Comes Vimioſenſis, Emanuel Portugalius, Didacus Meneſius, Emanuel Sylua, Didacus Botellius. Pauci Catharinæ Ducis Brigantini vxori ſtudebant, ſcilicet, neceſſarii, & conſanguinei, quiq; à Duce Brigantino beneficia habebant, vel accepturos ſe aliquando ſperabant. Maxima pars nobilium vel cernentes vires Portugalenſium modicas eſſe, quibus regi Philippo reſiſteretur, vel eius cauſam probantes, vel magnorum præmiorũ ſpe adducti eius partes ſequebantur, clam tamen, quia plebis inuidiam ob commune in Caſtellanos odium extimeſcebant. Sed & nonnulli, qui publicam pacem & tranquillitatem amare videbantur, iuri ſtandum aiebant. Cuius quidem charitatis ſpecie bonorum & ſimplicium hominum voluntates à Rege Philippo facilius alienabant. Quidam præterea cenſebant nouum Regem creandum. Quidam etiam nulli addicti, atq; ab omni negocio remoti in pagis, ac villis exitum rei expectabant. Nec Gubernatorum idem erat omnium ſenſus, eademq; voluntas. Nam Georgius Almeida indifferens erat, neq; vllam in partem mouebatur: Ioannes Telius contra Regem Philippum ſtabat: reliqui pro Rege Philippo: ſed, ne in populi offenſionem incurrerent, à Rege Philippo alieniores ſe ſimulabant. Verum vt regno prouidere viderentur, Portugaliæ partes ſuis quamque ducibus cuſtodiendas diſtribuerunt. Cuius rei gratia libet Portugaliam in ſuas partes diuidere. Portugaliam Scriptores in Tranſtaganam, Ciſtaganam, & Interamnem diſcreuerunt. Tranſtagana ea pars eſt, quæ fluminibus Tago & Ana, finibuſque Caſtellæ continetur, quos Seuerus fluuius exiguus terminat: atq; à meridie coniunctam habet Algarbiorum, qui olim Turdetani appellati ſunt, regionem, quæ Oceano abluitur. Ciſtagana vero fluminib. Tago & Durio, atque occidentali Oceano clauditur. At Interamne inter flumina Duriũ & Minium iacet, eccleſia Bracarenſi illuſtris; à qua etiã Callæcia Bracarẽſis nominatur: eiq; continens eſt regio Tranſmontana; in qua Brigantium eſt oppidum inſigne, ampliſſimi Ducatus caput. Quare Portugalia nec totam Luſitaniam continet (nam extrema Caſtella pars Luſitaniæ eſt) & partem Hiſpaniæ Tarraconenſis amplectitur, nimirum eam, quam Callæciam Bracarenſem nominari diximus. Igitur Gubernatores Interamnem Ludouico Brito, Tranſmontanam Ferdinando Meneſio, Tranſtaganam Didaco Meneſio, Algarbium Odoardo Meneſio, & quod in Tranſtagana oppidum eſt, Cetobrica olim appellatum, nunc Setubal, ſitum ad ſinum, quem in terram influens ab Occidente Sole Oceanus efficit, Antonio Munio Baſſreto commendarunt. In vrbis Olyſſipones, & fluminis Tagi, & vicinarum maritimarum orarum, quæ in Ciſtagana ſunt, cuſtodia, cui Petrus Cugna à Rege Henrico præpoſitus fuerat, poſuerunt etiam Emanuelem Portugalium & Triſtanum Vaſcum: quem etiam præfecere arci, cui nomen à ſancto Iuliano, in ipſis Tagi faucibus. Munitioni, quam contra hanc arcem è terra & lignis extruxerant in parua, humili, & arenoſa inſula, Cauezaſicca nominata, Petrũ Barbum præpoſuerunt. Quæ extra fauces eſt intra magnum promontorium arx ad oppidum, quod Caſcale vocant, à quo ipſum promontorium poſteà nomen accepit, eam Antonio Caſtrenſi concrediderunt. At turres, alteram, quam Bethlem nuncupant à templo, quod naſcenti Chriſto dicatum diximus intra fluminis clauſtra in dextra ripa, Ferdinando Syluiæ; alteram, quam veterem appellant, è regione Bethlem in altera fluminis ripa Roderico Laurentio Tauaræ cuſtodiendas tradiderunt. Præterea Conimbricam Petro Guedio Soſæ, Lauarem Ioanni Vaſconſelę, Lamecam Frãciſco Almeidæ, oppida in Ciſtagana; atque alia aliis defendenda commiſerunt. Adhæc Franciſcum Barretum in Galliam miſerunt ad reginam Catharinam & Henricum eius filium III. Gallorum Regem: quibus Portugalenſium Regis Henrici mortem nunciaret, & rerum ſtatum exponeret, ac fidem faceret Portugaliæ Gubernatores in denunciando Rege nulli iniuriam facturos; ſimulque auxilia poſceret contra eos, qui vi vellent Portugaliam petere. & Petrum Dorum, qui Olyſſipone Conſul Gallorum erat, illi ſocium adiunxere, quorum multa ſecreto tranſegerant. mandarunt etiam quoſcunque poſſet milites Gallos in reditu ſecum conducere. Inſuper optimatum concilium inſtituerunt, in quo de defendendo regno conſilia haberentur. Hac vſi diligentia Gubernatores viſi ſunt regnum velle munire, ac contra Regem Philippum arma parare: tamen neque ad conducendos mi-

Igædit. vulgo de la Guarda.

Tranſt. vulgo Alentejo. Seuerus vulgo Sequera.

Lauare vulgo Aueiro. Lameca vulgo Lamego.

lites Barreto pecuniam dederunt, nec præfectis regionum, oppidorum, & arcium ea, quæ ad propugnationem & defenſionem vſui forent, ſuggeſſerunt, hinc populi Portugalenſis odium, hinc Regis Philippi potentiam & offenſionem reformidantes. vnde nec cum pace illi regnum detulere, nec bello regni poſſeſſione prohibuere, neutri ob id chari. Et Rex Philippus poſt nunciatam regis Henrici mortem creauit Imperatorē exercitus Ferdinandum Aluarum Toletanum Ducem Albæ, vnum ex primariis totius Hiſpaniæ, ac rei militaris ſcientiſſimum virum: eumq; iuſſit in extremos fines Caſtellæ, quibuſcum Portugalia continens eſt, proficiſci, ibique totum exercitum maturiſſime contrahere. Tum etiam ad *[Metimna Sidonia olim Aſyla.]* Alfonſum Peretum Guſmanum cognomento Bonum Ducem Metimnę Sidonię in Bætica confini Algarbiis; & ad Petrum Portocarterū Marchionem Villænouæ, & ad Petrum *[Paxaug. hodie Badaios.]* Velaſcum Paxauguſtæ præfectum, & ad Beltranum à Cueua Alburquequenſium Ducem in extrema Caſtella Tranſtaganis Portugalenſibus finitimos; & ad Petrum Gartiam Epi- *[Cauritta hodie Coria.]* ſcopum Cauritanum, & ad Rodericum Paccecum Marchionem Seralui, & ad Hieronymum Fontium præfectum *[Mirobr. hodie Ciudad Rodrigo.]* Mirobricæ partim in nouæ, partim in veteris Caſtellę finibus vicinos Ciſtaganis; & ad Didacum Henrichium Guſmanum Comitem Albæ, & ad Io. Al- *[Beneuente olim Malaca.]* fonſum Pimentelium Comitem Beneuentanum in eiſdem veteris Caſtellę finibus Transmontanis propinquos; & ad Gaſparem Portocarterum Comitem Mōtis Regii, & ad Gar- *[Tyde vulgo Tuy.]* tiam Sarmentum Sotomaiorem Dominum Saluaterræ, & ad Didacum Thurrecrematum Epiſcopum Tydenſem, & ad Petrum Fernandum Caſtrenſem Comitem Lemi in Callæcia Interamnenſibus proximos ſcripſit, vt quas poſſent copias cogerent, atque in armis ad omnem caſum paratas haberent: rem frumentariam curarent, neq; in Portugaliam vlla cibaria inferri ſinerent: flumina, loca, regiones, oppida, arces Portugaliæ bene perſpicerent, ac diligenter fines ſuos cuſtodirent; & Portugalēſes omnes, quotquot in fines ſuos introirent, obſeruarent qui, cur, qua via, ac quomodo aduenirent. cæterum amice & beneuole ſe cum Portugalenſibus gererent, & de æquitate ſuæ cauſæ illos docerent, ac promiſſis & beneficiis allicerent. Atq; etiam ſtatuit Paxauguſtā ire, oppidum in extrema Caſtella Portugaliæ proximum, vbi exercitus componendus erat, vt vel amice, aut vi Portugaliæ poſſeſſionem adiret; ac ſi vis vlla adhibenda eſſet, illam ſua præſentia temperaret. Nam omnino ius ſuum exequi ſtatuerat. bono tamen modo, vt neq; in negligendo ſtoliditas, neque *[Madrid. olim Mantua Carpentanorum.]* in repetendo reprehenderetur acerbitas. Itaque IIII. Non. Martii Madridio proficiſcitur: ac reginam cum liberis ſubſequi iubet. atque ad ædem S. Mariæ ad Aquas Lupias veniunt: in qua regi Henrico iuſta magnifice perſoluunt. At Portugaliæ Gubernatores vt regem Philippum Madridio profectum & Portugalię finibus appropinquare audierunt, Gaſparem Caſalem Epiſcopum Conimbricenſem & Emanuelem Melum Oratores ei obuiam miſerunt, qui illum orarent, vt ne armis Portugaliam peteret, ſed denunciationem expectaret, quæ in totius regni concilio quam proxime fieret. Oratores regē Philippum ad Aquas Lupias conuenere; atque illi quæ in mandatis habebant expoſuerunt, vt armis abſtineret, denunciationem expectaret. Gubernatoribus fas non eſſe regnum cui velint ipſi tradere, ſed cui delecti à rege Henrico iudices adiudicauerint. idque eos ſe facturos iuraſſe. Sin aliter agerent, non modo iuſiurandum violaturos, ſed etiam regni competitoribus iniuriam facturos. atque etiam ſi vellent abſque iudicib. illi regnum tradere, nihilominus abſq; totius regni concilio id facere nullo pacto poſſe. Adhæc æquum eſſe ipſum Regem Philippum vna cum aliis competitoribus cauſam iis iudicib. committere, qui inter ipſos conueniant. Quibus Rex Philippus reſpondit, Laudare ſe Gubernatorum in Rempub. ſtudium, quod ex ipſa legatione intelligit, atq; optare ſibi fas eſſe ipſorum poſtularis ſatisfacere, ſicut omnibus in rebus morem geret, quarum æqua, & honeſta erit poſtulatio: tamen neq; ius ſuum ferre, neq; regni vtilitatem pati, vt illis de his, quæ poſtulāt, obſequatur. Verum illos pro æquo & bono facturos, ſi, cum ius ſuum optimum, & iudicem cauſæ nullum eſſe idoneum agnoſcant, cuius ſententiæ ſtare oporteat, regnum ſibi deferent, nec moram vllam interponent; quando omnis mora magnum rebus ſuis procreare periculum poteſt. Nec iuriſiurandi religionem, qua ſe aſtrictos aiunt, vllam cenſeri: quoniam vanum eſt iuſiurandum, quo quis iurat ſe id facturum, quod fieri non poteſt, aut certe non debet. Itaq; ſe illis ſuadere, vt omni mora reiecta ſibi regni à Deo dati poſſeſſionem tradant, & fidem publicam dent. id quod etiam rex Henricus faciendum ab illis indicauit. Debere autem ipſos & ad Dei voluntatem, & ad regis Henrici ſententiam ſuos ſenſus & animos accommodare. Quod ſi fecerint, quemadmodum eos facturos pro ipſorum *[Emerita vulgo Merida.]* probitate & prudentia ſperat, ſe illos multis beneficiis ornaturum, nō ſolum iis, quæ à Duce Oſunæ propoſita ſunt, ſed etiam aliis, quæ honeſta, & opportuna fuerint. Deinde poſt datam funeri auunculi operam ex Aquis Lupiis profectus, Emeritam petiit. Eumq; rurſum

ſum legati Emeritę conueniunt: eadem, quæ ante, poſcunt, vt bello ſuperſedeat, conuentum regni fieri patiatur, renunciationem expectet. Gubernatores non poſſe aliter illi regnum deferre & iuriſiurandi propria religione, & aliorum ratione. Quos rex iiſdem reſponſis, quæ ante dederat, a ſe dimiſit. Ac mox Emerita diſcedens, Paxauguſtam III. m. paſſ. hinc à Portugaliæ finibus peruenit, vſus lentis itineribus, vt ſpacium eſſet contrahendi exercitus. Et Portugal. ę Gubernatores quatuor (nam quintum Ioannem Telium Collegam Olyſſiponem præmiſerant, qui eius Ciuitatis rebus præeſſet) initio menſis Iunii ex Almerino Setubal abierunt. vbi totius regni concilium indixere. A quorum diſceſſu Antonius liberius ſeſe gerere cœpit, non iudicum ſententias, non Gubernatorũ decreta, non denunciationem vllam regis expectare: conuenticula habere, Procuratores ciuitatum à concilio retrahere, nunc hos, nunc illos ambire, blanda oratione quemque appellare, &, ſi ſe regem fecerint, magna omnibus præmia polliceri. Eius ſtudia rex Philippus intelligens, & Gubernatorum dubios animos cognoſcens, ad Ferdinandum Aluarum Toletanum ſcripſit, qui Ellerenæ haud longe hinc erat, ex vicinis Bæticę maritimis oris, & ſtationibus copias colligens, ac res belli proprias adminiſtrans, vt properaret omnes copias contrahere, atque exercitum ad Paxauguſtam componere. Toletanus Ferdinandum filium cum Sancio Auila militiæ magiſtro & Baptiſta Antonello architecto Paxauguſtam ad deligendum caſtris locum miſit: ipſe interim militum numerum iniuit. Recenſita ſunt II. m. equitum, peditum XXII. m. præter VI. m. ruſticanorum hominum, qui ferramenta ferebant cum ad alios vſus, tum ad ſternendam viam, per quã bellica tormenta pertraherentur. Hiſpanorum accerſitorum ex præſidiis Mediolani & Neapolis III. circiter m. quorum præfecti Petrus Sotomaior, & Petrus Gonzales Mendoza: collectorum vero in Hiſpania X. m. quibus præerant Ludouicus Henrichius, Gabriel Nignus, Antonius Morena, Petrus Ayala. Germanorum III. m. & D. ſub imperio Comitis Hieronymi Lodronis. Italorum IIII. m. & D. quorum præfecti Proſper Columna, Vincentius Carafſa, Carolus Spinellus Petro Medici parebant. Etſi enim longe plures Itali & Germani nauibus aducti fuerant, tamen ad Calpem iuxta fretum Herculeum in ſtatiuis magnam eorum partem vis morbi abſumpſerat. *Calpe vulgo Gibraltar.* Poſtquam Ferdinandus filius locum caſtris delegit in planitie, quæ inter flumina Seuerum & Anam iacet, vulgari nomine Cantillana, eo exercitum conduxit, & tormenta ænea LIIII. cum magna copia pulueris tormentarii, quibus Franciſcus Alaua præerat; & ad pertrahenda ipſa tormenta carros D. & ad ferenda cibaria carros ad VI. m. Simulq; Aluarum Bazanum regiæ claſſis præfectum litteris monitum fecit, vt claſſem ad omne imperium inſtructam paratamque haberet. At Portugaliæ Gubernatores nec regi Philippo regnum deferunt, nec ſe contra eius arma muniunt, neq; de defenſione neq; de deditione cogitãt. Et conciliũ, quod de regni defenſione inſtituerãt, nõ ad prouidendas res bello neceſſarias, ſed ad excitandos populorũ animos contra Caſtellanos frequenter conuocatur. In quo multus eſt Martinus quidam Gonzales, vir ſacris initiatus: cuius conſilio litteræ ad Epiſcopos ciuitatum, & religioſarum familiarum præfectos ſcriptæ fuerant, vt concionatores in templis populum ad defendendam communem libertatem & ſalutem adhortarentur. Vnde à multis ſæpe contra regem Philippum & Caſtellanos habitę ſunt orationes non pietatis & religionis, ſed odiorum & iniuriarum plenæ. Rex Philippus rebus omnibus ad bellum comparatis, tametſi populi Portugalenſis temeritas, Gubernatorũ tarditas, Antonii machinationes omnem cunctationẽ reiicere, quæ multorũ bonorũ ſępe parit amiſſionem, & exercitum in Portugaliã quamprimũ immittere ſuadẽt, tamen priuſquã id faciat, vt æquitatẽ ſequi, nõ vim ſuſcipere videatur, Gubernatores præmonet ſe poſthac nihil cũctaturũ, quin in Portugaliã à Deo ſibi datã ingrediatur; cũ omnis tẽporis dilatio plena periculorũ ſit. Sole clarius eſſe aſtu peti à ſe vt denũtiationem expectet, vt interim auxilia contra ſe comparent, vel caſus aliquis interueniat, qui regni poſſeſſionem impediat. Regni concilium in menſem Maium ab ipſis indictum: menſẽ Maium elapſum eſſe, ac nullos dũ Antiſtites, aut Dynaſtas, aut ciuitatum Procuratores conuenisse. quinimmo permultas ciuitates adhuc nullos procuratores feciſſe, nec facere velle. Se non ignorare quæ à quibuſdam Portugalenſibus cum exteris hominibus contra ſe agãtur. Sed neq; ſibi vtile claſſem, cum nauigationis idoneũ tempus eſt, incluſam in portu contineri, non maritimas oras Portugaliæ cuſtodiri, non exterorum auxilia prohiberi; non inimicorum acceſſum vetari; neque æquum eſſe ingentem exercitum in eiſdem locis diutius retineri, cibaria fruſtra conſumi, fideles ſibi Caſtellanos pluribus incommodis affici, ac bonos Portugalenſes ſibi legitimo domino parere volentes ab improbis ciuibus vexari, qui Reipublic. tranquillitatem malis conſiliis. & conatibus perturbant.

Teſtificari tamen ſe nihil cuiquam hoſtile facturum, qui non ad vlciſcendum, ſed ad bene promerendum de ſuis Portugalenſib. veniat. Quod ſi qui forte inſolenter, & ſine iudicio reſtiterint, eos debellaturum; reliquos ſumma charitate amplexurum, ac ſingularibus beneficiis ornaturū. Atq; ad præfectos regionū & vrbium vicinarū Portugaliæ ſcribit, vt finitimis Portugalenſib. ius ſuū in Portugaliæ regnū explicent, & Gubernatorū tarditatē oſtendant: ſuā quoq; mentē, & armorum conſiliū exprimant, q. contra pernicioſos homines tantū capiātur: poſtremo cōmoneant, vt ſe verū & legitimum regē haud repugnāter recipiant, à quo multis & magnis beneficiis afficiendi ſint; non factioſorū hominū conſilia ſequātur, quib. aliquando ſe, ac ſua bona perditū eant. Ipſoſq; præfectos facit procuratores, qui eos, qui ſe dedāt, in ſuam ditionem accipiant, & immunitatibus ſuo nomine donent. Itemque per legatos ſuos Portugaliç Gubernatoribus denunciauit, vt ſibi regnum traderent, ad quem probe ſcirent ab Henrici morte iure optimo perueniſſe: neue poſthac regni bona, & vectigalia adminiſtrarent; quorum adminiſtratio ad ſe regem pertineat. Cæterum nullo ſe modo laturum, vt illorum cunctatione ius ſuum deterius fiat. Sed Gubernatores huic ter a legatis factæ denunciationi nequaquam paruere. Tunc ad Eluios, & Oliuentinos proximos populos Petrum Velaſcum Paxauguſtæ præfectum cum literis & iure procuratorio in ſuam ditionem illos accipiendi miſit. Is primo Eluem VIII. m. paſſ. à Paxauguſta iuit: eamque ingreſſus, in templum, quod iuxta portam eſt, conceſſit: vnde Epiſcopo, & vrbis præfecto, ac Senatui ſignificauit ſe regis ad eos litteras ferre. Illi omnes eodem in templo conuenere: ac lectis litteris, quibus monebantur regem Philippum pro vero & legitimo rege Portugaliæ habere, ac fidem huius rei publicam Petro Velaſco ſuo procuratori dare, vt in diuerſas partes diuiſi erant, ſic in diuerſas ſententias diſceſſere. Quidam obtemperandum, quidam repugnandum, quidam à Gubernatoribus reſponſum exſpectandum aiebant. Sed cum Velaſcus tantum diem vnum ad conſultandum concederet, Epiſcopus omnium nomine popoſcit regis exercitum ad vrbem propius adduci, vt apud Gubernatores & cęteros Portugalenſes iuſtam deditionis excuſationē haberent. Cui poſtulationi Velaſcus non concedendum oſtendit, quod exercitus facile adduci, ſed ſine multis ipſorum damnis & incommodis reduci non poſſet; quod maiorem gratiam à rege ſponte ſe, quam vlla cum tergiuerſatione dando conſequerentur; quod aliis ciuitatibus exemplū non bonū daretur, quæ idem ſibi concedi etiam peterent; quod omnis tyrannidis ſpecies, quæ vim habet cum iniuſtitia coniunctam, à rege Philippo abeſſe debet, qui ius ſuum poſtulat. Sed dum noctis ſpacium ad deliberandum capiunt, Antonius Melus vrbis præfectus in arce Velaſcum ad cœnam inuitat; atque interim Gaſparem Britum clam ad Ioannem Aceuedum Portugaliç Architalaſſum, XVIII. m. paſſ. hinc, Extremutium mittit flagitatum contra regis Philippi arma ſubſidium. Quam rem Velaſcus ab amicis, & ſpeculatoribus, quos circa vrbē diſpoſuerat, cognoſcens, ſtatim ad Ferdinandum Aluarum Toletanum ſcripſit, vt manum expeditorum militum ad ſe quam citiſſime mitteret, quæ ab vrbis præfecto accerſita ſubſidia pręueniret. Aceuedus DC. pedites, & XL. equites; Toletanus II. m. peditum, & CC. equites eadem nocte miſit. Vbi dies illuxit, conuocata concione Velaſcus conqueſtus eſt ſe hoſpitalitatis ſpecie prodi, & contra regem Philippum copias in ipſo conſultationis tempore acciri. Tum eos commonuit ne à iuſto & bono vel propriis, vel alienis odiis impediātur: à ſe contra maleuolorum audaciam ſatis eſſe prouiſum. Dum hęc diceret, multa ſigna cohortium à regiis caſtris ad vrbem appropinquantium conſpecta ſunt. vnde & verbis amicorum, & metu ſignorum victis Antonii Meli & ſuorum animis, regis Philippi nomen tota vrbe conclamatum eſt. Quamobrem cohortes regiæ in caſtra reuerterunt, & quas Aceuedus mittebat, cum M. D. paſſ. abeſſent, regredi admonitæ ſunt. quæ hoc indignantes Eluiorum agrum, quo vadebant, hoſtiliter vaſtarunt. Eluii Paxauguſtam iuerunt fidem regi Philippo datum: à quo humaniſſime accepti, ac magnis beneficiis affecti ſunt. Velaſcus ad Oliuentinos profectus eſt. In his etſi nonnulli à rege Philippo, tamen plures à Catharina Ducis Brigantini vxore erant: atque in his Aluarus Pereira præfectus arcis pro patre ſuo Comite Tentubalenſi. Proinde Velaſcum primo intra vrbem recipere noluerunt: deinde receptum primores ciuitatis non modo audire defugerunt, ſed etiam comprehendere voluerunt. Ille ad plebem, quæ in foro erat, huiuſcemodi orationem habuit. Me rex Philippus ad vos Oliuentini mittit, quos ſuo nomine moneam, vt ſibi vero ac legitimo regi parere velitis, ad quem à regis Henrici morte, cui ſanguinis cognatione proximus erat, Portugalia iure peruenit. Quod quidem multis de cauſis facere debetis. Primum quia æquum eſt obedire legitimo regi. & regem Philippum regis Henrici legitimum ſucceſſorem eſſe tum ipſiuſmet regis Henrici ſententia, & voluntas declarauit, tum omnium fere iuriſperitorum

Architalaſſus vulgo Almirante.

ſcripta

ſcripta teſtantur. Deinde quia parendo non tantum veſtris vtilitatibus, ſed etiam totius regni tranquillitati conſuletis. ſiquidem veſtrum exemplum reliquæ ciuitates imitabuntur. Si obedientes eritis, pax totius regni ſequetur; ſin reſiſteus, bellum incendetis; quod ſine dubio vobis omnium peſſime ceſſerit. Nam vos Oliuentini, qui belli periculis primi expoſiti eſtis, mala, quę bellum afferre ſolet, primi ſubibitis. vos agros vaſtari, prædas agi, tecta incendi, mortales capi, & (quod morte grauius eſt) veſtros liberos & vxores quæ victori collibuerit pati ingenti veſtro cum dolore cernetis. alii mox veſtro malo ſapere didicerint. Nec equidem video quæ vobis opes ſint ad defendendam vrbem contra maximum & fortiſſimum exercitum. Non foſſæ, non mœnia non munitiones vllæ, per quas miles non in vrbem irrumpat. non arces, non tormenta, non auxilia, quibus aduerſariorum copias à veſtris ædibus arceatis. Cur Oliuentini pręcipites vos ac veſtros liberos, & vxores in tantas miſerias fruſtra contra diuina, & humana iura proiicere vultis potius, quam veſtri Regis gratiam inire; qui non ſolum veſtras veteres immunitates & priuilegia confirmabit, ſed nouis etiam vos honoribus & beneficiis augebit; Nec video cur vllam ſententiam Gubernatorum expectetis: quorum nimiam tarditatem ſibi & aliis inutilem vos ipſi videtis; qui etiam bene perſpicitis à Regis Henrici morte Portugaliam ad Regem Philippum legibus obueniſſe; & detrimentoſum ei eſſe tantum exercitum in eiſdem locis in nullum vſum diutius continere; atque interim pernicioſis hominibus tempus dare contra ſe exteros homines aduocandi. Quamobrem Oliuentini ego, cui veſtra ſalus æque porro, ac meorum ciuium curæ eſt, vos oro & obteſtor, vt vobis ſapiatis, nec contra verum & iuſtum nitamini, ac Regis Philippi beneficentia vti malitis, quam vim eius temere experiri. Mihi ipſe Rex Philippus ius procuratorium dedit vos in ſuam ditionem accipiendi, & veſtra, & quę à Duce Oſunæ propoſita ſunt priuilegia ſuo nomine confirmandi. Hac oratione cum plebis aſſenſionem captaſſet, multis comitantibus ad propinquum locum abiit, in quem multos nobiles conueniſſe audiebat. quibus idem ſuaſit. ac vix dicendi finem fecerat, cum M. Antonius Iuſtinianus Ligur alta voce Regem Philippum, Regem Portugalię conclamauit: ac mox vna, eademq; voce omnes eundem Portugaliæ Regem conclamarunt. Ad quam vocem qui ſe in tectis abdiderant principes ciuitatis, in forum egreſſi ſunt, atq; in loco ſacro fidem omnes ſuam Regi Philippo dederunt. Altero die Nunius Marinus arcem, quam pro Aluaro Pereira tenebat, Velaſco tradidit. Ac Rex Philippus Oliuentinos eiſdem, quibus Eluios, immunitatibus & priuilegiis donauit. Horum deditio, quorum exitum omnes expectabant, permagnum momentum ad attrahendas alias ciuitates in ditionem Regis Philippi attulit. Tunc Portalegre & Campus Maior vicinæ vrbes, in quas Hieronymus Mendoza cum eiſdem litteris & iure procuratorio, quibuſcum Velaſcus, miſſus fuerat, in Regis Philippi ditionem datæ ſunt; ac pleræque alię in extremis Potugaliæ finibus. Arx oppidi, quod à loci amœnitate vulgo Villamuitioſam nominant, Ducis Brigantini, ab habitatoribus propter contagionem deſerti XVIII. m. paſſ. à Canullana Paxauguſtę, ſic capta eſt. Qui tormentis in arce præerat, notus erat Ciſnero cuidam in caſtris Regis Philippi. Is illi multa pollicendo perſuaſit, vt ſe nocte media in arcem intromitteret. Itaque cum delecta manu, quam Sancius Auila ducebat, tempeſta nocte ad Villamuitioſam acceſſit, ac quarta vigilia in foſſam, quæ arcem cingit, inſiliit, & ex ea ſcalas ad arcis murum appoſuit, ac ſummum cepit. Arcis cuſtos dormiebat; ſed multo militum & armorum ſtrepitu excitatus ex ſomno comprehenſum vna cum arce ſe ſenſit. Quæ res vniuerſis Duci Brigantino ſubiectis populis magnum terrorem iniecit: qui magnum defenſionis ſuæ præſidium in hac arce habere putauerant. Dum hæc in Portugaliæ finibus geruntur, Antonius Scalabi familiares & amicos ſuos ad viſendum locum inuitat, qui vrbis propugnaculo deſignabatur in tumulo, qui iunctus mœnibus (nam oppidum in collibus poſitum eſt) Tago imminet. In quem cum populus conueniſſet, ſutor quidam, ſicut inſtructus erat, eductum è vagina gladium, in cuius cuſpide pannum lineum candidi coloris infixerat, alte dextra extulit, ac magna voce Antonium Regem acclamauit. quam vocem reliqui excipientes ſimiliter illum Regem acclamarunt, nequicquam eos inhibente oppidi præfecto. Ac mox cum eadem acclamatione Antonium in Curiam fractis foribus, quas quidam Senatores occluſerant, introduxerunt, & fidem illi publice dederunt. Quod facinus nonnulli in Antonio quidem vt inconſideratum damnarunt; quod cauſa cecidiſſet ex violato iureiurando, quo iurauerat ſe Gubernatorum decretis obtemperaturum: in Scalabitanis vero, vt intempeſtiuum reprehenderunt, quod vel multo ante factum oportuiſſet, vt tempus ad muniendum ſe contra Regis Philippi exercitum fuiſſet, vel expectandum quoad Regis exercitus in Portugaliæ fines ingreſſus eſſet, vt iuſta cauſa Portugalenſes ad arma pro communi defenſione concitaſſe videretur, nunc Re-

Digitized by Google

gis Philippi cauſam ab Antonii & Scalabitanorum audacia factam eſſe æquiorem: illique datam anſam ad inferenda infenſa ſigna in Portugaliam. Plures tamen factum laudarunt & Antonium ad capiendum bellum contra regem Philippum impulerunt; imprimis Epiſcopus Igæditanienſis, & Comes Viminoſenſis. quorum oratio his rationibus nitebatur. Quod ab innato odio contra Caſtellanos Portugalenſes omnes ſub eius imperiũ vna mẽte animoq; re concurrerent. atque etiam Galli, Belgæ, Angli Hiſpanorum odio Portugalenſibus auxilio venirent. præterea Turca cum claſſe vel Siciliam, vel Italiam inuadens regis Philippi vires diſtraheret, atque imbecilliores redderet. proinde regem Philippum in Portugalia magnum exercitum habere multo tempore non poſſe. quem vero nunc habet, paruum, & inertem eſſe, ex Hiſpanis tyronibus confectum, ac multorum Italorum & Germanorum morte extenuatum.

Atq; ex his, qui contra regem Philippum Antonium oppoſuere, quidam illi ſuaſerunt, vt defenſoris nomen non regis acciperet. quoniam defenſoris nomen in tot diſſenſionibus & motibus omnium auribus iucundius foret; & poſſet, ſi res aliquando poſtularet, ſine vlla indignitate deponi: non item regis; quod, præterquam quod arrogantius eſt, ſi bellum male cederet, nunquam pateretur in eas conditiones eum deſcendere, in quas rerum neceſſitas cogeret. quod ſi ex ſententia res ſuccederet, tunc omnes illi vltro Regis nomen & inſignia delaturos. Verum Antonius etſi primo profeſſus eſt ſe non Regem, ſed communis libertatis defenſorem eſſe, tamen deinde vel imprudentium hominũ conſilia ſequens, vel ſeſe nimium diligens, relicto defenſoris nomen Regis accepit. Et quidem leues homines ambitio facile vincit. Vbi vero Rex à Scalabitanis eſt factus, in animo habuit Setubal ad Gubernatores ire, quos ſibi adiungeret: ſed mutata deinde ſententia, non Setubal, ſed Olyſipponem ire decreuit, caput regni, fretus ciuium voluntatibus, quorum exemplo alias ciuitates ad ſe attraheret. Quod Senatus Olyſiponenſis intelligens, Ioannem Telium, quem à collegis miſſum ex Almerino Olyſiponem ſupra memoraui, id temporis commorantem Bethlem admonuit, vt in vrbem veniret, atque Antonium introitu prohiberet, quem cum deſiderio plebes expectaret. ſibi ſatis virium non eſſe ad reſiſtendum: & Petrum Cugnam vrbis præfectum in ea defendenda remiſſiorem factum; quod vrbis defenſionem ad Gubernatorem pertinere diceret; ipſe nec Antonio contraire, nec de ſuo munere argui vellet. Telius quod item nec Antonio aduerſari vellet, nec videri ſuo muneri deeſſe, in vrbem concedere noluit, ſed ex vicinis agris milites cogi iuſſit. è quibus vna dumtaxat contracta cohors. cuius ducem Bartholomæum Oliueram D. paſſ. extra vrbem via, quæ Scalabim eſt, conſidere iuſſit; neque vllam rem aliam illi certam mandauit. ac Franciſcum Telium fratrem ſuum cum Didaco Soſa venienti Antonio obuiam miſit: cui ſuaderent nomen regis deponere, nec contra Gubernatorum voluntatem quicquam facere. Qui Antonio D. paſſ. ab vrbe obuiam facti, poſt conſalutationem quæ Ioannes Telius mandauerat loquuti ſunt. Ad quæ mox reſponſurum ſe Antonius dixit: mediuſque inter illos repugnante nemine ad vrbem proceſſit: ac portæ appropinquans, quæ Moraria dicitur, a plebe rex ſalutatus, & in vrbem exceptus, & in curiã more regio deductus eſt. In qua Emanuel Fonſeca Pintus Senator nonnullis nobilibus & magiſtratibus præſentibus hæc verba fecit. Caſtellanorum Rex Portugalenſes cum exercitu in Portugaliam ingreſſus eſt: neque voluit, neque vult de regni ſucceſſione ſententiam vllam expectare. Quare cauſa minime extat, cur poſthac Gubernatores imperium gerant: & iuriſiurandi religionem, quo nos iurauimus Gubernatorum decretis & ſententiis obtemperaturos quoad de regni ſucceſſione diiudicatum fuerit, ego nullam amplius eſſe iudico. Sed vt Caſtellanorum regis violentiæ reſiſtamus, nobis rege opus eſt, à quo defendamur, atque tegamur, ni velimus in manus hoſtium venire. Vos autem ipſi tanquam Portugalenſium principes, quando rex Henricus abſque legitimo ſucceſſore deceſſit, & neceſſitas cogit, nunc abſq; aliorum populorum conuentu regem creare poteſtis. Ad cuius orationem omnes vno ore reſponderunt, Poſt Regis Henrici mortem ſibi ſemper in animo fuiſſe Regem creare Antoniũ, quod Regis Emanuelis nepos ſit, Ludouici filius, multis magniſque virtutibus ornatus, à Deo etiam ex plurimis, grauiſſimiſque periculis, quæ omnibus nota ſunt, ereptus, & in hæc turbulentiſſima tempora reſeruatus. His de cauſis ſe nunc ipſum Antonium creare Portugalenſium Regem: & creationem eiuſdem regis à Scalabitanis factam approbare: atque ipſi profiteri, & polliceri operam ſuam & ſtudiũ ad res omnes bellicas, atque ciuiles. Tunc ab eo petierunt, vti more maiorum iuraret ſe ab aliis regibus datas Portugalenſibus ciuitatibus immunitates & priuilegia ſeruaturum. Quod ab Antonio protinus factum eſt. Deinde vexillum regium expandentes, & e curiæ feneſtris efferentes, Antonium ter alta voce Portugalenſium Regem acclamarunt, & ac-

clamari

clamari ab omnibus iuſſerunt. Poſt è curia in ſummum templum illum adduxerunt: atq; illinc per multas vrbis plateas & vicos in arcem cum eadem acclamatione, ac multo tubarum, tibiarum tympanorumque ſonitu deduxerunt. vbi vexillum regium collocatum eſt. & Fonſeca arcis claues Hieronymo Payuæ eius præfecto Antonii nomine deinceps retinendas tradidit. At Ioannes Telius vt Antonium in vrbem ingreſſum, & Regem creatum accepit, cum vno Didaco Lupio à Sequeira triremium præfecto (nam cæteri triremium nauiumque præfecti ad imperium Antonii ſeſe applicuerant) prætoriam triremim conſcendens Setubal adnauigauit. Sed illum Gubernatores & portu prohiberi, & oppido excludi mandarunt: poſtea tanquam priuatum ad dicendam cauſam in concilium admiſerunt: & neglectionem officii, & peruerſitatem increpuerunt. Et Antonius ad omnes Portugaliæ ciuitates litteras ſcripſit, ſe communi omnium conſenſu Olyſipone regem eſſe creatum, ſibique poſthac eſſe parendum: & ne quis deinceps Gubernatoribus pareret, aut alium, quam ſe, Regem haberet, edicto ſanxit, iis, qui facerent contra, pœnam capitis adſcribens. Magnis quoque pollicitationibus arcium præfectis ſuaſit, vt ipſas vel in ſuam poteſtatem traderent, vel ſuo nomine retinerent. Ac quædam ciuitates in Antonii verba iurarunt, quędam à Gubernatorum authoritate diſcedere noluerunt, quædam ſub regis Philippi imperium conceſſerunt, præſertim eæ, quæ in extremis Portugaliæ finibus ſunt. Præfecti autem arcium vel ipſarum defendendarum deſperatione, vel præmiorum ſpe, vel cognatorum & neceſſariorum verbis commoti illas Antonio tradidere quanquam Triſtanus Vaſæus aliquantum eſt cunctatus arcem Sancti Iuliani tradere: & Antonius Caſtrenſis iam arcem Caſcalis, cum primum Antonius à plebe Rex creatus eſt, deſeruerat. Cæterum Antonius ad alliciendos Gubernatorum animos, & cognoſcendam oppidanorum voluntatem Comitem Viminoſenſem Setubal miſit. Setubalenſium ſumma in Antonium voluntas fuit: ad Gubernatores nulla ratione adduci potuerunt, vt ad Antonium accederent. Itaque ex vicinis pagis coactas aliquot cohortes Antonius Setubal pręmiſit, monens ſe mox eodem iturum. Quare tres Gubernatores cum aliquot nobilibus clam naui perfugerunt ad oppidum Aiamontem, quod in Bætica ad oſtium fluminis Anæ eſt. quos Dux Metimnę Sidoniæ, qui illi oræ præerat, benigniſſime excepit. Archiep. Olyſiponēſis & Ioānes Telius, alter ſua dignitate alter Antonii in ſe ac ſuos volūtate, confiſi remanſerunt. Dux Brigantinus, qui neque cum rege Philippo, neq; cum Antonio conuenire vnquam voluit, neque gratia apud nobiles, neque authoritate apud plebem valens plurimum, timens aliquam ab Antonio indignitatem ad ſua ſe oppida recepit. Miniſtri Philippi diuerſis viis alius alia Paxauguſtam abierunt. Antonius cognita Gubernatorum & aliorum fuga, confeſtim flumen tranſmiſit, ac Setubal contendit: receptuſque magna cum pompa à Setubalenſibus eſt. At, qui Aiamontem perfugerant, Gubernatores in Caſtromerinum oppidum, quod contra Aiamontem in Portugalia eſt, iuerunt: ibiq; Regem Philippum renunciarunt verum, & legitimum Portugaliæ hæredem; Antonium vero ſpurium, hoſtem patriæ, & perduellem. Id quod Aiamonte facere noluerunt, ne aut alieno loco, aut coacte id feciſſe viderentur. Atque hanc ſuam renunciationem per Ferdinandum Norugnā nobilem Olyſiponēſem regi Philippo ſignificarunt. Dux Brigantinus vt Setubale exceſſit, ad Regem Philippum ſuo & Catharinæ vxoris ſuæ nomine ſcripſit, quod illi ſua iura cederet, dum æqua præmia ſponderet, quæ cum Antonio paciſci ab vniuerſis Portugalenſibus admonetur: rogauitque vt cito reſponderet, quod mature conſultum rebus ſuis vellet. Cui Rex Philippus reſpondit, ſe illi de diſceſſu è Setubale gratulari, quod indignitatem aliquam id loci tandem aliquando pertuliſſet. Iurium ceſſione vero ſibi opus non eſſe. Sua iura ita per ſe firma & rata eſſe, vt nulla acceſſione indigeant. nihilominus ſe eius & Catharinæ rebus, vt propinquum decet, fauturum. Hoc temporis ſpacio Sebaſtianus Britus vrbis præfectus poſt Petrum Cugnam, qui relicta eius cuſtodia in villam ſeceſſerat, cum multis collectitiis copiis ad oppugnandam arcem Sancti Iuliani Olyſipone profectus eſt: quæ ex omnibus vicinis arcibus vna in poteſtatem Antonii nondum tradita erat. Verum Triſtanus Vaſæus cum reliquarum arcium præfecti ſe Antonio dediddiſſent, & idem ipſe facere à cognatis & amicis rogaretur, atque inſuper ab Antonio magnis præmiis ſollicitaretur, quam Gubernatorum nomine hactenus tenuerat poſthac Antonii nomine ſe retenturum arcem promiſit. Itaque Britus dimiſſa obſidione in vrbem reuertit. Antonius quoque compoſitis Setubalenſium rebus, contra multorum conſilium, qui Setubali eum remanere voluiſſent vt procul à regni ſede bellum gereret, Olyſiponem rediit, ac ſolenni apparatu exceptus; eiuſque aduentu dies feſtus tota vrbe cum ſaltationibus & cantibus actus eſt; muliere æthiopiſſa ſimilium ſibi fœminarum ducente cohortem, atque infurnibulum pro telo geſtante; vt illius mulieris memoriam re-

ferret, quam Portugalenſes memorant olim ſeptem Caſtellanos infurnibulo proſtraſſe. Atque huiuſmodi ludicra,& arrogantiæ plena facinora in Caſtellanorum contemptũ permulta alia exhibuere, de ſe ipſis arrogantius gloriantes, nec modum tamen vllum, quo ſe ab illorum armis defenderent,inquirentes. Rex Philippus cognoſcens quæ ab Antonio, quæque à multitudine in Portugalia fierent, quamuis ſtatuiſſet bello intereſſe, tamen pro tempore mutato conſilio, Toletano imperauit, vt ſi videret aduerſarios non ex iure agere, ſed velle vi regnum occupare, conſeruãdi ac defendendi iuris ſui cauſa exercitum in Portugaliam inferret: atque eos, qui ſe dederent, benigne reciperet, qui contra ſtarent, armis ſubigeret. monuitque ne hoſtile quicquam faceret: vt nullus animus in nocendo infeſtus appareret, tantum in caſtigando ſeueritas adeſſet. Ac præcepit ne pateretur à quoquam ſegetes & frumenta,quæ maturuerant,corrumpi: quod ipſi maiori vſui, quam hoſtibus futura eſſent. Præterea edictum in Antonium & eius fautores,quale in perduelles proſcribi ſolet,edixit. Toletanus è Cantillana Portugaliam verſus caſtra mouit: ac Rex cum Regina & liberis ad viſendum exercitum iter facientem M. circiter paſſ. Paxaugusta egreſſus eſt. Duæ hinc viæ Olyſſiponem Toletano monſtrabantur,ad quam occupandam omnes cogitationes & vires intendebat,quippe regni caput,qua cum vniuerſam Portugaliam caperet, altera per Scalabim, altera per Setubal. In illa hæc commoda: quod capto Scalabi hoſtis a multo commeatu illico intercluderetur, ac reliquum iter facile & expeditum foret. Sed à Toletano hæ difficultates conſiderabantur, quod nec pons in Tago facile fieri, aut factus defendi; nec oppidum Scalabis natura munitum,ſi quibuſdam obuallaretur operibus,paruo negotio expugnari poſſet. timebatur præterea ne aduerſariorum multitudo,quæ ex vicinis agris coiret,iter è Caſtella commeatum ad ſe ferentibus interſepiret. At in altera via multa incommoda cernebantur: primum oppidi Setubalis expugnatio; deinde arcis, quæ III. m. paſſ. diſtat ab oppido; tum in Caſtaganam tranſitus, & in terram arduus è nauibus ad Caſcale deſceſus; ac trium poſt arcium Caſcalis Sancti Iuliani & Bethlem oppugnationes, quæ multum temporis laboriſque requirerent. Toletanus tandem hac via primum eundum cenſuit, vt claſſi, quæ milites tormenta & cibaria multa comportabat, portum pararet. ad hoc maris poſſeſſionem acquireret: vnde aduerſariis commeatum & auxilia intercluderet. inſuper iunctis maritimis & terreſtribus copiis bellum terra marique validior gereret. Et quoniam timendum erat,ne aut claſſis aduerſa tempeſtate Sacrum promontorium ſuperare non poſſet, ac Setubal in tempore aduenire, aut magna hoſtium manus in via occurrens iter ſuum remoraretur,cibaria in XL. dies portari voluit (cuius rei cauſa magnam vim carrorum comparauerat) & hoſtem, quicumque adeſſet, ad pugnam elicere propoſuit, atque omnia, per quæ vaderet, loca præſidiis firmare, vt tuto ſemper è Caſtella ſibi commeatus adueheretur. Itaque II. m. peditum Petri Ayalæ cum C. equitibus ſub imperio Martini Padillę Caſtellæ Præſidis circum fines, qui Portugaliam à Caſtella dirimunt, relictis, vti Eluios, & Oliuentinos, vicinoſque illis populos in officio continerent, atque omnem impetum hoſtilem, ſi quem in exercitus terga fieri contingeret, propulſarent. iter Extremutium direxit. Oppidani conſpectu exercitus territi ſeſe dedere voluerunt: ſed eos Toletanus ſine arce recipere noluit. Arcem Aceuedus, cuius ſupra memini, tenebat, Regi Philippo aduerſus. Is primo pertinaciter reſtitit: deinde oppidanorum precibus fatigatus, ac præſidiariorum militum virtuti & voluntatibus diffiſus, nec non Toletani comminationibus permotus ſe,& arcem dedidit. verum ob peruicaciam in arcem Villæuitioſæ captiuus miſſus eſt. quanquam nonnulli cenſebant grauius de homine ſupplicium ſumi oportere, vt eius pœna deinceps aliorum obſtinationem deuinceret. Recepto Extremutio Toletanus ad oppidum perrexit, quod Montem maiorẽ nominant: vbi Didacus Meneſius cum Comite Viminoſenſi ciues ad pugnandum hortabatur. ſed illi vaſtitatem agri, & direptionem oppidi metuentes de deditione cogitabant. quam, vt exercitus propius admotus eſt, fecerunt. Didacus Meneſius relicta Tranſtagana cum Comite Viminoſenſi Olyſſiponem ad Antonium abiit. Eodemque tempore Ciuitas Eborenſis in Tranſtagana nobilis, ac pleræque aliæ in Portugaliæ confiniis in regis Philippi ditionem venerunt. Ex Monte maiore Toletanus Setubal perrexit. Quo explorato itinere Antonius milites, quos Scalabim antea miſerat ratus hoſtem illac iter facturum, reuocauit, ac Setubal miſit; duas etiam maiores & roſtratas naues ad bellum aptas, quas Galeones vocant; vt vna cum arce portus oſtium ab hoſtili claſſe tuerentur. At Toletanus Ferdinandum filium cum aliquot peditum equitumque cohortibus ad explorandum Setubalis ſitum præmiſit. qui vt ad vrbem acceſſit, inprimis fluentem in illam aquam dulcẽ auertit. altero poſt die cum exercitu eodem ipſe peruenit: poſitiſq;

Sacrũ Promont. vulgo Cabo de ſan Vicente.

Præſes vulgo Adelantado

poſitiſque caſtris per præconem ante Setubalis mœnia pronunciari iuſſit, Se non ad inferendum bellum, ſed ad capiendam eius oppidi poſſeſſionem pro Rege Philippo venire, ad quem hęreditas Portugalliæ iure obtigerat. ne reſiſtant, & contra ius eant, monere. Setubalenſes primo reſtitere: ac portis egreſſi cum ſuorum nece vim hoſtium breui certamine experti ſunt: deinde vbi locata contra vrbis mœnia quatuor ænea tormenta viderunt, magis ſuis bonis, quam Antonii beneuolentiæ conſulentes, ad Toletanum legatos de deditione miſere, ſi vna cum ſuis bonis conſeruarentur. ſed cum pactione Toletanus eos recipere noluit: & vt regis Philippi poteſtati ac voluntati ſeſe committerent ſuaſit. Vnde qui vrbis præſidio impoſiti erant milites Galli & Angli, ad liberam deditionem inclinantem ciuium voluntatem cernentes, ne quam contumeliam à Caſtellanis paterentur, per vrbis muros ſeſe demiſerunt, ac nauibus, quæ ad litus religatæ erant, nocte ſocia diffugerunt. Setubalenſes orta luce ſine vlla pactione ſeſe dedidere. quos Toletanus humaniter accepit, & conſeruauit: cauitque militibus ne cuiquam Setubalenſi iniuriam facerent. quorum inſolentiam & auaritiam cum primo verbis cohibere non potuiſſet, aliquorum ſupplicio deinde repreſſit. De Setubalis deditione nuncius incertus & obſcurus Olyſſiponem allatus vniuerſam ciuitatem motu vario perturbauit. ac tres mulierculę ad Antonium accedentes auxilium pro ſuis maritis orarunt: quos deſertos à reliquis ſolos mœnia Setubalis ab vniuerſo Caſtellanorum exercitu defendere aiebant. Antonius ad Comitem Viminoſenſem os conuertens, ipſum rogauit vellet ne illarum mulierum maritis opē ferre eique annuenti iuſſit vt manum hominum pararet. Ad quæ verba conclamatum ad arma eſt. Concurrunt ad litus iuuenes ac ſenes, armati inermeſque. naues vndique conquiruntur: aliæ in mare deducuntur, aliæ ad litus attrahuntur, complentur ſubito omnes. Antonius cymba vectus cunctas circumit, geſtitque aſpiciens multitudinem: nec tamen quid fieri debeat, aut velit, imperat. Interea nauis quædā ex alto portum ſubire cōſpicitur: arrectiſque animis nuncium de Setubale certum expectant. Intelligunt pro certo Setubal Caſtellanis deditum. quo nuncio aliis ferendi auxilii ſtudium relaxatur, aliis occultus metus diſſoluitur. atq; hora diei nona in terram è nauib. deſcendunt Solis ardore & inedia feſſi. Ac nocte media rumor quidam pertulit Caſtellanos Olyſiponem aduentare: mox fama à nocturno timore maior effecta auxit omnia vana. diuulgauit eos adeſſe, tum vrbis portas ingreſſos cuncta diripere, atque corrumpere. Fit tota vrbe ſtrepitus atque tumultus. Domus, vici, plateæ clamoribus & vlulatibus implentur. quid quiſque agat ignorat, contegentibus omnia tenebris, nec quid ſperet, aut timeat habet. Sed lux adueniens rei vanitatem aperuit; & cum tenebris metus euanuit. Poſthæc Simon Miranda dux eorum militum, quos Setubale diffugiſſe diximus, Olyſſiponem venit; atque omnia, quę acciderant, ordine enarrauit: ſed eum proditionis accuſatum Antonius in vincula coniecit. Toletanus poſtquam oppido Setubale potitus eſt, arcem, cui nomen eſt ab Othone, III. m. paſſ. procul ab oppido ad oſtium portus capere conſtituit: atque huic negocio Proſperum Columnam præfecit. Arx Othonis ad radicem montis poſita à ſiniſtra ſinus, quem (vt ſupra dixi) influens Oceanus facit, latum III. m. longum XXX. m. paſſ. ipſa VI. paſſ. ab oſtio, naues ab introitu arcet. Sed priuſquam tormenta locarentur, eius præfectus amice commonitus eſt, vt ipſam vero Portugalenſium regi traderet. At cum ad tradendam arcem nulla oratione induceretur, vi cogendus fuit. Verum in locandis tormentis duæ difficultates erant; altera ab aſperitate loci. nam ſaxa perrumpi, & ſolum inæquari oportebat. altera ab hoſtibus, qui ex arce & duabus roſtratis nauibus, quas ab Antonio miſſas ſupra monſtrauimus, vi ignis emiſſis ex æneis tormentis ferreis globis opus diſturbabant. Sed labore & induſtria cum aliquorum iactura vtraque difficultas ſuperata eſt. Inæquato ſolo, duobuſque tormentis locatis, alteram nauium, à qua plus incommodi accipiebatur, acriter feriunt. nautæ nauim, ne laceretur, ſublatis anchoris ac paſſis velis in interiorem partem ſinus agunt. Pręfectus arcis proditionem factam credens nauim ignitis ferreis globis icit. quorum ictu malus cū antenna perfractus aliquot ſua ruina oppreſſit, aliquot vulnerauit. Poſt tertium oppugnationis diem Aluarus Bazanus cum claſſe LX. triremium; quarum VIII. Siculę, quibus poſt correptum morbo Fabritium Columnam Alfonſus Leyua; XXII. Neapolitanę, quibus Ioannes Cardona; reliquæ Hiſpanæ, quibus idem Aluarus peculiariter præerat; Gadibus profectus quo tempore Toletanus iuſſerat, atque oram Algarbiorum prætereuectus, oppidis, quæ in ea ſunt, in regis Philippi ditionem receptis, aduenire conſpectus eſt. Itaque præfectus arcis terra marique obſeſſum ſe videns, deditionis conditionem à Proſpero Columna petiit, vt inuiolatus cum ſuis abiret: atque impetrauit, inſciente Toletano. qui, ni Proſperi Columnæ ſponſio interceſſiſſet, illius audaciam punitam voluiſſet. Poſt arcem Othonis cum nauibus traditam Palmella pro-

ximum Setubali oppidum etiam Toletano traditum eſt. Ipſe omnia, quæ capit, loca præſidiis munit. Ac paulo poſt Alfonſus Bazanus Aluari frater poſt fratrem Gadibus profectus cum XXX. onerariarum nauium claſſe, quæ multum commeatum ac bellicum apparatum portabant, Setubalis portum tenuit. At vero Gregorius XIII. Pont. Max. ſecum agitans nec Portugalenſes ob magnum in Caſtellanos odium ſponte ſub Regis Philippi ditionem ituros, nec Regem Philippum ius, quod in Portugalliam habet, neglecturũ, metuenſque ne ex hac diſſenſione bellum orīretur, quod Rempub. Chriſtianam affligeret, Alexandrum Riarium S. R. E. Cardinalem in Hiſpaniam legauerat, vt Regem Philippum & Portugalenſes ab armorum contentione retraheret. Riarius pridie Kalend. Maii Roma profectus, terreſtri itinere primum Barcinonem attigit. quo Rex Philippus gratulatum illi in Hiſpaniam aduentum, & amici officia præſtitum Lupium Auellanedam miſit. Ille deinde & legationis ſuæ munere commonitus, & multorum nobilium Portugalenſium litteris ad componendam pacem ſolicitatus, ad Regem Philippum Paxauguſtam aduenit. quem ægra valetudine affectum primis aduentus ſui diebus adire non potuit: poſt meliuſcule ſe habentem conuenit. atque ita alloquutus eſt. Plurimam ſalutem Rex Philippe tibi dicit, & apoſtolicam benedictionem Gregorius XIII. Pont. Max. & cui optime cupit, à Deo quietam Portugaliæ poſſeſſionem exoptat. Ac certe magnam animo lætitiam cepit, cum intellexit Regem Henricum ſtatuiſſe te Portugaliæ Regem denunciare: ac quando id à Rege Henrico factum non eſt, quod morte præuētus ſit, ſperat ipſos Portugalenſes victos ab æquitate facturos. Sed cum ſæpe te per Nuncium ſuum admonuiſſet vt arma deponeres, ac iuriſperitorum iudicio, quorum fides nulli ſuſpecta eſſet, cauſam committeres; nec arma depoſita, ſed auctas copias ex multorum litteris ac nunciis acciperet, timeretque ne relicto iuris certamine vim adhiberes, vnde Portugalenſium odium magis accenderes, ex quo Reſpub. Chriſtiana turbaretur, & ipſa Portugalia prauis religionis erroribus inficeretur ab exteris nationibus, quarum auxilia accerſeret, tum maiorum ſuorum exemplo, tum ſingulari in te beneuolentia motus me legatum ad te miſit, qui ſuo te nomine commonefacerem, vt armis abſtineres, nec ſolum tuorum iuriſperitorum, ſed aliorum etiam iudicio ſtares. quandoquidem Regis amplitudo nō in multorum regnorum poſſeſſione, quæ vi ſua mutabilia ſunt, atque ad diuerſos transferuntur, ſed in iuſtitia poſita eſt firmiſſimo imperii fundamento. Non tamen ob id, inquit vt arma abiicias, quæ contra iniurias iuſte ſumuntur, ſed ipſo iure nitaris: in quo nemo te omnium interpellare poterit. Atque ipſemet Pontifex omnem ſuam operam & auxilium cōtra eos pollicetur, qui tibi obſtare voluerint. Sic & tu recte regnare, & Portugalenſes tibi iure obtemperare videbuntur. Cui Rex Philippus ita reſpondit. Pontificis maximi voluntatem omnibus in rebus erga me ſemper optimam perſpexi. Quare de paterno eius in me animo ſemper illi ingentes ago, & habeo gratias. Atque equidem velim intelligat me primum iuriſperitiſſimos omnes cuiuſuis gentis etiam Portugalenſes de meo in Portugaliam iure conſuluiſſe, omneſque reſpondiſſe ſine vlla controuerſia optimum eſſe. Quod deinde Rex Henricus conſultum & exploratum habens, me per Antonium Pineirum Epiſcopum Lerienſem in concilio Almerini conuocato Regem Portugaliæ declarauit. Ex quo permulti Portugalenſes regnum mihi deferre voluerunt: ſed aliquorum potentiorum verbis & minis deterriti ſunt. Cum ergo ego viderem ex ęquo & bono me ius meum obtinere non poſſe, rerum ſacrarum peritos conſului an mihi liceret ipſum armis perſequi. & quamuis reſpondiſſent licere, tamen nullam vim facere volui, ſed bonis verbis & promiſſionib. nunc æquitatem meæ cauſæ docendo, nunc immunitates & priuilegia pollicendo conciliare aduerſariorum animos ſtudui. Verum vbi Antonius ſine dubio ſpurius ſolicitare contra me plebem, & regnum capere vidi, ac magiſtratus aliis auferre, aliis mandare, exercitum in Portugaliam immiſi tum ad capiendam regni debitam mihi poſſeſſionem, tum ad defendendos ab improborum iniuriis & maleficiis bonos ſubditos, qui parere iuſto imperio volunt. Quamobrem arbitror me à Pontifice maximo reprehendi nullo modo poſſe, quod arma contra ius ceperim, aut vim iniuſtam attulerim. Meam vitam omnib. notam eſſe, notos mores, notam mentem & animum: qui ſemper de meis bonis aliquid deperdere malui, quam alicui quicquam auferre. Quinimmo mihi perſuadeo, cum me Portugalia potitum, & vtramque Hiſpaniam ſub vnius imperio coniunctam viderit, non paruam ex hoc Pont. max. lætitiam capturum & propter eius in me ſingularem beneuolentiam, & propter religionis Chriſtianę maius firmamentū ac robur. Hoc reſponſo accepto Riarius, cū Antonius Regis nomen & regni aliquā poſſeſſionē à multitudine accepiſſet, ac regis Philippi exercit⁹ in Portugaliā ingreſſus magnā regni partē occupaſſet, nec decorum

illi regiũ nomen & inſignia deponere, neque huic vtile victorem exercitum retrahere, incertus fuit quid ageret. ac quando rerum Portugalenſium ſtatus ex eo tempore, quo legatus fuerat, immutatus erat, pro nouis mandatis ad Pontificem maximum ſcripſit. Iam Olyſſiponenſes rebus ſuis diffidere, audientes Setubal, in quo ſatis roboris ad refringẽdos aduerſariorum conatus eſſe rebantur, breui tempore cum arce captum, ac videntes ad reſiſtendum regi Philippo ſibi omnia imbecilla, neque animi, nec conſilii ſatis in ſuis ducibus eſſe, fidei etiam parum, etſi iactantię plurimum: auxiliorum præterea ſpem omnem extingui. quanquam ab Antonio bono animo eſſe iubebantur. Ipſe quoque Antonius videns omnia oppida, ad quæ regis Philippi exercitus accederet, in illius poteſtatem illico tradi, ciuitates, quæ ante ſibi fidem dederant, nunc dubias eſſe nobilem quemque ad aduerſarios transfugere, apud ſe plebeios & inertes tantum remanere, atque eos quos vel deſperatio veniæ, vel arcta neceſſitudo, vel metus amittendorum bonorum retinebat, quaſi deſertus ab omnibus timere grauius cœpit: atque hoc etiam magis, quo magis externa auxilia deſperabat. Nam Franciſcus Barretus Olyſſiponenſis & Petrus Dorus Gallus, quos a Gubernatoribus in Galliã miſſos ſupra memoraui, nullas copias cõparauerant. ſiquidem Olyſſiponenſis nullam pecuniam acceperat, quam militibus, quos cogeret daret: Gallus quam paucam acceperat, in ſuos vſus conuerterat. Nec Galliæ principes venire Portugalenſibus auxilio velle aiebant, ni duas arces ſibi tradidiſſet Caſcalis & Sancti Iuliani: in quibus receptum haberent, cum aduerſi aliquid contingeret. Quã conditionem à Gubernatoribus recuſatam, ne rerum Portugalenſium aliquando Galli hac via potirentur, Antonius ad Barretum ſcripſerat, vt acciperet: ſed nec in tempore ſcribi milites nec commode mitti poterant, omni ad eum aditu ab aduerſariis interſepto. Cum igitur externæ opis expectatio nulla amplius, aut quam minima relinqueretur, quotquot poterat colonos, paſtores, operarios vndique ad bellum cogebat: & ex ipſis religioſis familiis, quos ad bellandum idoneos reperiebat, armabat: iubebat etiam clericos depoſitis togis ſaga ſumere. Præterea ſeruos, quicunque militare voluiſſent, libertate donabat illiſque facultatem concedebat à dominis arma & equos abripiendi quorum IV. cohortes armatæ ſunt. Sanciuerat quoque edicto vt omnes in vrbem conuenirent: ſed eorum, qui venire neglexiſſent, bona proſcribebantur; ab his vero, qui veniſſent, pecuniæ in militum ſtipendia petulanter exigebantur. Mercatores inique vexabantur: peregrini aſpere tractabantur, à quibus iuuari manu & conſilio poterant. Cuiuſuis delicti & ſceleris pœna pecuniis redimebatur; omniſque via conficiendæ pecuniæ quærebatur. Dabantur obſcuris & ignobilibus hominibus militiæ Chriſti inſignia, magiſtratuſque indignis, & nouis Chriſtianis mandabantur. Dominabantur in vrbe plebei, rapaces, & inſolentes cum ſumma vitæ licentia & impunitate: ita vt in nouo regno vicem ſuam permulti dolerent, de regis miniſtris omnes viri boni magis, quam de aduerſariis timerent. Quotidie conuocabant concilium, & nihil in eo decernebant; atque inter ipſos conſultores inuidia diſſenſiones procreabat. Comes Viminoſenſis dux exercitus eſſe volebat, cui Didacus Meneſius præfectus erat: & gratia, qua Odoardus à Caſtro diuitis mercatoris filius apud Antonium plurimum poterat, multorum animos alienauerat. dumtaxat noui Chriſtiani à Iudæis oriundi, quorũ maximus eſt in Portugalia numerus, & Æthiopes, quos permultos Olyſſipone cernas, gens ſeruilis & humilis, Antonium lubenti animo ſequebantur. Rex Philippus vero vt æquitatẽ & bonitatẽ ſuam oſtẽderet, edicto veniã dedit, & impunitatem iis qui aut vi coacti, aut errore decepti, aut cõmuni quodã odio contra Caſtellanos affecti, cõtra ſe arma cepiſſent, rebellionis authores & adiutores excipiens. Quo multorũ animi ſpe veniæ relangueſcere cœperunt: & Antonius multis parũ fidere; ſuſpectoſque ſibi in cuſtodia aſſeruare. in quibus Georgius Meneſius maiorum nauium præfectus ob interceptas (vt ferebatur) ad Regis Philippi miniſtros litteras. Toletanus interea circumſpiciebat quam viam iniret, quæ Oliſſiponem facilior & expeditior eſſet. Nam tres commonſtrabantur, vna per Scalabim, altera per Tagi fauces, tertia per Caſcale: quod oppidum XV. m. paſſ. infra Oliſſiponem eſt in altera oſtii parte, in quod Oceanus penetrans flumini Tago coniungitur. Viam per Scalabim longam, æſtuoſam, & puluerulentam eſſe intelligebat, & illac difficilem fluminis tranſitum; quod nec pontem habeat, quo pedibus tranſiri poſſit; & cymbæ, quas Hiſpali fabricandas ob hanc rem curauerat, aduectæ non eſſent; atq; adeſſent eædẽ difficultates, quas ſupra indicauimus. In portus vero clauſtra per anguſtas fluminis fauces cũ claſſe irruptionẽ ſine maximo dãno & periculo fieri non poſſe videbat; q; ſitæ à dextra & ſiniſtra arces S. Iuliani & Cauezzæ ſiccæ tormentorũ ictibus introeuntes triremes aut lacerarẽt, aut vadis alliderẽt; ac maiores naues hoſtiũ in ipſis faucib.

Hiſpalis hodie Seuilla.

poſitæ mole ſua introitum obſtruerent. At per tertiam viam breuiſſimum æſtate media traiectum cernebat; & arces, quæ inter Caſcale & Olyſſiponem ſunt, non magno negocio capi poſſe iudicabat; tantummodo excenſionem in terram timebat ob altas & præruptas rupes, quibus totus ille tractus litoralis continetur. Doctus tamen à locorum peritis ſupra Caſcale M. & D. paſſ. ſeptentriones verſus humilem quendam inter rupes locum, quem incolæ Marmam veterem nominant, aquis pluuiis, quæ in Oceanum defluunt, exeſum, ad quem binæ, aut ternæ cymbæ appelli poſſent, relictum eſſe ab aduerſariis incuria, quod nulla hominum memoria ne piſcatoria quidem nauicula eo vnquam appulſa fuiſſet, hanc tertiam viam probauit: ac terra marique cuſtodias diſpoſuit, ne quis ad hoſtes transfugiēs hoc ſuum conſilium enunciaret. Tum ſimulans velle Scalabim proficiſci, Germanos eum tormentis ea via præire iuſſit: moxque reuocauit: atque in triremes quotquot potuit milites cum CC. equitibus & aliquot tormentis muralibus impoſuit; ac Caſcale adnauigauit, excenſionem in terram periclitaturus. egreſſuſque Setubalis ſinum Siſymbram recepit, oppidum ad proximum litus ſitum: atque altero die ſub ortum Solis Caſcale appropinquauit, & ad Marmam veterem proras direxit. Didacus Meneſius, qui Caſcale & maritimam illam oram cuſtodiebat, cernens hoſtilē claſſem aduerſum ſe agi, cum VI. m. hominum ad Marmam veterem procurrit, deſcenſum in terram hoſtibus turbaturus. Sed accedentem eum hoſtes tormentis è triremibus terrent. ſummotiſque magis inani terrore, quam vllo detrimento aduerſariis, ſcaphæ militibus complentur: atque accedente æſtu, & ſereno cœlo ad litus appelluntur. E quibus in terram primus omnium Rodericus Zapata cum XX. ſclopettariis exiluit, tum Sancius Auila cum L. militibus, & deinceps alii poſt alios: contentoque greſſu decliuis ripæ ſummum repugnante nemine obtinuerunt. poſt auctis cæterorum concurſu viribus hoſtem penitus fugarunt. Fugatis hoſtibus, reliqui milites exponuntur: compoſitoque agmine Caſcale propius incedunt: inclinanteque ad occaſum die, ad ædem ſacram B. Mariæ, cui cognomen à via eſt, conſiſtunt. Rodericus Valdeſius tamen cum ſua ſclopettariorum cohorte longius progredi iuſſus ad depellendos hoſtes e tumulo, quem occupauerant inter ædem B. Mariæ & Caſcale, magna eos vi atque impreſſione deuicit. quo in certamine de Caſtellanis quatuor tantum vulnerati ſunt; de Portugalenſibus deſiderati plures: reliqui procul ab oppido & arce, quo vel hoſtium metus impulit, vel locorum opportunitas ire ſuaſit, fuſi fugatique abierunt. Meneſius cum XX. militibus in arcem ſe recepit, quæ iuxta litus ab oppido ſagittæ iactu abeſt. Huius rei nunciis ingenti metu Olyſſiponenſes perculſi ſunt: atque Antonio ad arma vocante magna hominum multitudo conuenit: ſed eum hortantem omnes vt ſe Caſcale contra Caſtellanos inſequerentur, pauci, iidemque tumultuoſe, partim etiam inermes ſubſequuti ſunt: quamuis diuerſarum religioſarum familiarum plerique viri vel tranquillitatis odio, vel amore licentiæ, vel dementia & furore correpti, dextris gladios, ſiniſtris cruces geſtantes, vt hortatorum, & adiutorum officia præſtarent, vniuerſos & ſingulos ad pugnam contra Caſtellanos magnis vocibus & clamoribus adhortarentur. Vbi ventum Bethlem eſt, minorem opinione ſua manum arma ferentium conſpiciens (neque enim plures, quam M. pedites & D. equites erant) primores conſuluit an progrediendum, an redeundum cenſerent. In quibus etſi forte quidam cæteris prudentiores magis temeritate quadā agi, quam vllo conſilio duci ſe viderent, tamen audaciſſimorum vociferatio contendentium nulla ratione redeundum, atque inſolentius inſtantium ipſorum ſingulis animum eſſe cum vniuerſis Caſtellanis congredi, nullum conſilium dici ſinebat. verū interueniente nocte cum cibum capere voluiſſent, nec quicquam, quo reficerentur, inueniſſent, hoc vno incōmodo refracta illorum temeritas eſt. Toletanus poſt expoſitas copias, & tormenta, quæ ſecum aduexerat, Bazano præcepit, vt triremes ad conuehendum reliquum exercitū & bellicum apparatum Setubal remitteret: atque Alfonſum Leyuam oræ maritimæ cuſtodiæ præpoſuit: nec non interim præfectum arcis admonuit (ignarus quod eſſet in ea Meneſius) vt arcem traderet, nec ſe temere perderet. Quod cum ille facere noluiſſet, arx tormentis verberari cœpta eſt. Ad quorum ictus præfectus de deditione agere cœpit, cuius ſpecie aliquot Toletani milites in arcem introiuerunt, & vt ſine pactione ſeſe traderet ſuaſerunt: neque hoc facere illo volente, ipſi per vim arce potiti ſunt: & Imperatoris ſui iuſſu vexillum candidum pacis inſigne, quod Portugalenſes poſt verberatam arcem extulerant; depoſuerunt, & rubrum belli ſignum, quod ante oppugnationem illi erexerant; extulerūt; vt intelligeretur arcem non deditione acceptam, ſed vi captam eſſe. Meneſius ſeſe occultauerat: repertus autem per nuncium à Toletano petiit, vti atque infimus miles tractaretur; atque etiam facultatem poſtulauit ad Antonium, quem Portugaliæ Regem nominauit, abeundi. Sed illi tunc à Toletano nullum reſponſum datum eſt (aderat autem nox) ve-

hementi

niente vero die Toletani iuſſu indicta mors eſt. Ita qui pugnare timuit, & ſe dedere noluit, capite luit temeritatem, an ſtoliditatem dicam neſcio. Arcis pręfectus etiam cum duobus aliis ſuſpenſus eſt: reliqui ad triremes damnati. Contigit autem nobilem quendam Olyſſiponenſem cũ XX. militibus ab Antonio ſubſidio Meneſio miſſum concubia nocte cymbam ad arcis latus appellere, ignarum quod ab hoſtibus teneretur, ac compellare militem in arcis vigilia ſtantem, rogareque vt ſibi portam aperiret. cui miles Portugalenſis conſulto ad colloquendum ſuppoſitus, ne aliena lingua ſuſpicionem daret captæ arcis, reſpõdit ſe portam aperiturum. in quam ille ingreſſus ſenſit in hoſtium manus incidiſſe. Tunc pagus Syntra VI.m. paſſ. Caſcali, XII.m.paſſ. Olyſipone diſtans ad radicem montis Lunæ Toletano traditus eſt. Qui locus arboribus amœnus, fontibus iucundus, regiis ædificiis clarus eſt, atque æſtiuo tempore Portugalenſium Regum delitiæ. Senatus Olyſſiponenſis videns rem in maximum diſcrimen adductam, ne vrbs opulentiſſima fieret hoſtibus præda, cuius auiditas multo audentiores milites facit, Antonium orauit, vt cum iis copiis, quas contraxerat, Caſtellanis obuiam iret. Antonius à Senatu pecuniam in militum ſtipendia primo petiit; quam nullam obtinuit, aſſerente Senatu ciuitatem ſumptibus exhauſtam eſſe: deinde ad componendum exercitum biduum poſtulauit. quo tempore milites omnes ad Bethlem conduxit partim ſponte, partim vi ad X. M. Verum cum artis militaris ſcientes homines Portugalenſes non haberēt, nec audirentur alienigenæ rerum bellicarum periti, ne ſuperiores vlla re Portugalenſibus viderentur, & ipſe Imperator parum inter arma exercitatus eſſet, quid ageret ignorabat. Quidam aiebant iuxta arcem Sancti Iuliani caſtra poni oportere, in cuius defenſione ciuitatis ſalus, & totius belli ſumma conſiſteret, vt arx munimento exercitui, exercitus præſidio arci eſſet: quidam longius ab vrbe diſcedendum propter multarum rerum opportunitates negabant. Quod conſilium probatum eſt. Itaque caſtris locum inter Bethlem & vrbem eligunt, & munitiones inſtituunt. Toletanus poſt aduectum è Setubale cum reliquis copiis omnem bellicum apparatum ad oppugnandam arcem S. Iuliani Caſcali profectus, ad pagum nomine Oeram è regione arcis caſtrametatus eſt. Ac primo die Franciſcus Alaua contra arcem X. tormenta locauit, dein altera X. tum his omnib. XII. adiecit, equitibus, quos Antonius ad diſturbanda opera miſerat, retro a Sancio Auila paruo prælio compulſis. Atque imprimis tres maiores & roſtratas naues, è quibus hoſtes nonnulla damna inijciebant, tormentorum ictibus ab arcis præſidio ſummouit: ac mox arcem magno impetu verberauit. Porro Triſtanus Vaſæus arcis præfectus, quod ſe diu ſuſtinere nõ poſſe videret, æquam aliquam deditionis conditionem magna voluntate ſubiiſſet: verum in ipſo oppugnationis initio ex ſe conditionem vllam poſtulare non ſatis honeſtum putabat. Accidit autem, cum ſcalæ & funes ab hoſtibus pararentur ad inuadendam manu arcem qua parte multis tormentorum ictibus muro denudata erat, vt puella quædam cum matre viſendi mariti cauſa, & à Toletano & à Vaſæo facta poteſtate, ex Oera in arcem intraret, ac Vaſęo ſuaderet vt ſe Toletano dederet, quod ille maximum & fortiſſimum exercitum haberet, ipſe rerum omnium penuria laboraret. Exinde Vaſæus in colloquium Toletani venit: atque illum initio rogauit, cur more militiæ neminem ad ſe ante oppugnationem miſerit ſciſcitatum rationem, quā arcem teneret, atque defenderet. Quod factum à ſe Toletanus aſſeruit; & per pręconem ſibi relatum fuiſſe, præfectum nolle arcem tradere. Ob hoc quæſitus eſt ad ſuſpendium præco: qui correptus ingenti metu ſeſe occultauit. Poſt Vaſæus explicuit quo modo arcem à Gubernatoribus primo acceperit, deinde multis rebus cogentibus Antonii nomine tenuerit, ſed eo ſemper conſilio, vt ipſam ei traderet, quem Gubernatores Portugaliæ Regem denunciauiſſent. Hic Toletanus Regem Philippum à Gubernatoribus Regem Portugaliæ denunciatum decreto in Caſtromerino facto oſtendit. Tunc Vaſæus retulit ſe arcem in Regis Philippi poteſtatem traditurum, ſi modo ſui milites & neceſſarii ſalui & incolumes ſeruarentur. Inſuper litteras ab Antonio ad ſe ſcriptas aperuit, vt cognoſcerentur præmia, quæ ſibi Antonius promiſerat, ne minora à Rege Philippo referret. Eam conditionem Toletanus approbauit, & de Regis Philippi liberalitate illi plura, quam ſperare poſſet, pollicitus eſt. Sic arcem S. Iuliani Triſtanus Toletano tradidit. Quod Triſtani facinus nonnulli proditionē notarunt, aliqui rerum ad ſe defendendum neceſſariarum inopia excuſarunt, quidam etiam iuris æquitate & nobiliſſimorum exemplo laudarunt. Toletanus validum præſidium in arce poſuit, & Triſtanum apud ſe in honore habuit. Ac poſt receptam arcem mature claſſem è ſinu Caſcalis intra Tagi clauſtra recepit. & quidem in tempore. nam alioquin paucis diebus poſt acceptam arcem immoderata tempeſtas ab Africo & Auſtro commota ad Caſcalis litus illam fœdiſſime laceraſſet. Et Petrus Barbus Antonii voluntate auferens tormenta, quæ potuit, munitionem in Cauezza ſicca deſeruit.

Ergo vrbis ceruici imminentibus hoſtibus, ab Olyſſiponenſibus iam mala omnia timeri, & direptio vrbis, & amiſſio claſſis, quam ex India & piperis & zinziberi & cinamomi & aliarum pretioſarum mercium onuſtam expectabant. Proinde Senatus Antonio deditionem ſuadere; contra Antonius & ſuorum militum multitudine, & externorum auxiliorum ſpe Senatum ad pugnandum cohortari. veritusque ne qua poſthac molitio contra ſe fieret, fluminis tranſitum & vrbis portas ſuis præſidiis tenuit, fretus præcipue initiatorum hominum fide, quibus licentia militaris cordi erat. Cum vero omni ſublato commercio res ad victum neceſſariæ nullæ, ne ab ipſis quidem colonis vicinorum agrorum in Olyſſiponem vrbem maximam ac plenam humilium hominum inferrentur, à ſe ipſa quodã modo obſeſſa ciuitas graui rerum omnium inopia premebatur. Eſt in vrbe media mons prominens, & in eius ſummo caſtellum, in cuius cuſtodia Belgæ poſiti erant. caſu vero factum vt ignis tecto inhærens flammam excitaret. quam Antonius cernens, proditionis ſignum eſſe credidit. ex quo elatus ſubita ira, non bene re perſpecta, non ſolum Belgas, ſed etiam omnes peregrinos ex vrbe expulit, vel eos, quorum opera ſibi multis in rebus vtilis erat. Ac quoque præfectum arcis Bethlem à cuſtodia amouit, quem à Toletano ad deditionem ſolicitari ſuſpicabatur. Nec Toletanus caſtra ex Oera mouerat, ſed per notos vtrique homines Antonium multis iuſtis cauſis ad pacem adhortabatur, qui primum incertus ob dignitatis ſuæ rationem, & Regis Philippi voluntatem extitit; ſed amiſſæ arces, extincta ſpes externorum auxiliorum, militum paucitas & inertia, multorum quoque inconſtantia tandem eius animum ad pacem inclinarunt. Igitur dies colloquio dicitur in medio flumine procul ab aliis, in quod cum paucis vterque conueniat. Toletanus totam noctem in regia triremi moratus eſt, vt in colloquium cum Antonio iret: ſed ille nuſquam comparuit, aut veniam à Rege Philippo deſperans, aut Toletano diffidens, aut ab Epiſcopo Igæditanienſi reuocatus. Quod Toletanus grauiter tulit: atque extemplo Sancium Auilam cum M. & D. equitibus ad perſpiciendam Bethlem arcem miſit. qui M. & D. peditibus ac CCC. equitibus aduerſariorum occurrens, prælium iniuit; diremptoque paucorum iactura vtrinque certamine, ad caſtra reuerſus eſt. Altero die maior militum numerus è caſtris ad Bethlem emittitur: quorum pars cum aduerſariis dimicant, qui ad turbanda opera venerant, pars tormenta contra arcem locant. Atque inprimis tres maiores & roſtratas naues, quę iuxta ſunt, remouent; tum arcem tormentis percutiunt. quorum ictibus arcis præfectus perterritus ſe, & arcem tradidit, quam ante bonis verbis monitus tradere recuſauerat. Sed eius confidentiam Toletanus ſuſpendio damnaſſet, ni Alfonſus Leyua interceſſiſſet. Capta arce caſtra ad Bethlem fecit: & vt claſſi liberum & ex omni parte tutum iter Olyſſiponem vſque eſſet, turris veteris, quę in altera parte fluminis contra Bethlem eſt, præfectum commonuit, vt ipſam dederet; formidineſque oppoſuit. Ille Toletani dicto audiens fuit. Poſtea cum M. & CCC. equitibus ac M. peditibus ad contemplandum caſtra Antonii, quæ à ſuis M. & D. paſſ. totidemque Olyſſipone aberant, profectus eſt. Locus, vbi Antonius caſtra fecerat, montuoſus eſt, à Tagi litore conſcenſu non ſatis arduo ſubuectus: per quem à Septentrionibus oriens fluuius breuis, humilis, & imbri creſcens inter excelſa & prærupta ſaxa in Tagum defluit. Ipſæ rupes ad caput fluuii iunguntur, & in litus Tagi ſatis lato, ac pari ferè interuallo diſiunctæ procurrunt: ac qua deſinunt, fluuius ponte, quem Alcantaram nomine arabico vocant, tranſmittitur. cui continens eſt pagus, qui à ponte nomen Alcantaræ vna cum fluuio accepit. Antonius in altera ripa caſtra fecerat, & munitionibus à dextra & ſiniſtra obtexerat. nam media ripa præceps rupe prærupta nullum acceſſum dabat. Pontem quoque medium tabulis & aſſeribus obſtruxerat. Ad alteram ripam igitur Toletanus inſpectum loci naturam & aduerſariorum caſtra venit, pulſo ex itinere hoſte, qui armatus occurrerat: contemplatuſque loci naturam & caſtrorum ſitum, atque à ſpeculatoribus accipiens Antonium ad XVI. m. hominum in caſtris habere, ſed magnam eorum partem colonorum, paſtorum, ſeruorum eſſe, nec arma nec armorum vſum habentium, contra eius caſtra ſua deſignauit; ac certa quibuſque loca diſpertiuit. Ad Alcantaram pagum Italos, ſupra Italos Germanos, in ſumma & media rupe Hiſpanos, ad initium rupis equitatum locari; ac tribus locis tormenta diſponi iuſſit, iuxta Germanos, iuxta equitatum, & in editiore tumulo prope Hiſpanos. Præterea Bazano præcepit claſſem in ipſo Tago contra aduerſariorum maiores naues atque triremes inſtruere; ita vt claſſe & equitatu quaſi duabus alis totus exercitus protegeretur. Equitatum Ferdinandus filius, Hiſpanos Sancius Auila, Germanos Hieronymus Lodron, Italos (nam Petrus Medices incommoda valetudine tenebatur) Proſper Columna regeret. Poſtquam omnia deſcripſit, in caſtra reuerſus eſt; ac militum præfectis imperauit, vt ſub ortum lucis ſuum quiſque locum caperet;

& cum pugnæ ſignum daretur, Itali cum Germanis inferiores, Hiſpani cum equitatu ſuperiores munitiones inuaderent, Franciſcus Alaua tormentis aduerſariorum ordines conturbaret, eodemque tempore Bazanus hoſtilem claſſem adoriretur. Et quo infirmiores ad reſiſtendum eſſent aduerſarii, iuſſit Proſpero Columnæ CCC. Italos ad pontem præmittere, qui leuibus iaculationibus totam noctem hoſtes inſomnes haberent. Hortatus inſuper eſt, vt viros ſe eſſe meminiſſent, atque hanc vnam pugnam alacri animo ſuſciperent, quæ omnium laborum finem allatura eſſet. Poſtremo multis orauit atque obſecrauit, vt ſi Deo iuuante hoſtes viciſſent, ac fugatos depuliſſent, milites ab vrbis ingreſſu continerent: quam Rex Philippus inuiolatam, quam captam omnino mallet. ac ſummũ ſupplicium in eos conſtituit, qui ad depredandum vrbem intraſſent. Deprecatuſq; eſt Deum immortalem, vt mori prius ſibi contingeret, quam videre vrbem à ſuo milite diripi. Poſt quæ Proſper Columna CCC. milites ad pontem miſit. qui paruis certaminibus Portugalenſes totam noctem inſomnes tenuerunt: mox albente cœlo, magno impetu tabulationem, qua pons interclusus erat, perfringere conati ſunt. Verum è moletrina, quæ in litore Tagi ſita eſt, recta pontem proſpectans, à Portugalenſibus damnis afficiebantur. quod quidam animaduertentes, ſuperato aggere, quo aqua continetur, vi moletrinam cepere: atq; hinc in proximum hortum muris cinctum intrarunt, qui ad alteram pontis partem eſt. Sed è caſtrorum munimentis, quæ in conſcenſu montis teli iactu à ponte aberant, magna aduerſariorum manus irruens Italos è ponte diſiecit: & contra eos, qui moletrinam & hortum occupauerant, acri marte certabat. Interea Toletani exercitus aduenerat & ſuum quiſque locum ceperat, cum Proſpero Columnę nunciatur ſuos valida impreſſione a Portugalenſibus è ponte diſiectos; quoſdam etiam in ſummo periculo verſari. Proſper ad pontem cum aliquot cohortibus accurrit; ſuis animum addit: quos orat, vt patriæ virtutis & gloriæ memores ſplendorem nominis Italici ſemper apud omnes gentes & nationes illuſtris nulla ignauiæ nota maculari patiantur. Itaque acrior pugna redintegratur. Itali pontis tabulationem perfringunt, & aduerſarios in caſtrorum munimenta propellunt. At Epiſcopus Igædtanienſis, audita ad pontem dimicatione, ſuæ perſonæ ac dignitatis oblitus per vicos & plateas vrbis ingenti & crebro tympanorum ſonitu omnes ad arma vocat: alios minis, alios vi ad caſtra cogit: cuncta ſummo ſtrepitu & clamore miſcet. Nec Antonius, quia non induxerat in animum hoſtem ad caſtrorum oppugnationem tam çito venturum, ſuos ad repugnandum inſtruxerat. Sed & ſuorum multi nocte metu diffugerant, multi in vrbem domus cura abierant. Cum vero Italos cum Germanis ad hoſtium munimenta conſcendiſſe, & Sancium Auilam cum Hiſpanis ad ſuperiores munitiones appropinquare Toletanus videret, ſignum pugnæ ſuſtulit. ad quod Franciſcus Alaua ingentem vim ignitorum globorum tormentis in caſtra hoſtium emiſit, & à componendis ſignis eos deterruit: Hiſpani, Germani, Itali in Portugalenſium munimenta irrupere. Portugalenſes ſummo metu vndique perculſi non manibus, ſed pedibus ſalutem ſuam tutãtes, abiectis armis ſeſe fugæ alius alio mandarunt. Illi iſtos cedere, fundere, fugare. Et fugientium alii in fuga feriri alii cadere, alii vitam amittere, alii mortẽ inter cæſos expectare. multaque à victore in victos edi crudelitatis exempla, quæ furor fieri amat; vt ne ſupplicitet quidem petentibus anima interdum relicta ſit. Tellus infecta ſanguine, ac viæ omnes telis, haſtis, gladiis, ſclopettiſque conſtratæ, & ſtrata inter arma exanguia corpora. At tertia hora inchoata pugna, & vſque ad ſeptimam facta ſtrages VIII. Kalend. Septembr. Ad DCC. interfecti, vulnerati plures: & quicquid circum Olyſſiponem ædium eſt (ſunt autem multa magnis ædificiis & hortis inſignia ſuburbia) id totum direptum vaſtatumque eſt. Tantum templis & religioſarum familiarum domibus pepercerunt. Quin etiam vrbs ipſa direpta fuiſſet, ni Ferdinandus Toletani filius ad portã accurrens, monendo, rogando, comminando, alios hoſtes à tergo eſſe confingendo milites ab irruptione prohibuiſſet. Poſt deuictas terreſtres copias Bazanus, qui cum pugnæ ſignũm à Toletano datum eſt, claſſem ad pugnam aptare, & in hoſtem agere propter recedentem maritimum æſtum non potuit, accedente æſtu aduerſariorum claſſem facile deuicit. Tunc Senatus Olyſſiponenſis ex vrbe Toletano obuiam prodiens, illi claues vrbis obtulit, ac Regis Philippi poteſtati & voluntati ſeſe commiſit, perſuaſus à Toletano vt ſine pactione ſeſe dederet, cum de pactione agere cœpiſſet. Itaque Toletanus vrbem accepit, atque incolumem ſeruauit. Deinde relicto in ea Ferdinando filio cum aliquot nobilibus, qui ciuitatis motibus proſpiceret, ipſe cum vniuerſo exercitu in caſtra Bethlem ſe recepit. Antonius, qui vrbem ingreſſus quotquot in carcere aſſeruabantur nocentes homines ruptis vinculis cuſtodia liberauerat; confeſtimque egreſſus in villa ſeſe abdiderat IX. m. paſſ. ab vrbe, poſt curatum illic

vulnus, quod ex incurſu armorum in fuga ad collum acceperat, Scalabim conceſſit. Sed Scalabitani, qui primi eum Regem creauerant, tunc apud ſe retinere victum noluerunt. Ita hominum fluxa fides eſt, & cum fortuna mutabilis. Nec defuere, qui vel incuriam, vel animum trahendi belli in Toletano reprehenderint; quod nec ante pugnam quicquam contra Antonium præceperit, cum pugnæ ordinem inſtitueret, neq; illum poſt victoriam conquiri curauerit: quando is vnus totius belli ſummam ſuſtineret. Sed Toletani laudis fautores ipſum defendunt, quod ante prælium non haberet, cui contra Antonium quicquam ſpeciatim committeret; eo quod ſuorum nulli notus eſſet: poſt victos vero hoſtes magna diligentia tota vrbe illum quæſierit; nuſquam tamen inuenerit. Poſtquam vero comperit Scalabim profugiſſe, tunc neq; paucos milites, qui ab aduerſariorum, quæ coiſſet, multitudine opprimerentur; cum præſertim ex nunciis certior fieret quatuor naues Gallorum ad Vianam, quam aliqui Viennam Callęciam nominant, appulſas eſſe, quæ Antonio milites & arma portant: neq; multos ad inſequendum illum mittere conducibile exiſtimauit, ne per quę vaderent, loca deuaſtarent. Cæterum Galli vbi intellexerunt Olyſſiponem captam & Antonium victum atque fugatum, in ſuas oras remigrarunt. Et paucos poſt dies à deuicto Antonio claſſis ab India venit, quæ non mediocri lætitia totã ciuitatem affecit. Ad cuius præfectum Antonius poſt amiſſam maris poſſeſſionem ſcripſerat, vt ipſum vel in Galliam, vel in Angliam ageret: ſed eam Alfonſus Bazanus à Toletano cum XV. nauibus Setubale miſſus in itinere inuentam Olyſſiponem ſecum adduxit. Poſt aliquot vero dies Toletanus intelligens Antonium Conimbricæ nouum exercitum cogere, Sancium Auilam cum CCC. equitibus & III. m. peditum, in quibus cum VI. bellicis tormentis III. Germanorum cohortes, ad opprimendum hominem miſit. Qui aduentum Sancii reſciſcens, cum iis copiis, quas contraxerat, Lauarem diſceſſit, ac vi in oppidum irrorupit, & ciues tributum ferre coegit: atque inſuper aliquos vinculis, aliquos ſupplicio affecit. Tum inde nauigare in Galliam ſtatuit; ſed amicorum ſuaſionibus ab hoc propoſito retractus, iter Portum contulit oppidum in Interamne nobile, ſitum in altera fluminis Durii ripa. quod à veteribus Cale vocatum eſt. Portuenſes mœnia & ad vrbem aditus, quibus Antonii aduentus erat, munierant: verum illi venienti partim metu, partim ſponte patefiunt. Vnde ciues, qui rebus Antonii minus fauerant, portis effuſi in diuerſa loca ſeſe proripuerunt. Quorum fuga audita confeſtim Antonius flumen tranſmiſit, & in vrbem apparatu regio acceptus introiuit: nec non magnum tributum ciuitati impoſuit; & aliquorum domos diripuit. Dein iuſſit naues omnes atque nauiculas ad continentem ripam adduci, ne qua hoſtibus tranſeundi flumen poteſtas fieret. Præterea Epiſcopum Igæditanienſem Odoardum Lemum & alios beneuolos ſui miſit ad comparandos ex vicinis agris & oppidis milites. Inſuper ad ciuitates de Rege Philippo, qui ægrotabat, ſcripſit, quod mortẽ obierat: vt res bello neceſſarias libentius ſuppeditarent. Interim Sancius Conimbricæ appropinquans equitatum ad explorandos oppidanorum animos præmiſit: qui reiecto Antoniano præſidio, vltro illum in vrbem exceperunt. Hinc Lauarem perrexit: & ab oppidanis ſponte receptus eſt. vbi paucos dies manſit, vt rei frumentariæ proſpiceret. dein ſingulis cohortibus iuſſis VI. dierum frumentum ſecum comportare, ad flumen Durium iter contulit: & ex itinere miſit cum aliquot militibus, & hominib. linguę & regionis ſcientibus impigros viros Thomam Vcedum ad capiendas cymbas, quas hoſtis conduxerat ad vicum inter flumina Durium & Tamegam XVIII, m. paſſ. ſupra Portum, & Antonium Serranum ad conquirendas alias nauiculas, quibus flumen traiiceret: peruenitque ad pagum, quem Villamnouam nominant, Portui oppoſitum in aduerſa fluminis ripa. Ibi caſtra fecit, & vtrumq; collem, qui à dextra & ſiniſtra aſſurgunt, occupauit. Sed duplex difficultas eum circumuenit, & rerum, quibus famem depelleret, & cymbarum, quibus flumen tranſiret, inopia. Illa ad pugnandum quamuis pugnam ſtimulabat. ſiquidem militi optabilius videtur hoſtilibus armis cadere, quam humanis neceſſitatibus interire. hæc omnem pugnandi facultatem adimebat. Vt vero cognouit VI. à Serrano ad moletrinam IX. m. paſſ. à ſuis caſtris, & XVI. cymbas ad Vcedo magno ſtudio & induſtria ex hoſtium poteſtate captas, confeſtim ad Vcedum ſcripſit, vt ſecundo flumine dilabens ad ripam, quam Petram Salgadam nominant, M. & D. paſſ. à Villanoua eas appelleret, & cum nauiculis Serrani coniungeret. Contra quem Antonius cum IV. nauibus multos milites miſit, vt ab hoſte cymbas interciperent, aut labefactarent. At illi poſt primos tormentorum ictus, cum labor male ceſſiſſet, retro curſum flexere, nec aduerſariorum incurſum expectarunt. Sed neque tranſitus, quoniam Durius inter prærupta ſaxa fluit, vbique dabatur: & hoſtes aduerſam Petræ Salgadæ ripam, qua Caſtellanos tranſitum attentaturos credebant, IV. bellicis tormentis, & IV. nauibus ad dimicandũ inſtructis, quas contra Vcedũ

miſſas

miſſas diximus,tuebantur. Doctus tamen D.paſſ.ſupra Petram Salgadam tutiorem tranſitum eſſe,illum tentare inſtituit:noctiſque ſilentio, quæ inceptum ſuum hoſtibus tegeret, eo cum exercitu ex Villanoua tranſuerſo itinere profectus eſt:ac partem copiarum ad Petram Salgadam miſit. quibus iuſſit, vt aduerſariis ſpeciem tranſeundi præberent. atq; Vcedo imperauit VI. nauiculas illis relinquere, reliquas aduerſo flumine, quo ipſe tenderet, agere. Vcedum hoſtes ſclopettarum ictibus & è nauibus & ex altera ripa totam noctem proſequentes nequicquam turbant. Cum diei principium fuit, Sancius nauiculas militibus compleuit,& in aduerſam ripam adegit. Hoſtes,qui in ripæ cuſtodia erant, primo reſtitere; ſed vbi de ſuis aliquos cadere viderunt,metu terga vertêre. Sancius ripam tenuit: atque extemplo illis, quos ad Petram Salgadam miſerat,præcepit, vt tranſitum propere attentarent:ſe hoſtes à tergo adoriturum. Portuenſes Sancium traieciſſe flumen ſentientes, atq; aſpicientes reliquos hoſtes aduerſum ſe nauiculis ferri, metuentes ne à tergo opprimerētur, licet numero plures eſſent,tamen quia virtute & arte inferiores,in fuga ſibi præſidium omne poſuerunt. Cuius fugæ initiū ab Antonio factum eſt:qui nec ſuę nec ſuorum virtuti quicquam fidens,ſtatim poſt Sancii tranſitum primus in vrbē prouolauit; ementituſque eſt Caſtellanos ad ripam victos eſſe.ac protinus pecuniam, quantam potuit, aſportans cum ſuis domeſticis & neceſſariis Vianam profugit. Sancius potitus vtroque tranſitu ſuos in montes recepit, vnde hoſtes ad VII.m.fugauerat. Poſt ad vrbem agmen admouit. quod aduerſarii ex oppido multis tormentis arcere conati ſunt: ſed maximus imber inutilia tormenta effecit. Tandem colloquiis ciues ad accipiendum regis Philippi imperium induxit. Atq; illico expeditiſſimos equites ad inſequendum Antonium in diuerſas partes emiſit. Per id temporis Epiſcopus Igæditanienſis, qui ſtipatus armatorum manu ciuitatibus milites imperabat,dimiſſis copiis,quas coegerat, ſaluti ſuæ fuga latebriſque conſuluit. Idem quoque ab Odoardo Lemo factum eſt. Cæterum Antonius Vianæ nauim conſcenderat,& portu ſoluerat, vt in Galliam nauigaret:orta vero tempeſtate reuerſus in litus exſcenderat. Interuentum autem aliquem hoſtium cauens,in occulta loca cum ſuis vitabundus concedit: ſed in paucos Sancii equites de improuiſo incidit:è quorum manibus, dum eorum animos pecuniæ, quam multam fert, præda intentos habet, ignotus elabitur. Ac deinde veſtē mutando,ac modo huc,modo illuc itinera inflectendo non ſemel inſequentes ſe hoſtes gnauiter eluſit. ac ſæpe etiam ab inſequendo ſpe pacis & deditionis retinuit. Interea rex Philippus è morbo conualuit.at regina Anna febri correpta ex hac vita receſſit, magnum ſui deſiderium in marito relinquens. Porro Deus mortalium lætitiam triſtitia miſcet ac temperat. Pacata Portugalia Eluem aduenit. quo loci Dux Brigantinus ſalutatum eum venit.ipſe poſt inuiſit Catharinam Ducis Brigantini vxorem conſobrinam ſuam in pago,cui nomen eſt Villaboina M.paſſ.ab Elue. Deinde Elue diſceſſit:prætergredienſq; Portalegrem & Abrantem,Tomar petiit, vbi totius regni concilium indixerat. Tomar eſt oppidum,quod veteres Neobantiam appellarunt,in Ciſtagana inter Scalabim & Conimbricam,ab hac XXXVI. ab illa XXIV. m.paſſ.diſtans,in longa ſed anguſta planitie:quam à dextra fluuius non longe illinc oriens abluit, à ſiniſtra colles vitibus & oliuis conſiti cingunt. In quorum vnius ſummo,nempe eius,qui oppido imminet, templum eſt antiquum & auguſtum, ac templo iuncta ingens atq; pulcherrima domus olim militum templariorum,nunc Chriſti militiæ Fratrum. In huius domus primo & maximo atrio regiis aulæis & periſtromatis ornato Antiſtitum Dynaſtarum Procuratorum ciuitatum conuentus habiti ſunt,ſedente in ſolio rege Philippo ornatu regali. Atque in primo conuentu Antonius Pineirus Epiſcopus Lerienſis hæc loquutus eſt. Inter cæteras prouiſiones à Spiritu ſancto Eccleſiæ,quam ſuo numine gubernat, ſignificatas ad extirpandas prauas hæreſes,componendos nouos motus, corrigendos malos mores ſemper experimento viſa eſt optima patrum rite, & Pontificis maximi omnium principis & paſtoris authoritate conuocatorum congregatio. Et quamuis conuentus à regibus, qui ſummum ius tenent,indicti certā adeo Spiritus ſancti præſentiam, atq; eam prærogatiuam non habeant, quam à Deo ſanctis patrum conciliis datam ſcimus,ne qua errent in ſtatuendis & decernēdis rebus ad communem vtilitatem ſpectantibus:tamen de Dei bonitate, & prouidentia, quam ſingularem in regnorum inſtitutione,adminiſtratione,& mutatione ſemper oſtendit,ſperare poſſumus, & debemus,quod Spiritus ſanctus etiā præſens aderit in regni concilio legitimi regis iuſſu conuocato ad conſultandum de his,quæ ad veri Dei honorem, catholicæ fidei conſeruationem & amplificationem,populi tranquillitatem,ocium,& commoda pertinent. Quarum ſane quidem rerum cauſa Rex noſter coegit totius Portugaliæ concilium. qui ſtatim atq; in Portugaliam ingreſſus eſt,vt regni neceſſitatibus & vtilitatibus prouideret,non vt dominum, ſed maiorum ſuorum exemplo ſe cum Portugalenſibus, vt patrem gerens,

Digitized by Google

totius regni conuentum indixit; vt ex communi conſilio ſtatueret quæ reipubl. maximè profutura eſſent. Itaq; veſtra prudētia, fide, ſtudio fretus ſperat ſe à vobis de his rebus, quę regni vtilitatem reſpiciunt, optima mente & animo ſummam Dei, ac regis, & regni rationem habente commonēdum. Quantam vero nobis ipſe magnorum beneficiorum ſpem dederit, indicat edictum ante regni concilium promulgatum: quo impunitatem omnibus concedit, qui vel decepti, vel inducti, aut compulſi pacem publicam violarunt, & eum de regni ſui poſſeſſione turbare conati ſunt. quod edictum ingenti noſtro cum gaudio ab aliis audiuimus, & legimus ipſi. Vnde quo maius fuit hoc beneficium, peculiaris eius innatæ clementiæ fructus, eo magis in noſtris animis confirmauit ſuæ in Portugalenſes beneuolentiæ & benignitatis magnitudinem. pro qua ſtudebit vos in dies maioribus beneficiis & honoribus ornare & amplificare ſecundum veſtram fidelitatem & obedientiam: quam ſatis ſibi perſuadet vos erga ſe & ſucceſſores ſuos in omne tempus retenturos. Poſt Pineiri orationem ciuitas Olyſſiponenſis omnium regni ordinum nomine ſumma cum reuerentia Regi maximas gratias egit, quod totius regni concilium conuocauerit; in quo de rebus his ageret, quæ ad Dei cultum, & regni incolumitatem ac tranquillitatem ſpectant. Ipſiq; pollicita eſt veterem & conſtantem illam fidem, qua impenſe reges ſuos omni tempore coluerunt. Tum omnes regi Philippo primum, deinde eius filio Didaco regiæ ſtirpis maximo abſenti, ac ſi pręſens eſſet, iureiurando fidem ſuam obligarunt. Rex Philippus eorum veteres immunitates confirmauit, &, quæ ante bellum per Ducem Oſunæ obtulerat, priuilegia dedit: ac Ducem Brigantinum creauit Portugaliæ Comeſtabilem; illiq; omnia reſtituit, quæ bello amiſerat. Poſtremo omnibus, qui contra ſe ſteтiſſent, impunitatem conceſſit: paucos excepit, quos indignos venia iudicauit. Peractis conuentibus, ad componendum regni ſtatum Olyſſiponem abiit: vnde paucos ante dies Antonius deſperatis rebus ſuis latenter euadens, in Galliam nauigauerat.

Rex in vrbem magnifica & regia pompa exceptus eſt.

FINIS.

DE PORTVGALIAE CONIVNCTIONE CVM REGNO CASTELLÆ,

Hiſtoria

HIERONYMI CONESTAGGII, PATRITII GENVENSIS, diuiſa in decem libros, & ex Italico ſermone in Latinum conuerſa.

SERENISSIMO DVCI, ET ILLVSTRISSIMIS GVBERNATORIBVS Reipublicæ Genuenſis, HIERONYMVS CONESTAGGIVS. S.

CVRÆ omnium maximæ, quæ Principum mentes exercent, ſereniſſime Dux, & illuſtriſſimi Domini, conſiſtunt in conſeruandis, & partim induſtria, partim vi augendis ditionibus, quas poſſident: cumque hi capita ſint reliquæ multitudinis, nosque illis propter ſuos quiſque fines libenter adulemur: nemo eſt, qui liberaliter natus, & educatus ſit, quin addiſcere cupiat eas artes, quibus adhunc finem peruenitur, vt eo commodius in beneuolentiam eorundem inſinuare ſeſe poſſit. Sed maiori cum ſtudio, quam reliqua omnia ſubditorum genera, his cogitationibus incumbere, par erat ciues Rerumpublicarum, quæ ſuperiorem non agnoſcunt, qualis eſt hæc

hæc Genuenſis. Præterquam enim, quod hanc ob cauſam in pretio ſunt (per vices enim ordo ipſos tangit, vt in magiſtratuum numerum cooptentur) videntur non minus, quam Principes, Reip. tanquam rebus ſuis priuatis, inuigilare debere. Accedit, quod nos eo vehementius Reip. noſtræ, quam reliquos ſubditos imperii ſuorum principum conſeruationem expetere par eſt, quo maiori cum damno coniuncta eſt iactura libertatis, quam domini mutatio. Et quamuis tua Serenitas, & Illuſtriſſimæ veſtræ Dominationes ea prudentia, & vigilantia ſint, quam gubernatio ampliſſimæ huius Politiæ requirit: tamen, cum hiſtoria vera ſit huius artis magiſtra, non videtur mihi operam ludere, qui ad vtilitatem patriæ res geſtas aliarum nationum deſcribit, vt Reſpublica alienis periculis edocta ſeſe conſeruare, & inteſtinis corruptelis mederi diſcat. Hic eſt finis, qui me, cum eſſem in Portugallia, mouit, vt ſcriberem bella, & reliqua, quæ circa vnionem huius regni cum corona regis Catholici acciderunt: &, ſi me amor operis non fallit, raro fortaſſis ſpacio quatuor tantum annorum contigerunt tot, & tam varii caſus, quales hic leguntur, & quos effectus tanti momenti ſecutus ſit, qualis eſt formæ huius regni, ante quadringentos annos fundati, intra adeo breue tempus mutatio. Fateor quidem me à ſtudiis, quæ deſerui, parum ſubſidii habuiſſe ad hiſtoriam hanc ita, vt meretur, componendam: Sed quia ego hinc nec gloriam, nec commodum ſpero, nec alium ſplendorem illi conciliare cupio, quam qui à nobilitate argumenti, & à rigore veritatis proficiſci poteſt, hanc, veritatem inquam, loco fundamenti poſui, eamque ſumma cum diligentia inueſtigaui, parum interim curans illos, qui adeo delicati ſunt, vt inter mille laudes ne vnicum quidem næuum ſuum audire ſuſtineant. Sane hos homines probabile eſt ignorare (quandoquidem humana imbecillitas ad poſſeſſionem virtutum purarum non poteſt peruenire) minus credibiles, imo de mendacio ſuſpectas eſſe illas laudes, quæ alicui, nulla admixta reprehenſione, tribuuntur. Serenitas, & illuſtriſſimæ dominationes veſtræ boni conſulant animum ſui ciuis, qui patriæ conſeruationem, & amplificationem omnibus votis expetit.

LECTORI HIERONYMVS CONESTAGGIVS.

SI accuſari, & culpæ reum eſſe, idem eſſet, nemo innocens foret: & ideo non debet reprehendi qui ſeſe aduerſus aggreſſorem defendit. Simulatque (benigne Lector) prima huius hiſtoriæ Portugalliæ impreſſio in lucem prodiit, multi aliena gloria detrahendi auidi, ſatis aſpere me calumniati ſunt, accuſantes me in genere, tanquam parum gentis Portugallicæ amantem, & in ſpecie tanquam nimis acrem cenſorem actionum incolarum huius regni, & eorum, qui ibi publicis muneribus functi ſunt. Quanquam autem eum, qui, quæ noſtro tempore in totius mundi theatro geruntur, deſcribit, neceſſe eſt malignitatem, & ineptias multorum boni conſulere, præterquam etiam, quod omnibus ſatisfacere difficile eſt: tamen tolerabilius fuiſſet, ſi aliqui iniuſte me mordere ſatis habuiſſent, nec adfectibus indulgentes operam dediſſent, vt huius libri quantumuis ab inquiſitoribus approbati, vſus in tota Hiſpania vetaretur. Etſi igitur ſciam multos iudicio præditos, & veritatis amantes huius ſcripti patrocinium ſuſcepiſſe: iudicaui tamen non abs re fore, ſi in hac ſecunda impreſſione breuiter innocentiam meam oſtenderem. Quamuis etiam ad has duas calumnias reduci poſſint multa alia, quas inuenerunt: conſtitui tamen ſigillatim reſpondere ad ea, quæ refutatu digna mihi videbuntur, præſuppoſito hoc ſolido fundamento, veritatem & diligentiam eſſe ſpiritum, & vitam hiſtoriæ: quandoquidem certiſſimum eſt, non poſſe iſta duo negligi, quin grauiſſimum & vtiliſſimum omnium, quæ in orbe terrarum ſunt, ſcriptionum genus in vaniſſimum, & pernicioſiſſimum transformetur. Quare ſi ideo accuſor, quod vere, & diligenter ſcripſi, plane nego me eſſe in culpa, quia ſine culpa emendare me non poſſum: imo velim omnes ſcire, me non ſcribere, niſi iis lectoribus, qui intelligunt, quanti æſtimanda ſit & hiſtoriæ veritas, & hiſtorici fides. Ante omnia conſiderandum eſt mihi ſorte quadam obtigiſſe deſcribendas res illius regni, quæ acciderunt ſpacio quatuor infeliciſſimorum annorũ, qui ſeptuageſimum ſeptimum ſubſecuti ſunt, nec æquum eſſe, vt illi, qui me ad imminuendam Portugallorum exiſtimationem propenſum fuiſſe dicunt, ex conditione temporis ſiniſtrum de animo ſcriptoris iudicium faciant, aut ideo illum parti victrici nimis

addictum eſſe ſuſpicentur, quandoquidem in rebus bellicis non magnoperè laudari poteſt, qui ſuccumbit, imo qui patitur ſe vinci, debet etiam æquo animo pati, ſi dicatur eum victum fuiſſe, & amiſſionem victoriæ ſimul cum vituperio, quod inde naſcitur patienter ferrè. Hoc vero tam exactè obſeruarunt antiqui, quorum exemplum libens imitor, vt ſi Liuius inchoaſſet, & abſoluiſſet hiſtoriam ſuam in victoriarum Hannibalis progreſſu, pro Carthaginenſi haberi potuerit: & Ioſephus quando calamitates Iudæorum, & triumphos Titi deſcribit, Romanus videtur. Iam vero mihi duo prælia, quorum in altero Portugalli regem, in altero regnum ſuum amiſerunt, & pugnam naualem, iacturamque inſularum Tercerarum, deſcribenti quæ quæſo, culpa imputari poteſt, ſi Portugallus non videor? Sanè etiamſi eſſem, non deberem tamen videri: aut quomodo poſſum ego hanc lugubrem hiſtoriam in panegyricum conuertere, celebrando fortitudinem victi? Non dubium eſt, ſi ego incidiſſem in deſcriptionem rerum ab hac natione geſtarum, ex quibus apparet, quam illa ad arma, & ad res arduas ſuſcipiendas apta ſit, vt ſunt victoriæ, quas obtinuit prope Aliubarottam, & Trancoſum contra Caſtellanos, occupatio diuerſorum locorum in Africa, ſtupendæ nauigationes, & fœlices progreſſus in Aſia, quæ omnia etiam in hac hiſtoria breuiter, quantum loci ratio ferebat, attigimus: non dubium eſt, inquam, me non magis quidem veridicum eſſe potuiſſe, quam ſim, ſed tamen Portugallos longe libentius me fuiſſe audituros. Ceterum homines iudicio præditi eodem cum adfectu audiunt lucra, & damna, vituperia, & laudes, quando vera ſunt.

Itaque ſine controuerſia dicere poſſumus, de inclinatione ſcriptoris non iudicandum eſſe ex argumento, quod tractat, ſiue gratum, ſiue exoſum ſit nationi, de qua ſcribit, ſed tantum ex ſtudio veritatis, & ex fide, quam profitetur. Oportebat etiam aduerſarios meos conſiderare, hiſtoricum non facere iniuriam alicui nationi cum deſcribit proprietates naturales, quas ipſi infundit cælum, à quo tegitur, aer quem ſpirat, & aqua, quam bibit: maxime quãdo huiuſmodi qualitates nihil vile redolent, ſed ſunt exceſſus virtutis. Exempli gratia: ſi aliquis ad imitationem Iulii Cæſaris ſcriberet, Gallos in principio eſſe impetuoſos, ſed temporis progreſſu relangueſcere ille non propterea ſtatim dici poſſet hoſtis, aut contemptor potentis illius, & bellicoſæ nationis: & ſi aliquis diceret, Hiſpanos eſſe arrogantes, ille non ſtatim negaret nomen, & res geſtas illorum toti orbi terrarum innotuiſſe. Sic etiam non offenderet aliquis Portugallos ſi diceret illos eo ingenio eſſe, vt magnifice de ſe, & rebus ſuis ſentiant, quia nec negare hoc poſſunt, nec tegere volunt: imo ipſi dictitant ſe viuere ex opinione, hoc eſt, ſe ſuſtentari potius eo, quod ſe eſſe putant, quam eo, quod reuera ſunt. Debuiſſent etiam cenſores mei animaduertere, me non iniurium eſſe in Portugallos, quando dico inexpertos non curare pericula, quæ procul abſunt, & propinqua timere, niſi fortaſſis conditionem humanam plane velint exuere, contra omnem rationem imperitiam experientiæ æquiparando. Præterea ſcire velim, cur mihi non liceat ſine metu reprehenſionis vere narrare infortunia, & calamitates Portugallorum, & mutationem formæ illius Regni, ſi indigenis licuit ſcribere multa alia, parum laudabilia, ſine vlla inhumanitatis nota? Quando in Luſitaniam manu armata venit Henricus rex Caſtellæ nothus, & à finibus Galitiæ Liſybonam vſque populabundus, & omnia in poteſtatem ſuam redigens progreſſus eſt, nec rex Ferdinandus vllo modo ipſi reſiſtere potuit, an non hoc longè turpius fuit, quam quidquam eorum, quæ ego ſcripſerim? Legantur annales Ioannis ſecundi, regis nati ſanguine regio, grati, & pacifici: videantur coniurationes, quæ à Proceribus & nobilibus regni contra ipſum initæ fuerunt: ita vt pugione vindictam exigere, & publice aliquot ex primariis capite plecti iubere cogeretur: Et hoc nonne fuit cum dedecore nationis coniunctum? Etſi enim nonnulli dicunt Regem modum in pœnis exceſſiſſe, & natura ſeuerum, nimiſque vindictæ fuiſſe cupidum: tamen non deſunt alii, qui illum inter ſanctos numerant. Sed vt vt ſit, meum non eſt de hac re iudicare. Sane liber ille imprimitur, & venditur Liſybonæ, vbi hiſtoria mea, quæ de rebus tam arduis tamen non agit, ſumme eſt exoſa. Quod vero ad nonnullos priuatim attinet, nec illi quidem iure me inſimulare poſſunt, quaſi immodeſte de illis locutus ſim, aut affectibus aliquid hac in parte tribuerim: & credo ipſos facile hoc animaduerſuros fuiſſe, ſi aut attentè totam hanc hiſtoriam perlegiſſent, aut ſolidam linguæ Italicæ cognitionem haberent. Verum cum illi aures præbeant relationi eorum, qui ſtudio ipſis aſſentandi omnia ſcripta reiiciunt, quæ ab adulatione non ſunt corrupta: non mirum eſt, ſi ſibi perſuaderi patiantur, me nec honorificam, nec ab affectibus liberam eorum mentionem feciſſe. Sed vt contrarium appareat, dicemus animaduertendum eſſe, de vitiis, quæ Rebuſpublicis, & moribus hominum plerunque inſunt, idem ſtatui poſſe, quod de iis, quibus nationes vt plurimum laborant, quia non adeo deformem maculam aſpergunt, vt propterea tegenda ſint, & ſemper conditionem, ac ſtatum perſonarum comitantur. Quare ſi quis de iuuene, nobili loco nato, verba faciens, diceret eum eſſe præcipitem, iracundum, amoribus deditum, aut arrogantem, non ſtatim illi iniuriam faceret. Nam præterquam quod hi affectus nihil vile redolent, ſunt etiam tales, vt plerunque iuuentutem, ac nobilitatem comitentur. Eodem modo aulicus aliquis miniſter, Principi acceptus, aut qui primum gratiæ locum tenet, non debet ægre ferre, ſi dicatur eſſe ſuſpicioſus, circumſpectus, ambitioſus, tempori inſeruiẽs, in ſuis rebus vigilans, alienarum negligens: quia hæc ſunt propria eorum, qui apud Principes gratioſi ſunt. Quare cum ego ſimile aliquid attingo, æquum non eſt quenquam ſani iudicii magis hanc ob rem

conqueri,

conqueri, quam ſi aliquis illum cholericum, aut phlegmaticum appellaret: (ſunt enim certæ proprietates naturales, vt ſunt etiam humores, & temperamenta) præſertim quia ego, quoties mentionem facio huiuſmodi circumſtantiarum, quæ cum dedecore aliquo coniuncta videri poſſunt, etiamſi ſint publicè notæ, tamen iudicium ſuſpendo, attribuens culpam æmulationibus aularum, aut æmulorum ambitioni: & illi, quibus hæc mitigatio non ſatisfacit, aperte demonſtrant ſeſe requirere manifeſtam aſſentationem: ſed fruſtra laborant, ad me quod attinet. Adulationem enim in hiſtorico eodem loco habeo, quo peccatum Idololatriæ. Porro nonnulli adeo delicati ſunt, vt notent, tanquam exceſſum, ſi de miniſtro aliquo regio dicatur ſecte, maleuolos ipſum calumniari propter aliquam actionem ſecretam. Talibus non poteſt reſponderi, quia non ſatisfacio ipſis, quando maleuolos, aut adfectibus obnoxios voco eos, qui alios vituperant, quando inſimulationes voco calumnias, quando, quod alii pro certo affirmant, ego in dubio relinquo, accuſationes quodammodo mitigans. Alii conati ſunt hominibus perſuadere, me in relatione de iure regni non obſcure in partes regis Philippi inclinaſſe: his non habeo, quod reſpondeam, niſi vt caueant, ne eiuſdem criminis inſimulent diuinam prouidentiam, quæ è medio ſuſtulit viginti ſucceſſores huius coronæ, qui omnes Philippum antecedebant. Sed velim iſtos mihi reſpondere, num in hac hiſtoria, in qua tamen nec Bartolos, nec Baldos allegare conueniebat, omiſerim vllum alicuius momenti argumentum, quod à competitoribus allegatum fuerit, & an non potius ea, quæ ipſi partium Aduocati, diligentia illud explicauerim? Scrutentur, num aliquid prætermiſſum fuerit, quod pertineret vel ad repræſentationem Ducißæ Catharinæ, vel ad tranſmißionem Reinutii Farneſii, vel ad præcedentiam Philiberti, ducis Sabandiæ, ſi forte Henricus Philippo ſuperſtes fuiſſet, vel ad electionem, quam ſubditi ſibi competere dicebant, vel ad ſpem quam hac in re Antonius ponebat, vel ad legitimitatem, quam idem prætendebat, vel denique ad illa, quæ à regina Catharina Medicea contra vndecim Portugalliæ reges allegabantur. Iam ſi omnia illa, quæ tam prolixe à me narrata fuerunt non potuerunt efficere, quin rex Hiſpaniæ ſit cognatus natu maximus, mas, & legitimus, quem Henricus moriens reliquit, quid mihi hic imputari poteſt? Si nemo eſt, qui ſibi perſuaderi patiatur minus virium, & minus efficacia habere in Catharina maſculinitatem patris ſui, quam in Philippo ſuam propriam: nec regi tantum nocere imperfectionem à matre in ipſum deriuatam, quam Ducißæ illam, quæ ipſius perſonæ inhæret, quid ego hic præſtare poſſum? In aperto eſt, quia ſimpliciter hoc ius, vt & alia, retuli, ne iudicio quidem meo expoſito, me, tanquam alicui parti, præ ceteris addictum, inſimulari, quanquam ab iis ſolum, qui ipſi partibus ſtudent: idque propterea, quod animaduerterunt illos, qui aliter adfecti ſunt, exiſtimare hoc ius fortaßis meliori, quam reliqua fundamento niti.

Non licet mihi in hoc loco pluribus de iſtis rebus agere: & credo ea, quæ dicta ſunt, ſufficere omnibus libere iudicantibus ad cognoſcendam innocentiam meam, & malitiam, aut ignorantiam aduerſariorum. Sed præterea etiam peto ab illis, qui me non eſſe ſcriptorem, ad mentiendum conductum, agnoſcunt, vt perpendant me Italice ſcripſiſſe Italis, qui non plene ſubſtantiam hiſtoriæ intelligere potuiſſent, niſi ipſos de conditione eorum quos non nouerant, paulo diligentius edocuiſſem. Rem vero ita ſe habere, inde facile eluceſcet, ſi ſcriptor aliquis Luſitanus in Italia lingua ſua, & patria ſua deſcribat tumultus alicuius ciuitatis Italiæ: nã ille, ſi à Luſitanis velit intelligi, facile videbit ſibi multo exactius, quam ego fecerim, depingendam eſſe conditionem capitum, & membrorum principalium illius prouinciæ quam deſcribit. Sed ſi omnia hæc non ſufficiunt, Deum Opt. Max. teſtem ac iudicem voco ſinceritatis animi mei, & fidei, quam in ſcribendo religioſißime adhibui.

DE PORTVGALIAE CONIVNCTIONE CVM REGNO CASTELLÆ HIERONYMI CONESTAGGII, PATRITII GENVENSIS.

Liber Primus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur origo, & deſcriptio Portugalliæ, cum ditionibus recens acquiſitis: vita regis Sebaſtiani: prima illius nauigatio in Africam: quomodo Rex Catholicus, & rex Portugalliæ conuenerint Guadalupi: apparatus bellici Liſſbonæ ad expeditionem in Africam ſuſcipiendam: diſceſſus regis cum claſſe, & exercitu.

DESCRIBENDVM ſuſcipio regni Luſitaniæ ſtatum ab illo inde vſque tempore, quo Rex Sebaſtianus primus cum ingenti claſſe in Africam ad bellum Mauris Tingitanis inferendum traiecit, donec illud regnum, poſt varios labores, auſpiciis Philippi ſecundi, regis Caſtellæ, cum reliquis Hiſpaniæ prouinciis coniunctum fuit. Argumentum autem hoc magnopere ad res communes pertinet, propter potentiam, qua tantus Rex auctus fuit: & dignum eſt conſideratu propter varietatem caſuum & rerum, quæ breuiſſimo temporis ſpacio, & quidem contra communem hominum expectationem contigerunt: denique vtile propter exempla, quę nobis ob oculos ponunt partim incōſtantiam rerum humanarum, partim pericula, quæ principes & populi inconſultis, & temerariis conatibus ſibi accerſunt. Puto autem me poſſe hæc omnia ſincere & vere narrare, quippe qui & maxima ex parte rebus ipſis ipſe interfuerim, & reliqua ex hominibus fide dignis audiuerim. Accedit, quod vaco iis adfectibus, qui plerunque ſcriptorum libertati obſtare ſolent. Nam nec ex vlla harum prouinciarum oriundus, nec regis, aut principis cuiuſquam ſubditus ſum. Antequam autem ad initia bellorum deſcribenda accedam, exiſtimo me recte facturum, ſi prius aliquid de huius regni ſitu, principio, rebus geſtis, & ſimilibus, breuiter commemorem: vt, quoniam interitus illius mihi deſcribendus eſt, etiam origo eiuſdem, & quibus artibus auctum, conſeruatumque fuerit, quomodo, & quando decreſcere cœperit, & quo pacto tandem priſtinam formam mutauerit, intelligatur.

Portugallia, eſt pars Hiſpaniæ, ſita in extremo littore maris Oceani. Fines eius ſunt, ab Oriente regna Caſtellæ: ab occidente Oceanus: à ſeptentrione Galitia: à meridie mare Atlanticum, & Bætica; quæ iam Andaluria vocatur. Hodierno die diuiditur in ſex partes, quas vernacula lingua vocant Comarcas: nimirum in ditionem, quæ eſt vltra Tagum, in Extrematuram, in eam, quæ eſt intra Durium, & Minium (hæc pars vna cum regione, quæ Coimbram vſque pertingit, eſt vetus Luſitania) in Beiram, quæ poſt montes eſt, & in Algarbium, quanquam hæc poſtrema etiam regni nomen ſortita eſt. Continet in circuitu octingenta & quinquaginta milliaria: quadringenta ſecundum oram maris, & reliqua ſecundum fines mediterraneos) & ideo figuræ eſt longæ & anguſtæ. Habet octodecim ciuitates, multa oppida maiora, & minora vltra quadringenta, & ſeptuaginta. Tres harum ciuitatum habent Archiepiſcopos: videlicet Braga, Olyſippo, & Ebora: quorum primus non tantum ſpiritualem, ſed etiam temporalem iuriſdictionem obtinet. Nouem vero ex illis Epiſcopali dignitate inſignes ſunt, Coimbra Lameca, Viſeum, Portus, Miranda, Portalegre, Guarda, Leira, & Eluæ: Reliquæ quinque Epiſcopis carent: videlicet, Praganza, Taura, Lacobriga, Farus & Siluesium: quarum quatuor poſtremæ ſunt in regno Algarbii;

bis à quo deinde alius Epiſcopatus, ſub quo illæ omnes ſimul comprehenduntur, nomen ſuum accipit. Interluunt regnum complures fluuii, quorum duo ſunt celeberrimi, Tagus & Durius, ille muros Olyſipponis alluit, & ſex aut ſeptem inde milliaribus in mare influit: iſte prope vrbem Portum præterfluens duobus infra eandem milliaribus itidem in Oceanum ſe exonerat.

Hi duo fluuii ab oſtiis ſuis vſque ad vrbes, quas prætergrediuntur, non ſunt amplius fluuii, ſed potius maris ſinus, & tutiſſimi, multarumq; & magnarum nauium capaces portus, per quos, aduerſo flumine, longiſſimo ſpacio nauigari poteſt, & præcipue per ſinum Olyſipponenſem: in quem vaſta nauigia per quindecim, & viginti etiam milliarium ſpacium ingrediuntur. Præter hos duos eſt portus Setubal, qui viginti milliaribus Olyſippone Auſtrum verſus diſtat: ad cuius fauces turricula quædam ædificata eſt: & in eum locum multis etiam nauibus aditus patet. In regno Algarbii ſunt Tauira, Lacobriga, & Villanoua, portus mediocres, præter hos nonnulli alii minores, & apta variis in locis ad appellendas naues littora. Situm eſt hoc regnum loco commodiſſimo, in medio multorum magnorum regnorum, & tum ad antiquas, tum ad recentiores nauigationes idoneo. nam, facie verſus occidentem conuerſa, à dextra habet Galiciam, Biſaicam, Galliam, Angliam, Germaniam, & reliqua regna Septentrionalia: à fronte inſulas accipitrum, (quæ aliàs Terceræ nominantur) inſulas fortunatas vna cum Indiis Occidentalibus: à ſiniſtra Andaluziam, & fretum Herculeum, per quod in mare mediterraneum, & inde in Italiam, & Græciam nauigatur.

Relicto vero freto, ſi à ſiniſtra Africam circumnauiges, plurimæ inueniuntur regiones, & populi plurimi incogniti, vt conſtat, antiquitati, quæ zonam torridam credidit eſſe inhabitabilem: ex quibus locis omnibus Olyſipponem appellunt naues pretioſiſſimis mercibus onuſtæ, inprimis ex Indiis Orientalibus, quas vt mox dicemus, Luſitani imperio ſuo ſubiecerunt: vt omittam mercimonia, quæ cum regnorum Caſtellæ, ipſis à tergo contiguorum incolis exercent. Omnium vrbium princeps eſt Olyſippo, à qua dependet, & rebus neceſſariis inſtruitur totum Regnum: eſt populoſiſſima, ita vt multi credant eam reliquas totius orbis Chriſtiani ciuitates incolarum numero ſuperare. Habet aerem ſaluberrimum, & mire temperatum: diſtat ab Æquinoctiali triginta nouem gradus: fluxum aquarum, & refluxum (qui in toto illo littore, & finibus maris maximus eſt) ſemper aura quędam comitatur, & calorem mitigat. Situs eius, nec totus planus, nec totus montoſus eſt. Diſtribuitur enim in quinque colles, inter quos valles, & planities quædam vſque ad flumen extenduntur. Olim muris cincta fuit: quorum, vt & portarum, rudera adhuc conſpiciuntur: ſed quia progreſſu temporis valde amplificata fuit, fit, vt ſuburbia, & vici, qui extra muros ſunt, pene ipſam vrbem magnitudine vincant. In colle omnium altiſſimo arx eſt vetuſti admodum operis, non munita vlla alia re, quam ipſa loci altitudine: non habet militem præſidiarium, ſed tantum nobilium, ſi qui forte in carcerem ducantur, cuſtodiæ inſeruit.

Ad oſtium Tagi, in eodem, in quo vrbs ſita eſt, littore extructum eſt propugnaculum noui operis, quam arcem Diui Iuliani appellant, portui tuendo. Fructus, quos regio producit, bonitate antecellunt fere omnibus, qui in locis circumuicinis naſcuntur: & quamuis incolæ non tantum frumenti ex agris ſuis percipiant, vt ipſis ad victum ſufficiat: tamen ex Gallia, & Germania, quantum opus habent, importatur. Totum regnum hodie eſt valde populoſum, plenum Proceribus, & nobilibus, & multa in eo nauigia extruuntur ad nauigationes in diuerſas mundi partes inſtituendas.

Præter equites Diui Iacobi, & Alcantaræ, ſiue ſancti Benedicti (quos à loco quodam Equites Auiſi vocant: illi cruce rubra, hi viridi, more Caſtellano, vtuntur) eo tempore, quo Templarii exterminati fuerunt, ex eorundem reditibus alium inſtituerunt ordinem equitum, quos Equites Chriſti vocant. Sunt autem cruce rubra (quę in medio alba eſt) inſignes, & ſacramento ad bellum contra infideles gerendum obſtringuntur. Alexander ſextus ſummus Pontifex, ipſis poteſtatem vxores ducendi poſtea conceſſit: & quia reges nouis reditibus illos donârunt, nobiliſſimi quique in illum ordinem aſcribuntur: quanquam verum eſt, interdum etiam receptos fuiſſe homines obſcuro loco natos, & eo honore indignos. Magna pars huius ditionis olim regno Caſtellæ cohærebat: ſed anno ab aduentu ſeruatoris milleſimo, centeſimo, & decimo, cum ibi rerum potiretur Alfonſus ſextus, pars Septentrionalis inde auulſa fuit. Alfonſus enim eam ſub pacto tributi annui in dotem dedit Henrico, vni ex nepotibus Comitum Burgundiæ, & Veſontione oriundo, cum ille eiuſdem Regis filiam notham, Tareſiam nomine, vxorem duceret. Venerat autem ex Gallia cum Reimũdo Comite Toloſæ (qui poſtea Comes Galiciæ factus fuit) auunculo ſuo, vt

intereſſet bello,quod tum temporis Caſtellani gerebant aduerſus Mauros,qui Hiſpaniam occupauerant.

Quanquam autem huius Comitis originem alii ex Hungaria, alii ex Arragonenſi regno,alii ex aliis locis deriuant: tamen ea, quam recenſui,opinio probabilior eſt. Sane regum origini, & proſapiæ vſuuenit id, quod magnis fluminibus, quorum oſtia nota ſunt, ſcaturigines ignorantur. Erat eo tempore Luſitania obſcura, inculta, pauper, & anguſtis finibus incluſa: verum Alfonſus Henricus filius primi huius Comitis, ſtrenue rem gerens Mauris multa loca extorſit,& eorum acceſſione ditionem ſuam amplificauit. Cum autem eoſdem inſigni prælio in campo,quem Outiche vocant, ſuperaſſet, ab exercitu Rex ſalutatus & victoriam proſequens,cœpit Sanctarenam,& Olyſipponem, atque ita poſſeſſione ſtabilita,regii etiam tituli confirmationem à Papa Alexandro quarto, ſub conditione exigui tributi quotannis pendendi,obtinuit. Alia etiam ratione non minus auxit regnum rex in ordine quintus,nomine Alfonſus tertius. Nam etſi in vxorem duxiſſet Matildem, Comitiſſam Bolonię,in Picardia,antequam ad regnum perueniſſet: tamen ſimul ac ſceptrum adeptus eſt,ſponte ſua, & ſine cauſa, priori vxore repudiata, ſecundas nuptias contraxit cum Beatrice,filia naturali Alfonſi decimi,regis Caſtellæ cognomento ſapientis, vt ab illo regnum Algarbii,dotis nomine,obtineret. Prolatis itaque fere eo vſque, vbi hodierno die ſunt,finibus,debellatiſq; Mauris,qui illorum arma exercuerant, poſtea Luſitani cum Regibus Caſtellę,(quanquam ab iis ditionum magnitudine ſuperarentur) bella geſſerunt,idque tam ſæpe,tantaque cum obſtinatione,vt iſtæ nationes, quæ in eadem prouincia habitant,quæ ab vno eodemq; quaſi ſtipite deſcendunt, quæ deniq; eadem lingua vtuntur,in mutuum illud,idemque capitale odium exarſerint: cuius etiam hodie veſtigia manifeſta (quanquam minora in Caſtellanis, quam Luſitanis) conſpiciuntur, Etſi vero vltima iſta bella Luſitanis,non tam vtilia, quam honorifica fuerunt: tamen non parum ipſis hoc nomine profuerunt,quod perpetuum armorum ſtudium in cauſa fuit, vt non tantum inter ipſos diſciplina militaris conſeruaretur, verum etiam ne ſeſe otio dedetent, & voluptatibus,quæ ſunt regnorum hoſtes capitales.

Neque etiam deinceps quieuêrunt: ſed,vtpote armis tractandis aſſueti,denuo ſub Iohanne primo inclareſcere,& inſtinctu Henrici,filii eius Mauris aliquot Africæ loca vt eripere tentârunt: qui conatus tam feliciter ipſis ceſſit, vt progreſſu temporis occupârunt in Mauritania Tingitana,Septam,Tingim,& Arzilam(hæc eſt antiqua Zilia)& alia quædam oppida, quæ poſtea partim amiſerunt, partim ſua ſponte Mauris occupanda reliquerunt. Inter hæc & Arzilam: propterea quod magni, iique inutiles ſumptus iis defendendis impenderentur. Tantum retinuerunt duo priora, & inferius verſus Occidentem extruxerunt Mazagonem, idque eo,quod hæc tria loca ad ipſas freti Herculei fauces ſita, & eam etiam ob cauſam, Hiſpaniæ ſcuti inſtar ſunt, quippe quæ ab eius vicinia Mauros ſubmoueant. Superioribus ſucceſſibus impulſi cœperunt aſpirare ad altiora, atq; ita Inſulam Maderam, non procul inde diſtantem, & inſulas Terceras (quæ Vlyſippone octingenta, & quinquaginta milliaria diſtant, & in quadrageſimo gradu ſunt) antiquis ignotas, & tum temporis incultas, & deſertas detexerunt, & colonias eo deduxêrunt.

Neque his contenti(imprimis Henricus, de quo diximus) ſed adhuc maiora ſibi tentanda arbitrati (quanquam ſpes ipſorum minores tum temporis erant, quam ſucceſſus poſtea fuere) cœperunt Africam per Oceanum nauigando circumdare, & nouas terras, nouaſq; ſedes quęrere: cumque ſpacio multorum annorum fere totum illud littus perluſtraſſent,tandem eo vſque prouecti fuerunt, vt in alterum Hemiſphærium delati, vniuerſam Æhiopiam viderent. Etſi vero Alfonſus quintus, rex duodecimus, bellum aduerſus Caſtellanos redintegrauit, illi tamen in continuando nauigationum curſu, idque magno cum ſuo fructu, perſeuerârunt. Facta vero pace cum rege Ferdinando Catholico anno 1479. plus otii ad nouas regiones inueſtigandas, & occupandas adepti ſunt. Et eſt res notatu digna, quod in capitibus pacificationis diſerte expreſſum fuit, pacem fieri in centum, & vnum annos poſito', vt ſolet,tempore finito pro infinito. Nam fuit reuera vaticinium, quia illa pax præciſe totidem annos durauit, & tot anni interceſſerunt inter illud bellum, & inter hoc, quod iam deſcribere inſtituo. Tam egregie verbis in illa pacificatione expreſſis euentus ipſe reſpondit. Valde iam creuerat regnum incolarum numero ac diuitiis: longe vero impenſius poſtea creuit, cum anno 1482. Ferdinandus, & Iſabella reges Caſtellæ ex imperii ſui finibus eiicerent Iudæos. Horum enim ingens numerus à Ioanne ſecundo (qui Alphonſo quinto ſucceſſit) licentiam in Luſitaniam ſeſe recipiendi obtinuit,hac lege, vt octo ducati in ſingula capita ſoluerentur, & vt elapſo, quod præſcriptum erat tempore, Rex ipſis diſceſſuris naues concederet. Quibus pactis interpoſitis

(quæ

(quæ tamen poſtea parum ſincere ſeruata fuerunt) circiter viginti millia familiarum Iudaicarum, quarum ſingulæ decem amplius capitibus conſtabant, in Luſitaniam migrarunt. Finito vero tempore, quod diſceſſui dictum erat, multi ex illis, qui nondum naues conſcenderant, in ſeruitutẽ redacti, & vinculis mancipati fuẽrunt: mult: etiã, ne vel abire cogerentur, vel exuerentur bonis, baptiſmum recepère, vt & plurimi eorum, qui in regno Caſtellæ remanſerant: ita vt, ſub nomine Chriſtianorum nouorum maxima ex parte in Luſitania ſubſtiterint, idque incogniti, quia nulla nota inſignes erant: & deinde affinitate, beneficio diuitiarum ſuarum, cum regni nobilibus contracta, paulatim proceribus, & indigenis ſeſe venditare ſategerint. Quamuis autem in recipiendis nouis hiſce veluti colonis in præcepta Politica peccatum fuiſſe videri queat, eo quod hæc gens tum origine, tum religione vehementer ab incolis reliquis diſcreparet, & cum iam ante numeroſa eſſet, temporis progreſſu creſcere, & ingen. d ſſidium facile excitare poſſet: tamen hæc res fiſcum regium non mediocriter auxit. Sub imperio poſtea Emanuelis, regis decimi quarti, qui regnare cœpit anno 1495. maiori cum feruore, & etiam quiete recentibus nauigationibus inuigilarunt. Cum enim Caſtellanorum potentia magna acceſſione aucta, & inter ipſos, & Luſitanos ex recentibus matrimoniis, & adfinitatibus amicitia & concordia nata fuiſſet: neque hi amplius contendere ſunt auſi: & illi hos miſſos faciendos eſſe cenſuerunt. Quoniam igitur maiores, diu multumque Africæ littus legentes propugnaculum Arginenſe ædificauerant, Inſulas Heſperidas (quas iam capitis viridis Inſulas appellant) imperio ſuo ſubiecerant, in Æthiopia arcem S. Georgii (quam Minam vocant) ædificauerant: Inſulam Principis, & ſancti Thomæ (quarum poſterior perpendiculariter ſub æquinoctiali ſita eſt) & alias nonnullas Inſulas minores circumuicinas occupauerant: præterea, inita cum regno Congenſi, & Angollenſi (quorum incolæ ſunt Æthiopes) amicitia, Caput bonæ ſpei, & inſulam ſancti Laurentii prætergreſſi, è regione illius Soffallam, Mozambicam & Melniden (quæ ſunt in continenti) partim amicitia contracta, partim etiam vi, prout incolarum ingenia erant adhibita (quanquam poſtea fixo nonnihil pede, vi plerunque rem geſſerunt) in poteſtatem redegerant: ſub rege Emanuele demum mare rubrum prætеrierunt, &, inſtitutis Socotræ, & Calahiatæ commerciis, ſinum maris Perſici, & Indi fluuii oſtium præteruecti, & in Indiam primum ſub prætextu mercimoniorum, & paulo poſt vi aperta ingreſſi, in regno Calicuti, Cochini, & locis circumuicinis pedem poſuerunt: Sed nuſquam firmius, quam auſpiciis Alfonſi Albuquerquii, celeberrimi ducis, in Goa, quæ eſt inſula Regni Accem, vicina regioni Idalcami, & hodie eſt ciuitas Archiepiſcopalis, caput omnium eorum regnorum, & ſedes viceregis. Atque inde poſtea progreſſi vlterius, hinc inde parua quædam propugnacula extruxèrunt: quinimo etiam retrogredientes vſque ad Oſtium ſinus Perſici, Inſulam Armuzium occuparunt, & in eo littore multa loca, vt Chaul, Damane, Bazani, & Diu ſubiugarunt. In Promontorio Malabaris (quod vocant Caput Comeri) verſus ſinum Gangeticum, negotiantur, & arcem habent in Inſula Zeilan, quam aliqui antiquam Taprobanen eſſe putant, vbi naſcitur optimum omnium cinamomum. Inde verſus orientem præteruecti eum, quem dixi, ſinum, & oſtium Gangis, inuenèrunt alterum littus, in cuius Iſthmo (quam antiqui auream Cherſoneſum vocabant) occupàrunt vrbem Malacam, diſtantem 25. milliaribus à magna illa Inſula Somatra, quæ & ipſa à multis pro Taprobane habetur: & inde progreſſi vlterius partim negotiando in regno Peru, & aliis regnis in continenti ſitis: partim nauigando, inuenèrunt minorem & maiorem Giauam, Regnum Sinarum, magnum archipelagus Inſularum Molucarum, vnde Caryophyllon, moſcocaryon, & multa alia aromata aduehunt, denique Inſulam Iapponem: & tandem eo vſq; penetrarunt, vt obuios ibi habuerint Caſtellanos qui regiones occidentales, à Chriſtophoro Columbo Genuenſi, ſumptibus & auſpiciis Regum Caſtellæ nuper detectas, inueſtigabant: atq; ita per harum duarum nationum nauigationes vniuerſus mundus circumdatus fuit, & Oriens cum occidente coniunctus. Occupàrunt etiam tempore eiuſdem Emanuelis è regione Æthiopię, & Capitis bonę ſpei prouinciã quæ Sanctę Crucis vocatur, & vulgo Braſile, regno Peru contiguam, quę ſecundum littus in mille quingentorum milliarium longitudinem extenditur: ſed in mediterranea loca non multum penetrarunt. Hanc in octo partes tribuèrunt, quas vocant præfecturas, quæ ſalua maiori ax parte Regis Iuriſdictione, fere omnes conceſſæ fuerunt illis, à quibus & ſubiugatæ fuerant. Etſi autem aliquandiu hæc prouincia fere inutilis futura eſſe videretur, atque ideo iudices cauſarum capitalium è Luſitania fures, homicidas, & alios facinoroſos eo deportandos curarent: (id q; hodierno adhuc die fit) tamen, quia fertilis erat, paulatim habitari cœpit, & iam plurimæ ibi ſunt coloniæ, multæque ſaccari officinæ: loca cæteris nobiliora ſunt. Littus omnium ſanct. rum, & Pernanbucum. Omnes hæ ditiones,

recens vt diximus occupatæ, ſunt ditiſſimæ, & magni momenti: & ex illis quotannis naues ſaccaro, aromatibus, vnguentis, vnionibus aliiſque pretioſiſſimis mercibus onuſtæ in Portugalliam appellunt. Equidem magna laude digna eſt hæc natio, quæ, cum exigui, & ſterilis Regni anguſtiis incluſa eſſet, diſciplina, parſimonia, & virtute nonnullorum regum ſuorum hoc aſſecuta eſt, vt non tantum omnia Hiſpaniæ regna æquaret: verum etiam cum ſumma gloria multis annis bellum gereret cum Caſtellæ regno, quod Luſitaniam, vt & reliqua circumuicina regna, diuitiis & potentia ſuperabat. Eiuſdem, immo etiam maioris fortitudinis ſpecimina edidit procul à patria, tam in Africa, quam in India, tum quia ad finem perduxit ſtupendam illam nauigationem, quæ initio ab hominibus prudentibus pro temeraria & ſtulta habebatur: tum quia in illis regionibus aliquoties tanta cum virtute pugnauit, vt nonnullas res ab ipſa geſtas ſcriptores miraculo non carere adfirment propter numeri, & copiarum inæqualitatem. In præliis vero naualibus, & arcium defenſione imprimis illius virtus enituit, ita quidem, vt, præter adeo amplum tam vaſti maris imperium (quod, vt dixi, ſibi adquiſiuit) etiam longe maior vtilitas hinc nata ſit, nimirum religionis Chriſtianæ in illis regionibus propagatio. Nam integra regna, quæ antea Idololatris referta erant, iam ſedi Romanæ parent cum non exigua laude patrum Ieſuitarum, qui in Portugallia Apoſtoli vocantur, & à multis annis in hunc vſque diem ſpiritualem militiam ibidem exercent. Veruntamen Luſitani, qui rebus magnis gerendis 460. annorum ſpacio amplius intenti, Cruces ſuas in extremo Oriente, vbi nomen Chriſtianum ne fando quidem erat notum, poſuerant, deinceps viam, quam ingreſſi erant, non inſtiterunt: ſed in India, littore contenti, in partes mediterraneas non penetrârunt; immo delitiis illorum populorum corrupti, & beneficio mercaturæ ditati, partis rebus frui, & genio indulgere cœpêrunt, erga Deum, omnis boni fontem pro tot beneficiis parum grati. denique reditus bonorum, quæ ordinibus equitum auratorum aſcripta ſunt, in vſus molles conuertentes, & otio vanitatique dediti, & illos honores, cultumque, quem fideles Chriſtiani Deo ſeruant, ſibi arrogantes, in hoc ſtatu ſatis diu permanſerunt, ita quidem, vt apud exteros opinione, & exiſtimatione priſtina non omnino exciderent. Hanc corruptelam, & debilitatem Regni, quæ ex delitiis Aſiaticis nata erat, in educatione Regis Sebaſtiani animaduerterunt, & fugere ſtuduerunt patres Ieſuitæ, homines religioſi, qui in ſanando hoc morbo non mediocriter laborarunt: ſed neſciuerunt adhibere remedia corpori tam languido conuenientia.

Neque enim conſiderarunt fieri non poſſe, vt gens adeo corrupta à ſumma licentia, qua vtebatur, ſubito ad rigidam maiorum ſuorum innocentiam, & parſimoniam rediret: id quod in anguſto monaſteriorum ſuorum circuitu (nedum in regno vniuerſo) difficulter obtinuiſſent. Tulêrunt leges ſumptuarias ita ſeueras, & in primis de cibis, vt olim vix in veteri illa Sparta receptæ fuiſſent. Exprimebant leges nominatim genera ciborum, qui vel permittebantur vel vetabantur: item, quibus rebus comparandis quemque pecuniam ſuam impendere fas eſſet: adimebant ipſis vſum omnium, quæ ex aliis regnis importantur, quæque vel delitiis, vel commoditati hominum inſeruiunt. Itaque remedia tam violenta non ſolum inutilia fuerunt, & ridicula, verum etiam confirmarunt opinionem illorum, qui ſtatuunt homines Eccleſiaſticos non eſſe aptos ad Reip. adminiſtrationem, non magis, quam ſint magiſtratus ciuiles ad tractanda Eccleſiaſtica idonei. Sed vt Deus homini, quem caſtigare vult, mentem adimere ſolet, & efficere, vt ille ſeipſum æquo pluris æſtimet; ita eundem cum Luſitanis agendi modum obſeruauit. Nam ſiue ob peccata rebus ſecundis commiſſa, ſiue per arcana ſua iudicia, tunc illos caſtigauit, cum ſe ab omni periculo longiſſime abeſſe exiſtimarent: & eo grauiore lapſu ruêrunt, quo altius aſcenderant.

Hæc enim gens, omnium arrogantiſſima, in vltima expeditione, quam in Africam ſuſceperat, ab Arabibus, & Mauris in ſeruitutem redacta, &, cum pene libera antea eſſet, breuiſſimi temporis ſpacio armis ſubiugata fuit, idque à Caſtellanis, quos ſemper pro capitalibus hoſtibus habuerat. Calamitates huius Regni cœperunt, cum Rex Sebaſtianus annum ætatis vigeſimum ageret. Hic natus fuerat poſt mortem patris, & paulo ante obitum aui, expetitus multis ſubditorum precibus, quæ ipſis deinde exitio fuerunt: cumque eſſet corpore robuſtus, animo ferox, mire confidens (ad quod vitium natura Luſitani procliues ſunt) & minime ſuo contentus, de induſtria, & ſciens prudens diuturnam Regni ſui quietem turbare animum induxit. Quanquam autem multæ difficultates ipſius conſilio obſtarent, vtpote qui circumcirca cingeretur à regnis regis Catholici, Philippi Auſtriaci, cui arctiſſimo amicitiæ, & conſanguinitatis vinculo iunctus, & viribus ita impar erat, vt nullo modo cum eo auderet contendere: neo

terreſtri itinere in vllam aliam regionem penetrare poſſet: tamen (vt ſe præcipitem ex aliquo loco dare facile eſt illi, qui ſibipſi manus afferre conſtituit) immoderatum illud, quo flagrabat, res nouas tentandi deſiderium viam ipſi, & modum ſeſe ſimul & ſuos ſubuertendi oſtendit. Cogitauerat ille iam ante de expeditione contra Indos ſuſcipienda: ſed cognati & ſubditi non conſenſerunt: Et quia iuuenem belli auidiſſimum omnino ab inſtituto dimouere difficillimum erat, qui circum eum erant, vt animum eius ſaltem aliquo modo ab iſtiuſmodi cogitationibus auocarent, hac expeditione reiecta, aliam propoſuerunt, contra Mauros, incolentes Mauritaniam Tingitanam, vbi Luſitani magnis ſumptibus in littore maris tres arces tuentur, quarum ſupra mentio facta fuit, nimirum Septam, Tingim, & Maragonem, ſcutum & clauim Hiſpaniæ; quorum locorum beneficio Mauri olim eam occupauerunt. Sed hæc diuerſio, vtpote exiguo cum iudicio adhibita, magnis malis occaſionem præbuit. Etſi enim & valde difficile erat auocare ipſum omnino ab expeditione in Indiam, & ideo alia neceſſario proponenda eſſe videbatur: tamen non erat hominum prudentum liberare regem ab vno malo, & in aliud longe maius eundem coniicere. Iſti autem conſultores eum ab expeditione longinqua, & ad exitum perductu difficili dimouerunt, proponendo aliam, in regnum propinquius quidem ſuſcipiendam, & faciliorem, ſed cum maiori periculo coniunctam. Et licet exiſtimarent eum nihil tentaturum hac in parte, niſi re bene perpenſa; tamen non erat hic multum ipſius ætati fidendum: nec exigua pars culpæ Ieſuitis imputatur.

Illi enim, qui in hoc regno latius, quam in vlla alia mundi parte ordinem ſuum propagarunt, ſtudio quodam religionis ducti, hoſtiumque Chriſti & ipſi hoſtes adoleſcentem Regem, qui ipſorum curæ à regina Catharina commiſſus fuerat, diligenter ad iſtam expeditionem hortati ſunt, tantique eorum auctoritas ponderis fuit, vt, cum poſtea regem magna cum temeritate eam vrgere animaduertiſſent, nulla ratione dimouere illum à propoſito potuerint, quippe qui paulo ante gratia ipſius excidiſſent.

Itaque rex adoleſcens, inter mulierculas gynæcei, inter monachos in mediis voluptatibus & delitiis enutritus, Martem non ſecus ſpirabat, quam ſi in caſtris natus, & educatus fuiſſet. Conſcripſit peditatum ex ciuibus Olyſipponenſibus, quos nomina dare, ſariſſis ac ſclopetis tractandis aſſueſcere, & ſingulis ſeptimanis ſemel in vicinum campum egreſſos ſeſe exercere iuſſit, ſperans fore, vt aliquando, neceſſitate exigente, opera ipſorum in bellis vti poſſet: Id quod etiam non ita multo poſt re ipſa fecit. Anno enim 1574. diſſuadentibus prudentiſſimis quibuſque, collecta manu ex his ciuibus, cum quatuor triremibus, & aliquot nauibus maioribus & celocibus in Africam traiecit, ſub prætextu viſendi loca illa, quæ ipſi in Africa parebant; quanquam reuera aliud animo agitaret, & tanquam iuuenis inexpertus, vires ſuas longe maiores eſſe, quam reuera erant, ſibi perſuaderet. Ingreſſus in Africam nihil effecit aliud, quam quod loca illa contemplatus eſt. Videbat enim ſibi vires deeſſe: velitationibus vero cum Mauris, quæ ibi ſunt frequentiſſimæ, ipſe etiam libentiſſime interfuiſſet: edebatque veluti cor ſuum, quod animo morem gerere non liceret: Sed potius deceret illum, vt regem, adhibere regiam grauitatem, in quam tamen non raro peccabat. Reuerſus ſtatim eſt Olyſipponem, nihil niſi bellum animo voluens, & erat ita inquietus, & ita in hac cogitatione defixus, vt nec diceret, nec faceret quidquam, quod non eodem tenderet.

Quinimo non tanquam rex, ſed tanquam gregarius miles corporis labores obibat, exiſtimans ſe hoc modo plus roboris ad belli incommoda toleranda ſibi eſſe comparaturum. Hunc regis impetum, cuius bona pars fortaſſe ipſis aſtrorum influxibus accepta ferenda erat, nemo vel ex proceribus, vel ex maturioris ætatis cognatis retundere ſtuduit; quorum tamen officium erat iuuenem de periculis, quæ ſibi iam iam acceſſiturus erat, admonere, &, vt auito regno contentus eſſet, hortari. Verum etſi illi conatus ipſius, tanquam temerarios, non probarent: tamen tantum in hominibus poteſt tum ambitio, tum gratiæ regiæ effundendæ metus, vt non ſolum nobiles & magiſtratus: ſed etiam proceres, qui quodammodo vi illum cogere potuiſſent, nec hiſcere, nec voluntati ipſius aduerſari auſi fuerint. Quin immo conſilium, & propoſitum illius militare laudibus extollebant: & ſi qui forte obmurmurando contradicerent, erant homines, qui nec dignitate, nec auctoritate admodum valebant. Henricus vero Cardinalis, patruus magnus Sebaſtiani, frater Ioannis tertii, aui eiuſdem, & regina Catharina, qui nullam regi adulandi cauſam habebant, apud illum parum poterant: nec vti auctoritate, qua fortaſſis pollere potuiſſent, voluerunt, vel quod ſe nihil effecturos eſſe exiſtimarent, vel ne & gratiæ regis pariter, & exiguæ illius auctoritatis, & imperii, quod adhuc obtinebant, iacturam facerent: atque ita fatali quodam ſilentio vtentes,

inexpertum iuuenem denuo in Africam traiicere, & manifeſtis periculis ſeſe implicare permiſerunt.

Fuit etiam magni momenti hac in re Petrus Alcaſoua: qui, cum diu Regni Secretarius, & Regius conſiliarius, ac apud regem Ioannem, & reginam Catharinam gratioſiſſimus fuiſſet, vehementer decreſcere cœperat: & officii male adminiſtrati accuſatus, ac Senatu motus fuerat eo tempore, quo Cardinalis Henricus gubernationem regni Sebaſtiano commiſit. Incidit autem in iſta incommoda Alcaſoua propter æmulorum obtrectationem potius, & quod Cardinalis nouam adminiſtrationis formam, nouoſque miniſtros introducere cuperet, quam propter crimina, quæ ipſi ſiue vere, ſiue falſo imputabantur.

Equidem hoc ſolet euenire aulicis, quorum fortuna inclinat, vt crimina, de quibus accuſantur, potius ad tegendam aliorum ambitionem, quam ad pœnam reorum ſpectent. Verum Alcaſoua fortiter ex iſtis incommodis eluctatus erat. Nam cum hunc caſum æquo animo homo prudens, & copioſus toleraſſet, ita tamen, vt diligenter omnes priſtinam dignitatem locumque recuperandi occaſiones obſeruaret, tandem facile voti compos factus eſt arte, & induſtria aliena. Cum enim in eius locum ſubſtituti fuiſſent Martinus Gonzaleſius de Camera, æmulus ipſius, & alii nonnulli, qui toti pendebant à Ieſuitis, (quos Cardinalis promotos cupiebat) euenit paulo poſt, vt hi non minus, quam Alcaſoua, ab æmulis & obtrectatoribus in inuidiam, & crimen vocarentur. Nam Aluarus de Caſtro, qui Regi in delitiis, & contrariæ factionis erat, flagrans deſiderio priuandi Martinum & ſequaces illius, ea gratia, qua apud regem valebant, arripuit occaſionem, quæ ipſi offerebatur, cum Rex eſſet ad Caput Sancti Vincentii, quo æſtiuo tempore, cupiditati, qua ardebat, nauigandi ſatisfacturus, excurrere conſueuerat. Ibi Aluarus regi oſtendit (& fortaſſis non immerito) Martinum, & Ieſuitas, tanquam homines regni adminiſtrandi imperitos, quique non intelligerent quanti referat principes pecunioſos eſſe, reditus Regni vehementer imminuiſſe: & per leges ſuas, quibus collybum, & rem monetariam ad certam normam redegerant, incidiſſe regi neruos expeditionum, quas ſuſcipere potuiſſet: denique, niſi eas abrogaret, fieri non poſſe, vt vnquam laudatiſſimos ſuos conatus ad effectum perduceret. Huic ictui, qui erat lethalis, addidit ſecundum fortaſſe periculoſiorem, perſuadens Regi iuueni ſuperbo, eum ab eiuſmodi hominibus ſeruitute premi: illos re, ipſum in ſpeciem tantum regem eſſe: Quin imo eo res deuenit, vt ſcriba quidam, Regi non ingratus, & homo dicax, cum ipſi diploma, quod de re non magni momenti mandatum continebat, ſubſcribendum porrigeret, inſtinctu Aluari, & ſociorum, non dubitaret dicere, eum tuto, & ſine hæſitatione poſſe ſubſcribere: eſſe enim regem, donec Olyſipponem reuerteretur: ita, vt ioca ſeriis miſcendo, beneuolentiam, qua iuuenis miniſtros, à Regina, & Cardinale traditos, proſequebatur, in odium conuerterent, animumque eius à præceptis, quibus fuerat imbutus, alienarent. Porro omnem horum zizaniorum fructum ſolus Alcaſoua collegit. Poſtquam enim Rex odiſſe cœpiſſet eos, qui Petrum Alcaſouam oderant, legeſque ab iiſdem latas ſuſtuliſſet, mortuus eſt Aluarus de Caſtro, qui iſta ſemina iecerat, nemine ex hominibus ſuæ factionis ſuperſtite, niſi Emanuele Quadrageſima: cui commiſſum fuit expeditionis, quam vocant, officium, quod circa deliberationes de beneficiis, à rege concedendis, verſatur, & ideo magni momenti eſt. Hic cum nec vſu rerum, nec auctoritate ea, quæ ad locum illum tuendum requirebatur, nec iudicio ita, vt poſſet cum Alcaſoua contendere, valeret, factum fuit, vt ille ad priſtinum locum redeundi occaſione, quę offerebatur, dexterrime vteretur. Aditum igitur tutum ſibi patefacturus, Ludouico, filio primogenito, nuptias conciliauit ſororis Chriſtophori Tauoræ, hominis apud Sebaſtianum gratioſiſſimi: & hoc modo regi reconciliatus facile poſtea eiuſdem erga ſe beneuolentiam confirmauit, accommodando ſe ad illius ingenium, & partim indagando modos inueniendi argentum, partim remouendo obſtacula, quæ regis conſiliis, & propoſito moram aliquam iniicere poſſe videbantur. vnde cum præfectus ærarii regii, ſiue quæſtor ſupremus creatus fuiſſet (quæ dignitas maior eſt ea, quam prius obtinuerat) rex ipſius opera in omnibus maioris momenti negotiis vtebatur. Etſi autem huius hominis artificium cupiditatem res nouas tentandi, qua rex ardebat, adiuuaret: tamē paulo poſt alia quædam occaſio eandem mirum in modum adauxit. In Africa ante complures annos mortuus erat Moleius Mahametus Xeriffus, ille qui regna Feſſæ, Marroci, & Turedantis (quorum pars ante ad fratrem Moleium Hametum ſpectabat) coniunxit. Hi, cum concordes viuerent, vnanimi conſenſu legem hanc ſanxerunt, vt in regno ſuccederent omnes filii, quos tempore mortis ſuæ ſuperſtites relicturi eſſent, priuſquam vllus ex nepotibus ad hæreditatem admitteretur: ita vt patruo, natu omnium minimo natu maximus nepotum ſuccederet. Etſi autem illi morientes multos filios reliquiſſent, tamen ne regnum affectare poſſent fere

omnes

omnes (vt & patres ipſi) aut ferro extincti, aut in carcere ſtrangulati fuerunt iuſſu Abdalę, vnius ex filiis Mahameti, qui, cum patri ſucceſſiſſet, 17. an. ita feliciter, & tranquille imperauit vt omnes ſuperiores reges hac in parte vicerit. Cum vero multa crudeliter feciſſet, abſtinuit tamen à cæde trium fratrum ſuorum, fortaſſis quod paruuli adhuc eſſent, cum ille ad regnum perueniret. Sed illi, ſimul ac ætate nonnihil prouecti fuerunt, cum fratri non amplius fidendum eſſe iudicarent, duo ex ipſis ad Turcarum Imperatorem profugerunt: tertius in penitiorem Africam ad Arabes ſe recepit. Hoc non obſtante, & contra legem, quæ fratres ad ſucceſſionem regni vocabat, Abdala filium primogenitum Mahometum ſucceſſorem nominare, & à ſubditis iureiurando confirmandum curare, decreuit. Cumque id factum fuiſſet, ſtatim rex nouus cœpit patruis inſidiari, miſſo Mauro quodam Tremiſennen, qui natu maximum, ibidem cum Turcis commorantem, interficeret: cui etiam res ex ſententia ſucceſſit. Nam in templo ſagitta hominem interemit. Huius cædis nuntius non mediocriter perturbauit alterum fratrem, nomine Moleium Molucum, ſummæ ſpei iuuenem, viuentem Algierii. Qui cum diu multumq; opem Philippi regis Hiſpaniæ per Rodericum Alfonſum Pimentellum, Comitem Benauentanũ tum temporis proregem Valentiæ fruſtra imploraſſet, decreuit auxilii petendi cauſa Conſtantinopolin proficiſci. Ibi cum æquo animo moram ferens contra agnatos cauſam ſuam ſummo cum ardore egiſſet, diu tamen nihil obtinere potuit. Tandem cum in vltimo Turcorum contra confœderatos Chriſtianos prælio ad Nauarinum, vt & ante in expugnatione Goletæ, ſingularis fortitudinis ſpecimina edidiſſet, impetrauit à Turca tria millia militum, quorum opera vteretur in occupando regno paterno ſub quibuſdam conditionibus, quæ poſtea non obſeruatæ fuerunt. His copiis inſtructus, & manu è Mauris, ad ipſum ex Africa confluentibus, collecta, regnum nepotis ex fratre (frater enim iam mortuus erat) inuaſit: deletiſq; tribus exercitibus quorum vltimus (quod admiratione dignum eſt) ſexaginta millibus equitum, & decem millibus peditum conſtabat, regnoque vniuerſo ſubiugato, magnam tum apud Mauros, tum apud Chriſtianos auctoritatem ſibi comparauit. Moleius Mahometus, ad hunc modum regno exutus in arcem, quam vulgo Pegnon de Los Veles vocant, quamque Rex Hiſpaniæ in Africa habet, confugit, & inde de conſilio cuiuſdam, vt ferunt, qui ex Chriſtiano Mahometanus factus fuerat, per legatos ſuos Regi Hiſpaniæ calamitatem, in quam inciderat, ſignificauit, & opem ad regnum recuperandum petiit: cumque reſponſum Regis minus ipſi ſatisfeciſſet: Septam profectus de eadem re Sebaſtianum regem edocuit, ſimulque adiecit eum hac occaſione facile peruenire poſſe ad imperium Marroci: quibus verbis ineſcatus iuuenis iuſtam hanc eſſe belli cauſam ſibi perſuaſit, ſtatimque de armis capiendis, & Mauro adiuuando cogitare cœpit. Propoſuit rem expendendam conſiliariis ſuis: conatuſque eſt docere eſſe honorificam, & vtilem. Nonnulli ex ſenatoribus quidem diſſuadebant, oſtendebantque eum nondum habere heredem; & principes Chriſtianos potius in hæreticos, quam in infideles, arma conuertere debere: ipſum ſolum non habere ſatis virium ad rem tantæ molis aggrediendam: & ſuas rationes appoſitiſſimis exemplis confirmabant. Veruntamen, (vt principes præ nimio deſiderio cæcutire ſolent, nec ex aliorum calamitatibus, in quas propter temeraria ſua conſilia inciderunt, exemplum ſibi petendum eſſe putant) Rex omnia quæ in contrarium adferebantur, reiecit, imo in ſententia ita confirmatus fuit à nonnullis, qui bellum ſiue priuati commodi cauſa, ſiue iudicii inopia ſuadebant, vt arma quamprimum ſumere conſtitueret. Et quanquam ipſe imbecillitatem ſuam nõ agnoſceret, tamen de conſilio quorundam regem Hiſpanię in belli ſocietatem pertrahere tentauit: exiſtimans eum facile conſenſurum, propterea quod res Africanę ęque, imo magis Hiſpaniam, tanquam viciniorem, quam Luſitaniam, tangerent. Cupiebat etiam, ducta vxore, liberis operam dare (quanquam medici, ne parum idoneus ad gignendum eſſet, vererentur) expetebat nuptias alterius ex filiabus regis Hiſpaniæ, quarum iam ante pene certa ſpes ipſi facta fuerat. Cumq; ob has duas cauſas cum Hiſpano in colloquium venire cuperet, miſit ad eum Petrum Alcaſouam cum mandatis de tribus rebus agendi: de auxiliis in expeditionem Africanam: de nuptiis filiæ: & de colloquio. Legatus in Hiſpaniã profectus, iuſſa regis inſigni cum ſtudio, & diligentia executus eſt: cumque in aula diu hæſiſſet, tandem impetrauit tria illa quæ petebat: promiſſionem matrimonii cum altera ex filiabus regis (ita tamen vt non exprimeretur de primogenita ne hoc intelligendum eſſet; an vero de ſecunda) vbi ad legitimam ætatem peruenirent: quia nondum erant nubiles: item fore, vt Hiſpanus ad oppidum Guadalupum, cum Sebaſtiano collocuturus proficiſceretur: & vt triremes, & milites ad oppugnandam Laraccen ſubminiſtraret: quod vltimum promittebatur valde lente & frigide. Nam Hiſpanus, quod Luſitanum de viribus ſuis magnificentius, quam par erat, ſentire animaduer-

teret, nec in Africa quidquam, niſi validiſſimo cum exercitu, tentandū eſſe iudicaret, ardentiſſimum regis deſiderium litteris quodammodo reſtinguere, eique. vt vel expeditionem intermitteret, vel ne ipſe ſaltem in Africam traiiceret, perſuadere ſtudebat. Cæterum cum iuuenis conſilio nullū locum relinqueret, ſed potius in ſententia obſtinatiſſime perſiſtens litteris apud Philippum inſtaret, ille tandem militem, & triremes promiſit, ſub hac tamen conditione; niſi Turca claſſem in Italiam mitteret, & vt expeditionis initium ſumeretur ab oppugnatione Laraccæ anno 1577. adiecitq;, hæc omnia ſigillatim fuſius declaratum iri in oppido Guadalupo. Legatus reuerſus in longe maiori, quam ante, gratia eſſe cœpit apud regem, cuius expectationem diligentia & induſtria ſua ſuperaſſe videbatur. Paulo poſt vtraq; aula ſe ad iter cœpit accingere. Venerunt hi duo reges in oppidum Guadalupum, cum exiguo, ſed lecto comitatu Procerum & nobilium. Luſitani, qui vltimi aduenerunt, valde honorifice fuerunt excepti. Hiſpanus enim ſuæ ditionis magiſtratibus & præfectis iniunxerat, vt Luſitanum non minori cum reuerentia, quam ſeipſum, exciperent. Itaque Badagioſii & in aliis locis Luſitano optimates obuiam progreſſi, carceribuſque apertis captiui liberati fuerunt: & ipſe ad hoſpitium ſub vmbella fuit deductus. Magnam voluptatem Philippus percepit ex conſpectu Sebaſtiani, quem tanquam hoſpitem ſuum, tractabat blande & humaniter, non habito reſpectu dignitatis, quia rex potentior, illi antecellebat: & in colloquio alter alteri maieſtatis titul. tribuebat. Inſtituta vero de bello commentatione, quia res cum vtilitate, & gloria regnorum Hiſpaniæ coniuncta fore videbatur, Philippus non diſſuaſit: hoc tantū conſuluit, ne Sebaſtianus in Africam ipſe traiiceret, oſtenditque ſe non poſſe adeo magnas copias ſubminiſtrare propter immenſos ſumptus, quos Italiæ contra inſultus Turcorum defendendæ impendere cogeretur. Sed cum Sebaſtianus à propoſito in Africam eundi dimoueri nulla ratione poſſet, nec excuſationem vllam admitteret, morē ipſi gerere Philippus voluit: & ideo hoc modo inter ipſos conuenit. Quoniam & cōmuni omnium, & priuato Ducis Albani iudicio ad hanc expeditionem, requirebantur quindecim millia militum, qui extra Luſitaniam nati, & in armis nonnihil exercitati eſſent, partim Itali, & Germani, partim Hiſpani, vt horum decem millibus ſtipendia à rege Luſitaniæ ſoluerentur: reliquis quinq; millibus ab Hiſpano, qui etiā daturus eſſet 50. triremes, ſed ſub hac conditione, niſi Turca claſſem in Italiam mitteret, & vt expeditionis initium ab oppugnatione Laraccæ, omiſſis locis mediterraneis, idq; ante finem anni 77. fieret: Alioqui enim Hiſpanum nolle ad quidquam teneri. His actis, reges in ſuum quiſq; regnum reuerſi ſunt. In Luſitania lente admodum ea, quę ad bellum neceſſaria erant, parari cœperunt: & pene in ipſis principiis pecuniæ inopia fuit laboratum. Reditus enim regii exigui ſunt, & male expenduntur. Regni Luſitaniæ annui reditus ſunt vndecies centena millia ducatorum: quorum maxima pars conſiſtit in portoriis, quæ ſunt immoderata, quia pro omnis generis mercibus in ſingula centena ſoluuntur viginti, exceptis piſcibus, quorum pretii dimidiam partem portorium excedit. Deinde decies centena millia ducatorum proueniunt ex terris nouis, quæ ſunt Inſula ſanctę Thomæ, Mina, Braſilia, & India, quæ ſumma in vniuerſum conſtituit duos milliones, & centum millia ducatorum. Et quanquam ex India tertius etiam millio percipitur, tamen non magni momenti eſt, quia totus claſſibus & præſidiis Indicis impenditur. Ex his duobus millionibus & centum millibus ducatorum in fine anni nihil reliquum in regis fiſco manet: immo, ſi Rex eſt paulo liberalior, ſumptus ſuperant reditus, tum quia in exigenda, & colligenda pecunia nullus ordo obſeruatur, tum quia promiſcue etiam expenditur: neq; vnquam hi reges tam felices fuerunt, vt virum tali prudentia, & iudicio præditum nanciſcerentur, qui reditus, & expenſas in debitum ordinem redigeret: Quinimo cum quæſtores ſemper fuerint ex numero nobiliū, quibus gratia aulica potius, quam peritia ad illud officium viam aperuerat (hac enim & non alia ratione officia in illo regno obtinebantur) tantum operam dederunt, vt aliis rationibus dignitatem & locū tuerentur, de reditibus Regni parum interim ſoliciti. Hinc fit, vt partim ſalaria miniſtrorum, partim reditus ad vitam conceſſi, iura vendita, præſidia, & arces Africanæ, claſſes, ſumptus aulæ regiæ & ſimiles facile omnes reditus abſumant. Itaq; quæſtores regii quo iure quaue iniuria pecuniam corradere, ſubditos & primarios ciues præter morem ad contribuendum vi cogere cœperunt. Sed præterquam quod hac ratione non multum argenti collegerunt, ſubditi etiam in imprecationes, & exclamationes eruperunt, quantumuis alioquin obedientiſſimi: ſed rapacitas quæſtorum plane erat intolerabilis. Ab Eccleſiaſticis petierunt tertiam partem redituum, quod cum illi concedere nollent, & tamen Pontificem ad Regis partes procliuiorem eſſe animaduerterent, facta tranſactione centum & 50. millia ducatorum promiſerunt. Chriſtianis nouis pro ſumma ducentorum viginti quinque millium

ducatorum conceſſa fuit impunitas, ne bonis priuarentur, ſi forte deinceps in Inquiſitionis ſtatuta peccarent: id quod etiam olim conceſſum, & poſtea aliquoties reuocatum fuerat. Impoſita fuerunt noua vectigalia ſali: à nobilibus etiam & proceribus contra morem illius regni pecunia exacta & multis hanc ob cauſam immerito negotium exhibitum fuit. Inter ceteros pecunia exacta fuit à Franciſco Melio, Comite Tentugelenſi, qui per literas liberiores, quam pro huius ſeculi moribus ſeſe apud regem excuſauit. Exaggerans enim iniquitatem petitionis, dicebat illam non conuenire virtutibus, quibus rex ornatus erat: neque honeſtum eſſe, vt illi quorum maiores in regno adquirendo reges iuuiſſent, cenſibus & tributis, quæ ad bellum conferuntur, ſoluendis obnoxii eſſent, quorum tamen immunitate multi longe vilioris conditionis homines gauderent. Culpam huius rei imputabat peccatis regni, ſed imprimis domeſticis & familiaribus regis, de quibus conquerebatur. Adducebat exemplum calamitatis, in quam Tingi inciderunt filii regis Ioannis primi, Henricus & Ferdinandus, eo quod bellum contra Mauros mouerant impenſis plebis, quæ tamen non habet talia priuilegia, qualia nobilitas: innuens non poſſe feliciorem expectari ſucceſſum huius expeditionis, quam rex ſuſcipiebat ſumptibus eorum, qui nunquam quidquam contribuerant etiam longe periculoſioribus, quam præſentia eſſent, Regni temporibus. In fine litterarum rogabat Regem, vt rem diligentius perpenderet, maiorum veſtigiis inſiſteret, nec ſucceſſoribus malo exemplo præiret. Hæc epiſtola, cuius lectione rex non mediocriter fuerat commotus, in cauſa fuit, vt & Comes, & multi alii onere contribuendi leuarentur. Itaque aliæ viæ, eæque vt plurimum cum miſeræ plebeculæ detrimento coniunctæ, inuentæ fuerunt: Et vt in regnum eo plus argenti importaretur, edixit rex, vt regales nummi argentei Caſtellani, qui antea ibi vſitati non fuerant, reciperentur, & vt nona parte pluris, quam prius, valerent: id quod pro non paruo prodigio à multis habitum, & notatum fuit. Tunc etiam rex ciues Olyſipponenſes ſolito ſæpius in vicinos campos educi curauit, vt acie inſtruenda, pugnis ludicris, aliiſque belli imaginibus ſeſe exercerent: quibus rebus ipſe plerunque non ſine periculo inter conferta ſclopeta intererat: quanquam nullus dux, aut paulo peritior miles adeſſet, qui modum, & ordinem iſta adminiſtrandi præſcriberet, excepto quodam Ioanne Gama, qui veſte Eremitæ indutus magnam rei bellicæ ſcientiam præ ſe ferebat. Itaque, quamuis miſeri ciues valde in his exercitiis deſudarent: tamen, quia inuiti, & coacti iſta omnia faciebant, & inſuper duce, ac magiſtro deſtituebantur, factum fuit, vt indies deficerent potius, quam proficerent: Erat rex totus in venationibus, & incredibili lætitiâ perfundebatur, quoties ipſi ſoli cum ferociſſima aliqua beſtia pugnare vſuueniebat, qua in re magnam ſibi dexteritatem comparauerat. Si forte, vt ſolebat, animi gratia ab vno loco ad alium in mari, aut in Tago nauigaret, putabat turpe eſſe nauem conſcendere mari tranquillo: & ideo ſtudioſe tempeſtates captabat: ita, vt crudeli quodam fato ad mortem properare videretur. Interim tempus elabebatur, nec res neceſſariæ parabantur, niſi admodum lente. Tranſcribenda erat in Italiam pecunia ad conducendum peditatum Italicum, & Germanicum, & piper omne, ex cuius venditione pecunia colligenda erat, ſequenti æſtate, erat adhuc Olyſippone, & nauibus quorundam mercatorum impoſitum Liburnum deuehi, & diſtrahi debebat. Hæc expeditio, quæ, quia parua pecunia ad eam opus fore ſibi rex perſuadebat, poteſt dici imprudens, etiam hoc tempore pene impoſſibilis, facta fuerat: Et Alcaſoua, cui tanquam ſummo ærarii præfecto onus pecuniæ inueniendæ incumbebat, non audebat regi penuriam, qua laborabatur, detegere. Nam ſi ipſi dixiſſet contrarium eius, quod fortaſſe olim dixerat, metuebat ne in illius offenſionem incurreret. Itaque diem ex die ducebat, ſperans fore, vt Rex Philippus ſe excuſaret, quod non poſſet copias promiſſas ſubminiſtrare, ſiue propter claſſem à Turco in Italiam miſſam, ſiue propter aliam cauſam quamcunque: id quod Alcaſoua vehementiſſime expetebat, vt haberet occaſionem culpam omnem in Philippum transferendi: Cuius quidem rei non exiguam ſpem conceperat: idque propter illas conditiones, ſub quibus Philippus pollicitus erat, quæ indicio eſſe videbantur illum non niſi inuitum, promiſſis ſatisfacturum. Veruntamen Alcaſoua expectatione ſua fruſtratus fuit. Interea temporis Moleius Molucus, accepto de apparatu Luſitanorum nuntio, veritus ne Philippus his ſe adiungeret, tanquam princeps prudens, eidem ſignificari iuſſit, ſe paratum eſſe cedere parte ea regni ſui, quam ille potiſſimum eligeret, dummodo amicitiam & fœdus ſecum coleret. Philippus ſtatim Sebaſtianum certiorem fecit, quid ſibi à Mauro oblatum fuiſſet: oſtenditque fortaſſe non inutile fore, ſi eum ſuſpenſum aliquandiu teneret, peteretque vt ſeſe amplius explicaret Hoc enim non poſſe non prodeſſe, quando quidem tales actiones curſum armorum non impediunt: & poſſe commodi ali-

quid hinc promanare, ſiue quod Maurus fortaſſis non adeo anxie de defenſione cogitaturus: ſiue etiam, quod ſponte conceſſurus eſſet, quæ ipſi Sebaſtianus vi extorquere in animo habebat. Sed Rex iuuenis, qui non intelligebat, quantum certa pax victoriæ incertæ præſtet: quique arma ſua longe lateque circumferre potius, quam etiam ſatis magnam ditionem ſine ſanguine, & bello acquirere conſtituerat, adegit Philippum, vt pacis cum Moluco ineundæ negotium omnino abiiceret. Philippus itaque, intellecto conſilio Sebaſtiani, videns eum nec pacem admittere, nec etiam expeditioni promouendæ ſatis nauiter incumbere (ita enim frigide omnia à Luſitano agebantur, ac ſi omnino propoſitum mutaſſet:) cœpit ipſe operam dare, vt res ad effectum perduceretur. Cum enim æſtatem appropinquare, & in Luſitania nondum vel Italum vel Germanum militem appuliſſe animaduerteret: Sebaſtiano per Ioannem Syluium legatum ſuum pollicitus eſt, ſi ipſe minus rebus ad eam expeditionem neceſſariis inſtructus eſſet, ſe militem, & triremes daturum, hac tamen lege, vt Sebaſtianus beſſem omnium ſumptuum, vti conuenerat, ſuſtineret. Sed cum ne hoc quidem Sebaſtiani conſilio & ſcopo ſatis reſponderet, noluit conditione ab Hiſpano oblata vti. Et quanquam tempus fere præterlapſum, & omnia imperata eſſent, tamen Sebaſtianus (qui hæc incommoda non animaduertebat, ideo quod miniſtri ipſi imponerent) nihil magis metuebat, quam ne Philippus inuenta aliqua excuſatione, promiſſa negligeret, & ita ſibi occaſionem mouendi belli, cuius erat auidiſſimus, præcideret. Itaque apud eum inſtitit, vt pure auxilium promitteret, omiſſa conditione de impreſſione Turcæ. Hoc vero, quod rex ſubuerebatur, ſperabant miniſtri: adeo eorum diſſidebant voluntates. Qua de re edoctus Philippus cum exiſtimaret fieri non poſſe, vt quidquam cum fructu tentaretur, ſatisfacturus promiſſis, aut potius ab iiſdem ſeſe liberaturus, permiſit arbitrio legati ſui, an Sebaſtiano offerendæ eſſent triremes 50. inſtructæ, & 5000. militum paratorum ad bellum, vt conuenerat: ſed tamen iuſſit eum dare operam, ne quidquam offerret, niſi eo tempore, quo Sebaſtianus triremibus & militibus vti amplius nequiret. Nolle enim ſe periculo exponere ſuas copias ſolas, & ſine iis, quas Luſitanus ſe coacturum ſpoponderat. Cum itaque legatus iſta Sebaſtiano obtuliſſet, ille errorem, in ſubducendis rationibus à ſe commiſſum animaduertens, agnouit, ſe eo anno in Africam non poſſe traiicere: itaque publico edicto ſignificauit expeditionem in annum ſequentem fuiſſe reiectam. Philippus Hiſpaniæ Rex, motus conſiliis, quæ de iſto bello ſuſcipiendo iniri videbat, paulo ante Franciſcum Aldanam, hominem militarem, in Africam miſerat, vt diſſimulata perſona, loca illa, & propugnacula in littore extructa, diligenter contemplaretur. Reuerſum, & non ſine periculo, ſtatim in Luſitaniam ad Sebaſtianum ablegauit. Sebaſtianus hominem benigniſſime exceptum de rebus Africanis accurate percontatus eſt. Et quanquam Aldana expeditionem maiori cum difficultate, ac periculo, quã rex putaret, coniunctam fore oſtenderet: tamen ne tantillum quidem ardorem illius reſtinxit. Imo omiſſis iſtiuſmodi ſermonibus, ex Aldana, tanquam rei bellicæ perito, remotis arbitris exquirere cœpit multa, quæ ad ducendos exercitus, & imperatoris officium ſpectant. Qua in re cum Aldana ipſi prolixe ſatisfeciſſet, illico ſibi perſuaſit, ſe facile ad vſum translaturum eſſe omnia, quæ audiuerat; non conſiderans, quam diuerſa ſint animo concipere aliquid, & idem in actum producere. Quia vero hyems ingruebat, dimiſit Aldanam donatum torque aureo, qui mille ducatis conſtabat, ſtipulatuſque ab eo eſt fore, vt ſuo tempore, ipſi militaturus, reuerteretur. Interea temporis Sebaſtianus per Ioannem Gomeſium de Syua, qui legati munere in aula Romana ipſius nomine fungebatur, egit cum magno duce Hetruriæ, vt ſequenti anno ſibi in agro Hetruſco tria, aut quatuor millia peditum conſcribendi copiam faceret: eaque in re dixit ſe velle vti liberalitate magni ducis qui per legatos ſuos non ita pridem ſua ſtudia & officia ipſi detulerat: quod quanquam magnus dux conceſſiſſet, tamen res propter pecuniæ inopiam effectu caruit. Miſit etiam in Belgium Sebaſtianum Acoſtam, qui rogaret Guilielmum Naſſouium Principem Auraicum (qui à Belgis gubernator contra regem Hiſpaniæ electus, inferiori Germaniæ præerat) vt ipſi tria, vel quatuor peditum Germanorum millia concederet. Ablegauit quatuor tribunos, in prouincias regni Portugalliæ, cum mandato 12. millia peditum conſcribendi, vt videlicet Michaelem Norognam, Iacobum Lopeſium de Sequeira, Franciſcum Tauoram, & Vaſcum Silueiram, quorum nemo vlli vnquam expeditioni interfuerat. Ex regno Caſtellæ veniebant etiam milites, quos belli, & expeditionis regiæ fama excitabat: quorum ſatis magnum numerum (ſine Philippi conſenſu tamen) collegit, & in ipſa etiam Caſtella, quanquam ſine tympani ſono, multi milites conſcripti ſunt: quorum ductores nonnulli poſtea à Philippo fuere puniti. Quanquam autem manifeſti eſſent hi tanti apparatus, tamen

men nemo adhuc credebat expeditionem ad effectum perductum iri. Præterquam enim quod vires Regis ad parui etiam momenti bellum (multo vero magis ad hoc quod vtpote tranſmarinum, longe maiores ſumptus requirebat) nimis exiguæ, & debiles eſſe exiſtimarentur, communis etiam opinio erat, etiamſi omnia impedimēta, & difficultates remouerentur, tamen neq; regem Philippum, neq; Cardinalem Henricum, neq; reginam Catharinam, nec ſubditos permiſſuros eſſe, vt rex ipſe in Africā traiiceret: ſed potius fore vt magnis ſumptibus factis, res tota in fumū abiret, vt anno ſuperiori, & vt ante paucos etiam annos acciderat, cum claſſis Eduardi, patrui Sebaſtiani, ad eadem loca Africę inuadenda, & alias etiā res tentandas comparata, euaneſceret. Verum (vt difficulter fatalibus aſtrorum inclinationibus reſiſtimus) omnia ad promouēdam expeditionem ſubito procliuia eſſe cœperunt. Regina mulier integerrima, & multis virtutibus prędita, quæ partim ducta amore erga regem, inter brachia ſua enutritum, partim etiam Philippo, nepoti ſuo ex fratre, aſtipulandum rata, expeditionem vehementiſſime diſſuaſerat, vitam cum morte cōmutauit. Pontifex, quia hoc bellū contra infideles mouebatur, vt incōmoda, quæ obſtabant, ſuo loco ſubleuaret, apertis theſauris ſpiritualib. promulgauit bullam Cruciatæ, quæ in hoc regno nunquā hactenus admiſſa fuerat. Naues Indicę, precioſiſſimis mercib. & auro onuſtę, ſaluæ ad vnā omnes in portū appulerunt: Princeps Auraicus, quāuis & ipſe rerū ſuarū ſatageret, tamen vt oſtenderet ſe non magni facere Hiſpani copias, quæ ipſi oppoſitæ erant 3. millia militū, ab ipſo petita, cōceſſit: ita vt omnia ſe ad voluntatē, nutumq; regis Sebaſt. accōmodare viderentur. Conſpectus eſt hoc tēpore (nono ſcil. die menſis Nou. anni 1577.) in Zodiaco, idq; in libra prope locū, in quo tū erat ſtella Martis, cometa, omniū, qui à multis ſeculis apparuerūt, pulcherrimus, ac maximus. Et, quia Luſitani in procinctu erant, incuſſit metū compluribus qui ex veteribus exemplis inferebāt, Cometas portendere infelices ſucceſſus, & quia ex aere infecto gignūtur, delicatæ principū vitę exitiū minari. Quēadmodum etiā veteres duces huiuſmodi portenta, & ſua auguria in bonā partem accipiebant non tam, q. fidē iis adhiberent, quā vt militib. animū adderent: ita quoq; Luſitani ſuo quodā iudicio ducti, rē boni ominis eſſe dicebant, affirmabantq; Cometā ipſum in linguā Luſitana alloqui regē hoc verbo: acometa, id eſt, Rex hoſtē adoritur. non quod reuera ita ſentirent, ſed adulandi ſtudio. Quod enim ipſis vehementes regis impetus noti eſſent, lōge magis illius, quā cœli, iram metuebant. Philippus tum tēporis pacificatione quadā motus Belgicos nonnihil ſopiuerat, eratq; vicarius illius Io. Auſtriacus, frater ipſius naturalis: qui cum ſe nondū ad debitā obedientiā Belgas redegiſſe exiſtimaret, videretq; nondū acquieſcere principē Auraicū, quē putabat malle totius Belgii imperiū, quam vnius aut alterius prouinciæ præfecturā obtinere, ab vtraq; parte res nouę cōtra pacta interpoſita tentatæ fuerunt. Cumq; ex litteris, quas Io. Auſtriacus in Hiſpaniā ſcripſerat, interceptis, proceres Belgii intellexiſſent, eū propter munitiones, in Hollandia à principe inſtitutas, propoſitū (id quod tamē ſtudioſe diſſimulabat) mutaſſe: cumq; literas interceptas, & conſiliū Belgas armis ſubiugandi detectū eſſe, ipſe non ignoraret, cenſuit non eſſe conſultum, vt ab exercitu nudus diutius in illis locis ſubſiſteret. Itaq; die quodā prima luce ſe venatū exire ſimulans, cōtendit in arcē Namurcenſem, quę eſt in finibus Flandriæ, & Lotharingiæ, vnà cū domeſticis, & amicis: cumq; ibi animū ſuum aperuiſſet, omnib. quibus minus fidebat, dimiſſis, reuocauit pedites Hiſpanos, qui iuxta pacificationis articulos è Belgio egreſſi, vix in Italiam peruenerant, atq; ita conſcriptis nouis copiis ex Valonibus & Germanis, bellum priori vehementius, recruduit, fuitq; Regis hac in parte conditio deterior, quam ante, propterea quod vt pactis conuentis ſatisfaceret, omnia propugnacula Belgarum cuſtodiæ cōmiſerat. Hi repentini motus, & expeditionis in ſequentem annum dilatio, quæ erat pactis contraria, præbuerunt Philippo occaſionē ſeſe excuſandi, & Regi Portugalliæ auxilia promiſſa denegandi. Cauſabatur enim ſibi neceſſario omnes curas, & vires in Belgium conuertendas eſſe, vt & exiſtimationi ſuæ, & fratri in periculo verſanti conſuleretur, exiſtimās ſe hac ratione à propoſito dimoturum eſſe Luſitanum, ſi promiſſi auxilii expectatione, tali præſertim tempore, ſe fraudari intelligeret, ſed fruſtra. Nam ille, vtpote in agēdo præceps; ſiue cum, ſiue ſine auxilio Hiſpani omnino traiicere in Africam decreuerat, & more iuuenum, ſibi perſuaſerat, copias ſuas cū Germanis & Italis, quos expectabat coniunctas ad totum orbē debellandum ſufficere. Diſplicebat Philippo hæc Sebaſtiani obſtinatio, magnaque ipſum moleſtia adficiebat. Quia enim iuuare illū non poterat, verebatur, ne, ſi quid ſine auxiliis ſuis tentaret, ſeſe in propinquū diſcrimē adduceret. Vnde cum periculū indies creſcere intelligeret, denuo vehementiſſime apud Sebaſtianum inſtitit, vt vel expeditionem omnino intermitteret, vel ne ſaltem ipſe in Africam tranſiret. Qua de re complures literas ad illum manu propria ſcripſit, plenas officii & amoris, & in eandem ſententiā ad il-

lum ſcribere iuſſit Ducē Albanum: miſit deniq; ad eū Ducē Medinę Cœli, vnū ex primariis procerib. Hiſpaniç, qui omnia, quæ ad regem à profectione Africana retrahendum excogitari poterant, tentaret: ſed omnia iſta fructu caruerunt. Sebaſtianus enim in Africam traiicere animū induxit, etiamſi Philipp. ne vnum quidem militē ſuo ſumptu ſibi ſubminiſtraret. Ceterū (vt optime cogitata peſſime homines interpretari ſolent) nonnulli dicere non dubitabant Regē Hiſpaniæ hæc omnia ſimulare, imo ipſum nihil magis in votis habere, quā vt Sebaſt. expeditionē ſuſciperet: cuius quicunq; tandē exitus eſſet, ſiue felix, ſiue infelix, rem ſemper cum ſummo Hiſpani emolumento fore coniunctam. Nam ſi forte Sebaſt. Laraccen, aut alium quempiam locum maritimum occuparet, ex hac re non tantum commodi, ad ipſum rediturum, quantum ad Philippum, cuius ditiones omnium maxime eſſent Africæ propinquæ. Sin vero Sebaſtianus in hac expeditione occumberet, vtilitatem adhuc maiorem in Hiſpanum redundaturam, nempe regni Portugalliæ ſucceſſionem. Sed (ſi verum dicendum eſt) cur Philippus bellum hoc diſſuaderet, in cauſa erat partim ingenium eius quietum, & à rebus nouis tentandis alienum, partim etiam aliud quiddam non leuis momenti. Nam tum temporis cœperat agi de induciis inter Turcā & Philippum: ad quas eædem rationes vtrumque inuitabant, nimirum ne cogerentur diſtrahere copias, & vires ſuas, quibus coniunctis vti cupiebant, ille contra Perſam, hic contra Belgas. Niſi itaq; omnem inducias ſtabiliendi anſam pręcidere voluiſſet, non videtur potuiſſe Hiſpanus mittere claſſem, & militem ad inuadēdam Africam, Turco vectigalem, & inprimis ad oppugnandum Moleium Molucum, amicitiam ac fœdus cum eodem Turca colentem. Eo autem fuit æquior hæc excuſatio, quod Philippus Luſitanum in formula induciarum comprehendere ſtuduit: vtq; hanc conditionem acciperet, rogauit. Sed ille nō tantum reſpuebat inducias: verum etiam dicebat ſe mirari, cur de trium annorum induciis cum Turco, vt Italia interim extra periculum eſſet, ageret, cum manifeſtiſſimum eſſet interim totam Africam Turcis repletum iri, & ita fore, vt, triennalibus induciis finitis, in ipſam Hiſpaniam transferretur illud bellū, quod iam ab Italia conaretur depellere, quodque eo eſſet futurum periculoſius, quo magis Hiſpania hoſtilibus inſultibus expoſita eſt, quam Italia: ſibi non videri conſultum, inducias fieri, & ſi omnino illas facere Philippus decreuiſſet, ſeſe non debere comprehendi in formula, idque in hunc finem, vt Philippus deinde clam ſibi auxilia contra Moleium Molucum ſubminiſtrare poſſet: atq; ita illū paruo ſumptu conſulturum tum Italiæ beneficio induciarum, tum rebus Africanis, per expeditionem, quæ ſub nomine Luſitanorū ſuſciperetur. Philippo leuiuſculæ hæ rationes non ſatisfaciebant. Itaq; apud Sebaſtianum inſtitit, vt diſertis verbis reſponderet, vtrum vellet particeps eſſe induciarum, nec ne? Vnde poſt nonnullam moram interpoſitam, conſenſit in inducias: veruntamen, quia nec certi quid quā adhuc concluſum erat, nec directo cum ipſo induciæ inibantur, exiſtimauit eas nō obſtare, quo minus in expeditione Africana perſeueraret. Quare Olyſippone naues maiores armabantur, nonnullæ etiā quæ erant priuatorū mercatorum, à regiis miniſtris detinebātur, ex omnibus regni partib. nauigia, equis, cōmeatui, aliiſq; rebus ad bellū neceſſariis vehendis idonea colligebantur, & alia ſimilia, quæ ad expeditionē requiruntur, parabantur. Summæ rerum pręfectus fuerat Ludoicus Dataidius, ſed non habebat eam auctoritatem, quæ alias illi officio propria eſt. Rex enim cum Alcaſoua, aliiſq; familiaribus ſuis deliberabat, & ſtatuebat de multis rebus ad bellum ſpectantibus quæ ad officium Dataidii pertinebant, & quarum ſaltem eum conſcium eſſe æquū erat. Quamuis autem celeberrimus inter Luſitanos eſſet, tamen quia regi non erat admodum gratus, expeditioni non interfuit, ſed in Indiam, vbi viceregis munus ſuſtineret, fuit ablegatus. Claſſi rex Iac. Soſam: nobilibus vero Luſitanis in Africam traiecturis, multiſq; exteris, qui fortunæ tentādę cauſa eo confluebant, Chriſtoph. Tauorā, cubicularium, & magiſtrū ſtabuli, præfecit, eumq; voluntariorū ducem creatū, pene omnibus nobilibus antepoſuit. Cumq; manifeſto videret, ſe equitatu Mauris loge eſſe inferiorem, cōſtituit bonitate peditatus hoc incōmodum compenſare. Itaq; edixit, ne quiſquam de equo ſibi proſpiceret, niſi quē ille nominaſſet, omneſq; à ſe nominatos, armari, non more equitū leuis armaturæ, ſed ad imitationem veterū cataphractorum, & ipſos etiam equos laminis ferreis tegi iuſſit. Vnde factū eſt, vt multi ex nobilitate, qui in equitū numerum ſe relatū iri putabant, ad peditatum reſcriberentur. Erat res digna admiratione videre Luſitanos ad bellum ſe parantes. Nam cum hæc ars omniū maxime ordine, & quadā veluti menſura indigeat, omnia ab illis ſine ordine & confuſe gerebantur. Quod errores in luſtrando exercitu, & in ſoluēdis ſtipendiis cōmitterentur, quanta aliarū rerū ſuperfluitas, aliarū vero penuria eſſet, dici non poteſt. Nobiles quod monſtri ſimile erat, ad vnū omnes habitum Caſtellanū aſſumpſerant: cū arma acuenda eſſent, veſtes acu pingi curabant: loco thoracum ferreo-

ferreorũ cõparabãt ſibi bombycinos, & auro intertextos: loco aquę, & buccellati, onerabantur naues ſaccaro, & condimẽtis: vaſa argẽtea, tentoria ſerico & aulęis ſuffulta erãt ſine numero: ſinguli nobiles regũ more ſibi de omnib. rebus proſpexerãt. gregarii vero milites fame moriebantur: ita vt in hac opinione eſſe viderentur, illos, qui veſtium ſplendore, luxu, & rerum ad delitias pertinentium copia optime omnium eſſent inſtructi, facilime etiam hoſtem eſſe ſuperaturos. Sed aliter ſentiunt veri milites. Statuunt n. eum qui veſtibus ſerico & auro inſignibus indutus, cum hoſte congreditur, aut occumbere, aut catenâ ferrea vinciri: eum vero, qui ferro armatus pugnam init, victorem, & auro onuſtum redire. Erat Sebaſtianus ſolicitus de gubernatore, cuius curæ regnum committeret. Nam ex ſanguine regio nemo erat ſuperſtes, niſi Cardinalis Henricus, patruus eius: quẽ quod iam ſenio confectus, & ipſi parum acceptus eſſet, inuitus ad tam amplum munus admittebat. Veruntamen, quia alius præſto non erat, profectus eſt Eboram ad Henricum, eumque rogauit, vt ſe abſente regni adminiſtrandi prouinciam in ſe reciperet. Cardinalis excuſauit ſe, cauſatus ſenectutem, & valetudinem. Itaque Sebaſtianus elegit quatuor Gubernatores, qui ipſius nomine præeſſent, nimirum Georgium Almedam, Epiſcopum Olyſipponenſem: Petrum Alcaſouam, Franciſcum Sadam & Ioh. Maſcaregnam: quibus ampliſſimam omnium rerum poteſtatem conceſſit, tradito etiam ſigillo, quod atramento illitum imprimebat chartæ hoc verbum: Rex: eoq; illos ad ſubſcribenda diplomata vti iuſſit. Interim ex Africa, Xariffus Mahametus per legatos vehementiſſime & frequentiſſime apud Sebaſtianum inſtabat, vt properaret, nec vllo pacto ſe à propoſito dimoueri pateretur. Prę-ter multas autem aureas ſpes, quibus Sebaſtianum ineſcabat, dicebat, ſe nõ tantum copias non contemnendas paratas habere, ſed etiam ſimul ac vexilla Luſitanorum in Africa conſpecta fuiſſent, innotuiſſetq; illas vires ſibi ſubſidio miſſas eſſe, nõ dubitare, quin maior pars vrbium, oppidorum, & militum à Moleio Molucco ad ſeſe defectura eſſet. Sane non ſuadebat, vt Rex ipſe in Africam traiiceret, neque enim opus eſſe: imo fore magno detrimento ipſius præſentiam. Fieri enim poſſe, vt Mauri, quos in ipſius caſtra tranſituros, ſpes erat, ſi intelligerent regem ipſum Portugallię adeſſe, metuentes ne à Chriſtianis ſub iugum mitterentur, non tam facile ab hoſte deſciſcerent. Dicebat autem hæc Mahometus, partim quia facile ita euenire poterat, partim quia verebatur (nec iniuria) vt rex victor, & præſens ipſum libere regno frui pateretur. Superiora omnia animum Sebaſtiani valde inflammabant. Quo enim magis Xariffus diſſuadebat, ne ipſe veniret, eo maiori cupiditate proficiſcendi incendebatur: & quia ſubodorabatur Maurum hoc conſilium dare metuentem, ne regno exueretur, hinc firmiter concludebat fore, vt certo illud occuparet. Immo ita hoc deſiderium ipſum excęcauit, vt coronam & reliqua, quæ ad coronationem regis Feſſæ & Maroci requiruntur, conficienda curaret, ſecumque ferret; neſciens quid ſerus veſper veheret. Videbatur ſibi fortunam in ipſis initiis fauentem habere, propterea quod Albacarinus Maurus, qui nomine Moleii Moluci ciuitati Arzilæ in litore maris ſitæ, & à Luſitanis ſponte in poteſtate Maurorum relictæ, præerat; rogatu Xariffi Mahameti illius poſſeſſionem Gubernatori Tingitano tradiderat. Qua ex re magnam SEBASTIANVS voluptatem cœpit, exiſtimans illos populos cupere, & fauere Mahameto, ita vt dixerat. Eodem tempore incolæ Hiberniæ, qui ſe nimis ab ELISABETHA Regina Angliæ, idque inprimis in negotio religionis premi putabant, ſeque exemplo totius Angliæ, ad doctrinam CALVINI, aut ZVINGLII amplectendam cogi ægre ferebant: conqueſti ſunt hac de re apud GREGORIVM XIII. Pontificem maximum: ſummaque rerum ad Comitem Deſmondium, domi nobilem, & ad Ioannem Anelium (hominem obſcuro loco natum) delata affirmârunt, ſi ſibi auxilium ferretur, ſe non dubitare de tota inſula è poteſtate & manibus reginæ extorquenda. Qua de re Pontifex Max. cum Regem Hiſpaniæ certiorem feciſſet, ſimulq; ad opus hoc Chriſtianum promouendum, gentemque illam adiuuandam cohortatus eſſet, tandem inter illos de expeditione ſuſcipienda conuenit. Verum quia Regina Angliæ ex vna parte verbis oſtendebat, ſe amicitiæ cum Rege colendæ ſtudioſam eſſe: ex altera vero in motibus Belgicis principem Auraicum contra eundem clam iuuabat: PHILIPPVS eadem via ingredi conſtituit, & veluti per cuniculos reginam oppugnare. Itaque decretum fuit, vt Hibernis auxilia mitterentur, auſpiciis, & nomine Papæ: ſed reuera, clam tamen, ſumptibus Regis. Quamobrem in ditione Papæ aliquot cohortes militum conſcriptæ fuerunt: quorum ſexcenti, Duce Thoma Eſternuilio Anglo (quem paulo ante Papa Marchionis titulo ornauerat) conſcenſa in portu ciuitatis veteris naui quadã Genuẽſi, quę ipſos in Hiberniam veheret, cõmodum appulêrunt Olyſipponẽ tum, cum expeditio Africana agitaretur. Rex certior factus de aduentu horũ militũ, & de ſpe copiarũ Hetruſcarũ propter pecunię ino-

piam deturbatus, voluit illos videre, ſtatimq; de conducenda eorum ad bellũ Africanum opera cogitauit. Cum itaq; illos è nauibus egredi, & Oeiras (quod eſt prope oſtium Tagi oppidulum) diuerti iuſſiſſet, excurrit eo ſpectatum & quanquã non eſſent pedites lecti, tamen militaris ordo, celeritas in diſplodendis ſclopetis, agilitas in tractandis ſariſſis, & diſciplinæ ſeueritas, magnę ipſi admirationi fuit: ſtatimq; cum Marchione egit, vt ſeſe in Africã vna iturum eſſe polliceretur. Rex Hiſpaniæ, ne ſe ſocium expeditionis proderet, noluit Luſitano hac in re contradicere. Papa autem tam longe aberat, vt, antequam ad illũ ſcribi, & reſponſum haberi poſſet, milites iam in Africa futuri eſſe putarentur. Itaq; acceptis à Sebaſtiano ſtipendiis, operã ſuam illi addixerunt. Interea pedites à tribus Tribunis (quorum ſupra mẽtio facta eſt) conſcripti, paulatim Olyſipponi appropinquabãt. Quarti enim copiæ (is erat Franciſcus Tauora) naues conſcenſuræ erant in regno Algarbii. Appulerant etiam naues Belgicę in oſtiũ Tagi, quibus vehebantur tria milla Germanorum, à principe Auraico impetratorũ: quibus imperabat Martinus de Burgundia, Dominus de Tamberg. His non ſine ſtupore ruſticorũ, qui ad incommoda belli non erant aſſuefacti, hoſpitium in oppido Caſcais, & locis circumuicinis aſſignatũ fuit. Cupiebat Sebaſtianus ante diſceſſum denuo cum duce Albano cõmunicare, eumq; ad colloquiũ inuitabat. Sed cum Dux ſe excuſaret, diceretq; id ſibi ſine regis Philippi conſenſu non licere: Philippus vero (idq; ducis rogatu) ſenis Albani valetudinẽ prętenderet, voti compos factus non eſt. Dicebant Albano amici, eũ non debuiſſe hunc honorẽ à rege oblatum reſpuere: ſed reſpondebat, ſe ex colloquio Guadalupenſi, & ex literis regis ſententiã illius ſatis ſuperq; perſpexiſſe: cumq; de animo illius mutando plane deſperaret, ſe, qui in iuuentute cautus eſſe ſtuduiſſet, iam ſenio confectũ cõmittere nolle, vt ſibi regis, & regni illius interitũ, quẽ pręuideret, homines acceptũ ferre poſſent. Rex itaq;, maturis cõſiliis deſtitutus, diſceſſum vrgebat, omnis, quãtumuis exiguæ moræ, impatientiſſimus. Vniuerſis itaq; copiis, & omnib. nauibus Olyſippone congregatis, milites, quorum vix erant 9. millia, naues inuiti ſane cõſcenderunt. Proceres, & cõplures ex nobilitate ſinguli nauim inſtructã, & domeſticis aliiſq;, quos ſuo ſumptu ſecum ducebant, vehendis deſtinatã, habebant: Sed à rebus chariſſimis, non niſi difficulter auelli poterant: Et quanquam certus dies diſceſſui diceretur, tamen negligebatur. Itaq; rex, die quodã magna hominũ turba ſtipatus mane ad templum cathedrale acceſſit, vexillumq;, quod expeditioni Africanæ deſtinatum, ſibi præferri curabat, ritu ſolẽni conſecrari iuſſit; conſecratum vexillifero magno tradidit. E templo vero egreſſus, cum eum multi in aulam rediturum opinarentur, ſtatim triremim ſuam conſcendit, &, vt omnes eo magis properarent, ſe ſtatim ſoluturũ edixit. Quanquã vero 17. die Iunii anni 78. ita vt dixi nauim conſcendiſſet, tamẽ per integrũ octiduum in eodẽ portu hęſit, nec (interim dum reliqua turba ſe ad nauigationẽ parat) vnquam ex triremi egreſſus eſt: Cumq; poſtridie D. Ioannis demũ vniuerſi naues conſcendiſſent, ſtatim tota claſſis, ventum ſecundum nacta, ſoluit, cum incredibili voluptate Regis, qui, iuuenis imperitus, & vel ſtellæ malignioris influxu, vel Dei Opt. Max. gentem illam caſtigaturi, voluntate impulſus, in Africã, res non minori cum periculo, quam gloria coniunctas tentaturus traiecit, poſtquam regnum, pecunia & nobilitate exhauſtum, ſine herede in gubernatorum, parum patriæ amantium, manibus reliquiſſet.

Liber Secundus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur aduentus regis Luſitaniæ in Africam: conſilium illius de adeundis locis mediterraneis; iter exercitus; apparatus bellici Moleii Moluci; conditio, & diſpoſitio exercitus eiuſdem; prælium ad Alcaſar: fuga Luſitanorum; mors regis Sebaſtiani, & Moluci: creatio regis Henrici.

EXITVS regis Portugalliæ vna cum claſſe tam mœſtus fuit, vt apertiſſima infelicium ſucceſſuum indicia apparerent. Neque enim in tanto, tamque variæ conditionis hominum naues conſcendentium numero quiſquam ridere, aut frontem exporrigere viſus eſt, contra quam fieri ſolet in initiis expeditionum: ſed potius omnes, quaſi triſtis exitus præſagi, ſe inuitos abduci querebantur. Erat in portu adeo funeſtum ſilen-

ſilentium, vt toto illo tempore, quo ibi tantus nauium numerus hæſit, nullius vnquam fiſtulæ, aut tympani ſonus exaudiretur. Regia triremis cum ſoluiſſet, aquæ impetu in nauim Belgicam illiſa roſtrum fregit: & obthuramentum craſſioris tormenti, ex littore diſploſi, vnum ex nautis, qui nauicula ad regiam triremem pertinenti vehebatur, interemit. Equidem ſi nos fidem auguriis haberemus, vt veteres faciebant, poterant hæc ſatis mala omina videri. Primus locus, in quem appulerunt, fuit Lagus in regno Algarbii: vbi cohortes, à FRANCISCO TAVORA in ea regione conſcriptæ, naues conſcendêre. Adiunxerunt etiam ſe claſſi aliquot aliæ naues, ita vt in vniuerſum tam paruæ quam magnæ non multo pauciores eſſent, quam mille. Verum, exceptis quinque triremibus & aliis nauibus, quinquaginta, reliquæ non erant ad pugnandum inſtructæ, ſed maxima ex parte onerariæ, traiiciendis equis, & globis, ac pulueri tormentario. Paulo poſt appulerunt Gades, vbi Dux Medinæ Sidoniæ regem honorifice exceptum ludis equeſtribus, & taurorum venatione, aliiſque rebus quas tenuis Inſula ſuppeditabat, exhilarauit. Laborauit Dux in diſſuadenda Regi profectione Africana: ſed irrito conatu. Nam cum claſſis ibi per octiduum ſubſtitiſſet, ſine vllis vigiliis & excubiis, ita vt mercatorum potius quam ad bellum paratæ naues viderentur: curſu Africam verſus directo breui tempore Almandrauas inter Tingim & Arzilam appulit, ibique, iactis anchoris, aliquandiu commorata eſt, ideo quod Rex de copiis prope Laraccen (Maurorum oppidum, inde quindecim milliaribus verſus Auſtrum diſtans) exponendis cogitaret. Sed paulo ante, quam claſſis littori appropinquaret, & certi aliquid de diſceſſu ſtatueretur, Rex cum quinque triremibus & quatuor nauibus maioribus bellicis (cæteris relictis) nauigauit Tingim, vbi non diu ſubſtitit, nam, poſtquam Muleium Xequem, filium Xariffi duodecim annorum puerum, vna cum Martino Correa de Sylua, & aliquot equitibus Mauris & Luſitanis ad claſſem terreſtri itinere miſiſſet, vt inde Mazagonem verſus profecti Mauris, qui à Moluco defecturi credebantur, auxilium ferrent: ad claſſem reuerſus eſt, nouo præſidio arci impoſito, & Xariffo, atque octingentis ſclopetariis præſidiariis in naues receptis, Almandrauis cum tota claſſe Arzilam diſceſſit: cumque milites aquæ dulcis penuria laborare intelligeret, eos animorum & corporum recreandorum gratia in littus deſcendere, iuſſit, eo conſilio, vt poſtea in naues redirent, aut Liburnicis Laraccen veherentur. Sed, vt erat dubius, & incertus, neutrum horum conſiliorum poſtea amplexus fuit. Nam cum copiæ non ſine confuſione magna ſemel expoſitæ fuiſſent, impetrare ab illis, vt denuo naues conſcenderent, difficillimum erat, tum propter defectum diſciplinæ militaris, tum propter inopiam aquæ dulcis, de qua nauibus proſpiciendum erat: & ſic factum fuit, vt Rex aliquandiu ibidem, conſilii incertus, hæreret. Caſtra metatus eſt in ipſo littore, eaque ex duobus lateribus foſſa, & plauſtris communiuit: reliqua duo mare, & oppidum tuta præſtabant. Ita dies quindecim conſumpſit. Interim fama de Regis Luſitaniæ aduentu totam illam prouinciam ita commouit, vt Mauri, qui Laraccen, Tituanum, & alia loca maritima incolebant, hoſtium viribus ſeſe impares rati, domos deſerere, & vna cum vxoribus, & peculiolo ſuo ad montem Atlantem confugere inciperent. Sed Moleius Molucus (qui erat Marroci, & partim ex Portugallia, partim Gadibus, & Arzila iam ante de apparatu regis Portugalliæ, de numero, & conditione exercitus, diligentiſſime certior factus fuerat, vehementerque ſuccenſebat Sebaſtiano, qui Mauro regnum adimere, & alii Mauro, nullo amicitiæ iure ſibi coniuncto, reddere conſtituiſſet, ſine vlla cauſa, & ſine omni inueſtigatione, vter ipſorum meliori iure niteretur) de conditionibus, quas Regi Hiſpaniæ propoſuerat, obtinendis deſperans, ſe ad defenſionem parare cœpit. Verum, quia non ignorabat, quid vel iniqua pacificatio bello etiam non infelici præſtet, & quanta incommoda, quanti ſumptus, quanta pericula Martem comitentur, cum rege tranſigere ſtuduit, eique agrum, arcibus quas in Africa habebat, circumuicinum, ad decem milliaria in circuitu obtulit. Sed Sebaſtianus, ſpretis his conditionibus, ipſi reſpondit, ſe iam feciſſe magnos ſumptus, & conduxiſſe militem externum: & eam ob cauſam ab expeditione ſe non poſſe diſcedere, niſi Molucus Tituanum, Laraccen, & Caput Augurii ſibi concederet. Viſa eſt Moluco petitio iniqua: & ideo dixit, regem petere rem, de qua cogitandum eſſet demum poſt Marrocum obſidione cinctum, aut ſi Muleium Mahumetum, capitalē hoſtem, ſibi viciſſim dedere paratus eſſet: ſe illa regna armis, & virtute acquiſiuiſſe: velle eadem ſummis viribus defendere. Statim mandauit Rodouano Luſitano Renegato, vt vocant, procuratori generali, vt extra vrbem omnia tentoria, & tabernacula tendi curaret: id quod poſtridie factum eſt: fuitq; numerus tentoriorū vltra 4000. Die vigeſimo ſexto Maij verſus Suſam, vrbem primariam, ad ſeptentrionem ſpectantem, iter inſtituit, mandata dati-

rus in ea regione de rebus nonnullis ad bellum pertinentibus: ſed cum in itinere intellexiſſet regem Portugaliæ ex portu Olyſipponenſi ſoluiſſe, ſtatim Marrocum reuerſus eſt, &, Rodouano vicario creato, coegit in vnum locum copias, quas in illo regno, perpetuo ſtipendio ſibi obſtrictas, alit. Poſuit caſtra Caniſii: & inde Temiſnam (hæc autem loca non ita procul à finibus Luſitanorum abſunt) contendit: quo in loco ipſum morbus, cum copioſiſſimo vomitu, & febri coniunctus, inuaſit. Ibidem reſciuit Sebaſtianum Gades appuliſſe, & quanquam vehementer ægrotaret, tamen nihilominus, motis caſtris, Sale petiit. Habebat 14. millia equitum haſtatorum, mille equites ſclopetarios, mille etiam quingentos pedites itidem ſclopetis rem gerentes: pene omnes oriundos ex Andaluzia, & Renegatos. Hic intellexit Luſitanos appuliſſe Arzillam. Qua de cauſa fluuium Marmor vado tranſiit: cumque Marroco certam æris quantitatem adferri curaſſet, in caſtris quatuor craſſiora tormenta ſuis manibus confecit: quorum tria ſecum retinuit, quarto Marrocum miſſo; Alcazar verſus iter inſtituit. Muleius Hemetus, frater Moluci nothus, & regni Feſſæ gubernator, mandato ipſius iam ante, vtpote magiſter equitum illius prouinciæ, caſtra metatus erat, & equitatu, peditatuq; ex locis circumuicinis collecto, in eum locum, quem Feriam diei Iouis vocant, ſex Alcazarqu: bitrio milliaribus diſtantem progreſſus, fratrem, coniungendarum copiarum cauſa, expectabat. Ducebat autem 22. millia equitum, & quinquies mille, & quingentos ſclopetarios. Peruenit eo Molucus vigeſimo quarto die Iulii, viribus, vehementia morbi ita proſtratis, vix vt equo inſidere poſſet: cumque bonam itineris partem lectica confeciſſet, ſimulatque fratrem aduentare vidit, conſcenſo equo obuiam eidem proceſſit. Dum autem ſibi inuicem appropinquarent. Moleius Hemetus, equo admiſſo, ad fratrem properauit: cumq; prope abeſſet, deſiliens, in ſignum reuerentiæ, terram oſculatus eſt, interim dum perpetuam ſclopetarii globorum grandinem eiaculantur. Quoniam vero moribus magis magiſque inualeſcebat, Moleius Molucus cum ſolita pompa caſtra ingreſſus non eſt: ſed in lecticam illatus ſtatim quieſcendi gratia diuertit, fratre in locum ſuum ſubſtituto. Et quia intellexerat à Sebaſtiano Mazagonem verſus cum copiis miſſum fuiſſe Moleium Xequem: & ipſe eo ablegauit Moleium Dau, nepotem ſuum vna cum duobus millibus equitum, & aliquot peditibus, qui Xequis conatibus in illis partibus obſiſteret. Miſerat etiam milites nonnullos verſus Caput Augurii, & Laraceen: ſed illi cum regem Sebaſtianum exercitum ſuum prope Arzilam expoſuiſſe intellexiſſent, in caſtra reuerſi ſunt. Erat Molucus homo magni, & intrepidi animi, & in loquendo liberrimus. Vt autem oſtenderet ſe non metuere Portugallos, & Xariffum Mahametum, publice dicebat ſe nolle quenquam caſtra ſua inuitum ſequi, ſeque iis, qui Moleio Mahameto magis fauerent; licentiam ad ipſum tranſeundi concedere; imo rem gratā ſibi facturos, adiiciebat. Probabile autem eſt cum hæc locutum, non tam vt vires hoſtium contemnere videretur, quam quod intelligeret ſe non poſſe facile impedire, quo minus, qui vellent ad Mahometum tranſirent: quodque mallet eos mature abire, veritus, ne vel in ipſo conflictu, vel alio periculoſiori tempore cum maiori ſuo damno ad hoſtem deficerent. Atque vt iidem meliorem diſcedendi occaſionem haberent, ex numero eorum, quos ſuſpectos habebat, ter mille equites ſelectos exploratum, & copias Chriſtianas velitationibus crebris vexatum, emiſit, non tam quod ſperaret illos officium fideliter facturos, quam ne iis, qui vellent, diſcedendi facultas deeſſet. Verum illi, quibus conſilium Moluci ignotum eſſet, mandatum hoc in contrariam partem, quaſi Imperator ipſis omnium max. me fideret, interpretantes in fide permanſerunt, & pauciſſimis ad hoſtem transfugientibus, diligentiſſime iuſſis Moluci ſatisfecerunt. Nam conglobati modo ſexcētis plures ad ipſum Luſitanorū vallum excurrebant, & eos, qui paululum modo à caſtris abſceſſerant, interficiebant. Interim Luſitani, caſtris incluſi, antequam Maurum vllum viderent, bis iam claſſicum, vano metu perterriti, cecinerant. Cum vero ſexcentos equites tanta cum audacia caſtris obequitare cernerent, homines, qui nec eminus, nec cominus hoſtem vnquam vidiſſent, exterrefacti ad naues promiſcue confugerunt, quātumuis caſtra munita & ciuitati amicę contigua haberent, & claſſis armata intra ſclopeti iactum præſto eſſet. Etſi autem hoſtes poſt leue prælium cum Mauris Xariffi Mahumeti, qui extra foſſam caſtrorum conſederat, ſtatim diſceſſiſſent, tamen tantus terror Luſitanorum animos occupauit, vt, quia naues conſcendere prohibitum erat, ex caſtris ſe ſubducentes terreſtri itinere Tingim verſus contenderent; quanquam ex fumo in ignem quod dicitur, incidebant, propterea quod in itinere intercipiebantur à Mauris Tituanum, & vicina loca in habitantibus, qui ſpe prædæ viarū anguſtias occuparant. Ceterū regi hic primus hoſtiū, tam repente abſcedentiū conſpectus, animum addidit, ita vt cum ante in oppido diuerſatus eſſet, deinceps extra portam conſi-

conſideret, eo conſilio, vt, ſi vſus veniret, tanto commod us vel tationib. ipſe intereſſe poſſet. Cum itaq; poſtero die bis mille equites Mauri apparuiſſent, ipſe cum ſexcentis equitib. aduerſus illos proficiſcitur: & quia, conſerto prælio leui, Mauri pedem referre incipiebant, Rex, ſtrenui potius militis, quam cordati ducis officio fungẽs, Eduardum Meneſium, caſtrorum præfectum (quem auiditas pugnandi paulo longius prouexerat) ſequitur, & nullis ſtipatoribus, nullis ſcloperariis, comitatus, per decem milliarium ſpatium à caſtris abſcedit: ita vt, cum ab ipſius ſalute, totius exercitus ſalus dependeret, vitæ potius tædio, quam vera animi magnitudine duci videretur: quanquam veriſimilius eſt, eum, cui tanquam regi potenti in otio, & delitiis viuere licebat, ſolo gloriæ deſiderio impulſum fuiſſe. De hoc conflictu nuntium accepit Molucus in caſtris, quæ trans Alcazar poſuerat; vbi commorabatur, partim vt expectaret copias, quæ Tituano, Mechinea, & ex aliis locis maritimis paulo poſt venerunt, partim etiam quia cupiebat Luſitanos in loca mediterranea pertrahere: à qua re illos non alienos eſſe intelligebat: & tamen ſimul etiam metuebat ne, conſilio mutato, in littore maris permanerent: id quod etiam ratio belli ſuadebat. Qua de cauſa, ſi Luſitani mediterranea loca fugere pergerent, conſtituit primo quoq; tempore caſtra ipſorum caſtris opponere, &, antequam locum aliquem tentarent, incurſionibus illos fatigare, commeatu excludere, prælio iuſto abſtinere, niſi loci æquitas aliud ſuaderet. Sin vero, relicto littore, in mediterranea penetrare animum inducerent, nullum ipſis in itinere impedimentum obiicere, ſed vbi iam ſatis proceſſiſſent, reditu ad mare eos intercludere decreuit. Neque dubitabat quin hoc pacto victoria incruenta potiturus eſſet, tum quia numeroſiſſimum exercitum habebat, tum quia intelligebat, Luſitanos non bene à commeatu inſtructos eſſe, inuitos caſtra ſequi, effeminatos eſſe, & belli inſolentes. Interea temporis rex Sebaſtianus proceres & duces conuocauit, vt de mouendis caſtris deliberaretur: cumque ſententiam eos rogaret, multi libere loqui non audebant. Etſi enim commodiſſimum factu putarent nauigare Laraccen: quia tamen regem ab hoc conſilio alienum eſſe animaduertebant, poſtpoſita veritate, ad adulationem conuerſi gratiam inire male conſulendo, quam bene conſulendo in odium incurrere maluerunt. Rex auidiſſimus erat itineris terreſtris, vt occaſionem haberet militaria imperatoris, & tribuni munera obeundi: nec conſiderabat, quantis cum difficultatibus & periculis idem eſſet coniunctum: imo deſtitutus bonis exploratoribus, nec de hoſtium viribus vel tantillum edoctus, putabat ſe totam illam ditionem tuto peruagari poſſe, & Mauros omnes, ſi quos obuios haberet, fuga ſibi conſulturos eſſe, vt fecerant pauci illi, cum quibus ad Arzilam manus conſeruerat. Inter eos, qui regi præ cæteris aſſentabantur, erat Alfonſus Portugallus, Comes de Vimioſo. Hic fuerat olim regis cubicularius: cumque in priori profectione Africana rex ei curam commeatus comparandi commiſiſſet, tam male hoc officium adminiſtrarat, vt, ſi Regi vel in Africa, vel in mari paulo diutius hærere vſu veniſſet, omnibus fame moriendum fuiſſe videatur. Inde æmuli Alfonſi occaſionem ſumpſerant eum accuſandi apud regem, cuius animus ex illo tempore ab eo erat paulo alienior. Alfonſus, homo ambitioſus, & aſtutus ad voluntatem ac nutum regis ſe accommodabat, quamuis fortaſſe nõ ignoraret inſtitutum illius eſſe pernitioſum, & temerarium. Ac licet vulgo putaretur intelligere è re non eſſe, tamen iter terreſtre ſuadebat duabus de cauſis. Prior erat, vt hoc pacto rex in itinere penuriam commeatus experiretur, & vt, profectione eam ob rem impedita, miniſtri, quibus cura commeatus demandata erat, in indignationem regis incurrentes iiſdem telis ferirentur, quibus ipſe percuſſus fuerat: præterquam quod etiam hac ratione fiebat, vt iter neceſſario intermitteretur. Altera erat, vt ferocem ſe oſtenderet extra periculum, vt regi morem gereret, & eius gratiã recuperaret, maxime quia exiſtimabat regem omnino profecturum, ſiue ipſe ſuaderet ſiue diſſuaderet; & quia ſibi vitæ periculum adeundum videbat, exiſtimabat ſe recte facturum, ſi auctor eius profectionis eſſet. Nam ſi male cederet, futurum erat damnum commune: ſin bene: videbat ad ſe ſolum fructum, & gloriã victoriæ redundaturam, vtpote qui ſolus huius conſilii auctor fuiſſet. Vt autem opinionem ſuam per ſe debilẽ confirmaret, Regiſq; deſiderium, terreſtre iter inſtituendi, augeret, dicebat non decere potentem illum exercitum in Africam ingreſſum, & toti agro circumuicino dominantẽ denuo naues conſcendendo timoris ſpeciem præbere: facile ei eſſe, quo cumque tenderet, ferro ſibi viam aperire. Et licet numero hoſtibus eſſet inferior, tamen ſuperiorem eſſe virtute, quæ numero præſtaret: præſertim cum experientia teſtaretur, quãto interuallo militem Maurum Chriſtianus ſuperaret. His addebat copias ad Laraccen non niſi difficulter, & cum periculo exponi poſſe. Poſtremo dicebat fore, vt rex Philippus & Caſtellani dictitarent, Luſitanos ſine ipſorũ auxilio in Africam penetrare non audere: eoſq; militem exponendo inconſultos, ad naues

redeundo meticuloſos ſeſe prębuiſſe. Ludouicus de Sylua, vnus eorum, qui inprimis apud regem gratia valebant, liberrime omnium ſententiam dixit, oſtenditq; non eſſe rationi cõſentaneum, vt exercitus, qui in maritimum Africæ locum proficiſci conſtituerat, terreſtri itinere eo contenderet, cum in promptu eſſet claſſis, cui, cæteris rebus omnibus inſtructiſſime, de aqua dulci, ad iter tam breue neceſſaria, proſpici nullo negotio poſſet. Dicebat nauigationẽ futurã eſſe tutiſſimam, propterea q; nullũ eſſet periculũ à claſſe vlla hoſtili: cõmodiſſimam, propter breuitatẽ itineris: militẽ facile exponi poſſe: quia nemo eſſet prohibiturus. Contra terreſtre iter non cariturum periculo, quod ignorarent, quo in loco hoſtis conſediſſet, & quem militum numerum haberet. Itaq; facile euenire poſſe vt, dum procul illum abeſſe putarent, ceruicibus ipſorum immineret. Et ſi forte exercitus penuria rerum neceſſariarũ, vt fit, laborare inciperet, à claſſe, tanto interuallo remota, vix ac ne vix quidẽ vllum ſubſidium ſperari poſſe. Præterea inter exercitum & Laraccen interiectum eſſe fluuium Luſſum (à Ptolemæo Lixus appellatur) in cuius ripa ſiniſtra oppidum illud aliquantum verſus mediterraneas partes ædificatum eſt: & quia exercitus neq; ponte, neq; nauibus ad flumẽ traiiciendum idoneis inſtructus eſſet, neceſſario relicto maris littore, in mediterranea penetrandum eſſe vadi, aut pontis inueſtigandi gratia: imo eo etiam inuento, tamen incertum eſſe, quam facilis futurus eſſet tranſitus, propterea quod credibile eſſet, hoſtes vada & pontes præſidio muniuiſſe. Inter has duas ſententias contrarias, quarum altera terra, altera mari eundum ſuadebat, media quędã deinde via propoſita fuit, videlicet, vt exercitus ſecundũ oram maris ſemper in conſpectu claſſis, impedimẽtis & carris à manu ſiniſtra valli loco diſpoſitis, iter faceret, &, vbi ad oſtium fluminis peruentũ eſſet, eadem claſſe ad traiiciendum vteretur. Verum ne hæc quidem ſententia, quæ fortaſſis minus incommodi habebat, regi placuit, quamuis non adeo diſpliceret illis, qui mari eundum iudicabant: quorum opinio licet pluribus ſuffragiis niteretur: tamen, quia Rex aduerſæ parti adſtipulabatur, pondere & auctoritate deſtituta fuit, ita vt conſilium de itinere terreſtri, ex omnibus tribus peſſimum, cęteris anteponeretur. Moleii Mahameti, qui regem tanto cum ardore expeditionem vrgere videret, metus, & ſolicitudo in dies magis magiſq; augeſcebat, quod rem infeliciter ſucceſſuram animo cerneret. Veritus erat iam ante, ne Sebaſtianus victor iugum nimis graue ſibi imponeret: Sed, ſimulatque exercitum vidiſſet, ſtatim de victoria, ſi manus confererentur, deſperare cœpit, & ideo, rectius ſe facturum exiſtimauit, ſi regi ſuaderet, vt Larraccen potius mari, quam terra proficiſceretur: ſperans eum, oppido facile expugnato, hac victoria contentum, in Luſitaniam rediturum eſſe, relicto in Africa exercitu, cuius beneficio putabat ſe poſſe tantã ſibi apud Mauros auctoritatem conciliare, vt, deſerto Moluco, in ſua caſtra tranſirent: aut, ſi omnino prælii fortunam tentare animus ferret, lente feſtinandum, maiorique cum conſilii maturitate, quam Sebaſtianus facere videretur, rem tractandam iudicabat. Cæterum eius conſiliũ apud regem non plus ponderis habuit, quam reliquorum. Itaq; cum Iacobum de Soſa cum claſſe Laraccen petere & ibi expectare iuſſiſſet, Alcalarquibirium verſus (illac enim ad pontem itur) duxit exercitum, in quo non erant vltra 13. millia peditum, & mille quingenti equites: nimirum 8. millia Luſitanorum, tria millia Germanorum, mille Caſtellani, & ſexcenti Itali vna cum duodecim tormentis craſſioribus. Verum quo vlterius in mediterranea penetrabant, eo magis metus creſcebat, & præſertim in animis eorum, qui mari eundum cenſuerant. Et quamuis nonnulli denuo molliſſimis verbis regi in mentem reuocarent errores, qui in bello committuntur, corrigi non poſſe: poſt breue temporis ſpatium fore, vt non liceret amplius conſilium mutare: non, niſi re probe expenſa, tentari debere ea quæ poſtea emendari nequirent; & quamuis rogarent, ne in manifeſtum periculum ſe præcipitaret, & inprimis ne à mari nimis procul diſcederet, multiſq; verbis periculũ, exiguum fructum, penuriam commeatus, & militum imperitiam exaggerarent: tamen ne tantillum quidem effecerunt: imo (vt ſæpe ſolet pro bonis conſiliis mala gratia rependi) ira inflammatus erga illos, quos præmiis & honore afficere debuiſſet, vix fidelem hanc admonitionem audire ſuſtinuit. Qua ex re cum iſti conſiliarii intelligerent regis aures conſilio omni clauſas eſſe, non amplius libere loqui auſi ſunt, veriti, ne in ipſius indignationem inciderent. Deſtituebatur autem exercitus ducibus eximiis, & rei militaris peritis: vnde fiebat, vt in itinere faciendo, in caſtris ponendis, & in pugnando, ſine ordine omnia adminiſtrarentur. Etſi enim rex Imperatoris, & Eduardus Meneſius præfecti caſtrorum partes ſibi arrogarent, adeſſentque etiam nonnulli, alii tribuni inferiores, tamen ad vnum omnes erant inexperti. Militibus exteris quidem aliquanto peritiores duces præerant, propterea quod Dominus de Tamberg Germanorum, Marchio Italorum, Alfonſus de Aguilar Hiſpanorum dux, bellicæ rei ſcientia Luſitanos ſuperarent: veruntamen, quia

nec

nec rei ſummæ præerant, & erant exteri, non poterant exercitum ſuo arbitratu diſponere, & ducere: atque ita eueniebat, vt nemo Luſitanorum ſciret, quid ſibi agendum eſſet. Prima caſtra poſuit Rex 29. die Iulii Molinis, tribus Arzila miliaribus: Secunda Meneræ, vbi Molucum ſibi appropinquare intellexit. Ex eo loco miſit Olyſipponem ad Petrum Alcaſouam litteras breues illas quidem, ſed ſolitam ipſius confidentiam redolentes. Significabat ſe certiorem eſſe factum Molucum non procul abeſſe, ſeque conſtituiſſe manus cum ipſo conſerere, niſi fortaſſe fuga ſibi conſuleret. Eo tempore venit in caſtra Franciſcus Aldana, qui regi in Africam cogitanti operam ſuam dicauerat, & hanc ob cauſam à rege Philippo (id quod nulli alii contigit) abeundi licentiam obtinuerat. Cum autem homo militaris in exercitu nihil ordine, & ratione geri videret, ſolus præcipuis pene omnibus officiis defunctus eſt, & pro viribus copias ad ordinem & diſciplinam redegit, quanquam non omnia ex animi ſententia exequi poſſet: quod & militibus illis ignotus eſſet, nec ea, qua par erat, apud Luſitanos auctoritate valeret. Ita exercitus lente progreſſus eſt, & opera, ac induſtria eiuſdem Aldanæ, & Philippi Terzi (qui architecti munere fungebatur) caſtris loca commoda, & tuta delecta fuerunt. Videbant enim equites in campis circumuagari, nec de Moluci conſiliis quidquam certi ipſis conſtabat. Idem Aldana, regi attulerat literas à Duce Albano, vna cum munere, quod erat galea, qua olim CAROLVS QVINTVS vſus erat, & chlamys ex ſerico candido, qua indutus idem Imperator olim Tunetum victor ingreſſus fuerat. Literæ Albani continebant reſponſionem ad literas regis. Dicebat ſe aliquandiu anxium fuiſſe, metuentem, ne rex cum exercitu in mediterranea Africæ loca penetraret. Verum ſimulatque ex epiſtola, propria ipſius manu ſcripta, perſpexiſſet Maieſt. eius tantum Laraccen vſque cogitare, ſe magna ſtatim lætitia perfuſum fuiſſe: atque hoc regis inſtitutum magnopere laudabat. Interea exercitus peruenerat ad colles quoſdam, quos vulgo caput Ardanæ appellant, ibique tertia caſtra fuerunt. Inde motis caſtris, quarta Barcaini poſuerunt. Ad locum vero quintis caſtris deſtinatum cōtendentibus fluuiolus Mucazenus, qui paulo inferius in Luſſum ſe exonerat, vado erat tranſeundus. Molucus certior redditus, quam in partem Luſitani iter facerent, poſtquam vltra Alcazar opinione ſua diutius (ad Luſitanos in mediterranea quam longiſſime pertrahendos) hæſiſſet, omneſque copiæ, quas expectabat, conueniſſent, ſecundo die Auguſti, motis caſtris, in locis Alcazari circumuicinis conſedit. Poſtero die iter ad pontem, quem Luſitani quærebant, direxit, traductoq; exercitu caſtra in loco ad mare vergenti communiuit; eo quidem conſilio, ne vlterius progrederetur. Nam occurrebat regio referta collibus, leuiter illis quidem aſſurgentibus, & quo plauſtra, & tormenta aduehi poſſent, ſed qui tamen copioſo equitatui ad dimicandum impedimento futuri viderentur. Interim Luſitani eodem die Mucazenum tranſierant, & cum quintis caſtris locus deligendus eſſet, incerti erant, vtrum cis, an vltra riuum quendam, qui ex paludibus Alcaſarquibirii promanat, conſidendum eſſet: cumque iam pars exercitus aquam tranſiiſſet, rediit in citeriorem ripam, poſtquam cis aquam manendum eſſe decretum fuiſſet. Ibi intellexerunt Molucum eſſe in vicinia, & non obſcure ſignificare ſe à committendo prælio, non abhorrere: ac niſi nox tam cito ingruiſſet, exercitus ſe inuicem videre potuiſſent. Ægrotabat tum vehementiſſimè Molucus, ita vt non niſi paucos dies ſuperuicturus crederetur, & tamen nihilominus magno animo de omnibus, quæ neceſſitas requirebat, mandata diligentiſſime dabat: cumque hoſtem adeo vicinum eſſe animaduerteret, ante omnia fratrem vocauit, eique dixit, quamuis iudicio ſuo neque ingenio, neque audacia ad munus, quod ipſi commiſſurus erat, neceſſaria inſtructus eſſet, tamen, quia frater ipſius eſſet, ſe illum præficere toti illi equitatui, cum quo hoſtem aggrederetur, & vel vinceret, vel moreretur. Quinimo minatus eſt, ſi vlla in re timidum ſe gereret, fore, vt propriis manibus ipſum ſtrangularet: egreſſuſque paulo poſt è tentorio aciem inſtrui iuſſit; & ipſe lecticę, quam ſerui humeris ferebant, inſidens, per ſingulos ordines tranſiens tribuni militum partibus fungebatur. Hic exercitus ex variis hominum generibus compoſitus erat. Aderant tria millia Maurorum Andaluziorum, ducibus Doali, Algori, & Oſſatino, viris ſtrenuis, qui tempore belli, quod ad montes Granatæ exarſerat, in Africam tranſierant, partim equites, partim pedites. Ad hos accedebant tria millia peditum, viginti quinque millia equitum, mille equites ſclopetarii, maxima ex parte Renegati & Turci, omnes in armis exercitati, & perpetuo ſtipendio conducti. Et hi erant neruus exercitus. Collectitiorum erant fere decem millia equitum, quinque millia peditum, ita vt in vniuerſum equites eſſent plures quadraginta millibus, peditum octo millia, præter multos Arabes, & voluntarios qui eo confluxerant. In collectitiis, & Arabibus non multum ſpei Molucus ponebat, illos pro timidis,

dinem his verbis allocutus eſt. Virtus veſtra, milites, & bonitas cauſæ, propter quam arma cœpiſtis, non patiuntur, vt multis verbis animum vobis addere enitar. Vos eſtis ijdem illi, qui me duce, omnia bella, quantumuis difficilia, & laborioſa magna cum laude confeciſtis: & hoſtes; qui vobis ſunt oppoſiti, ſunt iidem Luſitani, quos maiores veſtri, & veſtræ etiam ipſorum dexteræ ſæpiſſime fuderunt, fugaruntque. Italos porro, & Germanos, quos ſtipendio illi conduxerunt, fama potius, quam reipſa formidabiles, non eſt quod hoc tempore metuatis, cum ſint tum inexercitati, tum pauci: Et ego, qui iam olim, quanti pretii ſint, expertus ſum, in me recipio fore, vt facile in poteſtatem veſtram redigantur. Quod ſi in prælijs alicuius momenti eſt cauſæ bonitas, cur nos de victoria dubitabimus? Viuebamus nos domi noſtræ pacati, nemini moleſti, in neminem iniurii, non inſidiantes bonis, vel opibus alienis. Venitè locis remotis gens natura nobis inimica, & à religione noſtra aliena, vt non tantum mihi regnum auferat, ſed etiam vt vos bonis, libertate, vita priuet. Creditiſne vos in hac impia natione commiſerationem tantum poſſe, vt, Mahameti hominis peregrini, ab ipſorum religione abhorrentis, & neque amicitia, neque beneficiis cum ipſis coniuncti, in regnum reſtituendi cauſa tantos labores ſuſcipiat, imo vitæ periculum adire non dubitet? Sitis auri, & ſanguinis veſtri, ac libido dominandi huc adduxit regem Luſitaniæ, fretum non tam viribus propriis, quam ſpe vos decipiendi ſub ſpecie fictæ commiſerationis erga perfidum Mahametum: qui, ſi vel mediocris iudicii eſſet, ſine dubio mallet viuere ſub meo imperio, & legibus noſtris conuenienter, quam ad regnum vi mihi eripiendum aſpirando, exterminationi ſui ſanguinis, exitio patriæ, veſtræ omnium ſtragi occaſionem præbere, & ſe ipſum in perpetuam ſeruitutem præcipitare. Sed intellexiſtis fraudem: reſtat, vt illi opponatis virtutem veſtram, & propugnetis pro cauſa omnium, quæ vnquam diſceptatæ fuerunt, longe iuſtiſſima, vtpote, in qua non tantum à liberis & vxoribus iniuriæ propulſantur, libertas conſeruatur, vita defenditur, gloria comparatur: verum etiam ſiue vincendo, ſiue moriendo recta in Paradiſum contenditur. Cupiebat Molucus addere plura, ſed fuit interpellatus clamore militum, qui flagitabant, vt ſtatim in hoſtem ducerentur. Abrupto itaque ſermone, in lecticam ingreſſus in medio lunatæ aciei, vbi erat vexillum regium, & cohors prætoria, conſtitit. Interea proceſſerat exercitus Luſitanorum, & appropinquauerat hoſti in illa planitie, quam Mauri Tamitam appellant: vnde Molucus iam iam animam exhalaturus, cum exercitum hunc adeo infirmum, & non pluribus quam 12. peditum millibus conſtantem conſpexiſſet, ſtatuit operam dare, vt quoniam certus ſibi de victoria eſſe videbatur, quam pauciſſimi fuga ſalutem quærerent. Cornua itaque aciei lunatæ, & turmas equitum in ingentem gyrum extendit, ita vt, cum vndiquaque milites ipſius extra tormentorum ictum poſiti eſſent, tamen exercitum Luſitanorum circumdaret, & à tergo extremi Luſitanorum agminis, duobus cornibus coniunctis, figuram circuli oualis repręſentaret. Quo facto, circulum paulatim anguſtiorem, & ſpiſſiorem reddidit: (tantum hi barbari in arte militari profecerunt) & ita exercitus Sebaſtiani à tribus partibus ab equitatu, & à fronte à Mauris peditibus, exitum omnem intercludentibus circumſeptus aliquandiu ſubſtitit. Interim Mauri à ſpacio conuenienti diſploſerunt tormenta maiora: quæ quanquam nonnihil incommodi intulerunt, globis per medios ordines hinc inde tranſuolantibus, tamen damnum non adeo magnum fuit. Luſitani, qui Mauros fugæ capiendæ cauſa ſeſe mouiſſe primo crediderant, cum ſe circumcirca cingi vidiſſent, trepidantes propere & ipſi tormenta ſua exonerarunt, ſed ſine vllo ordine, & tempore adeo alieno, vt pene omnes ictus eſſent inanes. Quia vero Mauri tormenta denuo onerata ſecunda vice diſplodebant (quanquam ictibus maxima ex parte vanis) Luſitanis tantus terror incuſſus fuit, vt ad primum ignis à puluere tormentario excitati conſpectum omnes humi ſe proſternerent. Ne vero ita vel maius damnum à tormentis acciperetur, vel metus in animis Luſitanorum augeretur, Rex pugnæ ſignum dari iuſſit. Vnde ſtatim agmina primæ aciei pari paſſu, præcipue vero equites magno cum impetu, & ſingulari animi vigore in hoſtem ire cœperunt. Ibi pedites cum Mauris, qui magna cum vi irruebant, diu obſtinatiſſime pugnarunt. Andalazij enim veteres iniurias vlturi ſummis viribus certabant: veruntamen tam fortiter primum agmen horũ impetum excepit, vt quanquam prœlium anceps erat, interim dum eminus ſclopetis res gerebatur, tamen, ſimulatq; cominus dimicari cœptũ eſt, Mauri ter profligati, & ſignis amiſſis in fugam conuerſi ſuccumberent. Sed, quia erat eorum ingens multitudo, duces ſubinde feſſis recentes ſubſtituendo prælium inſtaurarunt. In poſtremo etiam agmine hoſtes Franciſci de Tauora, & Diegi Lopezii de Siqueira legiones adorti erant, & eo in loco aliquandiu pugnatum fuit, ſed minori cum ardore. Medium agmen omnium vltimum prælium iniit, cui & ipſi nego-

negotium exhibuit Molucus, qui ab vtroque latere Vaſquium de Silueira, & Michaelem de Norogna inuadi curauit: atq; ita ab vtroque latere, à fronte, & à tergo dimicabatur. Hi vero vltimi, cum ea, qua reliqui alacritate hoſti non reſtiterunt: ſed multi, armis turpiſſime abiectis, in genua procumbentes implorabant miſericordiam Maurorum, quorum complures in præmium tam promptæ deditionis, enſibus ſuis falcatis ſupplicũ capita findebant. prælio ita, vt dixi, vndiquaq; accenſo, gyrus equitatus Mauritani, & turmæ equitũ, qui à tergo remanſerant, appropinquantes, ante omnia in primum agmen impetum fecerunt, quod eo in loco ſuos laborare, & auxilio egere animaduerterent: (Itali enim & Hiſpani multos Mauros, & in iis bellicoſiſſimum quenq; ceciderant) & ita paulatim, quoad eius ſine ordinum perturbatione fieri poterat appropinquantes in anguſtias redegerunt Luſitanos, qui nonnihil perterrefacti pedẽ referre, & ſeſe conglobare incipiebant, ſumma cum indignatione regis, qui quanuis nihil ſibi ad extremam diligentiã reliquum faceret, tamen milites in loco ſuo continere non poterat. Horum autẽ equitum Maurorum impetũ, turma equitum Luſitanorũ, qui in limitibus illis militare conſueuerant, Mauri Xariffi Mahameti, & Dux de Auero cum ſua triangulari acie, magno cum animo exceperunt: primoſq; qui occurrebant, tanta clade affecerunt, vt equitatum Maurorum ab illa parte in fugam conuerterent. Hoc felix principium victoriæ parum durauit, propterea quod dux (quem maior pars equitatus ſequebatur) interim dum cominus cũ hoſte pugnat, è longinquo magnũ equitũ numerum à latere aperto in ſe irruere animaduertit, deq; eorũ impetu ſuſtinẽdo deſperans, tergumq; de induſtria illis, quos à fronte habebat, obuertens, retro ceſſit, exiſtimans ſe mox maiori cum cõmoditate ad pręliũ rediturũ, quod & fecit. Conuerſis enim equis, recta contendit in illos, qui ipſum à latere adoriri ſtatuerant. Sed cum opinione citius magna multitudine vndique ſeſe obrui videret, ſeque imparem fore intelligeret, pedem referre conſtituit. Conuerſis itaque equis, hoſtibuſq; magno cum ardore irruentibus non inuenit locum inter acies vacuum, in quem ſe reciperet: atq; ita in latus legionis Germanicæ inuectus, magnaque cum confuſione pars equitatus cum peditatu permiſta fuit: cumque non tam cito ordines inſtaurari poſſent, ibi plane inutilis conſtitit, detrimentoq; affecit ſocios pedites, qui hac de cauſa eo minus hoſtilis equitatus, & peditatus ingenti cũ multitudine irruentis, impetum ſuſtinere potuerunt. Ab altera parte exercitus, vbi erat vexillum regium vna cum reliquo equitatu, qui paulo ſerius prælium iniit, magna ſtrages Maurorum edita fuit, quantumuis rege abſente, qui ad primam aciem ſe contulerat. Fugati enim fuerunt vſque ad tormenta ſua maiora: ſed, vna ex cohortibus quæ poſt principia ſubſtiterant, ſubſidio ipſis veniente, prælium tanta cum vehementia redintegrârunt, vt Luſitanis in illa parte fere idem eueniret, quod reliquo ipſorum equitatui acciderat: eratque eo deterior horum conditio, quod ab vna parte à Mauris feriebantur, ab altera impingebant in pedites ſocios, & in eos equites, qui hoſtem ſeſe inſectantem pauidi fugiebant. Itaque breuiſſimo temporis ſpatio ſumma confuſio nata eſt, & equitatus Luſitanicus poſt aciem diſiectam hinc inde ſparſus nulla vel fortis animi, vel diſciplinæ militaris ſpecimina edidit. Etſi enim in eo eſſent multi præcipuæ nobilitatis, & nonnulli viri ſtrenui, tamen plurimi adoleſcentes, quos patres, nunquam ad manus ventum iri opinantes, eo miſerant, reliquos perturbabant; ita vt vnius, eiuſdemque turmæ equites alii ſtrenue pugnare, alii vero, nemine inſequente, in fugam ſe coniicere conſpicerentur. Quanquam autem primarii ex his equitibus, & nonnulli inferioris ordinis, facie in hoſtem conuerſa, factis, dictiſque reliquis animum adderent, fugienteſque ſiſterent: tamen quia pauci erant, & quia metus animos omnium occupauerat, nihil efficiebant. Interim in prima acie, vbi Rex ipſe aderat, cum fortiſſime dimicaretur, ad duo Maurorum millia occubuerunt: ſed tanta erat eorum multitudo, vt Itali, & Hiſpani, qui in eo loco pugnabant à reliquis deſerti, poſtquam etiam ipſis pugionibus cominus rem diu, & ſtrenue geſſiſſent, pene ad vnum omnes interficerentur, non victi illi quidem, ſed cæde hoſtium defatigati. Nocuit ipſis confuſio, cum qua hoſtem adorti fuerant. Nam cum in fronte eius agminis diſpoſitæ eſſent diuerſæ nationes, quæ de gloria inter ſe certabant, & altera alteram in inuadendo hoſte anteuertere ſtuderet: Germani, paulo lentiores, tardius aliquanto manus conſeruerunt: & ita factum eſt, vt vires diſtractæ non poſſent id; quod vnitæ potuiſſent. Veruntamen horum virtus, & primus impetus equitum, inprimis vero Africanorum, quibus Eduardus Meneſius præerat, non mediocrem incuſſit metum Moleio Moluco: qui cum ſuos in fugam verſos vidiſſet, quanquam morti vicinus, equum conſcendit ira inflammatus, vt fugientes ſiſteret, animaretque. Et licet multitudo hoſtium magis magiſque creſceret, ac Luſitani ſclopetarii ex vicino loco globoſum magnam vim eiacularentur; tamen ipſe ſolus in confertiſſimos hoſtes irruere con-

ſtituit, vt ſuos pudore adfectos, & periculo imperatoris commotos, à fuga reuocaret. Ceterum familiariſſimi quique ipſum circumſteterunt, & alii ſubicem ephippiarium, alij veſtem, alij habenas prehendentes retinebant, orabantque ne in tam manifeſtum periculum ſe præcipitaret: cumq; ille in ſententia perſiſteret, & hi etiam eum retinere pergerent, ita excanduit, vt ad viam ſibi aperiendam, manum gladio admoueret. Verum eodem momento vis morbi ita inualuit, vt animi deliquium paſſus fere ex equo delaberetur. Itaque in vlnas à ſuis acceptus, & in lecticam illatus, cum digitum labiis in ſignum ſilentii admouiſſet, ſtatim, aut, vt quidam volunt, etiam antequam in lecticam rediſſet, expirauit: Renegati, quorum opera vtebatur, & qui circa illum erant, ſumma cum diligentia mortem eius celauerunt. Ita enim ille fieri iuſſerat, antequam moreretur: id quod eſt manifeſtum argumentum magnitudinis animi in hoc barbaro, qui conſilia ſua ad horas, & momenta vitæ accommodans, cauit, ne mors ſibi victoriam è manibus extorqueret. Operta itaque lectica, ad oſtium eius puerum ſolertem, & quid ſibi faciendum eſſet, probe edoctum, poſuerunt: qui ſingula, de quibus interrogabatur, ad Molucum ſe referre, & ab eodem reſponſum accipere fingens, reſpondebat, illum iubere exercitum progredi. Neque parum Mauris hoc artificium profuit. Nam, ſi mors regis illico fuiſſet detecta; ſine dubio omnes aufugiſſent. Arabes, qui non dimicandi, ſed victos ſpoliandi animo eo confluxerant, cum nonnullos Maurorum in fugam ſe coniicere, & caſtrorum cuſtodiæ turbam collectitiam, timidam, & de victoria deſperantem præeſſe animaduertiſſent, impedimenta Maurorum inuaſerunt, diripueruntque, in fugam verſis ijs, quorum cuſtodiæ commiſſa erant: qui vna cum lixis, & calonibus, qui in caſtris remanſerant, Feſſam vſque promiſcue fugientes de Mauris victis famam longe lateque ſparſerunt. Adeo periculoſum eſt vti auxilio hominum fluxæ fidei, qui, ſimulatque res minus ex ſententia ſuccedunt, in ipſos ſocios ferrum conuertunt. Sed fortuna, quæ hucuſque ambigua fuerat (quamquam ſemper Mauris magis, quam Luſitanis fauere videretur) profligatis Italis & Hiſpanis, ac Germanis, & voluntariis (quorum tum ſatis magnus numerus adhuc reliquus erat) perturbatis, aperte (vt & ipſa victoria) cœpit inclinare in partem Maurorum, qui iam maiora Luſitanorum tormenta occupauerant. Nam Renegati qui in ſecunda Maurorum acie erant, ordinibus ſuis apertis ſine vlla confuſione Andaluzios, & alios, à primo Luſitanorum agmine in fugam actos, receperant: cumque recentes ipſi voluntarios, & Germanos adorirentur, nullo negotio eos profligarunt. Neque quidquam profuit, quod Renegati quidam in Luſitanorum caſtra transfugientes nuntium de Moluci morte attulerant. Nam etſi aliqui victoriam proclamando, mortemque Moluci publicando militibus animum addere enitebantur: tamen nullo modo à Luſitanis obtineri potuit, vt exterorum virtutem imitarentur; ſed potius exterrefacti, & exanimati pedem referebant. Haſtati mediæ aciei nunquam ſe loco mouerunt: ſed à ſclopetariis (qui contra diſciplinam militarem loco ſuo deſerto, progreſſi erant) nudi, pene immoti conſtiterunt, nec ſociis ſubſidio venire voluerunt, quod ita ſe à rege in mandatis habere adfirmarent. Itaque ab equitibus Mauris ſclopetariis circumuenti, miſerum in modum interimebantur: cumque duces agnito errore, milites in hoſtem ducere vellent, illi iam metu ita obriguerant, vt mouere ſe loco nō poſſent. In poſtrema acie ſclopeti ictu cecidit Franciſcus de Tauora, qui virtute ſua Maurorum impetum aliquandiu ſuſtinuerat: eoque mortuo, milites illius etiam magis, quam ante, conſternati, abiectis armis, vel hoſtium miſericordiam ſupplices implorauerunt, vel in fugam ſe coniecerunt: nec mouit illos præſentia, & conſpectus regis, qui, cum aliquandiu in prima acie curaſſet, ad poſtremam ſe contulerat. Et ſic ſumma cum ordinum perturbatione, non cernentes quo irent, retroceſſerunt, omniaque agmina acie turbata, ita ſeſe in eundem locum vndiq; reſtrinxerunt, vt, equis, militibus, carris, cōmeatu, tentoriis, & reliquis impedimentis promiſcue in vnum veluti aceruum congeſtis, multi in illis anguſtiis à turba oppreſſi, multi à carris & equis ſuffocati, interirent: vtque exercitum illum, qui in circuitu tria milliaria & amplius occupabat, breuiſſimo temporis interuallo, partim propter ſtragem militum imminutum, partim propter metum in ſe ipſum collectum, exiguum admodum terræ ſpatium facile caperet. Dux de Auero, legatus Hiſpanicus, Aldana, & nonnulli alii homines primarii, aſcitis aliquot equitibus, in diuerſis locis, vbi opus eſſe videbant, Mauros adoriebātur: ſed, quia & pauci erant, & ordines diſiecti, in vna parte vincebant, in altera vincebantur. Cum vero paulo poſt quidam illorum cum Rege ad poſtremam aciem, quæ laborabat, ſe contuliſſent, primum agmen ingens multitudo Arabum (quorum mos eſt in victos, & fugientes ſæuire) tanto cum impetu inuaſit, vt Germanos fere internecione vna cum duce deleret. Ibi ſclopeti ictu interemptus fuit Dux de Auero, occubuit etiam Aldana, vulneratus, & captus fuit legat⁹ Hiſpanicus, captus Prior Antonius, & præfectus caſtrorū

His itaq; cæſis, omnes effuſe fugere cœperunt, Mauris interim, qui in medios ordines Luſitanorum penetrauerant, enſibus falcatis obuium quemque in fruſta concidentibus. Eodem tempore caſu fortuito vaſis, in quibus puluerem tormentarium Luſitani aſſeruabant, ignis iniectus fuit, à quo non minus, quam ipſi, damni acceperunt etiam hoſtes, qui iam ad impedimenta pertigerant. Verum enimuero circulus equitum Maurorum non omnino verſus mare diſſolutus fuit, ita vt Luſitanis ad euadendum exitus pateficret: quinimo quotquot Arzilam redire tentarunt, vel occiſi, vel capti fuerunt. Nam ſi qui forte è Maurorum cruentis manibus elaberentur, quod & viarum, & vadorum, quibus flumen tranſitur, ignari eſſent, aut aquis ſuffocati peribant, aut vagabundi deueniebant in loca, in quibus ſeruituti mancipabantur. Submerſi fuerunt plurimi, quos refluxus fluminis deceperat, & qui vadum, vbi prius tranſierant, reperire neſcierant. Quia enim illi fluuioli (& in primis Mucazenus) ad imitationem Oceani, & ad motum lunæ creſcunt, & decreſcunt, mariſque vndam in ſe recipiunt, euenerat, vt, cum Luſitani prima vice illac tranſirent, pene exaruiſſent: cum autem iam reuerterentur, vna cum maris refluxu magna aquarum vis illos repleuerat. Quod cum Luſitanos, vadi etiam ignaros, lateret, conſternati, Mauris vrgentibus tanto cum impetu in flumen ſe præcipites dederunt, vt, pene omnibus ſubmerſis, ne centum quidem ex tanto numero, euaderent. Adeo dextre barbari illi & vincere, & victoria vti nouerant. Rex qui initio, cum Molucus tormenta diſplodi imperaret, rheda vna cum Chriſtoph. de Tauora circumuehebatur, equo conſcenſo, vt dixi, ad primam aciem ſe contulit; cumq; ibi nonnihil poſt principia ſubſiſtens modo hunc, modo illum nobilem cum mandatis de rebus quæ occurrebant huc illuc mitteret, leuiter ſclopeti ictu in brachio dextro prope ſcapulam ſauciatus fuit: ſed, neglecto illo vulnere, nihilominus huc illuc, vbi opus eſſe videbatur, imperatoris munere fungens, diſcurrebat, relicto agmine equitum triangulari, quod regio vexillo erat conſpicuum. Sed quia erat iuuenis, & omnium, qui regibus obtingere poſſunt, theſaurorum maximo deſtituebatur, nimirum viro cordato, qui ab latere ipſius non diſcederet, & cuius conſilium libenter etiam ſequeretur: factum fuit, vt cum ordines perturbari, & ducem de Auero in hoſtem ire vidiſſet, ipſe quoque paucis è nobilitate ſtipatus, cumq; priuatis militibus permiſtus, hoſtem adoriretur: ſuoſq; factis potius, quam verbis (pauciſſimis enim utebatur) ad pugnandum incitaret: Obſtupeſcebant autem illi, qui eius in pugnando audaciam intuebantur. præterquam enim quod tres equi, quos ordine conſcenderat, interfecti fuiſſent ſine vlla ipſius perturbatione, nunquam hoſtem aggrediendo, feriendo, omnibus locis, vbi maximum periculū erat, ſuccurrendo defatigatus fuit. Sed cum vnus tantū vir eſſet, & à paucis adiuuaretur, nec ſolus hoſtiū vim reprimere, nec virtutem ſuam cum ſuis communicare poterat. Complures è nobilitate, qui nondū ex equis deturbati fuerant, cum exercitū fugere cernerent, hinc illinc obequitantes regem quærebant, vt ſaluti ipſius conſulerent. Sed vexillū, ex quo agnoſci ſolebat, interempto ſignifero humi proſtratum fuerat. Itaq; decepti ab alio vexillo, quod regio non abſimile, Eduardo Meneſio præferebatur, hoc ſecuti ſunt, & ita euenit, vt rex in præſentiſſimo vitæ periculo ſolus cum paucis ſpectatæ fidei miniſtris, & cum Renegato quodam, qui vitam ipſius conſeruare ſtudebat, relinqueretur. Hi cum fruſtra fugam tentaſſent, ſuaſerunt regi, vt, armis traditis ſeſe dederet: verum cū ille recuſaret, vnus ex illis ſtrophiolum mucroni gladii impoſitum in altum tollens in ſignum deditionis, ad Mauros, tanquā orator de reliquorum etiam deditione locuturus, acceſſit. Mauri ſiue innata barbarie, ſiue ira ducti, nūtio capto, impetum fecerunt in reliquos, eoſq; quod pauci defeſſi, & conſternati eſſent, omnes interfecerunt. Et ſunt, qui dicant inter eos de rege ipſo cōtrouerſiam natā cumq; ob hāc cauſam occiſum fuiſſe. Cadauer paulo poſt diligentiſſime quæſitū, & nō ſine inſigni rerū humanarū inconſtantiæ exemplo nudū ephippio pertranſuerſum impoſitum in Moluci tentoriū detulerunt. Vbi cū ex equo in terrā delapſum, iuſſu Moluci, nobiles captiui diligenter contemplati, & teſtati eſſent eſſe reuera corpus regis, poſtea Alcaſarquibirii cuſtoditū fuit. Talis infelicis illius principis mors fuit, in qua concurrunt ea omnia, quæ lachrymabilē illam efficere poterant: ætas iuuenilis, expectatio virtutū, inopia heredis, mortis violentia, cadaueris ipſius captiuitas. Erat à natura ornatus eximiis dotibus quę tamen inutiles ipſi fuerunt, ideo quod propter immaturā ætatem prudentia, actionum humanarum moderatrice, deſtitueretur. Omnia enim illa conſilia, quæ ipſum tandem in exitium præcipitarunt, à magnanimitate, à liberalitate, à ſtudio religionis, à deſiderio laudis bellicæ, à corporis robore, ab animi denique fortitudine proficiſcebantur. Sane non male in hunc infortunatum iuuenem quadrare videtur id, quod olim dictum fuit de Alexandro Magno: nimirum eum à natura virtutes habuiſſe, vitia à fortuna. Reuera enim Sebaſtianus à natura

multis virtutibus inſtructus erat, ſed ex educatione praua nonnullos nęuos contraxit. Euaſerat ex hoſtium manibus Muleius Mahametus: ſed cum Arzilam cogitans Mucazenum vado nimia cum feſtinatione tranſire conaretur, ſubmerſus fuit. Ab illis quos otium curioſos facit, obſeruata fuerunt diuerſa illa genera mortis, quibus hi principes periêrunt. In eodem enim prælio, idque intra ſex horarum ſpatium, vni morbus, alteri ferrum, tertio aqua vitam eripuit. Hametus cum victoriam ſuos obtinuiſſe videret, properauit ad fratrem, vt illi, quem adhuc viuere exiſtimabat, gratularetur: ſed ſimulatque ad lecticam peruenit: certior de fratris morte factus, &, quamuis Molucus filium reliquiſſet, ab exercitu ſub ſignis decurrente, & nomen ipſius pro more magna voce proclamante, Rex ſalutatus fuit. Auus enim teſtamento cauerat, quemadmodum dixi, vt nepotum natu maximus ſuccederet: & ideo etiam iam ante Hameto, tanquam proximo Regni hæredi, à ſubditis iuramentum præſtitum fuerat. Mauri prædæ, & vinciendis captiuis operá dantes opima ſpolia reportârunt, tum propter multas res pretioſiſſimas, quas, vt dixi, Luſitani ſecum aduexerant, tum inprimis propter captiuorum & numerum & nobilitatem: præterquam etiam quod Mauri captiuos Luſitanos longe pluris, quam cæteros, æſtimant. Cum enim ſint delicatuli, & ad incommoda perferenda minime omnium aſſuefacti, ingentia lytra perſoluunt: vt etiam fecerunt iſti nobiles, qui, captiuitatis mire impatientes, ad 6. ducatorum millia, & amplius in ſingula capita promiſerunt. Fuit hoc prælium memorabile propter mortem trium regum, Sebaſtiani, Moleii Moluci, & Moleii Mahameti: propter totius nobilitatis Luſitaniæ, & tot militum captiuitatem: (quæ quidem res antea aut raro, aut nunquam, aut ſaltem non ita repente acciderat) denique propter mutationes, quas mors regis Sebaſtiani in bona orbis parte generauit. Numerus occiſorum minor fuit, quam captiuorum: de quo quia non facile certi aliquid haberi poteſt, Luſitani in diuerſas opiniones abierunt. Quidam enim incredibilem hoſtium numerum cecidiſſe aiunt: & licet nonnulli ſint moderatiores: tamen & hi nimis iſta exaggerant. Verius eſt Maurorum ad tria millia, Chriſtianorum vltra ſex millia occubuiſſe: ex quorum numero ſunt (præter ductores exteros, & ducem de Auero) Alfonſus Portugallus, Comes de Vimioſo, Ludoicus Coutignus Comes de Redondo: Vaſquius Gama Comes de Vidiguera, Alfonſus Norogna Comes de Mira, Ioannes Lupus Baro de Aluito, Aluarus Melius, filius Marchionis de Ferrera, Rodricus Melius primogenitus Comitis de Tentuguel, Iacobus frater ducis Braganciæ, Ioannes Silueira primogenitus Comitis de Sorteglia, Chriſtophorus de Tauora, & multi alii homines primarii, ita vt nōnullæ familiæ nobiliſſimæ plane delerentur. Occubuit etiam Arrius Syluius, Epiſcopus Portenſis, & Emanuel Meneſius, Epiſcopus Coimbrienſis: Dux vero Barcellenſis, & Antonius Prior Cratenſis, capti fuerunt. Nouus rex, collecto exercitu, &, quāto maximo poterat, captiuorum numero conſtituit redire Feſſam, quam cum maximo triumpho ingreſſus eſt. Præterquam enim quod vexilla hoſtibus erepta, & magnam multitudinem captiuorum oſtentaret, pellem cadaueri Moleii Mahameti detractā, & ſtramine impletam in pompa præferri curabat, vt Mauri, ſi quam de eo ſpem concepiſſent, penitus abiicerent. Deinde ad cognoſcendos captiuos nobiliores conuerſus, multos à Mauris, & Iudæis qui illos emerant, vili pretio redemtos, magnam pecuniç ſummam poſtea ſoluere coegit: vnde nonnullis auarus potius, quam vera animi fortitudine præditus eſſe videbatur. Putabant eſſe magnę imprudentiæ, obtentâ tanta, & tam integra victoria, omnibuſque hoſtium reliquiis deletis, ſtatim ſeſe otio, & quieti dedere. Dicebant propugnacula, quæ Luſitani in Africa habent, non niſi 25. miliaribus, inde diſtare, & vt tota prouincia ab illo veluti freno liberaretur, ad ea expugnanda ſtatim eſſe proficiſcendū. Rei enim militaris peritiſſimi quiq; in ea erant opinione, ſi rex eo exercitum duceret, fore, vt breuiſſimo temporis ſpatio arces in eius poteſtatem venirent, partim quod non eſſent inſtructæ præſidio, & cōmeatu, partim quod Luſitani, qui in illis remanſerant, regis ſui morte ita eſſent conſternati, vt non diu reſiſtere poſſe viderētur, præſertim quia ſpes exigua erat fore, vt ex Luſitania ipſis ſubſidia mitterentur, propterea quod Rex Sebaſtianus ſecum abduxerat omnem nobilitatem, quæ arces illas propugnare conſueuerat. Cum itaq; Hametus tam ſubito receptui canere iuſſiſſet, multi in ipſum cōtulerunt, quod olim de Annibale, eiuſdē nationis homine, fuit vſurpatum: Africanos etiamſi interdum ſciant vincere, neſcire tamen vti victoria. Enimuero, ſi quis paulò attentius rem cōſiderauerit, deprehendet, Mauri conſilium longè maiori cum prudentia coniunctum fuiſſe, quam vulgo exiſtimant. Cum enim rebus ſecundis non nimium fideret, & regnum Feſſanum propter falſum de exercitu Africano profligato nuntium (quem Arabes, & reliqui à primo Luſitanorum agmine in fugam acti diſſeminauerant) nonnihil commotū intelligeret, memor ſe eſſe regem nouū, maluit exer-

citū

citu, quem habebat, ad motus domi ſuæ natos ſedandos, & ad regni poſſeſſionem capiendam vti, quam noua expeditione ſuſcepta, incerta perſequendo certa in diſcrimen adducere: præterquam quod ipſi ſedulo de arcium maritimarum expugnatione cogitanti res non expedita fore, ſed ingentes difficultates habitura videretur. Nam neque præſidiis omnino nudatæ erant, neque Luſitania ita exhauſta fuerat, quin in tempore ſubſidia poſſet ſubminiſtrare: regem vero, Philipp. cuius intererat, totis viribus eas defenſurum, iudicabat; id quod facile ipſi fore videbatur propter claſſem, quam paratam in Hiſpania habebat, præſagiens fortaſſe ea, quæ euenerant. Quia vero metuebat ne Andaluzij cum Turcis in necem ſuam conſpirarent, Doalem, & nonnullos alios ductores, & complices eorum capite truncari iuſſit. Hæ actiones Hameto conciliârunt opinionem prudentiæ, & ſagacitatis, quam ille conſilio maturo res omnes adminiſtrando, indies magis magiſque confirmat. Porro Iacobus de Soſa, claſſis præfectus, qui cum ea vt dixi prope Laraccen ſubſtiterat, ex fragore tormentorum craſſiorum, & ſtrepitu ab vtroque exercitu excitato certo quidem colligebat manus conſeri, ſed nihilominus quod ſibi potiſſimum conſilium capiendum eſſet, ambigebat. Etſi enim rex illum iuſſiſſet eo in loco expectare: tamen verebatur, ne, poſtquam in hoſtium conſpectum veniſſet, conſilium mutaret, aut ne propter prælium ab itinere declinare cogeretur, & ne fruſtra eum hac de cauſa expectaret: atque ita incertus, vtrũ præſtaret redire Arzilã, an vero ibidem cõmorari, animi pendebat. Dubitabat etiã, vtrum Laracce oppugnãda eſſet. Inclinabat ad oppugnationẽ, propterea ꝙ exiſtimaret ſe & tormentorum fragore Regi ſignificare poſſe claſſem eſſe in eo loco, & Mauris dimicantibus metum etiam hoc pacto incuſſum iri: verum, nullum horum conſiliorum amplexus eſt, quod nec mandati terminos excedere, nec reliquorũ ducum ſententiæ refragari, tutum iudicaret. Poſt fuſum vero exercitum, accepit litteras à Petro Meſquita, præfecto Arzilę quibus narratio de ſucceſſu prælii continebatur, ita tamen, vt veris falſa nonnulla miſcerentur. Hortabatur autem eum Meſquita, vt cum claſſe reuerteretur Arzilam, ideo quod Rex nauim conſcenſurus, eodẽ contẽderet. Quanquam autem illis litteris nõ admodũ moueretur, exiſtimans Meſquitam claſſem vocare potiſſimum, vt ſuæ ipſius ſaluti conſuleret: tamen, quamprimum de regis morte certi aliquid accepit, ſecundum littus Tingim vſque nauigauit, vt exercitus reliquias, ſi quæ ſupereſſent, colligeret: & deinde Liſybonam reuerſus eſt. Et hæc in Africa acciderunt. Nuntius de regis morte (quanquam non omnino certus) ad regni Gubernatores decimo quarto die Auguſti perlatus, ita eorum animos perculit, vt aliquandiu conſilii inopes, & attoniti hærerent. Veruntamen rem totam ſtudioſe celantes ſtatuerunt vocare Henricum Cardinalem, ad quem recta regni ſucceſſionem deuolutam eſſe dicebant: quiq; nuper, quod nepotes animum paulo à ſe alieniorem eſſe animaduerteret, in monaſterium Alcobaſſę ſeſe abdiderat. Miſerunt eo, (vt res tanto magis ſuſpicione careret) patrem Georgium Serranum Ieſuitam, qui, pugnæ ſucceſſu expoſito, Henricum rogaret, vt Liſybonam ad ſceptrum capiendum veniret: quanquam ſunt, qui dicant Petrum Alcaſouam Regem Hiſpaniæ clam de re tota certiorem feciſſe, vt illius, quem regno Portugalliæ potiturum animo cernebat, beneuolentiam ſibi conciliaret: niſi fortaſſis hæc ab æmulis Alcaſouæ, ad ſuſpicionem, qua ille apud Henricum Cardinalem laborabat, augendam, excogitata fuerunt. Regni incolę maxima ex parte nihil certi de morte regis ſciebant. Gubernatores enim omnes viatores detineri, omneſq; litteras, quę è locis peregrinis afferebantur, intercipi curabant, populumq;, ne forte de regis morte certior factus, tumultuaretur, variis fabulis demulcebant. Ciues vrbis Liſybonæ, vt & reliquarum omnium, diuerſitate rumuſculorum hinc inde agitati, muſſitabant. Conſtabat enim veniſſe veredarium, & nuntium talem attuliſſe, qui Gubernatores vehementer perturbaſſet, quamuis quid rei eſſet, nondum poſſet reſciri: videbant ſingulis diebus ſenatum cogi, litterarum curſum impediri: intelligebant ſcriptum fuiſſe in Hiſpaniam, & ad Cardinalem: norant exercitus Maurorum, & Luſitanorum ſibi inuicem eſſe vicinos: hæc omnia toti regno ingentis alicuius calamitatis metum incutiebant. Non erat fere quiſquam Liſybonæ, quin eſſet de exitu huius belli ſolicitus: alii filium, alii patrem, alii fratrem, multæ fœminæ maritos deſiderabant: mercatores vero & opifices, ſi forte ex eorum conſanguineis nemo expeditioni interfuerat (quanquam plurimi etiam ex hoc hominum genere intereſſent) tamẽ pecuniam vel fœnoris cauſa, vel, quod à nobilibus & militibus ante diſceſſum ſolutionem obtinere non potuerant, mutuo conceſſam in eam contulerant. Qua cauſa omnia luctu & mœſtitia plena erant: omnibus iacturam amicorum, & bonorum, quæ in Africa habebant, animus præſagiebat: & licet animi eſſent adhuc ſuſpenſi, & dubii: tamen iam occulti gemitus, & queſtus animaduertebantur. Rex Hiſpaniæ, cum interea quid in Africa contigiſſet, & quid in Lu-

ſitania ageretur, intellexiſſet, ſtatim eo ablegauit Chriſtophorum Morum Luſitanum; vnum ex nobilibus, dapiferis, quique cum matre regis Sebaſtiani in Hiſpaniam venerat. Huic duo in mandatis data fuerunt: Prius, vt inuiſeret Cardinalem Henricum, eique indicaret fore, vt Rex paulo poſt mitteret legatum, qui illo munere plenius defungeretur. Poſterius, vt animos Luſitanorum tentaret: quam ad rem, vtpote ex ea prouincia oriundus, & de totius regni conditione, ac ſtatu ſatis ſuperque edoctus, longe omnium aptiſſimus eſſe iudicabatur. Non fuit ipſi tributum nomen legati, propterea quod eo munere fungebatur Ioannes Syluius, qui erat in Africa: de cuius morte aut vita cum nondum quidquam certi allatum fuiſſet, Regi nominatio noui legati aliquandiu adhuc differenda eſſe videbatur. Moleius Hametus ante, quam Marrocum proficiſceretur, Regis Hiſpaniæ beneuolentiam ſibi conciliaturus, eaſdem pacis conditiones, quæ inter Philippum & Molucum interceſſerant, illi per legatos obtulit, ſimulque dono miſit cadauer Regis Sebaſtiani, & Legatum Hiſpanicum, quem viuum ceperat. Hæc legatio, cum in aulam Hiſpanicam perueniſſet, accepta regi fuit: & legati quidem ſui liberationem ſibi gratam eſſe dixit: cadauer autem Sebaſtiani accipere noluit, ſed per Andream Corſum nomine ipſius Xariffi præfecto Septæ, teſtibus & ſcriba publico adhibitis tradi iuſſit: nec ita multo poſt: vt Mauri liberalitati erga ſe aliquo modo reſponderet, miſit in Africam Petrum Venegaſium Cordubenſem cum munere aliquot lapidum pretioſorum, qui centies mille ducatis æſtimabantur: eique negotium dedit agendi tum de pace ſtabilienda, tum de liberatione Ducis Barcellenſis: quem etiam Hametus, nullo lytro exacto, paulo poſt ad limites Hiſpaniæ deducendum curauit. Interim Cardinalis venit Liſybonam, & vna cum eius aduentu ſparſi fuerunt triſtes nuntii: ſimulque dolor, quem corde homines preſſerant, quemque rumorum incertitudo augebat, tandē in copioſiſſimas lacrymas, & eiulatus erupit. Non poſſum verbis exprimere, q̄ omnia fuerint mœſta, q̄ lugubria, q̄ funeſta: nemo ſine cōmiſeratione audire poterat feminas, quarū nobiliores in ædibus ſuis, reliquæ vero in plateis fletu, & queſtibus ad cœlum ipſum pertingentib. ſeſe macerabant, eoſdemq; ingeminabant, quoties nouis nuntiis priores confirmabantur. Et vt animi adflicti facile ad ſuperſtitionem impelluntur, ita etiam ipſæ (vt & multi viri) nuntiis non fidebant, ſed ſpem bonam concipiebant, vbi nihil erat ſpei, & confidebant, vbi nullus erat fiduciæ locus. Et quamuis vera ipſis de morte maritorum, vel propinquorum referrentur, tamen ſibi perſuadebant, eos eſſe adhuc in viuis, deceptæque a ſagis, & fatidicis, & inprimis vehementi deſiderio excæcatæ, diu à veſtibus lugubribus abſtinuerunt, fruſtra expectantes nuntium ab illis, qui vitam cum morte commutauerant. Ex viris multi lamentabantur, quidam Regem, & eos qui ipſum in Africam traiicere permiſerant, execrabantur; alij culpam in regem ipſum conferebant, alii in conſiliarios, & familiares eius, alii in Cardinalē, alii in Camerales Liſybonæ, ideo quod tam ſtolidis conatibus non obſtitiſſent: quidam regni Luſitaniæ periodum circumactam eſſe agnoſcentes, vna cum priuatis malis patriæ etiam calamitatem deplorabant. Gubernatores adminiſtrationem regni detulerunt Cardinali, qui à nobilitate & magiſtratibus gubernator, & Sebaſtiani ſucceſſor, iuramento præſtito, electus fuit, idque populi in officio continendi gratia, interim dum certiora ex Africa adferrentur, vt paulo poſt etiam euenit. Nam priores nuntii ex omnibus partibus confirmati fuerunt, & ea de cauſa ventum fuit ad ritus, quos illa gens in rege lugendo, & ſcutis eius frangendis adhibere conſueuit: idque in hunc modum. Ex curia Cameralium Liſybonæ ciuis quidam panno nigro indutus, & equo, eiuſdem coloris panno tecto, inſidens egrediebatur, manu geſtans vexillum magnum, & nigrum, ac in humerum ita reclinatum, vt pars eius ſolum attingeret. Hunc ſequebantur tres ſenes, pedites, pulla veſte amicti, ſingulique manu eleuata ferebant ſcutum, nullo alio niſi atro colore inſigne. Hos iterum aliquot ciues, ex numero eorundem magiſtratuum, & nonnulli inferioris ordinis cum ingenti turba ſequebantur. Vbi autem per primarias vrbis Liſybonæ plateas tranſierunt, perueneruntque ad gradus templi cathedralis, quod eſt vicinum illi loco, vnde exierant: illi, qui ſcuta geſtant aliquot gradus conſcendunt, & vnus ex ipſis, ſcuto ſublato, alta voce clamat: Ciues Liſybonenſes deflete regem veſtrum SEBASTIANVM, qui mortuus eſt: his dictis, & turba clamoribus lachrymas miſcente, ſcutum, quod fragile eſt, gradibus, quibus inſiſtit, illiſum, confringit. Deinde progrediuntur, & vbi ad plateam nouam, quam vocant, peruentum eſt, conſcenſis gradibus parui templi, quod ſacræ virgini de Oliueta dicatum eſt, alter ex numero ſcuta geſtantium eadem, quæ prior, verba pronuntiat, ſcutumque ad eundem modū frangit. Idem faciunt in gradibus Noſocomii: ac ſic omnibus tribus ſcutis ita, vt dictū eſt, fractis, redeunt, vnde egreſſi fuerant. Dum hæc geruntur, Liſybonam

venit

venit Chriſtophorus Morus, cui in conſpectum Cardinalis venire, & ea, quæ in mandatis habebat, exponere non licuit. Henricus enim (quæcunque tandem cauſa fuerit) in colloquium hominem admittere noluit, antequam rex iuramento à ſubditis præſtito, ſalutatus fuiſſet. Properatum itaque fuit ad ritum inaugurationis: eaque finita, Rex benigne audiuit Morum, qui in Luſitania ſubſtitit, defuncturus eo munere, quod Rex Philippus ipſi commiſerat. Inauguratio autem ad hunc modum facta fuit: 18. die Auguſti templum Hoſpitalis omnium ſanctorum auleis ſericis exornarunt, & pegmate quodam extructo, in eo ſellam tela aurea ſuffultam, collocarunt. Eo aſcendit Rex tempore antemeridiano, habitu Cardinalis indutus: egredientem è palatio octo tympana ænea, & nouem præcones equites & chlamydibus, quibus inſignia regia inſerta erant, amicti præcedebant. Sequebantur pedites fere omnes miniſtri aulici, Camerales, & alii magiſtratus: hos itidem ſequebatur Dux Braganciæ, equo inſidens, capite aperto, & manu enſem vagina deaurata inſignem, tanquam Coneſtabilis, geſtans. Paulo poſt ſequebatur Cardinalis, inſidens mulæ, cuius habenam tenebat Aluarus Syluius, Comes de Portalegre, magnus aulæ magiſter: in extremo agmine ſequebantur multi proceres, & nobiles equites, & ingens caterua pedes. Cardinalis ingenti multitudine ſtipatus, ad gradus Hoſpitalis deſcendit, & ingreſſus in templum cum ſacris, & precibus operam aliquandiu dediſſet, conſcenſo pegmate ſedem ſibi præparatam occupauit, ſtatimque Franciſcus Sada, vnus ex gubernatoribus ſceptrum ipſi tradidit: Michael vero Morus Secretarius, in loco nonnihil à ſede reg a remoto, clara voce ex ſcripto legens, dicebat regem Henricum, mortuo rege Sebaſtiano, in regno ſuccedere, & eam ob cauſam ſceptrum ipſi tradi, eumque paratum eſſe præſtare ſolitum iuramentum, de conſeruandis priuilegiis, immunitatibus, & conuentionibus, quæ vel toti populo, vel ſingulis à maioribus conceſſæ, aut cum ijs interpoſitæ fuiſſent. His dictis, in genua ante regem cum libro aperto procubuit, cumque rex manu libro impoſita ſe ſuperiora omnia ſanctè obſeruaturum eſſe iuraſſet tympana magnum ſtrepitum edere cœperunt, tota multitudine clamante: Viuat, viuat, Henricus Rex Portugalliæ: Quibus verbis auditis, Rex ab iiſdem, quibus ante, comitatus, ſceptrumque manu tenens ad Palatium, tympanis ſonantibus, & præconibus nonnunquam ſuperiora verba repetentibus reuerſus eſt.

Liber Tertius.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur genealogia regum Luſitaniæ, & competitorum ſucceſſionis regni: deliberationes regis Henrici, & poſtulata ſubditorum: profectio Ducis Oſſunæ, & reliquorum legatorum regis Hiſpaniæ in Luſitaniam: detentio in cuſtodia ducis Albani: litteræ regis Catholici ad vrbem Liſybonam: comitia Portugalliæ: rationes, & argumenta competitorum in controuerſia ſucceſſionis: ſententia regis Henrici, contra Antonium, Priorem Cratenſem ſuper ipſius legitimitate, vigore Breuis Pontificii pronunciata: argumenta regis Philippi, quibus ſibi ſucceſſionem regni contra omnes competitores vindicat: apparatus bellici eiuſdem contra Luſitanos: ſuſpenſio Breuis: ſecunda ſententia Henrici contra Antonium: mutatio animi Henrici in negotio ſucceſſionis: & pollicitationes à Papa regi Hiſpaniæ factæ.

OMNIVM hominum mentes in præcipuis mundi partibus ad Luſitaniam erant conuerſæ. Prætérquam enim quod huc vſque res Sebaſtiani dignæ conſideratione fuerant, cum intellectum eſſet Henricum ſenem, & orbum regni adminiſtrationem capeſſere, omnes principes ſoliciti eſſe cœperunt, & vereri, ne huius regni ſucceſſio publicam tranquillitatem aliquando perturbaret. Nam complures erant ij, qui ad ſe ſpectare hæreditatem huius Coronæ dicebant, prætextus varii, & in ſpeciem probabiles, ac non male, vt videbatur, fundati. Et licet omnium vires per ſe non eſſent pares, tamen occurrebant nonnullæ circumſtantiæ, quæ eas quodammodo ad æqualitatem redigebant. Verum vt melius intelligatur, quibus fundamentis ſinguli competitores niterentur, paulo altius repetam originem horum regum: quorum licet ſeptendecim regnauerint vſq; ad Henricum, tamen ſufficere videtur, ſi ab Ema-

Digitized by Google

nuele incipiam, qui fuit decimus quartus, & regnare cœpit anno ſalutis 1495. præſertim quia ab ipſo deſcenderunt omnes illi principes, qui poſtea de ſucceſſione diſceptarunt. Habuit Emanuel tres vxores. Ex prima, (quæ erat Iſabella, filia Ferdinandi regis, & Iſabellæ reginæ Caſtellæ, vidua Alfonſi, filii Ioannis ſecundi regis Luſitaniæ) non ſuſcepit alios liberos (mortua enim eſt ex partu) quam Michaelem, qui niſi mortuus eſſet puer, verum, vt dixi, vinculum fuiſſet, & quaſi lapis angularis, quo omnia Hiſpaniæ regna arctiſſime coniungi potuiſſent. Ceterum mors illius Luſitanis regna Caſtellæ, & Arragoniæ eripuit, quorum populi, linea maſculina regum Caſtellæ extincta, Emanueli, & Iſabellæ, tanquam futuris hæredibus, iuramentum iam præſtiterant. Secunda coniunx Maria, primæ ſoror, & tertia Ferdinandi filia, complures ipſi liberos, videlicet ſex mares, & duas feminas, peperit. Iſabella nupſit Carolo Quinto Imperatori: Beatrix Carolo III. Duci Sabaudiæ: Ioannes ſucceſſit patri in regno: Ludoicus mortuus eſt cœlebs, relicto Antonio notho, qui, vt poſtea intelligetur, ad regnum aſpirans patriam magnis incommodis affecit. Ferdinandus mortuus eſt ſine liberis, vt & Alfonſus, qui fuit Cardinalis tituli Sancti Blaſii, & Henricus, ipſe, quoque Cardinalis tituli Sanctorum quatuor coronatorum. Hic omnibus ſuperſtes fuit, & eſt rex ille, de quo in hac hiſtoria agimus. Eduardus ducta in vxorem Iſabella, filia Iacobi Ducis Bragantiæ, ex illa ſuſcepit Mariam, quæ poſtea nupſit Alexandro principi Parmenſi, & Catharinam, vxorem Ioannis Ducis Braganciæ. Suſcepit ex eadem etiam filium, qui cum poſt mortem patris (vixerat ille tantum quatuor annos in matrimonio) natus eſſet, vocatus fuit & ipſe Eduardus, & Sebaſtiano regi non nimis gratus, Eboræ anno 1576. obiit. Ex tertia coniuge Leonora, filia Philippi primi regis Caſtellæ, & Archiducis Auſtriæ (quæ poſtea Franciſco I. Regi Galliç nupſit) genuit Carolum, qui mortuus eſt puer, & Mariam, quæ annos 56. & amplius nata, Liſybonæ anno 1578. cœlebs mortua eſt. Sed reuertamur ad Io. III. natum ex ſecunda coniuge, qui Emanueli in regno ſucceſſit. Hic contraxit nuptias cum Catharina, ſorore Caroli V. Imperator. ex qua nata eſt Maria, prima vxor Philippi II. Regis Hiſpaniæ, qui iã regnat: quæ Maria peperit Philippo Carolum, qui mortuus eſt adoleſcens, & ſi vixiſſet, ſine controuerſia in ſucceſſione regni Cardinale Henrico prior fuiſſet. Ioannes ex coniuge Catharina ſuſcepit etiam complures liberos maſculos, qui omnes pueri mortui ſunt, excepto Ioanne, qui nimio amoris erga vxorem Ioannam, ſororem Philippi regis Hiſpaniæ, ardore adoleſcens mortuus eſt, relicta coniuge grauida, quç poſtea Sebaſtianum peperit, ſuperſtite adhuc auo, qui paulo poſt obiit. Et hic eſt ille Sebaſtianus, qui in Africa occubuit. Itaq; (vt redeamus ad fundamenta competitorum) primus regni ſucceſſionem ſibi vendicabat Rex Hiſpaniæ, tanquam natus ex Iſabella filia primogenita Emanuelis. Et quanquam ille Luſitanis, hçreditario odio Caſtellanos proſequentibus, exoſus eſſet, tamen propter potentiam, & quia non tantum ipſius regna totam Luſitaniam vndiquaque circumdabant, verum etiã Luſitani rei bellicæ omnino imperiti erant, breui in eius poteſtatem vel ſponte, vel vi conceſſuri eſſe videbantur. Petebat ſucceſſionem regni Ioannes Dux Braganciæ, nomine Catharinç vxoris ſuæ, quam rege Philippo propiorem eſſe dicebat. Etſi enim eſſet femina, tamen filiam eſſe Eduardi, fratris dictæ Iſabellæ. Quia autẽ Dux omnes proceres Portugalliæ potentia, & ſubditi ipſius reliquos populos armorum tractandorum peritia ſuperabant, fiebat, vt fretus beneuolentia Henrici, qui ipſi impenſe tum fauebat, & rerum imperitus, ſe pene iam in poſſeſſione regni eſſe ſibi perſuaderet. Alexander princeps Parmẽſis, filius Octauii Farneſii, inſtabat nomine Reinutii primogeniti ſui, nati ex Maria, filia natu maxima Eduardi, ſorore Catharinç. Quanquã autem ditiones Parmẽſis à Portugallia remotæ eſſent, tamẽ prçterquã quod Pontifex eũ adiuturus eſſe putabatur, Luſitani etiã non alieni fore videbãtur à rege adoleſcente, quẽ ſuo more, & arbitratu educarẽt. Verum maiori cũ vehemẽtia, quam reliqui omnes, ius ſceptri ſibi arrogabat Antonius Prior Cratenſis, filius Ludouici fratris ipſius Regis Henrici, ſeq; non nothum, vt vulgo credebãtur, ſed ex legitimo matrimonio natum eſſe dictitabat. Et licet ille nullã omnino ditionem, & ſubditos nullos haberet, & regi eſſet exoſus, quia tamen populus ſingulari ipſum amore complectebatur, credibile erat fore, vt quantumuis reliquis competitoribus reluctantibus poſt mortem Henrici rex coronaretur. Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, licet eſſet filius Beatricis, natu minoris ſorore ſua Iſabella, matre regis Hiſpaniæ, à quo & ipſe ætate ſuperabatur: tamen nihilominus regnum ambiebat ipſe quoq; ſed modeſtiſſime. Sane quia Luſitani inter omnes competitores exteros ipſi maxime fauebant, nõ deerant, qui tam egregiã occaſionem minime negligendam iudicarent. Fauor iſte inde promanabat, quod omnium commodiſſime Luſitanos cõtra hoſtes protegere, & regi Philippo, ſi quid tentaret, ſtrenue reſiſtere poſſe videretur, idque partim propter rei bellicæ ſcientiã, qua excellebat,

lebat,

lebat, partim propter ſitum regionis Pedemontanæ, ex qua in vicinum Ducatum Mediolanenſem impreſſionem facere non difficile illi futurum eſſet, præſertim ſi ea in re Galliæ regis vicini, & ſanguine ſibi iuncti auxilio vteretur. Putabatur etiam eſſe alicuius momenti id, quod ſibi arrogabant regni incolæ, qui extincta linea regum maſculina, ius electionis ad ſe deuolutum eſſe autumabant. Rationem adducebant. quia nunquam feminæ ad regni ſucceſſionem fuiſſent admiſſæ: imo dicebant olim in interregno, femina excluſa, à populo Ioannem primum, & regem ordine decimum, electum fuiſſe. Quæ quidem res non tantum omnibus competitoribus exteris impedimento futura, ſed etiam inteſtina diſſidia paritura eſſe videbatur. Catharina Medicea, vidua Henrici II. Regis Galliæ, & ipſa ad ſucceſſionem aſpirans, omnibus reliquis ſe merito præferendam eſſe contendebat, nitebaturque fundamentis è longinquo petitis illis quidem. Sed quæ fortiſſimis argumentis ab oratoribus ipſius ſtabilirentur. Dicebant, regnante in Luſitania Sancio primo, qui ab habitu pileus vocatus fuit, fratrem Sāci[illegible]m vx[illegible]em duxiſſe Matildem, tum temporis Comitiſſam Bononiæ in Picardia: & deinde propter ignauiam regis Sancii ſubditos cum conſenſu Honorii tertii ſummi Pontificis Alfonſum ad regnum tutorio nomine adminiſtrandum vocaſſe: ex quo adparet priſca religio huius nationis, quę etiam in temporalibus ad Papam recurrebat) eumque, qui regnum ſub hoc titulo, fortaſſe non ſatis iuſto, occuparat, paulo poſt Sancio ſine ſobole mortuo legitimum coronę hæredem extitiſſe, poſtquam iam liberos aliquot ſuſcepiſſet ex vxore Galla, eamque vbi maritum regem factum, & Bononiam non rediturum eum eſſe reſciuiſſet, cum aliquot nauib. in Luſitaniā ad eum nauigaſſe: verum ab Alfonſo, iam rege, qui ad ſecundas nuptias cū notha regis Caſtellæ, ſpe regnum Algarbii loco dotis acquirendi, aſpirabat, (quæ res poſtea ad effectum perducta fuit, ſed ſine Pontificis conſenſu) in conſpectum admiſſam non fuiſſe. Cum itaque ſequentes reges Luſitaniæ ab iſto Alfonſo, & vxore Caſtellanā originem duxiſſent, adfirmabant Oratores reginę Galliæ omnes illos reges, qui Alfonſo & poſteris ipſius ſucceſſiſſent, veros hæredes non fuiſſe, propterea quod eſſent ſpurii, & per conſequens regni ſucceſſionem deuolutam eſſe ad hæredes legitimorum liberorum Alfonſi, & Comitiſſæ Bononienſis, atque adeo ad Catharinam Mediceam, matrem Regis Galliæ Henrici III. natam ex Laurentio Mediceo, & Magdalena Comitiſſa Bononienſi, eamque ſolam per rectam lineam ex illa proſapia deſcendentem hæredem eſſe illius Comitatus: quem quidem iam non poſſideret, propterea quod illum, vtpote Belgico, & Angliæ vicinum, reges Galliæ cum patrimonio ſuo coniungendum iudicaſſent, ita tamen vt permutatione facta, cederent viciſſim comitatu Lorangueillienſi, cuius etiam tranquilla poſſeſſione ipſa frueretur. Non deerant etiam qui quanquam debilib. fundamentis nixi, dicerent Pontifici iuris aliquid in Portugalliam competere, &, præterquam, quod regnum hoc eſſet ſpolium Cardinalatus, etiam Alfonſum, cum à ſede Romana titulum regium impetraret ſeſe ratione feudi ad certam pecuniæ ſummā ſoluendā obſtrinxiſſe: id quod tamen non magni vulgo pendebatur.

Hæ controuerſiæ, vt dixi, principes vicinos ſolicitos reddebant, & in animis ſubditorum bellorum imminentium metum concitabant, præſertim quia intelligebatur, reginæ Angliæ, quæ Regi Hiſpaniæ propter motus Hiberniæ ſuccēſebat regi Galliæ, & Turcarum Imperatori nequaquam gratum fore, ſi Philippus vires ſuas tanti regni acceſſione augeret. Rurſus Philippus etiam non paſſurus videbatur, vt quiſquam alius Luſitaniam ſuis regnis contiguam occuparet. Denique ad minimum bellum ciuile inter ducem Braganciæ, & Priorem oriturum eſſe putabatur. Porro Cardinalis Henricus (vt ad eum reuertamur) in ſolio regio collocatus (quanquam & 67 annos natus & valetudinarius eſſet) otioſus domi deſidebat, nec quia fatalis imminebat Luſitanię declinatio in adminiſtrando regno ſubditorum opinioni, de prudentia & induſtria ſua conceptæ vlla ex parte reſpondebat. Quinimo cum regnum hoc propter calamitates nuper acceptas ſimile eſſet corpori exhauſto, & languido quod indiget medico prudenti à quo pharmacis corroborantibus reficiatur, nouus Rex (vt plerumque vnum infortunium plura comitari ſolent) illi iam ante ſatis adflicto nouas adflictiones addidit. Etſi enim multi illum, vtpote ſenem Sacerdotem, & ſpectatæ innocentiæ ſperarent repreſſis adfectibus res Regni in meliorem ſtatum reſtituturum: tamen nec ſibi imperare nec adhibere eam prudentiam potuit, quæ & ætati & dignitati ipſius conuenire videretur. Et vt illi, qui aliquandiu preſſi fuerunt: imperium nacti acerbe aduerſarios ſuos vlciſci ſolent: ita etiam Henrico vſuuenit. Nam (contra quem fecit Ludouicus 12. Rex Galliæ, qui non decere putabat vindicare iniurias quib. adfectus fuerat cum adhuc dux Aurelianenſis eſſet) cōſtituit vindictam exigere ab illis, à quib. cum Cardinalis eſſet, ſibi iniuriam illatam iudicabat: ſi iniuriam principi facere dici poteſt inferior, qui non ſtatim ſummam ei reuerentiam exhibet, id quod Henrico acci-

derat. Cum enim non nimis charus eſſet regi Sebaſtiano, fiebat, vt minus fortaſſe, quam par erat, eum pronepotis ſui miniſtri reuererentur, propterea quod nulli eorum in mentem vnquam venerat fieri poſſe, vt ille, qui ſenio erat cōfectus, Sebaſtiano iuueni in regno ſuccederet. Qua de cauſa pene omnia maiora munera aulæ, & nonnulla officia, quæ circa patrimonij adminiſtrationem verſantur, veterib. miniſtris remotis, hominib. ſibi addictis commiſit. Primus, in quem iram ſuam euomuit, fuit Petrus Alcaſoua, tum quod illū odiſſet inde vſq; ab eo tēpore, quo Alcaſoua ſecretarii, & ipſe gubernatoris munere, Sebaſtiano adhuc puero fungebatur: tum q; iuſtam in eum animaduertendi cauſam ſibi habere videretur, partim propter ea, quę tempore ſuperioris belli admiſerat, partim etiā, quia in omnibus reb. ad nutum, & voluntatem Sebaſtiani ſeſe accommodauerat. Nā cum vnus eſſet ex ſupremis quæſtorib. maxima ex parte bellicorum apparatuum cura illi cōmiſſa fuerat. Vnde ipſi omnib. officiis, quib. præerat, interdixit, idq; actione in iudicio contra ipſum inſtituta. Quanquam autem omnia crimina, quæ ipſi imputabantur, huc redirent, q; expeditionem Africanā Regi vel ſuaſiſſet, vel ſaltem non diſſuaſiſſet, tamen per ſentētiam iudicū officiis, priuilegiis, & beneficiis, nuper à Rege Sebaſtiano acceptis, priuatus, & in locum 50. milliarib. ab aula diſtantem relegatus fuit. Nec quidquam ipſi profuit, quod diceret, ipſum Cardinalem, ſi maxime expeditionem non ſuaſiſſet, tamen conſenſu ſuo approbaſſe, & hac in re tanto grauius peccaſſe, quam reliquos, quāto maius pondus illius conſilium apud Regem habere æquum erat: quandoquidem Cardinali in tanta dignitate conſtituto ſoli audacter ſententiam dicere, & Regem veluti cogere licebat: cum reliqui tanquā ſubditi, Regis adhuc iuuenis indignationem merito reformidarent: à qua quo minus ſibi metuere neceſſe haberet Cardinalis, in cauſa erat tum dignitas eius, tum ætas, quæ nec metui, nec ſpei obnoxia eſſe debere videbatur. Eandem animi impotentiam adhibuit contra Ludoicum Syluium, & nonnullos alios, qui rari ex Africa redibant, qua ex re adparuit Regem neſciuiſſe vel ſumma clementia, vel ſumma iracundia vti: quia nec facile ignoſcebat, cōtra quam decere ſacerdotē videtur: nec ita iniurias vlciſcebatur, vt principes irati ſolēt. Propter has mutationes fere totum regnum nouam quādam faciem induit: nec ſatis erat illos qui ad noua officia promoti fuerant, eſſe homines inexpertos, ſed accedebat etiam hoc, q; vtpote imperiti omnib. illis, quib. cum ipſis aliquid negotii erat, incredibilem moleſtiā exhiberent. Quinimo (vt homines ad mala procliues ſumus) fuerunt nonnulli, qui, vt oſtēderent, quanta cum fide negotia Regis adminiſtrarent, non tantum curam habebant eorum, quæ ſuo tempore accidebant: verum etiam inquiſitione in priorum miniſtrorum actiones inſtituta, cauillando, & vtilitatis regiæ ſpeciem iuſtitiæ anteponendo pacta, & leges cū detrimento, & moleſtia plurimorum, & cum magno ſuo ipſorum dedecore, violabant, exiſtimantes ſe tum iuſtitiam adminiſtrare, cum iis, qui apud Regem defunctum fuerāt gratioſi, negotium exhiberent, & in omnib. reb. ordinem, & morem receptum inuerterent. Sane ſi quid ab eiuſmodi hominib. factum fuit, q; laudem mereatur, eſt abrogatio vectigalis, q; ſali rex Sebaſtianus impoſuerat. Dū hæc geruntur in Luſitania, Rex Hiſpaniæ, Chriſtophoro Moro ad Hēricū, & Petro Venegaſio in Africā ablegato, curauit celebrari exequias Sebaſtiani in templo S. Hieronymi Madridi: quanquam nonnulli ſuſurrabant, Ducē Albanum dixiſſe æquius eſſe illas à Rege celebrari in Luſitania in templo virgini Belemēſi ſacro, vbi ſolet regib. Luſitaniæ parentari: innuebat nimirū dux Philippū eſſe ſucceſſorē Sebaſt. aut ſaltem illum recte facturum, ſi vi Luſitanos ad iuramētum de ſucceſſione ſibi poſt mortem Henrici deferenda præſtandum adigeret. Cum hoc ducis Albani dictū percrebuiſſet, non mediocriter Ferdinādum Syluium, Legatum Regis Luſitaniæ, reliquoſq; Luſitanos commouit, vtpote mordax, & profectum ab homine, quem parū fauere nationi ſuæ exiſtimabant propter veteres cū Ruyo Gomezio Luſitano, Regis Philippi deliciis, ſimultates. Præterea quia Dux erat homo tantæ dignitatis, ſuſpicabantur eū hæc dixiſſe, quod non ignoraret mentē Regis, quem in hanc partem inclinare inde colligebāt. Interim varii erāt de re tota ſermones. Etſi. n. dux Albanus, & vnus & alter ex Procerum Hiſpaniæ numero ita, vt dixi, ſentirent: tamen in genere reliqui nec credebant nec conſiderabant Regē Philippum eſſe huius regni hęredē, imo exiſtimabant iure ad filiū principis Parmenſis illud pertinere. Verū Luſitanis, qui diligentius hac de re cogitarāt, & quorū leges magis fauent Philippo, quam ſtatuta Hiſpaniæ, vēritas huius controuerſiæ erat perſpectior. quanquam etiam Rex Philippus paulo poſt de iure ſuo certus eſſe cœpit, eo quod ex hominib. peritis, & exercitatis, quib. in Hiſpania, in Luſitania, & in aliis regionib. veri Portugalliæ hæredis inquirendi negotiū dederat, poſt mortē Henrici, ſe gradu proximum eſſe intellexiſſet. Neq; ſolū hanc communem doctorum opinionem eſſe deprehendebat: verū etiam ex ipſis nōnulli, & quidem Luſitani, Regē Cardinale propinquiorem, & regnum illud ad coronam Caſtellæ de-

uolutum eſſe adfirmare non dubitabant. Adducebant hanc rationem (paucorũ doctorum auctoritatib. allegatis) quod iura Luſitaniæ, & communia in materia regnorum proximo vltimi poſſeſſoris cognato, ex eodem ſtipite deſcendenti ſucceſſionem deferunt. Addebãt Sebaſtiano, vltimo regi, neminem eſſe propiorem rege Philippo, ex eodem ſtipite deſcendente. Præterquã enim quod eſſet nepotum regis Emanuelis natu maximus, illũ tanquam auunculũ regis mortui vno gradu priorem eſſe Cardinale, Sebaſtiani patruo magno. Redintegrabant etiam veteres actiones Hiſpanorũ, qui dicebant, Luſitaniam ad Caſtellæ coronam ſpectare, ideo quod Alfonſus Sextus rex Caſtellæ, nec cũ vniuerſali ſubditorũ conſenſu, nec ſub vllo alio prætextu eam iure à ceteris regnis diiũgere, nec Alfonſus X. regnũ Algarbii filiæ in dotem dare, vel feudi nexu liberare potuiſſet. Quanquam vero hęc vltima ratio, quæ Philippũ Cardinali anteferebat, ſatis tum ipſi, tũ miniſtris valida eſſe videretur, tamen prius conſilium de hæreditate poſt mortem Cardinalis demũ ſibi vindicanda amplecti cõſtituit. Cum. n. regnum illud ſine armis & ſubditis non repugnantibus acquirere cuperet, iudicabat, Henrico iã in regem electo ſe ſine tumultu & ſanguine poſſeſſionẽ apprehendere non poſſe: ad quæ accedebat, tum obſeruãtia, qua auunculum proſequebatur, tum ſpes de morte ipſius propinqua. Et ſane notatu dignũ eſt, in quantum periculũ Rex (ſi modo proximus hæres fuit) liberos ſuos coniecerit, ius ſuũ diſſimulando, ne nationẽ illam offenderet. Præterquam. n. quod viuente Henrico Luſitani, ſi ab imperio Hiſpani forte alieniores eſſent, ad muniendos ſeſe cõtra vim illius ſatis tẽporis habituri eſſent, metuẽdum etiam erat, ne Philippo forte ante Cardinalẽ mortuo, liberi ipſius tã ampla hæreditate exciderent. Eo. n. caſu Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, tanquam gradu proximus, reliquos omnes excluſiſſet. Dũ de his in Hiſpania cõſultatur, in Luſitania rex Hẽricus interea nõnihil ſolii regii poſſeſſionẽ ſtabilierat: cumq; in eo priſtina vindictæ cupiditas aliquantũ remiſiſſet, omnes regni ordines ab illo petierũt, vt mature ãte mortẽ certum ſucceſſorem ſibi nominaret, ne forte poſt obitũ illius hac de re laborare neceſſe eſſet. Inprimis vero Camerales vrbis Olyſſiponis, vtpote quæ reliquas totius regni ciuitates dignitate ſuperat, valde hanc rẽ vrſerunt: & die quodã cum ad vnum omnes cõgregati in aulã regiam ſeſe contuliſſent, vnus ex ipſis in hanc ſententiã regem allocutus eſt. Putamus non fugere te, ſereniſſime rex, quam ardentib. votis hic tuus populus Liſybonenſis Deũ O. M. oret, vt tibi in multos annos proroget vitã, à qua omnis noſtra felicitas depẽdet, & cuius beneficio tẽpus ipſum multa ſperamus eſſe mutaturũ, quæ nos iam magnopere habẽt ſolicitos. Ita ſunt recentia adhuc vulnera illarũ calamitatũ, quę hoc regnum obruerunt, vt tũ ob hanc cauſam, tũ quia ſine lachrymis referri nõ poſſunt, ab earũ cõmemoratione abſtineamus: ſufficiat eas tales eſſe, vt dũ hæc rerum vniuerſitas cõſiſtet, nunquã earum obliterari memoria poſſit. Et quanquã culpa merito peccatis noſtris imputetur, tamẽ etiã pars eius recte tribuitur negligentiæ populi, & eorũ, qui tum tẽporis Remp. adminiſtrabant. Cum itaq; non deceat nos priores errores nouis errorib. cumulare, exiſtimauimus viua voce, & cũ debita animi ſubmiſſione tuã, ſereniſſime rex, opẽ implorandã, vt, quoniam es iuſtus rex & ſanctus, malis illis, quæ ceruicib. noſtris imminent, remediũ adferas. Non eſt noſtrum à ſerenitate tua flagitare, vt vxorẽ ducat: (neq;. n. vel de conſcientia, vel de valetudine T. S. iudiciũ nobis ſumimus) veruntamen hoc non diſſimulamus, ſi neutrũ horum impedimentorũ T. S. obſtet, rẽ ne quidem dieculæ dilationẽ pati. Quod ſi vero T. S. à matrimonio abhorreat, è re erit, quam primũ admonere omnes, qui ad ſucceſſionẽ adſpirant, vt ad præſtitutũ tempus, rationes ſuas coram T. S. exponant. nã ſi Luſitanus aliquis ſuccedere debeat, ſubditi ſubleuabuntur magna parte onerum, quib. iam premuntur: ſin vero exterus aliquis, intereſt quamprimũ hoc ſciri, vt mature quid agendum ſit, poſſit deliberari. nam ſi forte ob peccata noſtra Deus Opt. Max. S. T. hoc rerũ ſtatu ex hac vita auocaret, quid, quæſo, de nobis fieret, cum conſtet omnes competitores conſultare, militẽ ſcribere, varia moliri, vires ſuas perpendere, ſubditis interim dubiis, quã in partem, tanquã meliorem cauſam fouentẽ, potiſſimum inclinent? Quod ſi hoc tẽpore cauſa nondũ deciſa, regnum tua Serenitate priuaretur, cõſideret, quæſumus, T. S. in quas calamitates, miſeros ſubditos incidere neceſſe ſit: conſideret latrocinia, cædes, violationẽ feminarum, & rerum ſacrarũ, & ſimilia, quæ in tali rerũ ſtatu ab hominib. diſſolutis committi ſolent: quæ quidẽ omnia euitari poſſunt, ſi certus regni ſucceſſor conſtituatur. Non petimus à T. S. vt iuramento ſucceſſor confirmetur (quia fieri poteſt, vt is, cui iam iuris aliquid competit, ante T. S. diem ſuũ obeat) ſed ſi cõtrarium forte accideret, vt tũ certus ſit ſucceſſor: quia in hac re totius regni trãquillitas conſiſtit. Quod ſi T. S. non libẽter ſucceſſorẽ nominat, vel aliqua re quo minus id faciat, impeditur: æquũ eſt T. S. permittere: vt ſubditi hoc faciãt. & inprimis ciues huius vrbis Liſybonę, à qua vniuerſa Portugallia dependet. Spiritus Sãctus, qui eſt Dux Regũ, ſuo afflatu excitet

T.S. vt ſtudeat mitigare iram Dei, quę ob peccata noſtra nos obruit: idemq; nobis veram pœnitentiam largiatur, T. que S. cui vitam diuturnam omnes ſubditi precantur, ſaluam & incolumem quam diutiſſime conſeruet. In hunc modũ locutus eſt, quanquã fruſtra, Cameralis Liſybonenſis. Verum cum regi, occulta Dei prouidentia frigide iſta tractanti nec remedia ita facilia eſſe, nec res tã celeriter, vt illi putabãt, decidi poſſe videretur, reſpondit ſe omnes curas & meditationes in hoc negotio poſitas habere, ſeq; illud ad effectum perducturum prima quaq; occaſione, de qua diligenter eſſet cogitaturus. Ceterũ in Hiſpania crebriores, quam vſpiam alibi, de hac ſucceſſione & cogitationes, & ſermones ſuſcipiebantur. Rex enim omnino Luſitaniam ceteris ſuis regnis adiungere conſtituerat, quæ res non admodum placebat nobilitati: imo proceres Hiſpaniæ iam inde à Caroli V. tempore regum ſuorum nimia potentia offendi videbantur. Putabant enim eam in cauſa eſſe, cur & minoris iam æſtimarentur, quam maiores ipſorum à priſcis Caſtellæ regib. ęſtimati fuerant, & legib. ac iudiciis æque, atq; inferioris ordinis homines, parere cogerentur. Minorum etiam gentium nobilibus, & reliquis ſubditis, eadem vnio diſplicebat, quod dicerent niſi hoc regnum à reliqua Hiſpania ſeiunctum maneret, filias regum neceſſario in matrimonium collocandas eſſe principib. exteris: hoc vero eſſe periculoſum, tũ quia filiæ regum Hiſpaniæ ad ſucceſſionem, maſculis non extantib. admittuntur: tum propter hæreſes, quib. hodie ditiones ſeptentrionales infectæ ſunt. Deniq; erant plurimi omnium ordinum, qui Luſitaniam tanquam aſylum quoddam Caſtellanorum, ab Hiſpania ſemper ſeparatã eſſe cupiebant, vt eo delinquentes tuto poſſent confugere. Porro Rex iudicabat non tantum aliquem in Luſitaniam mittendũ, qui exactius & accuratius tractaret negotiũ à Chriſtoph. Moro inchoatũ, verum etiã neceſſe eſſe, vt vnus ex præcipuis regni procerib. iſq; ſcientiæ politicę peritiſſimus ad cauſam ſucceſſionis promouendã eo proficiſceretur. Fuerunt itaq; vt fama erat propoſiti Gaſpar Quiroga, Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus: Ferdinandus Aluarenzius de Toledo, Dux Albanus: Antonius de Toledo, prior ordinis S. Ioannis, & magnus ſtabuli magiſter: & Franciſcus Paceus, Cardinalis Burgenſis, omnes homines ſummæ auctoritatis. Quiroga propter dignitatem, & prudentiam valde idoneus ad hoc munus videbatur, & inprimis propter rerum vſum, quem ſibi in aula Romana, vbi diu Rotę auditorem egit, cõparauerat. Ducis Albani auctoritas, experientia, & prudentia multorum iudicio, merebatur, vt ceteris anteponeretur. Et quia res ad arma ſpectare incipiebat, videbatur ille non tantum negotium ſucceſſionis vrgere poſſe, ſed etiam explorare vires Luſitanorum, & à quo auxilium ſperarent; ac deinde, ſi opus eſſet, tanto meliori cum iudicio & eo tutius, pro ea, qua præditus erat, rei militaris ſcientia, bellum totum adminiſtrare. Antonius de Toledo probabatur multis, quia prudentiæ opinioni, quã de ſe concitarat, adiunxerat ſtudium pietatis, religionis aliarumque virtutum, quæ ipſum Henrico non mediocriter commendaturæ eſſe credebantur. Verum iudicio cordatiſſimi cuiuſque, omnib. antecellebat Cardinalis Burgẽſis. nam non tantũ inſtructus erat illis dotibus, quib. ceteri, verum etiã ad res politicas tractandas reliquis iudicabatur aptior, ac, quia erat Sacerdos, & Cardinalis, ad Henricum veluti collega quidam mitti videbatur. Verum quantumuis inter proceres Hiſpaniç, præter hos, nemo eſſet vſu rerum ita edoctus, vt tam grauis negotii (nunquam enim huic Regno grauius occurrit) ponderi ſuſtinendo par eſſet: tamen illis prælatus fuit Petrus Gironius, dux Oſſunæ. Et quamuis illi (qui vnus eſſet ex pręcipuis regni proceribus) quælibet ardua prouincia cum dignitate committi poſſet, quod multis virtutibus & dotibus, ad tale munus neceſſariis, ornatus eſſet: tamen hanc electionem multi vſitato aulatum morbo, & reſpectibus, qui in regum conſiliis cõſiderari ſolent, imputabant, innuentes Ducem ad hoc munus promotum fuiſſe opera Petri Faſſardi, Marchionis Veleſii, cognati ſui. qui tum temporis in ſumma erat apud regem gratia. Nonnulli etiam dictitabant (& fortaſſe verius) non viſum fuiſſe expedire, vt in Luſitaniam mitteretur aliquis, cuius ſagacitas, & prudentia vulgo nota eſſet, ne forte Luſitani deterrerentur, quo minus cum eo ſine ſuſpicione, & libere de re tota agerent: imo neceſſarium eſſe iudicabatur, eum apud ipſos opinionem facilitatis, & humanitatis habere, vt eo libentius animum ſuum, & veluti viſcera apud eundẽ effunderẽt: Aliter autẽ Portugalli de ſuperioribus quatuor ſentiebãt. Et quanquã ex vna parte Cardinales idonei iudicarentur ad agendum cum Rege, qui & ipſe erat Cardinalis: tamen ex altera periculum eſſe videbatur, ne Hẽricus ſiniſtre interpretaretur, quod ad ipſum homo eiuſdem dignitatis miſſus fuiſſet. Accidit eodem tempore quiddam, quod nõ tantum aulæ Hiſpanicæ, ſed aliis etiam admirationi fuit: & quia accidit viro, cuius ſæpiſſime nobis facienda erit mentio, breuiter rem, quanquam à propoſito noſtro nonnihil alienam narrabo. Dux Albanus Vzedam, 25. miliaribus ab aula diſtantem, iuſſu regis relegatus fuerat: Cauſa hæc erat. Cum Fridericus primogenitus

filius

filius Ducis, Tordeſillis, oppidulo regni Caſtellæ, ſub cuſtodia detineretur, eo quod nollet ducere in vxorem primariam quandã virginem ex gynæceo Reginæ Iſabellæ Valeſiæ, cui nuptias promiſiſſe dicebatur: fama erat, interim dum cognati puellę apud regẽ de Friderico ad nuptias contrahendas cogendo inſtant, Fridericum de conſilio patris, iure carceris violato, Albam profectum conſobrinam ſuam Mariam de Toledo, filiam Garciæ Thalaſſiarchæ, matrimonio ſibi copulaſſe, nuptiiſque celebratis, Tordeſillas in cuſtodiam rediiſſe. Ferebat dux hoc incommodum ſingulari cum animi æquitate, & conſtantia, ita, vt liuore nõnihil remittẽte, ipſi etiam æmuli commiſeratione ſenis adficerentur. Fuit hæc relegatio memorabilis tum propter Ducis potentiam, ętatemque, & operam fidelem ſæpiſſime regibus Hiſpaniæ nauatam: tum imprimis propter integritatem Philippi: qui quanquam Albani induſtria in grauiſſimis rebus, quæ imminebant, ſibi opus fore intelligeret: tamẽ hoc eum non mouebat, quo minus in illũ ſtatueret, id quod vel iuſtitiæ, vel auctoritati ſuæ conſentaneum eſſe videretur. Fuit etiam memorabilis propter plurimorum principum pro Albano interceſſiones, & inprimis ſummi Pontificis, qui ipſius liberationem vehementer per nuntium ſuum vrgens dicebat, ſe quidem de prudẽtia & bonitate Regis ſibi aliud perſuadere non poſſe, quam eum grauiſſima de cauſa ducẽ in cuſtodiam tradi iuſſiſſe: veruntamẽ, niſi officio ſuo deeſſe velit, ſe neceſſario pro illo intercedere cogi. Debere ſe hoc Albano propter varia illius erga ſedem Apoſtolicam merita; propter diuturnam militiã contra infideles, & hæreticos: imo propter bellum ipſum, quod contra ſedem Apoſtolicam geſſiſſet: in quo, dum exequitur ea, quę ad Regis ſui commodum ſpectabant, dumque vt hoſtis illam aggreditur tanquam amicus eãdem defendiſſet: & hoc beneficio non tantum Paulum IV. tum temporis ſummum Pontificem, ſed & omnes ipſius ſucceſſores in perpetuum ſibi deuinxiſſet. Et ſane videtur res admirabilis, ſedem Apoſtolicam plurimum ipſi debere propter bellum, quod contra ipſam geſſerat. Ordines etiam Hiſpaniæ, qui tũ temporis in aula erant, pro ipſo interceſſerunt: & quanquam rex oſtenderet ipſo ſibi rem gratam facturos, ſi à petitione deſiſterent propterea quod nollet illos quidquam petere, quod non ſtatim è veſtigio concederetur: tamen hic ipſe modus petendi & negandi, etiam ſuo pondere non caruit. Sperauerat iam inde ab initio Rex ſe poſſeſſionem Luſitanię ſine armis conſecuturum; licet non ignoraret Luſitanos à nomine ſuo eſſe ſatis alienos: verũ non ideo ceſſabat adhibere omnes artes, quas ad demulcendos illos facere exiſtimaret. Hanc ob cauſam primariis ciuitatibus, quid iuris in regnum Luſitaniæ haberet (beneuolentię ſignificationi minas intermiſcens) per litteras expoſuit, quas tamen maxima ex parte magiſtratus publico nomine accipere recuſarunt. Ciuitati Liſybonæ ſcripſit in hãc ſententiam.

Magnifici, & dilecti, quanquam Chriſtophoro Moro dedi negotium nonnullà vobis meo nomine indicandi, vt ex ipſo audietis: tamen viſũ mihi eſt eadẽ etiã per litteras vobis ſignificare & oſtẽdere non eſſe quenquã qui tantum, quantũ ego ex infelici Sereniſſimi Regis, & exercitus Luſitaniæ interitu dolore perceperit. Rationes non ſunt obſcuræ, quia amiſi filium, & amicum, quem tantopere amabã: & eodem loco habebam, & habeo omnes, qui occubuerunt: quoniam omnes Luſitanos eodem, quo meos ſubditos proprios honore & amore proſequor. Spero autem publice conſtare de diligentia, & labore, quem expeditionis impediendæ cauſa, tum præſens Guadalupi, tũ ante, & etiam deinceps per miniſtros meos ſuſcepi: cuius rei multi ex Luſitaniæ proceribus teſtes eſſe poſſunt. Verum, ne tã ingentem dolorẽ refricemus mittamus illa, quæ corrigi non poſſunt, oculoſq; ad conſolationem veram conuertentes ſtatuamus id, quod res eſt, hoc flagellum à manu Dei, & arcana ipſius prouidentia immiſſum fuiſſe. Debet etiã nobis eſſe ſingulari cõſolationi, quod Luſitania tam turbulento, & calamitoſo tempore Principem adeo pium & prudentẽ nacta eſt, qualis eſt Sereniſſ. Rex meus auunculus, de cuius raris virtutibus, & vita innocentiſſima merito hoc nobis poſſumus polliceri, fore, vt priſtinę quieti regnum ſuũ reſtituat, omniaq; tali cum lenitate, & clementia adminiſtret, qualem ego opto tum propter amorem, quo omnes eius ſubditos complector, tũ propter amicitiæ & ſanguinis iura quæ ſemper fuerunt inter has duas coronas, & inter me, ac reges Luſitanię quippe cum ex eodẽ ſanguine deſcendamus, tũ ego, tum filii mei, qui ſunt, nepotes Sereniſſ. regis Emanuelis: quem etiam amorem & affectum Imperatrix mater mea, ſedulo in me nutriuit: ita vt ob has cauſas, Sereniſſimum regem auunculum meum, non minori, quam vos ipſi, obſeruantia proſequar, & æque, ac vos, vitam ipſi diuturnã, ac felicẽ precer. Verũ quia ſucceſſionis coronæ Luſitanię ea conditio eſt, quã omnes noſtis, volui diligenter, & adhibito maturo cõſilio, inquirere in ius, quod in regnum Luſitaniæ Deus Opt. Max. occulto ſuo iudicio mihi conceſſit: cumq; rem totam tam in Regnis meis, quam alibi viris doctis, & bonis diſcutiendã propoſuiſſem omnes vno ore pronunciarunt, me eſſe extra controuerſiam legitimum Regni Luſitaniæ

heredem, nec ſuperſtitem eſſe hodie quenquam: qui iure mihi contradicere poſſit: idq; tum multis aliis de cauſis, tum inprimis, quia mas ſum & omnium natu maximus, vt publice notum eſt. Cum itaque exiſtimarem hac de re Sereniſſimum regem, auunculũ meum ea, qua decet pietate, & animi ſubmiſſione certiorem faciendum, amanter ipſum rogaui, vt quamprimum hoc ſubditis declaret: vti etiam aliter facere non poteſt, ſi modo, vt par eſt, & conſcientiã ſuam exonerare, & iuſtitiam adminiſtrare velit. Sed multo etiam magis hoc facere tenetur ideo, quia ſpectat ad ſalutem, pacem, quietem, augmentum, & felicitatem regnorum, & ſubditorum ipſius, quibus omnibus nos ambos pro virili operam dare æquum eſt, & contraria incommoda anteuertere: ac præter ea quæ diximus, etiam aliud quiddam grauiſſimi momenti hinc dependet, nempe cultus Dei Domini noſtri, & ſecuritas, atque incrementum Sanctæ noſtræ fidei Catholicæ. Eodem modo volui hac de re admonere ciuitatem Lyſibonenſem, vtpote quæ ſemper ſpectatæ erga reges ſuos fidei ſpecimina ediderit, & caput Regni ſit. Confirmo autem vobis omnibus, me, qui hæres coronæ ſum, non eſſe regem exterum, ſed indigenam, vt ſupra dixi, quippe qui ſim ſoboles veſtrorum principum & ex ſanguine ipſorum procreatus; imo vos omnes facili me vtemini patre: quod re ipſa experiemini, vbi Deo Opt. Max. placuerit. Peto autem iam à vobis, vt pro veſtra prudentia, & longo rerum vſu conſideretis & notetis, quibus in rebus potiſſimum vobis honorem exhibere, & gratificari poſſim: idque non tantum veſtra priuilegia, & immunitates conſeruando, verum etiam eadem ſiue publica ſiue priuata augendo: id quod etiam ceteras regni ciuitates ſcire velim: voſque rogo, vt eas de hac re certiores faciatis. Neq; enim par eſt quenquã ignorare amorem & beneuolentiam, qua omnes complector. Veſtri autem officii etiam erit, agnoſcere hanc meam erga vos beneuolentiam, & obtemperare voluntati Dei, cuius iudiciis, & decretis nemo poteſt reſiſtere; & credendum eſt omnium optimum eſſe, quidquid ille ſtatuerit. Cum itaq; confidam fore, vt tum vos, tum reliqui ſubditi debito tempore officia ſua faciant, nihil reſtat, niſi quod præter dolorem, quem in vniuerſum ex recentibus Luſitaniæ calamitatibus percepi, ſingulari etiam mœrore me adfecit infelix caſus tot nobilium, aliorumque ſubditorum, qui in Africa vel cæſi, vel capti fuerunt. Quare vos rogo, vt cogitetis quanam re ego iuuare poſſim captiuos, & me ſtatim de eo, quod vobis videbitur, certiorem faciatis. Etſi enim ſponte mea omnem diligentiam & adhibuerim hac in re, & adhuc adhibeam, tamen nihilominus mihi gratum erit ex vobis etiam intelligere, quamnam vos potiſſimum rationem captiuos liberandi ineundam cenſeatis.. Et velim vobis perſuadeatis, me omnia ea, quæ ad vos pertinere intellexero, paterno & amore, & fide curaturum; id quod, occaſione oblata, reipſa experiemini, præſertim cum fieri huius rei periculum facile poſſit, vt prolixius ex Chriſtophoro Moro audietis; ad quem me refero. Hanc epiſtolam miſit Philippus Moro, vt eam Cameralibus redderet. Morus cum Camerales in palatio congregati eſſent, illis epiſtolam porrexit: qui attoniti cœperunt vereri, ne, eam accipiendo crimen læſæ maieſtatis incurrerent. Recuſantes itaq; iuſſerunt Morũ, epiſtolam retinere, & Regi tradere: quod cum Morus abnueret, epiſtola clauſa in manibus Cameralium remanſit. Vt autẽ nihilominus ſententia litterarum innoteſceret, Morus exemplum earũ ex ſinu depromptũ publice legit, & alia deinde variis ciuitatis locis ſparſit: authographũ vero Syndici Regi obtulerunt. Hæc autem epiſtola nihil vtilitatis Philippo ſed damnum potius attulit: & ab hominibus cordatis tam Hiſpanis, quam Luſitanis, atq; etiã à nonnullis conſiliariis regiis hoc remedium iudicatum fuit parum accommodatũ ad morbum Luſitanorum, quos, tanquam maxima ex parte Hiſpanis infenſos, harum rerum inſolentes, & aſperos, probabile non erat, per epiſtolam flecti poſſe. Interim intellectum fuerat Ioannẽ Syluium, qui legati munere in Luſitania Philippi nomine fungi conſueuerat, non tantum viuere Alcaſarquibirii, licet grauiſſime vulneratum, ſed etiam à Xariffo libertati reſtitutum cadauer Regis Sebaſtiani Septam comitari: & paulo poſt, circa natalẽ Domini anno 1578: nunciatum fuit eum Hiſpalim appuliſſe. Illis, qui rerum Luſitanicarum periti erant, videbatur Syluius opportune admodum rediiſſe. Nam, ſi ad priſtinum officium reuerteretur, rem tam arduam vnus omnium rectiſſime curaturus putabatur, propterea quod in eo præter iudicii acumen, multę aliæ dotes, in homine tale munus adminiſtrante neceſſariæ, concurrerent. Nam non tantũ regis Henrici & Luſitanorũ mores perſpectos habebat, verum etiam apud illos in ſumma erat gratia, fortaſſe quod illum, tanquam è nobiliſſima familia Syluiorum, qui, nata inter regem Iohannem primum, & magiſtrum equitum Auiſi controuerſia, e Luſitania in Caſtellam migrarunt, deſcendentẽ, & inſuper matre Luſitana natum, pro populari ſuo haberẽt. Adhæc, auſpiciis regis Sebaſtiani, in Luſitania cũ Philippa Syluia, Aluari Syluii, Comitis Portalegrenſis, magni aulæ magiſtri, & inter proceres Luſitanos nõ poſtremi, herede matrimoniũ contraxerat. Verũ, dũ omnes exiſtimant eũ Hiſpali recta in

Portugaliam profecturũ, ecce tibi Rex illum in aulam vocat, q. ſe coram illi animum ſuum exponere, & de præſentium negotiorum conditione eum edocere velle diceret. Dum hęc fiunt, peruenerat Liſybonam Dux Oſſunæ, qui cum fingeret, ſe Regis Henrici ſalutandi, & ei ſtudia ac beneuolentiã Philippi deferendi cauſſa veniſſe, ſumptu eiuſdem exceptus fuit, & habitus ſplendidiſſime: & expoſitis illis, quæ ſola in mandatis habere ſe ſimulabat, profectus eſt Setubalum, inuiſurus Magdalenam Gironiam ſororem ſuam, & viduam Georgii Dalencaſtrii, Ducis Auerii: ſed breui reuerſus, exhibuit alterum mandatum tractandi de negotio ſucceſſionis, non ſine indignatione Regis Henrici, qui moleſte ferebat nomine Philippi apud ſe reſidere hominem tantæ dignitatis, tanquam actionum ſuarum obſeruatorem. Diſplicuit hoc etiam omnibus Luſitanis: idq; eo impenſius, quod vna cum Moro apud Regẽ de Philippo regni ſucceſſore declarando, inſtare inciperet, multis rationib. ad bonitatem cauſæ probandam adductis. Interim Henricus Rex, vrgentibus etiam hoc regnicolis, conſtituerat negotium ſucceſſionis, quoad fieri poſſet, in tuto collocare, & ſatiſfacere ſubditis, qui eam ob rem dubii, & ſuſpenſi erant. Cum igitur paucos, eoſq; familiariſſimos in conſilium adhibuiſſet, poſt multam deliberationem, & diſceptationem, tandem ſtatuerunt non expedire, vt tum temporis ſucceſſor nominaretur, idq; hanc, vt videtur, ob cauſam, quod animaduerterent, proximum & legitimum hæredem eſſe Regẽ Philippum, quem ipſi maximopere oderant, & cuius imperium effugere cupiebant. Neq; ad hanc rem quidquam accommodatius eſſe iudicabant, quam deſignationẽ ſucceſſoris differre. Nam nec Philippum nominare volebant; & ſi alium nominarẽt, indignationem ipſius ſe incurſuros, & occaſionem meliori cum fundamento actionem ſuam inſtituendi illi, aut hæredibus ipſius præbituros videbant. Ex dilatione autem deſignationis hæc ſaltem ſpes, quamquam infirma, promanabat, fore, vt Philipp. licet iunior, tanquam mortalis, prius diẽ ſuum obiret, quam Rex Henricus ſenex decrepitus: quo caſu ipſi liberabantur à iugo Caſtellanorum, & ordo ſucceſſionis tangebat Ducem Sabaudiæ, quem minus metuebãt, & ad cuius imperium perferendum procliuiores eſſe videbantur. Exiſtimabat Rex Henricus Catharinam Duciſſam Braganciæ omnibus competitoribus, excepto Rege Hiſpaniæ, gradu eſſe propinquiorem & impulſus fortaſſe etiam naturali quodam amoris impetu, ſerio cogitare cœpit, de regno in ipſam transferendo, & in Academia Coimbrienſi, multa conſilia pro ea conſcribi curauit. Ad hunc autem finem conſequendum factu commodiſſimum putabat, citare omnes competitores, vt certo die ad ius ſuum probandum comparerent: idquè ſtatim fecit, quamuis multi conſilium hoc immaturum, & rem in conuentu publico prius, quam ad effectum perduceretur, proponendam & decidendam eſſe iudicarẽt. Quia ex re apparuit, Regem quaſi in diem viuere, nec eum ordinem & conſilii maturitatẽ, quam oportebat, in regni adminiſtratione adhibere. Nihilominus tamen præuidit fieri poſſe, vt ipſe interim ante Philippum moreretur: cumq; eo caſu regnum, capite deſtitutum, neceſſario perturbatum iri conſideraret; ſtatuit eligere quinq; gubernatores, qui, tempore interregni, præeſſent, & quibus iam tum proceres & reliqui ſubditi obedientiam iureiurando promitterent: quo facto, poſtea controuerſias competitorum commode diſcuti poſſe putabat. Et quanquam vererentur, ne hæc res Regem Philippum offenderet, tamen ſperarunt eum placari poſſe, ſi dicerent nihil hic fieri ad iura ipſius vel turbanda, vel remoranda, ſed vt poſſet actionem ſuam eo ſolidiori cum fundamento (id quod ipſum maxime decebat) proponere. Spargebant etiam rumorem, Regem Henricum velle ducere vxorem, & quia erat ſacris initiatus, licentiam à Papa petere: cumque fieri poſſet, vt liberos ſuſciperet, non eſſe rationi conſentaneum, vt de iuramento ſucceſſori præſtando ageretur. Cum ſuperiora omnia à paucis, iiſque primariis decreta eſſent, paulo poſt, vt conſilium hoc non priuatim, ſed publice communi omnium conſenſu captum fuiſſe videretur, & vt Gubernatorum electio eo magis acceleraretur, Henricus indixit conuentum trium regni ordinum, Eccleſiaſticorum, nobilitatis, & procuratorum vrbium, & oppidorum, qui cum Kal. April. ann. 1579. in maiorem aulam palatii Liſybonenſis conueniſſent, Rex præeuntib. nouem præconibus regiis & Duce Braganciæ, aliiſque proceribus eum comitantibus rubrã toga Cardinalitia indutus, nulloque regio ornatu, ſceptro excepto, inſignis ad eos ingreſſus eſt, conſcenſoque pegmate, quod in capite aulæ extructum altitudine 4. graduum locum, vbi conſtiterant procuratores, excedebat, cathedram tela aurea ſuffultam, & cœlo, ex eadẽ tela confecto, tectã occupauit: cumq; vnuſquiſq; locum ſuũ, iuxta antiquas proedriæ leges, cepiſſet, in loco pegmatis prominẽtiori Alfonſus Caſtelblancus ſacerdos, iuſſu regis ſurgẽs prolixa oratione memoriã præteritarũ calamitatum nonnihil refricatã ſpe futurorũ bonorũ tẽperauit, & in laudes Regis excurrẽs, eumq; ab omni virtutũ genere cõmendans; exaggerauit fidẽ & diligentiã, qua cõmoda regni procuraret; ita vt ne quidẽ ꝓpriæ valetu-

dini, & ſaluti parceret: deniq; comparauit eum regi cœlorum propter amorem, iuſtitiam, miſericordiam, & quod ſeipſum pro populo ſuo ſacrificaret. Laudabat etiam illum cōuentum, eumq;, quia ſimilis eſſet ſacris Synodis, errare poſſe negabat. Poſtremo addidit regem illos conuocaſſe vt admonitus de iis, quæ ad regni ſalutem pertinere viderentur, de ipſorū conſilio & ſententia omnia adminiſtraret. Finito hoc primo actu edictum fuit, vt quotidie Eccleſiaſtici, nobiles & procuratores regni (ſinguli ordines loco à reliquis ſeparato) cōuenirent: quod cum fieret, in ſententias longe diuerſiſſimas diſceſſum fuit. Quidā qui finem deliberationi quamprimum imponi cupiebant, dicebant ſine mora pronuntiandum eſſe, ad quem ſucceſſio pertineret, rationib. litigantium non auditis: alii citatis competitoribus legitimoq; proceſſu inſtituto per ſententiam rem definiendam: multi creandos gubernatores putabant: alii ne quidem ſermonē de his inſtitui ferre poterant, inſiſtentes viaš adeo diſcrepantes, vt admodum exigua eſſet ſpes concordiæ, & conſenſus. Quod cum Rex intellexiſſet, primarios ſingulorum ordinū, viritim ad ſe vocatos certiores fecit de eo, quod facere in animo habebat, oſtenditq; regni libertatem ita omnino flagitare. Redactis itaq; ad concordiam votis ante diſcrepantibus, concluſum fuit, non eſſe agendū de publica declaratione ſucceſſoris: ſed auditis competitorum rationib. tantum à rege pronuntiādum, ad quem hæreditas regni ſpectaret, & quis poſt mortem ipſius ſucceſſor deſignandus eſſet. Quanquam autem Deus O.M. in pœnam fortaſſe Luſitanorum permiſit, vt hoc conſilium regi omnium optimum videretur: tamen experientia docuit peius capi non potuiſſe. nam ex eo, quod cauſam ſucceſſionis in dubium vocabant, tunc nonnulli cōpetitorum ſpes vanas, & regno damnoſiſſimas, cōceperunt. Vt autē rumor de matrimonio regis ſparſus non de nihilo eſſe videretur, Eduardus Caſtelblancus in Conuētu electus fuit, qui Romam ad diſpenſationē à Papa impetrandam proficiſceretur. Retulerunt in catalogum 15. nobiles, ex quorum numero rex 5. eligeret, eorumq; nomina manu ſua ſcriberet: nominati regnum adminiſtrarent, donec de certo ſucceſſore conſtaret. Non mediocris etiam controuerſia fuit inter regē, & conſiliarios Conuentus de nominandis gubernatorib. Rex. n. ſolus 5. illos nominare volebat: Conſiliarii contra ius illud ſibi arrogabant: cumq; conueniſſet, vt conſiliarii 15. eligerēt, & ex iis 15. rex 5. excerperet, nata rurſus noua controuerſia eſt, propterea q. Conſiliarii ſcire volebant, qui eſſent illi 5. Fuerunt etiam, qui non tantum vellent nomina gubernatorū publicari: Sed etiam eos, viuente rege, gubernationem inchoare, vt poſtea eo maiorem auctoritatem haberent. Tandem tamē concluſum fuit nomina gubernatorum ſilentio premenda eſſe: quanquam coniectura facile homines aſſequerētur, quinam eſſent. Confecerunt itidem Catalogum 24. iudicū, ex quib. rex 11. excerpſit: qui ſententiam ferrent in cauſa ſucceſſionis, ſi ipſe forte lite pendente, moreretur. Verūm Hiſpani hoc pro inſigni errore habebant, quippe quod rex ignoraret iuriſdictionem regiā vna cum vita exſpirare, dicebantq; gubernatores nominare nihil aliud eſſe, quā regnare velle etiam poſt mortē: cuius rei exēplū videre liceret in Eliſabetha regina Caſtellæ, quæ fruſtra leges in regni adminiſtratione poſt mortē ſuam obſeruandas præſcripſiſſet. Ita dimiſſus fuit conuētus: & Dux Bragāciæ, ac reliqui proceres vna cū Antiſtitib. & procuratorib. regni paulò poſt iuramentū præſtiterunt de obediētia gubernatorib. à rege electis, & illi, qui rex declararetur, exhibēda. Non viſum eſt omittere formulā iuramēti, q. præſtitit Prior. Vocatus. n. à rege, & iuramentū de exhibenda obedientia præſtare iuſſus, dixit, ſe cupere prius regem alloqui. Cū rex reſponderet, non eſſe opus, & iuramentū vrgeret: Prior vero recuſare pergeret, rex ſubiraſci cœpit. vnde Prior, oculis in amicos, quos adduxerat, defixis, innuēs ſe vi cogi, manu Euāgeliis impoſita iurauit contra expectationē multorū, qui cū potius turbarū aliquid daturum, quam iuraturum eſſe putabant. Catalogus gubernatorū vna cum nominatione, alteri paginæ faciei inſcripta, ciſtæ cuidā incluſa, & Cameralium vrbis Liſybonæ cuſtodiæ commiſſa fuit. Plebi Liſybonenſi hæc non ſatisfaciebant, veritæ, ne in manus Hiſpanorum incideret: idq; ex eo adparuit, q. in loco, vbi nobilitas conuenerat, paulo ante in conſpectum totius conſeſſus magna cum audacia prodierant duo homines mechanici ex numero eorum, qui nomine plebis in magiſtratuum collegium recipiuntur, quorum alter, impetrata audientia, dixit ſe intellexiſſe nonnullos ex præcipuis illius conuentus officii, & famæ ſuæ cura omni depoſita, loqui & facere contra bonum publicum, & regni tranquillitatem. Huic incommodo ſe tanquam ciues patriæ amantes, conſtituiſſe remedium adhibere, exemplo maiorum ſuorum, qui idem tempore Ioan. I. & aliorum regum feciſſent. Se itaque à conuentu illo, tanquā à capite & præcipuo Reip. mēbro petere, vt regnum fulcire, ſuſtentare, &c, ne illud quorundā, priuatæ dignitati & commodo ſtudentiū, culpa exiſtimationis & libertatis iacturā faceret, præcauere eniterentur. Subiunxit ad hunc finem, & ad iura ſua tuēda, & ad turbulentorum Luſitanorū temeritatē coercendā parata eſſe 15. aut 20. hominum

hominum millia, tã in vrbe, quam in vicinia, qui ſi opus eſſet, duarum horarũ ſpacio coacti, combuſturi eſſent ædes illorũ qui & verbis, & factis bonum publicũ oppugnarẽt, & cõtra quietem regni machinarentur: id ꝙ tamen facturi non eſſent, donec ſperarent fore, vt pœnas à nocentib. exigendo, malis impendentib. occurreretur. Poſtremo dixit, hãc admonitionem in hũc finem inſtitutam eſſe, vt omnes, depoſito metu, eo liberius de bono publico agerent, & vt occluderetur os illis, qui in hac re ſuſpecti, difficultatẽ, & impoſſibilitatẽ inculcantes, nec ipſi remedium malis adferrent, nec alios ad adferendum hortarentur. Cum finem dicendi feciſſet, vnus ex illis, qui omnium prudentiſſimi habebãtur, reſpondit, conſiliarios, ipſis gratias agere pro egregia voluntate & amore, quo bonum publicũ proſequerentur: neminem vero ex conſiliariis eſſe, qui non eodem modo eſſet adfectus. Iuſſit igitur eos eſſe bono animo, nec dubitare, quin omnia ordine, & bona fide adminiſtrarẽtur. Veruntamen non obſtante hac reſponſione, illi duo minabundi diſceſſerunt. Ex hoc conuẽtu rex Philippus manifeſto cognouit, quomodo non tantũ Luſitani, ſed etiam ipſe Rex Henricus, erga ſeſe adfecti eſſent. Videbatur enim ipſi cõiuratio potius contra ſe, quã legitimus ordinum conuentus fuiſſe. Henricus impulſu familiarium de ducenda vxore cogitãs, ſingulis dieb. cum medicis conferebat, exquirebatq́; num ipſum gignere poſſe exiſtimarent: id quod magnæ admirationi fuit illis, qui ipſum norant. Putabant enim eum, qui tam caſte ſemper vixiſſet, etiamſi ad regnum multo iunior perueniſſet, tamen vxorem non fuiſſe ducturum: cumque de nuptiis adeo decrepitus, & ſacris initiatus cogitaret, videbatur in eo deſiderium Regem Philippum regni ſucceſſione priuandi tantũ poſſe, vt ipſum veluti vim ſuæ naturæ inferre cogeret. Verum honores mutant mores hominum: quanquam ſenectus ipſius argumento eſſe videbatur eum inuitum potius quam ſponte animum ad hanc rem applicare. Dicebant autem nonnulli magni iudicii viri Regi Philippo metuendum eſſe, ne ſub ſpecie matrimonii deciperetur. Etſi enim tum ætas, tum valetudo Henrici ſecurum ipſum reddere videretur, tamen, quia res eſſet tanti momenti, merito timeri poſſe vel partum ſuppoſititiũ, aut adulterinum, vel ſimilem aliquam fraudem. Cum itaq; Philippus clã (vt putatur) cum Pontifice de diſpenſatione Henrico deneganda egiſſet, in Luſitaniam miſit Ferdinandum Caſtillæum, ordinis prædicatorum, Theologum eloquentẽ: Qui quã de cauſa eo profectus eſſet, & vulgo ignorabatur, nec à me certo reſciri potuit: communis tamen opinio erat, finem itineris fuiſſe, vt Regi Henrico matrimonium diſſuaderet, cũ ob alias rationes complures, tum inprimis, ꝙ tempore adeo periculoſo propter frequentiam hæreſeon, & hæreticorum, qui clericis vxores ducere licere adfirmant, ipſe ſacerdos & rex ſimul, ſi nuptias contraheret reliquis peſſimum eſſet exemplum præbiturus. Hæc opinio inde confirmata fuit, quod intelligebatur Caſtillæi orationem Regi ingratã, ipſumq́; ſubito dimiſſum fuiſſe. Citati interim fuerant competitores, nimirum Rex Hiſpaniæ, coniunx Ducis Bragançiæ, Dux Sabaudiæ, Princeps Parmenſis, & Antonius Prior Cratenſis: vt actiones ſuas per legatos, & procuratores proponerent. Non reſpondit Rex Philippus per literas, quanquam ipſi ſcripſiſſet Rex Henricus ſua manu: ſed tantum per vnum ex Secretariis ſuis Legato Luſitanico ſchedulam dari iuſſit, qua profeſſus eſt ſe citatum fuiſſe. Multi improbabant hos agendi modos, & omnes vno ore adſeuerabant imprudenter à Rege factum, quod Ducem Sabaudiæ & Priorem citaſſet. Nihil enim aliud hoc eſſe, quam lites ſerere, quod & Priorem nothum eſſe apud omnes conſtaret, & Rex Philippus manifeſto potior eſſet duce Sabaudiæ. Philippus citatus, ſtatim ex procerib. regni, iiſdemque ſupremi ſenatus conſiliariis, ex cõfeſſore ſuo, & alio quodam theologo, & ex quinq; doctorib. conſilii regii, nouum ſenatum compoſuit, qui congregatio ſucceſſionis Portugalliæ vocabatur, conſtans ex duodecim perſonis, & nihil niſi ad hanc rem pertinens, tractabat. Interea venerat Hiſpali in aulam Ioannes Syluius, vt, de iis, quæ ad munus ſuum pertinebant, edoctus, in Luſitaniam reuerteretur. Quanquam autem à Rege humaniſſime exciperetur, ac non raro conſilio illi, de quo diximus, intereſſet, vel ſententiæ dicendę cauſa, vel vt, quid agendum ſibi eſſet, intelligeret: tamen diu detinebatur, adductis variis excuſationibus & quantumuis diligentiſſime inſtaret, vt mandatis acceptis, dimitteretur, quod & in grauiſſimo illo de adiungenda Hiſpaniæ Luſitania negotio Regi ſuam operam nauare, & vxorem ac liberos poſt tot labores exantlatos præſentia, ac cõſpectu ſuo recreare cuperet, tamen voto ipſius vel æmulorum malitia, vel fortunæ iniquitas, obſtitit. Poſtquam in Africa captus fuiſſet, Conſiliarii quidem Regii iudicarunt, neminem in ipſius locum ſubſtituendum, antequam compertum eſſet, vtrum viueret, an vero occubuiſſet: ſed nihilominus deinde & Rex, & iidem illi conſiliarii inclinare huc videbantur, vt illum non tantum præſentem, ſed etiam eo tempore, quo maxime ipſius induſtria opus erat ab officio remouendum iudicarent. Rex enim qui Chriſtophoro Moro iam ante multa arcana de-

texerat, inuitus alii eadem denuo committebat: cuius rei manifeſta indicia apparuerunt, cum diuerſi tabellarii ex Luſitania literas complurib. illorum, qui negotiũ ſucceſſionis tractabant inſcriptas adferrent. Accedebat, quod Dux Oſſunæ (ad cuius voluntatẽ Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, & reliqui conſiliarii ſe accommodabant) Morũ, cum quo ſummã familiaritatem contraxerat, Regi prædicans, operã dabat, ne quis alius tractãdi huius negotii cauſa mitteretur: idq; eam, vt quidã dicebant, ob cauſam, quod Oſſunenſis ſibi cum Syluio, vtpote paulo ſuperbiori, non tam bene conuenturũ eſſe arbitraretur. Diluebat Syluius obiectiones, & nõ tantum ſe cum Duce Oſſunæ, & cũ reliquis quos Rex miſſurus eſſet, conſenſurũ: verum etiam, ſi eũ negotio ſucceſſionis intereſſe nollent, ſe hoc miſſo, legati munere ſolo contentum fore, &, ſi opus eſſet, ſe etiam hoc ſe abdicaturum, ſpondebat. Verum hæc modeſtia eum fortaſſis adhuc magis ſuſpectum reddidit, quia videbatur hoc agere, vt ſemel in ſocietatem receptus, poſtea totum negotiũ, & omnem adminiſtrationem in ſe transferret. Circa hoc tẽpus reuocatus fuit in aulã Chriſtophorus Morus, qui dũ cum Rege, arbitris remotis, prolixe de rebus Luſitanicis conferret, effecit, vt de integro in Luſitaniam titulo legati ornatus, mitteretur, quantumuis illũ multi eo rediturũ non putarent, propterea quod ea, quæ in mandatis habuerat, iam erat executus. Verum cum pro homine (vt reuera erat) fido, diligenti, & cordato haberetur, (quantumuis in negotiis magni momenti non eſſet admodũ exercitatus) in numerum cubiculariorũ regiorũ aſcitus, & legati titulo, quem affectabat inſignis in Luſitaniam rediit. Ne vero Syluius, de omni ſpe deturbatus, & ipſe in Luſitaniam reuerteretur, detẽtus fuit ſub hoc prætextu, quod rex ipſius opera ad ea, quæ ex Luſitania ſcriberentur, rectius intelligenda egeret. Vnde numero conſiliariorũ, qui de ſucceſſione tractabant, à 12. ad 4. redacto, Rex Syluiũ ex his vnum eſſe iuſſit: reliqui erant Cardinalis Toletanus, Ludoicus Mauriquius Marchio Aquilarienſis (ambo ſenatores conſilii ſupremi) & Anton. Padiglianus, conſilii triũ ordinum equitũ auratorum præſes. Varii fuerunt hominum ſermones de electione vnius legati, & de alterius excluſione. Ceterum excluſus, cum videret ſe ea quæ acciderant, mutare nõ poſſe vſitato aulicis more, ſe omnia in bonã partem interpretari, & beneficii loco habere ſimulabat. Dum hæc in Hiſpania geruntur, in Luſitania competitores tam indigenæ, quam exteri citati, actionib. ſuis propoſitis, Regem de ſuo quiſq; iure edocere ſtudebant. Agebat Philippi cauſſam Dux Oſſunenſis: Ducis Sabaudiæ Carolus Rouerius: Reinutii Farneſii, Ferdinandus Farneſius, Epiſcopus Parmenſis. Regina Galliæ citata quidẽ non fuerat: ſed tamen & ipſa actionem inſtituit per Vrbanũ de S. Gelaſio, Epiſcopũ Comingenſem, qui non ſine labore obtinuit, vt ad agendũ admitteretur. Videbatur. n. Rex magnis dubitationũ fluctib. agitari, dum ab vna parte propter beneuolentiã qua Duciſſam proſequebatur, omnes excludere, & ab altera, præ nimio Regem Philippum excludendi deſiderio, omnes promiſcue admittere conatur. Ceterũ vicit odiũ beneuolentiam, & effecit, vt cũ ſumma ſua ipſius ignominia, pateretur à Regina allegari ipſum regẽ Henricum, à quo ſibi iuſtitiam adminiſtrari petebat, & vndecim reges, qui ipſum anteceſſerãt, fuiſſe nothos, & illegitimos. Huc. n. reginæ rationes tendebant. Et licet nonnihil dubii moueret circa mandatũ Epiſcopi: tãdem tamen, cũ de alio mandato, intra certũ tempus proferendo, cautionẽ præſtitiſſet, ipſi ad agendũ admiſſo aduocatũ adiunxit. Præcipua competitorũ argumenta talia erãt. Antonius poſt 50. ann. decurſum (toto. n. hoc tempore nihil tale aſſeruerat) omnino pro legitimo ſe venditãs, ſine controuerſia ſucceſſionẽ regni ad ſe ſpectare dicebat, ſeq; tanquã maſculum à maſculo deſcendentẽ, ratione patris ſuperare ętatem, qua Philippus eũ anteibat: ratione ſexus ſe duciſſa Bragãciæ: ratione ætatis, & propinquitatis Rainutio Farneſio eſſe potiorẽ. Philibertus Dux Sabaudię & ipſe nondũ ſpem omnem obtinẽdæ ſucceſſionis deponebat. Sed tamen quia in illũ tantum caſum, ſi Philippus ante Henricũ moreretur, ſe principe Caſtellæ propinquiorẽ eſſe probare conabatur, minus, quam ceteri laborabat. Pro Reinutio Farneſio validæ rationes adducebantur, & pro ipſo I. Cti Patauini conſiliũ conſcripſerant. Vt autem eum contra proximitatẽ, qua à reliquis competitorib. vincebatur, tuerentur, dicebant ſecundum ius purũ, & ſimplex quot filios rex aliquis relinquit, tot inde promanare primogenituras: harum primã lineam ſuccedere, donec durat: ea finita, ſuccedere ſecundam, & ita deinceps. Iam autem Eduardum, auum Reinutii maternum, eſſe caput ſecũdæ primogenituræ filiorum regis Emanuelis: & ideo, prima per mortem Sebaſtiani plane extincta, merito ſuccedere debere lineam ſecundæ primogenituræ, donec durauerit: per quam de gradu in gradum deſcendendo inueniri Reinutium: Philippum vero, & Philibertum, quamuis eſſent competitores maſculi, & legitimi: tamen tanquam ex linea feminina deſcendẽtes, nõ poſſe admitti ad hęreditatẽ, donec hęredes ex primogenitura maſculina deſcendentes ſuperuiuerent: ex quorum numero ipſe eſſet: cumque neque duciſſa,

quippe

quippe femina, neque Antonius, vtpote illegitimus ei obſtarent, ipſum neceſſario omnib. eſſe potiorem. Duciſſa Bragancia bene ſperans, & partim iuri ſuo, partim Henrici beneuolentiæ confiſa, prolixum & elaboratum conſilium conſcribi curauerat ab I. Ctis vniuerſitatis Coimbrienſis, qui, præterquam quod totius regni doctiſſimi eſſent, etiam ideo, quod regi ſe rem gratam facturos ſperarent, hanc quæſtionem, quam maxima fieri potuerat diligentia, excuſſerant. Nitebantur hoc fundamento, quod in regnis ſuccedunt hæredes vltimi poſſeſſoris: & quod in hoc ſucceſſionis genere leges beneficium repræſentationis concedunt: & (quia Doctores diſputant, vtrum nepotes hoc beneficio gaudeant, cum in hæreditate adeunda cum patruo non concurrunt) dicebant ſine dubio ſequendam eſſe partem adfirmatiuam, & feminas non tantum repręſentare gradum parentis, ſed etiam ſexum, & ius maſculinum. Cum itaque Duciſſa repræſentaret patrem ſuum Eduardum, filium regis Emanuelis, & fratrem Henrici, volebat omnes ſuperare: Regem Philippũ, vtpote deſcendentem ex femina, Antonium vt illegitimum, Reinutium, tanquam ab Henrico remotiorẽ: neq; admittebat vllas lineas, ad primogenituras, aut repræſentationem, eamque ad rem multæ Doctorum auctoritates allegabantur. Hoc conſiliũ impreſſum fuit, & miſſum ad Papam, & reliquos Principes Chriſtianos, apud quos magnũ pondus habiturum eſſe credebatur. Rex Philippus allegabat, ex nepotib. regis Emanuelis, qui ſupererant ſe natu maximum eſſe, & legitimum: Ac reliquos cõpetitores, qui manifeſto illum priorẽ eſſe animaduerterent, confugere ad fictiones & repræſentationes, quas in hoc caſu, & inter huiuſmodi perſonas à nullo iure concedi probabat, dicebatque ſe præterquam quod omnes in genere ætate ſuperaret, etiam ſingulos peculiari ratione vincere: Antonium quidem natiuitate legitima: Duciſſam ſexu, Reinutium proximitate, Ducẽ Sabaudiæ ætate Iſabellæ Imperatricis, matris ſuæ, natu maioris Beatrice, Sabaudi matre. Regnicolę dicebant extinctam eſſe lineam regum maſculinam, & hoc caſu ius electionis ad ipſos pertinere. Fulciebant hanc rationem exemplo Ioannis primi, ab ipſis electi: ſed hæc actio, tanquam nimis generalis, non magni æſtimabatur. Regina Galliæ rationib. miris, & cum tot regum ignominia coniunctis nitens, contendebat ſe per directam lineam ad Regni ſucceſſionem venire: aiebatque ex monumentis veterum archiuorum Franciæ, & ex antiqua Comitatus Bononienſis poſſeſſione ſatis probari ſe directo à Ruperto, filio Alfonſi III. & Matilde Comitiſſa prima, & legitima eius coniuge deſcẽdere, & ex illo tempore iniuſte regnum poſſediſſe poſteros Beatricis ſecundæ vxoris Alfonſi, ex qua quia deſcenderent omnes reliqui competitores, ipſos non plus iuris, quam maiores ſuos, habere poſſe. Verum enimuero Rex Henricus frigidius, quam pro rei magnitudine, & vitę ſuæ breuitate, in cõtrouerſia ſucceſſionis decidenda verſari videbatur. Inſtabant apud eũ ſubditi homines eo ingenio, vt etiã alias difficulter ipſis ſatisfieri poſſet. Cũ vero eum tam lente viderẽt hoc negotiũ tractare, & verbis & literis ſine auctoris nomine ſparſis cõquerebãtur, & querelas ſuas ad regis aures peruenire cupiebant. Dicebant inter alia vulnus in bello Africano acceptum, quod per Henrici ſucceſſionem aliquo modo ſanatũ fuerat, iam recrudeſcere, propterea quod animaduerterent vanam eſſe ſpem, quam conceperant fore, vt ille malis imminentibus medicinam adhiberet. Querebantur tempus, quod totum controuerſiæ ſucceſſionis diſcutiendæ tribuendum erat, in reb. minus neceſſariis & à propoſito potius alienis cõſumi. Nihil .n. niſi actiones cõtra eos, qui Regi inuiſi eſſent, & inquiſitiones iudiciales in res parui momẽti, inſtitui: pecuniã mutuo peti à mercatoribus in redemptionem Luſitanorum captiuorũ in Africa: noua vectigalia in perniciẽ ſubditorum inueſtigari, & alia huiuſmodi: quorũ nonnulla (vtpote redemptionẽ captiuorũ, & iuſtitiæ adminiſtrationem) cum tanquã per ſe bona, improbare nõ poſſent, ſaltem tempus & modũ, quo fiebant, reprehẽdebant. Porro digrediẽtes ab hoc propoſito (more hominũ maledicorum) miniſtros iuſtitiæ acerrime pungebant, oſtendebantq; illis eſſe animas venales, pauperes premi, diuitib. faueri, omnes pœnas aut eſſe pecuniarias, aut barbariem redolere, vtpote quę de induſtria ad pauperes & innocentes vexandos & diuites (qui quantumuis nocentes caſtigari non ſolerent) extollendos inuentæ fuiſſent. Redibant deinde ad demonſtrandum, quantum ſitum eſſet in matura litis de ſucceſſione motæ deciſione: oſtendebant non ſatis prudenter factum competitores citando & conuentum ordinum regni indicendo. Eſſe enim hæc omnia coniuncta cum longis ambagibus & ſi neutro horum ipſi ad ſceptrum adipiſcẽdum opus fuiſſet neque etiam ſucceſſorem illis indigere. Debuiſſe Henricum intra ſe, & de ſententia nonnullorum peritorum & fidorum Doctorum rem decidere, & pro ratione perſonæ, ad quam hæreditatem pertinere intellexiſſet, conuentiones & tranſactiones ita inſtituere, vt regni libertati quam maxime conſuleretur, excluſis ex parte ſatisfieret, & multis membris in vnũ corpus compactis, belli ciuilis periculum auerteretur.

Et ſane, vt verum dicam, hoc conſilium omnium maxime cum prudentia, & pietate erat coniunctum. Improbabant electionem gubernatorum, eoſque truncum ſine capite vocabant. Dicebant illos poſt mortem Regis nihil poſſe recte adminiſtrare: quia veriſimile erat fore, vt inter ipſos diſſenſiones orirentur, populus tumultuaretur, proceres imperium detrectarent, & vnuſquiſque competitorum Regis nomen ſibi vindicaret. Prædicebant Regnum ſciſſum iri in ſtudia contraria & hunc vni, alterum alteri factioni adhæſurum: & interim potentiorem partem vi rem geſturam. Sapientiores ceteris, metuebant vires Regis Hiſpaniæ vicinas, & ſemper paratas: & quanquam multi tantum de ipſius modeſtia ſibi pollicerentur, vt exiſtimarent eum eſſe poſt Henrici mortem ſentẽtiam expectaturum: tamen illi, qui vſu edocti, cupiditatem augendi imperii neſcire terminum, & modum, ac regna ſententiis Doctorum nec dari, nec adimi norant, magis, quam reliqui timebant. Vocabant tentationem eorum diabolicam, qui Regi Henrico matrimonium ſuaderent, & vel vnicum verbum de eo proferrent. Dicebant enim huiuſmodi homines non eſſe tam bene de Deo O. M. meritos, vt in ipſorum gratiam miraculum ederet. Rex motus his rationibus (quas ex parte ad ipſum delatas fuiſſe credibile eſt) maiori quam ante, cum ardore negotium ſucceſſionis tractare cœpit. Quoniam autem Prior, poſtquam iuramentum de obedientia gubernatoribus exhibenda præſtitiſſet, Almadam (quod eſt oppidum in ripa Tagi è regione Liſybonæ, vbi commorari ſolebat) ſe contulerat. Rex metuens, ne ille Almada Liſybonam, & vice verſa Liſybona Almadam more ſuo proficiſcẽs, incideret in Ducem Braganciæ, atque ita ambo, vtpote regni competitores, & de præeminentia etiam inter ſe certantes, & odia ac ſimultates mutuas exercentes, ad rixas, & verbera deuenirent, mandauit Priori, vt ſe in ſuum Prioratum Cratenſem reciperet. quod & fecit. Duci vero (quanquam aliquanto tardius) iniunxit, vt in ditionem ſuam reuerteretur. Prior citatus fuerat, ſed ita, vt ipſi non coram comparendi, ſed procuratores tantum mittendi copia fieret. Itaque Prior inique ſecum agi putans, miſit ad regem literas, in quib. ipſi gratias agebat, quod ad agendum fuiſſet admiſſus, & ſimul ſe pene relegatum eſſe querebatur. Oſtendebat Regem non debere permittere, vt ſibi facultas cauſam ſuam coram agendi denegaretur, cum Duci Oſſunenſi, Legato Regis Hiſpaniæ, & Duci Bragancię, iudicio intereſſe liceret. Præterquam enim quod ita futurum erat, vt non niſi cum maximo incommodo rationes ſuas proponere poſſet: illos etiam qui ipſum ex aula, interim dum negotium tanti momenti tractaretur, remotum viderent: gratia Regis quoque eum excidiſſe iudicantes, cauſam illius libere agere & defendere non auſuros. Sed laborauit ſine fructu. neq; enim Rex vllo pacto permittere voluit, vt Crato diſcederet: qua in parte quanquam mandato Regis non omnino ſatis fieret, (non raro enim hinc inde circumibat) tamen numquam in aulam veniendi licentiam obtinere potuit. Prima cauſa, quam rex diiudicandam ſuſcepit, fuit legitimitatis probatio, quam Prior promiſerat, & qua in re omnes competitores tacite ipſi aduerſabantur. Voluit hanc eſſe primam, vt & conſentaneum erat: quia à legitimitate Prioris, vel admiſſio eiuſdem, vel excluſio à ſucceſſione pendebat. Et quia principes ſedulò ſolent exequi ea, ad quæ impetu quodam feruntur, ob hanc cauſam, & vt rata maneret ſententia, quam ſuper hoc negotio eſſet pronuntiaturus, prius à Pontifice Romano clam impetrauit diploma, quo ipſi concedebatur poteſtas decidendi litem legitimitatis, idque ſine ſolenni iudicii forma, inſpecta ſola rei veritate. Examinatis itaque ſeuere teſtibus, argumentis quibuſdam acceptis, quibuſdam reiectis, & proceſſu iudiciali ad finem perducto, venit tandem ad ſententiam, quæ fundamento diplomatis Pontificii nitebatur. In ea repetebatur pene totus proceſſus, dicta quatuor teſtium, quorum duo criminis falſi conuicti fuerant (reuocarunt enim depoſitiones, & confeſſi ſunt, ſe ab Antonio ſubornatos fuiſſe) & reliqui duo erant ſuſpecti, quod & conſanguinei eſſent, & diſſentirent: in eadem referebantur verba teſtamenti Ludoici, patris Prioris, quibus ipſum diſerte nothum appellabat, vna cum multis aliis rationibus: quibus motus Rex declarabat Antonium (hæc ſunt verba ſententiæ) eſſe non legitimum, ſed illegitimum: & ſuper prætenſo matrimonio, & legitimitate vigore diplomatis Pontificii ſilentium perpetuum ipſi imponebat, reſeruata ſibi facultate in teſtes, & ipſum Priorem, prout ius & æquitas poſtularet, animaduertendi. Publicata hac ſententia, Rex Eduardum Caſtelblancum, pręfectum ſpiculatorum, miſit Cratum ad comprehendendum Priorem, quanquam vulgo exiſtimaretur, hoc potius metus Priori incutiendi gratia, quam alium ob finem factum fuiſſe, ideo quod credibile erat (vt & poſtea euenit) Priorem aduentum præfecti non expectaturum. Interim Rex Hiſpaniæ plenius & exactius inquiſiuerat in ius, quod ſibi in regnũ hoc competebat. Etſi enim ſtatim ab initio, Doctores Hiſpani, quos conſuluerat, ipſum proximum hæredem eſſe adfirmaſſent, tamen certiora hac de re etiam ex Iuriſconſultis exteris, & inprimis Luſitanis exquirere

Dig

quirere ſtuduit. Hi ergo rationibus ſingulorum competitorum in vtramque partem pro more diſputatis, concluſerant, Philippum hæredem eſſe ſine controuerſia, vtpote qui eſſet omnium cognatorum Henrici ſolus proximus, natu maximus, & legitimus, & propter has rationes omnes & ſingulos competitores excluderet. Antonium habebãt pro illegitimo notorie: propterea quod in hac opinione & vixerat & mortuus erat Ludoicus ipſius pater, vt adparet ex eiuſdem teſtamento. Quamuis autem legitimationem à Pontifice potiiſſet: tamen, etiamſi illam forte obtinuiſſet, nullam legitimationem ſiue regiam, ſiue pontificiam ad regni ſucceſſionem obtinendam prodeſſe. Philibertum Ducem Sabaudiæ paucis verbis amouebant, dicentes, eum natu minorem eſſe Philippo, & filium Beatricis, natu minoris ſorore ſua Imperatrice, matre Philippi, & in regnum diuiſionem non cadere. Quantum ad Reinutium, negabant rationes à primogenitura petitas, quibus ille nitebatur: & præterea aiebant illas ſine periculo cõcedi poſſe, propterea quod ipſi Doctores, qui hoc fundamentum adducebant, ſtatuerent inutile eſſe primogenituræ ius, niſi iam ante extiterit in eo, qui illud vult ad alium tranſmittere. Et quia Eduardus tot annis ante, quam Henricus ſuccederet vel vnquam de ſuccedendo cogitaret, mortuus eſſet, non potuiſſe illum habere ius, vel ſpem aliquam, quam ad deſcendentes ſuos tranſmitteret. Parui itaque faciebant, ea, quæ à Reinutio de agnatione, primogenitura, lineis imaginariis, & tranſmiſſionibus allegabantur, dicebantq; eos, qui omnium maxime ſubtilitatibus nituntur, ſemper illas fulcire adminiculo repræſentationis, ſine qua nullas vires habent. Iam autem Reinutium ad repræſentationem confugere non poſſe, ideo quod eſſet conſtitutus extra gradum, in quo leges illam concedunt: & per conſequens illum à Philippo excludi. cõtra Duciſſam Braganciæ dicebant, quia regna eſſent antiqui iuris gentium, illorum ſucceſſiones non debere exigi ad amuſſim iuris ciuilis, pleni ſubtilitatib. & fictionibus, quas poſt tot annos Imperatores inueniſſent. Et licet Reges abſoluti Ius ciuile in ſua regna ad commodiorem iuſtitiæ inter ſubditos adminiſtrationem introduxiſſent: tamen illos non propterea mutaſſe ſimplices regulas naturales ſucceſſionis regiæ: quas dicebant in hoc caſu ſequendas, perinde ac ſi eueniſſet ante, quam naſceretur Iuſtinianus, qui fuit inuentor iuris repręſentationis: & parum ad rem facere, quod nonnulli Doctores ſucceſſiones regnorum ciuilibus inſtitutis temere ſubiicere tentaſſent. Ex his itaq; rationibus concludebant ius Philippi eſſe indubitatum: & ii, qui hanc opinionem amplectebantur, erant homines docti, & peritiores antiquitatis, quam vulgus I C. torum eſſe ſoleat. Ne autem quiſquam exiſtimaret, ipſos hæc in medium adducere, vt effugerent leges: profitebantur ſe etiam velle hac de re diſputare ex iure Cæſareo, perinde ac ſi lis inter duos homines priuatos de priuatis bonis agitaretur. Hac in parte probabant in regnorum hæreditate inprimis ſuccedi iure ſanguinis, vt vocant, id eſt, habito reſpectu primi inſtitutoris: & ſequendo hoc ius, perſonas competitorum per ſe ſolas conſiderandas ſine omni repræſentatione, & ſine reſpectu patrum ſuorum, non ſecus quam ſi omnes eſſent vltimi poſſeſſoris filii: & hac ratione Philippum intraturum in locum filii primogeniti Henrici. Dicebant etiam, quantumuis concederetur, quod Duciſſa volebat, nimirum in regnis non ſuccedi ſanguinis iure, ſed tantum iure, quod vocant hæreditarium, habito tantum reſpectu vltimi poſſeſſoris: tamen illam nullo modo ſeſe æquiparare poſſe Philippo. Repræſentationem enim qua illa hoc caſu niteretur, non concedi nepotibus, niſi cum patruo concurrant ſecundum opinionem antiquiorem, receptiorem, & probabiliorem. Addebant ſucceſſionem regnorum non tantum de iure gentium, vt ſupra dictum eſt, ſed etiam de iure ciuili expertem eſſe omnis repræſentationis, niſi per pactum vel conſuetudinem ſit introducta. Et etiamſi Duciſſa poſſet repræſentare gradum patris ſui, tamen non poſſe eam repræſentare qualitatem ſexus maſculini: immo eſſe iniquum, fœminam, gradu ſolo æqualem, & reliquis rebus omnibus inferiorem, præferri mari, in adminiſtratione regnorum, & minus illi proprium defectum nocere, quam defectus matris Philippo nocuiſſet. His itaq; fundamẽtis poſitis, ſtatuebant inter omnes nepotes regis Emanuelis potiorem eſſe illum, qui natu maximus, mas, & legitimus eſſet: hunc vero eſſe regem Philippum. Quamuis autem rationes ſubditorum, & reginæ Galliæ friuolæ, & tantum ad negotium Philippo exhibendum motæ eſſe exiſtimarentur: tamen etiam ad has accurate reſpondêrunt. Contra ſubditorum actionem replicabant, illos non plus priuilegii habere in eligendo rege, quam reliquos populos in Hiſpaniarum regnis, quæ per ſucceſſionem deferuntur, donec aliquis legitime natus ex ſtirpe regia ſupereſt: imo Luſitanos minus hac in parte iuris habere, quam reliquos, quod regnum Luſitaniæ partim ex donatione regum Caſtellæ, partim ex ditionibus virtute regum Luſitaniæ acquiſitis conflatum eſſet: cumque ſubditi regnum primis regibus non contuliſſent, nullum poſſe caſum exiſtere, quo facultatem Regis vel nominandi vel eligendi ſibi arro-

gare iure poſſent. Ad id vero, quod de electione Regis Ioannis adferebatur, reſpondebant, illam rationem non tantum pro illis non facere, ſed etiam inde conſtare, regnum hoc caſu eſſe hæreditarium, propterea quod (præterquam quod id totum certæ factionis, victoria potitæ violentus clamor potius, quam legitima electio fuiſſet) ipſi tacite confeſſi eſſent, ſe non habere ius eligendi, donec legitimus heres ex linea regia ſupereſſet, dum ſe fundant in eo, quod Beatrix regina Caſtellę notha eſſet, vt docerent regnum incidiſſe in eum ſtatum, quo etiam cetera regna hereditaria regem eligere poſſunt, nimirum omnibus legitimis vltimi regis heredibus deficientibus. Aduerſus Reginam Galliæ dicebant ipſius actionē eſſe improbabilem, & pręſcriptam, propterea q. poſteri Comitis Bononienſis (ſi modo vlli ſint) nunquam hac de re quæſtionem mouiſſent: nec credibile eſſe, ſi hoc ius ad coronam illam potentiſſimam vnquam deriuatum fuiſſet, Franciſcum I. & Henricum II. principes adeo potentes, & prudentes illud negligere, aut diſſimulare voluiſſe. Ceterum veriſſimum eſſe, Comitiſſam Matilden nullos omnino liberos reliquiſſe, vt conſtaret ex ipſius teſtamento, q. eſſet in archiuo Luſitaniæ, in quo nulla liberorum ex Alphonſo conceptorum vel ab ipſa relictorum, fit mentio. Imo, antiquitatibus regni paulo penitius introſpectis, aiebant hallucinatum eſſe quendam hiſtoricum, qui adfirmat filium quendam regis, qui in templo D. Dominico ſacro Liſybonæ ſepultus eſt, eſſe filium Matildis: q. quanquam concederetur, tamen nihil ad rem facere, propterea quod non diceret illū habuiſſe liberos: immo in pueritia mortuum eſſe ſcriberet. Probabant pręterea Matildem liberos non habuiſſe, ex libello quodam ſupplici authentico, qui in eodem archiuo inuentus eſt, & in quo omnes Regni præſules Papam Vrbanum V. rogant, vt, quia mortua eſſet Matildis, excommunicationem ipſius cauſa cōtra regnum promulgatam abrogaret, & approbato Alphonſi cum Beatrice, ſecunda vxore, matrimonio legitimaret liberos ex ea natos, ne illis quidquā impedimento eſſet ad hereditatem regni huius adeundam. Vnde inferebāt, ſi Alfonſus legitimos ex Matilde liberos habuiſſet, non potuiſſe illum petere à Pontifice, vt iiſdem nothos Beatricis anteponeret. Addebant in Gallia hęc eſſe ſatis nota: immo ibi nuper impreſſum fuiſſe librum de genealogia familiæ Mediceæ & Bononienſis, vſq; ad reginam Catharinam: ex quo manifeſto adpareret, Matildem nō reliquiſſe vllos liberos ex Alfonſo poſteriori marito: priorem autem eius maritum fuiſſe Philippum, filium Philippi Auguſti regis Galliæ, & ex eo matrimonio natam fuiſſe filiam, nomine Ioannam, quę non ſucceſſit matri in ditione, quia iam ante ſine liberis mortua erat. Itaq; ſucceſſionem delatam ad Robertum, filium Aliſæ, ſororis Matildis: & hunc eſſe illum Robertum, à quo deducere conarentur genealogiam Reginæ matris, cum tamen ille nepos ex ſorore, & non filius Matildis fuiſſet. Cum itaque nullo modo probaretur Alfonſum 3. liberos ex priori matrimonio ſuſcepiſſe, imo cum ſatis de contrario conſtaret, concludebant reginam neq; actionē vllam habere, nec in tempore illam propoſuiſſe. Innixus ergo Rex Philippus his fundamentis, miſit in Luſitaniam, vt Duci Oſſunenſi adeſſent, Rodericum Vaſquium, & Ludoicum Molinæum, Doctores Iuris, & auditores conſilii regii, ornatos titulo legatorum. Habebant autem illi in mandatis, vt extra iudicium Regi Henrico ius manifeſtum, & cauſæ bonitatem Philippi oſtenderent, hac tamen lege, ne quid facerent, ex quo in Regis Henrici iuriſdictionem conſenſiſſe videri poſſent. Cum Liſybonam veniſſent, vna cum reliquis miniſtris Regis Hiſpaniæ, habita deliberatione, negocium ſucceſſionis eo, quo iuſſi erant, modo propoſuērunt, regique prolixum ſcriptum, quo rationes Philippi continebantur, exhibuerunt. Verum cum initio Rex vehementer in partes Duciſſæ Braganciæ propenderet, aliquandiu fruſtra laborārunt, antequam regi perſuadere poſſent, Philippum iuſtam cauſam fouere. Vſi ſunt omnino illis artibus, quæ ipſis ad rem facere videbantur: & non tantum in rege, & intimis illius, ſed etiam in nobilibus, & proceribus perſuadendis Chriſtophorus Morus ſingularis induſtriæ ſpecimina edidit: ita vt partim argumentis, & rationibus, partim muneribus, promiſſis, factis, verbis, & ſcriptis in partes Philippi pertraheret, quotquot poterat: Et ſane hoc artificium nobiles illos argento, & promiſſis tentandi, valde tum profuiſſe videtur. Quanquam vero Philippo hæc via, per quam ad ſcopum ſuum ſe peruenturum ſperabat, bona videretur, tamen non vſq; adeo illi confidebat, vt quoniam Luſitanos homines pertinaces eſſe non ignorabat, armorum adminiculum non adhibēdum eſſe exiſtimaret. Itaq; cum illum non fugeret, quomodo Rex Henricus erga ſe adfectus eſſet, animū induxit mature res ſuas ita comparare, vt ſi forte, rege Henrico mortuo, Luſitani ſponte ſe ipſius imperio nollent ſubiicere, vi poſſeſſionem regni celeriter adquirere poſſet. Quia vero vſus, & difficultates belli Granatenſis, iactura Goletæ, & defenſio inſulæ Maltæ, cum docuerant vnam nationē ſolam non pugnare tam forti animo, quàm adiunctam aliis (habet enim magnam vtilitatem, quod inter ſe de gloria certant) conſtituit militem ex diuerſis nationibus

ſcribe-

ſcribere, non ſecus ac ſi certo ſciret, ſe non niſi vi regnum illud obtinere poſſe. Quamuis autem vulgo exiſtimaretur, non magnis copiis opus fore contra Luſitanos, homines inexercitatos, & potentiæ ipſius neminem poſſe reſiſtere: tamen cum non ignoraret, nullius hominis vires tantas eſſe, quin poſſint alterius alicuius viribus ſuperari: exiſtimabat, ſibi nõ pauciores quadragies mille peditibus conducendos: ideo quod Luſitani, etiamſi tales eſſent, quales diximus, tamen domi ſuæ bellum geſturi eſſent, quodq; ex totius regni turba promiſcua, odio & furore quodam impulſa, ac in vnum locum concurrente, ſexaginta hominum, ad pugnandum promptorũ, millia colligi poſſent. Cum ergo hanc ob cauſam validis & firmis copiis opus eſſe cõſideraret, Ignico Lopezio de Mendoza, Marchioni Mondegiarii, & tum temporis vices ſuas in regno Neapolitano gerenti iniunxit, vt paratum haberet peditatum Hiſpanicum, & naues, ac commeatum, quibus ad traiiciendum in Luſitaniam opus futurum eſſet. Petro Mediceo, magni Ducis Hetruriæ fratri, negotiũ dedit conſcribendi nouem millia Italorum: conduxit ſex millia Germanorũ, duce Hieronymo Comite Lodronenſi. Et licet in Hiſpania ex turba collectitia ſatis magnas copias conſcribere potuiſſet: tamen ſolos milites, qui ſtipendia merent, neruum exercitus eſſe ſtatuens, quantum maximum potuit horum numerum collegit; ſperans ſe Hiſpanis iſtis, qui adhuc tyrones erant, adiungere poſſe nonnullos ex iis, qui in Italia, & Belgio militauerant. Sed hæ copiæ tardius, & in minori numero coactæ fuẽrunt, quã rex mandaſſet. Viceregis enim Neapolitani ardor, quo initio regis iuſſa exequi cœperat, refrixit, & in negligentiam commutatus eſt, ſimulatq; intellexit, ſibi ſucceſſorem datum eſſe Iohannem de Suniga, Commendatorem maiorem Caſtellæ, ſeq; in Hiſpaniam reuocari. Nihilominus tamen milites ſcripti, & armis commeatuq; inſtructi, & per fretum Herculeum Gibilterram, & in alia Andaluziæ vicina loca deducti fuerunt, vnde poſtea ad limites Luſitaniæ contenderunt, poſtquam fames, & incommoda itineris numerum eorum, inprimis vero Italorum, valde imminuiſſent: quamuis numerus nouem millium in Hiſpania aliàs non ita exiguus videri ſoleat. Etſi autem toto anno tardius, quam rex iuſſerat, veniſſent: tamen ante venerũt, quam illis opus eſſet. Viuente enim adhuc Henrico, diu in iiſdem locis otioſi deſedêrunt. Hæc præuentio fuit actio principis magnanimi, & præditi iudicio. neq; enim dubitauit ſuſcipere in ſe onus alendi exercitum (quo non vtebatur) in finibus ſuorum regnorum, idq; donec viueret Henricus, cuius mors naturalis erat expectanda: cum tamen nemo adeo vicinus morti ſit, quin annum adhuc poſſit viuere. Quod vero Philippus maluit ſuſtinere ſumptus iſtos, quam incurrere periculum, quod certum eſſe videbat, ſi, moriente Henrico, ipſe ab exercitu imparatus eſſet, indicium eſt non prudentiæ tantum, ſed etiam vehementis deſiderii regnum illud quamprimum in poteſtatem redigendi: eaque in re vicit tum naturam ſuam, tum conſuetudinem nationis Hiſpanicæ, quæ propter moram, & lentitudinem ſæpe occaſiones rei bene gerendæ amittit. Triremes, & naues, quibus hæ copiæ vehebantur, appulerunt in portum S. Mariæ, qui locus totius claſſis congregationi fuerat deſtinatus. Pergebat Rex Henricus ſuccenſere Antonio, qui, quoniam ſpreto nouo regis mandato, quo ipſi, ne ad centum milliaria aulæ appropinquaret, interdicebatur, hic illic circumuagabatur regnicolarum animos ſibi concilians; rex cogitabat de via ſeuerius aliquid in ipſum ſtatuendi. Verum Prior, interim dum lis legitimitatis coram rege vigore diplomatis Pontificii agitabatur, veritus id, quod poſtea euenit, de conſilio Alexandri Formẽti, nuntii Pontificii in Luſitania ſcripſerat Romam ad Papam, conquerẽs de iniuſto patrui erga ſe odio, & rogans, vt Papa litem ad ſe auocatam ſolus decideret, quandoquidem Rex ſibi ſuſpectus eſſet. Papa itaq;, qui negaret ſibi vnquam animum fuiſſe Henricum abſolutum iudicẽ conſtituendi, vel facultatem ſententiam definitiuam pronuntiandi ipſi concedendi, per aliud diploma, Regi iniunxit, ne progrederetur in ea cauſa: & in ea nouos iudices creauit Formentum Nuntium, & Georgium Almedam Archiepiſcopum Liſybonenſem, nõ cum authoritate pronuntiandi, ſed hac lege, vt, cauſa cognita, acta ſibi Romam tranſmitterẽt. Hoc diploma miſſum fuit ad nuntium, vt illud redderet regi: cui ille per manũ notarii Apoſtolici id tradi iuſſit, veritus, ne alioquin traditum fuiſſe negaretur. Tulit ægerrime Henricus Papam hanc litem ad ſe auocare, tum propter ſentẽtiæ executionem, quæ erat magni momenti, tum propter iniuriam, qua ſe adfici putabat, cauſam, in qua iudex factus erat, ſibi è manibus extorquendo. Ira itaq; contra Pontificem accenſus, & maiori, quam ante, odio nepotis inflammatus, conſtituit vti poteſtate regia &, abiecto Commiſſarii Pontificii officio, propria auctoritate contra Priorem mandatis ſeueriſſimis fulminare incepit. Et quanquam nuntius, ſiue iuſſu Pontificis, ſiue (quod veriſimilius eſt) ſponte ſua Prioris partes tueretur, regiſque Hiſpaniæ parum ſe ſtudioſum proderet, tamen Henricus in cognoſcenda ſucceſſionis cauſa (quanquam frigidius aliquanto) progrediebatur. Citauit Priorem,

ed by Google

vt in aulam veniret: quod cum ille, metu alicuius periculi, facere recuſaſſet, valuis Palatij Rex edictum adfigi curauit, quo Priori terminus 12. dierum ad comparendum præſtituebatur. Prior, qui exemplum Edicti opera ſuorum miniſtrorum ſtatim nactus erat, magnam moleſtiam percepit, cum intelligeret, quam viam rex contra ſe eſſet ingreſſus: ſed tamen comparere non eſt auſus, quod exiſtimaret, ſi in manus regis incideret, facile fieri poſſe, vt illum odii vehementia ad ſeuerius aliquid in ſe ſtatuendum impelleret. Cum itaque decreuiſſet non comparere, voluit experiri, num litteris regis ira placari poſſet. Qua de cauſa ad regem ſcripſit, conquerens ſecum duriter agi, & conatus eſt oſtendere ſe nihil tale commeruiſſe. Dicebat ſe in mediis doloribus lætari, quod à rege in Edicto nepos adpellaretur, vt reuera eſſet, tanquam filius fratris: cui cum plurimum deberet totum Regnum, ſe ſperare fore, vt tantorum beneficiorum memoria non tam cito obliteraretur, etiamſi forte culpa ipſius merita patris ſuperaret. Reuocabat in memoriam, quanta obſeruantia ipſe, & reliqui reges ſuperiores patrem fuiſſent proſecuti, & quantæ admirationi hominibus eſſet futurum, ſi ipſum tam inclementer præter meritum ſuum tractari intelligerent. Quod vero Rex ita erat adfectus, eius rei culpam non transferebat in ipſum regem, ſed in peccata regni, & in malum animum quorundam Regis intimorum, ita vt partim ſe id, quod Deus Optimus Maximus decreuiſſet, patienter ferre, partim etiam de patruo, à quo impulſu nonnullorum hominum priuatorum iniuria adficeretur, merito ſe queri poſſe innueret. Et quia, cum ex captiuitate liberatus ex Africa in Luſitaniam rediiſſet, nonnulli dictitarant eum è prælio aufugiſſe, etiam huius rei, mentionem iniiciens conquerebatur ſibi iniuriam hac in parte fieri. Expoſtulabat cum rege, quod, ne homines commiſeratione ipſius adficerentur, noctu ex aula diſcedere iuſſus fuiſſet, nullam aliam ob cauſam, quàm quod pauca verba de ſua legitima natiuitate protulerat: cum tamen hæc verba vix fraternam reprehenſionem mererentur. Exaggerabat, quod relegatus eſſet in certum locum cum iactura exiſtimationis, præſertim eo tempore, quo aduerſariis ipſius gratia valentibus, & cognatorum præſidio cinctis, cauſam ſuam viua voce coram proponere, & agere concederetur. Adfirmabat diploma, quod Rex à Papa contra ipſum impetrauerat, eſſe ignominioſum, & refertum verbis inciuilibus, & in patris ſui ignominiam redundantibus. Et quanquã ipſe aliud diploma contrarium, per quod Papa litem illam ad ſe auocabat, impetraſſet, ſe tamen nihil noui tentare conſtituiſſe, ſed potius vitam triſtem, & miſerabilem degere, donec regi iræ ſuæ erga ipſum innocentẽ indulgere viſum fuiſſet. Querebatur ſe coactum fuiſſe exhibere probationes ſuas intra biduum, cum tamen multo maius ſpacium cuiuis priuato litigatori concedi ſoleret, & præterea ad multa, quæ petierat, reſponſum nullum ſibi datum fuiſſe. Vehementer conquerebatur de ſententia & mandato, quod de ipſo propter crimen falſi comprehendendo promulgatum fuerat; negans vnquam à ſe tale quid admiſſum; & ſimul inculcans, in publicis Regis tribunalibus non nimis aſpere in eos animaduerti, qui falſos teſtes produxiſſent.

Oſtendebat magno ſibi eſſe dolori, quod cõtumax, & regni perturbator vocaretur: & verbis patheticis ſe excuſabat, deplorans, interitum regni, quod aui ipſius acquiſiuiſſent, defendiſſent, ſuſtẽtaſſent. Non faciebat mentionẽ vllam de comparitione, ſed dicebat licere ſibi (quod & furibus liceret) abdere ſe in latebras, & conſpectum iudicis fugere. Et ſi crimina, quæ ſibi imputarentur, eſſent ex numero eorum, in quibus Regni leges reo, qui tutum acceſſum nõn habet, ad templum confugere permittunt, petebat à rege, vt ſibi ædem Cratenſem aſyli loco eſſe pateretur. Quod ſi vero propter peccata ſua etiamſi nepos regis, ſecundus à rege, ſubditus humilis, & obediens eſſet, patrui iram nulla ratione mitigare poſſet, ſe in anguſtiis ſuis Dei Optimi Maximi opem imploraturum eſſe adfirmabat. Petebat ſubmiſſe licentiam, à regis Edictis, ad regem ipſum, rectius de rei veritate edoctum, adpellandi, & exemplum eorundem edictorum, vt exceptiones ſuas poſſet opponere.

Poſtremo ſubiungebat, ſi ne hoc quidem ab ipſo impetrari poſſet, vt ſaltem hanc ſuam epiſtolam actis inſeri iuberet: quam quidem ipſe in eodem, vbi Edictum adfixum fuerat, loco (ad famam ſuam conſeruandam, & vt hominibus innoteſceret, ſe ſubditum, nepotem, & fidelem miniſtrum Regis eſſe) adfigendam curaſſet, niſi reuerentia, qua patruum proſequeretur, aliud ſuaſiſſet. Non mouerunt hæ litteræ vel tantillum animum patrui, & contra indignationem illius non plus potuerunt, quam exigua quantitas aquæ contra ingentem ignem: ita vt, magis magiſque excandeſcens, contra nepotem iudicialibus armis vti pergeret. Quamobrem paulo poſt nouam ſententiam, non tanquam delegatus à Papa: ſed tanquam Rex abſolutus, ne illa adpellationi obnoxia eſſet, pronunciauit, hoc conſilio, vt, ſi Prior comprehendi nequiret, ſaltem hoc pacto regno excedere cogo-

cogeretur. Per hanc ſententiam (in qua Prioris delicta, abſentia, cõtumacia, inobedientia, promiſſa, quibus nobiles, & plebem in ſuas partes conabatur pellicere, recenſebantur) priuabat eum omni iuriſdictione, præeminentia, honoribus, prærogatiua, immunitatibus, donis & omnibus beneficiis, quæ à prioribus regibus acceperat: iubebat eius nomen ex libris ſuis expungi: vetabat quidquam ei perſolui, pronunciabat eum non ciuem Regni, ſed exterum. Idem ſtatuebat in eos, qui ope & conſilio Priorem iuuarent, receptarent, aut quotcunque modo aliquid negocii cum ipſo haberent: mandabat Priori vt intra 14. dies regno exiret, quia ita cultus Dei, reuerentia regi debita, & Regni tranquillitas flagitaret. Quantumuis autem hæc ſententia eſſet tam ſeuera, tamen Priorem regno non potuit expellere: quia, cum ſummopere tum à plebe, tum à ſuis amaretur, tuto latitabat. Et licet dicis cauſa in monaſterium quoddam Hiſpaniæ ſe contuliſſet, tamen pauciſſimos dies ibi commoratus eſt, idque tantum in hunc finem, vt impetraret teſtimonium, quod Luſitania iuxta Regis edictum exceſſiſſet. Cum autem ad Philippum delatum eſſet de aduentu Antonii in Hiſpaniam, fuêrunt qui Regi ſuaderent, vt eum detineri iuberet, præſertim quia ea res etiam Henrico grata futura eſſet: ſed Philippo non videbatur expedire, cuius tamen conſilii eum poſtea pœnituit. Cum vero Antonius in Luſitaniam rediiſſet, & vulgo male adfectus, & propter ſententiam promulgatam regi iratus eſſe putaretur, cœpit Henricus metuere, ne quid ille in ſuam necem moliretur: & creuit ita timor, vt præter ſolitos ſtipatores, aliquot ſigna peditum ad Palatii cuſtodiam (id quod in hoc regno erat inauditum) conduceret. Interim Oratores Philippi Henrico ius ſui regis expoſuerant, demonſtratis etiam tum incommodis, tum commodis, quæ inde ſi regnum Philippo vel concederet, vel negaret, naſci poſſent. Henricus amore iuſtitiæ, ad quam ſponte ſua ferebatur, & belli metu impulſus poſtquam rem probe perpendiſſet, prioribus cogitationibus de Catharina in regni poſſeſſionem mittenda depoſitis, decreuit illud Regi Philippo, qua poſſet, commodiſſima ratione in manus tradere. Animo itaque ſuo duci Oſſunenſi, & Chriſtophoro Moro expoſito, dixit ſe cupere litem inter Philippum, & Regnum per transactionem componere, omiſſa ſententia: hac tamen lege, vt Philippus munera, & officia publica non niſi Luſitanis, & indigenis committeret, & nonnullas immunitates, & exemptiones, in Regni vtilitatem tendentes, concederet. Qua in parte manifeſto detectus fuit error Henrici, qui citatis competitoribus, & iudiciali proceſſu inſtituto, poſtea cum Philippo tranſigendum iudicaret: id quod ante fieri debuiſſet ſi fieri ęquum erat. Huius tranſactionis capita ad Philippum miſſa fuêrunt Madritum, adiunctis ab Henrico ſummis precibus, vt res diligenter cælaretur, quippe qui metueret, ne ſubditi ſententiæ illius aduerſarentur. Quamuis autem intelligeret fore, vt conſilium ſuum ad effectum ſine tumultu aliquo perducere vix, ac ne vix quidem poſſet propter plebem, & nonnullos nobiles contrariæ factioni adhærentes: tamen rem in conuentu ordinum, quanta maxima fieri poſſet animorum moderatione, & ſedatione deliberandam proponere decreuit. Hanc inexpectatam mutationem Regis, quidam putant Patri Leoni Henriquio, confeſſori Regio, & Ieſuitæ potius acceptam ferendam eſſe, quam argumentis miniſtrorum regis Philippi: & ab eodem Leone, cui Rex plurimum fidei adhibebat, etiam originem duxiſſe beneuolentiam, qua rex antea Duciſſam Bragancíæ complexus erat: poſtea vero iram regis Philippi metuentem regis animũ à Duciſſa abalienatum ita flexiſſe, vt Philippi cauſę fauere inciperet. Itaque menſe Octobri anni 79. Henricus denuo procuratores ciuitatum, & oppidorum Regni, & reliquos ordines ad conuentum vocauit, ſub hoc prætextu, quod haberet rem maximi momenti, quam ipſis exponeret. Hoc conſilium Henrici de indicendo conuentu, non probauit Philippus: vtpote qui, quam parum ſibi Luſitani fauerent, non ignorans, certo ſtatueret, illos in vnum locum congregatos nunquam conſentientibus ſuffragiis ſibi regnum adiudicaturos. Suadebat itaque Henrico, vt, omiſſo conuentu, ſucceſſorem ſe nominaret, quandoquidem in ſuperiori conuentu Liſybonenſi ab omnibus ordinibus ampliſſimam poteſtatem accepiſſet. Etſi omnino conſtituiſſet cum Ordinibus regni conſilium ſuum communicare, vt, omiſſa procuratorum congregatione, omnibus ciuitatibus, & ordinibus ſigillatim per literas ſententiam ſuam exponeret. Iudicabat enim Philippus illos diuiſos facilius quam congregatos, perſuaderi poſſe. Verum cum Henricus hoc conſilium ſequi non auderet, conuentum ordinum vrſit. In Italia, cum intellectum eſſet Regem Hiſpaniæ tam numeroſum exercitum conſcribere, varia erant hominum de hac re iudicia. Ciuitates, quæ vim Hiſpanorum metuebant, de militibus præſidiariis ſibi proſpiciebant: quidam credebant eum conſentire cum Xariffo Muleio Hameto, & ambos, iunctis viribus, tentaturos Algierium: Maurum vero deſcendiſſe in hanc ſocietatem metu Turcorum, quos Philippus, Mauro adiutore, ex illa prouincia, Hiſpaniæ tam vicina,

eiicere cuperet. Papa, cui notæ erant diſſenſiones Luſitanicæ, cum videret Regem Philippum tantum exercitum cogere, per nuncium ſuum Philippum Segam ei ſignificari iuſsit, ſe quidē perſuaſum habere, apparatus belli, ab eo factos, dirigi aduerſus infideles: veruntamen quia Luſitaniæ ſtatus is eſſet, quem omnes noſſent, eos contra illud regnum inſtitui videri poſſe. Cum ergo periculoſum eſſet bellum mouendo irritare animos populorum, qui interdum difficillime ſedari poſſunt: promittebat ſe arbitrum inter ipſum & Henricum fore, & operam daturum, vt controuerſia ſine armis componeretur. Rex verbis generalibus gratias egit Pontifici pro egregia ſua voluntate; Nuncio tamen, variis dilationibus interpoſitis, certum reſponſum dare diu intermiſit: propterea quod (vt rumor erat) magnis dubitationum fluctibus animus ipſius agitaretur. Ab vna parte iudicabat ſibi iā ſeneſcenti, & cuius hæredes infantes adhuc eſſent, quique (motibus Belgicis exceptis) tranquilla regnorum ſuorum poſſeſſione frueretur, nequaquam conuenire, in Hiſpaniis motui alicui occaſionem præbere: præſertim quia metuebat, ne dum ipſe (quem reliquæ nationes tanquam ſibi formidabilem, imperii ſui fines proferre nollent) in bello Luſitanico occupatus eſſet, interim in alia regnorum ſuorum parte aliquid tumultus oriretur. Et hac de cauſa non ingrati ipſi erant ſermones eorum, qui de tranſactione, & pace loquebantur. E diuerſo non nimium Papæ fidebat, & in arbitrum compromittendo ſe ſibi ipſi præiudicare exiſtimabat, pręterquam quod etiam antiquis exemplis, quibus aſtruitur ſedem Apoſtolicam in controuerſiis regnorum iudicem eſſe, nouum non temere addendum eſſe putaret. Iudicabat minori cum periculo ſententiam Henrici, quam cuiuſquam alterius expectari poſſe. Nam ſi Henricus pronunciaret, antequam ab ipſo in iuriſdictionem eius conſenſum fuiſſet, non poterat cogi ſententiæ ſtare ſi forte contraria eſſet: & nihilo minus ius armorum integrum manere videbatur. Cum itaque in iſta dubitatione verſaretur, tandiu reſponſionem diſtulit, donec de voluntate Henrici certior fieret: qua cognita, Nuncio dixit, quoniam iure tam aperto niteretur, & Regis animus erga ſe tam bene adfectus eſſet ſibi videri non opus eſſe arbitro: veruntamen ſi neceſſitas omnino tale quid requireret tum ſe Pontificis opera, & ſtudio vſurum. Aduerſa valetudo, & inquietudo animi valde Henricum exercebant, ita vt ſimilis eſſet lampadi propemodum extinguendæ, quæ iam ſplendorem magnum emittit, iam moritura eſſe videtur. Cum itaq; inuaſiſſet Henricum morbus, qui ipſi finem vitæ allaturus eſſe putabatur, conſiliariis regiis non viſum eſt expedire, vt declaratio gubernatorum poſt mortem regis differretur: ſed præſtare, vt eo viuo, quaſi in poſſeſſionem mitterentur, quod & ex parte factum fuit; Rege enim pene animam agente, arcam, cui catalogus gubernatorum incluſus erat, in templum Cathedrale Liſybonenſe deferendam curārunt: eaque aperta viderunt gubernatores electos eſſe Georgium Almedam, Archiepiſcopum Liſybonenſem, Franciſcum Sadam, primum cubicularium Regis, Ioan. Teglium, Ioan. Maſcaregnam, & Iacob. Lopezium de Soſa, præſidem conſilii tribunalis Liſybonenſis. Præſtiterunt hi iuramentum fore, vt gubernarent ſecundum leges Regni, & limites præſcriptos, quos Rex Henricus ſtudioſe explicuerat. Hæc ſolicitudo tam ſubditis, quam miniſtris regis Philippi mouit ſuſpicionem de morte Henrici, præſertim quia iam biduum amplius neminem ad eum admittebant domeſtici & conſiliarii: qui rem totam, quantum poſſent, cælaturi eſſe credebantur, vt eo plus ſpacii ad deliberādum, ad gubernatores in poſſeſſionem mittendos, & ad defenſionem parandam haberent. Etſi vero paulo poſt intellectum fuit Regem viuere, & ita conualeſcere, vt magna ex parte priſtinam ſanitatem recuperaret: tamen, quia communis opinio erat eum non diu ſuperuicturum, omnes omnium ordinum, in toto regno dubiis, & ſuſpenſis animis, quo res euaſura eſſet, expectabant.

Liber

Liber Quartus

ARGVMENTVM.

In hoc libro continentur varii ſermones Caſtellanorum, & Portugallorum de rebus Luſitaniæ: peſtis: Conuentus Almerinenſis: mors regis Henrici: regimen Gubernatorum: Antonii aſpiratio ad Coronam: teſtamentum regis Henrici: diligentia Philippi in inquirendo, an bona conſcientia bellum mouere poſſet: electio ducis Albani in Imperatorem exercitus, & priuilegia, quæ Luſitanis, ſi ſponte ſe imperio ſuo ſubiicerent, Philippus offerebat.

ALEBAT interea exercitum Rex Philippus in Hiſpania maiori cum incommodo, & ſumptu, quam ſi alibi eundem ſuſtentaſſet. Cum enim illa regio non nimium fertilis ſit, neceſſe erat commeatum ex locis remotis adferri. Inſtabat finis menſis Nouembris anni 79. & tamẽ ita incertus adhuc erat rerum ſtatus, vt non liqueret, vtrum tuto dimitti poſſet exercitus, an vero paulo poſt eius opera neceſſaria eſſet futura. Etſi enim Henricus erat viuus, & bene erga Philippum adfectus, tamen Luſitani obſtinatiſſimi erant contra Hiſpanos. Cupiebat Philippus ſemel certus eſſe de ſucceſſione, tum propter magnitudinem ſumptuum, quos ſuſtinebat, tum vt metu eorum, quæ accidere poterant, liberaretur. Itaq; non ceſſabat inſtare apud Henricum, vt ipſum ſucceſſorem declararet, adductis multis rationibus, cur ita conueniret: & multis etiam incommodis, quæ, ſi id non faceret, naſci poſſent, eaque omnia ita ambigue dicebat, vt, ſe non tantum cauſa, ſed etiam cauſam tuentibus armis valere, innuere, videretur. Quamuis autem huic petitioni minæ tacitæ miſtæ eſſent, tamen illa Henrico non diſplicuit: imo de induſtria eam publicari curabat, vt populo perſuaderetur, ipſum inuitum ad ſucceſſoris nominationẽ cogi. Porro vniuerſum regnum mœrore adficiebatur, quod videret Regem Hiſpaniæ exercitu inſtructum. Regem Henricum morti vicinum eſſe, & exiguum illud tempus, quod reliquum erat, in parui momenti rebus conſumi. Itaq; ſententiæ & ſermones varii erant, prout varii etiam erant adfectus & paſſiones. Illi, qui Priori fauebant, pene omnes tenuis conditionis homines, & in quibus lumen mentis obſcuratum erat, rationibus omnibus repudiatis, dicebant eum eſſe legitimum, & verum regni hæredem. Regem autem odio Prioris ardentem, abſoluta poteſtate eum iure ſuo ſpoliare conari, & hac in re omnes intimos regis cum ipſo conſentire, propterea quod, cũ rex ipſis ſuadentibus Priorem tam acerbe eſſet perſecutus, metuerẽt, ne, ſi ille ad regnum perueniret, ita, vt par erat, eos vlciſceretur. Atq; ita illos, ſalutem ſuam patriæ libertati anteponentes, regni ſucceſſionem, Priori ademptam, ad exterum aliquem deferre conſtituiſſe. Multi adfirmare non dubitabant Priori, quantumuis notho, ſceptrum deferendum eſſe, propterea quod nemo ex ſanguine regio, Henrico conſanguinitate propinquior, quam ille, ſupereſſet. Alii, in quibus plus poterat odium contra vicinos, quam beneuolentia erga quenquam ex competitoribus, dictitabant, ad quemcunq; tandem ſucceſſio regni ſpectaret, nullo modo imperium regis Hiſpaniæ recipiendum, ſed potius ad arma veniendum eſſe, & ſimul virtutem, & fortitudinem nationis Luſitanicę magnifice extollebãt. Addebant ſe imploraturos auxilium Gallorum, & Anglorum, de quo nullo modo dubitabant: exiſtimantes ſe hoc adminiculo ſuffultos regem creare poſſe ſuo arbitratu. Erant etiam quidam, (ſed pauci, & cordati) qui viribus Luſitanorum & Hiſpanorum accurate expenſis, intelligebant imperium Regis Philippi euitari non poſſe: ꝙ quanquam ipſis magno eſſet dolori, tamen dulcẽ futuram inter has duas nationes amicitiã, & his regnis coniunctis Luſitanos ex commerciis, & negotiationibus non mediocre lucrum percepturos eſſe ſperabãt. Non deerant etiã, qui pro ſuo libitu his de rebus iudicantes, dicerent Antonium, depoſito ordinis S. Ioannis habitu, nuptias contrahere debere cum filia Ducis Bragancię, & illis ita inter ſe reconciliatis, poſtea rẽ omni periculo cariturã. Rurſus alii exiſtimabant à Rege Philippo obtineri poſſe, vt concederet ipſis filium natu minorem, quem, tanquam futurum regem, ſuo more educarent. neque recte facturos Luſitanos, ſi hanc conditionem repudiarent,

quia ſufficeret illis regem proprium habere, quicunq; tandem ille eſſet. Hanc autem viam cum tentaſſet, vt aiunt, Henricus, paulo poſt Philippus ſe conſentire non poſſe reſpondit, quod hæc res cum iniuria filii primogeniti coniuncta, & inter poſteros ſuos in Hiſpania diſcordiarum veluti fomes futura eſſe videretur. Studium & induſtria miniſtrorum Regis Philippi interim apud nobilitatem plurimum effecerat, ita vt in numero eorum, qui tam variis ſententiis in contraria diſtrahebantur, pauciſſimi eſſent nobiles. nam magna ex parte vel ſponte ſua in partes Regis Philippi inclinabant, vel corrupti tacebãt, & ne ſententiam dicere cogerentur, ex aula diſcedebant. Ex quinq; gubernatoribus tres Philippo addicti erant. Et quamuis non adeo mirum eſſet in plebe (quæ pro ſolita ſua leuitate, & iudicii inopia plerunque deteriora amplectitur) tamen multis admiratione dignum videbatur, quod omnes omnium ordinum Luſitani promiſcue conſilium caperent, plane contrarium ei, quod merito capi debuiſſet in re tam ardua, in qua deliberandum erat diu, antequam ſemel aliquid ſtatueretur. Quidam enim animo à præiudiciis libero dicebant imperium Regis Philippi fugiendum eſſe nobilibus, qui apud Reges ſuperiores in honore & pretio fuiſſent. Quia eos Philippus pro more ſuo legibus & potentia in officio continere velle putabatur. E diuerſo vero plebem accipere debere ipſius imperium, quia illam amice complecti, & contra potentiorum iniurias tegere conſueuiſſet. Verum nihilominus contrarium fiebat: quia nobiles Philippo adhærebant, plebs eum auerſabatur. Plebi igitur vt ſatisfieret, & vt eriperetur illi opinio, in qua erat, magnopere cupiebant Oratores Regis Philippi, præter ea, quæ iam ante ſumma cum diligentia curauerant, publicare in toto regno iuſtitiam Regis, & clementiam. neq; enim in vulgus ſatis eſſe putabant, quod iam multos peculiariter his de rebus edocuiſſent. Aduerſarii illorum, (inter quos erant Camerales Liſybonenſes) captabant & ipſi occaſionem vulgo contrarias rationes, quibus nitebantur, exponendi: ſed neutris ad concionem verba facere licebat. nam non tantum prohibitum hoc erat, ſed etiam non omnes animum ſuum libere exponere audebant: itaq;, pars vtraq; ſcriptis cauſam ſuam agere, & promouere inſtituit. Etſi autem non eos aculeos ſcripta in animis hominum relinquunt, quos viua vox: tamen hoc caſu plus ſcribendo effectum fuit, quam orando fortaſſe effectum fuiſſet. nam ſcripta in multorum manus peruenerunt, ad quos viua vox non penetraſſet: & cum ſæpius relegerentur & ruminarentur, fortius hominum animis impreſſa fuere. Horum ſcriptorum complura ſine auctore circumferebantur: & nonnulla friuola erant, & ſine iudicio conſarcinata. Quæ vero paulo plus artificii habebant, & pro rege Philippo conſcripta fuerant: tendebant huc, vt populo error, in quo verſabatur, eriperetur, & terror incuteretur iis, qui plebem concitabant, poſita ob oculos rei magnitudine, & periculo armorum: excutiebant ſigillatim argumenta, & rationes competitorum: refutatiſq; omnibus, Regem Philippum reliquis potiorẽ eſſe oſtendebant. Actionis ab Antonio inſtitutæ iniquitatem & abſurditatem vehementer exaggerabant, quod & nothus eſſet, & etiamſi legitimus, & Philippo propior pronuntiaretur, tamen nunquã poſſe ex animis hominum hanc opinionem euelli, quin hac in re fraudem, ad regnũ vero hæredi extorquendum excogitatam, ſubeſſe exiſtimarent. Refellebant etiam argumenta eorum, qui populum legitimis hæredibus ſuperſtitibus, ius regis eligendi habere contendebant, adductis exemplis Pontificum, qui ſuam auctoritatem in nominando Rege Alfonſo primo, & Comite Bononiæ interpoſuiſſent: & licet concederetur Ioannem 1. electum fuiſſe: tamen dicebant hoc factum fuiſſe poſt victoriam in prælio obtentam, & quod Luſitani cauſarẽtur, nullos ſupereſſe hæredes, niſi nothos & ſpurios: imo ex hac ipſa ratione adfirmabant liquere electioni iam nõ eſſe locum, propterea ꝙ legitimus ſucceſſor in promtu eſſet. Oſtendebant Deum Opt. Max. qui 22. hæredes, omnes rege Philippo propiores ex hoc mundo euocaſſet, Luſitaniam cum Hiſpania cõiungendo voluiſſe brachium aliquod ſeculare corroborare, vt eo melius ſedem Romanam contra infidelium & hæreticorum inſultus tutari poſſet. Præter bonitatem cauſæ, & voluntatẽ Dei, examinabant etiam veluti in trutina, laudem, vituperium, damna & commoda, quæ ab vtrauis parte vel metuẽda vel ſperanda eſſent. Quantum ad laudem, dicebant non poſſe eſſe ipſis dedecori obediẽtiam, quam legitimo ſucceſſori præſtarent, præſertim, cum regna Hiſpaniæ, ad quorum ſucceſſionem rex Emanuel vocabatur, eius imperium tãta cum animorum promptitudine recepiſſent, cum tamen ſatis virium ad eum, ſi voluiſſent, repellendum haberent. Idem feciſſe regna Caſtellæ, cum ad hæreditatem adeundam veniret, Archidux Auſtriæ, quantumuis eſſet Germanus. Ridebant eos, qui dicebant Caſtellam Luſitaniæ non Luſitaniam Caſtellæ, acceſſionis loco adiungendam eſſe: & oſtendebant, nullum vnquam Luſitanorum in aulam Hiſpanicam veniſſe, quin humaniſſime exceptus ſummo honore adficeretur. nec iniuria, cum multæ nobiliſſimæ Caſtellæ familiæ ex Luſitania originem traherent. Opponebant

hebant validiſſimas rationes illis, qui verebātur, ne Luſitania opprimeretur ad exemplum Belgici, regni Neapolitani, & Ducatus Mediolanenſis. Dicebant Belgas ſemper clementer habitos, eiſque ex indigenis gubernatores præfectos: Hiſpanos vero ad nullam dignitatem vel officium promotos fuiſſe. Cum vero quidam proceres primum à Romana Eccleſia, & deinde à Rege (qui hanc impietatem ferre nollebat) defeciſſent: Regem illi bello impendiſſe quinquaginta milliones auri, idq; potius in commodum Eccleſiæ, quam ob aliā cauſam. Et quanquam Germani, Galli, Angli Belgas rebelles pecunia & milite iuuarent, tamen eas Regi prouincias illas è manibus extorquere non poſſe: imo, cum ipſi liceret tranquilla poſſeſſione Belgici frui, libertate Religionis cōceſſa, & magnos inde reditus percipere, tamen eum nolle hoc permittere, ne vim inferat conſcientiæ, & quia cultum Dei ceteris omnibus rebus anteponendum eſſe exiſtimet. Neapolitanos vero & Mediolanenſes vi eſſe ſub imperium Regis redactos: cumq; per ſe parum virium habeāt, & ab hoſtibus regis circumdati ſint, non poſſe eos iure queri, quod neceſſitate ita flagitante, apud illos Rex præſidia aleret: quaſi dicerent, ſi Luſitani ſponte Philippum ad regni ſucceſſionem admitterēt, fore, vt, tanquam boni, & fideles ſubditi, à præſidiis immunes eſſent, & ſine vllorum periculorum metu, facultates à patribus relictas conſeruarent: Sin vero, belli fortuna tentata, ſuccumberent, eodem modo, quo Neapolitanos, & Mediolanenſes, & fortaſſe etiam peius eos tractatum iri. Laudabant Luſitanos, tanquam fideles, morigeros, & dignos, qui amarentur: inuehebantur in animum vilem eorum, quos non pudebat vereri, ne à principe, cui ſe ſubmitterent, inclementius haberentur. Dicebant, quoniam Rex Philippus firmiter apud animum ita propoſuiſſet, & ad ciuitates Luſitaniæ ſententiam ſuam perſcripſiſſet: quia etiam ſpacium quatuordecim annorum bellum Belgicum in locis tam remotis contra tot reges, & contra ſubditos, qui imperium eius accipere parati erant (quanquam ſub iniuſtis conditionibus) continuaſſet, non eſſe veriſimile fore, vt tam cito ab oppugnanda Luſitania vicina, imbecilli, auxiliis deſtituta, & optimo iure ad ſe pertinente deſiſteret. Cōmemorabant multis verborum ampullis res geſtas Hiſpanorum. Dicebant, quādo Hiſpania arma ſumit, tum illam capere Regem Galliæ, captiuos abducere principes Germaniæ, vertere in fugam Turcas, extorquere Turcæ ex manibus Maltam, delere eius claſſes, deniq; alere perpetuo in Belgico exercitum iuſtum, & integrum, qui fundit, fugatq; hoſtes, Proceribus interim Hiſpaniæ quiete domi ſuæ viuentib. Ab his rebus geſtis deſcendebant ad conſiderationē virium, quas Luſitani tam potenti monarchæ poſſent opponere, & maiorem in modum vniuerſos & ſingulos rogabant, vt hāc rem ea, qua par erat, cum diligentia expēderent. Adfirmabant vnum hoc conſolari homines iudicio præditos, q. Luſitanorum exiguas admodum eſſe vires intelligerēt: quæ ſi tantæ eſſent, vt ſaltem per aliquot dies hoſtem remorari poſſent, & ad eas accederet pertinacia fatebātur, belli initio facto, Reges Indię littora vicina occupaturos, Mauros inuaſuros loca, quę Luſitani in Africa poſſident: Gallos & Anglos impreſſionem in Inſulas Oceani facturos: alios in aliis partibus aliquid imperio ſuo vi ſubiecturos, cum pernicie non tantum regni, ſe totius etiam orbis Chriſtiani. Adducebant exemplum regis Sebaſtiani, qui, q. vires ſuas metiri & expendere noluiſſet, ſeipſum in exitium præcipitaſſet. Quantumuis autem, quam imprudenter ille faceret, cuiuis intellectu facile eſſet, & à multis etiam expeditio illa tanquam infeliciter ſucceſſura non ſine lachrymis diſſuaſa fuiſſet: tamen Deum tum temporis iudicium illis ademiſſe (vt ſolet hoc adimere illis, quos vult punire) & iam adhuc adimere omnibus iis, qui auctores eſſent hæreditatis regni Philippo denegandæ. Inſtituebant comparationem inter amicitiam cum Hiſpanis & eam quam ſperarent ſe inituros cum Gallis, & enumerabant damna & rapinas, quibus Galli piraticam exercentes Luſitaniam vexauerant: & oſtēdebant, nullam fere rationem habitam fuiſſe eorum, qui hac de re in Gallia conqueſti fuiſſent: E contra magnifice efferebant concordiam, & quietem, quæ inde vſque ab vltima pace cum Caſtellanis facta, ſtudioſe & religioſe ab iiſdem conſeruata fuiſſet. Reprehendebant actiones Gallorum, vtpote qui nihil aliud agerent, niſi vt, ſub prætextu auxilii, pede in Luſitania fixo, paulo poſt dominatum ſibi vindicarent: aut, ſi hoc minus ex ſententia ſuccederet, nihilominus admitterentur ad alleganda iura ſui Regis, ne ipſis vnquam occaſio conquerendi deeſſet. Dicebant, etiamſi electio ad populum ſpectaret, & etiamſi Rex Hiſpaniæ nihil iuris in Luſitaniam haberet, tamen ad iugum Gallicum euitandum, eam cum Caſtella vniendam fuiſſe, vt eo melius poſſet priſtinam tranquillitatē conſeruare, & frenare rabiem Gallorum, qui multos Luſitanorum viuos in mare præcipitaſſent, vicarios duceſq; Regis Luſitaniç occidiſſent, idq; auſpiciis Regis Galliç. Ex vnione enim præter conſeruationem cultus diuini, & hoc cōmodi promanaturū, vt Galli perterrefacti à priſtina in Oceano prędandi cōſuetudine deſiſterent. Laudabant regē Henricū tanq̄ iuſtum & ſanctū: Luſitanos

melius conſilium capere non poſſe dicebant, quam ſi ad pedes Henrici prouoluti orarent, quoniam Rex Philippus erat dignitate primus, proximus, & natu maximus omnium ipſius cognatorum, vt in nomine Dei, ſubditos ei iuramentum obedientiæ præſtare iuberet; interpoſitis pactis ad libertatem regni pertinentibus iuxta formam donationis, olim à rege Emanuele factæ. Non eſſe negligendam hanc occaſionem, dum Henricus adhuc viueret: imo, depoſita animorum diſſentientium pertinacia, communi cõſilio belli pericula amouenda, nec committendum eſſe, vt poſtea inuiti, & coacti ſe poteſtati Hiſpanorum ſubiicerent, idq; tali tempore, quo nullam eſſent inituri gratiam. Sin vero illud ſtatim facerent, non tantum ſua conſeruaturos, ſed etiam alienarum facultatum hæreditatem lucraturos, propterea quod magnitudo regni Caſtellæ promiſcue omnes ſubditos regis Hiſpaniæ ad munera ſuprema admittit: id quod probabant exemplo Archiepiſcopatus Toletani, & iuris præſidendi in conſilio Regio: quibus duobus officiis, quantumuis omnium eccleſiaſticorum & ciuilium ſupremis, homines exteros, & non Caſtellanos preeſſe dicebant. Proteſtabantur, ſi aures clauderent rationibus his veriſſimis, & eas manifeſtis fraudibus patefacerent, fore vt domi ſuæ cædes, tormenta, latrocinia & incendia, quæ bellum comitantur, experirentur. Ab altera parte ad huiuſmodi literas reſpondebant Luſitani, ſe non cupere bellum, ſed conſtituiſſe vim, ſi qua ab illis inferretur, vi repellere; Adducebant multa argumenta ad probandam cauſæ bonitatem & potẽtiam ſuam, petita ex exemplis ſacræ ſcripturæ, in quibus pauci iuſtam cauſam fouentes magnum numerum hoſtium profligarunt. Negabant veriſimile eſſe, Deum per horum regnorum vnionem velle vnum ex brachiis Eccleſiæ Romanæ confirmare: imo, dicebant multa eſſe, quæ ſuaderent, metuendum eſſe contrarium, ſimulque in expugnationem vrbis Romæ, & alias Hiſpanorum inhoneſtas actiones inuehebantur. Laborabant vehementer in eo, vt probarent Priorem Crateuſem eſſe legitimum: Regem vero Henricum in hac cauſa diiudicanda ſe iudicem minime candidum præſtitiſſe. Non omittebant ius Duciſſæ Bragancię, eamq; gradu propinquiorem eſſe rege Philippo autumabant. Reprehendebant Philippum, q; iuri ſuo diffidens ad arma ſe conuerteret. Oſtendebant (idq; pluribus verbis, quam reliqua) ex cõiunctione cum Caſtella, ad ſe nihil quidem vtilitatis, vel honoris: ſatis multum vero damni, & ignominiæ redire poſſe: quantumuis ampliſſimis & maxime perſpicuis conuentionibus ſibi cauerent: id q; probabant exemplo Belgici, & Arragonæ, innuentes mores, & imperium Hiſpanorum Belgis cauſam ab eccleſia Romana, & rege ſuo deficiendi prębuiſſe. Dicebant ſubditos regis Hiſpaniæ cuiuſcunque eſſent nationis, ſi ad ſoluenda tributa, & belli incommoda ſuſtinenda, promti eſſent, haberi pro ſubditis: Verum in diſtributione honorum, in cõceſſione immunitatum, & beneficiorum collatione illos non agnoſci. Parui faciebant potentiã Regis, eo q; etiamſi forte aliis prouinciis eſſet formidabilis, diuerſa ratio eſſet in Hiſpania, in qua conſtaret, eum nec propter regionis ſterilitatem numeroſos exercitus alere poſſe, nec propter ciuitates, & oppida minime omnium munita, in eandem militem exterum introducere audere: cui rei argumento eſſe poſſe dicebant exemplum belli Granatenſis, quod, quamuis contra pauciſſimos Mauros inermes gereretur, tamen cum tot incommodis, tot cædibus, tot periculis coniunctum fuiſſet. Addebant regi nullum paulo rei bellicę peritiorem Ducem reliquum eſſe: enumerabãt multos virtute præſtantes, qui olim magiſtro Carolo quinto vſi, & omnes mortui erant: in quorum locum neminem deinde ſucceſſiſſe dicebant, propterea q; conſtaret regem togas armis anteponere: Atq; hanc etiam cauſam eſſe, cur ille fines imperii ſui non protuliſſet, ſed inſuper etiam amiſiſſet Goletam, & ſeptendecim prouincias Belgici: multo vero maiorem iacturam ſine dubio facturum fuiſſe, ſi ipſo regnãte, cetera etiam regna reges habuiſſent: verum Galliæ, Angliæ, Luſitaniæ imperio toto illo tempore feminas, & pupillos præfuiſſe. Concludebant non eſſe credibile Regem Philippum, quantumuis minabundus militem cõſcriberet, bellum in Hiſpania moturum, nam ſi vires ſuas in hanc ditionem ſolam contraxiſſet, periculum fore, ſi vel tantillum aduerſi ipſi eueniret, ne qua prouincia tumultuaretur, & ne Galli, otii impatientes, hac occaſione & ipſi vterentur. Præterea illum, cum ſenex, & de vitę ſpacio incertus eſſet, conſiderare oportere, ſi poſſeſſione Luſitanię nondum pacifice fruens, & exercitu in Hiſpania coacto, moreretur, fieri poſſe, vt hæredes ipſius, qui impuberes eſſent, non tantum Luſitania exciderent, ſed etiam in Caſtella, & aliis ſuis ditionibus (vbi ſubditi reges ſuos minus quam in Luſitania, amarent) belli aleę exponerentur. Superuenit interim annus 80. qui Luſitanis infelix, & infauſtus accidit, non tantum propter bellum, quod paulo poſt ſecutum eſt, ſed etiam propter annonę caritatem, & peſtem. Cum enim ver, & æſtas ſicciſſima fuiſſet, ſecuta eſt meſſis adeo ſterilis, vt in multis locis agricolæ minus colligerent, quam ſeuerant: Ex Gallia vero, & Germania ſolito paucores naues frumẽto onuſtę appulerant. Sed hoc malũ,

reſpectu

reſpectu aliorum, erat tolerabile, propterea quod caritas nũquam adeo creuerat, quin pro precio res ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ haberi poſſent. Plus fuit mali in crudeliſſima peſte: quæ poſtquam in Italia, Germania, Anglia, & parte Galliæ graſſata eſſet, tandem etiam in hoc regnum, & inde in totam Hiſpaniam peruaſit: ſed nullibi magis ſæuiit, quam in vrbe Liſybona, vbi cum anno præterito leuia quædam eius initia depræhenſa fuiſſent, circa ver huius anni, inualeſcere cœpit & ſemper creuit, vſque ad autumnum, in quo remiſit. Sæuiſſima hæc peſtis, fortaſſis à Deo Opt. Max. ob peccata noſtra immiſſa non ex aeris corruptione, ſed ex contagione nata erat. Deriuata fuit in hoc regnum ab hominibus & mercibus quæ ex locis infectis veniebant, cumq; vrbs Liſybona magnam partem à muris nuda, & mercaturæ deditiſſima ſit, difficile erat prohibere, ne huiuſmodi tum homines, tum merces reciperentur. Clementia aeris, ſordes ciuitatis, nimius communis eſus piſcium, incuria magiſtratus (cui cura ſanitatis tuendæ commiſſa erat) in ægrotis à ſanis ſeparandis, & in reliquis rebus omnibus ſiue inſcitia, ſiue negligentia malũ nutriebant. Quia vero hoc morbo infecti, breuiſſimo temporis ſpacio moriebantur, & quia ille inſtar ignis, puluerem tormentarium incendentis, celerrime omnes, qui ad ægrotos accedebant, corripiebat, magnus ciuibus terror incuſſus fuit. Remedium & diæta erat incertiſſima. Etſi enim varii variis tum medicamentis, tum diætis vterentur: tamen multi ex illis promiſcue moriebantur. Tandem docuit experientia remedia lenientia, cornu monocerotis, & lapidem Bezuar plurimum omnium prodeſſe, quamuis multis ne hæc quidem vitam conſeruare poſſent. Maior pars nobilium, & eorum, qui re lauta erant, cum familiis ſe in hortos, & vineas ſuas conferebant: & quantumuis ruri etiam morbus graſſaretur, tamen ibi vel tutiores ſe fore ſperabant, vel ſaltem liberos à fœtore, & conſpectu tot funerum, & cadauerum, quæ ſingulis horis ob oculos verſabantur habitantibus in vrbe, in qua malum tantas vires adquiſiuit, vt nihil aliud niſi pheretra corporibus mortuis onuſta cernerentur, & impletis omnium templorum, & cœmiteriorum ſepulchris, in plateis, & agris mortuos humare neceſſum eſſet. Hoc tempore Almerinum ad regem omnes regni procuratores, ad conuentum vocati, ſe contulerant: cumque vrbs Liſybona elegiſſet Emanuelem Portugallum, & Iacobum Salemam, qui eodem proficiſcerentur, non dederunt ſe in iter, quia à rege, tanquam homines ſeditioſi, reiecti & ab officiis remoti fuerant: & ideo in eorum locum ſubſtituerunt Phœbum Moniſium, & Emanuelem Soſam Pacecum. Erat exoſus regi Henrico Salema propterea quod veluti Syndicus Liſybonenſis, regi dixerat ſe intellexiſſe, agi non tantum de lite ſucceſſionis decidenda, ſed etiam de pactis conuentis, quæ quidem fas non eſſet, populo inconſulto iniri. Cum vero Rex reſpondiſſet populum eſſe tantarum rerum incapacem: ſubiecit Salema ſe mirari regem habere populum illum pro incapaci, quem tamen ipſe ſatis iudicii habere exiſtimaſſet, ad Coronam ſibi imponendam: quæ oratio regi indignationem mouit. Hæc mutatio procuratorum occaſionem præbuit variis vulgi ſermonibus. Rex enim aperte aduerſari populo, & non niſi ſibi gratos procuratores admittendo, vi in conuentu id, quod volebat, obtinere velle videbatur. Ceterum illi, quibus vera huius rei cauſa perſpecta erat, & qui Emanuelem cum tota familia Portugallorum merito in hoc caſu repudiatum fuiſſe norant, factum Regis laudabant. Erant Portugalli ſuſpecti. Nam cum Ioannes Portugallus, Epiſcopus Guardenſis, frater Emanuelis, altiores quam pro fortuna ſua ſpiritus duceret: non tantum æqualibus ſuis ſe anteponere non dubitabat, ſed etiam Cardinali, qui nondum Rex erat, debitam reuerentiam non exhibebat: vnde mutuum inter ipſos odium natum fuerat; cumque Cardinalis, vt æmulo alas incideret, ſcriptum, in quo Iohannis mali mores, vita diſſoluta & negligentia in adminiſtrando Epiſcopatu, continebantur, ad Papam miſiſſet, Epiſcopus Romam, ad rationem coram Papa reddendam proficiſci, veluti vi coactus fuit. Tulit longe moleſtiſſime Epiſcopus hoc incommodum, præſertim quod, cum Romam contendens in aulam Hiſpanicam diuertiſſet, Rex Philippus, cauſa itineris intellecta, eum, quantumuis, rogatus, in conſpectum admittere noluiſſet. Itaque etſi iam Cardinalis Rex factus eſſet, tamen odium non ceſſabat: cumque Iohannes ſe aliter eum vlciſci non poſſe videret, quam conſilia illius impediendo: intelligeretque eum hoc agere, vt regnum Philippo traderet; conſtituit manibus pedibuſque obluctari, & hoc pacto vna, eademque opera iniuriam ab vtroq; rege ſibi illatam vindicare. Inita itaq; conſpiratione, Epiſcopus, Emanuel frater, Franciſcus Comes Vimioſius, nepos illius, (qui & paternas & proprias ſimultates cum Cardinale exercebat) & alii cognati, & amici, adhærere partibus Antonii, Prioris Cratenſis, eum ad regni coronam euehere, aura populari freti conſtituerunt. Ceterum, Rex Henricus, cum iure Philippi cognito, decreuiſſet eum ad ſucceſſionem regni vocare, & indicere conuentum, miſit Paulum Alfonſum Doctorem, cuius fidei

multum tribuebat, Villauizoſam, vbi erat ſedes Ducis,& Ducisſæ Bragancię, vt illis indicaret: regem, qui ſucceſſionem iure ad Philippum pertinere, & ſentētiam iamiam pro ipſo pronunciandam eſſe, videret, voluiſſe eos in tempore admonere, vt cum Philippo tranſigerent. Verum illi, hanc admonitionem parui facientes, & in alium ſenſum eam interpretantes, neglexerunt hanc occaſionem, ad quam amplectendam eos etiam miniſtri Hiſpanici cohortati fuerāt. Interim inchoatus fuit primus actus huius conuētus in palatio Almerinenſi 9. die Ianuarii, præſente Rege, quem, quia vehementer ægrotabat, ſellæ inſidentem importârunt: Antonius autem Pignerus, Epiſcopus Leinenſis, homo eloquens, orationem habuit multis verborum luminibus inſignem. Dicebat Regem omnes curas ſuas, cogitationeſque conferre ad promouendam vtilitatem communem totius orbis Chriſtiani, ad conſeruandam & augendam religionem noſtram Catholicam, pacem, & tranquillitatem ſubditorum. Quia vero cuperet ſatisfacere officio ſuo, & veſtigiis priſcorum regum, & maiorum ſuorum, vt & in tota vita ſua feciſſet, inſiſtere, ac, tanquam Princeps, iudicio maturo & longo vſu præditus, & prudens rerum æſtimator, intelligeret, quanti Reipublicæ intereſſet, ſe viuo declarari, quis poſt mortem ſuā ſibi iure ſucceſſurus eſſet; eum maximam cogitationum partem ponere in litis illius deciſione, idq; tanta cum ſolicitudine, & animi contentione, vt, dum neq; varietate multorum, & grauiſſimorum negotiorum, neq; diuturnæ inualetudinis incommodis ſe à propoſito auocari patitur, rem Dei benignitate, propead ſententiæ pronunciationem perduxiſſet, vt ab ipſis rogatus fuiſſet, & quod ab omnibus merito auidiſſime expectari deberet. Cum itaq; cauſæ deciſio in eo ſtatu eſſet, viſum eſſe regi, illos ad conuentum vocare, vt cum ipſis de multis ad religionem, tranquillitatem, & vtilitatem Regni ſpectantibus ageret; quæ omnia paulo poſt prolixius omnibus exponenda curare conſtituiſſet. Exhortabatur illos, vt reuocatis in memoriam myſteriis, quę ſuperioribus diebus feſtis, fidelibus Chriſtianis repręſentata fuerāt, orationibus, ſacrificiis, bonis operibus, & eleemoſynis ſe præparent ad recipiendā diuinæ ſapientiæ lucem, quam Deus ſemper communicaret illis qui ſe ad accipiendam illam pararent, & ſine qua omnis prudentia humana, quantumuis circumſpecta nihil recte adminiſtrare poſſet. Quod ſi facerent, Spiritum Sanctum vna cum gratia ſua in animis ipſorum habitaturum, mentes illorum illuſtraturum, voluntates illorum conformaturum, vt omnia, quæ agerentur, & à rege conſtituerētur, quam gratiſſima Deo eſſent, & quam maxime ad ipſius gloriam, propagationem religionis, & tranquillitatem, ac vtilitatem regni conducerent, quem ſcopum ſemper Rex habuiſſet, & quem præcipue haberet in præſenti negocio, quod vt cū incommodo valetudinis, ita cum ſanctiſſimo zelo ſuſcepiſſet. His dictis, Emanuel Soſa Pacecus, procurator vrbis Liſybonæ, ſurgēs, dixit: Quandoquidem diuina prouidentia inter tot regni calamitates ipſis Henricum Regem præeſſe voluiſſet, omnes ab ipſius virtute ſibi polliceri, fore, vt malis imminentibus mature remedium adferret. Omnibus perſpectum eſſe regem, amore & ſtudio pacis inter ſubditos conſeruandæ, ne quidem propriæ valetudini parcere: & pro tanto beneficio illos Regiæ Maieſtati, quantas maximas animo concipere poſſent, gratias agere, ſimulq; demiſſe offerre antiquam, & conſtantem fidem, amorem & obedientiam, quam Luſitani ſuperioribus regibus, maioribus illius, præſtare conſueuiſſent. Hac oratiuncula finita, tympana pulſari cœpêre, & Rex in conclaue ſuum reportatus fuit. Quia vero oppidum Almerinenſe paruum eſt, omnes Procuratores diuerſabantur in vico Sanctarenæ, qui non procul inde in oppoſita Tagi ripa ſitus eſt, & in monaſterio S. Franciſci conſultatum conueniebant. Rex totus erat in eo, vt ex conuentu aliquis fructus perciperetur, & alternis comitate & ſeueritate vtebatur: veruntamen valde metuebat, ne fruſtra laboraret. Etſi enim effecerat, vt Liſybonæ procuratores eligerentur, qui Regi ſatisfacerent: tamen in reliquis ciuitatibus non ſtatim idem obtinere poterat: præterquam etiam quod non ſatis ſciret, quibus potiſſimum fideret. Et intelligebat Conimbrienſes tumultuari, & Camerales eius vrbis vna cum nonnullis ciuibus, Prioris Cratenſis partibus addictis, de negotio ſucceſſionis ignominioſe loqui: quo quanquam ad tumultum ſedandum, & ſeditioſos puniendos Martinum Correum Syluium ablegaſſet, tamen ille à Conimbrienſibus ſannis exceptus, re infecta, redierat. Nec profuit quidquam, quod Rex hanc ob cauſam Arriam Gonzaleſium Macedium procuratorem illius ciuitatis, in vincula coniici iuſſiſſet. Fuit enim paulo poſt liberatus. Cepit Rex magnam voluptatem ex reſponſo, quod ipſi ordines Eccleſiaſticorum, & nobilium dederant. Cum enim ipſis demōſtraſſet, quantum ponderis haberet actio regis Philippi, & dixiſſet conſultum ſibi videri, vt cum eo tranſigeretur: illi magna cum animorum ſubmiſſione gratias egerunt. Hoc tamen verum eſt, inter nobiles diu diſceptatum fuiſſe, antequam communi conſenſu in hanc ſententiam deſcenderent. Cum enim in vniuerſum eſſent 28. & res ſuffragiis ageretur, vnico voto

Rex

Rex Philippus ſuperior fuit non ſine magna contrariæ factionis indignatione: qua in parte magnam vim habuerunt ſollicitationes, & promiſſa miniſtrorum Hiſpanicorum: Henrico vero plurimum moleſtiæ deinde exhibuit obſtinatio tertii ordinis, qui in omnibus rebus ipſi contradicebat. Erat communis opinio Phœbum Monizium, procuratorem Liſybonenſem, Regi aſtipulari, & ea de cauſa Regem operam dediſſe, vt eligeretur. Verum ſtatim in prima conſultatione procuratorum, quæ inſtituta fuit 13. die Ianuarii, manifeſto animum ſuum detexit. Cum enim omnes conueniſſent, ipſe, tamquam conſilii illius princeps, oratione inſtituta Luſitani, inquit, magis factis delectantur, quam verbis, itaque vtpote Luſitanus (etſi vulgo pro tali non habeor) pauca in medium allaturus ſum. Sane credo nos omnes in Miſſa Spiritus Sancti, quæ iam celebrata fuit, Deum oraſſe, vt omnes noſtras actiones ad ſui nominis gloriam dirigat. Hic enim ſcopus omnibus nobis debet eſſe propoſitus. Nos habemus Regem Sanctiſſimum, & ideo credibile eſt, eum non conuocaſſe nos in hunc locum, niſi vt in exiſtimatione noſtra conſeruanda, & Reipubl. vtilitate promouenda, nos iuuet. Hoc regnum elegit nos procuratores: & omnium oculi in nos conuerſi ſunt, vt perſpiciant, vtrum dignos tanto honore elegerint. Demus itaque operam, vt intelligant ſe ſpe ſua non fruſtratos, & quanta maxima fieri poteſt cum induſtria, & circumſpectione in ea incũbamus, quæ ad ſalutem & vtilitatem omnium pertinere videbuntur. Non diſplicet mihi, quod ex nonnullis audiui, nimirum hoc negotium ſucceſſionis Deum ſibi in cœlo diiudicandum reſeruaſſe: vtamur hoc conſilio, imploremus omnes miſericordiam diuini numinis, præparemus nos non ſecus, ac ſi finis vitæ nobis immineret, obliuiſcamur omnium rerum terrenarum: quod ſi faciamus, ego vobis nomine ipſius polliceor, fore, vt non minus hic, quam in ciuitate cœleſti, nos tamquam dilectos foueat, atque complectatur. Ego vobis multum tribuo: voſque rogo, vt, ſi propter peccata mea, me titubare, &, ne veri Luſitani nomen amittam, periculum eſſe videritis, me ſuſtentetis, ac fulciatis, ne hanc tantam iacturam faciam. Semper enim paratiſſimus ero ſequi ea, quæ à vobis ſtatuta fuerint. Hæc verba, quæ dicta fuere maiori cum feruore, quam eloquentia, exhilararunt complures ex oratoribus qui metuebant, ne Phœb. contrariæ factioni ſtuderet. Itaque, diſtributis officiis, propoſuerunt, quandoquidem vrbs Liſybona, cum ex Doctoribus quibuſdam quæſiuiſſet, num ſibi ſoli, tamquam primariæ Regni totius ciuitati, ius eligendi Regem competeret, reſponſum accepiſſet, negotium hoc ad vniuerſum Regnum ſpectare: recte ordines facturos, ſi priuſquam à Rege vllum mandatum acciperent, ab eo licentiam peterent ius eligendi Regis ſibi vindicandi. Quod cum ab omnibus approbaretur, miſerunt duos procuratores, qui Regi petitionem ordinum indicarent. Cæterum illi ridenti vultu, & verbis ambiguis excepti, nihil aliud renuntiarunt, quam poſtero die Regem ordinibus reſponſum daturum. Interim autem dum hi duo in conſilium reuerſi referunt, quid effeciſſent, paulo poſt iuſſu Regis illos ſubſecutus eſt Epiſcopus Antonius Pignerus, & nomine Regis indicauit, conuentus ordinum tanto cum incommodo inſtitui: & res, de quibus in illis agendum eſſet, tam momentoſas eſſe, vt æquum eſſet celerrime iugulum cauſæ peti, multis rebus leuioribus omiſſis. Regem Hiſpaniæ ſtatim initio Regni Henrici petiiſſe, vt regni ſucceſſor declararetur, propterea quod, exquiſita multorum Iuriſconſultorum tum Hiſpanorum tum exterorum ſententia, certo ſtatueret ſibi hæreditatem illius deberi: Regẽ vero ſemper reſpondiſſe, cauſam diligentius cognoſcendam, & reliquorum etiam competitorum rationes audiendas eſſe: ipſumque hoc modo Philippum detinuiſſe, donec & ipſe diſceret, quiſnam iure ad ſucceſſionem vocaretur. Cumque hoc iam Regi compertum, & controuerſiam inter regem Caſtellæ, & Duciſſam Braganciæ verti notum eſſet, illum intelligere, ſi hæc declaratio, ordine iudiciali obſeruato, per ſententiam fieret, facile inde aliquid incommodi & damni Regno multis iam periculis expoſito, creari poſſe. Regem itaque non videre, quomodo rectius ſubditorũ tranquillitati conſuli poſſit, quam ſi hæc controuerſia finiatur, interpoſita tranſactione, eum in caſum, ſi Rex ante Philippum moriatur. Hoc enim modo optime ſaluti Regni proſpici, & competitori, qui optimam omnium cauſam foueret, ſatisfieri poſſe. Et licet adhuc res dubia eſſet, tamen hanc viam Regi tutiſſimam videri: id quod omnes illos etiam intellecturos ſperaret, qui rem diligenter expenderent. Cumque hoc negotium tanti eſſet momenti, Regem voluiſſe illud cum omnibus communicare, vt de ipſorum ſententia ſtatuere poſſet, quid hac in parte, & gloriæ Dei, & ſaluti Regni maxime conueniret. Regem ipſis diligenter commendare negotium, & velle, vt, poſtquam animo ſedato, & oculis tantum ad gloriam Dei, & vtilitatem Regni directis, illud tractaſſent, & expendiſſent, ſtatim ſententiam ſuam ipſi exponerent. Hæc oratio totum conſeſſum perturbauit. Expectabant enim reſponſum à Rege, vtrum illis regis electionem permitteret, nec ne. Cum itaq;

animaduerterent, tractari de negotio pene confecto, conſtituerunt miſſis illis, quæ Epiſcopus dixerat, denuo per internuntios reſponſum, ad ſuã petitionem à Rege flagitare: quod quamuis feciſſent, tamen non plus, quam antea, obtinuerunt: imo Phœbo Monizio (qui inter ceteros ad Regem miſſus fuerat) fortaſſe liberius, quam par erat, loquente, Rex, non ſine inſignis patientiæ exemplo, dixit, ſibi videri Phœbum veniſſe ira inflammatum. Subiecit Phœbus, ſe merito iraſci, propterea quod Regia Serenitas Regnum ad Caſtellanos transferre conaretur, quod ſi ad aliquem Luſitanum quicunque is tandem eſſet, perueniret, omnes acquieſcere velle. Poſtero die rediit Epiſcopus in conſilium, &, nulla data ad procuratorum petitionem reſponſione, indicauit ad Regem delatum eſſe, nonnullos ex illo conſeſſu perperam intellexiſſe id, quod de tranſactione Regia Serenitas dixiſſet, perinde ac ſi tranſactio inter Regem Caſtellæ, & Duciſſam Braganciæ inſtituenda eſſet. Cumque res longe aliter ſe haberet, viſum eſſe Regi neceſſarium, perſpicue ordinibus oſtẽdi, tranſactionem, quam cuperet promouere, tantum reſpicere Regem Caſtellæ, & hoc Regnum: & dicere ius eſſe dubium, tantundem eſſe, ac ſi diceretur, ſententiam pro Rege Philippo iamiam eſſe pronuntiandam. Hortari itaque Regem eos, vt conſiderent, quanto ſatius ſit finiri litem tranſactione, quam per ſententiam: monere, vt diligenter cogitẽt de his, quæ ipſis indicari curaſſet; æquum eſſe, cum res tam ardua ſit, & de qua ſalus Regni dependeat, eam ab omnibus probe intelligi. Cum diſceſſiſſet Epiſcopus, complures ex procuratoribus ira accenſi, cœperunt criminari Epiſcopum, quaſi Philippi partibus ſtudens, iniuſſu Regis orationem ſuperiorem ad eos habuiſſet. Neque enim eſſe credibile, Regem ipſi talia mandata dediſſe. Multi in conuitia proruperunt, & multi, antequam Epiſcopus finem dicendi feciſſet, eum interpellare tentarunt, quod ſuſpicarentur Regem parui pendere Conſilium, quod ne quidem reſponſo dignaretur: imo non dubitarunt adfirmare, eum non poſſe eſſe iuſtum iudicem in illa cauſa, propterea quod iam animum ſuum ſatis declaraſſet. Verum cum cogitaſſent ſibi parendum, ſi confiterentur Regem pronuntiaſſe vt Regem, & iudicem ſimul; mutata ſententia, dixerunt eum nondum quidquam declaraſſe, propterea quod rem adhuc pro dubia haberet. Miſerunt ad Conſilium Eccleſiaſticorum & nobilium, qui indicarent, quid ipſis euenißet, & ſimul de hac re apud illos conquererentur: inſtiterunt tertio apud Regem pro reſponſo: Rex ſe mox ipſis ſatisfacturum reſpondit, ſimulque poſtulauit, vt ne grauarentur paucis ex ordine ſuo delectis rei decernendæ facultatem committere. Recuſarunt hoc procuratores, veriti ne à competitoribus adeo potentibus arbitri vel vi oppugnarentur, vel aliqua alia ratione corrumperentur: & tãdem ſe nec paciſci, nec tranſigere vllo modo cum Caſtellanis velle aperte profeſſi ſunt. Cum autem Rex Henricus videret procuratorum in flagitando reſponſo pertinaciam, neque eos vel ad tranſigendum, vel ad negotium paucis committendum adduci poſſe, veritus ne, ſi ſententiam pronuntiaret, calumniis illa obnoxia eſſet, conſtituit, vt breuitati conſuleretur, omnibus quæ ante dicta fuerant, in pauca coniectis, deſiderio ipſorum ſatisfacere. Tertio itaque miſit ad Conſilium Epiſcopum, qui cum meliori, quam ante, auditorum gratia, dixit, quandoquidem non probaretur ipſis tranſactio, quam nomine Regis ipſis propoſuiſſet, Regem nullam amplius eius mentionem facturum, ſed facere illi copiam allegandi rationes, propter quas ius eligendi Regis ſibi competere exiſtimarent, hac tamen lege, vt intra bidui ſpatium argumenta ſua proponerent. Procuratores hoc reſponſo exhilarati, miſerunt qui Regi omnium nomine gratias agerent, ſimulque peterent ab eo licentiam monumenta quædam antiqua ex Archiuo depromendi, vna cum termini prorogatione. Temporis prorogationem Rex denegauit: monumentorum depromendorum arbitrium magiſtratui ſuperiori permiſit. Conceperunt ex hac conceſſione Luſitani ſpem magnam, Regem ſuo arbitratu eligendi: & nonnulli iuſto feſtinantiores profeſſi ſunt ſe cuiuis potius, quam Caſtellanis, imperium delaturos: idque non tantum plebeii, ſed etiam complures ex nobilitate: quorum nonnulli, quod nimis euidenter animos ſuos ad ſeditionem procliues declaraſſent, ex Conſilio excluſi fuerunt: cum interim illi, qui ad Regis Henrici voluntatem ſe accommodabant, præter promiſſa miniſtrorum Hiſpanicorum, etiam ab ipſo Henrico muneribus & beneficiis adficerentur. Competitores Regni ægre ferebant, Henricum in partem Caſtellanorum propendere: quidam ex iis conquerebantur, reliqui diſſimulabant, Dux Brabantiæ valde iuri coniugis ſuæ confidebat. Epiſcopus Parmenſis in Conſilium ingreſſus vehementer de Rege publice conqueſtus eſt: cui Emanuel Soſa ſapienter reſpondit, non eſſe, quod metueret, quia Rex nihil niſi iuſtitiæ, & æquitati conſentaneum ſtaturus eſſet. Rebus ita ſtantibus, vires Regis adeo fractæ erant, vt è lecto ſurgere non poſſet, & certiſſima mortis imminentis documenta daret. Nihilominus tamen vſque ad extremum ſpiritum numquam deſtitit incumbere in ea, quæ neceſſaria eſſe

videbantur.

videbantur. Hoc tempore viſum fuit Duci Braganciæ vocare Catharinam vxorem ſuam Almerinum, vt regem inuiſeret, ſuiſque perſuaſionibus apud eum efficeret, vt heres regni declararetur. Non nimium autem placuit hoc conſilium Henrico, cum quo locuta eſt Duciſſa liberrime: Cuius aduentu, & propterea quod iiſdem diebus Archiepiſcopus Eboranus, patruus ducis, canonicatum illius Eccleſiæ, ob redituum magnitudinem fructuoſiſſimum, Paulo Alfonſo conceſſerat, illi qui Regi Catholico addicti erant, nec mores huius doctoris, nec quam religioſe iuſſa regum exequenda ſint, norant, criminati ſunt eum quaſi non egiſſet cum Duciſſa ita vt in mandatis ab Henrico acceperat. Henricus cum attigiſſet vltimum diem Ianuarii, circa noctem intempeſtam expirauit: & fuit res admiratione digna, illum cœpiſſe animam agere ſub ipſum principium Eclipſeos Lunæ, exacte in illud tempus incidentis: & eadem, finiente Eclipſi, exhalaſſe: perinde ac ſi illud ſignum cœleſte in illius corpore tanquam viribus fracto, hoc ſubito efficeret quod in robuſtioribus aut omnino non poteſt, aut ſaltem non niſi progreſſu temporis, vt Aſtrologi volunt. Et ſane hora illa obſeruatu digniſſima fuit, quia eadem Henricus ante 78. annos in lucem editus fuerat. Monachi qui morienti adfuerunt, commemorant illum nunquam loqui deſiiſſe: rogaſſe circa decimam, quota hora eſſet: cumque illi reſponſum fuiſſet, dixiſſe ſe velle parumper quieſcere, ſed tamen iuſſiſſe ſe ante vndecimam excitari: dehinc in alterum latus inclinatum, aliquandiu ita iacuiſſe, donec à monachis vocatus, iterum quæſiuiſſet de hora: & cum vndecimam auditam eſſe intellexiſſet: ibi illum dixiſſe, porrigite mihi iſtam candelam, hora mea venit: & ita candela manu apprehenſa, paulo poſt expiraſſe, cum menſes ſeptendecim imperaſſet. Hic fuit vltimus regum Luſitaniæ, quorum linea maſculina vna cum eo extincta eſt. Et vt primo Luſitaniæ domino (quantumuis Comiti tantum) nomen fuerat Henrico: ita etiam poſtremus fato quodam idem nomen ſortitus fuiſſe videtur. Fuit corpore gracili breui ſtatura, & facie minuta: ingenio erat mediocri & beneficio linguæ latinæ ad aliquam eruditionem peruenerat. Semper habitus fuit caſtus: nec vlla alia re hanc angelicam virtutem maculauit, quam vxorem ducendi deſiderio, quo ſub vltimos vitæ annos affici ceperat. Inuenit nomen tenacis dando potius quam negando. Negabat enim raro, ſed dabat parciſſime: cupidus imperii tum Eccleſiaſtici, tum politici: amantiſſimus religionis, & fidei: veruntamen aſperitate in moribus monachorum & veſtalium cenſendis modum excedebat, Fuit Epiſcopus, Cardinalis, Gubernator regni, Præſes Inquiſitionis, Legatus Apoſtolicus & Rex: ſed quo altius aſcenderet, eo magis iudicii inopiam detegebat, propterea quod in ſuperiorum officiorum adminiſtratione omnia à miniſtris ſuo arbitratu geri paſſus erat, & grauiſſime de ſucceſſione controuerſiæ finem imponere neſciuerat. Opiniones ſemel conceptas tenaciſſime animo imprimebat: conſeruabat perpetuo iniuriarum memoriam: vnde fiebat, vt interdum in iudicando & exequendo affectibus indulgeret. Qua de cauſa monachus quidam, cui onus vitam auſteriorem amplectendi imponebat, dixit, ſe ei obtemperaturum, quandoquidem ſibi contra tale mandatum nullum auxilium humanum ſupereſſet. Henricum enim habere voluntatem hominis, auctoritatem Papę, & executionem Regis. Ad ſummam fuerunt in eo multæ, & magnæ virtutes: pauciora & minora vitia: ſed tamen virtutes, & vitia reddebantur quodammodo paria hac ratione, quod virtutes erant clerici, vitia principis. In tota vita illum multi metuerunt, amarunt pauci. Itaque nemo inuentus eſt, qui mortem ipſius defleret: quę acerba fuit tantum iis, qui boni publici amantes voluiſſent litem ſucceſſionis ante mortem illius finiri. Hæc acciderunt Almerini, vbi ſtatim conuenerunt ſupra nominati quinque gubernatores, vt quæ è re eſſe viderentur, ſtatuerent. Vtebantur autem titulo gubernatorum, & defenſorum regnorum Luſitaniæ. Verum initio poſt mortem Regis tam Almerini quam Liſybonæ expectabatur populi ſeditio, & ipſi gubernatores, ac miniſtri Hiſpanici metuebant. Oderant conuentum procuratorum regni, qui durabat adhuc Sanctarenæ, tum quod illi conſilio, tanquam ſuperiori, ſe obnoxios eſſe ægre ferrent, tum quod ex illo facile tumultus alicuius occaſio naſci poſſe videretur. Itaq; cœperunt procuratoribus verba dare, cum ipſi fortaſſe longe aliud animo agitarent. Quam ob cauſam miſerunt ad eos Martinum Gonzalezium de Camera, ſacerdotem nobilem, qui tempore Sebaſtiani in regni adminiſtratione tenuerat primum locum, quem tamen ſibi conſeruare neſciuerat. Etſi enim non erat diuitiarum auidus, & ſummæ integritatis, tamen erat tam aſper & difficilis, vt vulgo pro inexorabili haberetur. Miſerunt hunc, vtpote hominem popularem, & Regi Philippo parum amicum: cuius verba plus fidei, quam reliquorum, habitura eſſe, arbitrabantur. Martinus enumeratis ſigillatim mortis regis circumſtantiis, dixit gubernatores ſuperioribus Comitiis electos initium facere adminiſtrationis, & operam dare iis, quæ è re regni eſſe putarent. Quamuis autem incomparabilem

iacturam propter Regis Henrici mortem feciſſent tamen in cœlo, vbi eſſet, eum pro ſubditis ſuis intercedere; nec dubitare eos debere, quin gubernatores eo, quo par erat, cum feruore, & patriæ amore diligentiam adhibituri eſſent, vt tum Regno in electione Regis, tum vnicuique competitorum ius ſuum tribueretur. Præterea omnia inſtrumenta, & monumenta, quæ peterent ex Archiuo, ipſis conceſſum iri: gubernatores eos hortari, vt ſedate, & vnanimi conſenſu negotium tractarent, nec vel minimum motum in cuiuſquam priuati gratiam fieri ſinerent: gratum denique gubernatoribus fore, ſi, vt omnia eo rectius adminiſtrare poſſent, ab ipſis monerentur de iis, quæ quam maxime ad ſalutem regni conducere iudicarent.

Cum finē dicendi Martinus feciſſet, & ceteri tacerent. Phœbus Monizius reſpondit, illos non fugere, ex quinque gubernatoribus tres eſſe ſuſpectos, propterea quod, cum Rex ordines, vt in tranſactionem cum Philippo conſentirent, tentaret, ipſi non tantum Henrico adſtipulati eſſent, verū etiam vt hoc conſilium ordines ſequerentur, inſtitiſſent, ſummeque illud commendaſſent, nihil aliud ſpectantes, quam vt & morem gererent Regi, & priuata commoda augerent. Quod cum ita ſe haberet, æquum non eſſe, vt Gubernatores adeo ſuſpecti reciperentur: imo nullo modo illis obediendum, ſed alios in eorum locum ſubſtituendos. Et hanc eſſe vnanimem omnium ſententiam. Subiecit Martinus ſibi non videri conſultum, vt quidquam mutarent, nam ſi hoc facerent, fore, vt non tantum præſentem rerum ſtatum non emendarent, verum etiam pericula periculis, & incommoda incommodis cumularent. Præſtare itaque moram aliquam interponere, &, ſi deinceps gubernatores officium non facere animaduerterent, tum illos commodiſſime vti poſſe eodem hoc remedio, quod ſemper in promptu eſſent habituri. Quantumuis autem Phœbus regereret, remedium non ſemper fore ad manum, quod Comitia diutius durare non poſſent propter ſumptuum magnitudinem; tamen rationes Martini Gonzaleſii tantum ponderis habuerunt, vt conſentientibus ſuffragiis decerneretur deliberationem de mutandis gubernatoribus, tanquam rem mali exempli & non expertem periculi omittendam eſſe. Veruntamen procuratores vti voluerunt ea quam gubernatores conceſſerant, poteſtate, de rebus ad remp. ſpectantibus illos admonendi: & ſtatim conſcripſerunt nonnulla capita, quæ ab illis obſeruari volebant: nimirum, vt relicto Almerino, ſe conferrent Sanctarenam tanquam locum viciniorem, quietiorem, & tutiorem: vt dimitterent milites, quos alebant vt ſumptus non neceſſarii euitarentur: vt mitterent legatos, qui Regi Philippo indicarent illos, tanquam gubernatores regni, iuſtitiam ſincere adminiſtraturos, omnibus de ſucceſſione controuertentibus, rogare, vt rex ſibi hoc perſuadeat, nec permittat, vt in Hiſpania quidquam noui contra Luſitanos tentetur, vt quamprimum arcibus, & propugnaculis regni tam maritimis quam mediterraneis, de præfectis ſpectatæ fidei, milite, commeatu, ceteriſque rebus neceſſariis proſpicerent: vt in ſingulas prouincias mitterent virū aliquem auctoritate præſtantem, qui ſubditos ad arma, ſi vſus veniret, capienda, & ad loca periculis expoſita defendenda, compelleret: vt mitterent duos legatos ad Papam, qui eum docerent de morte Regis & de electione gubernatorum regni, qui illud cōtra omnes, vim iniuſtam parantes, & ſententiam de ſucceſſione paulo poſt ferendam violantes, propugnaturi eſſent: Papam item rogarent, hortaretur per literas Regem Philippum, vt ab armis abſtinens ſe ſententiæ pariturum eſſe promitteret. Inſtabant, vt curarent inquiri, tam in eos, qui in hoc ſucceſſionis negotio pollicitationibus pecuniæ, & dignitatum animos hominum ſibi adiungerent, quam in eos, qui ſe corrumpi paterentur, quorum magnum numerum eſſe intelligerent. Ad hæc reſponderunt gubernatores, ſe breui Almerino diſceſſuros, ſed non expedire indicari, quo cogitarent: veruntamen ſe hac in re voluntati Liſybonenſium ſatisfacturos, Negarunt ſe dimiſſuros militem prætorianum, quia conſcriptus fuiſſet à rege Henrico ad aulæ, & competitorum defenſionem. Cum nonnulli detrectaſſent legationem Caſtellanam: tandem tamen electum fuiſſe Gaſparem Caſalium, Epiſcopum Coimbrienſem, & Emanuelem Melium, qui iam ad iter ſe accingerent. Edixiſſe ſe vt Capitanei in ſua quiſque arce habitent: & arcib. tam ad flumen, quam in locis mediterraneis ſitis, quæ nullum habebant, de præfecto, & de armis proſpici. Non videri ſibi neceſſe eſſe legationem ad Papam mitti: Sin vero Rex Philipus arma capiat, tum ſe à Pontifice petituros, vt pro more partes ſuas interponat: denique ſeueriſſimé ſe animaduerſuros in eos, quos corruptioni vel operam dediſſe, vel locum reliquiſſe deprehenderent. Interea miniſtri Hiſpanici, qui regem Philippum de Henrici morte certiorem fecerant, Almerini nō ſine tumultus alicuius metu viuebant. Sed populi illi ſeruituti duræ aſſueti, & libertatis omnino expertes, nihil noui tentarunt. Dux Braganciæ ſignificauit gubernatorib. ſe paratum eſſe obedire, & petere, vt ſententia in ſucceſſionis negotio quamprimum pronuntiaretur.

retur. Miſit ad Ducem Oſſunenſem, & reliquos miniſtros Philippi, qui indicarent, non eſſe, quod quidquam metuerent: nihil ſubeſſe periculi, & Ducem Braganciæ illos in eaſdem, in quibus diuerſabatur, ædes recipere paratum. Idem fecerunt gubernatores.

Dum hæc fiunt Almerini, Antonius Prior Cratenſis, qui moriente Rege, nō procul inde aberat, equis celeribus Liſybonam contendit, & in horto quodam, muris ciuitatis vicino, ſubſiſtens, Magiſtratui Camerali, multiſque aliis hominibus primariis ſcripſit, ſe adeſſe, & petere, vt ad ſe exſpatiari non grauarentur. Magiſtratus, re cognita, ægre hoc tulit. Priorique iniunxit, vt diſcederet. Sed ille parui hoc faciens, nihilominus complures ex ſuis in vrbem, & vicina oppida dimiſit, qui regem mortuum eſſe, & Priorem illos in vicinia expectare dictitabant. Sperabat nimirum Prior populum ipſius amore impulſum, magno conſenſu eum regem eſſe proclamaturum: & huius vrbis, tanquam præcipuæ, exemplum ſubinde reliquas paſſim imitaturas, à quibus ſe amari non ignorabat. Veruntamen mox intellexit, ſpem ſuam vanam eſſe, id quod cautiores reddere debet eos, qui in aura populari multum fiduciæ collocant. neque enim vel vnus inuentus fuit, qui ad ipſum accedere auderet, niſi furtim. Nam ex nobilibus nemo erat in vrbe, partim propter peſtem, partim etiam, quia de induſtria aberant: Chriſtianis nouis (quorum maximus eſt numerus) animus deerat, & quia ſunt opulenti, nolebant ſe vllius criminis alligare, propter quod poſtea bonis exui poſſent: plebi vero per ſe meticuloſæ deerat auctor, & Dux: ita vt Prior, poſtquam varios, populi animos pelliciendi modos tentaſſet, & nihil ſibi ſuccedere videret, diebus aliquot ibidem conſumptis, in monaſterium Belemenſe ſe receperit: vnde ſcripſit ad conſilium ordinum, verbis, tempori potius accommodatis, quam animi ſui ſenſa exprimentibus. Dicebat ſe, cum de morte regis, Domini ſui certior fieret, ſimul etiam intellexiſſe corpus ipſius Belemum deportari: Se itaque eundem in locum profectum, corpus, poſtquam ad illud comitandum nimis ſero veniſſet, ibi expectare, debitumque & vltimum patruo, vt par erat, honorem & officium præſtare conſtituiſſe.

Ceterum, cum deinde intellexiſſet conſilium mutatum fuiſſe, ſe tamen, quod poterat, feciſſe, ac monachos illius monaſterii in exequiis, & Miſſis celebrandis, & precibus pro rege defuncto concipiendis adiuuiſſe. Addebat ſe, tanquam verum Luſitanum, & non ignarum, quantopere ſibi, talis aui & patris nepoti ac filio, tranquillitas & ſalus regni curæ eſſe deberet, voluiſſe illis ſignificare, ſe paratiſſimum eſſe, non tantum in futurum pro patria vitam exponere, & legibus, quæ ab illis ſancirentur, obedire, verum etiam in omnibus rebus præſentibus mandatis ipſorum debita cum ſubmiſſione per omnia obtemperare. Quin etiam paratum ſe eſſe oſtendere innocentiam ſuam, & quam remotus eſſet ab illis criminibus, quæ in ſententia à patruo prolata ſibi imputarentur: ſimulque demonſtrare ius ſuum, quod ſibi in coronam competere ab aliis intelligeret. Dicebat ſe propediem manibus, & protectioni ipſorum ſeipſum commiſſurum, ea cum fiducia, quam in viris, ſingulari Dei prouidentia, turbulentiſſimo illo tempore ad regni curam, & conſeruationem electis, ſibi merito collocare poſſe videretur. Reliqua ſe Ludoico Brito coram exponenda permittere. Ad has literas (quas procuratores acceperunt, diſſuadentibus quibuſdam) adiunxit Britus (qui illas reddiderat) Priorem breui adfuturum: petere, vt ſe certiorem facerent, quo in loco illum potiſſimum diuerſari vellent. Reſponderunt procuratores licere ipſi venire, quandocunq; vellet: quātum ad hoſpitium, ſe nihil illi præſcribere, ſed rem totā ipſius arbitrio permittere. Veruntamen, fere omnib. in vniuerſum ipſius aduentus non erat ingratus. Venit autem paulo poſt, & ſtatim bulla, qua Papa ſententiam differri iuſſerat, exhibita, inſtaurauit actionem de legitimitate ſua, qua non definita, de ſucceſſionis negotio nihil certi ſtatui poſſe dicebatur. Fouebat interim optimam ſpem obtinendi à conſilio id, quod prius ſe à populo Liſybonenſi impetraturum eſſe putauerat. Conueniebant procuratores Sanctarenæ ſingulis diebus, ſed ita, vt nihil pene, quod alicuius momenti eſſet, decernerent: conſumpſerunt aliquot dies, tum in mittendis nonnullis, qui ipſorum nomine competitores ſalutarēt, & de adminiſtratione iuſtitiæ bene ſperare iuberent: tum in excipiendis, audiendiſque illis, qui competitorum nomine ipſis pro tam beneuolo animo gratias agerent. Et hac in re omnes quidem in vniuerſum magnum libertatis patriæ amorem in ſpeciem præ ſe ferebant, inprimis vero ii, qui minime omnium illam amabant. Quia vero iri Almerinum & rediri non poterat, ſine magno incommodo, quod flumen, ponte non conſtratum, nauibus tranſeundum eſſet, vnde fiebat, vt, & ea quæ occurrebant, cum Eccleſiaſtico, & nobilium ordine communicando, & cum gubernatorib. tractando multum temporis inſumeretur, in conſilio propoſitum fuit è re eſſe, vt vniuerſi in vnum locum coirent. Sed hoc obtineri non potuit, ſiue quod multis procuratorum pe-

cunia in ſumptus quotidianos deficere inciperet, ſiue quod potius diuiſionem, quam vnionem expeterent. Dicebant ſe abituros, quia a ciuitatib. ſumptus neceſſarii ipſis non ſubminiſtrarentur. Verum nec licentia diſcedendi ipſis data eſt, nec pecunia ſuggeſta. Baldaſar quidem Feria, procurator Barcellenſis, Prior Eccleſiæ Sancti Stephani, & Epiſcopus Parmenſis, quiſque pro ſe pecuniam obtulerunt iis, qui ea egerent, ne conuentus diffluerer. Sed tamen procuratores, à nummis minus inſtructi eam accipere recuſarunt, quod nollent ſe priuatim obſtringere pro eo, quod ciuitates publice ſubminiſtrare tenebantur. Præterea in hoc conuentu erant factiones variæ, & pauci Regi Hiſpaniæ fauebant: multi neſciebant, quid ſibi vellent: magna pars addicta erat Priori: ſed omnes in vniuerſum metuebant gubernatores, neque eorum actionibus fidebant. Itaque vltra admonitiones, quas ſingulis diebus ipſis inculcabant, vrgebant executionem, addebant prioribus petitionibus nouas, & ante omnia inſtabant, vt milites dimitterentur. Petebant ab iis exemplum auctoritatis, ſiue commiſſionis, quā ab Henrico acceperant, & illa verba teſtamenti Henrici, quæ ad negotium ſucceſſionis ſpectabant: quæ omnia ipſis conceſſa fuerunt. Confectum fuerat teſtamentum octo menſib. ante, & inter cetera continebat hæc verba: Quādoquidem hoc tempore, quo teſtamentum condo, nullos habeo liberos qui directo mihi poſſint ſuccedere: propterea nepotes meos citaui, qui aliquid iuris in coronam habent, & operam dedi, vt cauſa in iudicio legitime cognoſcatur. Non nomino autē iam mihi ſucceſſorē ſed ſuccedet mihi ille, ad quem iure hęreditas pertinet: Et hunc conſtituo hęredem & ſucceſſorem, niſi ante mortem meam declarauero, quiſnam ſit, cui hoc ius competit. Itaq; mando omnibus regnorum meorum ſubditis cuiuſcunque conditionis ſint, vt talem ſucceſſorem à me, vel a iudicib. ad hoc electis nominatum ſtatim pro hærede, & legitimo ſucceſſore agnoſcant, & vt tali obediant. Poſtea ſequebantur multa alia verba, quibus iuſtitiam & religionem commendabat, quæ ad propoſitum non pertinent. Quanquam autem hæc eſſet teſtamenti ſententia, tamen rumor fuit regem morti vicinum, voluiſſe illud mutare, & Regem Hiſpaniæ ſucceſſorem declarare, ſed gubernatores ad regni clauum aliquandiu ſedendi cupiditate ardentes, illum impediuiſſe: quod diceret, ſiue declararet, ſiue non declararet Philippum ſucceſſorem: tamen neminem alium, præter illum, regni ſceptrū conſequi poſſe, ſiue quis ius ſiue vires eius ſpectaret: Verūtamen non eſſe è re, illum ſucceſſorem declarari, vt Luſitani eo melioribus conditionibus cum eo paciſci poſſent. Quin etiā multi credunt, illos Regi declarationem diſſuaſiſſe, non tam propter ſuperiores rationes, quam quod metuerent, ne quid populus aduerſus eos tentaret, quod veriſimile erat fore, vt declaratio de ipſorum conſilio facta fuiſſe crederetur. Exprimebatur in eodem teſtamento, quibus limitibus gubernatorum poteſtas eſſet circumſcripta, nimirum eos non poſſe creare Duces, Marchiones, Comites, Barones, Epiſcopos, Archiepiſcopos, neque concedere vllam Commendam, quam vocant, neque reditum, qui ſummam centum viginti quinque aureorum excederet: veruntamen tempore belli illos liberam habere poteſtatem faciendi, & dandi: veruntamen cum conſenſu conſilii & non aliter. Cum Procuratoribus harum rerum communicatione ſatisfactum, & ipſi rationibus pro iure electionis allegandis intenti eſſent, die quodam orationem habuit Stephanus Lopezius Doctor, & procurator Portalegrenſis, qui cum in initio monuiſſet, non poſſe Deo Opt. Max. ſatis magnas gratias agi pro pace, & tranquillitate, qua eos frui ſineret, ſubiecit, non eſſe neceſſe, tot procuratores tam diu in vno eodemque loco hærere, cum tantis incommodis & ſumptibus: ſeligendos eſſe potius ex omnium numero paucos, ceteros domum dimittendos: & quoniam intelligebatur regem Hiſpaniæ arma ſumere, cognitionem litis de ſucceſſione ſuſpendendam, donec rex deſiſteret ab armorum, & belli apparatu. Alioqui enim metu armorum impendente, futurum, vt libere nec iudices cognoſcere & pronuntiare, nec competitores ius ſuum allegare poſſint. Dilata autem cauſæ cognitione, paulo poſt fore, vt liqueat, velitne Rex Philippus deponere arma, nec ne: Si arma ſuſpendat, hoc commodi ad Luſitanos inde rediturum eſſe, vt interea ſpatium habeant proſpiciendi ſibi de rebus neceſſariis, & percipiendi reditus annuos: competitores etiam reliquos quieturos, nec quicquam moturos eſſe. Sin vero minus (id quod de Principe tam pio tamen non ſit facile expectandum) tum Luſitanos certi aliquid habituros, & competitores, ac ordines regni, iunctis viribus eo melius hoſtis vim repulſuros. Semoto autem hoſte, & motibus ſedatis, tum poſſe commodè decidi litem, Rege Hiſpaniæ tamen prius declarato incapace, vtpote qui, cum iudicio agere ipſi liceret, vi horum regnorum imperium occupare tentauerit, idq; legibus, & iure ita ſuadente. Interea è re eſſe, vt competitores iubeantur viuere in diuerſis locis, vnus Eluis, alter Begiæ quæ loca ſunt prope limites regni exacto ab ipſis iuramento fore, vt alter contra alterum nihil machinetur. Conſilio

ſtilo huius Doctoris tanquam hominis exigua auctoritate præditi, non fuit datus locus: imo cum hoc conſilium, & reliqui duo ordines communi conſenſu ſex procuratores Almerinum, qui cum gubernatoribus de rebus grauioribus tractarent, mittendos cenſuiſſent: data ipſis fuerunt mandata à ſuperiori admonitione plane diuerſa, nimirum, vt gubernatores, traiecto flumine Sanctarenæ viuerent, vt inſtituta luſtratione inquireretur, ſatiſne armis, & commeatu inſtructa eſſet, & quot homines ad defenſionem idoneos vrbs Liſybona haberet: & ſi minus ab his rebus parata eſſet, vt de illis quamprimum ei proſpiceretur: vt declararentur nomina præfectorum, quorum curæ propugnacula ad Tagum ſita commiſſa erant: & ſi de fide, & virtute illorum dubitaretur, vt alii in eorum locum ſubſtituerentur, & præſidio, ac aliis rebus neceſſariis arces inſtruerentur: vt per totum regnum arma diſtribuerentur, & ſubditi iis tractandis ſe exercere iuberentur: vt peterent per literas à Papa, vt per nuntios ſuos omnes competitores, adhortarētur, vt iure agerent, & ab armis abſtinerent ſub pœna excidendi omni iure, & actione ſua. Præterea Emanueli Portugallo, inſpectori arcium regni volebant reſtitui officium, à quo per regē remotus fuerat, item Iacobo Salemæ, & Aluaro Moraiſio, quib. cum eſſent Camerales Liſybonenſes, dignitas adempta fuerat. Et quia videbant ſe à multis rebus imparatos, volebant in omnibus portubus detineri naues omnis generis, vt per eas res ad bellum neceſſariæ importari, & tranſportari poſſent. Verum ad has poſtulationes, vt & ad omnes fere reliquas reſpondebant gubernatores frigide, dicentes, quoniam eſſent res arduæ, ſe de iis deliberaturos, & poſtea illis ſignificaturos, quid conſilii captum eſſet, & quid ageretur. Viuente adhuc Henrico Xariffus Hametus rogatu Regis Philppi liberum dimiſerat Ducem Barcellenſem, qui Luſitaniam verſus tendens, traiecto freto appulerat Gibelterram, vbi, vt & in oppido Sancti. Lucaris Dux Medinę Sidoniæ (ad quem illa loca pertinent.) eum honorificentiſſime exceptum ibidem ludis, & iocis aliquādiu detinuit: cumq; interea nuntius de morte Regis Henrici allatus eſſet, exiſtimauit Dux Medinæ, intereſſe regis Philippi, habere in poteſtate Ducem Barcellenſem (tanquam primogenitum Ducis Braganciæ, & Catharinæ, quæ ad regni ſucceſſionem aſpirabat) donec lis decideretur. Itaque ludos & ſpectacula, quæ hactenus liberalitate, & magnificentia quadam ductus iuueni exhibuerat, ob hanc alteram cauſam duplicauit, de induſtria ipſum detinens, donec reſponſum à rege accepiſſet: ita vt iuuenis, dum modo ad hunc, modo ad illum locum contemplandum circumducitur, ſe quodammodo captiuum eſſe non animaduerteret. Verum cum Dux Medinę aliquot illius carros, vna cum aurigis, ſub prætextū ludos & ſpectacula ipſi monſtrandi, ſiſti curaſſet, paulatim Barcellenſis, in cuſtodia ſe detineri, animaduertit: & ad patrem in Luſitaniam ſcripſit, non eſſe, quod ſe breui exſpectaret: nolle ſe detentionem ſuam, vel tantillum præiudicare iuribus regni: & ſe iuſtitiam longe vitæ ſuæ anteponere.

Has litteras cum pater in Luſitania accepiſſet, miſit illas ad conſilium Procuratorum, & dolorem quidem magnum ſe ex filii captiuitate percipere ſignificauit. veruntamen non minori voluptati ſibi eſſe, quod ille in ætate adeo tenera patriæ tam amans eſſet, ſeque, ſi opus ſit, paratum eſſe illum pro ſalute regni tanquam victimam quandam ſacrificare. Verum intra paucos dies Dux fuit hoc metu liberatus. Cum enim ſcripſiſſet filio, vt ſerio, aut diſcedendi licentiam à Duce Medinæ peteret, aut vt aperte declararet, num eum in cuſtodia detinere conſtituiſſet, necne: ſtatim libere dimiſſus fuit: idque Regis Philippi mandatu.

Fama erat Philippum hac de re cogitaſſe multo ante, & non tantum in Africa, verum etiam in Hiſpania Barcellenſem ſiſtere potuiſſe: Verum ne Luſitanos offenderet, vel potius vt Ducis animum ſibi conciliaret, primum libertatem illi in Africa obtinuiſſe, deinde ex Andaluzia ſine vllo impedimento in Luſitaniam redeundi copiam feciſſe. Ceterum, ſiue ipſe Barcellenſis, ſiue pater (ex cuius præſcripto iter ita inſtituiſſe exiſtimatur) in notam ingratitudinis incurrere viſus eſt. Nam cum Philippus eum rogaſſet, vt in patriam reuertens in aulam ſuam diuerteret, propterea quod eius videndi deſiderio teneretur: tamen (tantum poſſunt in animos principum controuerſiæ de regnis) ſpreta hac Philippi beneuolentia recta Villauizoſam contendit, veritus forte, ne denuo detineretur. Hæc gerebantur in Luſitania. In Hiſpania interim cum Rex Philippus de morte Regis Henrici certior factus eſſet, & ex miniſtris ſuis intellexiſſet, animum Luſitanorum à ſe alienum eſſe, & Antonium, reliquoſque competitores nihil ſibi ad ſummam diligentiam reliquum facere: doluit res eſſe in eum, in quo erant, locum deductas.

Videbat enim ſibi imponi neceſſitatem armis ius ſuum perſequendi. Cum autem etiam in modo agendi conſcientiæ ſuæ rationem habere vellet, iam ante exquiſiue-

rat hac de re ſententiam fratris Iacobi Chiaueſii confeſſoris ſui, ordinis prædicatorum, & nonnullorum aliorum ex præcipuis eiuſdem ordinis. Verum cum nondum horum iudicia ipſi ſatisfacerent, nec in ſola Dominicanorum opinione acquieſcendum eſſe putaret, rem cum aliorum ordinum monachis etiam communicaturus, miſit vnum ex ordine minorum, qui de toto negotio omnes paulo celebriores totius Hiſpaniæ Theologos conſuleret. Quod cum ille diligenter feciſſet, & quæſtionem hanc non tantum præſulibus, & publicis ac ordinariis Theologiæ Profeſſoribus, verum etiam Ieſuitis, & Franciſcanis examinandam propoſuiſſet, magno conſenſu omnes pronuntiarunt, cum ius regis adeo eſſet manifeſtum, & liquidum, illi nihil aliud agendum reſtare, quam vt illud regi Henrico (vt & fecerat) extra iudicium exponeret, deque eodem conſilium regis edoceret, ceteroſq; regni incolas, qui ſincero animo veritati aures accommodarent: Vtque tum his, tum aliis, quibus poſſet, modis amice peteret ac inſtaret, vt à rege Henrico ſucceſſor declararetur. Sin vero hæc omnia debitum pondus apud regem, & ſubditos non haberent, Philippum ſatis ſuo officio feciſſe: & armis poſſeſſionem occupare poſſe ſine euidenti iure ſuo excidendi periculo propterea quod, vt dictum eſt, rex abſolutus, & nullius iuriſdictioni obnoxius eſſet, nec vlli, niſi ſoli Deo, cauſam ſuam probare. Regi vero, & Regno ius ſuum tantum indicare teneretur. Et hoc caput dicebant poſtea omni dubitatione carere cœpiſſe propter mortem Henrici, interim ſecutam. Et hanc ob cauſam neminem iam eſſe in vniuerſo terrarum orbe, qui ſibi ius in hac lite ſententiam ferendi arrogare poſſet. Nam nec ad Papam hoc ſpectare, propterea quod eſſet quæſtio de re mere temporali, neque, vllæ circumſtantiæ hic concurrerent, quæ interdum in temporalibus iuriſdictionem Papæ tribuunt: nec ad Imperatorem, quem nec Caſtellæ, nec Luſitaniæ regna recognoſcerent: multo vero minus ad quoſdam iudices ab Henrico datos. Nam non tantum Henricum non potuiſſe iudices eligere, qui poſt mortem ipſius iudicarent, verum etiam eoſdem iudices eſſe ſubiectum litis, vtpote de quibus eſſet controuerſia. Præterea regem ſeipſum inhabilem reddidiſſe, cum ſe partem conſtitueret, & ſimul ſucceſſoris nominandi ius ſibi aſſereret: denique, his omnibus ceſſantibus, tamen neminem eſſe Luſitanorum, quin in hoc negotio, propter publicum in Hiſpanos odium, iure optimo recuſari poſſet. Cenſebant etiam eum non poſſe cogi in arbitrum compromittere. Præterquam enim quod vix ac ne vix quidem tales homines inueniri poſſent, quibus res tam momentoſa, tam periculoſa, tot ſuſpicionibus obnoxia tuto committeretur: arbitrium etiam non habere locum niſi in cauſis dubiis: dubias autem cauſas eſſe, cum aduocati aut doctores titubant, nec diſerte pro alterutra parte pronuntiant, propterea quod etiam pro parte contraria rationes æque validæ militant. Verum cum in hac quæſtione ad vnum omnes conſentirent, illam nec dubium, nec arbitrium recipere. Rex itaque cum conſtituiſſet, ſi ſponte ſua Luſitani illum non admitterent, vi poſſeſſionem apprehendere, ſe ad bellum parabat. Scripſit ad gubernatores, ad tres ordines & ad quinq; primarias regni ciuitates, in eandem fere ſententiã, ſed verbis nonnihil diuerſis. Flagitabat ab omnibus (poſt doloris ex morte Henrici percepti ſignificationem) vt ſe admitterent ad regnum, & iuramentum ſibi præſtarent, vtpote quem verum heredem eſſe Henricus rex agnouiſſet, & declaraſſet. Ordini nobilium, & præſulem gratias agebat, quod ſe tam promptos præbuiſſent, cum Rex Henricus iudicaſſet ſucceſſionem ad ipſum pertinere. Deferebat ſuam beneuolentiam omnibus, & ſimul ſubobſcure minitabatur. Gubernatoribus miſit catalogum illarum rerum, quas tanquam ad libertatem & vtilitatem regni magnopere facientes, Rex Henricus ab ipſo petierat, addens, ſe multo plus concedere paratum eſſe, quam ille poſtulaſſet: & innuens, niſi morigeros ſe præſtarent, fore vt vi ad officium faciendum adigerentur. Verum ſuperiora omnia aut accepta, aut repudiata fuerunt, prout plus, minuſue Philippo æqui erant. Gubernatores vero reſponderunt, ſe nihil certi ante legatorum in Hiſpaniam miſſorum reditum ſtatuere poſſe. Interim in locis maritimis conuenerant triremes partim Hiſpanicæ, partim Italicæ ad ſexaginta: quibus imperabat Aluarus Baſſanus Marchio S. Crucis, in Luſitaniam, ſimulac per tempus anni liceret, curſum directurus. Nondum fuerat nominatus Imperator totius exercitus, & omnes magno cum deſiderio illius electionem expectabant. Pauci erant, qui tanto oneri ſuſtinendo pares eſſe iudicarentur. Dux Albanus communi hominum iudicio omnium aptiſſimus videbatur. Sed nemo erat, qui crederet Regem illum facile è cuſtodia dimiſſurum.

Aſpirabat ad illud munus Marchio Mondegiarius, qui nuper Prorex Neapolitanus fuerat: & non deerant, qui exiſtimarent eum voti compotem fore; & regem hoc modo animum illius, quem euocatione ex Italia nonnihil offenderat, placaturum.

Multi etiam in hanc cogitationem deſcenderunt vt putarent regem ipſum expeditioni interfuturum, tum quod illum tanto rerum Luſitanicarum deſiderio flagrare cernerent: tum propter indicia nonnulla quæ hoc ſuadere videbantur. Nam Rex non tantum iuſſerat arma ſua, & tentoria expediri, verum etiam iniunxerat Ferdinando Syluio, Comiti Siſontino, magno Caſtellæ ſignifero, vt paratus eſſet vna cum vexillo regio, quod non ſolet in illis regnis, niſi ſoli turmæ, cui rex ipſe intereſt, præferri. Sed veriſimilius eſt, Regem nihil certi hac de re ſtatuiſſe, ſed iudicaſſe conſilia neceſſitati, & occaſionibus, progreſſu temporis ſeſe offerentibus, accommodanda. Rebus omnibus ita pendentibus; Rex per quendam Secretarium conſilii bellici ſcripſit ad Ducem Albanum, & ex eo quæſiuit, vtrum ipſi per valetudinem & vires expeditioni Luſitanicæ intereſſe liceret? Qui cum reſpondiſſet, ſe in negotiis ad regiæ maieſtatis commodum ſpectantibus nunquam de valetudine ſua ſolicitum fuiſſe, iniunctum ipſi fuit, vt intra triduum ſe pararet, & ad exercitum proficiſceretur. Albanus regis mandato obtemperaturus ſe contulit Baraias pagum decem miliaribus Madrido diſtantem, neque vllam in aulam veniendi licentiam obtinere potuit. Quinimo (quod admiratione dignum eſt) cum Rex iis diebus filio Iacobo, principi Hiſpaniarum, iuramentum ab omnibus regni ordinibus, (adhibitis quidem ſolennitatibus ſolitis in ſacello quodam, ſed minori cum ſplendore, & pompa quam pro more) præſtandum curaret, non admiſit ad iuramentum Ducem Albanum, quantumuis in vicinia, & homo tantæ auctoritatis eſſet, neque cum illo quidquam de bello, niſi multo poſt, communicauit. Albanus itaq; ad exercitum proficiſcens, quod ſibi forte nondum ſatis ex captiuitate liberatus videretur, dicebat ſe cathenis, & compedibus vinctum à rege ad acquirenda regna mitti: Tanta erat Philippi ſeueritas: tanta miniſtri primarii obedientia. Placuit hæc electio Albani toti Hiſpaniæ. Nam præterquam quod Dux hoc pacto ex carcere liberabatur, militum Hiſpanorum virtus inutilis futura videbatur, ſi Duce, talibus militibus digno, deſtitueretur: Albano vero duce, etiam quemcunque exercitum ſufficere putabant. Creato Imperatore Albano, Rex quantum poterat, in negotiis expediendis properabat, vt eo citius iter Luſitanicum ingredi poſſet. Curauit priuatim baptizari filiam, quæ tum temporis ipſi nata fuerat: & poſt præſtitum, vt dixi, filio ab ordinibus Hiſpaniæ iuramentum, (non vocato, nec interueniente Ferdinando Syluio, legato Portugallico, idque non ſine magna ipſius indignatione (Rex, inchoata iam quadrageſima, Guadalupum profectus eſt, ſub ſpecie exequias regi Henrico in illo monaſterio celebrandi, & inde ad fines Luſitaniæ progrediendi, vt ſua præſentia negotium vrgeret: quemadmodum ſcripſit ad omnes primarias Hiſpaniæ ciuitates. Diſceſſit Madrido carpento inſidens, & paucis comitatus, nullo mandato dato vel reginæ, vel aulicis, vt ſubſequerentur. Tandem tamen reginam (quod & valde illam diligeret, & quod rationi conſentaneum, & ſignum humanitatis & manſuetudinis fore videretur, ſi vxorem vna ſecum in Luſitaniam introduceret) poſt bidui iter confectum ad ſe euocauit. Interim Albanus Glierenam, vbi erat pars copiarum, peruenerat, multoque minorem numerum militum, quam initio fuerat conſcriptus, inuenerat. Nam & incōmoda, ac morbi multos abſumpſerāt: & aſtutia centurionū in cauſa erat, cur multa loca vacarēt. Non erant in vniuerſum, niſi 4500. Itali 3500. Germani, 3000. Hiſpani. qui ex Italia venerant, & 7000. tyrones eiuſdem nationis: ad hos accedebant 1500. equites; & ſane cum tanto tempore ante conſcribi milites cœpiſſent, & de re tota tam mature cogitatum fuiſſet, videbatur iſti exercitus ſatis exiguus. Verum cum Albanus virtuti militum potius, quam numero fideret, maluiſſet habere pauciores, eoſque exercitatos. Hi autem omnes ipſi inexperti videbantur. Ideoque Rex, ipſius rogatu, mandata dederat miniſtris Italicis, vt in Hiſpaniam mitterent milites, qui ex Belgico reuerſi erant, quorum opera Albanus ibidem antea vſus fuerat. Veruntamen hi cum nimis ſero veniſſent, poſtea, vnde venerant, redierunt. Dicebat Albanus, dummodo equitatu hoſtem ſuperaret, ſe duodecim millibus militum exercitatorum hoc bellum confecturum: neque immenſa Luſitanorum multitudo, quam quidam concurſuram dicebant, multum ipſum mouebat. Sperabat enim ſe arte illos fatigaturum, & non tentata prælii fortuna ſuperaturum. Guadalupum, vbi erat Rex, paulo poſt venerunt Epiſcopus Coimbrienſis, & Emanuel Melius, legati gubernatorum Luſitaniæ: qui quo modo excipiendi, & quo honore adficiendi eſſent, Rex & Conſiliarii aliquandiu incerti hæſitarunt. Quidam enim dicebant illos tractandos, vt ſubditos, nec adficiendos eo honore, qui legatis deferri ſolet: alii contra, nihil in more, hactenus obſeruato, eſſe mutandum. Ne itaq; illi contriſtarentur, decretum fuit eſſe audiendos, vt legatos (quos excipiens Rex, caput ipſe aperire, & mandata expoſituros capita tegere iubere ſolet) quātumuis Philippus iam ante Gubernatorib. ſcripſiſſet, ſe illorū Cōmiſſarios tanquā ſubditos tractaturū:

Hi multis verbis Regi perſuadere conabantur, vt arma deponeret. Dicebant legati Regem Henricum maximo flagraſſe deſiderio litem de ſucceſſione natam, legitima cognitione adhibita, decidendi: ſed hoc conſilium fuiſſe interruptum illius morte: quam tamen vt præueniret, illum in Conuentu Ordinum regni anno 1597. Liſybonæ habito, non tãtum gubernatores & defenſores Regni elegiſſe: ſed & ex 24. iudicibus quos ordines nominauerant, vndecim delegiſſe, qui ſententiam diffinitiuam in cauſa ſucceſſionis ferrent, ſi forte ipſe lite adhuc pendente, moreretur, vt & poſtea euenit. Rebus itaque in hoc ſtatu conſtitutis, Regnum eſſe pacatum, & promptum ad obedientiam præſtandam ei, tanquam ſuo Regi, & domino ſuo; pro quo ſententia pronuntiaretur, iuxta iuramentum, quod omnes ordines regni in eodem conuentu præſtiterant, quodq; poſtea ab ipſis gubernatoribus in ſummo templo Liſybonæ (poſt apertam, qua catalogus gubernatorum continebatur, ciſtam) exactum fuerat. Itaque eos eſſe paratos iuſtitiam adminiſtrare, & in regni poſſeſſionem mittere eum, ad quem illud iure ſpectare iudices pronuntiaſſent. Cum igitur hæc eſſet mens gubernatorum, rogare illos ſubnixe Regiam Maieſtatem, vt daret in mandatis ſuis legatis, vt proceſſui iudiciali vſque ad ſententiam adeſſent. Verum Rex, qui certus eſſet de iure ſuo, qui exercitum paratum haberet, & qui conſcientiæ ſuæ vim nullam illaturus ſibi videretur, reſpondit ſe illis multum debere ob eum, quem præ ſe ferrent, amorem in Remp. neq; dubitare, quin ea quæ propoſuiſſent, ex bono animo proficiſcerentur. Rem gratam illos ſibi facturos fuiſſe, ſi quid petiiſſent, in quo gratificari ipſis poſſet, quod quidem libentiſſime facturus eſſet in omnibus rebus iuſtis, & ad publica & priuata illius regni commoda ſpectantibus. Ceterum, quoniam toti mundo de ipſius iure conſtaret, nec vllus legitimus, & competens illius cauſæ iudex ſupereſſet, illos non poſſe nec debere ſtare iuramento, quod ſe præſtitiſſe adfirmarent, quia & cum manifeſta ipſius iniuria, & cũ regni detrimento coniunctum eſſet. Rogare itaque, vt ſe quamprimum pro rege, & domino reciperent, & iuramento confirmarent, cum & manifeſto hæc eſſet Dei Opt. Max. voluntas, & ipſi non ignorarent, quid hac de re ſenſiſſet, diſpoſuiſſet, & ſtatuiſſet Rex Henricus, & quam arcte ad voluntatem illius ſequendam obſtricti eſſent. Quod ſi facerent, non tantum conceſſurum beneficia, & priuilegia, quæ ipſe ſcripſiſſet, ſe & quæ Dux Oſſunenſis ſuo nomine oblaturus deinceps eſſet: ſed etiam alia plura, dummodo nihil à iuſtitia, & ratione alienum peterent: & quia perſuaſum haberet illos hac in re ſecuturos illud conſilium, quod ab hominibus adeo pietatis ſtudioſis, & tanta prudentia præditis expectaretur, ſe in itinere inſtituto progredi cõſtituiſſe. Nõ ſatisfecit oratoribus hæc reſponſio; & petito rem cum gubernatoribus communicandi ſpatio, ibidem ſubſtiterunt, donec Rex Meridam proficiſceretur. In Luſitania interim Gubernatores regni, quos ſatietas ceperat tam variarum poſtulationum, quæ à conſilio ordinum fiebant, cupiebant conuentum diſſoluere: Cumque ab ordinibus amplificationem poteſtatis ab Henrico ſibi conceſſæ (quanquam fruſtra) petiiſſent, curarunt illis indicari, ſe declaraſſe conuentum eſſe finitum, & ideo procuratoribus licere domum redire, remanentibus ſolis decem, qui vna ſecum de rebus cotidie occurrentibus ſtatuerent. Tam paucos enim vbiuis commode viuere poſſe: neceſſario diſcedendum iam eſſe Almerino, & eundum in paruum aliquod oppidulum vicinum vrbi Liſybonæ, cuius ciues hoc magnopere rogaſſent. Ceterum, procuratores, qui iam ante Coimbriam, & Ioannem Nogheram ad illius vniuerſitatis I. C. tos de iure electionis (quod ſibi vindicabant) conſulendos miſerant, ab illo litteras acceperant, in quibus dicebat ſe intellexiſſe ius electionis ad regni ordines ſpectare, nullo modo in conuentus diſſolutionem conſentire voluerunt, inſtigantibus illos Epiſcopo Parmenſi, Priore, & Cameralibus Sanctarenæ, multiſque aliis priuatis, qui omnes pecuniam, ſi quis ea indigeret, offerebant. Sed fruſtra ſunt reluctati. Etſi enim miſerunt aliquos ad gubernatores, qui rationibus ex iure petitis probarent Comitia non eſſe finita, mandata ſingulorum eſſe adhuc valida; nihilominus tamen gubernatores denuo pronuntiarunt, conuentũ finitum, & mandata extincta eſſe vnde conſilio diſſoluto, nõ pauci procuratorum domum redire cœperunt. Porro Gubernatores & ipſi ad defenſionẽ ſe parabant. Etſi enim maior ipſorum pars non haberet animum Philippo reſiſtendi: tamen, vt populo. & reliquis gubernatoribus, & nobilibus, populi partes ſequentibus, ſatisfieret, ſaltem in ſpeciem apparatum aliquem inſtituere cogebantur. Inſtruebant itaque claſſem, curabant magnam armorum vim è regionibus exteris importari: conſcribebant militem, mittebant in præcipuas Regni prouincias homines è primaria nobilitate, & mittebant de induſtria eos, qui, quia à rege Philippo alieni erant, præſentes ipſorum conſilia impediebant. Hi vero promptiſſimo animo munera ſuſcipiebant, quod ſibi præ aliis fidem haberi exiſtimarent: Itaque Iacobus Meneſius miſſus fuit in prouinciam

trans

trans Tagum ſitam: Iohannes Vaſconcellius in Peiram: Emanuel Portugallus ad oſtium Tagi: & alii in alias Regni prouincias: Georgio Menetio claſſis cura commiſſa eſt: & hoc modo huc illuc diſperſi hi fuerunt, vt gubernatores ſoli arbitratu ſuo regnarent. Manſit tamen in aula Martinus Gonzaleſius de Camera, homo non minus popularis, quam omnes ſuperiores, & quem metuebant gubernatores, quippe qui internuntii loco inter ipſos, & ordines Regni adhibitus, paulo poſt auctoritate & gratia omnes ſuperare cœpiſſet. Veruntamē ille adparatus, quem diximus, (licet à quibuſdam ſincero animo fortaſſe hac in re laboraretur) dicis potius cauſa, ac perfunctorie, quam ſerio fieri videbatur. Interim de ratione expeditionis commode inſtituendæ tractabatur in Hiſpania: cumq; Albanus exiſtimaret nō poſſe inueniri tot plauſtra, quot ad commeatus, & reliqua, exercitui neceſſaria, ſubuehenda requirerentur, de omnibus copiis in naues imponendis cogitabat. Conſtituerat parua manu tumultum excitare in Extrematura ad vires hoſtium in illum locum auocandas: & deinde ſub prætextu iter exercitus promouendi, & vrgendi, proficiſci in Andaluziam, ac, in portu S. Mariæ milite quam celerrime nauibus impoſito, recta ad oppugnationem oſtii portus Liſybonenſis contendere: ne quidquam hoc prohibentibus propugnaculis in eodem loco ſitis: & ſe hoc in conflictu non niſi paucarū nauium, quibus forte hoc eueniret, iacturam facere poſſe exiſtimabat. Verum cum ex iis, quos in Luſitaniam exploratum miſerat, de toto rerum ſtatu certi aliquid cognouiſſet, vidiſſetque breui vltra ſex carrorum millia in vnum locum coacta, priori conſilio (non tam propter vim hoſtium, quam propter mare, perïculoſo) repudiato, conſtituit Setubalum verſus exercitum ducere, quod ſibi portum, ad claſſem Hiſpanicam recipiendam accommodatiſſimum, omnino in poteſtate habendum eſſe exiſtimaret. Cum enim nauibus impoſita eſſet maxima pars commeatus, & ipſe non plus, quam quod in menſem ſufficeret, frumenti, & commeatus, terreſtri itinere ſubuehendum curare poſſet, vires, ac commeatus maritimos cum terreſtribus copiis coniungendos eſſe, & in hoc cardine victoriam verti iudicabat.

Capto hoc conſilio, profectus eſt Meridam, quo etiam peruenerat Rex, à quo cum humaniſſime exceptus fuiſſet, cœptum eſt deliberari, quam in partem potiſſimum exercitum ducere expediret. Ibi nata eſt controuerſia inter Albanum, & nonnullos alios, qui, quorundam Luſitanorum, hominum ſtulte confidentium, perſuaſionibus faſcinati, contendebant eūdum eſſe Almerinum, & ibidem Tagum vado, aut prope Sanctarenam ponte tranſeundum: expugnandum eſſe locum illum, vtpote parum munitum: inde tuto exercitum progreſſurum ad muros Liſybonæ, quæ prius, quam tormentis mœnia diuerberarentur, imo fortaſſe prius, quam copiæ in conſpectum vrbis venirent, deditionem, ipſorum quidem iudicio, factura eſſet. Si enim vrbs commeatu, qui ex agro Sanctarenæ circumuicino ſubuehi ſolet, intercluderetur, nō tantum eam fame laboraturam: verum etiam exercitum hoc pacto frumenti copia abundaturum, nec opus habiturum commeatu claſſis, quæ in portum Liſybonenſem longe melius, quam in Setubalenſem recipi poſſet: præterquam quod hac ratione etiam euitaretur periculum, quod metuendum erat, ſi copiæ expoſitæ fuiſſent Setubali prope arces ad oſtium Tagi ſitas, in quarum expugnatione fortaſſe etiam non parum temporis conſumendum fuiſſet. Videbatur hæc opinio tam ſolidis fundamentis ſuperſtructa eſſe, vt ad eam reiiciendam omnino opus eſſet ea arte, & auctoritate, qua Albanus pollebat. Et quia ille non tantum futurus erat Dux exercitus, ſed etiam (ſi quid ſecus eueniſſet) omnis ſuæ exiſtimationis iacturam facturus eſſe videbatur, Rex ſibi illius ſententiam merito adprobandam eſſe iudicauit. Circumdederat Philippus vniuerſam fere Luſitaniam copiis ſuis; quanquam verum eſt, eas nō totas ex milite ſtipendia merente, ſed etiam ex promiſcua plebe, & turba collectitia conflatas fuiſſe. Iniunxerat enim omnibus proceribus, quorum ditiones Luſitaniæ limites attingunt, vt, quantum maximum poſſent, ſubditorum ad arma ferenda idoneorum numerum paratum haberent: veruntamen, vt interim ſuo nomine omnia oppida, & incolas Luſitaniæ, qui imperium ſuum non detrectarent, humaniter in fidem, & clientelam reciperent. Itaque in finibus Galitiæ hoc curabat Petrus de Caſtro, Comes Lemoſius, & Gaſpar Fonſeca Comes Moncerēſis. In limitib. prouinciæ Vltramōtanæ, Ioānes Pimētellus, Comes Benauētanus, & Iacobus de Toleto Comes Albanus. In extrematura, Bertramus de Cueua, Dux Albuquerquius: & Ferdināduſ Henriquius Marchio Villęnouę. Verſus Verā, Ioannes Paceceus Marchio de Seralbo: & in regno Algarbii Franciſcus Suniga, Dux Beſariēſis, & Alfonſus Guſmānus, Dux Medinæ Sidoniæ. In exercitu, vbi tā maritimarū quam terreſtriū copiarū Imperator erat Albanus, cetera munera ita erāt diſtributa. Itali parebant tribus legionum ductorib.: Proſpero Colūnæ, Vincētio Caraffæ, & Carolo Spinello, qui rurſus ſubditi erāt

Petro Mediceo, fratri Franciſci, Magni ducis Hetruriæ, cuius iuſſu Petrum comitabatur Ludouicus de Ouara, qui paulo poſt in Conſiliariorum bellicorum numerum à rege Philippo cooptatus fuit. Sancius Auila erat præfectus caſtrorum. Equitatui nemo præpoſitus fuit. nam cum alarum ductores eſſent homines è primaria nobilitate, non poterant commode ſubiici imperio vnius ex numero æqualium. Itaque ad illud munus requirebatur homo talis, qui nec Albano parere recuſaret, & reliquos ductores dignitate ſupergrederetur. Veruntamen, neceſſitate poſtea flagitante, imperio equitum præfecit Albanus filium Ferdinandum de Toleto. Hieronymus Comes Lodronius præerat Germanis, Franciſco Alauæ tormentorum maiorum cura commiſſa erat, quo munere ſæpe ille iam ante erat defunctus. Etſi autẽ apparatus belli talis eſſet, tamẽ rex per miniſtros gubernatorib. denuntiabat, ſe extra culpam fore, ſi propter denegatam ſibi regni ſucceſſionem occaſione belli damnum Luſitani paterentur: & in Luſitania quoque de variis ineundæ tranſactionis modis agebatur. Rex etiam qui minari, quam vim reipſa intentare, & regnum clementia acquirere, quam ſeueritate malebat, multa beneficia & priuilegia Luſitanis offerebat, ſi tranquillam regni poſſeſſionem ſibi concederent, & gubernatores, quorum maxima, vt dixi pars ad regni habenas Philippo tradendas propendebat, cũ miniſtris Hiſpanicis iam communicauerant, & tranſegerant de iis capitib. quæ à Philippo regno concedi poſtulabant. quę omnia Dux Oſſunenſis publicauit, ſua manu ſubſignauit, & regem illa, ſi pro domino eum agnoſcerent, conceſſurum eſſe ſpopondit. Erant autem hæc capita. Vt Rex præſtet ſolenne iuramentum, de conſeruandis omnibus conſuetudinibus, priuilegiis, & libertatibus, huic regno à prioribus regib. conceſſis. Vt comitia ad res Luſitanię ſpectantia, in ipſa Luſitania celebrentur, & ne in vllo alio conuentu quidquã proponi poſſit, quod regnum Luſitaniæ tangat. Vt Viceréges, vel alii qui ſub quocunque titulo regni gubernationi præficiendi erunt, ſint Luſitani, & idem intelligatur de Viſitatore, aut præſide iudiciorum: ita tamen, vt ad auctoritatem regni augendam, & in honorem Luſitaniæ poſſit Rex, & ipſius ſucceſſores regno præficere aliquem ex ſanguine Regio, vtpote filium, patruum, vel auunculum, fratrem, conſobrinum, vel nepotem. Pręterea vt omnia munera maiora & minora tam ad iudicia, quam ad patrimonium Coronæ pertinentia Luſitanis, & non exteris committantur. Vt omnia officia, quæ apud reges ſuperiores in vſu fuerunt, tum in aula, tum in reliquis regni partibus, conferantur indigenis, qui adminiſtrabunt eadem officia, cum Rex, vel eius ſucceſſores in hoc regnum venerint. Vt idem intelligatur de omnibus aliis muneribus magnis & paruis cuiuſcunq; generis, tam maritimis quam terreſtribus, quæ vel iam in vſu ſunt, vel poſthac introducentur: & vt milites præſidiarii, quibus cuſtodia arcium committenda eſt, ſint Luſitani. Ad hæc vt commercia, quæ cum Indis & Æthiopib. & aliis nationib. ſiue detectis, ſiue in poſterum detegendis huic regno intercedunt, nunquam ab ipſo auellantur, neque quidquam ex conſuetudine hactenus in ea re obſeruata mutetur: & vt miniſtri, qui his negotiationibus præerunt ſint Luſitani, & nauibus Luſitanicis vtantur. Vt auro & argento, quod cudetur in hoc regno, & regionibus ab illo dependentibus, & omni illi, quod importatum ex ditionibus illi ſubiectis fuerit, inſignia, & arma Luſitaniæ, nullis aliis admiſtis imprimantur. Vt omnes Prælaturæ, Abbatiæ, beneficia, & penſiones conferantur Luſitanis: vt idem iuris ſit de officio Inquiſitoris maioris, de Commendis, de officiis ordinum equitum auratorum de Prioratu Cratenſi, denique de omnibus rebus Eccleſiaſticis æque ac de ſecularibus. Ne Rex permittat exigi tertias ex bonis Eccleſiaſticis neque ſubſidia, neque Cruciatas, neq; ad vllam harum rerum obtinendam bullas à Papa impetrari. Vt nemini concedatur ciuitas, oppidum, pagus, iuriſdictio, vel vllum ius regale, niſi ſit Luſitanus. Ne bona vacantia retineat Rex aut ſucceſſores vel pro ſe vel pro ſuis, ſed illa concedat propinquis defuncti. aut aliis bene meritis, dummodo ſint Luſitani: quanquam ab his reb. non debeant excludi Hiſpani, aut alii exteri, qui iam viuunt in Luſitania, & regibus prioribus aliquando inſeruierunt. ne quid in Ordinibus equitum auratorum immutetur. Vt nobilibus 12. annum ætatis attingentibus ſoluantur ſtipendia. Vt Rex, & ſucceſſores ſingulis annis conducant operam ducentorum Luſitanorum, quibus ſoluatur ſtipendium, quod vulgo Moradia appellatur: & vt ex his illi, qui non nati fuerint ex familia nobili, in claſſibus regiis militent. Ne, cum Rex & ſucceſſores venerint in hoc regnum, domos quaslibet diuerſorii loco occupent more Caſtellano, ſed hac in re conſuetudinẽ Luſitaniæ obſeruent. Præterea vt Rex, vbicunque ſit, ſemper ſecum habeat aliquẽ Eccleſiaſticum ſupremũ præfectum ærarii, Cancellarium magnum, & duos Conſiliarios Palatii, qui omnes ſimul vocabuntur Conſilium Luſitanicum; quibus etiã ſemper præſto erunt duo ſcribæ ęrarii, & duo ſcribæ Cameræ, ſi forte ipſorum opera vtendum eſſet, omniaque ſcribentur lingua Portugallica

& omnes

& omnes erunt Portugalli. Vt cum Rex, vel ſucceſſores venerint in Luſitaniã, vtantur eodem conſilio, iiſdemq; officialibus, qui cum aliis intererũt deliberationib. de regni gubernatione inſtituẽdis, vt officia Prætorum, & ſimilia officia iudicum, etiam inferiora, conferantur abſente Rege, eo modo, quo iam conferuntur: & vt idẽ intelligatur de Prouiſorib. præfectis rationum, & aliis ſimilibus qui circa ærarii adminiſtrationẽ verſantur. Vt omnes lites & facti ſpecies in iudicium deductæ (quicunq; caſus ſit, vel quæcunq; ſumma fuerit) definitiue decidantur, & executioni mandentur eo, quo iam fit, modo. Vt rex, & ſucceſſores ſacelli regii Cantores more priorum regum alant, qui Liſybonæ commorentur in hũc finem, vt ſacra celebrari poſſint cum ritu, & cantu conſueto: niſi forte Rex, aut eo abſente Viceerex, aut gubernatores in alio regni loco viuãt, ſibiq; ſacelli Cantores etiam adeſſe velint. Vt Rex admittat Luſitanos ad officia aulæ, & interioris Palatii more Burgũdico inſtituta, nullo habito diſcrimine inter ipſos, & Caſtellanos, vel alterius nationis ſubditos ſuos. Vt Regina ad miniſteria ſua adhibeat nobiles Luſitaniæ tam viros, quam fœminas, & has quidem humaniter complectatur, beneficiis ornet, & nuptum vel in Caſtella vel in Luſitania elocet. Vt ad vtilitatem ſubditorum, & totius regni, & ad augenda commercia, & familiaritatem cum Caſtellanis, Rex tollat vectigalia ab vtraq; parte, vt merces libere tranſportentur, ſicut fiebat ante, quam eiuſmodi portoria inſtituerentur. Vt iubeat Rex quam humaniſſime cum illis agi, qui frumentum ex Caſtella inuehunt, ad huius regni ſuſtẽtationem. Vt ſubminiſtret Rex trecenta millia ducatorum in res ſubſequẽtes: 120. millia in redemptionem captiuorum, arbitratu magiſtratus domus miſericordiæ Liſybonæ: quorum dimidium inſumetur in redemptionem nobilium pauperum: reliquum dimidium in redemptionem hominũ omnis ordinis Luſitanorũ 150. millia ad poſitus, hoc eſt, mutuationes ſine fœnore inſtituendas, in locis inopia laborantibus idq; arbitratu Cameralium Liſybonenſium: & 30. millia reliqua in curam & remedia morborum, qui iam graſſantur, arbitrio Archiepiſcopi, & Cameralium Liſybonenſiũ impendẽda. Vt de inſtruendis claſſib. Indicis, aliiſq; ad defenſionem regni pertinentibus, de exterminandis piratis, qui limites Africanos infeſtare ſoleat, Rex in hoc regno certi aliquid cõſtituat, prout rationi conſentaneũ viſum fuerit, etiamſi fortaſſis ex reliquis regnis, & ex proprio ipſius ærario aliquid ſubſidii huc conferendum ſit. Superiora omnia rex concedebat, & vt reſponderet amori Luſitanorum erga reges ſuos, dicebat ſe nihil magis optare quam vt in Luſitania ſemper aulam ſuam habere poſſet: Sed adminiſtrationem ceterorum regnorum, à Deo ſibi commiſſorum, huic ſuo voto obſtare; nihilominus tamen ſe operam daturum, vt quam ſæpiſſime, & diutiſſime quoad eius fieri poterit, ſit in Luſitania: Et ſi nihil aliud interueniat, ſe illis ſuo loco filium relicturum, vt dum inter Luſitanos educatur, illos cognoſcere, magni æſtimare, & non minus (quam ipſe) amare aſſueſcat. Publicatus fuit catalogus horum capitum in omnibus primariis regni ciuitatibus à miniſtris Hiſpanicis: qui dicebãt, ſi Luſitani plura peterent, Regem omnia conceſſurum, quod non dubitarent, quia Luſitani vtpote Chriſtiani nihil vel a pietate vel æquitate alienum eſſent poſtulaturi: innuentes fortaſſe ſe tacite excipere ea, quæ ad Inquiſitionem & iuſtitiæ adminiſtrationem pertinerent.

Liber Quintus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continentur munitiones ad Caput ſiccum inſtitutæ: perturbatio rerum Regni, & Gubernatorum: reſponſum Regis Catholici datum legatis Luſitaniæ: diligentia Philippi in conſulenda Vniuerſitate Alcalana ſuper expeditione ſua in Luſitaniam: ſententia contraria, vtrum rex ipſe exercitui ſuo intereſſe deberet, necne: occupatio Eluarum, & Oliuenciæ: Creatio Regis Antonii: fuga Gubernatorum: legatio Ducis Bragancia ad Regem Philippum, & prolixa eiuſdem reſponſio: occupatio Villa-viZoſæ: ingreſſus exercitus in Portugaliam: & Stremi deditio.

NON acceperunt in vniuerſum Luſitani conditiones à Rege Philippo oblatas. Etſi enim tres ex gubernatoribus vna cum ordine nobilium, & Eccleſiaſticorum tacite illas approbarent: tamẽ tertius ordo, nempe ciuitatum regni, eas repudiabat; dicebatq; eas eſſe catalogum fraudum, & ſignum exiguarum virium Philippi; & eos, qui conditiones illas conſcripſiſſent, maiorem priuatæ, quam publicæ vtilitatis rationem

habuiſſe: denique litem per ſententiam decidendam eſſe contẽdebant. Gubernatores ergo in rebus omnibus ad defenſionem parandis perſeuerabant. Miſerunt clam in Galliam Franciſcum Barretum, qui Regem Chriſtianiſſimum, de bonitate cauſæ ſuæ edoceret, ſimulque de iniuria, quam Rex Hiſpaniæ ipſis inferret, dum regnum vi occupare conaretur: & a Rege ſubſidium ſex millium peditum peteret: ac deinde Romam profectus, oraret Papam, vt ille Regem ad arma deponenda, & ius ſuum in legitimo iudicio perſequendum cohortaretur. Ablegarunt in Germaniam Eliſeum Portugallum, qui Imperatori, ceteriſq; principibus exponeret rationes, quæ Luſitanos ad libertatem, & ius ſuũ contra Hiſpanos defendendum commouerent. Et ſane in ipſis tantum poterat deſiderium Regem ſuo arbitratu eligendi, vt non tãtum ſibi principum Chriſtianorum auxilia ad iugum Philippi repellendum imploranda iudicarent, ſed etiam (id quod incredibile videtur) viuente adhuc Rege Henrico illi nobiles, qui in Africa captiui detinebãtur, commeatu & equitatu ſe iuuari à Xariffo peterent, quantũuis non eſſet veriſimile fore, vt ipſis hac in re gratificaretur. nam vt nihil dicam de religionis diuerſitate, nulla etiam amicitiæ iura, nullæ rationes politicæ hoc ſuadebant. Etſi enim non admodum gratum Xariffo erat, Philippi potentiam huius regni acceſſione augeri: tamen non erat probabile ipſum, tanquam hominem ſagacem, & iudicio præditum, vel inimicitias cum vicino tam potente temere ſuſcepturum, vel multum fiduciæ collocaturum in Luſitanis, quorũ vires erant proſtratæ, & qui ab ipſo adfecti fuerant magna clade, eaque tam recenti, vt manus ſanguine eorum adhuc tinctas habere videretur. Apparatus armorum, & munitiones locorum, propter pecuniæ penuriam, & crebras miniſtrorum diſſenſiones, lente admodum progrediebantur: & Ludoicus Cæſar, ſummus prouiſor, Hiſpaniæ Regi addictus, non admodum rem vrgebat, immo, de induſtria varias excuſationes excogitans, diem de die ducebat. Itaque tantum ad oſtium Tagi propugnacula aliquo modo munita, & in locis ad exponendum militem aptis valla extructa: præſidiariorum numerus auctus: & prope vrbem Liſybonam diuerſa loca, tormentis ad portus defenſionem diſponendis, præparata fuerunt: prætereà etiam naues bellicæ rebus neceſſariis inſtruebantur. Verum Emanuel Portugallus, ſiue quod non ſatisfacerent ipſi horum locorum munitiones: ſiue quod cuperet oſtendere, quantum aliis ingenio antecelleret, conſtituit contra omnium in arte hac verſatorum ſententiam propugnaculum in medio fluminis, quod ea parte latiſſimum eſt, oſtio extruere, vt hac ratione naues in illud ingredientes, tormentorum maiorum ictibus eſſent obnoxiæ. Videbatur autem Emanueli ipſa loci natura hoc ipſius conſilium adiuuare, quia prope oſtium in medio flumine ſeſe exerit collis, ex arena congeſtus, planus, & paulum extra aquam prominens, vulgo caput ſiccum. Hic collis, ſiue inſula alueum fluuii in duas partes diuidit: quarum vna, quę eſt inter ſiniſtram ripam, & inſulam, propter alueum non ſatis profundũ, non poteſt nauigari, niſi durante refluxu maris, idque cum nauigiis minoribus: rurſus altera pars, quæ eſt inter inſulam, & dextram ripam & ipſa à ſcopulo quodam, vulgo dicto Caccioppo in duo brachia diuiditur: quorum, quod eſt inter ſcopulum, & dextram ripam, defenditur ab arce Sancti Iuliani: illud vero, quod eſt inter ſcopulum, & inſulam, quod nominant curſum Alcaſouæ, non defenditur ab vllo propugnaculo. Et quia huc tormenta arcis Sancti Iuliani pertingere non poterãt, iudicabat Emanuel propugnaculum huic alueo defendendo in inſula extruendum. Etſi autem foſſis magno cum labore actis, humus ſolida, & fundamentis ſuperſtruendis apta non inueniretur, tamen Emanuel a propoſito deſiſtere noluit: cumque ſitus ædificia lapidea non ferret, extruxit propugnaculum ligneum, & intus humo congeſta repletum: illudq; deinde tormentis, aliiſque rebus neceſſariis inſtruxit. Aqua autem dulcis difficulter poterat in eo conſeruari, quod dolia æſtu ſolis, & vehementiſſima propter arenam radiorum reuerberatione exſiccata, rimas, quantumuis velis tecta agebant, ita vt omnis aqua efflueret. Hoc tempore gubernatores adhibuerunt remedium memorabile, quo populum ad regni defenſionem eo vehementius inflãmarent, nam (quod forte nouũ, & exemplo periculoſum erat) vſi ſunt opera monachorum, ad ſcopum ſibi propoſitum aſſequendum. & iniunxerunt Prioribus omnium monaſteriorum, darent operam, vt monachi tam pro concione, quam in audienda peccatorum confeſſione populum ad defenſionem incitarent, non ſecus ac Cruciatæ contra infideles publice in ſuggeſtis proclamari ſolent: & (vt Luſitani ſunt ambitioſi & cupidi gloriæ) ſtimularent eos propoſita ſpe honorum, quibus adficiendi eſſent, qui reliquis ad arma patriæ defendendæ ergo capienda promptiores fuiſſent. Atque ita fiebat vt huiuſmodi conciones monachorum, qui tantum pietatis, ac modeſtiæ ſtudium præ ſe ferunt, in orationes militares, & claſſica conuerterẽtur: quæ res multis bonis, & cordatis viris ſummopere diſplicuit, & totum regnum magno incommodo adfecit. Præterquam enim quod nefas erat opera miniſtro-

rum

rum Euangelii ad res profanas, vti etiam miſerę plebi tanta ferocia, & belli amor inſtillatus fuit, vt poſtea temere, & ſine omni conſilio arma capere non dubitaret. Nocuit etiam hæc res magnopere monaſteriis. Cum enim per ſe periculoſum ſit animos monachorum nimis excitare, hi qui mortuo rege Henrico, aliquanto plus libertatis nacti erant, accepta iam noua hac publice declamandi licentia, dum reliquos animabant, ipſi ſpiritus militares ſibi ſumebant. Itaque his vocationis ſuæ limites transgredientibus paulatim totus ordo Eccleſiaſticus in abuſum & confuſionem maximam incurrit, vt deinceps oſtendemus. Quoniam autem & pecunia ad ſumptus belli neceſſaria deerat 100000. ducatorum mutuo ſumpta fuerunt à mercatoribus qui ſi repugnarent vi cogebantur. Hæc Liſibonæ maiori cum feruore gerebantur, quam vſpiam alibi in Luſitania. Interim Gubernatores inter ſe non ſatis conſentientes, incerti hærebant, & indies maiorem ſuæ auctoritatis iacturam faciebant. Prior enim in propoſito cauſæ legitimitatis perſequendæ perſeuerabat, & regni ſucceſſionem maiori indies cum animi obſtinatione adfectans illis qui ipſi aduerſabantur, minabatur. Magiſtratus incipiebat amittere omnem auctoritatem, & vnuſquiſque ea, quę libebat, & facere & dicere audebat, ita vt facile regnum ſine rege eſſe adpareret, idque poſtea euidentiſſime demonſtrarunt duę res, quæ eo tempore acciderunt. Prior hæc eſt. Cum Monachi ordinis S. Hieronymi, qui incolunt monaſterium virginis Belemiæ auidi eſſent recuperandæ libertatis quam illis ademerat Rex Henricus, qui Papa conſentiente, & pro ſua auctoritate, regulis illius ordinis non obſtantibus illis impoſuerat neceſſitatem officiales ſuperiores eligendi arbitratu ipſius, id eſt vnum ex 4 aut 5. monachis, quos ad ſingula officia ipſe nominaſſet vniuerſi ad Emanuelem de Ebora, prouincialis munere tum fungentem acceſſerunt, eumque tanquam non ſatis legitime electum munere ſuo ſe abdicare iuſſerunt. Velle enim ſe alium legibus ordinis conuenienter electum, in eius locum ſubſtituere. Prouincialis, cui iniquiſſima talis petitio videretur multas rationes adduxit, cur non poſſet illis ſatisfacere. Cumque diu vtrinque verbis concertatum fuiſſet, tandem Monachi prouincialem verberibus nonnihil mulctatum & captum in cellam quandam incluſerunt. Cognati prouincialis re cognita, adierunt Alexandrum Formentum, Nuncium Pontificis in Luſitania, qui cum vtriuſque partis rationes audiuiſſet, iuſſit (quantumuis monachi eum iudicem competentem eſſe negarent) prouincialem è cuſtodia liberatum, priſtino loco, & officio reſtitui, ſimulque nonnullos ex Monachis de ſeditione ſuſpectos, vt coram ſe comparerent, citauit. Sententia hac per notarium Apoſtolicum monachis declarata, noluerunt parere. Cum itaque cognati prouincialis captiui auxilium magiſtratus imploraſſent, gubernatores miſerunt in monaſterium iudices criminales Liſybonenſes, vna cum tribus vexillis peditum vt ſententiam vi executioni mandarent. Hi cum Belemum perueniſſent, monachi clauſa porta monaſterii templum apertum relinquentes (in quo tamen ipſo clathrorum ligneorum, maius ſacellum, & ſepulchra regum abeuntium, ianua clauſa erat) in choro letaniam canere cœperunt. Iudices, & eorum apparitores, poſtquam diu oſtium monaſterii pulſaſſent, nemine aperiente, ingreſſi in templum, clatros ligneos confregerunt. Atque ita lictores in xyſtum monaſterii penetrantes, monachis cum magno dignitatis ſacerdotalis dedecore manus iniecerunt. Quanquam autem ſeniores cruces ſuas præferrent, bullas oſtentarent, excommunicationem minitarentur: tamen omnia iſta parum ponderis habuerunt. nam prouincialem liberare, & in priſtinum locum reſtituere coacti fuere: proteſtati tamen ſunt, vim ſibi illatam, & ſe de hac iniuria apud Pontificē conqueſturos. Alterum, quod notatu dignū accidiſſe ſupra dicebamus, habet. Cum Ferdinandus Pina, Doctor, & ciuis, eſſet Syndicus Cameræ (qui eſt ſummus gradus illius magiſtratus) electus in locū Iacobi Salemæ, per regē Henricū ab officio remoti, ipſo meridie in foro Antonius Soarezius illi in capite graue inflixit vulnus, ex quo paullo poſt mortuus eſt. Et hoc facinus iuſſu Prioris fuit deſignatū. Cum enim Pina tempore muneris ſui non tantum minus honorifice de Priore, & ipſius actione loquutus eſſet, ſed etiam miniſtros, & totum conſilium Camerę in partes regis Philippi pertrahere ſtuduiſſet: Antonius hoc pacto eum voluit vlciſci: & ſicarius, qui melius ferire, quam fugere nouerat, accepto à lictoribus vulnere, in templum quoddam extra vrbem ſitum ſe coniecit: ibique iuſſu magiſtratus captus: & elapſis aliquot diebus primum laqueo ſtrangulatus, & deinde in quatuor fruſta diſſectus fuit: idque non ſine maxima difficultate, & metu, ne plebs vi eum è manibus carnificis extorqueret. Quia enim gubernatorum auctoritas in dies decreſcebat, iudices parui fiebant, & quia notum erat Soarezium, impulſu Prioris homicidium hoc commiſiſſe, plebs ad eum liberandum erat ſatis propenſa. Monachi etiam, cauſantes eum comprehenſum in templo, & propterea laicorum iudicio obnoxium non eſſe, cucurrerunt ad locum ſupplicii, homicidæ, ſi poſſent,

conſilii ſui in vniuerſo Regno illud publicare quod & fecit. Sententia autem hæc erat. Experientiam docuiſſe per duo exempla præteritorum Comitiorum, Liſybonæ, & Almerini habitorum, in illis nihil tractari, quod ad manifeſtiſſimam R.M. cauſæ bonitatem, & ius tuendum ſpectaret, imo omnes in vtroque conuentu operam dediſſe, vt R.M. impedirent, excogitando dilationes, & tricas, quas ad actionem R.M. inutilem reddendam accomodatas eſſe exiſtimaſſent: ita vt facile adpareret, expectare noua comitia reuera nihil aliud eſſe, quam ter ad eundem lapidem offendere. Nihil eſſe cauſæ, cur dictitarent R.M. terminum nimis breuem ipſis præſtituere, ſi computatio fieret à die redditarum literarum, (nempe 13. Martii) quibus petebat R.M. vt ſibi iuramentum fidelitatis præſtarent, & falli illos, ſi exiſtimarent R.M. non vindicaſſe ſibi poſſeſſionem regni, niſi ab eo tempore, quo illud petiit. Vindicaſſe enim ſibi ab eodem illo momento quo Henricus expiraſſet. Imo R.M. de induſtria tacuiſſe per menſem, & medium, ne illis præriperet occaſionem vocandi R.M. ad ſucceſſionem diuinitus illi collatam, & illam hoc pacto demerendi, & vt haberent ſpatium cogitandi, quidnam hac in parte officio ſuo conueniret, & operam dandi, vt reliqui competitores de R. Maieſtat. iure edocti à propoſito deſiſterent, nec publicam pacem turbarent, ſed potius pro ipſis & toto regno intercederent: & hanc eſſe viam quam R. M. ipſis commonſtraſſet. Excuſationem, quam adducerent, quo minus R.M. reciperent, duplicem ſenſum habere. Dum enim dicerent ſe hoc facere non poſſe, niſi in publico ordinum regni conuentu ſtatutum fuiſſet, alterutrum horum illos innuere, vel ſe non poſſe iure facere, vel non poſſe, quia non auderent. Priori caſu illos hallucinari, ideo quod nulli vnquam regi, in regnum ſuum ingreſſuro, opus fuiſſet ordinum conuentu (etiamſi non ſuccederet patri ſuo, ſed tantum cognato) vt etiam illo non fuiſſet opus Regi Henrico cum nepoti ſuo ſuccederet. Poſteriori caſu, (nimirum ſe non poſſe quia non audeant) excuſationem aliquid ponderis habere: veruntamen non obſtare vel ius vel conſcientiam R.M. quo minus bonorum ſuorum poſſeſſionem apprehendat, præſertim cum periculum ſit in mora. Hunc ipſorum errorem probabile eſſe, inde naſci, quod exiſtiment ſe nihil aliud præſtare poſſe in gratiam R. Maieſt. quam vt illi regnum interueniente conuentione & tranſactione, tradant, parum interim memores R. M. non ex ipſorum, ſed ex Dei O. M. manu, & iure ſuo regnum accipere. Itaq; has voces pacta, tranſactiones, conuentiones, nonniſi per abuſum ab illis vſurpari: & ad propoſitum non pertinere. Siue enim hic reſpiciatur ad conſeruationem legum & priuilegiorum, nihil loci relinqui tranſactionibus, ſed dici debere obligationes, quibus R. M. tanquam iuſtus Luſitaniæ Rex obſtringitur: ſiue iſta ad ea, quæ de nouo concedenda ſunt, referantur, multo minus hoc nomen mereri, ſed potius appellari debere liberalitatem, munificentiam, & gratiam meram, ad quam R. M. præſtandam partim amore erga Luſitanos ducta ſolenniter, & quam fieri poterit firmiſſime ſe obſtringere parata ſit. Itaque comitiorum vſum aliquem eſſe potuiſſe, ſi Regni Ordines ſibi in priuilegiis, & immunitatibus concedendis non ſatisfieri queri poſſent, aut ſi ius haberent alium regem ſuo arbitratu eligendi. Verum cum poteſtas ipſorum non vlterius ſe extendat, quam vt ſupplices à Regia Maieſtate priuilegia augeri petant, comitia ad Regiæ Maieſtatis in regnum ſuum introitum plane non pertinere.

Hæc omnia autem ab illis nullum alium ob finem adduci, niſi vt rem ad viuum reſecent, cum tamen Regia Maieſtas, nec priuilegia, & commoda (quæ ipſius nomine Luſitanis oblata ſunt) concedere, nec cautionem talem, qualem ipſi poſtulauerint, præſtare recuſet, nec denique nimis anxie laboret de modo, phraſibus, & vocabulis, quibus Luſitanis hac in re vti viſum fuerit, etiamſi in effectu idem, quod pacta, & tranſactiones ſignificent.

Vt incommoda, quæ pro ſe allegant gubernatores, & momento, & ratione deſtituantur: ita ea, quæ Regiæ Maieſtati metuenda ſint, tam prope imminere, & veluti præ foribus, eſſe, vt nullam omnino res moram patiatur; quantumuis Regia Maieſtas, alioquin ipſorum precibus locum relinquere parata eſſet, ſicut reuera in omnibus, quoad poſſet, rebus ipſis gratificari cuperet. Argumento eſſe, quod exercitus, qui iam prope ad fines Luſitaniæ progreſſus ſit, non poſſit retrocedere, neque otioſus ibidem hærere. Nam commeatum omnem illius ditionis conſumptum, & ſegetes, quibus Regia Maieſt. parcere cuperet, magno detrimento adfectum iri, præterquam quod etiam iniquiſſimum eſſet tam diu exercitum alere cum incommodo, ac damno ſubditorum obedientium, quos quamprimum hoc onere ſubleuari, ratio & æquitas ipſa flagitaret. Regia Maieſtas quidem ſibi pati perſuaderi maiorem partem eorum, qui exercitus progreſſum differri petunt, bono & ſincero animo hoc facere. Veruntamen ipſos negare non poſſe, quin multi

alii hoc flagitent, & cupiant in eum finem, vt Regiæ Maieſtati interim (vt ſunt humana) impedimentum aliquod obiiciatur, & vt præterlabatur tempus, quo triremes Regiæ Maieſtati ad rem in Luſitaniæ ora gerendam vſui eſſe poſſint. Neq; enim illos fugere, quam cito tempus illud prætereat, quo nauibus actuariis in illo mari locus eſt. Regiam Maieſtatem, poſtquam Madrido exceſſit, quantam maximam potuit, dilationem & moram adhibuiſſe: & (vt ipſi vidiſſent) in itinere tres menſes conſumpſiſſe: idque in hunc finem, vt ipſis ſpatium inter ſe agendi, tranſigendi, componendi non deeſſet. Verum etiamſi Regia Maieſtas per totum annum expectaſſet, tamen ſole meridiano clarius eſſe, negotium ne vno quidem paſſu vlterius progreſſurum fuiſſe, propterea quod inanibus replicationibus conſumpſiſſent tot dies, quibus conuentum indicere, & etiam obliuioni tradere potuiſſent: cumque ipſi promiſiſſent, ſe ordines regni intra breue tempus conuocaturos, non ignorare Regiam Maieſtatem, etiamſi menſis Iunius inchoatus eſſet, tamen nondum vel præſules regni, vel proceres, vel procuratores ciuitatum comparuiſſe: & in multis locis ne quidem certos procuratores nominatos: imo electionem variis artibus, & corruptionib. differri. Hinc ſatis liquere ex Conuentu potius confuſionem, quam fructum aliquem expectandum eſſe. Etiamſi autem publice conſtet quam parum de vtilitate Comitiorum ſpei ſit, tamen nolle Regiam Maieſtatem, vt ſibi perſuadeant, R. M. antequam in Luſitaniam ingrediatur, Comitia impedituram: veruntamen ingreſſam, ſtatim eſſe facturam ea, quæ ad cultum Deo debitum, & ad ſuam, ac publicam Regni vtilitatem maxime pertinere iudicauerit, ſiue id fieri poſſit per indictionem Comitiorum, ſiue alio modo: qua tamen in parte Regia Maieſtas ſemper viam, Regni incolis commodiſſimam ſecutura ſit. R. M. etiamſi ad multa conniueat, non poſſe tamen poſtulatis ipſorum acquieſcere, cum videat ſubditos Coronæ Luſitaniæ, Reg. M. ſtudioſos, opprimi ſubprætextu iniuſtæ rebellionis, quam tamen ipſi defenſionem vocent: & illos ſolos, qui Reg. M. partibus fauent, & veritatem, ac ius R. M. agnoſcunt, inſectationibus, & iniuriis eſſe obnoxios: contra foueri, & protegi factioſos, & manifeſtos perturbatores pacis, vtilitatis, & quietis publicæ. Vt nihil diſſimuletur, Reg. M. ipſis ſignificare, æquum fuiſſe, vt facta ipſorum dictis reſponderent. Nam quia hoc non fit, non poſſe illos poſtea Reg. M. accuſare, quaſi aſtute agat. Vt vero ſciant, quam R. M. ſuſpectæ ſint ipſorum dilationes, R. M. illis indicare, ſe nuper ex diuerſis locis ab hominibus fide dignis certiorem factam, Luſitanos, interim dum apud R. M. molliſſimis verbis inſtant, vt exſpectet, & exercitum detineat, ſummo cum ardore ab aliis regibus auxilium flagitare, & ſecretas machinationes inſtituere in perniciem Romanæ Eccleſiæ, & pacis orbis Chriſtiani: quanquam R. M. non deſperet Deum O. M. ipſorum conatus impediturũ. R. M. quidem, Deo iuuante, breui in Luſitaniam manu armata ingreſſuram: ſed tamen non eſſe, quod ſibi propterea perſuadeant Reg. M. conſtituiſſe Luſitanos bello perſequi, imo R. M. potius, quoad eius fieri poterit, operam daturam, ne cuiquam vis fiat, niſi eis, qui pertinaciter R. M. debitam ſibi regni poſſeſſionem capeſſenti, obſiſtere conati fuerint. Confidere autem R. M. fore, vt nullum ſibi impedimentum obiiciant: ſed potius vt, ſi quæ ſuperſunt, obſtacula ſponte remoueant: vt R. M. ipſorum opera in expeditione hac æſtate contra infideles ſuſcipienda vti poſſit. Gubernatores cum grauem & prudentẽ hanc reſponſionem, regiſq; firmum propoſitum viderent, ex quo manifeſto apparebat, Luſitanos in viſcerib. regni, & circumcirca in finibus bellum habituros: cumque vulgo, quod omnem rei ſero & male geſtæ, & tam exiguorum ad defenſionem adparatuum culpam ipſis imputabat, ſe exoſos eſſe intelligerent, incerti erant, quidnam potiſsimum conſilii caperent. Cupiebant diſcedere Almerino, propterea quod peſtis, quæ graſſari cœperat, & æſtus, qui in loco illo arenoſo intenſiſſimus eſt, hoc ſuaderet. Et quia audiebant Antonium in ſuum commodum contra ipſos plebem inſtigare, cogitabant de adeundo loco aliquo munito, vbi & à populi tumultu, & à bellicis incurſionibus tuti eſſent. Almerinum enim à muris nudum eſt. Videbatur ipſis Setubalum, quo conuentum indixerant (quanquam exiguam ſpem haberent de ſucceſſu) commoditate cetera loca ſuperare, vtpote quod & muris cinctum, & portus maris eſſet. Itaque eo ſe recipere conſtituerunt. Habebant in animo, ad minimum tres ex ipſis, porrigere manum regi Philippo ad regni poſſeſſionem capiendam vel inuitis illis, qui ad defenſionem ſe parabant: quam ad rem ipſis aptiſſimus ille locus videbatur, vtpote in quem recipi poſſet claſſis Philippi, ita vt nulli vſui eſſent munitiones ab Emanuele Portugallo ad oſtium Tagi inſtitutæ. Verum non inueniebant modum hæc conſilia ad effectum perducendi. Procuratores enim qui ex ſuperiori conuentu remanſerant, dicebant, ſubſiſtendum eſſe Sanctarenæ, & ipſi, ne ſuſpicionem iam de ſe conceptam augerent, abire non audebant. Accedebat quod verebantur, ſi relicto ibi Priore vna cum iſtis procuratoribus ſub ipſum belli à rege Philippo

mouendi

mouendi initium diſcederent, ne illi ſe abſentibus ſub vmbra defenſionis tyrannidem aliquam inueherent. Cum itaque tam dubii, & incerti eſſent, nec malis occurrentibus remedium adhibere noſſent, plus nocuerunt Regi Philippo, dum ipſi fauent, quam aperte aduerſando nocere potuiſſent. Rex.n. ſperans fore, vt iſti regnum ſibi in manus traderent, aliquanto lentius cum exercitu ad Luſitaniæ fines progreſſus erat. Euenit, vt Io. Gondalezius de Camera, Comes Caglietanus, peſte moreretur. Et hac occaſione gubernatores Almerino profecti ſunt Setubalum, cum Duce Braganciæ, cum miniſtris Hiſpanicis & aliis, qui Philippi partes ſequebantur, & delectis ducibus ad portas oppidi excubias diſpoſuerunt. Rex Hiſpaniæ, omnibus copiis prope Badagoxium in vnum locum coactis, & accepto de claſſe iamiam ex portu S. Mariæ ſolutura nuntio, antequam in Luſitaniam ingrederetur, non contentus tot, vt ſupra dictum eſt, Theologorum iudicio, & ſententia, quam ſumma cum diligentia exquiſiuerat, voluit denuo in vniuerſitate Alcalana (vbi facultas Theologica maxime floret) quæſtionem de exercitu in Luſitaniam ducendo, deque poſtulationibus Oratorum Luſitaniæ, examinandam proponere. Congregatis itaque omnibus Theologiæ Doctoribus, (erant autem plures quam triginta) precibus ad Deum fuſis, ſacriſque factis, de quæſtione propoſita (quam ſinguli priuatim diligentiſſime excuſſerant) tribus ſeſſionibus diſputarunt. Quamuis enim illa non eſſet adeo difficilis, & intricata: erat tamen max mi momenti, & inuſitata. Deſcenderunt autem magno conſenſu in eandem ſententiam cum illis, quos Rex prius conſuluerat, (quorum tamen argumenta & rationes non viderant) & decretum, in formam authenticam redactum, ad regem miſerunt. Fuerunt ipſis propoſita tria capita. Primum vtrum Rex, qui certus ſit ad ſe, tanquam ad legitimum hæredem ſucceſſionem regni Luſitaniæ deuolutam eſſe, mortuo rege Henrico, in foro conſcientiæ teneatur ſe ſubiicere vllis iudicibus, aut arbitris, qui regnum illi adiudicent, eumque in poſſeſſionem mittant? Secundum, cum Luſitani ipſum pro rege ſuo agnoſcere, & recipere recuſent, niſi vna cum ceteris competitoribus ſententiam expectet: vtrum iure poſſit poſſeſſionem regni apprehendere propria auctoritate, & armis adhibitis contra eos, qui obluctaturi eſſent, præſuppoſito hoc, quod de iure ſuo non dubitet, nec vllum conſcientiæ ſcrupulum experiatur? Tertium, cum dicant gubernatores regni Luſitaniæ ſe, & omnes regni incolas iuraſſe neminem ſe pro rege, niſi eum, qui per ſententiam ſucceſſor legitime declaratus fuerit, agnituros, ſeque Regiam Maieſtatem alia conditione recipere non poſſe, præſertim cum competitores conquerantur, ſeque ſententiæ parere paratos eſſe profiteantur; Regiam Maieſtatem cupere edoceri, an gubernatores, & ſubditi ſub iuramenti prætexu, iuſte ſe excuſare poſſint, quo minus Reg. Maieſtatē ad regni poſſeſſionem admittant. Ad primum reſponderunt, Regem in foro conſcientiæ non teneri ſe ſubiicere vllis iudicibus aut arbitris, cum auctoritate propria ſibi hæc regna adiudicare, & poſſeſſionem eorum apprehendere poſsit. Nominatim autem à poteſtate iudicandi in hac cauſa excludebant principes & reliquos, qui ſibi ius in ea pronuntiandi arrogare poſſe videbantur. Et primum debita honoris præfatione, & veluti deprecatione ad Papam, & ſedem Apoſtolicam præmiſſa, negabant Papam eſſe iudicem competentem, propter ea quod hic ageretur de rè mere temporali, nec vlla ſeſe offerret earum circumſtantiarum, quæ Pontifici poteſtatem indirectam in cauſis temporalibus, reſpectum aliquem ſpiritualem habentibus, tribuere ſolerent, Imperatoris iuriſdictioni regem obnoxium eſſe negabant, ideo quod reges Hiſpaniæ ſupremam poteſtatem habent, nec vlla in re Imperatorem recognoſcunt: multo vero minus illum alterius alicuius regis iudicio ſtare cogi, dicebant. Reipub. & regno Luſitaniæ itidem Philippum ſubditum eſſe negabant, propterea quod Reipublicæ, quæ regem eligunt, ipſique imperium deferunt, impoſterum ſubiectæ ſunt illi, in quem poteſtatem ſuam contulerunt, ita vt nulla illis iuriſdictio reliqua ſit in regem, aut legitimos ſucceſſores, cum per primi regis electionem, etiam omnes legitimi eius ſucceſſores electi intelligantur. Cum itaque conſtet in hoc caſu de vero ſucceſſore, neceſſario hinc ſequi, Reipublicæ Luſitaniæ nullam iuriſdictionem competere in verum ſucceſſorem: & tam certo ſtatuere regem ſe non eſſe ſubditum tribunali huius Reipublicæ, quam certo ſtatuat ſe eſſe verum ſucceſſorem. Quantum ad vndecim iudices, quos ex vigintiquatuor rex Henricus delegiſſet, dicebat Henricum non poſſe eſſe iudicem illius, qui ipſi mortuo ſuccederet. Per mortem enim officium adminiſtrandæ iuſtitiæ expiraſſe, omnemq; iuriſdictionem & auctoritatem in ſucceſſorem deriuatam fuiſſe. Contra arbitros breuibus agebant, & compromiſſo, atque arbitrio locum eſſe negabant in cauſis, quæ non ſunt dubiæ: qualem hanc eſſe pro confeſſo ſumebant. Reſpondebant illis, qui dictitabant, Philippum ius in Luſitaniæ regnum ſibi arrogare, non vt Regem Hiſpaniæ, ſed

vt cognatum Henrici: & ideo eum prærogatiua, quam vt rex Hiſpaniarum haberet, in hoc caſu vti non poſſe. Negabat hanc diuiſionem imaginariam in regis perſonam cadere, eo quod hæc ita coniuncta ſit cum dignitate regia, vt non poſſit fieri iniuria perſonæ, quin etiam dignitas lædatur: & quoniam Rex aliquis bellum alii regi inferre poteſt, propter iniuriam fratri, confœderatis, & amicis factam, tanto magis bellum licitum eſſe, quod regni, per legitimam ſucceſſionem ad ſe deuoluti, occupandi cauſa ſuſcipitur. Reſpondebant etiam illis, qui contendebant iure Ciuili, & Canonico cautum eſſe, vt de re litigioſa cognoſcatur, & pronuntietur in eo loco, vbi illa eſt: & per conſequens hanc litem eſſe in Luſitania decidendam; dicebant iura illa loqui de hominibus priuatis, qui habent iudices ſuperiores, non de principib. abſolutis, & à nemine dependentib. Ad ſecundum caput reſpondebant, adhibitis multis rationibus, quas etiam in prima reſponſione ante adduxerant. Negabant à rege aliud poſtulari poſſe: quam vt Gubernatores edoceat de iure, & manifeſtis rationibus, quę ipſi regnum illud adiudicant. Qui ſi, his neglectis, in pertinacia perſiſtant, regem propria auctoritate poſſe regni poſſeſſionem apprehendere, & (ſi neceſſitas flagitaret) etiam armorum terrore obſtinatos ad obedientiam compellere. Neque autem hanc iniuſtam vim hoc caſu adpellari poſſe, ſed potius defenſionem regni, iure ſibi debiti, & iuſtam rebellium pœnam. Ad tertium reſpondebant illos, qui præſtiterant iuramentum, non poſſe cogi ad illud obſeruandum, cum conſtaret, neque in Luſitania, neque alibi vllum eſſe iudicem, cui ius eſſet pronuntiandi in hac cauſa inter ipſos & regem. Præterea iuramentum tendere in præiudicium regiæ dignitatis: & vt iuramentum non obligaret eos, qui illud præſtiterant, ad obſeruationem: ita etiam illud non poſſe ab iiſdem prætendi ad Regiæ Maieſtatis imperium recuſandum. Conteſtationem vero competitorum, & promiſſionem de obedientia ſententiæ præſtanda, non eſſe tanti momenti, vt Rex propterea ſe iudicib. non competentib. ſubiicere cogeretur. Porro Rex Philippus cum has rationes cognouiſſet, exiſtimauit poſſeſſionis regni apprehenſionem non eſſe diutius differendam. Itaque exercitum Cantilianam, tribus Badagiozio milliaribus diſtantem proficiſci iuſſit, inde in fines Luſitaniæ ducendum. Cumque in eo loco Rex ipſe vna cum Regina copias vniuerſas in caſtra ingredientes videre cuperet, imperauit ſibi in medio agro pegma quoddam è ligno extrui: quo conſcenſo, omnia agmina, duce Albano ſene ſed habitu militem integræ ætatis repræſentante, ordine prætereuntia, contemplatus eſt. Quamuis autem Rex videretur in eam partem propendere, vt ſtatueret ſibi Badagiozio non diſcedendum: tamen inter homines curioſos varii erant hac de re ſermones, & præter rationes vulgares, quibus vti ſolent ii, qui adfirmant Reges ipſos expeditionibus intereſſe debere, adducebantur etiam quædam peculiares, quæ ſuadere videbantur neceſſitatem flagitare, vt rex ipſe omnino huic exercitui præeſſet. Dicebant tria eſſe, quæ requiruntur in expeditione, cui principem ipſum intereſſe conueniat: nimirum rei, propter quam arma capiuntur, pondus ac magnitudinem: ſpem felicis ſucceſſus, & belli per miniſtrum conficiendi difficultatem. Omnia autem hæc tria in iſta expeditione manifeſto concurrere. Litem enim eſſe de regno maximi momenti, diuite, aliis ditionibus Regis contermino, capite multarum locupletiſſimarum prouinciarum, quarum fines amplificari facile poſſe viderentur. Spem victoriæ eſſe tam certam, quam humanitatus loquendo, certa eſſe poſſet, tum bonitatis cauſæ, & virium reſpectu, tum etiam propter hoſtium imbecillitatem. Difficultatem expeditionis miniſtri opera conficiendæ eſſe non exiguam, & huic caſui maxime propriam. neque enim Regem intraturum in Luſitaniam, vt ciuitates, & caſtella occupet, ſed potius vt animos hominum ſibi deuinciat, neque, vt victorem ſe gerat, ſed vt principem legitimum, cuius eſt venire viribus inſtructum ad reprimendas mutationes, quæ in regnis recens adquiſitis naſci ſolent, vt etiam ſe facturum ſignificaſſet gubernatoribus & ordinibus Regni. Has vero partes, tanquam ſumme arduas, non poſſe recte committi, niſi filio primogenito: reliquis vero filiis, & nepotibus non item: quanto minus duci exercitus, natione Hiſpano, & partim naturâ imperioſo, partim grauiſſimarum rerum, quas tractauerat, vſu exaſperato, & Luſitanis inprimis exoſo. Dicebant certiſſimum eſſe, ſi Rex ipſe in regnum ingrederetur, ex amicis ſubditos fideliſſimos, & ex iis, qui neutram partem ante ſecuti eſſent, amicos facturum: Albanum è contrario amicos in neutrales, neutrales in inimicos, & inimicos in perduelles mutaturum. His, & aliis rationibus fulciebant opinionem ſuam ii, qui in hac expeditione regis præſentiam omnino neceſſariam eſſe contendebant. Ab altera parte in medium adferebatur, quando in deliberationibus verſatur res adeo difficilis, vt ad impoſſibile accedat, tum non diſputari debere, quid faciendum, ſed neceſſitati ſimpliciter eſſe parendum. Huiuſmodi autem eſſe diſputationem de Regis in

Luſitaniam

Luſitaniam ingreſſu, ideo quod variis incommodis exercitus ita imminutus eſſet, vt & numero,& virtute longiſſime differret ab eo, quem ad huiuſmodi expeditionem neceſſarium eſſe initio decretum fuiſſet. Nam ex militibus exteris vltra ſexies mille deeſſe numero,qui fuerat conſcriptus: Hiſpanorum,qui venerant ex Italia, multos; tyronum mediam partem deſiderari: veteranos vero è Belgico euocatos in tempore adeſſe non poſſe. Sane ſi veterani cum reliquo exercitu (cuius tanquam neruus futuri erant) ſe coniunxiſſent, & omnes illæ copiæ, quæ initio conſcriptæ fuerant, in vnum locum conueniſſent, cum regem tuto expeditioni intereſſe, & tranſitum liberum ad ſubſidia & commeatus recipiendos conſeruare potuiſſe à finibus regni Setubalum vſque, idque diſpoſitis iuſto interuallo præſidiis,quę commeatus,& ſupplementa excepta paulatim in caſtra deducerent. Verum cum tam equites, quam pedites ad hanc rem deſtinandi, deficerent,nihil reſtare, niſi vt in duo maxima pericula incurratur.Prius eſſe, omnem commeatum ſecum ducere, vnde noua,& monſtroſa exercitus forma neceſſario oritura eſſet, ideo quod equitatus non ſufficeret ad impedimenta,& plauſtra alis ſuis tegenda. Poſterius, idque æque magnum committere, vt vita tot hominum penderet ab inſtabilitate maris, & ventorum, quorum beneficio claſſis ex Andaluzia Setubalum deducenda eſſet cum reliquo commeatu, & rebus ad tormenta neceſſariis, quibus exercitus, commeatu plauſtris aducto deficiente, vteretur. Quamuis autem Albanus contentus eſſet numero militum, qui præſto erant,tamen illum hoc fiducia peritiæ ſuæ,& imperitiæ hoſtium facere:ſpemq; ſuperiora pericula euadendi nulla in alia re collocare,quam quod Luſitanos non iudicaret profeciſſe tantum in rei militaris ſcientia:vt ſibi impedimenta obiicere, à tergo circumuectum morari,& in rerum neceſſariarum penuriam coniicere noſſent: quibus artibus ſi illi vti didiciſſent,rem periculo non carituram eſſe,& Albanum vel ad retrocedendum,vel ad pugnam iniquo loco,& dubia victoria ineundam adigi,vel ſaltem,quo minus eo anno Tagum tranſiret,impediri poſſe.Hoc autem pacto valde dubium fore expeditionis euentum tum propter animorum inſtabilitatem,quos progreſſu temporis veriſimile eſſet facile mutari poſſe.Præterea incertũ eſſe, vtrum duæ partes exercitus commode coniungi poſſent. Videri autẽ hoc difficile,propterea quod altera pars naues cõſcendiſſet,altera terreſtre iter ingreſſa eſſet,& quod non adeo probabile videretur fieri poſſe,vt exacte ad tempus præſtitutum altera alteram aſſequeretur. Sin autem hic ab alterutra parte ſaltem viginti dierũ dilatio intercederet,in ſequentem annum neceſſario expeditionem eſſe reiiciendã. Concludebatur hinc,nec diſciplinam militarem,nec politicam vllam rationem pati, vt Rex ipſe huius expeditionis periculis ſeſe obiiceret.neque enim vel induſtriæ, vel fortunæ ſatis tuto committi ſalutem principum,quorum conſilia non alienæ imbecillitati, ſed propriis viribus inniti oporteat. Dum in Caſtella hæc eſt rerum facies, & Luſitani indies maiori cum arrogantia, & confuſione res adminiſtrant, in Portugallia cuiuis facile erat animaduertere, regnum illud præceps ad exitium ferri. Nam deliberantibus vniuerſis, nemo erat, qui quid vellet, aut quid faciendum eſſet, ſatis noſſet: aut, ſi qui eſſent, quam viam tanquam ad metam propoſitam ducentem, ingrederentur, cœcis ſimiles, ignorabant Gubernatores, qui erant Setubali, indicebant conuentum, & perturbabantur, quod Albanum cum exercitu inſtructo ad fines Luſitaniæ properare audirent, & Antonium Sanctarenæ procuratores, vt ad conuentum proficiſcerentur, ſolicitare, & iacere ſemina illius tumultus, qui poſtea exortus fuit. Vrgebat illos dux Bragan ciæ,& publicè de iis conquerebatur, fortaſſe quod non omnia ex illius ſententia adminiſtrarent: neque miniſtri Hiſpanici illos ſinebant quieſcere. Dimiſerant Iohannem Teglium Liſybonam, vt res ad defenſionem neceſſarias præpararet, cum quo minus bene, quam ante, illis conuenire incipiebat: cupiebant ſatisfacere omnibus: metuebant furorem populi: mouebant, ſed non promouebant: inſtabant magnis clamoribus ciuitates, & oppida, vt vel arma, quibus ſe defenderent, vel licentia deditionem faciendi ſibi concederetur: reſpondebant illi generalia,quæ nullum effectum producebant. Acceperunt etiam litteras à Duce Albano,quibus eos arguebat crudelitatis, ideo quod negligerent conſuetudinem quæ vbique gentium obſeruatur, nempe,vt, exercitu potenti in aliquam prouinciam ingreſſo,concedatur iis locis,quæ non ita munita ſunt, vt vim hoſtium ſuſtinere poſſint, deditionem faciendi facultas, ne peccent in præcepta militaria,quæ iubent ad vnum omnes occidi,quotquot hoc caſu reſiſtunt:& non iniuria, quia alioquin tormenta maiora ad minutiſſimum quemque pagum diuerberandum adducere neceſſe eſſet, nec bellum vnquam finiretur. Sed ne hæ quidem litteræ illos mouerunt; vt vlli ciuitati, aut oppido certi aliquid hac in re præciperent: Inter ſe quidem ſatis de regno regi Philippo tradendo conſentiebant, ſed non perſpiciebãt, quo pacto conſiliũ hoc ad effectum perduce-

ſent: quod ſi detegeretur, verebantur, ne lapidib. obruerentur. Itaque nolebant quicquam temere tentare, præſertim quia indies imminuebatur ſpes rem eo adducendi, vt Philippus regnum ipſis acceptum ferret, quo initio collimaſſe videntur: præterquam quod etiam totum regnum ſibi hoc in negotio aduerſari intelligerent, ita vt ſi maxime periculum facere cupiiſſent, tamen ne nihil efficerent, vererentur. Vulgus (quod omnia ſecunda initio ſibi polliceri, incommodis autem ſuperuenientibus facile ſuccumbere ſolet) credebat nullo negotio hoſti reſiſti poſſe: vnuſquiſque leonem, priuatos parietes defendendi ardore, æquare videbatur, ſed omnes, vtpote bellicæ rei imperiti, in apertos campos ſub ſignis armati prodire recuſabant. Porro familia Portugallorum, & reliqui regis Hiſpaniæ aduerſarii non minus erant anxii, quam ipſi gubernatores. Videbant enim ſe pertinacia ſuà regem Philippum irritaſſe, idque ſine vllo fructu. Et licet iuſto plus viribus ſuis fiderent, tamen metuebant conteſtationes, & denuntiationes Philippi, quibus regni poſſeſſionem petens, ſimul minabatur exitium illis omnibus, qui ſibi obſtitiſſent. Quamuis autem miniſtri Hiſpanicĩ etiam hos non minus, quam multos alios, corrumpere, & Philippo conciliare ſtuduiſſent: tamen nihil effecerunt, quod Portugalli, initio obſtinati, in medio viribus ſuis freti, in fine de venia impetranda deſperantes, omnem conuentionem, & compoſitionem reſpuiſſent. Hæc tamen vnica ſpes reliqua ipſis erat, quod quo ardentiores ſe in paranda defenſione gererent, eo magis Philippo, quid poſſent, ſe oſtenſuros, & eo tolerabiliores in tranſigendo conditiones impetraturos confiderent: atque ita fore, vt (gubernatoribus propter mutuas diſſenſiones rem ad effectum non perducentibus) Philippus regni poſſeſſionem ipſis acceptam ferret. Verum ille probe de his rebus omnibus edoctus, poſtquam cum locorum, ad limites Luſitaniæ ſitorum, incolis egiſſet de deditione, &c, prolixe iure ſuo, & cauſæ bonitate demonſtratà, illos monuiſſet, ne pertinacia ſua regni deuaſtationi cauſam præberent: iuſſiſſetque Petrum Velaſcum, ſupremum iudicem Badagiozii ad quoſdam priuatim litteras hac de re dare: primum omnium tentauit ciuitatem Eluas, tanquam reliquis viciniorem: cuius ciues cum à ſe initium vel tranſigendi, vel armis vtendi Philippum facturum iudicarent, cotidie illius nuntios expectabant. Erant autem (vt plerunque fieri ſolet) diuiſi in factiones duas: quarum altera in partes Philippi inclinabat: alterà ſub libertatis conſeruandæ, & in fide apud gubernatores perſiſtendi prætextu imperium eiuſdem vehementer auerſabatur. Illius factionis caput erant Georgius Paſſanus, & Iohannes Rodericus Paſſanus, fratres: à quorum partibus ſtabant multi ex eo genere ciuium, quos ſcutiferos adpellant: huius verò, Antonius Melius, præfectus ciuitatis, cui adhærebant fere omnes nobiles, numero tamen ſuperioribus longe impares: & vnuſquiſque quid de re tota ſentiret, aperte profitebatur. Fuerat paulo ante in ea vrbe Iacobus Meneſius, quem gubernatores miſerant, vt, quæ ad conſeruationem illius pertinerent, curaret: & cum foſſas amplificari iuſſiſſet, idque cum magna difficultate coniunctum animaduertiſſet, rè infecta diſceſſerat, promittens fore, vt armis & militibus à gubernatoribus inſtructus reuerteretur. Quia autem non redierat, facile ciues intelligebant ſe non poſſe hoſtium impetum ſuſtinere. Sane Philippus, qui multo ante eorum animos tentauerat, operà Vincentij Fonſecæ, monachi ordinis prædicatorum, cognatione iuncti Paſſanorum familiæ (quæ nobiliſſima erat, & iam inde ab initio cum omnibus aſſeclis ſuis Philippo fauerat) non deſiſtebat operam dare, vt etiam reliquos in partes ſuas pelliceret, quamquam verum eſt, monachum, cum die annuntiationis Beatæ Virginis, pro concione populum ad obedientiam Philippo præſtandam cohortaretur, ab eodem non admodum æquo animo auditum fuiſſe. Cum itaque iam poſſeſſionem adprehendere conſtituiſſet, miſſis & ad Epiſcopum, Antonium Melium multis nuntiis, poſtremo eodem ablegauit Petrum Velaſcum, vna cum litteris ad primarios, & cum mandato vrbem illam in poteſtatem, & tutelam regiam recipiendi.

Velaſcus die decima ſeptima Iunii Eluas peruenit, comitatus octodecim viris inermibus. Et quamuis initio, appropinquante eo, portæ propter metum mali contagioſi occluderentur: tamen paulo poſt à prætore intromiſſus, & in templum Miſericordiæ ingreſſus, iuſſit vocari Epiſcopum, magiſtratum Cameræ, Melium, & nobiles, quibus omnibus regis litteras reddidit, quarum hæc erat ſententia. Quandoquidem tam euidens eſſet, regni ſucceſſionem ad ſe ſpectare, ſe miſiſſe Velaſcum cum mandato iuramentum fidelitatis ab illis recipiẽdi, quod eos prompte pręſtaturos eſſe certo ſciret: blandiſq; hiſce verbis multas pollicitationes adiungebat. Et licet Epiſcopus Melius, & Camerales litteras acceptas legerent: tamen nobiles non tam facile illas ſibi accipiendas eſſe iudicabant, veriti, ne peccarent, & nonnulli alii, quod inter ſe diſſiderent, cui potiſſimum hic honor deferri debe-

ret; illas

ret, illas etiam non recipiebant. Tandem tamen concluſum fuit Fratrem Antonium Cerdam, Priorem monaſterii S. Dominici, epiſtolam ad nobiles ſcriptam accipere, & in templum Cathedrale ad eos deferre debere. Lectis itaque omnibus litteris, Melius & Camerales, qui omnes antecedebant, octo dierum ſpatium ad deliberandum, & reſpondendum petiere, ſperantes ſe interea de re tota commode gubernatores certiores eſſe facturos. Denegauit hoc Velaſcus, dixitque ſe è veſtigio ad Regem rediturum: hortatus eſt, ne committerent quidquam, quod Regem irritare, & ad exercitum, qui tam vicinus eſſet, ceruicibus ipſorum immittendum mouere poſſet. Veruntamen nihilominus illi Gaſparum Britum Stremum miſerunt, qui Iacobum Meneſium, præſidem illius prouinciæ, de his rebus edoceret, & ita pependerunt animi vſque in diem ſequentem: quo Paſſani, intellecto Melii conſilio, voluntati & auctoritati ipſorum omnino contrario, cōſtituerunt eum, niſi ſententiam mutaret, interficere. Et iam ante populum contra Melium inſtigauerant, multiſque perſuaſerant, vt publicè, ſe Caſtellanos eſſe velle, profiteri non dubitarent. Velaſcus deinde in arcem ſe contulit, vt Melio, remotis arbitris, perſuaderet, ne pergeret eſſe obſtinatus, neue ſine cauſa alienum à Rege Philippo animum proderet: ſed fruſtra. Dicebat enim Melius ſibi curam illius vrbis commiſſam eſſe a gubernatoribus & ſe nemini iniuſſu eorundem illam dediturum: ſi Regi Philippo regnum per ſententiam adiudicatum eſſe probari poſſet, ſe paratum eſſe obedire. Verum cùm interim mandatu Velaſci ad foſſas vrbis circiter equites ſexcenti acceſſiſſent, ac puteos, & aquæductus, ex quibus aquam ad bibendum incolæ hauriunt, occupaſſent, Luſitani vehementer perturbati fuerunt, ita vt mulierculæ paſſim magnis clamoribus conuicia iacerent in Melium, & reliquos, qui Regis Philippi imperium detrectarent. Itaque nonnulli iuuenes impulſu eorum, qui Philippo fauebant, cum viderent patriam ſuam a præfecto in diſcrimen adduci, conſtituerunt ſtatim illum occidere, & profecti ad templum Cathedrale, (vbi omnes conuenerant) prope portam illius, in Melium egredientem impetum facturi, ſubſtiterunt. Verum cum ille ſermonem cum Epiſcopo, qui in ipſo flectendo laborabat, inſcius tamen periculi imminentis, produceret; nepos illius (cui & ipſi nomen erat Antonio Melio) certior factus, quanto in diſcrimine auus verſaretur, ex arce, aſſumptis aliquot ſclopetariis, ſubſidio illi venturus accurrit: auumque in templo adhuc offendit. Cumque ſenex Antonius nepotem armatum vidiſſet, miratus eſt, quod cauſam ignoraret: quam cum deinde intellexiſſet vna cum periculo, in quo verſabatur, & quod hoſtium copiæ in vicinia eſſent ſignificauit Velaſco, nihil reſtare, niſi vt ille cum Cameralibus tranſigeret: ſe enim paratum obedire Regi Philippo: & ita omnis tumultus ſedatus fuit, quia iam ante etiam cum ipſis Cameralibus conuentum fuerat. Cum a. præſtarentur iuramenta, ciues non nimium cauti petebant à Velaſco, vt nomine Regis ciuitati multa priuilegia, immunitatem vectigaliū, & portoriorum per totum regnum, multaque alia magni momenti, concederet. Velaſcus liberalis de eo, quod dare non poterat, conceſſit quidquid peteretur: ſed Rex poſtea promiſſis non ſtetit, quod diceret Velaſcum (& ita reuera erat) mandati fines exceſſiſſe. His ita tranſactis, intellectum fuit Gaſparum Britum, quē ciuitas ad Iacobum Meneſium miſerat, redire cum trecentis partim peditibus partim equitibus, qui non ſatis erant armis inſtructi, ad ciuitatem defendendam. Itaque Brito ſtatim iniunctum fuit, vt diſcederet: in cuius cōſpectum cum interea equitatus Hiſpanicus peruenisſet, ſponte cum omnibus ſuis in fugam ſe coniecit. Poſtero die, cùm adhibitis ceremoniis ſolemnibus noui regis nomen publicè proclamatum fuiſſet, Velaſcus ad regem rediit, cùm ſolum triduum in his rebus componendis conſumpſiſſet. Paulo poſt optimates Eluenſes, regis ſolita cùm reuerentia ſalutandi cauſa, Badagiozium venerunt: & à rege maiori cum comitate, quam erga homines vti ſolebat, excepti fuerunt. Miſit etiā ille Eluas Garziam Cardenam nepotem Albani, qui ciuib. Eluenſibus pro fide & ſtudio in regem gratias ageret. Redactis in poteſtatem Eluis, Velaſcus profectus eſt Oliuenzam eundem ob finem. Scripſerat a. iam ante Oliuenzam, & hoc egerat, vt ciues præfectum Nunum Aluarezium, filium comitis Tentuguelenſis, ablegarent: id quod etiam partio negotio obtinuerat. Ciues enim in partes Philippi inclinantes communi conſenſu ciuitatem illi dedere conſtituerant: petierant tamen, ne ab Oliuenza rex, poſſeſſionem regni apprehenſurus, inciperet, quandoquidem animi omnium ipſi eſſent addictiſſimi. Malle.n. ſe minorem gratiam inire tardius iuramentum præſtando, quam in leuitatis & inconſtantiæ ſuſpicionem apud homines incurrere. Itaque non tantum Nunum Aluarezium, ſed etiam Iacobum Soſam, equitem Melitenſem, & in Nuni locum ſubſtitutum, dimiſerunt. De harum duarum ciuitatum deditione fama ſtatim peruaſit Santarenam, vbi erat Antonius, qui populum, à quo Rex ſalutari cupiebat, variis artibus demulcebat. Tractauit ſemper hoc negotium Antonius incredibili cum feruore;

quantumuis Henricus Rex dum viueret, eam ob cauſam acerrime illum inſectaretur, omnes, quas animo concipere poterat, ad regnum perueniendi vias ac rationes adhibuit rogans, minitans, pollicitans. Cum rege Philippo diuerſimode egit per miniſtros. Modo præ ſe ferebat odium in ducē Bragãciæ, & in huius pernicicm cū rege Philippo ſe tranſacturum ſimulabat: modo mentionē iniiciebat de actione ſua Philippo concedenda: dummodo ſibi tolerabiles conditiones offerrentur: modo omnem conuentionem reſpuebat, ita vt facile adpareret, eum tempori ſeruire, & prout ſpes in animo ipſius variarent, variare. Vnde fiebat, vt, qui eius nomine cum Philippo agebant, ſi quando exiſtimarent facta tranſactaque eſſe omnia, ſubito mandatum ab Antonio reuocatum intelligerent. Tandem Philippus egit cum illo per Chriſtophorum Morum, promiſitque ſe amore illius ductum, conceſſurum quidquid peteret, nulla tamen vel ſumma pecuniæ, vel alia re nominatim expreſſa. Verum Antonius, qui Morum odiſſet, ipſius opera in tranſactione cum Philippo inſtituenda vti noluit. Poſtea autem, cum Dux Oſſunenſis catalogum earum rerum quas Philippus regno offerebat, gubernatorib. exhiberet, reddidit etiam Antonio litteras Regis quibus ſcribebat, Antonium à multis annis perſpicere potuiſſe, quanta beneuolentia ſemper illum fuiſſet complexus, & quod nullam eius declarandæ occaſionē prætermiſiſſet. Sperare ſe itaq; illum fore memorem & gratum, ſatiſque facturum iis, quæ & æquitas, & cognatio, qua iuncti eſſent, flagitaret. Quia autem non dubitaret, Antonium edoctum de manifeſto iure, quod in regnum haberet ſe amanter rogare, vt ipſe inter primos ſe pro rege agnoſcere, ſibique tanquam principi, ac domino legitimo à Deo Opt. Max. in hunc locum euecto, iuramentum præſtare non recuſaret: ita vt ipſius exemplo moti reliqui officium eo promptius facerent. Poſtremo promittebat, ſe quantum ad res Antonii priuatas attineret, nihil prætermiſſurum, quod ad eum ornandum, fouendumq; pertineret: reliqua ſe Duci Oſſunenſi, & Moro permittere. Sed hæ litteræ omni fructu caruerunt. Dixit enim tum Prior Duci Oſſunenſi, nunquam ſe tranſacturum. Et ſcripſit ad ipſum Philippum ſe illi hac in re gratificari non poſſe. Eſſe enim ſe in tutela populi, & ideo ad illius voluntatem omnia ſua conſilia accommodare cogi. Cum itaque Prior intellexiſſet, Hiſpanos in Luſitaniam ingredi, inſtitit apud populum & gubernatores, & periculum à Philippi exercitu tam vicino impendens, & quam neceſſarium eſſet eligere caput aliquod, vt eo melius hoſti reſiſti poſſet, illis ante oculos ponendo effecit, vt ipſum defenſorem, vel regem creare animum inducerent. Quanquam autem hoc conſilium caperetur ab hominibus maxime ſeditioſis & temerariis, qui vi conantur exequi quidquid in mentem ipſis venit, quique cupiebant Priorem proclamare regem: tamen multis hoc improbabatur: multis etiam videbatur præſtare eū defenſoris titulo ornari: & ipſe Prior non ſatis ſibi hac in re conſtabat, vtrum potius eligeret: (vt in reliquis rebus omnibus) ſe à maiori parte, & intimis amicis duci patiebatur. Hi vt populum inuitarent, ad ſatisfaciendum votis ipſorum, inuitis etiam illis, qui conſentire nolebant, cum forte ageretur de propugnaculo quodam prope Sanctarenam in eo loco, vbi eſt ſacellum inuocationis Apoſtolorum, extruendo, ſparſerunt rumorem fore, vt decimonono die Iunii Antonius eo primum lapidem poſiturus, proficiſceretur; iuſſeruntque vniuerſum populum ad propugnaculi ædificationem adiuuandam adeſſe, vt eo facilius in tanto hominum concurſu id, quod animo conceperant, ad exitum poſſent perducere. Neque magno artificio ad perſuadendum opus fuit, quia populus rerum nouarum auidiſſimus mane eius diei maximo numero confluxit. Epiſcopus Parmenſis, & Epiſcopus Guardenſis (quorum hic conſcius horum conſiliorum, ille ignarus erat) acceſſerunt ad ſacellum: vbi miſſa inchoata, & ad medium perducta, populus ad defenſionem, & ambiguis verbis etiam ad electionem inuitatus fuit. Cum autem paulo poſt Antonius adueniſſet, & extra ſacellum prope portam eiuſde preces concepturus genua flexiſſet, duo illi Epiſcopi ſtolati ad eum exierunt conſecraturi locum, vbi arcis fundamenta iacienda erant: qui ſimulac Ceremoniarum conſuetarum initium feciſſent, Antonius Baracchius, homo audax, ſtrophiolum mucroni gladii impoſitum eleuans Antonium regem alta voce ſalutauit, magnoque cum clamore & ſtrepitu ipſe acclamatum fuit ab vniuerſa turba, quę ſiue ad terrendos illos, quibus hoc factum improbabatur, ſiue arma oſtentandi cauſa, gladios eduxit. Ibi Antonius, vel quod modeſtiam ſimularet, vel quod inter ſpem metumque dubius fluctuaret, clamauit: non, non. Et paſſus longitudine progreſſus eſt, quaſi poculo ſilentium imperaturus. Pietrus Courignus etiam loci illius præfectus, magna cum indignatione clamores turbæ inhibere conabatur, dicebatque Priorem nolle vocari regem, ſed fruſtra. Baracchius enim directo, quod muneri geſtabat, in Courignum ſclopeto, eum tacere coegit, & ille etiam paulo poſt diſceſſit. Antonius ſiue quod tot enſes diſtrictos cernens perterrefieret, ſiue quod hoc pacto ad tantam

dignitatem

dignitatem conſcendere cum metu quodam coniunctum ſit, ſtabat timidus, & tremens, & eius rei non obſcura ſigna præbuit ſuis: qui cum ipſum equo impoſuiſſent & equus ſtatim offendiſſet, parum abfuit, quin caderet: & omnes nobiles, qui aderant, eum comitati ſunt capite aperto, tanquam regem, & quamuis magna pars populi ignara, quid agendum eſſet, eo veniſſet, tamen ad vnum omnes eum ſecuti ſunt. Ex eo loco ſe contulit Prior in templum, & è templo in curiam: & ianuis, quia clauſę erant, confractis, ſolennibus actis, & inſtrumentis adhibitis, Rex confirmatus fuit. quibus ſubſcripſerunt omnes nobiles Luſitani, qui aderant, & Emanuel Coſta Borgeſius manu vexillum geſtans alta voce: Viuat Rex, viuat Rex, more ſolito clamabat. Inde in hoſpitium digreſſus, ſe præparare cœpit ad iter Liſybonenſe, vt in metropoli regni etiam ſe regem proclamandum curaret. Interea peruenerat Velaſcus Oliuenzam, nono die Iunii noctu: & à Iacobo Vaſconcellenſi, rogatu Paſſanorum Eluenſium, domum ſuam receptus fuit, & poſtero die magiſtratum & nobiles rogauit, vt ne in templum Miſericordiæ, litteras regis accepturi, conuenire grauarentur. Cum conueniſſent, reddidit illis litteras Regis: quæ cum publice lectæ fuiſſent, & adpareret illas humaniſſime ſcriptas eſſe, & regem hortari, vt iuramentum fidelitatis ſibi præſtarent, rogauit Velaſcus, vt breuiter reſponderent. Ceterum, vt ex paruis initiis interdum res maximi momenti naſcuntur, ita etiam parum abfuit, quin hic contingeret. Cum enim nobiles illius ciuitatis in duas contrarias factiones ſciſſi eſſent: quarum alteram ſectantur Lobi, & Gamæ: alteram Matti, euenit, vt litteræ Regis, ad nobilitatem ſcriptæ, caſu Lobis omnium primis redderentur. Cum itaque pars aduerſa hanc rem ſiniſtre interpretaretur, præſertim quia Velaſcus apud hominem, Loborum factioni addictum, diuerſabatur: conſtituerunt totis viribus impedire, quicquid aduerſa factio ſtatuiſſet. Cumque illo tempore magiſtratu fungerentur plures Matti, quam Lobi, & aduerſarios ad ciuitatem Regi dedendam inclinare animaduerterent cœperunt iis obluctari, & nullo dato reſponſo ad litteras regias, eas feſtinanter miſerunt ad gubernatores: & paulo poſt in hoſpitium Velaſci profecti, ei indicarunt, ſe non poſſe reſpondere in negotio tam arduo, niſi re perbene deliberata, & gubernatoribus expoſita, & quatriduum ad conſultandum poſtularunt. Cum autem Velaſcus reſponderet, ſibi non eſſe integrum, illis longius deliberandi ſpatium quam in diem ſequentem vſque concedere, diſceſſerunt incerti, dixeruntque ſe non metuere, quod omnem ſpem in diuino auxilio collocarent. Diſplicebat hoc Velaſco, & ideo cogitabat, de Duce Albano per Fratinum, architectum Italum, qui illi aderat, admonendo, vt aliquot ſigna peditum in conſpectum vrbis, ad terrorem ciuibus incutiendum, mitteret: verum re cum amicis Luſitanis communicata, cum intelligeret, populum in Philippi partes inclinare, conſilium mutauit. Lobi vna cum aſſeclis ſuis, cum viderent à magiſtratu Camerali ſibi contradici, conſilii capiendi cauſa in vnum conuenerunt: & confecto inſtrumento quodam, omnes, qui ſe regi obedire paratos eſſe profiterentur, ſubſcripſerunt. Pars etiam aduerſa conſultandi cauſa conuenerat, ſed re infecta, diſceſſum eſt. Interea Marcus Antonius Iuſtinianus, patritius Genuenſis, amicus Velaſci, & cognatus Loborum, ſuaſit Velaſco, vt domo egreſſus per compita vrbis circumiens populum alloqueretur, verbiſque appoſitis illum de re tota edoceret. Secutus eſt hoc conſilium Velaſcus, & coacta ingenti multitudine, orationem habuit ſatis prolixam, in qua oſtendebat, quid vtilitatis percepturi eſſent, ſi regis imperium reciperent: & contra in quæ incommoda eſſent incurſuri, ſi magiſtratui obtemperarent: quandoquidem tam validus exercitus præ foribus eſſet. Vulgo quod facile huc illuc impellitur, ſatisfaciebat oratio: cumque Velaſcus, comitante multitudine, ad templum Spiritus ſancti, in quo congregata erat nobilitas, perueniſſet, ingreſſus dixit, Domini quid agemus? Cumque Aluarus monachus omnium nomine reſpondiſſet, illos eſſe paratos Regis imperium recipere, Iuſtinianus Velaſcum medium arreptum in altum ſuſtulit, nomenque regis alta voce pronuntiauit, acclamantibus nobilibus, & plebe. Inde ad curiam progreſſi, ſub pœna graui euocari iuſſerunt iudicem, & ſyndicos, qui cum populum tumultuari, & Philippum regem fuiſſe ſalutatum, intelligerent, metu perculſi, & ipſi ſe regi ſubmiſerunt. Idem fecit arx & confectis actis, adhibitiſque conſuetis ſolennitatibus, Velaſcus regis nomine multa priuilegia, & immunitates promiſit. Hoc modo, & etiam minori cum tumultu cetera loca in finibus illis ſita, in poteſtatem regis venerunt, vt Serpa, Mota, Campus maior Arroghezia, Portalegre, & in aliis etiam prouinciis per circuitum totius regni eadem cum induſtria per deditionem multa loca in poteſtatem regis redigebantur. Interim Antonius Sanctarena, Liſibonam verſus iter facere cœperat, & gubernatores videntes euenire, quod iampridem ante animus ipſis præſagiebat; vnà

cum Duce Bragantiæ, & miniſtris Hiſpanicis Setubali munitiones inſtituebant, veriti ne a rege nouo inuaderentur. Non proſpexerunt vrbi Liſybonæ de rebus ad defenſionem pertinentibus, quod exiſtimarent Petro Cugnæ Liſybonæ præfecto, & Ioanni Teglio (qui vt diximus, erat Belemi cum mandato ipſorum) eam rem curæ fore, vt & illis iniunxerant, præſertim qui etiam duos miniſtros Iuſtitiæ miſerant, qui ciues ad arma capienda hortarentur. Ceterum Teglius, qui non malo fortaſſis animo, ſed tamen paulo imprudentius aſſentiebatur iis, qui cauſam per ſententiam decidi volebant, cum intellexiſſet Antonium regem creatum, magnam inde moleſtiam percepit. Videbat enim ſibi munus, quo fungebatur deponendum, ſeque plus iam difficultatis habiturum, ſi cum rege Philippo tranſigere animum induceret: præterquam quod etiam Antonius regnum ipſi acceptum laturus non eſſet. Cum itaque ira incenſus eſſet, & exiſtimaret ſe cæteris gubernatoribus iniuriam facturum, ſi illis Setubali degentibus, ipſe, qui eſſet Belemi, Priorem inermem tam paruo negotio Liſibonam occupare pateretur, conſtituit illius defenſionem ſuſcipere, idque etiam impulſu magiſtratus, qui rogabat, vt in vrbem veniret, eamque propugnaret. Si enim illa à Priore occupata fuiſſet, ſe, qui id vetare non poſſet, fore extra culpam, quę tota in illum, vtpote qui poſſet, & nollet Priori reſiſtere, eſſet redundatura. Itaque Teglius perfunctoriè conſcripſit aliquot cohortes ex ruſticis, loca circumuicina incolentibus, eaſque Liſybonam ad Priorem ingreſſu prohibendum, miſit. Mandauit etiam Petro Cugnæ, vt defendendæ vrbis prouinciam in ſe reciperet: ipſe tamen in eam non ingredi conſtituit, & conuocatis ad deliberandum nobilibus qui aderant, decretum fuit, ſtatim obuiam Antonio Iacobum Soſam, & Franciſcum Meneſium mittendos eſſe, qui rogarent, ne Liſybonam ingrederetur, neque titulo Regis vteretur, ſed ſolum defenſoris: propterea quod in omnem euentum illud nomen eſſet altero ad propoſitum accommodatius. Licet autem hi in iter ſe darent, tamen complures ſuadebant Teglio, ne, (quantumuis hęc admonitio eſſet rationi conſentanea) hoc pacto Priori curſum fortunę ſuæ interrumperet. Cum itaque animo fluctuaret, nec quidquam certi ſtatueret, euenit, vt milites, ſiue ruſtici, qui Liſybonam verſus iter faciebant, nullo accepto mandato à gubernatore, neſcirent, quid agendum ſibi eſſet: Priorem ne adiuuare, an vero vrbis ingreſſu prohibere oporteret. Emanuel enim Portugallus, qui ad regium ſolium cupiebat Priorem euehere, operam dederat, ne quidquam certi ſtatueretur: & ſi quid forte ſtatutum eſſet artibus ſuis efficiebat, ne ad effectum perduceretur. Petrus vero Cugna dicebat, ſi Teglius ipſe coram nollet Priori reſiſtere, neque ſe omnibus rebus Teglio inferiorem, id facerè poſſe cumque Teglius regereret præfecti officium hoc eſſe, ita alter in alterum, ob ſuos vterque fines, onus illud reiiciebat. Appropinquabat interea, Prior Liſibonæ, ſed parum abfuit, quin via eo perueniendi ipſe præcluderetur: nam cum prope Sacabemum (quod oppidum 6. milliaribus Liſybona diſtat) in agro ſubſtitiſſet, ſermonem cum Franciſ. Almeda, amico ſuo, conferens, diſploſum fuit ſclopetum, cuius ictu occiſus fuit Almeda. Et quia nunquam auctor ſciri potuit, ſunt qui putent ipſum Priorem petitum fuiſſe. Peruenit paulo poſt ad vrbem Prior cum exiguo comitatu, & ex nobilibus nemo aderat præter Soſam & Meneſium: qua de cauſa ingreſſu minime prohibitus fuit: imo omnes, qui obuiam precedebant, eum regem ſalutarunt. Pauci tamen aderant, partim propter peſtem: partim quod metuerent, quia videbant regnum eſſe diuiſum: hinc regem Philippum cum exercitu imminere: illinc gubernatores pene cum Philippo conſentire: tertio vero loco Priorem pauperem, ſolum paruis conſultoribus vtentem, ſalutatum fuiſſe Regem à paucis, iiſque plebeiis. Itaque ex iudicibus, & nobilibus Priorem gratulandi ergo fere nemo & ex ſupremo magiſtratu vnus tantum Syndicus acceſſit, reliqui ſe abdiderant. Prior enim ad Palatium flumini vicinum profectus, poſſeſſionem illius, & armamentarii, & naualis, nemine obſiſtente, occupauit: nouum prouiſorem, nouos iudices, nouos ſyndicos creauit, reliquiſque officiis, quæ vacabant, proſpexit: & inde ad Curiam magiſtratus ſe contulit, vt more ſolenni Rex proclamaretur: quo cum omnes primarii conueniſſent, Emanuel Fonſeca Nobrega, homo confidens, in hanc ſententiam locutus eſt: Videor mihi agnoſcere inſculptam veſtris omnium frontibus lætitiam, qua corda veſtra perfunduntur, ob aduentum huius iucundiſſimi dięi, quo in verba illius, vtpote regis, eſtis iuraturi, quem tantopere deſideraſtis: intelligo ſuperuacanea fore omnia illa, quæ ad vos, vt hoc faciatis adhorandos à me ardentiſſimo animo dici poſſent, quandoquidem orationem meam voluntatis veſtrę promptitudo longiſſimo interuallo anteuertit. Scio non tantum moram etiam exiguam vobis moleſtam eſſe: verum vos dolere quoque quod alii vos præuerterunt in eo, quod libentiſſime feciſſetis, &

quod

quod vos facere æquum erat, quandoquidem primariæ huius vrbis exemplum, tanquam normam quandam, reliquas imitari oportet. Ceterum quantumuis vos & geſtiatis, & ad hanc rem promptiſſimi ſitis: quantumuis omnia, quæ à me in medium adferri poſſunt ſint ſuperflua: tamen & officium, & amor me ſtimulant, vt breuiter vobis animi mei ſenſa exponam. Non libet mihi inſtituere enumerationem laborum, quos ſumma cum prudentia ſuperauit: (tempus enim me deficeret) ſufficiat vobis noſſe (vt & noſtis) illum ſemper fato quodam cum ſuperbia, & arrogantia mundi bellum geſſiſſe. Cum enim propter peccata noſtra Deus O.M. permittat, vt principes hodierno die plerunque virtutem odio, vitia amore proſequantur: ille, quod virtute & animi magnitudine præſtaret ſemper odio, & vi iniuſtæ obnoxius fuit, dum iam, tãquam notus repellitur, iam iis quos præcedere debebat, poſtponitur: quę omnia ad gloriam, qua refulgebat, offuſcandam pertinebant. Mitto offenſiunculas, quæ inter Sebaſtianum, & illum ſub initium expeditionis Africanæ natæ erant, quas quidem alii ſatis cauſæ, cur vna non proficiſcerentur, exiſtimaſſent: verum ille, qui iam ad fortunæ inſultus occalluiſſet, quamuis pro iudicii ſui acumine Sebaſtianum ad exitium pleno curſu properare facile intelligeret, maluit tamen cum tam manifeſto periculo aliorum temeritati obſecundando in Maurorum manus incidere: quam exiſtimationem ſuam macula, & næuo etiam minimo contaminare. Fuit in infelici illo prælio captus, quod ante proſpexerat: mortuus eſt Rex Sebaſtianus, nepos illius: mortui erant ante tot alii principes, omnes regni hęredes: reſtabat ſolus Cardinalis Henricus, qui propter extremam ſenectutem, & inualetudinem non diu ſuperuicturus eſſe videbatur, ita vt regnum penè ſucceſſore deſtitueretur. Verum Rex regum (qui quantumuis nobis interdum nimium tardare videatur, omnes res æqua lance ponderat, & exequitur) ſingulari ſua prouidentia effecit, vt interim dum Rex Henricus Imperio potitur ſpatio paucorum illorum dierum, qui ipſi vitæ ad curſum perficiendum ſupererant, non ſine miraculo è Maurorum manibus euaderet ille, quem huius regni clauo moderando deſtinauerat. Dico non ſine miraculo: quia videtur fieri non potuiſſe, vt vlla humana prudentia eo quo factum fuit, modo, liberaretur. nam (vt poſitum eſt in more apud infideles) cum ille eſſet princeps, veriſimile eſt, eum regi, & principi traditum fuiſſe, & mancipatum cuſtodię perpetuæ, aut ſaltem tam arctæ, vt nulla eſſet euadendi via, niſi lytri loco ciuitates, & propugnacula cederentur, vel immenſa pecuniæ vis ſolueretur: nihilominus tamen (conſiderate, quæſo, num hæc res miraculo careat) paulo poſt nullo plane pretio perſoluto, euaſit. Venit deinde in hoc regnum, vbi fortuna nondum exaturata, mille noua incommoda ipſi obiecit: quæ tamen omnia virtute ſua profligata ſuperauit. En vobis illum: & licet iam multo magis, quam vnquam, ab hoſtibus eſſe circumdatus videatur: tamen & ille fretus eſt virtute veſtra, & ego illius prudentia, quam omnia impedimenta victuram eſſe confido. Agite ipſi gratias, quod regni ſceptrum capeſſere non dubitet, cum tamen tot æmulorum inimicitias ſibi ſuſcipiendas eſſe videat: quam quidem ad rem non tam dominandi libido, quam amor veſtri eum inuitat. Promittit enim ſe non regem, ſed patrem, & fratrem omnium fore. Quem, quæſo, putatis eſſe illum, cui iam nos imperium deferimus? Eſt vera propago, legitima proles, vnica planta, quæ ex regibus noſtris ſupereſt. Hic eſt nepos regis Emanuelis illuſtris memoriæ, natus ex illius filio Ludouico: qui duo duæ maximæ omnium, & firmiſſimæ Luſitanię columnæ fuerunt: ad illum iure horum regnorum hæreditas pertinet: Et etiamſi non pertineret, (quod eſſe non poteſt) tamen omnes incolas, reliquis repudiatis, ad huius vnius fidem & tutelam confugere oportebat. Hæc enim ſola libertatis in tuto collocandæ via eſt: cæteræ omnes ad certiſſimum tyrannidis iugum ducunt. Finita hac oratione, vniuerſi cum ingenti applauſu Antonium regem ſalutarunt, & tradito illi vexillo ciuitatis Emanuel Fonſeca de feneſtra magna voce clamauit: Viuat, viuat, Antonius, rex Luſitaniæ: quæ verba cum magna alacritate à plebecula adprobata fuerunt. His omnibus in acta publica relatis, reuerſus eſt Prior in Palatium, vbi paulo poſt præſtito ſolito iuramento de conſeruandis priuilegiis, & immunitatib. Regni & aliis, quæ à regibus ſuperioribus conceſſa fuerant, dedit litteras ad reliquas regni ciuitates & oppida, iubens, vt mitterent, qui ſibi fidelitatis iuramentum præſtarent. Duci Bragantiæ & Marchioni Villæ regalis ampliſſima quæque pollicitus eſt: ceteros proceres rogauit, vt Liſybonam de rebus ad regni vtilitatem ſpectantibus vna ſecum conſultaturi venirent. Ceterum Dux, quantumuis etiam regni procuratores eum ad tranſigendum cum Antonio hortarentur, noluit tranſigere: neque Marchio etiam venit; & pauci fuerunt, qui eum pro rege agnoſcerent. Porro cum Teglius ſine ſua opera Antonium iam ad regiam dignitatem euectum videret, finxit ſe Belemo Liſybonam manum illius deoſculatum venturum: & communicato cum Iacobo Lo-

pezio Siquera, præfecto trium triremium Luſitanicarum conſilio, vnam ex illis vna cum Epiſcopo Leirienſi, Antonio de Caſtro, domino Caſcaiſii, Martino Gonzaleſio de Camera, Emanuele Teleſio Barreto, Franciſco Meneſio, Ludoico Cæſare prouiſore naualis, & quibuſdam aliis conſcendit, aſſumptiſque 40. aut 50. millibus aureorum (quos paulo ante ex officina monetaria Liſybonenſi afferendos curauerat, cum iactura Iac. Bardi mercatoris Florentini, cuius erant) cum vulgo exiſtimaretur curſum ad vrbem directurus, ſubito proram verſus Setubalum, vbi erant reliqui gubernatores, conuerti iuſſit: reliquæ vero duæ triremes, præfectorũ iuſſis ſpretis, & deſerta prima, Liſybonã petierunt. Teglius autem cum ad oſtium portus Setubalenſis perueniſſet, milites præſidiarii, qui erant in portus propugnaculo, triremim appellere non ſinebant, ſed eam ictibus tormentorum repellebant. Itaque Teglius in loco paulo remotiori triremi appulſa in littus egreſſus, pedes ad reliquos gubernatores contendit: à quibus ipſius excuſationes tantum abeſt, vt acciperentur, vt etiam illum pro ſocio non agnoſcerent, & tum in conſeſſibus tum in ſermone eum, tanquam nobilem priuatum, tractarent, & non vt gubernatorem. ita nimirum punientes ea, quæ Teglius partim Belemi, partim Antonium, quo minus Liſybonam ingrederetur non prohibendo, admiſerat. Et hac vnã in re gubernatores auctoritate ſua, & iure vſi ſunt, in reliquis omnibus timiditatem, & conſilii inopiam aperte prodebant. Prior cum videret horum nonnullos, quos ſibi fauere putabat, fugere, pecuniam aſportare, gubernatoribus aduerſariis ſuis, ſe adiungere, Setubalum muniri, magis magiſque intelligere incipiebat, illis bene cum Rege Hiſpaniæ conuenire, & ſtatutum eſſe eo in loco commorari, donec Regis triremes Italicæ, quas iam in portum S. Mariæ perueniſſe rumor erat, in illo littore comparerent, quas deinde in portum Setubalenſem reciperent: quod ſi fieret, magnum inde rebus ſuis periculum imminere animaduertebat. Si enim copiæ Hiſpanicæ illud oppidum occuparent, fore, vt Liſybona pene ex omnibus partibus circumſideretur. Itaq; coniectis in carcerem nonnullis, quos ſuſpectos habebat, ac pecunia à mercatoribus mutuo accepta, conſtituit dare operam, vt quamprimum ſiue per deditionem, ſiue vi oppidum illud in poteſtatem redigeret: & vt properaret, mouebant ipſum actiones Triſtani Vazii Vegæ, præfecti arcis S. Iuliani ad oſtium Tagi ſitæ: cui cum ille ſcripſiſſet, reſpondit, ſe Priori arcis poſſeſſionem tradere nõ poſſe, nec etiam ipſius auſpiciis illam cuſtodire. Præſtitiſſe enim ſe iuramentum de arce nemini tradenda, niſi iis, a quibus illam acceperat: hos autem eſſe gubernatores. Itaque Antonius hac re in aliud tempus dilata, cum tumultuarie, & vi ruſtices prope Liſybonam incolẽtes, opifices, mancipia, aliamque turbam collectitiam in vnum locum cõgregatam (qui tamen omnes ad numerum 1500. non adſcendebant) flumen tranſire iuſſit. Antequam vero ipſe tranſiret, miſit Setubalum Franciſcum Portugallum Comitem Vimioſium, qui cum gubernatoribus tranſigeret, illoſq; ad obedientiam ipſi præſtandam inuitaret: quos etiam per literas hortatus eſt, ne ſcientes prudentes ſe perditum irent, neve exiſtimationi ſuæ notam inurerent, regnum ſibi indigenæ ademptum ad exterum transferẽdo: rogabat, vt ad ſe venirent. Eſſe enim ſe paratum ipſis ingenue omnium delictorum veniam concedere. Verum non fidebant his litteris, nec verbis Comitis gubernatores, vtpote qui Regi Philippo eſſent obſtricti, & quorum nonnulli apud Regem Henricum gratioſi fuiſſent & cõſcii eorum decretorum, quæ contra Priorem erant promulgata. Itaque re cum miniſtris Hiſpanicis communicata, conſtituerunt ſe defendere, donec claſſis Regis veniret, quæ in horas expectabatur. Verum ſpes eos fefellit: quia venti ſemper ita contrarii fuerunt, vt triremes nauigare non poſſent. Quod cum videret Dux Braganciæ, exiſtimans ſibi non diutius ibi commorandum, diſceſſit. Cæterum Comes Vimioſius cupidus illos eo ex loco eiiciendi, concitata ad ſeditionem plebe, & adiuuantibus ipſis militibus prætorianis, arma cepit, & portas occupauit: complures etiam armati in hoſpitium gubernatorum irruentes, mortem ipſis multis, iiſdemque contumelioſiſſimis verbis minabantur. Quare conſternati non tantum gubernatores, ſed etiam miniſtri Hiſpanici, cæterique Philippo addicti nobiles, partim per feneſtras, partim per ianuas, furtim, alii mari, alii terra aufugerunt, excepto Archiepiſcopo Liſybonenſi, & Io. Teglio: quorũ alter dignitate ſua, alter priſtinis in Priorem meritis, & cognatorum auxilio confiſus remanſit: legati vero poſtero die in Caſtellam reuerſi ſunt. Fuit hoc ſpectaculum ſane perquam miſerabile. Etſi enim gubernatores, tum propter diſſenſiones, & dubitationes ſuas, tum propter priuatæ vtilitatis ſtudium pœnam merebantur: tamen erat res commiſeratione digna, videre venerabiles illos ſenes, qui duabus horis ante regia auctoritate armati erant, fune ſe de feneſtris demittentes, fugere furorem iuuenis effrenis, qui contra illos plebem, & proprios cuſtodes concitauerat. Nobiles, qui domo & rebus omnibus relictis, fuga ſibi conſuluerunt, ſunt Ferdinandus

Norogna,

Norogna, Petrus Meneſius, Eduardus Caſtelblancus, Iacobus Lopezius Siqueira, Antonius Caſtelblancus, Ludoicus Cæſar, & quidam alii. Antonius ſimulac de horum diſceſſu certior factus eſt, ſtatim flumine traiecto, eo contendit, vbi ſub vmbella more gentis cum ingenti lætitià exceptus fuit: cumque de munitione, & cuſtodia illius loci ea, quæ ad rem pertinere videbantur, conſtituiſſet, reuerſus eſt Liſybonam, diſſuadentibus nonnullis, qui copias in illum locum cogendas eſſe dicebant, vt eo facilius hoſti reſiſti poſſet, nec Tagum denuo tranſire neceſſe eſſet. Sed Antonius hoc conſilium ſecutus non eſt, dicens ſe breui eo rediturum. Multi autem exiſtimabant, eum ſibi metuere, nec ſe vltra flumen tutum fore arbitrari. Caſcaiſium, & arx S. Iuliani nondum imperium Antonii agnoſcebant: verum cum audiretur, illum Setubalũ ingreſſum, & gubernatores fugere, vxor Antonii de Caſtro Caſcaiſio diſceſſit: vnde ſtatim arx deditionem fecit: Et præfectus arci S. Iuliani, cui Antonius per literas quater mille ducatorum reditus annuos promiſerat, reſpondit, quandoquidem gubernatores regnum deſeruiſſent, & ille Rex proclamatus eſſet, ſe arcem ipſius nomine cuſtoditurum. Qua de cauſa retroceſſit Sebaſtianus Britus, qui ſupremi præfecti Liſybonenſis munere loco Petri Cugnæ, fungebatur, & ab Antonio cum manu collectitia ad obſidendam arcem Sancti Iuliani mittebatur: ita vt omnia loca paulo maioris momenti, & Liſybonæ circumuicina, in poteſtatem Antonii concederent: & horum exemplum pedetentim omnes ciuitates & oppida in illis partib. ſita, ſecuta ſunt, excepta ciuitate Portu, quæ deditionem adhuc recuſabat. Dux Bragančiæ, qui tumultum Setubalenſem præuiderat, inde paulo ante gubernatorum fugam in oppidum ſuum Portellum, non procul à Caſtellæ finibus ſitum, ſe receperat. Quoniam autem videbat, vi rem geri, & ſe ab exercitu imparatum exiſtimauit tempus eſſe, ſeſe Regi Philippo adiungendi. Itaque miſit nobilem quendam ad Philippum, qui illi indicaret, dominum ſuum ſemper in iure Catharinæ vxoris ſuæ perſequendo moleſtiam adhibuiſſe, nec vnquam contra publicam tranquillitatem, vel contra legitimum iudiciorum ordinem, vel contra æquitatem quidquam tentaſſe. Cur vero non citius cum Philippo tranſegiſſet, in cauſa fuiſſe, partim quod actionem ſuam ſatis firmis fundamentis inniti intelligeret, partim quod illi id non licuiſſet per populum, qui ſine dubio ſe oppoſuiſſet. Verum ducem iam omnino conſtituiſſe, ſi ſibi à Rege conditiones æque proponerentur, illi ius, & actionem vxoris Catharinæ omnem cedere, &, vbi hac de re inter illos conueniſſet, legatos hoc negotium publice tractaturos mittere. Innuebat ducem, qui tertiam regni partem ditionib. ſuis occuparet, magno vel impedimento, vel adiumento Regi eſſe poſſe. Dicebat procuratores regni pollicitos eſſe ſe acturos cum Antonio, vt depoſito Regis nomine, & iunctis cum duce viribus, regnum defenderet. Poſt bellum autem confectum facile inter illos tranſigi poſſe. Antonium etiam ampliſſima quæque per nuntios Duci promiſiſſe: Ducem tamen conditiones ab Antonio oblatas non accepiſſe, quod ſibi cum æquitate pugnare viderentur. Rogare vero, ne Rex ſuæ ditioni ab exercitu damnum inferri pateretur. Erant hæc omnia vera, ſed Philippini dicebant, etiamſi Dux non eſſet homo quietis, & religionis adeo amãs vt reuera erat: tamen non eſſe, quod Rex eius potentiam metueret. Habere quidem illum magnum numerum ſubditorum, ſed non omnes ipſi eſſe dicto audientes, nobiles illius imperium magis, quam reliquorum omnium, dedignari: denique quoſdam cognatos maiori ipſi damno, quam vſui eſſe propter æmulationes, quas inter ſe exercerent. Fidebat Dux ſatis iuri, quod ſibi habere videbatur: ſed verebatur ne opprimeretur à vicino exercitu Regis, quem nullo modo ſententiam iudicialem expectaturum iudicabat. Hic metus illum impulerat, vt ad omnes pene potentiores orbis Chriſtiani principes ſcriberet, &, expoſito iuris, & actionis ſuæ fundamento, auxilium ab illis peteret. Romam etiam ad Cardinales quoſdam eodem argumento ſcripſerat. In Galliam miſerat aliquot exempla Conſilii, quod conſcribi curauerat, quæ inde in Angliam, & alia loca ſpargerentur: inſtitit diligentiſſime apud duas illas Reginas, vt, ſibi pecuniam: & commeatum, arma & ductores militum ſubminiſtrarent: ſed vtrobique, animaduerſa illius imbecillitate, quantumuis oſtenderet ſe ad communem defenſionem ſuas cum gubernatorum viribus coniuncturum, nihil obtinuit, niſi verba, aulico artificio condita. Rumor etiam erat, illum non ſolum hæc tanto cum ſtudio petiiſſe à Regis æmulis, ſed etiam ab apertis illius hoſtibus, & perduellibus, quaſi cum principe Auraico quoque, & cum Duce Alanconio ipſi aliquid negotii fuiſſet. *Hæ* res ipſi maiori detrimento, quam emolumento fuerunt, vt ſolet euenire iis, qui, propriis viribus deſtituti, cum principibus potentibus contendere non dubitant, freti auxilio, quod ſibi pollicentur à potentiorum principum æmulis, qui tamẽ apertum bellum raro ſolent indicere, niſi ſocium viribus pollere animaduertant. Hinc factum

fuit, cum aliquot illius litteræ à miniſtris Hiſpanicis interceptæ, & nonnullæ etiam, imprimis vero illæ, quas Romam ſcripſit, ab iiſdem, ad quos datæ fuerant, ad regem miſſæ fuiſſent, vt ad petitionem Ducis, quam ſupra audiuimus, Rex prolixe, & caute reſponderet: primum, ſe non mediocriter lætatum fuiſſe, cum intelligeret Ducẽ mature ſe è tumultu Setubalenſi eripuiſſe. Veritum enim ſe fuiſſe, ne, quod facile erat, eo in loco in periculum, & ignominiam aliquam incurreret. Agnoſcere ſe Ducem vere dicere, ſe in perſequendo vxoris Catharinæ iure modeſtiæ rationem habuiſſe. Veruntamen quia huc vſque Dux tranſactionem recuſaſſet, inde præſentia incommoda omnia nata fuiſſe: quæ quidem mallet ipſos aliquanto ante præuidiſſe, quam iam reipſa experiri tanta cum perturbatione, & exiſtimationis iactura: ſeque ex his eorum incommodis magnum mœrorem percipere propter cognationem, & ſuam erga Catharinam beneuolentiam. Gratias etiam ſe agere, quod paratus eſſet ius ſuum cedere: veruntamen ſe nolle illum & vxorem celare, nullam eſſe cauſam, cur laboraret, in nouis rationibus, & iuribus adiungendis ad ea, quæ ſibi à Deo Optimo Maximo conceſſa, & toti mũdo nota eſſent. Se duabus de cauſis hactenus expetiiſſe, vt Dux, & vxor acciperent conditiones, quas ipſis ad compenſandum ius, quod prætendebant, tam liberaliter obtulerat. Priorem eſſe, quia ſperaſſet ſe hoc pacto euitaturum neceſſitatem bellum regno, & propriis ſubditis inferendi: quæ res valde illum ſolicitum haberet. Verum vtilitatem, quæ ex tranſactione promanare poterat, amiſſam eſſe propter morã ab illis interpoſitã quandoquidem iam exercitus fines regni ingrederetur. Poſteriorem eſſe, quia cuperet augere, & ad altiora euehere familiam Ducis, beneficiis ornare liberos illius, auertere ab illo periculum deuaſtationis, atque adeo iacturæ ſuæ ditionis: cui tamen rei adhuc remedium aliquod inueniri poſſet. Se enim adeo ſtudioſum, & amantem eſſe Ducis, vt hæc beneuolentia ſatis ſibi ſtimuli eſſet, ad illum quouis & beneficio & honore adficiendum. Dicebat ſe non mediocriter mirari, quod ſua ſponte confiterentur, ſe Antonio aures adhuc præbere, & tractare cum perduellionis & execrandi delicti reo. Monere ſe illos amanter, vt inpoſterum abſtineant ab huiuſmodi colloquiis, & communicationibus, vtpote contrariis fidei, & officio, quod regi deberent, & indignis auctoritate, & exiſtimatione illorum. Innuebat etiam ſe non minus mirari, quod ſibi à procuratoribus regni perſuaderi paterentur, fore, vt ipſorum interceſſione Antonius regis titulum deponat, perinde ac ſi hoc delictum pœnitentiam admitteret: cum tamen cogitare illos oporteret, has eſſe artes, & fraudes conſuetas perduellium, ad illos in poſterum non minus, quam antè factum fuiſſet, decipiendos tendentes: Et illam, quam procuratores appellarent, vnionem, defenſionis cauſa initam, nihil eſſe niſi conſpirationem, & coniurationem meram, ad ducem eiuſdem cum Antonio criminis reatu implicandum, tendentem: à quo tamen incommodo Deus Opt. Max. illum liberaſſet. Poſtremo dicebat ſe ſemper libentiſſime auditurum omnia ea, quæ ſibi nomine ducis proponerentur, & promptiſſime conceſſurum, quæ ad ipſum ornandum, & fouendum pertinere, & æquitati conſentanea eſſe viderentur. Accepto hoc reſponſo, Dux miſit aliquot nobiles, qui cum Rege de re tota tranſigerent: & cum iis, nomine Ducis intolerabiles plane conditiones proponentibus, aliquandiu actum fuit. Verum cum Rex, antequam vlterius procederetur, à Duce ſibi ſubiectionis, & fidelitatis iuramentum præſtari vellet, dilatum fuit negotium, idque non ſine offenſione Ducis qui videret non tantum ſe fruſtrari ſpe, quam de iure ſuo conceperat: ſed etiam nondum ſatis ſibi cum rege conuenire: immo regem paulatim ſuam ditionem occupare. Iam enim Villauizoſam, præcipuam ſuę iuriſdictionis & magni momenti ciuitatem, atque adeo aulæ ſuę ſedem, amiſerat, quantumuis illi diligenter de præſidio, aliiſque rebus neceſſariis proſpexiſſet. Occupatus autem fuit hic locus paulo poſt deditionẽ Eluarum, idque opera cuiuſdam Caſtellani, quem Dux, ſiue quod illi fideret, ſiue per negligentiam inter ceteros in arce reliquerat. Intercedebat huic notitia cum Ciſnero, militum ductore, qui erat in caſtris Albani: atque ita promiſerat eidem Ciſnero ſe noctu ipſi vnam ex arcis portis aperturum, nimirum ſuperiorem, per quam in foſſam deſcenditur, vt milites regios clam introducere poſſet. Et ita reipſa euenerat. Cum enim nox huic rei deſtinata veniſſet, Albanus iuſſit Sancium Auilam copias, quæ Eluas miſſæ fuerant, ad illam arcem occupandam ducere. Itaque equites, ſclopetariis in clunes equorum receptis, ea nocte tantum ſpatii emenſi ſunt, vt ante lucem Villauizoſam peruenirent. Cum autem ad portam, de qua aperienda conuenerat, properaſſent, animaduerterunt ſe per illam, quantumuis patefactam, intrare non poſſe, quod ea altitudine à ſolo diſtaret, vt ſcala, quam ſecũ tulerant, illuc non pertingeret. Deturbati itaque de ſpe omni, cum & diẽ inſtare viderent, & ne res detegeretur, metuerent, parum abfuit,

abfuit, quin, re infecta, in caſtra reuerterentur. Verum (vt curſum fortunæ ſæpius cætera omnia ſubſequuntur) forte fortuna Caſtellani in foſſa aliam ſcalam inuenerunt: quæ cum priori colligata ad oſtium pertingebat. Itaque milites per eam conſcendentes in arcem ingreſſi ſunt, nemine ex præſidiariis vel audiente, vel vidente: qui nullis vigiliis, nullis excubiis diſpoſitis, in tanta caſtrorum hoſtilium, decem milliaribus inde diſtantium, vicinitate in lectis ſuis ſtertebant. Itaque hoc pacto Dux Bragančiæ, optimam, munitiſſimam & inſtructiſſimam ſuarum arcium amiſit. Iam tum credebatur Regem ipſum expeditioni non interfuturum. Etſi enim multi adhuc contendebant fore, vt ipſe cum exercitu proficiſceretur, & exaggerarent rationes ſupra adductas: tamen qui contrarium ſentiebant, prioribus ſuis argumentis addebant etiam hoc, quod in omnibus locis, per quæ Liſybonam vſque iter faciendum erat, contagio vehementiſſime graſſaretur, quantumuis aer non videretur eſſe corruptus. Non eſſe vero rationi conſentaneum coniici in tantum periculum vitam principis, qui eſſet columna & Eccleſiæ Rom. & tot regnorum. Ad rationes autem quæ Regem ad proficiſcendum inuitarent, reſponderi poſſe; eas eſſe comparatas; vt omnes res humanas quæ habent geminam anſam: quæ, ſi illas per hanc apprehenſas ponderes, videntur graues: ſin per illam, leues. Expeditionem quidem eſſe maximi momenti, ſi perpendatur conditio regni Luſitaniæ, & rerum ab eo dependentium: Verum, ſi vitam tanti regis, vitæ Antonii perduellis, & ne quidem tyranni nomine digni: Ducis Albani, & tot aliorum procerum Italorum, & Hiſpanorum virtuti, & peritiæ militari Comitem Vimioſium, iuuenem inexpertum cum ſuis complicibus, & tam fortibus tot nationum militibus, turbam è pagis Luſitaniæ promiſcue collectam & mancipia Æthiopica opponi, conſuleretur, nullo negotio animaduerti poſſe, quam non deceat Regem huic expeditioni intereſſe. Idem reſpondebant ad ſpem, quæ de proſpero ſucceſſu concipiebatur. Etſi enim conſideranti hoſtes tales eſſe, quales ſupra fuerunt deſcripti, res expedita videretur: tamen ſi ex altera parte etiam incommoda, quæ adducta fuere, expenderentur, trutinam in neutram partem inclinare, ſed pondus eſſe æquale: præſertim ſi in memoriam reuocarentur exempla Ioannis I. regis Caſtellæ & Alfonſi V. Regis Luſitaniæ: quorum vterque, cum diuerſis temporibus alter in alterius regnum cum exercitu ingreſſus eſſet, fuſus fugatuſque fuit. Quod de beneficiis, & voluptate, quam ex Regis præſentia Luſitani percepturi videbantur, & è contrario de Albani aſperitate diceretur, non eſſe de nihilo. Veruntamen etiam hac in re facile Luſitanis regem ſatisfacturum, ſi Eluas, aut in alium locum in finibus ſitum ſe conferret. Hæc opinio cum contraria melior, & firmioribus fundamentis niti videretur, non tantum eam Rex ſecutus eſt, ſed tum illa ita etiam multorum animos commouit, vt extra limites euagarentur. Fit enim plerunque, vt dum nimis ſolicite ſtudemus omnia in tuto collocare, paulatim in metum aliquem prolabamur. Itaque nimis hic timeri cœptum eſt, ita quidem, vt rex non ſatis tutus Badagiozii eſſe, & rectius facturus eſſe diceretur, ſi Siuiliam ſub prætextu maturandæ claſſis, ſe conferret, præſertim quia iam copias pedeſtres Luſitaniæ immiſiſſet. Poſtquam Albanus ex eo loco diſceſſiſſet, dicebant regem quibuſuis Luſitanorũ inſultibus obnoxium fore, quib. facile futurum eſſet, vſque ad mœnia eius loci excurrere: & Antonium, ſi vellet vti hac occaſione, exercitum regis ab inſtituto itinere dimouendi, tantas copias poſſe Badagiozium verſus adducere, vt Rex non ſine dedecore retrocedere, & exercitum, quantumuis iam Liſybonam circumſediſſet, reuocare cogeretur. Verum fama eſt regem noluiſſe hac de re verba facientes audire, & illis, qui hoc ſuadebant, confirmaſſe, ſe nulla re, nulloque modo, ne quidem ſi ſua ipſius vita periclitaretur, adduci poſſe, vt vel latum pedem retrocederet: imo ſibi ſtatutum eſſe commorari in loco aliquo in finibus Luſitaniæ ſito, qui commodiſſimus eſſe videretur: Et in hunc finem aliquot milites, prætoriæ cohortis loco ſibi futuros, retinuit. Albanus qui interea copias omnes prope Santilianam coegerat, iuſſu regis 27. die Iunii, Caya fluuiolo, Luſitanos a Caſtellanis diuidente, traiecto, in Luſitaniam ingreſſus eſt; ducens ſecum magnam copiam commeatus aliorumque impedimentorum: ita vt haberet vltra 6. millia carrorum, vna cum vigintiquinque tormentis craſſioribus. Præteriit prope muros Eluarum, vbi nihil erat, quod agendum ſupereſſet, quia vrbs iam in Regis poteſtatem conceſſerat. Tribus caſtris peruenit Stremum, iuramentumque regis nomine exegit ab incolis illorum locorum, quæ vel ſola exercitus vmbra perterrefaciebat.

Verum cum ante omnia ſaluti Regis conſultũ cuperet, confecto bidui itinere miſit Petrum Manricum Padillam, hominẽ ex primaria nobilitate, & rei bellicæ peritũ, cum duab. aliis cataphractorum, & Petrum Ayalam, tribunum militum, & veteranum cum legione Hiſpanorum, qui ab Eluentibus ſponte recepti fuerunt, vt impedirent, ne quid turbarum

in illis partibus excitaretur. Stremo præfectus erat Ioannes Bazeuedus, Amiralius regni, iuuenis audax: qui ſe ad defenſionem parauit, ita vt exercitus diutius ibi, quam in aliis locis, hærere cogeretur. Hic, gubernatoribus adhuc Almerini degentibus, opera Martini Gonzaleſii de Camera, cognati ſui, huius loci præfecturam obtinuerat: cumq; Antonius auctoritate regia ad ipſum ſcripſiſſet, noluerat illius imperio ſe ſubmittere, quod negaret, ſe vllum ſuperiorem agnoſcere præter gubernatores, quibus iuramentum præſtitiſſet. Iam etiam cum Albanus ipſi per Petrum Lunam, præfectum equitum, litteras Regis miſiſſet, petens, vt iuramentum fidelitatis pręſtaret, recuſabat, adductis iiſdem rationibus, quas ante Antonio ſignificauerat. Conceperat ille maiorem ſpem de oppido defendendo, quam pro munitionis inſtitutæ conditione: idque acceptum erat ferendum diligentiæ Iacobi Meneſii: qui cum Eluas munire conatus eſſet, & nimis magna impedimenta ſibi obiici vidiſſet, Stremum profectus, eo in loco hoſtis aduentum expectare, cõſtituerat, & ciues auxiliorum promiſſione ita ad arma capienda inflammauerat, vt omnes cum Ammiralio belli fortunam experiri paratiſſimi eſſent. Cæterum cum Chriſtophorus Morus, tum temporis Setubalo Badagiozium profecturus, illac tranſiret, ingreſſus in oppidum perſuaſit Landinis, ciuibus primariis, vt Philippum pro Rege agnoſcerēt: cumq; his facile eſſet vulgus in eam, quam vellent, partem impellere, paruo negotio ab eo impetratum fuit, vt in regis verba iuraret. Amiralius itaq; ſolus, cum paucis amicis & familiaribus in arce remanſit: Et quamuis omnes vehementer in eo, vt Regis imperium agnoſceret, perſuadendo laborarent, tamen nihil potuit ab illo obtineri, quod negaret ſibi conſtare, an Rex verus Regni hæres eſſet. Nec ad rem fecit, quod Prior Ferdinandus de Toleto, Albani filius, interueniens, & Amiralium non multum iudicio valere ſubodorans, ipſi nomine patris offerret ſyngrapham, qua ſe ad oppidum reddendum obſtricturus eſſet, ſi probaretur regnum iure ad Philippum non ſpectare: nec profuit etiam quidquam quod ipſi ob oculos poneretur, fieri non poſſe, vt arcem contra impetum hoſtium defenderet. Reſpondebat enim magna cum pertinacia, ſe loco, extremis quibuſque tentatis, demum ceſſurum, aut moriturum, quod alia ratione ſe famam, & exiſtimationem ſartam tectam conſeruare non poſſe perſuaſum haberet. Sed non diu in propoſito perſeuerauit. Cum enim ex arce cerneret interea Albanum tormenta diſponenda curaſſe, ciues, qui ſuam operam promiſerant, ſibi aduerſari, multos milites Hiſpanos viritim in oppidum irrepſiſſe, perculſus, conſtituit diſcedere, & deſerere arcem, de qua defendenda deſperabat. Porro egreſſus ex arce ab Hiſpanis captus fuit, & deductus ad Albanum: qui quamuis aliquandiu dubitaret, vtrum ad terrorem reliquis hoc exemplo excutiēdum capitali ſupplicio in illum animaduertendum eſſet, tamen tandem ipſi pepercit, captiuumque miſit Villauizoſam vna cum litteris ad Regem, quibus oſtendebat ſe illi, tanquam iuueni inexperto, mortis gratiam feciſſe. Inde, præſtito à magiſtratu, & ciuibus iuramento, adhibito ritu ſolemni, exercitus iter facere cœpit verſus Mōtem maiorem via Arraioloſenſi, relicta ad ſiniſtram Ebora, ciuitate nobili, & tum temporis cum vehementiſſima peſte confligtante. Verum vt tamen & ipſa in Regis poteſtatem redigeretur, miſit Albanus eo ad poſſeſſionem occupandam Henricum Guzmannum cum ſolis 20. equitibus, partim quod illam deſolatam, & ciuibus exhauſtam eſſe ſciret, partim etiam quod intelligeret, præfectum Iacobum de Caſtro, & primarios, qui ad vitandam contagionem in hortos vrbi ſubiectos ſeceſſerāt, in Regis verba iurare paratos eſſe. Cum itaque præfectus, & magiſtratus ad miliare & amplius ab vrbe in porticum templi Virginis Spinarum conueniſſent, à Conſtantino Brito ſcriba publico, inſtrumentum confectum fuit, in quo continebatur, ciues Eborenſes ſe imperio R.M. ſubieciſſe: cui etiam ab omnibus fuit ſubſcriptum. Interea Albanus quartis caſtris Montem maiorem, (qui nouus vocatur) peruenerat, vbi nemine ad defenſionem ſe parante, quantumuis paulo ante Comes Vimioſius ibi fuiſſet, locum in poteſtatem redegit. Quatuor aliis caſtris peruenit Setubalum, poſtquam omnem, quam tranſierat, regionem, ab illis incommodis, quæ bellum comitantur, immunem cõſeruaſſet, neque enim vel occidit, & expilauit incolas, vel oppida, & vicos deuaſtauit: imo magno ſtudio cauit, ne ſegetes immaturæ conculcarentur. Non videbatur Iacobus Meneſius reſpondiſſe hominum expectationi, in regione illa defendenda, nec etiam feruori, cum quo in ſe illam prouinciam ſuſceperat, ſpreta, quam obtinere poterat, dignitate Proregis Indiæ, quod eſt omnium in hoc regno munerum ampliſſimum. Cum enim illi primum à gubernatoribus, & deinde à Priore defenſio illius ditionis commiſſa fuiſſet, non tantum hoſti non reſiſtebat, ſed etiam retrocedens loco ſibi cauebat. Cauſabatur ille inopiam rerum ad defenſionem pertinentium: dicebatque ſe deceptum fuiſſe à gubernatoribus, qui nec arma, nec reliqua ad defenſionem neceſſaria ſubminiſtraſſent: ſe nullis armis, niſi verbis, inſtructum

à plebe

à plebe riſu exceptum, & retrocedere coactum fuiſſe. Sed quidquid ſit, vniuerſa transtagana regio, quæ tertius regni optima eſt, ſola ab armis & defenſoribus imparata, & hoſti prædæ relicta fuerat. Antonius, qui Setubalo Liſybonam venerat, cum magno plauſu exceptus fuit à ciuibus, quod tum primum vt Rex vrbem ingrederetur: quæ quantumuis propter peſtem, & propter nobilium diſſidia ciuibus exhauſta eſſet, tamen non defuerunt, qui arcus triumphales, ludos, & alia publicæ lætitiæ monumenta inſtituerent. Inter cetera, obſeruatu digna fuit caterua mulierculárum, propolia in foro exercentium: quę inſtar militum armatæ, & vexillum ſequentes per vrbem incedebant. Dux, loco bipennis, batillo inſtructa erat: nimirum, vt refricaret memoriam prælii priſci, ad Algibarottam, in quo Luſitani victoriam obtinuerunt, & etiamnum hodie gloriantur coniugem cuiuſdam piſtoris batillo ſeptem Hiſpanos interemiſſe. Gubernatores, qui Setubalo fugerant, profecti ad arcem, cui Ambroſius Aguiarius præerat, clam nauiculam quandam conſcenderunt tanto quidem cum pauore, vt cum nullibi in Luſitania tutos ſe fore ſuſpicarentur, in portum Aiiamontanum, qui ad Regem Philippum ſpectat, & in finibus Luſitaniæ ſitus eſt, nauigauerint. Ibi cum ſe nonnihil collegiſſent, reuerſi in Luſitaniam intrarunt in oppidum Caſtrum Marinum, animo perturbato: vbi promulgarunt decretum, in quo actiones Antonii à tempore Henrici vſque in illum diem recenſebant: ſententias ab Henrico contra illum pronuntiatas confirmabant: appellabant illum rebellem, & publicæ pacis perturbatorem: declarabant (idque vt dicebant, ex Henrici mente) Philippum eſſe verum Regem: & ſe, cauſa cognita, rem ita habere deprehendiſſe: Iniungebant ciuitatibus, oppidis, proceribus, miniſtris iuſtitiæ, vt Philippo obedirent, ſeq; omnem ſuã poteſtatẽ in illum transferre profitebantur. Quantumuis autẽ iam res vi potius, quàm iure geri cœpiſſet; nec regi hoc decreto opus eſſe videretur: tamen fructu non caruit, partim quia plebs hac ratione de Philippi cauſæ bonitate dubitare deſiit, partim etiam quia multa oppida, hoc decreto mota deditionem, tum in regno Algarbii, tum in aliis regni prouinciis fecerunt. Verum parui fiebat hoc decretum ab Antonio, qui ſe ad defenſionem in altera Tagi ripa parabat. Ceterum copiæ illius ex meris Luſitanis & turba collectitia conſtabant. Vnde fiebat, vt nullas copias, formam aliquam exercitus repræſentantes ad manum haberet, niſi neceſſitate vrgente. Agricolis enim & plebeiis, qui non accipiebant ſtipendia, non erat integrum agricultura & officinis deſertis, ſub pellibus viuere. Itaque Antonius cupiebat conſcribere aliquot milites exteros: cumque videret Franciſcum Barretum, qui eandem ob cauſam in Franciam profectus erat, reditum differre, Petro Doræ, Gallorum in Luſitania Conſuli, negotium dedit, in Gallia duo millia militum conducendi, eamque ad rem pecunia hominem inſtruxit, Imperatorem exercitus nominauit Iacobum Meneſium: Georgio Meneſio claſſem commiſit. Non latebat Antonium exercitus Hiſpanici progreſſus: ſed tantum fiduciæ in populo, & fluminis ab hoſte traiiciendi difficultate collocabat, vt ſibi ſatis ad defenſionem virium habere videretur. Cœpit autem dubitare (quippe quod illi res hoſtium non nimis exploratæ eſſent) hoc tempore, quo Albanus paruis itineribus Setubalum petebat, ne ſe Setubalum contendere fingens, iter deinde Sanctarenam verſus inſtitueret, atque adeo cum iam in hoc eſſe nonnulli adfirmabant, nimirum vt flumen eo commodius in loco illo, vbi anguſtum eſt, traiiceret, & deinde terreſtri itinere Liſybonam, oppidis minutioribus ſpretis, rectà contenderet. Antonius itaque, qui maxima ex parte ſpem ſuam in fluminis tranſitu impediendo collocabat, hoc rumore perculſus curauit Sanctarenam armis, & præſidio muniri. Veruntamen cum paulo poſt intellexiſſet, Albanum Setubalo appropinquaſſe, & Alcaſarium, oppidum vicinum, occupaſſe, milites, quos Sanctarenam miſerat, reuocatos, vnà cum aliis quos vi ſtipendia merere cogebat, Setubalum ablegauit, & nobiles tum viritim, tum generatim, vt eodem proficiſcerentur, impulit, idque pœnis, precibus, promiſſionibus immunitatum, & priuilegiorum. Nihilominus nemo erat, qui libens eo proficiſceretur, & ſi qui vi cogerentur, vehementer conquerebantur: nobiles erant pauci, iiq; animis fracti: plebs quę minima quaq; occaſione in vtramuis partem impellitur, erat pigra, ac lenta, quod ſibi perſuaſiſſet impium eſſe pugnare cum Chriſtianis: ita vt alii aufugerent, alii ſe abſconderent, alii quiritarentur. Miniſtri regii, qui homines noui erant, ingenio prauo, & imperandi imperiti, quod viderent frenũ ſibi laxatum, & ſibi omnia licere, pro libitu miſeros opprimebant, & cũ incredibili inclementiã omnes promiſcue vellẽt nollent hoſti obuiam proficiſci, cõpellebant. Fuerunt eo tempore in hac vrbe impune cõmiſſa multa flagitia, inſultus & latrocinia. nã ad pecuniã negotiatorib. extorquendã illico in vincula coniiciebãt eos, qui nõ ſtatim numerabãt q; petebatur: & ſi qui forte negotiorũ ſuorũ cauſa extra vrbẽ equites expatiarentur, confeſtim dicebant illos in Hiſpaniam aufugere: & ſub huius calu-

vt cognatum Henrici:& ideo eum prærogatiua, quam vt rex Hiſpaniarum haberet, in hoc caſu vti non poſſe. Negabat hanc diuiſionem imaginariam in regis perſonam cadere, eo quod hæc ita coniuncta ſit cum dignitate regia, vt non poſſit fieri iniuria perſonæ, quin etiam dignitas lædatur: & quoniam Rex aliquis bellum alii regi inferre poteſt, propter iniuriam fratri, confœderatis, & amicis factam, tanto magis bellum licitum eſſe, quod regni, per legitimam ſucceſſionem ad ſe deuoluti, occupandi cauſa ſuſcipitur. Reſpondebant etiam illis, qui contendebant iure Ciuili, & Canonico cautum eſſe, vt de re litigioſa cognoſcatur, & pronuntietur in eo loco, vbi illa eſt: & per conſequens hanc litem eſſe in Luſitania decidendam; dicebant iura illa loqui de hominibus priuatis, qui habent iudices ſuperiores, non de principib. abſolutis, & à nemine dependentib. Ad ſecundum caput reſpondebant, adhibitis multis rationibus, quas etiam in prima reſponſione ante adduxerant. Negabant à rege aliud poſtulari poſſe: quam vt Gubernatores edoceat de iure, & manifeſtis rationibus, quę ipſi regnum illud adiudicant. Qui ſi, his neglectis, in pertinacia perſiſtant, regem propria auctoritate poſſe regni poſſeſſionem apprehendere, & (ſi neceſſitas flagitaret) etiam armorum terrore obſtinatos ad obedientiam compellere. Neque autem hanc iniuſtam vim hoc caſu adpellari poſſe, ſed potius defenſionem regni, iure ſibi debiti, & iuſtam rebellium pœnam. Ad tertium reſpondebant illos, qui præſtiterant iuramentum, non poſſe cogi ad illud obſeruandum, cum conſtaret, neque in Luſitania, neque alibi vllum eſſe iudicem, cui ius eſſet pronuntiandi in hac cauſa inter ipſos & regem. Præterea iuramentum tendere in præiudicium regiæ dignitatis: & vt iuramentum non obligaret eos, qui illud præſtiterant, ad obſeruationem: ita etiam illud non poſſe ab iiſdem prætendi ad Regiæ Maieſtatis imperium recuſandum. Conteſtationem vero competitorum, & promiſſionem de obedientia ſententiæ præſtanda, non eſſe tanti momenti, vt Rex propterea ſe iudicib. non competentib. ſubiicere cogeretur. Porro Rex Philippus cum has rationes cognouiſſet, exiſtimauit poſſeſſionis regni apprehenſionem non eſſe diutius differendam. Itaque exercitum Cantilianam, tribus Badagiozio milliaribus diſtantem proficiſci iuſſit, inde in fines Luſitaniæ ducendum. Cumque in eo loco Rex ipſe vna cum Regina copias vniuerſas in caſtra ingredientes videre cuperet, imperauit ſibi in medio agro pegma quoddam è ligno extrui: quo conſcenſo, omnia agmina, duce Albano ſene ſed habitu militem integræ ætatis repræſentante, ordine prætereuntia, contemplatus eſt. Quamuis autem Rex videretur in eam partem propendere, vt ſtatueret ſibi Badagiozio non diſcedendum: tamen inter homines curioſos varii erant hac de re ſermones, & præter rationes vulgares, quibus vti ſolent ii, qui adfirmant Reges ipſos expeditionibus intereſſe debere, adducebantur etiam quædam peculiares, quæ ſuadere videbantur neceſſitatem flagitare, vt rex ipſe omnino huic exercitui præeſſet. Dicebant tria eſſe, quæ requiruntur in expeditione, cui principem ipſum intereſſe conueniat: nimirum rei, propter quam arma capiuntur, pondus ac magnitudinem: ſpem felicis ſucceſſus, & belli per miniſtrum conficiendi difficultatem. Omnia autem hæc tria in iſta expeditione manifeſto concurrere. Litem enim eſſe de regno maximi momenti, diuite, aliis ditionibus Regis contermino, capite multarum locupletiſſimarum prouinciarum, quarum fines amplificari facile poſſe viderentur. Spem victoriæ eſſe tam certam, quam humanitatus loquendo, certa eſſe poſſet, tum bonitatis cauſæ, & virium reſpectu, tum etiam propter hoſtium imbecillitatem. Difficultatem expeditionis miniſtri opera conficiendæ eſſe non exiguam, & huic caſui maxime propriam. neque enim Regem intraturum in Luſitaniam, vt ciuitates, & caſtella occupet, ſed potius vt animos hominum ſibi deuinciat, neque, vt victorem ſe gerat, ſed vt principem legitimum, cuius eſt venire viribus inſtructum ad reprimendas mutationes, quæ in regnis recens adquiſitis naſci ſolent, vt etiam ſe facturum ſignificaſſet gubernatoribus & ordinibus Regni. Has vero partes, tanquam ſumme arduas, non poſſe recte committi, niſi filio primogenito: reliquis vero filiis, & nepotibus non item: quanto minus duci exercitus, natione Hiſpano, & partim natura imperioſo, partim grauiſſimarum rerum, quas tractauerat, vſu exaſperato, & Luſitanis inprimis exoſo. Dicebant certiſſimum eſſe, ſi Rex ipſe in regnum ingrederetur, ex amicis ſubditos fideliſſimos, & ex iis, qui neutram partem ante ſecuti eſſent, amicos facturum: Albanum è contrario amicos in neutrales, neutrales in inimicos, & inimicos in perduelles mutaturum. His, & aliis rationibus fulciebant opinionem ſuam ii, qui in hac expeditione regis præſentiam omnino neceſſariam eſſe contendebant. Ab altera parte in medium adferebatur, quando in deliberationibus verſatur res adeo difficilis, vt ad impoſſibile accedat, tum non diſputari debere, quid faciendum, ſed neceſſitati ſimpliciter eſſe parendum. Huiuſmodi autem eſſe diſputationem de Regis in

Luſitaniam

Luſitaniam ingreſſu, ideo quod variis incommodis exercitus ita imminutus eſſet, vt & numero, & virtute longiſſime differret ab eo, quem ad huiuſmodi expeditionem neceſſarium eſſe initio decretum fuiſſet. Nam ex militibus exteris vltra ſexies mille deeſſe numero, qui fuerat conſcriptus: Hiſpanorum, qui venerant ex Italia, multos; tyronum mediam partem deſiderari: veteranos vero è Belgico euocatos in tempore adeſſe non poſſe. Sane ſi veterani cum reliquo exercitu (cuius tanquam neruus futuri erant) ſe coniunxiſſent, & omnes illæ copiæ, quæ initio conſcriptæ fuerant, in vnum locum conueniſſent, tum regem tuto expeditioni intereſſe, & tranſitum liberum ad ſubſidia & commeatus recipiendos conſeruare potuiſſe à finibus regni Setubalum vſque, idque diſpoſitis iuſto interuallo præſidiis, quę commeatus, & ſupplementa excepta paulatim in caſtra deducerent. Verum cum tam equites, quam pedites ad hanc rem deſtinandi, deficerent, nihil reſtare, niſi vt in duo maxima pericula incurratur. Prius eſſe, omnem commeatum ſecum ducere, vnde noua, & monſtroſa exercitus forma neceſſario oritura eſſet, ideo quod equitatus non ſufficeret ad impedimenta, & plauſtra aliis ſuis tegenda. Poſterius, idque æque magnum committere, vt vita tot hominum penderet ab inſtabilitate maris, & ventorum, quorum beneficio claſſis ex Andaluzia Setubalum deducenda eſſet cum reliquo commeatu, & rebus ad tormenta neceſſariis, quibus exercitus, commeatu plauſtris aduecto deficiente, vteretur. Quamuis autem Albanus contentus eſſet numero militum, qui præſto erant, tamen illum hoc fiducia peritiæ ſuæ, & imperitiæ hoſtium facere: ſpemq; ſuperiora pericula euadendi nulla in alia re collocare, quam quod Luſitanos non iudicaret profeciſſe tantum in rei militaris ſcientia: vt ſibi impedimenta obiicere, à tergo circumuētum morari, & in rerum neceſſariarum penuriam coniicere noſſent: quibus artibus ſi illi vti didiciſſent, rem periculo non cariturum eſſe, & Albanum vel ad retrocedendum, vel ad pugnam iniquo loco, & dubia victoria ineundam adigi, vel ſaltem, quo minus eo anno Tagum tranſiret, impediri poſſe. Hoc autem pacto valde dubium fore expeditionis euentum tum propter animorum inſtabilitatem, quos progreſſu temporis veriſimile eſſet facile mutari poſſe. Præterea incertū eſſe, vtrum duæ partes exercitus commode coniungi poſſent. Videri autē hoc difficile, propterea quod altera pars naues cōſcendiſſet, altera terreſtre iter ingreſſa eſſet, & quod non adeo probabile videretur fieri poſſe, vt exacte ad tempus præſtitutum altera alteram aſſequeretur. Sin autem hic ab alterutra parte ſaltem viginti dierū dilatio intercederet, in ſequentem annum neceſſario expeditionem eſſe reiiciendā. Concludebatur hinc, nec diſciplinam militarem, nec politicam vllam rationem pati, vt Rex ipſe huius expeditionis periculis ſeſe obiiceret. neque enim vel induſtriæ, vel fortunæ ſatis tuto committi ſalutem principum, quorum conſilia non alienæ imbecillitati, ſed propriis viribus inniti oporteat. Dum in Caſtella hæc eſt rerum facies, & Luſitani in dies maiori cum arrogantia, & confuſione res adminiſtrant, in Portugallia cuiuis facile erat animaduertere, regnum illud præceps ad exitium ferri. Nam deliberantibus vniuerſis, nemo erat, qui quid vellet, aut quid faciendum eſſet, ſatis noſſet: aut, ſi qui eſſent, quam viam tanquam ad metam propoſitam ducentem, ingrederentur, cæcis ſimiles, ignorabant Gubernatores, qui erant Setubali, indicebant conuentum, & perturbabantur, quod Albanum cum exercitu inſtructo ad fines Luſitaniæ properare audirent, & Antonium Sanctarenæ procuratores, vt ad conuentum proficiſcerentur, ſolicitare, & iacere ſemina illius tumultus, qui poſtea exortus fuit. Vrgebat illos dux Braganciæ, & publicè de iis conquerebatur, fortaſſe quod non omnia ex illius ſententia adminiſtrarent: neque miniſtri Hiſpanici illos ſinebant quieſcere. Dimiſerant Iohannem Teglium Liſybonam; vt res ad defenſionem neceſſarias præpararet, cum quo minus bene, quam ante, illis conuenire incipiebat: cupiebant ſatisfacere omnibus: metuebant furorem populi: mouebant, ſed non promouebant: inſtabant magnis clamoribus ciuitates, & oppida, vt vel arma, quibus ſe defenderent, vel licentia deditionem faciendi ſibi concederetur: reſpondebant illi generalia, quæ nullum effectum producebant. Acceperunt etiam litteras à Duce Albano, quibus eos arguebat crudelitatis, ideo quod negligerent conſuetudinem quæ vbique gentium obſeruatur, nempe, vt, exercitu potenti in aliquam prouinciam ingreſſo, concedatur iis locis, quæ non ita munita ſunt, vt vim hoſtium ſuſtinere poſſint, deditionem faciendi facultas, ne peccent in præcepta militaria, quæ iubent ad vnum omnes occidi, quotquot hoc caſu reſiſtunt: & non iniuria, quia alioquin tormenta maiora ad minutiſſimum quemque pagum diuerberandum adducere neceſſe eſſet, nec bellum vnquam finiretur. Sed ne hæ quidem litteræ illos mouerunt; vt vlli ciuitati, aut oppido certi aliquid hac in re præciperent. Inter ſe quidem ſatis de regno regi Philippo tradendo conſentiebant, ſed non perſpiciebāt, quo pacto conſiliū hoc ad effectum perduce-

rent: quod ſi detegeretur, verebantur, ne lapidib. obruerentur. Itaque nolebant quicquam temere tentare, præſertim quia in dies imminuebatur ſpes rem eo adducendi, vt Philippus regnum ipſis acceptum ferret, quo initio collimaſſe videntur: prærerquam quod etiam totum regnum ſibi hoc in negotio aduerſari intelligerent, ita vt ſi maxime periculum facere cupiiſſent, tamen ne nihil efficerent, vererentur. Vulgus (quod omnia ſecunda initio ſibi polliceri, incommodis autem ſuperuenientibus facile ſuccumbere ſolet) credebat nullo negotio hoſti reſiſti poſſe: vnuſquiſque leonem, priuatos parietes defendendi ardore, æquare videbatur, ſed omnes, vtpote bellicæ rei imperiti, in apertos campos ſub ſignis armati prodire recuſabant. Porro familia Portugallorum, & reliqui regis Hiſpaniæ aduerſarii non minus erant anxii, quam ipſi gubernatores. Videbant enim ſe pertinacia ſua regem Philippum irritaſſe, idque ſine vllo fructu. Et licet iuſto plus viribus ſuis fiderent, tamen metuebant conteſtationes, & denuntiationes Philippi, quibus regni poſſeſſionem petens, ſimul minabatur exitium illis omnibus, qui ſibi obſtitiſſent. Quamuis autem miniſtri Hiſpanici etiam hos non minus, quam multos alios, corrumpere, & Philippo conciliare ſtuduiſſent: tamen nihil effecerunt, quod Portugalli, initio obſtinati, in medio viribus ſuis freti, in fine de venia impetranda deſperantes, omnem conuentionem, & compoſitionem reſpuiſſent. Hæc tamen vnica ſpes reliqua ipſis erat, quod quo ardentiores ſe in paranda defenſione gererent, eo magis Philippo, quid poſſent, ſe oſtenſuros, & eo tolerabiliores in tranſigendo conditiones impetraturos confiderent: atque ita fore, vt (gubernatoribus propter mutuas diſſenſiones rem ad effectum non perducentibus) Philippus regni poſſeſſionem ipſis acceptam ferret. Verum ille probe de his rebus omnibus edoctus, poſtquam cum locorum, ad limites Luſitaniæ ſitorum, incolis egiſſet de deditione, &, prolixe iure ſuo, & cauſæ bonitate demonſtrata, illos monuiſſet, ne pertinacia ſua regni deuaſtationi cauſam præberent: iuſſiſſetque Petrum Velaſcum, ſupremum iudicem Badagiozii ad quoſdam priuatim litteras hac de re dare: primum omnium tentauit ciuitatem Eluas, tanquam reliquis viciniorem: cuius ciues cum à ſe initium vel tranſigendi, vel armis vtendi Philippum facturum iudicarent, cotidie illius nuntios expectabant. Erant autem (vt plerunque fieri ſolet) diuiſi in factiones duas: quarum altera in partes Philippi inclinabat: altera ſub libertatis conſeruandæ, & in fide apud gubernatores perſiſtendi prætextu imperium eiuſdem vehementer auerſabatur. Illius factionis caput erant Georgius Paſſanus, & Iohannes Rodericus Paſſanus, fratres: à quorum partibus ſtabant multi ex eo genere ciuium, quos ſcutiferos adpellant: huius verò, Antonius Melius, præfectus ciuitatis, cui adhærebant fere omnes nobiles, numero tamen ſuperioribus longe impares: & vnuſquiſque quid de re tota ſentiret, aperte profitebatur. Fuerat paulo ante in ea vrbe Iacobus Meneſius, quem gubernatores miſerant, vt, quæ ad conſeruationem illius pertinerent, curaret: & cum foſſas amplificari iuſſiſſet, idque cum magna difficultate coniunctum animaduertiſſet, re infecta diſceſſerat, promittens fore, vt armis & militibus à gubernatoribus inſtructus reuerteretur. Quia autem non redierat, facile ciues intelligebant ſe non poſſe hoſtium impetum ſuſtinere. Sane Philippus, qui multo ante eorum animos tentauerat, opera Vincentij Fonſecæ, monachi ordinis prædicatorum, cognatione iuncti Paſſanorum familiæ (quæ nobiliſſima erat, & iam inde ab initio cum omnibus affeclis ſuis Philippo fauerat) non deſiſtebat operam dare, vt etiam reliquos in partes ſuas pelliceret, quamquam verum eſt, monachum, cum die annuntiationis Beatæ Virginis, pro concione populum ad obedientiam Philippo præſtandam cohortaretur, ab eodem non admodum æquo animo auditum fuiſſe. Cum itaque iam poſſeſſionem adprehendere conſtituiſſet, miſſis & ad Epiſcopum, Antonium Melium multis nuntiis, poſtremo eodem ablegauit Petrum Velaſcum, vna cum litteris ad primarios, & cum mandato vrbem illam in poteſtatem, & tutelam regiam recipiendi.

Velaſcus die decima ſeptima Iunii Eluas peruenit, comitatus octodecim viris inermibus. Et quamuis initio, appropinquante eo, portæ propter metum mali contagioſi occluderentur: tamen paulo poſt à prætore intromiſſus, & in templum Miſericordiæ ingreſſus, iuſſit vocari Epiſcopum, magiſtratum Cameræ, Melium, & nobiles, quibus omnibus regis litteras reddidit, quarum hæc erat ſententia. Quandoquidem tam euidens eſſet, regni ſucceſſionem ad ſe ſpectare, ſe miſiſſe Velaſcum cum mandato iuramentum fidelitatis ab illis recipiēdi, quod eos prompte pręſtaturos eſſe certo ſciret: blandiſq; hiſce verbis multas pollicitationes adiungebat. Et licet Epiſcopus Melius, & Camerales litteras acceptas legerent: tamen nobiles non tam facile illas ſibi accipiendas eſſe iudicabant, veriti, ne peccarent, & nonnulli alii, quod inter ſe diſſiderent, cui potiſſimum hic honor deferri deberet, illas

ret, illas etiam non recipiebant. Tandem tamen concluſum fuit Fratrem Antonium Cerdam, Priorem monaſterii S. Dominici, epiſtolam ad nobiles ſcriptam accipere, & in templum Cathedrale ad eos deferre debere. Lectis itaque omnibus litteris, Melius & Camerales, qui omnes antecedebant, octo dierum ſpatium ad deliberandum, & reſpondendum petiere, ſperantes ſe interea de re tota commode gubernatores certiores eſſe facturos. Denegauit hoc Velaſcus, dixitque ſe è veſtigio ad Regem rediturum: hortatus eſt, ne committerent quidquam, quod Regem irritare, & ad exercitum, qui tam vicinus eſſet, ceruicibus ipſorum immittendum mouere poſſet. Veruntamen nihilominus illi Gaſparum Britum Stremum miſerunt, qui Iacobum Meneſium, præſidem illius prouinciæ, de his rebus edoceret, & ita pependerunt animi vſque in diem ſequentem: quo Paſſani, intellecto Melii conſilio, voluntati & auctoritati ipſorum omnino contrario, cõſtituerunt eum, niſi ſententiam mutaret, interficere. Et iam ante populum contra Melium inſtigauerant, multiſque perſuaſerant, vt publicè, ſe Caſtellanos eſſe velle, profiteri non dubitarent. Velaſcus deinde in arcem ſe contulit, vt Melio, remotis arbitris, perſuaderet, ne pergeret eſſe obſtinatus, neue ſine cauſa alienum à Rege Philippo animum proderet: ſed fruſtra. Dicebat enim Melius ſibi curam illius vrbis commiſſam eſſe à gubernatoribus & ſe nemini iniuſſu eorundem illam dediturum: ſi Regi Philippo regnum per ſententiam adiudicatum eſſe probari poſſet, ſe paratum eſſe obedire. Verum cùm interim mandatu Velaſci ad foſſas vrbis circiter equites ſexcenti acceſſiſſent, ac puteos, & aquæductus, ex quibus aquam ad bibendum incolæ hauriunt, occupaſſent, Luſitani vehementer perturbati fuerunt, ita vt mulierculæ paſſim magnis clamoribus conuicia iacerent in Melium, & reliquos, qui Regis Philippi imperium detrectarent. Itaque nonnulli iuuenes impulſu eorum, qui Philippo fauebant, cum viderent patriam ſuam a præfecto in diſcrimen adduci, conſtituerunt ſtatim illum occidere, & profecti ad templum Cathedrale, (vbi omnes conuenerant) prope portam illius, in Melium egredientem impetum facturi, ſubſtiterunt. Verum cum ille ſermonem cum Epiſcopo, qui in ipſo flectendo laborabat, inſcius tamen periculi imminentis, produceret; nepos illius (cui & ipſi nomen erat Antonio Melio) certior factus, quanto in diſcrimine auus verſaretur, ex arce, aſſumptis aliquot ſclopetariis, ſubſidio illi venturus accurrit: auumque in templo adhuc offendit. Cumque ſenex Antonius nepotem armatum vidiſſet, miratus eſt, quod cauſam ignoraret: quam cum deinde intellexiſſet vna cum periculo, in quo verſabatur, & quod hoſtium copiæ in vicinia eſſent ſignificauit Velaſco, nihil reſtare, niſi vt ille cum Cameralibus tranſigeret: ſe enim paratum obedire Regi Philippo: & ita omnis tumultus ſedatus fuit, quia iam ante etiam cum ipſis Cameralibus conuentum fuerat. Cum a. præſtarentur iuramenta, ciues non nimium cauti petebant à Velaſco, vt nomine Regis ciuitati multa priuilegia, immunitatem vectigaliũ, & portoriorum per totum regnum, multaque alia magni momenti, concederet. Velaſcus liberalis de eo, quod dare non poterat, conceſſit quidquid peteretur: ſed Rex poſtea promiſſis non ſtetit, quod diceret Velaſcum (& ita reuera erat) mandati fines exceſſiſſe. His ita tranſactis, intellectum fuit Gaſparum Britum, quẽ ciuitas ad Iacobum Meneſium miſerat, redire cum trecentis partim peditibus partim equitibus, qui non ſatis erant armis inſtructi, ad ciuitatem defendendam. Itaque Brito ſtatim iniunctum fuit, vt diſcederet: in cuius cõſpectum cum interea equitatus Hiſpanicus perueniſſet, ſponte cum omnibus ſuis in fugam ſe coniecit. Poſtero die, cùm adhibitis ceremoniis ſolemnibus noui regis nomen publicè proclamatum fuiſſet, Velaſcus ad regem rediit, cùm ſolum triduum in his rebus componendis conſumpſiſſet. Paulo poſt optimates Eluenſes, regis ſolita cum reuerentia ſalutandi cauſa, Badagiozium venerunt: & à rege maiori cum comitate, quam erga homines vti ſoleat, excepti fuerunt. Miſit etiã ille Eluas Garziam Cardenam nepotem Albani, qui ciuib. Eluenſibus pro fide & ſtudio in regem gratias ageret. Redactis in poteſtatem Eluis, Velaſcus profectus eſt Oliuenzam eundem ob finem. Scripſerat a. iam ante Oliuenzam, & hoc egerat, vt ciues præfectum Nunum Aluarezium, filium comitis Tentuguelenſis, ablegarent: id quod etiam partio negotio obtinuerat. Ciues enim in partes Philippi inclinantes communi conſenſu ciuitatem illi dedere conſtituerant: petierant tamen, ne ab Oliuenza rex, poſſeſſionem regni apprehenſurus, inciperet, quandoquidem animi omnium ipſi eſſent addictiſſimi. Malle. n. ſe minorem gratiam inire tardius iuramentum præſtando, quam in leuitatis & inconſtantiæ ſuſpicionem apud homines incurrere. Itaque non tantum Nunum Aluarezium, ſed etiam Iacobum Soſam, equitem Melitenſem, & in Nuni locum ſubſtitutum, dimiſerunt. De harum duarum ciuitatum deditione fama ſtatim peruaſit Santarenam, vbi erat Antonius, qui populum, à quo Rex ſalutari cupiebat, variis artibus demulcebat. Tractauit ſemper hoc negotium Antonius incredibili cum feruore;

quantumuis Henricus Rex dum viueret, eam ob cauſam acerrime illum inſectaretur: & omnes, quas animo concipere poterat, ad regnum perueniendi vias ac rationes adhibuit rogans, minitans, pollicitans. Cum rege Philippo diuerſimode egit per miniſtros. Modo præ ſe ferebat odium in ducē Bragantiæ, & in huius perniciem cū rege Philippo ſe tranſacturum ſimulabat: modo mentionē iniiciebat de actione ſua Philippo concedenda, dummodo ſibi tolerabiles conditiones offerrentur: modo omnem conuentionem reſpuebat, ita vt facile adpareret, eum tempori ſeruire, & prout ſpes in animo ipſius variabant, ſtatuere. Vnde fiebat, vt, qui eius nomine cum Philippo agebant, ſi quando exiſtimaſſent facta tranſactaque eſſe omnia, ſubito mandatum ab Antonio reuocatum intelligerent. Tandem Philippus egit cum illo per Chriſtophorum Morum, promiſitque ſe amore illius ductum, conceſſurum quidquid peteret, nulla tamen vel ſumma pecuniæ, vel alia re nominatim expreſſa. Verum Antonius, qui Morum odiſſet, ipſius opera in tranſactione cum Philippo inſtituenda vti noluit. Poſtea autem, cum Dux Oſſunenſis catalogum earum rerum, quas Philippus regno offerebat, gubernatorib. exhiberet, reddidit etiam Antonio litteras Regis quibus ſcribebat, Antonium à multis annis perſpicere potuiſſe, quanta beneuolentia ſemper illum fuiſſet complexus, & quod nullam eius declarandæ occaſionē prætermiſiſſet. Sperare ſe itaq; illum fore memorem & gratum, ſatiſque facturum iis, quæ & æquitas, & cognatio, qua iuncti eſſent, flagitaret. Quia autem non dubitaret, Antonium edoctum de manifeſto iure, quod in regnum haberet ſe amanter rogare, vt ipſe inter primos ſe pro rege agnoſcere, ſibique tanquam principi, ac domino legitimo à Deo Opt. Max. in hunc locum euecto, iuramentum præſtare non recuſaret: ita vt ipſius exemplo moti reliqui officium eo promptius facerent. Poſtremo promittebat, ſe quantum ad res Antonii priuatas attineret, nihil prætermiſſurum, quod ad eum ornandum, fouendumq; pertineret: reliqua ſe Duci Oſſunenſi, & Moro permittere. Sed hæ litteræ omni fructu caruerunt. Dixit enim tum Prior Duci Oſſunenſi, nunquam ſe tranſacturum: & ſcripſit ad ipſum Philippum ſe illi hac in re gratificari non poſſe. Eſſe enim ſe in tutela populi, & ideo ad illius voluntatem omnia ſua conſilia accommodare cogi. Cum itaque Prior intellexiſſet, Hiſpanos in Luſitaniam ingredi, inſtitit apud populum & gubernatores, & periculum à Philippi exercitu tam vicino impendens, & quam neceſſarium eſſet eligere caput aliquod, vt eo melius hoſti reſiſti poſſet, illis ante oculos ponendo effecit, vt ipſum defenſorem, vel regem creare animum inducerent. Quanquam autem hoc conſilium caperetur ab hominibus maxime ſeditioſis & temerariis, qui vi conantur exequi quidquid in mentem ipſis venit, quique cupiebant Priorem proclamare regem: tamen multis hoc improbabatur: multis etiam videbatur præſtare eū defenſoris titulo ornari: & ipſe Prior non ſatis ſibi hac in re conſtabat, vtrum potius eligeret: (vt in reliquis rebus omnibus) ſe a maiori parte, & intimis amicis duci patiebatur. Hi vt populum inuitarent, ad ſatisfaciendum votis ipſorum, inuitis etiam illis, qui conſentire nolebant, cum forte ageretur de propugnaculo quodam prope Sanctarenam in eo loco, vbi eſt ſacellum inuocationis Apoſtolorum, extruendo, ſparſerunt rumorem fore, vt decimonono die Iunii Antonius eo primum lapidem poſiturus, proficiſceretur; iuſſeruntque vniuerſum populum ad propugnaculi ædificationem adiuuandam adeſſe, vt eo facilius in tanto hominum concurſu id, quod animo conceperant, ad exitum poſſent perducere. Neque magno artificio ad perſuadendum opus fuit, quia populus rerum nouarum auidiſſimus mane eius diei maximo numero confluxit. Epiſcopus Parmenſis, & Epiſcopus Guardenſis (quorum hic conſcius horum conſiliorum, ille ignarus erat) acceſſerunt ad ſacellum: vbi miſſa inchoata, & ad medium perducta, populus ad defenſionem, & ambiguis verbis etiam ad electionem inuitatus fuit. Cum autem paulo poſt Antonius adueniſſet, & extra ſacellum prope portam eiuſdē preces concepturus genua flexiſſet, duo illi Epiſcopi ſtolati ad eum exierunt conſecraturi locum, vbi arcis fundamenta iacienda erant: qui ſimulac Ceremoniarum conſuetarum initium feciſſent, Antonius Baracchius, homo audax, ſtrophiolum mucroni gladii impoſitum eleuans Antonium regem alta voce ſalutauit, magnoque cum clamore & ſtrepitu ipſi acclamatum fuit ab vniuerſa turba, quę ſiue ad terrendos illos, quibus hoc factum improbabatur, ſiue arma oſtentandi cauſa, gladios eduxit. Ibi Antonius, vel quod modeſtiam ſimularet, vel quod inter ſpem metumque dubius fluctuaret, clamauit: non, non. Et paſſus longitudine progreſſus eſt, quaſi poculo ſilentium imperaturus. Pietrus Coutignius etiam loci illius præfectus, magna cum indignatione clamores turbæ inhibere conabatur, dicebatque Priorem nolle vocari regem: ſed fruſtra. Baracchius enim directo, quod humeris geſtabat, in Coutignum ſclopeto, eum tacere coëgit, & ille etiam paulo poſt diſceſſit. Antonius ſiue quod tot enſes diſtrictos cernens perterrefactus, ſiue quod hoc pacto ad tantam

digni[illegible]

dignitatem conſcendere cum metu quodam coniunctum ſit, ſtabat timidus, & tremens, & eius rei non obſcura ſigna præbuit ſuis: qui cum ipſum equo impoſuiſſent & equus ſtatim offendiſſet, parum abfuit, quin caderet: & omnes nobiles, qui aderant, eum comitati ſunt capite aperto, tanquam regem, & quamuis magna pars populi ignara, quid agendum eſſet, eo veniſſet, tamen ad vnum omnes eum ſecuti ſunt. Ex eo loco ſe contulit Prior in templum, & è templo in curiam: & ianuis, quia clauſę erant, confractis, ſolennibus actis, & inſtrumentis adhibitis, Rex confirmatus fuit. quibus ſubſcripſerunt omnes nobiles Luſitani, qui aderant, & Emanuel Coſta Borgeſius manu vexillum geſtans alta voce: Viuat Rex, viuat Rex, more ſolito clamabat. Inde in hoſpitium digreſſus, ſe præparare cœpit ad iter Liſybonenſe, vt in metropoli regni etiam ſe regem proclamandum curaret. Interea peruenerat Velaſcus Oliuenzam, nono die Iunii noctu: & à Iacobo Vaſconcellenſi, rogatu Paſſanorum Eluenſium, domum ſuam receptus fuit, & poſtero die magiſtratum & nobiles rogauit, vt ne in templum Miſericordiæ, litteras regis accepturi, conuenire grauarentur. Cum conueniſſent, reddidit illis litteras Regis: quæ cum publice lectæ fuiſſent, & adpareret illas humaniſſime ſcriptas eſſe, & regem hortari, vt iuramentum fidelitatis ſibi præſtarent, rogauit Velaſcus, vt breuiter reſponderent. Ceterum, vt ex paruis initiis interdum res maximi momenti naſcuntur, ita etiam parum abfuit, quin hic contingeret. Cum enim nobiles illius ciuitatis in duas contrarias factiones ſciſſi eſſent: quarum alteram ſectantur Lobi, & Gamæ: alteram Matti, euenit, vt litteræ Regis, ad nobilitatem ſcriptæ, caſu Lobis omnium primis redderentur. Cum itaque pars aduerſa hanc rem ſiniſtre interpretaretur, præſertim quia Velaſcus apud hominem, Loborum factioni addictum, diuerſabatur: conſtituerunt totis viribus impedire, quicquid aduerſa factio ſtatuiſſet. Cumque illo tempore magiſtratu fungerentur plures Matti, quam Lobi, & aduerſarios ad ciuitatem Regi dedendam inclinare animaduerterent cœperunt iis obluctari, & nullo dato reſponſo ad litteras regias, eas feſtinanter miſerunt ad gubernatores: & paulo poſt in hoſpitium Velaſci profecti, ei indicarunt, ſe non poſſe reſpondere in negotio tam arduo, niſi re perbene deliberata, & gubernatoribus expoſita, & quatriduum ad conſultandum poſtularunt. Cum autem Velaſcus reſponderet, ſibi non eſſe integrum, illis longius deliberandi ſpatium quam in diem ſequentem vſque concedere, diſceſſerunt incerti, dixeruntque ſe non metuere, quod omnem ſpem in diuino auxilio collocarent. Diſplicebat hoc Velaſco, & ideo cogitabat, de Duce Albano per Fratinum, architectum Italum, qui illi aderat, admonendo, vt aliquot ſigna peditum in conſpectum vrbis, ad terrorem ciuibus incutiendum, mitteret: verum re cum amicis Luſitanis communicata, cum intelligeret, populum in Philippi partes inclinare, conſilium mutauit. Lobi vna cum aſſeclis ſuis, cum viderent à magiſtratu Camerali ſibi contradici, conſilii capiendi cauſa in vnum conuenerunt: & confecto inſtrumento quodam, omnes, qui ſe regi obedire paratos eſſe profiterentur, ſubſcripſerunt. Pars etiam aduerſa conſultandi cauſa conuenerat, ſed re infecta, diſceſſum eſt. Interea Marcus Antonius Iuſtinianus, patritius Genuenſis, amicus Velaſci, & cognatus Loborum, ſuaſit Velaſco, vt domo egreſſus per compita vrbis circumiens populum alloqueretur, verbiſque appoſitis illum de re tota edoceret. Secutus eſt hoc conſilium Velaſcus, & coacta ingenti multitudine, orationem habuit ſatis prolixam, in qua oſtendebat, quid vtilitatis percepturi eſſent, ſi regis imperium reciperent: & contra in quæ incommoda eſſent incurſuri, ſi magiſtratui obtemperarent: quandoquidem tam validus exercitus præ foribus eſſet. Vulgo quod facile huc illuc impellitur, ſatisfaciebat oratio: cumque Velaſcus, comitante multitudine, ad templum Spiritus ſancti, in quo congregata erat nobilitas, perueniſſet, ingreſſus dixit, Domini quid agemus? Cumque Aluarus monachus omnium nomine reſpondiſſet, illos eſſe paratos Regis imperium recipere, Iuſtinianus Velaſcum medium arreptum in altum ſuſtulit, nomenque regis alta voce pronuntiauit, acclamantibus nobilibus, & plebe. Inde ad curiam progreſſi, ſub pœna graui euocari iuſſerunt iudicem, & ſyndicos, qui cum populum tumultuari, & Philippum regem fuiſſe ſalutatum, intelligerent, metu perculſi, & ipſi ſe regi ſubmiſerunt. Idem fecit arx & confectis actis, adhibitiſque conſuetis ſolennitatibus, Velaſcus regis nomine multa priuilegia, & immunitates promiſit. Hoc modo, & etiam minori cum tumultu cetera loca in finibus illis ſita, in poteſtatem regis venerunt; vt Serpa, Mora, Campus maior Arroghezia, Portalegre, & in aliis etiam prouinciis per circuitum totius regni eadem cum induſtria per deditionem multa loca in poteſtatem regis redigebantur. Interim Antonius Sanctarena, Liſibonam verſus iter facere cœperat, & gubernatores videntes euenire, quod iampridem ante animus ipſis præſagiebat; vna

cum Duce Bragãciæ,& miniſtris Hiſpanicis Setubali munitiones inſtituebant, veriti ne a rege nouo inuaderentur. Non proſpexerunt vrbi Liſybonæ de rebus ad defenſionem pertinentibus,quod exiſtimarent Petro Cugnæ Liſybonæ præfecto, & Ioanni Teglio(qui vt diximus, erat Belemi cum mandato ipſorum) eam rem curæ fore, vt & illis iniunxerant, præſertim qui etiam duos miniſtros Iuſtitiæ miſerant, qui ciues ad arma capienda hortarentur. Cęterum Teglius, qui non malo fortaſſis animo, ſed tamen paulo imprudentius aſſentiebatur iis, qui cauſam per ſententiam decidi volebant, cum intellexiſſet Antonium regem creatum, magnam inde moleſtiam percepit. Videbat enim ſibi munus, quo fungebatur deponendum, ſeque plus iam difficultatis habiturum, ſi cum rege Philippo tranſigere animum induceret: præterquam quod etiam Antonius regnum ipſi acceptum laturus non eſſet. Cum itaque ira incenſus eſſet, & exiſtimaret ſe cæteris gubernatoribus iniuriam facturum, ſi illis Setubali degentibus, ipſe, qui eſſet Belemi, Priorem inermem tam paruo negotio Liſibonam occupare pateretur, conſtituit illius defenſionem ſuſcipere,idque etiam impulſu magiſtratus, qui rogabat, vt in vrbem veniret, eamque propugnaret. Si enim illa à Priore occupata fuiſſet, ſe, qui id vetare non poſſet, fore extra culpam, quę tota in illum, vtpote qui poſſet, & nollet Priori reſiſtere, eſſet redundatura. Itaque Teglius perfunctoriè conſcripſit aliquot cohortes ex ruſticis, loca circumuicina incolentibus, eaſque Liſybonam ad Priorem ingreſſu prohibendum, miſit. Mandauit etiam Petro Cugnæ, vt defendendæ vrbis prouinciam in ſe reciperet: ipſe tamen in eam non ingredi conſtituit,&conuocatis ad deliberandum nobilibus qui aderant, decretum fuit, ſtatim obuiam Antonio Iacobum Soſam, & Franciſcum Meneſium mittendos eſſe, qui rogarent, ne Liſybonam ingrederetur, neque titulo Regis vteretur, ſed ſolum defenſoris: propterea quod in omnem euentum illud nomen eſſet altero ad propoſitum accommodatius. Licet autem hi in iter ſe darent, tamen complures ſuadebant Teglio,ne, (quantumuis hęc admonitio eſſet rationi conſentanea) hoc pacto Priori curſum fortunę ſuæ interrumperet. Cum itaque animo fluctuaret, nec quidquam certi ſtatueret, euenit, vt milites, ſiue ruſtici, qui Liſybonam verſus iter faciebant, nullo accepto mandato à gubernatore,neſcirent, quid agendum ſibi eſſet: Priorem ne adiuuare, an vero vrbis ingreſſu prohibere oporteret. Emanuel enim Portugallus, qui ad regium ſolium cupiebat Priorem euehere, operam dederat, ne quidquam certi ſtatueretur: & ſi quid forte ſtatutum eſſet artibus ſuis efficiebat, ne ad effectum perduceretur. Petrus vero Cugna dicebat, ſi Teglius ipſe coram nollet Priori reſiſtere, neque ſe omnibus rebus Teglio inferiorem, id facerè poſſe cumque Teglius regereret præfecti officium hoc eſſe, ita alter in alterum, ob ſuos vterque fines, onus illud reiiciebat. Appropinquabat interea, Prior Liſibonæ,ſed parum abfuit, quin via eo perueniendi ipſe præcluderetur. nam cum prope Sacabemum (quod oppidum 6.milliaribus Liſybona diſtat) in agro ſubſtitiſſet,ſermonem cum Franciſ. Almeda, amico ſuo, conferens, diſploſum fuit ſclopetum, cuius ictu occiſus fuit Almeda. Et quia nunquam auctor ſciri potuit, ſunt qui putent ipſum Priorem petitum fuiſſe. Peruenit paulo poſt ad vrbem Prior cum exiguo comitatu, & ex nobilibus nemo aderat præter Soſam & Meneſium: qua de cauſa ingreſſu minime prohibitus fuit: imo omnes, qui obuiam precedebant, eum regem ſalutarunt. Pauci tamen aderant, partim propter peſtem: partim quod metuerent, quia videbant regnum eſſe diuiſum: hinc regem Philippum cum exercitu imminere: illinc gubernatores pene cum Philippo conſentire: tertio vero loco Priorem pauperem, ſolum paruis conſultoribus vtentem, ſalutatum fuiſſe Regem à paucis, iiſque plebeiis. Itaque ex iudicibus, & nobilibus Priorem gratulandi ergo fere nemo & ex ſupremo magiſtratu vnus tantum Syndicus acceſſit, reliqui ſe abdiderant. Prior enim ad Palatium flumini vicinum profectus, poſſeſſionem illius,& armamentarii,& naualis,nemine obſiſtente,occupauit: nouum promiſorem, nouos iudices, nouos ſyndicos creauit, reliquiſque officiis, quæ vacabant,proſpexit: & inde ad Curiam magiſtratus ſe contulit, vt more ſolenni Rex proclamaretur: quo cum omnes primarii conueniſſent, Emanuel Fonſeca Nobrega, homo confidens, in hanc ſententiam locutus eſt: Videor mihi agnoſcere inſculptam veſtris omnium frontibus lætitiam, qua corda veſtra perfunduntur, ob aduentum huius iucundiſſimi diei, quo in verba illius, vtpote regis, eſtis iuraturi, quem tantopere deſideraſtis: intelligo ſuperuacanea fore omnia illa, quæ ad vos, vt hoc faciatis adhorandos à me ardentiſſimo animo dici poſſent,quandoquidem orationem meam voluntatis veſtrę promptitudo longiſſimo interuallo anteuertit. Scio non tantum moram etiam exiguam vobis moleſtam eſſe: verum vos dolere quoque quod alii vos præuerterunt in eo, quod libentiſſime feciſſetis, &

quod

quod vos facere æquum erat, quandoquidem primariæ huius vrbis exemplum, tanquam normam quandam, reliquas imitari oportet. Ceterum quantumuis vos & geſtiatis, & ad hanc rem promptiſſimi ſitis: quantumuis omnia, quæ à me in medium adferri poſſunt ſint ſuperflua: tamen & officium, & amor me ſtimulant, vt breuiter vobis animi mei ſenſa exponam. Non libet mihi inſtituere enumerationem laborum, quos ſumma cum prudentia ſuperauit: (tempus enim me deficeret) ſufficiat vobis noſſe (vt & noſtis) illum ſemper fato quodam cum ſuperbia, & arrogantia mundi bellum geſſiſſe. Cum enim propter peccata noſtra Deus O.M. permittat, vt principes hodierno die plerunque virtutem odio, vitia amore proſequantur: ille, quod virtute & animi magnitudine præſtaret ſemper odio, & vi iniuſtæ obnoxius fuit, dum iam, tãquam notus repellitur, iam iis quos præcedere debebat, poſtponitur: quę omnia ad gloriam, qua refulgebat, offuſcandam pertinebant. Mitto offenſiunculas, quæ inter Sebaſtianum, & illum ſub initium expeditionis Africanæ natæ erant, quas quidem alii ſatis cauſæ, cur vna non proficiſcerentur, exiſtimaſſent: verum ille, qui iam ad fortunæ inſultus occalluiſſet, quamuis pro iudicii ſui acumine Sebaſtianum ad exitium pleno curſu properare facile intelligeret, maluit tamen cum tam manifeſto periculo aliorum temeritati obſecundando in Maurorum manus incidere: quam exiſtimationem ſuam macula, & næuo etiam minimo contaminare. Fuit in infelici illo prælio captus, quod ante proſpexerat: mortuus eſt Rex Sebaſtianus, nepos illius: mortui erant ante tot alii principes, omnes regni hęredes: reſtabat ſolus Cardinalis Henricus, qui propter extremam ſenectutem, & inualetudinem non diu ſuperuicturus eſſe videbatur, ita vt regnum penè ſucceſſore deſtitueretur. Verum Rex regum (qui quantumuis nobis interdum nimium tardare videatur, omnes res æqua lance ponderat, & exequitur) ſingulari ſua prouidentia effecit, vt interim dum Rex Henricus Imperio potitur ſpatio paucorum illorum dierum, qui ipſi vitæ ad curſum perficiendum ſupererant, non ſine miraculo è Maurorum manibus euaderet ille, quem huius regni clauo moderando deſtinauerat. Dico non ſine miraculo: quia videtur fieri non potuiſſe, vt vlla humana prudentia eo quo factum fuit, modo, liberaretur. nam (vt poſitum eſt in more apud infideles) cum ille eſſet princeps, veriſimile eſt, eum regi, & principi traditum fuiſſe, & mancipatum cuſtodię perpetuæ, aut ſaltem tam arctæ, vt nulla eſſet euadendi via, niſi lytri loco ciuitates, & propugnacula cederentur, vel immenſa pecuniæ vis ſolueretur: nihilominus tamen (conſiderate, quæſo, num hæc res miraculo careat) paulo poſt nullo plane pretio perſoluto, euaſit. Venit deinde in hoc regnum, vbi fortuna nondum exaturata, mille noua incommoda ipſi obiecit: quæ tamen omnia virtute ſua profligata ſuperauit. En vobis illum: & licet iam multo magis, quam vnquam, ab hoſtibus eſſe circumdatus videatur: tamen & ille fretus eſt virtute veſtra, & ego illius prudentia, quam omnia impedimenta victuram eſſe confido. Agite ipſi gratias, quod regni ſceptrum capeſſere non dubitet, cum tamen tot æmulorum inimicitias ſibi ſuſcipiendas eſſe videat: quam quidem ad rem non tam dominandi libido, quam amor veſtri eum inuitat. Promittit enim ſe non regem, ſed patrem, & fratrem omnium fore. Quem, quæſo, putatis eſſe illum, cui iam nos imperium deferimus? Eſt vera propago, legitima proles, vnica planta, quæ ex regibus noſtris ſupereſt. Hic eſt nepos regis Emanuelis illuſtris memoriæ; natus ex illius filio Ludouico: qui duo duæ maximæ omnium, & firmiſſimæ Luſitanię columnæ fuerunt: ad illum iure horum regnorum hæreditas pertinet: Et etiamſi non pertineret, (quod eſſe non poteſt) tamen omnes incolas, reliquis repudiatis, ad huius vnius fidem & tutelam confugere oportebat. Hæc enim ſola libertatis in tuto collocandæ via eſt: cæteræ omnes ad certiſſimum tyrannidis iugum ducunt. Finita hac oratione, vniuerſi cum ingenti applauſu Antonium regem ſalutarunt, & tradito illi vexillo ciuitatis Emanuel Fonſeca de feneſtra magna voce clamauit: Viuat, viuat, Antonius, rex Luſitaniæ: quæ verba cum magna alacritate à plebecula adprobata fuerunt. His omnibus in acta publica relatis, reuerſus eſt Prior in Palatium, vbi paulo poſt præſtito ſolito iuramento de conſeruandis priuilegiis, & immunitatib. Regni & aliis, quæ à regibus ſuperioribus conceſſa fuerant, dedit litteras ad reliquas regni ciuitates & oppida, iubens, vt mitterent, qui ſibi fidelitatis iuramentum præſtarent. Duci Bragançiæ & Marchioni Villæ regalis ampliſſima quæque pollicitus eſt: ceteros proceres rogauit, vt Liſybonam de rebus ad regni vtilitatem ſpectantibus vna ſecum conſultaturi venirent. Ceterum Dux, quantumuis etiam regni procuratores eum ad tranſigendum cum Antonio hortarentur, noluit tranſigere: neque Marchio etiam venit; & pauci fuerunt, qui eum pro rege agnoſcerent. Porro cum Teglius ſine ſua opera Antonium iam ad regiam dignitatem euectum videret, finxit ſe Belemo Liſybonam manum illius deoſculatum venturum: & communicato cum Iacobo Lo-

pezio Siquera, præfecto trium triremium Luſitanicarum conſilio, vnam ex illis vna cum Epiſcopo Leirienſi, Antonio de Caſtro, domino Caſcaiſii, Martino Gonzaleſio de Camera, Emanuele Teleſio Barreto, Franciſco Meneſio, Ludoico Cæſare prouiſore naualis, & quibuſdam aliis conſcendit, aſſumptiſque 40. aut 50. millibus aureorum (quos paulo ante ex officina monetaria Liſybonenſi afferendos curauerat, cum iactura Iac. Bardi mercatoris Florentini, cuius erant) cum vulgo exiſtimaretur curſum ad vrbem directurus, ſubito proram verſus Setubalum, vbi erant reliqui gubernatores, conuerti iuſſit: reliquæ vero duæ triremes, præfectorũ iuſſis ſpretis, & deſerta prima, Liſybonã petierunt. Teglius autem cum ad oſtium portus Setubalenſis perueniſſet, milites præſidiarii, qui erant in portus propugnaculo, triremim appellere non ſinebant, ſed eam ictibus tormentorum repellebant. Itaque Teglius in loco paulo remotiori triremi appulſa in littus egreſſus, pedes ad reliquos gubernatores contendit: à quibus ipſius excuſationes tantum abeſt, vt acciperentur, vt etiam illum pro ſocio non agnoſcerent, & tum in conſeſſibus tum in ſermone eum, tanquam nobilem priuatum, tractarent, & non vt gubernatorem. ita nimirum punientes ea, quæ Teglius partim Belemi, partim Antonium, quo minus Liſybonam ingrederetur non prohibendo, admiſerat. Et hac vna in re gubernatores auctoritate ſua, & iure vſi ſunt, in reliquis omnibus timiditatem, & conſilii inopiam aperte prodebant. Prior cum videret horum nonnullos, quos ſibi fauere putabat, fugere, pecuniam aſportare, gubernatoribus aduerſariis ſuis, ſe adiungere, Setubalum muniri, magis magiſque intelligere incipiebat, illis bene cum Rege Hiſpaniæ conuenire, & ſtatutum eſſe eo in loco commorari, donec Regis triremes Italicæ, quas iam in portum S. Mariæ perueniſſe rumor erat, in illo littore comparerent, quas deinde in portum Setubalenſem reciperent: quod ſi fieret, magnum inde rebus ſuis periculum imminere animaduertebat. Si enim copiæ Hiſpanicæ illud oppidum occuparent, fore, vt Liſybona pene ex omnibus partibus circumſideretur. Itaq; coniectis in carcerem nonnullis, quos ſuſpectos habebat, ac pecunia à mercatoribus mutuo accepta, conſtituit dare operam, vt quamprimum ſiue per deditionem, ſiue vi oppidum illud in poteſtatem redigeret: & vt properaret, mouebant ipſum actiones Triſtani Vazii Vegæ, præfecti arcis S. Iuliani ad oſtium Tagi ſitæ: cui cum ille ſcripſiſſet, reſpondit, ſe Priori arcis poſſeſſionem tradere nõ poſſe, nec etiam ipſius auſpiciis illam cuſtodire. Præſtitiſſe enim ſe iuramentum de arce nemini tradenda, niſi iis, à quibus illam acceperat: hos autem eſſe gubernatores. Itaque Antonius hac re in aliud tempus dilata, cum tumultuarie, & vi ruſtices prope Liſybonam incolẽtes, opifices, mancipia, aliamque turbam collectitiam in vnum locum cõgregatam (qui tamen omnes ad numerum 1500. non adſcendebant) flumen tranſire iuſſit. Antequam vero ipſe tranſiret, miſit Setubalum Franciſcum Portugallum Comitem Vimioſium, qui cum gubernatoribus tranſigeret, illoſq; ad obedientiam ipſi præſtandam inuitaret: quos etiam per literas hortatus eſt, ne ſcientes prudentes ſe perditum irent, neve exiſtimationi ſuæ notam inurerent, regnum ſibi indigenæ ademptum ad exterum transferẽdo: rogabat, vt ad ſe venirent. Eſſe enim ſe paratum ipſis ingenue omnium delictorum veniam concedere. Verum non fidebant his litteris, nec verbis Comitis gubernatores, vtpote qui Regi Philippo eſſent obſtricti, & quorum nonnulli apud Regem Henricum gratioſi fuiſſent & cõſcii eorum decretorum, quæ contra Priorem erant promulgata. Itaque re cum miniſtris Hiſpanicis communicata, conſtituerunt ſe defendere, donec claſſis Regis veniret, quæ in horas expectabatur. Verum ſpes eos fefellit: quia venti ſemper ita contrarii fuerunt, vt triremes nauigare non poſſent. Quod cum videret Dux Braganciæ, exiſtimans ſibi non diutius ibi commorandum, diſceſſit. Cæterum Comes Vimioſius cupidus illos eo ex loco eiiciendi, concitata ad ſeditionem plebe, & adiuuantibus ipſis militibus prætorianis, arma cepit, & portas occupauit: complures etiam armati in hoſpitium gubernatorum irruentes, mortem ipſis multis, iiſdemque contumelioſiſſimis verbis minabantur. Quare conſternati non tantum gubernatores, ſed etiam miniſtri Hiſpanici, cæterique Philippo addicti nobiles, partim per feneſtras, partim per ianuas, furtim, alii mari, alii terra aufugerunt, excepto Archiepiſcopo Liſybonenſi, & Io. Teglio: quorũ alter dignitate ſua, alter priſtinis in Priorem meritis, & cognatorum auxilio confiſus remanſit: legati vero poſtero die in Caſtellam reuerſi ſunt. Fuit hoc ſpectaculum ſane perquam miſerabile. Etſi enim gubernatores, tum propter diſſenſiones, & dubitationes ſuas, tum propter priuatæ vtilitatis ſtudium pœnam merebantur: tamen erat res commiſeratione digna, videre venerabiles illos ſenes, qui duabus horis ante regia auctoritate armati erant, fune ſe de feneſtris demittentes, fugere furorem iuuenis effrenis, qui contra illos plebem, & proprios cuſtodes concitauerat. Nobiles, qui domo & rebus omnibus relictis, fuga ſibi conſuluerunt, ſunt Ferdinandus

Norogna, Petrus Meneſius, Eduardus Caſtelblancus, Iacobus Lopezius Siqueira, Antonius Caſtelblancus, Ludoicus Cæſar, & quidam alii. Antonius ſimulac de horum diſceſſu certior factus eſt, ſtatim flumine traiecto, eo contendit, vbi ſub vmbella more gentis cum ingenti lætitià exceptus fuit: cumque de munitione, & cuſtodia illius loci ea, quæ ad rem pertinere videbantur, conſtituiſſet, reuerſus eſt Liſybonam, diſſuadentibus nonnullis, qui copias in illum locum cogendas eſſe dicebant, vt eo facilius hoſti reſiſti poſſet, nec Tagum denuo tranſire neceſſe eſſet. Sed Antonius hoc conſilium ſecutus non eſt, dicens ſe breui eo rediturum. Multi autem exiſtimabant, eum ſibi metuere, nec ſe vltra flumen tutum fore arbitrari. Caſcaiſium, & arx S. Iuliani nondum imperium Antonii agnoſcebant: verum cum audiretur, illum Setubalũ ingreſſum, & gubernatores fugere, vxor Antonii de Caſtro Caſcaiſio diſceſſit: vnde ſtatim arx deditionem fecit: Et præfectus arci S. Iuliani, cui Antonius per literas quater mille ducatorum reditus annuos promiſerat, reſpondit, quandoquidem gubernatores regnum deſeruiſſent, & ille Rex proclamatus eſſet, ſe arcem ipſius nomine cuſtoditurum. Qua de cauſa retroceſſit Sebaſtianus Britus, qui ſupremi præfecti Liſybonenſis munere loco Petri Cugnæ, fungebatur, & ab Antonio cum manu collectitia ad obſidendam arcem Sancti Iuliani mittebatur: ita vt omnia loca paulo maioris momenti, & Liſybonæ circumuicina, in poteſtatem Antonii concederent: & horum exemplum pedetentim omnes ciuitates & oppida in illis partib. ſita, ſecuta ſunt, excepta ciuitate Portu, quæ deditionem adhuc recuſabat. Dux Bragànciæ, qui tumultum Setubalenſem præuiderat, inde paulo ante gubernatorum fugam in oppidum ſuum Portellum, non procul à Caſtellæ finibus ſitum, ſe receperat. Quoniam autem videbat, vi rem geri, & ſe ab exercitu imparatum exiſtimauit tempus eſſe, ſeſe Regi Philippo adiungendi. Itaque miſit nobilem quendam ad Philippum, qui illi indicaret, dominum ſuum ſemper in iure Catharinæ vxoris ſuæ perſequendo moleſtiam adhibuiſſe, nec vnquam contra publicam tranquillitatem, vel contra legitimum iudiciorum ordinem, vel contra æquitatem quidquam tentaſſe. Cur vero non citius cum Philippo tranſegiſſet, in cauſa fuiſſe, partim quod actionem ſuam ſatis firmis fundamentis inniti intelligeret, partim quod illi id non licuiſſet per populum, qui ſine dubio ſe oppoſuiſſet. Verum ducem iam omnino conſtituiſſe, ſi ſibi à Rege conditiones æque proponerentur, illi ius, & actionem vxoris Catharinæ omnem cedere, &, vbi hac de re inter illos conueniſſet, legatos hoc negotium publice tractaturos mittere. Innuebat ducem, qui tertiam regni partem ditionib. ſuis occuparet, magno vel impedimento, vel adiumento Regi eſſe poſſe. Dicebat procuratores regni pollicitos eſſe ſe acturos cum Antonio, vt depoſito Regis nomine, & iunctis cum duce viribus, regnum defenderet. Poſt bellum autem confectum facile inter illos tranſigi poſſe. Antonium etiam ampliſſima quæque per nuntios Duci promiſiſſe: Ducem tamen conditiones ab Antonio oblatas non accepiſſe, quod ſibi cum æquitate pugnare viderentur. Rogare vero, ne Rex ſuæ ditioni ab exercitu damnum inferri pateretur. Erant hæc omnia vera, ſed Philippini dicebant, etiamſi Dux non eſſet homo quietis, & religionis adeo amãs vt reuera erat: tamen non eſſe, quod Rex eius potentiam metueret. Habere quidem illum magnum numerum ſubditorum, ſed non omnes ipſi eſſe dicto audientes, nobiles illius imperium magis, quam reliquorum omnium, dedignari: denique quoſdam cognatos maiori ipſi damno, quam vſui eſſe propter æmulationes, quas inter ſe exercerent. Fidebat Dux ſatis iuri, quod ſibi habere videbatur: ſed verebatur ne opprimeretur à vicino exercitu Regis, quem nullo modo ſententiam iudicialem expectaturum iudicabat. Hic metus illum impulerat, vt ad omnes pene potentiores orbis Chriſtiani principes ſcriberet, &, expoſito iuris, & actionis ſuæ fundamento, auxilium ab illis peteret. Romam etiam ad Cardinales quoſdam eodem argumento ſcripſerat. In Galliam miſerat aliquot exempla Conſilii, quod conſcribi curauerat, quæ inde in Angliam, & alia loca ſpargerentur: inſtitit diligentiſſime apud duas illas Reginas, vt, ſibi pecuniam: & commeatum, arma & ductores militum ſubminiſtrarent: ſed vtrobique, animaduerſa illius imbecillitate, quantumvis oſtenderet ſe ad communem defenſionem ſuas cum gubernatorum viribus coniuncturum, nihil obtinuit, niſi verba, aulico artificio condita. Rumor etiam erat, illum non ſolum hæc tanto cum ſtudio petiiſſe à Regis æmulis, ſed etiam ab apertis illius hoſtibus, & perduellibus, quaſi cum principe Auraico quoque, & cum Duce Alanconio ipſi aliquid negotii fuiſſet. Hæ res ipſi maiori detrimento, quam emolumento fuerunt, vt ſolet euenire iis, qui, propriis viribus deſtituti, cum principibus potentibus contendere non dubitant, freti auxilio, quod ſibi pollicentur à potentiorum principum æmulis, qui tamẽ apertum bellum raro ſolent indicere, niſi ſocium viribus pollere animaduertant. Hinc factum

fuit, cùm aliquot illius litteræ à miniſtris Hiſpanicis interceptæ, & nonnullæ etiam, imprimis vero illæ, quas Romam ſcripſit, ab iiſdem, ad quos datæ fuerant, ad regem miſſæ fuiſſent, vt ad petitionem Ducis, quam ſupra audiuimus, Rex prolixe, & caute reſponderet: primum, ſe non mediocriter lætatum fuiſſe, cum intelligeret Ducẽ mature ſe è tumultu Setubalenſi eripuiſſe. Veritum enim ſe fuiſſe, ne, quod facile erat, eo in loco in periculum, & ignominiam aliquam incurreret. Agnoſcere ſe Ducem vere dicere, ſe in perſequendo vxoris Catharinæ iure modeſtiæ rationem habuiſſe. Veruntamen quia hucuſque Dux tranſactionem recuſaſſet, inde præſentia incommoda omnia nata fuiſſe: quæ quidem mallet ipſos aliquanto ante præuidiſſe, quam iam reipſa experiri tanta cum perturbatione, & exiſtimationis iactura: ſeque ex his eorum incommodis magnum mœrorem percipere propter cognationem, & ſuam erga Catharinam beneuolentiam. Gratias etiam ſe agere, quod paratus eſſet ius ſuum cedere: veruntamen ſe nolle illum & vxorem celare, nullam eſſe cauſam, cur laboraret, in nouis rationibus, & iuribus adiungendis ad ea, quæ ſibi a Deo Optimo Maximo conceſſa, & toti mũdo nota eſſent. Se duabus de cauſis hactenus expetiuſſe, vt Dux, & vxor acciperent conditiones, quas ipſis ad compenſandum ius, quod prætendebant, tam liberaliter obtulerat. Priorem eſſe, quia ſperaſſet ſe hoc pacto euitaturum neceſſitatem bellum regno, & propriis ſubditis inferendi: quæ res valde illum ſolicitum haberet. Verum vtilitatem, quæ ex tranſactione promanare poterat, amiſſa meſſe propter morã ab illis interpoſitã quandoquidem iam exercitus fines regni ingrederetur. Poſteriorem eſſe, quia cuperet augere, & ad altiora euehere familiam Ducis, beneficiis ornare liberos illius, auertere ab illo periculum deuaſtationis, atque adeo iacturæ ſuæ ditionis: cui tamen rei adhuc remedium aliquod inueniri poſſet. Se enim adeo ſtudioſum, & amantem eſſe Ducis, vt hæc beneuolentia ſatis ſibi ſtimuli eſſet, ad illum quouis & beneficio & honore adficiendum. Dicebat ſe non mediocriter mirari, quod ſua ſponte confiterentur, ſe Antonio aures adhuc præbere, & tractare cum perduellionis & execrandi delicti reo. Monere ſe illos amanter, vt inpoſterum abſtineant ab huiuſmodi colloquiis, & communicationibus, vtpote contrariis fidei, & officio, quod regi deberent, & indignis auctoritate, & exiſtimatione illorum. Innuebat etiam ſe non minus mirari, quod ſibi a procuratoribus regni perſuaderi paterentur, fore, vt ipſorum interceſſione Antonius regis titulum deponat, perinde ac ſi hoc delictum pœnitentiam admitteret: cùm tamen cogitare illos oporteret, has eſſe artes, & fraudes conſuetas perduellium, ad illos in poſterum non minus, quam antè factum fuiſſet, decipiendos tendentes: Et illam, quam procuratores appellarent, vnionem, defenſionis cauſa initam, nihil eſſe niſi conſpirationem, & coniurationem meram, ad ducem eiuſdem cum Antonio criminis reatu implicandum, tendentem: à quo tamen incommodo Deus Opt. Max. illum liberaſſet. Poſtremo dicebat ſe ſemper libentiſſime auditurum omnia ea, quæ ſibi nomine ducis proponerentur, & promptiſſime conceſſurum, quæ ad ipſum ornandum, & fouendum pertinere, & æquitati conſentanea eſſe viderentur. Accepto hoc reſponſo, Dux miſit aliquot nobiles, qui cum Rege de re tota tranſigerent; & cum iis, nomine Ducis intolerabiles plane conditiones proponentibus, aliquandiu actum fuit. Verum cum Rex, antequam vlterius procederetur, à Duce ſibi ſubiectionis, & fidelitatis iuramentum præſtari vellet, dilatum fuit negotium, idque non ſine offenſione Ducis qui videret non tantum ſe fruſtrari ſpe, quam de iure ſuo conceperat: ſed etiam nondum ſatis ſibi cum rege conuenire: immo regem paulatim ſuam ditionem occupare. Iam enim Villauizoſam, præcipuam ſuę iuriſdictionis & magni momenti ciuitatem, atque adeo aulæ ſuę ſedem, amiſerat, quantumuis illi diligenter de præſidio, aliiſque rebus neceſſariis proſpexiſſet. Occupatus autem fuit hic locus paulo poſt deditionẽ Eluarum, idque opera cuiuſdam Caſtellani, quem Dux, ſiue quod illi fideret, ſiue per negligentiam inter ceteros in arce reliquerat. Intercedebat huic notitia cum Ciſnero, militum ductore, qui erat in caſtris Albani: atque ita promiſerat eidem Ciſnero ſe noctu ipſi vnam ex arcis portis aperturum, nimirum ſuperiorem, per quam in foſſam deſcenditur, vt milites regios clam introducere poſſet. Et ita reipſa euenerat. Cum enim nox huic rei deſtinata veniſſet, Albanus iuſſit Sancium Auilam copias, quæ Eluas miſſæ fuerant, ad illam arcem occupandam ducere. Itaque equites, ſclopetariis in clunes equorum receptis, ea nocte tantum ſpatii emenſi ſunt, vt ante lucem Villauizoſam peruenirent. Cum autem ad portam, de qua aperienda conuenerat, properaſſent, animaduerterunt ſe per illam, quantumuis patefactam, intrare non poſſe, quod ea altitudine à ſolo diſtaret, vt ſcala, quam ſecũ tulerant, illuc non pertingeret. Deturbati itaque de ſpe omni, cum & diẽ inſtare viderent, & ne res detegeretur, metuerent, parum

abfuit,

abfuit, quin, re infecta, in caſtra reuerterentur. Verum (vt curſum fortunæ ſæpius cætera omnia ſubſequuntur) forte fortuna Caſtellani in foſſa aliam ſcalam inuenerunt: quæ cum priori colligata ad oſtium pertingebat. Itaque milites per eam conſcendentes in arcem ingreſſi ſunt, nemine ex præſidiariis vel audiente, vel vidente: qui nullis vigiliis, nullis excubiis diſpoſitis, in tanta caſtrorum hoſtilium, decem milliaribus inde diſtantium, vicinitate in lectis ſuis ſtertebant. Itaque hoc pacto Dux Bragancia, optimam, munitiſſimam & inſtructiſſimam ſuarum arcium amiſit. Iam tum credebatur Regem ipſum expeditioni non interfuturum. Etſi enim multi adhuc contendebant fore, vt ipſe cum exercitu proficiſceretur, & exaggerarent rationes ſupra adductas: tamen qui contrarium ſentiebant, prioribus ſuis argumentis addebant etiam hoc, quod in omnibus locis, per quæ Liſybonam vſque iter faciendum erat, contagio vehementiſſime graſſaretur; quantumuis aer non videretur eſſe corruptus. Non eſſe vero rationi conſentaneum coniici in tantum periculum vitam principis, qui eſſet columna & Eccleſiæ Rom. & tot regnorum. Ad rationes autem quæ Regem ad proficiſcendum inuitarent, reſponderi poſſe; eas eſſe comparatas, vt omnes res humanas quæ habent geminam anſam: quæ, ſi illas per hanc apprehenſas ponderes, videntur graues: ſin per illam, leues. Expeditionem quidem eſſe maximi momenti, ſi perpendatur conditio regni Luſitaniæ, & rerum ab eo dependentium: Verum, ſi vitam tanti regis, vitæ Antonii perduellis, & ne quidem tyranni nomine digni: Ducis Albani, & tot aliorum procerum Italorum, & Hiſpanorum virtuti, & peritiæ militari Comitem Vimioſium, iuuenem inexpertum cum ſuis complicibus, & tam fortibus tot nationum militibus, turbam è pagis Luſitaniæ promiſcue collectam & mancipia Æthiopica opponi, conſuleretur, nullo negotio animaduerti poſſe, quam non deceat Regem huic expeditioni intereſſe. Idem reſpondebant ad ſpem, quæ de proſpero ſucceſſu concipiebatur. Etſi enim conſideranti hoſtes tales eſſe, quales ſupra fuerunt deſcripti, res expedita videretur: tamen ſi ex altera parte etiam incommoda, quæ adducta fuere, expenderentur, trutinam in neutram partem inclinare, ſed pondus eſſe æquale: præſertim ſi in memoriam reuocarentur exempla Ioannis I. regis Caſtellæ & Alfonſi V. Regis Luſitaniæ: quorum vterque, cum diuerſis temporibus alter in alterius regnum cum exercitu ingreſſus eſſet, fuſus fugatuſque fuit. Quod de beneficiis, & voluptate, quam ex Regis præſentia Luſitani percepturi videbantur, & è contrario de Albani aſperitate diceretur, non eſſe de nihilo. Veruntamen etiam hac in re facile Luſitanis regem ſatisfacturum, ſi Eluas, aut in alium locum in finibus ſitum ſe conferret. Hæc opinio cum contraria melior, & firmioribus fundamentis niti videretur, non tantum eam Rex ſecutus eſt, ſed tum illa ita etiam multorum animos commouit, vt extra limites euagarentur. Fit enim plerunque, vt dum nimis ſolicite ſtudemus omnia in tuto collocare, paulatim in metum aliquem prolabamur. Itaque nimis hîc timeri cœptum eſt, ita quidem, vt rex non ſatis tutus Badagiozii eſſe, & rectius facturus eſſe diceretur, ſi Siuiliam ſub prætextu maturandæ claſſis, ſe conferret, præſertim quia iam copias pedeſtres Luſitaniæ immiſiſſet. Poſtquam Albanus ex eo loco diſceſſiſſet, dicebant regem quibuſuis Luſitanorũ inſultibus obnoxium fore, quib. facile futurum eſſet, vſque ad mœnia eius loci excurrere: & Antonium, ſi vellet vti hac occaſione, exercitum regis ab inſtituto itinere dimouendi, tantas copias poſſe Badagiozium verſus adducere, vt Rex non ſine dedecore retrocedere, & exercitum, quantumuis iam Liſybonam circumſediſſet, reuocare cogeretur. Verum fama eſt regem noluiſſe hac de re verba facientes audire, & illis, qui hoc ſuadebant, confirmaſſe, ſe nulla re, nulloque modo, ne quidem ſi ſua ipſius vita periclitaretur, adduci poſſe, vt vel latum pedem retrocederet: imo ſibi ſtatutum eſſe commorari in loco aliquo in finibus Luſitaniæ ſito, qui commodiſſimus eſſe videretur: Et in hunc finem aliquot milites, prætoriæ cohortis loco ſibi futuros, retinuit. Albanus qui interea copias omnes prope Santilianam coegerat, iuſſu regis 27. die Iunii, Caya fluuiolo, Luſitanos a Caſtellanis diuidente, traiecto, in Luſitaniam ingreſſus eſt; ducens ſecum magnam copiam commeatus aliorumque impedimentorum: ita vt haberet vltra 6. millia carrorum, vna cum vigintiquinque tormentis craſſioribus. Præteriit prope muros Eluarum, vbi nihil erat, quod agendum ſupereſſet, quia vrbs iam in Regis poteſtatem conceſſerat. Tribus caſtris peruenit Stremum, iuramentumque regis nomine exegit ab incolis illorum locorum, quæ vel ſola exercitus vmbra perterrefaciebat.

Verum cum ante omnia ſaluti Regis conſultũ cuperet, confecto bidui itinere miſit Petrum Manricum Padillam, hominẽ ex primaria nobilitate, & rei bellicæ peritũ, cum duab. alis cataphractorum, & Petrum Ayalam, tribunum militum, & veteranum cum legione Hiſpanorum, qui ab Eluenſibus ſponte recepti fuerunt, vt impedirent, ne quid turbarum

à plebe riſu exceptum, & retrocedere coactum fuiſſe. Sed quidquid ſit, vniuerſa tranſtagana regio, quæ totius regni optima eſt, ſola ab armis & defenſoribus imparata, & hoſti prædæ relicta fuerat. Antonius, qui Setubalo Liſybonam venerat, cum magno plauſu exceptus fuit à ciuibus, quod tum primum vt Rex vrbem ingrederetur: quæ quantumuis propter peſtem, & propter nobilium diſſidia ciuibus exhauſta eſſet, tamen non defuerunt, qui arcus triumphales, ludos, & alia publicæ lætitiæ monumenta inſtituerent. Inter cetera, obſeruatu digna fuit caterua mulierculàrum, propolia in foro exercentium: quę inſtar militum armatæ, & vexillum ſequentes per vrbem incedebant. Dux, loco bipennis, batillo inſtructa erat: nimirum, vt refricaret memoriam prælii priſci, ad Algibarottam, in quo Luſitani victoriam obtinuerunt, & etiamnum hodie gloriantur coniugem cuiuſdam piſtoris batillo ſeptem Hiſpanos interemiſſe. Gubernatores, qui Setubalo fugerant, profecti ad arcem, cui Ambroſius Aguiarius præerat, clam nauiculam quandam conſcenderunt tanto quidem cum pauore, vt cum nullibi in Luſitania tutos ſe fore ſuſpicarentur, in portum Aiamontanum, qui ad Regem Philippum ſpectat, & in finibus Luſitaniæ ſitus eſt, nauigauerint. Ibi cum ſe nonnihil collegiſſent, reuerſi in Luſitaniam intrarunt in oppidum Caſtrum Marinum, animo perturbato: vbi promulgarunt decretum, in quo actiones Antonii à tempore Henrici vſque in illum diem recenſebant: ſententias ab Henrico contra illum pronuntiatas confirmabant: appellabant illum rebellem, & publicæ pacis perturbatorem: declarabant (idque vt dicebant, ex Henrici mente) Philippum eſſe verum Regem: & ſe, cauſa cognita, rem ita habere deprehendiſſe: Iniungebant ciuitatibus, oppidis, proceribus, miniſtris iuſtitiæ, vt Philippo obedirent, ſeq; omnem ſuã poteſtatẽ in illum transferre profitebantur. Quantumuis autẽ iam res vi potius, quàm iure geri cœpiſſet; nec regi hoc decreto opus eſſe videretur: tamen fructu non caruit, partim quia plebs hac ratione de Philippi cauſæ bonitate dubitare deſiit, partim etiam quia multa oppida, hoc decreto mota deditionem, tum in regno Algarbii, tum in aliis regni prouinciis fecerunt. Verum parui fiebat hoc decretum ab Antonio, qui ſe ad defenſionem in altera Tagi ripa parabat. Ceterum copiæ illius ex meris Luſitanis & turbâ collectitia conſtabant. Vnde fiebat, vt nullas copias, formam aliquam exercitus repræſentantes ad manum haberet, niſi neceſſitate vrgente. Agricolis enim & plebeiis, qui non accipiebant ſtipendia, non erat integrum agricultura & officinis deſertis, ſub pellibus viuere. Itaque Antonius cupiebat conſcribere aliquot milites exteros: cumque videret Franciſcum Barretum, qui eandem ob cauſam in Franciam profectus erat, reditum differre, Petro Doræ, Gallorum in Luſitania Conſuli, negotium dedit, in Gallia duo millia militum conducendi, eamque ad rem pecunia hominem inſtruxit, Imperatorem exercitus nominauit Iacobum Meneſium: Georgio Meneſio claſſem commiſit. Non latebat Antonium exercitus Hiſpanici progreſſus: ſed tantum fiduciæ in populo, & fluminis ab hoſte traiiciendi difficultate collocabat, vt ſibi ſatis ad defenſionem virium habere videretur. Cœpit autem dubitare (quippe quod illi res hoſtium non nimis exploratæ eſſent) hoc tempore, quo Albanus paruis itineribus Setubalum petebat, ne ſe Setubalum contendere fingens, iter deinde Sanctarenam verſus inſtitueret, atque adeo cum iam in hoc eſſe nonnulli adfirmabant, nimirum vt flumen eo commodius in loco illo, vbi anguſtum eſt, traiiceret, & deinde terreſtri itinere Liſybonam, oppidis minutioribus ſpretis, rectà contenderet. Antonius itaque, qui maxima ex parte ſpem ſuam in fluminis tranſitu impediendo collocabat, hoc rumore perculſus curauit Sanctarenam armis, & præſidio muniri. Veruntamen cum paulo poſt intellexiſſet, Albanum Setubalo appropinquaſſe, & Alcaſarium, oppidum vicinum, occupaſſe, milites, quos Sanctarenam miſerat, reuocatos, vnà cum aliis quos vi ſtipendia merere cogebat, Setubalum ablegauit, & nobiles tum viritim, tum generatim, vt eodem proficiſcerentur, impulit, idque pœnis, precibus, promiſſionibus immunitatum, & priuilegiorum. Nihilominus nemo erat, qui libens eo proficiſceretur, & ſi qui vi cogerentur, vehementer conquerebantur: nobiles erant pauci, iiq; animis fracti; plebs quę minima quaq; occaſione in vtramuis partem impellitur, erat pigra, ac lenta, quod ſibi perſuaſiſſet impium eſſe pugnare cum Chriſtianis: ita vt alii aufugerent, alii ſe abſconderent, alii quiritarentur. Miniſtri regii, qui homines noui erant, ingenio prauo, & imperandi imperiti, quod viderent frenũ ſibi laxatum, & ſibi omnia licere, pro libitu miſeros opprimebant, & cũ incredibili inclementia omnes promiſcue vellet nollent hoſti obuiam proficiſci, cõpellebant. Fuerunt eo tempore in hac vrbe impune cõmiſſa multa flagitia, inſultus & latrocinia. nã ad pecuniã negotiatorib. extorquendã illico in vincula coniiciebãt eos, qui nõ ſtatim numerabãt q; petebatur: & ſi qui forte negotiorũ ſuorũ cauſa extra vrbẽ equites expatiarentur, confeſtim dicebant illos in Hiſpaniam aufugere: & ſub huius calũ

mniæ prætextu ipſis,& bonis illorum manus iniiciebant: væ illi, qui laudaſſet copias regis Hiſpaniæ,quia vel lapidibus obruebatur, vel carceri mancipabatur, vel ingenti pecuniæ ſumma mulctabatur:obuio cuiq; vi arma,& equos eripiebant: ſi quis eſſet imbecillior,aut cum nouis miniſtris amicitiam non coleret,ille non erat admodum tutus. Male agebatur, cum iis,quibus rationes conferendæ erant cum miniſtris aulicis. Cogebantur enim ſoluere,quod debebant,nulla admiſſa compenſatione eorum,quæ ipſis debebantur. Et tum ob hãc cauſam,tum quia ſe quietis amantes eſſe oſtenderant,in carcerẽ cõpacti fuere nõnulli homines locupletes,& inprimis honeſti. Edicta barbara,& mãdata,quæ de ſuſpẽdẽdis ſolutionibus,& reditib. promulgabantur,& quibus vnuſquiſq; in vrbem redire,& ad defenſionem ſe accingere iubebatur,vi apertis niſi parerent,& expilatis ædibus: hæc,inquam, erant infinita: ad ſummam, omnia inſignem inclementiam, & aſperitatem redolebant: omnia admiſtrabantur ab hominibus,qui partim ignorantia, partim malitia ducti de induſtria mandata,quæ obſeruari non poterant,promulgabant,vt deinde occaſionem expilandi haberent. Cruces,ſiue inſignia ordinum equeſtrium,& inprimis ordinis equitum Chriſti,quæ hactenus in pretio fuerant,tum temporis hominib. indignis,& obſcuro loco natis propter varias variorum interceſſiones collata fuerunt. Chriſtiani noui,qui ad inſignia equeſtria,ad gradum nobilitatis,& ad officia regia admitti non ſolebant, conniuente & fauente Antonio,omnes,quas optabant, dignitates obtinuerunt, non tam quod multis obſtrictus eſſet propter beneficia ab illis duro ſuo,& neceſſario tempore accepta,quam quod facile à quouis quiduis ſibi perſuaderi pateretur. Serui Æthiopes,quibus propter ingentem illorum in vrbe Liſybona multitudinem,arma interdicta ſunt,momento temporis armati, & pene liberi comparuerunt. Edictum enim publice fuerat, vt omnibus, qui in hoc bello ſtipendia ſub ductoribus Æthiopibus, ad id electis, merere vellent, illud etiam inuitis dominis,& quidem nullo pretio ſoluto,liceret. Qua de cauſa ſerui omnes, in vnum locum congregati,cum mandatum regium plus ſibi permittere exiſtimarent, quam reuera permittebat,excuſſo iugo,& dominis deſertis,per vrbem vagabantur, & arma equoſq; obuio cuiq; vi extorquentes multa atrocia facinora deſignabant. Moneta cuſa fuit, impreſſo nomine Antonii,& valor eius quarta amplius parte imminutus. Fiſcus regius erat exhauſtus: vnde,poſtquam ab omnibus quæſtoribus quidquid poterat, expreſſiſſet, manum admouit ceimeliis regiis,& nominatim phaleris tantopere apud Luſitanos celebratis, quæ lapidibus pretioſis inſignes,& maximi pretii ex India venerant. Pecunia, quam Henricus in Luſitanorum,qui a Mauris captiui detinebantur, redemtionem collegerat, conſumpta,& expenſa fuit. Eo autem licentiæ progreſſum eſt, vt in monaſteriis inquirerent in nummos, quos ibi depoſitos ſuſpicabantur: cumq; nonnullos inueniſſent, quantumuis pertinerent ad amicos,homines notæ fidei, orphanos,& pupillos,omnes non numeratos, nec appenſos aſportarunt, præter vaſa argentea eccleſiarum: quæ partim vi erepta, partim à monachis conceſſa fuerunt,neque meliori conditione fuerunt lapides pretioſi,& theſauri,quos Maria, Antonii conſobrina,ad opera pia pro anima ſua legauerat. Etſi enim illi Antonius multis beneficiis obſtrictus eſſet,tamen illa omnia accepta in vſus ſuos conuertit. Monachis licentia data fuit arma capiendi, eorumque opera Antonius vſus eſt ad officia militaria,non ſine ſcandalo plebis,& verorum monachorum,& ſine vllo fructu. Multi boni viri reuocabant ſibi in memoriam tempora præterita,& illa,quibus Sebaſtianus imperaſſet: & ſeipſos condemnabant,quod tum conqueſti eſſent de arrogantia intimorum Sebaſtiani, qui tamen neminem iniuria adfeciſſent. Laudabant Regem Henricum,qui quantumuis breui illo tempore,quo cum imperio fuit,non per omnia officio ſatisfeciſſet: tamen dicebant illi egregiam voluntatem nunquam defuiſſe nec ipſum tam facile hominibus prauis, innocentes opprimere conantibus,aures præbuiſſe. Vituperabant gubernatores, qui tam lenti fuiſſent in munere deponendo: ad ſummam dicebant cum Sebaſtiano regnaſſe temeritatem: cum Hẽrico ignorantiam, cum inopia iudicii coniunctam: cum gubernatoribus confuſionem: cum Antonio iniuſtitiam. Excuſabant Antonium nonnulli,ſed adductis argumentis elumbibus. Dicebant enim nihil iniuſtum ab eo imperari, quod humanus eſſet,& animo bene à natura conſtituto: verum,cum multa minus recte adminiſtrarẽtur, in cauſa eſſe auaritiam miniſtrorum,qui,quamdiu Antonius inſectationibus obnoxius fuiſſet,plurima incommoda paſſi eſſent,etiam eodem rerum potiente,ad ſatietatem vſq;,nulla habita liciti vel illiciti ratione,cupiditatibus ſuis indulgerent. Priorem autem nihil ipſis denegare,nec delinquentes punire audere,partim quod tempora turbulentiora hoc non ferrent,partim ne incurreret nomen ingrati,ſi animaduerteret in eos,à quibus eo tempore, quo ab omnibus propter ſeueriſſimas ſententias à Rege Henrico pronunciatas deſerebatur,re & conſilio adiutus fuerat.

Liber Sextus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur occupatio Setubali, & arcis capta ab exercitu Philippi: claſſis eiuſdem in portum Setubalenſem appulſus: conſilia Antonii, & iter Cardinalis Riarii legati in Hiſpaniam: quomodo exercitus Setubalo Caſcaiſium ſe contulerit, & Iacobus Meneſius cum Luſitanis retroceſſerit: perturbatio vrbis Liſybonæ: occupatio Caſcaiſii vna cum arce: mors Iacobi Meneſii: iter Antonii cum ſuis copiis verſus Belemum, & Alcantaram: venia, & gratia, quam rex Philippus obtulit Luſitanis, vt illos ſuis partibus adiungeret: tractatio de pace: deditio arcis Sancti Iuliani, deſertio propugnaculi in Capite ſicco extructi, expugnatio turris Belemenſis.

ALbanus paruis itineribus Setubalo cum exercitu adpropinquabat, progrediens ordinibus non diſpoſitis, & ſine vllo hoſtis metu, plane vt in regione pacata, & amica iter fieri ſolet. Sed cum prope abeſſet, conuocatis primariis ductoribus, oſtendit hactenus quidem propter interuallum, quo ab hoſtibus diſtarent, diſciplinam, & ordinem militarem neglectum fuiſſe: verum cum iam eos in vicinia haberent, non eſſe illos ſpernendos, præſertim quod immineret Setubalum, oppidum non contemnendum, cui veriſimile eſſet, validum præſidium impoſitum fuiſſe. Monere itaque ſe ſingulos, vt in poſterum ſuum quiſque officium diligenter faciat. His dictis, prope muros, in hortis ad ſeptentrionem vergentibus, caſtra poſuit: & ſtatim miſit ad oppidanos tubicinem, qui illis indicaret, Albanum nomine Regis Philippi adeſſe, vt apprehenderet oppidi poſſeſſionem, & poſtulare ſibi portas aperiri, & ſe intromitti: ſi recuſarent, ſe contra illos iure belli vſurum: ſin vero obedirent, ſe tum vitam, tum bona oppidanorum ſimul, & militum illæſa conſeruaturum. Oppidani dubii, & inter ſe diſſidentes, ſpatium ad deliberandum petierunt: & vt homines ſolemus, maiorem commodi priuati, quam vllius alterius rei rationem habere, ciues, qui ex mœnibus milites vites cædere, & loca maritima ſale (cuius eſt magna copia) conficiendo apta deuaſtari vidiſſent: ſtatim deditionem quibuſcunque conditionibus faciendam cenſuerunt: nautæ, & pauci milites ſe ad pugnam paratos eſſe profitebantur, ſed ita vt facile adpareret, eos frigide, & non ſerio hoc dicere. Verum Franciſcus Maſcaregnas, oppidi præfectus, & Iac. Boteglius iunior, vnus ex militibus, conſiderantes, muros non ſatis eſſe firmos, & aliquanto plus metuentes hoſtem vicinum quam remotum metuiſſent, ad deditionem inclinabant: neque multum ſpatii ipſis ad deliberandum ſupererat. Interim enim Ludoicus Douara pactus erat cum Gallo quodam, qui Setubali cohorti militum præerat, vt ſibi portam, cuius cuſtodia eidem commiſſa erat, noctu aperiret: id quod reipſa factum fuiſſet, niſi oppidani mature conſilium cepiſſent de mittendo ad Albanum Simone Miranda, vt illos ad deditionem paratos eſſe oſtenderet: qui tamen ad Albanum peruenire non potuit. Cum enim milites, qui Setubali in præſidio fuerant, intellecto eorum, qui præcipui erant, conſilio, ex oppido egreſſi in Simonem Mirandam incidiſſent, dicentes ſe ab illo proditos fuiſſe, hominem vi ſecum Liſybonam abduxerunt ad Antonium, qui eum in carcerem conüci iuſſit. Paulo poſt, nullis interpoſitis pactis de deditione, promiſcue milites Hiſpani in oppidum ingreſſi ſunt. Sane Albanus, diſpoſitis tormentis, iam de muris diuerberandis cogitauerat, & oppidani eo vſque præ animorum fluctuatione deditionem diſtulerant, vt in huius moræ pœnam milites ſuburbia deprædarentur. Qua de cauſa non male dici poteſt, fere præcipuum totius regni oppidum minis expugnatum fuiſſe: & ſane nondum hactenus ſerio bellum geri videbatur. Milites Luſitani, vt dixi, liberi & immunes diſceſſerunt: ſolus Iacobus Boteglius, vel quod Albano diffideret, vel quod ſe ex Antonii miniſtris eſſe meminiſſet, clam conſcenſa naui, ſe ſubducere conatus eſt: ſed deprehenſus, & in vincula coniectus fuit. Reſtabat Luſitanis turris, quæ portus oſtium propugnat, quæ quia ſita erat in loco ſalebroſo, quo tormenta difficulter aduehi poſſent, quantumuis alioquin anguſta, & minime firma eſſet, a Luſitanis pro munita habebatur, præſertim quia ſubſidio illi venerant tres naues armatæ, quas Liſybona Ignatius Rodrigezius Veloſus adduxerat. Quantumuis autem pauci eſſent in turri milites, tamen non opus erat pluribus, quod illa exiguum nume-

tum caperet: alioquin peritis magiſtris tormentorum, ſatis multis tormentis, & duce, inter Luſitanos aliquam virtutis opinionem habente, inſtructa erat. Expectabatur Setubali claſſis auidiſſime. Præterquam enim quod paulatim prætergrediebatur tempus, quo triremes in illo mari nauigare commode poſſent, ſi illa paulo tardius adpuliſſet, periculum erat, ne exercitus terreſtris, in commeatus, & aliarum ad bellum neceſſariarum rerum penuriam incideret. Hinc fiebat, vt Albanus turrim quamprimum in poteſtate habere cuperet: & ideo humaniter à Mendo Motta (hoc enim erat præfecto nomen) petiit, vt ſibi illam dederet: & cum ille recuſaret, Albanus pollicitationes nonnullas nomine regis adiecit: ſed fruſtra. Quoniam autem Aluarus Baſſanus, Marchio Sanctæ Crucis, præfectus claſſis regis Hiſpaniæ, poſtquam è portu S. Mariæ ſolu ſſet, & prætervecto Algarbii littore, in regis poteſtatem multa oppida, in illis partibus ſita redegiſſet, cum ſexaginta triremibus, & aliquot nauibus bellicis è regione Setubali in mari comparuerat: coactus fuit Albanus, viis impeditioribus opera foſſorum complanatis, non ſine magno labore, quatuor tormenta craſſiora vna cum iuſto militum numero ad turrim expugnandam mittere, ne triremes portu excluſæ vi tempeſtatis alio impellerentur. Et huius rei curam Proſpero Columnæ commiſit. Ceterum ſimulac tormenta diſpoſita fuerunt, in loco, vnde ferire poterant vnam ex nauibus bellicis, quæ propius, quam reliquæ, ad littus acceſſerat: illi qui in naui erant, cum ſe tormentorum iniuriæ expoſitos, & quatuor homines amiſiſſe viderent, paſſis velis in portum deditionem facturi ingredi cœperunt, ſed tamen non ſine periculo. Præſidiarii enim, qui in turri erant, cum nauim ad hoſtes tranſire viderent, omnia contra illam tormenta exonerarunt. Conuertit deinde Proſper tormenta ad concutiendam turrim cumq; pauci globi in eam immiſſi eſſent, præſidiarii animo fracti, & in primis claſſis vicinæ conſpectu perterriti, deditionem fecerunt, hac lege, vt ſibi vita & bona ſalua eſſent: quæ quidē conditiones tenuiores longe erant iis, quas initio facile obtinere potuiſſent. Albanus quamuis ex hoc ſucceſſu voluptatem caperet, tamē non diſſimulabat Proſperum in ſuperiores conditiones conſentire non debuiſſe, propterea quod ictus tormentorum expectaſſent præſidiarii, quos quia non ſtatim deditionem feciſſent, veniam non mereri iudicabat. Paulo poſt triremes omnes appropinquarunt; & reliquis duabus nauibus paruo negotio captis, in portum ingreſſę ſunt. Peruenerat Liſybonam nuntius de amiſſo Setubalo, ſed ita vt incertus, & coniecturæ ſimilis videretur: tam parum erant Priori exploratæ res hoſtium. Cum itaque vanis ſæpe rumoribus fidem haberet, & adhuc de iſtius nuntii veritate dubitaret, in aulam irruperunt tres mulierculæ, capillis paſſis, & eiulantes, quæ per nomen Dei adiurabant Priorem, vt opem ferret maritis, qui in muris Setubalenſibus totius exercitus Albani impetum ſoli ſuſtinerent, & neque à ciuibus neque à militibus (omnes.n. eſſe proditores) adiuuarentur. Vt autem, quæ volumus, quantumuis vero abſimilia, libentius credimus quam ea, quæ rationi ſunt conſentanea: ita Prior facile ſibi perſuaſit, mulierculas iſtas verum dicere: & earundem fletu, & queſtib. motus, Comiti Vimioſio, qui Setubalenſibus ſuccurrendi prouinciam ſuſcipere ſe paratum eſſe dicebat, re exactius non perpenſa iniunxit, vt, quanta maxima poſſet, manu collecta illis ſubſidio profectus, nationis Luſitanicæ exiſtimationem tueretur. Itaque populus ad arma conuocatus, & claſſici loco ſonus campanarum, & ſimilia adhibita fuerunt. Vnde pars ſponte, pars vi, alii armati, alii inermes, naues conſcenderunt, ignari quo duce, quo ordine progrediendum, quidue agendum eſſet. Non tangebantur vllo metu, quia nondum in hoſtis conſpectum venerant: & eam ob cauſam promiſcue confluebant; non tantum iuuenes, ſed etiam naues conſcendebant ſenes armati, quorum & capita, & manus tremebant, impulſi non vi (talis enim ætatis homines non cogebantur) ſed innato quodam erga Hiſpanos odio. Vagabantur per plateas multi monachi equites, manibus enſes diſtrictos geſtantes, & plebem ad naues alacriter conſcendendas inſtigabant: mulierculæ humiliores clamoribus cœlos penetrabant: templa plena erant gemitibus & vlulatibus, quibus miſcebant preces ſtultiſſimas, ex quibus facile liquebat, eas neſcire, quid à Deo peterent. Perinde enim ac ſi ab infidelibus vrbs circumſideretur, Deum pro orbis Chriſtiani, & religionis conſeruatione interpellabant. Erat dies decimus nonus Iulii, cumque longe intenſiſſimus eſſet ſolis calor; miſeri illi, qui in nauibus maris refluxum expectabant, æſtu ſolis exſiccati prope ipſum littus ſiti laborare cœperunt. Multos itaque conſilii pœnitebat; & cupiebant in ciuitatem reuerti; ſi licuiſſet: Verum in eodem loco ſubſtiterunt, vſque ad horam quartam pomeridianam: (loquor autem ſecundum horologia vltramontana) cumque Antonius in flumine circumuagans, magna cum voluptate intueretur tantam multitudinem hominum, ſibi operam nauandi cupidorum, ecce tibi nauim Setubalenſem, quæ nuntium certum de oppido capto attulit. qui vt exhilara-

Vt exhilarauit turbam illam, quæ ſiti pene mortua, ſtatim è nauibus egreſſa, in vrbem rediit: ita Priorem magna moleſtia adfecit. Cum enim ipſe Setubalum profectus, oppidum commeatu, armis & aliis rebus, quoad eius fieri potuerat; & quantum ſatis eſſe videbatur, inſtruxiſſet, ſperabat oppidanos per multos dies hoſtium impetum repulſuros. Itaque cum illos tam abiectis animis turpem deditionem feciſſe intelligeret, nonnihil timoris concepit. quem quanquam nec dictis nec factis prodere auderet: tamen veluti mala imminentia præſagiens, animo non mediocriter angebatur. Quemadmodum autem hominibus adflictis ſemper meliora videri ſolent ea conſilia, quæ occaſione præterlapſa, ad effectum amplius perduci non poſſunt, ita Prior animaduertit errorem ſuum, quem commiſerat reiiciendo conſilium eorum, qui ſuadebant, ne Regis nomen adſciſceret. Nam ſi defenſoris titulo contentus fuiſſet, putabat ſe iam facile cum Hiſpano, & quidem optimis, ac honeſtiſſimis conditionibus tranſigere potuiſſe. Verum cum iam Rex proclamatus, & iuramento à ſubditis confirmatus eſſet, nomenq; regium tot litteris ſubſcripſiſſet, (quanquam hactenus nec manum cuiquam deoſculandam præbuiſſet nec ſceptrum recepiſſet) durum ipſi, imo impoſſibile videbatur, vt titulo ſe, niſi vna cum vita, abdicaret, quantumuis ex cotidianis rerum ſucceſſibus perſpiceret, imperium ſuum infirmis fundamentis inniti. Videbat enim hoſtem ſuum eſſe potentem, & iam eo progreſſum, vt nulla ſpes eſſet eum vel ſiſti, vel ad bellum ſuſpendēdum adduci poſſe. Videbat ſe deſeri propemodum ab vniuerſo regno. Dux enim Braganciæ, qui reliquis potentior eſt, lite cum Philippo compoſita, in loco remoto otioſum ſe totius tragœdiæ ſpectatorem præbebat.

Marchio Villæ regalis, qui promiſerat ſe venturum, non ſtabat promiſſis: Et horum exemplum imitabantur pene reliqui omnes proceres, & plurimi ex nobilitate. Pars enim publice Badagiozium ad iuramentum Regi Philippo præſtandum ſe contulerant, pars neſtebant moras, & expectabant rerum ſucceſſum, ad quem ſe accommodare conſtituerant: ita vt pauci eſſent illi, qui Priori ſe adiungerent: Et hos ipſos ille ſatis intelligebat, nec ſponte adeſſe, nec amore ſui duci, ſed vel metu, vel pudore, vel priuati cōmodi ſtudio. Multi enim propter familiaritatem, quæ ipſis cum Priore intercedebat, vanas ſpes concipiebant: alii, qui aderant, non poterant, quin ipſi adhærerent: alii ſeueritate edictorum, quibus omnes ad ſe vocabat, perculſi comparebant: ita tamen, vt metu pœnarum, quæ ſtatuebantur, non omnes æque mouerentur. Illi enim, qui poſſeſſiones paulo remotiores obtinebant, parui mandata Prioris faciebant: qui vero in locis vicinioribus habitabant, ii, quod iniuriæ ſe magis obnoxios intelligerent, inuiti accedebant, & tamen egregiam erga Priorem voluntatē ſimulabant. Hi ficti vultus, hæ oppidorum defectiones, hæ quorundam ad Philippum profectiones & varietas nunciorum, qui ipſi modo huius, modo illius fidem ſuſpectam reddebant, in cauſa fuerunt, vt Prior inciperet vereri, ne aliquando hoſti à ſubditis proderetur, & quidem ab intimis amicis, quos ad euitandum vitæ periculum hoc facturos exiſtimabat: quæ quidem ſuſpicio ita creuit, vt in carcerem coniiciendum curaret Georgium Meneſiū, præfectum claſſis, quem falſo ſuſpectum habebat, quaſi de claſſe prodenda, & hoſtibus in portum Liſybonenſem, introducendis cogitaret. Accedebat, quod ſe quaſi media regni parte exutum videret. Tota enim regio, vltra Tagum erat in poteſtate Hiſpanorum. Et ſi quæ pars eſſet, in quam ii nondum penetraſſent (vt Begia, & nonnulla oppida Regni Algarbii) eam aut contemni ab illis, aut tranſegiſſe: reliquam partem dimidiam, in quam hoſtes nondum peruenerant, dubiam animi pendere.

Ciuitas enim Portus, quæ eſt metropolis, & fere reliquę omnes inter Dorium & Minium ſitæ, nondum omnino imperium illius acceperant: quod conſtituiſſent belli exitum expectare. Sola Coimbria præ cæteris Priori fauebat, & omnium conſtantiſſime deinceps in fide erga illum permanſit. Iam inde enim ab initio menſis Iulii impulſu Ioannis Rodrigezii Vaſconcellenſis ſacerdotis nobili genere nati, quem Antonius eo miſerat. Coimbrienſes tumultuarii cœperant, & vrbe eiecerant Petrum Guedezium præfectum, qui vna cum prætore non ſine vitæ periculo fuga ſibi conſuluit. Et niſi peſtis ibi graſſata eſſet, ſine dubio longe maior, & pernicioſior exorta ſeditio fuiſſet. Verum hic erat vnicus locus. E contrario ciues Sanctarenæ, vbi primum Rex ſalutatus fuerat, imperium illius dedignari incipiebant: ita vt neceſſe haberet, motuum ſedandorum cauſa, illuc mittere Emanuelem Syluium, qui vulgus Sanctarenenſe ad Antonium regem ſalutandum princeps incitauerat.

Sic fiebant, vt Priori non reſtaret, niſi vrbs Liſybona, cui tamen non omnino fidebat, quantumuis fæx plebis, vt fit, ſuum erga illum ſtudium, & egregiam voluntatem deprædicaret. Non audebat in tanto periculo; in quo verſabatur, mouere ſe, vel de auxilio ſibi ferēdo cogitare quenquā ex tot principibus, quos veriſimile erat nolle regis Hiſpaniæ

potentiam tam inſigni acceſſione augeri. Qua de cauſa hiſce cogitationibus impulſus, facile ad tranſactionem aliquam animũ applicaturus eſſe credebatur. quanquam confidentia Luſitanis propria & ſemel vſurpatum regis nomen illud vix pati videretur: ſed nemo erat, qui dextre hoc ipſi perſuadere noſſet, imo medicamenta morbum ipſius nutrientia adhibita fuerunt. Communicato enim conſilio cum Iacobo Boteglio ſeniore intimo ſuo, & omnium incommodorum ſocio fideliſſimo, & cum Portugallis, quantumuis nullus fugæ, ſi eam tentare voluiſſet, locus relictus, & exigua victoriæ in prẹlio obtinendę ſpes eſſet: nihilominus tamen in tranſactionem cum Rege cõſentiendo, fortunæ cedere neſciuit, ſed ad defenſionem ſe parare conſtituit. Qua quidem in ſententia confirmabatur ab Epiſcopo Guardenſi, homine temerario, qui in omnibus rebus ſuum conſilium, reliquorum ſententiæ anteponi volebat. Dicebat Epiſcopus non eſſe tantas Regis Hiſpaniæ vires, quantę vulgo putarentur. Milites qui in exercitu eſſent, eſſe tyrones & imperitos. neq; enim Regem ex Italia veteranos euocaſſe, quod metueret, ne, dum ipſe in Luſitania occupatus eſſet, regni Neapolitani, aut Ducatus Mediolanenſis incolæ tumultuarentur. Italos & Germanos eum habere pauciſſimos: ſiue q̃ morbi eorum partem abſumpſiſſent: ſiue q̃ Rex non ſatis tutum iudicaſſet, magnam eorum multitudinem introducere in Hiſpaniam, prouinciam debilem, & omnib. nationibus exoſam. Quinimo ſimulatq; rumor percrebuiſſet, Regem bello Luſitanico diſtineri, ab illo prouincias Italicas regnum Nauarræ, & Arragonię defectorum: Turcam impreſſionem facturum in regnũ Neapolitanum: ipſam Caſtellam quæ irritata, & vectigalibus onerata eſſet, tumultuaturã: Gallos, Anglos, & nonnullos etiã Germanos ſubſidio Luſitanis venturos cum validis copiis, aut ſaltem tales in reliquas Philippi regiones incurſiones facturos, vt exercitum è Luſitania auocare cogeretur. Dicebat illos nondum quidquam tẽtaſſe, neq; propter temporis breuitatem tam cito certiores reddi de electione Antonii, quæ facta fuerat 19. die Iunii, nec reſponſum ab illis haberi potuiſſe. Cæterum incolas regni propriis virib. ita pollere, vt ſe cis flumen contra hoſtium inſultũ facile tutari poſſint, donec amici ipſis auxilium ferant. Hæc cum magna cum vehementia amici Antonio ſuggererent, ſeq; ex regionibus exteris de ſuperiorib. omnib. per literas edoctos fuiſſe fingerent, illi nonnihil animi addebant, præterquam q̃ imperandi libido hoc etiam habet, vt quæ incredibilia ſunt, homines veriſimilia eſſe ſibi perſuadeant. Iſti autem præter priuatos adfectus, quorum ſupra mentionẽ fecimus, quantumuis animaduerterent, quàm exiguæ regni vires, quamq; friuolę, quas adducebant, rationes eſſent: tamen duabus rebus magnopere excœcati fuerunt, ita vt Antonio omnem tranſactionem, & compoſitionem diſſuaderent. Prior erat, quod ſe tam grauiter in Regem Philippum peccaſſe conſcii ſibi eſſent, vt quantumuis veniam forte delictorum impetrarent, tamen nullam omnino remunerationem, nulla beneficia à Rege, ſibi promittere poſſent: imo vt ſemper de vita dubitare cogerentur: Altera, q̃ ſibi exiſtimarent fruendum eſſe cõmodis gubernationis regni, q̃ erat pene totum in ipſorum manu. Arrogauerant enim ſibi omnia munera præcipua, & propter amorem boni publici, quẽ præ ſe ferebãt, Antonius illos colere, & quodammodo venerari videbatur. Atq; ita metus periculi, & dominãdi dulcedo in priſtina obſtinationẽ illos magis magiſque confirmauit. In hoc dubio rerũ ſtatu nondũ Prior de auxiliis Gallicis deſperabat. Quia enim gubernatores eo primum Franciſcum Barretum, & ipſe deinde Conſulem Gallorum, aliqua pecuniæ ſumma inſtructum, miſerat, confidebat fore, vt ſaltem alteruter eorum militẽ adduceret. Sed gubernatores Barretum miſerant dicis potius cauſa, & vt populi deſiderio ſatisfacerent, quàm q̃ cuperent illum reipſa aliquid efficere: cumq; Barretus cum mandatis ampliſſimis ſe in iter dediſſet, gubernatores paulo poſt per diuerſos nuncios mãdata reſtrinxerant, & pene reuocauerãt, ita vt illi omnis rei perficiendæ anſa præcideretur. Quantumuis autẽ Antonius poſtea ad eum ſcripſiſſet, tamen hoc factum fuerat ſero: Et Conſul Gallicus in Gallia ſubſiſtens, pecuniam, q̃ ab Antonio acceperat, voluptatibus & genio indulgendo conſumebat. Qua de cauſa fruſtra auxilia ex Gallia expectabantur, prẹſertim quia miniſtri Hiſpanici in aula Gallica diligentiſſime laborabãt, ne Luſitanorum deſiderio locus relinqueretur. Sane Antonius cum videret Barretum & Conſulem reditum tam diu differre, & triremes Regis Hiſpaniæ in mari Luſitanico circumuolitare, omnem de auxiliis Gallicis ſpem abiecit. Interim in omnibus rebus creſcebat cõfuſio, nihilq; ordine fiebat: cumq; animi eſſent commoti, inquieti, perculſi, euenerat, vt nocte ea, quæ nuncium de capto Setubalo ſubſecuta eſt, nonnullis mercatoribus Hiſpanis, qui ſe Liſybonę tutos non eſſe iudicabant, aufugientibus, ad arma conclamaretur, cum magna omnium perturbatione, quod alta voce clamaretur, hoſtes diuerſis locis in vrbem irrumpere. Cum autem nulla ibi eſſet militia ordinata, nec quiſquam, quid agendum eſſet, noſſet, tantus fuit timor, tanta confuſio, tum promiſcuus concurſus hominum, vel

quid rei eſſet quærentium, vel ad fugam ſpectantium, vt, accedente terrore noctis, in vrbe tam ampla, & tam populoſa, maior animo concipi rerũ perturbatio non poſſit. Quantumuis autem orto die, & re intellecta metus iſte nonnihil remitteret: tamen nouus, iſq; multo maior omnium animis ſeſe inſinuabat. Audiebant enim vires Albani eſſe magnas, adferebantur nuncii de inſolentia militum, qui prædas agebant, & magis magiſq; adpropinquabant. Neque mediocriter homines perturbati fuerunt, cum viderent redire ſeruos quoſdam Æthiopes ſaucios, qui cum ſub ſignis in vlteriorem fluminis ripam temere progreſſi eſſent, ab equitibus & ſclopetariis Albani male mulctati fuerant. Videbant Antonium non inſtituere vllos apparatus, & habere exiguas ad reſiſtendum vires, in[illegible]iam nihil cum iudicio agere, neq; enim illum ſcire vel pugnare, vel fugere, vel deditionem facere. Conſultabat Antonius cotidie cum ſuis, ſed quia ſe accommodabat ad voluntatẽ multorum, quorum vt par auctoritas, ita diſcrepantes ſententiæ erãt, nunquam, vt fieri ſolet, quidquam ꝗ è re eſſet, ſtatutum fuit. Hoc tempore apertius, quam ante ſermones habiti fuerũt de tranſactione cum Hiſpano. Et licet nonnulli, qui initio feroces videbantur, tractabiliores paulo ſe præſtarent: tamen cum Comes Vimioſius, vtpote iuuenis feruidus, ad defenſionem inclinaret, nemo ipſi contradicere auſus fuit. Aſpirabat ille ad dignitatem imperatoris exercitus, ſed non inueniebat viam loco mouendi Iacobum Meneſium, qui illo munere fungebatur: Et ita, cum alter alteri aduerſaretur, lente res ad defenſionem neceſſariæ curabantur: quod incommodum augebat etiam beneuolentia, qua Antonius proſequebatur Eduardum de Caſtro, iuuenem diuitem, cui propter pecuniam mutuo ab illo acceptam obſtrictus erat. Hic itaq; cum fortitudinis ſuæ ſpecimen aliquod edere cuperet, ab Antonio impetrauit licentiam, alam, quantam maximam poſſet, equitum conſcribendi. Quin etiam Antonius eius opera vtebatur in rebus maioris momenti & dignitatis, quam quæ iuuenis illius natalibus conuenirent: id quod etiam reliquis indignationem commouebat. Summus interea Pontifex, qui Regem Hipaniæ ſua opera in hac cauſa decidenda vti noluiſſe videret, verebatur ne bellum Luſitanicum publicam orbis Chriſtiani quietem turbaret. Geſſerat ſe ille initio talem, vt in neutrius ex duobus Regibus, partem inclinare ſe oſtenderet: & videbatur vacillare, nec certi aliquid ſtatuere, vtri potiſſimum ſe adiungeret: Henricone, qui regnum ad Ducis Braganciæ vxorem transferre cupiebat: an vero Philippo, qui illud ſibi vendicabat. Etſi enim rationes politicæ non permittebant, vt iſta regna vnita cuperet, ne Rex Hiſpaniæ, viribus illius tanta acceſſione auctis, potentia reliquos omnes principes Chriſtianos ſuperaret: tamen non putabat ſibi temere committendum, vt illi aduerſaretur, ne forte principem bene de ſe meritum offenderet. Cum autem poſtea intellexiſſet, hos duos reges conſentire, & Henricum, conſilio mutato, regnum ad Philippum transferre conari: non obſcure oſtendit, ſe amplecti cauſam Antonii, & Luſitanorum: id quod etiam manifeſtius intellectum fuit, poſt mortem Henrici, cum Pontifex inſtaret, vt lis ſucceſſionis definiretur per ſententiam: à qua deciſione Philippus ratione iudicum abhorrebat. Verum cum legati Pontificii fruſtra hac in re laboraſſent, propterea quod Philippus, omnia tuta timens, & ne Pontifici quidem voluntati ſatis fidens, noluiſſet reuocare in dubium id, de quo certus ſibi eſſe videbatur: Papa in Hiſpaniam vnum ex Cardinalium numero ad hoc negocium procurandum ablegare conſtituit. Itaque ante quam Prior Rex ſalutaretur, miſerat ad Regem Philippum, Cardinalem Alexandrum Riarium cum mandato, vt illum ab armis capiendis dehortaretur: & inde in Luſitaniam profectus curam negocii ſucceſſionis ſuſciperet, & ſe etiam ad ſentẽtiam inter competitores nomine Papæ pronunciandam offerret. Varii fuêrunt in Hiſpania de huius legati aduentu ſermones: Et licet illius ſententiam non metuerent Caſtellani: quod iudicarent legatum non auſurum fuiſſe tantæ litis deciſionem in Hiſpania in ſe ſolum recipere: niſi pro rege Philippo ſententiam ferre conſtituiſſet: tamen non putabant decere negocium hoc ipſi committere, quod putarent Pontificem ſub vmbra fungendi munere patris communis, ad ſe, vt dictum eſt, ſupremum de regnorum controuerſiis iudicium transferre, & præter inſolitam auctoritatem, quæ hac ratione ſedi Romanæ acquireretur, etiam Regem, propter regnum, veluti ex manu ſua acceptum, ſibi & familiæ ſuæ in perpetuum deuincire conari. Rex itaque cum intellexiſſet Cardinalem Roma diſceſſiſſe, cupiebat ante ipſius aduentum regni poſſeſſionem apprehendere. Iniunxit itaque in Hiſpania præfectis, & magiſtratibus eorum locorum, per quæ Cardinali tranſeundum erat, vt illum & magnifice exciperent, &, quoad eius fieri poſſet, quam diutiſſime, & quam dexterrime detinerent. Quod artificium cum non intelligeret Legatus, non reiecit honores, & humanitatem, qua paſſim excipiebatur, & tum ob hanc cauſam, tum ob itineris longinquitatem tantum temporis inſumpſit, vt cum Badagiozium perueniſſet, animaduerteret longe

alium rerum ſtatum eſſe, quam cum ipſe Roma diſcederet. Intelligebat enim Antonium eſſe Regem & exercitum Philippi in Luſitania, non contemnendis progreſſibus factis, prope muros Setubali conſediſſe. Cum itaque negocii, quod in manibus habebat, faciem valde mutatam eſſe videret, ad Papam litteras, quibus noua mandata impetraret, dedit. Interea cum ipſi diuerſorium aſſignatum eſſet extra vrbem, in monaſterio Monachorum diſcalceatorum, miſit Traianum Marium, Protonotarium Apoſtolicum, qui Regem ſuo nomine ſalutaret. Rex Traiano humaniſſime excepto, dixit ſe dolere, quod morbo impeditus legato, vt par erat, obuiam procedere non potuiſſet: ſed ſe, Deo fauente, priſtina valetudine recuper[illegible] officio ſuo non defuturum. Putabat nimirum Rex ſe hoc pacto aliquanto diutius Cardinalem detenturum, eumque ſolita cum pompa in vrbem ingrediendi ſtudio ductum, tantiſper expectaturum, donec ipſe morbo liberatus fuiſſet: & interim forte fieri poſſe, vt Albanus regnum occuparet. Verum legatus, de morbo Regis certior factus, & iam tandem animaduertens, quantum in mora eſſet periculi, petiit ſibi permitti, vt de nocte carpento vndiquaque clauſo vectus, regem adiret: id quod cum tandem ægre obtinuiſſet, nocte quadam, Duce Oſſunenſi, & Comite Cincionio comitatus, ad Regem introductus fuit. Verum hoc colloquium fructu caruit. Cum enim nec legatus propter mutationem rerum ſatis ſibi conſtaret, & Regi certum eſſet progredi, vtpote qui armis magis, quam verbis fretus eſſet, non potuit ipſis conuenire, propterea quod Rex cauſaretur, rem eo deductam, vt nullus amplius locus tractationi ſupereſſet. Fuerunt deinde Legato hoſpitii loco attributæ ædes Marchionis Oignonii: ita tamen vt in vrbem ingrediens non exciperetur ea cum pompa, qua Cardinales legati ſolent. Commoratus eſt ibidem aliquandiu, nihil efficiens: quanquam, vt ſatisfaceret mandatis Pontificis, in Portugalliam proficiſci cuperet. Sed Rex, qui hoc iter impedire ſtuderet, quantum potuit, ipſum detinuit, quod fortaſſis exiſtimaret, Cardinale vrbem Liſybonam ingreſſo, rem mali exempli fore, ſi exercitus ad oppugnandam eam adduceretur: præterquam quod etiam ipſi legato non ſatis fideret, ſed potius ſuſpectum haberet, eo quod, cum olim in Luſitaniam vna cum Cardinale Alexandrino veniſſet, ſingularem amicitiam, & familiaritatem contraxiſſet cum Duce Braganciæ, à quo hoſpitio exceptus, & humaniſſime habitus fuerat. Vt itaque diſceſſui ipſius mora aliqua iniiceretur, Rex illi ſignificauit, ſe, à morbo iam liberatum, committere nolle, vt inde abiret prius, quam ſolita cum pompa more Cardinalium vrbem ingrediens, honorifice, vt par erat, exceptus fuiſſet. Rogare itaque vt extra vrbem egrederetur, velle ſe more conſueto ipſi obuiam procedere: vt & fecit, atque ita hac mora interpoſita, & per miniſtros abitum Cardinali diſſuadendo, obtinuit, vt ſe loco non moueret. Interea Albanus, capto Setubalo, ad reliqua feſtinabat. Cum enim incolæ regni Algarbii, & vicinarum ditionum ipſi ſignificaſſent, ſe, Liſybona ſubiugata, Regi obedire paratos eſſe, exiſtimabat ſe in poteſtate habere quidquid inter Tagum, & fines Hiſpaniæ ſitum eſſet: & ideo cupiebat, flumine traiecto, copias in vrbis Liſybonæ conſpectum adducere. Dubitabat, quonam potiſſimum in loco traiiceret; vtrum infra Liſybonam Caſcaiſii prope oſtium fluuii: an vero præſtaret verſus Almerinum iter conuertere, & fluuium tranſire Sanctarenæ: denique an ſatius eſſet iubere triremes ingreſſas Tagum (quamuis non poſſet fieri ſine periculo) appellere ad ripam ſiniſtram, quibus deinde ipſe cum copiis Almadam, aut Caſillas profectus, in vlteriorem ripam tranſueheretur. Traiectus prope Caſcaiſium erat breuior, ſed non carebat difficultatibus. Etſi enim Setubalo triremes eo nauigarẽ poſſent: tamen nullus erat in littore locus, ad exponendum militem paulo accommodatior, quin vallis, ac turribus munitus, & tormentis, præſidioque inſtructus eſſet: ita vt triremes ſine manifeſto periculo eo adpellere non poſſent, præterquam quod etiam Iacobum Meneſium in vicinia cum copiis eſſe rumor erat. Quod ſi Almerinum contenderet, videbat ſe laboraturum penuria nauigiorum, quę omnia ad oppoſitam ripam confugerant: quæ ipſe adducebat, erant pauca: neque tam cito, vt res poſtulabat, noua confici poterant, & latitudo fluminis conſilio de ponte faciendo locum non relinquebat: Et quanquam fortaſſe in quibuſdam locis vada inueniri potuiſſent, tamen illa ſexaginta milliarium interuallo inde diſtabant: quod iter maximo æſtu in regione arida, & aquis deſtituta cum numeroſo exercitu, & magnis impedimentis, non ſine incredibili moleſtia confici poterat. Præterea hac ratione fiebat vt prorogaretur bellum, & retrocedendo incurreretur in iacturam exiſtimationis: denique hoſtis eo in loco milites, traiiciendo flumine impeditos, aggreſſurus putabatur. Vt iretur Almadam, & triremes in Tagum ingredi iuberentur, placebat maiori parti, & inprimis Ludoico Douaræ, qui dicebat hoc eſſe omnium conſiliorum tutiſſimum, & ex littore hoſtes ictibus tormentorum propulſari, flumen facile tranſiri, & vrbem, nullo damno affectam, occupari poſſe.

poſſe. Neque enim arcem S. Iuliani, aut Caput Siccum ita magno incommodo poſſe triremes adficere. Sed Albanus celeritatem periculo anteponens, conſtitutum habebat traiicere ad Caſcaiſium potius, quam alibi: & ideo, Luſitanis, qui ad Hiſpanos tranſierant, & exercitum comitabantur, ac inprimis Antonio de Caſtro, domino Caſcaiſii, cui illius loci conditio erat perſpectiſſima, in conſilium adhibitis, & poſtquam denuo littoris faciem diligenter eſſet contemplatus, certo ſtatuit traiicere ad Caſcaiſium: cumq; ſe exercitum Sanctarenam ducere, hoſti impoſiturus, ſimulaſſet, ſtatim vniuerſo peditatu triremibus impoſito, curſum eo direxit. Quoniam autem Iacobus Meneſius erat Caſcaiſii, paratus ad reſiſtendum; cum triremes in conſpectum Caſcaiſii perueniſſent, proras ficte conuerterunt ad locum illum, qui à S. Antonio denominatur, & quem Luſitani munierant, quod metuerent, ne propter commoditatem eo Hiſpani adpellerent. Hac autem ſimulatione vſus eſt Albanus, vt Meneſius, ceteris deſertis, ad illum locum defendẽdum accurreret. Comprobauit conſilium Albani exitus: quia omnes promiſcue eo confluxerunt: & Albanus, poſtquam aliquandiu in eam partem nauigaſſet, tormentis arcis Caſcaiſianæ iam in illum fulminantibus, ſubito proris ad littus (quod vetus appellant, & locus aſper, ac incõmodus eſt) cõuerſis, cum omnes inde defenſores diſceſſiſſent, facile militem expoſuit: quamuis paulo ante dubitaret, vtrum progredi, an regredi oporteret, partim quod vẽtus, qui initio ſecundus erat, contrarius eſſe cœpiſſet, partim quod in illis colliculis nonnullos homines armatos conſpiceret, & eam ob cauſam rem difficultate non carituram putaret. Veruntamen tandem animo obfirmato, perrexit. Fama eſt, quendam ex ductoribus maxime exercitatis, familiarem Albano ſimulantem ſe alia de re locuturum, ipſi in aurem inſuſurraſſe, illam militum in loco tam impedito expoſitionem quadrare potius imperatori iuueni vigintiquinq; annorum, quàm illi: & Albanum, humeros, more gentis contrahentem reſpondiſſe, ſe negare non poſſe, quod ille dixiſſet: ſed tamen conſtituiſſe progredi, quod ſibi cum hoſtibus rei militaris imperitis rem eſſe videret. Porro cum triremes cõtra oppoſitum littus tormẽta diſploderent, locus ille à defenſoribus omnino deſertus, & militi in littus euadere facillimum fuit. Miles, qui primus in terram deſcendit, erat ſclopetarius: is, electo in littore illo loco commodo, & vultu in hoſtem conuerſo, eo vſq; progreſſus eſt, vt à tergo ſpacium aciei inſtruendę relinqueret: duo alii, qui proxime ipſum erant ſubſecuti, ab vtroque latere paulo citerius æquali interuallo ſubſtiterunt, ita vt formam trianguli ęquilateris repræſentarent: hos duos alii tres: hos tres ſex ſubſecuti ſunt: & ita, numero paulatim creſcente, rectis ordinibus (ſed ita vt vnus altero eſſet maior) ſeſe ſecundum frontem illius trianguli extenderunt, augentes ſemper baſim illius, forma nunquam interrupta. Itaq; triangulus in tantam magnitudinem excreuit, quantam illæ copiæ occupabãt, in quibus diſponendis hæc forma retenta fuit: & prope illos Albanus paulo poſt appulit. Ceterum ab hac maris ora aſſurgebat collis, aſcenſu difficilis, poſt quem Iacobus Meneſius cum copiis ſuis conſederat: & in vertice illius collis inter rupes quaſdam nonnulla tormenta, Albano militem exponẽti impediendo, diſpoſuerat. Verum neſcierat Meneſius illis vti, nec in locum, ad triremes petendas idoneum, ea promoueri curauerat. Qui error cum ab Albani militibus in littus deſcendentibus animaduerſus fuiſſet, nonnulli ex ipſis, triangulo relicto, maioribus ſclopetis rem gerentes, occuparũt tormenta deſerta à magiſtris, & cuſtodibus, qui ad reliquos Luſitanos poſt collem abſconditos ſe receperant. Perfecto triangulo, Albanus primos ordines progredi iuſſit, totamq; aciem extendit, quoad fieri poterat, in figurã quadratam, & ad iter faciendum idoneam: cumq; in cacumen collis per partem minus accliuem cũ militibus perueniſſet, & hoſtes obſtupefactos nec fugere, nec pugnare, nec caſtra metatos eſſe vidiſſet, miſit circiter octuaginta ſclopetarios, qui illos ad velitationes prouocarẽt: qua in re Luſitani longe inferiores fuerunt. Cum enim & minus in diſplodendo exercitati eſſent, & ſclopetis maioribus deſtituerentur, ab Hiſpanis crebris ictibus, idq; eminus feriebantur, ad quos tamen ipſorum globi non pertingebant. Cum itaque nonnulli ex illorum numero cecidiſſent, reliqui metu perculſi, & fugientibus ſimiles Caſcaiſium contenderunt, vnde Meneſius dicebat illos deinde ad hoſtem, prælii redintegrandi cauſa, reuerſuros. Itaque Albanus minori negocio, quam putaſſet, victoriam obtinuit: ſignum ſatis euidẽs fore, vt cetera omnia ex ſententia ipſi euenirent, quoniam principia, quę erant tanti momenti, adeo feliciter ſucceſſerant. Erat communis omnium opinio, & inprimis Luſitanorum, Albanum plus difficultatis in flumine traiiciendo experturum, quam factum erat. Nam præter munitiones in diuerſis locis inſtitutas, multum etiam fiduciæ in littoris aſperitate locabant, & in virtute Meneſii, qui cum in India copiis præfectus eſſet, magnum nomen (quanquam liberalitate potius, quàm virtute militari) apud gentem illam ſibi comparauerat. Verum vt Luſitani de ſeipſis iudicantes facilius, quam reliquæ omnes nationes,

falluntur: ita etiam iudiciũ de Meneſio illos decepit. Veruntamen de loci ad exponẽdum militẽ incommoditate recte cẽſuerunt. Erat enim talis: ſed huiuſmodi difficultates facile, nemine reſiſtente, ſuperantur. Complures Luſitani, moti infelici hoc ſucceſſu, Meneſium, tanquam hominem abiecti animi, accuſabant, quippe qui hoſtem in littore expectare, egredientem è nauibus deſcenſu in terram, & aſcenſu collis prohibere auſus non fuiſſet. Alii, qui fieri non poſſe putabant, vt homo tanti nominis timori locum relinqueret, inſimulabant eum perfidiæ, & dicebãt illum manus conſerere noluiſſe, largitionibus à miniſtris Hiſpanicis corruptum. Adducebat ille excuſationes, ſed imbecilles, nimirum milites, quos haberet, vtpote collectitios, & timidos pugnare noluiſſe, immo de ſua fide ſine omni cauſa dubitantes tumultuari, & imperium detrectare cœpiſſe. Hęc res ingentem pauorem incuſſit Priori, & toti vrbi Liſybonæ. Cum enim Caſcaiſium tantum quindecim milliaribus inde diſtaret, & vrbs mœnibus nuda, & minime omnium munita eſſet, hoſtes Caſcaiſio in poteſtatem redacto, cotidie vſq; ad ianuam palatii excurrere poſſe videbantur. Porro metus (qui in timidis per deſperationem idem ſæpe efficit, quod in temerariis inconſiderantia cum ira coniuncta) ſtimulauit Antonium tam vehementer, vt, poſtquam campanas, claſſici loco pulſari, & ad arma conclamari iuſſiſſet, ac promiſcue, & ſine vlla diſciplina militari conueniſſent vniuerſi ciues in forum, partim pedites, partim equites; alii armati, alii inermes: publice denunciaret, ſe in campos apertos progredi, & hoſti obuiã ire conſtituiſſe. Ceterum interea venerunt in palatium duo monachi, qui ſe Caſcaiſio venire dicebant, & Albanum, expoſito milite, & prælio leuiori cum Luſitanis commiſſo, victum multorum militũ, & aliquot nobiliorum ductorum iacturam feciſſe confirmabant. Quorum ſermoni cum fides haberetur, ſubito horribilis campanarum pulſus in voces gaudii indices, in ſonum tubarum, & fragorem tormentorum, quæ in ſignum lætitiæ exonerabantur, conuerſus eſt. Veruntamen etſi paulo poſt intellectum fuit, quomodo reuera res ſe haberet: tamen quia iam nox ingruebat, Antonius profectionem in ſequentẽ diem reiecit. Interea tanta erat rerum perturbatio, & licentia tanta, vt ſparſo falſo rumore de fuga Georgii Meneſii, qui in arce captiuus detinebatur, totus populus armatus, atq; adeo mulierculæ eo contenderent: ac niſi protectionem Meneſii iudex quidam ſuſcepiſſet, quantumuis manifeſtum eſſet eum de fuga non cogitare, ſine dubio interfectus fuiſſet. Poſtero die cum plebs magno cum tumultu (in horas enim nũcii de hoſtium vicinitate adferebantur) denuo confluxiſſet, nihil penſi habens, vel quo eundum, vel quid agendum eſſet, Antonius copias verſus Caſcaiſium ducere cœpit. Ceterum confectis tribus milliaribus, cum Belemum perueniſſet, & nonnihil deferbuiſſet, reſpiciens ad turbam, quæ pone ſequebatur, deprehendit illam nec numero nec genere armorum expectationi ſuæ reſpondere. Nam ſi quis haſtam haberet, deerat ipſi gladius: ſin ſclopetũ, deerat funis, & in vniuerſum non ſuperabant numerum mille peditum, & quingentorum equitum leuis armaturæ. Etſi enim longe plures Liſybonæ confluxerant, tamen ſub diſceſſum multi domum redierant. Ibi cum adſtante comite Vimioſio, aliquandiu ſubſtitiſſet in conſilium adhibuit ex primaria nobilitate illos, qui aderant, & interim dum exquirit, quid potiſſimum agendum eſſet, natus eſt in turba tumultus, & exauditę fuerunt voces clamantium, vt in hoſtem iretur; & minitantium mortem omnibus illis, qui retrocedendum eſſe dicerent, niſi prius fuſis, fugatiſq; Hiſpanis: ita vt quidam, cæteris oculatiores, (qui Priorem fortaſſe admonuiſſent, rectius facturum, quia tam exiguas vires haberet, ſi pedem referret) ne hiſcere quidem auderent. Ceterum, ſole iam occidente, penuria ipſa docuit illos agnoſcere quotamcunque partem eorum incommodorum, quorum nullam omnino notitiam habebant. Cum enim cœnare cuperent, ne vnicus quidem panis aderat. Itaq; paucarum horarum fame vanam turbæ illius iactantiam domante omnes promiſcue, vnde venerant perturbati redierunt. Albanus, qui ea nocte caſtra prope templum Virginis Guidanæ poſuerat, cum poſtero die Caſcaiſium profectus eſſet, oppidum à defenſoribus nudum contra promiſſionem ab Albano Antonio de Caſtro factã, milites deprædati ſunt. Veruntamẽ iam ante pene ad vnum omnes incolæ diſceſſerant. Tunc etiam Albanus beneficio triremium, equites, reliquum peditatum, tormenta maiora, puluerem, globos, & impedimenta, Setubalo Caſcaiſium tranſportari curauit: & deinde obſidione cinxit paruam arcem in eodem loco ſitam, in q̃, inſcio Albano, Iacobus Meneſius confugerat. Quamuis autem illa non ita munita eſſe videretur, vt diu tanti exercitus impetum ſuſtinere poſſet; tamen cum Dux per tubicinem præſidiarios ad deditionem inuitaſſet, miſeri illi tãtum ſibiipſis confidebant, vt, iure belli, & gentium violato, illum ſclopetorum ictibus impetere non dubitarẽt, & ad defenſionem ſe accingentes ſibi mori conſtitutum eſſe dicerent. Statim igitur in arcem directa fuerunt tormenta; cumq; paucis ictibus magna muri infirmioris pars aperta eſſet, ſero errore ſuo agnito,

agnito, de deditione cogitare cœperũt. Etſi autem è mœnibus ſigna deditionis edidiſſent, tamen à militibus Hiſpanis illa animaduerſa non fuerant. Itaq; in altum ſuſtulerunt vexillum quoddam candidum: ſed ſimulatq; ille, qui vexillum ferebat, in mœnibus comparuit, ſtatim à militibus Hiſpanis, qui collimabant, & ſemper ad eiaculandum parati erant, compluribus ictibus interemtus fuit: id q. præſidiariis fere omnem ſalutis ſpem præcidit. nihilominus tamen denuo vexillum eleuarunt, & cum viderent tormentorum fulmina non ceſſare, & ingentem muri partem proſtratam iacere, deſperata venia, nullaq; omnino cõuentione, aut pacto interpoſito, portas aperuerunt, per quas, nemine reſiſtente, hoſtes ſtatim irruperunt. Ibi inuentus fuit Iacobus Menelius: qui cum pro ſolita Luſitanorum confidentia ſe non admodum grauiter peccaſſe exiſtimaret, petiit per internuncium ab Antonio de Caſtro, qui Albanum comitabatur, vt pro eo officio, q. nobiles alii aliis debent, ſibi ab Albano veniam, & ſimul nauim impetraret, qua ad Priorem veheretur. Verum Albanus ſtatim, vt Meneſium in poteſtate habuit, capite illum plecti iuſſit, & ſuſpendi Henricum Pereiram, arcis præfectum, & nonnullos alios ex præcipuis, vt hoc exemplo metus incuteretur ceteris, qui de defenſione cogitarent. Quantam indignationem, & perturbationem nuncius, his de rebus Liſybonam allatus, pepererit, credi non poteſt. Itaq; ſi forte à ruſticis aliquis ex hoſtibus caperetur (vt ſæpe ſolet euenire militibus, qui prędæ cauſa è caſtris euagantur) miſerrima ſane erat illius cõditio. Dum enim vinctus duceretur, armati armis, monachi fuſtibus, pueri, & mulierculæ lapidibus in miſerum ſæuiebant, tanto quidem cũ furore, vt beatus haberetur is, qui vinctum percuſſiſſet. Imo eos licentia progreſſus fecerat, vt hominum fæci, & mancipiis iniuria afficere exterum, ſiue amicum ſiue hoſtem, coniicere in carcerem, damnare ad triremes liceret. nã ſimulac hoſtis aliquis vocabatur, ad minimam quamq; vocẽ plebs tota tumultuabatur, & quo iure, quaq; iniuria pro libitu omnia adminiſtrabat. Antonius interea de ſpe hoſtem tranſitu fluminis prohibendi deturbatus, cum exercitum Albani potentiſſimum tam vicinum eſſe videret, cogitabat quanam potiſſimum ratione rebus ſuis conſuleret: ſed omnia quæ ſeſe offerebant remedia, cũ periculo, & difficultate coniuncta eſſe videbantur. Prælium enim cum hoſte inire, ſtulti eſſe iudicabat, q. ſuas copias tales eſſe perſpiceret, vt non tãtum de victoria obtinenda, ſed etiam de ea dubia reddenda deſperaret. Vrbs Liſybona defendi nõ poterat propter amplitudinem, quia muris vel omnino nullis, vel infirmis cincta erat. Mari fugere non poterat, quia obſtabant triremes: terra non audebat, nec commode etiam poterat propter ſatis magnam ſummam pecuniæ, & numerũ lapidum pretioſorum, quos ſecũ aſportare cupiebat. Paciſci vero cũ Albano certis conditionib. non minus ipſa morte acerbum putabat. His itaq; dubitationum fluctibus cũ agitaretur, adiit illum magiſtratus Cameræ Liſybonenſis, & oſtendit, quandoquidẽ hoſtis tã vicinus & tã potens eſſet, ſe nolle vrbis ſalutẽ in diſcrimẽ adducere, nec cõmittere, vt, cum eſſet minime omnium munita, rapinæ militũ exponeretur. Petere itaq; ſe, vt Antonius hoſti obuiam profectus periculum vrbi imminens propulſaret: ſin minus, Liſybonenſibus vitio verti non poſſe, ſi de aliqua vrbis in tuto collocandæ via cogitarent. Reſpondit Antonius, tempus adeſſe, quo Liſybonenſes ſuo ſumptu militem ſibi ſubminiſtrare æquum eſſet: q. ſi facerent, copiis iſtis, cum illis, quas haberet, coniunctis, ſperare ſe Deum Opt. Max. ſibi victoriam conceſſurum. Cum autem magiſtratus ſe excuſaret propter ingentes ſumptus, qui occaſione peſtis facti fuerant: ſubiecit Antonius, quidquid eſſet, ſe intra biduum, iuſto exercitu coacto in hoſtem eſſe iturum. Cum itaq; diẽ Auguſti menſis quartum, funeſtum Luſitanis propter infelicem in Africa pugnam, præterlabi ſiuiſſet, rebus carioribus apud monachos quoſdam depoſitis, edixit, vt omnes milites, qui à multo iam tempore ſcribebãtur, totuſq; populus Liſybonenſis, nemine excepto, ſub ſignis Belemum verſus iter ingrederentur: id q. etiam ſumma cum ſeueritate executioni mandatum fuit, ita vt multi vi eo proficiſci cogerentur. Etſi enim vulgo pleriq; omnes capitali in Hiſpanos odio arderent: tamen ſartores, ſutores, ac reliqui, artes ſedentarias exercẽtes, vna cum agricolis, qui ſe vel totum mundum debellare poſſe iactitabant, ægre à ſua quiſq; domo auelli poterant: cumq; indies magis magiſq; animo frangerẽtur, maluiſſent lingua pugnare, quam manu: præterquam etiam quod exercitiis mechanicis aſſuefacti, & belli inſolentes, inepti eſſent ad tractanda ſclopeta, ineptiſſimi vero ad haſtas non modo vibrandas, ſed etiã geſtandas. Ita ex hominibus huius farinæ, nimirum vi coactis, tumultuariis, & collectitiis circiter octo, aut decẽ millia Belemum profecta ſunt: quo & ipſe poſtremo cõtendit Antonius, qui ſemper dubius, & conſilii inops, nihilq; certi conſtitutum habens, expectabat auxilium, & conſilium ab ipſo tempore. Tota autem ipſius ſpes huic fundamento innitebatur, q. cum Albano, Liſybonã verſus iter faciente, loco æquo, ſi fieri poſſet, manus conſerere conſtituerat: certus, more deſperatorũ, vel vincere, vel mori: quanquam poſtea,

Digitized by Google

cum res flagitaret, neutrum horum fecit. Copiæ Antonii non metabantur caſtra, ſed hinc illinc, per tenuis oppiduli tuguria, ſub porticibus monaſteriorũ, & alibi, nulla munitione, neque forma caſtrorum inſtituta, diſperſæ erant. Nullum habebat ductorem exercitatum, nullum præfectum caſtrorum, nullum tribunum, qui militibus imperare, caſtra metari, aciem neceſſitate flagitante, inſtruere didiciſſet. Venerat eo belli huius fama excitatus Sforcia Vrſinus, iuuenis, qui non magnum quidem vſum haberet, ſed animi ſatis. Verum cum & externus, & ſolus eſſet, nec obediẽtia ipſi, nec multũ etiam fidei præſtabatur. Centuriones erant omnino inexperti, & tanta erat horum penuria, vt nonnulli monachi Franciſcani, ſeruis Æthiopibus, & fæci plebis ſe immiſcentes, centurionum partes ſibi aſſumerent, & altera manu cruces, altera arma geſtarent. Neque ſilentio mihi, propter nouitatem prætereundi videntur tumultus, qui exaudiebantur in monaſteriis monachorum: qui cum ſtudia in contraria ſciſſi eſſent, & pauci Hiſpanis, pauciores neutri parti fauerẽt, plurimi vero Antoni imperium expeterent, magna cum animorũ contentione & ſtrepitu inter ſe diſceptabant. Nec his quietiores ſe gerebant ſacrificuli, quorũ multi habitu ſacerdotali abiecto, armati armatis militibus ſe adiunxere. In hac rerum perturbatione ſubſtitit triduum Belemi Antonius, interim dum Albanus paruis itineribus illi loco adpropinquat. Quarto die animaduertit Antonius, confluere quidem cotidie ad ſe milites ex oppidis regni, in quibus ſcripti fuerant, exercitum tamen indies magis magiſque decreſcere. Liſybonenſes enim, qui tam propinquas domos ſuas haberent, & belli incommoda ferre non aſſueuiſſent, furtim ſe ſubducebant. Qua de cauſa Antonius Liſybonæ ſub grauiſſima pœna edici iuſſit, vt vi ad ſe omnes viri ſiue armati ſiue inermes adducerentur, & ne cuiquam alio quam Belemum ire permitteretur. Volebat enim tam timidos, quam audaces eandem ſecum fortunam experiri, perſuadẽs ſibi (vt & cum magno ſuo damno Rex Sebaſtianus fecerat) ad pugnandum cogi poſſe eum, qui nec ſcit, nec vult pugnare. Quoniam vero omnes ſpes, opeſque illius in aura populari ſitæ erant, eo facilius omnibus, præcipue autem complicibus ſuis concedebat ampliſſimam quandam licentiam ex qua deinde confuſio, & ex hac multa incommoda naſcebãtur. Cum enim Liſybona referta ſit Æthiopibus ſeruis, hyphridis, & agricolis, homines quietis amantes, a populo magis, quam ab hoſte ſibi metuebant. Veruntamen odia non eruperunt in facinora, nec quiſquam viſus fuit vindictam ab inimico in tanta licentia exigere: non quod non ſint inter illos etiam diſſidia, & rixæ, ſed quia natura ita comparati ſunt, vt lingua potius, quam armis hoſtem vlciſcantur. Parum autem profuit illa ſeueritas, quæ in hominibus Belemum extrudendis adhibebatur. nam quo aſperiores erant miniſtri Antonii, eo magis creſcebat in vulgo metus, ita vt omnes ſe in latebras abderent. Antonius itaque cum ſe Belemi tutum non eſſe animaduerteret, in tanta hoſtis potentis & victoris vicinitate: de conſilio quorundam cum copiis progredi, & circum arcem S. Iuliani caſtra ponere conſtituit. Duo enim commoda hac ex re prouentura eſſe videbantur. Prius, quod exercitus ipſius beneficio tormẽtorum, & arcis S. Iuliani minori in periculo futurus eſſet. Poſterius, quod hac ratione in tuto collocaturus eſſet illud propugnaculum, quod vnicum totius regni ſcutum vere appellari poterat. Verum cum hoc conſilium maiori parti improbaretur, ſuaſu Sfortiæ Vrſini Alcantaram interuallo miliaris Liſybonã verſus Belemo diſtantem, regreſſus, inter hoſtem & copias ſuas interiecit torrentem illac præterfluentem: cuius ripæ in loco admodum præcipites, valli loco futuræ eſſe videbantur. Quamuis autem hoc conſilium naſceretur potius ex inconſiderantia, qua Belemum vſque excurrerat, quam ex noua hoſtis aduentantis ſuſpicione; tamen ratione non caruit propter ſitum loci, natura muniti, & accommodati ad conſilia Antonii, qui nolebat procul ab vrbe diſcedere, vt eo facilius in fide, & officio eam contineret. Rex Hiſpaniæ, qui adhuc Badagiozii commorabatur, factus de Albani progreſſibus certior, partim lætabatur: partim etiam dolebat Luſitanos obſtinatione ſua belli incommoda ſibi ipſis accerſere, & irritari illam nationem, cuius amorem ſibi conciliare magnopere cupiebat. Cogitabat itaque de omnibus modis, vt hactenus ſemper fecerat, quibus hoc conſequi poſſet, vt armis non niſi parciſſime vti neceſſe haberet. Itaque è re fore putabat, ſi veniam concederet Luſitanis, qui ipſum offendiſſent, vt hac clementia ex hoſtibus amicos faceret. Curauit iſtam delictorum gratiam & veniam publicari, idq; in hãc ſententiam. Intellexiſſe ſe in rebellione, quam Antonius tyrannorum more Regis Portugalliæ nomen præter ius faſque ſibi arrogans, excitaſſet, multos, qui ipſum ſectarentur, metu & vi coactos, aut dolo circumuentos fuiſſe. Ne itaque huiuſmodi homines in eaſdem cum nocentibus pœnas incurrerent, neue plebs, cui plerumque facilius, quam reliquis imponi poteſt, ſummi iuris rigorem experiretur, velle ſe, vt omnes qui relicto Antonio, ſibi tanquam vero Regi, & domino, intra tempus ab Albano præſti-

tuendum

tuendum,adhæſerint liberi ſint,& immunes à pœnis, in quas Antonii partes ſectando incurrerant. Excipiebat tamen Priorem, & reliquos auctores rebellionis, quæ Sanctarenæ, Liſybonæ,& Setubali excitata fuerat:item omnes eos,qui à Priore impetraſſent,vel impetraturi eſſent munera,officia,beneficia,tanquam à rege:deniq; omnes illos,qui etiamnum operā illi ſuam nauarēt. Nolle enim ſe hos gratiæ,& veniæ huius participes facere. Quamquam autem vltimum hoc membrū non omnibus probaretur,tamen reliqua magno cum iudicio conſcripta videbantur. Nam elucebat ex hac re non tantum bonus & cādidus Regis animus,verum etiam prudentia Erat enim clementiæ veniam concedere:aſtutiæ vero militaris operam dare, vt Luſitani Priorem deſererent. Veruntamen hoc ſcriptum, cuius diuerſa exempla per totum regnum diſſeminabantur,parum vel Philippo profuit, vel nocuit Antonio.neq; enim aut numerus eorum,qui regi fauerent, creuit, aut quiſquam ideo Antonium deſeruit. Soli Antonii intimi nonnihil attoniti fuerunt,quia,ponderando verba Philippi,videbantur ſibi venia excluſi,quippe qui munera, honores, beneficia ab illo accepiſſent. Perſpiciebant itaq; delicta ſua indies augeri,maxime exemplo mortis Iac. Meneſii ob oculos verſante. Multi in ſuperiori ſcripto obſeruarūt,præterquam quod lingua Luſitanica confectum eſſet.regem etiā ſolos regum Luſitaniæ titulos vſurpaſſe,ceteris omnibus omiſſis:& cum ſoleret ſubſcribere diplomatis hæc verba : Ego rex:iam tātum ſcripſiſſe,Rex .∴. (cum quinq; his punctis,quæ Luſitani vulnera appellant)plane ad imitationem regum Luſitaniæ.Itaq; nonnulli dictitabant,illum iam etiam in rebus exigui momenti Luſitanum ſe gerere incipere. Albanus interim paruis itineribus via Ocirenſi ad arcem S. Iuliani proficiſcebatur:& videbatur de induſtria moram interponere, ne Luſitanis deliberandi ſpacium deeſſet. Poſitis itaq; caſtris,tanto ab arce interuallo, vt à tormentorum ictu periculum nō eſſet,ſtatim à præſidiariis per buccinatorem arcem ſibi dedi poſtulauit. Verum cum hic buccinator eſſet idem ille, qui ex arce Caſcaiſienſi ſclopetis petitus fuerat, veritus ne hic ſimile quiddam ſibi eueniret,non fuit auſus arci appropinquare, ſed, ſigno eminus edito,nulloq; reſponſo accepto,rediit ad Albanū,dixitq; præſidiarios deditionem recuſare. Diſpoſitis itaq; decem tormentis die Laurentii,arx concuti cœpit:ſed eorum numerus deinde ad viginti quatuor excreuit. Non patebat aditus triremibus,propterea quod oræ maris propugnaculum immineret. Qua de cauſa naues Luſitanicæ,quæ erāt in flumine,littori appropinquantes,tormentis maioribus,quæ ſerpentes appellāt,& aliis Hiſpanos offendebant. Verum illi noctu tribus tormentis in loco idoneo collocatis, paucis ictibus naues Luſitanicas aduerſo Tago, ad eam partem ripæ,quæ à Sancta Catharine nomen habet,ſe recipere adegerunt. Interim Antonius Alcantaræ in loco edito hærebat : ibiq;, cum inde arx Sancti Iuliani nō niſi quinq; milliaribus diſtaret,ocioſum ſe ſpectatorem præbuit, oppugnationis illius,à qua omnis ipſius fortuna dependere videbatur. In toto enim regno Luſitaniæ nullum erat propugnaculum, præter hoc, ꝙ maiorem aliquem impetum ſuſtinere poſſet.Itaq; eo amiſſo,omnis ſpes proſtrata iacebat. Verum cum illi mare præſidio,& commeatu arcem adiuuandi occaſionem ſuppeditaret , confidebat eam aut omnino expugnari non poſſe,aut ſaltem tam diu hoſtem remoraturam, donec vel hyeme ingruente, vel miſſis à principe aliquo extero,commiſeratione ipſius moto,auxiliis,ante expugnationem rebus ſuis inclinatis inueniret remedium aliquod,ſine quo parum ſpei ſupereſſe videbat:idq; eo magis,ꝙ ciues Liſybonenſes,motos maximis damnis, quæ milites palantes vicino agro inferebant,intelligebat conſtituiſſe vrbis ingreſſu ſe omnino arcere, niſi vel viciſſet hoſtem,vel cum eo trāſegiſſet. Metuere enim illos,ne alioquin Albanus irritatus vrbem non munitam militum prædæ permitteret.Erant autem,qui opinarentur Priorem, in quo poſſet plus libido dominandi, quàm amor religionis, aut vlla res alia,rebus omnibus deſperatis,operam daturum,vt vrbs Liſybona, quæ inſtar totius regni eſt, auaritiæ & libidini Hiſpanorum exponeretur , ꝙ cuperet Luſitanos (ſi ſibi regno cedendum eſſet) ita ab exercitu Regis Hiſpaniæ tractari, vt nulla ſpes vel pacis,vel amicitiæ relinqueretur,& ſi ſibi aliquando occaſio redeundi offerretur, vt populum (accedente ad hæreditarium in Hiſpanos odium indignatione,quam ex huiuſmodi damnis homines ſolent cōcipere) ab Hiſpanis eo alieniorem,& ſibi addictiorem inueniret. Qua de cauſa ſingulis diebus, quātum poterat,mutabat aliquid in magiſtratu Cameralium,& ad illud munus promouebat homines,quorum fides ipſi erat perſpecta,& quos tum reditum in vrbem ſi vſus veniret,ſibi patefacturos,tum ſemper ſibi obnoxios futuros eſſe confidebat. Veruntamen cum maxima ex parte, ii, qui magiſtratus Cameræ officio fungebantur, eſſent homines mechanici, in quibus plus metus,q̄ regis reuerentia poteſt,non nimium fiduciæ in illis collocabat.Porro Antonius eo tempore,quo Rex ſalutatus fuit. vtebatur opera nobilis cuiuſdam Caſtellani, qui cubicularii ſupremi partes obtinebat. Hic cum bellum inter Luſitanos, & Hiſpanos

exardeſcere vidiſſet, & ab Antonio in patriam redeundi licentiam impetraſſet, in Hiſpaniam reuerſus, regem Philippum adierat, & propter ſingularē familiaritatem, quę ſibi cum Antonio intercedebat, ſe ad tranſactionem cum illo nomine regis inſtituendam, &, vt ſperabat, perficiendam obtulerat. Hic itaque, miſſus à rege in caſtra cum litteris ad Albanum, quibus ille iubebatur hominem ad colloquium cum Priore inſtituendum dimittere ſub tempus quo Albanus Caſcaiſium cœpit, Liſybonam venerat, & prolixe cum Priore collocutus fuerat, multis verbis illum de potentia Regis edocens, & ad tranſigendum adhortans. Præbuit his ſermonibus aures Antonius, & Iacobus Carcamus (hoc erat nobili iſti nomen) tam feliciter hac in re laborauit, vt à Priore teſtimonium impetraret, & mādatum exponendi Regi Philippo illos, quibus internunciis vſi eſſent, in cauſa fuiſſe, cur ipſi non eſſet gratificatus, vt cupiebat: ſe quantum per tempus liceret, illud reipſa demonſtrare paratum eſſe: & ſi Philippus mitteret legatum aliquē, ad tres regni ordines, ſe daturum operam, vt ipſi iuramentum fidelitatis præſtarent, ſeq; publice illis oſtenſurum, laboraſſe ſe in defenſione illorum ſuſcipienda, quantum potuiſſet: verum quoniam ex Gallia, aliiſq; prouinciis auxilia nulla ſuppeditarentur, ſe diutius reſiſtere regi non poſſe, & ideo ſuadere, vt cum ipſo tranſigerent. Litteris autem ad Philippum exaratis ſubſcripſerat: Antonius rex: ſed paulo poſt pœnitentia ductus, ſuaſu Carcami denuo illas deſcripſit, & ſubſcripſit: Antonius. Carcamus, acceptis litteris & mandatis, videbatur ſibi totius negotii ſummam & concluſionem in manu habere: ſed cum ad Regem rediiſſet, remiſſus quidem fuit cum litteris, ſed non in eam, quam putabat, ſententiam, verum alio argumento ad Albanum ſcriptis, nimirum vt ad præſentem negociorum ſtatum cōſilia accommodaret: & rediit ad Albanum, cum ille caſtra ad arcem Sancti Iuliani haberet. Eluxit tum temporis magna pacis ſpes, ſed mox euanuit. Etſi enim Albanus ſimularet, ſibi hāc compoſitionem non improbari: tamen veriſimile eſt, reuera eam illi diſplicuiſſe, q. fortaſſe exiſtimaret, tantis iam progreſſibus factis, longe ſibi glorioſius fore, armis vincere, quam paciſci. Itaq; Carcamum ad Priorem remiſit, cum huiuſmodi reſponſo: Quod Prior conſtituiſſet ſubmittere ſe R. M. id gratum ſibi eſſe, verum non decere regis nomine mitti legatum ad ordines regni, eo q. non ab ipſis Antonius rex electus fuiſſet, ſed à populo: & ad populum, ſi Antonio ita videretur, legatum miſſum iri: qui ſi deditionem ſponte faceret, illum eandem clementiam & humanitatem experturum, q̄ cetera oppida, deditione facta, experta eſſent. Hæc fuerunt data Carcamo in ſcriptis: ſed ſuis verbis coram Antonio Albanus Carcamum exponere iuſſit: ſe fuiſſe addictiſſimum Ludoico, patri Prioris, ſeq;, vt iam arma cōtra illum ſumpſiſſet, ſic eadem alias pro illo libentiſſime ſumpturum contra quemuis, Rege domino ſuo excepto. Fouebat adhuc ſpem Carcamus negocii, quod in manibus habebat, perficiendi. ſed grauitas Hiſpanica hanc tanti momēti tractationem impediuit. Neq; enim Albano viſum eſt Antonio deferre alium titulum, quam dominationis. Quare Antonius, qui ab excellētiæ titulo ad ſerenitatis gradum aſcenderat, ignominiæ loco hoc habens ita excanduit, vt tum propter frigidum reſponſum, tum propter hanc cauſam Albanum à paciſcendo alienum eſſe ſtatueret, & reſponderet ſine ſcripto, quandoquidem Albanus tranſactionem omnem reſpueret, ſi ſui ſibi obediētiam exhibere, & eundem ſecum animum induere parati eſſent, in eo loco omnes aut victoriam reportaturos, aut morituros eſſe. Hoc reſponſo accepto, Albanus, ſiue quod pœniteret eū, quod eo modo ſcripſiſſet, ſiue quod vereretur, vt hæc agendi ratio regi probaretur, denuo Carcamum miſit, qui Antonio indicaret, ſi vellet mittere aliquem ſiue mari ſiue terra, Albanum itidem paratum eſſe aliquem mittere: & hos duos medio inter duo caſtra loco de re tota poſſe tranſigere. Verum Prior, qui Albano diffidebat, & ira æſtuabat, nihil aliud reſpondit, quam Reges eſſe Reges, & Duces, Duces: victorias autem à Deo Opt. Max. concedi. Cum itaq; Albanus rem deſperatam eſſe animaduerteret, vt ſe purgaret, finxit Antonium ſibi indicari curaſſe, cupere ſe cum illo de nocte in nauicula quadam colloqui: quod vt eo facilius vulgo crederetur, publice triremim, vt in ea pernoctaret, conſcendit: & poſtero die ex illa egreſſus indignationem quandam præ ſe ferebat, propterea quod Antonius ad colloquium non veniſſet: quæ fortaſſe omnia eo tendebant, vt ſub hoc prætextu bellum, reiecta compoſitione, proſequi, & culpam omnem in Antonium conferre poſſet, Sed reuera nihil vnquam inter Antonium, & illum de vllo colloquio actum fuit. Interim arx S. Iuliani tormentis craſſioribus diuerberata, & initio controuerſia inter architectos, & magiſtros tormentorum, de loco, in quo ea diſponenda eſſent, nata fuerat. Quidam dicebant dirigenda eſſe tormenta contra partem arcis, munitam illam quidem, ſed qua militi aſcenſus ſatis facilis futurus eſſe videbatur. Alii partem infirmiorem concuti volebant, quantumuis illac aſcenſus eſſet paulo incommodior. Dicebant enim parte ſuperiori murorum, deiecta, totum locum, in quo præſidiarii acie

inſtructa

inſtructa hoſtem expectabant, ictibus tormentorum obnoxium fore. Albanus itaq;, vt has diſcrepantes ſententias ad concordiam redigeret, ipſe faciem loci cõtemplaturus acceſſit, & approbato Fratini, & Philippi Terzii conſilio, murum infirmiorem, ſed qua, aſcẽſus difficilis erat, diuerberari iuſſit. Vnde factum eſt, vt, cum diuerberatio nondum integrum biduum duraſſet, nec adeo magna muri pars aperta fuiſſet, præſidiarii animo fracti, quãtumuis ſatis ſpacii ad nouas munitiones inſtituendas, exercitum in vicinia, ac portum maris in poteſtate ſua haberent, deditionem facere conſtituerint. Præfectus arcis Triſtanus Vazius Vega, cum aliquandiu dubitaſſet, dederetne ſe, an vero pro viribus reſiſteret, tandem ad deditionem magis, quam ad pugnam inclinauit: ſed non inueniebat modum rem ſecreto tractandi, neq; cuiquam ex ſuis ſatis fidebat. Verum ſors ipſi viam paulo poſt monſtrauit, nam cum muliercula quędam, ex vicino oppido Oeiris oriunda, filiam & generum in arce haberet, fragore tormẽtorum perculſa flens ab Albano, ſupplexq; petiit, vt ſibi poteſtatem faceret filiam & generum ex arce, quam tanta cum vehementia cõcutiebat, euocandi. Senex Albanus, qui huiuſmodi occaſiones aucupabatur, hanc etiam nõ neglexit, & dixit mulierculæ, poſſe eam ſine omni metu eo ſe cõferre: iuſſitq;, illa eunte, & redeunte, magiſtros tormentorum ceſſare. Fuit etiam mulierculæ iniunctum, vt indicaret præfecto arcis, imprudẽter eum feciſſe, q̃ Ducis poſtulata ſpreuiſſet: & moneret illũ, ne ſciens prudẽs ſe iret perditum. Fecit muliercula, vt iuſſa erat, & ex arce vna cum genero & filia reuerſa, Albano nomine Triſtani Vazii indicauit, ipſum ſe defendere, quia nõdum vllum Ducis nuncium vidiſſet: imo ſi quẽquam vidiſſet, ſe & auditurum & humaniter complexurum hominem fuiſſe: & ſi Albanus ſibi fidem daret, ſe ad eum in caſtra venturum. Remiſit ſtatim ad Triſtanum Albanus mulierculam, quæ illi ſignificaret, eum non tantum poſſe tuto in caſtra venire, ſed etiam Albanum obſides ipſi daturum. Ceterum Triſtanus fide ab Albano data contentus, in caſtra ad eum cum veniſſet, humaniter exceptus fuit. Excuſauit ſe Triſtanus de buccinatore non admiſſo. neq; enim vel ſecum, vel cum vllo ex præſidiariis locutum: alioquin ſe ita, vt par erat, reſponſurum fuiſſe: ita vt parum abeſſet, quin buccinator in furcam ageretur. Hortabatur Albanus Triſtanum multis verbis, vt arcem, quæ eſſet Regis Domini ſui, ſibi dederet, ſimulque periculum, in quo erat, ipſi ob oculos ponebat. Vnde, re aliquandiu in vtramque partem diſputata, dixit Triſtanus, ſi Albanus ſibi promitteret nomine Regis Philippi ea beneficia, quæ Antonius iam ante ſibi obtuliſſet, ſe ad deditionem paratum eſſe. Quod cum Albanus prolixe pollicitus eſſet, re tota tranſacta, Triſtanus in arcem rediens, ſecum aliquot Centuriones, & milites Hiſpanos duxit, iiſque arcem tradidit, cuius præſidiarii animo erant tam abiecto, vt ſibi è grauiſſimo quodam carcere emitti viderentur. Et licet alii Triſtanum ob hanc rem perfidiæ, alii tanquam hominem animi effeminati accuſarent: tamen verum erat, quod ille dicebat, ab iſtis militibus inexpertis arcem defendi non potuiſſe, & à gubernatoribus Philippum regem declaratum fuiſſe. Aliquanto ante deditionem arcis Sancti Iuliani, Albanus à Petro Barba, præfecto Capitis ſicci, propugnaculum illud ſibi dedi poſtulauerat: quod cum ille initio recuſaſſet; ſimulac poſtea intellexit arcem S. Iuliani deditionem facere, & triremes ab Albano in flumen accerſiri, hoſtem expectare noluit, ſed cum conſenſu Prioris propugnaculo deſerto, & aliquot tormentis aſportatis, Alcantaram ad exercitum confugit. Hæ iacturæ augebant metum in Liſybonenſibus, & præcipue in primariis, qui, ne prædæ militibus eſſent, veriti, indies magis magiſque in partes Philippi inclinabant, præterquam quod etiam res Prioris in anguſtum redactas cernerent. Voluntaria vero deditione ſe ampliſſima priuilegia à R. M. impetraturos ſperabant: & iã Albanum, de hoc negocio acturi, adiiſſent, niſi Priorem, qui in vicinia cum exercitu erat, metuiſſent. Interea nuncius allatus fuit de quatuor nauibus, quæ ex India in inſulas Terceras appuliſſent. Erant onuſtæ mercibus precioſiſſimis, ad Liſybonenſes ſpectantibus: & hanc ob cauſam, ſi à triremibus Albani captæ fuiſſent, magnum damnum & publice & priuatim acceptum fuiſſet. Itaque Liſybonenſes denuo Antonium monuerunt de periculo, & veluti obſidione, qua cinctus erat, propter oſtium Tagi ab Albano occupatum: & quam non conueniret, habito reſpectu ad exercitum numeroſum Albani, & exiguas copias ipſius etiam occaſione ſe offerente, prælii fortunam in tanta rerum omnium inæqualitate tentare. Suadebant ſubobſcure, vt tranſigeret: quod ipſis hæc via ad bellum conficiendum expeditior, & naues poſtea tuto in portum appellere poſſe viderentur: præterquam etiam quod exiſtimarent, ſi Albanus adeo vicinus victoria potiretur, difficulter vrbem à militum rapinis liberari poſſe. Verum cum Antonius & propter exiguum rerum vſum, iudicio parum valeret, & propter verba Albani iratus eſſet, ac malis conſultoribus vteretur, non mouerunt illum hæ rationes, vt certi quid conſtitueret: imo poſtero die miſit ad Camerales Comitẽ Vimioſium, Epiſcopum Guardenſem, &

Emanuelem Portugallum, qui ciues Liſybonenſes rogarent, vt ſe ad defenſionem pararent, & maiorem militum numerum in caſtra mitterent. Conabantur hi illis addere animum, iam fingendo auxilia Gallica aduentare, iam vires Prioris vltra modum exaggerando, & hoſtium extenuando. Verum vt verba magiſtratus non mouebant Priorem: ſic viciſſim verba Prioris nullum in animo magiſtratus aculeum relinquebant. Itaq; omnia ſuſpenſa hærebant, & vtraq; pars ſuum conſilium proſequebatur. Equidem veriſimile eſt tum Antonium, tum nonnullos ex magiſtratu facile ſub certis conditionibus cum Albano tranſigere potuiſſe: verum Antonius cogebatur obſecundare familiæ Portugallorum, & inprimis Epiſcopo: ciues vero quibuſdam, qui nuper ad officia promoti fuerant, idq; ad vitam, cum tamen antea tantum ad certum tempus illa conferri ſolerent: qui cum ſibi maiorem quàm par erat, auctoritatem arrogarent, nihil, niſi quod ipſis placeret, geri patiebantur. Veruntamen, cum nihilominus Antonius vereretur, ne Liſybonenſes à ſe deficerent, & exitio ſuo cauſam præberent, cōfidens paucis, nullum aliud remedium excogitare potuit, quàm vt & ad portas vrbis, & ad naues diſponeret multos monachos diuerſorum ordinum, qui vna cum militibus excubias agerēt, & claues cuſtodirent. Habebat autem monachis plus fidei, idque non iniuria, quam ducibus militum. nam in conuentibus, & conſiliis regni ordinum, qui interdum congregati fuerant, in monachis maius odium in Hiſpanos, maiorque pugnandi ardor, quam in ſecularibus ſeſe exerebat. Permanebat interea Albanus in iiſdem ad Oeiras caſtris, quæ & opere, & natura munitiſſima erant. nam præter tormentorum copiam, & vallum, ſitus loci erat aſper, & ſalebroſus, equitatui iniquus, cui Luſitani potiſſimum confidebant: neq; videbatur tā cito caſtra moturus eſſe. Cum enim putaret, q. & res erat, ſe in eo loco quodammodo totum regnum (& præcipue beneficio triremium) obſidere, ſperabat tum Priorem, tum Liſybonenſes breui deditionem facturos. Præterea progredi vlterius illi homini cauto, ac lento, & copias Luſitanicas in vicinia eſſe ſcienti, è re nō eſſe videbatur. Vtebatur ſingulari arte in periclitandis omnibus iis, quę ſibi victoriā incruentam parere poſſe iudicabat: & fere pollicitationib. ac largitionib. præfectos nauium Luſitanicarum, & turris Belemenſis ita corruperat, vt parum abeſſet, quin ipſi naues, & turrim in manus traderent: id quod factum fuiſſet, niſi Antonius ipſe eo profectus, omnibus fere veteribus præfectis ab officio remotis, & nouis in eorum locum ſubſtitutis, proditionem anteuertiſſet. Veruntamen concepit ſuſpicionem de omnibus: omnes ira & metu perculſos, & fluxæ fidei eſſe videbat, vt neſciret, cui fideret, niſi aut monachis, aut nautis ex infima hominum conditione. Et, vt illi, qui metuunt, ſe ſemper prodi putant, euenit, vt, cum ignis aceruum ſtraminis, prope muros arcis Liſybonenſis, in qua erat ſuppellex regia, congeſtum corripuiſſet, ſtatim vereretur, ne ignis ille hoſtibus ſigni loco eſſet, exiſtimans eum excitatum à mercatoribus exteris, quos extra vrbem contra hoſtem proficiſci detrectantes ille cuſtodiæ arcis præfecerat. Adeo autem modum hic timor exceſſit, vt re non ſatis explorata, nec conſiderans mercatores illos maxima ex parte eſſe Belgas, omnium acerbiſſimos Hiſpaniæ Regis hoſtes, ſed & proprio & Emanuelis Soarezii, vnius ex nouis ſyndicis Cameræ, metu impulſus mercatores ex illo loco abire, &, nondum ſatis hoc eſſe ſuſpicans, omnes in vniuerſum exteros vrbe excedere iuſſerit, imo paulo poſt etiam edixerit, vt bonis exuerentur: ſed hoc poſterius executioni mandatum non fuit. Subſtiterunt ita hi duo exercitus, alter è regione alterius per octiduum, ita vt ſe non mouerent, & tantum leuia quædam pręlia committerent. Octiduo elapſo, Albanus Sancium Auilam cum equitibus centum quinquaginta, & paucis peditibus miſit ad contemplandum regionis ſitum, & ad ineundam rationem turris Belemenſis oppugnandæ. Habuit ille obuios trecentos equites, & quingentos pedites Luſitanos, qui ſine omni diſciplina militari in illum irruere cœperunt. Verum cum Hiſpani exiiſſent tantum exploratum, nec à Luſitanis nimis acriter vrgerentur, poſt breue & tumultuarium prælium, nonnullis interfectis, in caſtra redierunt. Poſtero die plures ex caſtris egreſſi ſunt, & ab vna parte leui prælio commiſſo, ab altera tribus tormentis maioribus diſpoſitis, (quæ noctu prope turrim Belemenſem adduxerant) paucis ictibus primum naues Luſitanicas Liſybonam abegerunt, & deinde præſidiarios turris ad deditionem compulērunt. Et ita claſſis Regis Philippi, liberum in portum Belemenſem aditum nacta, ſtatim in eum ingreſſa eſt.

Liber

Liber Septimus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur fuga Luſitanorũ prope Alcantaram: occupatio vrbis Liſybonæ: deprædatio ſuburbiorum: laudes, & reprehenſiones Albani: morbus regis Catholici: profectio Sancii Auila in regionem inter Dorium, & Minium ſitam Antonii perſequendi cauſa: occupatio vrbis Aueri, & Portus: fuga Antonii. occupatio Vianæ: mors regina Anna: iter Regis Eluas verſus: propoſitum incolarum inſularum Tercerarum: conditiones à Papa oblatæ, vt bellum in Angliam transferretur.

NIHIL inter duos iſtos exercitus, quod mutuas incurſiones impedire poſſet, interiectum erat, præter rupes torrentis Alcantaræ: cumque Albanus Antonium, loci æquitate fretum, in apertos campos non facile progreſſurum eſſe intelligeret, exiſtimans illum in caſtris adeo munitis inuadere è re non eſſe, cœpit cogitare de via & ratione, vel copias Antonii omnino diſſipandi, vel ſaltem eum ex illo, in quo hærebat, loco dimouendi. Cupiebat enim hoc veluti freno liberare Liſybonẽſes, quos propter huius exercitus vicinitatem deditionem facere non audere intelligebat. Quoniam autem ipſe, neque exercitum Antonii, neq; caſtra, niſi eminus, viderat, aliorum relationi non omnino fidẽdum ratus, voluit, antequam certi aliquid ſtatueret, ſuis oculis ſitum loci, & formam caſtrorum luſtrare. Itaq; die Bartholomæi cum copiis acie inſtructa è caſtris contẽplandi & ſpeculandi tãtum cauſa egreſſus eſt. Dextra ripa Tagi, in qua hi duo exercitus conſederant, eſt montoſa, ſed non aſpera, & quaſi in angulos rectos ſecatur à torrente Alcantara, nomen habente à paruo quodam pago, qui ſitus eſt in angulo dextro eo loco, vbi Alcantara in Tagum ſe exonerat, & ibi torrens ponte lapideo ſtratus eſt. Ripæ illius ambæ ab oſtio miliare vſq; & amplius præruptæ ſunt, & valde impeditæ: ſed vlterius ſi progrediaris, ſunt humiliores: &, quamuis non omnino planæ, ad caſtra tamen metãda ſatis commodæ. In ſiniſtra ripa conſederat exercitus Portugalliæ, fere in ipſo triangulo, vbi rupes altiſſima eſt, & eam partem, quæ hoſtes reſpiciebat, vallo tumultuarii operis, & magno tormentorum maiorum numero munierat. Progreſſus itaq; in dextram ripam Albanus, è regione & in conſpectu Luſitanorum cum exercitu ſatis diu ſubſtitit, contemplans accurate loci ſitum, naturâ potius, quàm manu munitum. Animaduertit autem Luſitanos, cũ ipſum appropinquare vidiſſent, intra caſtra acie inſtructa expectare, nec vllum ſignum eruptionis dare: tantum tormentorum ictibus hoſtem petere. Itaque conſtituto eo, quod faciendum putabat, poſt leue prælium in caſtra regrediens, ibi pernoctauit: & in ſequentem diem hæc mandata dedit. Præterita media noctis parte, iuſſit magno cum ſtrepitu ad arma conclamari, & claſſicum cani, vt hoſtes è ſomno excitati, & attoniti aciem, vt heſterno die fecerant, inſtruerent. Iniunxit Franciſco de Alaua, præfecto tormentorum, vt ante lucem curaret vehi in colliculos qui caſtris Antonii imminebant, tormẽta aliquot craſſiora, cum omnibus rebus neceſſariis, vt inde acies Luſitanorum, & locus, in quem ad pugnam ituri confluerent, & ex quo pons etiam defendendus eſſet, impeti & defenſoribus nudari poſſet. Iuſſit nauibus imponi mille ſclopetarios, quorum quingenti erant Itali, & quingenti Hiſpani, & mandauit Marchioni Sanctæ Crucis, vt claſſe ſua inuaderet claſſem hoſtilem, dato certo ſigno. Conuocatis omnibus primariis ductoribus, oſtendit quanta ſpes Antonium è caſtris vi eliciendi affulgeret: & petiit, vt in illis, quæ mandaſſet, aut adhuc mandaturus eſſet, diligenter exequendis dicto audientes ſe præberent. Rem eſſe facilem, ſi ordo à ſe præſcriptus obſeruaretur, & ſi illi ſolita virtute niterentur: difficilem eſſe, ſi ordinis, & obedientiæ nulla ratio haberetur. Ex numero earum rerum, quas R. M. ſibi quàm diligentiſſime commendaſſet, eſſe ſalutem, & incolumitatem vrbis Liſybonæ: & hanc vrbem tantæ Regiæ Maieſtati, curæ eſſe, vt mallet ipſe non vincere, quam vincendo eam militum prædæ exponere. Se itaq; maiorem in modum ab illis flagitare, vt ſibi promitterent fore, vt, ſi fortuna fauente, hoſtem profligarent, non tantum vrbem ipſi non deprædarentur, verum etiam omnibus, tale quid conantibus, pro viribus obſiſterent. Adfirmauit apud R. M. maiorem gratiam inituros, qui vrbem defendiſſent, quàm qui victoriæ occaſionem virtute ſua præbuiſſent. Poſtremo cum emphaſi ſubiecit, ſi forte ſortem adeo aduerſam experiretur, vt precibus ipſius nullus locus relin-

quereretur; ſe orare Deum, vt primus ſclopeti globus, quem hoſtes eſſent eiaculaturi, ſibi vitæ finem adferret. Longe enim ſe hoc malle, quam facinoris, R. M. tum vtilitati, tum voto adeo repugnantis, ſpectatorem eſſe. Cum hæc dicta, & quæ ſupra commemoraui, ita, vt Dux iuſſerat, facta fuiſſent, paulo ante lucem, præſidio diuerſarum nationum in caſtris relicto, Albanus contra Luſitanos perrexit, agminibus ita, vt mox dicemus, diſpoſitis: quantumuis nonnulli ex primariis ductoribus cenſerent, Antonii exercitum primum nocturnis impreſſionibus furtim, & ſtratagematibus tentandum, eo quod per exploratores intellectum erat, & fere omnes ita ſentiebant, parua manu eũ in fugam coniici poſſe. Diſtribuit Albanus exercitum in tria agmina: duo conſtabant ex peditibus, tertium ex equitibus: & in itinere faciendo vnum agmen non ſequebatur alterum: ſed vnum ad latus alterius, quoad eius fieri per regionem montoſam poterat, progrediebatur. In medio agmine erat Albanus cum maiori parte peditatus Hiſpanici (cui aliquot Germani haſtati adiuncti erant) diuiſi in quatuor acies, nec æquata fronte euntes, nec ita, vt altera alteram ſequeretur, ſed ſparſas, prout ſitus exigebat: & erant ad 6. millia. ad dextrã poſuit omnes Italos, & reliquos Germanos, & paucos Hiſpanos, diſtributos in tres acies, pari paſſu progredientes: his (quorum etiam erant ſex millia) imperabat Proſper Columna. Ad ſiniſtram locauit tertium agmen, q conſtabat ex equitatu, cui præerat Ferdinandus Albani filius. Primi erant equites ſclopetarii, ſecundi equites more Africano armati, tertii equites leuis armaturæ, vltimi cataphracti, inter quos erat ipſe Ferdinãdus. In flumine Tago, (quem eo in loco tria milliaria latum ad dextram habebant) erat Marchio Sanctę Crucis cum claſſe ſexaginta duarũ triremium, & viginti quinque nauium maiorum: quæ cum non longius, quam quo maioris ſclopeti globus pertingere poteſt, abeſſent, exercitui veluti alæ loco erant, ad imitationem equitatus, qui alterius lateris alam efficiebat. Antonius interim, quod hoſtes, quos pridie viderat, nihil memorabile conatos eſſe meminiſſet, non moueri ſe paſſus eſt claſſico, & ſtrepitu armorum, quem tota nocte exaudierat, quin crederet rem eãdem, quam pridie, exitum habituram, & poſt leuiuſculas velitationes hoſtes, ſi ipſe intra caſtra ſe continuiſſet, denuo ſe recepturos. Nihilominus tamen voluit aciem, vt die præcedenti, inſtruere: ſed non potuit: propterea quod milites ipſius incommodis caſtrenſibus non aſſueti, & diurno labore, nocturnoq; ſtrepitu defatigati, dicto audientes non eſſent. Multi etiam abierãt, qui cum in vrbe pernoctare, & mane in caſtra reuerti conſueuiſſent, nondum tum redierant; quidam etiam metu perculſi omnino aufugerant. Iniunxit itaque Antonius Epiſcopo Guardenſi qui Liſybonæ regis quodammodo vices ſuſtinebat, vt ſine mora omnes incolas in caſtra extruderet. Epiſcopus tympanorum ſtrepitu, ſono campanarum, quæ tota nocte malleorum ictibus fatigabantur, & lictoribus armatis, è lectis auellebat ciues, & opifices, qui vi vrbe egredi cogebantur cum armis: & ipſe eadem nocte cum exiguo illo, quem collegerat, numero in caſtra ad Antonium profectus eſt. Verum hæc rigida diligentia omni fructu carebat. Illi enim qui vi extrudebantur, animo fracti, alio furtim profugiebant: ita vt exercitus Luſitanorum nec numero, nec diſciplina creſceret. Interea Albanus in dextera ripa è regione Priotis comparuit ſupra colles, vbi tormenta collocari iuſſerat: cumque Luſitanos in caſtris hinc illinc diſperſos eſſe cerneret, animaduertit ſe fefelliſſe ſpem illam, quam conceperat fore, vt ad arma tanto cum ſtrepitu conclamando hoſtes ad aciem inſtruendam inuitarentur. Videbat itaq; ſe non poſſe facere quod conſtituerat, nimirum aciem ab Antonio inſtructam ex eo loco tormẽtorum ictibus ferire, & ordinibus vacillantibus, vndiq; in hoſtem impetum facere, quem hac ratione facile fundi, fugariq; poſſe exiſtimabat. Veruntamen mutato, pro re nata, conſilio, cum ſibi, manibus omnino non conſertis, diſcedendum non putaret, quantum poterat, tormentis hoſti incommodare conabatur; Priore etiam in idem incumbente. Iniunxit Albanus Proſpero Columnæ, vt cum copiis ſuis, quæ erant in agmine dextro, adortus pontem, in ripam oppoſitam, quam lõgiſſime poſſet, progrederetur. Sancio Auilæ cum bis mille ſclopetariis negociũ dedit, vt aliquanto ſuperius, vbi ripæ torrentis minus impeditæ, & præruptæ ſunt, quantum poſſet, in æquum locũ hoſtem ad pugnam pelliceret, & à latere in illum vſq; ſub ipſum vallum impetum faceret. Ferdinando filio iniunxit, vt per longiores paulo ambages profectus eò, vbi ripę torrentis humiles ſunt, & in alterã ripam tranſiens in hoſtẽ iret & vt, ſi ille (q metuebatur) intra caſtra ſe contineret, ex omnib. partib. eodem momento eum inuaderet. Ipſe Albanus cũ reliquo peditatu in loco edito, & vnde vterq; exercitus cerni poterat, ſubſtitit, inde, ſi opus eſſet, laborantibus ſubſidio venturus. Ibi relictis nonnihil à tergo aciebus, in ſella quadam conſidens, ſpectabat ſucceſſum pugnæ, & dabat ſigna, quę ſe daturũ edixerat. Proſper Columna prius ad pontẽ peruenit, quam Auila, & equitatus, torrente traiecto, in oppoſita ripa hoſti appropinquarent: ſiue quod illis magno circuitu iter faciendum fuiſſet, ſiue quod Itali, (vt

Alba-

Albanus dicebat,) reliquis gloriam prærepturi, nimium properaſſent. Non inuenit põtem defenſoribus nudatum: quia in eo loco Luſitani milites illos, qui aliquam virtutis opinionem habebant, locauerant: immo initio fortiter ibi, & diu pugnatum fuit. Etſi enim ſtrenuos ſe gerebant Itali: tamen aliquandiu parum effecerunt. Cum enim locus anguſtus eſſet, & defenderetur à multis ſclopetariis, qui è molendino vicino, ad quod propter aquam aditus nullus patebat, pugnabant: Italis loci iniquitas non mediocriter obſtabat: ita vt, ponte iam fere in poteſtatem redacto, cum cæde nonnullorum, repellerentur. Verum Proſper aliquot milites aggerem anguſtum, qui aquæ continẽdę cauſa extructus erat (& per quem, quamuis ægre, ad molendinum perueniri poterat) conſcẽdere iuſſit: qui cum, paucis amiſſis, eo penetraſſent, Luſitanos, qui erant in molendino, ad vnum omnes interfecerunt: atque ita defenſoribus pontis hoc ſubſidio, quod à latere habebant, adempto, & Italis ex eodem molendino ſclopeta in illos exonerantibus, Columna qui eodem momẽto totis viribus irruerat, ponte occupato, in oppoſitã ripam euaſit. Quam ad rem magno adiumento fuit Ludouicus Douara: qui cum Italos pedẽ referre videret, pene Albano inuito, aliquot Germanos haſtatos, à tribuno legionis impetratos, ipſis ſubſidio miſerat. Eo in loco aliquandiu magnus hoſtium impetus ſuſtinẽdus fuit. Cum enim Luſitani ignorarẽt ſe etiam ex alia parte oppugnari, vniuerſæ copiæ vna cum Antonio ad pontem contenderant: vbi à Proſpero ſingulari cum virtute repulſi, & in fugam coniecti fuere. Expectabat Albanus, quid effecturus eſſet Sancius Auila: nec dubitabat, ſi ille mandatorum memor eſſet, fore, vt vniuerſus exercitus hoſtium profligaretur: ſed verebatur ne, homo iracũdus, vbi vidiſſet Italos pugnæ initium facere, præ impatientia minori circuitu in hoſtem ferretur, quam vt eum à latere inuadere poſſet: metuebat ſcilicet ne à fronte cum Antonio cõgrederetur, id quod periculoſum ipſi videbatur. Ceterum cũ Auilam ex præſcripto ſuo agere videret, ſtatim victoriã pro certa habere cœpit. Poſtq̃ itaq; Auila cum ſclopetariis, & Ferdinandus cum equitatu hoſti appropinquaſſent, fere neminem, qui reſiſteret, inuenerunt. Etſi enim Antonius, qui vix ad pontem peruenerat, ſtatim conuerſis ſignis Auilæ, & Ferdinando obuiam iuiſſet: tamen Luſitani, vbi pontem captũ intellexiſſent, metu correpti, effuſi omnes vrbem verſus fugere cœperunt. Ibi Albanus ſignum dedit triremibus, quæ velis non vtentes, ſed ſolis remis cum reliqua claſſe vrbem verſus nauigarunt, tormenta interim exonerantes in naues Luſitanicas, quæ aliquantum retrocedentes (quamuis fuga quaquauerſus intercluſa) vela quidem expanderũt: ſed paulo poſt ſine omni fere certamine in hoſtis poteſtatem conceſſerunt. Antonius, qui tanquam inexpertus, nunquam putaſſet fore, vt ab Albano in ipſis caſtris inuaderetur, cum eodem momẽto à tormentis copias ſuas offendi, põtem, quem inexpugnabilẽ credebat, occupari, milites ſuos fugere, & equitatum hoſtis ad fugam ſibi intercludendam properare videret, valde conſternatus fuit. Nihilominus tamen cum Comite Vimioſio, Emanuele Portugallo, Iacobo Boteglio ſeniore, & Eduardo de Caſtro magna cum confuſione, & nemine hoſti reſiſtẽte, inter promiſcuam turbam & ipſe ad ciuitatem contendit, & in ingreſſu ſuburbiorum vulnus in capite accepit, ab equite quodam: & ſi vel ipſe exiguam moram interpoſuiſſet, vel ſi equitatus aliquanto magis gradum intendiſſet, captus fuiſſet à voluntariis quibuſdam Italis, qui reliquum equitatũ præceſſerant. In hac feſtinatione tranſiit per vrbem cum reliquiis exercitus in fugam acti: cuius pars (quanquam minor) cum ipſo vnam portam ingreſſa, per alteram exiit: reliqui (& quidem maior pars) abiectis armis in ædes ſuas ad liberos, & vxores reuerſi, ſe abſcondebant. Illi vero, qui ex aliis Regni prouinciis oriundi erant, ad templa, metu trementes, confugiebant. Antonius in trãſitu iuſſit aperiri carceres publicos: & ita inter reliquos captiuos, quorum erat numerus maximus, liberati etiam fuerunt ii, qui, quod Philippi partibus ſtuderent, coniecti in vincula fuerant. Copiæ Albani, poſtquam creberrimis ſclopetorũ ictibus, & haſtis multos ex miſeris iſtis fugientibus (qui quaterni interdum, interdum ſeni fruſtra reſiſtere conabantur) interfeciſſent, tandem ad vrbem peruenerunt, præcedente reliquos omnes Ferdinando Toletano, cuius auctoritate fere totus exercitus gubernabatur. Hic cum victoriam penes ſe eſſe videret, veritus ne milites ardore pugnæ incitati plus damni, q̃ ille vellet, inferrent: dedita opera illos detinuit, iubẽdo acclamari militibus illa verba, quibus vt ſibi ab inſidiis caueãt, admonentur: & fingendo etiam fieri poſſe, vt numerus aliquis hoſtium adhuc integer supereſſet. Porro cum portis adpropinquaſſet, magiſtratus Cameralis, qui in hunc finem eo ſe contulerat, è mœnibus cum ipſo collocutus eſt: & inter ſe breuibus egerunt, parum diſcrepantes. Cum enim Luſitani militem Hiſpanum ceruicibus ſuis imminere, miſerum ſuum regem ſaucium fugere, exercitum diſſipatum eſſe conſiderantes, ſibi ad extrema redacti viderentur: & Ferdinandus, quanquam victor: tamen de regis animo edoctus, vrbem à militum rapina liberare ſummopere expeteret, facile ipſis

conuenit. Petebat Ferdinandus deditionem vrbis: Luſitani cupiebant ſcire, quibus cōditionibus. Reſpondentibus autem nonnullis, conditiones arbitrio Albani permittendas, & Cameralibus ſe iiſdem cōditionibus, quibus reliquæ vrbes ſe dediſſent, deditionem facturos dicentibus, fuit tandem ipſis promiſſum fore, vt vita, & bona eorum in tuto eſſent: idq; fortaſſe, ne, mora longiori interpoſita, milites aliquid in perniciē vrbis tentarent. Atq; ita, cum nonnulli ex Cameralibus è mœnibus deſcendiſſent, ab Hiſpanis in clunes equorum recepti & ad Albanum perducti fuerunt: qui ipſis honorifice exceptis, prolixe ea, quæ poſtulabant, conceſſit. Ibi milites inuito Albano ſignis relictis, promiſcue in ſuburbia, quæ ipſa vrbe maiora, nobiliora & pulchriora ſunt, & magnitudine multas ciuitates mediocres ſuperant, prædabundi irruperunt. Quamuis itaq; interior vrbis Liſybonæ pars ſalua, & illæſa permanſerit: tamen ſuburbia cum agro ſubiecto ſpoliata fuerunt, & nonnullæ etiā domus vrbanæ, tanq̄ ad dominos perduellionis reos ſpectantes, ceſſerunt prædæ militū, quibus obſiſti non potuit, quia putabant ſufficere, q̇ ab ipſa vrbe abſtinerent. Et ita in præda aſportanda triduum cōſumptum fuit. Multi ciues iacturam fecerunt rerum cariſſimarum, quas propter peſtē, quæ in vrbe graſſabatur, in villas & prædia vicina delatas, milites inuolarunt. Non vtebantur illi quidē magnis extorſionibus, ſed tamen valde opima ſpolia obtinuerunt. Milites & nautæ, qui erant in triremibus, ingentia damna ciuibus intulerūt. Prætérquam enim q̇ quidquid in Tagi ripa ſitum erat, & naues, quæ erāt in portu, multis mercibus onuſtas, deprædati ſunt, etiam exercitui terreſtri operam nauabant in abſcondendis, & extra regnum auehendis ſpoliis, quantumuis ponderoſis, & aſportatu difficilibus: ita vt milites onere ſe leuaturi, neceſſe non haberent ciuibus prędam vili precio vendere, vt plerunq; alias fieri conſueuit. Telonia nimirum tam illud, vbi generatim pro omnibus rebus portoria ſoluuntur, quam telonium mercium Indicarum, (quod ſemper precioſiſſimis rebus repletum eſt) quantumuis extra muros ſita ſint, ſarta tecta manſerunt. nam propter diuitias, quas in iis eſſe conſtabat, Alfonſus Leua præfectus triremium Sicularum, miſit certum numerum militum, qui illa cuſtodirent, & defenderēt. Virgines Veſtales, quarū monaſteria fere omnia extra vrbem ſunt, illæſæ parmanſerunt, vt & ea, quæ apud illas à ciuib. depoſita fuerant: Quæ vero Monachorum cuſtodiæ commiſſa erant, magna ex parte militibus ceſſerunt, maxime vero in monaſterio S. Rocchi, vbi habitāt Ieſuitæ. Cum enim eo ingreſſi eſſent primum aliquot milites Itali, eiecti fuerāt ab Hiſpanis, qui cum à ducibus eo miſſi eſſent ſub prætextu cuſtodiendi monaſterii. poſtea, amici cum eſſent, plus damni intulerunt, quam fortaſſe priores, tanquam hoſtes, intuliſſent. Cum enim Itali diſceſſiſſent, Hiſpani rimantes ſecretiſſima quæque, omnia, quæ inueniebant, de nocte in triremes & hoſpitia ſuà aſporbant, ita vt nihil ibi intactum maneret. Diuerſitas nationum, quæ prædabantur, in cauſa erat, cur maior ratio haberetur & pudoris mulierum, & rerum ſacrarum, quam alias factum fuiſſet. Hiſpani enim, alibi incontinentiſſimi, hîc ſe continentes geſſerunt, ne forte ſuo exemplo Italos, & Germanos, in Hiſpania verſantes ad peiora incitarent. Spolia maxima erant, & conſiſtebant in ſupellectile, vtenſilibus, aliiſq; rebus pretioſis, quas illa vrbs in tam diuturna pace & quiete, commerciorum Indicorum beneficio, congeſſerat. Numerus cæſorum in prælio non fuit magnus, propterea quod Luſitani tam male ſe defenderant. Veruntamen ex illis ad mille occubuerunt, & ex Albani militibus pauciores, quam centum: adeo hebetia ſunt arma populi, quæ diuturno otio rubiginem contraxerūt. Albanus, vrbe in deditionem accepta, (ad quam ipſe etiam acceſſerat, vt, ſi opus eſſet, contra vim militum eam protegeret) cum aliquādiu in ædibus quibuſdam ſuburbanis cōmoratus eſſet, regreſſus, vnde venerat, caſtra poſuit in eodē loco, vbi illa Antonius habuerat: & Antonius, cum vulnus Sacabemi (q̇ oppidum Liſybona ſex milliaribus diſtat) obligandum curaſſet, lente progreſſus eſt Sanctarenam cum exiguo comitatu: dubitante interim Albano, vtrum in vrbe latitaret, necne: q. Luſitani, vt ille tempus euadendi haberet, falſa de ipſo referrent. Hæc victoria fuit maximi momenti & maioris fuiſſet, ſi etiam ipſe Prior in manus Albani veniſſet. Propterea enim q̇ ille euaſerat, regni incolæ, qui alias ad quietem inclinaſſent, ſuſpenſi, & dubii hærebant, & exiſtimabant Priorem, redintegrato exercitu, denuo aliquid tentaturum. Incurrebat in multorum reprehenſionem Albanus, qui non adhibuiſſet maiorē hac in re diligentiam. Fuiſſe enim latā culpam, ceteris rebus tanta cum circumſpectione diſpoſitis, negligere hanc, quæ eſſet tanti momenti. Quidam incuriç eius hoc imputabant quidam etiam malitiæ, præſertim quia Antonius tantum temporis inter Sacabemum, & Sanctarenam conſumpſerat, vt illū aſſequi facile fuiſſe videretur. Hic fuit ſucceſſus pugnæ ad Alcantarā. Interim naues, quç ex India venerāt relictis inſulis Terceris, curſum Portugalliā verſus dirigebant, rerū omniū, quæ ſucceſſerāt, ignarç. Et quia, vt diximus, iā ante auditū erat, illas in inſulas adpuliſſe, lōge auidiſſime, idq; in horas, expectabātur & quia

& quia merces, quibus onuſtę erant, tribus millionibus auri æſtimabãtur, multi vehementer animo angebantur, veriti ne quid aduerſi ipſis eueniret. Conſtabat enim & Ducem Albanum naues armatas, quæ ipſas inueſtigarent: & Priorem celoces miſiſſe, quæ illas iuberent Penichiam nauigare, quod oppidum viginti milliaribus ſeptẽtrionem verſus Liſybona diſtat. Itaq; alterutrum horum neceſſario euenturum videbatur, vt vel à nauibus regiis caperentur, vel Antonii iuſſis obtemperarent. Et ſi vtrumuis horũ factum eſſet, illas periiſſe iudicabant. nam ſi in manus Hiſpanorum inciderent, illas prædæ militũ ceſſuras: ſin Penichiam deuenirent, Priorem, illis occupatis, bona priuatorum in vſus belli conuerſurum putabant. Quidam etiam, qui ignorabant, quid Antonius indicari nauibus iuſſiſſet, ſuſpicabantur illas curſum in Galliam, aut Angliam directuras, & Antonium, quem vires ſuas ſucceſſu huius prælii metiri veriſimile erat, eas ſubſecuturum. Verum fortuna, quæ ſemel aſpirare cœperat, ita conſtantem ſe hac in parte geſſit, vt poſt biduum à prælio feliciter adpellerent, cũ tamen plane ignorarent, quis ſtatus rerũ eſſet, & in neutros ex iis, qui obuiam miſſi fuerant, incidiſſent. Sors itaq; adeo benigna regi Philippo fuit, vt ſaluæ, & incolumes in portũ Liſybonenſem adpellerent: & ita ille conſecutus eſt eam mercium partẽ, quæ ad Coronam ſpectabat: &, quantũ ad reliquas, ſuas cuiq; tribui iuſſit. Interim omnium animi Badagiozii ſuſpenſi erant, expectabantq; armiſne, an vero tranſactione hæc controuerſia decideretur: & eo magis hac de re dubitabant, ꝙ vtrinq; multæ magnæq; difficultates ſeſe offerrẽt, quodq; Albanus non diu rem differre poſſe, ſed neceſſario alterutram ex his duabus viis adeo inter ſe pugnantib. electurus videretur. Verum 26. die Auguſti tempore matutino venit mercator Hiſpanus, qui nullas quidem ab Albano litteras habebat, ſed tamen prælii ſucceſſum, & rerum ſtatũ indicauit. Hic mercator qui comitabatur exercitũ Hiſpanicum, cum videret copias Prioris eſſe diſſipatas, eodẽ momento flumen traiecit, & equos celeres conſcendit ante illum, quem Albanus cũ litteris mittebat: cumq; ad regẽ intromiſſus eſſet, quæ viderat, expoſuit: vnde ille ea lætitia perfuſus eſt, quã quiſq; facile animo ſuo concipere poteſt. Nuncius hic ſtatim in tota aula percrebuit, cũ incredibili omnium gaudio, & ſingulari laude Albani. ex eo, inquam, genere laudum, quas vis veritatis etiam ipſis hoſtibus extorquere ſolet. Verum cum confirmatio huius nuncii tardior eſſet, q̃ pro loci vicinitate, & rei magnitudine, veritas illius in dubium reuocari cœpit, tanta quidem cum animorum perturbatione, vt hinc facile adpareret, non minus eſſe publicum deſiderium, q̃ lætitia, paulo ante percepta, fuiſſet. Verum gaudium redintegratum fuit aduentu Ferdinandi Toletani, nepotis Albani, quem ille miſerat cum litteris, in quibus non tantum ſucceſſus pugnæ diligenter exponebatur, ſed etiam rationes, quæ ipſum ad prælium committendum impuliſſent, vna cũ mandatis, quæ inferioribus ducibus pręſcripſerat: quæ omnia paſſim magno cum applauſu & Albani gloria, approbata fuerunt. Vulgo enim dicebatur eum iam tandem ex hominum animis exemiſſe opinionẽ, quæ de ipſo olim concepta fuiſſet, quaſi omnia nimis caute, nimiſq; lente adminiſtraret, & in expeditionib. à ſe ſuſceptis, caſtrorum opportunitate, & ſtrategematis ſolis hoſtẽ ſine periculo ſuperare ſtuderet, vitãs interim totis viribus prælium, niſi loci æquitas illud ſuaderet, ad imitationẽ Fabii Maximi ex veteribus & ex recẽtioribus Proſperi Columnæ, cuius veſtigiis ſe inſiſtere gloriaretur. Superior autẽ laus profluebat ex duabus rebus, quarum altera erat, quod Setubalo ſoluens, ad Caſcaiſium flumen tranſiiſſet: altera, quod prope Alcantaram prælium commiſiſſet. In illa enim ipſe ſolus ceteris ductoribus, in conſilium adhibitis, contradixerat: & cum mari, & cum hoſte certauerat: in hac non dubitauerat etiam cum periculo inuadere Luſitanos in ipſis caſtris, & cum vrbem tam populoſam à tergo haberent, idque diſſuadentibus nonnullis ex primariis ductoribus. Commendabant vehementer, ꝙ vrbem Liſybonam à militum rapacitate liberaſſet, fungens ſimul officio victoris, & protectoris: & maiorem illum ſibi hîc gloriam comparaſſe adfirmabant, quam cum anno 1557. caſtra ex vrbis Romæ vicinia moueret: propterea quod ibi non (vt prope Liſybonam) ad ipſas vrbis portas dimicaſſet. Sed hos, & ſimiles ſermones diſſipauit ſubitus, & triſtis quidam caſus, qui omnium animos ita perculit, vt neminem de vlla alia re vel loqui, vel cogitare permitteret. nam inter medios de ſucceſſibus adeo proſperis nuncios Rex incidit in morbum periculoſiſſimum, qui intra paucos dies ita inualuit, vt exigua ſpes vitæ ſupereſſet, & ab ipſis medicis fere pro deplorato haberetur. Hæc res vna in ore erat omnibus. Nam moriente rege moriturus eſſe videbatur totius orbis Chriſtiani defenſor. Et ſi mors illius vnquam alias mutationibus occaſionem præbitura videretur, tum certe longe omnium maximas paritura exiſtimabatur. Non ſolum enim Belgicum pacatum non erat, ſed etiam Gallia ad res nouas inclinare: Luſitania vero vacillare videbatur, ita vt facili momento in contrariam partem impelli poſſet: & præterea reliquarum Hiſpaniæ prouinciarum ſtatus nec ipſe ſatis firmus, & ſtabilis multis eſſe videbatur. Varia erant iudicia, quid ſtatuendum eſſet: ſed omnia per-

turbatione,& metu plena. Albanus,cui meliores fere omnes adſtipulabantur,ſuadebat,vt, ſi Rex forte moreretur, Regina ſtatim vna cum filio primogenito in Luſitaniam ingreſſa, recta Liſybonam contenderet. Putabat enim hac ratione beneficio exercitus,quem habebat,non tantum Luſitaniam ipſam in officio & quiete cõtineri poſſe, verum etiam hac pacata,reliquas Hiſpaniæ prouincias non facile quidquam noui tentaturas. Interea ille operam dedit,ſtabiliendis rebus,& loco mouit Camerales, qui a Priore ad hoc officium promoti fuerant,reſtitutis priſtinæ dignitati illis, qui prius eam obtinuerant: quibus ad ſe vocatis oſtendit adeſſe tẽpus, quo eos nomine ciuitatis Regiæ Maieſtati fidelitatis iuramentum præſtare oporteret,nomẽ illius per plateas publice ſolitis cum cerimoniis proclamando. Cum reſpondiſſent ſe eſſe paratos,petiiſſentq; ſibi copiam,dies feſtos & pompas in publicæ lætitiæ ſignum inſtituendi,fieri,& ſimul priuilegia ſua confirmari,ſubiecit Albanus, non eſſe iam opus ſolemnibus iſtiuſmodi pompis: ſed illas reſeruandas in aduentum filii primogeniti Regię Maieſtatis,quem illa breui Liſybonam mittere conſtituiſſet,eum in finem, vt inter Luſitanos educaretur. Quod vero ad priuilegia attineret, illa eſſe pauca & tenuia: à R. vero M. longe ampliora illis conceſſum iri. Vndecimo itaq; Septembris iuramentum in diuerſorio Albani præſtitum fuit,& poſtero die poſt prandiũ,magiſtratus Cameralis cum vexillo, & tympanis per plateas circumiens proclamauit nomen Regis Philippi more ſolito,ſed voce minus acuta,& cum exiguo populi concurſu: & cum in proclamationibus ſuperiorum regum applauſus,& riſus exaudiri conſueuiſſet,hic nihil exaudiebatur præter ſecretos gemitus,& tacitos queſtus: nonnulli tamen fletum, riſum, lætitiam & triſtitiam inter ſe,quodam adulandi ſtudio ducti,commiſcebant. Exercitus Albani vſq; ad decimum diem Septembris ſemper hęſit in iiſdem caſtris inter Liſybonam,& Alcantaram,in eo loco,vbi antea Luſitani conſederant: & omnia ita erant incerta, vt quid conſilii capiendum eſſet,non conſtaret:tantum nuncii de rebus Prioris expectabantur. Quo tempore,veluti comes belli, inuaſit non tantum exercitum, ſed etiam vrbem ipſam contagioſus quidam catharrus,ita quidem malignus,vt non minus,quam ipſa peſtis,in homines ſęuiret. Pauci fuerunt,qui cũ hoc morbo non conflictarentur: & plurimi ex eo mortui ſunt, & inprimis milites: propterea, q aduerſus nouum hoc malum vſitata remedia parum virium haberent. Antonius paulo poſt peruenit Sanctarenam: cuius loci magiſtratus (quanquam eſſet idem ille,à quo nuper tãto cum gaudio rex ſalutatus fuerat) noluit ipſum in oppidum intromittere: (tam facile animi hominum cum fortuna mutantur) ſed cum promiſiſſet Antonius, ſe mox diſceſſurum, ſub hac conditione receptus fuit. Vnde poſtero die Coimbriam verſus iter inſtituit. Interea ipſi ciues Sanctaranenſes miſerunt, qui Albano nomine vniuerſitatis iuramentum fidelitatis præſtarent: cumq; idem à Coimbrienſibus expectaretur,intellectum fuit Priorem eſſe Coimbrię,inſtituere in illis partibus munitiones,inſtaurare Montem maiorem,quem veterem adpellant,reſcindere pontem,quo Dorius conſtratus erat. Et quamuis non eſſet periculum,ne tantas copias colligeret, quæ Albano metum aliquem creare poſſent: tamẽ ex hac re perſpiciebatur, bellum nondum eſſe confectum,nec tuto poſſe dimitti partem exercitus,quæ cum triremibus Italicis commode abitura exiſtimabatur. Itaq; cum parua mora interponeretur,præteriit tempus,quo triremes mari illi ſe committere audent. Quia vero & regio ſterilis eſt,& magna annonæ caritas Liſybonæ naſcebatur, miſſi fuerunt Germani Setubalum: & conſilium captum de Italis Sanctarenam in hyberna deducendis. Veruntamen cum Sanctarenam nunciaretur, Priorem non contemnendas copias colligere, Albanus noluit milites illos tanto interuallo à ſe inuicem ſeparare: ſed Italis & Hiſpanis, vt immunes eſſent à pluuiis, quæ ingruebant, hoſpitia aſſignauit in ſuburbiis Liſybonenſibus, ea nimirum vrbis parte,quæ a militibus ſpoliata fuerat. Vexabat interim Prior vna cum ſuis incolas regionis inter Dorium & Minium iniectæ, dum homines vi ad arma capienda adigit. Et quia multi, de ſucceſſu dubitantes metuebant, ne Prioris partes ſequendo ſeipſos in exitium præcipitarent, grauiſſimis pœnis in illos, qui recuſarent, conſtitutis, miſeros ad obedientiam compellebat: ita vt pars vitæ, pars bonis ſuis metuentes ipſi adhærerent: quin imo etiam nonnulli inueniebantur, qui naturali quodam erga eum amore impulſi communem cum ipſo fortunam experiri, & vitam etiam pro eo profundere non recuſarent. Hac ratione coegit ad quatuor, aut 5000. hominum, quorum opera quodammodo frenabat ciuitatem Coimbriam, ne ſe regi Philippo dederet. His comitatus abiit Auerum, vbi cum oppidani armata manu reſiſterent, maiori, quam antea vllo alio in loco, cum ardore dimicauit. Cum enim tormentis quæ habebat, muros concuſſiſſet, oppugnationem,ſed ſine diſciplina militari,inſtituit. Quia autem parum efficiebat, nonnulli ex oppidanis,qui ipſi fauebant,partim verbis,partim vi ciues reliquos in muris defendendis occupatos ita impediuerunt, vt milites Prioris in oppidum irrumperent, nimium tardante

ſubſidio

ſubſidio, q; Pantaleon Sada Portu adducebat. Prior multos ibi in carcerem coniecit, ſpoliauit, occidit: & expilauit, ac deſtruxit obuia quæque. Ob hæc facinora, quæ illi hominum fæci laude digna videbantur, Prioris milites ruſticani tam altos ſibi ſpiritus ſumebant, vt, cum ligonibus, & ſudib. armati eſſent, iactitarent ſe recta Liſybonam ad regnum è manib. Hiſpanorum extorquendum profecturos eſſe. Qua in arrogantia non mediocriter confirmabantur ab Antonio, qui audita regis inualitudine, ſtatim rumorē de morte illius in vulgus ſparſerat: &, vt facilius fides ſibi haberetur, veſtes lugubres aſciuerat. Fiebat de his rebus omnibus certior Albanus, & magis magiſq; intelligebat, quanti momenti fuga Prioris fuiſſet. Non deerant, qui reprehenderent Albanum, q; non ſtatim copias contra Priorem mitteret. Ceterum Dux, qui ea, quæ maximi momenti erant, in tuto collocanda eſſe iudicaret, nolebat diuellere exercitum, quem habebat, donec intelligeret, quonam regis morbus euaderet. Porro Rex, cum aliquandiu vitæ fini proximus fuiſſet, cum publica omnium lætitia melius habere cœpit: &, creſcentibus indies ſanitatis mox recipiendæ ſignis, paulatim priſtinam valetudinem recuperauit. Vnde euaneſcente illo metu, qui omnium animis inſederat, denuo victoria, & actiones Albani hominum ſermone iactari cœperunt. Ceterum gloria, quam ſibi ille comparauerat, vt in omnibus rebus humanis accidit, nō fuit diuturna, & raro tam manifeſtum inſtabilitatis vulgi, & virium inuidiæ exemplum conſpectum fuiſſe videtur, nā ſuperiores omnes laudes ſubito in obtrectationes, atq; adeo apertas calumnias abierunt: ita vt totidem argumenta ad virtutem Albani, & exercitus illius eleuandam inueſtigarentur, quot rationes ante biduum ad actiones eiuſdem prædicandas allegatæ fuerant. Ducebant originem hæ calumniæ vel ab inferioribus belli ducibus, vel ab aliis, exercitum comitantibus, qui, ſiue quod ab Albano in ratione belli gerendi diſſentirent, ſiue priuati commodi conſideratione moti, ſiue, vt aliis placet, hiſce delationib. in regis beneuolentiam ſe inſinuare cupientes, ſcripſerunt, prædas & rapinas fuiſſe maximas, & permiſſu Albani per integrum triduum duraſſe. Dicebant hanc eſſe cauſam, cur Luſitani tam eſſent obſtinati, & tanto odio Hiſpanos proſequerentur: conabanturq; probare Albanum, ſi voluiſſet, auctoritate ſua facile militibus obſiſtere potuiſſe: ſed quia & in ipſum, & in liberos, cognatoſq; (qui non tam de pugna, q̃ de præda ſoliciti fuiſſent) bona ſpoliorum pars redundaſſet, eum ad vim iniuſtam, & rapinas cōniuiſſe, nec cuiuſquam querelis motum fuiſſe, vt in auctores facinorum animaduerteret. Nomina acquiſitionis, prælii, expugnationis oppidorum, & profligationis copiarū hoſtilium, hoc in loco vana eſſe, & improprie ab Albano vſurpari: propterea q; neminem inueniſſet, qui ipſi ſerio, & fortiter reſiſteret. Neque promiſcuam illam turbam Luſitanorum, qui ab Antonio vi coacti fuerant, nec populum ſimplicem, quem ſacerdotes in confeſſionibus, & pro concione deceperant, exercitum appellari poſſe, nec illius profligationem victoriæ nomē mereri. Sane ita cœca eſt inuidia, vt quantumuis duo exercitus mutuo ſe crebris ictibus tormentorum petiiſſent: ab vna parte pons, ab altera vallum oppugnatū, equitatus & peditatus Luſitanicus fuſus, hoſtis in fugam coniectus, vexillum regium cum multis aliis captum fuiſſet, deniq; mille amplius milites occubuiſſent: tamen prælium nullū commiſſum fuiſſe iſti adfirmare non verentur. Quidam, qui Albanum negligentiæ accuſabant, dictitabāt eum, cum conſtituiſſet hoſtem e caſtris eiicere, ſtatim, oppugnatione pontis, & valli inchoata, a manu ſiniſtra alas equitum vlterius extendere debuiſſe, vt nimirum eo facilius hoſtem exitu intercludere, &, ſi fugere conaretur, capere poſſet. Quia vero equitatū in loco tam remoto detinuiſſet, vt fruſtra deinde Priorem aſſequi conaretur, hunc errorem in tam celebri duce nullam omnino excuſationem admittere. Alii dicebant, non eſſe veriſimile eum, ſi voluiſſet, Priorem capere non potuiſſe: nam de equitatu in loco ad hanc rem accommodato locando, etiam duci quantumuis imperito in mētem venire potuiſſe. Ceterum Albanum de induſtria Priori ſpacium euadendi conceſſiſſe, propterea quod, illo elabente, bellum nō tam cito confectum iri probabile eſſet: id q; duces belli expetere ſolerent, qui autoritatem propriam, & priuatum commodum publico bono anteponūt. Addebant alii, Albanum, ſi voluiſſet, etiam Priorem, poſtquam victus effugerat, facile in poteſtate habere potuiſſe. Cum enim Prior ſatis lente progrederetur, oportuiſſe Albanum mittere equitatum, qui eum inſequeretur tanta cū celeritate, quantam Prioris conditio requirebat. Inter tot accuſatores pauci erant, qui pro Albano loqui auderent: pauci amici illū excuſabant, dicendo tempus, locum, & ſtudiū rei ſummam in tuto collocandi interdum non permittere Imperatori, vt omnia ex animi ſententia adminiſtret. Inſequi tū temporis Priorem, non fuiſſe tutum. Nam cum Albanus damna, quæ à militib. certo imminebant, præuideret, & ſi multos ad Priorē inſequendū mitteret, cōtra voluntatē Regis prouinciam ab illis vaſtatā iri: ſin paucos, illos in periculo verſaturos eſſe, cōſideraret, viſum ipſi eſſe parumper expectare, donec victoriæ ardor in animis eorū nonnihil deferbuiſſet, & tū certam exercitus partē ad perſequendum

Priorem mittere: cumq; de hac re cogitaret, interim ſuperueniſſe morbũ Regis, cuius exitum quoad non perſpexiſſet, copias in varias partes diſtrahi è re nõ iudicaſſe. Quantum ad caſtra Prioris, equitatu cingenda, attineret, præterquam q̃ equites pauciores eſſent, quam qui ad hanc rem requirerentur, etiamſi hoc facere potuiſſet, tamen tale quid non decuiſſe ducem prudentem, ne hoſtis ex timido redderetur audax, propterea q̃ ſibi vel pugnandi, vel in hoſtium manus incidendi neceſſitatem imponi videret. Quantum ad deprædationem ſuburbiorum, in non exigua felicitatis parte ponendum, q̃ vrbs Liſybona tam ampla ſuburbia, & à muris nuda habuiſſet. Alioqui enim non niſi difficilime milites contineri potuiſſe, ne in ipſam vrbem irrumperent. imo, vt illa ſarta tecta conſeruaretur, opus fuiſſe re aliqua, in quam feruorem deſiderii, quo tenebantur, euomerent. Et ſicut difficile fuiſſet liberare à rapinis illorũ vrbem: ita nullo modo defendi potuiſſe ſuburbia, in quorum cõſpectu prælium commiſſum fuiſſet. Ridebant eos, qui dicebant partem prædæ ad Albanum rediiſſe, eo q̃ hoc omnium maxime ab ipſius ingenio alienum eſſe videretur. Oſtendebãt, etiamſi ad Luſitanos macula liberandos, & placandos, non conduceret prædicari victoriã, tanquam glorioſam, ſed potius nominari parũ honorificam, vtpote quæ ex exiguo hominum pauperum, ſeditioſorum, monachorum, apoſtatarum, & ſeruorum fugitiuorũ numero reportata fuiſſet: tamen eã difficulter celari. negari enim non poſſe, Antonium habuiſſe magnas copias, in caſtris loci natura munitis: & inter ceteros illi adfuiſſe multos ex nobilitate, eoſq; vt odio Regis Philippi, ita ipſius amore flagrantes, quæ res facile illorum imperitiam compenſaret. Non eſſe veriſimile exercitus, in quibus hæc concurrunt, tam facile cedere, aut in fugam ſe coniicere, niſi res ipſis ſit cum duce virtute, & iudicio præſtanti, qui partim vi, partim arte illos vincat, atq; diſſipet. Adducebant multas rationes, cur non eſſet credibile Albanum conſilium regi ſuo adeo damnoſum cœpiſſe, vt bellũ ducendo eo diutius potiretur imperio. Etſi enim in antiquis rebuſpublicis ciues nobiles militatũ abeundi, & imperatorum munere fungendi cupidi eſſent, vt nimirum ita Senatus imperio aliquandiu ſeſe veluti ſubtraherent: tamen longe aliam eſſe rationem in hodiernis principum imperiis, vbi melior eſt conditio eorum, qui nũquam à regum latere diſcedũt, quam eorum, qui ab illis remoti ſunt. Addebant, cõſiderandam eſſe ætatem, fidem & experientiam Ducis Albani, eamq; in ſententiam multis tum veteribus, tum recentibus exemplis adductis, concludebant veriſimile eſſe, illum, nulla priuatæ ſuæ dignitatis, ſiue vtilitatis ratione habita, regi operam fidelem, pro viribus nauáſſe. Quamuis autem hoc pacto nonnulli Albanum excuſarent: tamen ex hominum animis ſiniſtræ ſuſpiciones penitus euelli non poterant. Tam facile ſors mutatur in hac mundi tragœdia, vt ille imperator, qui præcedenti ſeptimana, triumpho & gloria inſignis fuerat, lecto adfixus, & apud regem in crimen vocatus, animi mœrore cõficeretur: vt exercitus propemodum diſſiparetur, fame & multis incommodis laborans, peſte infectus, & propter rapinas ac facinora (quorum quædam vera, quædam ficta erant) infamis: ita vt milites illi mœſti, adflicti, irati eſſent, &, ſola inſolentia excepta, in reliquis victi potius, q̃ victores eſſe viderentur. Præcipui etiam ductores vultu facile prodebãt, ſe de omni laborũ ſuorum remuneratione deſperare. Itaq; illi, qui ſedes in Luſitania collocare, & partem bonorũ confiſcatorum à rege præmii loco impetrare conſtituerant, ſpe ſua fruſtrati fuerunt. Rex enim contrarium omnino apud animũ propoſuerat: nimirum moleſtiarum, quas Luſitani ipſi exhibuerant, memoriã deponere, & non tantum inobedientib. veniam concedere, ſed etiã beneficiis affectos benigne, inſtar filiorum, habere. Exiſtimabatur vulgo fore, vt rex, de fuga Prioris, & de vrbe Liſybona in poteſtatẽ redacta certior factus, ſtatim eo properaret, & beneficiis, ac largitionib. animos Luſitanorum ſibi conciliando, mitigaret indignationẽ, quam ipſis rapinæ & iniurię militũ commouerant. Veruntamen licet iam deliberaſſet de itinere Eluas inſtituendo, & regnũ tanquam Rex Luſitanię ingredi cuperet: tamen conſilium mutauit, propter peſtem, quę in variis regni locis graſſabatur. Interea operã dedit, vt in poteſtate haberet omnia reliqua loca non Luſitaniæ tãtum, ſed etiam ab ipſa dependentia. In Africam inde vſq; ab illo tempore quo exercitus ad fines Luſitaniæ peruenerat, miſerat, qui ad deditionem illa loca adhortarentur: ſed cum eodẽ tempore Antonius & ipſe ad præfectos ſcripſiſſet, & res eius adhuc ſatis bono loco eſſent: incolæ illorum oppidorũ, de imperio Philippi accipiendo nihil dũ certi conſtituerant. Itaq; victoria obtenta, denuo eo aliquos è miniſtris ſuis miſerat. Cum enim illæ arces & oppida, vtpote Hiſpaniæ adeo vicina, eſſent maximi momenti, verebatur ne Antonius, ſi diutius in fide erga illum manerent, pernicioſum aliquod de iis conſilium caperet. Promiſſo itaq; præfectis præmio obtinuit, vt ipſum pro domino agnoſcerent, ita tamen, vt alii aliis eſſent obſtinatiores: & ita nulla omnino re mutata, iiſdem præfectis, & iiſdem præſidiis illa loca cuſtodienda permiſit. Inſulæ Terceræ ſolicitũ Albanum habebant, quod exiſtimaret, magni referre, vt in poteſtate Regis eſſent. Itaque feruente etiamnum

victoriæ

victoriæ fama, de legatis nomine regis, & vrbis Liſybonæ eo mittendis cogitabat. Verum cum Badagiozii à cõſiliariis Regiis res in deliberationem vocata, & bene perpenſa fuiſſet, decretum fuit pręſtare, totum hoc negocium à ſolis Luſitanis, nullo Hiſpano interueniente, expediri. Qua de cauſa Rex Liſybonam ad Eduardum Caſtelblãcum ſcripſit, vt re cum Albano communicata, ipſe tanq̃ Luſitanus, aliquem in inſulas mitteret: ſed Eduardus nihil certi hac in re conſtituit. nã cũ nuper ſupremus quæſtor factus eſſet, animaduertit Eduardum Borgeſium, quem Albanus huic legationi deſtinarat, obſtrictum eſſe ad reddendas rationes certæ pecuniæ ſummæ, quæ ad coronam ſpectabat. Itaq; non exiſtimauit è re eſſe vel illum ablegare, vel alium in eius locũ ſubſtituere. Albanus interim certior factus regem conualuiſſe, relicta cura inſularum ei, cui commiſſa erat, noluit longiores nectere moras, in parte exercitus contra Priorem mittẽda. Et quamuis anni tempus eſſet ſatis incommodum, tamen 22. die Septembris eo ablegauit Sancium Auilam cum quatuor millibus peditum, & quadringentis equitibus, qui ſtatim Coimbriam verſus iter facere cœpit: cumq; paulo poſt intelligeretur, multos milites in itinere mori, multos in Hiſpaniam aufugere, & propter pluuias immoderatas cum maxima difficultate Auilam quatuor tormenta maiora ſecum vehere, Albanus illi adhuc mille quingentos pedites, duce Iacobo Cordubenſi, ſubſidio miſit: & parari iuſſit naues, quibus aliquot tormenta maiora in illas partes mari deueherentur. Auila cum copiis ſuis prima caſtra habuit Loureſii: inde mouit Turres veteres, vbi fracto plauſtro, vnũ ex tormentis relinquere coactus fuit. Ex eo loco recta Coimbriam cõtendit, tranſiens per Gibarotã, vbi vidit trophęa memorabilis illius victorię, quam Luſitani in eo loco ex Caſtellanis olim reportarũt. Inde duas turmas equitũ miſit Coimbriam, quæ antequam equitatum conſpexiſſet, deditionem facere noluerat: ſed veniente equitatu, ſtatim cum clauibus ciues exierũt: & Emanuel Soſa Pacecus generalis exercitus Commiſſarius, in vrbem, iuramentum fidelitatis nomine regis recepturus, introiit. Prior cum hac de re certior factus eſſet Aueri, noluit ibi expectare Sanciũ Auilam: ambigens, vtrum naui conſcenſa, regno excedere deberet, nec ne. Verum cum accepiſſet litteras à quibuſdam ciuibus Portus, qui promittebant ſe illum recepturos, ſi, quantis maximis poſſet, copiis comitatus veniret, iter inſtituit verſus illam ciuitatem, de qua, quia hactenus nullã fere mentionem fecimus, cum tamẽ ſit vna ex primariis, re paulo altius repetita, quis ipſius ſtatus in hiſce tumultibus fuerit, oſtendemus. Ciues Portenſes, qui inter Luſitanos prudentiſſimi habentur, eo tempore, quo nunciatum erat, regem Hiſpaniæ bellum parare, & quo Gubernatores imperabant, miſerant in aulam, qui arma, & cetera ad bellum neceſſaria peterent, vt ſi opus eſſet, ſeſe contra vim iniuſtam tueri poſſent. Ceterum cum ipſorum legati Almerinum perueniſſent, intellexerunt gubernatores Setubalum diſceſſiſſe, & Priorem regẽ eſſe ſalutatum. Itaq; mandata, quæ ipſis à ſuperioribus ad gubernatores data fuerant, iniuſſu eorundem nouo regi expoſuerunt: à quo etiam arma & reliqua, quæ petierãt, impetrarunt: cumq; hæc ſecũ Portum deportaſſent, nata eſt diſcordia inter ciues: quorum alii, Antonii ſtudioſi, factum legatorum adprobabant: alii ſeueriores, q; cum ad Gubernatores miſſi eſſent Priori mandata expoſuiſſent, illos pœna dignos eſſe dicebant. Itaq; altera pars arma, & reliqua accipere volebat, iiſq; vti, ſi opus eſſet, q; diceret non eſſe illa reſpuenda, ſi vel ab hoſte venirent: altera autem omnino recuſabat, quod iudicaret hoc pacto Antonium agnoſci pro rege, & ſuſpicionẽ moueri Regi Catholico: quorum neutrũ committendum, nec alterutri parti fauendũ, ſed rei exitum expectandum eſſe iudicabant. Verum cum maior pars eo inclinaret, ne arma acciperentur, de conſilio Pantaleonis Sadæ, Ferdinandi Nunezii Barretti, & Ioannis Roderici Sadæ (quorũ maxima erat in tota ciuitate auctoritas) legati tormenta, & ceteras res ad ea pertinẽtes depoſuêrunt in arce Feriæ, nõ procul à ciuitate, quæ hoc pacto tormẽtis nudata remanebat. Verũ vbi Albanus prope Caſcaiſium militẽ expoſuiſſet, ante prælium Alcantaranum regi iuramentũ fidelitatis per legatos præſtiterant. Prior porro, cum in eas partes perueniſſet, occupârat hæc tormẽta, & illorum beneficio muris Aueri diuerberatis, Portum profectus erat. Etſi autẽ nonnulli ex ciuibus atrocia conuitia in eum euomuiſſent, ita vt veriſimile eſſet, eũ nec pacta, nec tranſactiones vllas admiſſurũ: tamen cum maior pars illum recipiendũ iudicaret, ſumma cum lætitia intromiſſus, & ſub pallio, vt vocãt, exceptus fuit magno populi cõcurſu. Pantaleon autẽ Sadã & ſocii, pręuiſo populi animo, nec remedio vllo adhibito, q; dicerent ſibi non obediri, exiſtimarunt ſe ibi tuto cõmorari non poſſe, & ita cõſcenſa naui primũ in Galiciam, & deinde Liſybonã ſe contulerunt. Subſtitit ibi Prior per decẽ dies, & domus quorundã ciuium, ſibi inimicorũ, prædæ expoſuit: magnã ſaccari copiam mercatorib. vi extortã, in Gallias miſit: à ciuibus 100. millia ducatorum ſibi mutuo dari petiit: cumq; intelligeret Auilã cum copiis adpropinquare: Coimbriam, Montem maiorẽ, & aliquot alia oppida illi claues obtuliſſe:

miſit Epiſcopum Guardenſem Vianam, & ad Pontem Limæ, vt maiores copias, ad hoſtem fluminis traiectu prohibendum, colligeret. Interim Albanus Liſybonæ cum magna moleſtia, & animi anxietate viuebat. Videbat enim Luſitanos longe arrogantiores, quam vnquam antea, ab Hiſpanis diſſidere, & ſe à rege nullam licentiam habere in contumaces animaduertendi, ita, vt par erat, & vt alibi facere conſueuerat: Priorē adhuc cum copiis circūuagari: in vrbe quotidie multas rixas inter Luſitanos & Caſtellanos naſci, & has duas nationes mutuo odio ita flagrare, vt facile maior aliquis tumultus inde oriri poſſe videretur. Quantumuis autem Hiſpanis expreſſe iniunctum eſſet: vt patienter iniurias ferrent: tamen non erat hoc in ipſorum poteſtate. Cum enim hoc Albani mandatum Luſitani ex metu proficiſci putarent, indies magis magiſque inſoleſcentes conuitia ſpargebant, & Hiſpanos ad pugnam mira cum petulantia prouocabant. Albanus itaque, vt his incommodis aliquod remedium adferret, iuſſit muniri aliquo modo arcē, quæ in vno è collibus ciuitatis ſita eſt, antiquiſſimi operis: & in eam maximam partem militū collegit, vna cum tormentis, commeatu & reliquis inſtrumentis bellicis: & ita militibus remotis à portis vrbis, ad quas excubabant, & vbi in odium vulgi incurrebant, & rebus ſuis in tuto collocatis, paulatim iracundiam Luſitanorum mitigauit. Sancius Auila interim appropinquauerat Auero, vbi extra muros obuiam illi progreſſi ſunt primarii ciues, qui præ gaudio lachrymas nō tenebant: ſed ante omnes geſtiebant complures, qui hactenus in carcere detenti, & in vitæ periculo fuerant, propterea quod ſe Antonio oppoſuiſſent. Exacto à magiſtratu fidelitatis iuramēto, cum intelligeret Priorem Portum profectū, eum inſecutus eſt. Erat enim auidiſſimus manus cū illo cōſerendi, præſertim cum iam veniſſet Iacobus de Corduba cum militibus, nuper ab Albano ſubſidio miſſis: ex quibus tamen multi vel mortui erāt, vel aufugerant, ita vt ad quingentos redigerentur. Habuit caſtra in diuerſis locis, & agricolis ſtudioſè pepercit: cumq; perueniſſet Riſanam Sāctæ Mariæ, quæ quindecim miliaribus diſtat à ſiniſtra ripa Dorii (in dextra autē ſita eſt ciuitas Portus) cogitare cœpit de ratione fluminis traiiciēdi, quod ad hoſtem vincendum hoc omnium maximū impedimentum eſſe exiſtimaret. Sciebat flumen eſſe rapidiſſimū, ferri inter montes aſperrimos, nec vſquā vado tranſiri: Adducebat ille naues aliquot plauſtris impoſitas, quas in flumē demitteret. & quanquam eſſent paucæ, tamen beneficio illarum ripam perueſtigari, & alias reperiri poſſe ſperabat. Verum naues longitudine itineris, & carrorū concuſſione, ita quaſſatæ fuerant, vt fatiſcerent, & fere inutiles viderentur. Itaque motis caſtris ad monaſteriū Griſum, quod aliquanto propius eſt flumini, Auila alias naues quæri iuſſit, ſed nullæ inuentæ fuerunt. nam præterquā quod Prior edicto vetuerat, ne quæ nauis ex dextra ripa ſolueret, etiam tres, aut quatuor lembi armati, per flumen huc illuc circumuagabantur tranſitus impediendi gratia. Itaque Auila maiori quam ante, cum diligentia miſit, qui in omnibus locis, tum vicinis, tum etiam nonnihil remotis, quotquot inuenirent, captas ſibi adducerent. Et ſane voti compos factus fuit. Etſi enim nullæ inueniebantur in locis vrbi vicinis: tamen in ſuperiore fluminis parte, quo Luſitani Hiſpanos penetraturos nō putabant, complures inuentæ, & adductæ fuerunt. Ad has acceſſerunt illæ, quæ venerunt Maſſarellis, oppido in ſiniſtra ripa ſito: cuius incolæ Priori irati, propterea quod ipſorum, tanquam inobediētium, ædes cōburi iuſſerat, cum mulieribus, ac liberis in nauiculas impoſitis, ad caſtra Hiſpanorū confugerant. Adiumento etiam fuit, quod cū Antonius Serranus, vnus ex illis ductoribus, quos Auila naues conquiſitum emiſerat, fere ad oſtium fluminis vſque progreſſus, nullam inueniret, forte vna, quæ ad ripam adpellere non audebat, è longinquo conſpecta, & militib. quos habebat, in inſidiis collocatis, & omnib. veſtibus de induſtria detractis, ſe ab Hiſpanis ſpoliatum finxit. Cum enim nautas, explorator quidam Luſitanus, (quem prope ſe abſcondiderat, ita, vt ab illis conſpici non poſſet) inclamaſſet: illi ad ripam appulerunt: & Serranus in eam ingreſſus diſploſit paruulum ſclopetum, quod abdiderat, & ita non tātum nautas perterrefecit, verum militibus in inſidiis collocatis ſignum prorumpendi dedit: cumque hi aduolaſſent, Serranus ſubito in poteſtatem ſuā redegit nauiculam, & illius beneficio adhuc duas aut tres, ſatis paruas, quæ erant in vicinia: atque ſic in vniuerſum erant trigintaquinque, quibus bona pars exercitus flumen traiicere poſſe videbatur. Ardebat deſiderio quāprimū traiiciēdi Auila, ſeq; nō incōmode id facere poſſe exiſtimabat ſed omnib. reliquis ductoribus hoc conſilium temerarium eſſe videbatur. neque enim flumen vllo in loco nauibus tranſiri poſſe credebatur, niſi prope Petram Salſam, vbi erat traiectus ſolitus, ſed quem hoſtis munitum præſidio firmauerat. In reliquis enim partibus ripæ aſperitas tranſitum impediebat. Vnde fiebat, vt hoſtis decipi nō poſſet, licet fingerēt, vt fieri ſolet, ſe in vno loco traiecturos, & poſtea in alio traiicerent. Dicebant nauiculas eſſe paucas, & nautis non optime inſtructas. Et quamuis fortaſſe bonam partem

peditum

peditum capere poſſent: tamen in iis non eſſe locum equitatui qui neceſſario in citeriori ripa relinquendus eſſet, id quod tamen è re non futurum videbatur. Præterea in ripa vlteriore, non tantum eam partem, ad quam traiici poſſet, tormentis & vallo munitam eſſe, ſed etiam magnam peditum, & equitum multitudinem ibi conſpici. Qua de cauſa tranſitum fluminis non ſine manifeſto periculo tentari poſſe, & conſultius, videri, adhibere diligentiam in commeatu conquirendo, & non nimium in traiiciendo flumine properare, propterea quod Regis pluris intereſſet, rei ſummam in tuto collocari, quam feſtinari. Satis intelligebat hæc incommoda Sancius Auila, ſed duæ res erant, quæ ipſum ad tranſeundum adigebant. Prior erat penuria commeatus, quæ in horas creſcebat. Altera, quod intelligeret, Eduardum Lem ſium, Martinum Lopezium Azeuedum, & Antonium Suſam Coutignum, qui Prioris partibus ſtudebant, cum copiis, quas collegerant, illi ſubſidio venire conſtituiſſe: id quod impedire cupiebat: & adhæc omnia accedente Luſitanorum contemptu, qui ex ſuperioribus conflictibus natus erat, omnino ſibi traiiciendum iudicabat. Quamobrem exercitum in ripam fluminis duxit: cumq; eo in loco à Luſitanis propugnaculum quoddam prope oppidum Gaiiam extructum videret, exiſtimauit ſe neceſſe habiturum illud oppugnare, & nonnihil temporis ibi conſumpturum: ſed minus opinione ſua negocii ſuſtinuit. Cum enim Petrum de Sotomaiori cum aliquot equitibus ad ſitum propugnaculi contemplandum miſiſſet, præſidiarii, ſclopetis ſemel in equites diſploſis, & propugnaculo deſerto, in ciuitatem ſe receperunt: & ita in citeriori ripa omnibus obſtaculis ſubmotis, nihil reliquum erat, niſi vt Auila de ratione aliqua quam minimo cum incommodo traiiciendi cogitationem ſuſciperet. Perluſtrauit itaque totam ripam ſuperiorem, ſi forte in aliquem alium traiectum incideret: cumque omnia aſpera, immo, prærupta deprehenderet, nullum locum vel mediocriter commodum inuenit, niſi Auintreſii, ad duo à caſtris milliaria: vbi (quamuis difficulter) ab vtraque parte, & nauiculæ conſcendi, & in ripam euadi poterat. Cum itaque eo in loco traiicere conſtituiſſet, in caſtra reuerſus conſilium ſuum detexit, & quia nonnulli hoc improbant, conuocatis omnibus, in hanc ſententiam locutus eſt. Miramini fortaſſe, quod ego craſtino die cum toto exercitu hoc flumen traiicere conſtituerim, propterea quod res difficultate & periculo non caritura videtur. Puto enim anni tempus incommodum, ripæ aſperitatem, hoſtium armatorũ in oppoſita parte multitudinem, & munitiones vos mouere poſſe, vt de victoria dubitetis: præſertim cum ab illis numero longe ſuperemur. Verum enimuero quandoquidẽ vbi minor eſt, metus, ibi etiã minus periculi eſt, libet mihi demonſtrare, nullũ hìc periculũ metuendum, ſed potius inſtitutum meum cum certiſſima & gloriæ & vtilitatis ſpe eſſe coniunctum. Superiores dubitandi rationes omnes (ſi forte vobis ob oculos verſantur) ſunt vanæ. Tempus enim nocere nobis non poteſt, cum vnda fluminis ſit tranquilla: ripæ ſatis nobis loci ad tranſeundum relinquant: & munitiones hoſtium tam infirmæ ſint, quam hactenus omnis eorum defenſio imbecilla fuit. Eſtote memores, vos cum triremibus Setubalo ſoluentes, in ripam expoſitos fuiſſe ad Caſcaiſium, vbi iidem iſti hoſtes ſub celeberrimo totius Luſitaniæ duce caſtra commodiſſimo loco poſuerant: & tamen illos non ſolum exſcenſionem militum non prohibuiſſe, ſed etiam vix cõſpectum noſtrum tuliſſe. Scitis enim illos, nobis pene non viſis, turpiter præcipuum totius regni locũ deſeruiſſe. Recordamini, cũ tota Luſitania cũ pſeudorege ſuo Alcantaræ caſtra in loco natura, tormẽtis aliiſq; rebus munitiſſimo haberet, nos in conſpectu Luſitanorum arcẽ S. Iuliani tormentis maioribus conquaſſatam in poteſtatẽ redegiſſe, cum interim illi non tantum arci ſubſidio nõ venire, ſed ne quidem ad velitandum prodire auderent. His autem rebus geſtis, cum deinde recta ad exercitum Luſitanorum contendiſſemus, ſimulatq; in cõſpectum illorum venimus, teſtes vos omnes eſtis, milites Luſitanos de nulla re magis quam de fuga ſolicitos fuiſſe. Exiſtimatiſne igitur, obſecro, partẽ illius exercitus maxime imbecillam, & timidã, quæ in vlteriorem huius fluminis ripã ſe recepit, plus negocii exhibiturã, quam vniuerſæ copiæ exhibuerint? Duo ſunt, quæ nobis in hac expeditione, tanquam ſcopum, proponere debemus. Alterum eſt vtilitas Regis: alterum honor, & gloria noſtra: & ſane fortuna, vt vtrumq; eo facilius cõſequamur, manifeſto nobis aſpirare videtur. Si enim hoſtes conſediſſent in loco tali, vt inter ipſos, & nos nihil obſtaculi interiectum eſſet: exiſtimarem ſane nec admodum præclare nos de rege merituros, nec adeo magnam gloriam conſecuturos eſſe, ſi illos vinceremus. Nam quid vel vtilitatis, vel laudis expectari poteſt ex debellatione reliquiarum exercitus illius, quẽ integrum & vallo, foſſaq; cinctum tam paruo negocio fudimus, fugauimuſque? equidem nihil. Verum fortuna nobis, vt dixi, ita indulget, vt Antonius, hoc flumine, & hac ripa veluti ſcuto quodam contra nos ſe protegere, & hic nos expectare conſtituerit: & opinio cõmunis ſit, eum ex hoc loco R. M. in iuſta regni poſſeſſione turbare poſſe: nimirum,

vt nos, ſi illum profligamus, eo maiora præmia conſequamur, quo difficilius videtur negocium: quod tamen non maiori cum difficultate coniunctum fore puto, quam ſuperiora omnia, quæ in hoc regno feliciter confecta fuerunt, dummodo vos ſitis adhuc iidem illi, qui ante paucos dies eratis. Nolim tamen vos exiſtimare me ſoli veſtræ virtuti huiuſmodi victorias acceptas ferre. Credo enim bonitati cauſæ quam R. M. & iniquitati eius, quam Antonius fouet, tutius illas tribui poſſe. Quis eſt, qui ignoret regnum hoc ad regem noſtrum iure ſpectare? Quod eſt tribunal in vniuerſo mundo, quod non ſponte ſua pro rege ſententiam tulerit? Quis autem contra eſt, quem fugiat, quam tyrannice Antonius nomen regium ſibi arrogauerit, & quam parum iuris in hoc regnum vere poſſit prætendere? quis ignorat eum eſſe nothum, & tantæ dignitatis incapacem? De his apud omnes conſtat. Qua de cauſa Deus iuſtiſſimus per noſtram manum caſtigare vult illum, qui pœnam meruit: nec hos, qui iniuſtam cauſam fouent, quidquam iuuat vallum, flumina, munitiones. Conſcientia enim maculata non tantum animi vigorem debilitat, ſed etiam vires omnes enervat. Iuſtitiæ regis, & virtuti noſtræ non ſolum hoſtes tam imbecilles reſiſtere non poſſunt: verum etiam illæ ſuperarent longe maiores difficultates, quam ſint hæ, de quibus agimus: id quod vos & hactenus experti eſtis, & craſtino die, Deo iuuante, experiemini. Hæc oratio, & ducis auctoritas, quæ apud militem magna erat, effecit, vt conſilium ipſius ab omnibus approbaretur. Itaque Sancius Auila in noctem, & diem ſequentem hæc conſtituit. In ripa vrbi oppoſita iuſſit collocari tormenta maiora, quę habebat, idque in loco, quoad eius fieri poterat, commodo, ad ripæ contrariæ partem illam, vbi traiectus erat, defenſoribus nudandam, & hoſtem offendendum. Relicto caſtris præſidio ex Germanis & Hiſpanis, decreuit cum tertia parte exercitus, nauium, & equitum de nocte redire ad traiectũ, quem inuenerat: & milite, beneficio nauium in oppoſitam ripam expoſito, hoſtes à latere adoriri. Iuſſit reliquam partem exercitus, ductu Roderici Sapatæ, reſiduas naues ad Petram ſalſam conſcendere, & ſingulas naues quantum poſſent numerum equorum per capiſtra alligatorum, & natantium, vna traducere: & fingere ſe cupere traiicere, vt hoſtis huius rei metu occupatus detineretur: ſimulq; interdixit, ne plane in alteram ripam traiicerent, niſi cum à reliqua exercitus parte, quam ille ad traiectum ſuperiorem ducturus erat, in Luſitanos impetum fieri viderent. Hæc omnia dexterrime ita facta fuerunt. Luſitani enim rei bellicæ imperiti, ſtrategemati adeo peruulgato neſciuerunt occurrere. Sancius itaq; Auila, cum ad vlteriorem ripam appuliſſet, hoſtem tam parum pugnacem offendit, vt quamuis eo aliquot ſigna peditum contendiſſent: paruo tamen negocio in ripam euaderet, ita quidem, vt, quia nauiculæ non omnes milites ſimul capere potuerant, primi, qui in terram deſcenderant, antequam ceteri venirent, prælio cum Luſitanis inito, & decem aut duodecim occiſis, reliquos omnes fugarent. Non putabat Prior Hiſpanos tam cito traiecturos: ſed cum intellexiſſet, quo pacto hoc aſſecuti eſſent, & quam male à ſuis pugnatum fuiſſet, re nondum ſatis diuulgata, primarios ciues, quos conuocari iuſſerat, in hanc ſententiam allocutus eſt. In more poſitum eſt tyrannis, vt cum ius ſibi deficere animaduertũt, ſub alio prætextu ad vim ſe conuertant: & hanc in illius locũ ſubſtituant, quo eo facilius voti compotes fieri poſſint. Econtra iuſti & clementes Reges non tantum iuſtitiæ ſe ſubiiciunt: ſed etiam ad ſubditorum voluntatem ſtudioſe ſe accommodant. Ego, qui ab eo tempore, quo Rex Sebaſtianus ſine liberis deceſſit, ſemper paratiſſimus fui, primus omnium agnoſcere imperium illius, cui per iudicum ſententiam regnum adiudicatum fuiſſet, quieui; donec, Philippo de iure ſuo deſperante, & bellum parante, vobis me regem, & defenſorem nominare viſum fuit. Suſcepi hoc onus non tam (ita Deus Optimus Maximus libertatem noſtram nobis conſeruet) cupiditate regnandi, quamq; neminem viderem, qui vobis ſincero cũ amore pręeſſe poſſet. Qualem ego me geſſerim, quid acciderit, vos ſcitis: ſcitis me vos in omnibus rebus non tam ſubditorum, quam ſociorum loco habuiſſe. Sane temporis anguſtia non permiſit: vt nobis de rebus ad bellum gerendum neceſſariis proſpiceremus. Nam ſimulac rex ſalutatus fui, hoſtis, qui omnia parata habebat, qui iam varias inſidias nobis ſtruxerat, qui multo ante de re tota, & deliberauerat & ſtatuerat, arma iugulis noſtris intentauit. Itaq; res neceſſariæ, quæ conquiri cœperant, & auxilia à principibus Chriſtianis promiſſa, in tempore præſto non fuerunt: vnde hi infelices noſtri ſucceſſus promanârunt. Semel pene inermes cum hoſte congreſſi ſumus. Si vobis animus ſit denuo prælii fortunam tentare; facite, vt lubet: Sed ego id conſultum non puto. Cum enim hactenus me in periculum aliquoties coniecerim, & hoc meo pectore, tanquam ſcuto vos quoad eius fieri potuit, protexerim: non puto rationi conſentaneum eſſe (niſi forte vos id ſuadeatis) vt denuo vos, & meipſum dubio incerti prælii euentui exponam: in quo quantumuis ſuperiores eſſemus, tamen, quod cupimus, non conſequemur, neque ſtatim hoſtem regno

vincere poſſemus. Sin vero ſuccumberemus, amitterẽ ego ſpẽ omnem, q̃ concepi, vos intra breue tẽporis ſpatiũ à iugo ceruicibus veſtris imminẽti, liberãdi. Sit mihi teſtis Deus Opt. Max. me quidquid feci, quidquid ſum facturus, feciſſe & facturũ eſſe veſtra tantum cauſa, & vt conſeruetur æqualitas iuſtitiæ, cui iam vis infertur ab omnium acerrimo totius Luſitaniæ hoſte. Scio vos mihi fidem habere: ſed ſi quis forte de veritate verborum meorũ dubitat, ille velim cogitet, me quidem, ſi veſtrę vtilitati meam prętuliſſem, potuiſſe frui quiete, diuitiis abũdare, cum rege Philippo tranſigere, qui me toties pollicitationibus immenſis tentauit, vos autem hoc pacto in ſeruitutem redactos mancipiis ſimiles futuros fuiſſe: vt accidit omnibus populis, qui regem eiuſdem nationis non habent. Sed abſit, vt vnquam priuata mea anteponam commoda vel veſtræ, vel publicæ huius regni vtilitati, cuius incolæ tanto maiores meos amore ſunt proſecuti. Ego fortaſſe ad tempus ceſſurus ſum vi iniuſtæ, qua iam opprimor: ſed nunquam vel de regno, vel de iure meo decedam: imo nouis armis, nouis viribus collectis, ſpero me actionem meam ita redintegraturum, vt breui in lætitiam conuertam mœrorem illum, quem in vultu veſtro agnoſcere mihi videor. Illa arma, illi apparatus bellici, illi milites, qui iam præſtò non fuerunt, alias præſto erunt. Et, ſi humanum eſt calamitoſorum hominum cõmiſeratione adfici, ſpero fore, vt mei, qui tam iniuſte opprimor, miſericordia, non tantum humaniores, ſed etiam ferociſſimæ quæque totius mundi nationes moueantur. Certo ſcio vos amorem, quo ſemper & me, & maiores meos proſecuti eſtis, infelici rerum ſucceſſu imminui nullo modo paſſuros: & ego tali viatico inſtructus ſum, vt, quantumuis aliquandiu forte à vobis abfuturus ſim, tamen breui me ad vos rediturum, meaſque vires cum veſtris ad vtilitatem & gloriam veſtram, & ad hoſtium interitum & dedecus, coniuncturum eſſe confidam. Hæc oratio auditorum animos ita adfecit, vt multi lachrymas non tenerent: nec quiſquam vel verbum reſpondere poſſet. Itaque Prior, conuentu dimiſſo, paulo poſt cum intimis amicis pene clam abiit, paucis de diſceſſu ſuo admonitis: & profectus ad monaſterium Aroucæ, inde itineribus obliquis per Vairam, & Barcellos Vianam ſe contulit. Sancius Auila interea, traiectis omnibus copiis, & Luſitanis è ripa oppoſita depulſis, recta ad vrbem contendit. Porro ciues, conſilii à Priore capti ignari, & multos milites adeſſe videntes, conabantur reſiſtere, & quantum poterant, globis tormentorum Hiſpanos aduentantes propellebant. Auila cum loco, in quo tormenta Luſitanorum collocata erant, adpropinquaſſet, eodem momento etiam Rodericus Sapata, qui nemine prohibente militem expoſuerat, ſuperuenit. Ceterum Luſitani ita erant de fuga ſoliciti, vt ne vnus quidem hoſtem expectaret. Sancius aliquandiu fugientes inſecutus eſt, & equitatum miſit, qui illos vlterius proſequeretur. Verum pluuia, & diuerticulorum varietas in cauſa fuit, vt & Luſitani eo commodius elabi poſſent, & Hiſpani, paucis cæſis, ſe reciperent. Perſuaſerant ſibi victores Priorem manſiſſe in ciuitate, quippe quæ hoſtis impetum expectatura videretur, & denſam globorum grandinem eiacularetur. Verum interim dum Sancius omnia perueſtigat, partim vt videret, vllæne hoſtium reliquię ſupereſſent, partim vt locum ad oppugnandam ciuitatem commodum deligeret, ciues intellecta Prioris fuga, ſententiam mutarunt. Vnde in mœnibus in ſignum pacis vexillum candidum erectum fuit: certum & victoriæ, & fugæ Prioris indicium. Itaque Auila, equitatum in duas partes diuiſum inſequi Priorem iuſſit diuerſis itineribus, vt eo difficilius elabi poſſet: & deinde magiſtratus ex vrbe egreſſus, iuramentum fidelitatis præſtitit, & portas aperire voluit: ſed iuſſit illas claudi Sancius, ne forte milites, prædæ auidi, irrumperent: & non obſtante hoc illius mandato, parum abfuit, quin ciuitas in damnum incurreret. Cum enim adhuc ibi eſſent quidam ex exercitu Prioris, ingredientibus per vnam portam nonnullis è primariis Hiſpanis, ciues per alteram portam emittere incipiebant milites Luſitanos: quod tamen celare non potuerunt milites quoſdam Hiſpanos, qui extra vrbem erant. Hi itaque per eandem portam ingreſſi (ita tamen, vt Luſitanos exitu non prohiberent) cœperunt ſpoliare aliquot ædes vicinas, & ita facile tota ciuitas prædæ militum ceſſiſſet, niſi, priuſquam alia vexilla peditum ſuperuenirent, Sancius tumultu excitatus, cum inferioribus præfectis accurrens, eorum conatui ſua auctoritate obſtitiſſet. Prior Vianam ingreſſus, cum animaduerteret ſe in regno reſiſtere hoſti non poſſe, naui conſcenſa, in Galliam nauigare conſtituerat: &, quanquam illa iam parata eſſet, tamen propter ventum contrarium adhuc ibi hærebat. Interim pars equitatus, qui eum Vianæ eſſe intellexerat, eo peruenit: cumque contra hunc ciues arma pararent, præfectus equitum dixit, niſi deditionem facerent, fore vt exercitui vicino, & intra biduum, aut triduum adfuturo, prædæ eſſent. Ciues hoc ſermone perterriti, deditionem ſalua vita, & facultatibus, fecerunt. Porro equitatu ad vrbem aduentante, Prior, ſe in periculo, & cum amicis

dubiæ fidei verſari, & ab exercitu nudũ eſſe, animo reputans, decreuit potius cum mari & ventis, quã cum hoſte certare: Et ideo cum epiſcopo, & reliquis aſſeclis ſuis nauẽ conſcendit, ſperans interim dũ ciues hoſti reſiſterent, & antequam Hiſpani illum eo in loco eſſe intelligerent, fore, vt aura, quantumuis lenis, ſe paulisper à littore in altũ propelleret. Verum cum fortuna, (vt cũ vulgo loquar) ipſum premendo nondũ exſaturata eſſet, non tantũ maris cõmotio, & ventus contrarius magis magiſq; creuit, ſed etiam durauit tam diu; vt Hiſpani in vrbem admiſſi, & Antonium in illa naui eſſe certiores facti, ſeſe ad eum inſequendum pararent, & pene pro iam capto haberẽt. Ceterum Prior de re tota admonitus, & periculi, in quo erat, magnitudinem conſiderans, inter eos, qui aderant, monetã argenteam (cuius non magnã ſummam habebat) diſtribuit, & nautæ habitu aſcito, aſſumptiſq; rebus pretioſiſſimis, cum Comite Vimioſio, Epiſcopo & reliquis intimis, in ſcapha ingreſſus non ſine pręſentiſſimo vitę periculo adpulit ad ripã Minii fluuii, ciuitati oppoſitam. Quod cum animaduertiſſent Hiſpani, conati ſunt, ſtatim è veſtigio illum inſequi: ſed quia Minius in eo loco vado non tranſitur, antequã illi naues conſcenderent, Antonius elapſus eſt, amicorum, & nonnullarum rerum cariſſimarum iactura facta, ſed ſalua bona parte lapidũ pretioſorum, quos veſtibus inſuerat. Sane inuenta poſtea fuerunt in Hiſpaniis aliquot fruſta pretioſiſſimarum illarũ phalerarum, quarum mentionẽ fecimus, apud militem quendam Hiſpanum, qui ſe illa, fugiente Priore, cuidam ipſius mancipio abſtuliſſe dicebat. Veruntamen Rex hominẽ ſuſpectum habens, quaſi Antonium à ſe captum, lytro illo accepto, dimiſiſſet, eum ſatis diu in carcere detineri iuſſit. Videbatur fortuna Antonium fugientẽ adiuuare, fortaſſe ad maiorẽ iſtius Regni adflictionẽ. Nam eo ipſo momento, quo ex nauicula in terrã egrediebatur, venit in eandẽ ripam pars equitatus, qui ipſum inueſtigabat, quiq; facile illũ capere poterat, ſi eũm tam prope eſſe exiſtimaſſet. Verum cum hi equites in oppoſita ripa reliquam partem equitatus naues conſcendere, fluminis traiiciendi cauſa, viderent, nec propter diſtantiam ſatis dignoſcere poſſent, ſociine eſſent, an hoſtes, & quem in finem traiicere conſtituiſſent, dubii & incerti, quid agerent, hæſerunt, & interim Prior in latebras aliquas ſe abdidit. Et quamuis paulo poſt ex vexillis ſocios adpropinquãtes cognoſcerent, tamen antequam hi, qui in ſiniſtra ripa erant, intelligerent, quid molirentur illi, qui ex altera veniebant, tantum temporis inſumtum eſt; vt omnis rei benè gerendæ occaſio elaberetur. Interea Rex inceperat conualeſcere ex periculoſiſſimo ſuo morbo; quo durante, cœperat etiam laborare Regina Anna ex febri putrida, ex qua intra paucos dies mortua eſt cum incredibili dolore Regis, propterea quod moribus ipſius omnino reſponderet, & ſingulari bonitate prædita eſſet. Recuperatis priſtinis viribus cum antea noluiſſet in Luſitania ingredi, niſi tota pacata eſſet, & iam Priorem victum latibula quęrere videret, contulit ſe Eluas, primam Luſitaniæ ciuitatem, in qua à Luſitanis ſumma cum lætitia exceptus fuit. nam in illa, & aliis ciuitatibus, Caſtellæ vicinis, nõ ſunt ita Hiſpani exoſi, vt in reliquis. Ibi ſuſtulit portoria, quæ ſoluebantur tam in Caſtella, quam in Luſitania pro mercibus, quæ hinc inde exportabãtur, & importabantur: & quotannis ad centum quinquaginta millium ducatorum ſummã aſcendere putabantur. Conſtituit pręmium 80. millũ ducatorum illi, qui occidiſſet Priorem, tanquam per duellionis reum, & publicæ pacis perturbatorem. Indixit conuentum omnium ordinum regni ad XV. diem Aprilis Tomarum, quo ſe conferre conſtituerat. Et erat communis opinio, & ſumma expectatio fore, vt eo in loco omnibus Luſitanis qui in Regiam Maieſtatẽ deliquerant, venia daretur: vt illi, qui officium fecerant, præmiis adficerentur, deniq; vt omnes in vniuerſum multa beneficia conſequerentur, & ciuitatibus regni, quidquid peterent, concederetur. Non reſtabat in continenti vlla ciuitas aut oppidum, quin regi Hiſpaniæ iuramentum fidelitatis præſtitiſſet. Poſtquam enim Prior Viana aufugiſſet, omnia ab Hiſpanis in poteſtatem redacta fuerunt: arces & oppida Africana, & inſula Madera parebant: ex partibus vero remotioribus propter temporis breuitatem nondum quidquam certi haberi potuerat. Supererant ſeptem inſulæ Terceræ, quæ nondum Regem pro domino agnouerant: imo, fama erat reliquas omnes, præter inſulam S. Michaelis, ipſius imperium recuſare. Et quanquam non magni momenti eſſe viderentur, & fere nullo in pretio haberentur: tamen propter hanc contumaciam aliquo in numero eſſe cœperunt. Porro cum ſeptem ſint, tamen fere omnes paruæ ſunt, & incultæ. Inſula S. Michaelis, centum miliaribus, quam reliquæ, Hiſpaniæ propior, eſt omnium optima, & habet Epiſcopum, cui etiam inſpectio reliquarum inſularum competit. Præcipuum eius oppidum Punta Delgata vocatur. Quæ poſt illam reliquis melior eſt, appellatur nomine generali Tercera. Hæc eſt fertilis: & natura ceteris munitior. Angra eſt oppidum eius maximum, à quo Epiſcopus, cuius mentionem feci, denominatur. Reliquæ, nimirum inſula S. Mariæ, Faialis, Pici,

Coruli,

Corui, & Florum, ſunt minores, & quædam plane deſolatæ, quædam paucos habitatores habent. Incolæ harum omnium ſunt homines ſuperſtitioſi, & vani: cumque, neſcio quibus ſomniis faſcinati eſſent; iam inde à tempore prælii Africani nunquam ſibi perſuaderi paſſi fuerant regem Sebaſtianum in eo occubuiſſe: & quamuis hæc opinio aliquandiu in toto regno inualuiſſet: tamen hic diutius quam alibi, durauerat, & quantumuis de mutationibus rerum, quæ in imperium Regis Henrici, & gubernatorum inciderant, certiores facti eſſent, tamen nihilominus ſperabant fore, vt Sebaſtianus ex improuiſo compareret. Ceterum Antonio rege ſalutato, videbantur quodammodo errorē ſuum agnouiſſe. Cum enim ille ſtatim in omnes has inſulas cum litteris ad magiſtratus miniſtros ſuos miſiſſet, qui poſſeſſionem earum ipſius nomine occuparent, prompte imperium Prioris receperunt, & ad iuramentum fidelitatis præſtandum miſerunt Stephanum Sylueram, & Melchiorem monachum Franciſcanum: qui cum Liſybonam appuliſſent, non potuerunt ad Priorem peruenire, quod ille iam prope Alcantaram victus Portum verſus fugiſſet. Verum illi, qui victoriam Hiſpanorum parui faciebant, Priorem ſecuti in ciuitate Portus omnium Inſularum nomine ipſi iuramentum præſtiterunt: & deinde menſe Nouembri anni octuageſimi in Inſulam Terceram reuerſi, retulerunt, quid effeciſſent. Addebant autem ANTONIVM quidem prope Alcantaram prælio ſuperatum fuiſſe: ſed illum ex regione, inter Dorium & Minium ſita, triginta millibus militum collectis, ad vindictam de Hiſpanis ſumendam redire: & licet poſtea de integra PHILIPPI victoria, & Antonii fuga certiores facti fuiſſent, tamen in ſententia perſeuerarunt, in qua magis magiſque confirmati fuere, propterea quod miniſtri PHILIPPI neminem eo miſiſſent. E contra ANTONIVS, & Comes Vimioſius per litteras & per nuntios diligentiſſime illos, vt in fide permanerent, hortati fuerant: cumque Comes eo ablegaſſet ANTONIVM SCALINVM Gallum cum litteris, quibus gratias ipſis pro tam conſtanti beneuolentia nomine Prioris, agebat, populi illi lætitia ita exultarunt, vt Scalinum Angræ cum ſolemni proceſſione exciperent: eoque ſub pallio in templum Miſericordiæ deducto, concionem habuit Melchior Monachus, & conſilia illorum voluntati diuinæ conſentanea eſſe dixit.

Miſſam celebrauit Blaſius Camellus monachus, qui in oratione clara voce precatus eſt pro duobus regibus ſimul, nimirum pro Sebaſtiano & Antonio: & vulgo, quod ipſum interrogabat de rebus Sebaſtiani, reſpondit, ſe illi exhibiturum Sebaſtianum die quarto Auguſti. Incolæ inſulæ Sancti Michaelis, apud quos non erant ſeditioſi homines, qui illos inſtigarent, vt fiebat in Tercera, & qui erant natura aliquanto quietis amantiores, adiuuante Epiſcopo, qui regi Philippo addictus erat, nihil admiſerunt eorum, in quibus ceteri peccabant, ſed ſemper Regi Philippo obedientiſſimi fuerunt. Cum autem Rex de his omnibus certior factus eſſet, voluit experiri, num qua ratione ſine armis populi illi rebelles ad obedientiā perduci, & error à miniſtris cōmiſſus, licet pene ſerò, emendari poſſet. Vi enim illas occupare videbatur difficile, ꝓpterea ꝙ Tercera natura munitā & aſperrimis ſcopulis circumdata eſſet, quodque mare illud tempeſtatibus ita agitaretur, vt non niſi ſpatio duorū, aut trium menſium tutam ſtationē ibi naues haberent. Putabatur hęc res eſſe longe maioris momenti, q̃ hactenus exiſtimatū fuerat, non propter bonitatem ipſius loci, ſed propter ſitum. Nam in illas inſulas neceſſitate pene ineuitabili adpellere coguntur naues, quæ ex mundo nouo, & Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus veniunt: & ſi Galli eas occupaſſent, maximo Hiſpaniā damno adfecturi videbantur. Qua de cauſa Rex eo miſit Ambroſium Aguiarium cum litteris, & delictorum venia ſi incolæ, Antonio deſerto, Regiæ Maieſtatis partes ſequerentur. Hic cum in viciniam Angræ peruenisset, & litteras per quendam in oppidum miſiſſet, inſulares conſilio conuocato, deliberare cœperunt, quid agendum eſſet. Et quia iam ante populi illi multum ſibi licentiæ, & magnos ſpiritus ſumpſerant, mirabiles ſententiæ dictæ fuerunt. Diuites enim, qui ad priuata commoda reſpiciebant, libenter Regis imperium recepiſſent. Cum enim omnes ipſorum reditus conſiſterent in frumento, quod in Luſitania ſolent vendere, videbant ſe nuſquam alibi illud poſſe diſtrahere. Verum cum pauci eſſent, nec apertè, quid ſentirent, proferre auderent, ambiguè loquebantur. Pauperes, qui, quo minus frumenti ex inſula exportaretur, eo viliori pretio illud ſe comparaturos animaduerterent, nec de commerciis cum Luſitanis vel tantillum ſoliciti eſſent, pertinaciſſime Antonio adhærebant. Multi præ iracundia fere in rabiem acti dicebant, Ambroſium Aguiarium eſſe admittendum in oppidum, in carcerem coniiciendum, & tanquam tyranni legatum puniendum: alii ſine reſponſo dimittendum cenſebant. Nonnulli optimatum, qui ſibi in veniæ conceſſione non comprehenſi eſſe videbantur, magno regi impedimento fuerunt. Cum enim

de venia impetranda penitus deſperarent, obſtabant, quo minus plebs etiam eum pro domino agnoſceret: imo vt potius ita Philippum offenderet, vt omnis ſpes reconciliationis deleretur: & in ea re tam ſedulo laborabant, vt dimiſſo Ambroſio Aguiario, qui in inſulam Sancti Michaelis, vbi gubernatoris munere functurus erat, nauigauit, curarent celebrandam miſſam, in qua totus populus iurauit ſe pro Antonio vitam profundere ſemper paratum fore. Confirmabant autem inſulares in ſententia vani quidam rumuſculi, qui ſparſi fuerant. Etſi enim Prior adhuc in Luſitania latitaret, Galli & Angli, qui in inſulam adpellebant, vt eo magis animos, & beneuolentiam incolarum ſibi conciliarent, dicebant Antonium in Anglia, & Gallia honorificentiſſime exceptum, ingentem exercitum conſcribere. Porro cum gens illa ita adfecta eſſet, vt ipſi quiduis fere perſuaderi poſſet, ex fæce plebis prodiit faber ferrarius, qui magna turba comitatus vatem ſe profitebatur, & decimo die Martii Regem SEBASTIANVM in inſulam certo venturum, prædicebat. Cum autem dies ille cum incredibili populi expectatione illuxiſſet, in alto animaduerſa fuit nauis ſatis magna, cuius conſpectus ita vulgi animos commouit, vt, fabro alta voce, regem in ea eſſe, clamante, promiſcue omnes ad littus properantes expectarent, dum SEBASTIANVS adpelleret. Quamuis autem nauis alium curſum teneret, nec inſulæ vllo modo appropinquaſſet, tamen populus vanam illam opinionem non depoſuit: imo fuerunt, qui dicerent è naui tres homines in nauiculam deſcendiſſe, & in monaſterium Sancti FRANCISCI ingreſſos eſſe. Adfirmabant autem tres illos eſſe regem Sebaſtianum, Chriſtophorum Tauoram, & Xariffum. Cuius mendacii falſitas, quamuis facile detegi potuiſſet, tamen Deus propter peccata huius gentis illud non permiſit: imo cum ex vno dubio in aliud decurrerent, quaſi fato quodam fieri videbatur, vt incerti, & ſuſpenſi hærerent. Monachi enim Franciſcani (quos tamen veritatis amantiores eſſe decebat) animaduertentes populum putare regem eſſe in illorũ monaſterio, illũ in errore confirmarunt, & rem ita ſe habere profeſſi ſunt. Vt autem hoc eo facilius hominibus perſuaderent, hinc magnum ſilentium ſimulantes, illinc innuentes ſe habere hoſpites eximiæ dignitatis, petebant commodato (ſecreto quidem, ſed ita tamen vt facile res emanaret,) lectos è ſerico, vaſa argentea, & alia ad ſupellectilem regiam ſpectantia. Curabant etiam confici veſtimenta, portas maiori, quàm pro more, cura claudebant, & pro concione dicebant, ſe illis non vnum, ſed duos Reges indigenas exhibituros. & erant, qui quod in miſſis pro Sebaſtiano, & Antonio preces concipi audirent, exiſtimarent non Sebaſtianum, ſed Antonium eſſe in monaſterio. Neque enim de ipſius diſceſſu Viana, quidquam certi allatum fuerat. Transtulerat ad ſe fere totius inſulæ imperium Cyprianus Figueredus, ex domeſticis Comitis Vimioſii, qui iudicis officio fungebatur. Hic, cum Hiſpanis aduerſaretur, & cum monachis conſentiret, conſilia monachorum adiuuabat, & totos dies in monaſterio conſumendo, ſtolidum vulgus in opinione, quam de præſentia regis conceperat, non mediocriter confirmabat. In rebus ad religionem ſpectantibus non valde conſtantes ſe inſulares gerebant. Cum enim propter nimiam licentiam inſolentes fierent nonnulli concionatores, & ſibi plus auctoritatis, quàm par erat, arrogarent, promittebãt abſolutionẽ, & multa alia, quæ non erant in ipſorũ poteſtate, ſubobſcure innuentes, ſe de eccleſia noua, ſuo arbitratu inſtituenda, cogitare. Quia vero Ieſuitæ vel conatibus ipſorũ ſeſe opponebãt, vel ſaltẽ ab ipſis diſſentiebant, ianuis omnib. & portis monaſterii calce & lateribus obturatis, veluti carceri cuidã incluſi fuerant. Porro, quamuis hæ inſulæ non omnes Regem pro domino agnoſcerent, nec niſi tractu temporis ſubigi poſſent: tamen, quodãmodo bellum confectũ & Philippus copias ſatis numeroſas, nec vllum hoſtem, in quẽ illas conuerteret, habere videbatur. Et quia iam iter ingreſſi erãt milites Hiſpani, qui in Belgico ſtipendia fecerãt, & ex Italia in Luſitaniam cõtendebant, vna cũ nonnullis aliis, qui nuper conſcripti fuerant, rumor erat, regẽ exiguo aliquo numero addito, ingentẽ exercitũ cogere nullo negocio poſſe: & hac de cauſa Papa, in munere ſibi cõmiſſo vigilantẽ, denuo vrgere, vt expeditio ſuſciperetur in Angliam, quę ſedi Romanę non parebat: & Regi Philip. polliceri, ſi ille claſſem inſtruere, & ad occupandam Angliam mittere vellet, ſe expeditionem adiuturum theſauris Eccleſię, & Cruciatam, contributionem eorum, qui alioquin eſſent immunes, & ſubſidia conceſſurum, gratiamque ipſi facturum millionis auri, quem Rex ſedi Romanæ deberet ratione redituum, quos ſub nomine depoſiti perceperat ex Archiepiſcopatu Toletano, interim dum Archiepiſcopus ab officio ſuſpenſus eſſet. Sed Rex, qui in tam recẽti poſſeſſione Luſitaniæ incolas nondũ ſatis pacatos cerneret, exiſtimabat ſibi prius res huius regni cõponendas & ſtabiliendas eſſe, quam ad nouam expeditionem animum adplicaret. Veruntamen cum Papa eum ſtimulare non deſiſteret, diceretque iuſtum exercitum in illis partibus cogendo, non

tantum

tantum Luſitaniam, ſed etiam Hiſpaniam vniuerſam, & Galliam in officio contineri poſſe, credibile eſt illum bonam partem illarum copiarum, ſi minus in Angliam, ſaltem in Hiberniam miſſurum fuiſſe, ſi miniſtri Pontificii, vel certi aliquid hac in re ſtatuere auſi, vel liberioribus mandatis inſtructi fuiſſent. Cum itaque nec incommoda, quibus milites obnoxii erant, nec ſumptuum magnitudo moram paterentur: & Roma tanto interuallo diſtaret, nihil communi conſenſu concluſum fuit: & Rex, Italis dimiſſis, & militibus, qui in itinere erant, eo vnde venerant, regredi iuſſis, reliquum exercitum hinc inde in præſidiis collocauit.

Liber Octauus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continentur querelæ militum: quomodo Rex Philippus inuiſerit Catharinam Duciſſam Bragantiæ: iter regis Tomarum: Venia generalis: Conuentus, in quo regi, & Primogenito illius Iacobo iuramentum præſtitum fuit: Poſtulata ordinum: Regis ingreſſus in vrbem Liſybonam: infelix ſucceſſus militum Petri Baldeſii in Inſula Tercera: Antonii abitus è Luſitania, & aduentus in Galliam: Adpulſus Lupi Figueroæ in Inſulas Terceras, & reditus eius, omni fructu carens: apparatus Inſularium: ſtatus rerum in Gallia, & Belgico: beneficia à rege petentibus collata: variæ ſententiæ de iiſdem conferendis: expeditio contra inſulas ſuſcepta: apparatus bellici regis Philippi, & Gallorum: claſſis tam Gallicæ, quam Luſitanicæ nauigatio in inſulas Terceras.

IN medio horum bellorum inter curas & cogitationes de perturbato Regni ſtatu, & de periculis imminentibus, venit Liſybonam Franciſcus Villaſagna, Doctor Iuris, & auditor conſilii regii Caſtellæ (hoc autem ſupremum regni Hiſpaniæ tribunal eſt) & attulit Albano litteras, quibus illi iniungebatur, vt Villaſagnam in rebus, quæ ipſi mandatæ erant, exequendis adiuuaret. Cum autem mandata ſtatim expoſuiſſet, quæ nihil quod maioris momenti eſſet, continebant, ſed tantum, vt vna cum reliquis miniſtris intereſſet computationi rationum exercitus, & mandatis de ſolutione ſubſcriberet, viſum fuit hoc munus minoris ponderis eſſe quam vt ad illud exequendum vir tantus mitteretur. Vnde nata eſt ſuſpicio ſub ſimplici hoc prætextu latere maius aliquid; & vulgo exiſtimari cœptum, eum veniſſe ad inquiſitionem inſtituendam in exercitum, & ipſum Albanum: quod quidem inuſitatum, & monſtri ſimile erat. Quamuis autem Albanum facilius hoc artificium, quam reliquos, ſubodoratum fuiſſe veriſimile ſit: tamen ſimulauit ſe nihil horum intelligere, & humaniſſime habuit hunc Doctorem, eumque etiam ad deliberationes de bello, aliiſque rebus grauiſſimis, (quæ tamen ad ipſius officium non pertinebant) adhibebat. Reliqui ductores & milites Hiſpani, qui non tam bene diſſimulare didicerant, liberius de hoc negotio loquebantur, & aliquanto impatientius, quam Albanus. Dicebant hanc eſſe nouam, & hactenus incognitam iudicii formam. Nam neceſſario rem fore, aut duci cum exercitu, aut exercitui cum hoſtibus: nec ſe videre, quinam inter ſe litigaturi eſſent. neque enim milites vel poſſe, vel debere accuſare ducem: neque hoſtes contra exercitum victorem audiri fas eſſe. Et ſi forte res tam ſtupenda eueniret, credibile eſſe, fore etiam, vt hoſtes declararentur ſubditi fideles, & rebellis exercitus, qui Regnum in Regis poteſtatem redegiſſet. Quærebant, qua in re peccaſſet Albanus? Vtrum peccaſſet vt gubernator, an vero, vt Dux belli? Vt gubernatorem eum non peccaſſe dicebant, propterea quod nihil, etiam in rebus minimi momenti, inſcio rege, ſtatuiſſet, præterquam quod etiam non niſi paulo amplius duobus menſibus gubernatoris munere functus eſſet. Sin vero peccaſſet, vt Dux belli, quærebant, quid legibus negotii eſſet cum armis, & ſtylo militari cum ciuili? Etſi autem talia milites dictitarent; tamen non valde eos culpa, quæ Duci imputabatur; mouebat, quod putarent, quidquid eſſet, dignitatem, & innocentiam facile illum ab omni periculo vindicaturam. Propria autem mala, & incommoda illos præcipue mouebant. Amittebant enim ſpem præmiorum, quæ pro laboribus præteritis ſe conſecuturos putarant. quandoquidem ex hac vltima expeditione, in qua regi tam ſtrenuam & fidelem operam nauaſſent, ſibi pœnas potius, quam remuneratione, expectandas eſſe intelligerent. Exiſtimabant Regem non conſideraſſe;

quod ipſi acquiſiuiſſent regnum ſpatio quinquaginta dierũ, prorſus eo modo (vt ipſorum verbis vtar) quo regnũ cœlorum adquiritur: nimirum comedendo panem, & bibendo aquã, & à rebus alienis abſtinendo: & hoc dicebant, quia ſolo buccellato vixerant, nec vllius loci, muris cincti, præda ipſis conceſſa fuerat. Ferebant ægerrime ſe obnoxios eſſe calumniis aulicorum otioſorum, & baccalaureorum (ita enim milites Hiſpani in contemptũ legũ, & iuſtitiæ vocant etiã præcipuos Doctores Conſilii Regii) qui Badagiozii ſubſiſtentes in maximo æſtũ vina glacie refrigerata bibiſſent, naſoq; ſuſpendiſſent eos, qui in bellicis periculis verſabantur. Commemorabant quantum miſeriarum in mari, ex Italia in Hiſpaniam nauigantes, experti eſſent: cum quanta fame in Hiſpaniis, cum quantis caloribus in Extrematura, cum quam violenta peſte in Luſitania conflictati fuiſſent: denique ſeueram Albani diſciplinam, & furcæ ſupplicium, omni minimo delicto conſtitutum, inculcabant. Addebant regem, ne impunita (vt ita dicerent) maneret altera victoria, prope Portum obtenta, miſiſſe alium Doctorem ad inquirendum in actiones Sancii Auilæ, & copiarum, quas ille habebat, & quæ regi integram regni poſſeſſionem acquiſiuerant. Sane verum erat, miſſum eo fuiſſe Franciſcum Tedaldum, auditorem tribunalis iuſtitię in Galicia: qui magna ſeueritate inquirebat in omnia peccata vel Auilæ vel militũ. Aiebant ſatis conſtare quanto interuallo in aula regis litteræ armis anteponerentur, propterea quod illi, qui togati huic expeditioni interfuiſſent, militibus fructum ſuorum laborum, & profuſi ſanguinis præmia præripuiſſent. Regem enim huiuſmodi hominum deſiderio cumulatiſſime ſatisfeciſſe, reliquis neglectis. Ad hoc probandum ſigillatim enumerabant munera & officia, quæ Duci Oſſunenſi, & ceteris legatis collata fuerant. Cum enim certum ſit, proceres Hiſpaniæ ad nullam aliam dignitatem maiori cum diligentia aſpirare, quam ad Vicariatum regni Neapolitani, ad quem illi per multos gradus aſcendere ſtudent: regem hunc Duci Oſſunenſi reſeruaſſe. Reliquos vero Hiſpaniæ Barones, & nobiles hoc vnum in votis habere, vt fiant cubicularii Regis: & hunc locũ Regem Chriſtoph. Moro vna cum aliis totius Luſitanię fructuoſiſſimis officiis aſſignaſſe. Quod ad togatos, qui conſilii regii membra ſunt, dicebant hos ad nihil aliud aſpirare poſſe, quã vt cooptentur in conſiliũ Camerę, q; eſt tribunal, conſtans ex tribus aut quatuor doctoribus delectis, qui vna cum rege de venia delictorum concedenda, & de aliis rebus (quas illi gratias adpellant) deliberant. Et hoc officium, cui præerat Rodericus Vaſquius, attribuiſſe Regem Ludoico Molinæo, quem alii cuidam antiquiori prætuliſſet. Hæc & alia, etiam inconſideratiora, milites licentia quadam militari effutiebant. Et licet fortaſſe à veritate non multum aberrarent: tamen homines, qui affectibus hac in parte nihil tribuebant, illos ſuperiora omnia immerito exaggeraſſe, & rem mali exempli eſſe iudicabant. Neque enim mirum videri debere, ſi Rex, cui conſideranda eſſent multa, quæ hominibus priuatis ne quidem in mentem venirent, præbuiſſet aures crebris querelis, quæ ad ipſum de militibus deferebantur, & quomodo res ſe haberet, indagare voluiſſet. Neque credibile eſſe Villaſagnam, & Tedaldum habuiſſe poteſtatem de huiuſmodi rebus ſententiam pronuntiandi, ſed tantum veritatem inueſtigandi. Et quod Villaſagna mandata arcana accepiſſet, ſignum fuiſſe prudentiæ & modeſtiæ regis: nimirum, vt hoc remedium eſſet quam leniſſimum, & ne qua Albano & inferioribus ducibus nota inureretur. Neque eſſe, quod milites putarent, vel ſibi licere regnum illud pedibus conculcare, & deuaſtare, ſicut rebelles Belgici prouincias, & ditionem Regis alicuius inimici, vel proprie Luſitanis conuenire nomen odioſum rebellium, & perfidorum, quantumuis fortaſſe non male ſubditi inquieti, commoti, & à nouo iugo ſuſcipiendo nonnihil alieni vocari poſſent. Hæ muſſitationes aliquandiu durauerunt. Ceterum cum commiſſarii nec punirent, nec in iudicium vocarent quenquam, paulatim indignatio militum fuit mitigata. Cui rei adiumento etiam fuit, partim Villaſagnæ prudentia, partim, quod inquiſitione inſtituta, querelas ad regem delatas nullo fundamento niti reipſa animaduerteret. Appropinquabat interim dies, in quem Rex conuentum procuratorum indixerat: ſed prius quam Tomarum (qui locus comitiis deſtinatus erat) proficiſceretur, voluit inuiſere Catharinam, vxorem Ducis Braganciæ, quæ hanc ob cauſam Villauizoſa Villaboinum excurrerat, quo Rex omnibus Hiſpaniæ proceribus comitatus, cum ſe contuliſſet, & cum illa fere mediam diei partem familiariſſime colloquendo triuiſſet, Tomarum diſceſſit. Neque vero eo in loco ſtatim promiſcue tot, & tanta beneficia contulit, vt expectationi Luſitanorum ſatisfaceret. Cum enim (vt ſupra attigimus) conſilium Luſitaniæ ex hominibus præcipuæ dignitatis conſtituiſſet, in illud omnia negotia reiiciebat, nemine omnino ex Hiſpanis Luſitanicis rebus ſeſe ingerente: & ita eueniebat, vt fere nemini vel in danda audientia vel in negotiis expediendis ſatisfieret. nam nec Rex multum properabat, & miniſtrorum

numero

numero, tum pondere libellorum ſupplicum obruebantur: nec propter difficultates, & intricatas conſequentias reſponſa dare, & certi aliquid ſtatuere poterant: & ita negotiorum expediendorum ſpes in ſolo temporis progreſſu ſita erat. Vnde dicebant Luſitani, Regem quidem literis, verbis, & habitu benignitatem magnam, & beneuolentiam erga Luſitanos, & inſignem liberalitatem præ ſe ferre: ſed tamen reipſa (ſiue hoc ipſius, ſiue miniſtrorum vitio eueniret) nondum quenquam vllo beneficio adfeciſſe. Duci Bragantiæ, qui ampliſſima quæque ſibi pollicebatur, tum temporis nihil omnino datum fuit, propterea quod in petitionibus ſuis modum omnem exceſſiſſet: Tantum confirmata ipſi eſt Coneſtabilis Luſitaniæ dignitas: & creatus fuit eques Aurei velleris, & à rege inuſitato honore (nam illum quoties Miſſæ intereſſet, in templo prope ſe poſt peripetaſma conſiſtere volebat) adfectus, nihil tamen obtinuit, quod vel diuitias, vel potentiam illius augere poſſet. Antequam deliberationes vllæ ab ordinibus inſtituerentur, regi ſolita cum ceremonia iuramentum præſtitum fuit, & paulo poſt etiam filio primogenito, idq; in monaſterio monachorum ordinis Chriſti (qui ordo tantum in hoc regno inuenitur) vbi ille diuerſabatur, eodem modo, quo tempore Henrici Regis factum fuerat, aliquanto maiori tamē cum pompa (propterea quod hoc fieret in publico ordinum conuentu) quanquam cum minori applauſu hominum, qui non tanto amore Regem quanto Henricum, proſequebātur. Veruntamen fuit ſpectaculum ſatis magnificum propter concurſum nobilium, & propter maieſtatem Regis, & propter veſtem auro intertextam, qua Henricus, vtpote Cardinalis, non fuerat indutus. Ibi publicauit eam, quæ tanto cum deſiderio expectabatur, omnium delictorum veniam, quæ quamuis generalis vocaretur: tamen Luſitani eam iudicabant reſtrictam, captioſam, & conditionalem. Ignoſcebat Rex generaliter omnibus illis, qui ipſum Prioris partes ſequendo, offendiſſent: ſed ſpeciatim excipiebat multos, & nominatim quinquaginta duos, quorum præcipui erant Prior, Comes Vimioſius, & Epiſcopus Guardenſis: non ignoſcebat cuiquam ex monachis: declarabat inhabiles, & incapaces omnes eos, qui Priori operam nauaſſent, & ab illo vllos honores, commoda, officia, & munera accepiſſent, ita vt nunquam impoſterum ad vllum officium, à rege conferri ſolitum, admitterentur, nec ijs, quæ prius ipſis collata fuiſſent, defungi poſſent. Itaque vulgo dicebatur, veniæ conceſſionem nemini prodeſſe, niſi illis, qui vel leuiter peccaſſent, vel nihil, quod ipſis eripi poſſet, haberent. Hæc res valde irritauit animos Luſitanorum, quod ſe fruſtratos viderent maxima ſpe, quam conceperant, fore vt beneficio huius condonationis ab omni pœna liberarentur: neq; tamen, vt quidquam hac in parte emendaretur, vllis clamoribus obtinere potuerunt: imo paulo poſt per Edictum fuerunt citati illi, quibus venia conceſſa non fuerat, vt, cauſa cognita, quamprimum ſententia in eos ferretur. Interea conuenerunt procuratores Regni, & 19. die Aprilis primus actus comitiorum inſtitutus fuit. Habuit orationē in præſentia Regis Epiſcopus Leiranus, nomine Antonius Pignerus, & initio oſtendit, Spiritum ſanctum ſolere adeſſe huiuſmodi conuentibus, & ex ijs multum vtilitatis ad ſubditos redundare, & morem regum ſuperiorū, quem in conuentibus indicendis obſeruaſſent, ſequi iam Philippum, ipſorum veſtigiis inſiſtentem, & cupere ab ordinibus pro ſua prudentia, fide & amore de rebus, ad cōmunem totius regni vtilitatē pertinentibus, edoceri. Amplificabat condonationē delictorum, eamq; vocabat fructum clementiæ regiæ, & fundamentū eſſe dicebat, cui ſpes maiorum beneficiorum inniteretur. Poſtremo prædicauit magnitudinem amoris erga ſubditos & benignitatem regis promittens fore, vt benefacta, honores, & præmia, creſcerent, vna cum fide, & obedientia quam ſubditi deinceps ipſi præſtituri eſſent. Ad hæc breuiter reſponſum fuit à Damiano Aguiario Doctore, & vno ex procuratoribus Liſybonenſibus. Agebat regi gratias nomine vrbis, & incolarum totius regni; tum propter delictorum condonationem, tum propter ordinū regni conuocationē, & omnes R. M. debitā obedientiā exhibere paratos eſſe dicebat. Petierunt deinde in vniuerſum omnes & ſinguli procuratores ea, quæ videbantur: & conceſſa fuerunt à rege multa, vt, ordo equeſtris, reditus ad vitam, officia, item pecunia numerata: octo aut decem ex inferiori nobilitate ad dignitatem, & gradum ſuperioris euecti fuerunt: & ſimilia: idque more potius Hiſpaniæ quam Luſitaniæ, in qua procuratoribus hactenus nihil concedi cōſueuerat. Regno generatim plus aliquanto largitus eſt. Conceſſit enim omnia fere illa, quæ ſupra à Duce Oſſunenſi (ſub hac conditione, ſi regni incolæ ſponte ſua regis imperium reciperent) gubernatoribus promiſſa fuiſſe diximus: exceptis illis capitibus, quæ ad præſidia, ad nauigationes Americanas, & occidentales, & æquale cum Caſtellanis in caſtella ius pertinebant. Dicebat enim Rex, antequam tale quid concederet, prius agendum eſſe cum ordinibus Caſtellæ; vtpote de quorum præiudicio hac in parte quæſtio eſſet;

Exhibitus fuit regi à procuratoribus prolixus catalogus eorum, quæ petebant, & quę in regni gubernatione obſeruanda iudicabant. Præcipua capita erant, vt vxorem Luſitanam duceret: vt filium primogenitum, in Luſitaniam miſſum, ibidem educari curaret: vt regnum Luſitaniæ ſemper ſeparatum maneret à reliquis Hiſpaniæ regnis, peculiaremque monetam retineret, vna cum multis aliis rebus quæ ad portoria omnia imminuenda, præſidia auocanda, iudicia conſtituenda, & ſimilia pertinebant: ex quibus tum temporis nihil conceſſum fuit, niſi pauca quædam minoris momenti, & ad reliqua omnia in margine reſponſiones, dubiã ſpem facientes, notatę fuerunt. Nobiles, qui, quia maxima ex parte contra regem arma non cœperant, pręclare ſe de ipſo meritos eſſe putabant, delegerunt ex ſuo ordine triginta, qui à rege nomine nobilitatis multa peterent: inter cetera, vt nobilibus concederetur iuriſdictio in ſubditos: vt doctores, qui magiſtratui præfuiſſent, ſolius nobilitatis cenſuræ obnoxii eſſent: ne rex quenquam nobilem crearet, niſi ob merita eximia: & ne iſta nobilitas tranſiret ad hæredes, niſi hoc diſerte expreſſum eſſet: officia regni pręcipua, qualia ſunt Capitaneorum maiorum, trium Prouiſorum Armamentarii, domus Indicæ Telonii, ſolis Nobilibus conferrentur, & alia huiuſmodi, quorum nihil omnino illi obtinuerunt. Multi denegationem harum petitionum, & quod Rex in aliis multis rebus minus ipſis ſatisfaceret, non imputabant neque naturæ Regis, neque petitionum iniquitati: ſed maxima ex parte conquerebantur de illis Luſitanis, qui gratia & auctoritate apud regem pollentes, rerum ſummam adminiſtrabant.

Fuerunt eo tempore complures, qui auctores eſſent Academiæ Coimbrienſis exſtirpandæ: & multas rationes politicas hoc ſuadere, dicerent. neq; enim tutum eſſe in regno, recens occupato, permittere congregationem trium aut quatuor millium iuuenum, qui pene omnino iuriſdictioni regiæ exempti eſſent: imo poſſe eam appellari ſeminarium tumultuum, & militiam quandam Antonianam, procliuem ad partes cuiuslibet alterius rebellis Luſitani amplectendas. Ex huius autem incommodi remotione promanaturam magnam vtilitatem. Fore enim, vt Luſitani in Academias Hiſpaniæ profecti, & feruidiorem ætatis partem ibi conſumerent, &, contracta cum Hiſpanis familiaritate, in Luſitaniam regi fideliores, & ad togatæ militiæ, & iuſtitiæ munera aptiores, reuerterentur.

Addebant Iuriſconſultos Coimbrienſes verbis & ſcriptis obſtinatiſſime ius Regis impugnaſſe: imprimis autem eo tempore, quo Rex Henricus in partem Duciſſæ Bragandiæ inclinaſſet: & nonnullos, adfectibus nimis indulgentes, in publicis lectionibus detorſiſſe contra Philippum non tantum leges imperiales, ſed etiam ſacros Canones, interpretando illos præpoſtere, & ſibi ipſis contradicendo, & hanc ob cauſam illos pœna eſſe digniſſimos. Etſi autem hæc opinio ſatis fundamenti habere, & à multis Luſitanis approbari videbatur: tamen Rex ſiue innata clementia, ſiue bonitatis cauſæ, & potentiæ fiducia impulſus, aut ſaltem amore, qui ipſi à natura erga Luſitanos inſitus erat, motus, aut quæcunque tandem cauſa eſſet, non tantum ſibi illam ſcholam conſeruandam, ſed etiam in fidem & tutelam recipiendam duxit: & priuilegia, ac immunitates, quibus gaudebat, confirmauit. & non tantum benigne in gratiam recepit doctores, qui contra ipſum legerant, & ſcripſerant: verumetiam heroica quadam animi bonitate priſtina loca & ſtipendia illis conſeruauit, & ſi quæ ampliora vacarent, ad illa eos promouit. Interim Pontifex cum videret Antonium Luſitaniam defendere nõ poſſe, nec vllum tranſactioni locum relictum, legato reuocato, præ ſe tulit magnam voluptatem ex felicibus Philippi ſucceſſibus ſe percipere, nihilque aliud ſe ſpectaſſe, niſi vt belli incommoda euitarentur. Cum ergo filio noua beneficia, aut ſaltem ſpem certam à Rege impetraſſet, conſenſit in gratiam illius, vt de cauſis rebellium Eccleſiaſticorum, & de bonorum eorundem confiſcatione, excluſa omni adpellatione, iudicaret Georgius Dataidius, Epiſcopus olim Viſeuenſis, & Pontificis Capellanus maior. Itaque Prior, (qui fato quodam capitalibus ſententiis obnoxius erat) & Epiſcopus Guardenſis, & reliqui, denuo per edicta citati fuerunt, vt per ſententiam iudicialem bonis Eccleſiaſticis, quæ in Luſitania poſſidebant, priuarentur. Ceterum de Priore nihil omnino intelligebatur: Et non obſtante ſumma pecuniæ, quæ capiti ipſius impoſita fuerat, & labore ac induſtria Hiſpanorum, qui nihil reliqui ad ipſum comprehendendum faciebant, indies minus de ipſo reſciri poterat. Cum enim habitum hominis vilis aſſumpſiſſet, incognitus interdum tranſibat per medios illos, qui ipſum quærebant. Intellectum erat Comitem Vimioſium terreſtri itinere in Galliam penetraſſe, & vt Gallos ad bellum regi Philippo inferendum permoueret, illis populi Luſitaniæ auxilia, & promptitudinem prædicare. Qua de cauſa, & quia, vbi Prior eſſet, incertum erat, Rex totum pene exercitum per arces, & oppida diſpertierat. Et quamuis Italis dimiſſis, maiorem partem triremium in Italiam miſiſſet, tamen fama erat, cum paulo poſt eius conſilii pœnituiſſe, quod

ſe, quod ipſi Regnum indies minus pacatum videretur: & quod exiſtimaret Gallos breui temporis ſpatio colligere poſſe ſatis magnum numerum nauium armatarum, & ad illud mare accommodatiorum, quàm ſint triremes: quarum quatuor prope littus regni Algarbii non ſine ſanguine cœperant nauim cuiuſdam piratæ Galli, equitis Melitenſis, quæ diu fortiſſime reſtiterat. Hæc præſidia militum, Aſperitas miniſtrorum, in beneficiis, & præmiis concedendis tenacitas, & opinio, quaſi Prior eſſet adhuc in Regno, incendebant animos Luſitanorum, qui nonnunquam inter ſeſe duram, vt ipſis videbatur, ſuam ſortem deplorabant. Dicebant ſe ſero agnoſcere errorem ſuum, quod non concordibus animis, & communi conſenſu vel ſtrenue ſe defendiſſent, vel tolerabilibus conditionibus deditionem feciſſent: quanquam maior pars exiſtimaret, ſi omnes vires coniunxiſſent, reſiſti Hiſpanis potuiſſe. Ægre etiam ferebant miniſtros Hiſpanos interdum ſe rebus, ad iuſtitiæ adminiſtrationem pertinentibus immiſcere conari. Nihil faciebat ad indignationem Luſitanorum minuendam, quod dicebatur Regem nullam aliam ob cauſam Ioanni Andreæ Doriæ, principi Melſitano, dediſſe negotium deducendi in Hiſpaniam Imperatricem, ſororem ſuam, ab illo ex Germania euocatam, quam vt, illi gubernatione Luſitaniæ commiſſa, ipſe in Hiſpaniam reuerteretur. Et quod veriſimile eſſet illam, tanquam feminam, maiori fortaſſe cum comitate, & clementia imperaturam, quam ſuperiores Luſitaniæ reges facere conſueuiſſent. Etſi enim hæc ita à quibuſdam dicebantur, tamen maior pars exiſtimabat Regem non diſceſſurum, donec vllo præſidio militum in Luſitania opus foret: quos amandaturum eum non eſſet credibile, antequam certo ſciret nihil amplius eſſe à Priore periculi. De Priore porro variæ erant opiniones. Quidam enim exiſtimabant eum occiſum, & ſpoliatum fuiſſe ab Hiſpanis, quos probabile erat mortem ipſius celare, ne rationem reddere cogerentur lapidum pretioſorum, quos ille ſecum ferebat. Alii dicebant eum ſcripſiſſe in Galliam, & Angliam, vnde validam claſſem expectaret, &, vbi illa adpuliſſet, eum rurſus in lucem proditurum. Complures etiam ſuſpicabantur eum decreuiſſe latitare in regno, donec Philippvs, qui non diu victurus videbatur, (quantumuis inter vtriuſque ætatem non multum intereſſet) moreretur: & eo tempore comparentem (vti etiam poſt Henrici mortem fecerat) denuo regni poſſeſſionem apprehenſurum, maxime regnis Hiſpaniæ in pupillorum manibus verſantibus. Etſi autem non deerant, qui putarent eum regno exceſſiſſe: tamen maior pars iudicabat, eum adhuc in Luſitania eſſe, & quam poſſet, ſecretiſſime abitum parare, verentem ne aliquando in hoſtium manus incideret. & ita res habebat: id quod intellectum fuit, vbi in portu Liſybonenſi nonnulli ipſius amici capti fuiſſent, qui, cõmeatu iam parato, de naui Priori proſpicere conabantur. Hi quęſtionibus ſubiecti confeſſi ſunt, illũ adhuc eſſe in Regno: & inter illos erat Petrus Alpoeus, Iuris Doctor, qui deinde cũ propter hoc, tum propter alia læſæ maieſtatis crimina Liſybonæ capite truncatus fuit. Interea finis comitiorum inſtabat, & Rex Liſybonam proficiſci cupiebat: verum, quia pompa & arcus triumphales, quibus Liſibonenſes ipſum excipere conſtituerant, nondum parati erant, contulit ſe Almadam (oppidum è regione Liſybonæ in ſiniſtra Tagi ripa ſitum) vt interea apparatuum perficiẽdorum tempus ciues haberent. Cum autem hoc tempore intelligeretur, incolas inſularum Tercerarum, nulla habita ratione litterarum, quas Ambroſius Aguiarius attulerat, in priſtino ſeſe defendendi inſtituto perſeuerare, Rex eo miſit Petrũ Baldeſium cum quatuor nauibus, & ſexcẽtis peditibus Hiſpanis, & aliquot tormentis maioribus: eiq; iniunxit, vt poſſeſſione Inſulæ S. Michaelis, quæ parebat, ſtabilita, nauibus ex India venientibus pręſidio eſſet, neq; tamen quidquam contra reliquas inſulas tentaret, niſi prius maiores copiæ ſubmiſſæ fuiſſent. Viuebant Almadæ aulici incommodius, nec omnes miniſtros, quorum opera Rex ad expedienda negotia opus habebat, locus capiebat. Rex vero, Liſybonam ingrediendi auidiſſimus, noluit expectare vltra diem Sancti Petri, quo flumen triremibus traiecit, & Liſybonæ ad pontem ligneum, in hunc finem extructum adpulit, ita vt deeſſet tempus ad perficiendos arcus triumphales, & ſtatuas, quæ in honorem eius parabantur: quamuis etiam inertiæ, & imperitiæ fabrorum magna ex parte hæc culpa imputari poſſet: & nihilominus tamen apparatus ſatis ſumptuoſus erat. Ad pontem obuium habuit magiſtratum Cameræ: ex quo ordine vnus, nempe Hector Pina, Doctor, nomine totius ciuitatis perorauit, exaggerans lætitiam, quam tota vrbs ex ipſius introitu perciperet: dixitque, vt Liſybona eſſet vrbium totius mundi maxima, ita etiam Dei Optimi Maximi beneficio, illi ex voto eius magnum Monarcham, dominum obtigiſſe. Excuſabat populum, oſtendens eum, ſi non maturius regis imperium agnouiſſet, non tam malitia, quam errore peccaſſe: & ſi penes ipſum fuiſſet regem

ſuo arbitratu eligere, nullum alium niſi Philippum electurum fuiſſe: ac, facta mentione mortis Ferdinandi Pinæ, addidit hanc vrbem omnium principem ſanguinem ſuum pro ipſo profundere cœpiſſe, propterea quod Ferdinandus, cum iuſſu ANTONII percuteretur, eſſet ex numero Cameralium. Excuſauit etiam pompæ, & arcuum triumphalium tenuitatem, quam incommodis belli, direptionibus militum & peſti bona ex parte acceptam ferendam dicebat, iniecta etiam mentione, iacturæ Africanæ. Poſtremo ſubiunxit, omnes ſibi de Regiæ Maieſtatis benignitate polliceri, fore, vt non tam illud regnum Hiſpaniæ, quam reliqua Hiſpaniæ regna Luſitaniæ adiuncta merito dici poſſent. Poſtea Rex, equo conſcenſo, ſub vmbella aurata profectus eſt ad templũ Cathedrale, per plateas magnifice adornatas, & cum ingenti concurſu populi, qui Regis cõſpectu delectari videbatur: & precibus ibi conceptis, eadem cum pompa, & tota nobilitate pedite comitatus ad palatium regium ſe contulit. Habuerat hoc regnum intra biennium pene quinque reges: id quod nuſquam alibi, aut ſaltem rariſſime eueniſſe credibile eſt. Et DEVS Opt. Max. tam breui temporis ſpatio ad caſtigandum hunc populum admiranda varietate vſus erat. Omnes enim hi reges ſuos ſubditos miſere adflixerunt: SEBASTIANVS temeritate ſua, HENRICVS conſilii, & iudicii inopia, gubernatores timiditate, & commodorum priuatorum ſtudio: ANTONIVS tyrannide: PHILIPPVS armis. Verum tum temporis, cum regno pene vniuerſo pacato, PHILIPPVS in hanc vrbem, regum ſedem, ingrederetur, ſpes erat fore, vt mœror, & tumultus præteriti in quietem & lætitiam conuerterentur. Ceterum, cum paribus incommodis afficiantur populi, ſiue à tyrannis opprimantur, ſiue ipſi in indignum ſummam rerum transferant; in poſterius hoc malum inciderunt Luſitani, dum malunt regem habere ANTONIVM, tam parum potentem vna cum omnibus reliquis infortuniis, quæ ab ipſo proficiſcebantur, quam PHILIPPVM potentiſſimum, impatientiſſime ferentes ipſius tarditatem in diſtribuendis titulis, Commendis, & reditibus regiis: vnde etiam fiebat, vt deſperarent de beneficiis illis ex aula Hiſpanica obtinendis, quæ ex Luſitanica percipere conſueuerant: quantumuis Rex Franciſco Sadæ, olim gubernatori, contuliſſet titulum Comitis Matoſignoſii, Ferdinando Moronhæ titulum Comitis Lignareſii, quo & ipſius pater gauiſus fuerat: Chriſtophorum vero Morum (vt ſupra dictum eſt) vnum ex ſupremis quæſtoribus creaſſet, & Petrum Alcaſouam, abrogata regis Henrici ſententia in priſtinum locum reſtituiſſet. Qua in re licet Rex promptus eſſet, & conſtituiſſet cumulatius, quam vnquam vllus regum Luſitaniæ vnicuique ſatisfacere; tamen cum ex inſtituto nouo iſta diſtributio ad ſupremum conſilium Luſitaniæ pertineret, & in illo, vt dixi, diſcrepantes ſententiæ, & variæ vel ad odium, vel ad amorem inclinationes eſſent; nihil certi concludebatur: & copia etiam libellorum ſupplicum dilationes pariebat. Omnes enim quo iure, quaque iniuria ſui rationem haberi petebant, ita vt vniuerſum regnum ad cupiditatem eorum explendam ſufficere non videretur: id quod cum à multis non ſatis perpenderetur, dictitabant Regem nolle dandi initium facere, niſi ante & inſulas, & Priorem in poteſtate haberet. Ceterum cum Rex animaduerteret has difficultates, & dilationes naſci ex multitudine conſiliariorum, commodiſſimum factu iudicauit (regum ſuperiorum more) negotium ſatisfaciendi poſtulatis eorum, qui præmia petebant, demandare duobus ſolis: nimirum Antonio Pignero, Epiſcopo Leirano, & Chriſtophoro Moro: fortaſſis quod putaret, eos minorem quam ceteros miniſtros, priuatorum adfectuum rationem habituros: Epiſcopum quidem, quod propter ſenectutem, & inualetudinem morti vicinus (quanquam iudicio integro) eſſet, & cognatis deſtitueretur: Morum vero, propterea ꝙ à ſe promotus, & in Hiſpaniis educatus eſſet, & pręterea tum virtutis, tum pietatis amans haberetur. Ruebãt indies in peius res Inſularũ Tercerarũ, quarum cõmercium interdictũ fuerat: & nuncii adferebantur, de peruicacia Inſulariũ magis magiſq; creſcente, ita quidẽ, vt exterorum auxilio implorato, Philippo imperium omnino repellere animum inducerent. Audiebatur veniſſe eo Petrum Baldeſium, & litteras ac pollicitationes, quas nomine Regis ad inſulares pertulerat, ab illis non tantum repudiatas, ſed & deriſas fuiſſe. Qua de cauſa Rex inſulas ante finem æſtatis expugnare cupiens, & rem non adeo difficilem, propterea quod exercitu deſtituerentur, iudicãs, inſtruebat claſſem, & militem quem eo mitteret, duce Lupo Figueroa: qui paulo poſt ſoluit cum mandato Inſulas, adiuuante Baldeſio, in poteſtatem redigendi. Interea Baldeſius circumibat inſulas, expectans naues Indicas, & nautæ illius ſæpius die & nocte in littus, vuas maturas ſurrepturi, deſcenderant: cumque ad ſcopulum, in quo Luſitani, exiguo vallo extructo, tria aut quatuor tormenta ex ferro fabrefacta collocauerant, aliquoties acceſſiſſent, ſępe cũ Luſitanis collocuti erant, ita vt alter ab altero ſibi nõ metueret. Baldeſius itaq; audita Luſitanorũ incuria, & ab inſularibus

bus nonnullis certior factus non paucos ſupereſſe, qui regi Philippo fauerent: ſæpius cogitarat de exponendo milite, cum quo illi, qui PHILIPPO addicti erant, & in montibus eſſe dicebantur, ſeſe coniungentes, iunctis viribus oppidum Angram oppugnarent, aut ſaltem ita pedem in inſula figerent, ne tam facile inde expelli poſſent. Verum cum hoc conſilium propter paucitatem ſuorum militum periculoſum, & regis mandatis contrarium eſſe ſatis perſpiceret, non audebat rem aggredi. Sane cum poſtea intellexiſſet Lupum Figueroam cum maioribus copiis Liſybona venturum, cui tanquam ſuperiori, ſibi parendum eſſet: certo ſtatuit Figueroam, vbi in inſulas appuliſſet, vel vi, vel per pacta eas in poteſtatem redacturum, ſibique prærepturum eam gloriam, ad quam magnopere adſpirabat. Qua de cauſa (tantum poteſt laudis cupiditas) non ſatis vires ſuas perpendens, neglecto etiam regis mandato, animum induxit properare, & temere tentare, nunquid ſibi ſucceſſurum eſſet conſilium, de quo ſepius cogitarat: quam ad rem etiam incitamento ipſi fuerunt nonnulli inſulares imperiti, quorum prompta quidem erat voluntas, ſed vires exiguæ. Die itaque Diui Iacobi prima luce Baldeſius milites fere omnes nauiculis impoſitos expoſuit in eo loco, in quem nautæ itare conſueuerant inter Angram & Praiam: (domus Salgæ vocatur:) cumque ibi paucos, aut neminem reſiſtentem offendiſſent, in inſulam ſine negotio deſcenderunt, Luſitanis qui tormentorum cuſtodiæ præfecti erant, fuga ſibi conſulentibus. Hiſpani, tormentis occupatis, inceperunt paruulum quoddam vallum extruere, vt eo firmius pedem figere poſſent, & colligere eos, qui Regis Philippi partibus ſtuderent: ſed tempore excluſi fuere. Rumore enim de Hiſpanorum aduentu Angram perlato, claſſici loco campanę magno cum ſtrepitu pulſatę fuerunt, ita vt viritim audaciſſimi quique ad velitandum excurrerent. Quamuis autem hi non multum efficerent, ſed potius in oppidum, ſiue metu correpti, ſiue ſaucii regrederentur: tamen impedimento Hiſpanis fuerunt, quo minus munitiones inſtitutas perficerent. Et licet Hiſpani in eo loco ab ortu ſolis vſque ad tempus pomeridianum ſubſtitiſſent: tamen nemo ex Luſitanis ſeſe illis adiunxit. Nonnulli quidem PHILIPPO ſtudebant, ſed timebant, nec alii aliis fidebant, perterrefacti præſertim exemplo IOANNIS BETANCORII, primarii ciuis Angrenſis. Hic cum partes PHILIPPI ſectaretur, cum centum amplius ciuibus conſpirationem inierat, & certo die cum ſociis armatus per plateas diſcurrere, & Philippi nomen proclamare cōſtituerat, exiſtimans ſe pro ſua auctoritate, populo contra Cyprianum Figueredum concitato, regis nomine paruo negotio Inſulæ imperium occupaturum. Verum cum non ſatis examinaſſet iudicium, virtutem, & conſtantiam eorum, quos ſocios ſibi adſciuerat (quæ omnia neceſſario in hominibus rem tanti momenti ad effectum perducturis, requiruntur) ſpe ſua, & conſilii exitu, quem ſibi promiſerat, fruſtratus fuit. Cum enim multis amicis, & coniuratis comitatus, & armatus hora præſtituta in forum prodiiſſet, regiſque nomen ingeminaret, nemo ſe illi adiunxit: immo à plebe circundatus, male mulctatus, conuitiis proſciſſus, & captus fuit, non ſine furcæ periculo: qua de cauſa ceteros veſtigia terrebant. Interea numerus Luſitanorum, quos gubernator in hoſtem ducturus erat, fere ad duo millia excreuerat: cumque de ratione Hiſpanos adoriendi deliberaretur, facile intelligebant ſe numero quidem vincere Hiſpanos, ſed rurſus ab illis peritia, & armorum genere ſuperari. Monachus quidam Auguſtinianus (immiſcebant ſe bello monachi non minus in hac inſula, quam in reliquis Luſitaniæ partibus) conſilium hoc dedit, vt ante ordines militum præmitterentur ſatis multi boues, & ſtimulis, quantum fieri poſſet, incitati, in Hiſpanorum aciem impellerentur. Secutus eſt Gubernator hoc conſilium ex quo & ſalus Luſitanorum, & hoſtium interitus dependebat. Cum à bobus ingens puluis excitatus fuiſſet, Luſitani ab Hiſpanis conſpici non poterant, & boues ſclopetorum ictus excipientes, ordines Hiſpanorum perturbabant. Hiſpani, qui velitando cum oppidanis globos, & puluerem tormentarium inſumpſiſſent, tanta hominum multitudine irruente, ad littus, & naues ſe recipere conati ſunt: ſed ſero. nam Luſitani, qui armento boum, veluti valli loco obiecto, ſine vllo damno appropinquarunt, cum boues continuo ſtimularent, tanto illi impetu in Hiſpanos inuecti fuerunt, vt acie diſiecta, cedere cogerentur: & eodem momento Luſitani eos paucis ſclopetis, ſed multis haſtis inuaſerunt: quibus aliquandiu quidem, ſed tamen infelici cum ſucceſſu reſtiterunt. Cum enim Luſitanorum eſſet ingens numerus, facile repulerunt Hiſpanos, qui ſemper reſpicientes ad nauiculas ſe ad mare recipiebant: quod cum eſſet paulo commotius, quam cum exſcenderent, nauiculæ littori appropinquare non poterant, & nautæ etiam ſclopetorum ictus, quibus à Luſitanis impetebantur, reformidabant. Milites itaq; vt hoſtium manus effugerent, in aquā ad gulā vſq; irruebant, & tamen vix poterāt nauiculas aſſequi, pērſoluen-

tes pœnas ſuæ temeritatis. Nam cum hoſtes eos, armis abiectis, fugere viderent, omnes promiſcue interficere cœperunt, nemini omnino parcentes: eoſq; non tantum vſq; in aquam perſequebantur: ſed etiã, quos mare ſemimortuos reiecerat, penitus interficiebant, nec ſupplicũ lachrymis, aut precibus mouebantur: imo facti plane inexorabiles, etiã pueris, & famulis vitã eripiebant, ita vt ex Hiſpanis plures quadringentis; ex Luſitanis pauciores triginta, nonnullis tamen vulneratis, deſiderarentur. Indulſerunt hac in re Luſitani odio potius quam alii rei vlli. Nam præterquã quod vitã non niſi vni & alteri (qui ſe Luſitanos eſſe profitebantur) condonarunt, inuſitata rabies illius multitudinis eluxit etiã ex eo, quod nondũ exſaturati hac victoria, & aduerſus paucos illos, qui euaſerant ira ardentes, beluina quadam cum feritate ad dilanianda corpora occiſorum ſe conuerterunt. Nam illis in fruſta conciſis, alius caput, alius aliud membrum, trophæi inſtar, portabat, & per plateas cadauera cum incredibili ignominia trahebant. Poſtero die omnes pueri, mulierculę, & monachi (exceptis Ieſuitis) ex oppido ſe effuderunt, & ad ſtrepitum inſtrumentorũ muſicorum, & tubarum choreas ducẽtes, ſtragem hoſtium contemplati ſunt, ſeſeq; oblectarunt pungendo & conſcindendo corpora exanima: ita vt nonnulli adfirment fuiſſe, qui corda è cadaueribus euulſa dentibus contererent. Gubernator armis cæſorum carris impoſitis, vexilla hoſtiũ humi trahens, cum triumpho & magno totius populi applauſu in oppidum ingreſſus eſt. Baldeſius, (qui hactenus maiora periti nautæ ſpecimina ediderat, quam hic exercitati ducis belli) perſpiciens ex infelici hoc ſucceſſu rem longe maiori cum prudentia aggrediendam, neſciuit (vt vnum infortunium plura pleruñq; comitari ſolent) dolore fortaſſis iudicium illius offuſcante, auxilio venire militibus ſuis: cum tamen id facile fuiſſet, ſi cum nauibus littori appropinquans tormenta diſploſiſſet in hos Luſitanos, qui primi omnium ſua crudelitate effecerunt, vt bellum iſtud cruentum adpellari poſſet. Hæc infelix pugna multum regi Philippo obfuit. Nam inſulares indies crudeliores, & contumaciores fiebant, quod nullam veniæ, aut paciſcendi cum rege ſpem ſibi relictam viderent. Itaque Philippus, qui ſperârat, illos tandem ad ſanam mentem rediturós, propter hunc infelicem ſucceſſum omnem ſpem abiecit, præſertim, quod interim dum Prior in Luſitania quæritur, litteræ ex Belgico allatæ erant, quæ ſignificabant eum in illis locis adpuliſſe, & primum in Angliam, deinde in Galliam, auxilii petendi cauſa profecturum: nec incredibile erat, eum voti compotem fore. Qua de cauſa in Luſitania loca maritima muniebantur, & in primis arx Sancti Iuliani. Et quantumuis hæc tempeſtas procul adhuc abeſſe videretur, tamen metus erat eo maior, quod Rex à milite parum paratus, & regni ſubditis non nimis acceptus eſſet. Itaque periculum eſſe videbatur, ne, ſi Prior denuo fortunam tentare animum induceret, Luſitani ad primum vexillorum illius conſpectum tumultuarentur. Non enim vllo freno coercebantur, propterea quod Itali dimiſſi: Germanorum & Hiſpanorum multi mortui erant, multi ſpoliis ditati, aufugerant, ita vt in vniuerſum non excederent quatuor aut quinque millia: ex quibus cum Lupo Figueroa ad inſulas Terceras abierant circiter mille. Etſi autem mandârat Rex, vt cum illo irent mille quingenti: tamen Germani inuiti eo proficiſcebantur: cumque naues, poſtquam ſemel ſoluiſſent, à ventis contrariis, etiam menſe Iulio ſæuientibus, ſæpius in portum reiicerentur, ſemper aliqui è nauibus deſcendebant, nec reuertebantur, ita vt claſſis vires valde imminuerentur. Reliqui variis locis, intra Dorium, ac Minium ſitis, & alibi, in præſidio collocati erant: nec Liſybonæ vltra mille remanſerant, qui numerus in tam vaſta vrbe valde exiguus videbatur. Hic ANTONII diſceſſus dignus fuit admiratione, & ſane in hac re aut feliciſſimus, aut natura ſolertiſſimus fuiſſe videtur. Cum enim in Africa in infortunato illo prœlio à Mauris captus fuiſſet, primus ex tot captiuis libertatem recuperauit, cum tamen propter dignitatem illius veriſimile eſſet; fore, vt omnium vltimus euaderet.

Verum tam egregie ſe abſcondere, tam dextre, quis eſſet, diſſimulare nôrat, vt incognitus dimitteretur. Poſtea etiam inde vſque ab illo tempore, quo diſceſſit Viana, nimirum menſe Octobri anni octuageſimi, vſque ad menſem Iunium anni octuageſimi primi, ſemper in Luſitania tam ſecreto latuit; vt fere nunquam detegeretur: id quod tanto magis mirandum eſt, quanto maiorem Rex diligentiam in ipſo inueſtigando adhibebat. Omnes iudices, omnes Centuriones, omnes milites huic vni rei diligentiſſime inuigilabant: qui quamuis interdum ſcirent, vbi eſſet, & veluti veſtigia ipſius inſequerentur, tamen nunquam hominem prehendere potuerunt. Hieronymus Mendoza, adiutus ab Emanuele Portugallo (cui tuto fidere Antonius poſſe videbatur) de compoſitione cum illo agere cupiebat. Et nonnulli quidem ex amicis Prioris modo Alanquerii, modo Vidigueiræ comparuerunt, ita vt ſe in colloquium cum illo venturum ſperaret: ſed

Prior

Prior ipſe nunquam ſe detexit. Enimuero diligentiæ horum obſtabat negligentia in puniendis illis, qui priorem receptabant, ita vt complures, impunitate hac inuitati, hoſpitalitatis officia ipſi præſtarent. Miniſtri Ducis Albani parum abfuit quin illũ ſub finem Quadrageſimæ comprehenderent Liſybonæ. & adhibebat tot exploratores Albanus, & tot Prioris amicos corruperat, vt certam omnino ſpem de eo in poteſtatem redigendo conciperet.

Verum cum negotium maiori, quam ante, cum induſtria vrgendum eſſet, de priſtino ardore remiſit. Cum enim intellexiſſet Regem multum tribuere technis Mendozæ, qui ambiguis verbis innuebat in ſeptimana Sancta Priorem ſupplicem Regi futurum, verebatur, ne illum à propoſito dimoueret. Equidem Mendoza fruſtra laborauit. Nam Antonius (vt accidit illis omnibus, qui metuunt) nulli fidebat, nec quidquam faciebat eorum, quæ ſe facturum promiſerat, nec ſe conferebat vnquam in eum locum, quo ſe iturum dixerat, ita vt non tantum Mendoza rem non perduceret ad exitum, quem pollicebatur, ſed etiam paulo poſt omnem rei perficiendæ ſpem abiiceret. Sane manifeſto adparebat, amorem illius populi erga Priorem multum poſſe. Etſi enim vulgo homines maiorem fortunæ, quam fidei rationem habent, tamen in his ærumnis, præſertim tanta capiti Prioris pecuniæ ſumma impoſita, nemo inuentus eſt inter tot, quibus neceſſario fidere ille cogebatur, qui ſpe præmiorum illum prodere animum induceret: quamuis nonnulli, vt ſuam ipſorum vitam conſeruarent, hoc agerent; inter quos fuit Eduardus de Caſtro. Itaque Prior tuto peruagatus eſt omnes portus maris, & commoratus eſt Liſybonæ, vbi erat Rex ipſe; cumque ibi nauem conſcendere nequiſſet, quod capti aliquot ex miniſtris illius fuiſſent, abiit Setubalum, & naui Belgica ſexcentis coronatis, opera cuiuſdam mulieris, & monachi Franciſcani, conducta, eaq; vna cum decem ſpectatæ fidei amicis, & miniſtris noctu conſcenſa, Caletum nauigauit. Qua de cauſa non male dici poteſt, Deum nõdum ferulam ſuam ab iſta natione tum temporis amouiſſe: ſed voluiſſe vti hoc homine loco flagelli. Nam propter incolarum in eum ſtudium neceſſe erat præſidia variis locis imponere, idq; cum ingenti ſubditorum moleſtia, & detrimento. Interea venerat annus octuageſimus primus, quo expectabantur naues ex India, Braſilia, S. Thoma, Capite viridi, & reliquis terris nouis. Videbantur tardare, & magna cum anxietate, & ardentiori cum deſiderio, quam vnquam aliæ vllæ, expectabantur. Alii verebantur, vt venirẽt: alii certo venturas adfirmabant. Multi etiam arbitrabantur, eas ſponte ſua in Inſulas Terceras appulſuras, & inde curſum in Angliã directuras: & ſi ſponte hoc non facerent, ſed tamen non prius admonitæ in Inſulas adpellerent, fore, vt ab Inſularibus vi caperentur. Erat tantum harum nauium deſiderium, non tam propter diuitias, quas aduehebant, quam quod putabantur certi aliquid allaturæ de illarum nationum animo, & obedientia erga Regem Philippum: quæ res in dubium à multis vocabatur. Illi, qui putabant naues ſaluas & incolumes Liſybonam venturas, dicebant, Indiam, & reliquas prouincias non poſſe per ſe ſine Hiſpaniæ auxilio ſubſiſtere: & neceſſario accepturas imperium illius, qui in Luſitania rerum potiretur. Ab inſulis vero Terceris nihil eſſe periculi. Etſi enim Inſulares nonnulla alia nauigia vel capta, vel caſu eo delata diripuiſſent: tamen iam claſſem Hiſpanicam maris imperium obtinere, eamq; naues recta Liſybonam deducturã, nec paſſuram vt in inſulas adpellerent. Illi, qui dicebant non eſſe veriſimile naues venturas, aiebant, naues Liſybona ſoluiſſe anno octuageſimo, poſt mortem Regis Henrici, gubernatoribus imperium obtinentibus. Et quia Ludoicus Dataidius, Comes Toghianus, Indiæ Prorex, eſſe interregnum, & bellum imminere ſciret, credibile eſſe illum voluiſſe expectare rei euentum, antequam alterutri parti ſe ſubmitteret, ſiue vt deinde ab illo, qui Regnum obtinuiſſet, eo maiorem gratiã, imperium eius accipiendo, iniret, ſiue quod ſperaret, rebus omnibus perturbatis, facile fieri poſſe, vt ſibi etiam prouincia aliqua in manu remaneret: Et, ſi his non obſtantibus, tamen naues mittere conſtituiſſet, ſaltem hoc probabile eſſe, eum claſſi præfectum ſibi addictum, & ſecum conſentientem, præpoſuiſſe, idque cum mandato, vt illi pareret, in cuius partes ipſe magis inclinaret. Porro difficile eſſe iudicatu, vtrum ex duobus ille regno potiri mallet, præſertim quia ſupremus præfectus claſſis, qui cum ea ex Luſitania ſoluerat, Emanuel Melius, Priori addictiſſimus fuerat, eiuſque rei ſpecimen ediderat: & veriſimile eſſe, ſi ille cum eadem claſſe rediret, & intelligeret Priorem eſſe in Anglia (id quod in Inſulis reſcire facile erat) illum eò curſum directurum: & ſi minus naues Indiæ ad hoc iter accommodatæ viderentur, in Inſulas deſcenſurum, & conſcenſis aliis nauibus, arbitratu ſuo cum ſpe lucri, & prædæ, quò liberet, nauigaturum. Quamuis autem verum eſſet Indiam ſe ſibi ipſi non ſufficere, tamen illi ex Anglia & Gallia cumulatius, & æque commode, atque ex Luſitania, de rebus neceſſariis proſpici poſſe. Verum

quoniam in huiuſmodi ſermonibus de rebus, quæ ab alterius arbitrio pendent, non poſſunt exacte conſiderari omnes, qui contingere queunt rerum euentus (hoc enim diuinum quiddam eſt) negotium hoc exitum ſortitum eſt, plane à ſuperioribus hominum iudiciis, & cogitationibus diuerſum. Comes enim Toghianus, Indiæ Prorex, qui per eaſdem naues acceperat litteras à Rege Philippo, quibus eum de iure & animo ſuo edocebat, adiectis magnis pollicitationibus, fidem iis propter alias litteras, à gubernatoribus ad ſe ſcriptas, adhibuerat, eaſque ſimilibus litteris, ab Antonio miſſis, anteponens Regi Philippo obedientiam exhibere conſtituerat: ita vt naues, quæ iam Inſulis Terceris adpropinquabant, recto curſu nauigarent in Luſitaniam, nec inciderent in claſſem Regis. Baldeſius enim propter infelicem prælii, cum inſularibus commiſſi, euentum, animo fractus, nō conſtiterat in loco tali, qui ad eas excipiendas accommodatus eſſet. Porro cum naues Indicæ ſpatio vnius diei inter inſulas commoratæ eſſent, obuium habuerunt nauigium quoddam Gallicum, quod ex Tercera veniebat, & illi, qui in eo nauigabant, petierunt à præfectis nauium, vt Angram adpellerent: cumq; Luſitani illos interrogarent de ſtatu Regni, vt intelligerent quid conſilii capiendum eſſet: nec hi, vtpote nautæ imperiti, vel perſuadere, vel ſimulare, vel verum dicere noſſent, ſed alii aliis contradicerent: Luſitani nihil certi ex illis expiſcari potuerunt. Hic enim dicebat Regem Philippum habere Regnum in poteſtate: ille Philippum tantum obtinere magnam partem, & Antonium cum ingenti exercitu eum è Regno eiicere conari. Hac de cauſa natum eſt inter claſſiarios diſſidium. Quidam enim, & inprimis hi, qui magnam iacturam facere non poterant, cupiebant adpellere in inſulas: alii ſuadebant differendum eſſe, donec certiores fierent de regni ſtatu: alii recta Liſybonam eundum, & illi, qui Rex eſſet, parendum. Summus præfectus, conuocatis in cubiculum ſuum Luſitanis, & Gallis quibuſdam, deliberabat: ſed nautæ, ſiniſtri neſcio quid ſuſpicantes, magno ſtrepitu excitato, cœperūt curſum dirigere Liſybonam verſus, vbi habebant mulieres, & liberos, quantumuis nonnulli obluctarentur. Equidem cum tanti Prioris intereſſet, has naues in poteſtate habere, videtur debuiſſe plus diligentiæ in hac re ponere, quam vulgo eum feciſſe putabant, ſed reuera fecit id quod potuit. Scripſit enim ad præfectum claſſis litteras, quas illi, in inſulas adpellenti, reddi iuſſit: & quibus illum rogabat, magnis pollicitationibus additis, vt in Inſulis ſubſiſtens, claſſem Indicam non Regi Philippo, ſed ſibi traderet. Sed nimia diligentia gubernatoris (vt perſæpe fit) ipſi nocuit. Cum enim ille litteras per nauigium quoddam obuiam nauibus Indicis miſiſſet, euenit, vt nauigium illud non occurreret nauibus, quæ curſum Luſitaniam verſus tenentes in medio itinere inciderunt in claſſem armatam Lupi Figueroæ: qui cum negligentiam miraretur Baldeſii, quem ſe vidiſſe negabant, aqua dulci, aliiſq; rebus illas inſtruxit. Deinde adpulerunt Liſybonam cum magna Regis voluptate, quamuis tam diu in itinere fuiſſent, vt iam fere pro certo haberetur, illas nauigaſſe in Angliam & mercatores iam inciperent, quintæ partis iactura facta, de mercibus, quibus onuſtæ erant inter ſe paciſci. Claſſis autem præfectus humaniſſime à Rege acceptus fuit. Interim adpulit ad Inſulas Terceras Lupus Figueroa, vbi certior factus eſt de infelici Baldeſii prælio: cumq; omnia inſulæ loca, quo aditus erat, ſiue opere, ſiue natura munita hoſtem victorē eſſe, tempus nauigationi aptum (quod hic citius, quam alibi mare tempeſtatibus agitari ſolet) prætetiiſſe videret, prudenter æſtimauit, nihil ſibi tentandum, ſed neceſſario in Luſitaniam redeundum. Prius tamen poſtulauit ab Angræ oppidi incolis, vt Regis imperium agnoſcerent, cuius nomine veniam, beneficia & præmia magna illis pollicebatur. Verum illi, qui non clementia Regis, ſed meritis ſuis promiſſorum certitudinem metirentur, arroganter reſponderunt, indicaret tantum, quam in partem deſcendere vellet: Se enim aditum ipſi patefacere paratos eſſe. Itaque Figueroa rediit in Luſitaniam vna cum Baldeſio, quem Rex ſtatim in vincula coniici iuſſit, ſed tamen paulo poſt liberatus fuit, cum oſtendiſſet mandata, quæ acceperat, eſſe ambigua, nec in illis ſibi prælio interdici. Hic claſſis reditus in Luſitaniam animum addidit Inſularibus. Cum enim opinarentur Figueroam maiores copias habere, quam reuera habebat, eumque in terram militem exponere non audere viderent, putabant vires ſuas eſſe formidabiles. Dederunt in Galliam litteras ad Priorem, quibus eum de harum rerum ſucceſſu certiorem faciebant. Reſcripſit ille humaniſſime, & cum gratiarum actione, ac tormenta maiora, ſclopeta, puluerem tormentarium, & ſimilia, ad bellum pertinentia, miſit, promittens ſe breui etiam militem illis ſubminiſtraturum. Iubebat omnia bona eorum, qui Regi Philippo parerent, ſi quæ in eorum manus inciderent, confiſcata, ad ſe in Galliam mitti. Quamobrem illi omnes merces, quas in quatuor, aut quinque nauibus, ex India occidentali redeuntibus cœperant, ipſi miſerunt. Quoniam autem multi

eorum

torum iudicabant hunc rerum ſtatum diu durare non poſſe, & aliquando è Luſitania claſſem tam potentem venturam, cui reſiſtere nequirent: miſerunt in Galliam Antonium Aluarezium, & alium quendam, munere publico fungentem, ſed tamen hominem mechanicum, qui inquirerent in actiones, conſilia, & vires Prioris, & quid de ipſis ſperari poſſet. Hi reuerſi, poſtquam equites à Priore creati fuiſſent, alter S. Iacobi, alter Auiſi: rogatu Prioris retulerũt, illum habere claſſem validam, quæ prima quaque occaſione in Luſitaniam nauigatura eſſet, quamuis ita res non haberet: & attulerunt Gubernatori litteras, quibus & ipſum equitem Prior creabat; addito mille ducatorum reditu annuo: id quod nonnullos alios commouit, vt & ipſi in Galliam ad Priorem proficiſcerentur. Ex Gallia & Anglia venerant in inſulas pauci aliquot milites cum nauibus, quæ ex iis locis ſoluerant: Sed tamen ad trecentorum numerum non adſcendebant. Inſulares aliquoties de illis remittendis eò, vnde venerant, cogitarunt, præſertim ingruente hyeme, reuocaturi eos poſtea ſub initium æſtatis Sed vulgus noluit hoc permittere, & dixit, quoniam à Rege eò miſſi fuiſſent, ſeſe velle eos alere. Interea Ieſuitæ monaſterio ſuo incluſi viuebant, & illis bis in ſeptimana cibus ſubminiſtrabatur. Verum cum ægre ferrent, ſe immerito veluti in carcere detineri, die quodam, ianuis templi apertis, & ſacramento in medio collocato, experiri voluerunt, num priſtinam libertatem recuperare poſſent. Ii, qui iuri dicendo præerant, ſtatim in monaſterium ingreſſi quæſiuerunt, quid hoc rei eſſet? Reſponderunt Ieſuitæ, ſi delicta ipſorum hoc mererentur, ſe petere, vt ſupplicium à ſe ſumeretur: Sin vero tantum ſuſpecti eſſent, vt ſibi facultas in Luſitaniam abeundi concederetur. Decretum tandem fuit (habitis quibuſdam ſermonibus contra decorum) vt denuo Ieſuitæ omnibus ianuis obturatis, monaſterio includerentur. Et quidam, qui dixerat, iuſtitiæ conueniens eſſe, vt Ieſuitæ, tanquam Hiſpanis addicti, vna cum monaſterio comburerentur, paulo poſt errorem ſuum agnouit. nam cum vix inde digreſſus eſſet, cœpit ægrotare periculoſiſſime, & factum eſt ſingulari Dei prouidentia, vt cognoſceret ſe in morbum hunc propter impietatem verborum, quæ protulerat, incidiſſe. Exercebant Ieſuitas reliquorum ordinum monachi, qui cum ab illis diſcreparent, & ad rem bellicam animum adplicarent, non poterãt æquo animo ferre Ieſuitas Hiſpanorum partes amplecti, nec libertate oblata frui velle. Vicarium, qui nomine Epiſcopi habitantis in Inſula S. Michaelis, iuriſdictioni Eccleſiaſticæ præerat, in carcerem coniecerunt, vtpote à ſe diſſentientem, & alium ſuo arbitratu elegerunt. Hæc omnia Regi Philippo diſplicebant, & ideo cogitabat de Inſulis ſequente æſtate adoriendis. quamuis vereretur, vt per occupationes & negotiorum multitudinem ſibi liceret, præſertim nouis ſuſpicionibus etiam ſuperuenientibus. Audiebat enim Turcam inſtruere nouam claſſem in perniciem Chriſtianorum: Conſtantinopoli Algierum veniſſe Luccialium piratam nobilem, & claſſis Turcicæ præfectum cum ſeptuaginta triremibus. Et quamuis reuera ob nullum alium finem, quam vt rebus Africæ proſpiceret, veniſſet (veritus ne Rex Philippus, recenti Luſitaniæ occupatione, & bello contra Perſas, cui Turca implicitus erat, incitatus, in eam prouinciam aliquid tentaret) tamen hæc res Regem non mediocriter ſolicitum habebat. Cum enim Philippus egiſſet cum Xariffo de commutatione Laraccæ cum Mazagone, nec res propter Maurorum in promittendo fallacias confecta fuiſſet, metuebat, ne Turca de hoc inſtituto certior factus, miſiſſet Luccialium ad permutationem impediendam, & ad Laraccen munitionibus & præſidio Turcico firmandam. Quoniam itaque ille locus Hiſpaniæ tam vicinus erat, & portum ad triremes recipiendas commodum habebat, videbatur inde facile magnum Hiſpaniæ periculum creari poſſe.

Enimuero Luccialius, paulo poſt, re infecta Conſtantinopolim, impulſu & artibus æmulorum ſuorum, reuocatus fuit. Res etiam Belgicæ Regis curas augebant. Etſi enim Princeps Auraicus maiorem partem illius prouinciæ iampridem occupaſſet, tamen Rex bonam ſpem fouebat, præſertim propter acquiſitionem Luſitaniæ fore, vt tandem illæ nationes ad ſanam mentem, & ſub imperium ſuum redirent. Veruntamen labefactabat nonnihil hanc ſpem Franciſcus Valeſius, Dux Alanconius, frater Regis Galliæ, Henrici III. qui cum exercitu in Belgicum ingreſſus, opem tulerat rebellibus Regis, qui erant Cameraci, & Principem Parmenſem, exercitus Hiſpanici Imperatorem, obſidionem ſoluere coegerat: Quamuis autem; hac ciuitate in fidem accepta, in Galliam Alanconius reuerſus eſſet: tamen regnum illud ſatis turbulentum eſſe, & ad res nouas ſpectare videbatur præſertim incitante Gallos Antonio Priore Cratẽſi, qui cum eo ex Anglia veniſſet à Regina matre humaniſſime acceptus, & à tota aula in hoſpitio ſuo ſalutatus fuerat. Spargebatur etiam alia fama, quæ ingratiſſima erat, nempe Ducem Alanconium celebraturum nuptias cum Eliſabetha Regina Angliæ: & quoniam ille aliquoties in Angliam profectus erat, matrimo-

nium quidem ſecreto contractum fuiſſe, ſed quia Regina ſedem Romanam non agnoſce-
bat, cui Alanconius ſe parere profitebatur (ita enim neceſſe erat, ne ſibi aditũ ad coronam
Galliæ præcluderet) res de induſtria celari putabatur. Conqueſtus erat Hiſpanus apud
Gallum de Priore, ſibi rebelle, in regnum recepto: de auxilio Cameracenſibus ſubmini-
ſtrato: & multis verbis odioſas reddere ſtuduerat nuptias Anglicanas, quas impedire totis
viribus conabatur, easque propter diuerſitatem religionis nullo modo adprobandas eſſe
dicebat. Reſpondit, vt fama eſt, Gallus ad ſuperiora capita per legatum ſuum: Quantum
ad matrimonium, ſe pro virili illud diſſuaſiſſe: ſed ducem ad illud vna cum tota nobilitate
Gallica inclinare, nec ſe illorum animos in manu ſua habere. Priorem fuiſſe receptum à
Regina matre, quæ, quia ſe Reginam Luſitaniæ eſſe crederet, illi, tanquam vaſallo ſuo, ho- 1
ſpitium denegare noluiſſet. Contradixiſſe etiam ſe fratri, & laboraſſe, ne Cameracenſi-
bus opem ferret: ſed admonitiones ſuas apud illum nullum locum inueniſſe. Hoc reſpon-
ſum confirmabat Regem Philippum in opinione, quam conceperat, nimirum ea, quæ no-
mine Alanconii agerentur, eſſe impedimenta, quæ ſibi ab ipſo Rege Galliæ fratris nomen
prætendente, obiicerentur. Neque enim ipſi fieri poſſe videbatur, vt Rege inuito, Alan-
conius tantam auctoritatem, & potentiam in Gallia obtineret. Etſi autem hæc res pro in-
credibili merito habebatur, tamen iamdudum is erat Galliæ ſtatus, vt non adeo mirum
hoc videri deberet. Cum enim Rex Henricus, & etiam Carolus frater magnis difficul-
tatibus, & periculoſiſſimo bello cum ſubditis, diuerſam religionem amplectentibus im-
pliciti fuiſſent, omnia erant in eo regno perturbata: & licet tum nonnihil res pacatæ vide- 2
rentur, tamen animi ſuperioribus certaminibus adhuc incenſi, facili momento ad arma
denuo capienda impelli poſſe putabantur. Quoniam vero Gallia, Anglia, & Belgicum re-
bus Luſitanicis ex parte ſe immiſcuerunt, vt ſequentia eò facilius intelligãtur, liceat, quæ-
ſo, mihi, re paulo altius repetita, breuiter de illis prouinciis diſſerere. Viuebat in Gallia Ca-
tharina Medicea regina, & mater Regis, cui propter ætatem, & virtutem Gallia vniuerſa
obtemperabat. Hæc ſe Regi Catholico tum ob diuerſas alias cauſas ſuccenſere non diſſi-
mulabat, tum potiſſimum ob hanc, quod Luſitaniam vi occupando, iudicio ſe ſubiicere
noluiſſet. Dicebat ſe plus iuris in eam habere, quam Philippum. Vnde veriſimile erat il-
lam, hac indignatione impulſam, operam daturam, vt bellum Philippo in Luſitania infer-
retur. Adſtipulabatur illi Dux Alanconius filius, non minori, quam mater, Philippi odio 3
inflammatus.

Origo odii hæc erat, quod ille alterutrius ex Philippi filiabus (ex ſorore Alanconii
ſuſceptis) nuptias ambiens, dotis loco ditionem aliquam, dignitati ſuæ conuenientem, pe-
tiiſſet. Alanconio addicta erat omnis Galliæ nobilitas, quam ille, quocunque libuiſſet, vel
Rege inuito, ducere poterat. Cauſa hæc erat, quod Alanconius, natu minimus Henrici
ſecundi, filius, propter duos fratres, Carolum & Henricum, natu maiores, exiguam Coro-
næ vnquam obtinendæ ſpem habebat: cumque animo magno, & inquieto eſſet, aures
præbuerat omnibus iis, qui vel Regi infeſti, vel rerum nouarum auidi (quorum ſemper in
Gallia copia eſt) publicam orbis Chriſtiani tranquillitatem perturbare conabãtur: & cum
his ſæpe conſilia de noua aliqua prouincia, extra Galliam occupanda, contulerat. Iſtis ſuis 4
conatibus aliquandiu credidit, (perſuaſus ab illis, quos ſecum habebat) fratrem vtrumque
aduerſari, quippe qui nollent eum vires, & potentiam ſuam augere. Vnde fiebat, vt ea,
quæ ipſi ab hominibus prudentibus bono animo ſuggerebantur, ſiniſtre interpretaretur,
quaſi & odiſſent illum, & cuperent tenebras offundere gloriæ, ad quam vehementiſſime
aſpirabat. Aucta fuit hæc ſuſpicio non mediocriter, cum Henricus frater in regnum Po-
loniæ vocaretur, nec Alanconio ſtatim omnia munera & dignitates, quas ille obtinuerat,
conferrentur. Aſſeclæ enim illius ex his, & ſimilibus rebus captarunt occaſionem eum in
ſuſpicione & odio fratrum confirmandi, quaſi ferre non poſſent illum ad maiora aſpirare:
& tantum effecerunt, vt quantumuis poſtea Henricus propter mortem Caroli noni, reli-
cta Polonia, Coronam Galliæ adeptus eſſet, tamen Alanconius in priſtina ſuſpicione per- 5
ſiſtens, maiorem, quam vnquam antea, nobilium numerũ in comitatu ſuo haberet. Quia
vero nonnulli conſiderabant, Henricum tenui valetudine eſſe, & liberis carere, & ideo A-
lanconium aliquando ad imperium peruenire poſſe: non erat mirum, eum, inſcio, imo in-
uito Rege, multa feciſſe, quanquam ex nonnullis indiciis ſatis appareret, illis bene inter ſe
conuenire.

Cum autem vires illius cum viribus Reginæ matris coniunctæ magnæ, & merito re-
gi Catholico formidabiles eſſent, etiam ad illas auxilia Anglica acceſſura videbantur. Fa-
ma enim erat, Eliſabetham, Regis Philippi potentiam metuentem, & de animo Pontificis
erga ſe ex recentibus Hiberniæ motibus ſatis edoctam, cupere ſibi aduerſus pericula im-
imminentia

eminentia proſpicere, & hanc ob cauſam cum Regina matre, & filio natu minori in perniciem Philippi fœdus iniiſſe. Et ſane paulo poſt hanc opinionem exitus ipſe comprobauit. Alanconius enim tranſactione cum principe Auraico (cuius opera omnia iſta adminiſtrabantur) confecta, denuo in Angliam reuerſus, inde Antuerpiam nauigauit: & in Belgico (conciliato ipſi iam ante induſtria eiuſdem Auraici incolarum fauore) paſſim magno cum gaudio & pompa exceptus, & 19. Febr. die anno 82. Dux Brabantiæ, interueniente iuramento, electus fuit: quæ quidem res ingentem toti Europæ admirationem commouit. Videbatur mirum, principem Auraicum, qui pene abſolutus erat dominus earum prouinciarum, quas tanto tempore propugnauerat, potuiſſe animo ſuo imperare, vt periculis fere omnibus ſuperatis, dignitate ſua ſe abdicaret, & imperium transferret in exterum, ita vt inde nulla neque vtilitas, nec gloria ad ipſum rediret. Et licet videri poſſet idem præſtitiſſe Matthiæ Archiduci Auſtriæ (quem tamen poſtea in Germaniam remiſit) tamen non erat veriſimile, eum exiſtimare ſe eadem facilitate Alanconium quandoque ablegaturum. Nam non tantum Alanconius veniebat cum exercitu, ſed etiam potentia ipſius, & Galliæ vicinitas, & Reginæ Angliæ beneuolentia ipſi tanto ad pedem in Belgico figendum adiumento futura eſſe videbantur, vt periculum non eſſet, ne facile inde expelleretur. Non deerant, qui excuſarent principem Auraicum, adducta hac ratione, quod Belgæ iam eſſent defatigati, & diuturni belli ſumptibus ita exhauſti, vt ſibi ab illis Auraicus non multum auxilii polliceri poſſet. Illum itaque coactum fuiſſe, adſciſcere patronum aliquem, à quo defenderetur contra Regem Philippum, qui occupata Luſitania maiorem Belgas oppugnandi occaſionem nactus eſſet: & cum neceſſitas ipſa ad auxilium alienum implorãdum ipſum adegiſſet, nullibi maius & certius, quam apud Alanconium, inueniri potuiſſe, præſertim cum hoc pacto veluti indiſſolubili nodo prouinciæ Belgicæ cum Gallia, & Anglia connecterentur: præterquam quod etiam Auraicus ad principalem ſuum ſcopum eadem opera perueniret, qui in harum ditionum poſſeſſione, penitus Regi Hiſpaniæ extorquenda, conſiſteret.

Quinimo nonnulli tantum Auraici ſagacitati tribuebant, vt non dubitarent adfirmare eum, ſi vellet ſuo tempore etiam Alanconium expellere poſſe. Reprehendebant Alanconium multi, propterea quod bona aliena ſine omni cauſa occuparet: alii excuſabant illum, leges imperandi ſuo arbitratu conſtituentes. Dicebant enim priuilegia Belgici eſſe talia, vt, ſi Rex Hiſpaniæ illa violaret, nouum dominum incolæ ſuo arbitratu eligere poſſent: & quia Rex priuilegia huiuſmodi violaſſet, eos alium principem creaſſe. Non ſubſtitit autem hic effectus illius confœderationis, ſed, vt Rex à bello contra Belgas auocaretur, petente Antonio auxilia contra illum, in Gallia magna claſſis inſtruebatur. Quidam dicebant illam in Luſitaniam nauigaturam, ſpe tumultuum, quos incolæ contra Hiſpanos excitaturi putabantur. Alii exiſtimabant eam ſubſidio ituram Inſulis Terceris, quibus Philippus minabatur: nonnulli etiam arbitrabantur, illam non inſtrui in alium finem, niſi vt interciperet naues, quæ è mundo nouo auro & aromatibus onuſtæ, redirent. Accidit hoc tempore in Belgico quiddam ſtupendum, & inuſitatum. nam cum Princeps Auraicus Antuerpiæ viueret quietus, & felicior, quam vnquam antea, domi ſuæ à prandio ſurgens, & familiaribus, ac domeſticis ſtipatus accepit vulnus ex ictu ſclopeti, quod in eum Ioannes Scauriguius, iuuenis Biſcainus, zelo quodam Chriſtiano incitatus, exonerauit, ita, vt globus per partem maxillæ dextræ ſubiectam, ingreſſus ab altero latere paulo ſupra ſiniſtram egrederetur.

Et quantumuis haberetur pro mortuo, tamen conualuit, & ſicarius ſtatim à ſatellitibus occiſus eſt, ac omnes, qui huius conſilii conſcii erant, ſupplicio adfecti fuere. Interim dum hæc geruntur in Gallia, & Belgico, Rex, qui adhuc in Luſitania commorabatur, ſtudebat gratificari Luſitanis: qui cum diu, & importune præmia petiiſſent, tandem fere omnium ratio habita fuit, & aliis ordo equeſtris, aliis reditus annui, aliis officia collata fuerunt, idque cum magna indignatione Hiſpanorum, qui hoc regnum titulo optimo Philippi eſſe dictitabant, vtpote quod hæreditatis, emtionis, & belli iure poſſideret. Hæc diſtributio à duobus deputatis magna cum liberalitate facta eſt. neque tamen multum Regi profuit, nec propter eam vllam apud Luſitanos gratiam iniit. Cum enim Luſitanorum duo genera eſſent remuneranda, quorum prius erat eorum, quibus ſub imperio Henrici, & gubernatorum à miniſtris Philippi pecunia, & dignitates promiſſæ fuerant, vt illius partes amplecterentur: alterum eorum, qui ſponte ſua ſe fideles, ſpretis pollicitationibus, & obedientes præſtiterant: non potuerat tam exacta in præmiis diſtribuendis ratio obſeruari, quin alterutri parti minus ſatisfieret: imo, talis error hic admiſſus fuit, vt & alii, bene meriti, negligerentur, & alii liberaliter remunerati, inſoleſcerent. Nam non tantum hac in re miniſtri

Regis per imperitiam peccarant, ſed etiam (vt multo facilius eſt promittere, quam dare) polliciti erant liberaliſſime tam illis, qui aliquid poterant, quam illis, qui nec dignitate, nec auctoritate pollebant. Cupiebat Rex omnibus his promiſſis ſtare: Sed quantumuis eos, qui præ ceteris ſingularis fidei ſpecimen ediderant, etiam præ ceteris ornatos beneficiis vellet: tamen illud facere non potuit, quia tam immoderatis petitionibus totius Regni reditus non ſuffeciſſent. Qua de cauſa (vt ſæpe in aulis euenire ſolet) dignis non fuerunt debita præmia tributa, habito reſpectu eorum, quæ nihil merentibus tribuebantur. Et hac de cauſa amor ſubditorum erga Regem ne quidem tantillum creuit. nam fidiſſimi quique ægre ferebant, illiberalius ſecum actum, quam cum illis, qui, niſi pignore accepto, Regi ſuam operam dicare noluerant: præſertim cum nonnulli iſtorum nōdum effectum dediſſent illud, cuius cauſa præmio adficiebantur. Quoſdam enim ſufficere iudicaſſe, ſi neutri parti adhærerent: quoſdam, qui Antonium ſectati eſſent, excuſare ſeſe, quod dicerent, ſe vi coactos hoc feciſſe. Illi etiam, qui minus prompte Regis partes amplexi erant (quippe qui non ſatis conſtanti animo ipſi adhærerent) putabant ſe prudenter in hoc negotio verſatos, & minimam quamque rem, quam geſſiſſent, magni momenti eſſe, ſibi perſuadebant, Regemque ſatis perſpicere, quantopere ipſorum opera indigeret: & hac de cauſa reliquos præ ſe contemnentes, magnos ſpiritus ſibi ſumebant. Hæ fuerunt in genere cauſæ, cur non adeo magnam gratiam iniret Rex diſtributione illa omnium, quæ vnquam in Luſitania factæ fuiſſent, liberaliſſima. Cæterum Luſitanorum ii ſunt mores, vt difficilime illis hac in parte ſatisfieri poſſit. Cum enim ſint inuidi, maiorem ex proſperitate alterius, quam ex propriis incommodis moleſtiam percipiunt. Porro homines plebeii, qui nulla præmia expectare poterant, & multum pecuniæ ex artibus mechanicis propter incredibilem aulicorum concurſum corradebant, iniquo animo ferebant, Hiſpanos ipſis eſſe ſuperiores, & more vulgi, rerum nouarum cupiditate tenebantur. Quod cum Rex conſideraret, animo angebatur, quoniam videbat ſe fruſtrari ſpe, quam de Regno penitus pacando conceperat. Impetrauerat ille (vt ſupra dixi) vt ſoror ipſius Maria, vidua Maximiliani ſecundi Imperatoris quæ erat in Germania, veniret in Hiſpaniam, vna cum Margarita filia.

Et quanquam de hoc Imperatricis aduentu varii eſſent hominum ſermones: quidam enim dicebant eam commoraturam Madridi cum filiabus Regis: alii eam in Luſitaniam profecturam, ac Regem illam gubernationi Regni præfecturum, vt ipſe ad Conuentus Atragonenſes proficiſci poſſet: tamen tandem Liſybonam illa venit. Cæterum ſiue rumores de claſſe Gallica creſcerent, ita vt ea de cauſa Rex diſcedendum ſibi non putaret, ſiue quod contra decorum videretur, vt illa, quæ fuerat Imperatrix, præficeretur exiguo regno: neque Rex diſceſſit: neque illa gubernare cœpit. Verum quidem eſt Regem, cum conſtituiſſet gubernationi Regni præficere Albertum Archiducem Auſtriæ, filium Imperatricis, cœpiſſe illum ad rerum adminiſtrationem adhibere. Nam die quodam, conuocato conſilio regio, indicauit ſe multorum regnorum curis, quæ ſibi incumberent, grauatum, cupere parte oneris illius leuari: & ea de cauſa, quoniam Cardinalem aptum iudicaret ad gubernationem Luſitaniæ, ſe illi rem totam committere velle, vt deinceps Conſilium, ipſo præſide, de negotiis occurrentibus deliberaret. Interim apud Inſulares, & incolas Angræ oppidi, rerum ſtatus erat perturbatiſſimus. Coniecto enim in carcerem Ioanne Betancorio, ianuis monaſterii Ieſuitarum obturatis, multis nauibus captis & pecunia à multis ciuibus, Regi Philippo ſecreto ſtudentibus, extorta, inter eos diſſidia nata fuerunt. Multis enim Cyprianus Figueredus, gubernator, non amplius eo, quo ante, cum feruore officium ſuum facere videbatur. Vnde (vt accidit illis, qui cum imperio ſunt) omnes ſeditioſi illi inuidere cœperunt, ita vt ex minima quaque re, quæ ab ipſo fieret, occaſionem eum calumniandi arriperent, & perfidiæ inſimulandi, quantumuis reuera per illum ſolum ſtaret, quo minus iſta Inſula Philippi imperio ſe ſubmitteret.

Cum itaque Figueredus, ingruente hyeme, aliquot naues, quæ ibi detentæ fuerant, dimittere, & Ieſuitas etiam priſtinæ libertati reſtituere vellet, oppoſuerunt ſeſe illi omnes actionum ipſius obſeruatores, & præ cæteris monachi, vtpote qui hic, quam vſquam alibi, ſeditioſiores, impenſius etiam ſibi metuebant, & diligentius cæteris vigilabāt: ita vt ille, qui veluti inſulæ dominus fuerat, populo in ipſum inſurgente, facile animaduerteret, ſibi non amplius licere, quæ prius licuiſſent. Quātumuis autem obtineret hoc, vt naues dimitterentur, tamen non potuit Ieſuitas liberare. nam erat ita in fatis, vt maiori cum ſuo incommodo inconſtantiam populi experiretur, & principum diffidentiam. Cum enim ad Antonium in Galliam de ſtatu inſulæ, & de auctoritate, quam multi ſibi contra

ipſius

ipſum arrogabant, ſcripſiſſet, petiiſſetque ſe certiorem fieri de aduentu Prioris in Inſulam: & adderet eam eſſe vaſtatam, nec multo diutius ſe, eo rerum ſtatu, ſuſtentare poſſe: Antonius de ipſo ſuſpicionem concepit, motus ex parte litteris, quas ab æmulis Figueredi acceperat: quibus aperte ipſum proditorem nominabant. Qua de cauſa conſtituit mittere cum imperio in illam inſulam Emanuelem Syluium, nuper a ſe Comitem Turrium Veterum creatum, & vnum ex intimis ſuis; qui eo appulit menſe Martio cum mandatis ita amplis, vt in tali caſu ampliora dari nequirent: & remoto ab officio Figueredo, Barbarica tyrannide, & crudelitate ab amicis promiſcue, & hoſtibus pecuniam extorquere cœpit. Antequam Syluius in inſulā perueniret, ſoluerat Angra nauis quædam farina onuſta, quæ ſe in Braſiliam nauigaturam ſimulabat: verum cum extra conſpectum inſulæ progreſſa eſſet, recta Liſybonam contenderat. Et vulgo putabant hanc inuentionem eſſe Figueredi, illumque per litteras ſibi ignoſci à Rege Philippo petiiſſe: inſulæ deditionem obtuliſſe: & modum illius occupandæ expoſuiſſe.

Cum enim paulo poſt alia nauis Liſybona in Inſulam veniſſet, intelligebatur, allatas eſſe litteras Regis, non tantum ad Figueredum, ſed etiam ad multos alios homines primarios ſcriptas: quæ tamen ſcopum, ad quem dirigebantur, non attigerunt. Nam nauis adpulit, poſtquam Emanuel Syluius in Inſulam iam erat ingreſſus. Itaque Figueredus ab officio remotus, nō poterat ad effectum perducere hoc conſilium: ſi modo verum erat, eum tale quid animo agitare. Interim non omnino Liſybonæ intermittebantur adparatus, ad oppugnationem inſularum pertinentes: ſed omnia lente progrediebantur: neque enim Rex ſatis certus erat de illa expeditione ſuſcipienda anno octuageſimo ſecundo, propterea quod in ipſius conſilio diſcrepantes eſſent hac de re ſententiæ. Quidam enim volebant quamprimum totis viribus earum expugnationem tentari: quod, quo diutius differretur, eo difficilior res euaſura videretur. nam Anglos & Gallos, quos eo proficiſci rumor erat, in Inſulas ingreſſos munitiones, ſi tempus ipſis concederetur, inſtituturos eſſe: ita vt non facile aditus poſtea in eas pateret. Conſiderabant etiam hac in re agi exiſtimationem Regis. Eſſe enim turpe & magno dedecori, inſulam tam infirmam pene in conſpectu Hiſp. audere armis tanti monarchæ reſiſtere. Oſtendebant quanti momenti eſſet illa Inſula ratione ſitus. qui eſſet talis, vt ipſa vnicum refugium eſſe videretur nauium ex orbe nouo in Hiſpaniam nauigantium. Et licet eſſent aliæ in illo mari inſulæ, tamen nullas eſſe tam commodas, vt has: imo cæteras omnes habere ſua incommoda. Et ſi forte Angli, & Galli eas occuparent, (quod facturi videbantur, niſi eo claſſis mature mitteretur) illos inde inuadere poſſe naues, itineris longitudine defatigatas, conquaſſatas, & parum ad reſiſtendum paratas, eaſque abducere, ac diripere cum ingenti Hiſpaniæ vniuerſæ & detrimento & dedecore. Dicebant expugnationem non eſſe adeo difficilem, eo quod inſulis ex Gallia non ſatis de armis, & aliis rebus proſpectum fuiſſet, quodque maior pars nobilitatis, & multi alii parati eſſent parere Regi Philippo: qui tamen à plebe oppreſſi, animum ſuum exercere non auderent. Verum vexillis Regis ibi comparentibus, vna cum claſſe validiori, quam priores fuiſſent, dubium non eſſe, quin non pauciores amici, quam hoſtes, in Inſula inuenirentur. Alii quibus diuerſum videbatur, dicebant hanc rem eſſe conſideratione digniſſimam, nec in ea nimis properandum. Si enim habita matura deliberatione, expugnatio ſuſciperetur, rem extra periculum eſſe: ſin vero nimis feſtinaretur, eo non carere. Oſtendebant inſulam natura eſſe munitiſſimam, propter difficultatem militem exponendi. Eſſe enim pene circumcirca inacceſſam, exceptis paucis locis, quæ veriſimile eſſet & munita, & præſidio firmo inſtructa eſſe. Dicebant præſidium, quod ibi eſſe intelligebatur, quantumuis exiguum, tamen cum oppidanis coniunctum, ſatis habere ad expoſitionem militum impediendam virium. Adfirmabant non eſſe negligendam conditionem illius maris, quod interdum non niſi duorum menſium ſpatio nauibus ibi ſubſiſtendi facultatem concederet.

Concludebant itaque præſtare expeditionem omittere, quam ſeſe in periculum, & inanes ſumptus fruſtra conicere, vt iam bis, cum non exigua exiſtimationis iactura, accidiſſet. Dicebant negotium totum collocari in tuto, ſi differretur. neque enim Inſulam vel opere, vel natura munitiorem vnquam fore, quam iam eſſet. Locum natura eſſe munitum, & magna præſidia ibi non diu ali poſſe. Rem differendo Inſulares ſponte ſua ad ſanam mentem redituros. nam, vt nihil dicerent de inſolentia Gallorum, adfirmabant, ceſſantibus cum Hiſpania commerciis, illos breui in eam rerum omnium penuriam incurſuros, vt mature errorem ſuum agnoſcerent. Naues ex India venientes tam breui ſpatio in illis partibus commorari, vt inſularum auxilio non indigerent, niſi reſpectu aquæ, de qua ſibi in Inſula S. Michaelis abunde poſſent proſpicere. Hæ rationes ſuſpenſum tenebant

Regem Philippum: cumque natura ad pacem ferretur, inclinabat ad dilationem: & prout variabant nuntii & rumores, qui ex Gallia, Anglia, & Belgico adferebantur, ita maiori, minoriue cum ardore claſſis apparatum vrgebat. Hoc pacto, & cum non mediocri anxietate Regis Philippi, tranſierunt tres primi menſes anni octuageſimi ſecundi. Ceterum ineunte vere, cum audiretur in Gallia, Belgico, & Anglia magnum nauium numerum inſtrui, ſub prætextu in Luſitaniam nauigandi: Turcam, non obſtante bello Perſico, mittere ſe claſſem emiſſurum: in Marchionatum Salucenſem deſcendiſſe aliquot pedites Gallos: Rex animaduertit neceſſariò arma capienda eſſe, tum ad inſulas oppugnandas, tum ad defendenda multa loca, propterea quod in multis locis offendi poterat. Durum, & turpe ipſi videbatur pati ſibi à Duce Alanconio eripi prouincias Belgici: videbat ſumptus fore maximos, & ſe à pecunia parum paratum: nec etiam creditores ſibi multum fidere: (decretum enim, quod contra mercatores publicauerat, maiori damno fuerat ipſi, quam creditoribus) apparatus autem, qui ſibi inſtituendi eſſent, eſſe omnino neceſſarios. Nam Italiæ proſpici, ineuitabilis neceſſitas flagitabat, tam reſpectu Turcæ, quam Gallorum. In Luſitania etiam neceſſitas requirebat, vt exercitus aleretur. Etſi enim ſtatus Regni in ſpeciem tranquillus videbatur: tamen animi Luſitanorum erant inquietiſſimi: claſſis omnino inſtruenda erat, & quidem ita valida, vt hoſtibus reſiſtere poſſet. Belgici etiam ratio habenda videbatur, ſi minus, vt omnes illæ prouinciæ recuperarentur, ſaltem vt maior iactura præcaueretur.

Cæterum id, quod fortaſſis ante omnia Regem ſolicitum habebat, erant naues, quæ eo anno ex Indiis expectabantur, & ex regionibus nouis. Verebatur enim ne Galli, ab Inſularum commoditate adiuti, illas interciperent: propterea quod non tantum in mari illo naues piratarum comparere incipiebant, ſed etiam in inſulam S. Michaelis, & Maderæ irruptionem facturæ videbantur. Qua de cauſa Rex omnibus his incommodis mederi conatus eſt in hunc modum. In Hiſpania iuſſit conſcribi, quantæ maximæ poſſent, copias pedeſtres, eaſque in Luſitaniam miſit, & inprimis in ditionem ſitam inter Dorium & Minium, cuius imperio præfecit Ferdinandum de Toleto, Priorem S. Ioannis. Marchionem Sanctæ Crucis miſit Hiſpalim, vt in illis partibus, quantum poſſet, numerum nauium armaret, & inſtrueret etiam nonnullas triremes. In Biſcaia etiam iuſſit inſtrui octodecim naues, quæ poſtea omnes conuenirent, in Andaluſia, vbi curabat armari naues maiores, & nauigia confici ad militem exponendum idonea. In Italiam ſcripſit ad Proregem Neapolitanum, & ad gubernatorem Mediolani, vt ſinguli ſex militum millia conſcriberent. In Germania iuſſit conſcribi decem millia peditum, ſub prætextu hos vna cum Italis in Belgicum mittendi: & vt inſulam Sancti Michaelis in tuto collocaret, etiamſi iam ante ibi eſſet Ambroſius Aguiarius cum naui maiori Belgica, miſit eo Petrum Peixotum cum aliis quinque nauibus, qui oportune aduenit. nam iam nonnullæ piratarum Gallorum naues conuenerant ad eam oppugnandam. Et ſane reipſa oppugnationem tentarunt. Cum enim Peixotus anchoras ieciſſet prope oppidum, quod Punta Delgada vocatur, tres myoparones Gallici, qui ſex alias naues aliquo interuallo poſt ſe reliquerant, ſeſe in cõſpectum illius dederunt, exiſtimantes, quoniam habebat quinque naues, illum non dubitaturum confligere cum tribus: quod ſi faceret, superuenientibus ſex reliquis putabant ſe victoria certo potiri, & deinde commode inſulares inermes adoriri poſſe: ſed ſpe ſua fruſtrati ſunt. Peixotus enim, qui non manus conſerere, ſed pro viribus inſulam defendere cuperet, noluit obuiam tribus nauibus Gallicis progredi: præſertim quia paulo poſt ſex reliquæ, quæ à tergo relictæ fuerant, etiam comparuerant. Galli itaque animaduertentes ſe non poſſe decipere Luſitanos, & inſidias eſſe detectas, & iniquo animo ferẽtes ſibi ſine præda diſcedendum, conſilium cœperunt de inuadendis Peixoti nauibus, quæ, anchoris demiſſis, prope inſulam ſubſiſtebant. Sed ventus, qui ad inſulam adpellentibus non ſatis ſecundus erat, & tormenta, quæ ex tenui quodam propugnaculo diſplodebantur, in cauſa fuerunt, cur minus commode in Peixotum inuehi poſſent. Veruntamen nauis prætoria, quæ cæteras velocitate ſuperabat, tam prope acceſſit, vt prælium cum quadam Luſitana iniret: ac ſane ſpatio trium horarum non ſine ſanguine conflictus durauit. Erant ſuperiores Galli, ſed Ambroſius Aguiarius, qui erat in terra, conſiderans ab interitu nauium dependere exitium inſulæ, ſubſidio miſit Peixoto nauiculas quaſdam cum 150. militibus, quorum ope & ſe defendit, & nauem Gallicam quæ plus damni, quam Luſitanica, acceperat, ad ſocias redire coegit. Sed multi iudicarunt, ſi ventus fuiſſet aliquanto vehementior, ita vt reliquæ naues Gallicæ appropinquare potuiſſent, periculum futurum fuiſſe, ne Luſitanicæ in conſpectu totius inſulæ à Gallis abducerentur.

Quoniam autem paulo poſt Lyſbonam venerunt octodecim naues Biſcainæ, quas rex

In illis

in illa prouincia inſtrui ad defenſionem inſulæ iuſſerat, quatuor ex illis miſſæ eo fuerunt cum ſexcentis peditibus, qui eo ſtatim poſt Gallorum diſceſſum appulerunt. Interea venerat æſtas, & ex Gallia nuntii adferebantur de magnis belli adparatibus, & de nauibus, quæ Antonii nomine in omnibus portubus armabantur. Res Regis Philippi lentius adminiſtrabantur, quam tanti momenti negotium pateretur. Hiſpani enim non ſatis ſibi perſuadere poſſe videbantur, Gallos in Luſitaniam cogitare, aut in Inſulas: imo nonnulli putabant illos hoc ſimulare quidem, ſed reuera in Belgicum ituros, propterea quod pluris ipſorum intereſſe videretur, integram earum prouinciarum poſſeſſionem nanciſci, & Regis Philippi copias penitus inde eiicere, quam aliam, eamque difficiliorem expeditionem ſuſcipere. Et ſane hæc opinio omnium animis firmiſſime inhærens, iuuabat Gallos. nã hinc fiebat, vt aut diuerterentur, aut ſaltem diſtraherentur vires Hiſpanorum, & vt in Hiſpania claſſes minori cum celeritate, quam par erat, inſtruerentur. Veruntamen cum certo poſtea intellectum eſſet Gallos in animo habere proficiſci ad intercipiendas naues, ex Indiis redeuntes, lentius in Italia apparatus, Belgico deſtinati, promouebantur, & in Hiſpania in claſſe inſtruenda aliquanto magis properabatur. Et quanquam nautarum, aliarumque rerum neceſſariarum penuria ſumma eſſet, tamen in Andaluzia circiter viginti naues, & viginti tres triremes non ſine magna difficultate armatæ fuerant, & Marchio Liſybonam redierat, poſtquam dediſſet in mandatis claſſis præfectis, vt nauigarent verſus caput S. Vincentii, & ibi noua mandata expectarent. Inuenit in Tago ſatis male inſtructas circiter alias triginta naues, computatis Biſcainis, & nonnullis Belgicis, quæ quaſi vi detinebantur: in quas impoſitis, duce Lupo Figueroa, ſex millibus peditum Hiſpanorum, Marchio & ipſe nauim conſcendit, ſtipatus magno nobilium numero, inter quos erat Petrus de Toleto, & alii ex primaria nobilitate, qui tanquam priuati milites exercitum Regium comitabantur. Non erat hic ſcopus Regis, quem initio ſibi propoſuerat. Nam cogitauerat antea de omnibus nauibus in vnum locum cogendis in Andaluzia, quo naues Biſcainæ, ex Biſcaia ſoluentes, curſum dirigere iuſſæ fuerant. Cæterum cum Liſybonam veniſſent, & nonnullæ aliæ mercede conductæ ſeſe cum nauibus bellicis Luſitanicis coniunxiſſent, exiſtimauit maiorem numerum eo in loco conueniſſe, & tempus inutiliter conſumptum iri, ſi hæc claſſis pars alteram quærere cogeretur, & eas inter nauigandum facile aliam in aliam incidere poſſe: & ideo vtriq; iniunxit, vt Inſulas peterent, (quod fecerunt) darentque operam, vt in itinere ſe coniungerent. Et quanquam omnia iſta lente fuerunt adminiſtrata, tamen maior adhuc mora interpoſita fuiſſet, niſi Rex ſua præſentia diſceſſum claſſis vrſiſſet: quæ tamen ſoluit demum decimo die Iulii anni octuageſimi ſecundi. Adeo Hiſpani natura in rebus ſuis adminiſtrandis lenti ſunt. Iam enim ex Gallia claſſis cum Antonio, & ſociis ſoluerat, quæ ſeptuaginta amplius nauibus, & ſeptem millibus peditum, Philippo Strozzio, & Comite Briſſacco ducibus, conſtabat.

Liber Nonus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur deſcriptio inſulæ S. Michaelis: claſſis Gallica in eam appulſus: Gallorum exſcenſio: velitationes cum incolis: fuga Luſitanorum: aduentus claſſis Hiſpanicæ: pugna naualis: mors Philippi Strozzii, & Comitis Vimioſii: Antonii profectio in Terceram: & illius actiones: crudelis ſententia Marchionis contra captiuos, & eiuſdem executio: mors Ducis Albani, vna cum ipſius elogio: noua Comitia, in quibus iuramentum fidelitatis præſtitum fuit Principi Philippo, propter mortem Principis Iacobi, & quomodo Cardinalis, Archidux Auſtriæ, Portugalliæ gubernationi præfectus fuerit.

INTERIM dum claſſes, Gallica & Hiſpanica, verſus Inſulas Terceras nauigant, vtraque aula de rei ſucceſſu ſolicita, varias ſpes concepit. In Gallia minus de victoria dubitabatur, quam in Luſitania. Galli enim Hiſpanorum vires contemnentes, & ſe numero nauium & militum ſuperiores eſſe exiſtimantes, pro certo habebant (quia inſulares ab ipſorum partibus ſtabant) fore, vt illorum naues caperent eas, quæ

ex India reuerterentur, diriperent inſulam Sancti Michaelis, & etiam claſſem hoſtium, ſi ad manus veniretur, ſuperarent. Tam firmo fundamento hæc niti putabant, vt ſpes longe maiores concipientes (inſtigati præſertim pollicitationibus Antonii, qui quamplurimos ſe ſibi addictos in Luſitania adhuc habere adſeuerabat) cogitarent adpellere in Luſitaniam, militem exponere, Luſitanos inermes armare (in quem finem magnam etiam armorum copiam aduehebant) & pedem tam firmiter in continenti figere, vt ibi ſedem collocare poſſent. His itaque ſpebus excitati, naues conſcenderant multi ex nobilitate, ſiue quod Galli rerum nouarum auidi ſint, ſiue quod reginæ matri hac in re gratificari cuperent.

In aula Hiſpanica non erant tam conſentientes ſententiæ, neque tanta ex certa victoriæ ſpe lætitia. Cum enim Luſitani ab Hiſpanis alieniſſimi eſſe pergerent, ſpem cum deſiderio æquantes, & rem ab vtraque parte in par diſcrimen deductam cernentes, multi hoſtibus reſiſti non poſſe putabant, & multi etiam aduentum Antonii auide expectabant. Reliqui Luſitani, qui præſenti rerum ſtatu contenti erant, vna cum Hiſpanis confidebant bellum hac vice finitum iri, dicebantque ſe non dubitare de debellanda illa claſſe, Antonio capiendo, & de Inſulis vel vi, vel per deditionem occupandis.

Veruntamen iſti ſpem quidem vultu ſimulabant, ſed tamen reuera metuere videbantur. Cum enim claſſem diuiſam, & coniunctionem incertam eſſe cernerent, prudentiores victoriam non adeo exploratam, vt quibuſdam videbatur, iudicabant: Ac Hiſpanos, ſi prælii aleæ rem committerent, multum perdere, & parum lucrari: & vice verſa Gallos multum lucrari, & parum perdere poſſe. Maximum enim incommodum, quod hoſtes accipere poſſent, conſiſtere in amiſſione claſſis, & Inſularum ex manibus illorum extorſione. Hæ res omnes etſi ita euenirent, tamen non magnopere Galliæ intereſſe: contra vero, ſi claſſis Hiſpanorum vinceretur, damnum hoc longo interuallo Gallorum iacturam ſuperaturum. Nam præter claſſem, etiam Inſulam Sancti Michaelis, & omnem cæteras recuperandi ſpem amiſſum iri.

Præterea naues Indicas cum toto theſauro in Gallorum manus venturas, & dubiam fore poſſeſſionem Regni, expoſiti omnibus periculis, quæ tam inſignem iacturam, præſertim in regnis recens occupatis, comitari ſolent. Augebatur hic metus, cum conſideraretur, claſſem quidem bonis nauibus, & ex parte etiam militibus veteranis inſtructam eſſe, ſed tamen laborare penuria inſtrumentorum, quibus ignis in hoſtilem claſſem conicitur, & nautarum, quorum nonnulli vi coacti nauigationi intereſſent, & ipſum Marchionem pene inuitum, & non magna cum alacritate expeditionem ſuſcipere, non quod ſibi metueret, ſed quod ſub diſceſſum ſuum parum humaniter à Rege claſſis nimis ſero paratæ culpam ipſi imputante, habitus fuiſſet. Accedebat, quod in claſſe eſſent aliquot naues Belgicæ, & pedites Germani, in pugnis naualibus minus exercitati. Veruntamen hi, qui iſta dicebant, in ſpeciem magnam fiduciam præ ſe ferebant, ſpemque ſuam oſtendebant inniti virtuti peditum Hiſpanorum, & nauium magnitudini. Multi mirabantur Antonii ſermones tantum in Gallia ponderis habuiſſe, vt fere vniuerſam aulam ad protectionem ipſius tanto cum ardore ſuſcipiendam commouerent, cum tamen de iure Antonii ipſi non ſatis conſtaret, nec valde certa ſpes eſſet vel regnum tam cito occupari, vel vſui eſſe poſſe auxilia eorum, quos Antonius ſuis partibus addictos habere ſe dicebat, propterea quod his à validiſſimis præſidiis frenum iniiceretur. Et hæc Gallorum promptitudo eo maior videbatur, quo lentiores ſe præbuiſſent olim, in Luſitanis contra Caſtellanos adiuuandis, cum quidem & melior occaſio, & maior ſpes felicis ſucceſſus, quam nunc, ſeſe offerret. Nam anno ſeruatoris noſtri milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto, cum in Galliam Alfonſus Quintus, Luſitaniæ Rex, veniſſet auxilia à Ludoico vndecimo petitum, contra Regem Catholicum Ferdinandum, cum quo bellum gerebat, nihil obtinuit: & aliquo temporis ſpatio inutiliter ibi conſumpto, pene deſperatus, re infecta, in regnum ſuum reuerſus eſt.

Relictis vero exemplis antiquis, dicebant, ſi Galli Antonii defenſionem ſuſcepiſſent, vel bona fide, & animo ſincero, vel vt illius opera pedem in Luſitania figerent; illis longe meliorem occaſionem ſcopum ſuum aſſequendi, oblatam fuiſſe anno 1580. quo tempore fortaſſis Philippum in Regni poſſeſſione turbare potuiſſent, aut ſaltem prohibere, ne illo anno Tagum tranſiret. Cum itaque amiſſa occaſione tam optata, in gratiam exulis Antonii ex Gallia maximam fortaſſis omnium, quas vnquam illa inſtruxiſſet, claſſium, venire homines viderent, non ſatis rei nouitatem admirari poterant. Verum, ſtatu orbis Chriſtiani bene perpenſo, non videntur ſane defuiſſe cauſæ, quæ hoc etiam tempore Gallos incitare deberent, & longe quidem magis, quam vel tunc, vel vnquam antea.

Cum

Cum enim frater Regis Galliæ fere omnes Belgici prouincias occupaſſet: Regina mater hæreditatem Regni Luſitaniæ ſibi vindicaret, ac Philippo ſuccenſeret: hæc omnia ſufficiebant ad inuitandos Gallos, vt eo alacrius ad Portugalliam oppugnandam, & vires Regis Hiſpaniæ diuertendas, accurrerent. Interea claſſis Gallica die Iulii decimoquinto adpulit ad inſulam S. Michaelis, prius, quam Hiſpanica, & iactis prope Lacunam pagum anchoris, duo peditum millia in terram expoſuit. Hæc inſula in circuitu non continet vltra centum milliaria: Et figuram habet tam longam, & anguſtam, vt cum ab oriente vſque ad occidentem in longitudinem quadraginta amplius milliarium porrigatur, vix duodecim lata ſit. Pars ad meridiem vergens eſt reliquis fertilior, & cultior. Nam verſus ſeptentrionem, excepto vnico pago (quem Riuiera grande vernaculo ſermone adpellant) pene deſerta eſt. Hæc pars, quæ Auſtro obuertitur, incipiendo à parte orientali, & à capite Morro, vſque ad partem occidentalem, diuerſa oppida & pagos habet. Primo loco occurrit Villa Franca, diſtans à Capite Morro 25. milliaribus, & 500. circiter domus continet: deinde Aqua Pali, poſtea Lacuna: vtraque paucos incolas habet: quarto loco ſequitur ciuitas, quam Puntam Delgadam vocant, ſuperiora oppida magnitudine excedens, & arcem paruam habens verſus occidentem. Ex hoc littore nonnulla promontoria in mare extenduntur. Primum, quod Villam Francam tendentibus occurrit, vocatur Punta di Garza; ſecundum, Galeæ: & eſt inter dictum locum, & Aquam Pali. Inter Lacunã & ciuitatem, ſunt duo alia, ſed minora, nimirum Pugnete, & caput canis. Ad promontorium Pugnete verſus Lacunam expoſuerunt, vt dixi, Galli militem, & pago direpto, opulentiorem prædam indagaturi, vlterius progreſſi ſunt. Mortuus erat in ciuitate paulo ante Ambroſius Aguiarius, qui fuerat gubernator. Et licet quidam ipſius priuignus in officio vitrico ſuccedere vellet, tamen inter Luſitanos Petrus Peixotus præfectus quinque nauium, plurimum auctoritatis habere videbatur. Sane peditibus Hiſpanis, quantum ad bellica attinebat, imperabat Laurentius Noghera, homo animi magni, & eximiæ virtutis. Omnes incolæ conſternati cœperant maximam partem fortunarum vna cum vxoribus in montes transferre, & creſcente ad conſpectum claſſis metu, pene tota ciuitas vacua remanſerat. Ciues primarii, ad deliberandum congregati, ſtatuerunt, nauibus ſuis littori vi illiſis, & ne hoſtibus vſui eſſe poſſent, confractis vna cum militibus Hiſpan. nautis Biſcainis, & Luſitanis, qui fortunam prælii tentare parati eſſent, hoſti obuiam progredi. Sed tamen hoc conſilium ex parte tantum ad effectum perductum eſt. Baſcaini enim noluerunt naues ſuas confringere, & Petrus etiam Peixotus non penitus ſuas confregit: veruntamen omnes, armis captis, conſtituerunt Gallis obuiam ire, auſpiciis Nogheræ, & Peixoti. Hanc ob cauſam confluxerant ad 2000. Luſitanorum, & computatis deinde militibus & nautis Caſtellanis, & Biſcainis, vniuerſi fere 3000. numerum conſtituebant. Verum Laurentius Noghera non ſatis Luſitanis fidens, antequam iter ingrederentur, humaniſſimis verbis illos ad fortiter pugnandum adhortatus eſt, ſubobſcure innuens ſe metuere, ne ab illis deſereretur. Verum illi ſuam operam ipſi detulerunt tanto cum animo, & alacritate, vt exiſtimaret eos ſibi alicui vſui in pugnando futuros. Itaque hoſtibus obuiam progreſſus, ſpem bonam de illis ad naues vſque repellendis fouebat. Adpropinquabant paulatim Galli, ſed de copiis ſibi obuiam venientibus certiores facti, commodiſſimum factu putarunt, antequam vlterius progrederentur, via recta relicta per aliam quandam ad ciuitatem & arcem ſine pugna contendere, quod ſe omnia imparata, & neglecta inuenturos arbitrarentur. Relicta itaque via, quæ ſecundum oram maris ducebat, aliquanto magis in interiorem Inſulæ partem penetrare cœperunt. Cæterum Noghera hac de re admonitus, & ipſe de via declinauit, Galliſque obuiam profectus eſt, & prælii leuioris initio facto, cum deinde totis viribus hoſtem aggredi vellet, animaduertit Luſitanos in fugam ſe coniicere. Qua de cauſa cum ſe tot hoſtium impetum cum ſolis Caſtellanis, & Biſcainis ſuſtinere non poſſe videret, amiſſis aliquot è ſuis, & lethali vulnere accepto, ſeſe in arcem recepit, inque ea paulo poſt diem ſuum obiit: illi tamen, qui in arce erant (& in primis Epiſcopus, Petrus Caſtellanus, qui magnum prudentiæ ſpecimen edidit) confidebant, ſe hoſti aliquandiu reſiſtere poſſe, quamuis non tantum in viribus ſuis, quantum in claſſis Hiſpanicæ aduentu ſpei collocarent. Petrus Peixotus, homo in illis partibus alioqui ſatis celebris, omnia deſperata iudicans, conſcenſa naui noctu ſoluit, & paulo poſt Liſybonam peruenit.

Dicebat autem ſe abiiſſe, vt Marchionem de rebus omnibus edoceret, ſed ſe illum inuenire non potuiſſe: & nihilominus à Rege, quia Luſitanus erat, clementer habebatur. Comparuit hoc tempore inter has Inſulas nauis Indica, magnis diuitiis referta, & Galli ita infelices fuerunt, vt in eam non inciderent,

quantumuis fere in conſpectu Inſulæ prænauigaret. Porro illa per nauim quandam Gallicam de rebus, quæ in Luſitania gerebantur, certior facta, & ideo à recta via parumper diuertens, primum ad caput S. Vincentii, & deinde Liſybonam ſalua & incolumis peruenit. Nuntius à Petro Peixoto Liſybonam allatus, vt animi, nonnihil Antonianis addidit, ſic etiam Caſtellanos, & eos, qui Caſtellanis addicti erant, non valde conſternauit. Illi enim ad minimum quemque caſum conſilia, & ſpes accommodabant: hi vero aliquanto firmiores & conſtantiores, putabant Gallos hactenus non tantum nihil memorabile geſſiſſe: ſed etiam contra officium, & diſciplinam militarem in illa inſula adorienda peccaſſe. Cum enim præcipuus ipſorum ſcopus eſſet, capere naues ex India venientes, & incolas Regni ad tumultuandum concitare: equidem videbantur imprudenter facere, quod tempus alia in re, exigua cum lucri ſpe, inutiliter conſumerent. Nam, quia inſula parum munita, & ciuitas muris nudata erat, conſtabat inanem eſſe omnem laborem, qui in ea occupanda poneretur. Etſi enim capta ab ipſis fuiſſet, tamen & infirmitatem, & loci ad exponendum militem commoditatem ſemper in cauſa futuram, vt in eius poteſtate eſſet, qui maris imperium obtineret: præterquàm quod periculum erat, ne, dũ ipſi in inſula eſſent, claſſis Gallica, propter anchoras iactas veluti immobilis, à claſſe Hiſpanica ex improuiſo ſuperueniente, opprimeretur. Sane Galli hac re parum moueri videbantur, quia aliquandiu in Inſula ſecuri ſubſtiterunt. Porro Antonius, qui in monaſterio S. Rocchi diuerſabatur, non procul à claſſe, tentauit arcem verbis, & minis: ac deinde in ciuitatem profectus, litteras in genere ſcripſit ad eos, qui in illa erant: petens arcem, tanquam ſuam, ſibi dedi, & liberam diſcedendi facultatem militibus promittens. Verum cum reſponſum parum gratum accepiſſet, iuſſit è nauibus adduci aliquot tormenta muralia, quibus arx diuerberaretur: ſed cum interea claſſis Hiſpanica ſuperueniſſet, hoc omiſſum fuit. Claſſis Hiſpanica vbi per vndecim dies, varia tempeſtate vtens, nauigaſſet, in conſpectum Inſulæ peruenerat, neque tamen cum nauibus & triremibus, quæ ex Andaluzia ſoluerant, ſe coniunxerat: imo ex iis, quæ ex portu Liſybonenſi exierant, à tergo remanſerant quatuor naues, & aliquot celoces, quarum tres aquæ refluxu impeditæ, vna cum reliquis ex oſtio Tagi exire non potuerant, & quarta, quia rimas egerat, reuerti in portum coacta fuerat, ita vt claſſis iſta non niſi 28. nauibus maioribus conſtaret: & licet reliquæ tres poſtero die ſoluiſſent, tamen alio plane vento, quam claſſis, impulſæ, & ad inſulam S. Michaelis ante aduentum claſſis delatæ, cum intellexiſſent naues Gallicas adeſſe, in altum mare redierunt, nec ſe poſtea cum Marchione vnquam coniunxerunt. Prima pars terræ, quam Marchio vidit, fuit Caput Morrum die Iulii. 21. & 22. peruenit Villam Francam, ignorans omnino claſſem Gallicam adeſſe. In hac re conditio Hiſpanorum deterior fuit. nam à Gallis, qui naues ſuas, prope littus habebant, quo quodammodo tegebantur, eminus conſpici poterant, cum interim illi Gallos cernere non poſſent. Miſerat Marchio pridie eius diei præfectum militum Aguirrem, cum duabus celocibus, exploratum: & monuerat illum, quid fieri vellet, ſi in hoſtes incideret. Dederat illi litteras ad Ambroſium Aguiarium (cuius mortem ignorabat) quibus eum de ſuo & claſſis aduentu reddebat certiorem, item de numero militum, & nauium. Dicebat etiam ſe cotidie expectare naues, & triremes, quæ in Andaluzia inſtructæ fuerant: & petebat, vt ſibi reſcriberet de claſſe Gallica, an prænauigaſſet, & quot naues in ea eſſent, & quem curſum teneret, adfirmans ſe in animo habere cum ea prælium committere: & hac de cauſa ſe velle indicari Petro Peixoto, vt nauibus ſuis inſtructis, ad ipſum comitandum, ſe pararet. Cum Marchio prope Villam Francam anchoras iaceret, venit ad prætoriam nauim, vnum ex nauigiis tribus, quæ à tergo remanſerant, & poſtea, equis onuſta, vela fecerant, cuius nautæ retulerunt tres illas naues, quæ in Tago ſubſtiterant, adpuliſſe in inſulam biduo ante, & abiiſſe: præterea à nauib. quibuſdam Gallicis alia duo nauigia, & ipſa equis onuſta capta fuiſſe, & ſe vix euaſiſſe. Verum cum non propterea Marchio crederet claſſem Gallicam adeſſe, miſit alios, qui in littus egreſſi certi aliquid explorarent. Sed iſti mox redierunt, nihil certi referentes. Cum enim in littus deſcendere ab hoſte prohibiti fuiſſent, in referendo ſibi inuicem contradixerunt. Interim Marchio maiora paulatim ſigna defectionis Inſulę animaduertebat: præſertim quod vna ex Aguirris celocibus reuerſa indicaret, Aguirrem cum altera celoce à quadam naui Gallica captum fuiſſe. Qua de cauſa Marchio in conſilium adhibuit Lupum Figueroam, tribunum militum ſupremum, & illi duo inter ſe decreuerunt exponere partem copiarum in terram, (partim aquæ dulcis hauriendæ cauſa, partim vt certius aliquid explorarent,) & cum claſſe in locum ad hoc conſilium accommodatiorem adpellere. Cęterum omnis dubitandi cauſa, paulo poſt ceſſauit. Nam ſimulatque certis hominibus negotium datum fuiſſet locum iaciendis anchoris aptum deligendi & claſſis vela facere cœpiſſet,

piſſet,

piſſet, ſtatim è portu ciuitatis naues (quarum numerus magis, magiſque creſcebat) ſibi obuiam venire viderunt: cumque iudicarent (quod res erat) eſſe hoſtes, & priori conſilio omiſſo, ad deliberandum Petrus de Toleto, Lupus Figueroa, Marchio Fauaræ, Petrus Taſſiſius, Quæſtor ſupremus, Franciſcus Bouadiglia, tribunus militũ, & nonnulli alii nobiles, & centuriones conueniſſent, denuo propoſitum, & conſultatum fuit, vtrum prælium committendum, an alia ratio ineunda eſſet. Non habebat claſſis Hiſpanica, quo ſe tuto reciperet: retrocedere non poterat ſine magno incommodo: ventum ſecundum Gallis præripere non licebat. Galli enim, qui naues haberent velociores, & ad proram contra ventum conuertendam aptiores, arbitratu ſuo hoſtem adoriri, ſe recipere, pugnare, & pugna excedere poterant. Qua de cauſa Duces Hiſpani, conſilium neceſſitati accommodantes, cum viderent eum rerum ſtatum eſſe, vt liberam electionem non haberent, manus conſerere conſtituerunt. E x litteris, quas Marchio ad Ambroſium Aguiarium ſcripſerat, in celoce Aguirris inuentis, Antonius non tantum numerum nauium, quas Marchio habebat, ſed etiam earum quas expectabat, & conſilium illius intellexerat. Qua de cauſa, re cum Strozzio Briſlacco & Comite Vimioſio communicata, ſtatuerat commodiſſimum factu eſſe, claſſem Hiſpanicam, tam paucis nauibus conſtantem, adoriri antè quàm reliquę venirent, quæ expectabantur. Et ideo, quanta fieri poterat cum celeritate, militib. qui in littus deſcenderant, in naues denuo impoſitis, acie inſtructa, Marchioni obuiam progrediebatur. Ibi Marchio toti claſſi rationem declarauit, quam in prælio obſeruari volebat. Ad dextram ſuæ nauis, quæ S. Martinus vocabatur, conſtituit nauim, nomine S. Matthæum, in qua erat Lupus Figueroa: & ad ſiniſtram, nauim Franciſci Bouadigliæ cum quatuor aliis nauibus ſubſidiariis: ceteris omnibus etiam certo ordine diſpoſitis. Solus Chriſtophorus Eraſſus aliquantum à tergo remanebat, cum naui vaſta & magni momenti, cuius malus maximus nonnihil detrimenti acceperat: cumque eam ob cauſam plenis velis vti non auderet, fiebat, vt Marchioni tantum viginti ſeptem naues ſupereſſent.

In omnibus nauibus, & præcipue in duabus primis, omnia optimo ordine diſpoſita fuerunt. Militibus enim loco conuenienti collocatis, & ducibus compluribus electis, non tantum omnium rerum, quæ neceſſariæ erant, ratio habita, verum etiam contra id, quod forte fortuna euenire poſſe videbatur, ſummo cum iudicio remedia præparata fuerunt. Sed omnis iſta ſolicitudo fuit ſuperuacanea. Claſſes enim tunc ſibi inuicem, non niſi ad ſex, aut octo miliaria, appropinquarunt: tum quia ventus erat lenis, tum quia nox ingruebat: ita vt, poſtquam Marchio tormentum maius veluti in ſignum pugnæ diſplodi iuſſiſſet, Galli ad oppidum proras conuerterent, & claſſis Hiſpanica in mari circumuolitaret, ignara omnium eorum quæ in inſula agebantur. Neque tam facile Marchio quidquam reſcire potuiſſet, niſi eadem nocte Ioannes Caſtellanus, qui in præfectura arcis Laurentio Nogheræ ſucceſſerat, illum de ſtatu Inſulæ certiorem feciſſet, docuiſſetque arcem adhuc reſiſtere, idque in eum finem, vt Marchio cogitaret de auxilio illi ferendo, & rurſus ab illa, ſi opus eſſet, mutuum auxilium etiam expectaret. Quam ob cauſam miſit vnum ex magiſtris nauium Biſcainarum cum litteris ad Marchionem, quibus ipſum edocebat de omnibus, quæ ab aduentu Antonii vſque in eum diem acciderant. Dicebat claſſem Gallorum conſtare nauibus quinquaginta octo, & viginti octo earum eſſe magnas, & inſtructas ſex millibus militum. Suadebat, ſi claſſis Hiſpanica non ſatis ad pugnam ineundam virium haberet, vt arci appropinquaret. Ita enim & arcem, & claſſem mutuo ſibi ſuccurrere poſſe. Reſpondit Marchio per eundem Biſcainum, & Ioannem Caſtellanum bono animo eſſe iuſſit. Claſſem enim R. M. ita potentem eſſe, vt hoſtilem vincere poſſet: id quod ſe poſtero die reipſa demonſtraturum ſperaret. Sequenti die prima luce Galli alacriter in Hiſpanos ire cœperunt, qui eam ob cauſam aciem ſtatim inſtruxere. Verum etiamſi Galli & ventum, & ſolem ſecundum haberent, tamen malacia erat tanta, vt loco moueri naues vix poſſent. Itaque hoc pacto vtraque claſſis altera è regione alterius ſubſtitit fere vſq; ad meridiem: cumque tum ventus aliquanto validior coortus eſſet, Galli de integro ſe Hiſpanos inuadere velle præ ſe tulerunt. Ceterum cum hos aciem animo intrepido inſtruxiſſe animaduerterent, deſtiterunt ab incepto: & vſque ad noctem ambæ claſſes pari fronte nauigarunt verſus Inſulam Sanctæ Mariæ, quinquaginta miliaribus verſus Auſtrum diſtantem ab Inſula Sancti Michaelis, variis ambagibus vtentes, cum interim Galli ſæpius fingerent ſe prælii initium facturos: id quod erat in poteſtate ipſorum, quia vento ſecundo vtebantur: Hiſpani vero contrario. Verum cum adueſperaſceret, Galli certo conſtituentes die ſequenti confligere, decem naues, quam poſſent, proxime litus, inſulam præterlegere iuſſerunt, eo conſilio, vt poſtero die prima luce à fronte

& à tergo Hiſpanos inuaderent: Sed ventus ita remiſit, vt nauigare non poſſent. Cum dies vigeſimus quartus illuxiſſet, cupiebant confligere & ipſi Hiſpani, & quantumuis impares hoſti viderentur, propterea quod non tota claſſis conueniſſet, nec naues, quæ ex Andaluzia ſoluerant, adeſſent: tamen tam moleſte ferebant ſe ibi in hoſtium conſpectu ſubſiſtere cogi, nec niſi illius arbitratu vel fugere, vel pugnare poſſe, vt deſiderium manus conſerendi magis, magiſque in ipſis augeretur. Putabant ſe hoc obtenturos vela mutando, & ab vna ad alteram partem conuertendo: quod iudicarent Gallos eam occaſionem non negle-cturos: veruntamen etiamſi hoſtes tum maiorem, quam vnquam antea, dimicandi cupiditatem præ ſe ferrent, tamen aliud nihil ſubſecutum eſt, quam quod duæ naues prætoriæ vna cum vicinis magnam in ſe inuicem globorum multitudinem eiaculatæ ſunt: qua ex re plus incommodi acceperunt Galli, quia paulo poſt vna ex eorum nauibus ſubmerſa eſt.

Cum ita dies præteriiſſet, veſperi Marchio experturus, num ventum hoſtibus præripere poſſet, iniunxit omnibus naucleris, vt, noctu in tenebris proras conuerterent verſus Inſulam Sancti Michaelis, ad ventum hoſtibus præripiendum: & ſignificauit nauim prætoriam ea nocte (ne hoſtes rem animaduerterent) non accenſuram lumen ſolitum, ſed noctę intempeſta tormentum maius exoneraturam, ad quod ſignum reliquæ naues eam ſequerentur. Hæc mandata data fuerunt, & obſeruata ab omnibus nauibus exceptis duabus, quæ venerant ex mari Balthico: & quia negligentia illorum, quibus hæc cura incumbebat, non fuerant admonitæ, tam procul à reliquis diſceſſerunt, vt illas, conſpectum ſuum effugientes, poſtea aſſequi nullo modo poſſent, cumque in iis duabus nauibus eſſent quadringenti pedites Germani, claſſis illa in ſingulas horas & nauium & militum iacturam facere videbatur.

Quia autem ventus ſatis validus coortus erat, viſum eſt Marchioni poſt mediam noctem, tormento diſploſo, laternam accenſam denuo præferre: & ita feliciſſime ipſi ſucceſſit ventum hoſtibus præripiendi conſilium. Verum hæc induſtria parum profuit. nam oriente die (erat autem vigeſima quinta Iulii, ſacra Iacobo Apoſtolo, Hiſpanorum in præliis patrono) animaduerſum eſt, claſſem Gallicam diſperſam, & procul remotam eſſe, partim iuuandæ nauis cauſa, quæ iamiam ſubmergenda videbatur, partim vt reſarciret damna, quæ à tormentorum globis pridie acceperat: quanquam etiam nonnulli dicunt Gallos illo die de induſtria à prælio abſtinuiſſe. Etſi vero Hiſpani illos inuadere potuiſſent, tamen id non fecerunt, propterea quod nauis Chriſtophori Eraſſi, cuius malus ruinam minabatur, velis contractis, tormentum diſploſit: cumque ex eo ſigno coniiceretur, malum omnino confractum, neceſſe erat totam claſſem eam circumdare, ne in tanto periculo à Gallis inuaderetur. Ita factum eſt, vt interea Galli iacturam venti, ab Hiſpanis prærepti, reſarcirent: cumque nauis Eraſſi de integro ita reparata eſſet, vt cum media velorum parte nauigaret, Marchio eam naui ſuæ rudente alligatam ſecum trahebat: & ita totus ille dies otioſe conſumptus eſt, niſi quod aliquot tormentorum globi emiſſi fuerunt. Porro ſigna veniendi ad manus, quibus Galli toties vſi erant, non omnia fuerant ficta, & ſimulata. Nam etſi fortaſſis prima & ſecunda vice tantum hoc agerent, vt animum hoſtium explorarent: tamen reliquis vicibus ſerio manus conſerere conſtitutum habuerant. Cæterum in claſſe Gallica non erant omnium ita conſentientes ſententiæ, vt in Hiſpanica. nam licet Philippus Strozzius, Briſſaccus, Comes Vimioſius, & nonnulli alii prælii committendi cupidi eſſent: tamen multi alii ab eo abhorrebant: ita vt, ſi forte nauis prætoria, & nauis Amiralii non eſſent omnium primæ, quæ pugnæ initium facerent, reliquæ non nimis prælium vrgerent. Strozzius, & Vimioſius, qui erant in vna eademque naui, præ cæteris pugnãdi deſiderio tenebantur: ſed nondum conſeruerant cum hoſte manus, propterea quod naui vtebantur paulo lentiori, quam eſſent multæ aliæ, quæ erant velociores: & ita, cum non tam facile progredi, & ante alias excurrere poſſent, pugnæ initium non fecerant. Qua de cauſa illi, qui erant in reliquis nauibus, hanc culpam non naui, ſed ipſis adſcribebant: & in hac opinione confirmabantur eo facilius, quo minori dimicandi auiditate tenebantur. Quod cum Strozzius animaduertiſſet, & cõſtituiſſet, relicta priori naui, aliam totius claſſis celerrimam, conſcendere: vna cum Comite Vimioſio, & reliquis ingreſſus eſt in illam, qua vehebatur Beamontius, ſupremus caſtrorum præfectus, tanquam velociorem: decreuitque, cum ea hoſtem inuadere, vt etiam poſtridie fecit, nimirum die vigeſimo ſexto Iulii, beatæ Annæ ſacro.

Mane illius diei, cum vtraque claſſis, mari placidiſſimo, altera ab altera non amplius tribus milliaribus: & ambæ ab Inſula Sancti Michaelis viginti milliaribus abeſſent: ambæ lente verſus inſulam nauigarunt, donec, vi venti (qui Gallis ſecundus erat) nonnihil creſcente

ſcente circa meridiem ſibi inuicem appropinquarunt in loco maris, non amplius decem milliaribus ab Inſula remoto. Ibi acie vtrinque inſtructa, in claſſe Gallica in primo ordine erat cum naui prætoria Strozzius, & Comes Vimioſius, ac cum Amiralia Briſſacus, comitati tribus nauibus Anglicis, quas reliquæ omnes diuerſis interuallis ſequebantur. A parte Hiſpanorum totam claſſem præcedebat nauis Franciſci Bouadigliæ, hanc ſequebatur nauis nomine S. Martinus, in qua erat Marchio, deinde nauis, inſignis nomine S. Matthæi, in qua erat Lupus Figueroa: hæ, veluti ſcuti loco, reliquas naues ſubſequentes præcedebant. Galli inter ſe diſtribuerant claſſem Hiſpanicã & conſtituerant, quæ nauis cuique inuadenda eſſet: ſed fruſtra. Nam ventus & mare, & ordines, toties mutati, hoc conſilium impediebant. Nauis nomine S. Matthæus, aliquanto lentius nauigabat, & hoc in cauſa fuit, cur prima omnium ab hoſtibus inuaderetur. nam nauis prætoria, & Amiralia Gallorum cum tribus aliis nauibus in eam impetum fecerunt, & prætoria magna cum dexteritate a prora, vt ictus tormentorum euitaret, in eam inuecta, & non niſi vſque ad mediam partem nauis Sancti Matthæi progreſſa eſt, vt relinqueret reliquis locum eam inuadendi, à quibus cum ingenti ignis, & globorum copia vndiquaque oppugnata fuit. Lupus Figueroa (qui venti commoditate ab hoſte ſuperaretur, nec velis ſuo arbitratu, vti poſſet) cum videret tot, & tam validas naues in ſe impetum facere, velificatione obliqua vtens illas expectauit.

Ibi cruentiſſima pugna inita fuit: tormenta magna damna inferebant, & præcipuè Hiſpànica, quæ erant craſſiora: ita vt tum horum, tum ſclopetorum ictibus vehementer læſæ duæ naues Gallicæ, poſtquam aliquandiu pugnaſſent, à naui Figueroæ recederent. Ita remanſit Figueroa inter prætoriam, & Amiraliam, & aliam quandam, quibus cum ex cæteris nauibus milites recentes ſummitterentur, Figueroa non mediocriter animo angi cœpit, præſertim cum iam faces, ab hoſtibus in ipſius nauim coniectæ, ignem latè ſpargere inciperent.

Verum cum eſſet homo magni animi, & milites expertos haberet, ſingulari cum virtute ſe defendebat, & intrepide incommodis imminentibus obuiam ibat. In hoc ſtatu permanſit per duas horas: nemine ipſi ſubſidio veniente, & tandem nauis quædam Biſcaina, cui præerat Petrus Garagarza, vna cum duobus ſignis peditum Hiſpanorum, illi auxilium tulit. Marchio interim, animaduerſo periculo, in quo erat nauis Figueroæ, cupiebat illi ſuccurrere, ſed non poterat tam celeriter, quam neceſſitas flagitabat. Cum enim, ſi ad illam accedere vellet, retrocedere, & plane aduerſo vẽto nauigare oporteret, id quod fieri nõ poteſt, niſi iam ad dextram, iam ad ſiniſtram declinando, & pedetentim progrediendo: verebatur, ne ab hoſtibus vinceretur.

In nauim etiam, qua Marchio vehebatur, binæ naues Gallicæ ex maioribus impetum facere conatæ erant, ſed tormentorum ictibus ita tum ex ipſa naui Marchionis, tum ex vicina Franciſci Bouadigliæ diuerberatæ fuerant, vt altera illarum pene ſubmerſa, abirent. Itaque Marchio ab iis liberatus, totam claſſem conuertit ad nauim Figueroæ, & quãta potuit cum celeritate, illi ſubſidio venit. Claſſe proras ita conuertente, perinde ac ſi retrocedendum eſſet, poſtrema acies (vt in huiuſmodi caſibus fieri ſolet) prima eſſe incepit. Itaque à fronte conſtiterunt nauis Michaelis Oquendii, nauis Capitanei Villavizoſæ: & alia quædam Biſcaina, quæ primæ omnium Figueroæ ſubſidio venientes ſimul impetum fecerunt in Amiraliam Gallicam, quæ magnis incommodis acceptis, à naui Figueroæ ſeſe auellere nitebatur. Alia etiam nauis, in qua erat Michael Beneſa, progrediens & ipſa magno impetu in prætoriam Gallicam inuecta eſt à parte exteriore, & obſtitit, quo minus nauis Marchionis ſuperueniens vllam ex hoſtiũ nauibus, quæ omnes ab Hiſpanicis circumdatæ erãt, inuadere poſſet, & præterire, ac ſinuoſa quadã nauigatiõe vti cogeretur. Intereà Amiralia Gallica trib. illis nauib. fortiter reſiſtebat: nauis Villauizoſæ, quæ a prora pugnabat, magno incommodo illã adficiebat, ſed occiſus fuit illius præfectus. Ex naui Oquendii qui à puppi illam oppugnabat, in Amiraliam milites aliquot inſilierant, & Gallis nonnullis cum aliquot vexillis captis prædæ operam dare cœperant. Verum cum Oquendius periculum eſſe animaduerteret, ne nauis ipſius, ictu tormenti hoſtilis perforata, fundum peteret, videretque Amiraliæ à reliquis Gallicis nauib: ſubſidio veniri, incommodo accepto remedium adhibiturus, ab illa diſceſſit. Itaque illa pene ab omnibus hoſtibus liberata curſum ad inſulam S. Michaelis direxit, ſed non potuit eo peruenire: verum in medio itinere vtpote crebris tormentorum ictibus perforata, ſubmerſa fuit, Briſaco nauiculæ cuiuſdam beneficio euadente. Interim non eo cum ardore vtrinque naues concurrebant, quo concurſuræ putabantur: nam naues Gallicæ, quantumuis venti ſecundi commoditate hoſtem ſuperarent, tamen non inuaſerunt alacriter Hiſpanicas, cum poſſent

imo multæ illarum ibi pene otioſæ hæſerunt, ſolis tormētorum ictibus eminus rem gerentes: & ſi quæ forte cominus ad manus venire conarentur (tentarunt enim id contra Franciſcum Bouadigliam, & Chriſtophorum Eraſſum) globis tormentorum ita ſubmouebantur, vt accedere non auderent. Nauis quædā Biſcaina, qua vehebantur duo ductores, Michael Cardona, & Petrus Pardus, conſeruerunt manus cum naui, quæ a Figueroa receſſerat, non mediocri incommodo accepto, eamque vicerunt: veruntamen paulo poſt direpta iam & deſerta, aufugit. Capitanei Villauizoſæ ſenioris nauis, in qua erant pedites Ludoici Gueuarræ, congreſſa eſt cum Gallica quadam, & poſt ſatis diuturnum conflictum ab illa receſſit: & vna, atque altera nauis appropinquauit: reliquæ tantum eminus prætergredientes tormenta exonerabant. Nauis Figueroæ interea fortiſſime pugnarat, ita vt duæ è nauibus; quæ cum illa congreſſæ erant, tormentorum ictibus laceratæ ſubmergerentur: & quantumuis naui prætoriæ Gallicæ tot milites ſubſidio mitterentur, tamen tam male mulctata fuerat, vt ii, qui ea vehebantur, clamarent ſe paratos eſſe deditionem facere.

Ceterum cum ex Hiſpanis tot vel occiſi, vel vulnerati eſſent, vt vix ſeptuaginta ad pugnandum apti ſupereſſent, noluit Figueroa permittere, vt in prætoriam inſilirent, ac omnino eam in poteſtatem redigerent: quod cum vidiſſent Galli, & cum eodem momento trecenti milites ipſis auxilio venirent, Figueroa relicto, fuga ſibi conſulere conati ſunt. Cæterum Marchio, qui omnia diligenter contemplans circumnauigabat, ac variis in locis hoſtem tum tormentorum, tum ſclopetorum ictibus offendebat, cum videret prætoriam nauim Figueroam relinquere, impetum in illam fecit, vt & nauis quædam Biſcaina, qua vehebantur Capitaneus Baſtida, & Ioannes Viuerius: ſed conflictus iſte non durauit vltra horam, qua elapſa, prætoria Hiſpanica prætoriam Gallicam cœpit cæſis trecentis amplius Gallis.

Ibi inuentus fuit Philippus Strozzius, & ſtatim in nauim Marchionis trāſlatus, ac in ea ex vulneribus lethalibus paulo poſt, nulla voce emiſſa, deceſſit cum ingenti omnium fortium virorum dolore Comes Vimioſius captus fuit à tribuno Mondenaro Italo, voluntario: verū cum & ipſe grauiſſime vulneratus eſſet, biduum tantum ſuperuixit, à Marchione tanquam conſanguineus, humaniſſime habitus. Ita mortuus eſt Franciſcus Portugallus Comes Vimioſius, maiori cum gloria, quam quiſquam eorum, qui hactenus partes Antonii ſecuti fuerant. Erat hic iuuenis multis ornatus corporis & animi dotibus, ſed quas comitaretur puerilis quædam vanitas, quæ eum ita obſtinatum reddiderat. Nihilominus tamen omnes, qui eum norant, morte ipſius doluerunt, quia natura erat amabilis. Inuenti etiam fuerunt non ſine admiratione octuaginta nobiles, inter quos erant triginta, qui feuda nobilia poſſidebant, & tot alii, vt omnes ad trecentorum numerum aſcenderent. Pugnatum fuerat ſpatio quinque horarum, quando Galli prætoriam nauim captam, & Amiraliam, aliaſque duas ſubmerſas, & multas ictibus tormentorum vehementer conquaſſatas videntes, in fugam ſe coniecerunt, non inſequente propter noctem ingruentem Marchione, quia naues Gallicas, tanquam velociores, aſſequi ſe non poſſe iudicabat: & quia, cum illæ in fugiendo diſperſæ fuiſſent, ſibi etiam neceſſario claſſem diuidendam videbat, id quod non putabat conſultum eſſe, præſertim, quia etiam a tergo relinquere oportuiſſet nauim Figueroæ, quæ incommoda tanta acceperat, vt velis, anchoris, & funibus priuata, & ad nauigandum pene inutilis eſſet. Memorabile eſt, quod cum in hac naui eſſet quidam Ioannes Iaemius, ſacrificulus Figueroæ (homo qui aliquot expeditionibus interfuerat) & inchoato prælio, cum videret tantam vim ignis à Gallis coniici, ſub foros ſeſe abdidiſſet, ſtrepitu ſclopetorum, & fragore tormentorum ita conſternatus eſt, vt vulnere nullo accepto, ſolo metu exanimaretur. Recuperarunt Hiſpani vnam è nauibus, quas equis onuſtas amiſerant: & ſine dubio plures naues Gallicas cœpiſſent, ſi plures nautas, à quibus regerentur, ad manum habuiſſent. Et ob hanc cauſam deſeruerunt Amiraliam, quæ paulo poſt ſubmerſa fuit, & nonnullæ aliæ, valde globis tormentorum laceratæ, & a Gallis derelictæ ab Hiſpanis etiam neglectæ fuerunt. Itaque Marchio duas ex his, igne iniecto comburi iuſſit, & nonnullas alias, gubernatoribus & nautis nudatas, littori inſulæ maris fluctus illiſerunt. In hac pugna Galli iacturam fecerunt ſeptem aut octo nauium ex melioribus, & bis mille amplius militum, multis etiam vulneratis. Ex Hiſpanis deſiderati fuerunt circiter ducenti, & ſauciati plures quingentis. Dicunt Luſitani, Antonio addicti, non omnes Gallos pugnæ interfuiſſe, propterea quod Rex Philippus duces aliquot pecunia corrupiſſet: & aucta fuit hæc opinio ex eo, quod Antonius poſtea in Inſula capite plecti iuſſit Eduardum de Caſtro, cuius opera Philippum hac in re vſum fuiſſe putant: ſed falluntur. nam etſi Eduardus de Caſtro multa promitteret miniſtris Philippi,

cum

cum ab ipſis è carcere liberaretur (in quem coniectus fuerat, cũ fugam è Luſitania parans interceptus fuiſſet, tamẽ nihil efficere potuerat, & morti ipſius cauſam præbuerũt nonnulla conſilia, quæ poſt hanc iacturam, in mari acceptam tractare cœperat, & cędes Antonii Baraccii, vnius è numero intimorum Antonii amicorum, & eorum, qui in cauſa fuerãt vt rex ſalutaretur, ab eodem Eduardo perpetrata. Hunc finem habuit pugna naualis prope Inſulas Terceras: quę fortaſſis vna eſt è maximis quæ vnquã in Oceano commiſſæ fuerunt. Etſi enim in Belgico in his recentibus bellis, etiam aliquoties in mari dimicatum fuit: tamen reuera hoc non factum eſt in Oceano, ſed in fretis, & fluminibus prope Inſulas Hollandiæ & Zelandiæ, & potius terreſtres, quam maritimi hi conflictus vocari poſſunt. Verum exitus huius prælii, præter periculi, & & ſtragis magnitudinem, eo etiam maioris momenti fuit, quam omnium, quæ vnquam commiſſa fuerunt, quod hac victoria non tantum ſtabiliebatur tranquillitas, & quies Luſitaniæ: ſed etiam Hiſpaniæ totius, in qua ſi quid ſecus eueniſſet, probabile eſt, omnia non mediocri terrore & perturbatione repleri potuiſſe. Facile enim erat Gallis, fortuna tam ſecunda, Antonii præſentia & populi fauore adiutis, cum illis copiis, quas habebãt redintegrare bellum in regno dubio, & ſuſpenſo idque cum maiori Hiſpanorum periculo, quam vnquam antea: propterea quod multitudo Luſitanorum inexercitatorum, cum tot militibus Gallis coniuncta, magnam felicis ſucceſſus ſpem adferre videretur. Antonius, qui vtebatur nauigio minori, veloci & egregiè inſtructo, pridie eius diei, quo commiſſum prælium fuit, quantumuis ab illo omnis ipſius fortuna dependeret, fortaſſe tuto ſe ibi diutius manere non poſſe ratus, vnà cum duabus aliis nauibus minoribus in Inſulam Terceram adpulit, vbi à ciuibus Angranis magnifici arcus triumphales, ſtatuæ, & ſimilia, quæ in aduentum regum inſtitui ſolent, ad illum excipiendum parata fuerãt. Verum ille, fortaſſis mala imminentia præſagiens, iſta omnia intempeſtiua iudicaſſe videtur. Nam relicto ponte ligneo (qui tantum ipſius excipiendi cauſa extructus, in plateas ſumptuoſe exornatas ducebat) in alio loco, inde ſatis remoto deſcendit cũ exiguo comitatu, & maiorẽ, mœrorẽ quàm hilaritatẽ prę ſe ferẽs. Ibi cum in horas certior fieret, quid ageret claſſis, ſubinde intellexit pugnæ ſucceſſum cum incredibili dolore, qui creuit, accepto nuntio de morte Strozzii, & Comitis Vimioſii: cumque de ſua ipſius ſalute ſolicitus eſſet, variis cogitationum, curarumque fluctibus hinc inde agitatus, in tam triſti caſu, quid conſilii caperet, non reperiebat. Etſi enim ſatis Inſularibus, & loco munito fideret, tamen verebatur, ne à Marchione, victoriam perſequente, oppugnaretur, & ne alii, qui ipſi adhærebant, tanta iactura animis fracti non ſatis conſtanter hoſtibus reſiſterent. Qua de cauſa potius ad deſerendam, quam defendendam inſulam inclinabat.

Ex hoc metu nonnihil ſe collegit, cum paulo poſt ſeptendecim naues Gallicæ, & Anglicæ eò adpuliſſent ex numero earum, quæ è pugna aufugerant, vt damna à tormentorum ictibus accepta reſarcirent, ſauciorum vulnera obliganda curarent, & de aqua dulci ſibi proſpicerent. Sperabat Antonius ſe militum, qui his nauibus vehebantur, præſidio fultum, reſiſtere poſſe, quamuis illi pauci eſſent, quod reliqui Briſſaco, & Strozzio, durante certamine ſubſidio miſſi & magna ex parte cæſi fuerant. Ceterum plures paulatim naues adpellebant, quoniam tum tẽporis in Galliam nonniſi 18. Gallicæ vna cum Briſſaco, & quinque Anglicæ reuerſæ ſunt. Landreſius, nouem nauium præfectus, è prælio aufugiens in Inſulam Faialem adpulerat, vbi milites ipſius prædari cœperant. & quamuis ille non adprobaret eorum facinus, imo direptionem impediuiſſet: tamen, cum poſtea Angram nauigaſſet, ſiue ob hanc cauſam, ſiue quod Antonius ipſi diffideret, ciuitatis ingreſſu prohibitus fuit. Marchio, pugna finita certus hoſtem fugientem non inſequi, voluit adpellere ad Inſulam S. Michaelis, vt ſe nonnihil reficeret, ac ſauciorum rationem haberet, & claſſi de aqua dulci proſpiceret; ſed non licuit ipſi per ventum contrarium, qui integrum triduum illum repulit: quarto vero die ventum ſecundiorem nactus, Villam Francam adpulit: ibique ſauciis expoſitis, de omnibus rebus neceſſariis ſibi proſpexit, & totius inſulæ incolæ ipſi tanquam regis vicario, iuramentum præſtiterunt. Kalendis Auguſti deſcendit in terram Franciſcus Bouadiglia cum quatuor ſignis peditum, qui omnes captiuos, in medium acceptos deduxit in forum Villæ Francę & ibi iuſſit eos conſcendere in tabulatum quoddam, è ligno ad altitudinem ſtaturæ virilis extructum: & deinde clarâ voce lecta fuit ſententia, à Marchione contra illos pronũtiata: in qua, oſtendebat contra pacem, quæ eſſet inter Reges Hiſpaniæ & Galliæ, eamque iuramento confirmatam, exiiſſe à Gallia claſſem cum multis militibus voluntariis in gratiam Antonii Prioris Cratenſis, & animo intercipiendi naues Regis Hiſpaniæ, quę ex Indiis, & mundo nouo expectabantur, & Inſulas Regiæ Maieſtatis diripiendi, vti etiam reipſa Inſulam ſancti Michaeæ

lis diripuiſſent. Deinde claſſem Gallicam, inita cum Regiæ Maieſtatis claſſe pugna victam & fugatam: cumque in prælio capti eſſent viginti octo ex primaria, & quinquaginta duo ex inferiori nobilitate multique nautæ, & milites gregarii, ſe declarare illos captiuos hoſtes pacis, & boni publici, & perturbatores commerciorum, & protectores rebellium ſubditorum R. M. & tanquam tales, & tanquam manifeſtos piratas velle ſe eos à præfecto rerum capitalium iuſtis pœnis ad exemplum aliis proponendum, ac ſupremo ſupplicio adfici, ita, vt nobiles capite plecterentur, & reliqui, annum ætatis decimum ſeptimum excedentes, laqueo ſuſpenſi ſtrangularentur: & hoc requirere tum pietatem tum vtriuſque regis vtilitatem.

Hæc ſententia crudeliſſima viſa eſt omnibus, qui eam pronuntiari audierunt, & inprimis militibus Hiſpanicis: ſeu quod vererentur, ne ſibi aliquando idem accideret, & ægre ferrent iacturam pecuniæ, quam multi ex tot captiuorũ redemptione ſeſe collecturos ſperabant, ſeu quod bono ſtudio ducerentur. Qua de cauſa nonulli è militibus illis libere dicebant, ſententiam fundamentis parum ſolidis eſſe ſuperſtructam. neque enim inter regem Hiſpaniæ, & Regem Galliæ eſſe firmam pacem, & inuiolatam: ſed potius bellum; nec captiuos piratas, aut latrones eſſe, ſed ſtrenuos milites. Pacem non eſſe probabant bello Belgico, quod iam tum vehementius, quam vnquam antea, arderet: dicebantque in illis partibus penè totum patrimonium regis Philippi occupatum fuiſſe. Non eſſe illos piratas, dicebant conſtare ex diplomatis regis, quorum auctoritate, & naues inſtructæ, & milites ſcripti fuiſſent: præterquam quod etiam numerus, & conditio captiuorum talis eſſet, vt facile adpareret, illos non ſponte ſua, ſed Regis auſpiciis hanc expeditionem ſuſcepiſſe. Quanquam autem inter vtrumque regem multa diſſimularentur, rege Galliç modo à matre, modo à fratre excuſationem petente, tamen hæc omnia nihil eſſe, niſi diſſimulationes principum; ſed nihilominus bellum reuera intercedere, cuius leges tam aſperas eſſe negabant, vt ſine diſcrimine omnes captiuos promiſcuè in furcam agi iuberent.

Et ſane tam vehementer multorum animi hac re commoti fuerunt, vt primarii aliquot milites Marchionem adirent, ac memorabili cum exemplo pro hoſtium ſuorum vita deprecarentur. Verum Marchio reſpondit, Regem Galliæ expreſſe mandaſſe, vt ſupplicio capitali adficerentur Galli, qui contra regem Hiſpaniæ militarent. Qua de cauſa nobiles illi eodem die cum publico omnium dolore, & ſumma ſeueritate decollati ſuper tabulato, & nautæ ac milites gregarii in diuerſis locis ſuſpenſi fuerunt: qui quidem omnes erant non tantum fortiſſimi milites, ſed etiam Romanæ religioni addictiſſimi. Tam aſperæ pœnæ culpa non imputabatur Marchioni, quod expreſſum Regiæ Maieſtatis mandatum habere crederetur. Excuſabatur etiam Rex, quem veriſimile erat dediſſe huiuſmodi mandata, cum non putaret in claſſe Gallica eſſe, & prælio capi poſſe tot homines è primaria nobilitate, præſertum quia conſtabat R. M. eſſe à crudelitate alienam. Alii rurſus iudicabant Regem ira contra Gallos æſtuare. Nam ſub prætextu amicitiæ, pacis, conſanguinitatis, & interim dum Reges cotidie per litteras alter alteri vel gratulantur, vel condolent, Galli non tantum rebelles Philippi ſubditos iuuerant, ſed etiam, prouinciis ipſius occupatis, tam numeroſam claſſem in eius perniciem emiſerant. Et quamuis principes ſoleant multa diſſimulare, & ſimulare, tamẽ Galli, noua omnino ratione adhibita, Philippum oppugnare velle videbãtur. Quamobrem ſtatuebant Regi ſupplicia de captiuis ſumpta non diſplicuiſſe.

Cum claſſis eo in loco ſe aliquantum refeciſſet, Marchio obuiam nauibus Indicis iturus curſum direxit verſus Inſulam Corui: cumque in conſpectu ciuitatis Angræ prænauigaret, Antonio & omnibus incolis terrorem incuſſit. Etſi enim Marchio, victoria, quã obtinuerat, contentus, nõ putaret conſultum in noua pericula ſe præcipitare, tamen Antonius verebatur, ne in illo victoriæ recentis feruore inuaderet inſulam: in qua quidem & incolæ, & milites Galli erant ſatis multi, ſed timidi, & ad pugnam imparati: & ſane Antonius diligenter ſibi de nauigio quodam proſpexit, quod, neceſſitate flagitante, conſcenderet. Nondum Liſybonam nuntius de prælii ſucceſſu perlatus fuerat, & omnes de eo non mediocriter erant ſoliciti, quia, è nauigio quodam Biſcaino intellectum fuerat, manus conſeri. Sed nauis Gallica, quæ à tormentis nauis Figueroæ diuerberata, fuga ſibi conſuluerat, certi aliquid de prælii euentu retulit. Cum enim (diſſimulans ſe prælio interfuiſſe) Setubalum adpuliſſet, agnita fuit, & in ea inuenti ſunt aliquot milites Hiſpani mortui in quorum vnius ſinu reperti ſunt pugillares, in quibus notata erant omnia quæ ab eo tempore, quo claſſis Liſybona ſoluerat, pene vſque ad mortem ipſius contigerant.

Expectauit prope Inſulas Marchio aliquandiu naues Indicas: quarum cum duæ venißent,

niſſent, mari intumeſcente, vnà cum ipſis Liſybonam adpulit cum incredibili totius aulæ gaudio, & à Rege humaniſſime exceptus, ac habitus fuit. Antonius poſt diſceſſum Marchionis animo quietiori eſſe cœpit, quod exiſtimaret intra anni ſpatium ſibi ab hoſtib. metuendum non eſſe. Ingenti autem eum dolore adficiebat mors Gallorum captiuorum, quia verebatur, ne ſibi illa res in Gallia fraudi eſſet: & Emanuel Syluius ipſi ſuadebat, vt in huius iniuriæ vindictam iuberet ſuſpendi quinquaginta aut ſexaginta Hiſpanos, qui diuerſis temporibus capti fuerant. ſed ille ab hoc conſilio alienus erat. Laborabat penuria pecuniæ: armorum quantum ſatis eſſet, habebat. Itaque auctore Emanuele Syluio cotidie aſpera mandata promulgabat ad pecuniam ſubditis, & illis, qui inuiti ipſius partes amplectebantur, extorquendam. Curauit cudendam monetam auream, quæ cum haberet pondus octo tantum regalium, illi valorem viginti regalium impoſuit. Curauit etiam cudi nummos argenteos, qui habebant pondus vnius regalis, ac medii, & æſtimauit illos dimidio ducato: denique numm[illegible]ai ærei valorem à ternario numero ad decimum vſque adauxit.

Quoniam autem multi, vt calamitates imminentes euaderent, ad montes confugerant, mandabat, vt vnuſquiſque in ciuitatem reuerteretur: & ſi quis forte reditum vel tantillum vltra terminum, in edicto præſtitutum, differret, ſtatim omnia illius bona in fiſcum redigebantur. Multi metu militum cariſſima quæque extra vrbem abſcondiderant. Itaque Antonius edixit, vt vnuſquiſque omnia ſua intra muros referret: qua ex re magna in illum vtilitas redundabat. nam ab illis, qui res ſuas reportabant, pecuniam mutuam petebat, & illorum, qui non ſtatim illi gratificarentur, bona milites iuſſu ipſius inquirebant, & contumelioſiſſimis verbis miſeros ſimul lacerantes, diripiebant. Non poterat quiſquam ſine lacrymis intueri miſerabilem ſtatum rerum Eccleſiaſticarum. Nam monachi, exceptis Ieſuitis, rebus bellicis ſe ingerentes, nihil ſacerdotale habebant præter habitum, & nomen. Conciones, confeſſiones, & reliqua omnia, quæ ab ipſis adminiſtrabantur, erant talia, vt hoc hominum genus nequaquam in ſuis actionib. Deum pro ſcopo, & fine ſibi propoſuiſſe videretur. Quin etiam ipſe Antonius in mediis calamitatibus nondum laſciuiæ obliuiſci poterat: matronæ honeſtæ difficulter contra ipſius libidinem ſe tuebantur: & in monaſteriis cum virginibus ſacris nimis familiariter conuerſatus eſt, inter quas (non minus quam inter viros) non ſine ſcandalo, & confuſione, factiones & cõtraria ſtudia regnabant. Porro Antonii exemplum multi ex ipſius aſſeclis, & quidam etiam Galli imitabantur. In hoc vitæ genere permanſit Antonius vſque ad menſem Octobrem, incertus interim, quid conſilii caperet. Nam reuerti in Galliam, facta tot nobilium iactura, non putabat tutum eſſe, & dubitabat, quam gratus ipſius reditus futurus eſſet. Sicut enim priuatorum hominum indignationem metuebat: ita etiã rurſus in reginæ matris patrocinio non parum ſpei collocabat. Manere in inſula cum tanto comitatu, & præſidio diutius ſe non poſſe videbat, quod pecunia tum in ſtipendia militum, tum in ſumptus quotidianos non ſuppeteret. Tandem conſtituit ſoluere cum nauibus quas habebat, & in Galliam nauigare: ſed prius tamen curſum dirigere verſus Inſulam Maderam & Canariam, vt, direptis ibi oppidis aliquot infirmioribus, militum animos præda illa deliniret. Paratis itaque ad triginta nauibus non tantum milites aſſumpſit, ſed etiam, noua plane pecuniam extorquendi arte vtens, edixit omnibus ciuibus, quos ſuſpectos habebat, & monachis, qui cõtrariæ parti ſtudebant (vt Ieſuitis, & aliis) vt naues vna ſecum conſcenderent: & maiori cum ſeueritate hoc iniungebat illis, qui minus apti ad iuſſa exequenda erant, nimirum vt ſe ab hac expeditione pecunia redimerent. Cum autem omnes, tanquam ad rem naualem inutiles, efficaciſſimis rationibus adductis ſe excuſarent, & deprecarentur, fruſtra laborabant. Nam iuuenibus reſpondebat, ſe illorum loco ſatellitum ſibi futurorum, opera egere: ſenibus vero, ſibi illorum conſilio opus eſſe. Qua de cauſa multi pecunia illum quiſque pro facultatibus ſuis, placârunt (hoc autem vnicum ille quærebat) & ita ipſis edicti gratia fiebat. Cæterum hæc ars ſtatim alia arte deluſa fuit. Cum enim multi eſſent, qui ex inſula excedere, & nauim conſcendere cuperent, non vt cum Antonio proficiſcerentur, ſed vt in Hiſpaniam nauigarent: nonnulli præfecti nauium, hac re animaduerſa, pepigerunt cum iſtis Luſitanis, vt loco illius pecuniæ, quæ Antonio pro licentia in Inſula manendi ſoluenda fuiſſet, ipſis eandem ſummam, aut etiam longe minorem, ſoluerent, & nauibus illorum in Luſitaniam veherentur. Et ita multi, Gallis, & Anglis confidentes, & nihil Antonio ſoluentes, naues conſcenderunt, pacta certa mercede, pro qua in continentem deportarentur. Cum hac claſſe ſoluit Antonius ex inſula Tercera, vicibus ſuis demandatis Emanueli Syluio, cui relinquebat quingentos milites Gallos, ducibus Baptiſta Florentino, & Carolo Gallo. Appropinquauit Inſulæ S. Michaelis, cumque ibi aliquandiu

hæſiſſet, metu præſidii Hiſpanici in littus deſcendere auſus non fuit, & propter tempeſtatem, quæ ex improuiſo coorta erat, diſceſſit; & tum aliquot naues Gallicæ, & Anglicæ eum deſeruêrunt, quarum præfecti liberaturi fidem ſuam erant apud Luſitanos, qui ipſorum naues conſcenderant. Interim in Galliam peruaſerat fama de victa claſſe, & de morte tot captiuorum, quæ res aulæ, & vniuerſo regno ingentem dolorem, & indignationem commouit, ita vt Galli, ira inflammati, ad vindictam aſpirarent: cumque Belgicum vicinũ haberent, cuius erat ſtatus ille, quem diximus, in eam partem iram ſuam euomebant: ita tamen, vt poſt reditum Antonii nihilominus de noua claſſe, in futuram æſtatem paranda, ageretur. In Hiſpania dicebant conatus Antonii, & Gallorum contra Luſitaniam eſſe abruptos: & ſatis conſtare, quæ eſſent illorum vires: interim naues ſtipendio conductæ, nondum dimittebantur: imo quia Neapoli duæ triremes maiores venerant, videbatur Rex in animo habere, potenti in annum ſequentem claſſe inſtructa, integrum Oceani imperium ſibi vindicare, tum ad præcidendam Antonio omnem denuo aliquid tentandi anſam, tum ad protegendas, contra incurſiones Gallorum & Anglorum, naues ex India, & mundo nouo venientes: denique ad Inſulam expugnandam. Cupiebat Rex redire in Hiſpaniã, partim quia vocatus erat ad Conuentus Arragonenſes, & matrimonium filiæ cum Imperatore conficere expetebat: partim ad alia negotia, in illis regnis occurrentia, expedienda: & ideo iter ingredi conſtituerat menſe Nouembri Anni 82. Verum voluit prius amplificare condonationem delictorum, quam iam ante conceſſerat Tomari illis, qui Antonii partes ſecuti erant. Itaque exceptis monachis, & aliis decem, reliquis omnibus penitus ignoſcebat, hac lege, vt intra certum tempus ſe regi exhiberent. Sane hæc res nihil profuit. Pauci enim acceſſêrunt, & multi dicebant Regem, ira etiamnum inflammatum ſibi ipſi imperare hoc non poſſe, vt libere ignoſceret. Impediuit deinde hoc eius iter nuntius de morte Iacobi filii primogeniti, qui cum iam in comitiis Tomarienſibus Regis ſucceſſor deſignatus, & iuramento confirmatus fuiſſet, Rex ante diſceſſum ſuum idem iuramentum Philippo, filio natu minori, tum temporis ægrotanti, præſtari volebat. Et quia nullus ipſi ſupererat filius, præter hunc (ita vt denuo linea maſculina horum Regum in halitu vnius conſiſteret) accedente etiam ſenectute Regis, & ſtatu rerum omnium ſatis perturbato, tam illi, qui quietis, quam qui nouarum rerum auidi erant, varias animo cogitationes concipiebãt. Vt ergo iuramentum hoc filio præſtaretur, Philippus denuo indixit ordinum conuentum Liſybonam, quod hanc rem ante abitum ſuum perficere omnino animũ induxiſſet. Mortuus eſt hoc tempore febri lenta Dux Albanus, in Palatio Liſybonenſi, ſub ipſo Regis conclaui, poſtquam 74. ætatis annum attigiſſet. Vſus eſt erga ægrotantem Rex magna humanitate, quia cum paulo ante mortem inuiſit. Non dubium eſt, quin Rex ex morte illius mœrorem perceperit, & iacturam tanti miniſtri agnouerit. Et ſane veriſimile eſt obitum illius non minorem Regi dolorem, quam inuidis, & æmulis Albani voluptatem attuliſſe. Veruntamen obſeruârunt Luſitani Regem poſtridie in publicum prodiiſſe Miſſæ audiendæ cauſa, nec vllam præ ſe triſtitiam tuliſſe, contra morem Regum Luſitaniæ, qui propter mortem hominum longe inferioris conditionis, ſi de Regno bene meriti eſſent, à publico aliquot dies abſtinere cõſueuiſſent, & viſum hoc eſt eo maiori admiratione dignum, quod nonnulli narrabãt Regem Emanuelem per integrum triduum non prodiiſſe propter mortem præſtantis cuiuſdam naucleri. Equidem actiones magnorũ principum ita vulgi cenſuræ obnoxiæ ſunt, vt etiam illæ quæ ſumma cum circumſpectione fiũt, hominibus curioſis ſermocinandi, & malignis calumniandi materiam ſubminiſtrent. Mortua eſt cum Albano, vt ita dicam, omnis ars militaris totius Hiſpaniæ. Nemo enim ſupererat, qui cum illo vel peritia, & vſu, vel aliis rebus comparari poſſet. Erat Albanus corpore proeero, facie macilenta, & graui. Erat ornatus raris dotibus naturæ, & fortunæ, quas arte valde excoluit. Erat animo generoſo, & ad ardua aſpirante: ingenio prompto, & acuto, ſolido, & ſedato iudicio. Non erat nimis diuitiarum auidus: in donando parcus: in ſumptibus domeſticis ſplendidus. Nôrat optime diſſimulare, ſi quid durius à Rege in ipſum ſtatueretur: aſtuum, & technarum aulicarum inſignis artifex erat. Et neceſſario talem eſſe oportebat, vt clandeſtinis æmulorum machinationibus occurrere poſſet. Maiori hominum parti erat exoſus; quia erga inferiores ſuperbum ſe gerebat, & æquales felicitati, & dignitati ipſius inuidebant.

Studium inſinuandi ſe in gratiam Regum (ad quem ſcopulum eleuatiſſima quæq; ingenia naufragiũ facere ſolent) fuit in ipſo ſummũ. Et fortaſſis ob hanc cauſam, aut propter imperium, q. ſibi in reliquos omnes miniſtros vindicabat, & ob quod etiã odioſus erat, parum gratus fuit Carolo, & multo minus Philippo, quantumuis illis à pueris vſq; ad eorũ ſenectutẽ ſpatio 60. annorum indefeſſam operam continue nauaſſet. Sed reges non tanto a-

more proſequuntur eos, qui de ipſis bene meriti ſunt, quanto eos, quos ipſi beneficiis adfecerunt. Amabat natura artem militarem, cuius quidem tam peritus erat, vt ex Hiſpanis diu nemo reperiretur, qui cum ipſo comparari poſſet: & poſtremo propter ætatem, & diuturnum rerum vſum, tantum in ea profecerat, vt nemo ferè ex omnibus nationibus eſſet, qui illi non cederet. Valuit iudicio, & dexteritate in loco commodo, caſtris deligendo. Itaque etſi hoſtibus interdum viribus longe inferior eſſet: tamen illis frenum iniiciebat. Tantum enim arte aſſequebatur, vt nunquam eum tali in loco reperirent, in quò prælium recuſaret. Satis prompte ipſe pericula adibat: ſed milites ſuos non facile in diſcrimen adducebat: ſemperque plus fiduciæ in induſtria, quam in fortuna collocabat. Seuerarum legum militarium (a quarum rigore ſalus exercituum, & regnorum conſeruatiò dependet) aſper erat, & inexorabilis executor. Erat natura propenſus ad victorias incruentas, & ſors etiam ipſi bella, ingenio eius apta, obtulit. Nam cum maxima ex parte illa ad defenſionem comparata eſſent, decebat eum tanquam ducem prudentem, bellum ducere potius, & expectare, donec hoſtem difficultates, quæ in ditione aliena bellum gerentibus obiiciuntur, eneruarent, quam totum regnum aleæ ſubiicere, nullo alio propoſito præmio, niſi victoria vnius prælii, idque contra eum, qui nihil, niſi militem perdere poterat. Et in hanc ſententiam reſpondit Albanus in regno Neapolitano conſiliariis bellicis anno quinquageſimo octauo, cum, pulſis Gallis, hortarentur illum, vt manus confererent cum hoſtibus, qui ſeſe recipiebant. Dixit enim ſe nolle ludendo deponere Regnum Neapolitanum contra chlamydem, ex auro & ſerico textam.

Tali enim tum temporis indutus erat Dux Guyſius, Imperator copiarum Henrici ſecundi, Regis Galliæ. Sane nonnulli carpebant in eo, quod nimis cautus eſſet in exequendis magni momenti rebus belli tempore. Commiſſa ipſi fuerunt à regibus maiora munera, & maiori cum auctoritate, quam cuiquam alii ex illorum ſubditis: & fortaſſis iam inde à multis annis nullus Dux fuit, qui tam diu arma tractauerit, vel in tot prouinciis vexilla ſua explicauerit. Nam in Italia, in Hiſpania, in Gallia, in Hungaria, in Germania, in Belgio, in Africa militauit: quanquam ipſe ſæpe in ore habere ſolebat, ſe nihil eſſe aſſecutum, propterea quod ſuis oculis cominus nullum Turcarum exercitum vidiſſet. Expertus eſt varias vtriuſque fortunæ vices.

Sane vltima expeditio in Belgium nonnihil priſtinam eius gloriam imminuit. Etſi enim tanquam Dux exercitus, ſtrenue ibi militauerit: tamen neſciuit (vt etiam alibi ipſi contigit) victoria vti. Sed potius nimis ſibiipſi tribuens, ſtatuam æream in arce Antuerpiana curauit erigendam. quæ poſtea iuſſu regis deiecta fuit. Adparet illum rectius vſum eſſe fortuna aduerſa, quam proſpera. Nam in illa fortem ſe geſſit, in hac confidentem: ita vt maiorem ex infortuniis, quam ex victoriis gloriam ſibi compararet.

In morte documenta dedit magnitudinis animi, quam in vita ſæpe teſtatam fecerat: & (quod plus eſt) oſtendit ſe religioſum eſſe Chriſtianum: & non fuit minima felicitatis pars, quod morienti adfuit Ludoicus de Granata, celeberrimus ille concionator, cuius ſcripta ſacra ab omnibus tanto in pretio habentur. Subſtitutus fuit in locum Albani Carolus Borgia, Dux Gandiæ, homo maiori bonitate, quam rerum vſu præditus. Curauerat Rex adferenda ex Africa oſſa regis Sebaſtiani, eaque vna cum oſſibus Henrici, quæ erant Almerini, ante abitum ſuum ſolemni more in templo Belemenſi prope ceteros reges Portugaliæ ſepelienda curaturus, Belemum ſe contulit, triduumque ibi commoratus eſt. Iuſſit etiam ex nonnullis aliis Regni locis in idem monaſterium deferri viginti corpora aut potius cineres cognatorum ſuorum, (qui fuerant filii, & nepotes regis Emanuelis, & qui quodammodo morte ſua ipſi aditum ad regnum patefecerant) vt ibidem vna deinceps cuſtodirentur. Celebratæ fuerunt exequiæ ſumptuoſiſſimæ, cum magno apparatu, & adhibitis omnibus monachorum ordinibus, idque ſoli Henrico. Nam ceteris iam ante parentatum fuerat. In oratione funebri leniter tactæ fuerunt res Sebaſtiani: immenſis verò laudibus ornatus fuit Henricus: quæ quidem, tanquam mortuo tributæ, gratiores fuerunt quam laudes Philippi viui, ac præſentis, quas orator accurate amplificauit, poſtquam genealogia regis Emanuelis in ſuos ramos diſtributa, ſucceſſionem vſque ad Philippum ordine perduxiſſet. Non eſt conſilium ſilentio præterire hic rarum quiddam quantumuis nonnihil à propoſito alienum. Hoc enim anno, qui erat à natiuitate ſeruatoris noſtri 1582. decem dies ex conſueta anni computatione demti fuerunt.

Nam, ſuadente ſummo Pontifice, omnes Principes Chriſtiani, Romanæ ſedi parentes, edicto in ditionibus ſuis cauerunt, vt è menſe Octobri decem dies expungerētur: & ita loco quinti diei ſubſtitutus fuit decimus quintus. Hoc autem factum fuit in hunc finem, vt computatio temporis accommodaretur ad eam rationem, & ad eos ſtellarū po-

ſitus, qui erant tempore paſſionis redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, & vt Paſcha, & reliqua feſta verè, & rectè ſuis diebus celebrarentur. Porro hoc paulò ante non fiebat. Nam cum verus ſolis curſus, qui annum efficit, aliquot minutis horæ minor eſſet eo tempore, quod hactenus pro anno computatum fuerat, tot annorum decurſu tam paruum diſcrimen decem dierum interuallum pepererat: & ita beneficio huius æqualitatis, temporis computatio antiquæ integritati reſtituta eſt. Cupiebat Rex ſeſe extricare è negotiis Luſitanicis, auidus redeundi in Hiſpaniam. Qua de cauſa 26. Ianuarii Anni 1583. conuocatis omnibus regni ordinibus, primam ſeſſionem celebrauit in Palatio Liſybonenſi: in qua cum breui oratione Alfonſus Caſtelblancus, recens Algarbii Epiſcopus factus, oſtendiſſet dolorem, quem Rex è filii primogeniti morte perceperat, & quantopere neceſſe eſſet, ſecundo iuramentum à ſubditis præſtari, reſpondit Melchior Amaralius, vnus ex procuratoribus Liſybonenſibus nomine totius Regni, omnes ad hanc rem promptos, & paratos eſſe. Incipiens itaque Dux Barcellenſis adoleſcens, tanquam Dux Braganciæ: (pater enim manu nudum enſem geſtans officio Coneſtabilis fungebatur) in genua ad Regis pedes prouolutus, manum extendit iurans more conſueto: quem cum deinde reliqui omnes ſubſecuti eſſent, huic actui finis impoſitus fuit. Dederat Rex operam, ne hæc ordinum conuocatio ſortiretur nomen Comitiorum, vt præcideret anſam, aut de nouo multa petendi, aut repetendi illa, quæ ſuperioribus Comitiis petierant, nec obtinuerant. Et hanc ob cauſam omnibus ciuitatibus & oppidis miſerat ſpecimen mandatorum, quæ procuratoribus dari volebat, quæque ad nihil aliud, niſi ad iuramentum filio Regis præſtandum, extendebantur. Quanquam autem voluntati Regis hac in parte ſatisfactum fuiſſet: tamē nihilominus ordines, & inprimis Procuratores Regni petitiones ſuas, & poſtulata, in Comitiis Tomarenſibus propoſita, redintegrare, & noua etiam adnectere cœperunt: & ſpeciatim, vt Regia Maieſtas magnificentiam, & clementiam ſuam declararet, generalem veniæ conceſſionem, quo ad negotium Antonii publicando: oſtendentes prodeſſe plurimum, & parum nocere illam Regiæ Maieſtati poſſe. Sed quæcunque tandem cauſa fuerit. Rex nec in hac, nec in vlla alia maioris momenti re ipſis gratificatus eſt. Cœpit autem rationem habere aliquot Luſitanorum, præmia petentium. Etſi enim multis iam antea ſatisfactum fuerat: tamen non erant contenti. Equidem licet Rex valde in hac re laboraret, tamen (ſiue illius, ſiue miniſtrorum, ſiue petentium ingenio, ſiue omnibus his ſimul hoc adſcribendum ſit) multis minime ſatisfactum fuit, vel quod omnino non remunerarentur, vel quod ſaltem præmia meritis ſuis minora eſſe iudicarent. Dux Braganciæ in hoc conuentu ſperabat ſe obtenturum ea præmia à Rege, quæ ſe meruiſſe putabat. Verum etiamſi remuneraretur, tamen fortaſſe expectationi ipſius non fuit ſatisfactum. Cum enim ad amplificationē ditionis ſuæ, & ad maiorem in Luſitania potentiam aſpiraret, videbatur huic deſiderio è diametro repugnare votum Regis. Quod itaque præmia exigua fortaſſe eſſent reſpectu dignitatis tanti Ducis, ſtudioſe celata ſunt, & permiſſum ipſi fuit replicare, vt deinde mēs regis eo melius explicari poſſet. Marchioni etiam Villæ regalis Rex non ſatisfecit: ita vt hi duo non mediocriter offenderentur. Porro Dux, qui multos iam dies ægrotabat, poſt diſceſſum ſuum ex aula paucos dies ſuperuixit. Et dicunt Luſitani dolorem, quem ex præmiorum, à Philippo acceptorum, tenuitate perceperat, mortem ipſi acceleraſſe. Emendauit Rex in procinctu defectus, qui circa iuriſdictionem occurrebant, multas nouas leges ſanciendo: Luſitaniſque veſtium ſericarum liberiorem, quam ſub prioribus regibus habuerant, vſum conceſſit. Creauit gubernatorem Regni Albertum Cardinalem, & Archiducem Auſtriæ: adiunctis tamen ipſi tribus Conſiliariis: nimirum Georgio Almeda, Epiſcopo Liſybonenſi: Petro Alcaſoua, & Chriſtophoro Moro, qui ex regni Secretario recēs ſcriba puritatis (vt vocāt) factus fuerat: quod quidem munus tantæ dignitatis eſt, vt antea non niſi primariis regni hominibus committeretur: nec iam inde à tempore Ioan. Tertii, quando Michael Syluius, Epiſcopus Viſeuenſis, qui poſtea factus eſt Cardinalis, cum mala Regis gratia ex Luſitania in aulam Romanam diſceſſit, quiſquā ei præfectus fuerat. A Cardinale Alberto, Archiduce Auſtriæ, in præſentia conſilii ſupremi, & Cameralium Liſybonenſium exegit iuſiurandum, quo ille promiſit ſe iuſte imperaturum, & Regi redeunti Regnum reſtituturū. Imperatrix, ſoror Regis, reuerſura in Regnum Caſtellæ, viſitauit primum monaſterium Sanctorum, in quo ſunt moniales, quæ tamen matrimonii contrahendi facultatem habent, & ex eo ſecum abduxit Iulianam Dalencaſtriam, puellam tredecim annorum, quæ poſt mortem matris ſuæ, Magdalenæ Gironiæ, futura erat Duciſſa de Auero: id quod valde Luſitanos offendit. Etſi enim Imperatrix diceret Regem velle ſibi cauere, ne illa cuiquam, ipſi non ſatis grato, nuberet: tamen rapta quodammodo videbatur, & multi verebantur, ne Rex eam alicui in Hiſpania in matrimonium collocaret. His

rebus

rebus geſtis, diſceſſit Rex 11. die Februarii anni 83. cum mœrore hominum pacis amantium, & cum lætitia ſeditioſorum. Illi enim metuebant, ne inter populum & milites præſidiarios diſſidia naſcerentur, & ne milites, quibus ſtipendia parce ſoluebantur, tumultus excitarent: & ne auctoritas Cardinalis non haberet tantas vires, quantas præſentia regis ad remedia malis inſtantibus adhibenda: Hi contra ſperabant fore, vt abſentia Regis, animus ſubditorum ab illo alienus, onera præſidiorum & annonæ difficultas ineunte vere (præſertim copiis in Gallia conſcriptis) occaſionem mutationibus præberent: quantumuis tum temporis res omnes, Regi ex ſententia ſuccedere viderentur. Intelligebatur autem in Belgico Ducem Alanconium, vrbem Antuerpiam, quæ illum pro domino, & protectore agnoſcebat, occupare conatum, ſed, etiamſi totum exercitum in vicinia haberet, nihil tamen effeciſſe: imo, capta iam vna ex portis ciuitatis, & tribus circiter millibus Gallorum in eam introductis, copias Alanconii incredibili ciuium virtute, cum mediæ partis cæde, repulſas fuiſſe. Qua de cauſa veriſimile videbatur fore, vt Belgæ, non amplius Alanconio fidendum rati, cum Rege tranſigerent. Porro illi Luſitani, ad quorum petitionem nihil fuerat reſponſum, metuebant, ne abſente Rege, nihil obtinerent: ſed tamen hic metus rurſus nonnihil diminuebatur, cum exiſtimarent, quandoquidem Cardinalis gubernator electus erat, cum non minorem fortaſſe illorum, quam ipſum Regem, rationem habiturum. Cæterum hæc ſpes poſt abitum Regis mox euanuit. Nam animaduertebatur Cardinalem non tantum non vti ea auctoritate, quæ ipſi conceſſa erat: ſed etiam nolle ſubſcribere mandatis, aut aliis diplomatis, quæ ſuper negotiis Regni conficiebantur. Et quamuis quidam putarent eum recuſare, propterea quod Rex adhuc in itinere eſſet, nec dum limitibus Luſitaniæ exceſſiſſet (quaſi hac in re honorem Regi habere cuperet) tamen paulo poſt errorem ſuum agnouerunt. Nam Cardinalis poſtquam Rex Regno exceſſiſſet, non magis ſubſcribebat, quam ante: id quod non mediocriter offendit Luſitanos: qui cum cuperent Regnum Luſitaniæ ſeparatum manere a Regno Caſtellæ, videbantur ſibi animaduertere hanc regnandi rationem, qua Philippus Madridi viuens vtebatur, eſſe arctiorem coniunctionem, quam ipſi vellent: accedente præſertim difficultate ea, quam in expediendis negotiis propter Aulæ diſtantiam, experiebantur. Et hanc eorum indignationem non parum auxit, quod Rex in numerum Conſiliariorum patrimonii Coronæ cooptauerat duos Hiſpanos: quorum alter erat Doctor, & alter mercator: id quod contra decorum, & contra priuilegia ſua eſſe dicebant.

Liber Decimus.

ARGVMENTVM.

In hoc libro continetur mors Sancii Auilæ, direptio inſularum Capitis viridis: actiones Emanuelis Syluii, gubernatoris inſularum Tercerarum: apparatus bellicus Regis Philippi ad eas expugnandas: varia iudicia hominum de hac expeditione: auxilia, quæ ex Gallia eo miſſa fuerunt: munitiones inſularum, & præſidia: abitus claſſis ex portu Liſybonēſi: deſcriptio inſulæ Terceræ: adpulſus claſſis Hiſpanicæ: oppugnatio, velitationes, & occupatio Inſulæ: deditio Gallorum: inſulæ Faialis expugnatio, & deditio reliquarum: ſupplicium capitale Emanuelis Syluii, & multorum aliorum: reditus claſſis in Andaluziam.

POST diſceſſum Regis tota illa hyeme res Portugallicæ ſatis tranquillæ fuerant. Etſi enim plebis animi eſſent inquieti, & nonnulli e nobilitate, quibus non ſatisfactum fuerat ex ſententia, relicta Regis & Cardinalis aula, ſeſe in villas, & prædia ſua conferrent, tamē nemo libere loqui audebat. Maiori vero parti, quantumuis pacis & tranquillitatis regni cupidæ, tamen ſecreto non diſplicebat Inſulam Terceram adhuc reſiſtere, & in poteſtate Antonii, ac Gallorum manere: quod exiſtimarent, quamdiu aliquæ belli reliquiæ ſupereſſent, ſe regem benigniorem experturos, & in maiori apud illum pretio futuros, quam ſi illud omnino confectum fuiſſet. Nec ad hanc opinionem ipſorum animis euellendam quidquam proderat, quod Luſitani in Hiſpania humaniſſime haberentur, quodque aditus illis ad Regem pateret non minus, quam cum eſſet in

Luſitaniæ denique quod Rex (fortaſſe vt præſens gubernatio omnino præteritæ ſimilis eſſet) à Papa Cardinali Alberto titulum legati, quem etiam Henricus habuerat, magna cum vniuerſi regni vtilitate impetraſſet. Nam (vt animis, quibus adfectus imperant, vſu nenire ſolet) non diſcedebant a priſtina opinione: imo, quia Cardinali titulus legati in biennium tantum conceſſus fuerat, verebantur ne ille, hoc tempore elapſo, in Hiſpaniam reuerteretur, ac regnum in prouinciam redactum, ab ipſo rege, Madridi aulæ ſedem habente gubernaretur. Hoc tempore mortuus eſt Sancius Auila, ex equi recalcitrantis ictu, qui relictis chirurgis, curandum ſeſe commiſerat militi cuidam, certis carminibus vtenti. Fuit illius mors acerba Hiſpanis. Etſi enim nulla alia, niſi ſupremi caſtrorum præfecti, dignitate inſignis eſſet: tamen quia, mortuo Albano, inter omnes Hiſpanos rei militaris peritia primus erat, non inueniebatur quiſquam apud Ducem Gandiæ, qui vſu belli comparari ipſi poſſet. Erat animo intrepido, & felix in bellis, & ab Albano omnib. illius ætatis militibus anteponebatur. Verum vitam, quam toties, vſque ad ſenectutem magna cum felicitate etiam ipſis tormentorum ictibus expoſuerat, mors ipſi tam exiguo vulnere eripuit.

In Gallia videbantur animi hominum toti in res Belgicas intenti, & maiori eorum, quam Luſitaniæ, cura adfici: ita vt licet impulſu Prioris ageretur de aliquot nauibus inſtruendis: tamen rem frigide adminiſtrari, ac pecuniæ inopia laborari, facile adpareret: & quantumuis forte Galli aliquem apparatum inſtituerent: tamen non tam de inferenda, quam ſi qua inferretur, repellenda vi cogitare exiſtimarentur. Rumor quidem erat, aliquot naues Gallicas, ducibus Luſitanis, & nominatim Emanuele Serrada, impreſſione in Inſulas Capitis viridis facta, bonam earum partem diripuiſſe, ſed tamen non magnopere hac re homines mouebantur, quod eas naues exiguas & piratarum myoparones eſſe conſtaret. In inſula Tercera ſummæ rei præerat Emanuel Syluius, qui ſpecimina ediderat animi Regi Hiſpaniæ infenſi, & Priori addictiſſimi, quique crudeliſſime omnes Philippinos tractauerat: homo ingenii praui, exigui iudicii, & nullius rerum vſus. Cum his moribus eſſet variis modis miſerum illum populum vexabat. Nam plane intolerabilis erat in captandis occaſionibus pecuniam mutuam petendi, negotium multis exhibendi, & crimina intentandi.

Eo vero arrogantiæ (vt plerunque vſuuenit illis, qui imperare non aſſueuerunt) proceſſerat, vt ſibi tum inuictus, tum immortalis eſſe videretur: facta illius iniuſta erant tam crebra, vt nullus amplius iuſtitiæ locus supereſſet: & licentia, quam ſibi amici, & miniſtri illius arrogabant, plane effrenis erat: oppreſſio, & ſeruitus eorum, qui ipſi non adulabantur, erat talis vt ipſa mancipia maiorem non experiantur. Diſtulit tandem aliquandiu pœnas eorum, qui ad Regem Philippum propendebant, nec in propoſito celando ſatis erant cauti. Cum enim ille multis ſtrategematibus vteretur ad hominum animos explorandos, ſi forte quempiam minus obſtinatum, quam ipſe eſſet, deprehenderet, actum erat de miſero illo. Nam & bonis, & vita crudeliſſime priuabatur. Et ob hanc cauſam iuſſit interfici complures quos prodiderat quidam Amator Vieira: qui cum clam in inſulam à Philippo ad eos, qui factionis regiæ erant, in fide continendos, ad inſularium animos explorandos, & ad quãplurimos in partes regis pelliciendos miſſus, diligenter mandatis ſatisfeciſſet, poſtea eorum, qui ipſi ſtudium ſuum erga regem Philippum detexerant, nomina indicauerat Syluio, à quo in miſeros illos deinde aſperrime animaduerſum fuit. Porro Syluius ſuadente animi impotentia nomine Antonii quotidie nouas leges, & inſtituta promulgabat: & volebat officiales, & miniſtros iuſtitiæ, qui per ſuffragia eligi ſolebant, à ſe nominatos duntaxat, ſtatim pro rite electis haberi. Non fuit contentus obſeruatione priſcarum legum, quæ crimini læſæ maieſtatis ſupplicium conſtituunt ſed hac de re nouam ipſe legem longe veteribus ſeueriorem, ſanxit, vt in pœnas capitales incurrerent ii, qui ſaltem de huiuſmodi negotio colloquerentur, & vt teſtes fidem plenam facerent, etiamſi pauciores eſſent eo numero, quem leges antiquæ requirunt. Sententias etiam huiuſmodi proceſſuum volebat referri in librum & acta peculiaria per magiſtratum ciuitatis ad perpetuam rei memoriam: quæ omnia eo tendebant, vt & metum maiorem hominib. incuteret, & maiori cum auctoritate tyrannidem exerceret. Erant in ea Inſula Galli paulo plures ſeptingentis: ſignum vnum peditum Anglorum, & circiter tria millia Luſitanorum. In toto inſulæ circuitu loca omnia, ad quæ adpelli poterat, munita fuerant triginta amplius propugnaculis, & multis foſſis, iiſque tanta [illegible], & arce extructis, vt, ſi defenſores ſuppeterent, nullus in Inſulam aditus patere videretur. Sane quantumuis hæc omnia, cum reliquis loci conditionibus coniuncta, eam plane inexpugnabilem in ſpeciem redderent, tamen Syluius [illegible] longe, quã [illegible], [illegible], &, vt

imperitus,

imperitus, in defenſoribus maiorem, quam par erat, fiduciam collocabat. Interea inſtruebatur claſſis Liſybonæ, & cogebantur milites Hiſpani, qui contra Inſulam mitterētur, duce Marchione S. Crucis, idq; longe maiori numero & nauium, & militum, quam anno ſuperiori: præterquam quod etiam deliberabatur de quatuor triremibus maioribus, & duodecim minoribus claſſi adiungendis. Qua de cauſa etiam, reſecta parte antennarum, quæ nimis longę erant, triremes velo quadrato, & tertio malo (quem medium adpellant) inſtructæ fuerunt. De hac claſſe erant in Hiſpania variæ opiniones, & varia iudicia. Illi, qui expeditioni non erant interfuturi, (more eorum, ad quos nulla honoris, vel gloriæ pars redundat) dicebant rem omni difficultate carere, propterea quod inſulares ita iam eſſent defatigati, exhauſti, & militum præſidiariorum inſolentiæ pertæſi, vt ad primum claſſis conſpectum ſtatim regis imperio ſe ſubmiſſuri eſſe viderentur. Non feciſſe illos hactenus deditionem, propterea quod ſeruitute oppreſſi, non poſſent. Imo etiamſi deditionem facere nec poſſent, nec vellent: tamen expugnationem eſſe facillimam. Ciuitatem enim Angram, & reliqua oppida, muris nudata, & infirma, non poſſe vllo alio modo reſiſtere, niſi impediendo nauium adpulſum, & expoſitionem militum, id quod impoſſibile eſſe iudicabant, & exemplis antiquis, ac recentibus probabant in bello tranſitum fluminum, & aditum in Inſulas vetari non poſſe. Nam ad defendendum tam amplum circuitum, immenſum hominum numerum neceſſario requiri: milite vero ſemel expoſito, victoriam certam eſſe. Ab altera parte illi, qui naues conſcendebant (vt, quicunque tandem exitus eſſet, expeditionem memorabilem & glorioſam redderent) ſtudioſe rei difficultatem augebant. Dicebant inſulam eſſe paruam, populoſam, rebus ad victum pertinentibus abundantem, circumcirca pene inacceſſam, mare omnium maxime inſtabile, vbi vix per trium menſium ſpacium tuta nauibus ſtatio inueniretur, & horum bonam partem elapſuram, antequam claſſis ad Inſulam perueniret. Præterea nullum eſſe portum, in quem claſſis ſe poſſet recipere: & hæc omnia, quæ defenſionem inſulæ facilem redderent, cum incolarum pertinacia, cum veniæ impetrandæ deſperatione, cum munitionibus à milite Gallico, hac in re valde induſtrio, inſtitutis, cum rerum ad bellum neceſſariarum, militum, & ductorum copia coniuncta, inſulam plane inexpugnabilem efficere. Addebant Gallos, ſi non aliam ob cauſam, ſaltem vt vires regis Hiſpaniæ diſtraherent, & oculo illius hanc veluti feſtucam ingererent, Inſulæ conſeruationis operam daturos: præſertim, quia longe minoribus ſumptibus ab illis defendi, quā à rege, claſſe & exercitu inſtructo, expugnari poſſet. Ceterum, interim dum in Hiſpania huic claſſi parandæ, & his ſermonibus opera datur, Antonius in Gallia totis viribus in rebus, ad Inſulæ defenſionem pertinentibus, comparandis laborabat. Et quanquam regina ipſi faueret, ac cuperet: tamen, ſiue deferueſcente anni ſuperioris ardore, (fortaſſis propter infelicem claſſis Gallicæ conflictum) ſiue deficiente Priorem pecunia, ſiue quæcunque tandem cauſa eſſet, minor apparatus inſtitutus fuit, quam vt hominum expectationi reſponderet. Nihilominus tamen iubente Regina, in inſulam nauigauit Scharteſius, eques Melitenſis, & gubernator Diepenſis, homo in bellis recētioribus exercitatus, cum militibus Gallis non multo pluribus, mille ducentis, quanquam vulgo mille quingenti eſſe dicebantur. Hic attulit magiſtratui ciuitatis litteras non tantum à Priore, quibus ille ciues laudando animabat, oſtendebatque, ſe omnem in regnum redeundi ſpem in ſola ipſorum fide, & virtute collocare: Sed etiam à Rege Galliæ, & regina matre. Oſtendebat Rex voluptatem, quam ex ipſorum conſtantia perciperet, & quam cupidus eſſet iuuandi illos contra hoſtes, qui libertatem regni Luſitaniæ opprimere conarentur, idque propter cauſas, quæ matrem ipſius mouerent, vt conſeruationi illorum ſtuderet. Itaque ſe mittere illis hunc nobilem vna cum claſſe, & militibus. Adiiciebat multa alia humaniſſima verba in eandem ſententiam. Regina referebat ſe partim ad litteras regis, promittens ſe nunquam illis in bello tam iuſto defuturam: partim etiam, vt & Rex ipſe fecerat, ad ea, quæ ex Commendatore coram accepturi eſſent. Cum hi milites in Inſulam perueniſſent, & cum reliquis, ac cum incolis coniuncti fuiſſent, (in vniuerſum autem fere ſex hominum millia conſtituebant) exiſtimabat Syluius, etiamſi multa eſſent propugnacula, quæ milite inſtruenda eſſent, tamen illa facile defendi poſſe, præſertim quod naues, quę Caput viride diripuerant, eò adpellentes attulerant magnum numerum tormentorum craſſiorum, quæ cum reliqua præda aſportauerant, ita vt omnia, quæ vel aduexerat Scharteſius, vel in Inſula ante fuerant, vel à ſuperioribus nauibus adducta fuerant, non pauciora eſſent trecentis: inter quæ tamen erant nonnulla ex ferro, nonnulla etiam minutiora. Ceterum his omnibus non obſtantibus, & quamuis Luſitani in ſolita confidentia perſeuerarent: tamen nihilominus, quaſi metu perculſi, paruos liberos, vxoreſque ad montes deducebant, & cariſſima quęque abſcondebant. Scharteſius, tanquam peritus miles, poſtquam

ſitum inſulæ, munitiones, præſidia, commeatum, ceteraſque res ad bellum neceſſarias contemplatus eſſet, ſubuereri cœpit, vt hoſti poſſet reſiſtere. Videbat enim non ſatis exacte inſulæ de rebus neceſſariis proſpectum fuiſſe: milites eſſe pauciores, & minus exercitatos, quam loci conditio requireret: neque inſulam adeo aſperam, aut inacceſſam, quam ipſi deſcripta fuiſſet. Itaque colloquio cum Syluio inſtituto, quærebat ex eo, quamnam inſulæ defendēdę rationem animo concepiſſet? Syluius ſiue excœcatus à tyrannide, quam ibi obtinebat, ſiue iuſto Dei iudicio cum vrgente, adeo & numerum & virtutem Luſitanorum exaggerauit, vt non tantū perſuadere velle videretur, illos ad defenſionem inſulæ ſufficere, ſed etiam Gallorum operam quodammodo eſſe ſuperfluam. Sane non ſatisfaciebat Gallo, qui ſtuduit remedia adhibere, vbi remediis locus adhuc eſſe videbatur, ita tamen vt ſemper exiſtimaret maiorem eſſe & numerū, & virtutem Luſitanorum, quam reuera erat. Munitiones ipſi nullo cum iudicio inſtitutæ videbantur. Maluiſſet enim in primariam arcem comportari omnem puluerem tormentarium, globos, & commeatum totum, hoc fine, vt, ſi forte Hiſpani, vi ſibi aditum in Inſulam patefeciſſent, omnes Luſitanorum, & Gallorum copiæ, ad arcem confugientes, ſuſtinere poſſent impetum hoſtis ſaltem vſque ad initium hyemis, qua ingruente claſſi Hiſpanicæ neceſſario diſcedendum foret. nam niſi talis aliquis locus deligeretur, ad quem ſe reciperent, ſimul ac hoſtis pedē terræ impoſuiſſet, (in tanta ciuitatis & oppidorum muris nudatorum, infirmitate) de ipſis actum eſſe. His rationibus contradicebat Syluius, verbis à mēte ſua alienis. Dicebat milites, cum habent aliquem locū, in quem ſe poſſint recipere, in primo conflictu minus fortiter pugnare: & littora inſulæ ita eſſe munita, vt nullus hoſti aditus pateret. Sed reuera ille conſilium de arce improbabat tribus potiſſimum de cauſis. Prima erat, quia non habebat commeatum, qui arci, aut tanto militum numero paulo diutius ſufficeret. Altera, quod nolebat ſe veluti illi arci includi, quippe qui ſemper de fuga cogitaret. Tertia, quia non ſatis fidebat Gallis, & ideo nolebat locum vllum munitum in illorum manus peruenire, ne forte ex ſociis domini euaderent. Hoc pacto nata eſt diſſenſio inter duces: & ita factum eſt, vt non tantum conſilium Schartesii debitum pondus non haberet, ſed etiam vt (cum ante decretum fuiſſet deſerendas eſſe reliquas inſulas, tanquam infirmas, & quia non nimia erat militum, qui in eas mitti poſſent, abundantia) denuo ſtatutum fuerit de quadringentis Gallis in Inſulam Faialem, tanquam reliquis populoſiorem, duce quodam Carleo, præſidii loco mittendis: quorum opera, viribus cum incolis coniunctis, præſertim quia ibi parua quædam arx erat, illam defendi poſſe iudicabant.

Quo tēpore hæc adminiſtrabantur, in Inſula Tercera, claſſis Hiſpanica inſtructa fuerat, & Liſybona ſoluerat pridie Ioannis Baptiſtæ, quæ conſtabat ſexaginta amplius nauibus maioribus, optime armatis, præter multa alia nauigiorum genera. Erant enim in ea duodecim triremes minores: duæ maiores (reliquæ enim duæ non ſatis in tempore Neapoli venerant) quinque firmiſſimæ naues, & plures, quam 30. naues maiores diuerſarum nationum. Aderant fere 10000. militum, maxima ex parte Hiſpanorum. Ex aliis nationibus non aderant niſi mille ſexcenti Germani: duo vexilla Italorum, & duo Luſitanorū voluntariorum. Hiſpanos ducebant tribuni, Lupus Figueroa, Franciſcus Bouadiglia, & Iohannes Sandoalius: Germanos Hieronymus Comes Lodronius: Italos Lucius Pignatellus: Luſitanos Felix Aragonius, & ſummæ rei Marchio terra, marique præerat. Hic exercitus etſi non erat adeo numeroſus: tamen non male dici poteſt regem Philippum fortaſſe nunquam in vno, eodemque exercitu tot milites Hiſpanos, militari diſciplina imbutos, habuiſſe. Nam non ſolum maxima ex parte iam in Italia ſtipendia fecerant, ſed etiam nonnulli eorum pugnæ nauali, qua principes confœderati Turcam ſuperioribus annis vicerunt, multi etiam bellis Belgicis interfuerant. Cum claſſis ex oſtio fluminis egrederetur, vna ex nauibus, in ſcopulum impingens, inutilis remāſit: & alia quædam, poſtquā iam aliquod ſpacium nauigando emenſa eſſet, clauum amiſit, peditibuſque in alias naues impoſitis, in portum reuerſa eſt.

Nauigāte porro hac claſſe omnibus nauibus vnitis, neceſſe erat velociſſimā quamq; ad lentiorum curſum ſeſe accommodare: cumque triremes omnium nauium ſint celerrimæ, oportebat magiſtros de induſtria illarū curſum remorari, ne alioquin à reliqua claſſe auellerentur. Ceterum quoniam nunquam ante huius generis naues in mari Oceano, littore relicto, altum petere auſæ erant: nolebat Marchio illas negligere occaſionem ſinus illius traiiciendi, interim dum tempeſtas commoda erat, exiſtimans, vel ob minimam quamque procellam ipſas in periculum incidere poſſe, ita vt iudicaret præſtare eas potius à reliqua claſſe ſeparatas progredi, quam diutius cum diſcrimine detineri. Itaque

die 26.

die 26.huius menſis,intellecto magiſtrorum triremium progrediendi deſiderio, triremes ſolas dimiſit verſus Inſulam S.Michaelis,cum mandatis,vt ſe ibi expectarent: cumq; Marchio eundem curſum tenuiſſet, nauigatione tamen lentiori, & ventis lenioribus vtens, tertio Iulii in conſpectum Inſulæ venerunt. Quoniam autem per ventum claſſi adpellere non licebat.Marchio nauim expeditam miſit Puntam Delgadam,cum mandatis ad Auguſtinum Iniguezium,præfectum bis mille Hiſpanorum, qui ſuperiori anno Inſulæ præſidio relicti fuerant,vt omnes ſuas copias imponeret in triremes, quæ iam ante eo adpulerant. Cupiebat etiam aſſumere aliquot tormenta muralia,& mulas,ad ea terreſtri itinere, ſi opus eſſet,ſubuehenda neceſſarias, vna cum nonnullis aliis rebus eodem pertinentibus Itaque velis magno conatu expanſis, ac vento nonnihil creſcente die 13. Iulii non ſine labore adpulit cum nauibus Villam Francam,& inde triremi vectus Puntam Delgadam, vbi pars claſſis etiam anchoras iecerat,omnia vt parata eſſent,diligentiam adhibuit: quamuis propter ventos contrarios non poſſet ſoluere ante diem 22.quo,velis vento commiſſis, poſtea 24.die inſulæ Terceræ adpropinquauit.Sita eſt hæc inſula, vt diximus, in 40.altitudinis gradu,& in trecenteſimo quadrageſimo ſecundo gradu longitudinis. Habet in circuitu quadraginta miliaria,& ab oriente ad occidentem in longitudinẽ ita anguſtam porrigitur, vt vix duodecim milliaria lata ſit Eſt quidem maiori ex parte aſpera, & inacceſſa: ſed pene in toto circuitu accolitur. Pars auſtralis, quæ littus aliquanto commodius habet, populoſior eſt,quam reliquæ.Ibi,incipiẽdo ab occidente,primum occurrit ciuitas Angra, ſita in paruo maris ſinu,ſed ventorum furori obnoxia: à quo & ipſa denominata eſt. Angra enim incolarum lingua ſinum denotat. Huic ciuitati contigua eſt arx,inde vſque à tempore Regis Sebaſtiani inchoata,& mediocriter munita,defendendo paruo illi portui. Sex inde miliaribus verſus Orientem prope littus aſperrimum (vocatur portus molarum) ſitum eſt oppidum S.Sebaſtiani exiguum:inde ad tria milliaria occurrit oppidum Piaggia,quod ita vocant,propterea quod littus ibi minus eſt,quam in reliquis partibus,præruptum,& ad adpellendum paulo magis accommodatum. Hoc oppidum eſt vicinũ Puntæ Serræ, quod eſt vltimum promontorium,ad ſolem orientem vergens: poſt quod verſus Septentrionem occurrit aliud oppidum,quod vocant Aquam Aluam,ſex ab oppido Piaggia milliarib. Hoc latus Septentrionale etſi incolitur, vt dixi, tamen nullum locum memorabilem continet: & non niſi tuguria agricolarum hinc inde ſparſa ibi conſpiciuntur. Tantum prope promontorium occidentale inuenitur paruum quoddam oppidulum, quod vocant Altaria. Poſtquam Marchio Inſulæ adpropinquaſſet,animaduertit in anguſto illo portu naues,quę copias auxiliares adduxerant,vna cum nonnullis aliis,quæ vel ad piratas, vel ad mercatores ſpectabãt. Iactis prope oppidũ S.Sebaſtiani anchoris,ſuis ipſe oculis vidit Inſulam non eſſe minus munitam,quam iam ante intellexiſſet. Subſtiterat tam procul à littore,vt naues tutæ eſſent à globis tormentorum,quorum magnam copiam ſine omni fructu Inſulares eiaculabantur, Marchione interim vetante,ne vel vnicum tormẽtum à ſuis diſploderetur, ſiue quod operam ludi videret, ſiue quod hoc ad cauſæ regiæ bonitatem augendam, vt ipſe dicebat,facere exiſtimaret. Iuſſit quatuor triremes ſubſiſtere è regione ciuitatis,& exitum è portu ſuperioribus nauibus intercludere: id quod nimiam confidentiam redolere viſum eſt.quod putaretur ſatius eſſe conniuendo ſpatium aufugiendi illis concedere, quã ſocios nauales ad deſperationẽ adigere. Paulo poſt expoſuit in terram tubicinem, qui veniam delictorum,in ſcriptum redactam,omnibus,qui in inſula erant,nomine Regis offerret,& deditionem flagitaret: verum ille, cum inſulæ adpropinquaret,contra ius gentium ictibus tormentorũ abactus fuit. Agebatur in veniæ conceſſione de ſucceſſione Regis, de inobedientia Inſulariũ,de clementia Regis: promittebat ſe incolis, vitæ & bonorũ gratiam facturum,ſi parerent; exteris vero naues conceſſurum, quib. in patriã vnà cum facultatib. armis,& vexillis reueherentur. Ceterũ cum veniæ conceſſio hoc modo publicari non potuiſſet,clam in terrã expoſuit duos Luſitanos,qui exemplar eius exhibuerũt ipſi Emanueli Syluio: qui & patui eam fecit,& celauit,ita vt nemini innoteſceret: quod fortaſſe rẽ eo deueniſſe exiſtimaret, vt eã accipere amplius ſibi integrũ non eſſet: & non tantum ipſe ea vti noluit,ſed etiã his duob. Luſitanis ſub pœna furcæ interdixit, ne cuiquã ſignificarent, qua de cauſa veniſſent: idq; in hunc finem,ne quiſquã inſularium conditionib. à rege oblatis, vti poſſet. Diem vigeſimũ quartum & ſequentẽ,totos Hiſpani in circuitu inſulæ, littore, & munitionib. contẽplandis conſumpſerunt, exquirentes quonam in loco cõmodiſſime miles exponi,& qua ratione poſſet: ac ipſe Marchio in lembo vna cũ tribunis. & reliquis primariis ductorib. ſpeculatũ circumibat. Animaduerterũt ad ciuitatẽ Angram,& ad oppidũ Piaggiam,tanquã loca ad adpellendum paulo cõmodiora, maiores, quã alibi, munitiones inſtitutas eſſe,& Gallos etiam inprimis diligenter ibi excubare. Nonnulli Luſitani, incolæ

huius inſulæ, exploratum egreſſi, ab incolis Inſulæ S. Michaelis capti fuerant; qui adducti ad claſſem, adfirmabant, nullum locum eſſe ad deſcendendum è nauibus aptiorem portu Molarum, non procul ab oppido S. Sebaſtiani. Siue autem illi hoc dicerent animo decipiendi Hiſpanos, propterea quod locus iſte erat longe ſalebroſior, quam primo aſpectu videbatur, ſiue ſincere hoc conſilium darent, Marchio certe ſemper oculos in hãc partem defixos habuit. Cum enim videret in eo loco non maiores quã alibi, immo minores eſſe munitiones, inſtitutas; quamuis littus eſſet incommodum, maluit cum naturali loci aſperitate, quam cum operibus manu factis certare. Et ideo de conſilio maioris partis conſtituit eo deducere exercitum die 26. D. Annæ ſacro, & Hiſpanis propter anni ſuperioris victoriam fortunato: ita tamen, vt interim iuberet tum triremes, tum alia minora nauigia nocte, & die ad arma conclamare, magnumq; ſtrepitum edere in diuerſis partibus, & inprimis prope oppidum Piaggiam, idq; in eum finem, vt hoſtes defatigarentur, & in eum locum maxime confluerent. Interim in Inſula Scharthefius, & Emanuel Syluius laborabãt & ipſi in copiis, & aliis rebus ad defenſionẽ ſpectantibus, ſuo loco diſponendis. Collocarunt validiſſimam copiarum partem in oppido Piaggia, exiſtimantes Marchionem eo propter loci commoditatem appulſurum. Syluius etſi in ſpeciem in priſtina confidentia perſeuerare videbatur: tamen nauigiolum in portu paratum habebat, & aliquot nauiculas ad oppidum Altaria, quibus, neceſſitate ſuadente, aufugeret. Schartefio interim non ſatisfaciebat rerum ſtatus. Etſi enim copiæ ſatis magnæ erant ad defendendam ciuitatem etiam ampliſſimam: tamen exiguæ ipſi videbantur ad propugnandam totam inſulam, quæ haberet triginta propugnacula, eaq; tanto à ſe inuicem interuallo remota, vt primum auxilium ferre non poſſet non tantum vltimo, ſed ne quidem medio; tum propter diſtantiam loci, tum propter viarum aſperitatem, quæ erat tanta, vt acie inſtructa, iter fieri non poſſet. Iudicabat ille commodiſſimum factu fore, ſi caterua aliqua militum in tali loco collocaretur, vnde in omnem euentum ceteris laborantibus ſubſidio venire poſſet. Sed hoc fieri nequiit, quia erant tot propugnacula, & tot valla præſidiis muniẽda, vt militibus per ea diſpertitis, nulli ſupereſſent, immo vt quædam loca plures deſiderare viderentur. Animaduertit etiam, quantumuis ſatis militum ſuperfuiſſet, tamẽ nullum eſſe locum, in quo ſatis cõmode hæc caterua ſubſiſtere, & alibi laborantibus ſuccurrere poſſet. Nam ſi collocaretur in medio, nimis procul eã abfuturam ab omnibus partibus: ſin vero in vicinia alicuius propugnaculi, fieri non poſſe, vt reliquis in tempore ſubueniret. His incommodis vt aliquid ſaltẽ remedii adhiberetur; ſtatuerunt in collibus illis campanas, quarum ſono ſignũ darent illi, qui auxilio egerent, & ad ꝗ illi, qui ab hoſte non oppugnarentur, auxilium laturi, accurrerent. Marchio interim delectis è toto exercitu quater mille, & quingentis militibus maxime exercitatis, inter quos erant complures Germani, Itali & vnum vexillum Luſitanorum, legio Hiſpanica Lupi Figueroæ, & legio Auguſtini Iniguezii, illiſq; nocte, vigeſimum ſextum diem præcedente, triremibus, aliiſq; multis minoribus nauigiis ſumma maris tranquillitate impoſitis, maiori, q̃ ante, cum ſtrepitu ad arma in reliquis locis conclamari iuſſit, ipſe vero cum his copiis verſus portum Molarum nauigauit, & paulo poſt reliquas ſe ſubſequi iuſſit. Appulit eo ſub ortum auroræ, ita vt tenebris noctis opertus; vix ab Inſularib. animaduerteretur. Reperit autem ibi tria propugnacula, foſſis cincta, & tormentis ſatis bene, paucis vero defenſoribus inſtructa. Triremes adpellentes omnia tormenta aliquoties contra propugnacula exonerarunt, vt eodem temporis puncto milites eo tutius in terram deſcendere poſſent: id ꝙ tamen plus terroris, quã damni, inſularibus intulit. Tormentum nihilominus vnum, ꝙ illi ſæpius in claſſem diſploſerant, ex rotis deturbatum fuit. Quantumuis autem è propugnaculis in claſſiarios crebri tormentorum ictus exonerarentur, & locus ipſe eſſet aſper, incommodus, ſcopuloſus, & omnis aditus, aſcenſuſq; præcluſus: milites tamen illi diuerſarum nationum certatim, omnium periculorum ſecuri, in littus deſiliebant: & illi, qui terram ſaltu aſſequi non poterant, ſponte ſua in aquam ſe demittebant, vt eo citius, quantumuis madefacti, ad littus peruenirent: & pauci illi Luſitani, qui aderant, inter primos magna cum animi alacritate in littus euaſerunt. In propugnaculo, ad quod hi milites contendebant, erant tria vexilla peditum, duo Luſitanorum, & vnum Gallorum: quæ in vniuerſum non conſtituebant numerum ducentorum. In hos ibant omnes illi milites Marchionis, qui cœco quodam cum impetu, & ſine ordine ad manus conferendas properabant. Neque enim vel ſitus, vel hoſtium vicinitas, tempus, aut locum aciei inſtruendæ concedebat. Reſtiterunt fortiſſime Galli: ſed, quia erant pauci, parum etiam effecerunt. Primo incurſu Capitaneum quendam, & ſigniferum vna cum viginti quinq; aut triginta circiter militibus Marchionis interemerunt. Verum cum ex defenſoribus nonnulli vulnerati fuiſſent, & ipſe ductor Gallorum occubuiſſet, alterum ex vexillis Luſitanicis è propugnaculo exceſſit, poſtquam aliquan-

aliquandiu, ſed timide, dimicaſſet. Alterius vexilli milites in loco perſeuerantes aliquanto diutius hoſti reſtiterunt: ſed cum ad ſonū campanarū neminem ſubſidio venire, multoſq; è ſociis cadere vidiſſent, & ipſi vallum deſeruêrunt. Itaque Galli, qui ſoli remanſerant, nonnullis iam antè interemptis, non potuere tot hoſtium impetum ſuſtinere: & ita intra horæ ſpatium milites Marchionis illa propugnacula & foſſas, paucis ſuorū amiſſis, occuparunt. Peruaſerat nūtius de oppugnatione, quam Marchio ibi inſtituerat, per circuitū Inſulę: & Galli, quorum maior pars erat ad oppidum Piaggiam, audito ſono campanarum, & ſignis ignis accenſi cōſpectis, eo celerrime accurrêrunt: eoſque inſecutus eſt Emanuel Syluius cum multis Luſitanis: verum tantum erat locorum interuallum, & tanta viæ aſperitas (præſertim cum quatuor, aut quinque milliaria emetienda eſſent) vt nondum media itineris parte cōfecta, hoſtem iam propugnacula, & foſſas in poteſtate habere intelligerēt. Itaq; aciei inſtruendę cauſa in colliculo quodā ſubſtiterūt, paulo poſt, infeſtis ſignis, in Hiſpanos perrecturi. Interim reliqua pars copiarum Marchionis in littus deſcenderat: ex quibus, poſtquam in cliuum quendam euaſiſſent, agmen promiſcue compoſitum fuit ex omnibus nationibus, vt eo celerius acies inſtrui, & eo promptius hoſti veniēti obuiam iri poſſet. Sed res erat expedita, quia Galli & Luſitani, non adpropinquarunt, & illi, qui propugnacula deſeruerant, nuſquā ſubſiſtentes continuo curſu ad ſocios, auxilio venientes, contenderūt. Itaque Marchio præter expectationē ſuam, aliquanto plus tēporis nactus, aciē denuo nationibus à ſe inuicem ſeparatis, inſtrui iuſſit, cumque paululum progreſſus eſſet, pugnæ leuioris initium ab vtraque parte maximo animo factum eſt, fortuna more ſuo aliquandiu hac in re ludente. Etſi enim Galli longè eſſent numero inferiores, tamen bis Hiſpanos ex primo vallo eiecerunt, & tertia vice ad ſecundum vſque penetrarunt. Ceterum cum Marchio animaduertiſſet in cauſa eſſe paucitatem haſtatorum, Germanis haſtatis in eum locum promotis, denuo in Gallos inuectus facilius ſuſtinuit illorum impetum, qui paulo poſt deferbuit. Cum enim meridies præteriiſſet, antequam Emanuel Syluius cibum militibus ad reficienda corpora adferendum curaſſet, ita vigiliis nocturnis, labore itineris, conflictu, & fame eneruati fuerant, vt vix ſtare poſſent, quantumuis ſemper ad noctem vſque, ſed modo remiſſius, modo vehemētius, pugnaretur. Nocte ingruente, inſulares magnum numerū boum, quorum vltra mille coegerāt, cōſtituerunt in hoſtes impellere, aciem illius diſiicere, & eodem plane ſtrategemate vti, quod ipſis ſatis feliciter biennio ante cōtra milites Petri Baldeſii ſucceſſerat. Verum Scharteſius non probauit cōſilium quinimo hoc pacto hoſtem carnis recentis copiam habiturum dixit: neque veriſimile eſſe fore, vt, quod contra ſexcentos milites ſemel bene eueniſſet, ſtatim contra exercitum duodecim millium eadem cum felicitate ſuccederet: & ita boues amandati fuerunt. Porro Marchio cum tot boues ab hoſtibus cōgregatos videret, diſpoſitis in fronte exercitus Germanis haſtatis, & relicto inter ordines certo interuallo, mādauit, vt boues, ſi irruerent, ſine impedimento prętergredi ſinerent. Hic finis fuit pręlii illius diei, Gallis tamen tormenta in illis collibus collocata, in hoſtem aliquoties interim exonerātibus. Hoc tempore Emanuel Syluius ſerio de fuga cogitare cœpit. Ceterum cum difficilem eam futuram videret: propterea quod omnium oculi in ipſum eſſent conuerſi, ſparſit de induſtria rumorem, quaſi ſexaginta naues Gallicæ auxiliares in mari comparerent: & ſub prætextu obuiam illis aliquem mittendi, iuſſit è portu egredi nauigium iam ante præparatū, quod ipſum ad Altaria expectaret: ſed cum nauicula ad oſtium portus perueniſſet, præſidiarii, qui erant in propugnaculis, ictibus tormentorum exitu illam prohibuerunt, ſiue quod neſcirent quo tenderent, quod Syluii auctoritas declinare inciperet. Nauigio itaque in portum reuerſo, Syluius fuga interclusus fuit. Interim Hiſpani aquæ dulcis inopia laborabant, & hactenus illam è nauibus petere coacti fuerant: cuius eo in loco, vbi Galli conſederant, magna erat abundantia. Itaque Marchio nocte illa cogitauit de caſtris in locum commodiorē transferēdis die ſequenti, quātumuis res difficultate non caritura videretur. Ceterum (vt tam proſpera, quam aduerſa fortuna, effrenis eſt) minorem expectatione ſua laborem ſuſtinuit. Nam eadem nocte maior pars Luſitanorum quibus Emanuel Syluius præerat, diurno prælio conſternati, & tanto hoſtium numero ſe impares rati, Gallis deſertis, fuga ſe ad montes proripuerunt. Res equidē admiratione digna erat. Cum enim hi eſſent iidem illi obſtinati, & rebelles, qui virtuti ſuę tantum tribuebant, vt omnem pacis, & veniæ mentionem abominarentur: mirum equidem videtur illos, cum tēpus verbis omiſſis, manu rem gerendi adeſſet, in tam turpem fugam ſe cōieciſſe, tamque ſubito ſententiā mutaſſe. Fugientes enim dictitabant Inſulam ſpectare ad Regem Philippum, & merito illi dedēdam eſſe. Sane nō multū ſpei in conſtantia, & virtute vulgi poni poteſt. Dux Gallorū, cum videret aufugere Luſitanos, & Emanuelem Syluium, qui eorum fortitudinem deprædicauerat, attonitum

eſſe,cœpit,de ſua,& ſuorum ſalute in tuto collocanda cogitare: cumq; aurora immineret ipſe etiam copias ſuas verſus montem Virginis Guadalupenſis duxit,faciente ſpem Syluio fore,vt ibi in loco quodam munito facile hoſtium impetum ſuſtinerent, donec ingruente hyeme, claſſis diſcedere cogeretur: & ſi minus poſt illius abitum amiſſa recuperare poſſent,tamen occaſionem in Galliam redeundi ipſis non defuturam. Sed quoniam ex eo loco,vbi conſederant,non ſatis tuto diſcedi poſſe videbatur, quod periculum erat,ne Marchio,re intellecta, poſtremum agmen carperet: Scharteſius partem militum præmiſit, & partem poſt tergum reliquit, qui cum Hiſpanis,ſi irruerent, manus conſererent,eoſq; aliquandiu remorarentur. Ceterum Marchio mature hoſtium cõſilium ſubodoratus, totum exercitum progredi iuſſit:& ita paucos illos,qui à Scharteſio relicti fuerãt, in fugam compulit,locum,in quo aqua dulcis hauriebatur,in poteſtatem redegit,& oppidũ S.Sebaſtiani vna cum aliquot tormentis occupauit:& milite ibi aliquantum refecto, Galliſq; omnibus ad montem fugientibus,iter conuertit verſus ciuitatem Angram, ſine vllo impedimento, quod hoſtes metu perculſi in diuerſa abiiſſent. Cum autem Angra à parte interiori plane non munita,ſed aperta eſſet,ideo non tantum à militibus,ſed etiam ab incolis,& ipſa etiam arx à præſidiariis omnino deſerta fuerat.peruenit eo exercitus incredibili cũ labore. Cum enim ſolis æſtus eſſet longe intenſiſſimus, & regio ita ſicca, vt toto illo itinere ne gutta quidem aquæ inueniretur, milites magno incommodo adfecti,& complures,maxima ex parte tamen Germani,ſiti extincti fuerũt. Militibus Angram ingreſſis, tridui ſpacium ad prædam congerendam conceſſum fuit. Sane domus fere omnes plane vacuæ erant: & illi,qui remanſerant,maxima ex parte erant captiui,qui etiam liberati fuerunt. Capta vrbe, ſimul capta erant omnia propugnacula. Cum enim tantum ad impediendum nauium adpulſum extructa eſſent, à parte interiore erant aperta. Porro exercitu iter verſus ciuitatẽ faciente, etiã triremes curſum in naues,quæ in portu erant,direxerunt,cumq; prope ab iis abeſſent, ictibus tormentorum illas ad deditionem faciendam cõpellere conatæ ſunt. Sed eiaculabantur fruſtra:quia cum à vectoribus, & nautis deſertæ fuiſſent,nemo erat,qui reſponderet:ꝙ cum animaduertiſſent claſſiarii,in illas prędę cauſa inſilierunt. Spolia tum terreſtria, tum naualia,non nimis fuerunt opima. Exceptis enim tormentis,nihil,ꝙ alicuius fere momenti eſſet,inuentum fuit. Mancipia,quorum ad mille quingenta reperta fuerũt,pro optima prædæ parte habebantur. Direpta vrbe,& locis circumuicinis, expetebat Marchio, vt incolæ in ſuas quiſq; domus reuerterentur. Etſi enim milites,in illos montes penetrantes, aliquot & viros & mulieres,vi reduxiſſent (qui poſtea liberi omnino dimiſſi fuerũt) tamen maior pars ibi adhuc latitabat, & pauciſſimi erant,qui ſponte prodirent. Itaq; publice proclamari & omnes(paucis exceptis)omni metu depoſito,domũ reuerti iuſſit. Sed cum Luſitani non nimis fiderent,pauci tantum redierũt, quantumuis poſtea paulatim plures ſubſequerentur. Rebus ita ſtantibus(licet Galli adhuc in montibus eſſent) iudicauit Marchio è re futurum,ſi etiam reliquas Inſulas ad deditionem compellere tentaret, & inprimis Inſulam Faialem,in qua erat præſidium. Qua de cauſa bis mille quingentos pedites ex diuerſis nationibus in triremes, & lembos impoſitos, eò duce Petro de Toleto miſit. Dum hæ copiæ illuc nauigant, Galli in Inſula Tercera ſuperſtites, etiamſi in montibus munimenta quædam inſtituiſſent,tamen quia commeatus,aliarumque rerum inopia laborabant, & in auxilio Luſitanorum non multum ſpei collocandum iudicabant, conſtituerunt, quam honeſtiſſimis poſſent, conditionibus, cum Marchione paciſci. Venit in mentem Scharteſio,ſibi in Inſula Malta olim notitiam interceſſiſſe cum Petro Padiglia, vno ex nobilibus, qui erant cum Marchione, quique tribuni munere fungebatur, & rei militaris erat non imperitus. Ad hunc ſcripſit Scharteſius, reuocans ipſi in memoriam priorem familiaritatẽ,& petens facultatem libere diſcedendi, non tantum pro ſe,& ſuis, idque vna cum bonis,armis, tormentis & vexillis; ſed etiam pro omnibus Luſitanis, qui naues cum ipſo conſcendere cuperent. Hæ litteræ non diſplicuerunt quidem Marchioni, quippe qui ex illis ſpem conciperet,cum hoſte tranſigendi, & integra victoria,eaque incruenta potiundi,antequam mare intumeſceret. Sed conditiones nimis iniquæ ipſi videbantur,propterea quod nollet quemquam è Luſitanis in Galliam abduci. Inter primarios duces diuerſæ erant de eo quod potiſſimum agendum eſſet, opiniones. Quidam ſuadebant è veſtigio eundum in Gallos,temporis lucrandi cauſa,cumque iis dimicandum,nullis pactis & conditionibus admiſſis. Alii, paulo exactius rem perpendentes, dicebant non abs re fore, ſi cum Gallis quibuſcunque conditionibus tranſigeretur, tum ratione breuis illius temporis,quo claſſis in illo mari ſubſiſtere poſſet, tum quia non ſine difficultate oppugnari poſſe viderentur. Ita enim rationes ſubducebant, vt adfirmarent,quinque ad minimum dies in eo negotio conſumptum iri: nimirum biduum in itinere, vnum diem in vincendo, &

aliud

aliud biduum in reditu. Iam autem commeatum nõ, niſi in biduum, propter carrorum, & vtrium, & ſimilium rerum inopiam, ſubuehi poſſe. Verum omnia iſta incommoda ſuperauit ardor militum, qui, ſecundis ſucceſſibus inflati, ferre non poterant tam paruum numerum Gallorum, tam vicinum, audere cogitare de impetu tot militum veteranorum, & victorum ſuſtinendo. Qua de cauſa dixerunt ſe paratos eſſe quiduis pati, dummodo in hoſtem ducerentur. Et quamuis in hanc ſententiam à ducibus non iretur: tamen hæc alacritas in cauſa fuit, vt tenuiores Galli conditiones obtinerent, quam alioquin fortaſſe obtinuiſſent.

Tandem vero re hinc inde aliquandiu agitata, ita conuentum fuit: vt Galli venirent traditum arma, & vexilla, gladiis ſolis retentis: vt ipſis de hoſpitio & victu proſpiceretur in certa ciuitatis parte, vna cum nauibus, & commeatu in reditum in Galliam. Et ſtatim ſimulac tranſactum fuiſſet, reipſa etiam ad effectum deduci deditio cœpit. Nam tertio die Auguſti deſcenderunt Galli è montibus, & extra ciuitatem tradiderunt arma vna cum octodecim vexillis, fiſtulis & tympanis, iuxta legem conuentionis: & per armatos militum Hiſpanorum ordines inermes in ciuitatem ingreſſi ſunt, & ibi Scharcheſius cum tribuno Carauaca, & aliis primariis ductoribus Marchionem ſalutauit, humaniterq; ab ipſo exceptus fuit. Interim triremes vna cum ceteris nauigiis, & militibus in Inſulam Faialem adpulerãt, ductu Petri Toletani. Quoniam vero claſſi intererat Gonzalus Perera Luſitanus, qui vxorem & liberos in Inſula habebat, viſum eſt Petro hunc vice tubicinis præmittere, qui Inſulares ad deditionem cohortaretur, quod putaret ei à conciuibus ſuis fidem habitum iri in iis, quæ de potentia exercitus regii, & de periculo, quod illis immineret, narraturus eſſet, & fore, vt eo facilius ſeſe dederent. Ceterum Antonius Guedezius Soſa, præfectus Inſulæ, non tantum nullam dignitatis nuncii rationem habuit, neque orationi ipſius locum reliquit, ſed ne quidem exemplo vicinorum, quamuis longe potentiorum, motus, hominem conuitiis proſciſſum, & male mulctatum tandem plane interfecit, perinde ac ſi, mandata Marchionis exponendo, magna ipſum ignominia adfeciſſet. Cum videret Petrus Toletanus nuncium non redire, præſagiens id, quod ipſi acciderat, conſtituit exponere militem, & ſitum inſulæ minus aſperum, & minus quam Tercera eſſet, munitum cernens, 2. die Auguſti, fere nemine impediente, omnes copias in terram expoſuit: cumque verſus oppidum iter faceret, obuios habuit 400. illos Gallos præſidiarios, & multos Luſitanos. Prælio autem leuiori conſerto, ſed paulo poſt feruore militum creſcẽte, Galli & Luſitani coacti fuerunt ſe recipere in paruam quandam arcem vicinam, in quam cõgeſſerant maiorem partem tormentorum, & globorum, ac pulueris tormentarii, vbi paulo poſt deditionem fecerunt iiſdem conditionibus, quibus reliqui in Tercera: & Soſa beluinæ crudelitatis pœnas dedit. Manibus enim truncatis, per brachium ſuſpenſus fuit. Sane admiranda fuit horum hominum confidentia, qua impulſi (nec eos vicinorum calamitates vel tantillum cautiores reddebant) immaniſſima facinora deſignabant, nec tamen poſtea vſq; ad extremum, vt par erat, ſe defendebant. Ceterum Luſitani imperiti pericula, cum adhuc remota ſunt, nihil faciunt: ſed præſentia deinde iuſto plus metuunt.

In hac Inſula nihil agendum ſupererat: itaq; ea direpta: & gubernatore creato Antonio Portugallo cum præſidio 200. militum Petrus Toletanus cũ triremibus, & copiis in Terceram rediit, quo etiam venerunt è ceteris Inſulis Sancti Georgii, Pici, & Gratioſæ legati ad iuramentum præſtandum. Marchio, rebus omnibus cum Gallis tranſactis, curauit inueſtigari Emanuelem Syluium, qui ſibi titulum ſumpſerat Comitis Turrium Veterum, gubernatoris, & Capitanei generalis Inſulæ. Ceterum ille profectus ad oppidum Altaria, intellexit eos, quibus curam aliquot nauicularum commiſerat, fidem cum fortuna mutantes, ſcopulis impactas confregiſſe: cumq; videret fugam ſibi omnino interclusam, nec beneficio pactorum, à Gallis interpoſitorum, ſaluti ſuæ conſuli potuiſſe, habitu vili indutus in montes ſeſe abdidit. Ceterum videtur fuiſſe in fatis, vt facinorũ ſuorum pœnas hoſtibus ſuis perſolueret. Nam à ſerua quadam Æthiope, quæ hac ratione vitam ſe redempturã ſperabat, proditus fuit latrunculatori: qui cum eũ ante oculos haberet, hominem tamen non norat. Captus itaq; & in ciuitatem perductus, vna cum nonnullis aliis rebellibus, cuſtoditus fuit, donec ab Auditore nomine Regis, & Marchionis tanq̃ Imperatoris, exercitus ſententia capitalis concepta, & tum contra ipſum, tũ contra alios vna cum criminũ enumeratione pronunciata, ac reipſa executioni mandata fuit. Primum aciẽ inſtruxerunt Germani in foro ciuitatis Angræ, cuſtodientes ora platearum, quæ eo ducũt: factoq; ibi igne omnis moneta, cui inſignia, & nomen Antonii impreſſa erant, combuſta fuit, quę quanq̃ ſatis magni ponderis eſſet, tamen nullius pretii erat, ꝙ maxima ex parte conflata eſſet ex metallo ignobiliori, minima tãtum argenti quantitate admixta. Poſtea caput amputatũ fuit Syluio

gladio, more Germanico: idq; cum ingenti omnium adſtantium dolore. Erat enim vultu amabili, & paulo ante mortem animo præſenti loquens culpam faſſus erat, & ſigillatim ignoſci ſibi petierat ab omnibus, quos aut præſentes, aut abſentes ſibi offendiſſe videbatur. Dicebat ſibi ſoli inſulæ calamitatem acceptam ferendam eſſe, & in ſe vnum merito omnes pœnas deriuari debuiſſe: id quod cum accederet ad pœnitentiam, qua vehementiſſima ſe duci præ ſe ferebat, animos etiam hoſtium magnopere adfecit. Et ſane vere dici poteſt in hunc optime quadrare dictum illud Dionyſii Tyranni: ad relinquendam tyrannidem non eſſe equum conſcendendum, ſed expectandum, donec aliquis mortuus è ſolio extrahatur. nam ille expectauit, donec capite plecteretur. Caput ipſius poſitum fuit in publico, & eodem loco, ex quo tum ſublatum fuit caput Melchioris Alfonſi, quem ille, tanquam Regi Philippo addictum, paulo ante interfici iuſſerat. Obſeruatum autem fuit, cum à cognatis Melchioris rogaretur, vt illius caput remouendum curaret, eum reſpondiſſe, tum remotum iri, cum ſuum ipſius ibi eſſet ponendum: innuens nunquam remotum iri. Ita interdum homines imprudentes ſua ipſorum infortunia prædicunt. Emanuel Saradas (quem diximus diripuiſſe Inſulas Capitis Viridis) & Amator Vieira, qui ſub nomine legati R. M. in exitium præcipitauerat eos, qui ipſi fidem habuerant, fuerunt & ipſi decapitati: multi in furcam acti, & multi, ac inprimis Galli, qui ante deditionem capti fuerant, in triremes damnati. Habebat Marchio in mandatis, vt quoad eius fieri poſſet, properaret, & cum claſſe Gades nauigaret. Erat enim rumor regem illas vires velle conuertere in Africam, redigere in poteſtatem Laraccen, & fortaſſe tentare etiam Algierium, præſertim, quia hæc expeditio potius in autumno, quam in reliquis anni partibus ſuſcipienda videbatur. Relicto itaq; inſulæ præſidio Ioanne Vrbinate, & bis mille Hiſpanis, cum claſſe & reliquis copiis ad portus Andaluziæ curſum direxit, interim dum & in Hiſpania, & in Luſitania lætitiæ, ex hac victoria perceptæ, magnitudo publicis ludis, & ſupplicationibus declaratur. Sed longe maior, quam iſta lætitia, erat mœror Antonianorum, quorum multi, cum ſperaſſent inſulam illam munitiſſimam occaſionem præbituram Antonio aliquando in regnum redeundi, ita iam attoniti & obſtupefacti hærebant, vt nullum ipſis fundamentum remaneret, cui vllas ſpes nouas ſuperſtruerent: quantumuis non deeſſent, qui exiſtimarent, Philippo ante Antonium moriente, facile Remp. Chriſtianam ita perturbari poſſe, vt omnia ex ſententia illi ſuccederent.

FINIS.

DVAR-

DVARDI NONII LEONIS IVRISCONSVLTI LVSITANI CENSVRÆ IN LIBELLVM DE REGVM PORTVGALIÆ ORIGINE, QVI FRATRIS IOSEPHI TEIXERÆ NOMINE CIRCVMFERTVR.

Item de vera Regum Portugaliæ Genealogia liber.

SERENISSIMO PRINCIPI ALBERTO ARCHIDVCI AVSTRIÆ S. R. E. CARDINALI, DVARDVS NONIVS LEO IVRISconſultus Luſitanus S. D.

CVM *vitæ meæ rationes ita inſtituerim, Princeps Sereniſſime, vt tam otii, quam negotii rationem mihi reddendam exiſtimarem, & negotii mihi rationem probe iam conſtare, tam apud Principes meos, quam apud Rempublicam arbitrarer, otii etiam, ſi quando daretur, rationem conſtare volui. Cum igitur peſtilentia morbo graſſante, ab hinc quinquennium mihi ſcxulandum ab vrbe eſſet, nec meorum librorum ſupellectilem mecum ferre licuiſſet, Portugaliæ Regum vitas, quas in eo exilio nactus ſum, perlegi. In quibus ego docti alicuius viri manum & cenſuram iamdiu deſiderabam, quod temporum ruditate, qua conſcriptæ ſunt, multa perperam, nonnulla non vere, alia dicta eſſent extra rem: qualia multa in omnium fere nationum annalibus reperiuntur: vt nullibi frequentius, & impunius peccatur, quam in hiſtoriis. Cœpi itaq; nonnulla notare, quæ temporum rationi, & Regni monimentis repugnabant: ſuperflua etiam obelis expungere: alia ſcitu digna, quæ occurrebant, addere. Cum vero ea numero creuiſſent, id quod ludens, & animi recreandi cauſa cœperam, ſerio mihi agendum, & ad vmblicum perducendum putaui, magnoq; & continuato labore, ita perfeci, vt doctis nonnullis digna ea noſtra viſa ſint, quæ lucem experirentur. Dum itaq; fœtum meum parturio, & iam de editione cogito, Clariſſimus vir Ioannes à Sylua Comes Portalegrenſis, cui animi mei propoſitum aperueram, arborem mihi oſtendit Ioſephi cuiuſdam Teixeræ Luſitani monachi, Lutetiæ Pariſiorum excuſam, Regum Portugaliæ ſtemmata continentem. In qua cum pleraq; reperiſſem cum ſcriptis meis è diametro pugnantia, ad quæ reſpondere videbar prouocari, ecce libellus ipſius Ioſephi nomine editus, Lutetiæ etiam excuſus, miris deliriorum portentis ſcatens, mihi offertur: & ita alter labor iniunctus, Augiæ ſcilicet bouile (quod dicitur) repurgandum. Anceps eram quid agerem. Hinc enim authoris obſcuritas, & imperitia me à reſpondendo retrahebat: ne reſponſione mea, dignus ille fieret, qui vinceretur. Alia ex parte, cum illa non tam cõtra ſcripta mea, quã contra patriam pugnarent, non ſiui, apud me plus valere exiſtimationis meæ, quam publicæ vtilitatis rationem: & cum tali concertatore in certamen deſcendere, non erubui: ſi emendare, & admonere errantem, certamen eſt, & non beneficium. Verebar enim, ne ille Gallos homines noſtrarum rerum ignaros, quos circumducere ſatagebat, in errorem traheret, & falſas inter illos ſereret opiniones. Cum enim nulla natio ſit, quæ proprios non habeat annales, ea forma, quæ omnibus vulgati ſint & noti, Luſitanorũ qui rerum geſtarum gloria, non cum præſentibus quibuſuis, ſed cum Græcorum & Romanorum laudatiſſimis illis certare poſſint, omnia fere geſta muta ſunt, & neſcio Principum incuria, an ſcriptorum penuria, in profundiſſimis puteis demerſa: atque in priuato paucorum vſu, quod publicum & notum omnibus fieri debuit. Quo maiora igitur ille habuit ad fallendum adminicula, eo magis mei officii putaui, nonnulla impugnare, & illius venenatæ arboris impoſturam detegere, antequam altiores radices ageret. Hanc igitur cenſuram, & veram Regum Portugaliæ genealogiam, nemo erat, cui potiori iure dicarem, quam tibi Princeps humaniſſime. Nam ſi in conſecrandis ingenii monimentis, authores eos ſemper quæſiuere patronos, qui nobilitate, authoritate, aut eruditione præſtarent, quo tuti à calumniatoribus eſſent, hæc in te ita ſimul conſpirant, vt quod cui antecellat, dubium ſit. Nobilitas enim tua, qua omnes tui gradus Principes excellis, non ob id ſolum ſumma eſt, quod Maximiliani Cæſaris, & Mariæ Auguſtæ filius ſis,*

Caroli etiam Quinti, & Fernandi Imperatorum nepos, & à tot Imperatoribus, & magnis Regibus prognatus, quoniam & hoc vt fortunæ bonum alii, qui tui diſsimilis eſſet, poterat contingere: ſed quod Imperio dignus videaris, & virtutum regnum teneas. Quarum ſi tantum non præbuiſſes ſpecimen in omnibus tuæ adoleſcentiæ actionibus, & ſenili iſta iuuentute, maximum argumentum tuorũ morum, iudicii, & prudentiæ eſſet, quod Philippus auunculus tuus, Regum omnium cordatiſsimus, florentiſsimo Luſitanorum Imperio, quod non per Europam modo, ſed per Africam, & Aſiam tam late extenditur, & cui tot Reges colla ſubmittũt, te vnum moderatorem elegit. Cuius iudicium, ne videretur amore labi, opportune confirmauit Gregorius XIII. Pontifex Max. vir ſapientiſsimus, qui te in purpuratorum patrum collegium cooptatum, florenti iſta ætate, legatum Sedis Apoſtolicæ in eodem Imperio conſtituit. Ex quo quanta tua ſit apud omnes authoritas, manifeſto apparet. Litterarum autem humanarum ſtudia philoſophiæ, theologiæ, & matheſeos, quanta cura & aſsiduitate, à puero fueris amplexus, multa tui ingenii ſpecimina teſtantur, & fauor, quo literatos homines proſequeris. Non ingratam igitur tibi fore putaui lucubratiunculam hanc, tum quod de Regibus progenitoribus tuis agat, tum quod nonnulla circa eorum originem à me referuntur, quæ diligentes alioqui in hiſtoria viros fefellerũt. Hoc vero alacrius confidimus, quod te hiſtoriarum lectione ſcimus detineri, qua nihil iucundius, nihil vtilius, & Principibus viris, qui Reipub. gubernaculis admoti ſunt, magis neceſſarium. Cum enim ita natura comparatum ſit, vt humani caſus, veluti in orbem, ſui ſimiles ſæpe recurrant, & ex præteritis præſentia, atq; etiam futura debeamus æſtimare, & præiudiciũ ad actiones noſtras inde facere, tantò huius Luſitanæ Reipub. res tractabis dexterius, quo maiorem notitiam eorum habueris, quæ Reges illi maiores tui, tam pace, quam bello egerunt. Vt enim periti medici non iiſdem remediis vbiq; vtuntur, ſed iis, quæ regionis mores, & natura expoſcunt, ita Reſpublicæ exemplis domeſticis, non aliunde petitis gubernari debent. Vale Principum decus, & me in tutelam tuam ſuſcipe.

DVARDVS NONIVS LEO

INGENVIS LECTORIBVS.

QVÆ RES mihi exoptanda erat, dum in hunc Ioſephi Teixeræ libellum Cenſuram paro, caſu ipſo oblata eſt. Cum enim mecum ipſe cogitarem, quam inter ſe pugnantia, & à Luſitanorum hiſtoriis aliena, à Luſitano hoc Ioſepho diuulgarentur, & cauſam mihi conſtare cuperem ipſum in hac vrbe, à ſui ordinis Præſule in vinculis aſſeruari, reſciuimus. Quo enim tẽpore Aluarus Bazanus Sanctæ Crucis Marchio, celebrem victoriam illam, de Philippo Strozo & Gallorũ claſſe, ad Inſulam S. Michaelis obtinuit, is inter alios Strozi milites captus, & in Portugaliam adductus eſt. Iuſſu tamen clementiſſimi Regis PHILIPPI (qua eſt pietate & religione) ſuis traditus illæſus: licet perduellionis reus eſſet conuictus. Auidus igitur hominem conueniendi, vt tantæ impudentiæ cauſas inquirerem, impetrata à Præſule ſuo venia, quod in publicum Regni ſtatum tam falſa ediidiſſet, rem omnem ab eo didici. Sacramento enim adactus affirmauit, coram eodem ſuo antiſtite, ſe vt prorſus ignarum ea non ſcripſiſſe ſolum, ſed multarum manuum illud fuiſſe opus. Arboris enim fabricæ culpam, ad fratrem Stephanum quẽdam Luſignanum, natione Cyprium, inſtituti Dominicani, transferebat, qui huiuſmodi arboribus ſtemmatum componendis Lutetiæ operam dabat. Alios etiam criminis ſocios nominabat, à quibus ſe ſubornatum dicebat, vt nomen ſuum libello inſereret. Quod vero theologiæ profeſſorem ſe dicit, qui theologiam ne à limine ſalutauit, concionatorem qui infantiſſimus ſit, choragos quoſdam Antonii ſtudioſos, eam illi perſonam induiſſe dicebat, quo fabulam veriſimilius agerent: & Gallis, apud quos ſuam cauſam probatam volebant, facilius imponerent. Credebant enim, de Luſitanorum rebus, melius exteris perſuaderi poſſe, ab homine natione Luſitano, profeſſione theologo, ordine ſacerdote & monacho, officio concionatore. Sed Deus bone quam ineptum fabulæ quæſiuere architectum! qui perſonam indutam ſuſtinere non potuit. Dum enim in militiam pergit, factus ſcilicet ex ſacerdote gladiator, omnem technã ad nos allatus prodidit: vt qui remeare in Galliam non ſperabat. Quo tamen ruptis compedibus, breui euolauit, ad nos iterum (vt ille motoriam ſemper agit fabulam) fortaſſe rediturus. Hæc vos de opere, & de authore ſcire volui tanquam fabulæ argumentum, vt inde æſtimetis, qua fide, qua verecundia, qua etiam vita (quod in authoribus ſolet requiri) author iſte noſter ſit. Vos tamen inſania illius fruimini: & lucubratiunculã hanc, in qua multa non vulgaria, ab aliis prætermiſſa, aut ignorata tradimus, Ioſephi huius impudentiæ & inſcitiæ debere fatemini. Valete.

DVARDI NONII LEONIS IVRISCONSVLTI CENSVRAE

IN FRATRIS IOSEPHI TEIXERÆ LIBELLVM DE REGVM PORTVGALIÆ ORIGINE.

VT NVLLA RES EST, tum ad Rempub. gubernandam, tum ad vitam recte inſtituendam vtilior, quam hiſtoriarum notitia, ita nulla nocentior eſt, quam ſi hæ corrumpantur, & falſæ pro veris, & genuinis poſteritati mandentur. Quemadmodum enim viæ error in diuerſa, quam expediat loca nos ducit, non ſecus ficti rerum humanarum caſus, & exitus, qui nobis obiiciuntur, ſenſum conturbant, & in prępoſteras nos traducunt opiniones. Vnde non minori ſupplicio mihi ſemper digni viſi ſunt, qui hiſtorias adulterant, quam qui numos falſo cudunt, aut fontem publicitus ſcatētem, vnde omnes hauriunt, letali veneno inficiunt. Nullos rurſus de Repub. magis benemereri exiſtimo, quam qui ex hiſtoriis ita errores ſuſtulerunt, ne alii per imperitiam laberentur. Quid enim aliud eſt, iuxta naturalis iuris præcepta, erranti viam monſtrare? Quid aliud cadenti manum porrigere? Hoc vero non in hiſtoriis modo, in quibus maius periculum erat, ſed in aliis diſciplinis optimos & graues viros feciſſe, legimus. Quorum factum non reprehenſione, ſed laude dignum habitum eſt. Cum igitur famoſus hic Ioſephi Teixeræ libellus ad nos perueniſſet, in quo non in patriam modo, contra quam arma ſumpſit, & armatos concitauit, ſed in ipſa numina etiam debacchatus eſſet, & meras calumnias, & mendacia pro hiſtoriis, & veris traditionibus effudiſſet, nemini potiori iure, quam mihi incumbere reſponſionem ſum arbitratus, qui ex diametro pugnantia literis mandaſſem. Nec enim me, qui ab omni ambitione alieniſſimus ſemper fuerim, ex animo Cenſoris officium aucupari voluiſſe, vt aliquid inde laudis reportarem, credere par eſt, cum in tam obſcurum & imperitum authorem ſcribendo, verendum mihi magis eſſet, ne exiſtimationis meæ (ſi qua eſt) facerem iacturam. Cum tamen in patriam falſæ illæ Ioſephi narrationes tenderent, non potui non commoueri, atq; etiam non excandeſcere. Humani enim animi cum nouitatis ſtudio, à naturali quadam propenſione teneantur, & interdum eius ſpecie illecti, non ſatis quod obiectum eſt attendentes, vana pro veris, pro ſolidis inania amplexentur, periculum erat, ne inter exteros homines noſtrarum rerum imperitos, nugatoris huius figmenta latius ſerperent. Mea etiam intereſſe arbitratus ſum, ne libris meis, quos de Regum Luſitanorum vitis propediem, Deo auſpice, in lucem editurus ſum, præiudicium fieret, præoccupatis his erroribus lectorum animis. Hos igitur commonefaciendos putaui, vt tanquam iudices æquos, & neutri parti fauentes, ad legendum, & iudicandum noſtra præpararem. Errata autem omnia, & ineptias huius authoris non ſumus proſecuti (longum enim id eſſet) ſed ea tantum, quæ hiſtoriç noſtræ rationibus aduerſari videbantur. Maledicta etiam & conuicia omiſimus, quod illa laqueo magis, quam calamo erāt vindicanda. Sed iam prçludentem illum audiamus. Egregium enim hoc opus in præludia diuiſit & tractatum, ne ſcilicet illotis manibus, rem tantam aggrederetur.

IN PRÆLVDIO.

ANNO Ducenteſimo Nonageſimo, ante aduentum Domini, Gallos Celtas, & Braccatos in Hiſpaniam eſſe profectos, hiſtoriarum monimentis proditum eſt, à quibus primum Interamnis prouincia occupata eſt, vbi conditis à ſe ciuitatibus, tum Portugaliæ (quippe quæ Gallis portus cuiuſdam, & perfugii inſtar erat) tum Braccara, ab ipſiſmet Gallis Braccatis, nomen impoſuere.

Censvra Prima.

HOc ſumpſit ex Ioanne Vaſæo, eo tantum mutato, quod quæ ille ſub dubio reliquit, hic impudenter affirmat, aſſuens aliquid ex Floriano Campenſi, more interpolatorum. Portugaliæ vero nomen nihil commune habere cum Gallis, certum eſt. A Portu enim & Cale dictum eſſe, eruditorum omnium eſt opinio. Erat quippe Cale oppidum antiquiſſimum ad Durii oſtium. Id cum eſſet in colle ſitum, qui flumini imminebat, nec piſcatoribus, quibus præcipue incolebatur, & iis, qui in mari verſabantur, facilem haberet ſeruitutem, planiori in loco, in ripa ſcilicet, quam illi Portum vocabant, cœpit habitari. Cum autem paulatim creuiſſet, & in ciuitatis dignitatem deueniſſet, Portus Calis, & inde Portucale, & Portugalia (affines enim ſunt præcipue apud nos c. & g.) cœpit appellari. Inde eius ciuitatis Epiſcopus, Portucalenſis in antiquis Conciliis nominabatur. Diffuſum eſt poſtea hoc ad Bracharos Galleciæ partem, qui Portucalenſes item dicti ſunt. Procedenti vero tempore, etiam vltra Diœceſim deriuatum in proximas ciuitates. Vnde dubii vitandi cauſa, Epiſcopus, qui antea Portucalenſis dicebatur, Portuenſis dici cœpit. Hoc teſtantur Eduardus Galbanus, qui Alfonſi I. Regis Portugaliæ vitam ſcripſit, & Andreas Reſendius Luſitanarum antiquitatum maximus indagator, in Epiſtola ad Bartholomęum Kebedium, Hieronymus Oſorius Epiſcopus Syluenſis, in vita Emmanuelis Regis, & Iacobus Menetius Vaſconcellus, tam omnium litterarum, quam iuris ſcientiſſimus, & in carmine cum veteribus illis comparandus: in commentariis de antiquitatibus Luſitaniæ. Cuius rei authorem habent Imperatorem Antoninum, qui Cale oppidum in ea collocat parte. Habent & concilia Toletana, in quibus de Epiſcopis Portucalenſibus fit mentio.

Interamnis *prouincia priuatim Portugalica ciuitati nomen ſibi iure communiori vendicans, vere vnica & antiqua propria Portugalia appellatione audiit, ab anno C C. X C. ante aduentum Domini ad eius natiuitatis annum M. C. X X X I X. Tunc enim Alfonſus Henricus Portugaliæ Dux, ab exercitu ſuo Rex Portugaliæ ſalutatus, Luſitaniæ vocem in Portugaliæ appellationem, aliequi impropriam, commutauit.*

Censvra II.

HOc etiam falſum eſt. Portucalenſis enim ciuitatis mentio, Romanorum tempore, à nemine facta eſt, & ipſa ratio nominis indicat, vigente iam barbarie cœpiſſe, hoc eſt, in vltimis Romanorum temporibus, aut primis Gothorum. Hoc confirmat Antonini Cæſaris mentio de Cale, non de Portucalia, cuius imperium cœpit anno à Chriſto nato c. xxxvii. non xl. aut xli. vt hiſtorici tradunt. Quod ex plurimis Ptolomæi ſeptem errantium ſyderum obſeruationibus, ſub tempore Adriani & Antonini, eruditiſſimus theologus, & mathematicus, Ioſephus Sobrinus Sereniſſimi Principis Alberti Cardinalis Legati cappellanus & ſignifer optime collegit. Quæ enim hiſtorici tradunt, ab illis Ptolomæi obſeruatis, diſcrepant. Et ab Antonini tempore vſq; ad Gothorum regnum, de Portucalia nullam mentionem fieri vidimus. Nihil vero credimus, antiquius de ea vrbe poſſe reperiri, quam quod regnante Flauio Ricaredo Gothorum Rege, legimus tertio concilio Toletano, quod maximo Epiſcoporum conuentu celebratum eſt anno D. LXXXIX. interfuiſſe Conſtantium Epiſcopum, Portucalenſem & Archiouitrum poſtea eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, qui Conſtantio videtur ſuffectus, durante concilio, quod in eo forte mortuus ſit. Et concilio quarto, quod Siſenandi Regis tempore Toleti coactum eſt, anno, ſecundum Ambroſii Moralis computationem D. C. XXXIIII. aut ſecundum Vaſæum, D. C. XXXIII. interfuit Anſiulfus Portucalenſis.

Censvra III.

IN eo etiam quod ait, ante annum M. C. XXXIX. quo Alfonſus Henricus Rex ſalutatus eſt, ſolum ciuitati Portucalenſi, & prouinciæ Interamni, Portugaliæ nomen competiiſſe, & non ei Luſitaniæ parti, quæ eſt vltra Durium, errat toto cælo, & ſibi ipſi repugnat. Contrarium enim affirmat inferius in Alfonſi I. elogio. A ciuitate enim in prouinciā Interamnenſem diffuſum eſt Portugaliæ nomen (vt dictum eſt) & ab Interamni, in ciuitates vltra Durium à Sarracenis recuperatas, hoc eſt, Conimbricam, Lamecam, Viſæum, quæ pars Luſitaniæ ſunt. Quicquid enim Reges Legionenſes vltra Durium, hoc eſt, in Luſitania à Sarracenis vindicabant, id Portugaliæ Interamni accreſcebat nomine, vt etiam dominio. Vnde Garſias,

ſias, qui Rex Gallecię à patre Fernando inſtitutus eſt, Portugaliæ item Rex dicebatur, propter eas Luſitaniæ ciuitates. Henrico etiam Alfonſi I. Regis patri, cui Alfonſus VI. Caſtellæ & Legionis filiam Taraſiam vxorem collocauit, Portugaliæ Comitatum nomine dotis dedit, cuius caput per ea tempora erat, non Portuenſis ciuitas, ſed Conimbrica, quæ Luſitaniæ prouinciæ eſt, vt hic vaniſſimus homo inferius fatetur, & apud nos notiſſimum eſt, tam ex Portugaliæ, & Caſtellæ annalibus, quam ex publicis monimentis. Quorum multa poſſemus afferre exempla, ſed vno tantum ex innumeris, quæ in Regio vidimus archiuo, ſatisfeciſſe videbimur.

Ego *Alphonſus diuina prouidentia Portugaliæ Princeps magni Imperatoris Alfonſi nepos, Comitis D. Henrici, & Reginæ Taraſiæ filius, nulla neceſſitate compulſus, ſed prompta ac beneuola voluntate, & diuino amore commotus, eccleſiæ Sanctæ Crucis, atq; fratribus ibidem commorantibus, facio cautum ad illam noſtrã Eremitam Sancti Romani, ſitam iuxta caſtrum Sena, &c. Era M. C. LXXVI.* Subſignatio autem ita erat. *Ego Alfonſus Portugaliæ Princeps.*

IN ELOGIO COMITIS HENRICI.

Evstachivs *Comes Bononiæ huius nominis II. Euſtachii I. filius vxorem duxit Idam, Godoffredi III. Gibberi Ducis Lotharingiæ filiam.*

Censvra IIII.

Qvæ præceſſerunt ſunt præludia, nunc quod felix, fauſtumque ſit, incipit tractatus. Et hîc etiam noſter ſtemmatographus in ipſo portu impegit. Ida enim non filia, ſed ſoror fuit Godoffredi Gibberi. Godoffredus quippe Barbatus cognomento, tam Godoffredi Gibberi, quam Idæ pater fuit. Gibber tamen quod liberos non haberet, Godoffredum Bullonium nepotem ex ſorore Ida adoptauit, eiq; Lotharingiæ ducatum, & Bullonii Dynaſtiam reliquit. Cuius rei authores ſunt Paul. Æmilius, Guillelmus Archiepiſcopus Tyri, Ioannes Nauclerus, & omnes Galli hiſtorici quot quot ſunt. Lotharingi autem ſcriptores, quibus de ſuis rebus maior fides videtur adhibenda, in hoc ab eis diſſentiunt, qui Godoffredo Bullonio ducatum non adoptione auunculi, ſed hæreditate matris obueniſſe contendunt. Idam enim fratri Gibbero ſucceſſiſſe dicunt, & Bullonium matri. Quorum ſententiæ adſtipulantur fragmenta hiſtoriæ Raimberti Epiſcopi Verdunenſis, de Vitis Ducum Lotharingiæ Verduni reperta, de quibus Franciſcus Roſierius in Stemmatibus Lotharingiæ, vbi hæc de Godoffredo Gibbero:

Vir *prudens, atq; fidelis, omnibus amabilis, cum florere inciperet, ſuorum dolo vita priuatur, nihil liberorum ex vxore ſua D. Mathildæ filia Domini Bonifacii Lucenſis Hetruſci Commarchi relinquens. Quo mortuo, Lotharingiæ luctus factus eſt magnus, à Cæſareq; multum reputatus eſt. Sepultus autem fuit in æde beatæ Mariæ iuxta portam, Anno Domini M. LXXVIII. Sui vero Ducatus in manus Idæ ſororis ſuæ, vxoris D. Euſtachii Comitis Bononienſis ſupra mare venerunt, quæ viro ſuo generoſam prolem genuit, quatuor videlicet mares, Euſtachium Comitem, Godoffredum inclytum, Balduinum, Guillelmum, ac duas fœmellas ſacras virgines, Idam atque Mathildem, vt ipſe multoties audiui à patre meo atq; prædeceſſore Richardo, qui multum charus erat Domino Godoffredo Bullonio.* Hæc Raimbertus. Ex quibus etiam patet, Idam ſororem, non filiam fuiſſe Godoffredi Gibberi.

Habvit *Godoffredum Comitem Bononiæ, & ratione matris, Lotharingiæ Ducem.*

Censvra V.

Hoc eſt falſum. Comitatus quippe Bononiæ ad Godoffredum non peruenit, nec ad Balduinum, qui ſuperſtite adhuc patre Euſtachio deceſſerunt. Euſtachio autẽ ſeniori Euſtachius filius ſucceſſit. Quod etiam ex præſagio conſtat matris Idæ, de quo Guillelmus Archiepiſcopus Tyri lib. 9. de bello ſacro, cap. 6. Bullonii autem fuit Comes, aut ſecundum alios Dux, ea ratione, qua & Lotharingiæ. Eſt autem Bullonium, oppidum Ducatus nunc Lucemburgenſis, olim vero caput comitatus, ſeu Ducatus, quod tempore expeditionis Syriacæ, Godoffredus Spetto Epiſcopo Leodienſi vendidit, ad belli ſacri ſumptus, maiori gloria, vt tunc dicebant, venditoris, quam emptoris. Vnde Epiſcopi Leodienſes Duces Bullonienſes appellantur hodie. Hoc tam notum eſt, vt teſtimoniis non indigeat.

Et *Balduinum Edeſſanum Comitem, & Godoffredi fratris in Ducatu, ac Regno Hieruſalem ſucceſſorem.*

Censvra VI.

DElirat hic Ioſephus. Mortuo namq; Godoffredo Bullonio Rege, Ducatus Lotharingiæ ad Imperatorem Henricum IIII. deuolutus eſt, incertum iure ne imperii an alio, & illum Henrico Lemburgenſi conceſſit, qui ipſius Henrici partes ſequebatur aduerſus filium Henricum, quem poſtea Henricus ipſe V. rerum potitus, Ducatu Lotharingiæ ſpoliauit, eumq; Godoffredo cognomento Barbato Comiti Louanienſi obtulit, vt tradit Iacobus Meyerus rerum Flandricarum ſcriptor diligentiſſimus. Ludouicus vero Guicciardinus in deſcriptione Germaniæ inferioris, non totum Ducatum ceſſiſſe Comiti Louanienſi, ſed Lotharingię partem inferiorem, Brabantiam ſcilicet: ſuperiorẽ autem Theodorico Godoffredi Bullonii nepoti, quæ nunc Lotharingiæ Dynaſtia eſt in dominio Vademontanorum. Hunc autem Theodoricum, dicunt illi, fuiſſe patrem Guillelmi Iainuilæ Baronis, cuius filium falſo aſſerunt, eſſe Henricum Comitem Portugaliæ.

HABVIT *& Guillelmum Baronem Iainuillæ, qui vicario fratrum Godoffredi, & Balduini iure, gubernaculo Lotharingiæ præfuit, Ducatumq; non Regni hæreditatem adiit.*

Censvra VII.

ET hoc falſum eſſe, ex ſuperiotibus conſtat. Oſtendimus enim, mortuo Rege Godoffredo, Imperatori Henrico acceſſiſſe Lotharingię Dynaſtiam, eiuſq; beneficio ad alios tranſiiſſe. Nec enim iure ad Guillelmum deferri poterat, quem præcedebat Euſtachius maior ætate, qui ſuperſtes fuit Balduino fratri. Eum enim maior procerum pars ad Hieroſolymitanum regnum vocabat, ſpreto Balduino Burgenſi, qui non legitime electus dicebatur. Quod ille, ſeditionum vitandarum cauſa, recuſauit, illud addens: nolle ſe in eo Regno belli occaſionem præbere, in quo Chriſtus mundi aſſertor pro pace humani generis ſanguinem proprium effuderat. Nec dicendum eſt, Euſtachium ſine liberis deceſſiſſe, qui Mathildem reliquit nuptam Stephano Comiti Bleſenſi, qui poſtea Rex fuit Anglię, ex quo Bononienſes Comites proceſſerunt, vt ſuo loco latius dicemus.

GVILLELMVS *vxorem duxit Gertrudem, Arnulphi Comitis Lucenſis filiam, ex qua illi editi ſunt liberi Theodoricus ſucceſſor, Henricus Comes de Lemburg, à quo Portugaliæ Reges originem ducunt.* Et paulo poſt. *Anno M. LXXXVIII. Henricus Comes de Lemburg in Portugaliam appulit maxima equitum Gallorum caterua ſtipatus, in quibus præ cæteris, imminebant Raymundus Burgundus, Guillelmi Burgundiæ Comitis filius, & Raymundus Comes Toloſæ & Sancti AEgidii, qui ipſius Comitis de Lemburg auunculus fuit.*

Censvra VIII.

ERrat hic multipliciter vt enim è centonibus, & multorum plumis, ſuam hanc egregiam rhapſodiam concinnauit, tam male cohærent inter ſe, quę narrat, quam varii ſunt authores ex quibus tranſcripſit. Id præſertim, quod ab Wolfgango Lazio ſumpſit, homine rerum Germanicarum neſcio quam perito, noſtrarum certe imperitiſſimo, vt qui aliena fide ſcripſit non ſua. Henricum igitur Comitem Portugaliæ non fuiſſe illum Lemburgenſem, quem illi volunt manifeſtiſſime liquet, ſubducta temporis ratione, quæ præcipuum hiſtoriæ fundamentum eſt. Per ea enim tempora, quibus Henricus noſter Portugaliæ Comes in Hiſpania degebat, filios procreabat, ſocero in liberanda Hiſpania à Sarracenorum tyrannide opem ferebat, & Comitatus ſui terminos dilatabat, Lemburgenſis ille Henricus Imperatoris Henrici IIII. propinquus, in Germania magnis bellorum fluctibus iactabatur. Vigebat enim per id tempus bellum ciuile, inter illum Henricum Cæſarem IIII. & Henricum filium, quo, Lemburgenſis ſenioris Henrici partes ſecutus, ſe implicuit. In cuius beneficii gratiam, Henricus eum Ducem Lotharingiæ in locum Godoffredi Regis Hieroſolymitani vita functi ſuffecit, Anno M. C. vt iam diximus. Quem poſtea Henricus V. Imperium adeptus, Anno M. C. VI. Ducatu priuat. Hunc eundem Henricum poſtea Anno M. C. LXXII. tradit Remaclus, creatum fuiſſe Comitem Lemburgenſem ab Imperatore Federico I. Hunc etiam tradunt multi, ſine liberis deceſſiſſe, quorum recentiſſimus eſt Pontus Euterius Delphius, in hiſtoria Burgundicarum rerum, in genealogia Brabantica. Et notiſſimum eſt, Henricum Comitem Portugaliæ liberos reliquiſſe, & patrem fuiſſe Alfonſi I. Regis. Præterea ex temporum ſupputatione, magis apparet illum fuiſſe coætaneum Alfonſi Regis, quam patris Henrici. Nam Portugaliæ Comes ab Anno M. LXXXIX. quo in Hiſpaniam appulit, ſemper in ea commoratus eſt, vt qui vxorem ibi duxit, & Dynaſtiam Portugaliæ habebat, & qui anno M. XCIIII. filium ſuſtulit Alfonſum præter alios: & anno M. C. XII. vita functus eſt, cum XXI. annis Comitatu potitus eſſet.

eſſet. Ex quibus plane conſtat, alium fuiſſe Henricum Comitem Portugaliæ, alium Henricum Comitem Lemburgenſem.

Huc accedunt certiſſimæ coniecturæ, quæ cum veritate nitantur, per ſe maxime congruunt. Si enim Guillelmus Iainuillæ Baro minimus erat natu, & ob id domi fuit relictus à fratribus ad expeditionem Syriacam proficiſcentibus, quorum Godoffredus anno MC. Balduinus vero MCXVIII. obierunt, quomodo Henricus filius Guillelmi potuit in Hiſpaniam venire anno M LXXXVIII. aut quomodo potuit eo tempore eſſe Comes Lotharingiæ, ſi tunc patruus eius viuebat Godoffredus? aut qui poterat Comes eſſe Lemburgenſis, ſi is Comitatus ab anno MCLXXII. incœpit: cum verum ſit Henricum Portugaliæ Comitem anno MCXII. deceſſiſſe? Deniq; quomodo ſe potuit partiri vnus Henricus inter Alfonſum Hiſpaniarum Regem, & Henricum Germaniæ Imperatorem, vt vno & eodem tempore militaret in Hiſpania, & in Germania, niſi forte Amphitryonis fabula renouata eſt? Alia probabilior coniectura eſt, quod nulli Principes eo tempore magis ambitioſi in titulis oſtentandis fuere, quam Reges Hiſpaniæ. Rex enim Alfonſus VI. Caſtellæ & Legionis, qui nec toti Hiſpaniæ dominabatur, ſed maiori eius parte potiebantur Reges Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, & Comites Barchinonenſes, Hiſpaniarum ſe vocabat Imperatorem. Alfonſus Item Henricus Rex Portugalię I. Princeps inuictus, & toto orbe celebris, propter incomparabilem fortitudinem animi, cuius nomen inſtar erat magnorum titulorum, non modo ſuos titulos, ſed patris & matris, & aui, & vxoris etiam accumulabat, hoc modo. EGO *Alfonſus Rex Portugaliæ, Comitis Henrici, & Reginæ Taraſiæ filius, magniq; Alfonſi Imperatoris nepos, vna cum vxore mea Domina Mafalda filia Comitis Amedi de Mauriana, &c.*

Et Alfonſus III. qui coniugis Mathildis cauſa fuerat Comes Bononiæ, tam repudiata, quam mortua vxore, quo tempore Bononia extraneis hæredibus Mathildis ceſſerat, Regem Portugaliæ & Comitem Bononiæ, vſq; ad vitæ vltimum diem inſcribi ſe voluit, vt ex omnibus eius conſtat diplomatibus. Veriſimile igitur erat, ſi Henricus Lemburgi fuiſſet Comes, aut Lotharingię, vt alii volunt, id titulis ſuis additurum, ea pręſertim ratione quod Portugaliæ Comitatus erat dotalis. Titulo autem huiuſmodi vtebatur, vt vidimus in legibus, quas forales noſtri vocant, ab ipſo Henrico latis oppido Saatano, anno MCXI. *Ego Dominus Henricus vna cum conſenſu coniugis meæ Taraſiæ, magni Regis Toletani Imperatoris filiæ.* Et in foralibus Saurii oppidi anno eodem IN DEI *nomine. Placuit mihi Comiti Henrico, & vxori meæ Regis Domini Alfonſi filiæ Taraſiæ, &c.* Fuit igitur (ne indeciſa hæc relinquatur quæſtio) Henricus natione Burgundus, Guillelmi Comitis Burgundiæ nepos ex fratre, Raymundi vero Comitis Galleciæ, & Caliſti II. Pontificis Maximi, patruelis, vt latius in ipſius Henrici vita oſtendemus. Nos enim hîc Cenſoris officio, non hiſtorici fungi volumus.

CENSVRA IX.

QVOD ait Henricum in Hiſpaniam veniſſe ſtipatum caterua equitum Gallorum, è quibus erat Raymundus Burgundiæ Comitis filius, & Raymundus Comes Toloſanus, ſunt mera nugamenta. Etſi enim ſanguinis nobilitate, ii omnes æquales eſſent, Toloſanus eis dignitate, & potentia præſtabat, vt qui Narbonenſis totius fere prouinciæ Dominus erat. Quare venientitibus ſimul, magis ipſe Dux, quam Comes & aſſecla erat futurus.

CENSVRA X.

QVOD etiam ait, Comitem Toloſanum auunculum fuiſſe Henrici, ridicule profecto ſcurratur. Mendacem enim oportebat eſſe memorem. Nam paulo ſuperius dixerat, Henricum filium fuiſſe Guillelmi, & Gertrudis Comitis Lucenſis filiæ. Quare neceſſe erat, Comitem Toloſanum ſi auunculus Henrici erat, filium eſſe etiam Lucenſis Comitis, & fratrem Gertrudis. Certum tamen eſt (vt conſtat ex hiſtoricis Gallis, & ex Zurita noſtro) illum recta linea deſcendiſſe ex Comitibus Toloſæ & Prouinciæ: quorum primus fuit Terſinus, cui ſucceſſit Iſauredus, Iſauredo Bertrandus, Bertrando Guillelmus, Guillelmo Raymundus Sancti Ægydii, Raymundo Guillelmus Taglia fertus, Guillelmo Pontius, Pontio Aymericus, Aymerico Raymundus hic iunior, de quo agimus. Ex quo poteſt ſumi coniectura, quam veræ ſint cæteræ huius noſtri hiſtorici narrationes.

HENRICVS *Comes de Lemburg, propter res egregias ſumma cum vita integritate, domi, militiæq; geſtas, ab Alfonſo VI. Caſtellæ Rege primus Portugaliæ Comitatu inſignitus eſt. Quam prouinciam pater eius Fernandus, cum titulo Regio, filio ſuo Garſiæ, ſimul cum Gallecia in vita dederat.*

CENSVRA XI.

QVod hîc ait, ſuperius negauit, vt qui ex libris authorum inter ſe diuerſa ſentientium, ſine iudicio hęc corraſit. Dixerat enim Portugaliæ nomen, non niſi ab eo tempore, quo Alfonſus I. Rex ſalutatus eſt, in Luſitaniam fuiſſe extenſum. In quo hallucinatus eſt.

IN ALPHONSI I. ELOGIO.

ALPHONSVS *I. Henrici filius Comitatu Portugaliæ ſucceſsionis iure gauiſus eſt, Ducisq; appellationem per XXVII. annos obtinuit.*

CENSVRA XII.

ERrat & hîc, & habet authores erroris. Alfonſus enim, quandiu mater vixit, ad quam Comitatus Portugaliæ, vt dotalis pertinebat, Infans appellatus eſt, vt etiam viuente patre. Mortua autem matre, Princeps Portugaliæ dicebatur, vſque ad Orichienſe prælium, quo Regem eum ſalutarunt anno MCXXXIX. Quod ex tenore multorum diplomatum conſtat, quorum copiam mihi fecit, cum multis aliis antiquitatis theſauris, Antonius Caſtilius, à conſiliis Catholicæ Maieſtatis, & Regiorum ſcriniorum Præfectus, vir limatiſſimi iudicii, & qui ad Iuriſprudentiam, omnium litterarum peritiam coniunxit. Ex quibus referam vnum Henrici temporis, alterum Taraſiæ, tertium ipſius Alfonſi.

In forali igitur lege oppidi Conſtantini Panoiarum, ea erat inſcriptio.

Ego Comes D. Henricus vna pariter cum vxore mea Infante Domina Taraſia, &c.

Et ſubſcriptio hoc modo.

Ego Comes D. Henricus & vxor mea Infans Domina Taraſia manu noſtra roborauimus. Era MCXXXIIII.

Ego Infans Alfonſus filius Henrici Comitis & Infantis D. Taraſiæ authorizo & confirmo & roboro iſtam chartam quam fecit pater meus & mater mea regnante Domino Alphonſo Legione.

IN conceſſione iuris Cauti (vt vulgo dicunt) oppidi Alpendoradæ, quod Taraſia Regina Alfonſi mater inſtituit anno MCLXI. ita erat ſubſcriptum.

Ego Regina Taraſia Domini Regis Alfonſi filia, concedo tibi Sarracino Vanegas, &c. Supradicta Regina Domina Taraſia, quæ hanc chartam firmitudinis propriis manibus roboraui, &c.

Ego Alfonſus Infans mandaui, & conceſsi ſupradicta fieri ſicut ſurſum reſonant, pro amore Chriſti & Eccleſiæ libertate, & pro Sarracino Vanegas, qui me multis verbis rogauit, & hanc chartam propriis manibus roboraui.

IN ea vero donatione, quam ſupra retulimus in Cenſura III. de Eremita Sancti Romani, oſtendimus anno MCLXXVI. quo tempore mater è viuis iam conceſſerat, ita ſubſcripſiſſe. *Ego Alfonſus Portugaliæ Princeps.*

ALFONSO *nupſit Mafalda Manrique de Lara, filia Henrici Comitis de Lara, & Principis de Molina magna apud Caſtellanos notæ.*

CENSVRA XIII.

NVgatur hic noſter author cum aliis geographiæ & hiſtoriarum imperitis, quos ſecutus eſt, qui cum legiſſent apud Rodericum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum, Regem Alfonſum, duxiſſe in vxorem filiam Comitis Morienæ, nec ſcirent, vbi gentium is eſſet Comitatus, crediderunt eſſe Molinam oppidum prouinciæ Tarraconenſis. Fuit autem Mafalda Allobrox filia Amedei II. Comitis Maurianæ, Principis per ea tempora celebratiſſimi. Is enim eſt, qui beneficio Henrici V. Imperatoris fuit Arelatenſium Prorex, Princeps & Vicarius ſacri Imperii per Italiam, annexis Comitatui Sabaudiæ (quem veluti gentilitium voluit eius titulis deinceps præferri) ditione Maurianenſi, Taratiaſienſi, Belgienſi, Auguſtæ, Clabaſii, Sedunenſi, & Tranſalpina Secutia. De quo nos multa diximus in vita Alfonſi. Hic Amedeus ex vxore Guigone ſecundum Paradinum, aut ſecundum Philibertum Pingonium, Mahalda filia Comitis Albonenſis ſuſtulit Humbertum huius nominis III. Sabaudiæ Comitem. Ioannem valetudinarium, qui in cœnobio Diui Antonii vixit & obiit. Petrum qui monaſticam vitam egit. Adelaim nuptam Andreæ Comiti Angleriæ Principi Mediolanenſi, Othonis Cæſaris filio. Alaſiam, quæ nupſit Humberto Belliioci Principi. Mafaldam, quam duxit hic Alfonſus I. Portugaliæ Rex, cui ſanguinis neceſſitudine coniuncta erat, vt in ipſius Alfonſi vita oſtendimus.

SVSCE-

SVSCEPTA eſt illi Mafalda Raymundi Berengarii Barchinonæ Comitis coniunx.

CENSVRA XIIII.

VT hic ſine delectu omnia tranſcribit cum ſuis mendis, narrat nobis hanc fabulam ſumptam ex vulgari Alfonſi hiſtoria, quæ circumfertur. Alfonſus quippe Rex filiam non habuit Mafaldam. Natæ ſunt enim ei ex vxore ſolum Vrraca, quæ nupſit Fernando Legionenſi Regi, & Taraſia, quæ Philippo Flandrenſi Comiti. Et ex concubina altera Vrraca. Hoc conſtat ex diplomatibus, & monimentis Regis Alfonſi, quorum magnum numerum vidimus in Regio chartophylacio. In quibus omnibus, more illorum temporum, quo Regum filii legitimi confirmabant parentum donationes, & ſubſcribebant, ſolum fit mentio Vrracæ & Taraſiæ, quæ cum Sanctio fratre ſubſignabant. Rodericus etiam Toletanus Archiepiſcopus maximæ authoritatis & diligentiæ ſcriptor, qui ea fere tempora attigit, agens de liberis Regis Alfonſi, Vrracam & Taraſiam tantum nominat. Nec ſi Mafaldam etiam haberet, locare eam poterat Raymundo Berengario Comiti Barchinonenſi. Anno enim Domini M. C. XXXVII. vltimus Raymundorum, & Comitum Barchinonenſium, vxorem duxerat Petronillam Ranimiri monachi Regis Aragoniæ filiam hæredem, cuius matrimonii cauſa, Comitatus Barchinonēſis acceſſit Aragoniæ ſceptro, nec ſeparatus eſt in poſterum ad hanc vſq; diem. Alfonſus autem Rex vxorem duxit anno M. C. XLVI. Vnde apparet, impoſſibile fuiſſe illud matrimonium. Quo tempore etenim Mafalda potuit naſci, Raymundus erat iam ſenio confectus, & vxorem habebat Petronillam, quæ ſuperſtes fuit marito, & Regnum filio renunciauit, anno M. C. LXIII. vt ex Aragoniæ annalibus patet.

ANNO *M. C. LXIX. Alexander IIII. Summus Pontifex, in eccleſia Lateranenſi, ei, ſucceſſoribusq; ſuis, coronam ratam, firmamq; induxit.*

CENSVRA XV.

HIc etiam ineptit. Alexander enim III. Regnum Portugaliæ confirmauit Alfonſo anno M. C. LXIX. Ipſas enim literas archetypas vidimus in Regiis ſcriniis. Alexander autem IIII. ad Pontificatum aſcendit anno M. CC. LIIII. quo tempore in Portugalia Alfonſus III. regnabat. Et ita à confirmatione Alexandri III. ad Pontificatum Alexandri IIII. interſunt LXXXV. anni, quos hic noſter bonus author deuorauit. Tanti momenti in hiſtoria eſt temporum ratio, ad veritatem indagandam.

IN SANCTII I. ELOGIO.

QVÆ *illi peperit Fernandum, qui ratione Ioannæ vxoris, Flandriæ Comitatum accepit. Hic bellum aduerſus Philippum Auguſtum Galliæ Regem gerens, bello captus, Pariſiis in arce Lupara, vitam cum morte commutauit.*

CENSVRA XVI.

HIc etiam errat. Fernandus enim Portugaliæ Infans, & Flandriæ Comes, in bello illo ſociali, quod cum Othone IIII. Imperatore, Ioanne Rege Angliæ, Regnaldo Dampmartino, & aliis geſſit aduerſus Philippum Auguſtum Francorum Regem, captus ab eo in prælio illo apud Gallos celebri ad Bouinas, & perductus Lutetiam Pariſiorum, in arce Lupara aſſeruatus eſt, vſq; ad Philippi exceſſum: A Ludouico etiam VIII. quod conditiones quibus eum liberabat, vt nec ſibi nec Flandris vtiles, nec honeſtas non accepit, liberationem non impetrauit. Vnde in captiuitate vitam traxiſſe XII. annos, & in vinculis obiiſſe, nonnulli authores tradunt. Alii redemptum tandem multo auro, & bello poſtea perduelliō interiiſſe. Sed vtriq; falluntur. Mortuo namq; Ludouico VIII. Blanca Regina eius vxor à filio Ludouico IX. qui in Diuorum numerum relatus eſt, eius exorauit libertatem. Erat quippe Fernandus ſanguine Blancæ propinquus, & Alfonſi Regis Portugaliæ frater, cui Vrraca Blancæ ſoror nupta erat. Libertati autem reſtitutus anno M. CC. XXVII. vt Nicolaus Gilæus, & Meyerus tradunt, multa domi foriſque præclare geſſit. Sexennio deinde tranſacto, calculi cruciatu moritur Nouiomi: vbi corpore in cœnobium Marcetii delato, viſcera mandata ſepulturæ, hoc inſculpto Diſticho, quod Meyerus ſcriptum reliquit.

Fernandi proauos Hiſpania, Flandria corpus,
Cor cum viſceribus continet iſte locus.

ET *Petrum, cuius ditionis filia Armengol ratio Comitatum de Vrgel adiecit. Poſt modum à Iacobo I. Aragoniæ Rege, inſularum Maioricæ, & Minoricæ Regnum illi delatum eſt.*

CENSVRA XVII.

DElirat hîc. Vt enim in vita Sanctii Regis latius oſtendimus, Iacobus I. quem Aragonenſes vocant Iaimium, Petro Infanti Portugaliæ, tum ratione propinquitatis, vt qui erat patris ſui Petri conſobrinus, tum in compenſationem hæreditatis, quam cauſa Reginę Dulcræ matris ſuæ, ſibi deberi dicebat, Maioricæ Regnum contulit. Id tamen, quia tueri à Sarracenorum iniuriis non poſſet, Regi Iacobo poſtea reſtituit, acceptis ab eo ciuitate Segorbienſi, Morella, & nonnullis aliis. Ab anno autem MCCXIII. quo Iacobus regnare cœpit ad Ioannem I. Aragoniæ Regem CLXXIV. interſunt anni. Cœpit namque anno MCCLXXXVII. quo iam Petrus deceſſerat.

Martinus Sanchez de Portugal, cui ducta in vxorem eſt Eulalia Perez Comitis Petri Fernandi Lancaſtro filia.

CENSVRA XVIII.

ERrat etiam in hoc noſter hiſtoriographus. Ad ea enim vſque tempora non venerat in Hiſpaniam cognomentum Lancaſtrorum. Petrus autem ille Fernandus à Caſtro dictus eſt, & cognomento Caſtellanus, è familia nobiliſſima à Caſtro. Fuit quippe filius Fernandi Roderici à Caſtro, & Stephaniæ Caſtellæ Infantis, filiæ Regis Alfonſi VIII. de quo nos multa alibi. Hic ex Ximena Gometia filia Comitis Gometii ſuſtulit Aluarum Perezium à Caſtro, & hanc Martini Sanctii vxorem: quæ non Eulalia, ſed Ello dicta fuit, vt ex antiquis monimentis conuentus Calatrauæ legiſſe ſe dicit Franciſcus Rades in lib. de Militia Calatrauenſi, in vita Martini III. eius ordinis Magiſtri.

Rodericus Sanchez de Portugal, qui in infantia vitam finiuit.

CENSVRA XIX.

HVnc ex annalibus noſtris, & ex Petro Comite Barcellenſi in ſuis genealogiarum commentariis conſtat, non Infantem, ſed iam virum factum periiſſe, in prælio ad Portuenſem ciuitatem commiſſo.

Huius Sanctii ætate, ordo Sancti Iacobi, & Ciſtercienſis de Auis exordium cepit.

CENSVRA XX.

IN hoc maxime errat. Ordinem enim Ciſtercienſem à Rege Alfonſo Henrico huius Sanctii patre, ex annalibus & antiquis monumentis tam Regiorum ſcriniorum, quam Auiſienſis Conuentus, cœpiſſe conſtat. Cuius ſedem Eboræ collocauit, & Magiſtrum primum creauit Fernandum Monterium, cui Maforam, & alia oppida à Sarracenis vindicata conceſſit. Tempore vero Alfonſi III. ad Caſtrum Auiſienſe ſedes Magiſtralis (vti illi vocant) tranſlata eſt, vnde Militiæ nomen impoſitum fuit.

Innocentio III. Summo Pontifici centum auri libras munere miſit.

CENSVRA XXI.

NOn hanc tam exiguam ſummam, ſi perſonas dantis & accipientis reſpicias, munere miſit viuens. Sed cum teſtamento omnibus ſui Regni cathedralibus eccleſiis ampla legata reliquiſſet, Innocentio III. tanquam Principis omnium Eccleſiæ Præſuli, centum auri marchas etiam legauit, & ab eo voluntatem ſuam ſupremam ratam eſſe petiit, vt ex ipſius conſtat teſtamento.

IN ALFONSI II. ELOGIO.

Sorores tres Reginæ Vrracæ fuere, prima Blanca Ludouici VII. Galliæ Regis coniunx, quæ Sancti Ludouici mater fuit.

CENSVRA XXII.

ERrat in hiſtoria. Ludouicus enim hic Octauus fuit, pater ſcilicet Ludouici IX. qui in Sanctorum catalogum adſcriptus eſt. Condonare autē debent Galli Ioſepho huic, homini ſcilicet in Portugalia nato & enutrito, de Gallorum Regum ſerie imperitiam, qui de Regibus Portugaliæ tanta mendaciorum portenta nobis inculcat.

Natus eſt Alfonſo II. filius illegitimus Martinus Alfonſus.

CENSVRA XXIII.

DEcipiuntur, qui huius Alfonſi Martinum Alfonſum filium fuiſſe dicunt. Cōſtat enim ex antiquis monumentis, filium fuiſſe Alfonſi Comitis Bononienſis, quem ex Sarra-

cenſci generis muliere ſuſtulit, & proinde huius Alfonſi II. nepotem. Ad quem Souſæ cognomento Chichorri genus ſuum referunt.

Cvm *Alfonſus IX. Caſtellæ Rex, ipſiusq; ſocer, arma in Guianam moturus eſſet, ab eo manum auxiliarem efflagitauit, quam non modo non porrexit, ſed vt ab incœpto deſiſteret admonuit. Id reſponſum ægerrime ferens Alfonſus, in eas mœroris anguſtias pertractus eſt, quæ mortis ei anſam præbuere.* Additio ad hæc ita habet.

Amicitia & fides Regum Portugaliæ erga Reges Galliæ.

Censvra XXIV.

Ridicule profecto hic à Rege Gallorum beneuolentiam captat, & vt hiſtoriarum ignarus gloſſam (vt aiunt) ponit contra textum. Per id enim tempus Aquitania ſeu Guiena non ſub Regibus Francorum, ſed ſub Regibus Anglorum erat. Hanc etenim olim Reges Francorũ Northmaniæ Ducibus tradidere, qui cum Regnũ Angliæ occupaſſent, vtrumq; confuſum eſt. Poſt varias vero contentiones, Caroli VII. auſpiciis, Aquitania tandem ad Francos rediit. Veriſimilius tamen eſt, quod ex annalibus noſtris conſtat, hunc Regẽ Alfonſum Caſtellæ in mœrorem incidiſſe, quod Alfonſus hic Portugaliæ ætate minor, affinitate gener, & ſanguine coniunctus Placentiam, vrbem iam Portugaliæ propinquam, noluerit ad colloquiũ cum eo ire, ſed ſocerum ad Regni limites vocauerit, forte quod ei nollet in re aliqua parere, & ſimultates inter eos eſſent. Sic etiam in celeberrimo illo prælio ad Nauas Toloſæ aduerſus Marrochiorum Imperatorem, ſocerum præſentia ſua non iuuit, cui Reges Aragoniæ, Nauarræ, & multi Principes ex Italia, Germania, & Gallia, religionis ergo interfuere. Luſitanos autem plurimos interfuiſſe memoriæ proditum eſt.

Qui Conuentum Sanctarenenſem antiquitate ſecundum in toto ordine, & in Hiſpania primum, exædificauit.

Censvra XXV.

Cvm monachus ſit egregius hic ſcriptor, & in conuentibus & monaſteriis tot annos egerit, neſcit quid interſit inter monaſterium & conuentum. Monaſteria igitur quia ex lapidibus & corporibus conſtant, ædificari poſſunt. Monaſterium enim locus eſt, in quo vita agitur ſolitaria. Conuentus non locum, ſed perſonas reſpicit, & ex hominib. conſtat. Et nihil aliud eſt, quam homines, qui in vnum locum conueniunt, quemadmodum conſeſſus, homines in vnum locum conſidentes, aut ſecundum Feſtum multitudo ex pluribus generibus hominum contracta in vnum locum. Cice. in Verrem: Cur prudentiſſimas, lectiſſimasq; fœminas in tantum virorum conuentum inſolitas, inuitasq; prodire cogis? Sic & Virgil. lib. 6. Æneid.

Dixerat Anchiſes, natumq; vnaq; Sibyllam
Conuentus trahit in medios, turbamq; ſonantem,
Et tumulum capit, vnde omnes longo ordine poſſit,
Aduerſos legere, & venientum diſcere vultus.

Conuentus igitur, qui ex hominibus conſtat, ædificari non poterat.

IN ELOGIO SANCTII. II.

Animam efflauit Sanctius, nullis ſuperſtitibus liberis, Regno abdicatus.

Censvra XXVI.

Ob nimium Theologiæ ſtudium, videtur Ioſephus noſter Canoniſtarum dogmata neglexiſſe: propterea igitur nobis narrat hãc hiſtoriam perperam, & (vt noſtrates dicunt) contra textum expreſſum Innocentii in cap. Grandi, de ſupplẽ. negl. Prælat. lib. 6. qui Vicarium regni dedit Sanctio fratrem Alfonſum Bononiæ Comitem: cuius hæc ſunt verba: *Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipſius legitimo filio, ſi quem habuerit, prædictum Regnum adimere, ſed potius ſibi & eidem Regno deſtructioni expoſito, ac vobis ipſis in vita ipſius Regis, per ſolitudinem & prouidentiam Comitis conſulere ſupradicti, &c.*

Si ergo Summus Pontifex Sanctio Regnum non ſtatuebat adimere, nec filio eius, ſi habuiſſet, ſed ei conſulebat, vicarium dando, quomodo cum Regno abdicauit?

IN ALFONSI. III. ELOGIO.

Alfonsvs *III. Bononiæ Comes, ex coniugali ratione Mathildis, ex qua ſuſcepti ſunt illi filii Fernandus, & ſecundum alios Petrus, qui quidem in pueritia in Oliſiponenſi ciuitate obiit,*

atque in Conuentu S. Dominici ordinis Prædicatorum ſepultus eſt. Robertus etiam, qui cum Mathilde matre apud Gallos manſit, & in Comitatu ſucceſſit.

CENSVRA XXVII.

QVOD hic patriæ hoſtis, Alfonſo filios tribuit ex Mathilde Bononienſi, & Roberti ſurculum ex alia reſectum arbore, in hanc Portugaliæ inſerit, ſupplicio dignus erat, quod hiſtorias adulterat, & iura familiarum confundit, non vt Antonii ſui cauſæ faueret, cui id mendacium nihil proderat, ſed vt aliorum gratiam iniret, à quibus ſe ſubornatum mihi coram ſui cœnobii Præfecto, cum in vinculis eſſet, narrauit. Ego vero cum de hac confutanda fabula, in vita Alfonſi latiſſime egerim, ſtatueram lectores eo ablegare. Sed quia ſermone patrio ſcribimus, vt decet vitas Regum, & annales Regni ſcribi, veritus ne apud exteros, qui Luſitanicam linguam non callent, huius rei veritas lateret, diffuſius quam pro noſtri inſtituti breuitate, genus, matrimonia, & ſucceſſores Mathildis vere ex vetuſtis Portugaliæ monimentis, & probatiſſimis Gallorum, & Flandrorum ſcriptoribus, in gratiam hiſtoriæ ſtudioſorum explicabimus.

ET ne ab ouo (quod dicitur) Bononienſium ſtemmata repetamus, quæ ad rem nihil faciunt, ab Euſtachio illo Seniori duorum Regum Hieroſolymitanorum parente incipiemus. Ex Rhodolpho igitur Comite Bononiæ, & Roſella Comitis Sancti Pauli filia, nati ſunt Godoffredus Epiſcopus Pariſienſis, & is Euſtachius Senior Bononiæ Comes. Euſtachius vero ex vxore Ida filia Godoffredi Barbati Ducis Lotharingiæ & Moſellanæ, Arduenæ Bulloniique Comitis habuit Godoffredum Bullonium, & Balduinum Reges Hieruſalem, Euſtachium Iuniorem Comitem Bononiæ, & Guillelmum Baronem Ianuillæ. Euſtachius vero Iunior ex filia quadam Regis Scottiæ vnicam ſuſtulit Mathildem, quæ Stephano Comiti Bleſenſi nupſit, ei ſcilicet, qui Rex poſtea fuit Angliæ. Ex his nati ſunt Guillelmus, & Euſtachius III. qui cum ſine liberis deceſſiſſent, ſucceſſit eis Maria eorum ſoror. Quam cum eſſet Abbatiſſa monaſterii Rumeſſienſis, Henricus II. Angliæ Rex inde extractam, Matthæo Elſatio filio Theodorici Flandriæ Comitis locauit. Ex eo inceſtuoſo matrimonio naſcuntur Ida Comitiſſa Bononiæ, quæ Reginaldo Dampmartini Comiti, & Mathildis quæ Comiti Louanienſi nupſere. Ex Reginaldo & Ida natę ſunt Mathildis hęc Comitiſſa Bononię, de qua agimus, quam nonnulli Mariam per errorem vocabant, & Alis, quę Comiti cuidam Claramontis & Aruernię locata eſt, ex quibus natus eſt Robertus, qui in Comitatu Bononienſi & Aruernię ſucceſſit: & quem falſo iſti tribuunt Alfonſo & Mathildi. Mathildis enim Comitiſſa Philippo cognomento Criſpo, Philippi Auguſti Gallorum Regis filio nupſit anno M. CC. XVI. Ex Philippo & Mathilde naſcitur vnica filia Ioanna, quę cũ Gualtero Caſtellionio nupſiſſet, obiit ſine liberis, viuẽte adhuc matre. Mortuo vero Philippo Criſpo anno M. CC. XXXIIII. iuxta Meyerum, Mathildis ſine liberis relicta ſecundo nupſit Alfonſo Infanti Portugaliæ, filio Alfonſi Regis II. intuitu, vt videtur, materteræ Blancæ Gallorum Reginæ, quæ Ludouici VIII. fuit vxor, mater vero Sancti Regis Ludouici. Hic vero cum in Portugaliam veniſſet, & ad Regium culmen eſſet euectus fratris morte, & iam non priuatam Comitis, ſed publicam Regis perſonam ſuſtineret, pertæſus coniugii cum Mathilde, quæ iam annoſa erat, vt in vita ipſius Alfonſi oſtendimus, nec ei liberos pepererat, affinitatem cum Rege finitimo, & potentiſſimo Alfonſo X. contraxit, & Beatricem eius filiam illegitimam nondum nubilem duxit: id non modo ſibi, ſed & ſuis vtile autumans, ad Regni firmitatem & belli cauſas euitandas, quod inter prouincias æmulas timeri poterat. Nouitas enim Regni præter Regis Legionenſis conſenſum inſtituti, cui Portugalia iure clientelę olim tenebatur, ſemper aliquid noui afferre poterat. Verebatur etiam Luſitanos ægre laturos, in Regnum hæredibus vacuum, à Rege adhuc iuuene adduci Reginam anum, & exteram. Accedebat, quod ſibi Regi facto, nihil iam commodi videbat ex Comitatu Bononienſi acceſſurum, vt qui Mathildis morte, non ad ſuos, ſed ad alienos deferendus erat: & ſocer in Algarbio oppida ei dotis nomine dabat, quibus Portugalię fines proferebat. Quocirca ius illud violauit, quod regnandi cauſa, ſępe & à multis violatum eſt.

Queſta igitur Mathildis de Alfonſi iniuria apud Summum Pontificem, vxor legitima declaratur, & Beatrix concubina. Quam cum Alfonſus dimittere nollet, nec Mathildem admittere, Alexander IIII. tam ipſum Regem Alfonſum, quam Portugalię Regnum ſacris interdixit, eoq; ſtatu manſere ad annum M. CC. LXII. quo Mathildis vita functa eſt. Huic cum ſine liberis decederet, quod Ioanna filia vnica, nulla item prole relicta, ante matrem obiiſſet, ſucceſſit Robertus eius nepos ex ſorore Alide, quę Claromontis & Aruernię Comiti nupſerat.

Quod

Quod vero Alfonſus ex Mathilde non ſulerit liberos, teſtamentum eius docet anno MCCXLI. cõditum, quod in Regio chartophylacio Oliſipone aſſeruatur. In eo enim, poſt ampliſſimum legatum Alfonſo marito relictum, in ipſo ſcripturæ contextu inſeruntur Gualteri Caſtellionei & Ioannæ eius vxoris conſenſus, & ſubſignationes in hunc modum. *Gualterus de Caſtellione Et ego Ioanna eius vxor, quorũ ſigilla inferius ſunt appenſa, ſupradicta approbamus, volumus, & concedimus & promiſimus, & promittimus Comiti Boloniæ ſupradicto, quod contra prædicta, vel aliquod prædictorum, nullo vnquam tempore veniemus, &c. Ego etiam Gualterus dictæ vxori meæ authoritatem præſtiti, & aſſenſum faciendi omnia ſupra dicta, & ſigilla noſtra præſenti paginæ apponi fecimus, &c.*

Et in fine teſtamẽti iterũ iiſdem fere verbis cõfirmãt. Vnde apparet Ioannã vnicã fuiſſe Mathildis hæredem. Aliter enim quorſum cõfirmaret? Aut quare illa & non Robertus, ſi is filius etiam eſſet? Item ſi Gualterus hæres erat ex perſona ſua, quid opus erat conſenſu vxoris ad pecuniam legatam ſoluendam? Manifeſte itaque liquet, Gualterum ex perſona Ioannæ cepiſſe non ex ſua. Ioannam etiam Alfonſi filiam non fuiſſe, conſtat ex verbis ſupradictis. Cuius quidem rei non minimum argumentum eſt teſtamentum Mathildis in Portugaliam miſſum. Cum enim in eo tam opimum legatum Alfonſo eſſet relictum & tam ipſe quam Mathildis vererentur, ne Ioanna priuigna in odium vitrici teſtamentum cælaret, vt eo onere ſe liberaret, in tutiſſimo loco ſeruari voluerunt. Quod profecto non feciſſet, ſi Alfonſus liberos Boloniæ ſucceſſores futuros habuiſſet. Aliud efficaciſſimum argumentum eſt, quod nullos Mathildis in eo teſtamento liberis ſuis tutores dedit, quod præter Ioannã eamque iam nuptã Gualtero, nullus ei filius erat. Nec ipſum maritũ Alfonſum, quem clariſſimũ habebat ſuæ vltimæ voluntatis executorẽ inſtituit. Sciebat enim poſt mortẽ ſuã ſtatim Bolonia, & è Gallia diſceſſurũ, quod liberos nõ haberet, & externus eſſet, nihilq; ei ibi reliquum eſſet, quo cum decore Regis filius immorari deberet.

ET vt veritas (iuxta Euripidem) per ſe congruit, huic Mathildis teſtamẽto concinit ſupplex libellus, cuius exemplar extat in antiquiſſimo libro eius Regii chartophylacii, quo Alfonſi res continentur. Eo enim Archiepiſcopus Bracharenſis cum omnibus Portugaliæ Epiſcopis, mortua Mathilde, ab Vrbano Papa IIII. petebant, Regnum Portugaliæ ſacrorum interdictione, & Regem Alfonſum & Beatricem legibus ſolueret, legitimosque eos eſſe coniuges, & legitimam ſuſceptã prolem ad Regni ſucceſſionem declararet. Cuius verba in vita Alfonſi tranſcribimus. Ex quo colligitur, nullos liberos Alfonſum ex Mathilde ſuſcepiſſe. Nam nec Summus Pontifex iura naturæ immutaturus erat, vt filii ex priori matrimonio legitime ſuſcepti deterioris eſſent conditionis, quam adulterini. Nec Epiſcoporum tam inuerecunda poſtulatio erat futura, vt turbato naturæ ordine, in legitimorum & natu maiorum præiudicium, nulla de eis facta mentione, adulterio conceptos, & minores, ad Regni ſucceſſionem poſtularent fieri legitimos.

HIS omnibus accedunt vrgentiſſimæ cõiecturæ, quæ omnem probationẽ excedũt. Si enim pro coniugii titulo Mathildis queſta eſt, & ſententia Summi Pontificis iuſta Alfonſi vxor iudicata, & eius filii iuſtis quæſiti nuptiis, cur Robertus quem primogenitum dicunt, ob tantæ dignitatis ſpolium queſtus non eſt? aut cur interdictione ſacrorum Regnum non conſtrictum eſt pro ſucceſſione filii, vt fuit pro matrimonio matris? Scimus autem nullam de Regno fuiſſe diſceptationem, aut querelam.

Præterea tam de nihilo erat Regni vnius ſucceſſio, vt ſilentio ius ſuum Robertus obſcuraret, & teſtatione ſaltem non notum faceret omnibus, ad ſe Regnũ Portugaliæ pertinere? Vſitatiſſimum enim eſt apud omnes Principes, qui Regni, aut Dynaſtiæ alicuius ſibi ius competere arbitrantur, ea ſuis titulis inſcribere, ne præſcripta videantur. Sic Reges Angliæ Galliarum, Reges Siciliæ Hieruſalem, Duces Allobrogum Cypri titulos vſurpare videmus. Et (ſi diis etiam placet) earum ſe Dynaſtas vrbium multi dicunt, quæ iam non extant, nec locus ſcitur vbi fuerint. Quare & ſi Robertus à Regni petitione excluſus foret, nomen tamen inane ſaltem retinere debuiſſet.

Cum etiam homines tam auidi ſint honoris, vt multi per mendacia in alienas ſe inſerant familias, quorum nos multos nouimus, cur qui legitime à Rege prognatus erat, & primogenitus, ſe non Regis filium appellauit? Cur Luſitanorum Regum nobiliſſima illa inſignia Robertus non clypeis, non periſtromatis geſtauit, aut qui ex eo prognati ſunt? Nemo enim iuxta Doctorum ſententias, & praxim totius orbis, potiori iure ea deferre potuit, quã qui filius erat Regis primogenitus. Quod ſi ratione Comitatus Bononienſis, alia geſtare teneretur, cur ſaltem mixta non detulit? Nec enim quia poſſeſſionem dignitatis non habebat, nomine etiam ſpoliandus erat.

Quod ſi nugatores iſti, quod è Portugaliæ ſcriniis hæc proferimus documenta, eorum

ſidem eleuare velint, cum publica ſint inſtrumenta, quæ cuiuis intueri licet, Gallorum hęc comprobemus teſtimoniis. Et omiſſis quæ alii Gallici historiographi de hac re tradunt, & Iacobus Meyerus Flandricarum rerum ſcriptor magnæ authoritatis, Ioannes Neſtor homo Gallus, vir doctus & diligentiſſimus, qui hæc ex profeſſo tractauit, atque perſcrutatus eſt, & ad Chriſtianiſſimam Reginam Catharinam de Medicis librum inſcripſit de ipſius genealogia, qui Pariſiis excuſus eſt anno M.D.LXIIII. per Carolum Perierium, affirmat Alfonſum nullam ſuſcepiſſe prolem ex Mathilde: & Ioannam, quam vnicam peperit, ex Philippo priori marito fuiſſe ſuſceptam: eamq; ante matrem ſine liberis deceſſiſſe. Mathildi autem in Comitatu Bononienſi ſucceſſiſſe Robertum eius nepotem ex ſorore Alide, filium Comitis Claromontis & Aruerniæ. Cuius verba ne nos peruertiſſe, aut male vertiſſe dicant, prius Gallice efferemus. Sunt autem huiuſmodi:

LA Comteſſe Mahault ou Marie femme de Philippe de France fils du Roi Philippe Auguſte, fu Dame fort virtueuſe, elle fonda trois chapelles en la egliſe noſtre Dame de Bolongne, & vne a l'hoſpital de la dicte ville. Quelques vns tiennent, que elle deceda ſans enfans, & que ſon nepueu Robert Comte d'Auuergne lui ſucceda au Comté de Bolongne, qui eſt coſe veritable. Mais ce n'eſt à dire qu'elle n'euſt eu quelques enfans, auant que mourir. Car la chronique de Flandres atteſte, que de Philippe & d'elle ſortit vne fille nõmée Ieanne, qui mourut auant ſa mere, comme auſi lon peult conoiſtre par quelques letres de l'an MCCL. es quelles ces mots on eſté eſcrits par la dicte Mahault. IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. *E par aultres lettres de l'an. MCCLVI. ou ces mots ſont inſeréz:* IOANNÆ QVONDAM FILIÆ MEÆ. *Aucuns ont voulu dire, que d'elle & de Philippe ſortit vn enfant maſle nommé Robert, qui fut Comte de Bolongne, apres ſa mere, & qu'il eſpouſa Ioland fille de Iean d'Aueſne Comte de Henault, de la quelle toutes fois n'eut aucuns enfans, ains mourut ſans hoirs. Ainſi eſcheut le Comté de Bolongne, à ſon couſin Robert Comte d'Auuergne. Mais la plus commune opinion eſt, que Philippe & Mahault n'eurent, que leur fille Ieanne, par la mort de la quelle, & puis apres de ſa mere le Comte d'Auuergne, entra en poſſeſſion du Comte de Bolongne. Le Comte Philippe deceda l'an. MCCXXXIIII. & ſa femme Mahault ſe remaria l'an. MCCXXXV. à Alfons ou Aufroy fils du Roi de Portugal, du quel elle n'eut aucuns enfans.*

Id eſt,

Comitiſſa Mathildis aut Maria, vxor Philippi Franci filii Regis Philippi Auguſti, fuit heroina multis virtutib. prædita. Ipſa enim fundauit in eccleſia virginis matris Bononiæ tria ſacella, & vnum in hoſpitali eiuſdem ciuitatis. Nonnulli credunt, eam ſine liberis deceſſiſſe, & Robertum eius nepotem ex ſorore illi ſucceſſiſſe in Comitatu Bononiæ. Quod quidem verum eſt. Non tamen eſt dicendum, illam nullum in vita habuiſſe filium. Annales enim Flandriæ teſtantur, ex Philippo & Mathilde filiam vnicam natam fuiſſe nomine Ioannam, quæ ante matrem mortua eſt, vt etiam colligi poteſt ex nonnullis ſcripturis anni MCCL. in quibus Mathildis, hæc verba ponit. IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. *Et alia ſcriptura anni MCCLVI. in qua hæc verba ſunt inſerta.* IOANNÆ QVONDAM FILIÆ MEÆ. *Aliqui aiunt illam peperiſſe ex Philippo maſculum nomine Robertum, qui fuit Comes Bononiæ poſt matrem, & vxorem duxit Iolandam filiam Ioannis de Aueſna Comitis Hannoniæ, ex qua tamen dicunt non ſuſtuliſſe liberos, ſed ſine hæredibus obiiſſe. Et ita Comitatum Bononiæ ad Robertum Comitem Aruerniæ conſanguineum ſuum perueniſſe.* Receptior tamen *opinio eſt, ex Philippo & Mathilde, nullum alium filium præter Ioannam fuiſſe prognatum. Morte autem ipſius Ioannæ, & poſtea Mathildis, Comitem Aruerniæ in dominium Comitatus Bononienſis veniſſe. Comes Philippus deceſſit anno MCCXXXIIII. Mathildis vero eius vxor anno MCCXXXV. ſecundo nupſit Alphonſo, ſeu Aufredo, filio* Regis *Portugaliæ, ex quo nullum peperit filium.*

Superuacuum igitur videbatur, de Petro aut Fernando Mathildis filio Oliſipone ſepulto in Sancti Dominici æde diſceptare, cum manifeſte demonſtrauerim, eam ex Alfonſo nullos concepiſſe filios. Sed ne quid ſit, quod ad hanc rem attinet, in quo huius Teixeræ nugis non reſpondeamus, quis ille fuerit oſtẽdemus. Qui igitur eo loco ſepultus eſt, Alfonſus fuit ipſius Regis Alfonſi & Reginæ Beatricis filius ſecũdogenitus, Dionyſii vero frater germanus, cum quo magnas exercuit inimicitias, Portalegrii, Arrontii, Caſtelli Vitei, Maruani, & multorum caſtrorum Dominus: qui vxorem habuit Violantidem filiam Infantis Emmanuelis, Fernandi III. Caſtellæ Regis filii. Sepultura in quam à principio illatus eſt (vidimus enim ſæpe illam, & illius titulum legimus) ex candido marmore erat, ea magnitudine, qua magnis viris dignitate & ætate ædificari ſolent. Cuius tumuli tanta erat area, vt in parte anteriori venatorem equo inſidentem cum canibus & apris inter arbores haberet inſculptos, quia fortaſſe Princeps ille venationi deditus eſſet, aut quod venatio nobilium ſit inſigne, & exercitium. In operculo ſepulchri inciſæ erant litteræ figura Gothica, quales fere ſunt omnes illius temporis, quibus continebatur, ſepultum eſſe ibi Alfonſum Infantem Portugaliæ, filium Alfonſi illius templi fundatoris, & Reginæ

Beatri-

Beatricis. Cuius epitaphii multi hodie ſunt memores, & mentionem etiam facit in vita Regis Dionyſii Fernandus Lupus Regius hiſtoriographus, & Regiorum ſcriniorum Præfectus, vir exactiſſimæ diligentiæ, & magnæ authoritatis, qui Ioannis I. Regis Portugaliç, & Eduardi vixit temporibus.

Annos vero ab hinc x x. cum eius cœnobii præſul aliqua in templo ædificaret, quæ ſepulturæ illius mole impediebantur, vt expeditiorem redderet aream, eam diruit, & cadauer in lapideam capſulam parieti templi affixam transferri iuſſit. Cum vero ab hinc quadriennium, cum Regis Alfonſi vitam literis mandarem, qua forma Princeps ille inuentus eſſet, inueſtigarem, R. P. Magiſter F. Bartholomæus Ferreira Theologiæ Profeſſor, cui ob vitæ integritatem & ſummam litterarum omnium eruditionem Quæſitoris fidei officium, & librorum examen commiſſum eſt, ab ipſo architecto, qui monumentum diruit, & cadauer tranſtulit, ſchedulam ſubſignatam mihi dedit, qua narrabat, proceri illud fuiſſe hominis & craſſi, ætate, vt videbatur, prouecti, capite & pedibus fere conſumptis, reliquum corpus integrum inuentum, & panno bombycino aurei coloris inuolutum. Quod vero in minorem loculum erat inferendum, tentantibus per oſſium iuncturas cultro ſecare, irritus fuit labor, quaſi marmor enim lapideſcebat. Vnde curuatura & per vim neceſſe fuit inferre, non ſine iniuria illius Regii corporis. Subiit autem mihi eius rei commiſeratio, quod neglectum tanti Principis cadauer ſine titulo, ſine nomine iaceret, atq; etiam indignatio, quod literis illius epitaphii mendaciſſimas iſtorum nugas poteramus confutare. Non erat igitur puer, nec Petrus, aut Fernandus, nec Mathildis filius, vt falſo iſte ait: ſed Infans Alfonſus, qui extrema ſenectute moriens, filios reliquit ætate grandes, Alfonſum ſcilicet Dominum Leiriæ, & alios, de quibus latius in Alfonſi vita.

Quæ quidem omnia licet non tam aperte conſtarent, quis tam ſtupidi ingenii eſt, qui credat mulierem nobiliſſimam, amplæ ditionis Dominam, filiolum tenerç (vt iſti fingunt) ætatis, vnius Regni hæredem, in Portugalia, terra non aliena modo, ſed iam infeſta, relicturam apud patrem inclementem, apud nouercam neceſſario iniuſtam, quod iure eius filiis ille erat præferendus, vt legitimus, vt ætate maior, nec inſidias timuiſſe, cum matres tuta etiam pro filiis timere ſoleant? Quis præterea tam à communi ſenſu alienus, qui eo veſaniæ exiſtimet deueniſſe Regem Alfonſum, vt certos liberos pro incertis, nec dum natis, & nobiliſſimam & opulentiſſimam vxorem, ſui præterea amantiſſimam, & cum qua ſine querela vixerat, vt ex ipſius conſtat teſtamento, ſuorum deniq; liberorum matrem repudiaſſe, & ſe ampliſſimo Comitatu abdicaſſe, cuius titulo ſemper gloriatus eſt? Ad mortem enim vſq;, quo tempore iam Mathildis apud ſuperos erat, & Comitatus ad alienos tranſierat, Rex Portugaliæ, & Bononiæ Comes appellari voluit. Ex quo apparet, non Mathildem reliquiſſe, quod illius pœniteret, aut tæderet, ſed quod ei liberos per ætatem parere non poterat, nec Regni hæredem haberet. Et magis feciſſe quod filios, quos non ſuſceperat optaret, quam quod iam ſuſceptos odiſſet.

Quod ſi Mathildis pertæſus eſſet, & aliam voluiſſet ſuperinducere, quid innocentes liberi commeruerant, vt à patre etiam repudiarẽtur? Amor enim vxoris poterat alio amore vinci, & in odium verti: at non filiorum, qui natura inſitus eſt. Quis enim (vt Diui Pauli verbis vtar) carnem ſuam odio habet? Ius namque naturale, cuius peritia bruta etiam cenſentur, liberos procreare, procreatos diligere, & tueri docet. Quare non præſumendum eſt, Alfonſum Regis filium, & in ſuſceptam prolem indulgentiſſimum (vt de eo traditur) liberos cum vxore repudiaſſe, & naturalem affectum etiam cum brutis communem exuiſſe.

IN DIONYSII ELOGIO.

CVIVS *ex partu Dionyſio exoritur Sibylla, Ducis de Lancaſtro coniunx.*

CENSVRA XXVIII.

HVNC errorem, quem ſub dubio reliquit Roſierius Gallus ſcriptor, hic noſter conſtanter affirmat, & impudenter ſuo more, vt qui alieni operis mauult eſſe corruptor, quam tranſcriptor. Dionyſius enim Sibyllam non habuit filiam, nec aliam legitime natam, præter Conſtantiam Caſtellæ Reginam, vt ex annalibus Regni, & monimentis antiquis conſtat.

SVSCEPIT *illegitimum Petrum, cui nupſit Blanca Petri Ioannis Domini de Portalegre filia.*

CENSVRA XXIX.

ERrat & in hoc. Petrus enim Ioannes Dominus erat Portelli: non Portalegrii. Portellum namq; oppidum eſt Ducatus Brachantiæ, Eborenſis diœceſeos: Portalegrium autem ciuitas nobilis & Epiſcopalis, caput Comitatus, cui nunc præeſt Ioannes à Sylua Regis maximus Oeconomus.

INSTITVIT *Dionyſius ſuo tempore religiones militum ſcilicet, Sancti Iacobi, & militum Ciſterciensium de Auis.*

CENSVRA XXX.

INfeliciſſima memoria eſt iſte author præditus, ſeu mauis perditus, qui toties ſibi contradicit. Supra enim in elogio Sanctii Senioris, ipſius tempore, hos ordines militarium inſtitutos dicit, hîc autem tempore Dionyſii, & vtrobiq; errat. Ordo enim Ciſtercienſis militiæ, quæ poſtea in Auiſium translata eſt, ab Alfonſo I. Rege cœpit. Sancti vero Iacobi militia inſtituta eſt à Sanctio II. A Dionyſio itaq; hi ordines non inſtituti, ſed eius opera, ordo Diui Iacobi exemptus à iuriſdictione Magiſtri Valenſis: Ciſtercienſis vero, id eſt, Auiſienſis, à Magiſtro Calatrauenſi Regni Caſtellæ.

ELISABETH *Dionyſii coniunx conuentum Sanctæ Claræ in ciuitate Conimbricenſi extruxit, cuius ingreſſum ſibi, cum Domina Iſabella de Corduba eius conſanguinea imponere granata non eſt.*

CENSVRA XXXI.

REGINA Diua Iſabella Dionyſii coniunx monaſterio ſe non authorauit. Extra cœnobium enim ſibi viſa eſt, tam familiam alendo, in qua plurimæ erant virgines & viduæ nobiles, moribus & vita ſelectiſſimæ, quam alia pietatis opera exercendo, maiorem apud Deum gratiam inire. Ea enim erat eius vitæ inſtitutio, & mundani faſtus contemptus, vt magis in cælo quam in terris conuerſari videretur, & ibi eſſe monaſterium arctiſſimæ religionis, vbi ipſa commoraretur. Vt vero cum virginibus ſacris aſſidue eſſet, iuxta Diuę Claræ celebre illud Conimbricenſe monaſterium ædes ſibi conſtruxit, & ibi hoſpitale ſimul. Inde ad monachas frequẽter ibat, & ex iis aliquot domi ſemper habebat, cum quibus preces recitabat. Deniq; extra monaſterii clauſtra habitabat: & Eſtremotii obiit anno M. CC. XXXVI. dum in Caſtellam iret, pacis conciliandæ gratia, inter filium Alfonſum IIII. Portugaliæ Regem, & nepotem Alfonſum XI. Caſtellæ non animis ſolum ſed armis diſſidentes. Iſabella autem, quæ prima Abbatiſſa eius parthenonis fuit, non a Corduba, ſed à Cardona dicta eſt. Erat enim neptis ex ſorore illegitima ipſius Reginæ, quæ Raymundo à Cardona Aragonenſi primæ nobilitatis viro nupſerat. Quid autem Aragoniæ Domui commune cum Corduba.

IN ALPHONSI IIII. ELOGIO.

ALFONSVS *IIII. cognomento Brauo Dionyſii filius, matrimonii vinculo, Conſtantiæ Fernandi IIII. Regis & Conſtantiæ, Dionyſii patris ſororis filiæ, copulatus eſt.*

CENSVRA XXXII.

LIppis & tonſoribus apud nos notum eſt, Alfonſum hunc IIII. Portugaliæ Regem vxorem duxiſſe Beatricem, filiam Regis Sanctii Caſtellæ, cognomento Ferocis, & Reginę Mariæ, ſororem illius Fernandi, cuius hic dicit fuiſſe filiam, vt ex annalibus & ipſorum ſepulturis, quæ in ſummo ciuitatis Oliſiponenſis templo ſunt, legenti ſtatim conſtabit. Noſter autem hic hiſtoricus, vt eſt diligens veritatis indagator, omiſſis fontibus Portugaliæ & Caſtellæ, vnde hoc haurire debuerat, Wolfgangum Lazium hominem exterum, de Luſitanorum rebus Luſitanus conſuluit, de cuius lacunis hanc veritatem hauſit.

EX *qua orti ſunt Alfonſus & Ioannes, quos in ipſo vitæ lumine cunis mors abripuit, Petrus ſucceſſor, Maria Alfonſi XI. Caſtellæ Regis coniunx, & Leonora Petri II. Aragoniæ Regis vxor.*

CENSVRA XXXIII.

DElirat etiam hic. Petrus enim II. Aragonenſium Rex præceſſit hanc Leonoram Alfonſi IIII. Portugaliæ Regis filiam centum annis & eo amplius. Petrus autem III. eius Leonoræ proauus fuit. Petro igitur IIII. nupſit, qui Crudelis vocatus eſt.

ANNO *M. CCC. XL. Rex Benamarin, Rex Granatæ, & Rex Marrochiorum, cum duobus aliis Regibus, ciuitatem Tariſam in Regno Caſtellæ obſidione cinxerunt.*

CENSV-

CENSVRA XXXIIII.

SOmniat hic noſter ſtemmatographus, dum vnum hominem in duos partitur. Ait enim alium eſſe Regem Abenamarin, alium vero Marrochiorum, cum vnus & idem fuerit Haliboacen Rex Marrochiorum, & Rex Abenmarin, vt ex annalibus conſtat, tam Caſtellæ, quam Portugaliæ. Sarracenorum enim, qui in Africa ſunt dominati, duæ fuere factiones, ſeu familiæ, altera Almohadum, altera Marinorum, quæ vſque ad ortum Serifiorum noſtri temporis viguit. Hinc ea pars Africæ, qua Marini ſunt potiti, Regnum Abenamarin vocatur. Huius familię erat Sala ille Aben Sala, à quo Ioannes I. Portugaliæ Rex Septam vindicauit. Huius etiam erant Feſſenſes Reges, quos hac tempeſtate Seriphii expulerunt, & Mulei Buaſſon Belidis Rex, quem nos Ioannis III. tempore Oliſipone vidimus, ab eo ſuppetias petentem, ad vindicandam à Seriphiis Feſſenſe Regnum. Vt igitur Rex Caſtellæ, & Rex Portugaliæ vnus PHILIPPVS eſt, ita Rex Marrochiorum, & Rex Abenamarin, vnus erat Hali Boacen.

CVIVS *obſidionis ſoluendæ gratia, Alfonſus XI. tunc temporis in Eborenſem ciuitatem, ad auxiliarem Alfonſi ſoceri ſui ſinum confugit.*

CENSVRA XXXV.

HOc etiam falſum eſt. Alfonſus quippe Caſtellæ Rex, vt ſciebat infenſum ſibi eſſe ſocerum Alfonſum, non ipſe Eboram venit, ſed vxorem Mariam Eboram ad patrem miſit, quæ illius animum placaret, & ab eo auxilium peteret. Alfonſus vero gener in Iuriſmœnia Portugaliæ oppidum in Regnorum confinio, ab Ebora longe diſtans, venit ad ſoceros, iiſque ſalutatis, in Caſtellam reuertitur.

QVI *primo quidem nullam implorationi locum reliquit, poſt modum vero Mariæ filiæ precibus cedere compulſus, in oppido Geromena ſuppetiales copias præſtitit.*

CENSVRA XXXVI.

HOc etiam eſt falſum, & contra hiſtoriæ fidem, Regiarumq; perſonarum decus. Marrochiorum enim Imperator Hali Boacen, communis omnium Hiſpaniæ Regum hoſtis, collectis ex tota Africa, & ab ipſis Ægypti confinibus, innumerabilibus copiis, quibus Hiſpaniarum imperium ſperabat recuperatum iri, per fretum Herculeum exercitũ traiiciens, Tariſam obſedit. Quare Alfonſus, audita filiæ & generi poſtulatione, procerum conſilium non admittens, qui illi iter diſſuadebant, nulla interpoſita mora, in Caſtellam magnis itineribus cum filia contendit, auxiliareſque copiæ illum ſecutæ ſunt, quibus famigeratiſſimo prælio illi interfuit, quo Regem Granatæ vicit atq; fugauit. Aliter enim inciuile fuiſſet, & contra Regiæ maieſtatis decus, venienti ad ſua tecta Regi potentiſſimo, genero, & nepoti ex ſorore, vicino, adde & Chriſtiano, pro defenſione Hiſpaniæ, à fidei hoſtibus opem poſcenti, difficilem ſe præbuiſſe. Petenti itaq; auxilium pro re tam pia, non auxilium modo, ſed & caput ſuum vltro obtulit.

CONSCRIPTO *itaq; in Portugalia numeroſo exercitu, ad Tariſam ſe contulit.*

CENSVRA XXXVII.

HIc etiam falſo narrat. Rex namq; cum familiaribus ſuis tantum, Caſtellam petiuit, nullo collecto milite: illud ſuis memorans: Luſitanorum peculiare eſſe, ſequi ſuum Regem, quo quo tendat: ideo non dubitare, quin officium ſolitum erga ſe præſtituri eſſent. Nec fruſtratus ſua ſpe eſt. Secuti enim ſunt eum plures ſua ſponte, quam quos præſens ipſe colligere ſtipendiis poſſet.

ET *quinq; Sarracenorum Reges prælio laceſſit, eoſq; Stygias detruſit ad vndas.*

CENSVRA XXXVIII.

IN hoc etiam nugatur iſte noſter hiſtoricus. Hali Boacen enim Marrochiorum Rex & Aben Hamet Iuſeph Rex Granatæ duos formarunt exercitus: diuerſiq; locis caſtrametati ſunt. Chriſtiani autem Reges ita conuenere, vt Rex Caſtellæ cum Rege Marrochiorum, Portugaliæ vero cum Rege Granatæ confligerent. Parta autem victoria à Chriſtianis, & ingenti ædita ſtrage, Reges Sarracenorum incolumes manſere. Paucis enim interfectis menſibus, ad longiſſimam illam, & memorabilem Aliezirę obſidionem cum immemorabili exercitu redire, ex qua tandem victi iterum diſceſſere, expugnata vrbe ab Alfonſo Caſtellæ Rege. Non eos Reges igitur Portugaliæ Rex Alfonſus Stygias detruſit ad vndas, vt noſter hic ſemipoeta canit.

TANTA *hic hoſtium ſtrages eſt edita, vt quadringentis quinquaginta Sarracenorum millibus gladio transfixis, vix tantæ cladis nuncius ſuperfuerit.*

CENSVRA XXXIX.

NObiliſſimum etiam hoc mendacium eſt. Ex annalibus Caſtellanorum vnde Portugaliæ hiſtoriographus accepit, non conſtat de numero. Aiunt namq; ſecundum vulgi famam ducenta Sarracenorum millia fuiſſe deſiderata, Genuenſem vero narraſſe, numerum eorum, qui fretum traiecerunt, fuiſſe quadringenta millia, hoc eſt tam mortuorum, quam captiuorum vtriuſq; ſexus & ætatis: quod veriſimile non eſt. Certum vero eſt, eo animo plærosq; ex Sarracenis veniſſe cum vxoribus, & liberis. & tota familia, vt Hiſpaniam incolerent. Credebant enim, eam recuperandam, & omnes extinctum iri Chriſtianos. Vnde ſi fœminas, pueros, ſenes, captiuos, & eos, qui ad ſuos rediere incolumes, excipias, etiã ſi Genuenſis vera narraret, non poterant transadigi gladiis, quadringenta millia Sarracenorum. Verum tamen eſt, in tanta multitudine promiſcua hominum, ſexus omnis, & ætatis, qui ex variis prouinciis, & diuerſis itineribus ad mare deſcenderunt, non potuiſſe illos in numeros referri, nec eorum certum numerum ſciri: vt ex lapide marmoreo conſtat, quem Eborenſes eo tempore, parieti ſummi templi, in memoriam eius victoriæ patrio ſermone affixerunt, quod centum equites, & mille pedites ſui in ea pugna ſtrenue dimicaſſent. Verba autem hîc inſerere libuit, tum quod omnis mihi de patria commemoratio iucundiſſima eſt, tum quod optimum eius victorię præbeat teſtimonium, quæ Latine verſa ita habent.

ERA *M. CCC. LXXXVIII. Rex Abenamarin Dominus Tranſmarinus fidens ſibi & ſua magna potentia, mare traiecit cum Forra filia Regis Tunetis eius legitima vxore, vt Chriſtianos perſequeretur, & extingueret. Obſedit Tariſam, & tantæ fuerunt eius copiæ, vt æſtimari non potuerint. Quarum certitudo cum Alfonſo Regi Caſtellæ conſtare non poſſet, cœpit timere, & ad Regem Alfonſum Portugaliæ ſocerum ſuum venit auxilium petiturus. Illi autem placuit, & corpore ſuo, & copiis eum iuuare. Et nulla facta mora, contendit in Caſtellæ Regnum, ſuis iubens, vt eum ſequerentur. Ex Ebora duxit centum equites, & mille pedites, quorum anteſignanus fuit Conſalus Stephanus Carbonarius. Certatum eſt cum Sarracenis, & Rex Portugaliæ congreſſus eſt cum Granatæ Rege, Caſtellæ autem Rex cum Abenamarin. Beneficio Dei, nemo ex Sarracenis retrouerſus eſt, & tot occubuere eo prælio, vt numerari non potuerint. Rex Abenamarin & Rex Granatæ fugam arripuerunt. In caſtris Abenamarin magna vis auri & argenti inuenta, quæ Regi Caſtellæ ceſſit. Perierunt ibi Regis Hali Boacen vxor, & alia nobiliſſima fœmina, & pueri innumeri. Capti ſunt filius vnus, & neptis vna Abenamarin, & nepos vnus ex fratre. Sit Dominus benedictus pro tanto beneficio, quantum in Chriſtianos contulit.. Amen.*

Ex hoc igitur lapide conſtat, nec Alfonſum Regem preces Regis Caſtellæ reſpuiſſe, nec numerum Sarracenorum ſciri potuiſſe, & Regem Marrochiorum & Abenamarin eſſe eundem Hali Boacen.

CENSVRA XL

FAlſum etiam eſt dicere, tantæ cladis non ſuperfuiſſe nuncium. Vt enim ex annalibus Caſtellanorum & noſtris conſtat, tot ex Sarracenis manſerunt incolumes, vt cum ad ſuos redirent XII. triremes, XV. conſumpſerint dies, in illis per fretum Herculeum tranſportandis.

IN PETRI ELOGIO.

PETRVS *I. cognomento Iuſtitiarius, primo coniugii thalamo, ſibi iunxit Conſtantiam Emmanuel, Alfonſi XI. Regis Caſtellæ ex filio Petro, neptem.*

CENSVRA XLI.

HIs paucis verbis multa inſunt deliria. Fuit quippe Conſtantia filia magni illius Ioannis Emmanuelis, filii Infantis Emmanuelis, qui Fernandum III. Caſtellæ Regem patrem habuit. Ille autem ex Conſtantia filia Iacobi Aragonię Regis, & Blancæ Caroli Regis Neapolitani filiæ, ſuſtulit hanc Conſtantiam: quæ cum Alfonſo XI. Caſtellæ Rege, cuius neptem hic dicit fuiſſe, ſponſalia contraxit. Poſtea vero renunciatis ab Alfonſo ſponſalibus, Petro huic Luſitano nupſit, inuito Alfonſo, qui eam amauerat, & perſuaſus à ſuis Mariam huius Petri ſororem duxerat. cum qua non bene ei conueniebat, amoribus Leonoræ Noniæ concubinæ irretito. Indignabatur autem, quod nec poſſet repudiare Mariam, quam oderat, nec Conſtantiam ducere, quam amabat. Conſtantia vero neptis Alfonſi XI. ex filio Petro multos poſt annos, Ioanni Gando Duci Lancaſtrenſi locata eſt: ex quibus nata eſt Catharina mater Ioannis II. Regis Caſtellæ.

Ex Con-

Ex Conſtantia edita illi in lucem Leonora, Petri Crudelis Aragoniæ Regis vxor ſecunda.

CENSVRA XLII.

DElirat, & labitur memoria. Hæc enim Leonora Petri huius Portugaliæ Regis ſoror erat, non filia, vt ſuperius dictum eſt in elogio Alfonſi IIII.

Ex Agnete à Caſtro habuit Beatricem, coniugem Sanctii Comitis de Albuquerque, Alfonſi XII. Caſtellæ & Legionis Regis filii.

CENSVRA XLIII.

HIc etiam error eſt. Vltimus enim Caſtellę Rex nomine Alfonſus XI. fuit. Quod ſi Stephani Garibaii computationem ſequitur, admiſſo in numerum Regum Caſtellæ Alfonſo Aragonio & Nauarro Rege, Vrracę marito, ſibi contradicit in Errato cenſuræ XLI. qui vndecimum eum nominat.

IN FERNANDI ELOGIO.

FERNANDVS *ex Regina Leonora Tellez de Meneſes, filiam extulit Beatricem, quam Ioanni I. Caſtellæ Regi matrimonio copulant.*

CENSVRA XLIIII.

EFFerre filium eſt ad ſepulturam mortuum ducere. Fernandus autem mortem obiuit, Beatrice filia incolumi. In anguſtum igitur fratrem Ioſephum adduximus. Aut enim malus eſt hiſtoricus, aut peſſimus grammaticus.

RECENSETVR *& illud de infantula Octimeſtri, quæ à cunis ſeſe erigens, in vocem hanc erupit:* Portugal Portugal por el Rei Dom. Ioano. *Eiuſdem generis exemplum ante electionem Antonii, in ciuitate Sanctarenenſi ab infantulo, multis audientibus, & ſpectantibus, perhibitum eſt.*

CENSVRA. XLV.

QVanta veritate hoc nitatur miraculum, inde licet æſtimare, quod nugator hic nugatorum omnium nugaciſſimus, & qui ſe iis temporibus omnium teſtem oculatum fuiſſe prædicat, noluerit ſua fide, ſed aliena, tam impudens conſtare mendacium. Cum vero nulla res ſit, ad multitudinem in quamcumque partem mouendam, magis efficax, quam Dei metus & religio, quæ deſcendere ad animos (vt eſt apud Liuium) ſine commento miraculi non poteſt, vſitatiſſimum ſemper fuit iis, qui nouas res moliuntur, huiuſmodi impoſturis popularium animos venari. Simili fallacia, Numa, in Regni auſpiciis, cum Nympha Ægeria congreſſus nocturnos ſimulabat, vt Romanorum animos militia effrenatos legibus ac moribus componeret. Simili Sertorius commento, ceruam, quam ſecum habebat manſuefactam, vt vocantem exaudiret, ambulantem ſequeretur, Dianæ donum eſſe dicebat, multaque ex occultis per eam edoceri, vt Luſitani crederent, ſe non Sertorii hominis externi, ſed Dei conſiliis duci. Eadem vafricie Maumethes colloquium cum Angelo Gabriele fingebat, vt morbum caducum, quo laborabat, cælaret, & ad peſſimæ legis ſementem faciendam, ſibi multitudinem conciliaret. Affirmabat enim, ſe ideo in terram cadere, quod tantum Angeli ſplendorem ferre non poſſet.

Sic & Antonii aſſeclæ, qui eum in omnibus actionibus Ioannis I. Portugalię Regis veſtigiis inſiſtere volebant, ne in re aliqua ei ſimilis non videretur, miraculo etiam eum Regem deſignari diuulgarunt. Audierant enim fabulam de infantula Octimeſtri quam Eboræ, quo tempore Ioannes ille Regnum affectabat, in cunis dicebãt bis acclamaſſe, *Portugalia pro Rege Ioanne.* Quare & infantulum (ſexum enim mutarunt, ne imitatio videretur) eadem de Antonio prædixiſſe iactabant. Quod longa manu author noſter in ſuo libro notauit, vt ſcilicet ſcirent omnes, eum hominem eſſe egregie ſtolidum, qui non ſenſit, id magis Antonii ſui cauſam lædere, quãm iuuare. Colligitur enim hoc Sycophantiam fuiſſe, vel (ſi negent) Diabolum, qui pater mendacii eſt, ore eius infantis fuiſſe locutum, cuius vaticinio euentus non reſpondiſſet. Regnum enim ei delatum eſt, cui iure diuino, & humano, & noſtratium legibus debebatur, & cui (ſi Luſitanorum ſuffragiis deferendum eſſet) propter eximium orthodoxæ fidei zelum, maximam potentiam, incomparabilem gubernandi peritiam, iuſtitiam, & liberalitatem, potiori iure deferri debuit.

NE *porro eorum omnium, quæ Henrici Cardinalis & Portugaliæ Regis, Gubernatorum, & Antonii tempore contigerunt, fides abrogetur, lectorem monitum velim, me eorum non auritum, ſed oculatum teſtem extitiſſe.*

CENSVRA XLVI.

AVdiſti (vt opinor) frater Ioſephe, eum qui ſemel verecundiæ limites tranſierit, oportere eſſe gnauiter impudentem. Gloriaris enim, contra Diui Pauli ſententiam, de eo quo maxime erubeſcere debueras, te ſcilicet, nec legitime certaſſe in agone, nec vt bonum militem militaſſe: ſed ſecularibus, & omnibus omnium te implicuiſſe negociis. Tantum igitur tibi erat ocii ab re tua, vt ea curares, quæ ad te nihil attinerent? Dic ergo nobis ſacerdos, quando preces horarias recitabas? Quando inter pſallentes fratres Domino canebas? Quando rem ſacram faciebas? Dic concionator Regiæ, & Theologiæ Profeſſor, quando quod dicturus eras meditabaris? Dic obſecro monache, qui à ſingularitate nomen ſortitus es, cui carcer oppidum (vt Diuus Hieronymus ait) & ſolitudo paradiſus videri debuit, quid agebas in foro? Quid per plateas, vias, portus, & angiportus circumforaneus quærebas? Quid agebas in Gallia? Quid in Inſula S. Michaelis, quam aduerſus PHILIPPVM Regem tuum concitaſti: eum inquam Regem, qui cum ſummo ſupplicio dignus eſſes (qua eſt clementia & religione) te inter alios in bello contra patriam captum, & læſæ maieſtati obnoxium, tuo ſodalitio reddi iuſſit illæſum? Quid inquam agebas inter tubas & claſſica? Quid inter armatos in patriam? Quid inter bombardas & belli tonitrua, qui vitæ tranquilliori te dicaueras? Satius profecto tibi fuiſſet, ſi cum tot res ageres, animam egiſſes, ne his eam flagitiis inquinares. Quid eſt eſſe Ardelionem, quid Prothea, ſi hoc non eſt? Nec athenæ quidem & cõpedes, quibus te in carcere à tuo Præſule vinctum vidimus, quietum potuerunt reddere. Sed iis ruptis aufugiſti, ne quid deeſſet quod ageres: & vere Prothea referres: vt de te illud Flacci videatur dictum:

Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Protheus.

Sed omiſſis his (Cenſorem enim non accuſatorem agimus) teſtimonium tuum ad iuris libellam expendamus: vt appareat, quanta tibi fides adhibenda ſit à Gallis hominibus, quibus imponere voluiſti. Primum, ſi numero fides teſtium conſtat, tu ſolus es, qui has nugas aſſeris: & vnius hominis teſtimonium quantumuis magni nullum eſt. Si teſtimonio fides etiam iure iurando quæritur, tu hæc non iuraſti, ſed finxiſti. Si in teſte (ſecundum Modeſtini ſententiam) integritas vitæ, & mores ponderantur, tu vitæ perditiſſimæ homo, proditor patriæ, & publicus hoſtis, tui ordinis transfuga, & apoſtata. Qui cum in eorum religioſorum conuictu & contubernio degeres, quorum exemplo, poſſes innocentem atque beatam vitam tranſigere, militarem iſtam elegiſti inter remiges & carnifices Philippi Strozi factus miles, atque gladiator. Si teſtis affectus ſuſpicione carere debet, tu ſuſpectiſſimus eras, qui eius viri cauſam defendis, & amplificas, cuius comitem & aſſeclam te omnes ſcimus: in cuius comitatu captus es: in cuius obſequio nunc degis, quod ad eum rupto carcere rediiſti: cuius gratia patrios lares, religionis inſtitutum, & ipſum Dei numen reliquiſti. Denique ſi in teſtimonio veriſimilitudo rerum ſpectanda eſt (vt Iureconſulti docent) præterquam quod falſa, impoſſibilia, & à nemine audita nobis narras, tu homo obſcurus & ignotus, nulla literatura, aut gratia commendabilis, quomodo poteras intereſſe procerum conſiliis, Regum arcanis, Principum legationibus, ordinum poſtulationibus, epiſtolis, nunciis, actibus, omnibus deniq; rebus, quæ tam diuerſis locis agitabantur, niſi forte Gygis annulum, aut Plutonis galeam habebas, quibus conſpicuus non eſſes?

IN IOANNIS. I. ELOGIO.

EXCLVSIS *Ioanne Principe, & Dionyſio fratribus legitimis, quos mancipii nexu Ioannes Rex Caſtellæ coarctatos aſſeruabat.*

CENSVRA XLVII.

MAncipii nexu coarctantur ſerui, qui ideo dicuntur mancipia ſecundum Varronem, quod manu capiantur. Mancipii vero nexus alienatio eſt dominii, & poſſeſſionis, & dominii traditio, ſecundum Boethium in Cicer. Topica. Ioannes autem Rex Caſtellæ Ioannem aſſeruari, tantiſper iuſſit, dum de Regno Portugaliæ diſceptabatur, ne ſi ille in Portugaliam veniret, vt erat omnibus gratioſus & charus, ob multas animi & corporis dotes, & quod pro Petri filio legitimo erat habitus, ſpreta Beatrice Regina, Regnum inuaderet. Falſum eſt autem, eum dictum fuiſſe Principem. Falſum etiam Dionyſium in cuſtodia fuiſſe: vt à quo Caſtellæ Rex non metuebat: quod minor ætate eſſet, quam Ioannes, nec populo tam charus.

CVM

Cvm *Diaconatus Ioannes apud Conimbricenſes perſonam ſuſtineret.*

Censvra XLVIII.

Falſum hoc eſt. Nullius enim ſacri ordinis charactere fuit inſignitus. Et Summi Pontificis diplomate ſolum conſtat, eum militiæ vinculo,& perpetuæ caſtitatis voto, quod Milites Auiſienſis ordinis eo tempore concipiebant, exolutum fuiſſe. Magiſtros autem militiarum, viros ſcilicet militares, nunquam ante Ioannem, nec poſt, ſacris initiatos legimus. Mirum autem eſt, quanta cura impoſtores ii per omnia voluerint exæquare ſuum Antonium Ioanni Auiſienſi Magiſtro: quaſi ſi ſimiles in multis forent, eadem omnino de Antonio ſperanda, eadem pro eo agenda eſſent, nulla temporis, loci, aut perſonarum circunſtantia perſpecta. Ne vero vlla in re diſpares viderentur, quod Antonius Diaconatu fuerit initiatus, Ioannem etiam Diaconum comminiſcuntur. Ex quo fides huius boni hiſtorici conſtare poteſt, qui Diaconatum in Ioanne fingit, in Antonio cælat, cauſæ ſuæ fauens.

Ioanni *coniugali toro iuncta eſt Philippa Ioannis de Gandauo Ducis de Lancaſtro filia, quæ plures eius opera liberos extulit, nempe Blancam, & Alfonſum, quibus immatura mors infantia ſurgentis vſum ademit.*

Censvra. XLIX.

Hic etiam cum ſuis elegantiis errat. Alfonſus enim primogenitus non infans, ſed iam fere adoleſcentiæ initio, ætate ſcilicet x. annorum menſium iii. dierum xxiii. mortem obiit. Natus quippe Sanctarenę anno m.ccc.xc xxx. die Iulii, moritur anno m.cccc. xxii. die Nouembris. Sepelitur Bracharę in ſummo templo, in pulcherrimo tumulo ęneo, quem Iſabella Dux Burgundiæ eius ſoror, è Flandria optimè fabricatum ad fratrem honeſtiùs ſepeliendum miſit.

Et *Petrum Ducem Conimbricæ, &c. cui deſponſata eſt Iſabella de Aragano, Ioannis Comitis de Vrgel filia:*

Censvra L.

Errat hîc. Iacobus quippe Comes Vrgellenſis ille dicebatur, non Ioannes. Notum eſt enim Iaimium pro Iacobo, non pro Ioanne dici ab Aragonenſibus. Nec meminit de Iacobi Regis hiſtoria, quam ipſe narrat in Commentariis, quos ſcripſit de vita ſua, ſecundum Petrum Beutherum Theologum in eiuſdem Iacobi vita. Eſt autem huiuſmodi: Maria Aragoniæ Regina vxor Regis Petri cognomento Catholici, cum filium peperiſſet vnicum,& dubia eſſet, quod nomen illi inderet, promiſit, ſe illius Diui nomen impoſituram, cuius cæreus inter alios eiuſdem ponderis accenſus minus decreſceret. Oblatis igitur tot cæreis, quot ſunt Apoſtoli, vniuſcuiuſque nomine ſingulis cæreis inſcripto, cum is qui Diuo Iacobo erat dicatus, minus quam cæteri abſumptus fuiſſet, Iaimii nomen Infanti impoſitum eſt: quod apud Aragonenſes idem eſt, quod Iacobus. Comes autem Vrgellenſis Iaimius dicebatur.

Et *Ioannem, qui filiam Fernando nepoti ſuo deſpondit, alteramq; Iſabellam Ioanni II. Caſtellæ Regi, quæ Alfonſi Caſtellæ, qui infans vita ceſſit, mater fuit.*

Censvra LI.

In hoc etiam errat. Ioannes quippe obiit anno m. cccc. xlii. Poſt mortem vero eius anno ſcilicet m. cccc. xlvii Petrus eius frater, qui regni clauum tenebat, Iſabellam Ioanni II. Caſtellæ Regi, Beatricem Fernando nepoti ex fratre Eduardo Rege deſpondit.

Alfonſus autem, qui ex Ioanne Caſtellæ Rege & Iſabella natus eſt, non infans deceſſit, vt iſte ait: ſed ætate xii. annorum iam Rex Caſtellæ electus, non ſine ſcelere & magna perfidia procerum quorundam, viuente fratre Henrico Rege,& vidente.

Fernandvm *etiam ordinis militum de Auis Magiſtrum, inculpatæ probitatis virum, cui ob vitæ ſanctimoniam, in beatorum claſſe ſedes inſtituta eſt.*

Censvra LII.

Fernandus hîc Infans Portugaliæ, vitæ puritate clarus,& veræ religionis exemplar habitus eſt: & quem pie credendum eſt, frui beatorum fœlicitate. Inter Sanctos autem, vt hic ait, non eſt relatus.

Henricvm *Ducem de Viſeo.*

CENSVRA LIII.

PRæpoſtero naſcendi ordine ponit Henricum, qui ætate maior erat, quam Ioannes, & Fernandus fratres. Natus eſt enim Henricus anno MCCCXCIIII. Ioannes anno MCCCC. Fernandus vero anno MCCCCII. Vnde cum Rex Ioannes pater in Africam traiiceret cum filiis Eduardo, Petro, & Henrico, Ioannes & Fernandus pueri, & armis non dum vtiles, domi manſerunt, & inde calamitas Fernandi ortum habuit. Cum enim vir factus fratrum gloriæ inuidiſſet, qui in Septemſi expugnatione magnum fortitudinis ſpecimen exhibuiſſent, & equeſtrem ordinem adepti eſſent, ne ipſe degenerare videretur, Regi Eduardo fratri funeſtam illam in Tingim Mauritaniæ Metropolim expeditionem perſuaſit, vt ex eius obſidione poſſet aliquod decus reportare. In quo, fortunæ iniquitate, res tam male ceſſit, vt fuſi noſtri ſeſe dederint ea cōditione, vt Septā, quā paulo ante bello ceperant, cum omnibus captiuis Sarracenis reſtituerent. Fernādus autē ipſe obſes datus eſt, donec reſtitutio fieret. Quæ conditio cum Regni proceribus non placuiſſet, propter maximum periculū, quod non Hiſpaniæ modo, ſed vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. ex ea reſtitutione imminebat, inſons Princeps crudeliſſimè à Sarracenis tractabatur, quo celerius Septam traderent: donec ſeptem annis tranſactis, labore & mœrore conſumptus in captiuitate periit, magno patientiæ Chriſtianæ exemplo.

PHILIPPAM *Erici Daniæ Regis vxorem.*

CENSVRA LIIII.

PERTÆSVS hic ſcriptorum noſtratium, de rebus noſtris conſuluit Vuolfangum Lazium, vt peritiorem: & ita cæcus cæcum duxit in iſtas foueas. Et vt eſt perfrictæ frontis, & audax, quod ille non affirmat, pro comperto aſſerit. Ait enim Lazius, eſſe nonnullos, qui dicunt, filiam fuiſſe huic Regi Ioanni nomine Philippam Erico Danorum Regi nuptam. In quo illos falli, non eſt dubium. Vnde autem hic error habuerit originem, diuinaci coniectura mihi videor aſſecutus. Audierant iſti, Regem Daciæ, fortaſſe Ericum nomine, duxiſſe vxorem filiam Regis Portugaliæ. Scimus enim Leonoram filiam Regis Alfonſi II. nupſiſſe Regi Daciæ, & Leonoram filiam Infantis Fernandi Domini Serpæ, & ipſius Alfonſi neptem primogenito Daciæ. Legerunt etiam apud Æneam Syluium in hiſtoria Boemica, cap. xliiij Ericum Regem Daciæ, & ſimul Petrum Infantem Portugaliæ iuuiſſe Sigiſmundum Imperatorem, aduerſus fidei hoſtes. Cum igitur audirent, Petrum & Regem Daciæ cognatos eſſe, quod verbum apud barbaros tam comprehendit affines, quam ſanguine coniunctos, crediderunt, Petrum alicuius Reginæ Daciæ viſendæ cauſa, quod ſoror eſſet, tam remota loca adiiſſe: neſcientes illum totum fere circumiiſſe orbem, vt multorum mores & vrbes videret: & in omnium fere eius temporis Principum magnorum aulis fuiſſe.

IOANNEM *Henrici III. Regis Caſtellæ coniugem tertiam.*

CENSVRA LV.

ET hic de ſtercore Lazii hanc collegit margaritam: & multis modis nugatur. Nam præterquam quod Ioannes I. Portugaliæ Rex filiam ex Philippa coniuge nullam habuit, præter Blancam, quæ Infans mortua eſt, & Iſabellam Ducem Burgundiæ, Henricus III. Caſtellæ Rex tertiam vxorem non duxit: vt qui vnicam habuit Catharinam filiam Ioannis Ducis Lancaſtrenſis, & Conſtantiæ filiæ Petri Crudelis Caſtellæ Regis, Philippæ Portugaliæ Reginæ ſororem conſanguineam: quæ ſuperſtes fuit marito. Ioanna vero, quæ Henrico IIII. Caſtellæ Regi nupſit, filia fuit Regis Eduardi, atque huius Ioannis neptis.

LEONORAM, *quæ nupſit Petro IIII. Aragoniæ Regi.*

CENSVRA LVI.

ECce aliud delirium mutuo ſumptum ab Wolfango Lazio. Ioannes enim filiam Leonoram non habuit, vt ſuperius diximus. Nec ſi habuiſſet, eam Petro Aragoniæ Regi IIII. locare poterat. Anno enim MCCCLXXXVII. quo Rex Ioannes vxorem duxit Philippam, quam vnicam habuit, Petrus ille IIII. Aragoniæ, cum iam eſſet annorum LXXII, fato conceſſit. Duxit vero ille Petrus quatuor vxores, quarū prima fuit Maria filia Philippi Nauarræ: altera Leonora Regis Alfonſi IIII. Portugaliæ filia, huius Regis Ioannis amita: tertia Leonora Federici Regis Siciliæ: quarta Sibylla humili loco nata, quam vltima iam ætate habuit.

HABVIT *Alfonſus Brachantiæ Dux ex Beatrice coniuge filios duos, primum ſcilicet Iacobum Comitem de Ourem, &c.*

CENSVRA LVII.

ERrat & in hoc. Alfonſus quippe non Iacobus fuit: qui viuo patre deceſſit. Hic ex Comite Aurenenſi factus Valentiæ Marchio, quo tempore deduxit Leonoram Regis Alfonſi ſororem nouam nuptam, in Italiam ad Federicum III. Imperatorem. Qui vero primus Iacobus, ſeu Iaimius vocatus eſt, pater fuit Theodoſii Senioris, proauus autem Theodoſii Iunioris, qui nunc Ducatui præeſt.

HVIVS *Alfonſi pronepos, & ex aſſe hæres eſt Franciſcus Portugaliæ Comeſtabilis, & Comes de Vimioſo.*

CENSVRA LVIII.

HIC tot ſunt mendacia quot verba. Primum quo ad gradum conſanguinitatis. Quod, etſi parum referebat, quoto gradu diſtaret Franciſcus ab Alfonſo, vt tamē inde etiam æſtimetur, quali verecundia & peritia hic egregius author ſit, referre libuit. Franciſcus ergo Comes Vimioſenſis, de quo iſte agit, nō pronepos, ſed atnepos fuit Alfonſi I. Brachantiæ Ducis, hoc eſt nepos pronepotis. Huius enim Franciſci pater fuit Alfonſus Comes, qui cum Sebaſtiano Rege moritur in clade illa Africana, auus Comes Franciſcus Senior, proauus Alfonſus Epiſcopus Eborenſis, abauus Alfonſus Marchio Valentiæ, atauus Dux Alfonſus. Deſcendendo igitur, huius Alfonſi Ducis Brachantiæ filius fuit Alfonſus Marchio Valentiæ, nepos Alfonſus Epiſcopus Eborenſis, pronepos Franciſcus Senior, abnepos Alfonſus Comes, atnepos hic Franciſcus Iunior, de quo agimus.

CENSVRA. LIX.

QVod vero ait, eum fuiſſe ex aſſe hæredem Alfonſi atauí, falſum eſt. Alfonſus quippe Valētiæ Marchio ſine liberis legitimis cælebs deceſſit, viuo patre, ad quem illius Dynaſtia, & hæreditas delata eſt. A patre autem ad Fernandum ſecundogenitum Ducem Brachantiæ, & ab eo continua ſucceſſione ad hunc Theodoſium, qui nunc Ducatu potitur. Alfonſus autem, qui Eborenſis fuit Epiſcopus, Alfonſi Marchionis fuit filius naturalis, ex muliere alioqui primæ nobilitatis, è Souſatum ſcilicet clariſſima familia, quæ Alfonſum Marchionem ſibi maritum futurum credidit: ex quo Franciſcus primus Comes Vimioſenſis vir prudentiſſimus natus eſt, huius Franciſci auus, qui in inſula Sancti Michaelis nauali prælio occubuit.

CENSVRA LX.

QVod ait, Frāciſcum Comitem Vimioſenſem Comeſtabilem fuiſſe Portugaliæ, impoſtura mera eſt. Comeſtabilis enim eſt Theodoſius Brachantiæ Dux. Ad eum autem à Nonio Aluaro Pereira primo Comeſtabili ea dignitas hoc ordine peruenit. A Nonio Aluaro ad Infantem Ioannem Ioannis I. Regis filium. A Ioanne ad filium Iacobum. A Iacobo ad Petrum patruelem filium Petri Infantis, qui per ea tempora à Cathalanis Rex Aragoniæ electus eſt. Ab eo ad Fernandum patruelem filium Eduardi Regis. A Fernando ad Ioannem Montis Maioris Marchionem Fernandi I. Ducis Brachantiæ filium. A Ioanne ad Emanuelem Fernandi filium. Ab Emmanuele, cum in Regno ſucceſſit, ad Alfonſum nothum nepotem ex fratre Iacobo Duce Viſeenſi. Ab Alfonſo ad Ludouicū Infantem Emmanuelis Regis filium. A Ludouico ad Eduardum nepotem ex fratre Eduardo. Ab Eduardo ad Ioannem Brachantiæ Ducem. Ab eo ad filium Theodoſium, qui nunc Ducem agit.

Eo in prælio quamplurimi Principes, Caſtellaniq; proceres occubuerunt: Portugalenſes vero pauci. Primum ex Caſtellanis hi perhibentur, &c. Thomas Ramires de Areualo. &c.

CENSVRA LXI.

QVI in memorabili eo prælio ad Aliubarotam, ex Caſtellanorum nobilitate deſiderati ſunt, digni profecto glorioſa fuere recordatione, quod ante regis ſui oculos, & pro defenſione Regni, quod ad ſe pertinere arbitrabantur, pugnando occubuere. Inter eos fuit Ioannes Ramirus ab Arellano Dominus Camerorum, vir ſanguinis nobilitate, & reb. geſtis per totam Hiſpaniam celebris, in Nauarra præſertim, vbi præclara de eo memorantur. Hunc corruptor iſte Thomam Ramirem ab Areualo vocat, clariſſimi ſcilicet viri memoriam delens, & honeſtiſſimam mortem cælans.

Mmmmm 4

Ex *Portugalia Regno, mortuorum albo recenſentur Petrus Alfonſus Pereira Magiſter ordinis de Calatraua.*

CENSVRA LXII.

ALuarus Conſaluus Pereira, Hoſpitalis Hieroſolymitani Prior, pater Nonii Aluari Pereiræ Comeſtabilis XXXII. filios dicitur habuiſſe ex diuerſis concubinis, quòd vxorem ex ordinis inſtituto ducere non poterat: qui ferè omnes patronymicum nomen Aluari habuerunt. Inter eos fuit Petrus Aluarus, qui ætate præcedebat omnes ex Irene Gonſalua natos, & ex Priore Hoſpitalis in Portugalia, Calatrauenſis ordinis Magiſter à Ioanne Caſtellæ Rege inſtitutus eſt, cuius partes fuerat ſecutus, & in eo prælio ad Aliubarotam cæſus. Huius nomen etiam hic corrumpit, & Petrum Alfonſum vocat contra Portugaliæ, Caſtellæ, & militiæ Calatrauenſis annales.

SEPTAM *ciuitatem Africæ antiquiſſimam in ditionem Luſitanorum die XIIII. Augusti redegit.*

CENSVRA LXIII.

ERrat in hoc. XXI. enim die Auguſti Septa capta eſt, non XIIII. Ita conſtat ex annalibus & antiquis monimentis. Memoriæ enim proditum eſt, quid Rex Ioannes ſingulis egerit diebus, a XXV. die Iulii quo ex Oliſipone ſoluit, ad eum Auguſti XXI. diem, quo ea vrbs expugnata eſt.

IN EDVARDI ELOGIO.

EDVARDVS *regnauit annos V. & illi nupſit Leonora Fernandi I. Aragoniæ Regis & Siciliæ, Ioannisq; Nauarræ ſoror, & Alfonſi cognomento Magni.*

CENSVRA LXIIII.

IGnorat quo patre fuerint Leonora Portugaliæ Regina, & Reges eius fratres: & dupliciter errat. Fernandi enim ſororem eam Leonoram eſſe dicit, cum tamen illa filia fuerit Fernandi cognomento Honeſti, ſeu Antequerenſis, ob debellatam ab eo ciuitatem Antequeram, eius ſcilicet, qui Caſtellæ fuit Infans, Ioannis I. Caſtellæ Regis filius ſecundo genitus, frater vero Henrici III. Deinde errat, quod inter Aragoniæ Infantes numerat Fernandum, cum ii fuerint Alfonſus Rex Aragonenſis & Neapolitanus, quem vocant Magnanimum & Sapientem, Ioannes qui Nauarræ fuit Rex, poſtea Aragoniæ, Fernandi Catholici pater, Henricus Magiſter militiæ S. Iacobi, Sanctius Magiſter militiæ Alcantarenſis, Petrus, qui in Italia bombardæ ictu periit, Maria Ioannis II. Caſtellæ Regis vxor, Leonora huius Eduardi Portugaliæ Regis coniunx.

IN IOANNIS II. ELOGIO.

IN *matrimonium ſumpſit Ioannes II. Leonoram Infantis Fernandi patrui filiam, quæ peperit Alfonſum Principem, cui Iſabella Fernandi V. Regis Aragoniæ filia obtigit.*

CENSVRA LXV.

NON bene numerat Reges Aragoniæ. Fernandus enim ille, qui Catholicus primus omnium, Summi Pontificis, & Patrum decreto ob Granatam debellatam appellatus eſt, ſecundus fuit Aragoniæ Regum eius nominis, nepos ſcilicet eius Fernandi, qui ex Caſtellæ Infante, & Duce Penafielenſi Rex electus eſt, & eius nominis fuit primus. Reſpectu vero Caſtellæ Fernandus ille Catholicus Quintus fuit, quemadmodum hodie Auguſtiſſimus Rex noſter PHILIPPVS reſpectu Aragoniæ & Portugaliæ Primus eſt, ratione vero Caſtellæ Secundus, & Quartus Nauarræ. Et in tota Hiſpania cuius dominium nunc adeptus eſt, Primus dicetur. Sic & Carolus Cæſar eius pater, qui Quintus erat in Germania, Quartus erat in Nauarra, Primus in Aragonia & Caſtella. Ita autem ſimpliciter vocat Fernandum Aragoniæ Regem quaſi non fuerit idem Caſtellæ, Legionis, Siciliæ, & multarum prouinciarum Rex.

IS *in hymenæo filii ſui Alfonſi, cui Iſabella Fernandi III. Regis Aragoniæ filia prima, &c.*

CENSVRA LXVI.

STans pede in vno, quod modo dixit, modo negat. Supra enim dixerat, Alfonſum Principem duxiſſe Iſabellam filiam Fernandi V. Aragoniæ Regis, nūc filiam Fernandi Tertii: & vtrobiq; errat, vt diximus. Nam nec Tertius, nec Quintus fuit in Aragonia.

IN EM-

IN EMMANVELIS ELOGIO.

HABVIT *& Ludouicum prima ſtrenuitatis Principem, cuius ſplendor alios ſua ætatis heroas poſt terga longe reliquit, &c. In quo ſummum virtutis & religionis ſpecimen, tantis laudibus excelluit, vt orbis Imperio digniſſimus videretur, &c. Cui matrimonio non acceſſit, quod (vt multi nobiliſſimi ac religioſi autoritate ſumma digni affirmarunt, & per publicam ſententiam, ab Emmanuele de Almada Angrenſi Epiſcopo, & ordinis Sancti Ioannis de Maltha iudice Apoſtolico determinatum fuit) vxorem haberet occulte & priuatam, ex qua filium vnicum ſuſcepit Antonium, &c.*

CENSVRA LXVII.

FVit profecto Ludouicus, non diffitemur, his virtutibus, & multo maioribus cumulatiſſimus. Quomodo igitur nobis perſuadere conaris, Principem ingentis ſpiritus, & cui eo tempore Regnum videbatur parari, quod Ioannis fratris liberi omnes in cunis fato cedebant, matrimonium contraxiſſe cum puella tam diſpari loco nata, in ſumma orbitate & egeſtate conſtituta, vt Regina etiam, ſi fata ſinerent, futura eſſet? Quis tam hebes, vt credat, adoleſcentem Principem florentiſſimum, non potuiſſe vnius puellæ pudicitiam expugnare vi, aut machinamentis aliis, quando auro, cui omnia obediunt, non poſſet? Concedamus eam fuiſſe caſtiſſimam: nec enim aliquis negat. At ſub imperio matris erat, è cuius voluntate res pendebat. Quæ etiam vt propoſiti honeſtiſſimi foret, qui poterat tot pollicitationibus, nunciis, & internunciis, & Principis cupiditati reſiſtere? Fuit profecto Ludouicus vir magnanimus, & fortis, & qui tam impari coniugio Regium ſanguinem non erat dedecoraturus. Scio tamen non defuturos, qui nobis illud occinant poetarum, amorem omnia vincere. Vincit, fatemur, iuuenes, vt ament, vt cupiditate flagrent. Quotusquiſque enim iuuenum ſine amore eſt? Sed non omnes cogit, vt ſeſe in dedecus præcipitent. Alios verecundia, & imparitas fortunæ cohibet, alios parentum reuerentia, alios amplitudo dignitatis, alios dotium tenuitas, & paupertatis metus. Plenæ ſunt Comœdiæ Pamphilorum & Cliniarum, qui cum vehementer amarent, non amatas ducunt vxores, niſi poſtquam ciues Atticas eſſe comperierint. Et Ludouicus Princeps tam elati ſpiritus, & verecundus, eam duxiſſet vxorem, cuius amore impune poſſet potiri, ſi vellet? Nec veretur fratrem Regem, ſororem Auguſtam, ſororium Imperatorem, cognatos & affines Reges omnes Chriſtiani orbis? Non denique totum paternum Regnum: non domeſticos viros nobiliſſimos, qui tam diſpari dominæ erant ſeruituri?

Nec profecto tam inſolitum foret Principi adoleſcenti, vnam ad ſtuprum puellam rapuiſſe, quam toto orbe cantari: Ludouicum Regis Emmanuelis ſecundogenitum, cui tunc ad Regni faſtigium nihil deerat, niſi vnius hominis fatum, tam indecẽs iniiſſe coniugium. Amabat Infans Petrus Portugaliæ Rex futurus Agnetem à Caſtro virginem pulcherrimam, & ſibi Regii ſanguinis neceſſitudine coniunctam: cumque iam Fernandum hæredem Regni haberet ex Conſtantia vxore morte functa, ne amor in coniugium deſineret, eam Luſitani crudeliter necarunt. Duxerat ante illum Sanctius II. Rex Mitiam Cantabriæ Dynaſtæ filiam ſibi ſanguine propinquam. Eam tamen diſparitatem, quod filia Regis non eſſet, tam indigne tulerunt nobiles nonnulli, vt eam è mariti amplexibus extractam, in Caſtellam exterminauerint. Et auderet his exemplis Antonii mater, in florentiſſimo illo Luſitaniæ Regni ſtatu, Regis Emmanuelis ſecundogeniti tanta animi magnitudine, vt tu fateris, præditi, & in quo omnium ſpes ſitæ erant, ſperare nuptias? Quis tam duri oris, qui hęc affirmet? Quis tam hebetis ingenii qui credat?

Quod ſi illa tanti animi fuit vt Ludouico in deditionem non venerit, niſi prius eam vxorem duxiſſet, cur ducta, quando iam radiis mariti fulgebat, & diuinæ & humanæ domus particeps erat, matrimonii non implorauit fidem, quæ coniugium tam obnixe procurauit? Cur in monaſterium ſine querela vlla ſe detrudi conſenſit? Cur ſe religionis voto authorauit? Si ea per matrimonium ad Infantis dignitatem euecta eſt, cur eius matrem, ſocrum iam ſcilicet, ſorores, & propinquos, quos iam Ludouicus habebat affines, in priſtina humilitate & tenuitate degere Princeps alioquin magnanimus, & liberalis paſſus eſt? Eo profecto pudore fuit Ludouicus, vt (ſi quis de rebus humanis vita functis ſenſus adeſt) nulla maiori potuerit affici iniuria, quam qua Antonius, & eius aſſeclæ eum affecere. Eo etiam pietatis ſtudio & religionis, vt ſi eam mulierem ſibi matrimonio copulaſſet, nunquam ab ea eſſet diſceſſurus.

Quod ſi hic, quem tu tam pium fateris, vt quamuis in corpore maneret, animo tamen in cælo plerumq; verſaretur, tam ab hac pietate, honoris & exiſtimationis cauſa, deuiauit, cur ſaltem moriens rem geſtam non declarauit? Solenne eſt morientibus, ex illegitimis

filiis legitimos facere, & ex concubinis vxores. Quis igitur credat, eum è conuerſo, toties in teſtamento nuncupaſſe Antonium filium naturalem, qui legitimus eſſet: & eam velle pro concubina haberi, quæ iuſtis nuptiis ſibi eſſet copulata? Scimus enim omnes, eum Antonium maxime dilexiſſe, cui moriens non credendus erat, contra commune parentum votum, damni cauſam dediſſe, vt falſa naturalis filii appellatione, eius caſtra & regalia bona ad fiſcum deuoluerentur, quando ſine liberis legitimis decedebat. Furtum profecto erat, & falſi crimen, celare iuſtas nuptias, & filium hæreditate priuare, contra iuris naturalis rationem, quæ veluti lex quædam tacita, parentum hæreditatem liberis addicit. At nemo eſt qui neſciat religionem, & pietatem Ludouici, & conſcientiæ tam exactum examen, vt iam ad ſuperſtitionem nonnullis tendere videretur. Non igitur credendum eſt, eum vxorem habuiſſe, nec ſi haberet id celaturum etiam poſt mortem, in ſuæ animæ perniciem, & in Antonii dignitatis & vtilitatis detrimentum.

Nullum autem huius rei certius & magis euidens teſtimonium eſt, quam quòd Antonius, vir animi vehementis, & plus nimio audacis, viuentibus Ioanne & Sebaſtiano Regibus, ad legitimi ſtatum nunquam proclamauit, vt patris hæreditatem & feuda adipiſceretur. Tentauit autem id, cum Henricum Regem orbum, morbo & ſenio imbecillum, & pene confectum, nec ob rigorem ingenii & vitam ſeueriorem, laxioris vitæ hominibus ſatis charum, & plebem Regis iuuenis deſiderio ſolicitam atque mœſtam vidit, & multos ex plebis fece ad res nouas moliendas commotos: vt fieri ſolet quando Reſpublica vacua aut deſerta eſſe videtur. Cui profecto glorioſius erat, eius Principis naturalem eſſe filium, qui cum magna laude, & decore ſe geſſit, vt filium tanti Regis decebat, quam legitimum eius, qui tam abiecti fuiſſet animi, vt pro vna explenda libidine, tam humili coniugio ſe & ſuos dedecoraſſet.

Quam verum igitur fuerit illud matrimonium, ſententia toti orbi nota, oſtenſum eſt. Cum enim pendenti iam cauſa ſucceſſionis huius Regni inter competitores Principes, Antonius clanculum nemine ex iis citato, quos ea res tangebat, per equitem ſui ordinis, hoc eſt Hoſpitalenſis, domeſticum ſuum, nulla ei ad id mandata iuriſdictione, ſe legitimum pronuntiari feciſſet, & iuſtas fuiſſe Ludouici Infantis eum eius matre nuptias, certus de ea re Summus Pontifex, motu proprio, Henrico Regi cauſam diſcutiendã, & decidendam commiſit. Fidebat enim Regi, Cardinali, & ipſius Antonii patruo. Hic (ne longum faciam) aſſumptis aſſeſſoribus viris non ſolum nobilitate, ſed etiam eruditione, & morum integritate clariſſimis, Archiepiſcopo Oliſiponenſi, Epiſcopis Leirienſi, Mirandenſi, & olim Viſeenſi nunc aulicorum Sacerdotum Antiſtite, & quinque Regis conſiliariis iuriſprudentiſſimis, Antonio citato, & audito, & ſua iura alleganti, & iis omnibus, ad quos res ea pertinebat, matrimonium inter Antonii parentes non fuiſſe, & ipſum illegitime natum protulere. Hæc igitur ſententia rite & recte à tot competentibus iudicibus, tantæque authoritatis publice lata, quomodo te frater Ioſephe potuit latêre, qui te te omnium rerum, quæ Hẽrici & Antonii tempore geſta ſunt, non auritũ modo, ſed oculatum teſtem paulo ante affirmaueras? Eo igitur te perduximus, vt aut mendax ſis iudicandus, qui ea tam publica de patrono tuo oculatiſſimus omnium teſtis non noueris, aut falſi & ſtellionatus crimine damnandus, qui hæc celaſti, & falſa pro veris nobis obtruſiſti.

LVDOVICI *ſubſidio, Carolus V. ciuitatem Tunetum, quod eſt Regni caput, & ſecundum hiſtoricos antiqua Carthago, à Mauris ſuſcepit.*

CENSVRA LXVIII.

TVnetum & Carthago diuerſæ ſunt vrbes, nec vllus hiſtoricus eſt tam imperitus, qui vnam & eamdem ciuitatem eſſe affirmet. Tunetũ autem à Carthagine duodecim millia paſſuum diſtabat, & fuit poſt deletam Carthaginem conditum. Hodie eſt caput Lybici Regni. Carthaginis ſolum apparent ruinæ, quæ tanta magnitudine, opulentia, ædificiorum pulchritudine, & magnorum virorum vbertate fuit, vt Romæ magna fuerit æmula. De qua ſatius duxit Salluſtius tacere, quam pauca dicere.

HABVIT *Emanuel Catharinam, & Antonium, qui in cunabulis obierunt.*

CENSVRA LXIX.

MAria dicta eſt puella hæc, non Catharina.

EDVARDO *Emanuelis filio matrimonio iuncta eſt Iſabella, Ioannis Brachantiæ Ducis filia.*

CENSVRA LXX.

IOannem vocat, qui Iamius ſeu Iemetius eſt, eum idem ſit, q; Iacobus, vt ſupra diximus. Cum enim Diui Iacobi fanum à multis diuerſarum nationum hominibus viſitetur, vario

vocant,

vocant, vt cuiuſq; natio eſt. Alii enim Iacobum, alii Iaquem, alli Iacomem: nonnulli Didacum, nunc Diam, Diecum, Diodocum, Iodocum, Iamium, ſeu Iemem. Inde Hiſpani diuerſimode efferunt, cum hæc omnia in vnum Iacob nomen tendant.

TERTIAM *vxorem Emmanuel duxit Leonoram, ex qua filiam vnicam habuit Mariam.*

CENSVRA LXXI.

NON fuit vnica Maria. Peperit enim Leonora ante illam puerum, quem in gratiam auunculi Imperatoris, Carolum nominarunt: qui natus Eboræ XVIII. die Februarii anno M. D. XX. deceſſit Oliſipone XV. die Aprilis, anno M. D. XXI.

IN IOANNIS. III. ELOGIO.

IOANNES *III. vxorem ſumpſit Catharinam Caroli V. Imperatoris ſororem, ex qua hos liberos habuit, Alfonſum, Catharinam, Beatricem, Emmanuelem, Philippum, Antonium, & alterum Alfonſum, Ioannem Principem.*

CENSVRA LXXII.

NON ſat habuit hiſtorias huius Regni corrupiſſe, nomina etiam Principum corrumpit & mutat: alios addit, qui in rerum natura non fuere, alios celat, vt ſic veritas confundatur, & obſcuretur. Ioannes enim duos Alfonſos non habuit, ſed vnum: nec filiam vllam Catharinam. Hos autem ſuſtulit mares: Alfonſum, Emmanuelem, Philippum, Dionyſium, Ioannem, Antonium. Fœminas habuit Mariam, quam iſte de induſtria omiſit, Principem multis nominibus laudatiſſimam, nuptam PHILIPPO Hiſpaniarum Principi Caroli Imperatoris filio hæredi, & matrem vnius Infantis, quam ignorare non poterat. De ea autem ſiluiſſe, non flagitium, ſed piaculum erat. Habuit etiam Ioannes ex Catharina Iſabellam, & Beatricem, quæ puellæ obiere.

IN SEBASTIANI ELOGIO.

IN *Africa cum Rege Marrochiorum Mulei Mahamet, cui ſubſidio futurum conſcripſerat exercitum ſimul cum Mulei Maluco, qui ab eodem Mulei Mahamet Regni clauum acceperat, &c.*

CENSVRA LXXIII.

MVlei Malucus, qui priuatam vitam agebat, nobilium defectione, Mulei Mahamet nepotem ex fratre, Regem potentiſſimum Regno ſpoliauit: nec ab eo Regni clauum accepit, vt iſte ait, ſed extorſit: & eum in exilium ire coegit. Acciperet autem, ſi Malucus illi Regnum ſponte obtuliſſet.

SEBASTIANVS *vitæ ſuæ ſummam totam percurrit V. die Auguſti, anni M. D. LXXVIII.*

CENSVRA LXXIIII.

TAM funeſta fuit quarta illa Auguſti dies Africanæ cladis, vt non hoc tempore, quo recens adhuc eius calamitatis memoria eſt, ſed futuris ſeculis, ſemper dira, nefaſtaq; recurret: & à Luſitanis nigro notanda lapillo. Hic autem veridicus ſcriptor, tam breui eam quintam fuiſſe diem, nobis narrat.

IN HENRICI ELOGIO.

NATVS *eſt Henricus anno M. D. XII. die prima Februarii, qua etiam mortuus eſt, luna eclipſim patiente anno M. D. LXXX.*

CENSVRA LXXV.

ERror hic in horoſcopo Regis Henrici, genethliacis & aſtronomis non parui momenti eſſet. Natum enim dicit prima die Februarii. qui vltima Ianuarii in lucem prodiit. Et mirum certe eſt, qui ſe ſuperius iactauerat, omnium quæ Henrici tempore acciderunt, fuiſſe teſtem oculatum, fugiſſe eum rem tam notabilem, quanta eſt vnius Regis ſine liberis exceſſus, de cuius ſucceſſione tam ingens diſceptatio ſperabatur futura: & è qua pendebat, eſſet ne futurus frater ipſe Ioſephus Regis concionator, an Prioris Cratenſis. Mendacium igitur hoc inexcuſabile eſt, tam circa Henrici natalem, quam circa lunæ defectionem, quæ ſecundum aſtrologorum ephemeridas, per rerum naturam, vltima die Ianuarii neceſſario futura erat.

QVod vero eorum ſcopus, qui hanc de genealogia Regum Portugaliæ plantarunt arborem, fuit per machinationem quamdam exteris hominibus obrepere, & perſuadere, Portugaliæ Regnum populorum ſuffragiis, & electione dari ſolere, credentes ſcilicet, hoc pacto, Antonii cauſam non excuſabilem modo, ſed etiam (ſi Diis placet) iuſtam fuiſſe, ſeorſum reſpondendum ad ea duximus. Electos autem à populo aiunt fuiſſe Alfonſum Regem I. Alfonſum III. Ioannem I. Alfonſum V. Emmanuelem, Henricum & ipſum Antonium. Quod quam falſum ſit, & apud nos ridiculum, ex perſona cuiuſque demonſtrabimus.

CENSVRA LXXVI.

IN primis quoad Alfonſum I. attinet, quid abſurdius dici poterat, quam eum, qui Portugaliæ Princeps erat, à militibus ſuis, in quos vitæ necíſq; ius habebat, nomen & dignitatem Regis accipere potuiſſe? Vulgatum iuris axioma eſt, neminem ſuam rem vtiliter ſtipulari poſſe. Quid autem milites illi in Alfonſum noui contulere, quod tunc penes illum non eſſet? Tranſtulerat Portugaliæ populus in Alfonſum Imperatorem, & ante in eius maiores, ius omne ſuum, imperium, & poteſtatem: ille in Taraſiam filiam, & Henricum Comitem: ii in Alfonſum ſuum iure legitimo ſucceſſorem. Quid ergo apud populum reliquum erat, quod in Alfonſum poſſent amplius transferre, ciuitates ne, oppida, aut caſtra? Ea Alfonſus non populus habebat. Regis dignitatem non poterant: ſuperioris enim illud munus erat, non inferioris, non ſubditi, non vaſalli. Vtendum enim eſt in re noua, nouo vocabulo. A rege igitur Legionenſi, qui Comitem crearat, Regem dici permittendus erat, qui Rex fieri vellet: vel à Summo Pontifice, ſi ſe clientela exemptum aſſereret. Notiſſimi etiam iuris eſt, inter innumera, quæ in perſonarum electionibus ad dignitates aut magiſtratus requiruntur, duo eſſe capitalia, rem ſcilicet, quæ vacet, & electorum arbitrium liberum conferendi, in quem velint. Quæ igitur electio ea erat, vbi nec res erat, quæ daretur, nec qui conferre poſſet? Quid ergo milites illi egere? ad auguſtius & honorificentius nomen ſumendum, conſilio & precibus Principem ſuum impulerunt, non imperium maius, aut efficacius conceſſerunt, apud quos nihil poteſtatis erat reliquum. Cum enim Alfonſo nihil ad Regnum, niſi ſolum nomē deeſſet, quod ditione Reges æquaret, & Henricus pater adeo ſe à Legionenſis Regis iugo exemiſſet, vt vrbem Aſturicam, & nonnulla oppida vi cepiſſet, duces exercitus eum adhortati ſunt, quando cum Regibus pugnam commiſſurus erat, vt Regem ſe appellari pateretur, magnumq; hoc ad pugnandum incitamentum futurum. Reſpuit Alfonſus conſilium, ſed tandem precibus victus, Regem ſe dici, & acclamari paſſus eſt: non quod electus ab illis fuiſſet qui nec ditione, nec dignitate dominum augere poterant. Quod vero Regia ea dignitas nulla authoritate ſuffulta erat: quod id nec à ſuo, nec à ſuorum arbitrio poterat pendere, ab Alexandro III. Summo Pontifice Regiam ſibi, poſteriſq; impetrauit dignitatē. Quod quidem creatio & augmentum fuit dignitatis, non ad dignitatem electio, aut electionis alicuius confirmatio. Adeo autem verū erat, non potuiſſe Portugalenſes eo tempore Regem ſibi eligere, vt ſi Alfonſus eo prælio occubuiſſet, & res ad eum ſtatum redacta videretur, quo populus iure omnium gentium, ſibi Regem creare poſſet, illis tamen non liceret, quod Legionenſis Regis beneficium Portugalia erat, in cuius poteſtatem recidebat.

CENSVRA LXXVII.

QVod vero Alfonſum III. tam in arbore de genealogia, quam in libello electum fuiſſe ait à populo in gubernatorem, & poſtea in Regem, falſiſſimum etiam eſt, & contra annalium & litterarum Summi Pontificis fidem. Notum ſiquidem eſt, non Luſitanis modo, ſed & toti orbi ob cap. Grandi, de ſuppl, negl. Prælat. lib 6. quod ex iis litteris ſumptum eſt, quia Sanctius remiſſo eſſet animo, & ſocordi, & omnia ad libitum Mitiæ vxoris, & ſceleratorum quorundam nobilium in Regno fierent, ex quibus populus miris affligabatur modis, nec monitiones Honorii III. & Gregorii IX. Summorum Pontificum, nec etiam ſacrorum interdictiones quicquam proficerent, Innocentium IIII. in Concilio Lugdunenſi, querelis Ioannis Archiepiſcopi Bracharenſis, Tiburtii Epiſcopi Conimbricenſis, Roderici Gometii Briterii, & Gometii Villegæ nobilium virorum commotum, Alfonſum Comitem Bononienſem fratrem germanum Regis Sanctii, virum prudentem, & magnanimum, adde & fratris heredem legitimum, quod Sanctius liberis careret, illi vicarium dediſſe, vt Portugaliæ Regnum gubernandum, & tuendum ſuſciperet. Erat tunc in Gallia notiſſimus Alfonſus, tum propter Regii ſanguinis ſplendorem, tum quod ei paulo ante Summus ipſe Pontifex, ad expeditionem belli Syriaci, quam parabat,

parabat, diplomata ducibus crucigerorum dari ſolita conceſſerat. Cum vero Luſitani ea ſint natura, vt Regem ſemel ſuſceptum nunquam deſerant, ſciebat Alfonſus, etiam in tantis calamitatibus, populum, qui in Sanctii verba iurauerat, ſibi non obtemperaturum. Literas igitur longiſſimas illas quidem ad populos Portugaliæ, ab Innocentio impetrauit, quas nos in ipſis Regiis ſcriniis vidimus, quibus Sanctium Regni adminiſtratione interdicebat, & interminationibus, & pœnis populum Portugaliæ, ad Alfonſi obſequium cogebat, & arcium cuſtodes vt Alfonſo caſtella traderent, & fidelitatem ei iurarent, Archiepiſcopo Bracharenſi, & Conimbricenſi Epiſcopo iniungens, vt pœnis, & eccleſiaſticis cenſuris, eos ad ipſius Alfonſi obedientiam compellerent. Præter has, alias in Regio archiuo vidimus literas de eadem re, ad populum Portugaliæ, quibus idem Pontifex Innocentius, illius cauſæ executionem, vniuerſis fratribus Fráciſcani ordinis eius Regni, mandabat. Frater etiam Deſiderius vir magna religione & doctrina, legatus miſſus eſt in Portugaliam, qui Summi Pontificis nomine, totius Regni arces Alfonſo tradendas curaret, & earum cuſtodes in eius verba iurare cogeret. Tantæ molis videbatur, viuo Sanctio, Luſitanos alium eius loco velle Rectorem. Nec aliquis fere ex Portugaliæ proceribus, aut arcium Præfectis inuentus, qui non expectata obſidione, aut Pontificis interminationibus, Alfonſo obediret, aut caſtello eum vellet recipere. Tanta conſtantia, ſui Regis, qualis qualis erat, ius inuiolatum volebant. Vnde cum Martinus quidam Fernandus Taidius, Leirienſis arcis Pręfectus, acceptis ab Alfonſo muneribus, eum ſua ſponte, & non expectata vi aliqua, caſtello excepiſſet, apud nobiles illius temporis magnam ſubiuit infamiam. Multi autem fuere, qui nec obſidione, nec ſacrorum interdictione, nec vllis adducti minis, caſtella tradidere, Sanctio incolumi. E quorum numero fuit magna animi conſtantia, & fidelitate vir, Martinus Flectius Conimbricenſis arcis Præfectus, de quo non longa videri debet narratio. Obſeſſus is ab Alfonſo longo tempore, vſque ad famis & ſitis extrema perſtitit: nec vllis promiſſis, precibus, aut minis adduci potuit, vt à propoſito deſiſteret. Alfonſus perſpecta hominis conſtantia & fidelitate, propter quam eum ſaluum volebat, vbi primum de morte Sanctii fratris nuntius allatus eſt, ab exercitu mittit obſeſſis ad victum neceſſaria, quibus diuturnam famem, atque ſitim depellerent, & literas ad Martinum de morte Regis. Ille initis induciis tanti temporis, quanto Toletum ire, & inde redire valebat, vt propriis oculis veritatem indagare poſſet, Toletum iuit, & audita morte Sanctii, non credidit officio ſatisfeciſſe, niſi claues ei, à quo illas acceperat, tradidiſſet. Sepulchrum aperuit, & agnito Regi claues brachio ſuſpendit dextro, & à præſenti notario, inſtrumentum rei geſtæ accepit. Reuerſus Conimbricam, arcem Regi Alfonſo tradidit. Ille tam conſtanti fidelitate laudata, claues Martino offert, eumque Conimbricenſis arcis cuſtodem, poſteroſque ſuos in perpetuum conſtituit, ea prærogatiua, vt nunquam iuſiurandum ab eis fidelitatis exigeretur, in tantæ fidei memoriam. Martinus gratiis Regi actis, beneficium non accepit, liberis & poſteris ſuis dira imprecatus, ſi vnquam arcem tuendam à Principe aliquo ſuſcepiſſent. Quo igitur ore iſti audent affirmare, Alfonſum populi ſuffragiis, in gubernatorem fuiſſe electum, qui tot obſidionibus oppidorum, tot interdictis ſacrorum, & execrationibus Pontificum, tam difficulter admiſſus eſt?

Tempore vero quo Sanctius è vita ſine liberis exceſſit, cum Alfonſus in poſſeſſione Regni eſſet, quod patris olim fuerat, modo fratris, quid opus erat populi ſuffragiis in Regem eligi, qui fratris proximus erat agnatus, & legitimus ſucceſſor, vt in eodem capit. Grandi, Summus ipſe Pontifex declarauit, *Mandamus* (inquit) *quatenus nobilem virum Comitem Bolonienſem præfati Regis Portugaliæ fratrem, de deuotione, probitate, ac circumſpectione multipliciter commendatum, qui eidem Regi, ſi abſque legitimo decederet filio, iure regni ſuccederet, quiq; examinatus, &c.* Quæ igitur electio futura erat de illo, qui iure gentium, ciuili, & Luſitanorum, erat ad ſucceſſionem fratris vocatus, & ſummi Pontificis decreto declaratus? Aut quo iure, qua poteſtate, Luſitani, niſi Alfonſo, in eo rerum ſtatu, poterant Regnum deferre? Cum indubitati iuris ſit, & omnium Doctorum ſententiis comprobatum, in regno ad milleſimum cognationis gradum debere produci ſucceſſionem?

CENSVRA LXXVIII.

QVOD vero ad Ioannis I. electionem attinet, nemo eſt qui non intelligat, ſi modo noſtrarum rerum omnino expers non ſit, & rem ad amuſſim expendat, non per iuſtam electionem aliquam, eum ad Regnũ perueniſſe, ſed per merã vim & armorum iudicium. Qui enim ex nobilibus eum in Regem elegerunt, excepto Nonio Aluaro Pereiraeius A-

chate, pauciores numero, & conditione minores erant, qui aut libertatis amore, aut ſtudio rerum nouarum tenebantur. Plures vero, & dignitate præſtantiores, militiarum ſcilicet Magiſtri, Comites, & arcium Præfecti, & qui Regalia, quæ vocant iura, aut vectigalia poſſidebant, cum omnibus fere ciuitatibus, Oliſipone dempta, Ioannem Regem Caſtellæ Dominum, & Principem ſuum legitimum agnoſcebant, & in eius verba iurarunt. Verebantur enim, ſi à potentiori deficerent, vt ea omnia amitterent, quæ à Luſitano Ioanne ſe conſecuturos non certo ſperabant. Illuſoriam etiam eam electionem iudicabant, in qua omnia deerant requiſita, tam circa perſonas, quam numerum electorum, & cauſas eligendi.

Vbi vero prælio ad Aliubarotam commiſſo, Ioannes Luſitanus victoriam adeptus eſt, & Ioannes Caſtellanus Rex aciem deſerens, in Caſtellam contendit, adeo ſuorum animos conſternauit, vt multi, ſeu metu victoriæ, ſeu more hominum, qui ſe eò quò fortuna, inclinant, plerique Luſitano ſe dedidere: nonnulli in Caſtellam immigrarunt: alii arcibus ſuis, & caſtellis ſecutati ſunt, à Caſtellæ Rege præſidium expectantes. Quod eo bello fractus, cum non attuliſſet, paulatim in Luſitani ditionem, & poteſtatem venerunt: atque ita rerum potitus eſt. Abſurdum eſt igitur & ineptum, dicere, iure electionis eum fuiſſe Regem, cum ius in armis poſitum fuerit: & idem obtinuerit, ab iis paucis electus, quod ſine electione obtenturus erat. Hoc vero Dei iudicio, & Ioannis Regis & procerum Caſtellæ periurio Luſitani imputabant, qui iuſiurandū contemnentes, quod, manibus tacta ſacratiſſima corporis Chriſti hoſtia, conceperunt, pacta cum Fernando & nobilibus Portugaliæ inita fregiſſent, & aduerſus conuentionem arma ſumpſiſſent: atq; ab Vrbano VI. vero Chriſti vicario deſciſcentes, Clementem Pſeudopapam ſecuti, piorum cœtu eſſent moti. Quare victoriam illam diuinitus contigiſſe, creditum eſt: & nouis ob id votis, ſe ciues Oliſiponenſes obligarunt: quæ adhuc quotānis publice ſoluuntur. Ea enim Caſtellani exercitus amplitudo erat, ea Luſitanorum ſemiermium paucitas, qui ſub Rege ſuo pugnabant, vt ſine miraculo viciſſe, non credibile fuerit viſum.

Quod ſi legitime eum quis electum fuiſſe contendat, nullo exemplo magis aperte conuincitur, Portugaliæ Regnum non ſolere populi ſuffragiis deferri, in defectum deſcendentis ab vltimo poſſeſſore, ſi aliquis ex cognatis à latere extare contigerit; niſi eo ſolo caſu, quo nec deſcendentes, nec cognati reperiantur. Illis enim Comitiis Conimbricæ habitis, in quibus Ioannes electus fuit (vt ex annalibus conſtat, & ex ipſo electorum decreto, quod in Regio vidimus archiuo) electores teſtati ſunt, ideo ſe Ioannem in Regem elegiſſe, quod Fernandus Rex ſine ſobole legitima, & ſine cognatione obiiſſet. Vnde iure gentium potuiſſe populum ſibi Regem, aut Rectorem eligere, quem vellet, aſſerebant. Dicebant enim & merito, Beatricem filiam Fernandi adulterio & inceſtu fuiſſe conceptam. Notum quippe erat, Leonoram iuſtam fuiſſe vxorem Ioannis Laurentii Cugnæ, à quo reclamante Rex eam iam duorum filiorum matrem abduxit. Ipſum etiam Ioannem Laurentium, Fernando intra quartum conſanguinitatis gradum fuiſſe coniunctum. Ioannem vero & Dionyſium Regis Petri filios, & Fernandi fratres, qui ad Regem Caſtellę tranſierant, nothos fuiſſe, vt quos ex Agnete à Caſtro concubina, & ſanguine propinquā Petrus ſuſtuliſſet: prætereа hoſtes nominis Luſitani & perduelles, vt qui hoſtili manu cum Ioanne Caſtellæ Rege, & ante cum patre Henrico, in Portugaliæ fines populabundi excurriſſent, grauiaque damna & cædes ſuis ciuibus intuliſſent. Quocirca etiam ſi legitimis quæſiti nuptiis fuiſſent, quod ſe hoſtes & alienos a Portugalia declaraſſent, non potuiſſe eius Regni ſucceſſionem adipiſci. Multa prętereа adducebant, quibus eos Regni ſucceſſionis incapaces oſtenderunt. Credentes igitur, ſe ad eum rediiſſe ſtatum, quo iure omnium gentium poſſent ſibi Regem creare, Regno ſcilicet vacuo, Ioannem virum fortiſſimum, & de Repub. optime meritum, è Regum Portugaliæ ſtirpe prognatum, Regis videlicet Petri filium, Fernandi recens defuncti fratrem, Regem ſibi eligere poſſe, dicebant,

Non eſt igitur cur iſti dicant, Ioannem electione populi fuiſſe Regem, ea ratione quod Fernandus ſine deſcendenti hærede deceſſit: quaſi ſi cognatos haberet, populo ius etiam electionis competiiſſet. Quod quidem contra ius omnium gentium eſſet, & contra Doctorum omnium ſententias, qui (vt ſuperius diximus) ad Regnorum ſucceſſiones, iura ſanguinis, vſq; ad omnes remotiſſimos gradus, valere dicunt.

CENSVRA LXXIX.

QVOD etiam addunt, Eduardi Regis poſtulatione, à populorum conuentu impetratum, vt Alfonſum primogenitum in Principem eligerent, ob fratrum diſſidia eius

morte-

morte vitanda, id mera calumnia eſt, qua impoſtores iſti fortiſſimos, & ſanctiſſimos viros infamant, de quorum fide nunquam frater Eduardus dubitauit. Nec enim vllum fidelitatis & obedientiæ exemplum tam nobile, quam illorum Principum in Regem puerum fuit. Nec Petrum excipio, quod inimicorum calumniis perfidiæ falſo ſit inſimulatus. Omnia vero perperam fabulator hic, cauſæ ſuæ fauens, narrauit. Sine conuentu enim populorum, & nullis habitis Comitiis, inſtituit Eduardus vt Alfonſus eius primogenitus, Princeps deinde diceretur. Prima quippe Comitia ab Eduardo indicta fuiſſe, poſt Ioannis patris exequias, ad quas populorum legati, antiſtites Regni, & proceres conuenere, certum eſt: quo tempore Alfonſus Princeps iam dicebatur. Sintræ enim, cum Infantes poſt patris mortem, & ante comitia, Alfonſo puero fidelitatem iurarunt, Princeps à patre vocatus eſt, vt ex annalibus noſtris conſtat. Cum vero Alfonſus primogenitus Eduardi eſſet, & legitimus Regni ſucceſſor, qui poterat populus eum eligere, ni poſſet etiam Regnum aliis deferre? Ea enim electorum poteſtas eſt, vt è multis cui velint, dignitatem conferre poſſint, qualis eſt illorum, qui Romanum eligunt Imperatorem. Iuſiurandum vero fidelitatis, quod à populorum conuentu exigitur, obligatio eſt ſeruiendi, non poteſtas eligendi. Quid enim Principatus nomen dignitatis auxit in Alfonſo, quod antea non habuiſſet? Aut in quo Infans primogenitus à Principe niſi nomine nudo differt? Occaſio autem mutandi dignitatis nomen, à conſuetudine, quæ in aliis Hiſpaniæ Regnis inoleuit, nata eſt. Ad imitationem enim primogenitorum Regum Angliæ, qui Principes Gaulis, & Gallorum, qui Delphini Viennæ appellabantur, Ioannes I. Caſtellæ Rex, Henricum eius primogenitum Principem Aſturiarum dici inſtituit. Hoc ſecutus filius illius Fernandus, eius nominis Primus Aragoniæ Rex, Alfonſum primogenitum, Principem Gerundæ voluit appellari. Carolus etiam III. Nauarræ Rex nepotem ſuum Carolum Regni ſucceſſorem futurum, Viennæ Principem nuncupauit. Quare Eduardus Rex Portugaliæ, qui ſolus ex Regibus reſtabat Hiſpaniæ, ne filius Alfonſus diuerſo appellaretur vocabulo, omiſſo antiquo Infantis nomine, vocari eum iuſſit Principem Portugaliæ, ſine vlla populorum opera, aut conſenſu. Quid enim hoc ad populum? Si quid etenim ea appellatione dignitatis Alfonſo accreuiſſet (quod dicendum non eſt) nullo iure id à populis conferri poterat, niſi à Rege, cui à principio ſe, ſuaque omnia tradidere, & in quem ius ſuum, & omne imperium, & poteſtatem tranſtulerunt. Quis enim tam imperitus rerum eſt, qui non intelligat, cum Reges dare leges, non accipere cõueniat, ab ĩs tanquam à fontibus, nobilitatis & dignitatis iura ad populum, & non è conuerſo à populo ad Principes promanare? Vnde cum ea dignitas ab authoritate, aut conſenſu populi non penderet, vbi primum primogenitus in lucem edebatur, in quolibet Hiſpaniæ Regno, etiamſi ei fidelitatem populus nondum iuraſſet, Princeps vocabatur, ſiue maſculus, ſiue femina eſſet, & morte illius ſecundogenitus: quod hodie in conſuetudine poſitum eſt. Proterui igitur hominis eſt, aſſerere Alfonſum, cui naſcenti ius, & ſpes Regni ſtatim deberi cœperunt, à populo fuiſſe electum, cuius ſucceſſio à ſubditis ſuis non potuit pendere, cum iuramentum fidelitatis, quod ab eis exigitur, ſeruitii ſignum, non poteſtatis ſit.

CENSVRA LXXX.

DE Emmanuele Rege quod aiunt, populi ſuffragiis fuiſſe electum, ſimilis impudentia & impoſtura eſt, vt exteris, qui noſtra ignorant, perſuadeant, in Portugalia tot fuiſſe Regum electiones, quot ex Regibus ſine liberis deceſſerunt: credentes ſcilicet, perfidiam ſuam poſſe huiuſmodi celare mendaciis. Qui enim Regis Eduardi nepos erat ex filio Fernando, & Ioanni ſine legitima ſobole decedenti proximus agnatus, vt qui patruelis erat frater, nullis indigebat populi ſuffragiis. Præcedebat enim Emmanuel ſorores Leonoram Reginam, & Iſabellam Brachantiæ Ducis vxorem ſexu: Maximilianum autem Cæſarem, qui in eodem erat gradu, iure ſanguinis: quod hic per fœminam, Leonoram ſcilicet Auguſtam Ioannis amitam cognatus erat, ille per Fernandum patrem, Ioannis patruum, agnatus. Quare otioſa erat, magis quam officioſa illa Ioannis inſtitutio, qua Emmanuelem Regni hæredem teſtamento declarauit. Nihil enim accipiebat, qui iure ſanguinis neceſſario ſuccedebat. Quid enim, ſecundum Papiniani ſententiam, de ſuo videtur reliquiſſe, qui omnino reddere debuit? Facultas enim neceſſariæ electionis, proprie liberalitatis beneficium non eſt. In gratiam autem Georgij filij nothi, quo propitiorem haberet Emmanuelem, eum in Regno inſtituit, cui maxime ademptum voluit. Notum enim eſt ijs, qui noſtrarum rerum peritiam aliquam habent, quantam dederit Ioannes operam vſque ad vltimum vitæ diem, ne ad Emmanuelem, ſed ad Georgium filium

Regnum perueniret, niſi Leonora Regina eius vxor domi, & Fernandus & Iſabella Reges Catholici, qui Emmanueli propinquo fauebant, & Georgius Cardinalis Oliſiponenſis apud Pontificem Alexandrum VI. reſtitiſſent, ne Georgius legibus ſolueretur. Sed vt mendacium iſtud magis ſpleneſcat, manus cominus conferamus. Si ergo Emmanuel poſt Ioannis mortem electus eſt, neceſſum erat Comitia fierent & conuentus, cleri ſcilicet, procerum, & populorum, & Interreges interim crearentur, qui Comitiis præeſſent, & Regni clauum tenerent. Mora etiam illius interregni, & electionis futura erat aliqua. Scimus tamen ex annalibus, & publicis monimentis, atque authoritate multorum, qui rei geſtæ interfuere, à quibus audiuimus, Ioannem deceſſiſſe Aluorii die Dominico ſub Solis occaſum, qui fuit XXV. Octobris, anni M. CCCC. XCV. Die vero lunæ XXVI. ſcilicet eiuſdem menſis Salaciam, vbi Emmanuel cum Regina Leonora ſorore erat, nuntium allatum de morte Regis. Die Martis, qui XXVII. fuit, Emmanuelem à Regina, & magnatibus, qui cum iis erant, Regem ſalutatum more patrio, & in Regni poſſeſſionem miſſum fuiſſe. Is enim mos eſt, vt ſedens Rex futurus in Regio ſolio, aurea chlamide indutus, & ſceptrum manu geſtans, priuilegia ſubditorum iuret ſe ſeruaturum, præſentes ad manus oſcula admittat, in ſeruitii & obedientiæ ſignificationem: à vexillifero & armorum magiſtris, poſtea à circumſtantibus Rex acclamatur, & ſalutatur. Hac breui & ſimplici cæremonia Reges apud nos declarantur, & in Regni poſſeſſionem mittuntur. Primum autem omnium conuentum, Rex Emmanuel Montemaiori ciuitate trans Tagum ſita, egit, quo proceres, antiſtites, & populorum legatos euocauit, & eò, Salacia decedens, intra paucos dies acceſſit. Quo igitur ore impudentes iſti, Emmanuelem populorum ſuffragiis electum aſſerunt, cui intra triduum à morte Ioannis, ius Regni delatum, & poſſeſſio acquiſita eſt?

CENSVRA LXXXI.

IMPVDENTISSIMVM profecto illud de Emmanuele fuit, quod verò de Henrico hic tradit, longe impudentius nobis viſum eſt, quod eius Regni auſpiciis interfuimus, quibuſque interfuit omnis Oliſiponenſis populus, & multitudo hominum omnium fere nationum: qui in hoc totius orbis emporio diuerſantur. Funeſtiſſimæ enim illius Africanæ cladis, qua Sebaſtianus Rex cum multis è Luſitanica nobilitate occubuit, vbi ſenatui Oliſiponenſi nuntius allatus eſt, ſtatim Henricum ab Alcobacia accerſitum, è Regia ad valetudinarii templum per vrbem ductum, inopinati caſus acerbitate conſternatum, & eo vultu, qui magis videbatur ad exequias filii cohoneſtandas, quàm ad Regni ſolium & gratulationes duci, more & inſtituto maiorum, proceres & nobiles, qui aderant Regem ſalutarunt, ſine vlla dilatione, aut populorum conuentu. Cum enim Henricus filius Emmanuelis Regis eſſet, ad cuius perſonam ſucceſſio referenda erat, & cæteris gradu, ſexu, & ætate præſtaret, quæ mora futura erat, in Regni poſſeſſione acquirendà? Deniq; non ab Oliſiponenſi Senatu electus eſt, vt iſti falſo dicunt. Quando enim vna ciuitas ad totum Regnum elegit? Ab ipſo tamen Senatu, & vniuerſo populo, patrio inſtituto, vt cęteris Regni ciuitatibus, Rex agnitus, & adoratus eſt.

CENSVRA LXXXII.

HAS populi electiones falſo aſſeruere, vt eam quam de Antonio comminiſcuntur, iuſtam fuiſſe rei ignaris perſuaderent. Qualis autem ea fuerit ex geſtorum narratione facile conſtabit. Mortuo igitur Henrico Rege, qui ſuum de Regis Philippi iuſta ſucceſſione iudicium aperuerat, & (ſi diutius vixiſſet) ei Regnum adiudicare deſtinauerat, cuius iure eſſe ſciebat, Philippus à Regni Gubernatoribus, qui omnium ordinũ ſuffragiis, viuente adhuc Henrico, fuerunt electi, inſtanter obedientiam requiſiuit. Hi per Epiſcopum Conimbricenſem, & Emmanuelem Melium Regiarum venationum Præfectum, ab eo petunt, quando de ſucceſſione Regni diſceptatio in iudicium deducta erat, ab XI. viris, quos populi elegerant ad Regni cauſam decidendam, ſententiam ferri ſineret. Eos namque eſſe iudices, qui ſuo iure illum nõ erant fraudaturi. PHILIPPVS, qui defuncto Regi proximus erat cognatus, legitimus, natu maximus, & vir: & qui in terris nullum habebat iudicem, cui ſe in profanis ſubiiceret, iniquè eos agere reſpondit, qui ſuo Regi, & ab Henrico prædeceſſore iam declarato, debitum iure omnium gentium differrent obſequium. Nec ſe ſententiæ ſtaturum, quem leges dare ſubditis, non ab ijs accipere æquum erat.

Dum hæc aguntur, Antonii aſſeclæ, qui nouandis inhiabant rebus, veteres caſus in-

ter Lu-

ter Luſitanos & Caſtellanos male præſenti rerum ſtatui conferentes, Scalabi, quæ nunc Sanctarena dicitur, cum de euehendo Antonio agerent, & alii Regni defenſorem, alii Regem eum dici vellent, tandem Regem ſalutare omnes decreuere. Antonius de induſtria vrbis muros egreditur, ſimulans propugnaculum in æditiori ſuburbii loco velle ædificare ad vrbis tutelam, & ſitum inſpectum ire: vt ſcilicet populus eo conueniret, & propoſiti exequendi occaſionem haberet. Magna igitur turba popularium coacta, cum vnus è plebe, qui ad id fortaſſe ſubornatus erat, Antonium Regem acclamaſſet, & qui ex compoſito aderant, ſuccinuiſſent, plebs, vt malarum ſemper rerum facilis imitatrix eſt, & nouarum ſtudioſa, Regem eum ſalutauit. Antonius, etſi à principio Regis nomen reſpuere, & exhorrere videretur, & defenſoris titulum velle diceret, vinci tamen ſe paſſus eſt. Hi igitur omnes, reclamantibus arcis Sanctarenenſis Præfecto, & Decurionibus, magna turba vrbem ingreſſi & tumultu, ad curiam Antonium deferunt. Quæ cum clauſa eſſet, ſecuribus fores effringunt, & ad obedientiam minis & terrore ciues compellunt. Recta inde Oliſiponem venientes, eam facile occupant, quod nobilitas omnis, peſtilentiæ cauſa aberat, & vrbis Rectores ipſius A N T O N I I metu aufugerant. Gubernatores, qui Cetobricæ erant, & ob Antonii vicinitatem, & Regis nomen vſurpatum in diſcrimine poſiti, quod multi Antonio affecti in eos plebem, & ipſos ſuorum corporum ſtipatores, & cuſtodes concitauerant, de nocte ſequentibus nonnullis è prima nobilitate, nauicula inſcenſa, in proximum Caſtellæ oppidum, ad Anæ oſtium ſunt deuecti. Inde ad Caſtrum Marinum primum Portugaliæ municipium: eoque in loco Regem P H I L I P P V M verum & legitimum Regni ſucceſſorem declararunt. Quorum iudicio omnes ciuitates & oppida ſtetere, quo Antonij metus non penetrauerat. Ea vero vt in obſequium ſuum traheret P H I L I P P V S, Fernandum Toletanum Albanum Ducem fortiſſimum Imperatorem, & rerum geſtarum gloria clariſſimum, cum exercitu viginti millium electiſſimorum peditum, duorum millium equitum in Portugaliam miſit. Is, nemine reſiſtente, Cetobricam venit. Inde triremibus in Caſcaſium, oppidum nobile ad Tagi oſtiū ab Oliſipone X V I. millibus paſſuum diſtans, exercitum traiicit, & tam arce illa, quam aliis Oliſiponē verſus expugnatis, non longe ab Antonii ſtatiuis caſtrametatus quarto ab vrbe lapide. Ante vero quam cum Antonio manum conſereret, cum ei à P H I L I P P O Rege iniunctum eſſet, quoad poſſet, Portugalię res illęſas conſeruaret, & omnia ante tentaret, quibus tam Antonius ipſe, quam vniuerſi eius Regni ciues incolumes eſſent, Toletanus Antonium ad fœdus icendum prouocat. Illum vero iam perſuaſum, & qui cum Toletano conuenerat, vt in cymba ad colloquium venirent, non defuit, qui dehortaretur, & ad reſiſtendum incitaret: magis affectibus ſuis, quam Reipublicæ, aut Antonii commodis indulgens. Albanus igitur X X V. die Auguſti nō magna difficultate Antonianos, quorum maxima pars coacta, & inuita ad pugnam venerat, fudit fugauitque: & Antonius ipſe, accepto in capite vulnere, fuga euaſit. Quem ſi inſecuti eſſent Albani milites, nec prædę intenti eſſent, facile cepiſſent. Incolumis tamen Auerium peruenit, cui magna vis tumultuariorum militum, facinoroſorumq; ſpe prædæ ſeſe aggregauit, inter quos egregius hic noſter hiſtoricus frater Ioſephus, multa per maximū ſcelus dicitur edidiſſe facinora. Oppido igitur expugnato, Antonius in Portuenſem ciuitatem contendit, quam ſine vlla cepit difficultate. Dux Albanus, Sanctium Auilam virum ſtrenuum, & militaris diſciplinæ ſcientiſſimum, cum tribus militum millibus mittit, qui eum conſequatur. Antonii milites, cum nulla neceſſitatę coacti, nec ſtipendiis conducti ad eum veniſſent, ſed ſpe prædæ tantum illecti, & prouinciam Interamnem expilaſſent, non periclitari amplius pro Antonio decreuere. Languide igitur remiſſeq; pugnantes, primo fere cōcurſu fuſi ſunt, & in fugam verſi. Antonius, rebus deſperatis, nauem quam in Vienneni portu paratam habebat, cum aſcenderet, nec ob aduerſæ tempeſtatis vim; ſoluere poſſet, in terram egreſſus, ſolito ornatu detracto, mutata veſte, detonſaq; barba, ne agnoſceretur, fugam occupat. Eo habitu aliquot delituit menſibus, amicorum hoſpitio variis locis exceptus: & tandem in Galliam contendit.

Hæc Antonii fuit electio, ea Regni fuere auſpicia, hic finis. Quæ cum geſta fuerint in media hominū luce, in foro, in exercitu, inter multos mortales, quid impudentius quam à populis fuiſſe electum, & per totum Regnum aſſerere fuiſſe receptum, qui nullibi potuerit conſiſtere, & à nemine fuerit admiſſus, niſi ab ijs, quibus vis adhibita fuit? Notum enim eſt, nullum ex proceribus Antonio acceſſiſſe. Ioannes namq; Brachantiæ Dux, non modo ampliſſimæ ditionis Dominus, ſed vnus è Regni candidatis, Catharinæ vxoris ratione, vt quæ Emmanuelis Regis ex filio Eduardo neptis eſt, qua fidelitate & animi propenſione in Regis P H I L I P P I obſequium & obedientiam venerit, qua Duces Auerienſes mater & filia ditionis hęres, qua Dux Villarealenſis, Marchio Ferreirenſis, Comites Portalegrenſis,

Odemirenſis, & ceteri Regni Dynaſtæ, qua Gubernatores, & maxima nobilium pars, nemo ignorat. Quorum nonnulli non ferentes PHILIPPI moram, vltro ſe ad eum ſalutandum, in Caſtellam contulere. Primus autem omnium, ſummæ nobilitatis vir Antonius à Caſtro Comes Monſanctenſis, Caſcaſii Dominus. Archiepiſcopi autem Bracharenſis, Oliſiponenſis, Eborenſis, & cæteri Epiſcopi, & Regni antiſtites, quam in officio perſtiterint erga PHILIPPVM, & qua animi alacritate illius ſucceſſionem fuerint amplexi, omnes ſciunt. Quos igitur Antonius pro ſe habuit præter domeſticos, qui eum deſerere noluerunt, incondita fuit popularium turba, & populi colluuies, rapinæ & libertatis auida, & pauci nobiles, iique fere omnes adoleſcentes: quorum nonnullos Antonij beneuolentia, alios rei familiaris anguſtia, cupiditas, & ambitio eò adduxere, vt experirentur, an periculo ipſius, poſſent Regem habere amicum: quippe quibus maior ſpes erat lucri, quam metus damni: quod ſublato de medio, aut victo Antonio, nullius rei iacturam facere poterant, quibus nullæ facultates erant. Multi etiam Antonianorum metu perculſi, ei acceſſere: ne tanquam perduelles, ab ijs ad pœnas & ſupplicia traherentur: quod Antonio vel nomen non dediſſent, vel neutri adhærentes parti, Antonii cauſam iuſtiorem non cenſere viderentur: & inter eos nonnulli aulici magiſtratus, quos neceſſitas, & temporis conditio, parere cui minime vellent, cogebat.

DVARDI NONII LEONIS IVRISCONSVLTI LVSITANI, DE VERA REGVM PORTVGALIÆ GEnealogia Liber.

AD ALBERTVM ARCHIDVCEM AVSTRIAE CARDINALEM AC *Principem Sereniſſimum.*

DE HENRICO PORTVGALIÆ Comite

HENRICVS Portugaliæ Comes natus eſt Veſontii: quæ ciuitas metropolitana eſt Burgundiæ Comitatus, vulgo hodie Beſanzon. De eius origine variæ ſunt opiniones. Alii Pannonicum, Hungariæ ſcil. Regis filiũ: alii Græcum ex Imperatorum Conſtantinopolitanorum ſanguine ortum: plures Lotharingum dicunt. Nos vero (vt latius in eius vita) Burgundum aſſerimus, certiori coniectura & authoritate. Patrem autem habuiſſe Guidonem Comitem Vernolienſem & Brionenſem, Reginaldi & Aliſæ Comitum Burgundiæ filium, Guillemi Comitis Burgundiæ fratrem. Vnde patrueles habuit Henricus Stephanum Comitem Burgundiæ, Raymundum Gallæciæ Comitem ſocium itineris in Hiſpaniam, Caliſtum II. Pontificem Maximum, & Clementiam Roberti Comitis Flandriæ vxorem, patrui Guillelmi filios. Vxorem autem fuiſſe Guidoni Ioannam Ducis Burgundiæ filiam, Northmanniæ traditur annalibus.

Is ad bellum ſacrum tendens, in Hiſpaniam appulit, & Alfonſum VI. Caſtellæ Regem,

gem, qui Imperator etiam dicebatur, cum Raymundo Burgundo, & Raymundo Toloſano Comite aduerſus Sarracenos iuuit. Illi vero propter ſanguinis claritatem, & res prę̄clare geſtas, Alfonſus Taraſiam filiam notham locauit, Portugaliamque nomine dotis, & iure clientelæ dedit: hoc eſt illud, quod intra limites Interamnis prouinciæ, Lamecæ, Conimbricæ, & Viſei continebatur: & tractum etiam illum Gallecię, qui Vltramontanus dicitur, cum iure recuperandi eam Luſitaniæ partem, quæ à Sarracenis occupabatur, vſque ad Bæticæ confinia: qua ſcilicet Anas prouincias diuidit.

Suſtulit HENRICVS ex Taraſia ALFONSVM HENRICVM, qui primus Portugaliæ fuit Rex.

Duas etiam ſuſcepit filias, Vrracam, quæ Veremundo Comiti Traſtamaræ: & Taraſiam, quæ Fernando Menendo in Gallecia nupſere.

Ex concubina Petrum habuit virum bello ſtrenuum, quem in expugnatione vrbis Sanctarenenſis, Alfonſum fratrem iuuiſſe legimus.

Eccleſias Cathedrales Bracharenſem, Portuenſem, Lamecenſem, & Viſeenſem à Sarracenis dirutas Henricus ſuis ſumptibus erexit, erectas Pontificibus reſtituit: & eas ampliſſimis cenſibus ditauit.

Moritur Aſturicæ anno à Chriſto nato M. CXII. Sepelitur Bracharæ cum vxore Taraſia in ſummo templo, iuxta maximam aram, quo illos Iacobus Souſa Archiepiſcopus, vir pietate iuxta ac nobilitate conſpicuus, ex humili ſacello eiuſdem templi tranſtulit, anno M. D. XIII.

DE ALFONSO PRIMO REGE PRIMO.

ALFONSVS I. Henrici Burgundi & Reginæ Taraſiæ filius, naſcitur anno M. XCIIII. Hic quamdiu fuit in patris poteſtate, & ſub adminiſtratione matris, Infans Portugaliæ more filiorum Regū vocabatur. A morte vero matris ad prælium Orichienſe, Princeps Portugalię dictus eſt. A pręlii autē tempore, Rex. Taraſia vero mater Regina dicebatur, more illius temporis, quo Regū filiæ omnes Reginæ vocabantur: etiam ſi Regnum non haberent. Quem morem ad Afonſum II. durasse comperimus. Deinceps Infantes dici cœptæ ſunt, vt etiam mares.

Vxorem duxit Mahaldam filiam Amedei II. Comitis Maurianæ, & Guigonis Comitis Albonenſis filiæ. Ille autem eſt Amedeus, qui rediens è Syria, quo bis belli ſacri cauſa iuerat, moritur in Cypro, & ſepultus eſt in cœnobio S. Crucis, iuxta vrbem Nicoſiam. De quo multa præclare geſta memorantur: & inter alia, magna illa victoria, quam de Turcis adeptus eſt, pro Rhodienſium equitum defenſione. Is ab Imperatore Henrico V. primus Sabaudię Comes, & ſacri Imperii per Italiā Vicarius creatur. Ex hac Mahalda ſuſcepit Sanctium Regni ſucceſſorem.

Vrracam, quæ Regi Fernando II. Legionis, & Gallecię nupſit, à quo poſtea Summi Pontificis ſententia, quod ſanguinis ratione eſſent coniuncti, ſeparatur: nato tamen iam Alfonſo, qui patri ſucceſſit in Regno, & pater fuit Fernandi III. qui Sanctus habitus eſt: cuius opera, Hiſpalis & Corduba à Sarracenorum tyrannide, CHRISTIANIS ſunt reſtitutæ.

Taraſiam, quæ Philippo Comiti Flandriæ locata eſt. Hæc nomen Taraſiæ in Mathildem vertit apud Flandros: à quibus Regina Mathildis appellatur, & in magno pretio habita eſt, tam propter Regium ſtemma, quam propter magnam prudentiam, & fortitudinem animi, qua Flandros gubernauit, dum maritus Philippus abeſſet, belli Syriaci cauſa vt à magno patre Alfonſo non videatur degeneraſſe. Obiit quippe Philippus in Ptolemaidis obſidione, peſtilentię contagio. Mathildis vero infelici exitu mortua eſt prope Furnas, anno M. CC. XVIII. quo tempore Fernandus eius nepos ex fratre Sanctio, Comes erat Flandriæ. Dum .n. per viā paluſtrem iret, lapſo quo vehebatur eſſedo, ſuffocatur. Illumque locū hodie foramen Reginæ vocari, aiunt. Sepelitur primū in monaſterio Dunenſi: inde ad Claramvallem Burgundiæ nobiliſſimum cœnobium transfertur. Habuit Alfonſus illegitimos Petrum Alfonſum, cuius ſucceſſio & dignitas ignoratur: & Vrracam Alfonſam, quam nonnulli nuptam fuiſſe dicunt Sanctio Nonio, ex quibus ortam dicunt Vrracam

Sanctiam, quæ Gundiſſaluo Souſę locata eſt. Horum dicunt fuiſſe filium, celebrem per ea tempora Comitem Mendum Souſanum. Petrus autem Comes Barcellenſis in commentariis de nobilium Portugaliæ genealogia, eam Vrracam Regis Alfonſi filiam locatam tradit fuiſſe Petro Valladaro: eoſque parentes fuiſſe Sanctiæ Pelagiæ vxoris Petri Ruizii Gironis, qui pugnæ illi decantatiſſimæ ad Nauas Toloſæ interfuiſſe dicitur. Vtrumq; fortaſſe verum, ſi illa bis nupſit.

Anno M. C. XXXIX. cum Iſmario, ſeu Iſmaele, & quatuor aliis Regibus Sarracenorũ collatis ſignis conflixit in Orichienſi agro, magna eorum facta ſtrage. Qua victoria parta, in memoriam quinq; Regum, quos vicit, crucem cæleſtis coloris, quæ Portugaliæ inſigne erat, in quinq; diuiſit ſcutula: eaq; argenteis reſperſit denariis, pro recordatione etiam eorum, quibus aſſertor noſter venditus fuit.

Olliſiponē, Leiriam, Sanctarenam, Turres Nouas, Sintram, Maforam, Cezimbram, Eboram, Pacem Iuliam, & totam fere Portugaliam, quanta nunc eſt, è Sarracenorum liberatam tyrannide, Chriſtianis reſtituit.

Animi eius fortitudinem comitabantur tantæ corporis vires, vt in pugna, qua ſemper primus erat, ad eum tanquam ad furibũdum leonem hoſtes non auderent accedere. Tantoque dexteræ robore fuit, vt nullum leue vulnus inflixiſſe dicatur. Strenuus tamen hic bellator, cum domi erat (domicilium enim Conimbricæ fere habebat) inter Sanctæ Crucis monachos, ſuperpelliceo indutus (ita ſuprema eorum veſtis linea vocatur) in choro ſimul ſacra carmina canebat.

Fuit in Deum pientiſſimus. Magnam enim partem eorum, quæ bello acquirebat, monaſteriis & religioſis viris donabat: tanquam Deo non ſibi militaret. Et ita hoſtes debellauit, vt Deus pro ipſo pugnare videretur.

Tanta præterea ſui fiducia præſtitit, vt quod in Scipione maxime laudatur, ei fuerit peculiare. Sæpe enim nondum inchoata, pro perfectis prædicebat, quaſi in ſe ſitum eſſet. Cum Scalabim, quæ nunc Sanctarena, furto capere vellet, è Conimbrica egreſſus paucis comitatus, pridie quam ciuitati appropinquaret, ſuis prędixit, ſequenti die ſe intra mœnia futurum. Et ita nulla Sarracenorum proditione, ciuitatem cepit ex improuiſo populoſiſſimam, munitiſſimam, & naturali ſitu fere inexpugnabilem. Nihil hac fiducia generoſius, nec prędictione certius fuit, nec celeritate admirabilius, ſi ciuitatis ſitus, & ciuium armatorum frequentia conſiderentur.

Plurimas eccleſias erexit & reparauit, & duo illa celeberrima monaſteria Alcobacienſe, & Sanctæ Crucis Conimbricæ extruxit, atque ampliſſimis reditibus locupletauit. In quorum cenſu ſunt multa oppida, & poſſeſſiones magni valoris. Fundauit etiam nobile S. Vincentii cœnobium ordinis Sancti Auguſtini, in obſidione Oliſiponenſi, eo ipſo, quo caſtra poſuit, loco.

Rebus tandem tam bello ſtrenue, quam pace pie geſtis, obiit Conimbricæ, anno ſalutis humanæ M. C. LXXXV. Vixit annos XCI. Sepelitur in cœnobio S. Crucis, quod ipſe fundauit.

DE SANCTIO I. REGE II.

Sanctivs I. fortiſſimum parentem in omnibus ſecutus eſt. Quo ſuperſtite, multa fortiter geſta eius tradita ſunt. Inter ea verò celebris illa pugna, quam cum Hiſpalenſi Rege commiſit, prope Hiſpalis muros, tanta Sarracenorum clade, vt memoriæ proditum ſit, Bætis fluminis vndas fluxiſſe ſanguinolentas. Multa etiam Bæticæ oppida deprędatus, cum opimis ſpoliis in Luſitaniam reuerſus eſt.

Quadriennio ante patris obitum vxorem duxit Dulciam, ſeu Aldonzam, Raymundi Berengarii & Petronillæ Reginæ Aragoniæ filiam, Ranimiri autem monachi neptem: ex qua ſuſcepit Alfonſum Regni hæredem.

Fernandum, qui intuitu amitæ Reginæ Taraſiæ, ſeu Mathildis, Flandriæ Comitiſſæ, duxit vxorem Ioannam Flandriæ Comitiſſam, filiam Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani. Hic in pugna illa memorabili apud Bouinas, quam ſignis collatis, cum Imperatore Othone IIII. Ioanne Rege Angliæ, Regnaldo Comite Dampmartini, & aliis, aduerſus Philippum Auguſtum Galliarum Regem commiſit, captus eſt, & multos annos aſſeruatus in arce Lupara Lutetiæ Pariſiorum. Inde vero tandem liberatus à Ludouico IX. Nouiomi moritur, anno M. CC. XXXIII.

Petrum, qui ſeu diſſidio cum Rege Alfonſo fratre, qui in fratres & ſorores non fuit benignus, ſeu peregrinãdi ſtudio, in aula Marrochiorum Regis aliquandiu egit. Poſtea in

Arago-

Aragoniam profectus, Comes fuit Vrgellenſis, ratione vxoris Aurembiagis. Hic in compenſationem hæreditatis, quæ ad matrem Dulciam pertinebat in Aragoniæ Regno, à Iacobo Rege Regnum Maioricæ accepit in vitam. Sed quòd ad illud tuendum à Sarracenorum iniuriis, vires ei non ſuppetebant, Regnum Iacobo reſtituit, & ab eo vrbem Segorbiã, & Morellam obtinuit. Huius Petri auxilio, Guillelmus M ngrius electus Archiepiſcopus Tarraconenſis, inſulam Ebuſum debellauit, anno M.CC.XXXV. Sine liberis autem deceſſit.

Henricum, qui adoleſcens obiit.

Taraſiam, quę cum Alfonſo Legionis & Gallecię Regi nupſiſſet, & filios procreaſſet, ob magnam tempeſtatum vim, terręmotus, & peſtem vndiq; graſſantem, atq; alias calamitates, quas inceſtuoſo Taraſiæ & Alfonſi coniugio Portugalenſes imputabant, quod fratrum eſſent filii, à Celeſtino III. ſeparationem obnixe contendebant. Pontificis autẽ iuſſu, Epiſcoporum Portugaliæ, & Legionis Concilium Salmanticæ eſt indictum, ſub præſidio Guillelmi Cardinalis S. Angeli: in quo diuortiũ eorum Principum decretum eſt. Taraſia autem rediens ad patrios lares, monaſterium Loruanienſe ordinis D. Benedicti, quod antea monachorum erat, inſtaurauit, & virginibus dedicatum, magnis donariis, & Eſgueræ oppidi ditione auxit, in eoq; ſepulta eſt.

Mahaldam, quæ cum formoſiſſima eſſet, & multis animi dotibus ornata, Henrico I. Caſtellæ Regi nupſit, à quo etiam propter ſanguinis neceſſitudinem, ſeparatur ſententià Munionis Epiſcopi Burgenſis, & Telli Palentini, quibus Innocentius III. cauſam commiſerat. Illa autem ad ſuos reuerſa, monaſterium Aroucenſe condidit, quo ſe abdidit, & in eo ſepulta eſt.

Sanctiam, quę cælebs vixit, & monaſterium Loruanienſe moderata eſt. Hæc in propriis ædibus Gerabricæ, quæ nunc Alanquera vocatur, viuente adhuc D. Franciſco, eius ordinis recenter inſtituti primum cœnobium fundauit. Cuius aulæ veſtigia adhuc apparent, & integra cubicula. Sepelitur Conimbricæ in cœnobio S. Crucis cum patre Sanctio.

Blancam Guadalaiarę dominam. Hæc cælibem vitam egit, & in Caſtella mortem obiit. Oſſa autem eius in cœnobium S. Crucis delata ſunt.

Berengariam, quam à pueritia Regina Taraſia ſoror in monaſterio Loruanienſi educauit. Cælebs hæc vixit, & in cœnobio S. Crucis ſepulta iacet.

Mortua Dulcia Regina, ſuſtulit Sanctius ex Maria Ioannide à Fornellis concubina, Vrracam Sanctiam, & Martinum Sanctium, qui Traſtamaræ fuit Comes, & vxorem duxit Ello filiam Petri Fernandi à Caſtro cognomẽto Caſtellani. Deceſſit autem ſine liberis.

Ex Maria Pelagia Riparia alia concubina habuit Taraſiam Sanctiam, quæ nupſit Alfonſo Tello Seniori, qui Albuquerquium oppidum condidit, ex quo natus eſt Alfonſus Tellus.

Ægidium Sanctium, qui cælebs moritur.

Conſtantiam Sanctiam, quam cœnobio S. Franciſci apud Conimbricenſes, quod in vita ipſius Patriarchæ cœptum fuerat, vltimam manum impoſuiſſe dicunt. Sepelitur in cœnobio S. Crucis cum patre Sanctio.

Rodericum Sanctium, qui in pugna ad Portuenſem ciuitatem occubuit. Sepelitur in monaſterio Eccleſiolenſi.

Huius Sanctii tempore, appulit vi tempeſtatis in Oliſiponenſem portum LIII. nauium claſſis Danorum, Phriſiorum, & Hollandorum, qui ſacri belli cauſa in Syriam nauigabant. Quorum auxilio Sanctius Syluenſem ciuitatem à Sarracenorum iugo liberauit, & Regno ſuo adiecit. Ita enim cum claſſis Præfectis conuenit, vt ipſis præda, ſibi autem cederet vrbs. Ibi eccleſiam cathedralem innouauit, quæ olim Oſſonobenſis erat: cuius in antiquis Conciliis mentio habetur. Erat autem Oſſonoba ciuitas magna Epiſcopalis, vbi nunc oppidulum Stombar.

Huius etiam tempore, morbi nunquam antea viſi ingruebant, feruentiſſimis intrà viſcera ardoribus, quibus homines quaſi quadam rabie exagitabantur. Exorta etiam fames, frugibus tam vi tempeſtatis, quam vermibus corruptis, & lues non minus nocens pecori, quam hominibus. Agri vaſtati ſunt: & multorum relictæ vacuæ poſſeſſiones. Nulla deniq; domus non lugubris fuit. A bellis autem pauca, aut nulla quies. Nullo enim tempore, Sarraceni Principes cum maioribus copiis Portugaliam inuaſere. Initis autem cum Sarracenis induciis in quinquennium, non defuit Sanctio bellum quaſi domeſticum cum Alfonſo Legionis Rege, nepote ex ſorore, & genero. Vnde ad Sanctium ciuitas Tudenſis, Pons Vetus, & S. Pelagius peruenere oppida. Quæ poſtea, pactis vltro citroq; conuentis, Reges Portugaliæ Legionenſibus reſtituerunt.

Obiit Anno M. CC. XII. Regnauit annos XXVI. Vixit LVIII. Sepelitur Conimbricæ in cœnobio S. Crucis, iuxta aram maximam, è regione tumuli Alfonſi patris.

DE ALFONSO II. REGE III.

ALFONSVS II. cognomine Craſſus, Sanctii I. filius, vxorem duxit Vrracam filiam Alfonſi IX. Caſtellæ Regis, & Leonoræ Henrici II. Regis Angliæ filiæ, ex qua ſuſtulit Sanctium Regni hæredem.

Alfonſum Comitem Bononiæ, poſtea Regem.

Fernandum Infantem Serpæ dictum, qui habuit vxorem Sanctiam Fernandidem Fernandi Comitis Laræ filiam, ex quibus nata eſt filia quædam, quam primogenito Regis Daciæ nupſiſſe dicunt.

Leonoram, quæ Daciæ Regi nupſit.

Fuit Alfonſus in fratres animo non ſatis fraterno, aut liberali. Sororibus autem oppida teſtamento patris legata, ſine cauſa voluit adimere. Sed nihil profecit, tam armis Regis Legionenſis, qui Taraſiæ fuerat maritus, quam Summi Pontificis interminationibus, & interdictione ſacrorum coactus.

Tempore huius Alfonſi, Anno M. CC. XVII. cum ciuitati Oliſiponenſi multarum nauium claſſis applicuiſſet, pelagi tempeſtatibus acta, quæ ex Hollandia, Phriſia, & Gallia Belgica ſoluerat in Syriam ad ſacrum bellum, Matthæus Epiſcopus Oliſiponenſis, vir pius & impiger, claſſis Præfectos, quos benigne excepit, hortatus eſt, dum moram in reparanda claſſe faciebant, Salaciam populi Romani olim Coloniam, nunc vulgo Alcaſſerem ſalis dictæ, ad quam æſtuario duci poterant, è Sarracenorum poteſtate liberarent. Se cum Luſitanis militibus, & commeatu aſſuturum. Aſſentiuntur illi: & cum viginti militum millibus, quos ex Oliſipone & Ebora collegit, Gallis iuuantibus, oppidum obſidet, & expugnat.

Obiit Conimbricæ anno M. CC. XXIIII. Vixit annos XXXVIII. Regnauit XII. Sepelitur in cœnobio Alcobacienſi cum vxore Vrraca.

DE SANCTIO II. REGE IIII.

SANCTIVS II. Alfonſi II. filius nimis remiſſi, & negligentis fuit animi. Et quod magis ad monaſticam vitam, & quietem aptus erat, quam ad Regnum, ſiue (vt alii volunt) quod caputii aliquo genere, ad inſtar monachorum vtebatur, Capellum eum appellabant. Ita enim noſtrates cucullum vocant.

Duxit hic Mitiam Lopidem ab Hara, filiam Diodoci Lupi Cantabriæ Dynaſtæ: quæ ante nupſerat Aluaro Pereſio à Caſtro, filio Petri Fernandi à Caſtro, quem Caſtellanum vocabant. Hanc vero tum quod Sanctio propinqua eſſet, & cum ea coniungi nō poterat, niſi Summus Pontifex eos legibus ſoluiſſet, tum etiā quia ſceleratis quibuſdam Regis conſultoribus fauebat, qui Regnum deprædabantur, Luſitani quidam nobiles è Conimbrica raptam, in Galleciam traxerunt. Inde in Caſtellam migrauit, vnde amplius in Portugaliam reuerſa non eſt.

Huic Sanctio propter ſocordiā & mores Regi non aptos, Innocentius IIII. in Concilio Lugdunenſi, vicarium dedit Alfonſum Comitem Bononiæ, fratrem & legitimum ſucceſſorem, qui pro eo Regnum gubernaret: illæſa tamen manente Sanctii dignitate, cum Regio cultu, & Regni ſucceſſione, ſi liberos procreaſſet.

Obiit Toleti, & ſepultus eſt in ſummo templo in Regum conditorio. Anno M. CC. XLVI. Regnauit annos XXII. Poſtremis autem duobus, rexit pro illo Portugaliā Alfonſus Comes Bononienſis frater.

DE ALFONSO III. REGE V.

ALFONSVS III. Alfonſi II. filius & Sanctii II. frater, vxorem duxit Mathildem Bononiæ Comitiſſam, filiam Regnaldi Comitis Dampmartini, & Idæ Comitiſſæ Bononiæ, viduam Philippi Criſpi filii Philippi Auguſti Regis Gallorum, & Mariæ filiæ Ducis Morauiæ: ex qua nullos liberos ſuſcepit.

Huic Innocentii IIII. Pontificis Max. decreto in Concilio Lugdunenſi, interdicta Sanctio adminiſtratio, quod demiſſo animo eſſet, & ad gubernandū minus idoneus, commiſſa eſt. Mortuo vero Sanctio, in Regno ſucceſſit, vt qui proximus ei erat agnatus. Cum vero Mathildis, ætatis cauſa, quod iam annoſa eſſet, liberos ei non peperiſſet, de prole & Regni

Regni ſucceſſore cœpit cogitare, & Beatricem puellam nondum nubilem, filiam notham Alfonſi X. Caſtellæ Regis, & Maioris Guillelmiæ, duxit vxorem, relicta in Gallia Mathilde. Ex Beatrice autem hos habuit liberos.

Dionyſium Regni ſucceſſorem.

Alfonſum Dominum Portalegrii, Caſtelli Vitei, Matuani, Arrontii, & multorum oppidorum. Duxit hic Violantẽ filiam Infantis Emanuelis filii Fernandi III. Caſtellę Regis, & Conſtantiæ filię Iacobi I. Aragoniæ Regis: ex qua ſuſcepit Alfonſum Dominũ Leiriæ: qui ſine liberis deceſſit. Iſabellam, quæ Ioanni Luſco Domino Cantabriæ nupſit. Conſtantiam, quæ Nonio Gondiſſaluo à Lara filio Ioannis Nonii à Lara cognomento Boni. Mariã, quæ Tello filio Alfonſi Molinæ Infantis. Iſabellã alterã, quæ Ioanni Alfonſo Domino Albuquerquii filio Alfonſi Sanctii, nepoti autem Regis Dionyſii. Sepelitur is Alfonſus Oliſipone in cœnobio S. Dominici, quod Alfonſus pater eius fundauit. Hic vero eſt, quem falſo aſſerebant, eſſe Mathildis filium puerum, & Petrum, aut Fernandum vocari.

Blancam, quæ monaſticam vitam profeſſa, Louanienſi monaſterio præfuit: ex quo in Burgenſium magnum illud monaſterium Holgarum immigrauit. Hæc ditiſſima fuit. Patris enim, & aui Alfonſi Caſtellani Regis teſtamentis, ampla ei legata relinquuntur: & multorum oppidorum ditione aucta eſt, tam in Caſtella ab auo, quam in Portugalia à fratre Dionyſio, qui Montem maiorem Veterem, & Campum maiorem oppida ei conceſſit.

Conſtantiam, quæ Hiſpalim cum matre profecta, auum Alfonſum viſendi gratia, ibi puella adhuc moritur: & in monaſterium Alcobacienſe delata eſt.

Illegitimos habuit Ægidium Alfonſum, qui pater fuit Laurentii Ægidii Bailiuii eccleſiæ Sancti Blaſii Oliſiponenſis ciuitatis, ordinis Hoſpitalentium: vt ex ſepulturæ ipſius epitaphio, in eadem eccleſia conſtat.

Fernandum Alfonſum equitem Templarium, qui Oliſipone, in eadem eccleſia Sancti Blaſii ſepelitur.

Leonoram à Portugalia, quæ nupſit Comiti Gondiſſaluo Garſiæ Souſæ, amplę ditionis Dinaſtæ.

Ex Sarracenici generis muliere Martinum habuit Alfonſum: ad quem Chichorrorum familia genus ſuum refert. Hunc nonnulli per errorem, Alfonſi II. filium fuiſſe, dicebant.

Hic Algarbii Regnum à ſocero Alfonſo conceſſum iure clientelæ, cuius pars à Sarracenis ad id tempus occupabatur, liberum ab eorum iugo reddidit, expugnatis Loulea, Pharo, Aliezurio, & Albofeira. Poſtea cum clientelam in gratiam nepotis Dionyſii, ſocer remiſiſſet, pro Algarbii ſymbolo, Portugaliæ Regni inſignibus clypeum purpureum addidit, aureis caſtellis reſperſum.

Fuit Alfonſus Princeps Reipub. ſuæ vtilis, fortis & liberalis. Multis etiam nominibus laudandus, ſi in Mathildem vxorem, & benemeritam, iniuriam excipias: cum qua viſus eſt, humilioris, non maioris fortunæ iniiſſe ſocietatem.

Obiit Oliſipone, Anno M. CC. LXXIX. & ibi in monaſterio Diui Dominici, quod ipſe extruxit, ſepultus, ad Annum M. CC. LXXXIX. quo in Alcobacienſe monaſterium delatus eſt. Vixit annos LXX. regnauit XXXII.

DE DIONYSIO REGE VI.

Dionysivs Alfonſi III. & Beatricis filius, Princeps multis dotibus inſignis, tres habuit virtutes, quibus inter omnes ſui temporis Principes excelluit, iuſtitiam, liberalitatem, & veritatis ſtudium. Ante illum cum multa itinera eſſent latronibus infeſta, vt ſine magno periculo, homines peregrinari non poſſent, ita eos conquiſiuit, & ſeuera punitione coercuit, vt non minus de nocte, quam de die, eſſet tutus inceſſus. Potentiorum in plebem violentiam repreſſit: & omnes facinoroſos homines, aut vita priuandos, aut deportandos curauit. Ita autem rigorem clementia temperabat, quando opus erat, nec offenſio Reipub. ſequeretur, vt maiore voluptate in parcendo, quam in vindicando, affici videretur.

Ob hanc iuſticiæ opinionem, quam omnes de eo conceperant, & ſummam prudentiam, arbiter electus eſt, qui de Regni Caſtellæ ſumma, inter Fernandum, & Alfonſum à Lacerda ſententiam ferret. De qua re ſine partium querela ius dixit.

Tanta liberalitate excelluit, vt quemadmodum hodie, pro liberali homine dicunt Alexandrum, ita ſuo tempore prouerbio diceretur: Liberalis tanquam Dionyſius. Cuius rei fama amabilem eum apud omnes nationes reddidit. Cum in Caſtellam & Aragoniam arbitrii cauſa iuiſſet, nullus fere ex nobilibus vtriuſque aulæ, indonatus ab eo diſceſſit. Et Iacobo Regi Aragoniæ vxoris fratri, magnam auri ſummam mutuo petenti, mutuum negauit: duplum autem dono dedit. Ab eo autem cum hoſpes eſſet, nec xenium quidem voluit accipere. Caſtellæ Regi Fernando genero ſuo, præſidium ab eo ad belli ſumptus poſcenti, vltra magnam pecuniæ ſummam, ſmaragdinum poculum pretii inęſtimabilis dedit. Cum autem non tantum præſentibus nobilibus donaſſet, ſed & abſentibus munera miſiſſet, & in Portugaliam reditum pararet, nobilis quidam Caſtellanus queſtus eſt, quod ſe ſolum indonatum omitteret: cumq; Rex ſe excuſaret, quod illius notitiā non habuiſſet, argenteam menſam magni ponderis, in qua cœnabat, & quæ ſolum ex Regio inſtrumento ſupererat, ei obtulit, addens, vt boni conſuleret: nihil iam ſibi eſſe reliquum, quo eum honoraret.

Veritatis tam rigidus obſeruator fuit, vt promiſſis facta ſemper exęquauerit. Nec re aliqua, ſe tam offendi dicebat, quam mendacio.

Quanta fuerit prudentia, vel inde colligi poteſt, quod in tanta liberalitate, maximas reliquerit diuitias, ſine ſuorum offenſione.

Vxorem duxit Iſabellam filiam Petri III. Regis Aragoniæ, & Conſtantiæ filiæ Manfredi Neapolitani, & Siculi Regis, Imperatoris Frederici II. filii. Quæ corporis forma cum pulcherrima eſſet, animi dotibus longe pulchrior fuit: vt quæ inter Diuas relata eſt. De cuius vita & miraculis, multa in chronicis D. Franciſci, quæ non minori diligentia, quam pietate, Reuerendiſſimus D. Marcus ab Oliſipone Epiſcopus P[illegible]uenſis in minoribus agens edidit. Ex ea autem ſuſtulit hos liberos,

Alfonſum Regni ſucceſſorem.

Conſtantiam Fernandi IIII. Caſtellæ Regis vxorem.

Ex diuerſis concubinis in iuuentute illegitimos habuit Alfonſum Sanctium Albuquerquii Dominum, quem ex Aldonza Rodericia ſuſtulit. Hunc valde dilexit: cuius cauſa, natæ ſunt ſimultates inter Alfonſum primogenitum & patrem.

Petrum Comitem Barcellenſem, quem ex Domina Gratia habuit. Hic de nobilium Portugaliæ ſtemmatibus libros ſcripſit, qui in precio habentur.

Petrum alium, qui Blancam filiam Petri Ioannis Portelli Domini duxit vxorem. Erat hic Petrus nobiliſſimo genere, Ioannis Auoini filius, & Conſtantiæ Menendę filiæ Menendi Garſiæ Souſæ.

Ioannem Alfonſum.

Fernandum Sanctium, qui Sanctarenæ ſepelitur in Dominicanorum cœnobio.

Mariam Ioanni Lacerdæ nuptam.

Mariam alteram, quæ parthenonis Odiuellenſis monacha fuit.

Fuit Dionyſius Rex humaniſſimus, amœniſſimi ingenii, & à literarum ſtudiis non abhorrens, eo rudi ſæculo. Poetices autem ſtudium maxime dilexit: & fere primus in Portugalia carmina lingua vulgari ſcripſit, nata non ita pridem huiuſmodi poeſi verſuum ſimiliter cadentium apud Sic[illegible]os: è quibus ad Lemouices, Aruernos, & Prouinciales, & inde ad Italos, & Hiſpanos emanauit. Extant hodie multa eius carmina varia menſura, tam de profanis amoribus, quam de laudibus beatiſſimæ Virginis Deiparæ: ex quibus apparet, imitatum fuiſſe Lemouices & Aruernos poetas.

Academiam omnium ſcientiarū Conimbricæ inſtituit primus: & honeſtiſſimis ſtipendiis eruditos homines vndecumq; acciuit, qui docerent. Oppida multa ædificauit, alia diruta reparauit. Leges iuſtiſſime ſanciuit, quas omnium primus obſeruabat: alias emendauit, & diſperſas in libros & methodum coegit. Iudiciorum ordinem in melius reformauit. Militiam Ieſu Chriſti ex bonis Templariorum inſtituit. Ordinem Sancti Iacobi ab Vclenſi Magiſtro exemit, & à Magiſtro Portugaliæ propriis ſtatutis gubernari fecit. Agriculturam maxime curauit: & agricolas vocabat neruos Reipub. Vnde eo tempore, nulli homines otioſi, nullus ager vacuus, & annona ſemper vilior: & ob id Agricola dictus eſt. Multa denique vtilia egit, pro quibus nomen patris patriæ, ei merito conueniret.

Obiit Sanctarenæ magno ſuorū deſiderio, anno M. CCC. XXV. Ianuarii die VII. Vixit annos LXIIII. Regnauit XLVI. Sepultus eſt in monaſterio Odiuellarum ordinis D. Benedicti, quod ipſe fundauit in agro Oliſiponenſi. VI. ab vrbe lapide.

DE ALFONSO IIII. REGE VII.

ALFONSVS IIII. Dionyſii filius à morum auſteritate, & animi robore dictus eſt Ferox. Vxorem habuit Beatricem filiam Sanctii Ferocis Caſtellæ Regis, & Mariæ filiæ Alfonſi Infantis dicti à Molina: ex qua liberos habuit,

Alfonſum, qui puer obiit Penellæ, & Sanctarenæ dicunt ſepeliri in cœnobio Diui Dominici.

Dionyſium, qui anniculus deceſſit, & in Alcobacienſi fano ſepelitur, ad pedes Regis Alfonſi proaui.

Ioannem, qui puer obiit, vt ex eius effigie & monumento apparet in cœnobio Odiuellenſi, iuxta tumulum aui Dionyſii Regis.

Mariam, quæ Alfonſo XI. Caſtellæ Regi nupſit, & Petrum Crudelem peperit.

Petrum, qui patri in Regno ſucceſſit.

Leonoram Petri IIII. Aragoniæ Regis vxorem ſecundam. Hæc puella admodum mortua eſt, relicta infantula Beatrice: quæ allata in Portugaliam poſt mortem Alfonſi, intra pupillarem adhuc ætatem, obiit. Cuius oſſa Regina Beatrix auia, cum ſuis in eodem loco condi iuſſit, Oliſipone in ſummo templo.

Fuit Alfonſus animi fortiſſimi, vnde illi nomen. Cum Caſtellæ Rege Alfonſo XI, nepote ex ſorore & genero, magnas geſſit ſimultates, tum quòd ille ſpreta Maria vxore, ipſius Alfonſi filia, quam peſſime tractabat, Leonoram Noniam concubinam Reginæ honore haberet, tum quod Conſtantiam nurum, filiam Ioannis Emmanuelis, in Portugaliam venire non fineret ad Petrum Regni hæredem, cui pacta erat. Inuidebat enim Petro, quod Conſtantia eſſet potiturus, quam ipſe olim amauerat, & cum qua ſponſalia cōtraxerat, quibus inuitus ferè & à ſuis perſuaſus renunciauerat. Hæ tamen cauſæ non obſtitere, quo minus generum iuuaret in prælio illo ad Salatam flumen, in quo Regem Granatæ fudit, & in fugam vertit, magna Sarracenorum facta clade.

Multa præterea domi foriſque fortiter geſſit, rebus omnibus laudandus, ſi iuuentutis tempus impietate in patrem & in fratrem, & ſenectutis ſæuitia in nurum non maculaſſet. Nam aduerſus patrem, quod Alfonſum Sanctium filium nothum, virum optimum, & ſibi obſequentiſſimum diligeret, inuidia motus arma ſæpe ſumpſit, multaque machinatus eſt, magna eius offenſione, quo Alfonſum aut odiſſet, aut è Regno exterminaret. Quę res Dionyſium inter felices Principes alioqui numerandum, in ſenectute mire afflixit. Agneti etiam à Caſtro, quam filius Petrus ardenter amabat, & vxorem duxiſſe ferebatur, & è qua pulcherrimam ſobolem ſuſtulerat, crudeliter vitam ademit. Leges multas Reipub. vtiles tulit, & iuſtiſſime populos gubernauit. Attentiorem tamen ad rem illum fuiſſe aiunt.

Obiit Olyſipone anno M. CCC. LVII. ætatis ſuæ anno LXVII. Regnauit annos XXXI. menſes V. dies XX. Sepultus eſt in vrbis ſummo templo, iuxta aram maximam, cum Beatrice vxore.

DE PETRO REGE VIII.

PETRVS Alfonſi IIII. filius, qui dictus eſt Crudelis, vxorem duxit Conſtantiam filiam Ioannis Emmanuelis Infantis, Emmanuelis filii, Fernandi verò III. Caſtellæ Regis nepotis, ex qua liberos ſuſcepit,

Ludouicum, qui in cunis fato conceſſit.

Fernandum, qui Regni fuit ſucceſſor.

Mariam vxorem Fernandi Aragoniæ Infantis, Marchionis Tortoſæ, Regis Alfonſi IIII. & Reginæ Leonoræ filii.

Ex Agnete vero à Caſtro filia Petri Fernādi à Caſtro, ſanguine ſibi propinqua, quam poſt illius mortem vxorem profeſſus eſt, filios ſuſtulit,

Alfonſum, qui in cunis obiit.

Ioannem, & Dionyſium, qui in Caſtellam immigrarunt, & ibi mortui ſunt.

Beatricem, quæ nupſit Sanctio Comiti Alburquerquii, notho Alfonſi XI. Caſtellæ Regis: ex qua nata eſt Leonora, quæ Fernando Caſtellæ Infanti, Duci Penafielenſi, poſteà Aragoniæ Regi, locata eſt.

Propter ingenitum naturæ rigorem, & quod in puniēdo crudelitatem magis, quam iuſtitiam exercebat, Crudelis nomen adeptus eſt. Pœnas enim maiores irrogabat, quam

legibus eſſent ſancitæ, & indicta cauſa, ſententias plerunque ferebat. Multa delicta antiqua, quorum memoria aboleuerat, peiori exemplo puniuit, quam quo cōmiſſa ſunt. Nullum etiam apud illum, circa punitionem, diſcrimen inter profanos homines, ſacerdotes, monachos, aut Pontifices. Cum enim nonnulli ſacris initiati, de ſui iudicii incompetentia exciperent, ſuſpendi laqueo, aut decapitari iubebat: & ad Chriſtum ſuum competentem iudicem, eos remittere dicebat. Sæpe manu propria, culpa deprehenſos, aut diffamatos flagellabat, flagellumq; ſemper ſecum gerebat.

Tres vno tempore Petri Crudeles regnabant in Hiſpania: Hic in Portugalia, alter in Caſtella, tertius in Aragonia, & Carolus II. in Nauarra: vt non ita caſu facti, ſed pacto conueniſſe omnes viderentur, ad iniurias ſubditis inferendas.

Hanc tamen Petri Luſitani aſperitatem, ſeu crudelitatem nulla auaritiæ ſpecies comitabatur: quin imo bona, quæ ad fiſcum erant deferenda, aliis donabat. Nec in aliquem, niſi in criminoſos, aut quos pro criminoſis habebat ſæuitiam exercuit. Aliis benignus & liberalis. Vnde plures illum Iuſtitiarium vocabant, quam Crudelem. Illud ſæpe iactabat, indignum ſibi videri Regis nomine eo die, quo nihil cuiquam præſtitiſſet. Aulicis diaria, aut menſtrua, quæ loco cibariorum ſoluebantur, ob auctum pretium victualium, auxit. Illud etiam ſæpe dicebat cubiculariis, cingulum ſibi laxarent, ne corpore preſſo, non poſſet manum extendere: indicans ſcilicet, Regem debere eſſe largum.

Quadriennio poſt mortem patris, publice teſtatus eſt, Agnetem ſibi iuſtam fuiſſe vxorem: & filios ex ea legitime natos habendos eſſe. Sed nihil apud Pontificem profecit, quo ad filiorum ſtatum. Illam vero vt Reginam coli mortuam, & ita vocari, præcepit. Regia etiam pompa eam ex cœnobio Sanctæ Claræ Conimbricenſi, ad Alcobacienſe, lectica ornatiſſima transferri curauit, deducentibus eam Epiſcopis, Clero, & omnium ordinum hominibus, atque illuſtrium matronarum comitatu. Cumque Alcobacia diſtet à Conimbrica LXVIII. millibus paſſuum, toto illo itinere, inter ardentes tædas, ab vtroq; latere cadauer inceſſit, multis hominum millibus ad id diſpoſitis. Et in nobiliſſimo marmoreo tumulo collocauit, Agnetis effigie Regio diademate inſignita.

Petro vero Coelio, & Aluaro Gōdiſſaluo, qui necis Agnetis authores extitere, è Caſtella, permutatione ſontum Caſtellanorum facta, cum Petro Crudeli, Sanctarenam allatis, corda viuentibus extrahi iuſſit. Coelio à pectore, Aluaro autem à tergo, eoſque exuri fecit: quaſi hoc ſacrificio Agneti parentaret. Quod non tanta crudelitate horum Regum perpetratum fuit, quam perfidia. Petrus enim Luſitanus fidem illis fregit, quibus iureiurando pepercerat: Caſtellanus eos prodidit, qui ad illum tanquam ad aſylum confugerant, & ſuæ fidei & tutelæ ſe commiſerant.

Obiit Petrus Eſtremotii, anno M. CCC. LXVIII. vixit annos XLVII. menſes IX. dies VIII. Regnauit annos X. menſes VII. dies XX. Sepelitur Alcobaciæ iuxta Agnetem.

DE FERNANDO REGE IX.

FERNANDVS Petri & Conſtantiæ filius vxorem duxit Leonoram Telliam, filiam Martini Alfonſi Tellij, nuptam Ioanni Laurentio Cugnæ viro antiqua nobilitate, & iam ex eo matrem. A viro autem eam abduxit eo prætextu, quod matrimonium inter illos conſtare affinitatis ratione non poterat: cum tamen Ioannes Laurentius à Summo Pontifice legibus fuiſſet ſolutus. Metu vero tanti riualis, Ioannes in Caſtellam ſe contulit. Erat autem Leonora eximia pulcritudine, & venuſtate prædita, & mira ſermonis & morū elegantia. Quam cum Rex in domo Beatricis ſororis vidiſſet, miſere deperiit: & contra Regni procerum ſententiam, vxorem duxit.

Ex eo matrimonio, ſeu potius adulterio, nata eſt Beatrix, quam cum pater multis deſpondiſſet, Ioanni tandem I. Caſtellæ Regi locauit. Fuit Beatrix ſumma pudicitia, & multis virtutibus admiranda. Quæ cum iuuenis adhuc à viro relicta eſſet, & multi Principes eius matrimonium ambirent, reſpondit: Bene moratas mulieres, non ſolere bis nubere: eo magis ob id laudanda, quod filia Leonoræ eſſet. Nati Fernando ſunt & pueri duo, qui in cunis obiere.

Illegitimam habuit Iſabellam, quæ Alfonſo Comiti Gigionenſi Norognæ Domino, filio illegitimo Henrici II. Caſtellæ Regis nupſit. Ex quibus Norognarum familia in Portugalia nobiliſſima procedit.

Succeſſit Fernandus in magnas patris diuitias, quas peſſimo conſilio diſſipauit. Interfecto enim Petro Caſtellæ Rege ab Henrico fratre illegitimo, qui Regnum occupauit, vt hominum natura varia eſt, nec cum rebus humanis tam præclare agatur, vt plures meliora

liora ſequantur, fuere multi, qui non tam Regis omnium crudeliſſimi deſiderio, quàm nouarum rerum ſtudio ab Henrico Rege optimo & tyrannicida, potius quam parricida deſciuerunt, & necem Petri vindicandam cenſuerint. Multi igitur ad Fernandum confugêre, tanquam ad proximum Petri cognatum, eius opem implorantes, vt occiſi Regis manes vindicaret, & auiti Regni ius perſequeretur, quod ſibi deberi dicebant.

Erant huius ſententiæ, vltra magnum nobilium numerum, qui ad Fernandum venere, Alfonſus Epiſcopus Ciuitatenſis: qui ei arces Hinojoſæ & Vmbralis tradidit, Comes Fernandus à Caſtro, & Aluarus Pereſius à Caſtro fratres, Melenus Suarius Alcantarenſis militiæ Magiſter, Suarius Ioannes Parada Galleciæ Præfectus, Ioannes Fernandus Anderius, qui Comes fuit Aurenenſis, Dia Sanctius Præfectus Cazorlæ; Petrus Giron qui titulum Magiſtri Calatrauæ vſurpabat. Ciuitates & Caſtra, quæ Henrico parere nolebant, & in Fernandum propendebant, Zamora, Carmona, Ciuitas, quam Rodericiam appellant; Cauria, Legeſma, Alcantara, Valentia. In Gallecia ciuitates Compoſtellana, Tudenſis, Orenſis, Lucenſis. Oppida Patro, Brigantium, quæ aliter Corugna, Saluaterra, Baiona, Allaritium, Milmanda, Arauſium, Ripa Auia.

Fernandus, qui in ætatis flore erat, gloriæ cupidiſſimus, & animi inquieti, nec ſatis prudens, multis etiam diuitiis affluens: quæ ſemper aliquid iniquum ſuadent, occaſionem non aſpernatus, de Regno Caſtellæ cum Henrico cœpit contendere, & ſe & ſuos innumerabilibus expoſuit laboribus, diuturno bello iactatus. Quare rebus non bene cedentibus, externum ex Anglia acciuit militem, qui infeſtior fuit Portugaliæ, quam fuiſſet hoſtis.

Fuit Fernandus per omnes ętatis gradus forma eximia, & tanta Regię maieſtatis ſpecie, vt ignotus inter multa hominum millia eiuſdem cultus, Rex exiſtimaretur. Fuit ſuauiſſimis moribus, crudelitatis & vindictæ inimiciſſimus, & vltra modum liberalis: Alfonſo cuidam à Moxica Caſtellano, ex his, qui ab Henrico ad eum deſciuerant, vna die loco côgiarii miſit X X X. equos: X X X. mulas: X X X. thoracas cum tota panoplia: X X X. mille libras argenti ſignati, quæ efficiebant mille C C C. marchas: quatuor ingentes mulos tapetibus, & lectorum ſtragulis veſtibus onuſtos: & Regium diploma, quo illi nobiliſſimum Turrium Veterum oppidum perpetuo iure donauit. Hinc effectum eſt, quod cum tota Portugalia ipſius Fernandi culpa, & inconſtantia, in maximas calamitates; & damna tam ab hoſte, quam à milite externo, domi illata incidiſſet, nemo illum odio proſequebatur: Tam efficax eſt, ad hominum animos demerendos, manſuetudo, & benignitas.

In valetudinem diutinam incidit: ex qua obiit Oliſipone, animo ſanctiſſimis ſacris expiato, & magna erratorum pœnitentiæ ſignificatione, anno M. C C C. L X X X I I I. ætatis ſuæ X L I I I. menſ. X. dierum X V I I I. Regnauit annos X V I. menſes I X. Sepultus Sanctarenæ in cœnobio Franciſcanorum, iuxta matrem Conſtantiam.

DE IOANNE I. REGE X.

IOANNES I. qui ob multa memorabiliter ab eo geſta, Rex bonæ memoriæ cognominatus eſt, filius fuit illegitimus Petri Regis. Natus anno M. C C C. L V I I. X I. Aprilis die. Infans domi cuiuſdam ciuis Oliſiponenſis enutritus. Puer traditus eſt inſtituendus Nonio Freirio Andradio Chriſti militiæ Magiſtro. Septenni pater Magiſtratum Auiſienſis militiæ contulit. In prima adoleſcentia creatus eques, militiæ tyrocinium non ſine laude fecit.

Mortuo fratre Fernando, & gubernante Leonora Regina, cùm omnes tæderet authoritatis, qua Comes Ioannes Anderius apud illam valebat, cuius nutu omnia fiebant, & qui viuente Fernando, adulterium cum illa (vt fama erat) commiſerat, tanta claritate, vt crederent Regem conſcium fuiſſe; & diſſimulaſſe, fuere qui Ioannem adhortarentur, vt iniuriam fratri & ſibi illatam vindicaret, & hominem ſibi inimicum de medio tolleret. Conſilio enim Reginæ & Anderii, Fernandus Ioannem hunc fratrem vinculis aſſeruari fecit: & imitato chirographo Regis, Leonora nocte quadam ſubito eum decapitari iubebat, Rege inſcio, niſi cuſtos carceris Martinus Alfonſus Melius, homo nobilis & cordatiſſimus ſuſpectas literas credens, pœnam diſtuliſſet.

His incenſus, Ioannem Anderium in Reginæ aula obtruncauit: eoque in periculo tota ciuitas Oliſiponenſis affuit Ioanni, & incolumem domum reduxit: illum aſſertorem & vindicem pubicæ libertatis proclamans. In cuius amorem tam propenſi ciues erant, quam Reginæ infenſi. Regina, relicta vrbe, Gerabricam contendit. Ciues autem Ioannem Ducem & defenſorem elegerunt, qui Portugaliam ab iniuria Regis Caſtellæ defenderet, quod contra pacta conuenta, & iureiurando firmata veniret. Actum enim erat inter

illum & Fernandum ſocerum, & proceres Regni vtriuſque, vt vſque ad Regni hæredem naſciturum ex Beatrice, eumque adultum, Portugalenſes ſuis rectoribus, ſuis legibus gubernarentur, & Portugaliæ ſignis & nota, moneta cuderetur. Ioannes vero Caſtellæ Rex pactis non acquieſcens, & meliora ſuorum non audiens conſilia, in Portugaliam contendit: & Oliſiponem Regni caput terra mariq; obſedit. Peſtilentia deinde coactus, qua magnam exercitus partem amiſit, eo tempore quo iam obſeſſi fame miſerrime premebantur, re infecta diſceſſit. Multis tamē Regni proceribus, & arcium Pręfectis eum Regem agnoſcentibus.

Hoc Regis Caſtellę diſceſſu, Ioannes Luſitanus animos ſumens, Conuentus Conimbricæ celebrat, quo Epiſcoporum aliqui conuenēre, & ij pauci nobiles, quos libertatis amor, aut ſtudium rerum nouarum mouebat: vt fit in Repub. vacua. Maior enim & præcipua pars procerum, in Caſtellę Regem veluti in potentiorem propendebant: vt qui feuda, & bona Regii iuris poſſidebant, quibus nolebant ſpoliari. Fuere in Comitijs diuerſa partium ſtudia, cum tamen omnes in hoc conuenirent, vt Rex declararetur. Alii enim Ioannem Infantem Regis Petri & Agnetis à Caſtro filium, qui in Caſtella aſſeruabatur, Regem volebant. Alii hunc, quem defenſorem fecerant, & Ducem. Tandem ipſum Ioannem Magiſtrum Auiſienſem Regem ſalutarunt.

Incitatus his Ioannes Caſtellæ Rex in Portugaliam rediit, cum numeroſo exercitu, collecto equitatu ex præcipua Hiſpaniæ nobilitate, & Gallorum auxiliis, quo iterum Oliſiponem obſidere terra parabat: quam iam obſeſſam ingenti habebat claſſe. Capta enim Regni metropoli, totum Regnum debellatum credebat. Ioannes autem nouus Portugalię Rex cum Nonio Aluaro Pereira, quem Comeſtabilem crearat, & qui in ea re ſtrenuā nauauit operā, euntem exercitum inter portum molarum, & vicum Aljubarotam, aggreſſus perpaucis, quos colligere potuit, collatis ſignis, in latiſſima illa planicie dimicauit: & paucarum horarum ſpatio Luſitani Caſtellanos fuderunt, magna eorum ſtrage edita, multis etiam captis, reliqui in fugam verſi.

Ioannes autem Rex Caſtellę, qui quartana laborabat, & eo die febris acceſſio fuerat, equo inſcenſo, quāto maximo potuit curſu, Scalabim, vulgo Sanctarenam, ea nocte peruenit: & inde clanculum Oliſiponem petens, nauem ſuæ claſſis ingreſſus, Hiſpalim delatus eſt, tanto animi mœrore, vt nullum ſolatium admitteret: non tam quod victus fuiſſet, (vt ipſe dicebat) quam quod victus à Luſitanis illis tam paucis, quos ipſe nihili faciebat: & quod florem Hiſpanæ nobilitatis, & omnes fere Gallos ſocios amiſiſſet. Hac victoria parta, reliquæ Regni ciuitates & oppida in deditionem venerunt.

Sublato de medio Ioanne, cum filio Henrico III. & Ioanne poſtea II. fœdera iniuit vtili & honeſta conditione.

Anno vero M. CCC. LXXXVII. vxorem duxit Philippam filiam Ioannis Ducis Lancaſtrenſis filii Eduardi VI. Regis Angliæ: qui in Portugaliam venit, Caſtellę Regnum recuperaturus, quod ſibi deberi, ratione Conſtantiæ vxoris filiæ Petri Crudelis dicebat: ſuper quo cum Ioanne poſſeſſore tranſegit. Ex ea autem hos ſuſcepit liberos.

Blancam, quæ puella obiit.

Alfonſum primogenitum, qui vixit annos X. Sepelitur Bracharæ in ſummo templo. Obiit anno M. CCCC. Die XXII. Nouembris.

Eduardum Regni ſucceſſorem, qui proauum maternum nomine retulit, Eduardum ſcilicet VI.

Petrum Ducem Conimbricenſem, virum bello & pace clariſſimum, & prudentem, vt qui multas Europæ, Aſiæ, & Africæ vidit vrbes in longiſſima illa peregrinatione, qua Sigiſmundum Imperatorem iuuit aduerſus fidei hoſtes. Fuit hic nō ſolum militari diſciplina excellens, ſed & literarum ſtudiis deditiſſimus, & multarū artium callens. Scripſit multa proſa & verſu, & nonnulla è patrio ſermone in Latinum vertit: Cuius hodie extant carmina de moribus, doctrinæ & prudentiæ plena. Vxorem duxit Iſabellam filiam Iacobi Vrgelenſis Comitis, & Iſabellæ filiæ Petri IIII. Aragoniæ Regis. Ex ea ſuſtulit Petrum illum à Cathalanis Regem Aragonię electum, in odium Ioannis II. qui breui veneficio obiit mortem. Ioannem Conimbricenſem, qui Carlottam Ioannis Regis Cypri filiam hæredem vxorem duxit, & viuente ſocero moritur. Iacobum Cardinalem Sancti Euſtachii Archiepiſcopum Oliſiponenſem, iuuenem animi modeſtia, grauitate, ingenii acumine, & eruditione præſtantiſſimum, & continentiſſimum. Qui cum omnis libidinis expers eſſet, & in grauiſſimum morbum incidiſſet, à quo liberari poſſe medici dicebant, ſi fœminæ accederet, magno animo, & maiori puritate reſpondit: Malle ſe mori, quam pollui. Obiit Florentiæ & ibi ſepelitur honorificentiſſime in æde S. Miniati. Iſabellam etiam ſuſtulit Reginam Portu-

Portugaliæ, Alfonſi V. ex fratre nepotis vxorem. Beatricem: quæ cum in Burgundia apud amitam Iſabellam eſſet, Adolpho Rauaſtano Dynaſtæ Cliuenſis Ducis filio, matrimonio locata eſt. Philippam, quæ Odiuellenſis parthenonis monacha vixit. Hic autem, dum iuſte Regnum gubernat pro Alfonſo Rege puero, in inuidiam multorum incurrit, quorum cupiditatem non expleuerat, & ſuorum etiam machinatione apud adoleſcentulũ Regem delatus periit, anno M. CCCC. XLIX. XX. die Maij.

Henricum Ducem Viſeenſem, & IESV CHRISTI militiæ Magiſtrum, cuius in Septenſi expugnatione enituit virtus. Fuit hic Geographiæ ſtudiis deditiſſimus, & cui acceptæ ferendæ ſunt, tam ad orientem, quam ad occidentem Hiſpanorum nauigationes. Oblata enim occaſione ex ea Septenſi expeditione, latius euagandi, & cupiditate incenſus terras ignotas explorandi, claſſes parauit, quibus non ſolum Africæ litora, & eas maritimas regiones, quæ extra fretum Herculeum ad Auſtrum ſpectant, luſtrarent, ſed longius etiam progrederentur. Cuius opera factum eſt, vt tam hominum induſtria, quam tempeſtatis euentu, Africę bona pars, quæ ad Æthiopiam pertinebat, & Inſulę multę Oceani Luſitanorum ditioni cederent. Vt vero hæc commodius efficeret, in Algarbii Regno, Luſitaniæ parte ſecretiore, vbi Sagris oppidum eſt, ad Sacrum promontorium, Sedem conſtituit, vt inde claſſes emitteret, & orientis viam aperiret. Morte autem prohibitus eſt, ne eo perueniret, anno ætatis ſuæ LXVII. ſalutis vero humanæ M. CCCC. LX. Nullos hic liberos reliquit, præter adoptiuum Fernandum nepotem ex fratre Rege Eduardo, vt qui cœlibem, & ab libidine alienam vitam egerit.

Ioannem S. Iacobi militię Magiſtrum ac Portugaliæ Comeſtabilem, virum prudentem & pium, & Reipub. amantiſſimum. Duxit hic Iſabellam filiam fratris Alfonſi Comitis Barcellenſis, primi Brachantiæ Ducis: ex qua habuit Iacobum, qui ei in Magiſtratu S. Iacobi & Comeſtabilis dignitate ſucceſſit, & adoleſcens moritur. Iſabellam, quæ Ioanni II. Caſtellę Regi locata peperit magnam illam Iſabellam Reginam Catholicam, & Alfonſum, qui procerum quorundam defectione, Caſtellæ Rex electus eſt, viuente adhuc fratre Henrico, XII. annum agens, & veneno necatus eſt. Suſtulit & Beatricem, quę Fernando eius nepoti ex Eduardo Rege fratre nupſit: ex quibus Emmanuel Rex naſcitur. Habuit & Philippam, quæ in cælibatu vixit. Obiit Ioannes ætate XLII. annorum, menſium IX. anno vero ſalutis M. CCCC. XLII. Iſabella autem eius vxor moritur Areuali, dum Iſabellam filiam Reginam Caſtellæ viduam inuiſit, anno M. CCCC. LXV.

Fernandum Magiſtrum militiæ Auiſienſis Ciſtercienſis ordinis, virum mira probitate, & vitæ ſanctimonia. Obſes hic datur Sarracenorum Duci Salæ Aben Salæ, donec Septenſis ciuitas ei traderetur, iuxta pacta inita in funeſta illa expeditione Tingenſi. Mortuo autem Rege Eduardo fratre, qui redemptionem eius contra procerum vota procurabat, & teſtamento cauit, in captiuitate manſit ſexennium, in qua vitam morte commutauit, tantas perpeſſus ærumnas, & tanto pietatis Chriſtianæ exemplo, vt merito videatur inter martyres referendus. Obiit anno M. CCCC. XLIII. Anno ætatis ſuæ XLI. Allata ſunt eius oſſa ex Africa in monaſterium Batallenſe, vbi iuxta patrem ſepelitur.

Iſabellam, quæ Philippo III. Burgundię Duci Flandrię, Hannoniæq; Comiti, multarumq; prouinciarum Domino tertia fuit vxor. Nuptias huius maiori lætitiæ demonſtratione, & magnificentiori apparatu Philippus celebrauit, quam cæterarum, tam propter ſoceri maieſtatem, quam nouæ nuptæ, quæ tam maſculi fuit animi, & tanta prudentia prædita, vt ſine eius conſilio, nihil Philippus inchoauerit, nihil perfecerit. Nec minoris fuit apud ſubditos, quam vir. Ex hoc matrimonio natus eſt Carolus pater Mariæ Maximiliani I. Cæſaris vxoris qui in prælio ad Nancæum occubuit. In gratiã vero Iſabellæ, & primo nuptiarum die, inſtituit Philippus celebrem illam aurei velleris militiam, ſub D. Andreæ patrocinio, quam ab aureo Argonautæ Iaſonis vellere, voluit appellari: vt ex diplomate ipſo inſtitutionis conſtat: denotans eo inſigni, expeditionem longinquam parare, ad bellum ſcilicet tranſmarinum.

Illegitimum habuit Alfonſum Ducem Brachantiæ primum, qui Beatricem filiã hæredem Nonii Aluari Pereiræ Comeſtabilis duxit vxorem. Ex his natus eſt Alfonſus, qui fuit Comes Aurenenſis, poſtea Marchio Valentiæ, & viuo patre obiit Tomarii, anno M. CCCC. LX. Fernandus etiam Comes Arraiolenſis Marchio Villæ Vicioſæ, qui in Ducatu patri ſucceſſit. Iſabella, quæ Ioanni Ioannis Regis filio locata eſt. Obiit Alfonſus anno M. CCCC. LXI. Sepelitur Aquis Flauis ditionis ſuæ oppido.

Suſtulit etiam Ioannes Beatricem illegitimam, quæ Comiti Harondelli Regis Angliæ propinquo nupſit.

Vbi pax parta eſt, & data à bellis cum finitimis quies, ne in ſenectute quicquã de glo-

riæ ſtudio remittere videretur, & filiis aliquod diſciplinæ militaris documentum daret, ad fidei hoſtes animum conuertit: & maxima inſtructa claſſe, contra Hollandiæ Ducem ire fingens, quem per ſimulationem prouocauerat, ob iniurias ab eius claſſibus illatas Luſitanis, Septam Mauritaniç Tingitanæ vrbem maximam, & opulentiſſimã, atq; munitiſſimam in ora Gaditani freti ſitam petiuit, & vno die expugnauit, magna Sarracenorum ſtrage, anno M. CCCC. XV. die XXI. Auguſti. Erat eã vrbs Africæ ſpecula, atq; propugnaculum Hiſpaniæ oppoſitum, atq; obiectum, è cuius portu claſſes emittebantur quibus ſæpe clades noſtris illata eſt, & ingens illa Sarracenorum multitudo ad nos transfretabat. Vnde non immerito Hiſpaniæ clauis Septa appellatur. Hodie Epiſcopali dignitate fungitur.

Nec inter arma leges, quas iuſtiſſime tulit, ſiluere. Florebat enim tunc in Portugalia Ioannes ab Aregis, toga militiaq; clarus, & iuris ſcientiſſimus, qui Bartoli auditor fuerat. Huius opera inſtituit Rex, Codicem Iuſtiniani in patrium ſermonem verti, additis nõnullis Accurſii & Bartoli doctrinis, opus vtile & optime concinnatũ: quod legum Regiarum vigorem habere edixit.

Eccleſiam Oliſiponenſem Cathedralem, quæ olim ſuberat Emeritenſi, poſtea Brachiarenſi, Metropolitanam fieri curauit.

Magnanimitatem Ioannis teſtantur etiam ædificia, in quibus authoritas, & magnificentia cum elegantia ſtructurç certant. Eius enim opera ſunt cœnobium illud Regium Batallenſe Virgini matri dicatum, S. Dominici inſtituti. Quod eo loco fundauit, quo memorabilem illam de Rege Caſtellæ victoriam adeptus eſt. Teſtantur & Regiæ domus, Sintræ, Oliſiponis, Sanctarenæ, Almeirini, & alia multa.

Deniq; fuit Princeps ille non virtutis tantum militaris, & imperatoriæ gloria præcellens, ſed laudibus etiam religionis, magnanimitatis, liberalitatis, & clementiæ præſtantiſſimus. Nonnullis enim, qui in eius caput coniurauerant, non pepercit modo, ſed muneribus etiam poſtea affecit. Vnde illi, inter cæteros Reges, durat adhuc bonæ memoriæ honorificum cognomentum.

Obiit anno M. CCCC. XXXIII. Vixit annos LXXVI. menſes IIII. Regnauit XLVIII. menſ. IIII. dies IX. Cum admirabili pompa, & ad illud tempus inſolita, perductus in triumphali curru ab omnium ordinum hominibus, comitantibus filiis, in monaſterium Batallenſe.

DE EDVARDO REGE XI.

EDVARDVS Ioannis I. filius vxorem duxit Leonoram Fernandi I. Aragoniæ & Siciliæ Regis filiam. Ex ea ſuſtulit.

Alfonſum, qui in Regno ei ſucceſſit.

Fernandum Ducem Viſeenſem militiarum Chriſti & Sancti Iacobi Magiſtrum, & Regni Comeſtabilem, qui Beatricem Ioannis patrui ſui filiam duxit vxorem: ex qua nati Leonora, quæ Regi Ioanni II. fratri ſuo patrueli nupſerat. Iſabella, quæ Fernando II. Brachantiæ Duci. Catharina, quç puella obiit. Ioannes, qui patri in Ducatu ſucceſſit. Iacobus, qui Ioanni fratri. Eduardus, Dionyſius, & Symon, qui pueri ſunt extincti. Emmanuel, qui Rex fuit Portugaliæ. Obiit Fernandus Cetobricæ XVIII. die Septembris, Anno M. CCCC. LXX. Sepelitur Pace Iulia. Vixit annos XXXVI.

Philippam, quæ XII. annum agens, peſtilentiæ morbo obiit Oliſipone.

Leonoram, quæ ætate XVI. annorum Federico III. Romanorum Imperatori locata eſt. Hæc ſub cuſtodia Alfonſi Marchionis Valentiæ, Ludouici Coutignij Epiſcopi Conimbricenſis, Lupi Almeidç, qui primus Abrantenſis Comes fuit, & Guiomaræ Villæ Regalis Comitiſſæ, in Italiam ad ſponſum, eo è Germania venturum, delata eſt. Quam Senis honorificentiſſime exceptam (vt marmoreus lapis hodie teſtatur, quem Senenſes in eius rei memoriam erexere.) Federicus Romam deduxit, comitantibus Ladiſlao Hungariæ Rege, & Alberto Archiduce Auſtriæ: vbi manu Pontificis inter miſſæ ſolennia, ea in vxorem accepta, vnctionis & coronationis vtriuſq; ſacra peracta ſunt. Inde ad Alfonſum auunculum Neapolim deducitur. Quo ſalutato in Germaniam tendit. Ex Federico & Leonora Maximilianus Cæſar Princeps laudatiſſimus naſcitur, proauus PHILIPPI Catholici Regis noſtri.

Catharinam, quæ cum Carolo Nauarræ Principi Ioannis auunculi ſui filio pacta eſſet, & poſt hunc Eduardo IIII. Angliæ Regi, cælebs tandem moritur Oliſipone in parthenone D. Claræ XII. die Iunii, anni M. CCCC. LXIII. & in cœnobio S. Eligii ſepelitur.

Ioannam Reginam Caſtellç vxorem Henrici IIII. matrem Ioannæ Reginæ deſignatæ, quæ Alfonſo V. Portugaliæ Regi auunculo deſponſata, Regno ſpoliata eſt ab Iſabella

Catho-

Catholica,& Fernãdo viro eius, quod adulterio concepta diceretur. Vnde magna illa diſceptatio inter Alfonſum & Fernandum de Caſtellę Regno, ingenti vtriuſq; Regni calamitate: & prælium illud celebre apud Taurum, quo Luſitani fuſi ſunt, excepto Principe Ioanne, qui ab ſtatione ſua non receſſit.

Fuit Eduardus multis animi dotibus præſtantiſſimus. Equitandi, venandi, & luctandi artem adoleſcens ita exercuit, vt omnibus ſui temporis præſtaret. Literarum doctrina tantum valuit, vt non modo multa cognorit, ſed & literis mandauerit. Librum ad vxorem ſcripſit, de fido conſiliario. Compoſuit & de arte equitandi volumen. Et inter alia, quæ de moribus edidit, fragmenta extant hodie de Iuſtitia

Humanitate & eloquentia tantum valuit, vt omnium animos ad ſe traheret. Religionis Chriſtianæ fuit vigilantiſſimus obſeruator. Cibi & potus parciſſimus. Doctorum hominum maximus fautor. In eo deniq; Principe nihil erat, quod poſſet deſiderari, niſi fortuna melior. Multa enim triſtia ſuo acciderunt tempore. Nam quinquennio toto illo, quo regnauit, peſtilentia adeo graſſata eſt, vt ſemper fuerit iactatus, nec in vno loco conſiſtere potuerit. Captiuitas etiam Fernandi fratris, qui obſes datus eſt Sarracenis, pro Septæ reſtitutione, eum magno affecit mœrore. Aut enim ei carendum erat fratre optimo, & amantiſſimo, & inter crudeliſſimos hoſtes relinquendo, aut totius Hiſpaniæ propugnaculum fidei inimicis, in perniciem Reipub. Chriſtianæ, tradendum. Teſtamento tamen cautum reliquit, vt Septa redderetur pro fratre.

Illud etiam Eduardi infelicitati adnumerari poteſt, quod cum quatuor haberet fratres viros optimos & fortiſſimos, vxori Leonoræ ſummam rerum regendam, ſuprema voluntate demandarit, contra fratrum expectationem, & populi votum. Vnde magna nata ſunt diſſidia & calamitates, quales ſub puero Rege contingunt, & ipſius Reginæ exilium, & intempeſtiua mors. Ægre ferebant enim Principes illi, à fœmina externa, & aliorum arbitrio pendenti, Regnum paternum gubernari, & in interitum duci.

Primus hic Regum Portugaliæ, filium primogenitum Principem vocari inſtituit.

Cum peſtilentia non Oliſiponem modo, ſed pleraſq; Regni partes affligeret, & varias ſedes coactus eſſet mutare, Nabantiam, quam vulgo Tomarium vocant, Auguſto menſe petiuit, & ibi gliſcentis morbi contagione, ex epiſtola (vti aiunt) accepta obiit anno M. CCCC. XXXVIII. Septembris die IX. qua magna ſolis fuit defectio. Vixit annos XXXVII. Regnauit V. dies XXV. Sepelitur iuxta patrem in Batallenſi cœnobio.

DE ALFONSO V. REGE XII.

ALFONSVS V. à patre Eduardo ſexennis relictus eſt ſub tutela matris. Erat autem ea infenſa Petro Infanti, ob occultas odii cauſas. Has nonnulli referebãt ad inimicitias, quas Iacobus Vrgellenſis Comes Petri ſocer, & eius vxor geſſere cum Fernãdo Aragonię Rege Leonoræ patre, ob Regni ſucceſſionem, cuius ſententia perduellionis damnatus eſt Iacobus, & in vinculis ad mortem vſque aſſeruatus, & bona eius fiſco addicta. Contendebat enim Iacobus, ad ſe Regnum Aragoniæ pertinere, quod arbitrorum ſententia Fernandus obtinuit. Accedebat quod Petrus cæteris fratribus defuncti Regis maior, erat vir prudens, & Reipub. adminiſtrandæ peritus, & propter morum integritatem populo nimis gratioſus. Regina autem præterquam quod mulier inconſtans, rei adminiſtrandę ſatis gnara, in Petri aduerſarios, Comitem ſcilicet Barcellenſem, fratrem nothum Petri, & Comitem Aurenẽſem eius filium, Petrum Norognam Archiepiſcopum Oliſiponenſem, & alios, propendebat. Vnde magna inter vtroſq; odia, & ſeditiones. Populus autem Oliſiponenſis Petrum ipſum fere inuitum, & renuentem, tutorem Regis, & Regni defenſorem creat, ablegata Reginæ, pueri Regis educandi cura. Cui multę Regni ciuitates, & oppida conſenſere, Reginamq; tutela interdicunt. Quod illa non ferens, in Caſtellam ſe contulit, vbi miſerrime vitam finiuit.

Inter has Petri & Alfonſi Comitis Barcellenſis diſcordias, Rex pupillarem exceſſit ætatem, & Regni adminiſtrationem capeſſit. Loco autem gratiæ, quam referre debuerat Petro ſocero, & tutori, ob rem bene adminiſtratam, exulare eum coegit: & ob calumnias tam fratris Alfonſi, quam aliorum, venienti Sanctarenã vbi Rex erat, vt ſe purgaret, quod defendendi ſui cauſa, armorum cohorte ſtipatus veniret, ſi vis aliqua ab aduerſariis ei inferretur, Rex cum exercitu obuiam it, & inito cum eo prælio, Petrus interficitur, & inſepultus triduo iacuit inter viliſſimorum hominum cadauera. Poſtea vero vt quilibet gregarius miles humatur.

Huius Petri filiam Iſabellam duxerat Alfonſus vxorem anno M. CCCC. XLVIII. ex qua Ioannem primogenitum ſuſtulit, qui in cunis deceſſit.

Ioannam, quę in monaſtero IESV Aucrienſis oppidi, ordinis S. Dominici, clauſa vitam egit.

Ioannem alterum, qui in Regno patri ſucceſſit.

Fuit Alfonſus animi inuicti, ſed magis ad belli quã ad pacis artes aptus. Fretum Herculeum traiecit, & multas de Sarracenis adeptus eſt victorias, vnde illi Africani cognomentum. Tingim vrbem nobiliſſimam, & antiquiſſimam, vt quam ab ipſo Anteo conditam dicunt, Zelen, quam Arzillam nunc appellant, Alcaſſerem Seguerium, & alia oppida debellauit & ditioni ſuæ adiecit. Domi remiſſi fuit animi, & negligenter iuſtitiam exercuit. Vnde nobiles ſuo tempore inſolètiores redditi. Quorum mores dum ſubito compeſcere conatur Ioannes filius, ſeuerior eſt habitus, & in grauiſſima incidit odia. Tanta præter ea fuit comitate, & humanitate, vt de maieſtate multum detraheret. Hinc multorum improbæ poſtulationes, & Regii patrimonii multa elargita. Aliena contempſit conſilia proprium ſecutus, ex quo in graues errores incurrit. In reliquis magni animi, liberalis, & mire clemens.

Ioannam Henrici IIII. Caſtellæ Regis filiam, neptem ſuam ex ſorore Ioanna, Caſtellæ Reginam deſignatam, mortuo Henrico, ſponſam accepit, ab Archiepiſcopo Toletano, Marchione Villenæ, Duce Areuali, & aliis proceribus in Caſtellam accitus. Vnde bellorum, & multarum calamitatum orta ſunt principia.

Fuit corpore robuſto, vultu amabili, Religioſorum & doctorum hominum fautor, & literarum ſtudiis eruditus. Quotidianus illius ſermo tam elegans, & cultus erat, vt præmeditato, & ex arte videretur loqui. Cibo, potu, & Venere, continentiſſimus. Ab Iſabellæ enim vxoris obitu, cum ætate adhuc eſſet XXIII. annorum, aiunt expertem vixiſſe libidinis vſque ad mortem.

Poſt è Gallia reditum, quo auxilium petiturus iuit à Ludouico XI. homine vafro, à quo deceptus eſt, ſolitariam vitam agebat, & mœrore contracto ex Ioannæ ſponſæ coacto in religionem ingreſſu, cuius patrocinium ſuſceperat, in febrim incidit acutam: ex qua Sintræ in eodem cubiculo, quo natus eſt, obiit anno M.CCCC.LXXXI. Auguſti die VIII. Vixit annos XLIX. menſes VII. Regnauit XLIII. Sepelitur in monaſterio Batalenſi.

DE IOANNE II. REGE XIII.

IOANNES II. Alfonſi V. filius habuit in matrimonio Leonoram filiam Fernandi patrui, fœminam forma, & ingenio præſtantem, ex qua tulit Alfonſum Principem, qui Iſabella Fernandi, & Iſabellę Caſtellæ Regum filia, vxore ducta, cum qua vixerat menſes VII. interiit Sanctarenæ anno ætatis ſuæ XVI. ſalutis vero humanæ M.CCCC.XCI.

In hoc Ioanne Rege fortunæ inconſtantia, & humanarum rerum ſtatus ſatis perſpici potuerunt. Nullus enim in nuptiarum lætitia maior apparatus, memoria hominum viſus, aut auditus eſt, nec tanta ſpectaculorum varietas, aut veſtium tanta lautities, quanta in eius filii Alfonſi nuptiis fuiſſe traditur. Ante ambulones, muliones, coqui, & alii Principum & nobilium miniſtri, aureis, argenteis, & holoſericis induti, vilia exercebant miniſteria. Per Italiam, Hiſpaniam, & alias regiones, quicquid aurei, argentei, aut ſerici panni inuentum, nauigiis ad id miſſis emptum, & in Portugaliam allatum, pecunia præ manu textoribus ſoluta, ad nouas telas conficiendas. Nullibi tot obſoniorum architecti, cantores, pſaltes, mimi. Nullum triclinium maiora vidit epularum portenta, nullus abacus vaſa capaciora, nulli parietes ſuperbiora aulæa, nec vlla ætas magnificentiores apparatus. Quorum fama, è diuerſis Europæ partibus, ad eam celebritatem, conuenere multi, edictis etiã & præmiis propoſitis. Hæc omnia paucis poſt diebus, quaſi ludibrio id fieret fortunæ, in funebria, & luctus verſa. Alfonſus enim Princeps currentis equi lapſu, ad Tagi ripam diſcerptus, in piſcatoris caſa ſuper fœni ſtrato locatus animam exhalauit: & nobilitas omnis, quę auratis, & gemmatis veſtibus ſplendebat, ſacco more illius temporis induta, ſordebat. Et pro epithalamiis lamenta, & vlulatus ſucceſſere. Attulit huius Principis mors omnium ordinum hominibus ingentem mœrorem, quem caſus acerbitas, ætatis commiſeratio, & eximia eius pulchritudo, cum morum mira benignitate coniuncta, augebant. Accedebat, quod vnicus erat Regni hæres, in quo omnium ſpes erant ſitæ.

Habuit & Georgium nothum ex Anna Mendociæ familiæ virgine nobili, qui Conimbricæ fuit Dux, Marchio Turrium Nouarum, & ordinum D. Iacobi & Auiſienſis Magiſter. Is magni illius Aluari à Portugalia filiam Beatricem duxit vxorem, è quibus Duces Auerienſes, & Lancaſtrorum familia procedunt. Hunc Georgium conatus eſt pater legitimum facere, & Regni hæredem, ſi tam Summi Pontificis Alexandri VI. quam Leonorę vxoris

vxoris voluntatem expugnaſſet: quæ Emmanuelem fratrem ſuo iure fraudari, non eſt paſſa. Vnde inter illam & Ioannem maritum maxima diſcordia & rixę natę ſunt, vſq; ad Ioannis exceſſum, cui Regina non interfuit.

Fuit Ioannes vir vehementis ſpiritus, & animi intrepidi, bello & pace ſtrenuus: ſed ingenii ſeuerioris, quam decuit. Vnde conſpirationes in eum, & procerum cædes ſecutæ ſunt, & ipſius immatura mors, veneni ſuſpicione. Quę omnia vitaſſet, ſi duabus rebus Principi viro neceſſariiſſimis non caruiſſet, clementia ſcilicet, & diſſimulatione. Extremũ autem vitæ actum ita egit, vt inter Diuos multi eum referant.

Ingenii fuit liberrimi, & qui ſe nemini regendum traderet. Illudque ſemper habebat in ore, quod & opere comprobauit: Indignum eum eſſe Regis nomine, cuius voluntas alieno penderet arbitrio. Vnde cum ex Angliæ proceribus quidam, è Luſitania ad ſuos rediiſſet, rogatus à Rege, quid illi in hac regione notabilius eſſet viſum, reſpondit: Vidiſſe hominem, qui cum omnibus imperaret, imperabat ei nemo.

In beneficiis conferendis, & remunerando, nullam faciebat moram. Id enim quod dare ſtatuerat, cito dabat, & ſponte ſua, ne videretur magis ab eo extortum, quam datum. Quare & accipientibus maiora, & honorificentiora videbantur beneficia, ad quæ à Rege grauiſſimi iudicii vocarentur: & gratia manebat apud ipſum, non apud miniſtros, aut diſpenſatores. Ne vero erraret in electione perſonarum, & meritis reſponderent beneficia, ſecreto habebat librum in ſcriniis, in quo omnes, quibus ſe debitorem agnoſcebat, erant deſcripti. Quod vtinam Principes omnes factitaſſent.

Suſurrones ac maledicos, & qui apud ipſum abſentes rodebant, aut criminabantur, non audiebat libenter. Sæpe etiam delatos, & abſentes, acriter à calumniis defendebat. Publicas enim cenſebat debere eſſe accuſationes, non clandeſtinas. Niſi forte in magiſtratus diceretur, quos publice nemo audeat, aut debeat accuſare. Tunc enim intereſſe Reipublicæ putabat, excutere quæ dicerentur. Deprehenſos autem culpa, ſæpe ſecreto verbis caſtigabat, ne collegium, aut magiſtratum infamaret. Multa præterea eius præclare facta, atque dicta narrantur.

Nauigationis in Indiam gloriæ magna pars huic Ioanni II. debetur. Cum enim magno ſtudio, & ſumptibus immodicis inſtitiſſet, vt Luſitanorum claſſes maximam Æthiopiæ partem perluſtrarent, in promontorium illud inciderunt, quo nullum maius in toto orbe eſt. Cuius flexu explorato, lætiſſimus Ioannes, iam ſibi in Indiam aditum patefactum exiſtimabat. Et ob id Bonæ ſpei promontorium vocari iuſſit. Miſſis igitur in Æthiopiam & Indiam, nonnullis, qui inueſtigarent, qua ratione commodius ille curſus peragi poſſet poſt promontorium, claſſem interim parari iubet, qua magnum illud iter dirigeretur. Immaturo tamen fato abreptus, quod mente, & animo concepit, exequi atque perficere nequiuit.

Sancti Georgii caſtellum, quod Minam nunc vocant, vnde quotannis magna vis auri Luſitanorum Regibus aduehitur, ipſe fundauit, initis cum Æthiopiæ Rege fœderibus, & miſſo ad id, Iacobo Azambugio viro nobili, & prudenti.

Obiit Ioannes Aluorii in Algarbii Regno (quo pro recuperanda ſalute, & Balnearum cauſa iuerat) XXV. die Octobris, anno M. CCCC. XCV. Vixit annos XL. menſes VI. Regnauit annos XIIII. menſes II. Sepultus eſt in Syluenſi Cathedrali eccleſia, vſque ad annũ M. CCCC. XCIX. quo ab Emmanuele Rege in Batallenſe monaſterium delatus eſt, vbi pater & auus erant conditi.

DE EMMANVELE REGE XIIII.

EMMANVEL Eduardi Regis nepos ex filio Fernando, & multorum fratrũ vltimus Ioanni II. patrueli ſine liberis legitimis decedenti ſucceſſit. Tres habuit vxores Iſabellam Fernandi, & Iſabellæ Caſtellæ Regum filiam natu maximam, quæ principi Alfonſo Ioannis filio nupſerat: cuius cauſa Caſtellæ & Legionis Rex deſignatus eſt. Ex ea ſuſtulit Michaelem, qui in cunis extinctus eſt. Cuius morte, ius Caſtellæ Principatus ad Ioannam Philippi Archiducis Auſtriæ vxorem cœpit pertinere. Duxit ſecundo Mariam Iſabellæ ſororem, quæ ei peperit Ioannem Regni ſucceſſorem, VI. die Iunii anni M. D. II.

Iſabellam Auguſtam Caroli V. Imperatoris vxorem, ex qua nati PHILIPPVS Rex noſter. Maria Auguſta, quæ Cæſari Maximiliano II. nupſit. Ioanna Ioannis Portugaliæ Principis vxor, quæ Sebaſtiani Regis mater fuit. Nata Iſabella Olíſipone anno M. D. III. Obiit Toleti Kalendis Maii anni M. D. XXXIX.

Beatricem, quæ Carolo Sabaudię Duci nupſit, ex qua natus Carolus, qui adoleſcens

obiit,& Emmanuel Philibertus Dux, qui Margaretam Franciſci Valeſii I. Gallorum Regis filiam duxit vxorem,ex quibus natus Carolus, qui hodie ditioni præeſt. Naſcitur Beatrix Oliſipone vltima die Decembris anno M. D. IIII. Obiit VIII. die Ianuarij. M.D. XXXVIII.

Ludouicum Ducem Pacenſem, & Regni Comeſtabilem. Excelluit Princeps hic inter alios ſui temporis. Militaris diſciplinæ ſtudio maxime deditus. Armorum, equitandi, venandi, & matheſeos peritus. Artium etiam libero homine dignarum nō expers. Religione in Deum, pietate in fratres, humanitate in omnes nulli ſecundus. Nullos liberos reliquit legitimos, vt qui cœlibem vitam ſemper egerit. Adoleſcens Antonium Priorem Cratenſem illegitimum ſuſtulit. Obiit anno M. D. L V. Vixit annos XLIX. menſes IX. Sepelitur in Bethleemitico fano.

Fernandum, qui Guiomaram Franciſci Coutignij Comitis Marialuenſis,& Beatricis Meneſiæ Comitiſſæ Louleenſis filiam duxit vxorem. Fuit hic pulcher aſpectu, ingenio liberrimo, aperto pectore, & ab omni adulationis ſpecie alienus: & ob id Ioanni fratri non admodum gratus. Abrantii, vbi & natus eſt, obiit anno M. D. XXXIIII. ætate annorum XXVII. & ibi ſepelitur, vſque ad annum M. D. LXXXII. quo pientiſſimus Rex PHILIPPVS in Bethleemiticum fanum traduci curauit. Nullos hic liberos reliquit.

Alfonſum Cardinalem, Archiepiſcopum Oliſiponenſem, Epiſcopum Eborenſem, Abbatem Alcobaciēſem. Fuit hic Princeps munificentiſſimus,& magnanimus. Tanta inſuper manſuetudine, & clementia, vt nemo vnquam ab eo triſtis diſceſſerit. Quanta autem fuerit morum ſuauitate, & comitate, obitu illius intellectum eſt. Non enim alio affectu cum vniuerſa luxit Luſitania, quam ſi communis omnium parens interiiſſet. Literatorum omnium fuit maximus fautor, vt qui literarum erat ſtudioſus. Antiſtitis officium, & Sacerdotii munera ipſe ex ercebat aſſidue, vt ſæpe ſacri baptiſmatis fonte pueros lauaret,& Euchariſtiæ ſacramentum ægrotis per vrbem miniſtraret. Illius inuentum fuit, apud nos Chriſtianam doctrinam quotidie in eccleſiis pueris tradi:& eorum nomina, qui ſacro fonte lauarentur, eorum etiam qui ſuſcepiſſent, libro inſcribi. Denique authoritate, famulitii nobilitate, cultu domus,& maieſtate, Regem referebat, religione, pietate, & miſericordia in pauperes Epiſcopum. Natus Eboræ XXXIII. die Aprilis anno M. D. XL. Sepelitur in fano Bethleemitico.

Henricum Cardinalem. Fuit hic primo Archiepiſcopus Bracharenſis, poſtea Eborenſis, Tertio Oliſiponenſis, Quarto iterum Eborenſis. Fuit etiam legatus Summi Pontificis in fratris & nepotis Regnis. Poſtea gubernator & Regis tutor, poſtremo Rex.

Eduardum, qui ducta Iſabella Iacobi Brachantiæ Ducis filia, fœmina laudatiſſima,& ſublatis Maria, quæ Alexandro Farneſio Principi Parmenſi nupſit, Cathatina, quæ Ioanni Duci Brachantię, Iuuenis deceſſit ętate XXV. annorum, relicto poſthumo Eduardo Duce Vimaranenſi,& Regni Comeſtabili, Principe optimo, quem fata præmature nobis inuiderunt. Eduardus pater biduo antequam moreretur, prædixit fratribus & amicis diem & horam ſui obitus. Moritur Oliſipone XX. die Octob. anno M.D.XL. magno omnium deſiderio, propter eius inſitam bonitatem. *Sepelitur in fano Bethleemitico.*

Mariam, quæ in cunis extincta eſt.

Antonium, a cuius partu mater in morbum incidit, ex quo nunquam conualuit. Infans autem paucos vixit dies.

Mortua Maria, duxit Leonoram Philippi Regis Caſtellæ & Archiducis Auſtriæ filiam, Caroli V. Imperatoris ſororem, ex qua ſuſcepit Carolum, qui natus Eboræ XVIII. die Februarii anno M. D. XX. deceſſit Oliſipone XV. die Aprilis anno M. D. XXI.

Mariam Principem, forma, ingenio, & moribus ornatiſſimam, & tam Emmanuelis patris, quam Leonorę matris hæreditatibus locupletiſſimam: quę cœlebs vixit, magno pudicitię,& honeſtatis exemplo, vixit annos LVII. Deponitur in Parthenone Matris Dei, ſepelienda in cœnobio Virginis matris à Luce, ordinis militiæ IESV CHRISTI in agro Oliſipone, quarto ab vrbe lapide: cuius templum ſuis ſumptibus iuſſit ædificari.

Fuit Emmanuel inter feliciſſimos totius orbis Principes numerandus. Nam prærterquam, quod ad Regni dignitatem præter ſpem euectus eſt, cedentibus illi plurimis, qui gradu & ætate potiores eo erant, Caſtellæ etiam & Legionis principatu inauguratus eſt; & omnes illarum prouinciarum proceres ad manus oſculum admiſit. Orientis portas primus aperuit,& multa maioribus noſtris incognita manifeſtauit. Æthiopiæ, Indiæ,& Perſidis partem non minimam, Malacam, Molucos, Braſiliam, & innumeras Oceani Inſulas antea non repertas, ex quibus magnas habuit vtilitates, imperio ſuo adiecit. Multos Reges ſubegit,& tanto maris & terræ ſpatio diſſitus, tributarios, & vectigales reddidit: multos iri

clienta-

clientelam & amicitiam ſuſcepit. Babiloniæ Regis claſſes ſuperauit. Africanorum Regum vires ingentes ſæpe contudit. Et vaſtam prouinciam Africæ Xerquiam, Garabiam, & Dabidam continentem, graui tributorum onere iniuncto, diu ſub iugo tenuit. Azamoram, Safinium, & alias Mauritaniæ vrbes debellauit: alias deprædatus eſt: alias deleuit. Multorum Principum exercitus tam in India, quam in Africa fudit. Maximas auri, argenti, lapillorum, margaritarum, aromatum, & aliarum orientalium mercium diuitias in Portugaliam inuexit. Oliſiponem Regni metropolim, emporium totius orbis celeberrimum, & patriam communem omnium gentium reddidit. Claſſes ad longiſſimas nauigationes inſtructiſſimas ſemper habuit.

Tanta vis auri ſuo tempore fuit, vt pretia rerum mallent multi argento, aut ære, quam auro puro puto ſibi ſolui, quod difficilis eius eſſet permutatio.

Iudæos ad Chriſti fidem conuertit. Sarracenos è Regno exterminauit. Religiones inſtaurauit. Plurima templa in Luſitania, & per ſubiectas prouincias in Africa, & Aſia ædificauit, & pretioſiſſimis donariis ornauit. In religioſos omnium ordinum liberalitatem exercuit. Chriſtianam fidem per Æthiopiam, Indiam, & varias orbis partes propagauit & ad eam conuerſos mire fouit. Infidelibus bellum ſemper intulit. Pauperes iuuit. Diuites exactionibus, aut tributis nunquam vexauit. Populum in iuſtitia gubernauit. Optimas leges tulit: latas in methodum & artem redegit.

Decimam, quæ ex emptionibus, venditionibus, & aliis contractibus, fiſco ſoluitur, clericis, monachis, ſacris virginibus, beneficiariis, eremitis, & militibus ordinis IESV CHRISTI, religionis ergô remiſit.

Milites ſacros, exceptis Hoſpitalenſis ordinis equitibus, perpetuę caſtitatis voto conſtrictos, Emmanuelis precibus, Alexander VI. Pontifex Max. ab ea religione deinceps laxauit. Eos tamen excepit, qui iam ſacræ militiæ eſſent authorati.

A vino per totam vitam abſtinuit. Oleum nunquam guſtauit. Cibi parciſſimus. Venationi, aucupio & muſicæ deditus. Nunquam vero huiuſmodi rebus tantum indulgebat, quin inter ipſos ludos aliquid negotii ſerii tranſigeret.

Magnam denique ſui memoriam & deſiderium reliquit: & eius ætatem auream Luſitani ſemper appellarunt. Ab eius enim exceſſu, omnia triſtiora, & in deterius ruere cœperunt.

Obiit Oliſipone anno M. D. XXI. die XIII. Decembris. Vixit annos LII. menſes VI. dies XIII. Regnauit annos XXVI. menſem vnum, dies XIX. Sepelitur in auguſtiſſimo fano Bethleemitico inſtituti D. Hieronymi in Oliſiponenſi agro, quarto ab vrbe lapide, quod ipſe ſibi & ſuis in ſepulturam, maximis ſumptibus, ædificauit.

DE IOANNE III. REGE XV.

IOANNES III. Emmanuelis filius vxorem duxit Catharinam filiam Philippi I. Caſtellæ Regis, & Archiducis Auſtriæ, Caroli V. Imperatoris ſororem, ex qua hos ſuſcepit liberos:

Alfonſum, qui natus Almeirini XXIIII. die Febr. anni M. D. XXVI. in cunis obiit.

Mariam, quæ nata Conimbricæ XV. die Octobris anni M. D. XXVII. PHILIPPO Hiſpaniarum Principi Caroli V. Cæſaris filio nupſit, & à partu primogeniti Principis obiit, anno M. D. XLV. ætatis ſuæ anno XVII. menſe IX.

Iſabellam, quę nata Oliſipone XXVIII. die April. anni M. D. XXIX. puella obiit.

Beatricem, quæ nata Oliſipone XV. die Februarii anni M. D. XXX. in cunis obiit.

Emmanuelem, qui natus Albiti Kal. Nouemb. anni M. D. XXXI. triennis obiit.

Philippum, qui natus Eboræ XXV. die Maij anni M. D. XXXIII. infans obiit.

Dionyſium, qui natus Eboræ XXVI. die Aprilis anni M. D. XXXV. infans obiit.

Ioannem, qui natus Eboræ III. die Iunij anni M. D. XXXVII. Ioannam Caroli V. Imperatoris filiam duxit vxorem, & ex ea poſthumum Sebaſtianum reliquit, qui auo ſucceſſit in Regno. Obiit anno M. D. LIIII. die II. Ianuarij. Vixit annos XVI. menſes VII.

Antonium, qui natus Oliſipone IX. die Martij anni M. D. XXXIX. infans moritur.

Illegitimum habuit Eduardum Archiepiſcopum Bracharenſem, iuuenem optimæ indolis, bonarum literarum, philoſophiæ, & theologię ſtudiis apprime eruditum, & omnibus corporis & animi dotibus ornatiſſimum, qui in ipſo ætatis flore deceſſit.

Fuit Ioannes ſtatura mediocri, ad pinguedinem declinante. Forma eximia, & ſpecie vere Regia. Colore candido rubore ſuffuſo, & in magna authoritate aſpectu amabili, ob ſerenitatem & tranquillitatem vultus, vt ab omnibus, qui eum intuebantur, tanquam pa-

rens diligeretur: nec hoſtes illum odiſſe poſſent. Oculos habuit cæruleos, nitidiſſimos, & tanta plenos maieſtate, vt multi qui ad eius colloquium inſoliti veniebant, hallucinarentur, & ſermo eis deeſſet.

Fuit natura benignus & clemens. Sententias capitales cunctabundè, & non niſi magno examine ferri voluit. Seueris iudicibus nunquam arriſit. Quandò vero eius ſententia in ſenatu (quò ſemel in vnaquaque hebdomada ius dicturus ibat) rogaretur, magis ad abſoluendum, quàm ad condemnandum propendebat. Cumque aliorum Regum tempore lege lata, furibus minoris ſummæ, ſtigmata in facie inurerentur, vt ab eis cauerent, abrogauit. Dicebat enim, poſſe illos pœnitere, & ad laudabilem vitam traduci: & ob id iniquum eſſe, præcipuam hominis partem deformari, & anteactæ vitæ indicia perpetuò præ ſe ferre.

Quæſtiones publicas de fide in Portugalia haberi, primus à Summis Pontificibus impetrauit, deſtinatis ad id magiſtratibus. Religiones inſtaurauit: & labentes quorundam religioſorum mores ad veteris regulæ ſeueritatem reuocauit. Naſcentem tunc ordinem ſocietatis IESV in Portugaliam inuexit, ac eius religioſos valde fouit: & diuerſis Regni locis eis collegia inſtituit. Vndè illi acceptum ferendum eſt tantum animarum lucrum, quantū in India eius ſocietatis viri Franciſcus Xabierrius, & qui eum ſecuti ſunt fecerunt, & multi per diuerſas orbis partes.

Fuit pacis ſtudioſus, & in eligendis magiſtratibus cordatus. Multi enim poſt illius obitum, ad dignitates & honores prouecti ſunt, quos ille non promouiſſet. In beneficiis conferendis, ita liberalitas eius fuit ordinata, vt magis daret multis, quam multum.

Literarum ſtudia in Portugalia excitauit: & Oliſiponenſem Academiam Conimbricam transtulit, vbi Dionyſius Rex illam à principio locauit. Et ex reſiduis ditiſſimi cœnobii Sanctæ Crucis ad ſeueriorem vitam reformati, Doctorum ſtipendia auxit. Florentiſſimam deniq; eam Academiam reddidit. Ex qua tot, tamque docti prodiere viri, vt continuato ordine (quod memoria dignum eſt) tres primarios Iuris Cæſarei profeſſores, nobiliſſimæ totius Europæ Salmanticenſi Academiæ dederit. Et qui poſt illos Conimbricæ in primaria cathedra floruit, & hodie in aula & ſupremo conſilio Catholici Regis degit, tanta vtriuſque iuris, & omnium literarum eruditione pollet, vt cum quouis veterum illorum Iuriſconſultorum meritò conferri queat.

Multa ædificauit magnis ſumptibus: & aquæductum illum celebrem aquæ Argenteæ ciuitatis Eborenſis, vetuſtate collapſum, inſtaurauit. Hanc olim aquam Q. Sertorius è manubijs belli Celtiberici, in honorem municipum Eborenſium, diuerſis in vnum collectis fontibus, perducendam curauit: opus magnum, & ei ciuitati ſitienti vtiliſſimum.

Obiit Oliſipone apoplexia correptus, anno M. D. LVII. die XI. Iunii. Vixit annos LV. Regnauit XXXV. cum dimidio. Sepilitur in fano Bethleemitico.

DE SEBASTIANO REGE XVI.

SEBASTIANVS Ioannis III. ex filio Ioanne nepos, auo ſucceſſit trium annorum ætate, ſub tutela auiæ Catharinæ. Hæc ſeu tam laborioſi oneris impatiens, ſeu (vt vulgo ferebatur) à nōnullis perſuaſa, quorum intererat, tutelam ad Henricū Cardinalem patruum magnum Regis pueri transferri, Comitiis Oliſipone habitis, anno M. D. LXI. ab eo munere inopinato ſe excuſauit, apud Regni proceres, & ciuitatum legatos. Quum vero ij à propoſito Reginam, nec precibus, nec lachrymis flectere poſſent ægre Henrico eam curam demandarunt: quam ille vſque ad Sebaſtiani pubertatem geſſit. Malebant enim Luſitani à fœmina, eaque externa, prudentiſſima tamen, quam à viro Luſitano, defuncti fratre, & Emmanuelis Regis populo gratioſiſſimi filio gubernari: diuerſo exemplo ab eo; quod in Leonora Eduardi Regis vxore, & Petro exhibitum eſt.

Fuit Sebaſtianus ſtatura mediocri, colore candido, flauo capillitio, oculis cæſii coloris, nec magnis, graui pro ætate aſpectu, & Regiæ maieſtatis pleno: ad iracundiam facilis, ſpiritus elati, & cui nihil videbatur magnum. Animi etiam intrepidi, & plus nimiò ſui fidentis & audacis, & qui facile in pericula ruebat.

Fuit liberalis, gloriæ nominiſq; cupidus: & ob ingenii ſimplicitatem, adulatoribus nimium expoſitus. Animi inquieti, & ſtare loco neſcientis, non tam natura, quàm arte aliquorum, qui eum à puero ex vrbe, & auiæ colloquio abducere conātes, in ſyluas & montes, atque in loca ſolitaria frequentiſſime ad venādum inuitabant, vt interim ipſi Regnum adminiſtrarent. Eo enim exercitio dicebant, poſſe firmari, & obdurari ad militiam, ad quam illum quotidie adhortabantur.

A mulierum etiam aſpectu & colloquio adeo auertebant, forte ne libidine aliqua illicita

illicita irretiretur, vt fœminas non tam fugere, quam odiſſe videretur. Vnde non obſcurum inepte verecundi ingenii, & aulicæ vrbanitatis expertis ſpecimen præ ſe ferebat. Multi autem quibus ea non placebat inſtitutio, propterea id ab iis fieri interpretabantur, ne Princeps ille adoleſcens fœminarum cogitatione, ad vxorem ducendam animum verteret, & eius conuerſatione impeditus eos auerſaretur, aut non tam intime familiares haberet. Vt vt tamen ſit, Sebaſtianus in illo Regali luxu, & ætatis feruore, rarum continentiæ dedit exemplum.

XIIII ætatis anno Regni gubernacula ſuſcepit, in cuius auſpiciis conſultorum culpa non ſua, qui ad optima natus videbatur, nonnulla duriter inſtituta, & Reipub. munia diſtributa iis, quibus vir factus non dediſſet.

Vt autem tranſuerſos agit homines auaritia, & ambitio, fuere, qui quod ita ſuis rationibus expedire credebant, Ioannem auum Principem prudentem, & pium, vt imbellem, & ignauæ pacis amatorem apud nepotem puerum inſimularent: & qui pacem ſuadere debuerant, pacis deteſtatione eum educarent. Sebaſtianus igitur naturæ ferocioris, & ſpiritus vehementis, his præceptis enutritus, & alieniori ætate incitatus, nihil niſi bella, & peregrinationes meditabatur, quo tempore literarum doctrina, & ſtudiis manſuetioribus exercendus erat, & robuſtum illud pectus cicurandum, & emolliendum.

Cum igitur Portugalia tota in armorum exercitio eſſet, & Mulei Mahamet Marrochiorum Rex à patruo Mulei Maluco Regno expulſus, Sebaſtiani præſidium imploraret, nactus ille occaſionem, quam ſibi dari optabat, non auxilium modo, ſed & ſe cum ſuis affuturum illi pollicetur.

Dum itaque virtute improuida, & nimia ſui fiducia, prudentiorum conſilia aſpernatus, traiecto in Africam magno exercitu, Feſſenſe Regnum petit, & Regem reducere conatur, anno MDLXXVIII. quarto Auguſti die, ab infinita Barbarorum multitudine oppreſſus, qui veluti ad ſacrum bellum conuenerant, à ſuis ſacerdotibus exciti, fortiſſimè dimicans occubuit, cæſis decem millibus Chriſtianorum, totidem captis. Et (quod rarò contigit) tres magni Reges eo prælio, & intra paucarum horarum ſpatium cecidere, Sebaſtianus, Malucus, & Mahamet.

E prima nobilitate deſiderati ſunt Dux Auerienſis, Comites Odemirenſis, Vimioſenſis, Rotondenſis, Vidiguerenſis, Iacobus Theodoſii Ducis Brachantiæ filius. Rodericus Melius Marchionis Ferreirenſis primogenitus, Epiſcopi Conimbricenſis, & Portuenſis: Marchio etiam quidam Hibernus, quem Summus Pontifex cohortibus Italicis, ad Hiberniam occupandam præfecerat. Multi præterea alii magni nominis. Capti Antonius Prior Cratenſis Ludouici Infantis filius, Theodoſius Dux Barcellenſis puer VIII annorum Ioannis Ducis Brachantiæ primogenitus, Ioannes, à Sylua Comes nunc Portalegrenſis, qui tunc apud Sebaſtianum legatum Catholici Regis agebat. Nonius Aluarus Comes Tentugalenſis, & Conſtantinus a Brachantia Marchionis Ferreirenſis filii, Antonius à Caſtro Comes Monſanctenſis, Fernandus Norogna Comes Linarienſis, Eduardus Meneſius Comes Taroucenſis, Indiæ nunc Prorex, & multi illuſtri loco nati. Parendum enim neceſſitati erat, manus dandæ, & conditiones accipiendæ. Facilis namque fuit Barbaris de noſtris victoria, quos vinci numen volebat. Sic enim caligine mentibus eorum obducta infatuati ſunt, vt in interitum ducti à diuina voluntate videantur.

Itaque Sebaſtianus hoſtibus bellum inferre parans, prius ſuis intulit, alienumque Regnum reſtituere conatus, ſuum peſſumdedit, & viris & opibus exhauſit: maiori exemplo fidelitatis Luſitanorum, quam prudentiæ.

Sebaſtiani cadauer ſecundo poſt prælium die, inter mortuos ſeptem vulneribus confoſſum, à Sebaſtiano Reſendio eius miniſtro domeſtico inuentum, à Melchiore autem Amaralio Regio Conſiliario, & Senatore aulico captiuo, qui in Sebaſtiani exercitu Duumuirum Capitalem agebat, agnitum eſt. Poſtea vero à Conſtantino à Brachantia, Fernando à Caſtro Comite Baſtenſi, Eduardo Meneſio Comite Taroucenſi, Nonio Maſcarena, Michaele Norogna, Ludouico Cæſare armamentariorum Regiorum Præfecto, Vincentio Fonſeca inſtituti Dominicani, Regio concionatore, Archiepiſcopo nunc Goenſi, & aliis viris nobilibus captiuis. Alcaſſere autem corpus ſepultum, & ſub claue & ſigillo cuſtoditum, donec Regi PHILIPPO auunculo à Seriphio Rege Marrochiorum donatum, & Septam tranſmiſſum, atque ibidem depoſitum ad annum MDLXXXII. quo Philippus Rex honorificentiſſime in Portugaliam delatum, in Bethleemitico fano ſepeliri, & ſe præſente, iuſta illi fieri curauit. Vixit annos XXIIII. menſes VII. dies XV.

De Henrico Rege XVII.

Henricvs Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Archiepiſcopus Eborenſis, Emmanuelis Regis filius, Sebaſtiano cuius patruus erat magnus, ſine liberis decedenti ſucceſſit.

Mortuo vero Sebaſtiano, Iuriſprudentes viri magni nominis extitere, qui Philippo Regi Catholico Regni ſucceſſionem delatam dicerēt, quod Sebaſtiano proximus, & è Regum Portugaliæ ſtirpe eſſet nec id ſine ſuo magno periculo negligi poſſe: quod decedens ſuperſtite Henrico, locū faceret Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci, qui gradu eius liberis præſtaret. Philippvs tamen, ne auunculi ſenectutem contriſtaret, & in dubio iure fundare ſuam cauſam videretur, qui ſucceſſionem indubitatam poſt Henrici exceſſum habebat, non modo quiete illum regnare paſſus eſt, ſed nullum officii genus in eum prætermiſit. Primum enim Chriſtophorum Mouram è prima Luſitanorum nobilitate, in aula tamen Caſtellæ enutritum, virum ſingulari prudentia præditum, poſtea vero Petrum Gironem Ducem Oſſunenſem, vnum è Caſtellæ proceribus maioris ditionis, non ad conſultandum tantum, ſed & ad gratulandum ad eum legauit.

Cum vero Philippvs de iure ſuo certus eſſet, Iuriſprudentum reſponſis, & neminem ſibi poſſe Henrici morte præferri, quod cæteris eius nepotibus ſexu, & ætate potior eſſet, Duci Oſſunenſi, & Criſtophoro Mouræ iniungit, cū Henrico agant, vt ipſum viuens Regem declaret: ne poſt mortem de iure ſuo dubium oriatur, & ea euitarentur, quæ in Regno vacuo ſolent accidere. Henrico tamen viſum eſt, ſatius eſſe, audire cæteros Regni competitores. Et ad cauſam ſucceſſionis vocari iuſſit Philipvm Regem Catholicum, Catharinam Ducis Brachantię vxorem, Emmanuelē Philibertum Sabaudiæ Ducem, & Antonium Priorem Cratenſem. Philippvs vero, vt Regis omnium mortalium Legibus ſoluti authoritatem ſupremam conſeruaret illæſam, citationi non reſpondendum duxit, Rodericum tamen Vaſquium ab Arze, & Ludouicum Molinam Regios Conſiliarios, viros Iuriſconſultiſſimos & prudentes, legatos tam Henricum, quam Regni proceres extra iudicium de iure ſuo inſtructuros miſit. Hi munus ſuum obeuntes, multa de iure Philippi iuridicis rationibus, & magna authoritate, tam apud Regem, & Regium conſiliū quam apud Senatum Olſiponenſem tractarunt: quæ non parui fuere momenti, ad Regis & multorum animos confirmandos.

Cum vero Senatus populuſque Oliſiponenſis ſumma ope ab Henrico contenderet vt Regem declararet, & Reipublicæ imminenti periculo in tempore occurreret, prius de perſonis, quam de iure agendum exiſtimauit. Virtute igitur diplomatis, motu proprio, a Summo Pontifice ad ſe miſſi, vt de cauſa matrimonii inter Ludouicum Infantem, & Violantem Antonii matrem iam fato functos cognoſceret, matrimonium inter illos non fuiſſe, & ob id Antonium non legitime natum ſententia ſua, & multorum aſſeſſorum, Antonio ipſo audito, & iura ſua allegante, iudicauit.

Cum igitur Henricus de iure Philippi nō iam dubitaret, eo rē deducere ſtatuebat vt vna via, tam vniuerſæ Reipublicæ, quam priuatis nepotum commodis conſuleret, & ad tranſactionis modum quendam peruenirent. Si enim Philippvm Regno ſibi debito non fraudandum, & cæterorum nepotum ſpem de Regno abreptam, aliquo emolumento penſandam: Rempublicam etiam tributorum onere aliquo leuandam, & priuilegiis augendam. Huic vero vniuerſæ Reipub. vtiliſſimo præſentiſſimoque conſilio, ſeu priuatæ ſuæ rei ſtudentes, ſeu rerum inſcitia (ſi tam craſſa & ſupina potuit eſſe) ii ipſi obſtitere, qui ſe patriæ defenſores eſſe iactabant.

Comitiis igitur Almeirini habitis, quibus Henricus animum ſuum aperuit, magna inter populorum legatos, & nonnullos è nobilium ordine orta eſt diſcordia. Quidam enim ex his, ſeu conſilii inopes, quod nulla politicæ philoſophiæ, & hiſtoriarum peritia, ad Reipub. adminiſtrationem acceſſiſſent (quales plures ſunt) ſeu propria illecti vtilitate, & rerum nouarum auidi, in tam diuerſas iuere ſententias, vt Henrici conatus impedirent, & ei fatalem diem accelerarent. Nec Ducis Oſſunenſis, & Chriſtophori Mouræ diligentia & pollicitationes, qui in ea re egregiam operam nauauerunt, & plures & meliores pro Rege Catholico habebant, in concordiam illos adducere potuerunt.

Præter has populorum diſcordias, tot acceſſere Henrico labores, vt illi Regnum non in gloriam, ſed in pœnam datum videretur. Exagitabant enim illum tot hominum millia in Africana clade captiuorum: pro quorum liberatione, non Regii ærarii modo, ſed totius Regni opes erant exhauriēdæ. Alia parte tot viduarum querimoniæ pro maritis bello peremptis, vxorū pro viris, parentū pro liberis captiuis. Hinc (quod magis eū premebat) de Re-

de Regni ſucceſſione diſceptatio. Ex altera enim parte iuſta nepotis PHILIPPI cauſa & potentia, ex altera Catharinæ neptis amor. Hinc de matrimonio Ludouici fratris diffamatio & lis, quæ eum maximo affecit mœrore. Valetudo præterea tam deplorata, vt lacte humano coactus fuerit ali, quod in marcorem, & maraſmum incidiſſet. Alia ex parte eum torquebant ſeditiones, quæ iam erumpebant. His igitur, & pluribus, vno & eodem tempore, confluentibus malis obſeſſus atque debilitatus, fato conceſſit.

Fuit Henricus mediocri ſtatura, colore candido, flauo capillamento, ſed intempeſtiue cano, oculis cæſiis & prominentib. Facie nullus fratrum Emmanueli patri ſimilior. Per omnem ætatem fuit vitę caſtiſſimæ: nec vllum flagitium æque exoſum habuit, aut acrius puniuit, quam libidinem. Vnde manifeſtarii concubinatus conuicti nulli impunes, cuiuſcumque eſſent ordinis, aut conditionis. Nuptarum etiam quarum mariti diutius abfuiſſent, curam non omiſit, ſi de earum licentiori vita certior eſſet redditus.

Quo tempore pro Sebaſtiano nepote pupillo clauum Regni tenebat, leges recentiores diſperſas, & iudicibus ob id ignotas, in methodum & libros redigi, & alias corruptas emẽdari curauit: eaq; in re noſtra opera vſus eſt, magna Reipub. vtilitate, quod multa quotidie decreta & iudicia, noua lege comperta, reſcinderentur, atque irrita fierent, & rei iudicatę authoritas eleuaretur.

In magiſtratus etiam cuiuſcumque generis & gradus quæſtiones decreuit, & culpa deprehenſos, partim pecunia mulctauit, partim officio ſubmouit: nonnullos poſt aliquod interuallum, ne ignominia miſſi viderentur, ætatis prætextu, rude donauit, Omnes denique in officio continuit.

Sacerdotii officium optime ſemper exercuit, & Rex factus, dum per valetudinem licuit, Miſſę ſacrum celebrauit in priuato ſacello, vti ante Regnum ſueuerat.

Religionis & fidei negotia, cuius ſummum geſſit magiſtratum, tanta induſtria & integritate tractauit, conquiſitis ad id viris optimis & doctiſſimis, quorum opera vſus eſt, vt ſecundum Deum ei videatur acceptum ferendum, ſummum religionis ſtudium, quo Luſitania inter omnes alias orbis prouincias eminet.

Per vniuerſum Portugaliæ Regnum, cuius omnes metropolitanas eccleſias gubernauit, ſacerdotum mores compoſuit: nec niſi melioribus, & benemeritis ſacerdotia contulit. Ad id autem collegium conſtituit Eboræ magnificentiſſimum & celebre, quod ſocietatis IESV religioſis tradidit gubernandum: in quo nõ ſolum Theologia, & liberales diſciplinæ, ſed honeſtiſſimi mores docentur. Vnde Tranſtagana illa prouincia, optimis & eruditis ſacerdotibus abundat.

Multa præterea ab eo ad diuinum cultum optime inſtituta omittimus, quæ magiſtris incumbunt, qui Pontificalium virorum vitas conſcribunt, quam nobis, qui Regum geſta tantum delibamus.

Obiit Almeirini vltima Ianuarii die, qua & natus eſt, eo tẽporis ſpatio, quo luna maximam eclipſim patiebatur, anno MDLXXX. & ibi deponitur ad annũ MDLXXXII. quo Rex PHILIPPVS eum in Bethleemiticum fanum deferri, & ſepeliri curauit. Vixit annos LXVIII. Regnauit annum. I. menſes V. dies V.

DE PHILIPPO REGE XVIII.

PHILIPPVS Caroli V. Imperatoris filius, & Iſabellæ Auguſtæ Emmanuelis Regis filiæ, auunculo Henrico ſucceſſit. Quæ vero in ampliſſimis ſuæ ditionis Regnis geſſerit, & eius virtutes ſilentio prætcrimus, quod hæ anguſtiæ, & noſtræ orationis paupertas tantarum rerum maieſtatem reformidant. Quod ad ſucceſſionem eius attinet, & in Portugaliam aduentum: Elbam ciuitatem, quæ in confiniis Regnorum eſt, ingreditur menſe Decembri, anno MDLXXX. In Nabantiam nunc vulgo Tomarium omnium ordinum conuentus indicit. Menſe Aprili ſequentis anni eo acceſſit, ſalutata prius Catharina conſobrina Ducis Brachantiæ vxore, quam magni amoris ſignificatione inuiſit.

Tomarii maiorum inſtituto, à proceribus, ſacerdotio, & populorum legatis, magna omnium lætitia, & acclamationibus Rex inauguratur, & ſalutatur. Didaco etiam Principi, qui iam apud ſuperos eſt, fidelitas iuratur.

Ex Tomario Olyſiponem Regiam vrbem veniens, menſe Iunio die Diuis Petro & Paulo dicato, lætis fauſtiſque omnibus exceptus, omni ordine, omni ætate, proſpectu

by Google

fœlicemque ingreſſum precante, & eum equo vectum, in triumphantis morem, pedibus ſequẽte, ſub aurea vmbella, per extemporarias porticus miræ magnitudinis, ſtatuis & carminibus ornatas, introductus in vrbem vſque ad ſummum templum. Inde per vias vrbis præcipuas, Indica & Perſica gaza ſplendeſcentes, & pretioſiſſimis odoribus fragrantes, in Regiam deductus.

Multa hic magnifice & liberaliter geſſit: & in eos, qui aliquid in ſuperiorum Regum obſequium egere, munera contulit maiora, quam ab illis Principibus accipi ſolebant.

In primis iuſtitiæ adminiſtrandæ gratia, multa conſtituit. Leges ſanciuit: alias emendauit. E duobus tribunalibus, quæ Olyſipone erant, alterum in Portuenſem ciuitatẽ tranſtulit, ibiq; iuridicum conuentum ſtatuit. Senatorum vtriuſq; Curiæ ſtipendia auxit, quo caſte & nullius ope egentes, iuſtitiam adminiſtrarent. Muneribus etiam & honoribus benemeritos ornauit.

Cum vero viuente Rege Henrico, dum de declarando Rege agitur per Ducem Oſſunenſem, & Chriſtophorum Mouram, multa PHILIPPVS Rex promiſiſſet, in vniuerſæ Portugaliæ vtilitatem, vt ſeditiones euitarentur, quarum iam pullulabant indicia, & Reipublicæ, quam maxime ſaluam volebat, imminentibus malis obſtaret, eaque ob diſſidentium partium ſtudia accepta non fuiſſent, Rex poſtea factus ſua ſponte, & nulla impellente pactione, conceſſit.

Lætitiam Regiæ vrbis ob ſui Regis præſentiam, auxit aduentus ſororis Mariæ Auguſtæ, quæ cum è Boëmia in Hiſpaniam veniſſet, vt ſe virginum ſacrarum monaſterio abderet, non ferens longiorem fratris abſentiam, è Mantua Carpetana, vulgo Madritio, Olyſiponem venit, eo omnibus gratior, quod nomine & virtutibus eximiis, fœminam optimam Mariam Reginam auiam ſuam referebat, quæ admirabilem ſui memoriam, & deſiderium Luſitanis reliquerat.

Cum tamen ex omni Portugaliæ ditione, ſola Angrenſis ciuitas in inſulis, quas Tertias vocant, PHILIPPO rebellis eſſet, quod in ea nonnulli Antonio affecti degerent, & loci ſitu inexpugnabilis videretur, claſſis eo miſſa eſt, è qua quadringenti milites Hiſpani temerarie, vt loci ignari, egreſſi in terram, ab inſulanis trucidati ſunt. Quamobrem Aluarum Bazanum Sanctæ Crucis Marchionem, virum naualis belli peritiſſimum, Rex eo miſit. Hic cum claſſem multarum nauium Gallicarum offendiſſet, quas Philippus Strozus Italus, vir bello ſtrenuus ductabat, in quib. Antonius etiam ipſe erat, & ſi numero multo plures eſſent Bazanus virtute ſuorum militum, & quatuor Luſitanarum nauium robore, ſed magis cauſa & iuſtitia belli confiſus, pugnam inire inſtituit. Antonius vero conſilio ſuorum, ſe in inſulam recepit, vt magis fieret periculi auditor, quam inſpectator. Bazanus in Gallos inuehitur: magno ardore vtrinq; certatum, tormentis primum, poſtea manu. Gallicarum vero nauium multæ, cum Hiſpanorum impetus ferre non poſſent, fugam capeſſerunt, quas quia celeriores erant, Bazanus conſequi non potuit. Nauis Prætoria cum aliis capta. Ex Gallis cecidere multi, inter quos Philippus Strozus claſſis Præfectus: Franciſcus etiam à Portugalia Comes Vimioſenſis, iuuenis dignus meliori fortuna, ſi corporis & animi dotibus & diſciplinis, quibus præſtabat, ſiniſtris conſiliis incitatus, aduerſus ſuum Regem vſus non fuiſſet. Capti ſunt & multi e Gallica nobilitate. Cum vero autumni tempus iam inſtaret, nec vlla ſtatio eſſet, qua claſſis conſiſtere poſſet, & Oceani fluctibus iam tumeſcentibus iactaretur, ea obtenta victoria, & inſulæ expugnatione in ſequẽtem annum omiſſa, Olyſiponem Bazanus rediit.

Anno MDLXXXIII. menſe Februario poſt Comitia Olyſipone habita, quib. Philippo Principi puero fidelitas iuratur, conſtitutis Regni rebus PHILIPPVS cum ſorore Caſtellam repetit, magno omnium deſiderio. Quod tamen Principis Alberti nepotis pignore mitigauit, quem Regni moderatorem reliquit, maxima omnium lætitia, & applauſu.

Eodem anno appetente æſtate, Bazanus in inſulas reditum parat, ingenti comparata claſſe, tam nauium onerariarum, quam celocium & triremium. Quod nauigii genus in tam longinquam Oceani partem, nunquam ductum eſt, quod nimium ſurgentes vndas non ferat. Inſulam moderabatur tunc Emmanuel Syluius Antonii nomine: tutabatur vero Xatris Dynaſta præſidio trium millium militum Gallorum. Ex inſula igitur Sancti Michaelis, quam primum Bazanus attigit, illis per nuntium veniam pollicetur, ſi deditionem facere velint. Cum vero pacis nullam conditionem acciperent, Bazanus acriter illis defendentibus, in terram deſiliit, & eadem die, magna contentione, propugnacula littori oppoſita expugnat.

Sequenti

Sequenti vero inſulani omnes in montem fugam arripiunt. Capta vrbe Angrenſi, tandem deditio facta eſt, ea lege, vt Galli ſolum gladios ſecum ferrent, arma reliqua & vexilla relinquant. Emmanueli Syluio caput præcidi iubet Marchio. Multi præterea facinoroſi vltimo ſupplicio affecti.

Faginea etiam inſula, quæ præſidio Gallorum defendebatur, capta eſt à Petro Toletano eadem conditione. Præfectum autem Inſulæ Luſitanum, quod contra ius omnium gentium, legatum Luſitanici etiam ſanguinis, qui ad eum de pace acturus ibat, crudeliter interfeciſſet, Toletanus laqueo ſuſpendi iubet. Galli igitur ſuperſtites ex vtraq; inſula, relictis armis ac vexillis, diſceſſere.

Hic tragœdiæ illius fuit exitus, qualis manere ſolet illos, qui Regiam lædunt maieſtatem, & auaritia & ambitione inſtigati, ab officio & virtutis via deflectunt. In eam tamen erigimur ſpem, Deum Opt. Max. has omnes ærumnas, quibus ab iſtis patriæ hoſtibus iactati fuimus, maxima felicitate compenſaturum: vt copulata Luſitania cæteris Hiſpaniæ Regnis, ſub potentiſſimo & prudentiſſimo Principe, vniuerſus intelligat orbis, quantum Chriſtianæ Reipublicæ interſit, hanc Regnorum coaceruationem, & vnitatem fieri, ad orthodoxæ fidei propagationem, & eccleſiæ catholicæ beneficium.

AETHIOPICA ET INDICA.

Genealogia *Regum Æthiopiæ.*

Chriſtophori Columbi *de inſulis nuper inuentis Epiſtola.*

De Legatione Imperatoris potentiſſimi Æthiopiæ ad Clement. *Pontificem.*

De Regno Æthiopiæ ac populo, deque moribus eiuſdem populi.

Iohannis *Portugaliæ Regis literæ ad* Clementem *Pontificem.*

Damiani à Goes *de Religione & moribus Æthiopum.*

Epiſtolæ aliquot Precioſi Iohannis *Æthiopum Regis Damiano & Paulo Iouio Interpretibus:*

1. *Epiſtola* Helenæ *auiæ Dauidis Æthiopum Regis ad Emanuelem Luſitaniæ Imperator. ſcripta.*
2. Dauidis *Æthiopiæ Regis literæ ad Regem* Emanuelem *Portugaliæ ſcriptæ.*
3. *Eiuſdem* Dauidis *Æthiopiæ Regis literæ ad* Iohannem *Portugaliæ Regem ſcriptæ.*
4. *Eiuſdem Dauidis Æthiopiæ Regis binæ literæ ad* Clementem *Pontificem.*

Deploratio Lappianæ gentis.

Lappiæ deſcriptio.

Epiſtola Emanuelis *Regis Portugaliæ ad* Leonem *X. Pont. Max. de Victoriis in Africa habitis.*

Epiſtola Iohannis III. *Regis Portugaliæ, ad* Paulum III. *Pont. Max. de rebus in Oriente feliciter geſtis.*

Damiani à Goes *Bellum Cambaicum ſeu Obſidio Vrbis Dienſis.*

Eiuſdem Bellum Cambaicum II. Commentarii III.

Iacobi Teuii *de Reb. ad Dium geſtis Commentarius.*

L. Andr. Reſendii *Epiſtola de Reb. Indicis ad Conradum Gochlenium.*

CATALOGVS OMNIVM ÆTHIOPIÆ REGVM, QVI AB INVNDATO TERRARVM ORBE VSQVE AD NOSTRA TEMpora imperârunt.

Libellus, hactenus tam Græcis, quam Latinis ignoratus, nuper ex AEthiopica translatus lingua.

ÆTHIOPES, Regem ſuum, quem nos vulgo Prete Gianni corrupte dicimus, quatuor appellant nominibus, quorum primum eſt Belulgian, hoc eſt lapis precioſus, atque perfectus. Ductum eſt autem hoc nomen ab annulo Salomonis, quem ille filio ex Regina Saba, vt putant, genito, dono dediſſe, & quo omnes poſtea Reges, veluti Dauidicæ familiæ hæreditario inſigni, vſos fuiſſe, deſcribitur: Deinde cum in ſede Dauid, quam à Salomone identidem habuiſſe aiunt, electum collocant Regem, ሐፄ: haze, nominant, hoc eſt electum, ſeu ſponſum: cum vero eum coronant, appellant Neghuz. Poſtremo cum, vertice capitis in coronæ modum abraſo, vngitur à Patriarcha, vocant Maſih, hoc eſt vnctum. Hæc autem Regiæ dignitatis nomina, omnibus communia ſunt: proprium vero cuiuſque nomen cum aliqua rerum, aut perſonarum ſignificatione ſemper impoſitum, duplex eſt: vnum, quod ei à parentibus natiuitatis, alterum, quod baptiſmi tempore imponitur.

Primus autem Æthiopum Rex, noſtrorum etiam ſcriptorum conſenſu, Cus fuiſſe aſſeueratur, quapropter ab eo veluti ab autore gentis regio nominata eſt: Cus enim Æthiopiam ſacra apud Hebræos vocat hiſtoria. Fuit aut Cus, vt ex x. Geneſis capite conſtat, Noe Patriarchæ nepos, ex Cham ſecundo filio procreatus.

Cus mortuo, alios numero ſex regnaſſe in Æthiopia deſcribitur, quorum nec nomina, nec annos, quibus rerum potiti ſint, ex codicibus, quos Æthiopes in Italia habent, inuenire potuimus: legimus tamen hos omnes, cum certam regni ſedem haud habuerint, ſed vagi, palanteſq; Arabico fuerint more, inter alios Reges ab Æthiopib. minime connumerari. Poſt horum tempora, regni ſedes in Axuma poſita fuit, ibiq; vſq; ad Chriſtũ permanſit: inde in Sceua tranſlata eſt, vbi vſq; ad noſtra tempora manet. Reges autem qui exindè tam in Axuma, quam in Sceua (prouinciarum nomina hæc ſunt) imperarunt, fuêre numero cẽtum quinquaginta octo: quorum primus fuit, Arue, qui regnauit annis quadringentis, tam longa erat antiquorum hominum ætas. poſtea regnauit,

Agabo, eius frater annis ducentũ, & hoc, ex quo Arue obiit, quẽ ab eo occiſum aiunt.

Ggedur, qui & Sabanut, Agabi frater, centũ quinquaginta, hoc eſt, quinquaginta vna cum fratre, idq; in vna tantum prouincia, fratre vero mortuo, centum in tota Æthiopia.

Ggedur eius frater, quem fortem, ac inſignem bellatorem fuiſſe ſcribũt, regnauit annis quinquaginta.

Makaada, quæ & Nicaula, quæ à nobis Regina Saba appellatur, huius filia, regnare cœpit poſt XXVII. annum Saul: acceſſit autem in Hieruſalem poſt quartũ regni Salomonis annum, ſui vero quinquageſimum: reuerſa vero in Æthiopiam regnauit annis viginti ſeptem.

Menilech Reginæ Sabæ ex Salomone, vt plus iuſto perſuaſi Æthiopes aſſerunt, filius, regnauit annis viginti nouem: eius nomen interpretantur, quomodo mihi ſimilem DEVS creauit: ita enim à Salomone vocatum dicũt, cum primum eum vidiſſet: miſit namq; eum mater in Hieruſalem ad patrem iam puberem ac quartum decimum agentem annũ: vulgo apud Æthiopes ſapientis filius cognominatur, ſequuntur ex ordine ſuccedentes liberi, & primum.

Andedo, qui regnauit	anno vno.
Auda	annis vndecim.
Guaaſio	annis tribus.
Zaugua	annis quadraginta quatuor.

Gaaſio

Gaaſio	dimidio tantum die.
Autet	vno & ſexaginta.
Bahaza	nouem.
Chauada	duobus.
Chanze	decem.
Endur	nouem.
Guazha	vno.
Endrah	vno.
Chaales	ſex.
Setiia	decem & ſeptem.
Sapheeliia	ſeptem & viginti.
Aglubu	tribus.
Auſena	vno.
Breguas	decem & nouem.
Guaaſe	vno.
Beſeeleugua	decem & ſeptem.
Baazena	viginti ſeptem: huius tempore Chriſtus Dei Filius, ac ſeruator mundi natus eſt.

Lacaſa fœmina, quæ Candax Regina à noſtratibus dicitur, annis x. Huius tempore per Eunuchum à Philippo baptizatum, vt in actis Apoſtol. Lucas commemorat, Chriſti religio in Æthiopia cœpit, quæ poſtea Matth. Euang. aduentu mirum in modum aucta eſt.

Meſne filius regnauit annis ſex. Sequuntur ex ordine ſuccedentes liberi.

Sectua, qui regnauit	annis nouem.
Adgala	annis decem, & menſib. ſeptem.
Agba	menſibus ſex.
Mali	annis quatuor.
Akle	annis terdecim.
Didima	annis decem.
Autete	annis duobus.
Alda	annis triginta.
Zeghin ex Rama	annis octo.

Gaſele: quot annis imperârit, nobis incertum.

Beſeſerch, quem ex Oriente veniſſe aiunt, regnauit annis quatuor.

Azguag,	annis ſeptem & ſeptuaginta.
Hherc	annis vno & viginti.

Beſeſaue, regnauit vno tantum menſe, qui apud eos lunaris eſt, non ſecus quam apud Hebræos.

Guachena, imperauit duobus duntaxat diebus.

Hadas	imperauit quatuor menſibus.
Saghel	imperauit annis tribus.
Aſſe	annis quatuordecim.
Azgheba	annis tribus & viginti.
Samra	annis tribus.
Aiba	annis ſexdecim.
Sthenden	annis triginta ſeptem.
Zacham	annis nouem.
San	annis terdecim.
Igga	annis decem & octo.
Alamida	annis triginta, menſibus 8.
Achiuua	annis tribus.

Abraham, & Azba fratres, qui religionis Chriſtianæ aſſertores, ac fidei illuſtratores vocati ſunt, regnârunt ſimul annis. XXVII. & menſibus ſex: deinde mortuo Azba, regnauit Abraham ſolus, annis. XIV. Horum tempore Chriſtiana religio per omnē Æthiopiam diſſeminata eſt, poſt decimum ſeptimum ſcilicet regni eorum annum.

Aſſa regnauit	annis ſeptem.
Sahal	annis quatuordecim.

Adahana	annis quatuordecim.
Reth	anno vno.
Asfa	annis quinque.
Azba	annis ſexdecim.
Alhamedan	annis ſeptem.
Abra	duobus tantum menſibus.
Sahel	menſibus duobus.
Ghebez	annis quatuordecim.
Sekul	anno vno.
Azba	annis tribus.
Abra & Adakana	annis ſexdecim.
Zaham	annis viginti octo.
Amida	annis duodecim.
Sahan	annis duobus.
Azba	annis duobus.
Zahan	annis quindecim.
Gabez	annis vno & viginti.
Iacob, & Dauid fratres ſimul,	annis tribus.
Arma	ann. XIV. menſ. VII. & dieb. VII.
Zittahana	annis duodecim.
Iacob	annis nouem.
Conſtantinus	annis octo & viginti.
Beteſrael	cuius nominis interpretatio eſt domus Iſrael, menſibus octo.
Gabramaſchel	annis quatuordecim.

Nalek annis vndecim. huius tempore templa, ſacellaq; Chriſtianæ Religionis, quæ rara antea in regione erant, per omnem Æthiopiam conſtructa, erectaq; ſunt. Reges deinde qui ſequuntur, omnes non ſolum Chriſtiani, ſed etiam pii, moribuſque probati fuiſſe dicuntur, verum quotnam imperauerint annis, non inuenimus.

Bazen, mox	Senſaghed.
Baharſaghed	Ghermaasfer.
Salaaiuba	Callulaſion.
Sargue	Zarai.
Bagahamai	Gianaſcheda.
Zeoneghiz	Malghene.
Sepharad	Agdai.
Abraha	Azbaha.
Asfa	Afrad.
Amſi	Ahau.
Arada	Aladoua.
Alameda	Tabena.
Chaleb	Gsbramaſchel.
Conſtantinus	Bezaagher.
Asfa	Arma.
Gianasta	Gianaſcheda.
Freſennai	Adarahaz.
Aizar	Delnahad. Madai.

Sahata meretrix, cuius nomen ignis exponitur, regnauit annis XL. Fuitq; mulier, iniqua, atque ſacrilega: quando templa omnia, ſacellaq; deprædata fuiſſe deſcribitur, aurum argentumq; omne inde auferendo: quod poſtea auaritiæ cauſa ſub terra occultaſſe commemoratur.

Anbaſaudim	Cullaudim.
Ghemaasfare	Girgaz.
Degna Michael	Bedegaz.
Arma	Sbinahanni.

Tredda Gabez filia, traditur hæc regulo prouinciæ Bugna nupſiſſe, ſuſcepiſſeque

ex eo

ex eo filium, in quem totius Æthiopiæ, quod nũquam antea factum fuerat, regnum trãſtulerit. Creabantur enim prius Reges ex tribu ſolummodo Dauid: hoc autem vt facilius facere poſſet, omnem Regiam ſtirpem, quæ ex cognatione Dauid erat, vt quæ per Menilech Salomonis, & Reginæ Sabæ filium cœperat, perdere conata eſt. Quod facinus maiori ex parte compleuit. nam vnus tantum neci ſuperaſſe proditur. Cõfugerat hic in prouinciam Sceua ad optimates, qui tum eam gubernabãt, à quibus perbenigne receptus, adiutuſque eſt: Erant autem hi, qui tum prouinciam regebant, numero ſeptem: imperaſſe nihilominus dicuntur ex familia huius Reginæ Reges quinq; idq; annis tercentum triginta tribus. Tres ex iis ob vitæ ſanctitatem, & in agendis rebus prudentiam, ſolertiamq; minime vulgarẽ celebrantur, Lalibala, Imra, & Naakutolab eius nepos: Lalibala ita pius, Chriſtianæq; religionis amator fuiſſe ſcribitur, vt perfracta, exciſaque rupe Nouena templa ſub terra excauauerit. Imra vero etiam Sacerdos fuit tantæ abſtinentiæ, ac ſanctitatis, vt cum rem ſacram agere vellet, miniſterio Angelorum panem ac vinum, ex quibus ſacrum Chriſti corpus, ſanguinemq; conficeret, multoties ſuſcepiſſe ſcribatur. Addunt Æthiopes Nili curſum eius precibus ſemel ſtetiſſe. Ad hunc cum Rex Ægypti tributum ex vetuſto regionis more miſiſſet, oneratis ex eo hominibus tercentum quinquaginta tribus, recuſaſſe proditur, imperaſſeque vt eius loco tigna ex Hieruſalem ad conſtruendum mitteret templum: quod fecit: templumq; ex ea materia conſtructum vſque ad noſtra tempora magna cum veneratione frequentatum extare dicitur. Regnauit autem Imra annis XL. exactis vero tercentum triginta tribus annis, quibus à V. regibus, qui erant ex cognatione Treddagakez, imperatum fuit: regnum eis qui erant ex ſtirpe Dauid reſtitutum eſt, idque ope, auxilioq; optimatum, qui res prouinciæ Sceua gubernabant. Primus autem qui ex familia Dauid poſt hos rerum Æthiopiæ potitus eſt, fuit.

Icunnuamlach, qui regnauit annis XV.

Iacbahazeon filius, annis nouem, deinde ex ordine ſuccedentes liberi.

Bahaiſarda	Esbraad.
Cademſagghed	Zanſagghed.
Vdimraad	annis quindecim.
Amdezeon	annis triginta.
Seifaarad	annis viginti octo.
Vdmaasfan	annis decem.
Dauid	annis triginta tribus.
Theodorus	duobus tantum menſibus.
Iſaac	annis decem & ſeptem.
Andreas	

Hesbinaani vna cum Amde Ieſu Filio annis. V. poſthæc duobus Regiæ curiæ principibus, ſimul cum populo aduerſus Dauidicam ſobolem rebellantibus, puer quidam in Regia ſede poſitus fuit: verum diuino aliter ordinante conſilio, auctores rebellionis capti fuere, regnumque accepit.

Zaraiacob rectæ fidei homo ab Æthiopibus cognominatus, imperauitque annis XXXIIII.

Bete Mariam annis decem, menſibus duobus, & diebus quatuordecim.

Schender	annis. XV. menſibus. VI.
Amdezeon	menſibus ſex.
Nahod	annis XIII. menſib. IX.

Lebnadenghel, Dauid cogn. annis. XXXVI.

Claudius, quod eſt baptiſmi nomen, ætate noſtra regnat: vocatur autem altero nomine à parentibus ei natiuitatis tempore impoſito, Aznaphſaghet, cuius expoſitio eſt, adoratur a finibus terræ. Sunt autem numero omnes Reges, qui vſque ad noſtra tempora rerum Æthiopiæ potiti ſunt, CLXV. Quibuſdam qui ſocii in regno fuere, minime hac in ſupputatione connumeratis.

FINIS.

CRISTOPHERI COLOM

DE INSVLIS NVPER INVENTIS IN MARI INDICO SVB FERDINANDO REGE HISPANIARVM EPISTOLA, ad magnificum dominum Raphaelem Sanxis: deinde per Alexandrum de Coſco latinitate donatum.

QVONIAM ſuſceptæ prouinciæ rem perfectam me conſecutum fuiſſe, gratum tibi fore ſcio: hac conſtitui exarare, quæ te vniuſcuiuſque rei in hoc noſtro itinere geſtæ inuentæq; admoneant. Triceſimo tertio die poſtquam Gadibus diſceſſi, in mare Indicum perueni, vbi plurimas Inſulas innumeris hominibus inhabitatas reperi, quarum omnium pro feliciſſimo Rege noſtro, præconio celebrato, & vexillis extenſis, contradicente nemine poſſeſſionem accepi, primæque earum, diui Saluatoris nomen impoſui, cuius fretus auxilio, tam ad hanc quam ad cæteras alias peruenimus: Eam vero Indi Guanahanyn vocant. Aliarum etiam vnamquamq; nouo nomine nuncupaui. Quippe aliam inſulam Sanctæ Mariæ Conceptionis, aliam Fernandinam, aliam Hyſabellam, aliam Iohannam, & ſic de reliquis appellari iuſſi. Quam primum in Inſulam (quam dudum Iohannam vocari dixi) appulimus: iuxta eius litus occidentem verſus aliquãtulum proceſſi, tanq; eam magnam nullo reperto fine inueni, vt non inſulam, ſed continentẽ Cathay prouinciam eſſe crediderim, nulla tamen videns oppida, municipiaue in maritimis ſita cõfinibus, præter aliquos vicos & prædia ruſtica, cum quorum incolis loqui nequibam, quare ſimul ac nos videbant, ſurripiebant fugam. Progrediebar vltra, exiſtimans aliquam me vrbem villaſq; inuenturum. Denique videns quod longe admodum progreſſis, nihil noui emergebat, & huiuſmodi via nos ad Septentrionem deferebat (quod ipſe fugere exoptabam, terris etenim regnabat bruma) ad auſtrumq; erat in voto contendere, nec minus venti flagitantibus ſuccedebant: conſtitui alios non operiri ſucceſſus: & ſic retrocedens, ad portum quendam (quem ſignaueram) ſum reuerſus; vnde duos homines ex noſtris in terram miſi, qui inueſtigarent, eſſet ne Rex in ea prouincia, vrbeſue aliquæ. Hi per tres dies ambularunt inueneruntq; innumeros populos & habitationes, paruas tamen & abſque vllo regimine, quapropter redierunt. Interea ego iam intellexeram à quibuſdam Indis, quos ibidem ſuſceperam, quomodo huiuſmodi prouincia & Inſula quidem erat: & ſic perrexi Orientem verſus, eius ſemper ſtringens littora vſq; ad milliaria CCCXXII. vbi ipſius inſulæ ſunt extrema, hinc aliam inſulam ad orientem proſpexi, diſtantem ab hac Iohanna milliaribus LIV. quam protinus Hiſpanam dixi, in eamq; conceſſi, & direxi iter quaſi per Septentrionem: quemadmodum in Iohanna ad orientem, milliaria D.LXIV. Quæ dicta Iohanna & aliæ ibidem Inſulæ quam fertiliſſimæ exiſtunt, hæc multis atq; tutiſſimis & latis, nec aliis quos vnquam viderim comparandis portibus eſt circundata: multi maximi & ſalubres hanc interfluunt fluuii: multi quoq; & eminentiſſimi in ea ſunt montes. Omnes hæ inſulæ ſunt pulcherrimę & variis diſtinctæ figuris, peruię, & maxima arborum varietate ſydera labentium plenæ, quas nunquam foliis priuari credo: quippe vidi eas ita virentes atq; decoras, ceu menſe Maio in Hiſpania ſolent eſſe, quarum aliæ florentes, aliæ fluctuoſæ, aliæ in alio ſtatu, ſecundum vniuſcuiuſque qualitatem vigebant, garriebat Philomela, & alii paſſeres varii ac innumeri, menſe Nouembri quo ipſe per eas deambulabam: Sunt præterea in dicta inſula Iohanna, ſeptẽ vel octo palmarum genera, quæ proceritate & pulchritudine: (quemadmodum cæteræ omnes arbores, herbæ, fructusq;) noſtras facile exuperant. Sunt & admirabiles pinus, agri, & prata vaſtiſſima, variæ aues, varia mella, variaq; metalla, ferro excepto. In ea autem quam Hiſpanam ſupra diximus nuncupari, maximi ſunt montes ac pulchri, vaſta rura, nemora, campi feraciſſimi, ſeri, paſciq; & condendis ædificiis aptiſſimi. Portuum in hac inſula commoditas & præſtantia fluminum, copia ſalubritate admixta hominum, quæ niſi quis viderit, credulitatem ſuperat. Huius arbores paſcua & fructus, multum ab illis Iohannæ differunt. Hæc præterea Hiſpana diuerſo aromatis genere, auro metalliſq; abundat: cuius quidem & omnium aliarũ quas ego vidi: & quarum cognitionem habeo incolæ vtriuſque ſexus, nudi ſemper incedunt, quemadmodum eduntur in lucem: præter aliquas fœminas: quæ folio frondeve aliqua, aut bombicino velo, pudenda operiunt, quod ipſę ſibi ad id negotii parant. Carent hi omnes (vt ſupra dixi) quocunq; genere ferri: carent & armis, vtpote ſibi ignotis, nec ad ea ſunt apti: non propter corporis deformitatem (cum ſint bene formati) ſed quia ſunt timidi ac pleni formidine;

geſtatis

geſtant tamen pro armis arundines ſole peruſtas, in quarum radicibus, haſtile quoddam ligneum ſiccum & in mucronem attenuatum figunt, neque his audent iugiter vti: nã ſæpe euenit cum miſerim duos vel tres homines ex meis ad aliquas villas, vt cum earum loquerentur incolis, exiiſſe agmen glomeratum ex Indis, & vbi noſtros appropinquare videbãt, fugam celeriter arripuiſſe, deſpretis a patre liberis, & econtra, & hoc non quod cuipiã eorum damnum aliquod vel iniuria illata fuerit, imo ad quoſcunq; appuli, & quibus cum verbum facere potui, quicquid habebam ſum elargitus, pannum aliaque permulta, nulla mihi facta verſura, ſed ſunt natura pauidi ac timidi. Cæterum vbi ſe cernunt tutos, omni metu repulſo, ſunt admodum ſimplices ac bonæ fidei, & in omnibus quæ habent liberaliſſimi, roganti quod poſſidet inficiatur nemo: quin ipſi nos ad id poſcendum inuitant. Maximum erga omnes amorem præ ſe ferunt: dant quæq; magna pro paruis: minima licet re, nihilove contenti: ego attamen prohibui, ne tam minima & nullius pretii hiſce darentur, vt ſunt lancis, paraphidum, vitriq; fragmenta: Item claui, ligulæ, quanquam ſi hoc poterant adipiſci: videbantur eis pulcherrima mundi poſſidere iocalia. Accidit enim, quendam nautam tantum auri pondus habuiſſe pro vna ligula, quanti ſunt tres aurei ſolidi, & ſic alii pro aliis minoris pretii. præſertim pro blanquis nouis, & quibuſdam nummis aureis, pro quibus habendis dabant quicquid petebat venditor, puta vnciam cum dimidia & duas auri: vel triginta & quadraginta bombicis pondo, quam ipſi iam nouerant. Item arcuum, amphoræ, hydriæ, doliiq; fragmenta, bombici & auro tanquam beſtiæ comparabant, quod quia iniquum ſane erat: vetui, dedi q; eis multa pulchra & grata, quæ mecum tuleram nullo interueniente præmio, vt eos mihi facilius conciliarem, fierentq; chriſticolæ, & vt ſint proni in amorem ergo Regem, reginam principeſq; noſtros & vniuerſas gentes Hiſpaniæ, ac ſtudeant perquirere & coaceruare, eaq; nobis tradere quibus ipſi affluunt & nos magnopere indigemus. Nullã hi norunt idolatriam: imo firmiſſime credunt omnem vim, omnẽ potentiam, omnia deniq; bona eſſe in cœlo, meq; inde cum his nauibus & nautis deſcendiſſe, atq; hoc animo ibi fui ſuſceptus poſtquam metum repulerant. Nec ſunt ſegnes aut rudes, quin ſummi ac perſpicacis ingenii, & homines qui transfretant mare illud, non ſine admiratione vniuſcuiuſq; rei rationem reddunt, ſed nunquam viderunt gentes veſtitas neque naues huiuſmodi. Ego ſtatim atq; ad mare illud perueni: prima inſula, quoſdam Indos violenter arripui, qui edıſcerent a nobis, & nos pariter docerent ea, quorum ipſi in hiſce partibus cognitionem habebant, & ex voto ſucceſſit: nam breui nos ipſos, & hi nos, tum geſtu ac ſignis, tum verbis intellexerunt, magnoq; nobis fuere emolumento: veniunt modo mecum tamen, qui ſemper putant me deſiluiſſe è cœlo quãuis diu nobiſcum verſati fuerint, hodieq; verſentur, & hi erant primi, qui id quocunq; appellabamus nuntiabant, alii deinceps aliis elata voce dicentes. Venite venite & videbitis gentes æthereas. Quamobrem tam fœminæ quam viri, tam impuberes quã adulti, tam iuuenes quam ſenes depoſita formidine, paulo ante concepta, nos certatim viſebant magna iter ſtipãte caterua, aliis cibum, aliis potum afferentibus, maximo cũ amore ac beniuolentia incredibili. Habet vnaquæq; inſula, multas ſcaphas ſolidi ligni, & ſi anguſtas, longitudine tamen ac forma noſtris biremibus ſimiles, curſu autem velociores. Reguntur remis tantummodo. Harum quædam ſunt magnæ, quædam paruæ, quædam in medio conſiſtunt. Plures tamen biremi, quæ remigent duo deviginti tranſtris maiores, cum quibus in omnes illas inſulas quæ innumeræ ſunt traiicitur, cumq; his ſuam mercaturam exercent, & inter eos commertia fiũt. Aliquas ego harum biremium ſeu ſcapharum vidi, quæ vehebãt ſeptuaginta & octoginta remiges. In omnibus his inſulis nulla eſt diuerſitas inter gentis effigies, nulla in moribus atq; loquela, quin omnes ſe intelligunt adinuicem, quæ res perutilis eſt ad id, quod ſereniſſimum Regem noſtrum exoptare præcipuè reor, ſcilicet eorum ad ſanctam Chriſti fidem cõuerſionem, cui quidem quantum intelligere potui facilimi ſunt & proni. Dixi quemadmodum ſum progreſſus antea inſulam Iohannam, per rectum tramitem occaſus in orientem miliaria CCCXXII. ſecundum quam viam & interuallum itineris, poſſum dicere hanc Iohãnam eſſe maiorem Anglia & Scotia ſimul, nanq; vltra dicta CCCXXII. miliaria, in ea parte quæ ad occidentem proſpectat: duæ (quas non petii) ſuperſunt prouinciæ, quarum alteram Indi Anan vocant, cuius accolæ caudati naſcuntur. Tenduntur in longitudinem ad miliaria CLXXX. vt ab his quos veho mecum Indis percepi, qui omnes has callent inſulas. Hiſpanæ vero ambitus maior eſt tota Hiſpania à Cologna vſq; ad Fontem Rabidum. Hincq; facile arguitur, quod quartum eius latus, quod ipſe per rectam lineam occidentis in orientẽ traieci, miliaria continet DXL. Hæc inſula eſt affectanda, & affectata, non ſpernenda, in qua (& ſi aliarum omnium vt dixi pro inuictiſſimo Rege noſtro ſolẽniter poſſeſſionem accepi, earumq; imperiũ, dicto Regi penitus cõmittitur) in oportuniori tamen loco, atq; omni lucro

& commertio condecenti, cuiuſdã magnæ villę, cui Natiuitatis Domini nomen dedimus, poſſeſſionem peculiariter accepi: ibiq; arcem quãdam erigere ex templo iuſſi, quæ modo iam debet eſſe peracta, in qua homines qui neceſſarii ſunt viſi, cum omni armorũ genere, & vltra annum victu opportuno reliqui, item quandam carauellam, & pro aliis conſtruendis, tam in hac arte quam in cæteris peritos, ac eiuſdem inſulæ Regis erga nos beneuolentiam & familiaritatem incredibilem. Sunt enim gentes illæ amabiles admodum & benignæ, eo quod Rex prædictus me fratrem ſuum dici gloriabatur. Et ſi animum reuocarent, & his qui in arce manſerunt nocere velint, quod nequeunt, quia armis carent, nudi incedunt, & nimium timidi: ideo dictam arcem tenentes duntaxat, poſſunt totam eam inſulam nullo ſibi imminente diſcrimine (dũmodo leges quas dedimus ac regimen non excedant) facile detinere. In omnibus his inſulis vt intellexi, quiſque vni tantum coniugi acquieſcit, præter principes aut Reges, quibus viginti habere licet. Fœminæ magis quam viri laborare videntur, nec bene potui intelligere an habeant bona propria, vidi enim, quod vnus habebat, aliis impartiri: præſertim dapes, obſonia, & huiuſmodi. Nullum apud eos monſtrum reperi, vt plerique exiſtimabant, ſed homines magnæ reuerentiæ atq; benignos. Nec ſunt nigri velut Æthiopes: habent crines planos ac demiſſos, non degũt vbi radiorum ſolaris emicat calor: permagna namq; hic eſt ſolis vehementia: propterea quod ab æquinoctiali linea diſtat (vt videtur) gradus ſex & viginti. Ex montium cacuminibus maximum quoque viget frigus, ſed id quidem moderantur Indi, tum loci conſuetudine, tum rerum calidiſſimarum quibus frequenter & luxurioſe veſcuntur præſidio. Itaq; monſtra aliqua non vidi, neq; eorum alicubi habui cognitionem, excepta quadam inſula Charis nũcupata, quæ ſecunda ex Hiſpana in Indiam transfretantibus exiſtit, quam gens quædam, à finitimis habita ferocior, incolit: hi carne humana veſcuntur. Habent prædicti biremium genera plurima, quibus in omnes Indicas inſulas traiiciunt, deprædant, ſurripiuntq; quæcunque poſſunt. Nihil ab aliis differunt, niſi quod gerunt more fœmineo longos crines, vtuntur arcubus & ſpiculis arundineis, fixis (vt diximus) in groſſiori parte attenuatis haſtilibus: ideoq; habentur feroces, quare cæteri Indi inexhauſto metu plectuntur, ſed hos ego nihil facio plus quam alios. Hi ſunt qui coeũt cum quibuſdam fœminis, quæ ſolæ inſulam Mathenin primam ex Hiſpana in Indiam traiicientibus inhabitant. Hæ autem fœminæ nullum ſui ſexus opus exercent: vtuntur enim arcubus & ſpiculis ſicuti de earum coniugibus dixi, muniunt ſeſe laminis æneis, quarum maxima apud eas copia exiſtit. Aliam mihi inſulam affirmant, ſupradicta Hiſpana maiorem, eius incolæ carent pilis, auroque inter alias potiſſimum exuberat. Huius inſulæ & aliarum (quas vidi) homines mecum porto, qui horum quæ dixi teſtimonium perhibent. Deniq; vt noſtri diſceſſus & celeris reuerſionis compendium, ac emolumentum breuibus aſtringam, hoc polliceor, me noſtris Regib. inuictiſſimis paruo eorum fultum auxilio, tantum auri daturum, quãtum eis fuerit opus: tantum vero aromatum, bombicis, maſticis (quæ apud Chium duntaxat inuenitur) tantumq; ligni aloes, tantum ſeruorum hydrophilatorum, quantum eorum maieſtas voluerit exigere. Item reubarbarũ & aliorum aromatum genera, quæ Hii quos in dicta arce reliqui, iam inueniſſe, atq; inuenturos exiſtimo: quandoquidem ego nullibi magis ſum moratus (niſi quantum me coegerunt venti) præterquam in villa Natiuitatis, dum arcem condere & tuta omnia eſſe prouidi. Quæ & ſi maxima & inaudita ſunt: multo tamen maiora forent, ſi naues mihi (vt ratio exigit) ſubueniſſent. Verum multum ac mirabile, hoc ne noſtris meritis correſpondens, ſed ſanctæ Chriſtianæ fidei, noſtrorumq; Regum pietati ac religioni, quia quod humanus conſequi non poterat intellectus, id humanis conceſſit diuinus. Solet enim Deus ſeruos ſuos, quiq; ſua præcepta diligunt, etiam in impoſſibilibus exaudire, vt nobis in præſentia contigit, qui ea conſecuti ſumus, quæ hactenus mortalium vires minime attigerant: nam ſi harum inſularum quippiam aliqui ſcripſerunt aut locuti ſunt, omnes per ambages & coniecturas nemo ſe eas vidiſſe aſſerit: vnde prope videbatur fabula. Igitur Rex & Regina, principes, ac eorum regna feliciſſima, cunctæque aliæ Chriſtianorum prouinciæ, Saluatori Domino noſtro Ieſu Chriſto agamus gratias, qui tanta nos victoria munereque donauit: celebrentur proceſſiones, peragantur ſolennia ſacra, feſtaque fronde velentur delubra. Exultet Chriſtus in terris, quemadmodũ in cœlis exultat, cum tot populorum perditas ante hac animas ſaluatum iri præuidet. Lætemur & nos, tum propter exaltationem noſtræ fidei, tum propter rerum temporalium incrementa, quorum non ſolum Hiſpania, ſed vniuerſa Chriſtianitas eſt futura particeps. Hæc geſta ſunt ſic breuiter enarrata. Vale.

Vlisbonæ, pridie Idus Martii.

DE LEGATIONE IMPERATORIS POTENTISSIMI ÆTHIOPIÆ AD CLEMENTEM PONTIFICEM VII.

IN medio totius Aphricæ, quæ tertia pars orbis terrarum eſſe cenſetur, ſiti ſunt Abyſſini Æthiopes, quibus longe lateq; dominatur magnus imperator Dauid, vulgo Pretoiannes appellatus. Eius imperio ſedecim opulenti Reges parent, & ab eo ita leges accipiunt, vt beneficiario alienoque iure potius quam ſuo, regna obtineant. Ipſe à vetuſta progenie, ſucceſſioneq; perpetua, regii ſanguinis imperium accepit: viget corporis viribus, ætate floret, & ſupra totius mundi reges, viribus atq; opibus abundat, & quod ſingularis & cumulatæ felicitatis eſſe videtur, nunquam bello a quoquam victus, frequentiſſime præliis victor, præalta & glorioſa pace perfruitur, à meridie Troglodytas habet gentem nudam, nigerrimam, omnium prope rerum quæ ad ciuilem & elegantem vitam pertinent, rudem penitus, & egenam; vtpote quæ in æſtuoſa & retorrida regione nihil fere à ſolo cœlóue benignitatis conſequantur. Hæc gens tamen aurum fodit, & ebur præbet, & per ſiticuloſas harenarum ſolitudines legendis gemmis ſolertiſſime diuagatur, nec alios nouit deos, quam Solem & Lunam, ſed hanc maxime in honore ac admiratione habet, quod noctibus diſceſſu à Solis feruore immodico refrigeratis lucem largiatur, & contra Solis iniurias vna benigne & opportune inuecto tepore ſplẽdoreq; ſubueniat. Ab occaſu Manicongorum Rex fines habet, cuius regni magna eſt amplitudo ſoliq; maior fœcunditas, nam fluuius ingens, quem Gabram vocant, amplitudine, incrementis, copiaq; crocodilorum & piſcium Nilo perſimilis, mediam ſecās, & ſæpe inundans regionem, effectis aliquot inſulis in Athlanticum Oceanum defertur. Hic Rex proxime à Luſitanis (quorum in fidem & poteſtatem vltro ſe dederat) Chriſtiana ſacra ſuſcepit: ab auſtro capillati Æthiopes occurrunt, qui ad promontorium Bonæ ſpei, cuneatis ibi & prominentibus terris extenduntur, ea gens vti prope capricorni circulum ſita, colorem oleæ maturæ defert, corporis habitus illis paulo caſtigatior & exilior, ita vt curſu vel incitatos equos effugiant: ab his cum ſint aſtuta ac inſidioſa feritate terribiles, Franciſcus Almedius, dum magnis rebus geſtis India decedens; cum victrice claſſe ad triumphum in Luſitaniam rediret, & ad Saldanium fontem aquaretur interfectus eſt. Ab ortu vero ſolis Barnegaſiorum Rex Dauidi ſubiectus Arabici maris littus attingit in ſinu Adulico, qui ſtatim rubri maris anguſtias intrantibus ad læuam occurrit. Ibi Delaca eſt inſula quæ ſtationem habet, & in proxima continente portus eſt nomine Arquiquus, ita vt facile iam poſſit ad interiores Abyſſinos perueniri, & tuto quidem itinere, cum pacata amicaque ſint omnia. Barnegaſiorum Rex atq; eius populus, non atra, ſed flauenti & cuprea quadam nigredine tinguntur, habitus illis corporum, armorum, veſtium, & ingenii, ab Arabibus ac Ægyptiis vix differt, nam nauigatione frequentiſſima, & terreſtribus commerciis inde ea quæ diximus facile acceperunt. At vniuerſæ ditionis imperium Dauidis magnas ſingulis prope in rebus recipit diuerſitates cum à Cancri tropico aduerſum Capricorni totum immenſa vaſtitate diſtendatur, vnde neceſſe ſit ad ſolis conuerſiones cuncta variante natura, cœlum alibi mite eſſe; alibi infeſtum; alternatis ſcilicet pruinis atque feruoribus vti magis, aut minus regio quæq; ab æquatoris benignitate receſſerit. Nam ibi duabus æſtatibus, duabuſq; opimis meſſibus felices, populi ſingulo quoq; anno lætantur, ita inexhauſta terræ pinguedine; & alteræ etiam binæ vti leguminum minores meſſes iterata ſemente proueniant. Cæterum Franciſcus Aluarez legatus de Abyſſinis Æthiopibus magnum volumen attulit, in quinque digeſtum libros.

In primo, vniuerſa regio exactiſſime deſcribitur, deſignatis finibus, & annotata dierũ quantitate, ad dimenſiones aſpectuſque cœleſtes, ſecundum coſmographiæ rationem, vbi de fontibus Nili, & de eius incrementi cauſis mira, & longe pulcherrima referuntur.

In ſecundo de vbertate ſoli frugumq; generibus, varietateq; rerum terra naſcentium diffuſe agitur.

In tertio de animalib. atq; auibus, de magnitudine ferarum, & præſertim de elephantis, quorum numeroſiſſimi greges in patentibus campis, atque nemoribus viſuntur.

In quarto diſſeritur de natura & moribus Abyſſinorum, de literis & ſtudiis eorum. Itemque de aula & cultu ingenioque ipſius imperatoris, de exercitu, de diſciplina, de legibus, inſtitutiſque ciuilibus.

Digitized by Google

In quinto ea referuntur, quæ ad religionem pertinent, ſcilicet circa ſolennia ſacra, templorum cultum, honores funerum, celebritatem nuptiarum, & monachorum vitam, qui infiniti prope numero ſeptis cœnobiorum includuntur.

Hi autem libri propediem in Latinam linguam vertentur. Nam illuſtris dominus Martinus à Portugallia ipſius Luſitaniæ Regis Legatus traducendi eius libri prouinciam Paulo Iouio hiſtoriarum ſcriptori demandauit, qui & has quoque Dauidis literas fideliſſime Latinas fecit.

DE REGNO AETHIOPIAE, AC POPVLO, DEQVE MORIBVS EIVSDEM POPVLI.

VISVM eſt præterea, quæ de hoc rege Æthiopico noſtris temporibus
comperta ſunt paucis ſummatim attingere. Eum non Pretoiannem
(vt vulgus falſo opinatur) ſed Gyam ab eis nominari, quod eorum lin-
gua ſonat potentem. Enimuero potentiſſimum eſſe, Regem que Re-
gum dici, ac LXII. Regnis imperitare. Ea regna latiſſimos fines, ſpa-
cioſiſſimas terras, vaſtiſſima maria habere. Siquidem ad Orientē ma-
ri Rubro & Barbarico, ad meridiem & occidētem Agiſimbo allui, qua
parte ipſa regio velut Promontorium, cuius caput Bonæ ſpei appellatur, in meridiem ex-
currit. Ad finem fere eius, Nilum naſci, longiſſimoq; tractu multis confectis inſulis, qua-
rum maxima ſit Meroe, in Ægyptum & Libyam ad Septentrionem, interiorem Lybiam
ad Occidentem ei terminos eſſe. Regem in maxima veneratione haberi, atque homini-
bus ita abundare, vt vel medioeri rerum tumultu decies centum millia hominum, & præ-
terea quingentos elephantos, camelorumque & equorum ingentem numerum ad bellum
inſtruat. Arcubus in bello quadricubitalibus, tum conto, lorica, & galea vtuntur. Abun-
dant auro, metalliſque cæteris: margaritis, & ſerico ornantur, lino bombicinoque veſtiun-
tur, lanificio enim penitus carent, quanquam omnifariam pecoribus affluant: Agricultu-
ram exercent & rem pecuariam, bina meſſis, binaque illis æſtas, milii, hordeique frequens
vſus. Quidam ſeſamum, alii lothum ſerunt, ſal foſſile habent, ſicut Arabes, hebeno Perſi-
co abundant & ſiliquaſtro: Aromata piperis, cinnamomi, & gingiberis legunt, venantur
leones, pardales, rhinocerotes, & elephantos. Ipſi ſe antiquiſſimos hominum eſſe glorian-
tur, argumento quod indigenæ, ſemperque liberi fuerint, nec eos Semiramis, Hercules,
Dionyſius, aut ipſi etiam Romani expugnare vnquam potuerint, Cambyſes quoque Rex
potentiſſimus, ab eis victus, maximoque exercitu exutus ſit: quin & Ægyptios Æthiopum
colonos affirmant, literarumq; & ſtatuarum vſum, cultum regum, curamq; ſepulchrc rum
& politica omnia ab Æthiopib. accepiſſe. At illa verior ac iuſtior huius gentis gloria quod
Chriſtianam pietatem, iam inde ab eius initiis, per Eunuchum Reginæ Candacis à Philip-
po Apoſtolo baptizatum ſuſceperit, ſuſceptam que tot iam ſeculis conſtantiſſime cōſerua-
rit, & quāquam interea, ſicut & hodie, vndique a Mauris & Saracenis Mahomethis culto-
ribus, itemque idolatris velut indagine cincta, vexata, oppugnataque fuerit, non tamen ea
ſæua Maomethis tempeſtas, quæ Romanum imperium cum Chriſtiana religione ex ma-
xima parte alibi diſiecit, Æthiopiam, aut ditione, aut religione ſua ſpoliare vnquam potue-
rit. Nec id quidem mirum cum hi Æthiopici Reges, ab iiſdem Dauide ac Salomone, à
quibus ſanctiſſima Deipara virgo, ipſeq; Chriſtus ſeruator noſter, genus ac ſtemma ſuum
numerent, cui ſit honor & nunc & ſemper, Amen.

AD LECTOREM.

ANno ſalutis, M. D. XXXIII. Menſe Ianuario, ſummis Chriſtianorum principibus, Sanctiſſimo D. N. Clemente Pontifice VII. & Carolo V. Romanorum Imperatore, ſemper Augu-ſto, Bononia congregatis: Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Don Martinus de Portugalia, nepos, co'a-ſto, filiartus, & Orator ſereniſſimi Ioannis Regis Portugalliæ, ad eundem ſanctiſſimum D. N. iterum miſſus, duxit una ſecum, D. Franciſcum Aluarez Oratorem ſereniſſimi Dauid Aethiopiæ Regis, vulgo Preſogyam

go Pretegyam nominati, miſſum ab ipſo AEthiopiæ Rege ad eundem ſanctiſſimum D. N. ſalutandum ac venerandum, eique obedientiam de more cæterorum Chriſtianorum Regum præſtandum. Quemadmodum ex literis vtriuſque Regis eidem ſanctiſſimo D. N. redditis, & infra deſcriptis plenius apparebit. His datus eſt Senatus & conſiſtorium publicum XXIX. Ianuarii, in quo poſt receptum Reuerendiſſimum Cardinalem Tridentinum, qui eodem tempore Bononiam à Sereniſſimo Ferdinando Rege Romanorum miſſus venerat, tum deinde ipſi duo Oratores Portugalliæ & AEthiopiæ magno comitatu in conſiſtorium venerunt, amboque venerabundi ac genu flexo. Primo Orator Portugalliæ literas ſui Regis vna cum exemplis literas dicti Regis AEthiopiæ ad ſe, & claræ memoriæ Emanuelem patrem ſuum ſcriptarum: deinde AEthiopicus Orator binas ſui Regis literas eidem ſanctiſſimo D. N. reddidit, munuſculumq; aureæ Crucis libræ ferme ponderis, nomine ſui Regis obtulit; primo pedem, deinde manum ſanctitatis ſuæ oſculatus, demumq; ad oris oſculum de more receptus. Literæ huius AEthiopica conſcripta lingua, in Luſitanam primo, indeque in Latinam translatæ fuerant. Quæ literæ omnes per ſecretarium domeſticum eiuſdem ſanctiſſimi D. N. eo quo infra ſcribentur ordine lectæ, & pronuntiatæ coram omnibus fuerunt.

IOANNIS PORTVGALLIÆ REGIS SERENISSIMI LITERÆ AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM CLEMENTEM Pontificem VII.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, atque beatiſſimo domino, D. Clemente Pontifice VII. Diuina prouidentia vniuerſæ eccleſiæ Dei præſidenti, S.

SANCTISSIMO in Chriſto Patri, atque beatiſſimo domino, eiuſdem ſanctitatis deuotiſſimus, filius Ioannes Dei gratia Rex Portugalliæ, & Algarbiorum citra vltraque mare in Africa: Dominus Guineæ, expugnationis, nauigationis, commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Perſidis, atque Indiæ, poſt humillima ſanctorum pedum oſcula. Sanctiſſime in Chriſto Pater, & feliciſſime domine, Rex dominus, & pater meus, cum animaduerteret, quam gratum Deo eſſet futurum, ſi Æthiopiæ, atque Indiæ remotiſſimę regiones, quæ fama tantum, atque ea quidem ambigua auditæ fuerant, ſolerti nauigatione Chriſtianorum claſſibus adirentur: ſtatim ab ipſo ſuſcepti regni initio complures duces & ſubditos ſuos ad perſcrutanda cognoſcendaq; earum terrarum littora, inſtructis validiſſimis claſſibus miſit: ſcilicet vt Mauri & gentiles, earum regionum populi, veritatem Chriſtianæ religionis agnoſcerent, atque obiter patefacto itinere, alii etiam populi reperirentur, qui Deum Chriſtum colerēt, ſicut opinione hominum eos inueniri poſſe ferebatur. Itaque volente Deo tota Guineæ regio feliciter peragrata eſt, in qua Rex de Manicongo cum ingentib. populis ipſi ſubditis, qui ſe ad eius autoritatem ac obedientiam contulerat, ſacro baptiſmate ſuſcepto, Chriſtianus effectus eſt, & complures aliæ gentes ex regionibus Indiæ, Perſidis & Arabiæ, ad Chriſtianam fidem noſtrorum pietate & diligentia ſunt perductæ, & quotidie aliæ atque aliæ nationes, quæ tardius veritatem agnouerunt, exemplo aliarū ad Chriſtum conuertuntur: & quanquam in his expeditionibus grauiſſima amiſſarum nauium & ducum, item nobilium equitum, & ſubditorum ſuorum detrimenta recepiſſet. Tamen ab hoc eximiæ pietatis conſilio non deſtitit, vti pium & Chriſtianum Regem decebat. Itaque eodem curſu mare Rubrū penetrante claſſe noſtra, repertum eſt, nunquam antea Chriſtianorum claſſibus nauigatum: nam fere totum in poteſtate Turcarum erat. Et demum poſt diuturna atque aſpera bella inuentum eſt iter, quod ad (vulgo Pretegyam nuncupatum) Æthiopiæ Regem potentiſſimum ducit, qui cum vniuerſis regnorum ſuorum populis Chriſtum colit. Ad hūc exemplo Rex pater meus legatū deſtinat, vt ad obedientiam ſanctæ ſedis apoſtolicæ pertraheretur, opportunaq; narrādo, & aperiendo certior redderetur, tuam ſanctitatem in ſede Petri

reſidere, & vnicum eſſe in terris Chriſti vicariũ, cui omnes Chriſtiani Reges obedientiam cum ſumma veneratione præſtare conſueuiſſent. Nec multo poſt, idem Æthiopiæ Rex cum legatum remitteret, ſuum etiam proprium & indigenam, qui ad eum cum mandatis veniret, adiunxit. Sed interim Deus ad ſe patris mei animam ad ſanctæ gloriæ participationem in cœlum recepit. Nec mora quum nos in eius ſucceſſiſſemus locum, operam dedimus cum ducibus noſtris, qui erant in India, vt idem Rex Æthiopiæ de Regis patris mei morte certius redderetur: Cum ea, quæ pater meus præclare pro fide Chriſtiana inceperat, omnino perſequenda & perficienda curaremus. Quod ipſe Rex Æthiopiæ magnifaciens, ſuum Oratorem ad nos miſit (qui in aula noſtra adhuc commoratur) & ſimul Franciſcum Aluarez Cappellanum noſtrum, qui eſt vnus ex his, quos pater meus ad eum miſerat. Hunc Franciſcum Aluarez idem Æthiopiæ Rex Romam mittit vt ſuo, & ſingulorum regnorum ſuorum nomine, tuæ ſanctitati obedientiam præſtet: quem hactenus remorati fecimus quod multis de cauſis, cum proficiſci volebamus, vna cum Martino à Portugallia nepote chariſſimo, & conſiliario, ac Oratore noſtro ad T. S. Cui commiſimus, vt eundem Franciſcum Aluarez dicti Regis Æthiopiæ Oratorem ſanctitati tuæ ad præſtandam obedientiam præſentaret. Item vt cuncta ea quæ orator eiuſdem Regis Æthiopiæ ad nos miſſus deferebat aperiret, exemplaq; literarum eiuſdem Regis ad nos T. S. oſtenderet. Propterea nobis rem gratiſſimam S. T. faciet, ſi eidem Martino Oratori noſtro pleniſſimam fidem in his rebus habuerit, & certe Deo Optimo Maximo, ſummæ gratiæ ſunt merito referendæ, quod Pontificatus tuæ ſanctitatis tempore, hanc inſignem à Deo gratiam S. T. retulerit, vt alteram Chriſtiani populi portionem, hac noſtra nihil amplitudine terrarum minorem conſentire cum fide catholica, & ſancta Romana Eccleſia & obedientiam præſtare videamus. Nos vel ob id ingentes Deo gratias agimus, quod in hac tãta acceſſione huius Regis noſtra opera vti voluerit. Nihil enim ad laudem veræ pietatis poterit eſſe præclarius, quam Æthiopiam in vnitate Chriſtianæ profeſſionis noſtræ Europæ coniunctiſſimam conſpexiſſe. Deus & Dominus noſter ad multos annos tuam ſanctitatem feliciſſime conſeruare & augere ad votum dignetur. Datum in Sertuual vigeſima octaua Maii. M. D. XXXII.

Approbatio.

NOs Decanus cæterique ſacræ Theologiæ facultatis Doctores in hac celebri Louanienſi vniuerſitate Regentes, Vniuerſis & ſingulis cuiuſuis ordinis ac Religionis ſalutem, & CHRISTI Seruatoris noſtri pacem. Notum vobis facimus librum, quem D. Damianus à Goes eques Luſitanus de Fide, Religione, moribuſque Æthiopum Latinum fecit, à nobis, ipſomet Domino Damiano petente, cum adhuc impreſſus non eſſet, viſitatum, examinatumque diligentia omni adhibita fuiſſe. Cuius lectio hic per nos approbata fuit, cum liber ipſe contineat narrationem eorum quæ cognitione digna ſunt. Et quoniam hæc vera ſunt, denuo hac noſtra approbatione, cui ſigillum facultatis noſtræ quoque adiunximus, iterum teſtamur eundem ipſum librum talem eſſe, qui ſine aliqua oppoſitione paſſim per totum orbem legi & deportari poſſit. Datum Louanii, anno à natiu. Dom. M. D. XLI. Menſ. Iul. die XII.

Ioannes van Houe dictæ S. Theologiæ facultatis Bedellus & Notarius.

DAMIANVS A GOES

EQVES LVSITANVS PAVLO PONTIFICI ROMANO TERTIO, S. P. D.

NVLLA haud dubie eſt res, in qua vberius niti debeamus, quam vt totus terrarum orbis (ſi id aliter fieri non poterit) labore, ſumptu, martyrio, ac omnium noſtrum cruciatibus, ad Chriſti fidem alliciatur, allectusq; vt ſub vnum ordinem, & viuendi ritum redigatur. Cuius rei cura, tibi Paule Pontifex Maxime, qui vt primus Epiſcopus, & Chriſti vicarius, eius vniuerſali Eccleſiæ præſides, cæteris nobis omnibus magis debetur. Quamobrem tuum eſt officium, (quod etiam iam cum magna ſpe omnium incepiſti) calamitatibus, quotidie ipſius Chriſti ouili occurrentibus

currentibus mederi, & opera, & ſtudio tuo efficere, vt ipſi ſoli Chriſto totus mundus pareat, ac credat. cum vero crediderit, vt tibi, monitiſque tuis, veluti Petri ſucceſſori, in omnibus, quæ ad ſalutem animarum ſpectant, obediant. Quod cum euenerit, dicemus te autore, prophetiam vnius paſtoris, & ouilis adimpletam eſſe. Cuius rei palmam ſi obtinueris, quis profecto Pontificum, te vel honore, vel felicitate; vel merito anteibit? vel cui triplicem tiaram maiori iure concedemus, quam tibi? quam vt conſequaris, tempora licet alioquin infelicia, magnas tibi occaſiones nunc præſtant, infelicia, inquam, ob eas calamitates, quas in Europa medendas habes. Quæ vt vicina maiori certe periculo eccleſiæ imminent. A nemine acrius impetimur, quam à vicino hoſte. Nunc vero vt has moleſtiſſimas curas, quæ tibi (vt ſcio) perpetuo cordi ſunt, omittamus, ad alias mitiores veniamus, quæ cum magna ſpe coniuncta ſunt, vt alter & nouus quodammodo orbis, cum Chriſti fide, tuæ ſanctitatis maieſtatem & dignitatem agnoſcat. Quas ſi pro tua prudentia ita tractaueris, vt te quaſi gubernatore Eccleſia, tum Europæa, tum Æthiopica, vitatis periculis & naufragiis, in portum ſalutis veniat, de te canemus illud Propheticum Sapientiæ canticum, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. videte, quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.

Ad quæ omnia perficienda adeſt iam demum tempus hoc in quo huiuſmodi vaticinia per te adimpletum iri confidimus. Adſunt hic modo Æthiopes, gens magna & Chriſti auidiſſima, cuius ſanctiſſimus Imperator amicitiam Europæorum Chriſtianorum cupiens ad te, & ad inuictiſſimos Reges Luſitaniæ, legatos miſit, per quos, vt ex eius epiſtolis apparet, non tantum ſibi Chriſtianam amicitiam & charitatem cupit à Principibus Europæis impertiri, verum etiam eoſdem (quos aſſidue in acerbiſſimis diſcordiis nouit verſari) ad Chriſtianam concordiam pientiſſime adhortatur. Res ſane ob quam omnes pudore affici debemus. Surrexit vero iam Regina Saba, & vocat nos in iudicium, errata noſtra reprehendens. Adimplentur Chriſti Prophetiæ, & quos ipſe elegit, paulatim ab ipſius conſortio dilabuntur, eiuſque præcepta & promiſſa deuoluuntur ad eos, qui Ethnici & à Chriſto alieni reputabantur. Is enim Æthiopum Imperator, cum omnibus ſuis regnis, vt ex noſtra enarratione apparebit, ſub tua diſciplina viuere cupit, nec quicquam magis optat. Nec etiam ignorat ex Apoſtolorum doctrina, quam in octo libris digeſtam habet, Epiſcopo Romano, omnium Epiſcoporum totius orbis principatum deberi, cui plane ſancteque parere vult, ab eoque in Chriſti Eccleſiæ inſtitutis, bene & ſancte inſtrui, & ad id inſuper viros doctos ſibi dari orat, atque exorare auide affectat. Nec eo contentus, vt ſuarum etiam poſtulationum in poſterum extet memoria, petit, vt huius rei fides maneat in Pontificum Annalibus, vt ſic ab hiſtoria Eccleſiaſtica, eius epiſtola, ac piiſſima optata illuminentur, & poſteritas intelligat, quo tempore, ſub quoque Pontifice hæc geſta fuere. Viros autem doctos, ſacrarum literarum diſciplina & aliarum artium bene inſtructos, non dubito, quin tua ſanctitas iam ad eum tranſmiſerit, aut omnino ſit miſſura. Quorum doctrina & induſtria, ſimul cum ſermone & labore nonnullorum, quos iam ſereniſſimi Reges Luſitaniæ Emanuel & Ioannes eius filius miſerunt, facies vt omnes Chriſtiani in Æthiopia & India degentes, ſenſim legibus & inſtitutis Romanorum Epiſcoporum (quos Chriſti vicarios non reformidant fateri) pareant. Quibus tandem tua opera nobiſcum per veram religionem coniunctis, ac in vno ouili ſimul, & ſub vno paſtore Chriſto congregatis, intelligemus ſuper nos omnes Domini miſericordiam confirmatam, & eius regnum omnium ſeculorum, & dominationem eius omnium generationum eſſe, & tunc omnis caro benedicet nomini ſancto eius in ſecula. Et ne prolixior ſit exhortatio mea quam oportet, præſertim ad eum, cuius vita ac doctrina omnes imitatores ſumus, & eſſe debemus; ad exordium enarrationis me conferam, quam aliquantulo altius repetam, vt ſic clarius oſtendam, quibus principiis hæc ſanctiſſima Precioſi Ioannis, & Regum Luſitaniæ amicitia & fœdera inita ſint, ſperans me, dum quæ vera & legitima ſunt, enarro, animos legentium incendere poſſe, & ad huiuſmodi munera allicere, quo Chriſti fides vberius in omnibus terræ angulis propagetur, prædicetur, colatúrque.

FIDES, RELIGIO, MORESQVE ÆTHIOPVM.

Henricus.

ANNO ab ortu Seruatoris humani generis Chriſti 1433. vita functo Ioanne Luſitaniæ Rege eius nominis primo, cognomento bonæ memoriæ, qui Luſitaniam à Caſtellanorum incurſionibus, oppugnationibuſq́; , quib. eam ferme totam populauerant, liberauit, inter alios, quos reliquit filios, Henricus cæteris omnibus, in diſciplinis, præcipue Mathematicis doctior fuit, qui propter ſola aſtrorum ſtudia cœlebs vixit, ac vt curſus ſtellarum accuratius meditaretur, vitam in ſacro promontorio, quod caput Sancti Vincentii dicitur, egit, quem locum propterea, quod in eo cœlum raro turbidum efficitur, elegit, ne nubibus interpoſitis inſtrumentis, quib. ad rationem eius muneris vtebatur, conſideratio cœleſtium curſuum impediretur. Is autem Henricus, vt fructus ſtudiorum ſuorũ capeſſeret, id quod iam ex multis vigiliis compertum habebat, nempe Atlãticum Oceanum, in Indicum, rurſus Indicum in Atlanticum profluere, nauibus propriis ſuis, ac ſumptibus conſtituit inueſtigare. quibus iterum atque iterum miſſis, bonam partem litoris Atlantici penetrauit, in quo oppida, & ciuitates, inſulæq́; permultæ repertæ ſunt. Quibus in locis omnibus Chriſti fides eius opera innotuit, inibiq; templa quoq; erecta ſunt, præſertim in inſulis olim deſertis. quarum prima inſula Lignorum, quæ vulgo *Madeira* vocatur, nunc celeberrima & frugifera eſt. Tandem vt ſunt res mortalium inſtabiles, anno ſalutis noſtræ 1460. die 24. Octob. morte interceptus has nauigationes, quoniam expers matrimonii erat, ad coronã regni, tanquam fundum hæreditarium tranſmiſit quæ per manus traditæ, ad tempus Ioannis ſecundi eius nominis, ſine aliqua externorum Regum, ac principum æmulatione, aut inuidia deriuatæ ſunt.

Atlanticus Oceanus in Indicum, Indicus in Atlanticũ profluit.

Madeira.

Columbus Genuenſis.

Quo Rege viuente, Columbus Genuenſis, vir nauticæ artis peritus, ab ipſo Rege, cui Occidentalium Indiarum nauigationes oſtendere pollicebatur, repulſus, ac inauditus dimiſſuſque auxilio, auſpicioq; Ferdinandi, & Elizabeth Regum Caſtellæ, illud iter fœliciter tentauit, ac prouincias illas ampliſſimas, & magni emolumenti primus reperit, & qua nauibus adiri poterant, commonſtrauit. Is autem Ioannes cum diu animo voluiſſet res Orientalium Indiarum, de quarum vbertate ſcriptis antiquorum, multa & varia prodita erant, inter alios immenſos labores, & ſumptus, quibus non pepercit, viros aliquot lingua Arabica edoctos, ad illas prouincias, præſertim ad Precioſum Ioannem mittere decreuit. Quorum duo fuerunt, Alfonſus à Paiua, natus ex Albo Caſtro. Alter vero Ioannes Petrus à Couilham, vterque Luſitanus. Ii Scalabitano, ſeptimo die Maii, Anno à Seruatoris Chriſti ortu milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo ſexto, iter ſuum facere auſpicati ſunt, & mercatores ſe ſemper ſimulantes, primum Barcinona, inde Neapoli, poſtea Rhodo, dẽmũ Alexandria iter facientes, Cayrum peruenerunt, ibi mercatorum ſodalitiũ nacti, verſus Thor iter cœperunt. In quo loco naui conſcenſa, ad quãdam vrbem, nomine Cuaquen, in littore Æthiopico ſitam appulerunt. Poſtea Adenem nauigant, Inde Alfonſus iterũ in Æthiopiam ad Precioſum Ioannem, Ioannes vero Petrus in Indiam proficiſci inter ſe conſtituũt, Ioannes autem Callecutio, Goa, ac toto Malabarorum littore perueſtigato, Zofalam nauigauit, Inde rurſus Adenem, hinc recta Cayrum profectus eſt, vt ſodali ſuo inuẽto, in Luſitaniam ad Regem redirent, (ſtatuerant enim, cum Adene diſceſſiſſent, certo quodã tempore, ad eundem Cayri locum conuenire) quo cum reuerteretur, à duobus Iudæis Luſitanis, quorum alter Rabbi Abraham vocabatur, Beienſis, alter Ioſeph Lamecenſis, literas Regis Ioãnis accepit, ab eiſque intellexit, collegam ſuum Alfonſum inibi vitã morte commutaſſe. Iiſdem literis præceptum erat ne in patriam redirent, niſi Oromuzia perluſtrata, ac Precioſo Ioanne ſalutato, de cuius ſtatu Rex auidiſſime cupiebat certior fieri. Qua de cauſa Ioannes Petrus ignorans quæ Alfonſus eius collega, dũ viueret, geſſerat, iterũ Adenẽ Rabbi Abrahã ſocio repetit. Ioſephũ vero cũ literis, quib. itinera ſua, actaq; ſignificabat, ad Regẽ remittit. vnde quadã naui conſcẽſa, in Oromuziã nauigauit. In quo loco Abrahã Iudæo

Precioſus Ioannes.

Iter ad Precioſum Ioannem.

Iudæo relicto, cui literas quoque ad Regem tradidit, Mecham verſus nauigare conſtituit, quam cum iam in oculis haberet, cupido eum inceſſit montis Synai vidēdi. inde diſceſſum eſt Thor. Ruſus nauigatione vſus, faucibus maris Erythræi tranſmiſſis Zeilam, peruenit, reliqua deinde itinera vſque ad aulam Precioſi Ioānis pedibus emenſus eſt, qui tunc temporis Alexander vocabatur, cui humaniſſime acceptus, literas quas habebat à Ioanne Rege, tradidit, eique topographiam, quam vulgo mappam vocant, quo noſtras nauigationes perſpiceret, in manus dedit. Is autem Alexander cum ſtatuiſſet eum remittere, ne id faceret, morte præuentus eſt. Quo mortuo frater in eius locum ſucceſſit, cognomento Nau, ſed ab eo nunquam idem Ioannes Petrus potuit facultatem in patriam redeundi impetrare, eoque extincto, idem illi à filio Dauide regni hærede, denegatum fuit. Donatus igitur ampliſſimis muneribus, quæ illi ad patriæ deſiderium leniendum conceſſa fuere, (quando exire prouinciam non licebat) vxorem nobilem duxit, ex qua quamplurimos filios ſuſcepit. Hunc noſtri Oratores, in ipſa aula Precioſi Ioannis inuenerunt, & allocuti ſunt. A qua diſcedentes, anno M. D. XXVI. ſalutis noſtræ, eum libenter in patriam reduxiſſent, atque ipſe quoque eo redeundi, percupidus erat. ſed id à Dauide obtinere nunquam valuerunt, reſpondente ad ipſorum preces, ſe illum virum, vna cum regnis ſuis, à patre Nau accepiſſe, eumque pari cura, & amore cum ipſis regnis ſeruare velle, nec debere illum tędere Æthiopicæ vitæ, apud quos tum à patre, tum ex ſua liberalitate amplas diuitias, & ditiones accepiſſet. Is, vt noſtri aſſerunt, omnium hominum ferme linguas callet, qua de cauſa, & præcipuè ob eius eximiam prudentiam, tam auide ab Æthiopiæ Imperatoribus retentus fuit. vnde res Luſitanicas eorumque nauigationes exactiſſime cognouerunt. quibus ſæpius recenſendis, vt doctus & eloquens erat, Æthiopum nationem nobis conciliauit. Poſtmodum Ioanne ſecundo Rege mortuo, in eiuſque locum Emanuele feliciſſimo ſuccedente, claſſe, cui præerat Vaſcus à Gama, anno milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, Vlyſſippone ſoluente, capiteque Bonæ ſpei primo ſuperato, ad Indiam Oriētalem noſtri tandem peruenere. In qua varia bella gerentes, multas prouincias ac ciuitates ſub noſtrum imperium redegerunt. *Ioannes Petrus Luſitanus.*

Quæ cum in Æthiopia, tum per finitimos, tum per aliquot Luſitanos, qui ad aulam Precioſi Ioannis tunc temporis ex India venerant, renunciata eſſent, Helena Dauidis auia, quæ ob tenellam ipſius Dauidis ætatem, adminiſtrationem regnorum habebat; quendam Matthæum Armenium, virum multarum rerum atque linguarum peritum, in Luſitaniam ad Emanuelem Regem miſit, & quo maior autoritas, & fides legationi eſſet, quendam nobilem iuuenem Abeſynum miſit, quos ego ſæpius in aula noſtra conueni, & familiariter allocutus ſum. Is enim Matthæus variis itineribus, Goam ad Alfonſum Albuquercum Proregem peruenit, à quo humaniſſime acceptus ac liberaliter dimiſſus, noſtris nauibus, anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio Vlyſſiponem appulit. Is coram Emanuele legatione ſua expoſita, crucem cōcinnatam ex eo ligno, in quo Chriſtus pependit, Regi dedit, quam crucem frequentiſſime vidi, & veneratus ſum, dum frater meus Fructus a Goes, Regis cubicularius, eam in ſua cuſtodia haberet. Literæ autem ſui principis, quas ſecum ad Emanuelem Regem tulerat, ſic loquebantur. *Legati Precioſi Ioānis.* *Crux.*

Epiſtola Helenæ auiæ Dauidis Precioſi Ioannis AEthiopum Imperatoris, ad Emanuelem Luſitanorum, &c. Regem, ſcripta Anno milleſimo quingenteſimo nono.

IN nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vnius ſolius in tribus perſonis Dei, ſalus, gratia, & benedictio Domini noſtri, & Redemptoris Ieſu Chriſti, filii Marię Virginis, nati in domo Bethlehemitica, ſit ſuper dilectum fratrem noſtrum Chriſtianiſſimum Regem Emanuelem, dominatorem maris, victorem ferorum incredulorumque Maurorum. Dominus Deus te bene fortunet, tibi victoriam de inimicis tuis donet, tuaque regna & ditiones, per deuotas preces nuntiorum Redemptoris Chriſti, nempe quatuor Euangeliſtarum ſancti Ioannis, Lucæ, Marci, & Matthæi, longe lateque dilatet, & extendat, quorum ſanctitates & orationes te ſeruent. Certiorem te facimus perquam dilecte frater, ad nos vſque appuliſſe ex magna illa veſtra & eximia aula duos nuncios, quorum quidem alteri nomen erat Ioannes, qui ſe presbyterū aiebat, alteri vero Ioannes Gomez, petiiſſeque à nobis commeatum & milites. *4 Euangeliſta.* *Legati regis Luſitaniæ.*

Quare nos mittimus noſtrum Oratorem Matthæum, fratrem noſtri ſeruitii, cū venia patriarchæ Marci, qui nobis dat benedictionē, mittēs presbyteros Hieroſolymā, qui eſt pater noſter, ac omniū noſtrarū ditionū, colūna fidei Chriſti, & ſanctæ Trinitatis. Is de noſtro mādato miſit ad magnū veſtrū ducem eorū, qui pro fide noſtri ſeruatoris Ieſu Chriſti mili- *Benedictio.*

tant in India, ad illi ſignificandum, nos eſſe promptos ad mittendum tum commeatum, tum milites, ſi neceſſe fuerit. Proinde fama accepimus principem Cayri cogere magnam claſſem aduerſus veſtras copias, nimirum vt ſeſe vindicet de iniuriis damniſque, per militiæ tuæ (quam in India habes) duces, ſibi (vt vere nobis conſtat) ſæpe illatis, quod Deus ſua ſancta bonitate indies magis magiſque fortunare dignetur, vt cuncti tandem increduli, penitus ſub iugum mittantur.

Fuit olim princeps Cayri Sultanus, quam ciuitatem nunc occupat magnus Turca.

Babel, Mendel loci ad oſtia maris rubri ſunt.

Iuda & Thor. ſunt ciuitates maritimæ ad ſinum Arabicum quo Luſitani quotannis in Barbaros excurſionem faciunt.

Nos itaque aduerſus illorum inſultus miſſuri ſumus militum copias, quę maneant ad fretum Mechæ, ſcilicet Babel, Mendel, aut certe, ſi id tibi commodius videbitur, ad portum Iudæ, aut Thor, vt tandem auferas perdaſque huiuſmodi Mauros, & incredulos à facie terræ, ita vt dona & oblationes quæ afferuntur ad ſanctum ſepulchrum, deinceps non vorentur à canibus.

Adeſt iam tempus illud promiſſum, quod, vt aiunt, Chriſtus & mater eius Maria prædixere, quod ſcilicet in poſtremis temporibus oriturus eſſet è regionib. Francicis Rex quiſpiam qui aboliturus eſſet vniuerſum Barbarorum, & Maurorum genus, & hoc ipſum quidem nunc tempus eſt quod CHRISTVS benedictæ ſuæ matri futurum promiſit.

Franci. Francici id eſt, Chriſtiani Europæi: Iudi enim & Mahometani fere omnes Chriſtianos Europæ generali nomine Francos vocant.

Porro quicquid Orator noſter Matthæus, vobis dicturus eſt, id velut à noſtra ipſorum perſona profectum accipite, eique fidem adhibete. Et ſiquidem vnus inter noſtræ aulæ præcipuos, adque ob id illum ad vos mittere voluimus. Commiſiſſemus autem hæc veſtris nunciis, quos huc legaſtis, ſed cepit nos metus, ne noſtra negotia, non ex noſtra ſententia vobis nota forent.

Mittimus ad vos per hunc noſtrum Oratorem Matthæum, crucem vnam, factam haud dubie ex fruſto ligni, in quo ſeruator noſter IESVS CHRISTVS crucifixus fuit Hieroſolymis. Id autem ſacroſancti ligni fruſtum, ex Hieroſolymis ad nos allatum eſt. Porro ex eodem duas fecimus cruces. earum altera quidem apud nos manet, alteram vero dedimus iſti noſtro Oratori, ad vos perferendam. Lignum nigri coloris eſt, pendetque ab exiguo argenteo annulo.

Cæterum ſi vobis viſum fuerit, aut veſtras filias matrimonio iungere noſtris filiis, aut noſtros filios dare veſtris filiabus, id & nobis in primis pergratum erit, & vtriſque vtile, fraterni inter nos initium fœderis, quod quidem nuptiarum cõnubium, cum in præſentiarum, tum etiam in futurum, tecum inire percupimus. Reliquum eſt vt & ſalus, & gratia noſtri Redemptoris Ieſu Chriſti, ſanctæque noſtræ Dominæ Mariæ virginis, ſe extendat tum ſuper vos, tum ſuper filios, filias, vniuerſamque veſtram domum, Amen. Ad hæc autem vos certiores facimus, ſi bella, exercituſque coniungere velimus, ſatis virium nobis futurum eſſe ad (diuino accedente auxilio) abolendum vniuerſos noſtræ ſanctæ fidei inimicos. Verum noſtra regna, & ditiones ſic ſunt in mediterraneis ſita, vt nuſquam in maria poſſimus erumpere. Quare nihil nobis eſt potentiæ in mari, in quo (Deo laus) vos omnium eſtis potentiſſimi. Ieſus Chriſtus ſit vobis auxilio, res enim quæ in India per vos geſtæ ſunt, profecto magis, miraculoſæ quam humanæ. Quod ſi mille velis armare naues, nos & commeatum dabimus, & cuncta, quæ ad eam claſſem opus erunt, abunde ſuppeditabimus.

Ioannes Magnus Gothus

Hanc epiſtolam cum aliquibus fidei, Religionis, morum, ſtatuſque Æthiopum articulis, quos Matthæus coram Rege Emanuele, & eius concilio explicauit, hortatu Ioannis Magni Gothi Archiepiſcopi Vpſaliæ, in regno Suetiæ, cum quo in Pruſſia non vulgarem contraxi amicitiam, ex idiomate Luſitanico, in quo eam conſcriptam habebam, latinam feci, quæ poſtea cum ipſis quoque articulis, me inſcio, Antuerpiæ excuſa eſt.

Legatio.

His ex legatis Æthiopum cognitis, Emanuel, vt erat & prudentiſſimus, & propagandæ fidei Chriſtianæ auidiſſimus, legationem inſtituit grauiſſimis & ornatiſſimis viris inſtructam: cuius capita fuere Eduardus Galuanus, vir non minus ætate, quam prudentia, ac rerum vſu grauiſſimus, & Franciſcus Aluarez, ſacerdos, ac Regi à ſacris, & is quoque ſenex, , & moribus inculpatis; quos vtroſque de facie nouimus. Ii cum Matthæo ſub Lupo Soarez Prorege ad Indiam nauigant, ac tandem Didaco Lupes à Sequeira, Prorege, qui Lupo Soarez ſucceſſerat, cum inſtructa claſſe, quam aduerſus Turcas parauerat, ad portum Arquicu nomine, in litore Erythræo, ac in ditione Precioſi Ioannis ſitum deducuntur, ad quem locum appulſa eſt claſſis, anno ſalutis milleſimo, quingenteſimo vigeſimo, die ſecundo Aprilis, in quo itinere, in Camara maris Erythræi inſula vita defunctus eſt Eduardus Galuanus, in cuius locum ſuffectus eſt Rodericus Limius, qui ab ipſo Arquici portu, vigeſimo nono eiuſdem menſis cum ſociis eiuſdem legationis, duce ſimul ac comite Matthæo (nam Abeſynus ille iuuenis, de quo ſuperius mentionem fecimus è viuis iam diſceſſerat) ad aulam Precioſi Ioannis contendere cœpit.

In quo

In quo itinere quoque mortuus eſt Matthæus ac in quodam celeberrimo cœnobio, nomine Biſayn à noſtris ſepultus. Poſt cuius funebre officium, ad inſtitutam profectionem redeunt, ac poſt maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula, ad aulam Precioſi Ioannis perueniunt, à quo Rodericus cum collegis honorifice excipitur, ac tandem peractis mandatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum ſuis Arquicum profectus, claſſem, cuius prætor Lodouicus Meneſius erat, & quæ ea de cauſa appulerat vt eos reduceret, non inuenit, quæ illos, quod ſerius aduenerant, expectare non potuit propter ventorum importunitates, qui in illis plagis, miro naturæ arcano ſex perpetuos menſes, ex vno cœli climate, deinde alteros illos ſex menſes ex aduerſo ſpirant. Arquici literas inuenit apud Præfectum oppidi, à prætore Ludouico relictas, ex quibus Regis Emanuelis mortem cognoſcit. Quamobrem iterum in aulam Precioſi Ioannis redeundum eſſe conſtituit, quo reuerſo, Precioſus Ioannes ad Romanum Pontificem ſcribit, literaſque Franciſco Aluarez Romam ferendas commiſit. Ii omnes iam ſpacio ſex annorum in illis prouinciis commorati, tandem cum legato Æthiopico, quem Precioſus Ioannes ad Regem noſtrum mittebat, Arquici aliam claſſem regiam, quæ eorum cauſa iterum venerat, conſcendunt: idque anno M.D X X V I. menſe Aprili. Inde ſoluentes Indiam petunt ac tandem longis nauigationibus, Vlyſſiponem ad Regem Ioannem, anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo ſeptimo, menſe Iulio redeunt, qui Oratorem Æthiopicum ob certas eius legationis cauſas, apud ſe ad annũ milleſimum, quingenteſimum, trigeſimum nonum vſque retinuit, Franciſcumque Aluarez ad Clementem Pontificem ſeptimum cum literis Precioſi Ioannis, cuius Orator ex Æthiopica venerat, miſit, quas ipſe Pontifex ex manibus eiuſdem Franciſci Aluarez Bononiæ, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, menſe Ianuar. Carolo quinto Imperatore præſente accepit. Quarum & aliarum ad Emanuelem, & Ioannem Reges interpretatio, Paulo Iouio viro erudito debetur: qui eas ex Luſitanico ſermone, in quem tum verſæ erant, Latinas fecit, vt iam hic videre licet.

Officium funebre.

Miri quidam Ventorum curſus.

Franciſcus Aluarez.

Literæ ſereniſſimi Dauidis Aethiopiæ Imperatoris ad Emanuelem Portugalliæ, &c. Regem, ſcriptæ anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei Patris, vti ſemper fuit, cui non inuenitur principium: nomine Dei filii vnici qui eſt ſimilis ei, antequam ſit viſum lumen ſtellarum, antequam poneret fundamenta maris Oceani, alio autem tempore conceptus fuit in vtero virginis, ſine ſemine virili, & ſine nuptiis. In hunc enim modum ſcientia erat officii eius. In nomine paracleti ſpiritus ſanctitatis, qui ſcit cuncta ſecreta, quæ ſunt, vbi antea fuit, omnium ſcilicet altitudinum cœli, quod ſine columnis, & abſque vllis fulcimentis ſuſtinetur, qui amplificauit terram, quæ antea non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occaſum &, à ſeptentrione ad auſtrum. Nec iſte eſt primus, vel ſecundus, ſed eſt Trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno tantum conſilio, & vno verbo per ſæcula ſæculorum. Amen. Has literas mittit Atani Tinghil, id eſt, thus virginis, quod nomen eſt à baptiſmate, nunc vero in ipſo ſuſcepti regni initio, aſſumpſit nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus ſtirpis Iudæ, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius ſeminis Iacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnem, Imperator magnæ & altæ Æthiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, vnde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & Dominus vſque ad Nobiam finem Ægypti. Hæ literæ diriguntur Regi potentiſſimo & excellentiſſimo, ſemper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide Catholica, filio Apoſtolorum Petri & Pauli, Regi Portugaliæ & Algarbiorum, amico Chriſtianorum, hoſti, Iudici, Imperatori, domitori Maurorum, & gentium Africæ, & Guineæ à promontorio, atque inſula Lunæ, Maris Rubri, Arabiæ & Perſidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum, & omnium inſularum, terrarum adiacentium, profligatori Maurorum, & fortium paganorum, domino arcium & altorum Caſtellorum, & murorum, propagatori fidei Ieſu Chriſti. Pax tibi Domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio, Mauros occidis, & tua claſſe, tuo exercitu, & tuis Ducibus vndique tanquam infideles canes expellis. Pax ſit cum Regina vxore tua, amica Ieſu Chriſti, ſerua Mariæ virginis matris, ipſius Saluatoris totius mundi, pax ſit filiis tuis, nunc veluti in virenti horto, & florentibus liliis, menſa eſculentis parata: pax filiabus veſtri

Trinitas coniuncta.

quæ ſunt indumentis ornatæ, ſicut palatia aulæis exornantur. pax affinibus tuis, ex ſanctorum ſemine procreatis, ſicuti dicit ſacra ſcriptura, filii ſanctorum ſunt benedicti,& magni foris & intra domum. pax ſit conſiliariis & officialibus tuis, poteſtatibus, & ius dicentibus. pax Ducibus tuis caſtrorum & confinium & omnium rerum munitarum. pax omnibus gentibus, populis, & vrbibus cunctis inhabitantib. ,præter Mauros, & Iudæos pax omnibus parochiis, & omnibus Chriſto & tibi fidelibus. Amen.

Cognoui Domine Rex, & mi Pater: quod cum ad te nominis mei fama, per Matthæum Oratorem noſtrum fuiſſet delata, ſtatim Archiepiſcoporum, ac Prælatorum magnum numerum aduocari iuſſiſti, qui de ea legatione Deo Chriſto gratias agerent, ipſumque Matthæum ſummo cum honore, & hilaritate fuiſſe ſuſceptum, qua de re mirifice ſum lætatus, & gratias pariter Deo egi, & hoc deuote fecit etiam populus meus. Dolui autem cum ab his intellexi ipſum Matthæum in reditu ſuo dum intraret fines meos in monaſterio de Biſayn fuiſſe mortuum, eum autem ego non miſeram, quoniam adhuc puer eram vndecim annorum, vix dum ſuſcepto regni ſceptro, poſt mortem patris, ſed Helena Regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthęus mercator erat, Habraham vocatus, ſed ſibi nouum nomen idcirco impoſuerat, vt ſecurius per fines Maurorum iter faceret. Verum is in Dabul à Mauris pro Chriſtiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. Quod cum ſignificaſſet veſtrorum exercituum Præfecto, is miſit fortes viros, qui Chriſtianum hominem è teterrimo carcere liberarent, maxime cum didiciſſet eum eſſe legatum meum. Itaque illum ereptum è manibus inimicorum, curauit veſtris nauibus, ad conſpectum veſtrum tranſuehendum. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mandata expoſuit, reſcripſitque ſe honorifice ſuſceptum fuiſſe, & cumulate omnis generis muneribus honeſtatum, quod & nuncii pariter veſtri, affirmabant, quos magnus veſtræ claſſis præfectus Didacus Lupez de Sequeira ad nos miſit qui literas præſentarūt, quas afferre debuerat Eduardus Galuanus, qui in Inſula Cameronis diem obierat, quibus conſpectis litteris, magnopere ſum gauiſus, & Deo egi gratias, & tum magnam cœpi voluptatem, cum pectora veſtrorum nunciorum crucibus inſignita conſpicerem, & experirer percunctando eos, ritus tenere fidei Chriſtianæ, qui eſſent veriſſimi, & illud me ſingulari deuotione infecta vehementer permouit, quod intelligerem iter in Æthiopiam inuentum eſſe, non ſine miraculo. Nam referebant præfectum claſſis, quum diu per mare Arabicum erraſſet, & propterea de inueniendo noſtro portu deſperaſſet, re infecta, redire in Indiam voluiſſe, maxime propter ſæuas maris tempeſtates, ſed in aurora opportune rubram crucem in cœlo apparuiſſe, qua ſalutata, à nautis proras in eam partem eſſe conuerſas, monſtranteque Deo repertum eſſe portum noſtrum, quæ res mihi pro miraculo viſa eſt, & certe is claſſis præfectus Deo debet admodum eſſe dilectus, poſtquam tantam ei fœlicitatem conceſſam videmus, quantam nemo ante eum à Deo impetrare potuerit.

Cruces.

De hac autem mutua legatione antiquitus prædictum fuit à Propheta in libro de vita, & paſſione ſancti Victoris, & in libris ſanctorum Patrum, quod Rex magnus Chriſtianus, cum Rege Æthiopiæ eſſet cum mutua pace conuenturus, ſed hoc nequaquam futurum exiſtimabam diebus vitæ meæ. Verum Deus certum ſciebat, vt laudetur nomen eius, qui nuncium ad me detulit, vt ego pariter id mittere poſſem ad te patrem meum in Chriſto, & amicum, vt ſimus in vna fide, poſtquam à nullo alio Rege Chriſtiano nuncium aut certam notitiam habuerim. Hactenus circum me Mauri erant, filii Mahometis, & Gentiles, & reliqui ſunt ſerui, qui Deum non agnoſcunt, & alii qui ligna & ignem venerantur, & alii qui ſolem adorant, & alii qui ſerpentes Deos eſſe putant, cum his nunquam pacem habui, quoniam ad veritatem venire recuſant, & fruſtra his prædicabam fidem, nunc vero conquieſco, & Deus quietem dono mihi dedit cum hoſtibus meis & tuis. Nam in finibus meis cum armatus contra eos progredior, ipſi faciem & terga vertunt, & Duces, & milites mei, per campos de his victorias conſequuntur. Neque mihi Deus iraſcitur vt dicit Pſalterium, & Deus vota eorum Regum implet, qui iuſta petunt, nec hoc ad laudem noſtram pertinet. Nam Deo agendæ ſunt gratiæ: is eſt qui mundum vobis dedit, & terram Gentilium perpetuo conceſſit, ac aliorum terras, quæ ſunt à finibus veſtris, ac initium Æthiopiæ, propterea ingentes Deo gratias ago, & prædico ſūmam eius potentiā, cum ſperem eorū populorum filios, qui in tuam ditionē venient procul dubio fidei veritatē eſſe cognituros, quãobrem do gratias Deo, & ſpero quod filii veſtri, & ego & vos, de fœlicib. earum rerū ſucceſſibus, abunde lætabimur. & vos Deo debetis cōtinue ſupplicare, donec gratiā vobis det potiūdi tēpli ſancti in Hieruſalē, quę eſt in poteſtate hoſtiū Chriſti, Maurorum, & Gentilium, & Hæreticorum. & ſi hoc perfeceris, caput tuum omni laude pleniſſimum erit.

Cæterum

Cæterum ex numero Legatorum, qui ad me veniebant, cum prædicto Matthæo tres periere,& Præfectus Magnus veſtræ claſſis deuenit apud† Macua in colloquium cum Rege de Bernagais, qui eſt imperio meo ſubiectus, & ſtatim legatos ad me miſit, & munera ingentia, quæ mihi chariſſima fuerunt. Verum nomen veſtrum omni gemma, & theſauro mihi precioſius videtur. Sed hæc tranſeamus, & agamus inter nos, quo modò inuadere, & capere poſſimus alias infidelium terras. Ego certe dabo millies centena millia drachmarum auri,& totidem millia militarium virorum. Itemque materiam & ferrum, & cuprum, in vſum ædificandæ, & ornandæ claſſis, magnam etiam commeatus copiam, amice vna conueniemus, & quoniam non eſt conſuetudinis, & dignitatis meæ ad petendam pacem legatos mittere,& tu primus à me eam ſyncere quæſiuiſti,ad verificanda Chriſti verba. Nam ſcriptum eſt, Beati pedes, qui portant pacem. Et ego propterea ſum ad id paratus, more Apoſtolorum, qui erant vnanimes, & vnius cordis. O Rex & pater mi Emanuel,vnus Deus te ſoſpitē velit,& ſeruet, qui eſt Deus cœli,& ſemper vnius ſubſtātiæ, nec iuueneſcit nec ſeneſcit. Is qui à te nuncium attulit, Rodericus Lima vocabatur, legationis optimorum virorum princeps,& cum eo Franciſcus Aluarez, quem propter vitæ probitatem, & ſingularem religionem, & iuſtitiam valde chariſſimum habui, maxime quod veriſſimis verbis, cum eſſet interrogatus de fide, apriſſime reſpondebat. Et ita debetis eum exaltare, & magiſtrum appellare, & dare ei officium conuertendi populos de Macua, & de Dalaca, de Zeila, & omnium inſularum maris Rubri, quoniam ſunt in finibus regnorum meorum, & ego ei conceſſi crucem & baculum, in ſignum poteſtatis, & ita vos iubete, vt hęc ei concedantur,& erectur Epiſcopus illarum terrarum,& Inſularum, quoniam hoc meretur, & idoneus eſt in hoc officio adminiſtrando, & tibi Deus plurimum benefaciet, vt ſemper ſis fortis cōtra hoſtes tuos & eos cogatis ad pedes veſtros procidere & Deus tibi vitam prolonget, & participem faciat regni cœlorum in optimo loco, ſicuti ego pro me optarem. Audiui autem auribus meis multa bona de te, & oculis video, quæ videre nequaquam credebam, & Deus cuncta de bono in melius ſuccedere velit,& ibi ſit veſter locus ſupra lignum vitæ, vbi eſt locus ſanctorum Amen. *Arquicum.* *Num. 1.* *Crux & baculus.*

Ego ſicuti filius paruulus, quæ iuſſiſtis feci, & faciam ſi venerint legati veſtri, vt inuicem mutuis opibus adiuuemur. Singulis autem Oratoribus veſtris, qui venient, ſicut tum feciſtis ad Macua,aut Dalacam, & ad Portus intra anguſtias maris Rubri, ea tribuam, tribuique curabo, quæ fienda ſignificabitis,, ſicuti maxime deſidero, vt in conſilio, & rerum actione,proſpere coniungamur. Nam cum ad ea littora copiæ veſtræ peruenerint, mature & ego cum meis exercitibus adero. Et quoniam in finibus meis nemo eſt Chriſtianus, neque templa Chriſtianorum viſuntur, concedam veſtris hominibus habitandas illas terras, quæ ſunt proximæ Maurorum ditioni, propterea opus eſt, vt cœptis veſtris debitum finem afferatis. In erim mittitote ad me viros eruditos,atque etiam cœlatores imaginum auri & argenti; & fabros cupri, & ferri, & ſtanni, & plumbi item artifices, qui literis noſtræ linguæ, pro Eccleſia libros imprimant, item aliquos, qui ex auro bracteolas facere, & cum his inaurare alia metalla ſciunt. Hi erunt in domo mea honeſtiſſime tractati, & ſi diſcedere voluerint, laborum ſuorum eis amplam mercedem ſoluam. Iuroque per Deum Ieſum Chriſtum Dei filium, me eos libere cum voluerint, eſſe dimiſſurum. Hoc autem peto fidentiſſime, quoniam mihi veſtra virtus ſpectata eſt & bonitas maxime agnita, & ſcio me amari abs te plurimum, & hoc agnoui certius, quod Matthæum mei gratia honorifice & liberaliter ſuſceperitis & remiſeritis. Et ideo adnitor ea impetrare. neque hoc vobis pudorem afferat, nam omnia perſoluam. Et id quod filius petit à patre, negari non debet. & tu es pater meus, & ego filius tuus, & ſimus coniuncti ſimul, ſicut laterculus cum laterculo in pariete copulatur, ita duo in vno corde, & amore Ieſu Chriſti conſentimus, qui eſt caput mundi, & qui cum eo ſunt, aſſimilantur laterculis in muro coniunctis. AMEN.

Literæ eiuſdem Dauidis Aethiopiæ Imperatoris, ad Ioannem huius nominis tertium, Portugalliæ &c. Regem, ſcriptæ anno M.D.XXIIII. Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis creatoris cœli & terræ,& omnium rerum factarum viſibiliū, & inuiſibilium. In nomine Dei filii Chriſti, qui eſt filius, & conſilium, & propheta patris. In nomine Dei Spiritus ſancti, paracleti, Dei viui, æqualis patri, & filio, qui locutus eſt per os prophetæ, ſpirando ſuper Apoſtolos, vt gratias agerent, & laudarent Trinitatem perfectam in cœlo & in terra, in mari, & in profundo ſemper. Amen.

Mitto has litteras & nuncium ego Thus virginis, quod eſt mihi nomen à baptiſmate, nunc vero cum imperii ſceptro aſſumpſi nomen Dauid, dilectus Deo, columna fidei,

ſtirps Iuda, filius Dauid, filius Salomonis Regum Iſrael, filius columnæ Sion, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariæ, & filius Nau per carnem, maximo & potentiſſimo, & altiſſimo Ioanni Regi Portugaliæ, & Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax ſit tibi, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſemper tecum. Amen.

Eo tempore quo ad me relatum eſt de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdiſſimi Mahumetis filios debellabat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementũ & magnitudinem, & coronam conſeruationis, in domo Chriſtianitatis.

Similiter ſummam cepi voluptatem ex legatorum aduentu, qui verba ipſius Regis ad me detulerunt, ex quibus ſingularis amor, & notitia, & amicitia inter nos effecta eſt, ad eradicandos, expellendoſque malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua meaq; regna. Dum eſſem in hac lætitia, audiui tuum meumq; patrem, prius eſſe vita defunctum, quam hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrem gaudium meum in mœrorem ſubito conuerſum eſt, ita vt in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aulæ noſtrę proceres, & Prælati Eccleſiaſtici, & qui in monaſteriis ſunt, omneſq; demum ſubditi noſtri vehementiſſimum luctum fecerint, ita vt voluptas primi nuncii, cum triſtitia huius nouiſſimi exęquaretur. Domine à principio regnorum meorum hactenus nulla legatio, nulluſque nuncius, vel à Rege, vel à regno Portugaliæ ad me peruenit, niſi dum viueret Rex, tuus pater, qui duces ſuos ad me miſit, & proceres cum Clericis, & Diaconis, qui totum ſolemnium miſſarum apparatum attulerunt. Et propterea maxime ſum lętatus, & eos honorifice ſuſcepi, & non multo poſt eos dimiſi, vt reuerterentur cum honore & pace, & poſtquam peruenerunt ad portum maris, qui eſt in finibus meis, in mari Rubro, non inuenere magnum Præfectum claſſis, quem pater tuus miſerat, is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam non poterat expectare, cum eſſet moris veſtri, de triennio in triennium magnum claſſis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit, qua de cauſa longiorem, quam opus eſſet, moram legati contraxerunt. Nunc vero mitto mandata mea per fratrem Chriſtophorum Licanati, cui nomen à baptiſmate eſt Zaga Zabo, nempe gratia patris, qui deſideria mea coram vobis explicabit. & item ad Papam Romanum mitto Franciſcum Aluarez, qui nomine meo præſtet obedientiam, vti iuſtum eſt. O Domine Rex frater mi attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebro mitte nuncios, & literas, nam eas magnopere videre deſidero, vti à fratre meo, nam id æquum eſt, cum ambo ſimus Chriſtiani. & Mauri, qui mali ſunt, ſemper in ſua ſecta concordes exiſtunt, & nunc profiteor me nolle in poſterum legationes Regis Ægyptii admittere, nec aliorum item Regum, qui ad me ſæpe legatos mittebant, ſed ſolum Celſitudinis tuæ, quos venire maxime opto, quoniam Reges Mauri me loco amici non habent, propter Religionis diſſenſionem, ſed amicitiam ſimulant, vt tutius & liberius mercaturam in noſtris regnis exerceant, inde magnum commodum conſequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius ſunt auidiſſimi, è regnis meis exportant, cum parum mihi ſint amici, & commoda eorum nullã mihi afferant lætitiam. ſed hoc tolerandum fuit, quoniam ſuperiorum regum noſtrorum vetus eſt inſtitutum, & ſi eis nequaquam bellum infero, & penitus profligo, temperandũ in hoc mihi eſſe arbitror, ne illi contra ſanctum templum in Hieruſalem violent, & diruant, in quo ſepultura eſt Ieſu Chriſti, quam Deus in poteſtate fœdiſſimorum Maurorum reliquit, & pariter ſolo æquarent alia templa, quæ ſunt in Ægypto, & Syria. & hæc cauſa eſt, cur eos non inuadam, & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi facilius perſuadeo eſſe faciendum, quum neminem Chriſtianum Regem habeam finitimum, qui me adiuuet, & cor meum exhilaret. Ego mi Rex nequaquam lætari poſſum de Chriſtianis Europæis Regibus, cum eos audiam in vno corde minime conſentire, vigereque inter eos bella. Eſtote ſimul omnes in vna concordia vnanimes.

Deberetis enim inter vos certo fœdere eſſe contenti. Et certe ſi mihi Chriſtianus Rex finibus eſſet coniunctus, nunquam vna hora ab ipſo diſcederem, & de hoc non plane ſcio quid dicam, aut omnino faciam cum hæc à Deo ordinata eſſe videantur. Domine mi mitte obſecro frequentes ad me nuncios, nam cum literas tuas video, vultum certe tuum intueor. Quoniam maior amicitia oritur inter longinquos, diſtantes, quam inter eos qui propinqui ſunt, propter deſiderium quo tenentur. Nam is qui reconditos habet theſauros, cum eos oculis non videat, corde ſemper, & quidem vehemẽtiſſime diligit, ſicuti Dominus Ieſus Chriſtus in Euangelio dicit, Vbi theſaurus tuus, ibi cor tuum, ita cor meum apud te eſt, quum tu ipſe meus ſis theſaurus, & tu pariter me, tuum theſaurum debes efficere, & cum meo tuum cor ſyncere copulare. O Domine frater ſerua verbũ hoc, nam es prudentiſſimus, & (vti audio) patri in ſapientia ſimilis, & de hac re cogita ſ...

Solemniũ miſſarũ apparatus.

Obedientia præſtiti Ioannis Papæ.

Matth. 6.

Deo

Deo gratias egi, abiectoque dolore, gaudium à me ſuſceptum eſt, & dixi, benedictus ſit filius ſapiens & magni capitis, filius Regis Emanuelis, qui ſedet in cathedra regnorum ſuorum. Domine mi caue ne defatigeris, cum ſis fortis non ſecus ac pater tuus, nec oſtende debiles vires aduerſus Mauros, & Gentiles. Nã eos cum Dei auxilio adiuuante virtute tua, facile debellabis & deſtrues. & non dicas tibi eſſe à patre tuo vires exiguas. Nam eæ ſunt certe ſatis magnæ, & Deus ſemper opem feret. Mihi adſunt viri, aurum, commeatus inſtar arenæ maris & ſtellarum cœli. Nos ſimul coniuncti totam Maurorum barbariem deſtruemus. neque aliud à vobis peto, quam peritos viros, qui meos milites in præliis ordines ſeruare doceant. Et tu Rex vir integræ ætatis exiſtis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis, imperium ſuſcepit, habuitque magnas vires, & patre ſapientior fuit. Ego quoque cum Nau pater meus exceſſit ab humanis, puer vndecim annorum remanſi, ingreſſuſque ſedem patris, Deo dante ampliores opes & vires eo ſum conſecutus. Nam in manu mea omnes finitimi & Regni Gentes exiſtunt. propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficii. Præbe mihi au‧es frater & Domine. Nam hoc vno verbo à vobis poſtulo, vt viri docti, atque etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impreſſos, enſes, & omnis generis arma militaria fabricare ſciant. Itemque architecti, fabri lignarii, & Medici, qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere, qui aurum in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregie celare valeant, ac etiam aurum & argentum è venis terræ eruere, & metallorum omnium fodinas exercere ſciant. Præter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebunt. omnes denique artifices mihi vſui erunt, & præſertim ſclopetorum. Adiuua me obſecro in his rebus, ſicuti frater fratrem, & te Deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes, & petitiones tuas, ſicuti recepit ſancta ſacrificia in omni tempore, & in primis ſacrificia Abel & Noe quando fuit in arca, & illud Abraham, quando fuit in terra Madiam & illud de Iſaac quando diſceſſit à foſſa iuramenti, & illud Iacob, in domo Bethleem, & Moyſis in Ægypto, & Aaron in monte, & Ieſon filii Nau in Galgala, & Gedeonis ſupra plagam, & Sampſonis, quando ſitim habuit in terra ſicca, & Samuelis in Rhama Prophetæ, & Dauid Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte Carmelo, quando ſuſcitauit filium viduæ Mulieris è Richa ſupra puteum, & Ioſaphat in prælio, & Manaſſe quando peccauit, & ad Deum eſt conuerſus, & Danielis in ſpelunca leonum, trium ſociorum Sydrach, Miſach, Abdenag‧ in camino ignis, & Annæ ante altare, & Neemiæ, qui fecit muros cum Zorobabel, & Mathathiæ cum filiis ſupra quartam partem mundi, & de Eſau, ſupra benedictionem. Ita Domine Deus recipiet tua ſacrificia, & ſupplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruerſitates in omni tempore, & ſingulis diebus. Pax ſit tecum, & ego te amplector ſanctitatis brachiis, & ſimiliter ſingulos amplector, qui tibi ſunt à conſiliis ſanctis Regni Portugaliæ. Itemque Archiepiſcopos & Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos, viroſque pariter & mulieres. Gratia Dei & benedictio virginis Mariæ matris Dei ſit tecum & omnibus. Amen.

Literæ eiuſdem ſereniſſimi Dauidis Aethiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, ſcriptæ anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis, creatoris cæli & terræ, viſibilium, & inuiſibilium. In nomine Dei filii Ieſu Chriſti, qui eſt idem cum ipſo, à principio mundi, & eſt lumen de lumine, & Deus verus, de Deo vero. In nomine Dei Spiritus ſancti, Dei viui, qui proceſſit ex Deo patre. Has literas is ego Rex mitto. cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia vocor Athani Tinghil, id eſt, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Lau per carnem filius ſanctorum Petri & Pauli, per gratiam. Pax ſit tibi iuſte Domine, pater ſancte, potens, pure, ſacrate, qui es caput Pontificum omnium, neminem metuis, nemo tibi poſſit maledicere, qui es vigilantiſſimus ſupra animas curator, & amicus peregrinantium, conſecrate magiſter, & prædicator fidei, & earum rerum hoſtis, quæ conſcientiam offendunt, amator optimorum morum, vir ſanctus, quem omnes laudant & benedicunt. O fœlix ſancte pater, ego tibi reuerenter obedio, cum ſis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum, vt omnes tibi obedientiam præſtent, ſicuti ſancti Apoſtoli præcipiunt apud Deum.

Hoc vere veſtrum eſt, ita etiam præcipiunt, vt veneremur Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, & loco Regis vereamur, & tibi vti Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis, tibi pater ſancte

ſyncero admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater ſancte potentiſſime, cur neminem vnquam ad nos miſiſti, vt certius de vita, ſaluteq; mea cognoſceres, cum tu ſis paſtor, & ego ouis tua. bonus etenim paſtor ſui gregis nunquam obliuiſceretur, nec tibi à regionibus veſtris nimium ſemotus debeo exiſtimari, vt nuncii ad me nequeant peruenire, cum ex remotiſſimis terrarum regnis Portugalliæ Rex Emanuel filius tuus, Oratores ad nos commodiſſime miſerit, & ſi Deus eum ad ſe in cœlum euocare diſtuliſſet, ea quæ tum agitabamus, procul dubio fœlicem exitum habuiſſent. nunc vero maxime opto proſpera & ſalutaria de ſanctitate veſtra, per certos nuncios audire. neq; enim vnquam à ſanctitate veſtra verbum recepi, quum aliqua tantum à noſtris, qui ex voto peregrinantur audierim. Sed hi, cum neque meo nomine proficiſcantur, neque quicquam literarum à vobis afferant, incerta fide nobis percunctantibus, dicunt ſe ab Hieroſolyma, deinde ſolutis votis, ad viſitanda Apoſtolorum limina Romam perueniſſe, cum intelligant ea loca facile peti, quod à Chriſtianis teneantur, & certe ſummam capio ex eorum ſermonibus voluptatem, quoniam dulciſſima cogitatione ſancti vultus tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ ſimillima videtur, & illam ſicuti angelicam me diligere, venerarique fateor. Sed profecto mihi eſſet gratius atque iucundius, verba tua, tuaſq; literas deuotiſſime contemplari. Atque ita nunc te oro, vt nuncium tuum cum benedictione ad me mittere velis ad exhilarandum cor meum. nam cum in religione, & fide conſentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, ſuppliciterque item oro, vt amicitiam meam, ad inſtar annuli, quem induis in digitum, & torquis aurei, quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria nunquam ex animo veſtro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maxime creſcit, cum eam ſancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facile prouenit.

Limina Apoſtolorum.

Pſal. 41.

Quemadmodum enim is, qui vehementer ſitit, frigidam maxime aquam deſiderat, vt in ſacris ſcripturis habetur, ita animus meus ex nũciis, & literis, quæ ex remotiſſimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere ſolet. neque tantummodo de Sanctitate veſtra, ſi aliqua audiero, verum ſi certa de ſingulis terræ Chriſtianæ Regibus referẽtur, mirum in modum lætabor, ſicuti his accidit, qui præliando opima ſpolia reperiũt & legunt, hoc enim facillime fieri poteſt, poſtquam Rex Portugaliæ totum id iter aperuit, qui ad nos iam pridem legatos ſuos miſit cum ſtrenuiſſimis equitibus. Dum autem pater meus eſſet in humanis, neque tum, aut demum à quoquam alio Rege Chriſtiano, vel ipſo Pontifice, aut nuncium, aut omnino literas recepimus. Quanquam in Archiuis proaui noſtri ſeminis Iacob earum litterarum memoria cõſeruetur, quas Papa Romanus nomine Eugenius, ad has terras miſit, cum ipſe ſemen Iacob regnaret, Rex Regum in vniuerſa Æthiopia, Rex metuendus. Præſcriptio autem literarum hæc erat.

Eugenius Romanus Pontifex, filio dilecto noſtro Regi, ex ſemine Iacob, Regi Regum in vniuerſa Æthiopia, maxime metuendo, &c. In ſumma autem literarum, ſignificabat filium ſuum Ioannem Palæologum, qui biennio ante eſſet mortuus, Regem Regũ Romæorum, ad ſacroſanctam ſynodum celebrandam, euocatum fuiſſe, & cum eo Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum veniſſe, cum magno numero Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & omnis generis Prælatorum, in quibus etiam fuiſſent Procuratores Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hieroſolymitani. Qui omnes ſe cum ſanctæ fidei, & religionis amore firmiter coniunxiſſent, conſtitutaque vnitate Eccleſiæ, ſublatas fuiſſe antiqui temporis difficultates, non ſine diuino auxilio, quæ erroneæ, & religioni contrariæ videbantur, quibus rebus rite ſancitis, & conſtitutis, ipſe Papa omnibus ſingularẽ lætitiam peperiſſet. Hunc autem librum Papæ Eugenii ad vos mittimus, quem incorruptum ſeruauimus, totum etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & poteſtatem miſiſſemus, niſi harum rerum nimis magnum volumen eſſe videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino ſuperet. Legati vero, qui hæc à Pontifice ad nos detulerunt, fuere Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius ſerui Ieſu Chriſti, Tu vero ſanctiſſime Pater recte feceris, ſi euolui veſtros libros iuſſeris, vbi harum rerũ, de quib. ſcribimus, vti facile arbitror, aliqua memoria reperiatur. Itaq; ſancte pater, ſi aliqua ad nos perſcribes, firmiter exiſtimato, cuncta in noſtros libros diligentiſſime fore conſcripta, vt poſteris noſtris earum rerum ſempiterna memoria relinquatur. Et certe is mihi beatus eſſe videtur, cuius memoria cuſtodita literis, in vrbe ſancta Roma, & in ſede SS. Petri & Pauli conſeruatur. Hi enim ſunt domini regni cælorum & totius mundi iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto literas, vt mihi gratia paretur apud ſanctitatem veſtram, & veſtrum ſanctiſſimum Senatum, vt inde ſancta benedictio mihi proueniat & bonorum omnium incrementum. Obnixe etiam precor ſanctitatem veſtram vt mihi mittere velit aliquas ſanctorum imagines, &

præcipue

præcipue B. Mariæ virginis, vt ſæpiſſime ſit in ore, atque memoria meâ nomen veſtræ ſanctitatis, & continuam ex muneribus veſtris capiã voluptatem. Idcirco etiam vehementer poſtulo, vt mihi viros ſacrarum literarum doctos, atque etiã artifices mittatis, qui imagines fabricent, atque ita enſes, & arma bellica omnis generis, itemque celatores auri, atque argenti, & fabros lignarios, præcipue architectos, qui domos ex lapide conſtruant, & tegulas ex plumbo, cuproque ducere ſciant, quibus domorum tecta protegantur, ad hos etiam nobis admodum chari erunt, qui vitrum conflare, organaque muſica ſcite facere, & docte pulſare ſciant, itemque fiſtulatores, & tibicines. Hos vero artifices ex domo veſtra præcipue mihi mitti vellem. vel ſi horum domi veſtræ exigua erit copia, ab aliis regibus filiis veſtris, eos ſanctitas veſtra poterit impetrare: quoniam veſtris imperiis, & nutibus facile obediunt. Hi cum ad me peruenerint, pro meritis ſummo in honore habebuntur, ex liberalitate mea, mercedem amplam accipient. & ſi domum aliquis redire concupiſcet, præmiis abunde ornatus abibi, vti placuerit, quando nec inuitum quenquam ſim retenturus, cum fructum aliquem ex eius induſtria percepero. Nunc ad alia tranſeundum eſt, & iam à te poſtulo ſanctiſſime pater, cur non hortaris Reges Chriſtianos filios tuos, vt arma deponant, & vti fratres decet, concordes inter ſe eſſe velint, poſtquam ipſi oues tuæ ſunt, & tu ipſe paſtor earum? Optime quidem tua ſanctitas nouit, quid Euangelium præcipiat, quod dicit. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Nam ſi Reges animis, & fœdere certo conſentient, facillime Mahumetanos omnes delebunt, & pſeudoprophetæ ſepulchrum fœlici irruptione diſturbabunt & diruent. Ob hanc rem da operam pater ſancte, vt inter eos bona pax fiat, & certũ fœdus amicitiæ percutiatur, hortareque eos, vt mihi adeſſe, atque opem ferre velint, cum in regnorum meorum finibus, à Mahumetanis Mauris peſſimis hominibus ſim ex omni latere circumdatus. Ipſi autem Mauri Mahumetani inter ſe mutuis auxiliis vtuntur, Regeſque cum Regibus & Reguli cum Regulis, aduerſus nos ſyncere & conſtantiſſime conueniunt. Mihi Maurus quidem admodum vicinus eſt, cui finitimi alii Mauri arma, equos, atque inſtrumenta bellica ſuppeditant. Hi ſunt reges Indiæ, Perſidis, Arabiæ atque Ægypti. Quibus de rebus ſingularem animo indies capio moleſtiam, cum hoſtes Chriſtianæ religionis, fraterna charitate inter ſe coniunctos pace frui conſpiciam. Reges vero Chriſtianos fratres meos, nihil omnino iſtis iniuriis commoueri, neque vllam mihi opem afferre, vti certe deceret Chriſtianos, poſtquam fœdiſſimi filii Mahumetis inter ſe mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is ſum, qui ad id militares copias poſtulem, cum milites mihi ſuperſint. Orationes, & ſupplicationes tantum peto, locumque gratiæ apud ſanctitatem veſtram, & reges fratres meos exopto. quærenda enim mihi eſt hæc vobiſcum amicitia, vt copioſe his rebus, quas ſupra poſtulaui ad terrorem Maurorum ſim inſtructus, & Chriſtiani nominis hoſtes, vicini mei intelligant, reges fratres meos, ſingulari ſtudio mihi fauere, atque opem ferre. quod certe ad commune decus pertinet, poſtquam in vna religionis, & fidei veritate conſentimus, & in eo conſilio ſumus permanſuri, quod firmum, atq; abſolutum erit cum eo, q; vtilius eueniet. Deus itaque deſideria veſtra impleat, ſuper laudibus Ieſu Chriſti, & Dei patris noſtri, quem omnes laudant per omnia ſecula. Et tu Domine pater ſancte complectere me, cum omnibus ſanctis Ieſu Chriſti qui ſunt Romæ; & pariter in hos amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Æthiopiam inhabitant, & reddatur gratia domino Ieſu Chriſto cum ſpiritu veſtro. Has vero literas ſanctitas tua accipiet, de manu fratris mei Ioannis regis Portugalliæ, filii potentiſſimi Regis Emanuelis per Oratorem noſtrum Franciſcum Aluarez.

Matt. 12.
Luc. 11.

Alia Literæ einſdem Dauidis Aethiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, ſcriptæ anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo quarto, Paulo Iouio interprete.

FElix ſancte pater, qui à Deo effectus es Gentium conſecrator, & S. Petri ſedem obtines. *Matth. 16.* Tibi datæ ſunt claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum vel ſolutum & in cælis, ſicut dixit Chriſtus, & ita in Euangelio Matthæus ſcribit. Ego Rex cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Athani Tinghil, id eſt, Thus virginis vocor, quod nomen eſt a baptiſmate, nunc vero in ipſo ſuſcepti regni initio aſſumpſi nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus ſtirpis Iuda, filius Dauid filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau per carnem, Imperator magnæ & altæ Æthiopiæ, magnorum regnorum & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigari, de Angote, de Baru, de Baalinganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vagemedri,

Regina Saba de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, vnde fuit regina Saba, de Bernagaes & dominus vſq; ad Nobiã finẽ Ægypti. Hæ prouinciæ omnes in mea poteſtate ſunt, & pleræque aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nunc à me nequaquam numerantur, neque regna & prouincias ſuis nominibus expreſſi, veluti ſuperbia, & vana gloria inductus, verum ob id, vt ſummus Deus magis ac magis laudaretur, qui ſingulari benignitate, tot ampliſſimorum regnorum Chriſtianæ religionis, ſuperioribus meis regibus imperia tribuiſſet, ſed profectò me clariore gratia, inter alios Reges dignum fecit, vt Religioni continue inſeruirem. Quoniam me Adel Dominum fecerit, hoſtem Maurorum, & Gentilium, qui adorant idola. Mitto ad deoſculandos pedes ſanctitatis veſtræ more cæterorum Chriſtianæ fidei Regum, fratrum meorum, quibus neque religione, neque potentia ſum inferior. Ego etenim in regnis meis ſum columna fidei, neque externis iuuor auxiliis, cum in ſolo Deo ſpem, & opem reponam, qui me ſuſtinet, & gubernat, ab eo tempore, quo Angelus Dei allocutus eſt Philippum, qui fidem doceret Eunuchum potentis Reginę Candacis, Reginæ Æthiopiæ, quæ ab Hieroſolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, & Eunuchus demum Reginam, cum magna parte familiæ, & populi eius, qui nunquam deſierunt eſſe Chriſtiani, omnique ſequenti tempore perſtiterũt fortes in fide. Prædeceſſores vero mei, nulla alia ope adiuti quam diuina, fidem in latiſſimis regnis propagarunt, quod & ego quotidie efficere contendo. Maneo etenim inter maximos regnorum meorum fines, vt leo ingenti ſylua circumdatus, & ſeptus aduerſus Mauros obſidentes, & alias nationes fidei Chriſtianæ inimiciſſimas, quæ nolunt audire verbum Dei, neque cohortationes meas, & ego gladio accinctus eos perſequor, & paulatim extrudo, diuino ſcilicet fretus auxilio, quod nunquam mihi deeſt, quod ſecus accidit regibus Chriſtianis. Nam ſi regnorum ſuorum fines extendunt, id facile poſſunt aſſequi, quoniam alter alteri opem ferre poſſet, & auxilia ſubminiſtrare, iuuarique benedictione veſtræ ſanctitatis. cuius particeps ego ſum, cum in libris meis habeantur literæ, quas ſuperioribus temporibus Eugenius Papa cum benedictione miſit, ad Regem Semen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione ego fruor, & magnopere lætor. Cæterum ego in magna habeo veneratione ſanctum templum in Hieruſalem, ad quod ſæpiſſime mitto oblationes debitas, per noſtros peregrinantes: Et multo plures & pinguiores mitterem, niſi itinera à Mauris, & infidelibus obſiderentur. Nam præter illud, quod dona noſtra, & theſauros nunciis eripiunt, etiam eos libere pertranſire non ſinunt. Quod ſi paterent itinera, in familiaritatem & commercium Romanæ Eccleſiæ deuenirem, vti fit à cæteris Chriſtianis Regibus, quibus in religione Chriſtiana non ſum inferior. Et ita vt illi credunt, vnam fidem rectam, & vnam eccleſiam confiteor, credoque ſynceriſſime in ſanctam Trinitatem, & in vnum Deũ, & virginitatem Dominæ noſtræ virginis Mariæ, & articulos fidei teneo, & obſeruo, vti ab Apoſtolis conſcripti fuerunt. Nunc Deus optimus manu potentiſſimi, & Chriſtianiſſimi Regis Emanuelis iter patefecit, vt per legatos conueniremus & in fide coniuncti Chriſtiani, cum Chriſtianis Deo inſeruiremus. Sed dum in aula mea eius Oratores eſſent, allatum eſt eum vitam cum morte commutaſſe, filiumque eius, fratrem meum Ioannem paterni regni ſceptrum accepiſſe. Vnde ſicuti ex patris morte ſummum ſenſeram dolorem, ita ex filii fœlici in regnum aſſumptione mirifice ſum lætatus, adeo vt ſperem nos communibus copiis, & viribus per regiones Maurorum peſſimorum, terra marique iter aperturos, atque eos magno terrore illato, ſedibus, & regnis eſſe depulſuros, vt commodo pacatoque itinere, Chriſtiani Hieroſolymitanum templum petere, & libere commeare poſſint.

Act. 8. Eunuchus Regina Candacis.

Eugenius Papa.

Templum Hieroſolymitanum.

Atque ego inprimis, ſicuti vehementer exopto, diuini amoris particeps eſſe poſſim in templo Apoſtolorum Petri & Pauli. Cupio autem ingenti deſiderio conſequi ſacroſanctam benedictionem, à vicario Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam proculdubio ſanctitas veſtra, Dei eſt vicarius. Et cum à peregrinis, qui ex regionibus noſtris ad Hieruſalem atque inde Romam non ſine miraculo eunt, & redeunt, multa de ſanctitate veſtra ab his audio quæ mihi incredibilem afferunt voluptatem & gaudium. Sed multo maiorem omnino caperẽ lætitiam, ſi mei Oratores breuiore itineris cõpendio vti poſſent, & noua referrent, Sicuti antequam moriar, aliquando allaturos ſpero non ſine gratia Dei Omnipotentis, qui vos in ſanitate & ſanctitate conſeruet. Amen. Exoſculor autem pedes ſanctos, & ſupplex oro vt benedictionem ad me mittat. Has quoque literas ſanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis Portugalliæ, per eundem Oratorem noſtrum Franciſcum Aluarez.

ORA-

ORATIO

QVIBVS literis perlectis, cum idem Franciſcus Aluarez Orator, hæc ipſa quæ ſubſequuntur Luſitano ſermone protuliſſet. Tum deinde Secretarius eiuſdem Oratoris Portugaliæ eadem verba, vt ab omnibus intelligi poſſent, latine pronuntiauit, videlicet: Sanctiſſime ac beatiſſime pater sereniſſimus, ac potentiſſimus dominus Dauid Rex magnæ & altæ Æthiopiæ, vulgo Pretegyam appellatus, haud minus cultu veræ religionis, quam imperio, opibus, ac regnis præcellens: hunc ſuum Oratorem ad ſanctitatẽ veſtram cum his litteris quas ei reddidit, deſtinauit: Mandans vt eidem ſanctitati veſtræ, tanquam vero Chriſti Vicario, Petri ſucceſſoris ac vniuerſæ eccleſiæ ſummo pontifici, veram obedientiam & ſubiectionem nomine ſuæ maieſtatis, ac omnium Regnorum ſuorum humiliter ſicut fecit præſtaret: eique munuſculum aureæ crucis, non tam pretio, quod tenuẽ eſt, quam veneratione eiuſdem crucis, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis ſubire dignatus eſt, à veſtra ſanctitate, æſtimandum offerret: Supplicans eidem humiliter eiuſdem principis ſui nomine, ut hæc omnia pio parentis affectu à deuotiſſimo filio ſuo ſuſcipere dignetur.

Ad quæ Secretarius eiuſdem ſanctiſſimi D. N. à ſanctitate ſua iuſſus in hunc modum reſpondit.

Sanctiſſimus dominus noſter: Te domine Franciſce Aluarez, sereniſſimi Dauid Æthiopiæ regis Oratorem, vna cum obedientia, munere & litteris, quas attuliſti grato admodum animo, benigna voluntate, & paterno affectu recepit: Gratias Deo agens, quod ſuis temporibus literas, & Oratorem tanti Chriſtiani Regis, ac tam remoti, videre ſibi conceſſerit. Itaque literas ac tua verba diligenter ac libenter audiuit, obedientiam vna cum venerabilibus fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus benigne acceptat: Munuſque ipſum cũ ob imaginem & honorem ſanctæ Crucis, cum ob mittentis affectum valde gratum habet: tum vero Sereniſſimum Portugaliæ Regem ſumme collaudat in deo domino, quod is præter cętera eius & progenitorum ſuorum ingentia erga Rempub. & fidem Chriſtianam merita, etiam de ipſo Dauid rege benemereatur, amicitiam, commertium, cum eo coniungat, ac te cum his literis tuto ad ſanctitatem ſuam peruenire curauerit. Quod ad reliqua attinet, ſua ſanctitas omnem datura eſt operam, vt piis dicti regis deſideriis quantum in tanta terrarum diſiunctione fieri ab ea poterit, ſatisfiat, vtque is ſemper intelligat ſe apud ſanctitatem ſuam & ſanctam Apoſtolicam ſedem inter cæteros Chriſtianos principes chariſſimi in Chriſto filii, loco, amore, & honore eſſe, ac fore. deque his rebus ſua ſanctitas & cum Oratore Portugalliæ ac tecum hic aget, & per literas ac nuntios ſuos maieſtati tui regis particularibus reſpondebit.

Sequuntur verba & relatio Damiani à Goes.

HAS epiſtolas à Paulo Iouio verſas, huic noſtro opuſculo ob maiorem huius hiſtoriæ cognitionem adiunximus, nec in eis aliquid mutauimus (quanquam quibuſdam locis mutatione indiguiſſent) præter pauca, quæ ex Arabico & Abeſynico idiomate, in Luſitanicum ſermonem, omnino male interpretata, mutato epiſtolarum ordine, fuerunt. Idem Iouius quoque in harum epiſtolarum enarratione, volumen quod Franciſcus Aluarez de ſitu, moribus, cultuque Æthiopum compoſuit, in quo etiam totum ſuum iter explicat, pollicitus eſt Latinum facere, cuius voluminis vnum exemplar penes me habeo; quod ſi Iouius vertendo ſuperſedeat, non abhorrerem ab eius rei tractatione. quanquam id prouinciæ nõ libenter ſuſcepero, niſi id tuis ſanctiſſime pater mandatis mihi imperatum cognouero, quo tutior eſſe poſſim aduerſus calumnioſos, quibus videri poſſim non ſtudio Reipublicæ Chriſtianæ, ſed æmulatione gloriæ Iouianæ hoc onus ſubiiſſe. Ad quod cum fide tractandum, me non parum inſtructum arbitror. Nam cum perfunctus Germanicis & Sarmaticis legationibus, è Belgica ad Regem meum Ioannem eius nominis tertium redeo, cuius plurimam in me excipiendo & humanitatem, & munificentiam expertus ſum: Vlyſſipone in colloquium Æthiopici legati incido, viri & Epiſcopali dignitate venerabilis, & fide, doctrina, ac eloquentia Chaldaicæ, & Arabicæ linguæ admirabilis, & in ſumma idonei, qui à potentiſſimo Æthiopum Imperatore, ad maximos principes de maximis rebus mitteretur. huic autem nomen fuit Zaga Zabo, cum eo poſt initam inter nos firmiſſimam & conſtantiſſimam amicitiam, ſæpius ſermonem miſcui, variaſque diſputationes habui, præſertim de moribus & Religione Æthiopum Chriſtianorum, cupiebam enim eas res non ex verbis interpretantium peregrinorum, ſed ab indigena, coram, & ore

tenus cognoſcere. Inter cætera epiſtolam quoque per Matthæum legatum in Luſitaniam miſſam ei oſtendi, quam ego iam pridem cum articulis, quos coram Rege Emanuele expoſuerat, in linguam latinam (vt dictum eſt,) tranſtuleram, multaque ex illius admonitu caſtigaui, vbi interpretatio non plene rei fidem, aut indolem aſſecuta erat, quod tum mihi tum Iouio nō raro accidiſſe affirmabat, habebam enim iam mecum ipſius Iouii epiſtolas, quas ſumma cum diligentia contulimus. Poſtmodum vigente inter nos iam vera Chriſti charitate, & amicitia, auſus ſum ab eo petere planam, & legitimam Æthiopum fidei & religionis enarrationem, eamque ſua manu deſcribi, quod ſumma cum alacritate conceſſit, illamque ſtatim deſcribere incepit, ſententiā ſumma fide in latinā linguā refudi, vt ex ſequentibus patebit. Id vero conſcientia vrgente eo ardentius aggreſſus ſum, quod non ignorarem, ſi hæc apud me periiſſent, à nemine mortalium vnquam in lucem proditura fuiſſent. Inde quod ſic digeſta & compoſita ad phraſim Chaldaicam & Æthiopicam eſſent, vt vix à quopiam intelligi potuiſſent, niſi à me, qui ea omnia tam ex ore, quam ex ſcriptis ipſius Æthiopici Oratoris, per multam familiaritatem conſequi iam poteram.

IN NOMINE DOMINI
NOSTRI IESV CHRISTI. AMEN.

Hæc ſunt, quæ de fide & religione apud nos Æthiopes habentur & obſeruantur.

Trinitas. Hoc poſtea explicat.

CREDIMVS in nomen ſanctæ Trinitatis, Patrem, filium, & Spiritum ſanctum, qui vnus eſt Dominus, tria quidem nomina, vna diuinitas, tres facies, vna vero ſimilitudo, æqualis trium perſonarum coniunctio, æqualis inquam in diuinitate, vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum, & vnus ſpiritus. Verbum autem patris & filii, verbum ſpiritus ſancti, & filius eſt idem verbum, & verbum apud Deum, & apud Spiritum ſanctum, & apud ſemetipſum, ſine defectu vllo, aut diuiſione, filius patris, & filius ipſius patris ſine principio, nempe primo ſine matre filius patris. Nemo enim nouit ſecretum, & myſteriū eius natiuitatis, niſi pater, & filius, & Spiritus ſanctus. Is autem filius in principio erat verbū & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Spiritus patris, ſpiritus ſanctus, ſpiritus filii, ſpiritus ſanctus eſt: ſpiritus autem ſanctus ſpiritus ſui, ſine vlla diminutione, aut augmentatione. is etenim ſpiritus ſanctus, paracletus, Deus viuus, qui ex patre & filio procedit, locutus eſt per os prophetarum, & in flamma ignis deſcendit ſuper Apoſtolos in atrium Syon. Qui per totum terrarum orbem denuntiarunt, ac prædicarunt verbum patris quod verbum erat ipſe filius. Præterea neque pater eſt primus inde quod pater ſit, nec filius poſtremus, inde quod filius ſit, ſic Spiritus ſanctus neque primus, neque poſtremus eſt. Tres perſonæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico ſuo conſilio cuncta creauit. Poſtea vero filius ſponte propter noſtram ſalutem, ipſo patre volenti, Spiritu ſancto conſentienti, ex altiſſimo ſuo domicilio deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, quæ Maria duplici ornabatur virginitate, vna ſpirituali, altera vero carnali. Et natus eſt ſine aliqua corruptione, ipſa Maria matre poſt partum virgine permanenti, & magno cum miraculo & arcano igne diuinitatis afflata, ſine ſanguine, & dolorib. peperit filiū ſuum Ieſum Chriſtum, qui homo innocens & ſine peccato fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, vnum ſolummodo habens aſpectum. Adoleuit ſenſim vt infans, ſugens lac Mariæ virginis matris ſuæ, & cum attigiſſet trigeſimum annum, baptizatus eſt in Iordane. Et vt cæteri homines ambulauit, fuitque laſſus, ſudauit, eſuriuit, & ſitiuit. Hæc omnia paſſus eſt ſponte & voluntarie, plurimaque fecit miracula. Atque per ſuam diuinitatem cæcis viſum reſtituit, claudos ſanauit, leproſos mundauit, mortuoſque ſuſcitauit, ipſeque poſtremo volens captus eſt, & flagellatus, ac colaphis verberatus, & crucifixus, & languit & mortuus eſt propter peccata noſtra, & ſua morte vicit mortem ac diabolum, & ſua viua ægritudine diſſoluit peccata noſtra, & languores noſtros tulit, & baptiſmo ſangui-

Huius noſtri oratoris ſcripta in hoc loco ambiguā habebant ſignificationē, eam quæ magis catholicæ eccleſiæ congruit, textui inſeruimus aliam hic in margine explicandam duximus, quæ ſequens eſt. Sine defectu vllo aut diuiſione filius patris & filius ſui, & principium ſui, nempe primo ſine matre filius patris, &c.

Baptiſmus Chriſti.

his ſui, qui baptiſmus mors eius fuit, baptizauit Patriarchas & prophetas, deſcenditque ad inferos, vbi erat anima Adæ, & eius filiorum, atque anima ipſius Chriſti, quæ eſt ab Adam, quam animam Adæ ipſe Chriſtus accepit ex ſancta Maria virgine, & in ſplẽdore, & potentia diuinitatis ſuæ, & crucis fortitudine fregit æneas ac igneas inferorum portas, & catenis ferreis ſathanam colligauit, & redemit Adam & eius filios. Hæc omnia Chriſtus fecit propterea quod plenus diuinitate erat, & ipſa diuinitas erat cum ipſius anima, & erat etiã cum ipſius ſanctiſſimo corpore, quæ diuinitas virtutem dedit cruci. Quam quidem diuinitatem, is cum patre in trinitate & vnitate ſemper habuit, & habet communem. Nec enim ipſe Chriſtus obambulans in terris, caruit oculi momẽto diuinitate, vel dignitate ſua. Tum demum ſepultus, tertia die ipſe Ieſus Chriſtus, Princeps reſurrectionis, Ieſus Chriſtus dulciſſimus, Ieſus Chriſtus princeps ſacerdotũ, Ieſus Chriſtus Rex Iſrael, cum magna potentia & fortitudine reſurrexit. Et poſtquam omnia fuerunt adimpleta, quæ ſancti prophetæ prædixerunt, aſcendit in cœlum cum gloria, & ſedet à dextra Patris, & venturus eſt cũ gloria, ferens ante faciem ſuam crucem, & in manu gladium iuſtitiæ, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credo vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicã eccleſiam, credo vnum baptiſma, qui eſt remiſſio peccatorum, ſpero reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen.

Hoc in fine late explicatur.

Vna ſancta catholica atq; apoſtolica eccleſia.

Credo Dominam ſanctam Mariam virginem, virginem inquam ſpiritu, & carne, quæ vt Dei mater, charitas omnium gentium eſt, ſancta ſanctorum, & virgo virginũ, quam modis omnibus veneror. Credo ſanctum lignum crucis, lectum ægritudinis Domini noſtri Ieſu Chriſti Filii Dei eſſe, qui Chriſtus ſalus noſtra eſt, propter quem ſalui ſumus. Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autẽ ſtultitia. Nos vero prædicamus & credimus fortitudinem crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quemadmodum ſanctus Paulus Doctor noſter præcepit. Credo ſanctum Petrum petram legis eſſe, quæ lex ædificata eſt ſuper ſanctos Prophetas, fundamentum & caput Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, Orientalis & Occidentalis, vbi eſt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: cuius Eccleſiæ poteſtatem, Petrus Apoſtolus habet, ac claues regni cœlorum, quibus claudere & aperire, ſoluere, & ligare poteſt. Is autem ſedebit cum aliis Apoſtolis eius ſociis ſuper duodecim ſedes, cum honore & laude apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui in die iudicii ſententiam eſt de nobis laturus. Quæ dies gaudii quidem ſanctis, doloris autem & ſtridoris dentium, peccatoribus erit, cum deiicientur in ardentes flammas inferni cum eorum patre Diabolo. Credo ſanctos Prophetas & Apoſtolos, Martyres & Confeſſores veros Chriſti imitatores fuiſſe, quos cum ſanctiſſimis Dei Angelis veneror & honoro. parique modo etiam omnes illorum ſectatores complector & deoſculor. Deinde confeſſionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciendam eſſe apud ſacerdotem, cuius precibus per Chriſtũ Dominum noſtrum, ſalutem animæ meæ ſpero me conſecuturum. Præterea Pontificem Romanum tanquam primum Epiſcopum & paſtorem ouium Chriſti agnoſco, ac omnes Patriarchas, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, quorum ille caput eſt, quibus tanquam ipſius Chriſti miniſtris pareo, ac obedio.

Maria virgo.

Lignũ crucis.

1. Cor. 1.

Petrus petra eccleſiæ.

Confeſſio apud Sacerdotem.

Pontifex Ro. primus epiſcopus & caput reliquorum.

Hæc eſt fides & lex mea, & populi Æthiopiæ, qui eſt ſub ditione Precioſi Ioãnis, quæ fides atque Chriſti amor, ita ſunt apud nos confirmata, vt ea nec per mortẽ, nec per ignem, nec per gladiũ, fretus auxilio Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, vnquã ſim abnegaturus, quam fidem omnes portaturi ſumus in die iudicii ante faciẽ eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda diſciplina & doctrina, ac lex quæ Apoſtoli in ſanctis Synodorum libris & canonum (quos Manda atque Abethilis vocamus) nobis præceperunt. Sunt enim ii ſanctæ Eccleſiæ legum libri octo, quos omnes Apoſtoli Hieroſolymis congregati ſcripſerunt. De quibus habita inquiſitione, cum quibuſdam doctoribus, poſtquam in Luſitaniam veni, neminem reperi, qui horum memoriam teneret. Obſeruationes vero, quas ſancti Apoſtoli nobis in his libris præſcripſerunt, hæ ſunt. Primo oportere nos ieiunare ſingulis diebus Mercurii, in memoriam conſilii Iudæorum, quo die ab eis decretum & conſultum fuit, Chriſtum occidendum eſſe. Præterea ieiunandũ eſſe ſingulis dieb. Veneris, quo in die Chriſtus Ieſus crucifixus & mortuus eſt pro peccatis noſtris. Et in his duobus diebus præceptum eſt ieiunare vſque ad occaſum ſolis. Quadraginta vero diebus quadrageſimalibus, pane & aqua ieiunandum iniunxerunt. Septem diei ac noctis horis incumbere rebus diuinis. Ex iis edictis quoque tenemur & ſacrum celebrare diebus Mercurii, ac Veneris tempore veſpertino, quoniam tunc expirauit Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſancto ligno crucis. Diebus autem Dominicis, omnes vnanimiter vt congregaremur in ſacra æde hora tertia die ab ortu ſolis ad legendum & audiendum prophetarum libros voluerunt, atque poſtea, vt ſanctum Euangelium prædicemus,

Libri octo legum eccleſiæ ſcripti Hieroſolymis per Apoſtolos.

Ieiunium fer. 4.

Ieiunium fer. 6.

Ieiunium quadrageſimale 7 horæ data rebus diuinis.

Dies Dominicus.

Sacrum facere. 9 dies festi. Festum candelarum. Palmarum. Aſcenſio. Pentecoſtes.

ſacrum quoque faciamus. Præterea nouem dies feſtos in Chriſti memoriam celebrandos conſtituerunt, ſcilicet Annunciationis, Natiuitatis, Circũciſionis, Purificationis ſiue Candelarum, Baptiſmi, Transfigurationis, Dominicæ Palmarum, vſque ad octauam Veneris ſancti (vt vocamus) qui dies duodecim ſunt. Aſcenſionis quoque atque Pentecoſtes cum ſuis etiam feriis. Et ex horum librorum præceptis, ſine aliqua exceptione à feſto Paſchæ vſque ad Pentecoſtem ſingulis diebus veſcimur carnibus, nec per hos dies, vſque ad octauam Pentecoſtes ieiunare tenemur, id quidem propter maiorem venerationem & honorem Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Item voluerunt vt diem mortis, & aſſumptionis Mariæ Virginis cum omni honore celebraremus. Præterea præter Apoſtolorum præcepta quidam Precioſus Ioannes nomine Semen Iacob cõſtituit in honorem eiuſdem beatæ Virginis, ſingulis annis triginta ſupra tres dies etiam celebrandos. Deinde propter Chriſti Saluatoris natiuitatem celebrari iuſſit de vnoquoque menſe diem vnum, qui dies vigeſimus quintus ſemper eſt. Conſtituit quoque ex ſingulis menſibus vnum diem propter S. Michaelem celebrandum. Vlterius ex indicto Synodorum Apoſtolorũ, diem martyrii S. Stephani, ac aliorum martyrum celebramus. Ex inſtitutione quoque Apoſtolorum celebrare tenemur duos dies, ſcilicet Sabbati & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidẽ. Diem vero Sabbati ob id, quod Deus in eo mundi perfecta creatione quieuiſſet, ſeruamus, quem vt vocari voluit, Sanctum Sanctorum, ita plane videretur contra eius voluntatem & præceptum fieri, qui cœlum & terram potius, quam ſuum verbum perire vult, ſi cum magno honore, ac religione is dies non celebraretur, præſertim cum ipſe Chriſtus non ad ſoluendum legem, ſed ad implendũ venerit. Quapropter non ad imitationem Iudæorum, ſed iuſſu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sãctorum Apoſtolorum eum ſeruamus, quorum Iudæorum gratia in nos Chriſtianos translata eſt. In quo die Sabbati, excepto tẽpore quadrageſimali, carnes ſemper comedimus. Id tamen in regno Bernagaes, ac Tigri Mahon non ſeruatur, quorum duorum regnorum indigenæ ex veteri conſuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominicis quadrageſimalibus veſcuntur. Diem autem Dominicum, vt cæteri Chriſtiani, in memoriam Chriſti reſurrectionis celebramus. Diem tamen Sabbati ex legis libris & non ex Euangelio celebrandum eſſe ſcimus. Nihilominus Euangelium finem legis, ac Prophetarum eſſe non ignoramus. In quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum, in purgatorio minime cruciari. Quam quietem Deus in his ſanctiſſimis diebus, animis concedit, donec inde (finito termino ſuarum pœnarum pro facinoribus in hoc ſæculo meritarum) penitus emergant. Ad quas pœnas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum, eleemoſynas pro defunctis factas, credimus ipſis animis in purgatorio degentibus maxime prodeſſe. Ad quarum animarum remiſſionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad ſolum Deum, ac pœnarum temporis conſtitutionem credimus ſpectare. Nullos quoque dies indulgentiarum Patriarcha concedit.

30 dies: Vnus dies in vno quoque menſe. S. Michael. Dies S. Stephani. Dies Sabbati. Dominicus. Matt. 5. Purgatoriũ. Eleemoſyna pro defunctis. Indulgentia.

Sex præcepta Matth. 25. Rom. 3. Rom. 5. Peccata mortalia. 5. Apoc. 22. Ordo. Epiſcopi & Clerici.

Ex Euangelii lectione, ſex tantum tenemur ſeruare præcepta, quæ Chriſtus ore proprio ita explanauit. Eſuriui & dediſtis mihi manducare. Sitiui & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & collegiſtis me. Nudus, & operuiſtis me. Infirmus, & viſitaſtis me. In carcere eram, & veniſtis ad me. Quæ verba Chriſtus in die iudicii ſolummodo eſt prolaturus: quoniam lex, teſte Paulo, peccata nobis oſtendit, quam legem, excepto Ieſu Chriſto nemo cuſtodire potuit. Ipſo Paulo quoque teſte, Omnes ex peccato nati ſumus, propter Euæ matris noſtræ tranſgreſſionem, & propter eius maledictionem. Præterea inquit ipſemet Paulus, nos propter Adam mori & propter Chriſti vitam viuere, qui Chriſtus ob ſuam immenſam miſericordiam, nobis hæc ſex præcepta dedit, vt cum venerit in ſua maieſtate, iudicaturum viuos & mortuos, ſaluemur. Quibus verbis, ac præceptis in ipſo tremendo iudicii die, bonis gloriam ſempiternam, malis ignem, & perpetuam damnationem denunciabit. Et quinque tantum peccata mortalia (vt vocant) annumeramus, id quidem ex vltimo Apocalypſis capite, vbi dicitur, Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Item conſtitutum eſt à ſanctis Apoſtolis, in Synodorum libris, clericis vxores licere ducere, id quidem poſtquam cognitionẽ aliquam habuerint rerum diuinarum. Deinde inito matrimonio in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quem niſi poſt annum trigeſimum nemo recipitur, nec ſpurii, nec nothi aliqua ratione ad eundem ſacratiſſimum ordinem intromittuntur, qui ordines à nemine, niſi ab ipſo patriarcha dantur. Mortua tamen prima vxore Epiſcopi aut clerici aliam ducere non poſſunt, niſi patriarcha ad id diſpenſauerit (quod aliquando indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, niſi ſe voluerint à ſacris abdicare, quod ſi fecerint, res diuinas amplius tractare non poſſunt.

ſunt. Et hoc tam ſtricte ſeruatur, vt ii presbyteri, qui ſecundo vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam Eccleſiæ conſecratam, in manum auderent accipere. *Cādela conſecrata.* Quod ſi inuentum fuerit Epiſcopum aut clericum filium ſpurium habere, ab omnibus beneficiis ac ſacris ordinibus abdicatur, quorum bona, ſi ſine legitima prole diſcedant, ad Precioſum Ioannem, & non ad Patriarcham veniunt. Et id quod presbyteri apud nos vxores poſſideant, ex Paulo accepimus, qui mauult clericum & laicum nubere quam vri. *1. Cor. 7. 1. Tim. 3.* Is quoque inquit, oportere Epiſcopum virum vnius vxoris eſſe, & irreprehenſibilem, ſobrium, parique modo vult eſſe diaconos. Atque etiam vt Eccleſiaſtici perinde atque ſeculares proprias vxores ex legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen vxores non ducūt. *Monachi. Vna vxor.* Et tam laici quam clerici vnam tantum poſſident vxorem, & matrimonium non contrahitur pro foribus ſacræ ædis, ſed in priuatis domibus Paranymphorum. Ex ſanctorum Apoſtolorum conſtitutione habemus, vt ſi ſacerdos fuerit comprehenſus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falſum teſtimonium tulerit, vt à ſacris ordinibus deſtituatur, ac vt cæteri malefici puniatur. Ruſus ex eorum Apoſtolorum inſtituto, Si aliquis ſiue eccleſiaſticus, ſiue laicus cum vxore congreſſus fuerit, vel in ſomnis pollutus fuerit, ſpatio quatuor & viginti horarum templum non ingreditur, nec id quoque menſtruatis mulieribus licet, niſi ſeptimo quoq; die à menſtruo, id quidem omnibus veſtibus ablatis, quibus tempore menſtrui vtebatur, ipſaque bene lota, atq; à ſordibus repurgata. Item mulieri parienti maſculum, non cōceditur venire in templū niſi poſt quadrageſimum diē, parienti vero fœminā, poſt octogeſimū. *Puerperis.* Hanc conſuetudinē ex veteri lege, ac ex noua Apoſtolica habemus, quas leges, inſtituta ac præcepta diligenter in omnibus, quatenus fieri poſſit, obſeruamus. Deinde prohibitum eſt apud nos, ne aut gētes, aut canes, aut alia huiuſmodi animalia, in templa noſtra intrent. Item non datur poteſtas nobis adeundi templum, niſi nudis pedibus, neque licet nobis in ipſo tēplo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec ſpuere, aut ſcreare in ipſo templo. Quia Eccleſiæ Æthiopiæ non ſunt ſimiles terræ illi, vbi populus Iſrael comedit agnum Paſchalem, decedens ab Ægypto, in quo loco Deus iuſſit eos comedere indutos calceamentis, & zonis accinctos propter terræ pollutionē. Sed ſimiles ſunt monti Synai, vbi Dominus locutus eſt Moſi dicens: *Exod. 3.* Moſes Moſes, exue calceamenta tua quoniam terra quam pedes tui premunt, ſancta eſt. Et hic mons Synai parens noſtrarum Eccleſiarum eſt, ex quo ſuam acceperunt originem, ita vt Apoſtoli ex prophetis & nouum teſtamentum à vetere. *Mons Synai.* Præterea nec ſacerdoti, nec laico, vel alii perſonæ cuius conditionis ſit, aſſumpta venerabili Euchariſtia licet expuere, à tempore matutino, vſque ad occaſum Solis, & ſi ſpuerit, grauiſſima pœna multatur. *Euchariſtia. Baptiſmus Epiphaniæ.* Item in memoriam Chriſti baptiſmi, ſingulis annis, omnes in Epiphaniis Domini baptizamur, id quidem facimus non quod ad ſalutem ſpectare credimus, ſed propter Seruatoris noſtri laudem ac gloriam. Neque vberius, atque refertius ſpectaculis, iocis & cæremoniis, vllum aliud feſtum celebramus, quoniam in hoc die primo manifeſte apparuit ſanctiſſima Trinitas, cū Dominus noſter Ieſus Chriſtus baptizaretur in flumine Iordane, cum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper caput eius deſcenderit, & vox de cœlo dixerit, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. *Matth. 3.* Qui Spiritus ſanctus apparens in ſpecie albæ columbæ, cum facie & figura patris & filii apparuit in vna diuinitate. Parique modo Chriſtus viſus eſt à ſanctis Prophetis per multas ſimilitudines & formas. Primum in ſpecie arietis albi, propter ſalutem Iſaac filii Abrahæ, *Gen. 22.* eoque modo nominauit Iacob, Iſrael, & Iacob, Iudam catulum leonis, cui ſuper alios fratres poteſtatem tribuit, dicens, *Gen. 32. Gen. 49.* Ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens occubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Item manifeſtauit ſe Moſi in monte Synai in ſpecie flammæ igneæ, *Exod. 3.* oſtendit ſe ſancto Danieli Prophetæ in ſimilitudine Petræ. Ezechieli quoque filio hominis apparuit, & Iſaiæ in forma infantis. Manifeſtauit etiam ſe Regi Dauidi, & Gedeoni in rore ſuper vellus. Præter has recenſitas formas, in multis aliis viſus eſt à ſanctis Prophetis. Tametſi tam variis formis fuerit viſus, ſemper ſimilitudinem patris & Spiritus ſancti repræſentauit. *Gen. 1.* Et cum Deus etiam creaſſet mundū, dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & fecit Adam ad ſuam imaginem & ſimilitudinem. Propterea nos dicimus patrem, filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres vultus, in vna ſimilitudine & diuinitate. *Hic explicat ea quæ in principio de trib. facieb. & vna ſimilitudine dixit.* Habemus quoque à temporib. reginæ Saba circumciſionem, quam ad hunc vſq; diem ſeruamus. Erat autē huic reginæ Saba nomen propriū Maqueda, quæ more maiorū colebat Idola. *Maqueda nomen Reginæ Saba.* Ad cuius aures fama ſapientiæ Salomonis cū perueniſſet, quēdam virū prudentem Hieroſolymā miſit, vt re omni explorata certior de regis prudētia redderetur. Quo reuerſo & re explanata, ſubito ſe ad iter Hieruſalē vers⁹ cōponit. *Filius reginæ Saba ex Salomone.* Atq; cū eo perueniſſet, præter multa alia, quib. à Salomone erudita eſt, legē ac Prophetas didiciſſeq; in patriā (facultate impetrata abeūdi) proficiſcēs, in itinere filiū, quem ex Salomone

conceperat, peperit, qui vocatus eſt Meilech, quem ipſa regina in Æthiopia vſque ad vigeſimum ætatis annum apud ſe educauit, ac poſtea ad Salomonem eius patrem remiſit, vt ab eo ſcientiam & ſapientiam diſceret, quem per literas obſecrauit, vt filium Meilech coram arca fœderis, teſtamenti Domini, regem Æthiopiæ conſecraret, ac crearet, neue vlterius fœminæ ius regnandi in Æthiopia haberent, vt tum in more erat, ſed vt recto tramite maſculi in regnum ſuccederent. Qui cum Hieroſolymam venit, à patre facile matris poſtulata obtinuit, ac pro Meilech vocatus eſt Dauid, quem iam abunde in lege, atque in aliis diſciplinis edoctum, pater Salomon conſtituit ad matrem remittere, id quidem cum maiore ornatu, Regioque apparatu. Ad quod munificentius conficiendum, comites illi nobiles, ac primorum virorum filios tradidit, qui ei pro regio more inſeruirent. Pręterea decreuit cum eo mittere Azariam principem ſacerdotum, filium Sadoch principis quoque ſacerdotum. Quod cum Azarias intellexiſſet, Dauidem hortatus eſt, vt ei à patre impetraret poteſtatem ſacrificandi pro ſucceſſu itineris, ante arcam fœderis domini. Qua re à Salomone impetrata, Azarias ſubito tabulas, quam ſecretiſſime potuit, ad imitationem tabularum fœderis Domini dedolare curat. Quibus perfectis ad ſacrificandum ſe componit, in ipſoque ſacrificio clanculum, atque mira arte, veras fœderis Domini tabulas ex arca ſurripuit, pro eiſque adulterinas, quas ſecum portauerat, repoſuit, ſe ſolo, ac Deo conſcio. Hæc narratio apud nos Æthiopes ſanctiſſima & probatiſſima habetur, vt ex hiſtoria ipſius Regis Dauidis (quæ iucundiſſima lectu eſt) apparet. Cuius hiſtoriæ liber tantæ craſſitudinis eſt, quantæ omnes Pauli epiſtolæ. Cæterum cum iam Dauid ad fines Æthiopiæ perueniſſet, Azarias eius tentorium ingreſſus, id quod ſemper apud ſe occultum tenuerat, ei reuelat, nempe tabulas fœderis Domini penes ſe eſſe. Qua re audita, ſubito Dauid ad tentorium vbi Azarias tabulas fœderis Domini habebat accurrit, ibique præ nimio gaudio ad exemplum aui ſui Dauidis, ante arcam, in qua tabulæ erant, incepit ſaltare. Quo a ſuis viſo, & re intellecta, omnes pari modo gaudia & lætitiam ingentem celebrauerunt. Tandem peragrata magna Æthiopiæ parte ad ſuam matrem peruenit. Quæ ſtatim ei imperium omnium prouinciarum detulit, omnemque adminiſtrandi regni curam in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore ferme iam inde vſque in hunc diem elapſis interim bis millenis, ſexcentenis annis, regnum Æthiopiæ recto tramite, de maſculo ſemper ad maſculum transfertur. Et ab his temporibus legem Domini, & circumciſionem ſeruamus, vt ante dictum eſt. Ab eodem quoq; tempore hucuſq; miniſteria, quæ Salomon filio ſuo Dauidi ad aulam ſuam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familiis, quo tunc temporis erant, conſeruantur, nec aulica miniſteria ex alia ſtirpe deligere fas habet, vel ipſe Imperator. Inſuper iuſſu, & decreto ipſius Reginæ Maquedæ, mulieres quoque circumciduntur. Ad id ea ratione deducta eſt, vt quemadmodum viri præputium habent, eodem quoque modo mulieres etiam quandam glanduloſam carnem, quam Nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri circumciſionis. Id quod fit tam in maſculis quam in fœminis ad octauum diem. & poſt circumciſionem maſculi [Baptiſmus.] baptizantur ad quadrageſimum diem, mulieres vero ad octogeſimum, niſi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus ſit feſtinatione. quod ſi ante tempus conſtitutum baptizentur, infantibus non licet lacte matris lactari, ſed nutricis tantum, id quidem donec matres purificentur. Et aqua in qua baptizantur, exorciſmis conſecratur & benedicitur, & ea ipſa die qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, ſub exigua ſpecie panis. Nos ferme prius cæteris Chriſtianis omnibus, baptiſmum ab Eunucho Candacis Reginæ [Act. 8.] Æthiopiæ, cui nomen erat Indich accepimus, ita in actis Apoſtolorum traditur, quem vna cum circumciſione (quam tum temporis, vt prius dictum eſt, habebamus) ſancte & chriſtiane obſeruamus, & Deo adiutore ſumus perpetuo obſeruaturi. Nec quicquam præterea, quæ in lege & Prophetis, & in Euangelio, atque in libris Synodorum Apoſtolorum ſunt, ſeruamus, aut admittimus, & ſi quæ alia præter hæc recipimus, ea ſeruantur interim, quod ad ordinem & pacem Eccleſiæ videntur ſpectare, id tamen ſine aliquo peccati vinculo. Quamobrem circumciſio noſtra immunda non eſt, ſed lex & gratia data patri noſtro Abrahæ eſt, quam à Deo tanquam ſignum accepit, non vt propter circumciſionem ſaluus fieret, aut filii eius ſed vt ipſi filii Abrahæ, à cæteris nationibus dinoſcerentur. Et id quod ſymbolo circumciſionis latenter oſtenditur, eximie ſeruamus, nempe vt corde circumciſi ſimus. Nec ob circumciſionem gloriamur, nec etiam cæteris Chriſtianis putamus ob id nobiliores, nec Deo acceptiores eſſe, apud quem nulla eſt acceptio perſonarum, teſte Paulo, qui etiam oſtendit nos ſaluos fieri non propter circumciſionem, [Rom. 2. Gal. 5. Epheſ. 4.] ſed propter fidem, quia in Chriſto Ieſu nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed noua creatura. Is autem Paulus non prædicauit ad deſtruendam legem, ſed ad ſtabiliendam

liendam, qui circumciſus quoque fuit, & ex ſemine Beniamin. is quoque Timotheũ iam Chriſtianum factum ex matre Hebræa, & ex patre Gentili natũ circumcidit, ſciens Deum circumciſionem ex fide, & præputium per fidem iuſtificare. *Act. 16.* Et vt ipſemet ait, factus eſt omnibus omnia, vt omnes faceret ſaluos, Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucraretur. His qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſet, cum ipſe non eſſet ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, lucrifaceret.

His qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſet, cum ſine lege Dei non eſſet, ſed in lege Chriſti, vt lucrifaceret eos, qui ſine lege erant. Et factus eſt infirmus, vt infirmos lucrifaceret, id quod fecit, vt oſtenderet non ex circumciſione, ſed ex fide nos ſalutem conſecuturos. Vnde cum Hebræis prædicaſſet, tanquam Hebræus variis ſermonibus locutus eſt, dicens, Multifarie, multiſq; modis olim Deus locutus eſt patribus noſtris in prophetis, oſtendens eis ex ipſis prophetis Chriſtum ex ſemine Dauidis ſecundum carnem, deinde Chriſtum eis prædicauit, cum patribus noſtris in tentoriis, in deſerto fuiſſe, eoſque in terram promiſſionis introduxiſſe, per manum Ioſue. Præterea idem quoque Paulus inibi teſtatur Chriſtum principem fuiſſe Sacerdotum, ac in nouum tentorium intraſſe, quod eſt ſanctum ſanctorum, & ſacrificio ſui corporis, & ſanguinis, ſanguinem hircorum ac taurorum, quo nemo accedentium poterat iuſtificari, aboleuiſſe, & ſic multis modis locutus eſt Iudæis, multis quoque ritibus, ſancta & incorrupta fide, ſe à ſuis coli patitur. Præterea apud nos habentur ſemichriſtiani puerilli, quos hic audio Paganos ab Romana Eccleſia vocari. Qui quoniam ſine baptiſmo moriantur, ſemichriſtiani debent appellari. quoniam filii ſacrati ſanguinis parentum ex baptiſmo, & ex Spiritu ſancto, & ex ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti nati ſunt, ex quibus tribus teſtimoniis omnes Chriſtiani reputantur. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, teſte Ioanne in ſua prima Canonica, *1. Ioan. 5.* etiam vt Euangelium dicit, bona arbor fert bonos fructus, mala vero arbor, malos *Matth. 7.* Ideoq; filii Chriſtianorum non ſunt, vt filii Gentilium & Iudæorum, atque Maurorum, qui ſunt arbores aridæ ſine aliquo fructu. Chriſtiani autem ſunt electi in vtero matrum ſuarum, vt ſanctus Hieremias Propheta, & ſanctus Ioannes Baptiſta fuerunt. *Hier. 1.* Inſuper infantes Chriſtianarum mulierum ſunt electi & cõſecrati ex corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicatione. *Luc. 1.* Nam fœminæ grauidæ, cum aſſumunt venerabile corpus Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti, infans capiens inde nutrimentum, fit ſacratus. Quoniam ſicut infans exiſtens in vtero, ex eius matris affectibus contriſtatur ac lætatur, ſic etiam ex matris nutrimento nutritur. Et vt ipſe Dominus ait in ſuo S. Euangelio. *Ioan. 6.* Si quis comederit corpus meum, & biberit ſanguinem meum, non guſtabit mortem in æternum. Rurſus, ſi quis guſtauerit meum corpus, & biberit meum ſanguinem, erit mecũ. Ad hæc Paulus Doctor Gentium ait: Vir infidelis iuſtificatus eſt per mulierem fidelẽ, & mulier infidelis ſanctificata eſt per virum fidelem, *1. Cor. 7.* alioquin filii veſtri immundi eſſent, nũc autem ſancti ſunt. Quod ſi ita eſt, vt filii matris infidelis, ſanctificẽtur in patris fidelitate, multo ſacratiores eſſe debent illi, qui ex patre & matre fidelibus nati ſunt. Ob quam rem longe magis pium erit, vocare infantes antequam baptizati ſint, ſemichriſtianos, quam paganos. Id quoque dixerunt Apoſtoli in ſuis ſynodorum libris. Omnes qui habent fidem, & non acceperunt baptiſmum merito poſſunt dici ſemichriſtiani, qui etiam dicũt in memoratis libris, Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidem accipere voluerit, non eſſet ilico admittendus, ſed voluerunt eum prius venire ad valuas templi, ibique audire conciones & verba Seruatoris Chriſti, vt qui prius ad fidem incitatus, ac quaſi arreptus fuit, iugũ legis cognoſcat, quod cum fecerit, vocari poſſit ſemichriſtianus, quanquam baptizatus non ſit quemadmodum Euangelium docet, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc. 7.* Et eſt etiam moris apud nos vt mulieres grauidæ ante partus tempus ſemper confiteantur, ac vt corpus Dominicum confeſſæ accipiant. & eæ quæ hoc non faciunt, ac puerorum patres, ſi eas ad id non impulerint, habentur impii & mali Chriſtiani. Præterea ſciendum, apud nos confirmationem & chriſma ſiue extremam olei vnctionem, pro ſacramento nõ haberi nec in vſu eſſe, vt video hic ex Romanæ eccleſiæ conſuetudine fieri. Item ex lege Moſi, ac Apoſtolorum inſtituto non licet nobis cibos immundos comedere. id facimus ad omnem legis ac ſcripturarum obſeruationem, quarum octoginta & vnum libros, tam veteris quam noui teſtamenti annumeramus, ſcilicet ex vetere quadraginta & ſex, & ex nouo triginta & quinque, quem numerum ſingulorum librorum computatione expreſſum habemus ab ipſis Apoſtolis, quibus libris veteris & noui teſtamenti nihil addere, nec minuere licet, quanquam angelus de cœlo id nobis perſuadere conaretur. Et qui talia auderet tentare, pro anathemate reputaretur. Quare nec Patriarcha, nec Epiſcopi noſtri, per ſe, nec in conciliis putant, aut opinantur vllas leges ſe con-

dere poſſe, quibus ad mortale peccatum obligari quis poſſit. In ipſis etiam Synodorum libris conſtitutum à Sanctis Apoſtolis eſt, oportere nos confiteri, atq; quam pœnitentiā pro magnitudine ſingulorum peccatorum à confeſſore accipere debemus. Inſtruunt quoque nos, quomodo orandum & ieiunandum ſit, & charitas exercenda. Præterea hoc familiariſſime vtimur, quod ſtatim ad pedes confeſſoris, cum peccatum commiſſum eſt, accurrimus, & hoc faciūt omnes tam maſculi, quam fœminæ cuiuſcunq; conditionis ſint. Et quotieſcunq; confitemur, aſſumimus corpus Domini, & id quidem ſub vtraq; ſpecie, in pane azymo triticeo. Quod ſi ſingulis diebus confiteamur, ſingulis quoq; diebus accipimus venerabile Sacramentum, & id tam apud clericos, quam apud laicos in vſu eſt. Et ſacramentum Euchariſtiæ non ſeruatur apud nos in tēplis, vt fit hic apud Europæos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, niſi dum conualuerint. id fit, quoniam omnes tam laici, quam clerici conſueuerunt illud, ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere templum accedunt. quippe nemini datur niſi in ipſo templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipſi Precioſo Ioanni. Vtimur etiam ſemper vno confeſſore, nec alium accipimus, niſi eo abſente, quo reuerſo ad ipſum redimus. Et confeſſores omnium peccatorum dant nobis ex Eccleſiæ poteſtate abſolutionem, nullo caſu Epiſcopis, aut Patriarchæ reſeruato, quamuis grauiſſimo. Vlterius presbyteri non poſſunt audire confeſſionem eius, cui confitentur. Præterea presbyteri, & monachi, & omnes Eccleſiæ miniſtri, apud nos ſuo labore viuunt. Quippe Eccleſia nullas habet decimas, nec accipit, habet tamē prouentus & agros, quos ipſi clerici & monachi fodiunt, aut ſua, aut aliena opera colūt, & nullas alias habent eleemoſynas, præter eas, quæ gratis in templis offeruntur pro exequiis mortuorum, & aliis piis rebus, nec eis licet vicatim mendicare, nec à plebe aliquid eleemoſynarum extorquere. Item in noſtris templis ſingulis diebus, vna tantum celebratur miſſa, quam ſacrificii loco habemus, nec plures ex veteri inſtituto celebrare licet. Pro qua quidē miſſa, nullum precium aut mercedem accipimus. in quo miniſterio ſacramentum Euchariſtiæ non oſtenditur, vt hic video fieri, inibiq; omnes Sacerdotes & Diaconi, ſubdiaconi & templum accedentes corpus Domini accipiunt, & nullā pro remiſſione animarum facimus miſſam, ſed mortui cū crucib. & orationib. ſepeliūtur in certo loco, ſuper quos mortuos, præcipuè inter alias orationes, initiū Euangelii Ioānis dicimus, & ſequēte die à ſepulto mortuo, eleemoſynas pro eis offerimus, id etiam poſtea facimus, certis diebus, in quib. omnib. epulis funebrib. indulgemus. De fide ac religione noſtra diximus. Nunc vero quoniam poſtquam in Luſitaniam venimus, crebras diſputationes ac contentiones cum doctorib. quibuſdam, præſertim cū magiſtris noſtris, Didaco Ortyſio, Epiſcopo inſulæ S. Thomæ, atq; Regis ſacelli Decano, & Petro Margalho, de delectu ciborum habuimus, de hac re aliquid dicere non erit incongruum. Primum ſciendum eſt nos ex veteri teſtamento delectum ciborum ſeruare, qui delectus ab ipſo verbo Dei conſtitutus eſt, quod verbum poſtea natum eſt ex Maria virgine, & ambulauit atq; verſatum eſt cum ſuis Apoſtolis. Id quoq; verbū Dei ſemper viuum, integrum, inuiolatū ſermonem, ac verbū habuit. Nec id q; olim ex immunditia prohibuit comedere, poſtea in aliquo ſui Euangelii loco dixit eſſe comedendum. Id vero q; in Euangelio ait, Quod per os intrat, hominē non coinquinare, ſed ea quæ ex ore procedunt, non ea de cauſa dixit, vt frangeret id q; antea conſtituerat, ſed vt refutaret ſuperſtitionem Iudæorum, qui arguebant Apoſtolos, q; illotis manib. panem manducarent. Imo nec Apoſtoli id temporis, quando verſabantur cū Domino noſtro Ieſu Chriſto, vnquā vſi ſunt immūdis, nec guſtauerūt ea quæ in lege prohibita ſunt, nec vllus eorū eam tranſgreſſus eſt. Nec iis temporib. quæ paſſionē Domini inſecuta ſunt, cum Euangeliū cœperūt prædicare Apoſtoli, vllis apud nos ſcriptis probari poteſt, eos ediſſe, aut occidiſſe immunda. Verum tamen eſt Paulū dicere, Omne q; in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiā. Poſtea ſi quis vos vocat infideliū ad cœnam, & vultis ire, omne q; vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter eum, qui indicauit, & propter cōſcientiam, &c. Omnia hæc dixit Paulus, vt placeret iis, qui in fide non erant admodum confirmati, quoniā inter hos & Iudæos variæ conſurgebant diſputationes ac contentiones, quas vt ſedaret, Chriſtianis nondū ſatis confirmatis indulgentius morigerabatur & acquieſcebat. Id tamen faciebat non q; legem frangere vellet, ſed vt plures ita in ceremoniis relaxandis gratificando ad fidem alliceret. Idē Apoſtolus quoq; ait, Is qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non māducat, manducantē non iudicet, quoniā is qui manducat, domino manducat, & qui non manducat, Domino nō manducat: Quamobrē indignū eſt, peregrinos Chriſtianos tā acriter ac hoſtiliter reprehendi, vt ego de hac re, & de aliis quę minime ad verā fidē ſpectabāt, reprehenſus fui. Sed multo cōſultius erit huiuſmodi Chriſtianos homines

Marginalia: *Confeſſio.* — *Pœnitentia iniuncta.* — *Decima.* — *Oblationes in exequiis mortuorum.* — *Vna miſſa.* — *Euchariſtia non oſtenditur.* — *Eleemoſyna pro defunctis.* — *Delectus ciborum.* — *Matth. 15.* — *1. Cor. 10.* — *Rom. 14.*

homines,ſiue Græcos,ſiue Armenios,ſiue Æthiopes, ſiue ex quauis ſeptẽ Chriſtianorum Eccleſiarum,in charitate & Chriſti amplexibus ſuſtinere, & eos ſine contumeliis permittere,inter alios fratres Chriſtianos viuere ac verſari,quoniam omnes filii baptiſmi ſumus, & de vera fide vnanimiter ſentimus. Nec eſt cauſa cur tam acriter de cęremoniis diſceptetur,niſi vt vnuſquiſq; ſuas obſeruet,ſine odio & inſectatione aliorum,nec commerciis Eccleſiæ ob id excludendus eſt, ſi peregre in alienis prouinciis domeſticos ritus obſeruet. Id præterea q̃ in Actis Apoſtolorum habemus,nempe quo pacto Petrus vidit cœlũ apertum, *Act. 10.* & vas deſcendere quoddam,veluti linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram,in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terra,& volatilia cœli. Cui vox dixit, Surge Petre,occide & manduca. Cui Petrus, Abſit Domine,quoniam nunquam manducaui omne commune aut immundum. Cui vox iterum: Quod Deus purificauit,tu cõmune ne dixeris. Quod vbi cum tertio repetitis vicibus contigiſſet, ſtatim illud vas in cœlum receptum eſt. Quibus peractis, ſpiritus miſit eũ in Cæſaream, ad Cornelium virum pium, & timẽtem Deum. Apud quem loquente Petro cecidit ſuper omnes,qui verbum Dei audiebant,Spiritus S.quo Spiritu ſancto accepto, Petrus totam familiam Cornelii baptizari iuſſit. Quod cum cęteri Apoſtoli,ac fratres qui in Iudęa erant,Cornelium eſſe baptizatum audiuiſſent,Petro,q̃ dediſſet baptiſmum & verbum Dei Gentilibus, ſuccenſere cœperũt, *Act. cap. 11.* dicentes,Quare introiſti ad viros præputium habentes,& manducaſti cum illis? Qui à Petro tota viſione expoſita,placati ſunt,atq; Deo Gratias egerunt dicentes,Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit ad vitam,& recordati ſunt verbi Domini,q̃ in cœlum aſcendens dixit, Ite per omnem terram, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit,qui vero non crediderit, condemnabitur. Tunc Apoſtoli cœperũt *Marc. 16.* prædicare Euangelium per totum mundum omni creaturæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.atq; per omnem terram exiuit ſonus eorum. Et hanc viſionem,in qua munda,& immunda apparebant,ita in Æthiopia exponimus, munda animalia fuiſſe populum Iſraël, immunda autem populum Gentilium. Ideo vero Gentiles ſunt vocati immundi, q̃ Idolorum cultores eſſent,& inſeruirent operibus diabolorum, quæ immũda ſunt. Quod autem vox illa dixit,Petre occide,id apud nos in hunc modum interpretatur, Petre baptiza, & q̃ *Act. cap. 10.* dixerit,Petre manduca,interpretamentum habet, ac ſi dixiſſet, doce & prædica fidem, & legem Domini noſtri Ieſu Chriſti,populo Iſraël,& Gentibus. Adhæc certiſſimum eſt nullibi in ſcripturis reperiri Petrum, aut alios Apoſtolos immunda occidiſſe, aut comediſſe, poſt hanc viſionẽ. Porro ſciendum eſt,cum ſcriptura loquitur de pane,non intelligendum eſſe cibum,nec corporale nutrimentum, ſed explicationem, ac expoſitionem Chriſti, & ſcripturarũ doctrinæ. Conſultum profecto eſſet,omnes Doctores & Prædicatores de hoc linteo q̃ oſtenſum fuit Petro,ſublimia & alta docere,& nõ illa quæ infima ſunt,& quæ nihil ad ſalutem videntur pertinere, ac non inde documenta aucupari, quaſi fas, & licitum eſſet nobis immunda comedere, quando ex ſcriptura id minime colligere poſſunt. Quid q̃ ipſi Apoſtoli in ſuis ſynodorũ libris pręceperunt nobis ne comedamus animalia ſuſpenſa, ſuffocata,lacerata,neq; ſemeſa ab aliis beſtiis, nec ſanguinem. quoniam Dominus amat munditiam & ſobrietatem, & odit gulam & immunditiam. Et plurimum etiam eos dominus diligit,qui abſtinent à carnibus,& multo magis eos, qui ieiunant pane & aqua,& herbis,vt Ioannes Baptiſta eremita vltra Iordanem fecit,qui ſemper vſus eſt herbis. Et ſanctus Paulus eremita,qui octoginta annis ſemper ieiunans,cõmoratus eſt in deſerto,atq; ſanctus Antonius,& ſanctus Macarius,ac plurimi alii filii eius ſpirituales,qui nunquã guſtauerunt carnes. Ideoq; fratres mei,non oportet nos contemnere, neq; inſectari proximos noſtros, quoniam Iacobus ait, Qui detrahit fratri,aut iudicat fratrem ſuum detrahit legi, & iudicat *Iac. 4.* legem. Paulus quoq; docet,melius eſſe vnumquemq; viuere cõtentum ſuis traditionibus, *Rom. 12.* quam cum fratre Chriſtiano de lege diſputare. Rurſus non plus ſapere, quam oportet,ſed ſapere ad ſobrietatẽ,& vnicuiq; ſicut Deus diuiſit menſurã fidei. Quapropter indecens eſt cum fratribus de lege,aut de delectu ciborum diſputare,q̃ eſca nos non commendet Deo. præſertim cum ipſe Paulus Apoſtolus dicat, Nec ſi manducauerimus,abundabimus, nec *Rom. 14.* ſi non manducauerimus,deficiemus. Idcirco altiora & cœleſtem cibum quæramus,& has infimas & inanes diſputationes omittamus. Hæc omnia quæ de traditionibus ſcripſi,nõ ad diſputationem,nec contẽtionem ſcripſi,ſed vt meos quatenus fieri potuit, protegerem ac defenderem contra acerbiſſimas multorum reprehenſiones,quibus nulla fuit reuerentia, quo minus potentiſſimum Precioſum Ioannem,ac nos eius ſubditos conuiciis proſcinderent,ac Iudæos & Mahumetanos appellarent,eo q̃ circumciſionẽ ſeruamus,& Sabbatum ſanctificamus vt Iudæi. Deinde q̃ veluti Mahumetani,ad occaſum ſolis vſq; ieiunamus; id hominem Chriſtianum minime decere aſſerentes. Id quoq; acerbiſſime obiiciunt ſacer-

dotum coniugia, vt laicorum licita eſſe apud nos. Prætereà nec id ſine morſu omittitur, quod primo baptiſmo, quaſi diffiſi, ſingulis annis rebaptizamur, quod præter viros etiam mulieres circumcidantur, more nec apud Iudęos quidem recepto. Deniq; quod delectum ciborum ſanctiſſime obſeruatum volumus. Poſtremo, quod infantes, qui ante baptiſmum, Pagani vocari ſolent, ſemichriſtianos nuncupemus. Quibus obtrectationibus coactus ſum talia dicere, vt noſtros purgarem ab huiuſmodi calumniis, & vt Doctores ſacræ eccleſiæ Romanę, redderem nobis affabiliores. A quibus (neſcio quam piè) mihi interdictum eſt ſumere corpus Dominicum, poſtquam in Luſitaniam veni, quod ſpacium eſt ſeptem annorum, & (id quod non ſine dolore ac lachrymis dicam) reputor inter fratres Chriſtianos, tâquam Ethnicus, & Anathema. De quibus rebus ille, qui omnia vegetat, videat, cuius iudicio omnia committo. Ego autem non ſum miſſus a potentiſſimo Domino meo, Imperatore Æthiopum, ad Romanum Pontificem, & Sereniſſimum Ioannem Luſitaniæ regem ad diſputationum & contentionum rixas, ſed ad amicitiam & ſocietatem côtrahendam, non autem ad traditiones humanas vel augendas, vel diminuendas. Sed vt de erroribus Arii principis hęreticorum diligenter exquirerem, & intelligerem an Europæi Chriſtiani cum noſtris, ad huius hominis opiniones deuincendas conuenirent. Propter cuius errores Niceæ, ſub Iulio Papa congregatum fuit concilium trecentorum, octodecim Epiſcoporum. *Conc. Nic.* Ac deinde vt ſcirem, an id apud Europæos Chriſtianos ſeruaretur, quod Apoſtoli in ſuo ſynodorum libro præcipiunt, ſcilicet, vt ſingulis annis bis in Eccleſia Chriſti concilium celebretur, in quo de rebus fidei rationem habendam ſtatuerunt. Quorum primum voluerunt cogi ad feſtum Pentecoſtes, ſecundum decima die Octobris. Deinde vt intelligerem, quomodo inter nos conueniret de erroribus Macedonii, cuius cauſa, ſub Damaſo Papa congregatum fuit Conſtantinopoli concilium centum quinquaginta Epiſcoporum. *Conc. Conſtantinop.* Prætereà de erroribus Neſtorii, propter quem ſub Celeſtino Papa congregatum fuit in Epheſo côcilium ducentorum Epiſcoporum. *Conc. Epheſ.* Poſtremo vt etiam ſcirem de quarto ac magno Concilio Chalcedonienſi, in quo propter errores Eutychis, congregati fuerunt ſexcenti, triginta duo Epiſcopi, quo tempore Pontificatum obtinebat Romanum S. Leo, *Concilium Chalcedon.* ex quo concilio variis diſceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Eccleſiæ conſtituto, atq; re infecta, omnes diſceſſerunt, vnuſquiſq; ſuam retinens opinionem. Quarum Synodorum libros, & aliarũ, quæ poſtea celebratæ fuere potentiſſimus Dominus meus Æthiopum Imperator, penes ſe habet, & de hac zizania, quam aduerſarius veritatis Diabolus ſeminauit inter Chriſtianos, Dominus meus plurimum dolet, vna cum omnibus ſuis ſubditis Chriſti fidelibus. *Pontifex Rom.* Noſtri certe ab exordio primitiuæ Eccleſiæ Romanum Pontificem, vt primum Epiſcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Chriſti vicario paremus. In cuius curia frequentiſſime eſſemus, niſi obſtarêt magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ tranſitum impediunt, ita vt ſuſceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. Quanquam prudentiſſimus, & inuictiſſimus Rex Emanuel, felicis memoriæ, qui primus non ſine cœleſti numine itinera Orientalium Indiarum ſuis nauigationibus aperuit, magnam ſpem præbuit, id in poſterum commodius futurum. Is enim ſuperato Oceano Rubrum mare ſuis claſſibus edomuit, nihil deterritus magnitudine ſumptuum, quo & Chriſti fidem augeret, & ad vſum noſtræ amicitiæ, quaſi viam patefaceret, & id quoniam iam factum eſt, & vtraq; gens alterius opibus vti poteſt, breui ſperamus fore, vt ab Luſitanis, vna cum noſtris armis, omnes Mahumetani, cæteriq; Ethnici, ex toto mari Erythræo, ac vniuerſa Arabia, Perſide ac India depellantur. Itidem & illud futurum confidimus, pace inter omnes Europęos Chriſtianos compoſita, vt etiam ex Mediterraneis locis, Ponto, aliiſq; prouinciis, inimici Crucis profligantur, vt ſit iuxta Chriſti verbum, ſuper faciem terræ vna lex, & vnum ouile, & vnus paſtor. *Ioan. 10.* Cuius rei oracula duo habemus, alterum ex Prophetia S. Ficatoris, alterum ex S. Synoda eremita, nato in extremis Ægypti cautibus, quorum neutrum ab altero diſſentit. Et ex quo Dominus meus potentiſſimus, legatos ſereniſſimi & prudentiſſimi Regis Emanuelis accepit, videtur fides oraculorum, ad euenta properare. Certe iam inde noſter princeps nihil magis cogitat, conſiliiſq; & armis meditatur, quam vt Mahumetani de facie terræ deleantur. His de cauſis, aliiſque, quas coram ſereniſſ. Rege Ioanne Emanuelis filio expoſui, iſtuc miſſus ſum à Domino meo potentiſſ. non ad friuolas, & inanes diſputationes. Atq; vtinam inſtituta, atque conatus principis noſtri, pro quibus legatus ſum, Deus Optimus Maximus ad finem optimum & ad ſuam gloriam perducat, Amen.

Patriarcha Æthiopum. His omnibus explicatis, obiter & breuiſſime aliquid de ſtatu noſtri Patriarchæ, ac Imperatoris exponam. Primum ſciendum ſolemni ritu Patriarcham noſtrum ab Hieroſolymitanis Monachis noſtris, qui ibi apud ſepulchrum Domini habitant, ſuffragiis creari

idque

idq; hoc modo: Vita defuncto Patriarcha, ſtatim Imperator noſter Precioſus Ioãnes nuncium aliquem expeditum mittit Hieroſolymam ad Monachos ibidem agentes, vt dictum eſt, qui nuncio accepto, ac muneribus quæ Imperator Dominus noſter ad ſanctum ſepulchrum dono mittit, continuo alium Patriarcham ſuffragiis plurium eligunt, ſed fas non eſt alium, quam Alexãdrinum eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, ſuffragia ſua obſignant, eaque legato, qui ad id venit, in manibus tradunt, Is ſtatim Cayrum cõtendit, quo vbi ventum eſt, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi ſemper ſedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus deſtinatum, cum legato in AEthiopam mittit, qui ex veteri inſtituto Monachus ordinis D. Antonii eremitæ debet eſſe, cum quo in AEthiopam confeſtim nuncius proficiſcitur, vbi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negotio aliquãdo annus vnus & alter tranſigitur, interimq; Precioſus Ioannes de prouentibus ipſius Patriarchę pro libitu diſpenſat. Præcipuum autem Patriarchæ officium eſt, ſacros ordines dare. quos nemo, ipſo excepto, aut dare, aut auferre poteſt. Cæterum nullum Epiſcopatum, aut Eccleſiæ beneficium in vllos confert, id ſolum ad Precioſum Ioannẽ ſpectat, qui omnia pro ſuo arbitrio diſpenſat: Mortuoque Patriarcha, cuius ditiones ac prouentus ampliſſimi ſunt, ex ſolido omnium illius bonorum fit hæres. Eſt præterea Patriarchæ munus, excommunicationib. aduerſus contumaces procedere, quarum tam arcta obſeruatio eſt, vt præuaricatori pœna perpetuæ inediæ vſque ad mortem infligatur. Indulgentias nullas dat, neq; concedit. Nec pro vllo delicto, quantumcunque magno, cuiquam Sacramenta Eccleſiæ interdicuntur, niſi tantum propter homicidia. Ipſum nomen Patriarchiatus, noſtro idiomate Abunna dicitur. Cæterum qui nunc hoc ſolium tenet, proprio nomine, quod ex baptiſmate accepit, Marcus vocatur, vir centum annorum aut vltra. Sciendum etiam apud nos Calendis Septembrib. annum incipere, qui dies ſemper incidit in vigiliam Ioannis Baptiſtæ, Reliqui dies feſti, vt Natalis Domini, Paſchæ, aliique deinceps eodem tempore apud nos celebrantur. quo in Eccleſia Romana. Id quoque diſſimulanter prętereundum non eſt, apud nos diuum Philippũ Apoſtolum, Euangeliũ & fidem Seruatoris Chriſti prædicaſſe. Quod ſi libeat ſciſcitari de agnomine noſtri Imperatoris, is ſibi perſuaſum habeat, illum perpetuo appellari Precioſum Ioannem, & non Presbyterum Ioannem, & hic falſo paſſim iactatur. Scribitur enim noſtro ſermone his characterib. ጃን፡ ብሉል, quod ſonat Ioannes Belul, hoc eſt, Ioannes Precioſus, ſiue Altus, & in Chaldaica lingua ſic ſcribitur, ጃን፡ዕንቍ, quod eſt Ioannes Encoe, id ſi interpreteris, etiam Ioannis Precioſi, ſiue Alti ſignificatum habet, nec eſt nominandus, vt Matthæus falſo indicauit, Imperator Abeſſynorum, ſed AEthiopum, Matthæus enim, quoniã Armenius erat, non poterat res noſtras perſpicue ſcire, præſertim eas, quæ ad fidem ſpectabant. Idcirco multa coram prudentiſſimo fœlicis memoriæ Rege Emanuele expoſuit, quæ minime apud nos habentur. Id autem fecit non quod mentiri voluerit. quippe vir bonus erat, ſed quod in rebus religionis noſtræ non admodum erat edoctus. Regnorum autem & Imperii ſucceſſio, non in filiũ maximum natu tranſmittitur, ſed ad eum, in quem pater id cõferre vult. Et is qui modo imperium tenet, ordine naſcendi tertius eſt, quod pia quadam reuerẽtia emeruit, cum enim filii à patre moribundo, in regiis ſoliis ſedere iuberentur, cęteris id facientibus, ſolus id facere recuſauit, abſit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra Domini mei ſedeam. Qua pietate à patre circumſpecta, ei regna ac imperium tradidit. vocatur is autem Dauid. Cuius imperii ditiones tam Chriſtianorum, quam Ethnicorum miræ amplitudinis ſunt. In quibus multi reges & reguli, comites, barones, ac proceres, multaque nobilitas ineſt, ad eius mãdata obtemperantiſſima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum vero & argentum pondere datur, ac accipitur. Oppida & ciuitates apud nos permultæ ſunt, ſed non tales, quales hic in Luſitania videmus, id magna ex parte inde venit, quod Precioſus Ioannes ſemper in caſtris & tentoriis verſatur. Quæ conſuetudo ideo recepta eſt, vt Nobilitas continue & perpetuo, ſe in rebus militaribus exerceat. Nec illud prętereũdum videtur, nos ab omnibus lateribus circundatos eſſe, ab hoſtib. noſtræ fidei, cum quibus crebro confligimus, ſemper ſecundo Marte vſi, quas victorias numinis auxilio imputamus.

Cayrus.

Patriarcha Alexandrin.

Officium Patriarchæ.

Pœna contumacia.

Indulgentiæ.

Abunna.

Apud Ægyptios annus incipit Kal. Sep. nimirum in Vigil. Ioannis Baptiſtæ.

Precioſus Ioannes non presbyter Ioannes.

Moneta.

Ius autem ſcriptum apud nos in vſu non habetur, nec litigantium querelæ libellis, ſed ore peraguntur, id fit ne lites auaritia iudicum & patronorum in longum protrahantur.

Ius ſcriptum.

Id quoque admonitione dignum videtur, Mattheum non fuiſſe ab Imperatore noſtro Dauide miſſum, ad inuictiſſimum, potentiſſimumq; Regem Emanuelem, felicis memo-

riæ,ſed ab Regina Helena vxore Imperatoris,cognomento Manus Mariæ,qui huius Dauidis,de quo loquimur,auus fuit,quæ tunc temporis ob tenellam Dauidis ætatem,regnorum gubernacula adminiſtrabat,mulier haud dubie prudentiſſima & ſanctiſſima. Eadem iſta Helena duos compoſuit libros ſermone Chaldaico, vt erat doctiſſima. Quorum vnus dicitur Enzera Chebaa,id eſt, Laudate Deum in organis, in quo de Trinitate doctiſſime diſputat,& de matris Chriſti Mariç virginitate. Alter vocatur Chedale Chaav, hoc eſt,Radius ſolis,in quo acutiſſime de lege Dei diſceptationes habet. Omnia hæc de fide, religione,ac patriæ noſtræ ſtatu,ego Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Epiſcopus, & ſacerdos,ac Bugana Raz,nempe miles,ac Prorex prouinciæ,quæ Bugana dicitur,nec tibi in Chriſto filiolo meo chariſſimo Damiano petenti, nec vlli homini talia flagitanti denegare potui,aut negare licuit duabus de cauſis.quarum prior eſt,quod in mandatis habeo à potentiſſimo Domino meo Precioſo Ioanne Æthiopum Imperatore, omnibus me interrogantibus de fide,religione,ac prouincia noſtra,ne quid clam haberem, ſed ex fide veritatem rerum ſcriptis & verbis exponerem. Secunda,quod operæprecium exiſtimarem, mores,ritus,inſtituta noſtra, & locorum ſitus, in publicam notitiam venire. Quas res nemini ad hunc vſq; diem ſcripſi,nec verbis expoſui,non quod ad id laboribus meis parcere vellem,ſed quod nullus Chriſtianorum hominum,poſtquam in Luſitaniam veni,a me talia cognoſcere appetiuit. De qua re non potui,nec poſſum ſatis mirari. Te vero quem rerum noſtrarum cupientiſſimum multis argumentis iudico, per Chriſti plagas,ac crucem oro, vt hanc noſtram fidei,ac religionis cōfeſſionem in linguam Latinam conuertas,vt per te liceat omnibus piis Europæis Chriſtianis ritus, ac integritatem morum noſtrorum intelligere. Porro ſi tibi inter tuas peregrinationes Romam petere contingat, tunc nomine meo Pontificem,ac venerandos Cardinales,Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſq; bonos Chriſti cultores,per Ieſum Chriſtum, in oſculo pacis quæſo ſalutes, petaſq; ab ipſo Pontifice,vt ad me remittat Franciſcum Aluarez, literis illis ſuis inſtructum, quibus Domino meo potentiſſimo Æthiopum Imperatori reſpondeat, quo tandem in patriam redeam,meoſque lares inuiſam,nimium enim diu hic detentus fui, vt ante obitum meum,qui ex nimio ſenio pro foribus eſt,mandata perferam, reliquias deinde vitæ tranſacta hac legatione Deo conſecrem,diuiniſq; rebus totus vacem. Cæterum te oro,ſi aliqua in noſtris ſcriptis non fuerint ſatis compoſita aut ordinata, vt ipſe tu id ad phraſim latinam coaptes,ſed ita, vt nihil de ſenſu immutes.Poſtremo te obſecro, vt inter vertendum exquiras diligenter vetus & nouum teſtamentum, vt intelligas ex quibus locis meas autoritates excerpſi,quo certius vertas.Quod ſi omnia non fuerint tam feliciter tractata, quam forſitan aliquis curioſus,aut ſcrupuloſus exigat,id condonandum erit inopiæ & penuriæ librorum Chaldæorum,quos penes me non habeo, quos enim habui, iniquitas fortunæ in itinere perdidit. Quamobrem deſtitutus omnium librorum auxilio, nihil, niſi quod recens memoria afferebat,dictare potui,ſed ea omnia certiſſima fide. Vale filiole in Chriſto dilectiſſime. Oliſipone, vigeſimo quarto Aprilis, Anno ſalutis noſtræ M D X X X I I I I.

Poſtquam hæc omnia ſcripſi, venit mihi in mentem locus ille, vbi dico Chriſtum deſcendiſſe ad inferos,pro anima Adæ,atq; pro anima ipſiuſmet Chriſti, quam ipſe Chriſtus acceperat ex ſancta Maria virgine matre ſua. De qua re habemus teſtimoniū veriſſimum in libris quos Regiminis vocamus,quos Chriſtus Ieſus Seruator noſter Apoſtolis tradidit, in quibus habentur hæc verba,quæ myſteria doctrinarū appellantur. Quorum autoritate & teſtimonio,omnes ſine vlla hæſitatione,in hac ſentētia verſamur. Ego tamen poſt quam in Luſitaniam veni,deprehendi Theologos diuerſa tradere,contra noſtrum omnium opinionem, quæ tam certa eſt, vt non hoc ſolum, ſed etiam omnium hominum animas ab Adam profluxiſſe aſſeramus,& vt caro noſtra eſt ex ſeminio carnis Adæ, ita quoq; anima noſtra, quaſi lucerna in anima Adæ accenſa, originem ſuam & naturam ex Adam trahit. Ex quo apparet nos omnes eſſe ſemen Adæ ex carne & anima.

Opinio Æthiopum de origine animæ.

Hiſce characteribus, manu propria ipſius Oratoris omnia ſupra ſcripta, ſubſignata erant.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

DEPLO-

DEPLORATIO LAPPIANÆ GENTIS DAMIANO A GOES AVTORE.

NOn indignum puto Pontifex maxime in calce huius noſtri opuſculi, quoniam ad fidem & vnionem Eccleſiæ hæc quoq; ſpectant, Ioannis Magni Gothi, Archiepiſcopi Vpſaliæ in regno Suetiæ (vt ab eo ad miſerandam Lappianam gentem veniamus) aliquam mentionem facere. Is autem Ioannes Magnus Gothus, vir eſt optimis parẽtibus, ac diuitibus natus, *Ioannes Magnus.* ſacrarum litterarum non vulgariter peritus, probitate vitæ ſpectatiſſimus, Eccleſiæ Romanæ ita addictus, vt eius cauſa ampliſſimum Vpſaliæ Archiepiſcopatum cum prouentibus plus minus quadraginta millium aureorum in ſingulos annos, vna cum fundo paterno amiſerit. cuius dignitatis ac bonorum iactura, ab fluctibus fortunæ agitatus, in Pruſſia, Gedani diu tenuiter victitans delituit. Vbi (interim quod mihi Regis mei negocia in illis Germaniæ partibus tractanda erant) cum eo, ac cum Olao Magno Gotho eius fratre, indiſſolubilem contraxi amicitiam. *Olaus Magnus.* Hos inopinate poſtea Vincentiæ reperi multo tenuius, quam antea degentes, quem locum ex illis vltimis terrarum oris, propter promulgatum Concilium, ex quo nonnihil ſpei ſibi, ac ſuis calamitatibus conceperant, adeundum eſſe propoſuerant. Concilio tandem intermiſſo, ii boni viri iam à ſuis facultatibus plane deſtituti, quibus dum ampliores eſſent, ſæpius in aquilonaribus illis partibus pro Rom. Eccleſia pugnauerant, & adhuc (ſi res ſucceſſiſſet) pugnaturi eſſent, Venetias emigrant, vel aliena liberalitate, vel ſuis laboribus, præſertim docendo, ac inſtituendo, victũ quæſituri, nullis enim aliis ſubſidiis niti poterant, niſi quod in numinis auxilio totam ſpem repoſuerant. quo cum perueniſſent, ſolum ab Hieronymo Quirino Patriarcha Veneto, in ipſo Patriarchatu humaniſſime accepti hoſpitantur, vbi ad *Patriarcha Venetus.* hunc vſque diem dilatum Concilium expectantes hærent. Sub huius Vpſalienſi Archiepiſcopatu, pars illius vaſtæ Lappianæ prouinciæ habetur, cuius indigenæ Chriſti Seruatoris *Lappia.* noſtri leges minime norunt, id quidem vt à multis, tum bonis, tum fide dignis viris, dum in illis prouinciis verſarer, ob turpiſſimum prælatorum, & nobilium quæſtum, ac auaritiam accidere intellexi. Nam ſi Chriſtiani eſſent, liberi eſſent ab illis vectigalibus & tributis, quibus ipſi vt Ethnici multantur, nobilitas contra cum Epiſcopis diteſcit. Vetant igitur eos Chriſtianos fieri, ne ſubditi ſuaui iugo Chriſti, aliquid lucelli eorum tyrannidi, & rapacitati ſubducant, & aliquid ex vectigalibus decreſcat, quibus gens illa miſeranda, ab ipſis Monarchis, turpiter, & inſatiabiliter premitur & torquetur. qui impatientiſſime ferunt, ſi illi Chriſtiani facti, non longe plus vectigalium ipſis penderent, quam cæteri Chriſtiani ſuis principibus pendunt, ac proinde deformem iſtum & ſacrilegum quæſtum fidei, ac religioni Chriſtianæ, contempta tot animarum ſalute, anteponunt, vere habentes claues, quibus nec ipſi intrant, nec alios intrare ſinunt. Auaritiam ſane inexplebilem, & impietatem *Auaritia.* intolerabilem, ac à piis pectoribus armis, & ſcriptis, denique totis viribus expugnandam, quam proculdubio ſopitam hoc tempore habuiſſemus, ſi hic bonus vir in priſtinum ſuum honorem reſtitutus eſſet, nihil enim magis cupit, nihil acrius meditatur, quam quo pacto hæc gens ad Chriſti fidem reduci poſſit, nihil flebilius deplorat, quam quod ſe autore (id quod ſæpe animo voluerat) hæ miſerandæ pecudes adhuc propter impiam religionem, per Chriſtianam fidem Chriſti oues factæ non ſint. nec tam queritur ſe ab Archiepiſcopatu, vel bonis auitis depulſum, quam quod careat neruis, auxilio & facultatibus, quibus hanc Lappianam plagam, & medicari, & ſub Chriſti iugum mittere, & Rom. Eccleſiæ coniungere poſſit. Id quidem poſtea mihi ſæpius per litteras confirmauit, quibus nondum ipſe placatus, acrem huius negocii, in fine illius primæ Precioſi Ioannis legationis (quam ipſi Ioanni Magno Gotho cõſecraui) mentionem feci, ne tum quidem mihi ipſi in hoc negocio ſatisfeci, ſed cum Eraſmo Roterodamo meis litteris egi, vt cauſam iſtius rei ſcriptis commendaret. Poſtmodum in illius contubernio agens, quod mihi cum eo Friburgi Briſgoiæ, ad quinque menſes fuit, præſens cum præſente verba ſuper eodem negocio feci. Quibus rebus impulſus, conſtituerat de hac re iuſtum volumen emittere. mortis tamen interuentu, operis materia, quam iam congeſſerat, diſſoluta eſt. Nihilominus in ſuo Eccleſiaſte tam nefandam impietatem non obticuit, quæ ſane talis eſt, vt omnes Chriſtianos, quibus potentia & doctrina à Deo conceſſæ ſunt, poſſet quodammodo reos facere, & ab eis in vltimo iudicio coram Chriſto iuſto iudice vindictam petere. Videant iam Chriſtia-

norum Monarchæ, quam rationem, quem calculum tantarum perditarum animarum, in nouiſſimo die ad Chriſti tribunal, vbi nec gratiæ, nec indulgentiæ locus eſt, nec blandimenta, nec aſſentationes recipiuntur, reddituri ſint. Tu tamen Pontifex maxime, is iam ſolus es, qui huic morbo mederi potes. Tu iam is es, qui huic genti vias Domini demonſtrare potes, & vt recte in iis ambulent, dirigere. Tu ſolus eas de inferno inferiore redimere valebis. per te paruulis Chriſtum accedere licebit, & in virtute dexteręq; tuæ à dęmonum catenis ac inſidiis liberari, & copioſa Chriſti in hoc, & in alio ſæculo redemptione frui. Vide quam palmam obtinebis ſi meſſis illa multa, te operario in h rreum Chriſti comportetur. Nec dubium eſt, quin comportabis, modo incipias. Sunt hodierno die cum Goſtauuo Suetiæ, & Gothiæ Rege aliquot Magnates, ab eccleſia Romana reciſi. Sunt in ipſis quoque regnis, qui omnino ex diametro diſſentiunt, poſſis ad vtroſque litteras pro tua dignitate & paſtorali officio dare. eoſque per Chriſti plagas (hunc enim omnes, quanquam ab ipſa Romana Eccleſia diſſentiunt, filium Dei & Seruatorem noſtrum fatentur) obteſtari, vt hanc Orientalem & Occidentalem Lappiam, cum Fimmarchia, Scricfinia, & Biarmia ampliſſimis prouinciis, quarum maior pars Chriſtum non nouit, ad eius ſuauiſſimum iugum venire permittant, ab eiſq; tantum aucupentur & extorqueant, quantum alii Chriſtiani principes à ſuis ſubditis, vel iure poſtulare, vel precariis exactionibus obtinere conſueuerunt. Ad id non tantum litteræ, ſed viri quoque docti & ſanctitate vitæ probati mittendi videntur, vt hæ prouinciæ, Romanæ Eccleſiæ per Chriſti fidem coniungantur. Quibus per te vna cum Æthiopica gente, ad veram Chriſti legem adductis, etſi populi iraſcantur, Dominus ſedens ſuper Cherubim regnet, & terra moueatur, ipſaque exultet, & inſulæ multæ lætentur. Vale Pontifex maxime in Chriſto Ieſu, Amen.

Ex Louanio Cal. Sept. Anno 1540.

LAPPIÆ DESCRIPTIO.

LAPPIA mari Botnico interiecto in Orientalem & Occidentalem diuiditur, cuius æquoris extremum, Tornia eſt. Ab Oriente lacum album tangit, ad Septentrionem varias prouincias amplectens, ad incognitum ſe extendit. Ad occidentem Islandiam reſpiciens, parti Noruegiæ eſt contigua. Ad meridiem, ab altera Noruegiæ parte, Suetia, Finlandia, ac ab vtraq; Botnia cingitur. Lappia enim orientalis Eccleſiam D. Andreæ in gradu eleuationis poli octogeſimo quarto habet, quæ magnifico & ſumptuoſo templo, ac doctis & ſacrarum litterarum eruditis viris ornatur. Eccleſia hæc Archiepiſcopo Vpſalienſi obedit & obtemperat, ſub cuius diœceſi ſita eſt. Nihilominus eius circumuicini, ſiue incuria, ſiue auaritia Prælatorum & Magnatum (vt dictum eſt) Chriſtum non agnoſcunt. Lappia Latino ſermone interpretatur inepta ſiue ſecors prouincia. nomen puto inditum inde, quod ex nimio & intenſo frigore, ſolum tanquam ſtupidum, minime aptum ſit, nec ad recipiendum, nec ad procreandum fruges. Indigenæ iſtius prouinciæ, neruoſi & mediocris ſtaturæ ſunt, mire dexteri, & agiles in arcubus & ſagittis vtendis, quam artem iaculandi ab incunabulis ſic exercent, vt puero à ſcopo erranti cibus non detur tantiſper, donec in eum recte ſagittam dirigat. Pellibus non ineleganter contextis, loco veſtiũ præcipue vtuntur, quibus ſe à frigoris iniuria tutantur. Quod ita etiam pati aſſueuerũt, vt dum opus ſit, id ſine aliquo pellium munimine expugnare valeant. In tabernaculis habitant, nec domus eius alicui vſui ſunt, quippe ſæpius hinc inde migrant. Aliam viuendi rationem quam venationis, aucupii & piſcationis non habent, in quibus plurimum pręſtant. Eſt enim prouincia illa iſtarum rerum feraciſſima. Agrum non colunt, nauiculis vtuntur ſine aliquo ferreo clauo compactis, quibus piſcibus aëre exſiccatis, ac pellibus onuſtis ad vicinos nauigant, vt permutatione tantum annonam & pecuniam, nullo ſermone adhibito, ſed ſolis nutibus agentes, acquirant. Id ſolum accidit ob linguæ barbariem & aſperitatem, alioquin in ſuis permutationibus ſagaces & experti ſſimi ſunt. Gens bellicoſa & animoſa eſt. Loco equorum vtuntur animalibus, quæ Raingi ſuo ſermone vocant, magnitudinem & colorem aſini, vngulas bifidas, formam atque cornua ceruorum habentibus, ſed cornuä lanugine quadam cooperiuntur, & humiliora & ramis rariora cerui (vt ipſi vidimus) ſunt. hæc tantæ ſunt velocitatis, vt ſpacio 12. horarum vehiculum ad 30. milliaria Germanica proripiant, in quorum progreſſu, lento vel celeri, ex tibiarum articulorum agitatione, ad inſtar nucum colliſionis crepitus auditur. Religio iſtius gentis eſt, & ignem & ſtatuas lapideas pro diis habere. Ex quauis re animata eis mane occurrente,

Eccleſia D. And.

Lappiani.

Permutatio.

Vehicula.

currente, totius diei euentum iudicant & augurantur. Matrimonium obſeruant, & mire ſunt zelotypi. Incantamentis ſic pollent, vt inter multa alia dictu mira, quæ prætermitto, *Incantamenta.* naues in medio curſu retineant, ſic vt nulla vi vẽtorum amoueri poſſint. Quod malum ſolo virginum excremento foris nauium ac tranſtris illitis, curatur, à quo ſpiritus illi, vt ab *Excrementum Virginis.* incolis accepi, natura abhorrent. Lege Saxonem Grammaticum, & mira de ſagis, & incantamentis Aquilonaribus videbis.

FINIS.

EPISTOLA

POTENTISSIMI AC INVICTISSIMI EMANVELIS REGIS PORTVGALLIÆ ET ALGARBIORVM, &c.

De victoriis nuper in Africa habitis. Ad S. in Chriſto patrem & Dominum noſtrum, Dominum Leonem x. Pont. Max.

SANCTISSIMO *in Chriſto Patri, ac beatiſſimo Domino, Domino noſtro, eiuſdem ſanctitatis deuotiſſimus filius Emanuel Dei gratia rex Portugaliæ, & Algarbiorum, citra vltraq; mare in Africa, Dominus Guineæ & Conquiſtæ nauigationis ac commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, atq; Indiæ: humillima Beatorum pedum oſcula. Poſtulat noſtra in ſanctam ſedem Apoſtolicam, ac præcipue in veſtram Sanctitatem obſeruantia beatiſſime Pater: vt ſucceſſus noſtros, præſertim qui ad Dei cultum, & Catholicæ fidei propagationem ſpectãt. eidem, vt vero Chriſti vicario. ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ arbitro perſcribamus. Poſtquam ſuperioribus diebus noſtrorũ in India proſpere geſta, Beatitudini veſtræ ſignificauimus. Placuit ſummo Deo (vnde omnis victoria pendet) aliam nobis, non minus inſignem, cõtra ſui ſanctiſſimi nominis hoſtes victoriam, de Mahumetanis concedere trophæum. Conſiderantes nos ſanctiſſime pater, quàm grande opus, & quam præclarũ ſit facinus Feceſe regnum, & Marochenſe in Africa debellare, in quo tantopere à tã ſedulo ſtudio ſemper laboramus: & quã præcipuus vſus rei cardo clauiſq; ſit Azamorenſis ciuitas. Ea eſt vrbs Mauritaniæ, & murorũ turriumq; fortitudine, & piſcoſi litoris, ſoliq; vbertate percelebris, atq; adeo Chriſtianis, ſed fruſtra antea expetita, Bragantiæ Ducem, noſtrum chariſſimum ex cariſſima ſorore Nepotẽ, ad eam expugnandam miſimus. Cum haud exigua quingentorum nauigiorum claſſe, viris, equis, armis, omnifariis belli inſtrumentis, cæteriſq; huiuſmodi expeditioni opportunis, optime quidẽ inſtructa. Cuius exercitus decẽ & octo millium bellatorum numero erat. in quibus & multi proceres, nobileſq; viri, & duo millia & quingenti, tam cataphracti, quam expeditores equi: Ergo cum vniuerſa claſsis in portum Mazagham ab vrbe Azamor nouẽ millibus paſſuum diſtantẽ appuliſſet, noſtris haud magno negocio (licet in hoſtium conſpectu) in terrã egreſsis, Dux ipſe verſus Azamor, inſtructa vt oportebat acie contendit. In itinere quædam pugnæ præludia cum hoſtium iactura, nullo noſtrorum hominum, paruo equorum damno ſunt habita, eo die nihil amplius. Poſtridie diſpoſito exercitu. vrbẽ oppugnant, vbi ad vndecim Sarracenorum millia ac totidẽ fere in campo equites, & innumeri pedites, noſtrorum præſcientes aduentum, bello ſatis accincti expectabant. In ea oppugnatione nonnulli Mauri. & quidã etiam primates interempti. adeoq; à noſtris fuere confracti, vt deſperata omni ſpe ſequẽti nocte qua parte caſtris vacabat (non enim per loci ſitũ totam vrbem obſidio circũ ierat) omnes clanculũ abierunt, ſolamq; reliquere vrbẽ. Poſtera luce hoc cognito, Dux cum exercitu, ſolenniq; pompa vrbẽ ingreditur: occupatq;, atq; in ipſa Mahumetis præcipua æde (plures enim & aliæ erant, quas Mexquitas vocant) & templi magnitudine, & ædificiorum ſtructu percelebri, Deo Opt. Max. Miſſi, ac diuina officia cum laudibus ſunt decãtata, Clementiſſime Ieſu, quam admirabilis eſt prouidẽtia tua, quod vbi ad mille annos impius ille Mahumetes tãto tuo opprobrio celebratus, vbi Chriſtianum nomen, tãto tempore peſſundatum, totieſq; blaſphematum: ibi nunc occulto & iã præſago iudicio tanta Satanæ ignominia, ac dedecore, tuum Sanctiſſimum nomẽ, tua laus, tua vera æternaq; gloria prædicetur, Inuẽta in ea vrbe. ac parta machinarum bellicarum, armorum ac frumenti haud contemnenda ſpolia, noſtro exercitu (quẽ illic habemus, vt propoſitum Deo propitio cõſequamur) admodum opportuna. Perlato hoc ad finitimos nũcio, ilico Almedinæ Incolæ (quæ ciuitas ab Azamor quinquaginta paſſuũ millib. diſtat, & ipſius magnitudine, & glebæ fertilitate nobilis) noſtrorũ metu: quos & alias ſæpius fuerant experti, vrbẽ penitus deſeruere, ac libere noſtris permiſere. Thiti etiã antiquiſſima, & maxima olim ciuitas atq; alia quamplura oppida, ac finitima*

loca, ſtatim ſeſe nobis dedidere. Tributa etiam, cenſumque pro noſtro arbitrio penſuri. Ex qua quidem Beatiſſime pater diuina freti clementia, proculdubio ſperamus, vt tam auſpicata initia, melior progreſſus, optimusq; finis ſubſequatur: atq; illud Marrochiorum regnum, quod totius fere Africæ caput & imperium fuit. Vnde & ipſa Hiſpania, omnisq; Christiana reſpublica tot damna, tot clades, tantam ſanguinis effuſionem, ac catholica fides, tot opprobria, tot ignominias indigniſſime pertulit. Nunc certe diuino ſuffragante numine, in noſtram poteſtatem penitus redigatur ac tanta culpæ malorumq; luat pœnas. ac ſi Mahumetica perfidia depreſſa, verus Dei cultus, & Chriſtiana religio (quod ſolum ſemperque optamus) ſublimetur. Bene valeat ſanctitas veſtra, quam Deus Opt. Max. diu, ac fœliciſſime obſeruare & augere dignetur. Data, in vrbe noſtra Vlyxbon. Pridie Kal. Octobris, Anno Domini M D X I I I.

EPISTOLA

SERENISSIMI ATQVE INVICTISSIMI IOANNIS III. PORTVGALLIÆ ET ALGARBIORVM REGIS.

AD S. D. N. PAVLVM III. PONT. MAX. SVPER victoria rebuſque in Oriente feliciter geſtis.

SANCTISSIME IN CHRISTO PATER, AC BEATISSIME DOMINE.

IOANNES D. G. REX PORTVGALLIÆ ET ALGARBIOrum, *citra & vltra mare in Africa, Dominus Guineæ, atque expeditionis & nauigationis, & commercii AEthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, atq; Indiæ, vt filius pientiſſimus poſt humillima beatorũ pedum oſcula. Si vnquam principes Chriſtiani de victoriis, quas aduerſus orthodoxæ fidei hoſtes adepti ſunt, ſummo Pontifici, perinde ac vero Chriſti Vicario gratulati ſunt: id certe hoc tẽpore maxime apud S. veſtram à me, vtpote eius, ſanctæq; Sedis Apoſtolicæ filio pientiſſimo, obſequẽtiſſimoq; fieri oportet. Vrbs enim Diuum clariſſimum totius Orientis Emporium fortiſſimumq; Indiæ propugnaculum, cuius expugnandæ cauſa tot bella geſta, totq; expeditiones, ſuperioribus annis à noſtris Ducibus factæ fuerant, nunc tandem, Deo Opt. Max. adiuuante, ſe nobis dedere, noſtræq; ditioni parere coacta eſt. Etenim cum multæ, maximæq; in S. veſtra virtutes floreant, ob quas iure optimo, ſancto Spiritu ſuffragante, ad ſummum Apoſtolatus apicem euecta eſt: nulla tamen ex omnibus admirabilior cenſeri debet, quam quod perpetuo quodam Chriſtianæ religionis propagandæ zelo, omni ſtudio, patriiq; indulgentiſſimi affectu, dat operam, vt pace inter Chriſtianos principes fundata, ac ſtabilita, Chriſti vexilla vſq; ad vltimos terrarum fines prodeãt, Mahometiq; impietas de medio tollatur. Maiores quidem noſtri iam inde ab huius regni origine id conſtanter pro virib. contendebant: vt clariſſimis rebus geſtis, vere eos principes Chriſtianos eſſe cõſtaret: idq; quemadmodũ optabant, conſequuti ſunt. Nam & Maurorum gentem, ipſorum regibus ſuperatis, Hiſpania expulerunt: & Mauritaniæ oppida arceſq; munitiſſimas, trans fretum Herculeum expugnarunt: quæ & hodie noſtræ ditionis ſunt, præſidiisq; validis tenentur. Porro fœlicis memoriæ Emanuel rex, pater meus, non ſat habens, egregias & ipſe de Africa victorias reportaſſe: cum Atlanticum mare antea ignotum, antiquorumq; modo fabulis, miraculisq; celebratũ, claſſibus aperuiſſet (in quo nonnullorũ maiorum ſuorũ exemplum ſequutus eſt) magnãq; AEthiopiæ littoralis partẽ inuictis Ducibus peragraſſet, ad fidemq; Chriſti inſtituiſſet. Nauibus deinde, exercituq; ad mare vſq; rubrum, ac Perſiam, totamq; Indiam tranſuectis: iam notũ eſt omnibus quid geſſerit: quot populos, vrbes, reges, in deditionẽ ſuam redegerit. In quibus omnib. vera & immortali gloria digniſſimus cenſendus eſt: cũ ob id quod inacceſſas, atq; incognitas antea, tũ cœli, terræ, mariſq; plagas primus omniũ notas fecerit, tũ vero quod princeps Chriſtianiſſimus ad ouile, eccleſiamq; domini, tot animarũ millia variis inuoluta ſuperſtitionibus potuerit aggregare. Ego vero vbi primũ Deo maximo ita volente ad regiam dignitatẽ euectus ſum, tametſi liquido intelligerẽ, quantam hominum expectationẽ ſuſtinerem, quẽ par erat plurimis de cauſis, patris inuictiſſimi, omnibusq; ſeculis memorandi virtutib. reſpondere: tamen Deo iuuante, non omnino deſpondi animũ: verum me ita ad paternas laudes imitandas, ac proſequendas collegi, vt quantũ fieri poſſet eiuſdem veſtigiis (vt bonum filium, regemq; decebat)*

hærerem

barerẽ atq; inſiſterem. Itaq; etſi ſtatim à principio regnandi non pauca difficultates, noſtrarũq; nautium iactura ſequuta erant, quæ tam longinquæ expeditioni vehementer obſtare videbantur: nos tamen incommodis quibuſq; ſuperatis, non ſolum res Indicas prout à patre relictæ fuerant, Dei gratia facile tutati ſumus: verum eas ſubinde nouis victoriarum acceſsionibus roborauimus. Et quoniam ad ſtatum rerum noſtrarum in Oriente vehementer conducere videbatur, ſi vrbs Dium in ipſo litteris Indici ingreſſu poſita, in noſtram ditionem veniret: ita enim & Oceani Indici late domini, & aduerſus Turcarum expeditiones tuti futuri eramus (nam hi claſſe ingenti in ſinu Arabici ſinus comparata, ſe per maris rubri oſtia egreſſuros, nobisq; bellum ex ea vrbe illaturos minabantur) has ob cauſas nihil vnquam ſimulatq; regnare cœpimus, nec maius, nec antiquius habuimus, quam vt ea ciuitas noſtri iuris & poteſtatis efficeretur. Quamquam vero à noſtris Ducibus, præfectisq; ſtrenuæ aduerſus eandem expeditiones ſuſceptæ eſſent, nihilq; omnino ab his foret prætermiſſum, quo vrbs munitiſsima poſſet expugnari: tamen ob loci naturam inexpugnabilem, ſæpe ea res fruſtra tentata eſt. Quippe vrbs Dium in extremo promontorio ſinus Canticolpi ſita, & ſuper ſaxi crepidine fundata, validis muris, turribusq;, atque omnifariam æneis tormentis vndequaq; cingitur, introrſus vero qua ſeſe portus recipit, qui & ipſe validis cathenis clauditur, adeo munitis tã ab vrbe quam à medio mari propugnaculis vallata eſt, vt cum per ſpacium inter ipſa propugnacula interiacens, nauibus modo inuadi, oppugnarique valeat (etenim à continenti in morem inſulæ mari per foſſam deriuato abluitur) illud interim ex eo ſequatur, vt eiuſmodi oppugnatio propter oppoſitam vndiq; tormentorum vim longe difficillima, ac pene vltra vires humanas eſſe videatur. Accedebat & illud incommodum, quod ea vrbs manebat ſub ditione Regis potentiſsimi citerioris Indiæ, Mahometanæ ſectæ cultoris, quem Regem Cambaiæ vocant. Atq; is facile intelligens maximum in ea ciuitate momentum eſſe, ipſam ſuperioribus annis per Melchiazum præfectum, quantum humano conſilio, aut arte effici poterat muniri iuſſerat. Ita vrbs natura, ſituq; valida, opera hominum, præſidiisq; largiter accedentibus, inexpugnabilis reddita erat. Is autem rex Cambaiæ, vt de eius prope incredibilib. diuitiis taceam, facile centum mille equitum armare peditum vero CCC. millia, ſexcentosq; elephantos, glandiumq; ignitarum iaculatorum non mediocrem numerũ in aciem educere poteſt: adhæc tormenta ænea omnis generis curribus aptata, non minus habet quam ſeptingenta. Quo apparatu idem paucis ab hinc annis, finitimo regi defectionem meditanti, bellum intulit, eumque regno expulit. Sed quanquam tot incommodis Duces noſtri vrgerentur, nos tamen id omni ſtudio, indefeſſoq; animo agitantes, vt hoc oppido in poteſtatẽ noſtram redacto, rerumq; noſtrarũ ſtatu in Oriente firmato, Chriſti fides per vniuerſam Indiam longe lateq; poſſet propagari. Ob eas res Nonio à Cugna Indiæ gubernatori, præfectoq; noſtro maiori mandauimus, vt quia in oppugnando eo oppido parum proficeretur, in præſentia quidem ab eo deſiſteret: cæterum Regi Cambaiæ terra marique bellum inferret, vniuerſamq; maritimam regni Cambaiæ oram, quæ non mediocri litoris tractu porrigitur, ita claſsibus inſtructis popularetur, aſsidueq; infeſtaret, vt aliquando rex Cambaiæ Badur (id enim nomen illi eſt) ſuis, ſuorumq; malis edoctus, tot damna, direptionesq;, deditione dictæ ciuitatis redimere cogeretur. Id cum ita factum eſſet, bellumq; acre ac perpetuum omnibus Guzaratum populis maritimis illatũ traheretur (ita enim ſubditi regis Cambaiæ vocantur) rex Badur cum non paucas regni ſui ciuitates, oppida, arces, vicos, per noſtros præfectos, claſſesq; capi, diripi, atq; incendi cum magna ſuorum ſtrage, audiret, in quorum direptione ingens æneorum tormentorum numerus, multiq; bellici apparatus à noſtris inueniebantur. Cumq; non minus intelligeret, noſtrorum claſsibus infeſta omnia reddentibus, naues mercatorum ad ipſius regni portus nullatenus accedere, nec vltro citroque commeare iam audere, idq; interim magna eius vectigalium iactura accidere. Ad hæc cum animaduerteret maiora in poſterum ex eiuſmodi cauſa regno ſuo damna inſtare, quibus deinde omni potentia nequaquam reſiſtere poſſet: cum hæc omnia ſecum reputaret, diuq; tamen dolorem audacter premeret: etſi nunquam antea ſecum de pace agi paſſus fuerat, ad extremum maiore metu perculſus, conſilium ſibi cœpit, noſtraq; imperata facere, Diumq; dedere cogitauit: videlicet in eo magnorum AEthiopiæ Orientis regum, multorumq; Indiæ ſatraparum exemplum ſequutus. Qui nobis (Deo iuuante) ſuperiori tempore obedire appetiuerant, idque magno orthodoxæ fidei, animarumq; bono euenerat, quæ incredibili numero ab Idolorum vanitate, ad Chriſtianam pietatẽ & conuerſæ ſunt, & quotidie conuertuntur. Itaq; ille potẽtiſsimus rex Badur, Indiæ vniuerſæ terror, à quo nonnulli regnũ Poris maximi quondã regis teneri affirmant: quiq; tot annos fruſtra minis in noſtros detonuiſſet, tandem per legatos à gubernatore noſtro ſupra memorato, pacem ſuppliciter poſtulat. Summa legationis erat, velle ſe his conditionibus nobis obſequi: quæ omnino grata nobis futura erant: Conſilio igitur de ea re diligẽter habito, placuit Nonio gubernatori, cæterisq; præfectis noſtris, viriſq; nobilibus, qui in India iuſſu noſtro militant, pacem cũ rege iis conditionibus fieri: quæ certe nobis, regniſq; noſtris pulcherrimæ, & honeſtiſsimæ extiterunt. Atq; harũ nonnullas S. veſtra his litteris declarandas eſſe duxi. Placere regi Cambaiæ (Cambaia ciuitas eſt inſignis maritima, vnde rex denominatur, aliter Guzaratum rex vocatur) & arcem & ciuitatem Bazaim quæ ciuitas ad Oriẽtem verſus circiter octoginta millibus paſſuum à Dio abeſt, in ius ac ditionem noſtram transferri: ſeq; nobis in perpetuũ ius cedere cum omnibus agris, inſulis, oppidis, vicis, prouentibus, vectigalibusq;, regiis, cæte-

riſq; omnibus quomodocunq; ad eandem vrbem, eiuſdemq; Regis deditionem in ea regione ſpectantib. Nec minus cedere ſe ea vectigalium ſumma (ea ingens erat) quæ ex annorum proximorũ penſione dictæ ciuitatis Regi debita, nondumq; per quæſtores regios exacta fuerat. Item vt Luſitani qui captiui, aliquot iam annos apud regiam vrbem Campanellum tenebãtur, gubernatori noſtro quam primum redderentur. His atq; aliis perquam honorificis regno noſtro conditionibus firmatis, non ita multo poſt & captiui ipſi redditi ſunt, quorum libertatem propter eorundem merita, fidelemque operam nobis multis annis præſtitam, magni fecimus: & poſſeſſio vrbis BaZaim meo nomine à noſtris inita eſt. Eſt autem BaZaim vrbs maritima inſignis, cum ob agri inſularumq; adiacentium mirificam quandam vbertatẽ, tum vero ob ſyluarum materiæq; commoditatem, quæ abunde in hoc vno citerioris Indiæ loco, nauibus fabricandis ſuppetit. Sic vt ad claſsium noſtrarum quantumuis numeroſam ædificationem, ſine commeatus hæc vna poſſe ſufficere videatur. Sed neq; vſquam in vniuerſo Indiæ littoralis tractu tanta vtriuſque rei copia poſsit inueniri. Hinc eſt quod intra BaZainenſis agri, earumque inſularum ambitum, quæ eius territorii ſunt, ob admirandam, largeq; omnia præbentem ſoli fœcũditatem, ſexcenti admodum vici, minimum alius ab alio diſtantes inueniãtur, quos GuZarates habitant: interq; eos vicos, & oppida nonnulla, & ciuitates etiam viſuntur. Singuli porro ab vrbe noſtra BaZaim ius accipiunt: nobiſq; hi omnes cum ciuitate ſimul, annua centum millia aureorum, ex vectigali regio pendunt: breui autem fore ſperamus, vt vectigaliũ magna fiat acceſsio, quod propter pacem, quam iis dedimus, affatim ad habitandum Guzaratum multitudo confluat in ea loca. Idem rex Badur anno non toto vertente, vt mutuam nobiſcum pacem maiore pignore retineret, ſanciretq;, itemq; vt nobis gratior & acceptior, dicto Nonio Indiæ Gubernatori vltro per litteras ſignificauit, velle ſe certis conditionibus, quæ paci, & amicitiæ vtriuſque noſtrum expedirent, ipſam ciuitatem Dium mihi dedere: ita vt ea in poſterum valido Luſitanorum præſidio teneretur: Ea re cognita, cum Nonius ingenti claſſe ad vrbem Dium acceſsiſſet, mox ea parte vrbis potiſsimum lecta, quæ portui, propugnaculiſq; in mari extructis imminebat, arcem magna celeritate ædificare aggreſſus eſt: quam propediem abſolutum iri confidimus. Atque fortiſsima ciuitatis parte, propugnaculiſq; ipſis, tum maris, tum terræ omni tormentorum genere, bellicoq; apparatu inſtructiſsimis à regi traditis, noſtroq; præſidio firmatis, in quibus & oppidi, & portus vires facile cõtinentur, arce etiam inſuperabili à noſtris iiſdem in locis fundata, plane illud ſequi neceſſe eſt, & nunc eam ciuitatem penitus in noſtra poteſtate eſſe, & in poſterum Deo bene iuuante ſub noſtra ditione perpetuo manſuram: ita Deo Opt. Max. fauente, citra vllum ſanguinem, meorumque ſubditorum periculum, ea vrbe potiti ſumus, quæ iampridẽ à felicis memoriæ patre Emanuele, noſtrorumq; exercitu, magnis cum ſudoribus impenſiſq; petita, nunquam tamen potuerat expugnari. Vnaq; opera tum rebus noſtris Indicis ſecuritatem, tum paci ornamentum, tum bello ſingulare perpetuumque præſidium comparauimus. Cumq; omnes fere Orientis naues, quæ per Indicum Oceanum mareq; rubrum vltro citroq; excurrunt, ad hunc portum neceſſario ferãtur, facile ex eo iudicare eſt, quicunq; tam celebris emporii dominus fuerit, eum nauibus totius Orientis quodammodo dominari oportere. Eodem tempore inter noſtros, regemq; Cambaiæ conuentum eſt, ne Turcarum quiſpiam intra eius regni fines admitteretur, néue hoſpitio, commeatu, auxilione quocunq; iuuaretur. Item ne per vniuerſum regni Cambaiæ littus, vllũ GuZaratum nauigium bello aptum fabricare liceret: ſi qua ædificata, aut inſtructa, inſtruiue cœpta inuenirentur, ea in terram ſubducerentur. Poſtremo vt quæcunq; Guzaratum nauis è littore patrio nauigatura eſſet, ea priuſquam ſolueret, à præfecto arcis noſtræ, quæ intra Dium eſt, liberi commeatus diploma impetraret: alioqui eam nauigationem ſuo periculo facturam eſſe. Atq; vt mirabilis noſtrorum fœlicitati cumulus adderetur, accidit per hæc tempora, vt Aimanius potentiſsimus Carmaniæ rex, vſque ad Indi fluminis oſtia, aliarumque late regionum Septentrionem verſus (nunc regem Dely vocant) & ipſe impietatis Mahometanæ cultor, bellum Cambaiæ regi inferret, quod is affinem quendam ſuum qui ab Aimano transfugerat, reddere nollet. Quod vbi rex Badur intellexit, non ita multo poſt ingenti exercitu coacto, qualem ſupra memorauimus ex aduerſo proceſsit. Quamquam vero Carmaniæ rex equitum millia ſeptuaginta duceret, qui more Parthorum ſagittandi peritiſsimi, inter fugiendũ ſpicula dirigunt: peditum vero ducenta millia haberet. Tamen ſi ſtatim Cambaiæ rex cum hoſte confligere noluiſſet, dubium non erat, quin regem Dely primo impetu fuiſſet ſuperaturus. Verum ille prauis conſiliis Rumetanis præfecti ſui, cui multum tribuebat, perſuaſus, cum ſe intra caſtra contineret, nec copiam pugnandi faceret: interim interceptis ab hoſte commeatibus, diraq; fame atq; ex eo hominum equorumq; ſtrage in exercitu ſequuta, ad extremum fuga ſibi cõſulere, ne in poteſtatem hoſtium veniret, compulſus eſt. Igitur cum fœda fuga, ac conſternatio totis caſtris, ipſius regis fuga intellecta, oriretur, Mogores ſubito ſuperuenientes omnia proſternunt, atq; occupant. Mogores ii ſunt qui primum cum rege ipſorum, Carmaniam: deinde Ariam, & Drangianam, aliaſq; vſque ad mare Caſpium regiones (quas nunc regnum Dely vocant) armis occuparunt. Dicti Mogores vel à populis Perſarum Mogoribus, vel quod nunc Turcæ à Perſis Mogores appellantur. Iidem tamen ſe ab extremis Scythis oriundos iactant: Regemque hunc Aimanum illius magni Tamberlani Scytharum Imperatoris, trinepotem prædicant. Certe gentem exercitumque Mogorum, cum multi Vzbequi, natio eiuſdem generis bellicoſa, aliique populi auxiliares, tum

magna

magna vis Scytharum, Tartarorumq́, comitabantur. Fugiens itaq́, rex Cambaia cum matre, ſuiſq́, ac præfectorum, procerumque ſuorum vxoribus, magnaq́, parte theſaurorum, diuitiarumque ſuarum, ſe ad Dium recipit. vtpote totius regni vrbem validiſsimam munitiſsimamque. Ibi hac omnia, ſeque inſuper tradidit in fidem tutelamque Nonii gubernatoris, præfectique noſtri maioris. Et nunc, Deo volente, potentiſsimus, atque opulentiſsimus Indiæ citerioris Rex, cum arce regni, vxoribus, rebuſque pretioſiſsimis, in noſtra manet poteſtate. Conſtare arbitror ex his S. veſtræ quãtum Dei Opt. Max. clementia, rebus noſtris, totique adeo reipublicæ Chriſtianæ incrementum ſit adiectum. Quantus item aditus hoc tempore ſit factus ad Chriſti veram fidem, per vaſta illa Orientis, atque Indiæ vtriuſq́, regna longe lateque propaganda. Quod etſi temporibus meis & mea, meorumque opera, Deo adiuuante, accidiſſe mihi (vt par eſt) gratiſsimum eſſe debeat, tam proſperam, tamque admirandam rerum ſucceſsionem inprimis S. veſtræ fælicitati acceptam referri oportet: cuius virtute ac meritis, vtpote Sanctiſsimi digniſſimique Petri ſucceſſoris, fideiq́, orthodoxæ propagatoris maximi, breui temporis circulo factum eſt vt tam in Africa quam in Aſia, inſignes Chriſtianis victoriæ partæ ſint. Ego autem Domino Deo noſtro gratias ſummas ago pro tanta benignitate, quanta nos immeritos proſequi dignatus eſt: idemq́, à S. veſtra totius reipublicæ Chriſtianæ nomine fieri, & ſpero & opto. Cumq́, ab ipſius pontificatus initio Chriſtianus orbis nouis victoriarum acceſsionibus non mediocriter auctus fuerit, idque ipſum (vt dixi) iure optimo eiuſdem S. veſtræ ſummis virtutibus, perpetuoq́, religionis affectui aſcribi oporteat, omnes qui Chriſtum profitemur ſperare debemus fore, vt rebus per eandem inter Principes Chriſtianos pacatis, & compoſitis, S. veſtra meritis, conſiliis, virtute, autoritate, Dei religio magis magiſq́, floreat, & digna (vt par eſt) accipiat incrementa. Vt tandem veræ pietatis hoſtibus aut euerſis, aut profligatis, idolorumque, & Mahometanorum impia vanitate deleta, crux D. N. I. C. in vniuerſo orbe colatur, atq́, adoretur. S. in C. Pater & D. noſter. D. Omnipotens S. veſtram diutiſsime ac feliciſsime augere, & conſeruare dignetur, ad ſui ſanctiſsimi obſequii, ſanctæ matris Eccleſiæ bonum & vtilitatem. Datæ Eboræ, die XX. Iulii, Anno D. MDXXXVI.

DIENSIS NOBILISSIMÆ CARMANIÆ SEV CAMBAIÆ VRBIS OPPVGNATIO, DAMIANO A GOES AVTORE.

DAMIANVS A GOES EQVES LVSITANVS, PETRO BEMBO SACROSANCTÆ ECCLESIÆ Romanæ Cardinali, S. P. D.

QVID tibi pro tua aſsidua erga me, digniſsime Cardinalis, humanitate gratiarum referam, reperire nequeo, nec præſens tempus facultatem adfert, ſed penſabimus aliquãdo pro noſtra facultate. Nunc vero mitto id, quod gratum ſcio tibi fore, hiſtoriaq́, nobiliſsimæ Reipub. Venetæ, quam cum maxima in futurum gloria, in manibus habes, forſan etiam non incommodum. Quantum de lectis geſtis noſtrorum Luſitanorum non me fugit, præſertim illis, quæ pro bono ſacroſanctæ fidei noſtræ geruntur. Id ſane quod facis, vt bonus fidusq́, Patricius Venetus facis, non ignorans antiqua noſtratium cum veſtris fœdera, amicitias, & beneficia hinc inde viciſsim collata. Vtinam cæteri Chriſtiani homines in tuam ſententiam irent, & ex animo magis rebus noſtris quam faciunt, fauerent ac opitularentur, quin vt omittamus opitulationem, ſaltem non officerent, ac tantum quod Rex noſtrique cupiunt, ocioſos ſe ſpectatores præberent, interim dum noſtri cum Mauris Turciſq́, ſtrenue depugnant. Sed abſint querimoniæ & infauſta ominibus, & præſenti negocio incongrua, ac quod in manibus eſt tractemus.

DVM agerem Patauii, vbi tua humanitate mire me totum deuinxiſti, inter cætera, quæ ex Luſitania ad me perferebantur, accepi de bello Cambaico nonnulla, quæ (vt petiſti) ex Luſitanica lingua in Italicum ſermonem conuerti. Poſtmodum mors illius Regis Cambaiæ de quo tam multa ac miranda retuleram, inſecuta eſt, à noſtris enim ob proditionem, quam in Nunium à Cunha Proregem noſtrum meditabatur, ex quadam triremi deiectus ante muros Dii fortiſſimæ ipſius Cambaiæ regni ciuitatis, à quodam nauta, haſta inter natandum perfoſſus eſt. Ex cuius cæde omnino ipſa ciuitas iam imperio noſtro ſubiacet, id quod antea

facere reluctabatur, quamquam in eius faucibus littoris arcem munitiſſimam haberemus. Quare peracta nonnulla deinde intercapedine temporis, claſſis Turcica ad eandem ciuitatem appulit, vt noſtros inde expelleret. Quam claſſem Imperator Turcarum innumerabilibus ſumptibus in ſinu Arabico inſtrui iuſſerat. idque maxime iſtius Regis quem dixi, adhortatu & opera, vt poſtmodum compertum fuit, & ex ſequentibus latius intelliges. Iure autem belli ipſe Turcarum Imperator Cayrum, cæteraſque Sultani prouincias (vt noſtri) occupauit, atque vna cum regno curam, qua perpetuo Sultanus angebatur, ſuſcepit, nempe vt Luſitanos omni contentione ex India profligaret. Ad id materiam ex longinquis plagis colligi iuſſit, illamque ſumptu inæſtimabili ad mare rubrum vehendam curauit. Atque in Suezii portu eiuſdem ſinus, naues ædificare inſtruereque parat, cui negocio Architectus quidam Genuenſ. præfuit, huius artis (vt fertur) peritiſſimus. Habebat etiam multos alios opifices Chriſtianos, quos hinc inde muneribus pellexerat. Claſſi vero præfecit quendam Baſſam Præpoſitum Cayri, nomine Solimanum, peritiſſimum exercitus ducem. Quæ autem claſſis ſexaginta tribus triremibus conſtabat, in ſingulisq; triremibus viginti ſex tranſtra, inter reliquas naues aderant ſex Roſtratæ, quas Galleones vocant, aderant quoque ſex biremes, holcades duæ, actuariæ viginti, celoces quamplurimæ. Claſſis præterea inſtructa viginti millibus militum fuit, præter nautas & bombardarios, quorum quatuor millia Geniцerorum, quos Rhomæos etiam appellamus, erant. Inſuper armabatur claſſis maximo tormentorum numero, inter quæ erant quadraginta, quos baſiliſcos appellant, qui globum ferreum emittunt nonaginta librarum. Soluit itaque hæc ingens, & ad omnem naumachiam ornata claſſis Suezio, verſus Indiam ſub finem Iunii anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi octaui, & vi interceptis aliquot mercatorum nauibus, quibus commeatu oneratis, atq; ex eis nonnullis nautis ad remigium edoctis, (tyrannide triremibus damnatis) quinto Iulii Adenam contendit, quæ ciuitas adiacet freto ſinus Arabici, & decimo quinto eiuſdem menſis, ad quendam locum aquationi idoneum appulit, quadraginta millibus paſſuum diſtantem ab Adena, Ibidem ancoris fixis, Solimanus Baſſa claſſis præfectus, literas Imperatoris Turcarum de pace ad Regem Adenſ. mittit, atq; ex aureo panno talarem veſtem, legatiſq; in mandatis dedit, Regi vt dicerent ipſum Turcarum Imperatorem claſſem illam ei dono mittere, quam ſuo imperio conſiliiſq; gubernari volebat, ſeq; ea de cauſa Indiam petiturum, vt Luſitanos inde excluderet, homines Mahometanæ fidei infenſiſſimos, ad quam expeditionem ſe nihil aliud ab illo poſtulare, quam carnes & ligna. Quippe cæteris rebus atq; commeatibus claſſis abunde inſtructa erat. Hęc omnia Rex Adenenſis (quanquam Regis tunc noſtri Luſitaniæ tributarius eſſet, cui ſingulis annis, fœdere percuſſo ab Hectore à Sylueira, decem millia ducatorũ perſoluebat) gratiſſimo animo accepit, legatiſq; reſpondit, eius aduentum ſibi peroptatum eſſe, cui libere omnia, tum ad claſſem, tum ad militẽ neceſſaria pollicitabatur. His ſpacio ſeptem dierum tranſactis, ancoris, iuſſu Solimani ſublatis ad portum Adenenſem claſſis depulſa eſt, inibi ſub ancora moram faciens, applaudentibus omnibus, tanquam verus amicus accipitur. Rex ad eum Magnates aliquot mittit, vt aduentui eius gratularentur. Qui ex mandato, Solimano ſignificauere, gratiſſimum fore Regi, ſi in terram deſcenderet, vti ciuitatem ſibi obtemperantiſſimam oculis cerneret, vbi pro dignitate atq; officio eum in ſua Regia tractare poſſet. Adhæc Solimanus. Dicite inquit Regi, me non deſpicere magnifica eius oblata, Veruntamẽ nauſea ſentinæ, & nauigationis moleſtia, ita adhuc me affligi, vt ante biduum nihil de me audeam polliceri. at vbi conualuero, recta ad eius amplexum proficiſcar. Ita dimiſſis legatis, mox à tergo ſequuntur trecenti milites, prætextu viſendæ ciuitatis. Poſtea Solimanus, vt ad finem telæ, quam mente orſus erat, perueniret, familiarem quendã ſuum ad Regem mittit, indicans ſe ſcire militum inſolentiam. Et quoniam ii trecenti qui per ciuitatem vagabãtur, niſi receptui canere iuberet, & vela daret, quod tum illi nefas erat, crederet ſe ad naues recipere non poſſe, Submiſſurum illico cẽtum veteranos, qui ſua authoritate, reliquorum militum inſolentiam cohiberent. His Rex, nihil mali ſuſpicans, corporis ſui atq; regiæ cuſtodiam commiſit. Sequenti vero die duo millia militum è claſſe diſſimulata proditione ciuitatem petunt. Qui vbi ciuitatem perſpectam atq; eius fortiora loca explorata haberent, veteranis ſe adiunxere, quæ res ilico animũ Regis perculit. Poſtero vero die ante diluculum legatus venit maioribus copiis inſtructus, qui Regem prætextu amicitiæ hortaretur, vt cum aliquibus ſuorũ magnatum, Solimanum adhuc ægrotum viſat, atq; ſalutet. Id, tametſi periculum & inſidias ante oculos ponere videbatur, coactus eſt facere. Itaq; ad Solimanum ducitur, cæteris militũ copiis in ciuitate iam pro pręſidio remanentib. Is igitur prætoria naue ad Solimanum perductus, regia plane libertate in dicendo ſic viſus eſt. Dic quæſo Solimane, cur me tantum principem, Imperatori tuo, tibiq; deditiſſimum,

ad ſe

ad te fraude, techniſque tãquam maleficum, iuſſiſti captiuum adduci? Cui Solimanus, ſuperbia præſentis potentię elatus. Non te pudet, me Proregem potentiſſimi Turcarum Imperatoris ante ciuitatem tuam ſtationem facientem, per totum triduum non inuiſere? Ad hæc Rex. Si Turcarum Imperator hic adeſſet, nec ego defuiſſem officio meo, nec ipſe (ita vt eſt clemens) in me vteretur fraude, calliditate atque virulentia, qua tu modo vteris. Habes me modo in tua poteſtate, quod ſane non eueniſſet, ſi phaleratis verbis tuis me, regnumque meum non commiſiſſem. Eſt enim Adena ciuitas, quæ hoſtem armatum aperto Marte non metuit, at à fraude calumniaue quis præcauere poſſet? Satia te homo priuate, fortunæ caſu ad honorem prouecte, ſanguine regio, ab atauis regibus edito. Peribit modo (vti video) infidelis tyranni iuſſu, regium fidumque corpus, attamen virtus Adenenſium, ſtirpſque eorum nobiliſſimorum Regum, nunquam te viuente peribit. Hac cum libertate vſum, extemplo Solimanus in antenna nauis ſuſpendio tradi iuſſit, adiunxitque illi eodem ſupplicio quatuor Regni proceres, qui vna cum Rege ad colloquia vocati fuere. Id ſe in mandatis à Turca habere, eo quod Adenenſes non ſolum fœdera iunxiſſent cum Luſitanis, ſed etiam tributum ſoluerent, quam gentem & eorum ſocios prorſus ex India exturbare volebat. Poſt Regis necem ciuitas illa opulenta & pulchra, prædæ & cædi, nullo reſiſtente, patuit. Sumpto deinde commeatu abnauigaturis, populum alloquitur, debere ipſos lætiſſimos eſſe, vindicatos ſcilicet à tyrannide Luſitanorum, ac proinde admonere ſe, vt fidem & obſequium Imperatori Turcarum ſeruarent, Domino proprio ac clementi, ipſorumque fidei vero cultori. In digreſſu vero duo millia armatorum pro præſidio reliquit. Deinde altum petens, curſum in Indiam inſtituit, in qua nauigatione octo vel decem biremes, atque actuarias naues, propter hyemis tempeſtates (eſt enim in illis prouinciis hyems eo tempore, quo apud nos æſtas) amiſerunt. quarum pars periit, pars fluctibus ad littus Indicum, Mallabarem verſus eſt expulſa, quæ ab aliquibus noſtris nauibus deprehenſæ, partim interceptæ, partim euerſæ fuerunt. Hæc autem quæ hactenus narrauimus, noſtri a quibuſdam Turcis, quos in ipſis nauibus viuos ceperunt, intellexere. Eſt vero Mallabar prouincia, in qua ſita ſunt Regna Calecutii, Cananorii, & Cochini, & alia. cuius littoris Regnorumque deſcriptionem in hiſtoria rerum Indicarum iam ab origine noſtratium in ea loca aduentus luculenter, ſi Deo ita viſum fuerit, ſumus tradituri. Ita igitur nauigando Solimanus Dium pridie Nonas Septembr. cum claſſe ſua appulit: & cum ad iactum bombardæ muris ſe proximum conſtituiſſet, exonerari circiter viginti magna tormenta iubet. Noſtri par pari referentes, duas triremes Turcarum euertunt. Qua repentina clade conſternati, ſubito illinc pedem retulere, & ad quendam fluuium ſedecim millia paſſuum diſtantem à Dio, cui nomen Marafabaris portus eſt, ſe recepere. Inibiq; expectauere claſſem atq; militem prouinciæ Cambaiæ, quam occiſus Rex ad noſtros ex Dio profligandos, ante ſuam cædem in aduentum Turcarum curauerat parari. Mercatores atque oppidani ſubito ſe fugæ mandarunt, ita vt intra biduum ciuitas tota Dium facta ſit deſerta. Luſitani, qui iam ſoli per ciuitatem vagabantur, in arcem confugerunt. Dux arcis nomine Antonius à Sylueira, vir ſummo loco natus, magni animi, ingeniiq; (virtute vero & prudentia fratre ſuo Ludouico à Syllueira Comite à Sortel hanon inferior) omnia ad defenſionem obſidionis neceſſaria diſponit. Habebat milites Luſitanos ſeptingentos, inter quos ducenti viri nobiles erant. Nihil deerat defenſioni, præter bombardicum puluerem, cuius tantum ſexaginta millia pondo habebat, & tria vaſa pulueris manualium (vt vocant) bombardarum. Deerant etiam pro tãtis hoſtium copiis milites, niſi noſtri ſuorum paucitatem virtute penſauiſſent. Interea loci, duo duces regni Cambaiæ, Solimano aſſociati ſunt, ſinguli cum quadraginta nauibus, remige & milite ad dimicandum optime inſtructis. Ecce adhuc alius dux terreſtrium copiarum comitatus viginti millibus militum, nomine Coie Coſſarus, natus matre Turca, & patre Chriſtiano orto in Xio inſula, cuius opificium fuerat, rimas nauium obturare. Fuerat autem hic Coie Regi Cambaiæ, dum viueret, dilectiſſimus. His copiis terreſtribus naualibuſque cum Turcis coniunctis, ilico Solimanus admoueri claſſem, & ante muros Dii, ad ictum bombardæ figi ancoram iubet, atq; ſubito ex nauibus quinq; millia militum præmittit, & centum quinquaginta tormenta bellica, inter quæ viginti baſiliſci erant, & quinq; alia, lapideum globum ſeptem palmorum craſſitudine eiicientia. Interim dum tormenta vehuntur, vnum in littoris arena ſubmerſum eſt, nec amplius apparuit. Cum primum in terram deſcendiſſent milites, ilico ſe exercitui Coie Coſſari adiunxere. Sequenti die nullo adhuc timore territi, ſed fiducia multitudinis elati, nullo ordine ſeruato, prope muros arcis aliquot domos, in quibus adhuc habebant noſtri magnam frumentorum copiam veniunt deprædatum. Dux noſter Antonius à Sylueira cum eos perſpexiſſet in loco cædi commodo, tormenta aliquot directa in eam partem, qua

graſſabantur, exonerari iuſſit, quo ſtratagemate deſiderati ſunt vltra centum & quinquaginta, cæteri ſubito ſe ex eo loco receperunt. Extemplo Turcæ cum Coie militibus terreum aggerem prouoluunt, quæ moles inſtar montis paulatim magis ac magis foſſæ arcis admouebatur, & ſine noxa vlla hoſtes in proximo ſiſtebat, atque cõfeſtim latiſſimum vallum erexerunt, quod tignis bombiciſque ſarcinis, quas in ciuitate inuenerunt, ſuffultum, ab ictibus noſtrorum tormentorum aſſeruabatur. Super hoc erectæ ſunt turres octo, quibus arx à terreſtri parte cingebatur: Has muniuerunt omni genere tormentorum. Obſidione igitur inſtructa, viribus, machiniſque omnibus adhibitis, arcem tum à ſtationibus, tum à naualibus tentare cœperunt hoſtes, noſtri cõtra defendere. Habebant noſtri citra arcem in ipſa ciuitate turres duas, quarum vna in ſcopulis litoris iuxta arcem, altera vero in noua ciuitate quæ Rhomæum appellatur. Nomen inditum eſt Rhomæis, quaſi Rhomanis, vocantur enim in tota India Rhomæi ij, quos nos communi nomine Geniceros vocamus. His enim Rhomæis ſiue Geniceris Reges Cambaiæ hanc vrbem conſtruxere, eamque à veteri vrbe muro diſcluſerunt, quo mercatores, aduenæque ibi verſarentur, nec oppidani militum inſolentiis inquietarentur. Prima vero turris ſeruabatur quinquaginta militibus. Secunda autem ſexaginta: Erat vtraque munita omni re, & ad victum & defenſionem neceſſaria. Ab illa nouæ vrbis turri, cui ſexaginta milites præſidio erant, hoſtes laceſſiti, vt illa moleſtia liberarentur, ante eam vallum extruũt, ac duas turres, quod vt commodius facerent, ædes magnificas quaſdam, quæ turri adiacebant, ictibus tormentorum deiiciunt, atque ſubito turrim, machinis, tormentis, amphoris, & globis igneis petunt: quo certamine turris ab vno latere finditur, atque ruinam minari cœpit. Noſtrorum eo die deſiderati ſunt quinque, ex hoſtibus plures. Sequenti vero die, certamine redintegrato, vi tormentorum ictuum turris in duas partes ita fiſſa eſt, vt inoffenſe tela per mediam turrim euaderent. Qua re ab hoſtibus perſpecta, ſubito præmittunt duo millia ſelectorũ militum, vt turrim expugnarent, qui a noſtris non ſine magna eorum clade & dedecore repulſi ſunt. Dum hæc aguntur, tormentis arcis euerſæ ſunt duæ hoſtium triremes. Ex quibus ſolum tres Turcæ natando euaſerunt. Tres etiã aliæ triremes ita globis perforatæ fuere, vt niſi è veſtigio aliæ eis ſuccurriſſent, funditus periiſſent. Iam cũ viderent hoſtes ſpem defendendæ turris in noſtrorum animis magis atque magis vigere, ne ab ipſorũ globis maiorem cladem acciperent, ad eos legatos de deditione mittunt, eiſque vitam & bona ſalua pollicentur. Qua legatione audita, triginta eorum (labes Luſitanorum ſanguinis) ſe dedidere, qui violata à Turcis fide, in triremes vincti ad æternam ſeruitutem dati ſunt. Cæteri vero vt boni ſacroſanctæ fidei noſtræ propugnatores, repudiata conditione, aliiſque quod ſe infideliter deſeruiſſent, reprehenſis, dimicando & (vt viros Luſitanos decebat) multos Turcas interficiendo, omnes ad vnum occubuere. Dum hæc agerentur, Antonius à Sylueira, celocem ad Proregem Indiæ Nonium à Cunha expedit, qui tũc temporis Goæ agebat (diſtat enim Goa à Dio vltra octingenta millia paſſ.) In quo ſtatu res eſſent per literas oſtendit, puluerem tormentorum maxime deficere affirmat. Quæ celox à naualibus arcis ſoluta, claſſem hoſtium penetrans, à quibuſdam celocibus inſectationem patitur. Quarum vna cæteris agilior, & ſedecim millibus paſſuum antecedens, noſtram contendebat comprehendere. Noſtri vero, eam tanta diſtantia à reliquis ſemotam videntes, reflexo curſu recta obuiam tendunt, omneſque quotquot erant, dimicando interficiunt, excepto vno ex Apulia, qui à fide noſtra deſciuerat, quem ſecum captiuum duxerunt, ac celocem perforatam euertunt. Cum Goam appuliſſent, ſtatim ſe Prorex ad ſubſidium componit, celocem remittit, indicans ſe (Deo adiutore) breui forti militum & nauium manu adfuturum, & vt omnem caſum (ita vt prudens erat) infortuniumque præueniret, quippe totam claſſem ſubito, parare nequibat, ſedecim liburnicæ ſubito, ex arido in mare ducuntur, quibus ſingulis, nobilem & ſelectum ducem præfecit, & præter remiges & tormentarios, quindecim triarios milites vnicuique duci tradidit, quos omnes multis muneribus affecit, pluraque iis, ſi viui euaderent, pollicens, ſin minus, filiis, vxoribus, amiciſque ipſorum, omnia promiſſa ſancte iurauit conſeruaturum eſſe. Itaque omnes ilico ad iter compoſitæ, onuſtæque ſolummodo puluere & incendiariis funibus, quibus flammas bombardis iniiciunt è litoribus ſoluunt. Pridie vero Nonas Octobris acrius ſolito Turcæ arcem oppugnauere, terra marique operibus & machinis vndique inuadentes, quæ pugna vſque ad trigeſimum eius menſis diem ſemper magis magiſque retrudait, nihilque laxamenti datum obſeſſis, ſed noctes & dies continuata oppugnatio eſt, nec vlla tranſiit dies, qua non hoſtes in arcem exonerauerint trecenties, vel quadringenties ſua bellica tormenta. Adhęc ſingulis diebus noſtros extra arcem ad pugnam prouocabant, noſtri quamquam numero multo inferiores erant, virtute tamen eos ſuperare nitebantur

bantur, rurſus ac rurſus per arcis anfractus, ad vallum, & ad eorum turres vſque exilientes, cuniculis eos oppugnabant, plurimos interficientes. Interea temporis ex aſſidua tormentorum iaculatione, omnes arcis pinnæ turriumque collabuntur, ita vt noſtris ſuperne locus non eſſet, vnde tuto in hoſtes iacerẽt lapides, pila, aliaque tela. Poſtea vero vna ex arce turris ad imum vſque concidit, qua parte cum nullæ munitiones obſtarent, hoſtes omni adhibita diligentia, arcem ingredi omnibus viribus ſatagebant. Noſtri autem repugnantes trabibus, tignis, valliſque vallum pro defenſione diruti loci erigunt, propugnaculaque ſuper mœnia inſtruunt, quibus rebus noſtri vtcunque ſe tuebantur. Hoſtes enim omnem opem contra moliri, munitiones noſtras ſubruentes, viribus redintegratis, conabantur, globos, ſagittasque igneas in vallum demittere, ipſi etiam ſæpius ad vallum, noſtris acriter obſiſtentibus, perrumpentes. Quæ oppugnatio ſingulis diebus bis agebatur, mane & veſperi. Dux Antonius à Sylueira aſſiduam pertinaciam hoſtium conſiderans, in ruderibus collapſæ turris tabulatum, pro defenſione compactum erigit. A tergo illico ignem ex picea materia, aridiſque lignis ſtruit, qui magno incendio, noctu mane, veſperique ardebat, interdiu minime incendebatur, quippe ardor ſolis, & calor, combuſtæ materiæ ſatis per ſe ingreſſum hoſtibus intercludebat. Qui conſiderantes ignis rapidiſſimum ardorem, harpagonibus ferreis ad focum contendunt & omnem materiam, quam noſtri alimentis ignis tradebant, ea opera eripiebant. Antonius Dux contra alios harpagones excogitat, longiſſimis haſtilibus affixos, his Turcarum harpagones pari induſtria apprehendit. Turcæ igitur videntes ſe nihil proficere, ab hoc oppugnationis genere deſiſtunt. Nulla fuit dies poſt turris lapſum, quin ex noſtris quinque ſexúe ceciderint, præter vulneratos, & ab igne læſos. Ex hoſtibus (vt poſtea compertum eſt) ſupra ter mille deſiderati ſunt, vulnerati, & ab igne ambuſti quamplurimi. 13. autem Calend. Nouemb. ante ortum ſolis, ecce ſpeculatores noſtri aliquot magnas ſcaphas, quas barchas appellant, quæ remis agebantur, ante muros turris noſtræ, quæ quinquaginta militibus aſſeruabatur, vt antea diximus, ex arcis pinnis animaduertunt, præterea octo triremes, quæ naues omnes inſtructæ erant milite, ſcaliſque & aliis machinis ad turrim oppugnandam appoſitis. Dux arcis Antonius à Sylueira, ſubito ab illo latere, cui turris proximior erat, nonnulla magna tormenta iuſſit deportari, inibique ducentos arcubutarios, vt vocant, diſpoſuit. Ex quo loco cum primum hoſtes turrim oppugnare cœperunt ictibus tormentorum, quatuor ſcaphæ à noſtris euertuntur atque iaculationibus ſclopetorum multi hoſtium interficiuntur. Milites vero quinquaginta, qui turri præſidio erant, fortiter reſiſtentes, multos interficiunt, ex quibus vnus tantum deſideratus eſt, duodecim vulnerati. Illo die cum nihil promouiſſent Turcæ, poſtridie fortiore militum manu reuertuntur, conſtipati triginta tribus ſcaphis, decem triremibus, & multis machinis oppugnationi accommodis. Milites qui deſignati erant ad muros turris conſcendendos (quorum numerus ingens erat) omnes veſtiebantur rubro panno, vt ex cæteris dignoſcerentur. Incepto autem prælio, mira arte ſtudioque turrim conſcendere conabantur. Rurſus ii, qui ex quinquaginta propugnaculo integri adhuc ſeruabantur, fortiter obſtabant, hoſtes de ſcalis, quas iam affixas muris habebant, præcipitantes. Præterea noſtri, ex arce opportunitate perſpecta, tormenta exonerant, vnamque triremem, & multas ſcaphas funditus euertunt, ex quia clade ferme omnes ſcalæ & machinæ dilaceratæ ſunt, quæ poſtea à noſtris ſuper aquas fluctuantes receptæ fuere, & in arcem comportatæ. Hoſtes videntes ob oculos præſentem ſtragem, mareque ſanguine ſuorum tinctum, atque multos læſos, & igne combuſtos, exanimati plane à certamine deſtitere, & de loco pedem retulere. Interea temporis aliquot noſtrorum ex arce ad oſtium, per quod ad mare itur, erumpunt, paruaſque ſcaphas conſcendunt, vt hoſtium ſpolia per aquas fluctuantia, exciperent, inter quæ tres milites Turcas, præter alios quos in ipſis aquis iactatos haſtis perfoderunt, viuos capiunt. Ex quibus Dux Antonius à Sylueira, nonnulla hoſtium ſecreta percepit. Illis duobus diebus interfecti ſunt plures quam octingenti Turcæ. Ex noſtris (Deo gratia) pauci fuerunt vel occiſi, vel vulnerati. Interim arx è ſtationibus Turcarum globis, ſagitiſque petebatur. Quorum valla tam propinqua erant noſtris muris, vt de turribus in ea ſphæras cupaſque noſtri deuoluerint. Triduum poſtea à Turris dimicatione Antonius à Sylueira, videns tempore pomeridiano, ex arcis muro hoſtes, ſiue ex laſſitudine, ſiue ex ſolis ardore, ab opere ſolito remiſſiores, quietique ſe mandantes, ſubito centum & quinquaginta ſelectos milites, per foſſæ ſecretiora loca emittit, qui tanta aſtutia & diligentia vſi ſunt, vt ad eorum vſque caſtra peruenerint; pluresque ducentis & ſexaginta hoſtium inibi occiderint, multoſque ſpathis, globulis, haſtiſque vulneribus affecerint. Denique toto exercitu commoto, & ad vim propulſandam conſurgente, in arcem ſe receperunt. Deſiderati ſunt ex noſtris inter innumerabilem

illam hoſtium promiſcuam cædem tantum tres, vulnerati fuerunt ſex. Eo die inuenta ſunt in foſſa arcis diuerſorum inſtrumentorum genera, quæ præterita nocte Turcæ ibidem repoſuere ad muros in ſequentem oppugnationem ducendos, refodiendoſque. Qua re perſpecta ſubito Antonius à Sylueira ſub pluteis in ipſam foſſam quadraginta Arcubutarios producit, qui magnam cladem hoſtibus exilientibus inferebant. Itaque illa pars foſſæ defendebatur, nec in eam deſilire aliquis hoſtium ad tempus auſus eſt: Dum hæc aguntur, dux Antonius à Sylueira videns diſcrimen in quo verſabatur, ex arcis æſtuariis aliam celocem productam ad Proregem Nonium à Cunha mittit, ſubſidium implorans, affirmans (ita vt res erat) circiter centum milites iam periiſſe, ducentos vero aut vulneratos, aut igne ambuſtos eſſe. Quo nuncio accepto, Gratianus à Naronha, qui 5. Idus Septemb. in Indiam iam Prorex deſignatus appulerat, cui Nonius à Cunha iam ceſſerat loco, nolens amplius expectare claſſes, quæ in littore ad regionem tutandam Charmandelii & ſinus Perſici verſabãtur, ſubito aliquibus nauibus, ex eis quas ſecum ex Luſitania duxerat, aſſociatis illis quas Nonius à Cunha ante ipſius aduentum inſtruxerat, ſe ad nauigationem componit: Nauium autem catalogus hic erat. Duodecim magnæ onerariæ, ſiue holcades, ſedecim roſtratæ, quas Galleones vocamus, quarum nonnullæ ingenti forma, & admodum validæ erant, viginti & quinque agiles naues, quas Carauellas dicimus, quo genere nauium ſoli Luſitani vtuntur, viginti & nouem triremes, habentes vnaquæque viginti & ſex tranſtra, quindecim actuariæ, & viginti celoces. hæ omnes ad dimicationem paratæ erant, atque ingenti numero tormentorum inſtructæ. Aderant & aliæ quæ commeatum ferebant. Habebat præterea præter nautas & remiges, milites Luſitanos quinquies mille, & nobiles Mallabares, quos Naiares vocant, octies mille in arte gladiatoria verſatiſſimos. Quibus cum copiis, ancoris ſublatis, Dium verſus nauigare cœpit. Nonius à Cunha poſtea illinc ſoluit, in Luſitaniam nauigaturus. in itinere vero, iniquo fato apud Caput bonæ ſpei diem ſuum obiit. Piſcibus, turgidoque mari eius cadauer, qui vltra decennium Imperium Orientis, nomine Regis ſui geſſerat, traditur. Quæ mors non illi fuit noxia, quoniam ſciebat ſe ad feliciorem vitam migraturum, ſed nobis Luſitanis. Etenim amabatur ab omnibus, & tanquam vnus regni oculus deoſculabatur. Antequam ex portu ſolueret Gratianus à Naronha, litteras Emanuelis à Brito ducis Chalii ciuitatis in regno Calequi ſitæ accipit, quibus ſignificabat aduentaſſe ad Regem Calecutii, celocem, cum legato Solimani Baſſę ducis Turcarum claſſis, qui à Mahometanis in ipſo regno agentibus, miris honoribus fuerat acceptus, præſertim à quodam duce ipſius Regis Calecutii Maomethano, nomine Paquemaquaro, qui eum ad Regem vſque comitatus eſt. In cuius conſpectu conciſa oratione ita orſus eſt. Rex inclyte, Solymanus Baſſa, à potentiſſimo, inuictiſſimoque Turcarum Imperatore, Prorex modo ſuper Indos deſignatus, te plurimum ſaluere iubet, indicans ſe hac ſola de cauſa, huc nomine principis ſui venturum, vt natione Luſitanorum deleta, ſi eius inſignia, fidemque ſuſcipere velis, nomen regnaque tua in immenſum dilatet. Hæc locutus, ei nomine Turcarum Imperatoris talarem ex aureo panno veſtem, Brachas, atque pileum in ſignum fœderis offert. Tunc Rex toruo, truculentoque aſpectu, inquit, nec moris nec conſuetudinis Imperatorum Calecutii fuit (vocant enim antiquitus ſe Reges Calecutii Imperatores) nec erit, dona accipere, ſed dare, nec Regna ſua peregrinis copiis dilatare, ſed propriis, atque expulſos Reges, regnis ſuis reſtituere. Proinde, nobilitatem aſtantem reſpiciens, Vos hunc proripite, eumque cum Duce Paquemaquaro, præcipitem in ergaſtulum protrudite, inibique ſtultitiæ, ſuperbiæque ſui Imperatoris, & ducis pœnas luant. Quare re geſta, ilico Rex legatos ad Ducem Emanuelem à Brito mittit, per quos pacem, quam frequenter antea violauerat, petit, eamque ſe ſanctiſſime deinceps culturum promittit, quam impetratam per omnes ſuæ ditionis ciuitates promulgari iubet. Quæ res omnibus noſtris & grata & perutilis fuit, præſertim tempore tam dubio, in quo ab ipſo, vt à vicino & potente hoſte potius erant expectanda incommoda, quam emolumenta. Eſt autem iſte potens Calecutii Rex nobis perſæpe infeſtus, raro atque tenuiter amicus, idque adeo propter infractam amicitiam inter nos, & Regem Cochini (ipſius antiquum hoſtem) à primis annis, ex quo noſtri Indiam inceperunt frequẽtare, initam. Eſt enim Cochinum oppidum, vnde totum regnum nomen capit, in quo Proreges Luſitaniæ Regis, diuturniorem ſedem habent, & inibi omnes naues in Luſitaniam, ſiue in alias prouincias proficiſcentes inſtruuntur. Hic igitur Rex Cochini, cum primum aduentum Turcarum in Indiam intellexit, omnes ſui regni nobiles, quos Naiares vocant, ad ſe accerſi iubet. Quibus congregatis, omnes in vnum eorum ſacratius templum (quod Pagodes nominant) venire edicit. ibi veterem fidamque Luſitanorum amicitiam in mentem eius redegit, commodaq; non tãtum ab ipſo peculiariter, ſed

à toto

à toto quoque regno accepta enumerat. Concioneque facta omnes ad vnum vſque iureiurando manus ſuper quoddam Idolum (quod pro ſummo numine habent) ponentes, ſe vnanimiter, ſanctéq; Luſitanis inſeruire, paratos eſſe affirmant. Qua fide à Rege perſpecta, illis totius Regni æraria communicaturum ſe pollicetur. Idemque parique modo fecit Rex Cananori. Hoſtes vero, vt ad hiſtoriam reuertamur, qui arcem Dienſem oppugnabant, videntes ſe nihil proficere, omni adhibita diligentia, alia ratione, aliiſue ſtudiis, eandem expugnare contendunt, aggerem producunt, & vallum aſſeribus, tigniſque, quoquo verſus veſtitum, quem tantæ altitudinis conſtituunt, vti ex eo facile erat intro proſpicere, & quæ noſtri agerent, ſpeculari. Hoc, quo illæſum aduerſus ignem tormentaque exiſteret, omni genere materiæ communierunt. Addunt pontes, aliaſque machinas, quibus in arcem deſcenderent. Hæc omnia à noſtris, quatenus fieri dabatur, perturbabantur. Tandem tertio Cal. Nouem. Turcæ proſpicientes ex omni certamine continuam ſibi cladem illatam, quaſi deſperatione deducti, ad extremam pugnam penitus ſe componunt. In cuius diei nocte, de ſecunda vigilia à noſtris, præter ſolitum, greſſus, rumor, & hominum è caſtris ad vallum accedentium, continui aditus audiuntur. Quod vbi animaduerſum eſt, magnis ignibus factis, proſpiciunt ingentia mancipiorum agmina ſcalas machinaſque in vallum comportare. Quæ omnia inde ad radices murorum, tacito ſuſurro, humi reclinata deponebant. Quæ inſolita ſigna ſatis indicabant acriorem ſolito dimicationem ſperandam eſſe. Qua re perculſus Antonius à Sylueira, milites omnes ilico conuocat, quibus fidem, natiuum ſolum, Regem, vxores, filios, parentes, amicos, patriæ longinquitatem, atque Turcarum perfidiam, paulo ante omnibus perſpectam, in mentem redigit, ſingulatimque ab atauis gentilitia omnium facta commemorat. Pro quibus omnibus deprecari cœpit, vti potius mori malint exemplo ſuorum maiorum, quam in manus cruentorum hoſtium ſe dare. Quo ſermone adducti omnes ad infimum vſque, ſacramento ſe obſtringunt, officio atque fidei ſuæ nunquam defuturos. Oratione autem finita, mox vnicuique, opus quod facere tenebatur, imponit, & quem quiſq; locum tueri deberet, indicat. Commeabant interea quotidie crebræ Solimani de deditione legationes, quæ non ſolum ab ipſo Antonio receptæ non fuere, ſed ne auditæ quidem. Illa vero nocte noſtrorum oculi ſomnum minime accepere, nec vigiliæ diſtributæ fuere, ſed vnuſquiſque de animæ ad ſuperos migratione, vel de vitæ deſperatione deniq; meditabatur, & omnia ad defenſionem inſtruebat, quatenus fieri poterat, & temporis ratio ferebat. Sub diluculum eius diei, quæ Calendæ Nouemb. erant, conſiderantur à noſtris, ſecũdum fluuium tacito remigio præterlabi quinquaginta magnæ ſcaphæ, quæ recta ad turrim, quam in faucibus litoris (vt dictum eſt) habemus, contendunt. Hæc (vt poſtea ſcitum eſt) ſimulabant hoſtes, vt noſtris illius lateris turris defenſioni incumbentibus, à terreſtri parte in arcem proruerent. Quarum cogitationum ſpe adducti hoſtes, militem in inſidiis à tergo valli tempore nocturno conſtituunt, vt citius noſtris inopinantibus proſilirent. Poſtea vero duodecim triremes arcem verſus, remigium facere conantur, ſimulantes arcis oppugnationem, & fluuii aſcenſum. At dux noſter Antonius à Sylueira, hoſtibus ſagacior, iubet vt à parte terreſtri, omnia diligenter obſeruentur, & quod à maritima, nemo in ſcaphas, nec in triremes ictum pareret, niſi ipſo imperante. Illucente die circiter tria millia hoſtium, ſubito clamore, atque tubarum clangore, in arcem irruunt, muroſque conſcendunt. At noſtri ſeſe fortiſſime obiiciunt, eoſque de mœnibus acri conflictu deiiciunt. Habebant illi multa vexilla rubra, viridia, & aliorum colorum, inter quæ vnum quadratum albi coloris erat, boum caudis ornatum, quod nomine Prophetæ ſui Maomethis geſtabant. Perſeuerauit hæc dimicatio ad ſpacium vnius horæ, quo tempore hoſtes à noſtris grauiter læſi fuere, quorum multi igne cuparum ambuſti, rabie quadam capti, in mare ſponte ſeſe coniiciebant, qui vel ab aquis oppreſſi, vel ex noſtris turribus arcubutorum ictibus transfuerberati, ad vnum vſque interempti ſunt. Hac militum manu diſſipata, cui extante dimicatione, nullum ſubſidium miſſum eſt, ſubito alia ex caſtris, paulo imbecillior numero mittitur, virtute tamen exercitationeque longe præſtantior, quæ ſtrenue noſtros aggreſſa eſt. Milites etiam vt alii, vexilla diuerſorum colorum ferebant. Dux Antonius Sylueira videns hoſtium virtutem, & latus in quod impetum fecerant admodum infirmum, ilico Paium Rodricum ab Arauio, cui ſecundus locus à dignitate prætoria, in arce tribuebatur, iubet ex fortiore turri, cui præerat, ſe illuc celerrime transferre, vt locus ferme iam oppreſſus, ab ipſo defenderetur. Qui ſtipatus quadraginta militibus, & cæteris, qui locum defendebant, admiſtus, in hoſtes audacter inuolat, multoſque repellendo, feriendo, ac necando, ictu vnius arcubuti percuſſus, ſubito ad pedes ſuorum cõcidit, quod ducis Antonii auditui grauiſſimum fuit, attamen repente ad eundem locum ſubſidio mittit Emanuelem à Vaſquogoncelos, quem

triginta milites comitabantur. Noſtri vero iam in magno diſcrimine verſabantur, multi interfecti, ac complures icti, & igne læſi erant. Inter mortuos vero Martinus Vazeus Pachequus, & eius nepos Gabriel Pachequus, & Antonius Mentius à Vaſquogoncelos, & alii viri illuſtres annumerabantur, & ipſemet præfectus eius turris, in qua oppugnatio agebatur, quæ eadem illa eſt, quam prius oſtendimus ictibus tormentorum concidiſſe. Is igitur Emanuel vbi aduenerat, ſe noſtris miſcuit, ac ſimul conglomeratim impetum in hoſtes faciunt, eoſq; de turri ſuper quam diu ſteterant, magna ipſorum ſtrage deturbant. Interea temporis tormenta noſtra, tam in vallum & caſtra, quam in triremes, ac alias naues, quæ à parte maritima, turrim & arcem miris modis impetebant, exonerabantur quorum ictibus, & quaſi fulminibus magnam cladem hoſtes accipiebant. Pugnatum eſt vndequaq; ab hoſtibus, & quaſi corona in orbem dimicatum vſq; ad tempus pomeridianum. Quo conflictu cum à turri depulſi eſſent, ſubito duplicato numero, arcem aliæ hoſtium copiæ aggrediuntur, qui omnes Geniceri, & veterani milites Turcæ, & regni Cambaiæ erant, numero vero vltra ſex millia, in quibus reliquum ſpei arcis expugnandæ repoſuerat Solimanus. Dux Antonius à Sylueira, qui omnibus arcis angulis præſto erat, huc, illuc viginti tantum militibus circumſtipatus, audit hoſtes non ſolum arcem aggreſſos, verum etiam muros, atque turris repagula ſuperaſſe. eo dum omni celeritate feſtinat, ſuos, atq; hoſtes promiſcue non ſuper mœnia, ſed in ipſa arcis area dimicantes, vel potius tumultuantes, aut fluctuantes inuenit. Quo viſo, elatus animi magnitudine, voce ſublimi, inquit, Mei Chriſtiani, Luſitaniq; milites, mementote fidei, patriæ, parentum, mecumque corpora inſtar martyrum conſtanter pergite ſacrificare. His dictis, veluti leo ore cruore pleno, vibrato enſe, in medium cateruæ ſe protrudit, huc illucq; iter aperiens, ſuoſque veluti oues ex faucibus luporum eripiens, hoſtes, tanquam pilam, eo, vnde venerant, breui temporis ſpacio reiecit. Interim à parte litorali tormentis noſtris tres triremes euertuntur, vniuſq; puppis confringitur. Qua clade accepta, hoſtes à nauali oppugnatione abſtinuere, interim tamen terreſtre certamen magis magiſq; vigebat, & magna contentione iterum in noſtros impetus fit hoſtium. Deniq; extitit atq; perſeuerauit dimicatio hæc ad ſpacium quinq; horarum, eo modo, vt ſæpius noſtri ab hoſtibus ad extremum areæ repellerentur, contra hoſtes à noſtris reiicerentur ad turrim vſq;, per quam ingreſſi erant, quam ne tranſirent, duo hoſtium duces, à calce ad verticem vſque armati ad eius radices verſabantur. A quibus omnes ſui milites è turri deſilientes, aut aggredi eam recuſantes, ſpathis, quas vtraque manu gerebant, trucidabantur. Ii tamen à noſtris ex arcis pinnis, ictibus arcubutorum ſæpe petiti, tandem oppreſſi ſunt. Ab aliis etiam lateribus, in arcem pila, & globos igneos hoſtes deuoluebant, à quibus mire noſtri læſi fuiſſent, niſi prouidentia Ducis Antonii liberati eſſent, qui nocte pridiana, hoc timens, ſuper teſtudines turrium, maximam aquæ copiam infundere iuſſit. In qua noſtri verſantes, plantas pedum ab ardore ignis illæſas reſeruabant. Adeo promiſcua fuit hæc pugna, vt ex noſtris multi glande arcubutorum in hoſtem emiſſa arcubuto ipſo per capulum arrepto, capita hoſtium aſſiduis ictibus ferirent. Qua dimicatione, ſine aliqua intermiſſione durante, compertum eſt vnum tormentum quod camelum vocamus, vnum ſupra viginti ictus emiſiſſe. Arcubutarius erat, etiam inter noſtros, qui nonagies ſupra centum globos in hoſtem eiecit. Tandem, Deo fauente, noctéq; interueniente, prælium dirimitur. Hoſtes ſe in caſtra magna ſtrage accepta recipiunt, noſtris in arce non minore iuxta numerum clade affectis. Deſiderati noſtrorum eo die fuere ſeptuaginta milites, inter quos decem nobiles numerabantur, trecenti vulnerati, aliique igne tacti, ita vt duodecim tantum remanſerint à læſione immunes. Ex hoſtibus, vt apparuit, circiter tria millia ſupra quingentos cecidere, præter vulneratos & igne læſos. In quibus ſepeliendis, tota illa nocte, & die ſequente hoſtes incubuere, quod noſtri libere permittebant, nullo ictu tormentorum emiſſo, vt fœtore cadauerum carerent. Erat autem res incredibilis dictu videre diſiecta capita, cerebra, brachia, tibias, inteſtina, cæteraq; corporis membra, quæ in arcis foſſa proſtrata iacebant. Prælio finito, iam profunda nocte, Dux Antonius à Sylueira, cum vidiſſet hoſtes iam ad arcem expugnandam amplius non niti, nec ad eam aliquam machinam admouere, cuſtodiis diſpoſitis, omnes ſuos ſuperſtites cibo refici curauit, qui à cœna ſuperioris noctis, ad horam illam vſque integrum cibum non ſumpſerant, quod ſpacium erat ferme viginti trium horarum. Refectis autem iis, & vulneribus ipſorum religatis, mortuiſq; opere mancipiorum, quæ in arce captiua habebant, ſepultis, ſe nobilioribus, quas habebat, veſtibus induit, cæteroſq; itidem facere iubet. Quo facto, canere atque ſaltare inceptum, cæteriſque inſequentibus, magnum clangorem, & vocum, & tubarum per totam noctem excitant. Id quidem agebant, vt hoſtes crederent ipſos eo animo atque virtute adhuc eſſe, qua in principio dimicationis fuerant, inter quas choreas & tibiarum concentus

centus, non riſus aut cachinni, ſed lachrymæ profluebant, hoſtias ſe futuras in proximum haud dubitantes, ſi denuo oppugnatio tentaretur. tandem finita ſaltatione iuratum eſt ſe in proxima dimicatione ea obſtinatione animorum pugnaturos, vt ſi Turca loco potiretur, non antea pugnandi, quam viuendi finem facturos, nec vnquam paſſuros, vt viui in hoſtium poteſtatem venirent, cædibus & ſtragibus vltionem ſuæ mortis petituros, eamq; victoriam hoſtibus luctuoſiſſimam futuram, nō enim ſe in ſpem vitæ, ſed ad vindictam mortis certaturos. Interim noſtris in huiuſmodi ſaltationibus, & cantilenis impeditis, Dux certis hominibus, quibus maxime fidebat, iuſſit vt ex tormentis maritimæ parti adiacentibus, vbi ſemper minus (quippe latus illud natura erat munitum) imminebat periculi, puluis adimeretur, vt ex illo cupas ac globos igneos implerent, quo in ſequentis diei dimicationem partem eam, qua arx terram ſpectat, munitiorem tutioremque haberent. Omni iam maiorum tormentorum puluere carebant, præter eum, quo cum tormenta inſtructa erāt, quo deficiente, nulla amplius ſpes defenſionis erat. Hanc pulueris penuriam Dux Antonius ſemper penes ſe ſecretam habuit, pauciſſimis exceptis, ne ab aliquo mancipiorum ex arce fugienti, hoſtes eam intelligerent. Hac nocte quidā Venetus nauta, pietate veri Chriſtiani affectus, ſe ad noſtros furtim in arcem contulit, qui indicauit Solimanum ob ingentem ſuorum ac claſſis iacturam conſtituiſſe, niſi illo die, quo ter arcem tentauerat, eam ſuperaret, caſtra amouere, naueſq; conſcendere, & Meccham verſus nauigare. Quod iam magis cogebatur facere, ob atrocem acceptam ſtragem. præterea narrabat. ipſum Solimanum mire ſuccenſuiſſe Coie Coſfaro occiſi Regis Cambaiæ Duci, à quo aſſerebat ſe circumuentum eſſe, qui ſæpius & coram, & per litteras affirmaſſet, arcem minime firmam futuram aduerſus ipſius potentiam, ſeq; vlterius habiturum omnes Reges Indiæ aduerſus Luſitanos promptiſſimos ſocios. Nam illos vnanimi ſententia ipſi pecunias ac copias venienti mittere conſtituiſſe. Quæ omnia falſa ac fraudulenta deprehendit. Sed & multa plura dixit bonus ille tranſfuga, quæ poſtea vera inuenta fuere. Attamen noſtri pro temporis ratione, eius verbis non magnam adhibebant fidem, tametſi hæc audientes animo nonnihil refocillarentur, ac aliquid ab extrema illa deſperatione remitterent. Proinde à ſuo opere non deſiſtebant, vt ſi forte rurſus hoſtes ad pugnam redire eueniſſet, ſe defenderent. Nocte præterlapſa, dieq; progrediente, hoſtes (vt prius dictum eſt) in ſuis medendis, & ſepeliendis occupati fuere, nec ipſi à noſtris, nec noſtri ab ipſis petiti ſunt. Sequenti vero nocte (Dei opera) ecce ſedecim illæ Liburnicæ, quas Nonius à Cunha Prorex miſerat, aduentant, quæ quatuor millibus paſſuum à claſſe Turcica adhuc diſtantes, ducum conſilio, in vnaquaque quatuor luculentas faces erigunt, quæ ob noctis obſcuritatem viſum hoſtium quadruplo fallebant, exiſtimantes, pro ignium numero, multitudinem nauium reſpondere. Hoc ſtratagemate vſi magna celeritate, clamoreq; edito, ac tormentis omnibus crepantibus, impetum in claſſem hoſtium faciunt, ac nullo incommodo accepto, arcis naualem magna omnium alacritate ingrediuntur. Quo inſperato ſubſidio Solimanus longe plus perterritus, nullo ſeruato ordine, omnia tormenta, cōmeatum, caſtraq; integra relinquens, ſe eadem nocte, in naues cum ſuis contulit. Et tanta celeritate nauigare cœpit, vt orto ſole, nullum eius claſſis veſtigium appareret. Milites regni Cambaiæ hæc videntes, ſe extra inſulam, fluuium tranantes, conferunt. Tantus fuit omnium terror ac timor, vt relictis plus millibus hominum vulneratorum, ac igne læſorum in caſtris, inſuper millibus aliorum, qui prædandi gratia paulo ante ex caſtris diſceſſerant, fugerint, qui omnes ad vnum poſtea ab incolis, vt nobis gratificarentur, & vt turpia in ipſos perpetrata facinora, vindicarent, trucidati ſunt. Noſtri ex ea pugna, ingentia ſpolia, præter omnia tormenta bellica, quæ circiter centum & quinquaginta numero erant, obtinuerunt. Fuga itaq; hoſtium facta, confeſtim Antonius à Sylueira, celocem ad Proregem Gratianum a Noronha mittit, eique res ibi geſtas indicat, quæ illum cum tota claſſe, circiter centum & ſexaginta millibus paſſ. tantum à Dio diſtantem iam inuenit. Quo nuncio exultantes, omnes gaudio magno affecti ſunt, quamquam Gratianus doleret ſe hoſtes ante portum non reperiſſe, nec eorum claſſem oppugnare poſſe, atq; gloriam liberatæ arcis reportare. Nihilominus hæc dum accepit, extemplo verſus mare rubrum curſum ea intentione dirigit, vt profugos hoſtes, aut terra aut mari aggrederetur.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO SECVNDO COMMENTARII TRES.

Sereniſſimo Principi Ludouico Luſitaniæ Infanti, Damianus à Goes, S. D. P.

MIRVM *eſt, quam ſemper cum ætate accreſcant labores, & deficientibus paulatim viribus maiora negocia incumbant, ſiue id arcano quodam naturæ motu, Numinisq; imperio contingat, ſiue voluntate noſtra id vltro ſuſcipiatur, vix certum conſtitui poteſt. Mihi certe euenire video, quo propius ad ſenectutem vergo, eo plura offerri, quæ ſcriptis ad æternitatem commendari debeant. Ea enim ſunt facta præclara noſtræ gentis, ea magnitudo varietasque rerum, ea nouitas inſularum climatumque, vt ſi denuo aliquis Homerus exurgeret: poſſet non incommode ex rebus Luſitanicis, & Iliados & Odiſſeæ argumentum non fabuloſe, ſed ex vero componere. Sed hæc fortaſſis alias tentabimus. Nunc, quæ proxime acta ſunt ad Gangem in tuenda arce Dienſi, deſcribere propoſitum eſt. Ex quo enim tua humanitas, Princeps clariſſime, & in bello gerundo Dux ſtrenuiſſime, nobis recitauit literas Ioannis Maſcaregnæ Dienſis arcis Præfecti, laureatas, & triumphorum argumentis plenas: non potui mihi imperare, quin arrepto calamo, ocioque excuſſo, eius rei commentarios conficerem. Quem laborem merito, fortaſſe ob nonnullas lucubratiunculas ſubterfugere potuiſſemus, quippe qui iam pridem emiſerimus (quod mihi non ad iactantiam ingenii, ſed ad teſtimonium laboris dictum velim) priorem illam Dienſem oppugnationem, vbi in fine opuſculi adiuncta eſt nonnulla diſceptatiuncula cum Paulo Iouio viro diſertiſſimo. Deinde fidem, mores, potentiamque AEthiopum (qui ſub Ioanne Precioſo) ſiue (vt nunc loquimur) ſub Ioanne Presbytero degunt, ſcripto prodimus. In quo libello, vice Coronidis, deplorandam Lappiorum ad glacialem Oceanum degentium calamitatem, Paulo tertio Pontifici propoſuimus. Præterea Hiſpaniarum vires, opes, fœcunditatemq; libro complexi ſumus. Hiſce commentatiunculis, licet quaſi fatigatus rudem mihi, et ſi non in perpetuum, ſaltem ad tempus poſtulare poſſem: tamen vbi noua gloria noſtræ gentis de Turcis parta, meum animum denuo accendiſſet, in re noua nouum vegetumq; animum ad ſcribendum indui. Quod ſi nobis pro animi alacritate par ingenii vis & eloquentiæ copia ſuppeteret: melius ſeſe proderet hominibus rerum geſtarum amplitudo, quam fortaſſe alius aliàs præſtabit. Nos contenti erimus, vt ſumma fide rem tradamus, vt, ſi lector non audiat ex nobis, quanta ſit claritas magnitudoque iſtius victoriæ, animo ſaltem concipias, & vtcunque imaginetur. Ceterum hoc quicquid eſt libelli, tibi dicatum voluimus, Princeps inclyte, cuius felici conſilio, bellica hæc negocia domi foriſq; rectiſſime tractãtur. Quod ſane iam antea ſatis te declaraſſe in Tunetenſi expugnatione, omnibus compertũ eſt, vbi Carolo Quinto, cognato & ſororio tuo, in difficilioribus negociis præſto ſemper adfuiſti, & præſens tuam animi excellentiam, virtutem, & rerum bellicarum peritiam vniuerſo orbi innoteſcere voluiſti. Quum igitur id & à te & à clariſſimis fratribus tuis Ioanne Tertio, inclytiſſimo Rege noſtro, & Henrico Cardinale venerendiſſimo agatur, vt æternum in India ſit Luſitanorum imperium: non putaui hunc librum de rebus Indicis, tibi iniucundum futurum, præſertim ſi in mentem veniat, vt inter legendum neceſſum eſt venire, quam fortunam auſpicium Regis, quas vires tua in bellis peritia, quid tutelæ, Cardinalis in prouidendo ſagacitas, ad hanc victoriam contulerit, & quid in poſterum iiſdem effici & ſperari poſſet. Accipias igitur ſereno plàcidoque vultu hanc noſtri deuoti pectoris operam, quod te facturum pro tua humanitate nequaquam addubito. Vale.*

DAMI-

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO II. COMMENTARIVS PRIMVS.

COLLATORVM beneficiorum, pluma leuior eſt gratia: contra, offenſarum memoria, tenax & diuturna, obliuionem non ſinit obrepere: nec tam expendit, iure ne an iniuria ſit læſa, ſed vulnus tantummodo ſuum adſpicit, & acri dolore ad vindictam, per æqua, per iniqua, contendit. Cuius rei euidens exemplum patuit in gente Cambaica, quæ à noſtris hominibus, multis affecta beneficiis, oppreſſa earum rerũ memoria, cladem (quam ſub Antonio à Sylueyra ſua culpa acceperant, dum Dienſe præſidium, cui ille per id tempus præerat, infelicibus armis tentant) quaſi acceptam iniuriam noua oppugnatione vlciſci ſtatuerunt: id quo melius ſuccederet, belli conſilia, quantum poſſent, tegere, arma opeſq; ad id clam comparare, vt imparatis vel per inſidias obreperent, vel aperto Marte, ex præparato grauius adorirentur. Sed Ioannes Maſcaregnas, cui arcis cuſtodia demandata erat, vir non minus ſagaci, quam forti pectore, omnia olfacere ac procul ſentire, eorum conſilia conatuſq; explorare, omnia pro temporis anguſtia comportare ac præparare, quæ ad vim hoſtium propulſandam neceſſaria exiſtimabat.

Author porro, conflatorq; iſtius belli, Coius Sopharus fuit, homo natione Italus, ſed qui ſpreto Chriſtiani nominis ſacramento, Mahumeticæ ſectæ ſe addixerat, dux veteranus, ac inprimis belli peritus, conſilio manuque promptus, cuius mentionem in ſuperiori oppugnatione Dienſi fecimus. Hic adoleſcentem Mamudium Sultanum ad arma inſtigare, nec ſinere eius animum, à commemoratione occiſi ad Dium auunculi, conquieſcere. Fuit autẽ is, Baduris Imperator Cambaiæ. Non debere eius manes inultos relinqui, & eius (vnde regnum acceperat) mortẽ negligi, pertinere id ad ipſius ignominiam & familiæ dedecus, ac totius gentis infamiam: exiguam manum Luſitanorum, facile poſſe per bellum finibus excuti: Indignum prorſus, maximum regem premi ſeruitute alienigenarum, dominatum conſpicere in regia, regnum deniq; & religionem in periculum venire: ſe, quicquid haberet virium, quæ profecto exiguæ non eſſent, libenter huic bello aſſociaturum. Vincitur hiſce admonitionibus iuuenilis animus, ac de ſententia ſuorum, bellum decernit, belliq; ſumma Sopharo commendatur. Is clanculum, partim ex regiis opibus, partim ex ſuis, magnos exercitus cõparare, neq; ius religionemq; fœderis, initi ab interfecto Badure cum Prorege Gratiano Noronha, quicquam curare. Principio igitur finitimos reges legationibus ad ſocietatem vocare, ſpeſq; periculaq; oſtentare, quorum pleriq; noſtrum imperium peroſi, arma iungunt, alii magna promittunt, alii ſe integros ad euentum belli ſeruant.

Quæ dum maximo ſilentio ex vtriuſque conſilio aguntur, fingit Sopharus Dienſium ciuitatem ſibi ab Imperatore Mamudio dono datam eſſe. Quæ res eo veriſimilior videbatur, quod & alia in ditione Cambaiæ oppida, vel gratia vel precio obtinuerat, è quibus vnum eſt Surrato, munitiſſima ciuitas ac propemodum inexpugnabilis: ideoque intuenti reliquam eius viri amplitudinem & gratiam, abſurdum non videbatur, tale donum in virum tantopere apud ſuos excellentem, collatum fuiſſe. Cuius impetratio ideo facilior apparebat, quod ea ciuitas ſubinde nunc Turcarum, nunc Luſitanorum armis expugnata, incerti fluctuantiſque dominii eſſe videbatur: ſpeſq; erat, ſi Sopharo tradita fuiſſet, eius induſtria & viribus facile contra alienas opes defendi poſſe. Rebus ad iſtum modum conſtitutis, Sopharus literas ad Ioannem Maſcaregnam mittit (cuius amicitia valde familiariter vtebatur) de ſua felicitate, tanquam inde magnopere gauiſurum: indicabatque, ſe iam non animo tantum, ſed corpore quoque cum amico ſummo coniunctiorem fore. Simul Legatis opera data eſt, vt vires noſtras copiaſque explorarent, hominemque orarent, vt ipſius pace liceret aliquot cohortes in vrbem introducere, vt in rebus nouis ea manu ſibi principatum confirmaret: populumque in officio contineret, ne vel contra ſe, vel contra Chriſtianos aliquid molirentur. Ipſe interim clam militem accerſere, bombardaſq; noctu in vrbem conuehere: Maſcaregnas cõtra: rem frumentariam expedire, neceſſariaq; in arcem comportari iubere, Luſitanoſq; qui in oppido agebant, clam admonere, vt commea-

tum & quicquid haberent, vna ſecum in arcem deueherent. Dum igitur inſidiæ altrinſecus vel inſtruuntur, vel cauentur: nuncii aduenientes referunt, totum regnum Cambaiæ eſſe in armis, ingentes exercitus cogi Arabum, Abeſſinorum, Phartachorum, Mogorum, & Turcarum, ad quadraginta millia: machinas item bellicas bombardaſque omnis generis, inter quas erant quinque baſiliſci, (vaſtæ id magnitudinis tormentum) ad arcis expugnationem comportari. Maſcaregnas contra (vt eſt homo rei militaris peritus) omnia diſſimulare, ac per litteras Sopharo gratulari, quod Regi ex merito charus eſſet: ſe probe cognoſcere, quæ ipſius eſſent beneficia in regnum Cambaiæ, ac inprimis gaudere, ipſius virtutes debitis præmiis, ſi non ad plenum, (nam maiora eſſe illius merita) ſaltem aliqua ex parte compenſari: De milite in oppidum introducendo, ſe illius iuri non intercedere, tantum caueret, ne id ſibi Chriſtianiſque perniciosum eſſet. Cæterum, vt de tempore conſtet, acta ſunt iſta ſub finem Martii, Anno 1546. Paucæ igitur cohortes palam, cæteræ clanculum in vrbem intromiſſæ ſunt. Menſe Aprili maior adhuc copia armatorum ſuperuenit, quorum pleriq; Turcici generis erant. Enimuero iam Sophari animo res matura videbatur, neque differenda vlterius initia belli, dum hyemis intemperie, quæ per ea tempora ſæuire incipit, nulla ſubſidia Chriſtianis à Prorege Indiæ ſummitti poſſent. Maſcaregnas autem (magis ac magis ſe quotidie aperiente bello) de hoc tumultu, ſumma celeritate ad Ioannem Caſtritium Proregem Indiæ (qui id temporis Goæ agebat) nuncios mittit, vt cognoſceret, quo in metu res conſtitutæ eſſent: ſe contra tantam vim non niſi ducētos quinquaginta milites in præſidio habere. Eadem indicantur Hieronymo Meneſio, & Antonio Soſæ, Bazaini & Chaulii præfectis. Liburnica quæ eos deueheret, ad id negocii expedita, ſimul in mandatis datum, vt commeatum quem hoſtis ex illis locis deuecturus eſſet, interciperent, ac naues ea cauſa illuc miſſas retinerent. Sopharus porro quinq; millibus, Turcarum, Abyſſinorum, aliarumq; gentium vrbem ingreditur: quem circiter triginta millia latomorum, calonum, lixarum, cæterorumq; qui Caſtrenſibus vſibus mercenariam operam præſtant, inſequebantur. Aderat etiam Rumecanus Sophari filius, quem Rex Mamudius bombardarum omnium, machinarum, tormentorumq; negociis præfecerat. Statim igitur ab ingreſſu ſuo nuncios ad Maſcaregnam mittit, orans, ne de ſubito eius aduentu, copiiſque militum, aliquid ſiniſtri opinaretur: rebus duris & regni nouitate ad talia conſilia compulſum eſſe, ægre ferre oppidanos mutationem principis, nec imperium ſibi in tanta maleuolentia, ſine armis tutū eſſe poſſe, ipſumq; adeo ſcire, q̄ ſcelerata ingenia incolarum eſſent, quam prona ad ſeditionem: Teſtari igitur illius conſcientiam, orareq; ne, quod pro ſe neceſſario faceret, contra amicum feciſſe crederetur: Se inter bonas ſuas fortunas, hanc pro ſumma computare, quod tam charum caput, iam non ex longa intercapedine, ſed de proximo viſurus eſſet. Quod ſi per ſuſpiciones à colloquio arceretur, ipſum tamen experimentis cogniturum; quod fortaſſe iam perſuaderi non poſſet: ſcilicet, quam ſanctum illi ſit ac religioſum ius veteris amicitiæ.

At Maſcaregnas his nunciis auditis, tametſi doli non ignarus, diſſimulatione tamen pro tempore vtendum arbitratus, Simonem Pheum virum ſolertem, prudētemq; ad eum per ſpeciem gratulandi mittit, ſibique aduentum eius gratum eſſe, cauſamq; tanti ſatellitii probam videri renunciat, ſeque nunc auide expectare, vt deſiderata toties familiaritate, iam nunc deinceps multo frequentique vſu ſeſe explerent. Sopharus hominem magnifice excipit, exceptumque cum iis mandatis remittit, vnde nihil præter cauſas belli affectare videbatur: in fœdere eſſe ſcilicet, quod Mamudius cum Prorege Gratiano Noronh percuſſerat, vt liceret murum excitari ex aduerſo arcis, qui iniurias militum præſidiariorum ab oppidanis intercluderet, quo quieſcentibus hinc inde offenſis, pax bona conſeruari poſſet. Tentandam eſſe quidem eius muri ædificationem, ſed armis Emanuelis Soſæ opus prohibitum fuiſſe: nunc cupere ſe, quod ex fœdere liceret, bona eius gratia abſoluere: Sin ſecus animatus eſſet, ſe contra vim arma oppoſiturum. Ad hæc placere ſuo Regi, vt liberum ſit ius nauigandi, tam in rebus exportandis, quam aduehendis, & vt cuique integrum ſit, merces ſuas deferre quo vellet, neque eiuſmodi commeandi authoritatem à Luſitanis petendam eſſe: Non enim regem potentiſſimum eam indignitatem ſeruitutis amplius ſuſtinere poſſe: ſcire Luſitanos, quæ vires eſſent eius imperii, ipſum tamen potius per gratiam ab illis petere, quod armis obtinere poſſet: proinde ne grauarentur amicitię dare, quod neceſſitati fortaſſe dandum eſſet. Magnificare Regem Luſitanos, ac dempta ſeruitute amaturum quoq;, ſociumq; ad omnes neceſſitates futurum: alioqui ius ſibi armis ereptum, armis quæſiturum eſſe. Viderent igitur, ne, dum iniqua retinent, omnia amittant: ſe hoſte, omnia circumcirca hoſtilia futura: ipſos eſſe intercluſos hyeme ab omnibus ſuorum ſubſidiis, manum exiguam eſſe intus in arce. Hæc ſe denunciare regis ſui nomine, ſe (quod amici

amici eſt) Maſcaregnam admonere, ne bellum pernicioſum in ſe ſuoſque excitet: vitaret eam flammam, quæ ſemel exorta, Luſitanicas res in India in cinerem abſumat. Quod ſi æqua negentur, Deos hominesque teſtes facere, ſe inuitum, ruptis fœderibus, ad bellum cogi: proinde faceret ipſum quamprimum certiorem, vt quod in manibus eſſet quamprimum conficeret. Maſcaregnas, ad Sophari poſtulata, optimum quemq; vſu & ætate prudentiſſimum, in conſilium adhibet, de quorum ſententia tale reſponſum per Simonem remittitur: Ea quæ ad innouandas vel mutandas pacis leges ſpectarent, ad ſe ſuamq; cognitionem nihil pertinere: proinde ab ipſo ea petenda non eſſe, ad quæ concedenda nullum ius haberet. Solummodo id imperio Proregis ſtatui poſſe. quod ipſum pro diuturna cum Luſitanis conſuetudine minime omnium latere poſſet: rogare igitur, vt Mamudius legatos ſuper ea re ad Proregem mittat, nec ante reſponſum (quum dubium ſit, an quod velit impetraturus ſit) arma moueat. Proregem id temporis Goæ agere, neq; longe diſtare, non longam in medio moram futuram. Quod ad muri ædificationem pertineret, ſe mirari, qur cum tanta manu ad hoc negocii a Mamudio ſit miſſus: Poſſe enim eius rei curam quæſtoribus vrbis committi, quibus ne ipſe quidem ſuam operam ſubtracturus eſſet, modo iis locis conſtruatur murus, quibus inter Mamudium & Gratianum cõueniſſet. Quod ſi deſignati limites obſeruentur, recte illum facturum: ſin vel duos digitos vltra fundamẽta opus promouerit, ſe non ſolum illi, ſed ipſi quoque Imperatori Mamudio impedimento futurum. Verum vt conſtaret, quantopere abhorreret à cauſis belli, fœderibuſque violandis, ſupereſſe exemplar ſcriptarum de pace legum, idq; ſe nunc ei per Simonem legendum mittere. Simon igitur cum iſtis mandatis in caſtra venit, antigraphumque Sopharo in manus offert. Quod quum ille legiſſet, ſtatim cum magna animi vultuſque indignatione in plurimas partes diſcerpſit, Legatumque contra ius gentium in vinculis aſſeruari iubet, neque vlterius oppugnationem differendam cenſet: quocirca ad vigeſimam primam mẽſis Aprilis, magna vi arcem aggreditur. Dienſis autem arx rupibus & cuneata fronte in littus procurrit, ab vna parte fluuio, ab altera vero ſinu maris alluitur: Reliqua aditum habent ab oppido, qua validiſſimis aggeribus foſſiſq; quaquauerſus à fluuio ad mare vſq; cingitur. Porro in fluuii alueo turris munitiſſima conſiſtit, eoque inexpugnabilior, quod, niſi ſummo & incitatiſſimo maris æſtu, adiri nequeat, tum enim tenues vndas ad arcem perferri. Difficultatem loci ea quoq; parte bombardæ adiuuant, quæ hoſtilem claſſem aduentantem, facile crebris iaculationibus deprimant. Ex alio vero latere, limoſo ſolo & humili aqua circumcingitur, vt neq; pedibus, neq; nauiculis, immo ne lembis quidem poſſit adiri. Inter medium arcis turriſq; ſpacium ſolummodo nauigationibus idoneum eſt, ſed obnoxium vtriuſq; munitionis bombardis.

Ab ea igitur parte, qua demonſtrauimus arcem ad oppidum reſpicere, & perpetuo dorſo continuari, quæ ſola obſidioni opportunior videtur, ſumma vi Sopharus oppugnationem tentat, ac in tumulo arci vicino, (ex quo maxima ipſius pars arcis conſpicitur) ex congeſtu aceruiſq; lapidum, ſine calce vallum miræ craſſitudinis erexit & ad imas operis radices, apertis inibi feneſtris relictis, bombardas appoſuit, ſuperne propugnaculum iſtud corona pinnarum amplexus eſt, iuſtoq; præſidio protinus inſtruxit, & vt tutum ab iniuria noſtrorum iaculorum aſſeruaret, goſſipinis ſarcinis vndecunque muniuit. Quo opere ingenti feſtinatione intra vnam noctem confecto, albente iam in diem cœlo, arcem omni genere telorum oppugnare cœperunt.

Dum hæc aguntur, Ioannes Maſcaregnas ſeruos, mulieres, ac pueros, militari operæ inutiles, nauibus quorundam mercatorum Luſitanorum, Bazainam & Chaulium euntibus, auehendos tradidit. Naues item duas (quas Indi Catures vocant) ſumma celeritate armari iuſſit, vt oram maritimam legentes, hoſtes commeatu prohiberent. Quæ mandata impigre facientes, obnauigatis littoribus, non longo deinde temporis ſpacio reuerſæ, etiam in hoſtium oculis quatuordecim naues, mercibus & commeatu onuſtas, intercipiũt. Quo, factum eſt, vt iniquiore multo annona aduerſarii vterentur. Et vt res ſuo ordine, certiſq; functionibus ageretur: arcis ſtationes Maſcaregnas hoc pacto diſtribuendas exiſtimauit. Ioannem Almeidam turri & propugnaculo diui Iacobi (quod in ſuperiori oppugnatione, crebris Turcarum iaculationibus corruerat) tutorem aſſignauit: Lodouicum Soſam, turri D. Thomæ: Ægidium Cortinium, turri D. Ioannis: Antonium Pezannam, turri D. Georgii, quæ ſupra nouam arcis portam ſita eſt: Ioannem Verzeanum, meſopyrgio minori: Alphonſum Bonifacium, turri, quæ D. Iacobi propugnaculo imminet: Antonium Rodericum regium quæſtorem, meſopyrgio maiori: Antonium Fræxium legatum, turri ſupra veterem portam ſitæ: Singulis ferme iſtorum, ad ſtationum cuſtodiam, viginti traditi milites ſunt. Nam tunc temporis arci maiores defuêre copiæ, &

militum inopia ſummopere laborabatur. Præfecti autem iſti, ea quæ ad arcis, ſuarumque turrium defenſionem pertinere exiſtimabant, ſumma cura & ſtudio pro virili die noctuq; faciebant. Eodem tempore paulo ſupra illud vallum, quod hoſtes excitauerant, non minori firmitudine aliud quoq; verſus mare excitârunt, cui etiam aliud ſimile adiicitur: eoque flexu anfractuq; murus deducitur, vt opus magis labyrinthicum, quam alterius generis eſſe videretur. Idque eo factum eſt, vt ſeptis illis flexuoſis à noſtrorum telorum iniuriis protegerentur, Et quamquam noſtri hoſtium conatus omni perſeuerantia contentioneq; impedire contendiſſent, nihilominus eo muro curuo ſinuoſoque progreſſi ad manus iactum, proxime arcis mœnia conſiſtunt.

Inde ex congeſtis lapidibus aliud opus conficiunt, tredecim pedum craſſitudine, ſed à tergo validiſſimo aggere ſuffultum, quod à ripa ad ipſum littus deducunt, caſtelliſque communiunt. Inde (vt loci natura ferebat) ex caſtello in caſtellum continuatis munitionibus, arx penitus vallo circumdatur, in iiſdemq; caſtellis omne telorum bombardarumq; genus imponitur. Itaq; opere finito, acrius ſolito arcem ſæpe tentabant. Interea Mamudius Regio comitatu ſtipatus, ciuitatem (operis viſendi gratia) ingreſſus eſt. Dum hæc ab vtraq; parte agebantur, per exploratores certior fit Maſcaregnas, decreuiſſe Sopharum, turrim quam noſtri in fluuio, vt demonſtrauimus, ſitam habent, inuadere: collectis ad id ratibus, vna cum naue oneraria perquam magna, cuiuſdam ſectę Mahometanæ mercatoris, quam in portu ad eos vſus retinuerat. In qua tabulatum eius altitudinis, quod turris ſupremum tabulatum æquare poſſet, extruere curauit, quod circumquaque pluteis (vt noſtrorum iacula repelleret) ſic confirmauit, vt niſi ſumma ope expugnari poſſet. Re cognita, Maſcarenas Iacobo Lacteo, quem nauibus illis duabus, quarũ antea meminimus, pręfecerat, negocium committit. Is maximo ſilentio, tacitoque remigio oppidum verſus naues ſuas noctu eduxit. Verum antea quam immineret onerariæ naui, quam incendio delere propoſuerat, aquarum ſtrepitu & murmure, quem remi excitabant, cauere non potuit, quin inſidias ſuas excubitores hoſtium perciperent. Quare clamore ſublato, totus exercitus in armis proſiliuit. Id quum à noſtris eſſet animaduerſum, celeri curſu in nauem impreſſionem faciunt, ignemq; iniiciunt. Sed quum incendium ex voto non ſuccederet, & hoſtes impetum in noſtram claſſem facere conarentur, viginti circiter milites ex noſtris hoſtium nauem conſcendunt, funibuſque ancorariis præciſis, remulco, vno ſolo milite læſo, nauem ipſam ereptam (hoſtibus contra nitentibus) ante arcem deducunt, ibiq; igne iniecto, penitus abſumunt. Quæ res Sophari animum non parum fregit. Nam propoſuerat eam turrim antea capere, vti facilius arcem, loci eius commoditate adiutus, expugnaret. Neque ſane temere eius rei concepta ſpes, quoniam capta turri illa, ſubſidiariæ noſtræ naues ad arcem appellere, non niſi cum ſummo diſcrimine & labore valuiſſent. Hæc ea nocte, quæ diem Paſchæ Seruatoris noſtri præcedit, acta fuêre. Noſtri igitur, dum de redempto humano genere ſalutiferum diem, & iam de hoſtium clade lætum feſtiuumq; miris gaudiis ouationibuſque celebrauêre, ſpe omnino erecti ſunt, tanquam in cæteris quoque victores futuri. Quum igitur negocium in eo ſtatu eſſet, & perſeueranter hoſtes in arcem impetum facerent, idque non ſine vtrorumque clade, ob tormentorum aſſiduam iaculationem, & hyeme inſtante noſtri de ſubſidio ferme deſperarent, decima octaua Maii, Proregis filius natu minor Ferdinandus Caſtrius, cum octo minorib. longis nauibus (incolæ Catures vocant) difficilioribus vſus tempeſtatibus, ante portum apparuit. Nauium præfecti, Georgius Vaſcogoncellus, cui duas ex eo genere nauium Prorex ad littus Cambaicum explorandum commiſerat, Franciſcus Almeida, Petrus Lupius Soſa, Antonius Cugna, Diodocus Siluius, Diodocus Reinoſus, cognomento Soto maior. Quibus appulſis, fruſtra ſe obiiciente hoſte, per pſeudothyrion ſiue clancularium oſtiolum, quod in minori brachio muri adapertum fuit, nullo accepto damno, læti in arcem, cum ingenti omnium gaudio, recipiuntur. Poſt quorum aduentum, militem iubet Maſcaregnas recenſeri. Inuenti ſunt ferme quadringenti quinquaginta, omnes fere illuſtri loco nati, manu ſtrenui, & ad vſus bellicos ſatis commode inſtructi. Pro copia igitur auxiliorum, plures ſtationarios ſingulis locis deputat, omnibuſque quid agendum ibi, quaue ratione excubandum eſſet, exponit. Poſt Ferdinandi Caſtrii aduentum, Mamudius & Sopharus naues inſtruunt, quibus, ne aliud ſubſidium ad arcem accederet, prohibere nitebantur. Hæ aliquot ex noſtris commeatum in arcem deportantes, interceperunt: nonnullas etiam fugæ ſe mandare coëgerunt. Verum huic hoſtili claſſi, ingruente iam atque adeo ingraueſcente hyeme, neceſſarium fuit portus obſidionem relinquere, vt ſubducta in terram, à procellis tuta eſſet. Superius demonſtratum eſt, Mamudium Cambaiæ regem, muro abſoluto, turribus valliſq; conſtructo, operis viſendi cauſa in oppidum veniſſe. De cuius aduentu certior fit Maſcaregnas,

per

per captiuum quendam, quem ſex milites noſtri à Ferdinando Caruallo, præfecto illius turris quæ in fluuio eſt, ad hoſtilia caſtra exploratum miſſi, in ipſis aggeribus interceperunt, quare ob aduentum regium ingentia ſigna lætitiæ, bombardarum tonitru, tubarumque claſſico edita fuêre. Rex autem vigeſima quinta Iunii, mane ante ſolis ortum, oppidum ingreſſus eſt. Qua hora tres iuſtæ magnitudinis teſtudines, noſtri ſuper hoſtium vallum erectas, dubiis oculis vtcunque animaduertunt, ſubterque eas ingentis formæ baſiliſcos tres, munitiones quoque ac caſtella quoquo verſus ad confligendum, noua ratione compoſita. Quibus vix, dilucescente crepuſculo matutino, plene cognitis, confeſtim hoſtes ad turres diuorum Thomæ, Iacobique, & ad murum iiſdem turribus interiectum, effuſiſſima glandium iaculatione contendunt. Maſcaregnas autem, quum quorſum ii animum applicuiſſent, animaduertiſſet: eas turres vna & murum, intrinſecus aggeribus validis obueſtiri curat, turrique diui Thomæ, quam cuniculatim ſuſpicabatur hoſtem euertere conſtituiſſe, tranſuerſis cuniculis, incredibili labore induſtriaque ſuccurrit, ac ex ipſa turri hoſtium teſtudines, baſiliſci leoniſque ictibus impetere iuſſit. Quæ res ſummum detrimentum aduerſariis intulit. Veruntamen ad quinque dierum ſpacium, iaculatione hoſtium continua, telorumque aſſiduitate concuſſa turris Thomæa, tandem finditur, pinnæque Iacobææ ferme omnes mutilatæ. Neque id tamen ſine hoſtium exigua noxa. Nam qui turri D. Thomæ præerant, hoſtium duobus baſiliſcis deturbatis, tertium in partes frangunt. Nec id rurſus abſque noſtrorum periculo factum, quum nullo intermiſſo tempore, in ipſam turrim tanta globorum copia deuolueretur, vt ex iis qui ſtuppam ignitam bombardis admouent, nemo præ metu id ad muneris ſe præſto exhibere auderet. Neque id mirum, quum tanta dexteritate hoſtes ineuitabilib. ictibus iacularentur, vt ſi quem noſtrorum ad bombardarum feneſtras intuerentur, ſubito quinque ſexúe globos recta in illum coniicerent. Præterea tormentum, quod in ſublime globos euomit, (mortarium, vulgo dicitur) tantæ erat magnitudinis, vt glandes torqueret octonum in ambitu palmorum. Hoc è regione turris D. Ioannis, loco decliui collocauerunt. Huius impulſu & concuſſione tantus terror à noſtris conceptus eſt, vt quoties globus deſuper in arcem irruere inſpiceretur, de ſe quiſque actum eſſe, animo præſagiret. Is enim cuius induſtria negocium hoc tractabatur, eius artificii erat, vt nullum vnquam iaculum fruſtra emitteret, ſed omnia introrſum in arcem reciderent. Quo artifice (vt ex captiuis poſtea ſcitum eſt) ictu bombardico à noſtris interterempto, hoſtes in demortui locum, alium ſufficiunt, de cuius opera idem ſperabant, ſed fruſtra. Nam quum arte careret, globi quos in noſtros dirigebat, imperitia mittentis, in ipſorum caſtra corruebant. Quo errore imperitiaque mittentis, ex ſuis tribus occiſis, à mortarii iaculatione in totum ſuperſederunt. Præter hæc omnia, hoſtes duas teſtudines nouo rurſus labore, è regione turris D. Ioannis, quæ cæteris anguſtior infirmiorque erat, excitauerunt, à qua ad Iacobæam vſque, totius belli vires applicare conſtituerant. Quibus ſingulis ſingulos baſiliſcos, ac alias item machinas bellicas accommodant eo numero, quem neceſſitas ipſa requirere videbatur. Itaque opere conſtructo, eodem die acriter vltro citroque prælio dimicatum eſt. Inter pugnandum, globus ex arce emiſſus, iuxta pedes regis Mamudii, quendam eius cognatum occidit. Qua re territus rex, vndecimo ab aduentu ſuo die, caſtra deſeruit, ad Madabam regiam ciuitatem ſe conferens: inde militem & neceſſaria exercitui expediturus. Ipſe autem ſiue timore, ſiue alia de cauſa, poſtea reuerti noluit. Diſcedens vero, Iuzarcano viro & potenti, & virtute ſumma, ſummaque prudentia prædito, (cuius conſilio & ſolerti opera tum in re bellica, tum in rebus aliis plurimis vtebatur) regiam legionem attribuit, & belli vna cum Sopharo negocium commiſit. Poſt regis diſceſſum, hoſtibus adhuc in continuo labore perſeuerantibus globorum aſſiduitate, D. Thomæ Ioanniſque turres vna cum meſopyrgio euertuntur. Cuius molis ruderibus foſſa oppletur. In eo vallo (cuius ante meminimus) turris vndequaque cratibus vimineis circunſepta, intus oppleta ſaxis & ceſpitibus, (nonnulli frondeas, alii corbitas vallares appellant) ab hoſtibus in ſublime educitur. Hanc iuxta arcis foſſam ea erigunt magnitudine & altitudine, vt libere, quid intus ageretur, conſpicerent. Quamobrem nullibi noſtris tuto conſiſtere aut verſari licebat. Cui detrimento Maſcaregnas vt ſuccurreret, tum quod ob foſſæ profunditatem cuniculis obrepere, ſuffodereque eam non poterat: tum etiam quod ſaxa rupeſque, in quibus illa arcis pars extructa eſt, impediebant: introrſum (vt locus patiebatur) turriculam ad eam altitudinem ædificat, qua hoſtium turrim noſtri manualium bombardarum globis commode impetebant. Inde vtranque turrim noſtri qua poterant virtute defendebant. Huic turriculæ Antonium Pezannam curatorem eſſe voluit, qui ſua annona, ſuoque ſumptu, quadraginta milites ſibi ad eam cuſtodiam attributos alebat. Stationem autem, quam antea aſſeruabat, Ioanni Verzeano commiſit. Eo tempore non pauci

deſiderati,& permulti in arce vulnerati fuère. At hoſtes, quum ſe interdiu non ſatis vtiliter manus operi admoliri viderent,noctu quicquid poterant, exſtruebant. Quem eorum ſucceſſum Maſcaregnas,candelabro ad id ingenti accenſo, impediebat, cuius ſplendore omnes qui vel vallum aggrediebantur, vel materiam portabant, conſpicui facti, ictibus bombardarum patebant. Interea loci tumulus ingens, terra,ceſpite,lapideq; conſtipatus, in templi atrio excitatur,cui baſiliſcum,tutelæ alioqui portus deſtinatum, ſuperimponũt: cuius iaculatione turris cratea in tantum quaſſabatur, vt nemo hoſtium ad eam accedere amplius auderet: veruntamen quum ipſorum numerus indies augeretur, vicit multorum ac integrorum ſemper recens labor, paucorum & ex continuo opere exhauſtorum exiguitatem. Itaq; vallo ad ipſam arcis foſſam, quo per gyrum ab vtroq; cornu cingebatur, abſoluto,cuniculis inſtar muſculorum, quos palmarum truncis frondibuſq; argilla permixtis deſuper contegebant,ne à flamma vrerentur, ad foſſæ crepidinem perueniunt. Cui operi per ſexaginta dies ſummo ſtudio& labore hoſtes incubuere.Eoq; vigeſima Iunii finito pro voto,cuniculatim ad foſſam pertingebant.Inde ex aſſeribus appẽſis canales deriuãt, quos ne noſtri bombardis ſaxiſue diſſiparent,tignis duplicatis coriiſq; contextis integunt. Qua contignatione in pſenſe die noctuq; rudera, lapides, & omnis ſoluta materies in mediam foſſam, turribus Diuorum Thomæ, & Ioannis interiectam, defluebat: idque ea arte, vti noſtri præter effluentem materiam,neminẽ ibi conſpicere poſſent.Quin neq; ii qui foſſam ipſam opplebant, quenquam inferne ſuperneue videre poterant. Intermedus iſtis temporibus, noctu aſſidue ex ſtationibus hoſtium atroces iniuriæ verborum noſtros prouocabant,ignauiam illis obiicientes,quur,ſi ſtrenui forteſq; milites ſint, concluſi, tanquam pecora inter munitionum ſepta teneantur,idque ad imperium imbellis ignauiq; ducis? Nam Antonium à Silueyra,ſi eiuſmodi militibus tamque rei militaris ex tam longa aſſuetudine bellorum peritis,præfuiſſet,nunquam paſſurum fuiſſe,quin aperto & libero Marte,ſingulis contra ſingulos dimicantibus, ſuam quenque virtutem oſtendere permiſiſſet. Contra, ſub hoc duce, ſuperiore arcis oppugnatione nullum egregium ſpecimen à quoquam ipſorum præbitum eſſe: concluſos tantum murorum obicib. quicquid egerint,ex inſidiis doloſe,non vera virtute,egiſſe. Quouſq; tandem imbellem hunc ducem paterentur? Quas verborum iniurias Maſcaregnas prudenter diſſimulanterq; ferebat, ſuorum militum raritatem,& quorſum hoſtes tenderent,facile cognoſcens. Attamen ne prorſus reſponſo carerent,in eam partem,qua voces audiebantur, miſſilia omnis generis quocunque euentu dirigi iubebat. Erat in imo arcis veſtigio poſticum ſecretum, iuſſu Diodocii Lupi Soſæ iampridem conſtructum,ex quo ad foſſam latentes aditus aperiebantur, id ſub ruderibus tanquam inutile, obrutum obtectumq; iacebat. Hoc non ſegniter Maſcaregnas purgari & refodi imperat,foribus poſtibuſq; robuſtiſſimis communiens. Inde materiam collapſam, quo poterat ſilentio.furtim ſubripiebat:atq; ita hoſtium per totas noctes continuum laborem,ſola diurna opera fruſtrabatur. Qui cum in foſſam reſpicere nec poſſent, nec auderent,bolide per canalem demiſſa,cumulum explorabãt, cuius eminentior pars ferme iam ad canalis ora peruenerat. Hoc cumuli faſtigium,ſumma diligentia, ne corrueret, Maſcaregnas prouidebat,ne furtum ſuum palam fieret,vti hoſtes eo labore impediti, nullas alias rationes oppugnandi tentarent,tantum aſtu conatus ipſorum eludens, rudera ex tumuli baſe ſuffurabatur. Quæ quum multorum ſtudio & labore agerentur, aſſiduitate abſportandi fodiendiq;,fieri non potuit,quin ipſius cumuli faſtigium ſenſim collaberetur. Ob id factum,quum ab hoſtibus bolis poſtea demiſſa eſſet,& funis quo appendebatur, latius ſolito ſeſe diſtenderet:animaduerterunt ſe tandem miſere fruſtrari. Qua re attoniti,cumulum oculis (omni periculo poſthabito) contemplari conſtituunt. Ibi noſtros in ipſa foſſa occupatos vident, viſoſq; protinus telis deſuper inceſſunt. Vbi inter alios Antonius Frærius legatus,iaculis confoſſus,occubuit. Acerrime igitur vtrinq;, donec nox ſuperueniens conflictum dirimeret, ad foſſam dimicatum eſt. Seneſcente ſub tenebras pugna,ſecundum poſticum Maſcaregnas lapideum muſculum vſque ad rudera per noctem producit, quem trabibus aſſeribuſq; deſuper impoſitis,terraque accumulatis,ea ratione firmauit, vt tuto reliquam in foſſa materiam inde aueherent. Itaque vnius noctis inſtanti opera, laboreque continuo, munitione illa abſoluta, quum mane ab hoſtium excubitoribus cerneretur,rei nouitate turbati,ad Sopharum concurrunt,remque ei omnem aperiunt. Ille ſtupefactus,noſtrorumque pertinacia ſolertiaque admirabiliter attonitus,ſe cum omni celeritate ad ſtationes proripit. Ibique, vt rem oculis contemplaretur, capite (vt poſtea compertum eſt) ſuper manum dexteram reclinato,extra murum gutture tenus emicuit. Stupefactus deinde, & deſperatione æger,ſuique immemor, dum longius quam ſibi expediebat, deliberabundus ſubſiſtit, bombardæ globus forte fortuna ex arce demiſſus ipſius

manum

manum integram vna cum ſincipite raptim abſtulit, ipſe vero ſubito ex vallo mortuus concidit. Cuius mors, vti ſuis funebris & calamitoſa, ſic noſtris perquam optabilis fuit. Erat enim Sopharus (vt ſi quis alius) prudens, ſagax, cautus, vafer, rerum gerendarum periti ſſimus, militaribus vero ſtratagematis nemini ſuo tempore cedens. His naturæ dotibus, infeſtiſſimū in nos odium coniunxerat, vireſq; ſuas quotidie augebat, quum eum intelligerent vero animo, deſerta religione Chriſtiana, ad Mahumetum defeciſſe. Nec dubium, quin ſi diuturnior ei vita contigiſſet, nobis victoriam difficiliorem impeditioremque feciſſet.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO SECVNDO COMMENTARIVS SECVNDVS.

COIO Sopharo interfecto, aliquot diebus languidius hoſtes in opere verſabantur. Variæ enim ſententiæ militem diſtinebant. Nam pars caſtra mouenda ſentiebat, nec temere amplius bello pernicioſo incumbendum eſſe iudicabat. Alii vero de ducis electione hæſitabant, nec Rumecano Sophari filio parendum arbitrabantur: Cæteri regis voluntatem ſuffragiumq; expectandum cenſebant, vt quem ipſe vellet, ducem conſtituerent. In quam ſententiam tandem eſt itum. Itaq; protinus ad regem hac de re nuncii dimittuntur, eoq; iubente, Rumecanus præpoſitus exercitui, & belli imperator pronunciatur. Qui celeriter, ſummaq; diligentia & continenti labore, quinque ſubterraneos muſculos fodit, quos in eam partem, ex qua noſtri per poſticum (vt demonſtratum eſt) de foſſa rudera furabantur, nouo fabricandi ordine ac ratione dirigebat. Sed quum per vim tormentorum, opus à noſtris impediretur, eximiis palmarum truncis ad ruinas illius turris (quam crateam vocauimus) duas ligneas turres tæniis inter textas cum tabulatis extruxit, quibus teſtudines binas appoſuit, & ſub teſtudinibus ſingulis ſingulos baſiliſcos collocauit, quorum iaculis deturbatis noſtris, hoſtes ex aduerſo poſtici ad labra margineſq; foſſæ penetrârunt. Eo quum ventum eſſet, ſuper muſculum, per quem noſtri materiem in foſſam deiectam ſubripere conſueuerant, tantam lapidum ſaxorumq; vim prouoluunt, vt penitus muſculi compages diſſolueretur. Quo labente, territi noſtri, ſauciiq; nonnulli, pedem referre coacti ſunt. Hoſtes inde liberius, foſſa ſuperata, omnem ruderum lapidumq; colluuiem in eam proiiciebant. Itaq; negocio multorum, laboreq; aſſiduo, ſemper manu maiore ad opus confluente, poſticum omnino obrutum ſepelitur. Quo obſtructo, quum noſtris amplius vſui non eſſet, maiore hoſtes vſi libertate, foſſam rudere adimplebant. Eo ipſo tempore, quum permulti ex noſtris, vulneribus ægritudinibuſq; affligerentur, & non pauci morte confecti eſſent, Maſcaregnæ aliam celocem expedire neceſſarium viſum fuit, cui Ioannem Cælium arcis ſacerdotem præfecit, eique literas ad Proregem & Præfectos præſidiorum Baziani Chauliique dedit, quibus ſubſidiarias copias omni celeritate mittendas eſſe indicabat. Alioqui, ſi feſtinationem adhibere deſiſterent, noſtro Indico imperio ſummum periculum imminere. Hoſtium enim numerum indies augeſcere. Eodem ipſo tempore, quo nauis illa cum nunciis euecta eſt, quatuor millia ſelectorum regis Cambaiæ militum in caſtra venere. Quorum aduentu læta feſtiuaque ibi omnia, & hominum tympanorumque ſtrepitu vndique perſonare, copiaſque illas (quaſi recenſerent) ſub oculis noſtris in acie diſponere, ac tandem agmine compoſito circum munitiones immani clamore ac barbaro, quaſi ſi victoriam in manibus certam haberent, ad arcem contendere. Sed ictibus tormentorum peſſime accepti, impetum temerarium repreſſerunt. Interea dum iſta fiunt, ab incepto opere nihil remiſſum eſt, ſed cōtinuo labore illam foſſę partem, quæ ad turrim D. Ioannis pertingit, (quam diximus Ægydio Cotinio commiſſam eſſe) lapide, rudere, omniq; materia complere, atq; iuxta Thomæam turrim malos eius altitudinis erigere, vt cacumina eorum noſtras munitiones excederent, iiſq; malis aſſeres ſcandulaſq; loco ſcalarum ex aduerſo clauis affigebant, atque ita ſurſum aſcendere conati. Noſtri vero ignibus & acri pugna illis occurrere. At hoſtes contra, harpagonibus materiam valli noſtri diripere, magnoque periculi contemptu ſcalas complere.

Digitized by Google

Contra iſtam hoſtilem pertinaciam, noſtri aliam rationem defenſionis inſtituunt. Faſces ligneos caudicales ferro connexos, catenisque colligatos, commixta interius pice, reſinaque, aliaque omni materia, quæ ignem facile corripit, & diutius alit, alios ſuperne iniiciebant, iisque ignibus permultos ex hoſtibus combuſſere. Quod tametſi ſæpius hoſtes fieri viderent, æque tamen in labore perſiſtentes, pro nihilo noſtrorum conatus facere: reiectoque timore, ſuos qui ibi aut icti, aut deuſti cadebant, de foſſa deducere: alios protinus in demortuorum locum ſufficere. Et quoniam opus multorum ſubſidium requirebat, oppidanos mulieresque etiam ad id negocium cogere, materiamque ad foſſam comportare. Quo operarum continenti labore, (nam numerus quadraginta millia excedebat) tumulum ex terra palis ligonibusque eo ſtudio inuehunt, vt quanquam ex arce perſæpe globis haſtisque impeterentur, tamen iſtiuſmodi cladibus ab incepto deterreri nequiuerint. Itaque poſt id temporis per ſupremam muſculorum partem ligneas teſtudines duplicibus elephantorum coriis conglutinatas promouent, ſuper quas (quum iam ex materia, quam hoſtes accumulauerant, proreptæ eſſent) per tumulum, quem demonſtrauimus palis deportatum eſſe, aliæ meant teſtudines, quibus defenſi, ex foſſæ labro in murum concurrere ſatis commode valebant. Cui inſuper operi à lateribus duos hinc inde fortiſſimos pluteos inſtar parietum obiiciunt, quorum munitione iacula ac cætera miſſilia turrium Diuorum Ioannis Thomæque cohibebãtur. Quo tempore tam aſſidue ex hoſtium munitionibus iaculatum eſt, vt noſtri tum ob incredibiles labores, tum propter immenſas vigilias, reſiſtere nulla amplius ratione poſſent. Sed antea quam hi plutei excitarentur, Maſcaregnas ſuſpicione permotus, hoſtes cuniculatim velle ambas has turres ſubuertere, tranſuerſis cuniculis periculum rei anteuertit. Hoſtes denique quum propinqui ſub mœnibus agerent, ad propugnaculum D. Ioannis, ſpecum inter duriſſimas rupes malleis excidunt, per quem deni pariter viri non incommode ingredi valebant. Priori Commentario, diximus, Maſcaregnam inter duas prædictas turres interius aliam ſubſidiariam conſtruxiſſe, ex qua quadraginta milites telis ſpiculisque commode ambabus ſuccurrere poſſent, atque huius cuſtodiam Antonio Pezannæ tradidiſſe, & ea quæ illi prius commiſſa fuerant, Ioanni Verzeano concredita eſſe. Nam is ſuis militibus, quos adhuc integros ferme omnes habebat, & turri illi, & minori meſopyrgio ſubuenire poterat. His ergo ita in ſuis ſtationibus manere iuſſis, Antonium Rodericum quæſtorem Ferdinando Caſtrio, qui infirmiorem arcis partem tutandam ſuſceperat, ſocium adiunxit, vt ſimul vigilias & hoſtium impetum alacrius ſufferrent. Hoſtes vero nouo aſtu, & muro (vt diximus) dirupto, arcem ſegnius ſolito infeſtabant. Seneſcente igitur in ea parte hoſtili contentione, noctu Simonem Phæum hactenus in vinculis habitum, ad munitiones noſtras producunt, qui alta voce Rumecani nomine, rerum ſtatum, & quam proximi cladi eſſent, declararent. Quapropter ſi dedere ſe vellent, & arcem ſine ſanguine inoffenſe tradere, Rumecanum omnibus liberum exitum commeatumque permiſſurum: Naues etiam (ſi nobis eius rei penuria eſſet) bona fide daturũ: Sin ſecus animati eſſent, eſſe in proximo omnium interitum: eligerent, vtram partem mallent. Quod ſi belli potius quam pacis, fortunam approbarent, ſe ſequenti die arcem, omnibus collatis copiis, inuaſurum. At Maſcaregnas his auditis, eum ſtatim diſcedere iubet, & in comites deductoresque, ſi pedem referre nollent, omnes bombardas ſeſe exoneraturum minatur. Diceret igitur Rumecano, ipſius aduentum aſſultumque quocunque in tempore optatum expectatumque fore. Hoc ſermone habito, omnia hoſtes tormentorum globis complere: quorum improuiſis ictibus, duo de noſtris, (qui vt Simonem Phæum rectius audirent, murum aſcenderant) interempti ſunt. Itaque hoſtes nullo tempore remiſſa contentione, decima nona Iulii ſub occaſum ſolis, arcis muros, quos penitus ſuffoderant, denuo impetunt, idque tanta animi præſentia & obſtinatione, vt noſtros de ſalute ſua propemodum in deſperationem adduxerint. Sed ope & opera Ferdinandi Caſtrii, illi qui murum conſcenderant, erant autem numero triginta, omnes viri nobiles, vt ex habitu apparuit, interfecti ſunt. Quod videntes hi qui iſtos ſequebantur, morte ruinaque ſuorum conſternati, ab oppugnatione refugiunt. Qui tametſi ſæpe à mœnibus reiecti eſſent, magnis acceptis calamitatibus, nihilo tamen minus tempus, quod oppugnationi idoneum exiſtimarent, remittebant, ſed continuo labore opus illud (quo confecto, arcem omnium ſimul impetu aggredi propoſuerant) abſoluebant. Eo itaque pro ipſorum arbitratu finito, foſſaque ſic ad votum exæquata, adeo vt nullo negocio ex munitionibus in muros recta pergere liceret, per omnia oppidi phana noctu ſacra faciunt, ſeq; ſuamq; vitam Mahumeto ad omnia pericula deuouent, deierantq; ſe, niſi capta arce, redituros non eſſe. In his ſacrificiis, vti ex voto litarent, per ſummam religionẽ copioſe luminaria per vicos omnes & compita incenderunt. Quo ignium ſplen-

ſplendore Ferdinandus Caruallus turris illius Præfectus, quam in fluuii alueo habemus, quum homines cateruatim ad templa concurſare animaduertiſſet, rei nouitate permotus, ad Maſcaregnam eodem momento ſcapha clanculum traiecit. Qui, re cognita, omnes admonet, præſentiq; vt ſint animo, adhortatur. Vigilias diſtribuit, eoſque tota nocte in armis eſſe iubet. Ea nox D. Iacobi vigiliis ſacra erat. Sequenti igitur die, quæ fauſta ac bene ominata hominib. Hiſpanis erat, propter Hiſpaniarum patronū D. Iacobum Apoſtolum, duabus horis ante luciferi exortum mœnia inuaduntur, impetuſque ab hoſtibus in arcem fit, quapropter protinus ſigno dato, ad muros concurritur, D. Iacobum per ſummam alacritatem multa acclamatione celebrantes. Ibique maximo armorum ſtrepitu & acri pugna dimicatio incenditur, in qua Ludouicus Soſa iuuenis ſtrenuus, Thomę turris Præfectus, aliquot de ſuis militibus impigre pugnantes amiſit: nam illum locum omnibus rationibus expugnare decreuerant aduerſarii. Sed iuuenis tum maiorum ſuorum exemplis, tum generoſa ſuamet indole erectus, locum inter ſumma pericula cædeſque promiſcuas, magna animi præſentia, vitæ ſanguiniſque contemptu defendit. Interea loci, quum Maſcaregnam, vt omnibus locis ſuccurreret, rei neceſſitas huc illuc verſaret, vigiles qui ad maritimum arcis latus excubabant, quum loco ob ſcopulorum aſperitatem minus timerent, relicta cuſtodia (vt dimicantibus intereſſent) ad prælii locum ſeſe conferunt. Quo tempore, ſiue caſu, ſiue quod ſolitudinem animaduerterant, quum æſtus defluuium, mareque decreſcens hoſtibus commode inſeruiret, qui vbique locorum excubabant, Iuzarcani milites ſelectiores numero ſexaginta, in ſcopulis tacite poſitis ſcalis, rupem conſcendunt, iiſdemq; ſurſum in murum translatis, omni ſilentio proſiliunt. Quos quum duo milites qui per arcem concurſabant, ſplendore ignis conſpicerent, protinus ad Maſcaregnam procurrunt, quem vnico puero ſignum anteferente comitatum reperiunt, eique alta trepidaque voce arcem ad litoralem partem ab hoſtibus occupari vociferantur. Quibus ſilentio impoſito, ne re cognita qui prælio aderant, animo deiicerentur, ad eum locum quem hoſtes occupârant, ſeſe proripuit: ex iiſque qui nuncium attulerant, alterum ſocium aſſumpſit, alteri imperat, vt omnes quos in arcis plateis inueniret, ad ſe remitteret. Itaque quum ad occupatum locum ventum eſſet, hoſtes ad ſexaginta intra mœnia deprehendit. Quos vix diſcernere licuiſſet, niſi globi & amphoræ ignitæ, quæ vltro citroque ad aliud arcis latus iaciebantur, ſplendorem aliquem præbuiſſent. Iam eorum ferme viginti ſupra domorum tecta conſcenderant, ibique duobus militaribus ſignis erectis aſſidebant. Cæteri vero domos ingreſſi, quicquid obuium erat, diripiebant, cumque mulierculis animo conſternatis (quaſi iam rerum potiti) minaciter colloquentes, pecunias exigebant. Quarum nonnullæ virilem animum ex neceſſitate induentes, correptis in manus haſtis, iam nō muliebriter eos extra tecta pellere contendebant. Maſcaregnas autem nonnullis militibus iam ſtipatus, in hoſtes impreſſionem facere, omneſque qui tecta conſcenderant, humi detrudere: Illi contra, coacta manu, acriter pugnare: tandem plurimis interfectis, vno viuo capto, de mœnibus ſeſe præcipites dare, ſed ſcopulis acutis, præruptiſque ſaxorum inter cadendum excepti, omnes miſere dilaceratis membris interiêre. Hac re ante diei crepuſculum geſta, protinus ſe Maſcaregnas ad ſtationes contulit, inibique quum iam ad noſtros victoria inclinaret, ſed pręlaſſitudine lāguidius aliquāto agerēt, nouos illis ſpiritus ſua oratione iniecit. Quare prælio redintegrato, pugna denuo recrudeſcere cœpit. Tandē hoſtes, remiſſius ſolito reſiſtentes, receptui canunt. Sed quū luceſcente die ſuorum cladē oculis diſcernerēt, quorum permulta cadauera, truncata & miſere lacerata, in foſſa iacebant: dolore & ira perciti, tanquam veſani furenteſque, denuo in noſtros inuolant, eodemque quo cœperant impetu, ad quartam diei horam dimicatum fuit. Sed tandem noſtri ad plenum victores euaſerunt, quanquam non ſine multo ſuorum ſanguine. Nec ſolum viris ea victoria, verum etiam muliebri audaciæ attributa fuit: Nam inter eas matronas, quæ militibus ad ſtationes (oppugnatione durante) neceſſaria apportabant, non paucæ inuentæ ſunt, quæ ſagittis aliiſque miſſilibus læſæ, tragulas & ſpicula propria manu euellerent, ac vulneribus obligatis, cruentæ etiamnum, ad eadem munia quaſi integræ intactæque recurrerent. Hoc certamine circiter mille hoſtium, præter vulneratos, cecidiſſe conſtat. Inter quos etiam occubuit Iuzarcanus dux. In cuius locum fratrem eius natu minorem, Mamudius gratitudinis & liberalitatis ergo, ſuffecit, eiuſdemq; dignitatis nomen ac titulū attribuit, vt Iuzarcanus vocaretur, Marchionem ipſorum lingua ſignificante hoc vocabulo: omnem inſuper fratris ditionem ei conceſſit. Ex noſtris autem ſaucii quam plurimi fuere, deſiderati ſeptem tantum, quos Maſcaregnas tubarum clangore, ſonituq; tympanorū, necnon hominum cantu, feſta ſolemnitate potius quam lugubri mœſtitia, in templū deportari

ſepelirique curauit: partim, quod de religione Chriſtiana ita meruerăt, vt mors illorum in conſpectu Domini precioſa, epinicia, & martyrũ hymnos potius, quam lugubres exequias & triſtes nęnias requirere videretur: partim, vt militũ animos erigeret iſta in tam arctis rebus alacritate, & in mortuos gratitudine. Simul vt intelligeret hoſtis, rem ſibi cũ hominib. eſſe, qui nonmodo ſuorum mortibus animo non conciderent, verum etiam mortem huiuſcemodi, charam optatamque haberent. Secunda ab hoc prælio d e, pomeridiano tempore, hoſtes iterum ab illa ipſa parte, quam antea oppugnauerant, arcem inuadun : ſed alacriter obſiſtentibus Ferdinando Caſtrio & Ludouico Soſa, non abſq; noſtrorum tamen iactura & ſanguine repulſi fuere: qui etiam ſupra trecẽtos de ſuis, quum de loco recederẽt, vulneribus confoſſos, mortuosque reliquerũt. In iſtis anguſtiis quũ noſtri de ſubſidii mora admodum quererentur, quarto Calendas Auguſt:, celox qua Maſcaregnas Cælium ſacerdotem Bazainum & Chaulium ſuppetias petitum emiſerat, arcis æſtuaria penetrauit, atq; per nouem ſtrenuos milites qui in ea venerant, intellectum eſt, literas quas ad Proregem ſcripſerat Maſcaregnas, omni ſedulitate per certũ nuncium Goam eſſe tranſmiſſas. Huius celocis aduentu, quum hoſtes id quod erat, ſuſpicarentur, nimirum, ſubſidium b: eui expectari: celeritate vtendum eſſe, ante aduẽtum nouarum copiarum, iudicarunt. Quare ſequenti die circa meridiem, quum noſtri à continuis laboribus interquieſcerent, & qui in excubiis erant, minus caute ſtationib. inuigilarent, hoſtes de improuiſo in arcem incurſionem faciunt, mœniaq; tanta celeritate ac promptitudine conſcendunt, vt noſtri, fere perterritis omnibus, finem totius belli adeſſe exiſtimarent. Sed Franciſcus Almeida cui excubias agendi cura ad Thomæã turrim obuenerat, non amplius q̃ viginti quinq; militib. ſuccinctus, impetum hoſtium viriliter admodum ſuſtinuit. Tandẽ noſtris accurrẽtibus, tam atrociter tribus aut eo plus horis pugnatum fuit, vt nũquam antea atrocius. Tandem ſupra octingentos ex hoſtibus iugulatis, receptui Rumecanus dux ſummi in eo exercitu imperii, canere iubet, atq; inſigni hac accepta clade, in caſtra ſe recepit. De noſtris vero aliquot interfecti ſunt, vulnerati & igne ambuſti non pauci. Hoc tempore omni victus genere noſtri anguſte admodũ vtebantur, præſertim carnium, quarum tãta erat inopia, vt gallina vna in ægrotantium dietam, decem aureis ducatis venundaretur. Eodem ipſo tempore, Mamudius certior factus, quam ſiniſtram ſui in omnib. oppugnationib. fortunã habuerant, Moiatecanum, qui à ſe primum dignitatis locũ in regno Cambaico obtinebat, cum quatuordecim millib. ſelectorum militum Dium mittit Poſt cuius aduentum, hoſtes conſilio inter ſe habito, cuniculis omni materia incendiaria repletis, árcem funditus euertere ſtatuerunt. Sed ſumma & vis conſilii in hoc erat, ne noſtri quid ab ipſis ageretur, perſentiſcerent. Ergo in Thomæam turrim, & in alteram D. Ioannis, quæ vltra veterẽ foſſam producta, hoſtium munitionib. erat vicinior, cuniculos agere cœperunt. Et vt noſtros res ea lateret, hoc aſtu & ſtratagemate ſunt vſi: latomorũ multitudinem ſub teſtudinib. ad frontẽ eius propugnaculi agunt, vt fundamenta murorũ continuo indefatigabiliq; labore excauarent, ſtrepituq; maximo agerent, malleorumq; fragorem, ſtridoremq; ferramentorũ ſummum ederent, nimirum vt noſtrũ militem iſta fallaci ſpecie circũuenirent. Exiſtimabant enim, noſtros, quum eam rem tantis ſtudiis agi viderent, eo omnes concurſuros, animosq; ab diſſimulata oppugnatione verisq; periculis ad inanem oſtentationẽ diſcriminis auerſuros eſſe. Nec eos ſua fefellit ratio. Noſtri.n. hoſtilis conſilii ignari, eos qui turrim à fronte malleis acutis proſcindebant, qua poterant vi proturbabant: ſed quum ea defenſio, ſumma pertinacia & clamore vndique ageretur, factum eſt, vt per ſummũ ſtrepitũ obtuſo auditu, quæ inferne agebãtur, nec audire, nec percipere noſtris licuerit. Itaq; quũ pro voto ab hoſtib. cuniculi acti eſſent, decima Auguſti, qua die D. Laurentii martyriũ, Chriſti Eccleſia celebrare cõſueuit, hoſtes tubarũ clangore tympanorumq; vehementi ſonitu ſeſe mutuo adhortantes, agmine compoſito, ſignis militarib. præcedentibus, in arcis mœnia prorumpunt, ac vehemẽtius ſolito, globos amphorasque igneas intro proiiciunt. Noſtri vero ad oppugnatum locum protinus concurrunt. Ibi quum tam diu pugnatũ eſſet, quo ad animaduerterent hoſtes, pene potiorem militum partem ad mœnia conueniſſe, ſimulato timore, receptui canunt, ac de foſſa & mœnibus in caſtra ſe recipiunt. Qua feſtinata fuga, vt inſueta, & ſi malleorũ antea facta de induſtria concuſſio, fragorq; ferramentorum oſtendiſſet, potius hoſtes viam latiorem in arcem aperire velle, diſcuſſis mœnib. quam cuniculis denuo aditus tentare, quum id paulo ante ad Thomæam turrim infeliciter tentauerant, vbi cuniculi eorum tranſuerſis cuniculis excepti ſubrutiq; à noſtris erant: Maſcaregnas tamen ſuſpicione adductus, Luſitanis qui ſuper Thomææ turris teſtudinem conſiſtebãt, (ad cuius radicem ipſe dux defatigatus adſidebat) imperat, vt nulla vſi mora, inde vniuerſi abſcedant. ac expedito nuncio eos qui ſupra muros turris Diui Ioannis agebãt, monet, vti protinus ſe de loco amoueant, ſuſpicari

ſe, no-

ſe, nouos cuniculos eſſe inſtructos, quibus ignem iniicere confeſtim hoſtibus propoſitum ſit.

Qui dicto non audientes, ſed prudentiſſimi ducis ſpreta monitione, conclamant plus ſibi animi, maiorem rei militaris experientiam eſſe, quam illi, qui per ſummum timorem eos ad diſceſſum hortaretur. Itaque quum deteſtabilis temeritas eos cunctabundos exitiabili mora implicaret, hoſtes ignem in eo loco vbi cratea turris conſtructa fuerat, pulueri tormentario imponunt. Qui recto tramite, ſicut diſpoſitus erat, viam relegens ad cuniculos, quum fauces intimas penetraſſet, vbi omnis incendiaria materia recondebatur, vniuerſam fabricæ molem vno momento diſrupit, ac per ſummam vim, ipſam Diui Ioannis turrim integram ab ipſis fundamentis in altum proripuit, ac omnes quos ibi infauſta fortuna retinuerat, in ſublime elatos, tanquam minutulos ſilices diſiecit. Quo miſerrimo euentu circiter ſeptuaginta ſtrenui milites interiêre, quorum pars in foſſam, pars in hoſtium ſtationes, ferme omnes fracti dilaceratique ceciderunt. Inſuper ii, quos infelix caſus in hoſtium caſtra integro corpore traiecerat, quanquam igne fœdati omnino, & exanimes vitæ incommodis ceſſiſſent, minutiſſime tamen ab hoſtium gladiis haſtarumque mucronibus, tanquam eam pœnam ſenſuri eſſent, diſſecti fuêre. Hoc horrendo ſpectaculo, illud memoria dignum viſum eſt, illis quos pulùeris & ignis vis in aërem expulerat, haſtas clypeoſque non antea de manibus defluxiſſe, quam deficiente, ac omnino euaneſcente anima, cadauera ipſa deorſum præcipitata relaberentur. ex iis porro qui ſuper turrim in hac calamitate conſtiterant, viginti tantum ignibus ambuſti, viui remanſerunt. Notos equites Luſitanos deſideratos eſſe conſtat, Ferdinandum Caſtrium Proregis filium, adoleſcentem ſumma ſpe, ſummaque indole præditum. Ioannem Almeidam, Ludouicum Mellum, Diodocum Soto maiorem, Antonium Rodericum quæſtorem, Ægydium Cotinium, Diodocum Reinoſum Soto maiorem, Aluarum Ferrariam, Rodericum Soſam, Laurentium Fariam, Ioannem Brandanum, Georgium Almeidam, Triſtanum Soſam, Franciſcum Lupium, Gratianumque Ferracium. At Maſcaregnas (qui, vt demonſtratum eſt, iuxta Thomææ turris radices aſſidebat,) quum incendium, ruinam, & occaſum turris D. Ioannis momento temporis conſpexiſſet, ſumma celeritate, quindecim militibus comitatus, eo ſe proripuit. Quo quum ventum eſſet, ne veſtigium quidem veteris illius formæ deprehendere potuit. Nihil ibi in oculis, nihil ſub conſpectu, niſi parietum rudera lapideſque permixtim puluere membriſque mutilatis, ac ſanguine humano tincti. Inter quæ promiſcue nonnulla corpora adhuc exhalantia, & cum morte confiictantia, non abſque mœrore & horrore intuentium conſpiciebantur. Quæ dum ſubito inde eximere noſtri ſatagunt, vt pro ritu Chriſtiano ſepelirentur, derepente hoſtes per eundem ipſum labefactatũ locum, impreſſionem faciunt. De quo tam vehementer vtrinque cominus pugnatum eſt, vt ſola nox prælium diremerit. Qua nocte, etſi plures de noſtris iam occubuerant, permulti ſaucii, omnibus vero & defatigatis, & de accepto infortunio mœrentibus: Maſcaregnas tamen, virorum mulierumque opera, murum ſubitarium ſexdecim palmorum craſſitudine, in veteris turris ruinis ex ſoluto lapide conſtruxit, quem abſolutum ante ſolis ortum, hoſtibus conſpiciendum non ſine magna admiratione obiecit. Illi contra, alio erecto muro, Thomæam turrim deinceps cuniculis, quando ea res bene ſucceſſerat, deiicere contendunt. Sed quum noſtri aliis obiectis cuniculis, illorum conatibus obuiam iiſſent, re intellecta, in alterum turris latus ſe tranſtulere, quo noſtri cuniculi pertingere nõ poterant, & ſuffoſſo turris frontiſpicio, quatenus à noſtris præpediri nequibant, ignem operi nondum perfecto, appoſuerunt. Quo incendio quartam ferme turris partem euerterunt, ac protinus in dirutum locum inuolantes, de ſuperioribus rudera ad ſe ferreis hamis attrahebant, quibus ſenſim defluentibus, anguſtior multo fiebat locus, quem noſtri ſuperne adhuc retinebant. Quod quum à Maſcaregna animaduerſum eſſet, bombardas quæ ibi reliquæ erant, inde tolli iubet. Sed quum vix centum milites illæſos integroſque haberet, eoſque in vnum aliquem locum aliunde euocare periculoſum eſſet, omnium ſtationibus hoſte imminente, eo factum eſt, vt baſiliſcum ac leonem quadraginta virorum diurno nocturnoque labore inde extrahere nunquam valuerit. Hoc tempore tria mancipia ex arce profugerunt, hoſtibuſque indicium fecere, quanta noſtrorum eſſet raritas, quantaque omnium frugum & annonæ penuria premerentur. Quorum perfugarum ſermonibus, nouo concepto ſpiritu, Iacobæam turrim cuniculatim, igne ad ſuppoſitam materiam adiecto, penitus euertunt, quæ in pronum vergens, tota verſus hoſtium ſtationes ruinam traxit. Hoſtes igitur protinus per ruinas ſe proripiunt, vbi, quanquam noſtri egregie reſiſterent, locum tamen euincunt: ac militaribus ſignis ibi erectis, arcis aream tranſcendunt, templique D. Iacobi partem mediam præoccupant, ibique ali-

quot diebus ea ſorte cominus dimicatum eſt, vt modo templum penes noſtros, modo penes hoſtes fuerit. Sed quum de ſingulari proprioq; domicilio, ac de ipſis aris & focis ageretur: viribus omnibus adhibitis, noſtri in ſacrarii fornice, murum conſtruxerunt. Atq; ita templo diuiſo, alii ab aliis interſepti, in ipſo templo quiſque pro ſuo ritu ſacra faciebat, religionemque numinum colebat.

DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI, DE BELLO CAMBAICO SECVNDO COMMENTARIVS TERTIVS.

LITTERIS Maſcaregnæ, opera Hieronymi Meneſii præfecti præſidio Bazaini, Goam delatis, quibus arcis diſcrimen nunciabatur: Ioannes Caſtrius Prorex, omni ſtudio quatuordecim minores longas naues expediri iuſſit. Cui claſſi Aluarum Caſtrium filium ſuum præfecit. Is diui Iacobi ſolenni die è portu ſoluit. Et quanquam hyemis vis illic eo tempore aſperius ſæuit, nihilominus tamen ſecundo vento Bazainum enauigauit. Quo in loco Franciſcum Meneſium reperit, qui bis infeliciter iter auſpicatus, difficilioribuſq; vſus tempeſtatibus, in portum remeârat. Quod iter, collatis in vnum claſſibus, quum ſæpius tentatum eſſet, nec pro voto ſucceſſit: iubet Aluarus Caſtrius, (quum, in quo ſtatu res Dienſes verſarentur, probe ſciret) vt claſſe diſſociata, nullo ſeruato ordine, ſeorſim vnuſquiſq; Dium, qua poſſet ratione, peteret. Itaq; ſeparatim illis nauigantibus, ventis plerunq; obſtantibus primi omnium vnica naue Antonius Monizius & Gratianus Rodericus Tabora, Dienſem portum ingrediuntur. A quibus, de propediem affuturo ſubſidio magno, cum gaudio factus certior Maſcaregnas, protinus eandem ipſam nauim Aluaro Caſtrio obuiam remiſit, in qua paulo poſt ad portum Ludouicus Mellus Mendoza applicuit, quem Eduardus Meneſius Pereira, Comitis Ferienſis filius, iuuenis impiger ac ſtrenuus ſubſequutus eſt. Poſt quorum acceſſum, ad turrim D. Thomę (cuius potior pars, vt demonſtrauimus, corruerat) acriter bello dimicatum eſt. Sed præualentes hoſtes, loco potiti ſunt. Quamobrem infenſus Maſcaregnas, per omnia diſcrimina inſequenti die hoſtium vires ad eundem locum tentare fortiorique manu inuadere proponit. Itaque ſelectis militibus, de improuiſo impetum fecit. Deturbati igitur hoſtes, ſauciique nonnulli, inter fugiendum claſſico ſuis ſignum dedêre. Quo audito, protinus ex caſtris & ex oppido totus exercitus concurrit. Ac quamuis pluuia & imbribus ſubito ingruentibus, impedirentur: haſtis tamen, gladiis, ſagittiſque dimicatum eſt, propemodum ad veſperam, quo tempore quum ſe nimbi remiſiſſent, ad bombardas & igneam materiam itum eſt. Sic vtrobique clade copioſe illata & accepta, quum ſeptem ferme horis pugnatum eſſet, noſtri tandem locum recuperant. Per id temporis, duæ celoces appulerunt, ducibus Ioanne Athaidio, & Franciſco Guilermo. Hoſtes porro poſt hanc repulſam, igne deinceps per ſulcos cunieulares immiſſo, murum, qui turri Antonii Pezannæ contiguus erat, funditus euertunt. Contra Maſcaregnas omni ope reſiſtens, in hoſtes cameli iacula effundit, alterumque ſtatim firmiorem murum intrinſecus excitauit, etiam ipſe humeris lapides materiamque comportans. Id hoſtes animaduertentes, è regione & ipſi alium extruunt, quo noſtris ad ſe acceſſum inhibebant. Hoc die Rodericus Ferdinandus Chaulienſis municipii quæſtor, cum viginti militibus naui minore longa portum tenuit, & inde alii atque alii duces ſingulis diebus aduentabant. Hoſtes interea ſuper illam turris partem quã occupabant, truncatim parietes conſtruunt, ac inde aſſidue in noſtros tela coniiciebant. Dum in his anguſtiis adhuc Luſitanorum fortunæ verſarentur, vigeſima octaua Auguſti Aluarus Caſtrius & Franciſcus Meneſius, cum potiore claſſis manu portum ceperunt. Numerus nauium hactenus appulſarum, viginti quinque. Quæ quum minores pleræque eſſent, non plures quam 400. milites aduexerunt. Reliquæ contrariis ventis agitatæ, Bazainum coactæ ſunt repetere. Sed poſtea ſecundiores tempeſtates nactæ, menſe Septembri, ad Dienſem portum, & iſtæ quoque applicuêre. Poſt Aluari Caſtrii aduentum, quum hoſtes ex D. Thomæ turri rudera & collapſam materiam eximendi nullum finem facerent, leo ille bombardicus deorſum cecidit, & baſiliſcus fune ſuſpenſus in ru-

derum

derum mole ſubſedit. Quare milites qui poſtremo venerant, tenui adhuc illarum rerum experientia, aut potius temeritate adacti, id non ferentes, imprudenter nouas res moliri incipiunt, iactantes vbi tanta murorum ſtrages extaret, iamque patentes viæ ad arcem inuadendam capiendamque hoſtibus præbitæ eſſent, certis rationibus duci ſeſe, vt crederent, hoſtium vim non in milite, ſed in bombardarum iaculationibus ſolummodo conſtitiſſe: ducíſque noſtri timore potius quam prudentia effectum, vt quum liceret hoſtem in ſuis caſtris vincere, ipſi vltro hoſtium obſidione teneantur. Hiſce verbis, debacchantes, non pauca item alia iactitabant, quæ imperita multitudo, furore agitata, euomere conſueuit. Qua factione reliquos, qui à primordio belli, mira obedientia euſque imperata fecetant, in ſuam ſententiam contaminatos pertraxerunt. Ad id, leonis & baſiliſci amiſſio, cumulum irarum adiiciebat. Quamobrem congregati, vnanimiter Maſcaregnam adoriuntur: ab eo incredibili tumultu ferocitateque, erumpendi facultatem, caſtraque inuadendi copiam ſibi poſtulare: Nulla iam re obſidionem, quam ipſorum ignauia, perdurare: vile hoſtium vulgus, occiſis iam ducibus & ſelecta omni iuuentute, ad primam eruptionem profugiturum.

His inconditis clamoribus quatenus fieri potuit ſedatis, quanta maxima valuit ratione prudens imperator oſtendit, quanta clade ſibi cognita eſſet hoſtium pertinacia & potentia, quam ſe pro militum raritate, nec vincere, nec ſuſtinere poſſe, ſatis exploratum haberet. Quare ad caſtra poteſtatem eundi nunquam ſe illis ſponte ſua facturum, nec præterea conſilium daturum, quod omnibus poſtea pernicioſum foret: Orare, vt in tanto rerum diſcrimine, prudentius quam audacius bellum tractarent. Alias per audaciam minus peccaturos: nunc vel minimum errorem, Indiæ imperio pernicioſiſſimum fore. Nam quod rebantur, vile illic vulgus ac gregarium obſidioni incubare, & multo minores quam p fama, copias eſſe: in eo ipſos magnopere falli. Quin potius adeſſe ibi totius imperii Cambaici vires. Quod ſi ſpreta militari diſciplina, iniuſſu imperatoris, eruptionem facere molirentur, ſe minime gentium eos in tanta vecordia ſubſequuturum. Sin (quod melius rectiuſque, & quod ipſis, vt fortibus & prudentibus viris potiſſimum conueniat) ducis imperium conſiliumque reſpicerent: ſe inprimis authorem eſſe, vt euſque expectetur, donec hoſtium quempiam interciperent, à quo hoſtilis exercitus magnitudinem vireſque cognoſcant. Interim vero aliis atque aliis, quas quotidie expectabant, nauibus in portum appellentibus, fortiore poſtmodum manu ſe hoſtes aggreſſuros. Quamobrem iterum atque iterum omnes oratos velle, vt ſuis monitis obtemperarent, quibus nihil, niſi quod rectum ſanctumque, ac omnibus ſalutare eſſet, præcipiebatur. Hac concione vtcunque permotis pacatiſque militibus, vt cum Aluaro Caſtrio & Franciſco Meneſio, de negocio conferret, ſe ad ſuas ædes contulit. Ea deliberatio quum inter ipſos verſaretur, forte hoſtes in baſiliſcum, quem ſupenſum in parietinis relictum fuiſſe demonſtrauimus, ancorarium funem iniiciunt, vt in ſublime attraherent. Tum vero milites quum id animaduertiſſent per occaſionem acceptæ in oculis iniuriæ, ad Maſcaregnam concurrũt: Indignam rem, ſic ſe ab hoſtibus ludibrio haberi, quum coram, in omniumque oculis, talia auderent tentare. Itaque æſtuantes, diſſono clamore ædes complent, poteſtatemque caſtra aggrediendi, omni ferocitate pertinaciaque poſtulant. Inter quos quidam ſeditioſius, quam par erat: Patiemur ne, inquit, amplius tali parere duci? Nonne honeſtius luteæ cuipiam obtemperabimus ſtatuæ, quam huic ſocordi? Cui Maſcaregnas tam prudenter, quam ironice, Forſaſſe, inquit, ô miles, ſtatua lutea ob inertiam imbecillitatemque haberi debeo, ac propemodum metalem agnoſco. Sed illud etiam ſcio, te in hoc temerario prælio, quod tantopere inire cupis, omnium primum in arcem refugiturum. Nec vaticinium fefellit. Nam feroculus ille, primus omnium fugam cepit. Hoc tumultu Maſcaregnas commotus, & quod neminem omnium in ſuam ſententiam deſcendere videret, ceſſit bacchantium furori, ne ſeditionem etiam intus concitare videretur. Ire igitur ad arma iubet, centum militibus ad arcis præſidium relictis. Primam aciem Aluaro Caſtrio, alteram Franciſco Meneſio ducendam tradit. Ipſe (licet inuitus) cum reliquis copiis ſubſequutus eſt. Igitur correptis celeriter armis, & habita breui concione, peractiſque ſacris, erumpunt, aggeres tranſiliunt, inde ſuperatis munitionibus, excubitoribuſque de ſtationibus depulſis, in caſtra prouolãt. Hoſtes vero, cognita eruptione, ſublato clamore, ſignoq; dato, in noſtros protinus inuehuntur: qui quum hoſtium vim ſuſtinere non valerẽt, eadem qua venerant, retro abeunt, ſumma & incõdita trepidatione. Itaq; inſequentibus hoſtib. centum circiter de noſtris deſiderati ſunt, inter quos noti equites Luſitani, Frãciſcus Meneſius, Franciſcus Almeida, Lupus Soſa, Rodericus Ferdinandus Chaulienſis municipii queſtor, Franciſcus Guillermus, Nonius Pereira, Eduardus Meneſius Pereira, Ferienſis comitis filius. Qui

omnes fortiter pugnando, oppetiuerunt. Is, quem dixi, Ferienſis comitis filius, hoſtium impetum poſtremus ferens, ſaucius grauiter, nec loco tamen cedens, indolem ſuam, clariſſimorumque natalium decus, egregie oſtendit, ſummumque virtutis ſuæ teſtimonium reportauit. Nam cæteris fugam ignominioſam exprobrans eos omni ratione reuocare nitebatur, voce magna inclamans: Subſiſtite commilitones, & pectus frontemque in hoſtem obuertite: neque tam probroſe fugiatis, qui paulo ante erumpendi facultatem per ſeditionem extorſiſtis. Teſtor veſtram fugam, & iſtam Luſitanicæ gloriæ maculam, me aut hîc in veſtigio moriturum, aut dilapſis omnibus, non niſi vltimum rediturum. Quod & ipſum facto præſtitit, nam dictorum fidem, morte ibidem fortiſſime excepta, adimpleuit. Fugientium pars ſtatim in ipſo certamine interiit, pars vulnerum vi poſtea extincta eſt. His tantis malis circumuentus Maſcaregnas, quatenus tempus ferebat, diſperſorum fugam reprimere conabatur, vt vna collecti, cedentique acie, minore iactura ſeſe in arcem reciperent. Sed quos timor agebat, virtus aggregare non poterat. Nam ſinguli ſuæ quiſque ſaluti conſulentes nullo ſeruato ordine, fuſi diſperſique ad ſtationes recurrebant. Aluarus vero Caſtrius maceriem in redeundo cõſcendere adnitens, à funditore in capite grauiter ictus, ſubito retrorſum in præceps abiit. Quod Maſcaregnas animaduertens, protinus cadenti ſuccurrit, & ex hoſtium manibus ereptum, in arcem comportari curauit. Eo in loco, dum Aluaro Caſtrio ſubuenitur, iuxta Maſcaregnam, bombardæ manualis iaculo Franciſcus Almeida, cuius ſuperius meminimus, traiectus occubuit. Itaque hiſce acceptis damnis, in arcem redire Maſcaregnas compellitur. Hæc Calendis Septembribus acciderunt.

Porro caſus hic tantum terrorem noſtris iniecit, vt deinde hoſtibus inuadentibus, quod ſingulis quibuſque diebus fiebat, ad muros accedere formidarent. Quem iſtorum timorem vix ducis fortitudo animique præſentia imminuere valuit. Hoſtes contra, victoria hac elati, maiores ſpiritus concepêre. Quapropter acriori peruicacia arcem euertere conniſi, turrim illam quæ ſuperioribus temporibus ſub Antonio à Sylueira, in Rhomæorum ſiue Thracum oppugnatione proſciſſa fuerat, rectis cuniculis deiecerunt, ac turrim etiam nouam, quæ ſupra decumanam veterem portam conſtructa erat. Potiorem quoque muri partem demoliuntur. Ad hæc, muro, qui turribus Diuorum Ioannis Thomæque interſitus erat, ſuperato: duas bombardas ſupraponunt, quarum iaculationibus noſtri intus per arcis plateas verſare prohibebantur. Præterea baſiliſco ac leone ex Thomæa turri deductis, ſtationem in ipſius turris fronte conſtituunt, atque inde bombarda ac duabus machinis adductis, domorum tecta miris modis conquaſſabant, Maſcaregnas vero quum his difficultatibus premeretur, bombardis tormentiſque bellicis ad neceſſaria loca diſpoſitis, hoſtium violentiam, quatenus fieri poterat, reprimere meditabatur. Quare è regione ex pugnatæ turris D. Thomæ, nouam turrim excitauit, ex qua & maior arcis pars protegebatur, & hoſtes ita cohibiti ſunt, vt neque extra murum caput efferre, neque in arcem iacula emittere, niſi cum ſummo periculo, vlterius poſſent. Interea temporis ſuper fluuium ad Rhomæorum oppidum vſque pontem hoſtes deduxerunt, opus admirabile, contra aquarum rapidiſſimos acceſſus & receſſus, per quem ex inſula in continentem plauſtra vehiculis impoſitis, ac totus exercitus ad neceſſaria deportanda inuehendaque commeabant. Dum hæc ad Dium agebantur, menſe Septembri nuncius Goam ad Proregem defertur, de Ferdinandi Caſtrii ſui filii morte, & clade illa, quæ ad decimum Auguſti ignis vi obtigerat, quam ſub finem ſecundi Commentarii retulimus. Quo nuncio etſi dolore cruciaretur, ne tamen militum animos ſegniores ſuo luctu redderet, ad Dienſem expeditionem, ſubſidiaque ferenda, ſimulata animi alacritate, feſtiuis purpureiſq; veſtibus indutus, ciuitatem luſtrauit, omnibuſque palam teſtatus eſt, ſe non tam grauiter ferre interitum filii, quam magni facere, quod honeſta morte dignaq; ſuis natalibus occubuiſſet: Verum magno ſtaturum hoſtibus fortiſſimi adoleſcentis funus, & oppugnatam Dium, inter minas iactitabat. Itaq; protinus Aluarum Cugnam cum celoce emittit, cui diplomate ad id dato colligendi omnes noſtras naues, quæ per littus Indicum diſperſæ vagabantur, poteſtatem fecit, imperatq; quotquot eo menſe aggregaſſet, ilico Dium ſecũ abduceret. Is itaq; quinq; celocibus cum mediocri hominum manu, ſub ipſius menſis finem, in portum Dienſem recipitur. A cuius aduentu, militum delectu habito, mille ducentorum copiam numerus excedebat. Per hunc ſcripſit Prorex ad Maſcaregnam, ne ante eius aduentum, quenquam extra arcis mœnia amplius cum hoſtibus confligere pateretur. Poſtea dimiſſo Goa Aluaro Cugna, per ſummam feſtinationẽ quadringenti milites, quinque nauibus imponuntur, inter quos aliquot architecti & latomi fuêre. Ii variis vſi tempeſtatibus, Dienſia æſtuaria intra paucos dies tenuerunt. Bello itaque promiſcuis cladibus ſæuiente, noſtri aliquot

hoſtium

hoſtium naues, quæ ex ſinu Arabico in Cambaiam enauigabant, interceperunt, quarum pars potiſſima mercibus nobiliſſimis onuſta erat. In iiſdem erat conſanguineus quidam Coii Sophari, quem Spharus ipſe dum viueret, Cairum (militis colligendi gratia) amandârat, & is nunc exercitum bene magnum, & ad rem bellicam egregie inſtructum, ſecum ducebat. Sed acri nauali prælio ſuperatus, fere omnes ſuos amiſit. Solus enim duntaxat Sophari conſanguineus cum aliquot nobilibus, cæteris interfectis, viuus reſeruatus eſt. Verum & ii quum in arcem deducti eſſent, iugulati ſunt, ac eorum capita ſecundo aquarum refluxu, in hoſtium caſtra ad oppidum præterlabi deflueréque ſinuntur, vt agniti à ſuis, luctum in caſtris ac deſperationem facerent. De noſtris permulti in hac nauali dimicatione vulnerati fuere, mortui quoq; non pauci. At Prorex, qui Goę reliquam claſſem inſtruebat, tempus idoneum nactus, cum ſeptuaginta circiter nauibus è portu ſoluit, ac difficillimis tempeſtatibus vſus, Bazainum tenuit. Quo in loco vniuerſam claſſem, quæ ventorum aſperitate diſperſa, ſimul appellere non potuit, expectare propoſuit. Ibi autem commorãs, ne tempus tereretur, Emanuelem Limicum cum minoribus aliquot longis nauibus ad Surraticum littus inuadendum miſit. Quã ſtrage hoſtium non vulgari, cum ingenti nauium præda, littoribuſque populatis, Bazainum reuertitur. Reuerſo Limico, Prorex, qui, quamdiu claſſis in ſtatione littoris ventis aduerſis retenta fuit, nunquam voluerat in terram deſcendere, poſt ſexdecim dies quam venerat Bazainum, ancoris ſublatis, Dium verſus nauigauit, interq; nauigandum, iterum Emanuelem ipſum Limicum ad ſinum Cambaicum explorandum vexandumq; præmiſit. Qui aliquot hoſtium nauibus ſubmerſis, pagis attegiiſq; incenſis, inſuper cæde non minima quaquauerſum edita, Branmaluci tamen bene de noſtra amicitia meriti ditionibus intactis, ad Mortuorum inſulam ſe Proregi coniunxit. Inde rebus omnibus ordine diſpoſitis, velo dato, felicibus auſpiciis ſeptima Nouembris, vniuerſa claſſe ſalua, cum mille ſexcentis militibus Luſitanis, ad portum Dienſem applicuit, quo iam appulerat Laurentius Petreius Tabora, dux eius claſſis, quam Luſitania ſingulis quibuſq; annis in Indiam mittere conſueuit. Is enim vbi Cochinum venit, & quæ ad Dium agebantur, reſciuit, claſſe illic integra relicta, Proregis aduentum vno die anteuerterat. Cuius prouida diligentia, indubitatam noſtri de futura victoria opinionem conceperunt. prorex igitur arcis æſtuaria ingreſſus, ancoris iactis, nauibuſq; per ordinem diſpoſitis, Maſcaregnæ per nuncium iniungit, vt quamprimum ad ſe veniat. Qui poſteaquam aduenit, & de belli gerendi rationibus inter ipſos vltro citroq; habitus ſermo fuerat, in arcem reuertitur. Poſtero vero die, in ea parte qua meſopyrgion illud maius mare reſpicit, binæ ſcalę, iubente Maſcaregna, apponuntur, per quas noſtri ſeſe in arcem, æſtu recedente, commode recipere poterant. Atque etiam per omnes arcis turres, nec non in ea quę in alueo fluuii poſita eſt, bombardæ nouo ordine diſponuntur. Cui negocio naues aliquot adhibentur, ex quibus omnibus die noctuque omni contentione in hoſtium caſtra tela emittebantur. Qua iaculatione, ea ruina eſt facta quæ poſtea magno vſui noſtris fuit. Nam per ea loca, quaſi reuulſis repagulis, caſtra tentari primum cœpta ſunt. Hoſtes vero his rebus minime perterriti, alacri, erectoq; animo, futurum prælium expectabant. Ergo ad munitiones tuendas, ſelectiores milites bombardis manualibus inſtructos apponunt, quibus & alii præſto erant, ad id collecti, vt igneos globos & amphoras igneas in noſtros proiicerent. Inſuper in turribus, quas ſuper flumen in murorum angulis antea erexerant, hîc illic patefactis foraminibus bombardas admouent, vt ex ea parte noſtros in terram deſcendere prohiberent. Nam per eum locum ſuſpicabantur Proregem caſtra inuaſurum. Quamobrem quindecim millia militum ad deſcenſum prohibendum eodem in loco, vna cum excubitoribus conſtituunt, qui ſacramento militari addicti, deierauerant, noſtrorum impetum quibuſcunq; ſe rationibus laturos, repreſſuroſq; eſſe. Atq; ita reliqua, quæ ad defenſionem pertinere videbantur, ſuo ordine & ſerie, tanta prudentia diſponunt, vt ea in re magis veteranorum Romanorum experientiam imitari eos diceres, quam temeraria barbarorum conſilia. Prorex igitur nona Nouembris clam in arcem deſcendit, ibiq; rebus gerẽdis ordine diſpoſitis, iſtiuſmodi ſtrategemate hoſtes ludificatus eſt. Nam vt falſo numero eos deciperet, nautas, latomos, calones, lixaſq; de tertia vigilia nauibus littus impetere, ſinguloſq; binas erectas haſtas in manib. geſtare iubet: Remigibus vero imperat, vt dextra remos agant, ſiniſtra bombardicos funes igne incenſos teneant, ac vt vehementi tympanorum ſonitu, ſtrepituq; tubarum immenſo, & quanto poſſent, edito clamore, illam partem, qua hoſtes opinabantur illum deſcenſurum, ſimulato, lentoq; curſu (quum ſignum ex arce daretur) impetere ſe fingerent. His ita decretis, arcis cuſtodiam iuſto præſidio Antonio Corrigiæ Bazainenſi quæſtori cõmiſit. Ac poſtero die, ipſo iubente, ex omnibus arcis portis valuæ ademptæ, ac procul ſemotæ, ne noſtri in fuga vllam ſpem reponerent. Orto iam

ſole,ſacrisque peractis,& ſigno nauiculis dato, Luſitani ad duo circiter millia & quingentos,erumpunt,hoſtium muros inuadunt, ac inde agminibus in ordinem digeſtis, ad ſtationes hoſtium contendunt. Illi porro quibus nauale negocium commiſſum fuerat,ſigno accepto, in illam partem, in qua potior hoſtium manus noſtros opperiebatur, naues eo ordine vt imperatum erat, dirigere ſe ſimulant. Hoſtes vero vbi vexillum regium, inſigniaque militaria conſpexere, ac quo claſſis tenderet, animaduerterunt, illic totius exercitus vim adeſſe exiſtimantes,magna ex parte ſtationibus deſertis conferuſſimi ſeſe ad littus proripiunt. Quamobrem noſtris excundi minori periculo poteſtate facta, Meſcaregnas (cui prima acies concredita erat) quadringentis militibus conſtipatus,primo loco eruptionem in caſtra fecit. In eo conflictu concurſuque ad muros, de noſtris circiter quinquaginta deſiderati ſunt. Sed ſuccurentibus confeſtim aliis, hoſtes retrocedere & animum remittere cœperunt. Quod vbi ab iis qui ad littus claſſi noſtræ obuiam iuerant,eſt animaduerſum: protinus ipſorum ſelectior manus ad eum locum, vbi dimicationem vigere cognouerant,ſe contulit. Ibique prœlio conſerto, ancipiti Marte eouſque pugnatũ eſt, donec à Prorege periculo cognito, milites, qui ſubſidio irent, ilico mitterentur. Ipſe autem Prorex cum Laurentio Petreio Tabora inter illud flexuoſum & multis ſinibus ambagioſum vallum procurrens, turrim quandam expugnat, ex qua noſtri, antequam caperetur,multa infeſta patiebantur,omnibus ibi hoſtium præſidiis ad vnum interfectis. Id tamen non abſq; diſcrimine. Nam Eduardus Barbutus vexillifer, bis in cacumen euadens bis inde deiectus eſt,ſed tertiò, nouo impetu facto, pertinaciter irrumpens, vexillum tandem ad pinnacula affixit. Expugnata turri,ac cuſtodibus tradita, per tramites iſtius ſinuoſi valli iterum recurrentes, aliquot ex hoſtibus interficiunt. Cæteri, loco deſerto,fuga in caſtra conuolabant. Interim hoſtium manu ſubſidiis firmata per Rumecanum,maximi inter ſuos imperii ducem,tam vehementer in Maſcaregnam impreſſio fit,vt noſtri impetum ſuſtinere amplius non valerent,& ordine turbato, reſilire occiperent. Id ipſe Maſcaregnas animaduertens,conclamat,ſuoſque ad reſtituendum hortatur: Vrgerent victoriam, quam iam propemodum adepti eſſent, non ſupereſſe victis vlla ſuffugia, exarmatam eſſe aciem,ablatis valuis. quicquid munitionis fuit,non iam minus hoſti,quam ipſis patere,adeſſe omnia auxilia,quæ à ſuis ſperari poſſent: aut his copiis eſſe vincendum, aut pereundũ: meminerint ſe non minus pro vita,quam pro imperio pugnare. Si pedem referrent,nec victis vitam,nec mortuis ſepulturam immaniſſimum hoſtem conceſſurum.

His ducis vocibus experrecti,tanta animi præſtantia in hoſtes ſe referunt,vt quanquam per ſummam pertinaciam hoſtes reſiſterent,impetum tamen noſtrorum amplius ſuſtinere non poſſent: effuſaque fuga,terga verterunt. Quare diſperſim palantes,alii per pontem, alii per vada natando currendoque ſe, quotquot potuere, extra inſulam eiiciunt. Itaque oppido capto,caſtriſq; ſuperatis, in omnem ſexum ferro igneq; ſæuitum eſt. Quæ à conflagratione fortunæ caſus immunia inuiolataque ſeruarat, iubente prorege, diruta euerſaq; prorſus fuere. Hic exitus ampliſſimæ ditiſſimæq; Dienſis ciuitatis fuit. In caſtris vero & in oppido videre licuit triclinia menſaſque ſtratas, cibariaq; igni appoſita,inuentaq; in foro etiam eſculenta,tanquam pacis tempore vænum expoſita. Non enim de tam ſubita fortunę mutatione,quiſquam eorum vel cogitarat. De noſtris hoc prælio circiter centum quinquaginta occubuere,inter quos noti equites Luſitani, Georgius Soza, Ioannes Emanuel, Franciſcus Azeuedus, Baptiſta Perſona, Coſmus Paiua, Balthazar Georgius, Eduardus Rodericus Nazinus, Vaſcus Ferdinãdus, Arius Gometius Quadrus. Iulianuſq; Ferdinandus militum cenſor, qui omnes cum ſumma gloria acriter pro fide pugnando, mortem oppetiere. Ex hoſtibus ſupra quatuor militum millia eo die cecidiſſe compertum eſt. Rumecanus vero,quem loco Sophari patris à Mamudio rege,exercitus ducem maximum fuiſſe conſtitutum, diſſeruimus: euadere connitens, inſignibus imperatoriis detractis, quum à noſtris ad oppidi foſſam cognitus eſſet, fortiſſime reſiſtens interfectus eſt. In eodem quoque loco Audecanus, qui pridie quam prælium commiſſum eſſet,cum quinq; millibus militum in caſtra venerat, vna cum Hidalcano externorum militum duce occiſus eſt. Alii præterea quatuor regis Cambaiæ ſtrenui duces ibi deſiderati ſunt. Iuzarcanus iunior pro virili dimicans,viuus captus eſt, & magna cum reuerentia Proregis iuſſu à cuſtodibus ſeruatur. Solus autem ex ducibus præcipuis Moiatecanus equum nactus, per pontem,citato curſu euaſit. Regium Cambaiæ vexillum atque plura militaria ſigna ad Proregem delata ſunt. Iam promiſcuæ multitudinis, virorum mulierumque, & puerorum interfectorum numerum immenſum & miſerandum fuiſſe conſtat. quibus rabies militum & ſuis antea malis,& nunc ſociorum mortibus irritata, nulla ratione parcere ſuſtinuit. Quippe non ſolum non ab infantibus, aut grauidis mulierum ventris, ſed ne brutis quidem

quidem animantibus ferrum abſtinuit militaris furor. Relicta ſunt ab hoſtibus omnia tormenta bellica, inter quæ etiam leo ille & baſiliſcus fuere: qui ad Thomæam turrim ab hoſtibus erepti, cauſam tantæ cædis non ita pridem noſtris attulerant. Vniuerſo hoc bello, compertum eſt, cecidiſſe de noſtris militibus, tam ad Dium, quam in naualibus prælijs, circiter mille ſexcentos. Prorex autem, victoria parta, quos vltimo hoc prælio deſiderauit, ſepeliri quam honorificentiſſime iuſſit, ſauciosque reficiendos curauit. Inde militibus congiario ſtipendioq; dato, ac virtute ſingulorum pro cuiuſque meritis honorata, arcem protinus à fundamentis nouâ ratione ædificare occepit: Laurentius vero Petreius Tabora, rebus omnibus ex animi ſententia tranſactis, Cochinum ad claſſem reuertitur. Inde nauibus à terra ſolutis, ſaluus Oliſiponem applicuit.

TERTII ET VLTIMI COMENTARII DE BELlo CAMBAICO II. *Finis.*

INVICTISSIMO LVSITANIÆ ET ALGARBIORVM REGI IOANNI III. AFRICO, ÆTHIOPICO, Arabico, Perſico, Indico,

IACOBVS TEVIVS PERPEtuam felicitatem optat.

CVM te Rex Inuictiſsime, viderem, non ſolum domi optimis legibus & inſtitutis regnum ornantem, & foris iuſto, ac pio bello fines propagantem, ſed & priuatim tuos ciues omni munificentiæ genere ad virtutis ſtudia excitantem & omnibus vndique gentibus in ſuo quosque genere præſtantiſsimos, ampliſsimis præmiis inuitantem, cæpi mecum cogitare, qua in re potiſsimum, vel ciuibus meis prodeſſe, vel hoc tuum ſanctiſsimum inſtitutum aliqua ex parte iuuare poſſem. Cum interea commentarius rerum nuper in India geſtarum mihi oblatus eſt: quem vbi perlegiſſem, exiſtimaui me multis de cauſis operæpretium facturum, ſi res quæ in eo continerentur, latinis literis mandarem: quæ tantæ ac tales ſunt: vt non minus ex magnitudine admirationem, quã ex nouitate gratiam ſint conſecuturæ. Nam vt alia bella maiorum temporibus geſta, aut numero copiarum, aut diuturnitate temporis maiora videri poſſunt: ita hoc, vel imperatorum prudentia, vel militum virtute & tolerantia; vel periculorum magnitudine, euentus varietate, nouorumque machinamentorum excogitatione cum maximis cuiuſuis æui bellis facile comparari poteſt. Iure etiam ſuo exigere videntur propinqui mortuorum hoc genus ſolatii: iure militum ſuperſtitum virtus hanc gloriæ mercedem: vt res ab ipſis proſpere, ac fortiter geſtæ omnium ſi fieri poſſet linguis legerentur: omnique poſteritati ad virtutis æmulationem proponerentur. Hæ mihi cum iuſtiſsimæ viderentur cauſæ ſuſcipiendi laboris: acceſsit præterea voluntas tua, cui ego rem tam honeſtam imperanti non parere, prope nefas exiſtimauerim: atque ideo faciendum putaui, vt ſub tuo potiſsimum nomine commentarius hic prodiret, vt quæ in rebus gerendis felicitas adfuit, eadem cõmentario eiſdem auſpiciis emiſſo contingeret. Quamquam alioqui qui-

cunque ex literis fructus prouenit iure optimo ad te pertinere videatur: qui Luſitanos tuos antea in in hoc genere incultos, humaniorumque diſciplinarum pene expertes, maximis tuis ſumptibus, ſummo ſtudio ac diligentia excoli erudirique iuſsiſti. Nam ad hæc fere tempora, falſa illa perſuaſio quorundam animos imbuerat, non ſolum laude dignum non eſſe, ſcire literas: ſed illas diſcere quodammodo pro vitio habebatur. Tu primus ex mentibus noſtrorum hominum fœdam hanc & pernicioſam opinionem, quæ tam alte radices egerat, euulſiſti, qui iam inde à feliciſsimis regni tui principiis Lutetiam omnium bonarum artium altricem optimæ cuiuſque indolis quam plurimos ſelectos iuuenes, ad capiendũ ingenij cultum mittere curaſti. Hoc fuit literarum in Luſitania indies magis ac magis pullulantiũ ſeminariũ, his veluti iactis fundamentis, nobiliſsimã Academiam, in qua à doctiſsimis hominibus omnes diſciplinæ ſuo priſtino nitori reſtituuntur, Conimbricæ excitaſti. Vidiſti in tuis hominibus materiam ad literas capeſſendas peropportunam, quæ præceptis doctrinæ melior reddi poſſet. vidiſti illos & ingenij acrimonia, & maturitate iudicii, & perferendorum laborum conſtantia, ſi ars exercitatioq; accederet, nihil non magnum præclarumque præſtaturos. Voluiſti igitur, vt non ſolum rei militaris gloria, qua ſemper noſtri homines floruerunt, ſed etiam literarum dignitate ciues tuos excellere, quibus vt nihil in rebus humanis præſtantius inuenitur, ita nihil tibi maius debere poſſumus: cuius benignitate ſtudioque effectum eſt, vt Luſitaniæ expulſa finibus barbaries exularet, totiusque humanitatis cultus pro illa retineretur. Scimus quantus omnium diſciplinarum amor ſit tibi: quam propitius, liberaliſque ſemper hominibus literatis fueris: quid egeris, vt præclara literarum ſtudia, iam pene mortua & conſepulta ſuſcitares: vt non modo fortunis & corporibus tuorum, verum etiam quod multo maius ac dignius eſt: animis excolendis proſpiciendum putares. Quapropter vt ante dixi: cum omnes qui vel tua munificentia adiuti, vel tuis auſpiciis excitati, aliquid in literis promouerunt: ſuorum ſtudiorum fructus tibi debeant: hunc commentarium meorum veluti laborum primitias, tibi dedicandum cenſui: idem facturus in vniuerſa rerum Luſitanicarum hiſtoria, cum primum per occupationes licebit: in quibus ſubeundis quemadmodum tuam potius voluntatem quam aliorum de me opinionem ſum ſecutus: ita etiam libenter perferam, quoad tibi viſum fuerit: nec vllum locum humilem vnquam exiſtimabo, in quo me tibi gratificari poſſe intelligam: tuæque potius voluntatis, quam meorum commodorum rationem habebo. Vale Rex inuictiſsime, Conimbricæ Calendis Martiis. M. D. XLVIII.

AD EVNDEM INVICTISSIMVM REGEM DE HOC COMMENTARIO GEORGIVS BVCHANANVS.

CVm tua ſceptra Aſia gens, Europaq; timeret,
Et tremeret faſces terra Libyſſa tuos:
Iamque iugi patiens Indus: nec turpe putaret
A domino Ganges poſcere iura Tago:
Inq; tuis Phœbus regnis oriensq; cadensq;
Vix longum feſſo conderet axe diem:
Et quæcunq; vago ſe circumuoluit olympo,
Luceret radiis flamma miniſtra tuis:
Gaudebat tibi deuictus, ſibi redditus orbis,
Noſſe ſuos fines, iuſtitiamque tuam.
Vna aberatq; oberatq; tuis Mors ſæua triumphis,
Carpere victricem ſcilicet auſa manum.
Et comes huic tenebris niſa eſt obliuio cæcis
Fortia magnanimûm condere facta ducum:
Donec Apollineis ſe Teuius induit armis:
Et ſpolia è victa Morte ſuperba tulit:
Victuriſque iubet chartis iuueneſcere, vitæ
Prodiga pro patriæ pectora laude ſuæ:
Proque aut paucis, quos Mors præciderat, annis
Reddit ab æterna poſteritate decus.
Iure ergo inuictus Rex es: quando omnia vincens
Acceſsit titulis Mors quoq; victa tuis.

IOANNIS COSTAE AD LVSITANIAM, CARMEN.

Græcia Mæonio celebrata eſt carmine, quondã
Fortuna, ingenio, marte, opibusq; potens.
Aequa quod edomiti ſit gloria finibus orbis,
Hiſtoria debet Martia Roma ſuæ.
Nec metuunt chartis commiſſa fidelibus æuum,
Quæ geſſere Libes, Media, Perſis, Arabs.
Deniq; gens nulla eſt, eſt ſi modo nomine digna,
Quæ non ſit laudis vindice tuta ſua.
Tu ſola ante omnes, ô Luſitania felix,
Et tacita, & tenebris pene ſepulta, iaces.
An quia materies deeſt laudibus: an quia ſors eſt
Inuida, virtuti nec ſatis æqua tuæ?
Parua ne materies luſtrati eſt gloria mundi?
Victaq; militibus terra fretumq; tuis?
Hos capit intrepidos nouus orbis, territus hoſpes
Spectat, & Heſperio dat ſua colla iugo.
Maior & inuidia eſt rerum menſura tuarum.
Cur ergo has laudes pagina nulla canit?
Nempe Deus celebrem te noluit eſſe, priuſquam
Summa fores, ſummo rege, opibus, Sophis.
Sunt tria iam ſumma hæc, rex ſummus, & gloria ſumma.
Gentis & in ſtudiis laus quoq; ſumma tua.
Additus his ſcriptor ſummus: cui tradita cura eſt,
Teuius aut potius Liuius eloquio.
Gaude igitur felix ô Luſitania, cum ſint
Singula vix aliis, omnia ſumma tibi.

COMMENTARIVS DE REBVS A LVSITANIS IN INDIA APVD DIVM GESTIS, ANNO SAlutis noſtræ M. D. XLVI.

IACOBO TEVIO LVSITANO AVTORE.

ANNO Salutis noſtræ M. D. XXXVIII. Nonius Cunna prętor Luſitanus, Indicis prouinciis præerat: cũ Baducus rex Cambaiæ in portu Dij oppidi à nauta Luſitano cæſus, meritas ſuæ perfidiæ pœnas luit. ei ſucceſſit in regnũ ſummo popularium cõſenſu nepos Mamundus annos duodeviginti natus. Hunc præter vetus, & hæreditarium in nos odium, & recentem ex regia cæde iram, multa ad bellum incitabant: regnum inter illas gentes ampliſſimum: iuuentute, opibus, aliiſq; rebus, quę bellum vel inſtruunt, vel alunt florẽtiſſimum, maximi apparatus ab auunculo relicti, frumẽtum in horreis in multos annos præparatum, pecuniæ magna vis in ſtipendium militum, armorum, ac telorũ omnis generis infinita prope multitudo. Accedebant ad hæc belli tormenta, quæ domi parata habebat, quinq; maximi Baſiliſci (ſic res nouas, & ante incognitas nouis, ac ſuis cuiuſq; gentis vocabulis nuncupare cogimur) Spallafati complures, mortariaq; : e quibus vnum præcipuæ magnitudinis à Romæis aureorum ducatorum circiter ſexaginta millibus emerat, innumeraq; alia tormenta: Cameli, ſphęrę paſſamuri, cãnones, ex ære omnia: quorum nonnulla, cum Antonius Sylueſtra arci Dienſi præerat, ex noſtris ceperant. Iam ſocietates, atq; amicitiæ cũ propinquis regibus, ac populis aut renouatæ, aut inſtitutæ: longinqui legationibus pollicitationibus, ac pecunia ſolicitati. Hęc cum iuuenis animum & ętate ferocem, & contumelia accenſum facile à quietis conſiliis auertiſſent, accedebant principum quorundã adhortationes conuicio interim propiores, quæ ægrum ſua ſponte animum inflammarent. Quo tandem animo illum ferre oportere optimi auunculi necem indigniſſimam? tantum regem, in ſuo regno, ab exteris hominibus immaniter, fraudulenterq; occiſum? Cum grauiſſimæ cladis autoribus pacem, ac prope amicitiã eſſe: nec tam acerbam ipſam eſſe contumeliã, quam pudẽdos eius autores: paucos piratas commercii ſimulatione irrepſiſſe, qui nec externis auxiliis fidant, nec à ſuis, alium pene orbem incolẽtibus, quicquã opis ſperare poſſint. Eos arcem capitibus veterum incolarũ impoſuiſſe, vnde velut captiuis ac vinctis ſeruitutem minantur. Quouſq; tandem hæc ferenda regi opulentiſſimo, in regno omnibus rebus ad bellum neceſſariis inſtructiſſimo, vnde maximas copias cogere poſſet, quibus non ſolum paucos iſtos latrones expellere, ſed magnam

orientis partem ſubigere, ac ſuo imperio poſſet adiungere. Luſitanos cum omnes vires exercitus in vnum contulerunt, Garcia Noronia Indiæ prorege, militum vix quinque millia expleſſe. hac manu perexigua magnam Indiç partem deuaſtarũt, noſtris videlicet diſcordijs, nõ ſuis viribus freti: cum Magores omnia ſeditionibus miſcerent, ac perturbarent: per quos tum minime licuit iſtorum impetus propulſare nunc rebus compoſitis, ac trãquillis, nec a Magorib. aliove hoſte periculo imminẽte, non magno negotio nuper acceptã vindicari poſſe iniuriam, & antiquam gloriam à maioribus relictam, iam pene mortuam, & cõſepultam erigi, excitariq; poſſe: nouos dominos regni finibus expelli, Dium nobiliſſimam ciuitatem è manibus hoſtium liberari, arcemq; illam ſeruitutis domicilium aut recuperari, aut euerti. Magnum etiam momentum ad res nouandas attulit militum veteranorum, & imperatorum autoritas, qui ab exteris gentibus ſpe præmiorum à Baduco illecti in aula verſabantur. Baducus enim cum ſecreta belli cõſilia diu in animo verſaret, & ex omnibus orientis regnis ſi quem aut manu ſtrenuum, aut conſilio præſtantem, aut rei militaris peritia eximium audiſſet, magnis ad ſe pollicitationibus acceſſebat. Conuenerãt igitur ad eum plurimi Rumæi. Chriſtianiq; veteris ſacramenti, & religionis deſertores, Abeſſines, Fartagines, Arabeſq;. Hi omnes belli, quæ ſperauerant præmia in pace caſura cernẽtes, quibuſcunq; poterant rationibus, nunc facilem victoriam ſpondendo, nunc regis vires extollendo, magnifice de ſe, contemptim de hoſtibus loquentes, omnia permiſcere, ac perturbare conabantur. Sed hos omnes autoritate, potẽtiaq; Coius Sofar homo Italus facile anteibat. Is Surratem, Ruinelemq;, & alias opulentiſſimas prouincias tenebat: multus ei rei militaris vſus, multa peritia, idẽ imminentia primus videre, prçſentibus periculis obuiã ire, hoſtium explorare conſilia, ſuis in tempore præcauere, amicis atq; inimicis cum res poſceret iuxta comis, ac facilis, ſimulator, ac diſſimulator: eoq; amicitiç conciliandç mirus artifex: cum & humanitatem vultu præferret, & oratione: iram, odium, vindictç cupiditatẽ, occulta in animo haberet, quæ in tẽpore, maiore hoſtiũ detrimento ex inopinato expromeret: ſuorũ cõſiliorum adeo celator, vt ſçpius euentu rerum in ipſius oratione, aut alio quouis indicio proderentur: acta, promiſſa, fidem, iuſiurandum ad ſuam omnia vtilitatem referre. is adeo regi ſe inſinuãrat, adoleſcentiſq; animum adhuc ſimplicem ita ſibi deuinxerat, vt prope vnus ſecretiorum conſiliorum eſſet conſcius. Itaq; bellum paranti maxime idoneus is viſus eſt, per quem quæ deeſſe videbantur ad copias ab auunculo relictas adiiceret, & Luſitanos conſilium ſuum celaret. nec ille regis expectationem de ſe feſellit: tantũ enim pulueris ſulfurei, tam in vſum maiorum tormentorum, (quç vulgo bombardæ appellantur) quam minorum, quæ ſclopetæ dicuntur fieri iuſſit, quantum ſeptem annis ſummo labore, ac diligentia multorum artificum opera parari poterat. Nulla ad litus Patani lapidicina fuit, nulla officina ferraria vſquam, quæ non globis lapideis, ac ferreis perſtreperet. Bombardarios, Sagittarioſq; Caninos, ac Maluares magno numero habuit: arma, quibus corpora proteguntur, galeas, thoracas, loricas, aliaq; huius generis ad ea, quæ in armamentariis erant, tanta copia adiecit, vt vetus apparatus præ hoc perexiguus videretur. Galearum forma perſonæ inſtar caput, collum, totamque faciem operit. Aderat etiam operarum vis ingens, ac ſingulorum velut collegiorum magiſtri, qui cuniculis extruendis, caſtris metandis, & aggeribus protrudendis, valloq; iaciendo operam nauarent: qui machinas, omneque tormentorum genus fabricarent, promouerent, ſtatuerent, & in quem opus eſſet locum obuerterent. Tanti apparatus in vnum locum contracti ſpecies oculis obiecta facilem vnius arcis expugnationem omnibus ſpondebat. Interea ne noſtri, qui in Cambaia permulti verſabantur, hæc in ſe comparari ſuſpicarentur, metus belli à rege Patani prætendebatur: cum quo non ſibi bene conuenire Mamundus ſimulabat. Itaque ne quando ab eo ex improuiſo inuadi poſſet, hæc in promptu habere, hos eſſe opulenti regis theſauros, arma quam aurum magnorum regnorum verius opes eſſe. Adeoq; hæc ſimulatio proceſſit, vt hoſtes quotidie expectari crederentur: nec id commentum à gentis moribus abhorrebat, cuius reges inter ſe perpetuo inteſtinis odiis diſſident. Hic igitur rumor de rege Patani ſeminatus, & multorum ſermone continuatus, omnem ex animis noſtrorum ſuſpicionem exemerat, & quo magis animi à cogitatione belli auerterentur, Coius Sofar, qui bonã temporis partem Surratæ agebat, prætorem, quem gubernatorem vulgo appellant, cæteroſq; quos poterat Luſitanorum duces omni officiorum genere proſequebatur, ſibique conciliabat: noſtriſq; omnibus plurima, nec obſcura beneuolentiæ ſigna oſtendebat. Interea callidus, & ſubdolus animus hominis ſemper velut in inſidiis vigilabat, vt omnia noſtrorum conſilia explorata haberet, vires, opeſq; pernoſceret: nec illum quicquam eorum latebat, quæ noſſe ſua intereſſe exiſtimabat: qui arcibus prçeſſent duces, quantum cuiq; militum, qui commeatus, quis armorum apparatus multos, ſeorſum, ac ſæpe percontando perdidicit, nec id adeo

adeo difficile erat: quippe cum callidiſſimus hoſtis amicitiæ, ac beneuolentiæ obtentu ita ſimplicibus, & candidis noſtrorum ingeniis obrepſiſſet, vt nihil cum celarent. eoque minus ſibi ab eo præcauebant, quod pacem non minus ex vſu terræ Cambaiæ, quam ſuo eſſe exiſtimarent. Nec me hic tenere poſſum, quin illarum gentium taciturnitatem, ac ſilentium vehementer admirer, ac laudem: à quibus nihil eorum extorqueri poteſt, quæ contineri, ſupprimique oportere arbitrantur. ac ne illa quidem produnt, quæ omnibus aperta, & cognita ſunt. aliis tu quidem aut ſignis, aut coniecturis rem cognoſcas oportet: ab illis nunquam quicquam poteris extorquere, quod illorum ſilentium vtinam Chriſtiani homines potius æmulentur, quam admirentur. Quis non monſtri prope ſimile putet cum ſeptimum iam annum bellum apparari ſummo ſtudio, & ardore audierit, nec in tanta diuerſarum nationum colluuie conſilia belli vnquam euulgata eſſe. Cæteris igitur ad omnes belli vſus ſatis, vt videbatur, præparatis, optimum viſum eſt, regum exterorum animos denuo tentare: miſſi paſſim legati, & ad eos potiſſimum reges, qui maritimæ oræ præſunt, in qua noſtri arces, ac præſidia habent, regeſq; non paucos vectigales: ad Breamalucum in Baſſaino (hic regi Cambaiæ paret) ad Breamalucum in Chaullo, ad Dialcanem in Goa: cæteroſque qui ad oram Maladari adiacent, literæ in hanc fere ſententiam miſſæ. Sibi Luſitanos hoſtes infeſtiſſimos in animo eſſe finibus ſuis expellere: ex vniuerſa quoque India minimo negotio extrudi poſſe, velint modo officio ſuo non deeſſe. ſtatim vbi rupta fœdera, bellumque inchoatum audierint, ſinguli præſidia vicina aggrediantur, alienigenaſque paucos, qui aut occultis inſidiis, aut bello nefario aliena occuparunt, vndique ſimul oppugnent: prætorem regis Luſitaniæ vbiq; ſimul circumſtrepente belli terrore, tot diuerſis locis, tantoque diſſitis interuallo opem ferre non poſſe: eiuſque copias tam exiguas eſſe, vt diuiſæ facile debilitari, frangique poſſint. orat, atque obteſtatur, vt tanta occaſione arrepta fœdiſſimum ſeruitutis iugum à ceruicibus excutiant. quid enim non modo fœdius, ſed etiam miſerius eſſe, quam tot viros fortes, & qui perpetuo in ſumma libertate vixerint. paucis hominibus exteris, quibuſcum nec moribus, nec legibus, nec lingua conuenirent vectigales eſſe: & quod omnium eſſet indigniſſimum, nouas religiones, nouas ceremonias neglecto priſtino numinis cultu inuehi? Cuius contemptum omnium rerum perturbatio neceſſario ſequeretur. Apud hos reges, & ſi nonnihil literis profecturum ſe ſperabat, non tamen in illorum auxiliis tantum ſpei ponebat: vt non & mediterraneos ſolicitaret. Tantum nomen Luſitanum terroris barbaris facit. Hi reges hoc ſolo nomine nobis infenſi, quod Chriſtum colamus, partim milite, partim pecunia eum iuuerunt. Præterea Coius Sofar in ſinum Arabicum (vulgo anguſtias Mechæ vocant) ad propinquum quendam ſuum magnam auri, & argenti vim, literaſq; miſit, vti Turcas, Arabas, Abeſſines, ex Aſabebo, Suaca, & Iuda, quæ prouinciæ intra ſinum ſunt, extra vero ex Adena, viciniſque regnis fortiſſimum quemque militem ad ſe mittendum curaret: quod ille ſummo ſtudio, diligentiaque non inuitus perfecit. Id robur exercitus fuit. at reges, qui oram maris Indici tenent, tametſi ſua ſponte à nobis deficere cupiebant, literiſque regis Cambaiæ mouebantur, belli tamen alieni euentum expectare decreuerunt: amicos, inimicoſque pro fortuna partium habituri. Omnibus igitur rebus ad bellum comparatis, Rex Cambaiæ Sofarem potiſſimum elegit, quem ſummæ rerum præficeret. Nam præter opes ingentes, ſummamque rei militaris peritiam, in eo vno homine par tanto imperio adminiſtrando autoritas ineſſe videbatur: ac noſtrorum mores, & inſtituta optime credebatur callere. Rex præterea non ceſſabat pollicitationibus animum hominis incendere: in præſentia ſe Dium illi ciuitatem opulentiſſimã dono dare: maiorem in futurum præmiorum ſpem facit, ſi noſtros ex arce exturbaret. Sofar accepto imperio tormenta, commeatus, arma, cæteraque belli inſtrumenta in loca maxime idonea, noſtroq; præſidio propinqua contrahit, tirones ducibus externis, & veteranis militibus exercendos diſtribuit. Belli gerendi principium in hyemem differt: cuius initium ſub illo cælo ad Calend. Aprilis eſt. hac enim ratione ſatis prouiſum videbatur, ne à prætore noſtro, qui Goæ (ea velut Indiæ regia eſt) plurimum habitat, ibique conuentus agit, auxilia mitterentur. Nam ſex integris menſibus hybernis mare tempeſtatibus clauſum non ſine maximo periculo nauigatur: facile per id tempus arcem expugnari poſſe credebat. Arci tum præerat Ioannes Maſcarena Vir genere, factiſque clarus, magno rei militaris vſu: aderat & in periculis obeundis animi magnitudo, & in præcauendis inſidiis prouidentia, & in militum animis tractandis prudentia, vt nullam bene gerendæ rei ſpem ex temeritate, aut ſegnitie ducis hoſtes ſibi promitterent. Sed vix ducentos tum milites habebat quorum virtuti non ſolum illius arcis, ſed totius Indiæ defenſio, ſaluſque innitebatur. Sofar ergo, quem nihil eorum quæ apud noſtros agerentur latebat, & ſi inſtante hyeme maturandum videbat, tamen vt

eadem ſimulatione qua hactenus vſus fuerat, belli conſilia, quoad poſſet, occultaret, literas beneuolētię plenas in hanc fere ſententiā ad Maſcarennam ſcribit. Dium ſibi à rege Cambaiæ donatum, ſe eo breui venturū, eoq; libentius, quod bonā ſpem haberet, amicitiā iam inceptam mutuis ex propinquo officiis arctius coituram; ſibi in animo eſſe ciuitatem alioqui nobilem, & opulentam augere, amplificareq; rebus omnibus: velle eam munire commeatibus, & viris fortibus: non quod de bello quicquam cogitet: ſed nunquam melius pacem conſeruari, quam belli inſtrumētis. orare ne ſecus de ſe cogitet ſi munus regium magni æſtimare videatur; ex opulenta, celebrique ciuitate maiora emolumenta poſſe capi, quam ex inope, & deſerta: denique ſe, & quæcunq; chara haberet deuouere, omniaque dira ſibi imprecari, niſi regis Luſitanorum cauſa, cuius maieſtatis conſeruandæ ſe ſtudioſum aſſeuerabat, mallet ciuitatem nobilitare, quam ſua, ſe fœlicē, ac beatum, cui nunc demum contigiſſet, quod tam diu, ac tantopere optauerat, vt eius cōſuetudine libere frui poſſet. Orare ne animum ſyncerum, ac beneuolum aſpernetur. Bello igitur vt ipſe videbatur, ſatis commode diſſimulato, magnam hominum turbam cōmeatus in vrbem inferre iubet. hos ſtatim ſecutus circiter finem menſis Martij, pręfectus aliquot cohortium Turcicarum. Is etſi haud dubia iam imminentis belli indicia palā erumperent, quoad poteſt tamen rem præclare diſſimulat, nuntiis literiſq; ad Maſcarennam velut amicum miſſis. Ille, vt erat animi perſpicax, & ad omnes hoſtium conatus ſemper intentus, ſtatim fraudem præſenſit, & quanquam manifeſtis indiciis bellum apparari palam eſſet, tres exploratores, qui hoſtium mores, & linguam callerent, in ea oppida dimiſit, in quibus rex fere verſari ſolet, hi rebus diligenter inueſtigatis, hoſtiumq; conſiliis plane exploratis, cum viderent curribus bellica tormenta, cæterumque apparatum Inangen, Surratemque inuehi, omnia militari tumultu perſtrepere, omni ope bellum parari renunciarūt. Quibus rebus excitatus Maſcarenna non oſcitanter de ſumma rerum cogitādum ratus, iubet quāprimum architectos omnes, fabroſque, & cęteros varii generis opifices, qui vicina domicilia habebant, in arcem ingredi: omnia tabulata, tigna, trabes, malosque nauium introferri. Interea ineunte Aprili, alia militum manus à Soſare miſſa in vrbem ingreditur, is pacis ſimulandæ finis fuit. Horum enim militum petulantia & contumeliis omnis prorſus ex animis ſublata eſt dubitatio. Iam Maſcarenna rebus neceſſariis pro temporis anguſtia prouiderat: rei frumentariæ in primis cura habita Orizæ magnam copiam, nam eo, loco panis Indi vtuntur, alioſq; commeatus, quęcunque deniq; arci tutandæ idonea videbantur, quoad fieri potuit, diligenter comparauit, Mercatoribuſq; Luſitanis, qui vxores ibi duxerant, imperauit, vti quam quiſque poſſet maximam commeatuum vim in arcem aduehi curaret. ſterilitatem imminentem cauſabatur: periculoſam vtique præſidiis annonæ caritatem: ærarium regium iam exinanitum: æquum eſſe vnumquemque pro facultatibus priuata pecunia regem ad tempus iūuare: ſe id ipſum perlibenter facturum, mutuoque accepta pecunia cōmeatus aucturum: quod ab omnibus ſedulo, ac liberaliter prouiſum eſt: nec tam liberaliter tamē, quin & frumentum, & carnes, piſceſq; deficerēt. Nam cum Dienſes ciues intellexerunt aliunde coemi, comparari que non poſſe, neceſſaria ſuppeditare recuſarunt, circiter ducenti milites, vt diximus, in arce inuenti ſunt, cæteri cum exoluendis ſtipendiis pecunia in ærario minime ſuppeteret, in alias regiones paſſim dilapſi ſunt, & hos qui remanſerant, Maſcarenna multis iam antea beneficiis deuinctos illa veterum meritorum gratia potius, quam pecunia retinebat. Iam literas ad Ioannem Caſtrum Indiæ prætorem, & ad Baſſaimi, & Chauli præfectos ſumma diligentia miſerat: vti quam primum auxilia mittenda curent: rem, niſi breui ſubuentum ſit, fore in maximo periculo. Rebus igitur pro præſenti copia quantum prouideri poterat, paratis, cum iam Soſar, cum reliquis copiis vrbi appropinquaret, cum paucis illis præſidiariis ſe ad bellum parat: quod in Soſaris aduentum modo dilatum videbatur. Decima octaua Aprilis die Soſar ingenti multitudine ſtipatus, ſumma ciuium exultatione velut triumphans Dium ingreditur. Aderat vna Rumicam filius, quē machinis, tormentiſque bellicis rex præfecerat. Sequebatur præter militarem turbam, ingens alia colluuies, ſupra triginta millia hominum ſine armis baiuli, & calones, ac rerum bellicarum vilioribus miniſteriis tantum vtiles. ſed robur totius exercitus Turcæ erant, quinq; millia ſelectiſſimorum militum: è quibus quadringenti ſclopetarii. Cum his copiis vbi Soſar in regiam venit, Maſcarenam arcis præfectum de aduentu ſuo certiorem facit. eadem fore denuntiari iubet, quę antea literis mandauerat. Maſcarenna viciſſim, & ſi minime ignorabat, quo animo hęc dicerentur, tempori tamen ſeruiens, per Simonem Feum earū controuerſiarum iudicem, quæ de portorio oriuntur aduentum gratulatur, quē Soſar perhumaniter accepit, ſummam erga noſtros beneuolentiam vultu, verbiſq; præferens, pręfecto eum renūtiare iubet, ſe nihil magis habere in votis, quam vt pax perpetua inter ſuos ciues, Luſita-

noſq;

noſq; coaleſceret, & conſeruaretur, id vt ſuccedat ex ſententia, magnum in eo momentum eſſe, ſi firma, rataq; permanerent, quæ inter regem, & Garciam Noronnam proregem Indiæ conuenerant: ibi diſerte cautum eſſe, vt inter arcem, oppidumq; murus conderetur: quæ res neutris damnoſa videretur futura. hæc, vt mandata erant, renuntiata, Maſcarenna ad concilium retulit, vna omnium ſententia fuit, ne rumpendi fœderis occaſionē prębuiſſe viderentur, vt tabulas, quibus pacta, & conuenta continerentur, ad Sofarem mitterent: ſe omnibus quę ibi cauta eſſent perpetuo ſtaturos, ac ne latum quidem vnguem ab his, quę pepegerant, receſſuros. Ita regi ſuo placere ab eoq; diligenter ipſis imperatum, vt omnia vti ſcripta eſſent ad amuſſim ſeruarētur ſi murus ille, vti cautum eſt procul ab arce ædificetur, ſe non modo eos non morari, ſed quam poſſent opem laturos. Verum ſi ad eum locū ædificare pararet, à quo Emanuel Souſa cognomento Sepulueda, illos iam antea opus aggreſſos deturbauerat, id ſe minime paſſuros. ad hunc nunciū homo animi impotens bene diſſimulatum ad eum diem odium prodit: tabulas minutim conſcerpit: Simonē Feum, qui eās attulerat, comprehendi iubet: duoſq; milites Luſitanos, qui forte fortuna iuxta arcē inambulabant, arreptos in vincula conijcit. toto enim ſuperiore triduo mittendis vltro, citroq; nunciis nihil aliud moliebatur, quam vt ex noſtris quam plurimos pacis oſtentatæ fiducia incautius agentes exciperet. quod niſi Maſcarēna diu ante prouidiſſet, ea res in multorum vergiſſet perniciem. Pace igitur, vt dictum eſt, à Sofare turbata, violatiſq; fœderibus, in oppido repente tumultus exoritur, ac trepidatio. ad arma ab omnibus partibus conclamatur. ductor quidam manipulariūm è gente Braminum. (ſunt qui Brachmanas putant) cum expedita militum manu primus aduolat: ſclopetiſq;, & omni miſſilium genere in arcē iaculando aperte iam bellum exorditur. Fit maximus vndiq; aliorū concurſus. Sed antequam ad oppugnationem aggrediar, pauca de ſitu arcis prius dicēda videntur. Ea in pręaltę rupis tenui velut lingua procurrit: duabus partibus flumine, ac mari alluitur. Tertiā, qua vrbem ſpectat, foſſa ingens, ac murus, ſeptēq; turres modicis interuallis muniunt: quæ fere omnes à diuorum nominibus nūcupatę ſunt. In fluminis oſtio medio fere alueo rupes prominet: ea quoq; à noſtris impoſita turri ita munita eſt, vt fauces amnis hoſtibus infeſtas, noſtris tutas reddat. nam inter arcem, ac turrim nauibus noſtris ſtatio eſt: ſed tum demū onerandis aut exonerandis commoda, quam diu æſtu non reciprocante mare tranquillū eſt, alterum præſidii latus mare habet vadoſum, aut in certis gurgitibus prææltum, equiti, peditique, & nauibus iuxta imperuium. Arcem igitur vel natura loci, vel munimentis vndique tutam aggreſſi ab ea parte, quæ ad vrbem verſa eſt, qua ſola adiri poterat, oppugnare incipiunt: ea potiſſimum regione, qua ad oppidum Mahometanorum, quod illi Rumæum appellant, itur. Ibi enim tumulus loco cæteris magis edito, ad iactum fere ſclopetæ aſſurgit, ex quo pars maior arcis apparet eo in loco, anno. 1546. viceſimo primo Aprilis die, biduo ante eum diem in quē forte inciderat memoria, ac celebratio mortis Chriſti, vbi primum illuxit, magna noſtrorum admiratione turris apparuit, noctis vnius opus: lapidibus, non calce, bitumineve coagmētatis, ſed temere in cumulum congeſtis, niſi quod macerię inſtar frontes exequauerant. ingentes goſſipii ſarcinas pro pinnis obiiciunt: quibus tecti, à tormentis noſtrorum prope tuti erant, ab hac turri velut arce altera noſtram arcem maxime infeſtabant. præfectus vero Luſitanus quantum in re ſubita poterat, omnibus circumſpectis, turreis ſuis tuendas diſtribuit, vt quiſq; fortitudine, ac prudētia præſtabat, locis vnde plus periculi erat, præficit. Iacobeam turrim, quæ olim à Rumæis condita fuit, Ioanni Almeidæ, alteram ei propinquam Alfonſo Bonifacio committit. Thomæam turrim magnitudine, ac pulchritudine cæteris magis conſpicuam, Ludouico Souſæ tradit: eam vero, quæ in ſphęriſterium proſpicit, Antonius Freirus tueri iuſſus. Georgianam quę nouæ portę imminet, Antonio Paſſannę vetus propugnaculum, quod magnitudine cum eo quod ad portam rupis ædificatum eſt non eſt comparandum, Ioanni Viuicino. maius autē illud alterum propugnaculum Antonio Rodrico qui fortiter, ſtrenueq; dimicando ibi cecidit, credidit. Fernandum Caruallum turri, quę in æſtuario fluminis ſita eſt, pręeſſe iuſſit, ei triginta milites dati. Turribus omnibus in hunc modū diſtributis, ac militibus in eas pro pręſenti copia diuiſis, reliquam manū ſibi ſeruat velut in ſubſidiis, cum qua quocunq; res poſceret, ad repentina pericula occurreret. Verum antequā dimiſit, pręfectus paucis pro tempore eos allocutus eſt. Se non illis ducem datū, ſed Chriſtum immortalem, & omnipotentem deum. tanti ducis fiducia bene de victoria ſperandum eſſe, qui nullo milite, nullis armis, ſed ſolo ipſo nutu, nō modo exercitū illum: ſed omnes mortaliū vires poſſet ſuperare: omnes hac ſpe, fiduciaq; pugnare oportere, vt diuinitus ſibi auxilia nō putent defutura: Se ſe vero iam animo pręſagire victoriā, quam pro certa habeat. Quod autē ſibi nonnulli forte perſuadent commodius, & ad ſalutem tutius, id ego, inquit, non modo fœdum, & fla-

gitioſum, ſed longe omnium pernicioſiſſimum reor. Quanto enim ſatius eſt grauiter, ac ſtrenue dimicando glorioſe occumbere, quam ſe turpiter dedendo tormentis lacerari: crudeliſſimo, fœdiſſimoque mortis genere obtruncari? Id vnum à vobis commilitones peto, vt & religionis, cui nomen dediſtis, & Luſitanorum gloriæ, & veſtræ, maiorumq; veſtrorum virtutis vobis in mentem veniat. Cum eo autē hoſte rem eſſe cogitate, cui præter perpetuum Chriſtiani nominis odium, nec fides ſit in promiſſis, nec in victoria modus, nec erga victos vlla clementia. belli vero id genus eſſe, quod violatis fœderibus, contra omnes diuini, atque humani iuris contemptores, inuiti, ac multis, magniſque iniuriis, laceſſiti, ſuſcipimus: in quo vincere glorioſum, mori certa ſalus eſt, vinci non minus pernicioſum, quam turpe, ac dedecoroſum. nolite per Deum immortalem quæ maiores noſtri virtute animique magnitudine obtinuerunt, ignauia, torporeq; de manibus amittere: veſtramq; vitam, vel falſa ſpe ſalutis, vel turpi mortis formidine, in præſentem perniciem præcipitare. Hæc Maſcarenna, tametſi capiti omnium imminere vltimum diſcrimen videbat, præſenti animo locutus, primus ipſe labores aggreditur: primus pericula obit: militis, & imperatoris vti res, tempuſque poſtulabant officio fungitur. Reliqui confirmatis animis ad vltima perferenda in ſua quiſque præſidia abeunt: ac ſtatim omnes operi accincti centones, ac ſarcinas in ſummis turribus diſponunt: terrā accumulant. plena etiam dolia inter pinnas collocant: vt minore periculo in hoſtem iacularentur, ſeque à ſclopetarum ictibus facilius protegerent: nondum enim maioribus tormentis certabatur. Poſtero autem die, quam illa turris, cuius ſupra mentionem fecimus, ab hoſtibus ædificata eſt, alia ad orientem ſpectans, atque item tertio die alia, opus incredibili celeritate confectum, noſtris apparuit. hæ leni in collem quendam cliuo aſcendebant: eadem omnes materia, & muniendi genere, & forma extructæ: ſtationes, ſpeculatoreſque ad eas cuſtodiendas diſpoſiti: qui in muros ferirent, & arcem vexarent. Hoc opus, vt dixi, cæteraque de nocte ſumma cura, ac labore expediebant: interdiu autem ab opere ceſſabatur. noſtri enim, ſi quem de die munientem, aut aliquid operis molientem conſpicati erant, idoneis locis diſpoſiti, aut interimebant, aut male mulctatum dimittebant. Itaque nox operi deſtinatur: diem vero cætera turba reficiendis corporibus, milites oppugnationi dabant. & quo facilius noſtrorum paucitatem multis ſimul obeundis fatigarent, pluribus ſimul locis inuadere ſtatuunt. Erat in ſtatione nauis Indica, ingenti magnitudine ancoris, retinaculiſque alligata. hanc omni bellico apparatu inſtruunt: turres in ea complures excitant: amphoras, aliaque vaſa pice, ac ſulphure plena, haſtas, ſagittaſq; ignitas præparant: machinamq; ea altitudinis erigunt, vt turrim, quam in mari ſitam diximus, æquaret: vt cum æſtus ex oceano relaberetur, poteſtatemq; nauigandi faceret, eam turri admouerent, noſtroſq; milites æquato iam certamine, igni, tormentiſque ſubmouerent, ac propugnaculis propellerent: ita facilem peruiumque ſibi aditum fore, ſuperante præſertim multitudine: quippe cum triginta ſolum turri tutandæ milites adhibitos ſcirent: quos opprimere difficile non eſſet: Atque hac via mari noſtris intercluſo facilem ſibi de reliqua arce victoriam promittebant: Noſtri cum è ſummis turribus tantum huius machinæ molem creſcere cernerent, ad præfectum perferunt. is id quod erat facile coniiciens, duas Catures, ita enim leuia quædam nauigia appellant, quæ remis velociſſime agantur, parari iuſſit, Remigibus Guzuratibus vinctis, nec enim qui munus illud obirent alii aderant: viginti milites Luſitani impoſiti, Iacomo Leiteo oræ maritimæ circa Dium præfecto parere iuſſi. ac iam omni apparatu ad incendium comportato, nocte intempeſta ſoluunt, & flumen ingreſſi ita curſum moderantur, vt quam minimo remorum ſono per ſilentium applicent. ignem in funiculis latentem, ne fulgor eos proderet, ſub vola manus occultant: nec tamen excubias fallere potuerunt. Nam Sofar cum præfecti noſtri ſummam vigilantiam ſemper ſuſpectam haberet, atque omnia quę in noſtros machinaretur, in ſuorum perniciem verti cerneret, neque vllum tam occultum ſuum eſſe conſilium cui non Maſcarenna multo antea occurreret, ad omnes arcis aditus vigilias idoneis locis collocauerat. Nauis autem ſiue quia tam longe ab arce aberat, vt clam noſtris ædificari poſſe exiſtimaretur, ſiue quia noſtros nō putabat commiſſuros, vt pauci in tam manifeſtum periculum ſe coniicerent, præſertim cum nulla ab illis ad eum excurſio in munientes tentata eſſet, vt in tuto incuſtodita erat. Sofar igitur cum iam forte circumiret vigilias, primus Catures animaduertit, ac tintinabulo ſignum dari iubet: ſclopetarumque ſonitu militem excitari. Ingens hominum multitudo vndique accurrit magno paſſim tumultu, ac trepidatione: cum ſemiſomnes, ac in tenebris ſibi occurſantes nō intelligerent cui rei ſignum datum eſſet. verū vbi nauiculas viderunt, toto litore clamor oritur: paſſim diſcurrētes ſclopetas exonerant: atq; omni miſſilium genere noſtros petunt. noſtri tanto vehementius feſtinare, remiges hortari, quanta maxima poſſunt celeritate

leritate per medios ſclopetarum globos præſenti animo euadunt : & ad nauem, quæ non longe à regia in ancoris ſtabat, applicant. Sulphuris amphoras, aliaque incendiorum fomenta ingerunt. ibi res inopinata omnium animos nouitate miraculi attonitos pene conſternauit. nauis enim cum ſummo omnium ſtupore contumax aduerſus incendium illæſa permanſit. id inceptum vbi fruſtra viderunt, ſe mutuo cohortati in nauē aliquot inſiliunt: ancoralia incidunt : funes in Catures coniiciunt. ac remulco in id ſpacium quod inter arcem ac turrim eſt machinam pertrahunt. Ibi hoſtium inſpicientium ſummo cum dolore, & indignatione eam comburūt. Tantus eius incenſę fulgor terra, mariq; late reluxit, vt per aliquot noctis horas, vſum diei prębeset. Hæc res hoſtibus ſpem omnem ademit maritimę oppugnationis. in hoc tam audaci, ac prope temerario incepto, ſi quando alias, manifeſta vis apparuit. nam cum pauci per tantam hoſtium multitudinem, vbi nullum incidere vanum telum poſſet, irent, ac redirent, vnus tātum è noſtris leui, nec admodū periculoſo vulnere ſauciatus eſt : tribus igitur, vt dictum eſt, turribus totidem noctibus ædificatis, magno conatu reliquū opus feſtinant: murū ab ipſis turrib. ad mare vſq; magni laboris opus producere conantur : goſſipii ſarcinas, doliaq; terræ plena ſuperimponunt : quibus tecti noſtros tuto ferire poſſent. Eius operis continuandi magnam eis facultatem id præbuit, quod in arce pulueris ſulphurei octoginta duntaxat doliola erant : quę vix mēſis vnius ſpacio ſuffectura videbantur, ſi largius ad omnia periculorum momenta puluere vterentur. Itaque milites moniti vt parce, moderateq; conſumerent : & ad tempora magis neceſſaria quantum poſſent, reſeruarent : propterea quod obſidionem ſine vlla ſpe auxilii ſex menſibus hybernis duraturam putabant : quod per id tempus, vt ante demonſtratum eſt, mare crebris tempeſtatibus, ac ventorum vi concitatum propemodum ſit innauigabile : terreſtria autem nulla expectabātur auxilia, propter viarum difficultates, & itinerum longitudinem. præterea reges, qui interiora Indiæ loca tenent, ob diuerſum religionis cultum nomenque Chriſtianum noſtros grauiter oderunt. Itaq; aditus copiis noſtris intercludunt, & omnibus incommodis perſequuntur. Cum igitur omnium rerum ea difficultas eſſet, acceſſit præterea rumor ille paſſim diffuſus, claſſem Turcarum cum maximis copiis in ſubſidium venturam, aut proximo menſe Maio, aut ad ſummū, Septembri. hæ enim ex Arabico ſinu in Indiam nauigantibus commodæ ſunt tempeſtates. Itaque ad hæc tam periculoſa tempora puluis reſeruatur : nec in impediendo opere, niſi magnis bene gerendæ rei occaſionibus conſumitur. noſtri enim in id modo intenti erant, vt opus impedirent, nunc ſclopetarum ictibus, tormentiſque molientes ſubmouendo, nunc extructa diruendo. Sed nec hac ratione multum profici poterat : quod hoſtes ſuperante multitudine, quæ deerant, ædificarent, & diruta ſubito reſtituerent. Huiuſmodi oppugnationis velut præludiis iam menſem Aprilem, bonamque Maij partem contriuerant. Decima octaua eius menſis die ſeptem nauigia ſubito apparent, quæ remis incitatę recto curſu in arcem tendebant : illis hoſtes omnia tormēta opponunt: curſum quo ad fieri poteſt impediunt: obſiſtentibus tamen noſtris in arcē excipiuntur. his præerat Fernandus Caſtrus, filius natu minor Ioannis Caſtri Indiæ prætoris, hunc plures naues ſequebantur: cæteræ ventorum vi, ac tempeſtatibus diſiectæ Baſſaimum tenuerunt. Harum ſeptem nauiū præfecti, viri excelſo loco nati, virtuteq; inſignes fuerūt : Iacobus Reinoſus, Franciſcus Almeida, Petrus Lopes, Iacobus Sylua, Antonius Cunna, & Georgius Vaſconſellus, quem prętor, antequā de oppugnatione arcis Dienſis certior fieret, duabus nauibus oram maritimam circumuehi & explorare iuſſerat. horū aduentus magnam fiduciā ac prope certam victoriæ ſpē præſidiariis fecit. Initur militum numerus, quadringenti, & quinquaginta in arce fuere : omnes fere ſplendore nobilitatis illuſtres, multi equites, & qui in aula regia honeſtū locum obtinerent: omnes militaris diſciplinæ periti, & ſclopetis tractandis egregie exercitati. hi in ſupplementū per turres diuiſi : ea quæ diui Ioannis vocatur, quæ omnium infirmiſſima turris eſt, Fernando Caſtro cum milite ſelectiſſimo cuſtodienda traditur. Cęteri vt pręfecto viſum eſt, pro cuiuſq; virtute diſtributi. nec quemquam ſui periculi reſpectus ad imperiū detractandum compulit. excubię intentiſſima cura factę. ſingulis vigiliis quinquaginta milites, interim etiam plures excubabant. Hi aſſidue munitores iaculando infeſtabant, nec vllū fere telum in tanta multitudine vanum cadebat. & quanquam, vt ex Iuzarcane captiuo poſtea cognitū eſt, incerta illa per tenebras iaculatione, magna, & prope incredibilis multitudo perierat, aliis aſſidue ſuccedentibus opus creſcebat. nec tam animū hoſtibus minuit aduentus noſtrorum, quam pertinaciam auxit. Itaq; ad copias terreſtres multarū nauium claſſem adiiciunt, quæ oram maritimā circumuectę aliquot naues longas incidunt, quæ à Chaulo, & Baſſaimo commeatum in arcē comportabant. hæ vna cum vectoribus interceptæ. Interea opera circa arcem confecta erant. Muros per hortos præfecti ductus, qua Iacobæa turris imminet, ad iactum

ſclopetæ ab arce diſtabat. Alter ex tranſuerſo factus. hos muros ita ad arcem prope admouerant, vt noſtrorum tormentorum ictus, quibus ex longinquo maior impetus, & vis eſt, non adeo multum illis officerent: & iam omnis pugna prope ad manus venerat: neque quiſquam aut hinc, aut illinc ſine certa pernicie ſe oſtendebat. terra, marique inter hos magnarum rerum conatus menſis Maius finitus eſt. Ineunte Iunio Rex Cambaiæ cum nouo exercitu vrbem ingreditur. Noſtri, & ex hoſtium tumultu, & gaudio, & concurſu numeroſæ ſupra ſolitum multitudinis, id quod erat, ſuſpicati ſunt. Præfectus arcis Fernandum Caruallum, qui turrim quæ in mari ſita eſt, tuebatur nocte proxima exploratores emittere iubet, qui vnum, aut alterum ex hoſtibus rapiant: è quibus, & noui gaudii cauſam, & conſilia inimicorum ſcire poſſet. ſex milites ad id electi, notæ fortitudinis, & audaciæ. ij in ſtationem vigilum proximam (ea quinquaginta hominum erat,) impetu facto, vnum ex his vi ſecum in turrim pertraxerunt: nonnullis ex ſuo numero amiſſis. Is & regis aduentum, ac belli gerendi conſilia aperuit. Poſtridie noſtri omni genere tormentorum, tubarum inſuper ſono quantum poſſunt, ſtrepitum excitant: ac per nocturna colloquia militum inuicem probra iactantiũ, (multi enim hoſtium diuturno cum noſtris commercio Luſitanum ſermonem callebant) indicant, ſe regis excipiendi cauſa ea feciſſe. eius aduentu ſe gaudere: ac nunc deniq; nõ cum hominum colluuie, ignobiliq; turba rem ſibi fore, quã hoſtẽ vocare puderet, ſed cũ rege, ac regio exercitu bellũ legitimũ, honeſtiorem victoriam, ac prædæ ſpem certiorẽ. Illi contra noſtris vincula, ſupplicia, ac omnia ſeruitutis dedecora minitari. Hæc per noctẽ vltro citroq; iactata. vbi illuxit: in muro, quẽ per vallẽ è regione turris Iacobeę duxerant, tres teſtudines ingentes apparuerunt, vndique diligenter munitæ. in has baſiliſcos duos, ſpallafatum vnũ, & complura minora tormẽta conuehunt: quę per muros diſpoſita ita vineis tegebãtur, vt hoſtes velut è tuto iaculantes, omnia nobis infeſta facerẽt. Thomæam potiſſimũ, & Iacobæã turres, & quod inter eas muri erat, ita crebris atque ingentibus globis feriunt, vt ad ictus mœnium cum terribili ſonitu editos, omnia ſtatim ruitura viderentur. Huic ergo parti Maſcarenna in primis ſuccurrendum ducens, accurrit: aliumque interius murum viginti pedes latum, ex ruinis ædificiorum quæ in arce erant, obiicit. Has enim neceſſitates iam animo ante proſpiciens, plurima in arce ædificia diruerat, vt lapides, aliamque materiam ad omnes caſus opportunam haberet. Præfectus ipſe cum cohorte nobilium primi manum admouent: horum exemplum alii ſecuti continuatis nocte dieque operibus, indefeſſis animis, ac corporibus ſexto die opus perficiunt. Baſiliſcum vnum, ac Leonem in Thomæa turri aduerſus hoſtium caſtella obuertunt: omneſque eorum conatus, quantum conſilio prouideri poterat, fruſtrantur. Illi interea pertinaciter inſtare, muros concutere, ac pinnas detergere: & iam Thomæam turrim pene mediam diffiderant, magna noſtrorum, qui intus erant trepidatione, maiore etiam periculo: cum ad ea potiſſimum loca concurſus fieret, quæ infirmiora viderentur: & vtriq; velut ſigno dato, ad omnem ruinæ ſonum aduolarent: ac pari pertinacia hi ruinas defendere illi ſuperare contẽderent, ac alii aliorũ opera nouo ſemper aliquo cõmento turbarent. Itaq; cum noſtri neminẽ hoſtiũ ſine præſenti pernicie in muris conſiſtere paterentur, tormenta ſua in feneſtras arcis, per quas noſtri iaculabantur, collimant: eo conſilio, vt bombardarios machinas onerantes opportunos ictibus haberent. & erant hoſtes ea iaculandi peritia, vt quodcunque ſignum animo deſtinaſſent, facile ferirent. Erat ea tormentorum vis, & magnitudo, vt tabulata à noſtris ad feneſtras obiecta, perfringerent, fragmentiſque paſſim diſiectis, multos vulnerarent, nonnullos occiderent, nec quicquam tutum paterentur. Igitur cum noſtri multimoda arte eluderent, atque inuicem eluderentur: multique circa tormenta, ac fortiſſimus fere quiſque, vulnerarentur, commodiſſimum id viſum eſt, puluerem, & globos Guzarates, Bragiq; nautæ immitterent, ignemque admouerent: milites vero ad magis neceſſaria tempora ſe reſeruarent. Cum circa Thomæam res in hoc ſtatu eſſent, ne quid vſquam noſtris tutum ſinerent, aliam oppugnandi rationem ad Iacobęam turrim tentant. Ibi enim cum extrema pars muri paulo cęteris editior eſſet, mortarium ingenti magnitudine admouent, qui globum octo in orbem palmorum mittebat, ac paucis diebus triginta globi in turrim iacti ſunt, maiore noſtrorum terrore, quam damno: quippe qui aſſidue ingentem molem omnium capitibus impendentem proſpicerent, quæ ſolo pondere, non ſolum corpora, vbi incidiſſet, comminueret, ſed ædificiorum tecta perfringeret, ac fragmẽtis late volitantibus omnia circum infeſta redderet: & quanquam toto eo tempore nemo vulneratus eſſet, nihilominus trepidabant: cum ſe caſu magis, quã conſilio incolumes viderent. Huius mali vnum remedium fuit æque fortuitum, quod Bombardarius, homo ſingulari in hoc genere peritia, temere emiſſo telo interemptus eſt. huic ſucceſſit alius pari fortaſſe nocẽdi animo, ac voluntate: arte tamen, ac for-

tuna-

tuna diſpar. nam globi omnes, quos in noſtros deſtinauerat, in ſua ipſorũ caſtra cadebant. mortario itaq; illo carere maluerunt, quam in ſuam abuti perniciem: nihil tamen remiſſior erat oppugnatio. tanta enim omnis generis tormentorum copia muros inſtruxerant, tantus artificum numerus, tanta erat peritia, vt neminem noſtrorum in muris conſiſtere paterentur. Puluis autem ſulphureus quo vtebantur, tam purus erat, tamq; ſubtilis, vt Caniſ çreus, quod tormenti mediocris genus eſt, terrę dolium tranſmitteret. Cum dies iam complures in hac parte arcis oppugnanda fruſtra conſumpti eſſent, de aliis oppugnandis turribus conſilium ineunt. 13. Iunii dies agebatur, cum è regione turris, cui Antonius Freirus præerat, duo Caſtella de nocte excitata, mane conſpecta ſunt. in his ſinguli Baſiliſci erant: extra vero in proximo mortarium ingenſque aliorum vis tormentorum. Hæc omnia Diui Io. turrim ſpectabant: quæ, vt ſupra meminimus, omniũ erat infirmiſſima, & loco, & structuræ genere: quippe ab aliis ſemota longius, & grauioribus ſaxis, nec optime coagmentatis ædificata: quod inter illam & Iacobçam muri erat, concutere cæperunt. neq; aliis tamẽ locis cœptam oppugnationem omittunt. & vt noſtrorum paucitatem pluribus ſimul præliis diſtinerent, quatuor partibus ſimul aggrediuntur. accendebat hoſtiũ animos Rex præſens, fortitudinis, atq; ignauiæ ſpectator, ac teſtis. Noſtri tanto vndiq; circumfuſo terrore, iam præſentis vitæ ſpem omnem proiecerant, & alienato à periculis animo ad immortalitatis cogitationem toti ſe conuerterant: ac iam vitæ futuræ fructus animo percipientes, in extremũ ſe diſcrimen parauerant. Vna res eos continebat, ne in præſentem ſe perniciem præcipitarent, quod arcem ſua morte prodi hoſtibus videbant: ex cuius incolumitate, ac tutela, omnium qui in India erant, Chriſtianorũ ſalus pendebat: Itaq; cum hinc ſpes, hinc deſperatio animos accenderet, tanto ardore vtriuſq; partis concurſum eſt, tanta contentione certatum, vt omnia ſuperiorum dierum prælia, omnis oppugnatio, cum hac comparata, leuis, ac ſegnis videretur. Nullum illa die tormentum ocioſum fuit. Mortarium, quod ad ſummum quater vno die exonerari ſolebat, ſepties in arcem globos miſit. Pariq; vtrinque animorum contentione certatum eſt: noſtris nullum momentum in aduentu regis eſſe, oſtendere conantibus: illis in eius oculis iam de abitu cogitantis operam nauare cupientibus. Rex enim cum lentiorem ſua ſpe, ac aliorum promiſſis, oppugnationem cerneret, noſtrorumq; obſtinatam ad moriendum pertinaciam etiam timeret, ne quod maius facinus ex deſperatione auderent, ſe in tutiorem locum recipere decreuerat. Principes etiam aulici, ſtudii, & amoris erga regem prætextu, ſuum occultantes metum, ſuadebant, vti rerum ſummę conſuleret. Non enim eſſe prudentis regis officium tam periculoſis pręliis intereſſe. exercitu amiſſo alium cogi, compararíq; poſſe. ſi quid regi accidiſſet, in eius ſalute non exercitum modo, ſed vniuerſum regnum periclitari. His, atq; aliis huiuſcemodi rex permotus, Iuzarcanem in caſtris reliquit, cum Abeſſinum copiis, virum, quem, vt propter eximiam prudentiam in rebus gerendis plurimi faciebat, ſic ob ſuauiſſimos mores, & intimam familiaritatem in primis charũ habebat. Itaq; Madabam vrbem ampliſſimam, ac totius regni caput, ſe recepit: vt hinc militem, pecuniam, commeatum, ac cetera, quæ vſus belli poſtulat, ſuppeditaret. Iam hoſtes omiſſa ſpe arcis per vim capiendæ, operibus expugnare contendunt: aggeres ita noſtris muris admouent, vt tormenta noſtris inutilia redderent. Ante Thomæam ad ſclopetæ iactum, lapidum congeſtu, arborumque ramis, magno conatu turrim ædificant. quod opus, cum noſtri impedire non poſſent, in immenſam altitudinem breui excreuit: adeo, vt arcem prope adæquaret. Ea res velut oppreſſos coercuit & à libero per arcem diſcurſu maxime continuit. Erat enim hæc omnium turrium longe fortiſſima, quam noſtri à virentibus arborum ramis Ramoſam appellarunt. Ab ea vtrinque muri brachia ad mare perducta. & iam aliud immenſi laboris opus dies, noctéſque intenti inchoauerant, vt Iacobæam turrim, foſſaſque eius muro, & caſtellis includerent. Maſcarenna cum vnum pugnandi genus videret supereſſe in operibus impediendis, tormenta in alium, atque alium ſubinde locum transferebat, vnd hoſtes maxime infeſtari poſſe credebat & quia, vt ante dictum eſt, noctes in opere hoſtes conſumebant, vt noſtros in tenebris facilius laterent. ferrea candelabra, magnamque vim lampadum ingentium paſſim diſponit: è quibus lumen late refuſum, & caſtra, & opera, & omnium hoſtium conatus veluti interdiu noſtris oſtendebat. hac ratione opus hactenus impediebatur, vt è baiulis, ac vilibus operis magna multitudo conficeretur. ſed hac iactura hoſtes non magnopere mouebantur. abiecta enim, miſeraq; illa mancipia nullo vitæ mortiſq; reſpectu fuſtibus propellebant: ac ſi remiſſius opus facere viderentur, ferro plerumque ſæuiebant. illi tanquam pecora in medio trucidari, noſtros, ſuoſq; iuxta timebant: ac metu ſuppliciorum, & vitę tędio plerunq; ſe telis obiiciebant. Inter hæc, menſis Iunius effluxerat: noſtroſque magis vires, quam animi defecerant. nullus prætcribat dies, qui non

paulatim exiguam manum carpendo imminueret. indigenę vero, aliaq; ſeruitia, quibus in tormentis promouendis, ruinis murorum obſtruendis, aut cuniculis agendis vtebantur, pene ad vnum perierant: aut ab hoſtibus cæſi, dum inter prœliantes verſantur, aut morbis, quos ex continuato labore, ac peruigiliis contraxerant, conſumpti. Turris cui Antonius Freitus præerat. Item altera, quæ Ioanni Almeidæ commiſſa fuerat, vt ſemper hoſtibus infeſtiſſimæ fuerunt, ita tum acerrime oppugnatæ. Iam bombardarii longo belli vſu, ac periculis ſæpe obeundis audaciores fieri, & milites diu inter tormenta verſati Bombardariorum munus obire: cum omnium rerum copia abundarent, quarum apud nos ſummam eſſe ſciebant inopiam, & ſuperante multitudine integri feſſis aſſiduè ſuccederent, breui ſperabant arcem aut conditionibus dedi, aut vi expugnari poſſe. Iam muros ad foſſam perduxerant: ac è regione Thomęæ turris ingentes fauces patefecerant: quas ita ſupra texerant, vt per eas tuto foſſas implerent. Iam è turri D. Ioannis pinnas abſterſerant: nec materia ſuppetebat, vnde nouæ fierent. Ipſa vero turris ita vndique labefactata erat, vt iam iam milites oppreſſura videretur: & ramoſa hoſtium turris omni bellico apparatu inſtructa arcem æquabat. Aduerſus hanc creſcentem indies perniciem Maſcarenna iam animo periculum proſpiciens, non longe à ſacris ædibus loco mari vicino tumulum excitat. huic caſtellum imponit, ex aduerſo turris ramoſæ. Huc ingentem Baſiliſcum, qui fauces portus tuebatur, aliamq; magnam tormentorũ copiam transfert: quibus ita ramoſam turrim concuſſit, vt & ipſa ſua ruina cuſtodes oppreſſerit, magnamq; muri partem ſecum traxerit. ſic multorum dierum opus, in quo maximã victoriæ ſpem hoſtes poſuerant, breui præfectus ludificatus eſt. Hac ſpe ergo deſtitutis, vna ratio ſupereſſe videbatur, vt foſſas implerent & per ruinas in arcem vi erumperent. A Thomæa turre orſi, quæ maxime tormentis lacerata erat, caſtella frequentia muro, qui foſſam contingebat impoſita, alius murus viginti pedes ab hoc diſtans, totidem in altitudinem ſurgens eodẽ perducitur: inter hos, ex tranſuerſo alios ædificant flexuoſo circumactu, & velut imperuios quoſdam angiportus: in quos ſi noſtri irruptionem tentantes ingreſſi eſſent, deprehenſi, errore viarum circumuenirẽtur. ad oram foſſæ vineę frequentes maioribus trabibus factæ: ſuper iniecti rami arborum, rubiq;: ac terræ ingeſtu omnia ſolidata, vt aduerſus ingentia ſaxa, ignemq; tuta eſſent. Anterior pars aſſeribus tegebatur: qui ferreis clauis compacti, in tecti ſpeciem, ictus à ſuperiore loco eluderent. Superiniectum aduerſus ſcloperatarum ictus multiplex è duriſſimis coriis tegumentum. alia item ex tabulis ſtructura ad oram foſſę acclinata: vt per tabulas in decliue prominentes ſaxa prouoluta, vltra mediam foſſam ſuo impetu ferrentur: ſpatium vero inter tectum, atque hoc tabulatum inferius, ita vndique opertum erat, vt qui lapides in foſſam mitterent, à noſtris conſpici nequirent. Ita vndiq; ſatis proſpectum videbatur, vt operæ tuto commearent. Noſtri vero, cum nec erumpere ad opera deturbanda poſſent, quippe qui turribus vix tuendis ſufficerent: & tormentorum iam nullus eſſet vſus: aliud commenti ſunt remedium. Erat inter duas turres, ad quas tum maxime pugnabatur, ad imam foſſam in ipſa rupe, anguſta quędã velut crypta, lapidibus exterius in muri ſpeciem obſtructa hanc noſtri aperiunt, militibuſq; intromiſſis nocte, dieque continuato labore, lapides in foſſam miſſos abſtrahunt: per manus traditos in arcem inferunt, hoſtibus nihil interea ſentientibus, vt qui proſpicere in foſſam non auderent, noſtris ſcloperariis ad omnia loca idonea diſpoſitis: & aurium vſum abſtulerat ſtrepitus materiæ in foſſam coniectæ. Quatuor diebus, totidemque noctibus in hoc opere conſumptis: cum aliis implentibus, aliis exhaurientibus foſſam, mirarentur hoſtes cumulum non excreſcere, plumbi libramento altitudinem foſſæ explorant: ac labores ſuos irritos, inaneſque conatus Sofari referunt. Ea res vehementer hominis animum perturbauit: non tam, quod præſens conſilium parum ſucceſſiſſet, quam quod nihil ſe in poſterum machinari poſſe ſperaret, quod Maſcarenna non facile eluderet: neque fortitudine modo, & laborum patientia, ſed conſilio etiam ſe à Luſitanis vinci moleſte ferebat. Itaq; anxius animi, cum multa ſecum verſaret, neq; quicquam eorum quæ ſuccurrebant, ſatis placeret, iam ingruentibus tenebris homines linguæ noſtræ peritos ad muros ſummittit, qui noſtros ad prœlium prouocarent: Enimuero mulierum more intra tecta concluſos ſolem, & puluerem pati non poſſe: velut fractos deliciis, & gloriæ militaris oblitos domi deſidere: non ita maiores eorum, non nuper Antonium Sylueiram ducem fortiſſimum bellum geſſiſſe, ſed congrediendo cum hoſte: non in munimentis, ſed in manibus ſpem victoriæ geſſiſſe: neque ſe tamen id militum, ſed ducis proprium dedecus credere: miſerari ſe fortunam tot virorum fortium, qui ab homine imbelli conſtricti, & vincti teneantur ſuæ etiam ſortis pigere, cui cum tali hoſte res ſit, è quo victo nullam gloriam ſperet: victus, ſi modo vir à fœmina vinci poſſit, in ſummo dedecore, & ignominia futurus eſſet. Hęc ab eo iactata, vt militem laudibus, ducem contumelia accenderet:

deret, vt ſe fortunæ committerent. At Maſcarenna ſatis gnarus quo hæc pertinerent, & alioqui aduerſus ambitionem ſatis firmus, cum nulla in eruptionibus ſpes eſſet, ſuos continebat, neq; quicquam temere aggrediendum cēſebat, eo prǽſertim tempore, cum minima etiam peccata in ſummam perniciem poſſent coniicere vniuerſos. Hac ſpe deſtitutus Soſar omneſq; conatus ſuos fruſtra eſſe cernens, adeo excanduit, vt præ animi impotentia in conſpectu exercitus lachrymas nō tenuerit: quod poſtea compertum eſt ex literis Emmanuelis Rodorici, qui tum Dij in vinculis erat: quas ad Ioan. Dabreum Chaulum miſit. Eo tempore foſſis implēdis hoſtes intenti erant, quæ res vt dixi, cum parum ſuccederet: Soſar, id quod erat, ratus materiam à noſtris ſubduci, ipſe murum conſcendit, vt aditus noſtrorum, per quos in foſſam commearent, diſpiceret. & cum intentis in foſſam oculis, velut cogitabundus in cubitum dextræ manus inniteretur, bombarda globo nequaquam in ſpem tantæ rei miſſa, capite cum dextra manu perfractis interficitur. Hic fuit Coij Soſaris exitus, & magni profecto imperatoris, & cui prǽter diuturnum rei militaris vſum, multę, magnęq; virtutes & animi, & corporis adeſſent: quas omnes praua quædam ambitio corruperat: ac non ſolum ſuæ religionis deſertorem, ſed omnium Chriſtianorum acerrimum hoſtem fecerat. noſtris præcipue hominibus, & ſi ſedulo diſſimulabat, infenſus erat, quod eos maxime ſpei ſuæ obſtare videret. Itaq; ſæpe illam ex eo vocem auditam ferunt, fore vt à Luſitanis occideretur. Ex repentina Soſaris cęde tātus ſtupor omniū animos tenuit, vt toto poſtea triduo vix ſex ſclopetæ in hoſtium caſtris auditæ fuerint: cum antea ita aſſidue tormenta obſtreperent, vt nec vocis, nec aurium pene vſus eſſet. Cum interea velut pactis vtrinq; induciis ab oppugnatione ceſſaretur, noſtriq; pro ſuo quiſq; ingenio eius rei cauſas coniectarent, ecce fugitiuus quidam Bramin tam lęti nuntii prǽmium ſperans, ad noſtros venit: Soſarem narrat mortuum: in caſtris tumultuari: militum maiorem partem obſidionis diuturnitate feſſam: duces præterea animo concidere, quod omnia ſua incepta eludi viderent: eamq; noſtrorum hominum eſſe patientiā, vt in finem hyemis obſidionem facile protraherent: hæc cum totis caſtris paſſim fremerent, ſe exiſtimare breui diſceſſuros: vnum eſſe Rumicanem Soſaris filium, qui eos moraretur. Hæc inſperata lætitia animos noſtrorū recreauerat, tanquam in præſentia defuncti periculis eſſent: cum ſubito bellum longe vehementius exarſit. Rumican enim Soſaris filius viginti quinque annos natus, iam à pueritia Chriſtiani nominis odio imbutus, domeſtica inſuper calamitate accenſus omni arte retinere exercitum contendit ac principio cum palam reluctando ſe nihil acturum ſperaret, obſecundando paulatim impetum illum, & conſternationē ſedat: literas à rege expectandas ſuadet: neq; integris viribus, ac ſaluo exercitu committendum vt potius fugiſſe quam diſceſſiſſe videātur. Interea vt quiſq; autoritate apud vulgus pollebat, eorum ſeorſum animos tentare: Interim apud ſingulos opportuna tempori dicere, interdum ſe circulis inſerere, ac multitudinis animos omni arte tractare: patrem quidem ſuum magnum ducem, ac fortem virum fuiſſe, ſed vnum tamen hominem: ex cuius vita, aut morte non modo eius exercitus, & regni Cambaiæ, ſed totius prope orientis ſpes pendere, vniuerſis quidem turpe, tot vero ducibus, qui in exercitu ſupereſſent, etiam contumelioſum. nec ferendum, vt tot annorum apparatus, tot menſium opera, hoſtibus timidiſſimis, ac ſua iam confeſſione victis ſint ludibrio. Eo enim iam redactos, vt neq; progredi ad conferendam manum audeant: neq; latebris ſe diutius protegere poſſint. quicquid erat periculi iam exhauſtum, gloriam vero perfecti belli ſupereſſe. Itaque ſi quando alias, nunc acerrime contēdendū, ne eam è manibus dimittant: cædemq; ſui ducis, & commilitonum vlciſcantur: demantq; ſui contemptum in poſterum: & libertatem à maioribus relictam poſteris ſuis relinquant. His, ac talibus ſæpe audiendis confirmati militum animi, Rumicanem in locum demortui patris ducē creant: ac literas opportune à rege accipiunt, quibus iubebat multo acrius oppugnationi inſiſtere: neq; pecuniam, neq; commeatum defuturum: ſe propediem nouum militem in ſupplementum exercitus miſſurum: prærogatiuam ſuffragii militaris de Rumicane cōfirmat. Igitur magno militum ſtudio celebratis exequiis Soſaris, maiore quam vnquam antea contentione ad opus reditum. Diruta reſtituunt, intermiſſa continuant, & ſi qua deeſſe videbantur, adiiciunt. Aduerſus eam partem muri, quam maxime labefactauerant, frequentiora fiunt caſtella: vt inuicem ſibi auxilio facilius eſſe poſſent, & pluribus tormentis murum citius diruant. Aduerſus hæc, in turri Diui Ioannis duo Cameli oppoſiti, qui ex tranſuerſo opera, quæ ad Thomæam fiebant deturbarent. Eo enim tota vis hoſtium incubuit: ac ruinis turris Ramoſæ duo caſtella erigunt. Eo comportati duo Baſiliſci, duo cameli, tres ſphæræ, & iam his tormentis, quę in turre D. Ioannis erant, omnem ad nocendum viam obſepſerant, & turrim cui Ant. Freirus præerat, propemodum totam diruerant, foſſaſq; circa Thomæam aſſidue implebant: noſtrorum vero militum cæſi non pauci: Ca-

terant vulnerati, aut morbis ex aſſidua fatigatione cõtinuati laboris, lãguidi, vix arma ferre poſſe. præfectus tot malis vndiq; circumuentus vnam tuendę arcis ſpem habebat, ſi auxilia à prætore accepiſſet. Itaq; ad eum ſcribit, quanta in difficultate verſetur, quantaq; celeritate opus eſſet; & ne forte, quia prætor longius aberat, id ſerum auxiliũ rebus perditis ſuperueniret, literas ad præfectos præſidiorũ in Baſſaimo, Chaulo, cæteriſq; maritimis oppidis, quę noſtro imperio parent, mittit. cum his mandatis Ioãnes Coellus ad Hieronymũ Meneſium, & Ant. Souſam ſpeculatoria nauicula vehi iuſſus inde à Chaulo terreſtri itinere (nam mare hybernis tempeſtatibus imperuium erat) penetrare. Iiſdem fere diebus quatuor milia Rumeorum, Abiſſinumq; à rege Cambaiæ miſſa, magno reliqui exercitus gaudio tormentorum ſtrepitu, tubarumq; ſono excepti. Ea res non modo ſpem victorię auxit, ſed ſtudia, & contentionem in opere faciundo accendit. præter calones, & baiulos mercenarios, vndiq; ex oppidis vicinis vulgi promiſcui coacta turba, quæ materiã foſſis implendis comportaret. Ea, ne ſua multitudine mũnia confunderentur, diuiſa: ac alii aliis ad ſignum tintinabuli ſuccedere iuſſi: nunquam intermiſſo labore noſtros vigiliis maxime fatigant. Ex hac turba, cum plurimi occiderentur, nunquam fere aberrantibus in tanta multitudine noſtrorum telis. cæſi pro rudere, in foſſam prouoluuntur: ac rurſum alia iniecta materia operiebantur, ita cæſorum multitudo exercitum latebat. Noſtri quanquã ſubtrahendæ materiæ non ſufficerent, tanta tamẽ erat amplitudo, & altitudo foſſæ, vt omnia ligna in eas iniecta velut profunda voragine hauſta minime celeriter pro ſpe hoſtiũ cumulus creſceret. Itaq; brachia murorum, & aggerem, quem tanto labore perduxerant, eodem deiiciunt: arboreſq; vndiq; conuectas, ac præcipue palmas (quarum ea regio feraciſſima eſt.) Etiam trabibus aditum occultum noſtrorum in foſſam obſtruxerant. Itaq; nullo impediente opus paulatim creſcebat, breuique foſſam impleſſent, niſi præfectus animaduerſo materiam magna ex parte ligneam eſſe, atque incendio opportunam, tria dolia pice ſulphureque plena in foſſam coniecisſet: atque immiſſo igne ingens late incendium excitaſſet. aduerſus hæc hoſtes velut id quod euenit veriti, amphoras fictiles aqua plenas ingerunt, quibus fractis aqua effuſa magis flammam quam incendium reſtinxit. nam cum in materia viridi conceptus ſemel ignis pertinacius hæreret, paululum aquæ iniectu ſedatus vehementius exarſit: atq; ingẽtem cumulum, qui iam foſſæ altitudinem pene æquauerat, ſubito in puluerem redegit: qui ita ſubſedit, vt reſtincto igne vix tanti laboris, ac operis tãdiu continuati veſtigia apparerent. Neque ſegnius tamen eo damno accepto in propoſito perſiſtunt: vnamque ſpem victoriæ in foſſis implendis poſitam exiſtimant. Igitur totam mercenariorum manum, quæ multitudine pene incredibili erat, cogunt: ac diſtributos in certos ordines, terram, lapides, & quicquid occurreret præ ſe agere iubent. Iamq; ad oram foſſæ ea moles promota erat. ſed veriti ne quod prius euenit accideret: nouam excogitant machinam: equos vocant, trabes ingentes inter ſe compactas multiplici ordine coriorum tegunt. ſub his tuti aggerẽ promouent. deinde vbi eorũ altitudinem terra ęquaſſet, alios, atq; alios ſuper aggerem noſtris obiiciunt: & quo minus opus impediretur, ex omnibus opportunis locis ita tormẽta intonabãt, vt omnem proſpectum noſtris adimerent, niſi ſi quem flamma inter fumum emicans dediſſet. Sed præfectum non tam conſilium de implendis foſſis perterrebat, quam occulta conſilia metuebat: ad quæ diſſimulanda hęc velut oculorum ludibria obiecta eſſent. vna ſuccurrebat nocendi ratio, ne cuniculis ſub terram ductis, turres, ac murum ſubruerent. Itaq; in incertos huius periculi euentus, tranſuerſos cuniculos in arce agit: quę res ei magno poſtea fuit vſui: nam dum acriter ad foſſas pugnatur, ac materia iterum, atq; iterũ iniecta, ſuperinfuſo igne incẽditur, hoſtes ex ſeruis tranſfugis certiores facti, quanta paucitas eſſet noſtrorum, ſimul vt pluribus locis pugnantes diſtinerent, ſimul vt tentarent, an in tanto tumultu fallere poſſent, cuniculos in arcem agunt: ac iam ad foſſam tranſuerſam ad turrim D. Thomæ peruenerant: nonnulloſq; è vigilibus incautos oppreſſerunt. Sed cum aliorum concurſu retro eſſent reiecti, maiora tormenta in cuniculum comportant; ac fundamenta turris labefactare conantur: id quoq; vbi parum proceſſit, denuo ad foſſas redeunt, quæ cum iam propemodum plenæ eſſent ingentes nauium malos ad murum applicant. quibus ſcalarum loco vſi, in ſummum nituntur. Noſtri vero & ſi tædas, ſtuppam, picemque & quidquid ignem facile concipit, in eos mitterent, tanta tamen ſubeuntium fuit pertinacia, vt in vltimum diſcrimen eo die ventum eſſet, niſi Maſcarenna velut huic malo proſpiciens, intra murum ſemidirutum aggerem excitaſſet, è cuius area quadraginta milites propugnare poſſent. huic propugnaculo Antonius Paſſanna præeſſe iuſſus. quã prius ipſe tenebat proximę turris præfecto reliquit: quod is cùm ſatis magnam militum manum ad vigilias obeundas haberet, vtranq; tueri ad tempus poſſe videretur. Præterea Antonius Rodericus è turri, quę in portu eſt, cum ſuo milite ad Fer-

nandum

nandum Caſtrum tranſit. qui locum omnium infirmiſſimũ, ac maxime ſuſpectum tuebatur: neque à mari quicquã periculi timebant, cum nullæ hoſtium copiæ maritimæ in propinquo eſſent. Ita omnium curæ atq; animi vtrinq; in turres, & foſſas verſi, à quibus hoſtes non ſolum terrore ignis repulſi, ſed longioribus haſtis pleriq; deiecti; & iam vano incepto fatigati in caſtra redeunt: ac dies aliquot reficiendis viribus tradunt. Interea Simonẽ Feum de nocte pertrahunt, vnde facilime à noſtris ex voce agnoſci poſſet. Agnitus igitur continuo cum colloquium expeteret, & ſe conditiones pacis afferre affirmaret: vbi præfectus aduenit. vt ab hoſte edoctus erat, admonet, vt ſtatum rerum ſuarũ animaduerterent: murum dirutũ, turres laceras, ac pene captas eſſe, quibus amiſſis reliqua arx defendi non poſſet: nihilo tamen minus Rumicanem, ſi arcem dedant incolumitatem omnibus polliceri: naues inſuper benigne daturum, quibus Chaulum ad ſuos, aut ſi quo aliò velint. transportarentur: monere igitur vt ſibi in tempore conſulant. neue eas conditiones recuſent, quibus fortaſſe poſterius cum vti cuperent non liceret. Maſcarenna ad ea mandata nihil reſpondet. Simoni, atq; aliis qui eum adduxerant, niſi ſubito diſcedant, minatur. Rumicani renunciari iubet, nullam ſibi cum hominibus perfidiſſimis pacem fore, quos propediẽ aut mortuos, aut captos ſe viſurum ſperaret, ad hanc vocẽ hoſtes omnia tormenta, quæ in eum locum iam pridem intenta habebant ſoluunt. id enim colloquium petiuerant, non tam ſpẽ quicquam tranſigendi, quam quod noſtros agnita Simonis voce ad eam partem muri frequentes concurſuros exiſtimauerant. Verum res eorum ſpem longe feſellit. Duo enim à noſtris ſoli deſiderati ſunt, Simon ſtatim è conſpectu noſtrorum ſubductus eſt. Poſtridie inclinato iam in veſperum die, delecti ex toto exercitu, quos Rumican corporum velocitate, & armorum leuitate aptiſſimos ad id ratus eſt. Hi duabus fere horis ante ſolis occaſum turrim Diui Ioannis aggrediuntur: quæ quanquam à Fernando Caſtro impigre defenderetur, tanta tamen pertinacia aſcendere contendunt, vt iam pene ancipiti prælio ad manus ventum eſſet. noſtri non minus periculo, quam pudore moti, ſe mutuo exhortantes imperum faciunt: ac triginta primos, qui iam aſcenderant, ex ſummo præcipitant: alios in ſcalis hærentes longioribus haſtis deturbant: ac deturbatos ſaxis, & igni ſuperingeſto obruunt. eum habuit exitum eius diei oppugnatio: hoſtiumque temeritas caſtigata eſt, qui facilem de noſtris victoriam ſibi promiſerant, quos & paucos eſſe ſcirent, & morbis, ac laboribus feſſos. ſed cum eos redintegratis viribus ferociores comperiſſent, omiſſis ſcalis redeunt iterum ad tormenta, magis inopia melioris cõſilii, & vt noſtros laboribus conficerent, quam quod ad ſummã belli proficere putarent. Aliquot tamen è noſtris fragmentis ſaxorum vulnerati: vnus tantum amiſſus. Ex eo tempore cum vigiliis obeundis per ſingulas turres, vt antea aſſueuerant, paucitas non ſufficeret, excogitatum, vt communes excubiæ inter binas turres vigilarent: graduſque facti, per quos in ſummum murum euaderent, eatenus, vt eius faſtigium capitibus æquarent: haſtæ longiores datæ, quibus aggerem defenderent, alii ad turrim latera obſeruabant: nam interiorem partem hoſtes igne iniecto infeſtam reddebant. Cum enim ſemel, atque iterum apertam vim infeliciter experti eſſent, occulte accedentes ollas ignitas, ac varia miſſilium genera, quibus adhæret ignis, in turrim immittebant. Interdum ſimulato impetu in aliam, atque aliam partem inſultabant: vt noſtros ad tuendum accurrentes tormentis ad id diſpoſitis exciperent, tanta tamen militum fuit conſtantia, & in periculis obeundis animi magnitudo, vt neque dolo educi, neque vi expelli, neque periculo, abſterreri à loco ſibi commiſſo potuerint, adeoq; infimi generis homines aliorum virtutem vel æquabant, vel æmulabantur, vt plerique ambuſti ignibus, aut vulneribus confecti, nec commilitonum admonitu, nec ducum imperio adducerentur, vt ſaluti ſuæ conſulerent. Iam ſupra centum & quinquaginta ex noſtris aut cæſi erant, aut ita vulnerati, vt exigua ſpe vitæ animam traherent: plurimi morbo, vniuerſi laboribus, & vigiliis confecti: nemo tamen omnium inuentus eſt, qui ſe excuſaret, quominus ſuum obiret munus. Iam diuorũ Io. ac Thomæ turres, & q́ inter eas muri eſt, hoſtes aut diruerant, aut ita labefactauerant, vt per eas erumpere ſe poſſe exiſtimarent. Itaq; in eam partem, tota belli moles inclinauerat: omnium vtriuſq; partis animis ad has turres oppugnandas, & defendẽdas conuerſis: in turri quæ portus fauces ſeruat, Fernandus Caruallus intentiſſimas habebat excubias: ex ea enim velut ſpecula magna pars vrbis cerni poterat. Igitur pridie Diui Iac. qui dies viceſimus quartus eſt Iulii, animaduerſum eſt, omnes vias facibus collucere: magnoſq; cętus templa ingredientium, & egredientium paſſim vagari: audiebantur etiam canentiũ voces velut lamentis, precibuſq; mixtæ, obſecrationumque ritus, quales ad eum vſq; diem nullas audierant, Maſcarenna hac de re certior factus; omnium turrium pręfectos admonet, vt ſuos in armis paratos habeant, hoſtemq; quã primũ expectent: haud dubie ſupplicationes illas eo fieri, quod omnibus viribus collectis, in

ſummam dimicationẽ ſe parent: nobis tamẽ eo maiorẽ ac certiorẽ ſpem eſſe debere, quãtò veriore cultu Deũ promerere ſtudemus: illis vero ſuas preces, peruerſumq; ſacrorũ ritum, quo numinis maieſtatẽ offendant, in ipſorũ perniciem verſurũ: hinc etiã de victoria benè ominari, quod Iacobi potiſſimũ feſto nos aggrederentur, quem diuũ Luſitani, ac tota Hiſpania præcipuo quodam honore proſequitur: cuiuſq; nomine aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes pugnaturi pro teſſera fere vtuntur. Noſtri cũ his admonitionibus dimiſſi ad diſcrimẽ ſe vltimũ parauerant, cũ hoſtes paulo ante lucẽ aciem ſtruũt: ac noſtros incautos opprimi poſſe rati, ſummo ſilẽtio ad vrbẽ ducunt. Eorũ aduentũ vexilla, incerta etiã dum luce conſpecta, prodiderũt, vnumq; inprimis, quod in longiſſima haſta Mahometẽ pictũ habebat, cuius velut ductu victoriã ſibi pollicebantur. His igitur animaduerſis clamor ex omnibus turrib. ſe mutuo exhortantiũ tollitur: ab hoſtibus, qui iam ſe nõ poſſe fallere videbant, maior redditur. Vix ſignũ in arce tintinabulo datũ erat, vt ab omnib. partibus ad omnia intẽti eſſent, cũ iam ad manus ventũ eſt: ac aliis conſcẽdentib. aliis ſubeũtes è ſuperiore loco, igni, ferro, ac ſaxis, omniq; telorũ genere detrudentib. acerrime pugnatur. circa turrim Io. ac Thomę maxima belli moles ingruit: quę circiter ſex millib. hoſtiũ oppugnabantur. Maſcarẽna cũ expedita manu quocũq; clamor vocabat, ſubſidia ſubmittit: vbi maius aliquod diſcrimen imminebat ipſe obuiã ibat: nec vllũ boni militis, aut ducis eo die munus pręter miſit. Contra hoſtiũ duces ſuos admonere paucitatis noſtrorũ, ſuæ multitudinis, neq; cum hominib. iam rẽ eſſe, ſed verius cũ hominũ ſimulacris, vulnerib. vigiliis, fameq; morboq; confectis. ad extremũ ſacramẽti memores eſſe debere: cũ nuper in tẽplis cõiuraſſent, ſe nõ niſi victores in caſtra redituros: pręſente hoc ipſo Mahomete, quẽ ſuę quiſq; fortitudinis, aut ignauię, iuriſiurandi ſeruati, aut violati nunc teſtẽ, mox vltorẽ habituri eſſent. Omniũ igitur ad hũc diẽ oppugnationũ hęc fuit acerrima: cũ ſpes, deſperatio, vetus odiũ recẽti ira cumulatũ omniũ animos varie verſarent: cũ in illius diei euẽtu Indiæ regnũ poſitum vtraq; pars arbitraretur: milites vbi muri deerãt frequẽtius cõglobati ſe hoſtibus obiiciebãt: è locis ſuperioribus ignibus paſſim coniectis hoſtem deterrent. cũ in ea re fere noſtri vnicum præſidium poſitum putarẽt, paulũ abfuit, quin ſummã perniciem attuliſſet: venti enim ſub aurorã acrior vis coorta flãmas, fumumq; in noſtrorũ ora inferebat: adeoq; omnia repentina nube inuoluit, vt nec quid hoſtes molirentur cernerent, nec ſuos prope agnoſcerent. & cũ ſulphuris odore intercluſo ſpiritu vix honeſte moriẽdi locus ſupereſſe videretur, ſtatim præter omniũ ſpẽ ſecuta cũ ſerenitate trãquillitas. Ea res à noſtris in religionẽ verſa animos addidit. itaq; renouato impetu ſe mutuo cohortati, hoſtes denuo deturbant. Et iam mutuo cõſpectu reddito, tantus inter turriũ pręfectos eorũq; milites ex ęmulatione ardor coortus eſt, vt niſi ratio cõmunis ſalutis potius, q̃ ſuę ſingulos tenuiſſet, eruptione pugnatum eſſet. Thomçæ .n. turri præerat Ludouicus Souſa cũ cohorte nobiliũ adoleſcentiũ: proximã D. Io. turrim pętoris filius Fernan. Caſtrus tuebatur, horũ vterq; cũ contenderet, vt penes ſe hoſtis fugati gloria eſſet, cũ magna hoſtiũ clade, multiſq; ſuorũ vulnerib. vterq; pręclarum virtutis ſuę ſpecimẽ edidit. Egregiã quoq; eo die operã nauauit Ant. Paſſanna, qui ex aggere, quẽ tuebatur, ita hoſtes infeſtauit, vt eũ locum quẽ ob humilitatẽ, muri ſemidiruti facillimũ aditu ſperauerãt, magis etiã quam turres ipſas vitarent. multi circa eum locũ vulnerati: ſupra trecentos ſclopetis interfecti. Interea dũ hæc circa turres geruntur, inopinata calamitate, vnde minime expectauerant, pene omnes circumuẽti ſunt. Erat prope Iacobæam turrim rupes quædam ſatis ardua: is locus, quia natura ſatis tutus videbatur, minus quã cętera munitus erat; Maſcarẽna tamẽ quia ſuſpectũ habebat, modicũ in ea præſidiũ collocauit: ſed cũ circa alias turres omnia cõfuſo tumultu, vt in nocturno pręlio perſonarẽt, milites ad clamorẽ ſuorum velut ſigno dato exciti relicta rupe occurrũt: hoſtes vero ad omnia intenti relabẽte æſtu in mare per vada pene iam ſicca manũ circum mittunt: hi omnia ſpe ſua opportuniora nacti, rupem cuſtodiis nudatã alii alios ſubleuãtes, conſcendũt: ac ſicubi locus opportunior erat, ſcalis admotis in arcẽ penetrant, & iam dubia adhuc luce in proxima rupe ædificia ęque etiã deſerta ingrediũtur: ac velut iam omnia ſuę poteſtatis eſſent, etiam ad pręedam vertuntur: ex his vnus mulierem in ædicula nactus, trepidam ac pene exanimatam metu, bono animo eſſe iubet: cultellũ petit, quo ſclopetam vt videbatur impeditam purgaret, ac ſi quid pecuniæ haberet, rogat: illa animo recollecto benigne omnia pollicetur, ac velut id ipſum, quod pollicita erat, factura, interiorem domus partem ingreſſa, per poſticum elabitur: ac vicinam quandam mulierem nomine compellans, arcem captam, ac omnia plena hoſtium eſſe clamat. ad hanc vocem excita alia è proximo mulier animi plane virilis, haſtam arripit, ac pro foribus ſtans hoſtes intra domum cohibet, ac totum angiportum aliquandiu tuetur. Interea Maſcarenna tam trepido nuncio accepto, cum parua manu, quam circa ſe ad omnes caſus paratam habebat accurrit: omnia plena

hoſtium

hoſtium videt: mulieres tantũ complures adeſſe, quæ tenebris, & locis cognitis adiutæ tumultu verius, q̃ pręlio eos remorentur. Aduentu igitur prǽfecti ingenti clamore, qui ſpeciẽ maioris turbæ faceret, à mulieribus ſublato concurritur. qui in rupe erant, ſtatim præcipitantur: cæteri per vicos paſſim vagi, ac locis ignotis impediti obtruncantur: interim ab alia parte non minus tumultuoſe affertur, hoſtes iam irrupiſſe tanta multitudine, vt neceſſe ſit è turribus accerſiri ſubſidia. Maſcarenna vero: ſiue quod ex vano timore cum nuncium ortum exiſtimaret, ſiue quantum periculi eſſet, ſi turres ſuis præſidiis nudentur perſpiciens, cum ſuà cohorte illuc aduolat, vnde periculum nunciabatur. ſed cum id vanum comperiſſet, vnde venerat regreſſus, iterum hoſtes per rupem aſcendentes comperit: nam ſiue eum digreſſum ſenſerant, ſiue rareſcentibus tenebris loca magis explorata ſibi rati, reſumpta audacia rurſus aduẽtu præfecti deterriti, cum magna ſtrage repelluntur. triginta circiter, qui in vnum locum ſe conglobauerant, ad vnum omnes cæſi: qui per domos ab initio prædæ cupiditate dilapſi erant, paſſim à fœminis, ac promiſcua turba iugulantur. hæc fere dubiis tenebris geſta. Iam dies exorta hominum, & armorum ſtragem oſtendebat. Minor itaq; trepidatio, ſed pugna nihilo remiſſior in meridiem vſque protenditur: quo tempore cum hoſtes multa conati, vndiq; cum magna cæde reiecti, feſſi in caſtra ſe recepiſſent: noſtri præter ſuam & hoſtiũ ſpem, ex hac clade incolumes ad vota & ſupplicia verſi, gratias primum deo agunt, cuius numini, ac potentiæ, non ſuis viribus, & conſiliis victoriam de hoſte, arcem ſeruatam, ſuamq; incolumitatem acceptam referunt. Deinde inito numero vtrinque cæſorum, comperiunt è ſuis ſeptem tantum amiſſos: circiter quadraginta vulneratos. hoſtium ſupra mille in foſſis, ac turrium ruinis inuenti. intra arcem vero cum tam anguſtus eſſet aſcenſus, vt vix bini penetrare poſſent, trecenti qui ingreſſi erant omnes ad vnum cæſi: quos ex habitu & genere armorum facile apparebat ex ſelectiſſima iuuentute fuiſſe, qui ea nocte, quę oppugnationem præceſſit, in templis coniurauerant, ſe niſi victores in caſtra non redituros. In his etiam vnus ex Iuzarcanibus eſt inuentus: ita enim vocantur, qui potentia ac nobilitate cæteros præcellunt. ſupra mille & quingenti ex hoſtibus vulnerati: magna pars flammis ambuſti, miſerabili etiã noſtris ſpectaculo, capta ſigna militaria complura, in his etiam Mahometis, cuius ſupra meminimus, imago. omnia fumo, ac fuligine fœdata, & flammis ſemiuſta. funus deinde occiſorum magno militari ſtudio celebratum. Milites pro cuiuſque virtute à præfecto laudati, & ad cætera perferenda confirmati. fœminarum vero, quæ complures in arce erant, cum toto obſidionis tempore, tum hoc præcipue die virtus enituit: nam cum antea non ſolum ea, quæ proprie ad earum curam exiſtimant pertinere, ſedulo feciſſent, ſed lapides ac terram quo opus eſſet ferrent, cuniculis faciendis & aggeribus ſtruendis militarem laborem iuuarent, tela in muros comportarent, vulnera obligarent, ægrotos curarent: eo vero die alienato à periculis animo, & velut ſexus oblitæ, contineri non poterant, quo minus inter pugnantes verſarentur, ac belli partem, ſicubi opus eſſet, cum viris capeſſerent: & cum pleriſque inter miniſtrandum viri aut propinqui vulnerati occurrerent, nullam earum aut luctus domeſticus, aut terroris ſpecies oculis obiecta ab opere deterruit. Secundum hanc pugnam noſtris ſpes facta eſt, hoſtem tanta repulſum clade, aut ſoluturum obſidionem, aut per aliquot dies quieturum. Contra Indi noſtros, quos paucos eſſe ſciebant, partim cæſos, partim ſauciatos cum putarent, inſtandum rati, nec vllum reſpirandi tempus dandum: nouum Mahometis ſimulacrum magis horribili, quam antea, ſpecie haſtæ affigunt. Caput erat ingens: capilli ad cubiti longitudinem in humeros demiſſi ſimulacrum operiebant. Ad hoc rurſus coniuratione facta, vigeſimo ſeptimo die Iulii arcem denuo oppugnare aggreſſi. ſed cum noſtros ſpe ſua paratiores inueniſſent, lentius in muros ſubibant: ac niſi principes, qui agmen cogebant, vltimos protruderent, ac regredientibus minitarentur, in caſtra ſtatim reuerſuri videbantur. Nam cum primi, qui aſcenderant deiecti eſſent: magnuſque ollarum ignitarum numerus eſſet infuſus: ibi miſerabilis facies oculis obiecta eſt. Indi enim fere omnes aut goſſipio, aut lino ad veſtem vtuntur. Ignis itaq; deſuper immiſſus: cum in ea velut fomenta incendii incidiſſet, flamma ſtatim per totos cuneos peruagata, late relucebat, tanta celeritate, & momento temporis corpora cute nudata, aut vndique ita pendente, velut in lora conſciſa eſſet, oculis exuſtis, oriſque ſpecie amiſſa, deformes trunci ingentem horrorem cernentibus afferrent: nec quiſquam in tanta calamitate, ne contagio corriperetur, opem afferre auderet. Quibus vero ignis inhęſerat, velut cæci, & amentes, cum nec arma detrahere poſſent, nec flammam reſtinguere, præcipites quo impetus ferebat, nullo ſui, aut hoſtium reſpectu procurrebant. Noſtris vero ab igne longe minus erat periculi, quod panno fere laneo veſtiebantur: manuſque chirothecis, femora, ac tibias ocreis è corio munierant: vt & ignem ipſi tractare, & ab

hoſte coniectum excipere ſine magna pernicie poſſent. Sed cum iam ad id genus veſtis, coria non ſuppeterent, multis iam tegumentis igne corruptis. nullus enim fere dies abibat, quin ſupra ducentas amphoras ſulphuris, hoſtes in arcem immitterent: Maſcarenna tapeta precioſiſſima è pellibus inauratis, in eum vſum per manipulos diſtribuit, ab latere præterea duobus tormentis camelo, & ſphera magna ſtrages edita. Ea enim tormenta ita commode poſita erant, vt nihil aduerſus eorum vim obiici poſſet. Itaque hoſtes vndique male habiti à noſtris, trecentis amiſſis, pluribus etiam ſauciis in caſtra redeunt. noſtrorum perpauci vulnerati, nemo occiſus. Hæc fere ad Thomæ ac Ioan. turres geſta: in quas tota belli moles ſe inclinauerat. Interea tamen ab nulla parte, neque ab hoſtibus, neq; à noſtris ceſſatum. Nam & foſſa turris Iacobææ impleri cœpta erat: & caſtella ad operas tuendum paſſim erecta: & in medio ardore pugnæ admota muris teſtudo: & ſub ea milites omni genere ferramentorũ ad id inſtructi murũ diruunt. hi ſtatim vbi animaduerſi ſunt, cũ magna cæde ſubmouentur: ad opera diſturbanda tormenta locis commodis diſpoſita, alia pro turre Iacobæa, alia pro Thomæa: aduerſuſque mortarium ingens cum magno numero minorum tormentorum oppoſitum: in quibus cum parum momenti videretur, rurſus ad ſolitas artes verſi, frequentiora caſtella, maioreſq; aggeres excitant: quibus protecti per omne id tempus foſſas implebant: neq; vlli toto oppugnationis tempore noſtris moleſtiores fuerunt, quam transfugę Chriſtiani. & primi laceſſebant, & vehementiſſime inſtabant, & ad perſeuerandum hortabantur: neq; quemquã eorum aut patrię reſpectus, aut religionis, cultuſq; priſtini, quẽ ipſi ſe abieciſſe, niſi ſi quando Turcis gratificari volunt, negant, vt vel ad noſtros redirent, vel hoſtium conſilia indicarent cõmouebant: quin quotieſcunq; colloquendi facultas erat, omnia tentabant, vt nos ad deditionis conditiones pertraherẽt: noſtris enim vires pręſentes fractas, & debilitatas eſſe, auxilii ſpẽ pręciſam, ſibi in caſtris fortiſſimũ adeſſe exercitũ, à tergo regnum opulentiſſimũ, vnde milites & cõmeatum, quoties opus eſſet, libere aſſumant: Iuzarcanem perhumanum, ac facilem eſſe, ac facile ab eo impetrari poſſe, vt, ſi ſe ſtatim dedant, omnes incolumes dimittat: nec ſua pertinacia animum natura mitem exacerbent. Noſtri contra hominum ſceleratorum perfidiam execrari: qui corpus & animũ ita lucro addixiſſent, vt exiguę mercedis gratia, vtrunq; perditũ irent. In pręſentia pœnas, quæ ab hoſtibus exigi poſſunt, minari: in poſterũ æterna illis ſupplicia expectanda ęquiſſimo Dei iudicio, cuius auſpiciis certã ſibi victoriã propediẽ pollicerentur. Dum hęc ad Diũ gerũtur, poſtridie q̃ aſperrima illa oppugnatio cœpta eſt, Lembus appellit à Baſſaimo: nouem erant in eo milites lectiſſimi, qui maioris auxilii ſpem faciebant, ſed tardioris multo, quam res tanta poſtulabat: litteris nimirum ad prætorẽ terreſtribus itineribus Goam perlatis, quod mare hyberno ſydere tum maxime tumidũ, imperuium eſſet. Huius nauiculę aduentus quantũ noſtrorũ animos ſpe recreauit, tantũ labores ac pericula auxit. Nam hoſtes cum per exploratores, quos in maritima ora collocatos habebant, certiores facti eſſent, milites pluſquã mille à pętore miſſos in Baſſaimo hyemare: ac mare viderent minus tempeſtuoſum per aliquot dies fuiſſe, quam quiſquam hybernis menſibus in illis regionibus meminiſſet: & nauiculã illam cũ maxima noſtrorũ gratulatione & gaudio exceptã ſenſiſſent: procul dubio ſibi perſuadent, auxilia non longe abeſſe. itaq;, quanquam ſępe magna clade reiecti eſſent, denuo rem tentandam cenſent: ac maiore quã vnquam antea conatu, circa meridiem, quod tempus in calidis maxime regionib. quieti dari ſolet, quam occultiſſime poſſunt ordines explicant: ac partito labore, ab omnibus ſimul partibus impetum faciunt, tanta celeritate, vt prius pene in muris conſpecti ſint, quam quiſquam venientes ſenſiſſet. ſubito ad arma conclamatum. primum impetum ſtationes, quæ in excubiis erant, exceperunt. reliqui tam tumultuoſe accurrunt, tantoq; ardore ſe in confertiſſimos inferunt, vt qui aſcenderant, ad vnũm omnes interempti ſint. Repentina enim illa trepidatio, ita vltimi diſcriminis cogitatione, omnium animos perfudit: vt ſuæ ſalutis immemores, velut in certam ſe perniciem cõiicerent. Ac prima impreſſione primis coercitis, qui ſequebantur minime retardati, ſiue quod ſuos intra arcem pugnare crederent, ſiue quod ad hanc velut vltimã oppugnationem animos obſtinauerant, alios aliis impellentibus in ſumma nituntur. Noſtri ſedata trepidatione, ad ſolitas artes vertuntur: ignes deuoluunt: ſclopetis multos conficiunt: ac maioribus globis ex tranſuerſo miſſis ſcalas vna cum hominibus deiiciunt. In pugna omnia fere eadem fuerunt, quæ in ſuperioribus iam notis inter ſe artibus, niſi quod hoſtes maiore quam vnquam antea pertinacia contendiſſent, feſtinantes finem bello imponere ante aduentũ auxiliorum: & noſtri omni alia ſpe ſublata, aut vincendũ, aut moriendũ ſcirent. Et quemadmodũ eiuſdẽ artib. & animis quibus antea, pugnatum eſt: ſic idem pugnę fuit euentus. Hoſtes inferendis accipiendiſq; vulneribus feſſi, ſub occaſum ſolis ſe recipiunt, circiter mille ſuorũ amiſſis: quorũ magna pars

in pri-

in primo congreſſu ceciderat. Hæc pugna omnẽ ſpem hoſtibus ademit, arcis per vim capiendæ. & tanquam pro certo haberent, noſtra auxilia non procul abeſſe, tormenta omnia colligũt, certi diſcedere, ſi ſubſidia ad noſtros in tempore veniſſent. Obſidio tamẽ interim cõtinuata: & cum iam rumor de aduentu prætoris paulatim euaneſceret, ad cuniculos extruendos, ne quid intentatum relinquerent conuerſi. Interea in arcem ad vltimum malorum ventum erat, foris bello; intus fame graſſante: ad tantamq; rerum omniũ ventum erat inopiã, vt frumentũ quadragies multiplicato precio vęniret, gallina decẽ aureis vẽderetur: nec tanto propoſito precio, inueniretur tamẽ qui venderet: niſi ſi quis ſuo ſe victu neceſſario defraudans, ſauciis aut morbo laborantibus id daret. & qui acceperant non emptũ, ſed donatũ interpretabantur. Iam murium feliumq; carne paſſim veſcebantur. quidquid herbarũ aut radicum vſquam erat, ſine diſcrimine in victus vſum conuerſum. His malis patientia militum victa: & qui ad eum diem tam obedienter imperata fecerant, ſępe de erumpendo conſilia inierunt: & iam vitę ſpe proiecta, dum aliquid viriũ ad pugnam ſupereſſet, in hoſtium potiſſimũ caſtris morerentur. Verum Maſcarẽna varie animos tractandos, eos conſolabatur, nunc ſpe auxilii propinqui, nunc hoſtium confeſſione, qui deſperata victoria, de fuga quotidie cogitarent: neq; ſe in mora futurum, quo minus cũ eis erumperet, niſi morte eorũ arcem, & vna cũ arce quicquid in India pręſidiorũ Luſitani tenerent, prodi videret. Acceſſit his malis illa difficultas: quod puluis bombardicus deficere cœperat, adeoque parce ſuppetebat vnde fieret, vt vix in ſingulos dies parari poſſet quãtum vni tormento ſufficeret: & amphoræ igni ſulphureo in hoſtes mittendo comminutæ erant: neq; ollæ ſupererant aut vſui domeſtico, aut pulueri excoquẽdo. In hunc vſum à Maſcarenna excogitatũ, vt bini imbrices cõponerentur, ſuppletis bitumine cõmiſſuris. ita paululũ pulueris in vſum quotidianũ cõficiebatur. Interea hoſtes dies noctesq; in cuniculis excauandis cõtinuabant, quos in turrim D. Ioa. direxerant: quod ea infirmiſſima omnium eſſet, & ad id maxime oportuna. Erat n. ſita partim ſuper rupẽ: & partim in vetere foſſa, quæ arcem ambiebat, cũ ei pręerat Ant. Sylueira. Emanuel Souſa qui illi ſucceſſit, turres deiectas à fundamentis, firmiores quam antea inſtaurauit: foſſaq; latiori incluſit. cum ad Ioan. turrim ventum eſt, cætera vt erãt, reliquit. veteris tantũ foſſę partẽ noua incluſit. Id cũ hoſtes animaduertiſſent, omnes ſuos conatus eo verterũt: ad murũ propinquũ opera admouent: ſub quibus tecti quanto maximo poſſint ſonitu imam eius partem demoliuntur: alii cum ingenti fragore ſaxa in foſſas coniiciunt: omnia de induſtria ſtrepitu ac tumultu complentur, ne à noſtris cuniculum molientes pręſentiri poſſent. Ita continuato per aliquot dies opere, ad tranſuerſum cuniculum peruentum eſt, quem noſtri id ipſum, quod euenit, veriti, multo ante perfoderant. Ligneos etiam equos, aliaſq; complures machinas ad eam turrem opponunt: & quam proxime poſſunt ad muros admouent. Noſtri interea bombardis machinas diſturbant: dolium puluere ſulphureo plenum ad exitum cuniculi, vbi cũ tranſuerſo committebatur, vt igne ac fumo hoſtes eo ingreſſos exanimarent, obiiciunt. Eiſdẽ diebus, quibus hæc ad turrim gerebantur, Guzarates quidam ex eo genere calonum, qui ſeruilem in morem verberibus ac ſuppliciis materiam in foſſas ferre cogebantur, propius ad murũ acceſſit, velut vitæ tædio morti ſe vltro obiiciens. is cum à milite inuitatus vt aſcenderet, facile annuiſſet, acceptus in arcem ad Maſcarennam ducitur quis eſſet, & cur transfugiſſet, cum reſpondiſſet: de conſiliis hoſtium ecquid ſciret rogatus, fabulam ad quam agendam miſſus erat, intrepide orditur: Regem Patanæ cum magnis equitum ac peditum copiis in Cambaiam deſcendere: hoc biduo Moiatecanem à rege miſſum in caſtra veniſſe, literaſque ad Rumicanem attuliſſe, quibus iubebatur obſidione ſoluta, cum omni exercitu ad regnum tuendum venire: iam currus ac iumenta tormentis auehendis comparari: Rumicanem antequam diſcederet, diem ſtatuiſſe, quo die. D. Ioannis turrim toto exercitu admoto aggredi decreuiſſet: à qua ſi per vim repulſus eſſet, ſine mora caſtra moturũ. Multa erant quæ Indicis orationem cõfirmarent: veteres regum Cambaiæ, & Patanæ inimicitiæ: & tormenta ſuperioribus diebus, incertum qua de cauſa, amota: & lentior ſolito oppugnatio, velut ad vltimi conflictus euentum ſe præparantibus: & loci, qui petebatur, infirmitas. Et quod de Moiatecanis aduentu indicauerat, verum erat: id tamen noſtros cælauerat, militum quatuordecim millia cum eo vna veniſſe. Noſtri igitur in eius diei diſcrimen (neque enim longe aberat) alacrius quam ad vllum vnquam certamen ſe pręparabant: quod pro certo putarent, eo die aut honeſta morte, aut victoria malis pręſentibus & imminentib. ſe liberatũ iri. In id ergo tẽpus intenti, ſe ad dimicationẽ parant: cuius poteſtatem toties à præfecto ſibi negatam, hoſtis iam iam facturus eſſet. Eo tempore Fernandus Caſtrus cum febri vehementer laboraret, nec admonitionibus, nec precibus, nec auctoritate cuiuſquam retineri potuit, quo minus partem periculi in ſe capeſceret: neque

ferēdum exiſtimabat, vt qui periculis aliorum toties ſubuenerat, locum ſibi proprie commiſſum in extremo diſcrimine deſereret. Itaque animi viribus, corporis infirmitatem diſſimulans, ſuorum animos ad pericula ſubeunda hortando, præparat: rerum præclare geſtarum à maioribus in India & Africa comemoratione accendit: parua ſæpe manu hoſtium numeroſos exercitus fuſos ac fugatos: oppida capta: vnumquemq; præſentium ſui priuatim decoris, ac rerum per tot menſes, quibus obſeſſi fuerunt, geſtarum admonet: neminem eſſe omnium, qui non eo tempore decem aut plures hoſtium occiderit: eſſe nonnullos, qui totas à ſe cohortes extinctas merito gloriari poſſint: Diuinum verò præſidium cum Luſitanis in omnibus bellis ſemper adfuerit, in hoc non defuturum, quo nullum vnquam iuſtioribus de cauſis ſit ſuſceptum: quæcunque humano conſilio prouideri poſſent, ea præfecti ſapientia ac diligentia prouiſa: itaque in hoc prælio, quod vltimum futurum eſſet, eum quem ſuperioribus diebus animum præſtitiſſent, præſtare debere: ſemperq; illud ſecum cogitent, fortiſſimum quemq; tutiſſimum eſſe. Iis ille adhortationibus, animos ſuorum ſponte paratos, in expectationem conflictus erexerat. Et iam decimus Auguſti dies aderat, quem maiores noſtri Diuo Laurentio conſecrauerant: hoſteſque prælio deſtinarunt. Iam ſigna ex oppido efferri cœpta: maioreſque, quam ad eum diem viſæ fuerāt, in armis copiæ productæ: & noſtri ſtationibus per murum diſpoſitis, ad impetum eorum excipiendum ſtabant parati: cum Indi vbi primum intra teli iactum venerunt, velut ſubito terrore perculſi retrocedunt: ac iterum ſtatim velut turpis fugæ puderet, renouato impetu incurrunt: ac denuo eadem timoris ſimulatione, qua antea fuerant vſi, retro abeunt. Maſcarenna pro certo habens id fraude agi, ad Ferdi. Caſtrum mittit, qui admoneant: vt cum ſuis in tutiorem locum ſe recipiat: paucos in ſpeciem tantum pro muris relinqueret: non dubium eſſe, quin hoſtis ignem cuniculis admoturus eſſet. [illegible] perlato nuntio, impetu longe maiore quam antea illati, ſtatim ſe trepide recipiunt. Hæc ſimulatio eo pertinebat, vt ad turrim tuendam quamplurimos noſtrorum contraherent. Id cum iam abunde feciſſe viderentur: procul intentis in eam oculis, doli euentum expectant. Interea è turri Ramoſa magnam ignis vim quidam coniecit: qui per ſemitam puluere ſulphureo conſtratam, repente in veterem foſſam, ac per eam in cuniculos puluere ſulphureo nitroque plenos cucurrit: ac ſtatim incendio late fuſo, cum ſpiritus in anguſto loco incluſus egredi niteretur, turrim à fundamentis conuellit: ac partem eam, quæ ad foſſam pertinebat, tanta vi ſuſtulit, ac rurſum libero cœlo euaneſcens dimiſit: vt non modo corpora hominum, ſed ſaxa ingentia ruina ipſa colliſa & comminuta ſint. Altera pars quæ in rupe ſtabat minore impetu, ſed nihilo minore pernicie militum corruit: fragmenta enim ſaxorum paſſim volantia, ſi quos non penitus obtriuerant, cruribus aut brachiis fractis truncato in miſerabilem morem corpore, ſemianimos inter ruinas proſtrauerant. Quidam maiore vi in altum elati, quantum pene oculi acies ſequi poterat, ſuo pondere cadentes contriti ſunt: nonnulli velut tormento miſſi in aciem hoſtium proiecti ſunt: quorum morte non content. homines crudeliſſimi, in deformia ac trunca cadauera ſæuiebant. Viginti quinque præter ſuam & aliorum ſpem incolumes euaſerunt, è quibus tres poſt perierunt. Cæteri ad nonaginta quinque maiori ex parte nobiles clariſque orti maioribus, vario mortis genere perierunt. in his Fernandus Caſtrus duodeviginti annos natus: cuius in ea adhuc ætate tanta fuit prudentia, & conſilii maturitas: vt ea pars arcis vnde potiſſimum ab hoſte timebatur periculum, ei commiſſa ſit: totoque obſidionis tempore ita ſe geſſit, vt nullum in eo magni Imperatoris munus deſideraretur: magnumque ſui deſiderium apud omnes reliquit: quippe in cuius ingenio, ſi maturuiſſet, magnum rei Luſitanicæ præſidium eſſe poſitum credebāt. Horum omnium corpora poſtea requiſita, ac per noctem à mulieribus ſepulta. Huius turris ruina (nam à fundamentis vſque ſublata erat) late viam hoſtibus in arcem patefecit: neque illi, occaſioni tantæ rei defuerunt, iam pridem in eam ſpem inſtructi ac parati. Ex iis qui calamitatem eam euaſerunt, quatuor Luſitani venientium hoſtium impetum exceperunt. cæteri enim aut corporibus vulneratis erant inutiles, aut animis attonitis nondum ſui compotes erant. Maſcarenna cum octo militibus in ſubſidium venit, Sacerdote Chriſti Crucifixi imaginē ſeu vexillū pręferente: ac nunc ſingulos, nunc vniuerſos magno clamore ad pugnā hortante, eius auſpiciis pugnarēt, qui vt omnibus vitā daret, viuus mori voluit: cuius ductu nec de victoria eſſe deſperandum nec mortem timendam: eo itaq; animo certarent, vt qui ſupereſſent certamini, ad pręclaram ſe victoriam reſeruatos putarent: qui caderent, aditum ſibi ad immortalitatem per mortem factum crederent. Hæc aliaque pro loco ac tempore clamitans, accurrentibus vndiq;, qui prope erant, pauci aduerſus tantam multitudinem hoſtium pugnam aliquandiu ſuſtinuerunt. Cæteri ex lapidibus ac materia turris proſtratę, murum in ruinis ducere incipiunt, ac terra iniecta velut aggerem ſolidare: ac

re: ac præter omnium expectationem ante noctem opus confectum eſt, omnibus in id vnum conuerſis: quod reliquam ſpem ſalutis in eo poſitam viderent, ſi hunc aditum obſtruxiſſent. prælium nox diremit: hoſtes in caſtra reuerſi, magna omnium indignatione, quod iam via in arcem patefacta, tanta exercitus, cũi quatuordecim millia recentium militum triduo ante acceſſiſſent tam paucos homines omnibus malis, quæ fert bellum confectos, loco depellere nequiuerint. In hoc congreſſu ex Indico exercitu plus minus trecenti occiſi: vulnerati octingenti. aliquot è noſtris inter muniendũ ceciderunt: In quibus Ioannes Chirurgus egregius: cuius mortem conſpectiorem fecit Iſabellis Maderæ vxoris conſtantia. Ea erat florente adhuc ætate mater ex eo quatuor liberorum: ac ſumma concordia cum viro ad eum vſq; diem vixerat: cuius mortis cum ſpectatrix adeſſet, non modo nõ lachrymis & luctui ſe dedit, ſed mulies ſe conſolantes caſtigabat, & ad opus ſecũ vt redirent iubebat, ferebant enim omnes materiam ad aggerem ſtruendum, ac ſibi & ſuis liberis, ſi quando vſus poſceret, eundem exitum optabat, quo nullus poſſit eſſe præclarior. Ea nocte agger muro exæquatus eſt, graduſque facti. Hoſtibus quanquam toties depulſis, ex hac noſtrorum calamitate animi aucti: & quoniã in primis cuniculis conatus illis tam feliciter ſucceſſerat: alios in alias turres perducere conantur. auxit eorum inſolentiam per eoſdem dies mare tempeſtatibus agitatum: quæ res omnem auxiliorum ſpem ante finem hyemis noſtris ablatura videbatur. Igitur omnibus iterum locis admota tormenta: ac maiore quam vnquam antea ardore, ad oppugnationem reditum: eumque aggerem in quo Ant. Paſſanna præſidium agitabat, demoliri conantur: murumq; aggeri iunctum tanta vi feriunt, vt eius concuſſi ſonitus noſtris ſuſpicionem fecerit fundamenta cuniculis tentari. hunc murum cum nulla vi labefactare poſſent: magnã lignorũ vim congerunt: ac ſtruem pene muro adæquatam, ſuppoſito igni incendunt: ac reſidente iam flamma, vt propius adiri poſſet, Siphonibus aceto in ſaxa calentia immiſſo ea putrefaciunt. Inter hos conatus, quartodecimo Auguſti die Antonius Moniſius, & Garcia Rodericus cognomẽto Tauara, in parua nauicula cum paucis militib. appellunt: qui ſpe maioris propediẽ auxilii omnium animos vehementer confirmarunt. Ex his enim intellectũ eſt, Aluarũ Caſtrum maximum natu filiorum prætoris, Franciſcumq; Meneſium cum quinquaginta nauibus, cum quibus paulo minus mille militũ eſſet, a Goa ſoluiſſe, nec longius quadraginta millibus à Dio abeſſe, adfuturoſq;, vbi primum per tempeſtates liceret. ſe vero non ſine maximo periculo ad arcem perueniſſe, dies nocteſq; egerendis aquis fatigatos: fluctibus enim aſſidue in nauiculam irrumpentibus vnum inuentum eſſe remedium, vt omnes in vnam partem verſi, eo nauem inclinarent, dum exhauriretur. Interea dum deflagrat ignis: ne ab vlla parte ceſſaretur, cuniculus in Thomæam turrim, quã murus contingebat, perducitur. ſed cum in tranſuerſos cuniculos incidiſſent, aditus obſepiunt: ac iniecto puluere ſulfureo, ignẽ inferunt: & ne turri deiecta ruinæ ſtatim, vt antea factum eſt, munimentis obiectis obſtruerentur: ſuos inſtructos propius continent, vt ſtatim erumpere poſſent. Maſcarenna vbi hoſtem paratum ad ignem inferendum videt: ſuis ſignum dat, vt ſe recipiant. Ibi hoſtium nimia feſtinatione, ancipiti periculo pene vtraque pars afflicta eſt: nam cum tranſuerſum cuniculum opere tumultuario male obturaſſent, magna vis flammę fumiq; ab ea parte erumpit: omniaq; intra arcem ad inſtar noctis denſis tenebris operuit: & ſpiritus per eam partem libere erumpens, minus valide turrim commouit: cuius pars, quæ labefactata fuerat, exterius prolapſa, hoſtium trecentos, qui propius ſteterant ad erumpendum intẽti, ruina ſua oppreſſit. reliqui nihil eorum clade deterriti, qua quiſque poteſt, in murum euadit: ac iam Thomæam turrim pene occupauerant: cum noſtri, qui per tenebras cæci in pericula ruentes in murum aſcenderant, iam rareſcente fumo, hoſtes conſpicati, ſcloperis eos adoriuntur, ac ſupra ducentos occidunt, reliquos deterrent. Vna potiſſimum res Luſitanis fuit ſaluti, quod hoſtes paucitatem eorum ignorarent. nam cum vix centum & quinquaginta eſſent, qui arma ferre poſſent: omnes tamen idoneos locos prçſidiis tam cõmode diſpoſitis tenebant, vt quocunq; irruptio tentata eſſet, alii aliis auxilium ferrent. ea res fecit, vt hoſtibus multitudinis ſpeciem prçberent. & quanquam rationẽ inire nõ poterant vnde tam ſæua hyeme mari innauigabili ſubſidiũ veniſſet: veniſſe tamẽ ſibi perſuadebãt. Igitur quamquam arx multis locis diruta eſſet: & quç adhuc ſtabant, tormẽtis labefactata mox ruituræ viderentur, oppugnatione, quam ſæpe fruſtra tentauerant, omiſſa, quæ ſupererant diruerẽ ſtatuunt. & quando aliter non poſſent, tectorum ruina præſidium opprimere. Paucis ergo diebus ſacram ædem quæ in arce cæteris altior extabat, magna ex parte diruerant: & faſtigia ac tecta reliquarum ædium deiecerant. Et quatenus in corpora ſæuire non poterant: in hçc impotentiã ſuæ iræ oſtendunt. Interea omnibus ad belli munera intentis, ſerui tres genere Indi, ſiue deſperata ſalute prçſidiariorum, ſiue melioris fortunæ ſpem ſecuti: qua

in mare arx ſpectat. per anfractus rupis mutuo conatu ſe iuuantes, in aquam delapſi ad ſuos pernatarunt. qui diligenter interrogati, iureiurando affirmant, non plures ſexaginta militibus in arce ſupereſſe, qui arma tractarent: cæteros qui tot prælijs ſupereſſent, ita vulneribus ac morbis eſſe confectos, vt potius oneri ſint, quam vllum momentum præliantibus adferant. Illi, vt fert natura mortalium, proni ad ea credenda, quæ vehementer exoptabant: & qui ſcirent magnum Luſitanorum numerum varijs belli caſibus periiſſe, ſe mutuo exhortati, in vltimum laborem parati eſſent, arcemq; dirutã ac propugnatoribus vacuam inuaderent, in Thomæam turrim impetum faciunt, cum ibi globum circiter ſexaginta militum offendiſſent, cætera propugnatoribus vacua rati, ab alia parte irrumpere conantur. cum illinc quoque non minoris cohortis occurſu, cum magna ſtrage repellerentur: in caſtra reuerſi, iram ab re male geſta collectam, in fugitiuos tanquam mendaces effundunt. Ad opera quæ cœperant perficienda reuerſi, murum igne & aceto putrefactũ multis in locis ferro perforant: per ea foramina complures Indos qui in arce ſeruiebant, ſclopetis vulnerant. hi enim ad radices muri in loco cauo, cui foſſæ nomen erat, habitabant vicoſque omnes adeo infeſtos fecerunt, vt nemo fere prodire in publicum, aut per arcem miniſteria obire auderet. Aduerſus id malum optimum Maſcarennæ viſum eſt, parietibus perforatis, omnes ædes peruias facere: vt tecti in omnes partes commeare milites tuto poſſent. Profuit ea res præcipue aduerſus globos ex ſtupa & Goſſipio puluere oblatos: qui in tecta ac vicos proiecti, cum magno terrore prouoluebantur, conceptum incendium late fundentes. Eodem tempore diuerſo loco, ad Iacobæam turrim magna contentione vtriuſq; partis certatum: dum noſtri tranſuerſis cuniculis Indorum cuniculos impediunt. Eo animaduerſo, interſepto quod in medio erat ſpacio, Indi ignem ſubiiciunt: ac turrim antea labefactatam ac iam pene nutantẽ magna ex parte diruũt. ea ruina ſine damno noſtrorũ, ac ſtantibus muris tota in foſſam procubuit: ſecumq; Camelũ traxit: quo potiti hoſtes ab ea parte noſtros vehemẽter infeſtabãt: & admoto à noſtris camelo ipſi inuicẽ infeſtati. Erat vicina turri domus, quã cętera intactã ruina nudauerat: de ea occupãda acerrime pugnatũ. Dũ hoſtes, eius aditu, qui ad ipſos verſus erat, Luſitanos prohibent: tandẽ opere tumultuario, obiecto muro noſtri eos excluſerunt. multis vtrinq; vulneratis, nõnullis ex Indico exercitu interẽptis, certamẽ diremptũ. 22. Aug. die Ludouicus Mello cognomẽto Mendoſa: & paucis interiectis diebus Eduard. Meneſius Comitis Feirę filius, & Georg. Meneſius cũ 28. militibus paruis ſcaphis appulerũt: claſſemq; Luſitanã nuntiãt non lõge abeſſe. Hi quia recẽtius aduenerãt, ad Thomęã turrim, vbi plurimũ laboris erat, miſſi. eius maiorẽ partẽ hoſtes à regione quã cuniculis diruerãt, ingreſſi tenebãt, quos Maſcarẽna recẽti milite fretus, cõtinuo deiecit. Ad hũc tumultũ ſigno dato, omnes Indorũ copię ex vrbe ſuis ſubſidio aduolãt: ac per tres turres cõtinua ruina proſtratas, ac ſemidirutas vno tẽpore irrũpunt. Et quia vehemens imber repẽte effuſus vſũ tormẽtorũ ademerat, certamẽ ad manus venerat: haſtiſq; vtrinq; pugnatũ. multi ex noſtris, ſagittis ſauciati: cuius teli vſus Indis vulgo eſt plurimus: quib. lõgo certamine fatigatis, ac iã ſe recipiẽtib. imbre ceſſante ſtatim ſerenitas ſecuta eſt. Hãc occaſionẽ nacti Chriſtiani, è maiorib. tormentis globos in cõfertos ordines iaculãtur. Ea res late ſtragẽ edidit. Hęc ſub occaſũ ſolis geſta, cũ per ſex horas cõtinuas pugnatũ eſſet. poſtridie huius diei Ioan. Taidęus, & Franciſ. Gillus, qui duobus lembis cum triginta militibus aduenerant, in arcem excipiuntur: nec iam fere dies vllus erat, quin noua auxilia venirent, quæ eo maius quã pro numero gaudiũ noſtris afferebant, quãto propius ad interitum ventum erat. Magnum etiam momentum delati cum his vna nautæ attulerunt: quibus ad opera admotis, vetus miles à continuo labore non nihil recreabatur. Indis noſtrorum pertinacia vnam ſpem victorię reliquã fecerat: ſi totam arcem funditus diruiſſent. Igitur vno tempore, diuerſis locis cuniculos facere aggreſſi, iam ad murũ peruenerant, qui Paſſannæ pręſidiũ ſuſtinebat. is immiſſo igne, ſua ruina turrim ſecũ traxit, ſine vlla noſtrorum pernicie, qui ſuperiorũ dierum calamitatibus admoniti, ſe in tempore receperunt intra alterum murũ: quem id, quod euenerat, metuentes, interius conſtruxerant. & hoſtes velut idipſum fore rati, tormentis iam antea diſpoſitis, vt noſtros pro ruinis muri pugnaturos de improuiſo adorirentur, ad primũ ruinæ fragorem aduerſus locum iam antea animo deſtinatũ, magnũ numerum ingentiũ globorum fundunt. Ab noſtris vero adeo nuſquã ceſſatum eſt, vt eo die pręfectus ipſe lapides & materiã muro ſtruendo cõportauerit. Illud miraculo propius viſum: quod inter tam varios hoſtis conatus nemo Luſitanorũ eo die ſauciatus fuerit. Hinc repulſi, ad Thomęam turrim occupandã animũ adiiciunt. Primum pauci inter ruinas obrepentes, latus quod in foſſam vergit, muri caſu patefactum, ingrediuntur: complures cũ id ſucceſſiſſe viderent, ſecuti, lapides comportantes muros pluribus locis trãſuerſos ędificãt: poſt quos tuti cũ noſtris, qui reliquã partem turris tenebant, æquo marte pugnabant:

bant: donec Baſiliſcus in æde ſacra qua deiectis turribus noſtri loco propugnaculi vtebantur, in eos verſus, eorum munitiones deiecit. Vigeſimo octauo, Aluarus Caſtrus, & Franciſcus Meneſius, cum parte claſſis portum ingrediuntur: ac trecentos & quinquaginta milites in arcem exponunt. Cætera claſſis viginti quinque nauium, vi tempeſtatis retro Baſſaimum, vnde venerat, reiecta. per totum deinde Septembrem modo ſingulæ, modo plures, obſeruata mitiore tempeſtate Dium applicant. Hac manu recepta, ac per ea loca vbi plurimum erat periculi diuiſa: & laxiore iam annona, noſtri ſpe pleni, non iam quomodo ſe tueantur, ſed qualiter hoſtem offendant, conſultant. Tres ergo Cameli locis idoneis per muros poſitis, omnia circa adeo infeſta hoſtibus fecerunt: vt nemo citra foſſas prodire auderet. Inter eos vtrinq; ſpe, viribuſque ſatis ſibi confidentes, Baſiliſcus ingens inter ruinas iacens certamen conciuit. Hunc cum rotis in terram demerſis, & fragmentis murorũ impeditis noſtri ad ſe retrahere nequirent: funes alligarunt, ne hoſtes eum ad ſe pertraherent. Hoc ergo tormento ſtrenue defenſo, & hoſtibus cum ſatis magna cæde pulſis, qui nuper aduenerant, ſermones primum ſerunt, iam non amplius in ruinis velitandum, neq; cæco marte in ſubterraneis cuniculis inuicem eludere oportere: enimuero aciem ſtruendam, clara luce in campum prodeundũ, manumq; aperto iam marte cum hoſte conſerendam: has vere Luſitanas eſſe artes: ſic hoſtem repellendum potius, quam expectandũ, dum magis feſſus, quam fugatus ſua ſponte decedat. Hæc, vt cuiq; minimũ erat conſilii, ita maxime laudare. accendebat animos præterea æmulatio: vt ſi penes Maſcarennã laus defenſi præſidii eſſet, ſe perfecti belli gloriã laturos. Et hoſtes cognito per exploratores præteris aduentu caſtra muro circunducto cõmunierant aduerſus repentinas noſtrorũ incurſiones: quorum numerum quotidie nauibus appellentibus augeri videbant. Id noſtri timoris indicium interpretati iam palam in Maſcarennam probra iacere: ac per eum vnũ ſtare dicere, quo minus obſidio cum hoſtiũ clade ſolueretur: minari, ſi pugnæ ſignum nolit dare, nõ defuturũ in tam nobili iuuentute, quem ſequerentur: aut ſi reliqui pari cunctatione eam laudem negligant, ſe vel luteum præ poſituros ducẽ, cuius auſpiciis rem gerant. Quid enim aliud Maſcarẽnam eſſe quam vnum hominem, cui multi adſint virtute vel pares, vel etiam fortaſſe ſuperiores? Hanc eorum amentiam auxit pugna illa de baſiliſco, cuius ſupra meminimus: hoc vero flagitiũ eſſe, ſi timidiſſimus hoſtis non modo ad pugnã, ſed ad prædam etiam ſe paret. Ita concitatis animis, ad ædes præfecti concurritur: quem vbi non comperetunt, domi occultari rati, etiam ædibus minantur. Maſcarẽna hoc motu audito, cum Aluaro Caſtro & Franciſco Meneſio deliberat: & cum omnibus tentatis remediis, fruſtra tumultũ ſedare conaretur, cõſenſu multitudinis velut tẽpeſtate abreptus in poſterum diem, qui primus erat Septembris prælium edicit: in arce præſidia relinquit, ſimul ne inter pugnam cuſtodiis nudatam hoſtis inuaderet, ſimul vt ſi quid aduerſi, quod vehemẽter timebat, accidiſſet: facilior noſtris receptus eſſet. Omnibus igitur ita ad pugnam animatis, paucis milites exhortatus, ne nimio pugnandi ardore, ac feſtinatione victoriã corrumperent: neue ordines relinquerent: in eo ſolo ſpem eſſe perrumpendi aduerſus tantam hoſtiũ multitudinem, ſi conferti pugnam ineant. Hæc cum præmonuiſſet, Aluarus Caſtrus, Franciſcuſq; Meneſius primi ſub ſignis progreſſi, in murũ euadunt: ac iam intra caſtra pugnabant, Indis contra acriter ſe defendentibus. Qui ſecuti ſunt cum murum opinione ſua altiorem cõperiſſent: re inopinata, perculſi ibi hæſerunt. id enim eos fefellerat, quod herba, quæ ad radicem muri lætius excreuerat, ac humiliorẽ videri ex arce proſpicientibus fecerat, pedibus aſcendẽtium proculcata: murũ nudauit. hac eorũ cunctatione hoſtes audaciores facti, cum multos ſclopetis vulnerarent, nonnullos occiderent, pleriq; perterriti ſe inter herbas occultabãt. Hos Maſcarẽna veris probris increpans, ac domi ſeditioſos, in acie timidos, cõmilitonum proditores appellans, ſe ſequi ac murũ conſcẽdere iubet. Igitur rurſus conglobati impetu renouato murũ ſuperant: ac per tranſuerſos aggerum anfractus, fruſtra Indis repugnãtibus, ad pontẽ perueniunt. Hæc dum pro caſtris geruntur, hoſtis arcem vacuã ratus ſuperante multitudine manũ ad eam capiendam circũmittit. Id quidam è noſtris conſpicatus, cum parũ præſidii aduerſus tãtam multitudinem relictum crederet, magna voce exclamat ab hoſte arcem teneri. Ad hanc vocem trepidatione per totam aciem orta, ad arcem recurritur. Maſcarenna nunc ſingulos reprehenſans, nunc ad vniuerſos proclamans nihil illic eſſe periculi, paucos retinuit: cum quibus iterum ſuperato muro, cum Caſtro Meneſioque, qui primi conſcenderant, ſe coniungere contendit. Hæc paranti, miles occurrit. qui Franciſcum Meneſium, ſe præſente, cæſum narrat: cadauer ab hoſtibus aſportatum. Aluarus vero Caſtrus ſaxo, cedente ad ictum galea, grauiter vulneratus eſt. Hoc igitur recepto, ac reliquiis à fuga collectis Maſcarenna reuertitur, pluribus vulneratis triginta amiſſis. Magnum ſui deſiderium in primis fecerunt Franciſcus Meneſius genere & fa-

ctis clarus, ac omnibus, animi magnitudine aliiſque virtutibus charus: Franciſcus Almeida, Lupus Souſa, Rodericus Fernandus, Franciſcus Gulielmus. Georgius Meneſius multis acceptis vulneribus modica ſpe vitæ, animam trahebat. Nonius Periera homo nobilis, Maſcarennæque in primis acceptus, acceptis ab eo ad gubernatorem litteris, Goam, vt commodius vulnera curaret, ire inſtituit, verum inter nauigandum iactationem non ferens, mortuus eſt. Hoſtes hoc ſucceſſu compreſſam noſtrorum temeritatem rati, iterum Thomæ turrim aggrediuntur: nec Baſiliſcum modo, quem antea tentauerant ruptis funibus ad ſe pertrahunt: ſed Leonem ac Saluagium (id quoque genus tormenti eſt) in iiſdem ruinis compertum, de noſtris ceperunt. Turris ægre defenſa, exteriore muro prolapſo, interiore iam procumbente, niſi Maſcarenna interius aggerem obieciſſet: qui ruentem ſuſtineret. Interea hoſtes opus immenſum, ac prope incredibile aggreſſi: latum fluminis alueum aggere conſtructo anguſtant: & quanquam fluminis altitudine, quæ facile quinquaginta pedes explebat, & maris æſtu reciproco opus impediretur: eo vſque tamen coercent: vt ponte conſterni poſſet: vt ex oppido Rumeorum compendio curribus portare poſſent commeatus, qui antea longo circuitu circumibant. Eodem tempore alia manus cuniculos in arcem agebat: vt quæ reliqua erant ædificia diruerent. Id opus eo magis properatum, quod rumor erat prætorem breui adfuturum, ac vna cum eo ſupra tria millia Luſitanorum. Rumican vero cum ſupra viginti quinq; millia militum ſelectiſſimorum in armis haberet, tantoſq; in vrbe commeatus, tantumque belli apparatum, vt vel obſidionem quamuis diuturnam pati poſſet, non tam cōgredi metuebat, quam ne ſubſidiorum aduentu obſidio arcis in longum protraheretur. Inter hæc ſub finem Septembris, mixtus luctu gaudioq; nuncius ad Prætorem perfertur: arcem quidē ſtrenue defenſam. ſed multos noſtrorum cæſos: in quibus filium ipſius Fernandum Caſtrum. Ille priuato dolore ſuppreſſo multa de Maſcarenna, & militibus eius honorifice locutus, ob rem bene geſtam lętus veſte precioſiſſima indutus, equum conſcendit: ac extra oppidum magno comitatu progreſſus, de totius belli ratione cum ſuis aliquandiu diſſeruit. equo deinde ad exercitationis militaris morem ſæpius circumacto, ac libero decurſu campi ſpacio confecto, magnam vultu lętitiam præferens, in oppidum redit. Ibi animū eius in priuato luctu tam cōſtantem duplex caſus turbauit: & funus Nonij Pereiræ, quod tum ducebatur: & nuntius de morte Franciſci Meneſii: Iam miteſcente hyeme, prætor gnarus quā celeri opus eſſet ſubſidio, Vaſcum Cunnan litora legere iubet: ac reliquas ex Aluari Caſtri claſſe naues violētia ventorū diſſipatas, cogere: ac Dium ducere: Maſcarennā vero monere, ne omnino ante ſuū aduentū eruptionē tentet. ipſe alias quinq; naues celerrimas armat (Luſitani qui ſoli hoc nauigii genere vtuntur, Carauellas, vocant) in hoc cōmeatus, puluis ſulphureus, globi, ollæ, ſcalarum omniſq; generis ferramentorum magna vis impoſita. in his item milites miſſi: quorū quadringenti ſclopetarii erant. Eodem fere tempore hoſtium aliquot naues, quæ militem ac varii generis mercem è ſinu Arabico ad exercitum vehebant, in noſtros inciderunt: è quibus aliæ Chaulum perductæ. in omnes nullo ſexus, aut ætatis diſcrimine, animaduerſum eſt. aliæ Dium pertractæ, quæ Turcicum militem ex Arabia vehebant, duce Coij Sofaris propinquo, cuius antea meminimus. Is cum pro ſuo capite triginta millia ducatorum offerret, plus valuit ira, quam pecunia: eius reliquorumq; capita in fluuium proiecta, vt æſtu per aduerſum amnem relabente, in caſtra hoſtium perferrētur. Id ſpectaculum hoſti magis atrocitate rei auxit iram, quam damno militum, animos imminuit. Igitur proni in vltionem, in eas, quæ ſtabant turres, cuniculos agunt. & quanquam noſtri tranſuerſos ſemper obiicerent, non potuerunt prohibere, quo minus igne ſubiecto, pars aliqua murorū dirueretur. Ant. Freiri turris, qua hoſtes ſpectabat, proſtrata foſſam impleuerat. Ad murum igne & aceto antea ſolutum duo cameli admoti, per foramina eius, vicos arcis infeſtos fecerant, globi etiam in ciſternam nonnulli miſſi, è qua ſola noſtris aqua ſuppetabat. Aduerſus hoc malum murus alius interius celeriter obiectus: & agger excitatus, in eo Camelus, aliaq; aliquot tormenta poſita, hoſtium impetum adeo cōpreſſerunt: vt eam muri partem poſtea nunquam tentauerint. & cum iam arce militum plena, ollas ignitas, vt antea ſępe fecerant, è propinquo iniicere nō auderent, trabe funibus intenta ad antiquū militiæ morem tormentū fabricantur: huic impoſitas ollas ignitas intra munimēta noſtra iaculātur: multoq; plures quam antea. muri partes cuniculis proſtrauerant: & noſtri in tranſuerſis cuniculis non magnum eſſe momentum iam ſæpe experti, ſuperante multitudine nouum interius murum per totum arcis ſpaciū conſtruxerant, quo munimento omnibus turribus deiectis, ſpem habebant ad finem hyemis duci bellum poſſe. Hæc agentibus, October menſis peractus eſt. Principio Nouembris ſubiectus ignis cuniculis non ſatis obturatis, ideoq; inualidus, non adeo multum damni noſtris attulit. Interea Prætor coacto exercitu, idoneam

neam ad nauigandum tempeſtatem nactus, Baſſaimum cum claſſe proficiſcitur. ibi paucos dies commoratus, dum copias è vicinis locis expectat. Interea Emanuelem Limam hominem notæ virtutis, & prudentiæ, & ſingulari in rebus gerendis felicitate, cum paucis nauibus Surratem vſque, maritimam oram exploratum mittit. multæ ab eo onerariæ captæ, quæ commeatus Dium ferebant. in omne genus animantium, militum ira ſæuiit. Sextodecimo die cum præda ad prætorem Lima reuertitur. Iam prætor omnibus rebus ad nauigandum comparatis, magno in primis indigenarum numero coacto ad opera facienda, Lima cum viginti longis nauibus præcedere iuſſo, ipſe cum reliqua claſſe vento ſecundo Dium tendit. Ille vt iuſſus erat, crebris excurſionib. in terrā factis orā maritimā late populatur, à Bramaluci prouincia tantum vim belli abſtinuit. Is principio belli, vt ſupra demonſtratum eſt, à rege Cambaiæ, cui vectigalis erat, ſolicitatus, vt Baſſaimi præſidiū aggrederetur, in fide tamen noſtris pacta permāſit. reliqua ora maritima flāma ferroq; vaſtata: in primisque Guzaratū prouincia, quæ tota mari vicina eſt. quicquid nauium inuentum eſt, quicquid portuum aut villarum maritimarum toto eo tractu erat, veluti continenti incendio conflagrauit, terror etiam latius ſerpſit: & in interioribus continentis locis, trepidatum. Lima his, vt imperatum erat, confectis, ad Mortuorum inſulam (quatuordecim millia à Dio is locus abeſt) ad prætorem venit. Is cum octoginta nauium claſſe ſeptimo die Nouembris eo appulerat. claſſem in ancoris habet in ſtatione, vnde à Dio proſpici poſſet. Eo Maſcarennam accerſit, ac habito cum eo de ſumma belli conſilio remittit. Scalæ frequentes in arce factæ, quibus è rupe demiſſis milites ſine trepidatione in arcem occulte acciperentur. per has triduo expoſiti omnes, per auerſam ab hoſtibus partem arcis, ſine tumultu ingrediuntur. quicquid erat tormentorum per muros commode diſpoſitum, in hoſtium munimenta conuertitur: quibus pars muri quæ è regione arcis erat ædificata, per hos dies labefactatur. Hoſtes interea noſtrorum conſiliorum ignari, omnibus locis idoneis præſidia diſponunt, ad Thomæam turrim, qua noſtros erupturos putant, intentiſſimas habent vigilias: ollas, picem, puluerem ſulfureum, magnā ſagittarū vim, ac ſaxa ingētia in muros comportāt, Partem murorum, quæ ad fluuium pertinebat, nouis munimentis augent: tormenta maiora eo conuehunt, vt deſcenſum noſtrorum impedirent: totum id latus quod arcem reſpicit, quindecim millia militū tueri iuſſa. ſeptem millia Turcarum, Arabumque, & aliarum nationum, quæ bellicoſiores putātur, in fronte poſita ad primum impetum excipiendum, pontē fluminis per quem ad Rumæorum oppidum itur, ſeptingentorum præſidio obtinent. Aliis circa locis ad quæ naues appelli poterant, foſsæ præaltæ factæ, ramiſque arborum ac terra leuiter contectæ, Omnibus, vt videbatur, ſatis prouiſis, tanta in ſuorum viribus erat Rumicani fiducia, vt paucitati noſtrorum illuderet, & conatus, velut vanos, irrideret, neq; quicquam minus expectaret, quam vt conſerere manum ſecum auderent: noſtris contra cum non. die Nouēbris prætor in arcē veniſſet, tantum gaudium fuit, vt nemo eſſet, qui de victoria velut ambigua dubitaret. Prætor hoc fere pacto ſuos inſtruxerat. in nauibus nautas tantum, & calones, quos Goa & Baſſaimo aduexerat, reliquerat. Hi iuſſi erant omnes nauiculas, quę remigio impellerentur, complere. Indi haſtas erectas tenere, remiges altera manu remum agere, altera funiculos ignitos habere: amplum illis vexillum, quod prætoris eſſe videretur, datum. ita inſtructi, vbi ſignum quod conuenērat, accepiſſent, iuſſi tympanorum, ac tubarum quantum poſſent maximo edito ſono, ad Iacobi Lopis turrim tēdere. Ea in angulo vrbis ſita fuerat ſuper rupem in mare obuerſam: quam hoſtes initio obſidionis, quia nullum vſum eius putabant, diruerant: vt materia ad aggeres ſtruendos vterentur: aduentu vero prætoris triduo inſtaurarunt, vt propinquo portu noſtros, ſi eo appuliſſent, deſcenſu prohiberent. Arcis tuendæ cura Antonio Correæ commiſſa. datum ad id militum quantum ſatis eſſe videbatur. Reliquus exercitus (ad tria fere Luſitanorum millia erant) iuſſi in poſterum diem ſe ad prælium parare, ac tertia vigilia armati adeſſe. Cum, vt imperatum erat, conueniſſent: loco magis quam cætera edito in area arcis, vnde proſpectus in omnes partes erat, Ant. Cuſtodius Franciſcanus, homo integræ vitæ, ac ſummæ ſanctitatis opinione, ſacrum orditur. eo cum magno ſilentio peracto, cæteris tacite ſubſequentibus orationis verba præit. Chriſtum omnipotentem precatus Deum, vt ſuum nomen à contumelia vindicet: ſuam potentiam hoſti ſuperbiſſimo oſtendat: & hanc manum quamlibet paruam, ipſius tamen auxilii fiducia innumerabiles hoſtium copias non reformidantem, ſpei, votique ſui compotem faciat: ac in hoſtium caſtra, qui ad religionem eius euertendam coniurati venerant, tumultum, terrorem, & fugam conuertat. Hæc vbi dixiſſet, quamquam omnium animi ſpe, & fiducia erecti viderentur, Prætor tamen paucis admonendos ſibi ratus, ſilentio facto, ita exorſus eſt. Si magnitudo iſta

animi,& alacritas quam in vobis intueor, aut ex veſtrarum virium nimia fiducia, aut hoſtium ignorantia oriretur, comprimendam potius putarem, nec in præcipitia ruentes oratione etiam impellerem. ſed cum & vos memineritis Luſitanos eſſe, quorum maiores ingentes ſæpe, non Afrorum modo, ſed & Romanorum copias parua manu fuderint: & hos eoſdem eſſe hoſtes, de quibus hoc ipſo in loco tam præclara victoria ſuperioribus annis parta eſt: nemini dubium eſt, quin vtraque pars ſuos animos, ſuos mores in diſcrimen adferant: alteri ſcilicet vincent: alteri fugient. neque enim æqua illis, & vobis propoſita ſunt vel pericula, vel præmia. nobis enim victis à tergo Oceanus tempeſtatibus inuius, Luſitania quam petamus toto terrarum orbe interiecto diſiita: arx in quam fugiamus diruta: neque ſi incolumis ſit, aliæ ſuperſunt copiæ vnde ſubſidia expectemus. Illis contra pugnantibus omnia infeſta: fugientibus a tergo latebræ, & ſpes pleriſque redeundi ad ſuos: ad quos vt reuertantur, homines barbari, ne ignominiæ quidem notam reformidant. Illis ne ſi vicerint quidem, ſpes vlla emolumenti eſt ex vnius arcis non adeo opulentę præda: nec è liberalitate regis quicquam eſt q; expectent, ærario diuturna obſidione exhauſto, & fide barbarorum cum fortuna mutabili. nobis vincentibus Indiæ regnũ victoriæ præmium proponitur. nam & parta ſeruabimus, & eorum animos, qui euentum huius belli expectant, confirmabimus: & hoſtes ita profligabimus, vt in multos annos vires reſumere nequeant. Quicquid enim apud eos virium eſt, in Turcarum auxiliis poſitum eſt: cum his ſolis, qui non multo plures ſunt quam vos eſtis, de gloria certandum eſt: his profligatis, non multo facilius illi è Thracia, & Macedonia auxilia accerſent, quam nos è Luſitania. nam Aſiæ gentes quæ in medio ſunt poſitæ, aut non multo Indis bellicoſiores ſunt, aut non minus quam nos Turcis infeſtæ. Vulgus vero Indorum ſeruituti aſſuetum, in præmium victori cedet. Horum itaque memores cum prælium inieritis, ita pugnate, tanquã ſub oculis Regis Luſitaniæ res geratur: qui & veſtræ virtutis idem iudex optimus, & remunerator eſt futurus: & ſuum honorẽ, maiorum gloriam bello partam, & orientis imperium, quod in huius prælii euentu poſitũ eſt, vobis abſens cõmendat. Ita pugnate, tanquã non meo, ſed Dei præſentis, atq; omnia intuentis ductu, aduerſus eius, omnis iuris diuini & humani expertes dimicaturi: neque exiſtimate eum qui mortuus eſt, vt nos viueremus, permiſſurum, vt homines impii, qui eius morti illudunt, & potentiam contemnunt, impune in nos inſultent, neſcio quid aliis vſu venerit: equidem ita animo affectus ſum, vt cum hoc ſignum intueor (Chriſti affixi imaginem manu oſtendebat) mearum virium oblitus, vel ſi ſolus irem, de victoria minime dubitem. Extremam eius orationem cum ſumma alacritate militum clamor ſubſecutus eſt poſcentium, vt quamprimum in hoſtem duceret. Prætor acie intra arcem inſtructa, ſignum quod conuenerat, dat his, quos in nauibus reliquerat. Illi maiore quam pro multitudine ſtrepitu, vt iuſſi erant, in portum vrbis, qui eſt ad turrim Lopis, ac vicina litora naues dirigunt. Hoſtes incerta luce, cum in prætoria naue lumen, quod pro ſigno ſolebat eſſe, cernerent, prætorem ipſum adeſſe rati: & haſtæ frequentes nauiculis erectæ, & ignis in funiculis paſſim interlucens, ſpeciem totius exercitus præbuit.

Itaque cum magno tumultu ad mare concurſum eſt. Prætor vbi in caſtris hoſtilibus trepidationem ſenſit, apertis per ſilentium portis, incerta adhuc luce exercitum educit. In prima acie præerat Maſcarenna cum ſuo milite, cuius fidem, & virtutem per tot menſes expertus erat: adiecta ex reliquo exercitu Cohors quadringentorum militum. prætor cum aliis copiis paruo interiecto ſpacio conſequitur. Primi erant ſclopetarii, & ea manus quæ ſcalas ferebat: quibus ad muros hoſtium admotis, Maſcarennæ miles notitia loci fretus ſtatim in caſtra irrumpit: ac cæſis, aut fugatis his qui pro muris erant, ingentem tumultum edit. conſecuti ſtatim haſtati, iam aciem intra caſtra direxerant. Hoſtium qui occurrerant non adeo multi, cum magna ſtrage in fugam verſi. nam quod virium erat in exercitu, ad mare verſum erat. hi cum ex ſuorum fuga caſtra iam capta audirent, ad ſubſidium ſuis ferendum verſi. aliis fugientibus, aliis, quo clamor vocabat, properantibus, totis caſtris tumultuatur. Inde quos res inopinata a principio perculerat, in pontis anguſtiis rurſus conglobati reſiſtunt: ac tormentis noſtros aditu ſubmouere conantur. Ibi, ſiue terror, & nocturnæ tenebræ hoſti impedimento fuerunt, ſiue vt potius credi par eſt, præſens numinis fauor noſtris adfuit, vnus tantum globus miſſus eſt: eoque vnus è Luſitanis interfectus. reliqua tormenta quater hoſtibus fruſtra tentãtib. ignẽ concipere nõ potuerũt. nihilo tamẽ ſegnius pro põte pugnatur: noſtris ſucceſſu, Indis loco ſuperiore fretis. Ibi cum aliquãdiu certamẽ hęſiſſet, prætor ſuos nũc increpare, nunc hortari, vt antequã tota hoſtiũ vis eo ſe cõferret, præſidia occuparẽt: ponte ſemel capto, nihil fiduciæ hoſti ſupereſſe, niſi in acie vbi haud dubie Luſitanus ſuperior

perior eſſet. His vocib. miles admonitus, renouato impetu, è turribus hoſtem deiicit: non incruenta tamen pugna. Quadraginta enim ex Luſitanis ceciderunt. Inſignis in paucis vulnerum fœditas declarat, quantis viribus pertinaciaque certatum ſit. Coſmo Pauæ gladii vno ictu femur abſciſſum. Vaſco Fernando cum hoſtem pertinacius perſequeretur, a tergo lorica deciſa: & patefacta per vulnus vitalia. alteri quid ſupra oculos aureſque erat è capite, à reliquo corpore ita diuiſum fuit, vt non temerario ictu factum, ſed arte ad oſtentationem quæſitum videretur. Ponte occupato, iam omnia penes hoſtem in fugam ſpectare. vbi enim quod roboris in exercitu fuit, fuſum eſt, Luſitani à tergo ita vrgebant, vt nuſquam redire in ordines, & conferre aciem ſinerent. Maſcarennæ miles præcipue iræ atque odio indulſit, cōmilitonum tot præliis cæſorum, & longæ obſidionis mala vleiſci cupidus. Itaque quacunque irruerat, procellæ inſtar ingentem ſtragem dabat. Eius cohortis impetum Bragmines ſagittarii, & haſtati remorari conati, aciem ex aduerſo dirigunt: ac nonnullos eminus vulnerant: ſed vbi ad manus ventum eſt, impetum non ſuſtinuerunt. Per idem tempus in diuerſa caſtrorum parte prætor ſumma vi turrim oppugnabat: aliiſque ſegnius ſubeuntibus ipſe primus in muros euaſit, ſequenti Laurentio Pyro Tauora, viro fortiſſimo, qui nunquam à prætore diſceſſerat. Eduardus Barbudus ſignifer ter vi detruſus, atque è muro deiectus tandem pertinaciter inſtando irrupit: & iam pluribus ingreſſis ſumma vi, & intra & extra certabatur. Ant. Cuſtodius linea veſte, ac reliquo ſacrificii apparatu indutus, imaginem Chriſti manu tenens, vbi plurimum erat laboris, & periculi, eo ſe inferebat: & noſtros quantum poterat, hortabatur. Luſitanis præcipue miſſilia tela, ſagittæ & ſclopetę infeſta erant: quibus prope obruti paulum abſuit, quin è turri receſſerint. Sed vbi per cohortes conclamatum eſt, prętorem cum fortiſſima iuuentute ingreſſum eſſe: eum ſi paululum certamen remiſiſſent, prodi: id vero flagitioſum rati, ſeſe mutuo cohortati, tanta vi irruunt, vt nulla ratione impetus eorum ſuſtineri potuerit, Antonio Cuſtodio vexillum Crucis præferente. Ibi cum in turba lapidis ictu brachium imagini perfractum eſſet, tum palam proclamare, vt deo duce, de dei hoſtibus pręſenti ſacrilegii pœnas expeterent: ac palam trūcam imaginem oſtentare, vindictam ſpretæ religionis militibus commendare. tanto furore miles ad hanc vocem incurrit, vt momento temporis omnes propugnatores è muris deiecerit: deiectos inſecutus, tota caſtra ſtrage profligauerit. nec hac calamitate accepta vlla vſquā hoſtium manus ſe pugnæ obtulit: ſed ab altera parte cædes, ab altera fuga fiebat. Rebus in hac caſtrorum parte ſuccedentibus, iam prætor ſuis ad ſigna reuocatis ad reliquas copias delendas pergit. erant ad ſex hominum millia, quæ ad Lopis turrim oppoſita erant, aduerſus nauales copias: hi cum noſtros victoria feroces, ſanguinis, ac pulueris plenos, magno gradu aduentare vident, ſtatim in fugam vertuntur: in qua cum ſua ipſi multitudine impedirentur, ac tumultus nauticus ſpeciem alterius exercitus aduenientis præberet, incerti quid peterent, aut fugerent, alii ſe in flumen præcipitabant, alii cæci in ipſa pericula ruebant: pauci è tanta multitudine euaſere, qui primo tumultu elapſi erant diuerſa caſtrorum regione. cæteri paſſim fœda ſtrage vias compleuerant. A caſtris in vrbem ſtatim itur. ibi præconis voce proclamatum, ne cuiquam parceretur, pœna grauiſſima adiectā, ſi quis contra feciſſet. ſed militi ſponte ſua ſatis accenſo nihil ea denuntiatione opus erat. nam ab initio huius belli non de imperio, aut gloria, ſed de interitu alterius partis certatum erat. Itaque victi nihil ſibi reliquum ad miſericordiam impetrandam fecerant. paſſim igitur ſæuitum ſine vllius ſexus, aut ætatis diſcrimine. in domibus latitantes protracti, ac iugulati in publicum proiiciuntur. Præda oppidi, & caſtrorum in ſolatium tot laborum militi permiſſa. erat autem ea ingens, qualem in opulentiſſimæ gentis exercitu credere par eſt, qui ſine vllo metu hoſtili, omnibus rebus ſuis collatis, ſedes ſibi perpetuas, ibi deſtinabant. His rebus confectis prætor equo conſcenſo, exercitum per oppidum, & caſtra in multas manus ſparſum, colligit. Milites, vt quiſque in notum inciderat, gaudio pleni, ſeſe amplecti, & ad imperatorem ſuum concurſu facto, eius virtutem, & animi magnitudinem admirari: & qua quiſque poterat contingere, amplecti, alloqui, eius virtutem, & prudentiam ad cœlum laudibus ferre. Hanc tantam lætitiam auxit à Maſcarenna nuntius, qui ab ea parte hoſtem fuſum & fugatum diceret. itaque omnibus locis re bene geſta, manipuli aliquot circa foſſas, & ruinas murorum dimiſſi, qui latitantes protraherent, ac perſpicerent, ſi quicquam vlla ex parte hoſtilium copiarum reſtitiſſet.

HIc fuit finis nobilis illius ad Dium prælii, in quo eo die cæſa octo millia hoſtium: ex Luſitanis quinquaginta quinque milites partim in conflictu, partim ex dolore vulnerum, paucis poſt prælium diebus expirarunt. Duces hoſtium cæſi: Rumican Soſarisfilius,

inter cæſorum cadauera viliſſima veſte contectus, ac vix tãdem à noſtris agnitus: itẽ Acedocan, qui pridie quam pugnatum eſt cum quinq; millibus in caſtra venerat: & Fidalcan, qui Turcis, externiſq; auxiliis præerat, præclari in primis nominis apud ſuos imperator: ex regno præterea Cambaiæ nobiliſſimus fere quiſq;, & primæ apud Regem autoritatis, confluxerant enim in caſtra, vt regi gratificarentur, pleraq; omnis nobilitas, tanta ſui fiducia, vt non ad bellum, ſed ad conuentum aliquem celebrem proficiſci viderentur. Pauci capti vel nobilitatis, vel virtutis admiratione ſeruati. in his fuit Iuzarcan Abiſſin eius Iuzarcanis frater, qui in illa aſperrima oppugnatione, quæ fuit 25. Iulii ceciderat. Tormentorum omnia generis ingens vis in caſtris reperta, in quibus triginta fuère inuſitatæ magnitudinis. Qui è tanta clade euaſerunt, in ſua quiſq; oppida dilapſi. Moiatecan verecundia impeditus, ad regem accedere non auſus, cum paucis, iiſq; magna ex parte vulneratis domum rediit, nonnulli in oppidum quod ſeptem millia à Dio abeſt, conuenerunt: ibi regis imperium expectaturi. E captiuis nonnulli aiebant in extremo prælio humana ſpecie auguſtiorem ſuper arcis ſacrarium mulierem ſibi viſam, quæ ita oculos perſtringeret, vt prope cęci in prelium ruerent: tantamq; noſtrorum apparuiſſe multitudinẽ, vt prope deni in ſingulos Indos pugnare viderẽtur. itaq; metu conſternatos nunquam coire, aut aciem ſtruere potuiſſe. Prætor hac parta victoria, duos pontes diruit: quibus inſula continenti iungebatur: ac magno numero operarum adhibito ad rudera purganda, totam denuo arcem multo quam antea firmiorem ædificare aggreſſus, primus ipſe operi manum admouit: cuius exemplum reliquus ſecutus exercitus. Sauciis curandis curam diligenter adhibet. qui vulneribus ita debilitati erant, vt militare in poſterum non poſſent, Baſſaimum miſſi: agri ibi aſſignati. reliquis militib. pro cuiuſq; virtute præmia data: complures in equeſtrem ordinem relati qui inter honores militares ampliſſimus habetur. Hæc ſunt, quæ ad hunc diem de ſecunda obſidione Dii comperta habemus: quæ Olyſiponem ad IOANNEM tertium inuictiſſimum Luſitaniæ Regem, anno ſalutis noſtræ. 1547. menſe Auguſto perlata, quanta potuimus fide retulimus.

Nota.

NARRATIO RERVM GESTARVM IN INDIA A LVSITANIS, ANNO M. D. XXX. IVXTA EXEMPLVM EPISTOLÆ, QVAM Nonius Cugna, Dux Indiæ max. deſignatus, ad Regem miſit, ex vrbe Cananorio IIII. Idus Octobris, anni eiuſdem.

L. ANDREAS RESENDIVS Luſitanus Conrado Goclenio viro præſtantiſſ. S.

PETIS Conrade Gocleni, vt exemplum epiſtolæ miſſæ ad Regem Luſitaniæ de iis, quæ nunc recens ad rubrum mare geſta ſunt, Latinum faciam. Petis tu quidem, ſed is petis, qui mihi & iubere, & imperare potes. Equidem Latinum faciam, grauate tamen. facturus minime, niſi tu, cui multum debeo, iuberes. Nam vt ſileam de humilioribus Luſitanorum victoriis in India hanc fuiſſe vnam, nec præ cæteris dignam quæ omnium prima vulgo ederetur, duabus aliis rationibus merito ab hoc faciendo abſtinerem. Primo, quod noſtræ gentis ingenium adeo præpoſtere verecundum ſit in commendandis rebus à ſe bene geſtis, vt pudeat referre, aut ſi referant, bona pars inde decidatur ab hominibus conſcientia benefactorum domi ſua contentis, ne etiam ea foris prædicent. Deinde, quod epiſtola hæc non tam fuit narratio rerum geſtarum, quam epitome. Multo illi melius, qui ſi quid proſpere egerunt, verbis commendare, & adaugere curant, & ſcriptis editis orbem conſcium, poſteritatemq; facere rerum ſuarum. Quod non laudare, non poſſum. Conſulitur enim hiſtoriæ, niſi modeſtiam excederet, & ſupra quam res habeat nimia adfectatione creſceret commendatio. Noſti, tametſi diſſimulo, quosnam intelligam. Cogor autem in hac epitome hiſtoricum potius agere, quam alienæ interpretem epiſtolæ, vt interim topographiæ ratio haberetur. Magna ei voluptatis pars adceſſerit, ſi, quo res geſta ſit, ob oculos quaſi ponatur. Nam qui epiſtolam miſit, hiſtoriam non condebat, atq; ob id de hoc minimum ſollicitus fuit, quum ſcriberet ad Regem locorum peritum, quod tametſi non eſſet, habet tamen qui terræ ſitum non ex libris modo, verum etiam experientia quotidiana didicerunt. Regum noſti delicias, & aulicorum ambitionem. Circumſtant, digito oſtendunt, tum demum beati, quum interrogantur, & reſpondent. Scribam igitur bona fide, quod exemplo ipſius epiſtolæ Nonii Cugnæ ducis Indici compertum habeo.

NAR-

NARRATIO.

QVVM à Luſitanorum rege Ioanne, eius nominis tertio, Nonius Cugna nobili & antiqua familia prognatus, Indiæ dux maximus deſignatus eſſet, claſſe electiſſimo milite ſtipata, ab Vliſſipone ſoluit abhinc fere triennium. Vbi Cananorium regiã Arianorum vrbem, ad Agaricũ ſinum peruenit, quãuis iuſſu regis conſtituerat expugnare Diũ, quum potentiſſimã, tũ ſuperbiſs. vrbẽ regni Cambaiæ, quo nomine nunc Carmania vlterior, & pars Arianæ adpellatur, tamen Indorũ nonnullis rebellantibus, & infeſtantibus vtrumq; maris rubri ſinũ Turcis & Rhomæis, optimũ ratus eſt, ſi eos motus prius pacaret. Rhomæi vero vocãtur partim Turcæ, partim Veneti, & Chriſtiani transfugæ, colluuies ſceleratorum hominum. Vnde adparet Rhomæorũ nomen græca conſuetudine penes iſtos, quoniam Romani ſint ſanguinis, manſiſſe. Audiuimus elapſo anno famam victoriæ Nonii, bello nauali, contra Turcas & Rhomæos, quam ego quidẽ libentius exponerẽ tanquam ſpecioſiorem. Nam vt de illa nihil aliud dicerẽ, quam quod eſt veriſſimũ. Superiore æſtate terrifico & inſolito cymbalorum ſacrorum ſtrepitu cõmotam fuiſſe Antuerpiã, quum tamen eius nihil intereſſet aliud, quam amicæ gentis gratulari victoriis, ex huiuſce rei nouitate, illius coniectari licet magnitudinem. Ea res permagna ſit oportet, quæ exterorũ calculis, & iudicio cõprobatur. Verum quoniã nec tu illam antiquatã fere petis, nec nos, præterquam ſummatim, compertam habemus, ad recentiora geſta feſtinabit calamus. Eo ipſo anno Nonius Cugna dux max deſignatus, Antonium Siluæriam, Diodocum Siluæriã, Hectorem Siluæriam, quorũ hæc victoria tota eſt, in diuerſa Indiæ loca miſit. Antonium, vt eam Arianæ orã, quæ à Cananorio protenditur per ſinũ Agaricum, Chaulũ vrbem, quaq; Indus exoneratur, ſinum Canticolpum, quem noſtri Cambaiæ vocant, præternauigaret, atq; incenderet vrbeis & oppida litoralia, modo alterũ eius ſinus promontoriũ, qua Diũ ſita eſt, non attingeret. Is conſcenſa claſſe quinquaginta nauigiorũ, quorum quadriremes erant duæ, actuariæ naues totidem, cæteræ liburnicæ, & phaſeli quidam non maiores multo fluuiaticis lembis, Indi catures vocant, profectus eſt. Secum non plureis nongentis viris Luſitanis habebat. Quoniã vero huius oræ celebriora oppida magnitudine, populo, diuitiiſq; ſunt Surrate & Reinelium, vtrinq; ſita in altero illius Cambaiæ ſinus promontorio, ſuper flumẽ non magnum, nec certum habeo ſitne aliquod ex Indi fluminis oſtiis, hæc primum adortus eſt. Cauẽs tamen vadoſum flumen habilioribus tantum nauigiis intrauit. Iam ipſemet præiuerat celeri cataſcopio & iacta bolide aquæ profunditatẽ pertentauerat. Vt peruentũ eſt Surrate, quod vi. mil. p. diſtat ab oſtio introrſus per flumen, aut potius æſtuaria anguſta, quorũ magna pars maris refluxu, ſiccatur, vrbem oppugnare cœperũt. Quæ quoniam a Baneanibus, quod hominum genus Pythagoricam, de non obcidẽdis animalibus, diſciplinam pertinaciter adeo ſeruat, vt ne pediculum quidem obcidere ſibi licere putet, & mercatoribus habitabatur, magis quam cætera, nõ diu durauit oppugnatio, cedentibus & fugientibus incolis relicta vrbe. Noſtri quum inibi manſiſſent, poſtridie eius diei incenderũt vrbem, arſitq; ad ſolum vſq;. Interim maris adceſſione parant milites inuadere Reinelium fere è regione in alio litore ſitum, flexus tamen fluuii facit vt diſtet duo mil. p. à Surrati. Erat vero ea vrbs, vt fertur, totius regionis nobiliſſima. Nulli heic Pythagorici Baneanes habitabant, aut imbelles viri, verum Machometani Naitez, omnium Cambaiæ populorũ bellicoſiſſimi. Siquãdo terræ eius rex claſſem pararet, numeroſiorem electioremq; militũ manum, ex hac vrbe colligebat. Viderant ii Surratis oppugnationem, & incendiũ, atq; interea ſe ad vrbis ſuæ tutelam ſedulo comparauerant. Primum omnia capita viarum, compita, & tribus fortiſſimis caudicibus, & tabulatis munierant, exteriora vallo, & tormentis æneis, tum ad arcendã portu noſtrorum claſſem, tormentorum numerum ingentem ordine conlocauerant. Adhæc equites, ſupra quadringentos, præter peditatum, ſub ipſa vrbe iactu fere arcus chalybei, tanquam prælium, vt videbatur, cõmiſſuri, in ordine quiſq; ſuo præſtolabantur. Iam noſtri adpropinquabãt vrbi, quum tormentis æneis excepti ſunt, adeo crebris, vt miraculo reputetur intacta ab his nauigia fuiſſe. Profuit nõ parũ eſſe omnia biremes, & liburnicas, quas ferrei globi a bombardis emiſſi tranſcendebant. Prohibiti ergo ea parte litus prendere, quum equitatum qui ſub vrbe in planicie erat, receptum in vrbem vidiſſent, illuc impingentes egreſſi ſunt, fruſtra iam barbaris prohibentibus. Cœpere itaque vallum & caudices oppugnare, nam hæc tantum pro muris erant, ſed tormentorum vi, & vndiq; concurrente barbaro arcebantur ſtrenue, donec creſcente noſtris indignatione, globo impetuoſius adunato, in vrbem irruptũ eſt. Cæſi eo congreſſu ex barbaris quadraginta. Cæteri terrore hoſtis intra mœnia recepti, præſidio fugæ ſeruati ſunt. Atq; graſſantibus per vrbem pauci reſtiterunt, pauci quoq; inuenti, qui gladio obcumbere digni eſſent. Manſerunt ibi milites eo die, dum deprædarẽtur vrbem. Nec mercibus quæ oneri claſſi eſſent, manus adiecerunt, licet paſſim inuenirẽt domos plenas cupro, ebore, & ſimilibus, quo-

rum ingentem copiam, ſi capaciora fuiſſent nauigia, ſecum vexiſſent. Inuenta tormenta plurima ærea, præter ea, quæ ante commemorauimus, atq; adeo vbiq; maxima copia vaſorum fictilium, quæ porcelania vocant, aliarumq; mercium Chinenſium. Nam his præcipue cum regno Chinæ commercium erat. Domus pleræq; adfabre ædificatæ & expolitæ opere pulcherrimo, lecti quoq; aurati, indicia nobilitatis ciuium. Adhæc inuenta multitudo falconũ auratis capitiis, ad auium venationẽ, cui rei terra eſt aptiſſima. Eſt enim plana adeo, vt Scallabitani agri, quos adluit Tagus in Luſitania, nec gleba minus fertilis. Gignit pręcipue triticũ & oryzam. Igitur oneratis nauigiis ex æneis tormentis, ſelectiſſimis quibuſq; reſeruatis, cæteris in fluuium, vbi profundior erat vorago, ſubmerſis, quum milites adhuc à præda minime quieſcerẽt, veritus dux Antonius Siluęria ne natare non poſſent in æſtuario vadoſo vrbẽ incendi iuſſit, nec diſceſſit, donec in cineres redacta eſt. Combuſtæ ſunt etiam multæ naues onerariæ, & gauli, quæ nauigia Indi zambuccos vocant, præter eas naueis, quæ in Surratis euerſione combuſtæ fuerant, quarum nonnullæ refertæ erant mercibus, aliæ vacuæ, Incuſſit ea res terrorem regioni maximum. His ita geſtis, noſtri æſtuarium ad naueis egreſſi ſunt, atque inde pręterlegentes oram Chaulium verſus, venere Damonium oppidum ingens ſuper ęſtuarium & fluuium non magnum, nobili & fortiſſimo caſtro. Murus latus erat pedes octo, quadratus, ſingulę turres, in angulis ſingulis, intus ciſterna aqua plena. Ibi etiam maiorib. nauigiis extra relictis, cum biremib. & liburnicis ingrediuntur. Obcurrit autem nemo. Siquidem incolę vt noſtros inſtare reſciuerunt, ex iis qui Surrati & Reinelio fugerant, deſerto & ipſi oppido, fuga vitę conſuluere. Quare otioſius ibi res acta fuit. Primum arietibus concuſſę valuę caſtri, fortes quidem & ferratę, vt autem neminem ineſſe intus ſenſerunt, verſa manus eſt ad dirutionem, exuſtionemq;, donec omnia ſolo æquarentur. Nonnullis etiam nauibus & gaulis admotus eſt ignis, ingenti preterea copiæ cæſæ materię, quę in portu inuenta eſt. Par fortuna fuit oppidi alterius, & pagorum complurium in eodem ęſtuario. Nauis item magnitudinis puchritudiniſq; eximię cui in ora ędificatę iam iam ſumma imponebatur manus, exuſta eſt. Egreſſi inde inuadunt in eadem ora vrbem Gaſnyiam ſitam in oſtio fluminis alterius & æſtuarii. Ea cingebatur vndiq; cœnoſis æſtuariis, & ſudibus denſo aggere, niſi ea parte qua fluuio imminebat, parte item alia, qua exitus anguſtus patebat in continentem. Heic ſtabant in armis equites C C C C. ſub ipſam vrbem, peditum vero quinq; milia, ſuis ſtationibus ad tutanda mœnia diſtributi erant. Dux non commiſit vt claſſis male tuto flumine ad vrbem adcederet, ſed ſexto ab vrbe ſtadio litus prendit, atq; ibi partitus milites, C L. in cuneo conlocauit, ipſe cum reliquis in acie effigiem cornuum referebat potius, quam vere præſtabat. Mixtus cuneus eſt equitatui, & aliquãdiu varie pugnatũ, tandẽ ceſſerunt barbari. Ceciderunt eo primo congreſſu ex equitibus X V. ex noſtris autem quinque. Noſtri dum fugienteis inſequuntur, eodem impetu in vrbem irruerunt. Quem impetum quum non ferret peditatus, terga etiam dant, & per eam portam, per quam in continentem exitur, fuga ſeruati ſunt. Obciſi & capti ſunt viri C C. Vrbs tota incenſa & euerſa. Naues ſimiliter complures, & gauli partim cęſa materia, partim annona aliiſque rebus onerati. Hęc pręter, multa alia oppida & pagos incenderunt eodem litore, eſt enim regio frequens, ſed quoniam minus hęc ſunt inſignia nec nos quoq; referemus. Summa nauium combuſtarum, & gaulorum, C C C. quarum complures oneratæ mercibus, nonnullæ annona, hæ Dium, illæ ad Arabicum ſinum nauigaturæ erant. In partem Luſitaniæ regis præter alia, ceſſerunt captiui numero CLX. viri remigio ſtrenui. His peractis noſtri adnauigarunt in inſulam Bazaim in eodem tractu, vt illic dulciores aquas claſſi prouiderent, exigerentq; tributa Bandarazii, Tanæ, & Carangiæ, vrbium, quas Hector Siluæria tributarias fecerat. Atque hic quidem Antonii Siluæriæ per eam oram excurſus.

Nunc ad Diodocum properandũ, cui data erat prouincia arcendi hoſtis ab ea ora quæ à Cananorio ad extremum vſq; Narſingę promontorium excurrit. Tractum ſiquidem illum Arianorum, qui in Oceanum longo ſe ductu inſinuat, Narſingam noſtra ętas adpellat. Creſcit enim in eo promontorio piperis magna copia ad oppidum Cailen, & cognominem fluuium, atque inde inuehitur à Rhomęis & Turcis Mecham, & Alexãdreiam, & Venetias. Quin & reportandarũ mercium aliarum gratia, indigenę ipſi exportant. Omnium vero maxime, quidam ſemiregulus mercatorum Indię potentiſſimus, Chetinus illic vocatur. Is in Mangalorio oppido, non procul à Cananorio vrbe regia, caſtrum habebat ſuper mare, ędificiis, viris, armis, tormentiſq; munitum. Infeſtus noſtris, Turcis amicus, ad quos naueis ſuas aromatis oneratas mittebat quotannis. Quod vt ne fieret, cauere volens Nonius Cugna, Diodocum claſſe medio cri obſeruare iuſſit oram Cailes, vt quum Rhomęorum claſſis egrederetur, illi obcurreret. Quę quoniam aliquanto pluſculum morabatur egredi, receptis à Nonio literis, Diodocus Mangalorium contendit. Quo perueniens ad vii. Ca-

lendatum

Calendarum Aprilium, quia portu arcebatur multitudine ſagittariorum, & funditorum caſtrum tuētium bene ordinata ſtatione & bombardarū fragore terribili duob. fere paſſuum millibus ab oppido, iactis ancoris egreſſus eſt cum viris CCXL. quorum CXX. æneis machinulis, vulgus ſclopetas adpellat, vtebantur. Oppidani, caſtro, vt arbitrabātur, viris & tormentis probe munito, ipſum oppidū caudicibus contextiſq; trabibus, & tormentis tutabantur. Nec eo contenti, egreſſi ſtatione, excipiunt venienteis. Incruduit prælium aliquantiſper in campo, ſed vrgentib. noſtris, illi nonnullis cæſis, plurib. vulneratis, ad ſtationē ſe recepere. Vnde tormētorum magiſter quū ignem adhibere, & iaculari meditaretur, à Luſitano quopiam ſerpentinulam æneam exarmante, ictus interiit. Commodum ergo præbita occaſione noſtri irrumpunt in oppidum, prædantur, euertuntq; ſingula, atq; adeo ſubceſſu felici adrecti animis ad caſtrum oppugnandum adcinguntur. Illud quidem forti muro cinctum erat, tum per murorum minas lapideæ quædam manſiunculæ exterius prominentes, vnde ſagittis, verutis, ſerpentinis, ſaxis, plenisq; ollis nitri tormentarii adhibito igne, noſtros arcebant ſtrenue. Nec noſtri ſegnius, pars machinulis æneis impetere, pars molarcis fuſtibalis cōtorquere, alii ſcalis contendere in murum, infringere alii portas arietibus, donec barbari deſperatis rebus, in flumen ſe ſaltu deiicientes, nando pars euaſerunt, pars intus cæſa eſt, perfractis iam foribus, alii præoccupati à liburnis, & phaſelis iam adpropinquantibus in ipſis vndis obceſi ſunt, inter quos ipſe Chetinus caſtri dominus. Capta ſunt in caſtro, & in ſtatione illa oppidani, LX. ænea tormenta. Caſtrum refertum erat cupro, corallio, hydrargyro, pānis coccineis, & ſericis heteromallis, quos vulgus villutos adpellat, quæ à Mecha inuehebantur. Erant & aliæ merces quam plurimæ, copia nitri tormentarii, adhæc annonæ, cæterorumque victui neceſſariorum. Ex quibus oneratis nauigiis, quum capacitas non vltra permitteret, & adhuc à præda non temperarent milites, Diodocus receptis ad nauigia tormentis, iuſſit oppidum & caſtrum incendi. Ea vero pars muri quæ ſuper mare erat lapide quadrato quū igni reſiſteret, tormentis diruta eſt. Combuſtæ ſunt in portu onerariæ naues XIII. Ex Luſitanis vulnerati ſunt nonnulli, deſideratus nemo. Hoc quidem factum maximam in India Luſitanorum rebus commoditatem attulit. Nam ſemiregulus iſte indies fiebat ſuperbior, & notior diuitiis, & potentia, & quotannis Mangalorii Rhomęis onera dabat, aut ipſe naueis ſuas pipere onerabat in Mecham. Iam Malabares Indi, in illum ſacram figebant ancoram. Quo ſublato, fracti animis à nouis motibus temperant.

Poſthęc Diodocus Cananorium rediit, atque nauigia exonerabat, quū egreditur claſſis Callicutii oryzam inuectura. Erant autem LX. naues quas Indi paroos vocant, nobis parones ſint Latino nomine. Obcurrit illis Diodocus biremi vna, liburnicis ſex, non enim exonerata erant nauigia cætera. Quoniam vero reflabat Diodoco ventus obciduus, quo inſequi cogebatur eos, quibus Notus flabat proſperior, quantum licuit tōſarum remigio adceſſit, tormentiſq; ſubmerſit parones ſex, alii nōnulli bombardarum ictibus ſemifracti & hiantes, plures intacti euaſerunt. Vna ex liburnicis quę biremem remigio anteuerterat ſubmerſa eſt. Nam quum Malabares Callicutii harpagonem in eam iam iniicerent, & vellet retrouerti, oppreſſa à maiorib. nauigiis, receptoque intra ſe mari, obruta fuit. Perierunt in vndis VI. aut VII. viri, qui à ſociis ſeruari nequierant. Ioannes quoq; Siluęria, frater Diodoci, ſaxo tormentario à paronibus eiaculato vulneratus eſt, at curatus. Sic euaſit claſſis Callicutia aura noſtris reflante. Diodocus vero Cochinum ad ibi hyemandum petiit.

Hector Syluæria XII. Cal. Ianuarii, Goa, nobili vltra Chaulium vrbe, profectus Syagrum extimum promontorium Eudæmonis Arabię, cūm quatuor longis nauibus, duabus celocibus, quas Luſitani carauelas vocant, liburnicis quatuor, atq; in his viris DC. Eoq; pręterito, Zocotoram inſulam in Azanio mari attigit, cauſa aquæ dulcis recipiendę. Cęterum, quando nos etiam ſitus mouet locorum, diſtat ea inſula à Syagro promontorio CCLXXX. mil. p. Plinio auctore, veterib. Dioſcuriada nominata. Inde claſſem diuiſit in parteis ante ipſum ſinum, ne Turcarum claſſis egredi ingredive, niſi viſa à noſtris poſſet. Heic quum ſic claſſis ſparſa pręternauigaret, fortiſſima quędam Chetini nauis, quā ſuperſtes adhuc è Mangalorio Mechā miſerat pipere, gariophylo, cynnamomo, zinzibere, nuce myriſtica, & macere oneratam, Hectori obuiam fit. Hęſerunt miſſis vtrinq; harpagonibus, atque pulchre ab aliis defenſa diu, impetita ab aliis. Sed pręualentibus noſtris capta eſt, obcæſis quotquot in ea erant. Quo factum eſt, vt toto eo anno nihil quicquam piperis per Arabici ſinus anguſtias inuectum ſit. Habuit pręter hanc, non paucas prędas alias, ſed minutiores quam vt referre libeat. Non pigeat tamen & hoc memorare. Nauem quandam Dio profectam, refertamq; viris albis; aliiſq; Pellaconenſibus, quū conſpicatus eſſet Martinus Caſter, nauarchus longę nauis, cui nomē Diuus Hieronymus, adhęſit iacto harpagone, atq; ipſe primus omniū ingreſſus eſt, aliis ſequentibus. Pręlium diu anceps, & nauis ſtrenue adeo defenſa, vt ipſa

Martinus Caſter & X aut XII. Luſitani alii à Turcis obciſi ſint. Nauis tamē ſat plena diuitiis, capta eſt, & viri ad vnum obciſi. Nec caruerunt ſuis prædis alia nauigia ſparſa, ſed nos celebriora recenſemus. At vero quoniam Dienſis & Cambaienſis claſſes, adcepto noſtrarū nauium nuncio, egredi non audebant, Hectoris Siluæriæ claſſis in inſula Mete ſiue Barbara, vt Ptolemæus vocat, ſinus Troglodytici, cōgregata eſt, vbi in fine prædarum dulces aquæ Nonii Cugnæ præcepto prouidēdæ erant. Ab eo etiam inſtitutū fuerat, vt Hector inde nauigaret Adenam è regione ſitam in Eudæmone Arabia, & ſi quas naueis, gauloſve inueniret maioris æſtimationis momentive caperet, tentaret præterea velletne rex parere, & tributū ſoluere regi Luſitanorum, obcaſionemq; quamcunq; tempus offerret, raperet. Eſt autē Adena, ſiue vt a noſtris hominib. dicitur, Aden, vrbs regia felicis Arabiæ, non procul à Poſidio promontorio, paulo exterius, quam vbi Ptolemæus Saninā vrbem ponit, nō tam magnitudine, quam natura & operib. munitiſſima. Magnitudo quidem, citra latium eſt ſex milliū, vt adcepi, verum trib. partib. altiſſimis clauditur iugis, & perpetuis, ſolumq; auib. peruiis. Ipſa inter iuga montis, vt coniectamus, Cabubathræ, quoad conuallis qua ſita eſt permittit, extenditur, atq; ob malignius ſpatium, quod in latitudine creſcere negatur, ædium celſitudine, & viarum anguſtia compenſat. Nam ædes Vliſſiponenſi modo illic exſtruuntur. Iam ad mare, qua parte ſolū oppugnabilis eſt, muro, & caſtris ad miraculum fortibus ambitur. Cæterum quia in continentem nullibi patebat exitus, mons à ſummo iugo ad radicem vi diſciſſus eſt in gurgitis anguſti modum, turribus, & ferratis portis emuniti. Habet intus ciſternas cōplureis, ingentem vnam extra muros ad latus, quam domū aquæ vocant. Aqua camelis importatur quotidie. Eſtq; dies, quo camelorum duo millia, mille & DC. mille & quingentos numerare quis poſſit. Hi ſi interdiu veniunt, intus in vrbe exonerantur. Sin nocte, in illa exteriore ciſterna, quoniam clauſis murorum portis quemquam ingredi nō licet, aut egredi. In ſumma, talis vrbs eſt, vt toti mari rubro, ſiue Arabico ſinui, poſſit facile dominari, ipſaq; negante nulla claſſis eius maris anguſtias penetret. Quare noſtri iam olim hanc fruſtra pertentarunt, expugnauerūt ſemel duce Alphonſo Alboquerco, ſed excedere coacti ſunt, vrbis virib. ſe integrantib. Sed ad narrationē reuertamur. Hector Siluæria à Mete inſula prædas miſit Maſcaten oppidū ſitum in promontorio Corodamo, altero ſinus Perſici. Nā huc ſe venturum ex Adena ſociis declarauerat. Profectus igitur à Mete peruenit Adenā nonis Aprilib. Vbi iactis ancoris, regii nuncii aduenerūt aduentui eius gratulatū, adferentes ad naueis boues & arietes multos, frugumq; copiam, regio munere. Atq; per duos ciuium nobiliſſimos, rex Hectoris Siluæriæ animū requiſiuit, quidnam vellet, quidue facere proponeret. Hector, miſſo etiā munere quo regem intellexit gauiſurū, reſpondit, ſe miſſum à Nonio Cugna duce Indiæ maximo deſignato, in ipſius regis auxiliū cōtra Rhomæos & Turcas, quoniā reſciſſet ipſum ab illis oppugnari. Siquidem Rhomæi X. triremib. actuariis nauib. & gaulis XL. improuiſo Adenam obſederant mari, terra vero equitatu & peditatu maximo, copiis videlicet auxiliarib. Nam ipſi Rhomæi DC. erant, plus minus. Durauit obſidio menſes V. Oppugnabatur quotidie mari præcipue, atq; adeo terra, exſtructo in modum muri tabulato contextis trabib. ad exteriorem ciſternā, & tormentis conlocatis, quorū quatuor erant baſiliſci, tormentorū omnium genus impetuoſiſſimū, quib. murum totum ea parte diruerant, propeq; expugnauerāt vrbem, niſi defenſa pertinaciſſime fuiſſet. At vt reſcitum eſt claſſem noſtram aduentare, Rhomæi obſidione leuata diſceſſerunt, deſideratis ex ipſis CC. præter eos qui ex auxiliis mortui ſunt. Ciuiū fere turba pauperior fame & ſiti periit. Addebat etiam Hector, ſe maiorem claſſem duxiſſe, verū quia in inſula Zocotora leuatā audiiſſet obſidionem, partem claſſis alio cū prædis miſiſſe. Nunc ſi ipſe rex vellet parere & ſoluere honeſtū aliquod tributum Luſitanorum regi, vt & alii reges Indiæ, pro certo haberet ſe ſemper à Luſitanis contra Rhomæos, & Turcas, aut quamcunq; aliam nationē, tutandum. Ad hæc rex. Dicite, inquit, Hectori, me dignū memet arbitrari cui gratia habeatur, quod bellum ſuſtineā contra Rhomæos, non tam mihi, quam ipſis Luſitanis infeſtos. Rhomæos hoc agere, vt aut amicitia, aut vi Adena potiantur, vnde tuto in Indiā nauigare poſſint, tutariq; contra Luſitanos mare rubrū. Quare ſatis ſuperq; erat me cū Rhomæis, & Turcis amicitiā nolle, interdicere illis Vrbe & regno meo, at Luſitanorū cupere amicitiā & ſocietatē, ne etiam parere & ſoluere tributū exigar. Cui contra reſpondit Hector, illud eſſe veriſſimū. Rhomæos conari illac irrūpere in Indiam contra noſtrā voluntatem, idq; adeo Venetos & Turcas eniti maxime. Verū ſi à Luſitanis iam omnino profligati & deſtructi non erāt, in cauſſa eſſe, nuſquā certo loco eoſdem inueniri. Quod ſi Adena in Luſitanorū eſſet arbitrio, haud dubiū, quin aut profligarētur, aut penitus Indicam contentionē relinquerent, quū nullibi certius quā ad anguſtias eius maris intercipi poſſent. Ideoq; ipſe videret, & ſibi conſuleret, quodq; optimū factu iudicaret, maturius eligeret. Hæc & ſimilia reſpondente Hectore, additis blande minis, & iterū iterum-

que

que nunciis hinc inde commeantibus, adquieuit rex vt pareret Luſitanorum regi, ſoluerétque quotannis, iure tributi Seraphinorum decem milia ponderis & valoris Ormuzii, quæ regia vrbs eſt, cognominis inſulæ inter ſinus Perſici anguſtias. Ea ſumma latina ſupputatione quingenta facit ſeſtertia. Gratis etiam dedit ſtatim Seraphinos mille quingentos, id eſt, ſeſtertia L X X V. vt Ormuzii ex puriori auro fieret corona, quam regi Luſitaniæ mittit in ſymbolum amicitiæ & obedientiæ. Scriptæ ſuper ea re ſunt tabulæ, ſubſcribentibus rege & Hectore Siluæria, cuius exemplum Nonius Cugna ad regem Luſitaniæ miſit. Id ad nos perlatum non eſt. His ita ſe habentibus, rex Xaerii ſcripſit ad Hectorem ne grauaretur regnum ipſius adcedere, quod eſt in exteriore flexu Arabici ſinus in regione Homeritarum, iuxta Ptolemæi traditionē, ſe pariturum Luſitanorū regi, & penſurum tributum vt conſtitueret daturū pręterea quidquid tormentorum æneorum Xaerii & Dopharii haberet. Profectus igitur Hector, petente rege, ibi liburnicam vnam reliquit cum triginta viris Luſitanis. Quæ finita hyeme Cananorium adplicuit cum literis regis ad Nonium Cugnam, quibus nunciabat Rhomæos poſt Adenenſem obſidionem partim reuerſos Iudā, quæ eſt circa Mecham in intimo Elanitis, ſiue Arabici ſinus receſſu, partim & plureis, quum reuerti Iudam non auderent, obciſo proditorie duce à Turca deſignato, Zebiben adiiſſe, oppidum in cōtinenti, ſic eorum lingua, ab vuis paſſis, quibus abundat, ficto nomine. atque ex his nonnullos obciſos in itinere ab incolis terræ illius. Nam eorum deprædationibus fatigati incolæ, ſummo eos odio proſequebantur. Horū præcipuos Muſcophaaū, Soſcum, Reiſolemanum, & Zopharem theſaurarium eius, adiiſſe Camarum inſulam in interiori ſinu, procul ab anguſtiis, & ibi adcepiſſe eos nuncium magni Turcæ exigentis omnia tormenta ænea, & trecenta ducatorum milia, id eſt, centies vicies ſeſtertium, quæ ab ipſo adceperant ad bellū Luſitanis inferendū. Quod niſi facerent, nuſquam euaſuros minabatur, quin vltimum luerent ſupplicium. Ipſos vero nuncio hoc interfecto XXX. milia hoc eſt ſeſtertia mille ducenta miſiſſe Cairi gubernatori, quo intercedente reconciliarentur, Turcę cepiſſe quoque ad X X V I. nauigia mercatorum, quæ ab India Mechā nauigabant, quibus impoſuerint magnū tormentorum numerū, quorū multi erant baſiliſci. Verum ad egreſſum anguſtiarū rubri maris periiſſe illis nauem, in qua maior bombardarū pars vehebatur, & inde profectos verſus Indiā. Atq; hæc quidē rex ad Noniū ſcribebat Cæterū liburnica, illos circa Xaerii litus inuenit gyris & flexibus contendentes promōtorium ſuperare, reſiſtēte vento. Quin vt cōtinui flabant ſubſolani & vulturni, eo anno minime Diū adnare poſſent. Idē quoq; retulit Hector Siluæria qui orā Dii ad finem vſque menſis ſeptembris prǽternauigauerat exſpectans illos. Proponebant hyemare Xaerii, quāuis dubii num facerent, rege noſtrā amicitiam expetente. Quod ſi prohiberentur, lecta ora Æthiopiæ Mombazam contenderent. Quædam tamen nauis cum centum ex illis, Cambaiæ adpulit menſe Auguſto, nec in vrbe Dio recepti ſunt, vt retulit Iudæus quidā quem Nonius ad explorandam Diū miſerat. Iubebat illos rex Cambaiæ ire Surrate. Quin alii fere C C. quos rex fecerat prætorianos milites defeçerunt ad regem Maiulium. Sunt autem Maiules. gens Tartarorum à Perſidis confinio per Godroſos, & Arachoſios effuſi viri, bellicoſi nimis, & qui regnū Sindæ expugnauerint, quod inter ipſos & Cambaiā omnium regionis eius eſt maximum. Peruadunt iam Cambaiæ regnum paulatim. Atq; vno prælio, militum regis Cambaiæ XXX. millia cōfecerunt. Qui propterea triſtis & perterritus eſt, quum præcipue Rezbutii Maiulibus iungantur. Id ſi fiat, non longo tempore regnū Cambaiæ expugnabunt. Cæterum vt ad Luſitanos redeat oratio Hector Siluæria quū proficiſceretur a Mete, vt ante dictū eſt, claſſem cum prædis iuſſerat ire Maſcaten, relicta ibi liburnica vna cum naui quadā ex captis. Quod vt Rhomæi reſciuerunt, mittunt illuc triremem cum viris XXX. Rhomæis, ſclopetariis, & ſagittariis, & Arabibus decem. Noſtrorū quindecim qui in liburnica erant, conſpicati triremen procul, putanteſq; eſſe ex noſtris quampiam, egrediuntur ad illos. At cognito errore, ſe comparāt ad prælium, iactis vtrinq; vncis. Præliatum eſt tot horis, quoad vtriſq; ſublato ſigno ad halitum recipiendum quieſcere placuit. Deinde inſtaurato prælio, triremis capta eſt, viri omnes obciſi, præter Luſitanū quendam cognomine Boccarrum, qui à Chriſtiana religione ad ipſos Turcas defecerat. Hic in vndas deſiliens clamore maximo ſeruari flagitabat, quia Chriſtianus eſſet. Ductus eſt Goā, luiturus capite ſupplicium publice. Ex noſtris deſiderati duo, cæteri omnes vulnerati euaſerunt. Congregata itaq; claſſe apud Maſcatem, vt conuenerat, Hector Cananoriū reuerſus eſt. Dedit in ærarium Regis Luſitanorum ex prædis XXXII. milia nummum aureorum, quos Indi par Jaos vocant, ad Latinam rationem, duodecies ſeſtertiū. Vrbs Dium, vt ſcribit Nonius, in ſua manet fortitudine & ſuperbia, ſecura Luſitanorum, quos nō credit commiſſuros, vt ſe oppugnent. Atq; adeo hæc confidentia Nonio placet, datq; operam prudens vt ſecurior ſit, quo incautam inuadat.

Habes Conrade Gocleni ſummam rei totius, ſi minus Latine aut ordinate, tuũ erit boni conſulere quando & exemplum ipſum epiſtolæ minus adhuc ordinem ſeruabat. Et in re mihi male comperta, ſeriem narrationis maiori ordine texere non potui. Cæterum orationem vbi hæc ſubiecero, cludam. Quum hæc iam, vt petiueras ſcripta ad te deferre meditarer, commodum litteris Martini Ferrariæ mei, adoleſcentis bene eruditi, mireq; candidi, quuius patruus in Belgica Luſitaniæ præeſt negotiationi, ſum factus certior, delatus ab Alexãdreia litteras ad ipſum negotiationis præfectum, quibus nunciatur Luſitanos abſolute rerum in India potiri, C C. nauibus mare vltro citroque peruadere, Turcæ copias male ibi multatas, illiuſque tyrannidem tota India depulſam, ideoque ſuſpicari Dium à noſtris expugnatam, certo tamen neſcire. Luſitanum nomen Turcis eſſe capitaliter odioſum. Ipſorum tyrannum, qui rumor heic etiam creber eſt, ad haſce vindicandas iniurias, ſibi à noſtris hominibus inlatas, feſtinate, atque adeo cum Pannoniis, ob id pactas inducias. Id ſi verum eſt, neſcio me hercules, quando opportunius Chriſtiani principes, ſi religioni deeſſe nolint, eccleſiæ ruinas vindicarent. Nam hoſtem pluribus locis impetitum, nemini dubium eſt infirmiorem multo, quam fuerit huc vſque futurum. Atque vtinam Europa tumultibus his, & inteſtinis diſſidiis in melius compoſitis, tãtillum ad ſe colligendam reſpiraret, ſpes erat rempub. ex conlapſa reſtitutum iri, eaque vulnera curari poſſe, quæ nuper adcepta maiori cum dolore recordamur. Nam ſpem recuperandi Græcorum, ne iam Aſiæ, Libyæque dicam, imperium, regum aliorum in alios inuidia, & rerum inter ſe publ. diſcordiæ, mihi omnino ademerunt. Sed hæc ad muſarum candidatos nihil. Vale Louanij XI. cal. Iul. M. D. XXXI.

FINIS TOMI SECVNDI
Rerum Hiſpanicarum.

398665

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MAXIME INSIGNIVM ET MEMORABILIVM,

QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO CONTI-
nentur, quorum prior numerus paginam, poſterior
lineam denotat.

A

Abbatia Luſitanica 1128.41
Abdalas vnus è filiis Mahameti 1069.8
Abdalla Arabum Rex. 167.18
Abdalla militia magiſter Rege Moabia 404.22
Abdalla Benallabeci Maroan fugiente regnum Arabum occupat. 172.43. *inſequitur Maroan & eum interficit* 172.51
Abdalla fratri mortuo ſuccedit. 177. 34. *Homar Arabum principem bis rebellantem interficit.* 177.40. *mortuus eſt* 177.49
Abdalla Moabia Dux 369,8
Abdalaſiſius Dux 391.38. *mors* 393.36
Abdalaſiſi res geſta 393.14
Abdelmelich Arabum Vicerex 178. 47. *cum Chriſtianis pugnans in fugam conuertitur* 178.49. *moritur* 178.51
Abdelmelich Arabum Rex Abdallam interfecit 167.16. *moritur* 167. 20
Abdelmelich fugatur 89.55
Abdelmelic Hiſpania præfectus 171. 2. *eius geſta* 171. 8. *vinculis detinetur* 170. 16. *à vinculis liberatur* 171.28. *interficitur* 172.8
Abdelmutalib auus Mahometi 163. 5
Abderrahmanus alter Corduba Rex patruis prælatus 425. 23
Abderramen Abdallæ auunculo ſuccedit 177.53. *Almanzar Ledinele & Amiramomeni vocatur* 177. 57
Abderramanus Corduba Rex 413.3
Abderramen Adahil in Hiſpaniam transfretauit 173.8. *bellum contra Iuceph mouet* 173. 13. *eo occiſo regnum Hiſpania occupat* 173. 21. *Cordubenſi Mezquita fundata moritur* 173. 29
Abderramen Hiſpaniæ imperium occupat 170.7. *eius geſta* 170.12. *eius mors* 170.52.
Abderrahmen in Hiſpaniam traiicit 980. 24. *Eboram capit* ibid. 28
Abderramen in Regē electus Hayrami & Mundari conuerſationem auerſatur 184. 4. *Granatam obſidet* 184.8. *interficitur* 184.14
Abderramen Ioſephum bello laceſſit & interficit 980.48
Abderramen IV. Sarracenorum Rex 1006. 29. *eius pater qui & qualis.* ibid. 32. *quas vrbes cæperit* ibid. 37
Abderramen Maurorum regulus 97. 10
Abderramen patri mortuo in regno ſuccedit 175. 43. *Abdallam rebellantem in fugam conuertit* 175.47. *eius prælia* 175. 55. 176. 1. *Cordubam lapideo pauimento ſternit* 176. 21. *relictis* 45. *filiis &* 42. *filiabus moritur* 176.25
Abderramen quamdiu bella geſſerit 178. 3. *moritur* 178.8
Abderramen Sanciolus ironice dictus fratri ſuccedit 178.52. *ab Iſſem inſtituitur ſucceſſor regni* 178. 54. *interficitur* 178.55
Abdulaziz Muza filius Hiſpalim mittitur 167. 46. *à ſuis obtruncatur* 167.49
Abenabetus Rex Hiſpalis 485. 51
Abengamia Maurus Valentia præfectus 517.52
Abenaia perfidia 84. 56
Abenhabel Arabis perfidia 123.23
Aben Hamet Iuſeph Rex Granata 1237. 53
Abenhatinus Maurus 716. 38
Abenhutus Rex Murcia ex Regum Cæſarauguſtanorum proſapia ortus 574. 53
Abidis Rex 220.50. *eius geſta* 220.55
Abitus Antonii è Luſitania 1181.20. *claſſis è portu Liſybonenſi* 1211. 44. *regis Portugallici in Africam* 1076. 53
Aboaces Maurorum Rex 883.33
Abohali Dux Arabum captus centum millibus aureorum redimitur 78. 59
Abomelicus Algezira Rex 670.6
Aborrabes ex Marrocii regum ſanguine ortus ſe Almeria Regem vocat 649,17
Abraham & Azba fratres Æthiopum reges 1279. 53. *religionis Chriſtiana adſertores* ibid.
Abrantenſis Comes primus 1266. 46
Abſentius Eborenſis Epiſcopus 979.13
Abſolutio Aldefonſi à Iuramento fœderis cum Almenone 106. 39
Abſolutio peccatorum 1308.16
Abubacar Rex Arabum 166. 17
Abulenſes fideles dicti 528. 51
Abutalib patruus Mahometi 163.6
Abyla, alias Ceipta vrbs in freto Herculeo à noſtris occupatur 890.35
Abyſſini Æthiopes 1285. 8. *duabus æſtatibus totidemq; meſſibus felices* ibid. 46
Academia varia 817.37
Academia Hiſpanica 1184.26. 823.19
Academia Cæſarauguſtana quando & à quo conſtituta 823. 27. *Tarraconenſis & Gandienſis. quando & à quo conſtituta* ibidem 30.33

Academia Coimbrienſis 1099.29.*extirpanda cenſetur* 1184.20

Academia Conimbricenſis 1260.46.*eius fundator Dyoniſius VI. Portugaliæ rex* ibid. 47

Academia Complutẽſis totius Hiſpaniæ oraculum 815.36

Academia Palantina 811.39.*quando condita ibidem* 44.*Romana Luteciam Pariſiorum tranſlata & à quo* 812.49. *Toletana* 817.42. *Valentina* 813.42

Acca uxor Fauſtuli Paſtoris 190.1. *ob impudentiam lupa dicta* 190.2

Acephalorum conatus concilio Hiſpalenſi irriti facti 810.39

Acerrimè cum Turcis & Chriſtianis pugnatum 334.48.1344.14

Achilles à Diocletiano ſuperatus 38.14

Acies Chriſtianorum ignauia, imbecillitas & clades 64.38.*eorundem numerus in congreſſu cum Arabibus* 64.48

Acies Antonii 1166.42

Acies Luſitanica 1165.43

Acipenſer qualis 919.10. *vbi capiatur ibidem* 50

Acometa quid Luſitanis 1073.28

Acquiſitio Vaſconiæ 128.8

Actiones Albani 1171.15. *Antonii in Tercera* 1197.49. *Emanuelis Syluii* 1211.41. *Gallorum reprehenſæ* 1113.49. *Hiſpanorum inhoneſta* 1114.22. *Triſtani Vacii Vega* 1144.28

Actius Aldefonſi Legionenſis Regis 124.17. *eius mors* 124.24

Adena ciuitas qualis. 1321.7. *à Turcis capta & ſpoliata* 1321.16

Aden vrbs regia felicis Arabiæ 1376.10. *munitiſſima ibid. aqua Camelis eo quotidie importatur* ibid. 21

Aden à Rhomais obſeſſa 1376.36.*ſoluta ibid.* 40. *eius ſitus* 1320.24

Adenenſes Luſitanorum tributarii 1321.15

Adeodatus Pontifex 369.51

Adfectus iuuentutem, præcipue nobilem, quinam comitentur 1060.55. *priuati* 1154.130

Adham Hiſpaniæ præfectus 168.53.*à ſuis interfectus* 168.58

Adoptandi vetus ritus in Hiſpania 444.41

Adoſinda Regis Silonis vidua 408.43

Adpulſus Lupi Figueroa in inſulas Terceras 1181.20

Adrianus inſignis Mathematicus 808.27 *eius obitu litteræ Romæ deficiunt* ibid. 42

Ad turrim D.Thomæ acriter pugnatum 1340.33.39,&c.

Aduentus Antonii in Galliam 1181.20. *claſſis Hiſpanicæ in inſulam S. Michaelis* 1197.48. *regis Luſitaniæ in Africam* 1076.53

Aduentus Regis Franciæ in Hiſpaniam 118.37

Aduentus Vltramontanorum ad bellum 129.49

Adub AlguaZilus captus decollatur 183.13

Augecanus & Hidalcanus occiſi 1344.49. 1372.1.&c.

Adulationes & hyperboles poeticas unde quidam ſint buccinati 818.59

Adulatio quo loco habeatur ab auctore 1061.6

Adulteratores hiſtoriarum æque puniendi ac falſi monetarii ſecundum Nonium 1223.20.

Aedes Cratenſis pro aſylo petita per Antonium Priorem profugum 1108.44. *vi aperta & ſpoliata* 1150.10

Aedificatio monaſterii Regalis Ciſtercienſis ordinis 127.46 *Xenodochii Burgenſis* 127.55

Aedilitia & mercatoria leges Barcinonenſis, Conſulares leges dicuntur 845.16

Aegidius Cottinus turri D.Ioannis præfectus 1331.54

Aegidius Petri, D.Petri Ioannidæ Portellenſis clericus 1006.21

Aegidius Pireſius, Petreiani, Portellii ſacrificus 979.32

Ægyptii Æthiopum coloni 1286.40

Ægyptiis, & Aſſyriis & aliis regionibus quæ laus tribuatur 804.56

Aelius Adrianus unde oriundus 808.17. *eius ingenium* ib.20

Aelius Seuerus 808.2

Aelius Spartianus 808.27

Aemilia deuaſtatur à Gotthis 41.37

Aemilianus cucullatus 341.11

Aemilius Paulus Conſul Rom. 930.4

Aemilius Regulus in necem Imp. Caligulæ coniurauit 858.49

Aemuli Alcaſoua ipſum odioſum reddunt 1068.7, 1089.40

Aeneas matrimonium cum Didone in ſomnis præuidit 188.2 *Didonem in coniugem aſſumit & dominium Carthaginis adipiſcitur* 188.6. *fide & fœdere violatis eam deſerit.* 188.16. *Aeneas gener Priami.* 188.34. *ſe in Italia regnaturum Deorum oraculo accipit* 188.35. *iubetur in ſomnis Euandri auxilia precari contra Latinum.* 188.38. *Ciuitatem condit Albanorum.* 188.46. *& cum Euandro fœdera init.* 188.50

Æneas occiſo Turno & Latino Lauiniam ſponſam Turni ducit vxorem. 189.26. *Latino ſuccedit in regno Italiæ.* 189.27

Æneas prælium committit cum Turno 189.5

Ænea mortuo ſuccedit Aſcanius. 189.32. *dictus Iulius.* 35.*eius mors* 189.38

A. ER. A. *Caſ. quomodo imperiti explicuerint* 829.5

Æra Cæſaris quando inceperit 978.59

Æræ definitio 829.1.43.

Æra Maurorum quæ 980.23

Æræ vocabulo qui vſi 829.35.41

Ætas

Ætas Chriſtianorum ſub Conſtantino Magno Imp. qualis 1019.5
Æthiopia inopia Chaldaeorum librorum laborat. 1312.34.&c.
Æthiopiæ regibus duplex nomen 1278.26
Æthiopiæ Rex cui incrementum regni ſui aſſcribat 1319.17
Æthiopia Romanum Pontificem vt primum Epiſcopum ſemper agnouit 1310.33. quando ad fidem Chriſti conuerſa 1286.43. vbicunque locorum ab hoſtibus fidei Chriſtianæ circumdata 1311.51
Æthiopiæ Rex quiuis Dauid vocatur 1311.43
Æthiopes 1128.55.1155.7. regnorum Angollenſis & Congenſis incolæ 1065.23. connubium cum Luſitanis inire cupiunt. 1292.29. ſatis virium ſibi ad fidei hoſtes abolendos adſcribunt Deo iuuante ibid. 34. cuncta ad bellum & claſſes armandas neceſſaria Luſitaniæ Regi ſuppeditare promittunt. ibid. 39
Æthiopes nudis pedibus templum ingrediuntur 1305. illorum eccleſias monti Sinai ſimiles fingũt ibid.27. quot libris vetus & nouum Teſtamentum comprehendant 1307.54. regem ſuum quatuor indigitant nominibus 1278.13. &c.
Æthiopum fides qua & opinio de vero Deo 1302. 28, 1303.15. &c. vita & mores 1280.31. 38.&c.
Ætius Dux 327.18, 328.2
Africani victoria vti non poſſunt 1088.54
Africa per Oceanum circundari cœpta 1064.43. tertia pars mundi 1285.7
Africæ bona pars & Inſulæ multæ Oceani Luſitanorum ditioni ceſſere 1265.15
Africa Romanorum prouincia fit 193.1
Africæ deſcriptio 668.9
Afrorum interitus 166.41
Agalienſe monaſterium 367.42, 375.18
Agapius Cordubenſis Epiſcopus 859.21
Agathocles Siculus 239.25
Ager Barcinonenſis, Leletanus dictus 846.24. eius fertilitas ibid. 26. ſyluas caduas quamplurimas habet ibid. 32
Ager Hetruſcus 1027.46
Agila Rex Gothorum eligitur 47.28. ſepulturam Aciſcli martyris profanauit 47.30. filium cum opibus amiſit 47.33. à ſuis interemptus eſt 47.38
Agmethes frater Moluchi, Sebaſtiani conſilia exploratum mittitur 1033.48
Agnes filia Petri Fernandi à Caſtro 1261.51. vxor legitima Petri Regis Portugalliæ 1262.19. translatio eius ex Conimbricenſi in Alcobacienſe monaſterium ibid. 22. funus regia pompa Alcobaciam deductum ibid. 24. cædis eius auctores ſeueriſſime puniti ibid. 30
Agnes Caſtria 683.37
Agricolæ Termeſtini conſtantia 292.1
Agriculturæ laus 807.27
Aiax Gallus Sueuos Arlana hæreſi inficit 158.24
Aimanus Carmaniæ rex 1318.42. rex Dely vocatus ibid. 43. cur Regi Cambaiæ bellum inferre voluerit ibid. 44. dictum Regem in fugam cõiicit ibid. Tamberlani Scytharum Imp. trinepos. ibid. 58
Aiub Calataiubæ conditor 398.38, 504.20
Alahor Arabum Dux Hiſpaniæ præficitur 168.8 Chriſtianos Cordubæ degentes perſequitur 168.19
Alamber Hunnorum Rex Oſtrogothos proſtrauit. 38.56
Alani, Maſſigethæ dicuntur 945.34. Saxonibus coniuncti dicuntur 889.24
Alanorum in Hiſpaniam aduentus 153.58. regni ſedes 154.9. interitus 157.25. mores & regnum 321.35, 323.4 origo 153.24
Alarcus oppidum 537.7, 542.47
Alarici dictum religioſum 41.58. mors & ſepultura 42.16
Alaricus cum ſuis Romam occupat & ſibi ſubiicit. 41.46, 42.4, 320.50. mortuo Radagaſo ſolus regnat 41.25. nomine Chriſtianus, profeſſione autem hæreticus 41.26. minatur Honorio vaſtationem Italiæ 41.27
Alaricus ſecundus, Gothorum Rex 46.32. bellum contra Fluduinum Principem Francorum geſſit 46.36. ab ipſo deuictus & interfectus 46. ibid.
Alaricus alter 332.56.15
Alanquera, olim Gerabriga 823.40. eius ſitus 889. 17
Alanquerium 1188.58
Alauecini & Benhumeia 404.15.17
Alba 1096.5
Alba fluuius 834.33
Albacarinus Maurus 1075.37
Albanus 1070.25, 1074.1, 1076.16, 1094.40.50, 1096.25, 1124.54, 1133.18.51, 1141.31, 1151. 17.27, 1157.2.43, 1158.48, 1161.20, 1164. 43, 1166.47, 1167.28, 1173.7.47, 1174.2.11.
Albanus in imperatorem exercitus electus 1125. 26, 1127.58. laudatus 1164.8. moritur 1208. 32. reprehenſus 1164.8, 1168.52, 117.19.
Albarracinum, olim Lobetum 492.48, 518. 25
Albertus Archidux Auſtriæ 1194.36. 1210. 44
Albigenſes 555.50
Albohacenus ad Tariſſam victus 676.28
Albula flumen Tiberis dicitur à Tiberio Albanorum rege 189.46
Albuquerquii oppidi auctor 1257.35
Albuſcatar Hiſpaniæ præfectus 172.14. regno abdicatur ibid. 17. contra Zimaelem pugnando victus ſuccumbit ibid. 21
Alcantara 1165.27, 1160.41, 1161.33
Alcantaræ militia 559.23
Alcantara oppidum Vettoniæ 909.13

Alcantara pagus vnde dictus 1054.43
Alcaſar 1076.51.1079.10.1081.28.
Alcaualæ initium 679.31 confirmatio 711.49
AlcaZarquibirium 1078.16.1081.37.1098.48.
AlcaZim fratri in regno ſuccedit. 183.54. in regem Hiſpalis electus 184.17 ſecunda vice in Regem eligitur 184.24. fugit Corduba 184.29
Alchaman Arabum propheta interfectus 78.41
Alchama à Pelagio victus 398.19
Alcobacia 1262.23. eius à Conimbrica diſtantia ibid.24
Alcoba mons vbi 917.7
Alcobaſæ monaſterium 515.57
Alcorexi Agarenorum rex 1016.50. eius ſtrages 87.29
Aldana 1086.53
Aldephonſus I. Rex Portugalliæ 115.31. eius prælia 115.36 obitus eius & ſepultura 115.39
Aldefonſus à fratre Sancio vincitur & monachali habitu induitur. 101.51. ab Almenone Rege Toletano recipitur. 101.55. Venationibus delectabatur. 102.10. prognoſticum eius 102.27 mortuo fratre Sancio in Regem eligitur. 103.25. recedit ab Almenone Rege Toletano 104.1. iuramentum præſtat 104.10. eius vxores. 104.15
Aldefonſi commendatio 121.35
Aldefonſus conſenſu magnatum Palatii regnum occupat 72.51. regno priuatur à Mauregato 72.55. fugit à conſpectu eius 72.56
Aldefonſus duos presbyteros cum literis ad Papam mittit 79.13
Aldefonſus filius Fernandi regnum Legionis obtinet 123.40. eius liberi 123.58
Aldephonſo V. filius Veremundi rex ſuccedit Patri 90.17. matrimonium eius & liberi 90.20 Aldephonſi mors 91.1
Aldefonſus fratres ſuos priuat oculis 78.51. per triennium cum Sarracenis inducias init. 79.3.
Aldefonſus Legione ſibi imperatoriam coronam impoſuit. 116.7. filiis ſuis diuidit imperium 116.14. eius mors 117.44
Aldefonſus magnus filius Ordonii regnat 77.50. pacem cum Gallis init. 78.8. eius vxor & filii. 78.10. belli amator & victoriis clarus 78.10. Arabes profligat 78.21
Aldefonſus mortuo Froila regni ſceptra adeptus eſt. 84.3. eius vxor. 84.4. monachalem habitum aſſumit 84.12. eius mors. 84.34
Aldefonſus regnum occupat 71.47. agnominatus Catholicus 71.48. multa prælia geſſit & Ciuitates quamplurimas ab Arabibus recuperat. 71.53 moriens tres filios & vnam filiam reliquit 72.11. Caſtus dictus 73.12. eius vita & opera ibid.
Aldefonſus Rex Aragoniæ dicitur 75.2. plurimas vrbes deuaſtat & occupat. 75.8. eius vita 76.3
Aldefonſus rex capitur à Fernando 123.13
Aldefonſus Rex Caſtellæ vindicat iniurias Regis Nauarræ 127.5
Alemanni ex varia hominum colluuione conſtant 29.22
Alexander Farneſius Princeps Parmenſis 1035.28
Alexander Formentus 1107.42.1131.28. nuncius Apoſtolicus 1039.54 & Georgius Almeda iudices conſtituti ibid.56
Alexander magnus plures mundos eſſe arbitratus eſt 821.38, Philippi filius gurges excidiorum dictus 191.34. patri ſuccedit 191.36
Alexander princeps Parmenſis 1092.18.43
Alexander Riarius 1155.43. Cardinalis 1050.8, Philippum ab armis abſtinere iubet ib.27
Alexander IV. Papa 1064.11.12
Alexander III. Pontifex Rom. 1248.36. regiam dignitatem Alfonſo 3. Comiti contulit primum ibid.37 eidem confirmat. 1229.27
Alexander. V. Pontifex 774.55
Alexander ſextus equitibus Chriſti poteſtatem vxores ducendi concedit 1063.51
Alexander Seuerus 301.55
Alexandri facinus egregium 819.11 interitus 36.40
Alexius Angelus Græciæ Imp. 955.23. filias ſuas elocat. ibid.25.
Alexius Palæologus 955.25
Alexius Vanegius 822.11
Alfonſi Garſiæ Matamori præfatio ad Vroniæ Comitem 801.30
Alfonſi Henrici Luſitanorum regis hiſtoria qualis de corpore D. Vincentii 1005.22
Alfonſus Albuquerquius 1065.31. Prorex Indiæ 1291.34
Alfonſus Auenſius equitum Auiſenſium magiſter 984.20
Alfonſus Alfonſi III. Filius Dominus Portalegris & multorum oppidorum 1259.5. vxor eius Violante filia Infantis Emanuelis ibid.7. proles ex ea numeroſa ib.9.
Alfonſus à Paiua & Ioannes Petrus à Coulham Regis Luſitani legati ad Precioſum Ioannem. quando miſſi 1290.40. &c. Varia loca peruestigare ſeparatim conſtituunt ibid. 47. &c. Cayrum conuenire decreuerunt. ibid.51. literas Regis Luſitani à duobus Iudæis accipiunt ib.52 mors 1290.53
Alfonſus Aragonius dictus Imperator 499.55
Alfonſus Aragonius alter 530.3 Rex in Italiam euocatur 790.58.791.1
Alfonſus Bazanus 1056.18
Alfonſus Bonifacius 1331.56, 1351.44
Alfonſus Borgia fit Epiſcopus Valentinus 801.3
Alfonſus Cardinalis 692.6 filius Emanuelis Luſitan. regis 1270.18. dignitates & honores ib.20. Princeps munificētiſſ. & magnanimus ib.10. obitum eius vniuerſa Luſitania luxit ib.22 primus pueros in Eccleſiis inſtitui, & libros [illegible] à presbyteris conſcribi ordinauit ibid.28

Alfonſus

Alfonſus Carrillius Toletanus Præſul 485.5,812.39
Alfonſus Caſtelblancus 1099.56,1210.9.
Alfonſus Caſtellæ Rex, *Imperator* 882.41
Alfonſus Comes de Ourem 1243.5. *ex Comite factus Marchio Valentiæ* ibid.6
Alfonſus Comes Bononienſis 1230.59,1231.49 *vicarius Sanctio Capello regi Portug. ab Innocentio* IV. *Pont. datus* 1258.43. *cui & in regno ſucceſsit ibid.* 58. *Rex* V. *Portugalliæ ibid.* 57. *vxor eius ibid.* 52. *Liberi* 1259.4,&c.
Alfonſus Comes Vimioſenſis cum Rege Sebaſtiano in clade Africana occumbit 1243.20
Alfonſus Craſſus Portugalliæ III. *rex* 1258.6. *vxor Vrraca Alfonſi* IX. *Caſtellæ regis filia ibid.*8. *liberi ibid.*7.& 16. *alienus eius in fratres ſororesq; animus ibid.*14. *obitus* ibid.28
Alfonſus de Aguilar 1080.59.1083.9
Alfonſus de Caſtro Zamorenſis, monachus Franciſcanus 817.25
Alfonſus decimus fit Imperator Germaniæ 597.53
Alfonſus ferox Portugalliæ rex VII. 1261.4. *vxor eius Beatrix Sanctii ferocis Caſtellæ regis filia ibid.*6. *liberi ex ea ibid.* 10. *Simultates cum Caſtellæ rege Alfonſ.* XI. *cur geſſerit* 1261.20. *multa præclare geſſit ibi.* 28. *vitiis non caruit ibid.*50 *obiit Olyſipone* An.1357. ibid.37
Alfonſus F. Iohannis moritur 1241.20
Alfonſus Guſmannus 1127.56
Alfonſus Henricus filius Henrici Comitis Lotharingiæ 959.46 *ſibi Chriſtum apparentem in aere conſpicit* 960.7. *pugnat cum Mauris ib.*24. *victoriam obtinet ibid.* 31. *inſignia ſua tranſmutauit ibid.* 48. *primus Luſitaniæ rex à militibus ſuis creatur* 961.28
Alfonſus I. *Portugaliæ rex* 1228.14,509.2,514.49,538.4
Alfonſus III. *Portugaliæ rex* 1259.37. *laudes eius ibid.*39. *obitus* ibid.32
Alfonſus IV. *Portugaliæ rex* 1236.43. *vxor eius* Beatrix *filia regis Sanctii Caſtellæ* ib.44
Alfonſus V. *Rex Portugalliæ duodecimus* 1064.46 XII. 1267.33. *ſub matris tutela relictus ibid.* 34. *Socero Petro Infanti malam retulit gratiam ibid.*52. *Iſabellam Petri Infantis filiam duxit ibid.*58. *liberi ex ea* 1268.1. *inuicti fuit animi ibid.* 4. *victorias de Saracenis multas reportauit ibid.*6. *ex mœrore obijt ibi.*24. *à Venere continentiſ.* ibid.21
Alfonſus I. *Henrici* Burgundi *filius* 1255.27. *patri in regno ſucceſſor datus ibid.* 31. *vxorem habuit Mahaldam ibid.*36. *liberi ibid.*40.&c. *ex illegitimo coniugio quoq; ſuſcepit liberos* ib.58
Alfonſus I. *cum Iſmaele & quatuor aliis Saracenorum regibus confligit* 1256.8. *& vincit ibid.* 10. *inſignia regni amplificat ibid.* 11. *totam ferè Portugalliam, quanta nunc eſt iugo Saracenorum liberat ibid.*13. *magnanimus dux ibid.* 15. *robur eius ibid.* 17. *pietas & deuotio ibid.* 21. *plurima monaſteria & templa ditauit & fundauit ibid.*32.&c. *obiit Conimbricæ ibid.* 38
Alfonſus I. Bellator, *Aragoniæ Rex Hiſp. Imp.* 850.39. *in pugna ad Gallicam Flauiam periit ib.* 43
Alfonſus II. *Caſtus dictus*, Aragoniæ *Rex* 851.11. *obiit* ibid.14
Alfonſus III. *Beneficus*, Aragoniæ *Rex* 851.42. *obiit* ibid.47
Alfonſus III. 1064.13
Alfonſus IV. *Benignus & Pius, Aragoniæ Rex.* 851.57. *vnde nomen Benigni adeptus* 852.2
Alfonſus IV. *Luſitaniæ Rex* 984.31
Alfonſi IV. *regis ſepulchrum* 883.31
Alfonſus V. *Luſitaniæ Rex* 1147.27,1198.47
Alfonſus VI. *Toletum expugnat, victis Sarracenis* 21.19
Alfonſus X. *Hiſp. rex* 811.57
Alfonſus VI. *Caſtellæ Rex* 1063.55.1095.8
Alfonſus X. *Caſtellæ Rex cognomento ſapiens* 1064.16.1095.9
Alfonſus XI. *Caſtellæ Rex* 653.55. *Vincit Mauros ad Tarittam* 676.38
Alfonſus XI. *vltimus Caſtellæ rex* 1239.10 1261.19.
Alfonſus Hiſp. *Rex*, Imp. *proclamatur* 959.24
Alfonſus Infans Portugalliæ 1235.21. *cadauer eius tranſlatum & neglectum* ibid.18
Alfonſus Ioannis II. *Luſitaniæ* Regis *filius* 1092.4
Alfonſus Iordanus, filius Raymundi Toloſatis 503,15
Alfonſus Leyua 1049.52,1052.48,1168.25
Alfonſus. Lerogna 1088.29
Alfonſus Luſitaniæ Rex, Sanctij Capelli frater 589.40
Alfonſus octauus Caſtellæ Rex 530. 22. 552.39
Alfonſus *Pereſius S. Luciferi* Regulus 655.57
Alfonſus Peretius Guſmanus Dux Metimnæ Sidoniæ 1041.9
Alfonſus Portugallus Comes de Vimioſio 1079.33.1088.27
Alfonſus Rex cognomento Catholicus 401.57
Alfonſus rex Portugalæ 1249.2. *vi & interminationibus ad ſceptrum euectus* ibi.6
Alfonſus Rex 1229.5. *duæ eius filiæ legitimæ ibid.*6.
Alfonſus Rex Legionenſis *pater Ferdinandi Regis ſancti* 535.11
Alfonſus Sapiens & Magnanimus, Aragoniæ *Rex* 852.42. *ſtudiorum patronus fuit ibid.* 45. *obiit ibid.*50
Alfonſus *Sextus Caſtellæ Rex Toletum fugit* 467.5. *ſuccedit fratri* 470.22
Alfonſus Toſtado Abulenſis Epiſcopus 812.29
Alfonſus *Valentiæ Comes* 1243.21. *calebs deceſsit* ibid.27
Algarbii olim Turdetani 1041.27

Algarbinum 1062.51
Algibarotta 1149.9
Algierium 1069.14,1109.58,1191.34.
Algaris 1081.52
Albaca Regi Iſſem ſuccedit 174.21. *commendatur* 174.22. *prælium cum Zuleman & Abdalla rebellantibus committit.* 174.32 *Zuleman interficit & Abdallam in fugam conuertit* 174.34
Albacam patri in regno ſuccedit 178.9 *Almuzticar bille nominatur* 178.10. *moritur ib.*13
Albacam mittit Ambroz præfectum Oſcenſem Toletum cum literis ſuaſoriis 174.48 *ſibi ſubiicit Toletanos* 175.21. *Calaguriam occupat* 175.29
Albagib. quid ſignificet 178.22 *moritur* 178.46
Alhamar Granatæ Rex 586.53
Alhambra Granatæ ædificatur 617.57
Aliezirææ obſidio memorabilis 1237.56. *expugnata ab Alfonſo Caſtellæ rege* ibid.58
Aliquot naues interceptæ à Saracenis 1353.58
Aliſa 1106.31
Aliubarrotæ prælium 737.1
Allibus Iacobus Hiſpalenſis rex 1005.41
Almada 1104.17,1156.42.56,1185.40
Almadæ vrbis ſitus 883.57
Almahadi ab Eunuchis capitur 180.36. *ab Iſſem iubetur decollari* 180.42
Almahadi ab omnibus in Regem recipitur 180.18 *contra Zuleman pugnat* 179.29 *vincitur cum ingenti ſtrage ſuorum* 179.31
Almandrane 1077.17.27
Almanzor fulgure terretur 89.23 *eius mors* 89.147
Almanzor Ledinele quid ſignificet 177.56
Almenon Toletanus Rex 473.11
Almeria capta à noſtris 518.26
Almerinum 1038.33, 1115.26, 1116.42, 1119.2.44, 1120.29.56, 1121.55, 1123.31, 1127.31, 1132.21, 1133.2, 1134.48, 1156.39.48, 1173.34. &c.
Almogaraues 503.33
Almohades 1237.5 *veniunt in Hiſpaniam* 522.5
Almohadum ritus & opiniones de Religione improbantur 574.55
Almondar Rex Arabum creatur 177.27. *moritur* 177.30
Almorauides 486.13
Almorauidum in Hiſpaniam aduentus 185.50
Almuhayat bille quid ſignificet 178.19
Almundarus Cordubenſis Regis filius 421.18. 424.4
Almutzticar bille quid ſignificet 178.10
Aluarus Bazanus 1049.51, 1050.2, 1124.50, 1152.9 *regiæ claſſis Hiſp. præfectus* 1043.32 *Sanctæ Crucis Marchio* 1222.34
Aluarus Caſtrius 1340.19.53, 1367.2 Dux ſtrennus à funditore occiditur 1342.14
Aluarus de Caſtro 1068.18. *mors ib.*38
Aluarus Conſaluus Pereira Hoſpitalis Hieroſolymitani Prior 1244.5 *triginta duos filios ex concubinis ſuſcepit* ibid.6
Aluarus Gometius græcæ linguæ Doctor *Toletanus* 817.55
Aluarus Garſias, Pauli Burgenſis filius, hiſtoricus 763.42
Aluarus Luna 773.54 *Magiſter equitum* 792.33. *aula pellitur* 778.27
Aluarus Melius 1088.30
Aluarus Monachus 1141.47
Aluarus Moraiſius 1123.15
Aluarus Oſorius primus in Caſtella Comes 665.42
Aluarus Pereira præfectus 1044.50
Aluarus Perezius 1083.8
Aluarus Syluius 1098.58,1091.14
Aly Mahometi pater 162.38. *moritur* 162.51
Amalaricus Rex 336.17
Amalaricus regnum obtinet Gotthicum à Theodorico 149.47
Amalaſiuntha Theodorici Oſtrogotthi filia 335.26
Amalorum gentis conditor 945.24
Amator Vieira 1220.15
Amazones aliis ſe proſtituebant 34.57, 35.18. *maſculos occidebant, & fœmellas reſeruabant ad bellum gerendum.* 34.59, 35.1 *dextras mamillas abſcindebant.* 34.5. *Lampedo & Marpeſiam principatus præficiunt.* 35.4. *totam Aſiam domuerunt & alias regiones* 35.12 *templum Dianæ condiderunt* 35.15. *centum annis Aſiam gubernarunt* 35.16. *ad ſocias in cautes Marpeſias ſe conferunt* 35.18. *à Perſis* 40. *millia occiſa cum Marpeſia* 35.22 *earum Duciſſæ poſt Marpeſiam* 35.23 *pugna contra Herculem* 35.26. *Interitus* 35.26
Amazones vſque ad Iulium Cæſarem regnauerunt 35.39
Amazonum habitus 35.36
Ambroſii Moralis Epiſtola ad L. And. Reſend. 1021.35
Ambroſius Aguiarius 1149.12, 1179.56, 1185.42, 1196.35, 1199.21, 1201.12. &c.
Amedeus II. Comes Mauriana 1228.48. *Arelatenſium Prorex & vicarius Imp. Romani per Italiam ib.*50. *uxor & liberi ib.*53
Amentia Dienſium 1367.28
Amici Antonii 1056.33, 1189.5
Amilcar Barchinus 240.41
Amilcar Giſgonis 239.32
Amilcar, Barcha dictus, Hiſpaniam amiſſam recuperat 928.17
Amilcaris Rex Afrorum 191.42, *eius filius Hiſpanias infeſtat* 191.46, *Seguntiam nunc Medinam Celim dictam obſidione diutina coarctat* 191.49, *expugnat* 191.53
Amiraltus 1184.18
Amiramomenus 177.57
Ana Tagus, Munda, Vacca Durius Anus, Limia ac Minius fluuii Luſitaniæ 917.43
Anabadus Epiſcopus 170.14

Anace-

Anacephaleoſis 763.41

Anagarus Gallicæ gentis Dux, non Germanica fertur 842.52

Anagarum, Nagera, Tritium metallum, idem 713.46

Anas fluuius 834.37 *commendatur ab* Aurelio *Clemente Prudentio* 834,42

Anaſtaſius Ilerdenſis equeſtris ordinis vir, martyr 842.28

Ancus Marcius Tullio *Hoſtilio ſuccedit* 191.6

Andaluzii 1081.51,1083.30,1089.8

Andaluzia 1062.47,1063.18,1078.10,1123.48, 1196.30,&c.

Andreæ Apoſtoli acta conficta 329.2

Andreas Corſus 1090.15

Andreas de Cueſta profeſſor Theologiæ Complutenſis 823.12

Andreas Doria 1185.14

Andreas Reſendius poeta 824.23, *eius epigramma in muſicam Damiani à Goes* ib.25

Andeca Sueuorum *Rex* 158.40, *regno priuatur* 158.43

Anfuſus Capuanus Princeps 484.31

Angela Zapata Valentina 822.3

Angeli boni 28.20, *Angeli mali* 28.23

Angelici Aurifices 73.43

Angelorum præſidia 57.58

Angli 1113.7,37.1154,20

Anglia 1063.16,1181.2,1192.22

Angra 1178.58,1179.25, 1187.3,1190.14,1215.19,&c.

Angrenſis Ciuitas Philippo Hiſpaniarum regi rebellis 1276.25, *milites Philippi quadringentos trucidat ibid.*28 *Philippo dedita* 1277.1

Animi Luſitanorum vehementer irritati 1183.30

Annæa gens 806.22

Anna Oſoria Burgenſis 822.9

Anna Regina *Hiſpanica moritur* 1057.31,1165.10

Annales Hiſpalenſes 509.33, *Toletani* 580.12, *Iohannis ſecundi* 1060.37 *Northmannia* 1254.56

Annibal 1088.53 *in ſignum victoriarum tres modalos annulorum ex* Romanorum *digitis præciſorũ, ferri Carthaginẽ deſtinat* 192.14 *pugnam cum Scipione committit* 192.1 *relicta Italia cum Scipione congreditur* 192.50, *cum exercitu effugatur* 192.52, *deſperans ſe venenato poculo interficit* 192.54

Annibal vbi natus 240.46 *venit in Hiſpaniam* 241.41

Aniſtericus Rex 10.37

Annonarii, nunc diſpenſatores annonæ quales 202.13, *eorum pœna ob negligentiam in diſpenſandis militibus annonis* 202.18

Annona quid & in quo conſiſtat 202.19, *quando ſtellatura dicta* 202.25, *ſalarium dictum* 202.28

Annorum ratio ab ortu Chriſti cœpta Valentiæ 701.54, *Segobiæ in Caſtella* 734.5, *in Luſitania* 786.40

Annorum varia ratio 392,2.9

Annulus Salomonis dono datus filio Sabæorum reginæ 1278.17, *inſigne regum Æthiopiæ ibid.* 18

Annus quo nihil piperis per Arabici ſinus anguſtias inuectum 1375.55

Annus 80. *Luſitanis infauſtus* 1114.55

Annunciationis feſtum menſe Decembri 366.43

Antoniani in fugam coniecti 1167.27

Antonini Impp. Augg. 808.42

Antonij à Sylueira magnanimitas & oratio ad ſuos 1326.19, *excurſus hoſtilis in regnum Cambaiæ* 1373.1374,30

Antonius Prior Cratenſis 1088.35, 1091.48, 1101.36,1115.56,1121.4,1134.46,1139.58, 1140.33,1142.8,1158.25,1160.20,54.1164, 8.1165,14.1166,23.1167,32.1168,46.1176, 8.&c. *illegitimus filius Ludouici Ducis Pacenſis* 1270.9,1246.15,1034.44,1103.1,13. 1105.4 *rex ſalutatus* 1161.58,1162.28,1179.8.&c. *Sanctarena à promiſcua turba rex Portugaliæ proclamatur* 1253. *Olyſiponem venit* 1039.39 *à Mauris captus* 1188.46 *aduenit in Terceram* 1197.49, *apparatus nullos inſtituit* 1155.8 *capitur* 1086.59

Antonius ex inſula Tercera vicibus ſuis alii demandatis ſoluit 1207.57 *fugit* 1165.19, *in caſtris ipſis ab Albano contra opinionem inuaditur* 1167.32, *in mediis calamitatibus laſciuit* 1207.27 *laborat pecunia inopia* 1207.7,1056.47 *Luſitaniam defendere nequit* 1184.42 *venit in Hiſpaniam* 1109.14

Antonius Scalabim fugit, ſed introitu in vrbem prohibetur 1056.1 *arcem vi occupat* 1253. *Oliſiponem in ſuam fidem recipit ibid. à Philippi exercitu funditur ibid. Portuenſem ciuitatem capit ibid. ambitioſus* 1046.20 *redit in Luſitaniam* 1109.16 *hoſtis patriæ declaratur à Gubernatoribus Portugalliæ* 1074.38

Antonius iubetur ſe legitimum natum probare 1036.16 *ad regnum Portugalliæ adſpirat ibid.* 47.1111,10.1253,30

Antonius perduellis 1147.18 *plauſu à Setubalenſibus exceptus* 1047.34,1149.3 *ab Albano in fugam coniectus mutato habitu fugit in Galliam* 1153.48 *pro ſe non proceres regni, ſed collectum popularium & peſſimorum hominum manum habuit* 1154.10

Antonius Rex proclamatur 1045.50 *contra Philipp. arma ſumere impellitur* 1046.3

Antonius Ferdinandum Pinam interfici iubet 1039.51

Antonii fuga 1055.58,1057.14

Antonius Caſtilius à conſiliis Catholicæ maieſtatis 1228.19

Digitized by Google

Antonius Melus Elaenſis urbis praefectus 1044.32
Antonius Frarius *iaculo confoſſus perit* 1334.47,1351.46,1355.9
Antonius Correa 1369.46 *huic arcis Dii tuendae cura commiſſa* ib.
Antonius Corrigia Bazainenſis *quaeſtor* 1343.58
Antonius de Padua Olyſiponenſium gloria 812.14
Antonius Nebriſſenſis 813.12 *magnus Hiſp. Ariſtarchus* 813.16
Antonius Baracchius 1140.50,1215.5
Antonius Moralis medicus 860.21
Antonius Caſtelblancus 1145.2
Antonius Riarius 1151.10
Antonius à Sylueira 1334.24,1356.53,1347.46,1321.39,1363.32 *ex tribus Turcis captis hoſtiū ſecreta percipit* 1323.48 *à Prorege India ſubſidium implorat* 1324.8 *eius oratio ad ſuos milites* 1325.20 *hoſtem fortiter aggreditur & reiicit* 1326.22 *ſuos cibo reficit* ib.52 *Gratianum à Naronha certiorem facit fuga hoſtium & liberationis urbis Dienſis ab obſidione eorundem* 1327.47 *&c. penuria pulueris tormentarii laborat* 1327.12
Antonius Scalinus Gallus 1179.23
Antonius Pignerus 1116.8,1183.37
Antoninus Florentinus Pontifex 1009.55
Antonius Cuſtodius 1371.19 *momento temporis hoſtes unde profligauerit* 1371.12,&c.
Antonius Caſtricus 1015.48
Antonius Alnarezius 1191.2,&c.
Antonius Caſtrenſis 1047.21
Antonius de Caſtro 1144.2,1145.11,1157.4,1158.50,1159.10
Antonius Soarezius 1131.47
Antonius de Toledo 1096.25
Antonius Serranus 1056.43,1174.42,50
Antonius Suſa Contignus 1175.10
Antonius Mentius à Vaſquogoncelos 1326.3
Antonius Melus 1138.33,47,1139.29
Antonius Padiglianus 1102.24
Antonius Rodericus 1358.59 *regius quaeſtor* 1331.57 *in pugna occumbit* 1351.49
Antonius Cerda 1139.1
Antonius Paſſanna 1358.56,1360.41,1373.57 *turri D.Georgii praefectus* 1331.55
Antonius Gueuara *Epiſcopus* 818.45
Antonius Pineirus Epiſcopus Lerienſis 1038.54
Antonius Monizius & Gratianus Rodericus Tabora Dienſem *portum ingrediuntur* 1340.27
Antonius Soſa Chaulii praefectus 1330.20
Antonini Caſaris mentio de Cale 1224.35
Antypho ſomniorum coniector 871.17
Apollonius Tyaneus 294.1,823.3
Apologetica narratio de Academiis Hiſpania 804.14
Apophtegma Iohannis II. *Luſitania regis* 1269.10
Apoſtoli Petro de baptizato Cornelio ſuccenſubre 1309.17
Apparatus bellici Philippi contra Luſitanos 1098.44 *Regis Philippi & Gallorum* 1179.23 *Liſybona ad expeditionem in Africam ſuſcipiēdam* 1062.20
Apparatus bellicus Meleii Meluci 1076.50 *Philippi ad Inſulas Terceras expugnandas* 1211.42
Apparatus inſularum Tercerarum 1179.22
Apparatus Luſitanus 1071.53
Apparatus miſſarum à quo Regi Aethiopiae miſſus 1296.19
Appius Claudius Nero 904.55
Appulſus claſſis Gallicae in Inſulā S. Michaelis 1197.47 *Hiſpanica ad Inſulas Terceras* 1211.44 *claſſis Philippi in portum Setubalenſem* 1151.10
Apringius Eccleſiae Pacenſis Hiſpaniarum Epiſcopus 4.9,809.10,957.29
Apringius ſcripſit in Apocalypſin Ioannis Apoſtoli 4.10,337.44
Aqua alua 1215.29
Aqua Argētea à Sertorio Eborā perducta 1272.35
Aqua ex lapidibus emanauit 111.36
Aqua calida in Barcinonenſi *agro* 846.44
Aqua Pali 1199.18
Aqua ductus celebris ciuitatis Eborenſis inſtauratus 1272.32
Aquitani quales 986.8
Aquitania ſeu Guiena 1231.11 *olim ſub regibus erat Anglorum ib.12 ad Francos quando venerit* ibid.14
Arabes 1066.49,1081.59,1086.17,56 *quamdiu unius* Amiramomeni *dominio ſubiecti fuerunt* 172.54 *in factiones diuiſi* 167.5 *deuaſtant* Baticam *& Luſitaniam* 64.29 *totā Hiſpaniam ſubuertunt* 66.38 *omnes urbes occupant* 67.48 *Caſtellanos bellis impetunt* 87.11 *pacis initae cum Ranimiro uiolatores* 87.16 *longam vitam ſibi & aliis caeliſtus compararunt* 823.4 *medici cognomen ſemper reportarunt* 823.7
Arabia ingenti fame vexatur 162.45
Aragonenſium & Catalanorum imperia coniuncta 843.22
Aragonia Comites 402.12 *inſignia* 457.44
Aragonia datur Ranimiro 94.24
Aragonia regnum quando faeminae primum collatū 850.57 *nomen unde* 402.12
Araquineus portus 1285.36
Arca reliquiarum à Rege *&* Epiſcopo *metu direptionis in* Aſturias *translata* 73.50
Arcadius & Honorius Theodoſio ſucceſſerunt 41.10
Arcadius Hiſpanus martyr 135.26
Arces ad Tagi Oſtium ſita 1147.40
Arces Portugallia tradita Antonio 1047.19
Archidux Auſtria germanus 1112.55
Archiepiſcopus Braganus iuriſdictionem nō modo ſpiritualem ſed & temporalem obtinet 1062.55

Eboranus

Eboranus 1119.4 Liſybonenſis 1144.52 Toletanus 1180.55
Archiepiſcopatus Toletanus 1114.11
Archimedis Syracuſani ſepulcrum à quo repertum 993.29
Archipelagus magnum inſularum Molucarum 1065.44
Architas Tarentinus Philolai praceptor 814.13
Arcobriga capta (nunc Arcos) 226.55
Arcus triumphales 1186.4
Ardaricus Rex Gepidarum 148.49
Areda fluuius, à quo Arenates populi nominati 834.47
Areius Luſitanus, graca & latina lingua Salmantica Profeſſor 1015.54
Arganthonius Rex 225.24
Argebadus Antiſtes Narbonenſis 373.20 pro ſe & aliis ab excidio euadentibus veniã à Rege petit 57.42 impetrat 57.52
Argentaria officina Ebora 994.11
Argumenta ad virtutem Albani eleuandam 1171.19 ambitia ad Antonium defendendum adducta 1150.50 regis Philippi, quibus ſibi ſucceſſionem regni Luſitanici competere oſtendit 1037.12, 1091.43
Ariacus & Auricus Gothorum Reges 38.23 eis ſuccedit Geberic. 38.28
Arria Gonzaleſius Macedius 1116.53
Arii duo 312.45,54
Ariana hareſis damnatur in tertio Concilio Toletano 21.49,49.6 per Theodoricum inducitur 150.1
Ariana India regio 1373.10 celebriores in ea vrbes ibid.27
Ariminenſe Concilium 314.32
Ariſtaus olei inuentor fingitur 899.36
Ariſtobulus multa falſa adiecit certaminis Alexandri Magni deſcriptioni 819.9 ea de cauſa ab ipſo punitur 819.13
Ariſtoteles Alexandri Magni Doctor 814.5
Arruna Luſitania 1128.40
Armentum boumdeco valli hoſtibus Hiſpanis per Luſitanos obiectum 1187.44
Armengaudorum familia conditor 444.12
Armuzium inſula 1065.35
Arnaldus Villanoua medicus 628.23
Arotebra iidem qui Artabri 902.9
Arpedo Rex Scytharum filium in auxilium mittit Amazonibus 35.30
Arriogorriagam antea Padura dictum quid deſignet 434.41
Arrius Syluius 1088.33
Arrogantia intimorum Sebaſtiani 1150.43
Ars bellandi qua re maxime indigeat 1074.55
Artabri qui 900.27
Artabrum promontorium, in quo equa dicuntur ſine maſculis concipere 839.3 falſe Olyſiponenſe reputatur 902.22,30
Arx Bethlem ſe Albano duci tradit 1054.31
Arx Caſcaiſii tormentis concutitur 1161.27 diui Iuliani vbi extructa ſit 1063.40
Arx Dienſis militum inopia laborat 1331.59. 1332.1 ab hoſtib. inuaditur 1338.7 acriter defenſa ibid. 8 obſeſſa in difficultate ſumma verſatur 1358.3 eius milites varia in hoſtem mittunt ib.53
Arx Liſybonenſis 1164.33 Namurcenſis 1073.40. S. Georgii 1065.20 S. Iuliani 1130.39.1157.1, 1160.36, 1161.20, 1162.54, 1163.37, 1175.43, capta ab Albano Duce 1053.52
Arx Otthonis 1049.38 exercitui Philippi tradita ib.58
Arx Setubalenſis ab exercitu Philippi capta 1151.9
Arzilla olim Zilia Mauritania oppidum 1035.22, 1064.3, 1075.37, 1078.10, 1079.32, 1081.3, 1087.7, 1088.2, Regi Sebaſtiano ad Abdelcherino traditum 1033.42
Aſagra reguli 625.48 eius conditor ibid.49
Aſcarides Babyloniorum Rex 899.40
Aſclepiades Mirlianus literas pfeſſus eſt in Academia Batica 805.44 ludi literarii in Turdetania prafectus 880.47
Aſdrubal à Romanis interfectus 192.47
Aſdrubal 242.31 eius res geſta 242.36
Aſia & Europa terminus famoſus 28.50
Aſia gentes Turcis infeſta 1370.30
Aſinius ciuis Florentinus 992.44
Aſperitas Albani 1147.30
Aſidonia duces, vnde genus deducant 636.5
Aſtrologia cognitio medico neceſſaria 813.2
Aſtura fluuius à quo Aſtures populi nominati 834.50 auro abundat ib.53 vulgo Auriga dictus ib.57
Aſturio piſcis qualis 918.7,29 Acipenſer eſſe fertur 918.33 variis nominibus dictus ibid.34. Galeus Rhodius dicitur ibid. 28. vbi degat ibid.46
Aſturius Audentia Pontifici Toletano ſuccedit 8.42 eius laus 8.44 eius vita & acta 8.46 mors 8.51 Toletanus Epiſcopus nonus 1020.40
Aſtutia Antonii 1057.28
Athanagildus Rex Gothorum 240.1 tyrannus 247.43 obiit 47.46
Athanarici & Fridigerni habitatio 39.28 mors 40.53 ſepultura ibid.54
Athanaricus primus Gothorum Rex 39.16 crudeliſſime perſecutus Chriſtianos ob fidem 39.20
Atani Tinghil quid Æthiopibus deſignet 1393.40
Athaulfus Rex 325.2
Athaulphus Alarico ſuccedit 42.24 eius habitus 42.26 Romam more locuſtarum abradit 42.28 accuſatus 87.43 moritur 88.3 miſeriis Hiſpanorum condolens Vandalorum incurſibus occurrit 42.39 primus Gothorum Rex Hiſpaniarũ regnum obtinuit 42.40 mors Athaulfi 42.41 quando, vbi & à quo occiſus 842.33. eius ſepulcrum ibid.37

Athaulfus Compoſtellanus Epiſcopus 418.29 ſigno crucis ſe ab incurſu tauri liberat 418.37 cornua Tauri in manu eius relicta in Templo monumenti loco ſuſpendit 418.46

Athena & Zacynthus urbes Gracia 846.20

Atlantici, Æthiopiciq́ Oceani Inſula & littora à quo primum inuenta 879.37

Atlanticus Oceanus in Indicum profluit & contra 1290.22

Atlas frater Promethei 30.16 Hiſpania Rex 217.2 mons 233.1

Attila Rex Hunnorum ſciſcitatur aruſpices 43.52 infauſta ipſi prædicunt ib. victus 44.29, 45.4, 327.54 cum Thuriſmundo pugnat 152.32, 153.8 eius augurium ex ciconiis 152.42 Leonis Papa precibus Italiam deſerit 152.55 Honoriam Valentiniani ſororem petit uxorem 153.4 terribilis mors 153.12

Atumanus Alanecinorum gentis conditor 404.15

Autuman Hiſpania præfectus 169.46

Auriam, Barbarium promontoria 838.27

Auctoritas Albani 1096.29

Auentinus mons unde nomen duxerit 189.53

Auerienſes Duces, eorumque ſtemma 1268.58

Auerroes Cordubenſis, Auicenna æmulus 811.26

Auerus 1165.9, 1170.56, 1173.25, 50

Auguſtinus Olina medicus 860.31

Auguſtus rex Francia 1229.42 bellum contra Principes fæderatos geſſit ibid.

Auicenna Cordubenſis, quibuſdam Hiſpalenſis 811.25

Auidi rerum nouarum in Gallia multi 1192,38

Auila 1173.58, 1174.16, 32

Auinteſium 1175.23

Auiſenſium militiæ initium 984.6 confirmatio ib.10

Auitus Viennenſis Epiſcopus 4.51 eius libelli, & epigramma ad Fuſcinam ſororem 452.55

Aula palatii Liſybonenſis maior 1099.50

Auoceladus fluuius 834.58

Aurasius Toletanæ Eccleſiæ pontifex 9.29 poſt Adelphium in loco ſacerdotis aſciſcitur 9.30 perfectis viris æquiparatur 9.33 vixit in ſacerdotio annis ferme duodecim 9.35

Aurea ætas Luſitanorum 1271.29

Aurea Cherſoneſus 1065.40

Auri & argenti fodina ad Senium montem in agro Barcinonenſi 846.46

Aurei velleris militia ſub D. Andrea patrocinio inſtituta 1265.48

Aurelius Rex Legionenſis 72.40

Aurificis filius ſe pro patre morti offert 697.37

Aurum ob ſui copiam vile & in nullo precio ſub Emanuele Luſitano 1271.10

Auſena montis ſpelunca 397.24

Authanagilde ciuitas 1004.17 à quo nomen ſortita ib.21

Authoritas Comitis apud Gothos 197.28

Autumar Arabum Rex 166.25 eius prælia 166.26 moritur 160.29

Auxilia Chriſtianorum per Luſitanos ſperata 1130.10 Baſſaimorum à Dienſibus petita 1358.5

Auxilia Gallica 1164.3 miſſa ad inſulas Terceras 1211.43

Auxilium Gallorum per Luſitanos implorandum 1111.49

Azarias princeps Sacerdotum cum Dauide in Æthiopiam miſſus 1306.11 eius ſacrificium ib.15 Tabulas fæderis Dei aufert & adulterinas in locum reponit ib.16

Azenarius primus Aragonum Comes 848.50, 849.22

B

BAzena rex Æthiopum 1279.17 huius tēpore Chriſtus mundi Seruator natus ibid.

Baccalaurei Hiſpanis ſunt Doctores conſilii regii 1182.6

Bachi tres 219.9

Bacchus fluuius Bætica 834.59

Bacchus Lyſius dictus 899.39

Badagiozium 1070.14, 1132.56, 1135.9, 1153.23, 1155.59, 1169.17, 1173.2, 1181.6, &c.

Badioza Bæticæ urbs 903.47 alias Pax Auguſta 943.39 ſitus 1001.3

Baducus Cambaiæ Rex 1347.31

Badurius Imperator Cambaiæ 1329.30

Bætica nomen 214.17 idem Vandaluſia 211.57

Bætica 1062.47 Philoſophis & Poetis florebat olim 805.42 Academia ibid.44

Bætici prima doctrinæ ſemina hauſerunt 805.27

Bætis fluuius, alias Vandaluſia dictus, eiuſq́ deſcriptio 835.3 à Lucano & Martiali commendatur ibid.13 olim Certius & Tarteſſus 854.3

Bæturia regio à Bæti fluuio dicta in montibus Marianis bifariam diuiditur 854.2

Bætus Rex Hiſpaniæ 805.22

Baiacetes captus à Tamerlane 766.12

Baiazit Imp. Turcarum Baudeli Regi Granatæ aduerſus Hiſp. Regē ſuppetias ferre promittit 867.45 eius legatus ad Regem Granatæ 867.17

Baldeſius 1190.9.47

Baleares captæ 575.37

Balſa Algarbii ciuitas, alias Tauilla 952.48

Balthaſar Feria 1122.3

Baltharum familiæ conditor 945.25

Bamba à Quirico Pontifice Toletano in Regem vngitur Gothorum 53.13

rebelles ſibi ſubiicit 55.8

Bamba à Victimiro conuiciis impetitur 55.43

ciuitatem Narbonam obſidet & expugnat 55.50

eius exercitus Nemauſum cingit obſidione 56.8

occupat 57.7

Bamba & Eruigius Reges Gothorum 810.42

Bamba per Eruigium veneno potui mixto inficitur 60.7 moritur 60.13

Bamba Rex monachus 60.11

Banda

Bandæ militia 669.45 Hiſpanis Tania dicta ib. 32
Baneanes populus diſciplinæ Pythagoricæ de non obcidendis animalib. obſeruantiſſimus 1373.34
Baptiſmus Æthiopum 1306.39 unde illis datus ib.44
Baptiſmus Chriſti 1302.53 quid ſit 1303.1
Baptiſta Antonellus 1043.17
Baptiſta Florentinus 1207.58
Baraia pagus 1125.13
Barbarici qui 908.10 cur ſic dicti 909.2
Barbarium promontorium 908.15
Barbuda Alcantaræ magiſter 757.16
Barce urbs Libyæ 841.19
Barcelli 1177.26
Barcino an pulchritudine vincat Florentiam Etruriæ urbem dubitatur 845.12
Barcino à Mauris capta 444.5, 843.1 recepta de Mauris 843.10 Gotthicæ genti & Alanis ſubdita 842.32 ſedes regni Gotthici 842.41 metropolis Catalanorum 843.17 inter parua oppida Hiſpanienſis oræ enumeratur 841.24 Fauentia cognominata 841.25 inter primas Hiſpaniæ & celebriores Europæ urbes numeratur 843.24 Romanis ſubdita ib.38
Barcinonenſes Martyres 842.18
Barchinonenſis Comitatus quando & qua occaſione unitus cum Aragoniæ regno 1229.17
Barcinonis principatus origo 429.3
Barcinonis primordia à Barcilo Cariæ urbe fuiſſe dicitur 841.21 eius ſitus 844.1 eius urbis templa 844.17 ibi in æde veneris Romanorum ſepulcra fuerunt ib.25 eiuſdem deſcriptio ib.28 Leletaniæ caput 844.41
Barnegaſſi Arabibus & Ægyptiis habitu corporum &c. ſimiles 1285.39
Barnegaſſiorum Rex 1285.34
Barones Hiſpaniæ 1182.24
Barones quib. cæremoniis olim creati 198.10
Barretus 1154.45
Barrerium oppidum 882.18
Barſentus amnis à ſuo alueo deriuatur 42.17
Bartholomæus Caranza Mirandenſis 817.28
Bartholomæus Ferreira Theologiæ profeſſor 1235.9
Bartholomæus Oliuera 1046.32
Bartholomæus Pinus Portodomæus 815.25
Baſilides hæreticus 299.17
Baſtida 1204.22
Baſtuli ubi 905.26
Baſtulorum fines 226.57
Batallenſe cœnobium 1266.18
Batazalaſcara, Græciæ Imp. neptis 956.11. eius monumentum ib.18
Baucius Capetus 227.17
Baudelis Granatæ Rex 866.23
eius exercitus proſtratus 872.36
fortunam incuſat ſuam 877.21
ſe Regi Ferdinando cum ſuis dedit ibi. 26
à Rege Ferdinando conſolationem percipit ib.
Bazai ciuitas cum arce in poteſtatem Æthiopiæ Regis venit 1317.57. 1318.7. quot aureorum millia Regi Æthiopiæ annuatim ſoluat 1318.17
Bazaimenſis ager 1318.13
Bazani 1065.36
Beatæ vocabantur virgines ſacræ 366.48
Beatrix Caroli III. Sabaudiæ ducis uxor 1092.11
Beatrix filia Alfonſi. X. naturalis 1064.16
Beatrix filia Fernandi Portugalliæ regis 1262.48. inſignis eius pudicitia, ib.50
Behetriæ 690.29. addicta Petro regi 71[illegible].15
Begia 1122.58
Beira 1062.50
Belemum 1121.23. 1131.35. 1159.59. &c.
Belgæ 1113.7. 1193.20.33 urbe Olyſſiponenſi expulſi 1054.13 hoſtes regis Hiſpaniæ omnium acerbiſſimi 1164.37 per Luſitanos ſemper habiti clementer 1113.2 propter quam cauſam ab Eccleſia Romana defecerint 1114.31
Belgici rebelles 1182.42
Belgium 1073.33. 1113.29. 1169.56. 1192.22
Beliſarius 338.24
Bella cur Luſitanis non tam utilia, quam honorifica quædam fuerint 1064.24
Bella Fernandi Roderici 122.33
Belli præludia inter Saracenos & Chriſtianos 133.27
Belli Troiani initium 31.59
Bellum Alarcuris 126.1 Caſtellanorum 10.64.1 Africanum 1103.37. contra Perſas 1191.37
Bellum ciuile inter Henricos Impp. patrem & filium 1226.46 Granatenſe 1106.57. 1114.38 Luſitanicum quietem orbis Chriſtiani publicam turbaturum, timetur 105.23. 1155.26
Bellum inteſtinum Arabum 171.34
Punicum Iugurthinum & Catilinarium quando ceſſauerint 191.23
Regis Aldefonſi contra Mauros & victoria 80.41
eius mors & ſepultura 80.44
Bellum Sociale in Gallia 1229.41
Bellum Veremundi cum Arabibus 88.4, 89.38
Belo fluuius item oppidum Bæticæ 835.1
Benedictio Marci Patriarchæ 1291.57
Benedictinarum virginum domicilium 382.19
Benedictus XIII. Pontifex fit 758.25
ſpoliatur 788.6
obiit 794.21
Beneficia Luſitaniæ 1128.41
Beneficia per Philippum petentibus collata 1179.22
Berengaria, minor erat Blanca ſorore 565.38
Bernardi primatis Toletani reditus 108.58
Bernardus Agenenſis Abbas creatur SS. Facundi

& Primitiui monaſterii. 106. 19. eligitur in Toletanum Archiepiſcopum 21. 20, 106. 21, 479.25.41.
Bernardus ad ſacrum bellum cum aliis Ducib. proficiſcitur 491.58
Bernardus gloſſator Decretalium 595.20
Beroſi liber fabuloſus 213.28
Bertramus à Cueua Alburquequenſium Dux 1042 11.1127.54
Bertrandus Clachinus 709.34. Magiſter equitum in Gallia 719.48
Beſola fluuius 835.2
Betheleem oppidum 884.19
Betulus fluuius 835.22
Bexa quænam vrbs 998.47
Bezuar 1115.19
Biblia ſacra in maternam linguam verſa 624.23
Bibliotheca Hiſpali Colonorum ampliſſima 821.50
Bibliotheca Romana incendium 809.26
Bilbaum conditum 643.12
Bilbilim fluuius vnde dictus 835.20
Biſaica 1063.16
B. Iſidorus apparet Aldefonſo Regi 117.30 apparet Regi Ferdinando 100.5 Gotthicus Hiſtoriographus 50.24. obiit. 50.29
Blanca Petri Caſtellæ Regis vxor 690.44. occiditur 764.43
Blanca Gallorum regina 1232.38. mater Sancti regis Ludouici ibid.
Blaſius Camellus 1179.29
Blaſius Toletanus Præſul 692.29. idem Vaſcus 704.7
Bletiſa, nunc Ledeſma 403.10
B. Mancius Eborenſis primus Epiſcopus 977.50. 56. eius ſepultura 978.9. quo corpus eius tranſlatum ſit ibid. 12
B. Maria Virgo Hiſpaniæ & Toletanæ prouinciæ Patrona 135.33
Bolonia 1064.14
Boccarus Luſitanus 1377.52
Bombarda primus vſus 681.30. vocantur Lombardæ 769.21
Bonæ ſpei promontorium 880.16.1269.32
Bona Luſitaniæ vacantia quibus conferenda 1128. 46
Bonifiaci Chriſtum adoptiuum & non proprium dicunt 4.31
Bonifacius octauus 637.41
Bonitas fructuum Portugalliæ 1063.40
Bononia oppidum Galliæ olim Geſſoriacum 1035. 58, 1093.14
Bonna oppidum Germaniæ ad Rhenum 883.24
Bononienſes Comites 1226.27 origo eorum ibid.
Bononienſe collegium 674.16
Boruiſta Rex Gotthorum 36.47. Germanorum terras occupauit 36.48
Bouaticum vectigal 564.30
Boues Elephantibus maiores Græcis tradentibus, vbi reperiantur 839.46
Boues ſclopetorum ictus excipientes ordines Hiſpanicos perturbant 1187.47
Boues tanquam vallum hoſti per Luſitanos obiecti 1187.51, 1217.29.
Bracara Auguſta metropolis Callecia 1001.54
Bracarenſe Concilium primum 340.50. ſecundum 243.26. tertium 375.26.
Bracarenſes cuius opera ad Chriſtum conuerſi 964. 40
Bracari olim Gronii dicti 911.51. quadrifariam diuiduntur ibi. 59
Braccius Dux 794.3. occiditur 796.33
Brachari Portucalenſes dicti 1224.17
Braga 1062.55
Braganza 1083.23, 1091.12, 1102.45, 1103.2
Bragmines ſagittarii 1371.12
Braſile vulgo dicitur prouincia S. crucis 1065. 51
Braſilia 1078.39, 1189.28
Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus 50.48, 362. 16
Braulio Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ ſacerdos. 10.58. vitam Æmiliani monachi deſcripſit. 11.1.2. ſacerdotium ferme viginti annis habuit 11.3
Briga qui eſſent 213.55, 214.4
Briga quid Hiſpanis 956.25
Brigantium regionis Tranſmontanæ caput 1041. 41
Brigantinus portus, hodie Corugna 209.23
Brinnius mons 213.58
Bromienſes monachi 520.21
Brunechildis à calumnia liberatur 341.27
Bucar Merinorum conditor 602.39.43
Buccinator ſclopetis petitur 1161.24
Bulla Cruciata per Pontificem promulgata 1073.15. 1121.45
Bullonii Comitatus 1225.51. eiusq; aliquot Domini ibid.
Bullonium oppidum 1225.52 venditum Sperto Epiſcopo Leodienſi ib. 54
B. Virgo Maria apparuit Ildefonſo 52.41
Burdini ſchiſma 504.36
Burgenſes primum locum in conuentu regio petunt 686.46
Burgi vrbs extruitur 431.36
Burgundiæ nomen 321.34
Byzantium ciuitas quando & à quo condita 191.4. Conſtantinopolis dicta 191.5

C

CAccioppo 1130.37
Cacus armenta Herculis abegit 31.34. mors Caci 31.49
Cacus 218.34
Cacus in Carpetania & Celtiberia morabatur 30 53. Vulcani filius dicitur. 30.54 armentis, gregibus & venationum copia abundabat 309. 58

Caci

Caeli innumera cadet 31.5
Calim ſacerdos 1338.11
Caremonia Portugalenſium in regib. declarandis 1252
Cæſaranguſta capitur, multaq. alia oppida 503.41. 504.1. quando facta eſt metropolis 658.7. quando fundata 289.41
Cæſares dicti Imperatorum ſucceſſores 298.52
Cæſarianum captum (nunc Xerez) 226.55
Cæſar Luſitaniæ imperium quando adeptus 9.15. 15.19. Iterminii montis incolas expugnat ibid. 45 quatuor annis bellis in Hiſpania geſtis Romam redit & occidi iubetur 195.5 interemptus 942.48
Caile oppidum iuxta Promontorium Narſinga 1374. pipere abundans ibidem
Calacia Epiſcopatus diuiſi 340.57
Calagurrum oppidum Hiſpaniæ 807.12
Calabiata 1065.28
Calataiubæ conditor 398.38
Calatraua militia 526.56
Calatraua datur Abbati Fiterienſi 518.58
Cale oppidum, nunc Gaia 210.49
Caletum 1189.24
Cale vrbs alias Portugale 989.43
Caliphe de Baldac Papa Arabum 117.4
Calixti. II. Pontificis Romani diploma de reſtitutione vrbis Bracarenſis 508.28
Calixtus ſecundus patruus Alfonſi Imperatoris 505. 13.507.46
Callipodes fluuius alias Sadanum 921.47 quibus piſcibus abundet 921.57
Calpe mons Europam ab Africa ſeparat 838. 30
Calpurnianus Luſitaniæ Præſes 1012.33
Calumnia aduerſus Albanum 1171.18
Calybs, Clerum & Durius Hiſp. fluuii 835. 32
Cambaia qualis ciuitas 1317.56
Cambyſes Rex 1286.59
Camera Liſybonenſis 1059.34
Cameracenſes 1192.4.11
Camerales Liſybonenſes 1095.26.1112.21.1129. 23.1163.49. quotidie per Antonium mutati 1161.53 dignitati priſtinæ reſtituuntur 1170.7.
Camerales Sanctarenæ 1126.46
Camilla Amazonum regina in prælio contra Æneam occumbit 189.15
Campana ad S. Iacobi templum relata 147.31
Campana loco claſſici pulſata 1187.21
Campanellum vrbs regia 1318.4
Campi Gotthorum in Vaccæis 424.56
Campus maior Arronghazia 1141.56 Outiche vocatus 1064.9
Cananorium regia vrbs Arianorum 1373.5
Canatus mons in quo lacus eſſe fertur & dæmonum ſedes 838.37
Canaria Inſula quando reperta 685.55. 755. 17
Cancellarii munus datur Toletanis Præſulibus 559.4
Cancellarius magnus regis 1128.57
Candela conſecrata 1305.2
Canica Vallem, hodie Cangas dicimus 395. 47
Canis areus tormenti genus 1355.5
Caniſium 1078.4
Canius Rufus Gaditanus 808.12
Canones ſacri præpoſtere explicati 1184.32
Cantabriæ fines 211.38
Cantabricum bellum 287.59.288.1
Cantiliana 1136.26
Cantores ſacelli regii 1129.8
Capella veteribus Mirabriga 573.34
Capellanus pontificis maior 1184.47
Capellus Portugalenſibus cucullus dicitur 1258. 34
Capillati Æthiopes 1285.28
Capitanei in Luſitania 1120.51 maiores 1184. 14
Capitale vbi ſit piſcem Aſturionem captum ad Regem non deferri 921.22
Captio Alarconis 125.11
Captio Alcaratii &c. 137.20. Beatiæ, Vbetæ & aliorum Caſtrorum 136.41. Conchæ. 124.55 Malachonis. 131.39. Montis Alacris. 140 40. Saluæ terræ 128.23 vrbium Nauarræ 127.20
Captiui in Africa 1130.12. redimendi 1129. 20
Caput augurii 1077.52.1078.30. bonæ ſpei 1065. 24. Comeri ibid. 37. Morrum 1199. 13. 1200.33. S. Vincentii 1068.21.1200. 3. 1290.17. Siccum 1157.1. viride 1189. 28
Capys Syluius vrbem Capyam in Campania ædificat 189.44
Caraca conuentus celeberrimi Ioanne primo 744. 18
Caraca nunc Guadalaiara, vicus ducum Infantaſgorum 822.17
Carauaialii fratres de rupe præcipitati 653.20. 24
Carauella nauigii celerrimi genus 1368.34. 1375.45. commeatu &c. onuſta Dium perducta ib.35
Carceres publice Liſybonæ iuſſu Antonii aperiuntur 1055.56.1167.45
Cardinales legati 1156.21
Cardinalis Alexandrinus 1156.27. Archidux Auſtriæ 1197.52. Burgenſis 1 96.26
Caridemum promontorium 838.44
Caritas annonæ in Luſitania 1114.57
Carmen Ioannis Coſtæ ad Luſitaniam 1347.4
Carmona proditur à Comite Iuliano 68.22
Caroli Magni mandatum Comitib. factum 197.43
Caroli mina de præliis committendis cum Aldefonſo 74.16 eius mors & ſepultura 74.42

Caroli Verardi Caſenatis ad Raphaëlem Riarium Cardinalem præfatio 861.23
Carolus Burgundus Iſabellæ & Philippi III. filius 1265.45. *in prælio ad Nancaum occubuit ibid.* 46. *filiam ſuam Mariam Maximiliano I. deſpondit* ibid. 47
Carolus Caluus Francorum Rex 418.53, 1004.58.
Carolus & Ludouicus Comites Barcinonēſes 843.10
Carolus III. Nauarræ Rex 1251
Carolus III. Sabaudiæ Dux 1092.11
Carolus Gallus 1207.59
Carolus Borgia 1209.40
Carolus Spinellus 1127.59
Carolus Magnus venit in Hiſpaniam 411.4. *eius geſta & prælia* 411.23
Carolus Martellus Franciæ & Germaniæ conſul 170.45. *cum Abderamen bellum gerit* ibid. 49 *deuincit eum* 170.52
Carolus Philibertus Allobrogum Rex 1035.19
Carolus V. Rom. Imp. 810.59, 1035.18, 1081.18, 1092.11, 1114.42, 1293.23. *V. in Germania IV. in Nauarra I. in Aragonia & Caſtella* 1244.51
Carolus quintus Galliæ Rex 707.46. *ſextus* 751. 27. *ſeptimus* 800.26
Carolus Rouerius Dux Sabaudus 1102.30
Carpetania à Romanis occupatur 29.54
Carpetani, Vettones, Vaccæi ac Callaici qui 900.30
Carri ſexies mille in vnum locum coacti 1127.19
Carteia, Carteſſus, idem 230.9. *nunc Carteia Tarifa in Bætica vetuſtior Colonia* 858.13
Carthago condita in Africa 223.25. *noua in Hiſpania* 242.53. *à quibus conſtructa* 841.12. *Hiſpaniæ quando condita* 188.31. *à Tyriis condita fertur* 928.40.46. *quamdiu ante Romam condita* 155.10. *noua paret Eccleſiæ Toletanæ* 154.37
Carthago Didonis quando condita 188.31. *à Gotthis euerſa* 1020.19
Carthaginis iura Toletum tranſlata 325.40
Carthuſiani & Ciſtertienſes monachi 504.24
Caryophyllon vnde aduehatur 1065.45
Caſcais 1076.15
Caſcaiſium 1144.2.1156.43.1057,3.50.1158.11. 32.49.1169.42.1173.47.1175.38
Caſcale arx à Philippo capta 1052.53
Caſcalis vrbis ſitus 884.14
Caſeata donatur Roderico Archiepiſcopo Toletano 146.24
Caſilda Almenonis Mauri filia 459.8
Caſilla 1156.42
Caſpar Caſalius 1120.49
Caſsinus mons 150.48
Caſtella 1095.7, 1096.12, 1097.1, 1102.47
Caſtellæ & Aragoniæ motus 560.34
Caſtellæ Comites occiduntur 431.56
Caſtellani 1066.50, 1155.46, 1174.6. *regiones occidentales inueſtigant* 1065.47
Caſtellum S. Georgii fundatū 1269.38. *ex quo magna vis auri Luſitanorū regibus aduehitur ibid.*
Caſtinaldus Nabantiæ princeps 944.53
Caſtra Albani 1146.49, 1164.19
Caſtrum Alcala capitur 109.1. *Dominarum occupatum & fratribus Calatraua reſtitutū* 137.17
Caſtulo conditur 219.19
Catalanorum nomen Anagarus Germanorum Dux ſuis militibus indidit 842.51
Catalogus fraudum 1129.57. *iudicum* 24. *& gubernatorum* 1100.33.46. *Præſulum Toletanorum ante excidium Hiſp.* 14.12.19.24.
Catharina Bragancia Ducis vxor 1038.56, 1092. 39, 1099.27, 1119.1, 1123.27, 1181.17, 1182.51
Catharina Pacenſis 822.16.
Catharina Caſtellæ regina 1073.5
Catharina Medicea 1061.21, 1093.9, 28. 1192. 25
Catharina ſoror Caroli V. 1092.25. *nupſit Iohan. III. Portug. regi* 1247.13
Catharina vxor Henrici tertii Caſtellæ Regis 743. 14.17
Catharrus 1170.26
Cathelauni campi in Gallia 327.17. *Græcum imperium vexant* 656.7
Cato Cenſorius imperium in tota Hiſpania tenuit 990.23
Cato Conſul venit in Hiſpaniam 259.45
Catholici cognomē Regibus Hiſpaniæ datum 399.12
Catures nauigiorum genus 1352.40
Caua, Iuliani Comitis filia 384.34
Caudati Incolæ in prouincia Anan 1283.53
Cauſa perſecutionis Deciana 842.22
Caunus mons, nempe Moncaius 209.46
Caya fluuiolus 1147.48
Cayrus 1311.6. *à Turcarum Imp. occupata* 1320.6
C. Catinius pugnat cum Luſitanis 932.1. *occumbit ibid.* 5. *qualis fuerit* 992.18
C. Calpurnius Piſo Catinio ſuccedit in Prætura 932. 6. *cum Luſitanis pugnans victoriam obtinuit ibid.* 40.
Celenis concilium 328.48
Celeſtinus quintus 637.41. *eius elogium ibid.* 49
Celoces Prioris 1169.3
Celoy Antonii Sylueiræ à Turcis impetitur 1322.39
Celtarum gens in Luſitaniam venit 988.42
Celtiberiæ fines propriè 504.11.14
Celtici qui 904.27, 998.2, 1000.26
Celticum, Cuneus promontoria 838.46
Centenarii Centuriones dicti quales fuerint 201.38
Centenariorum pœna ob fugam ab exercitu ſuo 201. 24. *pœna ob fugam ad altaria vel Epiſcopum ibid.* 44. *eorum pœna ob veniam conceſſam cuidam militum domum redeundi* 201.46
Centū Senatores ad gubernandam Romam eliguntur 190.29
Centum & quinquaginta Dienſium caſi 1359.46
Centuriones Antonii inexperti 1160.8
Centuriones & milites Hiſpani 1163.32
Cerda fratres 630.30.631.11
Cerealis Caſtulenſis Eccleſiæ Epiſcopus 15.34. *eius cum*

cum Maximiano Ammonitarum *Epiſcopo cõcertatio* 15.35 *eius opuſculum* 15.38
Ceremonia baptiſmi 1305.24
Cerebrunus Toletanus Præſul 531.7 *mors* 538.45
Cerretani Hiſpaniæ antiquiſſimi populi 845.56
Cerua Sertorii 276.31
Cetobriga urbs ubi olim ſita 956.22 *unde dicta ib.* 25 *piſcationibus nobilis ib.* 31 *Epiſcopatus Eborenſis terminatio* 956.50 *vulgo Cetobra, alias cœtus Tubalis* 957.9
Cetubales iuxta fluuium Iberum ædificarunt & ſe Celtiberes nominarunt 29.50
Chalcedonenſis ſynodus 329.20
Chalicometiuitas regni Calequi 1324.29
Charis Inſula noui orbis 1284.21 *eius incolæ feroces ibid.* 23 *carne humana veſcuntur ib.* 24 *habitus & mores eorum ib.* 27
Chauls 1065.36.40
C.Herennius prope fluuium Sucronem cum exercitu periit 837.36
Cherſoneſus aurea 1065.40
Chetinus regulus Indiæ 1374.53 *Luſitanis infeſtus ib.* 55
Chichorrorum familia 1259.30 *generis origo ib.* 31
Childebertus Francorum Rex & Clotarius Hiſpaniam repetunt 338.1
Chindaſuintus Rex 364.5
Chintila Rex 361.2
Chintilianus Gotthus 810.42
Chirurgi, Medicinarii & Tabelliones nulli niſi probatiſſimæ fidei, Barcinone admittuntur 845.35
Chorea à noſtris cur ducta & quales 1326.56, 1327.1 *ex lætitia ſuper hoſte ſuperato ducta* 1188.14
Chriſma apud Æthiopes pro ſacramento non habetur 1307.50
Chriſtiani ad montium ardua confugiunt 67.49 *Arabes è regno Legionenſi expellunt* 811.31 *electi qui in utero matrum ſuarum* 1307.27 *interioris Indiæ Regibus odioſi & cur* 1351.25 *noui* 1150.16, 1070.59 *transfugæ* 1362.22 *cultum priſtinum ſe abieciſſe negant* 1362.24 *Iuzarcanem perhumanum iactitant ib.* 30 *&c. lucro corpus & animum addixerunt ib.* 32
Chriſtianorum perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano Impp. 978.21
Chriſti imitatores veri qui 1303.32
Chriſti militia in Portugalia 659.15
Chriſtophorus Colonus Indiarum *repertor* 821.25 *Euangelium Chriſti in repertas inſulas propagauit* 821.40
Chriſtophorus Columbus 1065.47 *nouas in mari Indico repertas Inſulas* 1282.18
Chriſtophorus Eraſſus 1202.32, 1204.3
Chriſtophorus Licaniti, alias Zaga, Zabo 1296.27
Chriſtophorus Madrucii Carpentoracti præſul 824.41
Chriſtophorus Morus 1090.1, 1091.1, 1094.38, 1096.21, 1097.34, 1098.35, 1102.13, 1106.47, 1109.26, 1132.39, 1148.15, 1182.25, *&c. legatus* Regis *Hiſpaniæ* 1034.35
Chriſtophorus Tauera 1068.45, 1074.47, 1083.9, 1087.19, 1088.32, 1180.20, *&c.*
Chriſtus noſtra ſalus &c. 1303.21 *qua ſpecie prophetis apparuerit* 1305.41, *&c. natus* 291.11 *an ex tribus ſubſtantiis* 379.46
Chronologia Conciliorum Hiſpaniæ 21.33 *Regũ Gotthorũ* 23.10 *Toletanorum Præſulum* 20.9
Chyrographum demonſtrans, quibus vectigal Syrenum aliarumq. rerum pendi debeatur 882.23
Cibi immundi vetiti 1307.52 *per Ieſuitas vel permiſſi vel vetiti* 1066.35
Ciceroni poeſis peregrina viſa eſt 805.54 *eo mortuo literæ Romæ cœperunt deficere* 806.7
Ciceronis orationes ut monimenta & ornamenta familiæ ſuæ à Romanis ſeruatæ 819.19 *eius ortus* 274.40
Cicus mons Luſitaniæ Marianorum montium appendix 912.34
Cidellus Iudæus medicus 111.10
Cidianus 432.50 *victoriæ* 472.1, 6, 476.31 *filia* 49 .27 *Valentiam capit* 493.17
Cidus belli Bætici *præfectus* 476.25
Cinamomum omnium optimum ubi naſcatur 1065.30
Cinthaſuindus Rex 11.15 *regnum Gotthorum tyrannide inuaſit* 51.8 *obitus eius* 52.3
Cinga fluuius Ibero mixtus 835.26
Cingulo militaris honor continebatur 374.5
Cinthila Rex *Gotthorum* 10.55, 11.15, 50.42
Cippus marmoreus Cordubæ in D. Mariæ templo 855.21
Circumciſio Æthiopum 1306.30, 51
Ciſnerus militum quidam Dux 1146.40
Ciues Angrani 1205.21 *Eborenſes* 1148.43 *Landini* 1148.16 *Liſybonenſes* 1163.49, 1164.1 *Olyſiponenſes quibus auctoritate regis Sebaſtiani fuerint aſſuefacti* 1067.28 *Nemauſenſes urbe capta in præſidium arenarium confugiunt* 57.9 *eorundem ſtrages* 57.11 *Portenſes* 1173.30
Ciuica apud Romanos quid fuerit 858.9
Ciuitas regia ædificatur 604.4
Ciuitates Hiſpaniæ à quibus acquiſitæ 74.57 *ad regni conuentus venientes* 682.11 *quales in Æthiopia* 1311.48
Ciuitatum Hiſpaniæ occupatio 75.1
C. Iulius Cæſar ab Ænea per Italiam familiam oritur 193.30 *negotiis Scythiæ compoſitis & nepotibus filiaq. Pompeii occiſis* Romæ *fit conſul* 194.17 *aduerſus filios Pompeii & C. Labienum & Accium Varum plurima bella gerit* 194.40 *Sex. filium Pompeii maiorem cum aliis pluribus ducibus interficit ib.* 52 *Ptolomæi regnum inuadit ib.* 6 *à Ptolomæo ad paciſcendũ inuitatur ib.* 8 *Ptolemæũ ſe aggredientẽ interficit ib.* 11 *Tyrre-*

Digitized by Google

na littora penetrat 193,43 cum Põpeio pugnans vincitur 193. 46 ſecunda vice pugnans vincit ibid. 50 venit in Hiſpaniam 279.59

Clades Romanorum ingens 931. 20 Hiſpanorum à Romanis accepta 932.28

Claudius Imperator Romanorum 38. 2 Gothos deuicit & in fugam coegit 38.3 gloria, quæ ipſi à Romanis contigit 38.4

Claudius Vnimanus Imp. Rom. 935. 14 cum Viriato pugnat ibid.24

Claudius Emeritenſis Dux 350.41

Claramontanum concilium 491.497.3

Clarí ciues Barcinonenſes 841.31

Claſſes Indicæ 1129.25

Claſsicum cani iuſſum 1165.40

Claſsis diuerſarũ nauium ad bellum ſacrum in Syriam ſoluit 1257.44 1258.19 Luſitaniæ obſeſsis venit auxilio 1366. 30 Viginti quinq; nauium 1367.4 Dium appellit ibid. 6 Philippi in portum Setubalenſem appellit 1151. 9 Indica 1056.16 Turcica 1191. 34 1324. 31 1353. 27 1320. 2, &c. qualiter inſtructa ibidem 17 Adenenſi Regi dono miſſa ibid. 29 Hiſpanica 1189. 40 1200.23 multarum nauium vi tempeſtatum acta in portum Oliſiponenſem appulit 1237. 44 1258. 19 Gallica 1200. 34 1201. 42 1202. 28 1206. 1 &c.

Clauis & ſcutum Hiſpaniæ quæ 1067.10

Clemens quintus 648. 7 ſeptimus 728.31

Clemens Pſeudopapa 1250.22

Clementinus Conſtantii præfectus 1. 41 veniam à Gregorio petit ſupplex 1.54 16. 17

Cleopatra filia Ptolomæi fratri nubit 194. 12 ſibi regnum & fratri necem à Cæſare impetrat 194. 25

Clerici arma capere iubentur 1051.25

Cn. Seruilius & C. Flaminius Conſules Romani 929.25

Cn. Seruilius Conſul in pugna Cannenſi occiſus 930.3

Cochinum oppidum. Proregũ Luſitaniæ ſedes 1324. 53

Codanus Oceani maris ſinus 32.20

Cœleſtinus quartus Pontifex Romanus 587.58

Cœnobium D. Vincentio martyri ſacrum 885. 15 Veſtalium D. Claræ nomine 885.19

Cognomentum Lancaſtrorum quo tempore in Hiſpaniam venerit 1260.16

Cohors Antonii promiſcua 1054. 49 Setubal miſſa 1047.25

Cohortes aliquot militum in ditione Papæ conſcriptæ 1175.55

Coius Sofar Italus 1348. 19 exercitus Turcici præfectus ibidem qualis ibidem 21. &c. 1221. 47

Coius Sopharus autor belli Cambaici 1329.25 ex Chriſtiano fit Mahumetanus ibid. 56

Coius Sopharus quibus rationibus Mamudium ad bellum incitarit 1329. 30, &c. magnos exercitus comparat ibidem 38 Dienſem ciuitatem ſibi à Mamudio dono datam fingit ibid. 43 literas ad Maſcaregnam mittit ibidem 51 militum copia in vrbem Dienſem miſſa bellum diſsimulat 1350. 14 ipſe vrbem ingreditur ibid. 48, &c.

Coius Sophar varium exercitum à propinquo ſuo colligi petit 1349. 35 toti exercitui cur præficiatur ib. 41. Dium oppidum à Rege Cambaiæ dono accepit ibid. 25 globo bombardæ perit 1357. 12 omnium Chriſtianorum hoſtis ibid. 15

Coii Sofari conſanguineus cum nauibus interceptis perit 1343. 1, 5 promiſſa falſa inuenta 1327.24

Coimbria, vrbs regia 115. 4 1062. 50, 57 1126. 32 1155. 49 1170.33, 55 1173. 13, 19, 56, &c.

Coimbrienſes tumultuantur 1116. 48 1153. 49

Collatorum beneficiorũ gratia plumis leuior 1329.9

Colla oppidum Orighienſis prouinciæ 961.38

Collegia multa litteraria 790.42

Colles Olyſiponis quinq; 1063.32

Collis ex arena congeſtus 1130.33

Colloquia nocturna noſtrorũ cum Saracenis 1354. 14

Colloquium cum Petro Taraſia Magnatibus Nauarræorum denegatum 95. 15 Guadalupenſe 1076. 20 inter Hiſpanum & Sebaſtianum Luſitanum 1070. 18 Maſcaregnæ & Proregis Indiæ 1343.31

Coloniæ municipium 974.37

Colonia in Hiſpania conuentuſq; iuridicundo 296. 57

Color niger Hunnis odioſus 151.58

Columba Iudæa 692.43

Columbus Genuenſis 1290.32

Columna dirimens prouinciam Eborenſem à Pacenſi 948.44

Columnæ duæ firmiſsimæ Luſitaniæ 1143.42

Comarca 1062.48

Comes apud Gothos milites ſub ſe ad ſubita belli pericula habuit 197.17

Comes apud Gothos in ſumma authoritate fuit 197.28

Comes Aluarus capitur 142.34 carcere liberatur ibid. 47 Caſtrum & Orzeion ipſi à fratre reſtituitur ibid.55

Comes Caglietanus 1135.6 Cincionius 1156.15 Deſmondius 1075. 45 Matoſignoſius 1186.27 Sifontinus 1125. 4 Toghianus 1189. 44. 1190. 4 Vimioſius 1144.35, 1152.38, 1155.15, 1163. 59, 1167. 36, 1178. 11 1183. 22, 1184. 55

Comes Notariorum 198. 38 patrimonii regii 198. 14 procurator Lampridio dicitur ibidem 15 officium ibidem 18 ſacrarum largitionum quale adminiſtret officium 200. 20 iudicem ſacrarum largitionum ſub ſe habet & prouinc

prouinciarum caterarum largitionum Comites 200.24. *donis regalibus praſidebat ſecundum Caßiodorum* 200.26
Comes Sancius Fernandi patri ſuccedit 83.39, *eius filius* 83.45, *eius mors* 83.55, *magno exercitu adiuuat Zuleman contra Almahadi* 179.24
Comes Scanciarum 197.50, 198.1, *prima eius mentio* 198.1, *officium eius & munus* 198.5, *Spathariorum idem quod cuſtodum corporis regli præfectus* 198.55, 199.18 *ſtabuli*, *Condeſtable* 354.57 *theſaurorum quis fuerit* 198.11, *comes ærarii alias dicitur* ib.12
Cometa loqui fingitur 1073.27, *omnium*, *qui à multis ſeculis apparuerunt*, *multo pulcherrimus maximuſq.* 1073.21
Cometa quid portendant 1073.23
Comitatus Bononienſis 1103.29, 1225.48 Bullonii ibid. *Lemburgenſis initium* 1227.8 *Loranguelliienſis* 1093.33
Comites ab Aldefonſo occiſi 82.10, *ad dirimendam litem inter Gotthos deſtinati* 196.24
Comites creandi ceremonia priſcorum 198.9, 665.40
Comites Cubiculi quales fuerint 199.20, *dignitas eorum in Regum aulis noſtra ætate viget* 199.24, *exercitus*, *rei militaris Comites dicti* 200.1, *quale officium adminiſtrarint apud Romanos* 200.4, *qui apud Gotthos nominentur* 200.9
Comites an poßint Commiſſarios ſubſtituere 196.56, 197.5 *quo ritu antiquitus creati* 196.33. *qualiter apud Hiſpanos creati* 196.34, *quando orti* 943.52, *ſacri ſtabuli quales ſint* 199.47, *apud quos in magna exiſtimatione habeantur* 199.52 *qui fuerint* 199.53, *Stabuli quales & qui fuerint* 199.31, 33. *in quo precio olim fuerint* 199.38. *protoſtratores dicti & equiſonum præfecti* 199.41.45. *vnde orti iuxta Spartianum* 196.19 *quarum rerum* Comites *dicti* 196.25. *qui* Comites *dicti* 196.26
Comitia 1091.41, 1128.21, 1134.18, 1197.51, 1208.22. 1210, 22. &c.
Olyßipone habita 1276.46. *in quib. Philippo fidelitas iuratur* ibid.47
Comitis Aluari rebellio 140.34
Comitis olim appellatio generalis 197.34
Comitis officia apud Gothos 197.2
Comitiſſa Bononienſis 1093.13, 29, 1103.30
Comitiua Neapolitana formula 197.20
Comitum rerumpub. munera & dignitas 198.29, 32 *Toloſæ & Prouinciæ genealogia* 1227.53
Commendæ Luſitanicæ 1122.37, 1128.42, 1186.52
Commendatio fidei 121.15
Commendatio Reginæ Berengariæ 147
Commendatio Regis Aldefonſi nobilis 130.47. *eius largitas* 131.10
Commendatio Theodorici 149.55
Commendatio vrbis Cordubæ 147.25
Commendator Caſtellæ maior 1107.29
Commendatur Fernandus Rex Legionenſis 121.48 *eius geſta bella* 122.5. *Salamantinam ciuitatem occupauit* 122.11
Commentum Homeri de Agamemnone 819.1
Commercia Luſitanorum cum Indis & Æthiopib. 1128.35
Commercium Inſularum Tercerarum interdictum 1186.47
Commiſſerÿ à Comite conſtituti Vicarii Comitis dicti ſunt 197.9
Competitores regni Luſitanici ſe inuicem lædere iuramento interueniente prohibentur 1122.58
Complutum captum 309.33
Compoſtellana Eccleſia fit metropolitana 507.34
Compoſtella capta 442.5
Computatio annorum à morte Herculis vſq. ad Caium Iulium Cæſarem 30.2
Cona Vicus 883.37
Concha vrbs regia 124.56
Conantius ſedem Eccleſiæ Palentinæ adeptus eſt. 10.49, *eius ſcripta.* 10.52, *vixit in Pontificatu amplius triginta annis* 10.53
Conciones confeßioneſq. Deum ſibi ſcopum propoſitum non habentes 1207.25
Conciones monachorum in orationes militares & claſſica conuerſæ 1130.56
Concilia Hiſpaniæ 810.47
Concilium Conſtantinopolitanum ſub Damaſo Papa cur celebratum 131 .23
Concilium Elliberitanum ſub Melanthio. 20.10, 21.33. 978.40
Concilium Epheſinum ſub Celeſtino Papa cur celebratum 1310.25, *in Eccleſia S. Petri extra Toletum celebratum* 61.48, *Legionenſe & eius Leges* 90.50, 109.34
Concilium Luſitanicum 1041.57, 1128.58
Concilium Nicenum cur celebratum ſub Iulio Papa 1310.17
Concilium Setubale habitum 1043.8
Concilium Sorienſe 120.22
Concilium Toletanum primum 20.12, *ſecundum* 20.30, *tertium* 20.36. *quartum* 20.44, 979.10, *quintum ſextum* 979.11, *& ſeptimum* 20.46, *octauum* 979.12, *nonum & decimum* 20.48, *Vndecimum Concilium Toletanum* 20.52, 59.31, *duodecimum* 60.23, 979.18, *decimum tertium* ib.28 *decimumquartum* ibid 38, *decimumquintum* 20.55, 60.56, *decimumſextum* 20.58, 21.1, 61.18 *decimumſeptimum* 61.22, *decimumoctauum* 22.40,
Concilium Tenarenſe 1057.36

Concordia Regis *Aragonum &* Regis *Aldefonſi* 114.4
Concordia Arabum & Africanorum de Aluli Pulchro in Regem eligendo 172. 12 *Regis Fernandi cum ſororibus* 146.14
Concurſus Pontificum & magnatum Hiſpania ad bellum 130.27
Conditio exercitus Moleii Moluci 1076.50
Conditiones Philippo per Papam, ad bellum in Angliam transferendum propoſita 1165.11
Confeſſio Æthiopibus vſitata 1308.2 *apud ſacerdotem* 1303.34
Confidentia Luſitanorum propria 1154.2
Conflictus Luſitanorum & Turcarum 1344.10 *ad rudera turris Diui Iohannis collapſæ & conuulſa* 1364.58 1365.6
Congi Æthiopiæ regnum quorum opera ad religionem Christianam conuerſum 921.14
Congregatio Regum in vrbe Toletana ad ineundum bellum 129.28
Coniugia inter Gothos & Romanos legibus prohibentur 843.40
Coniugium Regis Enrici cum Mafalda 140 6
Coniunctio Portugallia cum Caſtella 1062.26 *&c.*
Coniuratio Iuliani Comitis cum Arabibus 63. 48
Conimbrica caput comitatus Portugalia 1225. 4
Conimbrica à monacho quodam Munda dicta fingitur 1010.48
Conimbrica obſeſſa & capta 457.8
Conimbricenſis Academia 815.10
Connubium Regis Fernandi cum Beatrice Regis Philippi filia 143. 56 *Regis Fernandi cum Ioanna filia Comitis Simonis de Pontino* 147. 55
Conradus Goclenius Weſtphalus 894. 21 *& Petrus Nannius Latina lingua Doctores* 824. 13
Conſcientia maculata 1176.13
Conſilia Antonii 1151. 10 *per Academiam Conimbricenſem pro Ducißa Bragantia ſcripta* 1099.29
Conſiliarii Palatii 1128. 57 *patrimonii Coronæ* 1211.29
Conſiliarii tres 1110.45
Conſilium Albani eſt, ſi Philippus moriatur, vt regina cum filio primogenito Liſybonam recta contendat 1170.2 *regis Luſitania de locis mediterraneis adeundis* 1076.49
Conſpiratio Legionenſium in Regem 86.14
Conſpiratio Regis Ranimiri in fratrem Garſiam 97.31
Conſtantia, Caſtella regina 1235.56
Conſtantia filia Petri Regis nubit Leceſtria Duci 718.12
Conſtantinus Magnus Imperator 808. 47 978. 36 *quomodo Hiſpan. diuiſerit* 1019.59 1020.1 *Gotthos deuicit* 38.18 *laus ipſi à Romanis dita* 38. 20. *per profuſionem bonorum in Eccleſiam Romanam magni cognomen aſſecutus eſt* 801.54
Conſtantinopolis 1069. 16 1191. 34, 46 *ab Amurathe Turcarum Imperatore capta* 656.2
Conſtantinopolitana ſynodus prima 317. 30 *ſecunda à multis non recipiebatur* 379. 25 *tertia* ibid.
Conſtantius Epiſcopus 2.17
Conſuetudo nationis Hiſpanica 1107.33 *Portugallia quoad primogenita & reliquos* Regum *liberos* 1251
Conſul Gallorum 1154.48
Conſules ad gubernandam Rempub. *Romanam eliguntur* 191. 14 *eorundem ſeries* 191 16 *quandiu rexerint vrbem* Romanam 191. 21
Conſultores Antonii mali 1163.58
Conteſtana gentis conditor 218.30
Contractus Æthiopiæ Regis cum Rege Cambaia initi conditiones quales 1318. 36 *&c.*
Controuerſia de Elbora vrbe 1009.52
Conuentus definitio 1231.31
Conuentus Almerinenſis 1038. 32, 52 1116.6 *Aragonenſis* 1194. 35. 1208. 16 *&c. Dynaſtarum Portugallia præſente* Rege *Philippo vbi* 1057.42
Conuentus fori in Luſitania 979. 53 *Liſibonenſis* 1109.49, 1126. 4 *Philippo primogenitoque illius Iacobo iuramentum fidelitatis præſtans* 1181.18
Conuerſio Veremundi 90. 9 *eius mors* 90. 10
Copia Antonii 1052. 34 1053. 17, 1149. 27 1160. 1,1169. 23
Copia Christiana velitationibus crebris vexata 1078.41 *Gallica* 1211.7 *Hetruſca* 1075.59 *Hiſpanica per Auraicum contempta* 1073.18 *Luſitanica* 1164.24
Corda è cadaueribus euulſa dentibus conteruntur 1188.16
Corduba colonia Patricia 806. 16 854. 52 856. 1 *vrbs regia* 146. 41 *à ſordibus Machometi expurgatur* 147.3 *vrbs Batica* 904. 47 *à barbaris infeſtatur* 184.28 *à Romanis ad Vandalos, inde ad Gotthos peruenit* 860. 51 *bellum aduerſus* Agilam *ſuſcepit & eum deuicit* 860. 53 *à Perſis condita dicitur* 856. 10 *à quo certe condita ſit, dubitatur ibidem* 19 *à M. Marcello condita fertur ibid.* 26 *à Mauris capta* 388. 42 *de Mauris capta* 518. 7, 582.33 *fundata à M. Marcello* 262.29 *ſedes Imperii Maurici* 404.46 *eius ſitus* 581. 58

Digitized by Google

Corduba mons vbi 916. 58 *alias Corua* 917.1
Corduba tempore Diocletiani noua conditur 859. 27 *cur renouata fuerit ib.* 33. 44 *ante Marcellum condita dicitur ib.* 58 *quæ forma ſit inſtaurata* 860.1 *Romanorum opere & conſilio extructa* 856. 53 *totius prouinciæ Bæticæ caput* 857. 47
Corduba ingenti fame vexatur & peſte 181. 9. 54
Cordubæ paſſi martyres 311. 17 416. 30,859. 15
Cordubæ Rege Abderrahmano plateæ lapidib. ſtrata 417. 44
Cordubæ vnde nomen Colonia attributum 858.10 *eius origo* 853. 47 *ſitus ib.* 52 *fertilitas* 854. 13
Cordubenſe concilium tempore Abderrahmani 417. 19
Cordubenſes Poetæ ante Auguſtum plurimi 805.52 *Rege carent* 185. 43
Cordubenſis vrbis tractus omnium generum fructibus abundans 854. 18
Cornelia, Gracchorum mater 822. 23
Cornelius Callidius Batauus 823. 44 *Graphæus Reis. Antuerpienſi à Secretis fuit* 824. 39 *Hiſpanus* 807.6
Cornipedes qui ſint 1013.45
Corona Galliæ 1192.53
Corpora Eulogii & Leocritæ martyrum Corduba Ouetū delata 424. 19 *exanima, puncta & conſciſſa* 1188.15
Corrupti mores Hiſpaniæ 138. 48
Coſmus Paiua 1371.3
Cornorum mons vnde nomen ſortitus ſit 1005. 35
Corteſiis Marchiones Vaſconum 692. 2
C. Publicius Meliſſus. IV. vir Barcinonenſis 841. 35
Crato 1104. 33. 53.
Creatio Antonii in Regem 1129. 50 *ab Oliſiponenſibus approbata* 1046. 54
Creatio hominis qualis 1305. 51
Creatio Regis Henrici 1076. 51
Crimina Alcaſouæ imputata 1068. 9
Crocodili & Hippopotami vbi viuant 921. 20
Cruces Luſitanorum in Oriente extremo poſitæ 1066. 19 *ordinum equeſtrium* 1150.14
Cruciata 1128.44 1130. 53
Crucis forma Conſtantino oſtenſa 312.17
Crux & baculus cur Franciſco Aluarez conceſſa 1295. 20
Crux equitum D. Iacobi rubra, vt equitum Benedictinorum viridis 1069. 47 *equitum ordinis Chriſti qualis* 1063.49
Cubicularius, Cubicularis, Cubiculum & Cubile quid proprie deſignent 199. 26
Cultus Orientalis exercitus Dux 171. 38 *interficitur* 171. 48
Curæ omnium maxime mentes principum exercentes in quibus conſiſtant 1058. 50
Cura Philippi Regis omnes in Belgium conuertenda 1073. 48
Cura Curarum quid denotet 1008. 8
Curia Arabum Hiſpali transfertur Cordubam 167. 52.
Curia ad quos olim apud Romanos pertinebāt 989. 26
Curia Regia Hiſpali transfertur Toletum 68. 18
Curiones quid apud Romanos olim 1025. 18
Curſus Alcaſanæ 1130. 40
Cus primus Æthiopiæ rex 1278. 28 *ab eo regio denominata ibid.* 29 *in ſacris literis Æthiopia vocatur hoc nomine ibid. genus & familia ibid.* 31
Cuſtodia Enrici Regis Comiti Aluaro committitur 139. 38
Cyprianus Figueredus 1180. 34 1187. 31 1195. 22
Cyprianus monachus Ciſtercienſis Theologiæ profeſſor Complut. 819. 40 *de ipſo iudicium Matamori* 820. 1
Cyriacus Anconitanus epigrammatum per orbem collector 842. 5
Cyrus famoſus à Tomyri occiſus 33. 29 36. 6

D

Dalharab Marrochiorum Miramolinus & Cordubæ Rex 1006.16
Dalmachius Compoſtellanus Epiſcopus 495. 6
Damane 1065.36
Damaſcus Pontifex 315.56 809. 16
Damiani à Goes contubernium cum Eraſmo Roterodamo 1313. 51 *de Lappiorum conuerſione colloquium ibid.* 53. *diſceptatiuncula ad Paulum Iouium* 890. 8 *vita* 8. 2339 *uxor & filius* 824. 42 *eius habitatio* ib. 55
Damianus à Goes Æthiopiæ ſtatum iubetur deſcribere 1312. 20 *quomodo latine vertere debeat* 1312. 30 *&c. à quo fuerit inſtructus* 824. 35 *Emanueli Luſitaniæ Regi à Cubiculis* 823. 51 *ad Sarmatiæ Regem legationes obiit* 823. 57 *primum in Belgium profectus* 823. 59 *quæ opuſcula ediderit* 825. 9.
Damianus Aguiarius 1132. 1 1185. 46
Damonium oppidum ingens in regno Cambaiæ 1374. 15. *à Luſitanis expugnatū & ſolo æquatū ibid.* 22
D. Antonii, cognominati Paduani ſacellū vbi conditum 883. 38
D. Antonius Patauinus 568. 21
Daroca corporalia 587. 13
Datianus totius Hiſpaniæ præſes 306. 31 994. 49. 1011. 49 1013. 10 *Elboram venit* 1014. 32
Daualus hortatur Ferdinandum, vt regnum Caſtellæ accipiat 770. 48
D. Auguſtinus obiit 326. 23
Dauid Æthiopiæ Rex 129. 1. 10. *Ioannem Petrū à ſe dimittere renuit ibid.* 15 *cur Mauris non inferat bellum* 1296. 43. *quo ætatis anno imperare cœperit* 1297. 11
D. Bernardus venit in Hiſpaniam 507. 18

D.Bernardi magiſter 714.41
D.Catharinæ monaſterium Talauera 310.43,764 53
D.Dominici templum,& collegium D.Petri nomine,Oliſipone 836.45
D. Dominicus Calſadinæ 498.57.499.1 multa miracula contra Albigenſes edidit 557.45 Exilienſis 470.47
Decani Decuriones dicti quales fuerint 201.41.54 eorum pœna ob diſceſſum ab exercitu 201.55
De Carolo Magno varia & repugnantes ſententiæ 74.44
Decianus Emeritanus 8 :8.15
Decima nulla in Eccleſia Æthiopica 1308.19
Decius Iunius Brutus in Hiſp.venit 938.33 Luſitaniam ſibi ſubiecit ibid.42 cum Bracaris pugnans victoriam reportauit 938.45 Callaici cognomen vnde nactus ib.49 eius monumentum ibid.57
Decollatio nobilium Gallorum quorundã 1206.31
Decretum Caroli M.de Comitum ſtudio & diligentia in officio 197.48
Decima Regi Caſtellæ data 650.45,658.45
Dedicatio Eccleſiæ Toletanæ 106.57 S.Iacobi 79.59
Deditio arcis S.Iuliani 1151.14 Eluarum 1146. 47 Siremi 1129.52 Inſularum Tercerarũ 1211.46
Defenſores quale gerant officiũ 202.25.46 quãdiu gerant officium ſuum 202.41.46
Deianira virum Herculem data camiſia concremauit 31.54
Deteratio Sophari militum 1343.46
Dei benignitas omnis immunditiæ execratrix 55.2
Dei metus & religio efficax ad permouendos hominum animos 1239.32
Delaca Inſula 1285.35
Delectus ciborum in Aethiopia 1308.35
Deliberationes Regis Henrici 1091.38
Delitiæ Aſiaticæ 1066.28
Delphinus vocatur Galli Regis primogenitus 689. 56
Democritus Abderites 823.3
Deploratio Hiſpaniæ & eius excidii cauſa 65.56, 66.11 populorũ ſuper expugnato Caſtro 128.25
Deprædatio ſuburbiorum Liſybonenſium 1165.9
Deſcriptio expugnationis regni Granatæ 863.13
Deſcriptio filii Dei eiusq; natiuitatis 1302.46.&c Inſulæ S. Michaelis 1197.46 Inſulæ Tercer. 1211.44 Portugalliæ 1062.18
Deſertio propugnaculi in capite ſicco 1151.15
Deſiderius præfectus exercitus Vambæ 54.51
Deſiderii Viennenſis Epiſcopi vita 342.33,356.43
Detentio Ducis Albani in cuſtodia 1091.40
Deucalion dictus Noe 219.10
Deus quæ & quorum ſacrificia ſemper receperit 1297.24
Deus quæ amore & odio proſequatur 1309.40
D.Iacobi corpus ex Gallæcia Toloſam deportatum 1008.23
D.Iacobi fanum religioſe viſitatur 1246.38
D.Iacobus Apoſtolus Hiſpanorũ patronus 1337.6 à Luſitanis & Hiſpanis honoratur 1360.4. &c.
Dialogus de expugnata Granata 863.13
Dianium promontorium vnde 218.57
Dicineus Gotthorum conſiliarius 36.47 eorum mores barbaricos immutat & artibus liberalibus illos imbuit 36.57 ei ſuccedunt Eumoſicus & Dorpaneus 37.2
Dictum Frontonis Grammatici de Comite 196. 38
Didacus à Leiua Conaſruuias I.C. 1016.12 Oxomenſis Epiſcopus 1017.20
Didacus cognomẽto Porcellus, Caſtellæ Comes 420 52 Gelmerius Compoſtellanus Epiſcopus 496. 6 Henrichius Guſmanus Comes Albæ 1042. 15
Didacus Lupius à Sequeira triremium præfectus 1047.6 Indiæ Prorex 1292.51, 1294.24 Meneſius 1052.15 occiditur 1053.2 Orteſius Inſulæ S.Thomæ Epiſcopus 1308.33
Didacus Thurecrematus Epiſc.Tydenſis 1042.18 Vimar Cidi filius in pugna perit 476.51
Didius Cæſarianæ Claſsis præfectus 942.20
Dido hiſtoriam Troianorum in templo Aeneæ deſcripſit 188.8 amore nimio Aeneæ capta ſe in pyram igneam coniecit 188.30
Diegus Lopezius de Sequeira 1083.16, 1084. 58
Dieghus Mendoza à quo Infantatus Duces 749. 13
Dienſe præſidium 1329.16
Dienſes acriter oppugnati 1322.54 turres arcisq; pinnæ collabuntur 1323.3 fortiter ſe defendũt ib.39 centum & quinquaginta tormenta ab hoſtibus fugientibus nacti 1327.46 cur fere de ſubſidio deſperarint 1332.41 dè victoria ab hoſtib. reportata Deo gratias agunt 1361.21 murium & felium carnib. paſti 1363.16 penuria pulueris tormentarii laborant ib.25
Dienſis arcis deſcriptio 1331.25 & ſitus 1351. 23
Dies Auguſti quarta Luſitanis nefaſta ob cladem Africanam 1247.42 Dominicus 1303.57 S. Michaelis 1304.14 Sabbati 1304.16 cur ſeruetur ib.17 SS.martyrum 1304.15
Differunt conuentus & Monaſterium 1231. 29
Dignitas Comitum ſtabuli bifarie diuiſa 199. 52
Dignitas Conneſtabilis Luſitaniæ 1183.9
Dignitates per Chriſtianos nouos ab Antonio facilime obtentæ 1051.33,1150.18
Dii bicornes à Fauno orti 187.42
Diligentia Regis Philippi in inquirendo,num bona cum conſcientia bellum mouere poſſit contra Luſitanos 1038.41,1111.11,1129.48

Diocletiani edicta in Chriſtianos 306.12

Diocletiano & Maximiano Romanorum Principibus Conſtantinus Cæſar Magnus ſucceſſit 38.12

Diodocius Lupus Soſa 1334.32

Diodocus Dux Luſitanicus, eiusq; contra Indos victoria 1375.10

Diomedes Tyden condidit 912.17

Dionyſius Luſitaniæ Rex 536.57, 955.49

Dionyſius VI. Portugaliæ rex 1259.48 *trib. virtutib. excelluit ibid.* 49 *latrocinia ſuſtulit ib.* 5 *potentiam nobilium repreſſit ibid.* 52 *arbiter in cauſa de regno Caſtellæ ibid.* 58 *liberaliſſimus* 126..2 *munificentia ibid.* 4 *veritatis amantiſſimus ibid.* 6 *vxor eius Iſabella ibid.* 19 *liberi legitimi & nothi ibid.* 28 *ſtudia imprimis Poeticen amavit & amplexus eſt ibid* 40 *Academiam Conimbricenſem inſtituit ibid.* 46 *oppida multa extruxit ibid.* 47 *militiam Ieſu Chriſti inſtituit ibid.* 50 *agriculturam magni fecit* ibid. 53

Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus 1019.19

Dionyſius tyrannus 235.37

Dionyſius vitis inuentor fingitur 895.32

Diploma clam à Pontifice impetratum 1104.40 *Gelaſii Pontificis Romani ad milites Cæſarauguſtam obſidentes* 504.48 *in Hiſpania omnium inter regia antiquiſſimum* 406.36 *Pontificiũ* 1108.27.29

Direptio inſularum capitis viridis 1211.41

Diſcalceati 1156.6

Diſceptatio competitorum de regno Portugaliæ XI. viris diiudicanda committitur 1252 *de Mathildis Bononiæ Comitis filio Oliſipone ſepulto* 1214.45 *Tarraconenſis & Toletani Præſulum de officio* Eccleſiis *præſtando* 490.55

Diſceſſus Antonii admiratione digniſſimus 1188. 44 *cunctorum militum* 137 8 *Sebaſtiani Regis cum nauigio & exercitu in Africam* 1033. 30, 1062.20.24 *Vltramontanorum* 132.14

Diſciplina Albani ſeuera 1182.11

Diſcordia Caſtellanorum & Legionenſium ſedatur 86.83 *Didaci Lupi & Regis Aldefonſi* 127.33

Diſcordia Fratrum Ferdinandi & Garſiæ Regum 98 22, 101.20 *eorundem pugna* 101.33 *inter Hayram & Mundar orta* 183.31 *inter Petrũ Infantem & Alfonſum Comitem Barcellenſem ob tutelam regis* 1267.50 *inter Caſtellæ & Legionis Reges* 97.42 *inter domum Abenhumeye & Abebahabeci* 177.59 *inter Hyrã & Mageyt oritur* 185.15 *patris & filii* 90.31

Diſpoſitio acierum Agareni exercitus 134.41 *Chriſtiani exercitus* 134.23 *exercitus Hiſpanici prope Alcantaram pagum* 1054.51 *exercitus Molcii Moluci* 1076.50

Diſſenſio Aragonenſium de eligendo Rege 95.8 *inter Regem Caſtellæ & Aragoniæ Regem* 124. 41 *Magnatũ Caſtellæ ſuper cuſtodia Regis* 120. 2 *Sanctii I. Portugaliæ, & Alfonſi Legionis regis* 1257.57 *Principum Chriſtianorum cauſa excidii Legionenſis* 88.34

Diſſidium ortum Calatrauæ inter Caſtellæ & Aragoniæ milites 685.18 *compoſitum ibid.* 46 *Regum Legionenſis & Nauarræ ab Aldefonſo nobili Rege* 126.15

Ditiones Portugalliæ recenter adquiſitæ 1062.18

Ditiones Alexandri Parmenſis à Luſitania remotæ 092.45

Diua Iſabella Dionyſii Coniunx 1236.22 *vitæ ſanctimonia ibid.* 28 *religio ibid.* 26 *Eſtremotii obiit* ib. 30

Diuerſa opinio de Eugenio 1019.4 *de mari Atlãtico eiusq; itinere* 879.52, 880.2 *de tribus Carolis* 78.43

Diuerſorium Albani 1170.16

Diuerſum Conſilium de procedendo contra Paulum 54.26

Diuinatio per Gallum 316,46

Diuiſio Epiſcopatuũ Hiſp. à Rege Bamba facta 979 20 *linguarũ* 28.30, 29.40 *Portugalliæ* 1062,

Diuitiæ ſemper iniqua ſuadent 1263.17

Dium oppidum à quibus extructum 1322 13 *ſæpe fruſtra obſeſſum* 1317.12 *eius deſcriptio ib.* 13 *ſub ditione* Regis *Indiæ citerioris ibid.* 19 Regi *Æthiopiæ ceãit* 1318.28, 1319.59

Dium vrbs 1348.8 *potentiſſ. & ſuperbiſſima regni Cambaiæ* 1175.7 *vrbs Cambaiæ cũ trecentis nauibus Babyloniæ Sultani occupata* 891.5

D. Iunius Syllanus Hiſpanos deuicit 930.13

Diuorum nuntios & Interpretes quos Plato vocet 808.12

D. Laurentii martyrium 1338.46

Doalis 1081.52, 1082.11

Dobbius Athaulfi interfector 324.34

Docti menſis Principum adhibendi 8. 8.32

Doctores Hiſpani per regem ipſorum conſulti 1104 58 *Iuris Coimbrienſes affectibus nimium indulgent* 1186.29.31 *quidam iuris titulo legatorum ornati* 1106.38 *Theologiæ* 1135.15

Doctrina Caluini & Zwinglii abhorretur 1075.43

Dominicani 1124.3

Domini Cæſarauguſtæ 186.13

Dominicus Calagurritanus 811.46

Dominicus de Soto ingenuarum artium columen 817.22

Dominium Gotthicũ quam late extenſum 65.31

Dominus Caſtaiſii 1148.2 *de Tãberg* 1080.58

Domus Indicæ Telonii 1184.14

Domus miſericordiæ Liſſybonenſis 1129.20 *Saigæ* 1187.16

Donatus monachus Heremitæ cuiuſdam diſcipulus 9.18 *cum ſeptuaginta monachis in Hiſpaniam commeauit* 9.21 *huic Minicea fœmina miniſtrat* 9.23 *prior monaſticæ obſeruantiæ regulam in* Hiſpaniam *adduxit* 9.24 *monumentum eius colunt incolæ regionis* 9.27

Donati ſecta in Africa 311.23

Dorius 1153.44. 1170.37 1174.15 1188.42 &c.
Dos Eccleſiæ Toletanæ 105.54
Dos Regi Fernando & vxori data à Rege Sancio 97.22.
D. Petrus & Paulus Regni cælorum Domini. &c. 1298.55
Dracontius & eius opera 5.1
Duardi Nonii epiſtola ad Albertum Archiducem Auſtriæ 1221.22. *eiuſdem præfatio ad Lectorem* 1222.29
Dubia opinio de Epiſcopatu Toletano 1020.26
Ducatus dignior Comitatu 196.41
Ducatus Mediolanenſis 1113.2 1154.14
Ducenta ſeptuaginta naues Arabum comburuntur 59.58
Duces exercitus Chriſtianorum 133.3 *qua de cauſa conſtituti* 195.49 *qualia officia adminiſtrarint iuxta varios authores* 195.56 196.1
Ducibus olim creandis carimonia quæ adhibita 198.7
Ducis Albani factum laudabile 1056.4
Duciſſa Bragancia 1103.2 1105.22 1106.44 1109.41 1117.45 1118.11 &c.
Duciſſa de Auero 1210.56
Ductores Æthiopes 1150.23
Ducum corona 745.22
D. Vincentii corpus Olyſiponem relatum 883.27 *à quo in pagum Albienſem vlterioris Galliæ deportatum* 1008.44 *mortui potentia miraculoſa* 1006.47 *templum à quo & vbi conditum* 1006.7.
Dulcidius presbyter Toletanus legatus Cordubam mittitur 424.14
Dunuenſe monaſterium 340.32
Duo capitalia in perſonarum electionibus ad dignitates aut magiſtratus requiri 1248.23
Duodecim lictores cum ſecuribus Conſules Romanos olim præibant 931.15
Duo duces Regni Cambaiæ cum exercitu & nauibus inſtructi 1321.45
Duo Eugenii 1019.6
Duo Haſdrubales 929.31 930.36
Duo Viriati 930.21 *à quibus interfecti ibid.* 25 *vterque Luſitanorum Duces fuerunt & quando ibid.* 33
Durius fluuius Hiſpan. 901.41 905.29 1062.49 & 1063.3 *aquarum mole Tagum ſuperat* 924.23 *quorum piſcium ſit ferax ibid.* 27
Durli curſus 210.18
Duum viri Conſules dicti 845.17
Dux Alanconius 1191.51 1192.33,54, &c. *Albanus exercitum Hiſpaniarum in Portugalliam ducit* 1048.13 *Albuquerquius* 1127.54 *Barcellenſis* 1088.34 1090.20 1123.26,49 &c. *Beſarienſis* 1127.56 *Brabantiæ* 1118.54 *Bragantiæ* 1104.20 1120.58 1132.25 1135.7 1140.4 1142.1, 1143.50. 1148.45 &c. *eques aurei velleris creatus* 1183.6.9 *ius ſuum, quod in ſucceſſione regni Portugalliæ prætendit ſe habere, Regi Hiſp. cedit* 1047.42.
Dux Brigantinus 1037.57 *creatur Portugalliæ Comeſtabilis* 1058.20
Dux, Comes & Gardingus maioris dignitatis perſona apud Gothos 200.48
Dux de Auero 1086.58 1088.27 *Hetruriæ magnus* 1107.12
Dux loco bipennis batillo inſtructus 1149.8 *Medinæ Cœli* 1074.1. *Sidoniæ* 1077.12 1123.23. 1127.57 &c. *Oſſunenſis* 1104.28. 1106.37 1109.25, &c. 1126.28 1128.18 1132.38 1140.13 24 &c.
Dux quem locum apud Gothos inter præcipuas Palatinorum dignitates tenuerit 195.37 *à Iuſtiniano deſcribitur* 195.38
Dynaſtia Bullonii 1225.25 *Lotharingiæ nunc eſt in dominio Vadamontanorum* 1226.11

E

E*Ba & Siſebutus Witizæ filii* 1283.29
Ebora 1062.55 1075.12 1184.37 &c. *à quibus condita* 985.46 *à quo inſtaurata* 994.26
Eboræ deſcriptio 987.34 *miraculum Vincentii quale* 1009.41 *paſſi martyres* 978.24 *ſtatus florente Imp. Romano* 994.8
Eboræ vrbis appellatio 972.35 *eius origo* 973.17 30
Ebora Emeritenſi Archiepiſcopatui attributa 979.43 *Epiſcoporum ſedes vetuſtiſſima ib.* 47. *olim Ebrim dicta* ibid. 50.
Ebora & Roma vno eodemq; tempore condita dicuntur 988.44
Eboræ ius Latii à quo conceſſum 975.26 *unde id probetur* ibid. 33
Ebora Latii iuris Municipium 975.3 *immunis à vectigalibus pendendis ibid.* 11 *alias liberalitas Iulia ibid.* 29. *ſic à Iulio Cæſare dicta* 988.56 *eidem Ius Latii ab eodem conceſſum* 989.10
Eboræ quædam monumenta 991.3 24. 44. 57 992.1 12. 29. 40.
Ebora quamdiu abſque luce Euãgelii vixerit 995.21 *quamuis Pacenſis iuris, ſuis tamẽ legibus regitur* 980.4 *quando primum à Mauris capta ibid.* 28 *quando & à quo de Mauris capta* 981.20. 32. 39. 58. *quando ad Chriſtum conuerſa* 977.48 *qua ratione Chriſtianis tradita* 982.41 *regni caput poſt Olisiponem* 989.42 *eius dignitas ibid.* 48. *rurſum Epiſcoporũ ſedes à quo conſtituta* 983.42 *metropolis quando facta ibid.* 57 *vnde dicta* 986.21. *eius mœnia à Q. Sertorio condita ibid.* 26. *commenaatio ibid.* 36
Eborenſes 1184.45 *Mancii Chriſti abſque* [illegible] *opera ad fidem Chriſtianam cõuerſi* 964.19. 977.50 *Municipes dicti* 975.52 [illegible] 994.12
Eborenſis Epiſcopatus perantiquus 978.35 *ſedes Epiſcopalis tempore Gothorum* ibid. 46

Eboren-

Eborenſium ciuium monumenta 977.10,30
Ebura in Carpetanis 308.32
Eburini populi 986.12
Eburones Galliæ gens 986.11
Ebuſus inſula ab Archiepiſcopo Tarraconenſi oppugnata & ſuperata 1257.7
Eccleſia Cordubenſis omnes Mezquitas Arabum ſuperat 147.15 *ſanctæ Leocadiæ à Siſebuto extruitur* 49.49
Eccleſiæ ſpoliantur 89.15
Eccleſiæ Toletanæ reditus 1009.57
Eccleſiarum deſtructio 66.26
Ecclipſis viſa 85.9 *Lunæ* 1119.10 *viſa in Hiſpania* 52.29
Eccleſiaſtici ad reip. gubernationem inepti 1066.41 *Luſitanici regi ſuo quot ducatos promittant nomine Contributionis* 1070.56,58
Ecdetius Comes Auiti Auguſti filius 332.23
Edicta barbara 1150.8
Edictum Eruigii Regis ad priuatos & Fiſcales 203.12 *Maurici de pellendis pauperibus* 5.15
Eduardus auus Reinutii maternus 1162.53 *Barbutus* 1344.19,1371.16 *Borgeſius* 1173.7 *Caſtelblancus* 1100.22, 1104.53, 1173.4 &c. *de Caſtro* 1155.20, 1167.36, 1204.59 &c.
Eduardus filius regis Emanuelis 1103.11 *Galuanus* 1292.48. *vbi mortuus ibid.* 56 *Lemoſius* 1175.10 *Meneſius* 1079.4 1080.55 1085.55 1087.38. *Pereira*, 1340.31 1341.58 *contra Indos in prælio cadit* 1342.6 *fortitudo & generoſa indoles* ibid.10
Eduardus XI. *Portugalliæ Rex* 1251.1266.33 *ſolus ex regibus Hiſpaniæ reſtabat ib. primog. filiũ nouo more Principem Portugalliæ vocari iuſſit ibid.* 1267.27 *vxorem habuit Leonoram Fernandi I. Arag. & Siciliæ regis filiam ibid.* 34. *liberi ex ea ibid.* 40 *fuit princeps multis animi dotibus præſtantiſſimus* 1267.5 *literatus ib.* 7 *multa triſtia eius tempore acciderunt* 1267.13 *Nabantiæ peſtis contagione obiit* ibid.29
Eduardus Sebaſtiani Caſtellæ regis patruus 1073.8
Edulius, Erminius montes 838.48
Efferre filium 1239.20
Egas Alfonſi primi Luſitaniæ Regis educator 509.13
Egica gener Eruigii Rex eligitur Gotthorum 60.47,380.6 *filium Vitizam regno præficit* 61.32 *mors Egicæ* 61.39
Egidius Munotius electus Pontifex 794.34 *abdicat* 800.57
Egidius Carrillius Toletanus Præſul 674.5,12
Egira anni id eſt Arabum 391.57
Eilo Alauenſium Comes ſuos contra regem incitat 78.2 *Ouetum vinctus ducitur* 78.5
Elbora ſex nominibus vocata ſed falſo 1014.36
Vincentii patria, Talauera 307.22
Electio Albani in imperatorem exercitus 1042.5,1111.12 *Aldefonſi in Regem* 113.44 *Antonii in regem Luſitaniæ* 1154.24
Electio & translatio Epiſcoporum 71.12
Electorum poteſtas 1251.
Eleemoſynæ pro defunctis 1304.33 1308.30
Eleonora Guſmania 667.43 *capta* 689.7 *occiditur* 689.32
Eleonora Siciliæ Regina vxor Petri Aragoniæ Regis 686.19
Eliberrinum concilium 313.7
Elipandus hæreticus in Concilio Francofordienſi condemnatur 21.11 *Toletanus Epiſcopus* 408.19
Eliſabetha Angliæ *regina* 1075.41,1191.59,1192.59 *Caſtellæ regina* 1100.37 L*uſitaniæ* Regina *Sancta* 663.58
Eliſabetha Regina *Luſit. feſtum anniuerſarium celebratum* 1094.45
Eliſeus Portugallus 1130.7
Elogium Albani 1197.51
Elua 1062.58,1122.58,1129.50,1138.26,1139.47,1146.53,1147.31,1148.11,1172.47
Eluenſes 1139.45,1147.59 *ſe Philippo dedunt* 1044.47. *priuilegio donati* 1045.31
Eluira Alfonſi regis Caſtellæ filia 959.25 *nubit Comiti S. Ægydii* 959.35
Emanuel à Vaſquogoncelos 1325.56 *Coſta Borgeſius* 1141.8 *de Ebora* 1131.21 *Fonſeca Nobrega* 1142.51,1143.47 *Limicus* 1343.14 *ſinum Cambaicum exploratum mittitur ibid.* 19 1369.4 *quã late populatur ib.* 9 *Melius* 1120.50,1125.53,1132.46,1188.53 *Meneſius* 1088.34
Emanuel XIV. *Portugalliæ* Rex 1035.11 *nauigationẽ in Indiã inſtituit, eiq; Vaſcam Gammã præficit* 880.35 *Oliſipone ſoluit ibid.* 39 *tres habuit vxores* 1247.5, 1269.50 *liberi ex iis ibidem* 52 *Eduardi nepos* 1251. &c. 1269.48 *rex ſuffectus Portugalliæ Ioanni defuncto ſine liberis* 1252. *inter feliciſſimos totius orbis Principes numeratur* 1270.52 *Caſtellæ & Legionis Principatu inauguratus ibid.* 54 *Orientis portas primus aperuit ibid.* 55 1310.38 *multas Inſulas & regna ſuo Imperio adiecit ibid.* 59. & 1271.3 1291.15 *bella & victoriæ innumeræ* 1271.4 *opulentiſſimus ib.* 6 *mare rubrum antea nunquã nauigatum penetrauit* 1287.54
Emanuel Philibertus Allobrogum Dux 1035.8 26 *Sabaudiæ Dux* 1092.53 1095.21
Emanuel Portugallus 1115.27,1122.14,1127.1 1130.27,41,1132.27,1134.55 &c.
Emanuel Quadrageſima 1068.39
Emanuel Rex *Caſtellæ* 1065.13,27,50
Emanuel Serrada 1312.21
Emanuel Soarezius 1164.38
Emanuel Soſa Paceccus 1115.30 1116.35 1118.55
Emanuel Soſa 1330 47 *Arruncenſis caſtri præfectus* 914.13 *alias Sepulueda dictus* 1551.11 *turrim D. Ioannis deiectam inſtaurat* 1363.33

Emanuel Sylnius 1153.54,1195.5,1207.5.59. 1212.24,1215.49,1216.13,1217.8,25.&c.
Emanuel Teleſius Barretus 1144.3
Emerita Vettonum metropolis 906.15
Emerita Auguſta Luſitaniæ metropolis 1001.53 1013,9 *capta ab Arabibus* 68.46 *quãtum diſtet ab Olyſipone* 949.4.21
Emeritenſe concilium 369.3,979.15
Endouellici monumenta 964.1 *eius origo dubitatur* ib.36
Eneco ſobrinus Roderici *cum* Arabibus *pugnans victus & interfectus eſt* 64.20
Enodius Ticinenſis 149.41
Enzera Chebaa & Chedale Chaay libri ab Æthiopiæ regina compoſiti 1312.5
Enricus filius nobilis Aldefonſi regnat 139.14
Epheſina ſynodus ſecunda 15.28
Epigramma Buchanani in Commentarium Teuii 1346.48 *Iacobi Menœtii Vaſconcelli in laudem L. Andreæ Reſendii* 896.11 *in Ludouicum Alchardyum* 916.26
Epigrammata portarum in urbe Toletana 59.44
Epiſcopalis ſedes Iriæ Flauiæ Compoſtellam tranſlata 1002.9
Epiſcopatum in aliquem conferre cuius ſit 1311.15
Epiſcopatuum diuiſio in Hiſpania 313.24,26,376.40..77.52
Epiſcopi Eccleſiæ Barcinenenſis 847.35,848.1 *Leodienſes Duces Bullonii appellantur* 1225.55 *Portugalenſes dicuntur Portuenſes* 1016.58, 1224.19
Epiſcopi qui Concilium Toletanum præſentia ſua ornarunt 49.5
Epiſcopi ſtolati duo locum quendã conſecrant 1140.48
Epiſcopis & Clericis ſecũdo nubere illicitũ 1304.57
Epiſcopus admonitionem iudicis contemnens quali pœna à prouinciæ ſuæ Duce afficiatur 196.13
Epiſcopus Algarbii Alfonſus Caſtelblancus 1210.9 *Coimbrienſis* 1125.52.1132.45 Guardenſis 1140.44. 1154.9, 1163.59,1166.31,1174.1, 1183.25,1184.49,&c. *Inſulæ S. Michaelis* 1186 55 *Leirienſis* 1144.2,1183.36 *Pacenſis unde dictus* 997.49 *Parmenſis* 1122.4,1140, 44 *S. Iacobi perimitur* 86.59
Epiſcopus ſpurium habens filium ab omnib. beneficiis abdicatur 1305.3 *qualis debeat eſſe* ib.7 *Viſenenſis* 1184.47,1210.49
Epiſtola L. Andreæ Reſendii ad Alfonſum Cardinalem 897.10 *ad Bartholomæum Friam Albernotium* 898.11 *ad Ædiles &c. Curiæ Eborenſis* 971.53 *ad Ioannem Vaſæum* 997.9 *ad Conradum Goclenium* 1372.40 *Arnoldi Mylii Birckmanni ad Simonem Rodericum* 892.30 *Damiani à Goes ad Iacobum Fuggerum, in qua Munſterum Hiſp. calumniantem refellit* 827.43 *ad Henricum Portugalliæ infantẽ* 878.30 *ad Petrum Bembum Cardinalem* 1319 58 *eiuſdem ad Paulum* III. *pontificem Romanum* 1288.53 *ad Ludouicum Luſitaniæ Infantem* 1328.12 *Gelaſii Papæ Romani ad Primatem Toletanum* 108.28 *mors eius* 108.39 *Ioannis Antonii Viperani ad Alfonſum Cardinalem* Rom. 1031.46 *Ioannis Papæ ad Aldefonſum* Regem 79.18 *altera eiuſdem* 79.40 *Ioannis Portugalliæ Regis ad Pontificem Clementem* VII. 1287.30 *Ioannis Teuii ad Ioannem* III. *Luſitaniæ &c.* Regem 1345.22
Epiſtola Philippi Cameralibus Liſybonenſibus porrecta eos terret 1098.37
Epitaphium Cæſaris Aug. duobus lapidibus Cordubæ adhuc durantibus inſculptum & quando 858 20 *omnem controuerſiam de anno natiuitatis Dominicæ amouet* ib.24 *Corneliæ Saloniæ Cordubæ* 855.13 *Domitii Iſquilini* Magiſtri 860 42 Iuliani *Eborenſium Epiſcopi* 979.3 *L. Lucretii Seueri Loræ pro foribus templi* 855.26 *Q. Fabii Hiſpali in vico, à ſerpente dicto* 855,32 *Sergiæ Faluinillæ* 181.47
Epithalamion Damiani *à Goes* 825.42
Equarum admirabilis conceptus è vento Fauonio in Hiſpania 805.1,881.7,502.1
Equi e vento concepti quales 913.51
Equitatus Hiſpanicus 1139.42
Equites Auiſi undenam ſic appellati 1063.46 *Chriſti Templariis ſubſtituti* 1063.48 D. *Iacobi cruce rubra utuntur* 1063.47 *Luſitani caſi qui* 1339.21, &c. 1344.41 *S. Benedicti* 1063.46
Equus præſtans Anagari *à Sancio uxori commendatus* 93.53
Eræ ratio 286.29
Eraſmus Roterodamus Lappianæ gentis miſeriam piis Magiſtratib. exponit 1313.54
Ericus Rex *Daciæ & Petrus* Infans *Portugalliæ iuuerunt Sigiſmundum Imp. aduerſus fidei hoſtes* 1248.30
Ermeingildi bellum 344.39
Ermenigildus Rex Hiſpalis 341.58
Errores erroribus cumulandi non ſunt 1095.37
Errores Eutychis 1310.26 *quando ſublati fuerint* 1298.44
Eruigii factio contra Bambam 60.7 *Comes Saracenorum claſſem in* Hiſpaniam *primum immiſiſſe fertur* 376.10 *ſucceſſor à* W*amba inſtituitur* 376.35 *Conſobrinus Cindaſuindi* 60 4 *regnum Gothicũ tyrannide occupauit* 60.17
Eſititius fluuius 835.40
Eſus carnium tempore Quadrageſimæ prohibitus 366.20
Etii patritii virtus 43.46
Euangeliſtæ quatuor 1291.51
Eucerius Franciæ Epiſcopus 3.58 *eius opuſculum de laude Eremi* 4.1
Eudo Aquitaniæ Dux 394.50 *eius filii* 402.9
Eudo exercitus Francorum Dux 168.45
Eugenii martyris corpus repertum 519.52 *refertur Toletum* 497.38,524.32

Eugenius

Eugenius Eladii diſcipulus poſt Iuſtum Pontifex creatur 11.6 *in ſacerdotio fere vndecim annis vixit* 11.14
Eugenius *Papa* Romanus 1298.36, 1300.26 *ſecundus Toletanus Epiſcopus* 361.59 *tertius* 365.38 *poſt Eugenium in Pontificatum adſcitus monachi vita delectatus eſt* 11.17 *eius libri conſcripti* 11.25 *Martyrum ſepulchris inhaſit* 11.19 *libellos Dracontii immutauit, & correxit* 11.30 *duodecim fere annis tenuit ſacerdotium* 11.35 *in baſilica S. Leocadiæ ſepultus eſt* 11.38 *Toletanus Epiſcopus* 1019.12 *virginitatem B. Mariæ contra Eluidianos defendit* 810.44
Eugipius Abbas Lucanenſis 3.34 *eius libellus de vita Seuerini monachi* 3.35
Eunemius fluuius vnde oriatur 835.42 *quare Lethes dicatur* 855.49
Eunuchus Regina *Candacis* 1300.13
Euricus Rex Gotthorum 331.24 *multa bella mouit* 46.12 *à Gizerico Rege Vandalorum muneribus donatus* 46.18 *Gotthis leges præſcribit* 46.24 *eius mors* 46.27
Europæ *reges Chriſtiani diſcordes* 1296.47
Euſebij Cæſarienſes *duo* 316.36
Euſebius *Dorolitanæ vrbis Epiſcopus* 15.25 *eius liber contra Dioſcorum hæreticum* 15.26 *in Synodo Calcedonenſi omnes* Dioſcori *errores recitat* 15.27 *ab eodem* Dioſcoro *damnatur* 15.29
Euſidius Diaconus rebus ſecularibus deditus 8.29
Euſtachius Dux Lotharingiæ 1226.20 *regnum Hieroſolymitanum oblatum accipere recuſauit* ibid.23
Eutropius Auguſtini *diſcipulus* 809.18. *Epiſcopus* ibid.22.6, 33 *eius epiſtola de monachorum diſtinctione* 6.37
Eutychianus Pontifex 305.4
Eutychius *Hiſpanus martyr* 155.26
Excitare animos monachorũ periculoſum eſt 1131.3
Excrementum Virginæ 1315.4
Excubiæ & vigiliæ arcis Dienſis quales 1353.51
Exemplar ſcriptarum legum de pace 1331.20 *à Sopharo dilaceratum* ib.23
Exemplum autoritatis ſuæ per Henricum *regem mortuum data, à Luſitaniæ gubernatoribus petitum* 1122.13
Exemplum continentiæ 857.35
Exequiæ Henrici 1042.32 In Zarcanis *cuiuſdam* 1361.33 *Sebaſtiani* 1209.47 *Sofaris* 1337.50
Exercitus compulſores quales 202.4
Exercitus Ducis Albani contra Antonium 1056.21, 1159.25, 1170.22 *Hiſpanicus* 1149.36, 1169.22. *Portugallicus* 1165.31 *Arabum repulſam obtinet* 75.45 Hiſpanicus *contra Luſitanos* 1043.49
Exercitus Hiſpanici præfecti 1054.56
Exercitus Luſitanicus contra Philippum 1044.83
Exercitus Martini Primatis Toletani 125.43 *Sophari ex quibus gentibus ſit conſtatus* 1330.3 *ſexaginta millium equitum & 10000. peditum perditus* 1069.24 *Theodoſii* Gotthos *finibus Thraciæ pepulerunt* 40.39
Exeriz & Xeriz 998.13
Eximius Arenarii Aragoniæ Comes 849.33 *Eximini nepos Aragoniæ Comes* 849.36
Exitus Dienſis ciuitatis 1344.37 *Sertorij & ſociorum eius qualis* 940.50
Expectationis feſtum quale 366.46
Expeditio Chriſtianorum in Syriam 1227.5 *Africana* 1075.58, 1076.30, &c. 1094.14, *contra* Indos 1067.4 *contra Terceras* 1181.23
Expeditio celocis Antonii Sylueiræ ad Proregem Indiæ 1322.36 *Luſitanorum in Africam ad regnum* Feſſenſe 1273.24 *in terram ſanctam* 104.29
Explorator quidam Luſitanus 1174.48
Expugnatio inſulæ Fatalis 1211.45 *Vrbis* Romæ 1114.22 *turris Belemenſis* 1151.15
Expulſio Arabum ex caſtro Riui Oppæ 137.23
Exſcenſio Gallorum *in* Inſulam S. Michaelis 1197.48
Extenſio regnorum Gotthici *& Hiſpanici* 62.18
Extrematura 1062.49, 1127.12, 54. 1182.10 *nomen vnde* 211.3
Extremutium 1048.39 *ſe dedit Philippo Regi Hiſp.* ib.43

F

F*Abius Maximus* 1169.39
Fabius Quintilianus 807.37 *eius ingenium quale* ib.48
Fabius Romuli *Dux* 190.19 Remum *morti condemnauit* 190.21
Fabritius *Columna* 1049.52
Factiones variæ 1121.9
Facultas neceſſariæ electionis, propriè liberalitatis beneficium non eſt 1251
Facultas *Theologica in vniuerſitate* Alcalana *maxime florens* 1135.12
Facundus & Primitiuus 300.43 *eorum nominibus monaſterium conditur* 424.58
Facundius Afer *Ermanenſis Eccleſiæ Epiſcopus* 4.20. *eius libri* 4.22
Faſila ſucceſſit Pelagio 71.43 *ab vrſo interfectus* 71.46 *& vxor Frolena vbi ſepulti* 401.46
Faginea Inſula *capta à Petro Toletano* 1277.5
Fatalis inſula expugnata 1210.45
Falſæ opiniones de corpore D. Vincentii 1305.1
Fama aduentus Sebaſtiani Luſitaniæ regis in Africam quid operata ſit 1077.57
Fames ingens in arce Dienſi 1363.12
Fames in Portugalia ſub Sanctio I. 1257.52 *magna in regno Legionenſi* 90.2
Familia à Caſtro nobiliſſima 1230.17
Familia Cæſarea Cornelii baptizata à Petro 1309.15
Familia Medicea 1106.27

Familia multa nobiliſſima Caſtellæ è Luſitania originem trahentes 1112.59
Familia Portugallorum 1138.9, 1165.8
Fanum Bethleemiticum *maximis ſumtib. ædificatum* 1271.33 *regum Luſitanicorum ſepulturæ dicatum* ibid.34
Farus 1062.59
Fauces freti Herculei 1064.35
Fauni tempore Troia à Græcis incendio conſumpta eſt 187.45
Faunus Pico ſuccedit 187.41
Fauſt. & Sylla iubēte Cæſare interficiũtur 194.54
Fauſtus Galliæ Regenſis urbis Epiſcopus Pelagianæ prauitati conſentit 3.43
Federicus III Romanorum *Imperator* 1266.43 *duxit Leonoram Fernãdi Ducis Viſeenſis filiam ex Luſitania ibid.*44 *Senis honorifice eam exceptam ſecum Romam ad Coronam ſuſcipiendã deducit* ibid.49
Felix Aragonius 1214.43 *Romanus Pontifex* 332.51 *Toletanus Epiſcopus* 381.20
Ferdinandi Hiſpaniæ Regis laus 865.20 *eius humanitas & clementia* 865.56, 873.47
Ferdinandi Regis ſancti gladius ad bellum defertur 773.8
Ferdinandus Aluarenzius de Toledo. 1096.25
Ferdinandus Aluarus *domus Indicæ ſcriba* 882.6 *Toletanus Dux Albæ Imperator exercitus Hiſpanici creatus* 1042,5
Ferdinandus I Honeſtus *Aragoniæ Rex* 852.32 *obiit* ibid.39
Ferdinandus I. Luſitaniæ Rex 996.41
Ferdinandus II. Catholicus, Aragoniæ Rex *& eius uxor Iſabella Caſtellæ regina* 853.2. *plura cognomina iure meruit* ib.6
Ferdinandus Balearis *Regis filius* 649.47
Ferdinandus Caſtellæ rex 811.51 *Conſtantiam Regis Luſit filiam ſibi matrimonio iungit* 955.51
Ferdinandus Caſtilleus 1101.28
Ferdinandus Caſtrius 1332.42
Ferdinandus Colonus Chriſtophori *filius* 821.46
Ferdinandus de Toleto 1128.8, 1148.21, 1196.27
Ferdinandus & Elizabeth Caſtellæ *Reges* 1290.33
Ferdinandus Farneſius 1102.30
Ferdinandus *Gundiſalui patre & auo ſuperior* 83.16 *eius bella* 83.20 *eius mors* 83.25, 87.18
Ferdinandus *Gonſaluus Caſtellæ* Comes 438.42 *& Didacus Munionis in Regem Ranimirum coniurant* 85.16 *puniuntur* 85.22 *Regi ſidelitatis iuramentum præſtant* 85.24
Ferdinandus *Henriquius* 1127.55
Ferdinandus Hiſp. Rex 810.57
Ferdinandus *in Regem* Legionis *eligitur* 98.8 *Leges confirmat Gotthicas* 98.11 *eius liberi* 98.15
Ferdinandus *Ioannis primi filius* 731.44 *fit* Rex *Aragonius* 782.42
Ferdinandus Legionis rex 1229.6
Ferdinandus Norugnia 1047.40. 1144.59. 1145.1, 1186.28
Ferdinandus *Nunezius* Barretus 1173.44
Ferdin. *Pina* 1039.40, 1131.45, *eius mors* 1132.12
Ferdinandus *Pintianus Græcarum literarum Salmanticæ Profeſſor* 901.23
Ferdinandus primus Caſtellæ *Rex* 455.15 *Legionenſis Rex proclamatur* 456.18 *quartus* 641.26
Ferdinandus *Pulgaris* 813.19
Ferdinandus *Rex Hiſpaniæ* 868.25. *Granatenſi urbe potitur* 875.48
Ferdinandus *rex Catholicus Caſtellæ* 1064.48, 755
Ferdinandus *Rex ſanctus* 565.35
Ferdinandus Roizius *Mentellus Auiſenſium militiæ magiſter* 984.18
Ferdinandus *Syluius* 1094.45, 1125.4, 29
Ferdinandus *Toletanus* 1167.50, 1169.31
Feritas hominum beluina 1188.9
Feria dies Iouis 1078.16
Fernandi *prælia cum Mauris commiſſa* 144.36 *multa oppida Arabum deuaſtat* 144.43
Fernandus *Caruallus* 1333.1, 1337.1, 1351.50, 1354.7, 1359.52 *quoſdam ad hoſtium conſilia exploranda mittit* ib.9
Fernandus *Caſtrus* 1360.38, 1363.57, *virtutis ſpecimen edit* 1360.40 *magnitudo animi eius in periculis ſuſtinendis ibid.* 59. *ad milites adhortatio* 1364.3 *cum ſeptem nauibus in arcem Dium excipitur* 1353.38 *ſuſpectum locum defendit* 1359.1 *ruina turris S. Iohannis peremptus* 1364.42 *mors eius omnibus luctuoſa ibid.* 43 *virtus & prudentia eius* ibid.46
Fernandus Filius *Eduardi Portugaliæ regis* 1266.35 *Dux Viſeenſis, & militiarum* Chriſti *& Sancti Iacobi Magiſter ibid.*36 *uxorem duxit patrui filiam ib.*37 *liberi quos ſuſcepit ib.*39
Ferdinandus filius Iohannis Aragoniæ regis 1242.1 *Eduardo fratri funeſtam in Tingim Mauritaniæ expeditionem perſuaſit ib.*9 *obſes Mauritanis datus, ib.*12. *in captiuitate & mœrore apud Saracenos perit* ib.16
Fernandus Fil. *Petri Ducis Conimbric.* 1265.32 *Magiſter militiæ Auienſis ordinis Ciſtercienſis ib.*33 *Obſes datus Sarracenis ib.*34. *merito inter martyres referendus* ib.38
Fernandus I. *Catholicus* 1244.43 *Granatam expugnauit ib.*44 Aragoniæ *regni eius nominis II. ib.*45 *multarum prouinciarum rex* 1244.53
Fernandus *Lupus Regius hiſtoriographus* 1235.2
Fernandus Monterius primus Auiſii magiſter creatus 1230.55
Fernãdus nepos Mathildis Portug. Infans & Comes Flandriæ 1255.55, 1229.40, 1241.56. *veræ religionis exemplar ib. & in bello, captus* 1229.42, *liberatus tandem multa præclare geſſit ib.*51 *calculi cruciatu obit* ib.53

Ferdinan-

Ferdinandus IX. Portugalliæ rex 1262.40. *vxor Leonora & liberi ib.d.* 48. *contentio cum Henrico de Caſtellæ regno* 1263.18. *aſſecla contra Henricum ibid.* 10. *formâ eximiâ fuit ibid.* 22. *moribus ſuauiſſimis ibid.* 23. *vltra modum liberalis ibid.* 25. *pie obiit Olyſipone* 1263.33
Fernandus Sanctii I. Portugalliæ regis filius 1256.51. *vxor eius Ioanna Balduini regis Hieroſolymitani filia ibid.* 52. *captus in prælio apud Bouinas ibid.* 53. *tandem liberatus Nouiomi moritur* ibid 57
Fernandus Taidius, Leirienſis arcis præfectus 1249.18. *ſpontè Alfonſum quod recepiſſet, odium nobilium incurrit* ibid. 20.
Ferrandus Carthaginienſis eccleſiæ Diaconus 35.15.39. *Pelagium & Anatolium Romanos Diaconos de damnandis licentia conſuluit* 15.41
Ferraria promontorium quantum diſtet ab inſula Ebuſo 838.50
Feſſa 1068.54, 1075.35, 1078.14, 1088.36
Feſſenſes reges ex qua familia Saracenorum 1237.9
Feſtum candelarum 1304,2 *Paſchatis à noſtris de hoſtium clade latum miris gaudiis celebratum* 1332.37
Fides & lex Aethiopum 1303.40
Fides teſtimoniorum & teſtium ex quibus conſtet 124[illegible].28
Filaſtrius Brixienſis Epiſcopus 14.50 *eius ſcripta de hæreſibus quibuſcunq.* 14,51
Filia Ducis Bragantiæ 1111.56
Filii Fernandi regis Caſtellæ 144.26 *Hiſtaſpis ab Ancyro rege Gotthorum ſuperati* 33,30.36, 16 *ab aliquibus vitati* 33.31 *illorum opera* 33.33 & 34. *illorum habitatio* 33.36 *ferocitas & contra* 33.39 *omnibus fuerunt terrori* 33.43 *neceſſitate belli requirente vires precibus prætulere* 33.49 *commendatio illorum* 33.51 *Vegilæ profugi* 90.56 *Vrraca regina & Comitis Barcinonæ* 95.34
Fines Gallitiæ 1127,52 *Hiſpaniæ* 1156.36 *Luſitaniæ* 1133.53, 1172.51 *regni Portugallici* 1062.45
Finis gloriæ Gotthicæ 65.12. *prælii ad Dium geſti* 1371.57
Finis qualiſnam auctorem ad hiſtoriam Portugallicam ſcribendam mouerit 1059.10
Fiſcus regis Caſtellæ per Iudæos baptizatos non parum ditatus 1065.13
Flagitia multa impunè commiſſa 1149.56
Flamen ſacerdos qualis Eboræ 976.19
Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus 15.27
Flauii prænomine vtuntur Gotthorum reges 355.2.1025,55.1026,1
Flauius Clemens Conſularis & vxor Domicilla martyres 297,12
Flectius Conimbricæ Præfectus pro Sanctio Capello 598,12.1018,28
Florianus Ocampius hiſtoricus 818.42
Florus poeta 808.27
Flumen rapidiſſimum Durius 1174.25
Flumina Mæotis & Boſphorus gelu ſolidantur 28,48
Fluuii ad motum Lunæ creſcentes & decreſcentes 1082,12 *regnum Portugalliæ complures interluunt* 1063,2
Fluuius Vacus 838.14
Focatus Romanorum princeps 5,45
Fœdus Mamudii cum Noronha qualiter initum 1330,44 *à quo violatum* 1351,18 *regis Aldephonſi cum rege Legionenſi renouatum* 137,35 *variorum regum contra Caſtellæ regem* 541,29
Fœminæ à viris relictæ armis excelluerunt 33,26 *earum facta* 33,28 *in Gallia, Anglia, Luſitania regnant* 1114,46 *ſexus oblitæ belli partem cum viris capeſſunt* 1361,39
Fœminarum religio inconſulta 1014,4. *virtus* 1361,34.&c.
Ferales leges 1227,29
Forma iudicii noua & inaudita 1181,43
Formula adminiſtrationis officii Defenſoris 202,46 *Comitiua ex Caſſiodoro* 197,16 *Comitiua ſacrarum largitionum ex Caſſiodoro* 200,27 *defenſoris ciuitatis ex Caſſiodoro* 202,52 *Notariorum* 198,40
Fortuna Antonium fugientem adimere viſa 1178,20
Fortunius Garſia Azenari filius, vltimus Aragoniæ Comes 849,43
Fortunius Suprarbienſium rex 848,52
Fortunius II. vltimus Suprarb. rex 849,17 *monaſtica vita obſtrictus regnum abdicat ibid.* 20
Forum iudicum 360,42 *Suprarbis* 428,52
Fragmenta Hiſtoriæ Raimberti Epiſcopi Verdunenſis 1225,31
Franci, Salii aut Salici dicti 320,24
Franciciæ regiones quæ 1292,13
Franciſcani 1124,7
Franciſcus quo tempore vixerit 1257,25 *nouum monachorum ordinem inſtituit ibid.* 26
Franciſcus de Alana 1128,8.1165,41.&c.1053,27.1055,2.1043,31
Franciſcus Aldana 1072,31.1081,8
Franciſcus Almeida & alii animam exhalant 1368,1. 1142,37.1338,20.1285,31 *interfectus ibid.* 33
Franciſcus Aluarez 1285,48.1292,45.1293,20.1312,25. *eius opera & quid in eis deſcribat ibid.* 50.&c. *regis Aethiopiæ orator* 1288,14
Franciſci Aluari oratio ad Papam 1301,6
D. Franciſcus Aſſinas venit in Hiſpaniam 568,15,17
Franciſcus Barretus & Petrus Dorus Luſitanorum legati ad regem Galliæ 1041,51.1051,14
Franciſcus Barretus 1130.3, 1194.32, 1154.41

Digitized by Google

Franciſcus Borgius Gandiæ Dux 814.35 eius opera ibid.44
Franciſcus Bouadiglia 1214.41.&c.
Franciſcus Comes Vimioſius 1041.8,1115.55, 1243.17 atnepos fuit Alphonſi I. Brachantiæ Ducis id.18
Franciſcus Galliarum rex 813.3
Franciſcus I. Galliæ rex 1092.22
Franciſcus Guillermus 1340.43
Franciſcus magnus Hetruriæ Dux 1128.1
Franciſcus Maſcaregnas 1151.36
Franciſcus Melius 1071.5
Franciſcus Meneſius 1340.22,1340.53,1367.3, 1142.21,1144.3
Franciſcus Philelphus 813.31
Franciſcus Portugallus 1144.35,1204.29
Franciſcus Rades lib. de militia Calatrauenſi ſcripſit 1230.21
Franciſcus Suniga 1127.56
Franciſcus Sala 1075.16,1091.18,1110.35, 1186.27
Franciſcus de Tauara 1072.54,1076.11,1077.7, 1083,17,1084.57,1086.41
Franciſcus Tedaldus 1182.15
Franciſcus, Celius & Didacus Soſa Antonio nomen regis aſſumere diſſuadent 1046.34
Franciſcus Valeſius 1191.51
Franciſcus Vergara græcæ linguæ Doctor Complutenſis 817.58
Franciſcus Victoria Theologiæ ornamentum 817.4
Franciſcus Villafagna 1181.27
Frantæ Sueuorum rex 158.9,330.11
Frater Antonius Garda 1139.1 Iacobus Chiaueſius 1424.1 Ioſephus Teixera 1240.2 eius amara inſectatio ib.10
Frater in bello Sertorii à fratre occiſus 278.14
Fratinus Architectus Italus 1141.31
Fratres Abdalæ duo ad imperatorem Turcarum confugientes 1069 6
Fredegundis regis pellex 341.36
Fredenandus Nonius Pintianus 816.49
Fretum Gaditanum vnde nomen habet 28.51
Fretum Herculeum 1064.35
Fridigernus ſocios ſuos ad necem Romanorum inſtigat. 40.10 Theſſaliam deprædatus 40.40
Froila ſecundus 431.15 Alphonſi Catholici frater 403.45 filius 404.52 regnum poſt mortem Aldefonſi occupat 82.26 eius vxor & liberi 82.28 lepra percuſſus ib.33 moritur ib.34 regnum occupare cupiens interficitur 77.58 parenti in regno occupando ſuccedit 72.20. Oueti Eccleſiam Cathedralem facit ibid.21 bellum geſſit contra Ducem Cordubenſem 72.27 deuincit & interficit 72.28 parricida interficitur ib.35
Fructuoſi vita 365.1 fit Bracarenſis Epiſcopus 366.55
Fructus à Goes 1291.38
Fructus Portugalliæ 1063.40
Fridericus I. Siciliæ rex 638.21 moritur 674,22 eius cippus ib.24 alter dictus Simplex 697.21
Fridericus frater Petri Caſtellæ regis ab eo occiditur 701.12 magiſter Diui Iacobi erat 699,50
Frodoarius Accitanus Epiſcopus 168.49
Frumarius Sueuorum rex 158.11
Fruſta pretioſarum rerum per Antonium ablatarum inuenta 1178.16
Fuga Antonii 1165.10 Comitis Nunii cum rege Aldefonſo adhuc puero in Atentiam 120.55 Ducis Brigantini 1047.30 Epiſcopi Igaditanienſis 1057.22 Gubernatorum 1129.50 Luſitanorum 1076.51,1165,7,1190,48 Mahumetanorum 1344.33 mercatorum Dienſium 1321.36 Prioris Cratenſis 1177.41 1178.18
Fulgentius Afer Ruſpenſis eccleſiæ epiſcopus 3.40 eius opera & ſcripta aduerſus Fauſtum Galliæ Regienſis vrbis epiſcopum 3.43 Diui Iſidori frater 327,54
Fulmen Iouis triſpiſulcum 808.53
Fulminatrix legio 299.49
Fundatio eccleſiæ Toletanæ 145.6
Furtiuum connubium Semenæ cum Comite Sancio 73.52 Vrracæ reginæ cum Comite Germiſio 113.3

G

Gabra fluuius 1285.24
Gabriel Pachequus 1326.3
Gadaric rex Gotthorum 32.45 multos populos ſibi ſubiecit 32.46
Gades vulgo Caliz 1033.30,1077.12,1078.7, Erythrea dicta 215.54 Phœnicum Colonia 807.21
Gaditanum fretum vnde 209.6
Gaya 1175.15
Galba imperator 807.40
Galea, qua Carolus Quintus Tunetum victor ingreſſus eſt 1085.17
Galindus Aragoniæ Comes 849.27 Cercitenſe cœnobium ſuis opibus extruit ib.30
Galitia 1062.46,1063.16,1127.52,&c
Gallecum vicus 883.54
Galleci percepta diſſenſione Caſtellanorum & Legionenſium ſe contra regem rebellari declarant 85.58 pœnas luunt rebellationis 86.1
Galli 1113.8,37,46.1154.20,1184.55 condiderunt Portugalliæ regnum 210.45 Senones Romam inuadentes totam excepto capitolio incendunt 191.29 mille libras auri pro quolibet redimendo ſtatuunt 191.31 ex inſula Fagimea victi diſcedunt 1277.8 nobiles ſuos decollatos

collatos eſſe ægerrimè ferunt 1208.6
Gallia 1063.16.1114.59.1173.57.1177.54.1181.1.&c. ad res nouas inclinat 1169.56
Galliæ, Italiæ, & Hiſp. principes ad bellum ſacrum proficiſcuntur 491.41
Gallina vna aureis ducatis decem venundata 1338.27,1363.13
Gallorum auxilia Antonio miſſa 1056.18
Gallus & Voluſianus Imperatores Romanorum 37.46 pugna eorum cum Gothis 38.2
Galſuinda & Brunechildis ſorores 341.23
Gama 1141.19
Gargaris rex 219.56,220.30
Garſeanus rex 16.42
Garſias Abarca Aragoniæ rex 849.59 Aznari Aragoniæ Comes 849.39 Enecus rex Nauarræ 428.57 Enechonis rex Nauarræ ſecundus 91.29 occiditur 91.32 Eximini Dux genere Gothus, Suprarbienſium primus rex 848.37
Gardingus Duci & Comiti ordine ſubiungitur 200.47 eius officium quale ibid.55
Garſias Fernandus Caſtellæ Comes 441.16
Garſias filius regis ſuſpectus coniurationis capitur 80.27 reginæ matri adulterii crimen imponit 452.42.44
Garſias Hiſpalenſis 812.19 Hiſpanus ſcribit in epiſtolas decretales 637.36 Iunici I. Suprarbiæ rex 848.46 Innici ſecundus Suprarbiæ rex 849.11 Loyſa Cardinalis 310.45
Garcias Noronia Indiæ Prorex 1348.2.1351.2
Garſias rex Caſtellæ creatus 93.16 matrimonium eius cum ſorore Veremundi 93.17 poſtremus Caſtellæ Comes occiditur 451.27 Vargas Toletanus 593.20 Garſia Laurentio promittitur Villa Tabulata 139.29 Sarmentus Sotomator dominus Saluaterræ 1042.18 Semenus primus rex Nauarræ 428.44
Garſias à patre Rex creatur 80.37 prælium eius cum Aiola Rege Arabum 80.53 eius obitus 80.57 Thalaſſiarcha 1097.5 Cardena 1139.47
Garſias Tremuloſus dictus rex eligitur 92.7 eius geſta 92.9 eius mors 92.13 ſecundus Tremulus & Abarca dictus, Aragoniæ Rex 850.7
Gaſsijs vrbs regni Cambaiæ 1374.26
Gaſpar Brittus 1044.33.1139.8.39
Fonſeca 1127.52
Quiroga 1096.24
Portocarrerus Comes Montis Regii 1042.17
Gaudium Meilech ſuper tabulis fœderis Dei 1306.24
Gaufredus monachus hiſtoricus 474.48
Gauli nauigii genus 1374.12
Gebel mons vnde dictus 64.17
Genealogia Flauini Calui 82.47 Regum Aragoniæ 94.46 Regum Portugalliæ 1091.38
Generatio Iaphet & eorum habitatio 28.57,29.1
Genethliacum Petri Nannii in Emanuelem, Damiani à Goes filium 826.44
Geniceri alias Rhomæi dicti 1320.18 & alii occiſi copiæ Turcicæ ſufficiuntur 1326.13
Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis 365.17
Genſericus Vandalus 326.10
Gentes æthereæ crediti Hiſpani ab Indis 1283.36 in inſula Scandia cum aliis gentibus pelles Sapphyrinas commercantur 32.33
Gentiles cur immundi 1309.26
Gennenſibus datur vas ſmaragdeum 548.36
Georgiana turris 1351.46 ab Antonio Paſanna defenditur ib.47
Georgius Almeda 1075.15,1107.48,1110.34
Dalencaſtrius 1083.21,1099.26
Dataidus 1184.47
Meneſius 1051.47,1127.2,1149.35 1153.37,1158.27
Paſſanus 1138.31
Serranus 1089.46
Vaſcogoncellus litteras Cambaicum explorare iubetur 1332.43
Gerabrica nunc Alanquera opidum 1257.24
Germani 1113.7,1128.8,1154.14,&c. haſtati 1167.15, mortui 1188.36 proceri 170.51 Setubalam miſſi 1170.42
Germania 1063.17,1114.59,1130.7
Germanus Epiſcopus Capuanenſis Papæ legatus 140.58
Gerontius Epiſcopus inſania correptus 8.24
Gerundenſe Concilium 335.37
Gerundenſis Epiſcopus hiſtoricus 822.36
Geryon potens opibus princeps Heſperiæ 30.27 victus & occiſus ab Hercule 30.38
Geryones 214.26,215.52
Geſaleicus Rex 334.36
Geſta Hiſpanorum multis verborum ampullis narrata 1113.26
Giaua minor & maior 1065.44
Gibarota 1173.20
Gibel terra 1123.13
Giennium, Aurigis olim 251.17
Gilbertus Gallus, poſt pontifex creatus Romanus, Syluester II. dicitur 810.21
Gilimer regnum Vandalorum vi occupat 156.45 cum fratribus funditur 156.55 à Beliſario capitur 156.57
Gilimeris poſtremus Vandalorum Rex 338.36
Gillonaris quales apud Gothos 204.15
Giraldus Impauidus 981.48,982.8 in Chriſtianos hoſtiles incurſiones facit 982.21 Eboram capit 983.2,30
Giſaleicus Enrici filius ex concubina Alarico ſuccedit 46.38 in prælio vincitur ibid.40

imperio priuatus moritur 46.46
Giſericus Vandalorum rex 1026.15 *fit Arianus* 154.52 *in Aphricam transfretat* 154.57 *eius tempore Auguſtinus Hippona Epiſcopus moritur* 154.58 *Carthaginem dolo inuadit* 155.9 *Chriſtianos perſequitur* 155.14 *Siciliam affligit* 155.32 *Romam per quatuordecim dies diſpoliat* 155.52 *Leone Papa intercedente ab vrbis Romanæ incendio abſtinet* 155.50 *Panormum vrbem regiam Siciliæ obſedit* 155.23 *eius mors* 156.11
Glierena 1125.37
Gloria Albani 1169.35,1171.16
Gniua rex Gotthorum 37.32
Gnoſticorum ſecta 299,17
Goa 1065.32
Goa diſtitus à Dio 1322.37
Godeffredus Barbatus 1225,24 *Comes Louanienſis* 1226.7 *Bullonius* 1225.25 *Ducatum Lotharingiæ ex hæreditate adeptus ibid.*29 *Gibbertus* 1225.23 *eius ex Raimberto Epiſcopo hiſtoria ibid.*33.*&c.*
Godeffredus rex Hieroſolymitanus 1226.48 *vita functus ibid.*
Goeſa inſula Zelandorum frumenti ferax 824.47
Gole:a 1069.19,1106.57,1114,44
Gonſaluus Viega militiæ præfectus 1005.56
Gonſaluus eo nomine primus Toletanus Epiſcopus 538.47
Goſuinda regina 343.2
Goſtauus Suetiæ & Gothiæ rex 1314.9 *ab Eccleſia Romana diſſenſit ibid.*11
Gotthi an ſint Getæ 321.50 *eorum mores & origo ibid.*49,32.15,33.16 *vnde dicti* 945.3
Gotthi & Alani à quo Gotalanici populi dicti, nunc Catalani 842.48 *fide Chriſtiana ſuſcepta Eccleſias condiderunt & ſacerdotes Euangelicos habuerunt* 39.31 *à Valente Ariano ad ſuam hæreſin conuerſi* 39.40 *eorum fides de Trinitate Dei* 39.42 *cum ſuis regibus ab Hunnis ſunt coacti exulare* 39.56 *fame laborant* 40.1 *filios ſuos vendunt* 40.5 *à fame liberantur* 40.12
Gotthi fœdus initum rumpunt 37.12 *caput Oppii Sabini abſciderunt & Romanorum ditiones deuaſtarunt* 37.14 *eorum pugna cum Romanis & victoria* 37.20 *proceres ſuos Semideos vocauerunt* 37.21 *Imperium eorum & reges* 37.26 *pugna cum Decio* 37.30 *contra Romanos bella reſtaurant* 38.23 *euerſa vrbe Roma receſſerunt* 42,10 *naufragium patiuntur* 42.14 *Romanorum imperio ſe ſubiecerunt* 40.59 *dicti ſunt Fœderati* 41.1 *Macedoniam vaſtant* 36.42 *moribus regebantur* 46.24 *regem occiſum ſpectantibus inimicis ſepelierunt* 44.37 *varias regiones peragrauerunt* 33.1 *Scythiam ſibi ſubiecerunt* 33.2 *Scythæ ſunt vocati* 33.3 *Gotthorum imperium in Scythas* 33.4 *Vandalos ſibi ſubiecerunt* 32.40 *ſuperiores Gallis* 54.37 *varia vaſtauere oppida* 37.54
Gotthica precandi ratio 463.4 *abrogatur* 485.24
Gotthicarum dignitatum & officiorum ſeries 204.28
Gotthici characteres mutati 482.36 *nummi aurei* 855.40
Gotthiſcandia 32.30
Gotthorum clementia Romanis exhibita 41.47 *fortitudo* 56.55 *eorum Philoſophi & ſtudia* 34.13 *prælium & victoria ibid.*40.36.20.37.52.*ſtrenuitas deficit* 62.16 *victoria* 40.16
Græci ab Eliſa filio ſuam originem traxerunt 29.6
Graculi perfidia 53,47.60,2
Granata 1081.53 *olim Eliberris* 211.59 *oppidum Illiberitanæ diœceſeos* 1001.56 *pontificia dignitate ornata* 1002.1 *eius regni initium* 586.38 *regi Ferdinando tradita proclamatur* 876.15
Granatenſe bellum 810.56
Gratianus à Naronha hoſtes inſequitur 1327.52 *in locum Nonii à Cunha ſuffectus* 1324.10.*&c.*
Gratianus Imp. Theodoſium Hiſp. orientis imperio præficit 40.42 *Valentinianum fratrem Rom. imperio ſubrogat ibid.*34 *pugnat cum exercitu Fridigerni, & victoriam obtinet ibi.*43 *pacem init cum Athanarico ib.*46
Gregorii libri reperiuntur 51.39
Gregorii Magni & Leandri amicitia 345,37
Gregorius Baticus Theologus 808.57
Gregorius & Auguſtinus Taio apparuerunt 51.30
Gregorius Eliberitanus Epiſcopus 1.38.& 39 *eius oratio ad Chriſtum* 1.44.& 45.16.5
Gregorius Papa Romanus 5.22 *eius laus* 5.23. *eius opera* 5.25 *eius mors* 5.45
Gregorius 1. *pontifex maximus Commentarium in Iobum edidit* 810.37 *ſeptimus* 470.44 *nonus* 568.20 *decimus* 610.42 *vndecimus* 721.37 *duodecimus* 796.32 XIII. 1050.4 1075.44.1222.8
Griſpi mons 838.51
Griſium monaſterium 1174.31
Guadalquibir fluuius vnde nomen acceperit 854,6
Guadalupum 1062.20,1069.56,1070.10,1125.30.52,1132.46
Guadaxoz flumen ſalſum olim 284.18
Guarda 1062.58
Gubernator Diepenſium Schartefius 1213.28
Gubernatores Luſitaniæ 1120.15,1122.11,1123.3,1125.53,1126.34.51,1129.55.1131.1.*&c.* *à Duce Metymnæ Sidoniæ humaniſſimè excepti* 1047.28 *Philippum regem creant ib.*37
Gubernatores poſt Henrici obitum in regno Portugalliæ electi 1252. *regni Portugalliæ* 1039.37 *Portugalliam regendam ſuſcipiunt* 1041.34

Gubernatorum fuga 1047.26

Gudila docuit Gotthos fidem Chriſtianam 39.29

Guicciardinus hiſtoricus 1226.8

Guido Comes Vernolienſis & Brianenſis 1254.51 *pater Henrici Portugalliæ Comitis ibid.*52 *vxor eius Ioanna Ducis Burgundiæ filia ib.*57

Guillelmi Nangiaci turpe de Chriſto teſtimonium 555.55

Guillelmus Baro Iainuillæ 1226.12,1227.4

Guillelmus cognomento Nothus, ſeptimus Neuſtriæ Dux 474.8

Guillelmus Conſalui Galleciæ Comes occiditur 89.3

Guillelmus rex Siciliæ 92.35

Guillelmus Tyri Archiepiſcopus bellum ſacrum ſcripſit 1225.50

Guimanares antiquis Araduca 508.57

Guilielmus Naſſonius 1072.50

Gundebaldus Burgundionum rex 334.43

Gundemarus rex 10.37 *ſucceſſor Victerici* 49.27 *obiit* 49.28

Gundericus Vandalus 323.5 *Toletanus Epiſcopus* 382.18.53

Gundericus Vandalorum rex 154.26 *Carthaginem ciſmarinam delevit* 154.34 *ob irreuerentiam erga ſacra dæmone correptus interit* 154.42

Gundila Archidiaconus S. Mariæ 375.19

Gundiſaluus Archidiaconus Ouetenſis 421.1

Stephanus Caruœrus Eborenſium militum ſignifer 984.41

Guſtius Gonſaluus 432.6

Gutamundus Vandalorum rex pacem cum Chriſtianis facit 156.32

Gutterius præceptor maior Equitum Iacobenſium 874.12

Gutis rex Oſtrogotthorum filiam Eurici & Amalaſuintæ rapit 150.30 *Romam obſidet ib.*33. *à Beleſario victus & à Ioanne equitum magiſtro captus* 150.43 *eius mors ib.*47

Guzarates qui dicti 1317.36 *& Bragiuauta* 1354.47 *ex genere Calonum* 1363.38 *quidã ad Maſcarennam ducitur ib.*42 *regem Patanæ cum ingenti exercitu in Cambaiam venire nunciat* 1363.43 *eorum prouincia* 1369,12

Guyſius 1209.21

Gygis annulus prouerb. 1240.42

H

HAbidis *Tarteſſiorum rex* 220.50

Habitatio filiorum Noe 28.37

Habitatio Plinii & Scolpythi iuuenum regio ſtemmate ortorũ 34.51 *vterq; occiſi cum aliis* 34.54

Habitatores Hiſpaniæ *occiduntur* 66.31 *ſubiecti Arabibus* 66.34

Hadrianus Imperator Hiſpaniam diuidit in ſex prouincias 298.45

Hadrianus VI. Caroli V. præceptor 814.23

Heredes poſſeſſoris vltimi in regno ſuccedunt 1103.6

Heretici puniuntur 129.56

Hali Boace vnus rex Marrochiorum & Abenamarin 1237.12 *communis omnium Hiſpaniæ regum hoſtis* 1237.29 *Tariſam obſidet ibid.* 33

Haly rex Malacæ creatur 183.5 *prælium cum barbariis & Cordubenſibus committit* 183.11 *victoriam reportat ab illis* 183.12 *Zuleman cum patre & fratre eius, propria manu interficit ib.*15 *prælium committit cum* Hayram 183.40 *victoriam obtinet ibid. ab Eunuchis interficitur* 183.47 *eius interfectores duo occiduntur* 183.55

Hametus fratri victoriam obtentam nunciaturus, eum mortuum eſſe certior fit 1088.6

Hannibal ex gente Pœnorum Dux Luſitanorum 911.30 *Dux Carthaginienſium* 929.18 *viriatus dicitur* 930.38 *eum poſſe ſuperari à M. Marcello docetur* 856.32

Hanno Pœnorum dux 879.46 *eius nauigatio* 232.42

Harum vrbis fundator 323.1,532.1

Haſdrubal Giſgonis *in Luſitaniam venit* 929.38

Haſdrubal Hannibalis *frater* 929.28 *noua Carthaginis conditor* 928.21 *interfectus* 929.17

Haſtilium vſus Tranſtagnorum eſt 911.39

Hayram cum filio Domini Cæſarauguſtæ contra Haly *rebellat* 183.28 *mittit Abderramen Almortada ad regnum promouere* 183.58

Hebræa lingua à quibus in Hiſpaniam *inuecta & qui ibidem floruerit* 810.16

Hector à Syluetrà 1320.34

Hector Silueria 1377.32

Hector Pinà 1185.55

Helladius Toletanus epiſcopus 359.12 *in Auraſii locum ſufficitur* 9.49 *regiæ aulæ publicarumque rerum extitit rector* 9.50 *eius humilitas ib.*56 *miſerationes Eleemoſynarumq; copias largè in egenos contulit* 10.5.6 *ſenior obiit ib.*9 *decem & octo annis tenuit regimen ib.*10 *beatus habitus fuit ib.*11

Helena Dauidis AEthiopiæ regis auia 1291.29 *eius literæ ad Emanuelem Luſitaniæ regem ib.* 45

Helenæ raptus 31.58

Helena vxor Æthiopiæ Imperatoris 1312.1 *regnorum ſceptrum cur ſuſceperit ib.*3 *eius ſcripta ibid.*4

Helua Celtarum vrbs 962.41 *alias* Alba *dicta ib.*43 *Epiſcopalem dignitatem adepta ib.*47 *in ea plurima Rom. monumenta ib.*57,963.52.14.20

Henricus Alfonſi I. pater 1225.2 *duxit Taraſiam filiam* Alphonſi *VI. ib.*3 *dotis nomine ceſſit ei Portugalliæ comitatus ibid.*

Henricus Bonnenſis patria, inter ſanctos numeratur 883.24

Henricus Cardinalis 1089.41,1143.19 *Emanuel*

regis Luſitaniæ Fil. 1270.30. eius per gradus ad ſummos honores aſcenſus ib.33 1252. Sebaſtiano in regno Portugalliæ ſuccedit ibid. ſine liberis moritur ibid. 1247.52 patruus regis Sebaſtiani magnus 1067.54, 1068.6, 1075.10 Sebaſtiani pupilli tutor, & regni Luſitanici gubernator 1272.45 regnum Portugalliæ capeſſit 1034.32 Portugalliæ infans, primus Eborenſium Archiepiſcopus 983.58 qua occaſione Portugalliæ poſſeſſionem adeptus 1255.4 uxor eius Taraſis Alfonſi filia notha ibid.4 Luſitaniæ rex quo corpore fuerit 1119.24 conſilii inops 1186.16 in maraſmum incidit 1273.4 fato concedit ib.6. eius proſopographia ib.8. virtutum & bene geſtorum commemoratio ibid.10. & 20 collegium Societatis Ieſu Eboræ inſtituit ibid.32. 995,54 Sacerdotum mores licenti-ſos freno cohibuit ib.30 varia templa extrui curauit 996.1

Henricus XVII. Portugalliæ rex 1274.3 de ſucceſſore in regno controuerſias audit ib.20 Comitia Almeirini Competitoribus regni indicit ibid.47. in quibus ſuum aperit animum ibid.49 regnum illi non in gloriam, ſed pœnam datum videtur ibid.56 rex conſentiente Papa, monachis ordinis S. Hieronymi ſolitam eripit libertatem 1131.18 uxorem velle ducere dicitur, petita ad id Pontificis permiſſione 1038.6 eius mors 1039.35 in partes Duciſſæ Bragantiæ inclinat 1184.30

Henricus Portugalliæ rex 1247.50 tempus natiuitatis eius ibid.51 ingens de ſucceſſore ei deſignando contentio procerum 1248.4 mortuus Belemum deportatur 1122.23

Henricus rex Portugalliæ I. Princeps inuictus & toto orbe celebris 1227.17

Henricus primus Caſtellæ rex 561.21 ſecundus 708.30 tertius 747.29 quartus 1242.48 uxor Ioanna filia regis Eduardi 1242.50.

Henricus rex Caſtellæ nothus 1060.35 petita ad id Pontificis permiſſione, uxorem ducere velle dicitur 1099.43

Henricus Comes Lotharingiæ eccleſias cathedrales à Sarracenis dirutas reſtituit 1255.15 ampliſſimisq; cenſibus ditauit ibid.16 moritur Aſturicæ ibid.17

Henricus Dux Viſeenſis F. Petri Conimbric. Ducis 1265.7 Magiſter militiæ Ieſu Chriſti ibid.8. in Septenſi expugnatione virtus eius enituit ibid.9 Geographiæ ſtudioſiſſimus ibid.10

Henricus Ferdinandi Arragonii regis filius 775.12

Henricus Guzmannus 1148.40

Henricus II. Galliæ rex 1093.9. tertius 1093.28, 1191.51, 1209.21

Henricus Ioannis I. regis Luſitaniæ filius 1290.23 eius vita ib.16. &c. mors ibid.28

Henricus Lemburgenſis 1226.44 partes Henrici IV. contra filium ſecutus ibid.47 Dux Lotharingiæ propterea effectus ibid.48. ab Henrico V. victore eodem ducatu ſpoliatus ibid.50 Comes Lemburgenſis à Frederico I. Imp. creatus ibid.51

Henricus Lotaringius Portugalliæ Comes 485.34

Henricus Luſitaniæ princeps 978.17

Henricus Luſitani filius Africæ littora explorat 790.45

Henricus nepos Raymundi Toloſatis Comitis 882.42 eius uxor & liberi ibid.49 eius filius Alfonſus quinque reges Mauros in campis Oricienſibus deuicit ibid.52 idem Chriſtum in aere cruci affixum conſpexiſſe fingitur ibid.59

Henricus Pereira ſuſpenſus 1159.13

Henricus Portugalliæ Comes 1254.43 natales & origo ibid.45 eius patrueles ibid.53 eius liberi 1255.10.13

Henricus Villenius 763.20

Henricus unus è Comitum Burgundiæ nepotibus 1063.57

Heraclea, id eſt, Gibraltar capitur à Mauris 670.9

Heraclius Imp. Siſibuto ſuadet, vt Iudæos Hiſpania pellat 357.24.28

Herba & radices in victus vſum conuerſa 1363.17

Herculis aduentus in Hiſpaniam 30.23 pugna illius & victoria cum Geryone tricipite 30.38

Hercules Amphitrionis 219.49 Libyus 215.28

Hercules Piſanus 1083.12

Hercules inſtituit ludos 30.47 ciuitatem Hiſpalim extruxit 30.50. Carthaginenſem prouinciam deuaſtauit 30.54 Cacum in fugam coegit & in monte Auentino trucidauit 30.53. 31.10 Hiſpaniam ſibi ſubiugauit 31.20 Tyrinthius dictus 31.28 Ilium deuaſtauit 31.50 Antæum palæſtræ inuentorem interfecit ibid.51 Olympiades ob memoriam Pelopis reſtaurauit ibid.52 ſe ipſum interfecit ibid.53 à Deianira dicitur concrematus ibid.54 victus in Græciam repetit 35.31 tempore Gedeonis vixiſſe dicitur 35,54 eius ſepulcrum vbi 842.38

Hermanaricus Geberico ſuccedit 38.36
Alexandro Magno comparatur 38.39
multa commiſit prælia 38.40
bellum eius in Venetos ibid.44
eius interitus ibid.54

Hermenericus Sueuorum rex 316.36 Sueuorum princeps in Hiſpania 157.31 cum Gallæcis pacem init ibid.34. moritur ibid.41

Herminia ciuitas vnde nomen acceperit 914.20

Herminius mons Luſitaniæ 914.13

Heſperides 1065.19

Heſperus rex 216.54

Heterius Vxemenſis 408.46

Hibernia 1075,57. 1181,3

Hidalgi

Hidalgi qui 823.41 *ſic Romæ olim Patricii dicti ibid.*823.43
Hieronymiani monachi 745.42,798.53
Hieronymus Comes Lodronius 1107.13,1128.8, 1124.42 *Germanorum militum contra Luſitanos præfectus* 1043.34
Hieronymus Coneſtaggius calumniatores ſuos refutat 1059.49 *Fontius præfectus Mirobricæ* 1042.14 *Mendoza* 1045.34,1188.56 *Meneſius* 1340.16 *Bazaini præfectus* 1330.20 *Oſorius* 815.18 *cum Lactantio & Longolio comparatur* 815.22 *Payua Oliſiponis præfectus nomine Antonii* 1047.4 *Quirinus Patriarcha Venetus* 1313.27
Hieronymus Zurita Cæſaraugustanus hiſtoricus 955.18
Hieroſolyma barbaris ſubdita 486.50 *quando à Nabuchodonoſore capta & templum incenſum* 191.8
Hieroſolymitani monachi 1311.2 *Æthiopum Patriarcham plurium ſuffragiis eligunt* 1310.58 1311.4
Hilarius Arelatenſis Antiſtes heremi deſerta petit 4.1 *ſcripſit vitam parentis ac prædeceſſoris ſui Honorati Epiſcopi* 4.6
Hilarius Pontifex 330.59
Hildericus Vandalorum Rex Chriſtianos ab exilio reuocat 156.42 *à Gilimerio interficitur* 156.54
Hirtuleius Sertorianorum Dux à Metello deuictus 940.27
Hiſpalenſe concilium contra Acephalos 357.2
Hiſpalenſes denegant Alcazim introitum in vrbem 184.35
Hiſpalis 1098.50,1101.47
Hiſpalis deſcriptio 592.30 *capitur* 594.35
Hiſpalus Rex 216.2
Hiſpan gentis miſeræ Hiſpanorum præfectus 32.2 *eius opera* 32.3
Hiſpana Inſula in mari Indico à Columbo reperta 1282.35 *eius ambitus* 1283.55 *laus & commendatio* ib.59,& 1284.2
Hiſpana lingua permixtio 820.54
Hiſpania amiſſio 811.5.10
Hiſpaniæ imperium à quo primum fundatum 805.20 *trecentos annos poſt Tubalem à Bato Rege nomen accepit* 805.22
Hiſpania 1095.22,1096.7,40,1101.52,1102.28 1106.41,&c. *Pania olim dicta* 219.22 *ab imperio Germanico eximitur* 463.3 *eius ſiccitas generalis* 221.7 *ſitus* 208.36 *ab omni turbatione libera* 51.58 *capta à Mauris fuit Gothici imperii finis* 980.19 *non nimium fertilis* 1111.17,&c.1114.36 *quibus rebus excellat* 804.59 805.1 *multis metallis abundans* 846.50 *Græcis ſubiugata vſque ad tempus Romanorum* 32.11 *in quo ſtatu, Wambæ tempore* 374.51 *in duas, poſtea in tres prouincias, deinde trifariam diuiſa* 829.16 *quomodo & in quot prouincias diuiſa* 900.49,901.11 *in ſex prouincias diuiſa* 943.46 *in ſex Epiſcopat' diuiſa & à quo* 979.39
Hiſpania nouis bellis vexatur 64.3
Hiſpania per Mauros occupata 1064.1
Hiſpania omnes prouincias numero Academiarum anteire dicitur 817.32 *quatuor plagis vexata* 154.4
Hiſpanica ingenia qualia 820.58
Hiſpanica regio Gothica, Narbonenſis Gallogothia appellatur 842.55
Hiſpanica matrona erudita 821.53
Hiſpani 1100.34,1174.4,38,1178.3,1187.18,40 *auari & libidinoſi* 1161.47 *D. Iacobi nomine pro teſſera vtuntur* 1360.5 *diuerſimode fanum D. Iacobi appellant* 1246.59,1247.1 *duo in numerum Conſiliariorum Patrimonii Coronæ per Philippum adoptati* 1211.30 *fugam capeſſunt* 1187.50 *mortui* 1188.36 *Iberi dicti* 29.32 *à Tubal filio Iaphet oriuntur* 29.23 *olim Cetubales dicti* 29.36 *incontinentiſſimi* 1168.36 *num ſint arrogantes* 1060.25 *ſecretiſſima quæq; rimantes* 1168.33 *ſeptem batillo Piſtoris interemptis* 1048.1,1149.11 *ſe ſubiicerunt Regi Garſiæ* 93.23
Hiſtoria auctoris Liſybonenſibus valde exoſa eſt 1060.43
Hiſtoria Hiſpanienſis qui anthores 403.32
Hiſtoriarum cognitio ad remp. gubernandam vtiliſsima 1222.13
Hiſtoria vniuerſalis Hiſp. 812.2
Hiſtorici Cæſarei tres 818.3
Hiſtorici Hiſpanici antiqui 8 9.27
Ho andia 1205.9
Ho erus Poeta quando vixerit 189.51
Ho ines auidi ſunt honoris 1233.51
Ho ines marini ſeu Tritones vbi degant 881.41
Homines etiam optime cogitata peſſime interpretari ſol nt 1074.5
Homines in Hiſpana noua Inſula nudi incedunt 1282.55 *horum mores, & vita* ib.57,& 1283.4 *ſimplices admodum* 1283.9 *omnium ordinum Luſitaniæ è captiuitate redimendi* 1129.22
Honoratus Ioannes, Eques Valentinus 813.50 937.13
Honorii imperium 219.58 *ſocordia* 323.58
Honorii & Arcadii Imperatorum ætas qualis 809.50
Honorius I. Pontifex Max. 979.8
Hoſtis ad pugnam pellectus 1166.51
Hoſtis tormentorum ictibus ab Antonio petitus 1165.37
Hoſtium conatus per noſtros irriti facti 1356.45

Hugnericus Vandalorum Rex Valentiniani filiam ſibi matrimonio iungit 156.16 Chriſtianos perſequitur 156.18 terribilis mors 156.25
Hugo Abbas Cluniacenſis 106.12
Hugo Candidus Cardinalis 463.41
Hugo Cardinalis compoſuit concordantias 588.1
Humeya dominandi cupidus & ambitioſus 185.26
Humericus Vandalus 326.56
Hunni caſi 148.51
Hunnorum origo 151.44 ſæuitia 152.1
Hyabye filii Haly Mahometo in regno ſuccedit 184.56
Hybridæ qui dicti 162.23
Hycca quid deſignet 919.55
Hyſcam Arabum Rex 169.16 prouinciæ quæ ſibi ſubditæ ſunt 169.27 Hyemen Hiſpaniæ præficit 169.43 bella gerit contra Mauros 171.40 exercitus eius profligatur ib.48

I

IAcca concilium 463.24
Iacincti Cardinalis legatio qualis 524.24
Iacobæa turris à quo conſtructa 1351.43 Ioannis Almeida cuſtodiæ commendatur ib.44 Diu 1366.20 certamen ad eam Luſitanorum & hoſtium ib.22 ab Indis diruitur ib.24
D. Iacobi aduentus 293.8 Corpus inuentum 410.14 militia 534.40
Iacobus Balearis Rex 616.12
Iacobus Bardus mercator Florentinus 1144.5
Iacobus Boteglius 1151.36, & 52, 1154.5, &c.
Iacobus Cardinalis S. Euſtachii. Archiepiſcopus Oliſiponẽſis 1264.53 filius Petri Ducis Conimbric. fuit ib.54. rarum continentiæ & caſtitatis exemplum ib.57 obiit Florentiæ ib.59
Iacobus Carcamus 1162.8,31
Iacobus Chiaueſius 1124.1
S. Iacobus Chriſtianis, vt miles vbi apparuit 99.40
Iacobus Comes Vrgellenſis 1241.29
Iacobus de Caſtro 1148.41
Iacobus de Corduba 1174.21
Iacobus de Toledo 1127.54
Iacobus frater Ducis Brageanciæ 1088.38
Iacobus rex Aragoniæ 96.29 vxor ipſi datur à patre ſeparata 96.38 eius acta 96.40 Diuortiũ eius & vxoris 96
Iacobus Hiſpani primogenitus mortuus nunciatur 1197.51
Iacobus I. Aragonius Rex 558.42 Gerundenſi Epiſcopo linguam præſcindit 591.53 obiit 615.35.46 ſecundus 635.3
Iacobus Expugnator, Murtienſis, Balearicus & Valentinus dictus 851,26 obiit ib.31
Iacobus II. Iuſtus Aragoniæ Rex 851.49 obiit ib.55
Iacobus Lacteus 1332.22
nauem Sophari igne abſumit ib.31
Iacobus Lopeſius 1072.54, 1120.36, 1143.59, 1144 1144.1, 1145.1
Iacobus Meneſius 1138.35, 1139.9.39, 1148.10, 52, 1149.35, 1155.17, 1156.47, 1157.8.36
Iacobus Meyerus rerum Flandricarum ſcriptor diligens 1126.8
Iacobus Porcellus Roderici filius 431.30
Iacobus Sadoletus Tridentinus Præſul 824.18
Iacobus Salema 1115.28, 1123.15, 1131.46
Iacobus Soſa 1074.46, 1139.56, 1142.21, 1089.12
Iacobus Simoneta Piſaurienſis Epiſcopus 937.40
Iacobus Souſa Archiepiſcopus Bracarenſis 1255.18
Iacobus Vaſconcellenſis 1141,11
Iacomus Leiteus 1352,42
Iactura rerum cariſſimarum 1168, 14
Iaculorum vſus Callaicorũ & Bracarorum 911,37
Iacmium pro Iacobo [illegible] ab Aragonenſibus 1230,3 1241,30
Ianus primus rex Italiæ 187,13 biceps depingitur ibid. 14
Iappone 1065,46
Iberum flumius 835.53
Iberum vnde oriatur ib.57
Iberum Cinga Sicoriſq; amnibus iunctus Dertuſam vrbem alluit 836.2
Ictus malleorum Campanariorum 1166.33
Idacius Lemicenſis Epiſcopus 809
Ida ſoror Godefredi Gibberi 1225.23
Idalcamum 1065.32
Idania vetus, olim Igeditania 370.25
Idubede montes 838.52
Ieiunium 1303.50
Ieiunium Quadrageſimale ibid.54
Ieſuitæ 1066.16, 1068.23, 1124.7, 1168.29, 1180.42, 1188.13, 1191.14.21
Ieſuitæ culpabiles habiti 1067.19
Ieſuitæ hoſtium Chriſti hoſtes ib.21
Igeditanorum Eccleſia in vrbem Gardiam tranſlata 1002.12
Ignatius Lopez Mendozius 820.47
Ignatius Rodrigezius 1151.58
Ignicus Lopezius de Mendoza 1107.9
Ignorantia Henrici cum inopia iudicii coniuncta 1150.48
Ildefonſi ſcripta de illuſtribus viris 7.51, 8.1
Ildephonſi mors & ſepultura 52.50
Ildefonſi ſepulchrum repertum 507.32 eius vita 367.20 corpus repertum 507.28
Ildefonſus os aureum dictus 52.54 multos libros edidit ib.56
Ildephonſus nouiſſimus Toletanæ ſedis præſul 11.44
Ildefonſus contemtis parentum rerumque affectibus monaſterium Agalienſe petiit 11.54 eius opera 12.67

nonum

nouem annis & duobus fere mẽſibus pontificali officio functus eſt 12.19
die decima Calendas Februarii moritur & in Ecleſia beata Leocadia ſepelitur 12.20
Ilerda fluuius, à quo vrbs Ilerda dicta 836.9
à quibuſdam Sicoris putatur ib.16 ſitus (hodie Lerida) 281.38, 846.1 *ſchola publica* 643.25
Ilerdenſe concilium 335.51
Ilipa mons 838.54
Illiberis 208.47 *hodie Colibre.*
Illicis, vulgo Alicante 702.10
Illicitum connubium in ſecundo gradu 123.52
Illurcis vrbs Celtiberia, alias Graccuris & à quo ſic dicta 855.53
Imperator Æthiopia quomodo agnominetur 1311.28
eius nomen quibus characteribus ſcribatur ibid. 30
Imperatores Romani à Viriato deuicti 936.34
Imperium Hiſpanum Belgas ab eccleſia Romana deficere facit 1114.30
Impoſsibile eſt quempiam Deo placere ſine fide 121.15
In Æthiopia multi reges, reguli, barones, &c. 1311.45
Incantamenta Lappianorum 1315.3
Incarceratio Epiſcopi Ouetenſis 90.1
Incola Inſula S. Michaelis 1179.32
Incola inſularum Tercerarum 1179.2
Incola inter Dorium & Minium vexati 1170.47
Incola Thuſcia more beſtiarum viuunt 187.29
homines facti 187.36
India 1070.39
India tam Orientales quam Occidentales 1179.43
India citerioris Rex quomodo dicatur 1317.20
quot copias militum in aciem educere poſſet ib. 24
Badur dictus ibid.34
India regnum in cuius diei euentu poſitum 1360.25
India ſalus innixa obſeſſa arci Dieſi à Coio Sophare 1349.58
Indictiones quando cœperunt 313.3
Indi 1128.35
Indi goſsipio & lino ad veſtes vtuntur 1361.54
Indi ab igne cremantur ib.56
Indi tres ex arce clam ad hoſtes elapſi 2366.8
eorundem relatio ib.4
Inducia cum Arabibus reformata 137.51
Inducia cum Turca Philippo Hiſpano placentes, diſplicent Luſitano 1074.23
Inducia inter Aldefonſum Regem & Regem Nauarra inita 127.43
Indulgentia à quo dentur 1304.35
Infamatio Sancii vxoris 94.6
Infandum facinus libidinoſa mulieris venefica 83.47
Infantes aliquot Aragonia recenſentur 1244.33
Infantes electi &c. 1307.28
Infantes quomodo ab Æthiopib. ante baptiſmum dicantur 1309.4
Infantulus Iohanni I. *Portugallia regi pradicis regnum* 1239.47
Infortunia plura plerunq; vnum ſequi ſolent 1188.20
Infridius 4.38
Ingenium Philippi regis Hiſpani 1074.14
Ingens fames in finibus Toleti 137.47
Ingens fames in Hiſpania 137.27
Ingratitudo Duci Barcellenſi imputata 1123.50
Ingreſſus exercitus in Portugalliam 1129.52
Ingreſsus Philippi in Liſſbonam 1181.19
Ingreſſus Regis Cambaia in vrbem Dienſem 1354.5
Ingundis Ermenigildi vxor 344.15
obiit 347.47
Iniguezius 1215.6, 1216.36
Initium belli Maurici 548.13
Initium pralii inter Chriſtianos & Agarenos 134.40
Initium pugna inter nobilem Aldefonſum Regem & Agarenos 128.17
Iniuſtitia Antonii 1150.49
Innicus Suprarb. Rex 849.5
Innocentius II. *pontifex* 843.22
Innocentius III. *Pontifex Romanus* 563.39, 984.10 *ſeptimus* 767.31
In parte quadam Scandia nuſquam reperiuntur apes 32.20
Inquiſitio in actiones Sanctii Auila 1182.13
In regnorum ſucceſsione quis ritus in Æthiopia obſeruetur 1311.38
In regnorum ſucceſsionibus quouſq; iura ſanguinis vires ſuas exerant 1250.53
Inſcriptio baſis marmorea in oppido Linares 855.7
Inſidia Arabum 68.34
Inſignia Aldefonſi Regis Caſtella 124.39
Inſignia Luſitania 1128.40
Inſignia ordinum equeſtrium quib. collata fuerint 1150.14
Inſtitutum vetus Regum Æthiopia quale 1296.39
Inſtrumenta parentis Vitiza comburit 61.45
Inſula Capitis viridis eadem nunc ſunt cum Heſperidibus 1065.19 *direpta* 1211.42 *Heſperides* 1065.19 *Molucca ib.*45 *Oceani* 1113.37 *Tercera* 1064.38, 1178.50, 1205.6 *Leilan* 1065.38
*Inſula Armuzium ib.*35 *Canaria* 1207.39 *Corui* 1179.1, 1206.46 *D. Saluatoris prima à Columbo inuenta* 1282.15 *Faialis* 1178.59 *Florum* 1179.1 *Lignorum, alias Madeira* 1290.27 *Madera* 1064.37, 1178.48, 1207.39 *Pici* 1178.59
Inſula Principis 1065.21
Inſula Scandia 32.20
Inſula Scandula multas continet nationes 32.26

Inſula S.Laurentii 1065.24
Inſula S.Mariæ 1201.54,1178.59
Inſula S.Michaelis 1178.54,1180.4, 1185.45, 1191.29, 1195.59, 1196.23,1198.1, 1199.5, 1200.30,1201.55,1215.2, 1216.1,&c.
Inſula Somatra 1065.42
Inſula S.Thomæ 1065.21,1070.38
Inſultus 1149.57
Interpretatio nominis Gotthorum 33.22
Inteſtina Arabum ſeditio quinquennium durans 172.26
Inteſtina bella Barcinone 843.53
eorum cauſa ib.56
Inteſtina bella ſuper regimine principatus Arabum 179.7
Inteſtina diſcidia orta Corduba 182.41
Intimi Antonii 1161.12
Introitus Pelagii in caueam montis Auſeuæ 69.53
In vnius regis ſalute totum regnum periclitatur 1355.34
Ioachimus Poltes Zelandus 824.39
Ioachimus Vadianus 902.39
Ioca ſeriis miſta 1068.34
Ioanna Neapolitana Regina 785.21
Ioanna Inſula in mari Indico 1282.45
eiuſq. opes & bona ib.48
maior Anglia & Scotia 1283.51
Ioanna puella rebus Gallicis opem fert 800.34
Ioanna Regina Nauarræ ædificat Pariſiis collegium Nauarricum 647.57
Ioannes ab Aregis iuris ſcientiſſimus in Portugalia floret 1266.11
Bartoli auditor ib.12
Codicem Iuſtiniani in Luſitanicum tranſtulit ſermonem ib.14
Ioannes Accuedus Portugalliæ archithalaſſus 1044.33
Ioannes Aceuedus captus Villauizoſam mittitur 1048.44
Ioannes Æthiopiæ Imp. Rom. Pont. vt ſupremum Epiſcopum agnoſcit &c. 890.53
Ioan. Alfonſus Pimentelius Comes Beneuentanus 1042.16
Ioannes Almeida turri D.Iacobi præfectus 1331.52
Ioannes Anderius Comes in aula Reginæ Leonoræ omnia ſuo arbitrio moderatus 1263.46
machinationes eius in Iohannem regis fratrem ib.50
adulterium cum regina ib.47
à Ioanne regis fratre illegitime in aula confoſſus ib.54
contentio cum rege Caſtellæ & victoria 1264.23 conuentus Conimbricæ celebrat ib.10
vxorem ducit Philippam Ducis Lancaſtrenſis filiam ib.37
liberi ex ea ſuſcepti ib.40
fœdera init cum filiis Ioannis Caſtellæ regis ib.34
expeditio contra Saracenos 1266.6
Codicem Iuſtiniani in patrium ſermonem conuerti curauit ibid.12
magnificentia eius & magnanimitas ib.17
laudatiſſimus Princeps ib.24
exequiæ eius admirabili pompa celebratæ ib.28
Anelius 1075.45 Aragonius Toletanus Epiſcopus 661.28 abdicat 663 à Sylua Comes Portalegrenſis 1221.37
Ioannes Ataidius 1340.43
Ioannes Auſiſi Magiſter fit Rex Luſitaniæ 737.29
vincit hoſtes 739.8
Ioannes Auſtriacus 1073.31 Baptiſta quo vſus cibo 1309.42 eius templum 369.41
Ioannes Belul quid deſignet 1311.30 Betancorius 1187.28 Biclarenſis 348.14 Bragançiæ Dux 1092.18 Calius arcis Diuenſis ſacerdos 1335.45 ſubſidiarias copias accerſitum ablegatur ib. Cardona 1049.53 Caſtellanº 1201.36 Caſtritius Indiæ Prorex 1330.18,1340.ib. claſſi expeditæ filium præficit ib.19
Ioannes Caſtrius Epiſcopus ſcribit de Petri Regis rebus 760.43 Coellus 1338.5
Iohannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus cognomento Chryſoſtomus 2.23,5.13 multa præclara ſcripta edidit græce 2.20,5.16 anno decimotertio Epiſcopatus ſui in exilium mittitur 2.40 corpus eius in Eccleſia Apoſtolorum ſepelitur 2.41
Ioannes Contrerius Toletanus Epiſcopus 792.41
Ioannes de Suniga 1107.20
Ioannes Diplobatazius, alias Batazes 955.30
ei vxor cum imperio Græciæ datur ib.
Ioannes Dux Brigantinus 1035.8
Ioannes Dux Britanniæ 93.2
Ioannes & Petrus Principes ad Granatam occiſi ſimul 659.6,660.16
Ioannes Encoe quid deſignet 1311.32
Ioannes Gelida Valentinus 813.48
Ioannes Geneſius Sepulueda Cordubenſis 818.26
eius ſtylus qualis 818.31 ab Eraſmo, Iouio & Gynaldo commendatur 818.37
Ioannes Gerundenſis Epiſcopus 6.21,812.8 exulatio eius 6.25 monaſterium Biclari condidit 6.27 eius ſcripta 6.29
Iohannes Gomeſius de Sylua 1072.44
Ioannes Hiſpalēſis libros ſacros vertit in Arabicam linguam 401.49
Ioannes Gondalezius de Camera 1135.5
Iohannes Huſſius & Hieronymus Praga 779.25 787.54
Iohannes Ioh.III.regis Luſitaniæ filius 1271.50
duxit Iohannam Caroli V.Imperat.filiam ib.51
Iohannes I.Portugalliæ rex decimus 1249.56,1265.40 per meram vim ad regnum peruenit ib.58 illegitimus Petri regis filius ib. clàm eductus ib.41 gradus honorum ib.42 neci à cuſtode carceris prudenti ſubtractus ib.53 Iohannem Anderium obtruncat in aula ib.54 vindex publicæ libertatis proclamatus & electus ib.57

Iohannes

Digitized by Google

Johannes rex Portugalliæ 1251. nothum legitimo agnato Emanueli præferre ſatagit ib. Aluorii deceſſit 1252
Johannes III. 1067.55,1210.48
Johannes Iaemius 1204.44
Johannes II. Rex Portugalliæ XIII. 1268.31
uxor Leonora filia patrui ibid.32
ex qua unicum ſuſcepit filium Alfonſum ib.33
fortunæ lubricantis exemplum ibid.35
filio magnificentiſſimas apparat nuptias ib.40
laus eius 1269.6
Apophtegmata & ſapienter dicta ibid.10
æquitas in adminiſtranda iuſtitia ibid.24
nauigationis in Indiam auctor præcipuus ibid. 28
Caſtellum S. Georgii fundauit ib.38
obiit Aluorii in Algarbiorum regno nullis legitimis relictis liberis ib.42
Johannes III. Rex Portugalliæ 1247.12,1271.38
uxor eius Catharina Caroli V. ſoror ib.13,1271. 38 liberi ex ea ib.15,1271.42
Johannes I. Caſtellæ rex 1147.27
Joannes ſecundus Caſtellæ Rex 771.59
Johannes II. Alfonſi quinti ſucceſſor 1064.57
Johannes I. Luſitaniæ Rex 1290.10
eius filii ib.13
Joannes II. Luſitanorum Rex 879.29,1290.35
mors 1291.23
Joannes III. Luſitaniæ Rex 815.6,983.56,1004. 40 proſopographia eius 1271.57 clementia eius & benignitas 1272.6 pacis ſtudioſus & religioſus ibid.19 liberalitas in ſtudia liberaliũ artium ibid.24 multa magnis ſumptib. ædificauit ib.31 obiit Oliſipone Apoplecticus ibid. 35
Joannis Iacobi Fuggeri reſponſio ad Damianum à Goes 828.12
Joannes I. Aragoniæ Rex 852.16
venationi deditus moritur ib.19
Joannes II. Arag. Rex, Magnus dictus 852.53
obiit ibid.59
Johannes rex Aragoniæ pater cum filiis in Africam traiicit 1242.4
Joannes Laſcares patri in Comitatu Entemelii ſuccedit 955.40
Joannes Ludouicus Vives Valentiæ decus 813.21
eius ſtylus ib.24
Joannes Lupus, Baro de Aluito 1088.29
Joannes Luſitani Regis frater fugit in Caſtellam 728.44
eius imago in Vexillis 735.56
Joannes Magnus Gothus Archiepiſcopus Vpſaliæ 1292.43,1313.9
Eccleſiæ Romanenſium addictiſſ. 18.13
propterea Epiſcopatu motus pulſusque tenuiter viuit ibid.16
venetias cum fratre contendit ibid.23
à Patriarcha humaniſſime accipitur ibid.25
Joannes Martinus Siliceus Philippi Hiſpaniæ regis præceptor 814.29
Johannes Maſcaregna 1075.16, 1110.36, 1329.21
Dienſis arcis præfectus 1328.24,1329.21,1349. 53 Luſitanos omnia in arcem deuehere iubet 1329.59 omnes rei militari inutiles auehendos curat 1331.44 quomodo arcis ſtationes diſtribuerit ib.51 omnibus rebus ad arcem Dienſem tuendam prouidet 1350.29 eius literæ ad Joannem Caſtrum pro ſubſidiis ſcriptæ 1350.43
Joannes Mendoza, unde Almaſani reguli 749.30
Joannes Methymna Theologus 817.9 eius ſtudia per 20. annos Compluti floruerunt ib.15
Joannes Noghera 1126.42
Joannes Neſtor Gallus, hiſtoricus 1234.4
Johannes Pacecus 1127.55
Joannes Padillia Magiſter D. Iacobi coniugatus 695 37
Joannes Palæologus 1298.38
Joannes Paruus Theologus 773.22
Johannes Petreius Poeta & orator 815.54
Joannes Petrus Luſitanus variis locis perluſtratis ad Precioſum Joannem proficiſcitur 1291.3 facultatem in patriam redeundi non potuit impetrare ab eo, ut & à fratre eiuſque filio Dauide ibid.9
eius uxor ib.12
omnium linguarum gnarus ib.19
Joannes Pimentellus 1127.58
Joannes Pontifex obiit in carcere 335.59
Joannes Portugallus 1115.41
Epiſcopus Igaditanienſis 1041.8
Joannes præsbyter monachorum in Pontificatu Maximum ſequutus eſt 9.38
eius annotata 9.44
duodecim annis ſedem honoris tenuit 9.46
Johannes quidam Gomma 1071.29
Joannes Ramirus ab Arellano Dominus Camerorum 1243.56
in prælio ad Alinbarozham occubuit ibid.
eius encomium ib.57
Joannes Ramirus Theologiæ D. & Rhetor Academiæ Complutenſis primarius 816.11
Joannes Rodericus Paſſanus 1138.31
Joannes Rodericus Sada 1175.45
Joannes Rodrigezius Vaſconcellenſis 1163.47
Johannes Sandoalius 1214.42
Joannes Scanriguius 1193.42
Joannes ſecundus Toletanus Epiſcopus 590.52
Joannes Syluetra 1088.31
Joannes Syluius 1072.11,1085.22,1090.8,1098 46,1101.47
Joannes Taidaus & Franciſcus Gillus in arcem à Luſitanis recipiuntur 1366.41
Johannes Teglius 1110.36,1137.45,1142.3.17
Joannes Telius 1046.30 cum Didaco Lupio à Sequeira Setubalum ſe confert 1074.5
Joannes Torquemeda 812.21
Joannes Toletanus Epiſcopus 529.3 quidam abdicaſſe dicunt 531.3.5

Iohannes Vaſconcellius 1127.1
Ioannes Vaſæus Bruzenſis, D.Salmanticæ 894.26
Ioannes Vergara Toletanus omnis Hiſp. viris doctis præferendus 817.51
Ioannes VerZeanus 1333.59 meſopyrgio arcis Dienſis minori præfectus 1331.55
Ioannes vigeſimus primus Pontifex 615.9 vigeſimus ſecundus 658.6 vigeſimus tertius 777.37
Ioannes Viuicinus veteris propugnaculi defenſionē ſuſcipit 1351.48
Iohannes Vinerius 1204.22
Ioannis octaui Pontificis gemina litera 422.18.41
Ioannis primi Caſtellæ Regis filii 730.27,731.44
Iolanthes filia Entemetis Comitis Petro Aierbæ Baroni nubit 955.45
Iornandes Gotthorum Epiſcopus 339.59
Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus 1298.39
Ioſephus Sobrinus Theologus, Alberti Cardinalis capellanus 1224.39
Ioſephi Teixeræ libellus famoſus 1223.29 cur à Duardo Nonio refutatus ib.32
Iouis fanum olim, hodie martyrum Iuſti & Paſtoris templum 965.1, in eodem monumenta quædam ibid. 16.28
Iouis fanum Cetobrigæ olim, iam B. Mariæ ſacrum 956.35
Iouis mons olim portum, nunc ſpeluncam Barcinoni præbet 838.54
Iracundia Luſitanorum per Albanum mitigata 1174.16
Irene virgo Luſitana 367.11
Irienſes Epiſcopi 410.25 transferuntur Compoſtellam 410.54
Iſabella à Cardona 1236.33 Abbatiſſa prima parthenonis iuxta Diuæ claræ monaſterium Conimbricenſe ibid.
Iſabella Auguſta filia Emanuelis Luſitaniæ regis 1269.55 Caroli V. Imp. uxor ib.56 nata Oliſipone ib.57
Iſabella dux Burgundiæ 1241.24
Iſabella filia Iacobi Bragantiæ Ducis 1092.17
Iſabella filia Petri Tertii regis Aragonum corporis forma & animi dotib. pulcherrima 1260.22 inter Diuas relata ibid. uxor Dionyſii Agricolæ Portugaliæ regis 1260.19
Iſabella Ioenſis Barcinonenſis 822.1
Iſabella Iohannis Brachantiæ Ducis filia 1246.56
Iſabel. Madera uxor Iohannis Chirurgi 1365.7 eius fortitudo in prælio ib.8
Iſabella magna regina Catholica 1265.25
Iſabella Petri Conimbricen. Ducis filia, fœmina prudentiſſima 1265.43. nupta Philippo III. Burgūdiæ Duci ibidem
Iſabella regina Caſtellæ 1064.55
Iſabella regis Ferdinandi & Iſabellæ reginæ Caſtellæ filia 1092.3
Iſabella Valeſia 1097.2
Iſardicenſe concilium 130
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus 6.51,8.1, eius vita 6.52 eius ſcripta 6.58,7.1 ſcripſit hiſtoriam de origine Gotthorum 7.19 dictum Philoſophicum Ciceronis & Auguſtini 7.31 Acephalitarum hæreſin confudit 7.36 obitus eius 7.37 Leandro fratri Hiſpalenſis ſedis Epiſcopo ſubſtitutus eſt 10.25 eius opera varia 10.29 duo eius libelli ad Florentinam ſororem contra Iudæos 10.31 quadraginta annis Pontificatum geſſit 10.38
D. Iſidorus Hiſpalenſis 360.10, 363.8 eius epiſtola 361.7 eius mors 363.18
Iſidoriani monachi 798.56
Iſidori tres in Hiſpania 363.42
Iſocrates Timothei, Cononis filii præceptor 814.12
Iſſem patri mortuo ſuccedit 173.32,178.17 cum Zuleman armis contendit de regno 173.34 eum deuincit & regnum occupat 173.36 bona à Zuleman poſſiſſa emit 173.38 pacifice gubernat 173.45 vrbes plurimas occupat 173.48 Mezquitas plurimas ædificat 173.54 eius mortis prognoſticō 174.8 prælia multa cum Rege Galleciæ commiſit 174.15 moritur 174.20 Almuhayat bille nominatur 178,91
Iſſem adhuc puero coadiutor datus eſt Mahomat Ibne Abenhamir 178,21
Iſſemi & Coadiutoris ſui prælia 178.34 falsè mortuus proclamatur 179.1 viuus omnibus manifeſtatur 179.37 ab Eunuchis regali ſolio reſtituitur 180.40 caput Almahadi per ciuitatem facit deportari 180.45 regnum ſecunda vice confirmat 180.56 eligit ſibi ſepulturam 181.4 eos de ſtirpe Abenhumeye ortos fecit exſtirpari 181.18 barbaros in fugam conuertit 181.22 Toletanos rebellantes obſidet & 181.50 expugnata vrbe Obeydallam interfici iubet 181.53 Albagib proditionis cauſa facit decollari 182.1 Hiſpalim liberat ab obſidione barbariorum 182.6 in Africam transfretauit 182.31
Itacius Epiſcopus 2.1 eius apologia aduerſus Priſcilianum 2.2 in exilium mittitur, & moritur 2.6
Itacius Lemicenſis Epiſcopus 17.6 aduerſus Verimundum Arianum contendit 17.10
Itacius prouinciæ Galleciæ Epiſcopus 15.19 deſcripſit hiſtoriam bellorum barbararum gentium 15.22 mors eius 15.23
Italici exercitus præfecti 1043.25
Itali dimiſſi 1188.35 ſtrenuos ſe gerunt 1167.4
Italis qualis loquendi formula 998.59
Iter Antonii cum copiis ſuis Belemum verſus 1151.13 Cardinalis Antonii Riarii, in Hiſpaniam Legati 1151.10 exercitus Luſitanici in Africam 1076.50 Philippi Eluas verſus 1165.10 Philippi Tomarum 1181.18
Iubilæi inſtitutio varia 642.58
Iudæi ad fidem Chriſtianam compelluntur 49.32 baptiZati in Luſitania cum nobilibus, beneficio diuitiarum, affinitatem contrahunt 1065.5 complures coacti baptiZantur ibidem

è regno

à regno Gotthico pelluntur 59.21 eis Hieroſolymæ readificandæ poteſtas facta 298.53
& Mauri inſigni nota diſtincti 721.28
per Ferdinandum & Iſabellam Caſtellæ Reges finibus ipſorũ eiecti 1064.56 per vim facti Chriſtiani 357.29 petunt ne cogãtur comedere ca[rnes] porcinas 366.11 conuerſi donantur nobilitati 381.10 ſeruituti mancipantur 381.35
prohibentur habitare Barcinone 845.38
fœneratores ib.41 ad nulla officia Reip. tametſi ad Chriſtum conuerſi, admittuntur ib.44
Iudæi quando & à quibus Roma Italiaque pulſi 810 17
Iudæus quidam conuertitur ad fidem Chriſtianam 499.7
Iudex ſupremus Badagiozij Velaſcus 1138.25
Iudicatio & neglectio proximi ubi prohibeatur 1309.46
Iudicia de expeditione Philippi in Inſulas Terceras varia 1211.43
Iudices fidei in Hiſpania 812.42
Iudices Legione conſtituuntur 82.43 Liſybonenſes criminales 1131.34 negligentes aut muneribus corrupti à Comitibus plectebantur 197.2
Iugum Gallicum 1113.54
Iuliana Dalencaſtria 1110.5
Iuliani Epiſcopi Eborenſis monumentum 995.4
Iulianus Comes Hiſpaniam Mauris prodidit 811.8 eius uxor 383.28 filia 384.34 exitus 393.46
Iulianus Conchenſis Epiſcopus 538.27 pontifex Quirico ſuccedit 12.31 vnanimitas Iuliani & Gudilanis Leuitæ ib.38 deſiderium in docendis ſubditis ib.47 mors Guidilæ Diaconi ib. 51 eius ſepultura ib.54 Primatus Iuliani ib. 56 Deſcriptio Iuliani 13.4 eius cum nobilibus comparatio ib.19 eius opera & libri conſcripti ib.20 decem annis menſe vno, diebus ſeptem ſacerdotio functus eſt ib.38 eius mors & ſepultura 14.3,16.27
Iulianus Toletanus Præſul 376.34 apologia eius 379.39
Iulianus Lutetiæ Imperator 314.56
Iulianus Pomerius 3.19,812.8,60.39,1021.4 eius ſcripta, in quibus de anima & variis rebus tractat 3,20
Iulius Aſcanii filius 189,38
Iulius Cæſar 807,42 annum corrigit 392,31 Luſitaniam ac Callæciam Romano Imperio ſubiicit 941,3
Iulius & Auguſtus ieiunii lege ſoluuntur 313.15
Iulius Hyginus Hiſpanus Romanæ bibliothecæ præfectus 806.24
Iunius Moderatus Columella 807.17 eius ſtylus qualis ib.20
Iuramentum ab Antonio exactum 1046.56 à competitorib. regni Luſitanici exactum 1122.59 Comitis Aluari excommunicati de non attentando 139.43 fidelitatis Regi Fernando præſtatur 141.36 Philippo Iuniori vel ægrotanti præſtitum 1197.51,1208.25 qualiter apud Mauros præſtetur 518.14
Iuriſconſulti Coimbrienſes 1184. 29 Paduani 1102.49
Iuriſmœnia Portugaliæ oppidum 1237.21
Iuris naturalis ratio parentum hæreditatem liberis addicit 1246.10
Iuriſprudentia qualis Hiſpanorum 823.8
Ius Ciuium Romanorum 974.28
Iuſiurandum Cameralium Liſybonenſium 1210.5
Ius Italicum 974.31
Ius Latii ibid.25
Ius purum & ſimplex 1102.51 ſcriptum in Æthiopia inuſitatum 1311.55
Iuſtinianus Eccleſiæ Valentinianæ Epiſcopus 4.28 809.11, eius ſcripta 4.29
Iuſtinianus Imperator 4.15 eius libri & reſcriptũ contra Illyricianam Synodum & aduerſus Africanos Epiſcopos Calcidonenſis Synodi defenſores 4.16
Iuſtinus Orientis Princeps 149.57
Iuſtitia Tribunorum inſtar 429.58
Iuſtitia vita per ducem Barcellenſem iuniorẽ prælata 1123.26.35
Iuſti ſuperba 8.20 pœna afficitur ob intemperantiam morum 8.22
Iuſtus Elladii ſucceſſor 10.14 in Agalienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus: ſcripſit ad Pichilanem prædicti monaſterii Patrem 10.17,19 extitit rector annis tribus 10.21
Iuſtus Orgilitanæ Eccleſiæ Epiſcopus 4.36 frater Iuſtiniani ibid. eius libellus 4.37
Iuuencus & Aurelius Prudentius Cæſarauguſtanus inter Principes poetas numerantur 809.20
Iuzarcanes qui dicti 1361.29
Iuzarcanus 1333.43 captus 1344.52 perit 1337.53 quid deſignet ib.56 frater eodem nomine vocatus ib.
Iuzarcan Abiſſin 1372.7
Iuzarcan captiuus quidam 1353.53
Izit Arabum Rex 168.34,166.57 eius prælia & mors 166.58,167.2

K

KArolus V. Auſtriacus, Maximus & Fortiſſ. dictus Aragoniæ Rex 853.11 eius bella & victoria ib.13 regno ſe abdicans monaſticam vitam agit & moritur ib.17

L

LAbarum crucis forma 312.16
Labes Luſitanorum ſanguinis 1122.31
Lacaſa fœmina Æthiopum regina 1279.20 Candax regina in ſacris literis ibid. huius aut Chriſtiana religio in Aethiopia plantata ibid. 21 Liberi & ſucceſſores eius ib.23
Lacobriga ciuitas 954.2.1061.59,1063.12
Lacros, Limia, Limius, Meacus, Menuba Menaſcus & Melſus fluuii 836.17
Lacuna 1199.5,20

Digitized by Google

Ladiſlaus & Ioanna Neapolitani Reges 741.36

L. Æmilius Paulus in pugna contra Luſitanos occubuit 931.8 pugnat cum Luſitanis 931.40 victoriam obtinet ib.43

Lætitia publica 1171.12

Lætus Neptenſis Epiſcopus martyr 156.23

Lagus in regno Algarbis 1077.6

Lameca 1062.57

Lancaſtrorum familia 1268.58

Landini 1184.16

L. Andreæ Reſendii reſponſio ad Ambroſii Moralis epiſtolam 1023.21
 ad Bartholomæum Kebedium 1003.13

Langobardi quæ gens 1029.21
 Flauii prænominis amatores ib.30

L. Annæus Seneca 806.19

Lappiæ deſcriptio ſeu Chorographia 1314.27
 termini ib.30

Lappia duplex 1314.16
 ei contermina prouincia ib.18

Lappiana prouincia 1313.29

Lappiani deſcribuntur 1314.41 ſagittandi arte excellentes ib.43 veſtitus ib.44 permutatio eorundem ib.48 religio ib.56 ſunt infideles 1313.29 miſera ſeruitute oppreſſi ib.32 Chriſtiani fieri prohibentur ib.35
 eorundem deploratio ib.42

Laracce 1069.58, 1070.7,30, 1074.9, 1077.18, 38.52, 1078.30, 1079.25,57, 1080.12,37

Larache olim Lixa oppidum 1033.6

Laracium & Tituanum Mauruſiorum piratarum receptacula 1015.46

Laræ infantes occiſi 444.34.19

Laredi portus ſiue Lauretanus 209.23

Largitas Reginæ Berengariæ 142.14

Larſo, Lunæ promontorium 838.58

Laſcara, Theodori Laſcaris filia 955.34
 Wilhelmo Entemelii Comiti nubit ib.39

Lateranenſe concilium, ne decumæ dentur profanis 744.54

Latinæ & græcæ literæ Hiſpali quando floruerunt 810.18

Latina lingua à quibus in Hiſpaniam inuecta 805.46

Latini à Latio dicti 187.37

Latinus Fauno ſuccedit 187.50
 Latinas literas inuenit 187.51 Mezentium & Camillam reginam Amazonum in auxilium vocat cum Ænea pugnaturus 189.10 Diomedē Græciæ Regem in auxilium implorat 189.20 ei à Diomede auxilium recuſatur 189.21 mittit Turnum contra Aſcanium 188.51 nuncios pro facienda pace ad Æneam mittit 189.23

Latium pars Thuſciæ à latendo dicta fuit 187.24

Latronianus ſeu Matronianus poeta 318.25

Lauarenſes & Portuenſes Antonio tributa ſoluere coacti 1056.24.31

Laudes Albani 1165.8, 1169.27, 1208.37, 1209.2

Laurentius Balbus Lilienſis 816.18

Laurentius Celtiber theſauri Pontificii cuſtos, martyr 304.19, 842.14

Laurentius Noghera 1199.25.35

Laurentius Petreius Tabora 1343.25, 1344.16

Laurentius Pyrus Tabora 1371.15

Laus copiarum Hiſpanicarum cum periculo coniuncta 1150.1 Hiſpaniæ ab vbertate 65.38 euerſio eius 65.51

Lauſus Mezentii filius victus interficitur 189.14

Lazarus Bonamicus Doctor 824.7

Lazarus Martyr 1009.11

L. Cornelius Dolabella 939.19

L. Dexter hiſtoriarum ſcriptor prætorio præfectus 842.8

Leander, Fulgentius & Iſidorus fratres 810.11
 Chriſtianam religionem docuerunt Gothos ib.14 eius vitâ Gothi ab Arriana hæreſi ad fidem Catholicam conuertuntur 5.50 eius libri 5.51 6.1 docet differentiam fidei Catholicæ & hæreſis Arrianæ 5.53 eius mors 6.8 eius cum Gregorio amicitia 345.36 eius concio 352.18

Legati duo ad Papam mittendi 1120.38

Legati Gubernatorum Luſitanicorum 1125.53, 1129.48

Legatio Ducis Bragancia ad regem Philippū 1129.51
 Luſitanica 1292.47
 Romanæ Eccleſiæ in Hiſpaniam 144.47

Legati Pontificis Eugenii ad Æthiopiæ Imp. 1298.50 Philippi Hiſp. Regis in Luſitaniam 1035.35 1039.57, 1091.39 Regis Luſitaniæ 1291.54 Sophari qua de cauſa ad Maſcaregnam miſſi 1329.54

Legatus Æthiopiæ cur ad Papam Roman. miſſus 1310.12 Luſitanorum in Galliam 1041.51, 1101.39 Regis Hiſpaniæ 1104.28

Leges & tabulæ Alfonſinæ 812.2

Leges Ieſuitarum circa ſumptus ſeueræ 1066.35

Legibus Tagi, Reges & principes Aſiæ & Africæ parere coguntur, & Luſitanis tributum ſoluere 889.35

Legio condita 298.19
 vrbs regia facta 426.12
 capitur 89.4

Lemica vrbs, Galleciæ caput 809.6

Lemouices & Aruerni Pacta 1260.45

Leo Henriquius 1109.38

Leonora Fernandi Viſeenſis Ducis filia 1266.43 locata Federico III. Rom. Imp. ib.44 Romæ cum Imperatore a Pontifice coronata ib.48

Leonora filia regis Alfonſi II. nupſit Regi Daciæ 1242.27

Leonora Nonia Concubina Alfonſi XI. Caſtellæ regis 1261.20

Leouigildus Gotthorum rex 158.37
 vxorem duxit nomine Theodoſiam 47.53
 Liuba mortuo regnum Hiſpaniæ & Galliæ adeptus eſt 47.54 bello delectatus multas ciuitates ſibi ſubiugauit 47.59 parricida 48.4

Arriana

Arriana hæreſi infectus Leandrum & Mauſonam Epiſcopos in exilium mittit 48.9 *apoſtatas fecit* 48.13 *Leges correxit* 48.22 *morbo affectus prædictos Epiſcopos cum Fulgentio iuſſit ab exilio reuocari* 48.24 *obiit mortē ib. Hermigildum filium ſuum ob Catholicam fidem interficit* 158.38 *Regnum delet Sueuorum* 158.44

Leouigildus Veſegothorum Rex 946.4

Lecti ſtragula & Vitrea vaſa ex vrbe Barcinone *Romam deferuntur* 846.39

Leuuigildus *Rex* 342.51 *filii* 343.1 *veſte diſcreta à populo primus eſt vſus* 349.33

Lex Toletana & Lex Romana 466.3

Libellatici qui 304.5

Liberalis tanquam Dionyſius prouerb. Portugallorum 1260.2

Liberata & Quiteria Martyres 311.18

Liberatio Ciuitatis Roderici *ab hoſtibus* 122.27

Liber Damiani à Goes *de Æthiopum moribus in Vniuerſitate Louanienſi approbatus* 1288.45

Liberi Matildi *nulli* 1106.13

Liberi Regis *Hiſpaniæ vocantur* Infantes 88.22

Liber in igne ſeruatus 107.19

Liber Toletanæ Eccleſiæ Smaragdinus dictus 1009.26

Libido Ant. Cratenſis 1207.32

Libora Carpetaniæ vrbs 1014.44

Libri octo legum Eccleſiæ 1303.46 *quid in eis tradatur* ib.50

Liburnum 1071.41

Licentia armorum capiendorum Monachis conceſſa 1150.40 *plures ducendi vxores & concubinas* 62.12

Licianus 808.12

Licianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus 6.9 *eius opera & ſcripta* 6.10 *veneno extinctus eſt* 6.13

Licinius Poeta, Aurelii Auguſtini alumnus 842.17

Lignei equi 1363.41

Lignum crucis Chriſti quale 1292.25, 1303.20

Limitanei Duces, Marchiones dicti 943.58

Lingua latina græcæ filia 818.19

Lingua Portugallica 1128.59

Liſybona 1089.30, 1090.21, 1095.58, 1097.33, 1104.19, 1106.41, 1115.9, 1117.28, 1123.7, 1126.4, 1130.25, 1131.9, 1142.2, 1143.54, 1144.8, 1145.5, 1147.43 *ſeruis & idgenus aliis referta* 1160.27 *ſola* Antonio *reſtat* 1153.56 *vrbium totius mundi maxima* 1185.56

Liſybonenſes 1159.39, 1160.19, 1161.42, 1163.49, 1164.12, 1165.20

Litaniarum vſus in Hiſpania 335.39. 361.43

Litteræ ad Albanum 1125.9 *ad Epiſcopos ciuitatum Portugalliæ cur ſcriptæ* 1043.38 *ad Papam* 1123.12 *ad Priorem in Galliam datæ* 1190.52

Litteræ Albani 1081.19 Alexandri III. *Pontificis Romani ad Cerebrunum Archiep. Toletanum* 484.16 *Antonii Regis ad omnes Portugaliæ ciuitates* 1047.11 *Bataziti Turcarum* Imper. *ad* Baudelem Regem *Granatæ* 867.27 *ciuium Portuenſium* 1173.26 *Coii Sofari ad* Ioannem *Maſcarenam & quid iis contineatur* 1350.2 *Sopharii ad finitimos reges quales* 1349.16 *Dauidis* Imp. *Æthiopiæ ad Luſitaniæ* Regē 1293.31 *eiuſdem ad* Ioannem *Portugaltiæ regē* 1295.53 *Ducis Barcellenſis* Iunioris *ad patrem* 1123.37 *Emanuelis à* Brito *ad* Gratianū *à Naronha quid nuncii adferant* 1324.29 *Emanuelis Roderici ad* Ioannem *Dabreum Chaulum quid declarent* 1357.6 *Franciſci Melii Comitis Tentugelenſis ad Sebaſtianū Luſitaniæ regē* 1071.6

Litteræ Impoſituræ falſo ſigillo Reginæ *munitæ* 140.20

Litteræ in Hiſpania inſtauratæ reflorēſcunt 822.53

Litteræ Iohannis *Auſtriaci in Hiſpaniam* 1073.35 *Maſcaregnæ ad Sopharū quid contineant* 1350.7 *Paſchalis* Romani *pontif. ad* Didacum Gelmirium *Compoſtellanum Epiſcopum* 505.24 *per Franciſcum Villaſagnam allatæ* 1181.29 *per miniſtros Hiſpanicos interceptæ* 1146.1 *Philippi regis Hiſpaniarum ad regem Luſitanū manu propria ſcriptæ* 1073.59 *Terceram miſſæ* 1179.47 Regis *Æthiopiæ ad Pont.* Rom. 1297.44 *eiſdem quid petatur* 1299.3 *altæ eiuſdem ad eundem* 1299.50 Regis *Cambaiæ ad ſuos milites* 1357.47 *regis Catholici Liſybonam* 1091.40

Literarum adiumenta in Principe 814.20

Litorii miſerabilis interitus 43.40

Litigantium querelæ cur in Æthiopia ore peragantur & non ſcriptis 1311.55

Littus Algarbij 1152.10

Surraticum 1343.15

Liuua primus Rex 342.47 *ſecundus* 355.10

Lixus idem Ptolomæo qui Luſſus 1080.13

L. Licinius ſecundus & L. Licinius Sura Conſules Barcinonenſes 841.33

L. Marinæus Siculus 822.39

Lobi 1141.19.35

Loca ad fauces Herculei freti ſita 1064.35

Loca quædam Africæ *Mauris erepta* 1064.31

Locus à ſancto Antonio denominatus 1157.10

Lodouicus Soſa turri D. Thomæ præfectus 1331.54

Lolliani declamationes, quæ tribuuntur Quintiliano 303.53

Longarum nauium inuentores qui 226.20

Longobardorum Reges Italiam *in Comitatus & Ducatus diuidunt* 943.57

Lotharingiæ Ducatus ad Henricum IV. *Imp. deuolutus* 1226.3 *ſæpius dominos mutauit* ib.

Louaniū obſeſſa à Martino Roſſemio *Duce* 824.57 *à ſtudioſis erepta* 825.1

Louresium 1173.18

L. Poſthumii Albini pugna cum Vaccæis 932.54 *victoria de Luſitanis* 933.22

Lucanus poeta cum multis principibus in exitium Neronis conſpiraſſe dicitur 806.52

Lucas Tudenſis 574.26 *nouæ ſectæ auctor* 556.10 *eius verba de homicida & hæretico quodā* ib.21

Luccialius pirata nobilis 1191.35
Lucenſe Concilium 341.1
Luccius Pignatellus 1214.42
Lucius Piſo prætor Hiſp. 857.33 primium legem de pecuniis repetundis tulit 857.41
Lucius Pontifex 303.58
Luctus Aldefonſi Regis de mortuo filio 110.47 Regis Æthiopiæ ſuper morte Oratoris ſui Matthæi 1294.22 & ſuper Nauparenſis ſui & Emanuelis Luſitaniæ regis morte 1296.13
Ludouici ſancti Regis Literæ ad Toletanos 594.56
Ludoicus à Silueira 1321.40
Ludouicus Auila rerum geſtarum Cæſaris in Germania ſcriptor 819.34 Britus 1121.39 Cæſar 1130.22, 1144.3 Catena Complutenſis Academiæ Cancellarius 816.25 Contignus 1088.28 Dataidius 1074.40, 1189.44 de Granata 1209.38
Ludoicus de Ouara 1128.2, 1151.39, 1167.14
Ludoicus de Sylua 1080.1
Ludouicus Dux Pacẽſis filius regis Emanuelis 1270.6, 1245.11 Princeps laudatiſsimus ibid. 12 matrimonium cum diſpari ib. 14 eius pudor ib. 53
Ludouicus Galliæ Rex venit in Hiſpaniam 523.37
Ludouicus IX. rex Galliæ 1230, 51 in ſanctorum numerum adſcriptus ib. 52
Ludoicus XI. rex Galliæ 1198.47
Ludoicus XII. Galliæ rex 1093.56
Ludouicus Hutinus Nauarræ Rex 647.59, 648.1 Mauriquius 1102.23 Mellus Mendoza 1340.31 Meneſius 1293.6 eiuſdem literæ ad Rodericum Limium ib. 10 Molinaus 1106.37, 1182.30 Molina 1035.38 primogenitus Emanuelis Quadrageſima 1068.44
Ludouicus Soſa Thomeæ turris præfectus 1337.10 1360.37 virtutis ſpecimen edit ib. 40
Ludoicus Syluius 1094.24
Luibanis Rex 10.37
Luiba Rex Gotthorum Leouigildum ſucceſſorẽ & participem Regni facit 47.50
Luiba Gothorum Rex creatur 49.16 initio regni à Victerico interfectus 49.20 poſt hunc Victericus regnum occupat 49.21 victoriæ expers in gerendis bellis 49.23 gladio interiit 49.26
Luitprandus Ticinenſis Diaconus 442.27
Lumen inferentes pueri, Vincamus, dicunt 315.1.3
Lunæ mons, aliis Sintria mons dictus 912.39
Lunarium, Magnum, promontoria 839.1
Lupanaria vnde dicta 190.3
Lupi ducis fuga 59.5
Lupi Ferrentii facinus memorabile 136.50
Lupius Auellaneda 1050.11
Lupus Almeida primus Comes Abrantenſis 1266.46 Figueroa 1186.54, 1187.7, 1188.37, 1190.33, 1197.21, 1200.54, 1203.7, 1214.41, 1216.35
Hercera 816.18
Soarez 1292.51
Luſitania 1093.46, 1094.38, 1095.7, 1096.9, 19 1101.51, 1102.28. 1124.22 vnde dicta 899.13 quæ dicatur 900.55 eius initium 901.47, 903.2 in quot prouincias diuidatur 903.20, 943.49, 979.57, 1017.7 amnibus multis irrigua 917.40 eius fertilitas 927.4 eiuſdem termini varie deſcribuntur 900.21, 903.36 copiis Philippi circundata fere tota 1127.46 qualis tempore Comitis Toloſæ Raimundi fuerit 1064.6
quomodo Gubernatorib. diſtributa 1041.34
vetus 1062.50
Luſitani M. Petreii beneficiarii 941.29
qui vocentur 904.4 à quibus Belitani vocentur 900.3 Callaici dicti ib. 40 ambitioſi gloriæq; cupidi 11304.54 cõtra Hiſpanos obſtinatiſsimi 1111.24 Antonio Cratenſi addicti 1204.55
male ſe defendunt 1168.40, 1043.34 pertinaces & contra Philippum obſtinatiſsimi 1044.15, 1106.52 deliciis Aſiaticis corrupti 1066.21
gens aſſueta pugnare cum Romanis 910.37
Sergium galbam prætorem deuincunt ib. 46
eorum trecenti cum mille Romanis pugnant & victores euadunt 911.1, 935.27 eorum mores 911.25
rei bellicæ prorſus imperiti 1092.37
qualis gens 909.33, 1066.48 ſecundũ Valerium Max. gens barbara &c. ib. 49 deuicti a Bruto 939.14 a Dolabella ib. 19 a Licinio Craſſo ib. 28 homines inexercitati 1107.2 vehementer perturbantur 1139.20 in procinctu ſunt 1073.22 inſidiatores dicuntur 911.28 vim vi ſe repulſuros oſtendunt 1114.17 voluntarie Sebaſtiano militantes 1083.8 rebus magnis gerendis 460. annorũ ſpatio amplius intenti cruces ſuas in extremo Oriente poſuerunt 1066.18 captiui liberantur 1318.5
Luſitani à Maſcaregna eruptionem in hoſtes precib. & vi impetrant 1341.10 ex arce in hoſtes erumpunt inuito Maſcaregna 1341.42 male accepti repelluntur in arcem ib. 50 victoriam obtinent à Mahumetanis 1340.42 ab igne ſe defendunt 1362.3, 5 eorum repentina trepidatio ib. 53 obſeſsi conſilium hoſtium obſidionem ſoluentium læti expectant 1364.13
Luſitanis Dii obſeſsis nouorum auxiliorum ſpes fit 1365.25
ſubſidia afferuntur ib. 30
Luſitanis ſubſidium Gallorum denegatur 1051.18
Luſitanorum fidelitas & conſtantia in rege ſemel ſuſcepto nunquam deſerendo 1249.2
fuga 1055.38
montes qui 912.32
Regum inſignia 515.35
militum numerus 1348.2
naualis expeditio in regnum Cambaiæ, & res in eo geſta 1373.30, 1374.10, 50
variæ prælia 929.24

Luſitanum nomen barbaris terrori eſt 1349.31 1378.10
Luſitanus per Hiſpanum honorificètiſſimè exceptus 1070.13
Luſonum gens vbi 900.13
Luſus Rex Hiberiæ fingitur 899.29
vitis inuentor ib.32
Luſſus fluuius 1081.27
LX.triremes Hiſpanicæ 1049.51
Lybia Caſtrum caput Ceretaniæ 55.24
Lyſſa quid deſignet 899.23
Lyſitania vocabulo qui vſi ib.45

M

M. Acilius Prætor vlterioris Hiſpaniæ 856.45 *M.* Acilius Glabrio 931.19, 933.34
Machabæorum mentio 262.35
Macrobius Diaconus 14.44
aduerſus hæreticorum verſutias ſcripſit 14.45
Madaba regia ciuitas 1333.41,1355.37
Madera 1064.37,1178.48,1207.39
Madridum 1094.40,1109.32,1125.33,1194.30, 1211.26
Magnalia bellatorum 136.3
Magdalena Comitiſſa Bononienſis 1093.29
Magdalena Gironia 1099.6
Magiſter equitum, nempe Condeſtabile, qui primus in Caſtella 732.51
Magiſtratus Cameræ Liſybonenſis 1159.34,1167. 54
Magiſtratus ciuiles ad officia Eccleſiaſtica non idonei 1066.42
Magiſtratus vendere 301.58
Mahaldam formoſiſſima Sanctii I. *regis Portugal. filia* 1257.18 Henrico I. *Caſtellæ regi nupſit ibid.*20 *à quo ſeparata* ib.
Mahametus Faba 1082.23
Mahometes aduerſus Romanos rebellat 23.57
ſuæ ſectæ nequitiam prædicat 49.56
Ciuis *Emeritenſis* 75.48 *contra Regem* Aldefonſum *bellum gerit* 75.55 *victus capite mutilatur* 75.56 *Rex* Agarenorum *in montanis exercitum ſuum congregauit* 132.50
Mahometes naſcitur 162.40 *cor eius Arabum corda pondere ſuperauit* 162.54 *Iudæo geneatico informandus traditur* 163.6 *primum tres vxores, mox* 18. *habuit* 163.19 *in* Arabia *ſectam ſuam inchoat* 163.36,165.59 *fingit Alcoranum ſibi ab Angelo datum* 163.48 *præcipit in turribus templorum Sarracenum proclamare* 163.55 *inſtituit ieiunia triginta dierum* 163. 58 *contra Romanum imperium rebellare cogitat* 164.3 *inſidens beſtiæ* Aboras *Hieroſolymam proficiſcitur* 163.37 *Ciuitates ad rebellionem incitat* 164.15 *eiuſdem victoria contra Romanos* 164.22 *rex creatur* 164.32 *fabulis populum ſeducit ib.*36 *eius commenta & ſomnia ib.*40 *in ſeptem cælos ſe ab angelo* Gabriele *perductum excogitat* 165.11,29 *diſceptat cum Coraxinis de Lege eorum* 165.42 *ſe in contemplationem inuiſibilium rapi fingit* 166.3 *eius mors & ſepultura* 166.12
Mahomath 2. *in regno patri mortuo ſuccedit* 176. 26 *Toletanos rebellantes bello aggreditur ib.* 30 *eos debellat & ſibi ſubiicit ib.*42 *contra Nauarros bellum gerit ib.*54 *Emeritam rebellantem cæpit* 177.1 *Toletanos ſecunda vice rebellantes debellat* 177.10 *relictis* 34. *filiis &* 20 *filiabus moritur* 177.20 *Ibne* Abenhamir *vocatur Alhagib.*178.22 *in prælîis fælix* 178.23 *rex creatur* 184.53 *occiditur* 184.55 *non venit in Hiſpaniam* 358.16 *Mauricæ gentis conditor multis iunctus vxoribus moritur* 404.58
Mahumetani cur colloquium cum Dienſibus petiuerint 1359.17 *iuramenti præſtiti admonentur* 1360.20 *milites à fœminis & turba promiſcua occiſi* 1361.16 *Luſitanorum raritatis per tres profugas certiores fiunt* 1339.54 *Iacobæam turrim penitus euertunt ib.*55 *varia ſorte cum noſtris pugnant* 1340.1 *Naiteæ omnium Cambaiæ populorum bellicoſiſſimi* 1373.41
Mahometi ſecta in Arabia *orta* 385.34
Mahometis imago ab hoſtibus capta 1361.31 *alia haſtæ affigitur* ib.46
Maia Athlantis *regis filia* 805.32 *maximis ab Hiſpanis exornatur honoribus ob doctrinã* 8 5 36
Maiules gens Tartarorum bellicoſiſſima 1377.39
Makaada alias Nicaula regina Æthiopiæ 1278. 46 *regina Saba in ſacris literis ib. peregrinatio eius ad Salomonem regem Iuda* ib.47
Malabaris 1065
Malabares Callicutii 1375.32.38
Malaca 1065.41 *ædificatur* 223.48 *eius porta Caua dicta* 385.13
Malta 1106.57,1113.28
Mamudius Sultanus 1329.28 *à Coio Sophiro ad arma incitatus ib.* *eidem bellum commendat ib.*37 *vrbem Dienſem ingreſſus* 1332.15.50 *cur caſtra deſeruit* 1333.40 *nepos Baduci regnum* Cambaiæ *obtinet* 1347.34 *necem auunculi ferre cogitur* ib.51
Mammen Albaytan miſere vexatur 170.3
moritur ib.5
Mancinus fœdus cum Numantinis 270.22
Marcius martyr 994.36 *ad nouum pagum iuxta Methynnam delatus fertur* 1007.5
Mancipii nexus eſt alienatio dominii 1240.52
Mancipium *vnde dictum* ib.51
Mandata *Pontificia* 1156.22
Manfredus Siciliæ Rex 601.36
Mangalorium *oppidum* 1374.54 *caſtrum euerſũ à Luſitanis* 1375.10
Manicongorum *Rex* 1285.23
Luſitanis in poteſtatem ſe dedit ib.27
Chriſtianus effectus 1287.46
Manſuetudo *Principum efficax ad demerendos hominum animos* 1263.31
Mantinus *primus Eboræ Epiſcopus* 298.28

Digitized by Google

Mantius Monachus Dominicanus profeſſor Theologiæ Complutenſis 823.12
M. Antonius Iuſtinianus Patritius Genuenſis 1141.38
M. Antonius Iuſtinianus Ligur 1045.26
Maqueda Regina Sabà 1305.54 *à Salomone leges & Prophetas didicit* ib.57
Mara fabaris portus 1321.34
Maranum, Iureſſum, Suaium & Murum montes Luſitaniæ 917.15
Marcelli & duo Senecæ vbi nati 858.47
Marcelli ciuitas in quo ſtatu tempore Tiberii & Caligulæ Impp. 858.55 *tempore Diocletiani* 859.13
Marcellinus *Italiæ presbyter* 15.52 *eius opuſculū* 15.53 *finem & præuaricationem Oſii deſcribit* 15.59,16.1
Marchia *Aragonis, nunc* Manchia 597.19
Marchio Aquilarienſis 1102.23
Marchio *S. Crucis* 1124.50,1152.9,1165.46,1166.20
Marchio Mondegiarius 1124.56
Marchio Oignonius 1156.20
Marchio Veleſius 1096.46
Marchionis creandi ritus priſcus 198.8
Marchionatus Salucenſis 1196.7
Marcioniſtæ duos Deos fingunt 15.16
Mardan *æmulus Ibrahem* 172.25 *quem & ex inſidiis interficit* ib.26
Mare Atlanticum 1062.46 *Balticum* 1202.19 *Botnicum* 1314.27 *Indicum hyberno tēpore imperuium* 1362.39 *rubrum* 1065.27
Mareſcalcus Caſtrorum magiſter 732.52
Mares fœminis in ſucceſſione regni anteponendi 1037.29,33
Mariæ *Magdalenæ reliquiæ Maſſiliæ eſſe feruntur* 1009.6
Mariani Montes, *alias Sierra Morena, id eſt, Moreni montes* 210.3,853.58 *harum pars verſus* Cordubam *dicitur ſaltus Caſtulonenſis* 854.1
Maria *Antonii conſobrina* 1150.38
Maria Auguſtæ filia Caroli V. Imp. 1269.56 *Cæſaris* Maximiliani *II. vxor* ib.57 *ex Bohemia in Hiſpaniam Vlyſſibonem aduenit* 1276.20 *lætitiam vrbis fratri gratulantis adauget* ibid.21 *in monaſterio ſe abdit* ib.22
Maria *Coronelia libidinem igne extinguit* 691.7
Maria *de Toledo* 1097.5
Maria *filia Iohannis* III. *Portugaliæ regis* 1247.21 1271.42 *Princeps laudatiſſima* 1247.23 *nupſit Philippo Hiſpaniarum regi* ib.24,1271.43,1092.26
Maria *Honorii vxoris ſepulcrum Romæ repertum* 323.48
Maria, vidua Maximiliani II 1194.26
Maria Padellia 691.17 *obiit* 705.11
Marini & eorum regnum 1237.7
Marinus *Perſa* 4.24
Mario piſcis vbi capiatur & à quo ſic vocetur 920.26 *qualis ſit* 920.54
Ma*rmellarium oppidum* 979.33
Ma*rmor fluuius* 1078.11
Maroan *Arabum* Rex *Conſtantino Imp. tributum ſoluit* 167.7
Ma*rrani vox vnde* 406.44
Marrocos vrbs regia 186.26
Mars belli Deus ex Gotthicis *dicitur ortus* 34.19
Marſilius Ficinus 823.4
Martialis occiſus 301.31
Martialis poeta 297.50
Martini *Præſulis Toletani mors* 25.28 *huic ſucceſſit Rodericus Ximenius* ib.
Martinus A*ſpilcueta Nauarrus* 997.33
Martinus *à Portugallia* 1286.5,1288.13
Martinus *Bracarenſis Archiepiſcopus* 343.27
Martianus *Capella* 815.43
Martinus *Caſter nauarchus longæ nauis Luſitanorum* 1375.58 *Correa de Sylua* 1077.23,1116.51 *de Burgundia* 1076.13
Martinus *Dumienſis Monaſterii pontifex* 4.41 *ex orientis partibus in* Gallec*iam venit* 4.42 *cōuerſus ab Arriana hæreſi ad fidem Catholicam* ib. *multa bona opera præſtitit* 4.43,44 *Sueuos ab Arriana hæreſi deducit* 158.29 *eius ſcripta* 340.37
Martinus *& Nunnius idem* 675.22
Martinus *Ferraria* 1378.5
Martinus *Ficaretus Iureconſultus* 924.33
Martinus *Flectius Conimbricenſis arcis præfectus* 1249.23 *obſeſſi fidelitas in Dominum* ib.24 *factum præclarum* ib.31
Martinus *Gonzales* 1043.37 *de Camera* 1068.15,1119.52,1120.24,1127.4,1144.2,1148.3
Martianus *Imperator mortem Attilæ in ſomnis præuidet* 153.14
Martinus Lopezius *Azenedus* 1175.10
Martinus Martini *Regis Aragonii filius* 753.20 *obiit* 775.29
Martinus *Momblanci* Dux *ſuccedit fratri in regno* 759.22. *obiit* 777.39
Martinus *Padilla Caſtellæ Præſes* 1048.36
Martinus *presbyter multa ſcribit* 540.47
Martinus *quintus Pontifex* Max. 788.2
Martinus *Vazeus* Pachequs 1326.8
Martino *Turonenſi templum in Calacia ædificatur* 340.46
Martis dies male ominatus dicitur 615.39
Martyres à beſtiis non tanguntur 311.23
Martyrum reliquiæ feruntur in thenſis 375.28
Martyrium Hemergildi 48.3
Maſcaregnas Ioannem Caſtritium inſidiarum Sophari certiorem facit 1330.18
Maſcaregnas certior fit propoſiti Sophari per exploratores 1332.16
Maſcaregnas quo aſtu hoſtium conatus fruſtratus ſit 1334.36.&c

Maſcaregnas celocem ad Proregem ad copias ſubſidiarias petitum expedit 1335.44 inconditis militum clamoribus de eruptione facienda conſentire non vult 1341.30 tandem permittere inuitus cogitur ibid.43 quas tabulas Sopharo adferri curauerit 1351.5 arcem præfectis defendendam diſtribuit ib.42 quid Rumicano renunciari iubeat 1359.14 optimi Ducis officio fungitur 1360.18 eius oratio ad milites ſuos 1367.37 ſuos increpat 1367.46 hoſtium conatus impedit 1334.3 iniuriis petitus ib.26

Maſſilia quando condita 191.7,226.26 diripitur ab Alfonſo Rege Aragoniæ 795.24,31

Maſdra Sueuorum Rex 158.8,330.12

Maſſa candida 306.47

Maſſarella 1174.39

Maſiniſſa 252.11,39 amicus fit Scipioni 258.30

Mathematici prædictio de Alfonſo Aragoniæ Rege 791.10

Matildis comitiſſa Boloniæ in Picardia 1064.13, 1093.13,1103.30

Mathildis Comitiſſa Bononienſis 1234.10,1258.52 encomium eius 1234.20 parentes & genus 1232.29,1258.53 nupſit primo Philippo Criſpo Philippi Aug. Galliæ regis filio 1232.33 ſecundo Alfonſo Infanti Portugaliæ ib.37, 1253.52 à quo repudiata ob ſterilitatem 1232 41,1259.2 mortua ſine liberis 1232.57,1234 43 eius literæ ad Alfonſum prædictum Regem Luſitaniæ 600.21

Matrimonia diſparia Principum infelicia 1245.34 exempla huius rei ib.38 inter græcos & Latinos iuſta non habebantur 655.33

Matrimonium Clericis contrahere vbi conceſſum 1304.52,1305.6 Ducis Cantabriæ & filiæ Pelagii 71.37 Henrico Regi ſuaſum 1038.6.1104 12 inuitum Taraſiæ 90.22 Regis Ferdinandi cum ſorore Veremundi Regis Legionis 97.20 Regis Legionenſis cum filia Nobilis Regis Aldefonſi 126.54

Matrimonium vbi contrahi debeat 1305.10 Vrracæ Reginæ cum Comite Petro de Lara impeditum 113.36 Regis Aldefonſi filiæ cum Aragoniæ Rege 111.21

Matronæ honeſtæ contra libidinem Antonii tutæ nõ ſunt 1207.28

Matronianus Bæticus, poeta 809.2

Matthæus Armenius Legatus & Orator Æthiopicus 1291.31,1292.16 Regi Emanueli crucem ex Ligno Chriſti crucis donat 1291.37,1292.21 reuertens in patriam moritur 1293.1 cur res Æthiopiæ perſpicue ſcire non potuerit 1311 34 à quo ad Emanuelẽ Regem Luſitaniæ miſſus 1311.58,1312.1

Matthias Archidux Auſtriæ 1193.12

Matti 1141.19

Maula Arabum Rex 167.2

Maura oppidum, nunc Arucci 951.6 vnde ſic dicta ib.23

Mauritania Tingitania 1064.31,1067.8

Mauregatus Rex centum virgines dat Mauris quotannis 407.7 eius in Deum & homines peccata 72.57

M. Aurelius pluuiam impetrat Chriſtianorum precibus 299.45

Mauri 1066.49,1067.8,1079.31,1082.5,1113.36,1114.39 vnde annos auſpicantur 393.3 auri auidiſſimi 1296.37 debellati 1064.18 ingenio mobili & perfido 1032.58 Hiſpaniam occupant 1064.1 multa oppida capiunt 385.45

Mauri equitatu rege Sebaſtiano longe ſuperiores 1074.49 cadauera in prælio cæſorum ſpoliant 1088.12 Mahumetani concordes contra hos bellum gerunt 1209.23.31

Mauritani qui 240.4 bellum gerentes cum Syracuſanis victi 240.11

Mauri Tingitani bello per regem Sebaſt. impetiti 1062.25

Maurorum primus aduentus in Hiſpaniam 385.32 multa regna in Hiſpania 559.42,45 imperium quando Corduba inchoatum 403.20 bellum cum Chriſtianis commiſſum 518.26 eorum ſtrages & numerus interfectorũ 551.17

Mauritius Auguſtus Imperator 5.45

Maurufia vallis vbi & cur ſic dicta 885.8

Mauſona Emeritenſis 347.55,350.26

Maximilianus Imperator 814.22

Maximilianus I. Cæſar Princeps laudatiſſimus 1266.53 natus ex Leonora & Federico III. Imp. ib.54 Proauus Philippi Catholici Hiſpaniarum regis

Maximus Cæſarauguſtanæ vrbis Epiſcopus 6.39, 809.22 ſcripſit hiſtoriã de rebus Hiſpaniæ 6.40

Mazagon 1064.35,1067.10,1077.25,1191.40

M. Cato ſeptuagenarius græcas literas didicit 824 31 Galbam perfidiæ accuſat 934.3

Medicina & Aſtronomia in Hiſpania quando viguerint 811.13

Medicina ab Hippocrate & Galeno in lucem reuocata 815.47

Medicina Hiſpanorum 822.54

Medina Celina Duces vnde genus deducant 715 37

Medina Sidonia 1077.12.1123.23

Mediolanenſes 11113.17

Mediolanenſis ſynodus 314.28

Meidubriga oppidum à quo expugnata 914.28

Meidubrigenſes cur plumbarii dicti 914.25

Meilech filius Salomonis ex Regina Saba putatur 1306.1 Dauid vocatur ib.7

Melchiades Pontifex. 312.2

Melchiazus Dienſis vrbis præfectus 1317.21

Melchior Amaralius 1210.11

Melchior Canus 817.28

Melchior monachus Franciſcanus 1179.12,27
Melchonu, id eſt, Saturni ſacra 224.58
Melinde 1065.25
Melaria oppidum 231.36 in ditione Methynna & Sidoniæ Ducum 807.22
Mellicola Rex 218.37
Membra corporum humanorum in fruſta cæſorum loco trophæorum lata 1188.11
Memmius Pompeii quæſtor à Sertorio deuictus 940.19
Mendacem oportet eſſe memorem 1227.48
MendoZiæ gentis prima mentio 552.16
Menera 1081.3
Meneſius 1158.3
Mendus Motta 1152.7
Menilech reginæ Saba putatur filius ex Salomone 1278.50 rex Æthiopum ibid. liberi & ſucceſſores ibid. 56.& 1279.1 &c.
Mequiquentia, Cæſari octogeſa 510.40
Mercator quidam Hiſpanus 1169.21
Mercenarii monachi 568.3 confirmati 577.47
Merida 1126.24,1127.27,1132.44
Merini gens Maurica 602.23
Meroe inſula 1286.27
Mete Inſula ſinus Trogloditici 1376.5
Methymna oppidum 978.13
Metropolitani aliquando vocantur Primates 483 17 eorum prima mentio 313.28
Metus Francorum 59.2
MeZentius occiſo filio cum Aenea vice ſecunda pugnat 189.15
MeZquita Maurorum, Eccleſia Chriſtianorum facta 106.24
Michael Cardona 1204.5 Morus 1091.19 Norogna 1072.53,1083.14 Oquendius 1203.41
Michael Palæologus, Theodori Laſcaris filio occiſo, Græciæ Imp. occupat. 955.35
Michael Silnius, ex Epiſcopo Cardinalis creatus 987.53,1210.49
Miles Chriſtianus militem Maurum quanto ſuperet interuallo 1079.56 è pagis Luſitaniæ promiſcue collectus 1051.24,1147.21 Hiſpanus 1167 56 prouincia Cambaia in aduentum Turcarum paratus 1321. 35 quidam Hiſpanus, de pretioſis rebus, tanquam lytro ab Antonio acceptis Philippo ſuſpectus, incarceratur 1178.19
ſclopetarius 1157.27
Milicus potens opibus in Hiſpania 219.17
Milites ad reſiſtendum inimicis eliguntur 190.32 à mulierculis pecuniam exigunt 1337.32 ab eiſdem viriliter repelluntur ib.34 omnes ſcopulis excepti miſere intereunt ib.39 gregarii ſuſpenſi 1206.32 Hiſpani in aquam ad gulam vſque irruunt, vt ad naues remotiores perueniant 1187.58 Luſitani 1151.52,1167.2
à Prorege Indiæ vrbi Dienſi ſubſidio miſſi quot 1324.21
qua ſolemnitate ſepulti 1337.58,1338.2
Maſcaregnam non audientes miſere pereunt 1339.3,11
eorum nonnulli exhalantes reperti ib.32
Milites in Caſtella ſine Tympano conſcripti 1072. 58 multarum nationum 1125.40 exterarum gentium à Baduco illecti 1348.11.
Moleis collectitii 1081.56
muris conſcendendis deſignati rubro panno cur veſtiti 1323.36
veri, quo hoſtem maxime ſuperari poſſe ſtatuant 1075.6,&c. veterani è Belgico aduocati. 1137.5
Militia à Ioanne I. Caſtellæ Rege inſtituta 746.11
Militia Ieſu Chriſti ex bonis Templariorum inſtituta 1260.50
Militum quatuor millia in caſtra ad Dium à rege Cambaiæ miſſa 1335.49
Millenarii quales 201.28
Mina 1070.39,1065.20
Minæ petitioni regis Hiſpanici Philippi tacite miſtæ 1111.30
Miniſtri Antonii 1160.33 Ducis Albani 1189 3 regis Philippi quales fuerint 1149.53 Hiſpanici 1144.42,1158.8 Pontificii 1181.3
Minius fluuius 836.23,926.9,1062.49,1153.44 1170.48,1178.13,1179.18,1188.42,1196. 26 &c.
Mira Gotthi cuiuſdam reuerentia erga virginem, & pietas erga Deum 41.52
Miracula conficta, ad hominum ſibi concilianda ſtudia 1239.33 & exempla horum ib.36
Miraculi obſidio 138.8
Miraculum Tauri 87.54
Miraculum Vrracæ Reginæ Nauarræ 91.35
Miranda 1062.57,1151.42
Miramamolini Reges Mauri 369.14
Miramolinus Mauritaniæ Africæ Rex 979.29
Miramolinus Meuruſiorum regulus 980.24
Miri quiddam ventorum conſtantia 1293.8
Mirus Sueuorum Rex 158.35 cum Rucconibus prælium committit 158.36 moritur 158.39
Miſericordiæ templum Oliſyppone 886. 4 huius curatores, fratres Miſericordiæ dicti ib.8
Miſſa Spiritus ſancti 1117.10
Miſſa pro Henrico Luſitano mortuo celebrata 1121.28
Mitia Lopides ab Hara vxor Sanctii Capelli Portugalliæ regis 1258.34 à coniuge in Galleciam rapta abducitur ibid.39
M. Marcellus totam Hiſpaniam gubernandam ſuſcepit & quando 856.35
Moabia Benhumeiarum gentis conditor 404.17
Moabias Rex Arabum 166.29 eius prælia 166. 31 Conſtantinopolim obſidet 166.45
Mogores qui 1318.54 vnde oriundos ſe dicãt ibid. 57
Molatecanus primum in regno Cambaiæ locũ obtinet 1338.30
fugæ ſe committit 1344.54,1372.10
literas ad Rumicanem attulit. 1363.52,&c.

Molina

Molinæ 1081.3
Moletus Dau 1078.18 Hametus 1068.55,1090. 10 Mahametus 1069.26,1080.26,1082,2, 1085.56,1088.20 Mahametus Xeriffus 1068. 54 Molucus 1069,13,1071.53,1074,20.1077. 40 Xeques 1078.27
Moluca inſula 1065.45
Molucus 1081.59.1082.9.&c homo magni & intrepidi animi 1078.31
Molucus moritur 1034.24
Molucus Mahametus iam iam animam exhalaturus 1c84.30
Mompellerii principatus Petro Aragonio dotalis 546.51
Monachi 1159.45. Apoſtatæ 1172.16 ad concilium Tridentinum à Cæſare vocati 816.48 adulteri quomodo plectendi 1305.12 arma capiunt 1150.40 bellicis rebus ſe ingerunt 1207. 23.&c. diſcalceati 1156.5 Franciſcani 1160. 9.1180.23. non temere ſunt irritandi 1131.3 ordinis S.Hieronymi ib.17 prouincialem ſuum verberatum in cellam includunt ib.26 quidam Caſtellæ regi Henrico morituro adſunt 1119.15
Monachus ordinis D. Antonii Eremitæ qui debeat eſſe 1311.9 quidam Auguſtinianus 1187.42
Monarchia regis Fernandi 99.1 Siciliæ 494.39
Monaſteria virginum Veſtalium Liſybonenſium 1168.26
Monaſterium 1231.30 Albocaſſæ 1089.35 Arouca 1177.26 Belemenſe 1121.20 Conimbricenſe S.crucis nomine extructum 514.54 Griſum 1174.31 monachorum ordinis Chriſti 1183.13 primum ordinis Franciſcanorum conditum 1257.26 Sanctorum 1210.54 S. Franciſci 1180.19 Sanctarenenſe 1116.43 S.Rocchi 1168.29,1200.18, virginis Belemiæ 1131.27
Moncadarum conditor 514.46
Mondegiarium 1107.9
Mondegiarius Marchio 1124.56
Mondenarus Italus 1204.27
Monetæ primus vſus 221.19
Moneta Ermenegildi 861.1 eius inſcriptio loco teſſeræ militaris fuit. ibid.5 vbi reperta fuerit ib.12 Piſonis 274.31 Sertorii 276.33 Cariſii 289.38 Ermenigildi 345,28 Liuuæ 355.17 Iaqueſa 583.9 Pepiones, Burgalenſes, & moneta nigra 596.22,26
Moneta Clanienſis vrbis 294.54 nomen Antonii præ ſe ferens excuſa 1150.27.1207.10
Monetale vectigal 546.44
Monothelitæ & Apollinariſtæ damnati 379.36
Mons Iouis vbi ſitus 844.29 eiuſdem fanum vbi ib.49
Mons maior 1148.38, 46, 1170.36,1173.59, &c. Regius Gallecia oppidum 1004.25 Sinai parens eccleſiarum Æthiopicarũ 1305.29
Montanus Celſi ſucceſſor in Pontificatu Toletano 8.55
Montanus Toletanus Epiſcopus 337.22 eius caſtitas miraculo probata 337.28 multas epiſtolas ſcripſit 8.56 amatores Priſcilianæ ſectæ exprobrat 9.5 nouem annos Pontificatum geſſit 9. 16 infamiam miraculo propulſat 8.16.9.12
Montanus, Iulianus, Bacauda, Petrus ex ordine Toletani Præſules 351.35
Monteſia militia inſtituta 659.12
Monumenta Eboræ qualia 976.25.48 militum Rom. in bello Viriatino occiſorum 936.56.637. 18
Mora 1141.56
Moradia 1128.52 quid Portugalenſibus 1040. 58
Moralia D. Gregorii non extant in Hiſpaniis 51. 18
Morborum noua ſoboles in Portugallia quando viſa 1257.51
Morbus cum vomitu copioſiſſimo & febri continuus 1078.6
Morbus gallicus in prouincia Narbonenſi 60.51 Moluci valde grauis 1081.41.1078.19. Philippi 1165.8
Mors Abbatis Fiterienſis 119.10
Mores Hiſpanorum ad apoſtaſiam ab Eccleſia Rom. Belgas commôrunt 1114.30
Mors Aldefonſi 82.15 miraculo portenditur 111. 43. eius ſepultura 111.55 Aldefonſi regis Caſtellæ nobilis 138.41 eius ſepultura ib.50 Legionẽſis regis 145.34 Annæ reginæ Hiſpanienſis 1165.10 Auenabet 109.52 Comitis Garſiæ Fernandi 90.37 Gonitii 113.16 Gundiſalui 144.20 Vimioſii 1197.49 ducis Albani 1197.50.1208.32 filiorum Vitizæ & Comitis Iuliani 71.11 Henrici Luſitani 1119. 9 &c. Herculis 31.58 Iacobi Meneſii 1161. 14 Infantis Fernandi 128 49 commendatio eius 128.55 Infantis Sancii & Comitis Garſiæ 110.39 Nonii à Cunha Luſitanis noxia 1325.27 Pelagii 71.38 Philippi Strozzii 1197.49 Pinæ 1132.12 Reginæ Beatricis 146.35 Vrracæ & Geboiræ ſororum earundemque ſepultura 109.37 Regis Enrici 140.57 regis Henrici 1107.28.1189.4 regis Sebaſtiani Luſitanici in Africa 1076. 51 Sancii Auilæ 1211.41
Mortarium genus tormenti 1347.43 ſexaginta millibus aureorum ducatorum emptum ib.44
Mortuorum inſula 1369.15
Moſarabum Miſſa 70.46
Mos à carnibus abſtinendi diebus Sabbathi vnde in Gotthiam translatus 551.57
Moſchocaryon vnde aduehatur 1065.45
Mos Cardinalium in ingrediendo in vrbes 1156. 30 nobilitandi ob illuſtria militiæ facta 123.43

Mos Portugalliæ, quo regũ filiæ omnes reginæ vocatæ, quandiu durarit 1255.33 quo infantes dici ceptæ quando introductus ibid.35 Principum in titulis inſcribendis 1233.46 ſacras literas quadripartito explicandi improbatur 820.38 veterum, quo regum filii legitimi confirmabant parentum donationes & ſubſcribebant 1229.10
Mōtus Belgici 1073.31,1075.51 Hibernici 1192.59
M. Portius Cato Cenſorinus in vlteriorem Hiſpaniam venit 930.44
Muca dux Arabum, totius Hiſp. victor 854.37 eius teſtimonium de vrbe Corduba ib.43
Mucazenus 1088.2,1087.12,1081.35
Mudarræ ortus & poſteri 444.59,445.23
Muleius Hemetus frater Moluci nothus. 1078.13 Mahametus 1083.53,1088.2 à patruo regno ſpoliatur Africæ 1243.35, Marrochiorum rex 1273.18 à patruo regno Feſſenſi expulſus, Sebaſtiani regis Luſitan. præſidium implorat ibid.19 in prælio cum aliis duobus regibus cæſus occumbit ib.29
Mulei Malucus Africæ regno, ex fratre nepotem ſpoliat 1247.34
Muleius Xeques 1077.22
Multadas, Naumaſa, Nerua, Narius, Nauia, Nauillus, Negauicus, Oſigitanus, Pallantia, Fluuii 836.28
Muliebris audacia 1337.48
Muliercula Oetrenſis quædam ad Albanum accedit 1163.11
Mulier in prælio ab hoſtibus viſa 1372.13 pene metu exanimata 1360.55 eius vicina animo virili hoſtes inuadit ib.59
Mulieres bene moratas non ſolere bis nubere 1262.51 formoſæ Barcinone 845.8 grauidæ vbi ante partus tempus conſiteantur 1307.46 vbi circumcidantur 13 6.34
Mulierum ingens clamor 1361.5
Munatius Flaccus Pompeii nominis defenſor 941.31
Munatia gens in duas familias diuiſa 941.46
Munda fluuius & oppidum 836.25,923.45 auro abundat ibid.48 alias Fernentia appellatur ibid.57 alias Muliadas dictus 924.3
Munda ciuitas à Cæſare oppugnata eſt 943.11
Municipia quæ erant in Hiſpania 296.57
Municipia Coloniis prælata & cur 989.12
Municipes quales olim ib.13
Munitiones ad caput ſiccum 1129.47
Munitiones inſularum Tercerarum 1211.43 nullo cum iudicio factæ 1214.13 Setubali 1142.1
Munſterus Hiſpanos calumniatus refellitur 825,13
Munuza ſororem Pelagii ſibi copulauit 69.29. interficitur 71.28
Murgis & Muxacra idem 209.57
Murgis duplex in Bætica 217.52
Muri Aueri diuerberati 1173.50
Muria Barcinonenſis 846.35
Murtiæ dominus cum Arabibus inducias paciſcitur 67.56
Murus ante ſolis ortum extructus 1339.37. &c.
Muſices principes nobiliſſimi 820.43
Mutatio animi Henrici in negotio ſucceſſionis 1091.45
Mutatio officii Toletani populo inuito 107.22
Muzaraba qui 1005.25
Muza Arabum Dux exercitum Duce Taric mittit in Hiſpaniam 167.36,286.16 ipſe in Hiſpaniã veniens plurima occupat loca 167.38 389.53 menſam trecentorum & ſexaginta quinque pedum inuenit 167.40 ex Hiſpania reuocatur 167.44 à Taric apud regem Vlit delatus mulctatur 168.3 moritur 168.6
Myoparones Gallici tres 1196.38
Myrc Sucuorum rex ſeu Ariamirus 343.25
Myronis Barcinonenſis Comitis filii 435,48
Myrtilis oppidum, alias Mertola 952.36 à pace Iulia quantum diſtet ib.42

N

Nabantia vulgo Tomarium 1267.28
Nabuchodonoſor venit in Hiſpaniam 226.3
Narbona traditur Theudorico 45.49
Narbonenſe bellum Wamba rege 369.48
Narciſſus & Felix martyres Gerundæ 305.1.3
Narſinga tractus Arianorum in regno Cambaiæ 1374.48 à Luſitanis direptus ibid.50 magna in eo piperis copia ibid.
Nauarræ nomen 211.20
Naues Albani armatæ 1169.3 Anglorum & Gallorum 1132.10,1203.4,1205.35,1208.2, &c. appulſæ in portum Dienſem quot 1340.54 Belgicæ 1076.12 Biſcainæ 1201.40,1197.25 dux ad prohibendos hoſtes commeatu armantur 1331.46 ex India venientes 1195.57,1185.45 Gallicæ 1201.42,1205.35,1208.2,1212.21,1200.31 Indicæ 1073.16,1189.55, 1190.11, 1198.27 Dienſi vrbi ſubſidio venientes quot 1324.15 qualiter inſtructæ ib.19 Luſitanicæ 1128.38,1161.29,1164.26, 1167.30 mercatorum potius quam ad bellum gerendum paratæ 1077,16 maiores viginti quinque 1166:21 Mamudis & Sophari ad arcem Dienſem ſubſidio vlteriori prohibendam inſtructæ 1332.53 noſtrorum aliquot interceperunt naues ib.54 plauſtris impoſitæ & fractæ 1174.28 Septuaginta Proregis Indiæ 1343.11 Solimani à noſtris interceptæ 1321.25
Naue Toloſa, vbi victi Mauri 552.25
Naues Turcicæ à noſtris interceptæ 1368.36. quarum Dux Sofari propinquus pro ſuo capite triginta

ginta millia ducatorum offert ib.40
Nauicula pauca nautis non ſatis bene inſtructa 1174.59
Nauicula clam conſcenſa 1149.12
Nauigatio claſſis tam Gallicæ quam Luſitanicæ in Terceras 1181.24
Nauigatio in Indiam 879.32 huic præficitur Bartholomæus Didacus Luſitanus 879.39 regis Sebaſtiani in Africam prima 1062.19
Nauigationes Hannonis & Hemilconis 231.14 Hiſpanorum tam ad Orientem, quam ad Occidentem cui accepta ferenda 1265.11
Nauigium quoddam Gallicum è Tercera veniens 1190.12
Nauis aduerſus incendium illæſa permanſit 1353.4 Amiralis 1202.44,1203.3 Belgica 1189.22,1077.2 Biſcaina 1204.4.21,1203.28 Franciſci Bouadigliæ 1203.5 Indica 1199.58 1352.30 apparatu bellico cur inſtructa ibid. 31 Liburnica 1330.21
Nauarinum 1069.19
Nauarricum collegium Lutetiæ 628.47
Nauis Prætoria 1203.11 Setubalenſis Setubali per hoſtem capti nuncia 1152.59 S. Martinus appellata 1203.6,1201.20 S. Matthæus dicta 1201.21,1203,6.10 Villauizoſa 1203.48
Nauium 7. Hiſpanicarum præfecti 1353.41
Nautæ ſuſpenſi 1206.32
Neapolis Andegauenſibus dedita 795,52
Neapolitani 1113.17
Neminem ſuam rem vtiliter ſtipulari poſſe 1248.13
Nepotes cum patruo non concurrentes, an beneficio legis fruantur, qua hæredes poſſeſſoris vltimi in regnis ſuccedunt 1103.8
Nepos Albani 1169.32
Nerium promontorium hodie finis terræ 209.41, 839.16,904.30
Nero Claudius Imp. 806.49
Nicenum Concilium 312.56
Nicolaus Gilaus hiſtoricus 1229.52
Nicolaus Perottus epiſcopus Sipontinus 905.8
Niebla veteribus Elepla 579.54
Nigir fluuius 233.17
Ninus rex Aſſyriorum patrem ſuum Belum vocauit Deum 187.22
Niſus & Euryalus Turni exercitum aggrediuntur noctu 188.58 exercitu Turni dormiente galeam auream auferunt 188.57 ad ſyluæ latebras confugiunt ib.59 comprehenſi occiduntur 189.3
Nobiles annorum XII. ſtipendiis ornandi 1128.50,1040,56
Nobiles decollati 1206.31
Nobiles Hiſpani 1182.24 Luſitani Antonio addicti 1041.7 ſibi fuga conſulentes 1144.59 minorum gentium 1096.14 pauperes redimendi 1129.21 Portugalli multi 1063.44 regni Cochini, Naiares dicti 1324.56 Luſitanis inſeruire promittunt 1325,3
Nobilis Caſtellanus Antonii cubicularius 1161.58
Nobilitas Galliæ Alanconio addicta 1192.34
Noe cum filiis & vxoribus ſeminarium humani generis reſeruati 28.12 Noe habitatio 28.26 vocatur Deucalion 219.10 non venit in Hiſpaniam 213.36
Nomenclatura vrbium Hiſpaniæ 830.10
Nomen Chriſtianum in oriente extremo ne fando quidem notum 1066.19
Nomina multarum vrbium & epiſcopatuum 376.39
Nonius à Cunha Indiæ Prorex 1317.30,1322.36, 1324.8 cur regi Cambaiæ bellum inferre iuſſus ibid.32.&c. quibus conditionibus cum dicto rege pacem inire voluerit ib.53.&c. ad caput bonæ ſpei moritur 1324.25 Luſitaniæ prætor 1347.30 Indiæ Dux maximus deſignatur 1373.3 claſſe inſtructiſſima Vlyſſipone in Indiam ſoluit ibid.5 iuſſu regis Dium expugnare conſtituit ibidem 6. motus rebellium Indorum compeſcit ibid.8 Duces in diuerſa Cambaiæ ſinus loca emittit. 1373.22
Nonius Pereira. 1368.3 moritur ib.6
Nunnitus poſt Ioannem Gerundenſis Sedis Pontifex ſubrogatur. 10,41 inſtanter adhæſit obſequiis ſepulchri Fœlicis Martyris 10.44
Non vni cuncta Deus dat, prouerb. 808.5
Normanni proſternuntur & eorum naues comburuntur 87.5 vexant Hiſpaniam 415.45.416.2 eunt in Italiam, & eorum origo 473.50 naues eorum 70. incenſæ 176.51
Norognarum familia in Portugallia & eius initia 1262.55
Nortuegia vinum acidum reddit continuo 322.9
Nota I quam vim habeat 858.31
Notarius Apoſtolicus 1107.50,1131.32
Noua vota ciuium Oliſiponenſium 1250.24
Nouellus Complutenſis Epiſcopus 348.21
Nouem dies feſti in Chriſti memoriam inſtituti 1304.1
Noui motus in regno Caſtellæ excitati 528.26
Nox D. Iacobi vigiliis ſacra 1337.5
Nulla acceptio perſonarum apud Deum 1306.56
Nulli eruditione præſtātiores Hiſpanis inueniuntur 822.44
Nullus iudex cauſam legibus nō contentam audire tenetur, ſed Comes cauſam Principi præſentare debet 190.52
Numa Pompilius vir ſapiens Rex Romanorum 190.52 homines à vitiis abſtinere iubet ibid.56 primus monetæ inuentor nummos ſuo nomine appellat 190.59 moritur 191.1
Numantia hodie Soria putatur 817.44 Pelendonū vrbs 905.52,262.56 fœdus cum Romanis facit

262.1 *excinditur* 272.43 *bellum cum Romanis gerit* 262.52
Numantinum bellum quando ortum 935.6
Numatii Flacci nefarium facinus 284.23
Numerarii quales 203.6 *Tabularii dicti à Iuſtiniano* 203.9 *eorum pœna ob negligentiam in adminiſtrando officio* 203.10 *eorum officium damnatur in* Concilio *Toletano* XVI. 303,18 *qui exercuerit* ib.24
Numerus Arabum Caſtrum *Miraculum impugnantium* 138.17 *exercitus Mahometici cæſorum militum* 75,58 Epiſcoporum dedicationem S. Iacobi eccleſiæ præſentia ſua ornantium 80.2 *exercitus Agareni* 134.57 *Luſitanorum in arce Dienſi* 1321.41 *militum cum Sofare Dium vrbem ingredientium* 1350.51 *præſidiariorum in arce Dienſi* 1353.45 *occiſorum Arabum à Pelagio & ſuis* 70.25 *occiſorum in prælio Saracenorum* 135.57 *occiſorum Romanorum in ſexto prælio Scipionis cum Annibale* 192.6
Numerus occiſorum Saracenorum ex parte Almahadi 179.31 *Romanorum ciuium tempore Decemuirum* 191.28 *Turcarum in prælio terreſtri cum Dienſibus occiſorum* 1326.46
Numidiæ regis Tabellarius 870.36
Numitor à Remo & Romulo regno reſtituitur 190.7
Nummi regales argentei Caſtellani 1071.22
Nuncii miſſi ad Federicum regem Romanorum de procuranda regi Fernando vxore. 143.37
Nuncii quid de exercitu retulerint 1330.2 *Sophari ad Maſcaregnam quid rerum portent* 1330.28
Nuncius de clade Luſitanorũ qui eruperant, Goam *ad proregem delatus* 1342.44 *de ſtatu regis perquirendo miſſus occiditur* 140.24 *luctu & gaudio mixtus ad prætorem perfertur* 1368.22 *Pontificius in Luſitania* 1131.28
Nunctus Abbas 349.26
Nunilo & Alodia virgines 430.22,443.16
Nunnii Raſura & eius filii Gundiſalui vita & res geſtæ 83.1
Nunius Marinus 1045.30
Nunius Sancii nobilitatur 134.
Nunnius Pereira 736.3,738.25 *magiſter equitum* 738.27. *Barceloſii Comes* 740.8
Nunnius Raſura & Lainus Caluus Iudices 432.35
Nunus Aluarezius 1139.50
Nuptiæ Alfonſi *Iohannis II. Luſitaniæ regis filii magnificæ & ſplendidæ* 1268.40 *triſti & luctuoſo caſu* Alfonſi *interruptæ* ib.46
Nutritius Garſiæ *noluit teſtis eſſe excidii alumni & gentis ſuæ* 98.48
Nymphæ quando apparere dicantur inter montem Iouis & Rupricatum flumen 844.54

O

OBedientia Albani *erga Philippum Hiſpaniæ regem* 1125.13.22
Obedientia Precioſi Ioannis Papæ præſtanda 1296.28,1297,54.&c.
Obeydalla à Toletanis in regem eligitur 181.48 *ab* Alguazilo *capitur & regi Iſſem viuus mittitur* 181.52
Oblationes in exequiis mortuorum 1308.21
Obſidio Alarcuris 132.28 *Beatiæ* 137.48 *Caſtellæ* 127.37 *Caſtri* Alcala *& captio eiuſdem* 129.4 *ciuitatis Toletanæ* 105.22 *captio eiuſdem* 105.37 *& captio Calatrauæ* 131.51,132,8 *Caſtri Capellæ* 145.4 *Cordubæ* 146.40,147.1 *Veleſii* 110.27
Obſidio villæ albæ 140.43
Obſtinatio *Sebaſtiani regis Luſitani* 1073.54
Obtrectatio æmulorum Alcaſouæ 1068.7
Obulcuni, Porcuna vulgo 586,43
Occupatio Almariæ 117.38 *Aueri &* Portus 1165.9 *Beatiæ* 117.28 Caſcaiſii *vna cum arce* 1151.12 *Cordubæ* 116.24 Eluarum 1129.50 *Liſybonæ* 1165.7 *Oliuenciæ* 1129.50 *Setubalii* 1151.9 *Villauizoſa* 1129.51 *vrbis Oſcæ* 94.50
Octauius Farneſius 1092.44
Octauum Concilium *Toletanum* 52.14 *nonum* 52.19 *decimum* 52.23
Octingenti Turcæ in obſidione Dii duobus diebus interfecti 1323.50
Octo naues, Catures dictæ ad portum Cambaicum *appellunt* 1332.42 *earum præfecti qui* ib.45 *in arcem recipiuntur* ib.48
Odium monachorum in Hiſpanos 1164.17
Odoacer rex Herulorum & Thuringorum 149.14, 332.3 *in prælio cum Theodorico vincitur* 149,20 *ei introitus in vrbem Veronam denegatur* 149.24 *rebellis à Theodorico interimitur* 149.30
Odoardi Lemi fuga 1057.24
Odoardus Caſtroblancus *Henrici Cardinalis legatus ad Pontificem* 1038.9
Oeiræ 2076.2,1164.19
Officia ordinum equitum auratorum 1128.42 *Portugalliæ non niſi Portugallis cõferenda* 1040.39,1128.29
Officium Coneſtabilis 1210.14 *Ducis in bello, Comitis autem in pace elucet* 196.40 *Præſidis quid denotet* 2011.46 *ſcribæ puritatis quod* 1210.47 *Toletanum ſiue* Iſidorianum 100.59
Officinæ ſacchari multæ vbinam ſint 1065.58
Ogia fluuius 460.52
Olaus Magnus Gothus 1313.17
Olgis *monaſterium* 548.4 *inſtauratur* 662.14
Olimpiodorus de Athaulfi *cæde* 324.34
Oliſypo vrbs 209.16.519.2.1062.55.1063.26 *capta* 1064.10 *eius deſcriptio & ſitus* 879.14 883.49 *eius initium* 884.4 *eius præſtantia* 885.34.887.13. *Romanorum municipiũ* 881.1.903.24. *Felicitas Iulia dicitur* 881.4 *eam quis condiderit incertum dicitur* 880.43 *ab Vlyſſe*

Digitized by Google

ab Vlyſſe conditam quidam fingunt ibid.46 equarum è Fauonio vento conceptu nobilis 903.17 in colles quinque diſtributa 1063.32 regni Luſitanici metropolis fit 745.30, 1271.8 recuperata de Mauris 410.3, 981.21 totius orbis emporium celeberrimum effectum 1271.8 rarum rerum quæ ex India deportantur, emporium copioſiſſimum 887.51 ab Alfonſo Rege ad fidem Chriſti perducta 883.18 ſeſe Philippi ditioni ſubiicit 1055.52 quot templis ornata 888.34 eidem quot pagi ſubiecti ſint ib.54 eius vrbis primus epiſcopus fit Gilbertus 519.38 ibidem paſſi martyres 311.16

Oliſyppo & Hiſpalis Oceani domina dicuntur 879.10

Oliſiponenſis Academia Conimbricam tranſlata 1272,23 Eccleſia Metropolitana facta 1266.15

Oliuencia 1129.50, 1139.49, 1141.11

Oliuentini ſe regi Hiſp. dedunt & priuilegiis ornantur 1045.29.31 in Bragantia Duciſſæ partes inclinant 1044.49

Oliuera 1090.56

Olmundi filii innocentes occiduntur 82.31

Omar Arabum rex 166.20 Alexandriam & totam Ægyptum ſibi ſubiecit 166.22 à ſuo Clientulo interemptus ibid.25 Omari laus 168.28

Omnes quo iure, quaque iniuria ſui rationem à Philippo haberi poſtulant 1186,35

Opera regis Fernandi 100.19

Ophiuſa inſula 224.33

Opinatores qui dicti 2:2.29

Opinio Æthiopum de origine animæ 1312.46. &c.

Opiniones de Priori Cratenſi variæ 1185.22

Oppa Archiepiſcopus Hiſpalenſis à Pelagio captus 70.30 eius oratio ad Pelagium 70.2 ad eandem reſponſio Pelagii ib.10

Oppas frater Witizæ 383.1,27 capitur 398.20

Oppida bina nomina habentia 855.56 Africana Philippo ſe ſubiiciunt 1178.48 Ciuitatis Barcinonenſis 845.52, 846.1

Oppugnatio Dienſis in India, qua Turcæ fuſi ſunt, à quo deſcripta 825.10

Optimi primæ ætatis informatores deligendi 814.6

Opus labyrinthicum 1332.5

Orationes Salluſtii in honorem hiſtoriarum leguntur 808.10

Oratio Albani ad ductores primarios 1151.20,24 ad milites 1175.27. Alfonſi VI. Caſtellæ regis ad Almenonem 467.6 Antonii Pineiri ad regem Philippum 1057.45 Emanuelis Fonſecæ Pinti 1046 40 Epiſcopi Igaditanienſis & Comitis Viminoſenſis 1046.5 Epiſcopi Leirani ad regem Philippum 1183.36 funebris ſuper Sebaſtiano Luſitano 1121.22 Martini Gonzalezii 1119.58 Muleii Mahameti ad milites ſuos 1084,11 Phœbi Monizii 1120.10 Prioris 1176.38 præfecti arcis Dienſis ad ſuos 1351.54 Solimani ad Adenenſes 1321.17 Velaſci ad Oliuentinos 1044.53 vnius cuiuſdam Cameralium Olyſipponenſium ad regem Henricum 1095.28 Vrbani Pont. Rom. in Concilio Claramontano 491.12

Oratores Luſitaniæ ad Philippũ Hiſp. regem 1242.35, 1132.57, 1135.14 Philippi regis Hiſpanici 1109.20, 1112.19

Oratores reginæ Galliæ 1093.23

Orator Baudelis regis 874.41 Baudelis nomine deditionem facit vrbis Granatenſis regi Ferdinando 875.7 obſides dat ib.45

Ordines equitum auratorum non mutandi 1128.50 Hiſpanici 1097.24 regni 1133.37

Ordinis Ciſtercienſis auſpicia 1230.32 eiuſdem ſedes Eboræ ibid.

Ordo Ciſtercienſis militiæ, Auiſium quã tranſlata quando cæperit 1236.13 equitum Chriſti in locum Templariorum inſtitutus 1063.48 prædicatorum 1124.1 ſocietatis Ieſu in Portugalliam inuectus 1272.15 presbyterorum 1304.53

Ordonius Ranimiro ſuccedit 76.55 eius vxor & filii ib.57 ciuitates deuaſtatas reſtaurat 77.1 contra Arabes bellum gerit ib.6. victor Arabes ſibi ſubiicit ib.8 clarus victoriis in prælio contra Carolum Galliæ regem & Muzam obtentis ib.27 ſibi ſubiicit Lupum filium Muzæ ib.36 morbo podagrico moritur ib.45

Ordonius ſecundus regnum occupat fratre Garſia mortuo 81.4 plura bella geſſit ib.12 ſemper victoria eſt potitus ib.15 regem Vlit & Almohabat Ducem magnum in prælio occidit ib.22. à XII epiſcopis coronatur ib.39

Ordonius tertius Ranimiro ſuccedit 85.48 vxorem ſuam Vrracam deſerit & aliam ducit ib.56

Ordonius Malus 438.23 à Comite Fernando & magnatibus Regni Aſturiarum eligitur Rex 86.21 ducit vxorem ib.23 pœnas luit ib.33

Ordonius rex 418.20 tertius 436.44

Orichienſis ager 959.18 ab Orichio oppido dictum ib.19

Oriens cum Occidente per quid coniunctus 1065.49

Origo Comitis Raimundi Toloſani vndenam deducta fuerit 1064.3 Comitum & Ducum 943.56 Gotthorum 32.15 familiarum plurium nobiliſſimarum Caſtellanarum è Luſitania fuit 1112.59 Portugalliæ 1062.18,32 Primatus Toletani 482.45. Regum cui rei ſimilis ſit 1064.5

Originis Cordubæ nullum eſt in hominum memoria principium & cur 855.47

Orithya ab Hercule capta 35.25 ſorori Antiopæ reſtituta ib.26

Oriza Indi loco panis vtuntur 1350.30

Ormuzium vrbs regia 1377.2

Oroſpeda mons 209.51

Oroſpeda montes 839.18
Orraca Alfonſi regis Caſtellæ filia 959.25 nubit Raimundo Burgundiæ Comiti ib.38
Orſuæ & Corbis duellum 258.1
Ortus & Genealogia regum Portugalliæ 115.4
Orti ex ſtirpe Benallabeci, Abenhumeydas regno priuant & penitus extirpant 172.56 ſedem regiam Cordubam transferunt 173.2 Almoranidibus ex Hiſpanis eiectis totam Monarchiam occupant 173.6
Ortus Abenhuti & eius rebellatio contra Almohades 145.9 Almohadum 117.2 & genealogia Regum Nauarrenſium 91.18, 92.20
Oſcæ ſchola à Sertorio inſtituta 276.26
Oſcenſis Academia 817.55
Oſiris venit in Hiſpaniam 214.43 Bacchus & Dionyſius vocatus 214.38
Oſius Cordubenſis Epiſcopus 1.30, 312.51, 314.11, 809.35 Arrianæ impietati conſenſit 1.36. 809.38 eius interitus 1.51.16.14. 314.20 decretis Arrianorum in concilio Mediolanenſi ſubſcribere recuſat 809.46
Oſſarinus 1081.52, 1081.10
Oſſa Sebaſtiani 1209.41
Oſſets fontes baptiſmi aquis ſponte complebantur 339.14
Oſſonoba vrbs, Epiſcoporum ſedes 952.54, 1257.49 alias Exubana 953.1 eius fertilitas ibid. vbi nunc Stombar 1257.49
Oſſonoba, Menteſæ & Geena opp. interitus 1002.2
Oſſuna 1091.39, 1096.42, 1099.3, 1102.3. &c.
Oſtium Gangis 1065.40 ſinus Perſici 1065.28 Tagi 1130.24, 1134.55, 1144.28 portus Liſbonenſis 1127.15
Oſtrogotthi & Dani propriis ſedibus expulerunt Herulos 32.35 ad Danubium confugiunt 151.15 Rege caruerunt ib.16
Othomanus Turcici imperii conditor 655.52
Otho Auguſtus Bæticæ attribuit Mauritaniam 295.26
Otho Syluius Luſitaniæ moderator 294.38 Rom. Imperator ſalutatur 295.21
Otium regnorum hoſtis capitalis 1064.27
Ouetum conditur 405.1 fit metropolis 423.6
Ouetenſe Concilium celebratum 80.14
Ouetenſis Eccleſia Metropolis inſtituta 79.32, 80.12
Oxiche campus quidam 1064.9
Ozminius præcipuus Maurorum Dux 658.30
Oyſimelium factio Granatæ 588.56

P

Pacenſis vrbs quæ 997.42 eius ſitus 998.6
Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis 808.59
Paciechus amicus M. Craſſi 275.30
Paciechi fratres in Caſtellam veniunt 762.26
Pacificatio vel iniqua etiam bello non infelici præſtat 1077.47
Pacis aſſertor qualis 203.1 quid à iudice differat 203.2
Pacta cum Iudæis inita parum ſincere ſeruata 1064.59, 1065.1
Pactum inter Iſſem & Comitem Sancium initum de reddendis caſtris 181.38
Paſuri qui 909.11
Pagi Luſitaniæ 1147.21
Paius Rodericus ab Arauio 1325.53
Palamedes literas in Græciam inuexiſſe dicitur 805.41
Pallas interficitur in pugna cum Mezentio 189.16 ab Ænea honorifice ſepulturæ traditur 189.17
Pallentiæ Academiæ fundatio 128.5, 548.1 quæ Salmanticam tranſlata 586.57
Palmella oppidum ſeſe Philippo dedit 1050.1
Pan ſocius Dionyſii 219.21
Pantaleon Sada 1171.1, 1173.53. &c.
Papa Chriſti vicarius 1300.49 in re merè temporali iudex eſſe non poteſt 1135.40
Papinianus occiſus à Caracalla 301.28
Paquemaquarus regis Calecutii Dux 1324.33 eiuſdem oratio ad Calecutii regem ib.34
Pardai nummi aurei Indiæ 1377.56
Pariſienſe concilium contra Bonifacium VIII. 646.14
Parones nauigii genus 1175.32
Pars redituum tertia ab eccleſiaſticis Luſitanicis petita 1070.56
Pars ripæ Tagi à ſancta Catharina nomen adepta 1161.32
Partes prouinciæ S. Crucis quot ſint 1065.53
Parthi fugaces dicuntur 34.40 eorum origo 33.26, 34.38
Partitæ leges 595.58
Paſchalis Papa Romanus ab Imperatore Othone cum Cardinalibus capitur 108.20 vitam in exilio finit 108.26
Paſcha malè in Hiſpania celebratum 343.34
Paſchaſius Hiſpanus martyr 1155.26
Paſchaſius Toletanus præſul 595.16
Paſchaſius Sicilienſis Epiſcopus 3.10 ſcripſit epiſtolam ad Leonem Papam 3.11 refert in ea Paſchalis myſterii miraculum 3.13 fontes baptiſmatis in Sicilia ſponte aqua impleri ait 339.22
Paſſani Eluenſes 1141.12
Paſſio Chriſti 1302.57
Pater Leo Henriquius confeſſor Philippi regis Hiſpanici 1159.38
Paterniana hodie Paſtrana 344.1
Patres Ieſuitæ 1066.29
Patriarcha Alexandrinus 1311.7
Patriarchatus nomen quomodo noſtro idiomate dicatur 1311.2
Patriarcha Æthiopum qualis eligendus 1311.5 eius bonorum ipſo mortuo quis hæres fiat ib.17

Patriar-

Patriarchæ, duodecim pauperes quotidie menſæ adhibent 368.45
Patriarchæ officium quale ſit 1311.13
Patriciæ nomen quando in vſu fuerit 855.35
Patricii vox, dignitatis nomen 339.43
Patruinus Priſcillianam hæreſin euertit. 20.13
Paularii monaſterium conditur 745.38
Paulinus Burdigalenſis 319.45
Paulinus presbyter 2.14 eius explicatio libelli in benedictionibus Patriarcharum ibid.15 vitam Ambroſii deſcripſit ib.16
Paulus Alfonſus 1039.10.1115.59
Paulus & Alfonſus Burgenſes 812.25
Paulus III. Pontifex Rom. 983.57 IV. 1097.22
Paulus Burgenſis 763.27
Paulus Doctor gentium 1307.35 venit in Hiſpaniam 294.2
Paulus Nolanus Epiſcopus omnia ſua in captiuorum redemtionem impendit 156.1
Paulus Bambam regno priuare conatur 54.2 rex ab aliquibus tumultuoſis eligitur 54.7 Francos & Vaſcones ad ſe allicit 54.12 eius literæ ad Epiſcopum Barcinonenſem 55.9 eius conſternatio 55.33,56.42 Victimiro cuſtodiam Narbonenſis ciuitatis committit 55.34 deſperatio 57.10 contemptui habetur 57.17 deponit coronam 57.33 moritur ib.38 Bambæ offertur ludibrio habitus 58.8 vinctus ad Regem deducitur 58.32 luit pœnas proditore dignas 58.51.59.33
Paulus ex Semine Benjamin circumciſus 1307.1
Paulus Oroſius Auguſtini diſcipulus 809.18
Pauperum collegia ab eccleſiis ſuſtentabantur 353.32
Pax certa quantum victoria incerta præſtet 1072.3 Chriſtianorum 89.56 inter Galliæ Hiſpaniæq; reges non firma 1206.15
Pax Auguſta Luſitanorum colonia 1000.37
Pax Iulia ſiue Auguſta, vulgo Bexa 957.22 Turdetanorum colonia ib.27.1000.38 in ea Romanorum monumenta ib.958.6.11.19.25.33.37.45.49.58
Pax Iulia & Pax Auguſta idem 1000.41 à Mauris obſeſſa 405.36
Pax Auguſta fundata 289.41 vulgo Badaioz ib.42 recuperata de Mauris 981.40
Pax 300000. nummorum redimitur 547.51
P. Cornelius Naſica, Serapius dictus in Hiſp. venit 938.34
P. Cornelius Scipio prætor qualia geſſerit prælia 931.2 Aſiaticus dictus ib.7
Peccata mortalia 1304.49
Peccata interitum Gotthorum Regum cauſantur 66.47
Peccata Auilæ militumq; eius ſeueriter inquiſita 1181.16
Pecunia à nobilibus Luſitanis contra morem regni exacta 1071.3 in Italiam ad peditatum Italicum & Germanicum conducendum tranſcripta 1071.38 mercatoribus vi extorta 1149.57
Peditatus Hiſpaniæ 1107.11
Pegnon de los Veles 1069.27
Peira 1127.1
Pelagius Correa D. Iacobi Magiſter 588.44 vbi ſepultus 611.52 contra Mauros rebellat 394.46
Pelagius Ouetenſis 442.56
Pelagius Martyr 426.50.55 ſepultura ib.59 ſcintilla Chriſtiani nominis 69.12 Arabibus reſiſtit ibid.31 eius reſponſio ad orationem Oppæ 70.10 datur obſes pro Epiſcopo Tudenſi 81.55
Pelagius Petreius, equeſtris ordinis, D. Iacobi magiſter 882.22
Pelagius primus poſt vrbem recuperatam à Mauris, Epiſcopus Eborenſium 983.33.995.31
Penichia 1169.4
Peninſula Aragonio regi ceſſit 801.1 vulgo Peniſcola, Ptolomæo Cherſoneſus 581.5
Penſiones Luſitanicæ 1128.41
Pentheſilea Amazonum regina Troianis ſuccurrit & ab Achille interfecta 35.33
Penuria commeatus 1175.9
Percandidi pauones vbi gignantur 839.46
Perdicca ab Alexandro ſucceſſor Athenienſium inſtitutus 36.39
Peregrinantes ex votis limina Apoſtolorum viſitant 1298.9,&c
Peregrinatio regis Garſiæ 97.23
Peregrini ex Gallia in Hiſpania honoribus aucti 107.48
Perfidi & rebelles regi Bambæ præſentantur 55.30
Perfidia Pauli Ducis in Bambam 53.48
Pergamum antiquiſſima & florentiſſima Aſiæ ciuitas 168.13
Pericles quandiu Athenis præfuerit 814.8 eius præceptor Clazomenius Anaxagoras ib.9
Perpenna vincitur à Pompeio 279.25,30
Pernanbucum 1065.59
Perpinianum concilium 770.40,786,17 eo venit Sigiſmundus Imperator ib.47 conditum 465.57 oppidum Ruſcinonenſium caput 846.12
Perſecutio Aldefonſi trimi 119.28
Perſecutio Chriſtianorum 67.10
Perturbatio Liſybonæ 1151.12 rerum regni Luſitanici 1129.47
Peru 1065.43.&c.
Peruerſus ſacrorum ritus 1360.2
Peſtis in regnum Luſitanorum, vnde fuerit inuecta 1115.4,7,1182.10
Peſtilentia toto quinquennio in Hiſpania &c. graſſata tempore Eduardi Luſitaniæ regis 1267.13
Petitio monachorum ordinis S. Hieronymi iniquiſſima 1131.24
Petra amantini 777.57
Petra Salgada 1056.53

Petra ſalſa 1176.24
Petreius & Afranius Pompeiani Duces prope Ilerdam expugnati 836,12
Petronilla Ranimiri II. filia Aragoniæ regina 880.59 obiit 851.5
Petrus Aragoniæ rex 95.58 ab Innocentio Papa in templo S. Pancratii coronatus 96.8 mors eius in prælio cum Gallicis ib.17
Petrus Aragoniæ rex 955.42
Petrus I. Aragoniæ rex 497.49,850.31 Pius, Felix, Victor & Maximus cur appellatus ib.36
II. Catholicus Aragoniæ rex ab Innocẽtio Pont. Rom. coronatur 851.17 regnum facit vectigale Pontifici Romano 546.40 interfectus in obſidione Muretina 851.24 tertius 616.6 Magnus dictus 851.35 Philippum Gallorum regem deuicit ib.37 quartus 672.45,1242.55 Cæremonioſus dictus 852.6 quatuor habuit vxores 1242.56 obiit 852.14
Petrus IV. Crudelis Aragoniæ rex 1236.56 vxor eius Leonora ibid.
Petrus Alcaſoua 1068.3,1069.50,1071.43,1075.16,1081.5,1089.38,1094.6,1210.46.&c.
Petrus Alpæus 1185.36
Petrus Ayla 1147.58
Petrus Aluarus Pereira Calatrauenſis ordinis magiſter 1244.9
Petrus Antoninus Beuter 1004.52
Petrus à Corduba Marchio Pliegnenſis 860.20
Petrus Apoſtolus non venit in Hiſpaniam 294.10 petra Eccleſiæ 1303.24 eius ad Aſlantiam monaſterium fundatur 437.48
Petrus Anſurius Valliſoletum obtinebat 497.45
Petrus Baldeſius 1185.43,1186.50.&c.
Petrus Barbus 1053.58,1163.37
Petrus Bembus Patricius Venetus 824.3
Petrus Beutherus Theologus & Hiſtoricus 1241.32
Petrus Ciſtertienſis de Albigenſibus ſcribit 555.57
Petrus conditor gentis, cui à Toleto nomen eſt 479.26
Petrus Caſtellæ rex 688.36 occiditur à fratre 717.40
Petrus Comes Barcellenſis 1018.11 nobilium Portugalliæ Genealogias ſcripſit 1256.3,1260.31 filius Dionyſii, VI. regis Portugalliæ 1260.30 eius commentarii genealogiarum 1230.26
Petrus de Caſtro 1127.52
Petrus Crudelis VIII. rex Portugalliæ 1261.43 vxor Conſtantia filia Emmanuelis infantis ibid.44 liberi ibid.50 ſecunda vxor Agnes à Caſtro, & liberi ex ea ib.51 eius dicterium 1262.13 cingulum ſibi laxari voluit ib.15. Agnetem ſibi iuſtam vxorem fuiſſe proteſtatus, ſed fruſtra ibid.20 obitus ib.35.
Petrus Cugna 1046.28,1132.3,19.&c.
Petrus Coutignus 1141.55
Petrus Dux Conimbricenſis vir bello & pace clariſſimus 1264.45 peregrinationes eius ibid.48 Sigiſmundo Imper. contra ſuæ religionis hoſtes ſuppetias tulit ib.48 ſcripſit multa ib.49 Iſabella Vrgellenſis Comitis filia, eius vxor ibid.50. liberi ibid.
Petrus Caſtellanus 1199.51 Dora 1149.33
Petrus Epiſcopus Eborenſis 979.16
Petrus Faſſardus 1096.49 Garagarza 1203.29 Fernandus Caſtrenſis Comes Lemi 1042.19 primus D. Iacobi Magiſter 535.5 Frias Cardinalis Hiſpaniæ 765.12
Petrus Fernandi quarti Caſtellæ regis frater 653.1.17
Petrus Gartias epiſcopus Cauritanus 1042.18
Petrus Gyronius Oſſuna Dux 1035.35,1096.42
Petrus Hiſpanus Cardinalis, deinde Ioannes XXI. Pontifex 615.9,812.24
Petrus Infans Portugalliæ 1230.4,1267.50 regnum Maioricæ ei confertur à Iacobo I. ib.6 malam à genero Alfonſo gratiã reportat 1267.52 miſere in conflictu periit ib.55
Petrus filius Sanctii I. Portugalliæ regis 1256.58 in Aula Marrochiorum vixit ibid.59 Comes Vrgellenſis ratione vxoris fit 1257.1 portio hæreditatis eius quam obtinuit ib.5 ſine liberis deceſſit ibid.7 in debellanda Ebuſo opem fert Archiepiſcopo Tarraconenſi ibid.6
Petrus Guedezius 1153.49
Petrus Iuſtitiarius Portugalliæ Rex 1238.50 vxor eius Conſtantia ibid.51 Leonora ſoror 1239.5
Petrus Ilerdenſis Hiſpaniarum Eccleſiæ epiſcopus 15.50 eius orationes ib.51
Petrus Irtauicenſis epiſcopus 6.36
Petrus Ioannes Dominus Portelli 1236.3
Petrus Luna Toletanus Præſul 766.50 deinde Pontifex 714.10,1148.7
Petrus Librana primus Cæſaraugustæ epiſcopus 504.3
Petrus Luſitanus ſeptem orbis partes fertur obiiſſe 800.1,3
Petrus Manſorius Pontifex 442.18 Margalhus 1308.34 Maſcarenius Luſitanus 893.29 Mauricius Pandilla 1147.57 Mediceus 1107.12,1128.1 Mendoza Cardinalis 868.26 Meneſius 1145.1 Meſquita 1089.24 Meſſias Hiſpalenſis eques 818.8 eius ſtylus qualis ibid.11 Oxomenſis profeſſor Theologiæ Salmanticenſis 812.41 cognomento Pulcher ſucceſſor Vrbani Toletani epiſcopi 405.56
Petrus Petri Caſtellæ regis nepos & Epiſcopus 767.58,768.5 Pardus 1204.5 Peixotus 1196.35,1199.23,53,1200,43.&c. Portocarrerus Marchio Villænouæ 1042.10 Ratenſis, Iacobi Apoſtoli diſcipulus 964.40 Rom. Eccleſiæ Regionarius 370,39 Ruæ artium liberalium profeſſor Soriæ errores Gueuaræ primus detexit 818.47

Petrus

Petrus Siciliæ rex, eiuſque fratres 674.16 Sotomator 1175.17 & Petrus Gonzales Mendoza cum aliis præfecti exercitus Hiſpanici 1043.32.
Petrus Tenorius Archiepiſcopus Toletanus 726.8 obiit, eiuſq. opera 864.34,42
Petrus de Toleto 1201.3
Petrus Taſſiſius 1201.3
Petrus Velaſcus Paxauguſtæ præfectus 1042.11, 1044.16,1138.24,1139.6.&c. Eluenſes proditionis incuſat ib.39 Venegaſius 1090.18, 1094.39
Philibertus Sabaudus 1102.46,1105.8
Philippa Syluia 1098.57
Philippini 1145.38
Philippi Pulchri regis Galli, tres nurus de adulterio poſtulatæ 657.48
Philippopolis obſeſſa 37.34
Philippus Amyntæ filius regnum Macedonicum quando adeptus ſit 191.33
Philippus Apoſtolus vbinam Euangelium Chriſti prædicauerit 1311.27.
Philippus Auguſtus Galliæ rex 1106.19
Philippus Auſtriacus 1066.58.&c.
Philippus III. Burgundiæ Dux, Flandriæ Hannoniæq. Comes &c. 1265.41 nuptias magnifico apparatu cum Iſabella Petri Conimbric. Ducis filia celebrat 1265.42
Philippus I. Aragoniæ rex omnium ætatum ampliſſ. imperii monarcha 853.22 moritur 853.30 II. Aragoniæ rex potentiſſ. orbis Dominator 853.32
Philippus Comes Eburonicum, Rex Nauarræ 665.21
Philippus Comes Flandriæ 93.1,1229.7,1255.48 vxor eius Taraſia ibid. bellum in Syria geſſit ib.51 in Ptolemaidis obſidione peſte ſublatus ib.53
Philippus Galliæ rex auus D.Ludouici 570.59
Philippus Imperator an fuerit Chriſtianus 303.26
Philippus I.Hiſpaniæ, Nauarræ & Caſtellæ, &c. rex 1245.49,1252. iure ſibi deberi Portugalliæ regnum contendit ibid.
Philippus II.Hiſpaniæ rex 394.22,307.11,1069.14,1101.35,&c.1034.34 exercitum cur conſcribat 1038.44 ius ſuum in regno Portugalliæ vrget 1274,20 è nepotibus regis Emanuelis, qui ſupererant, natu maximum & legitimum ſe eſſe affirmat 1034.37,1037.32,1103.17 Sebaſtiano nepoti bellum contra Mauros diſſuadet 1032.53,56 Portugallenſes à rebellione dehortatur & deditionem regni petit 1043.46, 1044.4 Caroli V.Imperat. filius hæres 1247.24,1275.46 Emeritam venit 1042.59 Paxauguſtam venit 1043.4 in morbũ incidit 1169.52 è morbo periculoſiſſimo cõualeſcit 1178.30 inuiſit Catharinam Bragantiæ Duciſſam 1057.8,1181.17 plurima oppida Portugalliæ petit ib.36 Eluam ſe confert 1178.35 Liſſbonam ingreditur 1181.20 Portugallenſib. priuilegia multa dedit 1058.19 Oliſſiponem ingreditur ibid.23 ignoſcit omnibus rebellibus generaliter 1183.22 è Luſitania diſcedit 1211.1 à milite parum munitus 1188.32 propediem moriturus putatur 1185.27 rex Portugalliæ XVIII. 1275.47 in Portugalliam ingreſſus, ordinum Conuentus indicit ib.52 rex inauguratur & ſalutatur Tomarii ib.55 Olyſiponem triumphabundus ingreſſus & exceptus ſolemni pompa 1276.3
Philippus Macedonum rex 814.2 eius fœdus cum Gothis 36.29 filiam regis Moloſſorum ſibi copulauit 36.30 pecunia indigens Odiſſicanam vaſtauit ib.31 eius exercitus ab inermibus terretur ib.35
Philippus Strozzius 1197.35,1204.25
Philippus Terzus 1081.14,1163.3
Philo & Cæcilius Niger Pomp. partes ſequuntur 942.11
Philonida cohortem Scipio conſtituit 271.53
Phœbus Monſius 1115.30,1117.4,1118.3,1120.10
Phocæenſium aduentus in Hiſpaniam 226.21
Phocas Imper. quando & cur bene audire cœperit 801.55
Phœnices primi nauium inuentores & aſtronomi 222.57 veniunt in Hiſpaniam 222.1 opprimuntur ab incolis 227.35
Phœnicum Academia prima in orbe à Xenophonte condita 805.43
Phœnix viſa 292.24
Piaggia 1215.28,1216.15,1217.7
Pia opera Aldefonſi regis Caſtellæ 125.11
Picardia 1064.14
Picus Saturno patri in regno ſuccedit 187.41
Pilati & Chriſti acta conficta 312.29
Pimenii oppido, aliiſq. pagis Epiſcopos Wamba dat 374.41
Pinna è turri D.Ioannis diruta 1356.12
Pirata quidam Gallus 1185.3
Piſſamena ſocrus Gratiani 317.48
Placentia condita 537.3
Placidia Theodoſii Imp. filia cum ingenti theſauro auri & argenti Roma capitur 42.8 Athaulfo nubit 42.30
Planities à Mauris Tamita vocata 1084.30
Plato Dionis Syracuſani præceptor 814.10 oratio pro Socrate 808.11
Plauſtrum fractum 1173.19
P.Licinius Craſſus 939.28
Plebs malarum rerum imitatrix & nouarum ſtudioſa 1253
Plinius, hiſtoricus natura offic. Ciceronis ediſcenda iubet 814.48 eius erratum in monte Artabro 902.22
Plures Lucii Laberii 990.32
Plures meliora non ſequuntur 1262.59

Plurimi Martyres tempore Mahometi Corduba occiſi 417.50
Plurimorum regum ditiones Æthiopiæ regi parent 1311.44
Plutonis galea prouerb. 1240.42
Pluuiæ nouem menſibus non fuerunt 512.54
Poemata Hiſpana 821.3
Pœnitentia iniunctio 1308.2
Pœna accuſatorum 87.56 Chriſtianorum ob peccata 136.58 connubiorum abhorrentium à fide Chriſtiana 90.28 grauiſſima et qui hoſti parceret impoſita 1371.40 inceſtus Veremundi regis 88.31 militum ob diſceſſum ab exercitu ſine permiſſu Triphadiorum ſuorum 202.1 ſacrilegis 89.26 proditorum & tumultum excitantium 76.31
Poeſis verſuum ſimiliter cadentium à quibus orta 1260.42 eius propagatio per quos facta ib.44
Polla argentaria Lucani uxor 822.24
Pollicitationes regi Hiſpano per Pontificem factæ 1091.46
Pompæ ſolemnes in honorem Philippi præſtandæ 1170.10
Pompeius Romanus Conſularis in Hiſpaniam proficiſcitur 193.22 filios Hiſpaniæ præficit ib.22 ſubiugata Hiſpania ad imperium Orientis aſpirat 193.32 tertia vice cum Cæſare pugnat 193.52 Cæſarem fugaſſe fertur 193.56 bella ciuilia reparans vincitur 194.1 Ptolomæum Dionyſium Ægypti regem auxilium petiturus conuenit ib.2 à Ptolomæo ad conuiuium inuitatus interimitur 194.6 à Sertorio deuictus capitur 940.13
Pompeii capti & à Didio interfecti caput Cæſari offertur 942.23 eius filius iunior aduerſus Cæſarem exercitum conſlat ib.39 C. Albium Carrinatem interficit ib.48
Pompeius à ſenatu reuocatur & Imperator maris eligitur 942.51 contra Octauium & Antonium pugnans victoriam obtinuit ibid.57 victus à duce Antonii Titio interficitur 943.2
Pompeius Magnus 276.49 pacat Hiſpaniam 279.15
Pompeiani à Cæſare victi 281.52
Pompeii filii contra Cæſarem 283.33
Pompelo ſeu Pompeiopolis 276.49
Pomponii Læti de abſtinendo à Græco ſermone ſuperſtitio 818.17
Pomponius Mela 807.33
Pons Dorii 1170.36 Fiteri domus Hoſpitalis eſt 143.24 Limæ 1174.1
Pontifex 1155.25,&c. vicarius Chriſti 1288.1 caput omnium Pontificum 1297.50 paſtor ouium 1298.3,1303.36
Pontifici Romano claues regni cælorum data 1299.51
Pontificia ſedes Aucenſis Burgos translata 490.55
Pontius Paulinus Aquitanicus Pontifex Nolanus creatus 842.16
Pontus Euterius Delphius rerum Burgundicarum ſcriptor 1226.53
Populatio Placentiæ 125.36
Populus ſimplex pro concionibus deceptus 1171.34
Portalegre 1062.57,1141.56 ciuitas nobilis & Epiſcopalis 1236.4,1245.31
Portalegre & Campus Maior vrbes Luſitaniæ Regi Philippo ſe dedunt 1045.32
Porcellum 1145.20 ducatus Brachantia 1236.4
Porticus templi virginis Spinarum 1184.44
Portoria Luſitaniæ immoderata 1070.35
Portugallia 1062.45 quomodo diuiſa 1041.24 vnde dicta & quid cum Gallia commune habeat 1224.6 quot in circuitu milliaria contineat 1062.52 regis Legionenſis beneficium fuit 1248.41 primum regem quando habuerit ibid.34 eius ſitus & deſcriptio 1016.42,1032.10,1063.14 vnde dicta ibid.59 regnum Portugalliæ alias Luſitania dicitur ib.23 eius regni initia 507.58 inſignia 590.4 inſignia renouata auctaq; 1259.36
Portugalliæ regnum ad Philippum Hiſpan. Regem iure deuenit 1032.27 eius contemptus 1015.15 termini veteres 1255.4 nomen quando in Luſitaniam extenſum 1228.5 cui competierit 1224.55,59
Portugalliæ gubernatores 1043.33 rex laudatur 1301.26
Portugalliæ regnum populorum electione & ſuffragiis dari non ſolere exemplis declaratum 1248.10
Portugalli 1096.32,1154.6 Regem Luſitaniæ à ſe eligi debere prætendunt 1030.19 Regi Philippo iuramentū fidelitatis præſtant 1058.17 ſuſpecti 1115.41 quonam ſint ingenio 1060.27
Portuenſes ſeſe exercitui Philippi dedunt 1057.20
Portus 1062.57,1153.44,1165.9,1173.37,1174.20 &c.
Portus Ariamontanus 1149.14 Belemenſis 1164.53 Hannibalis ciuitas 954.17 quando condita dubitatur ib.31 Indæ & Chor 1292.9 Liſybonenſis 1127.58,1153.39,1169.15,1185.34.&c. S. Mariæ 1107.37,1127.14,1144.21,1152.10,&c. Molarum 1216.2,39 Setubalenſis 1063.10,1127.38,1144.21,&c. Suezil 1320.10
Poſidonius Africanæ prouinciæ Epiſcopus 2.47 vitam S. Auguſtini deſcripſit, & quamplurimos libros edidit 2.49
Poſthumus fratre mortuo ſuccedit 189.39 Syluius dictus 189.40
Potentia Philippi Hiſpaniæ regis 1130.15,1192.58
Praia 1187.16
Præda oppidi & caſtrorum militibus conceſſa 1371.45
Præda Saracenis erepta 116.20
Prædicatio verbi crucis 107.33
Præfatio auctoris huius hiſtorici ad calumniatores ſuos 1059.34

Præfecti

Præfecti Hiſpaniæ 1155.55 *rationum* 1129.5
Præfectus ærarii eccleſiaſticus ſupremus 1128.56
arcis S. Iuliani 1145.11 *triremium Sicularum* 1168.25
Prælatura Luſitaniæ 1040.34, 1128.48
Prælia varia in Oriente & Occidente geſta 172.9
Prælium Aldefonſi *cum Carolo commiſſum* 74.25 *eius victoria* 74.41 *Aldefonſi cum Fernando* 123.2 *ad Aliubarotham memorabile Caſtellanorum & Portugalenſium* 1243.53
Prælium Antonianorum & Philippinorum ad Angrenſem ciuitatem 1276.37 *celeberrimum ad Nauas* Toloſæ *aduerſus Marrochiorum Imperatorem* 1231.20 *Chriſtianorum cum Saracenis ad Tarifam* 1237.55, 1238.24 Gallecorum *& Legionenſium contra Aragoniæ* Regem 113.28 *eorundem fuga* 113.29 *memorabile ad Bouinas in Gallia confœderatorum aduerſus Auguſtum* Francorum *regem* 1229.43 *Moleii Moluchi ad Alcaſar* 1076.51 Ranimiri *&* Fernandi Gundiſalui *cum* Arabibus *commiſſum eiuſq; victoria* 84.48 *Regis Fernandi cum Veremundo* 97.50 *eius victoria contra eundem* 97.50 *Oſtrogothorum & Gepidarum contra Hunnos commiſſum* 148.50
Præmia militib. data 1372.22
Præmium Antonium *occidenti quantum à* Philippo *conſtitutum* 1178.39
Præpoſiti Saracenorum *& tributorum exactores* 69.22
Præſidia Inſularum Tercerarum 1211.44
Præſidium Turcicum 1191.42
Præſules Hiſpaniæ regum præceptores & nobilitatis Gothicæ magiſtri quando fuerunt 810.51
regni 1134.13
Prætores Romani *plurimi* 932.48
Prætoriani milites ducenti ad regem Mainlium deficiunt 1377.38
Prætor nouum in arcem Dium infert militũ præſidium 1369.38 *eius ad præſidiarios oratio* 1370.1 *Goæ degens cum ſuis de belli ratione diſſerit* 1368.26 *Baſſaimum profectus* 1368.59 *Emanuelem* Limam *maritimam oram exploratum mittit* 1369.3 *Luſitanus in mortuorum* Inſula *cum 80. nauium claſſe appellit* 1369.16 *in hoſtes excurſionem parat* 1370.44 *ſtrategema in hoſtibus fallendis* 46. *& victoria de* Indis *parta* ib.48
Preces pro Luſitaniæ rege mortuo 121.28
pro Sebaſtiano & Antonio 1180.31
Precioſus Ioannes Imperator *Æthiopiæ* 1311.1 *nuncium cum muneribus Hieroſolymam mittit* ib.2 Imperator *Æthiopum, non Abeſſynorum vocandus* ib.33 *cur ſemper in* Caſtris *& tentoriis verſetur* 1311.49
Priamus Germaniam *occupauit* 29.15
Primaſius Africanus *Epiſcopus* 2.53 *tres libros edidit de hæreſibus* 2.54
Primatus Eccleſiæ Toletanæ 71.8, 364.25, 378.48
Primicerius Notariorum *idem quod Secretarius Principis* 198.43
noſtra ætate idem quod Cancellarius iuxta Caſſiodorum 198.45
pro ſcriba in Caroli Magni Conſtitut. habetur 198.49
idem quod Notariorum Decanus 198.52
Primogeniti quo nomine nominentur & gaudeant in Anglia, Gallia, Caſtella 1251
Primus aduentus Arabum *citra mare* 63.57
inſultus in vrbem Gelzirat *Hadra* 64.1
Princeps Auraicus 1075.17, 1076.12, 1145.54, 1193.8, 39
Principes Bæticæ trium linguarum cognitione imbuti 810.23 *Gothos Arrianos ad verum Dei cultum pertraxerunt* ib.27 *præ deſiderio nimio cæcutiunt* 1069.39
Principi duo neceſſaria ad adminiſtrationẽ regnorum; clementia & diſſimulatio 1269.7
Prior Cratenſis 1104.16, 1153.9, 1154.30, 1161.2, 1168.49, 1170.35, 1173.24, 1177.24, 1178.8, 1179, 25 Albano *diffidit* 1162.45 *num legitimus ſit excutitur* 1114.23 *quantumuis nothus, regno tamen Luſitanico dignus à quibuſdam iudicatur* 1111.34
Prior eccleſiæ S. Stephani 1122.4
Prioratus Cratenſis 1104.22, 1128.43
Priſcillianus hæreticus 299.21, 317.50
Priuilegia Luſitanis (ſiquidem ſe ipſi ſubijcerent) per Philippum Hiſpaniæ regem oblata 1040.32, 1111.12
Proba Adelphi Proconſulis uxor 119 *centonẽ Virgilianum de Chriſto compoſuit* 2.20
Probus Hiſpanus martyr 155.26
Procas Syluius Albanorum Rex 189.53 *fratrem Numitorem à regno expellit* 189.54
Procer qualis & qui fuerit 200.37
Proceres Belgii 1073.35 *ciuitatum* 1134.13 *Hiſpanici* 1113.30, 1182.22 *in Portugallia multi* 1063.44 Itali *& Hiſpani* 1147.19 *qui ſint ſecundum Iſidorum* 200.39 *Magnates vocantur* 200, 44 Primates *palatii* ib.45 *Proceſſus ad bellum* 131.30
Prochitæ coniuratio in Sicilia 620.50
Proconſulis nomen Imperatoribus *datum* 305.45
Proconſulum dignitas quæ 943.37
Procuratores 1134.56
Profectio Africana *regi Luſitanico diſſuaſa* 1077.14 Antonii *in Terceram* 1197.49 *ducis Oſſunenſis in* Luſitaniam 1091.39
Proficius Archiepiſcopus *Emeritenſis* 979.16
Promiſſa miniſtrorum Hiſpanicorum 1117.2
Promiſſa Rumicanis 1359.10
Promontorium Bonæ ſpei 1285.28, 1286.25
Malabaris 1065.38
Propheſiam *Danielis: Filiam* Regis Auſtri *aſſumet* Rex Aquilonis, *nec ſtabit ex eis germen, quidam conantur referre ad* Athaulphi *& Placidiæ matrimonium* 42.43

Prophetiam Ezechielis contra Gog & Magog ad Gothos referre quidam volunt 33.14
Prophetia Graculi peregrinantis 99.45 S. Ficatoris 1310.48
Propheticum ſapientia canticum 1289.13
Propoſitum Albani de Portugallia occupanda 1048 16 incolarum Tercerarum 1165.10
Propugnacula ad Tagum 1123.9, 1130.24 Luſitanorum in Africa 1088.42
Propugnaculum Arginenſe 1065.18
Prorex India 1248.54, 1189.44 Antonio à Sylueira ſubſidium promittit 1322.45 Neapolitanus 1124.57, 1196.31
Proſper Columna 1049.37, 1055.4
Proterius Alexandrinus Antiſtes 3.5 epiſtola eius ad Leonem Epiſcopum Romanum ſcripta 3.6 à Diſcorii haretici ſucceſſoribus crudeliſſime perimitur & in eius locum Timotheus ſufficitur 3.7
Protonotarius Apoſtolicus 1156.6
Prouincia Belgica 1193.23
Prouincia ſancta crux appellata 1065.51 vltramontana 1127.53
Prouiſores Armamentarii tres Luſitani 1084.14 1129.4
Prudentia Villaſagna 1182.48
Prudentius Poeta 315.6 Tiraſonenſis Epiſcopus 311.45
Pſeudorex Aragonum 114.13
Publia Hortenſia à Caſtro 898.32
Puella Arabibus promiſſa 72.58
Puerpera 1305.18
Pugionum vſus Hiſp. antiquiſſimus 911.34
Pugna ludicra 1071.25
Pugna ad Alarcum commiſſa 542.59 cruenta, Gothorum & Hunnorum 44.10 numerus occiſorum ab vtraq; parte 44.50 Hiſpanorũ & Luſitanorum 1055.25 in Africa Luſitanis infelix 1159.44 memorabilis ad Bouinas principũ contra Philippum Auguſtum Galliarum regem 1256.53 naualis in Inſula S. Michaelis 1197. 48 Turcarum cum noſtris intermiſſa 1326.25 Maurorum cum Chriſtianis 984.42 eorundem clades & fuga ib.45 Philippo noxia 1188 24
Pugnare cum Chriſtianis fas non eſt 1149.52
Pugna Romanorum & Luſitanorum 910.7 in ea quot ex vtraq; parte ceciderint ib.15
Pugnatum à Romanis cum Luſitanis 1377.50
Pugnete 1199.19
Puluis ingens per boues excitatus 1187.46
Puncta quinq; Luſitanis vulnera ſunt 1161.18
Punicum bellum primum 240.1 ſecundum 245.39
Punta di Garza 1199.17
Purgatorium 1304.30
Puteal quid ſit 858.41
Puteorum mira natura 223.40
Pygmalion auri cupiditate Sichaeum interficit 223. 13 venit in Hiſpaniam 223.29
Pyrenai montes 222.41 Hiſpanias à Gallis diuidentes vnde dicti 839.20 quare ſic dicti 839. 31
Pythagoras Philoſophus quando vixerit 191.1 Samius 823.3
Pythagoreus Lyſias praeceptor Thebani Epaminonda 834.14

Q

QVadrageſima 1189.4
Qua comedenda ſint 1309.38
Quadam Sophari cohortes clam, quadam palam in vrbem Dienſem intromiſſa 1330.12
Qua & quot prouincia C. Iulio Caſari adſignata ſunt 193.35
Qua gentes in auxilium Pompeii contra Caſarem aduenerint 193.55
Qua in M. Tullio Brutus reprehenderit vitia 813 38
Qua regna fidem Chriſti ſuſceperint 890.46
Quaſtio merè temporalis ad Papam non pertinet 1124.20
Quaſtiones publica de fide in Luſitania primum haberi capta 1272.12
Qua vrbes Philippo Regi Hiſp. in Portugallia ſubdita facta 1048.51
Qua in re cum Iudais conſentiant AEthiopes 1309 57
Quamdiu Roma à Regibus recta 191.9
Quando Barcinonenſia inſignia regis Aragonenſiũ inſignibus praeferri capta 851.8
Quando inter C. Plancium & Viriatum Luſitanorum Ducem pugnatum 990.13
Quartum Concilium Toletanum 50.34
Quatuor Adenenſis regni proceres ſuſpenduntur & cur: 1321.13
Quatuor Coronati 1092.15
Quatuor millia ex Sophari exercitu periere 1344. 45
Quatuordecim naues hoſtium, à noſtris intercepta 1331.49
Querela militum 1181.17
Querelas ad Philippum delatas fundamento nullo niti 1182.48
Q. Caſſius Longinus qualis 941.12 Medobrigam & montem Herminium expugnat ib.16
Q. Fabius Max. Seruilianus Bacciam oppidum ab obſidione Viriati liberat 935.33 eius immanitas ib.36 Viriatum aggreditur 268.1
Quibus inſigniis Luſit. Reges ab Alfonſi temporibus vſq; vtantur & cur 883.8
Qui cibus quarendus 1309.52
Quidam Luſitanorum in partes Bragantia Ducisſa inclinant 1041.10
Quidam Saracenorum à noſtris captus eorum conſilia aperit 1354.13
Qui Duces & Comites Spatharii fuerint 199.10
Qui Luſitania Reges olim fuerint 927.45
Quingentenarii quales 201.31 eorum pœna ob militibus veniam redeundi domum conceſſam 201.32

Quib

Quinquagenarii quales 201.41
Quintianus Eborenſis Epiſcopus 978.37,994.50 979.45
Quintiliani inſtitutiones inuentæ 295.12
Quinctilianus ſenex Calagurritanus, Quinctiliani Oratoris pater 807.7
Quintum Concilium Toletanum 50.43 ſextum de obſeruatione fidei 50.52 ſeptimum de Eccleſiaſticis diſciplinis 51.10
Quintus Sertorius proſcriptus à Sylla 939.42 cum Romanis pugnat & victoriam reportat ib.56 Romanos duces delet 940.3 Lauronem vrbem expugnat ib.10 Pompeium & Metellum deuincit ib.28
Quiricus Præſul Toletanus 376.32
Quiroga Cardinalis 311.9
Qui ſemel verecundiæ limites tranſgreſſus eſt gnauiter poſtea impudens eſt 1204.3
Quiteria martyr 311.18
Qui ritus in Iudæo conuertendo aut gentili apud Æthiopes obſeruetur 1307.42
Quomodo exercitus Philippi Setubalo Caſcaiſium ſe conuerterit 1151.[illegible]
Quot & quarum nationum militibus Sopharus vrbem ingrediatur Dienſem 1330.23
Quot in prælio Dienſi ab vtraq; parte caſi expirarint 1371.57
Quot milites Maſcaregna ſubſidio miſſi 1332.50
Quot reges Æthiopum Imperatori pareãt 1285.10
Q. Seruilius Cæpio à Luſitanis caſus 939.5
Viriati cædis autor 936.50
Q. Sertorius à ſuis interfectus 988.36

R

Rabbi Abraham Beienſis, & Ioſeph Lamecẽſis Iudæi Luſitani 1290.52
Radagaſius Dux Gothorum 320.38 & Alaricus non conueniunt in regnando 41.16 Italiæ partes deuaſtare conatur 41.20 eius exercitus à Stilicone circumcluſus perit 41.23
Rangi equi Lappianorum 1315.2
Rainutius Farneſius Alexandri filius 1035.9,27
Ramirus monachus, Epiſcopus, Rex & coniux 411.54 primus Legionenſis Rex 414.1 eius votum 415.30 primus Aragoniæ Rex Romanam precandi rationem primus ſuſcipit 465.49
Ramus Oliuæ ſignum pacis 188.48
Ranimirus primus Aragoniæ Rex 94.39
Chriſtianiſſimus dictus 850.18 in pugna occubuit ib.22 II. monachus, deinde Epiſcopus, poſt Aragoniæ Rex creatur 850.50.1229.16 obiit 850.54 ex monaſterio ad regnum vocatus, vxorem duxit 95.21 tertius filius Sancii regnat 86.53 pacem cum Arabibus init 86.55 eius mors 87.30 Aldefonſo monacho exſtante regnũ occupat 84.17 rebelles inuadit bellis & illos deuictos cum Aldefonſo monacho carceri mandauit 84.22 multa prælia gerit 85.20 eius adhuc pueri ſtultitia 87.22 bellum inteſtinum ib.28 mors 87.30
Ranimirus contra Nepotianum bellum regni cauſa gerit 76.15 victum in monaſterium relegat 76.20 contra Normanos bellum gerit & LXX. eorũ naues incendio conſumit 76.24 ei B. Iacobus in prælio apparet 76.36 victoria eius 76.40
Raſis Arabs Maurus, hiſtoricus 979.29
quando ſcripſit hiſtoriam 441.43
quotannis ante Auicennam floruerit 811.23
Raimundus à Cardona Aragonenſis primæ nobilitatis vir 1236.34
Raymundus Barcinonenſis, Theologus 812.15
Barcinonenſis gener Ramiri monachi 514.4,35
Raimundus Berengarius Comes Barchinonenſis 1229.14 vxor eius Petronilla Ranimiri Monachi regis Aragoniæ filia ib.16
Burgundus 493.57
Raymundus Burgundiæ aut Toloſæ Comes 959.38
Loſana primus Hiſpali capta Epiſcopus 594.45
Lullus 643.48
Pennafortius 568.13,601.58
Raymundus ſancti Ægidii & Henricus Lotharingiæ Comites 959.33
Raymundus Toletanus Epiſcopus poſt Bernardum 409.39
Raymundus II. Archiepiſcopus Toletanus 107.57
Raymundus Toloſatius Comes 882.41,1063 59
Ratio cum miniſtris aulicis difficulter & periculoſe collata 1150.5
Rationes reginæ Gallicanæ, pro regno Luſitanicô contra Philippum Hiſpanum obtinendo allatæ, friuolæ reputantur 1036.11,15,1105.52
Rebellatio Principis Saracenorum aduerſus Regem Cordubenſem 77.9
Rebellionis Comitum Aluari & Ferdinandi renouatio 143.3 eorum mors 143.16
Rebellio Aldefonſi monachi 84.21
Rebellio Aſturum 584.27 Hilderici Comitis Nemauſenſis 53.36 qui Iudæos in Gothiam reuocat 53.37
Reccaredus Rex 10.37,343.58 eius vita & mors 354.23,32
in egenos largus 58.58 eius mors pacifica 49.2
ex impio pius effectus 810.34
Reccesuinthus Rex 365.26 quamdiu regnarit 830.58
Recenſuindus in regno ſucceſſit patri 52.6 à cunctis dilectus 52.30 obiit 52.31
Rechimirus regnat 50.20 laudatur ib.21 moritur ſuperſtitibus filiis 50.23
Reciarius Sueuorum Rex fit Chriſtianus 326.49
Rechila Sueuorum Rex ib.37
plurimas Hiſpaniæ ditiones ſubigit 157.43
Andebodem cum copiis fundit ib.38 pacem cum Romanis firmat & moritur 157.46
Reditus annui regni Luſitanici 1070.34 regii 1186.23 Lupi Figueroæ ex inſulis Terceris infructuoſus 1181.21

by Google

Regem prudentem non oportere periculoſis prælijs intereſſe 1355.32

Reges *Albanorum à Poſthumo Syluii ſunt dicti* 189.40 *eorum ſeries* 189.40 *Calecuti antiquitus Imperatores dicti* 1324.41 *Caſtellæ* 1105.57 *dare non accipere leges* 1251 *Fez & Heſperidum eorumq. patrimonia à noſtris expugnata* 890.36 *Hiſpaniarum ambitioſi in titulis oſtentandis* 1227.14 India 1113.35 *Italiæ ab Ænea poſt* Latinum *orti* 187.54 *Mahumetani cur* Luſitanis *infenſi* 1349.32

Reges primi non Legionis *dicti ſed* Gegionis 399.20

Reges quatuor Cambaiæ occiſi 1344.52

Regibus in conferendis beneficiis præceptum obſeruandum 1269.18

Regimen *Gubernatorum* 1111.10

Regina *vidua moniales fiant* 381.41

Regina Hiſpanica quibus ad ſeruitia in Luſitania *vti debeat* 1129.13 *Galliæ quibus rationibus vtatur, ad probandum, hæredem ſe regni Luſitanici eſſe* 1035.53, 1103.25

Regina Saba 1300.1

Reginis *viduis ſecũdo nubere in Gallia prohibitum* 690.18

Regio *tota vltra Tagum* 1153.40

Regiones occidentales ſumptibus regum Caſtellanorum detectæ 1065.47

Regis *ad exemplum totus componitur orbis* 61.57

Regis *Alphonſi ad* Carolum Imperatorem *legatio* 74.3 *eiuſdem reuocatio* 74.15 *Aldefonſi acta inſignia* 114.27 Bambæ *magnanimitas* 54.29 *compaſſio* 58.15 *qui laudat Deum* 58.9 *reditus in Hiſpaniam* 59.26 *grates relata* Gothis *de fide ſibi præſtita* 59.27 *Fernandi obitus* 101.9 Garſiæ *infirmitas in carcere* 109.23 *cum compedibus ſepultus eſt* 109.31

Regium Cambaiæ vexillum 1344.55

Regna *Caſtellæ* 1112.55 *&* Aragoniæ *quomodo* Luſitanis *erepta* 1093.7 *Luſitaniaq. Imperatorem pro ſuperiore non recognoſcunt* 1124.22 Legionis, *Caſtellæ*, Aragoniæ *Nauarræ &c. vno Hiſpaniæ nomine continentur* 1016.33 Regis *Hiſpaniarum Philippi* Luſitaniam *totam circumdant* 1092.36 *ſedi Romanæ parentia paulo ante Idololatris referta fuerunt* 1066.15

Regni Gothici *ſucceſſio Theodofredo filio Recẽſuindi debebatur* 60.18 *Nauarrici tranſlatio in Caſtellam* 92.25 *Caſtellæ reditus ſoluuntur* Regi Legionenſi 120.18

Regnorum *Calecutii, Cananorii & Cochini ſitus* 1321.27

Regnum Adenenſe cum Fartaquorum regno Chriſtianis tributarium factum 891.1 *Æthiopiæ quamdiu à maſculis adminiſtratum* 1306.29 *Algarbii* 1156.35, 1095.9, 1149.25, 1185.3 *nomine dotis ab Alfonſo X. obtentum* 1064.17 Angliæ *ditioni* Nortmannia *adiunctum* 474.10 *Angollenſe* 1065.23 *Aragoniæ & Nauarræ* 1154.18 *Auen.* 1065.32 *Calicuti & Cochini* 1065.30 *Caſtellæ* 1210.53, 1211.25 *Conghenſe* 1065.23 *Feſſæ* 1068.54, 1078.14 Latium *dictum* Laurentium 187.46 *Luſitaniæ cum Caſtellano coniunctum* 1062.26 *totum valde populoſum* 1063.43 *Neapolitanum* 1154.14 *Peru.* 1065.43 *Poloniæ* 1192.45 *Sinarũ* 1065.44 *Sindæ regionis inter Mainles & Cambaiam maximum* 1377.40

Regum *Cambaiæ & Patanæ inimicitia* 1363.49

Regum officium quid ſit 382.1

Rei *& iniurioſi ad templum communitatis confugiunt* 190.11

Reinelium regionis Arianæ nobiliſſima vrbs 1373.39 *à* Luſitanis *direpta & exuſta ib.* 50 *&* 1374.11 *fertilitas & opes* *ibid.* 3

Religionis *Chriſtianæ in Æthiopia initia, incremẽta & progreſſus* 1279.22, 55

Religio vera ceſſat & hæreſis irrumpit 66.24

Religioſi *actus* Regis *Fernandi* 100.38, 101.1

Remedium à noſtris ad hoſtium conatus irritos faciendos commentum 1356.37

Remiſmundus *Sueuorum Rex* 330.13, 158.10 Luſitaniam *diripit* 158.16 *cum Theuderico pacem init* 46.3 *cum tota gente, ſua Arriana hæreſi infectus fuit* 24.35 Remus *& Romulus in Tiberim abiici iubentur* 189.57 *in ripa fluminis expoſiti a Fauſtulo Paſtore ad vxorẽ ſuam nutriendi deferuntur* 190.1 *adulti ſtuduerunt præda & latrociniis* 190.4 *Æmilium regem* Albanorum *periment* 190.6 *ciuitatem in Palatino monte ædificant* 190.8 *murum inſilienti mortem minantur* 190.14

Remus *mandatum fratris tranſgrediens interficitur* 190.20

Renegati 1081.55, 1083.30, 1086.28

Renouatio vrbis Toletanæ 59.42

Reparatio Nemanſi 58.24, 59.4 *& reſtitutio ſacrorum* 58.32

Repentina *Sofaris cædes Turcis vehementem iniecit terrorem* 1357.18

Reprehenſiones Albani 1165.8

Repugnans *opinio de Quintiliano* 807.15 *de Hẽrico* Toloſatii *Comitis* 882.43 *de reliquiis D. Vincentii* Martyris *corporis* 1004.48 *de tranſlatione corporum S. Iuſtæ &* Rufinæ 100.18

Reſidentia Pontificis Toletani 129.32

Res Luſitanica 1192.23 *eccleſiaſtica* 1128.43 *hoſtium Priori parum explorata* 1152.31

Reſponſio ducis Bragantiæ prolixa 1129.51 *Papæ ad Franciſci* Aluarez *orationem* 1301.19 *Philippi ad Pontificii legati verba* 1050.34

Reſponſum *regis Catholici datum* Legatis *Luſitaniæ* 1129.48

Reſpublica *Genuenſis ſuperiorem non agnoſcit* 1058.59, 1059.1 *qualibet periculis alienis cautior fit* 1059.9

Reſp. & iuſtitia quomodo Barcinone adminiſtretur 845.22

Reſtau-

Reſtauratio Eccleſiarum Ouetenſium 73.25
Reſtauratio Eccleſiæ Cordubenſis 147.18 eius dos 147.22
Reſtauratio monaſteriorum & Eccleſiarum 91.9
Reſtauratio Narbonæ 59.19
Reuocatio fugitiuorum 59.19
Rex Adenenſis Regis Luſitaniæ tributarius 1320.33 Solimani aduentus per magnates gratulatur ib.39
Rex Adenenſis quantum annuatim Regi Luſitaniæ ſoluere teneatur 132..34 captiuus ad Solimanum ducitur ib.57
Rex Adenenſium à Solimanno Turcarũ ſuſpendi iuſſus 1321.12
Rex Æthiopicus quomodo à ſubditis ſuis nominetur 1286.20 quot regnis imperitet ib.22 quantã poſſit aciem inſtruere ib.29 vnde ſtemma ſuum deducat ib.49
Rex Æthiopiæ Regi Emanueli quot drachmarum auri & militum promittat ad claſſes inſtruẽdas 1295.6 variarum rerum artifices ſibi mitti petit ib.37,1297.15
Rex Æthiopiæ, Rex Regum eiuſdem regionis, & Rex metuendus 1298.34 ſanctorum imagines deſiderat 1298.59
Rex Æthiopiæ ſanctam benedictionem à Papa expeptat 1300.47
Rex Aldefonſus Imperator Heſperiæ vocatus 1097 Caſtellam occupat 112.14 vxorem ſuam deſeruit & in Caſtro eam cuſtodiæ mandauit 112.30 innocens à patrimonio effugatur 120.55 regnum recuperat fidelitate ſuorum 121.32
Rex Aragoniæ ſacrilegii pœnas luit 114.8 ab Arabibus victus occiditur 114.9
Rex Calecutii cum Emanuele a Brito pacem antea violatam renouat 1314.46 noſtris ſæpe cur infeſtus ib.50
Rex Cambaiæ Dium oppidum dedidit Æthiopiæ Regi 1317.46,1318.21 Indiæ vniuerſæ terror ib.50 Rex Guzatarum dictus ib.57 eius mors ib.55 nobis ſemper ſubiectus manet 1319.5
Rex Cambaiæ quot Luſitanorum Regi quotannis ſoluere debeat 1377.2 eidem Regi coronam ex puriori auro in ſymbolum amicitiæ dono mittit ib.5
Rex Cananori Luſitanis inſeruire promittit 1325.5 Caſtella 1118.11
Rex Catholicus & Portugalliæ Guadalupi conueniunt 1062.19
Rex de Bernagais 1295.3
Rex Fernandus occupat Regnum Portugalliæ 99.10 diuidit filiis monarchiam ib.54
Rex Galliæ 1113.27
Rex Garſias occiditur 93.29 pacem inire recuſat 98.34 prælium cum fratre committit 98.49 vincitur & interficitur 98.54
Rex Henricus laudatus 1113.59 Legionis regno Caſtellæ inhiat 141.41 Manicongri fidem Chriſticum toto ſuo regno cuius opera ſuſcepit 890.43 Ordonius moritur 86.8
Rex Philippus Hiſp. verus hæres a Gubernatoribus Portug. declaratur 1047.37 quid iuris in Luſitanos habuerit 1113.53 arma ſumit 1122.46
Rex Regum Romæorum 1298.38
Reynutius Farneſius 1061.18,1102.48
Rhea Sylvia Numitoris filia 189.55 à Marte ſtuprata Remum & Romulum genuit 189.56 pœna eius ob ſacrilegum concubitum 189.58
Rhetores Complutenſes 815.53
Rhomæi qui dicti 1322.12,1373.9 colluuies ſceleratorum hominum ib.10 nominis origo ib.11
Rhomæorum præcipui Camarum inſulam petunt 1377.20 quale nuncium ab Imp. Turcarum acceperint ib.22
Ricardus Rex Angliæ 92.51
Riſana S. Maria 1174.24
Ripa Tagi 1168.18
Riſtanus domeſticorum Comes 196.29
Ritus Æthiopum varii 1309.2
Riniera grande 1199.10
Robertus Aldæ filius 1036.13,1106.31
Robertus Apuliæ & Cantabriæ Dux 474.40
Roderici Didaci Campiatoris mors 109.16
Rodericus & Garſias Comites occiſi 110.5 Ferdinandus Chaulenſis quæſtor 1340.48 Lima 1295.14 Melius, primogenitus Comitis de Tentuguel 1088.30 Paccecus Marchio Seraluí 1042.13
Rodericus Rex Theodefredi filius 383.30 eius ſepulcrum 388.13
Rodericus Sanctius periit in prælio ad Portuenſem ciuitatem 1230.27
Sanctii I. Filius ad Portuenſem ciuitatem occumbit 1257.41
Innocent. III. Pont. centum auri marcas legauit 1230.42
Semenus Toletanus Epiſcopus 547.3
Rodericus Valdeſius 1052.25
Vaſchius 1035.38
Verzandius Caſtaneda prouinciæ præſes 898.27
Rodouanus Luſitanus Renegatus 1077.56
Rodulphus Augsburgenſis, Cæſar creatur 610.19
Rodulphus Rex Gothorum 32.28
Rogerius Lauria Dux magnus 609.44 capit Carolum Neapolitanum 625.19
Rogerius Siciliæ Comes fit Legatus Pontificis 494.39
Roma ante Romulum condita dicitur 217.39 eius incendium ſub Iſaurico 809.54
Romanæ leges à Iuſtiniano digeſtæ Barcinonenſibus reſtituuntur 843.46
Romana Eccleſia conſilia confirmat 353.37
Romani ab vno ſaltem Luſitano fugantur 935.31
Romani à Luſitanis grauiter vexati 911.10

Romani & Sabini unius dominio ſe ſubiiciunt 190.41

Romani Gothorum auxilia ſpreuerunt 38.16 eorum bella cum Gothis 38.17 M. Ciceronem & M. Varronem Latinæ linguæ Deos coluere 8.8.21 ſecuritate priuantur 40.12

Romani Pontificis maieſtas auctore Iſidoro 361.17 Imperii ſedes Conſtantinopolim tranſlata 808.48

Romanorum Imperatores regnum Gothicũ debellare non potuerunt 50.36 eorum ſtrages 192.1

Romanum imperium deficere incipit 808.51

Romulus Sabinorum filias abducit 190.36 ſuperat Sabinos 190.38 Quirites dictus 190.43 regnum aui, murum fratris, templum ſoceri, fidem amici ſanguine maculauit 190.47 qua morte occubuerit, ignoratur 190.49 quomodo Romã diuiſerit 1025.2

Roſiertus Gallus ſcriptor 1235.53

Roſtrum triremis Luſitaniæ regis fractum 1077.1

Rotron Comes Perticarum 92.31

Rubricatum fluuius 836.38

Rubricatus amnis, Lobregat 308.51

Ruccones, Rinogia 344.9

Rufus Feſtus Auienus 311.47 & Aquilius Seuerus quibus temporibus vixerint 809.13

Rugorum terra ſterilis 32.47

Ruina turris D. Iohannis multis obſeſſorum pernicies fuit 1364.44 viam hoſtib. in arcem Dium late patefecit ib.48

Rumecanus Soſari filius 1330.26 patre Sopharo occiſo belli Imperator eligitur 1335.22, 1357.46 eius inoppugnandis Luſitanis continens labor ib.24 in prælio perit 1344.46, 1371.59, 1372.1 obſeſſos Luſitanos ad deditionem hortatur 1336.36 malum accipit reſponſum ib.40 ab obſidione diſceſſum parat 1363.46 quot millia in armis habuerit 1368.18

Rumican velociſſimos ex ſuo exercitu eligit 1359.21

Rumæorum Abiſſinorumq́; 4000 à rege Cambaia miſſa 13,8.9

Rumæum Mahumetanorum oppidum 1351.33

Rupertus Alfonſi III. filius 1103.29

Ruſcinonenſis comitatus Aragoniis accedit 537.8

Ruyus Gomezius 1094.47

S

SAbbathi diebus à carnibus abſtinent Hiſpani 551.57

Sabora, hodie Cagnetum 298.26

Sacabemum 1142.36, 1168.56

Sacella D. Iuliani & D. Catharinæ vbi 884.17

Sacer mons Callaciæ 913.42

Sacerdotes Gotthorum Pileati vocantur 36.35 à Diceneo creati 37.1

Sacerdotibus vxores permiſit Witiza 382.11

Sacerdotum coniugia in Æthiopia licita 1309.1

Sacramentum Euchariſtiæ 1308.10, 25

Sacrum promontorium 939.49 alias S. Vincentii caput 952.27, 953.46

Sagittarum Indis vſus plurimus 1366.36

Saguntum excinditur 245.30

Saguntinum bellum 243.43

Sabata meretrix Æthiopum regina 1280.50 templa expilauit & deſtruxit ib.51

Saiones quales & qui apud Romanos fuerint 203.32 eorum munus ex Caſſiodoro 203.36 Saiones qui fuerint 203.46 pœna eorum qualis, ſi officium non recte adminiſtrarint 203.50

Salacia olim Rom. pop. colonia, hodie Alcaſſer Salis 1258.23 à Saracenorum poteſtate per ſacros milites liberata ibid.24

Salambona Venus dicta 306.18

Salduba Celtiberiæ vrbs, alias Cæſarauguſta dicta 855.54

Salema Henrico regi exoſus 1115.31

Salia, Salſus, Salo. fluuii 836.42

Salica Lex 657.55

Salii, Franci vocantur 321.44

Salmanticæ ſchola 586.57 Academia 811.56, 816.46

Salmanticenſis & Tudenſis Epiſcopi ab Arabibus capti 81.54

Salomon Rex quo ætatis anno Imperium ſuſceperit 1297.9 annulũ filio reginæ Sabeæ donaſſe creditur 1278.17

Salſus amnis, vnde prælio nobiliſſimo nomen 677.43

Saluagium tormenti genus 1368.8 cum aliis tormentis ab hoſte captum ibid.

Salus Liſſbonæ Albano commendata 1165.52

Saluus Abbas Albaildenſis monaſterii 16.36 eius ſcripta 16.37 eius mors & ſepultura 16.42

Sambroca vulgo Samuca fluuius 836.54

Sampyrus Aſturicenſis 442.34

Sancta crux 1065.51, 1152.9

S. Claræ monaſterium conditum 995.52

S. Eulalia Emeritenſis 45.42

S. Leocadia 61.22 eius reliquiæ Hannoniæ in monaſterio D. Giſlarii ſeruantur 61.23

S. Mathildis ſine liberis deceſſit 1233.1 teſtamentum eius ib. per tot. pag.

S. Margaritæ templum, olim Fortunæ Obſequentis delubrum 965.50 monumenta in eodem ib.56, 966.6

S. Vincentii templum in Sacro promontorio 953.50 eius corpus Valentia in id templum tranſlatum ib.51

Sanctus Benedictus 1083.46

Sanctus Lucaris 1123.23

Sanctus Thomas 1189.28

Sanctarenenſes 1170.33

Sancius Aldefonſi filius ſuccedit in regno & contra Mauros plurima bella geſſit 115.41 eius mors 115.47

Sanctius Alfonſi Sapientis filius rebellis in patrem 619.22 eius patruus Toletanus Epiſc. 596.41

Sanctius Alfonſi ſexti filius occiſus 493.43 Abula 1043.17 Aragonius multa monaſteria ab Epiſcopus eximi curat 489.17,20. occiditur 489.51 Auila 1045.40,1052.21,1146.52, 1164.43,1166,49.1167.19,1173.12,1175. 8,1176.18,&c.

Sanctius Balearis Rex 645.38 obiit 664.7 Capellus Portugalliæ IV. Rex 1258.32,589.26, regno pellitur 590.4 obiit 699.25 animo remiſſo fuit 1258.31 vxor eius ibid.35. Vicarius ei à Papa datus ibid.44.obiit Toleti ib.47

Sancius frater Ordonii rex creatus 86.12 Craſſus dictus ib.16 domitis rebellibus regnum recuperat 86.30 eius opera 86.38 eius mors 86.48

Sanctius Garſia Caſtellæ Comes 447.15,35 occidit matrem 450.8

Sancii Comitis vita 90.44

Sancius Garſia Rex Nauarræ 91.39 eius uxor & liberi 91.41 eius acta & prælia 91.44 Abarca dictus 91.51 mors eius 92.3

Sanctius Inſeratus dictus Nauarræ rex 92.48

Sanctius Iacobi Aragonii Regis filius Toletanus Epiſcopus 606.9,13 occiditur 614.17 virginum cœnobium extruit ib.16

Sanctius Abarca primus Aragoniæ Rex 849.15.52

Sanctii Abarcæ Regis educatio 433.16 II. Galindus antea, nunc Abarca dictus Aragoniæ Rex 850.3 III. nepos Sanctii II. Rex Aragoniæ 850. 11.obiit ib.16 IIII. Aragoniæ rex 850.25 ſagitta confoſſus periit ib.29

Sancius Luſitaniæ rex poſtremus regno motus 1018. 24,1093.12,1256.12 duxit vxorem Dulciam Raimundi Berengarii filiam ibid.48 liberi ex ea ſuſcepti plurimi 1256.1257.per tot. concubina 1257.34 bellū domeſticū ibid.57 mors 1258.1

Sancius Maior ſuccedit patri in Regno 92.17,447. 7,9 eius vxor & liberi 92.19 obiit 454.32 prælium cum Veremūdo Rege Legionis 97.6 in venatione Apoplexia punitur 97.10 precibus B. Antonini reſtituitur ſanitati 97.13 eius opera 97.14 mors eius 97.25

Sanctius Rogius prius Palentinus, deinde Toletanus Epiſcopus 786.20

Sanctii tres Reges vno tempore in Hiſpania 466.20

Sanctorum reliquiæ ab Epiſcopis in Aſturia deportantur 66.40

Santanderius portus ſiue ſancti Emeterii 2. 9.25

Sanga, Saducas, Sars fluuii 836.51

Sāgibanus Alanorū Rex 327.21 eius promiſſio 43.48

Sarabis, Taurus 424.55

Sarraceni Gotthos expugnāt 22.42 biennio totam Hiſpaniam occupant ibid.

Sarracenorū crudelitas 1355.56 in Africa duæ fuere factiones 1237.6 ingentes apparatus bellici, in Portugaliā ſub Sanctio h.nominis I.rege 1257.56 ſtrages ad Septam Mauritaniæ Tingitanæ vrbē 1266.6 ad Tarifam edita 1238.30

Sardanapalus Rex Aſſyriorum 37.36

Sardicenſis ſynodus 314.9

Sardoum promontorium, alias Piaria 839.35

Sarmatia, hodie Polonia 823.57

Saturninus hæreticus 299.18

Saturnus Iano in regno ſuccedit 187.20 ab Ethnicis primus Deorum fingitur 187.21 agriculturam & metallorū effoſſiones docuit 187.31

Saturnum aurea ſecula ordinaſſe fabulātur Ethnici 187.32

Saturnia vrbs à Saturno condita 187.38

Saturni promontorium 839.50

Saturni ſacrificia 224.58 247.48

Saxonum prima mentio 316.20

Scalabis vocata Sancta Irene 367.17, 468.41 viſita 889.3 olim præſidiū Iulium, hodie Sanctarena dicta ibid.5,903.23 nunc Sanctarena 1256.26

Scalabitani Antoniū Regem proclamant & creant 1045.51

Scanciar vox Hiſpanica, Latinis bibere ſonat 199.6

Scandia inſula gentium officina & nationum vagina 32.35

Scaphæ 4. Turcicæ à noſtris euertuntur 1323.30

Sforcia Vrſinus 1160.6,40,&c.

Schiſma Burdini 108.16 pœna eius 108.44 Clericorum poſt diſceſſum Primatis 107.38

Scipio ſex vicibus cum Annibale & Aſdrubale Pœnorum Regibus pugnat 192.3 cum Aſdrubale congreditur 192.30 Aſdrubale effugato 80. ciuitates & oppida Romano imperio ſubiicit 192. 31 Cum Hannone pugnat 192.40 Hannone cæſo Carthaginem obſidet 192.43 Africa tota ſubiugata Carthaginem penitus euertit. 192. 57. Africanus dictus 193.1 Romam glorioſus victoria redit 193.2 Hiſpaniam ſecunda vice rebellantem deuaſtat 193.9 moritur. 193.11 eius laus à quo deſcripta 193.12

Scopus ſcriptarum Genealogiarum regum Portugalliæ 1248.3

Scombraria promontorium vnde dictum 840.23

Scriba puritatis 1210.47

Scribæ duo ærarii Luſit. 1128.58. Cameræ 1128.28

Scrinii regii Magiſter, idē quod Cancellarius 663. 33.35

Scriptores Barcinonenſes 842.12

Scriptores incertum an Hiſpani 822.34

Scutum & clauis Hiſpaniæ quæ 1067.10

Scythæ Amazonum viri 34.32

Sebaſtianus I. Luſitaniæ Rex 961.31 1094.1 1141.18 1160.24 1176.42 1179.4, 1180. 12 1272.39 liberalis & gloriæ cupidus ibid. 53 male educatus & inſtitutus à tutoribus & aulicis ibid. 55. Ieſuitis educandus traditur 1067.22. expeditionē in Africam parat 1273. 20 annos natus 18 regnūm ſuſcipit ibid. 8. nil niſi bella & peregrinationes meditatus ibid. 16 bellum contra Moluchum gerere conatur 1032. 29 cū exercitu in Africam nauigat. 1033.30

Digitized by Google

1062. 19 *Feſſenſem Regem reducere conatur* 1273.24 *in prælio occumbit* 1034.23, 1087.47, 1273.27, *labores corporis tanquam miles gregarius cur obierit* 1067. 43 *magnanimum ſe præbet in præliando* 1082 57 *ſemetipſum in exitium præcipitauit* 1113.40 *Venator maximus* 1071.32 *Alcaſſere corpus eius ſepultũ* 1273.53 *à Philippo deinde in Portugalliã honorificentiſſime delatum* ibid. 57

Secundus aduentus Arabum in Hiſpaniam 64.35

Sedecim naues Liburnicæ a Nonio à Cunha miſſæ aduentant ad vrbẽ Dienſem 1327.51 *quo ſtratagemate vſi* ib.33

Sedes Hiſpaniæ exceptis prouinciis Tingitania, Legione & Oueto quot vſq; ad mare Oceanũ 810.50

Sedes Romana 1112.48, 1155.51, 1180.51

Sedulius presbyter 2.43 *eius ſcripta* 2.44

Segobiæ aquæductus 216.24

Segobriga an Toletano Præſuli cõtributa 601.18, 25

Semen inimicum generi humano ſuperbia 62.24

Semichriſtiani qui dicantur 1307.19, 41

Semina Regina omnium diſcidiorum ſeminatrix 80.31

Sena & Sanctum Romanum oppida vbi 914.51

Senatores Romani, Comites Palatini dicti 943. 54

Seneca Philoſophus 393.52 *Neronis præceptor* 860.29 *Tragicus* 295.6

Seneca Tragicus & Partius Latro pares fuiſſe dicuntur 860.26

Senior dominum ſignificat 343.20

Sententia regis Henrici contra Antonium Priorem Cratenſem 1091.45

Sententiæ de beneficiis per Philippum conferendis variantes 1181, 23

Sentica, Zamora dicta eſt 424.51.403.11

Separatio Fernandi ab vxore ſua 123.30 *eius mors* 123.34

Septa 1064.31, 1067.10, 1069. 31, 1098.49 *ciuitas Africæ capta* 47.11 *Mauritaniæ Tingitanæ vrbs* 1266.4 *capta & expugnata* 1244.18

Septem fratres Laræ reguli pereunt 444.34

Septem horæ data rebus diuinis 1303.54

Sepultura Chriſti 1303.10

Sepultura Regis Enrici 141.59

Sepulueda olim Segobriga, deinde Sepulaega 403.12

Sequeira 1072.54, 1083.18, 1084.58, &c.

Seralbum 1128.56

Serda oppidum 952.1

Sergii Sulpitii Galbæ pugna cum Luſitanis 933.49 *eius immane facinus* ib.56, 934.2

Series regum Æthiopiæ & nomina 1278. 1279, 1280. &c.

Sermones Caſtellanorum & Portugallorum de rebus Luſitaniæ varii 1111.9

Serpa 1141.56

Serreſus mons olim profanis Deorum cultibus ſacer 839.52

840. 1 *in eo ſimulachrum virginis repertum* 840. 7 *ara & templum ibi extructa ib.* 9 *in eo Heremitæ viuunt ib.* 12 *in eo quotannis vota ſoluuntur* ib.21

Sertoriana tempora qualia 973.44

Seruatus Dux Rhætiarũ ex mãdato Regis Theodorici cogitur Manitario cuidam mancipia à prædonibus ablata reſtituere 196.7

Serui Æthiopes 1150.20 1160.9

Serui dicuntur mancipia 1240.51 *Domini quales* 202. 5 *eorum authoritas* 202. 7. *eorum pœnæ ob res ablatas* 202.9 *fiſcales qui* 204. 1 *illorum teſtimonio fides habenda* 204. 7 *illis teſtandi licentia conceſſa* 204. 11 *qui inter illos numerentur* 204. 13 *quamdiu officium ſuum adminiſtrare teneantur* 204.18

Seruius Sulpitius Galba quot Luſitanorum millia occiderit perfidia 934.25 *antiquiſſimæ nobilitatis Senator ib.* 29 *eius perfidia tumultus Hiſp. & Viriatini belli cauſa fuit* ib.42

Seruus Tullius Anco Marcio ſuccedit 191.7

Setabis obſidetur, vulgo Xatiua 587. 18 *capitur* 593.4

Setubalum 1099. 6, 1134.49, 1144.19, 1148.49, 1151.23, 1156.34, 1169.41, &c. *in ditionem Hiſpaniæ Regis venit* 1049.12

Seueritas regis Philippi 1125.22

Seuerianus Leandri Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopi pater 5.47

Seuerus Malachitanæ ſedis antiſtes 6. 15 *eius opera mors* 6. 18 *& Licinianus Carthaginenſis præſules Vincentium Arianum damnant* 348.10

Seuerus Epiſcopus Eborenſium 983.54

Sex. Digitius Prætor varia commiſit prælia 930.50

Sexaginta militum Turcicorum arcem Dienſem conſcenderunt 1337.21, &c.

Sex præcepta Euangelii 1304.38

Sicania vnde & à quibus ſic dicta 837.8

Sicarius melius ferire quam fugere ſciens 1131.51

Sichæus venit in Hiſpaniam 225.1

Siciliæ vbertas 864.59, 865.1

Sicoris fluuius auro abundans 836.56

Siculus Hiſpaniæ Rex 217.57

Sidonius Apollinaris 149.41 329.24

Sigæa Toletana ob ſcientiã Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ in illuſtrium fœminarum claſſem à Luſitaniæ Regina relata 822.6

Sigericus in locum Athaulphi ſubrogatur 42.54 *pacem cœpit inire cum Romanis* 43.2 *conſpiratio Gotthorum in Sigericum & cædes.* 43.6

Signifer magnus Caſtellæ 1125.5

Silentium Luſitanorum in Africam abiturorum funeſtum 1076.59, 1077.1

Silingi qui 311.41 *Bæticam incolunt* 154.10 *eorum in Hiſpaniã aduẽtus, ſucceſſus & exterminium* 158.57

Silo rex creatur 72.44, 406.27, 72.45 *Galleciam ſibi ſubiecit* 72.46 *moritur* 72.48

Silurus piſcis qualis 918. 12 *de eo varia ſententia* ibid. 17
Simon Hieroſolymitanus Epiſcopus 486. 56
Simon Miranda 1049. 33 1151. 42
Simõ Pheus à Maſcaregna mittitur ad Sofaro gratulandum 1330. 39 *quid mandati à Sofaro adferat Maſcaregna ib.* 44, &c. *à Sopharo in vinculis detinetur* 1331. 23 1351. 14 *à Turcis productus* 1336. 32 *obſeſſos in Dio ad dedendam arcem hortatur ib.* 34 1359. 8 *nomine Maſcaregnæ Coio Sopharo advenienti in urbem gratulatur* 1350. 56 *ex voce agnitus* 1359. 5 *è conſpectu Dienſium ſubductus* ibid. 19
Simon Monfortius contra Albigenſes 557. 58
Simplicius Pontifex Romanus *Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, ſuum legatum facit* 332. 41
Sinderedus Toletanus *Epiſcopus* 382. 58 *interfuit Concilio Lateranenſi* 386. 34
Sinis maritimum oppidum 962. 13 *in eodem monumenta quædam* ib. 24
Sinus Adulicus 1285. 34 Arabicus, *vulgo anguſtiæ Mecha* 1349. 33 *Gangis* 1065. 37, &c. *Olyſiponis* 1063. 8
Siricius Pontifex Romanus 2. 8, 318. 41 *opus eius editum ad Eumerium Tarraconenſium Epiſcopum* 2. 9 *condemnat* Iovinianum & *Auxentium hæreticos* 2. 11. *obiit anno decimo quarto Epiſcopatus ſui* 2. 13.
Sirreum iugum 30. 57
Sirmienſe concilium 314. 22
Siſebutus Rex Gotthorum 10. 10, 49. 31, 994. 22 *fidei æmulus* 49. 33 *Romanas urbes ſibi ſubiicit* 49. 37 *Helladium Epiſcopum veneratur* 49. 38 *eius laus & victoria* 49. 45. *victos reſtituit libertati* 49. 53 *eius mors omnibus luctuoſa* 49. 55 *Iudæos cogit fieri Chriſtianos* 357. 29 Iudæos *Hiſpania expulit* 810. 40, 10. 10, 359. 58 *tyrannide ad regnum exaltatur* 50. 32, 10. 22 *die decima nona poſt Iuſtum obiit* 10. 22
Martyr 957. 32
Siſbertus Toletanus Epiſcopus 380. 49 *exilio punitur* 52. 47 & *Eba paternorum ſcelerum nomine omnibus odioſi* 63. 4
Siſiſclus Eborenſium Epiſcopus 979. 19
Siſiſclus, Abientius, Zoſimus, Tructimundus, Arcontius *Epiſcopi Eborenſes* 994. 55
Sicalcus ductor Gotthorum 36. 37. *Athenienſibus bellum intulit* 36. 38
Sitani ante Aborigenes *Latium incoluerunt* 837. 13 *in* Siciliam *transfretant* ibid. 14
Sitiens frigidam aquam deſiderat 1298. 24
Situs Portugalliæ 1063. 14
Sixtus Epiſcopus Romanus 14. 36 *eius ſcripta* 14. 37 *ſecundus* 304. 14
Socotra 1065. 28
Sofarus Dux Turcarum Maſcaregnam, ne bellum in ſe excitet, admonet 1331. 1 *arcem Dienſem aggreditur* 1331. 25 *eius mors* 1335. 2 *laus ib.* 4 *tabulas fœderis inter Noronnam &* *Cambaiæ regẽ initi diſcerpit* 1351. 13 *eius conſiliis Maſcarenna ſemper occurrit* 1352. 49 *præ ira lachrimatur* 1357. 6 *eius propinquus Dux exercitus Turcici interficitur* 1368. 41
Soffalla 1065. 24
Solà curſu retentus 611. 55
Solis eclipſis magna tempore Eduardi regis Luſitaniæ 1267. 30
Solicitationes miniſtrorũ Hiſpanicorum apud Luſitanos, prorege ipſorum, ad regnum Luſitanicum promouendo 1040. 27 1117. 2
Solimanus Baſſa *Turcicæ claſſis præfectus* 1320. 12. &c. *Luſitanos* India *excludere conſtituit ib.* 30. *cum claſſe ad portum* Adenenſem *appellit ib.* 37 *eius intentio quæ* 1320. 46 *eius fraus* ib. 54
Solymanus Baſſa *India Prorex* 1324. 34 *Turcarum Imp. nomine* Regi *Calecutii veſtem ex auro talarem, &c. offert ib.* 38 *à Rege* Calecutii *cũ Paquemaquaro in ergaſtula protrudi & puniri iuſſus* 1324. 44 *cur Coio Coffaro ſuccenſeat* 1327. 20 *cum ſuis aufugit & ab obſidione deſiſtit ibid.* 38. *Cordubenſis* Renegatus 1082. 13
Solimannus Turcarum Imp. 803. 33
Solorius mons 839. 51
Somatra à multis pro Taprobane habita inſula 1065. 42
Somnium Granatæ *Reginæ* 871. 27, 37, *quid portendat ſignificatur* 872. 2
Sonus Campanarum 1166. 33
Sophiſtæ quondam in Hiſp. 812. 50
Sophiſtica in Hiſp. oppreſſa 812. 45
Sorabis fluuius, alter Milaſia appellatur 837. 16
Sors Philippo benigna 1169. 14
Soſa Paceeus 1115. 30
Soſigenes Mathematicus 392. 32
Souſa cognomento Chichorri 1231. 1 *origo generis* ibid.
Souſarum clariſſima familia 1243. 31
Spalenſes citerioris Hiſp. populi 1011. 9
Spatha quid deſignet 198. 56 *à quibus fuerit uſurpata* 199. 1
Spathariorum dignitas quanti fuerit 199. 8
Spectaculum memoria dignum 1339. 17
Spes Sophari vana 1332. 34
Sphina promontoriũ, alias S. Maria caput 952. 25
Spiritus S. quibus conuentibus adſit 1183. 37
Sp. Pomponius Equitum magiſter 841. 44
Spurii hæreditatem adire ab inteſtato prohibentur 1037. 35
Staberus fluuius, hodie Segura 211. 28
Status Academiarum Hiſp. hoc noſtro æuo 814. 28 *regni Luſitanici à quo tempore deſcriptus fuerit ab auctore* 1062. 23 *rerum in Gallia & Belgico* 1181. 22
Stella mons Luſitaniæ 914. 41 *idem* Herminius *dictus ib.* 45 *cur ſtella mons dictus* 915. 12
Stephanus Comes Bleſenſis 1226. 26 *poſtea* Rex *Angliæ* ibid.

Stilico patritius de genere Vandalorum 41. 32 Gotthos inuadere curat 41. 34 eius exercitus proſternitur 41. 36 cum filio Eucherio ab Honorio interfectus 42. 48
Stipendia mdies militibus erogata à Rege Aldefonſo 131. 21 nobilibus annorum XII. ſoluenda 1128. 50 ſub ductoribus Æthiopibus. 1150. 23
Stipendium Moradia dictum 1128. 52
Strabo Cretenſis 807. 34
Strages Arabum 78. 30 Saracenorum 135. 41 Chriſtianorum 110. 6
Stratagema Antonii à Silueira 1322. 1 1323. 13 1326. 35 hoſtium 1338. 36 Proregis Indiæ, quo hoſtem ludificatus 1343. 53
Stremum 1139. 9 1147. 53 1148. 12, &c.
Strepitus Tympanorum 1166. 33
Studioſi Antonii 1173. 38
Subditi ad contribuendum Luſitani vi adiguntur 1070. 53
Subi fluuius, vulgo Francolinum dictus 837. 18 huius aqua lina irrigata nauium uſui aptiſſima 837. 20
Suburbia Liſybonenſia 1165. 8
Succeſſio Regis Sancii in Regno Caſtellæ 117. 53 eius vita 117. 57 mors eius 119. 16
Succeſſionis in regno ius & ratio 781. 15
Succeſſores coronæ Luſitaniæ ante Philippum Hiſpanum viginti præceſſerunt, omneſq; prouidentia diuina mortui Philippo locum feciſſe videntur 1061. 13, &c.
Succeſſus militum Petri Baldeſii in Inſula Tercera infelix 1181. 20
Succeſſus pugnæ ad Alcantaram quis 1168. 57
Sucro, Vero, Xucar & Hucar 535. 57
Sucro fluuius 837. 21
Sueui in factiones diuiſi 158. 8 Arriana hæreſi inficiuntur 158. 26 origo 153. 26 Alanis & Vandalis ſe adiungunt 153. 31 principes 45. 50 eorum cædes 45. 52 reges 157. 31 regnum in Hiſpania quando & à quo deletum & quamdiu durarit 24. 44 158. 47 946. 3
Suintilanis Rex 10. 10
Suintila filius Recaredi Rex Gotthorum 50. 2 358. 26 eius prælia & victoriæ 50. 4 Hiſpaniæ monarchiam primus inter Gotthos obtinuit 50. 7 ei ſe ſubmittunt montiuagi populi 50. 12 eius mors 50. 19
Summa diſſenſio in Hiſpania 185. 42
Summa nauium combuſtarum in regno Cambaiæ à Luſitanis 1374. 40 captiuorum, qui Luſitanis ceſſerunt ibid. 42
Superbia filiorum Noë 18. 18 præcipitatio eorum ibid.
Superſtitio Iudæorum 1308. 41, &c.
Supplicium furcæ 1182. 11
Surrate oppidum Cambaiæ 1329. 45
Suſa 1077. 59
Suſpenſio breuis 1091. 44
Syntra pagus Duci Albano traditus 1053. 9
Syrus Acephalus Epiſcopus hæreticus 49. 45

T

Tabulatum miræ altitudinis 1332. 19 à Saracenis qualiter extructum 1356. 33
Tabulæ ſubſcriptæ à Rege Cambaiæ & Hectore Sylueria 1377. 6
Tader fluuius, vulgo Secura dictus 837. 31
Tagrus mons Luſitaniæ 913. 29 alias Iunctum ibid. 49 hodie Sintreum 881. 18
Tagus fluuius præſtantiſſimus 209. 15 837. 34 922. 2 1063. 2 1104. 18 1123. 9 1127. 1 1156. 36 1165. 28 1166. 19 1185. 40, &c. cæteris cur præſtantior 901. 59 vbi oriatur 906. 9 quos piſces alat ibid. 35 auro abundare dicitur ibid. 44 vnde nomen acceperit ibid. 53 à Carthagine nomen accepiſſe dicitur 923. 6 quidam ab Vlyſſis ſocio Tago nominari fingunt 923 10 Bætis Certius & Tarteſſus à quibus vocatus ib. 13
Tagus Hiſpaniæ regulus 923. 20
Taius Epiſcopus ſcripta Gregorii conquirit 364. 43 glorificatur à Pontifice 51. 46
Taio Cæſaraugustanus Epiſcopus ad Pontificē Romanum mittitur 51. 20
Talabriga ſitus 1010. 28
Talauera cur Regina dicitur 689. 38
Talauera multis nominibus vocata 307. 24 309. 52 olim Eibora dicta fingitur 1010. 10 vbi condita 1010. 21
Tamaca fluuius, alias Tamaga 1004. 24
Tamara fluuius 837. 44
Tambergius 1083. 11
Tamerlanes Scytha 765. 49
Tanais Rex Scytharum 34. 33 totam Aſiam deuicit & Regi Medorum ſubdidit 34. 35 inter numina collocatus 34. 46
Tapeta pretioſiſſima è pellibus inaurata 1362. 17
Tapæus mons 916. 37 alias Anſidianus dictus ibid. 46
Taprobane antiqua nunc Zeilan 1085. 38
Taraſia Alfonſi I. regis Portugalliæ filia 1255. 49 nupſit Philippo Comiti Flandriæ ibid. nomen apud Flandros in Mathildem vertit ibid. 50 infelici exitu mortua prope Furnas ib. 54. laus eius ibid. 51
Tareſia 1063. 58
Tarnum fluuius, vulgo Tarderia vnde oriatur 838. 3
Tarquinius Superbus Seruio Tullio ſuccedit 191. 9
Tarraco Colonia Romanorum fit 249. 26
Tarraco oppidum 846. 9 à Vandalis captum & dirutum 842. 31 cum aliis vrbibus à iugo Mauroarabum liberatum 43. 14
Tarraconenſe Concilium 335. 31 538. 42
Tarraco Rex venit in Hiſpaniam 224. 10
Tauira 1063. 12

Teglius

Teglius 1132.28, 1143.57, 1144.11
Tegumentum è durißimis coriis aduerſus ſclopetarum ictus 1356.30
Telephus Rex Gotthorũ *35.48 filius Herculis 35.51 eius habitus 35.52 victoria & actus 33.28 Therſandrum* Græciæ *Ducem interfecit 35.59 eius interitus 36.1* Thelepho *ſucceßit Eurypilus 36.3 ob Caſſandræ amorem bello interfuit Troiano & ibi mortuus* 36.4
Tellio Epiſcopus Palantinus 811.40
Tellus *ſignifer cum Mamerco nobilis in pugna occiſi* 929.50
T*elonia Liſiponenſis* 1168.22
T*emarianus mons* 840.25
T*emeritas hoſtium caſtigata 1359.28 Sebaſtiani Luſitaniæ Regis* 1186.15
Temiſna 1078.4
Templarii & Hoſpitalarii *milites 504.26 extincti* 651.52 1063.48
Templum Auguſtinienſium monachorum 885.14
Templum Cochini, Pagades dictum 1324.58 *D. Mariæ & cœnobium monachorum* Hieronymianorum *884.20. opus Emanuelis Portugaliæ Regis ib. 22 D. Petri & Pauli in vrbem Legionenſem translatum 81 31.* Hieroſolymitanum *1300. 28 Liſibonenſe Cathedrale 1110 33, 1186.9 D. Dominico ſacrũ 1106.16, &c. Miſericordiæ 1138.52, 1141.13, 1179.26, &c. Spiritus Sancti 1141.46 Veſtalium, D. Mariæ ſpei nomine vbi 884.54 virgini Belemenſi ſacrum* 1094.41
Temporis ratio præcipuum hiſtoriæ fundamentum 1226.41, 1229.31
Temporum ratio in Hiſpania 805.11
Tempus finitum pro infinito poſitum & vſurpatum 1064.51
Tenebrium promontorium 208.50 840.20.
Tercera 1178.57, 1179.38, 1215.14
Tercera 1063.27, 1172.58, 1185.42. 1186.47, 1186.47, 1189.31, 1193.36 *quantum ab* Oliſyppone *diſtent* 1065.38
Terra motus in Hiſpania 177.18
Terreſtris pugna Turcarum *cum noſtris qualis 1326.26 dirimitur* ib.41
Terror Luſitanis maximus incuſſus 1084.47
Teſſara Hiſpanicorum *militum* 76.44
Teſtamentum Henrici *Regis Luſitani 1111.11, 1122.14, &c. Ludoici patris Prioris Cratenſis* 1104.48
Teſtium fides quibus rebus nitatur 1240.27
Teucer Calecorum gentis conditor 912.16 in Hiſpaniam *venit* 928.33
Thaleſtris Regina Amazonum cum Alexandro pacem init 35.35
Thalmuditici libri vetantur 785.44
Tharſis ſeu Carthago, hodie Tunez 208.59 223.14 eius naues 218.5.
Theobaldus Campaniæ Comes *579.10 580.27 iunior* 398.59
Theodiſclus ſucceſſor Iſidori 363.32
Theodiſtus Epiſcopus Hiſpalenſis *in exilium mittitur* 52.1
Theodimerus Rex Sueuorum *4.48 158.27, 332.13*
Theodobertus Theodorici Mediomatricum Regis filius 337.4
Theodoredus Gotthorum *Rex* 327.16
Theodoretus Cyrus Epiſcopus 4.25 eius ſcripta improbata 339.55, 379.34
Theodericus Romanorũ & Italiæ Rex factus 1c 28.31
Theodericus obſes datus Leoni Imperatori 148.53 Rex Oſtrogotthorũ *148.57* Italiam *occupat 149.12 eius actus 149.20 aſsignauit Romanis quotannis 120. millia modiorum frumenti 149.38 totam* Hiſpaniam *&* Galliam Gotthicam *ſibi ſubiecit 149.46* Romã *reſtaurat 149.52 Symmachum Patricium & Boethium ſenatorem interfecit cũ Ioanne Papa 150.12 eius mors 150.16*
Theodoricus Gotthorum *Rex 158.18 à fratre interfectus* 158.24
Theodoricus Amalus Imp. *Rom. & Italiæ deſtinatus* 945.33
Theodoricus Oſtrogothus 337.55 non venit in Hiſpaniam 335.17 Viſigothus 335.8
T*heodorus Laſcaris Imp.* Græciæ *ſalutatus* 955.26
Theodorus Veſtinus Epiſcopus 4.17, 4.24, 14.56 græca eius ſcripta aduerſus omnium hæreticorum errores 14.58. ab Acephalorum *Epiſcopis damnandus cenſebatur 15.2 eius vita* 15.3
Theodoſianus Codex ab Alarico in compendium redactus 334.27
Theodoſius Eugenium tyrãnum vltus eſt 41.3 eius imperium 41.8 pacis & Gotthorum amator 41.9 obitus eius 41.10
Theodoſius Imperator 317.10, 16
Theodoſius Hiſpanus Imp. 808.47 eius ætas qualis 809.27
Theodoſius Imp. à Vandalis & Veſogothis interfectus 946.1
Theodoſius Hiſpanus *à Valente occiſus 1026.48 eius filius eiuſdem nominis Flaccillam Honorii filiam vxorem ducit 1027.7 idem Imperator factus ibid. 20 vxoris ſuæ ſorores principibus elocat ibid. 32 vterque Flauii prænomine vſi ib. 40*
Theodoſius adoleſcens Barcellenſis Dux 1083.22
Theodoſius Brachantiæ Dux 1243.38 Comeſtabilis *ibid. ſeries qua hæc dignitas ad eum peruenit* ibid. 39
Theologia Compluti floret 823.10
Theologi 1135.11, 14 Hiſpani per Philippum regem ſuper bello Luſitanis inferendo conſuluntur 1124.5, &c.
Theraſia Alfonſi quinti ſoror nubit Mauro 448.21
Theraſia Alfonſi regis Caſtellæ filia 959.25 nubit

Henrico Comiti Lotharingiæ ib.36
Theſauri pro animæ ſalute legati 1150.37
Theſaurus Pauperum à quo ſcriptus 615.12
Theſaurus reconditus vehementiſſime diligitur 1296.55
Theudomirus Pontifex 16.43
Theudiſclus præficitur Theudis 47. 20 *Hiſpali confoditur* 47. 24
Theudius Rex Gotthorum creatur 413. 46, 50 337.49 *Arriana hæreſi coinquinatus* 46 *Francorum calumniam ab Hiſpanis repellit* 47. 4 *Amalaſuentam facit ſtrangulari* 47. 5, 150.27 *eius mors* 47.18
Theudoredus Rex *Gotthorum* 43. 30 *fœdus cum Romanis inire recuſat* 43.31 *eius clades* 43.32 *à Lithorio Romanæ militiæ duce fugatur* 43. 37 *pacem cum Romanis init* 43. 41 *aduerſus Hunnos bellũ innouat* 43. 43 T*heudoredi mors* 44.15
T*heudoricus arma mouit contra Rechiarium Sueuorum* Regem 45. 25 *eundem deuicit* 45. 27 *& occidit* 45. 39 *Sueuorum gente ſubiugata in Galliam, Gothicã reuertitur* 45. 48 *eius mors* 46.7
T*homas* A*quinas conſecratur* 658.10
T*homas Eſternulius* A*nglus* 1075.56
T*homas Vcedus* 1056.42
T*homæ turris* 1351. 44 *Ludouico Soſæ committitur ibid.* 45 *ab hoſtibus cuniculis actis oppugnatur* 1365. 35 *pars eius collapſa multos hoſtium opprimit* 1365. 43
T*homæam turrim Mahumetani cuniculis deiicere nituntur* 1339. 41 *quartam eius partem euertunt* ib. 46
T*homicus hiſtoricus* 746.44
T*hraſamundus* Rex W*andalorum* 3. 56, 354. 52 *crudeliſſimus Chriſtianorum perſecutor* 156.35 H*ildericum de non tuenda Catholica Eccleſia iuramento aſtrinxit* 156.37
T*huriſmundus* A*ttilæ filius regnat* 44. 45 *dolo interfectus* 45. 8 *eius tempore ſigna in cœlo & terra videntur* 44.50
T*iberianus* B*æticus, poeta* 809.2
T*iberius* C*arpentarius* A*lbanorum Rex* 189. 45 *vrbem nomine* T*ybur condidit* 189.50
T*ib. Sempronius Grachus Prætor Mundam oppidum cum aliis ducentis capit* 933.9 *eius victoria à Celtiberis reportata* 933.22
T*imiditas Gubernatorũ Luſitanicorum* 1186.16
T*imor Olyſiponenſium* 1054.1
T*imoth. patre gentilis & matre* Hebræa 1307.1
T*ingenſis expeditio funeſta* 1265.34
T*ingis* 1064.31, 1067.10, 1077.42, 55, 1089. 29, &c.
T*ituanum* 1077.38, 1078.57, &c.
T*ituli* 1186.26
T*itulus dominationis non reg. maieſt.* A*ntonio per* A*lbanum datus* 1162.36,
T*itulus S. Blaſii* 1092.14
T*hiuphadus primus inter inferiores Magnates Gotthorum* 201. 2 *qui eum ordine ſubſecuti* 201. 3 *in quibus criminibus ipſi iudicare conceſſum ſit* 201.8 *alio auocatus vicarium conſtituere poteſt* 201.15 *eius in bello authoritas ad dignitatem Comitis exercitus proxima* 201. 18 *ſi donis corruptus cuipiã ex exercitu domum redire permitteret, grauiſſimam pœnam luebat* 201.21
T*oban Albuſcatari interfecto ſuccedit* 172. 27 *Zimaelem contra* A*lbuſcatarem adiuuat ib. infeliciter bella gerit* ib.23
T*oaba* H*iſpaniæ præfectus, annũ regnauit* 172.29 *ſtrenuus miles* ibid 30
T*oletana Concilia, primum* 320.11, 1020.32, *ſecundum* 337. 12. *tertium* 351.34 *quartum* 359. 53 *quintum* 361.40 *ſextum* 362.6 *ſeptimum* 364.12 *octauum* 365.55, 366.2 *nonum & decimum* 366.38, 42 *vndecimum* 375.16 *duodecimum* 378.40 *tredecimum* 379.4 *quartumdecimum* 379.22 *quintumdecimum* 380. 20 *ſextum & ſeptimumdecimum* 381.6, 25
T*oletana Eccleſia quando fundata* 1019, 47
T*oletana primatia* 51.56
T*oletani filium* A*lmahadi, nomine Obeidalla in regem eligunt* 181.48 *primum locum in conuentibus petunt* 686.45 *rebellant contra* A*lbacam* 174.44. *eorum ſtrages* 175.20
T*oletani* R*eges Mauri* 449.40
T*oletanum Concilium Rege Gundemaro* 356.12 *aliud* W*itiza Rege* 382.18
T*oletanus Epiſcopus* C*aſtellæ Cancellarius* 559.4
T*oleti palatium clauſum* 63.14
T*oletum conditum* 30.6 *& à quibus* 1014.53 *quo tẽpore vrbs regia dicta* 344.4 *capitur à Mauris* 389.28 *à noſtris recepta* 478.48 *à Sarracenis occupatur* 21.6, 62.3 *habitatoribus vacua* 67.59
T*oloſa ab obſidione Arabum liberatur* 168.47
T*oloſanum Concilium celebratum* 206.52
T*oloſanus prouinciæ Narbonenſis dominus* 1227. 42
T*omarum* 1178. 41, 1182. 50, 1208. 10 *oppidum Portugalliæ, alias Nebantia* 1057.37
T*omyris Regina Gothica* 35. 30, 36. 6 *partem Myſiæ Scythiam appellauit* 36.10 *eius acta ibid.*
T*onſura clericalis forma* 360.21
T*ordeſilla* 1097.1
T*ormis fluuius Salmanticenſium* 907.40
T*orques aureus virtutis præmium* 202.33
T*otila* Rex *Oſtrogotthorũ* 150.55 *eius actus* 151. 1. *Ciuitates Italiæ euertit* 151. 7 *interficitur* 151. 12
T*ractatio de pace* 1151.14
T*ractus vltra Durium Luſitani, aliis Callaici ſunt* 901. 2
T*raianus Imperator* 808.26
T*raianus Marius* 1156.6

Transla-

Tranſlatio corporis Regis Sancii ab vrbe Ouetenſi in vrbem Legionenſem 100. 25 corporum Regum & Pelagii ad Aſturias 88. 48 corporum Vincentii, Sabinæ & Chriſtetæ dubia 100. 30
Trebonianii opera leges in compendiũ redacta 338. 43
Trecenti Mahumetani caſi 1338. 9, 1360. 44
Tremiſene 1069. 11
Tres Petri crudeles vno tempore regnarunt 1262. 9
Tres teſtimonium dant in terrà 1307. 23
Tres triremes Turcicæ euerſæ 1326. 24
Tribunal iuſtitiæ in Galicia 1183. 15
Tribus horis à noſtris acriter cũ Turcis pugnatum 1338 23
Triginta millia militum Regis Cambaiæ à quibus deuicti & caſi 1377. 42
Triginta tres dies in honorem B. Mariæ virginis inſtituti 1304. 11
Trileucum, alias Lexaciacorum mons 840. 27
Trinitas coniuncta 1293. 38 diuina 1302. 28
Triremes 1215. 1, 1216, 42 albani 1163. 48 duæ Turcarum à Dienſibus euerſæ 1322. 26 Italica 1144. 21
Triremes LXII. 1166. 20 Luſitanicæ tres 1144. 1 partim Hiſpanicæ, partim Italicæ LX. 1124. 49, &c. Siculæ 1168. 25
Triremis regis Luſitani fracta 1077. 2, &c. Rhomæorum capta 1377. 51
Triton qualis & vbi degat 882. 1
Triſtanus Vaſcus 1047. 20, 51, 1144. 28, 1163. 7, &c.
Troglodytæ gens nuda 1285. 16 quos colat Deos ibid. 20
Trogus Pompeius 822. 35 eius pater Caio Cæſari ab epiſtolis fuit 822. 40 eius maiores Volſcos eſſe fertur 822. 37
Trophæa Luſitanica 1173. 20
Tructimundus Eborenſ. Epiſcopus 979. 19
T. Torquatus, Scipio & Cato Pompeii fautores ſeipſum iugulant 194. 54
Tuda amœniſſima ciuitatum Gallecia 61. 35
Tuis fluuius à Plinio Ticer dictus 837. 45
Tulgas ſucceſſit Cintila 50. 56 eius vita 50. 58 eius obitus 51. 3
Tulganis 11. 15
Tullius Hoſtilius in regno Numæ ſuccedit 191. 2 vrbem Romam addito monte Cælio amplificat 191. 3 ictu fulminis vritur 191. 4
Tumultus hoſtium in arce 1366. 34 à Maſcarenna feliciter ſedatur multis hoſtium caſis ib. 40
Tumultus Setubalenſis 1145. 19
Tunetum 1081. 19 poſt Carthaginem conditum 1246. 48 caput regni Lybici ib. 49 eius à Carthagine diſtantia 1246. 48
Tur quid ſignificet 838. 1
Turba Luſitanorum promiſcua 1171. 33
Turca Dium vrbem obſident 1321. 30, 51 ab obſidione Dienſis oppidi paulo remiſſiores 1323. 54 verum conatus à noſtris perturbati 1325. 11 interfecto Sophæro de Ducis electione hæſitant 1335. 17 cuniculis arcem Dienſem euertere ſtatuunt 1338. 32 duo caſtella erigunt 1357. 56
Turdetania vnde nomen ceperit 905. 3
Turdetani qui 904. 14 & Turduli iidem putantur ib. 52 Hiſpanorum maxime imbelles 904. 57
Turduli qui 904. 46 veteres qui, & eorum regio 909. 20
Turedani 1068. 54
Turia fluuius 837. 49 laudatur à Claudiano 837. 55 quare ſic dicta ib. 57
Turibius Aſturicenſis 328. 41 ſepultura 329. 6
Turiolum oppidum vnde dictum 837. 50
Turnus ab Ænea victus fuga ſe committit 189. 6
Turres Antonio Freiro & Ioanni Almeda commiſſæ acerrime oppugnantur 1356. 6 duæ Dioſpoli quales 1322 D. D. Ioannis & Thomæ diruta 1359. 49
Turres D. D. Ioannis & Thomæ 6000 hoſtium oppugnata 1360. 16
Turres D. Iacobi & Thomæ ruinam minari videbantur 1354. 24 oppidi Dienſis variis globis petita 1322. 20 veteres 1173. 18
Turricula ad portus Setubalenſis fauces ædificata 1063. 11
Turris Belemenſis 1164. 27, 45 egregia vna nocte extructa 1351. 37 D. Iacobi 1353. 59, 1354. 50 1362. 13 D. Iohannis 1333. 26 1339. 10. diſrupta ibid. in arce Dio ab Indis conuellitur 1364. 24 cuſtodia Fernandi Caſtri committitur 1359. 48 1359. 22 noua à Sarracenis condita 1355. 42 valde concuſſa finditur 1333. 18
Tyrannius Ruffinus 15. 5 eius liber ad Paulinum presbyterum ſcriptus 15. 6 Ea quæ de Dan filio Iacob ſcripta ſunt, ad Antichriſtum pertinere S. Patres aſſerunt 15. 8

V.

Vaccæi vnde dicti 924. 14
Vacus fluuius 838. 12
Vacca fluuius 924. 8
Vacus, Via, Vir, Velo fluuii 838. 14
Vadarnero mons 840. 29 alias Vadanicorum manibus ſacer 840. 30
Vaira 1177. 26
Valamer Rex Oſtrogotthorum 148. 48
Valens Imperator Oſtrogotthis & Veſegotthis partes Thraciæ tradidit incolendas 39. 1 concrematur 40. 18
Valens Imp. 316. 29, 810. 14 diuinat per gallum 316. 46
Valentia oppidum 846. 18 captum 109. 13 eius fundator 218. 31 à quibus conditum & nominatum dicatur 938. 37
Valentini & Cordubenſis belli initia 580. 58
Valentini & Maioricenſes Catalani dicti & cur 846. 22
Valentinianus Imperator 318. 20 Iunior 317. 14, 318. 51 tertius 326. 6

Valentinus Moranus 913.22
Valentinus Martyr 1017.41
Valerii Abbatis *liber* 365.6,375.33
Valerius Caſaraugustanus & Vincentius martyres 396.49
Valerius Martialis Bilbilitanus 807.57
Valetudinarium, omnium Sanctorum nomine, O-*liſipone quale* 886.25 *inter omnia regia Xeno-dochia principatum obtinet* ib.38
Valia Sigerico ſubrogatur 43.8 *pacis ſtudioſus* 43.9 *Honorio* Imperatori *promittit auxilium* 43.11 Romanorum *cauſa multos barbaros proſtra-uit* 43.13 *victoria glorioſus* Romanis *aliquot prouincias dereliquit* 43.22 Remuneratio *Si-gerico ab imp. facta* 43.32 *eius mors* 43.24
Vallemuargi pagus 951.25
Valles planicie commoda ab Hiſpanis *vega nomi-nantur* 30.52
Valliſoletum olim Pincia 497.44
Vallum Turcicum ad vrbem Dienſem extructum 1322.4
Vandali vbi in Hiſpania *regnarint* 154.18 Hiſ-*panias innadunt* 153.58 *à Conſtantino expulſi à propriis ſedibus Pānoniam petunt* 38.32 *Im-peratorum decretis parent* 38.33 *gens perfida & doloſa* 41.33 *iidem* Burgundiones 321.32 *eorū voces in lingua* Hiſpanica 322.19 *quam-diu regnarint & quando extirpati* 157.2
Vandali vnde prodierint 153.22 *quando & quā-diu cum Alanis & Sueuis Pannoniam poſſede-rint* 153.36 *à Pannonia in* Galliam *ſe recipiunt* 153.44 *in* Aphricam *nauigant* 154.57 *in* Si-*ciliam nauigant* 155.32. *eorum in* Hiſpaniam *migratiõ* 42.37
Varduli vbi 403.30
Varia beneficia per Philippum Hiſp. Regem *Lu-ſitanis conferenda, ſiquidem ſe ipſi ſubiicerent* 1040.32 *de Doctorum hominum ſtylo iudicia* 813.26
Varia flumina Hiſpania 925.40 926.26 *Hiſp. oppida* 1022.30 *interpretatio ciuitatum* 1010.35. *miſſilium genera à Mahumetanis in Tur-rim D. Ioannis immiſſa* 1359.38 *monumenta Phari extructa* 953.12,22,31,40 *viarum* 947.5,22,32,50,54,948.14 *oppida prope Ta-gum fluuium* 954.46 *Luſitania* 903.18 *pra-lia Luſitanorum* 933.30,35
Varia diſputationes Iudaorum 1308.52
Varia Luſitanorum ſententia de regno Portugallia Philippo tradendo 1041.20
V*aria opiniones de ciuitatē Munda* 194.57 *de Damaſo Pontifice* 1004.13 *de* V*ectonibus &* V*ettonibus* 906.21
Variè pugnatum à Turcis cum noſtris 1326.10,37
Varii Gotthorum regum nummi 1022.34
Varii Reges Hiſpalis *&* Corduba 185.46
Vaſcetani qualis gens 931.32
Vaſconica lingua apud quos vſitata 985.53
Vaſcus Gunna 1368.30
Vaſcus Fernandus 1371.4
Vaſcus à Gama 1291.24 1088.28
Vaſquius Silueiranus 1072.54 1083.15,1085.1,&c.
Vaſtatio Regni Toletani 100.11
Vaticinium Sibilla *vbi contineatur* 913.16
Vero fluuius, vulgo Huecar 535.57
Vduba fluuius 838.19
Vectigalia 1071.3 1129.16
Vegila nobilis rebellis 86.24 *in exilium mittitur* 86.26 *auxiliatur* Arabibus 87.14
Velaſco Epiſcopus ad pedes Abbatis *Albaildenſis ſepultus eſt* 16.46
Velaſcus 1141.11,&c.
Veleſium 1096.47
Vellidus Athaulfus Sanctii Regis *occiſor* 469.3
Vellus aureum quid 219.29,1183.9
Venatio nobilium inſigne & exercitium 1234.56
Venetus quid de Turcis & eorum propoſito narra-uerit 1327.16
Venia generalis 1181,15 *Luſitanis per Philippum oblata* 1151.13
Venti vis Dienſibus obeſt 1360.29
Ventorū vrbs quomodo à Carolo M. vocata 945.16
Verba doloris ad Gentem *Arabia* 124.53,125.1
Verba aulico artificio condita 1145.52
Verba teſtamenti Ludoici *Prioris Cratenſis patriē* 1104.48
Veremundus Rex *& Diaconus* 76.16,407.31 *eius filius Ramimirus ad regnum exaltatur ib. Poda-gricus* 85.57,442.59 Rex *creatur* Legionen-*ſis* 87.36 *eius ſcorta* 88.11 *tertius filius Al-defonſi in regno ſuccedit Patri* 91.7,451.3 *eius matrimonium* 91.10 *eius mors & ſepultura* 97.59
Vergundus Epiſcopus Africanus 15.10 *duos libel-los edidit* 15.12
Veriſſimus & ſocii martyres 311.16
Veriſſimi, Maxima & Iulia martyrum corpora v-bi ſepulta 884.50
Veritas per ſe congruit 1233.25
Vernulphus Athaulphum *occidit* 324.32
Verona in odium Romanorum *extructa* 33.34 38.26
Verus Hiſpalenſis Praſul 405.55,812.24
Verus Imperator regna regibus, prouincias Comi-tibus regendas commendauit 196.31
Veſegothia regio vnde dicta 945.55
Veſegothorum regnum quamdiu durarit 946.6
Veſontium ciuitas metropolitana Burgundia *Co-mitatus* 1254.43
Veſpaſianus Imperator 296.27
Vectones vbi habitationem collocauerint 905.37
Vettones & Vectones diuerſi populi 905.44,907.19
Vexilla Mahumetanorum aduentū produnt 1360.89 *variorum colorum Turcica* 1325.43,&c.
Via argentea à quo facta 275.15
Via Arraioloſenſis 1148.37 *Ocirenſis* 1161.10

Vna

Viæ militares ſtratæ regiæ dicuntur 946.15.21
Viana 1165.10,1174.1,1177.26,1178.47,1188.
52 *alias* Vienna *Callecia* 1056.12
Vicariatus regni Neapolitani 1182.23
Vicarius Principis Comiti quando prælatus, & quando Comes vicario 197.27
Vicerex Luſitanicus 1129.10 *Neapolitanus* 1107.18
Victimirus capitur & vinctus flagellatur 55.56
Victoria Aldephonſi *ab Agarenis reportata* 110.20 *Chriſtianorum ab Agarenis reportata* 135.34 *Chriſtianorũ Regum de Sarracenis parta* 1238.30 *dubia* 1137.24
Victoria Gotthorum *commendatio* 65,14 Fernãdi *Regis Legionenſis ab Aldefonſo Rege Portugalliæ reportata* 123.3 *incruenta* 1164.25 *nauales Nonii Cugna contra* Rhomaeos *& Turcas in India* 1373.11
Victoria per Luſitanos contra Caſtellanos obtenta 1173.20,*&c. prope Portum* 1182.12 *Regis Aragoniæ contra Caſtellanos* 113.17 *eius ſacrilegium* 113.23 Regis *Garſiæ contra fratrem Ranimirum* 97.39
Victoria vrbs condita 538.40
Victor Tunnuenſis *Eccleſiæ Epiſcopus* 5.4 *eius hiſtoria* 5.6 *in exilium mittitur* 5.7 *reuocatur,cuſtoditur & moritur* 5.10
Victor *martyr.* 311.17
Victoriani Martyris precibus fugantur Arabes 94.53
Victorinus Epiſcopus 15.14 *eius opuſcula aduerſus Manichaeos & Marcioniſtas* 15.15
Victorius Statorius, Annaei Senecæ municeps 807.6
Vicus cuminarius, nunc Sancta crux de la Zarza 535.9
Vicus Sanctarena 1116.43
Vidigueira 1188.59
Viennenſis Synodus 810.58
Vigila comes 424.23 438.39 *eius filii* 450.35
Vigilantius hæreticus 319.51
Vigilius Pontifex 339.57
Viginti ſex mercatorũ naues à Turcis *captæ* 1377.26
Villaboina pagus Portugalliæ 1057.35
Villaboinum [illegible] 1182.52
Villafagna 1181.30,1182.39,*&c.*
Villa Franca 1199.17,1200.33,1205.49,*&c.* 1215.11
Villanoua 1063.12 1127.55
Villaregalis 1143.33 1153.21,1210.38
VillaviZoſa 1116.1,1123.53,1146.56 1148.34 1182.52,*&c. oppidum, Brigantiæ Ducum ſedes* 963.34,39,44,50 *eius arx in ditionem Hiſp. venit* 1045.36
Villici quales 203.26
Vimarienſis ciuitas, Damaſi pontif. patria 1004.10
Vimioſius 1115.55,1202.46,1205.28
Vincentius Caraffa 1127.59
Vincentius Caſaraugustana vrbis Epiſcopus Arrianus 6.16, 348.9
Vincentius Ferrerius 767.39 *obiit* 789.18
Vincentius Ferrarius Valentinus 812.25
Vincentius Fonſeca 1138.41
Vincentius, Sabina & Chriſtina martyres Eborenſes 978.24,994.46
Vincentii martyris oſſa 305.29 *Oliſiponem delata* 339.34
Vindicati dicuntur Martyres 17.13
Violentia facta filiæ Comitis Iuliani 63.37 *cauſa euerſionis* Hiſpaniæ *fuit* 63.39
Vires *Albani* 1155.4 *Hiſpaniæ formidoloſa* 1104.7 *Prioris* 1164.3
Virgines Veſtales 1168.26
Virginibus ſacris virorũ colloquium interdictum 357.58
Virgo Belemia 1094.41,1131.17 *Guidana* 1158.48 *ſacra de Oliuera* 1090.56
Viriatus 266.22,268.50 *Luſitanorum Dux* 911.19 *annos decem Romanos victoriis fatigauit ib.* 21 *interfectus* 930.4 *Hiſp. Romulus* 934.50 *Romanos quamdiu bellis fatigarit ib.* 57 *fraude Capionis interfectus* 935.9 16.54 *Dux Celtiberorum* ib. 43
Viri illuſtres Barcinonenſes 841.33
Virnum mons, alias Senium, omnium metallorum genere ſcatens 838.4
Virtus Adenenſium 1321.10
Virtutes & vitia Henrici regis Luſitani 1119.26, 40
Viſcella fluuius, alias Vizella 1004.8
Viſeum 1062.57
Viſio Petri in Actis Apoſtolorum deſcripta 1309.8,*&c. quomodo in Æthiopia explicetur ib.* 25
Viſtula fluuius diuidit Scythiam & Germaniam 32.23
Vita Albani 1208.46,*&c. Aldefonſi & eius geſta* 104.37 *&* 50 *Andreæ Reſendii* 893.12 894.1 *mors* 894.35
Vita Chriſti & crucifixio ſub Tiberio 292.15,19 *eius reditum ad vitam Phoenix orbi ſignificaſſe fertur ib.* 24 *& miracula Chriſti* 1302.54,*&c.*
Vita impia Ricardi *Abbatis S. Victoris Marſilienſis* 106.46 *Regis Sebaſtiani* 1062.18
Vitia Luſitanorum propria 1066.54
Vitiza libidini deditus 61.53 *dolo agit* 62.28 *Theodefredum oculis priuat* 62.47 *ſceleribus coinquinatus* 62.50 *exul mortem cum vita commutat* 63
Viuat, viuat Antonius rex Luſitaniæ 1143.48
Viuat, viuat Henricus *Portugalliæ Rex* 1091.27
Viuat Rex, viuat rex quo more clamatum 1141.9
Vlfilas Gotthicos characteres excogitat 116.56
Vlit Arabum Rex 167.24 *plurimas prouincias ſibi ſubiecit* 167.31 *moritur* 168.11
Vlpianus Iureconſultus 302.8
Vltimus Luſitaniæ Rex 1119.21

Vna miſſa apud Æthiopes quotidie celebratur 1308.23
Vna ſancta Apoſtolica & Catholica Eccleſia 1303.15
Vna triremium Turcicarum cum aliquot ſcaphis à noſtris funditus euerſa 1323.48
Vna vxor cuiq; ducenda 1305.10
Vnio Regni Aragoniæ & Comitatus Barcinonæ 95.31 *regnorum Caſtellæ & Legionis* 98.10
Vnio quid præſtet 1113.57
Vniuerſa Hiſpania ſe dedit Romanis 940.55
Vniuerſitas Alcalana 1129.49.1135.12
Voces canentium precibus lamentisq; mixtæ 1359.56
Voluntas in Deo an procedat ex voluntate 379.37
Voluptates hoſtes regnorum capitales 1064.26
Vpſalia in Suetia Archiepiſcopatus 1313.13 *eius annui reditus* ibid.15
Vrbani Pontificis literæ ad Ildefonſum Galeciæ Regem 496.7
Vrbanus de S. Gelaſio Epiſcopus Comingenſis 1035.54,1102.32
Vrbanus V. Papa Romanus 1106.21
Vrbanus Toletanus Epiſcopus 168.50
Vrbes ab Aldefonſo captæ 123.6 *reſtituuntur Regi Fernando* 123.18
Vrbicus fluuius 45.26
Vrbis Barcinonis cõditor quis 84.11 *Herculea dicta ib*.4.*ab Amilcare Barca Pœnorum Duce condita fertur* 841.11
Vrbium multarum nomina vetera 376.39
Vrbs Dium 1377.56 *Illiberorum, olim Eluira, Epiſcoporum ſedes* 978.38 *Legionenſis ab Arabibus recuperatur* 71.34
Vrinium mons 840.28
Vrraca nubit Alfonſo Aragonio 498.2 *obiit* 509.29
Vrſao vulgo Oſſuna 586.43
Vſura centeſima 299.59
Vulgus affectum quomodo ſit 1128.5,1141.44
Vulgus Sanctarenenſe 1153.54
Vulnus Antonii obligatur 1168.46
Vxores multæ à Witiza permiſſæ 382.11
Vzbequi gens bellicoſa 1318.59
Vzeda 1056.58
Walia *Gotthorum Rex* 324.46 *Alanos in Hiſpania infeſtat* 154.24 *Alanos & Vandalos Silinguos delet* 157.20 *mors* 325.18
Wamba *eligitur* 369.59,370.1 *venenum illi datur* 376.12 *eius actiones* 374.53 *quamdiu regnarit* 830.10 *terminos Epiſcopales diuiſit* 830.24, 831.13,35 *ſedes Bracaræ in eo ſtatu, vt à Theodorico Rege ordinata, reliquit* 831.33 *ſedes Tarraconæ diuiſit* 832.23 *ſedes Narbonæ diuiſit* 833.5 *moritur* 833.9
Weſtremirus *Epiſcopus Toletanus* 418.8
Wilitanchus *Dux iubetur à Theodorico Rege in Brandilam adulterum iuxta leges inquirere* 196.9
Wittericus *Rex* 10.54.355.8
Witiza Rex 381.52 *vrbes mœnibus nudat* 382.45 *periit* 383.4.9
Wolfgangus *Lazius rerum Germanicarum ſcriptor* 1226.38

X

XAriffus. 1090.16,1130.13,1180.20 *Hametus* 1123.21 *Mahametus* 1075.19, 1078.33,1085.14,*&c. Muleius Hametus* 1109.57
Xariffus Muleius Mahametus 1082.51
Xenophon *Ageſilai præceptor* 814.13
Xeques 1178.27

Y

Ybrahem *præfectus Hiſpaniæ in locum fratris ſuffectus* 172.24
Ydriz frater Haly nepoti in regno ſuccedit 185.6 *Hiſpalim & Almeriam ſibi ſubiicit* 185.10
Yuceph Rex Almoraiuidum 185.52 *monarcha vltramarinus & ciſmarinus* 186.4 *rebellantes ſibi ſubiicit* 185.9 *eius ſucceſſores in regno* 186.26 *ad Hiſpaniæ gubernationem ab* Arabib. *miſſus* 172.31 *ipſius tempore tres ſoles viſi* 172.38 *interficitur* 173.21

Z

ZAga *Zabo quis* 1212.8 *cur Æthiopiæ ſtatum Damiano à Goes denegare nõ potuerit ib*.11
Zaida filia Benabeti Regis *Mauri & Caſilda filia* Almenonis *Toletani regis Chriſtianæ* 459.9
Zama Dux Arabum *Hiſpanorum vectigalia partim militib. partim fiſco aſſignat* 168.40. *Toloſam obſidens ab* Eudone *Francorum exercitus duce interficitur* 168.47
Zamora, olim Sentica 403.11 *datur illi Epiſcopus* 507.25
Zanellus presbyter libros Gotthicos excudit 427.13
Zeilan 1065.38
Zelandia 1205.9
Zemora vnde nomen 79.17
Zeneti Marchioniſſa græcæ & latinæ linguæ ſtudioſiſſima 821.52
Zeno Iſauricus 812.46
Zenon Cantabriæ princeps 420.45 *eius filia* 420.47
Zephadela Rotæ regulus 517.49
Zelia 1064.31
Zoilus martyr 311.17 *eius corpus vbi & à quo fuerit repertum* 859.22
Zotocara Inſula India 1375.47
Zourus dictus Sapiens 811.24
Zuleman Rex Arabũ 168.12 *Romaniã deuaſtat & Pergamũ florentiſſimam Aſiæ ciuitatẽ comburit* 168.13 *Regẽ Cordubæ ſe vocat* 179.41. *altera vice cũ Almahadi pugnat* 180.8 *deuincitur* 180.11 *Cordubã occupat* 182.25 *regnũ Arabũ obtinet* 182.37 *innocens ab* Haly *interficitur* 183.18
Zuria Cantabriæ *Princeps* 420.48,424.49
Zurita arx ab Alfonſo octauo capta 531.27.53

FINIS.

Digitized by Google

Errata ſic corrige.

Pag. 5. lin. 10 lege reſiſteret
16 36 Abbas
21 11 anno
32 4 Veric
36 50 crebro
37 1 lege & qa Tyaris
46 36 lege quia Amalaricus filius Alarici
72 24 fœdarentur
94 59 ſancti

120 11 terram
124 44 poſt
172 28 Maroim
188 41 ſui
192 22 victos
197 59 Comes Sciciaſti
225 25 Tarteſſiorum
295 8 Quintilianus
322 27 Triges
495 30 Canonicos
496 13 conuentum

622 35 obſidione
766 47 Pontifici
804 30 fortaſſis
807 59 bella Punica
824 58 Brabantinum
846 46 auri
854 4 argenti viui
859 37 laterum
880 56 Lucius And. Reſendius
928 43 Carthagine à Tyriis

955 49 regi
959 51 ſegniter
980 37 inito
1056 51 ab Vcedo
1119 31 præſes
1227 43 venientibus
1243 1 Iacobum
1292 52 parayetas
1297 49 Nau
1333 30 interempto
1368 48 ſuppetebat

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google